UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
BERGISCHE UNIVERSITÄT WUPPERTAL

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Petronii Arbitri Satyricon qvae supersunt

Petronius <Arbiter>

Trajecti ad Rhenum, 1709

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-744

Visual Library

121349


Jethmann
Okt. 1933.

61.

109.

Kunst. 1849

No 4442.





TRAJECTI ad RHENUM
Apud GUILIELMUM vande WATER CIↃ IↃ CC IX.

6481491

TITI
PETRONII
ARBITRI
SATYRICÔN QVAE SUPERSUNT

Cum integris Doctorum Virorum Commentariis;
& NOTIS
NICOLAI HEINSII & GUILIELMI GOESII
nunc primum editis.

Accedunt

JANI DOUSAE PRAECIDANEA,
D. JOS. ANT. GONSALI de SALAS COMMENTA,
Variae DISSERTATIONES & PRAEFATIONES,
quarum Index post praefationem exhibetur.

Curante

PETRO BURMANNO.

121349



TRAJECTI AD RHENUM,
Apud GUILIELMUM VANDE WATER.

cIↃ IↃ CCIX.

Государственная Советская
Публичная Библиотека

TITI
PETRONII
ARBITRI
SATYRICON QVAE SUPERSUNT

Cum integris Doctorum Virorum Commentariis;
& Notis
NICOLAI HEINSII & GUILELMI GOESII
nunc primum editis.
Accedunt
JANI DOUSAE PRAECIDANEA,
DOS. ANT. CONSALII & SALAS COMMENTA,
Variae DISSERTATIONES & PRAEFATIONES,
quarum Index post praefationem exhibetur.
Curante
PETRO BURMANNO.

W 04
ZZW X 9747

UNIVERSITÄTS BIBLIOTHEK WUPPERTAL
84.25 212

TRAJECTI AD RHENUM,
Apud GUILELMUM VANDE WATER.

VIRO

PERILLUSTRI ET NOBILISSIMO

THEODORO

A

VELTHUYSEN,

TOPARCHAE IN HEEMSTEEDE, WILLESKOP, KORTHEESWYK, COLLEGII PRIMARII TEMPLI CANONICO, ILLUSTRIBUS AC PRAEPOTENTIBUS CIVITATIS TRAJECTINAE ORDINIBUS PRIMI LOCI ADSCRIPTO, AD CONSESSUM ORDINUM FOEDERATI BELGII LEGATO. CONSILII UTRIUSQUE LECCANI SUPERIORIS ET INFERIORIS ADSESSORI, MERITIS IN REM PUBLICAM ET LITERARIAM CONSPICUO.

S D.

PETRUS BURMANNUS.

Nihil hominum, in eadem civitate & communi consociatione viventium sorte, conditione, vitae, munerum & sententiarum varietate est dissimilius, & diversum magis: quae tamen ipsa, nisi intercederet distinctio, omnia brevi turbata collaberen-

tur, neque diu ulla ſocietati ratio conſtaret. Ut vero tam diſpares fortunis & ſtudiis homines aequalitas quaedam neceſſitudinis & conjunctionis conciliaret & contineret, non aliud efficacius ad conſociandas mentes vinculum excogitari poteſt, quam ſi illi, quos & naſcendi felicitas, & deinde merita in primum locum & ordinem evexerunt, non potentiam ſuam in humiliores importune exerceant, aut opibus & honoribus ad inferiores premendos abutantur, ſed hunc unicum excellentiae & praeſtantiae ſuae fructum arbitrentur, ad tuendos illos, qui in fidem & clientelam eorum conceſſerunt, ſe componere, & omnibus, qui ad eos confugiunt, decus & praeſidium praeſtare. Hoc, ſi ulla umquam civitas ad felicitatem publicam facere poſſe intellexit, Romana certe, in arctiſſimo illo Patronorum & Clientum foedere oſtendit, & nihil antiquius, & ad concordiam civium conſervandam eſſe praeſentius, quam mutuum illud officiorum commercium re ipſa demonſtravit. Hoc admonebat potentiores ex uberrimo & ampliſſimo divitiarum & opum fonte largos in tenuiores cives rivos deducere; hoc viciſſim humiliorum multitudinem à vi & impetu reprimebat, & patronos, ſicut parentes, eſſe colendos praecipiebat. Quamvis vero haec praeclara clientelae jura & officia, non tam expreſſa in noſtra civitate obſerventur, videre tamen licet effictam ſatis hujus ſaluberrimi inſtituti imaginem: nemo enim honeſtioris ordinis civis reperitur, qui non quoſdam opibus & dignitate conſpicuos viros obſervet & colat; eorum in adminiſtranda republ. conſilia laudet, conatus adjuvet, & merita praedicet & commendet. Cum vero fieri nequeat, ut omnes, qui gubernacula rerump. tractent, eamdem ſectam ſequantur, ſed ſaepe in ſententiis de ſumma re ferendis graviter diſſideant, hinc etiam evenire ſolet, ut eadem ſtudiorum & voluntatum varietas inter cives propagetur, neque ſolae in curia factiones regnare videantur: plerumque vero plebis & civium

vium viliorum multitudo, impetum mentis, & externam rerum ſpeciem ſequentes, eos affectari conſuevit, qui populari aura abutentes, operam ſuam ventoſis & inanibus verbis venditant. Sanior vero & integrior populi portio bonis & optimatibus favere, unicum patriae amantis civis officium eſſe credit. Hos non ſibi, ſed communi ſaluti ſtudere; hos leges, quibus ipſa reipubl. fundamenta innituntur, tueri; hos inſtituta majorum, quae ſinceris adhuc temporibus fuerunt introducta, conſervare melius arbitratur. Talibus non Te modo, VIR PERILLUSTRIS, ego, ſed omnes qui Optimatium recte & fortiter rempublicam gerentium ſe clientes profeſſi ſunt, annumerandum jure tuo ſemper cenſuerunt, & hanc familiae Tuae ſplendidiſſimae nobilitatem, & ab ipſis libertatis noſtrae initiis praecipuam laudem fuiſſe agnoſcunt. Tulit gens Velthuſia, & patriae ſuae exhibuit, ſemper viros, non modo innocentia & ſanctitate vitae conſpicuos, ſed fortiſſimos & prudentiſſimos proceres, qui rempubl. non ex alieno arbitrio, aut impotentioribus addicti, ſed ex ſua ſententia geſſerunt, qui nullas à publicis ſeparatas rationes cum haberent, omnes animi & corporis vires ad commoda & ſalutem communem civium intendebant. Quibus meritis, etſi non aequam ſaepe mercedem reportaverint, conſtanter tamen propoſitum tenuerunt, neque à via, ſemel optimo conſilio inſtituta, deflectere vel declinare voluerunt. His domeſticis imaginibus, & exemplis à majoribus Tuis proditis, Tu Vir Perill. excitatus, cum ad rempublicam accederes, eo maxime tempore, quo graviſſima tempeſtas meliorem civitatis partem dejecerat, & in primis familiae tuae antiquum florem & ſplendorem foedaverat, talem Te univerſis ſtatim probaſti, ut omnes boni meliora & mitiora tempora ſibi dehinc ſponderent. Tanta aegram rempublicam ſolertia tractabas, tam docta manu ipſa vulnera conducebas, ut Tua praeſertim opera brevi in priſcam ſanitatem coitura viderentur. Et

cum multi post tam vehementes motus, vix sibi promittere auderent tranquilliorem statum, sed augurarentur fere omnes, tot procellis quassatam navem, tot fluctibus jactatam, non evasuram naufragium, Tu prudenter tempori serviendo, prohibuisti, ne praeceps in profundum abiret, et manu gubernaculo admota, elaborasti, ut sensim et cunctanter eluctaretur et emergeret. Apertius autem se egregrie erga patriam adfectae mentis argumenta prodiderunt, cum laeta nobis illa illucescerent tempora, quibus Magistratus, omni gravioris imperii metu soluti, libere suam de summa republica sententiam ostendere potuerunt. Tu novum quasi libertatis reviviscentis signum, quod eo tempore erigebatur, et ad quod certatim omnes in dignitate constituti viri convolabant, non modo sequendum, sed ita esse vindicandum et propugnandum ostendebas, ut nulla iniquitas temporum, nullae malorum machinationes denuo illud è manibus custodum evellere auderent. Neque, quamvis ex tam felici rerum conversione, maxima Tibi dignitatis et auctoritatis fieret accessio, hoc tempus captandum esse putabas, ut illis, qui prospero rerum suarum cursu ablati, potentia sua, non sine aliorum detrimentis, abusi fuerant, vices rependerentur. Omnibus, qui Tecum manus ad recreandam rempubl. consociabant, auctor eras, nullam praeteritarum injuriarum memoriam, nullam ulciscendi contumelias libidinem, praesentem debere reipubl. statum turbare. Leniissima esse incedendum via, et ut omnes motuum et seditionum causae praeciderentur, acta potius priorum temporum esse confirmanda, quam, intempestivo ardore, ipsa malo graviorem medicinam adhibendam. Alia enim semper fuit factiosorum coetuum, alia Optimatium, qui concordi animo in communem salutem conspirant, ratio. Hi tantam ab omnibus suae potentiae, et opum, quas in curia et conventibus publicis parant, suavitatem sentiri volunt, ut non modo boni, qui sub jugo olim gemebant, recreentur, sed ut illi ipsi qui praesenti

senti rerum statu non contenti esse creduntur, ab omni metu dominationis sibi adversae liberentur, et, si legibus aequissimis parere velint, sub procerum praesidio, tamquam sub grata quadam umbra recubare possint. Et experti sumus omnes, cum vicinas jam civitates pestilens quoddam sidus adflaret, summam, in maxima rerum conversione, quietem, cum nemo Ultrajectinorum Procerum inveniretur, qui ambitione, iniquitate, aut crudelitate bonam caussam corrumperet; Imo ita odia omnia detumuisse videbantur, ut nullas umquam aliquis injurias passus videretur. Certe Te, Vir Perill. et omnes tibi sanguinis vinculo conjunctos, moderationis eximiae documenta edidisse, omnes fatentur, qui norunt, nulli primariarum familiarum majorem calamitatem incubuisse, quam Velthusiae. Contempletur, qui me haec temere adfirmare credet, insignia illa duo Tuae gentis sidera, Wernerum et Lambertum, Fratres mutuo inter se amore, et communibus in patriam studiis conjunctissimos, qui in acerba illa et luctuosa tempestate de gubernaculis republicae, cum omnibus cognatis et amicis, dejecti fuerunt. Sed cum ipsi illi Viri fortiter hanc fortunae saevitiam sustinuerint, et tela illa ad bene in utramque partem praeparata pectora non attigisse, aut laesisse testati sint, quid, quaeso, caussae esset, ut eorum gentiles et cognati vindicandam hanc temporis magis, quam civium iniquitatem esse censerent. Donandam Reipubl. non persequendam esse ipsi, alto et magno animo, non modo semper prae se tulerunt, sed re ipsa praestiterunt, et tam quietae et tranquillae vitae, ad quam jam olim praesidia in ipsis prosperis, assiduo sapientiae studio, sibi paraverant, se dediderunt, ut augustiores apparerent privati, quam olim in honoribus et purpura effulserant. Quibus et quam efficacibus solatiis non tam suam, quam patriae calamitatem levarent, Socraticae illa sapientiae plena Lamberti ad Fratrem epistola, quam operibus suis, aeternum victu-

ris,

ris, praescripsit, ignaros docere potest; quae cum vim et civitati universae à sociis et foederatis factam, et injuriam honestissimis civibus ab hospitibus et peregrinis illatam perspicue ante oculos ponat, simul conscientiae talium virorum integritatem, et ab omni criminum suspicione immunitatem demonstrat. Sed refricare haec vulnera non lubet; quamvis nullum periculum sit, quae tua est animi mansuetudo, ex illa commemoratione exulcerari mentem tuam posse, qui semper recte judicasti, feliciores fuisse, qui injuriam passi fuerunt, ipsis illis, qui intulerunt. Hoc vero unicum, VIR PERILLUSTRIS, à me adjici ne graveris, hanc, tam insignibus Viris et Familiae tuae impositam calamitatem, nulli umquam luctuosiorem et magis illaetabilem visam fuisse, quam Parenti meo, qui tam arcte, et amicitiae vinculo, et similium erga rempubl. studiorum consensione, Lamberto et reliquis Velthusiis erat conjunctus, ut omnia cum illis semper, sive prospera, sive adversa, communia sibi duxerit. Nam ex quo tempore primum huic urbi pedem intulerat, cum videret se objici, et furentium Theologorum contra Magistratus rabiei, et calumniis civium contra suae, quam profitebatur, disciplinae integritatem, ad quos se tutius adplicaret, quam ad fidissimos et fortissimos navis publicae gubernatores? Ad quorum nutum, tamquam certissimum astrum, cursum suum dirigeret, et quibus operam suam, Ecclesiae et Academiae addictam, approbare malebat, quam pullatae plebi se Tribuniciis concionibus venditare. Gratius enim Deo ipsi fore sibi persuadebat, promptum legibus et Magistratibus obsequium praestare, quam infrenem turbam, inani sanctitatis et pietatis opinione sibi prius conciliatam, invidiosa oratione in proceres concitare, et ex falsis optimatium criminationibus imperitae multitudinis applausum captare. Hanc vitae sectam cum constanter sequeretur, et innocentia summa et simplicitate ipsos calumniatores, qui nihil jure in eo cul-

pan-

pandum reperire poterant, irritaret; quid quaeso, ipsi exspectandum erat, submotis et dejectis, qui contra omnes injurias ipsi semper egregie adfuerant, patronis. Quam si providere ulla mentis sagacitas potuisset procellam, quanto rectius numquam pedem in hanc urbem, perpetuam sibi palaestram futuram, intulisset, aut in rem suam melius consuluisset, si sedes dudum mutasset, et discordem Trajectum, ut commodissima se bis terve ostentabat occasio, reliquisset sua in viscera saevientem? Sed retinuerat eam suavissima illa Velthusii sui et aliorum sibi faventium Rectorum consuetudo, et, qua florebat apud eos, gratia molestias omnes facile abstergebat. Sed cum illorum ruinae involutus, et praeter omne jus, commodorum bona parte fraudatus, quotidie non à viris, sed primae lanuginis adolescentibus, et pueris, qui omnibus ejus actis publicis obstrepebant, vexatus, omni calumniarum genere, immissis et subornatis falsis criminatoribus, quasi neque vitam sancte ageret, neque recte de religionis capitibus sentiret, agitatus, aegram et laboribus incredibilibus exhaustam in luctu animam trahere cogeretur, quae poterat in hac urbe voluptas, quae jucunditas recreare? Sibi omnia, etiam debita, maligne praeberi, imberbes et immeritos, ideo tantum, quia in Burmanno vexando impudentiae caninae singularia specimina ediderant, honorari cernebat. Quid faceret? non erant Velthusii, non alii, ad quos despectus et contemtus decurreret; unicum, et id ne quidem satis tutum, supererat, communem cum illis calamitatem tacite deflere, et Deo caussam suam et omnium bonorum committere. Vides, vir Illustrissime, quam non longe sit arcessenda caussa et origo, meae ergo Velthusiam gentem, in cujus clientelam se jam olim Pater addixerat, venerationis, quam à parente traditam constantissime semper custodivi. Puer, et vix quid res humanae ferrent prudens, millies ab Illustri illo Lamberto Velthusio, quotidie in aedibus paternis versante, ad virtutis

et sapientiae studia inflammatus, post etiam Patris, laborum assiduorum onere, et scaevae fortunae ictibus prostrati, immaturam mortem, ab eo susceptus, et quotidianis adloquiis excitatus, quid aliud menti meae inculcari poterat, quam nihil mihi antiquius habendum, nihil prius esse annitendum, quam ut talem me paternis amicis approbarem, qualem illum cognoverant et amaverant? Et licet forte ardentior illa adolescentiae efferveſcentis vis, proniorem me in talium virorum cauſſam impulerit, quam quidem alii, qui prudentiae nimiae sub specie languere malunt, probarent, in istam potius partem me peccasse non poenitet, neque umquam, spero, poenitebit: Ejurare enim, ut nec nomen paternum licet, ita nec mores et instituta libet, et cum procul ab omni ambitione in literario otio semper vitam agere, ab ipsa pueritia, mihi propoſuerim, hoc libertatis mihi reliquum fore semper confido, tales colere et obſervare, quos vere patriae amantes, recti justique custodes, et doctorum Maecenates esse mihi persuasero. Inter illos autem Te, in primis Vir Perill. ut semper feci, venerabor; Tu enim, familiae et nominis Velthusiani semper studioſiſſimum, quam primum in publicam lucem, me, quaecumque ea sint, studia et famae primordia protulerunt, prolixe amplexus es: Tu favore, amore, et, si liceat tantum mihi sumere, familiaritate quadam ita me devinxisti, ut cui in hac civitate, praeter Te, plura debeam, neminem agnoscam. Patere ergo, quaeso, quae insignis Tua est humanitas, hanc à me Tibi publicam gratae mentis et officii testificationem offerri, neque dedignare Clientis tui, si qua egeat, tutelam suscipere. Non vero is sum, qui tam splendore dignitatis, quae tamen in Te summa est, nec tam pupurae Tuae fulgore, qui late splendet, ut vilis adulator trahor, mox iterum, si forte illa fortunae ornamenta, ut fieri solet et potest, exciderint, turpiter deserto patrono, ad alios me collaturus. Rapiunt, et semper rapuerunt, me in Tui veneratio-

nem

tionem singularis illa et constans de patria bene merendi voluntas, animus ad omnia, quae pulchra et honesta sunt, pro libertate et bona caussa audendi, paratissimus, susceptum semel, et in quo permanes, consilium omnes bonos et Tibi probatos protegendi et ornandi. Denique me insignis illa semper adfecit in omni vitae parte moderatio, quod in ampliſſimis honoribus, quibus merito ornaris, nulla impotentiae aut effrenatioris animi signa prodas; quod in maximis divitiis et adfluentibus vitae privatae commoditatibus, nullum intemperantiae, nullum luxuriae argumentum ostendas. Quod raram illam, et paucis divitibus concessam, fruendi opibus artem, tam prudenter et praeclare exerceas, ut neque in profundendo nimius, neque in strangulandis intra arcam nummis adstrictus et tenax, auream illam mediocritatem, et veram liberalitatem exhibeas. Te pauperes et egeni beneficum, amici prolixum et comem, omnes Te bonum et tantis opibus dignum sentiunt et praedicant. Has in Te dotes, Vir Perill. etiam si omnes dignitatum et honorum phaleras Tibi insperata temporum iniquitas detraheret, perpetuas et proprias agnoscemus, et meritis laudibus prosequemur. Et facile me ita vere, et ex animo sentire, fidem Tibi facturum confido, qui me noveris minime ad adulandum aut blandiendum factum, sed apertum, et ultra forte, quam expedit, liberiorem. Numquam ego tam callidus fui, ut aliud pectore clausum, aliud ore et verbis praeferre, prudentiam et sapientiam summam esse crediderim; sed Batavicae illius simplicitatis amantissimus, ex animi sententia intimos mentis sensus aperire soleo. Novi optime hac via multorum odium parari, neque ad magnifica quaeque et splendida, quae venantur homines, perveniri: Sed cum nulla umquam me tentaverit ambitio, nulla ampliora, quam quae consecutus sum, obtinendi cupiditas, neque spes improbas alam, quid caussae quaeso esset, cur in turpem me alicui servitutem

traderem. Contentus mea, quam Deus dedit, ſorte, ſi iis, quae poſſideo, tranquille frui, ſi libertate, omnibus civibus communi, uti, ſi ſtatum illum, in quo me collocavit, non emendicatus Procerum favor, aut cognatorum, quos in hac urbe nullos in Magiſtratibus umquam habui, potentia, ſed aliqua diligentiae et induſtriae fama, et auctoritas et commendatio ſummi Graevii (cujus ſuffragatio me non plane ad eam adminiſtrandam provinciam ineptum eſſe, aequis literarum aeſtimatoribus perſuadebit) retinere, et partes mihi creditas alacriter obire et ornare concedetur, omnium mortalium me beatiſſimum judicabo: ſin adverſa inciderint tempora, et calumniis atrociſſimis, et injuriis ita me vexari et inquietari videam, ut tranquillitatem illam, quae ad ſtudia noſtra excolenda perneceſſaria eſt, turbent hæreditarii nominis mei hoſtes, non cedere, ſed fortia ſceleratis et facinoroſis hominibus pectora opponere, et omnia prius perdere decretum eſt, quam permittere, ut de fama et adquiſito honeſtiſſimis artibus ſplendore, vel minimum deteratur. Sin minus; tam laetum mihi tempus et fauſtum olim appariturum voveo et opto, quo Fortunae et Spei valedicens, et reſignans, ſi qua dederint, muſaeo meo ita me includam, ut nec ipſum Atridarum nomen exaudiam, et ſolae me, à quibus me nunc invitum toties avocant innumerae curae, et res non magni ſaepe momenti, literae delectent et occupent; quo recolere et celebrare illa ſtudia, in quae ab ipſa pueritia me ardor ſummus tulit, in otio tranquilliſſimo licebit. Interim ad Te, Vir Perilluſtris, qui ſummum ſemper ſtudiis honorem et amorem exhibuiſti, qui me in amicitiam, imo fidem et clientelam recipere dignatus es, decurro, patrocinium tuum, ſi quando eo opus ſit, contra juratos et capitales hoſtes imploro, et ne pati velis, innocentis hominis famam, calumniis et maledictis hominum, omnibus flagitiis et ſceleribus coopertorum, vexari et lacerari, precor.

Neque

Neque tamen, ut pro Cliente tuo ullam publice ſuſcipias cauſſam peto, aut aliquid tibi pro me conandi laborem imponas; unicum, quod animum mihi explere poterit, et ſimul invidos vanas ſpes foviſſe oſtendet, rogo, ne antiquum, quo me ſemper complexus es, favorem erga me meoſque intermittas: ipſos enim calumniatores in ruborem ituros ſatis ſcio, ubi viderint nihil apud Te et alios bonos, quorum favorem mihi invident, calumnias illas effeciſſe, neque, quod forte intendunt, me gratia optimorum virorum et Procerum excidiſſe animadverterint. Triumphaſſe mihi videbor, ubi priſtinum, quem adhuc tenere potui, locum apud Te tueri licuerit, ſecurus, quid diverſarum partium aſſeclae de me confingant, et ferreo illo, quo conſpiciuntur, ore mentiantur, et per omnem, non modo urbem, ſed Belgicam differant. Excitabit etiam nova in vitae meae conſuetudinem et mores, haec, quam ſcriptori huic Satyrico impendi, opera, dicteria; et quod ex magna veterum ſcriptorum copia hunc potiſſimum elegerim, in quem vires ingenii et eruditionis periclitarer, ſemidocti quidam magiſtelli me, et in libidines pronum, et linguae procacis hominem eſſe, arguent. Quas malignorum criminationes et detrectantium mendacia, non hodie demum in me vibrata, jam diu contemnere didici; ea proficiſci à talibus gnarus, qui verum ſibi dici numquam libenter audiunt, et malunt caſti haberi, quam vivere: qui ſuam in Petronio imaginem expreſſam, et vivis coloribus depictam deprehendentes, indignantur libere nimis ſeculi depravati mores exponi. Exprobrari ſibi à viris doctis ignaviam et juventutis corruptelam, Paedagogi potius viles, quam bonarum artium Profeſſores habendi, toties arbitrantur, quoties aliquid vere et candide in corruptas ſtudiorum vias, à doctioribus, ſive in orationibus publicis, ſive in ſcriptis commentariisve dici audiverint vel legerint; et communes publicaſque omnis aevi Eruditorum querelas, et expoſtulationes, in ſe

prae-

praecipue vibrari existimant. Sed cum Tu, Vir Perillust. semper ingentem severiorum Musarum amorem prae te tuleris, et hos plebejos juventutis praeceptores, qui extra dictata sibi à magistris tradita, ne hilum quidem sapiunt, non magno in honore habeas, ad quem potius Patronum solidae et antiquae eruditionis cultores decurrerent? quem praeter Te laborum suorum et lucubrationum judicem expoſcerent? Certe ego, ut Tibi et omnibus bonis in reliqua vita innocentiam et integritatem approbare malo, quam à tumidis et inani sanctitatis specie conspicuis censoribus laudari, ita malo quoque mea, qualiacumque ea sint, scripta et commentationes Tibi non abjicienda videri, quam si universus Marsyarum grex mihi incondito quodam murmure adplauderet. Si Magistratibus, quibus solis rationem mei muneris reddendam puto, diligentiam et industriam, si Viris literarum nostrarum peritis, et extra omnes partes per universum orbem positis, nomen meum commendare, et eorum amorem mereri contigerit, nihil mihi cum invido illo, et maligno Momorum choro negotii supereſſe credam. Si illustrissimi et unici praeceptoris mei Graevii vestigiis insistendo, Academiae nostrae commoda et gloriam augere et promovere licuerit, coelum ipsum attigisse videbor; denique si Tu, Vir Perillust. prolixum illum erga literas et literatos favorem et voluntatem, qua olim Graevium merito suo es amplexus, in me propagare et extendere volueris, efficiam, ut beneficia in minime ingratum hominem collata intelligas. Tua me benevolentia, ad majorem in recolendis studiis alacritatem incendet et exstimulabit. Faxit modo Deus, ut diu Populo Batavo et Trajectino salvus et incolumis interſis et praesis, ut literae nostrae, non modo Te Maecenatem prolixum et benevolum observent, sed universa respublica Te libertatis avitae et legum aequissimarum tutorem et vindicem veneretur. Nec cives et incolae Te solum in turbulentis et motuum bellicorum plenis tem-

tempestatibus publicae navis peritissimum et cautissimum gubernatorem laudent, sed Pacis tam diu exspectatae, et ad quam conciliandam operam et consilium semper attulisti, adsertorem praedicent, et extollant. Sic denique cum meritis honor et dignitas Tibi crescat et amplietur, sic auctoritas, simul cum usu rerum et aetatis maturioris gravitate, Tibi augeatur, ut non praesens modo aetas laudes tuas debitis praeconiis celebret, sed etiam grata posteritas Velthusiani nominis memoriam seris nepotibus perenni commemoratione commendet. Dabam Trajecti Batavorum Kalendis Junii cIↃ IↃ CCIX.

PRAEFATIO
BENEVOLO LECTORI S.

Post tot Praefationes & Dissertationes, huic editioni adjectas, quibus Viri Doctissimi, quisque pro suo ingenio & viribus, Petronium, ejusque fata & scripta excutere conati sunt, supervacuum videri posset, te in ipso limine nova iterum Praefatione morari. Usurpandi tamen moris caussa, antequam ad ipsum Scriptorem legendum te accingas, quaedam praemonenda duxi, quibus & meam de hoc libro sententiam, sed breviter, & rationem, quam in recensendo Petronio habui, aperiam, omissis iis, quae bis terve saepe in diversorum dissertationibus repetita leguntur, quas tamen nobis mutilare nefas visum fuit. De ipso Petronio, quis fuerit, vel quo potissimum tempore vixerit, prima lis est, neque facile dijudicanda. Tot enim Petronios, & praecipue, licet antiquior fuerit gens, ab Augusti tempore, ex vetustis monumentis producunt Viri Docti, ut incerti ipsi, & inter se discordes esse cogantur de vero huic foetui parente adsignando. Plurimorum tamen suffragia tulit ille, sive Cajus, sive Titus, Petronius, Plinio & Tacito Neronis tempore celebratus, nobilis lautitiae & elegantis luxuriae Arbiter, cujus vitæ & morum hic libellus verum esset indicium, & qui, a Nerone mori coactus, ejus flagitia, sub nomine exoletorum faeminarumque, codicillis, paulo ante mortem, perscripsit, & obsignata Principi misit. Hanc sententiam & plurima in hoc scripto, quae Neroni & ejus amicis convenire videntur, & Arbitri cognomen, quod Petronio ex arbitrio elegantiae inditum videtur, firmare videntur. Fuerunt tamen quidam, & inter eos Octavius Ferrarius lib. 1. Elect. cap. 7. quibus aliter visum fuit; praecipue hoc argumento inducti, quod si Neronem tangere instituisset Petronius, praecipuam inter omnia ejus flagitia crudelitatem, parricidium, caedes amicorum & incendium Romanae urbis, nullo modo silentio praeterire potuisset. Quibus libens ego meum adjicio calculum, & nihil in toto hoc opere deprehendi posse puto, quod in solum & praecipuum Neronem vibratum esse, videri merito possit: sive enim Trimalchionis personam spectemus, libertus, senex jam calvus, fatuitate & inepta lautitiae & eruditionis ostentatione conspicuus inducitur, cum Nero juvenis, ex nobilissima gente, neque tam ingenio, quam moribus absurdis fuisse prodatur. Sed quod praecipue me movet, est, quod expressis verbis Tacitus narret, illum Petronium, non data opera libellum quemdam, aut volumina aliquot, cura quadam & diligenti labore conscripsisse, quibus illa flagitia traduceret, sed sub mortem, more illo tempore frequentissimo, codicillos quosdam perscripsisse, quibus, non ut alii, Neronem, aut quem alium potentem adulatus est, sed exoletorum & faeminarum stupra & libidines consignavit: *Codicilli* vero, ut ipsa vox satis efficit, codices minuti, & pugillares tabulæ, cera illitae erant, quas ad quotidianum usum secum fere circumferre & ad manum habere solebant, quibus illa, quae subito in mentem veniebant, stilo impresso inscribebant, & aliis, ad quos ea res pertinebat, mittebant, ut vices Epistolarum,

vel

vel mandatorum agerent. Sic narrat Suetonius in Oth. cap. x. illum, cum sibi manus jam illaturus esset, *secreto captato, binos codicillos exaraſſe ad ſororem conſolatorios*, quos longi sermonis capaces fuisse, neque temporis, instante jam fato Othonis, neque ipsa consolationis ratio suadere videtur; Immo binos Otho ideo implesse videtur, quia unius modus non caperet integram, quam conscriberet in hoc temporis articulo, consolationem. Eadem ratio erat mandatorum, quae Imperatores, non magno ambitu verborum, Tribunis militum & ministris, codicillis consignata dare consueverant, ut apparet ex eodem Suetonio in Tiber. cap. XXII. Praeterea frequentissimum horum codicillorum usum, ad brevia quaedam & subita verba inscribenda, docet ipse Petronius, qui cap. LV. Trimalchionem, Poëtam & Philosophum agentem, inducit *Codicillos poscentem*, quibus versus quosdam, *non diu cogitatione distorta* inscriptos, statim recitavit. Inter amantes etiam creberrimus codicillorum usus, quos ad amicas, eadem in urbe haerentes, mittebant, & quibus vel noctem petebant, ut Ovidius lib. I. amor. Eleg. II. & 12, vel alias blanditias committebant, ut ex nostri Satyrici cap. CXXIX. apparet, ubi Chrysis dominae suae codicillos reddit, & Polyaenos codicillis verba, quibus iratam Circen mitigare tentat, imponit. Tales erant etiam illi apud Catullum Carm. XLII.

Moecha putida redde codicillos,

quos eodem in carmine *pugillaria* appellat, a pungendo nimirum, quia stilo impresso puncta in cera facere consueverant, quae etiam verso eodem stilo facile deleri poterant, quod *liturам* vocabant, a *linendo*, id est, aequando, delendo; ut Ovidius lib. I. ex Pont. Eleg. 5.

Cum relego scripſiſſe pudet, quia plurima cerno
Me quoque, qui ſcripſi, judice digna lini:

Tales erant illi *codicilli* Memmii, quas *Curtius Nicias ad Pompeji uxorem de ſtupro pertuliſſe* narratur, a Tranquillo in lib. de Illust. Gram. cap. XIV. similes quoque credendi sunt fuisse illi causidicorum, quibus graves obambulabant, ut ridet talem Martialis lib. V. Epigr. 52. neque his inscripta custodiri diu fuisse solita, aut ad posteros prodita vero simile est, sed si quid majoris momenti subita meditatio suggereret, quod aevum ferre posse credebatur, inde descriptum in chartam vel membranam transferebatur. Hinc narrat Suetonius in Tiber. cap. LI. illum graviter tulisse, *codicillos Auguſti, de acerbitate & intolerantia morum Tiberii a Livia ex ſacrario prolatos, & recitatos, tam diu cuſtoditos fuiſſe*. Hanc quoque causam fuisse puto, cur praecipua appellatione a Jurisconsultis *codicilli* vocati fuerint, minus solemnia ultimae voluntatis mandata; quia Testamenta legitima, ad plures paginas produci solerent, & illorum verba codicillis capi nequirent, qui brevi scriptura, singularem modo rem, quam Testator post mortem fieri vellet, comprehendebant. Hinc quoque toties codicilli, pro Epistolis, non longis, sed brevioribus, quae non ad absentes, sed in eadem urbe, vel certe suburbano morantes mitti moris erat, reperiuntur. Sed ne plura de his agendo molesti evadamus, ad Manutium te remittimus, qui ad Ciceron. lib. IV. Epist. Fam. 12. & lib. IX. Ep. ult. hoc luculenter demonstravit. Minime ergo Petronius ille moriturus codicillis suis potuit omne hoc, cujus fragmenta modo nobis supersunt, Satyricum scriptum comprehendere, cum illi nec Epistolae longiori sufficerent. Neque etiam elaboratissima hujus libri scriptio patitur, ut ex tempore a morti proximo effusum credamus. Praeterea ait Tacitus, eos codicil-

los sub nominibus exoletorum & faeminarum, scilicet eo tempore nobilium, flagitia exhibuisse; hic omnia ficta & ad arbitrium excogitata nomina. Denique cum hi codicilli obsignati ipsi Principi missi fuerint, non eos, ut posteritati traderentur, servasse, sed protinus vel igni dedisse, vel alio modo tollendos jussisse credibile est. Quod cum luce meridiana sit clarius, nihil hinc praesidii petitur illis, qui Neronem, ejusque amicos & potentes hic traduci adseverant.

Ab hac communi persuasione, nescio autem an his rationibus inducti, discesserunt Fratres Valesii, qui ad longe inferiora Nerone tempora Petronium detrudere, & sub Antoninis vixisse, probare conati sunt: qui etiam natione Gallum ex Massilienssium agro ortum volunt, ex noto illo Sidonii loco: nullo etiam fundamento Sponius miscell. Erud. pag. 208. contendit natum in pago ad fl. Druentiam olim C. Petronii dicto, nunc *Peyrvis*. Valesiorum auctoritate motus quoque Statilius fuit. Quorum nulla specie veri commendabilem opinionem duo mihi potissimum subvertere videntur; stili Petroniani elegantia & nitor, & morum, quos refert, corruptela. Quem enim nobis adducere poterunt, aevi Commodiani scriptorem, in quo tam expressa priscae eloquentiae & munditiae vestigia deprehendant, non in uno aut aliquo hujus scripti membro, sed per omnem libellum aequali tenore diffusa? Unicum modo hac laude Petronio similem nobis ostendant, & victas dabimus manus. Quod vero contendant in coena illa Trimalchionis creberrime, & in aliis quibusdam partibus aliquot vocabula & loquendi modos reperiri, quae sequiora secula referunt, id temere jactari in commentariis ad suspecta illa loca, à viris doctissimis, & á nobis quoque data opera saepe est demonstratum; & non aevo jam barbarie inquinato, sed judicio Petronii esse adscribendum, qui in colonia Campana, vilissimos homines, rusticos, libertos, mercenarios, semigraecos, sua stribligine & balbutie notabiles, in scenam inducit. Non tamen diffitemur pauca quaedam hic illic occurrere, in illa libri parte, ubi Petronius ipse sui sermonis est auctor, quae singularia, & nullo veterum exemplo illustrari possint, imo quaedam esse, communia intimo aevo, ut talia adnotavit ex nostro Barthius lib. XII. Adv. c. 1. sed facilis ad talia responsio, cum nullus sit in omni antiquitate scriptor, qui non sibi quaedam propria & peculiaria tam in vocibus singulis, quam universa dictione habeat. In Livio Patavinitatem deprehendebat Pollio, de Ciceronis singularibus librum scripsit Statilius Maximus. Immo vero potius conjicere licet, si quae ad Petronii exemplum apud medii aevi scriptores occurrant, illos diligentius Petronium, quam reliquos ex antiquitate legisse, & hunc auctorem, vitio humanae mentis, quae ad lasciviora & lusus pronior est, familiariorem fuisse posteriorum seculorum literatis; Et cum soli fere essent monachi, apud quos ulla adhuc eruditionis vestigia superarant, quis non credat prurientes illos nebulones, qui in publico magnam pietatis speciem mentiebantur, intra claustra sua, lasciviissimum quemque scriptorem assidue versasse? ut ipse Barthius hoc recte suspicatur lib. VII. Advers. cap. 5. immo horum otiosorum turpi diligentiae adscribendum puto, quod non integer ad nos Petronius pervenerit, sed illae tantum partes, quae monachis tentigine ruptis, lasciviae & libidinosae proterviae manifestissimis argumentis blandiebantur: nam minime assentiri possum Petro Danieli in praefatione, & Rittershusio in notis ad Phaedr. lib. IV. fab. 13. aliisque, qui propter nimiam obscaenitatem, & argumenta lasciviis plena, plurima ex hoc scripto intercidisse credunt. Qualis enim esset haec exscri-

 ptorum

ptorum censenda religio, & sanctitas, cum quae supersunt, majorem partem omnes lasciviae numeros impleant, & nihil scripsisse latinius & apertius Petronium umquam putem, quam illa, quae ex reliquo corpore resecta, ad nos transmissa fuerunt. Hoc egregie summus ille Salmasius in praefatione ad L. Ampelium, his verbis, quae adponere non pigebit, ostendit. *Ita conservatus est elegantium nequitiarum curiosis Petronius Arbiter. Quod enim ex ejus satyrico habemus, mera excerpta sunt alicujus studiosi, qui, quae ad gustum suum in illo auctore invenerat, eodem, quo opus legebat, ordine adversariis suis commendavit ac commisit. Qui putant á monachis sic eviratum esse, vehementer errant. Qualis haec esset castratio, quae, resectis á reliquo corpore membris, vel potius ipso corpore abjecto, solas pudendas partes reliquisse videatur? certe quae desiderantur, vix videri possunt salaciora ac nequiora fuisse, his, quae relicta sunt. Immo ista nullam procacitatis & protervitatis ὑπερβολὴν, vel ipsis lenonibus usurpandam, reliquam faciunt.* Alterum quod non patitur, ad Commodi aut inferiora tempora hoc scriptum detrudi, sunt ipsa rerum, quas vituperat & traducit, argumenta. Videmus Eloquentiae nuper demum corruptae, Picturae modo deficientis exitum, Poeseos in affectationem & tumorem a naturali pulchritudine desciscentis fortunas deplorari, & ineptos declamatores, Poetas miseros & jejunos derideri. Quod, quaeso, an ulli magis aevo competere potest, quam proximo ab Augusto vel Tiberio, quo omnes disciplinas, & bonas artes ita praecipites, & retro lapsas esse constat, ut omnibus, quibus adhuc antiquae eloquentiae quidam gustus erat, ampla querendi & satyrico sale vitia ingruentia perfricandi materia praeberetur; sed hoc nemo, humanioris disciplinae non penitus rudis, sibi amplius probandum exposcet, & in notis & commentariis ad ipsum Petronium jam operose satis actum fuit. Quis vero umquam sub Commodo aut posterioribus Principibus, cum jam barbaries & vitiosa oratio sibi jus fecerat, animum inducere potuisset, Eloquentiae ruinam & labem ante oculos ponere, si non simul ipse nitidioris & melioris orationis specimen edere posset? Quis illo tempore ad Lucani, quem tamen ab antiquis illis seculi Augustei Heroibus longe secernendum existimo, gloriam aut famam processit, cum si Valerium Flaccum, ipsi fere aequalem, sed laude ingenii & castigatae dictionis longe superiorem, omnes adhuc intolerabilius insanuerint? Qua ratione ergo in tumido illo Poeta insignia vitia animadvertere ipsi, longe gravioribus obnoxii, potuissent? immo quo Deo inspirante carmina illa, quae per hoc opus sparsa leguntur, & praecipue illud belli civilis specimen, egerere valuissent? jam si reliqua, quae tangit noster, Paedagogorum impuritatem, quae sub Eumolpi nomine, matronarum & virginum levitatem, quae sub Tryphaenae, Ephesiae matronae & Circes imagine, captatorum & haeredipetarum audacia, & fraudes, & alia capita hujus scripti, diligenter excutiamus, in quae quaeso secula harum omnium corruptelarum primordia, nisi in illa, quae diximus, sunt referenda? non diffiteor, illa omnia sub Nerone viguisse vitia & flagitia, immo jam majus robur cepisse, & convaluisse scio, & sensim exolescente omni gravitate & virtute Romana, nullam gentem deinceps corruptiorem exstitisse agnosco: sed Satyrica hujus generis, ut est Petronii, scripta, contendo tunc potissimum edi & conscribi solere, cum nondum omnia pessum abiissent, & ipsa vitiorum consuetudo jam eorum turpitudinem obliteravisset; sed cum adhuc supersent antiquae sectae & severitatis quaedam reliquiae, cum a labe illa communi adhuc integri viri, ferre non possent grassantem illam morum luem, sed omni modo ruentem disciplinam sistere & con-

tinere conarentur, talibus commentariis praecipue puto locum, & occasionem fuisse. Et talem fuisse Petronium nostrum existimo, non notae luxuriae & elegantiae Arbitrum illum a Tacito merito suo notatum, sed virum sanctissimum, qui ad severioris artis effectum per eam viam, quam ipse initio libri sui ostendit, ductus, summum Eloquentiae fastigium cum attigisset, ferre non potuit suae aetatis declamatores molestos, & poëtastros ridiculos: qui moribus quoque exacta lege frugalitatis politis, vitam ad antiquorum virorum sanctitatem instituens, stomachari non desinebat libidinem, & proterviam invalescentem. Qui continentiae priscorum Quiritium studiosissimus, lautos epularum apparatus, nepotinos sumptus, & cocorum ingenia, stili sui acumine notare, & confodere non cessabat; Qui libertatis antiquae memor, & amissam illam per ignaviam luxuriosorum & decoctorum dolens, adulatores & cultores non Principum modo, sed servorum & libertorum domus Augustae vilia mancipia, ut monstra, abominabatur. Qui denique sua sorte contentus, nec inhians alienae praedae, captatores illos haereditatum & orbis insidiantes, ut vultures & corvos cadavera lacerantes detestabatur. Talem fuisse Petronium judico, neque umquam mentem meam subire cogitatio potest, scriptum huic nostro simile, a viro omnibus illis vitiis, quae censorio opere damnat, contaminato proficisci potuisse. Et mecum facere gaudeo diligentissimum Barthium, qui egregie de Petronii moribus & instituto judicare mihi videtur, ad Claud. Cons. Olybr. v. 40. & lib. 11. in Rufin. 475. Et hoc perpetua sermonis puritas, licet impurissimas sui temporis libidines describat, probat: nullum enim in toto hoc scripto sordicum & obscaenum origine & prima significatione verbum deprehendas, sed translatis semper & honestissimis verbis ad nequitias exprimendas, summa cum verecundia utitur; aliter ac Martialis, Catullus & alii, apud quos & rebus & verbis omnis abest pudor, & qui simplici & improbo sermone naturae opus nudum exhibere non erubuerunt. His omnibus ergo rite pensitatis, Tiberii, Caligulae & Claudii imperia attigisse Petronium puto, imo Augusti adhuc felicia tempora vidisse, qui moderatissimus Princeps, & omni vitae parte civilis, luxuriae & lautitiarum maculam nullam subiit, sed a cujus optimo instituto & disciplina immensum discessit Tiberius, qui libidine omni impurus, rapinis & crudelitate reipubl. gravis, hydram illam & pestem generis humani Caligulam, quo sui etiam desiderium esset, reliquit, quo sublato, fatuus ille & insulsus Claudius, Uxorum, servorum & libertorum suorum servus, ita varietate morum, & virtutum vitiorumque mixtura turbavit & confudit civitatem Romanam, ut omnia vestigia pene priscorum morum deleret. Dominabantur & per omnes Imperii Romani Provincias grassabantur, submotis, si qui ex nobilibus gentibus & familiis supererant, viris, liberti; hi ipso Imperatore locupletiores opes, quas rapinis & nundinationibus corraserant, incredibili luxu ostentabant & profundebant. Hujus temporis imaginem ut posteris expressam relinqueret, indignatio impulit, quisquis ille fuerit, Petronium nostrum, & initio facto a corruptis studiis, libidinem exoletorum, & virginum, libertorum & humiliorum sordidas & fatuas lautitias, & reliqua flagitia numquam satis laudando ingenio & arte commemoravit. Claudium ergo, & potentium sub eo Libertorum crimina & scelera materiem praecipuam sibi sumsisse plane mihi persuadeo. Neque temere in hanc sententiam me descendisse patebit, si quis vitam Claudii a Suetonio conscriptam, si Tacitum, Dionem & Senecam, qui acta hujus monstri, & hominis, quem

incho-

inchoaverat, non perfecerat natura, prodiderunt, diligenter perluſtrare voluerit. Sed præcipue cum Petronio noſtro lepidiſſimus ille Senecae ludus de morte Claudii comparatus manifeſte evincet, plurima in Trimalchione Petronii deprehendi Claudio convenientiſſima. Senex, ut revera erat, Petronio; Senecae caput aſſidue movens & dextrum pedem trahens, inducitur. Mercurium ejus ingenio delectatum Seneca; Petronius a Mercurio in Tribunal raptum, & ejus Dei vigilantia & beneficio ad ſummas opes perveniſſe fingit. Mathematicos de ejus exitu quotidie conjectaſſe Philoſophus ait, quos illum maxime curantem, & artis vanae oſtentatione ridiculum exhibet Satyricus: Philologiae & literarum interiorum inepte & intempeſtive ſtudioſum uterque ridet. Incomptos & ruſticos mores, incontinentiam alvi, & ſonitum emiſſum ea parte, qua facilius loquebatur, lepide ab utroque notata deprehendimus, & plura, quae ad ipſa Petronii verba animadvertenda notavimus, inter ſe ſimilia ita congruunt, ut ovum ovo non melius reſpondeat. Neque movere debet quemquam, quod Libertum faciat Trimalchionem, & ita, ut ſupra diximus, cum de Nerone diſputaremus, minus recte hanc perſonam ipſi imponere videatur Petronius; cum revera libertorum ſuorum non libertus modo, ſed ſervus fuerit Claudius, ad quorum nutum & arbitrium ſe componere cogebatur. Nihil quoque prohibet in Trimalchione (qui ex ſcriptoris mente plures, quam unius, perſonas ſuſtinet,) libertorum quaſi principe, & reliquis ejus collibertis ſuccoſis, ut ait noſter, & pecunioſis, potentium aliorum imaginem referri; & Calliſtum, Poſidem, Pallantem, Narciſſum & alios, quos Suetonius cap. XXVIII. Seneca, Tacitus, & Dion paſſim memorant, intelligi: hi enim omnes ad tantas opes & potentiam pervenerant, ut latifundiis, praetoriis, inſulis, ſupellectile, auro, argento & caetero apparatu regias aequarent divitias. Ita Plinius lib. XXXIII. 10. narrat, ſe multos ſub Claudii principatu, & tres praecipue Pallantem, Calliſtum & Narciſſum ipſo Craſſo opulentiores, rerum potiri cognoviſſe; capite ſequenti ait *Druſillum Rotundum*, ſervum Claudii, & diſpenſatorem Hiſpaniae citerioris, quingenariam lancem, & alia inauditae lautitiae inſtrumenta poſſediſſe. Lib. XXXVI. cap. 7. Calliſtum ex onyche columnis triginta caenationem ornatam habuiſſe, & lib. XXXV. in fine, *ex venalitiis gregibus quosdam potiri rerum, & Praetoria ornamenta decreta libertis Caeſaris* ſe vidiſſe, & *tantum non cum laureatis faſcibus remitti illo, unde cretatis pedibus adveniſſent*, indignatur. Quae eleganter illuſtrant illa, quae noſter cap. XXIX. de Trimalchionis adventu in urbem inter venalitios, & cap. XXX. de faſcibus in poſtibus fixis narrat. Sed his in clariore luce collocandis integer libellus, non Praefatio, eſſet impendendus. Neque quod Trimalchio non videatur ipſius Caeſaris libertus, ſed cujuſdam Pompeji, ut ad cap. XXX. oſtendimus, fuiſſe, haec infirmari puto. nam cum Satyricis ſcriptoribus jus ſit, fictis pro arbitrio perſonis uti, ſi modo illa, quae illis adfingunt, ex notis vulgo intelligi poſſint; credibile eſt noſtrum, ne ſibi praeſens periculum, ſub tam infirmo & non ſui arbitrii, Imperatore, apud quem omnia liberti poterant, crearet, ſtudioſe id egiſſe, ne nominatim Caeſaris libertos tangeret, ut contra Petronium illum Taciti feciſſe oſtendimus; ſed tutius putaſſe, ſi alterius potentis hominis libertum in ſcenam produceret, ſub cujus imagine omnis libertorum grex conſpiceretur. Praecipue cum eodem illo tempore etiam praeter Caeſaris libertos, alii nobiles eſſent opibus & luxuria, qui ad honores & potentiam evecti, ſe Caeſaris libertis adoptarent, ut de

Marcelli

PRAEFATIO.

Marcelli AEsernini liberto ait Plinius lib. XII. cap. I. Quidquid sit, licet haec omnia, quae adseveramus, tam manifeste demonstrari nequeant, ut nihil, quod opponi posset, supersit, sedet tamen mihi, non infra Claudii tempora hoc opus esse demittendum, quae praeter alia, his flagitiis insignia fuere. Nam quid Torrentium quoque moverit, exputare non possum, qui ad Horat. lib. II. od. 12. Martiale juniorem statuere Petronium videtur. Si illa pars hujus libri supereſſet, qua *Albuciam*, quam *Petronianam* vocat Fulgentius in praefatione Mythologici, traducit, dijudicare liceret, an eadem esset, atque *Albucilla* illa Taciti, lib. VI. annal. cap. 47. *multorum amoribus famosa*, quae sub Tiberii extrema tempora floruit, insignis libidine & infamia mulier. Sed de hac nihil adfirmo, cum eodem jure rejici, quaecumque adducerentur, possent, quo adfirmari. Subiit quoque aliquando animum meum suspicio, Petronium Arbitrum illum frustra fortasse tam anxie quaeri; cum inter omnes Petronios, nullus hoc cognomine insignitus reperiatur; & dubitavi aliquoties, an non ipsius libelli hujus Satyrici titulus fuisset *Petronius Arbiter*, eodem modo ut *Apicius* inscribuntur illi libri de re culinaria, quos nullus umquam Apiciorum conscripsit, ut *Cato* libellus ille distichorum, quae á nullo Catone relicta fuerunt; & quae id genus plura. Quos indices ideo quidam solebant imponere suis libris, quod ejus artis aut disciplinae praecepta traderent, qua viri illi celebres fuerant, quia vero ille Petronius, Tacito memoratus, non gentilitium aut hereditarium, sed ex studio & arte illa, qua in lautitiis & elegantiis disponendis eminebat, cognomen illud *Arbitri* esset consecutus, quicumque fuit auctor huic libro, ejus nomen proscripsisse potuit; sed huic conjecturae nimium tribuere nolo. De titulo vero *Satyrici*, qui vulgo nomini Petronii subjicitur, leviter quoque dissident Eruditi. Casaubonus de Satyrica Poesi lib. II. cap. IV. *Satyricum* dictum contendet, ut *commentarius*, & similia, pro Satyrico libello; nos vero secuti sumus illorum sententiam, qui non uno volumine contractum, sed in plura hoc opus digestum credunt, & *Satyricôn*, ex Graeco Σατυρικῶν inscribunt, quemadmodum & Ovidii *metamorphoseôn* libros, & alios eadem ratione fuisse insignitos docuit Nicolaus Heinsius, qui solemnem hanc, ad exemplum Graecorum, multis scriptoribus consuetudinem probat. Alterum, de quo tecum, Lector amice, agendum erat, est, ut de variis hujus operis editionibus, & virorum doctorum notis & commentariis (quorum struicibus hunc libellum obrutum pronuntiavit jam olim maximus Gronovius lib. I. Observ. cap. 23) pauca quaedam commentemur, & simul quid nostrâ operâ Petronio exornando accesserit. Codices mss. hic longo ordine recensere non licet, cum rarissimi illi à renatis literis fuerint, & pauci a viris doctis, ut videmus, in consilium adhibiti. Praeter eos autem, qui ab editoribus laudantur, video Britannicum codicem Palmerio in spicilegio. Tom. IV. Thesaur. Crit. pag. 693 memorari, qualis autem ille, vel cujus fuerit, ignoro. Editionum quoque priscarum non omnium copiam consequi potuimus, ut quid audax correctorum natio in hoc scriptore sibi permiserit, indagare penitus liceret. Prima omnium, quam adhibuimus, est Veneta, per Bernardinum Venetum de Vitalibus anno MCCCCXCIX. excusa, quae simul cum Dionis Chrysostomi Oratione de Ilio non capto, ex Franciſci Filelfi versione prodiit. Infinitae in ea lacunae, & majori parte defectum Fragmentum potius, quam liber exhibetur; quaedam tamen loca sincerius praefert, quam secutae deinde editiones. An huic proxima sit Mediolanensis, cujus nota quaedam

dam Goldasti prolegomenis pag. 259. subjecta meminit, adfirmare non audeo, cum nusquam alias eam laudatam audiverim, vel ipse viderim. Sed anno proximo M. D. Lipsiae per Jacobum Thanner Herbipolensem, curante Hermanno Buschio Monasterienſi, Poëta & oratore, ut notat Reines. ad Petron. cap. 78. iteratam editionem idem Goldastus & alii adseverant, sed qua nos quoque carere coacti fuimus. Excepit hanc Parisiensis, anno MDXX. á Reginaldo Chalderio curata, quam ad unicum exemplar, sive Mediolanense illud, ut conjicit quisquis ille sit, sive, ut ego puto, manu exaratum codicem, expressam subjecta calci adnotatio Typographi fatetur; & hanc Sambucus in Praefatione sua respexisse existimo, quamvis non recte principem editionem credidisse videatur, in qua opinione fuit, forte quoque Sambucum ducem sequens, Vossius lib. VII. Art. Grammat. cap. 62. hanc Tornaesius quoque ad suam exornandam adhibuisse se scribit, nobis vero ea felicitas minime adfuit: non puto vero has multum inter se dissimiles, aut unam alia locupletiorem; sed primum, qui nova quaedam lacero huic scripto fragmenta adjecit, fuisse credo Sambucum, cujus meritis plurimum debet respublica literaria, qui integriorem codicem nactus Typis Plantinianis emisit, anno MDLXV Draudius vero in bibliotheca Classica, anno MDLXXIV. Commelinianis typis, ex Bibliotheca Theodori Pulmanni prodisse adfirmat, quam nos quoque editionem numquam vidimus. Sed certius constat Joannem Tornaesium eruditissimum Typographum Lugdunensem Petronium edidisse anno MDLXXV. duobus codicibus instructum, quos à viris, quorum tamen nomina nobis invidit, doctissimis accepit, & qui adjutus fuit opera Eruditissimi viri Dionysii Lebei-Batillii, Juris consulti celeberrimi, & Regii postea Mediomatricum praesidis, cujus vitam & merita Boissardus posteris prodidit tom. II. Iconum Viror. Illustr. pag. 41. & cui Tornaesius editionem hanc inscripsit: dubito vero an non unus ex codicibus, quem adhibuisse scribit, fuerit viri Clarissimi Erici Memmii, Senatoris Regii, (quem Emmium in editionibus posterioribus dici video, & anno 1563. conjecturas conscripsisse in margine Lotichianae adnotari) ex quo se quaedam descripsisse profitetur Lebei Praeceptor Dionysius Lambinus ad Horatii Epod. v. cujus commentarii ante Tornaesii editionem jam ter quaterve excusi fuerunt. Horum curae successisse videtur labor viri Illustrissimi Jani Dousae, Hollandicae nobilitatis luminis & ornamenti singularis, qui à persona sua non alienum, aut indignum fastigio suo putavit, doctissima pro Petronii Satyrico praecidanea publicare, quae tamen hodie, si à quoquam scriberentur, nec rigidorum censorum notas, nec Gorallorum ferulas & convicia effugerent, per hos enim non licet hodie unicuique pro arbitrio suo commentarios scribere, & libertate, quae in republica literaria summa esse deberet, frui. Quo tamen anno prodierint vix definire audeo, cum in Lippenii bibliotheca jam Antverpiae Anno MDLXXXIII. exiisse dicantur, ego vero nullam antiquiorem editionem viderim illa, quae Lugduni typis Paetsianis Anno MDLXXXV excusa fuerit, sed postea repetita fuit. Dousianam sequitur Patissoniana, nitidissima sane & emendatior omnibus, quae eam antecesserunt, nisi & illa antiquior sit. De quo ut dubitem facit partim annus, praefationi Patissonii ad Pithoeum in Dousae & Erhardi editionibus additus MDLXXV. partim quod haec Pithoei cura & notis ornata, nova quaedam augmenta exhibeat, (ex codice, ut videtur Pithoei, qui pleniorem se habuisse testatur lib. I. Lection. subseciv. cap. 2.) quae & Dousa exhibuit: mea tamen, quam habeo, Patissonii edi-

tio annum praefert MDLXXXVII. quem & Joh. Tilebomenus in judicio suo de Tragurienſi Fragmento exhibet: adjectae & huic notae Chriſtophori Richardi, quas Pariſiis jam anno MDLXXV. prodiiſſe Lippenius idem adfirmat. Manum deinde Petronio admovit Joannes Wouwerius Hamburgenſis, cujus prima editio, ut puto, Lugduni Batavorum anno MDXCV. Typis Raphelengianis prodiit, quem praeferunt Scaligero inſcripta dedicatio, & praefatio in variorum obſervationes à ſe digeſtas; Index tamen annum MDXCVI. exhibet. Secuta hanc eſt Pariſienſis anni MDCI. cui Chriſtophorus Beys Typographus praefationem praemiſit, & deinde altera Raphelengiana anno MDCIIII. ſucceſſit: cum tot jam certatim viri, laude doctrinae inſignes ſymbolas ad Petronium contuliſſent, vir doctiſſimus, qui ſibi Georgii Erhardi nomen impoſuit, illas in unum volumen contractas exhibuit anno, MDCX. urbis quoque Francofurti nomine ex medii aevi monumentis renovato: Helenopolim enim vocari juſſit. Quis vero hic Erhardus ſit, non ſatis conſtat, licet fictum ſibi induiſſe nomen, quisquis fuerit, omnes viri docti fateantur. Latere hic Michaelem Caſparem Lundorpium Francofurtenſem, communis fama fuit, cujus nomen quoque Lotichii editio ὁμολογημένοις, ejecto Georgii Erhardi, proſcripſit, & nota Teſtimoniis in Lundorpianis omiſſis adjecta pag. hujus editionis, 279 Lundorpio adſerit, & iteratae editioni jam illum ſe paraſſe adfirmat, ſed pag. 280. Goldaſto tribuit diſſertationem de ſcriptis Petronii, quae ſub Lundorpii nomine exierat. Sed quicumque ille fuerit obſcurus homo, non videtur harum notarum parens, ſed curator & editor fuiſſe, & vero ſimile eſt, Goldaſtum, neſcio quo puerili metu, ne cenſores & melanchlaenos in ſe irritaret, mutato nomine inſcriptas notas Lundurpio edendas commendaſſe; nam praeterquam, quod fama id diu diſtulerit inter eruditos, ipſae ſatis notae probant, quae niſi á viro & juris, & Hiſtoriae, praeſertim medii aevi & poſteriorum temporum, peritiſſimo proficiſci non potuerunt. Hanc autem Goldaſti praecipuam fuiſſe gloriam & eruditionis ſummam, nemo qui umquam ejus ſcripta attigit, diffiteri poterit: ipſae etiam notae non obſcura praebent indicia, cum paſſim Goldaſtus in illis laudetur, ejus emendationes proferantur, & de *ſuo jure* commmentari inducatur, & praeſertim ubi talia adducuntur, quae ſibi conſcius erat Lundorpius, vel quisquis fuit, ex ſuo penu non eſſe prompta: vide pag. 5. 6. 21. 22. 27. 30. 44. 59. 271. & 416. & paſſim. Praeterea in notis ſuis auctores medii aevi, eruditiſſimis etiam viris, nedum Lundorpio ignotiſſimos, quos Vir ille maximus, excuſſis ubique bibliothecis, habebat paratiſſimos, citat, ut fere in aliis Goldaſti ſcriptis idem obſervare licet. Juris peritiſſimum ſe quoque ubique probat, vide pag. 5. 6. 78 & alibi, cujus ſtudio an Ludimagiſter illè Francofurtenſis adeo attenderit, vehementer dubito: praeterea has notas à Goldaſto profectas, licet non acceperint ultimam manum, credibile facit immenſus labor, quem huic ſcriptori impendit: ex omnibus enim fere, quos legerat, libris collectanea locorum communium ad Petronii Arbitri Satyricum, ceu generis humani vel mundi ſpeculum, ut vocat, inſtituit & concinnavit, ut memoriae ejus inſervirent; quae collectanea hodie in bibliotheca publica civitatis celeberrimae Bremenſis ſervantur, & in qua ante viginti & unum annos ingentis molis duo volumina, manu Goldaſti conſcripta non ſine horrore, & laboris incredibilis admiratione tractavi. Sed cum non pateretur tunc temporis ratio, diligentius ea excutere, hoc nuper nobis officium praeſtitit, vir humaniſſimus Godefridus Jungſtius, cui Bibliothecae iſtius cura mandata eſt,

& pa-

& paginas aliquot, ex immenso isto opere descriptas transmisit, quae ad singulas fere Petronii voces, quae quidem merentur animadverti, observationes plurimas, undique decerptas continent; unde colligo, Goldastum ex rudi hac silva, materiem quandam, sibi tunc paratissimam visam, legisse, & sub Erhardi nomine edendam amico commisisse, quae enim in editis leguntur, in adversariis istis pleraque fere exhibentur, & praeter ea infinita plura. Hanc editionem postea Frellonus Lugduni MDCXVIII. Schouwetterus, Schleichius & alii repetiverunt, & adhuc inter plenissimas & usui quotidiano accommodatissimas prima habita fuit. Novam deinde Gallis suis editionem dedit Joannes Bourdelotius, quam ipsam cum numquam viderim, neque, quidquid operae & laboris insumserim, consequi potuerim, quo primum anno prodierit, non nisi ex Lippenii bibliotheca mihi constat, qui MDCXVIII. ipsi adsignat: repetita quidem postea in Belgio per Rutgerum quemdam Hermannidem fuit, anno 1663. ex qua nos, notas in nostram editionem transcribi curavimus. Sed merito dubitamus, an bona fide Bourdelotii editionem expresserit: cum & in notis, quas tamen ipse Bourdelotius confecisse credendus est, interpolatoris manus recenseat quasdam Bourdelotianae editionis lectiones, ut ad cap. 24. verba *contubernali meo melius.* cap. 29. *pica varia.* cap. 81. *Quid ille altera* cap. 126. *arena aliquas* 129. *Circe Polyeno* & passim. sed neque ipsas notas integras ex Parisiensi editione esse translatas suspicionem mihi fecit Freinshemius ad Curt. lib. III. cap. 6. qui ex illis quaedam profert, quae in Amstelaedamensi editione nusquam comparent, ut notavi ad Petron. cap. 132. raram vero primam editionem esse oportet, cum ipsi Parisienses, qui anno 1677. Bourdelotii notas denuo recudi curarunt, Batavam expresserint, etiam a Rutgero interpolatam, nisi quod praefixerint praefationem Michaelis Hadrianidae, ne monito quidem lectore, unde sumserint, aut Hadrianidae minima mentione facta; quod fraudi operis nostris fuit, qui eam, tamquam Bourdelotii praefationem exhibent inter Praefationes pag. 301. cujus levioris commissi gratiam non rigidum nimis censorem facturum facile confido. Annus deinde MDCXXIX. multiplici novarum editionum proventu fertilis magis, quam felix fuit. Genevae enim Theodorus aliquis de Juges, collegit fere omnes notas, quas Erhardus in unum volumen conjecerat, & singulis capitibus, in quae an primus digesserit Petronium neschio, attribuit: de se vero nihil addidit. Et utinam tam modeste de se sensisset eodem anno magnae & inutilis, dimidiam certe partem, molis libro seculum onerans, Jo. Petrus Lotichius medicinae doctor, & in Academia Rintelana Professor, qui à Goldasto persuasus, ut ad lectionem veterum medicorum se adplicaret, ejus studii specimen in insano hoc labore edere voluit, & ex Calepino, Cornu copiae, Textoris officina, & nescio quibus Gorallianis instrumentis & promptuariis, hoc monstruosum & horrendum commentum peperit, ut ipse Goldastus ad Hofmannum anno 1631. perscripsit; quae epistola legitur in mantissa secunda, adjecta Richterianis pagin. 555. Alteram vero voluminis partem meliori mente administravit: exhibuit enim quasdam Joannis Alexandri Brassicani, Errici Emmii (sive Memmii) Alphonsi Delbeni, & Weytsii notas, quas tamen unde acceperit, ne verbo quidem monuit; nisi quod Brassicani scholia Guilhelmum Canterum olim habuisse, qui Grutero edenda commisit, narret, post cujus mortem ab heredibus emta Johannes Bergens cum Lotichio communicavit; docuit etiam Hadriani Junii sub nomine editas emendationes, esse Joannis Aurati, ex testimonio Bongarsii: certe Junii non videntur, cu-

jus conjecturas, jam diu ante Sambuco Pulmannus transmiserat. Addit vero esse quosdam, qui ad AEmarum Ranconetum, alios, qui ad Theodorum Bezam Vesselium, eo tempore Lausannae linguam graecam docentem, referre malint, eo maxime argumento, quia Henricus Stephanus in praefatione suarum emendationum, quae fere eaedem sunt, ab amico quodam suo, qui se nominari non patitur, se eas accepisse profitetur: quod si verum sit, prudenter ille Beza, gnarus consortium suorum ingenii & morum, fecit; numquam enim dignum censuissent ea statione, quam postea tanta cum laude obtinuit, & sola haec Petronio opera impensa, omnia ejus in ecclesiam merita obscurasset. Certe, si hodie idem quis ex gravi illo Theologorum ordine tentaret, (adeo sunt integra & sincera tempora) omnem spem Provinciae Ecclesiasticae ut abjiceret, suaderem. Et tamen haec humanitatis studia, & auctorum veterum familiaritas ita Bezam supra commune Theologorum vulgus extulerunt, ut nomen & famam amplissimam consecutus, unus nobis millium instar habeatur, & nullius umquam Theologi in sacras scripturas commentarii nobis tam impense placuerint. Leguntur & in Lotichii editione Casparis Schioppii Sirenes, sed quae revera non dulce canunt, nec delicias, sed meras glandes exhibent, quae praeter socios Ulixis neminem attrahere possent: nudae enim Phrases cum Germanica versione, quasi pueris ediscendae essent datae, connectuntur. Ipsius autem Lotichii notas, & excursus Medico-Philosophicos, metu fastidii & nauseae, ne quidem attingere ausi fuimus, sed has dapes aliis libentes reliquimus. Idem praeterea annus in scenam literariam produxit virum, ex parte orbis raro literatorum Virorum proventu celebri, Illustrem, & antiqua generis prosapia, & literarum quoque studiis eminentem D. Josephum Antonium Gonsalium de Salas, qui perpetuo & uberi commentario Petronium illustrare adgressus fuit; nec infeliciter, si modicum librum maluisset, quam grandem extrudere, consuluisset gloriae suae: nunc cum saepe intermisceat vulgaria nimis, & ante jam Viris Doctis animadversa, ab aliquibus inclementer exceptus, & fastum Hispanicum, nimiam fiduciam, & plagii crimen sibi intentari, audire coactus fuit. Vide Barthium ad Statii III. Theb. 661. & Gronov. Observation. IV. cap. 13. Gonsalium autem multa, & ipsam illam confidentiam, a Schioppio, cui forte operam dedit, hausisse suspicor: cum eo certe contulisse se fatetur in notis ad cap. XVIII. & hinc forte symbola critica ipsi edenda commisit idem Schioppius, quae editioni isti adjiciuntur. Unde vero Vir diligentissimus Fabricius in nova bibliothecae Latinae editione acceperit, Gonsalii commentarium Lotichianae editioni subjunctum, & deinde Gonsalii commenta anno 1643 prodiisse, me nescire fateor; fefellisse virum eruditum puto, quod Lotichii & Gonsalii editiones eodem anno, in eadem urbe, ex eadem officina Wolfgangi Hofmanni prodierint; forma autem & modus libri diversa prohibent, ne uno umquam volumine comprehendi possint, si quam vero Gonsalii vidit anno 1643 inscriptam, Typographis, aliquando indices novos veteribus editionibus praefigentibus, adscribendum opinor. Anno deinde MDCLIV. in hac urbe novam editionem adornavit Simon Abbes Gabbema, sed qua facile careremus, nihil enim novi aut bonae frugis continet; praeter has vero nullas vidi.

Ad hoc usque tempus nulla nova accessione tot iteratae editiones se commendabant, sed circa annum 1662 Marinus Statileus Tragurienſis, in Bibliotheca Nicolai Cippici, amici sui, invenit codicem manu scriptum, in quo una cum Horatii carminibus erant etiam Petronii quaedam; qui re cum Joanne Rhodio communicata, partem

illam

illam, quae caenam Trimalchionis exhibebat, in Italiam misit, quae Patavii anno 1664. fuit excusa, quam editionem ad nos Vir Illustris, & non solum eruditione, sed officiis erga omnes literatos per totum terrarum orbem celeberrimus, Antonius Magliabechus transmisit. Hoc fragmentum cum publicatum esset, magnas statim in republica literaria turbas concitavit, & eruditos in partes discedere cōegit. Cum enim Patavinae editionis exemplaria Parisios essent perlata, Hadrianus Valesius & Joh. Christophorus Wagenseilius anno 1666 fragmento illi controversiam moverunt, & dissertationibus suis conati sunt ostendere, illud suspectum, imo spurium & supposititium omnibus habendum. Sed acriter se opposuit, & Petronio verum & genuinum foetum asseruit Marinus Statileus, qui edita responsione ad Valesii & Wagenseilii dissertationes, & Apologia pro Fragmento Petronii, egregie impetus hos retudit: Ferebat autem fama, haec non ab ipso Statileo proficisci, sed ab eruditissimo viro Stephano Gradio, Vaticanae bibliothecae praefecto; quod verosimile facit testimonium Viri clarissimi Justi Ryckii, qui, dum Romae esset, familiariter eo usus fuit, & qui ad Taciti lib. xvi. Annal. cap. 19 hos libellos ipsi adtribuit, ut jam ante eum fecerat Samuel Tennulius ad Front. lib. iv. cap. vii. §. 31. Ardente vero hac lite, quae inspecto a viris peritissimis ipso codice, unde descriptum hoc fragmentum fuerat, facile potuisset sedari, autoritate Antonii Priuli Delmatiae praesidis, & Antonii Grimani Veneti apud Pontificem legati, Statileus exoratus, ipsum manu exaratum exemplar Romam transmittit, quod nova recensione instituta a Joanne Lucio Delmata, viro nobilissimo & eruditissimo (qui de patria sua egregie meritus, edita Delmatia Illustrata Typis Blauianis Amstel. anno 1666 nomen inter literatos insigne meruit) iterum recuditur anno 1668 & 1669, tanta cum religione, ut omnes manuscripti apices redderentur. Quod exemplar Joannes Blaeuius eadem cura anno MDC LXX. suis typis expressit. Dum haec in Italia & Gallia gererentur, Patavina editio a Nicolao Heinsio ad Joannem Schefferum erat missa, qui Upsaliae anno 1665 fragmentum edit, & notis quibusdam illustrat, quibus postea spicilegium adjecit, quod lectionibus ejus Academicis fuit adjectum. Thomas quoque Reinesius, omnium Germanorum sui temporis in literis princeps, Schefferianis notis adjecta sua dissertatione & Scholiis, Lipsiae anno 1666, & deinde Christ. Arnoldus Norimbergae 1667 additis variis eruditorum judiciis, protulerunt. quae omnia huic nostrae editioni adjuncta, plenius temporis illius acta edocere poterunt. Sed, antequam ad reliqua pergam, officium viri humanissimi Justi Fontanini, qui tanta cum laude hodie Romae studia nostra illustrat, & editis aliquot insignibus libris nomen sibi trans Alpes egregium paravit, memorare fas est, qui monitus ab Illustri Magliabecho, me parare novam Petronii editionem amplissime ad me acta illius temporis perscripsit, & simul duas Hieronymi Aleandri Epistolas, ad Petronii quaedam loca observationes doctissimas continentes, transmisit. quas hac eadem opera cum erudito orbe communicare decreveramus, nisi casus quidam intercessisset molestus. Cum enim ante duos fere annos, hae literae ad me perlatae essent, obiter lectas in scrinio quodam reposui, inde eas ubi tempus esset, promturus, nunc autem saepius excusso scrinio, numquam eas reperire potui, ita ut forte in alia bibliothecae meae parte lateant, (quamvis nullum angulum, quem non diligenter lustraverim, reliquerim) postea, ut spero, sponte se mihi oblaturae. hoc monere visum fuit, ne Vir ille Amicissimus me indigna illa monumenta, quae publicentur, censere credat. De ipso vero hoc Traguriano Fragmen-

to, post tot dissertationes agere supervacuum, cum hodie, lite illa dijudicata, nemo supersit, qui de ejus veritate dubitet, & communibus Eruditorum suffragiis pro Petronii legitima prole sit agnitum. Praesertim vero in hanc sententiam impulit Viros doctos ipse codex inspectus, qui cum omnes notas, quae suspicionem eximere possint, referat, diu Romae omnibus expositus fuit; sed ad Statileum postea rediisse discimus, quod Carolus Sponius anno 1675. iter in Graeciam instituens, & Tragurii ad ipsum Statileum invisens, accuratius codicem perlustraverit, & ejus molem, formam & quaecumque continet, diligenter in Itinerarii sui parte I. pag. 73. descripserit. in eo vero Patavinos errasse addit, quod Horatii carmina eodem volumine comprehendi adfirment, cum Tibulli, Catulli & Propertii sint, & pagina 179 ejus codicis adscriptus sit annus 1423 & dies 20 Novemb. quo exaratus fuit. Hic codex deinde a Laurentio Statileo, forte Marini filio, in Italiam reductus fuit, ut ex Mabilloni Itinere Italico tom. 1. pag. 202 constat, ubi narrat se, postquam Mutina discessserat, literis a Statileo certiorem factum, penes se esse illum codicem, quem tamen postea in Bibliothecam Regiam Parisios delatum accepimus. Flagrante hac controversia idem Blaeuius anno 1669 integrum, quatenus nobis nimirum supereſt, Petronium ediderat, & antea editis hoc quoque fragmentum suo loco inseruerat. Splendida & accurata satis haec editio, sed quam nescio cur Michaeli cuidam Hadrianidae curandam commiserit, quem ego hominem, quis qualisve fuerit, minime novi, sed stultitia & ineptiis insignem fuisse ex notis ejus facile perspexi. quare ex illis pauca admodum excerpsimus, & praecipue ea, ubi ex nescio quo Anonymo & Dousae adnotationibus manuscriptis quaedam profert. Reliqua fere neglexeimus, quia sermonem contortum & pravum vix assequi potuimus. Laudat ille saepe editionem Gabbemae posteriorem, & ex ejus notis quaedam profert, quae nusquam in Gabbemiana priore deprehendi, quare suspicor illam alteram editionem exitum non habuisse. Praefationem quoque hujus Hadrianidae, ex centonibus & pannis undique consutam, aberrantes, ut jam monui, operae sub Bourdelotii nomine excuderunt, quia editioni Parisiensi novissimae praefixa legebatur. Ultimus, qui ante nos, aliquid in Petronium contulit, est Joannes Boschius, aeque mihi, atque Hadrianides ignotus, qui minimae formae Petronium Amstel. 1677 cum paucis notis, quas omnes fere familiari sermone a Nicolao Heinsio exceperat, edidit. Quae editio his annis III. volum. adjectis Reinesii & Schefferi notis repetita, sed mendis typographicis mirifice contaminata. Ab eo tempore, nihil amplius a Viris doctis in Petronio exornando laboratum: sufficere enim videbantur, tot numero editiones, & tam immensa notarum & commentariorum moles. Statuerat tamen, ultimis vitae suae temporibus, Petronium, & praecipue Tragurianum hoc fragmentum, illustrare Vir ingentibus in rempubl. literariam meritis insignis Nicolaus Heinsius, sed morte praeventus cum fuisset, Vir Amplisl. Guilielmus Goesius, affinis sui scedas dum excutit, & in ordinem ejus adnotata digerit, ipse quaedam adlinit, quae ne ederet, fato quoque occupatur. Quae omnia Viri Amplissimi Caroli Crucii, Fratris carissimi, beneficio accepta in hanc quoque editionem congessi. Agnoscere etiam Viri Amplissimi Cuperi prolixam in me & literas voluntatem par est, qui suum codicem, cui olim Petronii lectioni intentus, quaedam non vulgaria adscripserat, mihi transmisit, & jus fecit, pro arbitrio inde excerpendi; qua libertate usus, ejus notas quasdam reliquis adjeci; quas tamen post Fragmentum Tragurianum jam excusum, (eo enim demum tempore

pore copia earum nobis facta est) videbis. Celeberrimi etiam viri, Theod. Janss. ab Almeloveen & Franciscus Hesselius, editionis Dousianae quisque unum exemplar concessit, cujus margini quaedam ignota mihi manu erant adscripta, quae pleraque cum publico communicavi. Hesselii codicem olim Petri Junii Hadriani F. fuisse ejus manus testatur, sed an ab ipso, an patre ejus, vel alio quocumque sint profectae notulae, dijudicare non potui. Cum vero omnes Viri Docti desperarent amplius quidquam ex Petronii reliquis erui posse; exortus est ante viginti fere annos ferox quidam miles Gallus, qui cum nullum fere bonarum literarum usum haberet, reliquos universi Orbis eruditos aeque desipientes, & tam crassi palati credidit, ut impune illos, pro deliciis Petronianis, insulsis escis appositis deciperet. Is est Franciscus Nodotius, qui composita lepide fabula, imperitioribus illusit, quasi in expugnatione Albae Graecae, a quodam Du Pin repertus esset integer Petronius, qui omnes vetustatis notas prae se ferret; sed literis lectu difficillimis exaratus, & ab aliquo descriptus, Francofurtum perlatus ad quemdam sine nomine mercatorem, qui eum in Galliam transmisit ad Nodotium. Plena, mehercle! fraudis, & suspicionis narratio, cum nec ipse umquam codex ille fuerit, neque quisquam producatur, qui eum viderit; librarii etiam reticeatur nomen, qui transcripsit, & qui in tractandis codicibus & difficillimis characteribus exprimendis, rara dexteritate in illis terris, ubi vix literarum nomen notum est, fuisse debuerit, cum in toto illo Petronio tam paucae aberrationes, & corruptae lectiones, & nullae lacunae deprehendantur. Verum autem hunc Petronii foetum esse, Nodotium persuadere Academicis, ut appellant, Nemausensibus & Arelatensibus potuisse, qui hic a Tyronibus nostris, & discipulis statim subditus adgnosceretur, & exploderetur, quis non miretur? & omnia studia severiora, in eo regno, quod olim principibus in literis Viris se supra reliquas orbis partes efferebat, ita exoleviſse non indignetur & doleat. Bonum tamen factum, nullum Gallorum, apud quos adhuc fugam ex Gallia parantes Musae morantur (illustrem Huetium, Poetam insignem Commirium, & similes intelligo) suffragium suum his fraudibus adjecisse. Fuisse etiam non fatuum, quamvis id Thrasonica jactatione persuadere nobis conetur Nodotius, Parisiis quemdam Ludimagistrum, qui libello edito, barbariem & stribliginem stili, novo Petronio adficti, Gallicismos & ineptae adfectationis putiditatem ostendere conatus sit, ex responsione Nodotii, quam solam vidi, intelligo. De qua recte judicans celeberrimus Fabricius, postquam eruditissimos alia in parte orbis viros recensuisset, qui Plani hujus audaciam retuderant, addit, nihil adferri a Nodotio, ad Pseudo-Petronium suum adserendum, solidi & firmi. Sed quid opus est verbis? inspiciat mihi quis, non plane in Latinis literis hospes, illum Petronium, & aures suas veterum lectione imbutas rudi huic stridori accommodet, si non ad prima verba exhorrescant, ego me stupidissimum libens profitebor. In ipso statim limine quis non offendat, ubi legerit? *Ita vobis pollicitus sum, ut promissis stare decreverim*; *Ad explicandas scientias*; Ad *hilaria colloquia fabulis jucundioribus animanda opportune congregatis?* quis haec ferre, quis pati poterit? saltem dixisset, *severiora colloquia fabulis jucundioribus animanda.* Si enim *hilariora* sunt, quid quaeso opus ea animare? sed quis non Gallum in τῶ *animare* adgnoscit? qua voce veteres de re, quae *anima* seu *vita* inspiratur, utuntur, numquam eo sensu, quo gallicissans noster Petronius. cum scriberet vero *congregatis oportune ad scientias explicandas*, pio scilicet militi, in mentem veniebant illa, ex vulgata sua versione, *ubi duo tresve in meo*

nomine

nomine congregati fuerint, & ideo tam impense placuit haec locutio, ut postea iterum repetat. Sed quis illum docuit, *scientias explicare* latine dici, nisi forte similis impostor, qui Etruscarum antiquitatum fragmenta confinxit, & prima statim pagina narrat, *Esarem se docuisse omnes scientias*, quod ut vitiosum, & subdititiae scriptionis notam, recte jam Allatius in animadversionibus capite 1. §. 13. observavit. Sed praeterea, an non se prodit statim Gallus in initio ipso, quod certe multo amplius fingere debuisset, ut recte cum jam vulgatis connecteretur, & inducere hominem cum Declamatoribus simili furore insanientem? Sed quia, scilicet, in Gallia noverat illos proprie *declamatorum* titulo infamari, qui quotidie in templis de rebus sacris ineptos & inconditos clamores effundunt, finxit nobis Vejentonem (qui in toto hoc libello solus vero suo nomine insigniretur, cum aliis ficta nomina imposuerit Petronius) de *erroribus religionis ingeniose locutum*. (mera iterum peregrinitas, & Christiani Galli balbuties), & *detexisse*, *quo doloso vaticinandi furore sacerdotes mysteria illis*, (pro *sibi*) *ignota*, *audacter publicant*. quasi eo tempore Romae quotidie ad populum ex cathedra in templis à sacerdotibus conciones, in quibus mysteria populo exponerentur, haberi moris fuisset, ut hodie à Monachis & Sacerdotibus suis fieri videbat Nodotius. Certe si hoc est *ingeniose loqui*, & mentiri, numquam palmam auferet Nodotius; sed si singulas paginas excutere esset animus, liber mihi crescceret, neque tanti esse puto hunc hominem, ut refutatione egeat. Ipse, per te satis ridebis, lector, ubi videas amantes ex consuetudine ad *ornamentum matutinum amicarum urbanissime assidere*, (quae verba, quaeso, confer cum iis, quae Salmasius, haud paullo doctior Gallus notat ad Pollion. Gallien. cap. 14. ubi docet *urbane* seculo sequiore, idem notare, quod Gallis *courtoisement*, & simul respice loca nostri Petronii, quibus haec vox antiqua significatione toties occurrit) videbis praeterea Latrones, ut Parisiis, marsupiorum exenteratores, queri sermone sordidissimo, *in aestivis temporibus Urbem sterilem esse*, *rus esse fortunatius*; & inde ad *castella* amicorum (*chateaux*) qualia in Italia tota eo tempore nulla erant, abire, & plane Gallico modo excipi, & infinita talia. Jam barbarismi, idiotismi, & soloecismi passim se exserunt, nusquam naturalis illa Petronianae orationis pulchritudo. Sed quod omnem fidem impudenti lenoni, qui hanc meretricem produxit, eripit, est, quod in codice suo tam difficili lectu charactere, ut ipse profitetur, exarato, rarissime depravata lectio aliqua occurrat, & cum in Traguriano ad singulos versus haerendum fuerit viris eruditis, hic omnia quadrata (ut ait Petronius) currunt, imo vero ipsas Virorum doctorum, qui ante seculum floruerunt, conjecturas & emendationes expressas saepe hic est videre. Sed relinquamus suae stoliditati militem, & ne nimis excrescat praefatio, modum adhibeamus. Mirati tamen vehementer sumus has sordes Nodotianas, ab omnibus viris doctis fastiditas, adhuc placere inficetis quibusdam Germanis potuisse, ut ex Bibliotheca Latina Fabricii didicimus, qui Jenae anno 1700 ediderunt Petronium ab omni obscaenitate liberatum, cum brevibus notis, excerptis & postumis Jo. Andreae Bosii. Non licuit hujus editionis exemplar nanciscì, ut quid his Catonibus obscaenitatis nomine accipiatur, arbitrari possim. Sed si ita grassari liceat in autores, qui res turpissimas, non verbis foedis & pudendis (a quibus studiose Petronium abstinuisse supra jam vidimus) sed honesta & gravi oratione exposuerunt, jam cultrum & falcem immittant sanctissimo cuique Scriptori; ipsam nobis sacram Scripturam, vaticinia Prophetarum & Epistolas Pauli contaminent & mutilent, imo vero sibi potius eas partes,

quibus

quibus peccandi est facultas, praecidant. Horum institutum, etsi maxime id velle quosdam saepe audivi, minime nobis se probare potuit, qui, posthabita omni obtrectationis invidia, Petronium integrum, & qui nullius libidinis in casto pectore concitare sua culpa stimulum, sed potius detestationem tot flagitiorum possit, exhibere non erubescimus; & cum paedagogicam hanc sanctitatem & supercilium numquam unius assis fecerimus, recta ibimus, & tractare haec vetustatis veneranda monumenta sacro quodam horrore non desistemus, nec indignos nomine meo & munere, quos Petronio impendi, labores existimabimus. Arrodant & detrectent, suo sibi jure, mores & studiorum nostrorum rationem, quibus fama non ex simili opera, sed ex ficto & composito vultu quaeritur; antesignanos obliquarum detrectationum se praebeant, falso eruditionis titulo sibi placentes, qui cum omnem aetatem in puerilibus exercitationibus, & compendiorum angustiis, contriverint, quidquid severiori lege politum adolescentibus proponitur, lacerare, hac vel illa sub specie, atro dente consueverunt. Observant etiam quotidie, & explorant universa vitae meae acta maligni quidam insidiatores, & ita me custodiunt, ut ne inter pocula quidem & geniales mensas liberiores jocos effundere liceat: ut nulli amicorum, nec ipsorum Collegarum conventui interfim, quin adpositum mihi custodem & diligentem exploratorem intelligam; qui dicta & facta omnia in pejorem partem detorqueat & interpretetur. Immo in id conspirasse aliqui videntur, ut omni modo acerbam mihi vitam efficiant. Quid enim molestius cuiquam accidere potest, quam bonorum, jucundorum & sui amantium Virorum consuetudine per alienum scelus privari? si enim nihil aptius vitae, ut recte festivissimus ille & commodissimus conviva, in jocos & seria promptus, Cicero ait, nihil ad bene vivendum accommodatius communitate vitae atque victus, & remissione animorum, quae maxime sermone familiari efficitur; si nihil dulcius convivalibus facetiis & jocis, nihil minus compositum & fictum, quam frons exporrecta, & ad lubentiam & hilaritatem diffusa, quid in honestum hominem crudelius & perfidius machinari possent scelestissimi nebulones, quam sacra illa mensae insigni impietate violare? quam aperti pectoris & candidi congerronis, (qui nulla suspicione, se inter proditores, non amicos versari, captus, se largius aliquando invitat) sermones captari, & postridie detortos in malignum sensum alienis insusurrari auribus, ut tacito murmure & incerto auctore differantur per urbem? Detestabiles & digni, qui furcillis foras, si pedes honestorum consortiis inferre vellent, expellantur, & qui, ut memores compotores, universi generis humani odium mereantur. Sed nefariis illis, improbis, perfidis & malitiosis sive amicis, sive Collegis insidiatoribus latus nudum, ecce, praebeo; feriant suo me jure, & linguae maledicae tela, veneno illita, in me torqueant, non tamen efficient, ut fucis inertibus, qui a praesepibus & praemiis studiorum laboriosos arcere omni ambitione conantur, blandiar, & ignaviae illi, quae omnia studia hodie in praeceps agit, patrocinium praestem. Non deterrebunt minacibus suis & invidiosis sermonibus, quo minus Poëtas, & quicumque ex antiquitate nobis supersunt scriptores, diligenti cura & assiduo labore esse volvendos & tractandos adolescentibus persuadere tentem. Non a recto tramite me deducet quorundam insolentia, & immanitas tanta, ut non modo vocem, sed ne vultum quidem liberum possint ferre cujusquam. Egone a summo Graevio, per vestigia a Principibus Literatorum calcata ductus, patiar, facilitatis sub titulo, & brevioris viae specie adolescentes curae meae creditos, a regia via, & limpidis & perennibus

nibus fluviis, ad compendia & coenosas lacunas deduci? Id faciant, per me licet, tales, quibus omnis apparatus & thesaurus eruditionis, in jejunis quibusdam dictatis, per manus a prioribus magistris traditis, constat, & qui, ubi a quotidianis illis pensis, quae quotannis in orbem redeunt, ad alias eruditionis partes se convertere coguntur, turpissime nuditatem suam ostendunt. Qui, ubi necessitas quaedam verba illis Latina pro concione faciendi imponitur, vel ex aliis descriptas orationes, vel pueriles nobis Chrias recitare solent. Qui, veluti annuo vectigali constituto, Professoris titulo beati, cum paucas, in recocta millies crambe repetenda, & ex scripto, a quo oculos dimovere non audent, recitandis tralatitiis quibusdam artis praeceptis, horas perdiderunt, reliquam vitam in otio & ludo consumunt, & ideo nobis sanctiores & castiores videri volunt, quia saepius, ut tempus fallant, (quo etiam dicto nos infamare conantur) muliercularum otiosarum ritu, ad templa ruunt. Nos tamen vitae nostrae, cujus rationem soli Deo, nulli vero, quicumque demum sit, mortalium reddendam censemus, consuetudinem in illorum gratiam minime mutabimus; neque muneris, cujus solos exactores Magistratus, mihi nondum iniquos, sed benevolentissimos, adgnosco, administrationem in meum commodum, & studiorum perniciem umquam convertam. Quae si consilia vis major turbet, quid sit in studiis libenter conquiescere, & non modo inimicorum conatus discutere, sed dubiorum amicorum infideli societate facile carere posse, me recte novisse ostendam. Hanc quoque, quam nunc pro ratione vitae & studiorum meorum instituo, defensionem, non modo hostes, sed minus etiam certos & firmos amicos, culpaturos praevideo, & plurimos, lenissimi magistri & decessoris mei Graevii mansuetudinem mihi deesse, ut saepe faciunt, nunc praesertim jactaturos. Cerno enim omnia, quae umquam, etiam applaudentibus & stimulos addentibus multis, publice, sive dixi, sive scripsi, malignis obtrectationibus infamari; & nihil donari sincero, quo in patriae libertatem feror, animo; nihil officio boni civis, in quo numquam reprehendi potui; nihil ardori laudabili, quo studia, quotidie retro labentia, instaurare & renovare contendo. Effugere me non posse video nonnullorum acute aut facete dictorum offensionem, nisi omnem ingenii famam abjiciam, quod si possem, non recusarem; modo numquam vel stulte, vel temere aliquid contra potentes me dixisse aut fecisse, ut mihi conscius sum, rabulis forensibus latrare liceret. Quibus omnibus obtrectatoribus quid respondeam, ne se hoc gladio me jugulasse glorientur, supersit satis. Profiteor enim, & prae me fero, laudabilem non modo mihi semper eam animi lenitatem visam, quam in summo Graevio, in meam invidiam magis, quam in ejus laudem, praedicant, sed aemulari quoque me conatum fuisse, si per hostes acerbissimos tam felici mihi esse licuisset. Numquam enim, quod sciam, primus quemquam lacessere fui ausus; aut lacessitus, nebulonum ritu, famam alicujus arrosi. Sed diversa plane fuit summi illius Viri per omnem ejus vitam, & mea fors. Ille ex longinquis regionibus in hanc urbem arcessitus, nullis factionibus immixtus, mira commoditate & obsequio omnes sibi facile conciliabat. Ego in hac urbe natus, Patre, qui difficillimis temporibus, frendentibus & obnitentibus factiosissimis hominibus, Academiae & Ecclesiae admotus, omni genere injuriarum & contumeliarum vexatus, nulla mansuetudine, nulla patientia odium, quod huc veniens experiebatur, vincere potuit: sed tamen qui nullis umquam adversariorum minis aut machinis expugnatus, nulla in concertatione manus victas dare coactus, continuis certaminibus & calumniis atrociissimis exhaustus & fatigatus, ante

diem

diem laborioſam vitam finivit; ex cujus bonis praecipuum nihil tuli, niſi odii paterni haereditatem, quod in primis auctum & accenſum fuit, ubi acriori me juventutis calore ferventem, & non ad deſidiam, ſed impigrum laborem ferri viderent. Si ignavia & ſocordia obſoleſcere Burmannianum nomen paſſus fuiſſem, ſi in turba latere placuiſſet, ſolo contemtu inimicorum defungi mihi licuiſſet. Sed ſimul ac protractus in Academicam lucem, non ſponte, ſed diu multumque a Celeberrimo Graevio, certiſſimo Patris mei viventis amico, & memoriae ejus ſtudioſiſſimo, (qui id agi noverat, ut ſibi, prae aetate ſenſim deficienti, non tam gratus Collega adponeretur) perſuaſus & expugnatus, opinionem multorum, qui me non reſponſurum Patronorum meorum ſpei jactaverant, fefelli, ſtatim conviciis, maledictis & libellis famoſis adpetitus ſui. Omnia, quae publice privatimque a me magna, id unum fateor, pro ingenio meo libertate, ſed nulla umquam acerbitate, dicebantur vel ſcribebantur, malignis ſermonibus etiam ab iis, qui ſe amicos fingebant, carpebantur, & quae in hominem procacis linguae, ſacrorum & legum contemptorem, invidia comminiſci poterat, vibrabantur, & in ſimilem Ciceroni caſum & fraudem (de qua ille cum Paeto ſuo agit lib. IX. Ep. 16) incidiſſe me videbam. Ego his omnibus ſurdas opponere aures, ſoli muneris adminiſtrationi incumbens, cujus nullas umquam partes (infenſiſſimos provoco hoſtes) neglexi, ſed ſumma religione & adſiduitate obii, hoc ſemper intendens, ut quoniam ad eruditionem Graevianae parem adſpirare me non poſſe viderem, induſtriae ſaltem & diligentiae laudem reportarem. In domeſticis praeterea ſcholis, & publicis concionibus (fateor hoc quoque lubens) ſaepe acerbandi illius odii cauſſas praebui, quod non tralatitia inſtituendi via incedens velificari communi corruptelae vellem, & juvenes per prona & facilia compendia ſtudia ſua feſtinare, docuerim. Semper enim aperte, & ſine ulla diſſimulatione profeſſus fui arduum & difficile ad doctrinam eſſe iter, ad quod conficiendum tempore longo ſudandum, & labore ſummo eſſet connitendum. Decipere incautos adoleſcentes, & circumforaneis Agyrtis eſſe pejores, qui facilitatem literarum jactant; pecuniam modo diſcipulorum captare, qui, intra exigui temporis ſpatium, ſe ad eruditionem adoleſcentes perducere poſſe promittunt. Haec ſi crimina ſunt, habeo ſocios omnium temporum ſummos Viros & Literatorum Principes, quos per omnem quoque vitam a ludimagiſtris & ſemidoctis eſſe vexatos, in facili eſſet oſtendere. Solus vero hanc a me culpam graviſſimus, quem nunc edo, Petronius deprecabitur. Sed his omnibus acceſſit implacabilis & dura Theologorum quorumdam cohors, qui cum internecino odio Patrem meum proſecuti eſſent, & tandem media aetate excarnificatum confeciſſent, me dolebant vindicem paterni nominis tam acrem exſurgere. Scilicet optimae indolis adoleſcentem me praedicaſſent, ſi aequo animo paſſus fuiſſem, a viliſſimo & atro homine impietatis crimen Patri meo impune intentari; ſi, me vivente & vidente, plebejus aliquis concionator, qui publice dicendi & ſcribendi licentia ad lacerandos inſontes abutitur, inſultaret cineribus & oſſibus parentis. Non ita degenerem animum gerere me fateor, & ſi id vitium ſit, fateor quoque, me eo carere nolle, ſed quamdiu ſanguis & vires ſufficiant, promitto me meam Patrisque innocentiam contra quoſcumque calumniatores propugnaturum; & cum mihi conſcius ſim, nullam umquam a me profectam eſſe in aliquem injuriam, tranquillo animo & ſerena mente, omnia quae in me, meumque nomen torquentur tela, repulſurum, & pietatem in Parentem omnibus aliis officiis, quae me reliquis hominibus obligare poſſunt, praepoſiturum. Imo, ſi irritare pergant, ex

actis & commentariis domesticis, quos diligentissime confecit Parens, omnes odiorum causas & origines, & ingentia sacri illius ordinis flagitia universo orbi, quicumque demum me casus maneat, expositurum polliceor. Neque Patri solum defuncto, si quis manibus est sensus, talem probare me contendam, sed, cujus memoria post paternam mihi prima semper erit, summo quoque Graevio, qui me puerum decennem, Patre orbatum, suscepit, sua manu & lingua formavit, contra inficetos Momos, qui vivo non pepercerunt modo, sed adulati fuerunt, idem officium praestabo. Non impune feret, quisquis ille fuerit Gorallus, qui tanto Viro nihil animi insignem illam lenitatem, qua vivens excellebat, prodesse cupit, qui omnia ejus merita in rempubl. literariam deprimere sacrilego ore conatur; qui nihil illum fere memoria dignum in literis elaborasse, sed libellos quosdam tantum raros, & in his oris non obvios collegisse, & editos dedicationibus ornasse, ut rem inde faceret, non erubescit mentiri, ipse Typographorum mercenarius, & qui omne, unde vivit, minime ingenuae operae acceptum referre potest; qui in Ephemeridibus suis, ea tantum mente, ut quaestum faciat & famae suae fundamenta maximorum virorum ruinis superstruat, confectis, censorium opus in omnes exercet, & doctissimos quosque viros Grammaticorum & Pedantum (venia sit voci) nomine semper appellare consuevit. An hoc quoque ad me minime pertinere, & me quaerere odiorum semina jactabunt invidi? & inde animum meum in convicia promptum & cinctoriam mentem exprobrabunt? an nullius gravioris dicti gratiam mihi facient, qui tamdiu hanc impotentiam in Gallulo, qui ad nostrum litus ejectus, & Batava munificentia recreatus, illos, quorum sinu fovetur, quotidie mordet & lacerat, tolerarunt? an patientur sua libertate abuti extraneum, qui paterna disciplina ejurata, ad sectam, quae nulli fere fores opponit, se ideo contulit, ut de sanctissimis religionis capitibus, absurda quaeque & impia impune in vulgus efferret? An me intolerabilis procaciae virum existimare non desistent, si luce meridiana manifestius ostendero, nullum esse alicujus nominis Eruditum, non in Belgio solum, sed in Gallia, Britannia, Germania & ubique fere, quem non ille Theonino dente adroserit, & quocum non manus conseruerit. Si denique demonstravero eumdem Gallulum foede, dum viveret, Graevio, & Jano Brouckhusio, Viro Fratris in loco mihi semper dilecto, adulatum, quamprimum animam reddiderint, insanum & stolidum in modum cadavera eorum involasse; &, ut amicis familiaribus caussam vilis & degeneris hujus odii, in Brouckhusium praesertim, probaret, praetexuisse maledictis titulum ridendum; Quod scilicet Brouckhusius, ultimis vitae temporibus in laudes Doctorum Virorum pronior (quod miratur etiam in Bibliotheca selecta, ille omnes carpere solitus Gorallus) Burmannum & Hoogstratanum indignis praeconiis extulerit. O ignavum pecus! aequis oculis aspicere non potes, has judicii Brouckhusiani & voluntatis erga nos amicae testificationes, quae nobis, etsi ipsas laudes pro modestia non adgnoscamus, sunt gratissimae, & qui ab uno Brouckhusio, quam a centum Gorallis, praedicari malumus. Sed dolebas te praeteritum, & qui toties ejus favorem frusta captaveras, non ferre poteras judicio suo frui hominem minime ineptum. Sed faxo, si manes & cineres revellere pergas, scias, quid de te & Parrhasianorum tuorum stoliditate & ferocia Vir ille senserit. Lineas enim jam duxerat, ad quas opusculum elaborasset, si otium & valetudo ipsi contigisset, quo perlecto, summo cum rubore (si modo erubescere possis) vidisses, quam misere & maligne de Poëtis judicaveris. Has schedulas, mihi ante mortem commissas, diligen-

ter servo, neque semper literato orbi invidebo. Interim ne pergas in literis nostris, ad quarum ne principia quidem attigisti, ferocire, & ex lexicis & thesauris confarcinatis notis veteres Scriptores conspurcare, monere te placet, cautius Poëtas tractes, &, ut jam ineptas & compilatas explicationes praeteream, saltem ab emendandis verbis Auctorum manum contineas, antequam te ludimagistro in disciplinam tradideris, qui syllabarum modum te edoceat: nam hunc edoctus non poteris dubitare, an in Elegiae, quam tu falso Albinovano adscribis, in Maecenatis obitum, versu 41. sit rescribendum

Illum piscosi viderunt vada Pelori.

Neque si prosodiam Smetii inspicere tibi catenati in ergastulo tuo labores permisissent, in Severi Aetna vers 280, pro

Unde repente quies, & multo foedere pax sit,

libentius legeres, *& inito foedere*. Neque, si legisses umquam in eclogis Virgilii illum versiculum

Namque canebat uti magnum per inane &c.

tu pro imperio jussisses operas exturbare voculam *ubi* in versu Corneliano 350: nec in ipso textu ignorantiae tuae exemplum signasses, edendo

Sparsa liquore manus sacros uti ventilat ignes.

Non indulgeres quoque incertae admodum conjecturae, ad Albinovani versum 388 corruptissimum, a quo caute manum abstinuit Heinsius, qui nullum dedecus censebat, non omnia sanare se posse ulcera, & *Apulum* urbem Daciae ibi intelligi suspicareris; si modo a Ptolemaeo, quem ipse adducis, Ἄπυλον dici, & ideo mediam syllabam producendam esse, si ulla tibi Prosodiae ratio esset, vidisses; sed haec leviora, & Grammaticis, qui circa res minutas insaniunt, tu majoribus destrictus Philosophus & Theologus, relinquenda clamabis. Sed quis cogit, quaeso, te sublime illud ingenium ad Grammaticas & Poëticas ineptias demittere? an vero id agis, ut cirratis tuis persuadeas, te magno illi Grotio, & paucis aliis Heroibus, qui in omnium disciplinarum partibus versati miraculo esse meruerunt, comparandum variae eruditionis opibus esse. Sed hi, ingenti literarum flumine inundati, opus illud adgressi, tu ex Lexicis & Thesauris, (quia, ut inter tuos jactas, *haec sacra aliter non constant*) non ex ipsis antiquitatis fontibus, rivos tuos deducis; Tu Poëtas Graecos & Romanos tractas, antiqui temporis, ejusque consuetudinum & rituum plane rudis. Quod ne me temere affirmare credas, nunc breviter, forte alias id planius demonstraturus, ostendam. Ad Albinovani versum 297 frigus Poetae, male saepe a te accepto, objicis, alieno quoque loco districha posita, vitio furoris Poetici, notas, & vocem *aliquis*, ut bilem scilicet moveres Grammaticis, de Livia vel Antonia exponis. Unde tibi vero tam elegans nota, nisi ex crassissima ignorantia moris Romani? & quia nesciebas quinam hi Drusi *comites* essent, quos tu funus prosequentes fingis; cum vel pueri norint, *Comites* esse cohortem illam amicorum, qui Imperatores in Provinciis comitabantur, & qui nunc, exstincto Druso, squallebant, & corpus, in urbem jam ex Germania ferri institutum, piis lacrymis prosequebantur. Hanc *Comitum* appellationem, si operose tibi nunc probarem, te ipso putidior essem. Sed ut discas etiam, quam male leges tuas in explicandis auctoribus, quas ipse in Artis criticae Part. 1. cap. 1. §. 11. sanxisti, observes, relege, quaeso, quae in Parrhasianis tuis pagin. 12. in Virgilio immerito culpas: docuisti enim respiciendam semper in exponendis scriptoribus

bus

bus, consuetudinem temporum, quibus scripserunt, & recte quidem. Sed an ergo latere tibi debebat, apud omnes superstitiosae religioni addictas gentes, nihil magis pium & religiosum habitum fuisse, quam interfectorum manibus parentare, & vindictam sanguine hostili, si copia esset, sin minus servorum aliquot, aut vilium capitum peragere. Hoc nulli Tyroni ignotum, & millibus, non ex Poëtis modo, sed Historicis gravissimis exemplis a viris doctis demonstratum, nonne aperte ostendit, hoc quoque titulo *Pium* fuisse Aeneam censendum, qui captivo sanguine, ex persuasionis communis ritu, umbras placat? nihil hic crudele, nihil barbarum commisit Aeneas, nisi & Alexandrum, qui ad tumulum Patris plurimos occidit, nisi ipsum Augustum, qui ad aram D. Julio exstructam trecentos ex dedititiis hostiarum more mactavit, teste Suetonio cap. xv. (sed qui modum in numero excessit, & crudelius agere visus, quia dedititios, quibus parcere moris erat, occidit) nisi infinitos, qui ita manibus litarunt, eadem sub caussa obruere velis: rectius ergo ipsam superstitionem, & crudelia illa sacra, Romanis ab antiquioribus tradita, exemplo Tertulliani lib. de Spectacul cap. 12. quam Poëtam, qui decorum optime servat, & nihil Romanis inusitatum poemati suo inseruit, acerbo tuo calamo notasses. An ignorare tantum Theologum decebat, ideo praecipue Christum & Apostolos tanto studio vindictae cupiditatem, qua nulla blandior animi adfectio, & quae gentilibus non modo alti animi argumentum, sed praecipuae pietatis opus videbatur, ex hominum mentibus eradicare, & persuasionem hanc, quae totum orbem pervaserat, delere ex pectoribus mortalium conatos fuisse? praeterea an Romanis hoc tam triste & saevum videri poterat, qui omnibus Triumphis innumeram captivorum turbam, & ipsos Reges & Duces victos, postquam traducti per ora populi fuerant, trucidari, & ut victimas immolari, summa cum alacritate & gaudio spectare consueverat? Nonne pudor est, haec, pueris etiam notissima, tanto censori Poëtarum ignorari? Sed quod omnibus probabit, te nihil curare ipsas, quas dixisti leges, eodem illo loco artis Criticae, quo illas tulisti, violas, dum Matthaei verba ex cap. VIII. vers 12. (non 22 ut tu citas) ex hodierno more illustras, & coenas veterum, ut nunc, noctu sumtas (quod a te probatum videre vellem) audacter adfirmas, & deinde de voce ἐπιούσιος agens, illius vim ab extraordinaria Romanorum Imperatorum liberalitate, de qua Christum cogitasse quis sanus adfirmabit? arcessis. Sed missum te faciamus, neque, Praefationem nos scribere, non libellum cogitantes, quid in Historiae priscae cognitione profligaveris, cum id in se susceperit celeberrimus Perisonius, quem tu quoque ut Grammaticum, superbe tractasti, neque etiam quanta tibi Orientis linguarum & sacrae Geographiae sit peritia, quam princeps in his literis Clarissimus Rhenferdius tibi falsam jactationem eripere jam coepit, nunc subnectam; alias forte literato orbi, pro viribus meis, tua merita in rempublicam literariam producturus. Campum tibi jam latum aperiri vides, in quem maledicentia & obtrectatio tua exspatiari posset, & Bibliothecae tuae, si Petronium nostrum recensere volueris, largam materiem natam; qua nos quoque summis Viris, quos quotidie detrectas, adjungas. Non deerunt in nostris notis, non in hac praefatione, in quae dentem tuum figas, cave modo ne solido impingas. Sin vero amice monere errantem, si humaniter memoriae, vel etiam festinationis, qua saepe ablatum me non accurate satis quaedam efferre, lubens fateor & sponte agnosco, vitia ostenderis; si a Viris, quos suspicio & veneror, lacerandis, manum abstineas, me inter primos, qui diligentiam &

labores

labores tuos laudant, habebis. Nihil fere post haec, quod Te, Amice Lector, scire interest, superesse puto: nam de nostris notis aut labore Petronio impenso, malo alios existimare. Nollem tamen Te ignorare, Lector, in adornanda hac editione maxime adjutum & sublevatum me fuisse opera Juvenis, eruditionis singularis laude & modestiae rarae florentis Arnoldi Drakenborchii; qui cum socio, egregio quoque & optimae spei adolescente, Joanne Watero, Typographi nostri filio, in recensendis & disponendis notis & commentationibus aliorum, in Indice Gonsalii locupletando & emendando, molestissimas in se partes susceperunt. Alterum praeterea, ne quis editionem hanc non integram putet, quod moneam, supersit: nimirum omissa studio & certo judicio esse omnia illa carmina, quae vulgo catalecta Petronii a Viris doctis appellantur, & quae plerisque editionibus subjecta leguntur. Ad hoc duae nos potissimum rationes impulerunt, cum quod nullum certum exstet argumentum, quo a Petronio quaedam ex illis conscripta esse, probari posset; tum quod nobis consilium sit, si aetatem & vires Deus dederit, singulari volumine illa non modo edere, quae publicata sunt, sed ipsa Catalecta Pithoei & Scaligeri nova accessione ineditorum epigrammatum & carminum, quorum ingentem copiam in scriniis Heinsianis repperi, locupletare, & omnia illa in certa capita, ut majori harum Poëticarum elegantiarum studiosis usui esse possint, diuisa edere. Quod ideo praemonendum duxi, quia jam malignam & calumniae atrae plenam famam differri audio, me ante aliter constituisse, sed nunc ab obscaenis & liberis carminibus, quae plurima in hac farragine occurrunt, ideo manum abstinere, ne siniſtros & parum secundos calumniatorum sermones alam & augeam. imo scurras quosdam mendaciſſimos jactare accepi, plurima me primis hujus editionis paginis, jam a tribus fere annis excudi coeptis, commisisse, quae nunc mutari jusserim. Quas meras esse calumnias, ipse ille, qui Typographo nostro in emendandis operarum erroribus laborem suum locavit, & qui calumniatoribus notissimis ab intimis est consiliis, testari poterit. Omnes etiam facile deprehendent mendacii vanitatem librarii negotiatores, ad quos Petronius deferetur, qui si vel unicam paginam incisam, inductam vel mutilatam exhibere poterunt, me his ipsis calumniatoribus magis detestandum esse sponte adgnoscam. Ignorare ingenium meum tales oportet, quasi tam parum constantis animi essem, ut si quid liberius tum a me scriptum fuisset, nunc puerili metu, propter insanos inimicorum in me impetus, iterum illud inducerem aut abolerem. Quaecumque, non hoc modo in libro, sed alias, scripsi & publicavi, fremant licet & arrodant illa maligni, nondum scripsisse poenitet, nisi in quibus vel sponte mea resipiscens, vel amice monitus errasse me comperiam. Non etiam, quodcumque fuerit, edendi Catalecta illa consilium eam ob causam abjiciam, quia lascivioris argumenti carmina quam plurima illis comprehendantur, quae jam ante a Scaligero, at quo Viro! & aliis sine ulla criminatione honestissimi cujusque fuere producta, & quae Censores illos domi tacitos avidius, quam ipsam literatorum nationem, quae quotidie illa versat, devorare credo. Solae possent retardare haec, quae promitto, occupationes, quibus premor, publicae, & curae aliis studiis forte addicendae. Sed hoc polliceri possum, etsi triste illud supercilium, quod Gorallus ille in praefatione ad Albinovani & Severi carmina ostentat, non sim exhibiturus, me tamen similes ejus notis numquam compilaturum, nec quae ad unumquemque Scriptorem, si modo eadem verba occurrant, possunt allini; vel in quovis lexico reperiri, singulis paginis obtrusu-

rum.

rum; quod in praefatione, & Bibliotheca selecta, qua veritate se caviſſe jactet, Spudaeum conſulat rogo, qui ſi hoc agendum eſſet, planius per omnem ejus commentarium hoc explicare facile poſſet: Quod ſi aliis rigidioris & exercitati vultus Paedagogis, neque hi in Petronium labores placeant, neque ea, quae deinceps ſum producturus, ſed omnia illa recte & ex animo damnanda cenſeant, ne legant, moneo; imo ne oculos contaminent, non Petronium modo & haec catalecta, ſed nullum Veterum Poëtarum ſibi parent, & ne invitis forte ſpurci aliquid offeratur, ſciant, a me nullum, qui hoc faſtidium prae ſe ferat, tali munere in fraudem deductum iri. Tu, Lector, qui ſapis, & lepidis his & utilibus ſimul libellis caperis, fruere, & vale.

* * * * * * *

SECUNDA PARTE CONTINENTUR

Jani Dousæ praecidanea. pag. 1.
Gonsalii de Salas commenta. 63.
Sambuci praefatio & vita Petronii. 215.
Tornaesii praefatio. 252.
Lilius Gregorius Gyraldus de Petronii vita. 252.
P. Guirandi Alosiani Epiſtola ad Arnaudum 253.
Ex Roberti Titii praelectione ſuperiori Epiſtolae opponenda. 253.
Patissonii praefatio. 254.
De Petronio & ejus ſcriptis veteres auctorum loci. 254.
Petri Danielis praefatio. 256.
Claudii Bineti praefatio. 257.
Goldasti prolegomena. 257.
Joannis a Wouweren dedicatio Joſepho Scaligero. 267.
Ejuſdem praefatio. 268.
Ejuſdem praefatio in obſervationes variorum a ſe digeſtas. 269.
Barthii epiſtola ad Goldaſtum. 269.
Lotichii vita Petronii. 269.
Michaelis Casparis Lundorpii ομοιογουμενα. 270.
Teſtimonia in Lundorpianis omiſſa. 277.
Casparis Barthii diſſertatio de Petronio. 281.
Gonsalii de Salas praeludia. 286.
Praefatio Hadrianidae, male Bourdelotio adſcripta. 301.
Patavina praefatio. 305.
Blaeuii Epiſt. ad Principem Condaeum. 306.
Joannis Lucii Epiſtola ad Blaeuios. 307.
Jo. Caji Tilebomeni (id eſt Jacobi Mentelii) judicium de Fragmento Traguriano. 308.
Joh. Chr. Wagenseilii diſſertatio de cena Trimalcionis. 309.
Hadriani Valesii diſſertatio de cena Trimalcionis. 317.
Marini Statilei Reſponſio ad ſuperiores diſſertationes. 324.
—— —— Apologi ad patres conſcriptos reipub. literariae. 342.
Jo. Schefferi diſſertatio de Fragmenti Traguriani vero auctore. 356.
Tho. Reinesii dedicatio. 359.
—— —— praefatio. 361.
Epiſtolae variorum de Fragmento Traguriano ad Chr. Arnoldum. 364.
Joannis Boschii praefatio. 368.

INDICES TRES.

I. Omnium vocum & locutionum Petronianarum.
II. Rerum & verborum, quae in notis explicantur.
III. Auctorum, in notis emendatorum aut explicatorum.

T. PETRON.

TITI PETRONII ARBITRI,

EQUITIS ROMANI,

SATYRICON.

T. Petronii Arbitri.] Ita legit Lambinus Coment. ad Lucret. lib. 4. in vulgatis quibusdam editionibus legitur C. Petronii Arbitri; apud Scaligerum in Catalect. C. Petronii Arbitri Afranii. Just. Lipsius ad lib. 16. Annal. Tacit. c. 18. *De C. Petronio*] *Quem viri docti eum censent, cujus fragmenta hodie purissimæ impuritatis. De quo etiam delibero: sicut & de prænomine, quod apud Plinium lib. 37. cap. 2.* Titus *est, itemque Plutarchum.* Lambinianam lectionem, ut veriorem, comprobat atque confirmat Dn. Goldastus. Porro de Petronio scribit Scaliger in Priapeia diversor. Poëtar. *Scripserunt hujus argumenti poëmatia plures veterum, Catullus, Tibullus, Ovidius, Petronius Arbitor, alii. Itaque ex illorum Epigrammatis totus hic liber concinnatus est, & conflatus ab eo, qui Epigramma libro præposuit*, &c. *Sane Petronium hujusce argumenti & nominis quædam lusisse auctor Sidonius:*

Et te Massilienſium per hortos
Sacri ſtipitis, Arbiter, colonum
Helleſpontiaco parem Priapo. ERH.

Satyricon.] Quale sit hoc scribendi genus, Fabius sic expressit: Satyra *quidem tota nostra est: in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus Poëtis præferre non dubitent. Ego quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & esse aliquid, quod tollere possis, putat. Nam & eruditio in eo mira & libertas, atque inde acerbitas, & abunde salis. Multo est tersior, ac purus magis Horatius, & ad notandos hominum mores præcipuus. Alterum illud est, & prius Satyræ genus, quod non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus.* Hactenus M. Fabius. Hujus est generis hic liber, itemque Martiani septem artes, quarum in veteribus plerisque membranis titulus est, *Martiani Minei Felicis Capellæ Afri Carthaginensis Satyricon lib.* VII. *de nuptiis Philologiæ. lib.* II. Sed & ipse sub finem libri sic canit:

Habes senilem Martiane fabulam,
Miscella lusit quam lucernis famine
Satyra Pelasgo, dum docere nititur
Artis creagris vix amicas Atticis.

Tractum est hoc nomen à Satyra cibi, vel ut Acron ait, lancis genere ex variis rebus condito: à quo & *per Satyram aliquid dici* vel *fieri* veteres usurparunt: quod & Diomedes latius persequitur lib. III. Cæterum quod Fabius ait de Satyris Varronis, ad Menippeas pertinet, de quibus est & hic Ciceronis locus lib. I. Acad. quæst. sub persona ipsius Varronis: *Et tamen in illis veteribus nostris, quæ, Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa Dialectice dicta, quæ quo facilius minus docti intelligerent, jucunditate quadam ad legendum invitati*, &c. Ex his etiam apparet, falli potuisse eos, qui inter veterum poëtarum carmina passim retulerunt quæcumque ex Menippeis Varronis à veteribus adducta sunt, frustraque alios tentare omnia omnino ad poëtices normam exigere. P. PITH. Quale sit hoc scribendi genus Fabius expressit lib. 10. Institut. & sic docet Diomedes lib. 3. *Satyra dicitur carmen apud Romanos, nunc* (for. *non*) *quidem apud Græcos maledicum, & ad carpenda hominum vitia Archeæ comediæ charactere compositum, quales scripserunt Lucilius & Horatius & Persius; & olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, Satyra vocabatur, quales scripserunt Pacuvius & Ennius. Satyra autem dicta sive à satyris, quod similiter in hoc carmine ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ velut à Satyris proferuntur, & fiunt; sive à satyra lance, quæ referta variis multisque primitiis in sacris discordis* (for. *Cereris*) *inferebatur, & à copia & à saturitate res satyra vocabatur, cujus generis lancem & Virgilius in Georgicis meminit, cum hoc modo dicit;*

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta,
Et ——— *lanceſque & liba feremus;*

Sive à quodam genere farcimmis, quod multis rebus refertum satyram Varro vocitat. Est autem hoc positum in lib. 2. Plautinarum quæstionum; Satyra est uva passa & polenta & nuclei pini ex mulso conspersi: ad hæc alii addunt & de (for. *e*) *malo punico grana. Alii autem dictam putant à Lege Satyra, quæ uno rogatu multa simul comprehendat, quod scilicet satyrâ carmina multa simul & poëmata comprehendantur, cujus Legis Lucilius meminit in primo; Per satyram ædilem factum, qui legibus solvat. & Salustius in Jugurtha; Deinde quasi per Satyram sententiis exquisitis in deditionem accipiuur.* P. DANIEL. *Satyra dicitur genus lancis, id est, discus vel clarnus, multis ac variis frugum generibus plena, quæ sacrificiis Veneris consuevit inferri, dicta à saturitate, id est, abundantia, vel eo, quod sit plena convitiis & reprehensionibus hominum, & nulli parcat.* Hæc Sæbius Janens vetus Persii Interpres, quem in membrana scriptum nobis ex copi & festiva sua Bi-

CAPUT I.

NUm alio genere furiarum declamatores inquietantur? qui clamant:

a ENCOLPIUS.

bliotheca nobilissimus simul & eruditissimus Goldastus commodavit. *Satyricon appellatur, in quo quasi per Satyram varia argumenta vario ac multiplici stili genere pertractantur, cujusmodi sunt Petronii Arbitri, Martiani Capellæ, & Boëthii de Consolatione Philosophiæ libelli:* ut scribit Scioppius præfat. in Element. Philosoph. Stoic. moral. Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 11. *Nunc flammant Satyræ* --- & lib. 1. epist. ult. *Pæonius exarsit, cui Satyricus ille morsum dentis igniti impresserat.* Ennius Satyr. lib. 3.

Enni Poëta salve, qui mortalibus
Versus propinas flammeos medullitus,

Id est, mordaces & satyricos. Sisenna lib. 2. *Non dignus, in quem debeam satyram calente vi admgerere.* Interpres Juvenal. *Lucernam dicit, quia Satyrici ad omnium vitia quasi lucernam admovent, & ut adurant, & ut ostendant crimina.* &c.

Hæc Savaro Notis in Sidon. lib. 8. epist. 11. *Petronii libellus mera est satura Varroniana, ut suo loco dictum. ipse tamen Saturicum sive Satiricum maluit inscribere: quomodo Commentarium dicitur pro Commentario libro; Apologeticus pro Apologetico libro. At qui Satyricon titulum Petronii reliquis imposuerunt, iisne dubio Græcam vocis Satiræ originem spectabant; cujus rei nunquam auctori venisse in mentem pro certo habeo:* verba sunt Casauboni de Satyra lib. 2. cap. 4. fin. *Petronius Arbiter cur opusculum suum, quo Neronis & aliorum Proterum flagitia horrenda, non minore flagitio publicavit, Satiricum potius, quam Satyram, inscribere maluerit, frustra fortasse quæsierimus: neque est tanti:* ut ait idem lib. 2. c. 2. in fin. In hoc Satiricon epigrammate lusit quidam Julius, quod exstat in prolegomenis. ERH.

Num alio genere furiarum] multa videntur deesse. hæc, quæ initio posita sunt, declamationis sunt fragmenta. SAMBUC. Eadem ferè reperies apud Tacitum in Dialog. de Clar. Oratorib. Plinium in Panegyr. Fabium lib. 2. cap. 10. & lib. 1. cap. 12. BONG. *Contra delicatos lectores Petronius in primo Satyrarum, & Persius in illa Satyra; Nempe hoc assidue, & Plinius lib. 2. Ep.* 19. Ex vet. Grammatico P. DANIEL. A nocturnis lemuribus & Empusis traductum. Sallustius; *animus impurus, Diis hominibusque infestus neque vigiliis, neque quietibus sedari poterat.* Egesippus lib. 1. cap. VII. *tanti sceleris immanitas mentem exulcerabat, non somnus oculis, non quies animo dabatur.* Vide D. Hieron. in vita Joan. Mon. Horat. Epod. v. & ejus Comment. Suet. Neron. XXXIV. Ovid. in Ibin. BARTH. Vide eundem lib. XXV. Adv. c. X. Vetus Parisiensis, uti & Sambuci, *cùm.* PATISS. Scripti constanter cum prima editione, *cum alio.* opinor *Tum* fuisse. Nimirum videntur complura præcessisse, quibus causidicos & rabulas forenses exagitabat Petronius, à quibus nunc transit ad declamatores, in quos falsè ludit Antonius Julianus Rhetor apud A. Gellium, l. IX. c. XV. Noct. Attic. id præsertim festive ab illo ibi dictum in juvenem incondite controversias declamantem, *Hic juvenis sine controversia disertus est.* HEINS. *Cum alio genere* Manuscripti codices. Nob. Nicolaus Heinsius legit, *Tum alio genere:* Pars enim est Encolpianæ declamationis, in porticu habitæ, in qua videntur præcessisse nonnulla in causidicos illorum temporum ac oratores dicta, à quorum vitiis carpendis se continuisse nostrum, ex proposito hoc agentem, ut cujuscumque ordinis ac professionis hominum peccata tangat, non fit verisimile. BOSCH. Ego prætuli interrogationem *Num*, quæ & orationi elegantiam confert, & ostendit simul alia præcessisse, ut rectè vidit *de Salas:* Sed nimis eum subtilem fuisse puto in explicandis verbis *alio genere furiarum*, quibus Tisiphonen intelligi vult; cum furiæ hic insaniam, & ejus omnia genera, quibus agitantur homines, notent. Ita *Furias doloris* Ovid. VI. Metam. v. 595. *Scelerum.* Virg. l. III. Æn. v. 331. & infinita talia apud Poëtas, qui omnem vehementiorem animi impetum, qui homines extra se quasi ponit, Furiarum agitationi adscribunt: Unde & *justas furias* Maro dixit l. VIII. Æn. v. 494. quas postea vocat *justum dolorem.* BURM.

Furiarum] *Furiis agitari* dicuntur, & qui nihil ordine faciunt, & qui flagitiorum conscientia parum apud se sunt. Festivissimum est hoc, quod in Græcis Epigrammatis dicitur, quosdam non jam à Musis, sed à Furiis potius agitari. Sunt enim, ut ille dicit, μανίαι δ' ἃ πάσιν ὁμοῖαι. De *Furiis* impiorum eleganter scribit Cicero pro S. Roscio Amerino, in Pisonem, & I. lib. de Legib. Unde toties Plutarch. ἐπιθύμια τῶν ἐρινύων; &, ὑπὸ ἐρινύων οἰστρηλατηθείς. Heliodorus Æthiopic. α. Ἐρινύες ἤλαυνον Euripid. Iphigenia in Tauris; περιστολὰν οἴστρους ἐρινύων. Ovid. eleganter lib. 10. Metamorph. de Myrrha, & Suetonius Nerone. BRASSIC.

Declamatores.] Qui forenses actiones meditantur, causisque fictis se exercent. GLOSS. De Advocatorum degenere genere vid. Auctor. Dialog. de Oratoribus, & Plin. lib. 2. epist. 3. & Ammianum Marcellinum. DELB. *Declamatio judiciorum imago.* Quintil. lib. I. cap. X. *Forensium actionum meditatio.* lib. IV. cap. II. Eumenius Rhetor pro restaur. Sch. c. 2. *Neque enim tantum me aut negligentia aut confidentia tenet, ut nesciam, quanta sit inter hanc aciem fori & nostra illa secreta studiorum exercitia diversitas. Ibi armantur ingenia, hic præliantur; ibi præludio, hic pugna committitur.* Seneca lib. III. Exc. Contr. Præf. *Ita arbitratum est, scholam quasi ludum, forum quasi arenam esse.* Accessere ad hoc exercitationis genus personæ principes. Suetonius Nerone cap. X. Spartian. Severo c. I. Capitolinus Gordiano c. 3. *In Athenæo controversias declamavit*

mant: Hæc vulnera pro libertate publica excepi, hunc oculum pro vobis impendi: date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites

mavit. Cicero 1. Tuscul. Quæst. cap. 4. *Declamitabam causſas.* lib. IX. ad Pætum Ep. 16. *Hirtium & Dolabellam dicendi discipulos habeo, cænandi magistros. Puto te audisse, illos apud me declamare, me apud illos cœnare.* hos innuit Seneca Controvers. procœm. l. 1, *Potuissem audisse* (Ciceronem) *in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos ait secum declamare solitos.* cujus indicium fecit Suetonius libr. de Claris Rhetor. Cicero Bruto: *Commentabar declamitans cum M. Pisone, aut cum aliquo quotidie.* hinc *quotidiana declamatio.* l. XVI. ep. XXI. Et *quotidiana* sunt commentarii puerorum, in quos ea, quæ aliis declamantibus laudata erant, regerebant, ut ait Quintil. libr. II. Colloquiis priscis: βιβλίον ἴλαδον, ἐγραψον καθημερινά. Sero declamandi exercitatio ad Romanos venit, prorsus diversum iter ad eloquentiam antiquitus. Auctor dialogi de Oratorib. Quintil. lib. II. c. IV. *Fictas ad imitationem fori materias apud Græcos dicere circa Demetrium Phalerea institutum. Latinos dicendi præceptores extremis L. Crassi temporibus cœpisse Cicero auctor.* Quem vide lib. III. de Orat. Suetonius de L. Plotio. *Cicero refert: Memoria teneo pueris nobis primum Latine docere cœpisse L. Plotium.* Ergo quæ circa Demetrii Phalerei tempora in scholis frequentari cœperunt exercitationes, postea Romanis Cicerone puero usurpatæ, Causſæ seu Controversiæ dictæ. Sen. Contr. l. I. Procem. *Declamabat Cicero non quales nunc controversias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem, quas Theses vocabant. Hoc enim genus materiæ, quo nos exercemur, adeo novum est, ut nomen quoque novum sit. Controversias nos dicimus, Cicero causſas vocabat.* Nam veteres ex morali parte materias petebant, ut virtutum vitiorumque laudes & vituperia. Sueton. de claris Rhet. *interdum Græcorum scripta convertere, ac viros illustres laudare vel vituperare. Quædam ad usum communis vitæ instituta tum utilia & necessaria, tum perniciosa & supervacanea ostendere. Quod genus διονις & ἀναγνώσεις καὶ κατασκευὰς Græci vocant, donec sensim ad Controversiam ventum est.* Dialog. de Oratorib. *Ad hæc efficienda veteres intelligebant opus esse, non ut fictis controversiis linguam modo & vocem exercerent, sed ut his artibus pectus implerent, in quibus de bonis & malis, de honesto, de turpi disputatur.* Seneca libr. 2. Controvers. 10. *Declamabat Naso controversias ethicas.* Itaque aut ex morali parte, *veteres controversiæ, aut ex historiis trahebantur, aut ex veritate ac re, si quæ forte recens accidissent, eas Græci συντάξεις vocabant.* Sueton. de claris Rhetor. Post ingenia fastidire consueta, diversa à forensibus causſis tractare, imo ad mera nugamenta deflecti; quo pertinet hæc Petronii indignatio. Ridet eandem insaniam Quintil. multis locis. Synesius περὶ ἐνυπνίων, & ejus Scholiastes. Hujus generis vero controversiæ Senecæ, Quintiliani Declamationes, & passim apud Rhetores Græcos. Et quamvis recta declamandi ratio ita celebrata, ut plerisque ad formandam eloquentiam videretur vel sola sufficere, Quintil. lib. II. c. X. tamen Crasso & Domitio Censoribus ludum impudentiæ claudere jussi sunt. Auctor Dialogi de Oratoribus c. 35. S. C. forma apud Gellium lib. XV. cap. XI. Sueton. de claris Rhetor. Atque hæc illustrando huic loco, non rei. à WOUWEREN. Assidue enim in scholis Rhetorum auditores declamationibus causſisque fictis exercebantur; quibus Rhetoribus hoc loco irascitur Petronius, quod missis necessariis inutilia consectarentur, genusque dicendi nimis pomposum & turgidum, & à forensi consuetudine alienum affectarent. Justæ exercitationis usum, utilitatem, necessitatem exponit Fabius, Juvenal. &c. Raderus ad Martial. lib. 10. epigr. 60. ERHARD.

Inquietantur] Balbus Catholic. *Inquietare, id est molestare, inquietum facere.* WEITZ. Id est, (ut verbo minus Latino explicem) circumamiciuntur. Sciopp. Element. Philosoph. Stoic. moral. c. 132. ERH.

Hæc vulnera] Quintil. lib. 6. cap. 1. à WOUWEREN. His verbis declamationes illas intelligit, quæ referebant candidatos, qui ambientes & prensantes sine tunica, vel certe ea diducta, ostendebant vulnera & cicatrices in præliis acceptas, ut apparet ex Plutarchi Coriolano. Verba autem hæc solennia videntur fuisse. Cicer. pro Sext. cap. 10. *Subeunda pro patria pericula, vulnera excipienda, mortem oppetendam.* BURM.

Succisi poplites] vid. Merid. ad Enn. l. VIII. Ann. p. 476. Ἰγνύα Hesychio, est τὸ τῶ γόνατος ὀπίσθιον μέρος, *posterior genu pars*, qui Latinis *poples* dicitur. nam & ipsum esse oppositam genu partem ex his phrasibus patet: *Terga fervet ac poplites cædere: Contendere poplitem: Flexo poplite sedere: duplicato poplite ad terram incidere: Submittere poplitem.* Item, *Defectus poples, Succiduus poples, Lapsus poples:* cui opposita, *Firmus poples, Tensus poples.* Est enim ea pars nervosa. Sic Plutarch. in Artaxerxe dicit Cyrum τὰς περὶ τὴν ἰγνύαν φλεβὰς διαφαγέντος cecidisse. Et in Galba, τυφθεὶς τὰς ἰγνύας ἔπεσε, *casis poplitibus cecidit.* Hen. Stephanus Thesaur. Ling. Græc. indice. Gualterus Alexandreid. 3. v. 51.

--- *Poplitibus* (ita msc.) *ambo cecidere remissis.*

Severus Endeleichus Bucolic. v. 66.

Errat succiduo bucula poplite. WEITZ.

Sidon. carm. 5. *Pars poplite secto Mortis ad invidiam vivit*, --- Savaro in Notis. ERH. Suspicatur de Salas hic carpi Lucanum; sed neque adhuc satis constat, an Panegyricum illud carmen Lucanum auctorem habeat: neque etiam locutio illa, *Succisi poplites*, meretur censuram, quum & illa solennis in hac re sit, & maxime milites in præliis studerent adversariis succidere poplites. Ita Virgil. l. IX. Æn. v. 762.

tes membra non sustinent. Hæc ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc & rerum tumore, & sententiarum vanissimo

Principio Phalerim, & succiso poplite Cygen
Excipit.

Ovid. l. VIII. Metam. v. 363.

--- Trepidantem & terga parantem
Vertere, succiso liquerunt poplite nervi.

Dict. Cretens. l. III. c. 7. *Ingressus hostem complectitur, manu dextera poplitem succidens.* Quia autem tali vulnere inhabiles militiæ fiebant, hinc quoque desertoribus Cassius *crura & poplites incidit*, teste Volcat. Gallic. in ejus vita c. IV. BURM.

Hæc tolerabilia essent.] Eodem modo in Fragmento Traguriano. *Et hæc quidem tolerabilia erant, si non ferculum longe monstrosius effecisset, ut vel fame perire maluissemus.* BURM.

Ad eloquentiam ituris.] Infra c. 118. *Ceteri aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare.* Sueton. de illustribus Grammat. cap. 11. *Visus est peridoneus præceptor maxime ad poëticam tendentibus.* Porro *viam facerent*, id est, viam consequendæ eloquentiæ ostenderent. ERH.

Viam facerent.] Salvianus lib. 1. de Gubernat. Dei; *Viam facinori sternens.* Plinius Panegyric. *Non instruendum illis iter ad bonam famam.* WEITZ.

Rerum tumore] Abundantia. GLOSS. De hac re diximus & in Salvianum nostrum, scriptorem optimum. Seneca lib. 1. de Ira: 16. *Tumor est, nec corporibus vitiosi humoris copiâ intensis, morbus incrementum est, sed pestilens abundantia.* Et lib. 9. Declamation. *Qui tument, habent plus corporis.* Et Controversiar. 5. *Semper ad sanitatem proclivis est, qui potest detractione curari. Detractionem* autem ex placitis medicorum ἄιματ& ἀφαίρεσιν vocat. Idem lib. 5. Controvers. 30. *Albutius dicebat; illas Latronis sententias magis esse tumidas, quam fortes.* Quintilian. in 2. putat *esse meliorem spem luxuriantis ingenii, quam immodice frugalis.* Deminuto enim non tam facile addas, quam nimio detraxeris. Nam & Aristoteles dixit: ἀπὸ μὲν τῆς ἕξεως ἐπὶ τὴν σῆψιν γίνονται μεταβολαὶ, ἀπὸ δὲ τῆς σήψιως ἐπὶ τὴν ἕξιν ἀδύνατον. Cicero l. 4. ad Herennium: *Corporis bonam habitudinem tumor imitatur sæpe.* Certe fœcunditatem in ingeniis non damnant boni scriptores: maciem elevant, tumorem damnant. Nunc, quod ille canit,

Inter utrumque tene, & melius moderabere puppim.

BRASS. Alii *verborum tumore*. Simile in Seneca l. 2. de Benef. quamvis dissimili notione: *Quid opus arrogantia vultus, quid tumore verborum?* J. DOUS. F. Pessime mutant. Focas in vit. Virg. *Quis tantum eloqui potuisset ferre tumorem.* Seneca Pat. *tumor & abundantia Sermonis.* Quintilian. lib. IX. c. IV. *Itaque, ubi est necesse, etiam tumorem adsectamus.* Minut. Felix. *Sententiam non eloquentiæ tumore, sed rerum ipsarum soliditate librenus.* Fulgentius Myth. *nec immemor cujus verbosas fabulas propter scholaribus rudimentis tumidas serulis gestaveram palmas.* BART. quem etiam vide] XXV. Adversi. c. X. Sublime dicendi genus etiam *grande* dicitur. Persio vero in vitio ponitur hæc vox, & orationis ideam non vere grandem denotat, sed vægrandem, id est, tumidam & falsa specie sublimitatis blandientem. quia enim apex facultatis dicendi, seu versu seu prosa, est magniloquentia, atque, ut Longinus ait, ἀκρότης καὶ ἐξοχή τις λόγων ἐπὶ τὰ ὕψη: ideo multi Petronii & Persii ætate, non quod magnarum virium sibi essent conscii, sed aviditate gloriæ eum characterem affectabant. Recte autem Quintilianus judicat, cum pronuntiat: *quo quisque ingenio minus valet, hoc se magis attollere & dilatare conari:* ut statura brevi in digitos eriguntur & plura infirmi minantur. Casaubon. Comment. in Persium. Ab hoc studio dicendi videtur Martialis carpere Mathonem caussidicum, qui suum studium referebat eo, non ut bene, sed ut belle diceret, quod quid sit, ostendit Persius Sat. 1.

--- crimina rasis
Librat in antithetis: doctas posuisse figuras
Laudatur: bellum hoc: hoc bellum? ---

Bellum, inquit Pers. hoc putant Oratores, cum schemata oratoria & antitheta, figurasque oratorias & sententias ostentant, & nihil de caussa dicunt? non est bellum, non est. Idem factitabat Matho, qui conabatur belle dicere, artem Rhetoricam, & artis omnia lenocinia expromere, quod Martialis ait *belle* non bene fieri. *Dic aliquando* non *belle*, sed *bene*, de re nempe proposita, nec artem semper, sed rei naturam inspice. *Dic male*, neglige artis fucos & præcepta, quod ipsum est nonnunquam bene dicere, cum tali ratione male dicis. Sicut in ipso neglectu quidam cultus est, & in contemptu artis artificium. Hæc est vera Martialis mens, quam illustrat hoc loco Petronius. Rader. ad Martial. lib. 10. epigr. 42. ERH. Tangit argumentum & theses, de quibus antea. Igitur male qui rescribunt, *verborum tumore*. Pro rerum vel verborum tumore simpliciter *tumorem* dixerunt Justinus lib. 11. Arnobius lib. 2. Cassiodor. Præfatione lib. 1. Gerbertus epistol. 32. BOURD. Ego præferrem, quod in quibusdam Codicibus est, *Verborum tumore*; in iis enim proprie tumor & affectata illa sublimitas cernitur. Neque satisfacit Barth. Adversi. XXV. c. 10. Nam in locis citatis ab eo manifeste tumor verbis & orationi adscribitur, nullo rerum pondere subnixus. Et ita Glossarium recte explicat per *abundantiam*, quæ in oliis verbis sita est. Ex Traguriano Codice ediderant *humore*, quod forte illustrari posset ex Gellii verbis l. 1. c. XV. *Qui sunt leves & importuni locutores, quique nullo rerum pondere innixi verbis humidis & lapsantibus diffluunt.* Et ita *sicci* & *sani* Oratores Ciceroni laudantur Brut. c. LV. & de Optim. Gener. Orator. c. III. BURM.

Sen-

simo strepitu, hoc tantum proficiunt, ut quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existi-

Sententiarum vanissimo strepitu.] Inanes sententiæ, fabulosa sententiarum commenta. GLOSS. Quid si *inanissimo* legas? sic postea: *Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando.* Augustus Cæsar apud Suetonium: *an potius Asiaticorum oratorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda.* J. DOUS. F. Mox c. x. *an audirem sententias, id est, vitrea fracta & somniorum interpretamenta.* Quintil. lib. IX. cap. v. *Lumina præcipue in clausulis posita sententias vocamus. Quæ minus crebra apud antiquos, nostris temporibus modo carent.* Hieronymus ad Pammach. *More puerorum argutas sententiolas in clausulis struis.* Idem ad Nepotianum: *Ne à me quæras pueriles declamationes, sententiarum flosculos, & per fines capitulorum acuta quædam breviterque concluſa.* Sueton. Aug. cap. LXXXVI. a WOUWEREN. Dousa F. *inanissimo.* Ovid. lib. v. Met. v. 678.

Raucaque garrulitas, studiumque inane loquendi.

Ita M.S. & male Ciof. qui mutat. BARTH. Sic infra, *Audirem sententias, id est, vitrea fracta & somniorum interpretamenta.* Item; *Fabulosum sententiarum tormentum.* Juvenal. Satyr. 8. v. 125.

Quod modo proposui, non est sententia, verum est. Interpres vetus; *Non sunt nuda verba.* P. Pithœus Notis in Juvenal. Adde & hoc Petronii; *Dum ergo juvenes sententias rident.* similiter & istoc; *Credentes facilius poema exstrui posse, quam controversiam sententiolis vibrantibus pictam.* Douza F. corrigit, *manissimo strepitu.* quod non placet. Quod ad rem. Bucerus in Matthæum capite 5. v. 2. in fin. *Ridiculum est, si nos quicquam de salute, citra rationem, eamque ductam ex verbis Dei, statuamus; & non paulo plus ridiculum, quam si in rebus aliis puer aut adolescentulus judicet in dicendo, & quodammodo præcipiat, hoc est, creber sit in sententiis, id quod Quintilianus non ferendum putat. Nam uti sententiis decet eos, in quibus est authoritas, ut res pondus etiam persona confirmet: jam nullus puer est vel adolescentulus, qui in gravissimis etiam sæculi rebus, non plus veri tenere possit, quam sapientissimi quique in rebus Dei.* Hæc ille. ERH. Assentior Douzæ legenti *manissimo.* Illustrat hoc locus Ciceronis à Gellio l. I. c. XV. adductus. *Quid enim est tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subjecta sententia nec scientia:* ubi videmus eundem furorem à Cicerone notari, quo hic inquietantur Declamatores, & qui docet, principium hujus Satyrici recte per interrogationem concipi, *Num alio* &c. Et ita passim *inania verba,* & similia occurrunt: non tamen cum Barthio ingratis Musis, & contra legem Pediam adscriberem Ovidio *studium inane loquendi:* quum vel puero pateat *inmane* ibi legendum esse. BURM.

Strepitu.] Horat. IV. Carm. III. *testudinis aureæ strepitum* dicit. Virgil. Ecl. IX. v. 36.

--- argutos inter strepere Anser olores. BARTH.

Hoc tantum proficiunt.] Cicero ad Attic. *Qui ut nihil aliud, hoc tamen proficiet, dedit ei dolorem.* ERHARD.

In alium terrarum orbem.] Quintilianus in I. *Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in Sole.* Et lib. X. de Portio Latrone: *Ut subsellia in basilicam transferrentur, ita illi cælum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur.* Seneca lib. 4. Controvers. Præf. *Portius Latro, cum pro reo Rustico Porcio in Hispania diceret, usque eo confusus fuit, ut à solœcismo inciperet, nec antea potuit confirmari jam parietes desiderans, quam impetraret ut judicium ex foro in basilicam transferretur. Usque eo ingenia in Scholasticis exercitationibus delicate nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, cælum denique pati nesciant,* &c. Sic Themistius περὶ φιλίας, λόγος εἰς τὸ φῶς, &c. Plinius l. 6. cap. 22. BRASS. Seneca in proœmio l. 2. Controversiarum: *Itaque velut ex umbroso & obscuro prodeuntes loco claræ lucis fulgor obcæcat: Sic istos à scholis in forum transeuntes, omnia tanquam nova & insolita perturbant.* FR. PITH. Seneca l. 3. Exc. Contr. *Agedum produc istos declamatores à schola in forum, cum loco mutabuntur, velut assueta classi, & dilectæ umbræ corpora sub dio stare non possunt. Non enim imbrem ferre, non solem sciunt, vix se inveniunt. Assueverunt enim suo arbitrio diserti esse, cum in forum ventum, aut deficiunt, aut labant.* à WOUWEREN. Vide Hieronymi Grosiotii epistolam ad Jac. Lectium JC. quæ exstat Philolog. epistolar. Centur. I. Ep. 84. & de nostrorum Juris interpretum vitioso & ab ipsis Imperatoribus interdicto docendi modo Goldasti præfationem in Rationale Constitut. Imperial. De causidicis Mathonianis pulcherrimus hic Petronii locus; & totæ paginæ primæ sunt intelligendæ, in quibus mirifice exagitatur declamatorum, atque tota Rhetorum natio. Raderus ad Martial. libro 4. epigr. 66. & libro 10. epigr. 49. ERHARD. Vide Erasmum Proverb. *in alio mundo.* WEITZ. Vide Quintil. l. II. cap. X. BURM.

Ideo ego adolescentulos, &c.] quia consueta fastidiuntur, diversa à forensi rerum usu tractantur, imo ad mera nugamenta antiquitatum & sophismatum deflectitur. Nonne enim & hodie disputationes nostrorum Academicorum pari eodemque modo juvenum animos ad magna surgentes deterunt atque corrumpunt? *Ne in sutoria quidem,* inquit Cascilius, *magister tyronem ferat sibi obloquentem: quin dicto sibi audientem esse jubet: interrogandi forte et potestatem faciat, si humanior sit. In paulo honestioribus, diu docent, diu exercent alumnos: nec iis judicii partes infimas permittunt, ubi tamen in sensus incurrunt omnia. Pythagoras idem fecit. Hinc disputationes tyronum non minus ridi-*

existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident; sed piratas cum catenis in litore stantes, & tyrannos edicta scribentes, quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant; sed responsa in pestilentia data, ut virgines tres aut plures immolentur; sed mellitos verborum globulos, & omnia dicta,

cula videntur, quam instructa acies grium & Pygmæorum, de qua Poëtæ fabulantur: ac malè novitiis consulunt, qui eos in acie disputationum collocant, quasi egregiâ factnora designaturos, qui nec clypeum tenere, nec hastam vibrare, ac ne pedibus quidem firmiter consistere valeant. in Προδιδασκάλῳ: ubi per omnes artes progrediens docet, de quam paucis possit disputari, idque tantum inter seniores. Declamatores quoque nostri juveniles nonne eundem errorem cum antiquis istis Petronianis errant? Videte mihi & Junii themata, & Jesuitarum gymnasmata, & Classicorum exercitia, in quibus fere nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut legitur, aut videtur, aut auditur. In Logicorum sive Dialecticorum λεπτολογίας (hoc est, Ramistarum syllogisticationes) & Scholasticorum Doctorum ineptias, quibus generosa ingenia velut pestilenti quodam sidere afflaverunt, jam olim scripsit Felix Faber Monachus Dominicanus Histor. Suevor. libro primo, cap. 11. ubi inter cætera; *Universitatibus*, inquit, *nostris oratoria & poëtica penitus incognita est, & omne studium juvenum in elenchis est vanisque cavillationibus. Sic periit à nobis ornata oratio, & habundat vana & sterilis cavillatio, qua nihil solidum, nihil delectabile, nihil verum apparet, etiamsi sit verissimum.* De Criticorum levibus atque inanibus studiis, quibus ludibria quædam excitando hoc tantum proficiunt, ut cum anni ad tesseram venerunt, nullam ad rem bonam apti atque idonei habeantur. De quo hominum genere non injuria illud Ciceronis de Amicit. usurpavero; *Nihil altum, nihil magnificum ac divinum suscipere possunt, qui suas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, atque contemptam.* Porro de prava Scholasticorum & Ludimagistrorum institutione, quam hoc loco Petronius perstringit, eleganter agit Goldastus in Notis ad Hieroclis Ἀστεῖα, quem consule. ERH. To *ego* non agnoscit vet. cod. neque id abhorret: sic enim infra Quartilla cap. 17. *Et ideo medicinam somno petii.* BOSCH.

Quia nihil ex iis, &c.] Vide Dialogum de Corrupta eloquentia. à WOUWEREN.

Piratas cum catbenis, &c.] Hujus thematis Controv. IV. apud Senec. libr. IX. alludit Sidonius ep. VIII. ad Lupum.

Nunc flammant Satyræ: & tyrannicarum
Declamatio controversiarum. à WOUW.

Et tyrannos.] Rectius legas cum Leid. Cod. *Sed tyrannos.* BOSCH.

Edicta] *Basilica diagrammata*, Plaut. vocat. Scriptores juris Canonici *cœlestia scripta.* Est & in Codic. Justinian. BRASS.

Imperent] Trag. *increpent.*

Responsa in pestilentia data.] Oraculi responsum in remedium Epidemici mali. GLOSS. Corn. Tacitus, sive quis alius author Dialogi de Oratoribus c. 35: *Sic fit ut tyrannicidarum præmia, aut vitiatarum electiones, aut pestilentiæ remedia, aut incesta matrum, aut quicquid in schola agitur quotidie, in foro vel raro vel numquam ingentibus verbis persequantur.* FR. PITH. Illust. Scaliger legit *responsa in pestilentia data.* Quint. l. 11. cap. x. *Sint ergo & ipsæ materiæ, quæ fingentur, quam simillimæ veritati. Nam magos, & in pestilentia responsa, aliaque magis adhuc fabulosa frustra inter sponsiones & interdicta quæremus.* Ita potius scribo; non ut vulgo: *Et pestilentiam & responsa.* à WOUWEREN. Non corrigendum *pestilentia*, ut voluit vir Ill. Nam & hoc genus phraseos sæpe usurpatur bonis & idoneis auctoribus. Vel in jure nostro quoties comparet? l. 11. §. XXXI. de O. Jur. L. IX. de Acquir. Possess. l. XIV. de Probat. L. XXXV. de O. & A. L. XL. de Adopt. L. III. de suis, & leg. BARTH. Auctor de Orator. c. 35. *Sic fit ut tyrannicidarum præmia, aut vitiatarum electiones, aut pestilentiæ remedia, aut incesta matrum, aut quidquid in schola cottidie agitur, in foro vel raro vel numquam, ingentibus verbis persequantur.* Curt. Pichena Notis ad Tacitum de Orator. cap. 53. ERH. *Pestilentia* Tragurienſis codex & meliores. BOSCH. Ego prætuli *in pestilentia*, id est, cum ea infestaret gentes & urbes, quæ ad oracula decurrere, ut remedium quærerent, solebant. Vide Antonin. Liberal. Metamorph. cap. XXV. ubi Virgines inmolandas respondet oraculum. Infr. c. 116. *videbitis oppidum, tanquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud nisi cadavera, quæ lacerantur, aut corvi, qui lacerant.* BURM.

Ut virgines tres, &c.] Quintilianus Declam. CCCXXCIV. *In pestilentia responsum est virginem immolandam, sorte ductam pater virginem negavit, magistratus immolavit. non finiebatur pestilentia. iterum sortiti sunt, altera immolata est.* Vide Declam. CCCXXVI. à WOUWEREN.

Sed mellitos.] Vetus C. *& mellitos.* à WOUWEREN.

Mellitos verborum globulos.] Eloquii facilitas & volubilitas: à gustu ad auditum suavitas mellis trahitur. GLOSS. A genere cupediarum, quod describit Cato de RR. cap. LXXIX. unde ductum Chiani quod de papavere & melle hic dicitur. Mirum hoc nemini observatum. BART. quem etiam vide l. XXV. Adver. cap. x. l.

XXII.

dicta, factaque quasi papavere & sesamo sparsa.

II. Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant. Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquen-

xxii. cap. xiii. Eleganter à gustu ad auditum suavitas mellis trahitur. Barth. ad Claudian. n. 1339. *Mellitos*, id est, suaves, dulces. Aristophan. Avibus, μελιγλώσσων ἰπτίων, id est, *mellitorum carminum*, ut Horat. dixit *poëtica mella*, & Tertullian. de Anima *mella facundiæ*. ad quam conditionem μελιδρεῖς κύκνοι, & μελίχρως Σοφοκλῆς in Epigrammat. appellantur. μελίφθογγοι, qui voce sunt mellita & dulci. γλυκυμείλιχος, dulcissimus. Homer. Iliad. α. Τῷ καὶ ἀπὸ γλώσσης μείλιχος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Cicer. de Senect. *Ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio*. μελιγάρυες ὕμνοι, id est, dulcisoni. Pindar. Olymp. ιά. An inde μέλος pro Cantico modulato, ab ejus carminis suavitate ac dulcedine? Ita videtur Goldasto. Quos Petron. *mellitos globulos*, Cic. lib. 1. ad Attic. dixit λικύθους, quasi dicas, uncta verba & oleo sparsa, & nescio quis λικύθους λόγων. *Globuli* autem placentulæ erant ab orbiculari figura vocatæ. Muret. Var. lect. 17. c. 15. *melliti*, melle & saccaro conditi, Zuckerknödlin. ERHARD. Ita Theocritus Idyll. 1. v. 146. Πλῆές τοι μέλιτος τὸ καλὸν στόμα θῆρσι γένοιτο. Et apud Tryphiodorum Minerva Ἀθηναίης ἐπιχρίσσω μελίχροϊ νέκταρι φωνὴν, *vocem Ulyssis mungit mellito nectare*. qui etiam ἰσχίων ἀπὸ πηγῆς ἐξέχεεν μέγα κῦμα μελισταγέος νιφετοῖο. Auson. ad Symmach. *Modo intelligo, quam mellea res sit oratio, quam delinifica, & quam suada facundia*. Symmach. lib. 1. epist. 91. *Tu quoque ita pagimam melle eruditissimi oris obliveras*. Et lib. 9. ep. 87. *Litteræ adfluebant multo melle facundiæ*. Nonnus Dionysiac. l. 41. v. 250. πότοτε κύμη Λαοτέρην σιμβλοιο μελίῤῥυτον ἧπυς φωνὴν Ἠδυεπὴς. Hæc notata mihi olim ad Theocritum. WEITZ.

Globulos] τολύπας Clementis Alexandrini Protreptic. plane sunt Petronii *mellisti globuli*. Nam melle cum papavere mixto in condiendis dulciariis usos, auctor est Helenius Acro in Horat. de Arte, ubi ait: *Mel cum papavere mixtum in placenta sæpe offendere*. Joh. à Wouwer ad Minuc. pag. 132. Had. Junius Cent. 7. adag. 48. *nectar spirat*. WEITZ.

Papavere & sesamo sparsa.] Fucata rabularum facundia, qua quasi melle & sesamo auditorum obliniunt ora, ut nuda verborum oratio gratior fiat. GLOSS. Vet. *sesamo*. DELBEN. Impressi cod. habent *sansuco*. ego veterem lectionem maxime probo, quæ rationem habet. Significat autem soporifera & aurium delinifica. In uno ex veteribus scriptum est *sesamo*, ut & apud Plinium pluribus in locis. Plautus in Pœnulo. PUTEAN. Recte. Quidam codices *sansuco*, id est, sampsycho. Scal. à WOUWEREN. Cato c. 95. *eos melle unguito, papaver infriato, ita ponito*. Adi & Luciani locum, Græci Petronii, Lexiph. μὴ δέ σε θελγέτωσαν αἱ ἀνεμῶναι τῶν λόγων, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῶν ἀθλητῶν νόμον ἡ σεσηρὰ σοι τροφὴ συνήθης ἔστω. Litem tamen de discrimine Anemonæ & papaveris non faciamus. BARTH. & xxv. Adv. cap. x. Ovid. 4. Fast.

Nec pigeat tutum niveo cum lacte papaver
Sumere, & expressis mella liquata favis.

Rob. Titius Assertion. l. 9. c. 14. Villiomarus Animadverss. l. 9. animad. 17. Antiqui videntur operibus, præsertim dulciariis & placentis, interdum palati gratia sesamum aspersisse. Homerus Batrachomyom.

Οὐδὲ πλακοῦς ταυσιπόλος ἔχον πολὺν σησαμοῦντα,

Turneb. Adversar. l. 19. c. 6. *Sesamum*, principem locum inter bellaria obtinuisse, ex hoc Petronii loco, Athenæo & Polluce notissimum est. Muret. Var. lect. l. 17. cap. 15. inter condimentarias herbas papaver & sesamum non postremum locum tenebant. Multa de vario esu papaveris Galenus lib. 7. de facult. simpl. medic. Ideo cum aliquid studiose politum significare vellent, σησαμοειδὲς & *papavere ac sesamo sparsum* dicebant. Casaub. Animadvers. in Athen. l. 3. c. 27. Plautus Pœnulo; *Sesamum papaveremque tritum*. ubi valde excutit Lambinus de *sesamo*. Recte tamen Muretus dicto loco. Jungermannus. Ipse Petronius infra de cœna Trimalcionis; *Glires melle & papavere sparsos*. Adde Dalechampii annotat. in Plin. lib. 22. cap. 25. ERHARD.

Sesamo] Joh. Bapt. Porta l. 11. Villæ, c. 37. agens de sesamo: *Dioscorides oleum Ægyptios ex eo conficere, ut nunc apud Græcos & Turcas in maxima copia paratur in cibum, secundum locorum bonitatem. Nunc condiendis panibus inspergitur, & præsertim buccellatis, qui ex Cypro Venetias afferuntur. Nullus Orienti frequentior cibus, quam sesamum*. Vide & Martin. Mylium in Horto Philosophic. pag. 427. WEITZ.

Inter hæc.] Leg. ex vet. cod. *hæc tantum nutriuntur*. RITTERSH.

In culina] Proprie hic sumitur, non pro latrina; notæ enim sunt culinariæ sordes ex pinguedine aliisque purgamentis. GLOSS. Unus ex veterib. lib. *Curia*. PUT. Usurpat hoc Joh. Salisberiensis lib. 3. Policrat. c. 10. sub finem non laudato auctore. Sidon. epist. 11. lib. 8. BONG. Joannes Salisberiensis Episcopus de Nugis Curial. lib. 3. cap. 10. *Unum tamen certum est illis, qui huic vitio dediti sunt, non magis placere virum, quam illos bene olere, qui in culina habitant*. Isidorus Gloss. *Culina, latrina, fecessum*. Scaliger castigat. ad Festum. *Culina*, est privatum & sella familiarica. Gloss. ἀποπατος, *culina*. *Culinæ* tetrum odorem ut plurimum exhalant. Palladius de Re Rust. tit. 37. *Ab apium castris longe sint omnia odoris horrendi, balnea, stabula, coquinæ, fusoria*. Sidon. lib. 8. ep. 11.

loquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur, & caderet. Nondum juvenes declamationibus continebantur, quum Sophocles, aut Euri-

Et claudens geminas subinde nares
Propter sumificas gemam culinas.

Hinc Plautus Mostellar. Actu 1. Scen. III. v. 119. de vetulis incrustatis & interpolibus: Savaro Notis ad Sidon. lib. 8. ep. 11. ERHARD. Pessime quicunque isti, qui *culinam* spurce latrinam interpretantur. Hic locus ex Plautina imitatione, Mostell. Act. 1. Sc. III. v. 119.

Ubi sese sudor cum unguentis consociavit, ilico
Itidem olent, quasi quum unà multa jura confudit coquus.
Quid oleas nescias, nisi id unum, ut male olere intelligas. BOURD.

Non sunt audiendi, qui culinam hic interpretantur *latrinam*, ex Glossariis antiquis, quos inter magnus Scaliger ad Festum. Salmasius præfatione ad libros de *modo usurarum*, asseverat in codicibus Petronii scriptis *coria* hic legi, unde castigandum contendit *in coriaria*, perperam. Unus Altissiodurensis liber non magnæ rei *coria* hic agnoscit quidem, sed omnes ii, etiam quibus usus est Scaliger, si unum excipis, in quo *curia*, vulgatam amplectuntur, & merito, quam ego ad Trimalchionis cænam pluribus vindicavi. HEINS. Salmas. d. Usur. c. XVIII. contendit legendum esse *in coriaria*, quem refutat Valesius in Valesian. pag. 65. qui tamen male capit de *latrina*, ut & alii fecerant; vel si de culina accipiendum sit, explicat de ipsis coquis, qui pingui & adipe turpes male olebant. Ego puto, hic Satyricum adolescentium sui temporis perversa studia insectari, qui arti coquinariæ tam insane operam dabant, ut desertis Rhetorum & Philosophorum scholis totos dies in culinis desiderent: quam corruptelam graviter Petroniani loci interpres Seneca castigat Epist. XCV. *Innumerabiles esse morbos non mireberis; coquos numera. Cessat omne studium: & liberalia professi sine ulla frequentia desertis angulis præsident. In Rhetorum ac Philosophorum scholis solitudo est: At quam celebres culinæ sunt, quanta circa nepotum focos juventus premit?* Eleganter autem dicit eos *habitare in culina*, quia totos dies ibi terebant, & huic uni arti addiscendæ vacabant. Eodem modo ut *in foro habitare* dixit Cic. pro Muren. cap. IX. ubi vide quæ viri docti notarunt. Jocum vero noster captat in ambigua vocis *sapere* significatione. BURM.

Pace vestra] Plinius 34. 11. BONG. Ovidius lib. 3. de Pont. eleg. 1. *Pace tua dixisse velim.* WEITZ. Hoc est, venia; quas voces conjungit Arnobius lib. 1. adv. Gent. *Cum pace hoc vestra, & cum bona venia dixerim.* BOSCH. Auctor de caus. corr. eloq. c. 31. 34. & 35. HEINS.

Primi omnium eloq.] Unus ex veterib. *primi eloq.* CL. PUTEAN. Quintil. l. II. c. X. *Eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter præcipuas, quæ corrumperent eloquentiam, causas licentia atque insciitia declamantium fuerit.* Ill. Scal. ex V. L. *Primi omnium.* à WOUWEREN. Tragur. *primitus omnium.* forte *primi vos omnium.* HEINS.

Levibus sonis] Forte *lenibus.* SAMB. Omnino alludum ad proverbium: *Fluctus in simpulo excitare.* Scaliger. à WOUWEREN. Forte, *levibus.* ut *volubilitas & volutiloquentia* Nævii fiat: Sic D. Augustus ad Antonium: *an potius Asiaticorum oratorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?* Exstant in Suet. c. LXXXVI. & ipse Cæsar jungit *inane & volubile sermonis genus.* BARTH. v. cund. XXV. Advers. c. X. *Levibus* retinui. Est enim *levis sonus* hic idem, quem paulo ante *inanem strepitum* dixit. Et ita auctor Dialogi de Orator. c. XXVI. *lasciviam verborum & levitatem sententiarum* jungit. *Lenitas* autem virtus orationis potius esset, quam ut reprehensionem mereretur. BURM.

Enervaretur] Νευροκοπεῖν ἢ ἐκτυφλίζειν, *enervare*, est debilitare, convellere, atque subvertere. Apud Suidam: διὰ τῶν Ἐπικούρου λόγων τὴν ψυχὴν ἐκτυφλωθεὶς καὶ θῆλυς γενόμενος, *Epicuri librorum lectione enervatus animo atque effeminatus.* Plutarch. 6. Sympos. ἐκτέμνειν τὰ νεῦρα. Hadr. Junius Cent. 5. adag. 74. Paullo ante; *Succisi poplites.* WEITZ.

Caderet] Omnia quæ ab ordine & constantia vacillant aut degenerant *cadere* dicuntur. GLOSS. Seneca Controvers. IX. *Præmium pulcherrimæ rei cecidit.* Lactant. lib. 4. cap. 1. *in totum sapientia ceciderat.* à WOUW. Sen. Pater, *nec dii tantum mali permittant, ut cadat Eloquentia.* Priscian. præf. Gramm. *cadentibus studiis litterarum.* BARTH. quem etiam vide XXV. Adv. c. X. &ad Claudian. numer. 2824. Forte & *areret.* Aridam orationem culpari frequenter à Quintiliano ac cæteris oratoriæ artis magistris ignorari haud quaquam potest. HEINS. Ingeniosa Heinsii est conjectura: & ita locutos veteres certum est. Cic. l. VII. ad famil. Ep. XXXI. *Vides enim exaruisse jam veterem urbanitatem.* Ubi vid. Manutii Notas. sed tamen lectionem vulgatam retinui, quia melius respondere præcedentibus videtur, & exempla à Joh. à Wouweren & aliis adducta eam stabiliunt. Enerves enim stare non possunt, sed cadere debent. BURM.

Continebantur] Detineri, hoc est, exerceri. GLOSS. Fab. lib. 5. cap. 12. BONG. Fort. *conterebantur.* RITTERSH. Rittershus. corrigit, *conterebantur*, sic *in causis conteri*, apud Cic. est *ne faire autre chose que plaider, & en estre quasi tout usé. Oratione aliquem conterere, ennuyer de parolles.* Robert. Stephanus in Dictionario Latino Gallico. adde eundem in Thesauro

Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui. Nondum umbraticus doctor ingenia deleverat, quum Pindarus novemque Lyrici Homericis

sauro Ling. Lat. Vulgatam lectionem comprobare imitatione videtur Eryc. Puteanus Suad. Auspic. orat. 4. quem non audimus. ERH. An Petronianum sit *continuabantur*, quod reponit Swartius, valde dubito: *contineri* verò & Ciceronianum, & aliorum minime negandum. BOURD. Malo *conterebantur*, sic *foro & litibus conteri* apud Plin. lib. 7. ep. 5. *litibus teri*. lib. 2. ep. 33. & lib. 8. ep. 12. *tantus artifex in tam parva materia multum ac diu frustra terebatur*. Ut recte jam è membranis castigatum est à Colero. Apud Justin. lib. 9. c. 1. *ne unius urbis oppugnatione tantus exercitus tereretur*. S. Augustinus Confessionum libro VIII. c. VI. *Et forte supra mensam lusoriam, quæ ante nos erat, attendit codicem; tulit, aperuit, invenit Paulum Apostolum inopinate sane; putaverat enim aliquid de libris, quorum professio me conterebat*. HEINS. Male hoc verbum sollicitant viri eruditi: egregie enim exprimit frequentem exercitationem declamandi & disciplinam, qua sub magistris dicendi quotidie cogebantur declamare. *Continere* enim proprium disciplinæ & coërcitionis verbum. Cic. lib. VII. ad fam. ep. XIX. *Exercitatione consequere, in qua quidem nos te continebimus*. Valer. Max. l. IV. c. III. ex. II. *atqui ista patientissime superior Cato toleravit, quia istum grata frugalitatis consuetudo in hoc genere vitæ cum summa dulcedine continebat*. Et ita recte illa Phædri lib. II. prolog. acceperunt viri docti,

Exemplis continetur Æsopi genus.

ubi vide Schefferi & aliorum annotata, & Clarissimi Grævii notas ad Cic. I. d. Offic. c. VI. Barthius ad Claudian. Consul. Olybr. & Probin. capit pro *compescere*, ne evaderent limites illos scholasticos, à vitiosis declamatoribus præfinitos. Non male; certe melius quam postea pro absolvi, consummari capit. vid. Adversar. ejus l. X. c. III. Ridicule vero Swart. I. Analect. IX. pædagogici cerebri sordes pro purissimæ Latinitatis deliciis venditat, qui substituit verbum, quod ipse finxit, *continuabantur*: neque melius conjicit posse & *contendebantur* legi. BURM.

Quum Sophocles aut Euripides] Vide Cicer. de Orat. à WOUWEREN. Forte *ac*. HEINS.

Deberent loqui] Unus ex veteribus, *deberemus*. PUTEAN. In vet. Glossario S. Dionysii, *loqui debemus*. DANIEL.

Umbraticus doctor] Scholasticus, qui in umbra sub tecto vitam agit otiosam. GLOSS. Scholasticus, videntur enim in umbris eruditi, cum nunquam in forum procedant. apud Senec. Procem. contr. lib. IV. Plin. lib. 9. Epist. 2. sic Juvenalis Satyr. 7.

Ad pugnam qui rhetorica descendit ab umbra.

Seneca apud Tacit. Annal. lib. XIV. c. 53. à WOUWEREN. Sic *umbraticum negotium*, Gellio lib. 3. cap. 1. *umbratilis miles*, Ammiano lib. 18. *umbratile imperium*, lib. 21. *umbratilis consul*, Adoni Viennensi in Chron. Savaro Not. ad Sidon. l. 2. ep. 10. *umbraticus doctor*, scholasticus, pedanto. Senec. in procem. Controvers. lib. 4. *Usque eò ingenia in scholasticis exercitationibus delicata nutriuntur, ut clamorem, silentium, risum, cælum denique pati nesciant*. Et paulo infra; *Velut ex umbroso & obscuro prodeuntes loco, claræ lucis fulgor obcæcat, sic istos à scholis in forum transeuntes, omnia tamquam nova & insolita perturbant*. Plin. lib. 9. ep. 2. *Volumus scholasticas tibi atque (ut ita dicam) umbraticas litteras mittere*. Tacit. lib. 14. Annal. cap. 53. *Ego quid aliud adhibere potui, quam studia, ut sic dixerim, in umbra educata*. ubi per *umbram* scholam declamatorum intelligit Pichena. ERHARDUS.

Ingenia deleverat] Forte *dolaverat*. SAMBUC. & RITTERSH. Nec sensus, nec ratio sana reseribentium *dolaverat* patet legenti. De umbratico studio Juvenalis. BOURDEL. Sambuc. & Rittersh. malunt *dolaverat*, nescio quo sensu; quum obvium sit *delere*, pro extinguere; quæ duo verba aliquoties Cicero conjungit.

Pindarus novemque Lyrici] Ausonius tres tantum vult. GLOSS. Senec. ep. 27. in Hygini Mytholog. nudum lemma *Septem Lyrici*: quod falsum est. Ausonius gripho ternarii numeri:

Et Lyrici vates numero sunt Mnemosynarum.

à WOUWEREN. Male hæc viros doctos sollicitos habent: Inprimis sufficit De Salas, ut decimum Lyricum quærat; quum nihil frequentius utriusque linguæ scriptoribus, quam principem alicujus collegii vel societatis solum nominare, reliquos numero exprimere; neque ideo plures fuisse significant. Vide vindicantem hæc Gronov. Diatr. Statian. c. XLVII. Rutgers. l. II. Variar. c. VIII. Barth. VI. Advers. c. XXVI. Ita Cicer. Philipp. XIII. c. XIII. *Hoc igitur fretus senatu Pompejanum senatum despicit, in quo decem fuimus consulares*. Et tamen cap. XIV. cum ipso undecim enumerat. Hujus vero observationis magnam partem debemus Jano Broekhusio, cui literæ nostræ, & in primis ego, plurimum debemus. BURM.

Homericis versibus canere timuerunt] Infra c. 118. *Cæteri aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare*. ERHARD. Cur vero canere timuerunt? agit de grandi & sublimi oratione noster, ut liquet ex sequentibus; quo in genere post epicos, quorum Princeps Homerus, præcipue regnabant Tragici ac Lyrici. Hoc cum in confesso sit, multisque tradatur inter alios à Longino περὶ ὕψους, non video, quo spectent illa *canere timuerunt*, nisi reponamus *non timuerunt*, vel *sustinuerunt*. Præterea unus

ricis versibus canere timuerunt. Et ne poëtas quidem ad testimonium citem, certe neque Platona, neque Demosthenem ad hoc genus exercitationis accessisse video. Grandis, &, ut ita dicam, pudica oratio non est

è codicibus, queis usus est Scaliger, *tonere* non *canere* habet, & hoc est *tonare*: ergo legendum *tonare sustinuerunt*: non enim *tonere* Arbitrum dixisse credamus, quo Varro usus, *tibi tympana tonimus*: sic Demosthenes à Columella in præfat. *tonare* dictus & Plin. l. 1. Ep. 20. *Non enim amputata oratio & abscissa, sed lata excelsa tonat fulgurat; omnia denique perturbat ac miscet*, apud Propertium 3. 15. appositè omnino. *Qualis Pindarico spiritus ore tonat.* Plinius Præfat. in Hist. Nat. *quanto tu ore patris laudes tonas. Homericos* vero *versus* pro præstantissimis ponit: sic *Homerica eloquentia*, de Platone Quinctilianus. *Eloquendi facultate divina quadam & Homerica.* Idem ubi de lyricis Græcis agit lib. x. cap. 1. (qui locus non parum confirmat τὸ *tonare sustinuerunt*.) *Epici carminis onera lyra sustinentem Stesichorum*, dicit, ac, *si tenuisset modum, æmulari Homerum potuisse*: tum de Alcæo: *Homero similis, sed in lusus & amores descendit.* sed & noster inferius Lyricos cum Homero conjungit. Valerius Max. lib. 8. cap. 14. de Scipione Africano. *Vir Homerico, quam rudi & impolito, præconio dignior.* Inter Tragicos Sophocles sublimi oratione eminet præcipue, qui, quod Homericis loquendi modis utitur, frequenter, φιλόμηρος dicitur, teste in Homerum Eustathio, quomodo & Alexander ille magnus ob eximium Homeri cultum. facit illustrando huic loco & Longinus Περὶ ὕψους cap. 13. ὃ γὰρ μόνος Ἡρόδοτος Ὁμηρικώτατος ἐγένετο, Στησίχορος ἔτι πρότερον, ὅτε Ἀρχίλοχος, πάντων δὲ τούτων μάλιστα ὁ Πλάτων. *Magniloquus* Homerus apud Statium in silvis. *Homeri magniloquentia* apud Tull. lib. 13. Epist. 15. HEINS. Egregia & palmaria Heinsii emendatio. Ita & Propert. lib. II. El. 1.

Sed neque Phlegræos Jovis Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus.

ubi vid. Passer. Phocas inter epigrammata vetera p. 57.

Et Ratilum tonuit.

Sidon. Apoll. carm. XXIII.

Torrens Herodotus, tonans Homerus. BURM.

Et ne Poëtas quidem] Impressi *Poëtas solum.* PUTEAN. *Et ne Poëtas solum* in codicibus Scaligeri. HEINS. Leid. Codex. *Et ne Poëtas quidem solum* probe. Hic locus in mentem mihi revocat alterum Justini exstantem l. 4. c. 4. *Ab his mittitur Gylippus, solus quidem, sed qui instar omnium auxiliorum erat.* Sic totus locus ex MS. codicis auctoritate scribendus: hanc etiam lectionem video præterre M. Isingrinii editionem Basileæ anno 1539. procuratam, quam nobis dono dedit præstantiss. Phil. Munkerus, Vir, inter cæteras eruditi ingenii sui eximias dotes, ad juvandam remp. literariam unice natus. BOSCHIUS.

Ad testimonium citem] Macrob. Saturn. 1. cap 4. DOUZA F. Macrob. l. 1. Saturn. c. 4. *Et ut ipsos quoque grammaticos ad testimonium citem.* I S. Pontanus Not. in Macrob. ERHARD.

Certe neque Platona] Leg. *Certum neque Platona* AURAT. Fort. *certe neque Plato, neque Demosthenes accessisset.* SAMBUC. Fort. *certe neque Plato, neque Demosthenes ad hoc genus exercitationis accessisset, nam grandis.* RITTERSH. Scribe, *Platonem.* BRASSIC.

Ad hoc genus exercitationis accessisse] Ita veteres editiones. *certe* cum infinitivo, ut *scilicet, videlicet, fortasse.* Schioppius Verisim. l. 1. c. 16. Sed pravato deceptus codice. *accessisse video* primus restituit Turneb. quum in Memmii cod. reperisset, *accessisse & ideo*, Adversar. l. 19. c. 6. ERHARD. Hic aliquid deesse videtur, aut certè corruptus est locus. Unusquisque pro ingenio aut emendabit, aut supplebit, aut interpretabitur. PUTEAN. Alii *certum est.* Gronov. Observ. 3. cap 9. locum pro mutilato habet. Turneb. adv. 19. 6. è Memmiano codice, *Et ideo ne Poëtas ad testimonium citem, certe video, neque Platona*, &c. scribendum *certe neque Platona, neque Demosthenen* (ita codices Scaligeri) *ad hoc genus exercitationis accessisse video*: nam illa *& ideo* parum hic ad rem faciunt. vulgatam tuetur Vossius de constructione cap. 62. HEINS.

*Et jam grandis &**] Ita vetus codex, vulgatus, *grandis & velut.* SAMB. Leg. *etiam grandes video & ut ita dicam.* DELB. Impress. *& jam.* PUT.

Grandis, & ut ita dicam, pudica] Auctor Dial. de Orat. c. XXI. *Oratio, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur: sed temperatus ac bonus sanguis implet membra, & exsurgit toris; ipsos quoque nervos robur tegit, & decor commendat.* Vide Juvenal. sat. VIII. Quintilian. lib. II. cap. XI. lib. V. cap. XII. lib. XII. cap. VI. F. PITH. Sic *castitatem arrogantiæ*, (ut Petr. *granditatem & pudicitiam*) opponit Vitruv. lib. I. cap. I. de impudica oratione Auctor de Orat. sive de causis Corr. Eloq. cap. XXVI. *adeo malim oratorem vel hirta toga induere, quam fucatis & meretriciis vestibus insignire. Neque enim oratorius iste, imo hercule ne virilis quidem cultus est*, &c. Is scriptor ex professo docet, quæ Petron. aliud agens tangit. BARTH. Quem vide etiam lib. XXV. Adv. cap. X. Infra cap. IV. *Jam illa grandis oratio haberet majestatis suæ pondus.* Et paulo post cap. V.

Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur. ERHARD.

Pudica Oratio] Placet quod aliis in mentem venit: *Poëtica oratio.* Cic. in Bruto: *Grandis, & ut ita dicam, tragicus Orator.* SCIOPP. Schioppium, *Poëtica* hic

est maculosa, nec turgida, sed naturali pulchritudine exsurgit. Nuper ventosa isthaec & enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit, animosque juvenum ad magna surgentes veluti pestilenti quodam sidere afflavit,

hic substituentem, egregie reprehendit vir & honoribus & meritis in rempublicam literariam insignis Cuper. l. 1. Observ. c. 11.

Maculosa] Contra, *purum* dicit Cæsar apud Sueton. vita Terentii. BARTH. *Maculosâ* oratio hic locum non habet, neque opus erat nobis monitore Petronio, *grandem orationem non debere esse maculosam.* Cum omnis *macula* à *tenui* ac *mediocri* genere dicendi, æque ac à *grandi*, procul sit habenda. Hærebam jam olim in hoc loco, cum tandem me expedivit unus è codicibus scriptis, in quo exaratum erat *Masculosa* scribendum videlicet *musculosa* Cels. lib. 5. cap. 20. *si nervosius aut musculosius locus est.* Idem *loca musculosa* profert. Musculi enim, ut protuberant eminentque in corpore humano, ita iidem orationis corpus quodammodo reddunt inæquale turgidumque; proinde artis oratoriæ præceptores, ut in tenui oratione *ossa maciemque* non ferunt apparere, ita nec in grandi oratione *musculos*; quos historiæ magis convenire, quam orationi Plinius contendit lib. 5. ep. 8. *Habet quidem oratio & historia multa communia, narrat illa, narrat haec; sed aliter. hanc sæpius ossa, musculi, nervi, illam tori quidam & quasi juba decent*: Auctor de caus. corrup. Eloq. cap. 21. *Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent vena, nec ossa numerantur*, (de sua agit oratione) *sed temperatus ac bonus sanguis implet membra, & exsurgit toris, ipsos quoque nervos robur tegit & decor commendat.* Ita scribendum, non *rubor tegit*, uti nunc circumfertur; ut eadem dicat, quæ Petronius hoc loco, omnia videlicet in pulchra oratione debere esse æqualia, nec macilenta nimis, nec nimis pinguia, τὸ *robur tegit* confirmatur Quinctiliani loco ex institutionibus oratoriis. *Non tumidos & corruptos & timulos, & quocunque alio genere cacozelias peccantes certum habeo, non virium, sed infirmitatis vitio laborare, ut corpora non robore, sed valetudine inflantur. Molem robustam* pro robore dixit S. Cyprianus Epistola 51. ubi de gladiatoribus. *Impletur in succum cibis fortioribus corpus, & arvinæ toris membrorum moles robusta pinguescit, ut saginatus in pœnam carius pereat. exsurgere* autem *toris* dictum, ut apud Maronem *Luxuriatque toris animosum pectus.* Celsus lib. 7. *tori inæquales.* Valer. Flaccus lib. IV. v. 244.

* * * *Spatiosa pectoris ossa*
Protulit, horrendoque toris informibus artus. HEINS.

Heinsius non male substituit *Masculosa.* Sic *Pompejus musculosus* apud Gruter. pag. CCCXXXVII. unde apparet vocem hanc satis Latinam. BURM.

Naturali pulchritudine exsurgit] Seneca lib. 9. Excerpt. Controvers. *omnia usque ad ultimum tumorem perducta; ut non extra sanitatem, sed extra naturam essent.* à WOUWEREN.

Nuper ventosa isthaec & enorm. loq. Athen. ex Asia comm.] Cicero passim lib. Orator. Quinctil. lib. 10. cap. 10. Emporius Rhetor, aliique. Julius Severianus Syntom. Rhetor. p. 303. Ed. Pith. *An sequenda Atticorum actio, qui breves astrictique sunt & acres? an imitanda nobis Asianorum licentia, qui vagi ac fusi?* Hieron. ad Rusticum: *Asianum tumorem Attico siccabane sale.* à WOUWER. Hinc effici potest, Petronii ætatem non multum infra Claudii tempora collocandam, cum Asiatica illa loquacitas jam Ciceronis ævo cœpisset invalescere, qui eam sæpe exagitat. vid. ejus Brut. cap. XIII. & cap. XCV. Egregie autem hunc locum illustrat Sueton. Aug. cap. LXXXVI. *An potius Asiaticorum inanibus sententiis verborum volubilitas in nostrum sermonem transferenda?* BURM.

Loquacitas ventosa & enormis] Turgida & vana Asiaticorum dicendi licentia, GLOSS. Ful. Myth. *Apud Rhetores vero aliud profuso & libero cursu effrenata loquacitas, aliud constricta virtutis indaganda curiosa nexilitas.* FR. PITHÆUS. Ἀφολίσχης, sublimiloqua, & in dicendo superba, ut cum quis

Projicit ampullas & sesquipedalia verba.

Suidas; Ἀφολίσχης, ὑψηλὸς ἐν τῷ λέγειν. Themistio ὑψηλογεῖσθαι & βρενθύεσθαι in Sophista; Ἀκούσατέ τινος τῶν ἐμῶν ἐπιτηδείων ὑψηλογραφίας καὶ βρενθυομένης ἐπὶ τοῖς συναγείροις καὶ ὁμαγύροις in *Sophista*, inquam, id est, Scholastico sive Rhetorico declamatore, de quibus hoc loco Petronius. ERHARD. Καὶ φυσήματος ἄνευ τῆς ἀμπιπλαμένης: Eunap. Sardianus Livius lib. 42. *Ventosum ingenium*, id est, mobile. Horat. lib. 1. epist. 19. *Ventosa plebis suffragia venari.* WEITZ.

Athenas] Auctor. de caus. corr. eloq. c. 15. *video etiam Græcis accidisse, ut longius abesset Æschine & Demosthene sacerdos iste Nicetes, & si quis alius Ephesum vel Mitylenas contentus scholasticorum clamoribus quatit, quam Afer, aut Africanus aut vos ipsi à Cicerone aut Asinio recessistis.* HEINS.

Commigravit] In aliis libris apud Scaligerum *emigravit.* HEINS.

Animos juvenum ad magna surgentes] *Animosque juvenum ad magna surgentes* legit. Delben. DANIEL. Sidon. carm. 7.

Surgentes animi Musis formantur. ERHARD.

Pestilenti quodam sidere afflavit] Metaphora ducta à morbo plantarum, *sideratio* dicto, quo, humore per nimium æstum abiumto, vel totæ, vel aliqua sui parte subito exarescunt. GLOSSÆ. Nonnunquam quasi ex ipsis stellis ignes defluunt, qui fulminum modo animalia ferire solent & arbusta; vel videntur

vit, simulque corruptae eloquentiae regula stetit, & obtinuit. Quis postea ad summam Thucydidis, quis Hyperidis ad famam processit? ac ne carmen

quasi ipsæ stellæ decidere aut transilire, quod tamen putidum existimare: nam infra istas hæc nascuntur. huc sane respexit Petron. Apulejus Milesius 8. *Velut gravi tonitru procellaque sideris, vel ipso Diali fulmine percussa.* Martialis lib. 7. epig. 93.

Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus.

Libro 2. epig. 86.

Sidere percussa est subito tibi Zoïle lingua.

Hi autem, qui perculsi sunt, vocantur *sideroси*. Glossæ: *Sideroсus*, ἀστροπλήξ, ἐπιληπτικός. In arboribus *sideratio*. Plin. lib. 7. cap. 24. Auctor γεοπονικῶν, lib. 10. Ἀστροπλῆγα δένδρα μύρῳ ποτιζόμενα ἀναζῆται. Quanquam *sideratio* etiam τὸ θέμα τῦ ἀνθρώπε. Firmicus lib. 4. cap. 13. lib. 6. cap. 29. à WOUWEREN. Vide Raderum Comment. in Martial. lib. 7. epigr. 75. Barth. ad Claudian. num. 2440. Bucer. Comment. in Matth. v. 24. ERHARD.

Afflavit] Livius lib. 8. *Pestifero sidere icti.* Græci, ὥσπερ τυφῶνι βληθεὶς. Servius ad Virg. 11. Aen. v. 649. Auctor ad Herennium lib. IV. cap. XLIX. *Cui aliquid mali faucibus afflare possit.* BRASSICAN. De fulminibus proprie. Spartian. Hadriano: *Fulmen decidens hostiam & victimarium afflavit.* à WOUWEREN. Sueton. Tiber. c. LXIX. *Turbatiore cælo nunquam non coronam lauream gestavit, quod fulmine adflari negetur id genus frondis.* vid. Barth. ad Claudian. de Rapt. Proserp. v. 1. BURM.

Simulque corrupta eloquentiæ regula] V. C. MS. *semelque.* DANIEL. Lege *incorrupta eloquentiæ regula subsitit.* AURAT. Vide Vell. Patercul. sub finem lib. 1. F. PITHÆUS. Lege *semelque corrupta eloquentiæ regula stetit & obtinuit*; seu, *simulque.* quod rectum insequentia probant. Adi Senecæ Controvers. lib. 1. procem. *eloquentiæ regula*, ut Martial. lib. 6. *regula morum.* à WOUWEREN. Sic Novatiano de Trinit. in princ. *regula veritatis.* Christoph. Pflugius pro *corrupta*, legendum censet *correpta*; quam censuram non admittimus. Jungerman. malit, *simulque corruptâ eloquentiæ regulâ* in ablativo casu, ut verba, *stetit & obtinuit*, ad *loquacitas* referantur. ERHARD. Juvenal. Sat. VII.

Ut præceptori verborum regula constet.

Sic *morum regula* Manil. lib. 11. *Juris regula* Cic. 1. de LL. *recti regula.* Minut. Felix. Similia & in Theognide. BARTH. Quem vide etiam ad Claudian. l. 11. in Eutrop. v. 202. & lib. XXV. Adversar. c. X. Ego mallem, *corrupta eloquentiæ regula stetit & obtinuit.* Eloquentiam enim a tempore Tiberii corruptam fuisse, infinita monumenta testantur, & persuadere possunt ea, quæ eruditissimus *Schultingius* congessit ad Senec. Suasor. 1. nova ergo regula stetit, id est, observari & usitari cœpit à declamatoribus & scholasticis: nullum enim sensum mihi videtur habere vulgata lectio; an enim regula obmutescere potest? eleganter vero *stare* & *obtinere* dicuntur, quæ observantur. Curtius III. 2. *Et ne auri argentique studio teneri putetis, adhuc illa disciplina paupertate magistra stetit.* Cicer. II. verr. 56. *is, quod videbat istius censum stare nullo modo posse, eum censum observari jussit, qui Peducæo Prætore habitus esset.* ubi male viri docti corrigunt. Ita & Terent. in prolog. Hecyræ se *stetisse*, id est, placuisse dicit, quæ locutiones à prælliis & forensibus certaminibus deductæ sunt, ubi victores stare & obtinere causam suam passim dicuntur. BURM.

Quis postea ad summam Thucididis.] *Summam* absolute usurpat pro perfectione, & consummatione, & absolutione. Quod novitate quidem blanda conciliatrice placet intelligenti: non attendenti surdum & inane vocabulum est. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 6. Juretus ad Symmachum lib. 3. Epist. 40. Infra Petron. cap. LV. *Diuque summa carminis penes Mopsum Thracem memorata est* ERHARD.

Carmen sani coloris] forsan, *caloris:* nam is proximus insaniæ, de qua loquitur Ovid.

Est deus in nobis, agitante calescimus illo.

Stat. 1. Thebaid.

Pierius menti calor incidit.

Nec minus tamen & illud bonum, quare non sollicitamus. BARTH. *Sanum* appellabant quicquid rectum, moderatum, castigatum & sincerum erat. Quo sensu Cicero de Clar. Orat. dixit, *Asiaticos oratores nimis redundantes, Rhodios saniores.* Et alio loco; *Atticos oratores sanos & siccos.* Juret. ad Symmach. l. 8. epist. 48. ERHARD. Sic MSS. & ratio. Frustra qui substituunt *caloris.* BOURDEL. Non debuerat dubitare Barthius. Locutio hæc enim à corpore humano, ut & ante fecit, quum de naturali pulchritudine egit, desumpta est, cujus sanitas ex colore intelligitur. Ita Terent. Eunuch. Act. II. Sc. III. puellam eximiam describit, cui erat *color verus, corpus solidum, & succi plenum.* Ita & oratio & carmen esse debet, ut erat Cottæ oratio, *in qua nihil nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum*, teste Cicer. Bruto cap. LV. Quinctil. lib. X. Instit. cap. 1. *alii pressa & tenuia, & quæ minimum ab usu quotidiano recedant, sana & vere Attica putant.* Cicero de optim. Gen. orator, cap. III. comparans oratores cum Palæstritis, *qui, cum careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quærunt, quandam etiam suavitatem coloris.* Iterum Cicero in Bruto cap XII. *Ut semel è Piræeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis, quasi sanitatem,*

perde-

carmen quidem ſani coloris enituit: ſed omnia quaſi eodem cibo paſta, non potuerunt uſque ad ſenectutem caneſcere. Pictura quoque non alium exitum fecit, poſtquam AEgyptiorum audacia tam magnae artis compendiariam invenit. III. Non

perderet, ac loqui pæne dediſceret. Qui locus egregie docet, Aſiaticam illam loquacitatem Atticam eloquentiam peſſum dediſſe, & effeciſſe, ut prima illa ſtaret & obtineret. vide ſequentia. Facit forte illuſtrandæ quoque huic Metaphoræ Servius, ad Virgilii II. Georg. v. 178. verba

Quis color, & quæ ſit rebus natura ſerendis

Ita commentans, *quæ ſpecies: quomodo dicimus, quo colore ille Recitavit?* Videtur & hinc jocum captaſſe Martial. l. VII. ep. III.

Eſſet, Caſtrice, cum mali coloris,
Verſus ſcribere cœpit Oppianus.

Quamvis aliorſum trahi poſſe minime diffitear. BURMAN.

Enituit] Tralate. *Nitor*, ſagina eſt corporis. Hinc *nitidus* pro bene curato & bene habito corpore; qualis Delphis eſt apud Theocrit. Idyll. 2. quem λιπαρόχρων Simætha nuncupat, id eſt ἐυτραφῆ, benè curatum, nitida cute. Sic Virgil. 6. Æneid. *equos nitentes.* Inde *nitor eloquii* Ovid. 2. Pont. 2. v. 49. Salvianus præfat. lib. de Gubernat. Dei, *nitore verborum illuſtrare.* Symmach. lib. 2. epiſt. 86. *nitore ſermonis illuminare.* WEITZ. Egregie Weitzius hanc metaphoram illuſtravit. Vide ad Phaedr. l. III. fab. VII. Lambin. ad Horat. l. III. od. XII. BURM.

Eodem cibo paſta] Eunapii ſimilem locum notavit Junius in Adagiis. BARTH. Lege *eodem tabo depaſta* ex *a* factum eſt *ci* in *cibo*, *abo* pro *tabo*. Virgil.

- - - Miſeros tabo depaſcitur artus,

vel forte melius *eodem cibo farta*, id eſt, diſtenta, & refer ad cruditatem. Gloſſæ Labbæi *offercio* ἐμπλήθω; rurſus ἐμπλήθω, *offercio, expleo. Hæreditas offertiſſima*, & *offertiſſimæ opimitates* apud Plautum. HEINS. Locus Eunapii à Barthio adductus indicat, ſectatores Epicuri ex eodem præſepi paſtos. vid. Adagia Eraſmi in *ſimilitudinis*, pag. 648. BURM.

Uſque ad ſenectutem] Ad juſtam ſenectutem perdurare. apud Cic. lib. 1. de Leg. *Caneſcet ſeclis innumerabilibus.* WOUWEREN. Τὸ *uſque* omittunt quidam codices. BURM.

Pictura quoque] Ea ſolita jungi artibus liberalibus. Pacatus panegyr. *recte profecto germana illa Pictorum Poëtarumque commenta victoriam finxere pennatam.* Lucianus de Imaginibus: καὶ τοι παλαιὸς ὢν ὁ λόγος ἀνευθύνους εἶναι ποιητὰς καὶ γραφέας. Horat. art. Poët. BARTH. Quem vide etiam l. XXI. Adv. c. X. Ariſtot. Problem. cap. 10. ἔστι ἐπὶ τῶν ἀρχαίων γραφέων καὶ ἀνδριαντοποιῶν σκοπεῖ τὰ ἔργα. ὁ γὰρ ἦν πώποτε ἀδαμὰς γραφὴ σπουδαία, οὐδὲ ἀνδρίας. φαῦλα δὲ ἦν. Ipſe Petronius infra cap. LXXXVIII. *Conſulere prudentiorem cœpi ætates tabularum, ſimulque cauſſam deſidiæ præſentis excutere, car pulcherrimæ artes periiſſent, inter quas pictura ne minimum quidem ſui veſtigium reliquiſſet. Tum ille; Pecuniæ, inquit, cupiditas hæc tropica inſtituit.* & quæ ſequuntur. Felix Faber Monachus Ulmenſis in Hiſt. Suevor. l. I. c. 8. *Revixit in Germania ſcientia & eloquentia, & ex conſequenti quæque ingenioſæ artes, ut pictura & ſculptura. Amant enim ſe artes hæ ad invicem. Ingenium pictura expetit; ingenium eloquentia cupit non vulgare, ſed altum & ſummum. Mirabile dictu eſt, dum viguit eloquentia, viguit pictura, ſicut Demoſthenis & Ciceronis tempora docent. poſtquam cecidit facundia, jacuit & pictura. Videmus picturas & ſculpturas ac ſcripturas ducentorum annorum nulla prorſus arte politas, nec hominum ſed monſtrorum portentorumque facies. Scripta illius ætatis rudia ſunt, inepta, incompta. priſcis vero ſeculis Apellem, atque Zeuxim, Pollicretum, Phidiam, & Praxitelem magnos fuiſſe comperimus; & de ſtatuariis, ſculptoribus & pictoribus Dorem Liddam.* &c. ERHARD.

Exitum fecit] Forte *Cepit*. HEINS. Heinſ. mallet *cepit*: ſed contra fidem MSS. *Exitum facere* pro mori, perire, Latinum eſt ſatis. Suet. Neron. cap. XLVI. *Cum ex oratione ejus recitaretur in ſenatu, daturos pœnas ſceleratos, ac brevi dignum exitum facturos, conclamatum eſt ab univerſis, tu facies Auguſte.* Ad quem locum plura exempla adducit Caſaubon. BURM.

Ægyptiorum audacia] Tacent hic interpretes præter De Salas, qui compendiariam hanc pingendi artem eam eſſe, quam *Plinius* lib. XXXV. cap. XI. deſcribit, ex ſuggeſtione Johannis de Fonſeca credidit. Barth. Adverſ. XIII. cap. V. pro *Ægyptiorum* legit *Glypticorum*. Voſſius ad Catulli Epithalam. Pelei & Thetid. p. 199. intelligit de pictura illa, qua Judæi & Ægyptii monſtroſa & fabuloſa animalia velis & aulæis illinebant. Sed cum vir in pictura veterum excutienda diligentiſſimus Franc. Junius l. II. de Pict. veter. c. XI. fateatur hic ignorantiam ſuam, nihil noſtræ quoque exiſtimationi decedere poterit, ſi illis virorum doctorum conjecturis minime acquieſcamus, & ampliandum cenſeamus. BURM.

Compendiariam] *Compendiaria* conciſa brevitas, Græce συντομία. GLOSS. Varro: *Hoc dico, compendiariâ, ſine ulla ſollicitudine ac moleſtia dicendi, ad eandem voluptatem perveniri poſſe.* Seneca Epiſt. 26. *Hanc compendiariam invenit.* à WOUWEREN. Philoxenus Gloſſ. *Compendiaria*, συντομία. Cyrillus Gloſſ. συντέμνω, *concido, compendio.* Tertullian. lib. 4. adverſus Marcionem; *Compendiatum eſt novum teſtamentum.* ERHARD. Contra Plinium, veritatem rei, & MSS. faciunt, qui reponunt *compendia jam invenit.* BOURDELOT.

III. Non est passus Agamemnon me diutius declamare in porticu, quam ipse in schola sudaverat: sed Adolescens, [a] inquit, quoniam sermonem habes non publici saporis, &, quod rarissimum est, amas bonam mentem, non fraudabo te arte secreta. Minimum in his exercitationibus doctores peccant, qui necesse habent cum insanientibus furere. Nam nisi dixe-

a AGAMEMNON.

Non est passus Agamemnon] Infra cap. LXXX. *Sed veritus ne Menelaus etiam antescholanus.* Juven. Sat. VII. v. 115.

- - - Surgis tu pallidus Ajax
Dicturus dubia pro libertate. F. PITH.

Imitatur aperte Lactantius Instit. divin. l. I. c. 1. *Non est passus hominem Deus lumen sapientiæ requirentem diutius oberrare.* ERHARD.

Agamemnon] Agamemnona Regem prædicat Homerus corporis proceritate omnes heroas Græcos antecelluisse, tum oratione gravem fuisse & vehementem. Hinc personam Agamemnonis inducebant declamatores, ut magni & constantis patroni; quod ex nostro Arbitro licet colligere, & Varronis Virgula divina. Auson. Popma Conjectan. ad Varron. Frequens apud optimos auctores, ut sub personis Homericis alios intelligant. Læv. Torrentius in Suetonii Tiber. cap. 61. De hoc etiam mediæ ætatis more vetera nomina adsciscendi quædam notavit Hen. Canisius Antiq. lect. tom. 1. in Not. ad Alcuini epist. 3. & 46. Goldastus in Suevicar. rer. scriptorib. de Velleio Gallo. Sic infra cap. 28. *Cum Agamemnone ad januam pervenimus.* Et cap. 83. *Recepi hospitem Lycurgo crudeliorem.* Iterum cap. 117. *Quicquid Lycurgi villa grassantibus præbuisset*: ad Lycurgi crudelitatem respiciens. ERHARD.

In porticu] *Porticus* locus, in quo declamationes fiebant. GLOSS. Habuit enim in auditorio orationem suasoriam. Ergo non idem *porticus* ac *schola*, ut interpres putat, locum istunc, qui bene se habet, emendans. *Schola* est auditorium, in quo fiunt ἀκροάσεις & recitationes: *Porticus* ante scholam, ut in Academia Altorphiana. Sueton. in Tiberio cap. 11. Infra cap. VI. *ingens scholasticorum turba in porticum venit ab extemporali declamatione nescio cujus, qui Agamemnonis suasoriam exceperat.* in schola scilicet. Auctor Dialog. de Orat. *Non ut Rhetorum scholis declamarent.* Wouw. corrigit, *qua ipse in schola.* Pflugius, *quia ipse in schola litigavat.* uterque contra mentem auctoris. Nec ante scholas tantum, sed & ante pinacothecas *porticus* habebant. infra cap. XC. *Ex his qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt.* Christiani etiam ante templa, quas Scriptores Ecclesiastici *ambitus* vocant, nos *Creutzgang*. ERHARD.

Quam ipse in schola] Unus ex veteribus, *quam ipse*, fortasse, *qua ipse*. PUTEAN. Lege *qua ipse*. WOUWEREN.

Sudaverat] Elegans verbum, quo declamatoris ineptam vehementiam & affectatum laborem deridet. utimur enim de eo, qui anxius & dubius de eventu laboris sui hæret. Ita Cicer. III. ad fam. Ep. 12. *vides sudare me jamdudum laborantem, quomodo ea tuear, quæ mihi tuenda sunt, & te non offendam.* v. Torrent. ad Horat. I. Sat. IX. 10. BURM.

Sermonem publici saporis] Venusta sermonis gratia, ad publicam jucunditatem faciens. GLOSS. Juvenal. Sat. VII. 53.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta.

Ubi vide Scholiasten. Ovid. l. IV. ex Ponto El. XIII.

Unde saluteris, color hic tibi protinus index,
Et structura mei carminis esse potest.
Non quia mirifica est, sed quod nec publica certe;
Qualis enim cumque est, non latet esse meam. BURM.

Quod rarissimum] *Quia*, legit SAMBUCUS.

Amas bonam mentem] Suspicatus sum aliquando legendum *amas bona* (vel *bene*) *monentem.* quod non alienum erat à serie & ordine orationis: & laudantur ab Hesiodo in versibus vulgo notissimis etiam hi, qui recta monentes audiunt. Sed fortasse non malè retineri potest vulgata, quia alter superiore tota declamatione conquerebatur de corruptione animorum in juvenibus. ER. EMMIUS. Seneca Ep. 17. & Proœm. lib. 3. Natural. Quæst. à WOUWEREN.

Arte secreta] Alii leg. *artis secreto.*

Nimirum in his] Lege *Minimum in his.* Nihil, ait, aut minimum peccare magistros; plurimum parentes. nam sequitur; *Quid ergo est? parentes objurgatione digni sunt.* Gulielmus Plaut. quæst. in Epid. cap. ult. vel lege, *Non minum si in his*, ex sequentibus. Jungermannus. sed profecto neutrum dum concoquere possum. ERHARD.

Doctores peccant] Vid. Wouwer. Polymath. cap. 30. ERHARD.

Necesse habet cum insanientibus furere] Horat. lib. II. Sat. 3.

- - - Pudor, inquit, te malus urget,
Insanos qui inter vereare insanus haberi.

Sympos. Ænig. in Præfat.

Insanos inter sanum non esse necesse est. BARTH. Quia ὁ τοῖς μαινομένοις μὴ συμμαινόμενος, ὑτὸς μαίνεται. RITTERSH. Et ita Theognis in sent. v. 313. Ἐν μαινομένοις μαίνεσθαι. WEITZ.

Nam nisi] Impressi *nam qui.* PUTEAN.

Adole-

dixerint, quae adoleſcentuli probent, ut ait Cicero, ſoli in ſcholis relinquentur; ſicut ficti adulatores, quum coenas divitum captant, nihil prius meditantur, quam id quod putant gratiſſimum auditoribus fore (nec enim aliter impetrabunt, quod petunt, niſi quaſdam inſidias auribus fecerint): ſic eloquentiae magiſter, niſi, tamquam piſcator, eam impoſuerit hamis eſcam, quam ſcierit appetituros eſſe piſciculos, ſine ſpe praedae moratur in ſcopulo.

IV. Quid

Adoleſcentuli probent] *Improbent* legit AURATUS. Quid hoc aliud, quam quod apud A. Gellium Taurus Philoſophus conqueritur, legem diſcipulos dare, qua diſcant? *Alius ait, hoc me primum doce: item alius, hoc volo, inquit, diſcere, iſtud nolo. Hic à ſympoſio Platonis incipere geſtit propter Alcibiadis comeſſationem: ille à Phaedro propter Lyſiae orationem.* Putean. Suad. Auſpic. Orat. 2. ERHARD.

Ut ait Cicero] Cicero pro Cœlio cap. XVII. *Illud unum ad laudem cum labore directum iter qui probaverunt, prope jam ſibi in ſcholis ſunt relicti.* DANIEL. Al. *Cicio.* ſic c. 5. pro *Ciceronis* in 3. MSS. conſtanter legitur *Titionis*, menda ex compendio ſcribendi nata. Sunt enim hæc Ciceronis verba in Orat. pro Cœlio, cap. XVII. ERHARD.

Ficti adulatores, &c.] Vide Plautum, ubi Paraſitus inſpicit librum ſuum, ut unum de dictis melioribus inde depromat. KITTERSH. Adducitur hic locus à Thoma Hibernico in Floribus Patrum ex Caſſiodori Epiſtolis, legiturque hunc ad modum; *quam illud, quod putant gratiſſimum auditoribus fore, nam nec aliter impetrabunt quod petunt, niſi quaſdam inſidias auditoribus fecerint*, &c. Quae eodem pacto & in quadam Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi Epiſtola leguntur. Jacobus Magni Sopholog. lib. 4. cap. 13. *Qui ſapiens eſt, adulatoribus minime credat. Fictis enim ſermonibus adulantur homines, ſicut praetextu pabuli hamo capiuntur piſces. Unde Petronius: Adulatores picti cum coenas divitum captant, nihil prius vel poſterius meditantur, quam id, quod gratiſſimum adulatoribus putant fore.* Sidon. in Epiſt. lib. 2. *Sectator epularum laudabilem proſert ſententiam, non de bene vivente, ſed de bene paſcente. Tales enim cum aliquid volunt, prius laudant, poſtmodum poſtulant.* Seneca Epiſt. 123. *Varus eques Romanus, coenarum bonarum ſectator, quas improbitate linguae merebatur.* Adde Auſon. Popmam in Varronem pag. 159. ERHARD.

Coenas captant] Martial. l. II. Ep. XVIII.

Capto tuam (pudet heu) ſed capto, Maxime, coenam.

BARTH. Mox cap. 5. *clienſque coenas impotentum captat.* & cap. CVI.

Quam quod] *Quam id quod* Leid. & Trag. cod. melius. BOSCH.

Auditoribus fore] Editio Lugdunenſis in vetere codice ſcriptum eſſe teſtatur, *auribus*; quod ego emendatius puto, quam *auditoribus*. RICHARD. Non placet illud *auribus*, quia mox ſequitur.

Sic eloquentiae magiſter] Impreſſi *ſic eloquentiae magiſtri, tanquam piſcator, qui non eam:* quod valde probo. PUTEAN. Tornæſ. ex MS. exhibet, *ſic eloquentiae magiſtri, tanquam piſcator, qui niſi eam*, &c.

Tamquam piſcator] Sic aliquoties Martial. munera piſcationibus componit. lib. V. Ep. XVIII. *imitantur hamos dona* lib. VI. cap. LXIII.

Munera magna tamen miſit, ſed miſit in hamo,
Et piſcatorem piſcis amare poteſt? BARTH.

Eam impoſuerit hamis eſcam] Τὸ δέλεαρ τῷ ἀγκίστρῳ πηγνύναι, *hamo eſcam corrumpere*, proverbialis eſt locutio, pro, inſidiis aliquem circumvenire, & blanditiis verborum in errorem inducere. Hadrian. Junius in Adag. ERHARD. Saresberienſis lib. 7. cap. 23. *Sunt, qui pauperibus parum tribuunt, ut amplius accipiant, & ſub praetextu eleemoſynae quaerunt divitias; quae magis venatio appellanda eſt, quam eleemoſyna. Sic beſtiae, ſic aves, ſic capiuntur & piſces. Modica eſca in hamo ponitur, ut in eo matronarum ſaeculi protrahantur.* Infra cap. CXL. *Niſi aut locellos, aut ſonantes ex ſacellos pro hamis in turbam mitterent.* WEITZ.

Moratur in ſcopulo] Oppian. III. Halieut. v. 229.

Ἔνθα δ' ἵπευθ' ὁ μὲν αἰὲν ἐπημάτιος ποτὶ πέτρῃ
Στείλλεται, ἀνὺ δ' οἵησιν ἔχει ποιοῦ, ὄνο δ' ἀπολείπει
Δεῖπνα φίλα.

ſimile quid in ejuſdem Cyneg. II. v. 72. BARTH. Quem etiam vide l. XXV. Adv. c. X. Homer. Iliad. π. BRASS. Variant mire libri. alii enim *moriatur*, alii *moritur*, neſcio an ulli *moratur*. Vide ergo ſi remotius verbum excidit, & fortaſſe fuit, *ſine ſpe praedae in ſcopulo molitur*. *Moliri* enim operari, & induſtrie aliquid conari, aut tractare eſt. Sic Virgil. I. I. Georg. v. 271. dixit *inſidias avibus moliri*, ita videlicet, ut hic Petron. piſcibus. Utitur iterum inferius pari venuſtate cap. CVII. *Si gratiam à legato moliebantur.* Ita Gulielm. in Epidic. cap. ult. ego vulgatam lectionem improbare nondum audeo. ERHARD. In ſcopulis olim piſcatores exercebant piſcatum. Theocrit. Idyll. I. v. 39.

Τοῖς δὲ μετ', ἰχθύς τε φίλων πίτνα τε τίτυκται
Λεπτὰς, ἰφ' ἁπίδων μεγὰ δίκτυον εἰς βόλον ἕλκει.

Idyll. 22.

οἱ δ' ἐν

IV. Quid ergo est? parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos severa lege proficere. Primum enim, sicut omnia, spes quoque suas ambitioni donant: deinde, quum ad vota properant, cruda

- - - ἴδον ἐμαυτὸν
Ἐν πέτρᾳ μιμαῶτα· καθιζόμενον δὲ δόκευον
Ἰχθύας, ἐκ καλάμων δὲ πλόκιον κατέσειον ἰδωλέα.

Ovidius lib. 3. Metamorphos. v. 590.

- - - *Morienſque mihi nihil ille reliquit*
Præter aquas; unum hoc poſſum appellare paternum.
Mox ego, ne ſcopulis hærerem ſemper in iſdem,
Addidici regimen, dextra moderante, carinæ
Flectere - - -

Hinc Plautus Rudent. *Piſcatum ſaxatilem* dixit. Meurſius ad Lycophron. Caſſandr. v. 46. Auſonius in Moſella, v. 247.

Ille autem ſcopulis ſubjectas pronus in undas
Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ,
Indutos eſcis jaciens lethalibus hamos.

Ibi Freherus in Not. WEITZ. Male repoſuerunt *moriatur*. Legendi Heſiodus in ſcuto Herc. Theocritus Idyll. 1, 3. & 21. Hinc capio locum obſcuriſſimum Lucilii, qui, cum ait, *piſcinenſiſque receſque*, intelligit morabundum ſive ſpeculatorem piſcium, ἰχθύων σκοπιυτὴν, ut eſt in colloquiis Græcis. BOURDELOTT. In ſcopulis ut plurimum piſcabantur. vid. Meurſ. ad Lycophron. Alexand. Ariſtæn. lib. 1. ep. VII. παῖε τὴν ἀκτὴν ἱσηκότι μοι κατὰ πέτρας, καὶ τῷ ἀγκίστρῳ προσπίπτοντα κάλλιστον ἰχθὺν ἀναστῶντι, τῷ καλάμῳ κυρτεμένῳ τῷ βάρει, προσῆν δέ τις ὑπρόσωπος κόρη. verba ſunt piſcatoris. HEINS. In codice Traguriano eſt *morabitur*. ad rem Senec. Herc. Furent. 154.

Hic exeſis pendens ſcopulis,
Aut deceptos inſtruit hamos
Aut ſuſpenſus ſpectat preſſa
Præmia dextra, ſentit tremulum
Linea piſcem.

HERMANN. Vide Barth. ad Statium IV. Theb. 528. in ſcopulis vero piſcatores fere inſidias piſcibus facere ſolitos, præter Ælian Var. Hiſt. 1. 1. oculis noſtris monſtrare poterit elegantiſſimus nummus Cartejæ in Theſauro Brandenburgico tom. III. p. 74. qui loci è Seneca adducti interpres clariſſimus. BURM.



Quid ergo eſt?] Ita Cicero pro Quintio: *Quid ergo eſt? primum magnitudo periculi* &c. Ad Famil. lib. 10. epiſt. 23. *Lepidum enim pulcrè noram. Quid ergo eſt? pudor me, qui in illo maximè eſt periculoſus, hunc caſum coëgit ſubire.* Infra cap. CXXIX. *Quid ergo eſt? etiamſi gravem injuriam accepi &c.* WEITZ. Formula noſtro familiaris infr. cap. XX. *Quid ergo? inquit, non ſum dignus qui bibam?* cap. CII. *Quid ergo? ſi diutius aut tranquillitas nos tenuerit, aut adverſa tempeſtas* cap. CXVII. *Quid ergo? inquit Eumolpus, ceſſamus mimum componere?* Non tamen aſſentior Munckero cap. XXX. legenti *quid ergo eſt? dono vobis.* Sed ibi *quicquid* retineo. BURM.

Parentes objurgatione digni] Tacitus de orator. multis. WOUWEREN. A doctoribus eloquentiæ in parentes culpam transfert. qua de re videndus Caſaubon. in Perſium Satyr. 1. Juſtinianus Imp. *in conſtit. ad Antecеſſores, quæ ante ff. legitur*, diſcipulis definit quinquennium, quo ſcilicet dent operam audiendis profeſſoribus, & perlegendis libris conditorum juris. (Olim erat definitum quadriennium) nec, niſi qui probaſſet tantum ſe temporis legum ſtudiis impendiſſe, admittebatur in numerum advocatorum, l. 3. & 5. *C. de advocat diu. judicum.* Si quinquennium vel quadriennium illa ætate, qua mores & jura & verba civilia ſane erant notiora aut facilia perceptu; quid non erubeſcimus iſtâ? qua horrere ſpinis omnibus videntur omnia, quæcunque de jure ab antiquis prodita ſunt, vix tamen in eis nos tranſigere triennium, plurimum vitio parentum, qui, ut hoc locò Petronius ait, *cum ad vota properant* &c. Cujac. Obſervat. lib. 12. cap. 20. Adi ejuſdem præfat. in Paratit. Cod. ERHARD.

Severa lege] Ita poſtea *ſevera lectione*, & *artis ſeveræ effectus*; quæ omnia indulgentiæ ſtultæ opponunt diſciplinam certam & exactam. Plin. III. Ep. 3. *jam ſtudia ejus extra limen proferenda ſunt, jam circumſpiciendus Rhetor Latinus, cujus ſchola ſeveritas, pudor inprimis ac caſtitas, conſtet.* idem canit Horatius. lib. III. od. 25.

- - - *Teneræ nimis*
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudiis.

Ita diſciplinam militarem Statius lib. V. Theb. verſ. 7. vocat *legem ſeveri ordinis.* BURM.

Ambitione donant] *Ditant* legit Gruter. Suſpicion. lib. 2. cap. 10. ſed admodum inepte. ERHARD. Id eſt, liberos ſuos, nec conjecturis hic locus eſt. Egregie, ut ſolet, hoc illuſtravit Gronovius obſervat. lib. 3. cap. 23. HEINS. Sic omnino legendum. *Spes*, ipſos hic liberos vocat, ut ſæpe Auctores, propter

ſpem

cruda adhuc ſtudia in forum propellunt, & eloquentiam, qua nihil eſſe majus confitentur, pueris induunt adhuc naſcentibus. Quod ſi paterentur laborum

ſpem ſcilicet, quam de liberis habent parentes. Sic apud Silium Italicum ad filium ſuum Annibal: *ſpes ô Carthaginis altæ.* Et apud Virgilium ad Turnum Amata regina:

- - - Spes tu nunc una ſenecta,
Tu requies miſeræ. - - - BOSCH.

Barth. legit, *domant.* idem tamen lib. xxv. Adv. cap. x. vulgatam tuetur, & explicat. ſcrinia vero ejus compilat, ut ſolet, Swarth. II. analect. cap. 9.

Quum ad vota properant] Vide Sueton. de Illuſtr. Grammat. cap. IX. Perſ. Saty. 2. à WOUWEREN.

Cruda adhuc ſtudia in forum propellunt] Theon Sophiſta c. 1. Progymn. Οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν ῥητόρων ἐκ ἤροντο δεῖν ἐφικέσθαι τρόπου τινὰ τῆς ῥητορικῆς, πρὶν ἁμωσγέπως ἅψασθαι φιλοσοφίας. Νῦν δὲ οἱ πλείους τοσοῦτο δέουσι τῶν τοιούτων ἅπτεσθαι, ὥστε καὶ τῶν ἐγκυκλίων καλουμένων μαθημάτων ὀτιοῦν μεταλαμβάνοντες, ἄπτεσθαι ἐπὶ τὸ λέγειν. Καὶ τὸ πάντων ἀγροικότατον, ὅτι καὶ οἷς προσῆκον ἦν ἐγγυμνασάμενοι, ἐπὶ τὰς δικανικὰς καὶ δημηγορικὰς ἴασι ὑποθέσεις. à WOUWER. Stat. lib. II. Achill. v. 78.

Obſtat genitorque roganti
Nutritorque ingens, & cruda exordia magnæ
Indolis.

Et lib. III. Achill. v. 81.

—— Cujus ab ortu
Cruda rudimenta & teneros formaverat annos
Centaurus.

Tertul. de cult. Fœm: I. 2. *mulieres adhuc inculta & incompoſita, & (ut ita dixerim) cruda, & rudes Angelos moverant.* BURM.

In forum propellunt] MSS. Tornæſii & Codex Tragurianus *impellunt*, quod recipiendum puto; *propellere* enim magis removendi vim, quam intrudendi, habet. Ita Cicero *impellere in caſum, mentem, fraudem* & ſimilia dixit. Verum autem eſſe, quod hic reprehendit Satyricus, exemplo Criſpini, qui ſedecim annorum adoleſcentulus capitalem cauſſam ſuſtinebat, docet Barthius ad Stat. lib. v. Sylv. II. verſ. 102. BURM.

Qua nihil eſſe majus] *Et quia.* DELBEN. Lege *qua nihil prodeſſe magis confitentur.* AURAT. Unus ex veteribus *magis.* PUTEAN. In Cod. Traguriano deſunt illa, *& eloquentiam*

Pueris adhuc naſcentibus] Sic Claudian. *triumphis induit.* Barth. n. 2335. Deinde pro *naſcentibus*, lege aut *lactentibus*, aut *dentientibus*, aut *vagientibus*, & poſtremum illud proxime accedere videtur ad vulgatæ ſcripturæ literas pronuntiationemque. Gruterus Suſpic. l. 2. c. 10. Acumen Criticum! Lege *paſcentibus*, ita omnino imbibi exaratum Arbitro. *naſcentibus* enim enormis eſſet figura ac oppido intempeſtiva: quod aliis quoque viſum. Deinde literæ *p.* facilem & crebrum eſſe deflexum in *n.* annotavi aliquot locis in Veterum ſcriptis. Iſ. Pontanus Not. in Macrob. lib. 7. cap. 16. imo lege *naſcentibus*, quod nihil aliud eſt, quam, quemadmodum dixit Arnobius lib. I. *Cui non ſit ingenitum, imo ipſis pæne in genitalibus matris non impreſſum.* Meurſius Crit. Arnobian. lib. 2. cap. II. vel, adhuc locis matrum involutis. Wouwer. in Polymath. cap. 30. ERHARD. MSS. *adhuc innocentibus.* utraque lectio tolerabilis. BOURDEL. *naſcentibus* meliores. *Innocentibus* unus ex ſcriptis. Pontanus & Gruterus legunt *paſcentibus.* Alii *lactentibus*, aut *dentientibus*, aut *vagientibus*, alii denique *creſcentibus*: fruſtra. Nil muto, optime *naſcentibus:* hoc eſt, infantibus admodum; quomodo apud Cic. lib. II. Acad. Quæſt. cap. 5. *Quod ſi illi tum in novis rebus, quaſi modo naſcentes hæſitaverunt, nihilne tot ſæculis ſummis ingeniis, maximis ſtudiis, explicatum putamus?* BOSCH.

Induunt] *Indunt* AURAT. Barthius adv. XXV. 10. *indicunt* mavult. ut uno velut ictu pueris eloquentiam impingere voluiſſe parentes indicet, nec velle laborum gradus fieri. Sed lib. LIII. adv. 9. vulgatam iterum defendit, quæ certe eleganter oſtendit, pueris ut veſtibus, ita & eloquentia à primo ævo indui. corrigendus ita & Modeſtinus in lege XI. §. 4. ff. *de muner. & honor. Eos, qui primis literis pueros induunt, non habere vacationem Divus Antoninus reſcripſit:* nunc *inducunt* circumfertur. Quintil. l. I. c. 1. *nihil pejus iis, qui paulum aliquid ultra primas literas progreſſi, falſam ſibi ſcientiæ perſuaſionem induunt.* Ita & Lutatius corrigendus ad Stat. lib. VI. Theb. verſ. 738. *Pollux hoc exercitio, dum inter mortales eſſet, delectabatur, & hoc Alcidaman induit.* male Barthius *imbuit.* Ita & recte Claudianum in ſecundo Conſulat. Stilic. verſ. 121. correxit Heinſius:

- - - Teneroſque his moribus induit annos.

Et VI. Conſ. Honor. verſ. 67.

- - - Parvumque Triumphis
Induit.

Has enim voces ſæpe confuſas, docere te poſſunt ejuſdem Heinſii notæ ad Ovid. lib. II. ex Pont. El. I. verſ. 65. & ad Claud. lib. II. de rapt. Proſerp. verſ. 93. eadem figura Ælianus lib. v. Var. cap. IX. de Ariſtotele dixit ἔτι ἐν παιδίῳ ὄντα, ἐν μετὰ ταῦτα ἐκτήσατο. BURM.

Quod ſi paterentur] Auctor dialogi de oratorib. c. XXIX. *Nec in auctoribus cognoſcendis, nec in evolvenda antiquitate, nec in notitia vel rerum vel hominum vel temporum ſatis operæ inſumitur: ſed expetuntur quos Rhetoras vocant.* FR. PITHŒUS.

Laborum gradus] Ut paulatim comprendi poſſent, à ſcutis deductum. Hilarius:

Progenies ſequitur, gradibus per crimina creſcens.

Ленинградская Советская Публичная Библиотека

laborum gradus fieri, ut ſtudioſi juvenes lectione ſevera mitigarentur, ut ſapientiae praeceptis animos componerent, ut verba atroci ſtilo effoderent, ut quod vellent imitari, diu audirent, ſibi nihil eſſet magnificum, quod pueris placeret: jam illa grandis oratio haberet majeſtatis ſuae pondus. Nunc pueri in ſcholis ludunt, juvenes ridentur in foro: & quod utroque turpius eſt, quod quiſquis perperam diſcit, in ſenectute confiteri non vult. Sed ne me putes improbaſſe ſchedium Lucilianae impro-

Paterculus lib. II. BARTH. Ut recte Hierocles Pythagoraeus; τὰ δὲ μικρὰ πρὸ τῶν μεγάλων ἐστὶν ἐν τάξει τοῖς ἀνιοῦσι: ita nec Philoſophia de plano adiri poteſt, per gradus ad illam enitendum eſt, & quod Syneſius in Dione, ὁδὸν πυραμοειδίζεσθαι, καὶ πλειακηδὸν ἀνιέναι. Ardua & excelſa non petimus aditu expedito. Auguſtinus de Ordine lib. 2. *Hinc ſe illa ratio ad rerum divinarum contemplationem rapere volait. Sed ne de alto caderet, quaeſivit gradus, atque ipſa ſibi viam per poſſeſſiones molita eſt.* Ita in ipſis artibus certi gradus. Wouwer. in Polymath. cap. 26. quem vide ſis. ERH.

Et Studioſi] MS. Tornaſii & Tragur. *ut ſtudioſi.* Barth. XXV. adv. 10. mallet *furioſi.* infeliciter. BURM.

Mitigarentur] Impreſſi & veteres *irrigarentur*; quod non adeo placet. PUTEAN. Severianus: *Veteres Oratores legendi ſunt, & praeſentes audiendi. Super hac frequenter ſcribendum, agendum & declamandum.* vide Tacitum Dialog. de Orator. WOUWEREN. Sic Plato dixit in fine lib. 3. de Repub. loquens περὶ τῶν ἐπικούρων ſuae Reipub. quos & φύλακας appellat: ὃ μέν τοι ἄρτι ἐλέγομεν ἄξιον (διοχυρίζεσθαι) ὅτι δεῖ αὐτοὺς τῆς ὀρθῆς τυχεῖν παιδείας, ἥτις ποτέ ἐστιν, εἰ μέλλουσι τὸ μέγιστον ἴσχειν πρὸς τὸ (ita enim ſcribendum eſſe contendo, non τῷ) ἥμερον εἶναι αὐτοῖς τε καὶ τοῖς φυλαττομένοις ὑπ' αὐτῶν. Et Ovid. de Ponto lib. 2. El. 9.

Adde quod ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Et alibi;

Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitaſque fugit.

Hen. Stephanus Schediaſmat. l. 3. c. 11. ERHARD. Alii *irrigarentur*; poſſis & *imitarentur.* Sed praeſtat quod recepimus: ita apud Gell. l. 13. c. 2. *relinquendum igitur viſum eſt in ingenio, quod dies atque aetas mitificat.* Ubi & ingenia cruda cum acerbis comparat pomis. HEINS. *Irrigarentur* Leid. cod. & tres alii. Doctiſſ. M. Oeveringius putat legendum eſſe *iditiarentur*; quia paullò poſt ſequitur, *diu audirent*, quod Pythagoricum ſilentium ſpectare videtur. BOSCH.

Sapientiae praeceptis] Ut viverent ſecundum praecepta melius. RITTERSH. Optimus horum verborum interpres eſt auctor Dialog. de orator. cap. 31.

Stilus atrox.] Acumen ſtili. Stilo ſcribebant in cerata tabula, cujus ſtili pars, qua ſcribebant, *acumen* dicebatur: altera pars erat obtuſa, qua, quae non placebant, delebant, & complanabant ceram. GLOSS. Stilo ſcribebant in cerata tabella, cujus ſtili pars, qua ſcribebant, *acumen* dicebatur. Cic. *omnia ſub acumen ſtili ſubeant.* Altera pars erat obtuſa, qua in cera, quae non placebant, verba delebant, ac ceram rurſum complanabant, ut eſt in Prudent. περὶ στεφάνων, hymn. 10. Hinc Horat. Satyra 10. lib. 1. *Sape ſtilum vertas. Vertit ſtilum*, qui, cum ante ejus acumine ſcriberet, vertit, & alteram ad delendum partem adhibet. Turneb. adverſar. lib. 14. cap. 24. ERHARD. Inclementi. Non memini alibi obſervare hoc vocabulum tam clementi ſignificatu. In Plauto tamen, *atrox aſtutia*, pro inſigni Capt. Actu 3. Scen. 4. BARTH. Et tamen lib. XXV. adv. cap. 10. non poteſt concoquere *Atrocem ſtilum*, & mallet *acriorem* reponere. Sed recte de Salas expoſuit *atrocem*, rigidum, cenſorium, qui nihil indulget vitioſo juvenum ſcribendi calori. quo ſenſu *Atrocem Catonem* Horat. II. od. 1. dixit. Et ita Suet. Tiber. LVIII. *Atrociſſime leges exercere* dixit, cum nullius criminis gratia fiat cuiquam. BURM.

Quod vellent] Impreſſi quidam, *quem.* CL. PUTEAN.

Sibi nihil eſſet magnificum] *Ibi nihil* legit Pflugius. veteres editiones *jam ſibi nihil*, quod forte interponendum, aut legendum *ſibique nihil*, vel *ut ſibi nihil.* ERHARD. *Eſſe* prima editio. *magnificum* recte pro praeſtanti & excellenti capit Colvius ad Apulej. de dogm. Plat. p. 204.

Placeret] *Placent* quidam codices.

Quiſquis] Impreſſi quidam, *quiſque.* BOSCH.

Perperam diſcit] Lege *puer jam diſcit.* Nicol. Faber. DANIEL. Claudianus Mamertus lib. 1. de ſtatu animae: *Tenellis adhuc infantiae quondam ſuae perſuaſionibus in ſenectute putreſcunt.* WOUWEREN. Locus antea vitioſus à virgulis, quem nunc ſanum eſſe judico. Sophocles Oedipo Col. BOURDEL. Recte Douza Horatianam imitationem hic vidit. expreſſit idem quoque Arnob. contra gentes lib. VI. p. 197. *quod ſemel ſine ratione feciſtis, ne videamini aliquando neſciiſſe, deſenditis.* BURM.

Improbaſſe ſchedium Luciliana improbitatis] *Schedium* eſt inelaboratum opus, & extemporanea ſcriptio. GLOSS. Imo *Lucilliana.* nam & Satyras ſcripſit Lucilius.

improbitatis, quod sentio, & ipse carmine effingam:

V. *Artis severae siquis hamat effectus,*
Mentemque magnis applicat, prius mores

Fruga-

llius. Turneb. legit, *Lucilliana humilitatis.* nam in v. c. legitur *Luciniana.* DANIEL. Apul. Apolog. 1. *Omnifariam noveritis, & in isto, ut ait Lucilius, schedio experimini.* FR. PITHÆUS. Impressi *Luciana improbitatis.* idem pene error est apud L. Apulejum Apolog. 1. & in loco Sidonii, quem alibi de Sidonio adscripsimus. PUTEAN. Forte, *probasse studium Asiana.* AURAT. Forte, *Liciniana.* RITTERSH. ita correxi. olim legebatur, *studium Luciniana humilitatis:* in aliis editur, *Luciana improbitatis. Lucillius* in Satyris interdum se ad humilitatem jamborum demittebat, hodieque in Grammaticis quidam ejus jambici reperiuntur, Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 6. & Scalig. Auson. lect. lib. *Schedium* est inconditum exemplar & inelaboratum. Sidon. lib. 8. ep. 3. *Apollonii Pythagorici vitam, non ut Nicomachus senior è Philostrati, sed ut Tascius Victorianus è Nicomachi schedio exscripsit.* Savaro in Not. ad Sidon. Vide tamen Casaubon. de hoc loco lib. 2. de Satyr. cap. 3. In v. c. Pithœi legitur, *Luciliana improbitatis.* An accipiendum pro *inhumanitate*, eo sensu, quo Horat. dixit;

Surge & inhumanae senium depone Camoenae?

ERHARD. *Studium Luciliane vel improbitatis vel humilitatis.* Leid. cod. unde Nob. Heinsio legendum videbatur, *schedium Luciliana humilitatis praeparatum.* BOSCH. Ego prætuli *schedium Lucilianæ improbitatis*, nam illud *humilitatis* præter auctoritatem codicum MSS. est intrusum. Vult autem Petronius indicare, se quoque posse extemporale aliquod carmen, nec elaboratum facere ad morem Lucilii, qui in uno pede stans ducentos versus effundebat in hora, teste Horat. 1. Sat. IV. & X. Schedium enim in Glossis redditur *ex tempore dictum.* plura de significatione vocis schedii vide apud Barth. 11. Adv. 3. Colv. ad Apul. de Deo Socrat. initio. Guilandini Papyrum p. 52. *improbitatem* autem *Lucilii* vocat, quia ille multo sale urbem perfricuit, ut eo sensu forte Mart. III. 20. dixit *improbos Phaedri jocos.* id est audaces. BURM.

Artis severae si quis amat effectus] Lego ex V. C.

Amat severae si quis artis effectus.

Vide Turnebum. DELBEN. Forte, *ardet effectus*, ut alterum sit ex glossa. SAMBUC. Alii, *ambit.* Stephanus, *ardet.* TORNÆS. Mirum tam diu hæc non probabili saltim conjectura tentata. Lege *artis severe si quis ardet affectu.* Vel sane *effectus* retineatur, quod pro summa scientiæ positum. Vitruv. lib. 1. cap. 1. *non tantum Architecti non possunt in omnibus rebus habere summum effectum.* Sic *salutis effectus* apud Boëth. lib. III. de Cons. prof. X. BARTH. Sunt jambici: & est protrepticon. alii *si qui hamat.* sic infra in v. cod. legitur,

Hos inter fluctus qui raptis evocat armis?

pro, *quis raptis.* Et supra in MS. cod. Bongarsiano, *Qui postea ad summam Thucydidis* pro *quis.* ERHARD. Lege *Hamat effectus*, elegantissime, ut Cicero apud Nonium, *adhamare honores.* Quod mira elegantia enuntiatum. Contra quam frigidum esset *adamare?* neque sane latinum est *adamare honores*, pro captare honores. Quare qui Nonium reprehendunt, ipsi potius reprehendendi. SCALIG. ad Catalecta p. 286. MSS. *Artis secretæ.* Dixerat enim prius, *Non te fraudabo artis secreto.* Potest tamen retineri *severæ*, si respicias ad ea, quæ dixit, *Ut juvenes severa lectione mitigarentur.* Quoniam tamen aliam lectionem habent MSS. hanc elegi. BOURDEL. Scaligeri conjecturam probat Heinsius in notis ad Ovid. de medicam. facici. v. 25. Quod & fecerat Rutgersius III. Var. 3. Barthius, ut erat miræ inconstantiæ, ad Stat. v. Theb. 7. & Adv. XXIV. 17. legit *ardet.* Ad Paullini vero Eucharisticum versu 6. *adamat*, pro quo verbo tanquam pro aris & focis dimicat contra Scaligerum ad Claudian. II. in Rufin. 360. ego Scaligeri lectionem prætuli. *Adamat, ardet*, aut *ambit* ex ingenio eruditorum provenerunt. *Amat*, est in MSS. & prima editione, & in Traguriano. Omissas vero fæpissime adspirationes quis quæso ignorat? & ita versui satisfit. *effectus* autem *artis* sive *eloquentiæ* est, ut Cicer. loquitur II. Tusc. 1. *audientium approbatio*, hanc autem orator, ut piscator, debet consequi auribus insidias faciendo. BURM.

Prius more] Prisco more. GLOSS. Scribendum est fortasse uno verbo, *prius-more:* hoc est, more prisco, & veterum Poëtarum consuetudine, ut apud Propertium, *prius-domina, ante-cupidinibus, ante-lino, nunc-dea*, apud Plautum in Truculento,

Ut ante-parta demas post-partoribus.

apud Terentium, *semper-lenitas*, & alia id genus trecenta. *Palleat* vero, quod est in c. v. magis placet, quam *palleat.* id enim sentit, ei, qui velit magnum aliquod moliri & efficere in litteris, more veterum exacte colendam esse frugalitatem, ita ut eam rem pallor indicet ex studiorum collectus vigiliis. Cassius Parmensis de Orpheo:

- - - omnis & illuc
Perditus incumbens Musæ pallebat amore.

Tenebricolus Satyricus.

At te nocturnis juvat impallescere chartis.

Idem,

Iratum Eupolidem vegrandi cum sene palles.

RICHARD. Unus ex veteribus, *Mera.* sed hi sunt Scazontes. PUTEAN. Legi *morem*, & dein *pellat* mensura versus postulat, nec improbat sententia. Tur-

Frugalitatis lege poliat exacta:
Nec curet alto regiam trucem vultu,
Clienſque coenas impotentium captet:

Nec

neb. Adverſar. lib. 19. cap. 6. ita & Scalig. ad Catalecta, & interpretatur, morem luxus pellat nova frugalitate. Leg. *more Frugalitatis lege polleat exacta. More*, eſt vitæ quædam honeſta ratione atque inſtituto. Horat. lib. 4. Od. V. v. 22. *Mos & lex maculoſum edomuit nefas.* Varro apud Macrob. lib. 3. Saturn. *Mos eſt in judicio animi, quem ſequi debet conſuetudo*, id eſt, cultus moris. Edict. Dioclet. & Maximiani Cæſ. *ſi cunctos ſub imperio noſtro agentes caſtam in omnibus more colere perſpexerimus vitam.* Pet. Pithæus Not. ad Collat. Moſaic. & Rom. leg. tit. VI. Lege

Artis ſeveræ ſi quis amat effectus,
Mentemque magnis aptat, prius amore
Frugalitatis legem pellat exactam.

Et videtur idem voluiſſe Poëta Venuſinus ad Mæcenatem;

Faſtidioſum deſere copiam,

Legem enim *exactam*, diætæ exactum illud ſive plenum, ut ita dicam, dimenſum intelligo. Meminit etiam alibi Petron. *Vellem tam innocens eſſet frugalitatis meæ hoſtis.* ſed aptiſſime huic loco Romanæ philoſophiæ Siren Seneca. *Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura.* Il. Pontan. Not. in Macrob. lib. 7. cap. 3. Lege

- - - prius morem
Frugalitatis lege calleat exacta.

morem pro virtute aut diſciplina poſuit. Barthius in Ceir. Virgil. num. 10. Richardus legit juncto verbo, *prius-more*, hoc eſt, more priſco & veterum poëtarum, ut infra,

- - - prius-veſtigia luſit.

id eſt, priora. & alibi, *Contubernali-modo*, ſi vera eſt ejuſdem Richardi emendatio, de qua dubitare licet. ſic *prope-vicinus* in Catull. Priapo:

Vicinus prope dives eſt. - - -

Et §. 2. Inſtit. de donation *retro-principes*, id eſt, ſuperiores vel anteriores. ERHARD. Totum carmen hoc mirifice mendoſum, ut Petroniana omnia, quod ita emendatum ac priſtino nitori reſtitutum debes, Candide lector, illuſtri Nicolai Heinſii ingenio. Primo verſu tranſponendæ voces, ut conſtet numerus,

Amat ſeveræ ſi quis artis effectus,

tum pro iis, quæ mox ſubſequuntur, & variis conjecturis tentata ſunt jam pridem, repone,

- - - prius mores
Frugalitatis lege poliat exacta. BOSCH.

Hujus loci correctio debetur Heinſio ad Ovid. Medic. faciei. v. 25. Barth. Adv. XXIV. 17. legit

—— prius morem
Frugalitatis lege calleat exacta,

ad Claudian. vero in Ruſin. II. 300.

- - - primis morem
Frugalitatis lege polleat exacta.

Frugalitatis lege polleat exacta] Jul. Severianus. *Oratoris artibus nemo inſtrui poteſt, niſi cui ingenium, & frequens ſtudium. Primum animi ſit quædam naturalis potentia. Tum vox, latus, decor, frugalitas, laboris patientia.* WOUWEREN.

Nec curat alto] Gronov. ad Senec. de tranq. anim. cap. 1. hunc locum expoſuit.

Impotentium] Valde potentium, vel ad invidiam potentium. GLOSS.

Impotentum ne captet] Sic nos emendavimus. veteres libri habent, *Impotentum captet.* At ſi quis malit *impotentium*, illud, *nec*, ex priore verſu hic tacite repetatur. PUTEAN. Lege *ne potentium.* Turneb. Adverſ. lib. 19. cap. 6. Vel,

Clienſve cœnas impotentium captet. Aut:
Clienſque cœnas ne impotentium captet.

Nam in v. c. eſt:

Clienſque cœnas impotentium ne captet,

repugnante verſu. *Impotens* eſſe videtur ad invidiam potens, ἀφιστάμενος, ut & Donatus docet. Grotius in Februis ad Capellam, lib. 5. pag. 137. Imo *impotentium*, id eſt, valde potentium, quemadmodum obſervavit Soſipater Chariſius lib. 2. ubi admonet præpoſitionem *in* eſſe modo derogativam, modo adjectivam. Servius ad 1. Æn. Virg. v. 502. *Impotens, & ſatis, & minus, & nihil potens ſignificat. Impotentiſſimi Principes* M. Tullio lib. 10. epiſt. 1. Exempla multo plurima notarunt Juretus ad Symmachum lib. 2. epiſt. 95. Savaro ad Sidonium lib. 5. epiſt. 12. Ach. Statius ad Catul. epig. 36. Sic *inutilis* pro valde utili: Interpres Sapientiæ cap. 13. *Diligenter fabricet vas inutile in converſationem vitæ.* quod ſive Philo ſive Septuaginta dixerant χρήσιμον σκεῦος Lyranus vetuſtiſſimis codd. eam lectionem eſſe adſerit; ſed in eo erravit, quod divellendam vocem exiſtimarit: cujus auctoritate falſus Dionyſ. Richelius expoſuit *intus utile.* Fr. Lucas in Notationib. teſtatur quidem, ſe in vetuſtiſſimis & optimis libris reperiſſe, *inutile*, & à Gloſſematis exponi, *valde utile*, recipere tamen dubitavit. Per me nunc licet confidentiam ſumat, & Interpreti ſuam ſibi vocem redonet, quam ne quidem Auctor Mammotracti auſus fuit damnare; cogitetque ad eandem faciem Tertulliano *inbonum*, Ciceroni *infractum*, aliis alia eſſe dicta. Huguitio: *Imprudens, non prudens, vel valde prudens; in quo ſenſu raro invenitur. Virg. in Georg.*

—— Numquam imprudentibus imber
Officit. ERHARD.

Nec

Nec perditis addictus obruat vino
Mentis calorem, neve plausor in scena
Sedeat redemptus histrioniae addictus.

Sed

Nec perditis] Forte *nec in popinis abditus.* AURAT. & STEPHAN. Sic habet unus ex veterib. & impr. Alter, *Nec prædictis abdictus.* quod rectum non videtur. PUTEAN. Memmii liber *Ne perditis addictus* sine dubitatione eleganter & integre scribit. vulgo *perdictis addictus.* Turneb. Adverss. lib. 19. cap. 6. ERHARD. Lege *perditus.* Dousa interpretatur nequam & dissolutus. WOUWEREN. Hanc lectionem ab Arbitri manu profluxisse, præsertim cum varient ac turbent codices scripti, vix videtur. Perditorum enim hominum consuetudinem non tantum studioso literarum ac artium bonarum, sed honesto cuicumque fugiendam esse quis nescit? In Traguriano *Nec perdictis abditis.* In aliis exemplaribus haberi monent homines eruditi, *perdictis addictus* vel *abditus.* Franciscus Daniel è suo codice, *Nec prædictis addictur.* Unde minima mutatione concinnari potest, *Nec prædiis abductus.* Certe *addictus* cum mox infra repetatur denuo importune, hoc loco tolerari vix potest. *Abductus*; à studiis nimirum. Quomodo veteres frequenter locuti, Cicero in primis ac Terentius. Tale est Tullianum illud epistolis ad Q. Fratrem, *Abduco me ab omni reip. cura.* Cæterum secessus prædiorum uni otio, studiis promovendis perquam inimico, ut plurimum dicatus, quod Genio compotationibusque ac venatui illic indulgerent. Unde *rus genitale* apud poëtas frequenter occurrit. De compotatione rem & Arbiter hic loci tangit, qui nullis deliciarum illecebris avocari aut interrumpi studia patitur; sed iis assidue inhærendum monet. BOSCH. Varie vexatus locus, concinnator editionis Blauianæ, nescio unde exhibet *perditis applicitus*, quam conjecturam Gronovio tribuit manus quædam docta, in margine editionis de Salas, quam possideo, existens. Sed nimis à codicibus abit. ego vulgatam probo *perditis addictus*, & amplector Douzæ interpretationem. Ita Justin. xxi. 6. de Dionysio *cum perditissimo quoque de minimis rebus disceptare.* Apposite Sueton. Calig. LV. *Prasinæ factioni ita addictus & deditus, ut cœnaret in stabulo assidue & maneret.* Si vero toties medica manus esset adhibenda, quoties eadem vox parvo intervallo recurrat apud auctores, excederet, credo, medicina modum. Quare *addictus* & hic & postea retinui. BURM.

Obruat] Eleganter & ex Cicerone expressum. III. Philipp. 12. *Epulantur milites, ipse autem se, ut fratrem imitetur, obruit vino.* Cujus loci indicium debeo Eruditissimo Brouckhusio, decori & ornamento literarum. In hac autem locutione eadem vis est, quæ in alia Poëtis usitatissima, qui ebrios *vino sepultos* dicunt: *obruere* enim frequentissime pro sepelire ponunt. *Mentis* vero *calor*, licet fervidissimus, à vino quotidie ultra modum assumto exstinguitur, & eo sensu res una aliam *obruit*, quam obscurat. Ita Valer. Flac. lib. I. Arg. v. 319.

Obruat Idæam quantum tuba Martia buxum.

ad quem locum forte alias plura. *Mentis calorem rumpi* vero alio sensu dicit Claudianus II. in Rufin. 287. BURM.

Sedeat redemptus histrioniæ] Vetus unus, *Sedeat redimitus histrioni.* Impressi *histrionea*, nisi quis malit *histrionia* legere, quo verbo Plautus usus est. Cetera quod habet *redimitus*, non caret ratione: atque ideo rejiciendum non est. Coronæ enim Spectatoribus dabantur, sedebantque plerumque coronati, qui ludis aderant, maximè factionis auctores & plausores. PUTEAN. Tacitus Dial. de Orator. cap. XXIX. *Jam vero propria & peculiaris hujus urbis vitia pene in ipso utero matris mihi concipi videntur. histrionalis favor, & gladiatorum equorumque studia, quibus occupatus animus quantulum loci bonis relinquit?* WOUWEREN. Alia, quam vulgo fortassis, hæc *histrionia.* Sic *histrionales modos* agnoscit Auctor Dial. de Orator. cap. XXVI. quem vide multis. BARTH. Quem & vide lib. XXIV. Adv. cap. 17. Alii *histrionis addictus.* ita lego magna fiducia, cum in Memmiano repererim, *histriones addictus. Addictus* autem non participatio, sed vocabulum erit. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 6. An *histrioniæ addictus* est studiosus & amans, ut dicimus *doctus histrioniæ, litterarum*, &c. quemadmodum Goldasto placet? an vero legendum *additus*, id est, præsens & molestus? Lucil. apud Gellium; *Si mihi non prætor fiet additus.* Ascon. in Cic. 2. Verrin. *Adsiduum, molestum, additum.* ERHARD. Hæc valde mendosa sunt. Inter avocamenta studiorum recte recenset Arbiter vitam aulicam, cœnas magnatum, secessum ruris, ac spectacula urbana, quæ multum temporis auferebant. De Spectaculis ac ludis histrionicis nunc agit loco postremo. Sed in *scena* spectatores non sedebant. Deinde cur *redemtos* eos vocat? Redemti enim proprie servi homines, hoc est histriones ipsi. Lege sic totum locum,

Nec prædiis abductus obruat vino
Mentis calorem, neve plausor in scenam
Sedeat redemtis histrionicam addictus.

Addictus spectator & obnoxius sedebat redemtis in scenam histrionicam, hoc est, ut dicebam modo, ipsis histrionibus, quorum opera ad hoc ipsum redimebatur, præterquam quod servilis essent ac vilissimæ conditionis. BOSCH. Et hunc locum frustra sollicitari credo, nec opus ulla correctione, quæ verba planissima reddat difficillima. Respicit ad corrupte-

Sed sive armigerae rident Tritonidis arces,
Seu Lacedaemonio tellus habitata colono,
Sirenumque domus, det primos versibus annos,
Maeonium-

lam ejus temporis, qua invaluerat pecunia plausores conducere, de qua vide Bern. Ferrarium de Acclam. Veter. II. 9. & id jam notaverat Douza in centurionatu l. I. c. I. idem vitium invasisse tribunalia centum-virorum notat Plin. II. Epist. 14. *sequuntur auditores actoribus similes, conducti & redemti mancipes, conveniturque in media Basilica, ubi tam palam sportulae, quam in triclinio dantur.* De furore vero, quo adolescentes Romani hac aetate agitabantur, & Histrionibus se addicebant, saepe Seneca agit. Ep. XLVII. *ostendam nobilissimos juvenes mancipia Pantomimorum.* Et passim scriptores eorum temporum: ut autem *Histrionium* noster, ita eodem modo dixit Justin. I. 7. *cauponias artes exercere*; nam hic etiam *Histrionia ars* debet intelligi. Vide ibi Scheffer. & Grævium. BURM.

Sive Armigerae] MS. *seu crinigerae*. TORNÆS. Et PUTEAN. Biturig. *Armigenae*. Alii *crinigerae arrident*. Pith. PATISSON.

Arrident] Ita ex conjectura, Vulgo *rident*. SAMB. Lege *arrident*. AURAT. Lege *arrident*. Athenae πόλις Παλλάδος. BARTH. Qui & lib. XXIV. Adv. 17. *Athenas*, hic pro eloquentia Attica poni docet. Sed male movetur loco τὸ *rident*. Horat. II. Od. VI. *Ille terrarum mihi praeter omnes angulus ridet.*

Tritonidis arces] Athenas, quarum Minerva conditrix & tutela. Barth. ad Claudian. lib. II. d. Rapt. Proserp. v. 19. Auson. *Praeses Tritonia bellis.* Claudian. de Minerva in Raptu Proserp. lib. 2. v. 19.

Et Pandionias quae cuspide protegit arces
——— *tristibus asperа bellis*
——— *Tritonia cuspide fulva*
Calatum Typhoea gerit ———

Arces antiqui Minervae consecraverunt, quod eam mundi mentem atque in summo capite sedem habere crederent; sive quod ratio, quae per eam designatur, Respublicas & Urbes amplificet, ut ait Capella. Plato scribit, in mediis editisque locis oppidi solitos aedes ponere Jovi, Vestae, Minervae, sub quorum tutela credebant urbes esse. Jan. Parrhasius Comment. in Claudian. de Raptu Proserpin. Virg. Eclog. 2.

——— *Pallas, quas condidit arces,*
Ipsa colat ———

ubi Servius; *Ideo dea arcium Minerva dicitur, non quia de capite Jovis nata est, sed quia dea est artium & inventi, ideo isto fingunturi. Nihil enim est excellentius ingenio, quippe quo reguntur universa.* Locum adscripsi, ut à Goldasto est restitutus. Probus; *Pallas primum aedificationem invenisse scribitur.* Idem ad 6. Eclog. *Templum in arce Minervae conditum.* ERHARD.

Seu Lacedaemonio tellus habitata colono] De ipsa Lacedaemone capiunt interpretes. Sed ego Romanorum pueros abiisse studiorum gratia Spartam, quae armorum & Martis semper studiosior, quam literarum & Palladis fuit, numquam legi. Quare Tarentum indicari puto, quae & otio habilis & *Lacedaemonia* Horat. III. Od. V. vocatur, nam colonia Spartana fuit: huc, & Neapolim, ut in amaenos secessus & studiis aptos, abiisse Romanos docet praeter alios Seneca Epist. 68. *Ille Tarentum se abdidit, ille Neapoli inclusus est.* Horat. I. Ep. VII. 44.

——— *Mihi jam non regia Roma*
Sed vacuum Tibur placet, atque imbelle Tarentum.

Idem Seneca de Tranquil. animi cap. 2. *Tarentum petatur, laudatusque portus & hiberna coli mitioris.* BURM.

Det primos versibus annos] Servius in Virgil. Eclog. 4. v. 26. *Bono ordine* (inquit) *primo poëtas, deinde historicos, deinde philosophos legendos dicit.* PITHÆUS. Lucianus Lexiph. ἐξέμεσον ὃ ἀπὸ τῶν ἀρίστων ποιητῶν, καὶ ὑπὸ διδασκάλοις αὐτὸς ἀναγνὼς, μετιὼν ἐπὶ τὰς ῥήτορας, καὶ τῇ ἐκείναν φωνῇ συντεμφθείς, ἐπὶ τὰ Θουκυδίδεα, καὶ Πλάτωνα ἐν καιρῷ μέντοι. Severianus: *Necessaria orationum frequens lectio, & Historiarum & Carminum.* WOUWEREN. Hic erat ordo veteris institutionis, ut primum poëticam auspicarentur, à poëtica ad Rhetoricam, à Rhetorica ad Historiam gradus esset. Videatur tamen Eryci Puteani Suad. auspical. orat. I. sive Panegyr. I. ad Senatum Mediolanensem, ubi de studiorum instituto ad juventutem agit. ERHARD. In Poëtis studiorum puerilium rudimenta posuisse veteres, non sine ratione factum, partim quia credebant illos optimos morum & virtutum magistros, praecipue vero in Homero persectam & consummatam omnium disciplinarum cognitionem fuisse statuebant, & in carminibus ejus principia & semina omnis doctrinae abscondita, quare ejus versibus in unaquaque re, tamquam praeceptis, & canonibus utebantur: insigendi ergo illi erant pueris. Praeterea eos movit, quod omnis Deorum & religionis ratio Poëtarum fabulis comprehendebatur, ideoque pueri prius imbuendi erant hujus Theologiae cognitione, antequam ad graviora studia transirent: accedebat quod ex Poëtarum commercio stili elegantiam & eloquentiam optime conciliari posse credebant. Homero addebant comitem Hesiodum, ut ex Cicer. VI. ad Famil. 18. apparet, ubi Cicero jubet *Leptam Puerum edisceere Hesiodum.* Quin & Menandri fabulas pueris praelectas docet Ovid. II. Trist. 369.

Fabula jucundi nulla est sine amore Menandri,
Et solet hic pueris virginibusque legi.

Non tamen omnes ejus sententiae fuisse ostendit Plinius

Maeoniumque bibat felici pectore fontem;
Mox & Socratico plenus grege, mutet habenas
Liber, & ingentis quatiat Demosthenis arma.

Hinc

nius lib. II. Ep. 14. ubi queritur graviſſimas cauſſas, quæ coram centumviris agebantur, ab Adoleſcentibus & Tyronibus tractari. *Perpauci*, inquit, *cum quibus juvet dicere, ceteri audaces atque etiam magna ex parte adoleſcentuli obſcuri à declamando huc tranſeunt, tam irreverenter & temere, ut mihi Attilius noſter expreſſe dixiſſe videatur, ſic in foro pueros à centumviralibus cauſſis auſpicari, ut ab Homero in ſcholis.* BURM.

Fontem] Omnis enim ab eo Poëtarum poſteritas. unde *Pater vatum* Claudiano. Vide Manil. lib. II. Quintil. lib. X. cap. I. BARTH. Quem & vide Adverſ. XXIV. 17. imitatio autem eſt Ovidii, lib. III. Amor. Eleg. 9.

Adjice Maeniden, à quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pieriis ora riganntr aquis.

Plenus Socratico grege, mutet habenas] Fonte Socratico. GLOSS. Forte, *Socraticum, plenaſque immittat habenas.* AURAT. & STEPH. Impreſſi *imitet.* male. PUTEAN. Lege *plenus immittat habenas.* Præceſſit enim:

Maeoniumque bibat felici pectore ſontem.

Itaque ἀπὸ κοινοῦ repetitur τὸ *ſonte. Mox & Socratico ſonte plenus.* Ad illa verba: *Mox & Socratico plenus.* adſcripſerat quidam ad marginem, *Grate*; id. & propter ſimilitudinem, & ut numeris fieret ſatis, abiit in *Grege.* Ordinem enim ſtudiorum Petronius hunc facit, ut Poëtice initium ſit: Tum Philoſophia: Mox oratores Græci: dehinc ad eloquentiam Latinam veniatur, ubi aut verti de Græco, aut controverſias atque orationes componi cenſet, quod ex ſequentibus verſibus apparet. PALMER. in Spicil. pag. 816. Janus Guilielmus, quique ſecuti ſunt, *mutet habenas.* delibero tamen. BOURDEL. Palmerium tacito nomine perſtringit Guilielmus, legitque ex Sambuci cod. *mutet habenas.* Mutare habenas jubet adoleſcentem philoſophia imbutum, & è curriculo poëtarum in Oratorium tranſcendere. vid. ejus Plaut. quæſt. in Epid. cap. ult. Sed *mittat habenas*, verum eſt & elegans, ut apud Corn. Severum in Ætna, v. 343. *flexit habenas.* metaphora eſt à re equeſtri, & proverbialis quædam locutio. Scalig. Comment. in Ætnam. p. 124. Sicut Petron. retinendæ eloquentiæ & *immittendæ habenas* commentus eſt, ita ejus exemplo Fulgentius *effrænatam loquacitatem* Mythol. lib. 3. cap. 10. dixiſſe viſus. Barth. Animadverſ. ad Claudian. d. Nupt. Honor. & Mariæ, v. 200. ERHARD. *Grege* non comparet in ſcriptis, cujus loco libri veteres *immittat*, vel *immutet.* Scio dici *immittere habenas*; ſed hic malo, ut rectius metricæ legi conſulatur, *ſine mittat*, vel *ſine mutet.* Mox loco τῶν·

——— *Et modo Grajo*
Exonerata ſono mutet ſuffuſa ſaporem.

Lege

——— *Oraque Graji*
Exonerata ſoni mutent ſuffuſa ſaporem. HEINS.

Τὸ *grege* non exhibetur in ſcriptis, quorum plerique, *plenus immittat habenas.* *Immittere habenas* elegans & Poëtis uſitatum. Neque eſt, quod quem ſyllaba præter legem metricam producta offendat, cum in hiſce talibus frequens ſit Maro & ipſe. *Socratico* refert ad *fontem*, quod proxime præceſſit. Nam ut Homerus poëtarum fons dictus antiquis, ſic Philoſophorum Socrates. Exemplis haud paucis id confirmari poſſet, ni ſtuderemus brevitati. BOSCH. Non concoquo illud *plenus grege*, nec perſuadet gloſſator vetus *grege* pro *ſonte* poni: quod & offendit Barth. Adv. XXIV. 17. certe in hac voce videtur latere uſcus. Deſidero autem aliam, quæ ad potum referri poteſt, ut in Epigrammate veteri in Platonem lib. I. Anthol. cap. 86. Socratici poculi fit mentio.

Σωκρατικῷ Σάμιοι κιρώσας κρητῆρι φρόνημα
Κάλλιστοι σεμνῆς σῆμα διχοστασίης.
Socratico crateri Samiam prudentiam miſcuiſti
Pulcherrimum venerandæ diſſenſionis ſignum.

Quamvis illud *grege* ex loco Ciceronis mox producendo firmari poſſet, & mox *Romana manus* eodem ſenſu ſequatur; *Plenus immittat* ne probem, facit, quod politiſſimum Poëtam nuſquam ſibi tantum indulſiſſe video, ut brevem ſyllabam produceret; forte *permittat*, ut vult Brouckhuſius. elegantiſſime autem docet poſt Poëtarum lectionem operam dandam eſſe Philoſophis, qui fere à Socrate omnes in diverſas familias diſceſſere, & tamen communi nomine *Socratici* dicti; ut in elegantiſſima Epiſtola ad Majoragium docuit Nizolius, quæ inter Gudianas legitur n. 47. hinc Cicero I. de Orat. 10. *Urgerent Philoſophorum greges, jam ab illo fonte & capite Socrate.* Vellej. Pater. I. 16. *Philoſophorum quoque ingenia Socratico ore defluentia.* & Quint. appoſite ad Petronii ſenſum lib. X. Inſtit. cap. I. *Oratorum quoque ingenia Socratico ore defluentia.* Horat. I. Od. 29. *Socraticam domum* dixit, ubi vide Torrentium, & Leon. Allatium de ſcriptis Socratis pag. 92. BURM.

Demoſthenis arma] Arma eloquentiæ, quibus vel petebat vel defendebat. GLOSS. Propert. lib. III. Eleg. XX. verſ. 27.

Perſequar aut ſtudium linguæ, Demoſthenis arma.

FR. PITH. Sic *arma Eloquentiæ* auct. Dial. de Orator. Severus apud Senecam Suaſor. VII. de Cicerone.

Publica vox cujus æternum obmutuit armis. BART. Quem vide lib. VI. Adv. cap. 9. lib. XXII. cap. 13. &

XXIV.

Hinc Romana manus circumfluat, & modo Grajo
Exonerata sono mutet suffusa saporem:
Interdum subducta foro det pagina cursum,

Et

XXIV. cap. 17. *Arma* dicuntur, quod iis instructa causa necessitatem quandam cognoscentibus afferat, ut pro iis judicent, hinc *exarmare accusationem* dixit Plin. lib. 3. Franc. Polletus Hist. Fori Rom. lib. 4. cap. 14. Symmachus lib. 7. epist. 9. *Quatere arma facundiæ.* ubi Juretus in Miscellan. Alanus Anticlaudiano lib. 2.

—— *nostri Demosthenis iras.*

Sidon. lib. 4. epist. 3. *ut Demosthenes iracitur.* ubi Savaro. ERHARD. Recte viri docti docuerunt *arma*, ut uniuscujusque artis instrumenta & munimenta, ita & eloquentiæ dici. vide Servium ad Virg. Æneid. lib. 1. v. 119. & l. 11. v. 99. quare & in versu illo lib. 1. v. 542.

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,

recte *arma* exponit consilia; & ita Cicero de sua eloquentia pro Quintio c. 13. *possumus aliquando, depositis armis, sine periculo fortunarum de re pecuniaria disceptare.* Ubi vide quæ notat Passeratius, & ad Propert. lib. 11. El. xx. ubi plura de similitudine fori & belli adducit. Rufinus de metris inter Grammaticos veteres à Putschio editos p. 2713.

Rhetoras Ausonios & Grajos dactylus armat.
Dactylus armavit Ciceronem, armavit Iambus.

Male vero Barthius Corn. Severi carmen hic adducit, nam ibi *arma* pro civilibus bellis capienda, quibus obticuit & obmutuit ejus vox. Versus autem Severi corruptus est, quem ita restituit Heinsius:

Publica vox diris æternum obmutuit armis.

Gronovius vero ex Scaligeri conjectura *fævis obmutuit armis.* BURM.

Hinc Romana manus circumfluat] Suspicor legendum, *Circumfluat*, hoc est, Romani homines coronam faciant; in corona Romanorum hominum Latine dicatur. PALMER. in Spicileg. p. 816. Locus turbatissimus: hæc enim, ut nunc leguntur, nil sani aut Latini præ se ferunt. Festinans Librarius videtur omisisse *το ora* quod cognatio literarum in *Grajo* & in *exonerata* absorpserit; ut dedisse videatur Petronius,

Hinc Romana manus circumfluat, oraque Grajo
Exonerata sono mutent suffusa saporem.

Vel *Exonerante sono.* Os sapore Graji sermonis suffusum Latine omnino & eleganter dicitur, ut *os suffusum veneno*, & *rubore* Nasoni. Hinc patet, quod Quintilianus aliique veterum confirmant, Romanos in scholis auspicatos studia à Græcis literis, & quidem poëticis, atque ab ipso Homero. BOSCH. Cl. Puteanus ex veteri codice *huc* adducit, Tragurianus habet *huic.* Mihi hic sunt meræ tenebræ, nam correctio Heinsii, quam Boschius ipsi sublegit, longius recedit à MSS, præterea non videtur mihi commodior sensus exire, quam ante fuit in vulgatis. Illud *circumstruat* Palmerii plane ineptum, manet enim perpetuo Poëta in translatione ab aqua & fonte. Si audaciæ venia, in loco tam desperato, refingerem

Hinc Romana manus circumfluat, & modo Grajo
Exornata sono, mutet structura saporem.

ut *structuram* caperem eo sensu, quo *struere carmen* dixit Ovidius lib. 11. ex pont. El. v. vers. 19. ubi nihil opus Heinsiana conjectura. Et appositе lib. IV. Eleg. 13. quem locum & supra adduximus:

Unde saluteris, color hic tibi protinus index,
Et structura mei carminis esse potest.

Ita Cicero sæpe *structuram verborum* in libro qui inscribitur Orator. Imo ipse Petronius noster infr. cap. 128. *credentes facilius poëma exstrui posse, quam controversiam sententiolis vibrantibus pictam.* Si quem vox hæc offendat, reponat *scriptura*, per me licet. *Exornata* aliquem ad marginem codicis sui jam adscripsisse docet Gabbemæ editio. Omnia nunc aperta sunt: post Græcorum meditationem, transferat Tiro se ad Domesticos scriptores, & jam Græca eloquentia ornatus, genium Romanum redoleat & sapiat stilus. BURM.

Interdum subducta] *Pagina* commentationem domesticam, seu scriptionem privatam alicujus thematis notat. BARTH. XXIV. Ad. 17. Hæc quoque inquiuata sunt. Forte,

Interdum subducta foro det pagina versum,
Et furtiva sonet celeri discincta meatu.

Ut *pagina discincta* opponatur legibus metricis alligatæ & poëticæ, cujus prior versus meminerat. Nam *το cursum* nihili est: ni *curstm* mavis, ut schedia properata, in quibus monet non esse diu inhærendum, intelligantur. Atque ita *discincta pagina* possit etiam capi pro excurrente in varia argumenta. BOSCH. Valde blanditur Heinsii emendatio *det pagina versum.* Quid enim, quæso, notat *det pagina cursum?* Idem autem innuit noster infr. 118. *sic forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem tanquam ad portum faciliorem refugerunt.* & Auctor Dial. de Orator. cap. IV. *Quo latior magis oblatum nobis judicem, qui mo vel in futurum vetet versus facere, vel, quod jam pridem opto, sua quoque auctoritate compellat, ut omissis forensium musarum angustiis, in quibus satis mihi superque sudatum est, sanctiorem istam & augustiorem eloquentiam colam.* In quo loco, *forenses* istæ *musæ* vix tolerabiles sunt. Quis enim eas novit? & certe non amant venustæ illæ & placidæ Deæ inter insana illa jurgia versari. Lege *forensium caussarum angustiis.* Heinsius in notis ineditis malebat *curarum*, vel *tricarum.* BURM.

Et

Et fortuna ſonet celeri diſcincta meatu.
Dent epulas, & bella truci memorata canore:
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minentur.
His animum ſuccinge bonis, ſic flumine largo
Plenus

Et fortuna ſonet celeri diſtincta] Lege, *Et cortina ſonet. Cortinam Theatri* Severus quoque dixit in Ætna. Sed & *cortinam*, locum, in quo dicatur, Corn. Tacitus in Dialog. de Orator. cap. 19 *Nec mirum: erant enim hæc nova & incognita, & ipſorum quoque oratorum pauciſſimi præcepta Rhetorum aut Philoſophorum placita cognoverant. At hercle pervulgatis jam omnibus, cum vix in cortina quiſquam adſiſtat, quin elementis ſtudiorum etſi non inſtructus, at certe imbutus ſit, novis & exquiſitis eloquentiæ luminibus opus eſt:* niſi cortinas vilium operarum intelligit. Acutius quidem & plauſibilius enarrari eum Tacit. locum, ut item verius ſit, non putem poſſe. PALM. Specileg. p. 816. omnino lege, *diſcincta*, libera. BARTH. Quem & vide XXIV. Adverſ. cap. 17. Et hic ſudant interpretes; & merito. Quis enim hic locus *fortunæ?* & quid, quæſo, ſignificat fortuna *diſcincta*, vel *diſtincta celeri meatu? Cortinam* recte, puto, Palmerium reſtituiſſe. Illa enim, ut Apollini ſacra, recte adhibetur in Poëticæ facultatis inſtitutione, & de ea nos aliquando plura ad Valer. Flac. I. initio. *Diſtricta* voluit Gabbema. ſed, ut planior ſit hic verſus, legendum cenſeo, exigua ſane mutatione,

Et cortina ſonet celeri deſtricta meatu.

id eſt, faciat aliquando, tanquam in tranſcurſu, aliud agens, & ſe à forenſibus moleſtiis recreans, verſus, & ita ſonet cortina deſtricta à prætervolante quaſi, non inſidente ei, Poëta. Sic Ovid. lib. IV. met. 561.

Æquora deſtringunt ſumtis Iſmenides alis.

ut ibi recte Heinſius legit: *deſtringere* enim eſt leviter tangere; ut præclare docuit vir, meritis in literariam rempublicam plurimis inſignis, Gisb. Cuperus lib. IV. Obſ. 5. *meatus* autem vox Poëtis frequentiſſima de volucribus, ut oſtendit Nobiliſſimus Heinſ. ad Claudian. II. de Rapt. Proſerp. 74. & ita ipſe Petron. in carmine de bello Civil. *pepulitque meatibus auras.* BURM.

Dent epulas & bella] Quæ in Poëtis grandioribus totos libros faciunt. BARTH. Recte omnes priores editiones, *dein epulas.* Deturbarunt correctores nuperi. *Epulas* Tragœdiam interpretor; Perſius *prandia* dixit Sat. I.

Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum.

Sic accipio eundem Perſium Sat. 5. ubi *robuſti carminis offas* interpretor Tragœdiam, & epicum carmen. Quos refellit Perſius, addens exempla tragœdiarum. Quid in hoc carmine eſſet oſſa, videtur vir clariſſimus Iſaacus Caſaubonus neſciſſe, cum βόεσσιν interpretatur. Offæ ſunt, ut hic *epulæ*, & *olla Thyeſtæ* in eodem Perſio, & *cœna*, & *prandia* & *menſa* eadem Sat. 5. apud Martialem lib. 4. ep. 49.

—— *qui ſcribit prandia ſævi*
Tereos, aut cœnam, crude Thyeſta, tuam.

Epulæ iſtæ ſolita Tragœdorum materia, Ælian. 2. Var. cap. 11. Tangit Comicus Rudent. Act. 2. ſc. 2. BOURDELOT. *Dein epulas* codices nonnulli. *epulas* autem pro quacumque poni Tragœdia contendunt. Sed ut demus in Tereo ac Thyeſte Tragœdiis locum fuiſſe epulis, ut fuit, an ideo in omnibus Tragœdiis epulæ inſtructæ? aut epulæ pro Tragœdiis ſumendæ? Haud opinor. Multo minus Arbitrum velle, ut in epulis deſcribendis, hoc eſt argumento ludicro, adoleſcentes exerceantur, quos artis ſeveræ ſeriæque ſtudiis imbutos cupit. Quid igitur? Cenſeo ſcribendum,

Dein det epos, det bella truci memorata canore,
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.

Referenda enim hæc quoque ad *paginam*, quæ proxime præceſſerat. Epici autem carminis præcipuum argumentum eſſe bella, nemo diffitebitur. BOSCH.

Memorata canore] Legit *Catone* N. Faber. P. DANIEL. *Petr. Daniel* notat, Nicolaum Fabrum legiſſe *Catone*; ſed an Cato ſcripſit Epica carmina, tam illuſtria, ut illa mereantur in exemplum proponi? quare retinui vulgatam; præfero tamen *memoranda*, ut officium Epici Poëtæ indicet. ita Ovidius pro *truci canore*, ſæpe *magno ore ſonare* & *canere* dixit de hoc genere carminis, lib. I. art. Amat. v. 225.

Auguror en! vinces, votivaque carmina reddam,
Et magno nobis ore ſonandus eris.

lib. IV. ex Ponto El. 10.

Qui quamquam eſt ſactis ingens, & conditur à te
Vir tanto, quanto debuit ore cani. BURM.

Grandia minetur] Legit *mittetur* N. Faber. P. DANIEL. Martialis, *Loqueris, ſonaſque grandibus minax verbis.* FR. PITH. *Minari*, promittere, Comm. Horatii lib. 2. Sat. 3. BARTH. Ego crederem hunc verſum tranſpoſitum, & legendum ſuo loco hoc modo.

Exornata ſono mutet ſtructura ſaporem,
Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.
Interdum &c.

videtur enim debere præcedere forenſis meditatio: nam aliter inepte ſuaderet auctor, ut interdum foro ſubduceret ſe, & carmini pangendo operam daret. in vulgato etiam ordine hoc vitioſum eſt, quod tam abrupte conjungat bella, ſive epicum carmen, & grandia Ciceronis verba. Mihi certe non cohærere videntur. BURM.

Plenus, Pierio defundes pectore verba.

VI. [a] Dum haec diligentius audio, non notavi mihi Aſcylti fugam: &

a ENCOLPIUS.

Plenus Pierio] Auctor Dialogi de orator. c. 31. *Hæc ſibi illi veteres perſuadebant. ad hæc efficienda intelligebant opus eſſe, non ut Rhetorum ſibolis declamarent, nec ut fictis, nec ullo modo ad veritatem accedentibus controverſiis linguam modo & vocem exercerent: ſed ut iis artibus pectus implerent, in quibus de bonis ac malis, de honeſto ac turpi, de juſto & injuſto diſputatur.* &c. PITHÆUS. Et hæc hactenus male habent. Lege, *Pierio defundes nectare verba. Defundere, diffundere*, ut *decernere, diſcernere* apud Frontin. 1. de aquæ duct. Nectar autem carmen quam ſuaviſſimum. Paulinus:

Referenſque paucos de tuis ſcriptis logos,
Quaſi labra melle ſparſerit,
Sic de favorum mihi tuorum guttulis
Dulciſſimum guſtum offerens, &c.

Calpurn. Ecl. IV.

Tam liquidum, tam dulce canit, ut non ego malim,
Quod Peligna ſolent examina lambere, nectar.

Seneca in Epigram.

Cujus Cecropio pectora melle madent.

Germana autem verba apud Varron. Atacin.

Pierio liquidam perfundis nectare mentem.

Qui verſus de correctione Petronii vix finit dubitare. Sic Græci ſæpe. Ariſtænet. Heliod. Achill. Tat. Lucian. Imag. καὶ τὸ, γλυκίων ἀπὸ τῆς γλώττης περὶ αὐτῆς μᾶλλον, ἢ περὶ τῦ Πυλίου γέροντος ἐκεῖνα, ὁ Ὅμηρος ἂν εἴρηκε. Heſiod. Theogon. verſ. 96.

——— ὁ δ' ὅλος, οὗτινα Μοῦσαι
Φιλῶσιν, γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥεῖ ἀοιδή.

Theocritus:

Μολπὰν τὰν μοῦσαι μοὶ ἀεὶ ποθέοντι δέδοσαν
Τὰν γλυκερὰν μολπάν. ———

Lucret. lib. 1. verſ. 945.

Et quaſi Muſeo dulci contingere melle.

Nectar autem, quia omnium ſuaviſſimum putabatur, ad cantus dulcedinem translatum. Pindarus Olympionic. od. VII.

Καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν,
Μοισᾶν δόσιν, ἀοιδοφόροις
Ἀνδράσιν πέμπων, γλυκὺν καρ-
πὸν φρενὸς,

Theocritus Thalyſiis, ſeu Ecl. VII. verſ. 82.

Οὕνεκα οἱ γλυκὺ μοῖσα κατὰ στόματος χέε νέκταρ.

Schol. οἱ μοῦσαι αὐτὸν γλυκύτατον τραγῳδὸν ἐποίησαν· ὀνομάσαι δὲ διὰ τῦ νέκταρος ὑπερβολικὴν τὴν μελιχρότητα, ἢ τὴν γλυκυφωνίαν, &c. Sic è Latinis alii non pauci. Capella lib. IX. de Muſica p. 308. *poſt hos honoratior ſontigenarum virginum chorus Pegaſææ vocis nectare diffluebat.* Licentius ad Auguſtin.

Scripta ſalutiferi ſermonis, & illa priorum
Æquiparanda favis reputans, quæ pectore in alto
Conceptum in lucem vomuiſti nectareum mel.

Sic transfertur & ad odorem, ut notavit Gifan. & addo locum Marii Victoris, lib. 1.

Unum ex diverſo nectar permiſtet odore. BARTH. Quem & vide lib. 24. Adv. cap. 17. & ad Claudiani Conſ. Manlii verſ. 21. Homerus de Neſtore:

Τῦ γὰρ ἀπὸ γλώσσης γλυκίων μέλιτος ῥέεν αὐδή.

Alluſit pro M. Marcello Cicero: *Nullius tantum eſt flumen ingenii.* Apud Juvenal. eſt *torrens dicendi copia.* Hieronymus Livium *lacteo eloquentiæ fonte manare* dicit. Nicephorus eloquentiam *lac aureum* appellat. Ovid. 1. Faſt. v. 23.

——— *Scimus*
Ingenii currant flumina quanta tui.

Flumen ingenii eſt eloquentia potens & uberans, inquit elegantiſſimus noſter Barthius, πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, lib. 41. Adverſar. cap. 2. Unde *fluere verſus* ſuos ſummi Poëtæ affirmant. Auſonius Epiſt. 16. ad Probum: *Adiuro benevolentiam verecundiæ meæ teſtem, eos mihi ſubita perſuaſione fluxiſſe.* Statius Papin. in præfat. lib. 1. Silvar. *An hos libellos, qui mihi ſubito calore, & quadam feſtinandi voluptate fluxerunt.* Sidon. Apollinaris libro 1. epiſt. 1. *Ut quæ literæ paulo politiores varia occaſione fluxerunt.* Et libro 2. epiſt. 10. *Petis, ut ſi qui verſiculi mihi fluxerint.* ubi admirandæ eruditionis & numeroſæ lectionis Præſes Ampliſſ. Savaro in Not. WEITZ. Male pro *pectore* ſubſtituunt *nectare.* BOURDELOT. Eadem ratione paulo ante dixerat *plenus Socratico fonte.* & inf. cap. 118. *ingenti flumine literarum inundata mens.* & paulo poſt, *plenus literis. Nectare* probat Heinſius.

Dum hæc diligentius audio] Supple; *Dum hæc diligentius audio, & dum hoc dictorum æſtu motus incedo, non notavi*, &c. P. DANIEL. Alii, *cum hæc diligentius.* TORNÆS. Alii, *hunc.* Veteres, *hoc.* PATISS. Alii *hoc, hunc, homo.* forte *dum hominem.* HEINS. Senec. III. de Benef. 27. *fuerunt qui illa diligentius audirent*, ubi captatoriam & inſidioſam diligentiam, ut deferant, notat. quomodo & Cicer. pro Quinct. c. 2. *Ita diligenter Sext. Nævii ſtudio & cupiditati morem gerunt.* ubi vide Paſſer. BURM.

Non notavi mihi] Ita legendum, quomodo etiam poſtea legitur. PUTEAN. Gell. lib. 17. cap. 2. *hæc verba, quæ memiſſe potui, mihi notavi.* Sic ibi ex quinque Codicibus legendum eſt. ERHARD. Obvia hæc paſſim elegantia, & à plurimis viris doctis notata. vid. Serv. ad Virgil. 1. Georg. 45. & 1. Æneid. 258. Manut. ad Cicer. IX. ad Famil. 2. Terent. Phorm. Act. v. ſc. ult. verſ. 21.

Aſcylti fugam] De Aſcylto nulla ante mentio, unde perſpicuum eſt, deëſſe multa. SAMB. Scribe ex Vet. Cod. *Aſcyltæ;* ut mox, *Aſcyltan*, pro *Aſclytan.* BRASSICAN. Ut hoc ſemel moneam, in uno ex vet. libris & eo quidem integriore, conſtantiſſime ſcriptum eſt *Aſchiltos* & *Gnton.* PUTEAN.

In

& dum in hoc dictorum aestu totus incedo, ingens scholasticorum turba in

In hoc dictum aestu] Justinus lib. 23. *In hoc aestu periculorum tutissimus portus.* Ammianus lib. 15. *In hoc aestu mentis ancipitis* (sic leg. Goldastus) *ad effectum tendens consilium occulta scrutabamur indagine.* quod annotare libuit adversus Dousæ interpolationem. Vetus Edit. pro *motus*, habet *in hortis*. Bartholom. Schobinger emendabat, *immotus*, præ stupore scilicet, id est, cogitabundus. In Joach. Vadiani codice ad marginem scriptum repperi, *intortus*, id est, nullam in partem me flectens. Joan. Sichardus legebat, *insors*, ἀντὶ τοῦ solus. Barthius, *totus incendor*: quod omnes adfectus æquiperentur ignibus. in Ceir. Virg. n. 436. Palmer. Specileg. p. 819. *totus incedo*, ut Horat.

Nescio quid meditans nugarum, totus in illis.

quod quidem non est sententia, sed verum est. Sic enim & infra loquitur Petron. cap. 128.

Atque in praterita se totus imagine versat. ERHARD. Impress. *in hortis.* juxta veterum scholas hortos fuisse notum est. PUTEAN. Forte *dum hoc dictorum aestu totus incendor.* HEINS. Recte retinent Viri eruditi præpositionem *in.* Terent. Adelph Act. IV. Scen. 2. *in amore totus est.* & ita Græci utuntur τῷ ὅλῳ. Polybius lib. v. de Antiocho. ὅλῳ καὶ πᾶς ἦν πρὸς ἐπὶ τὸν Πτολεμαῖον πυμαπκύιας. Scoppius lib. 1. verisim. IV. retinet τὸ *motus*, refutatus à Munckero ad Hygin. Fab. 112. Non negligenda tamen Venetæ editionis *in hortis*, quam & habet Tragurienſis codex, *in ortis* exhibens, & quam non improbare videtur Puteanus. & certe Encolpius non æstuavit, sed declamator ille, quem in æstu illo dictorum relinquebat Encolpius, qui quiete per hortos incedebat. Et hoc ipsa vox *incedere* notat. Senec. VII. Quæst. Natur. 31. *Non ambulamus, sed incedimus.* Horat. l. 1. Sat. VI. v. 112. *quacumque libido est, incedo solus.* & lib. 1. Od. XVIII. ad Faunum; *lenis incedas.* Præterea porticus illa, in quam turba illa veniebat, videtur ad latus Hortorum fuisse. BURM.

Scholasticorum] Scholastici, declamatores seu sophistæ. GLOSS. Infra cap. x. *Tanquam scholastici ad cœnam promissimus. Scholastici* sunt declamatores, qui & *sophistæ*; Antoninus Imperator lib. de vita sua: καὶ τὸ μήτε αὐτὸς ὑπὸ, μήτε ὅτι σοφιστὴς, μήτε ὅτι δικογνώμων ἐφάνλω: μήτε ὅτι σχολαστικὸς, ἀλλὰ ὅτι ἀνὴρ πίστιος. & *Rhetores*, Lucianus Rhetor. præcept. Ἐρωτᾷς, ὅπως ἂν ῥήτωρ γένοιο, καὶ τὸ πάνδημον ὄνομα σοφιστὴς ἔναι δόξῃς. Auct. Dialogi de Orator. c. XXXV. *Adolescentuli nostri deducuntur in scenas scolasticorum, qui rhetores vocantur.* Ideo coniungit Tertullian. de pallio cap. ult. circa fin. *Primus informator litterarum, Grammaticus, & rhetor & sophista.* Marius Victorinus Commentar. ad lib. 1. Ciceronis de Invent. ita definit: *Rhetor est, qui docet literas, atque artes tradit eloquentiæ. Sophista est, apud quem dicendi exercitium discitur.* Advocati etiam *scholastici.* leg. 11. Cod. Th. de concuss. advoc. leg. 2. Cod. de lucr. advocat. Scholasticis vero omnis virtus in sola sententiarum verborumque cultura; quod stringit Petronius cap. 1. *sed mellitos verborum globulos, & omnia dicta factaque*, &c. adeo, ut communi convicio *scholastici*, quibus omnis oratio sola verborum virtute staret. Suetonius de Albutio: *Declamavit modo splendide atque ornate, tum ne usquequaque scholasticus existimaretur, circumcise & sordide, ac tantum non trivialibus verbis.* Salvianus lib. 1. *Non id facere admisi, ut salubres & salutiferi; sed ut scholastici ac diserti haberentur.* Hieron. ad Nepotian. *Calentibus adhuc rhetorum doctrinis, quædam scholastico flore depinximus.* Vegetius de re veterinaria lib. 3. *Collegi, pedestrique sermone in libellum contuli: cujus erit præcipua felicitas, si eum nec scholasticus fastidiat.* WOUWEREN. Augustin. lib. 6. Confess. *Ecce adolescens quidam ex numero scholastico, rum*, &c. In Passione S. Valentini Episcopi Interamensis; *Athenienses quidam nobiliter nati, Proculus, Ephebus & Apollonius, scholastici viri, apud Græcos Latina studia desiderantes, apud Cratonem civem suum, oratorem utriusque linguæ, in urbe Roma hospitabantur, cujus & magisterio & hospitio fovebantur. Factum est autem, ut unicus Cratonis filius, Cheramon nomine, juvenis scholasticus*, &c. Ergo *scholastici* proprie Rhetores dicti; hinc *Epiphanius Scholasticus, Evagrius Scholasticus*, &c. Apud Græcos veteriores etiam *sophistæ*, id est, λογογράφοι καὶ ῥήτορες: ut *Theon. Sophista*, &c. Reperio tamen & advocatos dici *scholasticos.* Isidorus Gloss. *Furaticus, scholasticus, legisperitus.* Postrema ætate, id est, ante annos CCCC præter propter, *scholastici* dici cœpti sunt sapientiæ & philosophiæ professores ac doctores; unde nata illa nomina, *Theologia scholastica, Philosophia scholastica, Doctores scholastici*, quorum auctor atque princeps Petrus Lombardus fuit, vulgo *Magister sententiarum* dictus. Nam & *Magistri* vocitati. Hinc Petrus Comestor, *Historia Scholastica* auctor, κατ' ἐξοχὴν *Magister* dicitur, propter illam historiam, ut puto, id est, Commentarium in sacra Biblia, quo sensum S. Scripturæ historialem persequitur: *Commentum Scholasticum* nonnulli appellant, unde & *Commentatores* appellati philosophi scholastici: opinor, quod nihil de suo excogitarent, sed Aristotelem tantum & Lombardum commentarentur. Nec apud Latinos modo, verum etiam Arabas, quibus Aben-roës sive (ut imperitum vulgus vocat) Averroës secundum excellentiam *Commentator* nuncupatur. Apud Hebræos vero, qui nobis Doctores & Magistri scholastici, nominantur *Rabbini*, quos διδασκάλους reddiderunt Græci, & exempla Euangelistæ exhibent. Quin *Rabboni* ita in Synagoga Judæorum inoleverat, ut honoris & dignitatis ergo hac compellatione salutari gauderent, non aliter atque in Universitate scholasticorum Christianorum, *Magister noster.* Joannes Euangelii cap. 20. vers. 17. *Conversa illa*

in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cujus, qui Agamemnonis suasoriam exceperat. Dum ergo juvenes sententias rident, ordinemque totius dictionis infamant, opportune subduxi me,

dicit ei; Rabboni, quod dicitur Magister: Ex recepta nimirum vulgo consuetudine. Tantum de his. ERH.

In porticum venit] Subaudi palæstræ sive gymnasii. BONGARS. Quia porticus loco, ubi recitabant, adjuncta, Plinius lib. 36. cap. 5. apertum ex his Martialis lib. 3. Epigr. 20.

An otiosus in schola Poëtarum
Iepore tinctos Attico sales narrat?
Hinc si recessit, porticum terit templi.

Colloquiis puerilibus: προῆλθον καλῇ κλειδὶ, ἀκολουθοῦντός μοι παιδαγωγοῦ ὀρθοῖς διὰ τῆς σοᾶς, ἥτις ἦγεν ἐις τὴν σχολήν. Tertullian. adversus Hermogenem cap. 11. Petron. infra cap. 90. WOUWEREN.

Ut apparebat, ab extemporali declamatione] Ὕστερον πρότερον συντατικὸν, pro eo, quod dicere solemus, *ab extemporali (ut apparebat) declam.* Talis constructio est & apud Cic. in Paradox. *Nec non sæpe laudabo sapientem illum Biantem, ut opinor, qui numeratur inter septem sapientes.* pro, *qui numeratur (ut opinor) inter*, &c. ERHARD. Vid. Barth. XXIV. adversar. cap. 17.

Ab extemporali declamatione] D. Hieronymus præfat. in librum Esther; *Quem librum editio vulgata lacinioſis hinc inde verborum ſinibus trahit, addens ea, quæ ex tempore dici poterant & audiri, ſicut ſolitum eſt ſcholaribus diſciplinis ſumpto themate excogitare, quibus verbis uti potuit, qui injuriam paſſus eſt, vel qui injuriam fecit.* D. Auguſtinus lib. 6. Confeſſion. *Cum medio die Alypidius cogitaret in foro, quod recitaturus erat, ſicut exerceri ſcholaſtici ſolent.* Jacobus Gaudensis lib. 3. Ærarii aur. Poët. *Extemporales dicebantur Oratores, qui reſponderunt, ac ſi meditati eſſent.* Ergo *Extemporalis declamatio* est ἀυτοσχεδιαστικὴ videndus Cellarius in Lexic. ERHARD. Tangit hic Satyricus sui ævi corruptelam, quo solebat summa laudis poni in eo, si quis ex tempore poterat declamare, vel versus aliquot magno numero fundere, quod Catullus elegantur carmine CXVI. in Hortensio, Horatius passim in Lucilio culpabat. Sed non potuere isti viri, qui mordaci lima sua scripta poliebant, prohibere, quo minus postea minorum gentium Poëtæ Martialis, Statius & reliqui, hac dote præcipue Principibus viris placerent. Immo hæc insania & impetus ita placebat Hadriano, ut Antimachum Homero præferre non dubitaret. Spartian. ejus vita. cap. 16. Laudamus quidem & felicia prædicamus istiusmodi ingenia, quæ, ut erat Titus imperator, teste Sueton. cap. 3. *promta & facilia ad extemporalitatem usque* sunt, sed tamen cum Augusto non facile ea naturæ facilitate uteremur, sed, quotiescumque publice verba essent facienda, *meditatam & compositam orationem* requireremus. Quare ineptos illos Oratores & Poëtas merito ridemus, qui cacatis suis chartis adscribunt temporis spatium, intra quod evomuerunt scripta, vel loca minus apta studiis designant; & se vel inter equitandum, vel navigandum, vel aliis occupatos negotiis effutiisse sua statim moritura verba jactant. Solis rabulis forensibus cum Quintiliano lib. x. Instit. 4. hanc lauream non invidemus. BURM.

Nescio cujus] Et hæc Satyrico sale verba conspersa, obscurum & vili de grege declamatorem notant. Quod obvium exemplis congestis confirmare putidum esset. Vide Barth. III. adversar. 7. monendum tamen est, Venetam editionem exhibere *nescio cur quis Agamemnonis*, & Tragurienſem codicem *nescio cur qui*. Auratus vero legit *nescio eorum quis*.

Suasoriam] Duo genera materiarum apud Rhetores tractantur; *suasoriæ*, quæ pueris; & *Controversiæ*, quæ robustioribus adsignantur. GLOSS. Hæc descripta ex Auctore Dialogi de Oratoribus, quem Wouwerius adduxit.

Ergo juvenes] Scribo, *juvenis*. Nam de illo declamatore sermo est. BARTT. Nescio cur hic reposuerint *juvenis*, mirorque hujus dictionis interpretamentum. Juvenes illi scholastici suasoriæ Agamemnonis sententias ridebant, quoniam non dixerat, quæ probare soliti auditores, Pers. Sat. 3.

His populus ridet, multumque toroſa juventus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos. BOURDELOT. Supervacuum est τὸ *juvenes*. nam *scholasticos* dixerat paulo ante. Forte *jejunas sententias rident*, hoc est, inanes, exiles. *jejunum & anguſtum animum conjungit* in Philippicis Cicero. Idem lib. 3. de oratore, etiam orationi dat *jejunitatem*. *Si quis aut Antonium jejuniorem, aut Craſſum pleniorem putet. Jejune & exiliter diſputare* eidem non semel. *Jejunitas ſententiarum* cum Petronio, idem Tusculanis. *Cum obruerentur copia ſententiarum, atque verborum jejunitatem & famem ſe malle, quam ubertatem dicerent.* In Bruto *jejunitas & ſiccitas & inopia orationis.* Quintil. Instit. Orat. lib. 8. cap. 3. *Proinde quædam hebes, ſordida, jejuna, triſtis, ingrata, vilis oratio eſt* A. Gell. lib. 7. cap. 14. de tribus orationis generibus, *ſqualentes & jejuni dicti pro gracilibus* Nec repugno tamen si quis *inanes* malit, quomodo apud Gellium. 12. c. 2. *ſententiæ inepto inanique impetu.* Sententiæ autem proprie in controversiis dictæ, qualis illa apud Gellium cap. ult. lib. 9. ex Plinio. *ſi placet lex, redde: ſi non placet, redde.* addit Gellius. *Fugit autem Plinium, ſententiolam iſtam, quam putavit eſſe argutiſſimam, vitio non carere.* HEINS.

Infamant] conviciantur, explodunt. Vincentius Lirinensis; *quæ ſilentio ſepeliri oportebat, rediviva opi-*

nione

me, & cursim Ascylton persequi coepi. Sed nec viam diligenter tenebam, nec quo loco stabulum esset, sciebam. Itaque quocumque ieram, eodem

nione diffamant. Hieron. Hilarionis vita: *Adversarius hoc ipsum irridens diffamaverat.* BARTH. Quem vide lib. 25. adv. cap. 2. & ad Stat. 7. Theb. vers. 417. & lib. IX. vers. 66. Cicero lib. IX. ad fam. Ep. 12. *Tu velim animo sapienti fortique sis: ut tua moderatio & gravitas aliorum infamet injuriam.* Ovid. III. ex Pont. VI. 43.

Desine mitem animam vano infamare timore.

Senec. Epist. 99. *Infamant praecepta nostra duritia.*

Dictionis] Vide Barth. lib. XXII. adv. 13. qui hac voce declamationem notari docet recte: ita enim & Cicero & probatissimi quique auctores vocarunt totum orationis filum, & dicendi rationem: non ut barbarizantes hodierni, qui unum vocabulum *dictionem* vocant. Unde & bellam illam vocem *dictionarii* cuderunt. Cicer. I. de Orat. 6. *Graecos à ceteris dictionibus sepositisse eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus judiciorum versatur.* Et cap. 12. *fatebor equidem in his magis adsidue versari hanc nostram dictionem.* Apulej. Apolog. *Zeno antiquus Velia oriundus, qui primus omnium dictionem solertissimo artificio ambisariam dissolvit.* BURM.

Cursim Ascylton persequi coepi] Sic infra cap. 7. *coepit me praecedere*, ubi adeundus Fr. Pithaeus in Collectan. Savaro Not. ad Sidon. lib. 4. ep. 24. Rigaltius Not. ad Phaedrum fab. 2. Iterum Petronius cap. 7. *per medium lupanar fugere coepi*, id est, fugi. Sic Plaut. Bacchid. Act. 2. sc. 3. vers. 25. *Inficias ire coepit filio*, id est, inficiatus est. Scopp. in explanation. Hoc genus loquendi nec Hebraeis est insolens. Esdras Junior lib. 2. (qui vulgo 4.) cap. 4. *Quam magnam aream incipient facere.* & cap. 6. *Coeperunt dominari nostri.* & cap. 9. *Inchoavi dicere coram Altissimo.* Lucas in Act. Apostol. cap. 1. ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν: Latinus: *Quae Jesus coepit facere & docere*, hoc est, quae fecit & docuit. Tale videtur & illud ejusdem Esdrae d. l. cap. 8. *Initium verborum Esdrae*, hoc est, sequuntur verba Esdrae, quorum initium hoc erit. Et illud Marci 1. ἀρχὴ τοῦ εὐαγγελίου, *initium Euangelii.* ubi Seb. Castalio in Annotation. *Incipere* pro facere usurpat, ut *inceptum*, est factum Virgilio. Sic Sallust. *saevire Fortuna ac miscere omnia coepit.* Barthius in Ceir. Virg. n. 456. ERHARD.

Diligenter tenebam] To *diligenter* proprie & eleganter usurpat. RITTERSH. Petroniana phrasis, pro accurate, infr. cap. 20. *Psyche lodiculam in pavimento diligenter extendit.* cap. 29. *omnia diligenter curiosus pictor reddiderat.* cap. 92. *diligentissime speculari capi.* & passim. *Tenebam* vero, est in memoria habebam, sciebam. Ut apud Virgil. Ecl. IX.

——— *numeros memini, si verba tenerem.*

Vid. Graev. ad Cicer. pro Sylla cap. 10. BURM.

Nec quo stabulum] Libentius legerim, *quin nec quo loco.* RICHARD. Scribe *qua*, id est, ubi. RITTERSH. Alias, *quo stabulum.* lege, *ubi stabulum.* BRASSIC. Lege, *nec qua stabulum. Qua* pro ubi. Schopp. Verisim. lib. I. cap. 16. & in Arte Crit. Non placet. Notant in nonnullis codd. omitti τὸ *loco.* Si quid ergo mutandum sit, malim legere, *nec quo stabulum esset.* Beda de Orthographia; *Quo aliquando pro ubi ponitur. Augustinus; invenis domum famosam, quo boni habitant: id est*, ubi habitant. Sed nihil necesse est interpolatione. ERHARD. To *loco* Dousae P. conjectura est, quam nullus codex agnoscit. *Quia nec quo s. e.* Leid. cod. malit Nob. Heinsius *nec qua s. e.* optime sic Propertius lib. I. Eleg. I.

Qua non ulla meum semina norit iter.

Virgil. Eclog. IX.

——— *qua se subducere colles*
Incipiunt.

Horat. lib. II. od. 3.

——— *qua medius liquor*
Secernit Europen ab Afro:
Qua tumidus rigat arva Nilus. BOSSCH.

Stabulum esset] Cap. 8. *quo loco stabulum reliquissem.* est cauponium, seu diversorium. Apul. Milesi. I. *Quod ingressu primum fuerit stabulum.* Cyprian. ad Stephanum: *stabula in itinere appetunt tutiora.* ea notione Tertullian. Apolog. cap. 42. August. lib. 21. de civitate Dei. apud D. Lucam cap. 10. ἤγαγεν αὐτὸν εἰς πανδοχεῖον. recte vertit Euseb. Emissenus: *Duxit eum in stabulum.* hinc *stabularius, caupo.* πανδοχεύς. in Glossis. *Stabularii qui cauponam & stabulum exercent*, ait Ulp. tit. ff. Nautae Caup. Stab. Seneca de Benefic. lib. I. c. 14 *Nemo se stabularii hospitem judicat.* Apul. Milesi. I. *Mansionis pretio stabulario persoluto.* hoc est, locario soluto. Varro 4. de Lingua Latina: *Locarium, quod datur in stabulo & taberna, ubi consistant.* apud D. Lucam: δύο δηνάρια ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ. Interpr. *Duos denarios dedit stabulario. Stabulum* πανδοχεῖον exponunt Glossae, quae vox cauponis & meretricis domum notat. ergo non οἰκίαν aut καλύβην tantum, sed lupanar. ita usurpat Plautus Poenulo: *Quae tibi colant stabulum:* nam in hospitiis etiam meritoria. Glossae Isidori: *Meritoria, loca tabernarum, ubi adulteria committuntur.* nec perperam *stabularii* lenones dicuntur. hinc *prostibulum.* Nonius. *Prostibulum, quod ante stabulum stet, quaestus diurni ac nocturni gratia.* Scholiastes Aristoph. in Equitib. Καταλοῦδος ἑταῖραι εἶσι, αἱ αὐλὴ ἐπὶ τῶν οἰκημάτων ἑστῶσαι, ἐπὶ μισθῷ παρέχουσι τοῖς βουλομένοις. *Stabulum* ergo, ut Varro, quod inibi consistant; uti & *statio*, & *stare* recte de lupis. Horat.

——— *nullam nisi olenti fornice stantem.*

apud Senecam Controv. *Meretrix vocata es, in com-*

eodem revertebar. donec in cursu fatigatus, & sudore jam madens, accedo aniculam quandam, quae agreste olus vendebat:

VII. Te rogo, inquam, mater, numquid scis, ubi ego habitem? Delectata illa urbanitate tam stulta, &, [a] Quidni sciam? inquit. consurrexit-

a ANUS.

muni loco stetisti, stetisti puella in lupanari, stetisti cum meretricibus. Tertull. lupanar *consistorium libidinum* vocat. lib. 3. ad uxorem: *Procedat de janua laureata & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.* Tamen non semper steterunt meretrices; interdum enim sellis insidebant. vide Plautus Pœnulo:

Prosedas, servilicolas, sordidas,
Quæ tibi olent stabulum, statum, sellam & sessibulum merum.

Ubi utrumque notari vides: in V. C. legitur *cellam*, haud male. Juvenalis Satyr. 3.

Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Comment. *Inde sellariæ dicuntur: unam mereticem à sella sua abducere cunctaris, cum alii adulteri ement.* Vide Festum. WOUWEREN Diversorium, παυδοχεῖον. Chr. Colerus Parerg. cap. 8. *Stabulum* non solum significat receptaculum equorum & jumentorum, ut vulgo dicitur, sed etiam pro caupona & hospitio accipitur, à stando. Stuckius Antiquitat. convival. lib. 1. cap. 28. quod ante eum annotarunt Henric. Bebelius de Abusion. ling. Lat. cap. 24. & Jac. Pamelius Annotat. in Cyprian. epist. ad Stephanum. Baccharius de Recipiend. lapsi. *Magister noster à latronibus vulneratum non solum curæ dignum judicat, verum etiam ad stabulum suum restituit, ac datis stabulario duobus denariis, majus ei præmium pollicetur.* ita Goldastus emendavit istum locum, qui vulgo pessime interpunctus & interpolatus legebatur. σαβμὸς Græcis eodem sensu usurpari, docebit te Suidas. ERHARD.

Quocumque ieram, eodem revertebar] Idem accidit Cnemoni apud Heliodorum lib. 5. in domo Nausiclis sibi ignota. ERHARD.

In cursu] Impressi, *& cursu*. PUTEAN. Alii libri, *donec ex cursu fatigatus:* probo: ut apud Ciceronem, *fessus de via*, & apud Plautum, *ex cursura anhelitum ducere.* Alteram tamen lectionem, *in cursu fatigatus*, hoc Ciceronis exemplo tueri licet, in Topicis, *Nam & verberibus torti, & in igni fatigati quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere.* RICHARD. Mallem cum Leid. cod. *donec & cursu fatigatus*, sequitur enim *& sudore jam madens.* BOSCH. Vide Munker. ad Lactant. narrat. lib. 3. fab. 6.

Sudore madens] Apulejus lib. 1. *Hæc ut ego accepi, sudore frigido miser perfluo.* Et lib. 2. *Frigido sudore defluens evado.* Ovid. 9. Metamorph. vers. 173.

Cæruleusque fluit toto de corpore sudor.

Theocrit. Idyll. 2. vers. 106.

——— ἐκ δὲ μετώπω
Ἰδρὼς μελιχλώσσων ἴσον νοτίοισιν ἐέρσαις. WEITZ.

Accedo aniculam, quæ agreste olus vendebat] Quam *foraciam* dixere, vide Calepinum in Dictionario voce *Foracia.* Porro locum hunc transtulit & expressit Lud. Vives in exercitat. ling. Lat. dialog. IV. ERH. Gloss. λαχανεπώλης, *holerator.* λαχανοπωλεῖον, *holitorium.* Hinc *forum olitorium, Krautmarckt*, Hadr. Junius in Nomenclat. Joh. Thomas Freigius in Not. ad Lud. Vivis Colloquia. WEITZ.

Et, rogo, inquam, mater, numquid scis] Lege *Te rogo, inquam, mater, ecquid scis.* Formula blande adeuntium est, *Te rogo*, cum quid exquisituri veniunt. Gulielm. Plaut. quæst. in Pseudol. cap. 4. Plaut. *Ecquem in angiportu hominem novisti, te rogo?* nihil tamen in Petronio mutandum est. ERHARD. *Te rogo* Leid. cod. & quinque alii, probe: venustam hanc & rogantium & adeuntium formulam perperam hic mutarunt nonnulli, qua sæpe aliis tamen locis noster usus est. Etiam Plautus Pseud. Act. IV. Sc. 11. versu 15.

Et quem in angiportu hoc hominem tu novisti? te rogo.

Vetus inscriptio, quam ex Josephi Scaligeri MSS. quæ intra Leidensis Bibliothecæ penetralia asservantur, descripsi:

LAGGE FILI
BENE QVIESCAS
MATER TVA ROGAT
TE VT ME AD TE
RECIPIAS. VALE.
P. Q. XV. BOSCH.

In cap. 20. *rogo inquam domina*, cap. 137. *tum ego, Rogo, inquam, noli clamare.* & paulo post. *Rogo, inquam, expiare manus pretio licet.* Et alibi sæpius BURMAN.

Mater] Solemnis formula adeuntium, cum quid exquisituri sunt, *matres* salutare. GLOSS. Solemne videtur compellantibus *Matres* salutare, Apul. 1. Met. Plaut. Rud. & alii. WOUWEREN. *Mater*, Plautinum est. BRASS. Apulej. 1. Met. *Semoto, inquam, joco, parens optima dic, oro, cujatis sit* & lib. IV. *parce, inquit, mi parens:* ubi vide Pricaeum. Lucian. in Asino. μᾶτερ μία, ἔπου, ὦ μῆτερ, τοῦτο εἶπε. BURM.

Habitem] Vulgo *habito.* SAMBUC.

Cœpit me præcedere] Genus loquendi frequens Petronio. GLOSS. Sic mox, *& per medium lupanar fugere cœpi.* Et rursus: *Cœpit rogare stuprum*, & *cœpitque mihi velle pudorem extorquere.* Item *& me coepit non perfunctorie verberare.* Item *diligentius considerare pallium coepit.* & infra *præclusisque foribus ridere, acumen non minus vocionum, quam calumniantium*

rexitque, & coepit me praecedere. Divinam ego [b] putabam. at subinde, ut in locum secretiorem venimus, centonem anus urbana rejecit: &, Hic,

ENCOLPIUS.

tium coepimus. FR. PITH. Vide paulo superius notata.

Divinam] *Divina*, fatidica, vates, divinatrix. GLOSS. Veteres, *divinam ego.* communem lectionem *ducturam ego* probo. Sic infra: *Putares ab eadem avia esse deductum.* DELBEN. Turnebus legit, *divinam*, lib. 19. adv. cap. 6. DANIEL. Fatidicam. Martial.

Non sum divinus, sed scio quid facias.

Seneca de vita beata, cap. 27. *Cum aliqua per viam genibus repens ululat, laurumque linteatus senex praeferens clamat iratum aliquem deorum, concurritis & divinum esse affirmatis.* Apulejus lib. 1. *parce in foeminam divinam.* WOUWEREN. Vatem, divinatricem: Juvenal. Sat. x.

Exta & candiduli divina tomacula porci.

Auct. Querol. *Secreta queroli ac familiaria tamquam divinus loquitur.* Arnob. lib. VI. *Apollo divinus* Idem. lib. V. *res divinae.* Claud. *divinum pectus,* BARTH. Quem & vide lib. 24. adv. cap. 17. praesagam. Barth. ad Claudian. num. 2361. quae sciret omnia, Pflugius. Dicit enim se existimasse eam scire divinitus. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 6. ERHARD. Adv. Turnebus, & Petr. Daniel reponebant *ducturam*; sed adscripta lectio senior est, *divina*, maga; ut multis dico ad Heliodorum. BOURD. Recepi tot calculis eruditorum probatam vocem. Tragur. codex habet *duct nam putabam*, quae ad veram lectionem proxime accedunt. divinam credebat anum, quae hominibus superstitiosis operam suam conjiciendi somnia, interpretandi omina & similia locabat; quales Romae viri & foeminae in circo, foro & aliis celeberrimis locis. Horat. 1. Sat. VI. vers. 113.

Fallacem circum vespertinumque pererro
Saepe forum, adsisto divinis.

Cicer. de fato. *Hoc loco Chrysippus aestuans falli sperat Chaldaeos, ceteroque divinos.* Liv. 1. 36. Tarquinius auguri Navio, *Agedum, inquit, divine tu, inaugura.* BURMAN.

Putabam. at subinde] Lege, *putabam: & subsequor. inde ut in locum secretum.* RITTERSH. Alii, *& subinde.* forte *& subsequor. inde ut*, &c. Gulielm. Plaut. quaest. in Epid. cap. ult. tametsi nihil admodum affirmet. ERHARD.

Centonem injecit] *Cento*, velum, quo cubiculorum januae tegebantur, ne per rimas inspicere possent curiosi, quid intus ageretur. GLOSS. Lege, *Centonem manum.* AURAT. Impressi, *rejecit.* PUTEAN. *Cento* Juvenal. Brisson. de ritu nupt. vel jure connubiorum, ubi emendat Petronii locum. DANIEL. Dositheus magister in arte: καὶ ὕτως ἡρμένον κέντρωνι ἐσθῆτος, καὶ πρῶτον ὑπαστάμενον καθυγητάς. Virgil.

——— *duplicem ex humeris rejecit amictum,*

FR. PITHAEUS. Alii, *iniecit*, quasi velit Eucolpium induere legitimum habitum eorum, qui in lupanari degunt, scilicet ut intelligat se in fornicem deductum. Nam moechi & ii, qui lustrabantur, obnupto capite esse ex Sueton. Caligul. notum. Capitolinus Vero: *In tantum vitiorum Cajanorum & Neronianorum fuisse aemulum, ut vagaretur nocte per tabernas & lupanaria obtecto capite cucullo vulgari.* C. Fortunatianus lib. 1. Rhetor. *Invenit filius adulterum obvoluto capito, nec eum occidit.* Et hoc ritu forte Naevius, apud Gellium lib. 6. cap. 8.

--- *Eum suus pater cum pallio uno ab amica abduxit.*

Vide Isidor. lib. 19. cap. 26. huc respexit Seneca de vita beata cap. 13. *Non timide nec obscure luxuriatur, etiam inoperto capite.* Imo & meretrices obnuptae. Juvenal. Satyr. 6.

Sumere nocturnos meretrix Augusta cucullos:
Sed nigrum flavo crinem abscondente galero,
Intravit calidum veteri centone lupanar.

Tertullian. de cultu foeminarum cap. 12. *Thamar illa, quia se exinxerat, idcirco Judae suspicione visa est quaestui sedere adeo, quia sub velamento latebat, habitus qualitate quaestuariam mentiente,* &c. multa Petronii ex hoc ritu exaudienda, quae tamen interpretes ad alia trahunt. WOUWEREN. Eum scilicet centonem, quo amictus erat Eucolpius. Itaque postea refugiens ait, *operui caput.* BARTH. Lege, *rejecit*, est est, sublatum rejecit à tergo, ut intraremus. Hispane, *hecho la antepuerta.* Mart. lib. 1. epig. 34.

At meretrix abigit testem veloque seraque.

Et lib. 2. epigr. 46.

Intrasti quoties inscripta limina cellae,
Sex puer arrisit sive puella tibi:
Contentus non est foribus veloque seraque.

Hoc *velum* ex centonibus conficiebatur, & *cento* appellabatur: erantque plurimi centones in lupanari, tam in quaque cella, quam in ipsa majori lupanaris janua. Disco id ex veteri Juvenalis scholiaste ad illum locum Sat. 6. vers. 21.

Intravit calidum veteri centone lupanar.

Vetere, inquit, *centone, ut velo ex pannis facto.* Legerem ibi, *veteri velo ex pannis facto.* Suffragabatur hic Petronii locus. Ejusmodi velis cubiculorum januae tegebantur, & eo ponebantur, ne scilicet per forium rimas inspicere possent curiosi, quid intus ageretur. Juvenal. Sat. 9. vers. 105.

——— *Claude fenestras,*
Vela tegant rimas, junge ostia, tollite lumen
E medio ———

Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 1. epig. 25. n. 5. An *Centonem rejecit*, est quod infra dicit de Quartilla *Retexit pallio caput.* Feminae enim in publico obnuptae

apud

Hic, inquit, [a] debes habitare, [b] Quum ego negarem me cognoscere domum, video quosdam inter titulos, nudasque meretrices furtim conspatiantes.

a ANUS. b ENCOLPIUS.

apud Orientales gentes. in Genesi cap. 24. vers. 65. de Rebecca; *At illa tollens cito pallium, operuit se.* qui mos durat hodieque apud Turcas & Persas. nec honestæ tantum matronæ ac virgines, verum etiam meretrices. Ibidem cap. 38. vers. 15. de Thamare ad viam prostante; *Quam cum vidisset Judas suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum* Fingit autem Petronius, hæc in urbe Græca contigisse & Græci moris. ERHARD. Egregie hæc explicat & illustrat Ferrar. de re Vestiar. part. 1. lib. 1. cap. 11.

Hic debes habitare] Male ad obscœnum sensum detorquet Martialis Epigramma lib. XIV. 77. Gabbema. sed Catullus similes sibi, Camerium quærenti, insidias factas narrat carmine LVI.

Femellas omnes amice prendi,
Quas vultu vidi tamen sereno,
Has vel te sic ipse flagitabam,
Camerium mihi pessimæ puellæ.
Quædam, inquit, nudum sinum reduceus,
Et hic in vosets latet papillis. BURM.

Inter titulos] *Tituli* nomina scortorum, & stupri pretium cellis inscripta. GLOSS. Veteres *internuculos;* forte *internuncii*, vel *internuncioli.* DELBEN. V. C. Pithæi, *inter titulos*, alii *vitulos*, alii *puellulos.* fortassis *titulos*, ut tabernarum meretriciarum inscriptiones intelligat. TORNÆS. Impressi habent, *inter viculos.* Vetus liber, quo solo hac in parte uti potui, habet *inter titulos.* PUTEAN. Citans hunc quoque locum Turneb. lib. Adversar. 21. cap. 28. *inter nuculos*, legit duobus verbis. An legendum *quasdam in interniculis nudas meretrices. Interniculus* vel *Interniculum* est stabulum: quo verbo usus est Plin. lib. 8. Nat. hist. cap. 44. in fine his verbis; *Mulum LXXX. annis vixisse, Athenienstum monumentis apparet. Eo gavisi cum templum in arce facerent, quod derelictus senecta, cadentia jumenta comitatu nisuque exhortaretur, decretum fecere, quo caveretur, ne frumentarii negociatores ab interniculis eum arcerent.* In impresso codice legitur *incerniculis.* Budæus ἀπὸ τῶν τιλιῶν interpretatur in Comment. Ling. Græcæ, fol. 615. Vide exempl. vetus D. Salignari & Mamati. DANIEL. In v. c. reperi *internuculos*, ut & apud Apulejum de Deo Socrat *Internuculos recens cognitos.* Sed utrumque locum corruptum existimo. P. Pithæus Subsec. sive Adversar. lib. 2. cap. 10. Sic dicebant impudicos: omne enim medium *nucleum* vocabant. *Internuculi* ergo impudici, impudicati, intercutibus stupris flagitati, intercutiti, stuprati. Scalig. ad Priapeia. Censeam potius duabus vocibus; *inter nuculos* legendum, & meritorios significari pueros, concubinos, qui nondum reliquere nuces, sed etiamnum inter eas versantur. Nam à Catullo in epithal. Jul. & Mallii scribitur, *Concubine da nuces.* Turneb. Adversar. lib. 21. cap. 28. Forte legendum *quosdam Tirunculos.* Colvius Not. ad Apul. de Deo Socrat. sed titubandi animo. Lege *inter Scitulos*; id est, pueros. pueri enim *Sciti* dicuntur. Pflugius v. c. *quosdam inter titulos, nudasque meretrices.* Ita esse restituendum asserit etiam Pithœus. Fornices enim titulis inscriptæ, ut ex Juvenali & Seneca notum: in Not. ad Collat. Mosaic. & Rom. leg. tit. de *Falso testimonio*, & cellæ inscriptæ nominibus meretricum. Tertullian. de Pudicit. lib. 1. *sub ipsis libidinum titulis.* Ramirez Hypomnem ad Martial. lib. 1. epig. 35. n. 5. Quid si legamus, *quosdam intercutulos?* ut intelligat παιδάρια vel scorta mascula, qui se intercutiri patiuntur. Balbus Catholico; *Cutitus, stupratus, corruptus.* Isidorus in Gloss. *Subcus, subcutaneus, subcutatus, intercus, intercutaneus, intercutatus, subtercus, subtercutaneus.* ERHARD. Libri MSS. *inter angulos*, quam lectionem confirmat τὸ *locum secretiorem*, & *furtim spatiantes.* Qui *titulos* legi malunt, accipiunt non de titulis meretriciis, qui quidem satis elucidati ab aliis Petronii interpretibus; sed de juvenibus Venerem languentem scortis cujuscumque sexus irritantibus. Hos Titulos scorta excipiebant antecœnio libidinis, ut fortiora prælium Cupidinis tentarent. Juvenes illos *Titulos* dici patet, ex Cornuto ad illos Persii Sat. 1.

Ingentes trepidare Titos ———

Locus autem, ubi prostabant Tituli isti[1], dicebatur ab ætate titulorum *Ephebia*, ut patet apud D. Hieronymum. Locum illum sic nondum intellectum illucidavit V. C. Jo. Savaro. Sunt & *Ephebia* apud Vitruvium non longe ab his diversa, in quibus pueri exercebantur, ep. 11. lib. 3. BOURDELOT. *Internuculos* Leid. cod. *intesticulos* vet. cod. Legit Nob. Heinsius *video quosdam inter hystriculos*, hoc est, pueros stupratos, & jam propter ætatem obsoletos; aut, ut cum nostro loquar, stupro liberos ac ingenuos, quorum anni ad tesseram venerunt. Nam & hi, æque ac meretrices, in lupanaribus prostabant. Calpurnius Ecloga VI. vers. 12.

——— *pallidus alter*
Venit, & hirsuta spinosior hystrice barba;
Candidus alter erat, lævique decentior ævo.

Et Festo hanc vocem reddendam esse me docuit vir Illustris, quam perperam, ut solet alias mutilator iste Paulus, exscripsit *Hircipili;* legendum itaque, *Hystriculi, durorum pilorum homines.* Atque sic scribendum existimo apud Arnobium lib. v. adv. Gent. ubi *istriculi* MS. cod. *Facit fumere*, inquit, *habitum puriorem, & in speciem levigari nondum duri atque hystriculi pusionis.* Non ignoro hic CL. virum ad Tertulliani Pallium aliter sentire. BOSSCH. Heraldus ad Martialem

tiantes. Tarde, imo jam sero intellexi, me in fornicem esse deductum. execratus itaque aniculae insidias, operui caput, & per medium lupanar fugere coepi in aliam partem. quum ecce in ipso aditu occurrit mihi aeque lassus,

lem XI. ep. 46. legit *intus titulos, nudasque meretrices consertim spatiantes.* ego cum Colvio ad Apulej. de Deo Socrat. p. 221. amplius deliberandum censeo.

Nudasque meretrices] Alii, *udasque.* TORNÆS. Stabant nudæ meretrices ante lupanar, Xiphilin. Avit. p. 405. BONGARS. Tacitus Annal. lib. 15. *Scorta visebantur nudis corporibus.* Cyprianus de spect. cap. 6. *Per prostitutarum nuda corpora.* Artemidorus lib. 11. ἡ ὅλη γυμνὴ, (Ἀφροδίτη) ἑταίραις καὶ μοιχοῖς ἀγαθὴ, καὶ ἐργασίας σημαντική. Philemon;

Στῆσαι πριάμενον γυναῖκας κατὰ τόπους
Κοινὰς ἅπασι, καὶ κατεσκευασμένας
Ἑσθῆσι γυμναῖς. —— WOUWEREN.

Imo jam sero intellexi] *Imo jam sero sensi, intellexi* Leid. cod. quo duplex scriptura codicum vetustorum designatur. BOSCH.

In fornicem] Fornix, πορνεῖα, lustrales cellæ arcuatæ, ubi publicæ meretrices prosternebantur. GLOSS. Lupanarium. Bernartius Schol. ad Statium lib. 1. Theb. Haymo Halberstadensis in epist. ad Rom. cap. 1. *Fornicatio à fornicibus, id est, arcuatis domibus dicitur, quæ fornices appellantur, ubi publicæ meretrices prosternebantur.* Erant autem loca abdita & occulta. Euagrius Hist. Ecclesiast. lib. 3. cap. 39. *Impositum fuit cum aliis compluribus, qui quæstu victum sibi quærebant, tum meretricibus, quæ corporis pulcritudinem habebant venalem, & effuse ac libidinose stupris in abditis & occultis locis civitatis, id est, ganeis, se dedebant, tum præterea omnibus, quos scortari non pudebat.* Apostolus Paulus vocat *cubilia*: *Non in cubilibus,* &c. ad Rom. 13. ERHARD. Gloss. πορνεῖον, *fornix, ganeum, lupanarium.* Balbus Cathol. *Fornix à fornax, arcus lapideus, quod curuatus & arcuatus sit, ut fornax. Et quia meretrices solent meretricari in hujusmodi fornicibus, ideo etiam fornix quasi formam necans, id est animum, quæ est forma nostra.* Nicol. Perottus Archiepiscop. Sipuntinus in Cornucop. Nestor Novariensis. in Vocabular. WEITZ.

Operui caput] Cap. 90. *operuit caput, extraque templum profugit.* Plaut. Mostell. *Capite obvoluto ut fugiat cum summo metu.* &, *Cave respexis, fuge atque operi caput.* Nævius: *Amborum uxores noctu Troade exibant, capitibus opertis flentes ambæ, abeuntes lachrimis cum multis.* FR. PITHÆUS. *Socrates in oratione parum pudica caput operuit pallio:* A. Gellius lib. 9. cap. 19. ex Phædro Platonis. Homerus Odyss. θ. κάλυψε δ' ὅ καλὰ πρόσωπα. BRASSIC. Balbus Catholico; *Ludix quædam vestis est, & dicitur à ludo, & dicuntur ludices vestes à ludis theatri. Quum enim egrediebantur de ludi prostibulo juvenes, harum velamento tegebant caput & faciem, ne cognoscerentur: quia solebat erubescere, qui lupanar intravit.* Euagrius Hist. Ecclesiast. lib. 1. cap. 21. de Monachis Palæstinæ; *Adeo etiam sine delectatione cibum capiunt, atque ea re tam austeram exercent disciplinam, ut sive ad cauponam, sive ad lupanar eos divertere cogat necessitas, nec locum respiciant, nec operiant faciem, nec quicquam prorsus erubescant.* Aimoinus de Gest. Francor. lib. 3. cap. 71. *Quum potius operto, ne agnoscaris, capite sestinus silvam pete.* De ritu veterum velandi & operiendi se propter subitam, creperam, & desperatam aliquam rem, vide Jac. Schegkium Præmessor. cap. 10. Gul. Ranchinum Variar. lect. lib. 1. cap. 3. Taubmannum ad Plaut. Captiv. Act. 3. scen. 1. Barth. ad Claudian. n. 1208. ERHARD. *Capitis operiendi* consuetudinem, præter Petronii commentatores, illustrarunt Ferrar. part. 1. de Re Vestiar. lib. 1. cap. 10. & 11. Freinsh. ad Curt. IV. 10. & alii magno numero; ejusque præclarum exemplum est in Apostolo Petro, qui, cum prodidisset servatorem suum, ἐπιβάλων ἔκλαιε: quæ verba, misere ab interpretibus vexata, recte exposuit ex hoc ritu, præter alios, Salmas. de Fœner. Trapezit. pag. 272. & seqq. ita utitur ea voce Græca Theoph. περὶ κολακείας· Καὶ ἐρωτήσαι, μὴ ῥιγοῖ, καὶ εἰ ἐπιβαλέσθαι βούλεται, καὶ ἔτι περιστεῖλαι αὐτόν. *Et rogat num frigeat, & num velit caput involvi, & amplius amiciri.* Ita & περὶ λογοποιίας. Καὶ ἐπιβαλὼν ἐρωτᾷ, μὴ λέγεταί τι καινότερον. Quod varie exponi posse, ut & Marci verba, Casaubonus docet: at nihil definit. sed cur non, *& caput involvens veste rogare, nihilne novi?* plura vide apud diligentiæ singularis virum Bynæum de morte Christi lib. 11. cap. 6. BURM.

Fugere coepi] Genus loquendi frequens Petronio. GLOSS.

In aliam partem] Autisiod. *alteram:* Pith. PATISSON.

Æque lapsus ac moriens] Id est, qui, ut ego, aberraverat. SAMBUC. Interpretantur vulgo, id est, qui, ut ego, aberraverat: sed tamen falsam esse interpretationem, licet ex sequentibus in manuscripto, cum Gyton de Ascylta conqueritur apud Encolpum: *Tuus, inquit, frater ac comes paulo ante in conductum accurrit, coeptique mihi velle pudorem extorquere.* Ex quibus quis non videt, non lapsum esse Ascyltam & eo abductum, sed de industria? Puto legendum *æque lassus ac moriens.* Nam de seipso Gyton paulo ante dixerat: *Donec & cursu desatigatus, & sudore jam madens,* &c. Et mox iterum; *Sudorem ille manibus detersit,* &c. Sed suspectus est locus ille alter, *in conductum accurrit*: nec satis intelligo. EMMIUS. Forte, *lassus.* DOUZA F. Lege *lassus ac moriens.*

lassus, ac moriens Ascyltos. putares, ab eadem anicula esse deductum. Itaque ut ridens eum consalutavi, quid in loco tam deformi faceret, quaesivi.

VIII. Sudorem ille manibus detersit, &, [a] Si scires, inquit, quæ mihi acciderunt. [b] Quid novi? inquam ego. at ille deficiens, [c] Quum errarem, inquit, per totam civitatem, nec invenirem, quo loco stabulum reliquissem, accessit ad me paterfamilias, & ducem se itineris humanissime promisit. per amfractus deinde obscurissimos egressus, in hunc locum me perduxit, prolatoque peculio coepit rogare stuprum. Jam pro cella

a ASCYLTOS. *b* ENCOLPIUS. *c* ASCYLTOS.

Palmer. in Spicileg. Barth. ad Claud. l. 1. in Ruf. v. 276. vel *lassus ac madens*. quia sequitur; *sudorem ille manibus detersit*. Meursius Animadversion. miscell. 3. c. 7. *Lassus ac moriens* est fessus & lassitudine confectus & tabescens. Idem Barthius in Ceir. Virgil. num. 236. & ad Claudianum num. 62. Quare hunc locum non bono exemplo mutavit Laur. Ramirez de Prado Commentar. in Martialem. ERHARD.

Ac moriens] Lassitudine confectus & tabescens. GLOSS. Lege, *marens Ascyltas*. BRASSICAN. & AURAT. Non sollicitandus locus: *moriens* enim est, quod mox *deficiens* dixit; & ita recte explicat Passer. ad Propert. 1. eleg. 10. vide & Gronov. ad Livium lib. XXVIII. 34.

Putares ab eadem anicula esse deductum] Ita eleganter secunda persona utuntur, cum quid generatim de omnibus exprimunt. Sic infra cap. 91. *Video puerum parietis applicitum: scires non libenter servire.* Schopp. Explanat. in Plaut. Mostell a. 1. sc. 3. Micch. Piccartus epist. ad Goldastum. & Periculor. Criticorum cap. 8. Iterum Petronius cap. 31. *Pantomimorum non patrisfamilia triclinium credares.* Valer. Maximus lib. 5. cap. 1. de Pisistrato convitiis Thrasippi inter cœnam lacerato; *Ita & animam & vocem ab ira cohibuit, ut putares satellitem à tyranno male audire.* Sulpitius Severus in Vita S. Martini lib. 2. cap. 3. *Jamque se malum serpentis per omnia membra diffuderat, cerneres omnibus venis inflatam cutem.* Guilhelmus Malmesburiensis in lib. de Pontificib. *Terra omnis frugum opima, &c. ut quemvis tadiosum provocet ad laboris illecebram, ubi centuplicato foenore respondeat copia. Cernas tramites publicos vestitos pomiferis arboribus.* ERHARD. Senec. Apocolynth. *putares omnes illius esse libertos*, sæpius addit noster particulam *ut*. Infr. cap. 23. & 26. & 127, 136. BURM.

Deductum] Omnino existimat Doctiss. Tho. Munckerus, *seductum*, legendum esse. BOSCH.

In loco tam deformi] Nihil potuisset dici rectius. Seneca vocat *locum communem*; & *misericordis populi beneficium*: Quintilian. Declamat. 15. *Tristissimam stationem*. Idem Declamat. 14. docet, quare sint inventæ meretrices. Solon autem primus instituit lupanaria, ut est apud Harpocrationem. Artemidorus Oneirocritic lib. α. cap. π. Κοινὸς γὰρ ὁ τόπος ἑτοῖμος καλεῖται, ὡς καὶ ὁ τῶν νεκρῶν δεχόμενος, καὶ πολλῶν σπερμάτων ἀνθρωπίνων ἐνταῦθα γίνεται φθορά. i. BRASSIC.

Per totam civitatem] mallem, si per codices liceret, *per ignotam civitatem*.

Stabulum] Cauponium, diversorium. GLOSS.

Accessit ad me paterfamilias] Aliæ editones & MS. *paterfamiliæ*. ad quam conditionem & infra de Trimalcione cap. 27. *Ipse paterfamiliæ*, &c. Et postea cap. 31. Puto tamen hoc loco Grajam inflexionem à Petronio servatam ἐυφωνίας ἕνεκα. ERHARD.

Et ducem se itineris] *Et se ducem itineris* Mem. cod. recte. BOSCH.

Amfractus] Amfractus, obliqui viarum flexus in se recurrentes. GLOSS.

Deinde] *Dehinc*. Leid. cod. placet. BOSCH.

Egressus] Lege *ingressus*. Jungermannus vulgatæ lectioni favet, quod infra legatur, *per tenebrosum & sordidum egressum extrabo Gythona*. ERHARD.

Perduxit] MS. *produxit*. TORNÆS. Vetus codex *produxit*: quod rectum est, sive hoc verbum simpliciter accipias, sive cum emphasi: Nam ut de mimis scenicisque, ita & de prostitutis usurpatur, ut & paulo post. PUTEAN. Justin. 1.8. *refugiens Cyrum ad angustias usque produxit*.

Peculio] Peculium inter Romanæ nequitiæ vocabula usurpatur pro ea parte, qua viri sumus. GLOSS. Ita vet. cod. vulgo *pecuo*, forte *peniculo*. SAMBUC. Sic in obscœno carmine ad calcem Virgilii,

Pulcre pensilibus peculiati.

Ita & apud Lamprid. Heliogab. DELBEN. Recte *peculio*. Unde apud auctorem Priap. *peculiatus*. Obscœnum enim est verbum & apud Plautum in Pseudolo Act. IV. sc. VII. vers. 91. DANIEL. Vetus Lexicon *Peculium pro asse vel denario ponitur. Petronius; Prolatoque peculio*. Infra; *Jovem quoque peculio exorat*. Lamprid. in Heliogab. *Homines ad exercendas libidines bene vasatos, & majoris peculi opponit*. In Priapejis & apud Plautum. BONGARS. Vulgo, *pecuo*. Sambucus conjicit, *peniculo*. sed *peculium* est optimum. nam *peculium* est τὸ ἀιδοῖον, ut & infra, & apud Plautum. RITTERSH. *Peculium* etiam ad eam rem usurpatur à Plaut. in Pseud. Act. IV. sc. VII. vers. 91.

Mea

cella meretrix assem exegerat, jam ille mihi injecerat manum, & nisi valen-

——— *Mea quidem hæc habeo omnia*
Meo peculio empta. BA. nempe quod semina summa sustinent.

Lamprid. in Heliogab. Hi vocantur *pulchre peculiati* Priap. Scalig. in Catalect. ad Priap. *Peculium* inter Romana nequitiæ vocabula usurpatum antiquis, testimonio est illud è Carmine libero;

Pulcre pensilibus peculiati:

ubi de vasatis probe ac mutoniatis est sermo. Douza Centurion. lib. 4. cap. 9. *Peculium* proprie dicitur id quo viri sumus. Schopp Explanat. in Mostell. a. 1. sc. 3. *Prolatoque peculio*, id est, mentula. hinc *peculiare* aliquem pro stuprare dixit Plaut. Persa: & *peculiati* sunt peculio instructi sive mentulati, in Priap. carmine 52. ubi idem Scopp. in Comment. ERHARD.

Coepit rogare] Genus loquendi frequens Petronio. GLOSS.

Pro cella] *Cella* locus liber, in quo venerei homines & voluptuarii nequam faciebant, eas à lenonibus conduci mos erat. GLOSS. Brissonius libro de jure Connub. legit, *Proseda meretrix*. sed nihil mutandum puto. Meretricis enim *sella* proprie dicitur. Juvenal. sat. 3.

Et dubitas alta Chionem deducere sella.

Deinde *proseda* meretricem significat, ut non fuerit opus ad eam exprimendam & denotandam substantivo altero idem valente, cum hoc otiosum esset & παρέλκον, quod vitium incidisse disertissimum Petronium non est verisimile. Scribendum vero *procella*, per *c*. Juvenal. sat. VI. vers. 121.

Intravit calidum veteri centone lupanar
Et cellam vacuam atque suam. &c.

Et paulo post vers. 127.

——— *tamen ultima cellam*
Clausit, adhuc ardens rigidæ tentigine vulvæ.

DANIEL. Οἴκημα. in cujus aditu scorta prostabant, titulis inscriptum. ideo Martialis *inscriptæ limina cellæ*. In Senecæ controv. lib. 1. *Superpositus est cellæ tuæ titulus*. Tertull. de Pudic. lib. 1. *Sub ipsis libidinum titulis*. Juvenalis Satyr. 6. *Intravit cellam*. Interpres: *non sellam, quoniam in cellis nomina meretricum supra scripta erant*. unde apparet, quid *tituli* appellatione notent, nimirum stupri precium, & nomen meretricis. Seneca lib. 1. Controv. *Nomen tuum pependit in fronte, stetisti cum meretricibus*. Inscriptionum insigne exemplum in Historia Apollonii Tyrii: *Puella prostravit se ad pedes: Miserere virginitatis meæ, ne prostituas hoc corpus sub tam turpi titulo. Leno vocavit villicum puellarum, & ait: Ancilla exornetur, scribatur ei titulus: Quicumque Tarsiam defloraverit, mediam libram dabit, postea populo patebit ad singulos solidos*. vide Senec. lib. 1. Controvers. 11. Πορνεῖα, seu ut Plautus, *lustrales cellæ* arcuatæ erant. Isidorus libro 10. *Formicatrix est cujus corpus publicum. Hæ sub arcuatis prosternebantur, quæ loca fornices dicuntur*. Glossæ: *Fornicaria*, πόρνη ἀπὸ καμάρας, ἢ ἑστῶσα. Hinc Martial. *monumenta*, quod adinstar hypogæorum. lib. 1. epigr. 35.

A Chione saltem vel Laide discе pudorem.
Absondunt turpes hæc monumenta lupas.

Quamquam loca ædilem metuentia remota & aditus obscuri. Petron. cap. 7. *at subinde ut in locum secretiorem venimus*. Hoc cap. *per amfractus obscurissimos in hunc locum perduxit*. Isidorus lib. 10. *Ganeo. luxuriosus, & tamquam in occultis degens, quæ ganea Græci vocant*. WOUWEREN. Camera, lupanari, in quam se à pullipremo quodam Ascyltos deductum ait, ubi pœnas penitas, prompto præsertim in rem præsentem peculio, daturus fuerat. Porro talibus cellis ejus, qui eas conduxerat, nomen, quem *titulum* vocat Seneca, inscribebant, ut docet Douza. Schoppius in Miscellan. In aliis legitur, *jam pro sella meretrix*. unde Brissonius *jam proseda*, ex Plauti Pœnulo; lib. de Jure connub. cap. 6. Potest etiam retineri *procella* juncto vocabulo, ut dicatur sicut *prostibulum*, quod ante stabulum stet, ita *procella* quod ante cellam: quemadmodum & *ancillam* dictam volunt, quasi ante cellam. In scriptis Patrum ancillas observamus concubinarum munia subiisse: sed & *ancillam* pro meretrice positam. Symphosianus in Hist. Apollonii Tyrii; *Leno vocavit villicum puellarum, & ait: Ancilla exornetur, scribatur ei titulus. Quicumque Tarsiam defloraverit*, &c. Nihil tamen muto. ERHARD. De cellis hujusmodi copiose Torrentius ad Suetonii Tiberium cap. 43. Mos natus ab obscœnitatis lupa. quem morem sic pluribus explicat Jul. Firmicus Maternus de error. profan. Relig. *Statuisse etiam, ut quicumque initiari vellet secreto Veneris sibi tradito, assem unum mercedis nomine Deæ daret*. Quidam hic legunt, *prosella*, unde *Sellaria* Tiberii loc. citant. BOURDELOT. Vide Ferrar. lib. 2. elector. cap. 18.

Assem exegerat] Quadrans lavationis pretium, & merces fuit As, ut ex hoc loco apparet, cellæ meretriciæ. Sane locus Plutarchi in Cicerone ad prostibuli mercedem mihi pertinere videtur. Sic infra cap. XCV. *Vos me hercule ne mercedem cellæ daretis*, &c. Brisson. emendat in lib. de Jure connub. male. PUTEAN. Arnob. 5. *Cypriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus, quorum conditor indicatur Cyniras rex fuisse: in quibus sumentes ea certas stipes inferunt ut meretrici*. Clemens, νόμισμα ἢ εἰσφοραὶ αὐτῇ οἱ μυούμενοι ὡς ἑταίρᾳ ἔρασαι. FR. PITHÆUS. Juvenal. Satyr 6.

Excepit blanda intrantes, atque ara poposcit.

Seneca lib. 1. Controv. *pretia stupri accepisti*. Notandum illud Tertull. *Ipsa etiam prostibula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, locus, stipes, elogium etiam, quibus opus non est, prædicatur*. WOUWEREN. Infra cap. XCV. Hinc *multivolæ* dictæ meretrices. Je-

valentior fuissem poenas dedissem. *adeo ubique omnes mihi videbantur satyrion bibisse. * * * junctis viribus molestum contempsimus. * * *.

IX. [a] Quasi per caliginem vidi Gitona in crepidine semitae stantem, &

ENCOLPIUS.

sus Sirachides cap. 9. *Nec respicias mulierem multivolam, ne forte incidas in laqueos illius.* ERHARD. *Assem exegerat.* haec non tam vulgarium prostibulorum merces fuit, quam Lenarum, quae pro cella illam exigebant. Quod egregie docet inscriptio apud Gruter DCLII. 1.

VIBIAE. D. L. CALYBENI. LIBERTAE. LENAE. AB. ASSE. QUAESITUM. LUCRO. SUO. SINE. FRAUDE. ALIORUM.

Et ita capio illud in Fragmento Tragur. cap. 43. *ab asse crevit.* Meretricum vero capturam etiam certam fuisse, & titulo adscriptam docet Ovidius 1 am. 10.

Stat meretrix cuivis certo mercabilis ære. BURM.

Injecerat manum] Solemnis ex jure locutio, ubi quis vi aliquem in jus trahebat, vel rem suam vindicabat. v. Serv. ad Virg. x. Æn. vers. 419. & leg. x. §. 1. ff. de in jus vocando. Horat. 1. od. 17.

——— *Nec metuens protervum*
Suspecta Cyrum, ne male dispari
Incontinentes injiciat manus.

Ovid. Epist. XII. 158.

Clamarem, meus est, injiceremque manus.

Epist. VIII. 16.

Injice non timidas in tua jura manus.

Illud autem *poenas dedissem*, obscoenum habet sensum. BURM.

Valentior] Ovid.

Insequitur, fugio: fortior ille fuit. FR. PITH.

Dedissem poenas] Priap. carm. LI.

Nimirum apertam convolatis ad poenam.

Et carm. LXI.

Furatum venit huc amore poena.

Mart. IX. 6.

Immatura dabant infandas corpora poenas. F. PITH.

Satyrion bibisse] Ad libidinem incitari vi illius herbae. GLOSS. Plinius Satyrion Venerem, etiam si omnino manu teneatur radix, stimulare scribit. & paulo post subjicit; *In totum quidem Graeci, cum concitationem hanc volunt significare, Satyrion appellant.* Quod de Satyrio alii scripserunt, non est hic necesse rescribere. PUTEAN. Hesychius: σατύριον πόα τις συντρέχει πρὸς τὰς ἀφροδισίας ὁρμάς. Cælius Aurelianus lib. III. *Satyriasis est vehemens Veneris appetentia. Vocatur autem ab herbae virtute, quam Satyrion vocant. Hanc enim accipientes in Venerem provocantur, cum tentigine genitalium partium. Sed antecedentis istius passionis sunt epota medicamina ob usum Venereum excitandum, quae satyrica vocant, quae sunt acria atque incentiva & nervis improba.* WOUWEREN. Ad libidinem esse incitatos & inflammatos è vi illius herbae. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 6. Petronius infra cap. XXI. *Illine puella penicillo, quod & ipsum satyrio tinxerat. Ascylton opprimebat.* Theodorus Priscianus lib. 2. Logic. cap. 11. *Satyriasis, gonorrhaea vel priapismus, quibus similis est sub immoderata patratione molestia, his accidentibus disterminantur. Gonorrhaea sine veretri extensione vel usus veneris desiderio, spermatis affluentissima sub effusione corpora debilitat, & per chronica tempora producitur. Satyriasis vero ex certa corporis incommoditate, quae etiam mulieribus aliquando contingit, quam metromaniam aliqui appellaverunt, & desiderium insatiabile, & tensionem particulae cum assidua patratione facit. hanc passionem priapismum aliqui appellaverunt.* Apulejus Medicus de Herbis cap. 15. *Graecis dicitur satyrion, Itali priapiscon, alii orminalem, alii testiculum leporinum nominant.* An igitur ex herba ista potus ejusmodi confectus, quo frigentibus ad officium virile membris mederentur? An ipsius herbae expressus succus ei rei faciebat? Idem Apulejus ibidem; *Si quis mulierem subagitare non poterit, herbae priapisci radicem, id est, testiculum dextrum, quia major est*, &c. Vide omnino Isidor. Etymolog. lib. 17. cap. 9. ERHARD.

Quasi per caliginem] V. C. habet interiectum nomen ENCOLPIUS. quasi quae sequuntur, sint ex persona Encolpii. Scal. WOUWEREN. V. C. habet hic praepositum nomen ENCOLPIUS. Sed Encolpii persona in toto hoc Satyrico loquitur sub auctoris facie, sicut Asinus in Milesiis sub Apuleji. ERHARD. Cicer. Philipp. XII. *quod videbam equidem, sed quasi per caliginem praestrinxerat aciem animi Bruti salus.* Et lib. 5. de finib. *Vis naturae per caliginem cernitur.* Plin. lib. 5. Ep. 8. *adhuc tamen per caliginem video.* SCHIOPP.

Vidi Gitona in crepidine] Sic scripsimus, cum sequutae Scaligerum Editiones postremae invitis MSS. *Gnitona* supposuissent. Scimus quid haec dictio sonet in Lycophrone, apud quem solum me reperisse fateor. Sed & scripti, & impressi plerique codices, lectionem nostram tutantur. Amoris nomen illud, ut amoris origo, vicinia, patet apud Ovidium fabulatorem narratione Pyrami. Solent autem Latini in ejusmodi nominibus vocalem literam elidere. Unde miror virum illum trimegistum Is. Casaubonum scripsisse ad illud Pers. Sat. 5.

——— *lapidosa Chiragra.*

melius, inquit, *Cheragra*, ob metrum: Nam primam in eadem dictione syllabam corripuit Martial.

Sed nil patrono porrigis, haec Chiragra est.

primam item in *Phidiae*:

Lysippi lego, Phidiae putasti.

Ita & Auson. Secundam in *Orichalco*, Virg. 8. Æn. Stat. Thebaid. 2. secundam in *Epirota* Ausonius. Copiosè

& in eumdem locum me conjeci. * Quum quaererem, Num quid nobis in prandium frater paraſſet, conſedit puer ſuper lectum, & manantes lacrymas pollice exterſit. Perturbatus ego habitu fratris, quid accidiſſet, quaeſivi. at ille tarde quidem & invitus, ſed poſtquam precibus & iracundiam miſcui: [a] Tuus, inquit, iſte frater, ſeu comes, paullo ante in conductum adcucurrit, coepitque mihi velle pudorem extorquere. Quum ego

a GITON.

pioſe de ablatione literæ è Marcell. & Hermol. ad Plinium, Scaliger ad Auſonium. BOURDELOT.

Crepidine] Crepidines viarum, ipſæ eminentiæ dextra ſiniſtraque, vel ubi viæ conveniunt. GLOSS. Ita Servius. FR. PITHÆUS. Ugnitio; *Crepido ponitur quandoque pro caverna, ubi viæ conveniunt, in qua ſolent pauperes latitare vel mendicare.* Unde Juvenal.

Nulla crepido vacat. ——

Sed hoc loco *crepido* eſt locus excelſior. In Hiſtoria Judith. cap. 7. *Et venerunt per crepidinem montis uſque ad apicem, qui reſpicit ſuper Dothain.* Hinc & *crepida* dictæ ſoleæ eminentiores. ERHARD. Ita Curtius IV. 5. dixit *crepidinem portus.*

Numquid] Scribe, *num quid*, ut habent alii cod. Pith. PATISSON. V. C. *num quid*, recte, diſpeſſis nimirum vocibus, pro, num aliquid. ERHARD.

In prandium] Ita Terent. And. II. 2. *olera & piſciculos minutos ferre obolo in caenam.*

Frater] Hic pro amaſio, ſive pueri, ſive puellæ. GLOSS.

Lacrymas pollice expreſſit] An potius *exterſit*? Ovid. XIII. Met. 745.

—— *& lacrymæ vocem impediere loquentis,*
Quas ubi marmoreo deterſit pollice virgo.

Idem: IX. Met. 395.

Eurytidos lacrimas admoto pollice ſiccat
Alcmene. ——

Catull. LXVI. 30.

—— *ut terſti lumina ſæpe manu.* FR. PITH.

Scio quid interpretamenti adferant Scholiaſtæ; ſed fortaſſe non abſurde à Terentio lucem accipiet, ſc. I. Act. I. Eunuch.

—— *Una mehercule falſa lacrymula,*
Quam oculos terendo, miſera, vix vi expreſſerit.

Adrian. Behotius Apophoret. lib. 3. cap. 14. Lege *Pollice exterſit*, quod puerorum eſſe quiſque novit, Piccartus Periculor. Crit. cap. 17. Hinc totum effictum eſt illud Martialis epigramma: lib. I. 93.

Sæpe mihi queritur non ſiccis Cæſtus ocellis,
Tangi ſe digito Mammuriane tuo.

Ant. Parthenius in Catulli epigr. ad Aurelium. ERHARD. In aliis *expreſſit*, utraque lectio tolerabilis; poſſit enim illa Ovidii & aliorum, hæc vero ipſius Terentii defendi. Forſan Giton puer meretricum more, quæ decenter coactis oculis lacrymare didicerunt, etiam lacrymas ad oſtentationem doloris exprimere voluit. BOSCH.

Fratris] Scholiaſtes Lycoph. Τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφὸν τὸ ἐρωτικὸν ποιοῦσιν οἱ γὰρ ἐρῶντες φαμεθῆναι λέγουσι, ἀδελφός μου ἢ συγγενής μου ἐστίν. FR. PITHÆUS. Lege *ego*. *Habitu* dixit, modo loquendi Romano, qui *habitum* corporis & univerſi corporis diſpoſitionem vocant. Puteanus in Genial. ſerm. & Piccartus Pericul. Crit. cap. 17. ERHARD.

Tuus iſte] pronomen hoc odium & contemtum notat. v. Donat. ad Terent. Eun. I. 2. *cum milite iſto præſens, abſens ut ſies.* appoſite Ovidius I. amor. El. 8.

Ecce quid iſte tuus præter nova carmina vates
Donat?

v. Barth. ad Stat. IV. Theb. 430. & XI. 289. BURM.

In conductum] In hoſpitium. Sidon. lib. 5. epiſt. 17. *Placuit ad conductorium Syagrii Conſulis civium primi coire. Conductor*, hoſpes & ſtabularius. Rutilius;

Hoſpite conductor durior Antiphate.

Savaro Notis ad Sidon. ERHARD. Cicero pro Cluent. 62. *ſolebat enim extra portam aliquid habere conducti.* Ita Jurisconſulti paſſim *in cunducto habitare. leg.* I. §. 9. de his qui effuder. BURM.

Accucurrit] Alii *aucucurrit*. forte *obcucurrit*. Lucret. lib. 4.

—— *Nobis obcurrit imago.*

Virg. 3. Æn.

Vittis & ſacro redimitus tempora lauro
Obcurrit ——

pro, accurrit. *ob* pro *ad* poni notum eſt. ERHARD.

Coepit velle] Hygin. cap. 4. *coepit velle filios ejus necare.* BARTH. Quem & vide lib. 12. adv. cap. 1.

Pudorem extorquere] *Pellere pudicitiam* dixit Plautus Epidic. *Plane hic ille eſt, qui mihi primus in Epidauro pudicitiam pepulit.* Sic *ruptam virginitatem* dixit Fabius Declamat. 248. Infra cap. XXV. *Devirginetur Pannychis noſtra.* WEITZ.

Cum ego proclamarem] Apul. lib. I. Met. Ulp. leg. 4. § 2. ad L. Corneliam de ſicar. *Plane ſi ipſi, qui hanc injuriam paſſi ſunt, proclamaverint, audire eos Præſes Provinciæ debet.* Atque ita proclamare *Quiritare* dicitur, hoc eſt, Quiritium fidem invocare, ut Petron. cap. XXI. Tertull. adverſus Valentin. cap. XIV. *Ut etiam inclamarit, quaſi Porro Quirites, aut fidem Cæſaris.* Lucianus: ἐπεὶ ὁ πολλάκις ὑπὸ Καίσαρος ἀνακεκραγὼς ἐπεθύμει, ἢ ἀγχόμην, καὶ τὸ μὲν ὦ ἰδέσθαι, τὸ δὲ Καῖσαρ οὐκ ἐπεκαλεῖτο. Sed hæc vulgatiſſima. Inde *proquiritare legem*, promulgare, verbum decemvirale. Sidonius lib. VIII. ep. VI. WOUWEREN. Lege, *por-*

ego proclamarem, gladium ſtrinxit; &, ſi Lucretia es, inquit, Tarquinium inveniſti. "Quibus ego auditis, intentavi in oculos Aſcylti manus: &, quid dicis, inquam, muliebris patientiæ ſcortum, cujus ne ſpiritus purus eſt? Inhorreſcere ſe finxit Aſcyltos; mox ſublatis fortius manibus,

ENCOLPIUS.

ro clamarem. Volebat Eucolpius quiritare, ſive *Porro Quirites* clamare, ſed impetu Aſcylti interveniente priorem tantum dictionem abſoluit. *Porro Quirites*, clamabant opem Quiritium ſeu civium Romanorum implorantes. Schopp. Veriſimil. lib. I. cap. 16. ſed inepte. vide Wouwer. hoc loco, & Coler. in Parerg. (ubi tacito nom ne Schoppium flagellat) & Scip. Gentilem in Apuleji Apolog. ERHARD. Ex MSS. & Virgilio reſcripſimus, *quum ego clamarem.* Idem poſtea, *longe majore niſu clamavit.* BOURDELOT. Non movenda vox. Apulej. VII. Met. *ejulans & exinde proclamans ſtabulum erumpit meum.* Et I. Met. *proclamares ſaltem ſuppetiatum, ſi reſiſtere vir tantus mulieri nequibas.* Quinctil. declam. IV. *Proclamo, teſtor.* BURM.

Gladium ſtrinxit] Gloſſ. ἐσπάσατο ξίφος, *ſtrinxit enſem.* Infra cap. 80. *At ille gladium parricidali manu ſtrinxit.* Euripid. Iphigen. Aulid.

——— ἐξὺν χειρὶ φάσγανον σπάσας κολεῶν ἑσωθεν

Homer. Iliad. α. verſ. 194.

Ἕλκετο δ' ἐκ κολεοῖο μέγα ξίφος.

Idem Odyſſ. κ. verſ. 439.

Σπασσάμενος ταυύηκες ἄορ παχὺ παρὰ μηρῦ.

Nonnus Dionyſiac. lib. 23. verſ. 61. ἄορ ἐν γύμνωσεν. WEITZ.

Intentavi in oculos Aſcylti manus] Sueton. Cæſare cap. 14. *Strictos gladios uſque eo intentans.* Virgil. III. Æneid.

Præſentemque viris intentant omnia mortem.

Pacuvius Atalanta: *Mortem intentant, regno expellunt, conſanguineum me eſſe abdicant.* Ita lege apud Nonium *Abdicare.* WOUWEREN. Infra cap. XCV. *Veru extis ſtridentibus plenum in oculos ejus intentat.* & cap. CVIII. *Intentans in oculos Tryphænæ manus.* ERHARD.

Muliebris patientiæ ſcortum] qui patitur, quæ mulieres pati conſueverant, præpoſteris libidinum ardoribus. GLOSS. Vide Auſonii epig. CXXIII. Firmicus Aſtr. lib. 3. cap. 7. *Patiantur, quæ mulieres pati conſueverunt, præpoſteris libidinum ardoribus.* WOUWEREN. Sic vocat extremæ mollitiæ arguens. Sic Claudianus Eunuchum vocat *feminam* à mollitie, non ſexu. Sic *femineas querelas*, quæ non deceant virum, Statius dixit. & ſimilia, quæ congeſſit Barth. ad Claudian. n. 1478. Petron. infra cap. CXIX.

Quæque virum quærunt. ——— ERHARD.

De viro pathico etiam Juſtinus lib. IX. 7. *Pauſaniam Attalus non ſuæ tantum, verum & convivarum libidini, velut ſcortum vile ſubjecerat.* Quintil. Decl. III. *Ecce cum maxime hoc agitur, ut inter Romanorum Legionum manipulos ſcorta deligere, & ad ſtuprum trahere ſacramento rogatos poſthac liceat ex decreto tuo.* BURM.

Cujus ne ſpiritus purus eſt] Sueton. Neron. *Ex nonnullis comperi, perſuaſiſſimum habuiſſe eum, neminem hominum pudicum, aut ulla parte corporis purum eſſe.* FR. PITHÆUS. Cic. III. Verr. c. 28. *Apronium hominem vix liberum, contaminatum, perditum, flagitioſum, qui non modo animum integrum, ſed ne animam quidem puram conſervare voluiſſet.* Ubi licet notes hallucinationem viri magni, qui animæ facultatem hic innui exiſtimat animi appellatione. Quod in Tuſculana clarius dixerat: *Animis anima contmetur.* Etenim longe aliud & flagitioſum quidam atque ἄῤῥητον intelligitur per animæ impuritatem. DOUZA F. Propter fellationem, aut oris ſtuprum, ut loquitur Arnob. lib. II. Minut. Oct. *Qui medios viros lambunt, libidinoſo ore, inguinibus inhæreſcunt.* Seneca de ira lib. 2. cap. 8. *Raptus ad ſtupra, & ne os quidem libidini exceptum.* Petron. mox. *Qui ne tum quidem, cum fortiter faceres, cum pura muliere pugnaſti. Non pura mulier*, eſt fellatrix. Catull.

——— *Puræ impura puellæ*
Savia comminxit ſpurca ſaliva tuæ.

Juvenalis Satyra X.

——— *Quot longa viros abſorbeat una*
Maura die.

Comment. *Hanc oſtendit ore fuiſſe impuram.* eandem innui puto à Firm. lib. 3. cap. 7. *Erit impure libidinoſa.* Adde Martial. lib. VII. ep. 66. WOUWEREN. Propter fellationem ſcilicet. ita intelligo quod infra de cynædo ait, *baſits olidiſſimis inquinavit;* hinc fellatores dicuntur homines *malæ linguæ*, id eſt, fœtidæ & male olentis, Martiali & Minutio. *Spiritus & anima* pro oris halitu & odore. Plaut. Mercat. *Jam plenus ætatis, animaque fœtida ſenex hircoſus.* Tertullian. de Spectac. *Harenarios illos amantiſſimos, quibus viles animas feminæ, aut ipſæ etiam corpora ſubſternunt.* Flagitium ipſum ſpurcidicum & immemorabile quidem, expreſſit tamen Arnobius lib. 2. *Nihil pati renuentes, ad oris ſtuprum paratæ.* Et ejus diſcipulus Lactantius lib. 6. cap. 23. *Quorum teterrima libido & execrabilis furor ne capiti quidem parcit.* vide Wouwerii Not. ad Minutium, Elmenhorſt. ad Arnobium, Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 2. epigramm. 61. num. 6. ERHARD. Ad Leid. cod. oram Joſ. Scaliger, *nec probe.* BOSCH. *Spiritus* recte viri docti de anima ſive gravi oris odore capiunt, per fellationem impuro. Cicer. in Piſon. 9. *neque tam ſui timidus, ut frontis tuæ nubeculam, tam collegæ tui contaminatum*

bus, longe majore nisu clamavit: [a] Non taces, inquit, gladiator obscoene, quem de ruina arena dimisit? Non taces nocturne percussor, qui ne tum quidem, quum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti? cujus eadem

a ASCYLTOS.

tum spiritum pertimescerem. Tales notat Juvenal. Sat. VI. 50.

Paucæ adeo Cereris vittas contingere dignæ
Quarum non timeat pater oscula.

Et Sat. X. 238.

——— *tantum artificis valet halitus oris*
Quod steterat multis in carcere fornicis annis.

Ubi recte Scholiastes dicit *impuram* demonstrari, BURM.

Longe majore risu clamavit] Legendum *nisu*, hoc est, conatu, impetu vehementiore. Gulielm. Plaut. quæst. in Epid. cap. ult. ERHARD.

Gladiator obscœne] Fugitivus in arenam damnatus, & cum fœda aliqua muliere commissus, quæ præter spem ruina pegmatis evasit. GLOSS.

Quem de ruina arena dimisit] Scribe *arena ruina dimisit.* RITTERSH. Sic legendum dixi Verisimil. I. cap. 16. Ostendit Auctor animadversionum in Martialem lib. I. Ep. 69. hanc conjecturam non sibi displicere, quippe quam suam esse, videri quidem certe suam maluerit. SCIOPP. Pegmata machinæ è ligno, quibus usus in theatris, in quibus varia inventa & stupendi lusus ingeniorum crescebant in sublime: subsidebant eadem, quin interdum chasmate & ruina subita dehiscebant, sive tota pegmata, sive homines, qui impositi. de hominibus hic Petronii locus. Significat enim aperte, fugitivum illum in arenam damnatum, & cum fœda muliere aliqua commissum, ruina pegmatis præter spem evasisse. Lipsi. de Amphitheatr. cap. 23. Lege trajectis voculis, *de arena ruina dimisit.* Pegmati impositi si forte præcipitati essent, & incolumes evasissent tamen, vitam cum libertate quodam populi favore dono quasi acceperunt. talem Eucolpium hunc fuisse ait Ascyltus. Schopp. Verisim. lib. I. cap. 16. Vide tamen Scalig. ad Manilium, & quæ infra adscripsimus ad illa verba cap. LXXXI. *Ergo me non ruina terra potuit haurire?* ERHARD. Vide Casaubon. ad Sueton. Caligul. cap. 26.

Nocturne percussor] Petron. cap. LXXXII. *Notavit me miles, sive ille planus fuit, sive nocturnus grassator.* Plinius panegyr. Trajan. *Vidimus delatorum judicium quasi grassatorum, quasi latronum.* Phocas in vita Virgilii;

——— *quem vox armabat in umbris*
Grassari solitum ———

Grassatores sunt λωποδύται. sic optime explicat Glossarium; λωποδύτης, *grassator.* λωποδυσία, *grassatura.* Fr. Lindenborg. Not. in Catalect. ERHARD.

Cum fortiter faceres] Apul. lib. 2. de Asin. *Abi ergo, ac te præpara, tota enim nocte tecum fortiter & ex animo prælior.* & alio loco: *Præliare, inquit, & fortiter præliare. Nec enim tibi cedam, nec terga vertam.* FR. PITH. à Militari disciplina, ubi audens aliquid magnanimum, *FORTITER facit.* Martial. lib. XI. 57.

Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Servius ad illa Virgil. lib. IV. Georg. v. 561. *Cæsar ad altum Fulminat Euphratem bello*, explicat *fortiter facit.* Quintil. Decl. CLXXXVII. CCXCIII. CCXCIV. CCCIII. Rufinus Hist. Eccles. lib. XI. cap. XXXIII. Ammian. lib. XXXI. BARTH. Quem & vide lib. 25. adv. cap. 2. *Fortiter facere*, pugnare, frequens apud Rhetores. Senec. lib. I. Declam. 8. *Qui ter fortiter fecit, militia vacet.* probe vero, ut multa à re militari. ergo *fortiter faceres*, seu *præliari*, ἀφροδισιάζειν. WOUWEREN. recte ostenderunt viri docti à Martis ad Veneris certamina transductam locutionem. Ita & simpliciter *facere.* Plaut. Pseud. IV. VII. 82. *etiamne facere solitus es,* noster infra cap. 87. *quare non facimus* & in cap. II. *nec adhuc quidem omnia erant facta.* Et nescio an non huc referri posset illud, quod frequens est in titulis sepulchralibus veterum, *Fecit cum marito*, ut facit Guther. lib. II. de jur. man. 27. quamvis aliter capiant Reines. ad inscr. class. XX. 216. & Fabrett. inscr. cap. IV. inscr. 119. qui illud abhorrere à veterum Christianorum castitate putat. Sed an non plura ex gentilitate Christiani receperunt, in quibus si censorio opere uteremur, non omnino ratio constaret? & qui quæso honestius consuetudinem illam circumscribere potuere? sed ad rem, eadem quoque ratio est vocis *pugnare*, quæ mox sequitur. Ita Donatus ad Terent. Eunuch. v. 2. Explicat hæc verba, *dabit hic aliquam pugnam denuo*, & exemplis aliquot firmat. *Prælia* quoque pro coitu dixisse Virgilium notant Servius & Philargyrius ad illa Virgilii III. Georg. 97.

——— *Si quando ad prælia ventum est.*

Et cui non notum est, Poëtas in hac metaphora passim luxuriare, & Veneris opus imaginem Martii certaminis facere. BURM.

Viridario] *Viridaria*, ἄλση, loca graminibus arbustisque consita. Plin. lib. V. ep. VI. Macr. Saturn. lib. I. cap. IV. in Pandectis Florentinis leg. 13. §. 4. D. de usufruct. *viridia.* leg. 79. §. ult. D. de verb. signif. *viridia.* WOUWEREN. Pro prato distinctis florum & arborum coloribus variegato, *Lustgarten*, Columellæ quoque, Plinio, Spartiano & Capitolino. Barthius ad Musæum num. 60. *Viridaria*, quæ & *viridia*, ἄλση, loca graminibus arbustisque consita. Brisson. de verb. signific. lib. 19. Gothofred. ad leg. 26. in princ. D. de instruct. & ad leg. 79. §. ult. D. de V. S. ERHARD. Vide ad Phædri lib. 2. fab. 5.

Eadem

eadem ratione in viridario frater fui, qua nunc in deversorio puer est? [a] Subduxisti te, inquam, à praeceptoris colloquio.

X. [b] Quid ego, homo stultissime, facere debui, quum fame morerer? an videlicet audirem sententias, id est, vitrea fracta, & somniorum interpretamenta? Multo me turpior es tu hercule, qui, ut foris coenares, Poëtam laudasti. [c] Itaque ex turpissima lite in risum diffusi, pacatius ad reliqua seceſſimus. * Rursus in memoriam revocatus injuriæ, Ascylte, in-

a ENCOLPIUS. b ASCYLTOS. c ENCOLPIUS.

Eadem ratione] Martial. IV. 7. *Here qui puer Hyle fuisti, Dic nobis hodie qua ratione Vir es.* FR. PITHÆUS.

In diversorio puer] Seneca, *Tota nocte pervigilat, quam inter ebrietatem domini, ac libidinem dividit. & in cubiculo vir, in convivio puer.* FR. PITHÆUS. Fugit hanc scripturam ratio. Non enim tam humiliter de se sentit bene peculiatus iste furcifer. Legam, unica littera transposita, & paullum immutata: *qua nunc in diversorio pueri es.* Sic digna exibit hominis arrogantia sententia. BARTH. Quem & vide lib. 25. adv. 2. Hæc vox apud scriptores ubique corrupta, præter unicum, Philoxenum (in glossis) qui tamen semel male, παιδοχεὺς, *diversoriarius.* Idem ubique bene, ut paulo anterius, παιδοχεῖον, *cauponium, deversorium*, V. C. Jo. Savaro ad Sidonium vult legi *diversorium*, corrupte. Idem Philoxenus originationis viam pandit: *deverticulum*, ἐκτροπὴ, ἔκκυσις, καταγώγιον. Idem καταλύω, κατάγομαι, *devertor*, scilicet ad hospitium temporarium, ad quod devertunt advenæ. Aliam tangit originationem Isidorus, sed debilis est. Marcellus etiam in mendo est, nisi legas, *deversoria*, à *devertendo.* Omnino autem improbanda est me judice Barthii lectio, *In diversorio pueri es*; quasi diversorium esset unius Gitonis. BOURDELOT Recte observat Bourdelotus hanc vocem ubique fere à librariis corruptam; & *devertere, deversorium*, &c. scribendum esse; idem observarunt Lambinus & Cl. Grævius ad Cicer. I. Verrin. 25. Gebhardus ad Cicer. Epist. ad fam. VII. 18. & Salmas. ad Capitol. Ver. 4. Tertullian. de Jejunio. VI. *ubi cum in spelunca devertisset, quam familiari congressu Dei exceptus est?* Et ita in Pandectis Florentinis exaratum fuit *devertere* leg. VI. ff. Naut. Caupon. *deversorium* l. XIII. §. ult. ff. de Usufruct. & ubique emendatiores codices hanc vocem eo sensu positam ita exhibent. Ita & Faernus in antiquis Terentii membranis Eunuch. Act. IV. 2. *deverticulum* repperit. BURM.

Subduxisti te à præceptoris colloquio] Ut Pistoclerus apud Plautum Bacchid. act. I. sc. 2. quem vide sis, quia oppido ad hunc Petronii locum facit illustrandum. ERHARD.

Quid ergo] Alii, *quod ego.* TORNÆS.

Cum fame morerer] Hinc proverbialis locutio, *pro pane rogare aliquam*, id est, de stupro compellare, apud Bebelium in Facetiis, ubi hi versus non nuperi, sed antiquitus facti leguntur;

MONACHI.

En sumus hic nos tres, vos tres pro pane rogantes;
Nos sumus ex illis, qui tru limus illud in illis.

MONIALES.

Adsumus & nos tres, vos tres supponite nos tres:
Nos sumus ex illis, qui cludimus illud in illis.

ERHARD. Non amo nimis ingeniosos. an non simpliciter hæc verba capere præstat de Ascylto, cujus animus in patinis esset, dum alii toti in declamationibus audiendis erant? & diem jam in vesperam inclinatum fuisse docet sequens caput. BURM.

Vitrea fracta] Xiphil. in Claud. ὥστε καὶ τὸ λογοποιηθῆναι ὅτι καὶ ὑάλινα σκεύη δῶ συντετριμμένα τινὰ, πολίτης ἦναι. FR. PITHÆUS. Ita lepide & urbane legitur. Res nihili frivolæque, & nugæ, perquam scite à veteribus dictæ sunt, *vitrea fracta*: & adhuc hodie moris est Gallis, de neglectis dicere, *Non darem vitreum fractum.* Martial. *sulphurata fractis permutat vitreis.* Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 6. Gilbert. Cognatus in Adagior. συλλογῇ, Raderus Martial. lib. I. epigr. 35. & lib. 10. epigr. 3. ERHARD. Vide Barth. ad Stat. lib. I. Sylv. 6. 74.

Somniorum interpretamenta] Recte ita vocat ineptas & inanes declamationes. Ita passim Latini *somnia*, & Græci ὀνείρατα vocant vanas & nihil frugis habentes sermones. Terent. Phor. Act. v. sc. 6. v. Plautum Amphit. II. II. 65. & 106. & passim. Lucian. Harmonide πάντα ἐκεῖνα ὑπνώματα ὀνείρατά φασι, καὶ ἐπῶν σκαί. BURM.

Qui, ut foris coenares, Poëtam laudasti] Corrogabant Romani auditores, & impensis cœnarum suffragia illorum redimebant, quod & in causidicis notat Juvenal. Satyr. 13. Vide Casaubon. Commentar. in Persii Satyr. I. De Poëtarum recitationibus, auditoribus & acclamationibus, de recitationum origine, usu, & consuetudine tam apud Græcos quam Romanos fusissime differtat Raderus Commentar. in Martial. lib. 10. epig. 60. quem vide. ERHARD.

Diffusi] Proprium lætitiæ verbum, de quo plura infra. cap. 71. Apulej. II. Met. *ego insperato lucro diffusus in gaudium.*

Rursus in memoriam revocatus injuriæ] Justinus l. 7.

Revo-

inquam, intelligo nobis convenire non posse, itaque communes sarcinulas partiamur, ac paupertatem nostram privatis quaestibus temptemus expellere. Et tu literas scis, & ego, ne quaestibus tuis obstem, aliquid aliud promittam. alioqui mille causſae nos quotidie collident, & per totam urbem rumoribus different. Non recusavit Ascyltos, &, [a] Hodie, inquit, quia tamquam scholastici ad coenam promisimus, non perdamus

ASCYLTOS.

Revocatus in memoriam oraculi. Idem lib. 1. *In memoriam somnii responsique revocatur.* ERHARD.

Intelligo nobis convenire non posse] Modestinus in l. 1. §. 1. D. pro socio: *Dissociamur renunciatione.* Hujus formula hic apud Petronium, & Apul. Milesiar. x. *Si tibi societas ista displicet, possumus omnia quidem cætera fratres manere, ab isto tamen nexu communionis discedere.* Sic amicitia renunciabatur, & inimicitiæ denunciabantur. Sueton. Caligula, Tacit. v. Annal. quos adducit Durantius Variar. lib. 11. cap. XI. præter eos Livius lib. XXVI. Sueton. Augusſt. cap. LXVI. Cicer. pro Flacco. vide Lipſ. ad Taciti Annal. lib. 11. WOUWER. Vide infr. ad illud cap. 79. *Res tuas ocius tolle.* ERHARD.

Nobis convenire] Infra; cap. 49. *Vide quam non conveniat his moribus.* Et cap. 98. *Si perirem, conveniret inimicis.* Sic Martialis dixit; *Miror, non bene convenire vobis.* Rader. ad Mart. lib. 8. epig. 35. ERHARD.

Privatis quaestibus temptemus expellere] *Privatis*, id est, singuli suis, quod veteres dicebant *privis*, ut docet Festus. Papias; *Privus, privatus, vel proprius. Privatim, proprie, singulatim, ad verbum discretivum.* Cic. 3. de Finib. *Verbis in dicendo quasi privatis utuntur & suis.* ERHARD.

Quaestibus tentemus] Alii, *quaestionibus conemur.* PATISSON. Forte *quaestus rationibus.* HEINS.

Temptemus] *Temptare*, idem quod tentare. GLOSS.

Literas scis] Non de studiis & artibus liberalibus, sed de primis scribendi elementis, sive ut Capitolin. in Pertinace cap. 1. vocat, *literis elementariis*, capi debet hæc locutio; quæ idem notat, quod ludimagister esse potes, ad quem quæstum ex magna fortuna delapsi sæpe se conferebant, ut Dionysii exemplo satis constat. Eo sensu Nero optabat, se *nescire literas*, Suet. cap. 10. & Cæsar de Sylla dicebat, eum *nescisse literas*, quia dictatura, id est magisterio populi, se abdicaverat. Sueton. cap. 83. infr. cap. 46. *Literis satis inquinatus est.* Et Jurisconsultus l. 11. §. 4. ff. de muneribus. *Qui primis literis pueros induunt.* Vitruv. 1. 1. *Architectum literas scire oportet.* Et frequentem illam JCtis locutionem docent Duarer. anniversſ. disp. 1. 3. & Nerius Analect. 11. 12. & hinc ludimagistros *literatores* & *literatos* dictos docet Wouwer. de Polymath. IV. quo sensu Columell. 1. cap. 8. *illiteratum villicum* dixit. BURM.

Aliquid aliud promittam] Qui professores sunt artium, *promittere* dicuntur: id est, aliquam aliam artem pollicebor. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 6. imo, profitebor, ne, si & ipse literas doceam, lucro tuo obsim atque officiam. ERHARD. Aptum verbum arrogantibus & pædagogico fastu tumentibus ludimagistris, & quicumque artem aliquam venditant, ut egregie ostendit Gebhard. lib. 1. Crepund. cap. 14. Ita Horat. lib. 11, Epist. 1. vers. 115.

—— *Quod medicorum est,*
Promittunt medici.

Et in art. Poët. vers. 136.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu.

Celsus lib. 1. de Re medica, princip. *sanitatem ægris medicina promittit.* BURM.

Rumoribus different] Ut venti nubes. Pflugius. Orosius lib. 3. cap. 1. *Differt ut proditorem.* Bongarsius Not. in Justinum lib. 6. ERHARD. Vide quæ notavit Weitzius ad Terent. Heaut. Prolog. Plauto etiam frequens loquendi genus. v. Trinum. Act. 111. sc. 11. vers. 63. ea vox quoque restituenda Q. Septimio de bello Trojano lib. 1. cap. 3. *Expugnatam quippe domum regis, eversumque regnum, & alia in talem modum singuli differebant.* Nunc circumfertur *differebant.* præcessit autem *fama in majus divulgatur.* BURM.

Tamquam scholastici] Persius Satyr. 1. *Ingentes trepidare Titos.* ubi Cornutus; *Dicti Titi à membri virilis magnitudine: συνεκδοχικῶς autem Titos scholasticos, quod sint vagi, neque uno magistro contenti, & ad libidinem proni, sicuti aves, quibus comparantur.* P. DANIEL. *Scholastica lege*, quod alibi à me lectum memini. FR. PITHÆUS.

Ad cœnam promisimus] Declamatores, ut auditorum laudibus & probationum signis disertissimi haberentur, cœnas exhibebant, aut sportulas aut nummos dabant. supra hoc cap. *Quid ego facere debui, cum fame morerer? an videlicet audirem sententias?* Plinius ep. XIV. lib. X1. *Sequuntur auditores actoribus similes, conducti & redemti mancipes: convenitur in media basilica, ubi tam palam sportula quam in triclinio dantur. Ex judicio in judicium pari mercede transitur. Inde jam non inurbane σοφοκλεῖς vocantur; iisdem Latinum nomen impositum est laudicani: Heri duo nomenclatores mei ternis denariis ad laudandum trahebantur: tanti constat, ut sis disertissimus.* vide integrum locum. Hunc morbum etiam poëtas tenuisse ex Horat.

mus noctem. cras autem, quia hoc libet, & habitationem mihi prospiciam, & aliquem fratrem. [a] Tardum est, inquam, differre quod placet. * Hanc tam praecipitem divisionem libido faciebat. Jam dudum enim cupiebam amoliri custodem molestum, ut veterem cum Gitone meo rationem deducerem.

XI. ** Postquam lustravi oculis totam urbem, in cellulam redii, osculisque tandem bona fide exactis, alligo arctissimis complexibus puerum, fruor-

[a] ENCOLPIUS.

Martial. aliisque notum: quo respexit Petronius cap CXXXVII.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat causas.

Vide Juvenal. Satyr. VII. eo ventum, ut auditores, & locum conduxerint. Tacitus Dial. de Orator. WOUWEREN. *Promittere ad cœnam*, est promittere te alicui fore convivam, in cœnam adfuturum. Sic Plaut. Mostell. Act. IV. sc. III. vers. 12. Menœch. Act. V. sc. II. v. 43. Stich. Act. IV. sc. II. v. 16. Senec. II. Suas. *Sabinus Asidius venustissimus inter Rhetores scurra cum hanc sententiam Leonidæ retulisset, ait, ego illi ad prandium promisissem, ad cœnam renuntiassem.* Alludebat illa ἅπαξ ἀριστᾶν, ὡς ἐν ἅδου δειπνοῦντες. Plin. lib. I. Epist. XV. *Heus tu, promittis ad cœnam, nec venis? dicitur jus: ad assem impendium reddes, nec ad modicum.* Sic *promittere ad aliquem* Plaut. Stich. Act. IV. sc. I. vers. 9. Cic. lib. II. de Orat. cap. VII. *Ni prius à vobis impetraro. Quidnam, inquit Catullus? ut hic sitis hodie. Tum cum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat; ego, inquit Julius, pro utroque respondeo: sic faciemus* sic *promittere foras*, condicere foras. Plaut. Mostell. Act. IV. sc. III. vers. 12. GABBEMA.

Prospiciam aliquem fratrem] Turpil. in Parateruſa. *Dum ego connixi somno, hic sibi prospexit vigilans virginem.* SCIOPP. Valer. Max. lib. IV. cap. IX. I. *naves etiam ut prospicerentur, quibus se bene ac tuto cum suis in Africam trajiceret.*

Tardum est] Seneca, *affectus non sustinet moram.* FR. PITHÆUS. Similis sententia in Polyb. lib. 4. Senec. Agam. *Omnis nimium longa properanti mora est.* BARTH. Quem & vide l. 25. adv. cap. 2.

Quod placet] Alia omnia exemplaria, *habes*; pro, *aves* Pith. PATISSON. Vet. Loisel. *quod habes.* Pithœus *aves.* idem enim apud Senecam Controvers. BONGARSIUS.

Amoliri] Proprie. Donatus ad illa Terentii Andr. Act. IV. sc. 2. *Vos hinc amolimini. Amoliri dicuntur ea, quæ cum magna difficultate, & molimine summoventur, & tolluntur è medio, sic dixit, quasi de odioso & molesto*, &c. BURM.

Custodem] Juvenal. Sat. VI. vers. 347.

Quis custodiet ipsos
Custodes? cauta est & ab illis incipit uxor.

BARTH. *Custodem* pro exploratore molesto ponit. v. Sueton. in Cæs. 43. in Tib. 12. & Senec. lib. I. de Clem. cap. 19. *Vota non sub custode nuncupanda.* Ita & *custodire*, Quint. decl. V. *tu custodies, utrum frequentius osculer.* & XVIII. *hujus oculos suspiriaque custodi.* v. Muret. ad Tacit. III. ann. c. 28. & Schultingium ad Senecæ Suasor. 6. BURM.

Rationem diducerem] Pacat. *Cum ductam etiam rationem ipsorum videamus annorum.* Martial. lib. 12. *accipe rationem.* Senec. I. de clem. *Hodie Diis immortalibus, si à me rationem repetant, annumerare genus humanum paratus sum.* BARTH. Quem & vide lib. 25. adv. 2. Nescio quam hoc Latinum iis videatur, qui sic ediderunt, omnino legendum *deducerem*, id est, subducerem, ac viderem, quantum mihi ex ratiuncula osculorum atque complexuum reliqui apud ipsum esset, hoc est, ut inter nos tantum esset commercium, ut soli viveremus, sic statim. *osculis bona fide exactis*, id est, post deductam rationem. SCIOPP. *Deducerem* legi ratio tritissima. Hinc jocus apud Suetonium in Julio, & Macrobium Saturnal. lib. 2. cap. 2. *Tertia deducta est.* Scio tamen, quid hac in re *deducere.* BOURD. Scribe *deducerem* cum Leid. cod. hoc est, agerem quæ solitus, ut interpretatur CL. Gronovius lib. II. Observat. cap. X. BOSCH. Cicero I. de off. 18. *Consuetudo exercitatioque capienda, ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus, & addendo deducendoque videre, quæ reliqui summa fiat.* ubi videantur, quæ annotarunt viri docti.

Veterem rationem] Infra idem Encolpius: *vetustissimam consuetudinem*: & alibi, *veteris amicitiæ nomen*, Gitonis sui familiaritatem appellat. ERHARD.

Bona fide] Serio; vel, ut significantius verbis nostris dicam, *à bon escient.* hac voce etiam postea aliquotiens usus est. PUTEAN. Alibi: cap. 110. *Tunc primum bona fide puero basium dedit.* Item cap. 91. *Optima fide revivíscentem amicitiam toto pectore adstrinxi.* Laberius: *Tollet bona fide vos Orcus nudas.* Florus, lib. II. cap. I. *P. R. cum bona fide adolevisset.* Plinius lib. XIV. cap. ult. *Optima fide non respirasse in hauriendo.* FR. PITHÆUS. To *fides*, venereum. infra cap. 114. *Per fidem miserere, quemadmodum quidem soles.* RITTERSH. Id est, sine fraude. ERH.

Ita

fruorque votis usque ad invidiam felicibus. Nec adhuc quidem omnia erant facta, quum Ascyltos furtim se foribus admovit, discussisque fortissime claustris, invenit me cum fratre ludentem. risu itaque plausuque cellu-

Ita & cape illa Ovidii Epist. XIX. vers. 67.

Firmius ô cupidi tandem coeamus amantes,
Nec careant vera gaudia nostra fide.

Respondet autem hæc formula ei, quod antea dixerat, *rationem deducerem*, qua deducta, tamquam debitum ex reliquis, exigit à Gitone oscula, & omnia. Ita enim à JCtis frequentari hanc locutionem egregie ostendit P. Faber. 1. Semestr. 24. BURM.

Alligo artissimis amplexibus] Apul lib. 2. *Artius eam amplexus capi saviari.* carm. v. in Priapeiis.

Prendam te tamen, & tenebo prensam,
Totamque hanc sine fraude, quantacumque est,
Tormento citharaque tensiorem,
Ad costam tibi septimam recondam. ERHARD.

Fruor votis felicibus] Hesychius Illustrius, ὅπως ἀνταῖς χρῶτο καὶ παιζόυσις. Propert. lib. 2.

——— *Fruar, ô, solus amore meo.*

Lucretius lib. 4.

Denique cum membris conlatis flore fruuntur
Ætatis ———

Barth. ad Claudian. lib. 1. in Eutrop. v. 366. Sic infra in lusu cum Circe; *Totoque corpore in amplexum ejus immissus, non precantis usque ad satietatem osculis fruor.* Consimilis est Eumolpi nequitia cum discipulo; *in unum omnia vota conjunxi.* ERHARD.

Usque ad invidiam] Plaut. Mostell.

Ph. *Age accumbe igitur. cedo aquam manibus puer, appone hic mensulam.*

Ph. *Qui invident, ne umquam eorum quisquam invideat prorsus commodis.*

Catull. carm. v.

Dein cum millia multa fecerimus
Conturbabimus, illa ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Martial.

Hoc tua, Sæve puer Diadumene, basia flagrant.
Quid, si tota dares illa sine invidia?

FR. PITH. Egesipp. lib. 1. cap. XVII. *In multis apud Magnum supra libertorum modum usque ad invidiam excellens.* Paraphrasis in illo Boeth. l. 1. de Consol. Phil. *abite Sirenes, usque in exitium dulces.* BARTH. Quem etiam vide lib. XXV. Advers. cap. 11.

Felicibus] Alii *frequentibus*, alii *ferventibus*. PATISSON.

Nec adhuc quidem omnia erant facta] Alibi, *Forsitan dum omnia concupisco.* Catull. carm. XXI. *Hærent ad latus, omnia experiris frustra.* Ovid. Epist. XV. vers. 133.

Ulteriora pudet narrare: sed omnia fiunt.

FR. PITH. Proverbialis locutio, sic infra; *Quid ita omnia fecisti, ut, quos tuebaris, absconderes.* exempla plurima collegit Barthius in Ceir. Virgil. num. 188. ERHARD.

Invenit me cum fratre] Sub fratrum sororumve nominibus, olim amasios amasiasve suas intelligebant veteres; ut hic noster, & multis aliis in locis. Qua de re sic Minutius Felix. *Occultis se notis & insignibus noscunt, & amant mutuo pene antequam noverint: passim etiam inter eos quædam libidinum religio miscetur: ac se promiscue appellant fratres, & sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. Ita eorum vana & demens superstitio sceleribus gloriatur.* Tibullus lib. III. Eleg. 1.

Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neræa,
Mittit, & accipias munera parva rogat.

BOSCH.

Ludentem] *Ludere*, congredi, honesta turpiculæ rei periphrasis. GLOSS. Nequam vox, ut observatum doctis. Adjice ista Maximiani.

Cum media tantum dilexi ludere forma.

Juppiter apud Lucian. ἵτι γὰς σὺ μέμνησαι ἐκείνων, ἡνίκα τὸ ἐγὼ ἐπαίζα ἐις τὴν γῆν κατιλθών. Sulpicius Severus Sacræ Hist. lib. 1. BARTH. Quem vide lib. 25. adv. cap. 2. Συναιπαίζοντα. Quo significatu & infra dicit; *lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia*, id est, congressum & συνουσίαν Githonis cum Pannychide. Galienus Imp. in Epithalamio;

Ite, agite, ô juvenes, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos. non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ:
Ludite, sed vigiles nolite exstinguere lychnos, &c.

Maximianus Etruscus Eleg. 4. de amica ad venerem invitante amorem;

Quin potius placito noli, inquit, parcere ludo;
Parcite tristitiæ & renovate jocos.

Sic accipe in Sardanapali epitaphio;

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas.

Et in illo Monastico versu barbaro, quem referunt Gardinerus & Neander in Proverbiis antiquis;

Ludere cum schellis res est pergrata puellis.

Vetus Interpres Bibliorum pro eo dixit *jocari*. Genes. 26. vers. 8. de Isaaco; *Prospiciens Abimelech Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum jocantem cum Rebecca uxore sua. Et accersito eo ait; perspicuum est, quod uxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse?* ERHARD. Apta nequitiæ & impudicæ contrectationis vox. Senec. controv. 2. *Novimus istam maritorum abstinentiam, qui etiam si primam virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen locis ludunt.* Et ita passim Ovidius, Propertius, & Horatius. Ita & Græci utuntur παίζειν. Arist. Plut. IV. v. vers. 14.

cellulam implevit, opertum me amiculo evolvit, & [a] Quid agebas, inquit, frater sanctissime? quid vesticontubernium facis? [b] nec se solum intra verba continuit, sed lorum de pera solvit, & me coepit non per-

a ASCYLTOS. b ENCOLPIUS.

Βάλει διὰ χρόνε πρός με παῖσαι: quare & illa tria, *Edi, bibi, lude*, ut Sardanapali sepulchro incisa erant, Athenæus XIII. 7. transfert ἔπιον, ἔφαγον, ἤφροδισιάσα. & Plaut. Pseudolo IV. 7. *Qui se atatemque suam bene curant, edunt, bibunt, scortantur.* Et ita capienda illa verba Exod. XXXII. 6. *Et sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere*, ubi LXX. interpretes παίζειν: nam errant, qui de saltatione vel alio lusu innocuo capiunt: conjunguntur enim ex solemni formula hæc tria, quæ voluptariam vitam numeris suis absolvunt. Et ita recte explicat Tertullian. lib. II. contra Marcion. cap. 17. *Agnosce simul & comitibus gula, libidini scilicet atque luxuriæ prospectum, quæ fere ventris castigatione frigescunt. Manducaverat enim populus & biberat & surrexerat ludere.* Et clarius de jejuniis cap. VI. *Manducavit populus, & bibit, & surrexerunt ludere. Intellige sanctæ scripturæ verecundiam, lusum, nisi impudicum, non denotasset.* BURM.

Opertam] Glossarium S. Dionysii, *opertum*. DAN. *Vesticontubernium*] Qui sub eadem veste cubant. GLOSS. Vet. Cod. *Verticontubernium*. Pith. PATISS. Sic *vesti-cibaria* Cæsari. FR. PITH. *Vesticontubernium* nolim mutari. Sic modo Lucretiæ castissimæ fœminæ in mediis impuritatibus meminit. Est *contubernium* nonnumquam concubitus, Sueton. Calig. cap. XXXVI. *Valerius Catullus consulari familia juvenis stupratum à se, ac latera sibi contubernio ejus defessa etiam vociferatus est.* Nisi malis junctam obscœnarum rerum gratia ibi habitationem intelligere. *Contubernium* alias servorum, Impp. Diocletianus & Maximianus l. 2. C. ad l. Jul. d. Adult. *Servi ob violatum contubernium suum adulterii crimine accusari non possunt.* Petronius autem ad militare contubernium potius videtur respicere. Nam hominem infandum alibi *commilitonem* quoque appellat. Est vero *contubernium* cohabitatio militaris. Severus Sulpit. in vita Martini, *Nec tamen statim militiæ renuntiavit Tribuni sui precibus evictus, cui contubernium familiare præstabat.* Noster infra *commilitonem* suum eumdem vocat. BARTH. Quem etiam vid. l. XXV. Adversc. 11. Verbo juncto de iis, qui sub eadem veste cubant. Turneb. Adversc. lib. 19. cap. 6. aut etiam super eamdem vestem. Ovidius I. amor. eleg. 4.

Veste sub injecta dulce peregit opus.

Goldast. in Pervigilio Veneris, quod à nobili ac docto adolescente Hieronymo Grosiotio Lisiæo integrum aliubi in Gallia extare comperi;

Nemo tentis mentulis det, nemo nervis otium:
Ecce passeres salaces, ecce rauci turtures
Hac super virente myrto nos amoris admonent:
Cum puellis dulce inire vesticontubernium.

Hoc quid sit, explicat Epigrammatarius Græcus;

Ἤδὺ γὰ καὶ ὀπόταν κρύψῃ μία τὰς φιλέοντας
Χλαῖνα. ———

Dousa F. Comment. in Pervigil. Veneris Catulli Urbicarii. ERHARD. De monstrosa hac voce & de *contubernio*, quod promisi nuper me testimoniis idonei auctoris planum facturum, ea voce non tantum intelligi contubernalium cœtum, sed & tentorium ipsum, sive tabernaculum sub quo contubernales, Tacitum tibi, quo id evincam, allegabo. Nec meliorem puto requires. lib. I. Annal. *Non obtrectari à se urbanas excubias, sibi tamen apud horridas gentes è contuberniis hostem adspici.* An non hic *contubernia* sunt tabernacula militum? Eodem lib. *Progredimur contubernio.* Et paulo inferius: *Irrumpunt contubernia.* Annal. 15. *At illi vix contuberniis extracti.* Nempe tentoriis. Sed planissime idem auctor Hist. l. I. casam publici servi *contubernium* appellavit. *Piso*, inquit, *in ædem Vestæ pervasit, exceptusque misericordia publici servi, & contubernio ejus abditus, non religione nec cærimoniis, sed latebra imminens exitium differebat.* Hinc liquet, quid sit apud Arbitrum *vestæ contubernium facere*, pro quo Criticis nostris male feriatis placuit *vesticontubernium*; quam vocem elegantiarum Arbiter merito spernat. Inde sumpsit auctor fragmenti suppositi,

Cum puellis dulce inire vesticontubernium.

Quod procusum esse ab eo, qui primus prodidit, tam sum certus, quam me vivere. SALMAS. in editione Gabbemiana posteriore. Frustra sollicitant optimam, immo pessimam dictionem, sed quam agnoscit Pervigilium Veneris Grosiatianum. Qui sub eadem veste jacent, dicuntur *vesticontubernium facere*. Sic Aristoteles apud Athenæum lib. I. Inde dicebatur Socrates cum Alcibiade vesticontubernium facere. Idem Athenæus lib. 5. cap. 13. Ipse Socrates apud Lucianum. Apulejus lib. 2. Florid. quo loci nos plura. BOURDEL. Lege *Vestæ contubernium* cum Pithœi, Sambuci, Memmii, aliisque optimis codicibus: ut præcedenti ironiæ respondeat, qua Encolpium *fratrem* scilicet *sanctissimum* appellarat Ascyltos. BOSCH. Hanc vocem recepi ex suffragiis plurimorum. idem notat Propert. I. IV.

Et quæ
Gaudia sub tacita ducere veste licet.

Et huc referenda illa Donati expositio verborum Terentii Hecyr. Act. IV. sc. IV. vers. 34. *Si se mecum esse nuptam vellet. Quasi tectam & opertam uno cubiculo mecum; nubere enim est operiri tegique.* Ubi mallem *opertam uno amiculo*, ut hoc loco dixit Petronius. *Opertum me amiculo evolvit. Contubernii* vox obscœno sen-

su

perfunctorie verberare, adjectis etiam petulantibus dictis. [a] Sic dividere cum fratre nolito. * * *

XII. [b] Veniebamus in forum deficiente jam die, in quo notavimus frequentiam rerum venalium, non quidem precioſarum, ſed tamen, quarum fidem male ambulantem obſcuritas temporis facillime tegeret. Quum ergo

[a] ASCYLTOS. [b] ENCOLPIUS.

ſæ iterum occurrit infra cap. 92. & apud Suet. Cæſ. XLIX. BURM.

Perfunctorie] Egeſippus lib. 1. cap. 17. *non perfunctorie itaque in ipſo prælio juvit hoſtes ſuorum.* Vincentius Lirinenſis: *Sed hæc forſitan perfunctorie prolocutus eſt. Perfunctoria ſalutatio* Optat. Afer. l. 4. BARTH. Quem vide lib. 25. adv. cap. 2. Accurate, non obiter. ERHARD.

Adjectis petulantibus dictis: ſic dividere] *Petulantia dicta*, verba ad omne genus nequitiæ accommodata, quale illud *dividere*, quod inter turpia & obſcœna. Plaut. Aul.

S T. *edixit mihi*
Ut diſpartirem obſonium hic biſariam,
Cog. *Me tu quidem hercle, dicam palam, non divides.*
S T. *Bellum & pudicum vero proſtibulum popli.*
Poſt ſi quis vellet te, haud non velles dividi.
Atque ego iſtuc Anthrax aliovorſum dixeram.
Non iſtuc quod tu inſimulas. WOUWEREN.

De his petulantibus dictis conſule Cujacium Obſervat. lib. 8. cap. 7. & lib. 13. cap. 3. Contium ad leg. 13. §. ult. D. de jurejur. & Gothofredum ad leg. 16. C. ex quib. cauſ. infam. irrogat. Inter cædendum enim præco pœnæ cauſam dicere ſolebat. quem morem obſervavit Aſcyltos. ERHARD.

Dictis petulantibus] *Dicta* ſunt convicia, alibi interpretata. Prudent.

——— *In vocem dictis ſe fundit amaris.*

BARTH. Lib. XXV. Adverſ. cap. 11.

Dividere] Obſcœnæ nequitiæ locutio, cædere hillas. GLOSS. Subobſcœna eſt alluſio. Cic. lib. 9. ad fam. Ep. 20. Plaut. in Aulul. Vide caput Puteani. BONGARS. *Dividere μιχθ* eſt. Pompon. *Tamquam frater mihi ſit, medium abdomen cum dividam.* Plaut. Aulular. Act. IV. Scen. 1. FR. PITHÆUS. Sane non adeo hic impium, ut volunt, ſed ut Seneca lib. 1. de Ben. cap. 14. *Meretrix ita inter multos ſe dividit, ut nemo non aliquod ſignum familiaris animi ferat.* BARTH. Quem & vide adv. 35. cap. 2. Latet ſpurcities, inquit Douza. ſed Ciceronis verba ab eo adducta prorſus aliter interpretatur Scaliger, cujus vide Caſtigation. in Catull. ERHARD. Lego *ſic dividere fratrem voluiſti?* ſpectat ad id, quod præceſſit, ob injuriam ſe Aſcylti communes cum eo ſarcinulas partiri, & privos quæſtus ſequi voluiſſe. Itaque hoc, inquit, erat, quod dividere tu volebas? verumtamen qui malit *ſi dividere cum fratre voluiſti?* me non pugnante faciet, dum ſciat idem hoc ſpectari: Laberius *cædere hillas dixit.* PALMER. In ſpecil. pag. 776. non eſt movenda lectio; eſt enim locutio hæc detorta in turpem ſenſum ab hæreditate, quam fratres inter ſe dividunt: quod manifeſtum ex Senecæ Ep. 88. qui proprie uſurpat. *Quid mihi prodeſt ſcire agellum in partes dividere, ſi neſcio cum fratre dividere?* BURM.

Veniebamus in forum deficiente jam die] Puto rerum furtivarum forum intelligi, quæ in Saburra, deficiente jam die, venales proponerentur. Horat. libro 1. Sat. VI. verſ. 113.

Fallacem circum, veſpertinumque pererro
Sæpe forum. ———

quod interpretes de Saburra majore accipiunt, in qua veſperi furtivæ res venundabantur. hinc Plaut. Milit. Act. IV. ſc. 2. *veſperi ſuo vivere*, pro furtis ſuis vitam ſibi parare. ea de cauſſa Propert. *vigilacem Saburram* dixit. Durantius Var. lect. lib. 1. cap. 5. ERHARD.

Fidem male ambulantem] Forte, *furem.* DANIEL. Alluſit fortaſſe ad ambulatores illos, de quibus Martial. lib. 1. epig. 42.

Hoc quod Tranſtiberinus ambulator;
Qui pallentia ſulphurata fractis
Permutat vitreis. FR. PITRÆUS.

Id eſt, furtivæ & mala fide poſſeſſæ. RITTERSH. Scite dicit *male ambulantem fidem*, quæ rerum furtivarum erat; & *mali* voce in furtivis ſæpe uſi auctores. Junge hunc locum iis, quæ ad Calpurnii Eclogam 11. notamus. Nocturnum autem tempus pro furibus. Auctor Queroli: *Sed ubinam fures ipſos modo requiram, ubi inveſtigem, neſcio: Ubinam eſt illa cohors fuliginoſa, vulcanoſa, atra, quæ de die ſub terras habitant, nocte in tectis ambulant.* Calpurn.

Ut mala nocturni religavit brachia Mopſi
Tityrus, & medio furem ſuſpendit ovili.

BARTH. Lib. XXV. Adverſ. cap. 11. Meurſius Animadv. miſc. lib. 4. cap. 6. legit *quarum furem.* ERHARD. Meurſius critico Arnobiano, & ad Catonem de R. R. legit *furem male ambulantem.* Sed non perſuadet. lege *fidem male labantem.* Tacit. lib. 1. hiſt. *Poſtquam vulgatum eſſet, labare Germanici exercitus fidem.* Liv. lib. 32. cap. 30. *Suberat tamen quædam ſuo ſpicio animis, labare fidem ſociorum.* & lib. 27. *Negligentiam ducis augebat ſpes ea, quod labare iis adverſus Pœnum fidem ſenſerat.* lib. 22. ſub finem. *Fides ſociorum, quæ eum ad diem firma ſteterat, labare cæpit:* ex reſtitutione Gronoviana. ſic *ſtare fides* dicitur. *Stat parum fides* apud Plaut. Pſeudol. ut in ſuperiore Livii

ergo & ipsi raptum latrocinio pallium detulissemus, uti occasione opportunissima coepimus, atque in quodam angulo laciniam extremam concutere, si quem forte emptorem splendida vestis posset adducere. Nec diu moratus rusticus quidam, familiaris oculis meis cum muliercula comite propius accessit, ac diligentius considerare pallium coepit. invicem Ascyltos

loco, & contra *labare* dicebatur. Possit & *laborare*, quod vetusti codices MS. præferunt. Fuit cum legerem *fidem male vacillantem*, sed hoc longius abit, etsi ita locuti JCti veteres. HEINS. Non litat hic Divæ criticæ Meursius, quid enim est *fur male ambulans?* neque Douzæ *fide male ambulantem* intelligo. Sed *fidem male ambulantem* interpretor *claudicantem*, & de mercibus vitio corruptis, quas obscuritas tegebat, capio, qualia sunt *frivola*, quæ Festus dicit esse *vasa fictilia quassa, unde & dicta verba frivola, quæ minus sunt fide subnixa.* Et appositè Silius Ital. lib. XIII. 33. quamquam in alia re

Lætus opum, sed clauda fides, seseque calenti
Addiderat Pœno, Latiæ diffisus habenæ.

& ita passim apud Ciceronem & alios *claudicare* amicitia, officium & similia dicuntur. BURM.

Raptum latrocinio pallium] Nempe in villa Lycurgi, quam compilarunt Encolpius & Ascyltus, & ex qua videtur fuisse rusticus ille, de quo statim. Vide infra cap. 117. SCHOPP.

Detulissemus] Proprium in hac re verbum de re venali, quæ proponitur. v. Salmas. ad Tertull. de Pallio. p. 454. & Gronov. Mantiss. pecun. Veter. cap. 5. BURM.

In quodam angulo] V. edit. *in remoto angulo.* quod omnino non displicet, si alicujus scripti codicis auctoritate confirmetur. ERHARD.

Laciniam extremam] *Lacinia extrema*, est extimum seu extrema ora vestimenti. Glossæ: *Lacinia κράσπεδον.* Idem Glossarium: *Instita ἀκροζώνη*, non *Istita. Fimbria, limbus, instita κράσπεδον.* ergo hæc eadem. certe nihil aliud, quam fasciæ vestimentis adsutæ ad ornatum, at instita licet adsuta vesti non sit, recte fasciola quævis appellatur, non autem lacinia aut limbus. itaque infr. cap. xx. *Duas institas protulit de sinu, alteraque pedes nostros alligavit, altera manus.* in V. Gloss. *protulit de sura.* quod indubie rectius. interpretor fascias crurales; ut est apud Ulp. leg. 25. §. 4. D. de aur. & arg. leg. Horat. lib. 1. Sat. 11. vers. 29.

Quarum subsuta talos tegat instita veste.

Acro: *Instita dicitur περιπόδιον, quod stola subsuebatur, qua matrona utebantur. erat enim tenuissima fasciola, quæ prætexta adjiciebatur.* Sed & Gloss. *Limbus, περιπόδιον.* insuitur enim ea parte, qua pedes tangit. unde Ovid. de arte amandi lib. 1. vers. 32.

Quaque tegis medios, instita longa, pedes.

Isidorus. *Limbus est, quam nos ornaturam dicimus: fasciola contexta aut ex filis, aut auro, adsutaque extrinsecus in extrema parte vestimenti.* Ulp. leg. 23. §. 1. D. de auro & arg. leg. *Instita, pictura clavique, quæ vesti insuuntur. Pictura*, Isidoro *ornatura*, hoc est, limbi. Sane Lutatius ad illa Statii lib. VI. Theb.

—— *picto discingit pectora limbo,*

Limbus, inquit, *fascia picta dicitur.* in Isidori Gloss. *Limbus, clavus in veste regia*, adeo ut limbus, non tantum quod oræ vestis, sed quod ornatus caussa assuitur, notet. WOUWEREN. Scribendum arbitror *lacinia extrema:* qui enim concutit, lacinia solet apprehendere. Quomodo vero vestis splendida emptorem lacinia, præsertim in angulo, possit adducere, nescio. BARTH. Lib. XXV. Adversar. cap. 11. *Lacinia*, ora, sive extimum vestis aut panni, *κράσπεδον* Cujac. Observat. lib. 12. cap. 24. Quæ fortean in hoc pallio ex auro vel purpura, *seydin oder guldin pasament Porten.* nam infra vocatur *pretiosissima vestis.* Helvetii vocant *plegam*, quam Latini *laciniam*, à verbo (ut opinor) *belegen.* Ergo *concutere laciniam* est, concutiendo pulverem detergere, atque ærugine discussa splendorem induere. ERHARD.

Concutere] Ita infra cap. 138. *Excussit vexatam solo vestem.*

Splendida vestis] MS. *splendor vestis.* TORNÆS. Alii *splendor vestis*, quod magis arridet, & sensus exigit. ERHARD. *Splendor vestis* vet. & Leid. cod. pro diversa lectione. Pro *adducere* mallet hic Nob. N. Heinsius *inducere*, hoc est, fallere: ingeniose, ut solet. BOSCH.

Adducere] Non opus correctione; frequentissime enim Cicero & alii hac voce utuntur, pro persuadere, inducere. v. Vavass. de vi & usu quorumdam verborum. pag. 5.

Familiaris oculis meis] Quem vidisse alias mihi videbar. GLOSS. In veteri exemplari erat, *oculis temnis.* puto: *oculis teneris.* ut *μύσπα* intelligat, & luscitiosum; qui propterea oculos propius admovebat ad inspiciendum pallium. Scalig. WOUWEREN. Id est, quem vidisse alias videbar mihi, quique oculis meis haud tunc ignorabilis objiciebatur. Infra; *Vox pene auribus meis familiaris*, hoc est, non ignota. Nam ibidem mox sequitur; *notissima voce.* & postibi; *familiari sono.* Ergo *familiaris* hoc loco est *γνώριμος*, nec audimus Scaligeri emendationem. ERHARD.

Cum muliercula comite] Infra: *Mulier illa, q paullo ante cum rustico steterat.* P. DANIEL.

Ac considerare] MS. *ac diligentius considerare.* TORNÆS. *Considerare* dicitur pro diligentissime aspi-

Aſcyltos injecit contemplationem ſuper humeros ruſtici emptoris, ac ſubito exanimatus conticuit. Ac ne ipſe quidem ſine aliquo motu hominem conſpexi: nam videbatur ille mihi eſſe, qui tuniculam in ſolitudine invenerat. plane is ipſe erat. Sed quum Aſcyltos timeret fidem oculorum, ne quid temere faceret, prius tamquam emtor propius acceſſit, detraxitque humeris laciniam, & diligentius tenuit.

XIII. O luſum fortunae mirabilem! Nam adhuc nec ſuturae quidem attulerat ruſticus curioſas manus, ſed tamquam mendici ſpolium etiam faſtidioſe vendi-

aſpicere. Schopp. Explanat. in Epidic. Act. 5. ſc. 1. ERHARD.

Invicem injecit contemplationem] *Invicem* hic dicitur, pro ex altera parte. Plaut. eodem modo verbo *viciſſim* utitur. Idem in Moſtellar. Act. 5. ſc. 2. Petronius iterum; *Specta invicem, quod me ſpectare voluiſti.* ERHARD. Dividendam hanc vocem puto *in vicem*, pro ab altera parte, nam & *in vices* dicebant. Horat. III. od. 26. ex codice optimo, quem olim habuit clariſſimus Grævius.

Nos cantabimus in vices
Neptunum

Lucan. I. 16.

Inque vicem gens omnis amet.

Ovid. Epiſt. XVII. 180.

Inque vicem tua me, me tua forma capit. BURM.

Contemplationem] Eleganter hanc vocem ſubjungit ſimili *conſiderare*: utriuſque enim eadem vis & ratio, quae ab iis, qui diligenter aſtra & cælum ſpectant, deducitur. Vide Feſtum in *conſiderare* & *contemplari*. Plaut. Epid. Act. v. ſc. 1. verſ. 18. *Contempla Epidice, uſque ab unguiculo ad capillum ſummum eſt feſtiviſſima. Eſtne? conſidera: ſignum pictum pulchre videris* Cicer. IV. Verr. cap. 15. *Contemplari unumquodque otioſe, & conſiderare capit.* Et ita noſter aliquoties his vocibus utitur. BURM.

Exanimatus conticuit] Subito timore incidente conticere aliquem, non eſt inuſitatum. Pacat. Paneg. *Animos enim noſtros ſubit affectibus impares perinde lætitia ac dolor, ſi deprehendat, externat.* Simillime Valer. Flacc. lib. V. Argon.

——— *Attonito quamquam pavor ore ſileutem*
Examinet.

Apollon. lib. III. Argonaut. verſ. 503.

——— Καὶ ἀναυδοι ἐς ἀλλήλους ὁρῶντο.

Alia exempla vide apud Minutium in Octav. Claudian. lib. III. de Rapt. Proſerp. Symm. in Epiſtol. & alios. In Petronio vero non fortaſſis inepte voculam deëſſe ſuſpiceris: niſi ſi properam exanimationem abrupta quoque ſententia dicas depictam. BARTH. Quem etiam vide lib. XXV. Adverſ. cap. 11. Ita emendavi. vulgo *Examinatus*. P. DANIEL.

Aliquo motu] MS. *metu*. TORNÆS. *Metu*, quatuor Cod. BOSCH. Non movenda vox. eadem varietas in codicibus MSS. eſt apud Sueton. Oth. 1. *Auſus etiam eſt in Illyrico milites quoſdam, quod motu Camilli ex pœnitentia præpoſitos ſuos, quaſi deſectionis adverſus Claudium auctores, occiderant, capite punire.* Ubi Caſaubonus *metu* habere quoſdam libros notat. BURM.

Sed cum Aſcyltos timeret fidem oculorum] Sic Livius. l. 33. *Suarum aurium fides minimum credentes, proximos interrogabant.* SCHOPP.

Prius tamquam emptor propius acceſſit] Simile quid apud Martialem legere memini. ERHARD.

Diligentius tenuit] Scio quomodo hæc poſſint explicari. Sed ego credo fuiſſe *teñvit*, quæ vox cum per compendium ſcripta eſſet pro *tentavit*, corrupta eſt. Aſcyltos manibus pertractat tunicam, & explorat tactu, an inſuti aurei adhuc ineſſent. Ita infr. c. 131. *Admotis manibus tentare capit inguinum vires.* Et paulo poſt. *Rogas, inquam ego, potius quam tentas.* Et 140. *Acceſſi tentaturus an pateretur injuriam.* Apulej. 2. Metam. *His dictis perterritus tentare formam adgredior.* Phædr. III. fab. 10.

——— *Tentat in tenebris caput,*

ubi vide notata. Ovid. Epiſt. X. 11.

Nullus erat: referoque manus, iterumque retento. BURM.

O luſum fortunæ] V. Barth. ad Stat. XII. Theb. 35.

Nec Suturæ] MS. *nec furtivæ*. TORNÆS. Sic habet vetus exemplar, quo uno hac in parte, ut in aliis pluribus, uſi ſumus. fortaſſe legendum eſt, *nec furtive*. PUTEAN. *Sutura, ſutella*, id eſt, aſtutia. DANIEL. Recte *futuræ* reſtituit Scaliger, nam aurei illi inſuti erant tunicæ, quam nondum ruſticus totam pertrectaverat. Ita Apulej. I. Metamorph. dixit *futilem centunculum*. & appoſite ad hunc locum lib. VII. in initio. *Sed ille, qui commodum falſam de me notoriam pertulerat, expromtis mille aureis, quos inſutos lacinia contexerat*, ut recte eum locum conſtituerunt viri docti. BURM.

Faſtidioſe] Ex mente Petronii debet hæc vox notare, tamquam faſtidiret, ut rem vilem: cum aliter poſſet capi, quaſi non omnes emptores admitteret, ſed faſtidio quodam & ſuperbia dedignaretur rem pretioſam unicuique addicere, nec multum curaret, an venderet nec ne, ut apud Phædr. III. Præf.

Faſti-

venditabat. Aſcyltos, poſtquam depoſitum eſſe inviolatum vidit, & perſonam vendentis contemptam, ſeduxit me paullulum à turba: &, [a] Scis, inquit, frater, rediiſſe ad nos theſaurum, de quo querebar? Illa eſt tunicula adhuc, ut apparet, intactis aureis plena. Quid igitur facimus; aut quo jure rem noſtram vindicamus? [b] Exhilaratus ego, non tantum quia praedam videbam, ſed etiam, quod fortuna me à turpiſſima ſuſpicione dimiſerat, negavi circuitu agendum, ſed plane jure civili dimicandum, ut, ſi nollet alienam rem domino reddere, ad interdictum veniret.

XIV. *Quid faciant leges, ubi ſola pecunia regnat,*

Aut

a ASCYLTOS. *b* ENCOLPIUS.

Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.

Senec. lib. 11. de Benef. cap. 24. *Alius accipit faſtidioſe* Et lib. 1. de Benef. cap. 11. *Faſtidioſus æſtimator.* & ita opponitur faſtidioſus facili. Cicer. in Bruto cap. 57. *Facilis in cauſſis recipiendis erat Antonius, faſtidioſior Craſſus.* BURM.

Depoſitum] Mandatum DANIEL. Tunicam, quam apud Encolpium depoſuerat, unde nata erat ſuſpicio, quæ ſequitur. ERHARD.

De quo querebar] *Queri* verbum juris eſt, pro agere, accuſare. unde *querela*, pro actione, accuſatione. Infra cap. xv. *Poſtero die judex querelam inſpiceret.* Et, mox eod. cap. *Et liberatos querela juſſit pallium deponere.* Eſt autem *queri*, quod Gallis *complaindre*. unde *complaignant* & *complaincte* pro actore & actione. ERHARD. *Querebatur* Mem. cod. BOSCH.

Intactis aureis] Horat. lib. 111. od. xxiv. *Intactis opulentior theſauris Arabum.* WOUWEREN.

Vindicamus] Poſt hoc verba quædam, ſed pauca deeſſe videntur, & in veteri codice, teſte Heinſio, aſteriſci hic erant poſiti.

Circuitu] Martial. l. 4. ep. 16.

Nec per circuitus loquatur illam. BARTH.

Jure Civili] Cujac. l. 5. obſervat. c 17. hunc locum aliter citat. DANIEL. *Interdicta* non ſunt juris civilis, ſed juris prætorii. At Petronius prætorium civile jus facit, opponens ei ſcilicet jus naturale vel gentium. WOUWEREN. Atqui tribuuntur *interdicta* juri Prætorio. Sed Petron. jus civile pro Prætoris ordinario jure uſurpat, ut M. Tullius pro Cecina. Cujac. Obſerv. lib. 5. cap. 17. ERHARD.

Alienam rem reddere] *Rem domino reddere.* MS. TORNES. Sic reſtituimus hanc vocem, quæ aliis deeſt. PATISSON.

Ad interdictum veniret] Venire in jus ad Prætorem, ordinario agere. GLOSS. Hoc valde mihi novum eſt. Nam jure civili rei mobilis nomine nullum reciperandæ poſſeſſionis edictum proditum eſt. Nam *unde vi* ad res tantum immobiles pertinet, l. 1. §. *illud*, ff. Unde vi. *Utrubi* autem retinendæ eſt poſſeſſionis, non reciperandæ. PUTEAN. Infr. cap. LXXXIII. *Si venturum ad interdictum Herculem credidiſſet. Ad interdictum venire*, eſt jure ordinario agere. Frontinus de limitibus agrorum: *De poſſeſſione controverſia eſt, de qua ad interdictum, hoc eſt, jure ordinario litigatur.* WOUWEREN. Bene, Latine etiam, pro in jus ad Prætorem. Turneb. Adverſat. lib. 19. cap. 6. ERHARD.

Quid faciant] Al. *faciunt.* PATISSON. Sulpicius Servaſtus Lupercus Junior apud Scaliger. in Catalect. pag. 228.

Quis metus hic legum, quæve eſt reverentia veri,
Creſcenti nummo ſi mage cura ſubeſt?

Omnia namque cum pretio hodie, ſed nec cras aliquid ſine pretio obtinebis, ut ſcribit Sarisberienſis lib. 6. cap. 24. Ejuſmodi judices δωροφάγες, qui jura ad ſuam utilitatem nundinantur, *nummarios judices* vocat Cicero lib. 1. ad Attic. epiſt. 13. Et pro Cæcina recte idem: *Quod ſi*, inquit, *jus civile inflecti gratia, perfringi potentia, aut adulterari pecunia poſſit, nihil eſt, quod quiſquam ſe habere certum, aut à patre acceptum, aut relictum putet.* In tales judices capitis pœnam ſtatuit Plato lib. 12. de legibus. Aliam pœnam decernunt Jura, in l. 38. §. 10. ff. de pœnis. De aliis judicis corrupti pœnis l. 3. & ſeqq. C. ad Leg. Jul. repetund. & Novell. 8. Sententia quoque à judice corrupto lata, eſt ipſo jure nulla, leg. 7. C. quando provocare non eſt neceſſe. Quare inter ea, quæ in moribus ad Regiam adminiſtrationem maxime neceſſariis requiruntur, numeratur τὸ συντηρεῖν αὐτὸν ἀδωροδόκητον, ut quis ſe ſervet immunem ab omnium munerum corruptela. Bochius in Pſal. xiv. Zehnerus Cent. 2. adag. 80. Sarisberienſis lib. 5. Policr. cap. 10. WEITZ. In avaritiam & pecuniæ ſtudium. Scalig. in Catalect. Gualtherus Alexandreid. lib. 1.

Manus enim à norma recti diſtorquet acumen
Judicis, & tetra involvit caligine mentem.

Item;

Peſtis avaritiæ, quæ ſola incarcerat omnes
Virtutum ſpecies, ſpreto moderamine juris
Curritur in facinus, nec leges curia curat.

Ligatur

Aut ubi paupertas vincere nulla poteſt?
Ipſi, qui Cynica traducunt tempora coena,
Nonnumquam nummis vendere verba ſolent.
Ergo judicium nihil eſt, niſi publica merces,

Atque

Ligatur juſtus, abſolvit curia mendax
Injuſtos. &c. ——

Et lib. 7.

—— *Cenſor iniquus*
Avertit ſurdas à cauſa pauperis aures,
Et fovet injuſtam corruptus munere cauſſam.

Jacob. Magni Sopholog. lib. 5. cap. 3. Porro principium hujus epigrammatis petitum eſt ex imitatione Virgilii in princip. Georg.

Quid faciat lætas ſegetes. ERHARD.

Elegans ejuſdem fere ſententiæ epigramma conferri cum hoc debet, inter catalecta Pithæi. p. 26.

Nil artes, nil pura fides. &c.

Ubi] Elegans uſus hujus particulæ, pro *ſi* vel *cum*, Valer. Max. v. III. Exter. 2. *Quid aliæ faciant urbes, ubi etiam illa, quæ conſtantiæ & moderationis & gravitatis eximiam ſibi laudem vindicat, tam ingrata adverſus tam bene meritum extitit.* ubi vide Vorſtii notas. Formula autem illa *quid faciant* uſitatiſſima, ubi quid inutile eſſe dicamus. Terent. Adel. III. III. *verum quid facias?* Ovid. Metam. VI.

Quid faciat Philomela?

Regnat] J. Scaliger ad Leid. cod. oram notarat, alii *pugnat*. V. C. BOSCH.

Nulla] MS. *nuda*. TORNÆS. Lege

Haud ibi paupertas vincere nuda poteſt.

Nuda eſt in ſcriptis. HEINS.

Ipſi qui Cynica traducunt tempore coena] Qui viliſſimis cibariis ſe ſuſtentant, more Cynicorum. GLOSS. Impr. *cena*, non *cera*. PUTEAN. V. C. *ſera*. fortaſſe, *ſecta*. quod valde placet Scal. WOUWER. Verſus eſt in primis elegans, quo quidem eos ſignificari puto, qui miſere vivunt, ut ſiliquis & leguminibus, quique viliſſimis cibariis ſe tolerant atque ſuſtentant. nam talis erat Cynicorum Philoſophorum victus, quod è Luciano in Dialog. mortuorum intelligi poteſt. Turneb. Adverſar. lib. I. cap. 15. Hinc *Cynice vivere* in proverbium abiit de iis, qui miſere victitant. Gilbert. Cognatus in Adagior. ſylloge. ERHARD. *Cera* Leid. cod. *Pera* hic legendum eſſe me docuit Nob. Heinſius. Supra cap. II. *Sed lorum de pera ſolvit*. Infra cap. 117. *Non me hercules peram iſtam diu ferrem* De quo loco vide Notas. De *pera Cynica* res eſt notiſſima. BOSCH. *Cera*, ſcripti plerique. Nimirum, *pera* eſt ſcribendum, quam Cynici circumferebant, tamquam penum, & in qua repoſitam habebant eſcam, nec Cynici tantum, ſed mendici propemodum omnes & errones. hinc apud Homerum, Minerva Ulixem inſtruens, Odyſſ. ξ. verſ. 197.

—— Καὶ ἀμφ' ὤμοισιν ἀεικέα βάλλετο πήρην.

hinc *peratim* & *ſollutim ductitare*, oppoſita ſunt apud Plautum Epidico: cum folles complecti nummos ſoleant hominibus in uſus, peræ mendicorum portent victum egentiſſimum. HEINS. Celeberrimus Jo. Fr. Gronovius putabat capi poſſe duplici ſenſu, vel tranſigunt placide ætatem otioſam, vel infamant, culpant, allatrant & convitia faciunt ſuis temporibus & moribus, oſtentatione frugalitatis. Nec ab hac ultima explicatione abhorret decus & præſidium noſtrum, Janus Brouckhuſius: ita & noſter *traducendi* voce utitur mox cap. XVII, & infr. cap. 133. *Ut traduceres annos primo florentes vigore*, & ita Suetonius, Martialis, Propertius, & alii, & non diſſimilis eſt ſenſus horum verborum apud Juvenalem. II. Sat. 38.

Atque ita ſubridens, felicia tempora, quæ te
Moribus opponunt

Et Tertullian. lib. de Pallio cap. 5. id vocavit *adigere cauterem ambitioni*. Ita vir ille egregius.

Nonnumquam nummis vendere &c.] Alter ex veteribus.

Nonnumquam nummis verba ſolent emere.

PUTEAN. Sic Autiſiodor. optime. Pith. alii, *vendere verba ſolent*. PATISS. Steph. *verba ſolent emere*. TORNÆS. Mart. lib. 5. cap. 17.

Sollicitiſque velim vendere verba reis.

Seneca, Herc. Furente: 172.

Hic clamoſi rabioſa ſori
Jurgia vendens improbus, iras
Et verba locat. —— WOUWEREN.

Vide quæ ad Manil. in lib. Ablegm. Incertus Poëta.

Jus ruit, ordo perit, ſceleri placet ora manuſque
Vendere —— BARTH.

Ergo judicium] Alii *jam nunc judicium*. TORNÆS. Uſurpatur Sarisber. lib. 5. cap. 5. BONGARS. Corrupta Romanorum judicia taxat, ut & Martialis hoc verſu,

Et judex petit, & petit patronus, &c.

Raderus ad Martial. lib. 2. epigr. 11. Notat judices leves & iniquos, qui non judicant ex præſcripto juris & legum, ſed corrupti muneribus, judiciorum religionem, quaſi mercem, vendunt: de quibus etiam Varro in Sexageſ. Auſon. Popma in Conjectan. Vide Sarisberienſem de Nug. Curial. lib. 5. cap. 16. & Jac. Magnum Sopholog. lib. 8. cap. 1. *Non poſſum, neque debeo ſilentio præterire aviditatem ingluviemque quorumdam legulejorum, quo jura venditant, quo pauperes opprimunt, inopis cauſam derelinquunt, cum judice corrupto clam conjurant, & palam conſentiunt, apud egentes*

Atque Eques, in cauſſa qui ſedet, empta probat.

Contra Aſcyltos leges timebat: &, [a] quis, ajebat, hoc loco nos novit? aut quis habebit dicentibus fidem? Mihi plane placet emere, quamvis noſtrum ſit, quod agnoſcimus, & parvo aere recuperare potius theſaurum, quam in ambiguam litem deſcendere. [b] Sed praeter unum dupondium, quo cicer lupinoſque deſtinaveramus mercari, nihil ad manum erat.

a ASCYLTOS. b ENCOLPIUS.

& nil aris habentes ſe mutos reddunt, occupatos ſe clamant, collum faſciis obſtringunt, morbum Demoſthenis fingentes, adverſus hanc corruptelam Petronius cecinit Arbiter. Amore juſtitiæ nequaquam excitantur ad operam, ſed talpa ſegniores virtutis vexillum ut deſertores fugiunt. Ubi autem lucrum apparuerit, ſplendor auri doloſuſque nummus reſulſerit, ubi ſapor vini & precioſi muneris adorea narium fores pulſarit, non ſolum codices & chartas, ſed & pedes, manus, os, linguam, totamque corporis ſubſtantiam promittunt, &c. Jacobus Locher Philomuſus præfat. in Udalrici Tengleri Speculum Laicorum, (*Layenſpiegel*) vernacula lingua confectum. ERHARD.

Atque eques in cauſa, &c.] Alter ex veteribus.

Atque eques in cera, qui probat empta, ſedet.

PUTEAN. Conſilium innuit. Ulp. fragment. tit. 1. *In conſilium adhibentur Romæ quinque ſenatores, & quinque equites Rom. in provinciis viginti recuperatores.* Theoph. Gr. interpr. κονσιλιόν ἐστι συνέδριον φανερῶν ἀνδρῶν. *Recuperatores*, quia per eos jus ſuum quiſque recipiebat. proprie itaque cap. ſeq. *recuperato, ut putabamus, theſauro.* Vide Feſt. Gloſſ. διικασταί, *judex, recuperator.* Plautus in Bacch. *Prætor recuperatores dedit.* WOUWEREN. *Cauſa* eſt δικαστήριον, locus, in quo judices ſedent ac jus dicunt, quem ᾠδεῖον dici Suidas annotavit. Hinc forte capiendus Xenophon Hellen. 2. ἀξιαθέυδον ἢ καὶ οἱ ἱππεῖς ἐν τῷ ᾠδείῳ. ERHARD. Rittershuſ. in Commentar. ad Plinii Epiſtol. p. 174. legit:

Atque eques, in cavea qui ſedet. ——

Ita Ulpian. *in cavea publica ſedere*, leg. 13. §. 7. D. de injuriis. Quibus in locis *cavea* eſt area in theatri medio, à cavo ſeu cavitate dicta, quæ contecta velis inſtar eſſet cujuſdam caveæ. Ibi vero Equites ſua habebant ſubſellia, è quibus ſpectarent ludos. WEITZ. Apage *ceram* vel *caveam*, cum ſimpliciter *in cauſa ſedere* eſt ad litem dijudicandam ſedere. Gell. 11. 4. *in aliis quidem cauſſis judex ſequi ſolet*, & ita paſſim auctores. BURM.

Sedet] Proprium eſt judicum, *ſedere*. Deinde nota Equites ſolitos judicia excercere. RITTERSH. Id, ut alia hujus ſcriptoris, mutuavit Cyprianus epiſt. ad Donat. *Judex? ſed ſententiam vendit, qui ſedet crimina vindicaturus, admittit.* IS. Pontan. Analect. lib. 2. cap. 17. ERHARD. Vide commentatores ad Phædr. lib. 1. fab. 10.

Quis hoc loco nos novit] Plautus Pœn.

Quid me hac re facere deceat, egomet mecum cogito,
Si volo hunc ulciſci, lites in alieno oppido ſequar.

PITH.

In ambiguam litem deſcendere] In Sophologio Jac. Magni lib. v. cap. v. ex Petronio (ut puto) quem paulo ante citat; *Tutius eſt parvo ære rem perditam recuperare, quam jus ambiguæ præbere liti.* Sed Vincentius in Specul. hiſtor. cap. xxv. lib. xx. ſic citat, ut hic eſt. DANIEL. Videndus Juretus in Symmach. l. 7. epiſt. 129. ERHARD.

Dupondium quo cicer lupinoſque] *Dupondium* pendet dragmas duas. *Sicel* unciæ pondus habet, ſcrupula decem. GLOSS. Erat hoc ita emendatum in vet. libro. Quid ſi legatur, *dupondium, quibus ſicelion lupinoſque*: vel, *quibus ſiſer lupinoſque*, quod longe verius puto. Imo legendum *dupondium ſicel lupinoſque. Sicel* autem pro *ſiclus* poſitum. Gloſſæ in libros Bibliorum; *Sicel*, *qui Latino ſermone ſiclus corrupte dicitur, Hebraum nomen eſt, habens apud eos uncia pondus. apud Latinos vero & Græcos quarta pars uncia eſt & ſtateris medietas, dragmas appendens duas. unde cum in divinis libris legitur ſiclus, uncia eſt; cum vero in gentilium, quarta pars uncia eſt.* PUTEAN. Turneb. lib. 19. Adverſar. cap. 7. pro *ſicel* legendum putat *ſilicet.* Vide Cujac. lib. 12. Obſervat. cap. 40. In quodam Lexico legitur; *Siclus, id eſt, ſtater, qui habet obolos XX. Stater ſive ſiclus dragmas IV. Dragmæ VIII Latinam unciam faciunt: ita ut unus* (vetus, verus) *panis X. uncias habere dicatur, quo trahitur magis anima quam ſuſtineatur, cibi aquæ auget ſterilitas. Hinc menſura eſt Hebraica, duos choos Atticos facit, quos nos poſſumus appellare duos ſextarios Italicos, ita ut in menſura ſint (ſit) Judaici ſextarii noſtrique caſtenſis, cujus ſexta pars facit tertiam partem ſextarii Italici, qui potius juxta inclitum Oratorem, non vires tribuit, ſed mortem prohibet. A tempore uſque ad tempus comedes & bibes illud, id eſt, uſque ad veſperam à veſpere. LXX. ſicli minam faciunt. Statera Hebraice dicitur mozene. In his autem intelligitur, quæ appenduntur. Eſa Hebraice, quæ corte dicitur in Græco æſi, ad menſuram pertinet variarum frugum, tritici, ordei & leguminum. eſt autem decima pars cori, in ſpeciebus quæ modio menſurantur, id eſt, tres modii. ſicut bath, qui vocatur batus ſive vadus, idem eſt, quod & æſi, decima pars cori in ſpeciebus liquidis vini & olei & iſtiuſmodi.* Paulinus pag. 79. *ſiclus pondus regale.* DANIEL. Alii *cicer*. ſed magis

erat. Itaque ne interim praeda discederet, vel minoris pallium addicere placuit, ut pretium majoris compendii leviorem faceret jacturam. Quum primum ergo explicuimus mercem, mulier operto capite, quae cum rustico steterat, inspectis diligentius signis, injecit utramque laciniae manum, magnaque vociferatione, latrones tenere, clamavit. Contra, nos perturbati, ne videremur nihil agere, & ipsi scissam & sordidam

magis placet *sicel.* vide Cujacium lib. 12. Observat. cap. 40. An legendum, *dipondium ac sicilium, quibus lupinos destinaveramus mercari, nihil ad manus erat. Itaque, ne interim praeda discederet, vel minoris?* ita habent quidam cod. TORNÆS. Recta lectio aliorum codicum, *praeter unum dipondium sicilicum, quibus lupinos.* id est, dipondium cum sicilico. ita loquebantur. vel sine dubio legendum, *praeter dipondium sicilicumque, quibus lupinos.* Scaliger. Glossarium: *Dipondium* δίπλες χάλκου, ἤγουν δίολον. Διώβολον. *Dipondius. Dupondium*, δίνεμμον. hinc contemptim viliores, *dipondii.* Sen. controv. 1. lib. 10. *Itane peribunt decem juvenes propter dupondios tuos.* Glossæ, *Sicilicum* ζυγίας τέταρτον. D. Eucherius l. 11. Instruct. *Sicel, qui corrupte siclus, unciae pondus habet, scrupula decem.* Vide Volusium Mettanum. WOUWER. Vide Rhemnium de Pondd. Cæterum in hac periodo illustre mendum, cui exstirpando nunc non sumus. BARTH. Quem etiam vid. l. XXI. Adv. c. VI. In antiquitus cusis, *unum desponendum sicel*: sed tamen non minus falsa est ista scriptura, quam lupinaria moneta: ac si conjecturæ conceditur venia, legendum crediderim; *unum dipondium scilicet lupinosque.* Lupinos autem ex Horatio Plautoque alibi docuimus, veros assimilare nummos, id quod & hic locus confirmat. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 7. *Dipondium* à vilitate, quod penderet drachmas duas, ita per contemptum *Dupondii* appellati, primo anno novi auditores juris, Hieronym. *Qui te oro dupondii supputabit?* Seneca epist. *dupondio satur*, id est, exiguo sumptu. Cujac. observat. lib. 12. cap. 40. ERHARD. Mire hic variant scripti. Lege, *sed praeter unum dupondium, quo cicer lupinosque destinaveramus mercari.* Sic hunc locum emendaverunt & Anonymus in MSS. juxta Dousæ P. manum ad editionem Tornæsianam; quo ante me codice præstantissimi viri Theodori Hillensbergii beneficio usus est M. Hadrianides, qui illum (Anonymum dico) male omnibus locis, scripturæ, ut hariolor, imperitia, Petrum Scriverium appellat, & CL. Gronovius lib. IV. de Pec. vet. cap. XII. quem adi. *Cicer* & *Lupinus* tenuiorum esca fuere, qualis erat Cynicorum victus. Præter Horatium & Martialem has ipse voces conjungit Noster infr. cap. LXVI. Ubi Trimalchioni dicit Habinnas, quid habuerit in cœna. *Itaque*, inquit, *de scriblita quidem non minimum edi, de melle nusquam tetigi: circa cicer & lupinum; calvae arbitratu, & mala singula*, &c. Sic illi loco medicinam facit illustris Heinsius. (cui & hujus medela debetur) *Calvae* enim vox, ut ille me docuit, non hic proprium cujusdam feminæ nomen est, sed nuces sunt, ut ex Catonis de R. R. lib. cap. 8. discere est: ubi *nuces calvas* inter alia earum genera nominat. BOSCH.

Mercari] Nota proprietatem hujus verbi, pro negotiari vel lucri causa merces emere, quæ deinde carius distrahantur. ERHARD.

Ne interim praeda discederet] Optimus Codex habebat, *ne viritim.* Luxata autem hæc sunt suo loco. Continuentur igitur cum superioribus ita; *quam ne ambiguam litem descendere, ne viritim praeda discederet*, id est; ne præda divideretur ex eventu litis. Hæc Ill. Scal. quæ quidem certa & indubitata esse quisquis sanæ mentis fateatur oportet. WOUWEREN. *Viritim* opt. cod. quod omnino cum J. Scaligero probandum. BOSCH.

Addicere] Proprium in emptionibus. Sueton. Julio cap. L. *Amplissima praedia nummo addixit.* passim apud J. C. Firmicus: *Pudorem suum quotidianae pecuniae gratia lenoni addicent.* WOUWEREN.

Pretium majoris, &c.] Jo. F. Gron. legendum putat *levior jactura*, hoc sensu, ut parvâ jacturâ, in pallio minoris addicto, comparemus pecuniam ad redimendam tunicam aureis plenam, unde majus lucrum. Idem quoque placuit Bynæo lib. 1. de Calceis Hebræor. cap. VIII. sed forte legendum, ut *spes majoris compendii leviorem faceret jacturam.* BURM.

Explicuimus] *Explicare* aptum verbum de mercibus, quæ evolvuntur, cum venum exponuntur. *Expedire* dixit Ovidius l. 1. art. am. vers. 421.

Institor ad dominam veniet discinctus emacem,
Expediet merces, teque sedente, suas. BURM.

Mulier aperto capite] Omnino lege *operto*, ut infra cap. XVI. *Mulier autem erat operto capite, illa scilicet, quae paulo ante cum rustico steterat.* Feminas in publico opertas fuisse dixi supra. ERHARD.

Injecit utramque laciniae manum] *Injicere manum* proprio antiquo verbo juris est, quoties nulla judicis exspectata auctoritate rem nobis debiram, aut etiam nostram vindicamus: quod Tertullianus dixit, *manu injecta detinere.* Andr. Hoyus in Proverbial. Tertulliani formulis, cap. 123. ERHARD.

Latrones tenere] Lege, *tenete.* HEINS.

Nihil agere] Ocioši esse. Demosthen. Ἐπὶ τῷ μηδὲν ποιεῖν ἡμᾶς πάντα τάδε. Vide, si tanti, quæ ad Claud. l. 1. in Eutrop. vers. 470. notamus. BARTH.

dam tenere coepimus tunicam, atque eadem invidia proclamare, noſtra eſſe ſpolia, quae illi poſſiderent. Sed nullo genere par erat cauſſa noſtra, & conciones, quae ad clamorem confluxerant, noſtram, ſcilicet de more, ridebant invidiam; quod pro illa parte vindicabant pretioſiſſimam veſtem, pro hac pannuciam ne centonibus quidem bonis dignam. Hinc Aſcyltos pene riſum diſcuſſit: qui, ſilentio facto.

XV. [a] Videmus, inquit, ſuam cuique rem eſſe cariſſimam, reddant nobis tunicam noſtram, & pallium ſuum recipiant. [b] Etſi ruſtico, mulierique placebat permutatio, advocati tamen jam pene nocturni, qui volebant

a ASCYLTOS. *b* ENCOLPIUS.

Sæpe in *nihili* vocabulo antiquorum luſum fecit ingenioſitas. Vetus eſt; *Nihil agendo homines male agere diſcunt.* Terentius; *Valde occupatus in nihil agendo.* Arnob. lib. 6. *Uni tantummodo exauditi abeant ſoli, nihil egerint cæteri.* Auſon. *Ut quum agis nihil, hæc legas; &, ne nihil agas, defendas.* Quæ omnia in ſpeciem tantum *nihil* illud præferunt, cum & is, qui otioſus ſit, non poſſit nihil agere, nec qui irritis conatibus oravit, non oravit minus, nec qui legit, quod frivolum eſt, minus legit. Barth. ad Claudian. lib. 1. in Eutrop. verſ. 470. Idem tamen alibi notavit, *nihil agere* Petronio uſurpari pro affluentia otii, Ablegmiu. Critic. lib. 2. cap. 8. ERHARD.

Eadem invidia] Sic ſtatim hoc capite. *noſtram, ſcilicet de more, ridebant invidiam. Invidia* plerumque apud Petronium eſt, virulenta quædam publici privatique odii concitatio. Sic Tacit. libro 4. Annal. cap. LIII. *Profuſis diu ac per ſilentium lacrymis, mox invidiam & preces orditur.* Pichena Not. ad Tacit. 3. Annal. cap. LXVII. Familiaris hæc Petronio phraſis. Quintilian. declam. 279. *Non vociferatione ſaltem invidiam facere apud populum conatus eſt. vociferare* dixit, quod Petron. *proclamare.* Savaro Not. ad Sidon. l. 1. epiſt. 7. Infra cap. 97. *Amolitur Aſcyltos invidiam, &, ſe vero nihil aliud quam fugitivum ſuum dixit quærere,* &c. Et inferius cap. 101. *Inundatus hac Eumolpus invidia, jurat per deos deaſque, neque ſe ſcire quid acciderit,* &c. ERHARD. Vera ſunt quæ Erhardus de hac voce notat, ſed interdum etiam de eo qui reſiſtit, & prohibet, ne quid fiat, *invidia* dicitur. Virgil. IV. Æneid. 349.

Quæ tandem Auſonia Teucros conſiſtere terra
Invidia eſt.

Et ita *invidere.* Ovid. 1. Triſt. 1.

Parve, nec invideo, ſine me liber ibis in urbem.

Id eſt, non repugno, non impedio, non prohibeo. Ita capio illud Virgilii VIII. Æn. 506.

Sed mihi tarda gelu ſeclisque effata ſenectus
Invidet imperium.

Et ita apud Græcos μεγάιρω ſumitur. Apollon. Rhod. Argon. III. 485.

Ὦ πέπον, εἴ νύ τοι αὐτῷ ἐφανδάνει, ὅτι μεγάιρω.

& IV. 420. BURM.

Nullo genere] Id eſt, nullo modo. GLOSS. Julius Firmicus, *ſed nullo genere matris dolor vincitur.* PITHÆUS. Nullo modo, οὐδενὶ τρόπῳ. Cicer. ad Atticum, *Quod optimo genere facere non licuit.* WOUWEREN. Infr. c. 26. *cum mœſti deliberaremus, quonam genere præſentem evitaremus procellam.* Quintil. decl. XXVII. *ceterum defendamus illud, quod nullo genere licet facere ſpecie neceſſitatis.* vid. infra cap. 26.

Cauſſa noſtra, & conciones] *Cauſa, nam & conciones* Leid. cod. Lego, *cauſſa noſtra, nam & conciones.* BOSCH.

Conciones] Multitudo populi adſiſtentis. GLOSS. Salmaſius legit *cociones*, qui quales erant, late docet in libro de uſuris p. 344.

Ridebant invidiam] Alii *inſcitiam.* TORNÆS. Lege, *noſtra ridebant invidia.* HEINS.

Quod pro illa parte vindicabant] *Quod*, id eſt, eo quod, ideo quod, propterea quod. eſt particula Comica Plauto ac Terentio familiaris. ERHARD.

Pannuciam] *Pannucia* diverſis pannis obſita. GLOSS. *Pannucia nuncupata, quod ſit diverſis pannis obſita.* Iſidor. PITHÆUS. Perſ. Satyr. VI.

Dum ne deterius ſapiat panucea Baucis.

Martial. lib. 11. epigr. 47. WOUWEREN. Vide Pet. Perrenonium Animadverſ. & Var. lect. lib. 1. cap. 13. ERHARD.

Pene diſcuſſit] Jungermann. legit, *bene.* Optime. ERHARD. Barth. XXI. adv. 6. legit *pene riſum riſum diſcuſſit.* Gronovium legere *Aſcyltos periculum diſcuſſit.* notavit manus viri docti in codice, quem poſſideo. BURM.

Videamus] Lege, *videmus.* RITTERSH. Jungerm. legendum cenſet *videmus.* quod & ipſum comprobo. ERHARD.

Suam cuique rem eſſe cariſſimam] Plaut. *meus mihi, ſuus cuique cariſſimus eſt.* PITH. Valer. Flacc. lib. 5. verſ. 642.

Eſt amor & rerum cunctis tutela ſuarum. WEITZ.

Advocati jam pene nocturni.] Pro futuribus graſſantur. GLOSS.

bant pallium lucrifacere, flagitabant, uti apud se utraque deponerentur, ac postero die Judex querelam inspiceret. Neque enim res tantum, quae viderentur, in controversiam esse, sed longe aliud quaeri, in utra parte scilicet latrocinii suspicio haberetur. Jam sequestri placebant, & nescio quis ex concionibus, calvus, tuberosissimae frontis, qui solebat aliquando

GLOSS. Leucipp. Καλὸς γε καὶ ἐυκτιρὸς δικαστής. Calpur.

Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi
Tityrus, & medio furem suspendit ovili.

Senec. de Brev. Vit. *Non est quod me solos putes dicere occupatos, quos à Basilica emissi demum canes ejiciunt,* sic legendum. PITH. Auctor Dial. de Orat. cap. XXXVI. *Hinc leges assiduae, hinc conciones magistratuum pene pernoctantium in rostris, hinc accusationes potentium reorum.* WOUWEREN. Lege *bene nocturni*, id est, qui jam sero & multam in noctem ambulant. est enim ἀυξητικὴ haec particula. Schopp. Verisim. lib. 1. cap. 16. *Nocturnos* pro furibus dixit, quod & noctu grassantur fures, & atrociores fures nocturni habentur. id de advocatis dicit, qui vestes avertere conabantur. Hoc autem eo est lepidius & urbanius, quod jam advesperaverat, ut ambiguitatis sensus duplici gratia augescat, & advocatorum nocturnorum & nocturnorum furum. Turneb. Adversar. lib. 1. cap. 7. Vide Scaligeri Castigation. ad Catull. ERHARD. Turnebus & Scaliger *advocatos nocturnos* interpretantur fures; sed Petronius hoc voluit, advocati cum jam paene nox esset, sic recte Gronov. 1. obs. c. 1. *Anus nocturnae* in coena Trimalchionis, quae noctu volant. Facete autem, ut solet Arbiter, hoc ipso obliquum in modum designat, advocatos praedae ac lucro inhiasse, sol enim occasus juridicundo suprema tempestas erat ex lege XII. tabularum; unde nec Senatusconsultum id ratum habebatur, quod factum esset post occasum solem, teste Varrone apud Gell. 14. c. 7. HEINS. *Advocati pene nocturni*, recte explicant Gronovius & Heinsius, & ante utrumque ita cepit Scipio Gentilis in Origin. voce *Triumviri nocturni* & Pithaeus ad Dialog. de Orator. cap. 36. simili ratione Cicero IV. Verr. 43. dixit *nocturnos milites.* Et supra cap. 9. *nocturne percussor.* praeterea ex hoc loco discimus togatos illos vultures in foro obambulasse, ut praedae alicui semper inhiarent, & inter mercantes rixas & discordias sererent, unde lucrum facerent. Terent. Eunuch. IV. 6. *Transcurro ad forum, volo ego adesse hic advocatos nobis in turba hac.* Ubi vide quae Lindenbrogius adnotat. rapacitatem autem advocatorum describit Gellius II. 12. *Nunc pleraque pars utriusque amici, quasi probe faciant, duo litigantes destituunt & relinquunt, deduntque eos advocatis malevolis aut avaris, qui lites animosque eorum inflamment, aut odii studio, aut lucri.* BURM.

Inspiceret] Id est, cognosceret. ERHARD. Proprium de judicibus verbum. Valer. Max. V. VIII. 3. *Nequid ante de ea re statuerent, quam ipse Macedonum filiique sui causam inspexisset.* Et VI. II. Exter. 1. *Caussaque diligentius inspecta, justiorem sententiam ferre coepit.* Ita & Justinus dixit *legatos mittere ad inspiciendam rem* II. 15. & XXXVIII. 8. BURM.

Videretur] Alii, *viderentur.* PATISSON.

In controversia esse] Legendum ex Memmii cod. *in controversiam esse*, pereleganter Ciceronisque modo, pro controversum esse & litigiosum. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 7. ERHARD. Scripti *in controversiam:* nec mutari debuit. vide Voss. de construct. cap. 65. HEINS.

Longe aliud quaeri] Alii *quari, quod in utraque.* TORNAES.

In utraque parte] Malim, *in utra parte.* DANIEL. Lege, *in utra parte.* WOUWEREN.

Suspicio haberetur] Ita Corn. Nep. Epam. 5. *habebat enim Meneclides suspicionem adulterii.* Vegetius de mulomedicina. III. 2. *Animalia, quae levem habent suspicionem,* id est, quae de morbo suspecta sunt. BURMAN.

Jam sequestri placebant] Plaut. Rudente, Act. IV. scen. III.

Non probare pernegando mihi potis es, nisi pars datur,
Aut ad arbitrum itur, aut sequestro ponitur.

Vide totam scenam, & cum hac confer. PITH. Vide leg. 109. D. de V. S. & Juris interpretes. Est hoc elegans exemplum sequestrationis conventionalis, de qua in leg. 39. D. de solution. leg. 39. D. de acquir. vel amitt. possess. ERHARD.

Placebant] Sc. rustico & mulieri, ex una: postea sequitur, *idem plane & nos volebamus*, hoc est, & nobis quoque sequestri placebant, ex altera parte. ERHARD.

Nescio quis ex concionibus] Ex hominibus, qui ad concionem & turbam confluxerant. Paulo ante cap. praeced. *Conciones, quae ad clamorem confluxerant.* Et paulo infra hoc cap. *Ridere acumen non minus concionum, quam calumnianttum coepimus.* Ad eum modum, quo *servitia, ministeria, officia, virtutes*, & sexcenta tanta, pro servis, ministris, officiosis, virtuosis, ab aliis frequentantur. ERHARD. Id est, ex auditoribus. Tullius in Oratore; *Conciones saepe exclamare vidi, cum apte verba cecidissent.* De varia ejus vocabuli significatione vide Gell. noct. Att. 18. 7. HEINS.

Aliquando] Alii, *alioqui.* TORNAES.

quando & cauſſas agere, invaſerat pallium, exhibiturumque craſtino die adfirmabat. Caeterum adparebat nihil aliud quaeri, niſi ut ſemel depoſita veſtis inter praedones ſtrangularetur, & nos metu criminis non veniremus ad conſtitutum. Idem plane & nos volebamus. Itaque utriuſque partis votum caſus adjuvit. Indignatus enim ruſticus, quod nos centonem exhibendum poſtularemus, miſit in faciem Aſcylti tunicam, & liberatos querela juſſit pallium deponere, quod ſolum litem faciebat. Ergo recuperato, ut putabamus, theſauro in deverſorium praecipites abimus, praecluſiſque foribus, ridere acumen non minus concionum, quam calumniantium, coepimus, quod nobis ingenti calliditate pecuniam reddidiſſent.

Nolo, quod cupio, ſtatim tenere,

Nec

Qui ſolebat & cauſſas agere] Alii, *& ad cauſſas agere.* alii, *ad cauſſas agere.* dictum ut Propertio: *Paſtorem ad baculum.* Scal. WOUWEREN. Alii *ad cauſas:* per contemptum. nam *agere ad cauſas* minus eſt, quam *agere cauſas.* ERHARD. Ita infr. cap. 62. *Homo meus cœpit ad ſtellas facere.*

Depoſita veſtis inter prædones] Lege *Depoſita veſte, is inter prædones.* Scalig. WOUWEREN.

Strangularetur] *Strangulari*, abdi & recondi veſtem. GLOSS. Id eſt, abderetur & reconderetur, ſicut *ſtrangulare divitias in arca* apud Statium lib. 2. Silv. 2. verſ. 152. eſt perpetuo clauſas ſervare. Schopp. veriſim. lib. 1. cap. 16. vide Bernartii Comment. in Stat. ad dict. locum. Excuſa namque lectio optima eſt. nec adſequor, quid velit ſua emendatione Scaliger. Jungermannus. ERHARD. Vide Gronov. Diatr. Stat. cap. 27. eadem figura dixit Cor. Nep. Themiſt. *Ne pecunia publica largitione magiſtratuum quotanis interiret.* & elegantiſſime Lucianus in Timone pag. 85. dicit Plutum ἀποπνίγεσθαι ἐν πολλῷ τῷ σκότῳ.

Metu criminis] Id eſt, propter commiſſum crimen vel pœnam criminis. Sic *crimen* pro pœna dixit Juſtinianus Imp. in Conſt. de confirmat. Digeſt. §. 19. *niſi temerator velit falſitatis crimini ſubjectus*, &c. quod §. 22. *eamdem pœnam falſitatis conſtituimus*, &c. Eſt vero Græcorum κρίμα, quod ἀντὶ τῆς κατάκριμα ſive ποιὴ poni, obſervavit Goldaſtus. ERHARD.

Non veniremus ad conſtitutum] *Ad conſtitutum venire*, condicto & adſignato die ad jus experiundum venire. GLOSS. Varro, *Alius conviciatus eſſet, qui tam ſero veniſſet ad conſtitutum.* PITH. Putat S. hic nonnulla deſiderari. RITTERSH. Id eſt, ut vadimonium deſereremus. P. Pithœus Subſec. ſive Adverſ. lib. 1. cap. 18. *Conſtitutum*, pro conflictu aut litigatione forenſi. Tertulliano *conſtitutio*, de Præſcript. adverſus Hæret. ubi cauſſam reddit cur cum hæreticis non ſit diſputandum; *Hoc de conſilio diſſidentiæ, aut de ſtudio aliter ineunda conſtitutionis induxerim, viſi ratio conſtiterit, in primis illa, quod fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat, prohibenti quæſtiones inire, Hæreticum poſt unam correptionem convenire, non poſt diſputationem.* Petronius infra, cap. XVIII. *Facto inducias vobiſcum, & à conſtituta lite dimitto.* ERHARD. Vide Gronov. 1. Obſerv. 1. Hygin. fab. CXLVIII. *Ille cum ad conſtitutum veniſſet.* Flor. II. 6. Et *Eurus ab oriente ſemper quaſi ad conſtitutum*, quod male Freinshemius in indice exponit, ad ſcopum.

Utriuſque partis votum caſus adjuvit] Sic ſcribendum puto. Cic. 4. Verr. *Videte quis Sthenii cauſam caſus adjuverit.* infra capite LXII. SCIOPP. Infra cap. 62. *Contentus ſum, ſi nos deſcendentes adjuverit caſus.* Frontinus lib. 11. Stratagemat. cap. 5. ex. 30. *Caſus adjuvit Lucullum.* (ubi vide notas Tennulii) BOSCH.

Exhibendum] Vide tit. dig. *ad exhibendum.* ERHARD.

Juſſit pallium deponere] Id eſt, ſequeſtrare. vide tit. D. *Depoſiti & contra.* ERHARD.

Litem faciebat] Curius Fortunat. *Quod prima pars proponit, quæ litem facit:* Fab. 7. 2. PITH.

Et recuperato] Putſchius legit, *ergo recuperato.* ERHARD.

Præcipites abimus] Nimis feſtinanter. GLOSS.

Calumniantium] Alii, *criminantium.* PATISSON. & TORNÆS. Malos cauſidicos loquaces & rabulas *calumniantes* ſive *calumniatores* appellabant. In proëm. Inſtitut. *Calumniantium iniquitates pellat.* Donat. in Phorm. act. II. ſc. 5. *Multa calumniatores declamandi cauſa dicunt & vociferandi, ut ipſo ſtrepitu terreant.* Poſteriorib. temporibus *clamatores* dicti, ut in LL. Karoli Magni. BONGARS.

Calliditate] Emendat Oeveringius noſter, *calliditate.* BOSCH.

Nolo quod cupio] Quomodo potiundum ſit. Scalig. in Catalect. vide Jac. Magni Sopholog. lib 5. cap. 5. Barth. ad Claudian. n. 870. ERHARD. De hoc Piccartus

Nec victoria mî placet parata.

* * * * *

XVI. Sed ut primum beneficio Gitonis praeparata nos implevimus coena, oſtium ſatis audaci ſtrepitu impulſum exſonuit. Quum & ipſi ergo pallidi rogaremus, Quis eſſet; [a] Aperi, inquit, jam ſcies. [b] Dum loquimur, ſera ſua ſponte delapſa cecidit, recluſaeque ſubito fores admiſerunt intrantem. Mulier autem erat operto capite, illa ſcilicet, quae paullo ante cum ruſtico ſteterat: [c] & Me deriſiſſe, inquit, vos putabatis.

a PSYCHE. *b* ENCOLPIUS. *c* PSYCHE.

cartus, limati vir judicii, & amicus olim noſter τιμαλφίστατος, Obſervat. Hiſtorico politic. dec. 13. cap. 4. WEITZ.

Victoria parata] Facilis & parabilis. Barthius ad Claudianum Commentar. num. 2339. ERHARD. Talis eſt quam *impulverem* vocat Gell. 5, 6. Ovid. Ep. VIII. 82.

Ecce Neoptolemo praeda parata ſui.

Apud Livium lib. v. cap. 6. etiam legendum puto: *inſueſcere militem noſtrum, non ſolum parata victoria frui, ſed, ſi res etiam lentior ſit, pati tædium, & quamvis ſerae ſpei exitum exſpectare.* nunc *parta* circumfertur. Cæterum an ſuo loco hi verſiculi poſiti ſint, ut dubitem, facit, quod vulgatae editiones repetant infra cap. 93. BURM.

Gitonis] Hoc nomen non eſt Grœcum. Legendum *Gnython.* Γνύθων. Nam ſemper vetus exemplar habet *Gniton.* Scalig. WOUWEREN. Scalig. legit. *Gnythonis.* Sane Lexicographi habent, Γνύθιον, Διορύσιον. Jungerman. ERHARD.

Non ſatis audaci] *Non* videtur abundare. TORNÆS. & WOUW. To *non* officere ſenſui recte vidit doctiſſ. Wouw. itaque id delet: Ne tam audaces ſimus lege *Oſtiolum ſatis.* BARTH. Quem & vide lib. 21. cap. 6. & lib. 36. cap. 9. Quo ultimo loco vulgatum tuetur.

Impulſum] Apulej. 1. Metam. *impulſu majore januæ reſeruntur, imo vero fractis & evulſis funditus cardinibus proſternuntur. Impellere* enim vim majorem notat, qua aliquid evertitur & proſternitur. v. Gronov. ad Senec. Herc. Oetæum verſ. 1686. BURM.

Exſonuit] Infra, cap. XIX. *Omnia nimio riſu exſonuerant.* Et cap. CIX. *Exſonat cantibus totum navigium. Exſonuit*, ἐξῆχησε, vel ἐξηχήσαι, quo verbo in eadem notione Chryſoſtomum uti animadvertit Car. Perrotus in ſuis ad eum Annotationibus. ERHARD.

Cum & ipſi ergo pallidi] Forte, *cum & ipſe & ego pallidi.* Nam de nemine hactenus timente locutus eſt. BARTH.

Dum loquimur] Infra, cap. CXXXI. *Dicto citius nervi paruerunt imperio.* quo pacto & Apulejus amat loqui, vel *cum dicto.* Petron. cap. XCIV. *Dum loqueris, levis pruina dilabitur.* Sic Marci cap. 1. verſ. 42. de Jeſu leproſum ſanante; *Ait illi; Volo mundare. Et cum dixiſſet, ſtatim diſceſſit ab eo lepra*: hoc eſt, ut loquitur Petronius cap. XXX. *Statim ab extrema parte verbi* diſceſſit. Vide quæ notamus infra, cap. XXIV. ad illud, *Ab hac voce.* ERHARD.

Sera ſua ſponte delapſa] Ovid. & Proſper de Providentia. *Demere ſeram* dixit Ovid. lib. 1. Faſtorum verſ. 265. DANIEL. Ovid. lib. 1. Faſtor. verſ. 265.

Et jam contigerant portam, Saturnia cujus
Dempſerat appoſitas invidioſa ſeras.

Ibidem verſ. 280.

Tota patet dempta janua noſtra ſera.

Nonius. Patibulum, *ſera, qua oſtia occluduntur, quod hac remota valva pateant.* PITHÆUS. Sic videntur antiquorum ſeræ fores occluſiſſe, ut exemptiles eſſent, & quoties fores reſerarentur, ſeræ removerentur, liberarentque è catena pendentes: cum non ita, ut nunc, impagibus oſtiorum uncis adfixæ ferreis hærerent. Ovid. 1. Amor. eleg. 6. *Excute poſte ſeram.* Hoc eo admonendum duxi, ne juvenes, cum legerent, mirarentur & obſtupeſcerent attoniti, cum ad veteris non ad hujus temporis conſuetudinem & memoriam iſta revocanda ſint. Turneb. Adverſar. lib. 19. cap. 7. Mihi Petronius videtur notare ſagam iſtam ſacerdotem, quæ magico artificio & incantamento ſeram removerit. Ergo venefica fuit Quartilla, & ad conciliandam ſibi auctoritatem religionis hoc artificio uſa eſt. Reſpexiſſe etiam ad illud Virgilii videtur: lib. VI. 81.

Oſtia jamque domus patuere ingentia circum
Sponte ſua.

Homerus Iliad. ε.

Αὐτόματοι δ' πυλαὶ μύκον οὐρανοῦ. ERHARD. *Sera jam ſua ſponte* Mem. cod. BOSCH.

Delapſa cecidit] Duo hæc verba conjungere amant auctores, ut docuit Gronov. ad Senec. Herc. Oetæum verſ. 63.

Recluſaque] Unus ex veteribus, *remiſſaque.* PUTEAN. *Remiſſaque* Leid. & Trag. cod. melius. BOSCH.

Mulier erat operte capite, quæ cum ruſtico ſteterat] Cap. XIV. *mulier aperto capite, quæ cum ruſtico ſteterat*, aut gloſſema eſt, aut legendum *operto capite.* WOUWEREN.

Et me deriſiſſe] Forte, *ecce me deriſiſſe.* HEINS.

Cujus

tis. Ego sum ancilla Quartillae, cujus vos sacram ante cryptam turbastis. Ecce ipsa venit ad stabulum, petitque, ut vobiscum liceat loqui. nolite perturbari, nec accusat errorem vestrum, nec punit. imo potius miratur, quis Deus juvenes tam urbanos in suam regionem detulerit.

XVII. [a] Tacentibus adhuc nobis, & ad neutram partem assentationem flectentibus, intravit ipsa una comitata virgine, sedensque super torum meum, diu flevit. Ac ne tunc quidem nos ullum adjecimus verbum, sed attoniti exspectavimus lacrymas ad ostentationem doloris paratas. Ut

a ENCOLPIUS.

Cujus vos] Alii *cur*. PATISSON. Lego *cujus vos*. Sic supra recte emendatus est error similis cap. VI. *Nescio cur quis Agamemnonis suasoriam excepit*, sic, *nescio cujus, qui*. FR. EMMIUS.

Sacram cryptam] *Crypta* Neapolitana scilicet, ubi sacellum Priapi & sacra abdita. GLOSS. Autisiod. & alii *sacrum*. Pith. PATISSON. *Crypta* est cista, in qua Priapi sacra abdita. κρύπτειν enim est abdere & recondere. Jam vero Deorum quorumdam sacra mystica erant, nec cuiquam ea fas enuntiare, sicut Horat. de Baccho lib. I. od. 18. Sic in libro Sapientiæ cap. 14. vers. 23. de gentili impietate; ἢ κρύφια μυστήρια ἄγοντες. Mystica autem & arcana Priapi quoque sacra fuisse, infra docemur. Dicit ergo ancilla, Encolpion & Ascylton turbas ante cryptam illam sacram dedisse. *Turbastis* enim absolute dictum, pro turbas dedistis, excitastis. Schop. Verisim. lib. 2. cap. 2. Num audiemus sententias, id est, vitrea fracta & somniorum interpretamenta? ubi etiam Germanicus Interpres, cujus auctoritatem laudat, est Lutherus, quem nominare profanis istis nefas. ERHARD. *Sacram ante cryptam*. Leid. cod. non male, hoc est, ante hac inviolatam: To *ante* adverbium est, teste Gronovio lib. I. Observ. cap. 15. Legit Nob. Heinsius *sacra ante cryptica*. BOSCH. Salmas. ad Spartian. vitam Hadrian. cap. 13. Legit *sacra inante crypta*, ut intelligitur sacra ante hoc tempus secreta & occulta. Barth. XXI. adv. 6. legit *sacrum ante cryptam*, sed egregie hæc explicantem & emendantem vide Gronov. I. obs. 15. qui legit *sacram ante cryptam*: antrum enim illud sive fornix antea sacer, nunc profanatus erat. In tali autem crypta, sive occulto & arcano antro, speciè sacrorum, flagitia omnia propudiosissima peragebantur, ut in Bacchanalibus apud Liv. XXXIX. cap. 9. & seqq. Ita & sacra Deæ matris Val. Flac. II. 625.

——— *Nec arcanis Phrygius furor invehit antris.*

Eodem ergo modo in pervigiliis Veneris & Priapi nocturnos cœtus in fornicibus celebrabant.

Ad stabulum] Cauponium seu diversorium. GLOSSÆ.

Assentationem] *Assentatio*, assensio. GLOSS. Alii, *assensionem* alii *assentionem*. TORNÆS. Sincerius arbitror, *assensionem*. Gulielmus Plaut. quæst. in Epid. cap. ult. imo *assentationem* dixit pro assensione. Sic *assentari* pro assentiri usurpavit Plaut. Mostell. act. I. sc. 3. ubi Schopp. contra Lambin. qui pro *assentari* apud Plaut. semper *assentiri* substituit: pessime, ut etiam Douza ostendit. Quo verbo & Tertullian. in eo sensu utitur, & in lib. adversus Hermogen. *assentator mali*, est qui malo consentit, ut recte ibi adnotavit Rhenanus. Sic Anonymus, sed vetus auctor, de Origine Suevor. *Huic assentationi quidam Anshelmus intererat*, id est, consensui Procerum. Et post; *Nil ei posse respondere, nisi Principum suorum assentatione.* Ad eandem faciem statim Petron. *ostentationem doloris*, pro ostensione dixit. ERHARD.

Una comitata virgine] Juven. Satyr. 6.

——— *comite non amplius una.*

Non prodibant sine pedissequis. in Plauti Casina Murrhina ait:

Sequimini comites in proximum me huc.

Myron apud Rutilium Lupum: *Ornatus ejus opibus abundabat, magnus ancillarum, quæ sequebantur, comitatus. nunc gravi casu afflicta, vix mediocris ancillæ dignitatem retinet*, ne meretrices quidem. Lucian. ἑταῖρ. διαλ. Ἀλλὰ νῦν ὁρᾷς, οἷα πρόεισι, χρυσὸς, ἐσθῆτες, ἐναυθεῖς, καὶ θεράπαιναι τέσσαρες. WOUWEREN.

Expectavimus] Forte, *spectavimus*. SAMBUC. & RITTERSH. Contrariantia hæc. forte *exputavimus*. ut de lacrymis Quartillæ non suis & socii loquatur juvenis. quas scilicet non ad dolorem, sed ejus frivolam ostentationem dixerit paratas. BARTH. Ut in nimia consternatione oboriri solent. Barth. ad Claudian. num. 2796. Leg. *aspectavimus*. Gruterus Suspicion. lib. 8. cap. 8. at nihil necesse esse interpolatione Goldastus docet. ERHARD. Cum illis facio, qui *spectavimus* rescribunt, quam vocem sæpe à librariis cum *exspectare* confusam esse docere ea possunt, quæ notavit doctissimus Munkerus ad Hygin. Astronom. I. 6. BURM.

Ad ostentationem] *Ad ostensionem*, alii. PUTEAN. & PATISSON. Senec. Ep. 99. *Plus ostentatio doloris exigit, quam dolor*. Plin. 4. Ep. 2. *Nec dolor erat ille, sed ostentatio doloris*. SCIOPP.

De-

Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit superbum pallio caput, & manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis, [a] Quaenam est,

[a] QUARTILLA.

Detonuit imber] Quia *AMBITIOSUM* dixit, placuit viro docto *DETUMVIT*, quod verbum quamquam eodem modo in Prudentio, Statio, Plinio, Gellio, lectum, hic tamen non recipimus. Quis enim nescire potest socia esse imbres & tonitrua? BARTH. Quem & vide lib. XXI. adv. cap. VI. & lib. XXII. cap. XIII. Ubi *detumuit* mavult, & ad Stat. lib. III. Theb. vers. 259. ubi vulgatum defendit. Lege *detumuit*. Similitudo est à fluminibus, quam aliter prosequitur infra cap. 113. *Inundavere pectus lacrimae dolore paratae*. Gruter. Suspicion. lib. 8. cap. 8. Imo tralatio est à tempestate, quum imber sequitur tonitrua. Hieronymus Stridonens. *Et cum persecutionis detonaret procella, in villam remotiorem secessit*. Nota est fabula de Socrate, qui ab uxore rixosa perfusus; *Sciebam*, inquit, *post tantum tonitru venturam pluviam*. ERHARD. Pro hac lectione Solinus cap. 14. *In quo bellorum civilium detonuerunt procellae*. *Imber* pro lacrymis, notum, & Poëtae omnibus paginis. BOURDEL. Florus lib. 2. cap. 6. de Bello Punico: *Ac primi quidem impetus turbo inter Padum & Ticinum valido statim fragore detonuit*. WEITZ.

Imber] Similitudo à fluminibus vel à tempestate, quum imber sequitur tonitrua. GLOSS. Catull.

Tristique imbre madauere genae.

Seneca Troad.

——— *irrigat fletus genas,*
Imberque victo subitus à vultu cadit.

Statius Sylv. lib. V.

——— *Oculis uxorius instat*
Imber. WOUWEREN.

Poëticus hic sermo. Infr. cap. 137.

——— *Oculis nec defuit imber.*

Senec. Thyest. vers. 950. *Imber vultu nolente cadit.* Et Oedip. 91. *subitus & vultus gravat infusus imber.*

Retexit superbum pallio caput] Cur superbum? quia detegere caput reverentiae signum tam in foeminis, quam in viris; quod fieri, cum intraret, à Quartilla oportuit: solebant autem palliolis in publico operire caput, etiam vulgivagae. Ancilla Quartillae *capite operto* paulo ante intraverat. apud Valer. Max. lib. 6. cap. 7. *C. Sulpitius Gallus uxorem dimisit, quod eam operto capite foris versatam cognoverat*. Etiam lecticam, in qua ferebantur in publicum, operiebant; Plutarch. in Demetrio Pompeji Magni liberto id, ut superbum notat, quod epulaturus apud Patronum locum summum occuparat in triclinio, & quidem caput palliolo ad aures usque obtectus, dum Pompejus ipse convivas caeteros stans operiretur. HEINS. *Superbum* non puto ideo, ut voluit Heinsius, quia intrans non salutaret, sed quia increpitura, vultum ad severitatem & superbiam componit: contritio etiam illa digitorum imperiosi, superbi, & irati hominis signum, de quo praeter quae hic Douza & alii habent, v. Commentar. ad Tibull. 1. II. 34. Propert. II. III. 3. Pricaeum, & Colv. ad Apulej. Metam. II. ex quorum locorum collatione apparet, hic melius *crepitum*, quam *strepitum* legi posse. Et ita Brouckhusius noster emendaverat. quem & de hoc more vide ad Propert. IV. VII. 12. BURM.

Manibus inter se usque ad articulorum] *Interitus in articulorum*. TORNAES. Dictum, ut est cap. XXIII. *qui ut infractis manibus congemuit*. malo tamen, *constrictis*: ut in Tholos. exempl. RICHARD. Videtur moris fuisse, ut hujusmodi signis dicturi audientiam pararent. Hieron. ad Rusticum: *Testudineo Grannius ad dicendum incedebat gradu, & per intervalla quadam vix verba carpebat. Et tamen cum mensa posita, adducto supercilio, contractis naribus, duobus digitulis concrepabat. hoc signo ad audiendum discipulos provocans*. WOUWEREN. Infra; cap. XXIII. Gestus erat componentium se ad dicendum. Propert. lib. IV. eleg. 7.

——— *at illi*
Pollicibus fragiles increpuere manus.

Ubi vide Scaligerum. Ex more veterum, qui hujusmodi signis sive crepitibus audientiam dicturi praeparabant. Idem iisdem; imo & nobis istud signum frequens & in proclivi ad judicandum, vocandum, aut revocandum. sic apud hunc nostrum infra cap. XXVII. *Trimalchio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit*. Puteanus in Genial. serm. Malim autem legere, quod in aliis est, *constrictis*. Laërtius in Socrate; πολλάκις ὁ βιαιότερος ἐν ταῖς ζητήσεσι διαλεγόμενον κατοδυλίζεσθαι καὶ παιατιλλεσθαι, τὸ πλεῖστε γελᾶσθαι καταφρονούμενον. An id est ἀνωλολύζειν apud Hesychium? Signum autem, quo ad audiendum vocabant, non erat constrictio digitorum utriusque manus, sed duorum digitorum unius concrepatio. Vid. Hieronym. ad Rusticum; Silentium autem & faventia auditorum extensione manus conciliabatur. Lucas in Actis Apostol. cap. 19. vers. 33. *Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo*. ubi Graecus codex; κατασείσας τὴν χεῖρα, ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ. Ibidem cap. 26. in princip. *Agrippa ad Paulum ait; Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extensa manu coepit rationem reddere*. Cap. 12. vers. 17. de Petro; *Annuens eis manu ut tacerent, narravit*, &c. Cap. 13. vers. 16. *Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait*, &c. Cap. 21. in fin. *Rogo te, permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annui manu ad plebem, & magno silentio facto, allocutus est lingua Hebraea, dicens*, &c.

est, inquit, haec audacia ? aut ubi & fabulas anteceſſura latrocinia didiciſtis? miſereor me-Dius Fidius veſtri: neque enim impune quiſquam, quod non licuit, adſpexit. utique noſtra regio tam praeſentibus plena est

Adde Fr. Raguellum Indice des droicts Royaux & Seigneuriaux, verbum, *Bouche*. ERHARD. Melius *crepitum*, qnod Ciceronis, Propertii, Martialis, Senecæ & aliorum exemplis tueri poſſet: etiam ipſius Arbitri, nam cap. 27. *Trimalchio*, inquit, *lautiſſimus homo digitos concrepuit*. BOSCH.

Conſtrictis] Scaliger ad d. Propertii locum citat hoc modo, *manibus internis in articulorum ſtrepitum conſtrictis*. Alii præferunt *contritis*: & ſane ſolemnis harum vocum eſt confuſio, à *tero* & *ſtringo* derivatarum. Ita apud Claudian. lib. 1. Rapt. Pro. verſ. 13. *Colla levant attrita jugis*, editio Parrhaſii & Heinſiani codices aliquot habent *adſtricta*. Ovid. VIII. Met. 369.

Dentibus ille ferox in querno ſtipite tritis.

Ubi codices multi habent *ſtrictis*, & ita paſſim. hic vero præferrem *conſtrictus*; quod inde crepitus magis oriatur. Codex Tragur. *ſtrictis* habet. BURM

Hæc audacia] *Hæc*, alii ignorant. PATISSON. Lege, *iſta*. HEINS.

Aut ubi fabulas & anteceſſura] Alias *etiam anteceſſuras*: rectius. PUTEAN. Alii *etiam anteceſſuras*. PATISSON. MS. *etiam anteceſſuras*. TORNÆS. Latet aliquid propter fractum Satyricon hoc, ſuſpiciendum, non ſciendum. At dubio procul, *dediciſtis*. Miratur enim in hominibus paulo ante perditæ audaciæ tantam jam puſillanimitatem. Lege *ante ſecura latrocinia dediciſtis*. Sic Sulpicius Lupercus,

Ante feri cervis ſubmittent corda leones
Sævaque dediſcet prælia torvus aper. BARTH.

Quem & vide ad Stat. 2. Theb. 409. & adv. 21. 6. lib. 22. cap. 13. lib. 17. cap. 9. & ad Claudian. Præf. 1. Rapt. Proſ. 10. Vet. cod. *Aut ubi fabulas etiam anteceſſuras latrocinia dediciſtis*. Ita omnino leg. Scalig. WOUWEREN. Ubinam iſta mendacia & furta didiciſtis, de quibus ſupra? Quare lege *& anteceſſa eas latrocinia*. *Anteceſſus* pro eo qui anteceſſit. Schop. Veriſim. lib. 2. cap. 2. Nobis legendum conſtat; *ubi ante exercita latrocinia dediciſtis*? Barthius ad Claudian. de Rapt. Proſerp. lib. 1. in Præf. ERHARD. Veriſimilium lib. 2. cap. 2. tentabam corrigere, *& anteceſſa eas latrocinia*. *Anteceſſus* pro eo, qui anteceſſit. Gloſſæ Philoxeni. *Anteceſſus* ἐμπροσθεν βαδίζων. Sic *Conſultus* apud Lucr. qui conſuluit, *congregatus*. Priſcianus lib. 9. docet multa apud veteres prolata fuiſſe participia præterita à neutralibus verbis, ut à *Seneo*, *ſenectus*, *a*, *um*, ὁ γηράσας: *diſcedo*, *diſceſſus*, ὁ ἀναχωρήσας. Cælius: *Cuſtodibus diſceſſis multi interficiuntur*. Sic ab *intereo*, *interitus*, *obeo*, *obitus*; *decreſco*, *decretus*. Sic *emerſus* in gloſſis ἀναδὺς, ἀνεπηδήσας, *qui emerſit*. Sed Scaliger omnino legendum cenſet: *fabulas etiam anteceſſuras latrocinia*. Ego verius puto: *& arte ceſſura latrocinia*, id eſt, *artificioſe vobis ſucceſſura*. Revera enim latrocinium illud ſeu rapina pallii artificioſe & ex voto ipſis ſucceſſerat. adeoque miratur Quartilla, quis Deus juvenes tam urbanos in regionem ſuam detulerit: ſic infra cap. CXXXII. *Verberum notas arte contexi*. Terent. Heaut. act. II. ſc. 3. *Hæc arte tractabat virum*. SCIOPP. Variant codices, ſed tranſponantur vocabula, *ubi & fabulas anteceſſura latrocinia dediciſtis*; & pro *etiam* non intellectum loco interpolando occaſionem dedit, unde variis conjecturis aberratum à ſcopo; Sciopp. in veroſimil. ſubſcribente Voſſ. de analog. lib. 4. cap. 13. *ubi anteceſſa latrocinia dediciſtis*? HEINS. *Aut ubi fabulas etiam anteceſſura latrocinia dediciſtis*. Leid. cod. tranſpone vocem (indicante Nob. Heinſio) & ſcribe: *aut ubi & fabulas anteceſſura latrocinia dediciſtis*. BOSCH. Miſere vexatus à criticis locus. Gronovius IV. obſ. 13. legit *aut ubi fabulas etiam anteceſſura latrocinia dediciſtis*, & recte explicat tanta latrocinia, ut ne quidem ſimile quid in fabulis Poëtarum, ad prodigium & exaggerationem rerum fictis, cognitura ſit poſteritas, & egregiis exemplis illuſtrat. facilior tamen medela Heinſii, quæ eumdem ſenſum exhibet. Ita Seneca hoc verbo *antecedere* utitur. VII. Natur. Quæſt. 31. *muliebres munditias anteceſſimus*. Male autem hic *fabulas*, ſermones interpretantur. recte Gronovius poëtarum fictas hiſtorias. Ita Juſtin. XI. 3. *adjiciunt & ſcelerum priorum fabulas, quibus omnes ſcenas repleverint*. Gellius X. 18. *Artemiſia Mauſolum virum amaſſe fertur ſupra omnes amorum fabulas. Novercarum fabulas* Quintil. Declam. 327. dixit. BURM.

Latrocinia] Sic Salluſt. in Jugurth. *Furtim & per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia & honores nituntur*. ERHARD.

Impune adſpexit] Ovid.

O ſacros vultus Baccho, vel Apolline, dignos,
Quos vir, quos tuto fœmina nulla videt. PITH.

Callimachus, Hym. in Pall. 100.

——— Κρόνιοι δ' ὧδε λέγουτι νόμοι
Ὅς κέ τιν' ἀθανάτων, ὁκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἴληται,
Ἀθήνην, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

Viderant autem Priapi ſecretum in crypta iſti. BARTH. Quem & vide ad Stat. 2. Theb. 240. Tibull. lib. 1. El. VI.

At, mihi ſi credas, illam ſequar unus ad aras,
Tunc mihi non oculis ſit timuiſſe timor.

Vid. Douz. lib. 1. Præcid. cap. XV. Ex eadem ſuperſtitione mox cap. XX. *Operuerat Aſcyltos pallio caput, admonitus ſcilicet, periculoſum eſſe alienis intervenire ſecretis.*

Regio]

est numinibus, ut facilius possis Deum, quam hominem invenire. ac ne me putetis ultionis caussa huc venisse, aetate magis vestra commoveor, quam injuria mea. Imprudentes enim, ut adhuc puto, admisistis inexpiabile scelus. Ipsa quidem illa nocte vexata, tam periculoso inhorrui frigore, ut tertianae etiam impetum timerem. & ideo medicinam somno petii, jussaque sum vos perquirere, atque impetum morbi monstrata subtilitate lenire. Sed de remedio non tam valde laboro. Major enim

Regio] Bitur. *regia*. Pith. PATISSON.

Plena numinibus, ut facilius, &c.] *Major Coelitum populus, quam hominum.* Plinius lib. 2. cap. 7. BRASSICAN. Mox statim; *Deorumque consilia proferatis in publicum.* vide Den. in Dissertatione de idolo Hallensi Justi Lipsii, pag. 50. & Goldastum in praefation. Decretorum Imperial. de Cultu Imaginum. ERHARD. Locis & regionibus omnibus Genios praesse credebant; Graeci vocant ἐγχωρίους θεοὺς, δαίμονας, ἥρωας. Vide haec latius apud Meursium eruditissimum ad Lycophron. Cassandr. vers. 1473. WEITZ. Ante hanc clausulam asteriscum adpingo, non solum meo judicio prorsus necessarium, sed MSS. auctoribus huic loco debitum. BOURDELOT. Carpit hic Satyricus Apotheoses, etiam minime meritorum, cui concinit Senec. Apocolynth. *Olim res magna erat Deum fieri, jam fama numinum fecit, etiam pessimum quemque illum adfectare.* BURM.

Ac ne me putetis] Observa elegantem formulam, quam & in Apulejo notavit Pricaeus. sic enim ille Metam. lib. III. *Nec me putetis privatis simultatibus instinctum odio proprio saevire.* BURM.

Aetate magis vestra commoveor] *Vestrae* Mem. cod. non male, ut eleganter subaudiatur *causa*. BOSCH. Alii, *aetatis vestrae*, in his Scaligeri codex: sed legendum, *aetatis magis vestrae flore commoveor*. Sic solent veteres. M. Tullius pro Caelio. *Nemo hunc M. Caelium in illo aetatis flore vidit, nisi cum patre aut mecum.* Liv. lib. 31. cap. 11. *Flore aetatis primo, ut creditur, Amilcari conciliatus.* Et mox, *florem aetatis Asdrubal patri Annibalis fruendum dedit.* Lib. 28. cap. 22. *Robore major, minor flore aetatis, ferox.* Lib 8. cap. 18. *florem aetatis ejus fructum adventitium crediti ratus.* Justin. lib. 5. de Alcibiade. *Erat enim & aetatis flore & formae veneratione, nec minus eloquentia etiam inter Athenienses insignis.* Lib. 11. cap. 6. *Non juvenes robustos, nec primum florem aetatis, sed veteranos plerosque elegit.* Lib. 13. cap. 1. de Alexando. *Exstinctus in ipso aetatis & victoriarum flore.* Curt. lib. 4. cap. 8. *Hector Parmenionis filius eximio aetatis flore, in paucis Alexandro carus.* Lib. 7. cap. 2. *primo aetatis flore pubescens.* HEINS.

Imprudentes enim, ut adhuc puto] Id est, ignorantes & insci. Infra cap. LXXIX. *Accedebat ebrietas & imprudentia locorum, etiam interdiu obscura.* Et inferius cap. CVI. *Imprudentes noxios in nostrum induxere navigium.* Sic de Trimalcione cap. XXXII. *Positusque in cervicalia minutissima expressit imprudentibus risum:* id est, nobis ignaris, qui non prius videramus. Sic Terentius: Prolog. Eunuch. *Peccatum imprudentia est.* ERHARD.

Vexata] *Vexare* est inter nupta; Ovidius Epist. VIII. 13.

Parcius Andromachen vexavit Achaia victrix.

Latro in Catil. *caedes civium, domorum incendia, vexationes virginum.* Idem *Servare pudicitiam necessitudinum vestrarum à teterrimis vexationibus.* BARTH. Quasi vero non satis nuptorum vocabulorum in Petronio esset, & invito auctori obscoeniores ubique essent sensus adscribendi: certe Ovidium in d. loco cogitasse de tali vexatione, numquam persuadebit Barthius. Opportunius adduxisset Martialis epigramma LXXXII. libri XI.

Impetum] Hoc nomen, ut & *horrorem*, proprie de accessione morbi dici docuit Amplissi. Cuperus. lib. II. obs. cap. 15.

Timerem] Autisiod. *timeam*. Pith. alii *timebam*. PATISSON.

Medicinam somno petii] Suetonius in Vespas. cap. VII. *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudini, demonstratam à Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset.* PITH. Per quietem à Diis monstrata medicina. Xiphilinus Vespasiano, pag. 217. Τυφλόν τε τινὰ καὶ ἕτερον ὑκ ἀρτίχειρα, προσελθόντας οἱ ἐξ ὄψεως ὀνείρατων, ὑγιεῖς ἀπέφηνε. Itaque aegrotantes in templo Aesculapii cubare solebant, ubi somniantibus medicina indicata. Philostratus de Vita Apollonii Tyan. lib. I. Τόθεν ἦ ἄρα ἔσχετο, καὶ μέθη χαίρων, ἐυχμὲ ὑμελεῖ· ὑμελεῖτο δὲ ὑπὸ τῶ Ἀσκληπιῶ διὰ ταῦτα, καὶ ὑδὲ ὅπως αὐτῷ ἴφατο. Vide Plaut. Curcul. act. 2. scen. 1. hinc fortassis apud Artemid. lib. 1. ἐν ἱερῷ ἦ καθεύδειν δοκεῖν, νοσοῦντι, ὑγιαίνειν προαγορεύει. Antoninus Imp. τὸ ἦ ὀνείρατω. βοηθήματα δοθῆναι, ἄλλα τε καὶ ὡς μὴ πῖναι αἷμα, καὶ μὴ ἰλιγγιᾶν. Herodian. lib. IV. cap. VIII. Ἡπείχθη ἐς Πέργαμον τῆς Ἀσίας, χρήσασθαι βουλόμενος τῇ Ἀσκληπιῶ ἀφικόμενος δὲ ἐκεῖ, καὶ ἐς ὅσον ἤθελε τῶν ὀνειράτων ἐμφορηθεὶς, ἦκεν ἐς Ἴλιον. WOUWEREN. Suetonius in Vespas. cap. VII. Vide Aristophanem in Pluto, ibique Scholiasten & Interpretes. ERHARD V. Thomasin. de Donar. cap. 34.

Subtilitate] Forte, *utilitate*. ERHARD. Lege *salubri-*

enim in praecordiis dolor saevit, qui me usque ad necessitatem mortis deducit. ne scilicet juvenili impulsi licentia, quod in sacello Priapi vidistis, vulgetis, Deorumque consilia proferatis in populum. Protendo igitur ad genua vestra supinas manus, petoque, & oro, ne nocturnas religiones jocum risumque faciatis; neve traducere velitis tot annorum secreta, quae mille vix homines noverunt.

[a] XVIII. Se-

lubritate. HEINS. *Salubritate* legit Nob. Heinsius. optime. Infra cap. 140. *Qui praeceptis etiam salubribus instruere juvenes quotidie posset.* BOSCH. Nihil muta. *Subtilitas* est ab ingenio excogitato remedio. vide infr. cap. 31.

Major in praecordiis dolor saevit] Silius lib. I. de Annib.

Romanum saevit puerili in pectore bellum.

BARTH. Quem & vide lib. 21. adv. cap. 6.

Juvenili impulsi] Alii *juvenili impulsu licentiam, quam* &c. PATISSON. Tacit. lib. XIII. cap. XLVII. *quidam per juvenilem licentiam, qua tunc passim exercebatur, manem motum fecerant.* PITH. Vide Pichen. ad Tacit. XIII. Annal. cap. XLVII. ERHARD. *Ne scilicet juvenili impulsu licentiam quam* &c. Leid. cod. utraque lectio tolerabilis. BOSCH.

Consilia] Lege, *concilia.* HEINS.

Proferatis in populum] Geminus huic locus Valer. Flacc. lib. II. vers. 340.

Hactenus in populos, Mater Samothraca, diemque
Missa mane, sacrisque metum servemus opertum.

Ut eum constituit Gronov. lib. I. Observ. cap. XV. quem vide.

Protendo igitur] Alii *obtendo.* PATISSON. MS. *obtendo jugiter.* TORNÆS.

Supinas manus] Virg. 4. Æn.

Multa Jovem manibus supplex orasse supinis.

Apollon. Arg.

Πολλὰ μάλ' ἀθανάτοισιν ἐς εὐρέα χεῖρας ἄειρον
Εὐχόμενοι.

Vide Aristotelem, & Apul. περὶ κόσμ. BARTH.

Nocturnas religiones] Sacrum nocturnum & penetrale in sacello Priapi, à sequiori sexu, ex ritu & disciplina perpetratum. GLOSS.

Risumque faciatis] Sambuc. & alii *referatis.* PATISSON. Puto omissum esse, *publicum.* RITTERSH. Græcismus: ὕβλον καὶ παιδιάν. Porro connecte his Horatiana: Epod. XVII.

Inultus ut tu riseris Cocytia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis.

Illust. Scal. WOUWEREN. Itali dicunt, *diventar favola & riso del mondo*, id est, dar dir & dar direr à tutti, *abire in ora hominum*, dicit Livius. Pflugius. vide Goldasti Not. in Basilii Admonitiones. part. I. Paræneticor. veter. ERHARD. Terent. Eunuch.

Hic vero est, qui si amare occepit, ludum iocumque dicet
Fuisse illum alterum.

Græcorum proverbium est, cum duorum alterum alteri longe anteponunt, παιδιὰ φαίνοιτο ἂν εἶναι, vel λῆρος. Casaubon. ad Athen. lib. I. cap. 25. WEITZ. Vide Gronov. IV. obs. 10.

Traducere velitis] Diffamare. sic cap. 87. Martial. lib. I. Epigr. LIII.

Quae tua traducunt manifesto carmina furto.

BARTH. Quem & vide lib. 21. adv. 6. Id est, ne manifesta faciatis secreta, & in pompam palam irridenda ducatis. Metaphora à damnatis ducta, qui *traduci* dicuntur, cum populo spectandi ignominiæ caussa exhibentur. Ramirez ad Martial. Amphitheatr. epigramm. 4. num. I. Infra cap. LXXXVII. *Deceptum se & derisum, traductumque inter discipulos.* Et cap. CXXVI. *Histrio scenae ostentatione traductus.* Matth. I. vers. 19. de Josepho D. Mariam virginem sibi desponsatam & de Spiritu sancto gravidam relicturo; *Cum esset justus, & nollet eam traducere*, &c. ubi adeundus Theod. Beza in Annotat. majoribus eruditissime de hoc verbo dissertans. ERHARD.

Velitis] Elegantem usum verbi *velle* in precibus & obtestationibus ostendit Gudius ad Phædr. I. fab. 29.

Tot annorum secreta] Alii, *secreta consilia* PATISS. Forte, *animorum.* DELBEN.

Quae mille vix homines] Alii, *quae nulli vix homines.* PATISSON. Locus suspectus mihi: fortasse legi posset, *quae vix ulli homines.* EMMIUS. Alii, *vix nulli.* Sch. *vix ulli.* RITTERSH. Alii, *vix nulli.* malim, *vix ulli.* DOUZA F. Rescribo, *quae mystae vix omnes norunt.* Nam licet initiati, non tamen simul omnia sacra tradebantur, nec arcana promiscue omnibus patebant, sed reducta, & in intimo sacrario clausa. Seneca Natur. Quæst. lib. VII. cap. XXXI. *Nos semel quaedam sacra traduntur. Eleusis servat, quod ostendat revisentibus.* Tertull. adversus Valentin. cap. I. *Nam & illa Eleusinia, haeresis & ipsa Atticae superstitionis, quod tacent pudor est. Idcirco & aditum prius cruciant, diutius initiant, quam consignant, cum & portas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis aedificent.* Quæ sane vel doctissimos non intelligere arbitror, nisi legas *cum epoptas ante quinquennium instituunt.* Ita omnino Tertull. scripsisse contendam. Hoc tu me docuisti Ill. J. Scalig. qui per incomparabilem eruditionem facilius ad quævis è re nata

[a] XVIII. Secundum hanc deprecationem lacrymas rursus effudit, gemitibusque largis concussa, tota facie ac pectore torum meum pressit Ego eodem tempore & misericordia turbatus, & metu, bonum animum habere eam jussi, & de utroque esse securam. Nam neque sacra quemquam vulgaturum, &, si quod praeterea aliud remedium ad tertianam Deus illi monstrasset, adjuvaturos nos divinam providentiam vel periculo nostro. Hilarior post hanc pollicitationem facta mulier, basiavit me spissius, & ex lacrymis in risum mota, descendentes ab aure capillos meos

[a] ENCOLPIUS.

nata respondes, quam nos interrogamus. Quid autem ἐποπται, & ἐποπτικὰ in sacris, neminem ignorare puto. WOUWEREN. Vera lectio *mille vix homines*, firmatur à Martial. I. 66.

Secreta quare carmina, & rudes curas,
Quas novit unus. BARTH.

Quem & vide lib. 21. adv. cap. 6. Legendum, *mystæ vix omnes noverunt.* Scaliger. verissime. Interpres Juvenal. Satyr. 6. *Sacerdotes sive mystæ.* Ibidem; *Sic enim Symmystæ quando Osirim quærunt.* Sidon. carm. 19. Sacerdotes Bacchi vocat *mystas*, ubi videndus Savaro. *Mysta* etiam Senecæ Tragœdo pro sacerdote usurpatus. Petronio sunt sacerdotes Priapi. *Secreta* autem sunt, quæ aliis *mysteria*, id est, sacra. Sic enim ipsemet interpretatur post paulo cap. seq. *neque sacra quemquam vulgaturum.* Itaque recte Leunclavius Notator. lib. I. cap. I. pro illis verbis in leg. 2. C. de summa Trinit. *Nullus hæreticis ministeriorum locus*, legit *mysteriorum.* Et quæ Græci Christiani vocant μυστήρια, Latini reddiderunt *sacramenta.* Dicta autem *mysteria*, quod oporteat μύειν τὸ στόμα. huc respexit Petronius. ERHARD. Scaliger, *mystæ.* forte, *mystæ vix omnes.* HEINS. *Quæ mystæ vix omnes noverunt*, meliores membranæ. BOSCH.

Secundum hanc deprecationem] *Secundum*, pro post. Infra cap. CXVII. *Secundum hanc formulam imperamus Eumolpo.* Sallust. in Jugurth. *Secundum ea*, id est, post ea. ERHARD.

Concussa] Schop. *confusa.* infra cap. XCIV. *confusus hac denuntiatione.* Et cap. CXXVI. *perfusus pulvere mulio.* RITTERSH. Capella lib. I. *tanta gratulatione alacritateque concutitur.* BARTH. Quem & vide lib. 21. adv. cap. 6.

Torum meum pressit] Infra cap. 132. *Premebat illa resoluta marmoreis cervicibus aureum torum.* Ovid. II. art. amator. 712.

Cum premeret mollem lassus ab hoste torum,

Et lib. II. Fastor. 795.

Utque torum pressit, ferrum, Lutretia, metum est.

Item, lib. III. amor. eleg 14.

Cur pressus prior est interiorque torus. PITH.

Bonum animum habere] Sic infra cap. CXV. *Jubemusque bonam habere mentem.* Itali dicunt, *haver buon animo*, id est, buona speranza, confidere animo & bene sperare, Pflugius. Etiam Germani, *gut Hertz haben.* ERHARD.

Deus] Æsculapius scilicet. ERHARD.

Adjuvaturos] Pro, *adjuturos.* ERHARD. Quamquam sint, qui hanc verbi hujus flexionem tueantur, ego vel *adjuturos* vel *adjutaturos* legendum putem: nam quod ex Sallustii Jugurt. cap. 47. *juvaturum* producat Vossius lib. III. de Analog. cap. 20. Gruterus & Rivius testantur, à primis editionibus & MSS. hæc verba *juvaturum exercitum* abesse: apud Plinium tamen IV. Epist. 15. *juvaturi* occurrit, sed ille jam cadente latinitate scripsit. In Manilio *juvavit*, observavit Vossius, & ideo ad Theodosii tempora eum Poëtam refert. Sed vellem locum designasset. BURMAN.

Divinam prudentiam] Forte legendum *providentiam:* quia ipsa dicebat, *Se jussam esse eos perquirere, atque impetum morbi monstrata subtilitate lenire.* EMMIUS. V. C. *prudentiam.* Lactantius lib. 2. cap. 9. *Cum esset Deus ad excogitandum prudentissimus, ad faciendum solertissimus.* Ita V. C. vulgo *providentissimus.* ERHARD.

Periculo] Forte, *peculio*, ut supra. RITTERSH.

Post hanc pollicitationem] Vide tit. D. de Pollicitationibus. ERHARD.

Spissius] Id est, crebrius. GLOSS. Id est, crebrius. Sic infra cap. CXL. *spissare officium*, id est, frequentare, densare: *Exhortabatur Coraca, ut spissaret officium.* RITTERSH. Nequitiæ vocabulum. infr. cap. 31. *spississima basia.*

Descendentes ab aure capillos] Παρωτίδας. Pollux. lib. II. Varro παπιάπαπτω, περὶ ὑγκωμίων: *Anteaures modo ex subolibus parvuli intorti demittebantur.* Hieronymus de vitando suspecto contubernio. *Capilli vel in frontem, vel in aures defluunt.* Sidonius lib. I. Epist. 2. *Aurium legulæ, sicut mos est gentis, crinium superjacentium flagellis operiuntur. Legulæ* vel *Ligulæ aurium* sunt, quæ Arnobio *lamnæ.* lib. II. *lamnas pertunderent aurium* Glossar. λοβὸς ὠτὸς. *Lamna.* WOUWEREN. Ante aures demittebantur capilli parvuli, velut cincinni, intorti ex illis capillis, qui in ima parte temporum juxta aures adnascuntur. Hos vocabant *soboles*, à stolonibus sumpta metaphora, quos veteres solebant crispare; quemadmodum etiam hodie pleri-

meos dentata manu duxit: &, [a] Facio, inquit, inducias vobiscum, & à con-

[a] QUARTILLA.

que Germaniæ & Belgiæ populi faciunt. *Antias* vocant Festus, Philoxenus, & Isidorus. Aus. Popma in Varron. Ab aure pronos & pendulos capillos veteres demiserunt. Senec. Natur. quæst. lib. 1. cap. ult. *Conjugum manu crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, attrectabatur.* Quæ Wouwer. hic affert ex Varron. de mulierum cirris & senis capillis intelligenda sunt, non de virorum cincinnis ab aure pendulis. Savaro in Sidon. l. 1. ep. 2. ERHARD. Nicol. Heinsius conjecerat *lapillos*. Sed nihil necesse; sunt enim quos Apulej. v. Metam. vocat *antependulos crines*, qui per colla & humeros fluebant. Ovidius XII. Met. 395.

——— ——— *Aureaque*
Ex humeris medios coma dependebat in armos.

Ubi codex Strozzæ & Moreti, quos consuluit Heinsius, eleganter exhibent *descendebat*, quod crinem *in gradus formatum*, ut Sueton. in Neron. cap. 51. loquitur, nobis repræsentat. Et appositè Aristænetus lib. 1. Epist. 11. Ἰκανὴ δὲ καὶ ἡ κόμη, καλὴ μὲν καθ' ἑαυτὴν οὖσα, ἔτι δὲ παλλίων περιειμένη μὲν τῷ μετώπῳ, συγκατεῦσα δὲ τῶν ὀὐλων παρὰ τὸ οὖς. *Sed & hæc cæsaries quidem pulchra per se, sed pulchrior circumfusa fronti, deinde juxta aures descendens mixta lanugini.* Quam descriptionem ex Philostrati Amphione transtulisse Aristænetum notat Mercerus. De cura autem circa crines impudicorum puerorum passim hoc opus testatur. Inter blandimenta vero amatoria erat capillos tractare, mulcere, & formare, Propert. lib. 1. Eleg. 111.

Et modo gaudebam lapsos formare capillos.

Ad quem locum Passeratius Petronii hæc verba adducit, & præfert *tenta manu*. Gonsales autem huic blandimento perperam accommodat illud Plaut. Mostel. 1. 111. 6. *capere crines*, quod Turnebus interpretatur blandiri & mulcente manu delinire. Sed longe aliud Plautum velle, vel Lipsius vel Gruterus apud Taubmannum ad ea verba docere possunt, quamquam ille locus nondum satis explicatus mihi videatur. BURM.

Tentata manu] Forte *dentata*. DELBEN. Forte, *lenta*, suspensa, vel *lentata*. Paneg. vide Putean. BONGARS. Alii, *temperata*; alii, *tentante*. TORNÆS. Legit vir doctus, *lentata*: ego una syllaba minus, *lenta*: ut cap. XXVI. Et cap. CXXXVIII. RICHARD. Recte qui *dentata* legit. BARTH. (Qui tamen lib. 21. adv. cap. 6. Probat *tentata*; sed ad Stat. 1. Achill. 182. *dentata* ipsi præplacet.) Lege *lentata manu*, id est, γναμπτῇ. Scalig. WOUWER. Alii *lenta manu traxit*; quod est, manu tenaci & hærente, ut apud Flaccum Epod. 15.

Lentis adhærentes brachiis:

quod est, sequacibus, inhærentibus. At apud Flaccum lib. 1. Satyr. 9.

Et pressare manu lentissima brachia ——— valet, pigra, tarda, surda, segnia, nihil commota meo pressu, ut ab Ovid. epist. 1. scriptum est;

Aut ubi lentus abes ———

Veteres tamen interpretes pro *lentissime*, quod erit tenacissime & pressissime, audiunt, nomine adverbii vicario. Turneb. Adversar. lib. 1. cap. 15. Lege, *dentata manu duxit*, id est, in modum pectinis dentatim formata. Lipsius Antiquar. lect. lib. 1. cap. 1. Elegans est emendatio ista, nam pectinis & dentis metaphora est reciproca, quorum alterum de altero mutuo dicitur. Zinzerlingus Miscellan. Critic. lib. 2. cap. 14. Rader. ad Martial. lib. 14. epig. 22. Ego vero illud, *lenta manu duxit*, quod quidam codd. præferunt, ajo elegantius esse ac probius, hoc est, molli & blandiente, non dura, sed studiose & suaviter composita. Auctorem dabo ipsum Petronium cap. CXXXVIII. *Persusisque inguinibus*, inquit, *meis viridis urticæ fascem comprehendit, omniaque infra umbilicum cæpit lenta manu cædere.* Et de hac ipsa Quartilla ait Eucolpius. cap. XXVI. *Me quoque ad idem spectaculum lenta manu traxit.* ERHARD. *Tentata* in omnibus scriptum. Olim legebam *temerata*, non intelligens quid esset *tentata*. sed idem esse ac *temerata* docent Glossæ veteres, in quibus *temtatum* ἐοκιμασθὲν, ἁμαρτηθὲν. Recte quidem ille: nam *temtare* verbum flagitii. Sic postea. cap. CXL. *accessi temtaturus an pateretur injuriam.* Jacob. MSS. in vita Sanctorum; *de opere illicito me temtavit.* Alii legunt *lenta*, alii, *lentata*, alii *dentata*, alii aliter; omnes perperam. BOURDEL. *Tentata* Leid. & Trag. cod. *lenta* alii. optime Lipsius *dentata*, hoc est, manu in modum pectinis dentatim formata. BOSCH. *Dentatam manum* hic probavimus, id est manum in modum pectinis formatam; quod eleganter Ovidius, licet in alia re, exprimit Metam. IX. 299.

——— *Digitis inter se pectine junctis.*

Ubi ambæ dentatæ manus inter se conjunctæ erant. Pectini autem passim dentes Poëtæ tribuunt. Claudian. Bell. Gildon. vers. 138.

——— *lacero crinales vertice dentes*
Effractum pendebat ebur.

Et Idyllio de Nilo vers. 22. vocat *dentes eburnos*. Et lib. 11. de Laud. Stilic. vers. 256. Ovidius quoque pectini textorio *dentes* tribuit lib. VI. Met. vers. 57.

——— *atque inter stamina ductum*
Percusso feriunt insecti pectine dentes.

Ita ut nullum mihi sit dubium, hic *dentata* esse recipiendum. Sed inepta & acumine Hispanico digna interpretatio Martini de Roa, qui lib. VI. singular. cap. 16. exponit lævem, nitidam, mollem ad mulcendum, & respexisse Arbitrum ad candorem & nitorem. Papæ! quantum est sapere supra vulgus. Præterea elegans est verbum *ducit*, quo utitur auctor noster, quod est, ductim vel tractim mulcere & pecte-

re,

à constituta lite dimitto. Quod si non adjuvissetis de hac medicina, quam peto, jam parata erat in crastinum turba, quae & injuriam meam vindicaret, & dignitatem.

Contemni turpe est; legem donare superbum.

Hoc

re, ut tenuetur crinis; pro quo Ovidius *deducit* Met. lib. IV. vers. 311.

Sæpe Citoriaco deducit pectine crines.

De qua locutione v. Gronov. Diatrib. Statiana cap. IX. unde quoque à textrina, in qua solenne est *deducere lanam*, sumpta metaphora *deducere carmen*, passim apud Poëtas occurrit. v. Serv. ad Virgil. Eclog. VI. 5. & Vorst. ad Val. Max. III. VII. Exter. I. BURM.

Annuisetis] MS. *admisseris*. TORNÆS. Lege, *adjuvisseris*. Scalig. Castigat. in Catull. carm. 33. Sic apud Plautum prolog. Amphitr.

Hæc ut me voltis approbare, adnuere
Lucrum ut perenne vobis semper superet.

Merula ad Ennium ex V. C. reponit *adnuvere*. unde postea Schoppius exædificavit suum bellum illud *ac duvere*. At vide, an non multis partibus præstabilior sit Goldasti nostri emendatio, *approbare*, *adjuvere*. Quamvis ad Petronium pro *adjuvisseris* malim scribere *adnuisseris*, dictitante ac jubente cum sententia loci, tum usu sermonis Latini. ERHARD. *Adjuvisseris*. Leid. cod. BOSCH. *Adjuvisseris* habet etiam codex Tragurianus. Sed utriusque verbi insolens constructio. Nam *annuere aliquid*, vel *alicui*, *adjuvare in aliquo*, vel *in aliqua re* dixerunt veteres. Exemplum requiro, ubi vel *adnuere* vel *adjuvare de re aliqua* dicimus. Si ratio Linguæ Latinæ permitteret, præferrem *adjuvisseris*, quia *juvare* proprie dicuntur medici, & remedia, quæ morbos levant. Horat. lib. I. Ep. II.

—— *Juvant fomenta podagram.*

Præterea præcessit hoc verbum, cui nunc Quartilla respondet. Ponatur ergo inter singularia Petronii nostri, *adjuvare de medicina*. BURM.

Turba] Quo sensu apud comicos passim pro rixa, conviciis, perturbatione sumitur.

Contemni turpe est] Pacatus, *Cujus quidem ita majores nostros semper pertæsum est, ut graviorem putaverint servitute contemtum*. Cæterum epigramma optime emendavit magnus Turneb. Clausula est. *victorem etiam eum haberi & palmam referre certaminis, qui non jugulet statim, ut superarit, adversarium*: Par quodammodo sententia in epigrammate Senecæ.

Defere confossum, victori vultus iniquo
Mortiferum impressit mortua sæpe manus.

BARTH. Quem & vide lib. 21. adv. cap. 6. Imitatus est hunc locum Plinius Junior lib. 6. ep. 21. *Neque enim tam jucundum vindicari, quam despici miserum.* Corruperunt, qui sensum non capiebant. BOURDELOT.

Legem donare, superbum] Lege, *Regem donare*. quasi dicas, summæ esse superbiæ, Regi quid donare, & hoc dono ejus sibi amicitiam comparare velle: videtur versus sequens id ipsum confirmare, in quo tamen legerim,

—— *quo possum qua libet ire via.*

ut dicat illud se solum amare, quod ad impetrandum facile sit. Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 14. qui, si ineptiat, suasim facit scilicet. Lege *legi damnare*, pro *lege*, ἀρχαϊκῶς. Barthius in Ceir. Virgil. num. 189. vel, *legem damnare*. Jungermannus. quod placet impendio. ERHARD. *Regem donare superbum*, olim legendum conjeceram in Verisimil. ac ne vana videretur divinatio mea, sic postea apud Serv. in 10. Æn. inveni. *Qui in Virgilium declamationes scripsit, de hoc loco sic ait ex persona Æneæ: Improbus es, qui aut Regi dones, aut filios exhæredes.* SCIOPP. Varie hoc epigramma exercuit eruditos. Gronovius III. Observ. 23. ita constituit primum versum

Contemni turpe est: læsum damnare superbum:

sed quæso, an *læsum damnare* significat non accipere satisfactionem? quis ita locutus est? Ego *legem donare*, quod omnes codices & editiones habent, retineo. Servandam, docet Quartilla, esse mediocritatem, neque lites esse refugiendas, quæ nos à contemtu vindicant; nam & sapientia est, cum contemnimur, jurgia vel lites nectere, *ne ignavis etiam jocus simus, in casu gravi*, ut ait Phædrus I. 21. Neque etiam ita inciviliter nos efferre debere, ut inferioribus ita superbe & arroganter gratiam faciamus delictorum, quasi lege nobis non opus esset, quæ unicuique civi remedium præstat contra injurias. Et ita *donare legem*, est remittere actionem lege datam; exemplum nobis ipse Petronius dat infra cap. 30. in dispensatore, qui cum posset servum propter subducta vestimenta jure punire, *superbum tollens vultum*, inquit, *quidquid ergo est, dono vobis.* Plura exempla suppeditabit ipse Gronovius dicto capite Observationum, ubi videbitis *iras, injurias*, &c. *donari.* Hoc autem eleganter dicit *superbum esse*, quod proprie dicitur de illis, qui se inciviliter & supra leges efferunt. Terent. Hecyr. I. II. 80. *Repudiare, cui tu nihil dicas vitii, superbum.* Cicer. IV. Verr. 20. *Superbum est enim, dices, & non ferendum, dicere Prætorem in provincia homini honesto, locupleti, splendido, vende mihi vasa cælata, hoc est enim dicere, non es dignus qui habeas, quæ tam bene facta sint, meæ dignitatis ista sunt.* Egregie hic locus Petronium explicat; superbum est dicere, tu non dignus es, à quo injuriam vindicem, & dignitatem; ut paulo ante Quartilla dixit. Et hinc proprie *superbi* reges dicti. Senec. Troad. 5.

Quum

Hoc amo, quod possum qua libet ire via.
Nam sane & sapiens contemptus jurgia nectit;
Et, qui non jugulat, victor abire dolet.

* Complosis deinde manibus in tantum repente risum effusa est, ut timeremus. Idem ex altera parte & ancilla fecit, quae prior venerat. Idem virguncula, quae una intraverat.

XIX. Omnia mimico risu exsonuerant, quum interim nos, quae tam repentina esset mutatio animorum facta, ignoraremus, ac modo nosmet ipsos, modo mulieres intueremur. * [b] Ideo vetui, hodie in hoc deversorio

a ENCOLPIUS. b QUARTILLA.

Quam fragili loco starent superbi. v. Gronov. ad Oedip. 804. Liv. XXXII. 23. *Ad hoc ille superbo & regio animo, neminem equidem timeo praeter Deos immortales.* BURM.

Hoc amo quod possum qualibet ire via] Lege, *aequaliter ire via:* vel commodius, *utralibet ire via.* Piccartus Pericul. Crit. cap. 17. Aliter, quam bene. Marq. Freherus putat id dici ex formula manumissionis, *Liber esto, atque abito, quo voles*, de qua Cujac. Observat. lib. 14. cap. 27. ut innuat scilicet se liberam esse. Sic infra cap. CVII. *Patimini liberos homines ire sine injuria, quo destinant.* ERHARD. Lege, *quo possim.* HEINS. Retineo hanc lectionem nisi quod disjungerem, *qua libet.* dicit se probare viam utramque, & pro re nata posse vel intendere actionem & litem, vel remittere. Similiter Propert. II. XIX. 15.

Unusquisque sua noverit ire via. BURM.

Nam sane & sapiens] Lege *Sane sapiens. Sane sapere*, pro saniter & ut homines sani solent. quale illud Plauti; *Sane sapio & sentio.* Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 14. Alcuinus Caroli M. Imperatoris magister in Grammat. *Quis sanum sapiens haec esse transitoria ignorat?* Hellenismo oratio propior, est ὑφρονῶν. Henr. Canisius Antiquae lect. tom. 5. part. 2. pag. 989. ERHARD. Gronovius legit

Nam sape & sapiens contemtus jurgia nectit.

Lege

Non sana & sapiens contemtus jurgia flectit.

HEINS.

Contemtus jurgia flectit] *Flectit* legendum puto, non *nectit.* AURAT. Homeric. Iliad. ι. τρεπτοὶ ὁ καὶ θεοὶ αὐτοί. & lib. ε. BRASSICAN. Forte *plectit*, id est, nectit. ita Ovidius lib. 2. Amor. *nectere jurgia* dixit. SAMBUC. Alii, *neclit.* TORN. Bonam non interpretatur sententiam, credo ob scripturae vitium. Quod si *pro contemtus, cum tempus*, scribatur, nemo (ut opinor) de sensu merito queretur. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 7. *Tempus* pro occasione. Barthius in Ceir. Virgil. num. 336. Quod quidem ut verum est, ita hic locus sane sapit, nec ullum vitium patitur. ERHARD. *Nectit* cum plurimis viris doctis praetuli; hoc enim exemplum est sapientis se à contemtu vindicantis; sequens est superbi, comparati cum Gladiatore, qui cum posset prostratum jugulare, tamen ut indigno iræ suæ superbe parcit: legerem autem cum Heinsio, *victor abire dolet*, id est indignatur se vicisse tam imbellem & ignavum adversarium, ex cujus jugulatione nullam sibi gloriam parari posse existimat. BURM.

Et qui non jugulat, victor abire solet] Scio quam ex his verbis sententiam eliciant alii: neque etiam me latet mutata interpunctione longe diversam effici.

Et qui non jugulat victor, obire solet.

Nam in editione Plantini legitur, *obire*, quamquam *abire* idem valere potest, ut è Festo, & aliis notum est. RICHARD. Id est, contentus vicisse, sanguine abstinet. Freherus in Cecropistromachia. ERHARD.

Solet] *Dolet* vet. cod. sic legendum esse dudum me monuerat Nob. Heinsius. BOSCH.

Complosis manibus in risum] Leucipp. ἀνακροτήσας ἐν τὰς χεῖρας ἐξεγέλασε. PITH. Sic reposuimus, veteres editiones secuti. Germana & Lugdunensis editio minus commode *compositis.* Ut in summo gaudio, sic in dolore summo manus complodebant, ut patet apud Senecam lib. 1. de Ira. Lucian. somnio, &c. BOURDELOT.

In risum effusa est] Sueton. Calig. cap. 32. BARTH. Quem & vide lib. 21. adv. cap. 6. Apulej. 11. Met. *nos omnes circumsecus astantes in clarum cachinnum videret effusos.*

Ut timeremus.] Forte, *ut Thymelicum veremur* vel *crederemus.* HEINS.

Mimico risu] *Mimicus risus*, simulatus. GLOSS. Sic Autisiod. alii, *nimio.* Pith. PATISSON. Apulej. 10. Met. *Interim convivium summo risu personabat.* DOUZA F. Pacatus. *Cuncta cantu & crotalis personabant.* BARTH. Ita recte constituerunt viri docti, quamquam & Tragur. cod. *nimio* habet. Ita infra cap. 94. *mimica mors.* Et cap. 106. *mimicae artes.*

Ideo vetui] Simile fere quiddam Heliodor. ἐπεσύλλησα πρότερον τὴν θυρωρὸν εἴ τις βούλοιτο παρεισιέναι μηδαμῶς ἐπιτρέπειν. PITH.

In hoc deversorio quemquam admitti] Dictum, ut illud in LL. XII. Tab. *In eo pecuniaque ejus potestas esto,*

versorio quemquam mortalium admitti, ut remedium tertianae sine interpellatione à vobis acciperem. [a] Ut haec dixit Quartilla, Ascyltos quidem paullisper obstupuit: ego autem frigidior hieme Gallica factus, nullum potui verbum emittere. Sed ne quid tristius exspectarem, comitatus faciebat. Tres enim erant mulierculae, siquid vellent conari, infirmissimae, scilicet contra nos, quibus si nil aliud virile, sexus esset, quod auxi-

a ENCOLPIUS.

esto, pro, in eum, &c. Piccartus Pericul. Crit. cap. 18. Sic infra Petron. *Ad reficiendum ignem in vicinia cucurri.* ERHARD.

Sine interpellatione] Lege cum duobus codicibus, *sine ulla interpellatione.* BOSCH.

Ut haec dixit Quartilla] Malim, *Quadrantilla;* ut apud Quinctilianum *Quadrantaria*, quae ob quadrantem sui copiam faceret. TORNÆS. Alii, *Quadratilla*, ut apud Quinctil. *Quadrantaria*, quae ob quadrantem sui copiam faceret. PATISS.

Frigidior hieme gallica] Gallia, quae ad septentrionem, horridiorem experitur hiemem. GLOSS. *Gallica hiemes* proverbio notae sunt. Eunap. BONGARS. Servius ad Virgil. Ecl. x. vers. 47. *Quae amatorem* (inquit) *spernis, & Gallicana potes frigora sustinere.* PITH. Tale illud Theocriti:

Πᾶσα μὲν ἐψύχθη χιὼν πλέον. ——

Eunapius: ἀνυπόδητοι τρυφῆς περισσίαν ἐτίθετο τὴν Γαλατικὴν χειμῶνας. WOUWEREN. Ovid. Epist. XIII. Heroid. vers. 35.

Sanguis abit, mentemque calor corpusque relinquit,
Inque novo jacui frigida facta toro.

BARTH. Elegans proverbium. Gallia enim, quae ad Septentriones tota pene vergit, horridiorem & saeviorem experitur hiemem. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 7. Gilb. Cognatus in Adagior. sylloge. Imo Galliam hic intelligit eam Galliarum partem, quae tum potissima, si qua Caesari fides, Helvetia dicta, nunc Suetia sive Suicia, regio frigidissima. ERHARD. Ovidius Epist. 10. Heroid. vers. 34.

Fregidior glacie semianimisque sui.

Epist. 1. vers. 22.

Frigidius glacie pectus amantis erat.

Epist. 12. vers. 144.

—— *In toto pectore frigus erat.*

Seneca Oedipo vers. 585.

—— *Gelidus in venis stetit*
Haesitque sanguis.

Infra cap. CXXXII.

Namque illa metu Frigidior rigente bruma.

Ad sensum faciunt illa apud Achillem Tatium lib. 3. de Clitophont. & Leucipp. amor. pag. 191. Ed. Salm. Ἐγὼ δὲ ἐκ παραλόγου καθημαι & ἐθεώμην· τὸ δὲ ἦν ἔκπληξις, μέτρον γὰρ οὐκ εἶχον τὸ καινὸν ἐνεδρόντος με, καὶ τάχα ὁ τῆς Νιόβης μῦθος οὐκ ἦν ψευδὴς, ἀλλὰ κἀκείνη τοιοῦτόν τι παθοῦσα ἐπὶ τῇ τῶν παίδων ἀπωλείᾳ, δόξαν παρέσχεν ἐκ τῆς ἀκινησίας ὡσὶ λίθος γενομένη. WEITZ.

Nullam potui verbum emittere] Apollonius lib. 3. vers. 503.

—— καὶ ἄναυδοι ἐς ἀλλήλους ὁρόωντο
Ἄτῃ ἀμηχανίῃ τε κατηφέες. ——

Minutius Felix; *Cum Octavius peroraſſet, aliquamdiu nos ad ſilentium ſtupefacti, intenti vultus tenebamus.* Similia apud Claudianum notavit Barthius in Animadverſion. n. 2797. ERHARD.

Emittere] Forte *emutire*, ut apud Plautum. ERHARD. Non mutandum verbum. Valer. Max. III. II. 23. *Dubium reliquiſti, inter undas ne pugnam fortiorem ediderit, an in terra vocem emiſeris.* Ubi Vorſt. ex codice ſuo *miſeris*, quod eodem redit. Liv. lib v. cap 51. *Quam ſpreta vox cælo emiſſa de adventu Gallorum?* & ita ſæpe Livius, Cicero & alii. Vide ad Phædr. IV. fab. 10. Flor. IV. 10. *Adeo res miraculo fuit, ut unus ex Barbaris miſerit vocem, Ite*, &c. Propert. IV. eleg. VII. II.

Spirantiſque animos & vocem miſit. BURM.

Ne quid triſtius] Vide Gronov. ad Tacit. I. ann. 41.

Scilicet contra nos, &c.] Miror non viſum eſſe, quod ſubeſt. Lege, *ſcilicet contra quas, ſi nihil aliud, virilis ſexus eſſet.* Piccart. Pericul. Critic. cap. XVII. ERHARD. Douza edidit, *contra nos, quibus, ſi nil aliud, virilis ſexus eſſet, quod auxiliaretur*; quae duo ultima verba ignorant antiquae editiones, ſed Tornæſius margini adjecit. Adſcripſerat autem codici ſuo Douza legendum *virile*, quod qua ratione Frellon. aut Schonwetterus Typographus in textum recipere potuerint, cum in praecidaneis nulla τῷ *virile* mentio fiat, miratur Hadrianides, niſi quod iſta editio ſit curata à viro, qui familiariter Douzâ utebatur. tres autem voculas, *ſcilicet contra nos*, ut Gloſſema ejicit Rutgerſ. lib. VI. Var. Lect. cap. 8. & legit, *ſi quid vellent conari infirmiſſimae. ſi nihil aliud, certe virilis ſexus eſſet.* Barth. Adverſ. lib. XXI. cap. 16. ejicit ſolam vocem *nos*, & legit *ſcilicet contra, ſi nihil aliud, virilis ſexus eſſet;* quem & vide ad Stat. lib. IX. Theb. vers. 609. An autem mox *ſexus* an *ſecus* præſtet v. Gronov. ad Liv. lib. XXVI. cap. 47. & Gell. lib. II. cap. 13. & Pincier. parerg. lib. IV. cap. 31. Ad rem facit Apuleji locus lib. I. Metam. *Proclamares ſaltem ſuppetiatum, ſi reſiſtere vir natus mulieri nequibas;* Ita enim legendum, non *vir tantus*; *natus* enim ſexum notat. BURM.

Virilis ſexus eſſet] Alii *virilis ſexus. ſed & praecincti.*

auxiliaretur. Et praecincti certe altius eramus : imo ego sic jam paria composueram, ut, si depugnandum foret, ipse cum Quartilla consisterem, Ascyltos cum ancilla, Giton cum virgine. ** Tunc vero excidit omnis constantia attonitis, & mors non dubia miserorum oculos coepit obducere.

XX. *Rogo,

Pith. alii, *at praecincti*. PATISSON. Alii, *esset, quod illis auxiliaretur. Et*. TORNÆS. *Secus* citra ullam dubitationem legendum est. Videatur Scaliger lib. 1. Auson. lection. cap. 27. & Elias Vinetus Comment. ad Auson. WEITZ. *Virile secus*, ex scriptis unus: quadrat utraque lectio. Varro lib. VI. de L.L. *Secus pro sexus, neutrius generis & unius casus*. Charisius: *Secus neutrius generis nomen : unde & Sallustius virile secus dixit, hoc est virilis sexus, quod per omnes casus integra forma declinatur*. Exstat iste Sallustii locus apud Macrobium lib. II. Sat. cap. 9. *At Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus, magna gloria, concurrentibus undique virile ac muliebre secus, per vias & tecta omnium vsebatur*. Apul. lib. II. de Habit. Doct. Plat. *Et qui de talibus nuptiis erunt orti, studiis congruentibus imbuentur & optimis disciplinis communi praeceptorum magisterio docebuntur, non virile secus modo, verum etiam femineum*. Plaut. Rud. Act. I. sc. 2. vers. 19. *Virile secus numquam ullum habui*. Sed mallem hic legere *virile sexus*, sic Juntarum editio; & Priscianus lib. V. ubi locum hunc citat. Janus etiam Gruterus ad oram Plauti Taubmanni, quem possideo, propria manu scripsit: MSS. *Pall. disertim praeferunt virile secus*. Legendum & distinguendum hunc Petronii locum puto, *Quibus si nil aliud, virile secus esset, quod auxiliaretur*. BOSCH.

Praecincti certe altius eramus] Parati ad pugnam. Servius ad Virgil. VIII. Æn. 724. *discinctos Afros. Discinctos dixit inhabiles militiæ. Omnes enim, qui militant, cincti sunt*. Fest. Isidor. Horatius. 1. Sat. V. *Altius ac nos praecinctis*, hoc est, expeditioribus. Rufinus: *Militiæ cingulum non dari, nisi immolantibus, jussit*, hoc est, jus militandi: nam apud Herodianum lib. XI. cap. XIII. Ubi milites axauctoratione puniuntur, τιμωρίαις κελεύων ἀποζῶσαι ὑμᾶς. & passim apud eumdem ἀπέζωσεν, exauctoravit. Hieronymus epitap. Nepot. *Quod alteri militaverit, & ad hoc habuerit cingulum, ut miseris subveniret*. Sane & Græcis ἐυζωνος strenuus, & ἐυζῶναι τὰ ὅπλα οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν, ζώσασθαι. WOUWEREN. Lascivientes, parati ad opus, alte cincti. Sic infra cap. XII. *Cinædus supervenit myrta subornatus gausapila, cinguloque succinctus*. Ibidemque cap. XXI. *Quartilla alte cincta jussit infelicibus dari missionem*. Artemidorus lib. 4. Ἐδοξέ τις ἀναστειλάμενην τὴν γυναῖκα ἐπιδεικνύειν αὐτῷ αἰδοῖον. Rigaltius Not. ad Phædrum lib. 2. fab 36. ERHARD. Hyginus fab. IX. *Quod illa cincta viri cultu esset*. ad quem locum vide Doctiss. Munckeri notas. BOSCH.

Paria composueram] Plinius: lib. VIII. cap. 13. *Naturam spectaculum sibi ac paria componentem*. PITH. Proprie de gladiatoribus. Horat. lib. 1. Sat. VII.

——— *Bruto praetore tenente*
Ditem Asiam, Rupilî, & Persî par pugnat, uti non
Compositus melius cum Bitho Bacchius. ———

Minut. Felix: *Hic eorum paria composuit*. Seneca lib. III. Controv. *Componis in domo par*. WOUWEREN. Quintil. II. Instit. cap. 17. *Gladiatores sub eodem magistro instituti inter se componuntur*. Ita cape illa infr. cap. 127. *In hoc gramine pariter compositi mille osculis lusimus*. & eo sensu, *comparare paria* dixerunt quoque Justinus, & alii, ut observavit Lipsius, & alii. BURM.

Depugnandum] Huic verbo & *consistere* aliquid obscœni & Venerei subesse nullus dubito, ut supra cap. IX. de τῷ *pugnare* docuimus. Ita ad hunc locum accommodatissime Plinius lib. XXI. cap. 8. *Paria componuntur, & natura atque luxuria depugnant*. *Depugnare* autem proprium arenæ & Gladiatoribus verbum. Suet. Cæs. XXXIX. *Munere in foro depugnavit Furius Leptinus*. Caligul. XIV. *Non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri voverent*. Cicer. V. Philip. 7. *Aderat L. Frater Gladiator Asiaticus, qui Mirmillo Mylasis depugnarat*. Quintil. VIII. Inst. cap. 5. *Sic enim auditur, ut depugares*. Etiam *ludricâ pugnâ certare*, notare docet Manutius ad Cicer. X. ad Famil. 31. *Consistere* etiam proprie Gladiatores & pugnatores in vera pugna dicuntur. Quintil. Decl. III. *Pro aris & focis consistimus*. Ovid. I. art. 207.

Consistes, aciemque meis hortabere verbis.

Tertul. Apolog. cap. III. *De legibus prius consistam vobiscum*. Et de Idolol. III. *De hoc quidem primo consistam*. Ita & ad judicia translata vox hæc. leg. 53. ff. de *judiciis. Vix certis ex caussis adversus dominos servis consistere permissum est*. His contrarium est, *discedere de gradu* apud Tertull. de pudicitia cap. VII. de qua voce *gradus*, postea plura. BURM.

Attonitis] Rei novitate. Sen. Apoc. *Stupebant omnes novitate rei attoniti*. BARTH. Symphosianus in Hist. Apollonii Tyrii: *Excidit illi pietas*. Petronius infra nomine Eumolpi de bello civili. cap. CXIX.

——— *Senibus quoque libera virtus*
Exciderat. ERHARD.

Mors non dubia] Ovid. *Non dubia est Ithaci prudentia*. BARTH. Cicer. I. Tusc. quæst. *Quoties non modo ductores nostri, sed universi etiam exercitus ad non dubiam mortem concurrunt*. SCIOPP. *Indubitatam mor-*

XX. *Rogo, inquam, domina, si quid tristius paras, celerius confice. neque enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti perire. ** Ancilla, quae Psyche vocabatur, lodiculam in pavimento diligenter extendit. * Sollicitavit inguina mea mille jam mortibus frigida.

mortem dixit Justinus lib. xx. cap. 8. ut recte corrigunt viri docti. Ut & lib. xii. 12.

Obducere] Alii, *abducere*. PATISSON. Alii *obducere*. TORNÆS. Putschius legit *abducere*, ut habent quidam codices. ERHARD. Nescio quid sibi Putschius velit cum suo *abducere*; cum nullum dubium sit *obducere* legendum esse, id est caligine & æternis tenebris tegere. Lucan. lib. iii. vers. 735.

Nox subit, atque oculos vasta obduxere tenebræ.

Ita Ovidius, licet alia in re, lib. ii. Met. vers. 229.

Nam pater obductos luctu miserabilis ægro
Condiderat vultus.

Et ita tenebræ proprie *obducere*, id est tegere & obscurare dicuntur. v. Passer. ad Propert. lib. iii. El. 16. pag. 505. BURM.

Rogo, inquam, domina] Forte legendum *Te rogo, inquam, domina*, ut supra cap. 7. *Te rogo, inquam, mater*, vide quæ nos ibi. BOSCH.

Paras] Proprium in mala re & supplicio verbum. Phædr. fab. 35. *pernicies tibi paratur*. v. Donat. ad Terent. Andr. iv. 1. 32. & iv. 11. 7. Virgil. lib. i. Æn. vers. 120. *Cui fata parent*. Ita sæpe Horatius iii. od. v. & passim.

Confice] Et hoc verbum ex arena ad Veneris palæstram turpem translatum est. Vid. Donat. ad Terent. Eunuch. v. 4. & inde *confectores ferarum* apud Suet. Neron. 12. similem obscænitatem subesse quidam volunt verbis Suetonii in Neron. 29. *genus lusus excogitavit, quo feræ pelle contectus emitteretur è cavea, virorumque ac faminarum ad stipitem deligatorum inguina invaderet, & cum affatim desæviisset, conficeretur à Doryphoro liberto*. BURM.

Torti perire] Alii, *tenti perire*. TORNÆS. Alii, *tenti*. PATISSON. Lege, *torti abire*, id est, mori, petit ne diu se torquere velit. Fest. *Abitionem antiqui dicebant mortem*. Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 14. & in Arte Critica. An *torti*, id est, in tortura? an ex v. c. qui habet *tenti*, legendum est *lenti*, ut opponatur τῷ *celerius*, quod præcessit? Deinde apagesis, Schoppi, cum tuo *abire*, aut abi in malam crucem. *Perire* est mori, sed morte violenta. Docet nos Plautinus iste versus. Captiv. act. iii. Scen. 5.

Qui per virtutem peritat, pol non interit.

ERHARD. Cum MSS. cod. *tenti perire* edi curavimus. Videbat enim Ascyltos ancillam, quæ volebat in pavimento lodiculam extendere. *Extendi in lodicula* supplicium est, quod vocant, *tympanum*: de quo nos copiose in singulari libro *de suppliciis*. BOURDEL. V. Barth. ad Stat. lib. iv. Theb. v. 615. & lib. xii. Adverss. cap. 11.

Psyche] De Psyche vide Fulgent. Mythol. & Apul. in Metamorph. DANIEL.

Lodiculam in pavimento extendit] Cubilia quippe antiquorum vestibus & tapetibus solum sternebantur. Multa passim exempla, quæ suo loco illustrabuntur. Barth. ad Claudianum n. 1173. ERHARD.

Sollicitavit inguina mea] Martial. lib. xi. ep. 123.

——— *inguina saltem*
Parce fututrici sollicitare manu.

Ovidius iii. Amor. Eleg. viii. vers. 44.

Molliter admota sollicitare manu.

Horatius lib. iv. od. 13.

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas. WOUWEREN.

Verbum proprium in hac incitandi ad Venerem notione. Martial. lib. vi. Epigr. 71.

Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubaque maritum
Posset ad Hectoreos sollicitare toros.

Ramirez ad Martial. lib. 3. epig. 75. n. 3. Maximianus Etruscus Eleg. 4.

Contrectare manu cœpit flagrantia membra,
Meque etiam digitis sollicitare suis. ERHARD.

Mille jam mortibus] *Mortes* capio pro mortis generibus. Et ad hunc locum respexit Salisberiensis lib. 6. de Nug. Cur. cap. 3. *Et quisque mortes mille circa tempora sua errasse gloriatur.* Zinzerling. Miscellan. Critic. lib. 5. cap. 4. Lege *mille jam motibus*, proprio militiæ Venereæ verbo. Ovid. lib. 2. eleg. 10.

At mihi contingat Veneris languescere motu.

Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 3. epig. 75. n. 3. Imo *mortibus*, id est, coitibus, stragibus Veneriis. Sic infra cap. cxxix. eadem translatione usus inquit; *Vulnerata est pars illa corporis, qua quondam Achilles eram*, id est, inutilis ad Venerem reddita. Martial. lib. 3. epig. 75.

Sic quoque non vivit sollicitata Venus.

ERHARD. Corrigunt *motibus*. Sed mihi *mortibus* arridet, in quo verbo latet languor ille Venereus, & impotentia. Ovid. lib. iii. amor. 7.

Nostra tamen jacuere, velut præmortua, membra.

Propert. lib. i. El. 10.

Cum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus.

Ubi vide, quæ notat Passeratius. & quæ Gonsales infra ad caput 129. BURM.

Frigida] Vide titulos juris canonici *de frigidis & maleficiatis*. ERHARD. Et hoc conveniens nomen languori. Virgil. iii. Geor. 97. *Frigidus in Venerem*. ubi v. Cerdam. ita Ovid. ii. am. 1. *non frigida virgo*. BURM.

gida. * Operuerat Ascyltos pallio caput, admonitus scilicet, periculosum esse alienis intervenire secretis. * duas institas ancilla protulit de sinu alteraque pedes nostros alligavit, altera manus. * Ascyltos, jam deficiente fabularum contextu, [a] Quid ergo? inquit, non sum dignus, qui bibam? [b] Ancilla risu meo prodita complosit manus, & [c] Adposui quidem, inquit, adolescens: solus tantum medicamentum ebibisti? [d] Itane est, inquit, Quartilla? quidquid satyrii fuit, Encolpius ebibit? * [e] non indecenti risu latera commovit. * Ac ne Giton quidem ultimo risum tenuit, utique postquam virguncula cervicem ejus invasit, & non repugnanti puero innumerabilia oscula dedit.

XXI. * Vo-

a ASCYLTOS b ENCOLPIUS. c PSYCHE. d QUARTILLA. e ENCOLPIUS.

Admonitus] A quo? sed hæc hujus verbi vis & usus, ut notemus alicui, re aliqua visa vel audita, in memoriam præterita revocari. Vide egregie Gronov. Diatrib. Stat. cap. 49. BURM.

Periculosum esse alienis interesse secretis] MS. *alienis interventre secretis*. ita & quædam editiones legunt. TORNÆS. Alii *periculosum esse alienis* Pithœus. alii *periculosum interesse alienis secretis*. PATISSON. Pomponius lib. 36 ff. de Regul. Jur. *Culpa est, immiscere se rei ad se non pertinenti*. BOSCH.

Institas] Segmenta & limbi, sive sint assuti vestibus, sive non sint: item fasciæ, quibus lectus tenditur. GLOSS. In veteri Lexico scriptum est, *de sura*; aitque, *institam interdum significare, qua manus ligant vel pedes, ut de Lazaro in Euangelio scribitur. Prodiit ligatus pedes & manus institis*. Vid. Papiam & Fratris notas. PUTEAN. *Institas* dicimus segmenta & limbos, sive sint assuti vestibus, sive non sint, ut Scribonius Largus dixit, *Ventrem constringendum instita bona*. Et Hieronym. *Lazarus institis vinctis jacuerat in sepulchro*. Cujac. Observat. lib. 12. cap. 24. Johannis cap. 11. *Ligatus manus & pedes institis*. Irenæus Lugdunensis lib. 4. cap. 49. *Exivit mortuus colligatus pedes & manus institis*. Papias; *Sunt parvæ linteolæ, quæ mortuum involvunt*. ERHARD. Onomasticon: *Instita, κειρία*. Arnoldus Bonævallensis de Operibus sex dierum: *Hæc prima animæ mors, qua, deserente eam Deo, ipsa quasi criminum institis connexa remanet & sepulta*. Græci περιζώνιον appellant, quod togæ subsuebatur. Hæc honestæ matronæ utebantur. Horat. 1. Sermon. Satyr. 2.

——— *Sunt, qui nolint retigisse, nisi illas,*
Quarum subsuta talos tegit instita veste.

Et Ovidius lib. 1. de Arte amandi, vers. 31.

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris,
Quæque tegis medios, instita longa, pedes.

Et iterum lib. 2. vers. 599.

En iterum testor; nihil hic, nisi lege remissum.
Luditur in nostris instita nulla jocis. WEITZ.

De sinu] Alii, *de sura*. TORNÆS. Legunt aliqui *de sura*: sed male. Non enim diceret Latinissimus auctor, *protulit de sura*, sed *soluit*. Infra, cap. CXXXI. *Illa de sinu licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam*. Multa in sinum condebant, quæ secum portare erat necesse. Ramirez ad Martial. lib. 1. epig. 6. n. 4. ERHARD. Consentiunt MSS. Cod. cum hac Lectione, quam qui mutare ausi, indignum facinus commiserunt. Retinui autem lectionem priscam *de sinu*, cum alias *de sura* legatur. BOURDELOT. *De sura* alii: Leid. & tres alii *protulit de sinu*, ubi infra cap. CXXXI. & cap. LI. *Deinde martulum de sinu protulit*. Mallem hic *marculum*, quod in aliis; & ab Isidoro, pro malleo pusillo dici, observatum est. BOSCH.

Quid ergo] Forte, *quid ego*. ERHARD. Male; v. supra ad cap. 4.

Complosit manus] Supra cap. XVIII. *Complosis deinde manibus*. Infra cap. XXIV. *Complosit illa tenerius manus*. Iterum cap. XXXIV. *Complosit Trimalcio manus*. Ubi male alias, *composuit*. Gestus est aliquid dicturi, aut orationem orsuri. ERHARD.

Et, Adposui quidem adolescens] Lege, *& Apposui quidem adolescens. Solus tamen medicamentum ebibisti*. Sine dubio vera lectio. Apposui, inquit, potionem, quam tu totam obduxisti. WOUWEREN. Scribendum, *& apposite equidem, Adolescens, solus tantum medicamenti ebibisti*. Cur apposite medicamentum hic dicatur ebibisse, è superioribus liquet, ubi frigebat ad venerem Encolpius; *apposite*, ut apud Gell. lib. 22. cap. 23. *Quod Menander præclare & apposite, & facete scripsit, id Cæcilius nequaquam potuit enarrare*. HEINS. Non potui probare Heinsii intempestivam medicinam. *Adposui*, scilicet Satyrium, ut omnibus facultas esset inde bibendi. *Poni* autem, & *apponi*, verba propria sunt in vinis & aliis, quæ potanda convivis dantur. Vid. Serv. ad Virg. lib. 1. Æn. vers. 706. & Heins. ad Ovid. lib. 1. art. amat. vers. 231. Cicer. IV. Verr. 22. *Appositit patellam, in qua signa erant egregia*. BURM.

Tantum] Alii, *tamen*. PATISSON.

Satyrii] Vid. P. Æginet. lib. 1. cap. 36. BARTH.

Ultimo risum tenuit] Samb. *ultimus risit*. PATISS.

Ultimo,

XXI. * Volebamus miseri exclamare, sed nec in auxilio erat quisquam, & hinc Psyche acu comatoria cupienti mihi invocare Quiritum fidem malas pungebat; illinc puella penicillo, quod & ipsum satyrio tinxerat, Ascylton opprimebat. * Ultimo cinaedus supervenit myrtea subornatus

Ultimo, id est, tandem, denique. ERHARD.

In auxilio] Petroniana locutio: infr. cap. 79. *Neque fax ulla in præsidio erat.* BURM.

Et huic Psyche] MS. *& hinc Psyche.* TORNÆS.

Acu comatoria] *Acus comatoria*, aut crinalis, calamistratorium, ad crines distinguendos in mundo muliebri. GLOSS. Apul. *Acus crinalis*, lib. VIII. Mil. *Acu crinali de capite prompta.* Martiano Capell. *crinalis spica.* Varii usus hæ aciculæ: nam acu caput scalpebant. Festus, *Cnasonas, acus, qua mulieres scalpunt caput.* Acu crines fingebant, quæ καλαμίσκους. Juvenalis Satyr. II. vers. 93.

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu, pingitque trementes
Attollens oculos ——

Vide Ovid. Amor. lib. I. Eleg. 14. In Isidori Glossis: *Acus, calamistratorium.* Xiphilinus: Βελόνη, ἡ τὰς τρίχας ἀναπλέκειν. Martialis lib. 6. epig. 66.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Anulus, interta non bene fixus acu

Isidorus libro 19. *Acus sunt, quibus in faminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant.* Lucill. *Discerniculum.* Tertull. de Pœnitentia. cap. XI. *Cedo acum crinibus distinguendis.* Hieronymus adversus Rufinum: *Fecerunt hoc & Fulvia in Ciceronem, & Herodias in Joannem, quia veritatem non poterant audire, & linguam veriloquam acu discriminali confodiebant.* Ergo acum discriminalem innuit Xiphilinus, qui de eadem Fulvia: καὶ ταῖς βελόναις, αἷς ἐς τὴν κεφαλὴν ἐχρητο, κατέκεντησε. Acus illas gemmis ornabant. Ulp. leg. 25. § 10. D. de aur. & arg. leg. WOUWEREN. Quintilian. lib. 2. cap. 5. BARTH. Quem etiam vide lib. 21. adv. 6. Acus ad crines distinguendos in mundo muliebri. Colvius Notis ad Apulej. 8. Metamorph. qua ornatrix utitur. Cujac. Observat. lib. 11. cap. 16. Claudianus de Rapt. Proserp. lib. 3.

Illi multiplices crinis sinuatur in orbes
Idalia divisus acu ——

Juvenal. Sat. VI. vers. 498.

Emerita quæ cessat acu.

id est, ab officio cosmetæ & ornatricis, quæ crines acu concinnat. Parrhasius in Claudian. Vide Bernartium in Statii Silv. lib. I. Sylv. 2. Scalig. ad Festum, Rader. ad Martial. lib. 14. epig. 21. ERHARD. *Acus*, posita inter ornamenta muliebria in leg. 25. §. 10. ff. de auro & argent. leg. Ea est, qua, ut inquit Festus, *sarcinatrix vel ornatrix utitur.* Nam ea est in duplici usu mulieribus; tum ut vestes & hujusmodi ornamenta consarcinentur (quæ vulgaris est significatio) tum ut capilli discernantur. Ovid. lib. I. de Arte: vers. 519.

—— *Minoida Theseus*
Abstulit à nullâ tempora comtus acu.

Et lib. I. Amor. eleg. 14.

Non acus abrupit, non vallum pectinis illos
Ornatrix tuto corpore semper erat.

Et paulo post:

Erudit admotas ipse capillus acus.

Et Martialis lib. 14. Epigr. 24.

Tenuia ne madidos violent bombycina crines,
Figat acus tortas sustineatque comas.

Ideoque *acus crinalis* dicitur Apulejo lib. 8. Metamorphos. & *discriminalis* D. Hieronymo adversus Rufinum. Idem in cap. 3. Esaiæ: *Habent acus mulieres, quibus ornatorum crinium compago retinetur, ne laxius fluant, & in sparsos dissipentur capilles.* WEITZ.

Comatoria] Suidas: Κομμωτίζω, τὸ ἐπιμελῶμαι. Κομμὸς, περίεργος κόσμησις. Vetus Glossarium MS. Κομμὸς, ἡ μεγαλοφροσύνη, καὶ ἡ περιφάνεια. Κομμοῦν, τὸ σῶμα ἀρμόζειν, ἐπεὶ καὶ κομμωτικὴν λέγουσι τὴν κοσμοῦσαν καὶ ἐμπλέκουσαν. Rigaltius ad Artemidor. p. 8. & p. 59. Æmil. Portus Not. in Suidam. WEITZ.

Invocare Quiritium fidem] Cum in extrema calamitate constituti populi opem & auxilium implorare vellent, clamabant, *Porro Quirites.* cujus rei exempla protulit Turneb. in Adversar. lib. XIII. cap. 32. & Theod. Canterus Var. Lect. lib. I. cap. 3. ERHARD.

Acu pungebat] Forte, *pingebat; acu pingere*, Juvenal. Sat. II. vers. 94. DANIEL. Male P. Daniel *pingebat* mavult: hoc enim rectum esset, si de ornatice ageretur. Sed cum hic de tormentis & malis modis, quibus fœminæ viros accipiebant, agatur, *pungebat* est retinendum. An opus esset *Quiritium fidem* invocare, quia pingerentur acu? BURM.

Penicillo, quod] Dicitur enim *penicillus, & penicillum*, in utroque genere flexionis secundæ. ERHARD.

Myrtea subornatus gausapila] Horat. lib. III. Od. XIV. vers. 22.

Myrteum nodo cohibere crinem.

Porphyrio; *Colorem myrteum in crinibus hodie quoque dicunt, qui medius est inter flavum & nigrum.* non autem in crinibus solum dicebatur, sed in aliis quoque rebus. Scalig. in Catull. *Myrtea* dicitur de colore fructus myrtei maturi. *Myrteus* etiam color in equis à Palladio lib. 4. cap. 13. numeratur. Isidor. lib. 12.

ornatus gausapila, cinguloque succinctus, modo extortis nos clunibus cecidit, modo basiis olidissimis inquinavit; donec Quartilla balenariam tenens virgam, alteque succincta, jussit infelicibus dari missionem. * Uterque

cap. 1. explicat *colorem pressura in purpura*. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 7. ERHARD.

Subornatus] Ornatus, est instructus. Cic. 1. de Legib. *Homo à natura subornatus in vitam venit*. Tertullian. de Præscript. adversus Hæret. *Ipsæ denique hæreses à Philosophia subornantur*. ERHARD. Vide infr. cap. 40.

Gausapila] Straguli genus, inter flavum & nigrum. GLOSS. Alii *Gausapina*. PATISSON. Glossar. *Gausapa*, βαφικὸν πυλλίον. Martial. mappa: lib. XIV. epig. 138.

Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum.

Horat. Sat. 8. lib. 2.

Gausape purpureo mensam pertersit.

Sed hoc pueri norunt. WOUWEREN. Jungerman. legit, *gausapina*, ut apud Martialem. Putschius, *gausapa*, quod apud Priscianum reperitur, illi adstipulantur veteres quidam codices, & Jacob. Gudenfis lib. 3. Ærar. aurei; *Gausapina*, *penula*, hinc ipse Petronius de Trimalcione. cap. XXVIII. *Involutus coccina gausapa*. Quoddam exemplar etiam habet *gausapia*. Priscianus lib. 4. *Antiquissimi & hic gausapes, & hæc gausapa, & hoc gausape, & plurale neutri hæc gausapa, quasi à nomtnativo gausapum protulisse inveniuntur*. Huguitio in Dictionar. *Gausape, pis, neutro genere mantile, & invenitur pro quodam genere pallii. & quum deberet regulariter facere ablativum in i, frequens usus habet ut faciat in e tantum: & ab isto ablativo fit plurale gausapa. nam à gausapi gausapia deberet esse & non gausapa*. Vide mihi imperitiam & barbariem jam illius sæculi. ERHARD. Romæ plebs fuscis pænulis, vel lacernis ibat induta vulgo; milites vero & famuli lautiores russis. Martialis de Canusinis lacernis vel pænulis. lib. XIV. Epig. 127.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia russis!
Et placet hic pueris militibusque color.

Servi enim eodem habitu, quo milites, saltem honestiorum. Seneca III. de Benef. cap. 28. *Quo te pænulati isti in militum quidem non vulgarem cultum subornati; quo, inquam, te isti efferunt?* Cæterum pænulæ illæ militares, & serviles, & plebejæ omnes cinctæ. Hinc apud Gellium lib. XIII. cap. 20. *Piguit saltem vos pænulatos cinctosque esse*. Petronius hic; qui *gausapinam*, pænulam intelligit. Salmas. Not. in Spart. Hadr. cap. III. & Lamprid. Diadum. cap. II. docet, pænulas *gausapinas* esse dictas, quod in modum gausaparum textæ essent. WEITZ. Vide Ferrar. de Re Vestiar. part. II. lib. II. cap. 6. Subornatus tunica gausapina villosa, myrtei coloris: Tunica enim induti succincta exoleti ut plurimum ministrabant. Senec. de Brevit. Vit. cap. XII. *Cum videam quam solliciti argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant*. HEINS.

Cinguloque succinctus] Seneca de brevi. vitæ cap. 12. WOUWEREN. In Gestis Romanorum, quæ vocantur, cap. 60. de Rosimunda cursatrice; *Abibat ante eam, zonam de serico projecit. Quam cum vidisset, inclinavit se & eam levavit, se succinxit*. Allusit Gregorius Magnus in Moral. *Succingite lumbos vestros in castitate*. ERHARD.

Extortis clunibus] Alii, *extectis*. TORNÆS. Arnob. *Lascivia*, inquit, *deinde luxuriantis adsumpta, huc atque illuc clunes torquent*. PITH. Quidam libri habent, *extectis*. puto legendum *exertis*. Putschius. ERHARD. *Contortis*, est luxatis, ita ut nulla opus sit correctione. Contrarium est sequenti capite, *clune agili*. Infra Fragm. Tragur. cap. 48. *De Ulixe, quemadmodem illi cyclops pollicem penicillo extorsit*. Seneca æqualis nostro auctori, Epist. 104. *Fregit aliquis crus, aut extorsit articulum*. v. Munck. ad Hygin. fab. 57. BURM.

Cecidit] Verbum prætextatum v. Schiopp. ad Pricipeia, carm. 12. & 25.

Basiis olidissimis] Propter oris stuprum & fellationem. Martial. lib. 12. epigr. 59. *Hircoso premit osculo*. Petron. infra de altero cinædo. cap. XXIII. *Immundissimo me basio consputt*. Dixi supra. ERHARD.

Ballenariam virgam] Quæ è cartilagine balenarum fit, qua Athletarum reliquæque hujusmodi certationes dirimebantur. GLOSS. Alii *belluatam* Alii *venenatam*. Quid si *balenatam*, è balenæ setis confectam, quales in Gallia & Batavia gestari solent à nobilibus fœminis equo vectis; *Venenatam*, φαρμακώδη. Noricis *Belenus*, Deus. Pithœus cap. 4. lib. 1. TORN. Quid si, *Ballenariam?* Nimirum ut ab arena *arenarius*: à verbena, *verbenarius*: sic à balena, *balenarius*. RICHARD. Hygin. lib. II. Astronom. cap. 7. *Nonnulli, cum faciunt caduceos, duos dracones implicitos virgula faciunt: quod initium Mercurio fuerat pacis. Ejus exemplo & athletæ, & in reliquis hujusmodi certationibus virgula utuntur*. Serv. ad Virg. IV. Æneid. vers. 242. *Hodieque* (inquit) *tam athletarum, quam gladiatorum certamina virga dirimuntur: & præfecti gentium Maurorum cum fiunt, virgam accipiunt & gestant*. PITH. Alii, *balenatam tenens virgam*, quæ (ut opinor) è cartilagine balenæ fit, qualia videmus calatorum Ecclesiæ commentacula, ut veteres appellabant. Turneb. lib. IV. cap. 7. Mos iste athletarum & gladiatorum certamina virgis dirimendi hodieque durat. vide Savaronem in Sidonii lib. 2. ep. 2. ERHARD.

Missionem dari] Ad victos gladiatores pertinebat: illius effectus, ut ab imminenti periculo & in eum diem

que noſtrum religioſiſſimis juravit verbis, inter nos periturum eſſe tam horribile ſecretum, * * Intraverunt palaeſtricae quamplures, & nos legitimo perfuſos oleo refecerunt. Utcumque igitur laſſitudine abjecta, coenatoria repetimus, & in proximam cellam ducti ſumus: in qua tres lecti ſtrati erant, & reliquus lautitiarum apparatus ſplendidiſſime expoſitus.

diem duntaxat liberarentur. GLOSS. Apul. lib. 11. Metam. PITH. Livius, *Gladiatores dando, modo vulneribus etiam, modo ſine miſſione*, ſic apud Apul. lib. 2. Fotis; *Graßare gnaviter, & occide moriturus: Hodierna pugna non habet miſſionem.* in re ſimili. Petron. infra cap. CVIII. *Inhibuit Tryphaena ſacinus, non diſſimulata miſſione.* Lipſius Saturnal. lib. 2. cap. 21. Florus lib. 3. cap. 20. de bello adverſus Spartacum ſervilis motus ducem; *Et, quod ſub gladiatore duce oportuit, ſine miſſione pugnatum eſt.* ERHARD.

Horribile ſecretum] Sacrum, verendum, & quod hominum mentibus tacitam quamdam à ſe religionem incutit. GLOSS. Sacrum & ſanctum. M. Victor. lib. 3.

——— *attonitum venerabilis attrahit horror.*

Claud. 6. Conſ. Honor. verſ. 33.

Tunc ſacer horror aquis ———

Lucan. 3.

Arboribus ſuus horror ineſt. BARTH.

Palaſtricae] *Palaſtrica*, quae motus geſtuſque corporis format. GLOSS. Alii *Palaſtritae*. PATISS. *Palaſtritae* Leid. cod. recte. Sic ſcribendum eſſe, dudum me, antequam illum vidiſſem codicem, monuit Doctiſſ. Th. Munckerus. BOSCH. Non mutandum in *palaſtritas*, qui ſunt, qui ſe exercent in palaestra, de quibus hic non agitur: ſed *palaſtricae* ſunt miniſtrae, ancillae, quae oleo perfundunt certantes. Perſius Sat. IV. 38. de athletis.

Quinque Palaſtritae licet hae plantaria vellant. BURM.

Quamplures] Idem quod *complures*, cum qua ut notiorem vocem hanc ſaepe commutarunt librarii. Hygin. 11. Aſtron. 1. *Hoc ſignum, ut quamplures dixerunt, non occidit.* vide ibi Munckerum. BURM.

Legitimo] Alii, *lecythi*. PATISSON. Alii, *lecythi*. Lege, *lecythino perfuſos oleo*, id eſt, balneari. λήκυθος, vas olearium. Gloſſ. Iſidor: *Lecythus, ampulla olearia.* Scholiaſtes Theocriti: ὅλπαι. ἴσως τὴν λήκυθον, τὴν ἔχεται τὸ ἔλαιον, ἐχρῶντο ἐν ταῖς παλαίστραις.



Lecythi iſthaec forma: Hac figura in veteribus monumentis & lapidibus conſpici, indicium fecit illuſtris Scaliger. Quod oleo uncti dimicaturi, Scholiaſtes Theocriti: ad Idyll. 11. v. 51. λιπαροὶ ἢ λέγει παλαίστραι, ἐπεὶ οἱ παλαίοντες ἐλαίῳ πρότερον ἠλείφοντο, εἶτα ἐπάλαιον. Hujus moris ratio apud Clem. Alex. Pædag. lib. 11. cap. 11. Καὶ τὸ ἔλαιον αὐτὸ ταῖς μελίτταις καὶ τοῖς ἐντόμοις ἐστὶ πολεμίον ζῴοις; ἀνθρώποις δὲ, τοῖς μὲν ὠφέλιμον, ἐστὶ δὲ ἐν ἰσχνοῖς μάχῃ ἐξεκαλίσατο, καὶ τοὺς πρότερον φίλους ἀλλήλοις ἐποίησε τοῦτο ἐν τοῖς σαθροῖς ἐκτρίπτει ἐς τὸ τῆς ἀγωνίας πάμμαχον. Servius ineditus ex Annalib. citat. *Confricati oleo, jentati, paratique ad arma:* quod Livio *pranſi paratique ad pugnam.* Nam pugnaturi cibis vires excitabant. Petron. cap. LXXXII. *Ne infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires.* Pollio Gallienis: *Militare prandium, quod dictum ab eo, quod milites ad bellum paret.* Juvenal. Satyr. XI.

——— *Sic veniunt ad miſcellanea ludi.*

Ubi Commentat. *Miſcellanea cibus gladiatorum, id eſt, ultima coena.* WOUWEREN. Unguento. Nec perfundi tantum unguentis, ſed & leniri convivae ſolebant. Vide Bezam in Annotat. ad Marc. 14. verſ. 3. & Luc. cap. 7. Petron. infra cap. CV. *Apud communem amicam conſumpſerunt pecuniam meam, à qua illos proxima nocte extraxi mero unguentiſque perfuſos.* ERHARD. Hic ſcripſerunt correctores *lecythno*, duplici errore. *Legitimum oleum* quidam interpretantur, ceroma; Interpretor, maſculum. Callimachus in Lavacro Palladis verſ. 29.

Τῷ καὶ νῦν ἀρόωντι κομίσσατε μῆνιν ἐλαίου.

Maſculum, σαπρὸν, ἢ παλαιωμένον. Theophraſtus περὶ βάλλω. Sic *cera legitima* apud Ciceronem Verrina 1. Legendus ad Horatium V. C. Daniel Heinſius. BOURDELOT. Recte expoſuit hunc locum vir ſummus Gronovius Diatr. Stat. cap. 25. Perſudit nos oleo, eodem ritu & modo, quo ſolebant athletas ex lege palaestrae ungere. Infra cap. 136. *Tribus potionibus è lege ſiccatis.* Cicer. VII. famil. 6. *In omnibus meis epiſtolis, quas ad Caeſarem aut ad Balbum mitto, legitima quaedam eſt acceſſio commendationis tuae.* Id eſt ordinaria, uſitata, ut Manutius explicat. idem de fato, cap. 2. *Prima illa, quae erant quotidiana & quaſi legitima nobis, de pace & de otio.* Suet. Aug. 45. BURM.

Utcumque igitur] Alii, *utrumque igitur*. TORNAES.

Coenatoria] Veſtis coenatoria, cum qua diſcumbere in conviviis ſolebant, alias toga triclinaris. GLOSS. Alii, *coenacula*. TORNAES. *Coenatoria*, ſunt veſtes, quibus in coena antiqui utebantur, ut & apud Martial. lib. 10. epigr. 87.

Coenatoria mittit advocato.

Turneb. Adverſ. lib. 19. cap. 7. Lipſ. Saturnal. lib. 1. cap. 2. veſtes epulares. Savaro ad Sidon. lib. 1. epiſt. 11. Pomponius in l. 33. de Aur. arg. mund. &c. leg. Dig. Imo *coenatoria*, id eſt, διπνιτίδας. Rader. ad Mart. lib. 10. epig. 73. ERHARD.

Guſta-

situs. Jussi ergo discubuimus, & gustatione mirifica initiati, vino etiam falerno inundamur. Excepti etiam pluribus ferculis, quum laberemur in somnum; [a] itane est? inquit Quartilla, etiam dormire vobis in mente est, quum sciatis Priapi genio pervigilium deberi?

XXII. [b] Quum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa, quae injuria depulsa fuerat, ancilla totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra humerosque scopionibus pinxit. Jam ego etiam

a QUARTILLA. b ENCOLPIUS.

Gustatione mirifica] Gustus ante cœnæ exordium, seu prima pars cœnæ. GLOSS. Porphyrio ad illud Hor. libro II. Satyr. XI. *Ab ovo usque ad mala. Ab initio cœnæ ad finem. Ovum enim hodie initium cœnæ, quippe cum in gustu statim à balneis offeratur.* Apul. lib. 9. *Ut primum antecursoriam potionem, & inchoatum gustum extremis labiis contigerat. Antecursoria potio*, ut Ammianus libro XXII. *libamenta præcursoria*, est autem πρόπομα. Athen. lb. II. προπομάτι πρὸ τῶ δείπνυ πιεσθέντες, καθὼς ἐώθει τὸ πρῶτον. WOUWER. *Gustatio*, seu, ut Martial. *gustus*, prima pars cœnæ, quæ aliis *antecœna*. Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 7. Lipsius Antiq. lect. lib. 3. Stuckius Antiquit. conviv. lib. 3. cap. 1. Hæc erat potio in principio mensæ, quæ Apulejo *antecursoria potio*. Metamor. lib. 9. Colvius in Not. ERHARD. *Myrrhistica* Nob. Heinsius, pro *mirifica*; optime: Myrrham enim vino etiam infundebant veteres. Noster in Fragmentis Satyr. *Ad libidinis incitamentum Myrrhinum se poculum bibisse.* Plinius lib. XIV. cap. 13. *Laudatissima apud priscos vina erant myrrhæ odore condita.* BOSCH.

Inundamur vino] Translatio à fluminibus. GLOSS *inundabamur* Memm. codex. BOSCH.

Excepti ferculis] Sic correxi in verisimilibus. SCIOPP.

Cum laberemur in somnum] Lege, *dum laberemur*, id est, usque dum. Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 14. nugæ. Hoc dicit; cum lassitudine veneris & satietate cibi dormitamus, tum ad nos conversa Quartilla inquit, &c. Scis, Schoppi, & experientia doctus didicisti, qui humanam lassitudinem & satietatem tentare somnus soleat: & quam verum sit verbum illud patrium. *Bey leerem Bauch ist nicht gut schlaffen.* ERHARD.

Etiam vobis dormire] Eleganter objurgationi inservit particula *etiam*. Intr. cap. 95. *Exclamat Eumolpus, etiam minaris?* Et cap. 137. *Scelerate, inquit, etiam loqueris?*

In mente est] Forte, *in mentem est*. RITTERSH. Tertullian. de habit. Mil. cap. 1. *Et adornari tibi in mente est?* SCIOPP.

Pervigilium] Sacrum nocturnum, quo vigiliæ indicuntur, quibus Deos colebant. GLOSS. Pervigiliis deos colebant. Plautus Curcul. Act. 1. scen. 3. *Veneris pervigilare vovisti.* Aulul. Prolog. vers. 36. *Qui illam stupravit noctu Veneris pervigiliis.* Gell. lib. 11. cap. 23. *In pervigilio vitiata est.* Suet. Calig. cap. 4. Arnobius lib. 5. WOUWEREN. *Pervigilium*, παννυχὶς. Henr. Stephanus in Thesaur. ling. Græc. Hujus pervigilii magna pars desideratur. Debebatur & Veneri, quam Plautus Curcul. act. 1. sc. 3. facete *Noctuvigilam* appellavit, triduanum: Petrus Pithœus Not. in Pervigil. Vener. Elmenhorst. Not. in Arnob. lib. 5. Taubmannus in Plaut. Curcul. Act. 1. sc. 3. Petronius Afranius in Epigr.

Cum me suavis amor prensum sursumque capillis
Excitat, & lacerum pervigilare jubet. ERH

Illa quæ injuria depulsa fuerat ancilla] Opinor excidisse vocabulum, & scribi debere, *illa, quæ invitata injuria repulsæ fuerat. Repulsæ* certe hic locus est, uti liquet è superioribus; sic apud Collumellam libro 9. cap. 9. *Sin autem defuit custos, velut injuria repulsa; peregrinam regionem petit.* Ita vulgati: codex pervetustus, quo usus sum, *repulsam.* Videtur reliquisse Columella, *velut invitata injuria repulsæ.* Ita *apes injuria contristatæ profugiunt*, Eidem eodem libro. cap. 14. HEINS. Anonymus in editione Hadrianidis, *quæ injuriam repulsa tulerat.*

Totam faciem ejus longa fuligine perfricuit] Videatur Budæus annotat. in Pand. & Alciatus. lexic. Plautin. in *Sublinere.* De his autem jocosis in dormientes contumeliis Ramirez. Hypomn. ad Martial. lib. 3. epig. 42. num. 2. ERHARD.

Fuligine longa] Lege, *larga.* Jungermannus. *Longus* pro multo & copioso, ut μακρὸς ἀντὶ τῦ πολύς. Aristotel. in Politic. οἱ μακρὰς οὐσίας κεκτημένοι. videndus Suidas & Etymologus. In Juvenal. Sat. 5.

——— *Multa veteris fuligine testes.*

Ad rem est, quod infra legitur cap. CVIII. *Omnia lineamenta fuliginea nube confudit.* ERHARD.

Non sentientis labra] Quia ebrii. Infra de Gnythone in lectum Ascylti translato cap. LXXXIV. *sive non sentiente injuriam, sive dissimulante.* Genes. 19. versic. 33. de Loti filiabus: *Dederunt patri suo bibere vinum nocte illa: & ingressa est major, dormivitque cum patre, at ille non sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit.* Et statim versic. 35. *Dederunt & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaque minor filia, dormivit cum eo: & ne tunc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexerit.* ERHARD.

Sopiti

etiam tot malis fatigatus minimum veluti guſtum hauſeram ſomni: idem & tota intra foriſque familia fecerat: atque alii circa pedes diſcumbentium ſparſi jacebant, alii parietibus appliciti, quidam in ipſo limine conjunctis marcebant capitibus: lucernae quoque humore defectae, tenue, &

Sopiti titionibus] Ut è contra, *vigilantes* ſeu ardentes. GLOSS. Alii *ſcriptionibus ſopiti*. TORNÆS. Locus eſt mendoſus. forte *ſcriptionibus* legendum. Nam *manus* & *frontem ſcribere* Catull. dixit, & Plaut. & Auſonius multis locis. Ad hunc pertinet locum, quod Nonius obſervavit in voce *ſublevit*: *Sublevit*, inquit, *ſignificat illuſit, & pro ridiculo habuit, tractum à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur.* &c. EMMIUS. Sic ex conjectura ante multos annos reſtitueram, eamque ſibi probari Janus Douza Filius per amiciſſimum mihi hominem Ignatium Danielem J. C. renunciavit. Gruterus mavult *ſopitis titionibus*. *Sopitum* ſic quoque dixit infra cap. LXXXVII. *Itaque excitavit me ſopitum.* SCIOPP. Lege *ſopitis titionibus*, ut *ſopiti titiones* contrarii ſint ardentibus & vigilantibus. Gruterus Suſpic. lib. 2. cap. 3. vel *ſopiti titionibus.* τὸ TI, quod ter ſcribendum erat, bis à librario neglectum loco depravando fuit. Humeros *ſopiti* ſive dormientis Aſcylti ancilla carbonibus pinxit. Catullus:

Frontem tabernæ titionibus ſcribam,

id eſt, elogiorum carbonibus implebo. Schopp. Veriſim. lib. 2. cap. 14. Recte Gruterus. *ſopiti titiones* ſunt carbones. Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 3. epig. 42. num. 2. ERHARD. Alii *ſopitis titionibus*. Olim cum aliis legendum putabam *ſopiti titionibus*, hoc eſt, dormientis Aſcylti, ut reſpondeat præcedenti *non ſentientis*: Verum Nob. Nicolaus Heinſius me docuit hic legendum eſſe *ſcopionibus*: quomodo & apud Catullum Carm. 38. ad Contubernales.

Frontem tabernæ ſcopionibus pingam. BOSCH. Locus admodum vexatus, vulgati *ſopitionibus*, pro qua acriter pugnat Franc. Ferdinandus de Cordoua. Didaſcal. cap. 23. Verum Martinus Del Roa, tom. 1. lib. VI. ſingularium cap. 17. legit *ſublitionibus*, à ſublinendo; prorſus infeliciter. Neque illorum interpretatio, qui *ſopiti* pro dormientis capiunt, placet: jam enim ſufficiebat *non ſentientis*, quod præceſſerat. Heinſium malle *ſcopionibus* dicit Boſchius: ſed in notis ad Ovid. Metam. VII. verſ. 186. videtur probare *ſopitis titionibus*. Quomodo etiam auctor veterum gloſſarum legiſſe videtur, & probat Gruterus. Voſſius ad Catulli carmen 38. legit *ſopionibus pinxit*. Sed rectius putem *ſcopionibus*, qui ſunt pediculi in vitibus, quibus adhærent acina, ut explicat Auſ. Popma ad Catonem de Re Ruſtica cap. CXIII. & ibi emendata duo Columellæ ex libro XII. 30. à Scaligero loca adfert, ubi pro *ſcopionibus* male *ſcipionibus* legebatur. Apud eumdem autorem lib. XI. cap. 13. eadem vox corrupta eſt in *ſcorpiones*. *Deinde cum ſpinam fecerit, collectis ſeminibus ipſis, ſcopiones, ita uti ſunt, in ſuo loco perurendi ſunt.* His ergo ſcopionibus, jam peruſtis & exſtinctis, ut & fuligine, ancilla pinxit Aſcylton. Uſitatiſſimus autem ille jocus & luſus fuligine & atro carbone per petulantiam aliquem pingere. Ita ipſe Mercurius à Callimacho Hymn. in Dianam, verſ. 69. σποδιῇ κεχρημένος ἀιθῇ, *atro carbone oblitus* inducitur, ut puellam contumacem terreret, & matri morigeram efficeret; ubi v. Illuſtr. Spanhemium. Ita narrat Ælianus II. Variar. 15. Clazomenios Spartam venientes per laſciviam thronos Ephororum fuligine inunxiſſe. BURM.

Somni guſtum hauſeram] Male in commentario ad hunc locum de Salas explicare locum Propertii lib. III. eleg. VIII. verſ. 25. docuit ibi Muſarum amor & noſter Brouckhuſius.

Jacebant] Varro apud Servium ineditum: *in lecto temulentos jacere, ebrios cubare conſueſcere.* WOUWEREN.

Marcebant] Alii, *manebant*. PATISSON. *Manebant*, Cod. Leid. nil muta. BOSCH. Non ſimpliciter dormiebant, ut de Salas exponit, ſed more ebriorum, qui languent & flaccidi ſunt vino. Ita ſæpe Statius hoc verbo utitur. v. Barth. ad lib. IV. Theb. verſ. 652. lib. VIII. verſ. 230. & verſ. 265. Senec. Medea verſ. 69.

Huc incede gradu marcidus ebrio.

Apul. l. 1. Metam. non abſimili à noſtro caſu. *Ille curioſus dum importune irrumpit, credo ſtudio aliquid rapiendi, clamore vaſto marcidum alioquin me altiſſimo ſomno excuſſit.* BURM.

Conjunctis capitibus] *Jungere capita*, locutio de venerea conſuetudine uſitata. Ovid. III. Epiſt. 107.

Perque tuum noſtrumque caput, quæ junximus una.

Ubi vide, quæ notat Heinſius. Idem eſt, quod *Limare caput* apud Plautum, & *poſitum cum aliquo caput habere* apud Propertium. vide Turneb. lib. XV. adv. cap. 6. & Barth. lib. III. adv. cap. 18. BURM.

Lucernæ quoque humore defectæ] Lucernas non extinguebant, ſed eas ſinebant langueſcere. Plin. Plutarch. Galienus Imp. Epithal. PITH. Paulus Silentiarius Anthol. lib. VII. Epigr. LII.

——— Οὐδὲ τιτ' ἠρχεται ἠδὴ
Λύχνος ὑποκλώζειν, ἠκὰ μαραινόμενος.

DOUZA F. Eadem narratio de eadem re apud Propert. lib. IV. El. VIII. verſ. 43.

Sed neque ſuppletis conſtabat flamma lucernis,
Decidit inque ſuos menſa ſupina pedes.

Scaliger ad Propertium. *Humore*, id eſt, oleo. ERHARD. Vide de hac voce copioſe agentem Gudium & alios ad Phædr. lib. 1. fab. 21.

& extremum lumen spargebant, quum duo Syri expilaturi lagenam, triclinium intraverunt: dumque inter argentum avidius rixantur, diductam frege-

Extremum lumen] Id est, minimum. RITTERSH. Infra cap. CVI. *Haberemus nos extremum solatium.* Cic. pro Flacco. *Salus nostra, quæ spe exigua extremaque pendet.* SCIOPP. Quem vide lib. I. verisim. cap. 18. Eleganter, ut & Propert. lib. III. El. VI. vers. 1.

Dulcis ad extremas fuerat mihi rixa lucernas.

Ut recte eum locum constituit decus literarum Brouckhusius, & his Petronii verbis illustravit. Virgilius lib. IX. Æn. vers. 351.

Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos.

Ovidius lib. II. Met. vers. 117.

Cornuaque extrema velut evanescere luna.

Valer. Flacc. lib. VII. vers. 538.

Sic fata profugit,
Seque sub extremis in mœnia rettulit umbris.

BURMAN.

Duo Syri] In Copa, *Syrisci.* Vet. *portantias.* BONGARS. Martial. lib. VII. epig. 52.

Munera quæ grandes octo tulere Syri. PITH.

Expilaturi lagenam intraverunt, dumque inter argentum avidius rixantur] Duas hic voces, utramque sine Venere & Gratiis repetitam, suspectas habere ultro profiteor. Primum *expilare lagenam* quid sit, non capio. Deinde *argentum* in mensa positum eversum est, inter quod sane illi non rixabantur. Tertio loco inter argentum rixari nec summe bene dictum arbitror. Quod primum & maximum potui, non *lagenam*, sed *saginam* scribendum arbitror. Non secus enim, quam saginæ destinati porci, jacebant in triclinio, itaque expilaturi neglectam supellectilem, in sagina dispersam, intrarunt duo illi furunculi. Secundo reponam, *dumque inter trahendum avidius rixantur.* Tractam enim in diversa supellectilem oportet, quæ rupta scilicet. Utramque emaculationem ausim credere esse genuinæ lectionis restitutricem, nisi nostræ essent. BARTH. Lib. XXI. Adversar. cap. VI. Nihil certe infelicius insigni critico in mentem venisse umquam puto: quis enim stupor, non intelligere, quid sit *expilare lagenam?* an ergo neque, apud Ciceronem pro Cluent. cap. 64. legens *expilatum armarium* caperet, non *expilare templa & fana* apud eumdem lib. III. de Nat. Deor. 34. & Sueton. Cæs. 54. certe, quæ mea est ingenii tarditas, ego, quid *expilare saginam* sit, non possum exputare. hoccine est neglectam supellectilem in triclinio, id est saginam, dispersam expilare? *saginam cellariam* apud Plaut. Mil. III. 2. novi, & totam domum, in qua homines, ut porci, quotidie ventri operam darent, ab eodem Mostel. 1. 3. *Saginam* dici probe scio; & similia. quæ opportunius Barthius adducere potuisset, apud scriptores veteres occurrere planum est. Sed pro triclinio poni, in quo vino sepulti marcebant, adhuc ignoro: alterum illud *inter argentum rixantur*, quod offendit delicatas Barthii aures, mihi sanum & egregium videtur. Nam hi duo Syri (id est servi, ita dicti, vel quia natione Syri, vel quia id nomen familiare mancipiis erat, ut ex Terentii Adelphis, ex Martiali lib. VII. 52. & IX. 3. patet) non venerant ad surripiendam supellectilem, aut argentum furandum, sed ut, dormientibus convivis & vino compositis, ex lagenis reliquias vini exhaurirent. Quæ cum positæ essent in mensa, sive ministerio, in quo argentea pocula & vasa erant exposita, utroque ansam apprehendente, lagena rumpitur, & ita eversa fuit mensa. Lagena autem vas erat, in quo semper vinum paratum habebant in triclinio, & ex quo pocula implebant, ut infinitis apud Martialem locis constat, ubi toties lagenæ fit mentio. Et hinc servi *à lagena* vel *laguna*, in antiquis lapidibus apud Sponium Miscell. Erud. pag. 209. Et Gruterum aliquoties. vide pag. DXLVI. 4. ubi tamen dubito, an *lagena* vas sit illud, quod inter duas inversas faces conspicitur; cum ejus forma ex veterum descriptionibus alia concipi debeat; quæ optime ex Phædri illa fabula, qua Vulpis & Ciconiæ mutua ad convivium vocatio refertur, & quam oculis exhibet gemma in Gorlæi Dactyl. Tom. II. pag. 512. intelligitur, & unde patet angustum fuisse collum. Apulej. lib II. dicit fuisse *orificio cessim debiscente*, vel, ut alii legunt, *sensim.* Non multum abludit à Lagenæ forma illa, quæ apud eumdem Gorlæum tom. II. n. 23. occurrit, quæ ansata est, qualem nostram fuisse necesse est, & qualem statuit Begerus in nummo Heroïs sui Patræi tom. I. Thesaur. Brandenb. p. 283. quam hic exprimendam curavimus.



Porro lagenæ erant plerumque fictiles, unde à Martiali sæpe testarum nomine insigniuntur. vid. lib. VI. ep. 89. sed & vitreæ erant, ut illa *Syra lagena* eidem lib. IV. epig 46. & hinc facile, si temere haberentur, diffringi poterant: ita in cæna Nasidieni apud Horatium lib. II. Satyr. ultima.

... *Vibi-*

fregerunt lagenam. cecidit etiam mensa cum argento, & ancillae super torum marcentis excussum forte altius poculum caput fregit. ad quem ictum

——— ——— *Vibidius dum*
Quarit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula. ———

Et solemnia tuisse haec furta servis, qui expilabant lagenas, & ideo diligentes matres & patresfamilias convivio dimisso obsignare solitos lagenas docet Cicer. lib. XVI. ad fam. ep. 26. *Plane te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quae lagenas etiam inanes obsignabat, ne dicerentur inanes aliquae fuisse, quae furtim essent exsiccatae.* ubi Manutius egregie lagenas illustrat. In primis facit huc lepidum Epigramma Martialis lib. IX. 89.

Septem post calices Opimiani,
Denso cum jaceam triente blasus,
Affers nescio quas mihi tabellas,
Et dicis, modo liberum esse jussi.
Zenas servulus est mihi paternus:
Signa. Cras melius, Luperce, fiet.
Nunc signat meus annulus lagenam. BURM.

Dumque] Alii, *cumque*. PATISSON.

Inter argentum avidius rixantur] Id est, inter argentea vasa. Horat. lib. I. Sat. 4. 28. *Hunc capit argenti splendor.* Interp. *argentea vasa delectant.* Cicero in Verrem 4. *Exponit multum argentum, non paucula pocula ex auro.* Auctor Rhet. ad Herenn. lib. 4. leg. 12. §. 28. D. de Instruct. vel Instr. leg. WOUWER.

Diductam] Id est, in duas partes ductam. Infra cap. XXVI. *per rimam improbe diductam.* Pulmannus in Hor. carm. 3. od. 28. ERHARD.

Cecidit etiam mensa cum argento] Mensae, quae abaci, positae, in quibus omnis generis praeclarique artificii vasa, aurea, argentea, crystallina exposita, ad usum simul & splendorem. Lucianus Lexiph. ποτήρια ἃ ἵκειτο πωτοῖα ἐπὶ τῆς δελφικῆς τραπέζης. Sidonius lib. I. Ep. 2. *Non ibi impolitam congeriem liventis argenti mensis sedentibus suspirioſus minister imponit.* Quae in MS. ita leg. *Non ibi politam congeriem liventis argenti mensis cadentibus.* Hae meniae *delphicae* dicebantur. Martialis lib. XII. Epigr. 66.

Argentum atque aurum non simplex delphica portat.

Glossae: *Abaci, delphica*, μνησίριον, ὡς Ἰουβενάλιος. In iisdem alibi: *Deluca* μνησίριον. Lege *Delphica.* Juvenalis Satyr. 3.

——— *Urceoli sex*
Ornamentum abaci ———

ubi Comment. *Quod nos delficam dicimus.* Horatius I. Sat. VI. vers. 116.

——— *& lapis albus*
Pocula cum cyathis duo sustinet.

Acro: *Lapis albus, mensa marmorea, quam nos delphicam dicimus.* Paul. libr. 3. Sent. Tit. 3. §. instructa domo. Procopius: Ἐν παλατίῳ τῷ ἐπὶ Ῥώμης, ἔνθα συνέβαινε τετράδας τὰς βασιλέως εἶναι, τρίπους ἐν παλαιᾷ ἱστήκει, ἐφ' ᾧ δὴ τὰς κύλικας οἱ βασιλέως οἰνοχόοι ἐτίθεντο. Δίλφικα δ' τὸν τρίποδα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, ἐπεὶ πρῶτον ἐν Δελφοῖς γέγονε. Quem locum suggessit mihi Ill. Scaliger, vir per omnia Diis, quam hominibus, similior. WOUWEREN. *Mensa* est abacus, *buffet, dressoir.* Jac. Lectius. ERHARD.

Caput fregit] Nihil est mutandum. Locutio haec Plautina est ac elegans, Terentio quoque & aliis usitata. Marcellus de Medicam. cap. I. *Fracto capiti tela aranei ex olea & aceto imposita non recedit, nisi sanaverit.* Petron. infra cap. CXXXIV. *Nisi primo ictu harundo quassata verberantis impetum minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset.* Quod quid sit, explicat Cap. XC. hisce verbis; *Ego sinum meum saxis onerabo, ut sanguinem tibi à capite mittam.* Hinc illud Plauto familiare, *vae capiti tuo.* Ergo *caput frangere* est vulnerare. Habet autem proverbii speciem, Gallis nostris non ignotam, apud quos minitantes dicere solent; *je te rompray la tête.* Cujus originem ex novo orbe traxit Joan. Lerius Hist. navigat. in Brasiliam cap. 15. ubi hunc ad modum scribit; *Nonnumquam inter colloquendum mactator, qui praesto adest, clava lignea utraque manu in altum sublata, orbiculo extremo captivi caput totis ferit viribus, adeo ut paucissimo sanguine effuso altero ictu non sit opus. Hinc proverbium illorum, quod jam apud Gallos nostros erat in usu, Confringam tibi caput, pro eo quod solent altercantes milites adversario minitari his verbis, Ego te confodiam.* sed falso, ut ea, quae commemoravimus, edocent. ERHARD. Scribendem utique *capiti infregit*, vel *impegit*, quod tantumdum est; sed illud malo, nisi quod *fregerunt lagenam* modo praecessit. Tull. 3. Tusc. quaest. *Quid? huic calix mulsi impingendus est, ut plorare desinat.* Plinius lib. 14. cap. 23. *Scyphus M. Agrippae à temulento Ciceronis Marci filio impactus est.* Prudent. Martyrio Cassiani.

Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis.

De tabulis puerorum, quemadmodum Plautus Bacchidibus. *Extemplo puer Paedagogi tabula dirumpit caput*; appositae Propert. lib. 2. el. 7. vers. 11.

Aspera Centauros eadem dementia jussit
Frangere in adversum pocula Pirithoum.

Quibus vulgatam tueri posses, sed nostra illa multo elegantior. *Infringere* vero Terentianum est, in Adelph. act. 2. sc. 1. *Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi:* ubi Donatus *infregit, illisit, inflixit. Infringere digitos lyra* Papinius in Achill. *Infigere* dixit Lucilius lib. VI. Satyr. apud Priscianum libro 3. *Scutam ligneolam cerebro infixit*; nisi *inflixit* malis.

ictum exclamavit illa, pariterque & fures prodidit, & partem ebriorum excitavit. Syri illi, qui venerant ad praedam, postquam se deprehensos intellexerunt, pariter secundum lectum conciderunt, ut putares hoc convenisse, & stertere tamquam olim dormientes coeperunt. Jam & triclinarches experrectus lucernis occidentibus oleum infuderat; & pueri, detersis paulisper oculis, redierant ad ministerium, quum intrans cymbalistria, & concrepans aera, omnes excitavit.

XXIII. Refectum igitur est convivium, & rursus Quartilla ab bibendum revo-

Scuta pro scutella dictum. tale quid voluit & de testa capiti illisa Juventius apud Charisium, *caput ei testatim desregero*. Quo etiam vulgatam tueri in Arbitro posses, sed conjecturam nostram veriorem puto. HEINS.

Secundum lectum conciderunt] *Secundum*, id est, juxta. Infra cap. CXI. *secundum illam eamdem casulam*. Livius: *Vulnus secundum aurem accepit*. vide Priscianum. ERHARD.

Huc convenisse] Lege, *hos convenisse*. DANIEL. Recte Gronov. I. obs. c. I. legit, *hoc convenisse*.

Flectere] Lege *stertere*, pro *flectere*, optimo sensu, ut opinor. EMMIUS.

Olim] Id est, jam diu. RITTERSH. *Olim*, pro diu. Infra cap. XCIX. *Mercenarium suum jam olim dormientem exire cum sarcinis jubet*. ERHARD.

*Caeperunt * jam &*] Non est asteriscus in veteri codice. TORNÆS.

Triclinarches] Praefectus, cui instruendi ornandique triclinii cura incumbit. GLOSS. Διαιτάρι&. vetus inscriptio apud Gruter. pag. DLXXVIII. I. M. VLPIO. AVG. LIB. DIVI. TRAIANI. AVG. A. POTIONE. ITEM. A. LAGVNA. ET. TRICLINIARCH. WOUWEREN.

Lucernis occidentibus] Eleganter à vita humana multa ad ignem & vicissim referuntur. Sic vivere, mori, ali, foveri, pasci, languere, vigere, flere, florere, trepidare dicitur flamma; quorum bonam partem invenies apud Prudentium luculento carmine ad accensum cerei Paschalis. BARTH. Lib. XXI. Adversar. cap. VI. Eleganter notat Scalig. veterum superstitionem, qui ignem, velut animatum quid, exstinguere religionem ducebant, sed oleo infuso saturitate, cum volebant, obruebant, elidebantque quasi spiritum flammae. Barthius in Ceir. Virgil. num. 344. Adde Weitzium Indic. in Dracontii Hexaëm. *Flamma moritur, resurgit*. ERHARD. Perpetua, Poëtis praesertim, metaphora, qua *vivere, mori* & similia de igne & lucernis dicunt. v. Heins. ad Ovid. lib. VII. Met. vers. 78. Eleganter Curtius VI. 6. *Barbari supplicium ultimum, si qua intermoreretur ignis, effugere studebant*. De superstitiosa autem cura, ne exstinguerentur lucernae, capienda illa Ovid. Epist. XIX. 151.

Ecce merum nutrix fausios instillat in ignes.

Et vers. 195.

Namque sub auroram jam dormitante Lucerna, &c. Ubi nescio, an non praeferam Palatini codicis lectionem, *Jam deficiente lucerna*, ut noster mox supra dixit *lucernas defectas*: contra Tiberius apud Suet. ejus vit. c. XIX. *Prælia aliquanto constantius inibat, quoties lucubrante se, subito ac nullo propellente, decideret lumen & exstingueretur, confidens, ut ajebat, ostento, sibi ac majoribus in omni ducatu experiissimo*. vid. & Ovid. Epist. XXI. 159. BURM.

Pueri] Nihil opus addere illis, quibus de Salas probat, *pueros* pro servis poni, quae notissima, etiam pueris; sed quod nobis se observare jactat, eodem sensu ab Ovidio lib. III. Art. Am. vers. 85. *juvenem* pro servo poni, egregie fallitur. Verba Poëtae sunt

Ancilla puerive manus ferat apta tabellas,
Pignora nec juveni credite vestra novo.

Non urgebo omnium scriptorum consensum, qui *puero* ibi habent. Sed quia id praecessit proximo versu, retinebo *juveni*, verum cum Heinsio capiam non de servo, sed de novo amante; quod Poëtae menti est convenientissimum. Minor species est in lib. V. Amor. Eleg. V.

Jamque frequens erat mensa conviva remota,
Compositi juvenes unus & alter erant.

Ubi manifeste juvenes illi, non ministrantes debent intelligi, sed convivae ebrii, vino & somno sepulti & compositi. BURM.

Detersis oculis] Apul. lib. 2. Milesiar. *Perfrictis oculis, & obarmatis ad vigilias*. Cleomedes lib. 2. ἴσμεν ὅτε καὶ τὰ ὄμματα ἐντριβόμεν&. WOUWEREN.

Cymbalistria] Quae cymbalis crotalisque canit. GLOSS.

Concrepans aera] *Concrepare* eleganter usurpatur de instrumentis tinnulis. vide quae notavit Douza. ERHARD.

Rursus Quartilla ad bibendum revocavit] To *rursus* videtur abundare. Giphanius in Observat. Ling. Lat. Vel lege *invitavit*, pro *revocavit*. Pflugius. *Rursus revocare* eleganter dictum, sicut *rursum recipere, rursus repetere, rursus rescribere, rursus reticere*, & similia. Schop. Explanation. in Bacchid. Act. 3. sc. 3. & ante eum Casaubon. in Sueton. J. Caesar. cap. 2. Petronius

revocavit. adjuvit hilaritatem comissantis cymbalistria. * Intrat cinaedus homo omnium insulsissimus, & plane illa domo dignus, qui, ut infractis manibus congemuit, ejusmodi carmina effudit:

a Huc huc convenite nunc spatalocinaedi,
Pede tendite, cursum addite, convolate planta,
Femore facili, clune agili, & manu procaces,
Molles,

EMBASICOETAS.

tronius ante cap. x. *Rursus in memoriam revocatus injuriæ.* ERHARD.

Cinædus] Qui patitur muliebria; item saltatores & pantomimi sic dicti apud veteres. GLOSS. Clemens Pæd. lib. III. cap. 4. Ἀνδρογύναι συνουσίαις ἥδονται, παρεισρέουσιν ὑπ' ἔνδον παιδῶν ὄχλοι ἀθυρόγλωσσοι, μιαροὶ μὲν τὰ σώματα, μιαροὶ δὲ τὰ φλέγματα, εἰς ὑπουργίας ἀκολάστους ἠνδρωμένοι, μοιχείας διάκονοι, κιχλίζοντες καὶ ψιθυρίζοντες, καὶ τὸ θορνικὸν ἀναιδὲς εἰς ἀσελγείαν διὰ ῥινῶν ἐπιψοφοῦντες ἐπικναίδισμα, ἀκόλαστοι ῥήμασι καὶ σχήμασι τέρπειν πειρώμενοι, καὶ εἰς γέλωτα ἐκκαλούμενοι πορνείας παράδρομοι. Quæ mirifice hæc Petronii illustrant. WOUWEREN. *Cinædi* dicti sunt apud veteres saltatores vel pantomimi, ἀπὸ τῦ κινῦν τὸ σῶμα, ut vult Nonius, vel, ut Bulengerus mavult, ἀπὸ τῦ κινῦν τὴν αἰδῶ, vel τὰ αἰδοῖα, quod *pudenda* commoverent, de Theatro lib. I. cap. 43. ERHARD.

Qui ut infractis manibus congemuit] Scio hoc trahi ad habitum componentium se ad dicendum, quamquam in conviviis digitis crepantes luserint. Lucianus Lexiph. Ὁ μέν τις ἐπὶ τὴν κατηλιφὴν ἀναῤῥιχησάμενος, ἐπιφόρημα ἐζήτει, ὁ δ' ἀγκινδᾶ ἔπαιζεν. ἀλλ' ὑπερῆρτο σὺν γέλωτι τὴν ὀσφύν. Quid innuat τὸ *congemuit*, ex Clement. verbis hauriendum. WOUWEREN. Non hæc ad silentium conciliandum, sed idem habitus atque ille, quem supra capite XVII. ad illa verba *manibus inter se usque ad articulorum strepitum constrictis*, notavimus. De voce *infringere* modo egit Heinsius, quem & vide ad Ovid. lib. V. Metam. vers. 83. BURM.

Ejusmodi carmen] MS. *carmina*. TORNÆS. Plaut. Stich. act. V. sc. 5. *Suavem cantionem occipito cinædicam, ut perpruriscamus usque ex unguiculis.* PITH. Introducebant cinædos, aut alia mancipia huic operi destinata, qui lascivis carminibus, impudico corporis motu, Venerem excitarent, aut spaltrias, quæ numeris obscœnis motibus respondebant. Arnobius libr. II. *Et symphonicas agerent & fistulatorias artes, cantionibus ut prurirent obscœnis numerositer, & scabillorum concrepationibus sonoris, quibus animarum alia lasciviens multitudo incompositos corporum dissolverentur in motus, & ad ultimum clunibus & coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret.* Sed hæc proprie de lascivia mimorum. Juvenal. Sat. XI. vers. 162.

—— *Ut Gaditana canoro*
Incipiat prurire choro, plausuque probata
Ad terram tremulo descendat clune puella
Iritamentum Veneris languentis. WOUWER.

Convenite] Lege, *convenite nunc*. Pith. PATISS. Lusus Sotadicus. Scalig. in Catal. sic in Carm. libero Priapi;

Huc huc, quisquis es, in Dei salacis
Deverti grave ne puta sacellum. ERHARD.

Spatalocinædi] Lascivientes cinædi, ἀπὸ τῦ σπαλᾶν. GLOSS. Glossæ: *Delicatus*, σπάταλος, ἀπὸ τῦ σπαλᾶν. unde & *spathalium*. Tertullian. *Manus spathalio circumdari solito. spatalocinædi*, qua licentia Lucil. *Machocinædi*. WOUWEREN. Non absurde de Salas legit *Batalo-cinædi*; sed neque sensu caret *spatalocinædi*, ut explicat Wouwerius: Σπατάλη enim delicias cibarias notat, Epigramma vetus in Anthol. lib. II. cap. 31.

Μηδείς μοι ταύτην Ἐρασίστρατε τὴν σπατάλην σου
Πομπεία ξεῶν, ἢ σὺ καταστατάλῳς

Ita Hesychius σπαταλᾷ exponit τρυφᾷ. Apud Suidam etiam σπατάλη male in editis redditur ἡ τροφὴ, cibus; legendum enim τρυφὴ, deliciæ, quod requirit exemplum ex epigrammate veteri adductum. BURM.

Femore facili] Est ad verbum fere Nasonianum lib. III. Amor. Eleg. VII. vers. 10.

Lascivum femori supposuitque femur. BARTH. lib. XXI. Adversar. 6.

Clune agili] Arnobius lib. II. *Lascivia deinde luxuriantis adjumpta, huc atque illuc clunes torquet.* Juvenal. Sat. II.

—— *Et de virtute locuti*
Clunem agitant. —— WOUWEREN.

v. Arnob. lib. 5. BARTH.

Manu procaces] An legendum *procace*, ut sit cum illo, quod in fragmentis legitur;

Manu puer loquaci.

An *procaces*. ut in primo carmine libero,

Carminis incompti lusus lectare procaces.

id est, lascivos & impudicos? An vero intelligit libidinantes, id est, λασῶντας & masturbantes, de quibus apud Catullum, Martialem, & in Priapeiis. Joan. Antonius Campanus Episcopus Interamnensis epigram. ad Gravalonum mastupratorem;

Non damnosa mihi gratis manus ipsa placebit,
Inque meis digitis hermaphroditus erit.

O pudicum Episcopum & Romano seorto dignum! At lusit, inquis, in nequam illum fututorem. At non decebat, inquio, gravitatem Episcopi, cujus est officii, severitatem in castigando adhibere, non risum jocumque facere. An nescivit, quod universa Theologorum natio dictat, hujuscemodi *manu procaces* ab

Molles, veteres, Deliaci manu reciſi.

[a] Con-

Apoſtolo *molles* vocari? neque etiam quid idem illis minetur? *Neque molles*, inquit, *regnum Dei poſſidebunt.* 1. Corinth. 5. verſ. 9. ubi *mollis* Syrus Paraphraſtes, interprete Eman. Tremellio, exponit, *corruptores ſui ipſorum.* Quo eodem dictum quoddam Salomonis trahere videtur S. Epiphanius in lib. adverſus Valeſios, qui ſe ipſos caſtrabant, ubi infit; *Salomon reprimens Eunuchorum turpitudinem dicit; Beatus eunuchus, qui non operatur in manu ſcelus, neque cogitat malum adverſus Dominum.* Loquitur de eunuchorum titillanti laſcivia & impudicitia apud Anaſtaſium Nicænum quæſt. 79. in Scripturam. Adde Vincentium Belvacenſem Epiſcopum in Speculo Naturali. Et quoniam ſemel occœpi, pergam exſequi, & aliquid addere de civili pœna, quod non paucos fugere videtur, qui hoc flagitium elevare, quod in ſe eſt, ſtudent. Angel. Aretinus in tract. de Maleficiis num. 53. cenſet eum, *qui propriis manibus fellat, pœna capitis afficiendum*, ſuffragante etiam M. Antonio Delrio in Miſcellan. ad leg. 31. Cod. ad L. Jul. de adult. Joan. Gerſon in tract. de confeſſion. molliciei ſcribit, *leges publicas pœnam ignis infligere.* B. quoque Bernardus Claræ-vallenſis Abbas, cum eoque idem Gerſon ſermon. in ſolennit. omn. Sanctor. mittunt *ad latrones, ad latrones, ad ignem, ad ignem.* Mitius tamen cum illis agendum Jodoc. Damhouderius, magnus ille quondam maximi Cæſaris Caroli V. Conſiliarius, cenſet, dum ſcribit; *Primam ſpeciem Sodomiticam committunt, quicumque ſecum Venerea ſecreto exercent, quod crimen Apoſtolus mollitiem vocat, Latini vero magis proprie maſtupprationem nominant. Hos itaque maſtupratores damnant propter fœdam enormitatem aut exilio, aut alia pœna extraordinaria:* in Prax. rer. criminal. cap. 96. num. 5. ERHARD. De his cape Epigrammata Martialis IX. 42. XI. 59. ut corrigit ejus ultimum diſtichon Scaliger, & ibidem 74.

Molles] Effeminati, qui barbam non habent. GLOSS. Martial. lib. III. Epig. 73.

Mollem credere te virum volebam,
Sed rumor negat eſſe te cinædum.

Vib. Sequeſt. *Salmacis Cariæ, ex quo qui bibit molleſcit, id eſt, obſcœnus fit.* PITH. Gloſſæ: *Mollis, effeminatus, aut qui barbam non habet.* Juvenal. Sat. 6. *Medullina criſſantis.* Interp. *Criſſare mulierum: cevere virorum eſt. Hinc Cevetes molles, & obſcœni vocantur.* Tertull. adverſ. Valent. cap. 15. *Et Salmacis inde ſe ſolverit, quæ maſculos molles facit.* Vitruv. lib. II. cap. 8. *Salmacidis fons putatur Venereo morbo implicare eos, qui ex eo biberunt*, &c. *Non enim molles & impudicos ex ea fieri aqua.* WOUWER. Cinædi, qui proprie *molles.* Barth. ad Claudian. lib. I. Eutr. verſ. 252. pathici ſeu (ut Petronius loquitur) muliebris patientiæ ſcorta. Benedictus Magiſter in Grammat. *Mollis à mollio derivatur, quia vigorem ſexus enervati corporis dedecorat, ut quaſi mulier emolliatur.* Arnobius lib. 5. *Evirati iſti molleſque.* ERHARD.

Veteres] exoleti, obſcœni. GLOSS. Mart. lib. I. Epig. 42.

Urbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es, crede mihi, quid ergo? verna es &c.
Quod bucca eſt vetuli dicax cinædi.

Sed & *Cevetes* quidem molles & obſcœni dicuntur: & vetus exemplar hoc loco habet *Vet. es.* PITH. Exoleti. vide Lamprid. in Elagab. WOUWEREN. Lege *molles, cevetes.* Schol. Juvenal. Sat. VI. *Cevetes & obſcœni appellantur.* BARTH. Apage *veteres.* Lege *teretes.* Par illud Martialis,

Iſtos non pueros, ſed uniones.

Horatius, Epod. XI.

Aut teretis pueri
Longam renodantis comam.

Teres brachiolum laudatur Catull.

——— *mitte brachiolum teres.*

Teres collum in Eleg. quas ex Corn. Gallo puto quemdam Maximinum contraxiſſe, unam certe vel alteram, & mille talia. Poterat *cevetes* videri genuinum ex eo, quod tradit Scholiaſt. Pithœanus in Juven. Sat. VI. verſ. 320. Sed nobis ſuperius magis arridet. IDEM lib. XXI. Adv. cap. VI. quem etiam vid. ad Stat. lib. III. Thebaid. verſ. 263. Interpretantur exoletos, neſcio quomodo hoc conveniat epitheton ſuperioribus: *Pede tendite*, &c. *Femore facili.* Perpende ſis mecum, an locum habere non poſſit, *teretes*, id eſt, rotundi, cujuſmodi homines agiles, in vulgus jam notum. Horat. lib. II. od. 4.

Brachia & vultum tereteſque ſuras
Integer laudo ———

Virgil. 6. Æneid. *teretes circumdare humeros.* Manſit illud linguæ noſtræ. Commendaturi enim hominem viribus moribuſque, etiam forma egregium, dicere ſolemus, *das iſt ein runder Kerle.* Piccartus Pericul. Crit. cap. 17. ERHARD. Nihil hic erat mutandum. *Veteres* illi ſunt, qui *Veterani* in Catalectis:

Parce, premendus erit, cum Veteranus erit.

Cevetes tamen quædam Editiones retinent contra MSS. fidem. De *Deliaco* dico ad Pauſaniam. *Reciſi* dicti & *Præciſi.* ut in incompto carmine, & apud Senecam de providentia cap. 5. BOURDELOT. Ita Terent. Eun. IV. IV. 21.

Hic eſt vietus, vetus, veternoſus ſenex.

Corrigunt viri docti *Cevetes* vel *Teretes*; ſed nihil opus, neque, quod Piccartum movet, male convenit hoc epitheton ſuperioribus; non enim tam ætate veteres, quam quia virilia amiſerant, citius ſeneſcebant, & facies rugoſior illis, quam æqualium, qui integri erant. Ut in hoc cinædo, inter cujus rugas erat creta, apparet: & ita mox *puer vetulus* Trimalchionis. BURM.

Deliaci

[a] Consumtis versibus suis, immundissimo me basio conspuit: mox & super lectum venit, atque omni vi detexit recusantes. Super inguina mea diu multumque frustra moluit. Perfluebant per frontem sudantis acaciae rivi,

a ENCOLPIUS.

Deliaci manu reciſi] Spadones, nam capones Deliaci (curatoris gallinarum) manu castrabantur. GLOSS. Scaliger in Varronem. TORNÆS. *Deliaci* fuere mercatores, qui Delum frequentabant, ubi nobilissimus erat mercatus. Sic Cic. pro Cornelio scripsit; *Neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paulum & L. Mummiam, qui rebus his urbem Italiamque omnem referserunt, ab aliquo video persacile Deliaco aut Syro potuisse superari.* Fortasse igitur ex iis molles multi fuerunt: sed verius sit, illic etiam venditos fuisse eunuchos & molles. *Deliacorum* etiam *gallinariorum* Columella meminit lib. 8. cap. 2. & Cic. lib. IV. Acad. Quæst. cap. 26. *An tibi quærendus annullarius aliquis, quoniam gallinarium inveniſti Deliacum illum, qui ova cognoſceret.* Turneb. Adversar. lib. 19. cap. 7. quem tacito nomine reprehendens Scaliger scribit; *Deliaci manu reciſi* sunt spadones. Nam capones Deliaci manu castrantur. *Deliacus* enim pro curatore gallinarum. Plinius lib. 10. cap. 50. *Gallinas saginare Deliaci coeperunt.* ad Varron. de Re rust. ERHARD. Recte ex Turneb. lib. XIX. adv. cap. 7. Erhardus; *Deliacus* est mango & castrator spadonum, unde & Deliaci pueri, qui eodem modo, ut Alexandrini, in deliciis erant, præcipue saltandi arte excellebant, & in Delo nulla sacra sine choris horum puerorum peragebantur. v. Illustr. Spanhemium ad Callimachi hymnum in Delum. v. 312. Ita & *Deliacos* educandi & castrandi gallos gallinaceos scientia excelluisse testatur, præter Columellam, Cicer. lib. IV. Acad. quæst. cap. 18. *Videsne ut in proverbio sit ovorum inter se similitudo, tamen hoc accepimus Deli fuisse complures (salvis rebus illis) qui Gallinas alere quæstus caussa solerent; his cum ovum inspexerant, quæ id Gallina peperisset, dicere solebant.* BURM.

Me basio conspuit] Catullus Epigr. LXXVII.

——— *quod puræ pura puella*
Suavia commixit spurca saliva tua. PITH.

Lucret. lib. 5.

Adfigunt avide corpus junguntque salivas
Oris.

WOUWEREN. Catull. carm. XCVII.

Tamquam commincta spurca saliva lupa.

Scaliger ad Catull. epig. 79. ERHARD.

Detexit recusantes] Forte verbum illud obscœnum *depsuit*, quod apud Catull. restitui, carm. LXXV.

——— *Patrui perdepsuit ipsam*
Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem,

hic non male legeretur. Hoc verbum apud Apulejum Apolog. 2. videtur quoque restituendum in his verbis; *Olim in pueritia, priusquam isto calvitio deformaretur, emasculatoribus suis ad omnia insanda morigerus, mox in juventute saltandis fabulis exossis plane & enervis, sed (ut audio) indocta & rudi mollitia. Negatur enim quidquam histrionis habuisse præter impudicitiam. In hac etiam ætate, qua nunc est, qui illum deperdunt multi sunt:* ibi pro *deperdunt* forte *depsuerint* legendum. EMMIUS. Non alienus sum ab Emmii conjectura, *depsuit*, quia *molitur* sequitur. Vide de hoc verbo Commentarios ad Catulli carm. LXXV. & Pontan. Anal. lib. III. cap. 13. *Molere* autem inter venerea vocabula esse docet Lucilli fragmentum ex l. VII. apud Non. in *evannetur*,

Hunc molere, illam autem ut frumentum vannere
lumbis.

Vel ut Junius & Douza ediderunt *vannere cunnis*. BURM.

Recusantes] Alii, *recusantem*. PATISSON. Omnino ex vet. cod. legendum *recusantem*, scilicet me. ERHARD. Lego cum Leid. cod. *recusantem*, Encolpium scilicet. BOSCH.

Diu multumque] Particulæ à Plauto mutuatæ Mostell.

Recordatus multum & diu cogitavi. ERHARD.

Apulej. II. Met. *Multumque & diu deosculata.* Notæ Tironis pag. 41. *diu multumque.*

Frustra moluit] Hinc *moltus* in illo Catulli Joco. carm. 13.

Moltus homo es Naso, neque tecum moltus homo: sed
Descendis Naso. moltus es & Pathicus. PITH.

Molere, subagitare. Horat. lib. I. Sat. II. vers. 35.

Huc juvenes æquum est descendere: non alienas
Permolere Uxores. ———

Auson.

Deglubit, sellat, molitur per utramque cavernam.

Lucill. Scalig. in Auson. lect. Palmerius in Spicileg. Petronius infra cap. XCV. *Quid sibi vult tam furtiva molitio.* Petrus Comestor, vulgo Magister dictus, in Hist. Scholast. ad illa libri Judic. verba; *Samsonem clausum in carcere molere fecerunt: Molere*, inquit, *fecerunt, quasi opere servili eum affligentes: nam molere est terere, sicut triticum vel aliam annonam. Hebræi tamen tradunt, quod Philistæi fecerunt eum dormire cum mulieribus robustis, ut ex eo prolem robustam susciperent. nam molere etiam est subagitare, vel coire. & est tracta hæc significatio à prædicta, qui enim coit, quasi molere & terere videtur.* ERHARD. Μύλλω, *molere*, vocabulum est, quale ad sacra sua Bona Dea numquam admittat. Theocrit. Idyll. 4. vers. 58. Joh. Baptista Pius Annotat. poster. cap. 64. Joh. Heringius in tract. de Molendin. quæst. 3. num. 13. WEITZ.

Acacia rivi] Unguentum ex *Acacia*, quo facies pingitur, ut speciosior videatur. GLOSS. Eubulus apud Athen. lib. 13. circa principium:

Mò

rivi, & inter rugas malarum tantum erat cretae, ut putares detectum parietem nimbo laborare.

XXIV. Non

Μὰ Δί' ἐχὶ περιπεπλασμένοι ψιμυθίοις,
Οὐδ' ὥσπερ ὑμεῖς συκαμίνῳ τὰς γνάθους κεχριμένοι,
Κἂν ἐξίητε τῆς θύρας, ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ὑδρορροᾶτε
Δύο ῥεύσι μέλανος, ἐκ δὲ τῶν γνάθων
Ἱδρὼς ἐπὶ τὸν τράχηλον ἀλοκα μιλβῶδη ποιεῖ.

Vide Xenophont. Oeconom. WOUWEREN. Sidon. lib. 4. epist. 8.

Nam cum dignatur regina hic tingere vultus,
Candor in argentum mittitur in faciem.

ubi Savaro in Notis. Felix Fabri Hist. Suevor. l. cap. 9. *In aliis regionibus feminæ fucis utuntur, dealbant & colorant facies*, &c. *Fucus* proprie est color, quo panni & lanæ inficiuntur, l. 1. C. quæ res vend. non pos. Hinc pro medicamento seu colore illo ponitur, quo facies pingitur, ut speciosior videatur. Ab Hebræis appellatur *puc*, à verbo *haphac*, quod est invertere vel immutare. Et sane vera & elegans est etymologia; quoniam hujusmodi picturis vultus & facies vertuntur ac immutantur, cum longe aliæ appareant, quam sint naturali constitutione. Græce autem generali vocabulo hæc appellantur καλλωπίσματα, quod faciunt ad ornamenta & mundum muliebrem. Dicunt etiam φῦκον, unde Latinis *fucum* deductum arbitror: non autem ἀπὸ τῆς φαγεῖν, ut quidam opinati sunt. Speciatim vero *cerussam* vocant ψιμύθιον & στίμμι, quod nos *stibium* nominamus: *purpurissam* vero ἀνθρίκλον *calliblepharum*, cujus meminit Plinius lib. 23. cap. 4. nec non Tertull. lib. de Cultu femin. inde dictum, quod palpebras & supercilia venustet. Finis horum lenociniorum est, conciliare pulchritudinem, ac faciem immutare, quo videatur ornatior, & tegantur vitia, vel inducatur melior forma, quam à natura habetur. Colores vero præcipui sunt, aut albor, quem præbet *cerussa*: aut rubor, qui *purpurisso* quæritur: vel nigror, usitatus ad palpebras & supercilia, quem præbet *stibium*. Petr. Matyr Locor. commun. tom. 1. Class. 2. loc. 11. num. 58. seq. De Cerussa ergo accipiendus hic Petronii locus. De Stibio autem illa verba Cypriani serm. 5. de Lapsis; *Nigro pulvere lineamenta oculorum pingis, cum te Deus aliter fecerit.* Et forte etiam hic Petronii locus, quoniam dicit *per frontem*. Ridiculum autem est, quod de Americanis feminis narrat Lerius, neque enim me piget locum appingere. *Faciei*, inquit, *hunc adhibent cultum. Accersita ad hoc ministerium socia vel vicina circulum penicillo in media gena delineat, in cochleæ vero formam fucum cæruleum flavum, rubrum tantisper circumducit, dum universam faciem colorib. illis distinxerit ac variarit, quin etiam palpebrarum ac superciliorum locum (quod feminas parum pudicas in Gallia factitare audio) penicillo oblinit.* ERHARD.

Sudantes] Alii *sudantis*. TORNÆS. Recte emendatum *sudantis*. σοβοῦντος, μακλῶντος, καπρῶντος, ὀργομένης συνουσίας, Scholiastes Aristophanis ad Plutum. Et tamen me nolente Chalcographi veterem retinuere. Facilis nobis ex sequentibus fuit animus rescribendi *sudantis*: quam etiam correctionem antea Petronio necessariam viderat. V. C. Th. Marcilius. BOURDEL. *Marcilius* in notis ad Horat. Epod. XII. hunc locum explicat, & de *sudare* & *Acacia* agit: quare nihil est, quod Barthius ad Statii lib. VI. Thebaid. vers. 871. de hac voce amplius dubitet. De Salas vero Marcilium & Bourdelotium sibi hæc sublegisse queritur. ego tamen hic *sudantis* retinerem, quod adstruit de Salas. Eleganter autem per sudorem rivi de malis fluebant; ut Statius, nimius fere semper in exaggerando, dicto loco *fluvium sudoris* dixit, & de sanguine manante per caput, eodem libro vers. 780.

It cruor, & tepido signantur tempora rivo. BURM.

Tantum erat cretæ] Mulieres terra Chia se incrustabant. GLOSS. Horat. Epod. 12.

——— *cum pene soluto*
Indomitam properat rabiem sedare: nec illi
Jam manat humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili. ———

PITH. & BONGARS. Alii *tantum erat porriginis*. TORNÆS. Mulieres terra Chia se incrustabant. Plin. lib. 35. cap. 16. WOUWEREN. Martial. l. 2. Epigr. 41. l. 8. Epigr. 33. BARTH. Quem & vide lib. 21. adv. cap. 6. Utilem esse ad hoc *cretam* docent etiam alii, quod fieri solebat & *tomento*, ut est apud Martial. lib. 3. epig. 42. *Tomento rugas uteri*, &c. Ramirez in Hypomnemat. ERHARD.

Detectum parietem] Tectorio solutum. Quod fit, cum nimbo perpluit. *Tectoria*, κονιάματα, τῶν τειχῶν παραχρίματα, id fiebat calce macerata. Vitruv. lib. VI. cap. II. III. Plin. lib. XXXVI. cap. XXIV. At tectorum etiam parietes incrustare, imo quodcumque ad politionem perficere. Vitruv. lib. VI. cap. III. IX. leg. 27. §. ult. D. ad leg. Aquil. hoc opus *albarium* dicitur. Vitruv. lib. 5. cap. X. Palladius lib. I. cap. XIV. & *album opus*. Vitruv. lib. 8. cap. 3. κονιάται, *Albini*. L. 1. Cod. de exc. artif. & *albarii tectores*. Tertull. *Scit albarius tector & tecta sarcire, & tectoria inducere, & cisternam liare, & cymatia distendere, & multa alia ornamenta parietibus incrustare.* Forte l. *cisternam litare*. nisi quod in Apicii lib. V. cap. I. *permisces, & lias, ut quasi succus videatur.* κυμάτια vero αἱ ὑπεροχαὶ παρὰ τοίχοις καὶ λιθοπόροις, ait Hesychius. WOUWER. Perflui tecto rimato. Plaut. Mostel. act. I. sc. 2.

Venit imber, lavit parietes, perpluunt
Tigna ———

Salomon Ecclesiast. 10. cap. 17. *In infirmitate manuum perstillabit domus.* ERHARD.

Embasi-

XXIV. Non tenui ego diutius lacrymas : sed ad ultimam perductus tristitiam, Quaeso, inquam, domina, certe Embasicoetam jusseras dari. Complosit illa tenerius manus, &, [a]O, inquit, hominem acutum, atque urbanitatis vernulae fontem ! Quid? tu non intellexeras cinaedum Embasicoetam vocari? [b]Deinde, ne contubernali meo melius succederet, Per fidem, inquam, vestram, Ascyltos in hoc triclinio solus ferias agit? [c]Ita? inquit Quartilla, & Ascylto Embasicoetas detur. [d]Ab hac voce equum cinaedus mutavit, transituque ad comitem meum facto, clunibus

a QUARTILLA. b ENCOLPIUS. c QUARTILLA. d ENCOLPIUS.

Embasicoetam] Qui, vel quæ frequenter dat basia. Item incubus, qui inscendit grabatum. GLOSS. Vet. Lex. *Embasicoetam* interpretatur, *qui, vel quæ frequenter dat basia.* BONGARS. Alii, ἐμβασικοίτην. PATISSON. Lege *embasicoetun.* Vet. Lexicon, *Embasicoeta, qui vel quæ frequentur dat basia.* ἐμβασικοίτη, quæ inscendit grabatum, inscenstrix grabati, inscenstrix. DANIEL. Embasicoetam, ἐμβασικοίτην. Cinœdum. TORNÆS. Vet. Lex. *Embasicoetas, qui, vel quæ frequenter dat basia* PITH. Ἐμβατεύειν, idem quod ἐμβαίνειν. unde ἐμβασικοίτης, incubus, quod nomen cynædo huic, & in eo jocus, quod promisso incubo repræsentetur cynædus, cui id nominis, sicut in Carpo scissore infra. Nam cynædi sane alii ab incubis. Joseph. Mercerus Not. ad Aristænetum, lib. 2. ep. 22. Ἐμβασίκοιτοι, aut ἐμβασικοῖται, à verbo βῆναι, pro quo Latini *perambulare.* Catul. *Perambulabit omnium cubilia.* Scalig. ad Catullum. Athenæus lib. 11. Ἔφορος, τὸ καλούμενον ποτήριον ἐμβασικοίταν ἔτως φησὶ καλεῖσθαι Φιλήμων. Eustathius legit, ἐμβασιλύται, quod sum miratus, nam & membranæ, & excerpra, & hoc loco Petronius ἐμβασικοίταν tuentur. Casaubon. Animadvers. libr. 11. cap. 5. ἐμβασικοίτης dicitur, quod faciat ἐμβαίνειν εἰς τὰς κοίτας, & ad libidinis concitamentum adhibetur. Janus Kottericus. Dictus, ut ἀφροδισικοίτης. Joann. Lerius Hist. navigat. in Brasiliam, cap. 17. de Americis; *Memini eos nonnunquam inter rixandum convitium hoc, Tyvire, hoc est, ἀφροδισικοῖται, mutuo sibi objicere solitos, ex quo conjicere est, flagitium illud apud eos locum habere.* ERHARD. Vide de Salas, qui solus hujus loci elegantiam cepit, & Casaubonum ad Athenæum lib. XI. cap. 5.

Hominem acutum] Roman. Aquila. *Inventio verum cum acutis hominibus communis est.* BARTH.

Urbanitatis vernulæ] *Vernula urbanitas*, salibus lepidis condita, seu vernarum jocularia dicacitas. GLOSS. Lege *vernilia. Vernilius*, vernilis; *vulgarius*, vulgaris. Scal. WOUWEREN. *Urbanitatis fons* alibi à nobis declaratus est, nec enim *frons* scribendum, quod video non ineptis hominibus placere. *Vernulæ* vero à lascivia vernarum ductum est. Juvenal. Sat. XI.

——— *Lascivi ludebant ruris alumni.*

BARTH. Lib. XXI. Adversar. cap. VI. Placet, *vernacula.* Tac. 2. Hist. *Incuriosos milites vernacula urbanitate quidam spoliavere.* SCIOPP. *Vernulæ frontem* ex fide Veterum MSS. retinui, quæ in *Vernilia* & in *fontem* deformaverant, Scurrarum proprie frons urbana. Horat. lib. I. Ep. IX. vers. 11.

Frontis ad urbanæ descendi præmia. ———

BOURDELOT. *Vernaculæ* recte legit CL. Gronovius lib. IV. de Pec. Vet. cap. 10. BOSCH.

Non intellexeras] MS. *non intelligis.* TORNÆS.

Contubernali meo] *Contubernalis*, frater vel amasius. GLOSS. Pro *meo*, MS. *modo.* TORNÆS. Non est aspernanda V. C. lectio, *Contubernali modo*, quia nuper Ascyltos ejus contubernalis fuerat, & esse desierat. ita enim loquitur ipse Ascyltos supra cap. 10. *Cras autem, quia hoc placet, & habitationem mihi prospiciam, & aliquem fratrem.* RICHARD. Melius, *ne contubernali meo non melius succederet.* Sensus siquidem postulabat, ut hanc negationem interponeres. Expressimus autem scripturam Codicum MSS. nec te moveat duplex negatio, vim enim unius obtinet. Marcellus in *Negativas* & in lege 24. ff. *de damno infecto.* Qui volunt hæc ironice accipi, animum ad loquentem Encolpium non advertunt. BOURDELOT.

Ab hoc voce] Infra cap. 80. *Statim ab extrema parte verbi consurrexit.* vide quæ supra notavimus ad illud *Dum loquimur.* ERHARD. Ovidius lib. III. Met. vers. 273. *Surgit ab his solio.* Et lib. IV. vers. 329. *Nais ab his tacuit.* Livius lib. XXIV. cap. 22. *Ab hac concione dimissi legati.*

Equum mutavit] Metaphora à vertumnis, hoc est, equorum desultoribus. res flagitiosa, quæ tacenda. GLOSS. Obscœnitas summa à solentibus autoribus *equis* adsimilatur. Martialis; lib. XI. 105.

Hectoreo quoties sedeat uxor equo.

Hinc *inequitare* obscœnum Arnobio. & multa talia ab equis ad res Veneris tralata, apud Barthium Anim. adv. in Claudian. Epigr. XI. ERH. Multas obscœnas dictiones ab equis mutuatos veteres, docuerunt jam viri docti. Horat. lib. II. Sat. VII. vers. 55.

Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum.

ubi V. Acron. & Lambin. Swart. Analect. lib. III. cap. I. Barth. lib. XI. adversar. cap. 15. & Loëns. Miscell. lib. II. cap. 15. Ita & capienda illa Ovidii III. art. Amat. vers. 777.

bus eum basiisque distrivit. Stabat inter haec Giton, & risu dissolvebat ilia sua. Itaque conspicata eum Quartilla, cujus esset puer diligentissima sciscitatione quaesivit. Quum ego fratrem meum esse dixissem, [a] Quare ergo, inquit, me non basiavit? [b] vocatumque ad se in osculum applicuit: mox manum etiam demisit in sinum, & pertrectato vasculo tam rudi, [c] Hoc, inquit, belle eras in promulside libidinis nostrae militabit: hodie

a QUARTILLA. b ENCOLPIUS. c QUARTILLA.

Parva vehatur equo: quod erat longissima, numquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo. BURM.

Stabat inter haec Giton] Lege juncta & una voce, *interhac*, sicut *interea* pro interim, *posthac*, *posthac*, *postilla*, *propterea*, &c. ERHARD.

Risu dissolvebat ilia] Immoderate & dissolute ridebat. GLOSS.

Vocatumque ad se] Alii *ad se Gytonem*. PATISS.

Mox manum demisit in sinum] Lucian. Ἐρωτ. ἢ ὀξὺς κατὰ κόλπου δῦσα, &c. PITH. Alii, *demisit*. MS. *manum etiam demisit*. TORNÆS. Hinc apparet, sinum usque ad pudenda fuisse demissum, quae tegebat: locis à de Salas adductis adde Juvenalem IX. Sat. 32.

——— *Fatum est in partibus illis,*
Quas sinus abscondit. ———

ubi Scholiastes *penem* intelligit. BURM.

Et pertracto vasculo] Pars ea, quae inter res serias nominari non debet, Medicis σκεῦος. GLOSS. *Permutato*, primum nequitiae verbum legimus; deinde interpretamur *puellum*, sive pullum rebus Venereis nondum initiatum, &c. Magnam porro à me inibit gratiam, qui docuerit, qua ratione impulsi correctores, *το pertractato* in tot prodigii monstra mutaverint. Autor enim centonis notaeque impudicae Petronius voluit uti verbo rei convenienti. Sic postea cap. 79. *Pertrectavi gaudio dispoliatum torum.* Sic in Ausonio,

——— *totum bene conscia lectum*
Pertrectat secura manus.

Et alibi. *Pertrectare*, *attrectare*, *tractare*, ejusdem sunt ponderis in tractatione *ponderis* obscaeni. Proh pudor! cur te violo? BOURDELOT. Lege, *& protracto vasculo, Tam rude hoc, inquit, belle. Vasculum*, ea pars, quae inter res serias nominari non debet. Plaut. Poenul.

Facio quod manifesti moechi haud solent,
Refero vasa salva.

Lipsius Antiq. lect. lib. I. Graecorum imitatio: nam apud medicos ea pars σκεῦος. Scalig. ad Priap. Lege, *rude hoc, inquit, belli eras in promulside. Rudis* lanistarum ac gladiatorum est, qua illi gladiorum vicem ad pugnam exercebantur. ergo *vasculum* illud *rudem* vocat, qua in primo coitu libido ceu pugna irritaretur. Palmer. in Spicileg. *protracto vasculo*, *Hoc tam rude*, *inquit*. Ludit in promulsidis voce nimium argute Scortillum, quae protracto peculio pueri Gitonis, significat illum pueri peniculum parvum quasi anteludium sibi fore ad robustam libidinem concitandam. Stuckius Antiquitat. convivial. lib. 3. cap. 1. ERHARD. *Pertrectato* nolim mutari, sed cum illis facerem, qui impudicae attrectationi hoc verbum proprium faciunt, ut Plauti & aliorum exempla demonstrant. nihil etiam mutandum in reliquis; *Rude vasculum* vocat, quod nondum Veneri initiatum erat, eodem modo, ut Plinium Medicum, *cacabum rudem*, dixisse docet Barth. I. adv. 14. BURM.

Tam rudi hoc] Alii, *tum rudi hac*. TORNÆS. Catalect. *Sed lignum rude*. &, *Utetur veris usibus hasta rudis*. PITH. Apul. lib. 9. *Commodum novis amplexibus amori rudi litabant, commodum prima stipendia Veneri militabant novi & nudi milites*. SCIOPP. Emendat Nob. Heinsius: *& protracto vasculo, tam rude, hoc, inquit, belli eras*, &c. Dignissima me-dius fidius Petronio emendatio, *rude belli*, hoc est, *rude ad Veneris furtum*, ut loquitur Ovidius in epistola Helenae Paridi XI. vers. 141. Florus lib. IV. cap. 2. *Ejus Elephanti bellorum rudes, & nuper à sylva*, &c. Horatius lib. II. epist. 2. vers. 47.

Civilisque rudem belli tulit aestus in arma.

Rudem belli, Acron *Tyronem & ignarum* interpretatur. BOSCH.

Hoc inquit] Alii, *hac*. PATISSON *Hac* ex membranis corrigit Gronovius de pecunia veteri lib. III. cad. 15. Sententia vero hujus loci eadem est, quae istorum Senecae lib. II. controv. 9. *Dominica libidine paparium facere*, ut ibi docuit vir summus. Nescio cur autem vox *militabit* hic displiceat docto Gallo Chevraeo, qui in Miscellaneis suis Fabro persuadere voluit, non convenire *vasculo το militare*, & ideo legit *mi litabit*. Nonne militum impedimenta *vasorum* nomine venire noverat? & ita hanc militiam Veneream male succedere, nisi bene vasatis. BURM.

Belle eras] Lege *belli*. HEINS.

Promulside] Gladiatoriae Veneris antecoeniae, seu anteludium ad robustam libidinem concitandam. GLOSS. Infra de coena Trimalcionis, *in promulsidari*, & in leg. XVIII. *de auro & arg. leg.* Turn. d. tom. I. BONGARS. Apul. *Proluvium libidinis suscitaram*. PITH. Apul. lib. II. Mil. *Gladiatoria Veneris antecoenia*. Seneca Controv. *pararium libidinis*. WOUWEREN. Significat, pueri vasculum minutum, quasi in antecoenam sibi fore, ad libidinem robustam concitandam. *Promulsis* autem antecoenia, ideo quod daretur ante mulsum. Lipsius Antiq. Lect. lib. I. Stuckius Antiq.

hodie enim post asellum diaria non sumo.

XXV. [a] Quum hoc diceret, ad aurem ejus Psyche ridens accessit, & quum dixisset nescio quid, [b] Ita, ita, inquit Quartilla, bene admonuisti: cur non, quia bellissima occasio est, devirginetur Pannychis nostra? [c] Continuoque producta est puella satis bella, & quae non plus quam septem

a ENCOLPIUS. *b* QUARTILLA. *c* ENCOLPIUS.

Antiq. convivial. libro 3. cap. 1. Rosinus Antiquitat. Romanar. lib. 5. cap. 29. Simili tralatione Andreas Hierosolymitanus sermon. εἰς τὸν ἐυαγγελισμὸν; Ἐπεὶδὴ ἡ ἀνθρώπε φύσις χαρᾶς προοίμια δέχεται. ERHARD.

Post asellum diaria non sumo] Vide Palmerium in Epicileg. *Asselli* enim bene peculiati. Rigaltius ad Phædrum fab. 29. *Diaria*, diurna cibaria. Hadr. Junius in Nomenclat. Isidorus Glos. *Diaria*, *cibus unius diei*, quorum dimensa servis & ancillabus assignabantur, prout se fidos præstabant. Beza in Matth. cap. 24. vers. 51. Jocus ergo est in ambiguitate verbi *asellus*. Gloss. vet. ὀνίσκος, ἰχθὺς, *asellus*; & in delitiis maxime erant *asselli Pessimuntii*, ut scribit A. Gellius. Hoc itaque dicit, se post tam lautum ferculum viles istos & minutos cibos non desiderare, *auff einen guten Salmen schmecken keine Schneiderfisch*. Aliter Scal. hæc interpretatur apud Wouwer. ad illud infra, *Asellus erat Corinthius*. ERHARD. Vide Hadrian. Junium, cent. 4. adag. 51. *Asello pisci similis*. WEITZ. Et hic ambiguitas in voce *asselli*, qui & cibus delicatus, ut recte Erhardus, & simul libidinosum animal, à quo, ut mox de equis vidimus, plurimæ locutiones obscœnæ deductæ. Ita & intelligendus Lamprid. Commod. x. *Habuit & hominem pene prominentem ultra modum animalium, quem Onon appellabat*. Vide ibi Casaubonum. BURM.

Diaria] Cibi serviles unius diei, quorum dimensa illis assignabatur, prout se fidos præstabant. GLOSS.

Quum hoc diceret] Scribe *hæc*, sic Leid. cod. infra cap. 92. *Hæc Eumolpo dicente*. BOSCH. *Hæc* Trag. cod. quoque.

Nescio quid] Catull. carm. 11.

Cavum nescio quid lubet jocari.

Maximian.

Nescio quid Græco murmure dulce canens.

Mart. lib. v. epig. 62.

Nescio quid dominæ teneram qui garrit in aurem.

PITH.

Devirginetur] *Devirginare*, depudicare, virginitatem eripere. GLOSS. Glossæ: *Devirginare*, διαπαρθενεύω. Hyginus Mytholog. *Medeam noctu in antro devirginavit*. Paul. l. ult. D. de offi. præsid. Laberius *depudicavit*. Gell. lib. XVI. cap. VII. Pollux lib. III. τὸ δὲ παρθένιος ἀφίλεσθαι διαφορᾶσι λέγεται, καὶ διαπαρθενεύεσθαι Ἡρόδοτος εἶπε. Homerus Il. λ.

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην.

Glossæ, ἀντὶ τῦ διαπαρθενεύσαι. optime. nam zonam, qua præcincta nova nupta, solvebat maritus. Catul. Fest. Varro apud August. *Virgini uxori zona solvitur*. Plutarch. ἔλυε τὴν ζώνην ὁ νυμφίος. quod Theocrit Idyll. x. λῦσε μίτρην. ut Musæus;

——— οὐδ' ἀυτίκα λύσατο μίτρην.

Interpres Historiæ, quæ Apollon. Tyrio contigerunt, vertit; *nodum virginitatis solvit*. WOUWEREN. Depudicetur. utitur & JCtus in leg. 21. D. de off. Præs. & D. Hieronymus. Alb. Gentilis de Latinitat. vet. Biblior. versionis. *Devirginare* dicitur pro virginitatem eripere. Nam non augendi solum vim, sed & minuendi τὸ DE habet. Bernartius Schol. ad Statium lib. 1. Achilleid. & Christian. Becmanus de Originib. Lat. ling. verbo *Plenus*. ERHARD.

Pannichidis] Scribe, *Pannychis*. BRASSICAN. Biturig. *Parrathis*. alii *Pannichidis*. Pith. alii *Panychis*. PATISSON.

Continuoque] Codex Tragur. *continueque*.

Producta est puella] Infr. cap. 126. *Ut in platanona produceret dominam*. Donatus in illud Terent. Heaut. 1. 1. *Produxi ac vendidi*. PITH. Infr. cap. 126. Juvenalis Satyra 6.

Filiolam turpi vetula producere.

Comm. *Producere meretricem*. hinc *productor*, προαγωγὸς. Gloss. προαγωγὸς, πορνοβοσκὸς, *Lenocinator*. Asconius in 1. contra Verr. cap. 12. *Lenones sunt scortorum, perductores etiam invitarum personarum, & in quibus stupra exercita legibus vindicantur*. Tertull. Apolog. cap. 43. *Lenones, perductores, aquarioli*. Itaque *perductores*, aut *productores* dicas, rectum est, nam *per* & *pro*, ut Græci περὶ & πυρὰ utuntur. WOUWER. *Produci* verbum est nuptiale. Barth. Animadvers. ad Claud. III. Cons. Honor. vers. 156. ERHARD.

Et quæ non plus quam septem annos habere] Alii, *quia*. PATISSON. Forte, *& quæ*, non *quia*. SAMB. Immaturior scilicet, quam hodie sint Mombasiæ puellæ, quæ ante decimum ætatis annum ad viros non producuntur, sed eo anno devirginatæ deinceps cum quovis voluptari libere audent. Lectum id à me in Historia navigationis in Indiam Gallice ab anonymo instituta, libro 1. cap. 14. de Nairorum (ità Æthiopes Indi suos Nobiles appellant) filiabus. *Hæ postquam annum attigerunt decimum, & jam ejus ætatis essent, ut muliebris patientia legem possent accipere, cognati ad adolescentem quempiam extra fines regni habitantem mittunt, qui eum multis & donis & precibus exorent, ut cognatam suam velit devirginatum venire. Qui cum venit, multis gestibus multaque lætitia accipitur*

septem annos habere videbatur, & ea ipsa, quae primum cum Quartilla in cellam venerat nostram. Plaudentibus ergo universis, & postulantibus, nuptias fecerunt. Obstupui ego, & nec Gitona, verecundissimum puerum, sufficere huic petulantiae adfirmavi; nec puellam ejus aetatis esse, ut muliebris patientiae legem posset accipere. [a] Ita? inquit Quartilla; minor est ista, quam ego fui, quum primum virum passa sum? Junonem meam iratam

a QUARTILLA.

tur. *Puella, quam defloravit, egregium quoddam & pretiosum relinquit clinodium, quod illa de collo suspensum omnem vitam suam superbe & ostentabunde circumgestat, est enim insigne licentiae, qua corpus suum prostituere cuilibet licet. Nam hoc ritu non peracto, conjungi homini nato nemini potest.* ERHARD.

Et ea ipsa] Forte, *ut ea ipsa*. SAMBUC.

Quae primum cum] To *primum*, abest à codice Tragur.

Nuptias fecerunt] *Nuptias facere*. συνοσίαζειν. Hoc obscene dicitur: unde & *nupta verba*, id est, obscena. GLOSS. Musaeus

Ἀλλὰ λέχος στρώσασα τελεσσιγάμοισιν ἐν ὥραις.

Erycius; εἰς γάμον ἐκ ἀνέτοιμον. Plautus; Casin. prol. 86.

Ultro ibit nuptum, non manebit auspices.

Idem Aulul. II. III. 83.

Sed nuptias hodie quin facimus? PITH.

Infr. cap. CXII. *Facuerunt una non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt. Nuptias facere*, τὸ συνοσιάζειν. inde Festo *nupta verba*, obscoena. Lipsius Antiquar. lect. lib. 2. cap. 9. Barthius Commentar. in Musaeum. Eodem sensu Germanis *brauten* obscene dici coepit, cum verbum esset multo honestissimum. Saxo Grammaticus in Histor. Danor. de informi ursi cujusdam cum puella congressu; *Nuptiarum deformitatem seminis aptitudine coloraret.* In Proteuangelio Jacobi; Τὴν παρθένον, ἣν παρέλαβεν ἐκ νεῶ κυρίῦ, ἐμίανεν αὐτὴν, καὶ ἐκλῦψε τὸς γάμους αὐτῆς. Hinc partum D. Mariae Deiparae Sempervirginis, Methodius Iconii Episcopus vocat. εἰς λόγον ἀπειρόγαμον, homilia εἰς ὑποπάντων. ERH.

Muliebris patientiae legem accipere] Viri potentem esse, scire foemineam passionem. GLOSS. Plaut. *Fertne jugum?* Et Lactantius: *Quavis muliere patientior.* BRASSICAN. Supra cap. 9. *Muliebris patientiae sortum.* Infra cap. 87. *Annis ad patiendum gestientibus.* Isidor. Etymolog. lib. II. cap. 2. *Virgo ab incorruptione, quasi virago, quod ignoret foemineam passionem.* ERHARD. *Pati* proprium in hac re verbum ut mox, *virum passa.* Tertull. de Virginib. veland. cap. XI. *Sed si propter angelos velanda est, sine dubio ab ea aetate lex velaminis operabitur, à qua potuerunt filiae hominum concupiscentiam sui adducere, & nuptias pati.*

Ita? inquit] Alii, *itaque*. Alii, *itane*. PATISSON. Lege, *itane?* Putean. DANIEL. & HEINS. *Itaque*, Codex Tragur.

Virum passa] *Virum pati* dicitur virgo, cum devirginatur. GLOSS. Tertull. exhort. ad Castit. cap. 13. *Invita alium virum passa est.* WOUWEREN. *Primum virum pati* dicitur puella, quum devirginatur. Infra cap. CXXVII. *Feminam hornam & hoc primum anno virum expertam.* Contra *virum facere* puella, quae prima sui corporis copiam illi praestat. Martial. lib. VIII. Ep. 46.

Et qua te faciet prima puella virum.

Itaque Pannychis Gythonem & primum virum passa est, & primum virum fecit. Schoppius in Miscellan. Inepte: nam *cum primum* particulae sunt adverbiales, Petronio familiares, pro, quando primum, postquam primo. Supra cap. XIV. *Cum primum ergo explicuimus mercem*, id est, simulatque. Alibi pro eo *ut primum* dicit, cap. XVI. *Ut primum beneficio Gytonis praeparata nos implevimus cena.* Sed & ἁπλῶς *primum* adverbialiter amat ponere. quo modo accipiendum est in illo ipso ab Schoppio adducto cap. CXXVII. *Hoc primum anno virum experta.* Et hoc capite; *Ea ipsa, quae primum cum Quartilla in cellam venerat nostram. Vir* autem dicitur non tantum maritus, aut is qui venit ad virilem aetatem, sed omnis, etiam puer, qui virilia cum femellis facit. Petronius infra cap. LXXXI. *Quem tamquam puellam conduxit, etiam qui virum putavit.* Augustinus serm. de Decem chordis; *Si quis existat, qui dicat se castum, non facere adulterium, notum autem sit, quod non faciat, erubescit accedere ad istos non jut similes, ne insultent, ne irrideant, ne dicant non esse virum. Ad hoc delapsa est humana perversitas, ut vir habeatur victus à libidine, & vir non habeatur victor libidinis. Triumphantes exultant, & non sunt viri: jacent prostrati, & viri sunt?* Balbus Catholico; *Puber*, id est, *puer pubem jam habens vel emittens, scilicet qui generare potest. hic vir incipit esse à quatuordecim annis: sed femina incipit esse viripotens ab annis duodecim.* Insuper is etiam *vir* dicitur, qui habet id, quo viri dicimur & sumus, de quo inferius. Benedictus Magister in Grammat. *Vir discernit sexum, ut quum dicitur, Dubium est, an iste sit vir, an femina.* Versus antiquus apud Balbum in Catholico & Gardinerum in Proverb. vet.

Vir notat aetatem, sponsum, sexum, probitatem.

ERHARDUS. Iterum ignorat τὸ *primum* codex Tragur.

Junonem meam iratam] Tibullus lib. 3. Eleg. 7.

Junonemque suam, perque suam Venerem.

Et

iratam habeam, si umquam me meminerim virginem fuisse. nam & infans cum paribus inquinata sum, & subinde, prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicui, donec ad hanc aetatem perveni. Hinc etiam puto proverbium natum illud, ut dicatur, Posse taurum tollere, quae vitulum

Et in 4. Eleg. 13.

Haec per sancta tua Junonis numina juro.

BRASSICAN. Turneb. lib. Adversar. 3. cap. 20. & Britannicus in Juvenalem, Sat. 2. DANIEL. Junonem Genitalem, quae sexui illi sequiori lucis primum tuendae copiam dedisse censebatur; non pudicitiae tantum matronali Praestes ac praeses, sed etiam meretriciae libidini. Douza Praecidan. pro Tibull. cap. 18. Videndus Politianus Miscellan. cap. 89. ERHARD. Apud Romanos viri Genio natalem suum acceptum referebant. Arnobius lib. 2. *Toga sternitis lectulos, & maritorum Genios advocatis.* Mulieres vero Junoni. Inde Tibullus: lib. IV. eleg. 13.

Haec per sancta tua Junonis numina juro,
Quae sola ante alios est mihi magna Deos.

Et lib. 3. Eleg. 7.

Esi perque suos fallax juravit ocellos,
Junonemque suam, perque suam Venerem.

Et hic Quartilla illa impudica. Meurs. ad Theocrit. Idyll. 4. WEITZ. Non jurabant per Junonem mulieres lascivae, tamquam illa etiam meretriciae libidini esset praestes, sed quia, ut notarunt abunde homines docti, quod viris erat Genius, foeminis erat Juno. Senec. Epist. cx. *Singulis enim & genium & Junonem dederant.* Plinius l. II. c. 7. *singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciunt, Junones Geniosque adoptando sibi.* Unde in priscis lapidibus sepulchrorum, quibus vir & uxor compositi sunt, saepe reperitur hic titulus *Genio* & *Junoni*, ille virum, haec mulierem respiciens. v. Spon. Miscell. Erud. antiquit. p. 63. & ita intellige Juvenalis versum, Sat. 11. vers. 98.

Et per Junonem domini jurante ministro.

Vide Eruditissimi Brouckhusii notas ad Propertii II. eleg. IV. 17. BURM.

Si me umquam meminerim virginem fuisse] Adi Val. Guil. Forsterum in Observat. cap. 15. & Alber. Gentilem in Virgil. lect. cap. 11. ERHARD. *Me* abest à codice Tragur. & forte ex prima sequentis vocis syllaba geminata repetita vox est. Mox *& infans.* Idem codex particulam *&* omittit.

Et infans cum paribus] vide Barth. adversf. l. VII. c. 5.

Cum paribus] Σὺν ἡλικιώταις, cum aequalibus. In Priapejis carm. 50.

Totam cum paribus, Priape, nostris
Cingemus tibi mentulam coronis.

Ita enim illic Schopp. legit & interpretatur in commentariis. ERHARD.

Prodeuntibus] Legendum *procedentibus*, ex Vet. cod. BRASSICAN. Forte *procedentibus.* HEINS.

Ut dicatur] Sic Autisiod. quae verba in aliis non sunt. Pith. alii *proverbum illud dicatum.* PATISSON. Erasmus, *illud ut posse dicatur.* SAMBUC. Lege *dicatur ut posse.* Putean. DANIEL.

Taurum tollere] Obscoenum est, & virile membrum significat, ut Diomedes lib. 2. & Suidas scribunt. Proverbii origo est apud Fabium lib. I. cap. 9. BONGARS. Ne pueri, ne tam spurca à teneris assuescite Horat. lib. 2. od. 5. vers. 3.

——— *Nec tauri ruentis*
In Venerem tolerare pondus.
Circa virentes est animus tua
Campos juvencae, nunc fluviis gravem
Solantis aestum, nunc in udo
Ludere cum vitulis salicto
Praegestientis.

Taurus etiam Graecis ac Latinis dicitur αἰδοῖον, sicut & *Vitulus.* Nequiter vero meretrix inflectit Proverbium, *Posse aliquem taurum tollere, quem vitulum tulerit.* Phavorin. Γραῦν τινὰ φασὶ μόσχον μικρὸν αἴρουμένην, καὶ τοῦτο καθ' ἡμέραν ποιοῦσαν λαβεῖν βοῦν φέρουσαν. Lucian. Μηδὲ ἐλπίδα ἔνεχ' ὅπως ταῦρον ἔτι αἴρῃσθαι δυνάμενον. Quintil. lib. I. cap. 9. *Milo quem vitulum assueverat ferre, taurum ferebat.* PITHAEUS. Adagium in fornice natum, uti videtur, sed quod ad usum verecundiorem commode torqueri possit, si quando significabimus, majora peccaturum adultum, qui puer vitiis minoribus assueverit. Non absurdum videtur, adagium ad Milonis Crotoniatae factum referri, qui quotidie vitulum aliquot stadiis gestare solitus, eumdem taurum factum citra negotium gestasse legitur. Atque ita quadrat in eos, qui paulatim rebus etiam maximis assuescunt. Erasmus in Chiliad. adag. ERHARD. Stobaeus Serm. 29. ex Favorino meminit aniculae, quae cum cottidie parvum vitulum sublatum gestaret, & nullum diem intermitteret, tandem quoque bovem gestavit. WEITZ. Recte hoc proverbium ex Horatio illustrarunt viri docti; ad cujus Epod. XII. Porphyrio notat, *Taurum pro valido & forti coitu* dici: eleganter vero Diomedes lib. II. de Oratione & Partib. p. 444. *Fit per homonymiam, ut cum dicimus taurum, nec scias utrum de armento, an obscaenam partem corporis, an montem, qui est in Cilicia, an, qui est in sideribus, taurum dicamus.* Ad quadruplicem autem illam Tauri significationem alludit Symposius aenigmate XXXII.

Maechus eram Regis, sed lignea membra sequebar,
Et Cilicum mons sum, sed non sum nomine solo,
Et vehor in caelis, & in ipsis ambulo terris.

Versus secundus sine dubio corruptus: ex vulgatis enim verbis frustra hanc obscoeniorem significationem

lum fustulerit. [a] Igitur ne majorem injuriam in secreto frater acciperet, consurrexi ad officium nuptiale.

XXVI. Jam

a ENCOLPIUS.

nem deprehendas. Barth. ad Claudian. Rufin. II. 34. legebat,

Et Cilicum immensus mons sum, & mens nomine polo.

Ut *polo* sit pro *paullo*, & indicet, *mentulam*, quæ à *mente* diminutiva vox est. In codice Leidensi, & Salmasii, quos contulit Heinsius, legitur

Et Cilicum mons sum, sed mons sum nomine solo.

latet adhuc ulcus: nam cui persuadere poterit vir industrius & doctus illud cascum *polo* pro *paullo*, & id demum pro *parvo*, quæ omnia nimis à vulgi usu remota, quam ut huic ænigmatum Poëtæ triviali, in mentem venire potuerint. Ego legendum censerem

Et Cilicum sum mons, & mens sub nomine colis.

To *sum* ab ultima syllaba præcedentis vocis *Cilicum* absorpta fuit, & cum tamen ad sensum requireretur, à librario alieno loco fuit repositum, & quia metri ratio non patiebatur voculam & sequi, supposuerunt *sed*, & ita quarta sui parte ænigma mulctarunt; posset & legi, *& mentis nomine coles*, sive *colis*. Nam hanc vocem eam partem notare, quæ Græcis ταῦρος dicitur, ex Celso & aliis manifestum est; deducitur autem illa à Græca καυλὸς, (unde & *caulis* & *colis* in Brassicis & Vitibus, de quibus Voss. lib. I. de Anal. cap. 29.) quæ idem notat, quod ταῦρος; teste Polluce lib. VI. n. 171. & quamvis alii existiment, ταῦρον eam partem vocari, quæ est inter penem & anum, latius tamen patere, & pro ipsa parte, qua viri censemur, capi docuerunt viri docti, & præcipue Foësius in Oeconomia Hippocratis in πηχίδιον: hinc à Græci hanc Tauri significationem habuere Latini, & in ambigua vocis Tauri significatione ludos facientes, huic ænigmati, occasionem dedere. A *Mente* autem derivatam Symposius indicare voluit hanc verendam partem, ut fecere etiam alii. v. Voss. Etymol. sed à *menta* herba deducere Ciceronem docuit me amicissimus Brouckhusius. Ita enim ille lib. IX. ad famil. ep. 22. *Ruta & menta, recte utrumque. Volo mentam pusillam ita appellare, ut rutulam: non licet.* Sed ad rem. ab hac vocis ταύρου significatione, puella nondum virum experta Suidæ notatur dici ἀταυρώτη, quod multis illustravit vir illustris Ezech. Spanhemius ad Callimach. Hymn. in Dianam. vers. 6. & inde non hoc modo Petronio usurpatum proverbium, sed & alterum natum ἴσα καὶ ταῦρος ἀν' ὕλαν. de quo vide Erasmum in titulo *Amicitiæ*; ubi plurima, & ad hanc rem præclare facientia habet; Immo hinc quoque fabulam illam de Pasiphaë à Tauro compressa natam docuit Luisinus Parerg. lib. I. cap. 25. &, qui præterito ejus nomine, hoc, ut ab ingenio suo excogitatum, orbi erudito exposuit, Borremansius. lib. I. Variar. Lection. cap. 10. BURM.

In secreto] Impressi *in furto*, alii *in scorto*. Male. PUTEAN. Probabilior est lectio, quam excudit Plantin. *in scorto*: non absimili sententia, qua scripsit Virgil. lib. IV. Æneid. vers. 172.

Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.

Et Ovidius lib. VII. Metam. 69.

Conjugiumne vocas, speciosaque nomina culpæ
Imponis Medea tuæ?

M. Antonius in epistola quadam ad Augustum. *Quid te mutavit? quod Reginam ineo? uxor mea est. Nunc cœpi, an abhinc annos novem? Tu deinde, Solam Drusillam tuis? ita valeas, uti tu hanc epistolam cum leges, non mieris Tertullam, aut Terentillam, aut Rufillam, aut Salviam Titisceniam, aut omnes. An refert ubi, & in quam arrigas?* Hæc leguntur apud Suetonium in Augusto, cap. 69. quibus sibi specie matrimonii detractam, imponere collegæ ignominiam, & infamiam conatur Antonius. *Injuriam* autem usurpasse Petronium apparet pro infamia: nempe genus pro specie, si modo recte definitur injuria in lib. 4. Rhet. ad Herennium: *Injuria est quæ, aut pulsatione corpus, aut convicio aures, aut aliqua turpitudine vitam cujuspiam violat.* RICHARD.

Injuriam] Recte accepit hanc vocem de Salas de stupro; ita Justin. IX. 6. *Hic primis annis stuprum per injuriam passus ab Attalo fuerat.* Plaut. Aulul. IV. X. 64. *Ego me injuriam feciisse filiæ tuæ fateor.* Et ita Juris prudentes usos, & Græcam vocem ὕβρεως expressisse docet erudite Heraldus Animadv. in Salmas. lib. V. cap. XVIII. §. 15. Male autem sollicitant *in secreto* quidam interpretes, timebat enim Encolpius, ne sub prætextu nuptiarum cum Pannychide Giton ab Embasicœta stupraretur; quare ne in cubiculum deductus præda esset voraci cinædo, surgit ille quasi ad officium solenne. Unde simul apparet, recte de Salas reprehendere eos, qui illud officium ad nequitiam, sive opus Venerium, quod ipse Encolpius meditabatur, detorquent, ut Barthius ad Claudian. I. in Eutrop. 368. ex quo Erhardus & Weitzius. Et non vanum fuisse hunc Encolpii timorem temporum istorum detestabilis nequitia demonstrat, contra quam sæpe Seneca censorio animo & ore tonat; & præcipue Epist. XCV. *Transeo puerorum infelicium greges, quos post transacta convivia, aliæ cubiculi contumeliæ exspectant.* Ubi *contumeliæ cubiculi* sunt eædem, quas noster *in secreto injuriam* vocat. BURM.

Officium nuptiale] Frequens huic rei verbum GLOSS. Apul. in Apolog. *Nuptiane illæ fuerunt, an aliud celebratum officium, an convivium tempestivum?* Juvenal. Sat. 2. vers. 132.

——— *officium cras*
Primo sole mihi peragendum in valle Quirini.
Quæ caussa officii? quid quæris? nubit amicus.

PITHÆUS.

XXVI. Jam Psyche puellae caput involverat flammeolo, jam Embasi-

PITHÆUS. Frequens huic rei verbum. Suetonius Calig. cap. 25. *Liviam Oreſtilam L. Piſoni nubentem, cum ad officium & ipſe veniſſet, ad ſe deduci imperavit.* Apul. 4. Metam. *Spectoſus adoleſcens nuncupatus ad nuptias officio frequenti cognatorum ſtipatus, templis & aedibus publicis victimas immolabat.* WOUWEREN. Ovid. Amor. 3. eleg. 6.

Ter Libas officio continuata meo eſt.

Barthius ad Claudian. lib. 1. in Eutrop. verſ. 368. ERHARD. Paullo ante hoc capite *nuptias fecerunt.* Martial. lib. 7. epigr. 17. *Acceſſi quoties ad opus.* Hoc eſt, quod Ulpianus dixit: *In ipſis rebus Veneris:* quod Solon & Draco dixerunt, ἐν ἔργῳ, leg. 23. D. ad L. Jul. de adult. Harmenopulus: ἐν αὐτῷ ἔργῳ τῆς μοιχείας. ἐν συμπλοκῇ. Tertullian. lib. de Anima, cap. 27. *In ſolenni ſexuum officio, quod marem ac feminam miſcet. In concubitu communi. In illo ipſo voluptatis ultimae aſtu.* Ovidius: *In Veneris gaudiis.* Papinianus lib. Reſponſor. tit. 26. *Ita ut unum ſint, & ſeſe commiſceant.* Catullus, *traſantes.* Hyginus in Fabul. *venerantes.* Fabius Declamat. 291. *Dum rem faciunt maritorum.* Martianus Felix lib. 1. *In maritali vacatione.* Rigalt. ad Artemidor. pag. 62. & ſeq. Vide infra WEITZ.

Conſurrexi] Alii *conſurrexit.* PATISSON.

Puellae caput] Lege *puella.* AURAT.

Flammeo caput involverat] Flammeum vitta nuptiarum tenuis & rubea, qua utebantur nubentes ad deſignandum pudoris læſionem, operientes vultum cum ea. GLOSS. Alii, *flammeolo embaſico: aetas praeferebat facem.* PATISSON. Lege, *tam è baſilica materna aetas.* BRASSICAN. Forte *flammeolum baſicum.* SAMBUC. Scholiaſtes Juvenalis Satyra 6. *Flammeum genus amicti, quo ſe coöperiunt mulieres die nuptiarum. Eſt enim ſanguineum propter ruborem cuſtodiendum.* Tertullian. adverſus Valentin. cap. 36. Feſtus. Plinius, lib. 21. cap. 9. Gloſſae: *Flammeum mavorte virginale. Mavorte* poſterior aetas quodvis operimentum capitum mulierum vocat. Gloſſae Iſidori: *Mavorte, operimentum capitis muliebris.* In geſtis Collat. Cæcilii & Felic. *Tunicae muliebres* XXCII. *mavortea* XXXVIII. Nonius: *Ricinium, quod nunc mavurtium dicimus.* WOUWER. In vet. ed. *flammeo jam embaſico. aetas praeferebat* unde legendum *flammeolum baſicum. Oetas*, &c. Rob. Titius Loc. Controverſ. l. 9. c. 19. quem reprehendit Yvo Villiomarus Animadverſ. lib. 9. cap. 21. cum quid *baſicum* ſit, & quod animal *Oetas*, à Titio non explicetur. Defendit ſe Titius Aſſertion. lib. 9. cap. 19. ſed ita, ut oſtendat, quam difficile ſit pertinaciter à mendacio ſtare contra veritatem. Huguitio; *Flameum à flama dicitur vitta ſive inſula nuptiarum tenuis & rubea, qua utebantur nubentes ad deſignandum pudoris laſionem, operientes vultum cum ea.* unde Lucanus lib. 11. 361.

Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Sulpitius Severus Sacræ Hiſt. lib. 2. de Nerone; *Poſt etiam Pythagorae cuidam in modum ſolemnium conjugiorum nuberet, inditumque Imperatori flammeum, dos, & genialis thorus, & faces nuptiales, cuncta denique, quae vel in fœminis non ſine verecundia conſpiciuntur.* Quidam codd. habent *flammeolo* apud Petron. & recte puellulæque convenienter. Juvenal. Sat. 10.

——— *Sedet illa parato*
Flammeolo ———

Prudent. Pſychom.

Flameolum, ſtrophium, diadema, monile. ———

Adde Briſſonium Select. antiquitat. lib. 2. cap. 18. Tiraquellum de Ritu nuptiar. Roſinum Antiquitat. Rom. lib. 2. cap. 37. ERHARD. Notus ſatis & ad faſtidium uſque illuſtratus obnuptarum ſponſarum mos, ſed quem eleganter oculis ſubjicit pompa nuptiarum Cupidinis & Pſyches, quam ex gemma Petri Ligorii edidit Sponius Miſcell. Erudit. Antiquit. Sectione 1. articul. 111. ubi & prælatam facem, & velatam puellam non modo capite, ſed toto corpore videmus.



basicoetas praeferebat facem ; jam ebriae mulieres longum agmen plaudentes fecerant , thalamumque incesta exornaverant veste : Tum Quartilla

Ille autem , qui stat ante facem gerentem , videtur thalamum ingesta veste ornare. Quid ultimus manu teneat super Cupidinis caput, vix conjicio , nisi nuces sint, quas solere spargi ex Aristophanis Pluto & aliis notissimum est. BURM.

Facem] Μητέρας ἐν τοῖς γάμοις δαδεχεῖν. Euripid. Phœnissis & Troadib. Theocritus Epitaphio Adonidis, Plutarch. de Exilio , Homer. in Clypeo & Odyss. α. &c. Heliodorus lib. β. Æthiopic. valde eleganter. Seneca Octavia: *Præferat tædas*, &c. Et Martialis lib. 12. de Callistrato & Afro, Ovidius lib. 10. Metamorphos. ab exordio. BRASSICAN. Plinius libro 16. cap. 18. Apulejus lib. 10. Milesiarum: *Faces nuptiales suos illuminarunt thalamos.* lib. 10. *Velut nuptiales epulas obitura domina prælucebant facibus.* Seneca libro 7. Controversia 6. *Cum infelici face ad dotalem suum nova nupta deduceretur.* Heliodorus libro 2. Καὶ δᾷδες, αἱ τὸ γαμήλιον ἐκλάμψασαι φῶς. &c. Faces præferebant patrimi & matrimi pueri : qui ἀμφιθαλεῖς , hoc est, interprete Zosimo histor. lib. 2. ἀμφοτέρους τοὺς γονεῖς ἔχοντες περιόντας. uti & Sybilla apud eumdem, & Hesychius. Sed apud Græcos nubentium matres. Apollonius Argonaut. lib. 4. vers. 808.

——— Αὐτὴ ἢ σείλας χείρεσσιν ἀνέσχον
Νυμφίδιον, κείνης ἀγαλόφρονος ἕνεκα τιμῆς

Scholiastes : ὅτι τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμούντων ἐν τοῖς γάμοις δαδεχεῖν ἔθος ἦν , καὶ Εὐριπίδης ἐν Φοινίσσαις φησίν: Ἐγὼ ἢ ἔστε σοι πυρὸς ἀνῆψα φῶς νόμιμον ἐν γάμοις , ὡς πρέπει μητρὶ μακαρίᾳ. Plutarchus Quæst. Roman. 20. auctor , quinque faces præferri solitas. reperio tamen nonnumquam quatuor adhibitas. Lapis Patavinus : COS. AVG. PVBL. CLAVD. QVÆS. ABR. ANTONINAM. VOLVMNIAM. VIRGINEM. VOLENT. AVSPI. E. PARENT. SVIS. COEMIT. ET. ILLI. FAC. IN. DO. DVXIT. WOUWEREN.

Jam Embasicoetas præferebat facem] Novæ nuptæ faces, (quæ nuptiales recte dicuntur, quoniam nocte virgo deducebatur ad sponsum , nuptiæque fiebant) matres olim solere præferre, multis è locis tum Græcorum tum Latinorum ostendi potest , quamquam Catullus paullo sensit aliter. Quocirca quod in V. C. *embasico ætas præs.* ita propemodum ausim corrigere, *è basilico mater præs. fac.* Ac *basilicum* dicere videtur, quam alii *basilicam :* cui respondet Græcorum *prytaneum.* Gul. Canterus. Novar. lect. lib. 3. cap. 14. Faces nuptiales , νυμφικαὶ. Heliodor. lib. 2. Τοιαύτας ἐπί σοι λαμπάδας ἀντὶ τῶν νυμφικῶν τὸ δαίμονος ἄψαντες. Et libr. 4. Τὴν πρώτην μοι καὶ γνησίαν, ὡς ἴστε, θυγατέρα ταῖς νυμφικαῖς λαμπάσι συναπόστειλε. Item δᾷδες γαμήλιοι eidem Heliodoro lib. 10. faces in nuptiis prælatæ. Achilles Tatius lib. 1. de nuptiarum παρασκευῇ, Βόμβος αὐλεῖ, δικλίδωι κτύπος, πυρσῶν ἐλαύνεται. ibidem sponsum Chariclem triste pereuntem defiens pater ; Τάφος μέν σοι, τέκνον , ὁ θάλαμος. γάμος δὲ ὁ θάνατος. θρῆνος ὁ ὑμέναιος· ὁ ἢ κώκυτος τῶν γάμων, ἅτος ᾠδαί: ἀλλά σοι, τέκνον , προσδόκων πῦρ ἀνάψαι, &c. ἡ νυμφική σοι δαδοχὶα ταφὴ γίγνεται. Joan. Salisburiensis lib. 1. Polycrat. cap. 4. *Legitima amoris gaudia sollemnes lucis suæ præferent tædas.* Has faces videtur pater sponsæ accendisse. Balbus Catholico : *Quia tædæ & faces solebant fieri ardentes ante nubentes ; ideo tæda ponitur sæpe pro nuptiis vel conjugio.* Pamphilus de Amore eleg. 27.

Res ut testatur, Galatheæ tæda paratur.

Achil. Tatius de Clitoph. lib. 2. ubi Hippias filio suo filiam ex alia uxore desponsans habet triste ὑπόπτιον; ἴδοξεν , ait, ἄγειν ἡμᾶς τὸν γάμον , ἤδη ἢ ἄψαντος αὐτῷ τὰς δᾷδας ἀποσβεσθῆναι τὸ πῦρ , &c. Jungermannus. Claudian. de Raptu Proserp. lib. 1.

Jam vicina toro plenis adoleverat annis
Virginitas , tenerum jam profuga flamma pudorem
Sollicitat ———

Idem lib. 2. de nuptiis Plutonis & Proserp. vocat *festas tædas*,

Ac festas alio succedunt lumine tædas.

Parrhasius in Comment. vide Euagrium Hist. Eccles. lib. 6. cap. 1. ubi de Mauritii Imp. nuptiis. Adde Muretum ad 5. Catull. Anton. Hotomannum de Ritu nuptiar. cap. 15. Beat. Rhenanum in Tertullian. lib. adversus Valentin. cap. 32. Bern. Brissonium de Ritu nupriar. Tiraquellum de Nupt. Rosinum Antiq. Rom. lib. 2. cap. 37. Barth ad Claudian. 111. Cons. Honor. vers. 155. ERHARD. Ritus satis vulgatus ; sed non prælatas iis faces, qui non solenniter nubebant, docet Vir Amplissimus Cuper. 1. observ. 16.

Longum agmen plaudentes fecerant] Artemid. lib. 2. Καὶ γὰρ τὰ αὐτὰ ἀμφοτέροις συμβαίνει , τῷ τε γαμοῦντι καὶ ἀποθνήσκοντι οἷον παμπομπὴ φίλων ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν. Hieronymus ad Demetriadem : *Quam habitura pronubam , quo deducenda comitatu ? Stridor Punicæ linguæ procacia tibi Fescennina cantabit.* WOUWEREN.

Thalamumque] Scholiastes Pindari: Olym. v. 30. Θάλαμος κυρίως ἐστὶν οἶκος , ἐν ᾧ κατακλίνονται αἱ νυμφευόμεναι. Lucianus Æthiop. Θάλαμός ἐστι περικαλὴς , καὶ κλίνη νυμφική. Ambrosius lib. de Viduis: *Cum accensis funalibus nox ducitur , nonne pompa funebris exequias magis putat quam thalamum præparari ?* Θάλαμος Latinis *lectus Genialis* , Seneca lib. 6. Controv. 6. *Verba sunt in exequias nuptiæ, genialisque lectus mutatus in funebrem.* Juvenalis Satyra 10.

——— *Sedet illa parato*
Flammeolo, Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur.

Strueba-

tilla jocantium quoque libidine accensa, & ipsa surrexit, correptumque Gitona in cubiculum traxit. Sine dubio non repugnaverat puer, ac ne puella quidem tristis expaverat nuptiarum nomen. Itaque, quum inclusi jacerent, consedimus ante limen thalami, & in primis Quartilla per rimam improbe diductam adplicuerat oculum curiosum, lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia. Me quoque ad idem spectaculum lenta manu traxit: & quia considerantium haeserant vultus, quidquid à spe-

Struebatur autem in atrio exadversum januæ, unde *lectus adversus* Propertio. hinc quæ sternunt thorum *Janitrices*, Græcis θαλαμεύτριαι. Pollux lib. 3. Glossæ: *Janitrices*, δύο ἀδελφῶν γυναῖκες, σύννυμφοι. probe vero. nam harum munus sternere lectum genialem. Non auscultо Isidoro libro 9. *Duorum inter se fratrum uxores janitrices vocantur, quasi eamdem januam terentes, vel per eamdem iter habentes.* quod sane ridiculum. WOUWER. Claudian. 2. de Raptu Proserp. v. 320.

——— *alii prætexere ramis*
Limina & in thalamum cultas extollere vestes.

BARTH.

Ingesta veste] Lege, *intexta*. AURAT. Ill. Scalig. legit *ingesta*. Lucanus, lib. 11. vers. 357.

Stat thorus, & picto vestes discriminat auro

Arnob. lib. 11. *Cum in matrimonium convenietis, toga sternitis lectulos.* WOUWEREN. Lege *ingesta*. Thoros nuptiales purpureis olim vestibus consterni solitos multis exemplis clarum est. Barth. ad Claudian. lib. 1. de Laud. Stil. v. 80 & lib. 11. d. Rapt. Proserpin. vers. 321. ERHARD. Vide Meurs. ad Theocrit. Idyll. 18. pag 99. WEITZ. Lege, *injecta*. HEINS. Præter laudatos à commentatoribus v. Torrent. ad Horat. 1. Epist. 1. 87. Digladiantur vero commentatores de lectione hujus loci, certe *incesta vestis* non convenit. Optimus Mercurialium virorum Brouckhusius mallet *festa*, ut passim *festa frondes*, & similia in solemnitate nuptiarum. Si quid ego videre possum, vere. BURM.

Jocantium] Biturig. *vocantium*. Pith. PATISSON.

Nomen nuptiarum] Homer. Odyss. ξ.

Αἴδετο γὰρ θαλερὸν γάμον ἐξονομῆναι. ———

BRASSICAN. Non sine sale, quia modestæ virgines semper, vel vere ad nuptiarum nomen horrebant, vel, ut pudoris & verecundiæ famam aucuparentur, se horrere fingebant. Hæc autem tam matura Veneris victima etiam pudorem jam decoxerat in prima ætate. v. Barth. ad Stat. 1. Silv. 11. 211. adde Theocrit. Idyll. xxix. vers. 69.

Itaque cum inclusi jacerent] Nuptias facientes includebantur, ut restinctus esset omnis pudor, quem forte præsentia aliorum incuteret. Apul. lib. x. *Nec domina voluptates diutina sua præsentia morati, clausis cubiculi foribus faceſſunt.* Itaque & diligenter cellarum fores occludebant. Seneca lib. 1. controv. 11. de sacerdote prostituta. *Quid inclusa feceris, nec quærere debemus nec scire possumus.* vide Martial. lib. xi. epig. xlvi. WOUWEREN. Ex verecundia humanitatis communis & more nuptiali, quem tangit D. Augustinus de Civ. Dei lib. 13. cap. 18. *Quid concubitus conjugalis, qui, secundum matrimonialium præscripta tabularum, procreandorum sit causa liberorum? Nonne & ipse, quamquam sit licitus & honestus, remotum ab arbitris cubile requirit? Nonne omnes famulos, atque ipsos etiam paranymphos, & quoscumque ingredi qualibet necessitudo permiserat, ante mitti foras, quam vel blandiri coniunx conjugi incipiat*, &c. Vide Historiam S. Eugeniæ. ERHARD. Thalamos Veneri operansium fuisse clausos, præter ea quæ Erhardus & Wouwerius habet, docet & Ovidius 11. art. 703.

Consitus ecce duos accepit lectus amantes,
Ad thalami clausas, Musa, resiste fores.

Consedimus ante limen thalami] An ex more veteri, quo receptum, ut quispiam ex sponsi amicis consideret, qui compesceret mulieres novæ nuptæ conclamantes? Pollux libro 111. Καλεῖται δὲ τις τῶν συμφίλων φίλων καὶ θυρωρός, ὁ ταῖς θύραις ἐφεστηκὼς, καὶ ἴργων τὰς γυναῖκας βοηθῶν τῇ νύμφῃ βοώσῃ. Ideo autem acclamabant, ne novæ nuptæ patientis vox audiretur. Scholiastes Theocriti: τὸ ἐπιθαλάμιον ᾄδουσιν αἱ παρθένοι πρὸ τῆς θαλάμου, ἵνα τῆς παρθένου βιαζομένης ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἡ φωνὴ μὴ ἐξακούηται. WOUWEREN.

Deductam] Alii *diductam*. TORNÆS. Alii, *deductam*. alii, *ductam*. PATISSON. Abest hæc vox à prima editione, & editione Trag.

Oculum curiosum] Apul. lib. 11. Mil. *Cuncta curiosis oculis arbitrabar.* & passim alii. WOUWEREN. Ita Valer. Max. vi. viii. exempl. 7. *Restis furtivum egressum servus ab eo vinculorum pœna coërcitus, &c. curiosis speculatus oculis.*

Speculabatur] Alii, *spectabat*. PATISSON.

Lenta manu] Alii *lentam*. AURAT. Doct. Munckerus in suis ad me literis legit: *injecta manu traxit*; ut infra cap. 133. *extraque vestibulum me injecta manu duxit*. BOSCH. Retinenda lectio, præ qua sordet illa *injecta manu*. Tu vide Vossium ad Catullum pag. 213. & Torrent. ad Horatii Epod. xv. 6. Sed qui memoriæ fiducia male hunc locum, quasi *lentis brachiis* legeretur, adducit. Non tamen cum Torrentio & Turnebo 1. adverss. 15. pro pertinaciter inhærente.

à spectaculo vacabat, commovebat valgiter labra, & me tamquam furtivis subinde oſculis verberabat. * Abjecti in lectis ſine metu reliquam exegimus noctem. *** „ Venerat jam tertius dies, id eſt, exſpectatio liberae coenae. „ Sed

„ Fra. Tra.

ſed cum Voſſio mallem, pro placida, molli manu capere, quæ, quaſi aliud ageret, molliter ducebat ad ſpectaculum. Vide etiam de hac voce plura apud Heinſium ad Ovid xv. Heroid. verſ. 169. & Epiſt. xix. verſ. 81. BURM.

Quia conſiderantium haſerant] Forte, *qui conſiderans inhaſerat*. AURAT. Sc. Quartillæ & meus, qui junctis capitibus novos nuptos per eamdem rimam conſiderabamus. ERHARD.

A ſpectaculo] Id eſt, ab ipſa ſpectandi actione, ut cap. ſequenti. *Nec tam pueri nos ad ſpectaculum duxerant*. Livius XXIV. 39. *Adſueti & ante ſpectaculis concionum*. Valer. Max. II. IX. 3. *Tempore ſupplicii ad arbitrium & ſpectaculum muliercula electo*. Juſt. IX. 6. *Sed neque ludorum magnificentia deërat, ad quorum ſpectaculum Philippus dum ſine cuſtodibus contenderet*. Idem eſt, ac ſi dixiſſet, ad quos ſpectandos. BURM.

Obiter] Alii, *valgiter*. PATISSON. *Obiter*, id eſt, interim; ſic apud Juvenalem accipi notat Cornutus ipſius Interpres. DANIEL. Alii, *valgiter labra*. quod non improbo. Quid autem ſit *valgiter oſculari* exprimit Lucianus: ἑταιρ. διαλ. Ἐφίλει μὲ τὸ πρῶτον, ὥσπερ οἱ ἄνδρες, ἐκ ἀντὰ μόνον προσαρμόζοντα τὰ χείλη, ἀλλ' ὑπανοίγοντα τὸ στόμα. atque ita valgiter oſculantes colliſione linguarum ludebant: Apul. Mileſ VI. *Accepturus ab ipſa Venere ſeptem ſavia, & unum blandientis linguæ adpulſum longe mellitum*. Idem lib. II. *Artius eam complexus cœpi ſaviari, jamque patientis oris inhalatu cinnameo, & occurſantis linguæ illiſu nectareo prona cupidine adlubeſcente*. Tibullus:

Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oſcula ——

hoc graphice Cn. Matius: *Columbatimque labra conſerens labris*. unde Mecœnas: *Si quis fœminæ cirro criſpatæ labris columbatur*. WOUWEREN. Alii *oculis*. Hic *commovet labra*, qui laſcivi oris motu ad amorem allicit, & ſic conformat os, ut baſiari velit. Nam & talis oris habitus *ſuavium* dicitur, cum ita figuratur labris promiſſis, aut lingua prolata, ut cum mulieres ſuaviantur amatores. Unde & Plaut. in Aſin. Act. IV. ſc. I. verſ. 49. ſcripſit,

—— *Nec ſic tuſſiat*
Ut cuiquam linguam in tuſſiendo proferat.

Iterum ibidem verſ. 52.

—— *Tu labellum abſtergeas,*
Potius quam cuiquam ſuavium faciat palam.

Id eſt, quam ſic comparet & formet, ut ad baſiandum aliquem invitet. Quod tamen Petronius ſcribit, eſſe videtur potius ſignum innuentis, & invitationculam amoris ſignificantis, quam ad baſium vocantis. Turneb. Adverſ. lib. I. cap. 15. Lege ex Fulgent. *commovebat valgiter labra*. Palmerius in Spicileg. Plautus Milit. act. 2. ſc. I. verſ. 15.

Itaque hic meretrices labiis dum ductant eum,
Majorem partem videas valgis ſaviis.

Quod neſcio quis apud A. Gellium dixit *ſemihiulco ſuavio ſuaviari*. Meurſius Animadverſ. miſcell. lib. 3. cap. 12. ERHARD. Immo, *commovebat valgiter labra*. Locus alius dicendi de hoc poppyſmate. BOURDELOT. Recte *valgiter* reſtituerunt viri docti, ſed, cum Fulgentius ad Chalcidium in voce *Exercitus* dicat, Petronium ſcripſiſſe, *obtorto valgiter labello*, ego crederem à Petronii manu fuiſſe, *quidquid à ſpectaculo vacabat, obtorto valgiter labello, me tamquam furtivis ſubinde verberabat oſculis*, teſte enim Nonio *valgum eſt proprie intortum*. De *ſuaviis valgis* vid. Turneb. VII. adver. VI. BURM.

Furtivis oſculis] Ita vetus codex. vulgo *oculis*. SAMBUC. Turneb. *oculis*, & rectius eſt. DANIEL. Sic furtim oſculantem ſuam amicam componit Agathias libr. 7. Antholog. ſic Ovid. *furtiva voluptas*, ſic γαμοκλοπεῖν, pro furtivo concubitu frui, dixit Phocylides. Barthius in Muſæum num. 182. ERHARD. *Oculis* prima editio & codex Tragurienſis, quod Turnebus probat. ſed perperam. Claudian. Feſcenn. od. I. verſ. 24.

Quot æſtuantes ancipiti gradu
Furtiva carpent oſcula Naides. BURM.

Abjecti in lectis] Apulejus III. Metam. *Abjectus in lectulo meo, quæ geſta fuerant, ſingula mœſtus recordabar*.

Liberæ coenæ] Apprime cœna Trimalcionis *libera* dicitur, tum quod liberum eſſet cuivis accumbere menſæ, tum quod in ea, quidquid vellent, convivæ, facerent aut dicerent; illic enim omnimoda & Decembris, quam vocat Horatius, libertas erat. TILEBOMENUS ſive JAC. MENTELIUS. Quia illo die tertio expectabatur libera cœna. Sed quænam eſt hic *coena libera?* num, quam accipiunt, qui hactenus fuere captivi? Sic conjectare licet ex ſequentibus, in quibus mentio vulnerum, & fugæ. An, in qua liberius & ſolutius vivitur? quomodo Plautus *liberas ædes, liberum locum* in Caſinæ III. ſc. 2. & ſeqq. (adde Pſeud. v. ſc. 2. verſ. 2. Pœn. III. ſc. 3. 25. & 44.) Propertiuſque *liberam* vocat *togam?* Conſule & Lampridium in Heliogabalo, capite XI. SCHEFFER. Vir ſummus & ſingulare ſæculi noſtri ornamentum Henricus Valeſius, in præfatione ad paſſionem B. Perpetuæ & Felicitatis docet, gladiatoribus ad arenam, damnatis pridie decertationis liberam cœnam dari ſolitam è publico,

blico, quo hæc trahit. Verba sunt Passionis: *Pridie quoque cum illa cœna, quam liberam vocant, quantum in istis erat, non cœnam liberam, sed agapen cœnarent.* Apud Tertullianum Apolog. *liberalia* vocantur: *miscellanea* apud Juvenalem, si quid antiquo ejus scholiasti credendum. De *libera cœna* gladiatoribus data, amplector observationem pereruditam, quam aliis veterum locis, si id ageretur, fulcire nunc possem. Sed Petronii hæc eo referenda minime existimo. Fateor ex aliis hujus Satyræ Petronianæ fragmentis suspicionem iniri posse, unde colligamus, unum alterumve hujus consortii operam laniſtæ venditasse, aut ad arenam damnatos fuisse; atque eo verisimiliorem esse viri præstantissimi observationem, quia Capuæ, ubi celebratur hoc convivium, ludus, quem Lentuli vocaverunt, fuerit gladiatorius, per sæcula complura celeberrimus, cujus mentio in vita Didii Juliani apud Spartianum, cap. VIII. Cæterum cum in tota cœna ne γρὺ quidem occurrat de hac arenarum damnatione, quamquam multis cætera hic convitiis lacerentur Ascyltos & Giton à convivarum non nemine, qui Ascylton equitem Romanum esse fatetur, & scholasticum vocat, non dissimulaturus damnationis ignominiam, si qua foret inusta, Agamemnonem etiam Trimalchio nunc magistrum, nunc carissimum, ut probe sibi cognitum appellet, potius, ut *liberam cœnam* placeat interpretari, de cœna, ad quam quilibet promiscue admitteretur. Nam neque Ascylton, neque cæteros consortes esse ad hanc cœnam rogatos constat: ne Habinnam quidem, qui cum uxore ex alia digressus cœna, etiam potus, cœnantibus supervenit. Quid? quod ipsi Trimalchionis servi admittuntur ad hunc convictum? Sic *liberum vitium*, per quod liber omnibus accessus patet, Senecæ epist. XXVI. Potest & hæc Trimalchionis cœna *libera* dicta esse, quod Liberalibus, vel sub vindemiam instituatur, vel quod detur in gratiam servi unius & alterius, qui libertate inter cœnandum donatur. Horum præcipuum *Dionysium* & *Liberum patrem* appellat ipse convivii dominus. Sic *Barbatoriam* eodem die celebratam à servo suo jactat Trimalchio in subsequentibus. HEINS. In variis de hac cœna sententiis nos eam credimus veriorem, quæ statuit *liberam* esse dictam à licentia & libertate omnibus legibus soluta, qua hæc esset peragenda, in qua nullis jocis, etiam lascivioribus, nulli actui, gravioribus viris pudendo, esset abstinendi pudor, & in quod nullum censoriæ notæ jus erat, juxta quam teste Plutarcho in Catone p. 345. Ὅυτι συμπόσιον ἤοντο δεῖν ἄκριτον καὶ ἀνεξέταστον, ὡς ἐκάστῳ ἐπιθυμίας ἔχοι καὶ προαιρέσεως ἀφίεσθαι. *Neque convivium solutum & liberum indagine, quæ cujusque libido & institutum sit, arbitrabantur prætermittendum.* Quo sensu Elagabalus *liberam vindemiam* se celebrare ait apud Lampridium, ut recte notat Schefferus. Et ita forte apud Senecam Thyeste vers. 62. capienda illa verba

Epulæ instruantur, non novi sceleris tibi
Conviva venies; liberum dedimus diem.

quamvis aliter explicari posse non negemus. Ita & Horatius I. od. 36. dixit *libero pede pulsandam tellurem.* Ita *libera nequitiæ verba* Prop. III. 9. & *libertas vivendi* in Antonini uxore apud Capitolin cap. 3. ut *liberius vivere* Terent. Andr. I. 1. Corn. Nep. Themist. 1. & *liberior vita* Ovid. III. fast. 778. & infinita alia, de quibus uberius agit Gronov. III. obs. IV. Talis libertatis jam infinita exempla ipsa cœna præstat, cum in dicacitate, compotatione larga, tum in ventris crepitu sine pudore edendo, & reliquis lasciviæ modis. Eodem jure Salmas. ad Vopisc. Carin. c. ultimo legit, *Denique cum omnibus gentibus advocatis Diocletianus daret ludos, parcissime usus libertate, dicens castiores esse oportere ludos spectante Censore*: cum antea legeretur *liberalitate*, quæ nihil ad Censorem facit; Sed *libertas* ludorum est editio libera & jocosa, unde multa ridendi & lasciviendi materia, ut recte explicat Vir summus, & plurimis adstruit. Tales ludi liberi Florales, de quibus Ovidius IV. Fast. 331.

Quærere conabar, quare lascivia major
His foret in ludis, liberiorque jocus.

Sed, dum hæc commentamur, incidit non levis suspicio, cœnam liberam, quam nescio apud quem exspectabant, ideo dictam, quia tertio die Saturnalium esset danda, quo die videntur maxime Romani cœnam lautam & apparatam dedisse, cui & convivæ, qui modo vellent, & ipsi liberti & servi adhibebantur. Ita ad hanc rem accommodatissimus Ciceronis locus ex libro XIII. epist. ad Att. ult. ubi narrat Cæsarem ex Hispania reducem venisse secundis Saturnalibus ad Philippum Octavii, postea Augusti, vitricum, ut tertia Saturnalia ibi celebraret. Et quia secum duceret duo millia hominum, commotum se fuisse, quid futurum esset postridie. Tertiis autem Saturnalibus Cæsarem apud Philippum fuisse, *post horam octavam in balneum, inde unctum accubuisse, edisse & bibisse ἀδρῶς & jucunde, opipare sane & apparate, nec id solum, sed bene cocto & condito sermone bono, & si quæris libenter: præterea tribus triclinis acceptos τῶν περὶ αὐτὸν valde copiose. Libertis minus lautis servisque nihil defuisse, nam lautiores eleganter accepti, quid multa? homines visi sumus.* Quæ si bene excutiantur, videbimus plurima huic cœnæ communia, balneum, unctionem, accubitum, neque libertos, neque servos neglectos. Nam quia Saturnalia referebant imaginem & memoriam aurei sæculi, hoc festo eodem fere jure fruebantur servi, & adhibebantur cœnæ, quia, ut stultus noster Trimalchio non inepte ajebat cap. 71. *homines erant, & unum lac biberunt*: sed præcipue, quia Cicero addit in ea cœna fuisse σπουδαῖον ἀδὸν *in sermone*, *φιλόλογα multa.* Id est, nihil serii de rebus publicis fuisse actum, sed ex elegantiori eruditione quasdam fabulas & sermones celebratos. Eodem modo, ut in ridiculi hujus convivio inepti illi sermones de Ulixe, ære Corinthiaco, de fabro vitriario, & reliquis, quæ memo-

„Sed tot vulneribus confossis fuga magis placebat, quam quies. Ita„que, cum moesti deliberaremus, quonam genere praesentem evitare„mus procellam, unus servus Agamemnonis interpellavit trepidantes: „&, Quid? vos, inquit, nescitis hodie apud quem fiat? Trimalchio „lau-

rantur capite 48. & seqq. imo quia, ut ipse Trimalchio cap. 39. ajebat, *Oportet etiam inter coenandum Philologiam nosse.* Et capit 64. Trimalchio exclamat *interdiu severa, nunc hilaria.* jam autem hanc liberam cœnam hyeme, mense Decembri fuisse agitatam, docent plurima, si recte attendantur. Primum quod cap. 41. frigus habuisse se conviva tantum dicat, ut vix balneum calefecerit, dein quod toties mentio calidæ potionis fiat, præterea quod cap. 72. per errorem in piscinam incidentes Ascyltos & Encolpius algentes inde extracti, & balneum fervens intraverint. Ipsis autem Saturnalibus fuisse datam cœnam multa demonstrant. Ita capite 44. dicit Phileros majores maxillas semper Saturnalia agere, cum sibi & aliis vilioribus hæc modo celebrentur. Cap. 58. unus ex collibertis Gitoni convicians exclamat. *O Saturnalia! Rogo, mensis December est?* Quasi diceret, jam tibi libertas illa Saturnalium prodest, quod tam impune me irrides. Cap. 69. Encolpius videns monstrosum illud ferculum credebat esse omnia defricta, aut certe de luto, quia *Romæ Saturnalibus ejusmodi coenarum imaginem fieri viderat*, & ideo putabat hac in colonia similia esse. Præterea larva illa, super mensam, & ludus calculorum, tempus Saturnaliorum demonstrant, cum notum sit ex Martiali & Suetonii Augusto maxime hoc festo aleatorium forum calefactum; & ita Lambecius ad vetus Calendarium notat in Bucheriana imagine mensis Decembris esse larvam & fritillum. & in veteri Calendario sub Constantino edito, idem fritillum apparet. Et denique omnia plena licentiæ & libertatis, etiam servis permissæ, illud aperte docent. Neque opus est hic multis agere de illa *libertate Decembri* (ut vocat Horat. II. Satyr. 7.) cum vulgo sint notissima. Quamvis autem non una fuerit sententia veterum de numero dierum, quibus Saturnalia deberent celebrari, quas omnes recenset Macrobius lib. I. Satur. cap. 10. constat tamen tres dies fere his fuisse datos. Ita & idem Cicero lib. V. ad Att. epist. 5. dicit se Saturnalibus cepisse Pindenissum Eleutherocilicum oppidum, & hinc *Hilara fuisse Saturnalia. Militibus, equis exceptis, reliquam prædam concessisse & mancipia, vaniisse tertiis Saturnalibus.* Intricatam autem, de numero dierum, quibus Saturnalia celebrabantur, controversiam hic excutere non vacat. v. Lipsi. I. Saturn. 3. & Fabrett. insc. cap. VI. p. 482. BURM.

Sed tot vulneribus] Hic apparet capitale illud ingenium Galli interpolatoris, qui cum non sciret, vulnera hic esse capienda illa, quæ ab Embasicætis in pervigilio illo Veneris acceperant, finxit veram pugnam præcessisse, inter hos Veneris Athletas, & *raptores* eorum, (vides elegantiam) in qua Encolpius erat vulneratus: sed an tam cito sine medica manu oblivisci poterant omnium malorum, ad solam cœnæ mentionem factam? BURM.

Moesti] Forte *incerti*. HEINS.

Quonam genere] Id est, quonam modo. Seneca 2. de Benef. 8. *Omni genere quod des, quo sit acceptius adornandum est.* cap. X. *Date, quo genere accipienti maxime profuturum sit.* Ep. XXXVI. *Felicitas movet cerebrum non uno genere.* Ep. LVII. *Nullo genere posse perire animam.* Seneca pater controvers. XXV. *Nec de servo quidem aut captivo omni loco, aut omni genere supplicium sumi fas est.* HEINS. V. supra ad cap. XIV.

Unus servus] Optime, pro, quidam, aliquis. Cicero XV. epist. 16. fam. *Quamquam, quicum loquor? cum uno fortissimo viro, qui postea quam forum attigisti, nihil fecisti, nisi pleniissimum amplissimæ dignitatis.* Et in I. de Or. *Sicut unus paterfamilias his de rebus loquar.* Plaut. Mostell. III. s. 2. 147. *Iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt.* Infrà. cap. LXXXVIII. *Unus præcipuè servus libitinarii.* Adde Scioppi Animad. in Voss. §. 51. SCHEFF. Fuit cum mallem *Eunus servus*, quod servile nomen apud Ausonium; sed vulgata lectio optime defendi potest. Vide Schefferum. *Unus miles Sullæ*, apud Jul. Obsequentem de prodigiis cap. LV. Livius libro XXV. cap. XXIII. *Servus unus exulum pro transfuga.* HEINS. Recte vindicat hujus vocis usum, & Statilejus & Schefferus: quibus adde Vorst. de falso & merito suspecta Latinitate variis locis, & Gujet. ad Ter. Andr. I. I. Pricæum ad Matth. VIII. 19. Valer. Max. III. II. 12. *Virgam in unius Barbari oculum direxit.*

Et quid &c.] Istud *quid*, videtur hic non suo positum loco; videtur enim ita auctor scripsisse, *Et vos, inquit, nescitis quid hodie, apud quem fiat?* GOESIUS. Nihil hic mutandum: *Quid* enim sæpe, ita nude positum, eleganter interrogationis plenioris vicem fungitur. Terent. Phorm. IV. I. *Quid? qua profectus caussa hinc es Lemnum Chremes?* Horat. II. od. XIV. 23.

Quid? quod usque proximos
Revellis agri terminos.

Et III. od. IX.

Quid? si prisca redit Venus.

Ovid. I. Met. 498.

Et quid? si comantur ait.

Infr. cap. 49. *Quid? quid, inquit, porcus hic non est exenteratus:* & passim. BURM.

Apud quem fiat?] Non placet punctum interrogationis. Potius ponendum post *quid* videtur. Quid, ait, deliberatis ita? Scilicet vos nescitis, apud quem fiat.

Illud

„lautissimus homo, horologium in triclinio & buccinatorem habet sub-
„ornatum, ut subinde sciat quantum de vita perdiderit. Amicimur ergo
„diligenter, obliti omnium malorum, & Gitona libentissime servile of-
„ficium tuentem usque hoc jubemus in balneo sequi.

XXVII. Nos

Illud *fiat* accipiendum arbitror de cœna, repetenda ex superioribus. *Fit cœna*, contrarium *nõ facit cœnam*, quod habet Plautus in Casin. III. sc. 6. *Ego jam intus ero, facite mihi cœnam.* Et Cicero lib. IX. ep. 27. *Obliviscare cœnulas facere.* Martialis II. de Selio epig. 27. *facta est jam tibi cœna. Tõ fieri* sic absolutè usus & Terentius in Phormione A. II. sc. 2. Verba vulgo ita habent:

Tene symbolum venire, unctum, atque lotum è balneis,
Otiosum ab animo? cum ille cura & sumptu absumitur,
Dum tibi sit, quod placeat.

Sed Janus Gulielmus in Plautinis Quæstionibus ad Captiv. c. 4. *Membranæ Verdenses habent; dum tibi fit. Verbo non multum, sententiæ permagna elegantia accedit. FIERI, in conviviis, cum delicia instruuntur. Plaut. Trucul. Mane, jam aliquid fiet.* SCHEFFER. Recte explicuit Schefferus. Vide & eumdem infra ad cap. 47. Propert. II. 16. Dixit plene,

Nunc sine me plena fiunt convivia mensa.

Facere cœnam dixit Plinius lib. VII. Epist. 3.

Lautissimus homo] Ita dicti qui opipare cœnabant. Juvenalis:

Atticus, eximie si cœnat, lautus habetur.

HEINS. Recte Heinsius, Cicer. IX. ad Fam. 20. *Sed ad illam tuam lautitiam veterem dico, cum in sumptu haberes.* Ita Suetonius in Cæsare *lautitiarum studium* laudat cap. XLVI. Augustum vero effugisse *invidiam lautitiarum* refert cap. LXXI. Hinc *lauta cœna* Horat. II. Sat. IV. vid. Cicer. in Pison. cap. 27. & passim. BURMAN.

Horologium.] Signum lautitiæ, cum Romæ olim nullum, & non nisi post annos CCCCL. fuerit Romæ horarum descrimen cognitum. Vide Plin. VII. 60. jam antem statuto horologio illi, qui horam scire desiderabant, pueros habebant, quos subinde in forum mittebant, ut inspecto horologio nuntiarent. Juvenal. X. 216.

——— *Clamore opus est, ut sentiat auris,*
Quem dicat venisse puer, quot nuntiet horas.

Ubi v. Grangæi notas. Noster autem privatim sibi habebat in triclinio. Addit & buccinatorem habuisse, quasi imitaretur imperatores, qui vigiliarum tempora buccina indicabant, Prop. IV. 11.

Et jam quarta canit venturam buccina lucem.

v. Liv. VII. 35. Frontin. I. v. 17. Ita Persarum reges quoque profectionis signum buccina dabant. Curt. III. 3. præterea in pagis signum buccina dabatur vicinis. Vide Propert. IV. & ita infr. cap. 74. Gallum *buccinum* vocat, qui signum daret lucis adventantis. An autem in ipsa urbe Roma etiam horarum spatia buccina, signo ex loco aliquo edito dato, populo distinguenda indicabantur, affirmare non ausim. Quamvis ex Senec. Præfat. lib. III. Controversiar. illud fieri solitum suspicatus est elegantis ingenii juvenis Arnoldus Drakenborgius, de quo respublica literaria sibi summa quæque spondere poterit. Dicit Rhetor Albutio declamante *ter sæpe buccinavisse*, quod quidam explicant, illum tres horas declamando exemisse, alii ad meridiem usque protraxisse. Quod verosimilius: si enim statuamus ad exemplum castrorum buccinam ceciniisse in urbe, dies in quatuor partes debuit dividi. ut nox in totidem vigilias. Prima buccina ad solis ortum, secunda hora tertia, & tertia ad meridem vel sextam, quæ quies erat lassis Oratoribus; sed nihil adhuc de illis Senecæ verbis audeo certi decernere. BURMAN.

Subornatum] Ad hoc instructum, ut buccina det horæ signum. Optime. Cicero. I. de Leg. c. 22. *Intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit*, id est, instructus, paratus. Simplex, pro composito *ornatus*. Tertullianus in de Præsc. *Ipsæ denique hæreses à philosophia subornantur.* SCHEFFER. V. Gronov. ad Senec. Epist. XXIV.

Diligenter obliti] Vere Petronianum. Sic enim statim ab initio cap. VI. *Sed nec viam diligenter tenebam.* Martialis lib. VII. 26.

O quam Regule diligenter erras. SCHEFFER.

Male hæc separat Schefferus: non enim diligentia erat opus ad obliviscendum malorum, sed ad amictum decore componendum. Hæc enim vis inest voci *amicire*, ut non tam vestire, quam habitum certa & apta conformatione componere significet, ut notavit egregie Vavassor de vi & usu quorumdam verborum. pag. 44. BURM.

Tuentem] Expedientem, obeuntem. Cicero X. ep. II. *Quod reliquum est, tuum munus tuere.* SCHEF.

Usque hoc] Optime, pro *hoc usque*. Vulgo scribitur, *hucusque*, quia *hoc* & *huc* promiscue dicebant veteres. Vide Virgil. VIII. Æn. v. 423. ibique Servium. Nempe sicuti usurpabant *usque quo*, & *quo usque*. Est autem genus ellipticum, intelligendum *ad*, & *tempus*, ut sit plene, *usque ad hoc tempus*. Cicero de Inven. II. *Ab ultimo principio hujus præceptionis usque ad hoc tempus.* SCHEFFER. Pro, *huc usque*. Sic & alibi exaratum in hoc libello offendas; quae scribendi ratio & in Maronis codicibus vetustis obtinet. HEINS. Te-

XXVII. „Nos interim vestiti errare coepimus, imo jocari magis, & „circulis ludentem accedere; cum subito videmus senem calvum tunica vestitum russea, inter pueros capillatos ludentem pila. Nec tam pueri nos, quamquam erat operae precium, ad spectaculum duxerant, quam

rentius amat dicere *usque adhuc*. Andr. I. v. 26. & Adelph. IV. IV. 22.

In balneo sequi] Etiam hoc optime, & plane ex consuetudine Petronii. Ut in pridem editis cap. CXXXVI. *ad reficiendum ignem in victimia cucurri*. Et in nostris, infra cap. XLIX. *voca cocum in medio*. Item cap. XIX. *Vetui in hoc diversorio quemquam admitti*. Phædrus noster lib. V. C. 2. *in conspectu meo audet venire*. Ubi vide, quæ notavi. SCHEFFER.

Circulis ludentem] Adscripserat suo codici Nobiliss. N. Heinsius, *ludentum*, quod sine dubio est rectum. SCHEFFER. Lege *ludentum*. Deinde pro *jocari*, quod modo præcessit, *ociari* malim, litteris transpositis: Otiantium enim est, spectare alios ludentes. *Jocari* pro ludere, & pro ludo *jocus* ponuntur nonnumquam apud scriptores Latinos, sed hic spectabant ludum alienum otiosi, non ludebant ipsi. HEINS.

Videmus senem] Salisber. lib. 8. Policrat. cap. 7. cœnæ Trimalcionis apud Petronium meminit: & apud Martial. lib. 3. epig. 40. Malchionis cœna prope eadem. An *Trimalcio*, ter Malcio, ut apud eumdem de *Hermete* & *ter unus*. Multa enim inter se hi communia habent, ut; *Ingeniosa gula est*. BONGARS.

Senem calvum] Infra cap. XXXII. vocat *adrasum*; *Pallio coccino adrasum incluserat caput*. Videndus Rader. ad Martial. lib 8. epig. 46. Ad hanc vero Trimalcionis historiam illustrandam facit inscriptio antiqua apud M. Velserum in Monumentis Augustæ Vindel. ultima. ubi inter cætera;

Ursumque canite voce concordi senem,
Hilarem, jocosum, plicrepum, scholasticum, &c. ERHARD.

Tunica russea] Rubea vel rufa. GLOSS. Vide Charisium lib. I. WOUWEREN. Gloss. Græco Lat. πυῤῥὸς, *russeus*, *rubeus*, *rufus*. Apul. lib. 2. Metamorph. *russea fasciola*. Colvius ibidem in Notis. Anton. Thylesius de Colorib. cap. 6. putat rusticam esse vocem, urbanis ignotam: dicique *russeum*, qui plane russus non sit, sed aliquanto minus ruboris habeat. Alii *russa*, & placet. verbum est vetus & probum. Apul. Apol. *Dentem atque russam pumicare gingivam*. Schopp. in Miscellan. ERHARD. Charisius lib. I. *Russeum non magis dicendum Grammatici putant, quam albeum, aut prasineum, sed russum, album & prasinum*. Nihil magis ergo, quam Petronius, Grammaticos audivit Palladius lib. XIV. tit. XIII. *Colores hi præcipui, Badius, Aureus, Albineus, Russeus*. *Russeum* ergo æque bene dicitur, ac *russum*, ut *lautinum* & *lautineum* in notis Tyronis, pag. CLIX. *coccinum* & *coccineum* ibidem pag. XLIX. *carbasinum* & *carbasineum*, apud Nonium. *Aprinum* & *aprineum*, apud Hyginum cap. LXIX. quo modo *aprugna* & *aprugineum* (lege *aprugneum*) visitur scriptum in notis Tyronis pag. CLXXV. Hæc ad me Munkerus. Adde vetustam inscriptionem, quam publico dedit Cl. Sirmundus ad Sidonium carmine XXIII. vers. 323. ubi M. Aur. Polynices vicisse dicitur palmas in russeo, n. DCLV. & XV. Aurelius Mollicius in russeo LXXXVIII. HEINS. V. Munker. ad Hygini fab. LXIX.

Pueros capillatos] *Capillati pueri* impuberes, & ad generationem inepti: comam enim alebant in signum impubertatis. GLOSS. Comam nutrire pueros solitos, qui in deliciis habebantur, ex Petronio, Catullo, Plinio, aliisque quam plurimis auctoribus notum est. Martial. lib. III. epigr. 58.

Et pædagogo injubente luscivi
Parere gaudent villico capillati.

Ambrosius lib. 6. Hexamer. *Haud inscitum extat adagium; Nullus comatus, qui non idem cynædus*, quod sane est Synesii: ut autem viri pueros, ita mulieres puellullas comatas in deliciis habuisse indicat. l. 49. D. de legat 3. si modo ut Florent. legatur. PUTEAN. Quibus similia notaverat PITHÆUS. Sic vocat impuberes sive eos, qui ad generationem inepti. Nam pueri olim non radebantur, sed comam alebant: signum impubertatis, sic infra hoc capite, *Digitosque paullulum aspersos in capite pueri tersit*. Persius Sat. III. vers. 54.

——— *Quibus indetonsa juventus*
Invigilat siliquis, & grandi pasta polenta.

indetonsam vocat *juventutem*, haud dubie impuberes aut proximos pubertati. Putean. in Genial. serm. Ramirez Hypomn. ad Martial. lib. 2. epig. 57. num. 4. Satyrice Trimalcioni illudit, quod senex calvus inter pueros ludat pila, nec enim senum est exercitium pilæ lusus, sed juvenum. Savaro Not. in Sidon. lib. I. ep. 8. ERHARD.

Inter pueros] Vetus codex Scaligeri, *inter puellos*. Suet. Caligula cap. 8. *Antiqui ut puellas pueras, sic pueros puellos dictitabant*. HEINS. Notum est delicatos hos pusiones insignes capillis peculiari ratione tonsis fuisse. Vide Casaubon. ad Sueton. August. XLV. & Dion. Chrysostom. Orat. II. p. 21.

Ludentem pila] Sidon. lib. I. epist. 8. dum omnium rerum ordinem perverti significat; *Student*, inquit, *pilæ senes, aleæ juvenes, armis eunuchi*. BONGARS. Hist. Apoll. Tyrii: *Cum rex ludum sphæræ cum servis suis exerceret*. WOUWEREN.

Duxerant] Malim, *induxerant*. HEINS.

Solea-

quam ipse paterfamiliae, qui soleatus pila prasina exercebatur. nec eam amplius repetebat, quae terram contigerat, sed follem plenum habebat servus; sufficiebatque ludentibus. Notavimus etiam res novas. Nam duo spadones

Soleatus] Veteres cum à balneo ad cœnam pergerent, soleas aptabant. GLOSS. Martial. lib. XII. Ep. 84.

—— *Referet lapsum de pulvere follem,*
Et si jam lotus, jam soleatus erit. PITHÆUS.

Describit senem omnia insolenter, & præter hominum morem facientem, & inter alia hoc ipsum, nempe soleatum pila lusisse post lotionem. Erat enim insolens negotium post lavationem aptatis soleis iterum ludere. Nam lusus pilæ erat ante lavationem. Martial. lib. 7. epig. 31.

Non pila, non follis, non te paganica thermis
Præparat ——

Et quidem in ipsis thermis, ubi lavabantur, exercebantur etiam pila, ut ex Martiali & Papinio notum. A balneo autem cum ad cœnam pergerent, soleas aptasse pedibus, & soleatos è balneo exivisse probat aliquot locis idem Martialis, de quibus adeundus Ramirez in Hypomnemat. ad l. 3. epig. 50. num. 1. & de lusu pilæ in balneo ante lavationem ad l. 4. epigr. 8. ERHARD. Indecorum id in publico. objectum Verri à Cicerone, quod *soleatus in publico stetisset, soccatus in judicio sederet.* vid. v. Verr. cap. 33. Quo nomine & Caligula notatur apud Senecam lib. II. de benef. cap. XII. Eidem objicit lib. III. de Ira, *quod senatores populi Romani soleatus occideret.* HEINS.

Pila sparsina] Sic dicitur vel à numero, figura, vel situ ludentium. GLOSS. Quam in ludentum juvenum turbam spargeret & mitteret. TORNÆS. Sidon. lib. I. Ep. VIII. *Student pilæ senes, aleæ juvenes, armis Eunuchi.* PITH. Artemidorus lib. IV. Φιλονίκως γὰρ οἱ σφαιριζοντες παίζουσιν. ὁσάκις δ' ἂν λάξωσι τὴν σφαῖραν, τοσαυτάκις ἀντικρούουσι. WOUWEREN. Lege, *sparsiva.* videndus Hieron. Mercurialis de Arte gymnast. lib. 2. cap. 5. An *pila sparsiva* fuit *trigonalis*, quæ parva erat, non triquetra figura, sed à loco trigono, vel à numero, figura, situ ludentium: stabant enim tres eo ordine, ut trigonum seu triangulum redderent; ut ex nummis M. Aurelii Antonini apud Byzantios percussis apparet, quorum figuram in libris posuit Mercurialis. Raderus ad Martial. l. 4. epig. 14. ERHARD. Corrige, *sparsina*, vel *sparsiva*, uti habent vulgati; non *prasina* SCHEFFER. *Sparsiva* an *sparsina* dixeris, haud refert. Quod ideo hic moneo, quia cum hunc locum liguriissem in epistola quadam, nonnulli turpiter carpere ausi sunt, & *sparsivum* solum dici asseruerunt. BOURDEL. Optime liber Tragurianus *pila prasina*, nam hactenus, *pila sparsiva* legebatur perperam; scripti complures *sparsina.* Pilas ut plurimum vitrei coloris Salmasius contendit ad Hist. Aug. Sed Lipsius ad Senecam & Velserus ad Inscriptionem antiquam è vitro factas esse notarunt. Cæterum hic prasinis pilis ludit Trimalchio, in contemptum factionis prasinæ, cui adversabatur, ut liquet ex sequentibus, cap. LXX. ubi ille ad servum: *Etsi prasinus est famosus*; & ipse servus, eodem capite *coepit dominum sponsione provocare, si prasinus proximis circensibus palmam.* Ostiarius ejus quoque *prasinatus*, cap. XXVIII. & *catella involuta fasciis prasinis*, cap. LXIV. Pila igitur prasina ludens Trimalchio superbissimus stolidissimusque hoc ipso sibi videbatur prasinis insultare. Sic, *Di homines habent tamquam pilas.* quamquam & ad luxum Trimalchionis possit referri. Sic apud Martialem cœnanti: III. epig. 82.

Et æstuanti tenue ventitat frigus
Supina prasino concubina flabello.

Atque hac puto de causa amabat noster colorem coccineum vel russeum. Paulo ante: *Tunica vestitus russea* introducitur Trimalchio. Mox idem *involvitur coccina gausapa* cap. seq. Et rursus infra cap. XXXII. de eodem, *pallio enim coccineo adrasum extulerat caput.* At contra in Circensibus spectaculis, qui prasinæ venetæve factioni studebant, vestimenta viridia aut cærulea induebant quandoque: atque ita in reliquis. Apposite Martialis Apophoretis Epigr. CXXIX. *Lacernæ coccineæ*, vel *coccinæ*, ut malo cum Thuaneo Codice:

Si Veneto Prasinoque faves, quid coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte, vide.

Cæterum, ut prasinis infensus Trimalchio, sic Nero horum studiosissimus. Ut vel hoc uno argumento per Trimalchionem Nero hac in Satyra intelligi non possit. De hisce factionum studiis unde seditiones frequenter exortæ, plura, qui de ludis circensibus ex professo agunt. HEINS. *Sparsiva* legit etiam Passeratius ad Propert. III. El. XIV. pag. 494. sed vide Ferrar. de re Vestiar. part. II. lib. IV. cap. 17. & Elect. I. 7. Pila autem ludentem inducit Trimalchionem, forte ut imitationem ineptam Mæcenatis, quam Trimalchio affectabat, rideret. v. Horat. I. Sat. V. 49. BURM.

Contingerat] Lege *contigerat.* ERHARD.

Follem plenum] Vide Guther. de Jur. Man. 3. cap. 10.

Sufficiebatque] Hic servus dator dicitur Plauto Curcul. act. 2. sc. I. v. 18.

Res novas] Ante non visas. Prosper.

Insolitum si quid labentia tempora promunt,
Hoc mirum mundus dicit, habetque novum.

Eurip. ἄπιστ' ἄπιστα κἀνὰ δίχομαι BARTH.

Spadones] *Spado* hic Eunuchus, qui aquariam hanc provinciam sustinebat, alias Lasanophori dicti, GLOSS.

Cir-

ſpadones in diverſa parte circuli ſtabant, quorum alter matellam tenebat argenteam, alter numerabat pilas: non quidem eas, quae inter manus luſu expellente vibrabant; ſed eas, quae in terram decidebant. Quum has miraremur lautitias, " accurrit Menelaus, &, Hic eſt, inquit, apud „ quem cubitum ponitis; & quid? jam principium coenae videtis? Etiamnum „ loquebatur

Circuli] Sphæriſterii. PUTEAN. Iſidor. Orig. lib. XVIII. cap. ultim. de pila, *dum ex circulo adſtantium ſpectantiumque emiſſa*. PITH. Plinius lib. V. Epiſt. VI. *Apodyterio ſuperpoſitum eſt ſphariſterium, quod plura genera exercitationis pluresque circulos capit*. WOUWEREN.

Matellam argenteam] Abominanda luxuries, quam merito ridet Clemens Pæd. lib. II. cap. II. χλίνη ϑ', καὶ γέλως, πλατὺς, ἐρεοδόκας ἀργυρᾶς, καὶ ἀμίδας ὑελᾶς ἐπιφέρεσθαι τὸς ἄνδρας. WOUWEREN. Luxum tangit & Ariſtophan. in Acharn. Κἀχχέζεν ὀχλῶ μῆνας ἐπὶ χρυσᾶν ὄρων, *in aureis laſanis*. ERHARD. Signum lautitiæ & luxuriæ. Lamprid. de Elagabelo cap. 32. *Onus ventris auro excepit, in Myrrhinis & Onychinis mimxit*. Et hunc reprehendere luxum puto Tertullianum lib. I. de cultu fœmin. cap. 5. *Viderit, ſi etiam ad ſpurca, auri & argenti copia deſerat*. Matellas vero in cœnam allatas docet Caſaubonus ad Athen. I. cap. 14. ſed luxus notabilior in Trimalchione, quod Tiberius leges ſumptuarias exercuerit, & argenti & auri uſum ad antiquam frugalitatem retrahere ſtuduerit. Vide Tacit. III. Annal. 53. & ſeqq. Sed ſub Claudio, cujus tempora noſter perſtringit, liberti ſupellectile pretioſiſſima ſuperbire iterum cœperant. v. Plin. XXXIII. acp. II. BURM.

Numerabat pilas] Senec. epiſt. 56. *Si vero pilicrepus ſupervenerit, & numerare coeperit pilas*. PITH.

Quæ inter manus luxu expellente vibrabant] Locus eſt ſuſpectus. Opinor forte legendum *luſu expellentes vibrabant*. EMMIUS. Alii, *luſu expellentes*. PATISS. Lege, *luſu expellente*. DANIEL. Alii, *luſu expellentes vibrabantur*. TORNÆS. Lege *quas inter manus luſu expellentes vibrabant*. Jungermannus Tria ſunt in ludo pilæ notanda. *Raptim ludere*, quod fit quum cadentes pilæ è pulvere rapiuntur, & poſtquam ſolum percuſſere & ſaltu aſſurrexere, revocantur, quod Lucanus in Paneg. dicit *revocare cadentem pilam*. Tum *Datatim ludere*, quando inter multos in corona vel choro luditur, ut alius alii pilam det, & ſæpe fallat, nam cum geſtu ſignificet ſe alicui jacere, jacit alii, qui ſecurus eſt in choro. Idem Lucanus dicit, *reddere fugientem non ſperato geſtu*, id eſt, quando videtur pila prætervolatura ludentem, eam reddere eo corporis geſtu & membrorum poſitione, quam nemo ſuſpicaretur aut ſperaret. Denique *Expulſim ludere*, quod erat, quando jacta pila ſe invicem luſores, ne eam poſſent rapere, expellebant: Lucano *gemmare volantem pilam*, id eſt, reddere dum ipſa volat, nec adhuc decidit. Varro apud Nonium; *Purgatum ſcito, quoniam videbis Romæ in foro ante lanienas pila expulſim ludere*. Quod narrat de Lacedæmoniis in theatro ludentibus Lucianus in Anacharſi, ſub Solonis perſona. & Jul. Pollux lib. 4. Onomaſt. meminit hujus ludi. Hinc eſt quod JC. Alphenus in leg. 52. §. ult. D. ad leg. Aquil. ſic caſum quemdam deciderit; *Cum pila complures luderent, quidam ex his ſervulum, cum pilam recipere conaretur, impulit, ſervus cecidit, & crus fregit. Quærebatur an dominus ſervuli lege Aquilia cum eo, cujus impulſu ceciderat, agere poſſet. Reſpondi non poſſe: cum magis caſu quam culpa videtur factum*, ubi nota illam impulſionem de ludi ratione fuiſſe, caſu autem fregiſſe crus, & non culpa impellentis, cum qui expulſim luderent, & lege ludi ſe invicem impellerent. Sed Trimalcio iſte præ mollicie rapere nolebat decidentes pilas. Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 4 epig. 19. num. 7. ERHARD. Ita codex Tragurianus. vid. Turneb. adverſ. VI. 4. Martial. lib. XIV. Ep. 46. cujus lemma *Pila Trigonalis*.

Si me nobilibus ſcis expultare ſiniſtris
Sum tua, ſi neſcis, ruſtice, redde pilam.

Vibrabant] Pro *vibrabantur* Latine & eleganter, ut infra cap. XLVII. *ejuſmodi fabulæ vibrabant*, de convivarum ſermonibus. HEINS.

Quum has miraremur lauticias] Scribe *cum has ergo miraremur lauticias*, ſic Trag. cod. BOSCH. & TILEBOM.

Cubitum ponitis] Mallem, *ponetis*. *Cubitum ponere* eſt idem, ac cœnare, quoniam cœnantium is fuit habitus, ut poſito cubito ſe erigerent pauli per, atque ſuſtentarent. Unde infra cap. LXV. *repoſui cubitum*. *Premere cubitum* dixit Horatius I. Car. od. 27.

Et cubito remanete preſſo. SCHEFFER.

Id eſt, apud quem cœnabitis. Infra cap. LXV. *Recreatus hoc ſermone repoſui cubitum*, cum intranti ſeviro Habinnæ ſurrexiſſet. HEINS. Scribendum ita diſtinguendo *cubitum ponitis. Et quid? jam principium coenæ*, &c. TILEBOM. Horat. II. Sat. IV. 39.

Languidus in cubitum ſeſe conviva reponet.

Calpurn. eclog. V. 71.

Seu reſidere libet, dabit ecce ſedilia Tophus,
Ponere ſeu cubitum, melior viret herba tapetis.

vide Ferrar. II. elect. IV. BURM.

Et quid jam] Scribe, *Et quid? jam*. Ita ſupra cap. præced. *Et quid? vos, inquit, neſcitis*. Sic enim legendum dixi. SCHEFFER.

Et jam non loquebatur] Perperam, emenda; *etiam nunc*

„loquebatur Menelaus, cum Trimalchio lautissimus homo digitos concrepuit: ad quod signum matellam spado ludenti suppositit. Exonerata ille vesica, aquam poposcit ad manus, digitosque paullulum adspersos in

nunc loquebatur. Terentius in Eunucho. *Etiam nunc hic stas Parmeno?* SCHEFFER. *Etiamnum* scribe. Recte autem *principium cœnæ* vocat hunc pilæ lusum, quia ante cœnam pila aut trocho sese exercebant veteres. Hinc ibant ad balneum, atque inde ad cœnam. HEINS.

Trimalchio] Trimalchio videtur dictus quasi τρὶς μαλακός. TORNÆS. Fortasse *ter Malchio* ille, de quo Val. Martial. Ut Varronis *sesqui-Ulysses* & *Trismegistus*, & *Triparcus*, Plaut. in Pers. Ad Trimalchionis vero cœnam pertinet Senec. Epist. 47. & 57. PITH. Vetus inscriptio: C. ASINIVS. MALCHIO. CONIVGI. Martialis lib. III. ep. XXCII.

Hos Malchionis patimur improbi fastus.

Malchio, est mollis. Glossæ: *Malchio*, ἁπαλός. *Trimalcio*, ut tricorpor, triparcus. WOUWEREN. Sic appellalatus, quemadmodum *trifur*, *trisurrium*, *tricongius*. In Gloss. *Malchio*, ἁπαλός. Est vero Syriaca vox, & *Regem* proprie designat. Meursius Animadvers. Miscell. lib. I. cap. II. An sic etiam *Tereonsul* in vetere inscriptione apud Velserum.

Sum victus, ipse fateor, à Terconsule
Vero patrono, &c.?

Sic *Tertullius* apud Tacitum, unde *Tertullianus*. ERHARD. An ista postrema non glossemata? BARTH. Quem vide XXI. adv. 6. Duas dictiones ultimas non esse glossema, ut quibusdam visum est, & præcedentia & sequentia probant, confirmant etiam eas MSS. Falluntur etiam, qui Trimalcionis nomen aspirant, si fides numismatis servanda sit. Servant adhuc nomen hoc vetera numismata; in quorum parte C. NERO AUGUST. IMP. in altera, TRIMALCIO. Ex hoc video eos longe falli, qui Senecam cœnamque ejus describi à Petronio arbitrantur. BOURDELOT. In ipso codice MS. sicut publicare fecit Marinus Statilius Amstelodami apud Johannem Blaeuw Anno MDCLXX. semper scribitur *Trimalchio*, quod putamus rectissimum. Gonsalii expositio si deberet stare, non *Trimalcio*, sed *Trimalacio* dicendus esset. Nam à μαλακὸς est *malacio*, non *malcio*, quomodo ab eodem est *malacia*, item *malacus* & *malacum*, & id genus. *Malchio* idem est ac *Malchus*, de quo Rittershusius ad Malchum in Paralip. ad pag. 13. l. II. & Holstenius in vita & scriptis Porphyrii cap. II. SCHEFFER.

Digitos concrepuit] Crepitu digitorum vel solo nutu poscebant domini vilius aliquid imperantes. GLOSS. Martial. lib. 14. Ep. 117. de matella.

Dum poscor crepitu digitorum, & verna moratur.

PITH. Tibullus lib. I. eleg. 2.

Et vocet ad digiti me tacituma sonum.

Clemens Pæd. lib. II. cap. 7. ποππισμοὶ ᾗ καὶ συριγμοὶ, καὶ οἱ διὰ τῶν δακτύλων ψόφοι τῶν ἀκίτων οἱ προκλητικοὶ, ἄλογοι σημασίαι ὦσαι, λογικοῖς ἀνθρώποις ἐκκλίτιον. WOUWEREN. Nota verbum *concrepo* cum accusandi casu. Putean. in Genial. serm. Crepitu digitorum poscebant Domini vilius aliquid imperantes. Rader. ad Martial. lib. 6 epig. 89. Ramirez ad eumdem lib. 3. epig. 82. num. 8. ERHARD. Sic optimo sæculo loquebantur, de quo nos ad Nasonem: ut *increpare lyram*, & similia. Sed & homines superbi, cum quid imperarent servis, crepitu digitorum utebantur:

Digiti crepantis signa novit eunuchus,
Et delicatæ suscitator urinæ
Domini bibentis ebrium regit penem.

Ut est apud Martialem lib. III. Epig. 82. apud eumdem in apophoretis Epigr. CXVII. *Matella fictilis.*

Dum poscor crepitu digitorum & verna moratur,
O quoties pellex culcita facta mihi est!

Apud Tacitum XIII. Annal. XXIII. notatur Pallantis superbia, qui servis atque ipsis libertis nutu aut scripto omnia, nihil voce, esset solitus imperare & significare. HEINS. Hinc forte natum proverbium *ne crepitu quidem digiti dignum*: de quo vide Erasm. proverb. titulo *Contemptus*. pag. 130.

Ludenti suppositit] Alii *jubenti*. TORNÆS. Hi dicebantur lasanophori à lasano vasculo. Horatius lib. I. Satyra VI.

——— *quinque sequantur.*
Te pueri lasanum portantes œnophorumque.

Puta autem sordidum & vile hoc ministerium. Arian. Dissert. Epict. lib. I. cap. 3. Epicrates: τὶ γὰρ ἔχθιον ἢ παῖ παῖ καλεῖσθαι παρὰ πότοις, καὶ τὴν ἀμίδα φέρειν. WOUWEREN. Malo cum Tragurienfi *subjecit*, quam *suppositit*, quod in aliis exhibetur. Infra cap. 59. Diana *cervam subjecit*. *Subjicere ova matribus*, Columella. Seneca II. de beneficiis X. *Pulvino ignorantis sacculum subjecit*. HEINS.

Exonerata illa vesica] MS. *exonerata ille vesica*. TORN. Rectius MSS. *exonerata illa vesica*. & magis hoc ad acumen Satyrici. *Exonerare* hoc significatu postea, Sueton. in Claudio cap. 13. Passim Medici. BOURDELOT.

Aquam poposcit ad manus] Infra cap. 94. *Tamquam aquam peteret*. Sidon. *Retrorsusque conversus tamquam manibus aquam peteret*. Caper, *In manus aquam poscimus. Veteres autem manibus pedibusque dixerunt*. PITH. Latini manus lavaturi, *aquam in manus* dicebant, uti & Græci Aristoph. Vespis: Ὕδωρ κατὰ χειρὸς μετὰ τραπέζας ἰσφέρειν. Plutarchus lib. Πῶς ἂν τις διακρινοῖς τὸν κόλακα τοῦ φίλου. Ἀλλὰ μὴ τοὺς αὐτολεκύθους τούτους λεγομένους, καὶ τραπέζιας καὶ μετὰ τὸ κατὰ χεῖρας ὕδωρ ἀκεσομένους κόλακας νομίζωμεν. Athenæus lib. IX. Παρὰ γὰρ τοῖς παλαιοῖς

in capite pueri terſit.

XXVIII. Longum erat, ſingula excipere. Itaque intravimus balneum,

πολαιοῖς τὸ μὲν πρὸ ἀρίστου καὶ δεῖπνα λέγεσθαι κατὰ χεῖρος, τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἀποψᾶσθαι. WOUWER. *Poſcere* proprium & uſitatum in hac re verbum. Savaro ad Sidon. lib. 1. epiſt. XI. Rader. ad Martial. lib. 8. epig. 68. ERHARD. Notandus ritus antiquus. Sed partes obſcœnas poſt veſicam exoneratam, aut dejectam alvum, etiam poſt rem Veneream, aqua abluebant, quod *aquam ſumere*, dicebant. De hoc ritu nos ad Naſonem curis ſecundis complura. Meretriculæ vagæ hac de cauſa habebant, qui aquam ſibi, in publicum prodeuntibus, circumferrent, quos *Aquariolos* & *Beccariones* vocabant, viliſſimum contemptiſſimumque mancipiorum genus. Lampridius in Commodo cap. 1. *Aquam geſſit, ut lenonum miniſter.* Quem locum fruſtra interpolabat magnus Turnebus. Plura illic Caſaubonus ὁ πάνυ ad rem. Unde *Aquarioli* pro lenonibus nonnumquam dicti. HEINS. Hinc infra cap. 47. Trimalchio convivis licentiam non continendi dans, dicit *omnia foras parata eſſe, aquam, laſanum & cætera minutalia*; de altero obſcœno uſu aquæ, ab Heinſio notatis adde Illuſtr. Spanhem. ad Callimachi hymn. in Pallad. verſ. 45. Et hinc inter viliſſima ſervorum miniſteria erat, aquam ad obſcœnos uſus dominis vel meretricibus ſubminiſtrare, & inde Tertull. Apologet. 43. conjungit *Lenones, perductores, aquariolos.* Plaut. Pœnul. 1. 2. *Binæ ſingulis quæ datæ nobis ancillæ, eæ nos lavando eluendo operam dederunt, aggerundoque aquam ſunt viri duo defeſſi:* Et hinc queritur Frontin. lib. II. de aquæduct. *Ipſam Martiam ſplendore & rigore gratiſſimam balneis ac fullonicis, & relatu quoque ſadis miniſteriis deprehendi ſervientem.* BURM.

In capite pueri terſit] Superbe factum. HEINS. Barthius ad Statii IX. Theb. 375. narrat ſe vidiſſe puellam regiam, ad quotidianas epulas manus capillis formoſiſſimi pueri deſiccantem, quam Petronium legiſſe putemus. Vide optimum virorum Brouckhuſium ad Propert. II. eleg. VIII. 51. Cæterum ſæpe comis ſuis hoc miniſterium obiiſſe apud veteres ſervos & ancillas docere poſſunt exempla mulieris illius, quæ Chriſti uncti pedes capillis ſiccavit. apud Johan. XI. 2. & adulteræ apud Lucam. VII. 38. ad quod tamen nihil facere ritum illum aras & templa crinibus verrendi, putamus. Sed inſolentius multo, ad hoc miniſterium ſibi adſtantem puerum habere, ut hic Trimalchio. vid. infr. cap. 57. BURM.

*Longum erat excipere. * Itaque*] Non eſt nota in Veteri codice. TORNÆS. Fortaſſe eſt hoc exſcriptoris, non auctoris. PUTEAN. Seneca de brevit. vitæ. BONGARS. Sic infra cap. XXXVII. *converſus ad eum ut plurima exciperem, longe arceſſere fabulas cœpi.* ERHARD. Formula ſatis frequens. Ovidius lib. VI. Faſt. verſ. 325.

Nec licet, & longum eſt, epulas narrare Deorum.

Idem lib. V. Faſt. verſ. 95. Sueton. in Tiber. cap. 61. in Galb. cap. 2. Cicer. III. Catilin. cap. 5. Fulgent. Mythol. III. *longum eſt, omnia perſequi*, & paſſim. *Erat* autem eleganti enallage pro eſſet. Ovidius I. Ep. Heroid. verſ. 108.

Nunc erat auxiliis illa tuenda patris.

Horat. lib. I. od. 37.

——— *nunc Saliaribus*
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, ſodales.

ubi vide Lambinum. Ovid. Ep. Heroid. XIX. 130.

Nullus erat ventis impediendus amor. BURM.

Excipere] *Exigere* malim, proprio in hac re verbo, hoc eſt oculis perluſtrare. Apud Naſonem Canace Epiſt. XI. verſ. 7.

Ipſe necis cuperem noſtræ ſpectator adeſſet,
Auctoriſque oculis exigeretur opus. HEINS.

Nihil muta. Infra cap. 37. *Converſus ad eum, ut quamplurima exciperem, longe arceſſere fabulas cœpi.* vid. & cap. 52. BURM.

Intravimus balneum] Antiqui, poſtquam ſe excercuiſſent, ad balnea, à balneis ad cœnam ibant. GLOSS. Antiqui poſtquam ſe exercuiſſent ad balnea ibant. Plaut. Sticho Act. IV. ſc. 1. verſ. 62. *Poſtea ibo lavatum à pila.* à balneis ad cœnas, quæ impreſſe ingerit Petr. Artemidorus: νῦν δὲ οἱ μὲν ἐπρότερον ἐσθίουσιν, εἰ μὴ λούσοιντο· οἱ δὲ, καὶ ἐμφαγόντες εἶτα δὴ λούονται μέλλοντες δειπνήσειν, καὶ ἔστι νῦν τὸ βαλανεῖον ἐδὲν ἄλλο, ἢ ὁδὸς ἐπὶ τροφήν. WOUWEREN.

Sudore caleſacti ad frigidam eximus] Inſolens locutio; niſi legas *madefacti.* cap. VI. *ſudore madens.* Tres ædes ſeu cellæ in balneis. Prima eſt caldaria, τὸ λακωνικόν. Vitruv. lib. 5. cap. X. Dioni lib. LIII. πυριατήριον. Senec. *ſudatorium*, nam ſicco calore in eo ſudorem eliciebant. Secunda eſt media, quæ & tepidaria. Tertia eſt frigidaria. num ergo Petronius à ſudatoriis ſtatim ad frigidaria exiiſſe, an potius provocato tantum ſudore frigida perfuſos? Seneca ep. LXXXIV. *Ab hac ſatigatione in frigidam deſcendi.* nam frigida κατ' ἔκλειψιν, frigida aqua. Seneca Nat. Quæſt. libro IV. *Animo relictos frigida ſpargimus.* Plin. ep. *poſt Solem frigida lavabatur.* Itaque lucem ei pete ex Celſi lib. I. cap. 4. WOUWER. In Caldaico ſc. quod Thalmudicis Judæorum מרחשה, à verbo רחש, id eſt, fervet & ebullit. Bucerus in Pſal. 25. verſ. 2. ERHARD. Inſolens locutio, ut recte ab aliis notatum. Unus ex ſcriptis habet *at ſudore*, unde lego, *& ad ſudorem caleſacti.* Nam in cella caldaria, aliis ſudatoria dicta, ſeſe calefaciebant cives delicatiores, antequam in tepidariam & frigidariam intrabant. BOSCH.

Et

neum, & sudore calefacti, momento temporis ad frigidam eximus. Jam Trimalchio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis. Tres interim jatraliptae in conspectu ejus falernum potabant: „ & cum plurimum rixantes effunderent, Trimalchio hoc suum „ propinasse

Et in sudorem calefacti, diu est quod legendum vidi. Nec male Boschius, *ad sudorem*. E balneo ad frigidariam exibant nataturi in lacu, qui balneo vicinus erat in ædibus hominum lautiorum. HEINS.

Momento temporis] Daniel cap. ult. v. ult. *intromisit in lacum, & devorati sunt in momento coram eo*: id est, statim, illico. Infra Petron. cap. XCII. *Ut solum hospitem vidi, momento recepi*. Et cap. XCVII. *Non est moratus Giton imperium, momentoque temporis inseruit vinculo manus*. ERHARD.

Ad frigidam eximus] Veteres post caldariam, in frigidariam cellam descendere solebant, ut corpus solidarent. Plin. lib. 5. epist. 6. *In proximo puteus, ex quo possis rursus adstringi, si pœniteat teporis*. Sidon. carm. 9.

Intrate algentes post balnea torrida fluctus,
Ut solidet calidam frigore lympha cutem.

Sen. ep. 86. Auson. Mosella, Cor. Celsus de re med. lib. 1. cap. 4. idem Sidon. lib. 2. ep. 9. ubi Savaro. ERHARD. Ausonius in Mosella vers. 341. ibique Freherus: Exeuntes thermis recreabant se lacubus & piscinis gelidis solidandæ cuti. Sidonius carm. IX. super piscinam: ubi plura ad hanc rem Savaro. WEITZ.

Trimalcio unguento perfusus] Ἔλαίῳ ἐχρίοντο οἱ λουόμενοι. Nonnumquam uncti lavabantur. Plaut. Pœn. act. III. sc. III. vers. 89. *Quid multa verba? faciam ubi tu laveris, ibi ut balneator faciat unguentariam*. Celsus lib. 1. cap. 11. *Exercitationem recte sequitur modo unctio, modo balneum*. WOUWEREN. Sozomenus Hist. Eccles. lib. 1. cap. 13. de S. Antonio; *Oleo ungi, balneis & similibus rebus uti recusavit, quippe corporis firmitudinem ejusmodi rebus humidis in mollitiem mutari solere censuit*. ERHARD.

Tergebatur non linteis] Apul. lib. 1. Mil. *Oleum unctui, lintea tersui, & cætera huc eidem usui proser.* Juvenal. Satyra III.

——— *jam sonat unctis*
Strigilibus, & pleno componit linteа gutto.

vide Lucian. Lexiph. WOUWEREN. Sed infra cap. 91. *Video Gitona cum linteis & strigilibus*. Apul. lib. 1. Metamorph. ubi vid. Colvium in Notis. Ammianus lib. 28. cap. 4. de balneari ævi sui luxuria; *Cum è Silvani vel Mammææ aquis ventitant sospitalibus, ut quisquam eorum egressus tenuissimis se terserit linteis, solutis pressoriis vestes luce nitentes arbitra diligenter explorat, quæ una portantur sufficientes ad juvandos homines undecim: tandemque electis aliquot involutus, receptis anulis, quos, ne violentur humoribus, famulo tradiderat, digitis ut metatis abit*. ERHARD.

Palliis ex mollissima lana] Ergo *pallium* proprie ex lana. Balbus Catholico; *Dicitur pallium à pellibus, unde fiebat prius: sed modo dicitur pallium quoddam genus panni ex serico, & quilibet mantellus*. ERHARD.

Jatraliptæ] *Jatralipta* medicus, unguentarius, qui unguentis & perfrictionibus curat. GLOSS. Plinius lib. XXXIX. cap. 1. vertit *unctores medicorum*. puto designari unctores Trimalchionis. nam homo lautus eos adhibuit, qui cum cura & ex arte id facerent. alioquin ungendi officio servi functi, qui Aliptæ, Senec. Juvenal. Satyr. 6. WOUWER. Medicinæ artis olim pars fuit *aliptice*. Nec in gymnastica tantum noti *aliptæ*, sed etiam in Jatrice: qui non solum ad conservandam valetudinem, vires adquirendas, bonumque colorem conciliandum adhibebantur, sed etiam interdum ad recuperandam sanitatem. Nam & extitere olim nonnulli, qui longos morbos aliptis tractandos curandosque traderent. Hinc ex medico & unctore compositum nomen ἰατραλείπτης. Plinius lib. 29. cap. 1. *Prodicus Selymbriæ natus, discipulus ejus, instituens, quam vocant, jatralipticen, unctoribus quoque medicorum & mediastinis vectigalia invenit. Jatraliptæ*, reddit *unctores medicorum*. Salmasius Not. in Vopisc. Vit. Saturnin. cap. 8. WEITZ.

Trimalchio hoc suum propinasse dicebat] Id est, dicebat se ipsis propinasse hoc vinum suum. Vocat *suum*, quia ipse tali, nec alio utebatur. *Dominicum* est infra apud Petronium cap. XXXI. *Propinasse*, positum est absolute, ut in illo Martialis: lib. 1. epig. 69.

Cœnat, propinat, poscit, negat, invitat.

SCHEFFER. Cur vero *suum propinasse*? Locus est haud dubie vitiosus. In quo, si quid video, solemni errore librarius vocem unicam omisit. Nempe post *suum*, inserri oportuit, *Genium*. Deinde scribe, *propitiasse*. Sic paulo ante Tragurianus, in *argentea*, omissa, *lance*: & sic passim peccat is codex. *Trimalchio hoc suum genium propitiasse dicebat*, & quidem pro cætera arrogantia sua. Alludit enim ad libationes in conviviis, quæ geniis Principis aut Diis dabantur, effuso in mensam aut terram modico vino. Quem ritum noster infra tangit cap. LX. *Unus pateram circumferens, Dii propitii clamabat*. Auctor dialogi de oratoribus ad rem præsentem commode cap. IX. *Laudavimus nuper ut miram & eximiam Vespasiani liberalitatem, quod quingenta sestertia Basso donasset, pulchrum id quidem, indulgentiam principis ingenio merere, quanto tamen pulchrius, si ita res familiaris exigat, se ipsum colere* (scilicet quam principem) *suum genium propitiare, suam experiri liberalitatem*; Vides eumdem lo-

„ propinasse dicebat. Hinc, involutus coccina gausapa, lecticae impositus est, praecedentibus phaleratis cursoribus quatuor, & chiramaxio, in

quendi modum. Sed & in hoc ipso convivio, Trimalchio noster infra Cap. LXXIV. *Ita Genium meum propitium habeam.* Tum Scintilla, *Gajum per Genium ejus orando, rogare coepit.* Et convivarum nescio quis. Cap. LVII. *Ita tutelam hujus loci habeam propitiam.* ubi, per *tutelam loci hujus*, designari puto Genium Trimalchionis. Contra servus in crucem actus est, quia Gaji nostri Genio maledixerat. De libatione in terram Eusebius Pamphilus lib. VII. De mandato domini à Jac. Sirmondo editus ex antiqua versione: *Cum aliquis vocatus fuerit ad coenam gentilium, & perrexerit, vinum autem viderit in terram effundi & libari.* Græci libabant Jovi Liberatori mensis secundis: quo Seneca moriturus alludit apud Tacitum Ann. XV. cap. LXIV. *Postremo stagnum calidae aquae introit, aspergens proximos servorum, addita voce, libare se liquorem illum Jovi Liberatori.* Tum & Thrasea apud eumdem Ann. XVI. C. XXXV. *Praefectisque* (sic scribe) *utriusque brachii venis, postquam cruorem effudit, humum superspargens, libemus, inquit, Jovi Liberatori.* Utroque loco libamenta in terram vides sparsa uti hic à Jatraliptis. Cæterum, quemadmodum homines liberi per Genium Principis jurabant, ita servi per Genium Dominorum. Lygdamus servus apud Propertium. lib. IV. Eleg. 8.

Exuitur, Geniumque meum prostratus adorat.

Seneca Ep. XII. de villico suo: *Jurato per Genium meum, se omnia facere, in nulla re cessare curam suam.* Ubi alii Codices parum probe, *per Genium suum.* HEINS. Ego Schefferi explicationem sequor; erat indignatus Trimalchio nequam illos jatraliptas vinum effundere non vile, sed quale ipse semper potare consueverat: Nisi insolentis esse velis, qui ne jactura quidem optimi vini moveretur, sed ut liberalitatem ostenderet, ingerebat, nihil damni esse, etsi esset vinum dominicum. De quo mox ad caput XXXI. BURM.

Coccina gausapa] Gloss. *Gausapa*, βαρβαρικὸν παλλίον. Tiraquell. Connubial. lib. 3. pag. 56. *Gausapa, vestes villosae, quae hiemali tempore gestantur:* quorum meminit Plinius lib. 8. cap. 48. Martial. lib. 14. non femel, & Persius Satyr. 4. vers. 36. ubi Casaubonus: *Gausape fuit genus vestis crassa & villis hirta.* Et Satyr. 6. vers. 46. Ovid. 2. de Arte vers. 300.

Gausapa si sumsit, gausapa sumta proba.

Coccinam autem appellat *gausapam*, quæ cocco est infecta. Martial. lib. 2. epig. 39.

Coccina famosa domas & ianthina moecha.

Juvenalis: Sat. III. vers. 283.

—— *Quem coccina lana*
Vitari jubet, & comitum longissimus ordo.

Lazar. Baysius lib. de Re vestiaria cap. 3. Infra cap. XXXII. *Pallio coccino adrasum incluserat caput.* Qui in campo se vel gymnasio exercebant, cætera nudi, τὴν αἰδῶ campestri tegebant: aut si corpore infirmiore erant, gausapam, vel pallam, vel lodiculam, vel sabana sumebant. Itaque plurimus horum usus fuit in gymnasiis & balneis. Sic apud Petronium Trimalcio involutus *coccina gausapa* lecticæ imponitur, post curatum in balneo corpus. Et Senecæ Epist. 54. Psychrolutes *gausapatus* dicitur, qui aqua exiens post natationem gausapa se involvebat, &c. Hæc Casaubonus ad Suetonium Aug. cap. 83. WEITZ. Vide Salmas. ad Spartian. Hadrian. cap. 3. & Lamprid. Alex. Sever. cap. 27.

Lectica impositus est] De earum usu, forma, discrimine, Lipsius Elector. lib. I. cap. 19. ERHARD.

Praecedentibus phaleratis cursoribus IV.] Phalerati cursores erant servi, qui in itinere faciendo redeambulando per urbem, rhedam, vel equos vel pedites in comitatu præcedebant. GLOSS. Cæsarius: ἀποκρίσει ἐστ· Νῦν ὅπερ ἐπὶ τῶν βασιλέων δρᾶσθαι πέφυκε. φανεῖ μὲν καὶ προηγεῖται ὁ θεῖος κήρυξ ἐπὶ τὸν βασιλέα τινάς, ἐπειδὰν δ' ἐπὶ τῆς πύλης τῶν πλατῶν πλατειῶν γένωνται, ἀφίησι τοὺς καθ' ὑπνους ἐπὶ τῶν προαυλίων ἑστάναι, μέχρις ἂν μηνύσῃ τῷ βασιλεῖ τὴν αὐτῶν παρουσίαν. PITH. Antiqui in comitatu cursores servos habuerunt. Martial. lib. II. Epig. 47.

Nec seriatus ibat ante carrucam.

Sed tuta soeno cursor ova portabat. WOUWER. Seneca Epist. 87. BARTH. *Cursores*, servi vocabantur, qui in itinere faciendo vel deambulando per urbem, rhedam vel equos, pedites præcedebant in comitatu, quos Galli *Laquais* & inde nos Hispani *Lacajos*, vocamus. Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 3. epig. 47. num. 9. Petronius cap. seq. *Notavi in porticu gregem cursorum cum magistro se exercentem.* Germanis *Lackeyen.* Balbus Cathol. *Cursor à currendo, ut cursor Domini Papæ.* ERHARD. Senec. ep. 123. *Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum praecurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.*

Quatuor cursoribus phaleratis] At Mæcenas, ad cujus se exemplum componit, non nisi duobus comitatus spadonibus in publicum prodire erat solitus, teste Senec. Epist. CXIII. HEINS.

Chiramaxio] *Chiramaxium* genus modici plaustri, unius hominis tantum capax, solitum à servis trahi. GLOSS. Gestatoria sella. TORNÆS. Χειραμάξιον, quod manu ducebatur, proprium pueri gestatorium. WOUWEREN. Videtur esse genus modici plaustri, quo homo tantum gestari poterat, & à servis, non à mannis trahebatur. unde vocabatur *chiramaxion.* Scalig. ad Fest. *Arcuma.* In tali vehiculo catamiti oblita facie, ut Seneca loquitur, id est, *masquez*, ve-

ctari

in quo deliciae ejus vehebantur, puer vetulus, lippus, domino Trimalchione deformior. Quum ergo auferretur, ad caput ejus cum minimis symphoniacus tibiis accessit, & tamquam in aurem aliquid secreto diceret, toto itinere cantavit. Sequimur nos jam admiratione saturi, & cum Aga-

ctari consueverunt, ne sol aut frigus teneram ac delicatam cuticulam perstringeret. ERHARD. Vide Scheffer. de re Vehicul. lib. II. cap. 18.

Delicia ejus] Pueri amati, παίγνια. GLOSS. Cicero: *Amores autem, & ea, quæ delicia appellantur.* PITH. Plutarchus Anton. Ὃδε Σάμμεντος ἦν τῶν καισαρος παιγνίων παιδαρίων, ἃ δηλίκια Ῥωμαῖοι καλοῦσιν. Senec. ep. XII. *Ego sum Philosti villici filius deliciolum tuum factum.* Virgil. *Alexin Delicias domini.* WOUW. Παιδάρια, παίγνια; pueri amati. Socrates Hist. Ecclesiast. lib. 3. cap. 19. interprete Epiphanio Scholastico; *Adrianusque ipse Antinoum, suas delicias, in Deos reposuit.* in Cassiodori Tripartita Histor. Cicero. Recte, *Amores*, qui Græcis ἐρώμενοι, amasii, τὰ παιδικά. ERHARD.

Vehebantur] Codex Scaligeri, *ferebantur.*

Puer vetulus] Exoletus. vide Senec. ep. XCVI. hi *Catulastri* dicebantur. Gloss. *Catulaster* βατταλίς. à Catuliendo. *Catulire*, incitari ad Venerem, ostendere se velle maritari. Varro lib. II. de re rust. cap. 9. τοιοῦτον παῖδα καλεῖται σκυζᾶν τὰς κύνας. Aristoph. κναμίζειν. ἄλλοι δὲ κναμίζουσιν αὐτῶν. WOUWEREN.

Cum ergo afferretur] Lege *efferretur*, scilcet ex balneo. Putschius. vulgatam comprobat ipse Petron. in eo, qui sequitur, loco cap. XXXII. *In his eramus lautitiis, cum ipse Trimalcio ad symphoniam allatus est.* ERHARD. MS. *auferretur*, quod est rectissimum. Impositus est Lecticæ & ablatus, ab eo scilicet loco, ubi luserat pila, ad triclinium, ubi parata erat cœna. Frustra pro *afferre* adducit Hadrianides verba post sequentia, *ipse Trimalchio ad symphoniam allatus est.* Quia sermo ibi non de loco hoc, sed alio. Ab hoc auferebatur, quod cuivis attentiori manifestum est. SCHEFFERER. *Efferretur* Mem. cod. Nob. Hiensius *inferretur* legit: Sic de Tiberio Suetonius cap. 30. *lectica quondam introlatus ager.* CL. Schefferus probat ex Trag. cod. *auferretur;* ex quo cum eodem mox pro *Symphoniacis* lego *Symphoniacus.* Forsan tamen proba Memmii codicis lectio, *efferretur.* Senec. de Brev. Vit. cap. 12. *Audio quemdam ex delicatis (si modo deliciæ vocandæ sunt, vitam & consuetudinem humanam dediscere) cum ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, dixisse interrogando, jam sedeo?* BOSCH. Tragurianus *auferretur*, malim tamen, *cum ausertur.* HEINS.

Cum minimis symphoniacis tibiis accessit] Cicero pro Milone. *Milo, qui numquam, tum casu pueros symphoniacos secum ducebat & ancillarum greges; ille qui semper secum scorta, semper exoletos ducebat, tum neminem.* WOUWEREN. Sueton. de Caligulæ luxuria, cap. 37. *Fabricavit & de cedris liburnicas*, &c. *quibus discumbens de die inter choros ac symphonias, litora Campaniæ peragraret.* Prorsus ut in Euangelio D. Lucæ cap. 15. *Audivit symphoniam & chorum.* Salisberiensis pag. 165. *Recumbentis pedes calamistratus comatulus excepit, & teneris manibus tibias tractat.* Quid sunt autem *minimæ symphoniacæ tibiæ?* an legendum *mimicis?* sic enim infra de pueris in ministerio cantillantibus: cap. XXXI. *Pantomimorum non patrisfamiliæ triclinium crederes.* ERHARD. Quis accessit? hoc vero textus non ostendit, sicut nunc est editus. Corrigendus igitur ex MS. Dalmatico, legendumque *Symphoniacus.* De pueris symphoniacis res est nota, docuitque pridem Pignorius. Sed quæ *tibiæ minimæ?* putant quidam *mimicæ* legendum. Verum mimicæ tibiæ alibi non legumur, neque habuerunt mimi aliquas peculiares, verba quoque in sequentibus *pantomimorum, non patrisfamiliæ triclinium crederes*, ad tibias nil pertinent. Recte igitur *minimæ*, quæ minutum edebant sonum, oppositæ longis. Itaque sequitur, *tamquam in aurem aliquid secreto diceret*, quod manifeste minimas ostendit. Nam majoribus profecto si cantasset, talis non potuisset videri. SCHEFF. *Symphoniacus*, recte idem Tragurianus. Nec tentandæ sunt *minimæ tibiæ*, quamquam dubitabam olim de *geminis tibiis.* Sic in Catalectis Pithæi, carmine de novem Musis:

Euterpe geminis loquitur cava tibia ventis.

Id est, geminis flatibus. Nisi malis *avenis geminis* scribi. *Geminæ tibiæ* monaulo opponuntur. Sed nihil, ut dixi, tentandum. Sophocles apud Longinum περὶ ὕψους. Μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι φορβείας δ' ἄτερ. Profert eundem versum Cicero ad Atticum. Cæterum, in toto quoque Trimalchionis epulo omnia ad symphoniam ministrantur: & hoc ad imitationem Mæcenatis, quam æmulari homo insulsissimus volebat videri. Unde & in epitaphio suo se Mæcenatianum vocabit infra. De Mæcenate Seneca libro de providentia cap. III. *Feliciorem tu ergo Mæcenatem putas, cui amoribus anxio, & morosæ uxoris quotidiana repudia desflenti, somnus per symphoniarum cantum, ex longinquo lene resonantium, quæritur?* HEINS. Proba lectio, quo referendum proverbium illud ab Othone apud Sueton. cap. 7. jactatum: τί μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς, & huc recte versum Sophoclis adduxit Heinsius, quem plenius exhibet Cicero ad Atticum II. Epist. 16. ubi vide commentatores. BURM.

Accessit] Improprie de eo, qui vehitur. ERHARD.

Cantavit] Scilicet tibiis. ERHARD. Magis appo-

Agamemnone ad januam pervenimus, " in cujus poſte libellus erat, cum „ hac inſcriptione fixus : QUISQUIS. SERVUS. SINE. DOMINI. „ CO. JUSSU. FORAS. EXIERIT. ACCIPIET. PLAGAS. CEN. „ TUM. In aditu autem ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus, ceraſino ſuccinctus cingulo, atque in lance argentea piſum purgabat. Super limen autem

ſite legeretur, *baſiavit*. TILEBOM.

Admiratione] Plaut. prol. Pſeudoli, vel quiſquis auctor. BARTH.

Cum Agamemnone] Trimalcione regio faſtu incedente. TORNÆS.

Libellus] Tabella. Sic uſurpavit Seneca de Benef. IV. cap. 12. *Suſpenſum amici bonis libellum dejicio.* SCHEFFER. Cicero pro Quintio. cap. 15. *De quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire certe, tacite, obſcureque permittitur.* Et cap. 19. *Dejecit libellos Alphenus.* Quos libellos *tabulas* vocat. 11. contra Rullum 25. & 11. Philipp. 29. BURM.

Dominico juſſu] Domini juſſu. Sic Columella. IX. præf. *Subjecta dominicis habitationibus ponebat vivaria.* SCHEFFER.

☞ *Accipiet plagas C.*] Ut edicti loco ſit libellus iſte propoſitus, malim equidem, *accipiat*, quomodo in legibus paſſim antiquis. Idque Trimalchionis majeſtate ac ſupercilio dignius omnino. HEINS.

In aditu ipſo] Athenæus 4. Δεῖ δὲ πρῶτον εἰς ἀλλοτρίαν οἰκίαν ἐρχόμενον μὴ γαστρισόμενον ἐνθὺς ἐπὶ τὸ συμπόσιον χωρεῖν, ἀλλὰ τι δεῖναι πρότερον τῷ φιλοθεάμονι καὶ κατανοῆσαι τὴν οἰκίαν, ἔστ' γὰρ τοῦτο παρέλιπε ὁ ποιητὴς, αὐτοὶ δ' ἰσῆλθον θεῖον δόμον. οἵδε ἰδόντες θαυμάζον. PITH. Id eſt, in veſtibulo. Cicero pro Cæcina. *Primo aditu veſtibuloque prohibere.* Idem 11. de oratore: *oportet, ut ædibus & templis veſtibula & aditus, ſic cauſis principia proportione rerum præponere.* Ibi autem ſtabant vel ambulabant qui intromitti in ædes volebant. Plaut. Moſtell. III. 11. *Viden' veſtibulum ante ædis hoc, & ambulacrum quojuſmodi?* Ubi ambulacrum non eſt aliud, quam ipſum veſtibulum. GOESIUS.

Oſtiarius praſinatus] Servus qui ad limen obſervabat, janitor erat in catenis: Praſinatus autem dictus à colore veſtimenti nimirum viridi. GLOSS. Servus qui ad limen obſervabat, Janitor, aut oſtiarius: is erat in catenis. Columella lib. I. *An putem fortunatius à catenato repulſum iri janitore?* Sueton. L. *Otacilius ſervisse dicitur, atque etiam hoſtiarius in catena fuisse.* Idque priſco inſtituto, quod ex Ovid. Faſtor. I. claret. ille apud Plautum Trinum. oſtiarium alloquitur: *heus ecquis foribus tutelam gerit.* hoc enim ejus munus, quod Ovid.

——— *egreſſus introitusque videt.*

Idem oſtiarium innuit lib. III. Amor.

Excubui clauſam ſervus ut ante domum.

WOUWEREN. Janitor catena ſolitus oſtio alligari. Sueton. Clar. Rhetor. Ovid. I. Amor. Nonius *tinnire.* BARTH. In circo erant factiones diviſæ in partes coloribus diſtinctas. Caſſiodor. Var. lib. 3. ep. 1. *Tranſit praſinus, pars populi moeret; procedit venetus, & potior turba civitatis affligitur.* ubi haud dubie legendum *procidit venetus*, pro, occumbit. Hinc aurigæ nomina ſortiti, ut illi dicantur *praſinati*, hi *venetiani*. Nec in circo ſolum, ſed in ſcena quoque factiones iſtæ. Exſertim Caſſiodor. lib. I. epiſt. 2. 27. & 33. ubi inquit, *Partis praſini* (leg. *praſinæ*) *inſinuatione comperimus ſeditiones turbulentas imitari, & cauſam lætitiæ publicæ ad furoris certamina prorupiſſe. Quapropter*, &c. *à vobis praſinis pantomimus conſtituatur.* Et Antoninus Imp. in vita ſua; τὸ μητὲ πράσιῳ, μητὲ βενετικῷ, μητὲ παρμελάριῳ· intelligo eos, qui factioni ſtudebant praſinæ aut venetæ. Fuiſſe Neronis praſinum agitatorem ſcribit Sueton. in Neron. cap. 22. & Spartianus, qui eum inſuper praſinæ parti faviſſe tradit. Satyrice ergo Petronius Neronem ſub Trimalcionis nomine perſtringit, quod vel extra ludum & circum ſervos haberet praſinatos, qui à ſe videtur addidiſſe ceraſinum cingulum, id eſt, ruſſeum, ſtudio, opinor, innovandæ factionis à ſe Claudianæ dictæ. ERHARD. Pro more conſueto, obſervans eos, qui atrium ingrediebantur, egrediebanturve; hinc ridicule Plautus *Atrienſem ſub janua* vocat Caſin. act. II, ſcen. 8.

Idem me pridem cum ei advorſum veneram,
Facere Atrienſem voluerat ſub janua.

Senex cum Stalimoni ſervo, vel ad flagitioſiſſima obſequentiſſimo villæ præfecturam detuliſſet, Chalino adverſanti ſibi urbanam provinciam pollicetur, & quidem verbo præſtantiſſimam, Atrienſem enim ſe eum facturum ait; at dum illud munus januæ alligat, revera rem viliſſimam ei adſignat, utpote cane catenato vix futuro potiori. Quare & oſtiarium Senec. III. de ira cap. 37. vocavit *mancipium extremum*, id eſt, ſortis extremæ & abjectiſſimæ. GOES. De hujus generis ſervo ſatis multa eruditi congeſſerunt. Sed puto male confundi cum *Atrienſi*, de quo noſter mox verba faciet, & qui honeſtioris ordinis erat; oſtiarius enim canis comes & contubernalis limen & januam ſervabat, Atrienſis vero totius Atrii, imaginum, & aliarum rerum curam gerebat: itaque recte diſtinguit Pignorius in libro de ſervis. Sed confundit hic Goeſius & Reineſ. ad inſc. claſ. XI. 39. dignitatem vero Atrienſis vindicavit Fabrett. ad inſcrip. cap. I. pag. 9. BURM.

Ceraſino cingulo] *Ceraſinum* ruſſeum à colore ejus fructus

autem cavea pendebat aurea; in qua pica varia intrantes salutabat.

XXIX. Caeterum ego, dum omnia stupeo, pene resupinatus crura mea

fructus. GLOSS. Anton. Thylesius de Colorib. cap. 7. Alemannis *Schiler*. Ergo ut *prasinatus* est à Graeco πράσον, ita *cerasinus* est à κέρασος. utrumque à colore ejus fructus: illo viridis, hoc russeus notatur. ERH.

In argentea] Sic habet Codex noster omisso *lance*, quod est in vulgatis, nec abesse debet. SCHEFFER. Supplendum ex editis, *in lance argentea*. Nisi id inculcatum à mala manu, ac ipse dederit Petronius: *in vanno argentea*. HEINS. Et in his insaniebant liberti Claudiani ostentandis. egregie Tertullianus de Pallio. cap. VI. *Item quantis facultatibus aestimavere ligneas maculas! item qua lances centenarii ponderis Sulla molitur. Vereor sane ne parva sit ista trutina, cum Drusillanus equidem, servus Claudii, quingenariam promulsidem aedificat*. vid. Plin. XXXII. cap. 11. ubi de Drusillano Rotundo Claudii servo, qui quingenariam lancem habuit. vid. inf. 31. BURM.

Pisum purgabat] Sic infra cap. CXXXV. *partem leguminis super mensam effudit, jussitque me diligenter purgare*. ERHARD. & TILEBOM.

Super limen] Nempe superius januae suprascriptae, qua è vestibulo in atrium eundum erat. GOES.

Cavea pendebat aurea.] Rader. ad Martialem lib. 14. epig. 68. ERHARD.

Pica varia] Genus picae longa insignis cauda & famosa garrulitate amabilis. GLOSS. Quam Galli *Gajum*, Itali *Picam glandariam* vocant. WOUWEREN. Douzae dicitur famosa garrulitate nobilis: sed puto sic dici, ut apud Lucret. plerumque *variae volucres*, vel *dissimiles*, vel *varii coloris*. Plin. lib. 10. cap. 29. *Picarum genera, qua longa insignes cauda variae appellantur*. Interpretes hoc loco confundunt *picam variam* cum *gaio*, nisi fallor, perperam. *Pica varia* est, quae Alemannis *agerstа*, Francis Orientalibus *alstera*, Occidentalibus sive Gallis *agassa* vel *agacha*. de qua est capiendus versus ille Monasticus apud Gardinerum in Proverb. antiq.

Nomen abest picae, nisi quid varii tenet in se.

Et ille alter apud Balbum in Catholico;

Nigrior una pica, pars altera candida pica.

Videndus Dialogismus de pica in Epigram. vet. lib. 4. pag. 128. Vincentius Belvacens. in Spec. nat. Albertus Magnus, Rob. Constantinus in Supplem. ling. Latin. Conrad. Gesnerus in Hist. avium, & diligentissimus harum rerum & omnis antiquitatis perscrutator Ulix. Aldrovandus in Ornitholog. *Gajus* à sono vocis sic dictus, quem Galli hodie *gay*, Latini *graculum*, Germani *Heer* nuncupant. Quem enim Alemanni *gey* vel *gay* appellant, est ex genere larorum pectora rubicantium, capita superius nigricantium: quo de accipiendus Eucherius Lugdunensis in Interpret. nom. Bibl. cap. 11. scribens; *Larus in Pentateucho, gaviam significat. Picus martius* Gallis est *pimart: picus viridis, piverd, Grunspecht*. nam & *Specht* nostrum à Latino *picus* originem habet. ERHARD. MSS. *Vario*. quod ferri potest. De his autem salutationibus & vocibus legendus C. V. Is. Casaubonus ad Persii Prologum. BOURDELOT. Versicolor. Sic, *varia* dictae pantherae; lupus, *piscis varius* Columellae, & *apes variae, variae oves*: Infra noster cap. XLV. *Rusticus varium porcum amiserat*. Martialis de pica, Apophoretis epig. LXXIV.

Pica loquax certa dominum te voce saluto.

HEINS. Ovid. Epist. XV. *Et variis albae junguntur saepe columbae*. Sed & luxum Trimalchions hæc avis ostendit, quæ Romæ rara erat, & paulo ante Plinii tempora nota: ut ex Plinii loco ab Erhardo adducto intelligitur; sed ex quibus patet male Bourdelotium *vario* legere. De voce *varia* vide Munkerum ad Hygin. fabul. 223. Caeterum hanc esse *avem illam pictam, quae urbi Pictavorum contulit nomen, levitatem gentis colore & voce praefigurantem*, teste Joanne Sarisbur. de nugis curialium lib. 1. cap. 13. puto. Quam Gothofredus Jungermannus ignorabat, & quaenam esset consulebat Goldastum. vid. Epistolam XCIV. BURM.

Intrantes salutabat] Martial. lib. 7. epist. 86.

Pica salutatrix si tibi Lause placet

libro 9. epigr. 56. Et in distichis:

Pica loquax certa dominum te voce saluto.

De his picis accipiendum illud Persii in prolog.

Quis psittaco expedivit suum χαῖρε,

Picasque docuit verba nostra conari? WOUWER.

Isidorus Gloss. *Chare Caesar, amicos*. Corrigit Goldast. *à psittaco*, ut sit illud Martialis;

Hoc didici per me dicere, Caesar ave.

& illud in Philom. Ovidii:

Atque suo domino Chare valeque sonat.

Benedictus Magister apud Balbum; *Picae verba in distrimine vocis exprimunt, ut homo, & si linguas in sermone explicare nequeunt, sonum tamen humanae vocis imitantur*. Vide Phil. Camerarium Horar. succisivar. Centur. 3. cap. 71. Pierium in Hieroglyph. Raderum ad Martial. lib. 14. epig. 67. ERHARD. Proprio verbo, quo χαῖρε illud Picarum exprimit. Ovidius V. Met. 295.

Voxque salutantum ramis veniebat ab altis. BURM.

Dum omnia stupeo] *Dum ad omnia stupeo*, Latinius dixisset. HEINS Satis Latine. Valer. Flacc. 1. 149.

Haec quamquam miranda viris stupet Aesone natus.

II. 620.

——— *stupuitque fragorem*

Canus.

II. 510.

Sur-

mea fregi: ad siniſtram enim intrantibus, non longe ab oſtiarii cella, canis ingens, catena vinctus, in pariete erat pictus, ſuperque quadrata litera ſcriptum, CAVE. CANEM. Et collegae quidem mei riſerunt. Ego autem, collecto ſpiritu, non deſtiti totum parietem perſequi. Erat autem venalitium titulis pictum, & ipſe Trimalchio capillatus caduceum

Surgentemque toris ſtapet, immanemque paratu
Æacides.

Et ita Virgilius & alii locuti. BURM.

Reſupinatus] Vide me ad Terent. Phormion. 5. 6. Scholiaſten Juvenal. ad Satyr. 3. & Stuckium Antiquit. convivial. lib. 2. cap. 3. WEITZ.

Ad ſiniſtram] In ipſo aditu ſive veſtibulo, ut opinor. Ibi enim janitoris cella, ad cujus fores vulgo canis catenarius, qui hic pictus loco veri canis. vide Senec. III. de Ira XXXVII. Suet. Vitellio cap. XVI. GOES.

Hoſtiarii cella] Πυλώριον, οἴκημα πυλωροῦντος Poll. lib. 1. num. 77. WOUWEREN. Cellam atrienſem dicit, ubi vinctus janitor cuſtodiam januæ gerebat. Rader. & Martial. libro 9. epig. 55. Memoria opinor lapſus. non enim ſervus vinctus ſervabat, ſed canis: ipſe ſervus liber à vinculis erat, ut ex Plauto diſcimus. ERHARD. Erhardum hic errare oſtendit Sagittarius de Januis veterum, cap. XVI. §. 19.

Canis ingens catena vinctus] Antipater; ὅτε θυρωρὸς Ἐν ποσὶν οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται. hujuſmodi canes, Senecæ de Ira lib. III. cap. XXXVII. *catenarii canes*: Græcis δέσμιοι. Artemidorus lib. III. Τῶν μὲν κυνῶν οἱ μὲν ἐπὶ θύραι τρέφονται, οἱ δ' ἐπὶ φυλακῇ τῶν κτημάτων, ὡς οἰκωρὸς, καὶ δεσμίους λέγομεν. WOUWEREN. Catenarius canis, Senec. 3. de ira cap. 37. BARTH. Quem & vide lib. XXI. adv. 6. Senecæ *catenarius*, Artemidoro δέσμιος, Phædr. l. III. c. 7. *à catena collum detritum canis.* Rittershuſ. in Not. More veterum canes ad oſtium non vivi modo, ſed & ſculpti, ut in regia Alcinoi;

Χρυσοῖ δ' ἑκάτερθε καὶ ἀργύρεοι κύνες ἦσαν
Δῶμα φυλασσόμεναι. ——

vel picti in pariete, ut hic in Petronio. Auſon. Popma ad Varron. vide Douzæ Præcidan. Tibull. cap. 1. Caſauboni Comment. ad Theophraſti Character. ERHARD. Neque id fieri inſolens. Nam de ſimili cane Plautus Moſtellaria III. II. CLXV. *tam placida eſt, quam eſt aqua; viſe, ire intra audacter licet.* GOES.

Quadrata litera] Litera Capitali. GLOSS. *Quadratas literas*, vulgo capitales vocamus. Sed illis priſcis ſæculis nullæ aliæ erant literæ, præter quas vocamus capitales. Quas ergo *quadratas literas* vocat, quæramus. Scalig. WOUWEREN. Petronii & ante temporibus jam inventæ erant aliæ literarum formæ, teſte Quintiliano lib. 1. cap. 7. inter quem & Petronium non adeo multum ævi interfuit, ut non earumdem literarum formis uti potuerint: quæ formæ erant quadratæ. Meurſius Animadverſ. miſc. libro. 3. cap. 18. Vide tamen Cujacium. ERHARD. V. Leon. Allatii Animadverſiones in antiquitates Etruſcas. §. 29. & 36.

CAVE CANEM] Hæc pertinent ad illuſtrationem illius loci Varronis, qui ab Nonio citatur in voce *Prabitio*: *Quod eo die mea erat prabitio, in januam CAVE CANEM inſcribi jubeo.* quem morem Turnebus cap. 4. lib. 15. Græcis acceptum refert. EMMIUS. Nonius in verbo *Albicatur* citat Varronem, *Cave canem*, qui fabulæ (ut opinor) titulus eſt. Notum eſt Baſſi apud Senecam illud; *Si canem ad oſtium alligaſſes.* Controverſ. 30. BONGARS. Varro Eumenid. apud Non. in voce *Præbitio.* Notum illud Baſſi apud M. Senecam. *Si canem ad oſtium alligaſſes.* PITH. Vinctos canes ad ædes habebant, ut & tabernas. Januæ autem vel parietes inſcribebantur, ut caveret, ſi quis introiret, hac formula, *Cave, cave canem*, Ch. Colerus Parerg. cap. 16. Rader. ad Martial. lib. 11. epigram. 17. Titus Popma de Oper. ſervor. verbo, *Hoſtiarii.* Quem morem antiquum tangit etiam Puteanus principio Genialium Serm. Alioqui teneretur lege Aquilia Dominus, cujus canis damnum feciſſet, argum. l. 28. §. ult. l. 31. D. ad legem Aquil. ubi Doctores. Sic & equitantes *debent cavere & admonere gentem, alta voce clamando*, CAVE, CAVE, ut ſcribit Vitallinus de Malefic. tit. Damno dato, num. 45. & Geminianus in cap. ſi duo, & cap. ſæpe, diſtinct. 50. ſcribit, *quod ita debet acclamare, quod evitari poſſit.* Hippolytus Bonacoſſa tractat. in Mater. Equor quæſt. 178. Varro in Eumenid. & titulus Menip. *Cave canem.* Hoc uti conveniet, quoties monebimus, cavendum ab homine maledico & obtrectatore, vel ab hoſpite inhumano. Auſon. Popma ad Varron. ERHARD. CAVE, CAVE CANEM Leid. cod & vett. BOSCH. Rectius membranæ Scaligeri, *cave, cave canem.* Ejuſmodi verborum geminationes infra frequenter occurrunt. *Modo, modo videor cum illo loqui. Baba, baba. Vero, vero. Glyco, Glyco dedit ſuas.* HEINS. Briſſon. de formul. l. 8. pag. 736. WEITZ. Adde Caſaubonum ad Theophraſti caracteres περὶ ἀγροικίας.

Totum parietem] Qui nimirum habebat januam & canem pictum; GOES.

Venalitium titulis pictum] Tituli non ſolum in venalitio jungi ſoliti, ſed etiam collo aptari vendundi mancipii. GLOSS. Id eſt, ut quidem ego exiſtimo, grex venalium, quod uſurpatur in l. ultima, De ædilit. edict.

ceum tenebat, Minervaque ducente Romam intrabat. Hinc quemadmodum

edict. & l. 5. §. 1. D. de jur. deliberand. *Venalitium* etiam dicitur in l. 4. C. de proximis sacror. scrin. *Vectigal rerum venalium*, l. inter cetera, §. primo, D. de verb. signif. Atque ita accipiendum puto hoc verbum in l. 1. C. de nundin. ut & *proponendorum* in l. 1. Cod. de veter. qui locus in omnibus libris admodum corruptus est. Nam & in l. 9. C. de Judæis; *Nemo*, inquit, *precia statuit, cum venalia proponuntur*. Esse vero hanc siliqualem præstationem indicat Cassiodorus lib. 4. Variar. PUTEAN. Catastorum grex cum titulis, cujus regionis, ætatis, artis, pretii essent. TORNÆS. *Venalitium* vocat δελοπωλήϊον. *tituli* autem non solum in venalitio pingi soliti, sed etiam collo aptari vendundi mancipii. Propertius lib. IV. El. v. vers. 51.

At quorum titulus per barbara colla pependit,
Calati medio cum saliere foro.

Scalig. ad Propert. Ranchinus Var. lect. lib. 1. cap. 4. ERHARD. Locus in quo vendebantur servi. Huc referendum quod apud Gruterum est, pag. v. 1. 2. & pag. VIII. 3. 5. GENIO VENALICI. Qui autem servos vendebat, *mercator venalitiarius* & *venalitius* vocatur. Cicero Oratore cap. 70. *Neque me divitiæ movent, quibus omnes Africanos & Lælios multi venalitii mercatores superarent.* Ita legendum. Lambinus & Patricius corrigunt *venalitiarii;* sed vide Gruteri inscriptiones pag. CCCCXI. 1. & DCXXXVII. 5. quibus ZABDÆ. MERCATORIS. VENALICI. mentio. Tamen *venalicius* est & is, qui venum exponitur, qui & *venalis* dicitur Senecæ ep. LXXX. *Detrahis vestimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant.* de benef. IV XIII. *Mercator urbibus prodest, medicus agris, mango venalibus.* HEINS. Dubito an satis recte procedat Heinsiana expositio, & *venalicium* dici possit locus, in quo vendebantur servi: neque etiam apparet Trimalchionem mangonium fecisse. Sed verosimile est, hominem jam beatum & opulentum priorem sortem suam non dissimulasse, & in porticu pingi curasse gregem illum servorum venalium, quos aliquis olim Romam duxerat, & inter quos ipse fuerat. Ita *venalicium* esset turba venalium servorum, ut *servitium* pro servis, & mox *poedagogia* pro pueris delicatis ipse capit Heinsius, & hoc clare patet ex l. ult. ff. de ædilitio edicto, quam jam Puteanus adduxit, *Quicumque ex venalicio noviciorum emptus, alicui ministerio præpositus est.* Ubi male Gothofredus *venalicium* pro *venaliciario* sumit: tunc enim JCtus debuisset *à venalicio emptus* dicere. Sed erat emptus ex turba venalium nuper advectorum. Quod clare docet leg. XI. ff. de Negot. Gest. ubi *venales novicii* dicuntur, ita & in lege v. §. 1. ff. de jure deliberandi, junguntur *jumenta & venalicia.* vide Torrentium ad Sueton. Aug. 42. hæc egregie explicantem. hinc Cicero & Suetonius *greges venalium* vocant, & Plin. XXXV. 18. *greges venalitios*, quia mangones undique ex provinciis hos servos, ut pecora, in greges coactos Romam ducebant. præcipue autem ex Galatia, Cappadocia, Syria & vicinis istis regionibus. v. Horat. 1. Epist. VI. vers. 39. & ibi Lambin. & Ammian. Marcellin. XXII. cap. VII. & ibi Valesium. An autem *venalitius* possit dici pro venali servo, quod negat Torrentius, ait Heinsius, nondum dijudico; certe ab Heinsio adducta loca probant eos *venales* dici, non *venalicios*. v. Clarisi. Græv. ad Cicer. Orat. post. redit. in Senat. cap. VI. de venalicio vectigali egi in dissertatione de Vectigalibus cap. v. BURMAN.

Et ipse Trimalchio] Notum, viros principes in veteri Republica Romana majorum imagines habuisse in atriis: quod cum Trimalchio præstare non posset, ejus rei loco Fortunæ suæ infantiam, ut ita dicam, exhibuit, graduque præterea, quibus ad istam felicitatem suam est evectus. GOES.

Capillatus] Hinc apparet in primo flore ætatis Trimalchionem ad delicias fuisse venalem. vide supr. cap. 27. Eodem modo unus ex conlibertis Trimalchionis, infr. cap. 27. *Annis XL. servivi, nemo tamen scit, utrum servus essem, an liber. & puer capillatus in hanc coloniam veni.* Et ipse Trimalchio cap. 76. *Tam magnus ex Asia veni, quam hic est candelabrus ad summam.*

Caduceum] Caduceus virga & insigne Mercurii. GLOSS. Athenæus lib. XII. Sueton. Calig. cap. LII. *Plerumque vero aurea barba fulmen tenens aut fuscinam, aut caduceum, Deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est.* PITH. In his quoque, & sequentibus verbis, ubi Mercurii est mentio, latenter carpi Claudium nullus dubitationi locus relinquitur, si conferamus Senecæ ludum de morte Claudii, ubi dicit *Mercurium semper ejus ingenio delectatum*, &, quod hic mox subjungitur de Parcis aurea pensa torquentibus, itidem Seneca his verbis notat.

——— *mirantur pensa sorores,*
Mutatur vilis pretioso lana metallo. BURM.

Minervaque ducente tænia intrabat] Delicatiores prehensis laciniis ducuntur. GLOSS. Veteres *tenia vitabat.* PITH. Alii *temena.* PATISS. *tania* TORN. Forte, *thermas intrabat.* DANIEL. Forte legendum *Minervaque ducente tenia inter.* inducto asterisco. Videmus delicatiores prehensis laciniis duci. WOUWEREN. Asteriscum exstirpa: teniæ autem solennes in imaginibus, ita hominem tenia comprehensum introducebat Dea. Pausanias Att. Ἀπόλλωνα ἀναλήμενον ταινίαν τὴν κόμην. Lucianus Philopseude, *de statua Pelichis:* διαλήμενον τὴν κεφαλὴν τῇ ταινίᾳ. Paulo post Εἶδον γὰρ ἐπὶ τῇ δεξιᾷ τὸ Κρόνου ταινίας καὶ στεφάνους ξηροὺς ἔχοντα. Ælianus Poicil. lib. 9. cap. 39. ubi adolescens amans statuam bonæ fortunæ: ἀναδήσας πολλαῖς ταινίαις καὶ στεφανώσας τὸ ἄγαλμα ἑαυτοῦ ἀπέκλαιεν. Sic

dum ratiocinari didicisset, dein dispensator factus esset, omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. In deficiente vero jam porticu

amatores Athenis amasias teniis incinxisse, indicio adfectus, ex eo more clarum, quem ad Theocritum illustrat D. Heinsius, ὁ θαυμάσιος cap. VI. Lect. Theocr. BARTH. Tollatur asteriscus. Haud dubie respicit Petronius ad illud Senatusconsultum, *quo statutum aureum Minervæ simulacrum in Curia, & juxta Principis imago*, Tacitus Annalium 14. Reginas autem ambulare solitas tæniis ductis à spadonum vel juvenum grege, notum. BOURDELOT. *Mœnia* legendum esse me monuit Nob. Heinsius, Capuana scilicet, nam ibi servum egit Trimalchio, ut in sequentibus patet. BOSCH. Vulgati habent *tenia*, quod sunt, qui probant, quia hic respiciatur Senatusconsultum, quo *statutum aureum Minervæ simulacrum in Curia, & juxta Principis imago*, sicut refert Tacitus: reginæ quoque ambulare solitæ, tæniis ductis à spadonum vel juvenum grege. Sed hoc ego non intelligo. Ecquid enim volunt ista, *taniis ductis*? quid est, *tænias ducere*? num tenebant illas tænias reginæ? non existimo, spadones hoc faciebant, iisque ducebant reginas. Quas si referre debuit hoc loco Minerva, illa ducenda fuit à Trimalcione. At hic contra fit. Minerva ducit Trimalcionem, cujus nulla intelligitur apte tænia. In libro Puteani *tema* legitur cum superscripta lineola, quam puto esse indicem proprii nominis, & mox, *vitabat*, non *intrabat*. Quare suspicor, lectionem esse veram, *romam itabat*. Fuit nempe primo conjunctim scriptum, *romamitabat*, inde factum, *roma mitabat*, post *rema vitabat*, & *tenia vitabat*. SCHEFFER. Nondum nobis displicet Codicis Traguriensis lectio *Romam*. Quod si quis à vulgata non putaret recedendum, legi posset *mœnia intrabat*, credique illud *Romam* natum ex glossa, qua quis vocem *mœnia* explicaverat. IDEM. Hæc interpolata sunt; liquet enim ex subsequentibus, nec uno loco, Capuæ, non Romæ Trimalchionem semper servisse. *tema vitabat*, codex habet Scaligeri: alii *temena*, sed repetitum ex ultima syllaba vocis præcedentis. Recte omnino, *mœnia intrabat*, Capuana nempe. HEINS. Varie vexatus locus, & prima lis de vera lectione, altera de ejus sensu. Ego *Romam* cum Traguriano codice & Scheffero prætuli: licet enim Capuæ hanc scenam agi demus, non ideo pictura illa debebat Trimalchionem Capuæ mœnia intrantem exhibere, qui puer venalis Romam videtur fuisse primum ductus, & ibi servisse. Quod autem Minerva eum ducere fingebatur, in eo Trimalchionis nostri urbane stolidi ingenium elucet, qui cum se bono omine & auspicio intrasse urbem, in qua mox ad tantam fortunam provehendus erat, indicare vellet, à Minerva se ductum pingi fecit, ut apud Homerum Odyss. III. in principio Telemachus à Pallade Pylum fuit ductus: sed præsertim clara erat Pisistrati Historia apud Herodotum lib I. cap 60. qui restitutus in Tyrannidem à Phya, sub specie Minervæ, adorante & applaudente populo, erat in urbem reductus. Et ita passim Poëtæ Minervam comitatam & duxisse felices fingunt. v. Barth. ad Stat. Theb. VIII. vers. 502. & 757. qui tamen *tæniis* retinet. Adversariorum vero lib. IV. cap. 22. hinc effici dicit, *felices manu deorum levari*, quæ melius sequentibus conveniunt, ubi Mercurius levatum in tribunal rapit. BURM.

Ratiocinari] Cicer. lib. I. De Offic. cap. XVIII. *Ut boni ratiocinatores officiorum esse possimus.*

Denique dispensator factus] Alii Codices habent *dein*, quod rectius; nam *deinque* alias mihi lectum haud memini. HEINS.

Pictor] Alii, *scriptor*. PATISSON. Is mos erat, ut adjicerent, quid pictura notaret, maxime rudi & impolito seculo. Ælianus lib. X. Var. cap. X. Ὅτι ὑπῆρχετο ἡ γραφικὴ τέχνη, ἕτως ἅμα ἀτέχνως εἶχαζον τὰ ζῶα, ὥστε ἐπιγράφειν αὐτοῖς τὰς γραφὰς, τοῦτο βοῦς, ἐκεῖνο ἵππος. WOUWEREN. Vide Plinium in epist. fol. 176. ERHARD.

In deficiente] To *in* præstiterit abesse, ni mavis, *hinc*. HEINS. Quod si recte hæc se habent, *deficiens porticus* erit, extrema porticus pars, quo modo an veteres loquuti sint, nescio, mihi certe nullum occurrit ejus exemplum. Dein, quomodo hæc omnia, quæ sequuntur, Trimalchio nempe à Mercurio raptus, Fortuna, tres Parcæ, grex cursorum, grande armarium, ædicula, quomodo, inquam, hæc omnia in extrema, sive, si ita vis, in deficiente porticus parte, cum longe superent ea, quæ ante relata sunt? Qua propter, hæc ego corrupta censeo, cum scriptum videatur fuisse, *Ingredientem vero jam porticum*. Nam in aditu sive vestibulo, non longe ab ostiarii cella, canis ingens apparebat pictus. Ibique pictum quoque venalicium, & Trimalchio à Minerva deductus, discens ratiocinari, & dispensator factus. At per atrium ingrediuntur porticum, ubi vident Trimalchionem à Mercurio raptum, & reliqua, quæ sequuntur: & ex porticu denique ingrediuntur triclinium. Sic Vitruv. lib. VI. cap. IV. *Uti igitur ordine procedamus in atriis designandis, & symmetriis eorum disponendis*, ait, *quam primum ad Ichnographiam esse deveniendum, & lineis atrium esse describendum, secundum longitudinem & latitudinem*. Et paulo post, *inde ala designantur, quæ sunt dextra & sinistra, & sunt porticus vel columnationes*, &c. GOES. Non video, quo minus extrema pars *porticus deficiens* dici posset, atque *ignis*, cum late vagatus in parte aliqua minuitur & exstinguitur, apud Virgilium IX. Æneid. 351. Et ita Plinius II. 10. dixit *figuram in mucronem desi-*

cere

porticu, levatum mento in tribunal excelsum Mercurius rapiebat. Praesto erat Fortuna cornu abundanti copiosa, & tres Parcae aurea pensa torquentes. Notavi etiam in porticu gregem cursorum cum magistro se exercentem. Praeterea grande armarium in angulo vidi, in cujus aedicula

cere pro desinere; Deinde non omnia, quæ enumerat Goesius, in extrema parte porticus erant picta, sed tantum ejus levatio in Tribunal, adstante Fortuna & Parcis; quæ sequuntur, ea in ipsa porticu erant, & Encolpius, revocans quasi gradum, ea, quæ oblitus narrare erat, refert se in ipsa porticu vidisse, ut gregem cursorum, & in aliquo angulo armarium. Deinde regreditur ad mediam, ubi Ilias & Odyssea. BURMAN.

Levatum mento in tribunal excelsum Mercurius capiebat] Fallor? an legendum, *rapiebat?* Quemadmodum enim *raptus ab alite sacro* Ganymedes dicitur in obscœno carmine, sic Trimalcio raptus à Mercurio dicitur, qui *Deus ales* ibidem carmine 8. vocatur. Sic certe Horat. se raptum quoque à Mercurio & è medio belli periculo ereptum significat his versiculis lib. II. od. VII. vers. 13.

Sed me per hostes Mercurius celer
Denso paventem sustulit aëre.

Dictum autem à Petronio, *levatum rapiebat*, ut à Plauto, Terentio, Virgilio, *rapere sublimem.* RICHARD. Lege *rapiebat.* Fulgent. Myth. *sequax si fueris, celeriter raptum ex mortali cœlestem efficient.* BARTH. Quem & vide XXI. adv. 6. *Mento* levatum dicit Satyricus, ut simul ostenderet, eum fastu & arrogantia auctum, cum jam ad magistratus dignitatem à Mercurio fuerit provectus. Seviratum enim Trimalchionis hic indicari puto. Infr. cap. 43. *quod illi mentum sustulit, hereditatem accepit.*

Fortuna cornu abundanti] Qualis in numismatis Cæsarum Romanorum antiquis exhibetur frequentissime. De *Parcis*, *aurea fila torquentibus*, Poëtæ passim. HEINS.

Copiosa] Hæc glossa videtur, præcedens verbum explicans. Expungendum ergo; ni mavis, *abundanter copiosa.* GOES.

Aurea pensa] Felicia Parcarum omina, ideo rebus lætis illa Parcis dabant: tristibus autem pulla. GLOSS. Rebus lætis ea Parcis dabant. Sidon. Senec. Apocol. Tristibus autem pulla. Horat. Martial. BARTH. Quem & vide XXI. adv. 6. Sidon. carm. 7.

Aurea concordes traxerunt fila sorores.

Savaro in Notis. Alludit autem ad disciplinam Hetruscorum. Germanus Valens Guel. Pomp. ad Virgil. Eclog. 4. *Aurea pensa* sunt felicia Parcarum omina. Sidon. carm 15.

——— *probat Atropos omen,*
Fulvaque concordes junxerunt fila sorores.

Rader. ad Martial. lib. 6. epigram. 2. ERHARD.

Etiam in porticu] Hæc verba *in porticu*, hic delenda videntur, repetita temere ex superioribus. GOES.

Gregem cursorum] Nescio quis locus hic cursoribus istis. Aut fallor, aut voluit Petronius *gregem cirratorum;* pueros nempe delicatos innuit è Trimalchionis familia, cum pædagogo se exercentes. *Cirrorum* primo contracte exaratum fuit. Inde *cursorum* perperam factum. Capillatos vocat alibi frequenter. Et supra hoc capite. *Ipse Trimalchio capillatus caduceum tenebat.* Item cap. 27. *Videmus senem inter puellos capillatos, ludentem pila.* Et infra cap. 70. *Pueri capillati attulerunt unguentum in argentea pelvi.* Et cap. 34. *Intraverunt duo Æthiopes capillati.* Apud Martialem lib. 3. Ep. 58. vers. 30.

Et, Pædagogo non jubente, lascivi
Parere gaudent villico capillati.

De cirratis idem Martialis lib. 9. epig. 30.

Et matutini cirrata caterva ministri.

Pueris delicatis sive capillatis proceres Romani, & ad horum exemplum Trimalchio, constituebant Pædagogos, qui eos custodirent, simulque erudirent. Hinc ipsi pueri sub *Pædagogii* nomine apud scriptores antiquos designantur admodum frequenter. Inter officia domus Augusti *Pædagogi puerorum*, & *præfecti Pædagogiorum.* Recte autem *cum magistro se exercentem.* A. Gellius IX. Noct. Att. XV. *Erat adolescens tum quispiam ex ditioribus cum utriusque linguæ magistris meditans & exercens.* De Pædagogiis divitum plura Lipsius ad XVI. Hist. Taciti. HEINS.

Grande armarium] Locus, ubi cibaria, vestes, libri & similia reponebantur. GLOSS. Glossæ Labbæi, *Armarium*, πυργίον. πυργίσμ. πυργισκάριον ἄξαξ. Et Ἄξαξ, *Abacus*, *Armarium.* Cato: *Armarium, promptuarium*, vide ibi Popmam. In marmore antiquo apud Gruterum pag. CCCLXXXIII. 4. *Armarii dispegi*, sepulchro appositi sit mentio. HEINS. Suspecta mihi hæc est lectio. Non enim videtur convenire, ut in porticus angulo tale armarium positum putemus. Tablinum forte huic rei deputavit Trimalchio, quod tamen pro certo asserere non possum. Sed hoc scio, destitutum Trimalchionem fuisse iis, quæ veteres in hac ædium parte servabant: an vero ista signa, aliaque, quæ hic recensentur, ibi repositurit, haud temere dixero. vid. quæ noto infra cap. 37. GOES. Ex Cicerone videtur adumbratum pro Cœlio cap. XXI. *tune aurum ex armario tuo promere ausa es? tune Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis*, ubi v. Abrahami notas. Ædiculæ tales vero in omnium fere domibus. Plin. XXXVI. 5. *ædiculam columnis ador-*

cula erant Lares argentei positi, Venerisque signum marmoreum, & pyxis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant. Interrogare ego atriensem coepi, quas in media porticu picturas haberent?

[a] Iliada

natam in Palatio habuit Augustus in honorem Octavii patris. Ita *Nemeses quindecim ædiculis inclusas* idem memorat eodem libro, cap. 13. Imo in castris Augustorum ædiculam habebant. v. Gruter. CLXXXIII. 12. *ædiculam Priapi* ibidem XCV. 2. & passim. BURM.

Ædicula] Sacellum, lararium, quæ in magnatum domibus fuerunt. GLOSS. Θήκη simulacri. Tertul. de Idol. cap. VIII. *Nec enim differt an exstruas, an exornes, si templum, si ædiculam ejus instruxeris.* WOUWEREN. Pretiosioribus effigierum ædiculas faciebant. Pausan. Corint. Ἑρμοῦ δέ εἰσιν ἀγάλματα χαλκᾶ μὲν καὶ ἀρχαῖα ἀμφότερα. τῷ δὲ ἑτέρῳ καὶ ναὸς πεποίηται. Herodot. Euter. Τὸ δὲ ἄγαλμα τοῦτο ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ προικκομίζεται. Tibullus

——— *paupere cultu*
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Juvenal. Sat. VIII. vers. 110.

Ipsi deinde lares, si quod spectabile signum,
Si quis in ædicula Deus unicus. BARTH.

Quem & vide XXI. adv. 6. Sacello, sacrario, lararo, quæ in Magnatum domibus fuisse notavit Barth. ad Claudian. num. 480. ERHARD. Sic in ædicula, stabulo inserta, apud Apulejum, Eponæ signum asservabatur. Cujusmodi ædiculæ sive Lararia in domibus lautiorum non raro extabant. Naso in Ponticis testatur, imaginem Cæsaris domi suæ fuisse dedicatam in simili ædicula, quam *sacrum Cæsaris* appellat. Sacrarium est Suetonio in Tiberio cap. LI. ubi consulendus Casaubonus. HEINS.

Pares argentei &c.] Locus est mendosus, opinor, forte *Paridis argentei positi*, &c. ut non temere Veneris Paridisque signa simul conjuncta sint propter judicium Paridis. ita legendum esse indicant, quæ sequuntur; *Et pixis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius conditam esse dicebant.* nam de viro aliquo loquutum fuisse necesse est. Sic Plinius lib. 34. cap. 7. *Ab Euphranore sculptum ære Paridis judicium refertur.* Hic autem *argentei positi*, id est, sculpti, interpretor: sicuti apud Horat. lib. 4. Od. VIII. vers. 7.

Hic saxo, liquidis ille coloribus,
Sollers nunc hominem ponere nunc Deum.

EMMIUS. Inscriptio apud Sponium Miscell. Erud. Antiq. pag. 114.

GENIO. DOMNOR. CERERI.
T. POBLICIVS. CRESCENS. LARIBVS.
PVBLICIS. DEDIT. IMAGINES. ARGENTEAS. DVAS.

Apud Gruter. CLXXIV. 7. quidam Municipibus Rhegginis legat inter alia, *Lares argenteos septem*, & ita intelligenda illa apud Marcellum l. 6. in f. ff. de auro & argent. leg. *Heredem meum volo fideique ejus committo, ut in patriam meam faciat porticum publicum, in qua poni volo imagines argenteas, jam marmoreas.* Et in leg. XIX. eodem, *sed nec candelabra, nec lucernæ argenteæ, vel sigilla, quæ in domo reposita sunt, vel imagines argenteæ argenti appellatione continebantur.* Nescio autem, quid Emmium impulerit, ut hæc verba corrupta esse crederet, & hinc absurda correctione tentaverit sanare, quæ nullo modo adfecta erant. Neque vox *ejus*, cum *barba* juncta ad aliquod signum in ædicula positum, aut ad Venerem est referenda, ut fecit Bongarejus; sed ad ipsum Trimalchionem, cujus barbam pyxide conditam narrat. BURM.

Marmoreum positum] Dele *positum*; ut glossema, & vocem inutilem. TILEBOM. Το *positum* redundat, ac delendum est, temere repetitum ex superioribus. HEINS.

Pixis aurea] Scribe *pyxis*. Sueton. Neron. cap. XII. TORNÆS. Suet. Neron. cap. XII. *Inter Buthysiæ apparatum barbam primam posuit, conditamque in auream pyxidem, & pretiosissimis margaritis adornatam Capitolio consecravit.* Xiphilinus. PITH. Lucianus de Dea Syria circa finem. Τοῖσι δὲ νέοισι πλοκάμους ἱροὺς ἐκ γενετῆς ἀπιᾶσι, τοὺς, ἐπὰν ἐν τῷ ἱρῷ γένωνται, ταμεῦσι, καὶ ἐς ἄργεα καταβέντες, οἱ μὲν ἀργύρια, πολλοὶ δὲ χρύσια, ἐν τῷ νηῷ προσηλώσαντες, ἀπιᾶσι, ἐπιγράψαντες ἕκαστοι τὰ ἑωυτῶν ὀνόματα. WOUWEREN. Hunc ritum mire illustrat carmen in silvis Papinianis de coma Earini, in pyxide aurea missa Pergamum, ac Æsculapio dedicata. Cæterum pyxis proprie è buxo, unde & nomen sortitur. Seneca v. de Benef. XIII. *Quædam, etiamsi vera non sunt, propter similitudinem, eodem vocabulo comprehensa sunt. Sic pyxidem & argenteam & auream dicimus.* HEINS.

In qua barbam ipsius conditam esse dicebant] Veneris scilicet. Macrob. lib. 3. cap. 8. *Signum etiam Veneris est Cypri barbatum corpore, sed veste muliebri, cum sceptro ac statura viri, & putant eundem marem & feminam esse*, &c. BONGARS. Vulgaris ac notissima veterum consuetudo deponendæ barbæ multis testimoniis confirmata à Criticis nostris. Lipsio ad Tacitum. Annal. lib. 14. Torrentio ad Sueton. Neron. cap. 12. Alexandro Neapolitan. Genial dier. lib. 5. cap. 18. Tiraquello ibidem in Addition. Radero ad Martial. lib. 3. ep. 5. Ramirez Hypomn. ad Martial. lib. 5. epig. 6. ERHARD. Sueton. in Neron. cap. 12. Dio de Nerone: Καὶ τὰς τρίχας ἐς σφαιρίον τι χρυσοῦν ἐμβαλὼν, ἀνέθηκε τῷ Διὶ Καπιτωλίνῳ. Casaub. ad Sueton. WEITZ.

In medica] Alii *in media*, id est, *in porticu*. TORNÆS. Lege *quas in media picturas habebat*. Glossæ: *Tullia, media vel regia*. hoc est, aula vel atrium, in quo

Iliada & Odyſſeam, inquit, „ac Laenatis gladiatorium munus.

XXX.

ATRIENSIS.

quo tabulæ pictæ exponebantur; ideo ex atrienſe quærit. Verum Ill. Scaliger *Medicam* vocari putat porticum, inſtar τοῦ ποικίλου Athenis, quæ ita potuit vocari à pictura Medorum, id eſt, à pictis Perſis à Miltiade devictis

——— *braccatis illita Medis*

Porticus. ——— WOUWEREN.

Lege: *quas in porticu picturas haberent? Iliada & Odyſſeam; reſpondit.* BARTH. At lib. XIII. adv. cap. V. legit, *in poëtica.* vide &, l. XXI. c. VI. Lege *in media*, ſcilicet porticu. Moris erat apud Romanos, hiſtorias, fabulas, & alia multa porticibus depingere, ſubſcriptis Poëtarum verſibus, quos deinde otioſi ſolebant ſpatiantes relegere. Ramirez ad Martial. libro 3. epigram. 20. num. 5. ERHARD. Et hoc loco ſuperfluus aſteriſcus. *quas in medica picturas habebat*, recte ſic libri MSS. quos ſecutus Scaliger. BOURDELOT. Vulgo legunt, *in medica;* Scaligerumque ajunt probare. Vellem ſcire cauſam, nam Scaligerum quidem ipſum hactenus non vidi. Mihi potior Wouwerii ſententia, qui de porticu accipit hunc locum, atque *media* legit. SCHEFFER. Illud *haberent* eſt in omnibus. At præcedit tantum de uno pariete, unaque porticu. An hæc duo ſingularia reſpicit, num referendum ad homines, ſicut ſolemus in Germanico: *Er fragte, was ſie da vor Gemälte hatten.* IDEM Scribe, atque ita diſtingue, *cœpi: quas in medio picturas haberent?* TILEBOM. *In medica*, codex Scaligeri aliique complures. Scribe in *ædicla*, ut paſſim apud noſtrum *oſſia, picla*, & ſimilia. Per cancellos aut feneſtras ædiculæ quidem apparebant Lares argentei, & Veneris ſignum marmoreum cum pyxide aurea, in ipſo pariete ædiculæ minus apparebant, quod oſtium ædiculæ eſſet occluſum. Mox bene codex Scaligeri, *Iliada & Odyſſeam.* HEINS. Male hæc *de medica porticu* accipiunt, ut & fecit Kuchen. ad Nepot. Miltiad. cap. VI.

Iliada & Odyſſeam] Vide Philoſtr. Icon. Scamandri. WOUWEREN. MS. Tragurianum *Odixeam*, quod non eſt contemnendum. *Ulyxes*, pro *Ulyſſes*, reperitur ſæpe in Codicibus antiquis, & apud noſtrum in ſequentibus: ſic *notus Ulyxes.* SCHEFFER. Mirum ſi hæc omnia in una ædicula, quæ vel ædes ampliſſimas implere poſſunt. Quapropter malo retinere lectionem vulgatam, *in medio*, quæ commodo ſenſu non deſtituitur. Picturæ enim, quæ habentur *in medio*, non ſunt aliæ, quam quæ ſunt ad manum, in propatulo, viſui expoſitæ, & non reconditæ in pinacothecis. Virg. lib. II. Æn. verſ. 533.

——— *Quamquam in media jam morte tenetur.*

Id eſt, manifeſta. & infr. cap. 49. *voca cocum in medio.* GOES.

Ac Lanatis Gladiatorium munus, &c.] Locus inſigniter depravatus, quem ita reſtituendum eſſe putarem; *ac dantes gladiatorium munus non licebat multoties conſiderare:* ne videlicet horror & metus ab inflictis vulneribus & effuſo cruore gladiatorum aſpectantes inceſſeret. TILEBOM. Hæc prodigioſa ſunt, nec emendatu facilia. Suſpicor nihilominus, ſcripſiſſe noſtrum: *ac læva, bis gladiatorium munus. Non licebat multa etiam conſiderare.* Continuat atrienſis verba ſua, & poſtquam de Iliade ac Odyſſea picta memoraſſet, pergit, inque læva porticus parte ait cerni bis pictum munus gladiatorium, quod à ſe datum, credo, Trimalcio memoriæ cauſa ibi juſſit depingi, pro illorum temporum conſuetudine, de qua dico in opuſculo *de Picturis.* Niſi mavis cum Cl. Gronovio inſiſtere tenacius lectioni veteri, legereque, *ac Lanatis*, & accipere de munere nonneminis ſic appellati. Cum Lænatis Conſulis ſit mentio apud Ciceronem III. de Legibus, alibi quoque crebro nomen hoc occurrat. Subdit poſtea Encolpius, non fuiſſe ſibi tantum temporis, ut hæc omnia ſpectare poſſet diligentius. *Multa conſiderare* dictum eſt, ut apud Virgilium, *multa reluctari.*

——— ——— *& ſpiritus oris*

Multa reluctanti obſtruitur ———

ait IV. Georg. Ubi Servius: *multa, pro multum, nomen eſt pro adverbio.* Mallem ego genus dicere ellipticum, integreque eſſe, *ad multa negocia uſque*, vel, *ad multa tempora uſque*, cum ne *multum* quidem ſit adverbium, quod abunde Schoppius in Paradoxis comprobavit. Illud *etiam* reſpicit ſuperius, *non deſtiti perſequi parietem*, celeriter videlicet ac curſim perluſtrando. Vult enim, etſi ita perluſtrarit, conſiderare etiam ſingula cum cura haud potuiſſe. De *conſiderandi* voce dixi alibi ad Phædrum. SCHEFFER. Quis ille Lænas fuerit, cujus munus ineptus noſter Trimalchio juxta Iliada & Odyſſeam depingi in porticu ſua voluerit, difficile dictu eſt; hoc cognomen autem aliquot gentibus, fuit commune, ut Popiliæ, Octaviæ, Ulpianiæ, & Pontianæ, ſed proximus his temporibus fuit C. Octavius Lænas, quem A. U. C. 786. Curatorem aquarum fuiſſe ſcribit Frontinus lib. II. de Aquæductib. non tamen puto ad hunc referendam hanc picturam, ſed ad aliquem libertum, forte familiæ Octaviæ vel alius, quæ id cognomen gerebat, qui in hac colonia ſumptuoſiſſimum munus ediderat, & cujus memoriam ejuſdem loci & ordinis homo noſter lautiſſimus æternitati commendaverat. De jure edendi munera in coloniis agemus infra cap. XLVI. Præterea hic locus etiam temporis, quod Petronius toto ſuo Satyrico perſtringit, notam egregiam habet. Hæc enim inſania totos parietes pingendi maxime circa hanc ætatem Romæ increbuit. Plin. lib. XXXV. cap. 10. *Non parietes excolebant dominis tantum, nec domos uno in loco manſuras, quæ ex incendiis rapi non poſſent. Caſula Protogenes contentus erat in hortulo ſuo. Nulla in Apellis tectoriis pictura erat. Nondum libebat parietes*

XXX. „Non licebat multa etiam considerare. Nos, jam ad triclinium perveneramus, in cujus parte prima procurator rationes accipiebat: &

totos pingere. Et eodem libro cap. 7. dicit *Libertum Neronis, cum daret Antii munus Gladiatorium, publicas porticus investivisse pictura gladiatorum, ministrorumque, omnium veris imaginibus redditis. Hic multis jam saeculis summus animus in pictura.* Quæ verba ultima & Dalecampius male interpretatur, nec felicius eum reprehendere mihi videtur Harduinus. Nihil enim dicere voluit aliud Plinius, quam omne studium illos posuisse in pictura excolenda, ei uni arti animum omnem & cogitationes adplicuisse, ut Terentiani illius militis servus Eunuch. act. IV. sc. 7. *animus erat in patinis.* Schefferi autem emendationem, quam ut codicis sui veram lectionem Gallicus mango recepit, *læva bis gladiatorium munus*, rejiciendam omnino censeo. Saltem Petronius dixisset se ad lævam vel à læva vidisse *duo gladiatoria* picta, nam idem munus bis in eodem loco pingere ipsam Trimalchionis insaniam superaret. Si quid conjecturæ locus esset, tentari posset, an non scripserit *ac Mæcenatis gladiatorium munus.* Nam illa *læva lanatis* facile ex Mæcenatis nomine potuere conflari, hujus autem sectam studiosissime effingebat Trimalchio, ita ut & inde Mæcenatiani cognomen adsumserit, ut infra cap. LXXI. videbimus. Sed nihil adfirmo. BURM.

Non licebat multaciam considerare] Opinor, *multa ad aciam considerare.* Addantur quæ notamus infra cap. LXXVI. ad verba *Ab acu & acia omnia exposuit.* Glossæ veteres, *Acia*, ῥάμμα. Hinc *aciarium.* Glossæ Labbæi: Ῥαφιδοθήκη, *Aciarium, Aciclarium.* Poteram restituere: *Non licebat per otium multa considerare*, sed longius abit. Deinde scribe: *Nam nos ad triclinium perveneramus.* HEINS. Ego vero hunc locum ita constituendum existimo: *Non licebat mi ultra eam considerare, nam nos ad triclinium perveneramus.* GOES.

Considerare] Vide supr. ad cap. XII.

Veneramus] Ita editiones priores; Tragurienſis codex *perveneramus.*

In cujus parte prima] In cujus parte prima? an triclinii? id sane verba, ut hic exstant, non obscure indicant. Sed licet ad triclinium pervenerant, nondum intraverant tamen, imo ne intrare quidem conati fuere, adeoque nec perspicere potuerunt, quid rerum ibi ageretur: ut arbitrari liceat extra triclinium rationes esse acceptas. Cum vero Servius scribat, veteres in atriis suas habuisse pecunias & census, facile inducor ut existimem, ibi procuratorem etiam rationes accepisse. Hoc autem cum verba, prout ea hic habemus, non admittant, restituenda pauca, quæ excidisse videntur, existimo in hunc modum: *Nam nos ad triclinium perveneramus, emenso porticu atrioque, in cujus parte prima procurator*, &c. HEINS. Nempe, quæ lectis mensaque non occupabatur. Nam *triclinium quanta latitudo erat, bis tanta longitudo esse solebat*, ut ex Vitruv. discimus lib. VI. cap. V. GOES. Hæc pars non in ipso Triclinio erat, sed in atrio, ubi ante Triclinium & ei juncta videtur fuisse cella, vel cubiculum aliquod procuratoris, quæ quasi pars Triclinii erat; nondum enim intraverant Triclinium, ut recte observavit Heinsius, & docet Servius ad Virgilii Æneid. lib. I. vers. 726. *in atriis habuisse pecunias*, & ad lib. IX. vers. 648. *census etiam omnes illic servabant.* Et hinc explicanda verba Lucæ cap. XI. vers. 21. Ὅταν ὁ ἰσχυρὸς καθωπλισμένος φυλάσσῃ τὴν ἑαυτοῦ αὐλήν, ἐν εἰρήνῃ ἐστὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ. Ubi perperam contendit Beza *aulam* esse vertendam eo sensu, ut *regiam* notet, cum vulgatus interpres optime reddiderit *atrium*, in quo nempe opes ejus erant reconditæ. Et ita reddendum docet alter Lucæ locus XXII. 55. ubi ignis ἐν μέσῳ τῆς αὐλῆς *in medio atrio* erat, ad quem adsedit Petrus, & ita semper hanc vocem reddit interpres vetus. Ita Virgil. lib. III. Æneid. vers. 354.

Illos porticibus Rex accipiebat in amplis,
Aulai in medio libabant pocula Bacchi.

Horat. I. Epist. I. 87.

——— *Lectus genialis in aula est.*

Et passim. Et circa atrium, ut porticus, ita etiam cubicula quædam & membra domus erant, quarum Januæ in atrium exibant. Ita Servius d. l. docet culinam ibi fuisse, & epulatos in atrio veteres, certe non sub dio, sed in triclinio atrio adjuncto. BURM.

Procurator rationes] Veteres, *procursator rationis.* Pith. PATISSON. Pith. *procurator rationes*, &c. TORNÆS. & PUTEAN. Colum. lib. I. cap. 8. *Procuratori suprajanuam sit habitatio, ut introntium exeuntiumque conspectum habeat.* BONGARS. Plaut. Pseudol. Act. II. scen. 2. *Condus promus sum, procurator peni*, &c. *Mihi hercle vero, qui dies rationesque heri Ballionis curo, argentum accepto expenso.* PITH. Infra hoc capite, *Dispensatorem in precario aureos numerantem deprecati sumus.* Ex quo videtur Petronius *Dispensatorem* alium facere à *Procuratore. Dispensator* est, quem nos hodie *thesaurarium* vel *camerarium* dicimus, toti fisco dominico præpositus: *Procurator* autem, quem nos *fiscalem* & *rationalem, Rechenherr und Zahlmeister.* Matth. cap. XX. vers. 8. *Dicit dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos.* Sic infra; *procurator insulæ Bargates*, qui servus fuit insulæ, sive domus administrator. Petrus Diaconus in vita B. Gregorii Papæ; *Cum ergo Gregorius ei sex argenteos dari fecisset, & abiisset, eadem die iteram rediit*, &c. *Sed Gregorius, cum à procuratore sui monasterii didicisset nihil*

&, quod praecipue miratus sum, in postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quorum imam partem quasi embolum navis aeneum finiebat, in quo erat scriptum, G. POMPEJO. TRIMALCHIONI. VI. VIRO. AUGUSTALI. CINNAMUS. DISPENSATOR. Sub eodem titulo,

hil dandum (leg. *tandem*) *praeter scutellam argenteam, quam mater sua cum leguminibus mittere solebat, in monasterio remansisse, illam statim dari praecepit.* vide §. 43. Institut. de rer. divis. De *dispensatore* Papias scribit; *Dispensator, cui creditur administratio pecuniarum: quia prius, qui dabant pecuniam, non numerabant, sed appendebant eam.* ERHARD. Senec. Epist. XIV. *Oblitus est usus, rationes accipit, forum conterit, Kalendarium versat, fit ex domino procurator.*

In postibus triclinii &c.] Ad terrorem & supplicium servorum. TORNÆS. Non de nihilo est, quod se dicit admiratum in postibus triclinii fasces, secures, embolum navis. Hæc enim erant, quibus superbiebat & triumphabat Trimalchio, cum veteres illi Romanorum viri Principes affigerent hostium spolia, non in domus parte interiore, sed foris circa limina, quæ nec emptori refigere liceret, ut triumpharent etiam mutatis dominis ipsæ domus: quemadmodum id refert Plinius lib. XXXV. cap. 11. GOES.

Unam partem] Lege *imam partem. Fasces*, bacilli aliquot teretes, loro colligati in modum fascis. *Secures* & *fasces* insignia magistratus, quibus à lictoribus prælatæ. Duumviris autem, Ædilibus Quinquennalibus, Sexviris (qui magistratus municipales) lictores præibant: non cum fascibus, sed nudis virgis, aut bacillis. ideo miratur adolescens, quia insolens & præter morem. Lipsius Elect. lib. 1. cap. 23. Moris autem adfigi fasces postibus liminum Magistratus, de quo Barth. ad Claud. IV. Cons. Honor. vers. 3. ERHARD. Malim, *imam partem.* GOES.

Embolum navis] τι χάλκωμα τὸ περιτιθέμενον κατὰ τὴν πρῶραν. PITH. Scholiastes Pindari: ad Pyth. od. IV. vers. 341. ἔμβολοι ὃ φησὶ τὸ ξύλον, ᾧ ἀναδισμῶσι τὴν ἄγκυραν. Glossarium: *Rostra*, ἐμβολαὶ. Falsus Gyraldus, qui libello de re Nautica, cap. XI. arbitratur embolum l. x. C. de sacrosanct. Eccl. esse genus navis velocissimæ, cum sit stata illatio specierum, cujus fit mentio in Edict. Just. 13. cap. 7. L. de navib. excus. Novel. 163. WOUWEREN. Embolum aduncum erat. Hinc in Catalect.

——— *Puppis adunca cucurrit.*

Propertius, Statius, & alii, *curvam navem* dicunt. Et propterea *rostrum* à Latinis scriptoribus vocatur. Petronius Græcam vocem retinuit. Ex hac forma *Rostrum* in foro ἔμβολον nominant. Appianus; καὶ αὐτὸν ὁ Σύλλας ἐν ἀγορᾷ πρὸ τῶν ἐμβόλων ἔθηκεν. Lindenbrog. Not. in Catalect. pag. 322. Adde Bayfium de Re navali. ERHARD. *Ambulum* codex noster. In vulgatis *embolum* scribitur. Dicam hac de re nonnihil amplius in Curis secundis librorum de Militia navali. SCHEFFER. Vide Bayfium, Schefferum & alios. GOES.

Navis aneum] MS. *navis treum.* Puto lectionem veram *navis æreum.* SCHEFFER.

C. N. POMPEJO.] Non Cneus, sed Gajus noster ubique vocatur toto hoc opere, millies credo. Scribendum igitur *G. Pompejo.* Possit nihilominus fieri, ut G. N. *Gajo nostro* sint interpretanda, quomodo paulo post *G. Noster.* Sic *Cæsar* N. sive *Noster*, sæpe in Inscriptionibus. Senatus apud Lampridium Alexandro Severo: *Cæsar noster, Augustus noster, Imperator noster, Dii te servant.* Atque ita apud Plautum Terentiumque servi passim de dominis suis. HEINS. Editi ac MSS. omnes habent, *G. POMPEJO.* Vellet sane altero modo Dousa in Præcidaneis, sed frustra est. Vide quæ notabo in sequentibus. SCHEFFER. MS. Tragurianum, *cum noster.* Subest aliquod, quod non statim liquet. Sane illud *Cnejus noster*, quod habent editi, nimis humile videtur. Suspicor scribendum litteris quadratis C. V. M. NOSTER, atque explicandum, *cum voto memoriæ*, vel *contra votum memoriæ*, aut simili aliquo modo. IDEM. Non dubito, quin C. id est, *Cajus* vel *G. Gajus*, dictus fuerit noster Trimalchio; quamvis enim Pompejo Magno & aliis *Cnæi* prænomen fuerit, ex eadem tamen gente alii fuere Caji dicti. Ita sub Claudio consul fuit A. U. C. 802. *C. Pompejus Longinus.* Tacit. XII. ann. 5. ubi vid. Ryckium. & in Gruteri & Reinesii inscriptionibus plurimi hoc prænomine occurrunt, ut indices inspicientibus patebit. inter quos etiam est p. CCCCLV. 7. C. POMPEJUS DIOGENES IIIIVIR. AUG. ut noster, & quo nomine alter collibertus Trimalchionis occurrit, infr. cap. XXXVII. unde liceret dubitare, an non Consulis istius, vel alterius ex eadem familia fuerint liberti. Sed hæc incerta. BURM.

VIRO AUGUSTALI] Pith. VI. *VIRO.* TORN. Sic Vet. lego *VI. VIRO AUG.* PUTEAN. Sæpe in Inscriptionibus. Gruter. pag. CXLIX. 6.

PVBLIVS ANTHVS
VI VIR AVGVSTALIS.

Et pag. CCCIX. 5.

FAVSTVS
VI VIR ET AVGVSTALIS
QVI INTER PRIMOS
AVGVSTALES
A DECVRIONIBVS
AVGVSTALIS FACTVS EST. WOUWEREN.

Horum

titulo, etiam lucerna bilychnis de camara pendebat, & duae tabulae in utroque poſte defixae; quarum altera, ſi bene memini, hoc habebat inſcriptum:

III. ET.

Horum mentio frequentiſſima apud Gruterum in magno inſcriptionum opere. Quæ loca ne huc congeramus, adeundus index XV. & XVII. Aliquando ſimpliciter *Auguſtales* dicebantur Seviri, & eorum munus *Auguſtalitas*. Sic *onus Auguſtalitatis* pag. CCXV. 2. & *Auguſtalitatis munus*, eadem pag. CCXV. 2. Creabantur Auguſtales à Decurionibus. Vetus inſcriptio: *Auguſtalis inter primos Auguſtales à Decurionibus factus.* Idque gratuito nonnumquam, ut infra dicemus; quandoque compellebantur inviti ad munus ſuſcipiendum. Gruter. pag. CCXV. 2. HEINS. Multa de hoc honore viri docti. Sed Reineſius in Epiſt. XXXI. ad Rupert. & ad Inſcript. Claſ. I. 99. contendit fuiſſe magiſtratus municipales, mandatu & auctoritate Præſidum ab Auguſtis impoſitorum creatos, ex quibus deinceps duumviri crearentur, & diverſos ab aliis Seviris, qui in municipiis & coloniis fuiſſe dicuntur. Sed rectius Noriſius ad Cenotaphia Piſana Diſſert. I. cap. 6. oſtendit, non fuiſſe magiſtratus, ſed Sacerdotes, quales primum à Tiberio in honorem Auguſti Romæ creati ſunt, teſte Tacito lib. I. Annal. cap. 54. & lib. I. Hiſt. cap. 95. deinde in coloniis & municipiis, ad exemplum urbis Romanæ, inſtituta collegia fuere Auguſtalium, quorum ſex primi Seviri Auguſtales dicebantur. Hi autem ex decurionibus ſumebantur, & in Juniores & Seniores diſtinguebantur. Sed hæc melius apud Noriſium legi poſſunt. præterea hinc apparet, quare præcipue miratus ſit Encolpius, faſces cum ſecuribus in poſtibus fuiſſe fixos, cum Sevir tantum eſſet Trimalchio, neque ullo magiſtratus jure eos ſibi vindicare poſſet, cum Duumviris in coloniis tantum bacilli darentur, licet Capuani Duumviri, pro inſita genti ſuperbia, ſe & *Prætores* vocaverint & faſces ſumſerint aliquando, teſte Cicerone Orat. I. agrar. cap. 34. unde, ſi ſcena hæc Capuæ, vel alibi in Campania ſit ponenda, apparet, quam apte huic Campano Auguſtali faſtum hunc adſcripſerit Petronius. Poſteriori tamen ævo magiſtratibus municipalibus faſces conceſſos docet Apulejus X. Metam. *Gradatim permenſis honoribus, quinquennali magiſtratui fuerat deſtinatus, & ut ſplendori capeſſendarum reſponderet faſcium, munus gladiatorium triduani ſpectaculi pollicitus latius munificentiam ſuam proſcribebat.* Et ita in lege 174. Cod. Theodoſ. (quæ eſt 53. Juſtinianei) de Decurionibus, *poteſtas faſcium* Duumviris datur, ſed quam *non licet extollere extra metam territorii.* BURM.

Etiam] *Et* codex Tragurienſis.

Lucerna bilychnis] Lucerna penſilis, duplici lychno. GLOSS. Forte legendum *bilychnis*. quod epithetum aptius convenit lucernæ, quam *bilignis*. EMMIUS. Tertull. Apolog. cap. 35. *Cur die lato non laureis poſtes obumbramus, nec lucernis diem infringimus? honeſta res eſt, ſolemnitate publica exigente, inducere domui tuæ habitum alicujus novi lupanaris.* Græco autem ſermone uſus eſt, ne vile aliquid intro ferret: ut Virgil. I. Æneid. 726.

—— *Pendent lychni laquearibus aureis.* PITH. Quia catenis ſuſpenſæ. In Geſtis purgationis Cæciliani & Felicis: *Lucernæ undecim cum catenis ſuis.* has catenas innuit Statius Thebaid. lib. I. verſ. 510.

Aſt alii tenebras, & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis.

Arrian. diſſ. Epict. Ἔρχεται εἰς οἶκον, ἐυρίσκει λύχνους ἀπλομένους. WOUWEREN. Candelabrorum, priſcis in cœnis, nullus uſus. Noctis tenebras lucernis penſilibus diſpellebant. Bernart. Scholiis in Stat. lib. I. Thebaid. Sidon. lib. 9. epiſt. 13.

Laquearibus coruſcis
Camera in ſuperna lychnus.

Savaro in Not. ERHARD. Apud Gruterum pag. CCXV. 2. in veteri teſtamento, *candelabra & lucernæ bilychnes.* Occurrunt & ſæpe in veterum ſcriptis. HEINS.

De camera] *Camara* ſcribendum ubique cenſet Salmaſius: diverſam autem à laqueari eſſe docet ad Vopiſci Aurelian. cap. 46. quod & ex Plinii lib. XXXIII. 3. & XXXV. 11. apparet. *camaram* quoque ſcribit Feſtus, & Gudius ad Phædr. IV. fab. 24. & ita optimus codex S. Germani Columellæ, lib. I. cap. X. quem conſuluit Heinſius, *horreum camara contectum.* Ita & legendum apud Sidonium IX. Epiſt. 13.

Numeroſus erigatur
Laquearibus coruſcis
Camara in ſuperna lychnus.

Quem locum Erhardus adduxit, & infra in hac cæna cap. 40. *ſublatis ad camaram manibus.* Apud Ciceronem quoque lib. III. ad Q Fratr. epiſt. I. meliores codices & editiones *camaras quaſdam non probavi, mutarive juſſi.* Cæterum hæc camara docet, procuratorem, non in atrio ſub divo, ſed in cella ſibi propria ſediſſe, & per quam in Triclinium ibatur. BURM.

In utroque poſte] Sed jam ſupra dictum eſt: *in poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus.* Quapropter, cum ea ratione poſtes illi jam ſint occupati, magis eſt ut putem, legendum hic eſſe, *ab utroque poſte*, id eſt, ad utriuſque latus. GOES.

Si bene memini] Formula ſolemnis, de qua vide Paſſeratium ad Propertii lib. II. eleg. I. verſ. 51. quamvis in ipſo Propertii loco melius legatur,

Sed memini, ſolet illa leves culpare puellas.

ut monuit ejus vatis unicus interpres Brouckhuſius. BURM.

G. No-

III. ET. PRIDIE. KAL. JAN.
G. NOSTER. FORAS. COENAT.

altera Lunae cursum, Stellarumque VII. imagines pictas; &, qui dies boni, quique incommodi essent, distinguente bulla notabantur. ,, His ,, repleti

G. Noster] *Cum noster*, Tragurianum MS. Subest aliquid, quod non statim liquet, sane illud *Cnejus noster*, quod habent editi, nimis humile videtur. Suspicor scribendum literis quadratis. C. V. M. NOSTER. Atque explicandum, *cum voto memoriæ*, vel *contra votum memoriæ*, aut simili aliquo modo. SCHEFFER.

COENAT.] Eruditissimus Brouckhusius putat COENAVIT legendum, quasi rei tam insolitæ memoria in secula titulo & inscriptione esset mittenda. Sed & vulgata retineri potest, ut indicetur hac inscriptione, reliquis diebus anni ad Trimalchionis cœnam patere convivis aditum, his diebus, quos nescio qua de caussa amicis suis, quibus toto anno non dignabatur condicere cœnam, tribuebat. Videtis lautissimi hominis fastum. Præterea legerem *foris cœnat*. nam male de Salas capit, quasi in publico cœnaret iis diebus. Sed *foris* cœnare est apud amicum cœnare, non domi, ut Martial. II. ep. 53. & 69. & passim, supr. cap. x. BURM.

Stellarumque VII.] Pro *Planetarum*, ERHARD. Nescio an planetas intelligat Petronius, quæ numerum septenarium sine Sole & Luna conficere non possunt. Et videtur hic aliquid superstitionis & ominis latere, quod me intelligere nondum fateor. Sed ut aliquid suspicer, faciunt nummi plurimi; in quibus conspicitur Luna crescens, & septem stellæ, quod quo pertineat, nec Ursinus neque Vaillantius in Gente Clodia explicuerunt, sed in Hadriani nummo Tristanus tom. I. p. 459. & Severi tom. II. p. 64. rationem reddere tentavit. Neque planetas esse docet alter nummus gentis Lucretiæ, in quo Lucretius Trio legitur, & Luna corniculata inter septem stellas, quas septem triones esse cognomen Viri monstrat. Quamvis ille numerus etiam aliquando Pleiadas exhibeat: ut in nummo Claudii, ubi Jupiter stans septem stellis cingitur, apud Tristan. t. I. p. 185. qui & videndus p. 346. præterea, nisi exacte numerum illum septenarium servatum videremus, possemus fingere Lunam ex Poëtarum descriptione exhiberi innumerabilibus cinctam sideribus, ut loquitur noster infra cap. XC. & Poëtæ passim. BURM.



Et qui boni, quique incommodi] Ante hæc verba distinguendum. Ita quoque Propert. II. eleg. XX. vers. 62.

Quæritis & cælo Phœnicum inventa sereno,
Quæ sit stella homini commoda, quæque mala.

ubi videatur Passeratius. Apulej. II. Metam. *Cerdo quidam negotiator accessit eum, diem commodum peregrinationi sibi cupiens providere*, ut in codicibus MSS. ille locus exhibetur. Vide Celeber. Græv. Lect. Hesiod. cap. XVII. BURM.

Distinguente bulla] Bullati clavi, quorum in tabulis affixis (ut perpetuis calendariis, ut vocant hodie) ad notandos dies erat usus. GLOSS. Bullatos clavos intelligit, quibus portæ configuntur, unde *bullæ ostiorum* apud Plautum. Clavis autem in ostio fixis annos & dies notari solitos testis observatio antiquitatis de Dictatoribus clavo pangendo creandis. WOUWER. Non in ostio, ut vult Wouwer. sed tabula affixa, ut nos hodie *Fastos nostros*, id est, Calendaria solemus illa, quæ perpetua vocantur, & distinguente bulla notari amant. ERHARD. Male in Editionibus, quotquot ego vidi, verba isthæc commate separant à præcedentibus. Mallem ego dividere puncto, quia non cohærent. Nec enim *pictas notabantur* quisquam dixerit. SCHEFFER. Non video quis bullæ hic usus. Quare hic legendum arbitror, *distinguente tabula*, sive *tabella*; aut certe, *distinguente pullo*, hoc est, atro colore, qui diebus infestis conveniens. Nam fasti rubro colore designabantur, unde *picti fasti*, apud Nasonem. Sic *pullum* pro veste pulla apud Florum lib. IV. cap. IV. *Dux ipse cum pullo (nefas) apud principia conspectus est*. Sic *album*, pro albo colore apud Curtium

„ repleti voluptatibus, cum conaremur in triclinium intrare, exclamavit „ unus ex pueris, qui super hoc officium erat positus: Dextro pede. Si„ ne dubio paulisper trepidavimus, ne contra praeceptum aliquis no„ strum transiret. Caeterum, ut pariter movimus dextros gressus, ser„ vus nobis despoliatus procubuit ante pedes, & rogare coepit, ut se poenae eriperemus: nec magnum esse peccatum suum, propter quod periclitaretur. Subducta enim sibi vestimenta dispensatoris in balneo, quae vix

tium libro III. Et sic Columella in cultu hortorum, si per librarios licuisset:

Tum quæ pallet humi, quæ frondes purpurat albo,
Ponatur viola, & nimium rosa plena pudoris.

Nam in optimis S. Germani membranis exaratum offendi *purpurat tabo*. Vulgati, *purpurat auro*, quod manifesto falsum. Malim praeterea, *Tum quæ pullat humi*, ne bis idem dicat, & praeterea, *minii rosa plena pudoris*, vel, *minio pudore*. HEINS. Non sollicitarem vocem *Bulla*, cum notissimum sit januas & postes bullis aureis & argenteis ornatas. Cicer. IV. Verr. cap. 56. *Bullas aureas ex his valvis, quæ erant & multæ, & graves, non dubitavit auferre*. Et appositе Fulgent. in libri I. prologo *Bullatum Æthera* dixit; ubi vide Muncker. Et quod hæ bullæ non in ostio, sed in tabulis, erant, singulare Trimalchionis ingenium indicat, qui has tabulas ut ornamenta postium fixerat. De bullis vid. Sagittarium de Januis Veterum cap. XXV. de *bullis* aureis & argenteis, quibus balthei ornabantur, vide Salmas. ad Pollionis Salonin. cap. 2. BURM.

Super hoc officium] Optime. ita Curtius lib. VI. cap. 7. *Nobili juveni, super armentarium posito, indicat*. Sic infra. SCHEFFER. Ita & infra cap. LVI. *Puerque super hoc positus officium apophoreta recitavit*. Reines. inscr. Class. IX. 17.

CYDNUS
TIB. GERMANICI
SVPRA HORTOS.

Vide & Gruter. pag. DXCIX. num. 8. *Supra velarios* & MCXI. 1. *Supra cubiculários*, de quibus vide Casaubonum ad Sueton. Claud. 2. Horat. III. od. VIII. de Mæcenate Præfecto urbi,

Mitte civiles super urbe curas. BURM.

Dextro pede.] Refer ad superstitionem veterum, qui mali ominis rebantur, si quis pedem sinistrum proferret ultra limen, aut intra: aut etiam pede offenderet in ipsum limen. HEINS. Atque inde Vitruvius lib. III. cap. III. *Gradus in fronte constituendi sunt, ut semper sint impares; namque, cum dextro pede primus gradus ascenditur, idem in summo templo primus erit ponendus*. Vide ibi D. Barbarum. Et nostri architecti, cum intelligunt Vitruvio imparem graduum numerum placuisse, ab eo recedendum non putant, ignari, quæ ratio, quisve error huc eum adegerit. GOES.

Sine dubio] Vere Petronianum; supra cap. XXVI. *Sine dubio non repugnaverat puer*. Senec. ep. 99. *Sine dubio multum Philosophia profecit*. SCHEFFER.

Aliquis nostrum transiret] Ita codex Tragurianus. Male Patavina & Parisina Editio, *nostrum limen transiret*.

Dextros gressus] Paulo post, *dextros pedes*, quomodo & Seneca locutus est. DANIEL. V. Barth. ad Stat. IV. Theb. 671. & lib. II. Advers. cap. X.

Dispoliatus] *Despoliatus* mallet Brouckhusius: Nudatus enim erat ad accipienda virgarum verbera. Ita Plautus Casina. IV. IV. 4.

Vir te vestiat, tu virum despolies.

Et appositе Epidic. I. Scen. II. 84.

——— *Ubi Senex senserit*
Sibi data esse verba, virgis dorsum despoliet meum.

Ubi nihil opus est *depoliet* cum Palmerio legere; sed recte Boxhornius explicare mihi videtur. v. inf. cap. 49. BURM.

Ante pedes] Ritu supplicum,

Cæsaris ante pedes supplex similisque roganti
Concidit.

Martial. Spect. epig. 30. BARTH. *Ad pedes* codex Tragurianus. Utriusque locutionis exempla obvia.

Rogare coepit, ut se pœnæ eriperemus] Inter legitimos modos, quibus servi pœna liberabantur, is fuit, nempe, si alii intercederent, ut remitteretur eis pœna, qui *deprecatores*. Terent. *Nec tu aram tibi, nec precatorem pararis*. Leg. 43. §. I. D. de æd. edict. Tertul. Apolog. cap. XI. *Deprecatores Dei esse cœperunt*. WOUWEREN.

In balneo] Hic igitur erat servus capsarius, de quo in lib. I. *de Offic. Pr. vigilum*, & apud Epiphanium lib. 2. tit. I. contra Adamianos. PUTEAN. Quia mire frequentes in balneis fures, qui vestimenta subripiebant. Plautus Rud. act. II. sc. III. vers. 51.

——— *qui it lavatum*
In balneas, ibi cum sedulo sua vestimenta servat,
Tamen surripiuntur ———

Hi *fures balnearii*. Gloss. *Fur balnearius*, βαλανοκλέπτης. Tertull. de fuga in persec. *Inter tabernarios & fures balneariorum*. Apolog. cap. XLIV. *Quis illic sicarius, manticularius, aut lavantium prædo*. Vide D. de fur. baln. Ideo adducebant servos, qui vestes servarent, Græcis ἱματιοφύλακες. cui muneri inservit hic dispo-

vix fuissent X. H. S. Retulimus ergo dextros pedes, dispensatoremque in precario aureos numerantem deprecati sumus, ut servo remitteret poenam.

dispoliatus, Lucian. Hippia: τί ἂν σοὶ ἐπὶ τούτῳ λέγοιμι, παλαίστρας, καὶ τοὺς κοιτῶνας τῶν ἱματιοφυλακούντων κατασκινάς. Latinis *Capsarii*: Paull. l. 3. D. off. præf. vigil. Quos nonnumquam mercede conducebant. nec capsarii tantum vestimenta servant, sed variis balneaticis muneribus funguntur; puta, fricant, & ungunt, si vera sunt, quæ scribit Comm. in Juvenal. Satyr. III. vers. 263. *Gutto ab eo, quia guttam mittit, quos habent capsarii.* WOUWEREN. Quas in apodyterio, ubi vestes lavaturi reponebant, negligenter custodierat. Fuisse apodyteria juxta balneas, ipse usus etiam hodie docet. Rader. ad Mart. lib. 12. epig. 58. ERHARD. De furibus balneariis vide Hering. de Molendinis quæst. 37. nnm. 12. WEITZ. Plura ad rem notat Mercurialis art. Gymn. 1. cap. 10. & de furibus balneariis commentatores ad Martial. XII. epig. 70.

X. H. S.] Sic veteres, non superducta virgula, quæ millenarii nota est. Pith. PATISSON.

Dispensatoremque] Inscriptio, (apud Gruter. pag. DXCVI. 6.) CN. CORNELIO. CAPITOLINO. NEPOTI. DVLCISS. AVG. N. VER. DISP. VIX. AN. VI. M. VI. D. VI. Dispensator ἐστὶν ὁ δικέτης, ὃς ἐπιθήσει ἐπιμελείᾳ τὰ δεσποτικὰ χρήματα, ait Græcus interpres Inst. lib. III. tit. De mandato. Cicero Hortens. *Cum rationem accipis à dispensatore.* Suet. Galba cap. XII. *Dispensatori breviarium rationum offerenti.* Macrob. Saturn. lib. II. cap. III. Glossæ Isidori: *Arcarius; dispensator.* quod verum existimo. Glossarium: *Arcaria*, ταμιζιτικά. Vetus Inscript. D. FABIO. D. P. ARCARIO. L. 41. §. 17. D. de fideicomm. libert. *Stichus arcarius probante domino nomina fecit.* ex quibus recte interpretatum Theoph. liquet. nam & Petron. *aureos numerantem dispensatorem* dicit: adeo ut minime putem dispensatoris munus his finibus concluſum fuisse, servis cibaria mandare, quod tamen adserit Clariss. I. C. Actores vero in multis ejusdem functionis, sed digniores, Theophilus actorem, διοικητὴν πόσης ὕσης, hoc est, ut Plaut. Asinar. act. II. scen. 4. *cui omnium rerum herus summam credidit.* Arcarii vero etiam λαμπαδοῖοι. Glossæ: *Arcarius*, βηχάνημα. Fortasse: μηχανηματοποιὸς. WOUWEREN.

Precario] Sacrario. GLOSS. Forte *in precario*, vel *imprecarium*, ut referatur ad dispensatorem, id est, qui precari & flecti non possit: vel *precarios*, id est, mutuatos. DANIEL. Lege *prætorio.* Auson. Mosell. vers. 286.

——— *Alternas comunt prætoria ripas.*

quod me monuit Ill. Scaliger. Tertull. de Idol. *Voluptati deservientia prætoria.* ad Scapul. cap. III. & passim apud I. C. Glossæ: *Prætoria, domuncula in navi.* WOUWEREN. *Sacrarium* in ædibus suis agnoscit Auson. Ephem. Puto idem esse. Cicer. Fam. libro 13. epist. 2. BARTH. Quem etiam vide ad Claudian. IV. Consul. Honor. vers. 3. Lege *in prætorio.* TILEBOM. Locum vitiosum esse dudum videre eruditi, unde edidere *in prætorio.* Nob. Heinsius emendat *in primore atrio.* Aulus Gellius lib. 26. cap. 5. *Animadverti enim, quosdam haud aliquaquam indoctos viros opinari, vestibulum esse partem domus primorem, quam vulgus atrium vocat.* Constat ex Catone, priscos pecunias & cætera pretiosiora in atriis servasse, iisque præpositisse servos ex Atriensibus honoratiores. Olim legendum hariolabar *in cellario.* Notum enim est cum ex Donato, tum ex aliis, *cella* & *cellarium* dici. Paulo ante & Arbiter hoc capite. *Nos jam ad triclinium pervenerumus, in cujus parte prima* (hoc est *cella, cellario*) *procurator rationes accipiebat.* BOSCH. Sic veteres plerique omnes, ex quo fecerunt *in prætorito.* Sed scribendum est junctim *imprecario*, est enim adverbium ab *in* & *precario*, in quo *in* adjectum auget sensum, & attollit, sicut fit in aliis. Vult, multis precibus orasse atriensem. Cicero sic usus est simplici in Verrina V. cap. 23. his verbis: *Quo tempore in tanta inopia navium, tantaque calamitate provincia, etiamsi precario essent roganda, tamen ab his impetraretur. Precario rogare* Ciceronis, est Nostri *imprecario deprecari.* SCHEFF. Manet adhuc corruptus hic locus, neque placet amplius illud *imprecario deprecantem*, tamquam revera ingratum, nec genio nostri satis aptum. MS. habet *mirantem* non *numerantem.* At quomodo miretur aureos dispensator? An scribendum *aurea. Smirantem*, id est, *aurea signa mirantem?* Signa certe, eaque aurea, convenirent precario, si precarium est orarium, seu Sacrarium, ut Barthius volebat. Cur autem miretur & illa, quæ familiaris & domesticus pridem poterat, & sæpius, vidisse? Dicas, ergo *numerabat aureos* servandum. Verum est & hic nonnulla difficultas. Cur enim numerat in precario vel sacrario? Cur aureos numerat, & non quamlibet aliam pecuniam? An erogabat solos aureos in quotidianos sumptus familiæ? Quid ergo? Videtur mihi noster scripsisse *taureas minatur*, idque homines imperitos, cum, quid essent taureæ, nescirent, legerentque dispensatorem, vertisse in aureos, utque verbum conveniret nomini pro *minatur*, fecisse *numeratur.* Quæ conjectura si est vera, retinendum erit *in prætorio*, intelligenduſque locus, ubi privatim quoque ac domi jus dicebatur familiæ delinquenti vel litiganti. Habuisse enim instar fori veteres domi suæ, qui familiam alebant numerosam, cum ex aliis, tum ex ipso nostro certum est. Cæterum *taurea* quid sit, ostensum pridem nobis est in Notis ad Mauritium, & copiosius in de Re Vehiculari lib. I. cap. 14. IDEM. Sic constanter scripti, sed mendose omnino: omissæ videlicet à supino

poenam. Superbus ille sustulit vultum, &, [a] Non tam jactura me movet, inquit, quam negligentia nequissimi servi. Vestimenta mea accubitoria perdidit,

[a] DISPENSATOR.

librario literæ complures, quod & alibi haud infrequenter factum. Scribe, *in primore atrio*. Insolens hoc illa tempestate, quamquam Servius ad Maronem observat, ab antiquis pecuniam in atrio domus asservari fuisse solitam: Gellius ait lib. XVI. cap. V. *Vestibulum partem domus primorem esse, quam vulgus vocat atrium.* Vide Festum in *Atrio*. huc alludisse Symmachus potest videri lib. IV. Ep. XLVI. *Eos in primore congressu penetrali familiaritate dignare.* HEINS. Licet ita omnes Codices, corrupta tamen hæc est scriptura: forte autem legendum erit *imperatorio*, nempe servo, id est, villico, qui fundo familiæque rusticæ præponitur: cuique ejus committitur magisterium, præfectura, & imperium. Ita enim loqui mihi fas sit, cum hic operas à cæteris exigeret, & negligentes puniret. In quam rem videndi Cato, Columella, & Pignorius de Servis. Non autem præter rem hic dicitur villico dispensator aureos numerare, cum ad illum pertineat procurare, quæ ad luitionem familiæ emi pararique oportet. Imo forte rectius *in pec. erario*, id est, *in peculiari ærario*, nisi scripserit *in priv. ærario*, ut sit in *privato ærario*. Est quidem ærarium proprie locus, in quo pecunia publica reponitur, sed Trimalchionem privatum ærarium constituisse, non est mirum, qui omnia sua ad instar reipublicæ ordinabat, ut ex iis liquet, quæ infra de Actore referentur. GOES. *In precario* tuetur Barth. ad Claudian. IV. cons. Honor. vers. 3 ad Statii vero lib. IV. Theb. 761. conjicit *prothyrio*. Sed sine dubio vox corrupta. Neque *prætorio* hic locus, nec exempla à Wouwerio adducta huc faciunt, ibi enim *prætoria* villas magnificas notant. Non displicet Heinsii correctio *in primore atrio*, certe aliquam vocem per compendum scriptam *atrio* præcessisse mihi persuasum est. Nam cæteræ emendationes vix unius assis sunt, & Schefferi *inprecario*, sibilum potius, quam applausum meretur. Pro *numerantem*, *mirantem* habet codex Tragurienſis. Et mox *ut servo remitteret pœnam*. BURM.

Servo remitteret pœnam] Proprie locutus est. Apud Nasonem amatoria arte: lib. II. vers. 291.

Si pœnam servo, si vincula dura remittis,
Quod facturus eras, debeat illa tibi. HEINS.

Superbus ille sustulit vultum] Quid si legas: *Superbum?* sic supra dixerat cap. XVII. *retexit superbum pallio caput.* DOUZA F. Mallem *superbum*. Encolpius supra cap. 17. Sic cap. 15. *convertit ille solutum gaudio vultum*. cap. 73. *sed iratum commovens caput*. & paulo post: *Interdum concinnabat spoliatum crinibus vultum.* BOSCH. Forte *superbius*. *Subducto procedere vultu* Propertio II. VIII. 13. fastum designat. *Tollere supercilium* pari modo dicebant. Noster infra cap. XCI. *Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit*. Et cap. 43. *quod illius mentum sustulit, hæreditatem accepit.* Cicero in Pisonem, cap. 6. *Altero ad frontem sublato, altero ad mentum depresso supercilio. Subducere supercilium* eodem modo dicebant, hinc *subducti supercilii carptores* Lævio apud Gellium lib. XIX. 7. Lucianus bis in accusato. τὰς ὀφρῦς ἐπάρας καὶ μεγαλοφρονήσας, ἐμὲ μὲν ἠμέλησε, μᾶλλον δὲ τέλεον ἔιασεν. Et in Timone describit Philosophum nescio quem ἐκπετάσαντα τὸν πώγωνα καὶ τὰς ὀφρῦς ἀνατείναντα. Catullus carm. LXVII. 45.

Præterea addebat quemdam, quem dicere nolo,
Nomine, ne tollat rubra supercilia. HEINS.

Quamvis Pet. Victorius VIII. variarum, capite I. *supercilia tollere* signum hominis tristis & severi esse existimet, atque id ipsum Diphili Comici auctoritate probet, censet tamen in illis Catulli versibus hominis irati notam esse. GOES. Accedo Douzæ legenti *superbum*. Ovidius VI. Met. 169.

Constitit, utque oculos circumtulit alta superbos.

Non tam jactura me movet] Catull. carm. XII.

Quod me non movet æstimatione,
Verum est Mnemosynum mei sodalis. WOUWER.

Sic Auctor Liberi carminis. carm. LV.

Nec movet amissi tam me jactura, pudorque,
Quam præbent justos altera tela metus.

Et infra cap. CXVII. *Nec illum jactura moveri, sed destitutum ministerio non agnoscere dignitatem suam.* SCIOPP.

Vestimenta mea cubitoria] Cænatoria vestis. Romanis enim alia vestis domestica, alia forensis; inter domesticas cænatoria, quam non fas videre publicam lucem. GLOSS. Lege *accubitoria*. Martial. in apophoretis, Epigr. CXXIII. cui lemma *Cænatoria*:

Nec fora sunt nobis, nec sunt vadimonia nota:
Hoc opus est, pictis accubuisse thoris.

Lipsius Saturnal. lib. I. cap. 2. At Petron. *cubitoria* voluit, ut Plaut. Asin. & identidem *cubare* pro *accubare*. *Cubitoria vestimenta*, ut *cænatoria vestes*, Capitolino in Maximin. *tricliniaria*. Theod. Marcilius ad Pers. Sat. I. vide Bayfium de Re vestiaria. ERHARD. Omnia ad fastum & superbiam herilem composita. Primo, quod jactat vestimenta sua *accubitoria* (nam ita legendum) quasi frequens conviva: deinde, ea sibi donata, & quidem à cliente quodam, tamquam longe plures haberet clientelæ suæ obnoxios: tum ea vestimenta Tyria fuisse, & quidem sine dubio, quasi convenientem sibi hunc colorem, utcumque pretiosissimum. Sic ille gloriosus apud Martialem lib. IV. Ep. LXI.

——— *Millibus decem dixti*
Emptas lacernas munus esse Pompillæ,

singula excutiamus. Habebant Romani veteres *vestimenta*

didit, quae mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria sine dubio,

menta forensia, sive togam: habebant *cænatoria*, ut ab aliis vocantur, quæ nostro sunt *accubitoria*, Syntheſin puta, aut pallium, aut lænam, promiſcue ſcriptoribus priſcis dicta, cum nihil differant: an diſtent ab ea, quam *veſtem domeſticam* appellabant quidam, nunc non diſputamus. Hanc in una eademque cœna homines lauti & delicati variabant, nonnulli plus vice ſimplici. Talis apud Martialem Zoïlus, cui ille lib. v. epig. 80.

Et mutata tibi eſt Syntheſis undecies.

Cæterum ex hoc loco videtur liquere, ſyntheſinatos etiam adiiſſe balnea antiquos ante cœnam, ac proinde ſyntheſin, ſive veſtem accubitoriam nihil differre à *veſte balneari*, cujus Lampridius in Alexandro Severo meminit. *Balneari veſte ad palatium revertens.* Quam *lacernam coccineam* eſſe, mox diſertim deſignat. Idem ibidem veſtes domeſticas à balnearibus diverſas facit, nec meminit *cænatoriarum*, ut ſub balnearibus eas videatur complexus. Et certe Trimalchio recta è balneo defertur in cœnam. Nec à togatis, nec à calceatis adiri ſolitas balneas, è Ciceronis Oratione pro Cælio ſit manifeſtum. Cæterum, quod contendit doctiſſimus Raderus ad Martialis librum XIV. Ep. 1. Syntheſibus tantum Senatores Equiteſque Romanos uſos, id hoc Petronii loco ſatis ac ſuper refellitur, de diſpenſatore ſervo ſyntheſinato. Male audiebat Nero apud Suetonium cap. 51. quod ſyntheſinatus prodiret in publicum, cum togatus debuiſſet. Notatur & Cornelius Fronto Orator apud Dionem in Hadriano, lib. LXIX. pag. 796. quod in ſyntheſi tribunal adiiſſet. Ubi ſyntheſin ϛολὴν διπλῆν appellat. Cæterum, coloris non unius fuiſſe ſyntheſes vel inde evincas, quod quemadmodum Tyriam hic habes, ſic praſinam memoret Martialis lib. x. epig. 29.

De noſtra praſina ſyntheſi empta toga.

Tyriam lacernam in homine libertino Juvenalis perſtringit. Illud etiam hinc liquet, Neronianis temporibus uſu Tyriæ veſtis non interdictum fuiſſe, nec obſervatas leges eam in rem à Divo Julio Cæſare & Auguſto latas. Suetonius Neron. cap. 32. tradit, *vetita purpura Matronam cultam, ſpectaculis detractam* Neronis juſſu. Unde colligas & ab illo hac de re latam legem. Quod ſi ſic res ſe habet, ante latam hanc à Nerone legem Petronii Satyrica fuiſſe ſcripta oportet. Mitius certe benigniuſque Tiberius apud Dionem lib. LVII. qui, ne quis vetita uteretur purpura in ſpectaculis, ipſe lacernam pullam ſumebat. Quo effecit, ut & alii hoc ſequerentur exemplum. Sed verius eſt, iſtas leges de veſte Tyria dibapha eſſe intelligendas, & locum Petronii de veſte Tyria, ſemel tincta, capi oportere. Sic apud Naſonem arte amatoria lib. III. verſ. 297. meretricibus datur veſtis Tyria:

Sive erit in Tyriis, Tyrios laudabis amictus.

cum tamen lib. III. verſ. 169. dibapham excludat.

Non vos ſegmenta requiro,
Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.

Ut quidem is locus caſtigandus eſt ex membranis. Adde quod Tyriæ veſtis notio late patebat, cum in Tyriis coloribus alius alio longe pretioſior eſſet. Vide Ferrarium de re veſtiaria. Confirmat præterea hic Petronii locus, quod ab aliis jam proditum eſt, ingenuos à ſervis veſtitus forma & genere non diſcrepaſſe, niſi ſola toga. Qua de re Appianus Alexandrinus gravem alicubi querelam inſtituit. Porro Juſto Lipſio, viro clariſſimo, lib. I. cap. II. Saturnalium jam viſum quoque reponi in hoc Arbitri loco debere, *veſtimenta accubitoria*, ſerius deprehendi. Sed, quod idem emendat, *haud ſemel lota*, ut de veſtimentis dibaphis intelligatur, in eo aberravit à ſcopo. Voluit enim Arbiter, à fullone jam ſemel lota. Sic apud Martialem cave aliter interpreteris illa lib. x. Ep. XI. quem locum Raderus, Gruterus, Scriverius perperam alio detorquent:

Donavit tamen, inquis, amico millia quinque.
Et lotam ut multum terque quaterque togam.

Quo & illud Propertii trahebam lib. IV. Elegia IX.

Imperat & lotas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit ſulphuris igne caput.

Perperam *totas lacernas* ſcripti editique nunc paſſim exhibent. Fullones enim dealbandis veſtibus ſulfur æque ac cretam adhibuiſſe certum eſt. Vide Oct. Ferrarium de re veſtiaria partis ſecundæ lib. IV. cap. XIII. Titinnius apud Nonium: *Terra hæc eſt, non aqua, ubi tu ſolitus argutarier pedibus, cretam dum compeſcis, veſtimentaque lavas. Abluere veſtem*, dixit Plinius Hiſt. Nat. lib. XXXV. cap. XVII. *Ergo ordo hic eſt, primum abluitur veſtis ſarda* (quæ cretæ ſpecies) *dein ſulfure ſuffitur, mox deſquamatur cimolia, quæ eſt coloris veri.* Sed & veſtimenta recens contexta, & ipſa lana ante texturam lavabatur. Hinc habes apud Martialem lib. IV. epig. 28.

Et lotam tepido togam Galæſo.

Sed uſus cretæ ſulphuriſque ad candorem conciliandum togis tuniciſque, quod albæ eſſent ut plurimum, adhiberi ſolitus. In veſtitu diverſi coloris loto à fullonibus locum habuiſſe vix videtur. HEINS.

Natali meo] Martial. lib. VIII. epig. 64.

Ut poſcas Clyte munus, exigaſque,
Uno naſceris octies in anno.
Et ſolas puto, tresve, quatuorve
Non natalitias habes Kalendas. PITH.

Tyria] Pro veſte tricliniari molliore, & coloris exquiſiti. In dibapha enim purpura, & coccinis, aut hyacinthinis diſcumbebant. GLOSS. Veſtis triclinaris mollior & coloris exquiſiti argumentum eſt ſolutorum morum. Satis conſtat, ea ætate, qui elegantiores videri volebant, cœnatoria & univerſam veſtem tricliniarem ſplendiſſimam habuiſſe. In dibapha igitur

bio, sed jam semel lota. Quidquid ergo est, dono vobis.

XXXI. [a] Obligati tam grandi beneficio, quum intrassemus triclinium, occurrit nobis ille idem servus, pro quo rogaveramus, & spississima basia stupentibus impegit, gratias agens humanitati nostrae. Ad summam, [b] statim scietis, ait, cui dederitis beneficium. Vinum dominicum ministratoris gratia est. [c] Tandem ergo discubuimus, pueris Alexan-

a ENCOLPIUS. *b* SERVUS. *c* ENCOLPIUS.

purpura, & in coccinis, aut hyacinthinis discumbebant. Casaub. Comm. in Persium Sat. 1. ERHARD.

Sine dubio] Portius Latr. *Athenienſibus urbi ſine dubio doctiſſimæ.* BARTH.

Sed jam ſemel lota] Alii, *ſed tantum ſemel*, nempe non dibapha. TORNÆS. Quasi tanti non æstimet acsi dibapha; ideo facilius culpæ ignosci. ea mens scriptoris. *ſemel lota*, ut notet dibapham non esse, de qua Virgil. Culice.

Si non Aſſyrio fuerint bis tincta colore.

Plin. lib. IX. cap. XXXIX. WOUWEREN. Lege *ſed ſemel lota*, ut dibapha significet Lipsius. Saturn. lib. 1. cap. 2. Ita ille mutat. contra Petronianus iste nugo vult, Tyria quidem esse, non tamen dibapha. Et intellige, *ſed jam ſemel*, id est, *ſed tamen*, ut L. Senec. cap. 6. *Intelligo, Lucili, non emendari me tantum, ſed transfigurari. Nec hoc promitto jam, aut ſpero, nihil in me ſupereſſe, quod mutandum ſit*, &c. pro, *nec hoc promitto tamen*, &c. Extenuat dispensator iste rem civiliter. itaque & sequitur; *Quicquid ergo eſt, dono vobis.* Marcilius ad Pers. Satyr. 1. *Sed jam ſemel lota*, id est, non bis tincta murice, seu purpura, Barthius explosa Lipsiana emendatione ad Claud. num. 1958. ERHARD. Recte Heinsius explicat. Lamprid. Elagab. 26. *linteamentum lotum numquam attigit, mendicos dicens, qui linteis lotis uterentur.* Horat. 11. Sat. IV. 84.

Et Tyrias dare circum illota toralia veſtes.

Pontanus ad Macrob. VI. Saturn. cap. 1. legit *Tyria ſine eluvie, ſed jam ſemel lota.* Et interpretatur Tyria pura, nec sordidata, infeliciter mehercule! nam præterquam quod viri docti demonstrarint, illud *ſine dubio* genium Petronianum redolere, hoc addit dispensator, ut venditaret luxuriam suam: vestimenta enim sua esse vera Tyria, ex succo conchæ marinæ tincta, non vero fuisse colore quodam, qui Tyriam purpuram mentiebatur, infecta: nam cum diversæ essent species purpuræ, præstantissima erat Tyria ardenti simillis mari, minoris pretii erat Amethystini, & vilissima conchylii coloris. Vide Plin. XXI. 8. conchylii vero adhuc tres erant species, vide eumdem lib. IX. cap. 36. his dilutioris coloris purpuris lotium admiscebant, postea vero omnis Tyria purpura evanuit & perdita est, & conchyliatæ cum Tyriis confusæ: ut ex codice Justianeo multis locis patet. BURM.

Quidquid ergo eſt] Ita legendum puto. Veteres *quid ergo eſt?* Pith. PATISSON. Vide supra ad cap. IV.

Dono vobis enim] Ita Tragurianus, sed scribo, *reum*. Quod certe dispensatoris arrogantiæ congruum. HEINS.

Pro quo rogaveramus] Latine hoc dici, contra Sciopium ostendit Schefferus ad Phædr. lib. III. fab. 2. ita & *orare* Justin. XI. cap. 4. *Nec jam pro civibus ſe, qui tam pauci remanſerint, orare, ſed pro innoxio patriæ ſolo, & urbe.*

Spiſſiſſima baſia] Creberrima oscula. GLOSS.

An ſummam] Συμπάσαν. Vitruv. lib. 7. *Ad ſummam, mors ejus ut parricidii damnati varie narratur.* BARTH. Et hæc Petronianæ locutionis formula. cap. 37. *Ad ſummam, mero meridie ſi dixerit illi tenebras eſſe, credet.* cap. 134. *Ad ſummam, qualem putas eſſe, qui de Circes toro ſine voluptate ſurrexit.* Et cap. 140. *Ad ſummam relinquere ſe pueros in domo Eumolpi.* Ubi *ad ſummum* male quidam edunt, & ita sæpe alibi. Sic & Seneca Apocolynt. *Ad ſummam tria verba cito dicat, & ſervum me ducat.* Plinius in epistolis *in ſumma* sæpe utitur: sed lib. II. Epist. XI. codex Mediceus, quem Heinsius vidit, habet *in ſummam*, & ita aliquot aliis locis. Vide infra ad cap. XXXVI. BURM.

Vinum dominicum miniſtratoris gratia eſt] Inscriptio Romana apud Velserum in Monument. Augustæ;

——— *Merum profundite*
Nigrum Falernum, aut Setinum, aut Cæcubum,
Vivo ac volenti de apotheca dominica. ERHARD.

Elegans & verum proverbium, unde liquet, non omnibus convivis dari solitum unum idemque cum convivatore vinum. Superbi enim illi Trimalchiones aliud sibi, aliud convivis, præsertim tenuioribus, vinum ministrari curabant, quod *Libertinum* vocabatur. Veterem querelam habes in Satyra Juvenalis V. Meminit & Plinius in epistolis lib. II. De Malchionis convivio audi Martialem. lib. III. ep. 82.

Ligurumque nobis ſaxa cum miniſtrentur,
Vel cocta fumis muſta Maſſilianis,
Opimianum mortalibus nectar
Cryſtallinique myrrhinis propinat. HEINS.

Egregie Heinsius hæc illustravit. Martial. IV. 86.

Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice: quare?
Prodat perſpicuus ne duo vina calix.

Et eo alludit lib. VI. Ep. 11.

Quod non ſit Pylades hoc tempore, non ſit Oreſtes
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.
Nec melior panis, turdusve dabatur Oreſti,
Sed par atque eadem cœna duobus erat.

vide

Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus, aliisque insequen-

vide & libro x. Ep. 49. unde & cibos dominicos, & panem fuisse alium convivis patet. Ita Suetonius narrat, Cæsarem *pistorem alium, quam sibi, convivis panem subjicientem compedibus vinxisse*; in vita ejus cap. XLVIII. ne scilicet avaritiæ & superbiæ accusaretur, cum nequam illi pistores inde compendium facerent. De Hadriano narrat Spartianus, *illum ad deprehendendas obsonatorum fraudes sæpe sibi fercula ab aliis, etiam ultimis mensis, jussisse apponi*, cap. XVII. & hinc apparet, recte supra retineri vulgatam lectionem *hoc suum propinasse*. Nam in eo humanitas erat sita, si propinaret idem vinum. Ita & Anacreon ode IX.

Παῖν δέ μοι δίδωσι
Τὸν οἶνον, ὃν πρόπινεν.

ubi vide quæ de Græcis & Orientis populis notat Barnesius. BURM.

Ministratoris gratia est] Hinc apparet, servum hunc, qui modo caparius in balneo fuerat dispensatoris, in cœna fuisse pincernam & pocillatorem, qui ita poterat dispensare vinum dominicum pro lubitu. Proprie autem *ministrare* & *ministratores* de servis ad cyathos usurpatur. Justin. XII. 14. *Ad occupandum regem Cassandrum filium dato veneno subornat, qui cum fratribus Philippo & Jolla ministrare regi solebat.* Lapis vetus apud Sponium in Miscell. Erudit. Antiq. p. 213.

D. M.
ZOSIMO CAESARIS
VERNAE
MINISTRATORI

Ubi recte ex hoc Petronii & altero Senecæ id adnotavit vir eruditus. Neque Begerus (qui, dum vivebat, hoc sibi negotium datum credebat, ut omnes arroderet, & quem opportuna mora nostræ indignationi subtraxit: ostendissemus enim illi, quam non impune summi Grævii manibus insultasset, homo vix inter mediastinos eruditorum numerandus) in spicilegio suo antiquitatis p. 112. obloqui debebat. Nam in locis ab eo adductis non agitur de servis, sed de liberis ministerium suum exhibentibus, quo sensu *ministratores* dici posse non negamus; sed proprie dictos *ministratores*, qui pocula miscebant, extra controversiam est, & ita sæpius in lapidibus veteribus. Consule indicem Gruteri. *Ministrum* vocat Horatius lib. I. ode ultima. vide Barth. II. adversi. 16. Et hinc *ministerium*, abacus dicebatur, in quo vasa mensæ inservientia exponebantur, ut docuit Casaubon. ad Lampr. Alex. Sever. cap. 34. & Salm. ad Capitol. Anton. 17. & Observ. ad jus Atticum pag. 449. vide præterea Gronov. II. obs. 24. BURM.

Pueris Alexandrinis] Ægyptii, deliciæ veterum, delecti huic muneri ætate grandiores. GLOSS. Capit. in Vero cap. VIII. *Adduxerat secum & fidicinas, & tibicines, & histriones, scurrasque mimarios, & prestigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate.* PITH. Deliciæ veterum. Lucianus περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Ἰωνικὰ ξυνίρων Ἀλεξανδρεωτικὸς ἀνθρωπίσκος. Delecti huic muneri ætate grandiores, sed καλῶνται παῖδες οἱ ὄλοι, καὶ ὧσι πρεσβύτεροι, ait Pollux. Ministratores plene describit Philo περὶ βίου θεωρητ. καὶ πομπίας ἐπιτηδείων ἀνδρῶν ἠκρωμένα διακονικὰ ἀνδράποδα εὐμορφότατα, καὶ περικαλλέστατα. τούτων οἱ μὲν παῖδες ἔτι ὄντες εὐσχῆμοι, ὑδροφορεῖσι. οἱ μὲν βύπαιδες λειόμενοι, καὶ λελουσμένοι, τά τε πρόσωπα ἐκτρίβονται, καὶ ὑπογράφονται, καὶ τὰς τῆς κεφαλῆς τρίχας εὐπρεπῶς διαπλέκονται σφηκούμενοι, βατυχαῖται γὰρ εἰσιν. οἱ μὲν κειρόμενοι, &c. Quæ commodum illustrant illa cap. XXVII. *inter pueros capillatos.* Impendio enim curabant, ut haberent calamistratos in ministerio. Seneca epist. CXX. *Si pertinere ad te judices, quam crinitus puer poculum tibi porrigat.* Hieronymus ad Sabinam: *Non ambulet juxta te calamistratus procurator.* Apulejus de deo Socratis: *Familias calamistratas.* Quod præter Juven. Lucian. Apul. Hor. quoque libr. II. Satyr. VIII.

——— *ut omnes*
Pratincti pueri recte comtique ministrent.

Cæterum, quod Petr. cap. XXVII. *Nec tam pueri nos, quamquam erat operæ precium, ad spectaculum duxerant.* & Juhanus Misop. οὐ κρίνοιεν ἂν ἀξιόπιστα μόνην τὴν ἀγορὰν, βαδίζοντός σε, καὶ παῖδας ἡγεῖσθαι καλοὺς, εἰς οὓς ἀποβλέπουσιν οἱ πολῖται. Alebant enim prisci cœtus puerorum, quos *Pædagogia* dicebant. Ulp. l. 12. §. 32. D. de inst. vel instrum. leg. deligebant elegantes & eximia specie; sane quam sollicite eos habuerint, docet Seneca epist. CXXIII. quanta cura culti idem epist. CXI. *Hinc puerorum perspicuos cultu atque forma greges.* De vita beata: *Quare pædagogium preciosa veste succingitur.* vide de Tranq. vitæ lib. I. cap. I. epist. CXX. XCVI. Apul. Mil. lib. II. Erant autem deliciæ dominorum, ad varia ministeria, imo illicita. Pædagogiani pueri etiam ministratores. Ulp. dict. l. Cicero II. definibus: *Adsint etiam formosi pueri, qui ministrent.* Lucianus Asino: καὶ παῖδες ἁμῖν παρεστήκασιν εὐσχήμονες καλοὶ. Gell. lib. XI. cap. XII. Clem. Alexand. Pædag. lib. III. cap. IV. Juven. Saty. IX.

——— *puerum te,*
Et pulcrum & dignum cyatho ———

Tertull. de Jejun. cap. IX. *Fratres ejus potum præferentes æmophoris regiis, atque exinde formosiores, ne qui de specie quoque corpusculi metuat.* Legimus & puellas ministrasse. Apul. Mil. II. *puellæ scitulæ ministrantes.* Hieron. ad Rustic. *Simul mire convivia, ancillas juvenes habere in ministerio.* Pherecrates:

Κόραι δ' ἐν ἀμπεχόναισι τριχόφοις ἀρτίως.
Ἠβυλιῶσαι, καὶ τὰ ῥόδα πεκαρμέναι.
Πλήρεις πύλικας ὥσπερ μέλας ἀνθεσμίας
Ἥνθλων διὰ χώνης τοῖσι βελομένοισι παῦν. WOUWEREN. Ægyptiis, quos infra vocat, Æthiopibus. vide

sequentibus ad pedes, ac paronychia cum ingenti subtilitate tollentibus. Ac

de Goldasti Animadver. ad Winsbeck. par. 1. Paræ-netic. vet. ERHARD. Qui omnium maximo in pretio, ob dicacitatem præsertim. Statius Epicedio Vertio, ob dicacitatem præsertim. Statius Epicedio Vertii

Ac ne in hoc quidem tam moleſto tacebant officio, ſed obiter cantabant. Ego experiri volui, an tota familia cantaret. Itaque potionem popoſci: paratiſſimus puer non minus me acido cantico excepit: & quiſ-

Pallio p. 357. ſcripſit, *Romanos ad menſam accubituros ſoleas, depoſitis calceis, ſumſiſſe.* Diverſum enim conſtat ex eo, quod infra dicitur, cap. LXV. *tentavi aſſurgere, & nudos pedes in terram deferre.* Et cap. LXXII. *vero vero, inquit Habinnas, de una die duas facere nihil malo, nudiſque conſurrexit pedibus.* Et Martialis illud lib. III. Ep. L.

Depoſui ſoleas, affertur protinus ingens
Inter lactucas oxygarumque liber.

Ubi videndus eſt Ramireſius, & Interpretes ad illud Horatii: *& ſoleas poſcit.* GOES. Egregie Heinſius. Unde patet, hos ſervos ad pedes, detractis calceis purgare ſolitos unguium ſordes ingenti ſubtilitate, id eſt, dexteritate & peritia, ut ſupra cap. 17. *monſtrata ſubtilitate.* & Plin. XXXI. 3. *certior ſubtilitas inter pares meliorem eſſe, qua calefiat refrigereturque celerius.* Celſ. I. cap. 1. *ſubtilior medicina ratio. Leniter* dixit Horatius, quod noſter *ſubtiliter.* lib. I. Epiſt. VII. 51.

Cultello proprios purgantem leniter ungues.

vide Ferrar. I. Elector. cap. 7. de voce παρονυχία vero Foeſ. Oeconomiam Hippocratis.

Ac ne in hoc quidem tam moleſto tacebant officio, ſed obiter cantabant] Receptum hoc ab antiquo fuit, ut delicatiorum conviviis cantatores & ſymphoniaci intereſſent. Claudian de Laudib. Stilicon. lib. 2. verſ. 141.

——— *Nullo citharæ convivia cantu,*
Non pueri laſciva ſonant. ———

Vide Clementem Alexandr. Pædag. lib. 2. cap. 4. Nec ſolum in hoc eorum luxus ſtetit, imo etiam fercula ad ſymphoniam inferre mos erat. Petronius infra cap. XXXIV. *ſubito ſignum ſymphonia datur, & guſtatoria pariter à choro cantante rapiuntur.* Serenus Sammon. in fragmentis apud Macrob. Lindenbrog. Not. in Catalect. Dicam infra. ERHARD.

Ego experire volui] *Ergo*, maluerim, ut ſæpe alias noſter. De ſymphonia inter cœnandum plenus hic libellus, & hoc pro luxu eorum temporum. Seneca de Vita Beata cap. XI. ubi Nomentanum & Apicium perſtringit: *Vide hos eoſdem è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono, ſpectaculis oculos, ſaporibus palatum ſuum delectantes, & ne naves interim ceſſent, odoribus variis inficitur locus.* HEINS.

Familia cantaret] Satis ſuperque viri docti de cantoribus ſuper cœnam. Adde Salmaſ. & Caſaub. ad Lamprid. Sever. cap. 34. Barth. ad Claud. II. de Laud. Stilic. verſ. 141.

Itaque potionem popoſci] Lege, *Itaque ut potionem popoſci, paratiſſimus puer*, &c. HEINS.

Acido cantico] Lege, *arido*, quoniam aſſa voce caneretur. TORNÆS. Neſcio operarumne hoc typographicarum mendum ſit, neque enim dubium eſt, *arido* legi debere. Lucret. lib. VI. verſ. 118.

Aridus unde aures terget ſonus ille.

Virgilius lib. I. Georg. verſ. 356.

——— *& aridus altis*
Montibus audiri fragor

Sic & Homerus καρφάλεον, hoc eſt, *aridum*, uſurpat, Il. Υ. cum dicit, clypeum reſonuiſſe *aridum.* SCIOPP. Forte *acuto cantico.* Martianus Capella; *Vox aut acuta eſt, aut gravis. Sonus gravis eſt cum ex intimo ſpiritu trahitur: acutus, cum ex ſuperficie oris emittitur.* Statius 6. Thebaid.

Et lituis aures circumpulſantur acutis.

Sic infra, cap. XXXV. *Ægyptius puer, atque ipſe etiam teterrima voce de laſerpiciario mimo canticum extorquet:* cenſeo corrigendum, *tenerrima voce*, pro, gracillima, qualis eſſe puerorum ſolet, quod & Wouwerum notaſſe video. ERHARD. Ordo verborum hic turbatus videtur, quem ego ita reſtituendum puto, *puer me acido cantico excepit, & non minus quiſquis aliquid rogatus erat.* GOES. Legerem *non minus me acido ac cantico excepit.* Illud *ac* abſorptum à literis eiſdem concurrentibus; vult autem dicere, puerum & ſimul cantaſſe, & porrexiſſe potionem acidam: nam *acidum canticum* quæſo quid notat? *acidum* autem eſt potus, qui acretudine ſua ſtomachum excitat. Infra cap. 92. *Siccatoque avide poculo negat ſibi umquam acidius fuiſſe:* unde male Barth. lib. V. adverſ. 17. de ingrata potione hæc verba intellixit. Ita *acutos & acres cibos* vocat Plinius lib. VII. Epiſt. 3. *Ut enim, ſi cœnam tibi facerem, dulcibus cibis acres acutoſque miſcerem, ut obtuſus illis & oblitus ſtomachus his excitaretur.* Heinſius ad oram codicis conjecerat *acres acidoſque.* opponitur ergo acida potio dulci. Ita Fulgentius de continentia Virgiliana tranſlate. *Ego vero, Chryſippi ellebori rancidulo acrore poſtpoſito, cum Muſis aliquid blandius fabulabor.* Ita Plin. X. 70. *Culices acida petunt, ad dulcia non advolant.* & XIV. 15. *Pyra acidulo ſapore jucunda.* Infra cap. 56. *ubicumque dulce eſt, ibi & acidum invenies*, & paſſim. Quia ergo nondum cibus eſſet allatus, acida potione excitandæ famis ergo uti volebat noſter. *Propomata* ea appellari docuit Lipſius ad Senec. Epiſtol. 122. vid. Athen. II. cap. 17. & ibi Caſaub. Et hæc eſt *altera* illa *potio, quam jejuno gutture ingerere gulæ mancipia* dicit idem Seneca Epiſtol. XV. ubi videatur Lipſius & Obſopeus: de matutina autem potandi conſuetudine vide præterea Ælianum XII. Var. 30. & ibi commentatores. Hinc etiam apparet quam falſa illa calumnia, qua Apoſtolos die Pentecoſtes impii Judæi appetebant, fuerit, cum eos diceret γλεύκους μεμεστωμένους, *dulci vino inebriatos*; ſaltem *acido* dixiſſent; & quis neſcit, hodie Bacchi impigros cultores mane ſtomachi cruditatem vino, abſinthio condito,

quisquis aliquid rogatus erat, ut daret. Pantomimorum, non patrisfamiliae, triclinium crederes. Adlata est tum gustatio valde lauta: Nam jam omnes discubuerant, praeter unum Trimalchionem, cui locus, novo more,

dito, emendare solere, quod & veteribus in deliciis & luxuriæ apparatu fuisse, docet Lamprid. in Elagab. XXI. Præterea suspicari liceret, fuisse vinum myrrhæ odore conditum, ut amarum esse. De quo vide eruditos interpretes Æliani XII. Var. 31. BURM.

Pantomimorum] Symphoniaci pueri, & cantatores, qui delicatiorum conviviis intererant. GLOSS. Antiquorum epulis varia adhibita oblectamenta, ut cantorum, ludionum, & id genus. Manilius lib. v. vers. 327.

Ille dabit cantus inter convivia latus.

Seneca de vit. beata cap. XI. de Apicii & Nomentani luxu: *Vides hos è suis lectis spectantes popinam suam, aures vocum sono, spectaculis oculos oblectantes.* Idem in ep. *In comessationibus nostris plus cantorum est, quam in theatris spectatorum.* lib. IX. Controv. II. *Si tribunal conscenderit conviviali veste, si, cum classicum canere debet, symphoniam canere jussit.* Sidonius lib. I. ep. II. de Theodorici conviviis: *Sic tamen, quod illic nec organa hydraulica sonant, nec sub phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat. Nullus ibi lyristes, &c.* Lege ex v. c. *vocalium concentus medietatum.* In hoc convivio nihil, nisi symphonia strepente, agitur. Servi cantores, *symphoniaci*: Macrob. lib. II. cap. IV. *Delectatus inter cœnam pueris symphoniacis.* Cicero in Pison. & pro Milone. Ludionum vero varia genera. Capitol. Vero cap. VIII. *Adduxerat secum & fidicines, & tibicines, & histriones, scurrasque mimarios, & præstigiatores, & omnia mancipiorum genera, quorum Syria & Alexandria pascitur voluptate.* Sidonius epist. II. libro I. *Sane intromittuntur inter cœnandum mimici sales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur.* Clemens Pæd. lib. III. cap. IV. Καὶ συνακλίνονται τοῖς φοξοῖς παίζεσαι, σικίννοις τίφασι γαυρούμενοι, καὶ τὸν μὲν Θερσίτην ἀκέεσαι, γελῶσιν. Thersiten appellat mancipium, quod scommatis & dicteriis ludebat. nam Pæd. libr. II. cap. VII. καὶ γὰρ αὐτῇ τῇ φωνῇ δικαιοσύνης μεταδοτέον, τοὺς τε κεκραμένους ἐπισοφιστέον. ταύτῃ γὰρ αὖ τὸν Θερσίτην πληγοῖς ἠκέσατο ὁ πάφρων Ὀδυσσεύς. Nec tantum dicaces servi adhibiti, sed etiam alii, quorum ars mordaci sale ludere. Seneca epist. CXXIII. *Virus eques Romanus, cœnarum bonarum assectator, quas improbitate linguæ merebatur,* talis ille apud Juven. Saty. IX.

——— *conviva joco mordente facetus,*
Et salibus vebemens. ———

Hujusmodi autem cœnarum assectatores, *Assecula.* Juven. Sat. IX. Gloss. Isidori: *Assecula, buccellarius.* Juven. Saty. III. *bucca.*

Perpetui comites, notæque per oppida buccæ.

Isidorus in gloss. *Scurra, parasitus, buccellarius.* At Orig. lib. X. *Iscurra, qui causa cibi quemlibet consectatur.* Græcis τριζύμοι. vide Hesych. WOUWEREN. Convivatum ad Symphoniam clarum. post aliis notum ex Heliodoro lib. 3. Lucian. περὶ Ὀρχ. BARTH. Rigaltius Not. ad Phædrum l. 5. fab. 88. Adeo vero prisci illi symphoniaci pueri in delitiis, ut etiam notamen proprium invenerint. Glossæ veteres *Fabiarii, cantores.* ERHARD. *Pantomimichorum* Tragurienses, quæ vox in duo dividenda, ut cuique patet, *Pantomimi chorum.*

Allata est tum gustatio valde lauta] Aliis *gustus*, est exordium cœnæ, seu antecœna. Rader. ad Martial. lib. II. epig. 16. Rosinus Antiquitat. Roman. lib. 5. cap. 29. ERHARD. Scribe cum Trag. eod. *tamen*, hoc est, tandem: quomodo & infra meliores codices habent, cap. 29. *quid tamen agas, quæro, & an tuis pedibus perveneris domum?* Nonius: *Tamen significat tandem. Pacuvius Peribœa:*

Tamen obfirmato animo mitescit metus.

Sallust. Hist. lib. 3. Nam, qui enare conati fuerant, ictis sæpe serramentis navium, aut vulnerati à suis, aut afflicti alveos undarum vi, multato fœde corpore, postremo tamen periere. Quo sensu & Apulejus lib. v. Metam. *Tamen memineris meæ seriæ monitionis, cum coeperis sero poenitere.* BOSCH. Opinor: *Allata est tandem gustatio valde lauta. Gustationem mirificam*, alibi dixit. HEINS.

Jam omnes jam discubuerant] Ita Tragur. Forte, *jam omnes una discubuerant.* HEINS.

Cui locus novomora primus servabatur] Locus obscurus propter insolens vocabulum *novomora*, & dubito, ne valde hoc nomen corruptum sit: verumtamen dum quid melius edocear, ita legendum suspicor, *novæ moræ locus;* in eam sententiam, ut dicat, quod Domino Trimalcioni locus postremus sit relictus, id est, ante quem omnes alii discumberent (ut loquitur) ipse autem novissimus omnium. qui honos etiam solet exhiberi iis, quibus honos defertur hodie. EMMIUS. Prisco enim more ὁ τῆς τρίτης πρῶτος μάλιστα τῶν ἐσιόντων ἐστί. Plutarch. Συμποσ. γ. TORNÆS. Vide Plutarch. l. I. Quæst. Conv. Quæst. III. WOUWEREN. Regio scilicet & Imperatorio more. Festus; *In convivis solus Rex supra omnes accubat.* Ditmarus Merspurgensis in Othone Imp. libr. 4. Chronic. vide Savaronem ad Sidoni. lib. I. epist. XI. ERHARD. Primus ille locus dictus fuerit *consularis*, alterum ab hoc existimem dictum fuisse *pratorium*, quem occupasse Habinnam Sevirum, infra leges. GOES. Vide egregie de dignissimo loco disputantem Salmasium in exercit. Plinianis pag. 885. Nesselius autem in Catalogo Bibliothecæ Vindebonensis tomo primo, n. XXXI. p. 88.

more, primus servabatur. Caeterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas, in altera parte albas, in altera

p. 88. & Lambecius lib. 11. Comment. p. 1009. exhibent antiquissimam imaginem convivii Pharaonis ad sigma, sive semicircularem mensam, ubi rex ima parte triclinii accumbit. Quamvis mihi videatur lectus ita dispositus, ut eodem juri dici posset, Regem primo & summo loco accumbere. Nam in stibadio locus summus erat primus in cornu dextro, in quo hic Rex pingitur, ut Imperator Majorianus apud Sidonium 1. epist. XI. BURM.

Promulsidari] *Promulsidare*, cibus, qui in gustum datur. GLOSS. Quae sequuntur in manuscripto Codice de ultimo ferculo, quod constabat *asello Corinthio cum bisaccio posito, qui habebat olivas*, &c. valet ad explicationem illius proverbii, quod apud eumdem Petronium excusum extat in illis verbis cap. XXIV. *Mox manum demisit in sinum, & pertractato vasculo tam rudi, hoc, inquit, belle erat in promulside nostra libidinis militabit, hodie enim post asellam diaria non sumo.* Quod proverbium nondum explicatum (ut opinor) eam habet sententiam, se post novissima fercula non cibos diurnos & consuetos accepturam. Nam in ea significatione *diariorum* nomen extat apud Horat. lib. 1. Epistol. VIV. vers. 40.

Cum servis urbana diaria rodere mavis.

Erant enim cibi diurni soliti dari servis aut militibus. Quod proverbium in obscoenum sensum traxit meretrix, & quasi per allegoriam sententiam produxit. nam quia dixerat, *in promulside libidinis nostrae*, continuavit orationis allegoriam in illo proverbio. nam promulsidem habuisse aliquid commune cum aselli ferculo (forte tamquam condimentum) indicant verba manuscripti codicis hoc loco: *Caterum in promulsidari asellus erat Corinthius cum bisaccio positus*, &c. quae verba tamen corrupta credo, & levi mutatione ita restituenda, *caterum in promulside ei asellus erat*, &c. EMMIUS. Forte *promulsidario*. DANIEL. Forte *promulside danda*. TORNÆS. *Promulsidario*. Glossae Isidori: *Pransorium, promulsidarium*. WOUWEREN. Id est, in gustu. Rader. ad Martial. lib. 11. epig. 16. Describitur hic gustationis laterculum, sive προπομα. Vide Casaubon. Animadvers. in Athen. lib. 2. cap. 17. In aliis *in promulside danda*. Lege *in promulsidariis*. Ulpian. leg. 19. §. 10. D. de aur. & arg. leg. *promulsidaria vasa* appellat. hic *promulsidaria* intelligit cibos, qui in gustu. Lips. Epistol. quaest. lib. 3. ep. 2. Ulpian. autem vasa, quibus cibos vel promulsidem apponebant. Bayfius. Lege *in promulsidare*, eo exemplo, quo postea cap. XXXV. *Nos ut tristiores ad tam viles cibos acceßimus, suadeo, inquit Trimalcio, coenemus. hoc est, in jus coena.* eodem modo dicimus *esse aliquid in panem*, Graeca scilicet forma. Gell. lib. IX. cap. 11. *Petit ut sibi dari τὸ ὄψιον.* Ea facie est, quod Cicero & Aemilius Probus, si is auctor est, dicunt in more fuisse Persarum regibus, bene meritis dono dare aliquot urbium reditus, *in panem, in vestem, in vinum*. Palmer. in Spicileg. pag. 718. ERHARD. Primus ad Tertulliani Pallium docuit CL. Salmasius, *promulsidare* hic nihil bibendi edendique caussa paratum continere, sed vasa tantum sustinere, hocque ex Ulpiano, leg. 19. §. 10. D. de auro & arg. legat. *Sed cui vasa* (Sic codd. non *sed si cui vasa*, ut vulgo citatur) *sint legata, non solum ea continentur, quae aliquid in se recipiant edendi bibendique caussa paratum, sed & quae aliquid sustineant: & ideo scutellae vel promulsidaria contineri.* BOSCH. Lege *promulsidario*. TILEBOM. Hinc corrigendae Isidori Glossae, *pransorium, promulsarium*; lege, *promulsidarium*. Quin & in Digestis de auro & argento legato, leg. 19. §. 10. Ex quo loco liquet, promulsidarium non ex iis vasis esse, quae aliquid recipiant edendi bibendique caussa paratum, sed quae aliquid sustineant. GOES. Mensam intellige, quam & *gustatoriam* vocant. Coena lautissima describitur, cujus *gustatio* sive *promulsis* mensae ita fuerit exhibita. Deinde, *remota mensa* sequitur *ferculum*, quod ita exhibetur, *Repositorium rotundum*, &c. Casaubon. ad Sueton. Aug. cap. 74. WEITZ.

Asellus Corinthius] Ex aere Corinthio factus, à forma sic dictus, onustus duobus hinc & inde saccis, quibus ferculorum lances, & paropsides in mensa apponebantur. GLOSS. *Asellus* vas, ut apparet, gestans promulsidem, sive gustationem, de quo supra cap. 24. *post asellum diaria non sumo*. id est, post opiparam gustationem non opus est mihi cibariis servilibus. Scaliger. WOUWEREN. Vix adsentior Scaligero, asellum fuisse vas; sequentia verba Petronii aliud mihi dicunt. Jungerman. ERHARD. Miror fuisse, qui asellum putant in gustatione appositum pro cibo. Asellus ex aere Corinthio ad ornatum mensae simul ac usum. Apud Martialem Apophoretis, lemma epigrammatis CLXX. *Sauroctonos Corinthius*, hoc est, ex aere Corinthio; & sic epigr. XLI. *candelabrum Corinthium*. Talis *Hercules Epitrapezius* apud Papinium, qui ornamento mensae dicabatur. Salmasius ad Pallium Tertulliani censet, hunc Asellum fuisse vas mulsarinum, quam sententiam satis refellit bisaccium cum olivis. HEINS. Fingit Salmas. ad Tertull. de pallis p. 408. praeter hunc asellum sustinuisse promulsidarium lances illas duas, quae asellum regebant; quod plane est praeter auctoris mentem. GOES.

Bisaccio] Forte *Byzantio*, aut *gemino sacco*. TORNÆS. Pro *Corinthius* lege *Corinthiis*. *Corinthia* autem pro vasis Corinthiis, sic *ferum*, sic *Numidicas*, sic *Africanas*, concreta pro abstractis dicimus. Sic quidem & *Lunense* dicimus, hoc amplius marmor in-

altera nigras. Tegebant aſellum duae lances, in quarum marginibus nomen Trimalchionis inſcriptum erat, & argenti pondus. Ponticuli etiam ferruminati ſuſtinebant glires melle & papavere ſparſos. Fuerunt & tomacula

telligimus. Sueton. in Neron. cap. L. *In eo monumento ſolium Porphyretici marmoris, ſuperſtante è Lunenſi ara, circumſeptum eſt lapide Thaſio.* Qui locus Suetonii mendoſe excuditur. Apud Plautum *puras*, pro noctes puras, audimus in Aſinaria. *Si forte pure velle habere dixerit, tot reddat ſpurcas, quot puras habuerit.* Palmer. in Spicileg. pag. 718. Perperam. *Aſellus Corinthius* eſt ex ære Corinthio factus, à forma ſic dictus, onuſtus duobus hinc & inde ſaccis, quibus ferculorum lances & paropſides in menſa imponebantur. Cujuſmodi eſt, quam nos Germani *geiſam*, hoc eſt, capram, ſimiliter à forma dicimus, propter cornuum bigam, quaſi δίκερον. Apud Helvetios eidem uſui deſtinatum vas, *Biſuſz* dicitur: interim etiam *Biſack*, plane ut hoc loco apud Petronium. *Biſaccium* intellexit Ovid. VIII. Metamorph. verſ. 664. in re gemina germana;

Ponitur hic bicolos ſincera bacca Minervæ.

Gallis hodie & Alemannis *Biſack* etiam dicuntur aſſuti utrimque more noſtro ſacci manicarum & femoralium. Salomo Conſtantienſis Epiſcopus, vel potius Iſo Magiſter Sanctgallenſis, Salomonis (ut Goldaſtus noſter in Alemannicis docuit) præceptor, in Lexico; *Mantica, bargila, viſaccia.* ERHARD. Doctiſſimorum hominum ſtudia, curæ, & labores, quos, non ſine jucunda æmulatione, Petronio jam diu ulceroſo & deformi ſanando & ornando contuliſſe laudamus, multa optimæ frugis eruerunt, bonamque copiam verarum lectionum, eruditarum expoſitionum, & pulcherrimarum obſervationum nobis paraverunt; ſed pericopen tamen hanc fere præterierunt. Conſtat aſellum vas fuiſſe ex ære Corinthio; de ejus uſu, quod eſſet inter promulſidaria, in quibus guſtatio ſoleret exhiberi, pariter; de forma, unde biſaccium intelligeremus, turbant Annotationes, Commentarii, Conjecturæ, & quicquid eſt Symbolarum. *Aſellum duobus hinc & inde ſaccis onuſtum* nobis oſtendunt, & *carnes pulli aſinini*, hoc eſt, *aſellum pro obſonio* offerunt; ſunt autem deliciæ illæ petitæ longius, Corinthiis etiam, contra quam volunt, ignotæ; nihil quidem iſtud ad Petronianas. Tum *biſce ſaccis lances ferculorum & paropſides in menſa impoſitas fuiſſe* comminiſcuntur; at hic Petronium prorſus deſerunt, loquunturque incomperta. Quid enim lances facerent in biſaccio olivis continendis fabricato? Non geſtavit aſellus vel ſuſtinuit, quod putant illi, lances, ſed ſua baſi nixus duabus lancibus tectus fuit. Petronio igitur recte intelligendo ſimpliciſſimum obviumque eſt vaſi forma aſelli figurato utrimque adfixum à fabro loculamentum, inſtar ſportulæ vel bulgæ, recipiendis & continendis ſpeciebus fuiſſe ἑφήτριον, ſic ut in altera ejus parte albæ, in altera nigræ olivæ circumferi & adponi convivis potuerint; hæc nimirum μίσωσις Petronianæ mens eſt; nihil præter eam fingendum. *Biſaccii* vocabulum à Latinis in ſuam Provincialem linguam receperunt Itali, cum adpellant *biſacciam, viſacciam*, quam nos *taſcam*, id eſt, peram, manticam, caſſidile, vidulum, bulgam; itemque Galli, quibus *biſſac, beſace* idem, & *beſacier*, qui portat valiſiam, bulgarius. Eadem ſignificatione Διπάχιον dicit recentior Græcia peram vel manticam duplicem, cujus pars una ante, altera retro, æquali tumore & pondere, penderet: & Scholiaſtes Ariſtot. 3. Rhet. XI. Philamona, quem Poëta ζυγομαχεῖν τῷ Κωρύκῳ ſcripſerat, ἐοικέναι τῷ διπαχίῳ, quod dimidio corporis in antrum Coryceum irrepſiſſet, altero extra hæreret, interpretatur. REINES.

Olivas in altera parte albas] Olivarum albarum memimere Plinius, & Celſus, nigrarum Diphilus. PITH. Ovidius VIII. 64. Metam.

Ponitur hic bicolos ſincera bacca Minervæ.

Varro de Re ruſt. lib. I. cap. 66. WOUWEREN. Vide de his Columellam lib. XII. cap. XLVIII. & ſeqq; Nonnium de re cibaria lib. I. cap. 42. ubi docet in guſtu olivas fuiſſe.

Tegebant Aſellum duæ lances] Latus aſelli claudebant. Sic apud Statium.

Hunc tegit Jaſiuſque pater, placiduſque Phoroneus.

Aliis eſt, *latus tegere*. Nam cum aſellus ad ornatum menſæ pertinebat, non eſt credibile, alias illi patinas fuiſſe impoſitas. Non ergo aſellus ille mulſum continebat, nec poculi genus erat, ſi tegebatur à duabus lancibus. Sed nec recte interpretatur Salmaſius ad Pallium illa Petronii noſtri, *Poſt aſellum diaria non ſumo.* In abaco enim pocula reponebantur, non in ipſa menſa. HEINS.

In quarum marginibus nomen Trimalcionis inſcriptum] Lucian. Hermotimo. Plaut Rud. *Nam hæc* (urna) *litera a eſt, ab ſe cantat cuia ſiet.* ita & pocula litterata Græcis γραμματικὰ ποτήρια, ut Athenæus tradit. WOUWEREN.

Ponticuli ferruminati] Juncti, conſolidati. GLOSS.

Glires] Ammian. Marcell. lib. 28. Varro de re ruſt. lib. 3. cap. 15. Apicius de re culinar. WOUWEREN. De his Apicius lib. VIII. cap. ult. Plinius lib. XXXVI. cap. I. *Extant cenſoriæ leges glandia in coenis gliresque vetantes.* Et lib. VIII. cap. LVII. *Glires cenſoriæ leges, principeſque M. Scaurus in conſulatu non alio modo coenis ademere, quam conchylia, aut ex alio orbe convectas aves.* HEINS. Non domeſticos glires, ſed ſilveſtres, quos in deliciis fuiſſe docet Nonnius de re cibar. lib. II. cap. II.

Melle

macula ſupra craticulam ferventia argenteam poſita, & infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali.

XXXII. In his eramus lautitiis, quum ipſe Trimalchio ad ſymphoniam adlatus eſt, poſituſque inter cervicalia minutiſſima expreſſit imprudentibus riſum. Pallio enim coccineo adraſum excluſerat caput, circaque

Melle & papavere ſparſos] Vide Athen. lib. 3. WOUWEREN.

Tomacula] Vetus exemplum *tumatula*. Pith. alii, *trimatula*. alii *trimetalla*. PATISSON. Alii *tomacula;* alii *trimetalla*, ex ære, auro, argento, qua mixtura fit orichalcum. Lege, *trimetalla ferventia ſupra craticulam argenteam poſita*. *Trimetalla* alii malunt vaſa Corinthia, ſic dicta ab eorum trium metallorum confuſione, de qua Muretus cap. 5. lib. 3. Var. lect. TORNÆS. Martial lib. 1. Epigr. XLI.

Quod ſumantia qui tomacla rautus
Circumfert tepidis cocus popinis. PITH.

Juvenal. Satyr. 10. *tomacula porci*. Comment. *pinguia viſcera*. Martial. lib. 14. WOUWEREN. Martialis lib. 14. Platina Cremonenſ. lib. 6. *hiſitium* appellat, quod cum deſcripſiſſet, ſubjicit; *Tomacula hæc vulgus appellat, quæ fortaſſe melius omacula cum involuta omento fiant, dicerentur, vel tomacula, ut Martiali placet.* Sed, non placet *omacula* pro tomaculis dici: Raderus ad Martial. l. 1. epig. 35. Item Martialis l. 14. epig. 191.

Parva tibi curva craticula ſudet oſella.

Oſellas pro tomaculis poſuit, quæ craticulis imponuntur torrenda. Idem Rader. in Comment. ERH. Vide Nonnium de re cibar. lib. 2. cap. 14.

craticulam argenteam] Clemens Pæd. lib. 2. cap. 3. WOUWEREN. Scribe, *poſita infra craticulam*. TILEBOM.

Syriaca pruna] Quæ olim Latinis Græciſque, & Gallis hodie, *Damaſcena*. Rader. ad Martial. lib. 13. epig. 29. ERHARD. Vide Nonnium de re cibar. lib. 1. cap. 32.

Cum granis Punici mali] V. Nonnium de re cibar. lib. 1. cap 37.

In his eramus lautitiis, cum ipſe Trimalchio, &c.] More Octaviani Auguſti, de quo Sueton. cap. 74. *Convivia nonnumquam & ſerius inibat, & maturius relinquebat: cum conviva & coenare inciperent, priuſquam ille diſcumberet, & permanerent digreſſo eo.* ERHARD.

Ad ſymphoniam allatus eſt] Sed & ad Symphoniam efferebantur à cœna. Seneca Epiſt. XII. *Pacuvius, qui Syriam uſu ſuam fecit, cum vino, & illis funereis epulis ſe ſepeliſſet, quaſi ſibi parentaret, ſic in cubiculum ferebatur à coena, ut inter plauſus exoletorum hoc ad Symphoniam caneretur, βεβιωκε, βεβιωκε, nullo non ſe die extulit.* PITH.

Poſitus] *Ponere* convivale verbum. Juven. Sat. 1. verſ. 140.

——— *quanta eſt gula, quæ ſibi totos*
Ponit apros.

Idem XI. verſ. 89.

——— *natalitium convivis ponere lardum.*

Ta'e *MITTERE* apud Apic. & *miſſus* pro ferculo, quod & *PATINAM* idem vocat. BARTH.

Inter cervicalia minutiſſima] Quia vulgo uno tantum pulvinari utebantur. Apulejus lib. 7. *Et in ſummo pulvinari locatus coena & poculis magnis inaugurat.* Quod & *Capitale*. In Vitis Patrum lib. 4. *Videns eum Ægyptius veſtitum mollibus rebus, & mattam de papyro, & pellem ſtratam ſub ipſo, & modicum capitale ſub capite ejus.* Si Encolpius hodie ad Suevos Algovios, & Helvetios Turgovios veniat, apud quos tenuiſſima ſubtiliſſimaque texuntur lina, quid putas, quæſo, dicturus ſit, ubi videat in lectis ſtruem minutiſſimorum cervicalium ſex, octo, decem, interdum etiam plurium, ad oſtentationem lautitiarum paratorum? Jacobus Gaudenſis Monachus in Aerar. aureo Poëtar. *Analectides dicuntur modici cuſſini, ad exaltandos humeros apti.* ERHARD. Prætero hanc lectionem vulgatæ, in qua eſt *in cervicalia*. Nempe vocis *inter* ſyllaba poſterior à ſequentis vocabuli prima ob ſimilitudinem litterarum eſt abſorpta. Sane nemo ponebatur in cervicalia; non hic eorum uſus, ſed, ut ſuffulcirent caput ac cervicem circumpoſita, non ſubjecta. Unde Martialis lib. III. in Zoïlum. Epig. 82.

Effultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

optime *effultus*, ut de eo, qui eſt inter eos, non qui ponitur in eis. SCHEFFER. Tali cultu Theſmopolis, Philoſophus vetulus & cauſarius, in convivio opulenti diſcipuli ſui Eucratis fuit: quinque enim ſervi eum menſæ impoſuerunt, ὑπαυχένια περιβύσαντες αὐτῷ πάντοθεν undiquaque conſtipantes pulvinis & cervicalibus; at cui fini? ὡς διαμένοι ἐν τῷ σχήματι καὶ ἐπιπολὺ καρτερεῖν δύναιτο. Luc. in Gallo REINES. Infra cap. LXXVIII. *Fultus cervicalibus multis extendit ſe ſupra torum extremum.* Nam & horum uſus inter epulandum. Martialis Apophoretis:

Unge caput Coſmi ſolio, cervical olebit.

Et apud eumdem Malchio inter cœnandum fulcitur *ſericis pulvinis*. HEINS. Munkerus in notis ad Hygin. fab. 41. prima editione probabat, *poſitus in cervicalia minutiſſima*, ſed mutaſſe ſententiam videtur, cum in ſecunda editione hæc omiſerit.

Muntiſſima] Scribe *minutiſſima*, ut eſt in editis. SCHEFFER.

Pallio coccineo] *Pallium coccineum*, cocco tinctum,

caque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam, fimbriis hinc

vel quod cocci colorem refert: qui delicatiores erant, incedebant capite palliolato. GLOSS. Seneca Ep. CXIV. de Mæcenate, *in omni publico loco ſic apparuit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrimque auriculis.* PITH. Quod etiam Seneca de Mæcenate homine luxurioſo & molli notat, Epiſt. CXIV. BONG. Nonnumquam palliati accubuere. Spartianus Hadrian. cap. XXII. *Aut pallio tectus diſcubuit, aut toga ſubmiſſa.* Severo: *Cum rogatus ad coenam Imperatoriam palliatus veniſſet, qui togatus venire debuerat.* WOUWEREN. Capitolinus Clodio Albino, *Commodus Cæſarium ei nomen obtulit, & dandi ſtipendii facultatem, & pallii coccinei utendi.* Et paulo ante in litteris Commodi: *Ut tibi inſigne aliquod imperialis majeſtatis accedat, habebis utendi pallii coccinei facultatem, me præſente.* Ergo uſus pallii coccinei coram Imperatore Romano ſolis Cæſaribus conceſſus illa tempeſtate. HEINS. Vid. Salmaſ. ad Spart. Adrian. 22. & Ferrar. de re veſtiaria. part. 1. lib. 1. cap. 11. & Lipſium de Amphitheatr. cap. 20.

Adraſum caput] Servos, cum libertate donarentur, radi ſolere, jam alii annotarunt. Hinc vero colligas licet, libertos in omni vita capite fuiſſe adraſo. HEINS. Horat. 1. Epiſt. VII. verſ. 5.

Adraſum quemdam vacua tonſoris in umbra.

Incluſerat caput] Græci Romanique capite intecto, qui delicatiores, capite incedebant palliolato, non ſine ſuſpicione luxus. Senec. de Mæcenate Ep. CXIV. *Hunc eſſe, qui in omni publico coetu ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrimque auriculis.* Plutarchus ſuperbiam Demetrii taxans; *Domino ſtante*, inquit, *ipſus accumbebat*, ἔχων δ' ὕπτιον κατὰ τῆς κεφαλῆς τὸ ἱμάτιον. Lipſ. de Amphith. cap. 20. ERHARD. Lectio *excluſerat* præſtantior videtur. Quomodo enim *adraſum* videre poterant caput, ſi id incluſerat? Ergo potius habebat exertum pauliſper extra pallium, quod in medio cervicalium ambientium, & pallii purpurei, nudum, ac pæne calvum, non potuit non ridiculum videri. *Excluſum* tali ſenſu adhibuit & Seneca, de Mæcenate agens Ep. CXIV. *ſic apparuit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrimque auriculis.* SCHEFFER. Supra cap. 28. *coccina ganſapa involutus*: nunc excludit caput coram convivis, quod incluſum ſpectari ab illis & riſum exprimere non potuit. Nota obiter elegantem loquendi modum; ſic *Excludere aures* Seneca ep. CXIV. ubi de Mæcenate: *Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico coetu ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrimque auribus, non aliter quam in Mimo Divites fugitivi ſolent.* HEINS.

Oneratas veſte cervices] Ita Curtius VI. cap. 6. *Amictos vero & equites Perſicis oneraverat veſtibus*, ut Modius recte legit: vulgo *ornaverat*.

Laticlaviam mappam] *Laticlavia*, clavis purpureis, vel aureis variegata, quibus honoris cauſa Senatores utebantur: non erant conſuti clavi iſti, ſed ſupra veſtimentum demiſſi in pectus uſque. GLOSS. Sueton. Cæſar. cap. XLV. *Etiam cultu notabiliorem ferunt. Uſum enim lato clavo ad manum fimbriato, nec ut umquam aliter, quam ſuper eum, cingeretur.* PITH. *Clavi*, quibus honoris cauſſa utebantur ſenatores, vel tribuni, vel equites, non erant conſuti veſti, ſed ſupra eam demiſſi in pectus uſque, alii arctius, alii latius, ut recte Horatius dixerit 1 Sat. VI. 28.

——— *Latum demiſit pectore clavum.*

Acro ad illa verba; *Prætextam, & latum clavum. Latum clavum purpuram dicit, quæ in pectore extenditur Senatorum. Græci τὸν κολοβίωνα vocant. uſum ejus retinent Principes, injicientes veſti à cervice ad pectus indumentum ex purpura, vel pellibus pretioſis muris Pontici, vel aliis, dum regio habitu prodeunt in publicum.* Cujac. Obſervat. lib. 12. cap. 39. *Clavi* non tunicis ſolum adſuebantur, ſed & ſupellectili, præſertim tricliniari. Linteorum toralium, duos clavos habentium latiſſimos, meminit lib. 16. Ammianus. cap. 8. Linteorum & mantilium clavatorum in Alexandro Lampridius. facitque duo genera cocco vel auro clavatorum, fiebant enim clavi, qui acceſſionis loco veſtibus cedebant, ut ſcribit Ulpianus, è cocco, vel purpura, vel auro. Hieronym. in Eſaiam lib. 1. *Tunicam μεσοπόρφυρον, id eſt, clavatam purpurâ.* Caſaubon. in Ael. Lamprid. Alexandr. Sever. cap. XXXVII. Martialis lib. 4. epig. 46.

Et lato variata mappa clavo.

id eſt, clavis purpureis vel aureis variegata. *Clavi* in veſte, vel *lati*, vel *anguſti*; unde *latus clavus* Senatoria, *anguſtus* Equeſtris veſtis: & *latus clavus*, pro Senatoria dignitate, & *anguſtus clavus* pro Equeſtri. Hinc irriſorie noſter *laticlaviam mappam* dicit Trimalcioni fuiſſe lautiſſimo & ſuperbiſſimo diviti, quaſi non ei homini competentem, ſed Senatori. Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib 4. epigr. 46. num. 7. Alii aliter ſcripſerunt, vide Torrentium ad Sueton. Adi Manutium N. Quæſit. per epiſtol. lib. 2. cap. 2. Sigonium lib. 3. de judiciis. Roſinum Antiquit. Roman. lib. 5. cap. 31. ERHARD. Unde apparet faſtus noſtri libertini Trimalchionis, qui clavis ornatas purpureis mappas habebat. Ammian. Marc. XVI. 8. *Veterator quidam ad lautum convivium rogatus, & mundum, qualia ſunt in his regionibus plurima, cum vidiſſet linteorum toralium par, duos clavos ita latiſſimos, ut ſibi viciſſim ante miniſtrantium cohærerent, menſamque operimentis paribus tectam, &c.* ubi v. Valeſium.

Immiſerat] Pro ſtraverat, non communi notione, ut apud Æl. Lampridium in Alexand. Sever. cap. XXXVII. *Convivium neque optimum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit: ita tamen, ut pura mantilia mitterentur, ſæpius cocco clavata, aurata vero numquam.* Ramirez Hypomn. ad Martial. lib. IV. Ep. XLVI. ERHARD.

Fim-

hinc atque illinc pendentibus. Habebat etiam in minimo digito ſiniſtrae manus annulum grandem ſubauratum ; extremo vero articulo digiti ſequentis minorem , ut mihi videbatur , totum aureum , ſed plane ferreis veluti ſtellis ferruminatum. Et , ne has tantum oſtenderet divitias, dextrum nudavit lacertum , armilla aurea cultum , & eboreo circulo lamina ſplen-

Fimbriis hinc atque illinc pendentibus] Fimbriæ, extrema veſtimentorum. GLOSS. *Fimbriæ* inter ea, per quæ veſti ornatus accedit & pretium. Sic paludamenta Ducum *fimbriata* erant. Plutarch. Lucullo, χρυσωτὰς ἰφικρίδα vocat. Sic & mappis additæ fimbriæ. Petronius enim hic inter Trimalcionis delicias recenſet *mappam laticlaviam fimbriis hinc atque illinc pendentibus*. Nam *mappas* quoque purpura & auro clavatas fuiſſe conſtat. Caſaubon. ad Sueton. Cæſar. cap. XLV. Vide & Tiraquell. Connubial. 3. pag. 55. Erasmum in Chiliad. adag. *è fimbria de texto judico*. WEITZ. *Dependentibus* rectius dixiſſet. Apud Phædrum, lib. II. Fab. V. verſ. 13. *Atrienſis cirris dependentibus*. De fimbriis hiſce ſive cirris multa congeſſit Salmaſius ad Spartianum , in vita Pertinacis cap. VIII. Cæterum merito riſum convivis expreſſit Trimalchio, qui ſine toga, ſine calceis , contra morem Romanum accederet ad convivium , & quidem non iret, ſed ferretur. HEINS.

Habebat in minimo digito annulum grandem] Mirum, quod in minimo digito grandem habuerit, cum Pollux ſcribat lib. 5. cap. XVI. Περὶ δὲ τῷ σμικρῷ δακτύλῳ ἐφόρει , ὃ ἀκαρὶς ἐκάλει διὰ σμικρότητα , ſed ideo tribuit , quia notat hominem lautiſſime divitem : nam & Lucianus de hujuſmodi ἰταμ. διαλ. εἶχε δὲ καὶ αὐτὸς Παρμένων δακτύλιον ἐν τῷ μικρῷ δακτύλῳ μέγιστον, πολύγωνον, καὶ ψῆφον ἐνειλέλυτο τῶν τριχρώμων, ἐρυθρὰ δὲ ἦν ἐπιτολῆς. WOUWER. Apud Jul. Pollucem lib. 2. cap. 1. annulus, qui minimo geſtatur , vocatur ob parvitatem ἀκαρὶς , ſicut κορίαννον , quo index ornatur. ERHARD. Vid. Kirchmann. de annulis cap. 4. & 17.

Extremo vero articulo] Clemens Pæd. lib. 3. cap. 2. ἀλλὰ δὲ καὶ τὸν δακτύλιον ἐκ ἐπ' ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι γυναικεῖον γὰρ τοῦτο. εἰς δὲ τὸν μικρὸν δάκτυλον, καὶ τοῦτο εἰς τὸ σχοινίον καθήκειν. *Multitudo annulorum*, inquit Acro ad illa Horatii lib. 2. Sat. VII. *ſæpe notatus cum tribus anellis, ejus vitioſa*. Seneca Nat. Quæſt. lib. 7. cap. 31. *Exornamus anulis digitos, & in omni articulo gemma diſponitur*. WOUWEREN.

totum aureum] Adhibita ferruminatio, quia libertis & plebeis hominibus non licebat uti annulis aureis, niſi in equeſtrem ordinem eſſent tranſlati poſt acceptam libertatem. De libertis ad equeſtria tranſlatis vide commentatores ad lib. 1. Hiſt. Tacit. cap. XIII. Et Statium Epicedio Etruſci. De annulis Plinium lib. XXXIII. cap. 1. HEINS.

Velut ſtellis ferruminatum] Samothracium. PITH. Vide Plin. libro 33. cap. 1. Ejuſcemodi annulos aureos ſtellis ferreis ferruminatos in manibus Abrah. Gorlæi Ultrajecti, item Maſſiliæ aliquot vidiſſe ſe teſtatur Ill. Scalig. Stellis autem ornatus cauſſa etiam alia inſigniri ſolita; hinc apud Trebell. Poll. in Salonino Galien. cap. 2. *Aureos conſtellatoſque baltheos rapuiſſe dicitur*. WOUWEREN. Græci hanc artem τέχνην ἐμπαιστικὴν nominarunt. Athenæus lib. XI. pag. 490. in fabrica Neſtorei poculi, Οἱ μὲν δὴ λέγουσιν ἔξωθεν δεῖν ἐμπεῖρασθαι τὸν χρυσὸν ἥλοις τῷ ἀργύρῳ ἐκπώματι κατὰ τὴν ἐμπαιστικὴν τέχνην. Idem meminit poculi, ut videtur, argentei, ἔχοντος κύκλῳ γράμματα ὑδέκα χρυσᾶ θαυμαστὰ, & aliorum ſimilis artificii. Sueton. in Octav. Auguſto cap. VII. *Nactus puerilem imaguncula ejus aream veterem , ferreis ac poene jam exoleſcentibus literis , hoc nomine inſcriptam*. Caſaubon. ad Sueton. Auguſt. c. 7. WEITZ. Gloſſæ Labbæi: *Ferruminatio , quod plumbatura dicitur* , σιδήρου ἕνωσις ἐκτὸς μολίβδου. *Ferruminatus* , χαλκοκόλλητος. HEINS. De hoc artificio vide Salmaſ. ad Pollion. Gallien. cap. 8. & Salonin. cap. 2. & Claud. cap. 17.

Lacertum armilla aurea cultum] Athen. lib. XII. pag. 525. Περὶ δὲ τῆς σαμίων τρυφῆς Δῶρις ἱστορῶν παραπέφτωκε Ἀσιᾶς ποιήματα, ὅτι ἐφόρουν χλιδῶνας περὶ τοῖς βραχίοσι. PITH. Hinc arbitror in Gloſſ. ψέλιον ἀνδρὸς , *Brachionarium*. WOUWEREN. *Armillæ* fuerunt rotundi circuli ex argento vel auro, quibus ſummum brachium cingebant, idque ornatus cauſſa. Atque olim ſane armillæ iſtæ in uſu, ſed, ut videtur, per luxum. De Sabinis Livius lib. 1. cap. XI. in arcis proditione: *Quod vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo habuerint*. Ac poſteriore etiam ævo armillæ per delicias geſtatæ. Petronius hic de ſuo Trimalcione. Athenæus lib. 12. in reliquo Sabinorum luxu pag. 525. Vocabantur & *brachiales* , Græcis βραχιστῆρες aut βραχιστήρια , *viriolæ*, *dextraliæ*, *dextrocheria* , uti fuſe & docte docet Antverpiæ illud decus Philip. Rubenius l. 1. Elector. c. 38. Vide & Iſidorum Hiſpalenſ. in Etymolog. Joan. Balbum Januenſ. in Catholic. Neſtorem Novarienſ. in Vocabular. Budæum in Comment. ling. Græc. in ψέλιον, Tiraquellum 3. Connubial. pag. 39. Hadr. Junium in Nomenclat. WEITZ. *Cultum*, id eſt, ornatum. Sic apud Naſonem Met. 11.

——— *Ebore & teſtudine cultos*
Tres habuit thalamos.

Curtius VIII. IX. *Lapilli ex auribus pendent , brachia quoque & lacertos auro colunt*. *Auro culti pueri*, apud Senecam de vita tranquilla. Claudianus bello Getico verſ. 223.

Cul-

splendente connexum. Ut deinde spina argentea dentes perfodit.

XXXIII. [a] Amici, inquit, nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed, ne absentivus morae vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi: Permitti-

a TRIMALCHIO

Cultaque despiciens auro laquearia dives.

Sic scribe, non *Fultaque*. Noster infra cap. XLVII. *Tres albi sues in triclinium adducti sunt, capistris & tintinnabulis culti.* Cæterum, armillæ, etsi antiquis gestatæ Sabinis, ac inter dona numeratæ militaria, tamen mollitiem designabant quodammodo & testabantur gerentium. Seneca cap. XVIII. De constantia sapientis: *Hæc ipse perlucidus, crepidatus, armillatus.* De Caligula sermo est, de quo & Suetonius, in ejus Vita, cap. LII. *Manuleatus & armillatus in publicum processit.* Festo *spinther, armillæ genus, quod mulieres gestare solebant in brachio sinistro.* Id pro armilla apud Plautum sæpe occurrit. HEINS.

Eboreo circulo lamina splendente] Tertull. de habitu mul. cap. II. *Circulos ex auro, quibus brachia artantur.* WOUWEREN. Lege *splendens*, quæ videtur Capitolino dici *costula*, in Maximino Juniore, cap. I. *Dextrocherium cum costula de hyacinthis quatuor.* Casaubon. in Lamprid. *Splendente* refertur ad *circulo* non ad *lamina*, quæ videtur fuisse aurea. *Ebur* namque auro subornari solitum discimus ex versu illo, quem non procul à fine hujus Satirici habes cap. CXXXV.

Non Indum fulgebat ebur, quod inhaserat auro.

ERHARD. *Eburneum* Poëtæ dixisse malunt, propter secundam syllabam in *eboreo* brevem. HEINS. Ego *splendente lamina* probum puto; aurum enim & argentum quoties non à Poëtis *fulgere* & *splendere* dicitur? Horat. II. od. 2.

Nullus argento color est, avaris
Abdita terris inimica lamna,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

& passim. BURM.

Ut deinde] Alii *& deinde*. TORNÆS.

Spina argentea] Penna quoque dentes levabantur. Martial. lib. III. epig. 82.

——— *suggeritque ructanti*
Pennas rubentes, cuspidesque lentisci.

Et lib. XIV. Ep. XXII.

Lentiscum melius, sed si tibi frondea cuspis
Defuerit, dentes penna levare potest. PITH.

Omnia hic ad luxum comparata: nam alii lentisco aut penna dentes levabant. Martialis dist. Lemmate, *Dentiscalpium.* lib. XIV. epig. XXII. WOUWEREN. Raderus ad Martial. lib. 14. epig. 11. ERHARD. Vide eumdem ad lib. VII. 52. Apud Martialem Malchio aliquanto modestius III, ep. 82.

Stat exoletus, suggeritque ructanti
Pennas rubentes, cuspidesque lentisci. HEINS.

Et *penna* & *spina* ad dentes scalpendos & purgandos utebantur. Plin. XXX. IV. *penna vulturis si scalpantur dentes, acidum halitum faciunt. Hoc idem Hystricis spina feciisse, ad firmitatem pertinet.*

Nondum mihi suave erat in triclinium absens more vobis venire] Hæc conturbata sunt: scribe, *Nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed ne diutius absentivus* (vel *absens*) *morae vobis essem, voluptatem omnem mihi negavi. Absentivus*, ut *vacativus* in vita Alexandri Severi apud Spartianum, cap. 14. monente Salmasio, & *jacentivæ arbores*, in legibus Longobardorum. HEINS.

Absentivus] Diutius absens. GLOSS. Vet. *ne diutius absentibus essem.* Pith. PATISSON. Alii *diutius absens.* TORNÆS. Alii *absentius essem.* Lege *absens diutius essem.* ERHARD. *Diutius absentius* Mem. cod. *absentivus* Pithœi & Leidensis cod. *morae vobis* interponit MS. Trag. Unde non dubitavi, quin cum Doctiss. Gronovio legendum esset, *sed ne absentivus morae vobis essem.* Nob. Heinsius malit, *sed ne absens diutius morae vobis essem.* BOSCH. Hæc quid sibi velint, non excogito. Continent fortasse causam, quare nondum venire volverit. Et quia non intelliguntur, etiam ab aliis omissa sunt. Gronovius, vir summus, censet ista verba alieno loco esse intrusa, illudque *absens*, ex glossa vocis *absentivus*, natum, atque ideo cuncta esse sic legenda; *Nondum mihi suave erat in triclinium venire, sed, ne absentivus morae vobis essem, omnem voluptatem mihi negavi.* Quam correctionem judico doctissimam. SCHEFF. Frellon. edit. Wouwer. alii, ut ex diverso charactere patet, *nondum mihi* suave *erat in triclinium venire, sed ne absentivus essem, omnem voluptatem mihi negavi.* Editio Tornæsii, *sed ne absentius essem.* in margine, & Varr. lect. alii, *sed ne diutius absens.* Ubi Dousa: *diutius absens.* Sic & c. M. excepto quod pro *absens*, *absentius* (hoc est, *diutius absentius*) illic legatur. Scriverius ibidem. *absentivus* codex Pithœi. MS. Tragur. *nundum mihi suave erat in triclinium absens more vobis venire, sed ne diutius absentivos essem, voluptatem mihi negavi. Permittitis* (Patav edit. *permittis*) *tamen. Absentivos* seu *vus* retinui propter concordantes tot codices, & æqualitatem lexeos Trimalchianæ, ac collibertorum; habita alias, siqua umquam, optima occasione hoc cum *absens* commutare. Sed non feci, nec commutandum sentio. HADRIANID.

Mihi negavi] Eleganter, & ex Horatio expressum, lib. I. Sat. I. 74.

Panis ematur, olus, vini sextarius, adde
Queis humana sibi doleat natura negatis.

Permittitis tamen finiri lusum] Inter cœnam ludebant alea. Sueton. August. cap. 71. *Inter coenam lusimus γεροντικῶς & heri & hodie*, ubi de aleæ lusu, qui senum

mittitis tamen finiri lusum. * Sequebatur puer cum tabula terebinthina, & crystallinis tesseris: notavique rem omnium delicatissimam. Pro calculis enim albis, ac nigris, aureos, argenteosque habebat denarios. Interim dum ille omnium testorum * inter lusum consumit, gustantibus adhuc nobis,

a ENCOLPIUS.

senum est, unde Cic. de Senect. *Nobis relinquat talos & tesseras.* Savaro ad Sidon. lib. 1. epist. 1. ERHARD. Amplissimus Cuper. 1. obs. 1. legit, *Iniri lusum.*

Cum tabula terebinthina] *Tabula* erat alveolus, in quem calculos sive tesseras jaciebant. Savaro ad Sidon. lib. 5. ep. 17. & lib. 8. ep. 12 ERHARD. Ita calices ex Terebintho torno à Thericle factos laudat Plin. lib. XVI. cap. 40. unde *Thericlea* illa pocula in maximo precio, teste Athenæo, lib. XI. cap. 6. quæ Trimalchio, semper aliquid insoliti ostentans, supergressus, tabulam ex terebintho habebat. Non vero credendum, totam ex Terebintho fuisse tabulam, sed tabulis Terebinthiis aliam materiam tectam, ut adhuc moris est inducere lusorias tabulas, & vestire ebore, ligno nuceo, vel alio: nam Plin. lib. XVI. c. 41. Terebinthum *numerat inter arbores, quæ in lammas secantur, & quarum operimento vestiatur alia materies.* Et postea addit, etiam testudinem sectam pingi colore terebinthini ligni, quam artem ab ingeniis portentosis principatu Neronis inventam dicit; forte & talis hæc terebinthina fuerit. Luxum circa tabulas lusorias notavit & Plinius, lib. XXXVII. 2. ubi narrat, Pompejum in triumpho *transtulisse alveum cum tesseris lusorium è gemmis duabus latum pedes tres, longum pedes quatuor.* De tabula autem lusoria accurate egit Salmasius ad Vopisci Proculum cap. XIII. BURM.

Crystallinis tesseris] *Latrunculi* quoque fiebant ut plurimum ex vitro. Lucan. in Panegyr.

——— *Vitreo peraguntur milite bella.*

Martialis lib. VII. Epigr. LXXI. *Vitreo latrone clusos* Fr. Lindebrog. Not. in Catalect. ERHARD.

Delicatissimam.] Hoc verbo omnia, quæ ad luxum, mollitiam, & pompam erant composita, notari docuit vir Amplissimus Cuper. Obsery. 1. cap. 8. ita *delicatos hortulos* Phædrus lib. IV. fab. 4. ubi vide adnotata.

Interim dum ille omnium testorum intercluſum consumit] nescio quid sibi velit nomen *testorum.* Forte aliquid deest. Quid si legamus, *omnem tesseram*? quia supra meminerat crystallinarum tesserarum: aut forte, *omnem thesaurum inter lusum consumit*, ut referatur ad denarios. EMMIUS. Alii *testarum.* PATISSON. Locum corruptissimum sic emendari posse autumo, *Interim dum ille omnium numerum tesserarum inter lusum consumit.* Loquutus est autem de terebinthinis & crystallinis tesseris. Hæc audacius protuli, quod interpretes silere, atque Æsculapium rogare animadverterem. BOURDEL. Olim legendum putabam, *Interim dum ille omnes tesseras inter lusum consumit.* Ut infra cap. 88. *Democritus ætatem inter experimenta consumpsit.* CL. J. F. Gronovius emendat: *Interim dum ille omnium testorum iter lusu consumit.* Adi lib. III. de Pec. vet. cap. 13. MS. Trag. habet *omnium textorum dicta*, unde minima mutatione Nob. Heinsio legendum videtur, *omnia textorum dicta.* Non dubito, quin hæc ipsissima vexatissimi loci lectio. BOSSCH. Sunt & hæc desperatè mendosa. Illud *dicta* vulgati non agnoscunt. Pro *textorum*, alii habent *testorum*, alii *testarum*, quod sunt, qui ita supplent ac corrigunt, *omnium numerum tesserarum*; alii ita: *omnium agmen testorum.* Verùm manent adhuc depravata. Quid si scribatur, *omnium testorum electa?* nam omnino non de tesseris, sed ferculis sermonem puto esse, de quibus antecessit, cùm propter illud *consumit*, quod ad ludum tesserarum non satis apte potest accommodari, tum propter vocem *testorum*, quæ & alias nostro vas servando igni, cui deinde cibi imponantur. Sic enim infra cap. 136. *animadverto Enotheam cum testo ignis pleno venientem.* Et hic antecesserat de tomaculis super craticulam ferventibus. Postremo & *electa* noster dixit alibi selectiores melioresque cibos. *Res*, inquit, *electissimas ridentes aggredimur.* Ut sint *electa testorum*, optimum ac delicatissimum quodque ferculorum, quod erat testis impositum. Sed de hoc alii judicent. SCHEFFER. Variis modis sollicitatus hic locus, sed in quo frustra viri summi operam posuerunt. Veram enim scripturam, quam exhibemus, codex Tragurianus servavit nobis. Si quid mutandum tamen, rescribam, *omnia textorum dicta. Dicta* pro dicteriis, quæ vocant, cape, de quibus nos ad Fastos Ovidianos olim complura. *Dicta*, *textorum* quæ textoribus & infimæ plebi in usu. Et hodieque aleatores nostri inter ludendum dictis aut facetiis raro sibi temperant. *Consumere dicta*, ut infra cap. XLI. *Postquam omnes bateologias consumpsi.* HEINS. Locus desperatus: de Salas *agmen* interseruit, quod non modo recepit Gallicus impostor, sed & *omnium calculorum agmen* pro *testorum* suppositi. Heinsii emendationi ne accedam, facit, quod *dicta* illa *textorum* nullis antiquorum scriptorum testimoniis illustret, & probet in proverbium abiisse. Et præterea, cum vestes unaquæque familia ab ancillis sibi conficiendas curaret, non credendum est, eo tempore textores Romæ, aut in Italia, tam frequentes fuisse, ut eorum dicta celebrarentur; si *tonsorum* dicta, qui loquacitate sua erant celebres, Petronius scripsisset, facilius reciperem, sed non video, quare Textores, præ cæteris artificibus ex vili plebe, hic essent nominandi. Barthius lib. XIII. Adversar. cap. v. legit *dum ille officium sectorum inter luxum consumit*, & *officium* in exaratis codibus fuisse notat. Sed, an Trimalchio simul ludebat, & sectoris munere

nobis, repositorium adlatum est cum corbe, in quo gallina erat lignea patentibus in orbem alis, quales esse solent, quae incubant ova. Accessere continuo duo servi, &, symphonia strepente, scrutari paleam coepe-

ungens carpebat & dividebat ferculum? praeterea nondum cibus erat adlatus, quem secari oporteret. Gustatio tantum, Olivae, Glires, Tomacula jam minuta, & similia erant in Asello, quae dividi, non secari debebant. Ne vero Schefferi *testorum electa consumit* probem, facit, quod Trimalchio in triclinium venerat, non ut ipse gustaret, sed ne amicis in mora esset, quorum jam animus erat in patinis: ipse vero discumbit quidem, sed lusum non intermittit, nisi demum capite sequenti: deinde an testa illata erant in lautissimi hominis mensam, qui argentea & Corinthia vasa sua ostentabat? Gronovii emendatio, quae certe ingeniosa est, hoc habet incommodi, quod illud *iter testorum*, pro calculorum, dici posse non ostenderit. Non enim testacei Trimalchionis calculi, sed erant aurei & argentei denarii, neque huc facit illa *testa* Minucii Felicis, quae erat vera testa, non calculus, quo in alveo lusorio uterentur. Communiter vero calculos è vitro factos docet Plin. XXXVI. 26. Sed facilius refellere alienas Interpretationes, quam veram dare. Si *omnium* vel *omnia lusorum dicta* liceret restituere, sensus commodus emergeret: Trimalchionem nimirum inter ludendum dicta, lusoribus ordinaria, omnia effutiisse; solent enim lusores ad singulos aleae vel talorum jactus dicta quaedam & formulas solemnes, quibus vel infelicem jactum detestantur, vel faustum extollunt, in promptu habere. Sed nobis animus non est tam violentam medicinam adhibere, & ulcus intactum relinquere malumus, quam inutilibus conjecturis tentare male adfectum locum. Elegantissimus autem usus est vocis *consumere*, quam ad cibos accommodari intempestive hic vult Schefferus, sed quae notat, omnia illa dicta effundit, ut ne unum quidem indictum maneret, ut ne unius quidem oblivisceretur. Ovid. VIII. Metam. 106.

Consumtis precibus violentam transit in iram.

Terent. Andr. I. 1. *Sceleratus Davus siquid consilii habet, ut consumat nunc.* Cicer. I. in Verr. 44. *Quid est dignius, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaque consumatur?* Ita *consumere misericordiam*, Curtius VI. cap. 8. & *Gloriam* IX. 6. Eadem elegantia dixit & *supremum munus consumere* Senec. Hippol. 949. ita supra, capite 23. *consumptis versibus.* BURM.

Gustantibus adhuc nobis] Dictum, sicut *jentantibus, prandentibus, caenantibus.* ERHARD.

Repositorium] Idem quod gustatorium, in quo anticoenium apponebatur. Item quaevis mensa, in qua struices patinarum aedificantur. GLOSS. Vide Favorinum apud Gell. lib. 15. cap. 8. WOUWEREN. Sic statim, cap. XXXV. *Repositorium rotundum* XII. *habebat signa*, &c. Plin. lib. 18. extremo; *Nec non & convivis, mensisque nostris, vasa, quibus esculentum additur, sudorem repositoriis linquentia, diras tempestates praenunciant.* Graecis dicitur ἐγκυθήκη, ut Callixeno apud Athenaeum. Glossae antiquae; *Enceteria, machina lignea, qua amphora sustinetur.* Videntur usi voce Graeca, *engetheca*, quae hic leviter corrupta. Romani prisci vocabant *incitegam*, ut ad Festum suum observavit Scaliger. Javolenus βάσιν, in leg. 10. D. de legat. III. Casaubon. Animadverss. in Athen. lib. 5. cap. 13. ERHARD. Infra cap. XL. *Secutum est hos repositorium, in quo positus erat primae magnitudinis aper.* Et cap. XLIX. *repositorium cum sue ingenti mensam occupavit.* Et cap. LX. *jam illic repositorium cum placentis aliquot erat positum.* Seneca Ep. LXXVIII. *O infelicem aegrum, edet quantum concoquat. non jacebit in conspectu aper, ut vilis caro, à mensa relegatus, nec in repositorio ejus pectora avium, totas enim videre fastidium est, congesta ponentur.* HEINS. V. Ferrar. II. elect. 18.

Corbe] Alii, *orbe.* PATISSON.

In quo] Nota; *corbem* masculine poni. Vulgo habent, *qua*, nescio, an non vitio correctorum. Nempe rarius hoc genere reperitur. Legas tamen apud Priscianum, & alios. SCHEFFER. Recte Tragurienses, *in quo.* vide Vossium. de Analog. I. cap. 29.

Gallina erat lignea] Arist. περὶ ταῶν. Ταῖς δ' ἀλεκτόρισι ὑποτιθέασιν αὐτῶν τὰ ὠὰ ἐπωάζειν οἱ τρέφοντες. PITH.

Patentibus in orbem alis] Haec non damno, si Gallinae incubantes orbicularem referunt figuram. Opinor tamen, Petronium scripsisse, *patentibus in corbem alis*, quoniam superiore dixit versiculo, *repositorium allatum est cum corbe.* RICHARD.

Incumbunt] Lego *incubant.* EMMIUS. & PATISS. Mutant in *incubant* sine lege Dictatoris. Cujus audi edictum infra propositum cap. LXXX. *Non frueris hac praeda, super quam solus incumbis.* ERHARD. Vulgo, *quales esse solent, quae incumbunt.* Puto *incubant* nostrum esse praeferendum. *Incubant* habetur etiam in aliis codicibus, ut notavit Patissonus. Varro lib. III. de R. R. cap. 9. *Quae velis incubet, negant plus viginti quinque oportere ova incubare.* Et paulo post: *ova, quae incubantur.* SCHEFFER. Sine dubio Tragurienses codicis scriptura haec recipienda, quae in hac re frequens rei rusticae scriptoribus. vide Columell. VIII. 2. & 5. & passim. Sueton. Tiber. cap. 14. *esse solent*, neque Tragurienses neque Scaligeri codex agnoscit. BURM.

Symphonia strepente] *Adstrepente* malim. HEINS.

Scrutari paleam] In qua ova jacebant abdita. TORNAES. Et ita solebant cubilia gallinarum sterni. Columell. VIII. cap. 5. *Cura autem debebit esse custodi, cum*

coeperunt ; erutaque ſubinde pavonina ova diviſere convivis. Convertit ad hanc ſcenam Trimalchio vultum : &, [a] Amici, ait, pavonis ova gallinae juſſi ſupponi. Et, me-Hercules, timeo, ne jam concepta ſint; temptemus tamen, ſi adhuc ſorbilia ſunt. [b] Accipimus nos cochlearia non minus

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS.

cum parturient aves, ut habeant quam mundiſſimis paleis conſtrata cubilia, eaque ſubinde convertat, & alia ſtramenta quam recentiſſima reponat; & eodem capite iterum palearum fit mentio, & ſequenti *ova paleis obruere*. BURM.

Erutaque ſubinde pavonina ova] Cenſeo legendum, *erutaque ſub nido pavonina ova*. Hoc enim exigere videntur præcedentia: *Repoſitorium allatum eſt cum corbe, in quo gallina erat lignea patentibus in orbem alis, quales quæ incubant ova. Et ſervi paleam ſcrutari coeperunt*. GOES. Aptum verbum, & quod reſpondet τῷ ſcrutari. Cicero 1. Tuſc. Quæſt. cap. 13. *Si vero ſcrutari vetera, & ex his ea, quæ ſcriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner*. lib. II. de Orat. cap. 34. *Neque, ut quæque res delata ad nos erit, tum denique ſcrutari locos, ex quibus argumenta eruamus*. BURM.

Pavonina ova] Athen. Ἐπαίνετος ὁ καὶ Ἡρακλείδης ὁ Συρακούσιος, ἐν ὑφαρτυτικῷ τῶν ὠῶν, φησὶ πρατίνειν τὰ τῶν τυῶν. PITH. Athen. lib. II. Plin. lib. 10. cap. 59. WOUWEREN.

Diviſere] In lautorum hominum cœnis peculiares ad hoc officium ſervi, qui *diribitores* dicti. Apulej. lib. II. Metam. *Diribitores pluſculi ſplendide amicti, ſercula copioſa, puellæ ſcitulæ miniſtrantes, pueri calamiſtrati pulchre induſiati*. Ubi videatur Colvius. Pauperiores patresfamilias ipſi partes convivis dividebant. Apulej. lib. IX. Metam. *Accepto ferro, quo commodum inter ſuos epulones caſeum, atque alias prandii partes diviſerat*. BURM.

Convertit ad hanc cœnam vultum Trimalchio] An hic *cœna* eſt pars cœnæ? An potius ſcribendum eſt, *ſcenam?* ut cap. CXVII. *Utinam quidem ſufficeret largior ſcena*. Eadem illa Petronius *mimum* interpretatur, cap. eodem. *Quid ergo, inquit Eumolpus, ceſſamus mimum componere? ludos* etiam vocat cap. XXXVI. *At ille, qui ſæpius ejuſmodi ludos ſpectaverat*. Suetonius quoque in Caligula, cap. 15. pro ſpecie & pompa, ſcenam dixit. *Confeſtim Pandatariam, & Pontias ad tranſferendos matris fratriſque cineres feſtinavit, tempeſtate turbida, quo magis pietas emineret: adiitque venerabundus, ac per ſemet in urnas condidit. Nec minore ſcena, Hoſtiam, præfixo in biremis puppe vexillo, & inde Romam Tiberi ſubvectos, per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis, medio ac frequenti die, duobus ſorulis Mauſoleo intulit*. Auſonius in Protreptico ad nepotem:

Pompa tibi, & vani fugiatur ſcena timoris. RICHARD.

Amici] Convivæ, convictores. GLOSS. Supra hoc capite: *Amici, inquit, nondum mihi ſuave erat in triclinium venire*. Vet. lap. *Amici, dum vivimus, vivamus*. Tiberius apud Senecam; *Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum aut Apicius emerit, aut P. Octavius*. Titus apud Sueton. cap. VIII. *Amici, diem perdidi*. PITH.

Pavonis] Quod ſolenne erat ruſticæ rei ſtudioſis, quia tunc pavones matres excuſatæ ab incubatione tribus vicibus per annum fœtus edunt; vide Varron. III. de R. R. cap. 6. Pallad. de R. R. lib. I. Titulo 28. & Columell. VIII. cap. 5. Hæc autem ova principatum ſibi vindicabant, teſte Athenæo. lib. II. cap. 16. BURM.

Concepta] *Conceptum* pro fœtu in utero materno memini legere apud Plinium & Columellam. Quæ noſtro *ova* ſunt *concepta*, Martial. VI. Ep. LXXXIII. extulit.

Pullus abortivo nec cum putreſcit in ovo.

Ova pullina videntur dici in hiſtoria Auguſta apud Lampridium, vita Heliogabali, cap. XXII. ubi de ſortibus Apophoreticis, *Alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem ſtruthiones, alius decem ova pullina*. Ad quem locum & Salmaſio & Caſaubono ſilet. Sed *pullina ova* ſunt, *in pullum jam coëuntia*, ut noſter mox loquitur. HEINS. Verum non legendum hic *concepta*, ſed, ut Tragurianus, *concepti ſint*; non enim volebat Trimalchio videri timere, an concepta eſſent ova, quæ jam ut edita apponebantur: ſed an non pulli pavonini forent concepti, & in iſtis putaminibus formati. Sic quippe dicimus, *conceptum animo crimen, concepti venti*, & ſexcenta alia. GOES. *concepta* olim editi; *concepti* Tragurienſis. v. Munker. ad Lactant. argum. Ovid. Metam. lib. X. cap. 10.

Temptemus tamen] *Temptare* idem quod *tentare*. GLOSS. Alii *temptemus igitur*. TORNÆS.

Si] Valet *an*, Propert. l. 2. el. ult. Gratius Cyneg. BARTH.

Si adhuc ſorbilia ſunt, ſorberi poſſunt] *Sorberi poſſunt* expungenda, ut gloſſa manifeſtiſſima illorum, *ſi adhuc ſorbilia ſunt*. Cl. Munkerus tamen hoc quoque referebat inter ſtulte dicta Trimalchionis, ut qui bis idem ingereret convivis. HEINS. Ego tamen tueri me commode hunc locum poſſe puto, una tantum adjecta ſyllaba, ſi nimirum legamus, *ſi adhuc ſorbilia ſunt, ſorberique poſſunt*. Qualia & apud alios auctores occurrunt. Plautus Mercatore v. 1.

Ego mihi alios Deos Penates perſequar, alium larem,
Aliam urbem, aliam civitatem.

Ubi quoque unum bis dictum, Lar & Penates, urbs & civitas. GOES. Celſus IV. de Re medica. 3. *ſorbitionibus utendum, itemque Ovis ſorbilibus, aut à pul-*

minus sex libras pendentia, ovaque ex farina pingui figurata pertundimus. Ego quidem pene projeci partem meam, nam videbatur mihi jam in pullum coisse. Deinde, ut audivi veterem convivam: hic nescio quid

lis mollibus jus aliquod adsumendum. hæc Martial. XI. Epig. 53. vocat *tenui versata favilla.* vid. Athen. II. 16.

Cochlearia] Horum enim usus & in esu ovorum. Martialis Apophoretis. Epigr. CXIX. cui lemma *cochleare*:

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis,
Num quid scis potius, cur cochleare vocer? HEINS.

Non minus sex libras pendentia] Lege *selibram pend.* Gruterus Suspicion. lib. 2. cap. 10. Forte *sexquilibros*, pro *sesquilibras.* quin verum puta, *non minus selibras pendentia.* ERHARD. Retinuimus priscam lectionem, quæ, licet mimica, proba tamen est. BOURDELOTT. Placet *selibras*; præ vulgari *sex libras.* Scio, quid hic alii de exaggeratione joculari notent; verum, cur in hoc jocetur noster, cum severus sit in cæteris, non video. SCHEFFER. Quo stupiditas Trimalchionis notatur, cum istorum cochlearium in his vix ullus esse poterat usus. Ad hæc enim adhibemus cochlearia minutissima, ponderisque propterea exigui, etiamsi aliis non destituamur. GOES.

Ovaque ex farina pingui figurata] Sic & Polluci, libro VI. cap. 11. Κρῆπις ἐξ ἀλεύρου καὶ μέλιτος, ἣ ἐνέκειντο ἀμπελίδες τινὲς ἢ συκαλίδες ὀπταί. PITH. Ex *farina* finguntur opera dulciaria, quorum *figura* erant infinitæ, ut placentæ, scriblitæ, crustula, lucunculi, hami, lacertuli, spicæ, globuli, enchyta, circuli, liba, aliaque plurima. Martialis: lib. XIV. ep. 222.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Extruet. ——

Varro de Ling. Lat. libr. VI. p. 73. *Fictores dicti à fingendis libis.* Sic apud Scribonium Largum *fingere pilulas* & *pastillos.* Hic Petronius. Apud Plutarch. διαπλάσαι μελιπηκτον εἰς σχῆμα πόλεως. Calphurnius Eclog. 2. vers. 65. *Fingere liba Priapo.* Casaubon. ad Sueton. August. cap. IV. WELTZ.

Projeci partem meam] Sueton. Calig. cap. 18. *Equiti Romano avidius vescenti partes suas misit.* Apul. libro 7. Mil. *Parteisque subreptas & prægustatas portiones offerebat.* Ita Græcis μοῖραι. Homerus Odyss. I. vers. 469.

Οἱ δ' ἤδη μοίρας τ' ἴσμεν, κιρόωντό τε οἶνον. WOUWEREN. Portionem meam. Ciborum κλάσματα, μερίδες, *partes* dici notum. Rigaltius Not. ad Phædrum fab. 5. singulis convivis distribui solitas. Piecartus Pericul. Critic. cap. 19. *Partes* sunt fercula, quæ unicuique apponuntur in convivio sigillatim, ut in convivio Κοράνῳ, quod Athenæus describit, vocatque μερίδας. Dicuntur etiam δεῖπνις. Moyses Genes. 43. vers. 33. de convivio Josephi, quo imprudentes fratres in Ægypto excepit; *Et mirabantur nimis, sumptis partibus, quas ab eo acceperant: majorque pars venit ad Benjamin, ita ut quinque partibus excederet.* Samuel. I. Reg. I. vers. 4. de convivio immolatitio Elcanæ: *Deditque Phenennæ uxori suæ, & cunctis filiis ejus & filiabus partes: Annæ autem dedit partem unam tristis, quia Annam diligebat.* Nec præsentibus tantum, sed & absentibus, *partes* mittebantur. Plutarchus in Agesilao; Ἅμα δ' αὐτὸς εὐθὺς ἐναγγέλλει, καὶ διέπεμψε μερίδας τοῖς φίλοις. &c. Esdras Junior lib. 2. (qui vulgo 3) cap. ult. vers. 52. *Digressi ergo manducate pinguissima quæque, & bibite dulcissima quæque, & mittite munera his, qui non habent:* hoc est, partes. Hermas lib. 3. Pastoris cap. 5. *Convocatis amicis patersamilias misit de cœna sua servo illi partes complures. quas cum accepisset ille, sustulit ex eis quod sufficiebat sibi, reliquum autem conservis suis distribuit.* ERHARD. Vide Gronov. Diatrib. Statian. cap. 13.

Audivi veterem convivam] Scilicet *dicentem*, quam ellipsim familiarem auctoribus notavit vir Eruditissimus Jacobus Gronovius ad Cicer. l. 3. ad famil. ep. 7. ubi glossema è verbis Ciceronis ejicit, cui simile etiam insedit Valerio Max. lib. V. cap. IX. ex. 4. *Seductam uxorem suppliciter rogavit, ne se ulterius celaret, sed diceret, sive illum adolescentem subjecisset, sive ex alio concepisset.* Ita recentiores editiones, sed Aldi, Stephani, Gryphii, Colinæi, & vetustiores hæc verba *sed diceret* ignorant, nec Pighius debuit auscultare corruptis codicibus. Melius Colerus & Vorstius ejicienda putant; nihil Phædro familiarius, quam omittere illa, *dixit, ait, respondebat*, ut multis locis Gudius notavit. Vid. ad lib. I. fab. 29. & 30. Freinshem. ad lib. III. fab. 15. Plura exempla congessit celeberrimus Perizonius ad Sanctii Minervam, lib. IV. cap. 5. & similem ellipsim eruditissimus Beza in Luca Actor. XV. vers. 5. observavit, & exemplis illustravit. BURM.

Veterem convivam] Ita vocat hominem impurum & cœnipetam, qui jam olim Trimalchionis mensam attondere consuetus domiccenio nuntium remiserat, & pastum dicteriis & scurrilibus jocis meruerat, qualis ille Nævolus apud Juvenalem, Satyr. IX. 10.

—— *Conviva joco mordente facetus.*

Et Balatro *comis conviva* Horatio lib. II. Sat. VIII. 76. & Philippus *cliens & certus conviva* lib. I. Epist. VII. 75. & Philostratus *convivæ* Martial. lib. XI. epig. 83. vide egregie hoc turpe genus hominum ex veteribus scriptoribus descriptum à Gebhard. lib. II. crepund. cap. 15. præterea *conviva* apud Latinos sæpe ponitur pro eo, qui libenter genio indulget, & cujus omnis vita in epulis agitur, qui erudito palato perite de delicatis cibis judicare potest, qui libenter os patitur sibi apud copiosam & bene instructam mensam deligari, vel,

quid boni debet esse, persecutus putamen manu, pinguissimam ficedulam inveni piperato vitello circumdatam.

XXXIV.

vel, ut Galli vocant, *un bon vivant*, *un homme qui aime les plaisirs de la table*; & eo sensu ab Ovidio lib. II. Trist. 359. *Terentium convivam* vocatum me docuit certissimus nostrarum literarum interpres Brouckhusius, & non apte satis elegantissimum & honestissimum Poëtam parasitum posse dici, ut volebat Rutgersius Venusin. Lection. cap. XIII. censebat, sed *convivam*. Quia creberrima in ejus Poëtæ fabulis mentio conviviorum & epularum, & tot loca, ubi lubentiam illam convivalem & accumbentium remissum animum egregie depingere tentat, mentis indicium facere videbantur. Quæ hic congerere nihil attinet, sed ubique cœnarum & conviviorum mentionem fieri videmus. Et, ut Donatus notat ad prologum Eunuchi, v. 37. *scortari & convivari est omnis materia Comicorum*, quam artificiose semper ostendit Poëta, cum in parasitorum Gnathonis & Phormionis, tum in juvenum, & etiam senum personis. Hinc in Andriæ principio statim cocus inducitur, narratur apud Chrysidem ex symbolis quotidie cænari, & in reliqua comœdia parcus obsonator Simo à servo traducitur, in Eunucho autem omnis fabulæ festivitas in commessatione & conviviis vertitur. In Heautontimorumeno Dionysia agitantur, Clitipho Cliniam ad cœnam adventitiam vocat, Chremes vicinos laute excipit, & domum adventu Bacchidis & Antiphilæ commodis convivis plenam videt, de Adelphis, & Phormione nihil opus addere, cum unicuique eas excutienti in oculos incurrant hilaritates meræ, & homines, qui vitam in otio & conviviis agere studeant. Parasiti autem quin & illi *convivæ* dici possint, minime dubitarem, cum recte sectæ hujus cibariæ conditores & principes vocari possent, & cum perpetuo cum fame conflictantur, nihil beatius ducebant, quam si regem aliquem invenirent, apud quem pascerent ventres suos. sed Terentius, ex Ovidii mente, *conviva* esset vocandus, si ex ejus libro de moribus esset judicandum, quia nullam omittit occasionem, qua memorare convivantium lubentiam possit. Præterea à parasito aperte convivam destinguit Ausonius Epistol. IX.

Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto
Orbe vagus conviva loquor, sed tradita multis.

Postea addens

Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas,
Aut parasitorum collegia Plautinorum.

Terentium autem libenter bene victitasse suspicionem injicit Porcius, apud Suetonium in ejus vita

Dum ad Furium se cœnitare, & Lalium pulchrum putat

Recte ergo Encolpius rudis conviva & tiro consulit prudentiorem, & veteranum epulonem. BURM.

Hic nescio quid boni debet esse] Observo usum verbi *debere* pro verisimile esse. Cic. pro Quintio: *Id testibus me pollicitus sum planum facturum, qui & scire deberent, & causam, cur mentirentur, non haberent.* Et ad Appium. *Certorum hominum, quos debes jam suspicari*, id est, sine dubio suspicaris. SCIOPP. Verbum *debet* eleganter usurpavit, pro necesse est, ut insit. Sic & Lucret. crebro usurpat, ut Plautus verbum *oportet*. Schopp. Explanat. in Mostell. Act. 4. sc. 2. ERHARD. Id est, quantum certis conjecturis adsequi possum, si me non fallit scientia ista cibaria, ut elegantem hunc idiotismum illustrarunt Viri Doctissimi, Schultingius ad Senecæ suasoriam II. & celeberrimus Grævius ad Cicer. VI. ad fam. 6. & præfationem Justini. BURM.

Nescio quid boni] Phædrus lib. II. fab. 5.

Id ut putavit esse nescio quid boni

ubi v. Rigalt. & Scheffer. *boni* autem hic notat cibi delicatissimi, dapis electissimæ, quo sensu P. Syrus dixit

Bonarum rerum consuetudo pessima.

vide quæ olim notavimus ad Phœdri lib. IV. fab. 25. Ita mox cape *esse bene*, quemadmodum & Græcos ἀγαθὰ vocasse ex Herodoti lib. I. cap. 71. & 207. & Aristophane in ἰκκλησ. me docuit vir Amplissimus Cuperus. BURM.

Persecutus] Forte *perscrutatus*. GOES.

Ficedulam piperato] Ficedula enim sine pipere fatui est saporis. GLOSS. Martial. lib. XIII. Epigr. V. PITH. Martialis lib. 13. epig. 5.

Cerea, quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

sine pipere enim fatui est saporis. *Ceream* dicit, quam hoc loco Petron. *pinguissimam*, μετωνυμικῶς. pinguia enim cerea videntur, & mollia. Rader. in Comment. ad Martial. ERHARD. De hujus avis, delicatorum hominum unica voluptate, vide Ludov. Nonnium de re cibar. lib. III. cap. 31.

Piperatam] *Circumdatam* Trag. cod. quod in textum recepimus: Doctiss. Munckerus *præparatam* forte nostrum scripsisse existimat, hoc quoniam culinare verbum, ut discere est vel ex uno Apitio. BOSCH. Vulgati, *vitellio piperatam*. Sed videant alii, an concinnum satis sit, *piperato piperatam*. SCHEFFER. Ita optime Tragurianus: Prius legebatur, *piperato vitello piperatam*. Scaliger ad Varron. de Re Rust. pag. 194. volebat, *opiperatam*. Vides *ficedulas farina circumdatas*, ita solebant Romani lautiores. Habes non dissimilia apud Apicium. Macrobius de cœna Metelli Saturnal. II. cap. IX. inter alia recenset *altilia ex farina involuta*, quomodo apud nostrum, *ova ex farina pingui figurata*. HEINS.

Vitelio] Pro *vitello*. TORNÆS.

XXXIV. Jam Trimalchio eadem omnia, lusu intermisso, poposcerat; feceratque potestatem, clara voce, siquis nostrum iterum vellet, mulsum sumere: quum subito signum symphonia datur, & gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur. Caeterum inter tumultum, quum forte parapsis excidisset, & puer jacentem sustulisset, animadvertit Trimalchio, colaphisque

Jam Trimalcio eadem omnia lusu intermisso poposcerat] Fors est, ut rectius legatur, certe elegantius, *alia omnia*, quæ locutio proverbii speciem habet, ut ab aliis est observatum. ERHRD.

Iterum vellet] Atqui nulla mentio in præcedentibus mulsi jam sumti, quare forte legendum *interim*. BURM.

Mulsum sumere] Et in antecœna mulsum, & iterum etiam in secunda apponebatur. GLOSS. More antiquo dixit: quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur, ut hodie apud plures pocula in canistris argenteis apponuntur: quæ canistra, *siccaria*, dicuntur. Servius. PITH. In Antecœna mulsum, aut mel cum vino ad conficiendum mulsum, ponitur, deinde etiam in mensa secunda: ideo adjecit, *iterum*. Cato: *Nunc in convivis poni vides sal & mel*. Varro de Re rust. lib. 3. *Mel ad principia convivii, & in secundam mensam administratur*. WOUWEREN. Mutant in *sumeret*, imperite; *fecerat potestatem sumere*, est Græcismus, pro *sumendi*. Sic loquitur & Justinianus Imperator sive potius Tribonianus in Instit. Juris §. 2. in fin. de Donation. *Licentiam præstitimus certis ex causis eas revocare*. §. 2. Per quas person. cuiq. acq. *Ut etiam esset eis licentia alii filio, vel extraneo donare, vel vendere, vel, quocumque modo voluerant, adplicare*. Et ibidem; *Tertiam partem retinere licentiam habebat*. Et §. 10. in fin. de Testam. ordin. *Nec hæredi, neque aliis personis licentiam concedimus, sibi quodammodo testimonia præstare*. ERH.

Signum symphonia datur] Symphoniæ signo dato inferebatur & auferebatur cœna. GLOSS. Hippolochus de Carani convivio: ἴνατον δὲ οἱ παῖδες εἰς ἐυτυχεῖς σπυρίδας ἵως ἐσάλπιση τὸ ἐωθὸς τῷ τελευταίῳ δείπνῳ σημεῖον. In Romanis etiam castris buccina convivium dimittebatur. Tacit. PITH. Seneca: *Aderit ministrorum turba linteis succincta, per quos signo dato ad inferendam cœnam haud obstrepenter discurritur*. vide epist. 96. & de brev. vitæ, cap. 12. WOUWER. Symphoniæ signo dato inferebatur & auferebatur cœna. Sammonicus Serenus ad Severum Principem, apud Macrob. lib. 11. Sat. cap. XII. *Quippe qui dignatione vestra cum interfum convivio sacro, animadvertam hunc piscem à coronatis ministris cum tibicine introferri*. Savaro Not. ad Sidon. lib. 1. ep. 2. Dixi supra. ERH. Ad signum datum repositoria solebant tolli, & famuli ad officia concurrere. Seneca de brevitate vitæ cap. XII. *Quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria discurrunt*. Sic idem & aliis locis. HEINS.

Gustatoria] In quibus cibus, seu antecœna apponebatur. GLOSS.

A choro cantante rapiuntur] Ad symphoniam quoque illata cœna. Serenus Sammonicus apud Macrob. Saturn. lib. II. cap. XII. WOUWEREN.

Parapsis] Argentea fuerunt ista vasa. GLOSS. Etiam *parapsis* in veteri codice legitur. TORNÆS. Adi Savaronis (& Colvii) Not. ad Sidon. lib. 2. epig. 9. Rader. ad Martial. lib. II. epig. 16. Argenteas fuisse parapsides patet ex leg. 19. §. 3. D. de aur. & arg. leg. ERHARD. Lege *parapsidem*. TILEBOM. Notanda scribendi ratio antiqua. *Parapsis* enim, non *paropsis*, in membranis ut plurimum, quod ad Prudentii Psychom. vers. 532. jam monuimus. Sic infra cap. L, *catilla & parapsides*, ut quidem apud Isiodorum Orig. lib. XVI. cap. XIX. is locus scribitur. HEINS.

Excidisset] Pro cecidisset apud Nasonem in Fastis: *Excidit, & lævo fixa sagitta pede est*. HEINS. Est pro *ex manibus excidisset*, quod sæpe addunt alii. Proper. III. V.

Nam dum te sequitur, primo miser excidit æquo.

nimirum è navi in mare cecidit. BURM.

Colaphis objurgare] Cicero lib. II. epist. 1. ad Attic. *Molli brachio objurgare*. Suetonius Calig. cap. 21. *Nisi ferulis objurgari maluissent*. Othon. cap. II. *Ut sæpe flagris objurgaretur*. Mira sævities dominorum in servos ministrantes impolite. Plutarchus περὶ ἀοργησίας. Seneca de Ira lib. II. cap. XXV. Nec contenti colaphis objurgasse, in aquam præcipitarunt. Lucian. Saturnal. Καὶ διακονεμένων τῶν μὲν ἄλλας ἐς τὸ ὕδωρ ἐμπιστεῖν, τῶτο γὰρ τὸ ὑποτίμιον τῆς ἀδείας διακονίας. WOUWEREN. MS. *colaphis objurgari*, quod sine dubio est rectum. Si enim *objurgare puerum* jussisset, puer ipse debuisset hoc facere, at voluit eum colaphis puniri. SCHEFF. *Objurgari* Trag. cod. recte, aliter se ipsum puer colaphis objurgasse debuisset, quod optime etiam à Cl. Scheffero observatum video. BOSCH. Sic recte apud Senecam de beneficiis, lib. IV. cap. XXXVI. *Mæcenas, non committam, ut sestertio centies objurgandus sim*; hoc est, plectendus. Lib. III. de ira cap. XII. *Tu Speusippe puerulum istum verberibus objurga*. HEINS. Vide de hac locutione Cl. Græv. ad Flor. I. cap. I. & Rupertum ad Valer. Max. lib. IV. cap. I.

Ac projicere prorsus] Alii habent *rursus*, sed mihi valde placet illud *prorsus*. Antea profecto non projecerat, ut nunc rursus posset projicere, sed invito erat elapsa. Ergo recte *prorsus*, & ut hac ultronea, plana, & omnimoda projectione monstraret, quam

que objurgare puerum, ac projicere rursus parapsidem jussit. Insecutus est lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis coepit verrere. „Subinde

quam ista fiant parvi à Trimalchione tanta rerum copia abundante. SCHEFFEREN. Illud *rursus*, non est sollicitandum, quia sustulerat puer, jussus est iterum projicere. Apud Tacitum Hist. II. cap. XLIII. *Primani, stratis una & vicesimanorum principiis, Aquilam abstulere; quo dolore accensa legio, impulit rursus Primanos.* HEINS. Tragur. *prorsus.*

Insecutus est Lectarius] *Lecticarius* qui supellectilem curat. GLOSS. *Supellecticarius* alii legunt. Rader. ad Martial. lib. 14. epig. 72. ERHARD. *Lecticarius* duo cod. Nob. Heinsius legit, *Analecta micarius*, hoc est, servus analecta colligens. De his agit Seneca epist. 47. ubi de servorum abusu: *Quod cum ad cœnandum discubuimus, alius reliquias temulentorum subditus colligit.* Neque aliter legendum infra cap. LXXIII. ubi de servo suo ipse Trimalchio, *homo præsicini, frugi, & micarius.* Eleganter Martialis lib. 8. Epigr. 20.

Colligere longa turpe nec putat dextra
Analecta, quidquid & canes reliquerunt.

Idem in Apophor. Epigr. 80.

In pretio scopas testatur palma fuisse,
Otia sed scopis nunc analecta dabant.

Etiam Horatius lib. 2. Sat. 8.

His ubi sublatis, puer alte cinctus, acernam
Gausape purpureo mensam perterst, & alter,
Sublegit quodcumque jaceret inutile, quodque
Posset cœnanteis offendere. BOSCH.

Insecutusque est, codex Scaligeri. deinde pro *lecticarius*, alii *supellecticarius.* Neutrum recte. Truncatum haud dubie vocabulum, scribendumque, *analecta micarius*, Martiali *analecta*, hoc est, qui scopis colligebat quidquid purgamenti & reliquiarum procidisset à mensa inter cœnandum, lib. VIII. ep. XX.

Analecta quidquid & canes reliquerunt.

Idem appositè Analectis Epigrammate LXXX.

Otia sed scopis nunc analecta dabit.

Seneca Ep. XXVII. *Suasit illi Satellius Quadratus, ut Grammaticos haberet analectas.* Quod pari modo capiendum. *Micarius* à micis colligendis. Infra cap. LXXIII *homo præsicini, frugi, & micarius.* Ubi *micarius* homo qui victum sibi comparat de micis, è mensa projectis herili, ne ad emendationes illic cum Reinesio aliisque confugiamus. Infra cap. XLII. *quinque dies aquam in os non conjecit, non micam panis.* Sulpitius Severus de virtute Monachorum Orientalium, Dial. II. cap. VII *fragmenta panis absumti micasque collegit.* Hinc & *mica* pro atomis Epicureis apud Senecam de Beneficiis. Et item *mica* pro parva cœnatione, ut ex Martiali discimus, lib. II. epig. 59.

Mica vocor, quid sim cernis, cœnatio parva,
Ex me Cæsareum prospicis, ecce, tholum.

Erat *aurea mica* Domitiani, in qua cum paucis cœnare erat solitus. Plinius lib. V. Ep. 6. *Est in hac diæta dormitorium cubiculum, quod diem, clamorem, sonum excludit, junctaque & quotidiana amicorum cœnatio.* Cur *amicorum* potius, quam suam cœnationem dicit? cum non amicos tantum, sed libertos etiam ad mensam suam Plinius, quod alibi etiam testatur, solitus esset admittere? opinor, *junctaque ei quotidiana mica*, sive, *quotidiana meorum mica*, hoc est, servorum, ut *cœnatio*, ex glossemate irrepserit. Deinde scribo, *quod diem, calorem, sonum, excludit.* Nam *clamor* & *sonus* aut nihil differunt, aut parum. De *mica* cœnationis plura Lipsius ad Senecæ epistolam LI. De *analecta* Horatius lib. II. Sat. VIII. in Nasidieni cœna:

His ubi sublatis puer alte cinctus acernam
Gausape purpureo mensam perterst, & alter
Sublegit, quodcumque jaceret inutile. HEINS.

Licticarius Tragurienses codex, & omnes editi. sed hic locum nullum habere potest, quia illius cura *lectica*, non *triclinium* erat, & talis apud Reines. class. XI. inscr. 104. & Gruterum aliquoties in lapidibus occurrit. *Supellecticarius*, quod supposuit Douza, lib. I. Præcid. cap. 16. est contra fidem manuscriptorum. *Lectuarius*, vel *Lectularius* legit Barth. XII. adv. 1. & explicat lectisternio & triclinio purgandis destinatum, sed, ex qua moneta hujus vocis forma prodierit, non ostendit. Heinsii conjectura ingenio solo blanditur. Sed exempla desidero, ubi quis *analecta-micarius* dicatur: de *mica* quidem omnia sunt aperta, sed hoc triclinium, quod tot convivas capere solebat, *micam* dici posse non puto; neque tam angusta cœnatio liberæ cœnæ diu exspectatæ conveniebat, v. cap. 65. ubi Habinna Sevir intrat cum ingenti frequentia. Et capite 70. tota familia triclinium occupat. Si *Analectarius* in usu esset, id libenter amplecterer, nam de analectis agi manifestum est. Sed contra fidem codicum nihil innovandum; & ut pleraque in hoc convivio insolentia, ita & lecticario mandatum videtur scoparii munus, ne scilicet vilius illud mancipium in honestorum virorum conspectum veniret. Cæterum ad analecta hæc & scopas spectat elegantissimum Epigramma in Anthologia lib. II. cap 31. Epigr. 3.

Καὶ τρώγεις ὅσα πίπτει λύκοι, Γάμε, καὶ τὰ περιστὰ
Οὐ τὰ σὰ, τῶν ᾗ πέρδιξ, πάντα δὲ δεῖς ὀπίσω·
Πλὴν μετὰ τῆ κοφίνω τῆ πρὸς πόδας ἄριον ἔρχε,
Πρίσματα καὶ σπόγγον καὶ σαρον ὑδρος ἔχων.

Et voras quantum quinque Lupi, Game, & reliquias, non tuas, sed eorum, qui circa te sunt, das retro. Sed cras veni cum canistro servi, qui ad pedes stat, habens micas spongiam & scopas. Ubi videantur doctissimi Brodæi adnotata; & Martialis lib. VII. epig. 19. voraciorem adhuc & avariorem Sanctram egregiis coloribus depingit. Huc etiam refer illa Horatii lib. II. Sat. IV. 81.

Vili-

„Subinde intraverunt duo Æthiopes capillati, cum pusillis utribus, „quales solent esse, qui arenam in amphitheatro spargunt, vinumque „dedere in manus, aquam enim nemo porrexit. Laudatus propter elegantias dominus, [a] Æquum, inquit, Mars amat: [b] itaque jussit senex suam

[a] TRIMALPHIO. [b] ENCOLPIUS.

Vilibus in scopis, in mappis, in scobe quantus
Consistit sumtus? BURM.

Argentumque inter reliqua purgamenta] Agatarchides narrat: ὡς οἱ ἰσιῶντες Ἀλέξανδρον τῷ Φιλίππου τῶν φίλων τὸ μέλλον παρατεθήσεσθαι τῶν τραγημάτων περιχρύσου. ὅτι ᾗ θέλοιεν ἀναλίσκειν περιέλοντες τὸν χρυσὸν, ἅμα τοῖς ἄλλοις ἐξέβαλον, ἵνα τῆς μὲν πολυτελείας οἱ φιλοι θεατὴ γίνωνται, οἱ δ' οἰκέται κύριοι. Seneca pater Controvers. XXV. *Inter purgamenta & scobem humanus sanguis everritur.* Ubi agit de Flaminii cœna. Ibidem: *Inter temulentas ebriorum reliquias, humanum everritur caput. Purgamenta cœnæ* Plinio in Epistolis. HEINS.

Scopis cæpit verrere] Huic ministerio inservientes *scoparii*, hoc est, μισαύλα σαρῆτες, ut interpretantur Græci. vide leg. 8. D. de instr. leg. WOUWEREN. Scopis pavimenta seu assarota negant verri, quod ex Juvenali & Plinio refutat Domit. Calderinus. Sed Calderinum refellit Alexander Neapolit. cap. 21. Verior tamen Calderini sententia, pro quo apertus est hic Petronii locus. Rader. ad Martial. lib. 14. epigr. 72. Gruter. ad Senec. epist. 27. ERHARD. De voce *scopis* vid. Barth. VI. adv. 17.

Verrere] Forte *everrere*. Verrebatur nimirum pavimentum, sed everrebantur purgamenta, & cum his parapsis. GOES.

Subinde] Deinde. Petronianum verbum. Sic enim & in editis cap. VII. *At subinde, ut in locum secretiorem venimus, centonem anus rejecit.* Atque ita locis aliis. SCHEFFER. Non dubito legendum, *sub id inde intraverunt*, &c. GOES.

Qui arenam) An legendum, *quis?* ut esset, *queis* vel *quibus*, referreturque ad præcedens, *utribus*. Malo retinere lectionem vulgatam, & referre ad *Æthiopes*, non quod genere tales semper essent, verum vultu facieque, qui hoc negocium conficiebant, perusti scilicet coloratique multo sole. Plautus agens de eadem re in Pœnulo A. V. scen. 5.

Ita replebo atritate, atrior multo ut fiet,
Quam Ægyptii, aut qui cortinam ludis per circum ferunt. SCHEFFER.

Spargunt] Aquam scilicet, quam in istis utribus habebant contra pulverem caloresque. Verbum est solemne in hoc negotio. Plaut. in Fragm. Incert. *Exi tu Dave, age, sparge.* Hinc Sallustius apud Macrob. II. Sat. 9. ubi de cœna Metelli. *Simul croco sparsa humus.* & in lege 4. de his, qui not. inf. *Xystici, agitatores, qui aquam equis spargunt.* Adde Lips. in Amphit. Item Phædrum nostrum lib. II. fab. 6. & Suetonium in Cajo cap. 43. Utitur & alibi noster. ut cap. CXXXVIII. *Hoc credulissima anus spargit subinde humore femina mea.* SCHEFFER.

Vinumque dedere in manus] Celsus ad eumdem modum lib. III. cap. 15. *Si minus, mista his aqua in alvum datur.* Illud *in manus* placet nostro etiam alias. Ut paulo ante cap. XXXI. *pueris Alexandrinis aquam in manus nivatam infundentibus.* SCHEFFER. Videtur excidisse syllaba, scriptumque *desudere*, pro *fudere*. Cæterum, aliud est, *vina desundere*, aliud *diffundere*. *Diffunduntur* vina, cum colantur, aut ex uno vase in aliud transfunduntur. HEINS. Singulis convivarum scilicet, & quidem, ut videtur, æqualibus poculis. Quo respexisse Trimalchionem puto in sequentibus, cum dixit. *Æquum Mars amat*, significavit enim, ut in bello paribus certandum armis (sunt enim, quibus in bello justo & legitimo uti non licet) ita & in hoc conviviatorio certamine paribus poculis. Quo enim aliter Trimalchionis verba referenda forent, non video. GOES. Non debebant hæc Reinesium inducere ut Petronio abdicaret, quia antea jam nivata aqua in manus erat data: recte enim Hadrianides notat, Gustatione jam finita, ipsam jam cœnam inchoari, ad quam antequam se accingerent, lautitiæ Trimalchionis conveniebat, iterum manus abluere, non aqua, quod plebejum erat, sed vino: ut autem *dare in manus* hic, ita in colloquiis scholasticis colloq. 5. δοτε ὕδωρ εἰς χεῖρας. BURM.

Laudatus propter elegantias dominus] Infra cap. XXXV. *Laudationem ferculum est insecutum.* Seneca de brev. vitæ, cap. 12. *Quanta arte scindantur aves in frusta non enormia, quam curiose infelices pueri ebriorum sputa detergant. Ex his elegantia, lautitiæque fama captatur, & usque eo in omnes vitæ succesus mala sua illos sequuntur, ut nec edant nec bibant sine ambitione.* Plin. lib. II. epist. V. *Nam & in ratione conviviorum, quamvis à plerisque cibis singuli temperemus, tamen cœnam omnes laudare solemus.* Philo. περὶ βίου θεωρ. multis. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντ. WOUWEREN.

Equum Mars amat] Alii *Æquum*. TORNÆS. Varie disputant hic de *equo*, & quærunt, quomodo conveniant cum sequentibus. Mihi simplicissimum convenientissimumque videtur, ut pro eo scribamus *æquum*. Nempe tum est verum certamen, cum utrimque paribus certatur viribus, quod proinde Mars dicitur amare. SCHEFFER. Ita omnino legendum, non equum. Sic *communis Deus* in Catalectis dicitur, quod æqualitatem inter pugnaturos amat. BOSCH. Ita scribendum cum Scaligeri Codice. Adagium militare, quale

apud

suam cuique mensam assignari. obiter, [a] ait, paedidissimi servi minorem nobis

[a] TRIMALCHIO.

apud Tacitum lib. I. Annal. 68. *Æquis locis æquos Deos*, Et apud Maronem lib. x. 450. *sorti Pater æquus utrique est*. Et lib. v. 809. *Nec Dis, nec viribus æquis*. Seneca de ira lib. I. cap. XII. *In armis oblivisci mur, Martem esse communem*. Livius XLII. *Martem communem, sed eventum incertum belli*. Amare vult Martem, ut æquis viribus concurratur. Sequentia confirmant de sua cuique mensa assignanda. HEINS. *Equum* Tragurienſis, sed in illo codice semper voces, quæ *æ* requirunt, per simplex *e* scribuntur. Quare retinemus *æquum*, & amplectimur interpretationem Schefferi, & Heinsii. Neque Rutgersio III. Var. 5. credimus, hic lusisse ridicule facetum Trimalchionem in sono vocis ambiguo, cum in sequentibus nihil sequatur, unde colligi istud possit. Nam, si *equum* etiam intelligi in dubia pronuntiatione voluisset, aliquid certe deberet ostendi, quod ad illud animal spectaret, ut recte de Salas animadvertit. Præterea non idem erat sonus τῆ *æ* & simplicis *e*; illam enim diphthongum more Græco ut *ai* pronuntiasse veteres notius est, quam ut probari debeat. Ergo facile potuissent convivæ distinguere has duas voces, quas in eamdem periodum conjecit Varro Sexagesi apud Nonium in *æquimentum*. *An si EQUAM emisses quadrupedem, ut meo asino Reatino admitteres, quantum popposcissem, dedisses ÆQUIMENTI*. Mirum est, viros doctos non adduxisse *Equiria* Marti sacra, teste Festo, & Ovid. II. Fast. 857. & *equum Marti*, ut Animal, *cujus genere delectabatur*, immolatum ex Festo in *equis;* quæ hanc ambiguitatem ostenderent; sed certum mihi est, alludi ad Martem communem, & utrique parti æquum, quod egregie illustrat Barth. ad Statii XI. Theb. 282. & adv. XIII. 5. & hinc toties apud Historicos, *æquo marte discedere*. hoc etiam respicit Ovidius, initio lib. III. Artis Amatoriæ:

Arma dedi Danais in Amazonas, arma supersunt,
Quæ tibi dem & turmæ, Penthesilea, tuæ.
Ite in bella pares: &c. BURM.

Itaque jussit suam cuique mensam] Cicero in Pison. cap. 27. *Nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum, &c. Græci stipati quini in lectulis, sæpe plures, ipse solus*. PITH. Inserunt vulgati, *senex*, quod ego suspicor ex glossa esse, cum præcedat, *dominus*. SCHEFFER. Scaligeri codex: *Itaque jussit senex suam*, non male. Nam & supra Trimalchionem vocavit senem. Sua cuique mensa assignata est, etsi rarius, apud antiquos. Vetus Scholiastes Homeri. HEINS. Non adjicitur, qui illi sint, quibus sua adsignatur mensa: an, nimirum, convivæ, an vero sint servi, quorum singulis, cui ministrarent, adsignaverit mensam. Prius plane non fuit, cum omnibus simul convivis repositoria singula sint allata, in quibus ingens aper, sus, & reliqua, quæ infra narrantur. Quapropter hoc potius intelligendum de servis, quorum pleroſque jussit exire, paucis exceptis, qui ministerio vacarent. Quod existimem præcipue, cum sequatur: *Ob id ergo, ait, putiditissimi servi minorem nobis æstum infrequentia sua facient*. Nam ita plane, cum vulgo legatur, *obiter & pudissimi servi*, &c. GOES. Credit Goesius, hoc non ita posse capi, quasi singulis convivis accumbentibus peculiaris mensa fuerit adsignata, quia aper, & similia in repositoriis posita singula, non singulis adferebantur. Sed ego mensas capio hic pro lancibus, vel ferculis, vel simili aliquo instrumento, in quod unusquisque conviva accipiebat partes suas æquales. Ita cap. 40. jubet *suum cuique referri*, & pueri *dividunt ad numerum cœnantibus*. Vide Turneb. adv. XXII. cap. 22. & Dalecamp. ad Plin. XXVIII. 2. Una ergo erat revera tantum mensa, quæ repositoria illa majora recipiebat, ut patet ex capite 40. 49. 60. 64. & passim, sed unusquisque conviva mensam, id est, separatam aliquam tabulam, vel lancem, vel simile quid habebat, in quod partes a diribitoribus divisæ ponebantur. Ita cap. 47. *mensa omnes mundantur*, cap. 68. *servi omnes mensas tollunt, & alias adferunt*. vide Ferrar. II. elect. 8. Et videtur insulsus Trimalchio Heroici temporis imaginem voluisse referre, ubi unicuique Heroi sua mensa. Ergo hoc erat primum; deinde verum puto, quod Goesius adnotat, unicuique convivæ adsignatum quoque servum, qui ipsi ministraret. Quod colligi potest ex capite 64. ubi jubet Trimalchio *camellam grandem misceri, & potiones dividi omnibus servis, qui ad pedes sedebant*. Et cap. 68. *servus qui ad pedes Habinnæ sedebat*. Ita dispositis convivis & servis, subinde tamen intrabant alii, qui fercula inferebant, & digrediebantur iterum, solis ad pedes manentibus; in quibus illud singulare erat, quod sedebant, cum alias *stare* semper tales pueri dicantur. BURM.

Obiter ait prædidissimi servi, &c.] Vetus unicum hac in parte exemplar Pith. *Obit ei.* alii *& per discessum*. PATISSON. Alii, *obiter & per discessum*. TORNÆS. Quinam Amphilo & Tropho adeundi fuerint ad loci desperati medicinam, patebit ei, qui remedium morbo proposuerit. Interim, ut aliquid, tanquam ex somnio promam, bonâ veniâ Criticorum Deæ, legebam, *minorem nobis æstum sua frequentia facient: Obediunt ei paratissimi servi*. His hunc in modum transpositis, aliquis videtur sensus elici posse. Sed tamen interpretatione lenienda est correctionis austeritas. Non moror, quid Gruterus, aliique viri doctissimi hoc de loco sentiant. Refero ista ad mensas cuique assignatas, minorem æstum suâ frequentiâ facturas, si convivæ scilicet propriam peculiaremque mensam haberent. Ex hac interpretatione in postremis hisce Petronii verbis nihil esse mutandum perspicuum est. Respicit autem in assignanda cuique mensa Heroum, sive Homeri tempora, quibus solita cui-

nobis aestum sua frequentia facient. [a] Statim adlatae sunt amphorae vitreae

[a] ENCOLPIUS.

que mensa assignari. Athenæus lib. I. Idem ritus apud Germanos, ut patet apud Tacitum, de moribus Germanorum. Reposui autem, *paratissimi servi;* dixerat siquidem superius, *paratissimus puer.* Hæc mea interpretatio longiori forte narratione indiget: sed in hoc opere sum Laco. BOURDELOT. Lege, *obiter & fœdissimi servi minorem nobis æstum infrequentia sua faciunt.* Hic certe nusquam veteris quarumcumque Satyrici editionum Petronii textus orationis constabat: donec nunc tandem, Fragmenti ope novi istius, claritas affulsisset, ut nemo non potest advertere. TILEBOM. Locus, quem tentarunt varie. Primum ediderunt, *obit ei præ adissimi*, & apposuerunt stellam, quasi quid deesset. Pro his ipsis aliqui fecerunt *obiter fœdissimi.* Sed & illud, *sua frequentia*, immutarunt, scripseruntque nunc *sua infrequentia*, nunc *sublata frequentia.* Est, qui totum locum sic refingit: *minorem nobis æstum sua frequentia facient: obediunt ei paratissimi servi.* Licebit, opinor, & nobis in tanto omnium dissensu divinare. Arbitramur itaque, sic scripsisse nostrum: *obiter, ait, pædidissimi servi minorem nobis æstum sua frequentia facient.* Obiter, dicit, hoc est, dum hoc agent, dum in eo erunt occupati, ut suam cuique assignent mensam, minorem frequentia sua facient æstum. Sic illud *obiter* usurpat locis quoque aliis. Ut cap. XXXI. *At ne in hoc quidem tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant.* Hoc est, simul, dum hoc peragunt officium. Item cap. XCII. *Interrogo ego, quot estis? obiterque per rimam foris speculari diligentissime cœpi.* Non hic *obiter* est in transcursu, celeriter, & velut aliud agendo, sicut exponunt, quia sequitur, *diligentissime*, sed plane id, quod dixi. Glossæ veteres: ἐν τῷ αὐτῷ: *eodem, inibi, obiter. Minorem frequentia sua* ponit pro, *minorem præ frequentia*, hoc est, quam facerent frequentia sua, si frequentes adstarent. *Pædidissimi* autem hic dicuntur à Trimalchione per convitium superbissimum: à *pædore*, quasi fœteant, & cum calore ingratum de se spargant odorem, sicut fit in constipata turba, præsertim minus nitidorum. Festus: *Pædidos, sordidos significat, atque obsoletos.* Ab hoc igitur *pædidi* sunt *pædidissimi*, qui errore facti *pædissimi*, quod oscitans librarius syllabam *di* putaret redundare. SCHEFF. Et *pudissimi* Trag. MS. pro *sua frequentia* unus ex scriptis, *sublata frequentia.* Nob. Heinsius ita huic loco, toties frustra vexato, medicinam facit: *obiter & putidissimi servi minorem nobis æstum, sublata sua frequentia, faciunt.* Sic *hominem putidum* de puero delapso infra dixit cap. LIV. BOSCH. *Pudissimi servi*, nam Tragurianam expressimus scripturam, quæ valde exercuit eruditissimos Interpretes, sed adjecta syllaba legendum, *putidissimi servi.* Scribe totum locum: *Obiter* (scilicet, addidit) *putidissimi servi minorem nobis æstum infrequentia sua facient. Putidissimi servi*, ut infra, cap. LIV. *Non propter hominem tam putidum, cujus & cervices libenter fractas vidissent.* Capitolinus in Macrino: *Cum ejus vilitatem antiquam cogitarent, & hominem putidulum in imperio ferre non possent.* Το *obiter* in deliciis est nostro, sic supra cap. XXXI. & cap. XCII. Το *obiter* Cæsar Hadrianus, Sospatro Carisio teste, negabat latinum esse, etsi Laberius Mimus usus fuisset eo vocabulo, & Augustus Cæsar, præter alios auctoritatis haud contemnendæ auctores, & Scaurus Grammaticus ei refragaretur. HEINS. Verba hæc admodum sunt corrupta. Barth. adversf. lib. I. cap. 9. citat, quasi legerit *paratissimi servi minorem nobis æstum sua frequentia facient*, lib. vero XIII. Adv. cap. 5. non improbat codicum à Tornæsio indicatorum lectionem, vel legit, *obiter & paratissimi servi*, &c. Amplissimus Cuperus I. obs. 2. fingit, *Itaque jussit senex suum cuique pensum assignari. obediunt ei paratissimi servi, & minorem nobis æstum sua infrequentia faciunt.* Sed hæc longius abeunt à vulgata scriptura. Illud *obiter* certe locum non habet, cum soleat illa vox non ita nuda poni, sed fere addi verbo; ut ex exemplis à Scheffero adductis patet. Et ita Apulej. VI. Metam. *obiter reducunt*, ubi v. Pricæum p. 323. quare illam vocem per compendium scriptam puto, pro *obeditur.* Post hanc vocem lacuna est in editis, & scriptis, & difficile conjectare, quid intercesserit, quo imperiosa Trimalchionis Oratio, qua servos aliquot discedere jussit, fuerit expressa. Crediderim aliqua excidisse, quibus Æthiopes illos, quos *putidissimos*, vel *pædidissimos*, per fastidium vocat, jusserit cum utribus suis abire, & locum aliis, qui vinum generosius ministrarent, dare, quia mox alii cum amphoris vinariis succedunt. Sed ipsum ulcus attingere non audeo. BURM.

Sua frequentia.] Alii *sublata frequentia.* TORNÆS. Monstri simile, ut æstate media triclinium frigefiat hominum multitudine. Lege *sua infrequentia*, scilicet servos aliquot exire jusserat Trimalcio, mitigandi æstus ergo, quem constat intendi spirituum illa indiscreta copia. Gruter. Suspic. lib. 5. cap. 12. Alias legitur, *sublata frequentia*, neutrum probe: & puto vulgatam lectionem intelligi & tolerari posse. ERHARD.

Amphoræ vitreæ.] Horat. I. Satyr. Sat. VI. vers. 117. *Astat Echinus vilis.* Interpres: *Echinum dixit vas salis, in modum echini marini, alii ampullam vitream, alii lignum dicunt cum uncinis, in quo ponuntur calices, alii ampullam scorteam, juxta illud Lucilii: Echinus chinabam infectus.* Lege *Echinus cinnabari infectus.* Diversa vasa effigiata fuere in formam echini, unde & passim *echini*, vascula varii usus: ita vasa, in quæ ἀσφαλίσματα conjiciebantur, ἐχῖνοι. Aristoph. Vespis, pag. 533. μὴ φεῦγ' ἐν συβαρεῖ γυνή ποτε Κατιταῦ ἐχῖνον. Scholiastes: ἀγγεῖόν τι χαλκοῦν, ἢ καὶ ἐκ κεράμου, εἰς ὃ καθίεσαν οἱ διαιτηταὶ τὰ γραμματεῖα τῶν μαρτυριῶν, ἅτινα

365

treae diligenter gypsatae, quarum in cervicibus pittacia erant adfixa, cum hoc titulo, FALERNUM. OPIMIANUM. ANNORUM. CENTUM. Dum titulos

νες ἐμαρτύρησαν, &c. quæ etiam in Suida legimus, & sæpe in Demosthene, ut in Orat. μετὰ Ὀλυμπιοδώρε: Τὰ δ' ἀντίγραφα ἐμβάλλεσθαι εἰς τὸν ἰχῦον. Moscopulus: ἰχῦον, σκεῦος τι παρ' Ἀττικοῖς χαλκοῦν τῆς δικαστικῆς τραπέζης, ἐν ᾧ τὰ γραμματεῖα ἀπετίθεσαν. Hesychius vero σκεῦος μαγειρικόν: quem vide. Scorteas ampullas *pilascas* vocabat posterior ætas. Isidori glossæ: *Pilasca, vas vinarium ex corio.* Græcis ὅλπαι. Scholiastes Theocr. Pharm. ὅλπη κυρίως, ἡ δερματίνη λέκυθος. Hinc lucem do Plauto, Rud. Act. III. scen. IV. vers. 51.

Nisi erit tam sincerum, ut quivis dicat ampullarius,
Optimum esse operi faciundo corium. ——

Varro apud Non. Cupas: *Antiquissimi in convivis utres vini primo, postea tinas ponebant.* Lege in Lucill. apud Non. Cuia, *tergimus calix*, non *troginus*. D. Matth. cap. 9. οὐδεὶς βάλλει οἶνον νέον εἰς ἀσκοὺς παλαιούς. Apul. 7. Mil. *vinarios utres ferentes.* Artemidorus lib. 5. ἀπὸ νεκρῶν σαρκῶν ὁ ἀσκὸς γίνεται, καὶ ὑγρᾶ ἐστὶ δεκτικός; & Polluci ἀσκὸς inter vasa vini conditoria; tametsi sacco usi ad eliquanda, seu percolanda vina. WOUWER.

Gypsatae] Lagenæ picabantur, vel gypso illinebantur, ne anima vini reconditi exspiraret. GLOSS. Hoc est, *gipso litae.* Porphyrio ad od. 20. Horat. lib. 1. carm. TORNÆS. Gypso vasa illita. Auctor γιεποιμῶν. Horat. Carm. lib. 1. od. 30. *Graca quod ego ipse testa Conditum levi.* Porphyrio: *Dicit hoc vinum per semet ipsum inveteratum, levisse ergo se gypso utique vult intelligi.* Marcellus de Medicam. *Operculo superposito, & clauso, vel gypsato diligenter de argilla.* WOUWEREN. Nuce, pice, & resina oblita & clausa, amphoræ seu lagenæ picabantur, ne anima vini reconditi exspiraret, vinumque fugeret. Rader. ad Martial. lib. 11. epig. 14. ERHARD. Ita infra cap. 71. *Amphoras copiosas, gypsatas, ne effluat vinum.* Et ita passim apud Rei Rusticæ scriptores. *Gypsare vinum*, Columel. XII. 36. & *Lagenam gypsare*, ibidem, cap. 41. & ita vasa etiam aliis usibus destinata, ut *pulli conditi in vasis gypso litis*, apud eumdem lib. VIII. cap. 8. BURM.

Pittacia] Schedula de membrana excisa, affixa ampullis, cui inscripta ætas vini. GLOSS. Suspicor leg. πυάκια, id est, tabellæ quædam, quæ solebant etiam in hornis vinis apponi, ut, cujus essent notæ, indicarent, quod annotavit Brodæus. EMMIUS. Glossæ: πιττάκιον, *Pittacium, Brevis.* Glossæ Isidori: *Pittacia, epistola brevis & modica.* quid vero brevis, expressit Juvenalis Satyra 7.

—— *magno comites in fasce libelli.*

Com. *Breves, intelligit. Pittacia* Lamprid. in Alex. Sever. λευκώματα. *album* Senec. Petron. scedium affixum ampullis, cui inscripta ætas vini, Horat. *notas* vocat, lib. 1. Sat. 10.

—— *Ut Chio nota si commista Falerni est.*

Acro: *Nota: Ideo, quod aut vina notantur in lagenis, aut Consules.* Plautus appellat *literatas epistolas* Pœnulo, act. IV. sc. II. vers. 14.

Ibi tu videas litteratas fictiles epistolas
Pice signatas, nomina insunt cubitum longis litteris,
Ita vinariorum habemus nostra delectum domi.

WOUWEREN. Balbus Catholico; *Pictacium, epistola brevis & modica: item scedula de membrana excisa.* Isidorus Glossis; *Pictaciuncula, membranula.* Britto in Vocabulario. ERHARD. Pittaciis Consulum nomina, ad vini sc. ætatem indicandam, inscribebat antiquitas. Eleganter apud Plautum in Pœnulo Synceraustus servus Act. IV. sc. II. vers. 14. BOSCH. Schedas è membrana fuisse vult Barth. XII. adversar. 1. tabellas vero Casaubonus ad Sueton. August. cap. 89. Celsus lib. III. cap. 10. *Pitacia*, quæ intincta aceto, & aliis liquoribus, imponantur fronti contra capitis dolorem in febribus, memorat. Quæ emplastra fuisse recte censet vir eruditissimus Jacob. Gothofredus ad leg. x. Cod. Theodos. de Erogat. Militar. Annon. ubi plura de hac voce adnotat. BURM.

Cum hoc titulo] Galenus alibi: Nec enim liber ad manum est. PITH. Juven. Satyr. 5.

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam titulumque senectus
Delevit, multa veteris fuligine testa. WOUWER.

Amphoris titulos appositos, vel Juvenal. versibus Sat. 3. satis liquet; eorum formulam prodit hic Petronius. Brissonius lib. 8. de Formul. in quibus Galeno teste, scripta erat ætas, id est, quo tempore, quibusve consulibus vinum esset conditum. Brodæus Miscell. lib. 1. cap. 3. Rader. ad Martial. lib. 9. epig. 74. ERHARD.

Falernum Opimianum] L. Opimio Consule Vini optimi copia provenit, quod diffusum & conditum dictum est Opimianum, cujuscumque generis esset. GLOSS. Cicero Brut. cap. 83. *Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis Coss. natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium, aut Anicium Cons. quarat.* Sed cur titulo non admodum convenienter additum est, ANNORUM CENTUM? PITH. L. Opimio Cos. A. V. C. DCXXXIII. vini optimi copia provenit; quod diffusum & conditum dictum est Opimianum, cujuscumque generis esset. Rader. ad Martial. lib. 1. epig. 24. & lib. 7. epig. 65. & lib. 13. epig. 106. quod est de *Falerno.* ERHARD.

ANNORUM CENTUM] Impudens mendacium jactabundi & insciti Trimalchionis, studiose à Petronio productum, ut ignorantiam ejus ubique traduceret. Nam ad Neroniana tempora à consulatu Opimii, anni ferme ducenti fuerunt. Negat Vellejus Paterculus, sua ætate vinum Opimianum superfuisse, etsi Plinius

titulos perlegimus, complosit Trimalchio manus, & [a]Heu, Heu, inquit, ergo diutius vivit „vinum, quam homuncio! Quare tangomenas „facia-

[a] TRIMALPHIO.

mius & Martialis contrarium sentire videantur. Sed Plinii locus, lib. XIV. cap. IV. ubi agit de vinis, menda liberandus est: *Annosa fuit omnium generum bonitatis C. Opimio Consule.* Vulgati habent: *anno fuit omnium generum bonitas.* Multus Romanorum luxus in vinis ejusmodi veterrimis. Seneca de vita beata cap. XVII. *Cur apud te vinum, ætate tua vetustius, bibitur?* HEINS. Mos veteribus, ætatem vini, tabellis ad cados amphorasque suspensis, notare. Horatius, Theocritus, Juvenalis, alii multi. Vide Lambin. ad Horat. 2. carm. 3. Hodie Rhenensium cœnopolarum moribus solent tabellæ nigræ ad januas ædium appendi, in quibus cretatæ notantur literæ, F. W. id est, *Firnen Wein, vetus vinum:* N. W. *Nieuwen Wein, novum vinum,* cum subsignato precii numero. WEITZ. Lautior Trimalchio Cottâ, quem Martiales reprehendit lib. X. Epig. 45.

Cum potes amethystinos trientes,
Et nigro madeas Opimiano,
Propinas modo conditum Sabinum.

Noster vero omnibus convivis Opimianum propinat, recte autem Heinsius jactantiam stulti senis notat, in numero annorum titulo expressorum, neque hic hærere debuerat Pithæus, neque numerum corruptum censere. vid. Barth. ad Stat. IV. Silv. IV. vers. 7.

Heu, Heu, inquit, ergo diutius vivit vinum, quam homuncio] Pro quibus vetus habet, *Heu, inquit. Ergo diutius vivit verum est.* Utrumque quis pariter non videt ab eodem fonte profectum; sed alterum, scilicet nostrum, perfecte, alterum vero perverse. TILEBOM. *Et ebeu,* puto, ut & infra, *eheu nos miseros.* HEINS. Melius, *en, inquit,* intelligi vult bonum factum, quia vivit, ut nunc occasio sit ei moriendi, & ut funus ei nunc fiat. MARCILIUS ad Horat. de art. Poët. vers. 329.

Vinum vivit] Ut è contra jugulari & mori dicitur. GLOSS. Martial. lib. I. epig. 19.

——— *scelus est jugulare Falernum:*
Convivæ meruere cui fortasse perire,
Amphora non meruit tam pretiosa mori. PITH.

Vivere dicitur *vinum*, ut contra *jugulari, mori*, & *veneno necari*, per metaphoram. Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. I. epig. 19. ERHARD. Præter locum Martialis, quem Erhardus indicavit, alibi etiam idem Poëta *vetulum* vocat, ut lib. XI. Epigr. 27.

Basia da nobis vetulo puer uda Falerno.

Et VIII. 77.

Candida nigrescunt vetulo crystalla Falerno.

Et ita apud Horatium lib. III. od. 15. quidam legunt

Nec poti vetula face tenus cadi.

v. Canter. VI. Nov. Lect. 14. Ita Juvenalis quoque Sat. XVI. 39. *vetulum libum* dixisset, si per librarios licuisset, quorum vitio nunc editur

Quod mea cum patulo coluit puls annua libo.

Sed codex Rottendorfii antiquissimus, quem contulit Heinsius, habet *vetulo. Immortale Falernum* dixit quoque Martial. lib. IX 95. & XI. 37. BURM.

Tangomenas faciamus] An non *Tingomenas* scribendum? crediderim. Hanc eamdem loquendi formulam & animum refert Arbiter cap. 73. Quæ sane verba non vulgaria sunt, sed, quid hic velit, perspicuum; scilicet illud, quod Græci dicunt in suis conviviis κοτταβίζωμεν, & quod in scribendo curiose felix Horatius, hæredem, ubi ad plures abieris, pari cum tripudio, liceat dixisse, mentis, facturum exsonat Od. 14. lib. 2. Carminum.

——— ——— *& mero*
Tinget pavimentum superbo
Pontificum potiore cœnis. TILEBOM.

Ad eumdem modum scribitur hoc vocabulum & in sequentibus. Sed quid est, *tangomenas facere*? nihil aliud, existimo, quam vino poculisque liberius indulgere. Quæ vero ratio hujus sit vocabuli, licet nobis non desint conjecturæ, tamen discere malumus ab aliis. SCHEFFER. Hic vero manifestissima est Petronianorum non tam corruptela, quam interpolatio. Cum enim sententiæ, quam Editiones nostræ exhibent, nihil desit, quisque eam perfectam concipimus: ista una cum aliis quamplurimis, notandis in loco, pro glossemate, & inofficioso additamento merito habentur, nisi conjecturâ, duas hujus Satyrici ἐκδόσεις à Petronio, quod ab aliis quoque scriptoribus factum meminimus, elaboratas fuisse, uti voluerimus. Finguntur autem verba esse Trimalcionis, & repetuntur ab eodem adclamante convivatores suos, cap. LXXIII. *Itaque, amici, tangomenas faciamus, & usque in lucem cœnemus.* Est è more prisco hoc; nam & Alcæi celeusma istud: Πίνωμεν· Τί τὸν λύχνον ἀμμένομεν; & Leonides Grammaticus ad compotores suos, Κρατηρίζωμεν, ἄνδρες φίλοι, cum majorem scyphum popposcisset, dixerat apud Athen. lib. X. Jon etiam Chius: Πίνωμεν, Παίζωμεν, ἵτω διὰ νυκτὸς ἀοιδή. Verbum etiam à priscis tractum; potum enim liberaliorem sic circumloquitur ille apud Suidam ἀνώνυμος, (est autem Alcæus) ὄππῳ τέγξῃ πνεύμονα. τέγξει. & Erathosthenes apud Macrob. 7. Sat. 15. καὶ βαθὺν ἀκράτῳ πνεύμονα τεγγόμενοι. Phrasis autem & constructio, ne quidem à semipriseo scritore, sed à Græcissante Latino ejus seculi, quo in Græcis, quo minus ea intelligerent, eo magis grassabantur, ridiculosque ludos edebant; intra septem à septimo secula infelix ea literatura decurrit. Τεγξομένους faciamus, inquit; quod Arbiter, Græce locuturus, ut solet docte & venustâ allusione dixisset, Τεγξώμεν. Τεγξώμεθα, id est, *Madidemus nos, Rigemus nos, mi-*

vitem us

„faciamus; vita vinum est; Verum Opimianum praesto: heri non tam bonum posui, & multo honestiores coenabant. [a] Potantibus ergo, & accuratissimas nobis lauticias mirantibus, larvam argenteam attulit servus sic

[a] ENCOLPIUS.

vitemus nos, verbo Plautino; neque puto quemquam fore, qui istam ineptiam *tangomenas faciamus* scriptori Romano tribuere porro volet. Fortassis de reconditis istis *tangomenis* aliud sentit alius; non impedio; saltem eas nunc mitto, ne chartam ultra maculent. REINES. Vix dubito, quin sit vera conjectura Cl. Vorstii *tengomenos nos* legentis. Sunt enim τεγγόμενοι, seu *tengomeni*, madidi. Ita sententia erit, faciamus nos madidos, vel inebriemus nos vino. Quamquam illud, faciamus nos madidos, honeste hic dicatur: praesertim, si referatur ad praecedentia, quasi medicamentum quoddam sit longius proferendæ vitæ. Si enim vinum vivit longius, ergo, inquit, vino faciamus nos madidos, immergamusque totos, ut beneficio ipsius vitam consequamur longiorem. Hæc enim subtilitas Trimalchionis est. SCHEFFER. De hoc loco dicemus infra. HEINS.

Vita vinum est] Totus hic locus mutilate ita legitur in editis: *Heu*, inquit, *ergo diutius vivit! verum est, vinum Opimianum praesto*, è quibus non satis commode se extricarunt eruditi. Vita vinum esse dicitur, quia nutrit augetque vitam. Vetus est jambus: *Mens est anima vinum, vinum anima corpori est.* Et in Inscriptione veteri apud Gruter. p. 912. *Vitam faciunt, balnea, vina, venus.* SCHEFFER. Fuit, cum legerem, *vitale vinum est*: siic *vinum annosa bonitatis*, apud Plinium, paulo ante, Codex Scaligeri *vita verum est vinum.* Forte, *quare tangomenas faciamus vita. Verum esse vinum Opimianum praesto.* Fuit & cum legerem, *Avitum ac vinum verum esse Opimianum praesto.* Ut apud Naſonem: lib. II. art. amator. 695.

Qui properat, nova musta bibat, mihi fundat avitum
Consulibus priscis condita testa merum.

Horat. od. XXXVII. lib. 1.

Ante hac nefas depromere Cæcubum
Cellis avitis. HEINS.

Ego vero, mutato verborum ordine, legere malo: *Vinum vita est*, simili modo, quo Terentius Phormione: *pauper, cui opera vita erat.* Sic & Belgice dicimus: *De Wijn is hem zijn leven.* GOES.

Verum est vinum Opimianum praesto] Vellem illud, *praesto*, abesset, vel ea conditione, ut in illius locum, *profecto*, succederet. RICHARD. Lege *Verum esse vinum Opimianum praesto*, id est, ἐγγυῶμαι. Scalig. WOUWEREN. Pro miro, cum sua ætate jam non dicat fuisse Vellej. lib. 2. BARTH. Retinuimus hanc lectionem, quam MSS. firmant, & Scaliger. Quidam τὸ ἐγγυῶμαι Scaligeri, veramque hujus loci notam rejicientes, legunt, *praestans*: quod idem valet ac *valens*; ut apud Cornelium Celsum, lib. 2. cap. 18. vinum, aut mustum magnæ vetustatis *valentissimi generis* esse dicit. De Opimiano Vellej. Paterc. lib. 2. *Hic est Opimius, à quo Consule celeberrimum Opimiani nomen.* Posteriores editiones, invita Velleji mente & brevitate appixerunt *vini*, ut & Petroniani critici hoc loco. BOURDELOTT. Non movenda lectio, & Scaligeri expositio proba est, *praestare se verum* dicebat, hoc est, affirmabat, & in se recipiebat, tamquam pro eo sponderet, esse Opimianum, ut nemo deberet dubitare, quam hujus verbi vim esse docuit Manut. ad Cicer. I. ad famil. Epist. 3. Eo fere sensu dixit Suetonius de Tiberio, cap. 33. *paullatim Principem exeruit praestititque.* BURM.

Heri non tam bonum posui] Martialis, libro VII. epig. 78.

Potavi modo consulare vinum,
Quæris, quam vetus atque liberale?
Ipso consule conditum; sed ipse,
Qui ponebat, erat, Severe, consul. WOUWEREN.

Ponere vinum etiam Martial. dixit lib. 4. epig. 56.

Tu Setina bibis semper, vel Massica ponis.

Raderus in Commentar. Pocula enim vino plena in mensis unicuique convivæ apponebantur; nec vini tantum, sed frequentissime ferculorum appositionem apud Martialem hoc verbum significat. Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. I. epig. 44. num. 4. lib. 2. epig. I. num. 4. ERHARD. Hoc verbum *ponere* recte notant eruditi *ex more antiquo* esse, *quia veteribus non in manus dabantur pocula, sed mensis apponebantur*, ut ait Servius ad Virgil. I. Æneid. 706. vide exemplorum magnam copiam in notis Heinsii ad Ovidii art. amat. lib. I. vers. 231. de aliis vasibus & ferculis idem verbum usurpari docuit Tollius ad Auson. Epig. VIII. BURM.

Curatissime] Veteres habebant, *accuratissime.* Tac. XIV. An. cap. 21. *Ludos curatius editos*, & sic alibi. SCHEFF. *Accuratissime* nonnulli, nil muta. BOSCH.

Larvam argenteam] Sceletum, sic aptum, & coagmentatum, ut articuli vertibulæque, quibus commissum erat, in omnem partem flecterentur, & figurarum omne genus exprimerent: ideo in convivium inferebatur, quo inconstantiæ & brevitatis vitæ monerentur. GLOSS. Plutarchus in Convivio Sept. Sapient. ait, Ægyptios osseum cadaver post epulas ita proponere solitos. BONGARS. Herodotus lib. II. cap. 78. de Ægyptiorum institutis: Ἐν δὲ τῇσι συνουσίῃσι, τοῖσι ἐυδαίμοσι αὐτῶν, ἐπὰν ἀπὸ δείπνου γίνωνται, περιφέρει ἀνὴρ νεκρὸν ἐν σορῷ ξύλινον πεποιημένον, μεμιμημένον ἐς τὰ μάλιστα καὶ γραφὴν καὶ ἔργον. μιγαθὲν δὲ ὅσον τε πάντη πηχυαῖον ἢ δίπηχυν δεικνὺς ἑκάστῳ τῶν συμποτέων λέγει, Ἐς τοῦτον ὁρέων, πῖνέ τε καὶ τέρπευ. ἔσεαι γὰρ ἀποθανὼν

sic aptatam, ut articuli ejus vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur.

τοιοῦτος. PITH. Plutarchus ἐπὶ σοφ. συμπ. Ὁ δὲ Αἰγύπτιος σκελετός, ὃν ἐπεισκοῦς εἰσφέροντες εἰς τὰ συμπόσια προτίθενται, καὶ παρακαλοῦσι μεμνῆσθαι τάχα δὲ τοιοῦτος ἐσόμενος, καὶ πιὲ ἄχαρις, καὶ ἀωρος ἐπίκωμος ἥκων, ὅμως ἔχει τινὰ καιρὸν, εἰ μὴ πρὸς τὸ πίνειν, καὶ ἡδυπαθεῖν, ἀλλὰ πρὸς φιλίαν προτρέπεται, καὶ παρακαλεῖ τὸν βίον, μὴ τῷ χρόνῳ βραχὺν ὄντα, πράγμασι κακοῖς μακρὸν ποιεῖν. Quæ unice Petronium illustrant. Joannes Tzetzes:

Ὁ συγγραφεὺς Ἡρόδοτος ὁ παῖς τῆς Ὀξύλης
Τοῖς Αἰγυπτίοις ἱστορεῖ δεῖπνοις τελεῖσθαι τόδε.
Οἰκέτης, ξύλινον νεκρὸν τοῖς δείπνοις περιφέρων,
Ἀνακειμένοις σύμπασιν ἄτω πῶς σωφρονίζει
Βοῶν, πρὸς τοῦτον βλέποντας, καὶ πράγειν χρὴ, καὶ
πίνειν.

Ex hoc ritu Lucianus περὶ πενθ. ubi de vario modo sepeliendi: ταριχεύει γοῦν ὁ Αἰγύπτιος, οὕτως μὲν τοι λέγειν ὃ ἰδὼν, ξηρόνας τὸν νεκρὸν, σύνδειπνον καὶ συμπότην ἐποιήσατο. WOUWEREN. Quo sensu Apul. *sceletum* dixit, qui & ipse *larvalem formam* appellat, & *larvam*. Et vet. Glossæ; Σκελετὸς, *larva*, *sceletus*. Sed & homines nihili, *larvæ*. Scip. Gentilis Comment. in Apul. Apolog. num. 613. Erat *oscillum* sigillariolum, sic aptum & coagmentatum, ut articuli, vertibulæque, quibus commissum erat, in omnem partem flecterentur, & figuras omne genus exprimerent. Id in convivium inferebatur, quo brevitatis vitæ monerentur. Bulengerus de Theatro lib. 1. cap. 31. & cap. 35. Ausonius; *Simile ut dicas ludicro isto, quod Graeci σοβάτιον vocavere, oscilla ea sunt. Ad summam quatuordecim figuras geometricas habent. Sunt enim æquilatera, vel triquetra, aut rectis angulis, vel obliquis, vel isopleura: orthogonia quoque, vel scalena. Harum vertibularum variis coagmentis simulantur species mille formarum*, &c. Hujusmodi larvæ in medium convivium jaciebantur, & ex illis eas figuras rex convivii exprimebat, ut mutationis, & brevitatis vitæ commonefaceret, & propterea bibendum, ut nihil de fructu hujus vitæ periret. Nam alioqui semper in conviviis mortis mentionem injiciebant, & caput mortui, ubi larvæ copia non erat, in mensa apponebant, vel è triclinio suspendebant. Epigramma Græcum;

Ἡ πλωχὰν χαρίεσσα παιοπλίη, ἀρτολάγυνος
Αὐτη, καὶ δροσερῶν ἐκ πετάλων σίφωνος,
Καὶ τοῦτο φθιμένοιο προάσιον ἱερὸν ὀστῦν,
Ἐγκεφάλου ψυχῆς φρούριον ἀκρότατον.
Πῖνε, λέγει τὸ γλύμμα, καὶ ἴσθι, καὶ περίκεισο
Ἄνθεα· τοιοῦτοι γινόμεθ' ἐξαπίνης.

quæ ad verbum interpretantur Petronium. Scaliger Auson. lect. lib. 2. cap. 26. Et Ægyptii ceream in convivio circumferebant mortis imaginem, ut convivæ de morte admoniti largius se invitarent, genioque suo benigne facerent, quod animam una cum corpore putarent nonnulli interire, ut est apud Herodotum de Ægyptiorum institutis. Idem in hoc convivio Trimalcio observavit. Raderus ad Martial. lib. 2. epigr. 43. Antiqui hoc ritu ad mollitiem & voluptatem invitabant, qui larvas quasdam in mensam inferre soliti, sic aptas, ut articuli, vertebræque, quibus commissæ erant, in omnem partem flecterentur, variasque figuras exprimerent; ut hac ratione convivæ brevis vitæ, celerisque mutationis commonefacti in solutam hilaritatem irent, omnibusque, dum liceret, delitiis adfluerent. Sic impii illi in libro Sapientiæ, *Umbra transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura, tamquam in juventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exsors sit luxuriæ nostræ, ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.* Ubi vero larvæ ejus copia non erat, cranium in mensa apponebant, & manibus versabant, vel è triclinio, sive stibadio suspendebant, in eumdem illum finem. Nos aliter imbuti, ut non ad luxum & voluptatem mortis memoria duci debeamus; sed multo magis absterreri. Lætari tamen in tempore etiam suadeo, nec subtrahere corpori delitias penitus, sed temperare; edere, bibere, ludere, sed intra continentiæ sanctissimæ fines. Puteanus in Genial. sermon. ERHARD. Lipsius 1. Saturnal. cap. 19. Jul. Nigronius. Orat. 4. pag. 133. Rigaltius ad Onosandr. cap. 9. qui eo putat respicere Clementem Alexandrin. 3. Pædagog. cap. 2. qui reticulorum muliebrium, vittarumque subtilitates, ac mobiles catenationes, & varias fingendæ comæ figuras, *larvas* esse ait, non vultus: Κεκρύφαλοι μέντοι, καὶ κεκρυφάλων διαφοραὶ, καὶ περίεργοι πλοκαὶ, ἀλλὰ καὶ τῶν τριχῶν οἱ μυρίοι σχηματισμοὶ, κατόπτρων τε πολυτίμητοι κατασκευαὶ, οἷς κατασχηματίζονται, δηλοῦσι τοὺς δίκην παίδων ἀφρονας, περὶ τὰς μορφὰς ἐπιλοιπένους, τέλειον ἀπηρυθριακυιῶν ἐπὶ γυναικῶν. ὃς ἑταίρας καλῶν οὐκ ἂν τις ἁμάρτοι. προσωπεῖα ποιούσας τὰ πρόσωπα. Adi quoque Philip. Camerarii Cent. 1. Meditat. Historic. cap. 12. Strignitii Ossa rediviva conc. 11. pag. 115. & 121. WEITZ. Vide Maresc. de Personis & Larvis, capite IV. Talis illa larva, sive sceletus, ut adversarius Apuleji vocabat imaginem Mercurii, in Apologia. BURM.

Aptatam] *Aptam* habebant veteres. Sed *aptatam* etiam alias usurpat in similibus. SCHEFFER. Codex Scaligeri, & veteres editiones omnes *Ita aptam*, quod probum puto, id est, ita catenis & junctures mobilibus connexam. Ita Virgil. III. Georg. 167.

——— *debinc, ubi libera colla*
Servitio adsuerint, ipsis è torquibus aptos
Junge pares.

ubi Philargyrius, *id est, unitos, aut connexos, est enim apta*

terentur. Hanc quum super mensam semel iterumque abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalchio adjecit:

a Heu, heu nos miseros, quam totus homuncio nil est!
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

a TRIMALCHIO.

Ergo

apta jungi, quæ ultima verba corrupta sunt. Sic sæpe utitur Lucretius lib. II.

——— *pergam connectere rem, quæ*
Ex hoc apta fidem ducat.

v. Gisanii indicem: venit autem ab antiquo verbo *apere*, quod *comprehendere vinculo*, *ligare*, veteres dicebant, teste Festo in *apex*, & huc referunt Servius, & alii illud Virgilii lib. IV. 482.

——— *stellis ardentibus aptus.*

Ubi videantur à viris eruditis adnotata, & ita Scaligerum sensisse docent prima Scaligerana. Nonius quoque in voce *aptus* pluribus exemplis hanc originem vocis & significationem docet. Et ita Sidon. Apoll. præfat. panegyr. Anthem.

Tunc Faunis Dryades, Satyrisque Mimallones aptæ.

ut legendum docuere, Colvius, & Savaro. BURM.

Articuli ejus vertebræque] Lucilius apud Festum;

Hæret verticulis adfixum in posteriore
Parte, atque articulis, ut nobis talus, genusque est.

Vertebræ generaliter dixit pro σπόνδυλοι. Titius Assertion. lib. 2. cap. 22. Sic & Auson. *vertibulas* vocat vel σχασμίας, vel simile quid, in eleganti oscillorum descriptione; *Harum vertibularum*, inquit, *variis coagmentis simulantur species mille formarum, elephantus bellua, aut aper bestia, anser volans*, &c. Causaub. Animadvers. in Athen. lib. 4. ERHARD.

Laxata in omnem partem verterentur] Editi præferebant, *locatæ*, &, *flecterentur*. Sed nostrum *laxatæ* sine dubio præstantius, & sequitur, *catenatio mobilis*. SCHEFFER. Rectius codex Scaligeri, aliique, *flecterentur*, nam & *vertebræ* ab vertendo dictæ. Pro *laxatis* etiam *luxatas* malim, *locatæ* codex Scaligeri. *Resolutæ vertebræ* apud Senecam Controvers. XXXIII. HEINS.

Semel iterumque abjecisset] *Semel atque iterum* Mem. cod. prior arridet: quia sic solet noster, ut infra cap. 94. *Et, semel iterumque cervice percussa, ante pedes collabitur nostros.* & cap. CXXXV. *Ac me semel iterumque basiavit.* Potest autem posterior Ciceronis aliorumque exemplis defendi. BOSCH.

Catenatio mobilis] Neurospasta, Cœlius lib. 4. cap. 16. vide Gellium & infra Petronium cap. 140. *Oscillatio* Bud. in Comment. Aristotel. de Mundo. Seneca vocat *pagmata*, lib. 13. ep. 89. BONGARS. Ejusmodi simulacra vocantur ἀυτόματα, & ἀυτοκίνητα à Græcis, quorum vel singula, vel universa membra certis nervis vel fidiculis, vel catenulis in hanc vel illam partem, cum quadam venustate & convenientia, sua sponte movebantur. De quibus Herodotus in Euterpe; Ἀντὶ δὲ φωλεῶν ἄλλα σφὶ ἐστὶ ἐξευρημένα, ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευρόσπαστα, τὰ περιφορέοισι κατὰ κώμας αἱ γυναῖκες. Et Lucian. de Dea Syria; Φαλλοὺς Ἕλληνες τῷ Διονύσῳ ἐγείρουσι, ἐπὶ τῶν καὶ τοιόνδε τι φορέουσι, ἀνδρὰς μικροὺς ἐκ ξύλου πεποιημένους, μεγάλα αἰδοῖα ἔχοντας. καλέεται δὲ τάδε νευρόσπαστα. Ergo ἀυτόματα sunt νευρόσπαστα ἀγάλματα, de quibus & Horatius lib. 2. Sat. 7.

Tu mihi qui imperitas, aliis servis miser, atque
Duceris, ut nervis alienis mobile lignum.

Qui ejusmodi simulacra ostendebant, νευροσπάστας dicti. Aristotel. de Mundo; Καὶ εἰ νευροσπάστας, μιᾶς μήνυθοι ἐπισπασάμενοι, ποιοῦσι καὶ ἀυχένα κινεῖσθαι καὶ χεῖρα τοῦ ζώου, καὶ ὦμον, καὶ ὀφθαλμὸν, ἔστι δ' ὅτε πάντα τὰ μὲν μετὰ τινος εὐρυθμίας. Apulejus de Mundo; *Etiam illi, qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitare solent, traxerint, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium præsto erunt, nec invenuste totus videbitur vivere.* Budæus in Commentar. Leg. Græc. Hen. Stephanus in Thesaur. L. Gr. Vulcanius ad Apul. de Mundo. ERHARD.

Heu, heu nos miseros, quam totus humuncio nil est
Quam fragilis tenero flamine vita cadit.]

Hunc versum, aut alium consimilem, interponendum puto. TORNÆS. Hos tres versus ita etiam junctim citat Jac. Magni in Sopholog. lib. 7. cap. 1. quem vide. ERHARD. Pindarus Pyth. 8. τί δέ τις, τί δ' οὔ τις, σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. WEITZ. Hos tres versus continuari debere certum est, & quem in Tornæsiano margine quidam adposuit,

Quam fragilis tenero flamine vita cadit.

recepit in textum, qui nobis integrum Petronium obtrudere voluit, Gallus. An in codice suo id reppererit, an vero, quia diverso charactere exprimi voluit, Petronianæ venæ judicaverit, non dijudico. Ego certe in illis nihil elegantiæ video, quid est *tenerum flamen*? saltem *tenui flamine* dixisset, vel *tenero flamine*. Præterea vita melius *extingui flamine* diceretur, quam *cadere*. BURM.

Quam totus] Alii *quia totus*. PATISSON.

Sic erimus cuncti] In Sophologii dicto loco legitur, *Nil erimus:* mendose. Scalig. putavit deesse versum pentametrum, itaque interpoluit asteriscos hoc modo;

Heu heu nos miseros, quia totus homuncio nil est,
* * * *
Sic erimus cuncti, postquam nos auferat Orcus;
Ergo vivamus, &c.

in

Ergo vivamus, dum licet esse bene.

XXXV. [a] Laudationem ferculum est insecutum, plane non pro exspectatione magnum. Novitas tamen omnium convertit oculos. Repositorium

[a] ENCOLPIUS

in Catalect. contra fidem antiquorum codicum, & consensum constantissimum. ERHARD. In quam sententiam differit Clarus Bonarscius, sive Carol. Scribanius, in Ampitheat. honor. lib. 2. cap. 1. Alicubi ossuariis hæc inscribuntur verba;

Quod fuimus, estis; quod sumus, vos eritis.

Aut etiam: QUOD TU ES, EGO FUI: QUOD EGO SUM, TU ERIS. Nathan Chytræus in Delic. itiner. C. Plautianus in vet. Inscript. *Vixi, dum vixi, bene jam mea peracta, mox vestra agetur fabula.* Refert Stephan. Zamosius in Analect. Daciæ antiquit. cap. 10. WEITZ.

Orcus] Pluto. Sic Plautus sæpe. Ut Asin. VIII. III. XVI. *Apud Orcum te videbo.* Capt. II. II. XXXIII. *Id Orcum scire oportet.* Epidic. II. I. VII. *Sacrificas ilico Orco hostiis.* Similia sunt plura alia. GOES. Vide Clarissimi Grævii Lect. Hesiod. cap. XVII. ubi ostendit, Plutonem, & omnes Inferos, *Orcum* dici. Horat. II. od. 3. *victima nil miserantis orci:* pro sepulchro quoque poni Scaliger notavit. Et ita explicat Boxhorn. cap. x. Quæstionum Romanarum, titulum antiqui Lapidis apud Gruter. DCCCLII. 5.

ORCO PEREGRINO.

Cui tamen non adsentimus, ita sepulchrum alienum dici, nam peregrinus non nisi ille qui jure civitatis non fruebatur, dicitur, & ita Ennius, civis Romanus, in sepulchrum Scipionis illatus, in orcum peregrinum migrasse dici nequit. BURM.

Ergo vivamus] Hoc sermone lacessebant lætitiam. Inscript. *Amici, dum vivimus, vivamus.* Lipsius in Saturnal. Hac dictione, *vivamus*, utimur, quoties aliquem ad fruendas nobiscum voluptates cohortamur: eaque poëtis est perfamiliaris, & inter pocula usitatissima, pro, genialiter vivamus, & *vitam* eam demum vocant poëtæ, quæ voluptuaria est. Gilb. Cognatus in Adag. Apud Hebræos vero *vivendi* vox pro beate vivendi per antonomasiam ponitur. Esaias 26. *Morientes non vivant, gigantes non resurgant. Gigantes* vocat homines violentos & tyrannos, quos ad beatam vitam ait non resurrecturos. Zuinglius Apolog. Complanat. Isaiæ cap. 26. Hic autem extremus versus non est Petronii, quem multi sequius accipiunt, quam auctori suo scriptum est, illi in bonam & piam partem, hic in deterrimam vertit. Nam *vivere* poëtis est, genio, voluptatibus, commessationibus, potationibus assidue vacare & indulgere, ut exemplis Catulli, Cæcilii, Lucilii, Varronis, Anacreontis, & Amphidis docet Raderus ad Martial. lib. 1. epig. 15. & lib. 2. ep. 44. Vide Joan. Brodæum in Annotat. ad Anthолog. lib. 1. epigram. Palladæ εἰς πλουτεῖς. & Vincent. Obsopœum ibidem. Anton. Parthenium, Pallad. Fuscum, Muretum, Achil. Statium ad Catul. epigr. 5. ERHARD. Hanc solemnem in conviviis acclamationem fuisse, docet Valesius ad Ammian. Marcell. XVI. cap. 8. Gruter. inscr. p. DCIX. 3.

AMICI
DVM VIVIMVS
VIVAMVS.

Esse bene] Γνικῶς, vitam omnem voluptuariam complectitur. GLOSS. Miseret me illorum, qui hunc versum emendare conati sunt, mihi quidem persuasum est, non esse Petronii, sed inepti cujusdam versificatoris, qui falso putabat, non esse absolutam duobus superioribus versiculis sententiam. RICHARD. Γνικῶς omnem vitam voluptuariam complectitur. Plautus, Bacchid. & Captiv. RITTERSH. Male interpungitur vulgo, & plane tollenda ὑποστιγμὴ post *esse*,

—— *dum licet esse bene.*

Bene esse, γνικῶς, vitam omnem voluptuariam complectitur. Origo formulæ, quod, cui omnia secunda vellent, ei precarentur, *bene esse*. Gulielm. Plaut. quæst. in Epidic. cap. ult. Etiam apud Hebræos. David Psalm. 16. in princip. *Præter te non est mihi bene:* id est, sine te nihil mihi volupe est, non possum vivere. ERHARD. *Fugitiva gaudia carpe*, ait Martialis. Grut. inscript. pag. DCCXCIX.

VIVE. HOSPES. DUM. LICET.
ATQUE. VALE.

Iterum ille ad Julium lib. II. epig. 16.

Sera nimis vita est crastina, vive hodie. BOSCH. Lusit dilogia, dum licet esse in vita, aut edere: peccant, qui mutavere, *dum licet, estque bene.* MARCILIUS ad Horat. II. Epist. I. vers. 144. nihil mutandum hic censet quoque amor noster Janus Brouckhusius, quia veteres ita numquam loquebantur. Plaut. Menæchm. act. III. sc. II. vers. 20. *Minore nusquam bene sua dispendio*, Cicer. pro Dejotaro. c. VII. *Cum in convivio comiter & jucunde fuisses, tum illuc isti, ut dixerat.* Quæ loca suggessit nobis vir amicissimus. BURM.

Laudationem] Possit hic capi pro *laudatione funebri*, quam stolidus Trimalchio, ad larvæ conspectum, versibus istis peregit.

Ferculum insecutum est] *Ferculum* pro missu carnium. Stuckius Antiquit. convival. lib. 3. cap. 1. Duobus ferculis instructum erat convivium, unum jurulentarum carnium, alterum assarum. Cato; *Et in atrio, & duobus ferculis epulabantur antiqui.* Sidon. lib. 2. ep. 9. *Convivium per edulia, nunc jurulenta, nunc assa, varietur.* Servius in lib. 1. ver. 638. Portunianus apud Salisberiens. in Polycrat. lib. 8. cap. 7. Savaro Not. in Sidon. lib. 2. epig. 9. ERHARD.

Plane non pro exspectatione magnum] Infra dicit; *Tristiores ad tam viles accessimus cibos.* ERHARD.

Reposi-

torium enim rotundum duodecim habebat Signa in orbe disposita, super quae proprium convenientemque materiae structor imposuerat cibum: super Arietem, cicer arietinum: super Taurum, bubale frustum: super Geminos, testiculos, ac rienes: super Cancrum, coronam: super Virginem,

Repositorium] Idem, quod gustatorium, in quo antecœnium apponebatur. Item quævis mensa, in qua struices patinarum ædificantur. GLOSS. *Repositorium* idem, quod *gustatorium*, in quo gustus seu antecœna apponebatur. Supra cap. præcedenti, *Cum subito signum symphonia datur, & gustatoria pariter à choro rapiuntur. Gustatoria* cupilia sunt: *Repositoria* pro quavis mensa accipiuntur, struicesque patinarum ædificabantur in eisdem. Rader. ad Martial. lib. 14. epig. 78. ERHARD. Glossæ Labbaei: *Repositorium*, παράθεμα, δίκη. Rursus, παράθεμα, *repositorium*, *depositorium*: παράθεμα, *ploteum*, *pluteus*, παράθεσις, *adpositio*, παραθέτης, *structor*, *insertor*. HEINS.

Duodecim habebat signa] Alexis. apud Athen. l. 2. c. 18.

——— Ἀλλὰ παρετίθη
Ὑπερφανος ἕζεσα τῶν ὠμῶν λοπάς.
Τὸ τὲ πόλε τὲ παιτος ἡμιφαίριον
Ἅπαντ' ἐνῆν τάχει γὰρ ἐν ταυτῇ καλά.
Ἰχθῦς, ἰριφον, διέτμηχε τέτταν σκορπίος.
Ὑπίφαινεν ὠὸν ἡμίτομον τὰς ἀσίας.
Ἐπιζάλομεν τὰς χεῖρας. PITH.

Fuisse lances puto quæ figuram signorum habebant, vel certe repositorio quasi brachia infixa, quæ signa illa exprimebant: nam & lances repositoriis impositas, & aliquando ipsi repositorio in varias figuras formato cibos ipsos sine lancibus impositos fuisse docet Ferrarius III. elector. 18.

In orbe dispesita, superque convenientem] Legendum *in orbem disposita, super quæ*, scilicet signa. Casaub. in Sueton. An est tmesis, construendumque *superimposuerat*, uno verbo, quod & alibi legisse memini? ERHARD. An *in orbem*, ut supra cap. XXXIII. *Patentibus in orbem malis.* & cap. CII. *Crura in orbem pandere.* Justinus lib. XLIV. cap. 1. *Hispania Pirenaei montis dorso adhaeret Galliæ, reliquis partibus undique in orbem mari cingitur.* HEINS.

Superque] Malim equidem, *super quoque* (vel, *super quo cuique*) *proprium convenientemque materiæ structor imposuerat cibum.* HEINS.

Structor] Qui fercula puerorum manibus allata commode disponit. GLOSS. Servius ad Virgil. I Æneid. 704. *Struere, ordinare, componere, unde & structores dicuntur ferculorum compositores.* PITH. Lamprid. Eleg. cap. 27. *Ut quæcumque coqui de diversis ediliis exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi de lactariis exhiberent.* Juven. Sat. 7.

——— *qui fercula docte*
Componat. ———

Comment. *Structura, ut cocus*, hinc Plauto Menæch. I. 1. *struices patinariæ:* Lucill. *exstructa mensa.* Columel. lib. 1. *fercula struentes.* Structor Athen. τραπεζοκόμος, Clementi & Polluci τραπεζοποιός. nam, ut idem Pollux, Τραπέζας ἐκάλεν καὶ τὰ σιτία τὰ ἐπ' αὐτῶν τιθέμενα, uti & Latinis, in Virgil. 3. Æneid. vers. 257. *absumere mensas.* Hesychius vero, Τραπεζοποιός, οὐχὶ ὁ μάγειρος, ἀλλ' ὁ τῆς πάσης περὶ τὰ συμπόσια παρασκευῆς ἐπιμελούμενος. WOUWEREN. *Structores*, qui fercula puerorum manibus allata commode disponunt. Juven. Sat. 6.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectas. ———

Lipsius Saturnal. serm. lib. 2. cap. 2. Rader. ad Martial. lib. 10. epig. 44. Titus Popma de Oper. servor. Ammianus lib. 16. cap. 8. *Mensamque operimentis paribus tectam, anteriorem chlamydis partem utraque manu vehens, intrinsecus structuram omnem, ut amictus adornaverat, principalesque res evertit.* ERHARD. Structori hic proprie locus.

Quæ non indigeant ferro structoris ofella,

apud Satyricum. Vetus inscriptio apud Gruterum DLXXXIII. 2. CHIO. AUG. JUBATIANO. STRUCT. HEINS. Vide Ursin. append. ad Ciaccon. de Triclinio pag. 344. & Salmas. ad Capit. Verum cap. 2.

Materia] Eduliorum. ERHARD.

Cicer arietinum] Species leguminis; aliud à vulgari sativo. GLOSS. Meminere Theophrastus & Athenæus. PITH. Nigrum, quod capiti arietino sit simile. vide Nonn. de re Cibaria, lib. 1. cap. 10. Columella de Re Rust. lib. 11. cap. 10. vocat *arietillum*, ut ibi habet optimus codex. v. Plin. XVIII. 12.

Bubale frustum] Frustum bovis assatum. GLOSS. Alii, *bubula*. PATISSON. Forte *bubulum*. DANIEL. Scalig. legit, *bubulæ*. illud vero & Casaub. retinet. Balbus Catholic. *Bubalus, & Bubalis in eadem significatione, scilicet ad bubalum pertinens, vel de bubalo existens.* Inepte. Vetus interpres Regum libro 2. cap. 6. *Assaturam bubalæ carnis unam.* Strabus Glossator; *id est, frustum bovis assatum.* ERHARD. *Bubula* recte in MSS. & ita legebat Scaliger. Cur bubulæ frustum ponat inter viles cibos non video, cum apponatur principum mensis, nisi comparatione facta ad elegantias & luxum. Inter viles etiam cibos carnem bubulam legas apud Lampridium in Heliogabalo. BOURDEL. Vulgo *bubale*, sed *bubulæ* est in aliis codicibus. SCHEFFER.

Super geminos testiculos actiones] Optime P. Dan. legit, *ac lienes*. fortasse etiam, *renes* legi posset, in quibus sita est libidinis cupiditas. EMMIUS. Καὶ ὄρχεις ἥδιον,

nem, ſtericulam: ſuper Libram, ſtateram, in cujus altera parte ſcriblita erat,

νσθιον, ὃς καὶ νέφρος ἐκάλουν. Athen. PITH. Bene *rienes* ex more antiquo Tragurianus. *Glaber tanquam rien*, apud Plautum. Gloſſæ Labbei: *Rien*, νέφρος. *Rienoſus*, νεφριτικός. Νεφριτικός, *Renoſus*, *renienoſus*, *renitioſus*. Νέφρος, *Ren*, *renis*, *Ren*. Lege, *Ren*, *renis*, *rien*. HEINS. Hos inter elegantiorum cibos, & qui Venerem excitare credebantur, gratiam inveniſſe docet Nonn. de re cibar. lib. II. cap. XIII.

Super cancrum coronam] Turdorum; nam cum Sol cancrum permeat, coronarum frequens uſus eſt. TORNÆS. Martial. lib. 13. ep. 51. de turdorum corona;

Texta roſis ſertaſſe tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet. ERH.

Horum verborum interpretatio ſumi debet è loco Arati, ubi agit de ortu Cancri, qui ita incipit: ἔ οἱ ἀφαυρότατοι, ὅτε καρκῖνος, &c. ubi vetus Scholiaſtes ait: *Cum Cancer imbi eſt, ut exoriatur, mediam partem Coronæ videre eſt ſuper terram, alteram partem occaſus occupat & obſcurat, Corona deſcendente in occaſum.* Ergo Corona præit Cancro. Ad cujus rei imitationem ſtructor convivii inter illa fercula, quæ imitabantur duodecim ſigna Zodiaci, *Coronam* collocavit ſuper Cancrum, nempe ſervato in ferculis ordine cæleſti. Carol. Paſchalius in admirabili de Coronis opere, lib. 2. cap. 3. WEITZ. Nihil hic muto, licet dixerit, ſtructorem materiæ proprium convenientemque cibum impoſuiſſe. Sic enim ipſe cap. XXXIX. quod ante me à M. Hadrianide obſervatum video: *In Cancro ego natus ſum; ideo multis pedibus ſto, in mari & in terra multa poſſideo. Nam cancer & hoc & illoc quadrat, & ideo jam dudum nihil ſuper illum poſui, ne geneſin meam premerem.* BOSCH. Nec de ſidere, *corona* dicto, capio; nam ineptum eſſet uni ſideri alterum imponere, cur enim idem non reliquis ſignis, quæ vicina ſidera quoque habent, factum fuit? neque de *turdorum* corona, cum poſtea dicat, nihil ſe poſuiſſe cibi ſupra cancrum, intelligo. Sed ſimpliciter coronam convivalem fuiſſe puto; de qua, ut nihil adjiciam, fecerunt tot obſervationes virorum doctorum, quos compilare non eſt noſtrum. BURM.

Super leonem, ficum Africanam] Hinc illuſtrari multa auctorum loca poſſunt, qui *feras Africanas* abſolute ponunt, contra interpretum varias ſententias. Certum eſt enim, nullas alias feras, quam leones intelligi debere. Phil. Pareus in Notab. Palatinis. ERH. Hujus inter genera ficorum in Italiam perlatarum meminit Cato de R. R. cap. 8. Plin. XV. 18. Varro de Re Ruſt. l. 1. c. 41. & Columel. V. 10. & alii. vid. Rader. ad Martial. lib. IV. epig. 46. Has Leoni, ut Africæ familiariſſimo animali, imponit, ſed inde effici *Africanas*, ubi ſimpliciter ponuntur, ſemper Leones notare, non crediderim, cum eo nomine Tigres & Pantheras etiam notari certum ſit. Ita Plin. lib. VIII. cap. 17. dicit, *Senatusconſultum fuiſſe vetus, ne liceret Africanas in Italiam advehere:* ubi Pantheras intelligi contra Lipſium recte oſtendit Salmaſius ad Vopiſci Aurelian. cap. 33. & hoc docet noſter Petronius infra, cap. 119.

Quæritur in ſilvis Mauris fera, & ultimus Ammon
Afrorum excutitur; ne deſit bellua dente
Ad mortes pretioſa ſuas, premit advena claſſes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula.

ubi hæc luxuria, contra veteres mores, carpitur. Et tam Leones, quam Pantheras, hoc nomine inſignit Plinius, lib. XXXVI. 5. *Accidit et, cum in navalibus, ubi feræ Africanæ erant, per caveam intuens leonem calaret, ut ex alta cavea panthera erumperet.* vid. Suet. Claud. cap. 21. BURM.

Stericulam] Alii *ſericulam*, alii, *ficedulam* PATISS. Nempe ſerotinam, quæ Auguſto matureſcit, alii *ficedulam*, MS. *ſtericulam*. TORNÆS. Etſi variæ adduci poſſent conjecturæ, ut deſperatiſſimo loco mederetur, veluti ſi legas *ruſticulam*, quæ ex perdicum genere. Martial. lib. XIII. epig. 76. vel, quod in gloſſ. Iſidori, *Suericulum, edule*, vel *hiſtriculum*, quia de virgine ſermo; notat autem puerum grandiorem: tamen deſipere puto his ſomniis veram lectionem quærere; erui poteſt ope MS. Satius eſt illud quoque ignorare, *ſuper ſagittarium odopetam*; ne nihil agam, lego *otopetam*. Gloſſæ: *Auritus* ὠτοπίτης. ut canem venaticum innuat, quia is competens ſagittario, ſed per fidem nugæ & ineptiæ meræ. WOUWEREN. Quærendus Æſculapius, qui deſperato loco medeatur, ut & illi, *ſuper ſagittarium*, *Odopetum*. Nolo enim ex ſimplici conjectura quidquam aſſerere. Quod ſi aliorum interpretamentum valet, non per me ſtabit, quin, lector, tibi placeat. BOURDELOT. Optime *ſterilliculam*, vulgo eſt, *ſtericulam* per compendium ſcripturæ, ut exiſtimo; vulvam intelligit ex ſue caſtrata. Celſus II. cap. 23. ubi de rebus ſtomacho idoneis: *Ex ſue, ungulæ, roſtra, aures, vulvæ, ſterileſque.* Ita habet vetuſtiſſima editio, vulgo edunt, *vulvæque ſteriles*, contra mentem ſcriptoris, qui probat vulvas, etiam ſteriles. Ab hoc *ſteriles* apud noſtrum ſunt *ſterilliculæ* per diminutionem, in qua vulvæ ſunt intelligendæ. SCHEFFER. Non adſentior Viro docto, cui iſta Arbitri, quia obſcura, varie corrupta, & emendari deſperata, mera ſomnia videntur. Uſque adeo nihil contemno, quod Petroniani ſaporis eſt, ſed cura mea dignor. Vera lectio, *ſtericulam*; at per compendium ſcripturæ ſic nominari *ſterilliculam* haud credam. *Stericula* mihi diminutivum ſecundi gradus eſt, quod genus valde amat *Petronius*, *à ſterula*, hoc à *ſtera*. Ita *olla, ollula, ollicula: ſilva, ſilvula, ſilvicula: Servus, ſervulus, ſerviculus; glomus, glomulus, glomicellus*; quæ bonis auctoribus in uſu. *Stera* autem in manuſcriptis veteribus, præſertim rei medicæ, Græcum ὑστέρα, id eſt, uterus, matrix, vulva; inde *ſterica pnix* Silvat. Pand. cap. 376. *hyſterica*

ta erat, in altera placenta: ſuper Scorpionem, piſciculum marinum: ſuper

rica pnica Theod. in Gynæc. cap. 1. ὑστερικὴ πνίξ, id eſt, matricis præfocatio, ex utero ſuffocatio: *Steras dynaſtha* Int. veteri Γυναικείων Moſchionis, pro *ſteras dioptra*, id eſt, uteri ſpeculum; de quo Albucaſis lib. 2. Chirurg. cap. 77. Paræus lib. 23. Chir. cap. 62. Vid. lib. 2. Chirurg. cap. 3. Μῆτραι vulvæ, præſertim ſuum, in deliciis veterum. Plin. lib. XI. cap. 37. Plut. 3. Symp. 9. Athen lib. 3. Eæ in triplici differentia; ejecticiæ, ἐκβολάδες, quæ ejecto fœtu; porcariæ, quæ edito fœtu; ἐκτοκίδες: ſteriles, quæ de virgine porca, ut loquitur Mart. lib. 13. epigram. 56. ſeu caſtrata, vetere Germanico idiotiſmo, *nonna*, ſumerentur. Signo autem Virginis poſita fuerat ſtericula, ſeu uterculus ex ejuſdem generis porca, quæ nondum conceperat, vel pepererat. In eamdem quidem ſententiam lectio altera cum ſua interpretatione collimat, ſed tum fingenda eſt ellipſis ſubſtantivi; quod licere dubito. Certe nemo, puto, concipiet, ſi *ſteriliculam* abſolute nominavero, Virginis porcæ matricem; eſt enim adjectivum iſtud indifferens ad alia quoque animalia. REINES. Sic diu vidi caſtigandum, ut è Traguriano Cl. Schefferus eſt amplexus. *Vulvam de virgine porca*, dixit Martialis, aliis *ſterilis* dicitur. Sic *virgines buculæ* Arnobio lib. VII. & *virgo vitula*, & *virgines hoſtiæ*. Martialis epigramma ecce, quod in Xeniis eſt tertium & quinquageſimum, atque ita è veſtigiis membranarum veterum caſtigandum:

Te ſortaſſe magis capiat de virgine porca,
Me mater gravida de ſue vulva capit.

Sed in vulgatiſſimis minus eleganter:

Me materna gravi de ſue vulva capit. HEINS.

Stericula ſine dubio vera lectio. Vide de delicato hoc cibi genere Nonn. de re cibar. 11. cap. 4. ubi oſtendit, hanc vulvam ſterilem fuiſſe rariorem, quia ratio, qua ex virgine porca eximeretur, erat difficilior; ille autem caſtratione factum putat.

Stateram] Inſtrumentum, quo res ſine lancibus ponderatur. GLOSS.

Scriblita] Ἀπὸ τῦ στρέβλειν, torquere, ideo quod in circuitu torqueatur reſtis in modum, unde nos *tortam* dicimus. GLOSS. Scribe *ſtriblita*. DANIEL. Lege *ſcribilita*, ut apud Plautum, & Catonem; nam κατὰ συγκοπὴν *ſcriblita*. Poëtis metri cauſſa dicitur, alii legunt, *ſtribilita*, ἀπὸ τῦ στρέβλειν, quod eſt torquere: ideo, quod in circuitu torqueatur, reſtis in modum, unde nos *tortam* dicimus. Ramirez ad Martial. lib. 3. epigr. 17. num. 1. Vera ſcriptura eſt *ſtribilita*, eſt enim στρεπτὸς ἄρτος, quem Græci στρέμμα, nos hodieque *ſtrible* vocamus, voce ſive Græca, ſive Latina utcumque retenta. ERH. Lege potius *ſtriblita*. Sicque reponendum apud Plantum, prologo Pœnuli. BOURDELOT. Hanc ſcripturam retinet Caſaubonus ad Athen. lib. XIV. 15. Traguriánus codex *ſcribillita*. Et Taubmannus ad Plauti Pœnulum codices omnes *ſcriblitam* exhibere notat. In Tironis notis pag. 176. *ſcerbilita* legitur, inter edulia.

Super ſcorpionem, piſciculum] Lego, *ſuper ſcorpionem, ſcorpionem piſciculum*. Librarius ineptus male repetitum *ſcorpionis* vocabulum putavit. In quibuſdam editis mutilate legitur, *ſuper ſcorpium*, cum aſteriſco. Sed *ſcorpionem* habet etiam Plinius, qui & juris ex eo facit mentionem his verbis: *Omnium piſcium jus alvum emollit, ſed optimum ſit è ſcorpionibus.* SCHEFF. Non video, quid ſcorpioni commune ſit cum piſciculo marino. Deinde, cur piſciculum dixiſſe maluit, quam piſciculos, ne expreſſa quidem ſpecie piſciculorum? Omitto, quod hiſce piſciculis non erat locus inter curatiſſimas lautitias. Scribendum utique, *Iſicium marinum*, vel, quod malim, *Iſicium cammarinum*, quia *marina locuſta* mox ſubſequitur. Quamquam de *Iſicio marino & cammarino* res eodem recidit, quod *marinum Iſicium* de cammaris fiebat plerumque, cammarus autem de genere cancrino, ut Scorpioni conveniat quodammodo. De *Iſicio marino* videndus auctor de obſoniis, qui ſub nomine Apicii circumfertur, præſertim libro ſecundo, ubi multus eſt in hoc obſonio. Inventum *Iſicii marini* Lampridius Heliogabalo adſcribit, cap. XIX. *Primus fecit de piſcibus iſicia, primus de oſtreis, & lithoſtreis, & aliis hujuſcemodi marinis conchis, & locuſtis, & cammaris, & ſquillis.* Ubi de iſiciis plura Caſaubonus, & Salmaſius. Quod ſi primum inventa ſunt iſicia marina ab Heliogabalo, ut aſſeverat hic Spartianus, accipiamus licet hoc Petronii commentum eſſe, ut erat mire ingenioſus, teſte Tacito, ad hæc talia excogitanda, qui fingit id genus epularum à Trimalchione appoſitum, quod nuſquam in uſu eſſet. Sed, cum idem Lampridius eumdem Heliogabalum *menſas, & capſas argenteas, cacabeſque* habuiſſe primum contendat ibidem loci, quod eſt tamen falſiſſimum, id ipſum quoque de *Iſiciis marinis* credamus licet. Quamquam de menſis capſiſque argenteis locum eſſe mendoſum homines eruditi, ex veſtigiis codicis veterrimi jam monuerunt. Tutiſſimum igitur erit, ut de genere quodam peculiari iſicii marini ſit intelligendus Spartianus, inventi ab Heliogabalo. Auctor certe rei culinariæ, qui ſub Apicii circumfertur nomine, quicumque tandem is eſt, Heliogabalo enim vix putandus recentior, haud parcum ſe præſtat in Iſicii marini, ſua ætate cognitiſſimi, generibus deſcribendis, libro, uti jam diximus, ſecundo. *Iſicium* autem nihil aliud, quam caro minuratim conciſa, dictum ab *inſecando*, Varrone teſte, libris de lingua Latina. Græcis etiam ἰσίκια dicuntur, quamquam *inſicia* nonnulli malint ſcribere. Hinc ὑποκορισικῶς *iſiciola*, quæ apud eumdem Apicium frequenter occurrunt. Hinc *iſiciarii*, qui iſicia conficiunt. Quod vocabulum occurrit in teſtamento M. Grunnii Corocottæ procelli, ſed male

per Sagittarium otopetam: ſuper Capricornum, in quo cornua erant, locu-

illic *eſiciariis* legitur. HEINS. Non perſuadet, licet ingenioſa ſit, Heinſii conjectura, nam neque probare poteſt *iſicium* jam Petronii ætate frequentatum, & deinde, non convenit ſcorpioni, cum tale eſculentum ex variis cibis poſſet confici: quod Schefferus repetat vocem *ſcorpionem*, nihil eſt neceſſe. per *piſciculum* autem intelligi illum puto, quem Plinius lib. IX. cap. 15. deſcribit: *animal eſt parvum, ſcorpionis effigie, aranei magnitudine; hoc ſe & Thynno, & ei, qui gladius vocatur, crebro delphini magnitudinem excedenti, ſub pinna adfigit aculeo, tantoque infeſtat dolore, ut in naves ſæpe numero exſiliant.* Ubi videmus neque Plinium ejus nomen exprimere; ſed Ariſtoteles lib. VIII. de Animal. cap. XXV. Sectione 220. vocat ἴασιν, ut & Oppian. Halieut. II. 508. Latinos *aſilum* vocare notat ibi Rittershulius ex Virgilio III. Geor. 147. quamquam ego duplex hoc animalculum putem, terreſtre & marinum, illud, quod Virgilius dicit per ſilvas volare & jumenta infeſtare, unde & Valerio Flac. III. 581. vocatur *volucre aſilum*, hoc, quod Plinius & Ariſtoteles & Oppianus deſcribunt, & inter piſces ponunt, & nomen forte terreſtri animalculo debet, cui ſimilem aculeum habet, quem in Thynnos immittit. BURM.

Super ſagittarium] Deëſt fortaſſis, *ſuper ſcorpium*, ejuſdem nominis piſcem. TORNÆS. Ante hæc verba reponendum eſſe aſteriſcum, miror neminem monuiſſe, præter ultimam editionem. Signum ſcilicet excidit, ſcilicet *Scorpius*, cum convenienti cibo, qui qualis fuerit, quærendum. BOURDELOT.

Otopetam] *Otopeta*, lampetra. Sic vocatur quia eſt aurita: vel *otopeta* ab ὠτοπέτης, auritus, & ſic pro lepore vel cane venatico, ſagittario competentibus. GLOSS. Eſt *odopeta*, quæ lampetra vocatur: aurita enim eſt lampetra, & auribus foraminata. Savaro ad Sidon. lib. 8. ep. 12. Pro *odopetam*, conſtanter *otopetam* lego, nec fruſtra Gloſſæ; *Auritus*, ὠτοπέτης. Leporem autem hic intelligo, qui *Auritus* dicitur Germanico, Phœnomenis:

Auritum leporem ſequitur canis, & fugit ille.

Nec inconcinne *ſuper ſagittarium*. Hic enim inſtar Centauri pingitur, niſi quod cum arcu: at Centaurus è thyrſo dependentem gerit leporem, in Hygini imaginibus. Niſi tamen magis arrideat *otopetam* de oto vel otide intelligi, de qua ave Athenæus lib. 9. cap. 10. Φασὶ δ' αὐτὸν καὶ τὴν τροφὴν ἀναμηνυκάσθαι, ἥδεσθαί τε ἵππου. εἰ γάν τις δορὰν ἵππων περιθοῖτο, δηρεύειν ὄρνις ἂν θέλει. προσίασι γάρ. Plane ad Sagittarium, cujus maxima pars equina. Sed ne *auriti* vocabulum requiramus, talis Otus, & hinc dicitur. Idem Athenæus, & ibidem, ex Ariſtotele; ἔχει τι παρὰ τὰ ὦτα πίλημα, διὸ καὶ ὦτος καλεῖται. Pariter Plinius lib. 10. cap. 23. *Otus bubone minor, noctua major, auribus plumeis eminentibus: unde & nomen illi.* Addit: *Quidam Latine aſionem appellant.* Annon ab auribus ſic exertis? Geſnerus adnotavit. Jam vero quam ad fercula hæc avis faciat, pauca item Athenæi verba docent: τὰ δ' κρέα αὐτῶν ἡδέα ἐστίν. Eryc. Puteanus epiſt. ad Goldaſtum. ERHARD. Vulgati habent, *odopetam*. Savaro legit *otopetam*, & exponit *auritum*, ſeu *leporem*, Græce ὠτοπέτην. Sed non video, qua ratione Sagittario conveniat, qui profecto non venatur piſces. Divinent alii in loco hoc deſperato. SCHEFFER. Locus à Viris doctiſſimis tentatus varie, tandem habitus pro deſperato, quique ex aliis reſtitui non potuit hactenus, ex hoc Codicis Tragurienſis, quem vel hoc ſolo nomine precioſum habemus, facillime, ſi quid video, poteſt. Iſtud enim *oclopetam* ad veram, primævam, Petronii ingenio & ſtilo convenientem lectionem manu me ducit. Scripſerat *ſclopetam* vel *ſtlopetam*; c enim & t in Longobardica permutantur; à quo quam minimum aberrarunt manus librariorum, qui capitalem s in o mutarunt & duas c l in unam d proclivi errore contraxerunt in Editionibus aliis. *Sclopeta* vero novatum à Petronio eſt, uti alia nonnulla, cum inſigni gratia & venuſtate, cenſumque Latinorum inopem belle locupletat. Neque enim elegantius, δεινότερον, ἐμφατικώτερον, καὶ ἰδιαίτερον exprimas puerile iſtud ludicrum inſtrumentum, quando cannæ, ligno emedullato vel etiam calamo craſſiori pedali cubitalive aptant bacillum ligneum, eoque vi quadam intruſo globulum è ſtuppa, lana, linteo concerpto, vel charta conculcata explodunt, unde ſonitus: (quem ὀνοματοποιητικῶς vocant *ſclopum*, *ſtloppum*) adpellant idiomate noſtro, *eine Klatſchbuchſe*. Cur Sagittario *ſclopetam* impoſuerint ſatis lucet, nimirum arcum hujus, quo metam ferire inſtituit, ea repræſentari, ut paulo ante ſignum Libræ ſtatera, voluit Trimalcio. REINES. Reineſius poſt omnes aliorum divinationes legit *Stlopetam*, accipitque de inſtrumento puerorum ludicro, cum cannæ aptant piſtillum, interſectumque ex charta maſticata globum cum fragore excutiunt. Sed refellunt hanc ſententiam aperte verba præcedentia. *Superque proprium conveniensque materia ſtructor impoſuerat cibum.* Oſtendunt *cibum* fuiſſe, ut alibi, ita hic impoſitum ſuper ſignum Sagittarii, non inſtrumentum ludicrum puerorum. Quid ergo dicendum? Mihi certiſſimum videtur, ſcripſiſſe noſtrum *alopecam*. Alopex, Græce ἀλώπηξ, caro muſculoſa eſt circa clunes, aut interiores lumbos, uti Pollux atque Athenæus teſtantur. Eam ergo partem impoſuerat ſagittario, quia alopex ſimul denotat vulpeculam, ſagittario convenientem, ut quam debeat venari. Alopecam ergo convenientiſſimam vocabulo tributam ſibi à ſtructore habebat; revera partem illam ex bove, vel animali alio, quam dixi. SCHEFFER. Nob. Heinſius putat legendum forte *ocypoda* vel *ſcolopacem*. Erycius Puteanus ſcribendum eſſe monuit *otopetam*. vet. Gloſſ. ὠτοπέτης *auritus*, lepus ſic

locustam marinam: super Aquarium, anserem: super Pisces, duos mullos. In medio autem cespes cum herbis excisus favum sustinebat: circumferebat AEgyptius puer clibano argenteo panem, atque ipse etiam teter-

sic Virgilius 1. Georg. vers. 308. *Auritosque sequi lepores.* Et Germ. Phœnom.

Auritum leporem sequitur canis, & fugit ille.

Doctiss. Munkerus in suis ad me literis lubens legeret *dassypoda*, quæ præda optime venatori conveniret; nam pro lepore, & cuniculo (quo sensu hic sumendum esset, quia paullo post, de lepore in medio pinnis subornato, fit mentio) hanc vocem usurpavit Plinius lib. 10. cap. 63. Inter astrorum imagines quas ex antiquo codice vulgavit Grotius, lepus à Sagittario portatur. Firmat hanc quoque conjecturam Germanici Scholiastes: *Nam ut venatorem, scribit, eum aliqua de causa, ita leporem ei ad pedes fugientem finxerunt.* BOSCH.

In quo cornua erant] Scribo: *in qua*, scilicet *locusta*; dicit, ideo Capricorno assignasse locustam, quoniam & ipsa habeat cornua, eaque fuisse relicta in locusta illa, quæ tum apponebatur. SCHEFFER. Illa, *in quo cornua erant*, videntur glossa. GOES.

Locustam marinam] Locustam marinam Capricorno ideo videtur assignare, quod id genus adversis cornibus inter se dimicet arietum modo. Plin. lib. IX. cap. 30. *Locustæ reptantium modo fluitant: si nullus ingruat metus, recto meatu, cornibus, quæ sunt propria rotunditate præpilata, ad latera porrectis: iisdem erectis in pavore oblique in latera procedunt. Cornibus inter se dimicant.* DOUZA F. Glossæ: *Locusta marina* κάμαρος. Cur autem locusta marina Capricorno conveniens, est apud Aristotelem de historia Animal. libro VIII. cap. 11. Μάχονται δὲ οἱ κάραβοι πρὸς ἀλλήλους, ὥσπερ οἱ κριοί, τοῖς κέρασιν, ἐξαίφνης καὶ τυπτόντες. ὁρῶνται δὲ μετ' ἀλλήλων πολλάκις καὶ ἀθρόοι, ὥσπερ ἀγέλη. WOUWEREN. *Locustæ* sunt pisces marini è genere cancrorum, ab illis cauda distantes. Plinius lib. 9. cap. 31. ubi *carabi* dicuntur ex Græco. Glossæ; *Locusta*, κάμαρος. Aristot. de Natur. Animal. lib. 8. cap. 2. Sidon. lib. 8 ep. 12. ubi Savaro in Not. Castronus Cretensis in Lexico secundum stichea; Κάμαρος, *locusta, piscis*, ἰδίωμα. Balbus Catholico; *Locusta, dicitur, quia pedibus sit longis, sicut hasta: unde & eam Græci tam maritimam quam terrestrem astaton appellant.* Vide Robert. Constantinum in supplement. Ling. Lat. ERHARD. V. Nonn. de re cibar. lib. III. cap. 36.

Super Aquarium, anserem] *Anser* veteribus inter ea vocabula, quæ sine præfatione honoris vix nominata, unde infra Petron. cap. CXXXVII. *Occidisti Priapi delicias, anserem omnibus matronis acceptissimum.* Et ideo super *Aquarium* arbitror *anserem* impositum, quod ille non tam aquarius ab aqua pura, quam incesta, Jovis sc. pullus. Plane *Anserem* scorta dicta docet Artemidorus lib. 2. cap. 73. item lib. 4. cap. 85. curque id nomen sortita sint, prodit idem lib. 1. cap. 21. & 17. Gruterus apud Taubmann. ad Plaut. Bacchid. act. 1. sc. 1. ERHARD. Non ideo Aquario adsignatum putem, quia aqua incesta utebantur meretrices, sed quia animal aquaticum, & in summis deliciis & præcipue ejus jecur. v. Nonn. de re cibar lib. 11. cap. 34.

Mullos] Lege *mullos*. WOUWEREN.

In medio favum] Ovid. lib. VIII. Met. vers. 677.

Et de purpureis collecta vitibus uva,
Candidus in medio favus est.

Varro de re rustic. *Favus venit in altaria, & mel ad principia convivii, & in secundam mensam administratur.* PITH. Melli etiam locus in conviviis. Varro lib. II. de poëmat. *Num vides in conviviis ita poni sal & mel.* Apud Nasonem in pauperculæ Baucidis cœnula lib. VIII. Metam. 677.

Candidus in medio favus est. ———

Et sic noster infra, cap. CXXXV.

Hinc mellis stillare favus de caudice lento
Viminea lancis, cumulataque testa Lyæo.

Sic versus mendosissimi videntur in integrum restituendi. HEINS.

Circumferebat Ægyptius puer] Zenobius, Ἐν τοῖς γάμοις ἐθος ἦν ἀμφιθαλῆ παῖδα ἀκόλουθον μετὰ δρυΐνων καρπῶν στέφεσθαι καὶ λίκνον ἄρτων πλῆρες περιφέρειν λέγων, ἴφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. PITH. Æthiops. Festus: *Ægyptiacos, Æthiopas.* Pueri Æthiopes veteribus in deliciis. Auctor ad Herenn. *Ut ab avunculo rogetur Æthiops, qui ad balneas veniat.* Athenæus πᾶσι δὲ λαμπηφόροις παῖδας Αἰθίοπας παρίστησιν. Mart. lib. 4. ep. 42. WOUWEREN. Pueri Ægyptii magno in pretio, Alexandrini potissimum, idque ob dicacitatem. Noster supra cap. XXXI. *Pueris Alexandrinis aquam in manus infundentibus.* Videndus Statius Sylvarum v. in epicedio vernæ. Seneca epist. LXXXIII. *Progymnasias meos quæris? Unus mihi sufficit Pharius puer, at scis, amabilis.* Ubi alii, *Earinus puer*, HEINS.

Clibano argenteo] Furnus mobilis placentis & pani coquendis aptus, alias è testa, ferro, vel ære fiebat. GLOSS. Moschopulus: Κλίβανος σκεῦός τι σιδηροῦν, ἐφ' ᾧ τοὺς ἄρτους ὀπτῶσιν πῦρ ὑποκαύσαντες, καὶ πυρακτώσαντες αὐτόν. WOUWEREN. Erat clibanarius panis facilioris digestionis, quam coctus in furno. Vide Athen. lib. III. & Pollucem. Ferebatur autem ad mensam in ipso clibano, quod omnia calentia, imo ardentia Romanis lurconibus essent gratiora. Sic infra cocus cochleas in craticula fert ad mensam, & potiones dantur ferventissimæ. Sed & inter Medicos antiquos fuere, qui panem, à coctura adhuc calentem, salubriorem statuerent esse, quam pridianum. HEINS. Recte Heinsius notat lautiores solitos esse ardentes &

teterrima voce de laſerpitiario mimo canticum extorquet. Nos, ut triſtiores ad tam viles acceſſimus cibos, [a] ſuadeo, inquit, Trimalchio, coenemus; hoc eſt jus coenae.

XXXVI. [b] Haec ut dixit, ad ſymphoniam IIII tripudiantes procurrerunt;

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS.

calentes cibos, ſimul cum igne, intuliſſe menſis. Hanc luxuriam caſtigat Seneca, Epiſt. LXXVIII. *infelicem! quia non oſtrea illi Lucrina in ipſa menſa aperiuntur, quia non circa cœnationem ejus tumultus coquorum eſt, ipſos cum obſoniis focos transferentium; hoc enim jam luxuria commenta eſt, ne quis intepeſcat cibus, ne quid palato jam calloſo parum ſerveat, canam culina proſequitur*, &c. Vide Caſaubon. ad Athen. lib. 1. cap. 6. panem autem quam recentiſſimum edere, delicati eſſe notat Donatus ad illa Terenti Eunuch. act. v. ſc. 4. *Quo pacto ex jure heſterno panem atrum vocant*, ſcribens, *apparet ſordidum eſſe, & quaſi atrum, durumque panem, qui ex jure heſterno ſit comedendus. Cui contrarium Salluſtius poſuit, de deliciis militum loquens, panes enim in dies mercari, inquit:* & recentiorem ſalubriorem eſſe pridiano docet Nonn. de Re Cibaria, lib. 1. cap. 6. *Clibano* etiam ad ſudores eliciendos uſos docet Celſus, lib. III. de re medica cap. 21. BURM.

Teterrima voce] Lege *tenerrima*, nam Ægyptiaci pueri ſuavitate cantionum commendantur. Martial.

Cantica qui Nili, qui Gaditana ſuſurret. WOUWEREN. Sic antea, *acido cantico*. Falluntur, qui aliter legunt: patet ſiquidem, retinendam veterem lectionem, ex dictione ſequenti, *extorquet*, BOURDELOT. Optime hic *teterrima*, non *tenerrima;* pro ludibrio enim ubicumque ſervorum canticum habet, ut infra cap. XLI. *poëmata domini ſui acidiſſima voce traduxit*. Legendum porro *laſerpitiato domini* (indicante Nob. Nicolao Heinſio) ut condimentum ex laſerpitio intelligatur. BOSCH.

Laſerpitiario mimo] Laſerpitiarius mimus, qui tibiam ex caule, vel radice Laſerpitii habebat voci expurgandæ. GLOSS. Alii *laſerpitio &*, alii *de laſerpicio mineo*. PATISSON. Legendum puto, *de laſerpitiario mimo canticum extorquet; mimus* autem *laſerpitiarius*, qui tibiam ex caule, vel radice laſerpitii habebat voci expurgandæ. *Laſerpitium* enim, ut Dioſcorides ſcribit lib. 3. cap. 94. *veteribus ſaucium ſcabritiis opitulatur, gravem ſubitoque irrauceſcentem vocem dilutum aqua ſorbitione confeſtim expedit*. Eryc. Puteanus epiſt. ad Goldaſtum. ERHARD. Lege, *de laſerpiciario milio*. Hunc locum primi nos ita emendavimus, veritatem ſecuti: nec indignamur, imo favemus, ac plaudimus meliorem lectionem reponentibus. Quis uſus fuerit Laſerpitii, tangit Theophraſt. lib. 6. Hiſt. plant. cap. 3. Dioſcorid. lib. 3. cap. 94. Celſ. lib. 4. Interpretes Catulli. BOURDEL. Varie hic locus ſcribitur in vulgatis, nec à doctis modo eodem emendatur. Nos hanc noſtri lectionem non exiſtimamus contemnendam. Ordo hic eſt: *ipſe extorſit canticum mimo*, quale canticum? *de laſerpicario, teterrima voce. Canticum de laſerpicario*, expono canticum in laudes laſerpicarii. *Laſerpicarium* id, quod eſt conditum laſerpitio. Laſerpitii uſum in cibis fuiſſe creberrimum commendatiſſimumque, docet Caſaubonus pluribus ad Athenæum. Itaque ut laudes aliarum rerum, vini puta, & ſimilium, ſic plane laſerpitii credo cantilena expreſſiſſe, quam proinde mimus iſte debuit cantare. Quamquam, cum nullius mimi ante ſit facta mentio, rectius hæc acceperimus de ipſo puero, cantionem iſtam à ſe extorquente, quoniam cantabat voce teterrima; *extorquente* autem *mimo*, id eſt, geſticulatione quadam. *Mimus enim*, teſte Diomede, *ſermonis cujuslibet motuſque ſine reverentia, vel factorum turpium cum laſcivia imitatio*. SCHEFFER. Verus codex Dalmaticus habet *dela ſerpitiari omino*. Non poſſum dubitare, quin lectio veriſſima ſit, *de laſerpitiario vino*. Argumentum cantici fuit vinum, laſerpitio conditum, quod hic vocat *laſerpitiarium*. *Mimi* locus hic eſt nullus. At de Vino canebat apte, qui circumferebat panem. IDEM. Vir doctus legendum putat, *vino*, veriorem tamen illuſtris Viri emendationem exiſtimo: quamquam apud Columellam hujus mentionem exſtare non ſum neſcius, lib. v. de R. Ruſt. cap. IX. *Nos exiguum ad modum* (de malo Punico ſerendo loquitur) *laſeris vino diluimus, & ita cacumina arboris ſumma obſevimus, ea res emendabit acorem malorum*. Locum ideo in medium protuli, ut ex illo alteri medicinam facerem, extanti lib. de Arborib. cap. XXIII. ubi de eodem iiſdem fere verbis: *Nos exiguum ad modum* (ſic ſcribendum, non junctim, *admodum*, ut perperam hactenus in vulgatis) *laſer Cyrenaicum vino diluimus, & ita cacumina arboris ſumma oblevimus, ea res emendavit acorem malorum*. Mallem hic, *emendabit*, ut priore loco ipſe Columella, quem locum ſic emendandum eſſe probavit eruditiſſimus Wilhelmus Goeſius, ſpectatiſſimum illud Senatorum decus. BOSCH. De Laſere, ſive Silphio vide copioſe agentem Illuſtrem Spanhemium de uſu & præſt. numiſm. diſſert. VI. ſectione 1.

Minio] Lege *mimo*. Scaliger ex v. C. WOUWER.

Extorquet] Alii, *intorquet*. TORN. *extorſit* Tragur.

Hoc eſt in cœnæ] V. C. *jus cœnæ*. Unde ſcribendum conjicio, *hoc eſt hujus cœnæ*, hoc eſt, quod in cœnam nobis hic jam apponitur. GOES. *In cœna* Tragurianus, *in jus cœnæ*, ex vetere codice Britannico, legit Palmer. ſpicileg. p. 718. ut dicimus *in panem*.

Ad ſymphoniam] Juvenal. Sat. v. verſ. 120.

Structo-

rerunt, ſuperioremque partem repoſitorii abſtulerunt, quo facto, videmus infra, ſcilicet in altero ferculo, altilia, & ſumina, leporemque in medio pinnis ſubornatum, ut Pegaſus videretur. Notavimus etiam circa angulos repoſitorii Marſyas IIII, ex quorum utriculis garum piperatum

Structorem interea, nequa indignatio deſit,
Saltantem ſpectes, & cheironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magiſtri
Omnia: nec minimo ſane diſcrimine refert,
Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur. PITH.

Percurrerunt] Lege, *procurrerunt.* TILEBOM. *Procurrerunt*, habent editi. Ego temere nil muto: nam & infra noſter cap. LII. *Ille dimiſſus circa menſam percucurrit. Percucurrerunt*, eſt, *cucurrerunt.* SCHEFFER.

Videmus infra, ſcilicet in altero ferculo] Legendum *ferculo.* Supra cap. præcedenti *laudationem ferculum inſecutum eſt.* Primum ſcilicet, ſub quo erat alterum iſthoc. Romani namque vetuſtiſſimi, ut modo dictum, epulas magnificas binis ferculis diſtinguebant, non ſingularibus patinis, ut perperam exiſtimavit Stuckius, ſed patinarum ſtruicibus. Eam frugalitatem Cato prædicat: cujus ævo jam tum luxuriæ rictu Martis marcebant mœnia. De Auguſto ſcribit Sueton. cap. 74. *Cœnam trium ferculis, aut, cum abundantiſſime, ſenis, præbebat, ut non nimio ſumtu, ita ſumma comitate.* Ergo *ferculum*, quod hodie in Aulis *Ein gang. Primum ferculum, der erſt Gang. Alterum ferculum, der ander Gang.* apud plebejos etiam *ein Auffſtall.* Ex quo patet, quantula particula tantum de luxurioſiſſima iſta Trimalcionis cœna ſuperſit, quippe cujus præter guſtationem & bina iſta fercula nihil reliqui habeamus. Numeroſa autem fuiſſe appoſita haud dubie credentibus perſuaderi facile poteſt, & Salisberienſis omnem ſcrupulum eximit. ERHARD.

Sumina] Venter ſuillus infra umbilicum cum uberibus in deliciis Romæ olim habitus. GLOSS. Non ultimum hæc locum inter delicias habere oſtendit Nonnius lib. II, de re Cibaria. capit. 4.

Marſyas] Marſyæ, perſonæ ſeu ſigilla, ex quorum roſtris aut alia corporis parte aqua ſalire ſolet, varie efficta: in fontibus & puteis Putealia appellantur. GLOSS. Puto intelligendum de perſonis ſeu ſigillis, quorum mentio apud Ulp. lege 17. §. 9. D. de action. empt. & vend. Quæ perſonæ ſeu ſigilla, ex quorum roſtris aut alia parte corporis aqua ſalire ſolet, varie efficta. Aut enim Marſyas fingebant, uti hic, aut Satyros, unde in Gloſſ. *Silvanus, fons, tubus.* Feſtus *Silanus* ſcribit, quem vide in *Tullios*, & Celſ. lib. 2. cap. 19. aut Atlantes, de quibus eſt apud Martial. lib. 6. epig. 77. aut Chirones, de quibus Juven. Satyr. 3. aut Hermas. Cicero ſæpe epiſt. ad Attic. Juven. Sat. 8. Lege autem in Petronio, *ex quorum veretillis*, aut, *veretriculis.* Nam ſigilla in fontibus, & puteis, quæ putealia appellantur, ita fieri videmus, ut ex eorum roſtris aut verendis aqua fluat. Hujuſmodi ſigna in theatro fuiſſe ad ſparſiones croci, colligere eſt ex his Lucani lib. 9. verſ. 809.

Utque ſolet pariter totis ſe effundere ſignis,
Corycii preſſura croci. ——

Niſi quiſpiam aſſerat, Marſyas in modum aſcalarum effigiatos fuiſſe. WOUWEREN. Romani dupliciter ducebant aquam, aut per ſubterraneos cuniculos, aut opere arcuato. In his vero aquæ ductibus erant quædam receptacula, *caſtella* dicta, eaque ut plurimum plumbea, leg. 38. §. ult. D. de action. emt. ex quibus ad omnes viarum anfractus aqua per uncias, & digitos dividebatur; quique iſtiuſmodi caſtellis præerant, *caſtellarii* dicebantur. Præterea ubi aquæ per hos cuniculos ita ductæ ad ſalientes, hoc, eſt lapides, ſive lapideas perſonas, perveniſſent, tunc ex illis per roſtra, verenda, aut aliam partem corporis in terram, vel ciſtam lapideam ſaliebant. Quæ perſonæ, modo *Marſyæ*, modo *Satyri*, modo *Atlantes*, modo *Hermæ*, modo *Chirones*, modo *Silani*, ſive *Tullii*, vocabantur: leg. 17. §. 8. & 9. D. de act. emt. Feſtus in *Tullios*, Juvenal. Satyr. 3. & 8. Corn. Celſus, lib. 2. cap. 19. Martial. lib. 6. epigr. 77. Petron. hic, Jacob. Cujacius lib. 2. Obſerv. cap. 2. & lib. 13. cap. 3. Joh. Heringius de Molendin. quæſt. 6. num. 27. 28. 29. & de Jure Burgor. §. 4. n. 32. Vide quoque Mouchemberg. Argenid. continuatæ part. 2. lib. 7. cap. 2. WEITZ. Potuit Trimalchio has figuras exprimere ad ſimulitudinem Tulliorum & Silanorum, de quibus agit abunde Wouwerius. Sed quia hæc cœna libera erat, forte ſimul elegantis ſtultitiæ homo ad ſtatuas Marſyæ reſpexit, quæ in liberis urbibus in foro conſpiciebantur, libertatis indicium facientes. Servius ad Virgil. III. Æn. verſ. 20. *Apud majores, aut ſtipendiariæ erant, aut fœderatæ, aut liberæ civitates. Sed in liberis civitatibus ſimulachrum Marſyæ erat, qui in tutela Liberi patris eſt.* Et ad lib. IV. Æn. verſ. 58. *Pater Lyæus apte urbibus libertatis eſt Deus, unde etiam Marſyas, miniſter ejus, per civitates in foro poſitus, libertatis indicium eſt, qui erecta manu teſtatur, nihil urbi deeſſe.* Alia autem iſta Marſyæ ſtatua fuit Romæ ad roſtra, de qua Horatius lib. 1. Sat. VI. Senec. de benef. lib. VI. cap. 32. quæ ibi neſcio quo caſu poſita, nihil ad lites & judicia faciebat, aut aliquid ſymbolici continebat, ne quidem, ut litigator temerarius exemplo pœnæ, Marſyæ irrogatæ, deterreretur à contendendo. Nam ſtatuam illam à cauſſidicis, & illis, qui cauſſam obtinuerant, coronatam fuiſſe, ſine ulla auctoritate dici puto. Neque corona illa, quam ejus ſtatuæ detraxit Munacius, teſte Plinio lib. XXI, cap. 3. alia fuit, atque

tum currebat ſuper piſces, qui in Euripo natabant. Damus omnes plauſum

que illa Juliæ, ex more ſatis noto meretricum, quo Priapum & alios Deos coronabant. Libertatis vero indicium fuiſſe ideo negare, quia neque Athenis, neque in aliis liberis civitatibus conſpiciebantur, mihi videtur infirmum, cum non loquatur Servius de talibus rebuſpublicis, ſed de illis, quæ armis ſubjectæ, neque in provinciæ formam redigebantur, neque tributo onerabantur, ſed libertatem & αὐτονομίαν conſequebantur, de quibus egregie egit Illuſtris Spanhemius, de uſu & præſtant. numiſm. diſſert. IX. ſect. 7. Sed has ſtatuas diverſas fuiſſe puto ab illis, quibus detracto corio exponebatur, vel jam ligatus & pœnæ proximus Marſyas, qualem videre eſt in tomo prim. Antiquit. Græcar. & in gemmis veterum; & quale Celænis fuiſſe narrat Herodot. lib. VII. cap. 26. ubi ſola cutis fuit ſuſpenſa, conformata in utrem, ut verba Herodoti innuunt, id eſt, ita ſuſpenſa, ut interior, quæ vacaret carne & oſſibus, utris vice poſſet fungi; non vero erat pellis illa expanſa, ſed tamquam ſaccus & uter ſuſpenſa. Nam licet ἀσκὸς pellem notare poſſit, non tamen puto extenſam pellem, hominis excoriati ita vocari poſſe, ſed recte, ſi ita ſit ſuſpenſa, ut interius utris formam habeat, & talem fuiſſe hanc pellem Marſyæ docent præter Herodotem auctor de fluminibus, Plutarchus vulgo habitus, in Marſya, &, qui iiſdem verbis utitur, Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. v. 321. ſed hæc ſigna Silenorum etiam formâ Marſyas expreſſiſſe puto: nam & Marſyas Silenus vocatur à Pauſania lib. I. cap. 24. & Herodoto d. l. & forte tibiis canentes efficti Marſyæ, quia omnia hic ad ſymphoniam fiebant. Qualis Mantineæ fuit, in baſi ſtatuæ Latonæ & ejus liberorum, teſte Pauſan. lib. VIII. cap. 9. & lib. X. cap. 30. ubi ejus merita recenſet. Potuerunt & Satyrorum formis hi Marſyæ fuiſſe, nam hi ſæpe à Poëtis confunduntur, & Satyrum *Marſyam* vocat Ovidius VI. Metam. 385. & Plutarch. de fluminibus p. 36. dicit ex Marſyæ ſanguine Satyros fuiſſe natos. Nam tales ſtatuas in privatorum domibus ad delicias poſitas fuiſſe docere poteſt Celſus lib. III. cap. 18. ubi agit de inſania, qua Phrenetici ſomnum capere impediuntur. *Conſert etiam aliquid ad ſomnum Silanus juxta cadens, vel geſtatio poſt cibum & noctu, maximeque ſuſpenſi lecti motus.* Ubi quidam legunt *ſaliens juxta cadens*; ſed *Silani* erant tales aquarum projectiones, quos & *Tullios* vocabant, *Silani* dicebantur, quia per ſtatuas ita projiciebatur aqua, ſive per veretrum, ſive per aliud membrum. *Silani* autem & *Sileni* & *Satyræ* & *Marſyæ*, ejuſdem generis ſtatuæ erant, & ita in notis Tyronis pag. CLXXI. inter Panes, Faunos & Satyros *Silanus* quoque reponitur. Et hinc in Gloſſis *Silanum* ὕδριον, melius legeretur *Silanus*. ὕδριον autem aquulam, id eſt, talem proſilientem aquam notare ibi videtur. Vide Keuchenium ad Frontin. de aquæduct. p. 378. & ita in lege XVII. §. 9. ff. de act. empt. perſonas, ex quarum roſtris aqua ſalire ſolet, interpretatus eſt Cujacius lib. XI. obſ. 2. & XIV. 13. BURMAN.

Utriculis] Vet. *inſiculis*, non, *utriculis*. Pith. alii *interulis*. PATISSON. Alii *ex quorum interulis aquatum currebat*. MS. *ex quorum interculis garum piperatum currebat*. TORNÆS. *Interculis* MS. *interulis* alii. Joſ. Scaliger ad Leid. cod. oram ſcripſerat *veretriculis*, ingenioſe. BOSCH. *Veretriculis* alii. Apulejus in Apologia *veretillum* dixit. HEINS. Non moverem *utriculis*, per quos videtur inferioris ventris partem intellexiſſe, quæ & *aqualiculus* dicebatur. v. Caſaubon. ad Perſ. Sat. I. verſ. 57.

Garum piperatum] Condiri ſolitum aromatis aliiſque, pro ratione cibi. GLOSS. Alii, *quarum*. alii, *aquarum*. PATISSON. Quid *garum*, dividiæ inter ſcriptores. Strabo lib. 3. Dioſcor. lib. 2. cap. 11. Artemidor. lib. I. ἔστι γὰρ ἄλλο ὁ γάρος, ἢ σπυρίδιον. probe vero Manil. lib. 5. verſ. 671.

Hinc ſanies precioſa fluit, floremque cruoris
Evomit, & miſto guſtum ſale temperat oris.

Seneca ep. 96. *Garum, precioſam malorum piſcium ſaniem.* Cur *precioſam ſaniem* vocarint, Plinius docet lib. 31. cap. 3. hinc Martialis, *nobile garum & faſtoſum. Garum* autem *piperatum*, quia condiri ſolitum aromatis aliiſque pro ratione cibi videtur, nam in Gloſſario legitur ἑλόγαρον *Oleum & liquamen*. WOUWEREN. Vid Nonnium de Re cibaria lib. III. cap. 44.

Piperatum] Colloq. Scholaſt. col. VI. ἴδε εἰ ἔχεις πεπερᾶτον.

Super piſces] Garo piſces conditi. Lucian. Aſin. λόπαδας, ἰχθῦς τινὰς μὲν γάρῳ καὶ ἐλαίῳ κατακειμένους, Horat. Sat. 8. lib. 2.

Aſſertur ſquillas inter murænaque natantes;
His miſtum jus eſt oleo, quod prima Venaſri
Preſſit cella, garo de ſuccis piſcis Iberi.

addo & ova. Martial.

——— *ſcombri temperet ova liquor.* WOUWER.

In Euripo] In latiore repoſitorii ſeu patinæ fundo poſiti. GLOSS. De Euripo & ejus fluxu Plinius, Strabo, alii: ab eo quemvis rivum Euripum vocat Plin. lib. I. Epiſt. 3. nam & lacus ſeu foſſæ, quibus ad munimentum arena circumdata, Euripi. Suet. Cæſ. cap. 39. Tertull. adverſus Hermog. *Civitas exſtruxit theatrum, ſcena erat talis, & ſtatuæ ſuper Euripum*, &c. Ita feſtive Petr. *Euripum* appellavit, latiorem repoſitorii ſeu patinæ fundum. WOUWEREN. Sidon. carm. 22. ver. 208.

Fuſilis Euripus propter: cadit unda ſuperne
Ante fores pendente lacu, venamque ſecuti
Undoſa inveniunt nantes cœnacula piſces.

Eſt ergo Euripus, ductus & conceptaculum aquarum, ita uſurpant Cicero, Vitruvius lib. 7. cap. 5. Frontinus

sum à familia inceptum, & res electissimas ridentes adgredimur. Non minus & Trimalchio ejusmodi methodio laetus, [a] Carpe, inquit. [b] Processit statim sciſſor, & ad symphoniam ita gesticulatus laceravit obsonium, ut

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS.

nus de Aquæduct. lib. 2. Ammianus lib. 22. *Vetus inde fons Euripis prægelidus.* Savaro Not. ad Sidon. Recte ergo Hesychius. ἐυριπος, ἐκχὴ τῶν ὑδάτων. ERHARD. Tragur. *quicunque Euripo natabat.*

Damus plausum] Horat. lib. 1. Od. xx. vers. 3. *datus in theatro cum tibi plausus.* BARTH.

Res electissimas] Apul. lib. x. Metam. *Partes electiores surripuit.* Idem paulo post. *partes electibiles comparere nusquam.* Plaut. Mostel. act. III. sc. II. v. 41.

Vino & victu probo, piscatu electili.

In eadem fabula, act. 1. sc. 1. vers. 43.

Neque tam facetis, quam tu vivis, victibus,

repono ex V. C. Florentino: *Neque tam selectis.* WOUWEREN. Cibos. Juven. XI. vers. 130.

Convivam caveo, qui me sibi comparat, & res
Despicit exiguas. ——

Publius.

Bonarum rerum consuetudo pessima est.

Non aliter hoc exponendum, quod crux fuit nupero Criticorum perduelli. BARTH. Recte cepit Barthius, quem & vide Adversar. VI. cap. 17. Phædr. lib. IV. fab. 7.

Hæc cum tentaret, si qua res esset cibi.

Memoriæ vero, credo, vitio Pricæus ad Apuleji x. Milesior. pag. 614. citat *res electibiles*; longe ab ista barbarie fuit elegantissimus Arbiter BURM.

Methodio] *Methodus*, id est, fictio, seu ludificatio: vel *metodio*, id est, interjecto cantico. GLOSS. Alii *methodo*. PATISS. *Methodio, transitu.* TORNÆS. Lege *metodio.* μετωδίῳ, id est, interjecto cantico. WOUWER. Hunc integrum locum sic puto posse legi, *Non minus Trimalchio latus, ejusmodi methodio Carpe, inquit.* Methodium in *Carpe*. *Methodium* & *Methodum* explicat Scaliger ad Ausonium Epigrammate in Theonem. Sed ibi Scaliger Ausonium corrumpit, nam pro *methodo* Scaligeri retinendum est *metocho*, ut in MSS. & editione Vineti. Sententia Satyrici satis rotunda, sed verba, si verum amamus, neutiquam. BOURDEL. In notis Tyronis, pag. 173. *methodia* inter ludi genera recensentur, uti monuit Cl. Munkerus. HEINS.

Carpe, inquit] A carpendo carpus, unde & carptores apud Juvenalem Sat. 9. vers. 110. *librarius, archimagiri, carptores.* Ubi Scholiastes, *Infertores, qui illata carpunt.* Infertores ab inferendo, unde & fercula, sive fericula. HEINS. *Carpere* proprium huic rei verbum esse docuit Passeratius ad Propert. II. eleg. 5. pag. 267. Captatus autem jocus ex nomine proprio *Carpi*, quod fuisse olim quibusdam hominibus impositum, docent antiqui lapides apud Malvasiam in Marmor. Fellin. cap. VI. pag. 419. Ubi duo *M' Cornelii Carpi* memorantur. Et cap. VII. pag. 422. *T. Flavius Carpus*: & apud Gruterum plurimi, ut ex indice cuivis potest patere. Et Johannes Sarisber. de nugis curialium lib. V. cap. 17. meminit *Publii* vel *Publici Carpi*, quem ignorabilem hominem Barthius in Sarisberiensi non potest illustris sententiæ auctorem ferre, sed corrigit *Publius seu Carpus*, & ad Publium Mimum, & hunc Carpum sciſſorem nostri Trimalchionis alludi putat. Vide eum Adversar. VII. cap. 5. Cæterum, an non hoc in frigido joco, ex ambiguitate nominis captato, Claudii imperatoris stultum acumen liceret colligere. Nam Sueton. in ejus vita cap. 21. dicit, *eum immiscuisse interdum frigidos & arcessitos jocos, qualis fuit, cum Palumbum postulantibus, daturum se promisit, si captus esset.* Populus Palumbum gladiatorem postulat, ille, quasi de ave ageretur, si captus esset, respondit. BURM.

Sciſſor] Scindendi obsonii magister. GLOSS. Juvenali Sat. 5. vers. 121. *Cheironomon* vocatur.

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, & Cheironomonta volantis
Cultello. —— BONGARS.
Scindendi obsonii magister. Senec. Mart.
Unguentum fateor bonum dedisti
Convivis here, sed nihil scidisti. PITH.

Clemens Pæd. lib. III. cap. 2. Φεύγοντες γὰρ ἀυτεξουσίαν, καὶ ἀυτοδιακονίαν, ἐπὶ τὰς δεσπότας καταφεύγουσιν, ὀψοποιῶν καὶ τραπεζοποιῶν, καὶ τῶν ἐντίχνως εἰς μέρος κατατεμνόντων τὰ κρέα. Lucianus, περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Τεμνομένῳ μὲν γὰρ ἐν τῷ μέσῳ σὺς ὑπογαστρίῳ χρὴ ἐκ παντὸς τὸν διαιμοντα ἰλλὸν ἔχειν. Ubi perperam vertunt, *structorem.* WOUWEREN. *Scissor*, quem post *Carpum*, Juvenal. *carptor*, qui, ut Sidonius, eumdem *cheironomanta* cur dixerit Sat. 5. vers. 122. indicat hic locus Petron. & alter Senecæ Epist. XLVII. *Cum ad cœnandum discumbimus, alius sputa detergit, alius pretiosas aves, per pectus & clunes certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit.* Eos ipsos *diribitores* Apul. lib. 2. Lipsius Saturnal. lib. 2. cap. 2. cumque secutus Titus Popma de Oper. servor. verbo, *structores.* Quos perstringens Jos. Mercerus de *chironomis* hunc ad modum scribit. Translati isti artifices à theatro ad convivium, ubi ad numerum saltarent, & moverent sciſſorium illum gladium; quod Petron. hoc loco dixit, *ad symphoniam gesticulatus lacerabat obsonium.* Imposuit viro magno locus Juvenalis, quasi *structor* dictus fuisset etiam *Chironomon.* At in eo scriptum est, *Saltantem & Chironomonta* συναυλίαν, non structorem & chironomonta: quod nomen Carpo huic Petroniano non magis adstruit Juvenalis ille locus, quam Sidonii ille alter, quem addit, *Inter Apicios & Byzantinos chironomontes.* Nam & ibi nihil

ut putares essedarium hydraule cantante pugnare. Ingerebat nihilominus Trimal-

aliud, quam saltantes. Not. ad Aristænetum lib. 1. ep. 26. eidemque subscribens Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 1. epig. 39. num. 1. Juvenalis verba imitatus est Joh. Salisberiensis lib. 1. cap. 4. *Suum habet opificem chironomonta joculanti cultello.* Balbus Catholico: *chironomonta joculator quilibet, qui manibus suis ludit movendo eas cum cultellis. Invenitur & in eodem sensu chironomon, qui dictus est joculator proprio nomine, quasi per excellentiam leccacitatis & joculationis.* ERHARD. Senec. de Brevit. vitæ. cap. XII. *Quam suspensi sint, quomodo aper à coco exeat, quanta celeritate, signo dato, glabri ad ministeria discurrant: quanta arte scindantur aves in fruſtra non enormia.*

Ita gesticulatus] Pith. *gesticulatus, ita.* TORNÆS.

Ut putares essem Darium] Suspicabar scripsisse, *ut putares Bessum in Darium hydraule cantante pugnare.* Notum est ex Curtio Bessi facinus. *Bessus*, ait, *& cæteri facinoris ejus participes vehiculum Darii assecuti, ira accensi tela injiciunt in Regem, multisque confossum vulneribus relinquunt.* Huc alludisse videbatur, plane sicut Martialis lib. XI. ep. 32. in Cæcilium allusit ad Thyestæ fabulam in re simili, ubi ait:

Atreus Cæcilius cucurbitarum
Sic illas, quasi filios Thyestæ,
In partes lacerat secatque mille.

Verum suadet Cl. Gronovius, *ut putares essedarium*, pro *essem Darium.* Id quod vehementer placet, propter additum *hydraulem*, cujus nescio an sit locus satis in lectione altera idoneus. SCHEFFER. *Essedarium* ex conjectura Gronovii. Infra etiam, cap. XLV. *mulier essedaria* exhibetur in arena. Alludi autem videtur ad spectaculum, illa tempestate exhibitum in arena, quo essedarii ad numerum decertabant. Ad tibiam Sybaritæ equos erudierant. De Laconibus quid simile veteres narrant. Vid. Val. Max. Cæterum Essedarii primo in arena exhibiti videntur à D. Julio post apertas Britannias. Britannici enim moris erat, ex essedo pugnare. HEINS. Hujus generis gladiatores tempore Claudii frequentes fuisse, docet Sueton. ejus vita, cap. XXI. vide & in Vita Calig. XXXV. sed quid scissori cum essedario? puto, ideo eos inter se componi, quia summa essedarii ars erat in agilitate & celeri mobilitate, quam in veris essedariis eleganter describit Cæsar, lib. IV. de Bell. Gall. cap. 33. *Mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in præliis præstant; ac tantum usu quotidiano & exercitatione efficiunt, ut in declivi, ac præcipiti loco incitatos equos sustinere, & brevi moderari ac flectere, & per temonem percurrere & in jugo insistere, & inde se in currus citissime recipere consueverint.* Sic ergo scissor mira mobilitate totius repositorii partes agili manu percurrebat, & quasi ad symphoniam artificiosas manus movebat; huc spectat & locus iste Senec. Epist. XXIX. varie à viris doctis vexatus, *Ostendet mihi lepidum Philosophum Aristonem, qui in gestatione disserebat, hoc enim ad edendas operas tempus acceperat. De cujus secta cum quæreretur Scaurus, ait, utique Peripateticus non est. De eodem cum consuleretur Julius Græcinus, vir egregius, quid sentiret: non possum, inquit, tibi dicere: nescio enim quid de gradu faciat, tamquam de essedario interrogaretur.* Ubi Gruterus notat codices eodem modo, ut hic Tragurienſis, exhibere hanc vocem divisim scriptam *esse dario*, sed eo dicto Græcinus nihil aliud indicare voluit, quam se non posse judicare de Aristone molliter in Essedo suo cubante & differente, ut neque de gladiatore, dum adhuc gestatur in essedo, sed ubi cominus ventum est, & ille statu præliantis composito agilitate summa admirationem omnium in se convertit, tunc posse de Essedario judicum ferri. Nam *gradus* propria vox est Gladiatoribus, quæ statum pugnandi notat, & gradus erat præcipue ex illis, quibus tam miles, quam Gladiator æstimabatur, ut egregie eruditissimus Gronovius observavit ad Senec. Agamemn. vers. 515. vide & Gebh. ad Corn. Nepot. Themistocl. cap. 5. & ad Petronium infr. cap. LXXX. adnotata. *de gradu* autem est, postquam *gradum composuit*, quod Aristo numquam faciebat, sed in essedo suo quietus manebat, nec in schola vel porticu cum adversariis congrediebatur. Ita *de via, itinere* dici docuit idem Gronovius ad Liv. XXVIII. 7. *de prandio* Plautus Mostell. de *sanguine* Virgil. II. 662. & similia. BURM.

Hydraule] Hydraules, qui organo isto Musico, in decursu aquæ sonum reddente, canit. GLOSS. Organario. PITH. *Organario*, explicant voce sequioris ævi, quæ apud Firmicum lib. IV. cap. 7. & alibi occurrit, sed cave capias de illis, quæ nostris, quorum usus in templis, similia sunt. Quomodo enim talia instrumenta in arenam possent deduci, & Essedarium pugnantem, & vage discurrentem comitari. Intelligit enim Tibicinem, qui fistula, cujus canales aqua implebantur, canebat, & Essedarium quasi classico incendebat, cujus inventor Ctesibius Alexandrinus fuit: vide Salmas. ad Solinum pag. 449. Et hinc in glossis *Fistularius* ὀργανάρι⟨ος⟩, & *Fistula* ὄργανον, & hanc respicit Venantius in hymno de resurrectione Domini vers. 29.

Hinc Philomela suis attemperat organa cannis,
Fitque repercusso dulcior aura melo.

Quod male Buchnerus explicat de organis, qualia hodie in templis sunt; cum sensus Poëtæ sit, novo vere Philomelam suum cantum associare fistulis pastoritiis: non enim dici potest luscinia organis in templis positis accinere. Et nos hic Ultrajectinæ amænitatis conscii & participes, scimus, quam adhuc hodie per hydraulica hæc instrumenta, lucro sordidissimo inhiantes homines, luscinias decipere & capere callide noverint, & quam facile, ad sonitum organi

talis

Trimalchio lentissima voce, Carpe, Carpe. Ego suspicatus, ad aliquam urbanitatem toties iteratam vocem pertinere, non erubui eum, qui supra me accumbebat, hoc ipsum interrogare. At ille, qui saepius ejusmodi ludos spectaverat, [a] Vides, inquit, illum, qui obsonium carpit? Carpus vocatur. Itaque quotiescumque dicit, Carpe, eodem verbo & vocat, & imperat.

XXXVII. [b] Non potui amplius quidquam gustare; sed conversus ad eum, ut quam plurima exciperem, longe arcessere fabulas coepi, sciscitarique

a CONVIVA. *b* ENCOLPIUS.

talis aquarii, minime vafræ aves possint in fraudem illici. Quare & edictis publicis securitati aviculæ ad dulcedinem & delicias humanas natæ in hac civitate diligenter cautum est. Venantii verbis non absimilia sunt Fulgentii Mytholog. lib. 1. pag. 10. *Nam me avium quædam vernilitas, quæ fragili quadam dulcedine crispantes sibilos corneis edunt organulis.* Cæterum in conviviis luxuriosis hydraulica admissa docet etiam Sidonius, lib. 1. epist. 2. de Theodorico, *sane intromittuntur, (quamquam raro) inter cænandum mimici sales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur: Sic tamen quod illic nec organa hydraulica sonant, nec sub Phonasco vocalium concentus meditatum acroama simul intonat; nullus ibi Lyristes, Choraules, Mesochorus, tympanistria, psaltria canit;* ad quem locum vid. Eruditissimi Savaronis notas. Sed, quod propius nostri auctoris tempora notat, narat Suetonius cap. 41. Neronem in summo periculo *diei partem per organa hydraulica novi & ignoti generis circumduxisse*, quæ etiam nummi à Patino adducti demonstrant, & quæ Tristanus, tom. 1. p. 218. erudite explicuit, & ostendit illa non dissimilia hodiernis organis, quibus in templis utimur. BURM.



Ingerebat] Elegans hujus vocis usus, quo sæpius repetere, &, quasi non audirent aut animadverterent præsentes, solemus geminare eadem verba, unde postea dicit *toties iteratam vocem*. Ita capio infr. cap. 140. *Anus floris exstincti, filium filiamque ingerebat orbis senibus.* Id est, sæpe eorum mentionem faciebat, sæpe dicens, se habere pulchrum filium, & filiam, ut orbos senes captaret. Claudian. III. de Rapt. Proserp. vers. 220.

Prima Venus campos Hennæaque rura maligno
Ingerit affatu; vicinos callida flores
Ingeminat, meritumque loci, velut insita, quærit.

Ubi Heinsius *Affatu* ex suis codicibus præfert. Paulum alio sensu, sed non plane abhorrente, Senec. 1. de benef. cap. 12. *Ingrati quoque memoria cum ipso munere incurrit, ubi ante oculos est, & oblivisci sui non sinit; sed auctorem suum ingerit & inculcat.* Apulej. v. Metam. *& imprimens oscula suasoria, & ingerens verba mulcentia, & jungens membra cohibentia.* BURM.

Lentissima voce] Apud Ramirezium in Hypomnemat. ad Martial. lib. 1. ep. 51. legitur *tentissima*. an legendum *leniissima*? Sed illud magis congruit imperanti, cujus vox esse solet clara, & intentior, seu vehementior. ERHARD.

Carpe] Elegantius Tragurienses codex geminat vocem *Carpe, Carpe.*

Aliquam urbanitatem] Ita meus, sed addendum, *ad aliquam*, ut habent editi. SCHEFFER. To *ad* abest à Traguriano libro.

Vides illum] Capite sequenti, *Vide, qui in imo imus recumbit.*

Carpus] Idem fere quod scissor, quod allata carpit, id est, lacerat; aliter, archimagirus, item Chironomanta. GLOSS. Juvenal. Sat. 9. *Archimagiri, Carptores.* Comment. *Insertores, qui inlata carpunt.* WOUWEREN. Similis plane lusus est in *Mistylli* nomine apud Martialem, quod Æmilianus coco & scissori suo imposuit, ut, quoties vocaret cocum, imperaret etiam, ut secaret vel scinderet obsonia. Videndus Ramirez Hypomnemat. ad Martial. lib. 1. ep. 51. ERHARD.

Plurima] Tragur. *quampluria.*

Exciperem] Vide supra, cap. 38.

Longe arcessere fabulas] Elegans loquendi genus. Ita infra, cap. 139. *Cum diu mecum esset locuta, & me arcessito sermone lassasset.* Senec. 1. contr. 6. *Buteo longe arcessito colore usus est.* Suet. Claud. 21. *Immistis interdum frigidis, & arcessitis jocis.* Apulej. lib. 1. Metam. princ. *Jam hæc equidem ipsa vocis immutatio desultoriæ scientiæ, stilo, quem arcessimus, respondet.* Et ita legendum apud Justinum, lib. IV. cap. 4. *Legatos mittunt,*

tarique: quae esset illa mulier, quae huc atque illuc discurreret: [a] Uxor, inquit, Trimalchionis, Fortunata appellatur, quae nummos modio metitur. Et modo, modo quid fuit? Ignoscet mihi Genius tuus, noluisses de manu illius panem accipere. Nunc nec quid, nec quare, in coelum abiit,

[a] CONVIVA.

qui sordida veste, capillo, barbaque promissis, & omni squaloris habitu ad misericordiam commovendam arcessito, concionem deformes adeunt. Ita enim fuisse in editis olim Schefferus testatur, qui male fluctuat, ut & Clarissimus Grævius. *Arcessere* omnia illa dicimur, quæ adfectamus, & aliunde petimus, quæ neque naturalia, neque propria, & ordinaria nobis sunt, ita venuste *arcessitus somnus*, qui vino & ebrietate paratur. Propertius lib. III. eleg. XV. 13.

Quod si, Bacche, tuis per servida tempora donis
Arcessitus erit somnus in ossa mea.

Quod autem noster dixit *arcessere fabulas*, hoc Terentius Eunuch. act. III. scen. III. dixit *sermonem quærere*. Eodem modo, ut Celsus lib. III. cap. 18. dixit *multa frictione somnum quærere*, quem Propertius *arcessitum* dixit: quæsita enim eadem, quæ arcessita. Vid. infr. cap. 119. vers. 10. *arcessitam commendationem* egregie Plinius lib. XIII. cap. 1. dixit de unguentis, quibus homines emendant & *exstinguunt ingluvie natum virus*. BURM.

Tabulas] Lego *fabulas*. EMMIUS.

Huc atque illuc discurreret] Senec. in Apocolynth. *Hercules enim, qui videret ferrum suum in igne esse, modo huc, modo illuc cursabat*. BURM.

Nummos modio metitur] Modio dimensa dicuntur, quæ large copioseque præbentur. GLOSS. *Modius*, mensuræ genus maxime capax, unde in proverbii consuetudinem venit, ut modio dimensa dicantur, quæ large copioseque præbentur. Auct. Pompa. Conjectan. in Varron. ERHARD. Ita Annibal apud Cannas per Romanos annulos cædes suas modio metiebatur. Florus lib. 2. cap. 6. Orosius lib. 4. cap. 16. Plinius lib. 33. cap. 1. Val. Maximus lib. 7. cap. 2. Augustinus de Civit. Dei lib. 3. cap. 19. Ideoque apud Lucian. idem jactat, se uno die tot Romanos interfeciisse, ὥστε τὰς κεφαλὰς αὐτῶν μεδίμνοις ἀπομετρῆσαι. Hinc Plaut. Prolog. Menæchm. vers. 14.

Nunc argumentum vobis demensum dabo,
Non modio, neque trimodio, verum ipso horreo.

De *modio* adi eruditissimi Waseri lib. 2. de Antiq. mensur. Hebræor. cap. 1. sect. 1. & cap. 4. sect. 5. & seq. WEITZ. Lucian. Dialog. meretric. pag. 537. Τὸ μὲν γὰρ ἀργύριον μὴ ὁ ἀριθμῶν ἄγειν αὐτὸν, ἀλλὰ μεδίμνῳ ἀπομεμετρημένον πολλοὺς μεδίμνους. *Nam argentum quidem adferre ipsum dicebat, non ad numerum, sed ad mensuram multos videlicet modios.* Ubi vide Bourdelotii notas, & Erasmum in proverbio *modio dimetiar.* pag. 471. & Abrahamum ad Ciceron. II. Philipp. cap. 38. BURM.

Et modo quid fuit] Tragurienſis codex & *modo, modo quid fuit?*

Genius tuus] Apul. in Apolog.

Carmina dono tibi, serta tuo genio. BARTH.

Nunc nec quid nec quare] *Quoique ce soit, & de quelque cause que cela vienne.* BONGARS. Epigramm. ἀγαπῶμαι. τὶς ὁ, καὶ ἧς, καὶ πῶς, ἢ θεὸς οἶδε μόνος. &, τοῦ ἐκ τινος, ἢ ποτε καὶ πῶς, ἐκ οἶδα. PITH. Lege *Nunc nequit negari, in calum abiit.* Hoc dicit, ante fuisse pauperculam, nunc beatam, & quasi in cœlo collocatam, ipsumque adeo maritum Trimalcionem ex lubidine sua ludificari. Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 14. Gerræ Siculæ. Huic, *in cœlum abiit*, confine est, *in cœlo est*, pro eo, quod est supra modum fortunatum esse, ac glorioſum. M. Tullius ad Attic. libr. 2. Epist. 19. *Bibulus in cœlo est, nec quare scio: sed ita laudatur, quasi unus homo nobis cunctando restituat rem.* Idem alibi ad eundem: *Si vero, quæ de me pacta sunt, ea non servantur, in cœlo sum.* Erasm. in Chiliad. adag. Vide infra ad illa verba, *in cœlo positum ad inferos traheres.* ERHARD. MS. Dalmaticum, *nunc necquid*, &c. Mihi totus locus ita videtur legendus, *nunc vero quid? nec quare, in cœlum abiit.* Fingit interrogantem, at quid nunc est, quantum ejus mutata fortuna? Respondetque, non opus est, ut diu quæras, verbo dicam, abiit in cœlum; facta est tam magna, dives, ac beata, ut Diis ipsis sit similis. Illud, *nec quare*, admodum est elegans, occurritque longiori dubitationi, plane sicut & Germani solent: *frage nicht einmahl, du bedarfſt nicht zu fragen.* SCHEFFER. Elegans formula, qua videntur præfati fuisse, quum rem dicturi essent, quæ nec opinantibus evenerit. Mox assentior Lipsio, scribenti, *Trimalchioni τὰ πάντα est.* Consule Epist. Quæst. lib. 3. ep. 2. BOSCH. Lege *nec qui, nec quare*, id est, nec quo modo, nec quam ob causam, nempe scio, *in cœlum abiit*, sive pro Dea habita est Trimalchioni. GOES. Varie hæc sollicitant viri docti. Marcilius ad Horat. I. Satyr. 1. legit *nunc nec scit.* Sed vulgatam recte defendit Barthius ad Statii lib. 1. Thebaid. vers. 181. & Adversar. XLII. cap. 24. credo autem hanc locutionem fuisse proverbialem de homine, qui præter meritum ad fortunam pervenit. Nam & Cicero fere in eumdem modum lib. 11. ad Att. epist. 19. Quem locum & Erhardus adduxit. Locutio vero illa frequentissima Latinis scriptoribus, *in cœlum abiit*, nihil aliud notat, quam summam felicitatem. Infra capite 132. *hoc de te merui, ut me in cœlo positum ad inferos traheres.* vide Barthium ad Statii lib. III. Thebaid. vers. 155. &

Clau-

abiit, & Trimalchionis tapanta est. Ad summam, mero meridie si dixerit illi tenebras esse, credet. „ Ipse nescit quid habeat, adeo zaplutus „ est;

Claudian. lib. IV. de Laudib. Stilic. sive bello Getico. vers. 341. BURM.

Tapanta] Τὰ πάντα, omnia. GLOSS. Locus valde mendosus, forte legendum Græce, ἐν τῷ παντὶ, id est, omnino, omni ex parte, ut loquuntur Græci. EMMIUS. *C'est son fac totum.* BONG. Alii *hierophanta.* PATISS. Heliodor. Æthiop. lib. VII. Ἐμοὶ γάρ τοι τῇ δεσποίνῃ τὰ πάντα. καὶ μόνον ἐκ ἀναπνεῖ μὲ καὶ ὁρᾷ, ἀλλὰ καὶ νῦς ἐκείνη, καὶ ὦτα, καὶ πάντα τυγχάνω. Achill. Tat. de Amor. Leucipp. lib. 5. Ὡς πάντα νομίζειν ἐκείνην αὐτῷ. & libro octavo: Ὀδὲ γύναιον ἔτον πάντα ἑαυτῷ γίνεται, δῆμον, βουλὴ, πρόεδρον, στρατηγός. Ovid. Epist. XII. vers. 161.

Deseror (amissis regno, patriaque, domoque)
Conjuge, qui nobis omnia solus erat. PITH.

Quinctil. *Principes in Cæsaris amicitia agunt, fueruntque cuncta.* Lucian. Περὶ τῆς Περιγρίνε τελευτῆς. Προφήτης, καὶ ξυναγωγὸς, καὶ τὰ πάντα μόνος αὐτὸς ὤν. & ἑταῖρ. διαλ. Ἀνὴρ, δεσπότης, πάντ' ἦν ἐγώ. WOUWER. Valeat cum *Sycophanta* alter. Lipsii lectio probissima τὰ πάντα est. Ejus exemplis ista adjice. Auson. Grat. Act. *senatus, curia, unus mihi omnia Gratianus.* Plin. Paneg. *omnia pariter ac statim facta.* Heliodorus lib. 7. Lucianus ἑταῖρ. Διαλ. Achilles Tatius lib. 5. Lucan. lib. 3. *Omnia Cæsar erat.* Prosper contra Ingratos,

——— *Dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi*
Omnia ———

Macrob. 3. Sat. II. *At hic vester, flamen, & pontifex, & omnia.* Paterculus lib. 2. *Id unum dixero, quam ille omnibus omnia fuerit.* Sic Trismegistus etiam in Pocmandro. ERHARD. Lege *Sycophanta*, ex iis, quæ modo diximus. Schoppius d. loco, vel, *hierophanta.* Is. Pontanus in Macrob. lib. 2. cap. 3. Nugæ. Lege, *Trimalcionis τὰ πάντα est.* Varro Sesqui-Ulysse; *Hic omnia erat, item sacerdos, prætor, parochus.* Demosthen. πᾶν ἐκεῖνον ἦν αὐτοῖς. Lucian. καὶ οἱ πάντα Κόμμαν ὄν. Lipsius epistol. quæst. lib. 3. ep. 2. *Topanta, das fac totum*, ut Germanicum verbum habet. ERHARD. Lege, *topanta est, scio. ad summam.* TILEBOM. Lege, *Trimalchioni τὰ πάντα est*, quomodo apud Livium lib. XL. cap. XI. *Demetrius iis unus omnia est.* In vetusto marmore apud Gruterum, pag. LXXXII 2. TE. TIBI. VNA. QVAE. ES. OMNIA. DEA. ISIS. ARRIUS. BALBINVS. V. C. Apud Apulejum non dissimilia de Iside. Sic & marmor exstat pag. I. 3. PANTHEO. AUG. SACRVM. Quasi Augustus Cæsar suo sub numine Deos omnes complecteretur. HEINS. Sine dubio hæc vera lectio, multis à Barthio, tam hic, quam ad Claudian. lib. 1. in Eutrop. vers. 22. illustrata, neque opus est Græcis literis exprimere, cum hic homo de media plebe, illa voce, ut Latina, utatur, eodem modo ut & hodie nullum, etiam ultimæ sortis hominem, ignorare videmus, quid sit *fac totum*, quo hanc vocem reddidere eruditi. Vide præterea Gudium ad Phædr. lib. III. fab. 19. & Boxhornium ad Lampridi Antonin. Diadumenum, cap. 1. &, qui omnibus antiquior, Victorium lib. XXIII. variar. cap. 14. quorum observationibus accedat locus Luciani in Tyrannicida, pag. 695. Καὶ πάντα ὁ παῖς ἦν αὐτῷ, καὶ ἐκείνῳ ἐπίκειτο. *Et filius ipsi erat omnia, & filio parebat pater.* Theocrit. Idyll. XIV. vers. 44.

Ἃ δὲ Λύκῳ νῦν πάντα, Λύκῳ καὶ νυκτὸς ἀῴκλαι.
Illa vero nunc Lyco est omnia, Lyco etiam nocte patet.

Et Euripidis Oreste vers. 730.

——— Τί πράσσεις, φίλτατε, ἡλίκων ἐμοὶ
Καὶ φίλων, καὶ συγγενείας; πάντα γὰρ τάδ' εἶ σύ μοι.
Quid agis charissime meorum æqualium
Et amicorum, & cognatorum, tu enim mihi & ista omnia.

Quem, ut in plurimis aliis, expressit Ovidius loco à Pithœo jam adducto, ex epistola Medeæ. BURM.

Mero meridie] Titinnius apud Nonium in *delicere. Quod ea parasitus habeat, qui illum sciat delicere, & noctem facere possit de die.* SCIOPP. Contra Plaut. Bacchidib. act 4. sc. 4.

CH. Quid dixit? MN. si tu illum solem, sibi solem esse dixeris,
Se illam lunam credere esse, & noctem, qui nunc est dies. ERHARD.

Quid habeat] Quam dives sit. Eleganter isto sensu *habendi curam* dixit Phædrus noster in præf. lib. III. & Seneca *syngraphas* vocavit *vacua habendi simulacra*, VII. Ben. 10. SCHEFFER. Vide Cl. Græv. ad Cicer. VII. ad famil. ep. 29.

Saplutus] Puto scribendum: *adeo sane Plutus est.* Plutum posuit pro cœco. Notum illud, ὁ τυφλὸς πλοῦτος: & vide Lucianum, itemque Aristophanem. Eleganter tamen, *Plutum*, quia Plutus simul auri largitor, atque opum. Adde Phædrum nostrum, lib. 4. cap. 2. Est itaque ludus in ambigua significatione Pluti, quia & divitem significat, & cœcum. Clarissimus Gronovius volebat, *Zaplutus*, à Græco Ζάπλουτος, *valde dives*, & hoc proximum scripturæ divulgatæ. Quamquam sit in Glossis Tulli Tyronis, *Saplutus*, sensu parili, ut credo. v. p. 158. SCHEFFER. Ζάπλουτος, multum dives, alii jam monuerunt. Ζαπλούτια, *multum ditescere.* HEINS. minime dubitandum de hac voce. Hesychius, Ζάπλουτος, πλούσιος πάνυ, & occurrit apud Euripidem in Andromache vers. 1282. & Pollucem lib. III. cap. 20. ut Lexicographi animadverterunt. BURM.

„est; sed haec eupatria providet omnia, &, ubi non putes, est. Sicca, sobria,

Lupatria] Locus admodum vitiosus; puto tamen scribendum: *sed hac lupa ebrio providet omnia, &, ubi non putes, est. Sicca*, &c. *Lupam* vocat per convitium Fortunatam; ait, *providere omnia*, hoc est, curare. Quomodo est apud Vellejum, *providere supplementum*, l. II. c. 130. & apud Cæsarem, *providere rem frumentariam* lib. VI. B. G. Dicit autem, facere hoc, *ebrio* Trimalcione, dum ipse poculis indulget; denique esse, ubi nemo putet, industria videlicet, provisione, inspectione. Respicit, quod antecessit, *huc atque illuc discursare*. SCHEFFER. Sunt ista de Fortunata Trimalcionis uxore; convitio hic dici *lupam* non feram; commendatur enim ejus οἰκωρία pariter ac cap. LXVII. Legam igitur *eupatria*; nimirum laudat eam, quasi à natalibus, ut alto sanguine cretam: quam alias Græci εὐπατρίειαν dicunt. *Philo de libert.* Ἀμφιθαλεῖς καὶ τῷ ὄντι εὐπατρίδας adpellat, ὧν ὁ γονεὺς μόνον ἀλλὰ καὶ πάππος, καὶ πρόγονοι μέχρι τῶν ἀρχηγετῶν καὶ πρὸς ἀνδρῶν καὶ πρὸς γυναικῶν ἐπιφανέστατοι γενόμενοι. *Arrianus lib. 4. Epictet. cap.* II. Πάντων τῶν εὐπατριδῶν καὶ πλουσίων ἀταραχώτερον διάγω, καὶ ἐυρύτερον. REINES. Hadrianides, qui se reddere nobis bona fide MS. Dalmaticum gloriatur, contra eam scribit *Eupatria*, unius Reinesii secutus auctoritatem. Cum tamen in sequentibus ipse agnoscat Reinesius, non convenire cæteris, cum sublata dicatur de Mactrilla, non debere illud *Eupatria*, nisi per antiphrasin, intelligi. At quid opus antiphrasi, nonne æque commode lupa dici potuit. Nam si cæteræ laudationi ejus non potuit obstare, quod diceret, *modo quid fuit? noluisses de manu ejus panem accipere*. Cur *lupæ* obstet vocabulum, cum præsertim joco ita dici potuerit, sine proposito convitiandi. SCHEFFER. Non dubito, quin legendum sit, *lupa trita*. Juvenal. Satyr. IX. *Uda terit inguina barba*. Noster cap. XXIV. *Clunibus eum basiisque distrivit*. GOES. Nollem Scheffero & Goesio hanc mulierem, quæ quidem in trivio concepta & educata stercore erat, sed tamen laudatur à diligentia rei familiaris, Lupam visam fuisse; quia scilicet codex Tragurienſis *Lupatria* exhibet. Quid enim faciilius, quam E in L transire? servat idem decorum Petronius, &, ut hominem vilem induxerat Græcarum literarum scientiam adfectantem, cum suo *Tapanta*, & *Zaplutus*, ita idem nunc *Eupatriam* vocantem per Ironiam exhibet ultimæ sortis fœminam. Εὐπατρίδαι enim apud Athenienses erant, qui apud Romanos Patricii, unde in Glossis hæc vox vertitur per *Patricios*. Et ut ibi tres ordines, Patriciorum, Equitum, & Plebis erant, ita apud Athenienses Εὐπατρίδαι, Γεώμοροι, & Δημιοργοὶ, ut ex Polluce, Dionysio, & aliis docuit Perion. de Græcor. & Roman. Magistratibus lib. I. & Meursius in Theseo, cap. XVIII. *Eupatriam* autem vocat non *Eupatrida*, à Græca voce Εὐπατρίεια, quam Suidas explicat καλὸν πατέρα ἔχουσα. Unde hoc epitheto ab Homero Helena & Tyro ornantur, & Apollonio Rhodio, lib. I. vers. 570. Diana εὐπατέρεια dicitur, ubi Holzlinus putat, eas hoc nomine designari, quarum pater erat matre clarior. Sed & Δικὴ sive Astræa πάρθενος Εὐπατέρεια vocatur in lepidissimo epigrammate; lib. II. Anthol. cap. XL. quo Macedonius defendit Poëtas, qui pecuniam ob carmina sua accipiebant, & quibus fere alii expertes hujus suavitatis musicæ invidere, & sanctissimos viros calumniari & traducere solent, quasi sola spe nummorum magnatum laudes componere soleant. Hæc certe virgo matre Themide nobilissima edita fuit, sed à patre, quia fere stemmata deducuntur, hæc quoque appellatio fuit derivata. Comparans ergo sordidissimam hanc fœminam cum Homericis Heroinis, egregie irridet. Nisi sub hac voce lepidum præterea scomma latere voluerit doctissimus Petronius, & obscuram simul ejus originem indicare, quam nunc beata, & diviti libertino nupta, omni modo dissimulabat, ut solet id genus hominum, ubi ad fortunam perveniunt, etiam antiquis se imaginibus, quas numquam habuerent, jactare. Nam & inter Athenienses *Eupatrides* vocabantur illi, qui αὐτόχθονες, & terræ filii credi volebant, eodem innati solo, non advenæ, ut Justinus lib. II. 6. memorat; & ita in glossis etiam Εὐπατρίδης αὐτόχθων redditur, & hoc docet Scholiastes Sophoclis ad Electram, ad dictum Suidæ locum ab Eruditissimo & diligentissimo Neocoro adductus. Eupatriam ergo, id est, veram terræ filiam & ignotis parentibus ortam, eruditissime indicat, voce plebi usitatissima, qua primarias mulieres desigrabant. BURM.

Ubi non putes, est] Ita Plautus Amph. III. sc. 3. *jam hic ero, cum illic censebis esse me*. SCHEFFER. Legendum utique, *& uti non putes*. GOES.

Est sicca] Ita Lucilius Sat. VI. ut testatur Nonius, voce *Abstinemus*.

Lanificam dici, siccam, atque abstemiam, ubi audit. SCHEFFER.

Interpretatur semet ipsum. *Siccos* madidis Plautus, vinosis opponit Tullius.

Siccaque de lana cogitat usque sua.

Apud Naſonem, lib. II. Art. am. vers. 686. puella rebus Veneriis abstinens. Et,

Proposuit siccis omnia dura Deus.

Apud Horatium, lib. I. od. 18. & idem lib. IV. od. 5.

——— *Dicimus integro*
Sicci mane die, dicimus invidi. HEINS.

Illud *sobria*, ut irreptitium ex marginali glossa, hinc plane expellendum est. Recte enim dixeris, Fortunatam esse *siccam bonorum consiliorum*, id est, bonorum consiliorum inanem, ut apud Virgilium, *siccum sanguine guttur*, quod naturali suo sanguine destituitur. Unde recte dixit Nonius, *siccum dicitur aridum & sine humore*; sic itaque Fortunata sicca, arida & inanis bono-

„ſobria, bonorum conſiliorum. Tantum auri vides; eſt tamen malae „linguae, pica pulvinaris: quem amat, amat: quem non amat, non „amat. Ipſe Trimalchio fundos habet, quam milvi volent, nummo-„rum

bonorum conſiliorum. At non ita dixeris, eam eſſe *bonorum conſiliorum ſobriam*. Sobrius enim, etſi non ſit madidus neque uvidus, non tamen naturali humiditate deſtituitur. GOES. Fuit, cum arbitrarer *Sobria* ex Gloſſa irrepſiſſe, quod nunc diſplicet, cum legam apud Senecam Epiſt. XVIII. *Ebrio & vomitante populo ſiccum & ſobrium eſſe*; non tantum, ſed & Epiſt. CXIV. *Ingenium ſiccum & ſobrium*. Item de vita beata cap. XII. *Voluptas Epicuri quam ſicca & ſobria ſit*. IDEM. Pro abſtinente a vino quin ſumi poſſit, nullus dubito; nam ita apud Horatium IV. od. 5. opponuntur *ſicci* uvidis, & apud Cicer. IV. Academ. 27. vinolentis, & ita paſſim apud Plautum. Sed cum *ſobria* adjiciatur, quæ vox eamdem fere ſignificationem habet, an non ſuſpicari liceret, convivam hunc ambiguo vocabulo etiam pudicitiam ejus laudare; nam, cum mulieres olim, ut notiſſimum, poſt coitum aqua ſe lavarent, & ita, quæ raro ſe pure haberent, frequenti aqua madidæ eſſent, ſicca etiam dicit poteſt pudica. Ita Martialis lib. XI. epig. 82. de quadam, quæ contra ſpem & votum ſicca erat.

Cum ſene communem vexat ſpado Dindymus Aglen,
Et jacet in medio ſicca puella toro.

Et ita capere poſſimus verba Plauti, Milit. act. III. ſc. 1. 192. quæ exercent interpretes:

PE. Lautam vis, an quæ nondum ſit lauta? SA. ſiccam, ſuccidam,
Quam lepidiſſimam potes, quamque adoleſcentem maxume.

vult ſiccam, id eſt, quæ non diu quæſtum occeperat, & nondum ſæpe madefacta fuerat frequenti coitu; ſed ne intelligeret ejus verba pater, quaſi macram vellet, addit *ſuccidam*, vel ſucci plenam, lepidam & adoleſcentem. BURM.

bonorum conſiliorum] Antiquum marmor in opere Gruteri, pag. DCII. 5. *C. Vergilius. Martanus. Colonus. Agri. Cali. Ænei. Anulenæ. Certæ. Colonæ. Agri. SS. anorum* XXII. *Cojugi. Cojugali. Caſtæ. Caræ. Bone. Piæ. Fideli. Dulci. Care. Amantiſſimæ. Deſideratiſſimæ.*

Sodaliciaria. Conſili. Boni. B. M. HEINS.

Ita contra Terentius Andr. act. III. ſcen. 5. *quandoquidem tam iners, tam nulli conſilii ſum*. Datames vero a Nepote cap. 1. dicitur *vir maximi conſilii*. BURM.

Tantum auri] Præceſſiſſe aliqua hic cenſeo. SCHEFFER. Hæc ſunt nihili. opinor, *tantum uni fides*. Huic uni credit omnia. Tacit. Hiſt. II. c. XXXIII. *Otho, cui uni apud militem fides, dum & ipſe non niſi militibus credit*. Vel, quod malo, *tantum in auri* (pro *in aure*) *huic uni fides*. Vide quæ infra *de ſervis auriculariis*. HEINS. Non dubito ſcriptum fuiſſe, *tantum auri providens*. Convenit enim cum hoc, quod modo præcedit, de eadem illa, *nummos modio metitur*. Hic ſcilicet recte proſpicit, cætera bonorum conſiliorum, ſicca & inanis, vel, ut Plautus loquitur, Pſeudolo I. IV. *Quoi non parata gutta certi conſilii*. GOES. Nec deeſſe quidquam, nec mutari debere puto, ſed hæc verba non ſuo loco poſita à librario, & referenda infra hoc modo, *tantum auri vides, nummorum nummos*, &c. Recte autem cohærent *bonorum conſiliorum, eſt tamen malæ linguæ*, &c. BURM.

Malæ linguæ pica] *Picam* vocat Fortunatam ob garrulitatem; *malæ linguæ*, ob traducendi & convitiandi ſtudium. De garrulitate notum vulgo, itemque ex Martiale, Plinio, & aliis, qui *loquacem picam garrulamque* vocant. SCHEFFER. Hæc ita diſtinguenda ſunt, ut linguoſam, πρόγλωσσον, & maledicam fuiſſe intelligas; tum ſolitam de pulvino concionari. Picæ humana voce loquentes caveis tenentur; iſta ſedens in pulvino παραιρέιτουσα jurgando & nugas garriendo totos dies conſumit. REINES. Hanc avem garrulitatis ſymbolum, & ideo Baccho ſacratam, quia præ nimio vino omnia effutiunt ebrii, cenſet Pierius Valer. Hieroglyph. lib. XXIII. cap. 16. Quid illud *pulvinaris* ſit, fateor me ignorare, niſi ad garrulitatem, quam inter cœnandum pulvino ſuo incumbens, graviter exercet, referendum ſit. BURM.

Pulvinaris] Valde mihi hoc ſuſpectum. Nec enim cohærent, *pulvinaris pica*. Puto illud *naris* ſeorſum oportere ſcribi. Reliquum alii excogitent. SCHEFF.

Quem amat, amat] Plebejo hoc ſermone idem indicatur, quod Publius Syrus egregie de vehementi in utramque partem mulierum affectione ait:

Aut amat, aut odit mulier, nil eſt tertium. BURM.

Qua milvi volant] Legendum eſt, *quam milvi volant*. Illud *quam* eſt *quantum*. Scholiaſtes vetus ad illud Perſii, Sat. IV. verſ. 25.

——— *arat Curibus, quantum non milvus oberret:*
Secundum, ait, *proverbium: quantum milvi volant. Quam*, pro *quantum* poſuit optime. Terent. in Hec. IV. ſc. 4. *turbent porro, quam velint*. Donatus eo loco: *Quam non eſt generis ſeminini, ſed eſt, quantum*. Reperitur eadem locutio apud Ciceronem etiam, & alios. SCHEFFER. Ecce aliud proverbium è media plebe. Fuit cum arbitrarer ſcribendum eſſe, *qua milvi vix volant*, ex illo Perſiano Sat. IV.

Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret,

Nunc vulgatæ lectioni inhæreo, *qua* pro quantum. Scholiaſtes Perſii ad illa, *Licini campis, fundos quantum milvi volant*. Juvenalis Sat. IX.

——— *Tot milvos intra tua paſcua laſſos.*

Ubi ſcholia antiqua: *ut nec milvi ea transvolare poſſint*. HEINS.

„rum nummos: argentum in hoſtiarii illius cella plus jacet, quam quiſ-
„quam in fortunis habet. Familia vero babae! babae! non me-Hercules
„puto decumam partem eſſe, quae dominum ſuum novit. Ad ſummam,
„quemvis ex iſtis babaecalis in rutae folium conjiciet.

XXXVIII.

HEINS. Ego ſcriptum arbitror: *quaqua milvi volant. quaqua*, ut *ubi ubi*, *quo quo*, &c. Nam non in una regione fundos Trimalchio poſſidebat, ſed quocumque ſe converteret, ſuos ille habebat. Unde ipſe illos cap. 49. commemorat in ſuburbanis, Sicilia, Africa. Actuarius etiam cap 53. adjicit prædium Cumanum, & hortos Pompejanos. GOES. *Quam* Scheffери præfero, pro *quantum*. vide Heinſii notas ad Claud. lib. 1. in Europ. verſ. 65. & ad Valer. Flacc. lib. 1. verſ. 173.

Nummorum nummos] An hæc gloſſa ejus, quod ſequitur, *argentum?* num potius fœnus ingens denotant? SCHEFFER. Inepte. Scribo, *nummorum cumulos*. Curtius de Perſepoli capta, lib. v. *aurum argentumque cumulatum erat*. Alii *acervos*. HEINS. Statilejus in apologia mavult *nummorum modios*.

Argentum in oſtiarii illius cella plus] Bene *argentum plus*, id eſt, amplius, majus, copioſius, adjective. Ita Lampridius in Alex. Sev. cap. 41. *Et quum argentum in miniſterio plus ducentis libris non haberet*. Florus IV. cap. 2. *ut non recte tantum civile* (bellum) *dicatur, ſed potius plus, quam bellum*. Bellum plus, quam bellum, eſt majus, pejus. Vide infra. SCHEFFER. Servando argento armarium vulgo erat deſtinatum, Plautus Epidico II. III.

——— *Ex occluſo atque obſignato armario,*
Decutio argentum tantum, quantum mihi lubet.

Sic patresfamilias frugi & rebus ſuis conſulentes; ſecus illi, quos copia rerum ſuarum minus fecit ſatagentes. Quod & notavit Seneca III. de ira III. *Lubet intueri fiſcos in angulo jacentes*. Et de tranquill. animi cap. 1. *Divitiis per omnes angulos diſſipatis*. GOES. Eodem modo Virg. 3. Æn. dixit, *multum lacrymas fundit*. v. Egregii Broukhuſii notas ad Propert. 2. eleg. 16. verſ. 8.

Non me Hercles puto decimam partem familiæ eſſe, quæ dominum ſuum novit] Luxus vel inſaniæ hanc ſpeciem, quod ſervos multos poſſidere beatudini imputarent, Græcis Romaniſque familiarem deſcriptam lege apud Athen. lib. VI. extremo. C. Cæcilius Claudius Iſidorus, etſi bello civili multa perdidiſſet, ſervorum quatuor millia centum ſedecim relinquere teſtamento ſuo edixit. Plin lib. XXXIII. cap. X. Etiam deplorat L. Seneca lib. VII. de Benefic. cap. X. *O miſeſerum, ſi quem delectat familia bellicis nationibus major*. Et Conſolat. ad Helv. cap. XI. *ſervorum turbam, quæ, quamvis magnam, domum anguſtet*. Parens autem Controv. IX. *Non me delectant*, inquit, *ignoti domino ſervorum greges, nec ſonantia laxi juris ergaſtula*. REINES. Seneca controverſia IX. vide etiam Epitomen Controverſiæ V. lib. V. ejuſdem. HEINS.

Ad ſummam] Sic in editis ſupra cap. XXXI. *Ad ſummam ſtatim ſcietis*. Senec. VII. Ben. 13. *Ad ſummam, puta, cum captus eſſet, me pecuniam mutuatum*. SCHEFFER. Familiare habet hoc, cum claudere vult ſermonem, & præmiſſis cumulum addere, repetit cap. LXXI. Plin. lib. 5. ep. 6. *In ſumma*. Marc. Empir. cap. 9. *ad ſummam*: itaque Sen. ep. 31. Græci τὸ δὲ ὅλον. Theophr. 2. hiſt. plant. cap. 1. ὅλως Ariſtot. 2. Rhet. Lucian. in bis accuſ. item καθόλου, τὸ τελευταῖον, συνελόντι, ἐν ἐπιτομῇ. REINES.

Babaecalis in rute ſolium conjiciet] Suſpicor, ſcripſiſſe noſtrum, *babae! ſatis in*, &c. *Satis*, eſt *bene*. Ita Phædrus noſter IV. cap. 23. *ſatis profecto retudi ſuperbiam*. Terent. III. Adelph. 3. *Si ſatis cerno, is berde eſt*. Cl. Gronovius cenſet, *babæcalos* eſſe hauſtos ex Arnobio Salmaſiano lib. IV. ubi *babæcali adoleſcentes* memorantur pro libidinoſis, à βάξαξ, vel potius βιξάζω. Illud, *conjicere in rutæ ſolium*, proverbii habet ſpeciem, & notare obſequium ſervorum videtur, quali in ſpatium minimum cogi contrahique poſſint; quale occupat rutæ folium. Pari ſenſu etiam in ſequentibus repetitur. Idem Gron. *rutæ ſolium* formatum alluſione ad μεταλλικὸν, ſed errore convivantis pro πέταλον ἐλαίας, quod eſt apud Diodorum lib. XI. cap. 8. dictum *rutæ ſolium* exiſtimat. SCHEFFER. Etiam hic contra fidem Hadrianides edidit, *Bacelis*. Non poteſt eſſe dubium, quin in ſumma iſta familiæ multitudine ſimul ſummum ejus obſequendi ſtudium noſter attollat: huc vero nihil faciunt *Baceli*, qui per convitium ita dicuntur. IDEM. Loquitur de familia Trimalcionis, quam caram habeat. An legendum *babaculis*, ut ſervos ſic adpellet in flore ætatis, formato nomine diminutivi Latini modulo, è Græco Βάβαξ, quod & Βάβης; quæ ſervilis adpellatio eſt apud Polluc. lib. 5. cap. 5. Verior lectio, *berbeculis*; berbex, vervex, ψελλικὸν, pro homine ſtupido. *Berbeculi adoleſcentes* apud Arnob. lib. 4. ſunt ventri penique dediti. *Babaculos*, quos *Salmaſius* ἀπὸ τῦ βιξάζειν dictos ſupponit, non emam titivillitio. Vide quæ dico ad cap. LXVII. Proverbialem ῥῆσιν, *in rutæ ſolium conjicere*, interpretor de molli curatione, indulgentiaque, & diligenti cuſtodia: quaſi dicat, ita caros habet famulos ſuos, adeoque curat tenerrime, ut *rutæ* foliis (nos *roſam* adhiberi diceremus) involvere, & in ſubſtratis collocare quemvis ex iſtis non dubitet. Capiunt hæc lucem, & reddunt viciſſim iſtis Martial. lib. XI. ep. 32. ubi Cæcilii cujuſdam, qui è cucurbita, re vili, & inter eſcas plebis, varios cibos, & diverſi generis

XXXVIII. „ Nec est, quod putes, illum quidquam emere; omnia do-
„ mi nascuntur: lana, credrae, piper, lacte gallinaceum, si quaesieris, inve-
„ nies.

neris fercula, imitantia dapes delicatas & sumtuosas, pro amicis paraverat, unumque assem tot ferculis impenderat, tenacitatem & sordes irridet, addens tandem:

Hinc cellarius experitur artes,
Ut condat vario vafer sapore
In rutæ folium Capelliana.

Exquisita illa scitamenta & multiformes cupedias, quæ è paupertina cucurbita doctissimo coco exiissent. REINES. Quæ de rutæ folio dixi necdum displicent. Nam, quod Reinesius existimat, agere convivam de Trimalchionis charitate erga famulos, ut rutæ foliis, ceu rosæ, substratis eos collocare non dubitet, nullo modo potest convenire. Præcedit quippe, *puto non decimam partem esse, quæ dominum suum novit.* Si tot servi ignorarunt dominum, quot contra dominum putamus ignorasse servos? unde ergo illa charitas in ignotos, & à se partem maximam non visos? sed & contrarium constat ex cap. XLVII. & LII. Ad postremum, toto hoc loco memorantur facultates Trimalchionis, opes, potentia: ad quæ quo pacta possit pertinere illa charitas? at vero servorum obsequia non parum ea declarant. SCHEFFER. De *babæcalis* nos infra cap. 67. *Sic nos babæcali despoliamur. In rutæ folium conjicere*, proverbii loco est, redigere ad angustias. De quo & infra cap. LVIII. *Nec sursum nec deorsum non cresco, nisi dominum tuum in rutæ folium non conjeci.* Exstat & apud Martialem similis loquendi modus lib. XI. Ep. XXXII. HEINS. Ego opinor *Bacelis*, id est, fatuis, stultis. Ita Glossæ βάκηλος, *Barbo*, *Barosus*. Sed scribendum *Baro*, quæ vox apud Cic. IX. ad fam. epist. ult. pro stulto ponitur; vide, quæ ibi viri eruditi adnotarunt, & ad nostrum infr. cap. 53. & 63. Suidas βάκηλον magnum quidem, sed stultum notare ait, unde & proverbium βάκηλος εἶ; de quo vide Schott. ad Zenob. Centur. I. 62. & Suid. Cent. IV. 7. Iidem Scriptores notant & hac voce spadones & effæminatos signari, qua ratione & hic posset accipi; agit enim de immensa multitudine servorum, qui quotannis in contuberniis suis prolem fœcundam, & vernaculam turbam domino suo proferebant. Sed ait illum non curare hanc copiam, quin quemvis ex istis mulierosis in rutæ folium conjiceret, id est, medicamentis steriles faceret, hanc enim vim rutæ esse docet præter alios Plinius lib. XX. cap. 13. unde & πήγανον Græci dixerunt à πηγνύειν τὸ σπέρμα, quod coagulet sperma. hoc medicamine ergo faciet illos βακήλους, id est, ineptos veneri. v. Etymolog. in βακήλους. vid. infr. ad cap. 41. & ita ostentabundo & glorioso Trimalchioni conveniebat, qui fastidiose de illa copia servorum loquitur, quasi nimia sibi quotannis proveniret vernarum multitudo. BURM.

Omnia domi nascuntur] Et hoc proverbii locum obtinebat apud veteres. Senec. Ep. XXIII. *Nolo tibi deesse lætitiam, volo illam domi tibi nasci.* Recte autem *domi*: Nam & apes Atticæ & oves Tarentinæ curam requirebant maximam, & ideo domi plerumque alebantur à lautioribus. De ovibus Tarentinis Columella lib. VII. cap. 4. *Raro foris, plerumque domi alitur id pecus.* causas ibidem pluribus exsequitur. HEINS. Recte Heinsius proverbii speciem hanc locutionem referre notavit. Cicer. I. ad Attic. Epist. 19. *Quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem, cum hæc domi nascantur.* Idem II. in Verr. cap. 2. de Sicilia. *Ut, quidquid ex se posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostræ conditum jam putaremus.* Celsus de re medica lib. II. cap. 18. *animal quadrupes domi natum.* Eo alludit Terent. Adelph. Act. III. scen. IV. *domi habuit, unde disceret.* Et sæpe Plautus, v. Taubman. ad Milit. Glor. Act. II. scen. II. vers. 38. ubi egregia exempla habet. Sisenna apud Charisium lib. II. Instit. Gramm. pag. 175. *Proin dato aliquid, quod domi habebis, inquit, quod tibi non magno stabit.* BURM.

Lana: credræ: super] Lege *lana, cedria, piper.* TILEBOM. Quid est, *credræ?* Scribo absque distinctione, *lanæ erithræ.* De his lanis vide Columellam lib. VII. cap. 2. & Plin. lib. VIII. cap. 48. ubi preciosissimas, & ex Asia petitas scribunt. SCHEFFER. Lego, cum venia, *lana, poledræ.* Prædicat magnificentiam & nobilitatem domini, quod esset ἱπποτρόφῳ, & aleret in prædiis suis præter greges ovarios equitium in sobolem; Latino B. dixere *equaritiam, stodium, stuedium, stotariam* è Germanico *Stuteren.* Poledrus, pullus equinus, est in Legis Sal. t. 44. in Alemann. t. 73. §. 7. poledrus anniculus vel bimus. Polletrus in Wesegoth. l. 8. t. 4. §. 5. E Græco πῶλος unde & nostrum, *Foblen, Fullen.* Conatus sum; fortassis nihil extrico. REINES. Dixi, *lanæ erythræ* legendum videri. Mallet Reinesius, *poledræ*, ut signentur greges equorum. Mihi non persuadet. Scilicet de rebus peregrinis rarisque sermo est hoc loco, quod apparet ex pipere & lacte gallinaceo. Dicit, ea, quæ ab aliis è regionibus longe dissitis petuntur, Trimalchionem omnia habere nata domi suæ. At cui nasci equos domi suæ, quam possit habere admirationem? Longe minus istuc quadrant *cretæ*, quas in textum etiam assumsit Hadrianides contra MSS. fidem. Cretarum enim vulgatissimus in iis locis semper fuit usus, neque peregre accersebant. SCHEFFER. *Ceræ* scribendum confirmant subsequentia de Tarentinis arietibus, & apibus Atticis. HEINS. *Credræ* Tragurienses. Munker. ad Hygin. fab. 138. conjiciebat *cedriæ*, quæ est resina ex cedro, sed tamen Heinsianum *ceram* approbat. Hadrianides *creta* præferebat, quod bonus ille Gallus

„ nies. Ad ſummam, parum illi bona lana naſcebatur, arietes à Taren-
„ to emit, & eos curavit in gregem. Mel Atticum ut domi naſceretur,
„ apes ab Athenis juſſit adferri: obiter ut, vernaculae quae ſunt, me-
„ liuſculae

Petronii noſtri interpolator, quaſi in ſuo codice exſtaret, expreſſit. Nos ampliamus. BURM.

Lac gallinaceum] MSS. Tragurienſe habet *lacte*; unde arbitror tranſpoſitis literis legendum, *lac & gallinaceum*; idque eo magis, quia illi & ineſt emphaſis huic loco apta & prope neceſſaria. SCHEFFER. Proverbium de iis, apud quos adfluebant omnia, antiquis uſitatum, conſervavit nobis Plinius Hiſtoriae naturalis Praefatione. *Inſcriptionis apud Graecos mira felicitas; κήριον inſcripſere, quod volebant intelligi favum; alii κήρυς Ἀμαλθείας, quod copiae cornu, ut vel lactis gallinacei ſperare poſſis in volumine hauſtum.* Ubi monuit magnus Turnebus, non abludere Graecorum proverbium, φέρειν ὀρνίθων γάλα, quod de Sami fecunditate apud Strabonem exſtet. HEINS. Tragurienſis *lacte*, quomodo Plautus & priores amabant efferre.

Parum illi bona lana naſcebatur] Legebam aliquando, *parum in ovili bonae lanae naſcebantur*. Poteſt tamen & vulgata tolerari. HEINS.

Arietes à Tarento] Id eſt, Tarentinos. Tarentinarum ovium magna celebritas ob mollitiem lanarum; vide Columell. III. cap. 2. Conjunguntur autem hic, *emit à Tarento*, ut mox: *juſſit afferri ab Athenis*. SCHEFFER. Locutio ſaepe à viris doctis jam obſervata, & à Buchnero ad Theſaurum Fabri multis exemplis illuſtrata. Hygin. fab. 190. *à mari pirata*. Flor. IV. 2. *Elephanti à ſilva*. Cicero pro Muren. 30. *noſtri illi à Platone & Ariſtotele*, id eſt, Platonici & Ariſtotelici. Caeterum Tarentinum pecus plurimi olim factum paſſim Rei ruſticae auctores docent, & commentatores ad illa Horatii, lib. II. od. VI.

Unde ſi Parcae prohibent iniquae,
Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho. BURM.

Eos curavit in gregem] Nil hic cenſeo mutandum; *curavit* eos, eſt procuravit, *in gregem*, eſt ad gregem, gregis cauſa, ut eam reparent. SCHEFFER. Haereo hic. Forte primum hic exaratum fuit, *acculavit* pro *accumulavit*. Sic carmine de bello civili: *Hinc Numidae acculant*, vitioſe pro *accumulant: cumulare trecenteſimum annum*, Valerio Maximo lib. VIII. cap. 13. Ni excidit τὸ *admitti*, vel quid ſimile: ut legas, *& eos curavit admitti in gregem*. Caeterum Tarentinas oves omnium optimas habitas, & propter inſignem lanae mollitiem, ne ea vepretis exponeretur obnoxia, ſuperinductis pellibus tectas paſci ſolitas ex antiquis auctoribus abunde notum eſt. HEINS. Quod ſi τὸ *in* praemiſeris verbo *curavit*, exigua mutatione fiet, *eis incolavit gregem*. Id eſt, eis inivit gregem. Quae vera eſt ſententia, atque ita auctorem ſcripſiſſe plane aſſererem, ſi conſtaret à *coles* derivaſſe veteres *colare* & *incolare*. Nunc autem cum exemplis deſtituar, pro vera lectione meam conjecturam lectori obtrudere nolo. GOES. *Culavit* Tragurienſis, ſed *curavit* rectum videtur. Id eſt, juſſit adferri, & aggregari ad gregem domeſticum; quo ſenſu *curare literas* & alia dicuntur. Cicer. pro Quinct. cap. 4. *Cum aris alieni aliquantulum eſſet relictum, quibus nominibus pecuniam Romae curari oporteret, auctionem in Gallia ſe facturum eſſe proſcribit.* Ubi vide Hottom. & Paſſerat. Varro de Re Ruſt. 2. cap. 5. dixit, *Tauros in gregem redigere*, & *in gregem reficere* Tertullian. de pudicit. cap. VII. Forte ita uſus eſt verbo *curare* Sedulius in Epiſtola ad Macedonium; *quatuor Evangeliſtarum dicta congregans curavi*, ut MSS. Pulmanni habent, teſte Barthio lib. XII. adverſ. cap. 19. quamquam ipſe *adunavi* probet, vulgati autem *ordinavi* habent, quae omnia Gloſſatorum interpretamenta ſunt. BURM.

Ab Athenis] Nihil frequentius, & Poëtis celebratius, quam mel Atticum ex monte Hymetto. vid. Martial. XI. ep. 43. imo Syneſius Epiſtol. 136. ſcribit ſuo tempore, cum omnis eruditio ex Athenis migraverit, domicilium illud ſapientium celebrari ab Apiariis. BURM.

Obiter, & vernaculae] Scribo: *obiter ut, vernaculae quae ſunt, meliuſculae à Graculis fiant*. Dicit, ideo quoque apes accerſiviſſe ex Graecia, ut junctae vernaculis domeſticiſque redderent ipſas quoque meliores. De praeſtantia mellis Attici apumque, res eſt vulgo notiſſima. SCHEFFER. Scriptum fuiſſe exiſtimo, *juſſit afferri ob id, ut & vernaculae*. GOES.

Vernaculae] Cicer. III. de Orat. 24. *Apparatu nobis opus eſt, & rebus exquiſitis undique & collectis, arceſſitis, comportatis, ut tibi, Caeſar, faciendum eſt ad annum, ut ego in aedilitate laboravi, quod quotidianis & vernaculis rebus ſatisfacere me poſſe huic populo non putabam.* De vernaculis apibus vide Columell. lib. IX. cap. 9. qui & capite 8. docet, *non intermiſcendas degeneres, quae infamant generoſas:* ut forte ſtultus noſter Trimalchio contra rationem fecerit, quod ille Atticas nobiliſſimas vernaculis velit miſcere, ut meliuſculae fiant, cum potius Atticae ab illis corrumperentur. BURMAN.

Meliuſculae] Seneca de Beneficiis lib. I. cap. III. *Gratias eſſe aetate minores quam Horas, ſed facie meliuſculas. Color meliuſculus* Columellae lib. IV. cap. 3. Deinde totum locum ſic conſtitue: *Mel Atticum ut domi naſceretur, apes ab Athenis juſſit adferri obiter: ut vernaculae quae ſunt, meliuſculae à Graculis fierent. quae ſunt* tamen videtur redundare. *Vernaculas* voca-

„liuſculae à Graeculis fiant. Ecce intra hos dies ſcripſit, ut illi ex In-
„dia ſemen boletorum mitteretur; nam mulam quidem nullam habet,
„quae non ex onagro nata ſit. Vides, tot culcitas? Nulla non aut
„conchiliatum, aut coccineum tomentum habet. Tanta eſt animi bea-
„titudo! Reliquos autem collibertos ejus cave contemnas, valde ſuccoſi
„ſunt.

vocabant in ſuo fundo natas: ſic Columella de ovibus, lib. VII. cap. 3. *Vernaculum pecus peregrino longe eſt utilius. Vernacula gallina* eidem lib. VIII. cap. 1. & cap. 14. *Gallina vernaculi generis.* HEINS.

A Graculis fient] Legendum *à Graculis fient.* Amat quippe Arbiter loqui ſæpe cum veteribus & caſcis. TILEBOM.

Intra hos dies] Id eſt, proximos, modo exactos. vide Scheffer. ad Phædr. I. fab. I. & Hottom. ad Cicer. Action. I. in Verr. 6. Suet. Cæſar. 66. *Scitote pauciſſimis his diebus regem adſuturum cum X. legionibus.* Ita & Græci Act. Apoſt. v. 36. Πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη Θευδᾶς. *ante paucos hos dies.* Et cap. I. verſ. 5. ἃ μετὰ πολλὰς ταύτας ἡμέρας. *non multos poſt hos dies.* BURM.

Ex India ſemen boletorum] Hæc dicuntur joco, ſicut ſupra *lac gallinaceum.* Nam boleti neque ſemen habent, nec ex India petebantur. SCHEFFER. Cum ex fungorum genere ſint, ſtulte ſemen illos habere dicitur: naſcuntur enim circa radices arborum ſponte. Plin. lib. XVI. cap. 8. Et origo eorum & cauſſa è limo, & aceſcente ſucco madentis terræ, aut radicis fere glandiferæ. Plin. lib. XXII. cap. 23. Quanti autem gulones hos fecerint, vide apud Nonn. de re cibaria lib. I. cap. 27.

Ex onagro] Quod animal præcipue in Phrygia & Lycaonia reperitur. *Mula autem ex equa & onagra manſuefacta velox in curſu, duritia eximia pedum, verum ſtrigoſo corpore, indomito animo. Sed generator, onagro & aſina genitus, omnes antecellit.* Plin. lib. VIII. cap. 44. ubi vide Harduini notas. *Onagros* autem beatis in deliciis fuiſſe docet & Cicer. VI. ad Attic. Epiſt. I. agens de Vedii Pollionis apparatiſſimo itinere. *Nec deerant onagri.* BURM.

Tot culcitras] Perperam. Emenda, *culcitas.* SCHEFFER.

Conchiliatum aut coccineum tomentum] Lanam conchilio vel cocco tinctam, qua ſunt farctæ. Vulgo ad hoc pilis ciliciis utebantur, aut ſtramine conciſo. SCHEFFER.

Tomentum] Suet. Tiber. 54. *Druſo adeo alimenta ſubducta, ut tomentum è culcita tentaverit mandere.* Ubi etiam vulgati olim ante Torrentium *culcitra* habebant. Tomentum vero erat duplex, vel lingonicum ex lana de pannis raſa, vel circenſe ex arundinibus conciſis. Martial. XIV. epig. 159. & 160. Seneca de vita beata c. 25. *Nihilo miſerior ero, ſi laſſa cervix mea in manipulo fœni acquieſcet, ſi ſuper Circenſe tomentum, per ſarturas veteris lintei effluens incubabo.* v. Plin. XVI. 36. BURM.

Tanta eſt animi beatitudo] Illud *animi* ſuſpectum mihi eſt, gloſſemaque ſapere videtur. SCHEFFER. Lege *homini.* REINES.

Collibertos] Plautus Pœnulo Act. IV. ſc. 2. *Quin hercle collibertus meus ſaxo eris, ſi Di volent.* SCHEFFER.

Succoſi] Pingues ac ſucci pleni. Sic appellat joco, opulentiores, quia fere cutim curare conſueverunt, & quia pecunia quaſi ſuccus quidam eſt in vita. Unde *exſugere* dicuntur, qui pecunias eripiunt. Vide Plautum in Epid. II. ſc. 2. 5. Neque ſenſu multum diſſimili Cicero lib. VII. Att. epiſt. 13. uſurpavit *ſuccones.* Vide Boſium ad eam p. m. 93. Invenitur autem vox hæc, quamquam ſuo ſenſu, etiam apud alios. Columella IV. cap. 29. *In aliis ſtirpium generibus, quæ firmioris & ſuccoſioris libri ſunt.* C. Serenus, cap. 6.

Aut tu ſuccoſæ cinerem perducito lanæ. SCHEFF. An melius *lucroſi?* id eſt, divites, ἰχῶται, Habentii, Abundantii. Proprie ſuccoſam lanam, id eſt, ὀυυπον, Q. Serenus cap. 57. humidos & ſuccoſos cibos, Gæriop. l. de febr. cap. 14. Non damnem Metaphoricum iſtud; ſed alterum præfero, quod ſic artes Libertorum, & quibus fucis, concuſſionibus & ſycophantiis rem facere ſolebant, propius tangentur. Redeant ad memoriam illi temporum Claudianorum prædivites & magnipotentes ſtigmatiæ Calliſtus, Helicon, Narciſſus, Pallas, Polycletus, Patrobius, Polybius, Maſſa, Carus. REINES. Id eſt, divites. Sic, *corpus ſucci plenum*, & *ſucci plena oratio.* D. Ambroſius de officiis *vocem ſucci plenam*, pro maſcula dixit. Contra *aridi*, pauperes. Sic *arida reſtis* apud Martialem lib. IV. Ep. LXX.

Nihil Ammano præter aridam reſtem,
Moriens reliquit ultimis pater ceris. HEINS.

Ut omnes erant liberti Claudii, ita ut in proverbium abierit *libertini patrimonium.* Senec. epiſt. 27. de Calviſio Sabino, *noſtra memoria fuit dives, & patrimonium habebat libertini & ingenium: numquam vidi hominem beatum indecentius*; vide reliqua, & plurima cum noſtro Trimalchione communia deprehendes. Adde Sueton. Claud. 28. ubi poſtquam de libertis ipſo domino ditioribus egiſſet, ait, *querente eo de fiſci exiguitate, non abſurde dictum fuiſſe, abundaturum eum, ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur.* BURM.

», sunt. Vides illum, qui in imo imus recumbit? hodie suâ octingenta », possidet; de nihilo crevit: solebat collo modo suo ligna portare. Sed, », quomodo dicunt, ego nihil scio, sed audivi, quomodo incuboni pi- », leum rapuisset, & thesaurum invenit. Ego nemini invideo, siquo Deus », dedit; est tamen sub alapa, & non vult sibi male. Itaque proxime », cum

Vides illum] Infr. cap. 46. *Vides Phileronem catessidicum.*

In imo imus] Illud *imus* mihi suspectum est, velut sit glossa præcedentis, *in imo*. SCHEFFER. *In imo imus* recte se habet: in imo enim lecto jacebat ultimo loco. Senec. de const. sapient. cap. 10. *non in medio me lecto, sed imo collocavit.* Horat. 11. Sat. VIII. *imi convivæ lecti.* Pro *qui* Tragur. habet *quia in immo immus.* BURM.

Sua octingenta possidet] Sestertia subintellige. Ridicule *suos octingenta* præterunt editiones nonnullæ. Infra, *Is sestertium suum vidit decies.* Opinor etiam scribi oportere, *sua octogmta.* Nimis enim immensa altera summa, cum *trecenta* tantum *sestertia* possidere sese glorietur opulentus ille Trimalchio. HEINS. Nihil mutem, cum illa non incredibilis videri debeat in libertino summa, quæ censum equestrem qui quadringenta erat, duplo tantum superabat.

Nihilo] Quomodo Ovidius, *de tenui origine.* Juvenalis posuit è *nihilo* in re simili, Sat. v. vers. 132.

Quadringenta tibi si quis Deus, aut similis Dis,
Aut major fato donaret homuncio, quantus
E nihilo fieres, ——— SCHEFFER.

Sic infra, *ab asse crevit*, &, *crevit tamquam favus*, &, *ita patrimonio crescam, non corpore.* Hac significatione Seneca Ep. LXXXVI. verbis Scipionis: *Exeo patria, si plus, quam tibi expedit, crevi.* HEINS.

Sed quomodo] Locus valde corruptus, quem sic restituendum censeo. *Sed* (*quomodo dicunt, ego nihil scio, sed audivi*) *quum modo incuboni pileum rapuisset, thesaurum invenit.* Illud, *quomodo dicunt*, formula est ejus, qui appellat famam popularem in obscuro dubiove negotio. Cicero in Pisonem cap. 28. quamquam alio significatu. *Iste claudus* (*quomodo ajunt,*) *pilam retinere.* Quod sequitur, *incuboni pileum rapuisset*, intelligendum est ex superstitione veteri, cujus hodieque passim exstant reliquiæ, velut incubones sint ornati pileis, quibus surreptis compellantur ad obsequium in indicandis pecuniis reconditis. Incubones enim dicti veteribus illi quicumque, qui thesauris absconditis incumbunt, eosque custodiunt. Pomponius Sabinus ad 11. Georg. vers. 507. *Incubat, invigilat, postquam invenit; inde, incubones, qui thesauris invigilant. Rapuisset*, est, *eripuisset*, plane sicuti infr. cap. CIX.

O fallax natura Deum! quæ prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis. SCHEFF.

Dicunt] Lege *ditescunt.* HEINS. Nihil muta, sed. consilio Petronius induxit hunc plebejum ταυτόλογον, quia viles illi congerrones sermonibus suis easdem sæpe vocalas intermiscent, & ita fere omnium convivarum sermo in hac cœna.

Quomodo incuboni.] Glossæ Labbei: *Incubones* ἐπικυφότες; puto, *quod modo incuboni pileum cum rapuisset, thesaurum invenit.* Ad Orci galeam videtur allusisse, sed imperite, ut solent in hoc convivio libertini: credebant autem Orci galea instructos non modo latere, sed etiam omni felicitate adfluere. Hinc Plato lib. x. de republic. Orci galeam cum Gygis annulo conjungit: *Petasum Ditis* Ausonius appellat. HEINS.

Si qua Deus] MS. sæpe dictus, *si quo Deus.* An vera lectio, *si quod Deus?* SCHEFFER. Lege, *si quoi Deus.* GOES.

Est tamen sub alapa] Hoc proverbii habet speciem. Sed quid hoc loco, *alapa?* Num respicitur ad eam consuetudinem, qua libertas dabatur, memorata Phædro nostro lib. 11. fab. 6. Atqui supra mentio est libertorum, non servorum. Quare censeo accipiendum de ea, quam perferre cogebantur à patrono suo, quotiens ludere durius vellet ac jocari. SCHEFFER. Eodem modo hoc dictum, quomodo Tertullianus ad Scapulam de præsidibus provinciarum dixit, *& vos sub gladio estis.* Huc vero minime pertinet illud Phædri:

Multo majoris alapæ mecum veneunt.

Sicut nec ejus generis alia, quæ alapam manumissionis spectant. Videtur autem indicari, eum à creditoribus urgeri, quoniam sequitur, *Itaque proxime proscripsit*, ut sederit sub alapa creditorum. Etsi enim octingenta possideat, debet tamen plurimum. GOES. Viri docti censent hoc ad manumissionem reservi non posse, quia jam libertus erat. Goesius *sub alapa* de creditoribus capit, quia *proscripsit* sequitur; sed hoc ostendit, non eum plurimum debere, sed incrementum & divitias, qui jam cœnaculum, in quo pauper habitaverat, vendere vult, cum ipse domum emerit. Quare ego capio de liberto, qui manumissus quidem erat, sed nondum justam libertatem erat consecutus, qui vel inter amicos, vel per epistolam, vel adhibitione convivii erat liber factus. Hi, cum Latini modo fierent juris, in servitutem poterant revocari, quia, ut ait Tacit. XIII. ann. 27. *ut relinqueretur poenitentiæ aut novo beneficio locus, vindicta patronus non liberaverat, velut vinculo servitutis attinebantur*, poterant autem ita manumissi denuo vindicta, in qua alapæ locus erat, manumitti. Aperte

Plinius.

„cum hoc titulo proscripsit: C. POMPEJUS. DIOGENES. EX. „KALENDIS. JULIIS. COENACULUM. LOCAT. IPSE. E„NIM. DOMUM. EMIT. Quid ille, qui libertini loco jacet? quam „bene

Plinius lib. VII. epist. 16. *Si voles vindicta liberare, quos proxime inter amicos manumisisti, nihil est quod verearis.* Et ita apud Terentium Adel. Act. v. scen. 9. *Syre accede ad me, liber esto.* Syr. *bene facis, omnibus gratiam habeo, & seorsum tibi Demea.* D. *Gaudeo.* Æ. *& ego.* S. *credo. utinam perpetuum fiat gaudium.* id est, utinam, quem nunc inter amicos manumittis, vindicta liberes. Plaut. Menæchm. Act. v. sc. 9. *Sed meliore opus est auspicio, liber perpetuo ut sim.* Nisi quis hæc verba *sub alapa* capiat, quod sit parasitus, & ditiorum turpis sectator, quales in conviviis petulantiæ & alapis Regum suorum erant obnoxii, ut antiqua illa secta parasitorum, qui *ridiculi esse & plagas pati* debebant, quam repudiaverat novæ disciplinæ conditor Gnato apud Terent. Eunuch. Act. II. scen. 2. vid. Plaut. in Captiv. Act. I. scen. 1. Pers. Act. v. scen. 2. & passim. Sed placet prior expositio. BURM.

Non vult sibi male] Legi posset: *non vult sibi melius*; licet non improbem positam lectionem. TILEBOM. Ea facit, quæ ad commodum suum, & voluptatem pertinent. Plautus Asin. Act. v. sc. 1. 13. *Utinam, male qui mihi volunt, sic rideant.* Cicero. ep. ad Att. *Antonio, quam nunc est, volo pejus esse.* SCHEFFER. Forte, *etsi non consulit sibi male.* Quo pertinet, quod statim sequitur: *Itaque &c.* ut se expediret à creditoribus *proscriptis.* GOES. Id est, ipsi favet & vovet ampliores fortunas. Terent. Eunuch. Act. IV. sc. 3. *utinam sic sint, qui mihi male volunt.* ita *bene velle* Heaut. Act. v. sc. 2. *Nisi quod tibi bene ex animo volo.* Et ita Plautus & Cicero sæpe locuti. BURM.

Cum hoc titulo] Tabula, libello. Plin. VII. ep. 27. in re simili. *Venit Athenas Philosophus Athenodorus, legit titulum.* Et in colloquio vetusto: *Steterunt ad titulum,* ἐστάθησαν πρὸς τὸν πίνακα. Sic infra. SCHEFF.

Proscripsit] Absolute. Cicero in Orat. pro Quint. cap. IV. *Auctionem in Gallia Publius hic Quintius Narbona se esse facturum proscribit.* SCHEFFER. Nihil vulgatius apud auctores, quam ædes, agros mancipia proscribere, id est, publice venum exponere; sed hic ponitur absolute. GOES. Id est, tabella publice adfixa significavit. Idem *inscribere* dicebant. Terent. Heaut. Act. I. sc. 1. *inscripsi illico mercede ædes.* Plin. lib. VII. ep. 2. *hæreditarios agros, quod ego jusserim proscribi.* Vide eumdem epistola 27. & l. XI. §. 1. ff. de Instit. action. & passim. Cicero in oratione pro Quintio sæpe; vide Ampliss. Cuper. I. observ. cap. 17. BURM.

C. Pompejus] Vid. Sup. cap. 30.

Ex Calendis Juliis] Docte. Hoc enim fuit solemne elocandarum ædium tempus. Consule leg. 60. ff. locat. cond. itemque 41. ff. de Contr. Empt. & quos ibi laudat Gothofredus. SCHEFFER. Recte ex jure Romano illustrat hæc Schefferus; quibus adde leg. IX. ff. qui potiores in pignore. Suet. Tib. 35. *Senatori latum clavum ademit, cum cognovisset sub Kalend. Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in urbe conduceret.* Ubi v. Torrent. & Reines. ad inscr. Class. VII. inscr. 34. Et ita in Urbanis ædibus fuit observatum: sed rusticorum prædiorum pensiones mense Martio inferebantur. leg. 58. ff. de usufr. ubi vide Gothofr. & leg. 15. de publican. & hinc Cujacius ad l. 98. de verbor. signif. ex Festo probat *Mercedonias Kalendas* dictas à mercede solvenda, quia mensis ille Mercedonius intercalabatur post Februarium. Sed de hoc nondum liquet, ob diversas veterum sententias. BURM.

Cœnaculum] Egregie: hoc enim pauperiores habitabant, divites in domibus. Martial. lib. I. Epigr. 109.

Est tibi, sitque precor, multos crescatque per annos
Pulchra quidem, verum Transtiberina domus.
At mea Vipsanas spectant coenacula laurus,
Factus in hac ego sum jam regione senex.

Sueton. Vitell. 7. *Satis constat exituro viaticum defuisse tanta egestate rei familiaris, ut uxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cœnaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret.* Ubi vide Torrent. & ad Horat. lib. I. Epist. I. 91. & passim in Juris libris. In hæc cœnacula per scalas, quæ in viam publicam exibant, adscendebatur: Martialis lib. I. Ep. 118. *& scalis habito tribus sed altis.* vid. Livium XXXIX. 14. & Ciceron. pro Milon. XV. Male Reinesius ad Class. VII. inscr. 34. hoc cœnaculum partem ipsius domus, quam emit hic libertus, facit. BURM.

Locat] Lege, *locabit.* GOES.

Quid ille] *Illi* Tragurianus; & mox *non impropero illi, sextertium*, &c.

Libertini loco] Ergo fuit quoque certus libertini locus. Sed quis libertinus iste, cujus peculiarem esse voluerunt locum in mensa, & ab ipso nominare? Credo Libertinum seu libertum Cæsaris intelligi. Fuisse hos libertos sæpe missos in Provincias à Cæsaribus aliorum atque aliorum gratia negotiorum, res est nota. Hinc eorum non exigua apud Provinciales auctoritas. Unde puto factum, ut, sicut Romæ haberent locum *Consularem* dictum, quia is dabatur Consuli, si præsens esset in convivio, sic in Provinciis Coloniisque locum *Libertinum*, qui dabatur liberto seu libertino Cæsaris, item *Prætorium*, qui Prætori, ut deinceps audiemus. SCHEFFER. *Libertino loco* lege. Loco, quo libertini solent jacere. Libertini pro libertis sæpe apud Tacitum & alios. Sic, *in imo recumbere* apud Senecam Suasoria VII. *Interrogabat, quis iste vo-*

„bene se habuit? non impropero illi. sestertium suum vidit decies; sed „male vacillavit. Non puto illum capillos liberos habere; nec me-Her- „cules sua culpa, ipso enim homo melior non est, sed liberti scelerati, „qui omnia ad se fecerunt. Scito autem, sociorum olla male fervet, & „ubi

caretur, qui in imo recumberet. Noster paullo ante. *Vides istum qui in imo imus recumbit.* Liberti, si admitterentur ad Patronorum mensam, infimum occupabant locum. Vide Plinium lib. II. cap. v. HEINS.

Jacet] Accumbit. Probe. Juvenalis Sat. I.

——— *vacuisque toris tantum ipse jacebit.*

Sidonius lib. I. ep. II. *Primum jacebat cornu sinistro consul ordinarius.* SCHEFFER.

Bene se habuit] Tractavit, in respectu ad victum, & similia. Contrarium habes apud Terent. Act. I. Adelph. sc. I. *Ruri agere vitam, semper parce ac duriter se habere.* SCHEFFER. Infr. c. 58.

Non impropero] Objicio, & velut incuso. Citant Lexicographi hoc vocabulum ex Plauto, ac exstare dicunt in Rudente Act. III. sc. 4. vers. 28. verum ibi Dousæ, optimaque Gronovii editio habent, *etiam vim opprobas.* Video nihilominus Gryphium edidisse, *vim improperas*, ut anceps hæream, nec dispiciam satis, quid de loco præsenti judicare debeam. Philoxenus profecto laudat *Improperium*, ὄνειδος. *improperat*, ὀνειδίζει. SCHEFFER. Verbum cadentis latinitatis, unde *improperium*, pro dedecore, convitio, quo verbo sæpe uti veterem interpretem Bibliorum notat Du Cange in Glossario. Infra cap. 43. *nec improbo* dixit.

Ille sextertium suum vidit decies] Optime. Seneca II. de Benef. cap. 27. *Hic quater millies sestertium suum vidit.* SCHEFFER. Notandus loquendi elegans modus, quo usus etiam est Seneca, lib. II. de benefic. cap. XXVII. *C. Lentulus augur, divitiarum maximum exemplum, antequam liberti pauperem eum facerent, hic quater millies H. S. suum vidit: proprie dixi, nihil enim amplius quam vidit.* HEINS.

Male vacillavit] Eleganter de eo, cujus fides comsumtis aut perditis rebus dubia est facta. Cic. in Catilin. II. *partim male gerendo negocio, partim etiam sumtibus in vetere ære alieno vacillant.* SCHEFFER.

Capillos liberos] Instar proverbii hoc est, de obærato, seque ac sua omnia debente aliis. SCHEFFER.

Ipso] Tragur. *ipse*. sed in margine *ipso* legitur.

Liberti scelerati] Nihil deest. Supplendum enim *fuerunt in culpa*, vel simile quid. BURM.

Ad se fecerunt] Melius, *a se fecerunt.* TILEBOM. Quomodo, *fecerunt*, in plurali, cum antecedat, *culpa liberti scelerati;* in singurali? Puto hic abesse aliqua, & idcirco asteriscum his præmitti oportere, SCHEFFER. Hic nihil videtur deesse; modo cætera recte habeant. Sensus est; *sed liberti* (qui liberti) *scelerati, hi omnia ad se fecerunt. Ad se facere*, parum est Latine, pro corradere aut in sinum suum conjicere. Verum meminerimus candidissimum pectus Petronium nostrum nihil dissimulantem, sed aperte omnia prodentem, cum vituperio ac detestatione suis locis (modo id attendatur, quod est pretiosissimum in hoc opere) in talibus non phrasiologiam, sed noscendos hominum mores spectare levitatemque in dicendo & agendo (quæ se fere comitantur) Satyrice notare. HADRIANIDES. Dixi, aliquid videre deesse. Negat Hadrianides, & verba, *liberti scelerati* putat esse plurativa: nempe respicit illud sequens, *ad se fecerunt.* At hoc non respondet verbis *liberti scelerati*, verum pronomini *qui*, quod si abesset, id, quod vult Hadrianides, procederet. Nunc cum adsit, debebit is ostendere, à quo regetur τὸ *liberti scelerati*, nam si ab eo, quod præcedit, *non sua culpa*, quod arbitror, *liberti* utique non potest esse numeri pluralis. SCHEFFER. Puto, *ad assem secuerunt.* Sic, *impendium ad assem reddere*, Plinio lib. I. ep. XV. *ab asse crevit*, infra. HEINS. Verisimile est, scriptum fuisse, *adederunt.* Notum autem est, quid sit, adedere patrimonium, bona, facultates. Totum ergo locum, sic lege & distingue: *Nec mehercules sua culpa, ipso enim homo melior non est, sed liberti* (nempe, *sunt*) *scelerati, qui omnia adederunt.* Seneca secundo de beneficiis: *Cn. Lentulus antequam liberti pauperem facerent, &c.* GOES. *Ad se facere* sermone plebejo est abradere alterius bonis, & suis aggregare; ita *facere* pro corradere, colligere sumi, docuit vir summus Græv. ad Flor. I. I. BURM.

Scito autem sociorum olla male fervet] Scribe, *cito.* Reliquum est ex proverbio. Nam *fervere olla* dicitur, cum amici patinarii coluntur & sectantur amicos suos. Græci hoc sic efferunt: ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία, *cum fervet olla, vivit amicitia.* Hinc *male fervere olla* dicitur, cum amicitia illa incipit langueſcere. Id quod facile fit inter socios, quos conciliavit luxus, voluptas, vel quæstus alius, cessante isto quæstu, & deficiente re familiari. SCHEFF. Et hoc in antiquis proverbiis habendum. Gellius lib. XVII. cap. VIII. *Dum hæc Taurus, interea puer venerat, & aula deferbuerat, tempusque esse coeperat & edendi & tacendi.* HEINS. Mutant in *cito*, nescio an bene; cum enim plebeja sit hæc confabulatio, quidni tales voculas, quibus illi attentionem, ad egregiam aliquam sententiam, excitarent, relinquamus. Ita infra cap. 75. *scitis quid dicam*: sequenti capite, *scis, magna navis magnam fortitudinem habet*, eodem modo sæpe hac in cœna occurrunt, *vides, vide*, & similia, quibus attentos convivas sibi plebeji faciunt. BURM.

Olla

„ubi ſemel res inclinata eſt, amici de medio. Et quam honeſtam nego-
„tiationem exercuit, quod illum ſic vides? ecce libitinarius fuit. So-
„lebat ſic coenare, quomodo Rex! apros gauſapatos, opera piſtoria,
„viſco-

Olla fervet] V. Eraſmi adagia titulo Amicitiæ pag. 47. multa in hanc rem Ovidius libris ſuis Triſtium & ex Ponto habet.

Res inclinata] Fortuna facta eſt adverſa. Cic. I. Att. ep. 1. *laboratur vehementer, inclinata res eſt.* Sæpe Cicero hac locutione utitur. Vide x ad Att. 8. 11. ad famil. epiſt. 16. *Qui ab excitata fortuna ad inclinatam & prope jacentem deſciſcerem.* Noſter infra hoc cap.

Amici de medio] Puta *recedunt*, ut hanc formulam ſupplet Cicero in Or. pro Sexto Roſc. cap. 38. *Recede de medio, per alium tranſigam.* Elegans ellipſis, quæ celeritatem diſceſſus illius oſtendit. De re ipſa ſæpe habes apud Ovid. in Triſt. SCHEFFER. Solemnis locutio, pro recedunt, non conſpiciuntur, ubi antea frequentes erant. Terent. Adelph. III. 4. *Mater virginis eſt in medio.* Hecyr. IV. 3. *è medio excedere æquum eſt.* Suet. Cæſ. 1.

Et quam honeſtam negotiationem] Scribe. *Et quam honeſtam negotiationem exercuit*, &c. TILEBOM.

Sic vides exe....] Legerem non invitus. *ſic vides exeri?* vel *extolli*, vel *efferri*. TILEBOM. Talem, qui fuerit tam opulentus. Terentius in Phorm. I. Act. 2. *deſinas, ſic eſt ingenium.* Ita ſæpe alii. Noſter infra cap. LVIII. *Ego, quod me ſic vides, propter artificium meum Diis gratias ago.* SCHEFFER. Id eſt, in ea conditione, qua nunc eſt. Propert. II. eleg. 10.

Hic me tam graciles docuit contemnere Muſas,
Juſſit & Aſcræum ſic habitare nemus.

Senec. Trag. Phœniſſ. verſ. 8. *Gnata quam tanti eſt mihi genuiſſe vel ſic.* Et verſ. 338. *ſic eſtis orti.* Terent. Phorm. III. 2. *ſic ſum: ſi placeo, utere.* & alibi. BURM.

Exe] Corrige *ſic vides? ecce, libitinarius fuit.* Libitinarii viles habiti & abjecti. Vide Senec. VI. Benef. cap. 37. SCHEFFER.

Sic cœnare, quomodo rex] Regio ſplendore, opulentia regia. Senec. ep. 87. *Pecunia ſic in quoſdam homines, quomodo denarius in cloacam, cadit.* SCHEFF.

Apros gauſapatos] Gauſapa contectos, ornamenti gratia. Sic in ſequentibus habes & pileatos. SCHEFF. Quid? an apros gauſape veſtitos? quis credat? Mendoſa potius hæc habeantur. Dederat primum, puto, librarii ſupini aberrans manus, *gauneapatos*, vel *gaunapatos*; unde faciendum reor, litteris tranſpoſitis, *apros gaunea paſtos*, id eſt, *caunea*, vel *gauna*. *Cauna* enim & *caunea* dicebatur pro ficu Carica. Infra cap. XLIV. *Ædilis trium caunearum.* Dignum hoc luxu Romano, ut ficu pro glande apri paſcantur. Infra cap. XL. Trimalchio Caryotis Thebaïciſque aprum, quem convivis apponit, vult credi paſtum. *Appoſitus prima magnitudinis aper è cujus dentibus ſportellæ dependebant duæ, palmulis textæ, altera Caryotis, altera Thebaïcis repleta.* Ad quæ Trimalchio: *Videte, quam porcus ille ſilvaticus totam glandem comederit.* Tum, *pueri Caryotas Thebaicaſque diviſere cœnantibus.* Atque huc forte alluſit Seneca libro de providentia, ubi *primæ formæ feras ingenti pomorum ſtrue cinctas* apponit, Apros deſignans, tamquam pomis hiſce ſolitos paſci. Porro, de ſuibus fico paſtis audiendus & Plinius Hiſt. Natur. lib. VIII. cap. LI. *Adhibetur & ars jecori fœminarum, ſicut anſerum, inventum M. Apicii, fico carica ſaginatis, ac ſatie necatis, repente mulſi potu dato.* Similis prodigalitas & in aliis notatur. Apud Julium Capitolinum in L. Vero cap. VI. *Volucri equo præſmo aureum ſimulacrum fecerat, quod ſecum portabat, cui uvas paſſas & nucleos, in vicem hordei, in præſepe ponebat:* Ubi nucleos nucum pinearum intellige. Lampridius Heliogabalo cap. XXI. *Miſit & uvas Apamenas in præſepia equis ſuis, & piſtacis atque Phaſianis leones pavit.* HEINS.

Opera piſtoria, viſcovos, piſtores] Lege inquirendo: *vis cocos, piſtores?* TILEBOM. Suſpicor ſcripſiſſe noſtrum, *opera piſtoria, avis, cocos. Avis*, pro, *aves*, ſicut ſæpe, in quo prima littera deëſt ob ſimilitudinem antecedentis. Aves apud veteres fuiſſe in deliciis, ignorat nemo, & videat, qui volet, Meurſium in libro de luxu Rom. cap. 15. & Nonnum Rei cibariæ lib. 2. cap. 20. SCHEFFER. Locus fœde mutilatus. Primo narrabatur, quomodo is libertus cœnare eſſet ſolitus, deinde ad familiam ejus recenſendam tranſibatur. Veriſimile igitur, poſt *opera piſtoria* alia ſcitamenta gulæ in medium eſſe prolata, quibus veſci homo delicatus conſueſſet. Sed & è familia ejus non pauci ſervi deſiderantur. Scribo, *Opera piſtoria, aucupes, coquos, piſtores.* Sic infra etiam cap. XL. aucupes in Trimalchionis familia. *Parati aucupes cum arundinibus fuerunt.* Smyndirides, helluo notiſſimus inter Sybaritas apud Athenæum lib. VI. aucupes, piſcatores, & coquos mille, domo proficiſcens, circumducebat in privatum luxum. Ut fortaſſe Petronii hoc in loco *piſcatores* quoque, pro *piſtoribus* ſint ſubſtituendi. *Opera* autem *piſtoria* occurrunt etiam apud Suetonium vita Tiberii cap. XXXIV. Celſus lib. II. cap. 27. *Lac, mel, adeoque lactiaria atque omne piſtorium opus.* Sic & *dulciarium opus*, & *opus lactarium*, Spartiano in vita Heliogabali. HEINS. Horum mancipiorum olim non multus uſus Romæ, & coqui iidem qui piſtores, unde *coquere panem* dicebant. Vide Plin. lib. XVIII. Hiſt. Nat. cap. 2. deinde lautiores diſtinxerunt, & coqui adhibiti cibis lautioribus, piſtores qui pinſendo frumentum frangebant, & panificia

„ viscovos, pistores! Plus vini sub mensa effundebatur, quam ali-
„ quis in cella habet. Phantasia, non homo. Inclinatis quoque rebus suis,

ficia curabant. Vide Nonium in *Pinsere*. Serv. ad Virg. lib. 1. Georg. vers. 267. & ad lib. 1. Æneid. vers. 179. Ad bellum cum Perseo Macedonum Rege Romanos ignorasse pistores, cum mulieres id muneris obierint, docet Plinius d. l. & Livius lib. XXXIV. cap. 6. deinde, invalescente luxu, in familia lautiorum coqui & pistores semper numerantur. Cicer. pro Rosc. Amerino cap. 46. & lib. II. de finib. cap. 8. Et eleganter contra hunc luxum & numerum coquorum invehitur Seneca Epist. 94. & 95. inter pistores *Dulciarii* adhuc eminebant: de quibus Apulej. Metam. lib. X. ubi v. Colv. & Beroald. BURM.

Sub mensa] Capio hæc de more quo homines fastidiosi & lauti vinum gustantes, nec satis palato gratum exspuebant, vel effundebant, quod *pytissare* vocabant. Terent. Heaut. III. 1. *Pytissando modo mihi quid vini adsumsit*. Vitruv. lib. VII. cap. 4. *Ita convivii eorum & quod poculis & pytismatis effunditur simul atque cadit, siccessit*. Imo ludus erat ad certum scopum vinum jaculari, de quo plurima viri docti ad vexatum illum Juvenalis locum, Sat. XI. vers. 173.

Et Lacedæmonium pytismate lubricat orbem.

Quo autem lautiores erant conviviorum præbitores, eo plus vini effundebatur, quo respicit Horat. II. od. 14.

—— —— *& mero*
Tinget pavimentum superbum
Pontificum potiore cœnis.

ubi Lambinus, ad mentionem amicarum vinum in humum effusum docet; & egregia de hac luxuriantium profusione, ex Græcis & Latinis scriptoribus, adnotavit. Præterea poculis non omnino exsiccatis, quod supererat, humo illidebant, qui mos nondum inter strenuos bibones hodie exolevit. Docet id exemplum Theramenis apud Valer. Max. III. cap. II. exempl. exter. 6. quod κατακλύζειν Græci vocabant. Aquam etiam sub mensa effusam ad avertendum omen, si quis inter cœnandum male ominatis verbis uteretur, quibus hilaritas & festivitas interpellari videbatur, docet Plinius lib. XXVIII. Hist. Nat. cap. 2. *Incendia inter epulas nominata aquis sub mensis profusis abominamur*. Ubi quosdam codices *sub mensa*, alios *sub mensam* habere notant viri docti. credibile vero est, & nostrum libertum similia omina vino, loco aquæ effuso, avertisse. Infr. cap. 74. *Gallus gallinaceus cantavit, qua voce confusus, Trimalchio vinum sub mensa jussit effundi*. BURM.

Phantasia, non homo] Legendum arbitror, *phantasma*. Est autem phantasma, visus nocturnus, sive spectrum, ut ex Plinii lib. VII. ep. 27. Macrobii lib. I. cap. 3. & aliis manifestum est. Possis tamen retinere istoc sensu etiam vulgatum. Carsilides in responsis suis: τί ἄνθρωπος? Ὀλιγοχρόνιον φάντασμα. Pro his interpres vetus: *Quid homo? Minimi temporis fantasia*, φάντασμα Græcum est, Latinum *fantasia*. Sed quæ ratio, quod eum vocet *phantasma*? Credo, quod & hæc interdum per noctem videantur agitare convivia, omnique rerum pretiosissimarum copia abundare, cum mox illucescente die illarum rerum nil appareat. Neque aliæ sunt *tempestates rerum latæ*, quas cum illis spectris memorat Macrobius. Quia ergo hic quoque vivebat in summa affluentia, sed vivebat brevi tempore, paulo post privatus rebus omnibus, joco eum ita appellare volebat. Cæterum ad eumdem modum infra cap. 43. *Discordia, non homo*. Catullus carm. 113. *Non homo, sed vere mentula*. Apulejus VIII. Metam. *Vervecem, non asinum vides*. SCHEFF. Gellius lib. XIX. cap. 1. *Visa animi, quas φαντασίας Philosophi appellant*. Glossæ Labbæi: φαντασία. *Vana visio, imago, vanitas*: sed & eædem illæ: φάντασμα, *Larva, visio vana, ostentum*. HEINS. Tragur. Cod. *fantasia*: quam vocem male sollicitant, id est, simulachrum hominis, species, non homo; vide ad Cicer. XV. ad famil. epist. 16. Posset & exponi *somnium, non homo*, ut apud Terent. Adelph. III. 4. *tu nihil nisi sapientia es, ille somnium*; quod forte ex Homerico illo Odyss. κ. vers. 494. adumbratum:

Τῷ καὶ τεθνειῶτι νόον πόρε Περσεφόνεια,
Οἶῳ πεπνύσθαι, τοὶ δὲ σκιαὶ αἰσσουσιν.

Unde & Ovid. lib. XI. Met. vers. 641. Inter somni Dei filios unum *Phantasum* appellat, qui species & imagines somniantibus objicit: sed præterea φαντασία posset explicari, homo jactabundus, qui se venditat & superbe ostentat: ut Actor. cap. XXV. vers. 25. Agrippa & Berenice dicuntur veniisse μετὰ πολλῆς φαντασίας. Quod erudite vetus interpres reddit *cum multa ambitione*. Ut Nepos Dion. cap. 2. *Magna etiam ambitione Syracusas perduxit*. De hac significatione vocis φαντασίας egregia eruditissimus Gatakerus ad Antonin. lib. I. §. 7. adduxit; ad eumdem autem Petronio modum dicit Ammian. Marcell. lib. XVII. cap. II. *In odium venit cum victoriis suis capella, non homo*. Et Cicer. in Pisonem apud Servium ad Virgil. lib. VIII. Æneid. vers. 139. *Qui te belluam ex utero, non hominem sudit*. Infra cap. 74. *Codex non mulier*. & cap. 44. *Piper non homo*. Et ita illa formula apud Comicos frequens, *si homo esses* capienda, qua & Cicero utitur. vide Manut. ad lib. XIII. ad Attic. ep. ult. & adposite ad stultitiam, quam hic tangit Satyricus, hujus liberti idem Cicer. pro Cluentio. cap. 70. *Cujus ea stultitia est, ut eam nemo hominem appellare possit, quæ sibi præter formam nihil ad similitudinem hominis reservavit*. Et ita sequenti capite, *hominem me inter homines voluit esse*. Vide & cap. 47. & 74. BURM.

Con-

„ſuis, cum timeret, ne creditores illum conturbare exiſtimarent, hoc „titulo auctionem proſcripſit. JULIUS. PROCULUS. AUCTIO„NEM. FACIET. RERUM. SUPERVACUARUM.

XXXIX. „ [a] Interpellavit tam dulces fabulas Trimalchio; nam jam „ſublatum erat ferculum, hilareſque convivae vino, ſermonibuſque publi-„catis

a ENCOLPIUS.

Conturbare] Ita noſter cap. LXXXI. *Qui poſtquam conturbavit & libidinis ſuæ ſolum vertit.* SCHEFFER. Proprium de decoctoribus & ære alieno oppreſſis, ut jam ſæpius docuerunt viri docti. v. Turneb. adverſ. lib. IV. cap. 15. & lib. XXII. cap. 23. & Hadrianum Cardinalem de lingua Latina, in hac voce. Cur autem hæc vox id ſignificet, docuit Manutius ad Cicer. lib. IV. ad Att. 17. nempe, quod ſoleant, omiſſis veteribus creditoribus, ſatisfacere iis, qui poſterius crediderunt, & ita conturbent rationes. BURM.

Cautionem proſcripſit] Lege *auctionem proſcripſit.* Cicero lib. XIII. ad Attic. Ep. 5. *Si tibi videtur, appelles Balbum de auctione proſcribenda.* SCHEFFER. *Proſcribere* proprium in hac re verbum. Seneca de beneficiis lib. IV. cap. XII. *Spondeo pro judicato, & ſuſpenſum amici bonis libellum dejicio, creditoribus ejus me obligaturus, ut poſſim ſervare proſcriptum, ipſe proſcriptionis periculum adeo. Titulus* autem vocabatur tabella proſcriptionis. Unde apud Naſonem:

Sub titulum noſtros miſit avara Lares.

Et apud Tibullum lib. II. eleg. IV.

Ite ſub imperium, ſub titulumque Lares. HEINS.

Julius Proculus] Nominis hujus fuiſſe plures docent veteres lapides, in quibus ſæpius occurunt. vide Gruter. pag. LXXXVII. 10. CCI. 5. & MLXXVI. 5. Reineſ. Claſſ. I. inſcr. 280. VI. 122. & XII. 51. Quorum nullum, cujus hic libertus fuiſſet, ad hæc tempora referri poſſe puto. Meminit & Martialis lib. XI. epigr. 37. *C. Julii Proculi*, & alterius *Julii Proculi* inter viros honoratos à Commodo interfectos Lampridius ejus vitæ cap. VIII. circa Petronii vero tempora vixit *Proculus* celeberrimus ille Jurisconſultus, & ſectæ Proculejanæ conditor, de cujus nomine inter viros eruditos non conſtat. Bertrandus eum *Licinium Proculum* dictum eſſe vult, & Præfectum Prætorio ſub Othone fuiſſe. Sed *Sempronium Proculum* appellatum oſtenderunt Grotius, & Schottus lib. V. Obſerv. cap. 30. & Ryckius ad Tacit. lib. I. Hiſtor. cap. 46. fuiſſe tamen qui Jurisconſultum etiam *Julium Proculum* vocaverint, dicit Reineſius, & refutat ad Claſſ. VI. inſcr. 122. *Proculum* quemdam inter Poëtas elegiographos ſui temporis memorat & Ovidius IV. ex Pont. eleg. 16. omnium vero horum Proculorum, qui Juliæ gentis fuere, principem fuiſſe illum Julium Proculum, ad cujus teſtimonium Romulus inter Deos relatus eſt, vero ſimile eſt, etſi nullam ab eo familiam & poſteritatem relictam velit Glandorpius in Familia Julia. BURM.

Auctionem faciet rerum ſupervacuarum] Lepide Satyricus immenſum faſtum & arrogantiam locupletis liberti hac proſcriptione oſtendit. Nam moris erat illis, qui pecunia & opibus abundabant, & quibus, ut Horatius lib. I. Ep. VI. ait

Exilis domus eſt, ubi non & multa ſuperſint,

vendere res ſupervacuas. Quod præcipue à quibuſdam Imperatoribus ſæpe frequentatum; ab his, ut ſubvenirent inopiæ publicæ, ab illis, ut ſumptibus nepotinis exhauſtum fiſcum ſublevarent. Ita Capitolinus de Antonino Philoſopho cap. XVII. narrat, *Ne extra ordinem provincialibus aliquid imperaret, in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum Imperialium feciſſe, & vendidiſſe aurea pocula, & cryſtallina, & myrrhina, vaſa regia, & alia.* ubi vide Caſaubonum. Idem de Trajano prædicat Plinius Panegyr. cap. 50. *Circumfertur ſub nomine Cæſaris tabula ingens rerum venalium, quo ſit deteſtanda avaritia illius, qui tam multa concupiſcebat, cum haberet ſupervacua tam multa.* Ubi per Cæſarem Caligulam libenter intelligerem, non Nervam, ut Lipſius & Caſaubonus fecerunt: nam, teſte Suetonio cap. 39. *Ille auctione propoſita reliquias omnium ſpectaculorum ſubjecit & vendidit*, & paulo poſt, *invitatus lucro quidquid inſtrumenti veteris aulæ erat ab urbe repetiit & in Gallia vendidit.* de Antonino Pio Capitolin. cap. 7. *Species Imperatorias ſuperfluas, & præda vendidit.* Vide quam non plebejum fuerit tales auctiones proſcribere, quibus divitias ſuas, & ſuperfluam ſupellectilem jactabant. BURM.

Publicatis] Publice prolatis, ut à cæteris convivis poſſent exaudiri. Opponuntur tacitis ac ſecretis colloquiis, qualia fere ab initio cœnæ habent inter ſe vicini. Sic *publicare fortunam ſuam*, Seneca dixit. SCHEFFER. Suſpicor ſcriptum fuiſſe, *ſermonibuſque publice jactatis, cœpimus operam dare.* GOES. Recte exponit Schefferus; nec opus inutili conjectura: creſcente enim vino, ſermones clariores & clamores per triclinium: unde toties Horatius clamorum & ſtrepitus in vino meminit. Appoſite autem Apulej. lib. II. Mileſiar. *Jam illatis luminibus epularis ſermo percrebuit, jam riſus adfluens, & joci liberales, & cavillus hinc inde.* Quæ in hac Trimalchionis cœna eadem, niſi quod joci illiberaliores ſint. Vide ad eum locum Pricæum p. 107. Offendit Goeſium illud *publicatis*, ſed ego idem fere notare puto, quod *publicis*: ſermones autem publici ſunt ordinarii, ſolemnes, & conſueti talibus convivis & Hoſpiti, cum mero incaleſcere incipiunt. Ut illud, *vinum oportet ſuave faciatis, piſces natare oportet*, &c. Qui

„ catis operam coeperant dare. Is ergo reclinatus in cubitum, [a] Hoc vi-
„ num, inquit, vos oportet ſuave faciatis. piſces natare oportet. Rogo,
„ me putatis illa coena eſſe contentum, quam in theca repoſitorii vide-
„ ratis? ſic notus Ulixes? quid ergo eſt? oportet etiam inter coenandum
„ Philologiam noſſe. Patrono meo oſſa bene quieſcant, qui me homi-
„ nem

[a] TRIMALCHIO.

vulgares verborum honores & formulæ erant, ut & adhuc hodie. Ita Ovid. lib. III. Amor. eleg. 7.

Et mihi blanditias dixit, dominumque vocavit,
Et quæ præterea publica verba juvant.

Et lib. III. art. am. verſ. 479.

Munda, ſed è medio, conſuetaque verba, puellæ
Scribite, ſermonis publica forma placet.

Quem imitatus Quintilianus lib. I. Inſtit. cap. 6. *conſuetudo vero certiſſima loquendi magiſtra, utendumque plane ſermone, ut nummo, cui publica forma eſt.* Et eodem ſenſu eſt apud Sueton. Auguſt. cap. X. *jus publicum & tralatitium.* Et Tiber. cap. L. & ita ſæpe Senecæ memorantur *voces publicæ.* vid. Ep. 31. & 33. BURM.

Vos oportet ſuave faciatis] Scilicet per ſuavia hæc veſtra colloquia. Sic loquitur Trimalcio per ſuperbam oſtentationem ſub ſpecie modeſtiæ, quaſi vinum eſſet vilius, ac id circo tali opus haberet condimento. Vide infra cap. XLVIII. ubi ait, *vinum bonum faciatis*, ſenſu ſimili. SCHEFFER. Imo ſcribe: *Hoc vinum vos oportet ſuaves faciat. Bis piſces natare oportet.* GOES. Publicam hanc formulam fuiſſe docet Martialis lib. V. epig. 79. *Vinum tu facies bonum bibendo.* quæ male explicat Heraldus obſervat. cap. V. *Quod tu bibes tamquam bonum, cum non habeas melius, bonum facies,* quæ quid velint, vix intelligo. Sed recte Scheferus exponit, ſermonibus & jocis velut condimento vinum mediocre corrigi. BURM.

Natare oportet] In vino ſcilicet, ad quod eos adhortatur iſtoc proverbio. Nempe frigidioris humidioriſque naturæ piſces ſunt, & ſic debent corrigi. SCHEFFER.

Rogo, me putatis] Petronianum. Sic cap. XCV. *Rogo, ebrii eſtis, an fugitivi?* item cap. XC. *Rogo, inquam, quid tibi vis cum iſto morbo?* item cap. CXXXVII. *Rogo, expiare manus precio licet.* SCHEFFER. Vide infr. cap. 58.

Theca repoſitorii] Repoſitorium, quod paulo ante ferculum, & deſcripſit in ſuperioribus latiſſime. Hujus theca, opinor, in qua cibi ſinguli reponuntur. SCHEFF. *Theca repoſitorii* hic eſt, quæ cap. XXXVI. *ſuperior pars repoſitorii* dicitur, quæ duodecim habebat ſigna, & alterum tegebat ferculum, in quo *altilia, & ſumina*, reliquaque, quæ ibi referuntur. GOES.

Sic notus Ulixes?] *Notus*, eſt, celebris ac clarus. Senſus ergo; an ſic, & hoc modo, hac ſimplicitate clarum factum putatis? Altius & callidius quid ſubeſt, quod conveniat cum calliditate Ulyſſis, ut mox audietis. Videtur ſpeciem proverbii habere, de eo, cui ſubeſt occulta, & nec opinata ratio cauſſaque. Iſta excuſa erant, cum me docet Nobil. Heinſius exſtare hoc in Virg. II. Æn. verſ. 44. hemiſtichion. Porro id liquet eſſe hunc verborum ſenſum: An ego vobis non melius ſum notus? an putatis me eſſe tam ſimplicem rerumque imperitum? SCHEFFER. *Ulixes* reſcripſimus, quia ita optimi quique codices Virgilii & Ovidii, teſte Heinſio & Ciofano, ſemper exhibent, & in Traguriano erat *Ulixes* tam hic, quam cap. 50.

Oportet etiam inter coenandum philologiam noſſe] Seneca Epiſt. VIII. *Cum Ciceronis libros de republica hinc prehendit philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philoſophiæ deditus, alius alio curam ſuam mittit. Philoſophus admiratur contra juſtitiam tam multa dici potuiſſe. Cum ad hanc eamdem lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos Romanos Reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur. Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur. Præterea notat eum, quem nos Dictatorem dicimus, & in hiſtoriis ita nominari legimus, apud antiquos magiſtrum populi vocatum.* Unde liquet, Philologis curæ præcipue fuiſſe, ritus veteres hiſtoriaſque indagare. Quæſtiones philologicas, utpote amœnioris argumenti, inter cœnandum agitari ſolitas, docuit Tullius lib. XVI. Ep. XXI. *Quid ego de Bruttio dicam? quem nullo tempore à me patior decedere: cujus cum frugi ſeveraque eſt vita, tum etiam jucundiſſima convictio. Non eſt enim ſejunctus jocus à Philologia & quotidiana συζητήσει.* Et ſub finem epiſtolæ: *Tu velim in primis ut valeas, ut una συμφιλολογεῖν poſſimus.* HEINS. Vide Wouwer. de Polymathia, cap. XX. & Ciceronis ex Epiſtolis ad Atticum lib. XIII. ult. locum, quem ſupra ad cap. 26. adduximus. Affectat autem hic Trimalchio eruditos ſermones ſuper cœnam, imitaturus Tiberium, de quo vide Sueton. cap. 56. & 70. Claudium autem eruditum ſatis fuiſſe principem, ſed ineptum, & ad ridiculas res & ſermonem ſordidum delabi ſolitum ſcribit Suetonius cap. 40. & ſeqq.

Patrono meo oſſa bene quieſcant] In antiquis Inſcriptionibus apud Gruterum pag. DCXCVI. 5. O. E. B. Q. C. hoc eſt, *oſſa ejus bene quieſcant.* pag DLXIX. 9. *Arcadi oſſa bene quieſcant.* DCCXV. 10. *oſſa mea in aram mixta cum filiæ una requieſcant.* Apud Naſonem Ep. VII. Heroid verſ. 162.

Sic ſenis Anchiſæ molliter oſſa cubant.

Et alibi:

Oſſa ſepulta, precor, tuta requieſcite in urna. HEINS.

Ho-

„nem inter homines voluit esse. Nam mihi nihil potest adferri; sicut „illi fericulusta: mel habuit praxim. Coelus hic, in quo duodecim Dii „habitant, in totidem se figuras convertit, & modo fit Aries. Itaque „quisquis nascitur illo signo, multa pecora habet, multum lanae: caput „prae-

Hominem inter homines] Significanter *hominem* usurpat de libero, & ingenuo. Sic plane Nero apud Sueton. cap. 31. postquam aureas suas ædificassĕt ædes, *quasi hominem tandem habitare cœpisse*, ajebat. SCHEFFER. Quia scilicet Neronem hic traduci sibi persuaserat Schefferus, adducendum erat ejus dictum de domo aurea, quæ certe cum his Trimalchionis verbis nihil habet commune. Sed quia servi vix inter homines reputabantur, vel certe quasi secundum hominum genus habebantur, se manumissum, verum esse hominem jactat. Vide Freinshem. ad Flor. lib. III. cap. 20. Et infr. ad cap. 57. BURM.

Fericulusta mel habuit praxim] Lege, *Sophista, mellis habuit praxim.* TILEBOM. Hæc prodigiosa sunt. Suspicor, scripsisse: *sicut ille fericulus tamen habuit praxim.* Puto autem respicere Ulyssem, sensumque esse, licet visus fuerit asperior, tamen usu edoctum potuisse afferre grata. *Sericulum* existimo vocari à *serio*, sicuti à *blando* est *blandiculus*, & *blandicule*, quod habet Apulejus: nisi malis legere, *feroculus*. *Praxim*, sive *praxin habere*, est tenere usum rei alicujus. Quomodo Cicero in l. de Fin. *habere artem disserendi*, Cæsar IV. B. G. *habere usum belli.* Cl. Gronovius legit, *offerri, sicut iste fericulus tamen habuit gratiam*, vel *graxim* è prologo Asinariæ, ubi aliquando lectum *graxis*, pro *gratiis*. SCHEFF. Lege *Sericulus tamen*, id est, ὀψιμαθὴς; etsi sero discere inceperit, peritiam tamen habet. *Sericulus*, ut *acriculus* apud Cic. 3. Tusc. 17. REINES. Dixi, *Sericulus* videri legendum, accipiendumque de homine alias serio & gravi, nec jocis multum dedito, qualis dicitur Ulysses fuisse. Reinesius τὸ *Sericulus* amplectitur quidem, sed exponit de eo, qui sero incipit discere. At hoc quomodo vel in locum hunc, vel omnino in Ulyssem quadrat, fateor me non intelligere. Hermannides edidit: *sicut illi fericulo: melleam habuit praxim*, quod nec cum MS. convenit, nec idoneum ullum habet sensum. SCHEFFER. Locus prodigiose corruptus, quem tamen videor mihi in integrum restituisse, opera haud supervacanea dum corrigo: *sicut ille fericulus lucem à me habuit proxime. Fericulus* pro ferculo etiam alibi occurrit apud nostrum. Referenda hæc ad duodecim signa cœlestia uno in fericulo, superius exhibita, & ad interpretamentum Trimalchionis nugatorium, quo ferculum illustravit. HEINS. Locus desperatus at varie tentatus. Nescio autem unde Gallicus novi Petronii locupletator hauserit suam lectionem; *omnium, sicut ille, melleam habeo praxim*, & gallice verterit, *je goute la douceur de posseder tout ce que je souhaite, ainsi qu'il faisoit lui même*: in quibus nihil fere est, quod Latinis verbis respondeat. Itane fas est auctores temerare? nonne præstaret profiteri, se hic nihil intelligere? ut ego ingenue fateor. Nisi quod in ultimis verbis ad Homericum Nestora adludi putem, cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio de quo satis adnotatum ad caput v. quod ut clarius sit, mallem refingere *melleam* vel *mellis habuit baxim.* Βάξις Græcis est sermo, oratio gravior; unde & pro oraculo utitur Æschylus Promet. Vinct. vers. 664. BURM.

Cœlus hic] Ita Ennius, Varro, alii. Bene autem, *cœlus*, uti qui Philologiam hic ostentet. SCHEFFER. Si verum esset, quod Columna ad Ennii lib. I. annal. pag. 30. post Servium ad Virgil. lib. v. Æneid. vers. 801. adnotat, *coelus* notare ipsum Deum Patrem Saturni, *coelum* vero sedem deorum, major imperitia esset Trimalchionis, qui dicit *coelus* hic, in quo duodecim Dii habitant. Sed dubito de hac observatione, cum alter locus Ennii apud Nonium & Charisium, ubi *coelus profundus* dicitur, de sede Deorum debeat capi. Apud Gruter. p. IV. 12. est

OPTIMUS. MAXIMUS.
CAELUS. AETERNUS. JUPPITER.

Et hinc pluralis, *coeli*, in usu fuit, non tantum Poëtica licentia, ut Vossius lib. I. de Analog. cap. 41. opinatur; sed & oratoribus frequentissime ita usurpatur, ut docuit Vavassor de vi & usu quorumdam verborum pag. 36. infr. quoque cap. 45. *ubique medius coelus est.* BURM.

Nascitur illo signo] Urbanus hic Mathematicus genituras stultissimas, non ex ipsa arte illa vanissima petitas, sed quæ naturæ animalium, quæ signis illis adfinxit antiquitas, conveniunt. Lepidum in Astrologos Epigramma in Anthol. lib. II. cap. 6. non possum, quin hic adducam, ubi simili modo genitura ex Arietis, Geminorum, & Piscium, ingenio ducitur:

Ἀντικράτης ᾔδει τὰ σφαιρικὰ μᾶλλον Ἀράτου
Πολλῷ, τὴν δ' ἰδίαν οὐκ ἐνόει γένεσιν.
Διστάζειν γάρ, ἔφη, πότερ' ἐν κριῷ γεγένηται,
Ἢ διδύμοις, ἢ τοῖς ἰχθύσιν ἀμφοτέροις.
Εὕρηται δὲ σαφῶς ἐν τοῖς τρισί. καὶ γὰρ ὀχευτὴς
Καὶ μωρὸς, μαλακός τ' ἐστὶ καὶ ὀψοφάγος.

Anticrates novit multo melius spharica Arato,
Sed propriam genesim non intelligit.
Ambigere enim, ait, utrum in Ariete sit natus,
An in geminis, an in duobus piscibus.
Inventus vero est plane in tribus. nam & admissarius,
Et stultus, & mollis est, belluo piscium.

Ubi in Ariete natum docet venereum, qualem noster *Arietinum* vel *Arietillum* vocat; in Geminis stultum & mollem,

„praeterea durum, frontem expudoratam, cornu acutum. Plurimi hoc „signo scholastici nascuntur, & arietini. Laudamus urbanitatem Ma„thematici, itaque adjecit. Deinde totus coelus Taurulus fit. Itaque „tunc calcitrosi nascuntur, & bubulci, & qui se ipsi pascunt. In Ge„minis autem nascuntur bigae, & boves, & colei, & qui utrosque pa„rietes linunt. In Cancro ego natus sum; ideo multis pedibus sto, & „in mari, & in terra multa possideo. nam cancer, & hoc, & illoc „qua-

mollem, ut noster *boves*, id est stupidum, & *coleum*, id est, molles; in piscibus helluonem, ut noster *obsonatorem*. quae pulchre sibi conveniunt. Firmicus, qui totam hanc disciplinam certis canonibus composuit, lib. v. cap. 6. natos, si Mars fuerit in ariete inventus, *amoris laqueis impeditos fore* ait. vid. & Manil. lib. IV. vers. 124. ubi praeclare multa de *lana* habet, quae nostrum illustrant. BURM.

Caput durum] Idem est, quod *os durum*: quo apud Terentium Eunuch. Act. IV. scen. 7. & passim apud alios impudens notatur, tales Graecis κριομέτωποι. v. Schott. ad Stromat. vers. 300. ita infra cap. XLIII. *durae buccae fuit*. BURM.

Frontem expudoratam] Est in Glossis Isidori, *expudoratus*, *impudicus*, quod à Vossio, ut barbarum, rejicitur. Itaque de eo amplius hic cogitandum. SCHEFFER. Sic *expectorare*, & similia apud antiquos. Cyprianus de frugalitate Clericorum, monente Munckero: *venerandi*, *pudica*, *pudorata cum foeminis otia peregere*. HEINS.

Cornu acutum] Quo petant feriantque alios: per figuram usurpatur de contentiosis, ac paratis alios laedere. Plautus in Pseudolo: *formido male, ne in re secunda nunc mihi obvertet cornua*. Vide Horat. ser. 1. & alios. SCHEFFER. Notum est *cornu* potentiae, pugnacis animi, & iracundi hominis esse symbolum, & ita Firmicus in libro v. capite 1. & seqq. In ariete natos *coronarum insulis adornatos*, *sceleratos*, *crudeles*, *jurgiis dissidentes*, *in certaminibus victores*, *imperiosos*, *fortes*, *qui se super alios contendant extollere*, *ad arma paratos*, & similes fore docet. Quia autem aries est quasi princeps astrorum, ideo in nummis Caesarum ejus effigiem quoque conspici, ut indicaret eorum supra reliquos nobilitatem & potentiam, docuit Tristanus tom. 1. Commentar. pag. 322. BURM.

Hoc signo scholastici] Qui pugnacissimi ob rem exilem, quae inter eos controvertitur. GOES. Manil. lib. IV. vers. 140. musicos, cantores, otii amantes, & Astronomos nasci docet.

Arieti illi] Scribo, *arieti illi subjecti*. TILEBOM. Mallem, *arietini*. Arietinum, est simile arietibus, quomodo Columellae *cicer arietinum*. Tangit lites ac contentiones eorum, qui in literis versantur. SCHEFFER. Lege *arietilli*. Contemtim sic vocat scholasticorum discipulos, tamquam petulantes, feroces, & incursaces, vel etiam tamquam hebetioris ingenii stupidos & simplices; Galenus 6. m. m. cap. 3. è Cercida Comico κριομέτωπος eodem sensu dixit. REINES. Scribendum *arietilli*. *Cicer arietillum* habes apud Columellam lib. II. cap. X. Dictum autem arietillum, ut *bovillum* & *ovillum pecus*, quod & *ovinricum* dicebant. Ut apud Gruterum pag. DXIII. 1. CONDUCTORES GREGUM OVIARICORUM. HEINS. Forte & *arietini illius laudamus urbanitatem Mathematici*. Qui nempe haec observavit. Ego hunc locum constituendum interpungendumque puto in hunc modum. *Plurimi hoc signo scholastici nascuntur. Ut arietilli laudamus urbanitatem mathematici, utique adjecit*, &c. Non inepte autem hunc Mathematicum, nempe Trimalchionem, arietillum nominat, non tantum quod arietis coelestis naturam tam probe sese nosse jactaret, verum vel praecipue, quod in illum tam belle convenirent, quae ipse tribuebat natis sub arietis signo. Ut multa pecora habere, multum lanae, caput durum, & vel maxime frontem expudoratam, qua ille multa confidentia effutiebat, quae nec coelum nec terram attingerent. GOES.

Taurulus] Sic festive loquitur. Nempe laudabant urbanitatem ejus, sicut praecedit. SCHEFFER.

Qui se ipsi pascunt] Id est, non agunt vitam parasiticam, vel, ut Plautus loquitur Pers. I. 2. *qui parasitando pascunt ventres suos*, & non à regibus suis pascuntur, (de qua voce cap. 57. agendi locus erit) Plane ita Firmicus lib. v. cap. 3. si Saturnus in Tauro erit inventus, dicit nasci *qui per semet ipsos magnae sibi quaerant substantiae facultatem*. BURM.

In geminis] V. Manil. 4. vers. 152.

Boves] Quare boves? an quoniam & ipsi junguntur bini ad vehicula vel aratra in opere? Hinc apud Varronem in fragmentis, *bigae cornutae*. SCHEFFER.

Colei] Infr. cap. 44. *si nos coleos haberemus*. v. Manut. ad Cicer. IX. ad fam. 22.

Utrosque parietes linunt] Graecum respicit proverbium, quod est δύο τοίχους ἀλείφειν, usurpaturque de iis, qui apud omnes, etiam adversos inter se, gratiam inire quaerunt. SCHEFFER. V. Schott. ad Suidae proverbia Centur. v. 91.

In cancro] Manil. IV. 162. sub cancro mercatores, & foeneratores edi vult.

Multa possideo] In hac quoque genesi Firmicus lib. v. cap. 5. *patrimonia & honores*: & cap. 9. *divitias*

&

„quadrat; & ideo jam dudum nihil ſuper illum poſui, ne geneſim meam „premerem. In Leone cataphagae naſcuntur, & imperioſi. In Virgine „mulieres, & fugitivi, & compediti, In Libra laniones, & unguen„tarii, & quicumque aliquid expediunt. In Scorpione venenarii, & „per-

& locupletes promittit. Sed quod noſter addit de mari & terra, & pedibus, eſt ex Mathematici noſtri urbanitate, reſpicientis ad animalis pedes, & duplicem in aqua & terra vitam. BURM.

Et hoc, & illoc] Antique, pro *huc*, & *illuc*. Plautus in Merc. *non hoc voluntas me impolit*. Ita ſupra, *uſque hoc*, SCHEFFER. Virgil. lib. VIII. Æneid. verſ. 423.

Hoc tunc ignipotens coelo deſcendit ab alto

Serv. *hoc, pro huc, poſuit ſecundum antiquum morem, nam antea* hoc *adverbium loci fuit, quod nunc abolevit.* Vide & Pierium. Ita & veteres membranæ apud Ciceron. lib. X. ad fam. ep. 21. *hoc me venire:* ubi vide viri ſummi Grævii adnotationes. BURM.

Super illum poſui] Nullum cibum impoſui ſigno illius in repoſitorio. Nam alioquin ſupra mentio fit coronæ ſuper eum, ob hanc cauſam. SCHEFFER.

Geneſim] Ut ſupra, *praxim*. Intelligit autem fatum ex ſigno illo ſibi impendens. Nam, ut ait Cicero II. Divin. 12. *Vim quamdam eſſe ajunt ſignifero in orbe, qui Grace ζωδιακὸς dicitur, talem, ut ejus orbis una quæque pars alio modo moveat immutetque coelum, perinde ut quæque ſtellæ in iis finitimiſque partibus ſint quoque tempore, eamque vim varie moveri ab iis ſyderibus, quæ vocantur errantia.* Cæterum hoc modo *geneſin imperatoriam* dixit Suetonius, *geneſes mortalium* Cenſorinus atque alii. SCHEFFER.

In Leone] Manil. lib. IV. 176. venatores, ferarum confectores, iraſci faciles, ſed placabiles, huic ſigno adtribuit.

Cataphage] Corrige, *cataphagi*, hoc eſt, helluones. Gloſſæ veteres. Καταφαγος. *Nepos, comiſator, vorax, comeſor.* SCHEFFER. Lego *cataphagæ*. Græcis enim καταφαγὰς, καταφαγὴς: pravum eſt καταφαγός. Gloſſ. *Gaveo.* Λίχνος, καταφαγὴς, λαπαδύτης, λιμῶν, λαιμαργός. Ebræorum quoque ſententia leo pro voraciſſimo animali habitus fuit; quod adparet ex ænigmate Samſonis Judic. XIV. qui cum *comedentem*, vel vorando conſumentem diceret, leonem intelligi volebat. REINES. Recte Reineſius ex Gloſſario. Ita & Pollux lib. VI. cap. 7. καταφάγας. Capio autem non tam de Helluone proprie dicto, quam de prodigo, qui paterna bona abligurit: ita enim geneſin hanc quoque Firmicus explicat lib. V. cap. 4. *Erunt felices, ac per ſemet ipſos felicitatis inſignia conſequentur, poſtquam patrimonium paternum fuerit amiſſum.* Et cap. III. *à parentibus nihil accipient, aut ſi quid acceperint perdent.* Et proprie καταφάγεσθαι τὴν οὐσίαν Græcos dicere, ut *comedere* Latinos, docuit Lambnius & alii ad Horat. lib. I. Ep. XV. 40. vide infra cap. 44 *jam pannos meos comedi*. Gloſſ. καταφαγάς, *nepos*. Præterea ſub hoc ſigno naſci docet Firmicus ubique potentes, claros, imperioſos: & ita intelligendum quod infra cap. 44. *domi Leones, foras vulpes*. Sed quid prohibet, addere alterum epigramma, quod in Anthologiæ lib. II. cap. VI. lepidiſſimæ ſententiæ exſtat de Aſtrologis, qui in Tauro vel Leone natos homines ſemper fingebant, ut eo felicior nativitas exiret:

Πάντες ὅσοι τὸν Ἄρη καὶ τὸν Κρόνον ἀφροδίτῃσιν
Ἀξιοί εἰσι τυχεῖν πάντες ἐνὸς τυπέος.
Ὀψομαι ἢ μαχέαν αὐτὲς τυχὸν εἰδότας ὅπως
Καὶ τί ποιεῖ ταῦρος, καὶ τί λέων δύναται.

Omnes quotquot Martem & Saturnum in Horoſcopum ponunt,
Digni ſunt conſequi omnes unum ſupplicium.
Videbo eos paulo poſt forte ſcientes revera,
Et quid Taurus, & quid Leo poſſit

Nimirum, cum objecti erint beſtiis his feris. BURM.

In Virgine] Manil. ibid. verſ. 189. doctos, oratores, ſcribas, prodire notat in hoc ſigno.

In Libra] Menſores, ponderatores, calculatores, juris peritos, & magiſtratus in libra naſci Idem docet verſ. 203.

Laniones] Ergo poſthac non magis probum erit *Lanio, lanionis*, quam *lanius, lanii*, ſi quid pollebit fragmenti hujus auctoritas. Negaverat Voſſius lib. III. de Vitiis ſer. Lat. Sed & in Gloſſis antiquis: κρεοπώλης, *lanio*. & Paulus JCtus leg. 18. ff. de Inſtruct & Inſtr. *Cum de lanionis inſtrumento quæritur*, &c. SCHEFF. Locis aliis à me allatis pro hac lectione adde Caprum, qui ſic in libello de Ortograph. *Dixerunt tamen & veteres lanio in nomine*. SCHEFEER. Hos in libra naſci vult Mathematicus noſter, quia carnes appenſas lance vendebant, quod cum in deſuetudinem abiiſſet, & micandi conſuetudo digitis conludentibus eſſet inducta, Turcus Apronianus Præfectus urbis ſub Valentiniano edicto iterum revocavit; quod exhibet Gruterus pag. DCXLVII. 6. & illuſtrat Briſſon. Select. Antiquit. lib. I. cap. 6. BURM.

Aliquid expediunt] Ingenii judiciique ſui trutina, puta: ideo enim naſci tales facit in libra. Ita habes apud Phædrum noſtrum lib. III. fab. 15. *expedi, quid fecerim*. Plautus in Prologo Captiv. *hic hodie expediet hanc dolle ſallaciam*. SCHEFFER. Res exigere videtur ut legamus, *& quicumque hujus aliquid expediunt*. GOES. Puto male explicare Schefferum, ſed, ſi ſana ſit hæc vox, *expedire*, capienda eſt de inſtitoribus, & qui tabernas vel viliores negotiationes ex-

„ percussores. In Sagittario strabones, qui holera spectant, lardum tol-
„ lunt. In Capricorno aerumnosi, quibus prae mala sua cornua nascuntur.
„ In

ercebant, quales nostrates vocant *Kramers*. Ita Ovid. lib. I. Art. amator. vers. 421.

Institor ad Dominam veniet discinctus emacem,
Expediet merces, teque sedente, suas.

Quos *nugivendos* vocavit Plautus in Aulularia, teste Nonio. Qui explicat. *qui aliquid mulieribus vendunt*, ut hic *aliquid expediunt*. Ita supr. cap. XIV. dixit *explicare mercem*. Posset & quis ad fœneratores & mensarios, qui expediunt nomina, & rem pecuniariam tractant, referre: sed ego præfero priorem interpretationem. vehementer tamen dubito, an non legendum sit, *qui aliquid expendunt*, ut comprehendat omnes negotiatores, qui merces pondere vendunt. Cogitent acutiores. BURM.

In scorpione] Manilibus ibid. vers. 217. milites, venatores, gladiatores, & ludicra exercentes certamina huic signo adscribit.

Venenarii, percussores] Hos sub scorpione ponit, forte quia vulgo homines asperitate & acritudine morum detestabiles *scorpiones* vulgus appellat, teste Apulejo lib. IX. Metamorph. ubi vide egregie hæc illustrantem Pricæum, pag. 511. & ita Firmicus lib. V. cap. 7. *Si Venus in scorpione fuerit inventa, dicit nasci, qui nullo habito respectu honestatis, aut æquitatis, res concupitas conabuntur ex aliorum manibus violenter extrahere, hacque de causa non curabunt aliquando ad interfectiones hominum usque descendere.* Et cap. 9. *si luna fuerit in scorpione erunt homines mali, asperi, & crudeles.* BURM.

In Sagittario] Aurigas, domitores ferarum, & equorum nasci ait in hoc signo Manil. vers. 230.

Strabones] Ideo, quia collineantes, cum arcum tetenderint, unum fere oculum clausum habeant, & transversa tueantur.

Qui holera spectant, lardum tollunt] Ad instar proverbii de iis usurpat, qui aliud simulant, aliud faciunt, sicut strabones aliud notare oculis, aliud prehendere manibus videntur. Fures cumprimis notat, & invidos. Consule Nonium, voce *strabones*, ibique Varronis & Lucilii loca. SCHEFFER.

In Capricorno] Metallorum fusores, fabros, pistores, institores vestium, leves & Veneri deditos in Capricorno produci docet Manil. vers. 243.

Ærumnosi] Sub hoc signo Firmicus lib. V. cap. 3. miserrimos quoque nasci putat, ut & cap. 8. *pauperes, debiles, ignobiles, omnibus facultatibus denudatos, valetudinarios, membris vitiatos, ac longis laboribus vitæque impedimentis continue fatigatos.* Per *ærumnosos* Schefferus hic, & lib. II. de re vehicul. cap. 2. præcipue Bajulos, & qui onera portant iniqua, intelligit, quia, auctore Festo, *ærumnulæ* vocantur *furcillæ, quibus religatas sarcinas viatores gerunt.* Quamquam & ex Manilii doctrina *ærumnosi* dici possent metallorum scrutatores, quibus multæ ærumnæ sub terra in inquirendis auri, argenti & reliquorum metallorum venis sunt exhauriendæ. Cæterum hoc signo horoscopante natus fuit Augustus *qui tantam sati fiduciam habuit, ut Thema suum vulgaverit, nummumque argenteum signo capricorni, quo natus est, percusserit.* Sueton. cap. 94. unde apparet non modo ærumnosos hoc signo nasci, sed & felices. Ita & Firmicus lib. V cap. 6. *Homines regios, potentes, maximis tropæis, & plurimo victoriarum genere honestatos hoc signo nasci.* In capite sequenti *magnæ famæ altique nomine reges fore censet, qui omnia mala minoribus imminentia prohibere conentur, nec sinat potentiores in populum desævire.* Quorum primum in Augustum satis quadrat, sed posterius minime: vide Tristan. tom. I. pag. 70. opinionem quoque vulgi fuisse hoc signo Tyrannos nasci docet Lambinus ad illa Horatii lib. II. cap. 17.

Seu Libra, seu me Scorpius aspicit
Formidolosus, pars violentior
Natalis horæ, seu Tyrannus
Hesperiæ Capricornus undæ. BURM.

Quibus præ mala sua, & cornua nascuntur] Puto plane scripsisse nostrum, *quibus præ mole sua & cornua nascuntur. Præ mole*, est, propter molem, sicut Plautus, *præ tremore*, Cicero, *præ lacrymis*, & alii. noster ipse infra, *præ literis. Molem* intelligit sarcinæ, simulque figurate malorum. Qua ratione Cicero quoque in Catilinaria III. dixit, *mali molem à cervicibus suis depellere.* Ludit in ærumnosos, hoc est, eos proprie, qui ærumnis utuntur ad ferenda onera, figurate vero in miseros & laborantes variis difficultatibus, aitque ipsis ex eo, quod tam gravia ferant onera, cornua nasci. Non profecto imperite, quando & qui onera istiusmodi sustinent, magna spiritus contentione cerebrum diducunt veluti, & viam cornibus aperiunt, & ærumnosi melancholici juxta sunt, copiaque materiæ, unde cornua proveniunt, abundant. SCHEFFER. In MS. est *premala*. Suspicor lectionem veram esse, *quibus per mala sua cornua nascuntur. Per mala* est propter mala, id est, calamitates, damna sua, vel labores ærumnosos. Illud *cornua nascuntur* speciem proverbii habet de iis, qui incidunt in ægritudines graves ob multiplices curas. SCHEFF. *Præ mala sua*, pro *præ malis suis*. Sic vulgus loquebatur, ut alibi monemus. Vetus versio Cosmographiæ à Gothofredo editæ pag. 19. *præ omnem mundum*. HEINS. Hæc non intelligo, neque scio cornua indicium malorum & ærumnarum esse, sed symbola fuisse potentiæ & honoris. Quare latent hic forte Tyranni & reges. sed nihil expedio.

In

„ In Aquario copones, & cucurbitae. In Piſcibus obſonatores, & rhe-
„ tores. Sic orbis vertitur, tamquam mola: & ſemper aliquid mali fa-
„ cit; ut homines aut naſcantur, aut pereant. Quod autem in medio
„ ceſpitem videtis, & ſuper ceſpitem favum; nihil ſine ratione facto.
„ Terra mater eſt in medio, quaſi ovum corrotundata, & omnia bona
„ in

In Aquario] Manilius d. l. verſ. 259. Aquileges, aquæductuum fabricatores, minime avaros naſci ſub hoc ſigno ait.

Caupones] Lepide; quia illi aqua vinum ſuum inficere ſolent; quam fraudem eleganter perſtringit Martial. lib. I. ep. 57.

Continuis vexata madet vindemia nimbis
Non potes, ut cupias, vendere caupo merum.

Et lib. III. epig. 57.

Callidus impoſuit nuper mihi caupo Ravenna,
Cum peterem mixtum, vendidit ille merum.

& hinc grammatici Græci volunt κάπηλον dictum παρὰ τὸ καπίνειν τὸν οἶνον, ἤγουν οἶνον ab adulterando vino. Vide Weitz. ad Virgilii Copam initio, &, quos ille laudat, auctores. Et Ariſtoph. Plut. II. ſcen. IV. verſ. 21. & IV. ſcen. 5. verſ. 22. Et ita quidam explicant illa Pauli II. ad Corinth. cap. 2. 17. οὐ γάρ ἐσμεν ὡς οἱ πολλοὶ καπηλεύοντες τὸν λόγον τοῦ θεοῦ. Ubi vetus interpres *non adulterantes*. vide ibi eruditiſſimum, & ſupra vulgus eorum, qui illotis manibus literas ſacras tractant, ſapientem Bezam. & eodem modo Euripid. Hippolyt. 952.

Ἤδη γὰρ αὔχει, καὶ δι' ἀψύχου βορᾶς
Σίτοις καπήλευε.

ubi vide Scholiaſtem. Firmicus non caupones quidem ſub hoc ſigno naſci agnoſcit, ſed lib. V. cap. 5. *epulones & bibones & Epicureos*; capite vero ſequenti *malos & perfidos*. Sed præterea altera ratio adduxit forte Trimalchionem, cur caupones in Aquario collocaret. Quod nempe apud veteres *caupona* erant infames, quia lupanaria & meritoriæ tabernæ erant. Vide viros doctos ad Ælian. III. Variar. 14. & XI. 9. & IX. 19. aquarii autem & aquarioli erant infamis miniſterii mancipia, qui aquam ad turpes uſus ſubminiſtrabant. De quibus ſupra. cap. 27. BURM.

Cucurbita] Quia hæ, teſte Plinio lib. IX. cap. 5. *amant rigua*. cucurbitas etiam homines ſtolidos ſignificare notum vulgo eſt. BURM.

In piſcibus] Manilius ibid. verſ. 273. ſub Piſcibus naſci maris & navigationum ſtudioſos, gubernatores, remiges, piſcatores, fœcundos, & inconſtantes docet. BURM.

Obſonatores] De his epigramma ſupra adductum ſatis docet. Firmicus quoque in hoc ſigno tam ludis joculationibus & cantibus deditos, quam doctos, legum peritos agnoſcit. v. lib. III. cap. 5. 6. 7. & 8. BURM.

Aliquid mali] Atqui ſequitur, *aut naſcantur*. Nempe hic philoſophiam ſuam Trimalcio oſtentat, quando inter mala numerat naſci. Sententia eſt Theognidis apud Stobæum ſerm. 99. quam habes & inter editas à Grutero: *Optimum, non naſci, aut natum quam citiſſime mori*. Cæterum *aliquid mali* intelligo, *res aliqua mala*, *aliquod malum* efficit, ut hoc ita fiat. SCHEFFER. Non video quid hæc ſibi velint. Opinor corrigendum, *ſemper quid anomali facit*. De anomalia Gellius Noctium Attic. lib. II. cap. XXV. Eſt autem ἀνώμαλον *inæquale*, & ἀνωμαλία *inæqualitas* Gloſſarium vetus ἀνωμαλία τῆς ὁδοῦ *ſalebra, aſperitas*. HEINS. Non erravero, ſi dixero ex Trimalchionis ſententia, *orbis*, qui vertitur tamquam mola, *ſemper aliquid analogi facit*. Non enim operatur alia quam naturæ ſuæ ſimilia, & in quas ſe figuras vertit, tales producit homines. Ut cum fit aries, homines ſi non naſcuntur toti arietini, ſaltem habentes aliquid arietilli. Et ſimiliter cum cœlus fit taurulus, aut aliud ſuſcipit ſignum, omnes qui ſub eo naſcuntur, de ejus natura participant, atque illi aliquid analogi patiuntur, ſicut *orbis ſemper aliquid analogi facit*. Quapropter ſi & ita ſcriptum arbitratus fuero, à Trimalchionis ſententia non abiero. GOES.

Ut homines aut naſcantur, aut pereant] Legendum cenſeo; *uti homines aut naſcantur, aut pereant*. GOES.

Ceſpitem videtis) An, *videbatis?* Nam repoſitorium, de quo agebatur, jam ſublatum erat. HEINS.

Nihil ſine ratione facto] Recte. *Facto* enim frequentativum à *facio*. Feſtus è membranis in *Nare*. *Natare igitur eſt ſæpius nare; ut dictare, factare, ventare*, habes apud eundem. *Scriptare*, & *lectare* apud Horatium, I. Sat. VI. verſ 122. HEINS. Tragurienſis *facto*; quod rectum, pro *factito*, & notat facere ſoleo, quod majorem arrogantiam indicat. Vide Munker. ad Fulgent. expoſit. ſerm. antiq. p. 174.

Terra mater] Sic terram appellabant. *Omniparentem* dixerat Maro Æn. VI. & Plinius Hiſt. Natur. lib. XVIII. cap. 1. *cunctorum parentem*. Nota Bruti interpretatio de oſculo matri ferendo, ut & Deucalionis de oſſibus poſt tergum jaciendis. HEINS. Ita dicta, *quia cunctis animantibus victum ſufficiat*. Arnob. lib. II. & III. vide Lactant. II. cap. 10. & Lucret. paſſim: ſed præcipue lib. II. verſ. 992. & ſeqq. ſed hæc obvia, & vulgo notiſſima.

Corrotundata quaſi ovum] Rotunda facta. Seneca IV. Q. N. 3. *Poteſt, etiamſi non fuerit grando talis, cum deſertur, corrotundari & toties per ſpacium aëris denſi devoluta æqualiter atque in orbem teri*. Adde & epiſto-

„ in se habet, tamquam favus.

XL. „ [a] Sophos universi clamamus, & sublatis manibus ad camaram,

a. ENCOLPIUS.

epistolam illius 113. Philoxenus in Glossis: *Conrotundat*, στρογγυλεῖ. Lexicon Cyrilli: στρογγυλίζω, *conrotundo, rotundo*. Cicero sic usurpavit simplex *rotundare* in libro de Universo. SCHEFFER. Usi sunt hoc verbo Seneca epist. CXIII. & Vegetius. *Rotundare* etiam apud alios. HEINS. Ita Plin. lib. XV. Hist. Nat. cap. 21. *ovatam speciem* vocat. Quod autem glossæ hanc vocem reddant per στρογγύλειν & στρογγυλίζειν, exprimit ipsam figuram ovi. Ita, quod Plinius lib. XI. Hist. Nat. cap. 25. dicit *scorpiones, terrestres vermiculos, ovorum specie parere*, Aristoteles lib V. Histor. Animal. cap. 22. vocat ἐπιστρογγυλα σκολήκια μικρὰ, ut adnotavit Harduinus: & ita Nicomachus apud Athenæum lib. II. cap. 16. de prodigo lepide dixit:

Οὐσίδιον γὰρ καταλιπόντος μοι τοῦ πατρὸς
Οὕτω συνεστρογγύλικα κἀξεκόκκισα
Ἐν μησὶν ὀλίγοις ὥσπερ ᾠὸν τις ῥοφῶν.
Rei paullulum mihi cum reliquisset pater,
Sic corrotundavi, & effudi paucis mensibus
Ut si quis ovum sorbeat.

De qua locutione vide Victor. lib. XXIII. Var. lect. cap. 18. BURM.

Sophos] Σοφῶς. Martialis. lib. VI. epigr. 48.

Quod tam grande sophos clamet tibi turba togata.

SCHEFFER. De acclamationibus supra cap. V. & X. jam egerunt commentatores. Σοφῶς autem Græco modo; *belle, bene, sapienter*, Latinis sonis adclamabant: vide Scipion. Gentil. ad Apulej. Apolog. num. 642. Usos fuisse & particula φεῦ, *Pheu*, docet Tertullianus Adversus Valentinianos cap. VIII. *In scholis Carthaginiensibus fuit quidam frigidissimus orator Latinus, Phosphorus nomine. quum virum fortem peroraret, venio, inquit, ad vos, optimi cives, cum victoria mea, cum felicitate vestra, ampliatus, gloriosus, fortunatus, maximus, triumphalis. Et scholastici statim, familia Phosphori Pheu! audisti Fortunatam, & Hedonem, & Acinetum, & Theletum. acclama familiæ Ptolomei Pheu!* Ita paullatim crevit hæc insania, ut cum Cicero & ejus temporis oratores subobscura & secunda admurmuratione auditorum probari verba à suis gauderent, (vide Action. I. in Verr. cap. 15. & ibi Hottom.) posterioris sæculi declamatores insanos clamores & magnum & tergeminum Sophos desiderarent. v. Bern. Ferrar. de Acclamation. & Plausu lib. III. cap. 12. BURM.

Ad camaram] Ad tectum. Noster cap. XXX. *bilychnis de camera pendebat*. Sed & *camara* per *a* est rectum, imo præfert alteri Verrius, & Charisius. Porro, *sublatis manibus ad camaram* hic dictum, ut *sublatis manibus ad cælum*, quod est frequens. SCHEFF. Ita plerumque in vetustissimis exemplaribus invenias scriptum, non *camera*. Nec aliter pervetustus Columellæ codex S. Germani. Porro, notandus hic veterum ritus, qui admirabundi tollebant manus. Sic & infra cap. LVII. Ascyltos, quasi admirari se simulans apophoreta, tam ingeniose scilicet excogitata, tollit manus, cum revera derideret. *Caterum Ascyltos intemperantis licentiæ, cum omnia sublatis manibus eluderet.* Ita illa sunt intelligenda. Horat. Sat. V. lib. II.

Importunus amat laudari, donec, obe, jam
Ad cælum manibus sublatis dixerit. ——

Catullus Epigrammate LIV.

Admirans ait hæc, manusque tollens,
Dii magni salicippium disertum!

Cicero in Academicis Quæst. lib. IV. cap. 19. *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo loquente Lucullo fecerat, ut etiam manus sæpe tolleret.* Et ad Cæsarem lib. VII. ep. V. *Sustulimus manus ego & Balbus, tanta fuit oportunitas, ut illud, nescio quid, non fortuitum, sed divinum videretur.* (Ubi vide Manutium) Addam Arnobii locum, sed fœdissime interpolatum à librariis. Is est lib. VII. ubi agit de theatralium operarum studiis. *Jam vero si viderint, in fœmineas mollitudines enervare se viros, vociferari hos* (hoc V. C.) *frustra, sine culpa alios cursitare, amicitiarum fide salva contundere se alios, & crudis mutilare se* (malo *de*, nam *se* jam præcesserat) *cæstibus, certare hos spiritu, buccas vento distendere, votisque inanibus concrepare, manus ad coelum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant, in gratiam cum homimbus redeunt.* Ubi primo fateor me nescire, quid sibi velint ista, *sine culpa alios cursitare*, nisi scribimus, *in pulpita alios cursitare*. Plinius lib. VII. ep. XXIV. *At hercule alienissimi homines in honorem Quadratillæ per adulationis officium in theatrum cursitabant, exsultabant, plaudebant, mirabantur, ac deinde singulos gestus dominæ cum canticis reddebant.* Plura Interpretes ad illa Nostri cap. V.

—— *Neve plausor in scenam,*
Sedeat, redemtis histrionicam addictus.

quomodo ista scribenda. Pro, *certare hos spiritu*, forte reponendum, *artare os spiritu*, quod fit inflando genas. Pro, *votisque inanibus concrepare*, liber Regius, qui Arnobium conservavit nobis, *votisque immanibus*. Unde Salmasius, *cavatisque manibus*; sed de manibus mox subsequitur, ut iis hic non sit locus. Suspicari licet, relictum nobis ab Arnobio, *stlopisque inanibus*, ad imitationem Persiani loci.

Nec stlopo fumidas intendis rumpere buccas.

Heraldus hæc male transponebat, & perperam interpretabatur, *manus tollere*. Quem esse gestum admirantium, jam vidimus. HEINS. Unde & profluxit noster loquendi modus. *Een gat in den Hemel slaen.*

Id

„ram, juramus Hipparchum Aratumque comparandos illi homines non „fuisse; donec advenerunt ministri, ac toralia proposuerunt toris, in „quibus retia erant picta, subsessoresque cum venabulis, & totus vena„tionis apparatus. Nec dum sciebamus, mitteremus suspiciones no„stras, cum extra triclinium clamor sublatus est ingens: & ecce canes „laconici etiam circa mensam discurrere coeperunt. Secutum est hos „repositorium, in quo positus erat primae magnitudinis aper, & qui„dem

Id enim sublatis manibus quodammodum fieri videtur. GOES.

Aratum] Similis huic irrisio & jocus est in Epigrammate, antiquo lib. II. Anthol. cap. 5. supra jam adducto.

Illi homines] Lege, *illi hominis*. HEINS.

Toralia proposuerunt] Lege *toralia praeposuerunt*. TILEBOM. Emendo, *toralia proposuerunt toris*. Varro; *torale, quod ante torum*. Quia ante torum, ideo noster *proposuerunt toris*, id est, ante ea posuerunt. SCHEFFER. Sana haec sunt. Tacitus Annal. III. cap. V. *Ubi illa veterum instituta? propositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina*. Uti illic legendum cum magno Grotio. Idem Tacitus Hist. I. cap. LXXVIII. *Fuere qui imagines Neronis proponerent*. Ubi videndus Gronovius. Glossae Labbaei: *Torale*, πτερίκλινον, πορφυρὶς, πτερίκλιτον *Toral*, στρωμνὴ. Lampridius in Heliogabalo cap. XIX. *Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit*. Occurrunt & *toralia* apud Horatium & apud Consfidium Grammaticum. HEINS. De toralibus vide Lambinum & Torrentium ad Horat. libr. II. Sat. IV. vers. 84.

Picta] Acu scilicet. Erant enim vestes, variis ornatae imaginibus, quibus torum ornabant, undiquaque circumpositis; errantque vehementer, qui accipiunt pro eis, quibus torus involvitur, aut insternitur, & quae *linceul* à Gallis appellantur; nam omnino torum lectumque ambibant. Glossae veteres, *torale*, πτερίκλινον. Isidorus optime ad hanc mentem: *toralia, longa perpetuaque mappa*, quales scilicet conviviis inserviebant, nam praecedit apud eumdem: *mappa convivii & epularum appositarum sunt*. Sicut autem hic sunt pictae, ita apud Lampridium in Heliogabalo cap. XIX. aureae: *Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit*. SCHEFFER.

Subsessoresque] Optime sic vocat venatores dolo captantes feras. Servius ad Virgilii XI. vers. 268. *Subsessores dicuntur, qui in insidiis tauros intermunt*. Habes quoque apud Ausonium in praefatione Centonis, sed verba etiam post Scaligerum male distincta sunt: *& mirmillo in armis subsidens: venator: & latrans canis*. tu scribe: *in armis: subsidens venator:* SCHEFFER. Recte explicat Schefferus, cui adde Passeratium ad Propert. lib. I. eleg. 8. pag. 180. *subsidere* dicuntur etiam milites, Graecis ἐφεδρεύειν, cum post virgultam, aut maceriam, aut collem, insidias struentes occultantur. Valesius ad Ammian. Marcell. lib. XIV. cap. 3. vide Salmasium de Re militari cap. XII. & Scheffer ad Phaedr. lib. III. fab. 10. BURM.

Cum venabulis] *Venerabilis* codex Tragurienses.

Nec dum sciebamus mitteremus] Lege, *sciebamus, quo mitteremus*, ut in quibusdam jam editis. GOES.

Canes laconici] Aliis Spartani dicti, qui cum Molossis, Cretensibusque, ac Brittannicis, inter venationi aptissimos habebantur. HEINS. Hi inter sagaces primum locum obtinebant. vide Vlitium ad Gratium vers. 241. & ad Nemesian. vers. 107. Senec. Hipp. vers. 34.

Et Spartanos (genus est audax,
Avidumque fera) nodo cautus
Propiore liga.

ubi v. Delr. Claudian. III. in laud. Stilich. vers. 300.

Hirsutaque fremunt Cressa tenuesque Lacaena.

BURMAN.

Etiam circa mensam] Pulchre, ac cum admiratione ponit illud *etiam*. Quomodo Petronius cap. XIII. *Tamquam mendici spolium etiam fastidiose venditabat*. SCHEFFER.

Positus] Proprie de cibis. Juvenal. I. Sat.

—— *quanta est gula, quae sibi totos*
Ponit apros ——

Plinius X. cap. 50. *Ne quid volucrum poneretur, praeter unam gallinam*. Similiter Horatius, Ovidius, alii. SCHEFFER. V. supra cap. 34.

Primae magnitudinis aper] *Primae magnitudinis stellae*, apud Scriptores Historiae Augustae. Seneca de providentia cap. III. *Ingenti pomorum strue cingebat primae formae feras, captas multa cade venantium*. Ubi probabili conjectura Lipsius, *ingenti obsoniorum strue*. Ni mavis; *ingenti apophoretorum strue*. Ut noster infra hoc capite de porcellis è copto factis. *Et hi quidem pro apophoretis fuerunt*. Sed & *pomorum strues* ferri potest: *Aprum millenariam*, hoc est, mille librarum, pro apro primae magnitudinis posuit Seneca Ep. CX. *Mirae magnitudinis* Hygino Fabula CLXXIV. *Eximiae magnitudinis*, Valerio Maximo lib. VI. cap. III. *Praecipuae magnitudinis & eximiae formae vacca*, apud eumdem lib. VII. cap. III. In veterrimo codice Martialis excerptorum Thuanae Bibliothecae, lusuum amphi-

„dem pileatus, è cujus dentibus ſportellae dependebant duae palmulis „textae, altera caryotis, altera Thebaicis repleta. Circa autem minores „porcelli ex coptoplacentis facti, quaſi uberibus imminerent; ſcropham „eſſe poſitam ſignificabant: & hi quidem apophoreta fuerunt. Caete-

„rum

theatralium epigrammatis ſexti tale eſt lemma; *de venatrice, quæ leonem primæ formæ venabulo excepit.* Ubi elegans hoc & proprium, *excepit.* Sic Curtius lib. VIII. cap. I. *Feram non excepit modo, ſed uno vulnere occidit.* Ut autem dicimus, *primæ magnitudinis*, ſic &, *ſecundæ. Taurus mons ſecundæ magnitudinis.* Curtio lib. VII. cap. III. HEINS. Lactant. argum. Ovidii Met. lib. X. fab. 4. *Ganymedes Trois filius primæ formæ;* ubi v. Muncker. Columella lib XII. cap. 50. *primæ notæ.* Veget. Art. Veter. IV. I. *primæ formæ.* Terentius Eunuch. Act. III. ſc. 5. verſ. 9. *primam* (ſc. formam) *dices. ſcio, ſi videris.* Martial. XII. 67.

Gemmantes primâ fulgent teſtudine lecti.

ubi male Raderus. Ita & ſæpe Livius. lib. VIII. *bellator primus.* vid. & lib. IX. cap. I. & lib. XXII. cap. 29. & ita contra *ſecunda* dicebantur viliora. Senec. Epiſt. XLII. *ſcis quem nunc virum bonum dicam? hujus ſecundæ notæ.* Epiſt. LII. *Egregium hoc quoque, ſed ſecundæ ſortis ingenium.* Horat. I. Sat. II.

Tutior at quanto merx eſt in claſſe ſecunda.

Juvenal. IX. Sat. 31.

——— *tenue argentum, venaque ſecundæ.*

Plin. XXXV. 6. *ſecundæ auctoritatis*, ita & Græci δαίμονας δευτέρους dixerunt, & ſimilia, de quibus vide decus & præſidium noſtrum, dum fata Deuſque ſinebant, Grævium lection. Heſiod. cap. IV. BURM.

Pileatus] In ſignum manumiſſionis pridianæ, quia ſervi manumiſſi recens ornabantur pileis. Sequitur enim, *tamquam libertus in convivium venit.* Servire tamen Pileus Dionyſio manumittendo debebat, ut liquet ex ſequentibus. Atque hæc inventi novi ratio ingenioſa ſcilicet. SCHEFFER.

Sportulæ duæ palmulis textæ] Apicius lib. I. cap. IV. *Folia citri viridia in ſportella palmea in dolium muſti mittes.* Ubi Humelbergius: *Sporta è palmæ foliis contexta, quæ ad funes vitiliumque nexus ſunt convenientiſſima.* Cæterum *palmulæ* ſunt, & fructus arboris Suetonio, qui in Auguſto: *Nos in effedo palmulas guſtavimus.* Caryotæ Thebaicæque & ipſæ palmulæ, ſed de nota præſtantiori, de quibus inter alia Athenæus & Plinius. HEINS. Palmulas vocare videtur dactylos, ſive Palmarum fructus, cum raro apud alios ſcriptores eo ſenſu hæc vox occurrat, qui *palmulas* vocant *extremam ramorum partem, in modum palmæ protentam.* v. Servium & alios ad Virgil. lib. V. Æneid. verſ. 168. Plinius lib. IX. Hiſt. Nat. cap. 30. *Tranquillo vectorem demiſſis palmulis ferire, ut remis.* Sed præter Suetonii locum ab Heinſio adductum, cui & alter ex Claudii vita cap. 8. addi poteſt, utitur quoque Varro lib. I. de Re ruſtic. cap. 67. *Nucem juglandem, palmulam, & ficum Sabinam, quanto citius promas, jucundiore utare.* Et lib. II. cap. I. *Non ſcitis palmulas Caryotas in Syria parere in Judæa, in Italia non poſſe*, ubi pro ipſa arbore ſumere videtur. Et forte hic *palmulis textas ſportellas* capere poſſemus, quæ eſſent ex palmularum ramis contextæ, ut Apicii locus docet. Nam ex his & tegetes, quæ & ex ſparto, junco & ſimili materia, vulgo fiebant, conficiebantur. Ita Columell. lib. V. cap. 5. *Palmeis tegetibus vineas adumbrari* dicit. Duplex autem hoc genus palmularum maxime inter ſe diſtabat: nam teſte Plinio lib. XIII. cap. 4. Caryotæ, præſertim præſtantioris generis, optimi ſucci, Thebaicæ ex Ægypto macro corpore, exiles, & aſſiduo vapore torrentes, cruſtam verius, quam cutem obducentes. BURM.

Thebaicaſque & Caryotas] Palmarum fructum ſeu dactylos, palmulas ſic etiam diſtinxit Galenus 2. de alim. fac. cap. 25. ut Ægyptias ſiccas & adſtringentes; Syriacas vel Judaicas caryotas ſeu nucales Dioſcor. lib. I. cap. I. 49. καρυώτιδες, molles, tumidas & dulces eſſe adfirmaret: quem ſequuntur plerique Bruyer. lib. XI. cap. 14. & L. Nonn. lib. I. de re cib. cap. 39. Multo plura de utraque ſpecie Theoph. 2. Hiſt. plant. 8. & ibi Scal. Conſtant. Bodæus. Genera quadraginta novem numerat Plinius lib. 13. cap. 4. Sed cum multa, dum veteres non ſemper intelligeret, vel perperam excerperet, digereretque in tanta rerum copia, perturbatione. Marcellus d. Empir. cap. 20. palmulas caryotas & Thebaicas pro iiſdem accipit. REINES.

Ex coptoplacentis] Scribes, *copti placentis.* TILEBOM. Scribe junctim, *coptoplacentis.* Athenæus lib. XIV. cap. 15. ubi de placentis Romanorum: *Sunt & alia placentarum genera, coptoplacenta, oſtracitis*, &c. In Græco hic omiſſum eſt id vocabulum, ſequitur tamen longiuſcule poſt, κοπτοπλακοῦς. SCHEFFER. *Coptoplacentæ* unum vocabulum, *copta* autem dicitur, non coptos. Ita Martialis non ſemel, ut in Apophoretis *copta Rhodia.* Gloſſæ Labbæi; κοπτὴ, *copta.* Coptoplacentæ vocabulum conſervavit nobis auctor poëmatii de judicio coci & piſtoris, in Catalectis Pithœanis.

Nos facimus populo ſtudioſe coptoplacentas. HEINS.

Imminerent] Lege *imminentes.* TILEBOM.

Significabant & hi quidem] Scribendum, *ſignificabant. Et hi quidem.* TILEBOM. Tragurienſis & *hi quidem Apophoreti fuere.*

Et hi quidem apophoreti fuerunt] *Et hi quidem pro apophoretis fuerunt*, ſi quid video. Apud Horatium *aprum appoſitum rapula, lactucæ, radices cingunt.* Apud

noſtrum

„rum ad ſcindendum aprum non ille Carpus acceſſit, qui altilia lace-
„raverat; ſed barbatus ingens, faſciis cruralibus alligatus, & alicula
„ſubornatus polymita, ſtrictoque venatorio cultro latus apri vehemen-
„ter

noſtrum in novemdialis cœnæ deſcriptione cap. LXVI. *habuimus in primo ferculo porcum poculo coronatum, & circa ſaucunculum & gigaria optime facta, & ex aceto betam, & panem autopyrum.* HEINS. Infra cap. LX. *Dum hæc apophoreta jubemur ſumere.* GOES.

Ad ſcindendum aprum] Martialis lib. III. Epiſt. LXIV.

Eſſe negas coctum leporem, poſciſque flagella;
Mavis Ruſe cocum ſcindere, quam leporem.

Ubi in codice Modiano inveni, *cædere*; quo modo, *cædere ſagittam*, etſi Martialis & alibi, *ſed nihil ſcidiſti*, in obſonatorem minime lautum. HEINS. Senec. Epiſt. 46. *cum ad cœnandum diſcubuimus, alius ſputa detergit, alius reliquias temulentorum ſubditus colligit, alius preciosas aves ſcindit, pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum, in fruſta excutit. Infelix qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter ſecet. Niſi quod miſerior eſt, qui hoc voluptatis cauſſa docet, quam qui neceſſitatis diſcit.*

Barbatus ingens] Diſtingendum puto, *Barbatus, ingens.* BURM.

Faſciis cruralibus alligatus] Facete propter molem harum faſciarum, quaſi faſciæ non tam cruribus alligatæ fuiſſent barbati illius, quam alligatus ipſe faſciis. Notus Ciceronis jocus. *Quis alligavit generum meum gladio?* HEINS. V. Caſaubonum ad Sueton. Aug. LXXXII. & Salmaſium ad Lamprid. Alex. Sever. cap. XL.

Alicula] Veſtis brevior, quæ humeris aliſque ſolet injici. Ita docet manifeſte Velius Longus: *Aliculam exiſtimant dictam, quod alas nobis injecta contineat.* Itaque non aſſentior viro ſummo, qui à Græco ἀκκὶς derivabat, hæc enim erat tunica, eaque manuleata: tunica autem non *injicitur*, quod uſurpat Velius de alicula, cum veſtis ſit interior. Potius erat craſſior veſtis, velut collare, aut ſcapulare, frigori arcendo ab alis & cervicibus, unde Martialis lib. XII. ep. 83.

Brumæ diebus, feriiſque Saturni
Mittebat Umber aliculam mihi pauper.

Mittit aliculam brumæ diebus, eo fine, ſicut dixi. Cæterum non dubito, quin habitus, qui hic deſcribitur, ſit venatorius, propter ea, quæ ſequuntur, atque antecedunt. Quod notandum fuerit, ne ex Ulpiano ſolis pueris aliculam attribuamus. SCHEFFER. V. Cujacium X. obſerv. 18. male vero apud Martialem *Aliculam* de cibo interpretatur Raderus & alii. Chlamydem, venatoriam veſtem fuiſſe obſervat Victorius lib. II. Var. Lect. cap. 21. egregiam venatorii habitus, ſive alicula', ſive chlamys illa ſit, imaginem ex antiquis monumentis dedit Jo. Rhodius ad Scribonii Compoſit. XIII. ubi & cultri venatorii forma conſpicitur. Illam hic aere exprimi curavimus. BURM.



„ter percussit, ex cujus plaga turdi evolaverunt. Parati aucupes cum „arundinibus fuerunt, & eos circa triclinium volitantes momento ex„ceperunt. Inde, cum suum cuique jussisset referri: Trimalchio adjecit: „[a] Etiam videte, quam porcus ille silvaticus totam comederit glan„dem. [b] Statim pueri ad sportellas accesserunt, quae pendebant è den„tibus, Thebaicasque, & caryotas ad numerum divisere coenantibus.

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS.

Subornatus] Vere Petronianum, ut supra cap. XXI. *ultimo cinædus supervenit, myrtea subornatus gausapila.* SCHEFFER.

Polymita] Id est, crassa, spissis filis & liciis texta, cui opponitur λεπτομίτος apud Euripid. Androm. vers. 831. cum alias venatores ex præcepto Xenophontis tenues vestes & levem amictum gererent, sagum vel Chlamydem levem, & vestem supra genu recinctam: ut in monumentis veterum sæpe occurrunt. v. Ill. Spanhemium ad Callimachi Hym. in Dianam vers. 11. & seqq. & vers. 216. & præclare exhibet antiquum marmor apud Sponium Miscell. Erud. Antiquit. pag. 312. BURM.

Cultro venatorio] Ita proprie dictus gladius minor, quo ad hostias & feras jugulandas utebantur. Martial. XIV. 31. cujus lemma *culter venatorius*:


Si dejecta geres longo venabula rostro,
Hic brevis in grandem cominus ibit aprum.

Gratius Cyneget. vers. 341.

Ima Toletano præcingant ilia cultro

Senec. Hypol. 53.

Tu jam victor curvo
Solves viscera ferro.



Parati aucupes cum arundinibus fuerunt, & eos] Interpolata hæc videntur. Melius utique precedet oratio demtis iis *fuerunt &*. Puto itaque: *Parati aucupes cum arundinibus eos, circa triclinium volitantes, momento exceperunt*, ni mavis *adfuerunt* pro *fuerunt*. Lampridius Alexandro Severo cap. XLI. *Voluptates scenicas in convivio numquam habuit, sed summa illa* (in alio *illi*) *oblectatio fuit, ut catuli cum porcellis luderent, aut perdices inter se pugnarent, aut aves parvulæ sursum & deorsum volarent.* HEINS.

Cum arundinibus] De his consule Plautum in Bacch. I. sc. I. 17. & quæ ibi ὁ πάνυ Gronovius. SCHEFF. Refer id ad Viscatas arundines, quarum assiduus usus apud antiquos in aucupio. De iis nos alibi. HEINS. De hoc genere aucupii multis egerunt viri summi. Salmasius ad Solinum p. 83. & 765. & Gronovius lib. III. observ. cap. 18. Valer. Flac. VI. 260.

Qualem populeæ fidentem nexibus umbræ
Si quis avem summi deducat ab æthere rami,
Aute manu tacita, cui plurima crevit arundo,
Ille dolis viscoque super correpta sequaci
Implorat ramos, atque irrita concitat alas.

De quo loco vide Zinzerl. promuls. crit. cap. X. vide infra ad cap. 109. BURM.

XLI. „In-

Suum cuique] Eadem æquitate, qua supra cap. 34. *suas cuique mensas* jusserat adsignari.

Etiam videte] Num scribendum divisim, *& jam videte?* Sed sic & in sequentibus, ubi vide. SCHEFFER. *Adjecit etiam videte.* Ita hæc sunt distinguenda. HEINS. Recte se tuetur hæc particula: est enim hortantis, ut *eja*. vide Servium ad Virgil. Æneid. XI. 373. apud Comicos exempla obvia.

Quam porcus ille silvaticus totam comederit glandem] Lege *quam porcus ille silvaticus tandem comederit glandem.* Volebat ostentator docere convivas, se porcum illum palmulis seu dactylis, non glande & siliquis, ut vulgus, pavisse, ut plurimæ in Oriente gentes solerent, quibus è palmis quadrupedum, suum inprimis, cibus, teste Plinio lib. 13. cap. 4. eoque eas è sportellis de dentibus porci suspensis, promi à pueris & dividi cœnantibus jussit. REINES. Dignum & hoc Trimalchione, cum *aprum* dixisse debuisset. Deinde malebat Thomas Munkerus, *lotam* glandem, hoc est, lautam, sic *coda, copones*, aliaque apud nostrum. Ut voluerit Trimalchio caricis Thebaicisque aprum fuisse pastum. De quo luxu nos paulo ante. HEINS. Ita Phædro lib. II. fab. IV. *sus nemoricultrix*: cæterum Porcum fuisse solemnem Saturnalitiis cœnis dapem docet Martialis XIV. 70. Deinde *lotam comederit glandem* conjicit Munckerus ad Hygin. fab. 126. & ad Alberic. Philosophum de Deorum Imaginibus cap. XXII. pag. 325. *lotam* autem pro *lautam* positum vult.

Ad numerum] Omnibus, quotquot erant, convivis. SCtum vetus apud Ciceronem lib. VIII. ep. 8. quæ est Cœlii. *Si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum uti quodque collegium primum Prætorum fuisset, neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur. si ad numerum ii non essent*, &c. SCHEFFER. An ad gesticulationem dividentium referendum, ut tripudiantes diviserint, quomodo supra. Sic:

——— *ad numerum rapido qui colligit ungues.*
Venit ab auriferis gentibus, Astur equus,

Martiali in Apophoretis. Nasoni Metam. XIV.

Ad numerum motis pedibus duxere choreas.

An potius dicemus, unicuique convivarum æqualem numerum esse divisum? verum ad symphoniam referri malo. HEINS. Ego quoque cum Heinsio ad symphoniam referre malo, & eamdem locutionis vim esse

XLI. „Interim ego, qui privatum habebam ſeceſſum, in multas co-
„gitationes diductus ſum, quare aper pileatus intraſſet. Poſtquam ita-
„que omnes bacalüſias conſumpſi, duravi interrogare illum interpretem
„meum, quid me torqueret. At ille: „Plane etiam hoc ſervus tuus in-
„dicare poteſt. Non enim aenigma eſt, ſed res aperta. Hic aper, cum
„heri

CONVIVA.

eſſe puto, quæ alterius *in numerum*, qua Virgilius uſus Eclog. VI. verſ. 27.

Tum vero in numerum Faunoſque ferasque videres
Ludere.

unde & proverbii ſpeciem induit *in numerum*. vide Manut. ad Cicer. IV. in Verr. c. 9. ita *extra numerum ſe movere Hiſtrio* dicitur Ciceroni Paradox. 3. BURM.

Privatum habebam receſſum] Mallem ego, *privatim*, id eſt, ſeorſum, pro me peculiariter. *Seceſſum habere*, ita puto dictum, ut *habere conſilium*, de eo, qui quid ſecreto ſecum volvit animo. *Secedere in ſe* hoc ſenſu dixit Seneca ep. 25. *Tum præcipue in te ipſe ſecede, cum eſſe cogeris in turba*. SCHEFFER.

Intraſſet] Illatus eſſet. Varro lib. III. R. R. cap. 9. de gallinis Africanis: *Hæ noviſſime in triclinium ganearium introierunt è culina*. SCHEFFER.

Omnes bacaluſias] Suſpicor ſcripſiſſe noſtrum, *omnes bacelogias*. Notum eſt ex Suetonio, uſurpaſſe Auguſtum *bacelum* pro *ſtulto*, à Græco βάκηλος. Hinc credo *bacelogiæ*, βακηλογίαι, id eſt, ratiocinationes cogitationeſque ineptæ. SCHEFFER. Lege *bucoleſias*, βυκολήσιας, id eſt, inanes & falſos conceptus, variaſque imaginationes, & meditationes, mentis agitationes & animi nuſquam reſidentis volutationes, βυκολεῖν eſt decipere: inde βυκολήτης, ἀπατεών Heſychio. Lucianus in Tragopod. ἐλπίδι ματαίᾳ βυκολούμενοι, *ſpe vana deluſi*. In Lege Attica τῆ βασιλέως adpellata, ἄβυκος βυκολίας eſt *ſine dolo*, ut recte vidit Petitus Miſcell. lib. 6. cap. 2. & comment ad LL. Att. l. 1. tit. 2. Theophyl Simocattes ep. Tettigonis ad Porphyr. ὤιμοι! βεβυκόλημαι ὁ δείλαιος: *heu! deluſus ſum miſer*. Nimis adfectatum eſt, & fortaſſis obtruſum Petronio à ſemi-Græco quodam; dubitoque à Latinorum quoquam præterea receptum umquam. Crediderim autem veteres, qui *decollo*, *decolo*, dixere pro decipio, Diom. lib. 1. exſtatque ea ſignificatione apud Plautum in Aulul. in Caſina act. II. ſcen. IV. 28. in Capt. a. 3. ſc. 1. id formaſſe è Græco βουκολέω. Quo ſtante, ceſſare poterunt Grammaticorum ἀψιμαχίαι, quorum plerique derivant à *collo*, & varia, ut rem utcumque explicent, comminiſci neceſſe habent. REINES. *Bacelogias* videtur ſcribendum. Nam *Bacelogiæ* à Bacelo. Vide Eraſmum in adagiis; *Bacelo ſimilis*. Gloſſæ Labbæi, Βάκηλος *barbo*, *baroſus*. Lege *baro*. quod & apud noſtrum hoc convivio, & Ciceronem frequenter occurrit. Rurſus ſimili mendo in iiſdem Gloſſis: *Barbo*, βάκηλος. Gloſſæ MSS. *Bacerus*, *bareſactus* (lego, *Bacelus*, *baro*, *fatuus*) *Gabarus inſulſus*, *barbarus*. *Unde & gabares mortuorum*. De bacelis Victorius in Ciceronem p. 65. ed. Gryph. Apud Suetonium Auguſto cap. LXXXVII. *baceolus* conſtanter legitur, etiam in codice veterrimo Memmiano. Quæ ſcriptura, ſi ſana eſt, & hic *baceologia* fortaſſis ſit ſcribenda. HEINS. De *Bacelo* egi ſupra ad cap. 37. ſed hic neſcio an huic voci locus ſit, cum quia codex Tragurienſis habet *Bacaluſias*, quæ vox quid ſit ignoro, tum quia voces illæ inſolitæ ex Græcis formatæ in hoc convivio non Encolpio ex decoro tribuuntur: non enim ille hic deridendus traducitur, ſed ubique recto & puro ſermone utitur. Hac affectata eruditione ſibi placebant liberti illi, & plebis imæ ſordes, ad lautiorem fortunam erecti. Quare ſuſpicer unam, vel forte duas Latinas voces latere, quæ in unam coïerunt. Sed nondum mihi tam dexter adfuit Apollo, ut divinare potuerim. BURM.

Duravi interrogare] Eleganter, *duravi*, pro *firmavi*, meipſum ſcilicet, animumque meum, anceps dubiuſque ante, num honeſte poſſem totiens interrogationibus meis illi moleſtus eſſe. Pomponius Mela I. cap. 19. *Mentes accedentium primo aſpectu conſternat, ubi contemplari duravere, non ſatiet*. Sic Salmaſius, nam vulgati habent, *contemplati*. SCHEFFER. Recte, quod jam antea oſtendi. Sunt, qui τὸ *durare* non ſatis Latine putant apponi verbo alii. Sed refellit eos Silius, qui ſic lib. XV. verſ. 213.

Haud ulli durant viſus æquare volentem. IDEM.

Interpretem meum] Elegans uſus hujus pronominis, quod indicat hominem, de quo ante jam mentio facta fuit. Ita infra cap. 62. *Homo meus cœpit ad ſtellas facere*. & paulo poſt, *jacebat miles meus in lecto*. Phædr. lib. V. fab. 7.

——— *Homo meus ſe in pulpito*
Totum proſternit.

ubi v. Schoppium & Scheffer. BURM.

Plane etiam hoc] Ita Plautus Epid. Act. IV. ſc. 1. *Plane hic ille eſt, qui mihi in Epidauro primus pudicitiam pepulit*. SCHEFFER. Ex uſu elegantioris latinitatis hac particula utitur. Ter. Hecyr. Act. V. ſc. 4. *Plane hic divinat. nam id eſt*. Noſter ſupra cap. XII. *plane is ipſe erat*. & XV. *idem plane & nos volebamus*, & alibi. BURM.

Hoc ſervus tuus indicare poteſt] Legendum cenſeo; *hoc ſervus hujus*, nempe Trimalchionis, *indicare poteſt*, qui mox porco pileum detrahet. GOES. Intempeſtiva hic Goeſii correctio: proverbii ſpeciem habet reſponſio, eane tu ignoras, quæ vel ſervus tuus ſcire

„heri ſummam coenam vindicaſſet, à convivis dimiſſus: Itaque hodie „tamquam libertus in convivium revertitur. [a] Damnavi ego ſtuporem „meum, & nihil amplius interrogavi, ne viderer numquam inter hone„ſtos coenaſſe. Dum haec loquimur, puer ſpecioſus, vitibus, hederiſ„que

[a] ENCOLPIUS.

poteſt? nam ſi de Trimalchionis ſervo agere voluiſſet, nihil praeterea adjeciſſet, quo hoc ænigma explicaret, ſed cum Encolpium ad ſervum rejeciſſet, exſpectaſſet donec detraxiſſet pileum puer ille. Praeterea illum puerum nondum Triclinium intraſſe puto, dum Encolpius cum conviva illo ſermones cædit, & jam ſtupor ejus ceſſaverat, antequam puer pileum detraxiſſet. BURM.

Sibi ſummam cœnam vindicaſſet] Summam cœnam accipio, pro ſumma cœnæ, id eſt parte praecipua, praecipuo cibo. Quomodo cap. LV. *ſumma carminis*, pro praecipua laude ejus. *Diu ſumma carminis penes Mopſum Thracem memorata eſt.* SCHEFFER. Forte: *cum heri ſumma cœna vindicaſſet ſeſe à convivis, dimiſſus eſt.* Hinc apparet, aliis cibis lautioribus ſatiatos convivas aprum intactum dimiſiſſe è menſa, quod fiebat quandoque. Seneca Ep. LXXVIII. *O infelicem ægrum: edet quantum concoquat. Non jacebit in conſpectu aper, ut vilis caro, à menſa relegatus.* Apud Martialem lib. III. ep. XIII. in re ſimili liberandus à menda locus eſt. En ipſum epigramma.

Dum non vis leporem, dum non vis carpere mullos,
Et plus quam patri, Nævia, parcis apro,
Accuſas rumpiſque cocum, tamquam omnia cruda
Attulerit. Numquam ſic ego crudus ero.

Scribendum, inquam, ſecundo verſu:

Et pluſquam putri, Nævia, parcis apro.

De *patre*, ut vulgo, meræ nugæ ſunt. Solebant etiam quandoque plures apri ſimul apponi. Plinius lib. VIII. cap. LI. *Solidum aprum Romanorum primus in epulis appoſuit P. Servilius Rullus, pater ejus Rulli, qui Ciceronis conſulatu legem Agrariam promulgavit. Tam propinqua origo nunc quotidianæ rei eſt. Et hoc annales notarunt, horum ſcilicet ad emendationem morum: quibus notata quidem cœna, ſed in principio, bini ternique partiter mandantur apri.* At Coranus apud Athenæum unicuique convivarum ſuum aprum apponebat. HEINS. Non repugno, quin intelligatur aper hic fuiſſe caput heſternæ cœnæ. Sed quid ſignificat *ſummam cœnam vindicare?* nam illud *ſibi*, quod in Schefferi notis apparet, non legitur in Petronii verbis, ideoque Heinſii correctionem amplector, & adludi puto ad manumiſſionem, quæ vindicta fiebat. Cum vero ſordidum videri poſſet heſternos cibos iterum adponere, lautus Trimalchio hanc maculam nova quadam urbanitate à ſe removet, Aprum pileatum novo plane habitu, in menſam inferendo. Quod autem dixi ſordidi eſſe hominis heſternas dapes apponere, docet Terentius Eunuch. Act. V. ſc. 4. ubi meretrices *ex jure heſterno panem atrum vorare* ait: & ita paraſitus apud Plaut. Perſ. Act. I. ſcen. 2. *nunc huc introibo, viſam heſternas reliquias.* Et ita ille apud Apulej. Metam. lib. IX. qui hoſpitem ſubito ſupervenientem comiter pro tempore excipit, menſam adponit, *quæ reliquias prandii gerebat.* Et contra lautus ille aſini dominus lib. X. animali illi ſibi placenti, *menſa poſita, omne genus edulium ſolidorum, & illibata fercula juſſit apponi.* BURM.

A convivis dimiſſus] Mallem, *à convivis eſt dimiſſus.* Vult autem, non tangere, aut diſcindere eum voluiſſe, quia fuit quaſi decus menſæ atque ornamentum. Sed ludit in voce *dimiſſus*, quia & ſervi dicuntur *dimitti*, quando manumittuntur, & filii. Ulpianus in tit. *ſi moriente avo pater eorum aut jam deceſſit, aut de poteſtate dimiſſus eſt.* Etiam ad conſuetudinem veterem reſpicit, ex qua manumittere ſervos ſolebant in menſa, & adhibitione convivii. Gajus in Inſtit. tit. I. *Latini ſunt* (liberti) *qui aut per epiſtolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur.* SCHEFFER.

Damnavi ego] Sic cap. 83. *Damnabat Apollo noxias manus*; etiam alibi ſic loquitur. SCHEFFER. Cap. 104. Ne *videamur divinæ mentis opera damnare.* & 117. *Nemo auſus eſt artem damnare nihil auferentem.*

Inter honeſtos] Optime; ſicut Cicero Catil. I. *Dico te priori nocte veniſſe inter ſalcarios in M. Leccæ domum.* Cæterum *honeſtos* ſic vocavit etiam cap. XXXIV. *Et multo honeſtiores cœnabant.* SCHEFFER.

Puer ſpecioſus] Ita decebat. Bacchum enim pulcherrimum & ſemper puerum pingebant, vitibus & hederis redimitum. Ovid. IV. Metam. princ.

——— *Tibi enim inconſumta juventas,*
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus alto
Conſpiceris cœlo. &c.

Ubi varia etiam ejus cognomina recenſentur. Erat enim ſuper alios praecipue πολυώνυμος hic Deus, ut vocatur à Sophocle Antigone verſ. 1127. De habitu autem hujus temulenti numinis obvia apud Poëtas omnia. vide Valer Flacc. lib. II. verſ. 265. Stat. lib. VII. Theb. verſ. 652. & ibi Barth. & ad Claudian. libr. I. de Rapt. verſ. 17. ubi & Parrhaſius videndus. Legenda etiam eruditiſſimi Propertii elegia XV. libri III. haec autem inſania Deos ſub eorum habitu & ſpecie æmulandi, non erat nova: nam & Antonius ſe Bacchi veſtitu ſæpe exhibuit, & *Bacchus minor* dictus, teſte Plutarcho. pag. 944. & Antiochus ille, ſive Alexandri Balæ, ſive Gryphi filius, (de quo vide Illuſtrem Spanhemium de præſtant Numiſm Diſſert. VI. Sectione III. § 6.) dictus *Dionyſius*, & alii, quos Lucianus pro imaginibus refert, & ex illo hanc inſaniam veterum regum illuſtrat vir Ampliſſimus Cuperus

„que redimitus, modo Bromium, interdum Lyaeum, Eviumque con-
„fessus, calathisco uvas circumtulit, & poëmata domini sui acutissima
„voce

rus in monumentis Antiquis pag. 188. & docet imitatos etiam fuisse sæpius Deorum nomina, sed aliter flexa, ut non *Dionysi*, sed *Dionysii* dicerentur, quamquam & vera nomina etiam sibi vindicasse variis exemplis probat, & hic puer ostendit. Sed præcipue ad rem faciunt illorum exempla, qui ventri & epulis dediti hoc per luxuriam sibi nomen & simul ejus Dei habitum, vites, hederas & similia induerunt, ut Mithridates, & Antigonus apud exteros; Marius, Pompejus, & Caligula apud Romanos, quorum Catalogum texuit Schottus lib. III. observat. cap. 3. inter quos, qui huic stultitiæ Trimalchionis forte exemplar fuit, memorabilis est Nicias, de quo narrat Plutarchus. pag. 524. in choragio quodam servum ejus forma & proceritate eximium & imberbem, Bacchi personam induisse; &, cum Populus huic scenæ applauderet, servum illum manumisisse, quia nefas erat, ut corpus, quod Deo omnium vocibus esset simile judicatum, in servitute teneretur. Non abludit quoque ab hoc tempore Marcelli Esernini libertus, *qui se potentiæ caussa Claudii libertis adoptabat, & qui merito quoque Dionysius dici posset.* Plin. lib. XII. 1. BURM.

Euchiumque] Apud Lucretium, Horatium, & alios, est *Euhyus*. SCHEFFER. Lege *Eviumque*, quod inter Bacchi nomina, & plerumque mendosum exhibetur in codicibus vetustis. HEINS. Celebre hoc inter cognomina Liberi patris, sed quomodo scribendum sit, non una sententia. *Euhyum* in melioribus membranis reperiri testatur Torrentius ad Horat. I. od. 18. & Giphanius in indice Lucretiano, & addunt Grammatici, originem ejus cognominis esse à Græco εὖ ὗις, sed refellit hos decus quondam ingens nostræ patriæ Adr. Junius Animadvers. lib. IV. cap. 1. qui contendit *Evius* esse exarandum, ab *Evoe* sive ἰοὴ Bacchantium voce, vide & Heinsii Aristarch. Sacr. cap. 1. Et ita restituit Ciceroni hanc vocem in oratione pro Flacco cap. 25. post alios, Clarissimus Grævius. *Mithridatem Deum, illum patrem, illum conservatorem Asiæ, illum Evium, Dionysum, Bacchum, Liberum nominabant.* Et ex voce Syriaca *Evam*, quæ serpentem notat, deducit hoc nomen Vir illustris Dan. Huetius Demonstr. Euangel. propos. IV. §. 43. quanta porro librariorum, in hoc nomine effingendo, sit varietas, lector doceri potest ex notis Nobilissimi Heinsii ad Ovid. I. art. Amator. vers. 563. BURM.

Confessus] Nihil melius, aut eruditius. Virgilius II. Æneid. 591.

——— *pura per noctem in luce refulsit*
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Coelicolis, & quanta solet ———

Servius ad hæc verba: *confessa deam, divino habitu, quia in primo venatricis habitu se obtulerat.* Sic itaque hoc loco, *confessus Euchium*, qui refert habitum ejus. SCHEFFER. *Confessus* pro adsimilans, & referens, eleganter, & sic non semel Naso, in libris Metamorphoseon. HEINS. Ovid. III. Metamorph.

Famque Deus posita fallacis imagine Tauri
Se confessus erat.

ubi v. Ciofani notas. Apulej. lib. II. Metam. *Matronam profecto confitebor.* & eodem sensu Ovidius lib. II. Metam. 731. *Nec se dissimulat.* BURM.

Calathisco] De quo egregie vide disputantem virum illustrem Spanhemium ad Callim. Hymn. in Cerer. vers. 1. ubi ex antiquo marmore ejus formam exhibet. Similem Thesaurus Brandenburgicus tom. III. pag. 257. in capite Satyri refert, ubi Begerus alium uvis plenum à Satyro gestari in statuis Romanis pag. 19. notat. Quem hic exhiberi curavimus.



Ita in elegantissima gemma, quam vir Præstantissimus Jacobus de Wilde edidit numero 57. duo pueri in capite calathiscos cum uvis sustinere videntur. BURM.

Poëmata domini sui] Nam Poëtices studium Trimalchio adfectabat: unde infra cap. 55. extemporale distichon recitat.

Acutissima voce traduxit] *Acidissima voce*; nam acuta vox laudi ducitur, ut apud Horatium:

Seu voce nunc mavis acuta,
Seu fidibus, citharave Phoebi.

Suetonius de Julio Cæsare cap. LV. *Pronunciasse autem dicitur, voce acuta, ardenti motu, gestuque non sine venustate.* Quamquam acuta vox Eunuchis tribuitur nonnumquam. Glossæ Labbæi *Acidus*, ὀξύπικρος. Infra cap. LXVIII. *Nullus sonus umquam acidior percussit aures meas.* Supra cap. XXXI. *Puer paratissimus acido cantu me excepit.* Et cap. XCII. *acidius sibi umquam fuisse negat. Acida & amara nuptia*, Apulejo Metam. V. *Homo acida linguæ & nimis liber*, apud Senecam controversia XXXIV. *Acescens stomacho esca*, apud Sidonium Apollinarem. Et *acescunt vina bibenti*, in Eclogis Calpurnii. *Acidus* pro acerbo Senecæ de ira lib. III. cap.

„ voce traduxit; ad quem ſonum converſus Trimalchio: [a] Dionyſe, in-
„ quit, LIBER ESTO. [b] Puer detraxit pileum apro, capitique ſuo
„ impoſuit. Tum Trimalchio rurſus adjecit: [c] Non negabitis me, inquit,
„ habere Liberum patrem. [d] Laudavimus dictum Trimalchionis & ci-
„ cumeuntem puerum ſane perbaſiamus. Ab hoc ferculo Trimalchio ad
„ laſanum

a. TRIMALCHIO. *b* ENCOLPIUS. *c* TRIMALCHIO. *d* ENCOLPIUS.

III. cap. XLIII. *Quid illum oblatrantem tibi, humilem quidem & contemtum, ſed ſuperioribus acidum & moleſtum, exterere viribus tuis tentas?* Ipſe Petronius, quid hic velit, infra manifeſtum facit: *cocus cochleas attulit, & tremula teterrimaque voce cantavit.* HEINS.

Traduxit] Per convivium oſtentavit. Ita Tacitus lib. XII. Ann. cap. 36. *phalera torqueſque, quæque externis bellis quæſierat, traducta.* Ipſe noſter cap. CXXVI. *Aut hiſtrio ſcenæ oſtentatione traductus.* Peſſime Gonſalus, *infamia notatus*, eſt enim *hiſtrio traductus*, omnibus factus notus, & monſtratus quaſi, quomodo Suetonius in Tito cap. 8. de delatoribus: *Hos aſſidue in foro flagellis ac fuſtibus cæſos, ac noviſſime traductos per amphitheatri harenam, ſubjici in ſervos imperavit.* SCHEFFER. Papias vocabuliſta, *traducere, detegere, publicare.* Quod Belgice diceremus, *ten toon ſtellen.* GOES. Vide ſupra ad cap. XVII.

Liber eſto] Solennis formula manumittentis. Vide Briſſonium, itemque Rævardum de Auctor. Prudentem cap. 7. SCHEFFER.

Capitique ſuo impoſuit] More manumiſſorum. Servius ad Virg. VIII. Æneid. verſ. 564. *Cum ſervi manumittebantur, raſo capite pileum accipiebant.* SCHEFF.

Non negabitis] Verbum valde frequens noſtro, etiam in editis. ut cap. CVI. *Tryphæna mutata negat ſe interpellare ſupplicium*, & ſic aliis locis pluribus. SCHEFFER.

Liberum patrem] Id eſt, Bacchum, quem *habere* ſe dicit, quia puer eum referens Trimalcionis fuit ſervus. *Liberum* tamen, quia eumdem manumiſerat, liberumque eſſe juſſerat. Hoc illud eſt acumen ſcilicet, quod laudant. SCHEFFER. Non abſimile Martialis acumini lib. IX. epigr. 74.

Circumeuntes puerum] Corrigo, *circumeuntem puerum*, nec enim veriſimile eſt, convivas ſurrexiſſe ad hoc officium. Adde quod ne quidem ſic quadraret *circumeuntes* verbum, cum potius adiſſent. Denique præceſſit. *circumtulit*, quod oſtendit ſatis, ſic legendum eſſe. SCHEFFER. MS. Tragurienſe *circumeuntem puerum*, quod eſt rectiſſimum. IDEM.

Puerum ſane perbaſiamus] *Inſane*, opinor, id eſt, multum baſiamus: & confirmat *perbaſiare*, quod plus eſt, quam baſiare. Cave enim reponas, *ter baſiamus. Porticus inſane bona*, & *negotium inſane magnum*, Plauto. Juvenalis Sat. V.

——— *Mullum ſex millibus emit,*
Æquantem inſane paribus ſeſtertia libris.

Ita enim videtur locus ille conſtituendus, cum vulgo, *ſane*, circumferatur, nullo ſenſu. Merito addit *inſane;* prodigii enim inſtar res, mullus ſex librarum, quos raro exceſſiſſe binas libras Plinius. lib. IX. Hiſtor. Natural. teſtatur. Apud Martialem tamen mullus occurrit librarum quatuor, libro X. qui pompa & caput cœnæ. Apud Senecam ep. XCV. Hiſtoriam habes de mullo, vendito à Tiberio Cæſare quinque millibus, qui pendebat quatuor pondo & ad ſelibram. Quamquam illud majoris inſaniæ, ſi ſeptem millibus, ut Plinius refert, unum mullum ſub Caio principe emerit Aſinius Celer, ſed errorem commiſſum in numero verius eſt, quoniam & cum Juvenale Tertullianus congruit, qui libro de pallio: *Aſinius Celer mulli unius obſonium* VI. *H. S. detulit.* HEINS.

Perbaſiamus] Mallet Reineſius, *ter baſiamus*, quia verbum *baſiare* alias cum præpoſitione tali junctum non legitur. Atque multa apud noſtrum, quæ & ipſa non leguntur alibi. Nec adverſatur ratio, cum ſic *perbibo* apud Plautum, *perdeſpuo* apud Catullum reperiantur. Ipſe noſter tali modo uſurpavit *percoquo.* SCHEFFER. Sic *pereſculari* apud Martialem lib. VIII. ep. LXXXI.

Hos amplectitur, hos pereſculatur.

Ita ſcripti, non *deoſculatur*, quod olim editos occupavit codices. Et apud Noſtrum infra, *percolaphare.* ubi plura. HEINS.

Ab hoc ferculo] Petronius cap. XXIV. *Ab hac voce equum cinædus matavit.* SCHEFFER.

Ad laſammum] Non dubito, quin ſcribi debeat, *ad laſanum*, id eſt, ſellam familiaricam, exonerando alvo. Horatius I. Sat. 6.

Te pueri laſanum portantes œnophorumque.

ad laſanum, eſt, propter laſanum, laſani cauſa, ut ſe illuc conferret. Livius lib. I. cap. 7. *Cum boves quædam ad deſiderium cæterarum mugiſſent.* SCHEFF. Hoc *deſurgere* vocat Horatius lib. II. Sat. II. 76.

——— *Vides, ut pallidus omnis*
Cœna deſurgat dubia?

vide Turneb. lib. XVII. Adverſ. cap. 17. apud Plinium lib. XXVIII. cap. 14. hæc vox immerito loco mota eſt. *Teneſmos, id eſt, crebra & inanis voluntas deſurgendi tollitur poto lacte aſinino.* Ita MSS. codices habere Harduinus oſtendit, & egregie illuſtrat, vulgati *egerendi*, quod eſt à Gloſſatore. aliter exprimit Amm. Marcell. XXX. I. *Ipſo domino convivii per ſimulationem naturalis cujuſque urgentis egreſſo.* BURM.

Sive

„ lasanum surrexit. Nos libertatem sine tyranno nacti, coepimus invitare „ convivarum sermones. Clamat itaque primus, cum pataracina popoſciſſet. „ [a] Dies,

Sine tyranno] Ita eleganter Trimalchionem vocat, quia, dum ejus ineptias attente audire cogerentur, vix proloqui auderent: & ita reges & arbitros conviviorum, qui leges impotenter convivis dicebant, Tyrannos vocari, docuit Barth. lib. VII. adverſ. cap. 3. BURM.

Invitare convivarum ſermones] Provocare, allectare. Optime. quomodo Horatius Epod. 2.

Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus
Somnos quod invitet leves. SCHEFFER.

Hoc eſt, provocare colloquendo. Superbi enim Cœnatores iſti ſilentio reverentiam ſibi à convivis præſtari amabant. In convivio Malchionis apud Martialem:

Septunce multo deinde perditus ſtertit,
Nos accubamus, & ſilentium ronchis
Præſtare juſſi, nutibus propinamus. HEINS.

Cum pataracina popoſciſſet] Num legendum, *patera acina*, pro *pataracina*, quoniam præcedit de uvis? ſed quid ita tandem poſcit pateram? num ut ei imponantur? at vero pateræ potui inſerviebant. Deliberent melius alii. Cl. Gronovius ſuſpicatur *amaracina*. SCHEFFER. Lego, *par duracina*, & intelligo Perſica: Videantur Plinius & Diætetici. REINES. Reineſius in litteris ad Nob. Heinſium, præter ea, quæ publice ſunt edita, ſic habet: *Legebam* par duracina, *intelligens* perſica. *Sed cum hujus convivatoris ebrii ſermonem, clamantis*, diem nihil eſſe; dum te verſas, nox fit; itaque nihil melius, quam de cubiculo recta in triclinium ire, *accuratius expendo*, *apparet*, *queri eum de nimis cito diei & ſimul cœnæ tranſitu. Jam enim ſurrexerat Trimalcio*, *& videbatur quoque convivis faciendum idem. Quare velut abiturus ſe convivio* pataracina, *vel* ἐπιπεταμένους *patricanæ, intellige calceamenta vel ſandalia, nimirum quæ accubiturus ex more depoſuerat, popoſcit. Ita Naſidienus cœna pater apud Horatium* II. Sat. 8. *ſoleas*; *& Dinarchus ſurgens è convivio apud Plautum* Truc. II. ſc. 4. verſ. 12. Cedo ſoleas mihi, properate, auferte menſam, *inquit. Sunt autem* ἐκ πατάρων σανδάλια, σανδάλια πατρικὰ, *Pataris Lyciæ confecta, quod genus ἐπίχρυσα fuiſſe notamus apud Lucianum in Dial.* ἑταιρ. *Dorionis & Myrtales. Scilicet adjectivum neutro genere poſitum ſubſtantivaſcit, quod in re veſtium ſcriptoribus uſu venit. Pataracina igitur ut calceamenta ſubintelligantur, dicuntur ut apud Lucilium, Lucret. lib. 4. Cornif. ad Herenn. lib. 4. cap. 3. juxta lectionem editam & Virg. in Ceir. verſ.* 169. Sicyonia, *pro calceis Sicyonis, quos Cic. de Orat. & Luc. l. d.* ὑποδήματα ἐκ Σικυῶνος *appellavit: & ut Martialis lib. 4. ep. 50.* Vetera Corinthia, *pro vaſis Corinthiis veteribus, & apud Senecam de Tranq. cap.* 11. Patricia, *pro calceamentis propriis patriciorum. Obſervandum ſimul, pataricana aceipi* συνεκδοχικῶς, *nomine ſpecialis in generalis locum adhibito, pro ſoccis, in quibus ibant diſcubitum.* Hæc prolixe ſatis Reineſius, verum fruſtra. Certe omnia contrario ſe habebant modo in cœna, quam ipſe prodit. Exit quidem Trimalchio, ſed ut nemini ſuſpicio poſſit eſſe finiti convivii, Trimalchioniſque non reverſuri. Menſa plena erat ciborum, nec quales circa finem cœnæ, ſed initio vel medio apponi ſolebant. Quædam fercula recens habebant illata. Deinde præcedit manifeſte, *nos cœpimus invitare convivarum ſermones*. Antea proximi ſolum inter ſe locuti erant. Nunc omnium incipiunt miſceri ſermones, nemo cogitat de abitu. Denique hic ipſe ſtatim queritur, tempus cœnarum breve eſſe; cur ergo ante alios feſtinet, poſcatque ſandalia, priuſquam id faceret alius? debuiſſet pro ingenio ſuo exſpectaſſe ſaltem abitum reliquorum. Quare melius, quod ante conjectaverat de duracinis. Quanquam *par duracina* pro *par duracinorum*, quomodo Reineſius tueri valeat, non videam. Mallem ego illud *pa* in *pataracina*, quod MS. habet, credere ſcriptum eſſe per compendium, & pro eo *poma* legi oportere, ut ſint *poma duracina*, genus perſicorum: niſi quis malit *poma Taracinæ*, vel *Tarracinæ*, & intelligere nata in Tarracina, Campaniæ oppido, cujus mentio apud Livium occurrit. Licet horum pomorum apud alios, quantum ego potui obſervare, altum ſit ſilentium. Juvat conjecturam hanc, quod Trimalchio inferius dicatur habere prædium *Tarracinenſibus* confine. SCHEFFER. Locus mire corruptus. Primo deſideratur nomen convivæ, neſco cujus. Qua propter ſcribo: *Damas itaque primus*. Sic libertus è ſervo factus apud Perſium, *Marcus Dama*. Horatius:

Viſne tegam ſpurco Damæ latus? ——

Et alibi:

—— *Prodis ex judice Dama*
Turpis ——

Nam *Damas* & *Dama*, Græcis Δᾶμας. Quod Varro lib. VIII. de L. L. docet eſſe contractum ex Δημήτριος, ut Aretas ex Artemidoro, Menas ex Menodoro, & ſimilia. Δᾶμας Æolice & Dorice Δᾶμας, unde *Damas* & *Dama* Romanis. Similis huic fere totus grex convivarum; Ganymedes, Phileros, Seleucus, Echion centenarius, Hermeros lapidarius, Niceros, Plocrimos. Deinde corrigendum reor, *cum patera capaci vina popoſciſſet*; vel, *una popoſciſſent*. Quomodo apud Ciceronem Verrina tertia. *Diſcumbitur, fit ſermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur: hoſpes hortatur: poſcunt majoribus poculis: celebratur omnium ſermone lætitiaque convivium.* D. Ambroſius libro de Elia & jejunio: *Ubi res calere cœpit, poſcunt majoribus poculis.* Quæ ex Cicerone hauſit. *Capaci pa-*

„ [a] Dies, inquit, nihil est; dum versas te, nox fit: itaque nihil est me-
„ lius, quam de cubiculo recta in triclinium ire. Et mundum frigus ha-
„ buimus. vix me balneus calfecit; tamen calda potio vestiarius est. Sta-
„ mina-

[a] CONVIVA.

tera, ut infra cap. LXV. *Delectatus hac Trimalchio hilaritate, & ipse poposcit capaciorem scyphum.* Horatius Epod. IX.

Capaciores adfer huc puer scyphos.

Idem lib. II. Sat. VIII.

——— *Tum Vibidius Balatroni*
Nos nisi damnose bibimus, moriemur inulti.
Et calices poscit majores.

Mox:

——— *Vibidius dum*
Quærit de pueris, num sit quoque fracta lagena,
Quod sibi poscenti non dentur pocula. ———

Gemmam capacem dixit Seneca de beneficiis lib. VIII. cap. IX. *Video murrhina pocula, parum scilicet luxuria magno furit, nisi, quod vomant, capacibus gemmis inter se propinarent.* Ubi murrhina vasa in gemmis numerari vides. Drepan. in Panegyrico: *Nisi æstivam in gemmis capacibus glaciem Falerna fregissent.* HEINS. Non capio illud Reinesii *par duracina.* dixisset saltem *par duracinum* vel *duracinorum.* Neque, quis adhuc locus Persicis illis sit, video, cum agat de *calda potione*: Neque melius idem vir doctus ad Class. IX, inscr. 78. corrigit *Pataricana*, & capit de sandaliis, quæ conviva hic à cœna surgens sibi dari poscit; nullum enim indicium est surrexisse, sed cubito presso remansisse ad confabulandum. Heinsii conjectura longius abit. Schefferi non est aliena à vulgatis verbis, sed ipse explicare nequit, quare & hic ampliemus. an autem aliquid lateat de vino *acinato*, de quo egit Nonnius de re cibaria lib. IV. cap. 13. & quod Palladius lib. I. Tit. 6. vocat *acinaticium*, dubito. Sed accuratius locum inspicienti non operosa correctione opus esse puto, si modo vox *pataracina* dividatur in *pater acina.* Puerum Bacchi specie, quem Liberum patrem per jocum Trimalchio dixerat, compellat hic conviva, & poscit ut sibi *acina* daret, id est, uvas, quas in calathisco gerebat. Lege ergo *Damas* (nam tale aliquod nomen latere puto) *itaque, primus cum, PATER, ACINA poposcisset*, id est, clamasset, Pater Bacche, *da acina*; Acina autem notant ipsas uvas, sive baccas tam vitis, quam aliarum frugum; ut docuit Casaubon. ad Sueton. Aug. cap. 76. ubi Augustus scribit, *se panis unciam cum paucis uvæ duracinæ acinis comedisse.* Sed aliter usurpasse videtur *acini* voce Cicero pro nucleo sive grano uvæ, de Senectut. cap. 15. *Quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex ceterarum frugum ac stirpium minutissimis seminibus tantos truncos ramosque procreat.* vid. Scholiast. ad Horat. II. Sat. VI. 85. Cæterum hæc acina condita capere oportet, nam hyems erat (mox enim de frigore queritur) & in condendis his uvis multa erat cura & lautiorum hominum luxuria. Vide egregie Columell. lib. XII. cap. 43. BURM.

Nihil est] Propter brevitatem suam, quia transit celerrime. Plautus in Milite Act. I. sc. I. *PY. istuc quidem edepol nihil est. AR. nihil hercle quidem hoc.* Horat. II. Sat. 3.

Mille cadis; nihil est, tercentum millibus. ——— SCHEFFER.

Dum versas te] Mallem ego, *dum vertis te*, nisi *versas* quis accipiat pro, *cito vertis*: notat enim brevitatem temporis. Ut cap. XCIX. *dum loqueris, levis pruina dilabitur.* Horatius lib. I. Od. XI. vers. 7. *Dum loquimur fugerit invida Ætas.* SCHEFFER. Seneca de ira lib. III. sub finem: *Dum respicimus, quod ajunt, versamusque nos, jam mortalitas aderit.* HEINS.

De cubiculo recta in triclinium] Parasiticum hoc plane, sicut & istud apud Plautum Persa. Act I. sc. 3.

Dum mane est, omnes esse mortalis docet. GOES.

Mundum frigus] An non? *multum frigus.* TILEBOM. Hæc sine dubio corrupta sunt, nec, quomodo sanari queant, nunc quidem dispicio. Cl. Gronovius è Martiali censet captum, qui lib. III. ep. 58. *famem mundam* usurpavit. SCHEFFER. Post conjecturas omnes puto locum sic legendum: *nihil est melius, quam de cubiculo recta in triclinium ire, & inunctum. Frigus habuimus.* Existimat balneum, & unctionem, quæ solebat cœnæ præmitti, posse negligi, quo longior fiat cœna. Firmant conjecturam verba convivæ alterius, *& ego non cotidie lavor.* IDEM. Opti me hæc tuetur, Gronovius Martialis loco, ubi *mundam famem* habes. Opinor tamen, *ut mundum frigus habuimus.* De balneo querela est parum calente. *Mundum frigus*, pro mero frigore. Sic in vita Severi Alexandri apud Spartianum cap. XLII. *annonas mundas*, pro mero pane habemus. *Annonas binas aut ternas accipiebant, ita ut mundas consequerentur.* Mundas, sine aliis eduliis. Sed male Casaubonus ὁ πάνυ sordido pani mundas illic annonas vult opponi. Sic *panis siccus*, sine aliis obsoniis. HEINS. Si sana sunt verba, capio de frigore quod cœlo sereno est intensissimum; ut ita *purum cœlum* sæpe apud veteres occurrat.

Balneus calfecit] Lego *balneum calfecit.* TILEBOM. Suspicor scripsisse nostrum, *vix me balneis calfeci.* postrema littera, in vocabulo *calfecit*, adnata est ex sequenti *tamen.* Noster alio loco, cap. XXVIII. ad quem respicitur fortassis hisce verbis: *Itaque intravimus balneum, & sudore calefacti momento temporis, ad frigidam eximus.* Sic distinguenda censeo hæc verba. Nam quod ait, *vix me calfeci*, exponit illud, *calefacti momento temporis*, quod in allato loco occurrit. SCHEFFER. Et tamen, sicuti ad ignem accedimus cale-

„minarias duxi, & plane matus sum; vinus mihi in cerebrum abiit.

XLII. [a] Ex-

calefiendi gratia, sic etiam ejus ergo Romani olim descendebant in balneum. Seneca de benef. VI. c. XV. *Quanti æstimas in solitudine hospitium, in imbre tectum, in frigore balneum, aut ignem.* GOES.

Tamen calda potio] Ita bene usurpat illud *tamen*. Cato in Bimargo: *Atavi nostri cum allium ac cepe eorum verba olerent, tamen optime animati erant.* Cicero in Rullum. *Hæreditatum obeundarum causa quibus vos legationes dedistis, qui ad negotium exierunt, non maximis opibus præditi: tamen auditis profecto, quam graves eorum adventus socits vestris esse soleant.* SCHEFF.

Calda potio] Inepte. Non enim calda potio vicem vestis præbet, sed balneum, si ferveat. Scriptum itaque forte, *calda lotio vestiarius, sed Stamnatas duxi.* Quamvis non sciam ita veteres locutos. Sunt enim plura præter eorum usum dicta in hoc libello. Caldum autem post balneum potabant in thermopolio. Plautus Curculione Act. II. sc. III.

Quos semper videas bibentes esse in thermopolio.
Ubi quid subripuere, operto capitulo calidum bibunt.

Idem Rudente II. VI.

Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis postquam abs te abii, algeo.
Ne thermopolium quidem ullum ille instruit.

Hoc autem faciebant eo, ut, sicut balneo refecerant exteriora, ita & interiora reficerent in thermopolio. GOES.

Vestiarius est] Joculariter, quasi probat, dum calefacit. SCHEFF. *Vestiarius*, ἱματοφύλαξ, ἱσθητοπώλης. *Vestiarium*, ἱματοφυλάκιον ἱματιοθήκη ἀμφίασμα. Et sic *vestiarium*, in Aureliani vita, apud Vopiscum ponitur. Glossæ MSS. *Induviarius, vestiarius. Vestiarium*, pro veste, ut *cibarium*, pro cibo. Seneca de benef. cap. XXI. *Est aliquid, quod Dominus servo præstare debeat, ut cibarium, vestiarium.* Ubi Lipsius minus recte interpretatur pecuniam, quæ pro veste datur. Idem de Tranquillitate animi cap. VI. *Familia vestiarium petit victumque.* Sic & Columella lib. I. cap. VIII. & Veteres Jurisconsulti. Fuit & vestiarium in Ecclesiis antiquis locus. Sed hic *vestiarius* ponitur, ut mox cap. XLII. *fullo. Balisicus enim fullo est.* HEINS. Elegans jocus, quia ipsa calida contra frigus utebantur, & ita loco vestis erat. De caldæ usu vide Freinshem. de potu calidæ, capite ultimo. Vestiarii vero sunt, qui vestes conficiunt; & sæpe in antiquis lapidibus occurrunt. Vide Indicem Gruteri, & Porphyr. ad Horat. I. Ep. I. v. 94. Dubito tamen an non cum Goesio præstaret legere, *lotio*, ut carpat hic Satyricus immensum horum temporum luxum, quo libertini illi Claudiani in insanas Balneorum, quibus calidis plerumque uterentur, substructiones immensam pecuniam profundebant. Vide Senec. epist. LXXXVI. ubi inter alia narrat *suffundi aquam, & recentem currere semper, velut ex caldo fonte*, & alia incredibilia, quæ ibi legi possunt. Balnea autem ferventia maxime probabant luxuriosi, non tam ut sudore, velut medicina uterentur, sed ut ebrietatem & cruditatem discuterent. vide infr. cap. 72. & 73. Plinius XIV. cap. 22. *cautissimos ex his balneis coqui videmus exanimesque efferri.* De his inter schedas Heinsianas ineditum epigramma, districho modo circumscriptum, tale est,

Una salus homini est calidum captare lavacrum,
Ne tepidus reddat morbida membra vapor.

BURMAN.

Staminatas duxi] Putavi vestes, quas vestiarius ille præbebat, esse *staminatas*, id est eodem manentes stanteque loco; nunc intelligo ambulatorias esse, quoniam in cerebrum abeunt. Ludit in voce *staminatas*, nam *staminatæ vestes*, quæ factæ sunt ex stamine, sicut nempe vulgo vestes omnes ex stamine & subtegmine. Sed quia stamen est à *stando*, dicit, vestes eas credidisse se staturas, hoc est, putasse calidam & vinum mansurum uno loco, nunc vero longe aliud se intelligere, ac sentire id in cerebro errans & vagabundum. Gronov. legit *geminatas* seu *heminarias*, sex Cyathorum potione. SCHEFFER. Subintelligo *potiones*, ut cap. CXXXVII. *Volabant meracæ potiones*: sequitur enim, *vinum mihi in cerebrum abiit.* Legendum vero *stamniatas*, id est, haustus liberaliores, urnales & amphorales, σαμνὸς, σαμνίον, hama, amphora, urna, seria, multilibris aqualis, crater urnæ capax Juven. Sat. 12. puteus argenteus, vas potorium majus, dignum sitiente Pholo, quod vel jumento potando sufficeret: potiones stamniatæ *Kubsuffe*. REINES. *Steminatas*, opinor, à veteri scriptura fuisse, ut duæ litteræ priores è voce præcedenti geminatæ sint, solenni librariorum errore. *Heminatas* igitur, sive *eminatas duxi*, subintellige potiones, nisi *eminarias* mavis. Ita mox cap. sequenti: *Mulsi pultarium obduxi.* Apud Senecam: *Propinavit illi heminam Cæsar.* Apud Catonem non semel *mina* pro *hemina* sive *emina* contracte legitur ut cap. CXXIV. ubi videatur Meursius. Thomas Munkerus, vir eruditissimus, *staminarias* malebat, voce deducta à stamine, ut continuata oratione figurata sic appellet potiones meracas, cum caldas paulo ante *vestiarium* dicat. Laudat in *staminariis* Laberium Gellius libro XVI. cap. VII. At *stamnatas*, à σαμνὸς, urceus, quod Scheffero curis secundis videbatur, propius, puto, accedit ad scriptam lectionem, & ad mentem Nostri. HEINS.

Duxi] Id est, hausi, bibi: nihil frequentius Horatio & aliis. Vide Lambinum, & alios ad Horatium lib. I. od. 17.

Matus sum] Lege cum duplici *t mattus sum*, ut habet vetussimum Glossarium MS. nostrum Remense. TILEBOM. Lege *plane mataus sum. Mataus* est μάταιος. Etiam hic jocus inest. Nam μάταιος & *frustraneus* est, & *ineptus*, ut dupliciter possit accipi, &

XLII. „[a] Excepit Seleucus fabulae partem: [b] Et ego, inquit, non „cotidie lavor; Baliscus enim fullo est. Aqua dentes habet, & cor „nostrum cotidie liquescit; sed cum mulsi pultarium obduxi, frigori „laeca-

a ENCOLPIUS. *b* SELEUCUS.

pro *frustraneus sum*, nec ita evenit res, ut putaram; & pro *ineptus sum*, vino cerebrum lædente. Hesychius. Μάταιος, ἠλίθιος, τάλας. Glossarium vetus, μάτην, *frustra*, *nequicquam*. Gron. legit. *madidus*. SCHEFFER. Nihil hic mutandum. *Matus*, est *humidus*, *madidus*. Glossæ Isidori, *matum est*, *humectum est*, *emollitum*, *infectum*. SCHEFF. Fuit, cum pro *matus*, *maduſa* reponerem è Festo, qui ebrium interpretatur: *Madulla* Plauto est & membranis Festi. Nunc audio celeberrimum Schefferum, qui vulgatum tuetur è Glossis Isidori. Salmasius Ciceroni ad Atticum lib. XVI. ep. XIII. quoque eam vocem reddidit. *Via matta*, pro lutosa & humecta, vulgo excuditur, *via inepta*; quod ineptum est. Locus Salmasii est ad Proculum Vopisci cap. 13. HEINS.

Vinum mihi] MS. Dalmaticum habet, *Vinus*, quod non contemno, vel propter Græcum οἶνος, unde formatum est. Nam ut Græci usurparunt οἶνος & οἶνον, cur non fecerint & Latini, dixerintque *vinus* & *vinum*. SCHEFFER. *Vinus* Tragurienſis, quod retinendum, nam inepti homines, ut eruditi viderentur, ad originem vocis alludebant: ab οἶνος enim *vinus* descendit. vide Munker ad Hygin. fab. CXXIX. BURM.

In cerebrum abiit] Plaut. Pers. I. sc. 3. *Nolo in vesicam quod eat, in ventrem volo*. SCHEFFER.

Seleucus] *Selucus* Tragurienſ.

Non quotidie lavor] Differentiam statuunt grammatici inter *lavare* & *lavari*. Sed hanc non perpetuam docet Munckerus ad Hygin. fab. CXCIX. lautiores autem Romæ quotidie lavabantur, ut sordes, ex laneis vestibus contractas, eluerent, quod obvium & notum. Sed Seleucus non quotidie se lavari dicebat, non quia parcebat sumptibus, sed quia Baliscus Fullo erat, qui togas ejus sæpius mundas faciebat, ita ut non opus haberet; & ita latenter jactat lautitiam, qui mallet vestes sæpe Fulloni purgandas mittere, quod pluris constabat, quam quotidie molestiam lavandi, quod minoris erat pretii, obire; & quamdiu ille fullo supereſt, non opus Balneo, nam aqua dentes habet. Id est, quotidie aliquid derodit de corpore, nec, licet videatur juvare Balneum, sæpe usurpatum est salubre. BURM.

Baliscus] Haud mendacem esse conjecturam crederim meam, si *baliscus* vice, legatur *baliſmus*. TILEBOM. Gronov. legit *balneus*. SCHEFFER. Sermo omnis est de virtute seu effectibus balnearum. Permaxime solens Petronio uti Diminutivis, quæ diminutive tamen non significent: Sic *ſteriliculam*, cap. XXXV. *berbeculos*, cap. XXXVII. *taurulum*, cap. XXXIX. *aliculam*, cap. XL. *corneolum*, cap. XLIII. *glebulas*, *lamellulas*, *utriculos*, cap. LVII. *ſtatuncula*, cap. L. *epatia*, *lucunculum*, cap. LXVI. *mactrillam*, cap. LXXIV. *Coricillum*, cap. LXXV. *cerebellum*, cap. LXXVI, dixit. Legendum vero revocata syllaba, quæ effugerat manum descriptoris vel typographi, *balaniſcus*, id est, balneator: hoc formatum e Græco βαλανεύς: hujus Fœmininum βαλανὶς, & paragogice βαλάνισσα: ut βασιλεύς, βασίλισσα, βασιλὶς, βασίλισσα. κοιτωνεύς, κοιτωνίσκος, κοιτωνὶς: ναυτεύς, & ναυτίας, ναυτίσκος, ναυτὶς: etsi alii malint ναῦτις, quod est in LXX. Dan. XI. vers. 6. In eo vero, quod *balneum* vocat balneatorem, προσωποποιΐαν agnoscimus. REINES. Veram censeo scripturam, *balniſcus*, ut sit diminutivum à *balneus*, sicut à *calatus* est *calatiſcus*. SCHEFFER. Sub *Baliſco* aliud nomen latet. Forte *Baliſtus*, qualis est apud Reines. I. Clas. inſc. CCLXI. quamvis ille ibi *Kaliſtus* malit, quod est magis obvium. Sed *Baliſta* Lanista ille Virgilii epitaphio notus est, & alter memoratur in leg. 32. ff. ad SCtum Trebellian. BURMAN.

Fullo est] Ad instar proverbii usurpat de eo, qui quotidie balneis utitur. Nempe quia proprium fullonum, degere in aquis, ut qui vestes lavent aqua urinis permixta. Vide, quæ notavit maximus Gronovius, ad Plauti Asin. V. sc. 2. 57. SCHEFFER.

Dentes habet] Arrodit nos, facit corpus mollius ac fluidius. & hoc habet speciem proverbii. SCHEFFER. Hoc interpretamentum esse poterit istius Hippocratici effati 6. Epidem 4. n. 18. Ὕδωρ βορέων. *Aqua vorax*; quod homines voraces reddat diutina in aquis mansio, vel circa aquas habitatio; quod Galenus in Comment. etiam de frigidæ potu adfirmat, ὡς τὰς ὀρέξεις ἀυξάνοντι καὶ γινῶντι; additque Græcos omnes in Asia βορέας appellare τὰς πολὺ δυναμένας ἐσθίειν. REINES.

Cor liquescit] Respicit forte ad Balneas illas ardentes, *quibus persuadebant sibi cibos in corporibus coqui*. v. Plin. XXIX. I.

Mulsi pultarium] Lego divisim, *mulsi pultarium*, id est, vas plenum mulsi. Plinius lib. VII. cap. 33. *Edita cœna*, *calidam potionem in pultario popoſcit*. SCHEFFER. Pultarii vasis Celsus & Plinius Historia Naturali meminerunt. HEINS. Et hoc decet libertinæ conditionis hominem, qui mulsum ex pultario, vase alii usui destinato, biberet.

Obduxi] Seneca de Providentia cap. 3. *Male tractatum Socratem judicas, quod illam potionem, publice mixtam, non aliter quam medicamentum mortalitatis obduxit*. HEINS. Elegans verbum & quod aviditatem sitientis notat, quod in Tuscul. Quæst. I. cap. 40. restituit Victorius Ciceroni. *venenum, ut ſitiens, obduxit*. Senec. Troad. vers. 1162.

non

„ laecasim dico; nec sane lavare potui, fui enim hodie in funus. Homo „ bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebulliit: modo, modo me ad- „ pellavit:

—— non stetit susus cruor,
Humove summa fluxit. Obduxit statim,
Sævusque totum sanguinem tumulus bibit.

Ita *obsorbere* Hygino fab. 125. reddidit Munckerus. BURM.

Frigori lacasim dico] Hæc prodigiosa sunt. Suspicor scripsisse nostrum, *frigori lœcos indico. Lœcos*, est Græcum λοιγὸς, mutato γ in *c.* ut ab ἀμοργὴ, est *amurca*, à γαμήλιοι *Camelæ*. Porro λοιγὸς mors est, vel exitium, ut *lœcos indicere* sit nunciare alicui exitium & mortem. Quomodo apud Tacitum xv. cap. 61. *Ergo regredi, & indicere mortem jubetur.* Neque obstat, quod illud λοιγὸς apud Græcos generis sit masculini, cum nec semper observetur genus idem utraque lingua, & ista à temulento hoc in loco proferantur. Hæc scripseram, cum Cl. Gronovius nos hic remittit ad Martialem, apud quem lib. 11. ep. 59. occurrit,

Λειχάζειν *cupida dicet avaritia.* SCHEFFER.

Hæc pulcherrime etiam adstruit è Martiale Gronovius. HEINS. Λειχάζειν, quod hic ex Martiale restituit Gronovius, Scriverius Græcam vocem non putat, & Douzæ & Scaligeri ἀιάζειν recipit. Sed in Glossis λειχάζω, *sello* vertitur. Posset etiam propius ad lectionem codicis Traguriani legi λαικάζειν, sive Latinis literis *Lacasin*: quod & *decipere* & *scortari* vertitur. Sed prior interpretatio magis hic commoda. Ubi ego mulsi pultarium exhausi, *frigori dico*, ut alios decipiat, & subeat; ego enim me præmunivi contra ejus vim. BURM.

Fui enim in funus] Optime suspicatur Nob. Heinsius *rvi*. *To rvi* pictum erat litera majuscula à capite, inde natum vitium. *Ire* verbum solenne hujus rei. Donatus ad Andriam Terentii Act. 1. scen. 1. *Ire proprie ad exequias. Virgilius. Ite, ait, egregias animas*, &c. Porro *ire in funus*, ut, *accedere, venire in funus*. Cic. de LL. II. *Pittacus omnino accedere quemquam vetat in funus.* Valens l. 10. ff. de Legat. III. *qui ex tribus liberis meis in funus meum venerit.* & sic alii. SCHEFFER. Pro, *in funere*. Possis alioquin, *rvi enim hodie in funus*; sed nihil necesse. Noster cap. xv. *res quæ viderentur in controversiam esse.* Sic *esse in potestatem*, similiaque; de quibus ab A. Gellio observantur complura Atticarum noct. lib. 1. cap. VII. & lib. XVII. cap. 11. etiam à philologis temporum nostrorum. HEINS. Nihil insolentiæ hæc locutio habet, nam *esse* pro *ire*, *venire*, ita solebant veteres construere. Ita Casaubonus Suetonio Aug. cap. 16. restituit. *Ac militibus in conspectum fuisse.* Modius Curtio lib. VI. cap. 5. *Atque ut primum res in conspectum fuit.* Cicer. xv. ad Att. ep. 4. *Quo die in Tusculanum essem futurus.* Propert. lib. III. eleg. VII. vers. 59.

Hoc mihi, Mæcenas, laudis concedis: & à te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas. BURM.

Homo bellus, tam bonus Chrysanthus] Quid est hic, *tam bonus?* quo refertur illud *tam?* Scribo plane, *jam bonus*, & expono, *jam beatus*, qui nunc vivit non in terris, sed inter beatos. *Bonos* enim appellare defunctos solebant. Inscriptio vetus apud Gruterum pag. 474.

HAVE. HERME. HOMO. BONE.

Alia inscriptio apud eumdem 6. pag. 284.

CONSTANTINO
ET
CONSTANTIO.
BB. BEATISSIMIS
QVE CAESS.

Id est. *Bonis, beatissimisque.* Item pag. 349. 2.

AEMILIO. VALERIO. CHORINTHO.
HOMINI. BONO.
QVI. VIXIT. ANN. XXXX. SCHEFF.

Bonum hic pro defuncto poni nihili observatio est; Inscriptiones etiam, quæ in hanc rem adhibentur, aliud prorsus docent; nimirum jacet τὸ *Bonus* pro epitheto, B. B. (id est, Optimi) & Beatissimi Cæsares Constantinus & Constantius in 6. CCLXXXIV. apud *Gruterum* vocantur, cum adhuc viverent. Non ergo cippus sepulcralis iste est; & quomodo una memoria honorari potuissent, quorum exitus triginta amplius annis distabant? sed vivorum honori erectum monimentum. Mihi in ἡσσι ista ellipsis placet τῆ *quam*, sive comparative sive copulative sumatur. Quod autem Romani defunctos adpellarint χρηστὸς, quo de est in Quæst. Rom. & Græc. Plut. isti negotio male adplicabitur. REINES. Puto hæc corrupta, & sic corrigenda distinguendaque: *Fui enim hodie in funus. Homo bulla est. Jam bonus Chrysantus animam ebulliit.* Præcessisse quid de bulla, docet verbum *ebulliit*, & quod statim sequitur, *non pluris sumus, quam bullæ.* Sed & vocabulum *homo* prope otiosum est, nisi ita legas, cum mox Chrysanthus nominetur. SCHEFFER. Pro *Crisantus* lege *Chrysanthus*. *Bellus*, apud Ciceronem lib. II. De finibus. *Bellus & humanus homo.* Sic Martialis non semel:

Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

HEINS. Recte Reinesius refutat Schefferi sententiam de voce *bonus*. Sed tamen non agnosco ellipsim hic τῆ *quam*. sed cum dixisset *homo bellus*, addit quasi se corrigens, & plus laudis in defunctum volens congerere, *tam bonus*. Nam *bellus homo*, non erat admodum ad laudem, quia idem est quod ἀστεῖος, urbanus, festivus, quod aliquando in vitium potest degenerare: sed *bonus homo* est, *omnibus virtutibus instructus & ornatus.* Cicer. v. Tuscul. cap. 10. & *bellus*

„pellavit: videor mihi cum illo loqui. Hei est, Hei! Utres inflati am-
„bulamus, minores quam muscae sumus; tamen aliquam virtutem ha-
„bent

est diminutivum vocis *bonus*. Vide Casaubon. ad Cicer. I. ad Att. ep. 1. *Chrysanthi* autem nomen in Gruteri corpore sæpius conspicitur. BURM.

Ebulliit] Corrige, *ebulliit*. Seneca in Apocolocynt. quem fortassis locum noster habuit in animo: *Et ille quidem animam ebulliit, & eo desiit vivere videri.* SCHEFFER. *Animam ebullire*, habes etiam apud Senecam Apocolocynthosi. Persius Sat. II. vers. 9.

——— ——— *O si*
Ebullit patrui præclarum funus? ———

sive, *Ebullit patruus*, per epexegesin, rectius: ut ego in optimis membranis inveni. HEINS. Infr. cap. 62. *pene animam ebullivi*. Apulej. lib. I. Metam. *Cum ille impetu teli præsecata gula, vocem imo stridorem incertum per vulnus effunderet, & spiritum rebulliret.* BURM.

Modo, modo] Tempus brevissimum notat. Noster infra cap. 46. *modo, modo collo suo circumferebat onera.* SCHEFFER. Elegans loquendi modus & Plinio in Epistolis quoque usitatus lib. III. ep. VII. *An non tibi videtur Nero modo, modo fuisse?* Ita enim recte codex veterrimus Mediceus. Videor & in Apulejo idem legisse, quod Martiali tamen infeliciter restitutum ivit Cl. Salmasius de fœnore trapezitico. Locus Martialis est lib. II. Ep. LVII.

Oppignoravit ad modo Claudi mensam
Vel octo nummis annulum, unde cœnaret.

Qui versus cum peccet in leges metricas, scribebat ille:

Oppignoravit modo, modo ad Claudi mensam.

Dure profecto & invitis Musis, ac genio præstantissimi Poëtæ. Scripti potiores, quos vidi, *modo ad Claudi mensam*. Lege:

Oppignoravit Claudiam modo ad mensam.

Hanc ipsam, ni fallor, Claudiam mensam, alibi is ipse Neronianam vocat. Sic *ubi ubi*, de quo videatur Cl. Gronovius ad Livii librum II. cap. I. & *sine, sine*, de quo idem lib. II. cap. 40. Noster in hoc ipso libro, *vero, vero*. & *baba, baba*. Ennius apud A. Gellium lib. X. cap. ult.

Atque atque accedit muros Romana inventus.

HEINS. Non dissimile est, quod apud Senecam: *jam enim jam*. GOES.

Hei est, hei] Mallem, *heu, ast, heu, utres*, &c. quasi diceret, etiamsi qui vixerunt modo, tam celeriter moriantur, nos tamen, tanquam magnum aliquid essemus, superbimus. SCHEFFER. Puto, *heu! sti! heu!* HEINS.

Utres inflati] Incipit philosophari, ut solent aliqui, per ebrietatem. Epicharmus: φύσις ἀνθρώπων ἀσκοὶ πεφυσημένοι. *homines natura utres vento inflati.* Simile est dictum Socratis. SCHEFFER. Apud Apulejum lib. III. lepida scena exhibetur; cum enim Lucius se tres homines occidisse crederet: *cadavera illa*, postquam detexerat, *jugulatorum hominum erant utres inflati.* Præterea venuste utres hic vocat libertus genio suo indulgens, quia homines se cibo vinoque ingurgitantes hoc nomine insignire amabant. Græcis itidem ἀσκὸς & θύλακος eo sensu erat in usu; vide Casaubonum ad Theophr. character. περὶ ἀρεσκείας. Quamvis & de tumido & arrogante possit fumi, ut Horat. II. Sat. V. vers. 98.

Crescentem tumidis insta sermonibus utrem. BURM.

Minores quam muscæ, sin is tamen] Scribes, *quam muscæ sumus. Tamen*, &c. TILEBOM. Mallem, *minoris*. Ita mox: *nos non pluris sumus, quam bullæ*. Horatius I. Sat. 9.

——— ——— *Pluris*
Hoc, inquam, mihi eris ——— SCHEFF.

Hic locus male sanus à nemine melius quam à medico curabitur: nimirum legendum *minoris*, scilicet precii sumus, *quam muscæ*: *Cinis tamen* earum *aliquam virtutem habet*; scilicet capillorum defluvium, calvitiem, alopecias & cognata vitia curandi. Docemur à Plinio lib. 29. cap. 6. *muscarum capita recentia prius folio ficulneo asperatas* alopecias *replere: alii* addit *sanguine muscarum utuntur: alii decem diebus cinerem earum illinunt, cum cinere chartæ vel nucum, ita ut sit tertia pars è muscis.* Aetius tetr. 2. s. 2. c. 12. & Nicol. Alex. Antidot. s. 38. num. 83. commendat medicamentum ex alcyonio & sulphure ustis, tostis muscis cum felle suillo & aceto compositum ad easdem. Marcellus Empir. c. 6. *muscarum capita combusta & cum melle trita capitique illita mire alopecias tollunt.* Experimentum Mesuei à Joh. Anglico narratur hoc: Accipe muscas; exliccentur, abscissis capitibus & cum avellanis assis & adipe caprino aut ursino fiat linimentum super locum depilatum, & efficaciter crescent. Prior hisce omnibus Asclepiades muscarum recens captarum capita prærasis alopeciæ locis adfricare jussit & sanguine earum oblinere, referente Galeno I. de Comp. med. s. l. c. 9. Cleopatra etiam jubet μυιῶν κεφαλὰς ἀποθλῖψαι καὶ ἀναπρίσαι ibid. c. 7. Eadem leguntur apud Dioscor. eupor. c. 96. & Theodorum Prisc. Seleuci Philosophia ista deprimentis hominem infra muscas talis est, quod harum in cineres redactarum aliquis usus sit homini; hominis, uti bullæ, mox cum adparuit dissilientis, nullus. REINES. To *muscæ* repetendum. *Muscæ tamen aliquam virtutem habent.* HEINS.

Sinitis tamen] Hoc valde corruptum est. Suspicor, scripsisse nostrum, *fimus tamen*. Notum est, conferri fimo stercorique hominem. Eo intuitu ait, videri sibi majorem vim inesse stercori fimoque, quam homini. SCHEFFER.

„bent: nos non pluris ſumus, quam bullae. Et quid? ſi non abſtinax „fuiſſet? quinque dies aquam in os ſuum non conjecit, non micam panis, „tamen abiit. At plures medici illum perdiderunt, imo magis malus fa-„tus

SCHEFFER. Reineſio placet *cinis tamen*, explicatque de cinere muſcarum, explente alopecias, alioſque curante morbos. Vereor ne ſic fiat doctior ſermo, quam ut Seleuco competat. Quid? quod ambiguam & dubiam habet ſententiam? Ecquis enim, quando legit *cinis*, de muſcarum cinere hic ſtatim accipiat? In Dalmatico eſt *ſuus*, ex quo Patavinus fecit *ſumus*. Ego arbitror ſcribendum, *ſumus*, eſſe. Vitam humanam fumo comparari tam eſt frequens, quam quod eſt frequentiſſimum. IDEM.

Aliquam virtutem] Sæpe hoc ſenſu *virtus* apud Plinium occurrit. lib. XVIII. 8. de ſiligine. *Candor eſt, & ſine virtute & ſine pondere*, XXXI. 2. *Theophraſtus hoc idem fieri in Æthiopia ejusdem virtutis ſonte.* XXXV. 4. *Suſpicatus aliquid in tabula virtutis, quod ipſe neſciret.* Et l. XXXVI. c. ult. *Quando ipſe carbo vires habere incipit reſtinctus, atque interiiſſe creditus, majoris ſit virtutis.*

Quam bulla] Reſpondet hoc præcedenti *animam ebulliit*. Varro I. de re ruſt. I. *Cogitans eſſe properandum, quod (ut dicitur) ſi eſt homo bulla, eo magis ſenex.* Vide egregie Eraſmi adagia titulo, *Vita hominis miſera & brevis*, pag. 712. BURM.

Abſtinax] Non contemno hoc verbum. Nam ut *tenax* dicimus, & *pertinax*, cur non & *abſtinax?* Sic eſt *vigilax* apud Propertium. Apud alios alia, non diſſimilia. SCHEFFER. Vox parum Latina, ut *abſentivus*, ſupra cap. XXXIII. & aliæ in hoc libello non paucæ. Simili derivatione *currax*, apud Gratium; *Vigilax*, de quo nos ad Naſonem, *curax* à curando Caio leg. XVIII. D. de Ædilit. edict. HEINS. Et cur comtemneremus in plebejis his fabulis inſolentiora vocabula, & pro arbitrio formata? cum ſimilis notæ adjectiva plurima ſcriptoribus vetuſtis uſurpata docuerit vir Nobiliſſimus Heinſius ad Ovid. II. Amor. eleg. VI. quamvis credam, aliquando nimis largum eum fuiſſe in his vocibus Ovidio redonandis. Vide & Pincier. Parerg. lib. II. cap. 34. BURM.

Quinque dies aquam] Pro, *per quinque dies*. Livius lib. II. cap. 7. *Matronæ annum, ut parentem, eum luxerunt.* SCHEFFER.

In os ſuum conjicit] Cicero de Or. *Conjectis in os calculis, ſumma voce verſus multos uno ſpiritu pronunciare conſueſcebat.* Habes infra quoque cap. LXVII. *Aquam in os ſuum non conjiciet.* SCHEFFER.

Tamen abiit. At plures medici] Poſſis intelligere de medicis multis, qui vulgo putantur diverſitate ſententiarum ægroto obeſſe. Vix tamen dubito, quin legi debeat, *abiit ad plures. Medici* &c. Plautus Trinum. II. ſc. 2. verſ. 13. *Quin prius me ad plures penetravi, plures*, ſunt mortui. vide Scaligerum ad Varronem. SCHEFFER. *Ire* & *abire* pro mori. *Ibimus, ibimus*, apud Horatium. *Abitionem antiqui dicebant mortem*, teſte Feſto, ubi videndus Scaliger. & ad Lucretium Gifanius. Idem *exire*, de quo Holſtenius. HEINS. Diſtinguendum eſt poſt *abiit. abire* enim ſimpliciter poſitum *mori* notat. Lucret. II.

Quam, quo decurſum prope jam ſiet, ire & abire. vide Barth. ad Stat. VII. Theb. verſ. 786.

Plures medici eum perdiderunt] Alluditur ad iſta Menandri. Πολλῶν ἰατρῶν ὑποδὲς μ' ἀπώλεσεν· HEINS. Firmat hanc lectionem Plinius lib. XXIX. cap. I. *Hinc illæ circa ægrotos miſeræ ſententiarum concertationes, nullo idem cenſente, ne videatur acceſſio alterius. Hinc illa infelicis monumenti inſcriptio, turba ſe medicorum periiſſe.* Et pervulgatum illud dictum fuiſſe docet Hadriani vox, qui morti proximus, teſte Xiphilino, dixit πολλοί ἰατροί βασιλέα ἀπώλεσαν. egregie has medicorum loquacium intempeſtivas concertationes, dum interim perit ægrotus, traduxit in ſcena feſtiviſſimus Molierius, Plautus noſtri ſeculi. BURM.

Malus fatus] Neſcio an *malum fatum* ſcribi debeat; ita enim ſemper legitur in jam editis. At hoc modo eſt in noſtris etiam inferius. Nec analogia repugnat. Eſt enim *fatus, fata, fatum* adjectivum, quod pro varietate ſubſtantivi, ſub eo intellecti, poteſt eſſe alterius generis, atque alterius. Atque ita non magis *fatum* erit rectum, ſubaudito *verbum*, quam *fatus*, ſubaudito *ſermo*. Inſcriptio vetus in foro Trajani apud ſtatuarium, pag. 661. Grut. Op.

FRUCTUM. ALIUM. MERI
TORUM. SUOR. REPORTARE
FATUS. MALUS. NEGAVIT.

& alia extra portam Collatinam, in ejuſdem Operis pag. 663.

VIRGINEM. ERIPUIT. FATUS
MALUS.

SCHEFFER. Sic *cœlus* & *vinus* paulo ante. Apud Gruterum pag. DCLXI. Et pag. DCLXIII. Sic apud eundem habes pag. MCXXXIII. *hunc monumentum*, & pag. DCCCCXL. *eum ſepulchrum.* HEINS. Similia occurrunt ſæpe in monumentis. ita apud Fabrett. cap. III. pag. 123. O FATUM INFELICEM. Idem cap. II. pag. 110. *hunc ſepulchrum.* pag. 154. *hunc monumentum.* Quod & in Gruteri corpore reperitur pag. 777. 6. & apud eumdem *Cubiculus* pag. 172. 8. & ſimilia: quæ docent hanc ſtribliginem, primum à plebejis hominibus ortam, ex ſermone etiam in lapides, qui ab imperitioribus lapidariis inſcribebantur, migraſſe. BURM.

Animi

„ tus; medicus enim nihil aliud est, quam animi consolatio. tamen bene
„ elatus est, vitali lecto, stragulis bonis; planctus est optime, manumisit
„ aliquot, etiamsi maligne illum ploravit uxor. Quid, si non illam optime
„ accepisset?

Animi consolatio] Solatur animum, & spem illi facit longioris vitæ, cum de cætero possit nihil contra fatum. SCHEFFER. Non ita honorifice sapiens hic, triobolaris potius scurra, Seleucus exstimavit de Medicis, ut eos pro animorum consolatoribus prædicaret. Sensus poscit, ut legamus *mimi* vel *mimica consolatio*; conclamatos enim, τὰς ἐπὶ δυσμαῖς ὄντας, bonæ spei figmento strophis & χρηστολογίαις sustentant & decipiunt, qui aliter quam fuco medici nomen tueri posse desperant; hoc cacoëthes, hos θῶπας τρόπους medicæ gravitati contrarios tangit iste. REINES. Nihil patior hic mutari. Vult quidem Reinesius *mimica consolatio*. Nam, ait, *conclamatos bonæ spei figmento sustentant*. At, si sustentant, quomodo sunt *mimica consolatio? Mimicum* enim intelligo, quod, tametsi verum imitetur, verum tamen non est. Ita *mimica consolatio* non erit consolatio, licet consolationem imitetur. Si medici tantum sunt *mimica consolatio*, id est, non consolatio, quomodo possunt sustentare? debet, qui sustentare vult, veras, non mimicas, afferre sustentationis causas. Quare à scriptura vetere non recedo. Nam ut male censeamus de Seleuco, causa nulla est. Plane noster dicit, quod Fabius declamat. 8. *Fato vivimus, languemus, convalescimus, morimur: Medicinas quid præstat, nisi ut juxta te nemo desperet?* SCHEFF. Scribendum videbatur pridem, *quam animi vana consolatio*. Sed sane *consolatio* videtur poni pro frustratione & vana spe, ludente animos, ut Agraria II. apud Ciceronem: *Quaso, nolite vosmet ipsos consolari*. Cl. Reinesius hic frustra laborabat. Quintilianus apposite declamatione VIII. ut recte monebat Munckerus: HEINS.

Vitali lecto] Quid est, *lectus vitalis*? an is cujus usus fuit in vita? Ita sane *sæculum vitale* usurpavit Lucretius, pro eo, quo quis vivit.

Multaque vivendo vitalia vincere sæcla.

Reperio etiam, in usu fuisse aliquibus, ut adhiberi vellent in funere, quibus utebantur in vita. Inscriptio vetus apud Brissonium lib. VII. Form. pag. 750. *Mortuum. me. quoque. funerari. jussi. rebus. lugubris. quibus. vivos. paravi. lecto. stragulis. forensis. pœnula. nigris. omnibus.* Gron. legit, *vitato*, id est, commistrato. SCHEFFER. Sic ominis causa lectum mortualem appellabant. Lactantius Elegia de Phœnice:

Vitalique toro membra vieta levat.

Sic scribe, non *membra quieta*. Ubi argute ludit in vitali toro. Nam torus mortualis Phœnici revera est pro vitali, quod hinc renascatur. Videndus Scaliger ad Festum in *Abitione*. HEINS. Hinc emendandus videtur Seneca Ep. 99. ubi ita vulgo. *Quam multis vitalia eruuntur?* Legendum enim videtur: *Quam multi vitali avertuntur?* GOES. Ita puto appellari lectum, in quo solebat vivus in triclinio adcumbere, & in quo nunc mortuus fuit elatus; quod confirmant *bona stragula*, quibus idem ille fuit stratus. Ita infra cap. 50. *interim, Stiche, profer vitalia, in quibus volo me efferri*. Vide sequentia. Sic quoque Tacitus XIV. ann. 9. dicit Agrippinam *crematam convivali lecto, & vilibus exequiis*. Ut autem *vivere, vivamus*, & similia supra vidimus, de lubentia convivali dici, ita *vitalem lectum*, pro *convivali* positum arbitror. Honestiores autem lecticis, quæ & *lecti*, & *tori*, eodem modo vocantur, ut accubitorii (v. Heins. ad Ovid. II. Amor. eleg. 14.) viliores sandapila vel arca efferebantur. v. Noris. ad Cenot. Pisan. Dissert. III. cap. 4. Kirchman. de funer. lib. II. cap. 9.

Planctus est optime] Sine lacrymis enim & planctu requiescere non credebantur animæ. Hæc obvia vide apud Kirchman. lib. II. cap. XI. Ita infra cap. 72. jam fletur vivus Trimalchio, quasi mortuus, Traguriensis codex habet *plautus est*.

Manumisit aliquod] Lege *aliquot*, cum Nob. Heinsio. SCHEFFER.

Maligne illum ploravit] Mallem ego, *plorarit*. Porro, *maligne*, est *parce*, *parum*, quomodo apud Livium lib. XXXIX. *Maligne præbere. Maligne omnia præbentibus suis meretriculæ munificentia sustentabatur*. Adde Pricæum ad Apul. Milesi. I. p. m. 54. SCHEFFER. Senec. ep. XVIII. *Certos habebat dies ille magister voluptatis Epicurus, quibus famem maligne exstingueret*. Ep. LXV. *Malignum & precarium lumen*. Idem VI. de benef. XVI. *Nec quæ sciebat maligne dispensavit*. GOES.

Optime accepisset] Id est, excepisset, tractasset, respectu alimentorum rerumque cæterarum necessariarum ad vitam. Terent. Eunuch. v. sc. 8. vers. 52. *Accipit hominem nemo melius prorsus, neque prolixius*. Donatus erudite: *accipit, pascit*. Adde Senec. ep. 21. & Sidon. II. ep. 9. ibique Savaronem. SCHEFFER. Nihil mutandum. Terentius Eunucho Act. V. sc. VIII. Ubi Donatus. *Accipit, pascit, juvat*. Et addit ex Virgilio:

Illos porticibus rex accipiebat im amplis.

Atque ibi Servius, *Accipiebat, pascebat*; additque Terentii locum, quem jam indicavimns. GOES. Horat. II. Sat. 8.

Tene, ut ego accipiar laute, torquerier omni
Sollicitudine districtum?

Valer. Flacc. lib. VI. 487.

Instituere toros, mediisque tapetibus ipsum
Accepere.

Sueton. in Vit. Oth. cap. 4. *Quoties cœna principem acciperet*. BURM.

Sed

„ accepiſſet? ſed mulier, quae mulier, milvinum genus. neminem nihil „ boni facere oportet; aeque eſt enim ac ſi in puteum conjicias. ſed an„ tiquus amor carcer eſt.

XLIII. [a] Mo-

Sed mulier milvinum genus] MS. codex habet, *ſed mulier quæ mulier milvinum genus*. Puto veram eſſe lectionem, modo ita diſtinguatur. *Sed mulier quæ. Mulier milvinum genus*. Verba, *ſed mulier quæ* cum apoſiopeſi proferuntur, omiſſis quæ debebant ſequi. Integre eſſent, *ſed mulier quænam, quæ virum ſuum ex toto pectore ploret?* SCHEFFER. Non male doctiſſimus Munkerus: *ſed mulier quæque mulier*. HEINS. Scriptum forte primitus, *ſed mulier quæque æque mulier*. Terentius Hecyra. Ut *omnes mulieres eadem æque ſtudeant velintque omnia*. Et mox. *Viris eſſe adverſas æque ſtudium eſt, ſimilis pertinacia eſt*. GOES. Hæc mulier maligne eum ploravit, quod ſervos manumiſerat, & ita eam fraudaverat parte patrimonii: Et ideo aſſimulat milvio, quæ avis rapaciſſima & famelica. Plin. lib. x. cap. 10. Vide Pierii Hieroglyph. lib. XVII. cap. 39. Ita Lucian. Timon. pag. 160. προαρπάζων ὥσπερ ἰκτῖνος τὰ ὄψα. *Praripiens tamquam Milvius obſonia*. Et Epigramma vetus lib. II. cap. 14.

——— ——— ἕτες ἔχει γὰρ
Ἅρπαγος ἰκτῖνος χεῖρα κραταιοτέρην
Ἀκτίσσιν βωμοῦ νεκύρος· ἣν τελέσῃ δὲ
Τὴν πόμπην, ἅπας ὤχεθ' ἅπαντα πάλιν.

——— ——— *hic enim habet*
Rapacis milvi manum tenaciorem
Nidore carentis aræ adituus. ubi vero
Pompam perfecerit omnibus ſublatis abit.

Ubi alludi puto, ad illa, quæ Plinius d. l. de milvio narrat, illam avem, licet rapacem, abſtinere à ferculis funebribus, & quæ in ara Olympiæ apponuntur. hic autem Arrius erat ipſa ave rapacior, qui Phœbo adpoſita & oblata omnia ſtatim ex ara abripiebat. retinui autem Tragur. Cod. lectionem *mulier, quæ mulier*, id eſt, quæ revera eſt mulier, & ab ingenio muliebri non abit. BURM.

Nihil boni] Pro *aliquid*, vel *quidpiam boni*. Nempe *nihil* eſt per apocopen à *nihilum*, at *nihilum* diviſim eſt, *ne hilum;* etiam *ne* hic valet *non*, ita tota phraſis erit: *nemini non hilum boni facere oportet*, quod eſt ſimile Plautino illi in Milite: *Jura, te non nociturum eſſe homini hac de re nemini*. Noſter infra cap. LXXVI. *Nemini tamen nihil ſatis eſt*. Jam olim Lucilius Sat. XVII. apud Nonium, voce *Proprium*.

——— *Proprium vero nil neminem habere.*

SCHEFFER. Videntur duo negativa plebi, imo & aliis ex antiquioribus, frequenter fuiſſe in uſu. Infra cap. LXXVI. Tum cap. LVIII. *Nec ſurſum nec deorſum non creſco*. Cicero in Bruto: *Eloquentia quidem neſcio an parem habuiſſet neminem*. Terentius Heautont. *Agrum meliorem neque pretii majoris nemo habet*. Feſtus in *Neminis* citat ex Catone: *ſunt multi corde, quos non miſeret neminis*. Et ex Ennio, *Lapideo ſunt corde multi, quos non miſeret neminis*. Virgilius in Eclogis,

——— *Nulla neque amnem*
Libavit quadrupes.

Et Nonius in *Negativas duas*, ex Varrone citat: *Quæ non modo ignoraſſe me clamat, ſed omnino omnis heroas negat neſciſſe*. Et poſt ex eodem: *Qua abſtinentia viri mulieresque Romanæ fuerint, quod à Rege munera eorum noluerit nemo accipere*. HEINS. Et hæc ad cibarias delicias referenda: ut ſupra cap. 33. Plaut. Caſin. III. ſc. 8. verſ. 31. *ut mihi bona multa faciam?*

In puteum conjicias] Ita ſupra hoc capite. *Aquam in os ſuum conjecit*. Sed hic deeſt, *aquam*, & neſcio, utrum non à prima manu fuerit hoc loco, *aquam ac ſi*, & illud *aquam*, compendio ſcriptum, idem viſum ſit cum ſequenti *ac*, & iccirco, velut abundans fuerit rejectum. SCHEFFER. Locus eſt integer. *In puteum quid conjicere*, locutio proverbialis de iis, quæ perduntur, unde nullus fructus ſperari poteſt: quomodo Germani de ſpe, quæ decollavit, *ſie iſt in den Brunnen gefallen. delapſa eſt in puteum*. IDEM.

Antiquus amor carcer eſt] Per modum proverbii traducit fœminarum ſtudia mutandi matrimonii. Iis, ait, quæ diu una vixerunt cum uno, unum amarunt, amorem illum habent pro carcere, quo concludantur, & iccirco nec ægre poſſunt ferre, ſi mariti morte ab eo liberentur. Sed ita liquet, corrigendum eſſe, *& antiquus amor*. *S* accrevit voci *&* ex fine vocis præcedentis, ita deinde factum *ſed*. SCHEFFER. Hoc etiam perſuaſum fœminis Chriſtianis aliquando ex cauſa; in alium vero finem, non ut mutarent maritos, ſed ut carerent ἀποκοίτοις prorſus. Bertha filia Ducis Lotharingiæ, nuptiarum Robolai (niſi *Rodoldus* eſt) Ducis Pagani pertæſa Deo voverat in corde ſuo, ut ſi ab illo liberaretur, thalamo alterius viri non adſociaretur: *O, ô*, dicebat, *quando liberabor de occupatione ſeculi hujus, quæ animo meo & corpori meo amarus carcer eſt!* S. Hildeg. Abbat. extra Bingam, in vita S. Roberti Confeſſoris. REINES. Cur *amor antiquus?* Suſpicor excidiſſe litteram unam atque alteram, ut exaratum olim fuerit, *ſed ſanatiquus amor carcer eſt*. Sic *quotidie* & *cotidie*, *iniquus* & *inicus*, ac mille talia in antiquis Codicibus. *Fanaticus amor* Maroni *amor veſanus*, & *inſanus amor* paſſim ſcriptoribus: *amentes amantes* Auſonio. HEINS. Ego vero hic retinere mallem ſcripturam Codicis Tragurienſis, qui habet, *antiquus amor cancer eſt*. Nam amor cancri ſimilis eſt, qui ſemel animo conceptus, ſerpere non deſinit, donec totum pervaſerit, infeceritque hominem. Et quo cancer eſt antiquior, eo pejor quoque. Eo uſque, ut hujuſmodi morbo infecti non videant, nec ſentiant comedi ſeſe, imo ut uxorum flagitia & adulteria ſtupidi amanteſque præterydeant.

XLIII. „[a] Molestus fuit Phileros, qui proclamavit, [b] Vivorum me-
„minerimus: ille habet, quod sibi debebatur: honeste vixit, honeste
„obiit. quid habet quod queratur? ab asse crevit, & paratus fuit qua-
„drantem de stercore mordicus tollere. Itaque crevit, quidquid crevit,
„tamquam favus. Puto me Hercules illum reliquisse solida centum, &
„omnia

a ENCOLPIUS. *b* PHILEROS.

Quapropter nihil hic ego mutaverim: aut si quid mutandum, rescriberem, *sed antiquus amor antiquus cancer.* GOES.

Molestus fuit Phileros] Sensus postulat ut scribamus *molestus fuit Phileros*, vel, si *Phileros Philerotis* faciat, *Philerotis*: nam Seleucus, mentione mortui facta, molestus erat huic, qui omen avertere volebat. Infr. cap. 46. *Quid iste argutat molestus*, & ita Senec. epist. XXI. *Tu tibi ipse molestus es.* Teret. Andr. IV. I. *Molestus certe ei fuero.* Phædrus lib. IV. fab. 25.

Superfunt mihi, quæ scribam; sed parco sciens,
Primum esse ne tibi videar molestior.

Ubi magnum scelus accidit, quod scilicet in editione nupera trajectæ sint voces, & non exhibitum, *esse tibi ne*, ut in Rhemensi codice. Quasi vero non mollior sit medicina, trajectione vocum succurrere versui laboranti, quam intrudere vocem minime convenientem, & de qua Phædrus ne per somnium quidem cogitavit. *Philero* vero legendum patet, quia nihil molestius veteribus visum, quam super cœnam de mortuis loqui. Elegans in hunc sensum Epigramma in Anthologia l. II. cap. 47. ubi aliquis super cœnam divitias Crœsi optat: sed videns Nicanora Pollinctorem, & loculos, quos mortuis parat, totam Asiam mutare cyathis & unguentis vult. Eodem capite plura in hunc sensum occurrunt. v. Bonifac. Histor. Ludicram lib. x. cap. 21, 22, & 23. & alio quoque tempore odiosam mortis mentionem docet Herald. ad Arnob. lib. II. pag. 101. Et hinc ominata verba, *fuit*, *vixit*, *abiit*, & similia. Cæterum hic collibertus forte Trimalchionis dictus *Pompejus Phileros*, quo nomine Q. POMPEJUS PHILEROS in antiquo lapide est apud Fabrett. cap. 3. pag. 155. BURM.

Vivorum memineri mus] Infr. cap. 75. ubi Scheffer.

Debebatur] Nimirum, exsequias & justa, quæ ut debita manibus veteres existimabant.

Abaæ fecrevit] Lego plane, *abace crevit*. An *ab asse crevit*, ut viro cuidam docto in mentem venit? TILEBOM. Scribendum est, *ab asse crevit*, id est, cum initio vix haberet assem, factus avaritia & tenacitate postea est tam dives. Supra cap. XXXVIII. *de nihilo crevit.* SCHEFFER. Illustravimus hæc supra ad cap. VIII. egregia Lapidis veteris auctoritate. Elegans vero verbum de iis, qui augentur & ditantur aliqua re. Liv. I. cap. 46. *Crimmandi Servii apud Patres, crescendique in curia sibi occasionem datam, ratus est.* Cicer. lib. V. in Verr. cap. 67. *Si videor hic, id quod ego non quæsivi, de uno isto voluisse crescere, isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit.* Et ita passim, de eruditione, fama, divitiis, honoribus, quibus aliquis provehitur & augetur. Infr. cap. 46. *Crescit tibi discipulus.* BURM.

Quadrantem de stercore mordicus tollere] Morsu, ipsisque adeo dentibus. Sic plane Lucilius Sat. XXVII. teste Nonio in *mordicus*.

Mordicus petere aurum è flamma expediat, è cœno cibum.

Dictum est in sordidissime avaros, quique contrarii sunt illi, qui, ut ait Persius Sat. V.

In luto fixum possit transcendere nummum. SCHEFF. Ut Vespasiano omnis odor lucri gratus erat, etiam ex urina. Et huc forte adcommodare proverbium, *Bos Cyprius* possemus, de homine sordido & parco, qui stercore vescitur, ut boves in Cypro. Diogenian. Cent. V. 80. & eo refer fabulam Phædri lib. I. 27. in, avaros de cane, qui *educatus stercore*, & trivio conceptus, opes regales concupierat. Canis enim, qui *naribus scrutatur escam in stercore*, eidem Phædr. lib. IV. fab. 17. sordium & avaritiæ symbolum aptissimum. BURM.

Quidquid] *Quit quit* Tragurienses. Ita apud Gruter. pag. CCXLII. NEVE. QVIT. OB. EAM. REM. POPULO. DARE. DEBETO. & ita QVOT passim in antiquis monumentis. BURM.

Tamquam favus] Id est, paulatim & tarde, minimis adjiciendo minima, hoc enim modo solent crescere, ut est notum. Infra cap. LXXVI. *quicquid tangebam, crescebat tanquam favus.* SCHEFFER.

Reliquisse solida centum] Non dubito, quin noster scripserit, *reliquisse HS. solida centum*, id est, sestertia solida centum. Nota pecuniaria omissa erit propter præcedentia proxime. *Sestertia solida centum* sunt integra & plena, sic ut illi numero nil desit. Isto modo *solidum* usurpatur sæpe in re nummaria, & notarunt pridem eruditi istas formulas, *solida proprietas*, *solidum legatum*, *capere solidum*, & alia id genus ista significatione. Cl. Gronov. *solida centum* aut affectato solœcismo dici, aut scribendum esse *solidum centiens.* SCHEFFER. *Solida* hic explico illibata, integra, unde nihil est abrasum, aut expendi debet propter æs alienum. Et ita *solida & illibata edulia & fercula* apud Apulejum lib. x. Metam. egregie illustravit Colvius pag. 140. & ad hanc vocis *solidi* significationem egregius est Horatii locus lib. I. od. I.

Nec partem solido demere de die.

& Senec. ep LXXXIV. *Hodiernus dies solidus est, nemo ex illo quidquam mihi eripuit.* JCtis vero frequentissimam

„ omnia in nummis habuit. De re tamen ego verum dicam, qui lin-
„ guam caninam comedi. Durae buccae fuit, linguosus, discordia, non
„ homo. Frater ejus fortis fuit, amicus amico, manu uncta, plena mensa.
„ Et

mam hanc vocem nemo ignorat. sed adcommodata huic loco sunt verba Ulpiani in leg. VI. §. 1. ff. de peculio legato. *Plane si proponas legatarium nactum possessionem rerum, exceptione doli adversus haeredem vindicantem uti potest, habet enim in solidis rebus voluntatem aeris alieni non deducendi.* Et leg. 20. §. 2. ff. de possess. bonor. cont. tabulas. *Legata tamen ex parte sua emancipatus liberis & parentibus praestare cogetur, non solida, sed diminuta in dimidium.* Et ita passim. sed neque soloecum esse *HS. centum solida*, docere nos potest Asconius Pedianus ad Cicer. I. Verr. cap. 46. *Quomodo ex decies HS. sexcenta sint facta, quomodo* DC. *eodem modo quadrarint, ut illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua, HS. sexcenta facta sint.* ubi exponit *HS. sexcenta quadrarint*, id est, *solida facta sint ut neque plus quidquam, neque minus inveniatur in summa; ubi enim ratio sine fraude est, difficile est sexcenta detractis quadringentis quadrare, & solidare vel solida fieri, quin aut minus, aut plus aliquid reperiatur.* Unde docemur, hunc Chrysanthum ita solidatis & subductis rationibus esse mortuum, ut reliquerit solida HS. centum. & inde explicanda verba mox sequentia, *facile est autem ubi omnia quadrata currant*, id est, ubi à patrefamilias diligente subducuntur rationes exacte. BURM.

In nummis habuit] Non in suppellectile, aut bonis aliis, sed parata pecunia. Gronov. dicit Ciceroni deberi, qui sic loquitur VIII. ad Attic. ep. 10. SCHEFF. Apud Ciceronem legitur in emendatioribus libris *in nominibus habere;* non tamen reprobarem *in nummis*, quamvis nunc exempla non succurrant.

De re] Id est, de re ipsa, non spectando ejus opes, sed considerando ingenium ejus. Sic dicimus, *de caetero, de reliquo.* SCHEFF. Forte, *vere tamen ego verum dicam. Veriora veris* habes apud Martialem. Sed nec vulgatam censeo temere sollicitandam. HEINS.

Linguam caninam comedi] Ego vero nihil usquam istiusmodi reperio de lingua canina, quare dubito de hoc loco. Forsitan de herba ejus nominis accipiendus est. Sed & de illa nihil tale proditur, quod sciam. Doceant nos alii. SCHEFFER. Videtur hoc de iis dici, qui liberioris sunt oris, neminique parcunt, sicut nemini canis, omnes promiscue allatrans. *comedi* autem ideo, quia vulgo creditur, qualia edimus, tales nos fieri. *Linguam* autem *caninam comedere*, ita dictum videtur, ut Plautus dixit Aulularia Act. 3. scen. 6. vers. 1. *Nimium libenter edi sermonem tuum.* Quia, quae edimus, assumimus scilicet penitus; ita & alia, quae ex alieno propria facimus, figurate dicimur *edere.* Nec omnino dissimile est, quod idem habet in Cistellaria Act. 4. sc. 2. vers. 54. *Istuc mihi cibus est, quod fabulare.* Et Mostellar. Act. V. sc. 1. vers. 15. *gustare ego ejus sermonem volo.* GOES. Plebem sapit hoc proverbium; ideoque à nullo celebrari honestioris ordinis scriptore reperitur. Quod autem Schefferus suspicatur de herba ita nominata, rectum forte est; licet perperam talem non prodi dicat: nam *cynoglossos*, caninas lingas imitans, memoratur Dioscoridi lib. IV. cap. 129. & Plin. XXV. 8. & quae à Celso lib. V. cap. 27. vocatur *canina lingua*: sed quaenam revera illa herba sit, inter Herbariae rei peritos nondum constare, ait Harduinus ad dictum Plinii locum. Forte imperitus hic Phileros confudit cum *buglossa*, quam vim inditam animi, voluptates & lubentiam convivalem augere Dioscorides ibidem cap. 128. & Plinius testatur, unde & *Euphrosynum* vocatur. Nam hic de canina maledicentia aliquid suspicari esset absonum: Non enim ipse se Phileros illa maledicendi arte pollere jactare voluisset. BURM.

Durae buccae] Quomodo *duri oris* apud Nasonem, & apud Livium. *Os probum* ac *durum* opponit Plinius Hist. Nat. lib. XI. cap. XXXVII. HEINS. Et hic sermo plebejus, pro quo alii dicerent *duri oris*, ut recte Heinsius ex Ovidio, & Plinio. Terentius quoque Eunucho Act. IV. sc. 7. *os durum. Oculos duros* ut insaniae signum Plautus Menaech. Act. V. sc. V. habet. Vide supr. ad cap. 39. BURM.

Linguosus] Garrulus, dicax, rixosus. Vocabulum alibi non facile lectum, vide infra. SCHEFFER. *Linguare* etiam videntur dixisse Glossae Labbaei: *Linguo*, γλωσσοτομῶ. HEINS. Hujus formae plurimas voces posterior aetas in latinum sermonem invexit, proculdubio apud plebem jam diu ante usitatas: Infr. cap. 63. & ita *stigmosus* ipse Petronius in antea editis cap. CIX. aliquot collegit Salmasius ad Vopisci *Bonosum*, quem à *Bono* ita dictum contendit. *Linguositas* pro multiloquio citatur ex Urso, à doctissimo Cangio in Glossario. *linguatam civitatem* dixit Tertull. de anima. cap. 3. BURM.

Amicus amico] Terent. Phorm. III. sc. 7. *Solus est homo amico amicus.* SCHEFFER.

Manu uncta, plena mensa] Hoc sic interpretor, fuisse beneficum & liberalem, & amicis libenter convivia praebuisse. SCHEFFER. Invertendum censet Reinesius, in literis ad Nob. Hensium. *Describit*, ait *hominem* ἐυεργετικὸν, *liberalem & largitorem, simul* ἑστιάτορα *& hospitalem*, φιλοξενικὸν: *sed praedicata non consentiunt subjectis, nisi permutentur: Lege igitur*, fuit manu plena, coena uncta. *Manus plena apud Ciceronem quoque & Senecam. Prius illud* (ut parca manus *apud Martial. lib.* XII. *ep.* 63. *avarum & restrictum*) *coena uncta posterius dixit.* Unctum *Horatio de arte*

„ Et inter initia malam parram pilavit ; sed recorrexit costas illius pri-
„ma

vers. 422. *est lautum, delicatum, opimum.* Unctior cœna *Martialis lib* v. *Ep.* 45. *pro instructa electissimis cibis, quam ibidem* culinam majorem, popinam divitem *appellat. Et Persio Sat.* 4. *vers.* 12. uncta vixisse patella semper, *est* ἐυαχεῖσθαι, ἐυφραίνεσθαι καθ' ἡμέραν, *splendide & opipare jentare, prandere, cœnare.* Sic Reinesius. Sed fortasse nulla causa necessaria, quæ nos ad hanc transpositionem compellat. Potest enim *manus uncta* intelligi aptissime lubrica, & quæ sinat effluere, quidquid accipiat. IDEM. Leg. *manu plena, uncta mensa.* HEINS. *Manus uncta*, idem est, quod lauta, liberalis. Terent. Heaut. Act. IV. sc. V. *omnes te inlauta & bene uncta parte putant*, ut recte correxerunt viri docti: Frigidum enim est *bene aucta.* Firmat alter locus Phormion. Act. II. scen. II. *Tene asymbolum venire, unctum atque lautum à balneis.* Et obvia sunt de unguentorum usu apud lautiores. Nescio autem cur *manus uncta* displiceat Heinsio, cum notet illum omnem fere ætatem convivando transegisse. Ita Horat. I. Epist. XVI. 21.

Neu, si te populus sanum recteque valentem
Dictitet, occultam febrem sub tempus edendi
Dissimules: donec manibus tremor incidat unctis.

Et lib. II. Sat. IV. vers. 77. puero ad Cyathum unctas manus dat.

Magna movent stomacho fastidia, seu puer unctis
Tractavit calicem manibus, dum furta ligurrit.

ubi tamen de pinguedine ex cibo furtim ablato & devorato fœdatis manibus posset capi. Ut lib. II. od. I. *arma uncta cruoribus* dixit, & *unctam popinam* lib. I. Epist. 14. BURM.

Plena mensa] Virgil. XI. Æn. 738.

Exspectate dapes, & plena pocula mensæ.

ubi vide Cerdam, qui non tam de dapibus opimis repleta, quam convivis accumbentibus frequenti capit. Ut *plenum convivium* apud Sueton. in vit. Cæs. cap. 49. & Aug. 51. & 76. Et ita hic sumi debet: laudat enim Cœnipeta hic hominem, qui prolixe convivas accipiebat. Et, ut Salustius dicit in Bell. Jugurt. cap. IV. *conviviis gratiam quærebat.* BURM.

Inter initia] Sueton. Tib. 26. *Civilem admodum inter initia, ac paullo minus quam principem egit.* Ita *inter cœnam*, & similia, apud eumdem.

Malam parram pilavit] Hoc fœdissime depravatum est: suspicor scripsisse vel, *male parcum pilavit*, vel *male imparem pilavit. Male pilare*, est improbe furtis exhaurire, dictum, sicut *male perdere*, ac similia. Festus: *Pilare, & compilare à Græco trahitur. Græci enim fures piletas dicunt.* Sed fortasse fuerit melius, certe à scriptura minus recesserimus antiqua, si legamus *malam parum pilavit*, id est, parum sustinuit erectum vultum. quod eo magis placet, quia statim sequitur *illius mentum sustulit* phrasi æquivalente. *Pilare*, est quasi pilis suffultum sustentare. Servius ad Poëtæ XII. Æneid. vers. 121. *Græci res densas & artas* πιλώσα dicunt, Ennius Saturarum II.

Inde loci liquidas, pilatasque ætherisoras
Contemplor.

Cum firmas & stabiles significaret, & quasi pilis fultas. Sic igitur *pilare malam* dictum fuerit, sicut apud Plautum, *columnam mento suffulcire*, item *os columnare.* Verba ejus sunt in Milite Act. II. sc. 2.

Ecce autem ædificat: columnam mento suffulsit suo,
Apage, non placet profecto mihi illa inædificatio.
Nam os columnatum poëtæ esse inaudivi barbaro.

De cætero id noster videtur innuere, non sublato incessisse vultu, sed demisso, terramque respiciente, ut solent, quibus res parum succedunt ex voto. Puto autem, ante illud, *& inter*, ponendum esse punctum, ut hæc verba pertineant non ad fratrem, sed Chrysanthum ipsum. SCHEFFER. Adscribam & quæ de hoc loco censuit Reinesius. *Vera* inquit *scriptura, & lectio ad mentem auctoris fuerit*, male porro ambulavit, *quod* cap. XXXVIII. *dixerat*, male vacillavit, *figurate de eo, cujus res & fides dubia erat, & inclinari potius ac trepidare, quam stare, videbatur: firmat hanc lectionem tam id, quod præcessit, de ejus manu & cœna, quam id, quod sequitur de* recorrectis costis, *quo rem ejus sustentatam restitutamque suisse percepit uberis vindemia significatur. Totum autem hoc ex anatome humani corporis explicari & intelligi prorsus potest. Spina* ἡ ῥάχις canalis osseus, *constituens dorsum, est id cujus beneficio animal stat, movetur, graditur, flectitur, curvatur, obliquatur eamque ideo carina in navi comparat Galenus* 3. *de usu part.* 2. *tanquam fundamentum* 12. *de us. part,* 13. *cap.* 3. *Cum autem Spinæ vertebris annexæ sint per diarthrosin costæ, fieri non potest, quin, quocunque modo oblæsa, luxata, contorta ea, etiam hæ naturalem suam constitutionem usumque amittant, & hinc animalis incessus, progressus, statio, flexio vitietur: sequuntur autem gibbi, claudicatio, & alii circa motum sive defectus, sive deformitates, quæ tamen sola repositione luxatorum, & distortorum rectificatu corriguntur. Hæc si applicentur verbis nostri tropicis, simplicissimum optimumque reddent sensum, quem proposui.* Reinesiana ista quamvis longiora volui apponere, quia paucis adhuc visa, cum Appendix nostra ad notas Petronianas in pauciſſimorum venerit manus. Quamquam nobis quidem ista emendatio haud placeat. Et qui probabit illud *porro* doctis auribus Reinesius? quam hoc loco habebit sententiam? Præterea *illius mentum sustulit*, quod sequitur, intelgi vix potest, nisi quid præmissum habeatur de mento demisso. Puto igitur pro *& inter* legendum, *At inter*, facta nova periodo, ut sint verba objicientis & velut refutantis præcedentia. Nisi quis rectius existimet, *at initio male portam pilavit.* IDEM. Parra avis inter inominatas. Videndi Interpretes ad illa

„ma vindemia; vendidit enim vinum quantum ipse voluit: &, quod „illius

illa Horatii lib. III. od. 27.

Impios parræ recinentis omen
Ducat.

Emenda locum Plauti Poenulo: *parra avis ceventium*, ubi pessime, *Sarrapis sementium*. *Pilare avem* pro depilare aut deplumare, veteres dixerunt. Hinc *struthocamelus deplumatus* Cornelius Fidus, Nasonis gener, per convitium dictus est apud Senecam de Const. Sap. cap. XVII. Apicius lib. VI. cap. III. *Coctura madefactam depilabis perdicem*. *Pilare* igitur, ut dixi pro depilare. *Alipilus* est apud Senecam Epist. LVI. is, qui in balneo alas pilabat. HEINS. Nullus dubito, quin recte Heinsius exposuerit. *Mala parra* infausti ominis, ut passim *bona* & *mala ales* occurrunt. *Pilare* autem pro despoliare à nostro poni patet, quia mox capite sequenti *singulos pilabat* occurret. Amm. Marcell. XIV. 2. *Cognitis enim pilatorum latrocinumque funeribus, nemo deinde ad has stationes appulit navem.* Ubi vide eruditionis omnigenæ summum virum Valesium: nihil autem huc faciunt Philetæ, fures ab Ægyptiis dicti: nam eos à φίλος derivari docet Seneca epist. 51. & Festus falsus est. Et unde in hodierna lingua Gallica remansisse vocabula *filou*, & *piller*, putat Tristan. tom. I. Comment. pag. 555. Melius mox idem Festus *pilare* dicit poni, pro *detrahere pilos*. Ita utitur Martial. lib. X. ep. 48.

Nuntiat octavam Pharia sua turba juvenca,
Atque pilata redit, jamque subitque cohors.

Ubi *pilata cohors*, sunt calvi & depiles Sacerdotes Isidis. Quamvis sciam probe, quid alii de illo loco sentiant. Eodem sensu lib. V. ep. 56.

Exstirpa mihi crede pilos de corpore toto,
Teque pilare tuos testificare nates.

v. Nonium in *suppilare*. ita quidem verbis constat sua auctoritas; sed quid adagii istud sit *malam parram pilare*, me cum ignarissimis nescire lubens profiteor. BURM.

Recorrexit costas] Pro simplici *correxit*. Seneca ep. 50. *Si modo ante animum nostrum formare incipimus, & recorrigere, quam indurescat pravitas ejus.* Est autem *recorrigere*, erigere, ac in rectum dare, quod ante fuit incurvum atque inclinatum. Ut *recorrigere costas* hic is dicatur, qui, cum ante ambulasset proclivis, toto corpore curvo, deinde incipit erectus incedere, usurpeturque de eo, qui humilis ac demissus ab initio, postea factus est elatus. SCHEFFER. Quod erecto corpore incedimus, non costis debemus, sed coxis, sive quod tantundem est, coxendicibus. Nonius ex Lucilio: *collo caput sustentatur, truncus sustinetur à coxendicibus.* Unde & illud Mæcenatis, quod est apud Senecam epist. CI.

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxa.

non autem, *costa*, quod ineptum foret. Quapropter & hic *coxas* erit restituendum. Neque id solum, sed & antecedens verbum, plane corrigendum censeo. Voluit enim, si quid video, auctor dicere, primam vindemiam collapsas & inclinatas ejus coxas erexisse: erigimus enim vel collapsa, vel quæ ruinam minantur. Sic apud Senecam de benef. lib. VI. cap. VIII. *Adversarius meus, dum contraria dicit, & judicem superbia offendit, & unum testem temere dimittit, causam meam erexit.* Et de Ira lib. III. cap. III. *Caducæ similisque sunt vires, & in malum suum validæ, in quas ægrum morbus & accessio erexit.* Scribo itaque *retro erexit costas illius*. Cicero de Divinatione libro primo: *Tum & Deus præcepit, ut pergeret protinus, quid retro atque à tergo fieret, ne respiceret.* Debilis & caduci corporis coxendices igitur suo collapsu in posteriora se vergunt, unde iterum sunt reducendi, si truncum in statum pristinum reducere velis. Hoc autem, ut reor, non inepte dicitur, *retro erigere coxas*. Id est, quæ retro contra naturam eminebant, in priorem statum reduxit. GOES. De *coxis* Amplissimo Viro assentiri facile possem, quamvis & in costis, sive lateribus etiam magna corporis sit firmitas. Sed illud *retro erexit*, neutiquam probare possum, cum recte doceat Schefferus, *recorrigere*, pro simplici *corrigere* positum, notare *erigere*, & de membris humani corporis lapsis, aut incurvatis, κυριολογίᾳ quadam sumi. Sueton. in vita Augusti cap. 99. *Supremo identidem exquirens, an jam de se tumultus foris esset, petito speculo capillum sibi comi, ac malas labantes corrigi præcepit.* Quam Augusti curam malas corrigendi ex superstitione antiqua venisse docet Homerus Odyss. Λ. vers. 424. ubi umbra Agamemnonis de sævitia Clytemnestræ querens dicit:

—— αὐτὰρ ἐμοὶ ἔτλη ἰόντι περ εἰς Ἀΐδαο
Χερσὶ κατ' ὀφθαλμοὺς ἑλέειν, σὺν τε στόμ' ἐρεῖσαι.

—— *Neque mihi eunti ad inferos*
Voluit oculos claudere, aut os corrigere.

Sed ad rem. Plinius lib. VII. Histor. Natur. cap. 20. *C. Milonem Athletam, cum constitisset, nemo vestigio educebat, malum tenenti nemo digitum corrigebat.* Ubi elegantia exempla adduxit Harduinus. Ita apud Tertullianum lib. II. de cult. Fœmin. cap. IV. legendum puto. *In illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus urgent, genas rubore maculant, oculos fuligine corrigunt.* Vulgo *porrigunt*, & de supercilliis intelligunt. Sed ego puto illum velle, languentes & non patrantes satis oculos illo nigrore vegetiores facere puellas. An vero gratias agentem ob recorrectas costas hominem referat Gemma apud Gorlæum tom. II. num. 599. dijudicent doctiores, ego non puto; sed è naufragio liberatum, & nudum in litore ejectum ostendi suspicor. BURM.

Quantum ipse] Suspicor scribendum, *quanti tum ipse voluit*. SCHEFFER. *Quantum* fortasse scriptum

„illius mentum sustulit, hereditatem accepit, ex qua plus involavit,
„quam illi relictum est. Et ille stips, dum fratri suo irascitur, nescio
„cui terrae filio patrimonium elegavit. Longe fugit, quisquis suos fu-
„git. Habuit autem oricularios servos, qui illum pessum dederunt.
„Num-

à Petronio, pro *quanti*, ut vulgi inconditum sermonem æmularetur. HEINS

Illius mentum sustulit] Supra cap. XXIX. *Levatum mento Mercurius in excelsum tribunal rapiebat.* HEINS. Locutio ea, quam hic habemus, à superiori, *coxas erigere*, non multum distat. Nam qui caduco & quasso sunt corpore, præ infirmitate, inclinato etiam incedunt capite. Quod si his vires restituantur & redeat antiquus vigor, ut caput, sic & mentum tollunt. Huic, de quo sermo, prima vindemia erexit coxas, ut erecto incesserit trunco. Sed hoc non totum erexit hominem; nam collum oneri ferendo impar, caput grave propendere, & mentum pectori adducere sinebat. Successit ergo luculenta hereditas, quæ mentum ei sustulit, & caput collo erexit, ut pristino redditus nitori, totus incesserit rectus ac vegetus. GOES. Ita proletarii videntur locuti, cum honestioris ordinis *vultum* vel *animos tollere* dicerent. Est vero eadem sententia, quam Terentius Hecyr. Act. III. scen. 3. *quia paullulum vobis accessit pecuniæ, sublati animi sunt.* BURMAN.

Involavit] Infra cap. 58. *Nisi me judicas annulos buxeos curare, quos amica tua involasti.* vid. & cap. 63. Nonius; *suppilare est involare vel rapere.* Servius ad illa Virgilii lib. III. Æneid. vers. 233.

Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis.

Aut circum prædam, dixit, volat uncis pedibus, aut intra volam interiorem manus amplectitur prædam. Unde & involare dicimus, intra volam tenere. Cicero lib. III. de Orat. cap. 31. *Ista prudentiæ doctrinæque possessio, in quam homines, caducam quasi atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt.* Vel, ut Nonius in *involare* citat, *involuerunt.* BURMAN.

Stips] Lege, *stipes*, id est, stultus, plumbeus: vel *stips*, id est, quod medicantibus datur, unde stipendium, ut scribit Varro. TILEBOM. Glossæ Græcæ στῦπος, *stips.* Putat vir magnus, legendum esse *stipes.* Sed contrarium noster facile docuerit. SCHEFFER. Pro *stipes*, præter usum. Sic *seps*, quæ *sepes* aliis scriptoribus, hoc est septum vel stabulum: apud Valerium Flaccum lib. VI. vers. 537.

——— *Non pascua, nec seps*
Hic tibi nocturnis, mitte hæc simulacra, rapinis.

Ita enim scripti Codices, qui meliores, constanter. Idque Ciceronis factum auctoritate, si Ausonio credimus:

Bucolico sepes dixit Maro, cur Cicero, seps? HEINS.

Elegavit] Pro extra familiam suam legavit; sic *elocare, enubere*, & similia. HEINS.

Longe fugit, qui suos fugit] Est hoc desumtum ex Satyris Varronianis, in quibus una cum hoc titulo. Liquet autem dici hoc in illos, qui existunt iniquiores erga suos, iisque peregrinos anteferunt: contra quam expostulerunt hactenus viri eruditi. SCHEFFER. Titulus Varronianæ Satyræ, à Nonio Marcello citatæ in *ervum & convenire.* Sic & *cave canem*, quod supra habuimus, similiter è titulo Varronianæ Satyræ est mutuatum. HEINS. Recte Schefferus, sed videtur Marcilium ante oculos habuisse, qui ad Horat. lib. II. od. 16. *suos fugit* exponit, se fugit, quem vide. Lipsius lib. I. Variar. cap. 17. *suos* interpretatur, sui similes, genus humanum fugere, ubi etiam præter rem sollicitat Varronis verba ex hac Satyra *æquus vel ad Ædilicium modium.* Sed de illo loco mox agendi erit occasio. BURM.

Oracularios servos] Suspicor, scripsisse nostrum *orcularios*, non *oracularios.* Orcæ vasa sunt vinaria prægrandia, in quibus vina servabant recentia. Meminit Varro libr. I. R. R. cap. 13. *Sæpe ubi conditum vinum novum, orcæ in Hispania fervore musti ruptæ.* Hinc ergo *servi orcularii*, qui vasa illa vinaria curabant, à quibus scribit deceptum. SCHEFFER. Lege, *oricularios*, id est, ὠτακουστὰς, auscultatores, emissarios, per quos cognosceret occulta, quæ vellet: quia sequitur, *nequaquam enim recte faciet, qui cito credit*, ut emendatius habetur in Editionibus. Præcepti hujus veritatem probat fabula Phædri XLIX. de auricolario Liberto. *Oricula* autem *auricula* est; L. Calvisius P. F. Oricula in lapide Veronensi 9. MLXIX. C. Coruncanio C. F. Oriculæ. in Rom. 10. CCCXCVIII. Sic infra, *coda, plodo, copo.* REINES. Nihil puto hic mutandum. *Servi Oracularii* videntur dici, qui oracula fundunt, futuraque prænuntiant, quorum fidem est secutus in instituenda mercatura. Et habuisse veteres ejusmodi quandoque sua in familia vel ex sacris novimus. Ita namque legitur in Actis cap. 16. *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum pythonem obviare nobis, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando.* Reinesius voluit *oricularios*, quod Hadrianides contra fidem MS. Dalmatici recepit in textum. SCHEFFER. Scribendum, *oricularios servos*, pro *auricularios.* Glossæ Labbæi: *oricula, ὠτιον: auricularius* ὠτακουστὴς. Oricularii servi Petronio sunt, qui domino semper in aurem garriunt, ut loquitur Martialis. *Imula oricella*, est apud Catullum: sic *coda* & *cauda*, *codex* & *caudex*, *cotes* & *cautes*, ac mille talia. HEINS. Recte hæc exposuit Reinesius hic, & ad Inscr. Class. VIII. inic. I. Captabat

„ Numquam autem recte faciet, qui cito credit; utique homo nego-
„ tians. tamen verum, quod frunitus est, quam diu vixit: cui datum
„ est,

bat ille per hos servos exploratores, quid frater ageret, & illorum delationi temere credens, exheredem facit. Acumen autem hujus urbani, ex media fæce & libertinæ conditionis hominis, quæsitum est a medicis auricularii, qualis memoratur in leg. 1. §. 3. ff de extraord. cognitionibus. *Medicus fortasse quis accipiet etiam eos, qui alicujus partis corporis, vel certi doloris facultatem pollicentur, ut puta si auricularius, si fistulæ, vel dentium.* Ubi nihil necesse contra fidem scriptorum librorum *ocularium* legere cum Perrenon. 1. Animadv. 25. venit enim ab *auricula*, cujus *dolori* medetur, ut vocatur in leg. 4. §. 6 ff. de Ædilit. edicto. & infinita remedia, a Plinio passim & Celso lib. VI. cap. 7. contra vitia auribus præscripta, docent hanc minime neglectam medicinæ partem fuisse. *Auricularius clyster* apud Celsum lib. V. cap. 28. & lib. VI. cap. 7. occurrit. BURM.

Qui illum pessum dederunt.] Seneca ep. XXVII. *stultorum divitum arrosor, & quod sequitur arrisor, & quod duobus his adjunctum est, derisor.* GOES. Proprie: est enim adfligere & ad terram dare, projicere. *pessum* enim fundum notat, unde *pessum dare* pro *in pessum dare.* Plaut. Rudent. Act. II. sc. 2. *Nunc eam cum navi scilicet abrivisse pessum in altum.* in Trucul. Act. I. sc. 1. *quasi in Piscinam rete qui jaculum parat, quando abiit rete pessum, tum adducam sinum.* Male adverbium statuunt; est enim *pessum ire*, ut *exsequias ire*, & similia. Vide Vossium in Etymolog. qui recte inde *pessimus* deducit, quod origine sua nihil aliud notat, quam vilem, plebejum. Spartianus in vita Adriani cap. 7. *Ad honores non solum amicis, sed etiam pessimis aliquantis multa largitus est.* Et ita Sallustius in bello Jugurthino *pessimos* opponit *primis.* Hinc quoque *panis pessimus* pro secundario & vili, in l. 1. Cod. Theod. de canon. Frument. Urb. Romæ, & l. 9. de suariis. & ita l. 1. Cod. Theod. ad L. Jul. Repetund. capiendam docuit Vir omnium JCtorum doctissimus Jacobus Gothofredus, ex quo hæc fere descripsimus. *Judices, qui se furtis & sceleribus maculasse convicti, ablatis codicillorum insignibus, & honore exuti, inter pessimos quosque & plebejos habeantur.* Et ita, ut Glossæ *pessimum* ἔσχατον, κάκιστον reddunt, apud Homerum Eustathius sæpe κακὸν interpretatur δυστυχῆ & ταπεινὸν. Eo alludit & Florus lib. III. cap. 20. *Illi infimæ sortis homines, hi pessimæ.* BURM.

Nequaquam recte faciet, qui cito credit] MS. *numquam.* TORNÆS. Alii *Numquam recte facit, qui cito credit.* Jesus Sirach 19. *Qui cito credit, levis est corde.* Calixtus P. P. ad Episcopos Galliæ; *Innocens dum credit facile, cito labitur.* Plura consignarunt Savaro ad Sidon. lib. 8. ep. 11. & Goldastus ad Columban. cap. 7. vers. 40. Plancus lib. 10. Epistol. famil. ad Cicer. *Credulitas error est magis quam culpa.* Justinus lib. II. *Quicquid in eo sit, credulitatis, non perfidiæ, culpam esse, cujus tamen jam magna se supplicia pependisse.* Jacobus Magni Sopholog. lib. 5. cap. 11. post Petronii verba; *Prudentis est ut de facili non credat, cum non petat maturitas levitatem congruens prudentibus. Namque qui cito credit, cito fertur inconsultus. itaque sapienter non vivit. Prudentis igitur credulitas nec suspicionis modum habeat, sicut opinio; nec certitudinem mox accipiat, sed more medio se gerat: quia, teste Varrone in suis Sententiis, fides est media & opinionis & scientiæ, neutrum attingens. Prudens igitur de facili non credat.* ERHARD. Hæc sententia exstat in jam editis, sed in iis pro *numquam*, est *nequaquam.* SCHEFFER. Mallem, *qui his cito credit;* nempe oricullariis iis, de quibus sermo. v. Reines. inscr. cl. VIII. 1. GOES. Ovidius III. Art. Amat. vers. 685.

Nec cito credideris: quantum cito credere lædat,
Exemplum vobis non leve Procris erit.

Utique homo] Et usu antiquo & eleganti. Liv. II. 30. *Rursus Virginii Largiique exemplo haud salubres sententiæ: utique Largii, quæ totam fidem tolleret.* cap. 24. *Ventum ad interitum servitiorum, utique & plebis, esset.* lib. III. cap. 1. *Tribuni rem contra consules sæpe tentatam, adjutore utique consule, obtineri posse rati.* Celsus 1. de re medica, cap. 2. *Commode vero exercet clara lectio, arma, pila, cursus, ambulatio, atque hæc non utique plana commodior est.* Cælius ad Ciceron. lib. VIII. Epist. 8. *Neve quid conjunctim de ea re referretur à consulibus, utique ejus res caussa per dies comitiales senatum haberent.* Vide & infr. cap. 54. unde patet male hodie hac particula vulgus abuti. BURM.

Homo negotians] Et hoc elegantiæ veteris. Ita apud Apulej. lib. II. Metam. *Cerdo quidam homo negotiator accessit.* ut correxit Gruterus lib. IV. suspicion. cap. 2. ut apud Plautum & Terentium *mulier meretrix. Homo amans.* Plaut. Pœnul. III. 1. *homo servus.* Epidic. Act. III. sc. 1. BURM.

Frunitus est] Fructum ex eo retulit. Lucilius lib. IX. apud Charisium: *atque hac fruiscor ego, ac tu.* SCHEFFER. *Fruisci* dixisse veteres pro *frui*, testatur Festus. Occurrit & apud Gellium lib. XVII. cap. 2. & apud Commodianum commonitorio carm. 15. *vita fruisci*: & in veteri inscriptione apud Gruterum pag. MXLIX. 16. vetus etiam inscriptio in via Appia ex schedis Pyrrhi Ligorii:

CLAVDIA AGAPOMENE
FILIIS SVIS INFELICISSIMIS QVI AETATE
SUA NON SVNT FRVNITI.

Apud Nonium pro *fruiscor* opinor scribi convenire, *fruniscor*, vel *frumiscor.* Vide Festum in *frumor* & *fruniscor.*

„est, non cui destinatum. Plane fortunae filius, in manu illius plum-
„bum aurum fiebat. Facile est autem, ubi omnia quadrata currunt.
„Et quod putas illum annos secum tulisse septuaginta; & supra. sed
„cor-

visor. HEINS. Eadem sententia quæ illorum Terentii Act. III. sc. v. *Sane homo voluptati obsequens fuit dum vixit, & qui sic sunt haud multum hæredem juvant; sibi vero hanc laudem relinquunt; vixit, dum vixit, bene.* Sed si de Chrysantho hæc sunt capienda, ut Schefferus voluit, quomodo hæc præcedentibus respondent, ubi avarissimum fuisse, & qui de stercore mordicus quadrantem tolleret, narrat? Quare totam narrationem à verbis illis *Frater ejus*, ad Fratrem Chrysanthi pertinere puto, quem ante Chrysanthum mortuum ostendit vox *fuit*, cum alter *modo, modo* animam ebullierit. Frater autem ille, sordidum & avarum illum Chrysanthum, à servis suis quotidianis convitiis laceratum, exheredavit. BURM.

Cui datum] Puto, locum totum ita distinguendum: *Tamen verum* (*quod fruinitus est, quamdiu vixit*) *cui datum est, non cui destinatum.* Sententia, verum est, quod sit illi, res familiaris scilicet, pecuniæ multum, cui datum est, non cui destinatum. Datur nempe secundum ipsius sententiam à fortuna, destinatur à fato. Id quod datur eo ipso, quia datur etiam habetur. At vero id, quod destinatur, nondum habetur, sed speratur tantum. Possunt autem plurima intervenire, quæ spem eam evertant, & destinationes reddant irritas. SCHEFFER. Videtur proverbium de iis usurpatum, qui lautius vivendo malebant hæredem defraudare, quam genium suum. Munkerus malebat; *cui datum est, datum est.* HEINS. Ego vero tentandum puto, an non convenientius sit rescribere: *veruntamen, quod frunitus est, quamdiu vixit, quod ei datum est, non cui destinatum.* Destinatum enumerat hæredi; interim antequam ad eum perveniret, usum fructumque percepit Chrysanthi frater, de quo hic sermo. Videtur illuc respexisse, quo & Seneca ep. LXXXVIII. *Non dominus illo, sed colonus intrasti. cujus colonus es? si bene tecum agitur, heredis.* Huic igitur destinatum, quo ille frunitus est. GOES.

Plumbum aurum fiebat] Hoc proverbium ex fabula Midæ in vulgus emanasse arbitror, cui attrectanti omnia aurum fiebant. Et quid ni auricularii illi servi etiam eodem referri possint, cum Lucianus in libello, cui index, *non esse facile credendum delatoribus*, (quod & Phileros noster hic carpit) dicat Midam habuisse plurimos servos tales auricularios, ἀτακτοδὰς qui omnia explorarent, & Regi deferrent, unde *Midæ aures* abierunt in proverbium. vide infr. cap. 76. *quidquid tangebat, crescebat tamquam favus.* BURM.

Ubi omnia quadrata currunt] Elegans proverbium de eo, cujus arbitrio ac nutui omnia se accommodant, contra ipsam etiam indolem quasi ac naturam suam. Quadratorum hoc est proprium, ut sint fixa, & stabilia, unde quoque apud Aristotelem beatus est τετράγωνος, ut quem nihil facile dejiciat à semel capto gradu. Contra, quæ rotundam habent figuram, ipsa illa rotunditate figuræ suæ circumvolvuntur, currruntque. Ubi ergo illud quoque evenit ex voto, quod credere nemo aut sperare poterat, currere eleganter dicuntur omnia quadrata. SCHEFFER. *Cui omnia*, malim. Quadrata autem, quæ omni ex parte æqualia. Hinc & *quadrare*, habile esse, convenire. *Corpora animalium quadrata*, sæpe apud Columellam. In passione sancti Bonifacii, quam Holstenio debemus; *Vir est quadratus, crassus, robustus, capillo compositus.* HEINS. Non cepisse mihi vim horum verborum videntur viri eruditi. Et quæ de voce *quadratus* notant ἕδει πρὸς ἑπτὼ: nam certe rotunda facilius quadratis currunt. *Quadrata* enim hic vocat, quæ supra *solida*. Quadrata sunt omnia, ubi ratio est subducta, & expensa acceptis respondent; cui contrarium est *conturbare*, quod supra habuimus fine cap. XXXVIII. Ita *quadrare* apud Ciceron. I. Verr. cap. 36. exponere Asconium modo vidimus. Ubi ergo omnia talia quadrata currunt, id est, expedita sunt, (qua locutione forte adlusit ad proverbium apud Græcos usitatum πάντα θεῖν ἐλαύνεται, ut Apostolius Centur. XV. 60. vel πάντα θεῖν κ' ἐλαύνεται, ut Aristænetus lib. I. Epist. 14. refert, ubi v. Mercer.) ibi *facile est*, id est, ibi commode & in omni rerum copia vivitur. Cum contra negligente patrefamilias & rationes conturbante egestas, ære alieno contracta, sit exspectanda. *Facile* autem *esse*, & *vivere*, egregie illustravit nostrum olim Decus Celeberrimus Græv ius ad Cicer. lib. III. ad famil. Epist. 12. ex animi sententia, sine molestiis cum sumtuum tolerandorum, tum aliarum rerum vivere. Ita Phædr. lib. III. fab. 7.

Quanto est facilius mihi, sub tecto vivere,
Et otiosum largo satiari cibo. ——

Ubi opponitur alteri qui asperam vitam in silvis trahit. Et ita contra *difficile vivere*, & *difficultas*, pro inopia, obvia & vulgata sunt. Theophr. περὶ ἀδολεσχίας· ὡς χαλεπὸν ἐστι τὸ ζῆν. BURM.

Et quod putas illum annos secum tulisse septuaginta] Scribendum atque distinguendum sic existimo. *Ecquot putas illum annos tulisse? septuaginta & supra.* TILEBOM. Hæc sic scribenda distinguendaque sunt: *Et quid? Putes illum annos secum tulisse septuaginta, & supra?* An, ait, tu existimes, & persuadere tibi possis, fuisse tam provectæ ætatis? nempe senium bene ferebat, nec apparebat ejus signum aliquod in vultu, in capillis, in reliquo corporis habitu. SCHEFF. Lego & distinguo. *Et quod putas illum annos secum tulisse septuaginta; & supra. sed corneolus*, &c. Phileros

„ corneolus fuit, aetatem bene ferebat, niger tamquam corvus. Nove-
„ ram hominem olim oliorum; & adhuc falax erat; non me-Hercules
„ illum puto in domo canem reliquisse. Imo etiam puellarius erat; omnis
„ Miner-

leros illis, qui admirari solebant hominem septuaginta annorum, adhuc viridis ætatis, ut magis mirentur nunc addit, illos non bene exputasse: enim ætatem illam supergressum esse, & tamen adhuc corneolum fuisse. Sæpe ita Cicero incipit periodos, *quod scribis, quod existimas*, &c. BURM.

Secum tulisse] Hoc est, vixisse. optime, ac ex formula solenni. Inscriptio Vetus Veronæ ad D. Clement. DCCLIX. 2. *Qua. vixit. mecum. sine. ulla. controversia. An.* XVII. M. II. D. VIII. *qua. tulit. secum. An.* XXXXVI. Alia apud Gruterum p. DCCCXI. 1. *tulit. annos. quot. potuit.* SCHEFFER. Ita hæc constituenda sunt. *Et quot putas illum annos secum tulisse? Ferre annos* apud Gruterum pag. DCCCCXLVII. n. 9.

L. MVSSIVS.
TROPHIMVS.
CALLITYCHE. LIB.
ET. CONIVGI. SVAE.
OPTIME. ET. MERITIS.
SVIS. CARISSIMAE.
CVM. QVA. VIXIT. ANNIS.
XXXII. TVLIT.
ANNOS. LII.
ET. SIBI. HEINS.

Præter laudatos lapides est in Epigrammate veteri inter Catalecta Pithæi pag. 123. & apud Gruter. DCCLXVI. 7.

Quadraginta duos mecum fero flebilis annos.

Et Fabrett. cap. IV. Syntagmatis Inscript. p. 325. qui explicat, quasi sit eos secum ducere, vel fatis properantibus rapere. BURM.

Corneolus] Durus, adversus quem senectus parum valeret. Cic. II. de N. D. ubi loquitur de auribus: *Duros & quasi corneolos habet introitus.* Habes quoque apud Catullum Ep. 20.

Atqui corpora sicciora cornu
Habetis. SCHEFFER.

Homines duri dicebantur *cornei*. Sic & *cornea fibra* pro dura. Plinius lib. VII. Hist. Natur. cap. XIX. *Quibus natura concreta sunt ossa, cornei vocantur.* HEINS Recte pro duro exponunt. Sed ego hic præterea quid obscœni latere puto: duram nimirum isti fuisse illam partem, qua ea ætate senes minime sunt duri. Infra cap. 135. *Nisi illud tam rigidum reddidero, quam cornu.* Cæterum *corneus* pro duro dixit & Plin. lib. XXXI. Hist. Natur. 9. *Itaque cornea videmus corpora piscatorum.* Et Sidonius lib. 1. ep. 2. Theodorico Gothorum regi dicit *corneum* fuisse *femur*. BURM.

Ætatem bene ferebat] Hanc locutionem per jocum usurpari de homine, qui, cum senex sit, adspectu tamen juvenis apparet clarum est. Sed proprie de vino generoso dici, quod non evanescit ætate, aut in vappam & acetum degenerat, docuit præclare P. Ciacionius de Triclinio pag. 66. Plin. lib. XIV. Hist. Nat. cap. 2. *Tolerat & annos Marica.* Columell. lib. II. cap. 10. de Lupino, *Repositum in granario patitur ævum.* Eamdem locutionem Martiali lib. XI. ep. 51. restituere conatus est Barth. 1. adversar. cap. 6. in versibus corruptissimis, quos ita legit:

Filius optatæ succurrere censuit umbræ:
Filius ætatem non minus ipse tulit.

Sed Lipsius jam, suffragantibus fere omnibus, ex MSS. legit

Filius & vatem, non minor ipse, colit.

Heinsius vero ad Sabini Epistol. Demoph. vers. 10. totum distichon ita constituit:

Filius Andinæ succurrere censuit umbræ,
Filius en vatem, non minor ipse, colit. BURM.

Niger tamquam corvus] Rarum hoc in sene, quod canos non haberet.

Hominem olim oliorum] An non *oliorum* in locum, recte substitueris, *fullonem?* Num potius *libidinosum*, vel *otiosum?* certe non sine re. Quid enim, amabo, designat id verbi *oliorum?* TILEBOM. Puto fuisse, *olim moliarium*, superscripta lineola. Est enim *moliarius* compendiose, pro *molierario. Molierarius*, seu *mulierarius*, qui nimio studio sectatur mulieres, easque appetit. Capitolinus in Clodio Albino cap. 11. *Mulierarius inter primos amatores.* Legitur & apud ipsum Ciceronem, sensu tamen fortassis diverso pauliper, *manus mulieraria.* Verba sunt pro M. Cœl. *Quæro cur fugere conantem mulieraria manus ista de manibus emiserit?* SCHEFFER. Puto adhuc rectum esse, *molierarium.* Glossæ Isidori: *Femellarius: feminis deditus, quem antiqui mulierarium vocant.* IDEM. Scribe, *olim mulierosum.* Glossæ Labbæi: *Mulierosus: φιλογύνης.* Cicero de fato, *Hominem ebriosum & mulierosum* dixit. Aliis est *mulierarius.* Glossæ MSS. *Femellarius, feminis deditus, quem antiqui mulierarium appellabant.* HEINS.

Non me Hercules illum puto in domo canem reliquisse] Vopiscus in vita Aureliani cap. XXII. *Cum Thyanam venisset, eamque occlusam invenisset, iratus dixisse fertur, canem in hoc oppido non relinquam.* HEINS. Procul dubio deficit hic aliquid; scribendum enim non ambigo, *Non me-Hercules illum puto in domo canem reliquisse intactam.* Catullus carmine nuptiali:

Virgo dum intacta manet, dum culta senescit.

Cornelius Gallus elegia III.

Salve sancta, inquam, semperque intacta maneto,
Virginitas, per me plena pudoris eris. GOES.

Imo etiam puellarius erat] *Puellarius* à verbo puel-

„ Minervae homo: nec improbo: hoc solum enim secum tulit.

XLIV. „ [a] Haec Phileros dixit; ista Ganymedes: [b] Narratis, quod „ nec ad coelum, nec ad terram pertinet; cum interim nemo curat, quid „ annonam mordet. Non me-Hercules hodie buccam panis invenire po- „ tui.

a ENCOLPIUS. b GANYMEDES.

litari, quod est rem cum vetulis. Ah pudor, cur te violem? Non sum Stoïcus: verecundiæ litare cogor. An legendum *puellaris*, an *puerarius?* TILEBOM. Ita dici posse turpem amatorem puerorum non negaverim, puto tamen à manu Petronii esse *Pullarius*. Quæ vox in Glossis redditur ὁ παιδεράστης. v. Ausonii Epigramma LXX. & quæ ibi Scaliger notat. BURM.

Omnis Minervæ homo nec improbo] Sic distinctio instituatur. *omnis Minervæ homo. Nec improbo.* TILEBOM. Hoc proverbium puto usurpatum vulgo de ingenioso, variarumque artium capace. Minerva enim artium & ingeniorum dea, sicut notum. At hic ambigue positum, notat eum, qui cum quavis virgine rem habere studet. Eo modo, sicut *omnium hominum homo, paucorum hominum homo* usurpatur de eo, qui omnes vel paucos quærit, admittitve amicos. Nempe & *Minerva* virgo fingitur, & *homo* sæpe notat servum aut famulum, ut sit Minervæ homo, qui virgini servit, qui ejus adipiscendæ gratia ad obsequia quævis, etiam servilia, se submittit. SCHEFFER.

Secum tulit] Ita Cicero refert lib. II. de Fin. gloriatum de Sardanapallo in epigrammate, *se omnes secum libidinum voluptates absthulisse*. Habes epigramma apud eumdem lib. v. Tusc. Quæst.

Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit, at illa jacent multa & præclara relicta.

Atque ad hujusmodi aliquid noster istis verbis respexit. SCHEFFER.

Dixit] Verbum hoc elegantius abesset, & videtur è Glossa irrepsisse. HENS.

Narrat is] Legendum *narratis;* non enim de solo Philerote, sed de Seleuco & primo illo fabulatore Ganimedes agit.

Nec ad cœlum] Hoc de eo usurpatur, qui de re nemini utili verba facit. Vult, sermones de defunctis, & qui desierint inter nos versari, esse supervacuos. Vide Erasmi Chil. c. v. 44. SCHEFFER. Id est, aliena à proposito, absurda, inutilia, ἀπροσδιόνυσα. Lucianus in Pseudom. Ὀκλώ μοι χρησμὸς ἐπιπτεν, ἄτε γῆς, φασὶν, ὄντι ἐρανῷ ἁπτομένους. REINES.

Quid annona mordet] Scribe, *quid annonam artet. Annonam artare* vel *arctare*, est caram eam facere. Hinc *annona arcta* sæpe apud Suetonium. SCHEFF. Prodigiose hæc corrupta sunt, sed quæ mutatione minima in integrum restitui possunt, hoc modo: *cum interim nemo curat, inquit, annonam ordei. Quid* pro, *inquit*, etiam alibi apud Nostrum occurrit. Cæterum hic locus Petroni salsissimus est, & elegantissimus, si quis alius. Injecta enim ab se mentione de annona ordei, inter tantas lautitias, intempestiva Ganymedes oblique testatur, se vilissimo cibo, hoc ipso nimirum ordeo (*ordeum* enim pro *hordeo* passim in membranis vetustissimis) solitum victitare. Confirmant sequentia, ubi negat buccam se invenire potuisse homo famelicus. Plinius lib. XVIII. Hist. Nat. cap. VII. *Panem ex ordeo, antiquis usitatum, vita damnavit, quadrupedumque tradidit refectibus.* Ponit & Seneca ep. 18. *panem hordeacium* pro vilissimo. Hinc inter supplicia militaria, *ordeo pasci*. De quo inter alios Suetonius in vita Augusti cap. XXIV. Porro, *Rhetor ordearius*, pro vili apud Suetonium de claris Rhetoribus, & *Gladiatores ordearii* apud Plinium Nat. Hist. libro XVIII. cap. VII. HEINS. Intempestivæ virorum doctorum conjecturæ. Schefferi longius abit, Heinsii minime verosimilis. Quid? an hi libertini, adsuefacti bene vivere, quererentur de hordeo, quod potius jumentis, quam hominibus, dabatur, aut certe vilissimis erat in cibo, & militibus pro pœna daretur? alter, qui edidit Petronium cum variorum notis, *quod annona mordet*, quod non intelligo. Quare lego geminata modo litera *m*, *quid annonam mordet:* quæ locutio studio captata à garrulo Ganymede, idem notat, quod minuat, consumat, ita ut nihil fere sit reliqui. non dissimili sensu Horatius libro I. Epist. VIII.

——— ——— *quia grando*
Contuderit vites, oleamque momorderit æstus.

Ut ibi æstus, ita hic siccitas, de qua mox sequitur. Cæterum egregie Satyricus hic garrulum hominem in scenam producit, eodem fere modo, ut Theophrastus περὶ ἀδολεσχίας inter caracteres garrulitatis ponit, si quis frumenta in foro vili pretio venisse, &, si Jupiter pluerit, meliorem fore proventum, & similia, ignotis etiam narret: & excellens ille morum humanorum effictor Terentius in Andria Act. IV. sc. IV. Davum inducit simili sermone utentem. *Dii vestram fidem, quid turba est apud forum? quid illic hominum litigant, tum annona cara est. Quid dicam aliud? nescio.* BURM.

Buccam panis] Corrige, *buceam panis*. Nam & hoc modo scribebant, unde *bucella*. Glossæ veteres. *Bucella*, ψώμιον. Similiter reperias in Cyrilli Glossario. Apud Suetonium est *buccea* in vita Augusti cap. 76. *Post horam primam noctis duas bucceas manducavi prius, quam ungi inciperem.* SCHEFFER. Martialis lib. X. Ep. 5.

Oret caninas panis improbi buccas.

Hinc *bucellæ*. Idem Martialis: lib. VI. 75.

Buccellas misisse tuas te, Pontia, dicis,

Apud

„ tui. Et quomodo? ſiccitas perſeverat. jam annum eſurio. fuit. AEdiles
„ male eveniat, qui cum piſtoribus colludunt: ſerva me, ſervabo te. Ita-
„ que

Apud Ammianum Marcellinum lib. XVII. *Frumentum ad uſus diuturnitatem excoctum, buccellatum* vocari affirmatur. HEINS.

Et quomodo] Hæc ſuſpicor ſic eſſe diſtinguenda. *Et quomodo? ſiccitas perſeverat. Jam annum eſurio.* Quomodo ait, hoc ita fit? cur non inveni? Nempe perſeverat ſiccitas, dicunt illi annonæ flagellatores, caritatis & inopiæ cauſa. At totus eſt annus, ex quo nil ex ea caritate remittitur. SCHEFFER. Non capiendum, quaſi vellet, quomodo hoc ita fit; ſed quomodo invenire potuiſſem panis buccam? cum & ſiccitas perſeveret, & Ædiles cum piſtoribus colludant. BURM.

Annum eſurio] Id eſt, diu. Terent. Heaut. II. 2.

Dum moliuntur, dum comuntur annus eſt.

Juven. Sat. XVI. verſ. 42.

Exſpectandus erit, qui lites incboet, annus.

Fuit. ædiles male eveniat] Ita MS. Dalmaticum. Non dubito, quin legendum ſit, *jam annum eſurio fui. Id ædilibus male eveniat.* Plautus Perſa I. 3. 23. *Eſurio venio, non ſaturio.* SCHEFFER. Scriptus, *fuit. Ædiles male eveniat*, quæ interpolata. Emendo, *futiles ædiles male eveniat.* Similia ſolœca paſſim occurrunt toto hoc convivio: ſic cap. XLVI. *Aliqua die te perſuadeam.* Et ibidem: *ſcimus te præ litteras fatuum eſſe*, & plura. HEINS. Quid ſi legamus? *Puduit ædilis. Male eveniat, qui cum piſtoribus colludunt.* GOES. Tragurienſis codex, *Fuit. Ædiles male eveniat*, à quo nimis irreligioſe diſcedunt viri docti. Forte hic interjectio quædam in *fuit* tranſiit, & legendum *hui Ædiles! male eveniat, qui cum piſtoribus colludunt.* Qualis ſæpe apud noſtrum, ut *baba!* ſupra. Quas conjungit Plaut. Perſ. v. 2. *hui, baba!* & alibi etiam Terentius. Poſſes & *hey, hey*, quod mox ſequitur, niſi quis malit, quod & magis placet *hu! hu!* ut Græci ὒ ὒ: quæ eſt olfacientis particula, ut ex Ariſtoph. Plut. Act. IV. ſc. III. patet. & ita apud Plautum Milit. Act. IV. ſc. 6. *hu! hu! olet profecto*: vel *hy! hy!* ut eſt in quibuſdam codicibus, & agnoſcit Douza & Palmerius, quamquam rejiciat Gruterus, quia verſus id reſpuit. Sed apud comicos has interjectiones extra menſuram verſuum poni, jam diu demonſtratum eſt. Naſutus ergo noſter Ganymedes & loquax primo cauſſam arctæ annonæ in ſiccitatem contulit, ſed nunc, more plebejis uſitato, qui primo, ubi de magiſtratibus male dicere volunt, timide incipiunt, oſtendit illo ſono, ſe jam olfeciſſe veram cauſſam, & culpam eſſe penes ædiles. Abrumpit autem ſermonem poſt *ædiles*: ne ſcilicet malum ſibi arceſſeret. Sed pergit, jam imprecari illis (quaſi nollet ædilibus mala optare) qui colludunt. Poſſet & legi *Fy, Fy*, à Græco φυ, φυ, quod ſæpe geminatum Lucianus in Philopatride habet. Et Horat. libr. II. Sat. v. verſ. 38.

——— *Fy cognitor ipſe.*

quod propius ad *fuit* accedit. In reliquis eſt ellipſis, & poſitum pro *male eveniat illis, qui colludunt.* Eſt autem conciſa illa & elliptica oratio frequens etiam optimis ſcriptoribus, quam multis exemplis illuſtravit, & ſæpe corrumpendis locis occaſionem imperitis librariis dediſſe, docuit vir ſummus Gronovius ad Livium lib. XXIII. cap. 15. & XXIV. cap. 38. & ſæpe pronomina *ille, is*, omiſſa, etiam juris auctoribus, & aliis, ut oſtendit Petrus Faber ad Tit. de origine juris pag. 35. Hoc non obſervatum obſcuravit Horatii locum lib. III. od. 27.

——— *Ego, cui timebo,*
Providus auſpex,
Antequam &c.

Pro, ego ei, cui timebo ſuſcitabo oſcinem corvum, ut recte Paſſeratius explicuit. BURM.

Ædiles] Recte hujus magiſtratus facit mentionem, quia non modo fori & annonæ illis erat cura commiſſa, ſed præſertim menſuras & pondera inſpicere debebant, ne iniqua eſſent, & ita populo fieret fraus. Eo enim reſpexiſſe noſtrum puto, ædiles piſtoribus in ſiccitate & difficultate annonæ permiſiſſe, ut iniquioribus menſuris & pondere panem & opera piſtoria & farinam venderent. Et præterea, illos pretium ſtatuiſſe ex commodo Piſtorum, non vero civium. Apulej. I. Metam. *Annonam curamus & ædilem gerimus*, vide Plaut. Pſeud. I. 2. 53. Liv. X. 11. Plin. XV. Hiſtor. Natur. cap. I. leg. XVII. ff. de compenſat. de menſuris Juvenal. Sat. X. 99. & Perſius Sat. I. verſ. 129. Et ita capiendus Varro apud Nonium in *convenire. Æquus vel ad ædilitium modium*, quæ verba fruſtra ſollicitant Lipſius & alii. Neque, quod hæc ſcena non Romæ, ſed in municipio quodam Campaniæ, vel ipſa Capua poni debeat, infirmantur illa. Nam & Perſius, Juvenalis & Apulejus de Ædilibus talibus loquuntur. vide Noriſ. ad Cenotaph. Piſan. cap. I. diſſert. 3. Imo in quibuſdam oppidis ſummi magiſtratus erat nomen. vide Ampliſſ. Cuperi monumenta antiqua pag. 224. BURM.

Serva me, ſervabo te] Solennia iſtiuſmodi colluſorum dicta. *ſerva*, eſt, adjuva promovere res meas. SCHEFFER. Ne ex lege contra me agas, ecce munera. Corruptos ædiles indicat, non quaſi litium ædilibus ob male curatam annonam intentatarum impenſas in ſe ſuſciperent: ſimile iſtud Senecæ in Apocolynth. *Noli mihi invidere, mea res agitur, deinde, ſi quid volueris, invicem faciam, manus manum lavat.* BURM.

„ que populus minutus laborat ; nam isti majores maxillae semper Satur-
„ nalia agunt. O si haberemus illos leones , quos ego hic inveni , cum
„ primum ex Asia veni ! Illud erat vivere. Similia Sicilia interiores & lar-

Populus minutus laborat] Horatius lib. III. od. VIII. ad Mæcenatem Præfectum urbi:

Negligens, ne qua populus laboret,
Parce privatus nimium cavere.

Isti majores maxillæ] An legendum *istæ*, propter sequens *maxillæ?* vix opinor, quia respicit ædiles, potiusque est Syllepsis, ut in isto Livii. *capita conjurationis virgis cæsi.* SCHEFFER. *Lentas maxillas* vocabat Augustus Tiberii crudelitatem apud Suetonium in Tiber. cap. XXI. HEINS. Manifeste hæc tempora Claudiana & proxima respiciunt, quibus Saturnalia, id est, convivia perpetua, non per mensem Decembrem, sed totum annum erant. Senec. Apocolynth *si mehercules à Saturno petisset hoc beneficium, cujus mensem toto anno celebravit, Saturnalia ejus princeps non tulisset.* Ubi tamen *Saturnalia* ejus videtur à glossatoris manu ex margine irrepsisse. Suffecerat enim dicere *Saturni mensem* (id est, *Saturnalia*, ut adnotaverat interpres aliquis) toto anno celebrasse. Alii legunt *Saturnalitius Princeps.* vide Ruperti Epistolam XXXIV. ad Reinesium. Et ibidem: *Dicebam vobis, non semper saturnalia erunt. Majores maxillas* vocat autem ridiculi caussa, quia præcipue hanc corporis partem exercebant. BURM.

Saturnalia agunt] Laute ac opipare cœnant ; sic enim fiebat in festo Saturnalium. vide Senec. ep. 18. Porro *agere Saturnalia*, ut *agere ferias* apud Plautum, *agere diem natalem* apud Tullium, & similia. SCHEFF.

Illos leones] Ita infra hoc capite *nunc populus est domi leones.* Unde conjicio, per *Leones* intelligere hic animi promti cordatique homines ex vulgo, qui audebant conqueri de istis Ædilium injuriis, & ad pœnam eos deposcere. Plautus Menæchm. v. sc. 2. *Ut ego hunc proteram leonem Gætulum.* SCHEFFER.

Erat vivere] Tum omnia jucunda lautaque erant. Sic illo *vivere* noster est usus cap. XXXIV.

Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Varro in Sat. Væ victis : *Properate vivere pueræ, quas finit ætatula ludere, esse, amare.* Pro *vivere* Plautus ita usurpavit *vitam* in Mostell. III. sc. 2. *Vita antehac erat, nunc nobis omnia hic exciderunt.* SCHEFFER. Id est, tunc abundantia erat victus, annona tunc erat vilis. Ita Græci utuntur ζῆν, ut notavit Casaubonus ad Theophr. περὶ ἀδολεσχίας pag. 129. ubi ex Cassiodoro affert *quale fuit, rogo, tunc miseris vivere.* vide supra ad illa, *ergo vivamus*, cap. 34. BURM.

Similia Sicilia interiores & larvas, sic istos peridopabant] Non capio. Ex his autem partim verbis, partim serie orationis, ita sensum elicio. *Similes Sicilia interiores larvas, sic perdespuebat.* TILEBOM. Locus fœdissime depravatus, quem tamen posse sic restitui, existimo. *Similia Sicilia interior. Sed larvas sic istas perite aptabant, ut illis Jupiter iratus si esset.* Hoc credo, vult, similia pertulisse Siciliam, sed fuisse, qui istis famis publicæ auctoribus irent obviam magno animo, eosque componerent, velut si Jupiter larvas. *Sicilia interior*, quomodo apud Ciceronem *Africa interior*, apud alios alia ejusmodi. *Perite aptabant*, quomodo apud nostrum cap. CXXXV. *dentibus solliculos perite spoliat.* Illud *aptare* quoque usurpavit in cap. XXXIV. noster, &, quod hic notandum est, peculiariter de larvis. Potestque videri respexisse hoc loco ad ista. *larvam argenteam*, ait, *attulit servus sic aptatam, ut articuli ejus vertebræque laxatæ in omnem partem flecterentur.* Voluit, opinor, dicere, fecisse quidvis ex larvis istis in Sicilia, sicut solebant ex larvis illis in mensa, quandoquidem perterritos minis audaciaque sua sibi habebant obnoxios. De larvis illis Ausonius in epistola Centoni præfixa, sicut emendatur à Scaligero: *Harum vertibularum variis coagmentatis simulantur species mille formarum, elephantus bellua, aut aper bestia, anser volans, & mirmullo in armis subsidens: venator: & latrans canis: quin & turris, & cantharus: & alia hujusmodi innumerabilium figurarum, quæ alius alio scientius variegat.* Nihil credo loco huic intelligendo aptius. Nam ut Jupiter, peritus rerum omnium, nescio quid non per iram faceret ex tali larva, sic isti ex annonæ flagellatoribus. SCHEFFER. Scriptum puto, *Similia Siciliæ interioris*, nempe, omnia erant. Ut enim Sicilia fuerit frugum feracissima, nihilominus tamen non tam vili omnia comparabantur in tractu maritimo, quam quidem in mediterranea regione. Atque hac felicitate etiam usam fuisse coloniam significat, cum eos haberet, quos prædicat, leones. GOES. Locus desperatus, quem ego malui exhibere, ut codex Tragurienſis eum nobis dedit, quam lectori conjecturas incertas obtrudere. Quamvis illud *percolophabant* Heinsii verissimum esse putem. *Larvas istos* eodem modo dixit, ut *istos maxillas* paulo superius. Et eleganter sive ædiles, sive quoscumque magistratus, *larvas* vocat, quia personam illam gerebant, cætera nihil civibus reliquis meliores, ut plebs amat loqui. Vide infra cap. LXXX. epigramma in hanc rem. Plaut. Merc. Act. v. sc. 4. *etiam loquere larva?* & Casin. III. sc. 4. ubi masculino conjungit, ut hic Petronius:

Viso huc, amator si à foro rediit domum,
Qui me atque uxorem ludificatus est larva.

Posset & capi hoc convicium eo sensu, quo Phædri fabula VII. dicit, illos esse personas tragicas, *quibus honorem & gloriam fortuna tribuit, sensum communem abstulit.* Et Horatius I. od. 18.

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem. BURM.

Per-

„larvas sic istos percolopabant, ut illis Jupiter iratus esset. Sed memini „Safinium, tunc habitabat ad arcum veterem me puero, piper, non ho„mo. Is, quacumque ibat, terram adurebat; sed rectus, sed certus, ami„cus

Peridopabant] MS. Dalmaticum: *percolopabant*, an scribendum est, *percolaphabant*? ut sensus sit, depalmabant pugnis. Videntur *à colapho* potuisse formare verbum *colaphare*, quomodo à *pugno*, *pugnare*. Ita *percolaphare* esset frequenter colaphis percutere. SCHEFFER. Scribe: *ut larvas, sic istos percolophabant*. De larvis comicis quis nescit? His alapæ infractæ, magnum sonitum edebant. Glossæ Labbæi: *ῥαπίζω, expalmo, alapo. κολοφίζομαι. caleficor.* lege, *colaficor*. Ad larvas istas comicas, & alapas iis infractas, refer ista Martialis lib. II. ep. 72.

Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus,
Vilia Panniculi percutit ora sono.

Apud Juvenalem Sat. VIII. 191.

Planipedes audit Fabios, ridere potest qui
Mamercorum alapas. HEINS.

Illi, nempe leones, ita isti, majores maxillæ, quos larvis comparat. GOES.

Ut istis Jupiter] Malim, *ut si Jupiter illis iratus esset. Et si* Schefferus. GOES. Hæc verba confirmare illud *percolaphabant* puto: nam ex vulgari sermone hoc desumtum esse nos docebit Horatius lib. I. Satyr. I.

Quid caussa est, merito quin illis Jupiter ambas
Iratus buccas inflet, neque se fore posthac
Tam facilem dicat, votis ut præbeat aurem.

Ad quem locum multa interpretes; sed nihil ad rem pertinent, quæ de arrogantia aut ira adducunt, cujus signum inflatæ buccæ essent. Sed τὸ *illis* cum *inflaret buccas* jungendum eo sensu: quid caussæ, quin Jupiter iratus colaphos illis infligat, & contemtissimos mortalium reddat; nam ita solebant, quos alapis tundebant, prius buccas inflare jubere, quod *os præbere* dicit Terent. Adelph. Act. II. scen. 2. & Cicer. I. ad Att. 17. Liv. IV 36. & alii. Vide Ramirez ad Martial. II. 72. ubi tamen male illud *os præbere* ex Eunucho laudat, & ad obscœniorem sensum detorquet. Et eo forte referri posset ille lusus puerilis, quem infra memorat cap. 64. ubi puer, Trimalchionis dorso inequitans, scapulas subinde verberat & clamat *bucca, bucca*, id est, præbe buccam, & infla. Et hoc hodie histriones & ridiculos homines in scenis facere videmus. Aliter Horatii verba explicat Barthius lib. VI. adversus cap. 14. De locutione vero illa, *Jupiter iratus*, satis ad fastidium egerunt viri docti. Imprecationi autem inservire docet & noster infra cap. 58. *curabo jam tibi Jovis iratus sit*. BURM.

Sed memini] Puto, illud *Sed* abundare, hucque transsumtum esse ex postrema syllaba verbi præcedentis. SCHEFFER. Ita Apulejus lib. III. Metam. *Honorum talium parem gratiam memini*. Et lib. IX. *Gratas gratias asino meo memini*. vide Muncker. ad Anton. Liber. Metam. cap. 29. BURM.

Safinium] Nomen hoc in marmoribus antiquis obvium. v. indicem Gruteri. Non longe ab his temporibus remotus *L. Safinius Hilarus* libertus, qui Neapoli temporibus Augusti vixit, ut consules C. Cæsar & Paullus indicant, qui A. U. C. 754. fuere, apud Gruter. pag. MLXXV. 2. Sub Vespasiano *C. Safinius* in lapide apud Fabrettum pag. 485. memoratur. BURM.

Ad arcum veterem] Vel insigne loci & domus ejus fuit, ut *ad capita bubula*, apud Suet. in vit. August. cap. 5. *ad Gallinas* in vit. Galb. cap. I. & passim: aut revera fuit arcus quidam Triumphalis vetustate collapsus, unde vico isti nomen. Ita ad *veteres fagos* apud Virgil. Eclog. 3. BURM.

Piper] Propter asperam acremque dicendi libertatem. D. Hieronym. ep. ad Eustochium: *Dulcedo arte mutata est, & quadam, ut ita dicam, piperis austeritate condita*. Item: *Itaque ut te aliquid piperis mordeat*. Habet speciem proverbii. Quomodo supra cap. præcedenti. *Discordia, non homo*. SCHEFFER. Ita ob acrimoniam linguæ eum vocasse puto. Sidonius lib. V. epist. 8. *Deus bone! quid illic inesse mellis, leporis, piperatæque facundiæ minime tacitus inspexi*. Ubi videndæ Savaronis notæ. Idem lib. VIII. Epist. 8. *Quod ad Epigrammata spectat, non copia, sed acumine placere, quæ nec brevius districho, nec longius tetrastricho finiebantur; eademque cum non pauca piperata, mellea multa conspiceres, omnia tamen salsa cernebas*. Ut autem piper ingenio calidum, & urit, ideo mox dicit ubique adussisse terram, quod egregie illustrat Schefferus. Ceterum an huc referendum sit *piperata manus* Autolyci apud Martialem lib. VIII. Ep. 59. dubito. Vide Barth. ad Claud. lib. II. in Rufin. vers. 438. & lib. XIV. adversus cap. 14. BURM.

Terram adurebat] Pulcre, quia præcessit de planta, ideo manet in ea loquendi ratione. Plantæ namque ac sativa quædam *urere* vel *adurere terras* dicuntur, cum emaciant eas fervore suo. Virgilius I. Georg. v. 77.

Urit enim lini campum seges, urit avena.

Columella II. cap. 14. *Putat aliis stercorari & juvari agros, aliis rursum peruri & emaciari*. Adde reliqua. Plinius de cicere lib. XVIII. Histor. Natur. cap. 12. *ideo solum urit*. SCHEFFER.

Rectus] Ita proprie dicitur, qui simulare nequit. Cicer. lib. XII. ad fam. Epist. 5. *Erat firmissimus Senatus, exceptis Consularibus, ex quibus unus L. Cæsar firmus est, & rectus*. Deinde addit *certus*, quod est firmus, constans, qui non facile amicitiæ jura prodit. spectatus, & cognitus fide. Cicer. Orat. pro Quint.

„cus amico, cum quo audacter posses in tenebris micare. In curia au-
„tem quomodo? singulos vel pilabat, tractabat. nec schemas loqueba-
„tur, sed dilectum cum ageret. Porro, in foro, sic illius vox crescebat,
„tam-

cap. 3. *Sex. Navius vir bonus, verum tamen non ita institutus, ut jura societatis, & officia certi patrisfamilias nosse posset.* Ubi vide summum Grævium. Idem lib. v. ad Attic. Epist. ult. *L. Volusium, tui Tiberii generum, certum hominem, sed mirifice abstinentem, misi in Cyprum.* Et in vulgato illo dicto Ennii:

Amicus certus in re incerta cernitur.

alio sensu pro veraci infra cap. 63. occurrit. BURM.

Cum quo audacter possis in tenebris micare.] Meminit hujus proverbii & D. Augustinus lib. VIII. De Trin. cap. V. *Nam ubi id volumus, facile habemus, ut alia omittam, vel micando digitis tribus. Porro cum quo micas in tenebris, ei liberum est, si velit, fallere.* Meminit & Varro hujus lusus, qui frequens adhuc in Italia. HEINS. Notum hoc, & Ciceroni quoque lib. III. de Offic. cap. 19. usurpatum proverbium, qui à rusticis natum docet. Nempe ex illo genere divinationis, quæ sublatis digitis ad numerum fiebat. Vide Casaubon. ad Suet. Aug. cap. XIII. Et Modium Novant. Lect. Epist. CV. De quo ludicro etiam Calpurn. Eclog. II.

Et nunc alternos magis ut distinguere cantus
Possitis, ter quisque manus jactate micantes.
Nec mora, discernunt digitis: prior incipit Idas.

Cicer. lib. II. de divin. cap. 41. *Quid enim sors est? idem propemodum, quod micare, quod talos jacere, quod tesseras.* Ita lib. III. de Offic. cap. 3. *Nullum erit certamen, sed quasi sorte, aut micando victus, alteri cedat alter.* Ita recte pro *dimicando* repositum à viris doctis. BURM.

Tractabat, nec schemas loquebatur, sed] Lege, *jactabat: sed schemas loquebatur, dilectum cum*, &c. TILEBOM. Suspicor, scripsisse nostrum, *quomodo singulos, vah! pilabat*, sequens autem *tractabat*, præcedentis *pilabat* interpretamentum esse, ac ex glossa irrepsisse censeo. *Pilare*, est nudare pilis, calvum facere, usurpaturque hoc loco per figuram de eo, qui acerbe duriterque alterum tractat, quomodo & *calvare* usurparunt. Festus: *Pilat, pilos habere incipit, alias pro detrahit pilos.* SCHEFFER. Scribe: *velut pilas tractabat*, vel *jactabat*. Sic Martialis libr. spectac. Epigr. XXII.

Jactat ut impositas taurus ad astra pilas.

Pilas intellige, stramentitias hominum imagines, vel laneas. Vide Festum in *Pila*: & *laneæ effigies*. & illic Scaligerum. HEINS. Lege omnino: *quomodo singulos vellicabat! Nec schemas*, &c. Quippe illud *tractabat*, è glossa in textum irrepsit. GOES. Lectio scripti codici est *vel pilabat, tractabat*: pro qua recentiores Schefferi conjecturam, ut passim fecerunt, pro Petronii verbis receperunt. Mihi tantum licuisse non putavi, & malo vitiosam lectionem relinquere; si quid mutandum esset, transponerem τὸ *vel. quomodo vel singulos pilabat, tractabat*; ubi *vel* est *etiam*, ut jam supra occurrit, & passim. De *pilare* antea egimus: *tractabat* autem venuste dicitur de aliquo, qui simpliciori illudit, & eum pro arbitrio suo blandis dictis & spe inani lactat. Terent. Heaut. Act. II. sc. 3. *Hac arte tractabat virum.* & Act. III. scen. 2. *Na ego te magnifice tractare possum.* Apulejus lib. VIII. Milesi. *Sic præco lucronem tractabat dicacule, sed ille cognito cavillatu, similis indignanti.* Ubi tamen Heinsius non male suspicatur *ductabat* legendum, quia in optimo codice *dictabat* erat, & in Florentino uno ita legi Elmenhorstius testatur. BURM.

Nec scemas loquebatur] Mallem *schemas*, etsi & alterum possit stare, cum in talibus *h* litera quandoque omittatur. ut, in *siccus*, pro σικχὸς, in *orcus*, pro ὀρχὸς. *Schemas* autem, pro *schemata*, quomodo Plautus in Prologo Amph. *Ego huc processi sic cum servili schema.* atque ita etiam Suetonius, & alii. Ipse noster cap. CXXVI. *Risit ancilla post tam frigidum scema.* Ubi habes pari ratione scriptum, ut in nostris. *Schemas* vero *loqui*, est ambigue & latenter, formulisque obscuris alicui convicium facere. Pro quo Spartianus in Severo usurpavit *figurata dicere.* Ita enim cap. 14. *Damnabantur plerique, alii, cur figurata dixissent, ut, quod esset imperator vere nominis sui, vere Pertinax, vere Severus.* Sic hunc locum legit Casaubonus. Quod de schemis dixi, nemo melius docuerit Quintiliano, qui sic lib. IX. cap. 2. *Jam ad id genus, quod frequentissimum est, & exspectari maxime credo, veniendum est: in quo per quamdam suspicionem, quod non dicimus, accipi volumus, non utique contrarium. ut in ironia, sed aliud latens, & auditori quasi inveniendum, quod jam fere solum SCHEMA à nostris vocatur.* Adde cætera. Martialis lib. III. Ep. LXVIII.

Schemate nec dubio, sed aperte nominat illam.

SCHEFFER. Id est, figurate. Et Latino modo hoc verbum Plautus extulit Amphitryonis prologo: *cum servili schema:* apud eumdem in Persa, *lepida schema.* Apud Cæcilium Hippolyto: *hilaris schema*, citante Prisciano. Et sic hoc verbo usus est Suetonius Tiberio cap. XLIII. *Ne cui in opera edenda exemplar imperata schemæ deesset.* HEINS. Ita Apulej. lib. IV. Metam. *Scenam denique, quam sponte sumserat, cum anima retinens, nunc fugiens, nunc resistens, variis corporis sui schemis ac motibus, tandem domo prolapsus est.* Ad quæ vide Colvii adnotata; & Schott. lib. I. observ. cap. 5. Qui primum etiam vocabulum in *schemam* mutat. BURM.

Sed dilectum cum ageret] Suspicor, scribendum esse, *sed dilectum ceu ageret.* Existimo respicere ad severitatem adhibitam apud Romanos in dilectu. Cognosce-

„ tamquam tuba; nec sudavit umquam, nec exspuit. Puto eum, nescio quid Asia

gnoscebantur quippe causæ cujusque, an militare posset, vel non posset, num jure liberaretur à militia, nec ne, & quæ alia sunt ejusmodi, & quidem cura summa citra metum vel adulationem. Nisi mavis intelligere de dilectu Senatorum, qualem instituit Augustus memorante Suetonio cap. 35. SCHEFFER. Lege *sed directim*. Hoc Livius dixit lib. 1. cap. XII. *directo. Sunt qui eam ex pacto tradendi, quod in sinistris manibus esset, directo petisse arma dicunt.* Ita illic meliores scripti: recte: nec aliud quid latet. *Directo*, aperte; quod noster *directim* dixit, alii dicerent, *directe*. Sic *confusim* Plinius, *occultim* Solinus; *perplexim* Plautus, Afranius *restrictim*, & id genus alia, quibus accuratius colligendis nunc supersedemus. Sed quod Nostro est *directim*, id Martiali *aperte* lib. III. Epigr. LXVIII.

Schemate, nec dubio, sed aperte nominat illam,
Quam recipit sexto mense superba Venus. HEINS.

Directim, non absurda certe conjectura, legit Heinsius. Quæ vox in uno Apuleji libello de habit. Doctr. Plat. Philos. sæpius occurrit.

Nec sudavit, nec exspuit] Licet vox crescceret, ut in illa ipsa contentione inesset simul suavitas, quod est rarissimum. SCHEFFER. An putemus hunc libertum tam eruditum, & gentium ubique terrarum naturam & ingenium noviisse, ut illud singulare in Persis his verbis respicere debuerit? Ego, ut omnia hic plebeja sunt, ita hoc quoque è medio populo dictum puto: qui oratores & declamatores vehementius causas agentes, & vocem intendentes, cernebant sudare & exspuere, quod tamen vulgo vitiosum habebatur. Ita supra cap. III. Agamemnon *in schola sudaverat*. Quam fœdum autem fuerit crebro spuere, docet magnus Oratoris formator Quintil. lib. XI. Inst. cap. I. qui inter vitia pronunciationis recenset. *Tussire, & exspuere crebro, & ab imo pulmone pituitam trochleis adducere, & oris humore proximos spargere, & majorem partem spiritus in eloquendo per nares effundere.* Putares Quintilianum nostri temporis clamatores vidisse, qui, cum omnem ætatem publice verbis faciendis à pueritia destinaverint, nihil tamen minus discere volunt in adolescentia, quam bene dicere & recte pronuntiare: & putant inepti illi præcones se Deum iratum habituros, si sublimes & cœlestes sermones, dicendi gravitate & decore ornarent. Immo quotidie videre est, qui adfectant hæc intolerabilia bonis auribus vitia, ejulare, cantare, muliebriter vociferari, & omnes voces torquere per narium cavitatem; quod sanctimoniæ quiddam singularis habere turbæ plebejæ jactant. Exspuere autem & auditores proximos rore quodam ex immundo ore spargere, sæpe querentes audivi mulieres, (hæ enim propiores illis esse solent) quæ suum mundum madidum domum referebant. Alios cernas (qua ostentatione Scenica Gallici nostri Roscii excellunt) sudario centies abstergere faciem adhuc siccam, & emungere nares minime mucosas. Sed valeant molesti illi concionatores, & ad fatigandas aures bonas nati; nos ad Petronium, qui ne in hac quidem conviviali & sæpe inepta confabulatione omittit occasionem oratorem facundum & verum formandi. Neque in oratore solum hanc exspuendi frequentiam patienter ferebant, sed & in communi sermone id vitiosum habuisse docet Catullus carm. XLIII. à quo lepida, scilicet, puella vivis coloribus depingitur hoc modo:

—— Nec nimio puella naso,
Nec bello pede, nec nigris ocellis,
Nec longis digitis, nec ore sicco,
Nec sane nimis elegante lingua.

Et Juvenalis Satyr. VI. 147. inter causas divortii maritum nimiam emunctionem naris prætexentem facit.

Jam gravis es nobis, & sæpe emungeris, exi
Ocyus, & propera, sicco venit altera naso.

Vel, ut ex optimo codice reposuit Heins. ad Claud. II. in Stilic. 327. *ut sæpe emungeris!* quasi detestaretur ipso gestu fœditatem hanc. BURM.

Puto enim nescio quid Asia DIs habuisse] Scribe, *puto eum nescio quid in Asia cum DIs habuisse*. TILEBOM. Lego, *nescio quid dasi à dis habuisse*. Illud *dasi* est Græcum δασὺ, & de contentione ac vigore spiritus usurpatur. Hinc enim & apud Grammaticos δασὺ πνεῦμα, quem spiritum asperum reddidere. Vult igitur, tributam ei à diis singularem facultatem vocis spirituque, ut numquam deficeret, etiam cum diutissime, ac maxima cum contentione loqueretur. SCHEFFER. Hoc vere Petronianum τιμάχιον est, sed à manu mala fœdatum. Auctor scripserat: *Puto eum nescio quid Asiatici habuisse*: itáque legendum est. Respexit autem ad Persas qui λιτότητι τῶν βίων καὶ σωφροσύνῃ, id est, victu frugali, sobrietate & exercitiis sanitatem & firmitudinem corporibus, sic ut nec sputis, nec sudore diffluerent, nec flatibus turgerent, conciliasse feruntur. Φυλάττονται, inquit Suidas, πολλὰ πτύειν καὶ ἐρεῦν, καὶ ἀπομύττεσθαι. *Persæ propter exercitationes pueriles modicas eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur, sufflatove corpore essent:* verba sunt M. Varronis in Catone seu de liberis educ. apud Nonium in *Siccam*. Primus id dixerat Xenophon in I. Κύρ. παιδ. Αἰσχρὸν μὲν γὰρ ἔτι καὶ νῦν ἐστι Πέρσαις, καὶ τὸ ἀποπτύειν καὶ τὸ ἀπομύττεσθαι, καὶ τὸ φύσης μεστὸς φαίνεσθαι. meminit etiam Cic. 2. de fin. & 5. Tuscul. Quotidianum Persis Medisque ὑπότριμμα, scitamentum seu edulium *abyrtace* fuit concinnata è porro, nasturtio & aliis; Suid. in ἄβυρτ. Porris autem & nasturtiis calefaciendi, siccandi & extenuandi virtus singularis, eademque, quæ acruminibus allio, cœpis, raphano, erucæ, sinapi, quæ de facultatibus dictis commendantur à medicis. Tale

est

„ Asia dis habuisse. Et quam benignus? resalutare, nomina omnium
„ reddere, tamquam unus de nobis. Itaque illo tempore annona pro
„ luto

est istud *Asiaticum* Petronio restitutum. REINES. Reinesius putabat, *quid Asiatici*, quod sine causa Hadrianides recepit in textum. Dicit quidem Reinesius, respicere Persas, qui frugalitate victus consecuti erant, ut nequidem exspuerent. At tam docta ebrio Phileroti veniri potuisse in mentem, quis crediderit? Nam ipsius quidem ætate istam Persarum vulgarem fuisse frugalitatem, neutiquam persuadeor. Dein, cur vocaret Asiaticum, quod privatim erat Persarum, & æque facile *Persicum* dici poterat? cum præsertim *Asiaticum* illa tempestate significaret contrarium, luxu nempe diffluens, molle, effeminatum, quod jam pridem Parœmiographi docuerunt. SCHEFFER. Lego, *Puto enim* (vel, *puto eum*) *nescio quid Asiades habuisse*, pro Asiaticum. Ἀσιάδης τι. Sed & *Asiadis* pro Asiatici, vel in Asia nati. HEINS. Non dubito, quin scripserit auctor: *Puto enim, nescio quid, Asiæ à Dis habuisse*. GOES. Non placent manus medicæ virorum doctorum: in hoc tamen loco hæreo, & puto in illis literis *Asi* aliquid latere, quod à Diis ad firmitatem illam corporis tuendam acceperat. Et forte, geminata modo litera *S* in voce *Asi*, posset conjici fuisse, *nescio quid assi à Diis habuisse*. Quid *assa vox* sit docere minime necesse puto. *Assum*, teste Nonio, est, *ut in obsoniis sine admistione saporis alieni, quemadmodum merum dicitur solum*; unde *assa caro*, ab elixa differt, quia illa sola sine aqua igni adponitur. Et ita *assa sudatio* sine balneo, sine aqua calida. Ita hic noster cujus vox erat *tamquam tuba*, habebat aliquid *Assi*, id est, calidi intra viscera sua, quod & sudorem & salivam consumeret. Qui melius conjecerit, melior haruspex esto. BURM.

Et quam benignus resalutare] Distingue, *& quam benignus? resalutare, nomina omnium reddere. Benignus* vero est blandus, communis, liberalis. Horat. lib. 1. Sat. 2. 4.

Quippe benignus erat. ——

Et ibidem vers. 51.

—— *Vellet bonus atque benignus*
Esse.

Quæ duo etiam Terentius jungit, Phorm. 5. 2. Et ita Cicero hanc vocem sæpe cum comi, suavi, & similibus conjungit, quæ notant artes, quibus allicimus multitudinis animos. Sed ad hunc Petronii locum egregie facit ille Ciceronis XIII. Philipp. cap. 2. *Salutabunt benigne, comiter appellabunt unumquemque nostrum.* Plaut. Aulul. Act. 1. scen. 2. *Benignius omnes me salutant.* BURM.

Resalutare, nomina omnium] Hoc Romæ maximæ civilitatis argumentum, sine nomenclatore obvios salutare: quod ex præcepto illo Nasonis apparet lib. II. art. Amat. vers. 251.

Nomine quemque suo (nulla est jactura) saluta,
Junge tuis humiles, ambitiose, manus.

Hinc viri illustres & ipsi Imperatores hac ambitione, ut noster Safinius, se plebi & militibus commendabant. Trajanus *sine monitore Equestris ordinis decora honore nominum signabat.* Plin. paneg. cap. 23. *Et omnes prope milites nomine appellabat.* Ibid. cap. 15. Quod & de Hannibale Livius lib. XXX. 32. Et Silius I. 454. De Petrejo Sallust. Catilin. 59. De Othone Tacit. I. Histor. 23. narrant. Vide Heins. ad Claudian. VI. Cons. Honor. 255. Præterea hoc decus egregie observantem Terentium notat ad Adelph. Act. II. sc. 2. 2. Donatus. Sed præcipua blanditiarum gratia erat, si prænomine, quo molles auriculæ gaudebant, appellarent. Horat. II. Satyr. 5. Contra vero superiorem proprio nomine appellare erat arrogantis, & sibi nimium placentis. Vid. Serv. ad Virgil. lib. IV. Georg. vers. 310. lib. I. Æneid. vers. 76. & lib. XII. vers. 652. Martial. lib. II. Ep. 68.

Quod te nomine jam tuo saluto,
Quem regem & dominum prius vocabam,
Ne me dixeris esse contumacem.

vide Suet. in vita Vespas. cap. 15. Tacit. lib. XII. ann. cap. 41. Jam autem suo tempore fuisse, *quibus maxima industria videbatur salutare plebem*, dicit Sallust. Jug. cap. 4. BURM.

Unus de nobis] Sicut Cicero, *unus de multis* I. Off. & Horat. III. od. II. SCHEFFER. Nescio certe, quos Latinos auctores legerint, qui ex hac locutione vitiosa, ut existimant, hoc fragmentum voluerunt suspectum reddere. Sed egregie vindicavit Statilejus in responsione sua: & ita optimi quisque ævi scriptor. Horat. III. od. XI.

Una de multis face nuptiali
Digna.

vide eumdem lib. I. Epist. XVI. vers. 55. lib. II. Ep. II. vers. 212. Ovid. lib. I. Metam. vers. 325.

Et superesse videt de tot modo millibus unum.
Et superesse videt de tot modo millibus unam.

Apulej. lib. II. Milesi. *De famulis tuis unum putato.* Quæ eadem locutio in initio libri VIII. sed ibi quædam editiones *unus ex famulis* male, notante Colvio. Ita *unus de populo* auctori de claris Orat. cap. 21. Spartian. in Julian. cap. 8. *Unus de præfectis.* Lamprid. in Alex. Sever. cap. 4. *Unus de senatoribus.* Et apposite idem cap. 11. Severus senatoribus, qui nomen Magni ipsi deferre volebant, recusans inquit, *Quiescite venerandi patres, & vos ipsi magnifici, unum me de vobis esse censete potius, quam Magni nomen ingerite.* Unde apparet proverbii formam habuisse hæc verba. *Unus è nobis* decies & ultra Arnobius lib. I. geminavit.

„ luto erat. Asse panem, quem emisses, non potuisses cum altero devo-
„ rare; nunc oculum bubulum vidi majorem. Hei, Hei, quotidie pejus:
„ haec Colonia retroversus crescit, tamquam coda vituli. Sed quare
„ non? habemus aedilem trium caunearum: qui sibi mavult assem, quam
„ vitam nostram. Itaque domi gaudet: plus in die nummorum accipit,
„ quam alter patrimonium habet. Jam scio unde acceperit denarios mille
„ aureos,

vit. Sed haec jam nimis. Verum semel expugnandum erat fastidium. BURM.

Pro luto erat] Tam vilis, ob precii sui exiguitatem. Quomodo apud Plautum in Trucul. Act. II. scen. 7. Amator *bona sua pro stercore habet.* Ita infra cap. 67. *Aurum pro luto haberemus.* SCHEFFER.

Devorare] Sic Celsus II. cap. 6. *Qui sine ullo tremore febricitans, devorare salivam suam non potest.* Plinius X. cap. 50. *Pestis exorta, opimas aves, & suopte corpore unctas devorandi.* SCHEFF. Hoc verbo utitur, ut ostenderet, ne duos quidem, os licet avidissimi, panem illum *integrum* potuisse *devorare*, ut Cato de re rust. cap. 78. loquitur: & *totum devorare* Plin. lib. XXX. Hist. Nat. cap. II. aviditatem summam enim notat. Justin. XXI. 5. *Quod emere non poterat, oculis devorare.*

Pejus haec colonia retroversus crescit] *Retroversus* integre pro eo, quod contracte vulgo est *retrorsus*, nisi quis existimet divisim *retro versus* legendum, quomodo est apud Donatum ad Terentii Adelph. I. scen. I. ubi ait: *Rursum, est retro versum, ut prorsum, prius versum.* Cicero in Partit. *Idem quasi sursum versus retroque dicatur.* Caeterum *retroversus crescere*, est *decrescere, minui*, quodque sequitur de coda vituli, joci gratia adjicitur. SCHEFFER. Illud *pejus* è glossa est, ideoque rejiciendum è textu: Quae enim retro vel retroversus eunt, eunt in pejus. Virgilius lib. II. vers. 169.

Ex illo fluere & retro sublapsa referri
Spes Danaum.

Seneca Epist. CXXII. *Nolunt solita peccare, quibus peccandi praemium infamia est. Hanc petunt omnes isti, qui, ut ita dicam, retro vivunt.* GOES. Distingue, *quotidie pejus; haec colonia retroversus crescit*, &c. *Pejus* autem simpliciter positum pro pejus est, fit. Plaut. Mostell. III. II. 21. *Pejus posthac fore, quam fuit mihi.* Stich. Act. I. sc. II. vers. 68. *Et illa, quae aequo animo patietur sibi esse pejus, quam fuit.* recte autem Goesius adduxit Virgilii locum, qui splendidius idem effert, quod hic rusticana illa parcemia. Adde alterum I. Georg. 200.

——— *Sic omnia fatis*
In pejus ruere, & retro sublapsa referri. BURM.

Sed quare non habemus.] Legendum, *sed quare nos habemus?* TILEBOM. Isthaec puto sic legenda: *sed quare? Non habemus aedilem trium caunearum.* Caunae sunt caricae, id est, ficus, ut nos docet Plinius & Columella fine lib. X. Hinc *trium caunearum homo*, sicut apud Plautum in Poenul. Act. II. scen. I. *homo trioboli*, de eo, qui est pretii nullius. SCHEFFER. Lege *sed quare? nos habemus aedilem.* REINES. Reinesius, *nos habemus*; verum haud persuadet. Nempe trium caunearum aedilis, vilis ille quidem, sed tamen trium caunearum. At vult noster agere de vilissimo ac pretii nullius, ne quidem minimi, ne quidem trium caunearum. Plane ut Germani, *der nicht drey heller werth is.* SCHEFFER. Hic quoque distinctione sanari potest locus, *sed quare non? habemus.* Scilicet, quid prohiberet, cur non in pejus rueret haec colonia, cui aedilis tam rapax & negligens civium vitam praest? BURM.

Trium Cauniarum] Id est, ficuum. Sed, an non *Civium Cauniorum?* Caunii autem Cariae Populi tanta barbarie, tantaque ad servitutem animi propensione feruntur exstitisse, ut vitam vel exiguae mercedi, seu lucello, posthaberent. Hincque proverbium duceret suum Petronius in persona Phileri; quo sui temporis aediles improbat ac detestatur, exactionis cognomine. TILEBOM. Hoc proverbium ad similitudinem aliorum inter viliores usitatum suspicor; cum aliter, *hominem trioboli*, ut Plautus in Poenulo, *tressem*, ut Persius, *Assis, teruncii non facio*, & similia jactarent. Potuit & alludere ad *hominem trium literarum.*

Nostram vitam] Explico victum, commeatum, annonam, ut Graecorum imitatione saepe *vitam* sumi docuit Vir Amplissimus Cuperus lib. I. observ. cap. 17.

Domi gaudet] Idem notare puto quod in sinu gaudet, remotis arbitris genio indulget. Horat. I. Sat. I.

——— *Populus me sibilat, at mihi plaudo*
Ipse domi, simul ac nummos contemplor in arca.

BURM.

Jam scio] His verbis illum corruptum à pistoribus, aut negotiatoribus frumentariis, cum quibus colludebat aedilis, indicat. Efficaciae autem singularis est particula *jam*, quod numquam deprehendere potui, sed semper suspicatus sum, jam verum esse deprehendi. Inf. cap. 58. *Jam scies patrem tuum mercedes perdidisse.* Terent. Andr. Act. V. sc. 4. *Nam ego quae dico, vera an falsa audieris, jam scire potes.* Prolog. Eunuch. *Id ita esse, vos jam judicare poteritis.* Ubi *jam* est, post tantas turbas, tantam dubitationem. Et ita recte Donatus ad Andr. I. 2. 19. *Redeat jam in viam*, notat, *Jam tarditatis esse signum*: est vero idem quod *tandem*,

„ aureos; sed, si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret. Nunc „ populus est, domi leones, foras vulpes. Quod ad me attinet, jam „ pannos meos comedi, &, si perseverat haec annona, casulas meas ven- „ dam. Quid enim futurum est, si nec Dii, nec homines ejus coloniae mise-

dem. Et ita sæpe apud eumdem comicum *jam scibo*, Adel. III. III. 7. & V. 11. 5. ita ut usu plebejo trita fuerit hæc formula. Eodem modo utuntur particula *nunc*. Terent. Eunuch. I. 1. *Nunc ego & illam scelestam esse, & me miserum, sentio* Ubi Donatus, *id est sero. ut Virgil. Ecl.* VIII. *nunc scio quid sit amor. nunc Augur Apollo. Et, Nunc Lyciæ sortes* Ex lib. IV. Æneid. 376. BURM.

Si nos coleos haberemus] Hoc est, si quid in nobis virilis roboris remaneret.

——— *Si testiculi vena ulla paterni*
Viveret in nobis.

Quemadmodum loquitur Persius, vel, ut alibi Auctor hic noster, *si quid ingenui sanguinis haberemus.* TILEBOM. Si essemus viri. Persius Sat. I. SCHEFFER. Rustice & aperte nimis hi homines sordidi efferunt, neque minus Latine Persius; sed honestius expressit Ovidius Epist. XVI. 291.

——— *Si sint vires in semine avorum.*

Unde tamen apparet, rem eamdem varie à diversæ sortis hominibus quotidianis sermonibus jactari.

Tantum sibi placeret] Petronianum. Sic enim cap. 126. *Nolo tibi tam valde placeat.* SCHEFFER. Usitata locutio de arrogantibus & superbis jactatoribus. Flor. II. 8. *Ne sibi placeant Athenæ, in Antiocho vicimus Xerxem.* Tertull. de Idolol. cap. XI. *Ille quidem si exclusserit damonium, non sibi placeat de fide.* Ovid. II. Metam. 58.

——— *Placeat sibi quisque licebit.*

Vid. Infr. cap. 46. BURM.

Populus est, domi leones] Hoc proverbium ex Græco tractum, cujus meminit Plutarchus in Sylla: Οἶκοι λέοντες, ἐν ὑπαίθρῳ δ' ἀλώπεκες. Consule Erasmum. SCHEFFER. Non abludunt illa Tertulliani de corona militis cap. I. *Novi & pastores eorum, in pace leones, in prælio cervos.* Atque simile occurrit apud Sidonium Apollinarem: *Cum sunt in prætoriis leones, in castris lepores.* Cæterum non *foras* sed *foris* dixisse debuit. Verum data opera solœcismum captavit, sicut fecit & alibi. HEINS. Ex Aristophanis pace pag. 714. Οἶκοι λέοντες, ἐν μάχῃ δ' ἀλώπεκες. Quod Ælianus lib. XIII. Var. cap. IX. Lamiæ meretrici tribuit, quæ in Lysandrum, in Jonia mollitie & vitæ cultu luxuriantem, dixit Οἱ ἐκ τῆς Ἑλλάδος λέοντες, ἐν Ἐφέσῳ δ' γεγόνασιν ἀλώπεκες. Sed recte Celeberrimus Perizonius antiquius hoc dictum Lamia meretrice ostendit. Notat autem proverbium jactatores, qui, ubi nullum est periculum, instar militum glorioforum, minacibus verbis utuntur, ubi adest hostis, vel aliquod discrimen, ignavi deprehenduntur. Ita de Ætolis ait Liv. lib. XXXV. cap. 49. *Eorum omnem ferociam in verbis, non in factis, & in conciliis magis concionibusque, quam in acie, apparere.* Vectius Messius Volscos suos increpans apud eumdem lib. IV. cap. 28. *In otio tumultuosos, in bello segnes* dicit. Et Sulpicius Dictator Romanos milites, & Tullium increpans *in castris feroces, in acie pavidos.* Livius lib. VII. cap. 15. Et talis à Justino Xerxes describitur lib. II. cap. 10. *In periculis timidus, si cubi metus abesset, inflatus.* BURM.

Pannos meos] Eleganter per figuram diminutionis rem, suppellectilem, vestes meas, vult dicere, ut Germani, *mein Armútlein.* Nihil ergo hic mutandum. SCHEFFER. Sic apud Ciceronem lib. IX. ep. XVIII. *Potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, cum cantherium comedisti, Romam pervehi.* HEINS. *Comedere* frequens in hac significatione Plauto vox. Vide Torrentium & Lambinum ad Horat. lib. I. Epist. XV. vers. 40. Ita supra capite 39. in Leone *Cataphagas* id est, prodigos nasci dixit.

Hæc annona] Δεικτικῶς illud *hæc* accipiendum, pro tali, tam arcta & cara. SCHEFFER. Id est, quæ hoc tempore tam est difficilis. Livius VII. 25. *Quem nunc novum exercitum, si qua externa vis ingruat, hæ vires Populi Romani, quas vix terrarum orbis capit, contracta in unum haud facile efficiant. Hæ vires* sunt temporis illius, quo scribit Livius. Ita contra *ille* ad præterita refertur, ut supra *illud erat vivere.* Vide Gronov. ad Senec. Herc. Oet. vers. 387. BURM.

Quid enim futurum est?] In re desperata hæc formula loquendi erat frequens. Flor. III. cap. 21. *quid futurum fuit, si annum consularis implesset.* Ubi mallem *consularem*: ultimæ literæ *em* à primis in *implere* fuere absorptæ. *Consul* legit Voss. ad Vellej. lib. II. cap. 51. Terent. Heaut. III. 1. *quid te futurum censes, quem assidue exedent.* Plaut. Trucul. II. IV. 63.

Quid me futurum est, quando miles venerit?
Relictusne abs te vivam?

Ita utuntur & *quid me fiet*, vel *quid mihi fiet*: de qua formula vide Behot. Apophor. lib. 2. cap. 17. BURM.

Ejus coloniæ] Mallem ego, *hujus coloniæ.* Sic enim & in præcedentibus: *hæc colonia retroversus crescit.* SCHEFFER. Capuam intelligit, quæ bello Punico secundo in formam præfecturæ redacta, annis circiter centum quinquaginta duobus post consulatum Cæsaris colonia facta est, teste Vellejo Paterculo lib. II. cap. XLIV. HEINS. Sed & coloniam eo deductam à

Divo

„ miserentur? Ita meos fruniscar, ut ego puto omnia illa aedilibus fieri. Nemo enim coelum coelum putat, nemo jejunium servat, nemo Jovem pili

Divo Augusto auctor est Plinius lib. XVIII. cap. II. GOES.

Ita meos fruniscar] Vetus jurandi formula, pro, ita salvos mihi habeam meos. SCHEFFER. Nihil frequentius, quam hac forma concipere vota & jusjurandum, qua salutem suis prospinquis, & sibi simul optabant. Ovid. lib. IV. fast. vers. 519.

Sospes eas, semperque parens; mihi filia rapta est.

Et post:

Sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes.

Terent. Hecyr. Act. II. sc. I. *Ita me dii bene ament, mi Laches, itaque una inter nos agere ætatem liceat.* Concipiebatur autem hoc jujurandum per particulas *ita* & *ut*. Senec. IX. Contr. 4. *Ita mihi superstite filio mori liceat, ut ego illum, qui mori maluit, parricidam vocavi.* Terent. Heaut. Act V. 4. *Ita mihi atque huic sis superstes, ut ex me atque hoc natus es.* Vide celeberrimo Grævio notata ad Cicer. lib. X. ad Famil. ep. 9. ubi ex Catilinaria IV. simile nostro jusjurandum adfert. *Ita mihi salva republ. vobiscum perfrui liceat*, &c. Ex eadem opinione felicitatis hujus, qua, si suis frui diu liceret, animum suum mulcebat, profluxit singularis illa imprecatio, quam lapidi inciam refert Sponius Miscell. Erudit. pag. XI. & Fabrettus pag. 4.

QVISQVIS
HOC. SVSTVLERIT
AVT. JVSSERIT
VLTIMVS. SVO
RVM. MORIATVR. BURM.

Ædilibus fieri] Lege *fieri* TILEBOM. Hæc inepta sunt, neque video, quis hic locus sit ædilibus. Suspicor plane, scripsisse nostrum, *à cælitibus fieri*. SCHEFF. Nondum videre possum, quid ædiles hic faciant. Explicatio Hadrianidis est inconveniens huic loco. Quomodo enim cohæreant, ædiles sunt in culpa, nemo enim cœlum cœlum putat? An, quia nemo cœlum putat cœlum, ideo fit per ædiles, ut sit caritas annonæ. Posset tamen pro *ædilibus* legi non *cælitibus*, sed *à ditibus*, hac sententia: Ita mihi meisque bene eveniat, ut ego puto omnia hæc, quæ nobis annonam reddunt arctam, fieri à divitibus, lucrum suum captantibus, cum summa numinis negligentia & contemtu. SCHEFFER. Lege *Ædilibus deberi*. Possis &, *damna illa ædilibus deberi*, qui rem annonariam male curabant, & profani erant. Nam & sequentia ad ædiles videntur referenda. Ædilium Cerealium ter quaterve occurrit mentio in Gruteriano Inscriptionum opere. HEINS. Offendit merito hæc vox, licet posset capi dictum pro *ab Ædilibus fieri*, sed quia præcessit de collusione cum pistoribus, & denariis aureis mille, quibus ædiles ut mercede injusta erant corrupti, & ita reliqui coloni ad paupertatem redigebantur hac caritate annonæ, & soli ædiles ditescerent, qui domi gaudebant, suspicor scriptum fuisse *omnia hæc ædilibus ferri*. Illi enim ex damnis & impensis colonorum crescebant opibus. *Fieri* & *ferri*, quam facile à librariis potuerint confundi, docebunt te ea, quæ Victorius habet lib. XXII. Var. 7. BURM.

Nemo cœlum putat] Deum. Claud.

——— *providus æther,*

Noluit humano titulos auferre labori. BARTH.

Id est, fata & providentiam divinam, quæ cœlitus destinantur. Infra cap. CXXVII. *Habeo tamen quod cœlo imputem, si nos fata conjunxerint.* ERHARD. Hæc verba leguntur in jam editis, sed isto modo: *nemo cœlum putat, nemo jusjurandum servat, nemo Jovem pluris facit. Cœlum putat* est, æstimat ut cœlum, à quo hæc bona proveniant. SCHEFFER. Nemo cœlum tanquam Deorum domicilium considerat, sed tanquam numine vacuum & inane. Martialis lib. IV. ep. XXI.

Nullos esse Deos, inane cœlum
Affirmat Solius, probatque, quod se
Factum, dum negat hoc, videt beatum. GOES.

Nihil aliud hæc verba continent, quam vulgatam illam veterum impietatem, qui, cum viderent impunita scelera, Deos esse negare solebant: cujus exempla collegit satis multa Passerat. ad Propert. I. eleg. 6. & sunt ubivis obvia. *Cœlum* pro Diis ipsis poni vulgatum est, & Barthio ad Statii Theb. I. vers. 650. hoc etiam Petronii loco adducto, observatum. Senec. Agamemn. vers. 543.

——— *Juvat*
Vicisse cœlum, Palladem, fulmen, mare.

Ovidius lib. III. Amor. eleg. 3. quæ tota in hanc impiam detestationem scripta:

Quid queror, & toti facio convicia cœlo. BURM.

Nemo jusjurandum servat] Benedictinum vetus Floriacense, unicum hac in parte, exemplar, *nemo jejunium servat. ἀσκητῶς.* Pith. PATISSON. Vet. lib. quo unico hac in parte usi sumus, habet *nemo jejunium servat.* Cæterum ut id, quod sentio, libere dicam, vereor, ne hoc nobis verbum Monachus exscriptor pro *jusjurandum* ex ingenio reposuerit. PUTEAN. M. S. *jejunium.* TORNÆS. Optime *jejunium.* Sic enim solebant in siccitate magna. Adscribam verba Tertulliani, quæ mire faciunt ad intellectum hujus loci, ex libello ejus de Jejunio cap. XVC *Sed & omnem ταπεινοφρόνων ethnici agnoscunt; cum stupet cœlum, & aret annus, nudipedalia denunciantur. magistratus purpuras ponunt, fasces retro avertunt, precem indigitant, hostiam instaurant. Apud quasdam vero colonias præterea annuo ritu saccis velati, & cinere conspersi idolis suis invidiam supplicem objiciunt, balnea & tabernacula in nonam usque*

pili facit; sed omnes opertis oculis bona sua computant. Antea stolatae „ibant nudis pedibus, in clivum, passis capillis, mentibus puris, & „Jovem

cluduntur. *Unus in publico ignis apud aras, aquæ nec in lancibus, Nimiviticum credo justitium, Judaicum certe jejunium ubique celebratur.* Habes, ecce, hic *jejunium* solenne, ex prædicta causa, habes quoque *nudipedalia*, de quibus apud nostrum statim in sequentibus. SCHEFFER.

Nemo Jovem pluris facit] Adhibendus est gestus, ut intelligas γνωμολογοῦντα. Sic in illo Publii.

A morte semper homines tantumdem absumus.

Ita in sacris litteris. Esaiæ LI. vers. VI. οἱ ὁ κατοικοῦντες ἄσπερ τοῦτα ἀποθανοῦνται. BARTH. Hæc intelligenda sunt & exprimenda cum gestu, qualis versus ille Publii Syri Barthio adductus. BOURDEL. Ut Catullus: *Non faciunt pili cohortem.* Itaque frustra exponunt illud *pluris*, quod est in vulgatis, quasi intelligendum sit cum gestu. SCHEFFER.

Omnes opertis oculis bona sua computant] Jac. Magni Sopholog. lib. 5. cap. 13. *Nec solum homines peccata propria non intelligunt, sed etiam, bona quædam si fecerint, sublimare valde contendunt: juxta illud Petronii; Omnes apertis oculis bona sua computant* Verior tamen lectio est *opertis*. ERHARD. Non respiciunt ad hanc cœlorum Jovisque iram, unde siccitas ista provenit, sed ad opes tantum suas attendunt, & ut sufficere possint, dant operam, ut quoquo modo augeant, quo fiant pares faciendo sumtui. Hoc est *computare* isto in loco, plane ut in isto Tacit I. Histor. cap. 22. *Conjectura jam & rumore senium Galbæ & juventam Othonis computantium.* Sicut hic, *computare senium Galbæ & juventam Othonis* est conferre inter se, ac calculatione videre, quam sint disparia, sic *computare bona*, numerando videre, num sufficiant, num sint paria rebus necessariis & usibus quotidianis. Vulgo aliter hæc verba exponunt, sed hanc mentem eorum puto esse veram. SCHEFFER. Si hæc lectio retinenda est, sensus erit: qui Deos non respiciunt, bonorum suorum, industria quasi sua partorum, calculum ineunt, & ita se beatos absque Diis existimant, sicut de Solio dixit Martialis loco jam indicato. Verum hoc menti auctoris non videtur convenire, ut patet ex sequentibus: *Itaque Dii pedes lanatos habent, quia nos religiosi non sumus, agri jacent.* Diversum igitur plane voluit, nempe cum Deos non respicerent, fortunas se suas turbare & evertere: quapropter legendum omnino: *opertis oculis bona sua consutant.* Ita plane hoc *confutandi* verbo usus est Cato, quod exstat apud Gellium Noctium Attic. lib. VII. cap. III. *Ne quid in consulendo adversi eveniat, quod nostras secundas res consutet*, id est, evertat. Et Tiro Tullius ibidem loci: *sensus in injuriis & imperiosis minationibus confutare.* Item Tetinnius Setina apud Nonium: *Cocus magnum anum, quando servit, paula confutat trua.* Cocus, dum varias species miscet, singulas perdit. GOES. Hæc proverbii speciem habere docet Seneca lib. IV. de benefic. cap. 37. *Multa Reges, præsertim in bello, opertis oculis donant.* Et lib. V. cap. ult. *Opertis oculis inest acies, sed sine usu, quam lumen à Diis immissum ad ministeria sua evocat.* v. Erasmi adagium, *oculis clausis agere.* Ita Cicero pro Milone cap. 31. *Tu Latiaris sancte Jupiter, cujus ille lacus, nemora, finesque sæpe omni nefario stupro, & scelere maculârat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuisti.* Non potest ergo hujus loci sensus esse, clam Deos precantur, ut ad tantas & tales divitias perveniant quibuscumque artibus, ut voluit Barth. ad Stat. lib. VI. Thebaid. vers. 632. Neque ille, quem Scheffërus adfinxit. multo etiam minus probamus Goesii valde alienum ab hoc loco *confutant*, quæ vox plane huc nihil facit; sed adprime accommodata est *computant*, quo utimur de iis, qui sollicite reditus suos & vectigalia articulis suis computant, ut videant, quid lucri fecerint, ut eleganter Ovid. lib. II. ex Pont. Epist. 3.

At reditus jam quisque suos amat, & sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis.

Plaut. Mil. Act. II. sc. 2. *dextera digitis rationem computat, feriens femur.* Tertull. de pudicit. 8. *qui non computaverint dominum, & qui dereliquerint dominum.* capit. sequenti *computa*, *puta* & quæ plura exempla obvia sunt. Hoc igitur vult, impios hos ædiles & quoscumque alios, oculis clausis contemnere Deorum vindictam, negligere religionem, nec quærere quæ aliis sint utilia, sed modo sollicitos esse de opibus sibi aggerandis. BURM.

In clivum) Capitolinum videlicet. Ergo Capitolium quoque, ut in plerisque urbibus majoribus. Sic cum *Saxum* dicebant, intelligebatur Tarpejum. Ita, *de saxo dejitere*, apud Senecam de benef. lib. VIII. cap. VII. Et *Tarpejum*, pro *saxo Tarpejo*, apud eundem de ira lib. I. cap. XVI. HEINS.

Passis capillis] Pro sparsis. Sic Naso aliique ex Poëtis frequenter, etiam Livius, ut præferunt membranæ vetustiores. HEINS.

Mentibus puris] Quod requirebant sacra: apud Tibullum: *Pura cum mente venite.* HEINS. Imposuit memoria viro Nobilissimo: Tibullus enim lib. II. eleg. I. *pura cum veste venite* habet, non *mente*. Sed noster ut scilicet religiosior videretur, hanc omnibus sacris dictam legem *caste Deos adeunto*, quam plerique corporis castimonia servata bene custodiri putabant, ad mentem applicuit. Egregie Cicero lib. II. de Legib. cap. 10. *Caste lex jubet adire ad Deos, animo videlicet, in quo sunt omnia. Nec tollit castimoniam corporis, sed hoc oportet intelligi, cum multum animus corpori præstet, observeturque, ut casto corpore adeatur, multo*

esse

„ Jovem aquam exorabant; itaque ſtatim urceatim plovebat, aut tunc, aut

eſſe in animis id præſtandum magis: nam illud vel aſperginе aquæ, vel dierum numero tollitur, animi labes nec diuturnitate evaneſcere, nec amnibus ullis elui poteſt. Et ita ille, quicumque ſit, auctor diſtichorum, quæ ſub Catonis nomine falſo circumferuntur,

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi præcipue ſit pura mente colendus.

Ita Cicero *puram & integram* mentem conjungit Oratione pro Milone cap. 23. ut Horatius:

Integrum vitæ ſceleriſque purum.

Et idem Cicer. lib. 1. de Divin. cap. 53. *caſtum animum & purum.* Et ita omnia, quæ ſacris adferri debebant, *pura* eſſe debebant, veſtes, manus, & reliqua. Propria enim ſacris religionum cerimoniis hæc vox. v. Gronov. ad Senec. Medeam verſ. 901. & Heinſ. ad Ovid. lib. IX. Met. verſ. 701. BURM.

Jovem aquam exorabant] Hic græculus noſter, ſuper vulgus ſapiens & religioſus, ad conſuetam vulgo formulam reſpicit, quam Theophraſtus opportune admodum περὶ ἀδολεσχίας, Garrulo tribuit. Ἐι ποιήσειν ὁ Ζεὺς ὑδωρ. *Si Jupiter aquam fecerit*, id eſt, pluerit, quod egregie ex Ariſtophane illuſtrat Caſaubonus, & plebis Atticæ ſolemnem formulam fuiſſe docet, ποιεῖ Ζεὺς ὑδωρ. Imperator autem Antoninus lib. v. de rebus ſuis §. 7. dicit Athenienſium votum fuiſſe ὗσον, ὗσον, ὦ φίλε Ζεῦ, κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων καὶ τῶν πεδίων. *Plue, Plue, care Jupiter, ſuper Athenienſium arva & prata.* Ubi de Jove Pluvio egregia habet magnum illud quondam Britanniæ decus Gatakerus. Et nos aliqua contulimus in Jove noſtro Fulgeratore cap. v. præclare quoque cultum Jovis Pluvii illuſtravit Vir, ſupra invidiam omnem poſitus, Janus Brouckhuſius, cujus eruditiſſimæ in Tibullum notæ, hoc ipſo, quo hæc ſcribebamus, tempore exierunt: vide eum ad lib. I. eleg. VIII. verſ. 26. unde apparet, quam recte hic garrulus ficcitatis præcipuam cauſſam dicat, neglectum illum religioſæ exorationis Jovis Pluvii, utpote unde bonus vel malus proventus debebat ſperari vel timeri. Et hinc videre licet, quam appoſite DivusPaullus Actor. XIV. 17. Lycaonas deterrere ſtudeat, ne ſibi & comiti divinos honores tribuant, ſed vero Deo, qui benevolentiæ ſuæ ſigna etiam impiis & Idololatris dedit per pluviam, & felicem frugum ubertatem, implens omnium animos cibo & lubentia. Et hinc illuſtrari illud de ſubito imbre, quo Antonini exercitus, undique ab aquis excluſus, fuit recreatus, quod perverſa Chriſtianorum pietas Legioni Fulminatrici, fabuloſæ plane, perperam adſcripſit, cum ipſe Marcus Jovi ſuo Pluvio id acceptum tulerit, ut apparet ex Columna Antoniniana pag. 15. ubi egregia Jovis Pluvii imago conſpicitur, quam hic expreſſimus. BURM.



„ aut numquam : & omnes ridebant , ut Dii tamquam mures. Itaque „ Dii pedes lanatos habent. quia nos religiosi non sumus, agri jacent.

XLV.

Itaque statim, &c.] Locus hic turbatus videtur, quem in hunc modum restituendum censeo: *Itaque statim urceatim plovebat, & omnes rodebant avidi tanquam mures. At tunc, nunc numquam. Itaque Dii lanatos pedes habent.* GOES.

Urceatim plovebat] *Urceatim pluere* est, quasi plenis urceis effusis. Quomodo apud Apulejum lib. IV. de Asin. aureo legas, *fistulatim fimum excutere*. Sic ab *acervus* est *acervatim*, à *cuneus*, *cuneatim*. *Plovebat* autem, pro *pluebat*, sicut apud Plautum in Prolog. Menæchm. *Nam rus ut ibat, forte ut multum pluverat.* SCHEFFER. Pro *pluebat*. Nota rationem verbi antiqui. *Plovo*, sive *pluvo*. Ita enim dicebant vetustiores, unde *pluvia*. Deinde *τὸ u* literam non geminabant. Sic in antiquis scriptis Codicibus. *Divos*, *Volcanus*, *volgus*, *volnus*, & mille talia. Noster infra, *mavolt* pro *mavult*. Plautus prologo Menœchmorum: *Nam rus ut ibat, forte multum ploverat.* Nam ita scribendum, & sæculi Plautini mos & lex metrica postulant, etsi in scriptis *pluerat*, unde *pluverat* fecerunt, ut metro consuleretur. HEINS.

Aut tunc] Hæc & scripta, & distincta male, sic emendo: *urceatim plovebat. At nunc, aut numquam ita omnes ridebantur dii, tanquam mures.* Nunc, inquit, in hac siccitate, adeo desitum est à consuetudine ac pietate veteri. *tanquam mures*, puto dictum in respectu ad illud vetus, quod habet Horatius in libro de Arte:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Hoc vult, non magis æstimari deos, quam mures, quorum iram risu ulci cimur. Consule Athenæum lib. XIV. cap. 2. SCHEFFER. *aut tunc*, Pluebat scilicet, ad preces & sacrificia piorum, quæ si Dii non curarent, nulla alia spes pluviæ supereret.

Omnes ridebant. ut Dii tanquam mures.] Levi mutatione corrigendum: *omnes rodebant avidi, tanquam mures.* Cicero lib. II. de divinatione cap. 27. *Quasi quicquam interfit, mures diem noctem aliquid rodentes scuta, an cribra, corroserint.* Apud Juvenalem Sat. III. vers. 207.

Et divina opici rodebant carmina mures. HEINS.

Et quamquam *rodere* muribus sit proprium, transfertur tamen ad homines. Horatius epistola ad Villicum lib. I. Epist. XIV. 40.

Cum servis urbana diaria rodere mavis.

Seneca ep. XCV. de fœminarum vita sui temporis: *Non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant: æque invitis ingesta visceribus per os reddunt, & vinum omne vomitu remetiuntur: æque nivem rodunt, solatium stomachi æstuantis.* GOES. Lego, *Et omnes videbant*, nimirum Deos precibus istis moveri, & pietate. *At ii tamquam mures*, id est, illi ædiles arrodunt omnia, tamquam mures, qui si frequentes sint, sterilitatem agrorum efficiunt, ita ædiles nunc omnia ad se faciunt, &, si quid supereſt, colludendo cum Pistoribus annonam incendunt. *Videre* & *ridere* à librariis confunduntur sæpe in antiquis libris. Ovid. Epist. XX. 97. *Adsuit & vidit*, ubi non male Vossiana excerpta habent *Adsuit & risit*. Et ita capite sequenti Heinsius pro *videbis*, *ridebis*, corrigit. Schefferi expositio plane mihi inconveniens videtur: quis enim umquam audivit, aliquem rideri, ut murem? & in Athenæi loco ab eo laudato nihil prorsus occurrit, quod huc faciat, agitur enim ibi de Tibicinæ inventione & laude, nullum verbum de *mure* ibi legitur. BURM.

Pedes lavatos habent] Scribe, *pedes lanatos habent*: vel potius, *laneos*. Parœmiæ enim vox ipsa est. TILEBOM. Optime N. Heinsius, *lanatos*. Sunt autem *pedes lanati*, quasi constricti vinculis, pertinetque hoc privatim ad pedes Deorum. Locus est Macrobii, qui hæc explicat, lib. I. Sat. cap. 5. *Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & Jovi ad diem sibi festum, id est, mense hoc Decembri, atque inde proverbium ductum, Deos laneos pedes habere.* Ex his verbis liquet, *lanatos pedes* esse velut constrictos, qui tarde veniunt, sed postremo tamen veniunt, dignoque supplicio afficiunt fontes. Proverbium hoc integrum refert & Porphyrio ad Horatii III. Od. 2. hisce verbis. *Dii irati pedes habent lanatos*, ubi simul explicationem vide. SCHEFFER. Vide Gebhard. lib. 2. crepund. cap. 15.

Agri jacent] Squalidi nimirum ac deserti. Virgilius III. Georg. 354.

Sed jacet aggeribus niveis informis & alto
Terra gelu late ——— SCHEFFER.

Eleganter: nam agri *jacere* dicuntur, cum aut non excoluntur, aut frugem non ferunt. Curtius lib. IV. cap. VII. *Steriles arenæ jacent, quas ubi vapor solis accendit, intolerabilis æstus existit.* Seneca Nat. Quæst. lib. III. cap. VI. de Africa: *Itaque sine arbore, itaque sine cultore arenæ jacent.* Et lib. IV. cap. II. de Nilo: *Juvat agros duabus ex causis, & quod inundat, & quod oblimat. Itaque, quidquid non adiit, sterile & squalidum jacet.* HEINS. Non tam caperem de agris desertis & incultis; erant enim culti, sed siccitate nimia nihil reddebant dominis, unde pretium eorum erat diminutum. Cicer. pro Rosc. Com. cap. XII. *Accepit enim agrum temporibus iis, cum jacerent pretia prædiorum.* Ubi vide Passeratio adnotata. & ita omnia *jacere* dicuntur, quæ vilia & contemta sunt. Vide Gifanii indicem Lucretianum, & commentatores ad Cicer. pro Muræna cap. VIII. Ita Græcis διάκειμαι. Aristoph. Plut. Act. I. scen II.

Æ

XLV. „ [a] Oro te, inquit Echion centonarius, melius loquere. Modo

ECHION. „ sic,

Σὺ πλοῦτε, οὕτως ἀθλίως διακείμενε.

Tune Plutus, qui tam misere jaces? BURM.

Oro te] Apulej. 1. Metam. *Oro te, inquam, aulæum tragicum dimoveto.* Senec. de Clement. libr. 1. cap. 25. *Quid enim interest, oro te, Alexander, Leoni Lysimachum objicias, an ipse laceres dentibus tuis?* Eodem modo, *rogo*, & *rogo te*, apud unum Petronium centies. BURM.

Echion] Ut omnia fere hic nomina, ex antiquitate repetita, Ganymedes, Seleucus, Agamemnon, Menelaus, & nescio quæ, ita hoc ab Echione Argonauta esse petitum credo, omnibus, qui expeditionem illam prodiderunt, memorato, nisi soli Apollonio; sed ille in catalogo illo mutilus est. BURM.

Centenarius] Quid hic *centenarius?* Leguntur in rescripto quodam Constantini *centenarii*, quos eruditissimi viri exponunt eos, qui centesimam hæreditatem exigunt. *Centenarios* exponit Salmasius ad Capitolini Pertinacem cap. 2. procuratores, qui stipendii nomine centena sestertia accipiebant. Sed existimo magis esse, ut intelligamus de eo, qui censum habet centum millium, quomodo *liberti centenarii* leguntur in leg. 16. ff. de jure Pat. SCHEFFER. Constitutio Constantini, quam Schefferus innuit, est lex 1. Cod. de Exactionibus, vel lex 11. Cod. Theodos. eod. ad quam accurate de centenariis, ducenariis, & similibus egit Jacobus Gothofredus. Sed nescio quos Scheffero viros eruditos intelligat, qui exactores centesimæ Hæreditatis fuisse velint; cum certum sit, numquam illam in republ. Romana cognitam, sed vicesimam pro hæreditate exactam omnes uno ore tradant, & de qua pro mediocritate nostra egimus in dissertatione de vectigalibus Populi Romani cap. XI. Neque verosimile in hoc Satyrico memorari centenarium, quales demum sub Constantino noti fuere; sed illustrandus hic locus ex Claudianis temporibus, sub quo Ducenarios reperimus apud Sueton. in ejus vita cap. XXIV. qui Procuratores Cæsaris erant. Unde autem ita dicti, ingens inter viros doctos est concertatio: plerique ab exactione ducentesimæ vel centesimæ, de quo vectigali egi in eodem libello cap. V. deduxerunt nominis rationem. Ita cepere Cujacius, Brissonius & Spon. Miscell. Erud. pag. 275. & Scaliger ad Manil. lib. 11. pag. 150. & viri docti ad Apuleji lib. VII. Metam. & alii. Sed recte jam Torrentius & Casaubonus ad Suetonii dictum locum docuerunt, ita à stipendio ducentorum vel centum sestertiorum dictos fuisse, quos deinde Salmasius secutus est. Hinc & Trecenarii in antiquo Lapide apud Fabrettum p. 634. & ita porro sexagenarii, &c. Quia tamen codex Tragurianus habet *centonarius*, non putavi repudiandam hanc vocem, quæ magis arridet, quia in hoc convivium plebis infimæ homines erant fere admissi. *Centonariorum* autem, qui à centonibus nomen habent, frequens in antiquis inscriptionibus est mentio, & eorum collegium erat in plerisque coloniis & municipiis, & fere cum Fabris, & Dendrophoris conjunguntur, ut indices Gruteri & Reinesii excutienti cuivis facile patebit. Sed quales fuerint, inter viros eruditos non constat: cum quidam dictos putent à centonibus, quibus incendia solebant restinguere ex Vegetio, alii qui militibus vela cilicia, tentoria, & omnem supellectilem castrensem suppeditabant. vide Spon. Miscell. Erudit. Antiq. pag. 58. Sed Jacobus Gothofredus ad Leg. 1. Cod. Theod. de Centonariis & Dendrophoris primum censet, illos occupatos fuisse circa domos & ædificia, ut ea sarta tecta haberent. Tandem vero mavult, *centenarios* dictos à majoribus materiis, qui centenarias cædebant, parabant, & venumdabant. Sed ultima illa sententia merito displicet; tum quia constanter lapides & scripti codices *centonarios* exhibent, tum quia si tales fabri fuissent, qui materias centenarias cæderent, etiam oportet fuisse, qui minores cæderent, & inde *quinquagenarii*, & porro nominari potuissent. Neque ita dictos, à suppellectile castrensi suppeditanda crediderim, cum plerumque in municipiis & coloniis Italiæ occurrant, raro in provinciis, ubi tamen cum exercitus Romani numerosiores essent, quam in Italia, necessario debuissent centonariorum collegia institui. Quare nos adhuc amplius deliberamus, quia apud Auctores veteres nulla fere horum mentio, & inscriptiones plurimæ nihil habeant, unde de eorum opere & artificio aliquid possumus statuere. Sed si jam Fabris adcenseri debeant, quod necesse videtur, quia illis fere semper conjunguntur, verosimile est fuisse id genus Fabrorum, qui ex materia, jam ab aliis Fabris præparata & polita, unum aliquod opus exstruebant, ut ex variis centonibus, & pannis alii vestes hominibus plebejis & pauperibus consuebant. Et eo alludere credimus Tertullianum de præscript. Hæretic. cap. XXXIX. *Homerocentones etiam vocari solent, qui de carminibus Homeri propria opera, more centonario, ex multis hinc inde compositis in unum farciunt corpus.* Sed satis de his, in quibus tamen me adhuc hærere ingenue fateor, ut & fecit doctissimus Du Cange in Glossario mediæ Latinitatis BURM.

Melius loquere] Formula abominantis. Dixerat Ganymedes, Deos laneos habere pedes. Id hic abominatur Echion. Est autem eadem hæc formula cum illa, *melius ominare*, item *bona verba*, de qua pluribus Brissonius. SCHEFFER. Avertendi ominis formula, Terent. Heaut. Act. III. sc. 3. *optata loquere* Apulej. 1. Metam. *meliora ominare*, ubi vide Priceum Græci εὐφημα φωνῆ. Sophocl. Ajac. v. 361. & 592. & Elect. 1214. & passim. BURM.

Modo

„sic, modo sic, inquit rusticus; varium porcum perdiderat. quod ho„die non est, cras erit; sic vita truditur. Non me-Hercules patria me„lior dici potest, si homines haberet; sed laborat hoc tempore, nec „haec sua. non debemus delicati esse: ubique medius coelus est. Tu, si „aliubi fueris, dices hic porcos coctos ambulare. Et ecce habituri sumus „munus

Modo sic, modo sic, inquit. Rusticus varium porcum perdiderat.] Nunc res sese isto habent modo, nunc rursum alio. Sed verba male sunt distincta, &, ut censeo, sic corrigenda: *Modo sic, modo sic, inquit rusticus: varium porcum perdiderat.* Est allusio ad fabulam de quodam rustico, qui perdiderat porcum, & cum recipere non posset, istis sese consolatus erat verbis, quae deinde in dicterium vulgi abivere. *Porcum varium* appellat, qui est non unius coloris, joci causa, & quia hoc genus deterius habetur. Quasi tanta sit haec jactura, ut de ea tantopere queratur Ganymedes. Varro II. de R. R. 4. *Qui suum gregem vult habere idoneum, eligere oportet primum bona aetate, secundo bona forma: ea est cum amplitudine membrorum, praterquam pedibus, capite, unicoloris potius quam varias.* SCHEFFER. *Varius porcus*, ut supra cap. XXVIII. *pica varia*, diversi coloris. Puto autem: *Modo sic, modo sic inquit rusticus: varium porcum perdiderat.* Videtur ortum proverbium à rustico, qui cum porcum quaereret amissum rogatus, cujus esset coloris porcus, respondit, *modo sic, modo sic*, cum vellet designare, non unum ei colorem esse. HEINS.

Cras erit] Persius Satyr. 5.

Cras hoc fiet: idem cras fiet ——

Ovid.

Dicunt assidue: cras quoque fiet idem.

Vide Clariss. Casaubon. ad Pers. pag. 397. & seq. Ovidius de Arte amand.

Qui non est hodie, cras minus aptus erit. WEITZ.

Corvus apud Suetonium cap. XXIV.

Est bene non potuit dicere, dixit erit.

Ubi *cras* subintelligendum corvorum sonus. HEINS. Contra semper fere idem esse Lucretius ait v. 1134.

Nec magis id nunc est, nec erit mox, quam fuit ante.

Sic vita truditur] Inscriptio pag. DCCCXCVIII. I.

VIXI. VT. VIVIS.
MORIERIS. VT. SVM. MORTVVS.
SIC. VITA. TRVDITVR.

WOUWEREN. *Truditur dies die.* Apud Horatium lib. II. od. XVIII. vers. 15. apud Terentium Andr. IV. IV. 38. *Fallacia alia aliam trudit.* HEINS. Ad dictum Horatii locum Torrentius elegantem translationem ab undis sibi succedentibus illustrat. Sic Ovid. XV. Metam. 179.

Ipsa quoque assiduo labuntur tempora motu,
Non secus ac flumen, &c.

Ita & felicia ab infelicibus temporibus excipiuntur, ut unus dies alium sequitur. Idem Horat. Epod. XVII. dixit:

Urget diem nox & dies noctem. BURM.

Patria melior dici potest.] Idiotismus plebejus. HEINS.

Si homines haberet] Illud *homines* significanter ponitur, pro iis, qui probe ac humaniter cum aliis versantur. Hoc vult, non potest dici patria melior fuisse superioribus temporibus, quam nunc est. Eadem manet coeli indoles, eadem terrae fertilitas, si modo homines humano viverent modo, nec ut ferae se mutuo per avaritiam, & rapiendi libidinem dilaniarent. Ita supra, *discordia, non homo.* SCHEFFER. Vide supra cap. 38.

Nec haec sua] Videtur deesse quidpiam. Forte scripsit noster: *nec hoc sua culpa.* SCHEFFER. Puto illud *sua* esse positum pro propriis, pertinentibus ad cujusque naturam, ut in illo *suum cuique pulchrum*, & apud nostrum *suus haeres.* Ut sit sensus: non sunt haec propria regionis hujus coloniae, sed potius morbi, quo nunc laborat, culpa opulentiorum, qui & lucri sui causa egenos premunt, & Deos ipsos impiissime contemnunt. IDEM. Scriptus *nec haec sua.* Opinor, *nec est sua.* Hoc est, non est, qualis olim fuerat. Aliquando & sumitur quasi non sui juris. De quo loquendi modo videnda, quae ad Nasonis Metamorphoses copiose notamus. HEINS.

Ubique medius coelus est] Hoc est, eodem ubique modo sese habent res humanae, frustraque conquerimur de molestiis in hac aut ista regione; sicut, ubicumque fuerimus in toto terrarum orbe, coeli mediam partem supra nos esse intelligemus. SCHEFFER.

Si alicubi fueris] Mallem ego, *aliubi.* Puto autem esse hanc sententiam verborum: Tu si veneris alium in locum, perinde illum reprehendes, uti hunc reprehendis, & prae isto miris modis hunc attolles. SCHEFFER.

Porcos coctos ambulare] Ita loquuntur de terra seu regione beata. Volant ibi assae aves, natant pisces tosti, flumina vehunt mella, & vina, &c. SCHEFF. Omnia hic exposita videas, nec ullo labore comparari. Ridiculum proverbium, cui similia de lacteis melleisque aurei saeculi fluminibus Poetae fingunt, & tellure inarata segetem proferente. Pro *dices*, possit reponi, *dicetes.* haud male. HEINS.

Ex-

„ munus excellente inter duo, die festa, familia non lanistitia, sed plurimi „ liberti. Et Titus noster magnum animum habet, & est caldicer, ebrius; „ aut

Excellente inter duo] Corruptum hoc est, & scribendum, *excellens*. Illud *inter duo*, censeo sic dictum, sicut dicimus, *inter paucos disertus*. SCHEFFER. Scribo plane, *excellens & inter duo*, hoc est, licet tantum darentur duo, illud tamen excellens esset. Conjunctio & hic valde emphatica litteris conversis adnexa est vocabulo præcedenti, ex quo corrector fecit *excellente*. SCHEFFER. Forte *excellenter*. HEINS. Nihil muta, vide infra ad caput LXVI.

Inter duo] Forte, *in triduo*, sicut apud Plautum Captiv. I. 2. vers. 63.

——— *Illum confido domum*
In his diebus me reconciliasse.

Et Terentius Andria I. 2. vers. 77. *In diebus paucis, quibus hæc acta sunt*. Cic. Verr. IV. *Non, opinor, id aget, ut ista pecunia in quinquennio consumatur*. Plaut. Pers. *In triduo hoc*. Plin. 9. 51. circa finem: *cæteræ fœminæ in triduo exludunt*. HEINS. Hæc correctio videtur amplectenda, nam Schefferi explicatio nullius, credo, assensum merebitur, &, unde mango Gallicus suum *inter dies festos* depromserit, nescio. Certe scio, non ex codice suo, quem jactat: ille enim nusquam est. Si autem statuamus liberam hanc cœnam datam tertiis Saturnalibus, quæ eadem erant Opalia, XIV. Kalendas Januarias; in triduo erant Divalia sive Angeronalia, quibus feriæ erant, & sacrum fiebat Deæ Volupiæ, quod propiciata angores & animorum sollicitudines depelleret. Macrob. I. Sat. cap. 10. si quis aliter triduum computare velit, addit Macrobius XI. Kalend. Januarias esse Ferias Laribus consecratas. Hoc ergo, vel illo die festo munus daturus erat Titus. Ut autem Romæ solis magistratibus munera erat permissum dare, ita in coloniis & municipiis unusquisque, qui ad decurionatum aspiraverat, vel modo affectabat, sumtuosissima munera edebat, ut plebem suam faceret, imprimis libertini, donec Tiberii tempore Senatusconsulto fuerit cautum, *ne quis gladiatorium munus ederet, cui minor quadringentorum millium res esset*. Tacit. IV. Annal. c. 64. quod recte Lipsius & Casaubonus ad Suet. Claud. cap. 28. intelligunt de ludis in municipiis & coloniis editis, quia nihil opus erat vetare in urbe, ubi libertinis numquam adhuc hoc concessum eo tempore legitur. Gratum ergo Capuanæ plebi hoc munus esse debebat, cum jam primum invalescere cœpisset hic mos edendi munera, quæ ante Tiberii tempora rara erant per Italiam. vide Casaubon. ad Suet. Aug. cap. 44. sed invalescente libertinorum potentia & divitiis, crebra postea fuere, ut docent lapides infiniti, in quibus Decuriones Augustales, & alii magistratus municipales munera dabant suis municipibus. vide Noris. ad Cenotaph. Pisan. dissert. I. cap. 3. pag. 48. & dissert. III. cap. III. pag. 377. quamvis etiam viles homines opum ostentandarum caussa edidisse doceat Martialis lib. III. ep. 16. de Cerdone Bononiensi:

Das Gladiatores, sutorum regule, Cerdo,
Quodque tibi tribuit subula, sica rapit.

Et eodem libro ep. LIX.

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus;
Fullo dedit Mutinæ: nunc ubi caupo dabit?

maxime autem celebrabantur, si de suo hæc munera ederent; nam & aliquando ipsa colonia solebat partem impensarum ferre, ut docuit Norisius. Si vero editores omnem sumtum præberent, *diem privatum* edere dicebantur. v. Gruter. CCCCLXXV. 3. sed etiam opus fuisse indulgentia Imperatorum docent plurima marmora. v. Gruter. CCCCIV. 2. BURM.

Familia lanistitia] Sic appellat eam, quam habebant lanistæ emtam, & suam ad hos ludos, quæ conditionis fuit servilis, & instituta tali fine. Suetonius in Augusto cap. 42. *lanistarum familiam* appellat. SCHEFF.

Plurimi liberti] Malim, *primuli*, vel *primulum liberti*. Nam similes facile inter se congruunt. Et sic videmus etiam Synagogam Libertinorum Actorum Ap. cap. VI. IX. Quin & ita servi inter se conveniunt. Plaut. Sticho III. II.

Atque id ne vos miremini, homines servolos
Potare, amare, atque ad cœnam condicere.
Licet hoc Athenis nobis.

Si itaque ita servi inter se congruunt, non mirum si & liberti. GOES. Nescio quid sibi velit vir Amplissimus, neque sensum capio: non hic enim de consensu libertorum inter se agitur, sed vult inter gladiatores, qui spectabuntur, plurimos libertos fore, quo hujus municipii, sive Decurio, sive Sevir fuerit, insolentiam & fastum ostendat, qui libertos ad ferrum, non è ludo auctoratos exhibiturus esset, ut Cæsaris munere Vir è stirpe prætoria, & Senator pugnarunt. Sueton. in ejus vit. cap. 39. BURM.

Est caldicer, ebrius] Suspicor, scribendum *caldior*, quod habet Varro quoque, pro *calidior*, & expono, *vehementior*, qui non facile remittit, quod proposuit. Vide infra ad cap. LVII. I. SCHEFF. Lege *caldicor*, caldicors, caldicordis; θερμοκάρδιος, ὀξύθυμος, ὀξύχολος. REINES. Reinesius vult *caldicor*, & exponit eum, qui sit θερμοκάρδιος, quod haud placet, quoniam analogiæ ratio est nulla. Non autem dubito, quin scribi debeat, *caldi cerebri*, nam *ebrii* vox hic otiosa est. *Caldi cerebri*, qui una voce alias est *cerebrosus*. SCHEFFER. E duabus vocibus unum vocabulum continuandum est, *caldicerebrius*, cerebrosus & calidi cerebri. Sic infra cap. LVIII. *caldus cicerius*. In Glossis Labbæi non dissimili modo formatum occurrit *oriputidus*. HEINS. Scopo auctoris forte non

„ aut hoc, aut illud erit: quod utique: nam illi domesticus sum. non
„ est mixcix. Ferrum optimum daturus est, sine fuga; carnarium in me-
„ dio,

disconveniet, si scribamus *caldi egregius*, sicut Silius Italicus dixit *egregius lingua*, simili ratione, qua dicimus *largus opum*, *parcus cruoris*, & similia alia. Erit autem, si eam lectionem recipimus, Synecdoche partis, ut ex caldi exhibitione intelligamus ipsum convivium. Nam veteribus aquæ calidæ potionem ita fuisse in deliciis, ut vel maxime in conviviis exhiberetur, jam pridem aliis fuit observatum. Unde & infra cap. LXV. Habinnas convivis insertus, *continuo vinum & caldam poposcit*. GOES. Nihil faciunt ad Bacchum, quæ hic adferunt viri docti; solum huic desperato loco sanando Heinsii ingenium par fuisse, & ita locutum hunc centonarium credo, quod sequentia demonstrant. Non enim *ebrius* huic poterat loco convenire; sed ille libertos suos cogebat depugnare, nec accipiebat eorum excusationes, quia *calidus juventa*, ut Horatius, erat & cerebrosus, qui non facile remittebat. Ita inf. cap. 75. *Experietur cerebrum meum*. Erat hic Titus, ut Cicero de Bruto ajebat, eo ingenio, ut *quidquid vellet, valde vellet*: & Plinius de Asinio Pollione lib. XXXVI. 5. *erat acris vehementiæ*. Sed pergit Echion; non multum refert, munus tamen dabit, & sive ex familia lanisticia, sive ex libertis, gladiatores. & hoc certo futurum adfirmabat, quia ejus mores noverat, nam illi domesticus erat. BURM.

Aut hoc, aut illud erit] Aut munus, aut dies festus. Utriusque enim spem jam injecerat. GOES.

Erit] Esse oportet. Ita Phædrus noster III. fab. 11. *Erit ille notus, quem per te cognoverit*. Plautus Mostell. II. scen. 1. Phil. *Ubi ego ero? T. Ubi maxime esse vis*. SCHEFFER.

Quod utique] Hic abesse quædam arbitror. SCHEFFER. Hoc vitiosum est. Sententia est clara, dicit, se hoc certo posse de eo tradere, ut qui sit domesticus ipsius, adeoque cognitos ipsius habeat mores. Sed quia hoc non volunt verba, sicut nunc leguntur, ideo hic suspicor, aliquid abesse. IDEM. Lege *quid* pro *aliquid*. Quod & Munkero veniebat in mentem. HEINS.

Non est mixcix] Scribendum existimo, *micarius*. TILEBOM. Nescio an non scribendum sit, *mittix*, quomodo dicitur *plix*, unde *complix*, item *pendix*, & *pernix*, & intelligendus is, qui mittit facile. *Mittere* namque proprie dicimur gladiatores, cum discedendi eis concedimus libertatem, nec depugnare ad mortem cogimus. & sequitur statim de ferro optimo, itemque carnario, unde haud difficulter ista conjicias. Num potius faciendum *mixias*. Hesychius: Μίξιας, ὁ μιγνύων, quasi qui nil misceat, sed aut hoc velit, aut illud. SCHEFFER. Novato vocabulo describit hominem insociabilem, inadcommodum, incompositum, singularem, sui sensus & juris, quem Græci eleganter ἄμικλον, ἀνάρμοστον, ἀσύμβατον, ἀσύμπλοκον, ἀκοινώνητον, & ἔκθεσμον adpellant. Malim autem pro monstroso isto reponere *mixtilis* vel *mistilis*: X enim huic scribæ pro *s* pingi solet. Quod autem simul pro vocula trisyllaba dissyllabum dedit, factum est ab elisu literæ *i* in ultima; quæ cum in uno brevi vocabulo ter occurreret, semel ab incurioso neglecta est; recte autem, ut puto, revocata. *Mistile*, *mixtile*, ut textile, nexile, mictile, flexile. Sin librario de ejecta syllaba nihil imputari debet, utique nec necesse id est, τὸ *mixcix* commode exponam per *miscus*, qui & *miscuus* & *misculus*, id est, vulgaris, κοινός, popularis: non miscus, ἀκοινώνητος, non sentiens cum reliquis, non studens in commune, sed sibi suisque. Contra κοινοπραγοσύνη ea modestia, moderatio & virtus est, qua quis communi cum cæteris jure censeri æquo animo patitur. REINES. An scribendum *comixius*, ut sententia sit, non est garrulus, vel nugator, qui multa dicat in vanum. Glossæ Isidori *comixus*, *verbosus*, *loquax*. SCHEFFER. Nec ipse satis video, quomodo locus pessime habitus sit restituendus in integrum, nec aliorum conjecturis do manus. Thomas Munkerus legebat, *non est cimbix*. Quid si legamus, *non est cimex*. Horat. I. Sat. X.

Men' moveat cimex Pantilius. ——— HEINS.

Monstrum vocis. Sed ego legendum censeo *non est Myxus*, id est, non est de glorioso, ut infra loquitur cap. 75. Alludit autem ad Græcorum proverbium, Βαβαὶ Μύξου, quod Diogenianus habet Cent. III. 65. & reliqui paræmiographi: & quod egregie eruditissimus ille Anglorum Gatakerus explicuit ad Antonini Librum IX. §. 29. & Salmasius ad Tertull. Pall. pag. 332. Hoc vult ergo innuere, certe daturum esse Titum munus, non enim esse Glorioſum, qui omnia magnifice promittit, & nihil vel exiguum præstat. BURMAN.

Ferrum optimum daturus est] De ferro Gladiatorio adeatur Lipsius vir summus, excursibus ad lib. III. Annalium Taciti, littera G. HEINS.

Sine fuca] Suspicor, scribendum esse, *sine fuga*, ut sit sensus, non fore locum fugæ, omnibus pugnaturis sine missione ad mortem. Senec. Contr. 29. *Abscissa missione, gladiator, quem armatus fugeret, nudus insequitur*. SCHEFFER. Scribe *sine fuga*. HEINS.

Carnarium in medio] Ordo: ut amphitheatrum videat carnarium in medio. *Amphitheatrum* pro iis, qui spectant in amphitheatro. SCHEFFER. Scribe, *harenarium in medio, ut amphitheatrum videatur*. Harenarium id fuisse circumseptum palis ligneis, cratibusve, aut aliis sepimentis, apparet, ne effugium daretur pugnaturis. *Harenarium* pro harena, aut loco gladiatoribus decertaturis præparato. Sic & *Harenarius* pro gladia-

„dio, ut amphitheatrum videat: & habet unde. Relictum est illi sester-
„tium tricenties; decessit illius pater. Male ut quadringenta impendat
„non sentiet patrimonium illius, & sempiterno nominabitur. Jam man-
„nos aliquot habet, & mulierem essedariam, & dispensatorem Glyconis,
„qui

tore, infra cap. CXXVI. & in Pandectis Juris Civilis. HEINS. Non mutarem hic aliquid, sed caperem de machina, quæ erecta in media arena speciem carnarii præbebat, quale noster refert infr. cap. 95. & 135. & 136. & à Plauto Curcul. II. sc. III. 45. & auctori Moreti vers. 56. memoratur, in quo reposita erat visceratio, vel carnes, quas die muneris sui Plebi esset divisurus: ita enim moris fuisse, ut lauti muneratores spectaculis epulas, panem, vinum, crustula, mulsum, & similia adjicerent, infiniti lapides testantur. Nova hac & inusitata scena municipalis noster Titus Populum delectabat, qui lardum, & omnis generis carnem ibi suspensam videbat. Dubito tamen, an non melius legeretur, ut *Amphitheatrum rideat*: postquam nimirum sanguineo illo Gladiatorum spectaculo satiatus esset, festiviori ludo delectaretur. Præsertim in tanta commeatus inopia, ut alter panem non oculo bubulo majorem ægre reperire potuisset, quamvis *videat* tolerari possit. Ideo enim in medio fuit, ut omnes possent videre. Hæc jam bene sequentibus respondent *habet unde*. Quia extra ordinem populo liberalitatem exhibebat. BURM.

Et habet, unde relictum] Distingue: *& habet unde. Relictum est illi. Habet, unde*, breviter est dictum, pro habet, unde sumtum faciat in illud munus. Terentius simili modo in Adelph. I. sc. 2. *Est, dis gratia, & unde hæc fiant.* Plaut. Captiv. IV. sc. 2. *Scis bene esse, si sit unde.* SCHEFFER. Hic ordinem turbatum censeo: rectius enim constitues in hunc modum: *Decessit illius pater male, sed habet unde: Relictum est illi sestertium tricies. Ut quadringenta impendat, non sentiet patrimonium illius.* GOES.

Relictum est illi] Proprie de hæreditate paterna Martial. X. epig. 47.

Res non parta labore, sed relicta.

Ovid. lib. IV. de Pont. El. 18.

Quæque relicta tibi, Sexte, vel emta tenes.

BURMAN.

Decessit illius pater male] Etiam hæc perperam distincta puto, & sic emendanda: *decessit illius pater. Male ut quadrigenta impendat. Male ut impendat*, licet impendat male, & in re non usque adeo commendabili pecuniam istam insumat. SCHEFFER. Recepimus destinctionem Schefferi; *male* est damnose, ut *male emere*. Plaut. Most. III. 2. Et contra *bene emere* Cicer. lib. I. ad Att. Ep. 10. & Suet. in vit. Jul. Cæs. cap. 50. Ita cape & illa Ovid. lib. I. Amor. El. 10.

Pro male conducto gratia nulla toro.

Et apud Terent. Eun. IV. 4. *male conciliate.* ubi Donatus explicat *magno emte.* BURM.

Sempiterno] Sic *æterno* apud Nasonem in Amoribus, è membranis lib. III. eleg. III. 11. HEINS.

Jam manios] Quid hoc est, *manios*? an scribendum *manias*? Asinius Capito apud Festum: *Maniæ dicuntur deformes personæ.* Sed *maniæ* proprie, quæ & *larvæ*. Martianus lib. II. de Lemuribus loquens: *Si autem depravantur ex corpore, Larvæ perhibentur ac Maniæ.* Quare suspicor, scribendum *nanos*. Et habebant aliquando tales. Statius in Domitiani ludis lib. I. Sylv. VI. vers. 61.

Hic audax subit ordo pumilonum,
Quos Natura, brevi statu peracto,
Nodosum semel in globum ligavit:
Edunt vulnera, conseruntque dextras.

Adde Lipsium Saturn. II. cap. 4. SCHEFFER. Lege *mannos*, id est, equos minores, sive pumilos ob ea quæ sequuntur, *mulierem essedariam*; talia enim divitibus delicias faciebant. Vocabulum à Gallis acceptum Horatio, Senecæ, Plinio: Hieron. in Eccles. cap. 10. & Paulin. ep. ad Severum de Melania, vulgo *buricos* vocari scribunt. Burichus autem est βρυχὸς: ita Cyrenæos asinum vocare adnotavit Hesychius: hoc ab Ebræo ברקום *bricom*: inde Βύριχος inferioris Græciæ, non Πύρριχος, ut putat Vir magnus: & βυρριχάλια, pro stratis equorum mannorumve, in testam. Greg. Naz. & Chron. Alex. REINES. Reinesius putat, *mannos*, id est, equulos, burichas, quod & Hadrianides recepit in textum. Sed improvide, ut non pauca alia. Nam loquitur noster de rebus omnimodo distinctis, quod conjunctionis repetitio testatur. Itaque nec dici poterit, quod pertinuerint ad essedum. Et diversum nos ostendimus in libro II. de re vehicul. cap. 23. habuisse nempe junctos equos vel mulos, ubi & cætera hujus loci explicavimus. SCHEFFER. Scripsit forte, *nanulos*, vel *naniolos*, nisi *nanios* dixerit, quod verius. Nam Glossæ Labbæi; Νάνιον, *pupus*. Apud Papinium Statium etiam nanuli in arenam producti spectaculo Cæsaris. *Mannis* sive *mannulis* hic locus nullus, quamvis *nannos* pro nanos apud Arnobium in vetusto Codice Regio. Apud Senecam quoque ep. LXXVI. Codices scripti plerique, *magnus pumilio*. Ubi Juretus contendit legendum, *manus*, è scripta Arnobii lectione. Qui Deos recenset *nonnullos manos, longos, medios, macilentos, pingues, crassos*. Sed in Senecæ loco æque, ut Arnobiano, *nanos*, restitui oportere censeo. HEINS. Cum Reinesio facio, & *mannos* lego, qui delicatis & lautis

„ qui deprehensus est, cum dominam suam delectaretur. videbis populi „ rixam inter zelotypos, & amasiunculos. Glyco autem, sestertiarius ho- „ mo, dispensatorem ad bestias dedit. Hoc est, se ipsum traducere. Quid „ servus peccavit, qui coactus est facere? Magis illa matella digna fuit, „ quam taurus jactaret. Sed qui asinum non potest, stratum caedit. Quid „ autem

maxime appetebantur, ut ex Horatio notissimum. Plin. lib. IV. ep. I. *Habebat puer mannulos multos. & vinctos & ligatos.* Burichos postea vocatos à colore rufo, quasi πυῤῥιχας censet Salmas. ad Vopisc. Carin. cap. ult.

Mulierem essedariam] Ex esseda (vehiculum id fuit bellicum) pugnaturam. Vide Lipsi. Saturn. ubi simul habes plura de mulieribus gladiatoriis. SCHEFFER.

Deprehensus] Proprie. Horat. I. Sat. II. *Deprendi miserum est.* Et ita alii.

Domina sua delectaretur] Id est, rem cum ea haberet. *Delectari* verbum pertinens ad rem veneream. Apulejus IX. As. *puer adhuc adulteros ipse delectans.* Petronius ipse cap. LXXXVII. *At ipse non indelectatus nequitia mea.* Atque hinc *delicia*, apud Catullum & alios sæpissime. *Oblectari* sensu parili usurpavit Terentius. SCHEFFER. Antiquus codex *delectaretur*, & recte, pro *delectaret*: ut *rideri*, pro *ridere*: *somniari*, pro *somniare*: *delectari*, pro delectare, & similia apud Nostrum. HEINS.

Videbis] An *ridebis*? ut apud Senecam de ira lib. III. cap. 43. *Ridere solemus inter matutina arenæ spectacula.* HEINS.

Sestertiarius homo] Sic existimo vocari eum, qui censum habet, sive patrimonium, mille nummos: ita dictum, sicut supra *centenarius*, à sestertio non nummo, verum pondere, quod valebat nummos mille. Quæ summa cum sit plane vilis, isto titulo hominem & inopem, & in illa paupertate mire arrogantem ac superbum, indigitare existimo. *Sestertiaris* vocabulum habes & in Glossis Tyronis pag. 67. SCHEFFER. Hoc dictum, ut *dupondiarius*. Sic mox *gladiatores* quoque habes *sestertiarios*. HEINS.

Ad bestias dedit] Tertullianus de resurrectione carnis dixit id ipsum, *pronunciare ad bestias*, ut & in Apologetico cap. XLVI. sed altera loquutio vulgarior, quam & habes in l. 12. ff. de pœnis, & in passione S. Perpetuæ: *Quia sciebam me ad bestias datam esse, mirabar quod non mitterentur mihi bestiæ.* Ubi malim *immitterentur*. HEINS. Solemnis locutio, ut *dare ad remum* Sueton. Aug. 16. & Livius XXXIV. 6. Plaut. Asin. III. III.

Postea ad pistores dabo, ut ibi cruciare currens. BURM.

Se ipsum traducere] Id est, ludibrio exponere. Et sic hæc loquendi ratio apud Senecam de Beneficiis lib. II. cap. XVII. & libr. IV. cap. XXXII. de ira libr. I. cap. VI. de Providentia cap. V. GOES.

Coactus est facere] Habet in animo simile quid illi, quod Haterius apud Senec. præf. IV. Contr. dixit, cum libertinum reum defenderet, cui objiciebatur, quod patroni concubinus fuisset: *Impudicitia in ingenuo crimen est, in servo necessitas.* Noster infra in simili argumento: *nec turpe est, quod dominus jubet.* Illud *facere* sensum habet ambiguum, ut fere solet noster tali modo ludere, & propius spectat ad hoc negotium. Infra apud nostrum cap. LXXXVII. *pungere me manu cœpit, & dicere, quare non facimus* Item: *si quid vis, fac iterum.* SCHEFFER. Vide supra cap. XI.

Magis illa matella] Legendum, *magis illa mastigia digna.* TILEBOM. Sic appellat proprio convicio impudicam mulierem, quasi quæ subdat se cujuslibet libidini exercendæ. SCHEFFER. Simile convicium apud Plautum Pers. IV. 3. *Numquam ego tam matulam credidi.*

Taurus jactaret] Etiam hoc est ambiguum. *Jactare taurus* dicitur, quod cornibus in sublime tollit ac projicit: habebantque pilas in theatris eo fine. Martialis in Spectac. Dom. Epigr. 21.

Namque gravem gemino cornu sic extulit ursum,
Jactat ut impositas taurus in astra pilas.

Cæterum ut pilas istas, sic sæpe feras alias secum commissas jactabat, ut testatur Martialis idem in eopse libro. Quia igitur præcessit apud nostrum, dispensatorem dedisse ad bestias, id est, certamen cum bestiis in amphitheatro, ideo hic subditur, mulierem istam impudicam meruisse potius ejusmodi supplicium. Est tamen quoque *taurus* inter improba vocabula. Diomedes lib. II. *Amphibologia fit & per homonymiam, cum dicimus taurum, & nescias, utrum de armento, an obscœnam corporis partem dicamus.* SCHEFFER. Proprie locutus est. Martialis de Spectac. Epigr. XXI.

Jactat ut impositas taurus ad astra pilas.

Passio S. Perpetuæ: *Puellis ferocissimam vaccam præparavit: prior Perpetua jactata est.* Rufinus in historia ecclesiastica: *Cum à tauro ferociter mastigata fuisset, innumeris ictibus lacessita, & toto arenæ ambitu jactata, nihil læditur.* HEINS.

Stratum cædit] Vestem aut pellem, quæ insternebatur equis, ante usum sellarum. Plin. VII. cap. 56. *Frænos & strata equorum Peletronium invenisse dicunt.* Est autem proverbium in eos, qui alios puniunt, alios pœna illa digniores à delinquendo quærunt absterrere. SCHEFFER. Male hoc proverbium explicare puto Scheffero; innuit, quia in verum auctorem iram suam evomere non potest, in innocentem omnem effun-

„autem Glycon putabat Hermogenis filicem umquam bonum exitum fa-
„cturam? Ille milvo volanti poterat ungues resecare. Colubra restem
„non parit. Glyco, Glyco, dedit suas! itaque, quamdiu vixerit, ha-
„bebit

effundit. Illa uxor Hermogenis viri in colonia potentis filia forte erat, in quam non audebat Glyco injuriam vindicare. Itaque ut tamen ostenderet indignationem, servum ad bestias dat. Sed hoc facto se quoque traducit, & boni & facilis mariti notam contrahebat, qui adulteram non audebat repudiare. BURMAN.

Hermogenis filiam] Quam nempe Glyco ille habebat in matrimonio, ipsa ista, quæ se servo suo subjecit, modo descripta. SCHEFFER. Liber antiquus habet *filicem*, non *filiam*. Nam filix quidem herba est, *curvis invisa aratris*, ut Maro tradit, sed transfertur tamen ad res animatas. Apud Horatium lib. I. Sat. III. vers. 37.

Neglectis urenda filix innascitur agris.

Et apud Persium Sat. IV. vers. 41.

Non tamen illa filix ullo mansuescit aratro.

A *filix* autem est, *filicare*, unde & *patera filicati operis*, de quibus videndus Festus in *Filicare*, & Victorius ad Ciceronem. HEINS.

Exitum facturam] Bene ac honeste ad finem se gesturam, & idcirco ei eventura omnia feliciter ac decore. Seneca ep. 115. *Exspectarent; viderentque, quem admirator auri exitum faceret.* Locutio vere Petroniana; sic enim statim ab initio Satyrici cap. 11. *Pictura quoque non alium exitum fecit.* SCHEFFER.

Ille Milvo] Hermogenem intelligit. Est autem dictum, ut opinor, in eos, qui nimium arti ac ingenio suo fidunt, & ob id facturos quidvis se, etiam quod impossibile est, putant. Ideo existimo, post *resecare*, punctum interrogationis esse scribendum, quasi diceret: num putavit se facturum id, quod fieri ratione nulla potuit? SCHEFFER. Legendum non est *ille*, sed *illa*, nempe Hermogenis sive filia, sive filix: illa, inquam, erat, quæ milvo volanti ungues resecabat, id est, exarmabat. Nam milvus nihil habet, quo valeat, præter ungues, cætera imbellis. Huic autem comparat sola libidine fortes, qui magno involant impetu, quos illa, ut venerant, quamlibet æstuosos & fervidos, exiguo lassos & languentes dimittebat domum. GOES. Puto hoc proverbio indicari mulierem libidinosam, quæ stupra & adulteria poterat committere, non sentiente olim patre ejus, neque nunc marito. Quare Glyco non debuisset illam ducere, cum jam ante inquinata esset, & præterea ex patre nequam esset nata. Si *ille* legatur, ad Hermogenem astutum & fallacem referendum, qui Glyconi filiam suam obtruderit, quam ipse sciebat pessimam. Hoc autem blanditiis & artibus tam dextre Glyconi persuasit, ut ille crederet, se Penelopen ducere, quæ revera Thais erat. Et huc magis inclino. BURM.

Colubra restem non parit] Id est, non est dissimilis filia parentibus. Convenit dictum Theognidis: *è squilla rosa non nascitur, aut hyacinthus.* Adde Horatium in Odis. SCHEFFER. Lege *piscem*; hoc enim poscit oppositio duorum inter se aliqua similium; eademque est apud Matth. VII. 10. REINES. Non video, quid *restis* faciat ad colubram. Opinor, *colubra prestem non parit.* Similia generari a similibus vult Noster. Πρῆστις est Græcis, quæ *pistrix* Latine, vel *pistris*. Nam Vossius de Analogia dubitat, an *pistrix* dicatur, quod Maronis, Sidonii, aliorum Codices *pistris*, non *pistrix*, habeant. HEINS. Nescio, cur mutandum plebejum hoc proverbium, etsi alibi non lectum, cum enim colubra, temere jacens, restis sive funis figuram referens, ignarum posset fallere, & forte aliquis imperitior colubræ pullum pro reste sustulisset, potest hinc nata esse parœmia, quæ aliter ferebatur, *è vipera nascitur vipera*, quam Junius adduxit ex Stobæo.

Ἐκ τῦ κακῦ γὰρ ἡ φύσις τίκτει κακὸν,
Ὡς ἐξ ἐχίδνης πάλιν ἐχίδνα γίνεται.
Ex malo enim natura gignit malam,
Ut vipera iterum nascitur de vipera.

Colubram autem æque ac *colubrum* dici docuit Schefferus ad Phædri lib. IV. fab. 18. Et ita Ovidio restituit Heinsius ex veteribus libris, quem vide ad lib. IV. Metam. vers. 474. & vers. 491. ita & apud Horat. lib. I. od. 17. emendatiores codices habere testantur viri docti:

Nec virides metuunt colubras. BURM.

Glyco, Glyco, dedit suas] Puto plane legendum, *suos*. Intelligit enim & dispensatorem ejus, & una cum ipso conjugem, quorum illum quidem dedit ad bestias, hanc vero ad perpetuam apud omnes infamiam. Sic enim *dedisse* hic intelligendus est. SCHEFFER. Deest aliquid. Forte *Glyco exitio dedit*: quamquam repetitio ejusdem vocabuli familiaris est Arbitro. *Ita, ita*; *vero, vero*; *modo, modo*; & similia. HEINS. Imo ne huic id solum, sed & aliis, atque inprimis Terentio, ut in Heautont. Act. II. scen. III. *Syre, Syre, inquam, heus, heus, Syre.* Et mox, *redi, redi.* Act. III. scen. I. *Satis jam satis pater durus fui.* item Act. III. scen. III. *Qua, qua fortuna.* tum in Phormione Act. I. scen. V. *Non, non sic futurum est.* Et eleganter inverso verborum ordine Act. II. scen. II.

Negat Phanium esse hanc sibi cognatam Demipho,
Hanc Demipho negat esse cognatam.

Et alibi sæpius. Ego tamen huc non confugiendum puto, cum existimem scriptum fuisse *Glyconi Glycones edidit suas*, id est, peperit filias nempe moribus sibi similes. vid. Ezechiel. cap. XVI. Comment. 44. Terent. Heautont. Act. V. scen. III. vers. 17.

„ bebit ſtigmam, nec illam niſi Orcus delebit. ſed ſibi quiſque peccat. „ Sed ſubolfacio, quod nobis epulum daturus eſt Mammea; binos de„ narios mihi, & meis. Quod ſi hoc fecerit, eripiat Norbano totum „ favorem: ſcias oportet, plenis velis hunc vinciturum. Et re vera, „ quid ille nobis boni fecit? Dedit gladiatores ſeſtertiarios, jam decrepitos, „ quos

Id quod eſt conſimilis moribus,
Convinces facile ex te natum: nam tui ſimilis eſt probe:
Nam illi nihil vitii eſt relictum, quin ſit & idem tibi.
Tum præterea talem, niſi tu, nulla pareret filium. GOES.

Nullus in his verbis ſenſus, poſſet ſubintelligi *ſuas pœnas*, quas ejus ſtultitia merebatur: niſi mallet quis legere *lædit ſuas*. Forte filias tantum ſuſtulerat ex hac adultera, quæ hac imprudentia patris, qui matrem hoc diſpenſatore ad beſtias dando flagitiis nobilitabat, lædebantur. Vel *lædit ſuos*, ut & ad filios referatur, ſi habuerit; nihil aliud hinc extrico. BURM.

Quamdiu vixerit] Nempe, Glyco. GOES.

Nec illam niſi Orcus] Scribe, *nec illud niſi Orcus*, &c. TILEBOM. Puta, *ſtigmam*, quomodo ſupra cap. XCIV. *ſcemas loquebatur*. Sic Laberius: *Pythagoream dogmam*. SCHEFFER.

Niſi Orcus] Pluto, ſive mors. Paulo poſt cap. ſequenti, *Quod illi auferre non poſſit, niſi Orcus*: & ſupra cap. XXXIV. *poſtquam nos auferet Orcus*. Inſcriptio Gruteriana pag. 689. 4. *Orcus eripuit mihi*. SCHEFF.

Sed ſibi quiſque peccat] Imo, *ſed nec ſibi quiſque peccat*. Peccabant enim Hermogenis filia ejuſque filiæ Glyconi, unde illi ſtigma. GOES. Minime ſollicitandus locus. Garrulus hic, volens novo ſermone moleſtus eſſe, priorem narrationem communi clauſula finit, *ſed quid hoc ad nos*, ſibi hanc ignominiam adſcribere debet, nihil inde ad nos incommodi aut damni redibit. Locutio autem eſt ſimilis illi Terentianæ Adelph. Act. I. ſcen. 2. *Si quid peccat, mihi peccat*, inquit Mitio Demeæ, id eſt, omnis infamia & damnum ad me redit. At in Heautont. Act. V. ſcen. 2. *Quæ amentia eſt, quod peccavi, id obeſſe huic*. Cicer. libr. III. ad Att. Ep. 15. *Si quid in te peccavi, ac potius quoniam peccavi igneſce, in me enim ipſum peccavi vehementius*. BURM.

Subolfacio] Hoc plebejum; Latinius dixiſſet, *ſubboluit mihi*. Capitolinus in Gordianis cap. XI. *Præfectus urbis cui, neſcio quid, redoluerat, à conventu ſe abſtinuit. Subodorari* dixit Cicero in epiſtolis ad Atticum, & alibi. Cæterum ut hic habemus *ſubolfacere*, ſic *abolefacere* dixit Tertullianus Apologetici cap. XXXV. HEINS.

Mammea] Metuo ut recte ſe habeat *Mammeæ* nomen. Infra etiam corruptum videtur, *Ipſum Mammeam debatuere*. Eſt enim ſemper fœmininum apud Romanos, quantum licet recordari. Sic Julia Mammea Alexandri Severi. HEINS. Inſolens hoc viri nomen forte corruptum pro *Mamma*, vel *Mammas*; quod & una litera minus *Mama* occurrit apud Gruter. DCCCCLV. 5. & libertus quidam *Mamas*. p. LXXIV. 1.

Binos denarios] Loco ſportularum, vel apophoretorum. Nam & illa pecuniâ fuiſſe data docet Sueton. Caligul. cap. LV. qui dicit illum *comiſſatione quadam agitatori Eutycho in Apophoretis vicies H S. contuliſſe*. Infr. cap. LXXI. *ſcis enim quod epulum dedi & binos denarios*. BURM.

Eripiat Norbano] Forte rectius, *eripiet*. Hoc vult, non ſic porro publice amatum iri Norbanum, ut hactenus, ſi tali liberalitate commendare ſeſe valet Mammea. SCHEFFER. *Norbanus* & hic libertus fuit; forte C. Norbani Flacci qui conſul ſub Tiberio fuit collega Druſi A. U. C. DCCLXVIII. Tacit. I. ann. 55. ſive L. Norbani Flacci qui anno DCCLXXII. fuit conſul cum Silano.

Favorem eripiat] Quem plauſu ſuo in ſpectaculo teſtarentur. Res vulgo notiſſima. Ita Cicero dixit *eripere laudem alicui* lib. II. Tuſcul. cap. 2. & *amicos alicui* Matius ad Cicer. lib. XI. Ad fam. Epiſt. 28. Ovid. I. Faſt. I. verſ. 621. *Mox honor eripitur*.

Plenis velis hunc vinciturum] Fuit cum illud *vinciturum* mutandum putarem, nunc non mutari placet. Eſt enim archaïſmus pro *victurum*. Sic *ſeſellitus ſum*, & alia multa contra rationem caſtigati ſermonis. Legebam olim, *plenis velis hunc iturum*. Sic infra cap. LXXI. *Rogo, facias etiam naves monumenti mei plenis velis euntes*. HEINS. Vulgare dictum, ſed quod conjungi cum τῶ *navigare* aut ſimili verbo ſolet, ut Cicero fecit pro domo cap. X. *Ipſe archipirata cum grege prædonum impuriſſimo pleniſſimis velis navigares*. Virgil. lib. I. Æn. verſ. 400.

Aut portum tenet, aut pleno ſubit oſtia velo.

Non inepte tamen Petronius hanc locutionem homini plebejo tribuit, quia & proprie ille favor & rumor Theatralis, quo applauſu & acclamatione proſequebantur editores, vel certantes, *aura popularis* dicitur, & *aurarii* ipſi fautores, vel favitores, ut notat Servius ad Virg. lib. VI. Æn. verſ. 204. & verſ. 817. ubi videatur & Cerda. BURM.

Gladiatores ſeſtertiarios] Paullo aliter ponuntur hic, *gladiatores ſeſtertiarii*, ac ſupra *ſeſtertiarius homo*. Sunt enim plane hic, opinione mea, ſeſtertiarii gladiatores, qui ſeſtertio, vel mille nummis, vendunt ſuam operam in arena. Ubi ſimul, quia hos ceu peſſimos viliſſi-

„ quos si sufflasses cecidissent; jam meliores bestiarios vidi. occidit de lucer-
„na equites.

vilissimosque exagitat, nonnihil de ipsorum precio conjectari potest. SCHEFFER.

Quos si sufflasses] Spiritu vehementiore paulo adflasses. Loquitur ad illum pæne modum, quo apud Plautum Artotrogus, Mil. I. 1. *Quojus tu legiones dissipavisti spiritu, quasi ventus folia.* SCHEFFER. Latinius utique foret, *quod si sufflasses*, sed plebeiismum Petronius expressit. Sic *insufflare* & *exsufflare* cum quarto conjunctum casu sæpe occurrit apud scriptores Christianos. Prudentius Passione S. Romani. vers. 919.

Ingressus ille, ut hos paratus perspicit,
Insufflat ipsos, ceu videret daemonas.

Sulpitius Severus lib. III. Vitæ S. Martini. *Vidit post tergum daemonem mirae magnitudinis assidentem, quem eminus (ut verbo, quia ita necesse est, parum Latino utamur) exsufflans, Avitianus se exsufflari existimans, Quid me, inquit, sancte, sic aspicis?* Versio antiqua Irenæi lib. I. cap. IX. *Quadam ex fidelissimis mulieribus exsufflantes & anathemizantes, separaverunt se ab ejusmodi insano.* HEINS. *Sufflare* est spiritum pleno ore conceptum efflare. Plin. lib. XXXIV. Hist. Nat. cap. 8. *Eleuthereus Lycius Myronis discipulus fuit, qui fecit dignum praceptore puerum sufflantem languidos ignes.* Idem de Ranis lib. XI. cap. 18. *per fores sufflant.* Et hinc Plaut. Bacch. IV. 2.

Sufflatus ille huc veniet. P. diruptum velim.

Alludens ad Ranæ fabulam, quæ legitur etiam apud Phædr. I. 24. & quo noster infra cap. XLVII. *inflat se tanquam Rana*, respicit. Hinc jam hoc vocabulum posterior ætas pro despicere, contemnere præ se, posuit, & ejus composita *insufflare* & *exsufflare*, ut docuit Casaubonus ad Sueton. Calig. cap. XXXVIII. Quibus adde egregium locum Tertull. de Idolol. cap. XI. *Quo ore Christianus Turarius, si per templa transibit, fumantes aras despuet, & exsufflabit, quibus ipse prospexit.* Quæ sequuntur vel corrupta admodum sunt, vel ita obscura, ut inutilibus conjecturis ea tentare nihil attineat. Nos Codicis Tragurienſis scripturam exhibuimus. BURM.

Jam] Id est, præterea.

Jam meliores bestiarios] Legendumne putes, *meliores bustiarios?* non abnuo tamen, *bestiarios.* TILEBOM. Hinc ergo scire licet, deteriores habitos bestiarios, quam gladiatores. SCHEFFER. Lege *bustuarios*, qui ante sepulcra virorum illustrium placandis eorum manibus dimicabant die inferiarum. REINES. Male *bustiarios* reponunt. Hinc liquet, homines non valde peritos artis gladiatoriæ cum bestiis in arena congredi jussos, qui ludo matutino congrediebantur, Senec. ep. LXX. HEINS.

Occidit de lucerna equites] Hoc dictum censeo, pro, *ad lucernam*, quomodo Plautus in Mostellaria III. sc. 2. *de exemplo aedificare* dixit, quod vulgo *ad exemplum* solemus. Sic *de tertia vigilia* habet Livius IX. cap. 44. ubi vide Cl. Gronovium. Intelligit autem eos adhibitos in convivio, quomodo Horatius lib. II. Ep. II. vers. 97. exponente Lipsio:

Cadimur, & totidem plagis consumimus hostem
Lento Samnites ad lumina prima duello.

Quod addit de Equitibus, manifeste tangit Neronem. Vide Suetonium in vita ejus cap. 12. SCHEFFER. Quomodo, qui gladiatores sua impensa dederat, eosdem occiderit? Imo sequitur *omnes postea sectos fuisse.* Legendum igitur, ut in membro præcedente *Dedit*, ita hic *Addidit*, *Addixit*: vel, quod scripto propius, *Exibuit.* Arenæ vel gladiaturæ verbum est *addicere*, pari notione cum verbis *dedere*, *tradere caput in mortem & funus arenæ*: Suet. Ner. cap. 12. hoc idem dixit, *exhibere ad ferrum.* Istud *de lucerna* capiamus interim de tempore, quo nimirum lychni solebant inferri, & de convivio. *Equites* quid hic faciant, non adparet, præsertim qui pro *gallis gallinaceis* pugnantibus *haberentur:* sunt à Librario; vera scriptura *pedites:* per hos autem secutorem & retiarium, vel Thracem & mirmillonem, (hæc enim genera gladiatorum solebant in arena committi) intelligimus, quos in plano consistentes, erectos, inclines, subsidentes, depugnasse notum est. Hunc sensum esse πρώτως Petronianæ, manifestissimum adparet ex iis, quæ de atta & loripede, nimirum male pedatis, sequuntur. Decepit autem librarium conceptus ille, quo putabat, Neronem Equites Romanos occidentem à Scriptore hic tangi: quod secus est. REINES. Reinesius vult, *exhibuit de lucerna pedites.* Nimis immutantur multa, & lubet scire, quid ita dicantur *pedites*, qui simpliciter intelligi debent gladiatores? Nemo sane umquam *pedites* pro gladiatoribus usurpavit. Quare maneo in mea sententia, & locum ita scribo distinguoque: *jam meliores bestiarios vidi (occidit & de lucerna equites, putares eos gallos gallinaceos) alter burdubasta*, &c. Occasione gladiatorum etiam hoc memorat de equitibus, velut quod ei revocatum ita esset in memoriam, sed in parenthesi, dicitque, pugnam cædemque eorum non esse factam pluris, quam si galli gallinacei ad pugnam inter se dati occisive fuissent. SCHEFFER. Ne id interpreteris, *ad lucernam.* Aliud enim est, *de lucerna*, aliud *ad lucernam:* ut infra cap. LXXV. *de lucerna labra ungebam.* Sed aliud voluit noster. Scribo, *occidit de silicernio equites*, jam scilicet decrepitos. HEINS. Quid si legamus, *luce cernua*, id est, inclinata, *epidos*, sive supernumerarios præter promissa paria, exhibitos. Ἐπιδίδωμι, *insuper do.* GOES.

Equites] Aut equo congressos gladiatores, aut revera equites Romanos, quod in usu frequenti sub hæc tempora. v. Tacit. Hist. II. cap. LXII. in ludis tamen privatorum, qualis hic describitur, vix usitatum. HEINS.

Pasa-

„na equites. putares eos gallos gallinaceos: alter burdubaſta, alter lori-
„pes: tertiarius mortuus pro mortuo, qui habuit nervia praeciſa. Unus
„alicujus ſtaturæ fuit Traex, qui & ipſe ad dictata pugnavit; ad ſum-
mam,

Putares] Vide ſupra cap. VII.

Gallos gallinaceos] Pugnantes inter ſe, quod frequentiſſimum fuit apud veteres ſpectaculum. SCHEFFER.

Burdubaſta] Num ſcribendum, *buttubata?* Feſtus. *Buttubata Nævius pro nugatore poſuit, hoc eſt, nullius dignationis.* SCHEFFER. Vera lectio fuerit, *gurdus atta.* Subſannat gladiatores pugnæ in arena, ad quam emti erogatique fuerant, ineptos ideo, quia eſſent male pedati; nimirum alter *atta*, voce vetere Sabina, ἀπὸ τῦ ἄττω; qui primis plantis vel etiam talis ambularet, &, cum terram leviter attingeret, eo ipſo ſubſiliret; alter loripes, qui crura potius traheret, ſerperetque, quam graderetur; quæ crurum vitia erectum ὀρθοσάδην & firmiter inſiſtere ſolo impediunt, gradu autem facile moveri, quod imprimis cavendum gladiatoribus, quippe ut ἀπίξωτοι eſſent unice curantibus, faciunt. De attis iſta docent Feſtus, & Grammatici veteres alii: etiam Caſaub. ad Suet. Tib. cap. 1. de loripede nota res eſt, neque reſtat quicquam, recte ſic emendatum eſſe Petronium, eique ſuam ex Antiquitate elegantiam redditam, dubii. Quod autem ſimul adpellat *gurdum*, eo animi vitium opprobrare ei videri poteſt: *gurdos* enim pro ſtolidis accipere vulgus, ait Quinctil. lib. 1. cap. 9. & ex Hiſpania ducere originem; idque haurire potuit è Laberii mimo Cacomemnone, quem laudat Gell. lib. 16. cap. 7. Iſid. in Gl. *Gurdus, lentus, inutilis*, &, *Brutus, gurdus.* Notæ Tironis: *Fatuus, Morio, Gurridus*, extenſo vocabulo. REINES. Multum hic locus exercuit viros eruditos. Non multum permiſſurus mihi, ſcribo, *burdobatta*, vel, *burdibatta*, ſive unicum vocabulum, ſive duplex, depromtum haud dubie è comœdia veteri, neſcio qua, ut complura alia hoc in libello. Batta burdonum victus, hoc eſt, ſentes. Hominem ſentum & aridum deſignat, qualis *batta.* Gloſſæ Labbæi: *Batta*, βάτ☉. Βάτ☉, *hic rubus, ruſcus, batta, ſintex* (hoc eſt, *ſentex*, hinc *ſenticeta*) *ruſci. Baſta* pro *batta.* Ut infra, *villicus Naſta*, pro *Natta.* Nec magis mirum, hominem aridum & exſuccum vocari *burdobattam*, quam hoc ipſo convictu hominem nequam vocari *corvorum cibaria*, & *crucis oſſam.* Ad hoc burdonum vel aſinorum pabulum alluſit Plautus Captivis, ubi, cum dixiſſet unus, *Aſper meus victus eſt*, reponit alter, *Senteſne eſitas? Horridior ruſco & aſperior tribulis* Galathea Polyphemo apud Naſonem dicta, quæ à Theocrito eſt mutuatus. *Uvis aridior puella paſſis*, in Priapeis. Cæterum *Baſtum* & *Baſtus* pro baculo dicebatur poſterioris ævi ſcriptoribus. Etiam pro clitellis uſurpatum quandoque; Lexicon antiquum, *Sagma, ſella, quam vulgus baſtum vocant, ſuper quo componuntur Sarcinæ, clitellas alii vocant.* An huc trahendum, *burdibaſta?* HEINS. Puto retinendum *Burdibaſta*, & explicandum *Aſini ſtratum*, quod viliſſimum erat. Nam *Baſta* ita dici docet Du Cange in Gloſſario. Burdi autem & Burdones aſini. vide eumdem & Salmaſ. ad Lampr. Elagabalum cap. XXI. ubi Baſternas inde dictas docet, & Baſtum dici clitellas, quæ Burdis imponebantur ad gerendas Baſternas. Quare hunc equitem per contemtum *Burdibaſtam* vocare potuit, ut non juſti equitis numerum implentem, ſed tantum Burdum, ſive aſinum, imo ne aſinum quidem, ſed tantum baſtum, ſive clitellam, ſive quod eſſet gibboſus & deformis, ut videretur in dorſo clitellas gerere. & hoc ſuadent ſequentia de Thrace alicujus ſtaturæ. Sed quid huc equites illi faciant, nondum exputare potui. BURM.

Tertiarius mortuus] Dabantur, ut nos docet Lipſius, gladiatores, quorum alter ſuccedebat alteri interfecto. Hinc *tertiarius*, qui ſuccedit cæſis aliis duobus. Gloſſæ: τριτιάριος *terciarius.* Et quoniam ſuccedit cæſo ante ſe, hinc ait fuiſſe illum *pro mortuo*, ſubſtitutum ſcilicet, ſed & ipſum mortuum, propter ignaviam, & id, quod ſequitur. SCHEFFER. Tertiarius eſt, qui alteri gladiatori jam jugulato ſuccedebat. Lepide ergo tertiarium male vivum, & nervis vix inſiſtentem, *mortuum pro mortuo* ſupponi ait. Hic loci hujus eſt ſenſus. Sic & Seneca ludit de villici ſui filio jam decrepito ep. XII. *Quis eſt, inquam, iſte decrepitus? quid te delectavit, alienum mortuum tollere?* & Plautus *hominem decrepitum, ſepulchrum vetus* vocat.

Ex hoc ſepulchro vetere viginti minas effodiam hodie. HEINS.

Pro mortuo] Lege *pro Marte.* TILEBOM.

Nervia præciſa] Id eſt, nervos. Verum vide, num legendum, *nervias præciſas.* Varro: *ſcientia doceat, quemadmodum in pſalterio tendamus nervias.* Item alibi. *ejus nervias tractare ſolebat.* Ego nil decerno. Nam in Nonii Codd. quibuſdam pro *nervias, nervia*, eſt reperire in Varronis hiſce verbis. Pro *habet, habuit* ſcribendum. SCHEFFER. Pro *nervos præciſos*, ut Urbaniores dixiſſent: ita *ſucciſi poplites* ſupra capite 1. dixit, ubi vide.

Alicujus ſtaturæ fuit] Non hic de proceritate corporis accipio *ſtaturam*, ſed de ſtatu, quem obſervabant gladiatores, ut *ſtaturæ eſſe* hoc in loco ſit, conſtantem eſſe, ſtare poſſe. Nam opponit hunc primum illi, cujus erant nervia præciſa, ut ſtare non poſſet; deinde cæteris, de quibus ſequitur, *fugæ meræ.* Itaque *ſtaturæ alicujus eſſe* ita dictum, ſicut *indolis bonæ eſſe. Statura* idem eſt, ac *ſtatio*, ſicut *ſcriptio* & *ſcriptura, menſio* & *menſura.* SCHEFFER. Neſcio cur

non

„mam, omnes postea secti sunt, adeo de magna turba adhebete acceſſe-
„rant, plane fugae merae. Munus tamen, inquit, tibi dedi. Et ego
„tibi

non de corporis recto habitu & proceritate velit capi Schefferus, nam opponitur hic Burdibastæ & loripedi, qui omnino indigni, ut in arenam prodirent; hic vero Thrax alicujus erat staturæ, id est mediocris, quæ possit commendare gladiatorem. Ea vis enim vocis *alicujus*. Ovid. II. Metam. vers. 232.

——— *Aliquisque malo fuit usus in illo.*

Trax autem habet Tragurienſis codex, pro *Thrax*, ut scribebant & loquebantur olim. Ita Festus *Thraces gladiatores à similitudine Palmularum Thraciarum*. Et ita Crucquius testatur omnes codices scriptos habere apud Horat. II. Satyr. VI. 44. & ita passim apud Horatium scriptum Torrentius & Lambinus annotarunt. vid. ad lib. III. od. IX. Lapis apud Fabrettum cap. III. pag. 189. THREPTION CAES. N. DOCTOR THRAEC. & ita *Threcus* & *Threcius* pro *Thracus* & *Thracius* plurimis locis vindicavit Heinsius. Quem vide ad Ovid. XIX. Epist. Her. vers. 26. & IV. Trist. I. vers. 21. ubi & in Ciceronis codicibus MS. ita observasse viros doctos monet, quos vid. ad ejus lib. II. de Officiis cap. 7. BURM.

Ad dictata] Hoc est, ut opinor, non sponte sua, sed prout imperabatur ipsi à spectatoribus, quod fuit proprium gladiatorum ignavorum. Vide Lipsi. II. Sat. cap. 22. SCHEFFER. Ergo, non ad digitum, quod erat indicium pugnæ sine missione. Sic capio Martialis vexatissimum locum:

Lex erat, ad digitum posita concurrere palma.

HEINS. Ego vero hac de re ita censeo; ut sunt aliarum artium dictata, ad quæ discentes sese componant, ita & esse athleticæ sive gladiatoriæ, ut manifeste liquet ex Suetonii Cæsare cap. XXVI. Quæ dabantur non modo à magistris & præpositis, sed sæpe etiam à spectatore populo, dum in arena periclitantur pugnantes. In quam rem insigne testimonium Tertulliani est ad Martyras. Ita quippe ibi ille circa initium: *Et gladiatores perfectissimos non tantum magistri & præpositi sui, sed etiam idiotæ & supervacui quique adhortantur de longinquo, ut sæpe de ipso populo Dictata suggesta profuerint.* Hoc ergo est quod dicit: quanquam Thrax ille alicujus fuerit staturæ & justam gladiatoris formam prætulerit, non tamen fuisse, ut oportebat, in arte probe exercitatum, ut qui à spectatoribus ad dictata revocandus fuerit. GOES. Explico, illum pugnasse tamquam Tyronem, non autem ut veteranum & spectatum gladiatorem, qui arti suæ & peritiæ confisus, audacter in adversarium ruit, & in arena consilium capit. aliter Tyrones, qui ne latum quidem unguem à dictatis Lanistarum recedere audent, aut, ut ita loquar, sine cortice natare. De dictatis vero vide Casaubon. ad Sueton. Cæs. 26. BURMAN.

Secti sunt] Quid hoc est? num idem, ac *vulnerati sunt?* num legendum, *interfecti sunt?* Placet alterum: sic enim proprie locuti de gladiatoribus videntur, eratque proprium huic ludo, ut post sectionem istam impetrarent veniam. Juvenal. II. Sat.

——— *Sergiolus jam radere guttur*
Cæperat, & secto requiem sperare lacerto.

SCHEFFER. Venditi, distracti. Sic *sectiones exercere apud ærarium* Tacito Ann. XIII. XXIII. HEINS. An hoc notet illos fuisse castratos? certe *secari* simpliciter pro *vulnerari*, mihi hic poni non placet; neque etiam prius. Crediderim legendum *necti* sunt, quod disertus hic noster centonarius eodem jure dicere potuit, quo reliqua, quæ non modo rus, sed tabernarum sordes olent. Sine missione pugnatum esse dicere voluit. Et sequentia verba significare volunt, de tam magna turba neminem superfuisse, etsi sint corruptissima. BURM.

De magna turba adhebete acceperant] Suspicor, scribendum esse, *ac hebete acceſſerant*. Dicit, non fuisse gladiatores selectos, sed vulgares ex turba gladiatorum, eosque pessimos. SCHEFFER. Legendum, *athletæ acceſſerant*. Præpositio DE sæpe abundat in oratione pure Latina; sic in isto Ter. Ad. a. 5. sc. 3. *id de lucro esse*. Sic apud Lucretium frequenter, & Catullum, Appulejum, Lampridium, Prudentium, Symmachum. Omnium frequentissime apud Medicos semipriscos Theodorum Priscanum, Marcellum Empiricum, Guarimpotum, qui æquivalentem Præpositioni *cum* instrumentali solent adhibere. REINES. Locus pessime adfectus. Videtur velle paucos de tanto numero occisos. Tentabam aliquando, & nec dum plane pœnitet, *Adeo de magna turba andabatæ pauci erant*. Quasi & hoc reprehendat, in tanto numero gladiatorum andabatas paucos fuisse exhibitos, & hos quidem sese statim in fugam conjecisse. Nam in spectaculis hisce, quo plures cadebant, eo splendidiora ipsa spectacula habebantur; quo pauciores, eo viliora & contemtiora. Plurimum autem malignitatis obliquæ subest narrationi. HEINS. Scripsit forte auctor: *Adeo de magna turba athletæ acceſſerant, plane fugæ meræ*. GOES.

Fugæ meræ] Hoc est, qui nil possent, nisi fugere. Sic Cicero *nugas meras* dixit lib. VI. ad Att. ep. 3. *Quid est igitur, quod laborem? amicos habet meras nugas.* SCHEFFER. Ignavi enim gladiatores, cum viderent adversarium urgere, per totam arenam fugiebant, donec deprensi à victore jugularentur. Ciceronis loco à Scheffero laudato adde Apulej. I. Metam. *folia sunt artis & nugæ meræ*. Et lib. II. *ineptias mihi narras, & nugas meras*. vid. Nonium in *merum*. BURM.

„tibi plodo. Computa, & tibi plus do, quam accepi, manus manum „lavat.

XLVI. „Videris mihi, Agamemnon, dicere: Quid iſte argutat mole„ſtus? Quia tu, qui potes loquere, non loquis. Non es noſtrae faſciae, „& ideo paupreorum verba derides. Scimus te prae litteras fatuum eſſe. „Quid

Ego tibi plodo] Applaudo. Liquet autem ex hoc loco, in muneribus plauſu proſequi conſueviſſe munerum illorum auctores. SCHEFFER.

Computa] De hoc verbo modo egimus, ſed notandus lepidus character hujus certe ſortis & faſciæ hominis, qui, ſi Norbanus ipſi vellet imputare munus, plauſu in amphitheatro dato penſatum ſatis credebat, & ideo eum ad calculos vocat. Eodem modo ut Avarus apud Juvenal. IX 39.

Hæc tribui, deinde illa dedi, mox plura tuliſti.
Computat, ac cevet. ponatur calculus, adſint
Cum tabula pueri BURM.

Manus manum lavat] Ab Epicharmo vel Menandro τὸ χεὶρ χεῖρα νίπτει, χεὶρ χεῖρα κνίζει, accepit: Etiam eadem ætate Seneca in ludo de morte Claudii. Hujus uſus gratia Galenus I. de uſu part. 5. Σύμμαχον ἐκάτερη τὴν ἑτέραν χεῖρα ἡ φύσις ἐποίησεν, inquit: ἀλλήλων γὰρ ἕνεκα γεγόνασι, καὶ πάντα πέφυκασιν ἴσα. REINES. Seneca Ludo de morte Claudii: *Noli mihi invidere, mea res agitur. Deinde ſi quid volueris, invicem faciam, manus manum lavat.* HEINS.

Videris mihi dicere] Seneca de benefic. lib. VI. cap. V. *Videris mihi dicere, perdis operam.* Et cap. VII. *Videris mihi dicere, quo tantum mihi dexter abis?* cap. XXV. *Hoc dicere videris, quanto iſto carebo.* HEINS.

Argutat] Nugatur. Propertius lib. I. El. 6.

Illa mihi totis argutat noctibus ignes. SCHEFF. Egregie de homine ſibi in garrulitate placenti, quaſi neſcio quæ acumine & ingenio plena narraret. Plaut. Amphit. I. 1. 193. *Pergin' argutarier.* Nonius: *Argutarier dicitur loquacium proloqui.* Ita habet Merceri editio. Sed Gothofredi & Junii *loquaciter proloqui.* forte fuit *loquacium more proloqui.* optime autem vocis vis intelligitur ex verbis Novii. *Quando ad ludos venit, alii cum tacent, totum diem argutatur quaſi Cicada.* Cicadæ enim acutum & continuum ſonum edunt, unde *raucæ* à Virgilio dicuntur. Et hinc malos Poëtas & cantores *cicadas*, ſive τεττίγυς à Græcis dictos docet Caſaubonus ad Athen. lib. XV. cap. 3. & tanta hujus animalis eſt fritinniendi lubido, ut Ovidius παροιμιώδες dixerit lib. I. Art. Am. verſ. 271.

Vere prius volucres taceant, æſtate cicadæ.

Et hinc à Martiali lib. XI. ep. 19. *arguta* vocatur, Et ut noſter loquacitate ſua erat *moleſtus*, ita *inhumanas cicadas*, ab eodem lib. X. 58. appellari, quia perpetuo cantu, & ſtridore ſunt moleſtæ, recte adnotavit Scriverius, unde *obſtreperum carmen* quoque illis tribuit Apulej. Florid. XIII. ſed hæc longius abeunt. BURM.

Qui pote loquere non loqui] Ordo verborum à librario ſupino eſt turbatus. Scribo, *qui potes loqui, non loquere.* SCHEFFER. Non immutatum credo ordinem verborum, ſed Barbariſmos ſuos continuantem Echionem puto decoro ſibi ſermoni eſſe reſtituendum, *quia tu, qui potes loquere, non loquis.* BURMAN.

Noſtræ faſciæ] Conjunge *noſtræ faſciæ.* Sic proverbiali genere vocat eum, qui eſt alienus ab ipſorum conſortio. *Unius faſciæ* dicuntur generis unius, unius ſocietatis. forſitan, quod in militia ſignum militare eſſet faſcia, quam deinde *bandum* appellarunt, ſocii- que forent ac conjuncti inter ſe, qui ſub eodem militabant ſigno. Vide tamen, num legendum ſit *farinæ* Perſius V. verſ. 115.

——— *cum ſueris noſtræ paulo ante farinæ.*

SCHEFFER. Id eſt, noſtræ ſortis, genituræ, & educationis; tractum à more infantes faſciis involvendi, vel appenſis crepundiis inſigniendi. Græce ἐν σπαργάνοις, quod eſt apud Philonem de libert. & de Abrah. id eſt, à faſciis, à bulla: inde ſignificat idem cum illo ἀπὸ βρέφους, à teneris, à cunis; ab ipſa cunabulari vita, ut loquitur Dudo Quint. præf. Norm. ὁμογάλακτοι, ὁμοτίτθιοι, collactii, qui idem lac ſuxerunt, ὁμόσπαρτοι, (σπάρξαι enim de re eadem eſt apud Hom. hymn. in Apollinem.) iiſdem faſciis involuti, iiſdem crepundiis ornati, iiſdem cunis agitati. REINES. Reineſius has faſcias acccipiendas putat de faſciis infantum. Fruſtra. Locutio deſumta eſt à mercatorum conſuetudine, qui unius generis merces una faſcia includunt. Res eſt hodie quoque receptiſſima. Plinius lib. XV. cap. 17. *Liguria uvas ſole ſiccatas junci faſciis involvit.* SCHEFFER. Nihil equidem movendum puto, etſi enim nobis plebeji hujus proverbii ratio non ſatis conſtat, non tamen à faſciis, quibus infantes involvantur, deſumtum putarim, ſed potius à faſciis cruralibus, vel alterius membri, quas ex purpura & pretioſiore materia ditiores geſtabant, humiles ex centonibus & pannis ſibi aptaſſe veroſimile eſt. Sed hæc nondum ſatis clara luce perfuſa ſunt. BURM.

Paupereorum] Nil mutandum: ita enim loquebantur veteres. TILEBOM. Mallem ego, *pauperiorum.* SCHEFFER. Alii, *pauperiorum.* HEINS. Neſcio cur vel editores in *pauperum* mutarint, vel viri docti *pauperiorum* maluerint reſcribere, cum non id agi hic debeat, ut Latine loquantur hi Semigræculi, ſed ut ſtribligini modo analogia ſua conſtet. *Pauper* autem ita inflecti ſolitum fuiſſe, docet ejus fœmininum *pau-*

pera,

„ Quid ergo est? Aliquâ die te persuadeam, ut ad villam venias, & vi-
„ deas casulas nostras; inveniemus, quod manducemus: pullum, ova.
„ Belle erit; etiamsi omnis hoc anno tempestas dispare pallavit. Invenie-
„ mus ergo unde saturi fiamus. Etiam tibi discipulus crescit Cicaro meus,
„ jam

pera, quod Plautus in vidularia habuisse dicitur, & Fabricius Terentio Andr. Act. IV. sc. 5. voluit obtrudere. Sed facilius id Echioni Centonario, quam castigatissimo auctori, usurpatum credidero. Unde Servius ad Virgil. XII. Æneid. 519. dicit usurpativum esse. BURM.

Pra literas] Scribendum est, *pra litteris*. Ita supra, *pra mole sua*, ubi vide, quæ notavi. SCHEFFER. Et hic nihil moverem. Nam solœcissantem & Barbarie mera ridiculum hunc Echionem voluit Satyricus inducere, ut supra Græcissantem.

Fatuum esse] Ludit ambiguitate vocis, more suo. Dixerat superius ad Agamemnonem, posse loqui, etiamsi non loquatur. Id repetit hoc loco, addita caussa, quia sit instructus literis, & doctus. Sed repetit vocabulo ambiguo. *Fatuus* enim est, & qui fari potest, & qui est ineptus stolidusque. Omnino enim *fatui* vox honesta fuit, itaque omnes dicti sunt initio *vates*, nec hi tantum, sed & pueri, qui didicissent fari. Volunt verba Varronis lib. v. de LL. *Fatur is, qui primum homo significabilem ore emittit vocem. Ab eo, antequam ita faciant, pueri dicuntur infantes, cum id faciunt, jam fari: cum hoc vocabulum à similitudine vocis pueri, ac fatuus, fari fit dictum.* Ita scribo non *fari id dictum*, ut est in vulgatis. Sententia est ista, puerum infantem dici, quamdiu non loquatur, postquam loqui ac fari didicerit, vocari fatuum. Fatuus ergo, qui scit loqui. Donatus ad Eunuch. Terent. Act. V. scen. 8. *A fando fatuus dicitur.* Sed quia fere, qui loquuntur multum, sunt inepti stolidique, hinc de ipsis quoque usurpatum hoc vocabulum. Quo proinde ludit noster, nec modo litteratos loqui multa posse innuit, sed & ex litteris quandoque stolidos fieri. Id quod proverbio circumlatum intelligimus etiam ex isto Festi ad Paulum Actor. cap. 26. *Insanis Paule, multa te littera ad insaniam convertunt.* SCHEFFER.

Quid ergo est] Vid. sup. cap. IV.

Te persuadeam] Lege *tibi persuadeam*, quanquam etiam tolerabilis hæc sit scriptura. TILEBOM. Ennius apud Servium P. Danielis. *Quis te persuasit?* Vide Merulæ fragm. pag. 39. Apulejus lib. IX. *Tunc uxorem ejus suasi, ac denique persuasi, secederet paululum.* Idem paulo post: *identidem suadebat maritum, temporius quieti decedere.* Non observarunt etiam recentissimi editores, ideoque post *suadebat*, perperam posuere comma. Ad eumdem modum verbo simplici est usus Tertullianus in de hab. mul. *Tu es, quæ eum suasisti, quem diabolus aggredi non valuit.* De Eva loquitur, cui manducationem pomi diabolus persuaserat. Noster infra iterum cap. LXII. *persuadeo hospitem nostrum.* Cæterum *persuadeam* videtur positum, ut apud Symmachum, *exhibeam*; apud Sidonium *taceam, indulgeam, gaudeam, studeam*, & alia id genus, de quibus consulendus Vossius III. Anal. cap. 34. Nisi quis existimet, post, *nostras*, collocandam esse interrogationem: id quod mihi non displiceret. SCHEFFER. Tertull. de habitu mulierum lib. I. *Tu es, quæ eum suasisti, quem Diabolus aggredi non valuit.* Qui locus non est sollicitandus, est enim Græcismus. In passione Tarachi, Probi & Andronici, quam luce donatam Emerico Bigotio V. C. debemus. *Tarrachus dixit: Non me persuadebis in nullo.* Passio S. Bonifacii ab Holstenio edita. *Suscipe in pace animam meam, ut me non impediat pestifer & interfector sua Draco malignitate, & ne suadeat me in fallacia sua.* Sic *nocere* cum *quarto* casu junxit Milite glorioso Plautus: *Jura te non nociturum esse hominem.* HEINS. Egi de hac constructione ad Phædrum lib. I. fab. XV. Ita apud Ovidium Epist. XVII. 185. Oxonienses & Regius codex exhibent:

Quam male persuades, utinam bene cogere posses.

In hoc ergo non vitiosa dictio, sed τὸ *persuadeam* plebem olet, pro *persuadebo*. BURM.

Belle erit] Scilicet nobis, vivemus jucunde ac hilater. SCHEFFER. Ita modeste loquitur pro mediocritate sua: supra cap. 34. *bene esse* vidimus.

Dispare pallavit] Legendum: *dissiparit*, vel, *dissipavit*. HEINS. Fecerant *paravit* editores Patavini, cum in codice Traguriano aliter exhiberetur. Sed credo, hic quoque Echionem balbutire, qui voluit efferre *dispallavit*, quo ille verbo activa forma usus est, pro insolentia sua, sed cum lingua, vel mero saucia, vel, ut fieri solet, nimio cursu loquendi præcipitata, aberraret, *dispara* primum dixit, ultimas syllabas deinde se corrigens *pallavit* effutiit. BURM.

Inveniemus ergo] Illud *ergo* non placet. forsitan scribendum atque distinguendum est: *inveniemus large, unde saturi fiamus.* Sed nil definio. SCHEFFER.

Etiam tibi discipulus crescit] Ita supra cap. XL. *etiam videte, quam porcus ille comederit.* Plaut. Aulul. II. sc. 7. 5. *Quid nunc? etiam mihi despondes filiam? Crescit tibi*, ut mox evadat tuus, ut tu eum habeas discipulum. Noster cap. LV. *Pascitur gallina tibi, gallus spado.* Plautus Bacch. III. sc. 3. *Mihi discipulus, tibi sodalis periit.* SCHEFFER. Elegans, etiam rudi garrulo, locutio de Tyrone, qui primis elementis literariis imbuitur à Triviali ludimagistro, ut postea Rhetori Agamemnoni tradatur in disciplinam. Just. XII. 16. de Alexan-

„jam quatuor partis dicit; si vixerit, habebis ad latus servulum. Nam, „quidquid illi vacat, caput de tabula non tollit: ingeniosus est, & „bono

dro *per quinquennium sub Aristotele doctore inclyto crevit.* Virgil. VII. ecl. *crescentem ornate Poëtam.* BURMAN.

Cicaro] Sic dixisse videtur pravam plebejorum pronuntiationem imitatus, data opera, pro *Cicero.* Nam ne de mendo suspicari possimus, etiam ita infra occurrit cap. LXXI. *Ad dexteram pones statuam Fortunatæ meæ & catellam cingulo alligatam, & Cicaronem meum.* Videtur autem usitatum plebi, ut pueros indolis eximiæ Cicerones vel Cicarones, ut ridicule noster, appellarent: quemadmodum in plebe nostra obtinet, ut tales Erasmos dicant. De Tullio Quintilianus libro X. *Apud posteros id consequutus est, ut Cicero non jam hominis nomen, sed eloquentiæ habeatur.* HEINS.

Parti] Lege *partes.* TILEBOM. Infra, cap. 58. *decem partes dicit.* Itaque hic scribe, *partis*, id est, *partes*, quomodo solet etiam in aliis. Sed quænam sunt hæ partes quatuor? Existimo, de partibus Grammaticæ sermonem esse, quas fuisse quatuor apud veteres docet nos J. Gerh. Vossius. SCHEFF. Loquitur de Cicaronis sui apud Magistrum Latinum literas discentis in Grammatica profectu. Sic de alio puero cap. XLV. *decem partes dicit: librum ab oculo legit*: itemque alibi *partes centum dico.* Hinc interpretor inscriptionem apud Gruterum 8. DCXXV. quæ est de C. Terentii Fructi servo ATTICO: LITERATUS GRÆCIS ET LATINIS LIBRARIUS. PARTES (sic emendo quod edidere PONTES: habereque ita schedas Verderii annotant) DIXIT. CCC. Per *Partes* non intelligi possunt partes Grammaticæ, vel etiam Orationis: sed sententiæ particulares & γνωμῶν τινα Latinis verbis expressa, quæ tironibus pro exercitio Græcæ Linguæ ediscenda proponi solebant. Idque adparet è libris de tota re Grammat. Dosithei magistri tribus, uti dixi in Defens. Variarum contra censuram Poëtæ L. p. 96. REINES. Verus Codex Dalmaticus, *jam quatuor parti dicit.* Ex quo colligo, scribendum, *jam quatuor par didicit.* Hoc est, didicit, quatuor, seu numerum quaternarium esse par, seu parem. Incipiebat ex more veteri à mathematicis & arithmeticis, discebatque qui essent pares numeri, qui impares. Quæ Reinesius hic habet, ad rem parum faciunt. SCHEFF. Schefferi approbo emendationem, qui restituit: *quatuor partis didicit.* GOES.

Habebis ad latus] Hoc ita dicitur, ut *habebis ad manus.* Bene autem, *ad latus*, sic enim proprie de discipulis. Cic. in Lælio: *Ego à patre ita eram deductus ad Scævolam, sumta virili toga, ut quoad possem & liceret, à senis latere numquam discederem.* SCHEFFER. Ridicule. Servuli ad Latus catamiti. De tali capiendus Martialis lib. 6. ep. 68.

—— *Ille tuum, Castrice, dulce latus.* HEINS. Id est, perpetuum comitem. *A latere* inde amici Regii vocantur Curtio lib. III. cap. 5. *quum ad perniciem ejus etiam à latere ipsius pecunia sollicitares hostis.* Et ita Livium lib. XXIV. cap. 5. locutum notat Freinshemius in indice: dubito autem an Catamitum filium suum fieri voluerit Echion.

Caput de tabula non tollit] Per proverbii modum de assiduo usurpatur. tabulam seu librum continuo inspicit. Similiter *manum de mensa tollere* dixit Varro II. Prometh. SCHEFFER. Intelligit tabulam puerilem, qua in ludis literariis artem ratiocinandi & computandi docebantur, & præterea literas effingere. Nam simul *literis elementariis & calculo imbuebantur* pueri. Capitol. Pertin. I. Plinius XXXIV. 8. *Leontinus fecit puerum tenentem tabellam.* Et Horat. I. Satyr. VI. 72.

Noluit in Flavi ludum me mittere, magni
Quo pueri magnis è centurionibus orti
Lævo suspensi loculos, tabulamque lacerto
Ibant octonis referentes idibus æra.

Ubi Acro tabulam interpretatur *Buxum, in quo meditantur scribere.* Et Lambinus adducit Juvenalis locum Satyr IX. 40.

Computat, ac cevet ponatur calculus. Adsint
Cum tabula pueri.

Varr. de R. R. lib. III. cap. 5. *locus deformatus in tabulæ literariæ speciem.* Justinus lib. XXXIII. cap. IV. de Hierone. *Eidem in ludo inter æquales discenti lupus tabulam, in turba puerorum repente conspectus, eripuit.* Epigramma antiquum inter cataleeta Pithœi pag. 136. de magistro ludi negligenti:

Indoctus teneram suscepit Cauculo pubem,
Quam cogat primas discere literulas.
Sed cum discipulos nullo terrore coërcet,
Et ferulis culpas tollere cessat iners,
Projectis pueri tabulis floralia ludunt,
Jam nomen ludi rite magister habet.

Ita ex veteribus codicibus, quos vidit Heinsius, rescribendum; paulo aliter vulgo circumfertur. Hic autem malim de calculis incundis accommodata tabula capere, unde *calculatores, tabularii* dicuntur in l. 1. §. 6. ff. de extraord. cognit, quia præcessit, *dicit partes quatuor*, quas neque de grammatices partibus, neque de sententiis particularibus, intelligere fas est, sed de partibus, in quas pueri docebantur dividere assem Romanum, ut ad ejus rationem usuras, & alia quæque exigerent. Horat. Art. Poët. v. 325.

Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere, &c.

ridicule ergo hic Echion puerum suum plurimum profeciisse jactat, quia jam quatuor partes dicit, quas puer, recens in ludum missus, una hora ediscceret. Nam

vero-

„bono filo, etiamsi in naves morbosus est. Ego illi jam tres carduelesoccidi, & dixi, quod mustela comedit; invenit tamen alias nervas. „& libentissime pingit; Caeterum jam Graeculis calcem impingit, & „Latinas

verosimile est, illos incepisse à majoribus illis partibus sive unciis duodecim, in quas as dividebatur, ut erant uncia, sextans, quadrans, &c. BURM.

Bono filo] Bona specie ac forma. Lucret. IV.

Sunt igitur jam formarum vestigia certa,
Quæ vulgo volitant subtili prædita filo.

Plautus Merc. IV. scen. 4. *Satis scitum filum mulieris.* Confer Gellium I. cap. 9. & XIV. cap. 4. SCHEFF. Eleganter & Latine Lucretius lib. II.

——— *Debent non omnibus omnia prorsum*
Esse pari filo.

Gellius lib. I. cap. IX. *habitum & corporis filum* conjunxit. HEINS. Ita lineamenta vocabant, vide Salmas. ad Maximin. Junior. cap. I. & exercit. Plin. pag. 465.

Etiamsi tum naves] Corrigo: *etiamsi tam navus.* Sententia, licet sit tam diligens & assiduus in libris, tamen bono filo est. Attendit ad id, quod vulgo lucubrationes nimiæ pertinaxque studium pallidos & macilentos reddit. SCHEFFER. Lege *etiam cum nauseat, morbosus est.* Bona corporis constitutione & firma eum esse dicit; sed cum nausea & inadpetentia laborat interdum, morbosi quid & suspecti ostendere. REINES. Reinesius *etiamsi cum nauseat*, Hadrianides, *etiamsi in nave*, quod & in textum recepit. Sed sunt omnia ab hoc alieniissima. Scribo & distinguo: *Et bono filo etiam. Sin aves, morbosus est.* Illud *aves* manifeste probant sequentia, *ego illi jam tres cardueles occidi*, nec possunt intelligi, aut cohærere superioribus, nisi ad hunc modum emendentur. *Naves* & *nauseæ* huc nil faciunt. At *sin* potest habere dubitationem, licet etiam in MS. Dalmatico legatur, *& bono filo etiamsi in naves*, unde illud *sin* haud ægre conficitur, cum totidem exstet litteris. Nempe dura est hic reticentia, & ellipsis verbi *adimo* vel *remuo*, suspicorque potius, non integrum esse locum SCHEFFER. Quæ de nave & morboso hic possent dici, præstat omitti. GOES. Tragurienis *etiamsi in naves morbosus est*, unde variæ correctiones natæ. *In nave* Hadrianides, & interpretatur *scilicet cum mecum navigat*, quia hi liberti erant mercatores. Sed nostrum Echionem libertum fuisse ejus conditionis, ut mercaturæ exercendæ gratia mare sæpe ingrederetur, nullum est indicium, cum centonarius pauper esset, qui in casula viveret; quare ego putarem legendum *in nares morbosus est.* Locutione iterum insolenti, pro laborat vitio aliquo in naribus. Quod non obesse dicit, quo minus tamen bono filo esset. Nisi præstet *in nave*, id est, Marisca habet *navis* est podex ficosus. Varro *navem si dividas, perdes*; lege *navem si dividas, pedes.* BURM.

Morbosus est] An hic abest negatio, *non morbosus est?* SCHEFFER.

Tres Carduelis] Scribe, *tres carduelis.* TILEBOM. Vix dubito, quin rectum sit, *tres carduelis.* Sane carduelis etiam apud veteres Romanos fuisse in deliciis, artes varias efficere, & imitari voces edoctas, licet facile ex Plinio colligere. Vide lib. VII. cap. 42. SCHEFFER. Pro *carduelis.* Glossæ vett. *Cardelis*, ἀκρυγαλίσι. Sic *cardus* pro *carduo.* HEINS. Ita rustico sermone cardueles vocat, quas occidisse se jactat puero, ne iis avocaretur à studiis, notissimum enim illud adagium versu non optimo expressum: *Per pisces & aves, multi periere scholares.* Has vero aves Carduelis pueri deliciarum causa alebant, *quia imperata faciunt, nec voce tantum, sed pedibus, & ore pro manibus*, teste Plinio lib. X. cap. 42. BURM.

Et dixi, quod mustella] Optime. Consule Vossium in de Constr. cap. 62. SCHEFFFER.

Mustella] Felis, ut quidem putat Rigaltius ad Phædrum lib. IV. fab. I. Sed possumus de mustela vera hic accipere. *Mustela* dico. Sic enim malo, quam *mustella*, ut hic legitur. SCHEFFER.

Invenit tamen alias nervas] Lege, *invenit tamen alias nervias.* TILEBOM. Corrigo, *alias novas*, puta, *carduelis.* Sequitur deinde nova periodo: *Et libentissime pingit*: ubi & est *etiam.* SCHEFF. Scribe, *alias vernulas*: alias carduelis, ruri nostro natas. Sic *vernula avis* Rutilio in Itinerario lib. I. vers. 112. qui locus non est sollicitandus.

Quid loquar inclusas inter laquearia silvas,
Vernula qua vario carmine ludat avis?

Pari sensu, *apes vernæ*, & *vernæ tuberes*, &c. HEINS.

Græculis] Ita per contemtum moris erat Romanis omnia vocare, quæ à Græcis veniebant, quos ut homines leves & arrogantes, majestas & gravitas Romana despiciebat. Ita Florus *Græculam civitatem* Massiliam vocat lib. IV. cap. 2. *Græculum ferrum* lib. II. cap. 7. *Græculum & ineptum negotium* Cicer. lib. I. Tusc. cap. 35. & ita capiendus jocus Ciceron. lib. VII. ad fam. Ep. 18. *Itaque quando vestræ cautiones infirmæ sunt, Græculam tibi misi cautionem chirographi mei*, quem non intellexerunt Victorius & Manutius, qui interpretantur commendationem, Græce scriptam. Sed cum Trebatio Jurisconsulto jocatur, & quia jurisprudentum cautiones admodum infirmæ & subdolæ sunt, in quibus non multum præsidii sit clientibus, dicit, se eodem modo leviter & perfunctorie commendasse Trebatium Cæsari, quam tamen commendationem renovabit tempore. Et ita mox huic Græculæ commendationi opponit Romanam. *Ego te Balbo, cum ad vos proficiscetur, more Romano commendabo.*

„ Latinas coepit non male appetere, etiamsi magister ejus sibi placens sit;
„ nec uno loco consistit, sed venit, dem literas, sed non vult laborare.
„ Est

Et hinc proverbium illud *Græca fide*, quali hæ cautiones erant. Plura de voce *Græculus* vide apud Freinsh. *indic.* in Florum, Barth. XI. Adversar. 19. Meurs. Auctar. Philolog. cap. VII. qui docent, *Græculos* etiam dici, qui adfectabant Græcorum studia. Cæterum affectat hic ex fæce plebis homuncio majorum gentium mores, qui pueros utriusque linguæ cognitione à prima pueritia imbuendos ludimagistris tradebant. Ita de Maximino Juniore Capitol. ejus vita cap. I. *Literis & Græcis & Latinis imbutus ad primam disciplinam:* ubi male mihi videtur Salmasius, *primam disciplinam*, præcipuam interpretari. Et ita Ovidius adolescentes Romanos instruendos docet lib. II. Art. Amat. vers. 121.

Nec levis ingenuas pectus coluisse per artes
Cura sit, & linguas edidicisse duas.

Et ita Horat. lib. III. od. VIII. ipsum Mæcenatem vocat, *doctum utriusque linguæ.* & elegantissimus lapis apud Reines. Class. XII. inscr. 96. de puero annorum XVII. qui dicitur EDUCATUS LITERIS GRÆCIS QUAM ET LATINIS. BURM.

Calcem impingit] Dimittit eas à se, quasi jam satis didicerit. Est enim hæc per fastidium rejicientis quidpiam consuetudo. SCHEFFER. Sic *pugnum alicui impingere*, Plauto non semel, *impingere compedes*, & *laqueum impingere*, Senecæ de brevitate vitæ. *Impingere calicem mulsi*, Ciceroni tertio Tusculanarum, & *impingere scyphum*, Plinio lib. XIV. cap. XXII. HEINS.

Sibi placens] Munkerus è Glossis Philoxeni illustrabat, in quibus, *sibi placens*, ἀυθάδης. HEINS. Res certa est, & negari non potest, istos magistellos plerumque gloriosos esse, & in minutiis illis, quas tractant, pernimium sibi placere, verum hoc nihil ad rem præsentem. Duos enim Noster hic commemorat magistros, quorum alterum, cujus statim fiet mentio, laudat; alterum, ad quem hæc spectant verba, vituperat. Ejus, quem laudat, hæc virtus est, ut *plus doceat*, si ita dicere licet, *quam scit*, sitque similis fido isti magistro, de quo Seneca VI. de benef. XVI. qui illa, *quæ sciebat*, *non maligne dispensavit*, *quo diutius esset necessarius. Sed cupit, si posset, universa transfundere.* Cui conveniens videtur, ut in altero vitium huic virtuti contrarium notet. Eum esse nimirum callide malignum, & deceptorem, qui vel avare, vel obscure disciplinæ suæ præcepta discipulo tradat. Atque ea propter hic scriptum fuisse suspicor: *etiamsi magister ejus ibi lacens sit.* Festus: *Lacit, decipiendo inducit. Lax enim fraus est.* Lucretius libro IV. vers. 1200.

Quod facerent numquam, nisi mutua gaudia nossent,
Quæ lacere in fraudem possent, vinctosque tenerent.

Quamvis igitur magister ille sinistre cum suo discipulo agat, non male tamen cœpit litteras latinas appetere. Ex quo pueri ingenium clarius eluceſcit, qui etiam sub iniquo non male proficit. GOES. Longe à scopo Satyrici abesse acutam magis, quam veram Amplissimi Viri explicationem & correctionem judico. *Sibi placere*, proprie de homine triviali, & pædagogico fastu, qui inde in proverbium abiit, tumente, supra cap. 44. explicuimus. Et vide Erasmum in proverbio *Suum cuique pulchrum.* Et certe gens hæc madens sermone pingui, tam sibi placere solet, ut primi ordinis eruditos præ se non modo contemnat, sed ferulam dum gestat, sceptrum sibi regium datum videri cupit. BURM.

Nec uno loco consistit] Non absolvit, quæ inchoavit, sed saltuatim huc & illuc discurrit, quod discentibus plurimum incommodat. GOES. Hoc, ut argumento hominis vagæ mentis, & desultoriæ, utitur. Nam Seneca Epist. II. dicit *primum argumentum compositæ mentis esse, posse consistere.* Et ita ingeniosissimus Satyricus, etiam Rustico & plebejo scurræ ea verba tribuit, quæ, si ab alio prolata essent, gravissimæ objurgationis numeros absolverent: quid enim magis detestabile in juventutis magistris, quam non certo & composito ordine per gradus omnium disciplinarum Tirones ducere. Novit & nostra ætas, non Pædagogos modo, sed primi ordinis doctores, qui publica largitate ad corrumpendos juvenes auctorantur, & qui, cum præ corporis mobilitate adeo nusquam consistere possint, ut ne pictoribus quidem facultas sit eorum effigies exprimendi, ita neque mente certa consistunt, sed magnifica promittentes, discipulos per omnes doctrinarum partes saltare docent, ut picas, & ne disciplinas quidem graviores certa methodo tradere possunt, quia ipsi sibi placent, & omnia scire jactant. Sed hæc hactenus. Porro *consistere* proprie dicitur, pro certo loco manere & quiescere. Justinus lib. XLI. cap. 3. de Parthis: *Equis omni tempore vectantur, illis bella, illis convivia, illis publica ac privata officia obeunt, super illos ire, consistere, mercari, colloqui.* Curtius lib. VIII. cap. 4. *Attonitisque auribus stupens agmen nec progredi nec consistere audebat*, ut recte Acidalius & Freinshemius legunt. vid. & Suet. Aug. 40. BURM.

Sed venit dem literas] Mutilus hic locus est, nec divinando facile restituetur. Tamen nescio, annon id ipsum continuerit, quod sequitur, *sed non vult laborare.* Mihi certe glossam sapit, vel propter istam inconcinnam conjunctionis ejusdem repetitionem. SCHEFFER. Suspicor legendum, *sed vendit identidem literas, & non vult laborare.* Sensus apertissimus. Bene autem *vendit litteras*, & in opposito ad sequens, *quicquid dederis, contentus est.* IDEM. Forte, *licet venum dedit litteras.* Id est, licet pretio constituto

litteris

„ Est & alter, non quidem doctus, sed curiosus, qui plus docet, quam „ scit. Itaque feriatis diebus solet domum venire, & quidquid dederis „ contentus est Emi ego nunc puero aliquot libra rubricata, quia volo „ illum, ad domus ionem, aliquid de jure gustare. Habet haec res pa-
„ nem.

litteris Latinis imbuturum se penitus puerum receperit. GOES. Corruptissimus locus, in quo nullus sensus in vulgata lectione. *Venit* pro *vehit* positum suspicor, & aliquid requiri puto, quo noster desultor non incedere pedibus, sed tamquam equo, vel curru, vehi dicatur? forte *vehit idem literas*, ut Thespis Poëmata plaustris vexisse dicitur Horat. Art. Poët. 276. quod si non sit rectum, aliud cogitent acutiores. BURM.

Sed non vult laborare] Non vult operam adhibere & diligentiam, quam adhibere ex fide bona magistrum decet. GOES.

Sed curiosus] Delectatur voce hac Petronius frequenter, etiam in editis. Unum locum adducam, nostro non multum absimilem cap. CXXVII. *neque est, quod curiosum aliquem extimescat.* Est hic *curiosus*, qui noviisse quærit facta ipsorum. Sic in nostris, qui non quidem doctus, scire tamen multa & recondita, discereque paratus est. SCHEFFER. Cic. *Curiosus & negotiis plenus.* GOES. Vox hæc varie accepta à veteribus, & in bonam & in malam partem, incertos nos facit, quomodo hic capienda. Ego opponi hic curiosum desultori illi, qui nolebat laborare puto: *Curiosus* enim à *cura* cum deducatur, notare potest aliquem, qui sua, quæ novit, multa cura expolit, & meditatione frequenti coquit. Ita Terent. Hecyr. I, II. 117. *nisi sane cura est, quorsum eventurum hoc siet.* Ubi Donatus bene, *quia curiosus est Parmeno, & garrulus.* Ita Sueton. Tib. 70. dicit eum ex *tempore quam à cura fuisse præstantiorem.* vide Acidalium ad Dialog. de Orat. cap. VI. inde ergo *curiosus*, qui diligenter inquirit in disciplinas, & cura egregia elaborat sua. Quæ si nimia est, inepta multa & morosæ obscuritatis producit. hinc & *curiosus* pro eo, qui vult omnia scire, etiam minima. Apulej. lib. I. Metam. *impertite sermone non quidem curiosum, sed qui velim scire vel cuncta, vel certe plurima.* De quo vide Gruter. III. suspic. 12. & hinc *curiosi* vanarum artium, ut Astrologiæ, magiæ, & similium studiosi, qui revera plus docent, quam sciunt. Horat. Epod. ult.

Ut ipse nosti curiosus. ——

Et eo sensu Claudianus VI. cons. Honor. 18.

Namque velut stellas Babylonia cura salubres
Optima tunc spondet mortalibus edere facta.

Et ita egregie Stephanus Schediasm. lib. II. cap. 28. explicat τὰ περίεργα πραξάντας in Actis Apostol. cap. XIX. vers. 18. ubi vetus interpres, *qui fuerant curiosa sectati*, alii *curiosas artes.* Περίεργα ergo hic magister discipulis suis tradebat, non, ut decebat, vera ἔργα. BURM. *Quam scit*] Hæc joco dicuntur, ab homine ebrio. SCHEFFER.

Feriatis diebus] Quibus, ob *solemnem diem, ludus arctatur*, ut inquit infra cap. 85. & quia sequitur, *Quidquid dederis, contentus est*, forte de diebus illis, quibus minerval soleret ludimagistris solvi, ut Quinquatrubus, posset intelligi, *domum* autem, scilicet meam. BURM.

Libra rubricata] Corrige, *libros rubricatos*, vel *rubricata*, ut subaudiatur, *legis*, sitque ita dictum, sicut apud Juvenalem Sat. XIV. vers. 192. ponuntur *rubræ leges.*

Scribe puer, vigila, causas age, perlege rubras
Majorum leges ——

Porro *rubricatæ leges*, vel *libri rubricati* ita dicti sunt, quia capita & tituli librorum juris minio fuerunt notati. Unde rubricarum frequens mentio, & apud Persium Sat. V. *Rubrica Masuri*, scripta Consultissimi ejus viri Juridica. SCHEFFER. Ita videtur loqui cum plebe. Quamvis autem id omnibus contingat voluminibus, ut tituli minio notentur, potissimum tamen id videtur locum sibi vindicasse in libris legum & Auctorum juris. Ut etiam simplici prolatione *rubricæ* libros juris nonnulli intelligant. Sic sane Quintil. lib. XII. cap. III. *Alii se ad Album ac rubricas transtulerunt.* Quemadmodum enim per *Album* auctor intelligit album Prætoris, ita per *rubricas* non aliud quam legum libros intelligit. *Libra rubricata* ergo non sunt hic aliud, quam quæ jus continent, ut & ex sequentibus apparet. GOES. Non debet latinius loqui hic Echion, quam Satyricus voluit. Tota enim hæc garruli hominis oratio inquinata debet esse. *Libra* forte hic dixit, Græcæ originis Campanus, quia Græci βίβλια dicebant. BURM.

Ad domus ionem] Excidit litterarum nonnihil: unde fecerunt, *ad domus rationem*: Ego, *ad domus tuitionem.* Tuitionis verbum in jure haud raro occurrit etiam in veteri marmore apud Gruterum opere inscriptionum pag. CCCXLVIII. 1. OB LOCVM ET TVITIONEM STATVÆ. HEINS.

Aliquid de jure gustare] Urbanus hic conviva hac phrasi alludere ad jus, quod in mensa apponitur, videtur, quod proprie gustamus. quamvis probatus etiam optimis scriptoribus hic loquendi modus; ita Cicer. XIII. ad Att. 40. *At vellem aliquid degustasse de fabulis.* Et ita passim. BURM.

Habet hæc res panem] Ad eumdem modum istoc dicitur, ut *res habet offensionem, periculum, usum*, & id genus. Sidonius V. Car. *Otia frigus habent.* SCHEFFER. Certum mihi est respici ad proverbium, δόλον πρὸς τὴν Ἀλφιτα, quo usus Aristophanes in Nebulis: nam sale Satyrico Petronius rabulas & vultures forenses,

ut

„nem. Nam literis satis inquinatus est; quod si resilierit, destinavi illum „artificii docere, aut tonstrinum, aut praeconem, aut certe causidicum, „quod

ut jam supr. cap. xv. fecerat, perstringit, qui per se ingratum, & Venere nulla, qua se commendet, dotatum juris studium à nemine excoli ostendit, nisi pecuniæ corradendæ aviditate; cum reliquæ artes, ut Poëtice, & Eloquentia, bonam mentem quidem dent, sed paupertatis sororem efficiant. Plena similium dictorum Ovidii & aliorum vatum divina carmina. vide Nasonis lib. I. eleg. ult. & lib. IV. Trist. eleg. 10. Et certe non alia etiam hodie hujus studii ratio est, cum, & qui docent, & qui foro vocem suam prostituunt, omnem illam disciplinam in quæstu habeant, qui si abesset, nemo vel labris primoribus eam gustare dignaretur, cum unica in ea voluptas sit discipulos & clientes pecunia emungere. Nemo autem melioribus coloribus hujus κακοτεχνίας & *sellularia artis* alumnos depinxit Ammiano lib. xxx. cap. 4. ubi diversa genera Advocatorum describens inter alia postremum genus ita describit: *Est genus impudens, pervicax, & indoctum eorum, qui, cum immature è literariis eruperint ludis, per angulos civitatum discurrunt*, &c. paulo post. *Qui cum semel umbraticis lucris & inhiandæ undique pecuniæ sese dediderint, litigare frustra quoslibet innocentes hortantur*, &c. Et deinceps addit. *Repertos nonnullos tam rudes, ut numquam codices habuisse se memimerint, & si in circulo doctorum, Auctoris alicujus veteris nomen inciderit, piscis aut eduli peregrinum vocabulum arbitrantur.* An non imaginem nostri seculi videre licet, quo plerosque juris prudentes reliquarum artium, etiam earum, sine quibus jus addisci nequit, tam imperitos cernimus, ut nihil mirum sit, si librorum nomina ignorent, qui intra compendia, & quosdam rubricatos codices, omnem ætatem transegerunt. BURM.

Literis] Peculiari notione, prout notant scientiam nonnullam scribendi ac dicendi, ex qua *litteratorum* nomen, oppositum *eruditorum* nomini Sueton. in lib. de Ill. Gramm. cap 4. *Cornelius Nepos in libello, quo distinguit literatum ab erudito, literatos vulgo ait appellari eos, qui aliquid diligenter & acute scienterque possint aut dicere, aut scribere.* SCHEFFER. Quarum cognitione non ex fide, & ut oportuit, magister eum imbuit. Inquinamenti enim rationem obtinet omnis defectus, qui negligentia magistri ei etiam nunc adhæret. GOES. Non ad magistri negligentiam referenda hæc, sed ad fastidium hujus plebeji, quem ita loquentem inducit Satyricus, ut Parentes illos defricet sale suo, qui putant, liberos suos pollui & inquinari, si bonis quidem, sed inutilibus ad panem, artibus diutius inhæreant, & ideo spes suas statim ambitioni vel lucro donant. Quod ferendum in indoctis & plebejis patribus; sed quis ferat ipsos doctores hanc parentum insaniam adjuvare? cum pueros impuberes, ex ipsis ludis literariis, ubi elementa ipsa linguarum levi & præcipiti opera hauserunt, raptos, illico ad ipsum juris studium præcipites ire compellant; &, ne scholæ suæ numerum non habeant, malint corrumpere & perdere juvenum studia, quam exspectare discipulos, qui prius severa lege profecerunt. Sed talibus discipulis, qui antea literis, & historiæ & antiquitatis cognitione accurata præparati essent ad graviores disciplinas, præter putida illa artis compendia, aliud quid esset præcipiendum, quo ulterius sapere discerent. Sed ingenui scilicet sunt nostri, nolunt plus docere quam sciunt, ideo etiam inquinatos literis non amant, sed puros & nudos, id est, ignaros, suæ disciplinæ aptissimos judicant. BURM.

Quod si resilierit] Nempe, à libris rubricatis & cognitione Juris? GOES. Eadem loquendi ratio, quæ supra *in calcem impingit*, à bovibus calcitrantibus & resilientibus desumta. Si ergo juri operam dare non vult, quod panem habet solum ex nobilioribus artibus, si liberali manu tractetur, ad sellularias & quæstuarias eum transferam; & ita uno ordine juris studium habet, & artificia illa vilia quidem, sed pecuniosa, Satyricus. BURM.

Destinavi illum] Hæc verba satis depravata sunt, &, ut censeo, sic emendanda: *destinavi, illum artificium docere, aut tonstreinum, aut præconem*, &c. *Destinavi, docere illum*, est, destinavi, ut doceat illum. Nam *destinare* hic est absolute positum, pro *constituere apud se* Quomodo Vellejus II. cap. 110. *pars suis sedibus præsidium esse destinaverat.* Sed quid illud *tonstreinum*? Puto esse à *tonstrinus*, & intelligi tonsorem, quem sic censeo vocatum, quod sit in tonstrina. Sicuti *cupidicmus* est in glossis pro eo, *qui cupide est in cœnis.* Martialis lib. v. ep. LVI. ad Lupum, ratione non multum dissimili.

Artes discere vult pecuniosas,
Fac discat citharœdus, aut choraules, &c.

SCHEFFER. Lege, *destinavi nonnihilum artificii docere.* HEINS.

Artificii] Recte. Nam disciplinis opponuntur artes. Ulpian. l. 27. §. 2. ff. de usufructu *si servum disciplinis vel arte instituerit.* Quod autem *Artificii* legatur, balbutienti Echioni, non librario debet adtribui. BURMAN.

Tonstrinum] Scribe, *aut Tonstrinam.* TILEBOM. Videtur peccasse Librarius transpositu vocalium *e* & *i*, legendumque *tonstrineum*, subintelligendo artificium: *tonstrineus* a tonstrina, ut spineus à spina. *Tonstrinum* pro tonsore dici & accipi posse dubito. REINES. Hadrianides in textu edidit *tonsorium*, quod miror: qui enim artificium *tonsorium* docere voluerit illum filium suum, antequam didicisset? Deinde, quomodo con-

„quod illi auferre non possit, nisi Orcus. Ideo illi cotidie clamo: Pri„migeni, crede mihi, quidquid discis, tibi discis. Vides Phileronem „causi-

conveniunt, *tonsorium & præconem?* Sicut *præconem* substantivum sequitur, ita substantivum aliud oportet præcessisse, quod illi respondebat, ut vel ex conjunctione manifestum est. Itaque non video, cur illud *tonstrineum* debeam repudiare. SCHEFFER. Pro præconium docere, ut apud Martialem lib. v. Epigr. LVI.

Fac discat citharædus, aut choraules.

Quod non est sollicitandum. Scholiastes Juvenalis: *didicit à patre luxuriosus & gulosus*, pro luxuriam & gulam. HEINS.

Aut præconem] Debuisset *præconium* dicere, quia *tonstrinum* præcesserat, sed servavit in hac voce usum vulgarem, quo dicebant *docere præconem* & similia, pro arte ipsa. Ita Gajus l. 28. ff. de Rei vindic. *forte quod pictorem aut librarium docueris.* Quam locutionem his ipsis à Scheffero & Heinsio adductis Gellii & Martialis locis illustravit Mercerus ad Aristænet. lib. I. Epist. 19. & ad Non. Marcell. in voce *Tolutim.* Sed, quod notare neglexerunt Viri eruditi, urbane iterum Petronius noster, ubique mordax, & arrodens sui seculi ineptos homines, conjungit Præcones & Causidicos, quibus unicus quæstus ex prostitutione vocis. Eleganter Cicer. pro Quint. cap. 3. de Sex. Nævio neque parum faceto scurra, neque inhumano præcone. *Cui cum natura nihil melius, quam vocem, dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset, vocem in quæstum contulit, libertate usus est, quo impunius dicax esset.* Ubi vide, quæ notant Viri Docti. Juven. Sat. VII. vers. 6.

——— *Nec turpe putarunt*
Præcones fieri.

Causidici vero per contemtum vocabantur rabulæ quidam illiterati, qui ipsius juris, in quo versabantur, non satis periti erant, sed qui in sola voce omne præsidium sibi & clientibus habebant, qualem supra capite XV. qui *solebat aliquando causas agere*, introduxit. Egregie Cicer. I. de Orator. cap. 46. *Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem, aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui sit ejus artis antistes*, &c. Et talem Lysiam vocat in Oratore cap. 9. quem ut Græculum otiosum & loquacem, qui, cum in schola assedisset, juberet ex magna frequentia hominum dicere, si quis quid quæreret, se paratum denuntians ad omnia, de quibus quisque audire vellet, describit lib. I. de Orat. cap. 22. rapax hoc genus hominum sæpe bilem movit Juvenali. vide ejus Sat. I. 32. VII. 106. & seqq. & alibi. Neque intacti abierunt Martiali, qui sæpius eos perfricat. vid. IV. Epigr. 46. & passim. Columella quoque præfat. lib. I. de Re Rust. eos cum ludicris artibus conjungit, inquiens, *sine ludicris artibus, atque etiam causidicis olim satis felices fuere, futuræque sunt urbes, at sine agricultoribus, nec consistere mortales, nec ali posse manifestum est.* Et hinc voce *Oratorum* hi rabulæ indigni, ut auctor Dialogi de Orator. cap. I. docet, & à Jurisconsultis eos distingit & separat Lactantius de Mortib. persecut. cap. 22. Majoris tamen pretii præcones, licet vilissimos, habitos lepido epigrammate docet Martialis lib. VI. Ep. 8. ubi Pater puellam, quam

Prætores duo, quatuor Tribuni,
Septem causidici, decem Poëtæ,

petebant, Præconi collocare maluit. Merito ergo suo par illud nobile à Petronio hic jungitur, ut & à Juvenale Sat. VI. 438.

Nec causidicus, nec præco loquatur.

Uterque enim garrulitate insignis. Ex his omnibus hoc unum patet, sæpe nostrum idem genus hominum, & eamdem eloquentiæ corruptelam, & vitia ejusdem seculi, à Tempore Augusti in ineptias & studiorum perniciem ruentis, carpere, quæ Juvenalis, Martialis, & Dialogi præstantissimi auctor, post nostrum, traducere non destiterunt. BURM.

Quotidie clamo] Id est, frequenter dico, inculco, ἐπιλογῶ, Seneca Epist. 27. *Sic itaque me audi, tamquam mecum loquar: clamo mihi ipse.* REINES. Objurgantis modo. Terent. Adel. III. scen. 4. *Mihi quidem non placent, & clamo sæpe, salsamenta hæc, Stephanio, sic macerentur pulchre.* Et Act. IV. sc. 7. *Dic mihi, non clamas? non insanis?* BURM.

Primigeni] Nomen pueri, qui ante Cicaro. Est autem id fere servorum vel libertorum. Gruterus inscriptionum pag. DLXXVIII. III.

DIS MANIBVS
IVLIAE ISIADI
PRIMIGENIVS AUG.
SER. VESTI. . . . .
CONIVGI OPTVMAE.

Et pag. DLXXXIX. I.

PRIMIGENIVS AUG. L.
TABVLARIVS PATRIMONII
TVTOR.

Quamquam sciam, & Fortunam Primigeniam & Herculem Primigenium exhiberi eisdem inscriptionibus. GOES.

Quicquid discis, tibi discis] Privati quod discunt, sibi discunt, viri principes quod discunt, discunt in publicos usus. Hinc Theodosius Aug. ad Honorium filium: *Disce orbi, quod quisque sibi.* HEINS.

Phileronem] Gruterus inscriptionum opere p. CCI. 3.

PER. HANC
VIAM. FUNDO
C. MARCI. C. L.
PHILERONIS
ITER. ACTVS
DEBETVR. HEINS.

„ causidicum, si non didicisset, hodie famem à labris non abigeret. Mo-
„ do, modo collo suo circumferebat onera venalia: nunc etiam adversus
„ Norbanum se extendit. Literae thesaurum est, & artificium numquam
„ moritur.

XLVII. „ [a] Ejusmodi fabulae vibrabant, cum Trimalchio intravit, &,
„ detersa

a ENCOLPIUS.

Circumferebat onera venalia] Quænam erant illa onera? Puto ego, bajulum fuisse circumforanei alicujus, ejusque res venales circumtulisse per plateas: Nisi malis, *olera venalia*; nam *onera* non satis placet. SCHEFFER. Id est, erat in ordine infimo laturariorum, φορτοβαστάκης, ὁ τὰ ἀγόγιμα ἐκ φορτίων χερόνας, quæstum faciens bajulandis mercibus. Onera venalia sunt fasces, scorteæ, manticæ, valisiæ & quælibet volucra; nobis *Ballen*: collo, vel loris collo dependentibus, ferri solita. REINES. Simile refert A. Gellius lib. v. cap. III. *Protagoram* nimirum, *virum in studiis doctrinarum egregium* in adolescentia, *victus quærendi gratia, in mercedem missum, vecturasque onerum corpore suo factavisse.* Malim tamen hoc loco, *olera*, non onera, propter illud quod adjungitur, *venalia*. HEINS. Ego nihil audeo movere, quia nihil tam ineptum specie esse potest, quod non hic garrulus effutire potuit. Quare cum Reinesio capio, illum fuisse *Bajulum*, vel *Gerulum*, ut jam olim explicui in dissertatione de vectigalibus cap. XII. apud Festum autem legere mallem, *Bajulos dicebant antiqui, quos nunc dicimus onerarios.* Glossæ, *onerarius* φορτικός. vide Scheffer. de Re vehicul. lib. II. cap. 2. hi postea etiam *Saccarii* dicti fuerunt, quo nomine & apud nostrates insignes sunt, & inde Ammonius ille celeberrimus Philosophus, Plotini magister, *Saccas* cognominatus, quia etiam mercibus ex portu Alexandrino portandis vitam tolerabat, notante Valesio ad Amm. Marcell. XXII. cap. 16. BURM.

Se extendit] Puto divitem, multisque agris instructum innuere. nam *extendere se* hoc loco, sicut ego arbitror, *proferre res suas & amplificare. Adversum Norbanum* accipio, pro è regione ejus, ex adverso prædiorum Norbani, vicini fortassis hujus Phileronis, atque divitis. SCHEFFER. Elegans loquendi modus. Senec. ep. XX. *Quidam domi se contrahunt, dilatant foris & extendunt.* HEINS. Non, ut Schefferus voluit, de ejus latifundiis capiendum, sed de celebritate, & fama, &, quæ illam consequitur, arrogantia & fastu, quem in vestibus, apparatu, & epulis ostendebat, quibus elatus, se nihilo minorem Norbano credebat. Ita obvium est *nomen, famam extendere*, apud Virgilium & Horatium. *Se* autem *extendere* est, ac si dixisset, *inflat se tamquam Rana*, ut infra capite 74. eodem fere modo Livius lib. XXXIV. cap. 4. *vultis hoc certamen uxoribus vestris injicere, ut divites id habere velint, quod nulla alia possit; pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant.* Ille Norbanus autem jam colonos suos munere, ut apparet ex hoc capite, delectaverat, forte idem meditabatur Philero jam dives factus, ut Rana contra Bovem se inflans supra vires impensas faceret. BURM.

Thesaurum est] An hoc retinendum? Plautus Aulul. II. sc. 2.

Credo ego jam illum inaudisse, mihi esse thesaurum domi,
Id inhiat. ——

Scio, Vossium censere, illud *Id* hic poni pro *ideo*, ut fit alio loco, verum haud satisfacit. Adscribam, quod observat Barthius lib. XXXI. Adversar. cap. 6. Dicit ibi, codicem se habuisse Plauti MS. qui Taubmanni quondam fuerat, ex eo ita notat: *Auri thesaurum clam omnis, in medio foco. MS. glossam istam præfert: Nota, thesaurum neutro genere dici. Sane futilem non esse puto, & respexisse ad illud, quod sequitur: Nunquam indicare id filio voluit suo. Sed & tertio loco, ubi vulgo legitur; quam cum thesaurum commonstraret filio. MS. quam id thesaurum. Quod ego interpolatum ab iis arbitror, qui versum in veteri scriptura claudicare putaverunt. Cum verius sit, τὸ M more Plauti & Comico non elidatur.* Hæc, ut dixi, Barthius, quæ non parum nostra firmant. SCHEFFER. Quæ antea scripsi de voce *thesaurum*, confirmantur & à Capro, in de Ortogr. ubi habet ita. *Thesaurum dicendum est, & thesaurus.* IDEM. Litteræ *thesaurus* sunt, debuisset dicere. Sed *thesaurum*, ut *codicillum* infra, & similia. Plautus Aulularia Act. II. sc. II. HEINS.

Ejusmodi fabulæ vibrabant] Scribe, *ejusmodi fabulas vibrabant.* TILEBOM. Neutraliter, pro, hinc inde jactatæ sonabant. Elegans & appositum verbum, unde *vibrans oratio* apud Tullium Bruto cap. 95. *vibrantes sententiæ* apud Fabium lib. X. cap. 1. Sed & noster adhibet in talibus, ut constat ex jam antepublicatis. Et in re alia parili modo cap. XXVIII. *pila inter manus lusu expellente, vibrabant.* SCHEFFER. Seneca de providentia cap. III. *Inter multa magnifica Demetrii nostri & hæc vox est, à qua recens sum, sonat adhuc & vibrat in auribus meis.* HEINS. Ita retinui, quia & codicis Traguriani est scriptura, & hoc vocabulum ita apud ejus ævi scriptores reperitur positum. Silius Italic. lib. I. 539.

Ultrix injusti vibravit lancea belli.

ad quem versum vide Heinsii crepundia; & magis apposite ad Petronii verba Val. Max. lib. V. cap. III. §. 1. *Priore adhuc querela vibrante, alia demceps exsurgit.* Eleganter Plinius lib. XV. cap. II. de malis Cydoniis,

quæ

„ deterſa fronte unguento, manus lavit, ſpacioque minimo interpoſito:
„ [a] Ignoſcite mihi (inquit) amici, multis jam diebus venter mihi non
„ reſpondit: nec medici ſe inveniunt. profuit mihi tamen malicorium,
„ &

a TRIMALCHIO.

quæ odorem gratum emittunt, *minora ex eodem genere ſtruthea odoratius vibrant.* BURM.

Deterſa fronte unguento, manus lavit] Non ſatis hoc intelligo. Quomodo enim frons detergitur unguento? Alibi fit ſpongia, vel pallio apud noſtrum, non unguento. Credo ſcripſiſſe, *deterſo fronte unguento.* Deterſo fronte, eſt, terſo de fronte. Quomodo in editis cap. 5. *Pierio defundes pectore verba*, pro, fundes de pectore Pierio. Item cap. 13. *detraxit humeris lacinias*, pro, traxit de humeris. SCHEFFER.

Manus lavit] Quia ſcilicet alvum exoneraverat. ſupr. cap. 27. *exonerata ille veſica aquam popoſcit ad manus.* Frontem autem cur detergit unguento, ut vulgata ſcriptura innuit, vix eſt ut conjiciamus; niſi ſtatuamus, illum velle convivis ſuis oſtendiſſe, multum in nitendo ſudaſſe, & durum cacaſſe, ut cum Martiali loquar. hunc vero ſudorem detergit unguento, quo frontem ſolebant perfricare genio indulgentes. Cicer. Verr. III. 25. *cum interea Apronius caput atque os ſuum unguento perfricaret.* Et quæ plura paſſim obvia. niſi quis legere mallet diſtinctione alia; *Deterſa fronte, unguento manus lavit*, ut aquam unguentatam ſumſerit hic beatus homo, ut Roſaceam hodie lautiores ad manus lavandas adhibent, quod non ab elegantia Trimalchionis abhorrere videtur, ut manus tam impuro miniſterio fœdatas odorata aqua mundet. Et, quamvis jam non ſuccurrat ſimilis luxuriæ exemplum, de Trimalchione tamen ut ſimile quid ſuſpicemur, faciunt tot nova & mira lautitiarum in hac cœna exempla. *In potum autem addidiſſe unguenta* Plinius teſtatur lib. XII. 27. & XIII. cap. 3. quid ni ergo & in aquam? cum & infra cap. 70. unguento pedes ungantur. BURM.

Venter mihi non reſpondit] Non fecit officium ſuum, non exſolvit debitum ſuum. Tracta ratio loquendi à debitoribus, qui cum omittunt facere, quod debent, *non reſpondere* dicuntur. Cic. lib. XVI, ep. 2. *fit ſæpe, ut ii, qui debent, non reſpondeant ad tempus.* Quia itaque venter ei erat lubricus, nec continebat cibos, ſicut oportuerat, *non reſpondiſſe* dicitur. Atque ita forte non incommode explicare licet iſta verba. Magis tamen inclino, ut exiſtimem hoc ita poſitum, ut apud Suetonium, *villa non reſpondet.* Exſtant verba vita Julii cap. 46. *villa non tota ad animum ei reſponderat.* Fuſcus apud Sen. Contr. 9. *quod pius ſim, ad manum argumentum eſt; nempe quia abdicanti reſpondeo.* Ennodius I. ep. 6. *non reſpondentia cultoribus arva*, SCHEFFER. Eleganter. Sic ager *non reſpondere* dicitur, qui fructum non fert. Seneca ep. XXIII. *In alto latet metalli vena, aſſidue plenius reſponſura ſolerti.* Et ep. LXXXI. *Non reſponderant potius, quam non dentur,* de beneficiis. HEINS. Non, quia erat lubricus, ſed contra, quia adſtrictus venter. Neque tam locutionem ab agris aut debitoribus deſumtam, quam ab ipſis medicis, qui remedia *reſpondere* proprie dicebant, ſi adjuvarent, quam locutionem inſulſus Trimalchio à remediis ad ventrem transfert. Celſus lib. I. præfat. *Cum igitur talis res incidit, medicus aliquid oportet inveniat, quod non utique fortaſſe, ſed ſæpius tamen etiam reſpondeat.* Et lib. V. cap. 18. *Eo plura eſſe tentata, quæ in perſonis varie reſponderunt.* Et ita ille auctor paſſim. Si vero placet ab agris deducere, ita capiendum eſt, ut venter, poſt tot medicamenta jam aſſumta, non protulerit fructum ſperatum. & hinc poſtea dicit, ventrem jam ſe pudere, quod toties dominum fefellerit. Simili fere modo dixit Celſus lib. II. cap. 7. *ſi venter nihil reddit.* BURM.

Nec Medici ſe inveniunt] Similis eſt loquendi ratio apud eumdem Petronium in Poëmate de Mutatione Reipublicæ Romanæ cap. CXIX. *Quærit ſe natura, nec invenit.* TILEBOM. Bene, opinor. Medici ſe non inveniunt, cum quærunt mederi alicui, ſed medicinam nullam reperiunt efficacem ac idoneam. Nam vocabulum *medici* ſignificanter ponitur, & cum efficacia pro iis, qui re vera medentur, non ſolum illis, qui medendi profitentur artem. Quaſi diceret, quæſiviſſe quidem ſatisfacere nomini ac profeſſioni ſuæ, voluiſſeque ipſo opere eſſe, ſed non inveniſſe ſeſe tales medicos. Sic hunc locum explico. Petronius de bello Civ. cap. CXIX. Ovid. Epiſt. Sapphus. *Poſtquam ſe dolor invenit.* Sic enim ibi habere MSS. optima, Gronovius docuit. Ruricius II. ep. 9. *cum me in me non inveniam.* SCHEFFER. Vim elegantiæ iſtius optime intelligemus ex hiſce M. Senecæ præf. lib. 3. controv. ubi de declamatoribus in ludo tironibus, *velut adſueta claſſi & dilectæ umbræ corpora ſub dio ſtare non poſſunt, non imbrem ferre, non ſolem ſciunt: vix ſe inveniunt*, id eſt, cum diſerti ſuo arbitrio eſſent, intraque ſepta ſcholæ ventilantes magnum ſpirarent, nihil minus quam diſertos ſe eſſe agnoſcunt, & vix mutiunt rhetoriſci, cum in forum venerint pugnaturi. Hic *medici ſe non invenire* dicuntur, qui, cum medici eſſe, & ſtare primo loco, vel à ſe ipſis, vel à vulgo, putarentur, in arenam, in ægrorum clinas protracti λογοθεράπευτοι ſunt, & cum impoſtoria ſua loquentia, promiſſorumque multa caligine & ambage involutorum vanitate, non expediunt, quod ægrotis ſit uſui, nullos explicant. Verbum *invenire* eadem venuſtate de inanimatis dixere quoque veteres; *dolorem ſe invenire* de eo, qui, cum ante non ſentiratur, emicare incipit & gliſcere, Ovid. ep. Her. 15. Tranſumtaque eſt iſta latinitas in noſtram etiam popularem, cum

„ & taeda ex aceto. Spero tamen jam ventrem, pudorem sibi imponit; „ alioquin circa stomachum mihi sonat, putes taurum. Itaque, si quis „ vestrum voluerit sua re caussa facere, non est, quod illum pudeatur. „ Nemo

eum se invenire dicimus, qui, quod ante nescire videbatur, ejus nunc se satis scium esse ostendit; & cum qualitatem, V. G. *saporem, odorem, bonitatem, maliciam, se invenire*, quæ ante non observata nunc se erigit, exserit, & erumpit. REINES. Noster ipse de bello Civili cap. CXIX. Seneca procœmio lib. III. controvers. Alter Seneca v. de benefic. cap. XII. *Felicissimis itaque opulentissimisque plurimum æstus subest, minusque se inveniunt.* Sappho apud Nasonem Epist. XV. Her.

Postquam se dolor invenit, mea pectora planxi.

Quæ ante nos mendosa circumferebantur. Noster in fragmentis editis olim cap. XCI. *Diu neuter vocem invenit.* HEINS. Nempe medicos. Id est, eorum cognitio & ars hic cessat, ut se ne quidem hic medicos esse cognoscant. Nam *invenire* etiam est *cognoscere*, monente Donato ad illud Terentii in Eunucho Act. V. sc. VIII.

Scis Phamphilam meam inventam civem?

Et simile est illud Senecæ in Præf. lib. III. Contr. *Vix se inveniunt.* Id est, vix imbecillitatem suam cognoscunt. GOES.

Maleicorum, & taeda, ex aceto] Scribe, *maleicorium.* Tædæ decoctæ in aceto meminit Plinius, sed contra dentium dolores, non hunc morbum. SCHEFFER. Malicorium, cortex mali Punici. v. Plin. lib. XXIII. VI. HEINS. *Corticem mali* vocat Scribonius compositione CCXLVII. qui & in aceto decoqui jubet, & composit. XLI. *Aceti acris sextarii duo, incoquuntur mala granata, quibus coriarii utuntur, quia semper valida sunt*, ubi hujus medicamenti usum contra aurium dolorem & vitia esse, testatur, ut & Plinius lib. XXIII. II. BURM.

Taeda ex aceto] Forte, *beta ex aceto.* HEINS. Plinii loco à Scheffero adducto adde Scribon. compos. LVIII. qui etiam contra dolores dentium tedam facere docet. BURM.

Spero tamen jam ventrem, pudorem sibi imponit] Sic lege, *spero tamen, quod jam venter pudorem sibi imponat.* TILEBOM. Forte, *veterem.* HEINS. Nihil muto, quia plebejo huic sermoni elegantiam conciliare, &, ut omnia Latinitatis venustati respondeant, efficere velle, præter Satyrici mentem esse puto. Nescio autem, unde Scheffierus conjecerit, Trimalchionem de alvo fluxiore queri, cum omnia suadeant, illam fuisse adstrictam. Nam addit *alioquin* (id est, *aliàs*) soleo crebros ventre crepitus emittere, & torminibus, ut Celsus lib. I. cap. I. loquitur, laborare, quæ edant in vacuo ventre murmura, ut crederes, mugire taurum. Veram hercle Claudii imaginem, quod ex licentia, quam convivis dat, libere emittendi crepitum, luce meridiana est clarius. Quod edictum, ne exiret, Claudius prohibitus forte fuit, ab iis, qui in crepitu ventris aliquid ominosi esse, ex veteri religione autumabant: nam non modo contra bonos mores eam fœditatem credidisse, sed aliquid religiosi in eo fuisse, docere potest Catonis fragmentum ex oratione, quam scripsit de sacrilegio commisso; quod servavit Festus in *prohibere comitia. Domi cum auspicamus, honorem me Deum immortalium velim habuisse, servi, ancillæ, si quis eorum sub centone crepuit, quod ego non sensi, nullum mihi vitium facit.* Unde colligere licet, crepitum talem turbasse auspicia, & ideo servos studiose continuisse, &, si nequirent, clam sub centone crepuisse, ne audiretur sonitus infaustus. BURM.

Pudorem sibi imponit] Suspicor, *pudere, ni sibi imponit.* Illud *pudere*, positum est absolute, ut in illo Ciceronis I. de Orat. *Quem non pudet, hunc pœna dignum judico.* Sibi imponere ventrem dicit, quando non continet, quia novis aliis atque aliis, ipsique ingratissimis, remediis ac potionibus onerabitur, SCHEFFER.

Putes Taurum. Itaque] Legendum, *putes Taurum mugire. Itaque.* TILEBOM. Scilicet, *sonare*, & mugitum edere. Nisi velis legere, *putes esse taurum*, & potuit ob literarum similitudinem excidisse ista vocula. Cæterum Plautus, *crepitat mihi venter vacuus, crepant tibi intestina.* SCHEFFER.

Sua re caussa] Illud, *caussa*, glossema videtur. *Sua re* est, *ex sua re*, omissa præpositione. vide infr. SCHEFFER. Hic jam oblique tangit edictum Claudianum de ventris crepitu libere emittendo in conviviis, cujus meminit Suetonius, & multis ludit Seneca hac de re Ludo de morte Claudii. Cæterum, *sua rei caussa*, scribendum, ut & infra, *&, cum mea rei caussa facio, non ploro:* ubi pari modo peccatur. Livius lib. XLII. cap. XXX. *arma, milites, classem ejus rei caussa comparasse.* HEINS.

Facere] Scilicet, quod natura exigit. Sic infra cap. LXII. *cœpit ad stellas facere.* Suspicor sic usurpasse Plautum Pseud. IV. sc. 7. vers. 81. ubi ait:

——— *tunc etiam cubitare solitus es in cunis puer?*
SI. Scilicet. BA. etiamne facere solitus es? sin, quid loquar?

Novi aliter hoc explicare doctos, scilicet ut turpiculum quid denotet; nec repugno. Tantum illa ipsa verbi ambiguitate puto ludi, ut non infrequens est Plauto. Conveniunt utique, cubitare in cunis, atque facere illo, quo dicebam, sensu. SCHEFFER.

Solide

„Nemo noſtrum ſolide natus eſt. Ego nullum puto tam magnum tor-
„mentum eſſe, quam continere. Hoc ſolum vetare ne Jovis poteſt.
„Rides Fortunata? quae ſoles me nocte deſomnem facere. Nec tamen
„in triclinio ullum vetui facere, quod ſe juvet. Et medici vetant conti-
„nere: vel, ſi quid plus venit, omnia foras parata ſunt: aqua, laſanum,
„&

Solide natus eſt] Sic compacte, ut nihil intus ſit ſpirituum, qui ſubinde deſiderant exire. Vere Petronianum. Sic enim in editis cap. CII. *Ita vero, inquam ego, tamquam ſolidos alligaturus, quibus non ſoleat venter injuriam facere.* SCHEFFER.

Nullum puto tam magnum tormentum, quam continere] Stoicæ, vel, ſi mavis, Cynicæ ſectæ, fuiſſe ſtudioſum Trimalchionem oportet, qui nihil turpe, quod natura jubente fieret, putabat. Elegans de crepitu ventris Epigramma ex Antholog. lib. II. cap. 44. apponam:

Πορδὴ ἀποκλίνει πολλὰς ἀδίκους θ' ἅσα,
Πορδὴ καὶ σώζει τρωυλὸν ἰσῖσα μέλ θ'.
Οὐκῶν εἰ σώζει καὶ ἀποκλίνει πάλι πορδὴ,
Τοῖς βασιλεύσιν ἴσην πορδὴ ἔχει δύναμιν.

Quod ita vertit Obſopæus

Et crepitus multos, nequiens erumpere, perdit,
Et ſervat, balbum quando dat ore ſonum.
Ergo, ſi ſervat crepitus, jugulatque ſonando,
Regibus hunc magnis quis neget eſſe parem?

Sed ruſticitatis, ut nunc, ita olim fuit character honeſtis auribus oppedere, &, quia ditiores & laſcivi palam id ſæpe faciebant, vel ad oſtentandam, præ inferioribus, ſortis ſuæ felicitatem, vel ad inſultandum humilioribus, hinc Græci πέρδειν & καταπέρδειν, de homine dixerunt, qui huic fæditati & ſuperbiæ eſt obnoxius, ut ex Ariſtophanis Pluto Act. I. ſcen. 2. & Act. II. ſcen. 5. & ejus Scholiaſte apparet. hinc jocus intelligendus Martialis lib. X. Epiſt. 14.

Nil aliud video, quo te credamus amicum,
Quam quod me coram pedere, Criſpe, ſoles.

Continere autem proprium in hac re vocabulum. Celſus I. cap. I. *Si proſluvio laborat, continendum.* BURMAN.

Quam continere] Abſolute: Ita mox, *medici vetant continere.* Sic *continentiam* abſolute poſuit Suetonius in Claudio cap. 32. *Dicitur meditatus edictum, quo ventrem daret flatum crepitumque ventris in convivio emittendi: cum periclitatum quemdam pra pudore ex continentia reperiſſet.* SCHEFFER.

Ne Jovis poteſt] Scribe, *ne Jovis quidem poteſt.* TILEBOM. Lege, *nec Jovis poteſt. Jovis* pro Jupiter & apud alios occurrit. ſic Accium, Cæcilium, Ennium loquutos Diomedes & Priſcianus docent. *Quem tremit ipſe Jovis*, apud Apulejum. Hyginus fabula XCII. *Jovis, cum Thetis Peleo nuberet, ad epulum dicitur omnes Deos convocaſſe.* Et ſic idem ſæpius alibi. HEINS. *Nec Jovis* mavult Heinſius & Munckerus ad Hygin. fab. CCXX. qui cum ipſe exempla adducat, ubi *ne* ponatur pro *ne quidem*, non video, quid opus ſit contra ſcriptum codicem innovare. Ita noſter ſupr. cap. 9. *cujus ne ſpiritus purus eſt.* cæterum proverbii ſpeciem hoc dictum habet. Propert. II. eleg. 7.

—— *Quamvis diducere amantes*
Non queat invitos Jupiter ipſe duos.

Ubi vide quæ notat diligentiſſimus Paſſeratius, & ad Phædri lib. V. fab. VIII. Praſchius. BURM.

Deſomnem facere] Eripere mihi ſomnum, bombis tuis. Sic *depilis*, *deplumis* exſtat apud alios. SCHEFFER.

Si quid plus venit] Forte, *evenit*. GOES. Nihil muta. Honeſte ſibi videtur velare fædam rem, ſi quis non modo crepitum edere, ſed ipſas alvi ſordes vult ejicere.

Omnia foras] Ita ſupra cap. XLIV. *domi leones, foras vulpes.* Et cap. XXX. *G. noſter foras cœnat.* SCHEFF.

Aqua, laſſant] Lege, *aqua, lana.* TILEBOM. Scribe, *aqua, laſanum, & cætera minutalia.* Per *minutalia* intelligit cum alia, tum lignum, cum adhærente ſpongia, de qua Seneca ep. 70. *Lignum, quod ad emundanda obſcœna adhærente ſpongia poſitum eſt, totum in gulam farſit.* Sunt autem *minutalia* dicta à *minutal*, quod ſignificat minutum qualecumque, habeſque *minutalia* etiam in Gloſſis Tyronis cap. 10. pag. 51. SCHEFFER. Id eſt, Minutias. *Minutal* proprie carnis eſt, vel rei cujuslibet alterius, minutim inciſæ, in re culinaria. Poſtea omnes minutiæ ſic appellari cœptæ. HEINS. Recepimus certiſſimam Schefferi emendationem. Nam ſupra cap. 41. dixit Trimalchionem ſurrexiſſe ad laſanum, & triclinio egreſſum. *Minutalia* ſunt res frivolæ, non integræ, ſed truncatæ. Tertullianus de cultu femin. lib. I. cap. 6. *Sed & lapillos iſtos, quicum ſuperbiam jungunt, quid aliter interpretor, niſi lapillos & calculos & ejuſdem terræ minutalia* Cicero res minutas dixit, pro Cluent. cap. 64. *Recordatus eſt, ſe nuper in auctione quadam vidiſſe in rebus minutis, aduncam ex omni parte dentium & tortuoſam venire ſerrulam.* Hic autem intelligit, linteamina vel alia parata ad detergendas nates, quæ pro ejus luxuria non vilia fuiſſe oportet, licet faſtidioſe minutalia appellet. Pauperiores autem has ſordes lapillis, vel ligno, vel herbis, abſtergebant, unde domino ſuo divitiis aucto Carion apud Ariſtoph. Plut. Act. IV. ſcen. I. dicit, ſervos non podicem lapillis detergere ſed alliis, & id ſæpe facere deliciarum cauſſa. BURM.

„ & caetera minutalia. credite mihi, anathymiasis si in cerebrum it, in toto „ corpore fluctum facit. Multos scio sic periisse, dum nolunt sibi verum „ dicere. [a] Gratias agimus liberalitati, indulgentiaeque ejus, & subinde „ castigamus crebris potiunculis risum. Nec adhuc sciebamus, nos in „ medio lautitiarum, quod ajunt, clivo laborare. Nam cummundatis „ ad

[a] ENCOLPIUS.

Mihi, anathimias is, si in cerebrum it, & in toto corpore] Scribe, *mihi anathymiasis, si in cerebrum it: toto corpore*. &c. TILEBOM. Mire hæc corrupta sunt. Scribe confidenter cum Cl. Gronovio, *anathymiasis in cerebrum it*. Ἀναθυμίασις Græce, vapor est, & exhalatio, quæ hic de ventris flatibus intelligenda. *In cerebrum it*, ad eumdem modum, sicut supra cap. XLI. *vinum mihi in cerebrum abiit*. SCHEFFER. Græci hoc dicunt βλάπτεσθαι ἀπὸ τῆς τοῦ ὕπν ἀναθυμιάσεως, Athen. l. 2. *Anathymiasis* vero, pro vapore seu exhalatione, medicorum Latinitatis corruptæ vocabulum est. Octav. Horat. lib. 2. euporist. cap. 1. *Quibus ex anathymiasi caput fuerit inquietatum*. Guarimpotus Petro Damiani æquælis seculo undecimo lib. 1. Passionarii cap. 2. sic: *Quod si ex stomacho fuerit anathymiasis in cerebro*; & lib. 2. cap. 18. *Anathymiasis est stomachi resolutio ex sumositate*. & seculo tertio decimo Matth. Sylvaticus med. de Salerno Pandect. cap. 43. *anathymiasis, antimiasis, delatio fumi sursum à stomacho ad corpus*. Paulo doctius proximus ab hoc Joh. Anton. Campanus lib. 9. ep. 44. *dicunt medici, ægrotare me stomachi fumo, quem & Græci anathimiasin vocant*. REINES.

Fluctum facit] Ita eleganter illos flatuum discursus cum boatu seu mugitu, fluctuum instar, describit. SCHEFFER. Val. Maximus lib. IX. cap. III. *Ira quoque & odium in pectoribus humanis magnos fluctus excitant*. HEINS. Deducenda hæc vox à *fluere*, ut dicuntur medicis proprie corpora, quæ sudore vel profluvio alvi, vel alio modo, diffluunt. Celsus lib. 1. cap. 1. *Morborum tria genera, unum adstrictum, alterum fluens, tertium mixtum*. Et passim. ex vaporibus ergo sudores toto corpore erumpere ait, ludens in ambigua voce *fluctus*. BURM.

Sibi verum dicere] Quid? an scribendum, *dici*: Sed existimo cohærere, *nolunt dicere verum sibi*. Illud *sibi* eleganter ponitur pro eo, quod ad usus commodaque eorum valet. Sensus est, etiamsi sentiant, quid exigat natura, nolunt tamen illud fateri, ac sic palam dicere verum, quod ipsis tamen foret utile. SCHEFF. Imo, *dicier*. HEINS. Non mutarem. Et idem esse putarem, ac volunt se fallere, etsi sciant, vera esse illa remedia, nec continendum esse, tamen timore quodam, ut rusticitatis notam effugiant, se ipsi decipiunt.

Gratias agimus libera liberalitati] Forte, *gratias agimus liberali liberalitatis*. GOES. In codice Traguriensi erat *libera liberalitati*, sed proculdubio librario illa geminatio tribuenda, loquitur enim jam rursus Encolpius, cui nulla stribligo & sermonis ineptiæ sunt tribuendæ.

Castigamus crebris potiunculis risum] Erumpentem coërcemus atque impedimus. Eleganter. Statius lib. IX. Theb. 68. de equo loquens: *nodis & castigata jubarum libertas*. SCHEFFER. Elegantiæ singularis locutio, pro *moderamur*, ne nimis diffunderemus nos, & cachinnis immodestioribus propter ineptissimorum hominum stolidas fabulas concuteremur; ita *dolorem castigatum* dixit Cicer. lib. II. Tuscul. cap. 21. ut hic *risum castigatum*; & ita *castigare* ad alia transfertur, pro impedire, ne luxurient. Ita Statii locum opportune adduxit Schefferus, ubi recte Barthius explicat, *castigare* nos dici, quidquid intra modum & suum decorem redigimus, & recte ita *castigatas mammas* apud Samonicum interpretatur, quas male Mercurialis V. Var. 3. acceperat. Ita idem Stat. lib. II. Sylv. 1. vers. 43.

Et castigata collecta modestia frontis.

Ad quæ verba v. Gevartium. *Temperare joco*, dixit Justinus lib. VII. 3. quamvis ibi non vino, sed ferro, castigaretur lascivia. BURM.

Quo ajunt, divo] N. Heinsius: *quod ajunt, clivo*. rectissime. Porro *laborare in medio clivo rei*, ille dicitur, cui pars illius maxima supereſt conficienda. SCHEFFER. Nescio unde *divo* ediderint Patavini, cum certissimum sit *clivo* legendum, quod proverbii speciem præfert. Ovidius Epist. XX. 41.

Mille doli restant, clivo sudamus in imo.

Ubi Heinsius in secundis curis, quas nos aliquando publici juris faciemus, pluribus exemplis hanc locutionem illustravit. Senec. Epist. 31. *Tanto melior surge & respira, & clivum istum uno, si potes, spiritu exsupera*. Recte autem *in medio clivo* se laborare ait, quia hæ lautitiæ molestæ erant & nimiæ Encolpio. BURM.

Nam cum mundatis] Perperam. Legendum, *namque mundatis*, aut quid simile. Proxime abierimus à scriptura veteri, si legerimus, *tum*. SCHEFF. *Cummundatis* scribe. Apud Catonem de R. R. cap. CXVIII. in nonnullis exemplaribus: *Olea albæ, antequam nigra fiant, commundentur, & in aquam dejiciantur*. Columella lib. XII. cap. XVIII. *Omnia vasa aqua dulci eluenda sunt & commundanda*: Julius Obsequens: *cubile commundatum, supplicationibus habitis, pristino splendori restituit*. Occurrit idem verbum in notis Tyronis pag. 163. HEINS. Totum autem locum ita restituendum judico: *Nec adhuc sciebamus nos, in medio lauti-*

„ ad ſymphoniam menſis tres albi ſues in triclinium adducti ſunt, capi-
„ ſtris, & tintinabulis culti, quorum unum bimum nomenclator eſſe
„ dicebat, alterum trimum, tertium vero jam ſenem. Ego putabam pe-
„ tauriſtarios intraſſe, & porcos, ſicut in circulis mos eſt, portenta aliqua
„ facturos. Sed Trimalchio exſpectatione diſcuſſa: [a] Quem, inquit, ex
„ eis

[a] TRIMALCHIO.

lauticiarum, quo, quod ajunt, clivo laboraremus, cum cummundatis ad ſymphoniam menſis, &c. GOES. Ita ſolebant beatiores, cum nova fercula inferrentur. Horat. II. Sat. VIII. 10.

His ubi ſublatis, puer alte cinctus, acernam
Gauſape purpureo menſam deterſit.

Tres albi ſues] Etiam hoc pro ſupercilio Trimalcionis rem magnificat: tali enim colore fuiſſe ſuem Calydonium eſt in Cleomenis Meleagro apud Athen. lib. 9. Varicolores habebantur pro deterioribus. Cæterum, pompa iſta ſuum tintinnabulatorum an ſit è veteribus Romanis una, neſcio; poterat videri ad XII. illos D. Antonii dictos cum tintinnabulis per vicos Lutetiæ libere vagantes conficta eſſe; nihil tamen adfirmo. REINES. Ridiculum & hoc. De mullis in convivium adduci ſolitis, & in conſpectu civium mori juſſis, elegans eſt narratio Senecæ Nat. Quæſt. XVII. & XVIII. Tangit & rem Plinius Naturali Hiſtoria lib. IX. & Juvenalis Sat. V. Hic vero videtur alluſiſſe ad hiſtoriam de Carano, quam Athenæus nobis conſervavit initio lib. IV. Illud vero oppido facetum de nomenclatore, quaſi etiam porcis ſuus nomenclator apud Trimalchionem fuiſſet. HEINS.

Capiſtris] Ad ora revinctis, quibus poſſent, quo eſſet lubitum, deduci. Martialis lib. I. epigr. 105.

Paret purpureis aper capiſtris. SCHEFFER.

Tintinabulis] Ad collum adpenſis, quibus ad ſpectaculum ipſarum vulgo traherentur. Hunc enim puto fuiſſe ſcopum iſtorum tintinabulorum. Ita habes aſinum *tintinabulis perargutis exornatum* apud Apulejum lib. X. SCHEFFER. Hæc, ut & capiſtra, propria equorum inſtrumenta, vide Scheffer. de Re vehic. lib. I. cap. 13.

Culti] Vide ſupra cap. 32.

Nomenclator] Tangit egregie Satyricus inſaniam Trimalchionis, qui convivium tot numero ferculis, & in his plurimis novis, & antea non viſis, inſtrueret, ut his nomenclator eſſet adhibendus, qui ea convivis exponeret & explicaret. Sic capi quoque poſſent verba Plinii lib. XXXII. cap. 6. de oſtreis & eorum variis generibus agentis. *Nec non inter nos Nepotis cujuſdam Nomenclator tridacna appellavit, tanta amplitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda eſſent.* BURM.

Porcos, ſicut in circulis mos eſt, portenta aliqua facturos] Ludos, & cumprimis ſaltus admirandos per rotas, & id genus, quod alias petauriſtæ ipſi facere conſueverunt, & ſurſum deorſum per aëra ſe librare, volitantium inſtar, perque orbes cito ſaltu ſe transmittere. De quo Manilius lib. V. verſ. 433.

Ad numeros etiam ille ciet cognata per artem
Corpora, quæ valida ſaliunt excuſſa petauro,
Alterneſque cient motus: elatus & ille
Nunc jacet, atque hujus caſu ſuſpenditur ille,
Membraque per flammas orbeſque emiſſa flagrantes,
Molliter ut liquidis per humum ponuntur in undis.
Delphinumque ſuo per inane imitantia motu
Et viduata volant pennis & in aëre ludunt.

Hæc ergo talia interdum & quadrupedes docebant facere, populoque in circulis oſtentabant, quæ res duravit ad noſtra uſque tempora, meminimuſque nos equulei, capræ, catulorum, qui hac arte plebem oblectarent. SCHEFF. Circuli ſunt in viis publicis, ubi hi Petauriſtarii, & ludicra illa edentes, cœtum Populi in circuli modum circumſtantis faciunt. Quintil. lib. VI. Inſtit. cap. 3. *Urbanus homo erit, cujus multa bene dicta reſponſaque erunt, & qui in ſermonibus, circulis, conviviis, item in concionibus, omni denique loco, ridicule commodeque dicet.* Tacit. in vita Agric. cap. 43. *Vulgus quoque, & hic aliud agens Populus, & ventitavere ad domum, & per fora & circulos locuti ſunt.* Et ita ſæpe Cicero, Livius, & alii. Et hinc *circulatores* dicti Agyrtæ, divini, & quicumque ſpectaculis ridiculis & vanis ſermonibus vulgus delectarent. Cicer. lib. X. ad fam. Epiſt. 32. & leg. ult. ff. de extraord. cognit. Gloſſæ *Circulator*. Ὀχλαγωγὸς, ἀγύρτης. Celſ. lib. V. de re medica cap. 27. *Ideoque colubra ipſa tuto eſtur, ictus ejus occidit, & ſi ſtupente ea (quod per quædam medicamenta Circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percuſſus eſt, nulla in ea ſaliva noxa eſt.* Prudent. Hym. in Romanum verſ. 303. *Quos ſæpe falſus circulator decipit.* ubi Gloſſ. Iſonis Magiſtri *deceptor, quia alios quodam circulo erroris involvit & decipit.* Vides acumen iſtius ſeculi. vid. infr. cap. 68. Theophr. περὶ λογοποιίας, vocat περιστάσεις ποιμένες. Male Torrentius quoque Suetonii verba in Cæſar. cap. 84. ubi dicit, *exterarum gentium multitudinem circulatim ſuo quemque more lamentatum eſſe*, exponit *in gyrum, per vices*, cum nihil aliud velit, quam variis locis urbis concurriſſe & circulos feciſſe, in quibus mortem Cæſaris deflebant. De circulis, quos Philoſophi, Græculi præſertim, in publico diſputantes faciebant Senec. Epiſt. 40. & 52. videndus. BURM.

Diſcuſſa] Petronianæ elegantiæ verbum. ſupr. cap. 14. *Hinc Aſcyltos pene riſum diſcuſſit.* Et infr. cap. 111. *Diſcuſſo muliebri errore.* Et frequens hujus verbi uſus de iis, quæ evaneſcunt, & removentur. Ita

Livius

„eis vultis in coenam ſtatim fieri ? Gallum enim gallinaceum , penthia-
„cum , & ejuſmodi naenias ruſtici faciunt : mei coci etiam vitulos aeno
„coctos ſolent facere. [a] Continuoque cocum vocari juſſit , & non ex-
„ſpectata electione noſtra maximum natu juſſit occidi : & clara voce.
„[b] Ex quota decuria es? [c] cum ille ex quadrageſima reſpondiſſet: [d] Em-
titius

[a] ENCOLPIUS. [b] TRIMALCHIO. [c] ENCOLPIUS. [d] TRIMALCHIO.

Livius II. 52. *Periculum diſcutere.* Flor. III. 18. *Nefas proditione diſcuſſum.* Prop. II. el. 20. *Quum mihi diſcuſſit tulia viſa metus.* Apulej. XI. Metam. *Confeſtim diſcuſſa pigra quiete, alacer exſurgo.* vide egregii Brouckhuſii notas ad Propert. III. eleg. VIII. verſ. 13. BURM.

Statim fieri] Grandius, pro parari, mactari. quomodo victimæ dicuntur *fieri*, cum mactantur Diis. vide Briſſon. Niſi malimus, culinare verbum eſſe, proprieque de præparatione ciborum uſurpari, quod mihi placet. Ut intelligatur, *coctum fieri*, quod uſurpat noſter in ſequentibus. Plautus Aulul. III. ſcen. 3. *Coquite, facite, feſtinate nunc jam, quantum lubet.* Male corrigunt nonnulli, *farcite*, Martialis XIII. ep. 54. de perna:

Cerretana mihi fiet, vel maſſa licebit
De Menapis; lauti de petaſone vorent.

SCHEFFER. Val. Maximus lib. VIII. cap. 1. *Non ſupprimenda illius quoque damnatio, qui puerili ſui amore corruptus* (*correptus* malim) *rogatus ab eo ruri, ut omaſum in cœnam fieri juberet, cum bubulæ carnis in propinquo emendæ nulla facultas eſſet, domito bove occiſo, deſiderium ejus explevit.* Atque ita accipiendum illud Martialis lib. XIII. Ep. 54. Ut *fiat* ſit paretur in cœnam. Noſter ſupra cap. XXVI. *Quid, neſcitis, apud quem hodie fiat?* Id eſt, apud quem cœna detur libera. HEINS.

In cœnam] Ad cœnam inde inſtruendam. Terent. Andr. II. 2. *olera & piſciculos ferre in cœnam.*

Penthiacum] Lege, *pentaplum*. TILEBOM. Hoc quid ſit, non aſſequor. Putes, *penthicum* ſcribendum & jungendum gallinaceo eſſe, ut ſit πενθικὸς gallinaceus, forte, quia Nocti ſacer. SCHEFFER. Superbus jactator ſuæ culinæ lauticias extollit, quæ in aliorum, etiam regum, menſis è remotis locis petita ponuntur, conſpuit & depreciat. Quem *penthiacum* dicit, eum *b* trajecta *phaſiacum* eſſe putem, ſcilicet gallum: æquantur enim phaſiani generi gallinaceo alendi facultate, ſapore præſtant. Idem Petronio cap. XCIII. quoque celebratur:

Ales Phaſiacis petita Colchis.

Quod propius abſit à ſcripto, quam quod dedi, excuſſis omnium Cœnarum elenchis, vix reperietur. REINES. Reineſius ſuſpicatur *Phaſiacum*, id quod & in textum recepit Hadrianides. At ego ruſticos apponere umquam Phaſiacos conſueviſſe, ſaltem per Italiam, ubi hæc finguntur geſta, hodie haud crediderim. Subeſt aliud genus cibi ruſtici & vulgaris, forte *denticem* aut *encitum*. SCHEFFER. Minime ſollicitandus hic locus. *Penthiacus* vocabulum artis opinor culinariæ, cocis uſitatum de gallo gallinaceo lacerato in fruſtra, quomodo Pentheus olim à Bacchis diſcerptus fuit. E Vidularia Plauti citatur à Grammaticis:

Ejuſdem Bacchæ ſecerunt noſtram navim Pentheum.

Exſtat & in Catalectis Pithœanis *judicium coci & piſtoris*, uti inſcribitur id carmen, ubi inter alia.

Eſt Bromico Pentheus, eſt & mihi de bove Pentheus. HEINS.

Ruſtici faciunt] Apparant. Mox, *mei coci etiam vitulos aheno coctos ſolent facere.* Nam ſic lege. Nec aliter paſſim auctor rei culinariæ, qui ſub nomine Cælii Apitii circumfertur. HEINS.

Eno cocto] Pone, *æno coctos*. TILEBOM.

Ex quota decuria es? cum ille ſe ex quadrageſimâ reſpondiſſet.] Artificum Collegia habebant ſuos Patronos, Quinquennales, qui & Magiſtri, Decuriones: unius cujuſque etiam eorum Corporati in Decurias diſtributi erant: quo de plura ad Inſcr. 19. Cl. 1. Transferri vero ex una in aliam modo honorificum & lucroſum, modo ignominioſum non minus, quam ſi militi gradus mutaretur, ut è digniore loco ad ſtatum Equitis ſeu Tironis retrojiceretur; eodemque modo minatur hic Trimalcio coco ſuo, ſi diligenter non poſuerit, ſe eum in Decuriam Viatorum conjecturum. Cenſenda autem iſta ſunt ad morem Urbis, in qua tot coquorum Decuriæ; in Colonia, ubi reliqua agi fingit Petronius, Corpora tot capitum, quæ quadraginta Decurias implerent, fuiſſe non potuerunt. REINES. Qui numeroſam familiam habebant, ſervos redigebant in decurias, etiam operas ruſticas. Columella ſub finem libri primi de re ruſtica: *Separandi ſunt aratores à vinitoribus, & ab aratoribus æque* (ſic lege è V. C.) *mediaſtini. Claſſes etiam non majores quam denum hominum faciendæ, quas decurias appellaverunt antiqui, & maxime probaverunt.* HEINS. Stolida jactatio, qua convivis familiæ ſuæ multitudinem volebat oſtentare; nam de coloniæ, in qua tota hujus fabulæ ſcena agitur, decuriis male capit Reineſius; rectius Heinſius. Luxum autem illum ſæpe Seneca graviter carpit. vide præcipue epiſt. 95. & Tacit. lib. III. Ann. cap. 52. & mirum non eſt, Trimalchionem ignorare hunc ſervum, quia decima pars familiæ vix dominum ſuum noverat. ſup. cap. 37. & poterat, pro reliqua ſua inſolentia, nomenclatore egere, qui ipſi ſervorum nomina & decurias dictaret. Ita enim Plinius lib. XXXIII. cap. 1. *Hoc profecere manci-*

„ titius, an, inquit, domi natus es? [a] Neutrum, inquit cocus, sed te-
„ stamento Pansae tibi relictus sum. [b] Vide ergo, ait, ut diligenter ponas,
„ si non, te jubebo in decuriam viatorum conjici. [c] Et quidem cocum
„ potentiae admonitum in culinam obsonium duxit.

XLVIII. „ Trimalchio autem miti ad nos vultu respexit: [d] Et vinum,
„ inquit, si non placet, mutabo, vos illud oportet bonum faciatis. Deo-
„ rum beneficio non emo, sed nunc quidquid ad salivam facit in suburbano

a Cocus b TRIMALCHIO. c ENCOLPIUS. d TRIMALCHIO.

„ nasci-

mancipiorum legiones, & in domo turba externa, ac servorum quoque causſa nomenclator adhibendus. Et Senec. de Tranquil. cap. VIII. de Demetrio Pompeji liberto, *numerus illi quotidie servorum, ut Imperatori exercitus, referebatur.* vide infr. cap. 53. BURM.

Ex quadragesima] Ex hoc Petronii loco fit manifestum, Trimalchionem servos ad minimum quadringentos habuisse, totidem Pedanium Costam apud Tacitum Annalium XIV. Athænæo si credimus, nonnumquam decem aut viginti millia servorum apud Romanos uni famulabantur domino. Locus est lib. VI. cap. VII. HEINS.

Diligenter ponas] Etiam hoc culinare verbum; pertinetque ad coquos, præparantes cibos. Martialis lib. XI. ep. 86.

Hinc exit varium coco minutal,
Ut lentem positam, sabamque credas. SCHEFF.

Si non te jubebo] Ita distingue, *si non, te jubebo.* TILEBOM.

In decuriam viatorum] Viatores servi publici. Quapropter non video, quomodo inter familiam Trimalchionis locum possint habere. Scribebam igitur *vietorum*, quod refer ad servos præ senio inutiles & decrepitos. HEINS. An talis, sive apud Trimalchionem, sive apud alios, fuerit servorum decuria, ignoro. Verum si fuerit, fuit non coquorum deterior, sed melior; utpote, qui servitio ex fide peracto, vacationem impetraverant, quemadmodum in militia emeriti. Quorum proinde melior, non durior, fuit conditio, qualem tamen coquo minatur Trimalchio. Quapropter videtur vulgata lectio retineri posse, quoniam viatores sunt, qui pedibus iter faciunt, teste Cujacio observationum libro XI. cap. XIII. intelligamusque illos, qui alibi *cursores* vocantur. Paulus JCtus leg. 99. §. ult. ff. de leg. III. *si alii vernæ, alii cursores legati sunt, si quidam & vernæ & cursores sint, cursoribus cedent.* Nec mirum, Trimalchionem hos vocasse viatores, qui rem familiarem suam instituebat ad instar Reip. Unde infra: *Actuarius*, qui tamquam urbis acta recitavit. GOES. Cum hic minetur coco suo pœnam, consequi videri posset, viatores fuisse deterioris ordinis; sed, ut hæc admodum dubia sunt, ego potius stolidam jactationem Trimalchionis à Satyrico notari putem, qui, ut convivæ scirent, quantus esset, qui more reipublicæ domum suam ordinaret, intempestive *viatorum* decuriæ mentionem injicit, cum revera talibus careret. Ut sæpe insulsos homines videmus minime opportune captare occasiones se venditandi. Unde neque sequentia, *potentiæ admonitum*, Satyrico sale carent. BURM.

Et quidem cocum potentia admonitum] Scribe, *Tum quidem coquus potentia admonitus.* TILEBOM. Hoc est, potenter, valide, vehementer, ut sit ablativus. Verum ego mallem, *potentia admonitum*, isto sensu: fuisse coquum admonitum per ista heri verba potentiæ, quam herus in ipsum haberet, metuque ejus. Cic. in Top. *ut veni Veliam, tuaque & tuos vidi, admonitus hujus aris alieni, nolui deesse ne tacita quidem flagitationi tuæ.* SCHEFFER. Senec. de const. sapient. cap. XII. *Aliquando illos tamquam pueros malo pœnaque admonet, & adficit.* Ita *admonere flagello* Columella lib. II. cap. 2. Cæterum corruptum hunc esse locum, certus sum; nulla enim stribligo Encolpio debet adscribi, qui ubique Petroniana Venere se commendat, & his colonorum sordibus eximit. Quare cum Tilebomeno partim faciens, legerem *cocus potentia admonitus*, vel ulcus latens nondum perspicere me fateor.

In culinam obsonium duxi] Locus proculdubio corruptus, qui ita videtur restituendus: *in culinam ad obsonandum eduxit.* GOES.

Ad nos vultu respexit] Petronianum. Ut cap. 96. *respiciens ad Eumolpum* SCHEFFER. Ita infr. cap. 60. *respiciens ad mensam.* & cap. 84.

Respicimus, angues orbibus geminis ferunt
Ad saxa fluctus.

& passim.

Bonum faciatis] Hoc non bene intelligo, suspicorque legendum: *boni nunc faciatis.* Illud, *boni nunc*, una voce atque junctim fuit scriptum, ita ex *nunc* facta syllaba posterior in *bonum.* Sed tamen melius fuerit retinere lectionem veterem. Sic enim & Martialis lib. V. ep. ad Turanium Ep. 79.

Vinum tu facies bonum bibendo.

Formula est modeste excusantis tenuitatem rei appositæ. SCHEFFER. Videtur hic locus ita constituendus: *& vinum, inquit, illud vos boni faciatis: si non placet, mutabo. Deorum*, &c. Cæterum eruditissimus Schefferus ante nos vidit hic legendum *boni faciatis.* GOES. Vide supra cap. 39.

„ nascitur eo, quod ego adhuc non novi. Dicitur confine esse Taracinensi-
„ bus, & Tarentinis; nunc conjungere agellis Siciliam volo, ut, cum Afri-
„ cam libuerit ire, per meos fines navigem. Sed narra tu mihi, Agamemnon,
„ quam controversiam hodie declamasti. Ego autem si causas non ago,
„ in divisione tamen literas didici; &, ne me putes studia fastiditum, tres
„ biblio-

Ad salivam facit] Id est, ad gustum. Plin. libro XIV. 6. *Divus Augustus Setinum pratulit cunctis, & fere secuti Principes, confessa propter experimenta, non temere eruditatibus noxiis ab ea saliva* Iterum libro XXIII. Hist. Natur. cap. 1. *Sua cuique vino saliva innocentissima, sua cuique ætas gratissima.* Propert. IV. 8. 37.

Et Methymnæi Graja saliva meri.

vide Casaubon. ad Persii Satyr. VI. 13 BURM.

Suburbano eo] Forte, *suburbano meo*. GOES.

Taracinentibus] Num legendum, *Taracinensibus?* Pomponius Mela II. cap. 4. *Sinuessa, Liris, Minturnæ, Formiæ, Fundi, Taracina, Circes domus.* De Neronis profusione in prædiis instruendis dilatandisque, qua de agitur hoc loco, Suetonius abunde, & plerique veteres. SCHEFFER. Hic plurimum ineptit, cum suburbanum confine dicit Tarracinæ & Tarento, locis plurimum a se dissitis. GOES.

Conjungere agellis Siciliam] Ita fastidiose agellos vocat homo jactabundus latifundia, quæ ipse non noverat. Perstringitur autem à Satyrico *insana illa libido agros continuandi*, ut Livius vocat lib. XXXIV. cap. 4. qua hoc tempore præcipue lauti homines flagrabant, quam sæpe Seneca quoque graviter reprehendit. apposite autem ad nostrum Trimalchionem Epist. 89. *Quousque fines possessionum propagabitis? ager uni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationes vestras porrigetis, ne provinciarum quidem satione contenti circumscribere prædiorum modum? Illustrium fluminum per privatum decursus, & omnes magni magnarumque gentium termini usque ad ostium a fonte vestri sunt. Hoc quoque parum est, nisi latifundiis vestris maria cinxistis, nisi trans Hadriam, & Ionium, Ægæumque, villicus regnet*, &c. Arnobius lib. II. Adversf. Gentes. *Possessionum semper producerent fines, & quamvis provincias totas, rus facerent unum.* ubi v. Herald. & Plinium lib. XVIII. cap. 2. & 6. Sed jam illa insatiabilis cupiditas Horatii ævo regnare cœperat; quam ille sæpe inlectatur. lib. II. od. II.

Latius regnes avidum domando
Spiritum, quam si Libyam remotis
Gadibus jungas, & uterque Pœnus
Serviat uni.

Vide & lib. III. od. 16. Fatuus autem noster Trimalchio etiam naturam rerum sibi subjungere velle jactat, aggere per fretum ducto, ut continui agri sint ad Africam, Herculis ritu se efferens, qui ita à Seneca inducitur Herc. Oet. 89.

——— *Siculus Hesperium latus*
Tangat Pelorus, una jam tellus erit.
Illinc fugabo maria, si jungi jubes,
Committat undas Isthmus, & juncto salo
Nova serantur Atticæ puppes via. BURM.

Per meos fines navigem] Putide suis finibus annumerat mare, quod Italiam & Siciliam interjacet. HEINS.

Ego autem] Hic *autem* est *enim*. Quale quid & apud veteres Jurisconsultos observasse se Brissonius commemorat. Infra noster cap. LXI. *In angustiis autem amici apparent.* SCHEFFER.

Si causas non ago, in divisione] Non existimo se bene hæc habere. Quid enim, *in divisione?* Scio, *divisionem* partem esse declamationis, exercitiive, apud Rhetores, & jam pridem dixi aliqua in opusculo de Stylo. Verum ea non pertinet ad literas, sed causas. Puto igitur, oportere distingui: *si causas non ago in divisione, tamen literas didici.* Causas agi in divisione puto, cum ad divisionem factam singulæ illarum explicantur partes. SCHEFFER. Malim, *etsi causas non ago.* Tum mox, *sine divisione*, pro, *in divisione.* Negat se scholastico declamandi studio non exercitum. De *divisione* passim Seneca in Suasoriis & Controversiis. HEINS. *Divisio* apud Rhetores proprie dicitur, cum ex præcipua quæstione inveniunt minores quæstiones, quæ in præcipuam incidunt, quas acute admodum solebant à prima separare, & hinc etiam futuræ declamationis pompa, sive sermo, qui à declamatoribus præmittebatur, divisio proprie dictus est. Ut egregie docuit N. Faber. ad Senec. Controvers. I. jactat ergo fatuus, se non quidem causas agere, sed olim partem quamdam artis declamatoriæ attigisse, non tamen intricata controversiarum capita, ζητήματα & κεφάλαια, quæ nihil facere ad Eloquentiam videntur Urbano homini, sed tantum divisioni, sive procœmio, in quo latus exercendæ facundiæ & sermonis elegantioris campus est, operam dedisse, quia, scilicet beatus satis, partes studiorum nobiliores attingere voluerat, reliquas illis, qui victum sibi ex causis agendis quærebant, reliquerat. Sed insolens locutio, *in divisione literas discere*, nulli nisi Trimalchioni permitti poterit. BURM.

Fastiditum] Non mutandum; est enim eodem modo, ut supra, *pudeatur, delectaretur*, & similia. deduxit ille à *fastidior*, pro *fastidio*. Non ergo, ut reliqui divites & lauti solent, ut indigna persona sua fastidisse se studia jactat.

Tres

„ bibliothecas habeo, unam Graecam, alteram Latinam. Dic ergo, si „ me amas, peristasin declamationis tuae. [a] Cum dixisset Agamemnon, „ [b] Pauper, & dives inimici erant; ait Trimalchio, [c] Quid est Pauper? „ Urbane, inquit Agamemnon, & nescio quam controversiam exposuit. „ Statim Trimalchio: Hoc, inquit, si factum est, controversia non est; „ si factum non est, nihil est. [d] Haec, aliaque, cum effusissimis prosequeremur laudationibus, [e] Rogo, inquit, Agamemnon mihi carissime, num„ quid duodecim aerumnas Herculis tenes, aut de Ulixe fabulam, quem„ admodum illi Cyclops pollicem penicillo extorsit: Solebam haec ego „ puer

[a] ENCOLPIUS. [b] AGAMEMNON. [c] TRIMALCHIO. [d] ENCOLPIUS. [e] TRIMALCHIO.

Tres Bibliothecas habeo] Lege, *duas Bibliothecas habeo*. TILEBOM. Homines lauti apud Romanos, atque adeo Cæsares ipsi, duas tantum habebant Bibliocas, Græcam alteram, alteram Latinam. Hinc in veteribus à Grutero collectis inscriptionibus, in capite *de officiis domus Augustæ*, A BIBLIOTHECA GRÆCA, & A BIBLIOTHECA LATINA. Trimalchio, ut est mirum in modum gloriosus, tres habere se Bibliothecas cum mentiatur, non nisi duas, oblitus sui, enumerat tamen. Et hoc ridiculi causa à Petronio narrari, quis non videt? Respondet autem hic locus luxui temporum illorum, quibus homines, etiam illiterati, ad solam ostentationem Bibliothecas instruebant. Vide Senecam de tranquillitate animi cap. IX. HEINS. Egregie Heinsius, qui pervidit Petronii mentem. Tres autem se Bibliothecas possidere jactat, credo, ut simul & Augusti, qui duas, Octaviam & Palatinam, & Asinii Pollionis, qui primam in Atrio libertatis publicaverat, sumtus æquasse illum putarent convivæ. Studium autem illud fatuorum hominum, qui inter tot millia librorum oscitantes desident, non ideo improbandum admodum puto, quia, ut recte Lipsius, semper inde aliquid boni ad Eruditos redire solet; nisi sint tam fatui, ut ipsi libros suos non cognoscant, & pretium eorum minui suspicentur, si vel eruditior aliquis eorum usum in paucas horas petierit, qui ut Dracones Thesauris sibi inutilibus incubantes, Herculem quemdam, qui eos despoliet, merentur.

Alteram latinam] Mallem, *alteras latinas*, quia sermo est de bibliothecis tribus. SCHEFFER.

Peristasin declamationis] Περιστάσεις, quas & *attributa*, & *elementa* vocant, sunt ea omnia, quæ ad personam, rem, locum, tempus, modum, causam pertinent alicujus facti, ut ostendimus in Notis ad Anonymi Rhetorica p. 49. Ergo, *dicere peristasin declamationis*, nil est aliud, quam explicare, seu enarrare factum, cum omnibus suis circumstantiis, de quo habenda declamatio. Ideo & statim post sic incipit Agamemnon: *Pauper & dives inimici erant*. Vult narrare factum, & sic tradere argumentum declamationis. SCHEFF.

Pauper & dives inimici erant] Frequentissime in hoc argumento inimicitiarum divitis & pauperis experiri consueverunt Rhetores, sic Quintil. Declam. VII. IX. XI. ista nostri referam ad M. Senecæ lib. V. Controv. secundam, vel etiam quintam. REINES. Similis argumenti declamationem etiamnum habemus in iis, quæ sub nomine Quinctiliani circumferuntur. Videndus & Seneca lib. V. Controvers. 1. HEINS.

Urbane] Quid ita? quia per hoc, dum nescire sese ait Trimalcio, quid sit pauper, divitias suas insinuat, quæ scilicet non sinant eum hoc novisse. SCHEFFER.

Quam controversiam] *Causas* ætate Ciceronis has vocabant controversias. Seneca præfatione libri primi controversiarum. HEINS.

Hoc inquit, si factum est, controversia non est] Nugatur solemnem in modum Trimalchio: neque enim omnes controversiæ fictæ. Testes Parrhasius & Flaminius patri Senecæ, ut alias omittam. HEINS.

Nihil est] Controversia nempe. Nam si revera ita factum, sicut tu tunc memoras, quis erit locus controversiæ? Postulat enim ea rem dubiam, sive in persona, sive in tempore, sive in loco, sive in re quapiam alia. At tu ista profers, tamquam indubia. Hunc puto esse loci sensum. Plaut. Captiv. Act. II. scen. II. vers. 94.

At nihil est, ignotum ad illum mittere, operam luserit. SCHEFFER.

Agamemnon mihi carissime] Lege, *mi carissime*. HEINS.

Tenes] Vide supra cap. VI.

Illi Cyclops pollicem porricino extorsit] Scribendum ex Homeri ipsius Odyss. 9. *ille Cyclops Polyphemo oculum extorsit*. TILEBOM. Ulysses *porcinus*, hic est, opinor, ab antiquo *porco*, pro quo deinde dixerunt *porgo*, & *porrigo*, quanquam forte rectius sit *poricivo*, quomodo à *cado*, est *cadivus*; atque ita accipi de eo potest, qui porrexit quidpiam Cyclopi, vinum forte, nam fabula, quam respicit, ignota est: nec apud Homerum exstat, quod cum his conveniat. Postremo credi potest, tale quid finxisse Trimalcion, ut solent præfidentes, & jactabundi, licet imperiti rerum, nam & quod sequitur de Sibylla Cumana, alias non legitur, & mox *insolentia*

„puer aput Homerum legere. Nam Sibyllam quidem Cumis ego ipse „oculis meis vidi in ampolla pendere; &, cum illi pueri dicerent. Σι„βύλλα,

Trimalcionis expresse notatur. SCHEFFER. Petronio præ Homericis reliquis placuit fabula de Cyclope & Ulysse, ut patet ex editis olim. Et cum ignota sit ista de *poricino*, difficilis quoque & lubrica circa eam erit divinatio nostra, quam ideo cum venia proponimus. Ulysses ad Cyclopem ἄνδρα πελώριον, & monstrosæ vastitatis, *modice humiles collectus in artus* ὀλίγῳ τε καὶ ἀτιδέϊ καὶ ἀκίκυϊ, Hom. Od. 10. res contemtibilis; Ei igitur Cyclops *pollicem extorsit*, id est, luxavit, ejecit, non vecte, conto, fuste, ῥοπάλῳ, sive clava, quam Polyphemo gestamen tribuit Poëta loco dicto: sed *penicillo*, id est, assula, virgula vel festuca, χειρίδιον Polluc. l. 5. περὶ ἐστιάρχων. *Peniculus*, quidquid dependet, velut extremum rei; leve ideo & violentis ictibus inferendis minime aptum. *E poricino* vero facere *penicillo* non est violentia, si præsertim lineas duas breves, è quibus litera *n* constat, in duas longiores *ll* extendi cogites. Hic forte sensus est fabulæ inter se batuentium Ulyssis & Cyclopis, quam præter Poëtas ludens confinxit narrator jactanticulus, & in oculis suis sapiens. REINES. Reinesius vult *penicillo*, quod assulam exponit, & recepit in textum Hadrianides. Sed *extorquere pollicem penicillo* pro *luxare assula*, miror Reinesium cuiquam potuisse approbare. Adde quod *penicillo* a *poricino* abeat longissimum, quod ne ipse quidem non agnovit Reinesius. Quare mallem credere, scripsisse nostrum *emporicino*, vocabulo composito ab ἔμπορος & κοινὸς, quod viatorem per mare facientem iter, eumque conversatione gaudentem significat, aptissimeque quadrat in Ulyssem. *Em* in *emporicino* absorpsit syllaba ultima vocis præcedentis. SCHEFFER. Opinor *soricino*. *Soricinus*, ut *noctuinus* in Catalectis Maronianis, convitii loco. Glossæ Labbæi: *Soricinus* μῦς. Denuo, μῦς *soricinus*. *Soricina nania* apud Plautum. *Extorquere pollicem*, ut *extorquere talum*, loco Plautino apud Festum in *crocotilum*, ubi tamen alii Grammatici, pro *extortis talis*, citant *extritis talis*. HEINS.

Extorsit] Egimus supra cap. 21. de hac voce, qua & utitur Juvenalis Satyr. VIII. vers. 33. sed loco, ut mihi equidem apparet, extorto & depravato.

——— *nanum cujusdam Atlanta vocamus,*
Æthiopem Cygnum, parvam extortamque puellam
Europen ———

Ego legendum puto *pravam extortamque puellam*. *prava puella* est cujus membra quædam curva & distorta. Cicer. lib. IV. Tusc. Quæst. cap. 13. *Vitium est, cum partes corporis inter se dissident, ex quo pravitas membrorum, distortio, deformitas.* Ita contra *recta puella* Catull Carm. 86. & Propert. II. eleg. 34. Horat. I. Sat. II. vers. 123. & ita Horat. *recto talo stare* dixit lib. II. Ep. I. vers. 176. & contra *pravis talis fultus, & distortis cruribus* lib. I, Sat. III. vers. 48, BURM.

Solebam hæc ego apud Homerum puer legere] Ab Homero enim plerumque pueri in scholis auspicabantur studia: Noster cap. V.

Mœoniumque bibat felici pectore fontem. HEINS. Itane Trimalchio, qui capillatus puer, ut deliciis ditiorum servires, Romam intrasti, Tu Homerum, unde ingenuos auspicari studia solitos vidimus ad caput 5. legisse te jactas? cui tamen arrogantiæ color potest hinc dari, quod Romani etiam servos, quos ingenio & indole valere videbant, liberalibus aliquando disciplinis imbuebant, ut exempla Terentii, Phædri, Hygini, & aliorum ostendunt, Ulpianus leg. 27. §. 2. ff. de usufruct. *si servi ususfructus legatus est, cujus testator, quasi ministerio vacuo utebatur, si eum disciplinis vel arte instituerit usufructuarius, arte ejus, vel peritia, utetur.* Et tales forte fuere illi Homeristæ, quos cap. 59. induxit in convivium; adfectabat enim maximum Homeri studium Trimalchio. BURM.

Aput] Ita codex Tragurianus. Quæ scribendi ratio in antiquis marmoribus sæpe observatur, ut indicem Gruteriani Thesauri inspicientibus patebit.

In ampulla pendere] Adscribam verba Justini Martyris de hac Sibylla, ut ostendant hominis libertatem loquendi. Exstant in Cohortatione ejus isto sensu: *Hanc Sibyllam Babylone ortam ad Campaniæ oras nescio quomodo perveniisse ferunt, ubi responsa dedit in urbe, cui Cumæ nomen est, sexto à Bajis lapide. Vidimus sane, ea in urbe cum essemus, locum quendam, ubi Basilicam ingentem uno fabrefactam saxo conspeximus. In media basilica nobis ostenderunt tria solia, ex eodem excisa lapide, quibus aqua repletis lavisse ibi eam, & stola sumta in penitissimam se basilicæ ædem, eodem exstructam saxo, abdere, atque in media ea æde super sublimiore gradu & throno considere solitam, & sortes ad eum modum promulgasse dixerunt.* Hic plane nulla mentio ampullæ. Neque scio, quomodo pependerit in ampulla, nisi forte, sicut cineres in urnis, suspensa fuerit in ea ad tectum illius basilicæ, quam Justinus describit. SCHEFFER. Reinesius in litteris ad N. Heinsium: *Lege*, embolo, Ἔμβολος, ἔμβολον, *est omne, quod è plani superficie, velut ei infertum immissumve tignum, eminet & protuberat, eoque, ut de eo suspendi possint quæ velimus, aptum, mutulus, palus, paxillus. Sicut ambo, qui parieti adstructus est, exstatque super eo figura rotunda, vel cunei forma, in specie rostrum navis ære munitum, quo adversariæ tam extra aquam, quam sub ea vulnerari solent,* ἔμβολον *Polluci* l. 1. c. 9. *Suidæ & nostro cap.* XXX. embolum navis æneum, τῆς νεὼς τὸ πολεμικὸν σιδήριον *Varino, item in machina hydraulica apud Vitruvium lib. X. cap. 12. aliud de trabe pependisse sibyllam in simulacro, & respondisse scisciantibus paulo verisimilius, quam inclusam mersamve ampullæ.* Hæc Reinesius, quæ tamen omnia refelluntur ipso

„ Σιβύλλα, τί θέλεις? respondebat illa, ἀποθανεῖν θέλω.

XLIX. „ [a] Nondum efflaverat omnia, cum repositorium cum sue in-„genti mensam occupavit. Mirari nos celeritatem coepimus, & jurare, ne „gallum quidem gallinaceum tam cito percoqui potuisse; tanto quidem „magis, quod longe major nobis porcus videbatur esse, quam paullo „ante aper fuerat. Deinde magis magisque Trimalchio intuens eum: „ [b] Quid? Quid, inquit, porcus hic non est exenteratus? Non, me-Her-„cules, est. Voca, voca cocum in medio. [c] Cum constitisset ad mensam „cocus tristis, & diceret se oblitum esse exenterare. [d] Quid oblitus? Tri-„malchio exclamat: putes illum piper & cuminum non conjeciisse? de-

a ENCOLPIUS. *b* TRIMALCHIO. *c* ENCOLPIUS. *d* TRIMALCHIO. „spolia.

ipso genere sermonis. Quomodo enim in *embolo* dici possit *pendere*, quæ, ut ipse ait Reinesius, pendebat de trabe? Differunt ista toto cœlo, *pendere de embolo*, & *pendere in embolo*. *In embolo pendere* non potuit, quia embolum non fuit cavum, ut in eo posset recondi. Nec *de embolo*, quia clare noster, *in ampulla*. Nondum itaque à vulgatis recedo, cum præsertim MS. ipsum eis faveat, habeatque *ampolla*, minima mutatione, neque sit tam insolens, ut in urnis, sic in ampullis ossa cineresve defunctorum condere, ut Reinesius velle videtur. SCHEFFER. Similem de Sibylla fabulam tangit L. Ampelius capite de miraculis mundi, quem locum suggessit Th. Munkerus. HEINS. Traguriensis codex habet *ampolla*. Ridicule autem Trimalchio hoc se vidisse ait, cujus nemo veterum meminit: sed fabula forte fuit inter vulgum, Sibyllam ibi servari in Ampulla oleo plena, ne putresceret. Nam ampulla proprium olei vas erat, quod ex varia materia fiebat, ut Casaubonus docuit ad Theophrast. περὶ ἀσεσκείας. Sed forte hæc vitrea fuit, ut Populi spectaculo ita exhiberi Sibylla posset, nam oculis suis vidisse ait Trimalchio. Sic ampullæ vitreæ meminit Scribonius Compos. XLI. & Plinius lib. XX. Hist. Nat. cap. 14. BURM.

Sibylla thetilis] Scribe τί θέλεις. Hic, hic est, ubi videas plane, quod in judicio ante nostro attigimus, Amanuensem nempe multos errores infudisse in hanc ludicram Petronii Arbitri cœnæ Trimalchionis dispunctionem, ut qui, neque Græce, neque Latine, bene scierit. TILEBOM. Corrige: *Sibylla, ti thelis? Σιβύλλα, τί θέλεις?* hoc est, *Sibylla, quid cupis?* SCHEFFER.

Apothan in helo] Scribe, ἀποθανεῖν θέλω. TILEBOM. Scribe: *Apothanin thelo*, ἀποθανεῖν θέλω, hoc est, *mori desidero*. SCHEFFER.

Effluerat omnia] Lege *effutierat omnia* HEINS. Nescio, cur vox *efflaverat* displiceat Heinsio, quam Patavini receperunt. Tragurienses enim codex *effluerat*, unica extrita litera. mihi præcipuam fatuo huic loquacitatem inanem, & arrogans ingenium hac voce egregie ostendi, videtur; metaphora enim à vento, cui *efflare* proprium, & inde *ventosi* homines, ut supra cap. 2. *ventosum & enormem loquacitatem* dixit, & alii passim ita locuti. BURM.

Quam paulo ante aper fuit] Certe numquam aper fuerat. Ridicule quidem Trimalchio alibi *porcum silvestrem* dixit pro apro, sed hic ista locum non habent: castigandum utique, *quam paulo ante apparuerat*. HEINS. Non sollicitanda lectio. non enim de eodem porco hic agitur, sed de illo, qui primæ magnitudinis erat; supr. cap. 40. illo apro etiam major erat hæc sus.

Intuens eum] Scribe. ut sibi constet oratio, *intuens sævum*. In superioribus cap. præced. contra. *Trimalchio autem miti ad nos vultu respexit*. Dictum autem, *ut magnum inclamare, perfidum videre*, & similia. HEINS.

Exinteratus] Sic scribendum, & pronuntiandum monet Caper Grammaticus, cum tamen τὸ ἔντερον dictionem Græcam agnoscat Pierius, & cum eo Manutius in Orthographia. GOES. Vera ratio scribendi est *exenteratus*, ut ad Justini lib. 1. cap. 5. & Plautum Epidic. act. II. scen. 2. & alibi viri docti monuerunt.

Putes illum] Forte, *putas tantillum*. GOES.

Cuminum non conjeciisse] Absolute, pro conjeciisse in porcum coctum. Hoc autem volunt ista verba, coquum hoc excusare per oblivionem suam, quasi res sit minuta, quæ oblivioni possit tradi, ut piper omissum esset, aut cuminum. SCHEFFER. Pipere & cumino fere omnia edulia, alicujus saporis, condiebantur. Ita conjungit Persius Sat. v. vers. 55.

Rugosum piper & pallentis grana cumini.

Ejus autem præcipua dos erat, inflationes & tormina discutere, quare non inepte Trimalchionem ejus mentionem facere putandum est, cui *sæpe circa stomachum sonaret, putes taurum*. vide Plin. lib. XX. Histor. Nat. cap. 14. *Cuminatum*, quod pipere & aliis condimentis apparabatur, memorat Apitius lib. 1. cap. 8. BURMAN.

Conjeciisse] Proprium quoque culinæ & coquinariæ verbum. Cato de Re Rust. cap. 156. *Postea conjicito & contundito*. & post, *conjicito in aquam calidam, co-*

„ spolia. [a] Non fit mora: despoliatur cocus, atque inter duos tortores „ moestus consistit. Deprecari tamen omnes coeperunt, & dicere: Solet „ fieri, rogamus mittas; postea si fecerit, nemo nostrum pro illo roga- „ bit. Ego crudelissimae severitatis non potui me tenere, sed inclinatus „ ad aurem Agamemnonis: Plane, inquam, hic debet servus esse nequis- „ simus? aliquis oblivisceretur porcum exenterare? non me-Hercules illi „ ignoscerem, si piscem praeterisset. At non Trimalchio, qui relaxato

[a] ENCOLPIUS. „ in

quito. & passim. vide Rhodii Lexicon Scribonianum. BURM.

Despolia] Verbum non dominis tantum, sed & Praetoribus usitatum, cum aliqui essent caedendi. Passio SS. martyrum Tarachi Probi & Andronici: *Despoliate illum, cingite & suspendite.* HEINS. Vide supra cap. 30.

Deprecari] Petronius supra cap. XXX. *Dispensatoremque deprecati sumus, servo remitteret poenam.* SCHEFF.

Deprecari tamen omnes coeperunt, & dicere: solet fieri: rogamus, mittas: postea si fecerit, nemo nostrum pro illo rogabit] Potest videri hoc mutuatus à Terentio, qui sic in Phormione Act. I. sc. II.

——— *Ad precatorem adeam, credo qui mihi*
Sic oret: Nunc amitte, quaeso, hunc; ceterum
Post hac si quicquam, nihil precor. GOES.

Solet fieri] Rursum Petronius cap. 129. *Solent, inquit, haec fieri, & praecipue in hac civitate.* Seneca in Apoc. *Hoc fieri solet?* Martial. VI. Ep. ad Tuccam LXV.

Tucca, solet fieri, denique, Tucca, licet. SCHEFF. Formula antiqua. Seneca filius ep. XCVI. *Si damna, vulnera, labores, metus incurrerunt, solet fieri.* Seneca pater controvers. XIV. *Faciant, si non quod oportet fieri, at quod solet.* HEINS. Cicer. II. in Verr. cap. 38. *& licere & fieri solere.* Sueton. vita Claud. cap. 15. *& tamen fieri solet.* Phaedr. lib. III. fab. X.

E populo sic, nescio quis, ut fieri solet.

Ira utebantur & formula *amat fieri*, de qua Schott. lib. III. observ. cap. 40. In Senecae vero loco ex Apocolynt. à Scheffero adducto malim legere, *hic fieri solet, in caelo non fit.* BURM.

Rogamus mittes] *Mittas*, id est, missum facias. HEINS. Ex Terentio adumbratum in Eun. Act. V. sc. 2. *unam hanc noxiam dimitte: si aliam admisero umquam, occidito*, ubi quidam codices *omitte*, alii *mitte*, ut hic legitur.

Pro illo rogabit] Optime. Phaedrus noster lib. III. fab. 3. *Damnum haud recusant, tantum pro vita rogant.* Ubi vide, quae notavi. SCHEFFER. Recte contra Scioppium hanc loquendi rationem defendit Schefferus; vid. sup. cap. 31.

Crudelissimae severitatis non potui me tenere] Et hoc bene: nam subaudiendum, *caussa*, quasi diceret, propter severitatem illam crudelissimam non potui. Sallustius: *Exercitum opprimendae libertatis habet.* Cic. 2. de Or. *Cum ille se custodiae diceret in castris remansisse.* SCHEFFER. Videtur hic excidisse, *metu*, vel *re*, vel *spectaculo*. Vel scribendum: *crudelissimae ergo severitatis.* HEINS Ego autem supplendum non dubito: *Ego plenus crudelissimae severitatis.* Sequitur enim: *Plane, inquam, hic servus debet esse nequissimus, non illi ignoscerem.* Et mox: *At non Trimalchio* nempe plenus erat tam crudelissimae severitatis, sicut ipse. GOES. Recte Schefferus statuit, hic aliis quoque scriptoribus usitatam ellipsin τῆ caussᾳ vel *gratia*, cujus plura exempla reperies apud Gerard. Vossium in notis ad Vell. Paterc. I. cap. 12. & conjunctissimum nobis olim collegam Bauldrium ad Lact. de mortib. persec. in initio. reliqua autem locutio *tenere me non potui* est latinissima, & qua Cicero & alii saepe utuntur, pro qua & alia forma dicunt *teneri non potui.* vid. Vorst. ad Justin. lib. VI. cap. 7. BURM.

Hic debet servus esse nequissimus] Ita solet Petronius, ut cap. XXXIII. *hic nescio quid boni debet esse.* Pro, est sine ullo dubio. Sulpitius Severus Ep. I. *Hic homo debet homicida esse.* SCHEFFER.

Aliquis oblivisceretur] Eleganter, omissa interrogationis particula, *an.* Vide infra. SCHEFFER.

Exenterare] Corrige, *exenterare*, ut supra. SCHEFFER.

Si piscem praeterisset] Ita locum hunc formarunt viri eruditi, cum in autographo esset *pretisset.* Fors fuerit *si ipscem teruntii perdidisset*, vel, *si piscem tressis perdidisset.* HEINS. Sed propius ad antiquam scripturam accedamus, si restituerimus: *si sic piscem depretiisset.* Depretiandi autem verbo utitur & Paulus l. 22. §. 1. ff. ad legem Aquiliam: *Si quis ex comoedis, aut symphoniacis, aut gemellis, aut quadriga, aut ex pari mularum unum, vel unam, occiderit, non solum peremti corporis aestimatio facienda est, sed & ejus ratio haberi debet, quo catera corpora depretiata sunt.* GOES. cum Patavinis hanc lectionem retinui, quae mihi melius ex *pretisset* per compendium scripturae nasci videtur, quam violentae illae doctorum virorum emendationes. Et certe ex *depretiare*, verbo non Petroniani aevi, quis *depretiisset* deduceret; saltem *depretiasset* dicendum esset. *Praeterire* autem hic est oblivisci, quo sensu optimus quisque Latinitatis auctor utitur. Terent. Adelph. prol. *qui locus praeteritus est negligentiae.* Cicer. IV. Academ. 20.

Lucullus

„in hilaritatem vultu : [b] Ergo, inquit, quia tam malae memoriae es, „palam nobis illum exentera [c] Recepta cocus tunica cultrum arripuit, „porcique ventrem hinc, atque illinc, timida manu secuit. Nec mora, „ex plagis, ponderis inclinatione crescentibus, tomacula cum botulis „effusa sunt.

[b] TRIMALCHIO. [c] ENCOLPIUS.

L. „Plau-

Lucullus *doctus, & copiosus, & paratus, & nihil praeteriens eorum, quae pro illa caussa dici possent.* Et ita alibi sæpe. vult ergo Encolpius, se non ignoscere posse servo, qui piscem exenterare neglexisset, nedum si Aprum primæ magnitudinis. BURM.

Tam malæ memoriæ] Infr. cap. LXVI. *Dicam si potero, non tam bonæ memoriæ sum, ut frequenter nomen meum obliviscar.* Ita & locutus Seneca ep. 50.

Hinc atque illinc] Ab hac atque illa parte. Florus IV. cap. 2. *Trecenta amplius millia hinc vel illinc, praeter auxilia regum.* SCHEFFER.

Nec mora, ex plagis, &c.] Porci istius, ut ita vocem, Trojani, qui Trimalchionis mensæ apponitur, meminit Joannes Sarisberiensis, Episcopus quondam Carnotensis, Ludovico VII. in Galliis rerum potiunte, Policratici sui libri octavi cap. 7. his verbis. *Cœnam Trimalchionis apud Petronium, si potes, ingredere, & porcum sic gravidari posse miraberis : nisi forte admirationem multiplex ignota & inaudita luxuria tollet.* TILEBOM.

Thumatula cum betulcus] Corrige, *cum botulis*; vel *botellis*. Botuli ex intestinis. Itaque præbebant speciem porci non exenterati. Erant autem in deliciis apud veteres, ut notum. SCHEFFER. Porcus botulis fartus, itemque aper, in cujus ventrem turdi vivi clausi fuerunt cap. XL. non est porcus Trojanus Quiritium, de quo providit Lex Fannia, V. Macr. l. 3. Sat. 13. sed instar ejus ; neque idem cum isto χοίρῳ ὁπόσος τὴν γαστέρα δεικνὺς ἄνω πλήρη ἔσαι πολλῶν ἀγαθῶν ex Hippolochi Macedonis epistola, qua Carani nuptiale epulum descripsit apud Athen. IV. cap. 1. neque ille semiassus, semielixus, ἀσφαλῶς γεμιστὸς χοίρῳ apud eumdem l. IX. Est enim inter hosce & istum Romanorum veterum pluisculum differentiæ ; id quod fraudi fuit curiositati Sarisberiensis, qui lib. 8. Polycrat. cap. 7. de porco in cœna Trimalcionis sic loquitur, tanquam Trojanus iste fuisset. Quod si cui durum videtur ei memoriæ erratum imputare, alienum & quidem integrius exemplar, in quo Trojanum istum repererit, cum lectitasse, probabiliter adfirmari potest. *De anſere, qui intra se capit cupedia* (ita lege pro *cupia* & *aucupia*) *prandii*, id est olus, isiciatum, turdum, turturem, alias aves, Poëta anonymus :

Plura sagmato concluſit fercula capso
Cupedia & pulpas ducere docta manus.

Et,

Una capit totas auſerris arca dapes. REINES.

Vix sero animadverto, Dominum Reinesium efficacissime huic fragmento patrocinari ; In sequentibus enim dicet, *verba nostri ex Sarisberiense esse substricta.* Ergo noster Sarisberiensem legit, verba & res inde mutuavit, ut suum interpolaret. Qui igitur fit, quod, Sarisberiense porcum nobis Trojanum tot aliis animalibus gravidum in cœna Trimalchionis promittente, hic duos quidem apponat porcos, sed priori vivis tantisper turdis clausis, usquedum voluptatis caussa erumperent, & triclinium pervolitarent, altero botulis solum distento. Næ si noster Sarisberiensem legisset, aliter vel alterutrum farsisset porcum. Unde mihi firmiter persuadeo, ei numquam Nugas Curiales Sarisberiensis visas. Quidquid etiam sit, & Praschius *caute*, inquit, *sesellit*. Stolidi hoc esset, non cauti, verba exscribere, & materiem, sub qua tutissime latere possis, usque habere. Quo ex Gellio tendit, an fragmentum moribus ingenii atque linguæ Petronii consentiat, ad alia passim respondetur ; nec non paulo infra, vel ob summam æqualitatem styli verba fragmenti ex Sarisberiense non esse sublecta. HADRIANID. *Botulos* minus Latine dici notat A. Gellius, quod vocabulum tamen apud optimos auctores occurrit. HEINS. De Tomaculis supr. cap. 31. de iis & Botulis agit Nonnus de Re Cibaria l. II. c. 14. Cæterum hunc lautis hominibus morem fuisse, ut animali, quod integrum in mensam inferebatur, alias dapes infercirent, sive isicia, sive tomacula, docet non illepidum Epigramma ineditum de Anſere, *qui intra se capit cupia prandii*, ut titulus ipsi est, & cujus duo priora districha olim vulgavit Salmasius ad Lampridii Elagabalum cap XIX. & Reinesius hic unum adduxit ; sed quod hic ex schedis Heinsianis integrum exhibere ære non videbatur alienum :

Eminet impletus pullorum carnibus anſer,
Et varias mensæ torridus ambit opes.
Inguinibus nam portat olus, ventrisque soluti
Truditur è medio esitiata nitens.
Fulgit utrumque latus turdus cum turture pinguis,
Multaque penniferum corpore pandit opus.
Quis non credat eum Grajam celasse falangem,
Si parvus tantas anſer habet latebras.
Plura sagmato concluſit fercula capto,
Hoc cupiat pulpas ducere docta manus.
Intus ineſt quodcumque placet, crescitque voluptas,
Cum scisso multas pectore prodit apes.
Cedat Cecropii lascibans bucula fabri,
Qua consuerat amor claudere Paſiphaen.
Cedat & ille dolos sollers quem struxit Eseos,
Qui gravidus bellis Pergama solvit equus.

Majora

L. „ Plausum post hoc automatum familia dedit, & Gajo feliciter „ conclamavit: nec non cocus potione oneratus est, etiam argentea co- „ rona, poculumque in lance accepit Corinthia, quam cum Agamem- „ non propius consideraret, ait Trimalchio: [a] Solus sum, qui vera Co- „ rinthia habeam. [b] Exspectabam, ut pro reliqua insolentia diceret, sibi „ vasa Corintho adferri. Sed ille melius: Et [c] forsitan, inquit, quaeris, „ quare solus Corinthia vera possideam? quia scilicet aerarius, à quo „ emo

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS. c TRIMALCHIO.

Majora in parva hæc monstrat fabrica tegna,
Una capit totas anseris arca dapes.

Ita Schedæ illæ exhibent, sed, in quibusdam verbis malam manum esse versatam, quilibet facile adgnoscit. Versu quarto Heinsius malet *Truditur è nido*. Sequenti *Fulcit utrumque latus*, Septimo *ecum* pro *equum* scriptum. Duodecimo idem corrigebat in margine *prodit opes*. Sequenti *lascibans* est pro *lascivans*. Quinto decimo *dolo sollers* malebat. ubi & equo Trojano comparatur ille anser, ut forte Sarisberiensis hunc porcum *Trojanum* vocavit. Et quia nunc occasio, publicemus & alterum, sed brevius, de gallina, quæ ovis erat farta. Titulus

De Obata Donati

Oborum copiosa falanx in ventre tumentis
Conditur, & membris crescit Gallina repletis,
Mortua concepit, quantum nec viva crearit.

Obata & *oborum*, est pro *ovata*, & *ovorum*. auctor hujus epigrammatis dicitur v. c. *Coronatus*. Subjungebantur & alia ejusdem argumenti; sed hæc jam sufficiant. BURM.

Post hoc automaton] Optime. Intelligendum autem est *automaton* de facto coci, quod ipse proprio instinctu, nemine petente, aut suggerente, susceperat. Glossæ veteres eruditissimæ, αὐτομάτῳ, *per se*, *injussus*, *sponte*. SCHEFF. Malim, *automation* HEINS. Non de coci facto, sed de porco gravidato, capiendum, quem, ut *automaton* aliquod, sive machinam, quæ sponte sua effunderet tomacula, hic Encolpius aptissime exhibet. v. Torrent. ad Sueton. in vita Claud. cap. XXXIV. & Horat. lib. II. Sat. 9. & infr. cap. 54.

Gajo feliciter] Bene precantur Trimalcioni, hoc enim prænomen ejus fuit. Neque aliter habent pridem editi. Inscriptio postis tricliniaris, supra memorata cap. XXX. *G. POMPEJO*. item paulo post eodem cap. *G. NOSTER*. (Ita habent libri veteres consensu maximo, non, ut noster, CN.) Semper prænomen ejus per G. signatur, quod *Gajum* denotat. Vide Probum à Cl. Ernstio publicatum. Putat quidem Janus Douza lib. I. Præc. cap. 14. CN. utrobique oportere scribi, quia *Cneus* fuerit Pompei Prænomen. Sed non magis *Cnei*, quam *Gai*, sive *Cai*, dicti sunt Pompei, uti liquet ex Inscriptionibus apud Gruterum satis multis. Quare frustra hic de mutatione cogitatur. De *Feliciter* Brissonius videri debet, & Phædrus noster lib. V. fab. 2. SCHEFFER. Horat. lib. II. Sat. V. vers. 32.

——— *Gaudent prænomine molles*
Auricula ———

Et tamen Caligula iratus fuit Herennio Macro, quod illum Cajum salutasset. Seneca de constant. Sap. cap. 18. GOES. Vide quæ supra ad cap. 44. notavimus. & de prænomine Caji ad cap. 30.

Potione oneratus] Mallem ego, *honoratus*, hoc enim quærebatur potione ista, non ut ebrius evaderet. Petronius cap. LXXXIII. *Apollo lyram modo nato flore honorabat*. Vereor, ne hoc vitium recurrat inferius cap. LXV. ubi legitur: *oneratusque aliquot coronis*. Quia sequitur, *unguento fluente*, ceu illo ipso tempore. SCHEFFER. Sic, *onerare muneribus* passim, apud Poëtas non tantum, sed & apud Tac. lib. I. Histor. cap. XXV. *Postquam callidos audaceque cognovit, pretio & promissis onerat*. Possis alioquin, *potione honoratus est*. HEINS. Vid ad Phædr. lib. 5. fab. 5. de potionis honore v. infr. cap. 69.

Argentea corona] Quæ habebat folia ex argento. Plinius lib. XXI. Hist. Nat. cap. 3. *Crassus dives, primus argento auroque folia imitatus, ludis suis coronas dedit*. SCHEFFER.

Poculumque] Potionem. Lamprid. in Heliog. cap. XIX. *Denique hæc genera poculorum ante Heliogabalum non leguntur*. De masticato, pulejato, & similibus vinis loquitur. Est vere Petronianum. Sic enim in fragmentis editis: *ad libidinis incitamentum Myrrhinum se poculum bibisse*. SCHEFFER. Recte Scheffer. Apulej. lib. II. Metam. *Meque respiciens sorbillat dulciter, sequens & tertium inter nos vicissim & frequens alternat poculum*. Et paulo post, *poculis interdum lassitudinem resoventes*.

Exspectabam, ut] Prorsus eleganter Senec. ep. 96. *Exspecto jam, ut manducata ponantur*. SCHEFFER. Cicer. Orat. cap. 50. *id enim exspectant aures, ut verbis colligentur sententiæ*. Ovid. Epist. XVI. Heroid. vers. 9.

Si tamen exspectas, vocem quoque rebus ut addam.

Quæris quare solus vera Corinthia possideam] Vide ridiculam vanitatem & arrogantam hominis, ut cui vera dicuntur Corinthia, non à materia, sed à nomine auctoris: & qui solus se habere fabulatur, quæ ille Ærarius cuique vendebat de populo: quique illum fa-

„ emo, Corinthus vocatur; quid est autem Corintheum, nisi quis Corin-
„ thum habeat? Et, ne me putetis nesapium esse, valde bene scio, unde
„ primum Corinthea nata sint. Cum Ilium captum est, Annibal homo
„ vafer, & magnus scelero omnes statuas aeneas, & aureas, & argenteas
„ in unum rogum congessit, & eas incendit; factae sunt in unum aera
„ miscellanea. Ita ex hac massa fabri sustulerunt, & fecerunt catilla,
„ & paropsides, statuncula. Sic Corinthea nata sunt ex omnibus

„ in

fabrum se possidere jactabat, à quo vasa nonnulla ære suo redemerat. Imo in quo vel totam Corinthum se tenere vult videri, &, cum emerit, ut ipse profitetur, ab ærario fabro, vulgare æs tractante, ob nomen tamen Fabri, ea vult esse Corinthia. Alius tamen à fabro ærario est Corinthiacus. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. DCXXXIX. 8.

LVCRINAE IVCVNDAE
P. LVCRINVS. P. L. THALAMVS.
A. CORINTHIS. FABER.

Legendum autem in sequentibus: *Quoi est autem Corinthium, nisi qui Corinthum habeat?* vulgo legitur. *Quid est autem*, &c. GOES.

Quid est autem Corinthum, nisi quis Corinthum habeat] Lege, *Quid est Corinthus, nisi qui Corinthium habeat.* Cæterum, cum mecum ipse reputo hunc locum Petronii, atque eum his comparo, quæ Marc. Ant. Muretus enarrat de ære Corinthio Var. Lect. lib. 3. cap. 5. libenter contenderem, huc illum mentem & oculos advertisse, ac novum istud fragmentum alias consuluisse. TILEBOM. Puto emendandum, *nisi quia Corinthum*, non aliam ob causam vas dicitur Corinthium, nisi ob eam, quia quid habet ex Corintho. Terent. Eunuch. v. sc. 6. *Non dubium est, quin mihi magnum ex hac re sit malum, nisi quia necesse fuit hoc facere.* SCHEFF. Forte *nisi si quis Cor.* Vult enim dicere Trimalchion, non alium quem jactare posse Corinthia se habere, nisi qui habeat fabrum *Corinthum* dictum. Hoc autem nomen non insolens erat, & in lapidibus antiquis frequens, ut ex indice Gruteri apparet. Inter illos autem pag. DLXXVII. 6. memoratur *Tib. Claudius, Aug. Libertus, Corinthus*, qui ab his temporibus non multum remotus videtur; quamvis, quod dicatur *à veste regia* fuisse, ad posteriora tempora, cum Regis nomen non formidarent admodum Imperatores, posset respicere. Apud Fabret. cap. III. p. 156. *C. Sempronius Corinthus.* & pag. 159. *Q. Cossutius Corinthus* memorantur. BURM.

Nesapium] Insipientem: sicut dicitur, *nescius, nefarius*, & similia. Laudat Salmasius in Exercitationibus Plinianis hoc vocabulum, sed scribit, *nesapus.* Atque ita Scaurus: *Ne, pro non, positum est apud antiquos, ut nesrendes porcos, qui fabam frendere non possunt, nesapus, qui non sapit.* Sed hoc puto minus analogiæ convenire, imo *nesapius* legi oportere. SCHEFF.

Valde bene scio] Cic. XV. ep. 21. *De ingenio ejus valde existimavi bene.* SCHEFFER. Cicer. lib. 1. famil. Epist. 8. *Rem te valde bene gessisse rumor est.*

Hannibal] Hic Satyricum perstringere sermonis & rerum negligentiam, qua insignis fuit fatuus ille Claudius, mihi persuasissimum est, qui neque indoctus erat, sed sæpe memoriæ vitio aliena loqueretur à re. Simile Calvisii quoque ingenium, *qui memoriæ tam mala erat, ut illi modo Ulixis nomen excideret, modo Achillis, modo Priami, quos tam bene noverat, quam pædagogos nostros novimus*, teste Senec. ep. XXVII. ejusdem generis sunt fabulæ, quas infra cap. 59. jactat, & quas modo capite 48. vidimus. BURM.

Magnus scelio] Haud memini, me umquam apud bonos auctores quidquam simile huic voci visisse, sic ut arbitrer, vice *Schelio*, scribendum esse *Ardelio.* Nam quod de voce *Schetlius* somniabat quidam, minus placet. TILEBOM. Magnus prædo. *Scelio* Græce σκυλῶν, à σκυλάω. Nisi mavis à σκύλον, *præda.* Quomodo ab ἄυλος *tibia*, factus est *aulio*, tibicen, quod in Glossis legitur. SCHEFFER. Lege *scelero*, quod Ciceroni ad Atticum restituerunt. Terent. in Eun. Act. 4. scen. 7. *Hic nebulo magnus est.* REINES. Legendum *stelio*, hoc est, *stellio.* Nam Hannibal vaferrimus & callidissimus, ut notum ex Livio, Floro, aliis. Vide Salmas. ad Spartianum in Pesc. Nigr. c. III. HEINS.

Omnes statuas aneas] Oportune me monuit vir præstantissimus Th. Munkerus, hæc sibi lecta habuisse in animo Isidorum Originum lib. XVI. cap. XIX. Ubi ita ille: *Corintheum est commixtio omnium metallorum, quod casus primum miscuit, Corintho, cum caperetur, incensa. Nam, dum Hannibal hanc civitatem cepisset, omnes statuas aneas & aureas & argenteas in unum rogum congessit, & eas incendit. Ita ex hac commixtione fabri sustulerunt & fecerunt parapsides. Sic Corinthia nata sunt, ex omnibus unum, nec hoc, nec illud.* Vide quam periculosa sit ars compilatoria. Nam de Corintho ab Hannibale expugnata ferendus in Trimalchione est stupor inscitiæ, qui in Isidoro non est excusandus. HEINS.

Et paropsides, statuncula] Scribe, *& statunculas.* Nam in fæminino genere extulit & Cyprianus. Potuitque facile deleri littera postrema, propter similem subsequentem. Video tamen citatum Vossio in Gloss. ex vita S. Concordii. *venientes ad eum satellites cum*

„in unum, nec hoc, nec illud. Ignoſcetis mihi quid dixero: ego malo „mihi vitrea. certe nolunt. Quod ſi non frangerentur, mallem mihi „quam aurum; nunc autem vilia ſunt.

LI.

a Faber fuit, qui vitrea vaſa fecit tenacitatis tantae, ut non magis, quam aurea vel argentea, frangerentur. Quum ergo phialam hujuſmodi de vitro puriſſimo, & ſolo, ut putabat, dignam Caeſare fabricaſſet, cum munere ſuo Caeſarem adiens admiſſus eſt. Laudata eſt ſpecies muneris, commendata manus artificis, acceptata eſt devotio donantis. Faber vero, ut admirationem intuentium verteret in ſtuporem, & ſibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris, petitam de manu Caeſaris phialam recepit, eamque validius projecit in pauimentum tanto impetu, ut nec ſolidiſſima & conſtantiſſima aeris materia maneret inlaeſa. Caeſar autem ad haec non magis ſtupuit, quam expavit. At ille de terra ſuſtulit phialam; quae quidem non fracta erat, ſed conliſa, ac ſi aeris ſubſtantia vitri ſpeciem induiſſet. Deinde, martiolum de ſinu proferens, vitrum correxit aptiſſime, & tamquam conliſum vas aeneum crebris ictibus reparavit. Quo facto ſe coelum Jovis tenere arbitratus eſt, eo quod familiaritatem Caeſaris & admirationem omnium ſe promeruiſſe credebat. Sed ſecus accidit. Quaeſivit enim Caeſar, an alius ſciret hanc condituram vitrorum? Quod quum negaret, eum decollari praecepit Imperator, dicens: quia, ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent quaſi lutum.

ſtatunculo Jovis. Ut hic forte nil mutandum ſit, nec rejiciendum id vocabulum; denique in nominativo ejus non *ſtatunculus*, in maſculino genere, quod facit Voſſius, ſed *ſtatunculum* in neutrali pronunciandum. SCHEFFER. Ut à *ſtatua* eſt *ſtaticulum* Tertull. Adverſ. Gentes, *comminuetis ſtaticula eorum*, ſic & magis *ſtatunculum*. HADRIANIDES. Monuit Th. Munkerus in Gloſſario, quod apud Barthium eſt, Adverſar. lib. XXVIII. cap. XIX. legi: *Iconiſma, vel icoſma, ſtaticulum, ſtigma.* Ubi ille deletis, *vel icoſma*, legendum cenſet: *Iconiſma, ſtatunculum, ſignum.* HEINS. Placere ſatis poteſt haec vox, quia inſolentiam Trimalchionis velle emendare periculoſum eſt. *Staticulum*, quod etiam dixerunt, egregie ab inepta Interpretatione vindicat Scheffer. de re vehicul. lib. I. cap. 16. ſed quia hic non tam de ſtatuis ſollicitus videri debeat beatus noſter Trimalchio, quam de vaſibus, quibus ad menſam uteretur, conjicerem, eum dixiſſe *lagunculas*, quae cum catillis & parapſidibus melius junguntur. De hoc autem vaſe ſatis copioſe egimus ſupra ad cap. 22. ultima litera *ſ* abſorpta eſt à prima ſequentis vocis *ſic*. Si vero *lagunculâ* quis mallet, adſcribenda erit vox Trimalchionis balbutiei, qui &, *catilla*, novo more dicit, pro *catillos*. Diminutivis autem utitur, ut oſtendat pretium aeris Corinthiaci, unde non niſi minuta vaſa fiebant, cum majora, vel fictilia, vel vitrea eſſent. Nam, catillos ex fragili materia vulgo fuiſſe, docere poteſt Horat. lib. I. Satyr. III. verſ. 90. vide infr. cap. 66. memorantur etiam *catilli* à Plinio lib. XXXIII. Hiſt. Natur. cap. 5. in vaginis enſium, qui admodum exercent interpretes, cum plerique *Batillos* emendent, Harduinus pro *catellis*, ſive catenis brevibus, capiat. Ego vero putem lamellas fuiſſe in formam catillorum, quibus vaginae ornabantur, nam & *Balteos laminis crepitare* addit. BURM.

In unum] Puta, mixtis vel confuſis: ut paulo ante, hoc capite *Facta ſunt in unum.* Senec. ep. 59. *Coguntur in unum ſapores.* SCHEFFER.

Ignoſcetis mihi, quid dixero] Vix dubito, ſcripſiſſe noſtrum, *qui dixero.* Adhaeſit litera poſtrema ex proximo vocabulo. SCHEFFER. Th. Munkerus: *quod dixero.* HEINS. Forte *ſi quidem dixero.* GOES.

Malo mihi] Tertull. de Reſurr. cap 8. *Malo mihi ſalutem peccatoris.* SCHEFFER. At Gallienus, ut refert Trebellius Pollio, aſpernatus eſt pocula vitrea, dicens, iis nihil eſſe communius: communiora autem etiam fierent, ſi non frangerentur. GOES.

Certe nolunt] Haec non ſunt ſana. Suſpicabar olim *cateri nolant*; nunc haereo, vereorque, altius ſubeſſe malum. SCHEFFER. Lege, *cateri nolint.* Utcumque *cateri nolint*, brevis loquendi modus, è medio petitus vulgo. HEINS.

Adixiſſus

a Hiſtoria Fabri vitri ductilis ex Joanne Sarisberienſe, lib. IV. cap. 5. à Jano Douſa, Satyrico dudum edito inſerta.

LI. „ [a] Fuit tamen faber, qui fecit fialam vitream, quae non fran-
„ gebatur. Admissus ergo Caesarem est cum suo munere. deinde fecit
„ reporrigere Caesari, & illam in pavimentum projecit. Caesar non
„ pote validius, quam expaverit; at ille sustulit fialam de terra: con-
„ lisa erat, tamquam vasum aeneum. Deinde marculum de sinu protu-
„ lit,

Admissus ergo Caesarem] An scribendum *ergo ad Caesarem est?* Non opinor. Ita enim solent veteres, omissa praepositione, quae est in verbo. Ut Horatius lib. II. Sat. 3.

Abstinuit vim Uxore & nato ——

Lucilius XXVI. *Suspendatne se, an gladium incumbat.* Plautus in Pseud. *Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortitis omnes.* Adde Schoppium Suspect. Lect. III. ep. 15. SCHEFFER. *Ad Caesarem est*, Puto. HEINS. Cum Scheffero manum etiam contineo, nam in omni Trimalchionis oratione, etsi non tam solœca, ut in aliorum convivarum, sordes tamen & adfectatio adparent; sic licet exemplis aliis hanc locutionem defendere facile est, est tamen durior & insolentior. Et haec est ratio, cur Sarisberiensis narratio à Petronii dissideat, cum ille voluerit eam floridiorem & magis exactam reddere. Sic quod rustice inquit Trimalchio *fecit reporrigere* (quod etiam contra morosos censores vindicari posset) elegantiori multo circumlocutione extulit Johannes, & ita reliqua. Si qua alicujus elegantiae occrrunt, sunt adfectata, ut *non pote*, quod comicum est, & obsoletum, ut & *vasum*; quae inter se collata, nobis ostendunt, quid de hoc scribendi genere senserint viri omnis ævi eruditi, qui ideo non abjudicant statim opus aliquod Auctori, praesertim Satyrico, qui omne genus ridiculorum hominum traducit, etsi quædam repererint, non reliquis membris respondentia. Sed haec jam nimia. BURM.

Deinde fecit reporrigere Caesari] An civilius scribendum? *Deinde petiit, ut reporrigeret Caesar.* Ante hoc tempus, ductilis, & flecti cerei Vitri istius Petronii Historiam, studio & operae Jani Dousae, ex Sarisberiensis Policratico, debebamus. Nunc (quod Majoribus imputare jure possumus) nobis ex ipso fonte licet haurire. TILEBOM. Emenda, *reporrigere Caesarem.* Plautus Trucul. I. sc. 2. *corda amare factis amantes.* Idem Epid. III. sc. 3. *Ut ille fidicinam fecit nescire prorsus, se esse emtam tibi.* Illud *reporrigere* dictum est, ut apud Ciceronem, *repromittere*; apud Jureconsultos veteres, *reconducere, redaportare*, & simili. SCHEFFER. Forte, *petiit reporrigere Caesari.* HEINS.

Non pote validius, quam expavit] Ellipsis elegantissima, pro, *non pote est validius quem expavescere, quam expavit. Non pote est*, id est, impossibile est. Varro in Manio: *viget, veget, utpote, plurimum.* Terent. Eunuch. Act. V. scen. 8. *Non pote satis narrari.* SCHEFFER.

Vasum aënum] Plautus Trucul. I. sc. I. *Aut aliquod vasum argenteum, aut vasum aënum aliquod.* Sic Lucretius, Cato, alii. SCHEFFER. Antiquorum loca, qui hac forma hoc nomine usi sunt, quos putidus noster adfectator hic æmulatur, collegit Laurembergius in Antiquario.

Martiolum] Ita plane legitur in Saresberiense, licet ibi notent, in nonnullis aliis haberi, *marculum.* Quamquam vero ratio analogiae postulare videatur, *marteolum*, cum legatur, *martellus*, tamen ego nihil censeo mutandum. SCHEFFER. Isid. 16. Orig. cap. 15. *malleum* vocat: *martiolum* Saresb. lib. 4. cap. 5. è cujus γύπει effigiatam esse nostram prorsus adparet. Veteres *marculum* dixere: Plin. lib. 7. cap. 56. Mart. lib. 12. ep. 57. *æratiorum marculi.* Isid. 19. Orig. cap. 7. *Marcus, malleus major: marcellus, mediocris: Marculus, malleus pusillus.* Martellorum vox seculo septimo recepta fuit; ad cujus formam fecerunt *martiolos.* Petrus tamen Damiani in eadem historia *vasculum* dixit lib. 4. ep. ult. ubi *marculum* recte reponemus. REINES. Non est vero simile, Trimalchionem voce usum, quae sequentibus demum seculis fuit recepta, sed *marculum* dixisse, Joannem vero Sarisberiensem ex sui temporis usu *marteolum* supposuisse, vel ejus librarios, qui *marculum* apud eum reppererant, antiquatam vocem in recentiorem commutasse. Praeterea in Trimalchionis oratione antiquarum semper vocum studium & affectatio est. Ita Lucilius dixerat:

Et velut in fabricam fervens cum marculu' ferrum
Multorum magnis tuditantium ictibu' tundit.

Glossae κόπανον *marculus*: *martulum* tamen in omnibus scriptis Plinii codicibus se repperisse notat Harduinus ad lib. VII. cap. 56. cui an fides habenda sit dubito, cum antiquissimae etiam editiones ex MSS. expressae *marculum* praeferant. Ita Parmensis anni 1481. & aliae recentiores. Neque etiam, quod ex Capro adfert, *martuli* scripturam firmat, cum ille distinguat *martulum* Sacerdotem, qui à Marte dicitur, & *marculum*, quod eo non pertinet. v. Veter. Gramm. pag. 2246. & fortasse hinc cognomen *Marcellorum* tot insignibus

[a] *Eadem historia de Frbro. prout legitur in Fragmento hoc Tragurienſi, Patavii A. 1660. primum in lucem edito.*

„lit, & fialam otio belle correxit, hoc facto putabat se solium Jovis „tenere. Utique, postquam illi dixit: Numquid alius scit hanc con„dituram vitreorum? Vide modo. Postquam negavit, jussit illum Cae„sar decollari; quia enim, si scitum esset, aurum pro luto habere„mus.

LII.

signibus gentibus Romanis adhæsit, ut *Malleoli* Publiciæ, *Aciculi* Valeriæ, quæ omnia à non dissimilibus inter se fabrilis artis instrumentis descendunt. Vide Meurs. Exercit. Critic. part. II. l. I. c. 10. & Illustr. Spanh. Dissertat. VI. Nam, quod Plutarchus interpretetur *Marcellum* Ἄρειον, & Sigonius *Marcellum*, pro *Martellum*, à Marte, quasi parvum Martem dictum velint, mihi non persuadent. Sed de hoc amplius cogitandum. BURM.

De sinu] Vide supra cap. XX. BOSCH.

Otio] Pro, *in otio*, *per otium*. Quomodo versum Phædri nostri lib. I. fab. 25. putabat emendandum Rigaltius, *quamlibet lambe otio*. Sed ignoro, annon & hic rectius legatur, *ocyus*. Quale enim possumus hic intelligere otium, in præsentia Imperatoris, eventus expectatione suspensi? Potius festinavit ille, quisquis denique, monstrare artem suam. Et usurpat illud *ocyus* noster infra cap. XCIV. ut, *ocyus foras exi*, &c. Nihil tamen apud nostrum muto. Pæne enim ad eumdem modum Apulejus X. Metam. *Non ulla tamen ego ratione conterritus, otiose grandissimum illum calicem uno hausto perhausi*: Pricæus eo loco. *Otiose*, ἡρέμα, *secure*, quod est rectissimum. SCHEFFER. *Otio*, pro *in otio*, *otiose*, videtur dictum. Sic apud Phædrum lib. I. fab. XXV. *Quamlibet lambe otio*. HEINS Vide Gudium ad dictum Phædri locum. Recte autem explicat Schefferus, pro, *commodo suo*, *sine ulla trepidatione & metu*, ne Cæsar irascceretur propter audaciam, quo sensu sæpe apud Terentium. Sic in Adelph. Act. II. scen. I. *Otiose, nunc jam illico hic consiste, quid respectas, nihil periculi est*, & alibi. Ita quoque Plautus, qui & Asinar. Act. II. scen. I. vers. 5. dixit *dormitare in otio*, quod Terent. Heaut. Act. II. sc. 3. *dormire otiose in utramvis aurem*. Non tamen probo Gudii explicationem lapidis antiqui, ubi *summoto incedere* legitur; quod non est *summo otio*, sed *summoto populo*, ut solebant lictores præeuntes magistratus populum summovere. Vide Liv. XXVIII. cap. 27. BURMAN.

Se coleum Jovis tenere] Corrige, *se cœlum Jovis*, ita enim apud Saresberiensem legitur. Seneca l. I. de benef. cap. 13. quem laudat Gonialus. *Tanquam Cœlum, quod mente vanissima complectebatur, teneret*. Cicero sic usurpavit, *cœlum attingere*. ut in V. Tusc. *Alia enim divina illa longe lateque se pandunt, cœlumque attingunt*. & lib. II. ad Attic. ep. I. *Nostri autem principes digito se coelum putant attingere, si mulli barbati in piscinis sint*. SCHEFFER. Malim *solium* Jovis, sut apud Statium Sylv. I. lib. 3. vers. 25.

——— *Solium Jovis & virtute parata*
Astra tenes. HEINS.

Adsentior Heinsii emendationi, quis enim dixit *coelum Jovis tenere*, cum simpliciter *coelum tangere*, *tenere*, & similia occurrant. Sed *Jovis*, qui Rex Deorum, *solium tenere*, insignem animi elationem notat. Horat. I. Epist. XVII. 34.

Attingit solium Jovis, & caelestia tentat.
BURM.

Postquam illi dixit] Rectius sit, *ille dixit*, Cæsar nimirum. HEINS.

Condituram vitreorum] Puta, vasorum. Ita supra: *ego mihi malo vitrea*. Sed Isidorus, apud quem leguntur cætera, habet hic *vitrorum*. Verba ita sunt: *Hoc facto Cæsar dixit artifici: numquid alius scit hanc condituram vitrorum*. Etiam apud Saresberiensem ita legas: *Quæsivit enim Cæsar, an alius sciret hanc condituram vitrorum*. Verum utrobique forsan *vitreorum* est scribendum. Petronius supra cap. X. *an audirem sententias, id est, vitrea fracta, & somniorum interpretamenta?* Porro *condituram* Isidorus in prædicti loci verbis præcedentibus vocat *temperamentum*, hoc est, succum, sive aliud quodcumque denique, quo imbuebat vasa ista, ut lentescerent. Vox ex medica culinarive re desumta. Columella XII. cap. 7. *Hæc omnia una conditura commode servantur*. SCHEFFER.

Vide modo] Verba sunt Cæsaris comminantis, monentisque, ne quid dicat, præter verum. Plaut. Merc. V. sc. 4. LY. *at, quæso hercle, etiam vide*. EU. *Non mihi credis?* Cœlius VIII. ep. 2. ad Ciceronem. *Vide modo; inquis. Non mehercules*. SCHEFFER.

Decollari] Decollandi verbo, hac significatione, Diomedes Grammaticus observat ex Fenestella. Occurrit & apud Suetonium Caligula cap. XXXII. In excerptis Senecæ: *Decollaberis. Quid interest, utrum casim moriar, an punctim?* Et in ludo de morte Claudii: *Illo gestu soluta manus, & ad hoc unum satis firmæ, quo decollare homines solebat*. HEINS. Iterum nota temporis, quo Petronius scripsit. Hac enim voce, ut neque genere supplicii caput ense amputandi, non utebantur sub Augusto, sed, vel Tiberii ævo, vel demum à Caligulæ imperio, cœpit usitari; cum olim securibus solebant noxios mactare hostiarum ritu. Vide Casaub. ad Suet. Aug. cap. 15. & Caligul. cap.

LII. „In argento plane ſtudioſus ſum. Habeo ſcyphos urnales plus „minus, quemadmodum Caſſandra occidit filios ſuos, & pueri mortui „jacent ſic, uti vere putes. Habeo capidem, quam reliquit patronorum „meus,

cap. 32. Et egregie vir Ampliſſimus Cuperus ad Lactant. de Mortib. Perſec. pag. 187. obſervat, hoc originem inde trahere, quia ſub republica lictorum opera uterentur; Imperatores vero per milites ſupplicia exigerent. Vide & Lipſium ad Tacit. lib. xv. ann. cap. 67. BURM.

Quia enim] Plautus in Amphitr. II, ſc. 2. AM. *Qui tibi iſtuc in mentem venit? SO. quia enim ſero advenimus.* Ita ſæpe. SCHEFFER.

Si ſcitum eſſet: Aurum] Lego, *quia enim ſi ſcitum eſſet, inquit, aurum.* TILEBOM. Si divulgatum fuiſſet, & eamdem artem didiciſſent alii. Terent. Adelph. I. ſc. I. *Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet.* SCHEFFER.

Aurum pro luto haberemus] Similiter Iſidorus: *ne, dum hoc cognitum fieret, aurum pro luto haberetur.* Sic in ſuperioribus, ubi vide. Saresberienſis interpolavit clariore, ut putabat, ſententia: *aurum & argentum vileſcerent, quaſi lutum.* SCHEFFER.

In argento plane ſtudioſus ſum] Pro, *ſtudeo illi.* Bene. Quomodo Gellius lib. XI. cap. II. *ſi quis in ea re ſtudebat.* SCHEFFER. Hujus conſtructionis etſi rariora ſint exempla, non tamen eam repudiandam puto. *Studioſus* autem proprie dicitur, qui delectatur aliqua re, & ea præcipue conſpicuus eſſe cupit. Ut *ſtudium* dicitur pro eo, quod noſtrates *lieſhebberye* vocant. Cicer. lib. IV. in Verr. cap. I. *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium, ut amici ejus, morbum & inſaniam, ut Siculi, latrocinium.* ubi vide Hottomanni notas. Ita Juſtinus lib. IX. cap. 8. de Philippo. *Fuit Rex armorum, quam conviviorum, apparatibus ſtudioſior.* Terent. Andr. Act. I. ſc. I.

Quo l plerique omnes faciunt adoleſcentuli
Ut animum ad aliquod ſtudium adjungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad Philoſophos,
Horum ille nihil egregie præter cetera
Studebat. BURM.

Urnales plus minus] Qui urnam circiter capiunt magnitudine ſua. SCHEFFER. Forte excidit numerus ſcyphorum. HEINS. Et non ille tantum numerus, ſed quoque *quibus efficitur*, vel ſimile. GOES.

Plus minus] Frequentiſſima hæc formula in antiquis lapidibus. *Vixit annos plus minus* XXIX. & ſimilia. Sæpius exprimitur his notis PL. M. vel P. M. ſed errare Sponium, qui ad ſeculum poſt Chriſtum quartum hujus locutionis uſum refert, oſtendit doctiſſimus Fabrettus cap. VIII. inſcriptionum pag. 588. BURM.

Quemadmodum Caſſandra] Hic iterum impingit ſolens in hiſtoriam, dum Caſſandræ tribuit, quod Medeæ debebatur, ut mox Nioben & equum Trojanum ponit pro Paſiphaë & tauro ligneo. HEINS.

Jacent, ſicuti vere putes] Corrige, *jacent ſic, uti vere putes*, ſcilicet, jacere. Cornelius Nepos vita Dionis cap. IX. *His dat negotium, ut ad Dionem eant inermes ſic, ut conveniendi ejus gratia viderentur venire.* SCHEFFER. Scripſerat puto Petronius, *ſic, uti vivere putes.* Quæ affabre & artificioſe efficta aut depincta erant, dicebantur animata & viva. Apud Martialem lib. III. epig. 41.

Lacerta vivit, & timetur argentum.

De quo nos pluribus ad Prudentii Apoth. verſ. 722. HEINS. Veterem tamen retinere lectionem conſultius puto. Quoniam, ut eximii artificii eſt, *ſpirantia ſigna*, ut Poëta loquitur, poſſe exhibere, quoties vivum repræſentant hominem, ita non minoris eſt, quoties mortuum repræſentant, eam vivacitatem poſſe detrahere, & cadaveri mortuo ſimilem reddere. GOES.

Capidem] Meminerunt hujus vaſculi præter Feſtum, Plinius & Livius, quorum Livius quidem jungit lituo, & ſic ad ſacra pertinuiſſe demonſtrat; Feſtus autem poculum appellat. Eſt autem omnino hæc capis illa Neronis, de qua Plinius lib. XXXVII. cap. 2. *Sed Nero, ut par erat principem, vicit omnes*, CCC. *ſeſtertiis capidem unam parando. Memoranda res, tanti imperatorem patremque patriæ bibiſſe.* Patet ex his verbis, poculum intelligi apud noſtrum oportere. SCHEFFER. Non ad ſacra modo hoc vas, ſed ad menſam adhibebatur, ut ex eo biberent. Apulej. II. Metam. *Hic vitrum fabre ſigillatum, ibi cryſtallum impunctum, argentum alibi clarum, & aurum fulgurans, & ſuccinum mire cavatum in capides, ut bibas;* ut recte repoſuit Gruterus ſuſpicion. lib. V. cap. 2. antea *lapides* legebatur: quem librariis familiarem fuiſſe errorem teſtatur leg. 32. §. I. ff. de aur. arg. leg. *aurea emblemata, quæ in lapidibus apſidibus argenteis eſſent, & replumbari poſſent, deberi Gallus ait.* Juriſconſultorum omnium, qui fuerunt, vel erunt umquam, doctiſſimus Cujacius lib. VI. obſerv. cap. 31. vocem *lapides* ejiciendam putabat. Sed quam parva unius literulæ mutatione *capides* ſubſtituendo ſanatus eſt locus. Ita conjecit doctiſſimus Juvenis Evaldus Rulaeus, qui anno 1677. Harderovici doctiſſimam ad hæc verba diſſertationem emiſit, qua periculum Juris Civilis fecit, inter cujus doctores referri volebat. Nihil vero cauſſæ video, cur Laurembergius in antiquario ſuo, hanc quoque vocem inter caſcas & antiquatas retulerit. Sed plura ille liber continet optimæ monetæ vocabula, quæ non merebantur inter exoleta cenſeri. Præterea lex illa docet, in capidibus ſigna & emblemata fuiſſe,

„meus, ubi Daedalus Nyobam in equum Trojanum includit. Nam he-
„merotis pugnasset petranctis in poculis. Habeo omnia ponderosa; meum
„enim

ut in nostra Trimalchionis, quæ Niobes, ut ille insolenter jactabat, historiam expressam gerebat. Sed hunc morem satis illustravit Reinesius & alii. BURM.

Quas reliquit patronorum meus] Volebam, *quam reliquit patrono meo Mys*: qui celeberrimus & antiquissimus artifex, cujus labor in poculis argenteis, ut Mentoris quoque ac Myronis, plurimi fiebat, vel uno teste Martiali lib. VIII. ep. 51. ne quid alios nunc ad partes vocem, apud quem Mys inter varios auctores primo loco collocatur.

Quis labor in phiala? docti Myos, anne Myronis?
Mentoris hæc manus est, an, Polyclete, tua?

Et in Apophoretis epigr. XCV.

Quamvis Callaico rubeam genorosa metallo,
Glorior arte magis: nam Myos iste labor:

Ubi *meus* etiam pro *Myos* ante Scriverium legebatur. Sed, quod ad rem præcipue facit, en alterum Martialis epigramma lib. 8. Ep. 34. in simillimum Trimalchionis jactatorem:

Archetypum Myos argentum te dicis habere,
Quid? si à te factum est? hoc magis archetypum est.

Sic enim castigandum videtur: Nam, quod vulgati codices exhibent, *Quod sine te factum est*, nullum omnino præ se fert acumen. HEINS. Legi posset, *patronorum unus*, quoniam constat, libertum plures patronos habere posse ex leg. 21. §. 2. ff. de Jure patronatus, l. 3. §. 7. l. 12. ff. de Adsignandis libertis. Nisi ipse infra indicaret, unum se tantum patronum habuisse. GOES. Sine dubio mendosus est codex Tragurienſis. Sed, quod Patavini ediderunt, *quam reliquit patronus meus*, non puto convenire Trimalchionis ostentationi, qui hic certe aliquem virum celebrem nominavit, (cujus nomen latet in ultima syllaba *patronorum*, *rum* & *meus*. Quæ debent conjungi, sed quale inde formari nomen debeat, acutioribus excogitandum relinquo) qui patrono suo hanc capidem reliquit. Acute Heinsius *Mys*, divinabat, an vere, non adfirmo: nam vox *reliquit* ostendit hæreditate, vel legati jure, ad eum capidem perveniſſe, nec verosimile Patronum Trimalchionis à Mye, artifice Græco, & ætate longius ab hoc tempore remoto, capidem accepisse, nisi Trimalchionem omnia stulte confundentem statuamus. BURM.

Dædalus Niobem] Dixi ante, Trimalcionem hic nugari, meraque commenta sua proferre, per & insolentiam, quod noster ipse notaverat, & ebrietatem. Itaque hic frustra quidquam exigas ad narrationes aliorum. SCHEFFER. Sine dubio Trimalcio hic nugator decumanus est, & fabulas ineptioribus fabulis farcit. Scriptor respexit id, quod heroum pateris & poculis varia antiqui operis insculpi consueverint. Herculei crateris quæ fuerint anaglypha enumerat Papinius lib. 6. Theb. vers. 535. & seqq. nimirum sigilla ex auro exstantia Centaurorum & Lapitharum in nuptiis Pirithoi super mero pugnantium: In Adrasti phiala Perseus cum capite Gorgonis fictus erat: Nestoris poculum cum clavis aureis adactis & infixis quatuorque cum columbis describit Hom. Il. λ. explicantque Grammatici apud Athen. lib. XI. nonnullorum aliis signis fuere charaxata. Aliorum etiam exemtilibus emblematibus seu insertis ornata. Ulysses & Diomedes erant in phialæ emblemate Palladium surripientes; fecerat Pitheas: Plin. lib 33. cap. 12. Neroni scyphi duo, in quibus cœlata carmina Homeri: Suet. REINES.

Nam hamerotes pugnassent petraitis in poculis] Hæc verba desperate sunt corrupta. Neque fatigabo me in suspicionibus, quales manebunt tamen, cujuscumque generis fuerint. SCHEFFER. Hæc prodigiose currupta sunt, fortassis insuper etiam mutila; extundam, quod verosimile videri possit, & rem exhibeat. Legerim, *nam hermerotes signa essent veritatis in poculis*. De hermerosi ne tantillum quidem dubito; nimirum simulacrum Mercurii & Cupidinis ab artificibus jungi solebat sic, ut Mercurii cum Minervæ in dicto Hermathena Ciceronis. Hermerotas Tauriſci Tralliani statuarii laudat Plinius lib. 36. cap. 5. In poculorum igitur ornatus & cœlaturas adsumi potuisse mirum non est. Sed, cum ignoremus quid potissimum illa Mercurii & Cupidinis conjunctione spectarint veteres; neque enim licet hic comminisci quidquid velis; neque, ludatne scriptor hic an serio rem agat, divinare facile sit: istud *veritatis*, quod literarum in scripto ductus & familiaris huic librario literarum trajectio suppeditat, tolerari interim potest, dum aptius aliud excogitetur. Fortassis in ista cœlatura hermerotum sensus profunditas hæc, ut significaretur vulgare istud, *In vino veritas*: Plin. lib. 14. cap. 22. Athen. lib. 2. REINES. Nimis confidenter Hadrianides, Reinesii secutus conjecturam, in textu fecit, *Hemerotes signa essent veritatis in poculis*. Equis enim, quæso, sensus fuerit horum verborum? MS. Dalmaticum habet. *Nam Hemerotis pugnasset petranctis in poculis*, in quibus manifesta satis *pugnas sed*. Cætera non assequor. SCHEFFER. *Hermerotes* Reinesii ab Ἑρμῆς Mercurius, & Ἔρως Amor, Cupido. Apud Plinium, de operibus loquentem artificum in marmore, in vetusta editione Egidii de Gourmont sic lego. *Oceanus & Jupiter Enthochi: Hippiades Hermerothes, Tauriſci Tralliani.* HADRIANIDES. Scribendum videtur: *Jam Hermerotis*. Quod nomen Græcum, compositum ex Herma & Erote. REINES. Desperatus locus, sed quem frustra tentavit, & violenter tractavit Reinesius: credo,

hic

„enim intelligere nulla pecunia vendo. [a] Haec dum refert, puer cali-
„cem projecit; ad quem respiciens Trimalchio: [b] Cito, inquit, te ipsum
„caede, quia nugax es. [c] statim puer demisso labro orare. At ille, [d] Quid
„me, inquit, rogas? tamquam ego tibi molestus sim: suadeo, à te im-
„petres, ne sis nugax. [e] Tandem ergo exoratus à nobis missionem dedit
„puero. Ille dimissus circa mensam percucurrit, &, Aquam foras, vi-
„num intro, clamavit. Excipimus urbanitatem jocantis, & ante omnes

[a] ENCOLPIUS. [b] TRIMALCHIO. [c] ENCOLPIUS. [d] TRIMALCHIO. [e] ENCOLPIUS.

„Aga-

hic munera quædam Gladiatoria à libertis ejus temporis edita indicari, quæ noster Trimalchio poculis suis insculpi curaverat. Et prima quidem verba ita constitui possent, ex vestigiis codicis Traguriani, *nam Hermerotis pugnas, &, ... in poculis habeo*: ut dicat habeo capidem, quæ Nioben exhibet.; in poculis autem munera Hermerotis, quod nomen familiare libertis fuit, ut ex indice Gruteri patet: occurrit inter eos unus *Hermeros Tib. Claudii Cæsaris Libertus à marmoribus, & magister Feroniæ* pag. XXV. 12. & alter Augusti Libertus DLXXXVII. 9. & apud Reines. Class. IX. 29. sed hæc facile se probabit lectio: sequentis autem hominis nomen obscurius: nam in *Petraitis*, vel *Petranctis* etiam latere viri appellationem apparet ex capite LXXI. ubi Trimalchio Habinnæ monumenti sui formam præscribit, in quo etiam *Petraitis omnes pugnas* inter alia pingi imperat. Sed quale hoc sit, non assequor. Studium vero illud munera gladiatoria pingendi etiam supra ostendit Trimalchio cap. 29. cum Lænatis munus in porticu jusserat pingi. BURM.

Meum enim intelligere] Sicut Persius: *scire tuum*, item: *velle suum cuique est*. SCHEFFER. Nihil hic deest. Sensus enim est, tanti facere intelligentiam historiarum his vasis expressarum, ut nulla pecunia eam vendat. GOES. Non debent hæc verba de eruditione vel Historiarum cognitione capi. Sed idem est, quod supra dixit, se *studiosum esse in argento: intelligere* enim proprie dicuntur periti picturarum, signorum, statuarum, & similium operum, qui artificium cognoscunt, quo sensu sæpius apud Ciceronem in Verrina quarta occurrit. Ita cap. 2. *Signa pulcherrima, quæ non modo istum hominem ingeniosum atque intelligentem, verum etiam quemvis nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent*, cap. 14. *Tametsi hoc, nescio quid nugatorium sciebam esse ista intelligere*. Et paullo post, *Ut putetur in hisce rebus intelligens esse*. cap. 21. *Ut intelligatis, in homine intelligentiam esse, non avaritiam, artificis cupidum, non argenti, fuisse*. cap. 43. *Tametsi non tam multum in istis rebus intelligo*. Et passim. vide Gronov. Diatrib. Statian. cap. XLIII. BURM.

Te ipsum cade] Verbera, num potius, occide? Puto tamen alterum, quia sequitur, *suadeo à te impetres, ne sis nugax*. Quis enim suadendi locus apud occisum? Noster cap. CXXXVIII. *omniaque infra umbilicum capit lenta manu cædere*. SCHEFFER. Se ipsum cædere, non alterius, quam furiosi, est, vel à malo spiritu obsiti, qualis ille Gadereus, de quo in Euangeliis. Cum ergo Trimalchio puerum semet cædere jubeat, ob id, quod sit nugax, magnum stultitiæ suæ in eo exhibet documentum. GOES.

Nugax] Putris, putidus, ineptus. Glossæ Philoxeni: *nugax*, σαπρὸς. Aliæ glossæ. σαπρὸς, *nugatorius, nugax, fœdus*. SCHEFFER.

Demisso labrare] Credo scripsisse, *demisso labro orare*. Nempe solent tristes, & vultum, & oculos, & os dimittere. Porro *labrum*, pro *labium*, sæpe apud nostrum, cum est sermo de hominibus. Plinius XI. Hist. Nat. cap. 37. de ranis: *inferiore labro demisso ululatus ejicitur*. To *demisso* ita habes etiam apud Terentium Eunuch. II. scen. 3. *tremulus, labiis demissis, gemens*. SCHEFFER. Lege *demisso labro orare*, vel *labio*. Quod verissimum & etiam monitum à Scheffero. Apulejus Milet. III. *Quod solum poteram, postrema dejecta labia, languidis tamen oculis, obliquum respiciens ad illam, tacitus expostulabam*. HEINS.

Tamquam ego tibi molestus sim] Petronius cap. CXV. *Tamquam interfit, perituram corpus quæ ratio consumat. Tamquam melius ignis accipiat*. Etiam illud *molestus* sic ei usurpatur, pro eo, qui malum aut damnum infert. ut cap. VIII. *Functis viribus molestum contemsimus*. SCHEFFER.

Missionem dedit] dimisit, impunitum videlicet. Iterum noster cap. 21. *Jussit infelicibus dari missionem*. SCHEFFER.

Percucurrit] Nescio, an bene dicatur *circa mensam percurrere*, neque in Encolpii verbis aliquid inesse debet, quod non elegantiæ Petronianæ respondeat. Forte scripsit *ter cucurrit*, ut, quasi expians facinus & peccatum suum, lustrantium modo, ter mensam circumiret. Hunc autem numerum ratio lustrationis exigit, ut docet Servius ad Virg. VI. Æn. 229. & vulgo est notissimum. BURM.

Aquam foras] Hanc puto fuisse formulam solennem, cum ad potiones meracas se mutuo invitarent. SCHEFFER.

Excipimus] Auscultamus. Petronius cap. XXXVII. *Conversus ad eum, ut plurima exciperem*. SCHEFFER.

Qui

„ Agamemnon, qui sciebat, quibus meritis revocaretur ad coenam. Cae-
„ terum laudatus Trimalchio, hilarius bibit. Etiam ebrio proximus,
„ [a] nemo, inquit, vestrum rogat Fortunatam meam, ut saltet? credite
„ mihi, cordacem nemo melius ducit. [b] Atque ipse erectis supra fron-
„ tem manibus Syrum histrionem exhibebat, concinente tota familia:
„ [c] Ma Dia, perite, ma Dia. [d] & prodisset in medium, nisi Fortunata ad
„ aurem accessisset: &, credo, dixerit, non decere gravitatem ejus tam
„ humiles ineptias. Nihil autem tam inaequale erat: nam modo Fortu-
„ natam suam reverebatur, modo ad naturam.

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS. c FAMILIA. d ENCOLPIUS. LIII. „ Et

Qui sciebat, quibus meritis revocaretur ad cœnam.] *Revocari* est iterum vocari, altera vice invitari. Exceperant, id est, laudaverant urbanitatem jocantis Trimalcionis convivæ, inprimis Agamemnon, qui adulatione gratiam hospitis obtineri & obsequio noverat, exspectabatque sic alio quoque tempore invitari. Alio sensu Phædrus fab. 26. dixit *revocare* de eo, qui ante vocatus & hospes fuerat; quod Græce ἀντικαλεῖν, *contravocare*. REINES. Recte Reinesius, & plurima sunt verba, quæ ex particula illa *re* composita sunt, quæ significant, aliquid denuo, & iterato facere, ut *recinere* Horatio lib. II. od. 27. *revincere* eidem IV. od. 4. *repetere* Sueton. Aug. 16. & 32. *repostere* eidem Aug. 42. BURM.

Etiam ebrio proximus] Non puto ista bene distingui, sic enim suspicor scribenda. *Trimalcio hilarius bibit. Etiam ebrio proximus, nemo, inquit, vestrum*, &c. Illud *Etiam* sic usurpat quoque in superioribus cap. XLVI. *Etiam tibi discipulus crescit.* cap. XL. *Etiam videte, quam porcus ille commederit.* SCHEFFER. Forte, *& jam ebrio proximus.* HEINS.

Cordacem] Saltationis genus lascivum, & ideo probrosum, nec fere usurpatum, nisi ebriis. Vide Meursium in Orchestra. SCHEFFER. Hinc *Cordacistæ* apud Martianum Capellam lib. IX. *Psaltas, Cordacistas, Sambucos, Hydraulas, per totum orbem, ad commodum humanæ utilitatis inventi.* Vide Orchestram Meursii in κόρδακι. HEINS.

Ducit: atque ipse] Sic distingue, *ducit. Atque ipse.* TILEBOM.

Madeia, permadeia] Corrige, *ma deia, perite, ma deia.* Græcum est, μὰ δία, hoc est, per Jovem. Demosthenes ὁ μὰ τὸν Δία καὶ τὰς Θεάς. Illud, *perite*, solenne verbum est applaudentium. SCHEFFER. Lege *ma Dia, perii! ma Dia.* REINES. Reinesius *perii ma dia.* Miror profecto, viro doctissimo potuisse hoc excidere. Quomodo enim integra familia diceret, *perii?* Deinde, qui dicit *perii*, qua ratione feratur *concinere.* Qui concinit, debet uti fausto jucundoque vocabulo, quale profecto non est *perii.* SCHEFF. Omnino verum est, μὰ δία perite, μὰ δία. Sic *perite audire Neronem* dicuntur Tacito Annal. XIV. cap. XX. qui ei in scena applaudebant modulato cum concentu. HEINS. Nihil verius Schefferi emendatione. Aristæn. lib. II. ep. 21. Περίεργος διατελῶ πρὸς τὰ γύναια παιτα-χῇ μὰ δία, ἵνα τύχαν ἄψαιμι.

Ad aurem accessisset: & credo dixerit] Simillimum illi, in cap. XXV. *ad aurem ejus Psyche ridens accessit, & quum dixisset, nescio quid.* SCHEFFER.

Revertebatur, modo ad naturam] Omissum aliquid hoc loco. Scribe: *Fortunatam reverebatur, revertebatur modo ad naturam.* Similitudo utriusque vocabuli effecit, ut alterum omitteretur. *Reverti ad naturam*, pro, ad indolem animumque suum, sicut Cicero X. ad Famil. ep. 28. *ad illum animum meum reverti pristinum.* Traducitur hoc loco mirum Neronis studium saltandi, de quo Dio & Suetonius prolixe. SCHEFF. Lege, *modo Fortunatam verebatur, modo revertebatur ad naturam.* Ita Cyclops ad Galateam suam apud Nasonem Metam. XIII. vers. 857. è membranis optimis:

Quique Jovem & Coelum sperno & penetrabile fulmen,
Nerei, te vereor: tua fulmine sævior ira est.

Seneca de ira lib. III. *Quibusdam timeamus irasci, quibusdam vereamur, quibusdam timeamus. Vereri* enim dicimur illos, quibus reverentiam præstamus, ut liberi parentibus. Tacitus Hist. I. cap. V. *Haud minus vitia principum amarent, quam olim virtutes verebantur.* Ubi frustra cum Acidalio & Pichena reponas *reverebantur. Vereri* & *diligi* opponuntur apud Pontium Diaconum in vita B. Cypriani: *Ut esset ambigere, vereri plus, an diligi, mereretur.* Ubi *vereri* passive ponitur. Afranius apud Gellium pari modo Noct. Att. lib. XV. cap. XIII.

Hem ista ac parentum est vita vilis liberis,
Ubi malunt metui, quam vereri se a suis. HEINS.

Nulla opus puto repetitione. Sed semel scribendum *reverebatur*, ut edidit Hadrianides. *modo ad naturam*, familiari ellipsi τῷ *redibat*, vel similis vocis. Unde Terentius Adel. Act. I. scen. I. idem exprimens dicit *ad ingenium redit. Natura* autem hic est indoles, ingenium: idem vero in eadem fabula inquit Act. 5. scen. 5. *Jam nunc hæc tria primum addidi præter naturam,*

LIII. „ Et plane interpellavit saltationis libidinem actuarius, qui tam-
„ quam Urbis acta recitavit. [a] VII. Kal. Sextilis in praedio Cumano,
„ quod est Trimalchionis, nati sunt pueri XXX, puellae XL: sublata
„ in orreum ex area tritici millia modiûm quingenta: boves domiti quin-
„ genti. Eodem die Mithridates servus in crucem actus est, quia Gai nostri

a ACTUARIUS.

turam. Vide eruditissimi & amicissimi mihi Brouckhusii adnotata ad Propertii lib. II. eleg. 16. & Erasmum in adagio, *Naturam expellas furca, tamen usque recurret*, pag. 387. BURM.

Saltationis libidinem actuarius] Post *libidinem* poni debet asteriscus, est enim hiatus hic versuum nonnullorum. SCHEFFER. Nihil deesse puto, cum sensus sit perfectissimus. Actuarius enim eo momento intravit triclinium, & Trimalchionis impetum saltandi reprimebat, recitans acta, ex quibus nova se efferendi insulso homini materies nasceretur. Ita supra cap. 39. *Interpellavit tam dulces fabulas Trimalchio.* Et ita saepius in editis hoc verbum occurrit. vide cap. 94. 106. 107. & 108. BURM.

Actuarius] De actuariis Lipsius lib. v. excurs. 5. ad annales Taciti, Torrentius ad Suetonium vita Caes. cap. 55. Langlaeus in semestribus. Iidem & *actores* dicti, qui in villis rationibus praeessent, ut è Columella liquet lib. I. cap. VIII. Cum autem acta sint publica, pro adagio dixit Seneca controvers. x. *Acta alicui in aurem legere*, de iis qui nota pro arcanis haberi volunt. HEINS. Diversi ab his actuarii apud Sueton. Caes. 55. ubi pro *notariis* & *exceptoribus* sumuntur. Diversi etiam *actuarii* in re militari, qui rationes numerorum militarium & annonae tractabant. Ut apud Gruter. CCLX. I. *Actuarius Legionis* VII. *Gem.* vide Vales. ad Amm. Marcell. XX. cap. 5. & Jac. Gothofr. ad lib. XI. Cod. Theol. de erogat. milit. annonae. Trimalchionis autem actuarius erat similis ei, qui Urbis Romae acta curabat, de quibus satis multa viri docti. BURM.

VII. Kal. Sext.] Tot illi uno die, & quidem uno in praedio, quis credat? verisimilius, si scribamus, *ad VII. Kal. Sext.* Id est, à ratiociniis novissimis usque ad VII. Kal. Quae lectio si recipietur, rem faciet paulo verisimiliorem. GOES. Non video necesse esse, ut statuamus, uno die tot infantes natos esse, sed potuit Actuarius ille ad illum diem rationes praeteriti temporis, quod effluxerat ab eo die, quo proximas rationes deduxerat, retulisse. Et hic Actuarius non videtur in agro Cumano rationes domini curasse, sed in domo Trimalchionis, & ad eum ex variis fundis fuisse ab inferioris ordinis servis actuariis relata, quae in singulis praediis, diversis locis & tempore acciderant. Nam mox Pompejanorum hortorum meminit, & saltuariorum, qui non omnes in uno loco erant. Quamquam quid obstat, cum omnia magnifica, & supra communem sortem, à Trimalchione ostentarentur, quin dicamus, uno die tot natos ex mancipiis vernas? cum tamquam Urbis acta recitarentur, & greges numerosissimos aleret noster beatus; & qui pro luxuria eorum temporum, *quotidie sibi jubebat numerum servorum referri, ut Imperatori exercitus*, ut ait Seneca de Tranquill. anim. c. 8. Decore autem Satyricus in actis primo loco memorat natos infantes, ex solemni more, de quo vide Servium ad Virgil. lib. II. Georg. vers. 502. & alios apud Lipsium dicto excursu. Ubi & de divortiis & judiciis & reliquis. BURM.

XXX. pueri & XL. puellae] Vere Naturae consultum egit Petronius, dum istud in Actis privatis hominis sui Trimalcionis perscriptum fuisse finxit. Perpetuum enim est, plures nasci femellas, buam masculos. REINES.

Sublata in orreum ex area] Apud Nasonem, Metam. v. vers. 131. *Tollere farris acervos.* quapropter proprie loquutus est actuarius. HEINS. Proprie de frugibus. Columell. lib. II. cap. 10. *Hoc quidem semen Cilicia Syriaque regionibus ipse vidi mense Junio Julioque conseri, & per autumnum, cum permaturuerit, tolli.* ne miremur vero ingentem tritici copiam, facit, quod Cumanus ager totius Campaniae fertilissimus esset, ut dicit Dionys. Halicarn. lib. VII. cap. 3. Unde etiam omnis fuit villis & Praetoriis Romanorum occupatus, &, ut Florus dicit, erat Cereris & Bacchi certamen. BURM.

Millia modium] Scribe cum accentu circumflexo, *millia modiûm.* TILEBOM. Numerus frumenti, quamvis magnus, non tamen fidem superat, si conferatur cum iis, quae dicit Seneca Ep. LX. *Quamdiu implebimus magnarum urbium campos? Quamdiu nobis populus metet? Quamdiu unius mensa frumentum multa navigia, & quidem non ex uno mari, subvehent.* GOES.

Boves quingenti] Incredibilis numerus. Cum nec tot boves exigere possit ulla villa, etiam amplissima, neque facile tot simul domari potuerint. Praecipue, cum in Campania, ubi *terra est levis, etiam vaccis & asinis* ararent, & onera portarent, teste Varrone lib. I. de R. R. cap. 20. Boves vero Campani erant exiliores reliquis in Italia bobus, & coloris albi, Columel. lib. VI. cap. I. insignis ergo haec jactantia Trimalchionis. Nisi, ut mox diximus, capiamus de diversis praediis. BURM.

In crucem actus est] Judicio proculdubio conservorum, inscio etiam, ut videtur, Trimalchione. Capitale quidem judicium Cato permittebat conservis, sed ut ipse de iis supplicium sumeret, ut auctor est Plu-

„ noſtri genio maledixerat. Eodem die in arcam relatum eſt, quod col-
„ locari non potuit, ſeſtertium centies. Eodem die incendium factum eſt
„ in ortis Pompejanis, ortum ex aedibus Naſtae villici. [a] Quid? inquit
„ Trimalchio: Quando mihi Pompejani horti emti ſunt? Anno priore,
„ inquit actuarius, & ideo in rationem nondum venerunt. Excanduit
„ Trimalchio: & Quicumque, inquit, mihi fundi emti fuerint, niſi
„ intra ſextum menſem ſciero, in rationes meas inferri veto. [b] Jam etiam
„ edicta Aedilium recitabantur, & ſaltuariorum teſtamenta, quibus Tri-
„ malchio

a TRIMALCHIO. *b* ENCOLPIUS.

tarchus. Et Seneca Epiſt. XLVII. *Majores inſtituerunt diem feſtum, quo non tantum domini cum ſervis verſcerentur, ſed quo utique honores illis in domo gerere, & jus dicere permiſerunt.* Quod igitur alii definito tempore, aut modo, ſervis permiſere, id abſolute, & omni modo, ſuis permiſiſſe videtur Trimalchio. GOES.

Genio male dixerat] Inſignis crudelitas, cum nec perjurium per genium, aut fortunam Principis (quae jurisjurandi formula ab Auguſti temporibus fuit frequentiſſima; vide Sueton. in vita Calig. cap. 27.) ab Imperatoribus ſoleret capite puniri. Dion Caſſ. lib. LVII. pag. 608. & l. 13. §. 6. ff. de jurejur. Trimalchio autem ſervos propter maledictum graviſſima crucis poena adfici patitur. BURM.

Collocari non potuit] Impendi ad uſus villae neceſſarios. Tacitus VI. An. cap. 45. *Millies ſeſtertium ea munificentia conlocatum.* SCHEFFER. In foenus nempe. Brevis & elegans loquendi modus, quo & uſus Plinius ad Trajanum lib. x. & alii. Ita & *ponere*, apud Horatium Ep. 2. verſ. 69.

Omnem relegit idibus pecuniam
Quaerit Kalendis ponere. HEINS.

Suet. vita Tiber. cap. 48. *Sanxit, ut foeneratores duas patrimonii partes in ſolo collocarent.* Plaut. Moſtell. III. 1. *Bene res noſtra collocata eſt iſtoc mercimonio*, & ita Cicero aliquoties.

Ex aedibus nocte villici] Tranſpoſitio ingrata, mallem *villici nocte. Nocte*, pro, *de nocte*, id eſt, nocturno tempore. Noſter cap. XCV. *fugere nocte in publicum voluiſtis.* Ita ſaepe. SCHEFFER. MS. Dalmaticum *naſte.* Latet nomen proprium ejus villici ſub hoc vocabulo. Scribo *Naſſae.* SCHEFFER. Vir doctiſſimus Thomas Munkerus *Naſtae villici* legebat, quod ſervile nomen & apud Martialem eſt lib. IX. ep. LXXXVII. *Modo liberam eſſe juſſi Naſtam.* Ita enim optimi Codices, teſte Scriverio, ubi ſcribo:

——— *Modo liberum eſſe juſſi*
Naſtam, Servulus is mihi paternus. HEINS.

Tragurienſis *Naſte*, qui ſemper diphthongum æ per e ſimplex exhibet. Unde certiſſima eſt Munkeri lectio *Naſtae villici.* Ita apud Gruter. pag. DCCCCXCVIII. 5. M. TURRANIUS. M. L. NASTA. BURM.

Quando horti Pompejani mihi emti ſunt] Et hoc pro luxu Romanorum, quod ignorabat Trimalchio, quos fundos poſſideret. Supra cap. XLVIII. *In ſuburbano naſcitur eo, quod ego adhuc non novi.* Seneca de vita beata cap. XVII. *Cur trans mare poſſides? cur plura, quam noſti, poſſides?* Pompejanos hortos refer ad oppidum Campaniae Pompejos, non ad Pompejum Trimalchionis patronum, aut alium ejus nominis quemcumque. Sic apud Ciceronem lib. VII. Ep. IV. *In Cumanum veni cum Libone tuo, in Pompejanum ſtatim cogito.* HEINS.

Anno priore] Quam nempe fuit illud incendium. Cicero I. ad fam. Ep. 9. *Quod de Q. Fratris negocio ſcribis, de priore aeſtate quod morbo impeditus in Ciliciam non tranſieris, conficere non potuiſſe.* SCHEFFER.

In rationes inferri] Solemnis quoque haec formula, quamquam Sueton. in vit. Caeſ. cap. 47. & Columell. lib. I. cap. 7. *rationibus inferre* dicere maluerint. *Referre rationibus* Suet. in vit. Veſpaſ. cap. 22. ubi tamen Torrentius teſtatur, duos codices, *inferre*, habere. BURMAN.

Edicta aedilium] Interpretor id de aedilibus à Trimalchione privatim conſtitutis. GOES. Vellem Vir ampliſſimus idoneo aliquo teſtimonio aediles ſuos privatos nobis approbaſſet: cum agi hic videatur de coloniarum & municipiorum aedilibus, de quibus abunde ſupra, cap. 44. quorum edicta, circa mancipia & alia venalia, ideo in actis Trimalchionis videntur relata, ut ne contra haec committerent aliquid ejus diſpenſatores, & rem dominicam adminiſtrantes, & ut ſemper exemplar iſtorum ad manum eſſet ſervis vel libertis mercaturam exercentibus. BURM.

Teſtamenta] Saltuariorum etiam mentio in jure, ubi cum inſularibus conjunguntur. HEINS. Conjunguntur hac ratione, quod uterque cuſtodiae cauſa adhibetur, hic aedium, ille fundi. Locus, qui deſignatus eſt in l. 16. §. 1. ff. de uſu & habitatione. *Dominus proprietatis, etiam invito uſufructuario vel uſuario, jundum vel aedes per ſaltuarium vel inſularium cuſtodire poteſt.* Hi vero inſtitorum nomine etiam comprehenduntur, & in ſolidum obligant, qui eos huic rei praepoſuerunt. De quo videnda lex 5. §. 1. ff. de inſtitor. Act. In numero autem ſervorum eſſe, licet colligere ex l. 60. §. 3. ff. de Legat. 3. Quaeritur ibi, an

legato

„ malchio cum elogio exhaeredabatur: jam nomina villicorum, & repu-
„ diata à circumitore liberta, in balneatoris contubernio deprehensa:
„ artiensis

legato cedant, quod perquam ineptum foret, si aut liberi aut liberti forent. Sed debuit Trimalchio huic curæ, præter morem, liberos præfeciſſe homines, vel ſaltem libertinos. Nam & hi teſtamenti factionem habent, quamvis ex lege Papia cogantur partem patronis relinquere. GOES.

Cum elogio exhæredabatur] Quintilianus VII. cap. 4. *Nonnumquam etiam reus hic totius ſummam conſtituit, ſi exhæredatum à ſe filium pater teſtatus fuerit elogio.* Eſt autem *elogium* quæcumque denique exhæredationis cauſſa, ſcripto ſignificata, & hoc quidem loco ea, quæ ad laudem Trimalcionis pertinebat. Quales interdum proponi conſueviſſe ex copie Fabio aliiſque notum, pridemque obſervatum eſt. SCHEFFER. Scribendum plane, *elogio*. Nuſquam autem *eulogium*, quod Manutius & Lambinus ad Ciceronem amplectuntur, neque item *eclogium*, quod aliis placebat, ut videre eſt apud Muret. Variar. lect. XI. cap. XIII. cum autem nunc in bonam, nunc in malam, ſumatur partem, hic in bonam partem accipi malo, ut cum honoris præfatione & laude exhæredatus fuerit Trimalchio. Aliter apud Quintilian. Declam. II. *Non eſt judicis, quod puteris, ideo nullum adjectum ad exhæredationem juvenis elogium, quia de ſcelere conſtaret.* Inſtitution. Orat. lib. VII. cap. IV. *Exhæredatum à ſe filium pater teſtatus elogio, propterea quod is meretricem amaverit.* Apulejus Apologia: *Elogium graviſſimum jam totum, medius fidius, perſcriptum, ut aboleret, impenſis precibus oravi.* Præceſſerat: *Diu reniſus ſum, ne hunc ob tot inſignes contumelias, ob tot injurias, exhæredaret.* Et me non præterit libertas illa, qua ſupremis tabulis apud antiquos maledicta, quandoque & convitia, congerebantur in exhæredatos. Qua de re videndus Suetonius in vita Auguſti cap. LVI. & Tacitus Annal. lib. VI. cap. XXXVIII. HEINS. Ego vero elogium exhæredationis, cum laude & præfatione honoris, nuſquam conſpici opinor. Niſi forte illud Ironice ſit prolatum. Eſt enim exhæredatio ſolemnis atteſtatio, qua hæreditate privatum volumus, qui ad eam jure vocatur. At, ut hæreditate indignum judicemus, qui de nobis male meritus non ſit, neutiquam eſt veriſimile. Male meritos ergo dumtaxat hæreditate privamus, ejuſque exprimimus cauſſam. Patronis igitur cum deberetur pars hæreditatis ex lege Papia, ut conſtat ex inſtitutionibus tit. de ſucceſſ. libert. §. 2. qua ratione videri poſſunt eos illa privaſſe cum præfatione honoris? GOES. *Exerdabatur* codex Tragurienſis. Sed Heinſio hic exhæredationem cum elogio in bonam partem interpretanti accedere nequeo, antequam ejus exemplum quis ex probato auctore attulerit. Contrarium docere poſſunt ea, quæ collegerunt doctiſſimi JCti Pancirollus lib. I. Var. lect. cap. 37. & Herald. obſerv. cap. 28. ſi quis honoris cauſſa in teſtamento nominetur, ille plane non exhæredatur, neque præfatio honoris cauſſa *elogium* appellari in hac re conſuevit. Ita ſæpe in lapidibus veteribus occurrit, *quos teſtamento meo honoravero*, *quibus honorem habuero*, & ſimilia, de quibus vide Fabrett. Inſcr. cap. III. pag. 152. ſed in his teſtamentis hic ſcrupulus reſtat, ſi ſaltuarii illi ſervi fuerint, ut eos fuiſſe docent lex. 8. §. 1. & lex. 12. §. 4. ff. de inſtr. & inſtr. leg. qua ratione teſtamenti faciendi illis jus datum fuerit, & ſi jam ſtatuamus, ſtulta indulgentia & facilitate domini, cujus paſſim argumenta in hac cœna exſiſtunt, id illis conceſſum, an dominum cum elogio exhæredarent? Liberos vero vel libertos fuiſſe, ut Goeſius credit, ne putemus, facit nulla apud veteres ſaltuariorum liberorum mentio. Si liberti fuerint, recte legem Papiam hic iterum nos morari notat Goeſius. Cogitent acutiores, an in hujus ſtulti familia omnia ad juris normam ſint exigenda. Cæterum neſcio, unde Gallicus Petronii interpolator, elegantem illam lectionem, *quibus Trimalchionem cum elogio exhæredem ſtatuebant*, acceperit. BURM.

Nomina villicorum] Si quis in catalogum conjecta villicorum plurium nomina, ut inde opes & latifundia Trimalchionis à convivis æſtimari poſſent, & hic recitata velit intelligere, cum eo non contendam; quia tamen hic fere crimina ſervorum & damna recenſentur, malim *nomina*, pro ære alieno, quod villici rem male adminiſtrantes Trimalchioni confiaverant, accipere: nam inter præcipua villicorum officia erat, negotiationem exercere, fruges vendere, inſtrumenta viciſſim ruſtica, & alia neceſſaria, mercari, unde inter ea, quæ Cato de R. R. cap. 5. villico obſervanda præcipit, eſt, *Injuſſu domini credat nemini, quod dominus crediderit exigat. Rationem cum domino crebro putet.* Et ideo Columella lib. I. cap. 8. etiam illiteratum villicum haberi poſſe dicit, quia *ſæpius nummos, quam librum, adſert.* Et præterea monet, ne *negotietur ſibi*, ſed domino, *nec pecuniam domini aut animalibus, aut aliis rebus promercalibus, occupet.* Similia & lib. XI. cap. I. habet idem ſcriptor. Credibile ergo eſt, villicos Trimalchionis negligentioris ad rem familiarem, & qui pœne ignorabat, quæ poſſideret, nomina feciſſe. BURM.

A circumitore] Puto hic intelligi cuſtodem villæ, ad exemplum eorum, qui circuire urbem ſolebant. SCHEFFER. *Circuitores* ſive *circitores* ſunt, qui in caſtris vigilias circumeunt, & renuntiant, ſi qua emerſerit culpa. Veget. lib. III. cap. VIII. Tales & rure adhibere ſolitos, liquet ex Priapeis Carm. 16.

Quid mecum tibi circitor moleſte,
Ad me qui prohibes venire furem?

Sic enim lego. Recte autem, in *contubernio*, quia balneatores erant ſervi. HEINS. *Circitorem* ſcribendum

„ atrienſis Bajas relegatus : jam reus factus diſpenſator: & judicium in-
„ ter cubicularios actum. Petauriſtarii autem tandem venerunt: baro in-
„ ſulſiſſimus cum ſcalis conſtitit, puerumque juſſit per gradus, & in ſum-
„ ma parte, odaria ſaltare; circulos deinde ardentes tranſire, & dentibus
„ amphoram ſuſtinere. Mirabatur haec ſolus Trimalchio, dicebatque, in-
„ gratum artificium eſſe. Caeterum, duo eſſe in rebus humanis, quae
„ liben-

contendit Gujetus ad Terent. Andr. Act. 1. ſc. 2. quod eodem redit. Poſteriori ævo etiam *circatores* dixiſſe docuerunt Scaliger & Brouckhuſius ad Propertii l. IV. eleg. 9. verſ. 35. & Jacob. Gothofr. ad l. 3. C. Theod. de Agentib. in rebus & l. 2. de filiis militarium. Eoſdem eſſe, qui à JCto in lege 92. ff. de leg. 3. *cuſtodes ſundorum* dicuntur, puto, qui circumire ſæpe non villam modo, ſed fundos, debebant, ut inſpicerent mancipia opus facientia, & cuſtodirent fruges, ne mala manus eas tangeret. BURM.

Bajas relegatus] Cum Bajæ Cumis ſint vicinæ, ridicula hæc eſt relegatio, præſertim in locum longe amœniſſimum. HEINS. Omni modo ridicula pœna, & loci ratione, ut Heinſius obſervat, qui amæniſſimus totius Italiæ, imo orbis terrarum, &, ut Seneca lib. 11. de Clem. cap. 15. loquitur *delicatum erat exilium*, & ipſius relegationis. Nam, ſi domeſtici ſervi deliquiſſent, ſolebant ex domo & urbe rus extrudi, ut ibi catenati opus facerent, & verberibus edomarentur, cibaria malignius, quam domi, acciperent, & reliqua paterentur, quæ Juriſconſultus eruditiſſimus Petrus Faber lib. 11. Semeſtr. cap. 5. congeſſit. Deinde improprie voce *relegatus* utitur per inanem potentiæ oſtentationem, quaſi veræ relegationis inſtar faceret in ſua familia Trimalchio, cum propter crimina ſervi relegari à magiſtratibus aut Principe non ſolerent, ſed in opus damnari, ut idem Faber egregie oſtendit. BURM.

Judicium inter cubicularios actum] Ita Plin. IX. cap. 35. *Poſtero die, quo judicium agebatur.* SCHEFFER. Id eſt, de cubiculariis, ſive in cauſſis cubiculariorum. Cic. pro Cluent. cap. 53. *Quæſtio M. Plectorii & C. Flaminii inter ſicarios.* Et lib. 11. de Finib. cap. 16. *Cum Prætor quæſtionem inter ſicarios exercuiſſet.* GOES.

Petauriſtarii] Idem & Petauriſtæ. Uſus hoc vocabulo Julius Firmicus. HEINS. Jam ſupra cap. 47. horum mentio injecta, & de illis plura Mercurialis de Gymnaſt. lib. 111. cap. 8. hi ſunt, quos Græci θαυματοποιὸς vocant, quos potentiorum cœnis adhibitos, ut mirandis his ludicris convivas delectarent, docere poteſt Alexandri convivium, in ejus & amicorum nuptiis cum Perſarum devictorum uxoribus & filiabus celebratum, & ab Ælian. lib. VIII. Variar. cap. 7. deſcriptum, ubi videndæ celeberrimi Perizonii notæ. Gloſſæ θαυματοποιὸς, *mirificus.* Quo ſenſu *mirifica* dixit Plinius lib. VII. cap. 20. de Julio Valente, *qui vehicula onuſta culleis, donec exinanirentur, ſuſtinere ſolitus erat, & carpenta una manu retinere obnixus contra nitentibus jumentis.* BURM.

Baro inſulſiſſimus] Scribe, *baro inſulſiſſimus.* Baronem pro ſtolido uſurpavit Cicero, & Perſius. SCHEFFER.

Cum ſcalis conſtitit, puerumque juſſit] Conveniunt his verſus Martialis lib. 11. epig. 85.

Quid ſi per graciles vias petauri
Invitum jubeas ſubire Ladam? SCHEFFER.

Proprie, certo loco, ita conſtanter ſtetit, nec labebatur. Vide ſupra cap. XLVI. Et hoc ludicrum noſtra ætate à circulatoribus mirifica corporis agilitate exhiberi vidimus, qui in ſcalarum gradibus inſiſtentes ſaltabant, & in ſummum gradum eniti poterant; digni mehercule nebulones, qui cervices frangant, ſi meritam cultoribus gratiam artificium hoc ingratum referret.

Puerumque juſſit per gradus] Videtur ſcribendum, *puerumque juſſit per gradus erigi*, aut *ferri*, vel, quod Munkero placebat, *ire per gradus.* HEINS.

Odaria ſaltare] Quomodo Ovidius v. Triſt. El. 6.

Carmina quod pleno ſaltari noſtra Theatro,
odarium, à Græco eſt. Gloſſæ, ᾠδάριον, *cantilena.* SCHEFFER. Id verbum vel nuſquam vel raro occurrit. HEINS. Hinc in inſcriptione antiqua apud Fabrett. pag. 716. *Magiſter odariarius* memoratur. BURM.

Circulos deinde ardentes tranſire] Convenit Manilius V. verſ. 437.

Membraque per flammas orbeſque emiſſa flagrantes. SCHEFFER.

Tranſilire, malim. HEINS.

Ingratum artificium] Quomodo? cum mox idem dicat, ſe hos artifices libentiſſime ſpectare. Credo *ingratum* hic active accipiendum, quod gratiam non referat auctori ſuo, tantam puta, quantam Trimalcio volebat promereri, qui tranſſiliendo iſtos circulos immittat ſe in diſcrimen vitæ manifeſtum. Sidon. lib. IV. ep. 11. *Huic jam, ut eſt illud Maronianum, cineri ingrato, id eſt, gratiam non relaturo, naviam condidimus.* SCHEFFER. Quomodo ingratum cum hæc ipſe miraretur, & libentiſſime ſpectaret? Emendo itaque, *intemperatum artificium eſſe.* GOES. Eodem ſenſu Ovidius lib. 1. Amor. eleg. 15. dixit

Ingrato vocem proſtituiſſe foro,

Et Martial. lib. v. Ep. 19.

In

„ libentissime spectaret; petauristarios, & cornices, reliqua animalia cro-
„ matarícas meras esse. [a] Nam & comoedos, inquit, emeram, & malui
„ illos

a TRIMALCHIO.

Quod colit ingratas pauper amicitias.

In rebus humanis] Fastidiose hæc proferebat fatuus senex, quasi in omni rerum natura nihil illum delectare posset, præter has nugas. *Res humanas* autem cum dicit, sublimi se dicendi genere uti & magnifice locutum esse putabat, ut ostenderet, illas esse fluxas & infidas; &, cum Philosophus aliquis, post hæc verba enuntiasset gravem aliquam sententiam, & convivæ exspectarent duas res gravissimas & serias, quibus delectaretur, hic, qui numquam Philosophum audiverat, παρὰ προσδοκίαν subjicit petauristarios & cornices, quasi in iis spectandis sola vitæ voluptas consisteret. Hoc est Petronii nostri sal atticum. Virgil. x, 152.

——— *Humanis quæ sit fiducia rebus*
Admonet.

Lucret. lib. IV. vers. 1184.

Et si bello animo est, & non odiosa vicissim,
Prætermittet te humanis concedere rebus.

Senec. præfat. lib. III. Quæst. Natur. *Quid præcipuum in rebus humanis est? non classibus maria complesse, nec in rubri maris litore signa fixisse, nec deficiente terra ad injurias aliorum errasse in oceano, ignota quærentem, sed animo omne vidisse, &, qua nulla est major victoria, vitia domuisse.* Et noster mox capite seq. *quam in præcipiti res humana essent.* Infra cap. 98. *Deum humanarum rerum arbitrum* Eumolpum agnoscentem inducit, quia scilicet puer sternutaverat. Et cap. 106. *Deos rerum humanarum curam agere.* BURM.

Cornices] Num scribendum, *cornicines?* non arbitror, quandoquidem præcedit, *spectaret.* At cornicines non spectantur. Quid, si *cernices?* ut sint à *cernix*, pro quo vulgo *cervix*. Ita supra fuit, *mixix*, vel, ut ego putabam, *mitrix*. Puto plane *coturnices* scribendum. De coturnicum certamine, sicut gallinaceorum, docet nos abunde Pollux, & nec Romanis ignotum fuisse testatur Herodianus. Ovid. II. Amor. 6.

Ecce, coturnices inter sua prælia vivunt. SCHEFF. Inepte. Scribo, *cornicines*. Nam & hi introducti quoque in convivium. Infra cap. LXXVIII. *consonuere cornicines funebri strepitu.* Ubi pari modo mendose *cornices* exhibentur. Et eodem cap. *Trimalchio, ebrietate turpissima gravis, novum acroama, cornicines in triclinium jussit adduci.* HEINS. Lege omnino, *coturnices*, quorum nota pugnacitas, &, tamquam gladiatorum spectacula, Athenis præcipue frequentata. GOES. In hic & sequentibus nihil extrico. Crederem tamen, *coturnices* nullo jure hic admitti, cum & *cornices* animalia sint, quibus videndis cur noster Trimalchio delectaretur, difficile divinatu est: nisi hic iterum aliquod ostentandæ sapientiæ studium lateat, cum hæ aves diuturnæ vitæ esse dicantur, ut ideo eas, boni ominis causa, libentissime spectaret; vel, quia noster Fortunatam suam revereatur, & hæ aves ad mortem usque observare pertinaciter dicantur legem conjugii, & inde concordiæ & societatis connubialis sint symbolum, ut ex Oro Apolline ostendit Hadr. Junius lib. I. Observ. cap. I. & hinc in sepulchris veterum frequenter insculptæ conspiciantur, tamquam amoris conjugalis argumentum, ut egregie docuit Vir Amplissimus Cuperus in monumentis antiquis pag. 238. quidquid sit, ego malo veteris codicis scripturam servare, donec quis certiora adferat. BURM.

Reliqua animalia cromataricas meras esse] Hoc vero monstrum verbi quid sibi velit, ego non excogito. An scribendum: *animalia ac acroamata tricas meras?* Tricæ sunt res viles. Martialis XIV.

Sunt apina tricæque, & si quid vilius istis.

SCHEFFER. Vice hujus lectionis lege, *Reliqua animalia & oramata tricas meras esse*, Ὁράματα res, quæ videntur, spectacula. Asperum initio spiritum non expressi, imitatus Æolas, incolasque magnæ Græciæ, teste Quinctiliano, ubi fere versamur ac convivimus. HADRIANIDES. Hadrianides vult, *animalia & oramata*, quam suam conjecturam, tamquam certam, recipit & in textum. Ego veram Lectionem puto, *animalia ac tomata caricas meras esse.* Primum *tomata* vocat, quæ alias sunt *taumata* Græcis θαύματα, res visu mirabiles, aptissimo huic loco verbo. *Taumata* & *tomata* promiscue possunt dici, ut *aula* & *olla*, *caudex*, *codex*, *caupo*, *copo*. Deinde *caricæ* sunt *ficus*. Porro ficubus ludebant pueri. Ergo *caricæ meræ* proverbiali genere dicuntur res ludicræ ac pueriles, pueris convenientes. Id quod iterum huic loco est aptissimum. Alios putat Trimalchio posse oblectare se minutis rebus, tamquam pueros, se vero vivum, & intelligentem talium, capi solis gravioribus illis, in quibus scilicet consistat ars vera atque absoluta. SCHEFFER. Locus inquinatissimus, cui tamen videtur haud magno negotio succurri posse: *reliqua anilia acroamata ac tricas meras esse.* Ut ad *Nanias* aniles videatur alludisse. Possis etiam: *reliqua anomala acroamata ac tricas meras esse.* De anomalis, quæ analogiæ contraria, Gellius videatur lib. II. Noct. Att. cap. XXV. *Tricas meras esse*, ut infra: *Non didici Geometricas tricas, & alogiæ nanias.* Quæ etiam fœdissimis nævis inquinata circumferebantur. HEINS. Codex Tragurianus *cromataricas*, quæ vox quin corrupta sit nullus dubito. Sed ratio sanandi non apparet. Nec satisfaciunt virorum doctorum conjecturæ, nisi quod *acroamata* hic cum Heinsio latere credam, sed *animalia* sollicitari nolim, & legerem *reliqua animalia ac acroamata tricas meras esse.* Sed cogitent acutiores. BURM.

„illos Atellam facere, & choraulem meum jussi Latine cantare.

LIV. „[a] Cum maxime haec dicente Gajo, puer Trimalchionis delapsus „est. Conclamavit familia, nec minus convivae, non propter hominem „tam putidum, cujus etiam cervices fractas libenter vidissent, sed pro„pter malum exitum coenae, ne necesse haberent alienum mortuum plo„rare. Ipse Trimalchio cum graviter ingemuisset, superque brachium „tamquam laesum incubuisset, concurrere medici, & inter primos For„tunata crinibus passis, cum scypho, miseramque se, atque infelicem, „proclamavit. Nam puer quidem, qui ceciderat, circumibat jam du„dum pedes nostros, & missionem rogabat. Pessime mihi erat, ne his „precibus periculo aliquid catastropha quaereretur. Nec enim adhuc „exciderat

a ENCOLPIUS.

Attellam] Scribe, *Attellanam*, seu *Atellanam*, & intellige, fabulam. De Attellanis habes prolixe apud Vossium in Instit. Poët. Porro *facere ludum*, hoc est, ludere, & agere. SCHEFFER. *Atellanam* puto, nisi *Atellam* pro Atellana dixit. Fuit & cum arbitrarer, scribi oportere: *sed malui illos Atellam facessere;* quomodo apud Livium: *Facesse hinc Tarquinios.* HEINS. Ut scilicet se studiosum Romanae antiquitatis, homo Graecae forte, vel certe peregrinae, originis, probaret. Atellana enim propria Romanis; quare & choraulem suum Latine jussit cantare. v. Inf. cap. 59. De choraule vide Salmas. ad Vopisc. Carin. cap. XIX.

Cum maxime haec dicente Gajo, puer] Scribe, *diceret Gajus.* TILEBOM. Post *puer*, puto deëse aliqua, quae significabant lapsum ejus pueri in brachium Trimalcionis. Est enim ille puer, qui supra jussus est in summa scalarum parte odaria saltare, à quibus hic delabitur. SCHEFFER. Nihil hic deëse puto, neque opus rescribere *diceret Gajus.* Quod Tilebomenus volebat. Ignorasse videtur ille usum formulae elegantissimae *cum maxime*, quae duo verba conjuncta non requirunt subjunctivi modi verbum. Vide Livinej. ad Mamert. Panegyr. Maximiano dictum cap. 2. sed hoc reliquis docti viri meritis condonamus; sed quis in inepto Petronii corruptore ferat, totam periodum ex ignorantia linguae Latinae ita constitui? *cum maxima haec diceret, puer in eum delapsus est.* Quae sunt illa, quaeso, *maxima*? & *in Gajo* quo jure extrusa est, & *in eum*, manu audaci & violenta intrusa. BURM.

Conclamavit] Lugubri nimirum illo fletu, qui morientibus in aede aliqua, à circumstantibus tolli solebat. Res vulgo notissima.

Nec minus] Veræ elegantiae Latinae formula. Pro pariter, simul saepe nostro frequentata. vide cap. 98. 132. 133. Propert. 1. eleg. III. 5.

Nec minus assiduis Edonis fessa choreis.

Ubi vide diligentissimo Passeratio adnotata.

Putidum] Codex Trag. *puditum*, sed in margine erat *putidum*. Patavini ediderunt *perditum*, male. Infr. cap. 73. *ac ne sic quidem putidissimam actionem licuit effugere.* ubi vide quae notamus. Putidi homines qui nimia diligentia sunt molesti, ut illi, qui periculosa & inania illa artificia nimia solertia exercent, quam melius in rebus utilioribus occuparent. BURM.

Alienum mortuum plorare] Lucilius Sat. XXII. de Praeficis eodem modo: *conductae flent alieno in funere.* Statius quoque lib. v. Sylv. III. vers. 245. *non sua funera plorant.* SCHEFFER. Apud Senecam Ep. XII. *Unde isthunc nactus es? quid te delectavit alienum mortuum tollere?* De Clementia lib. II. cap. VI. *Hanc qui à sapiente exigit, prope est, ut lamentationem exigat, & in alienis funeribus gemitus.* Huc alludit Apulejus Metam 2. *Et cantatrices aviculae in ipso momento choragii funeris (malo, funebris) perpeti celeritate, alienam sepulturam antevertunt.* HEINS.

Super brachium tamquam laesum incubuisset] Petronius cap. LXXX. *Non frueris hac praeda, super quam solus incumbis.* SCHEFFER.

Cum scypho] Non, ut puto, ex quo potabant convivae, sed in quo vel aquam, vel liquorem aliquem ferebant, qui laesae parti mederetur. Nam inter supellectilem argenteam scyphos fuisse, ad alios usus, quam ut inde biberent, docet Plutarch. in Antonio p. 916. qui narrat, patrem Antonii jussisse aquam scypho adferri, ut raderet barbam. BURM.

Missionem rogabat] Ut supra cap. LII. *missionem dedit.* Sed cur missionem rogat is, qui delapsus erat? An, quod isto casu suo laelerat Trimalcionem? At de ea re praecedit nihil. Quare puto inter ista duo vocabula, *dicente Gajo*, aliquid abesse, uti dixi. SCHEFFER.

Pessime mihi erat ne] Metuebam. SCHEFFER. Idem notat, quod Plautus Curcul. Act. v. sc. 3. dixit *pessume metui.*

Periculo aliquid catastropha] Lego, *aliquid catastrophae.* Sensus est: timebam, ne ideo instituerentur hae preces, ut earum occasione periculum imminens mutetur in haud opinatum gaudium, sicut ante acciderat.

„exciderat cocus ille, qui oblitus fuerat porcum exenterare. Itaque to-
„tum circumspicere triclinium coepi, ne per parietem automaton ali-
„quod exiret; utique postquam servus verberari coepit, qui brachium
„domini contusum alba potius, quam conchyliata, involverat lana. Nec
„longe aberravit suspicio mea, in vicem enim poenae venit decretum
„Trimalchionis, quo puerum jussit liberum esse, ne quis posset dicere,
„tantum virum esse à servo liberatum.

LV. „Com-

derat. SCHEFFER. Omnino castigandum, *ne his precibus perridicula aliquid catastropha quereretur.* Quales jam plures supra habuimus, de coquo praesertim. HEINS.

Exciderat] Eleganter, pro oblitus eram. Quintil. XI. Instit. 3. *palam moneri, excidentis, aut legere.* vide Passerat. ad Propert. III. eleg. 2.

Automatum aliquod] Hinc *automatarii* in veteri apud Gruterum Inscriptione pag. 642. 5.

SATURNINO
FABRO
AVTOMATARIO.

HEINS. Et apud Fabrett. pag. 717.

Conchiliata, lana] Id est, conchylio marino, murice, purpura tincta. Noster supra cap. XXVIII. *culcitas habere tomentum conchyliatum;* scilicet tamquam preciosius. Cic. 4. Verr. *Nihil nisi conchylio tinctum.* Plin. lib. 12. cap. 7. *Conchylio infectam lanam.* & Suet. Jul. cap. 23. *Conchyliatam vestem* dixit. Seculo quarto usurpavit id voculae Plin. Valer. lib. 1. cap. 9. factis infusionibus in auriculas dolentes, *mox*, inquit, *lana conquiliata obturandae sunt.* Sequitur hunc Marcellus Burdegal. quem Empiricum vulgo adpellant, cap. 9. jubens *aurem conchyliata lana claudere:* mox, *lana purpurea:* item *purpura;* & *lana marino Conchylio infecta.* Quod *conchyliata tapetia* è Plauti Pseud. Act. 1. sc. 2. vers. 14. petere posse videntur, id vero nihil est. A Camerarii enim conjectura venerunt; veteres vero manuscriptae membranae eo ducunt, ut potius legamus *consuta:* quod etiam Sticho Act. 4. sc. 3. de re eadem Editiones veteres servant, probatumque à Grutero, & recte receptum à Taubmanno, amplectimur. Jam, quod conchyliata potius, quam alba, nigra, vel pulla lana brachium laesum involvi Tryphon voluerit, ea ratione factum, quod isti colori magnam adeo auctoritatem in curandis morbis perhiberent; quae vanitas nec dum exolevit. Audias enim medicastras, etiam in aulis, promittere credulis podagrarum solutiones, si textis è filo laneo lineove purpureo tibialibus crura obducantur: & putari majoris efficaciae emplastra, si corio purpureo vel rubro instrata adplicentur aegrotis: qui error è non intellecta *μίσει* Scribonii Largi medic. 267. etiam Hier. Mercuriali obrepsit, ut lib. 2. Var. cap. ult. *Fœnicium* Interpretaretur de aluta coloris punicei, cum *Fœnicium* eo loco sit *φοινίκιον*, *φοινικῆον δίφθερα*, quod à Phoenicibus seu Poenis paratum erat. Poenorum enim, Libyum, & Carthaginensium *βυρσοδεψικὴς* opera maxime probabantur: probavi de Graecis in de Lingua Punica cap. XI. n. 9. & 10. REINES. Pro purpura. Cicero Philipp. II. *conchiliatis Cn. Pompei peristromatis servorum lectos in cellis stratos videres.* Seneca ep. LXII. *Demetrium virorum optimum mecum circumsero, & relictis conchiliatis, cum illo seminudo loquor, illum admiror.* Ubi *conchiliati* sunt veste purpurea induti. HEINS.

In vicem coenae] Sic & Manuscriptum. Sed plane legendum puto *poenae.* Patet ex praecedentibus *missionem rogabat. pessime mihi erat.* Nec *coena*, sed *poena* & *libertas* opponuntur. HADRIANIDES. Recepimus *poena*, ut Hadrianides conjiciebat, quia & Heinsio id placuisse video, qui margini codicis sui adscripserat. Et postulat id sensus.

A servo liberatum] Quomodo, *liberatum?* Puto, *vulneratum* oportere scribi, nam de eo praecedit. Primam syllabam absumsit ultima in vocabulo, *servo.* Idem video & N. Heinsio placere. SCHEFFER. De puero ista non possunt intelligi; nec enim adparet, qui puer dominum liberaverit. Viri summi, ut de puero exponere possent, legere malucrunt *vulneratam;* atqui nec hoc adparet: non enim, quod videntur putasse, in dominum ex alto ceciderat puer, multo vero minus vulneraverat; Sed Trimalcio pueri praecipitantis casu consternatus *super brachium tamquam laesum incubuerat.* Quid igitur? Fiat via; legamus, *servum jussit liberum esse;* nimirum cum medicus domino fuerat, lanaque brachium ejus involverat. Quod autem ista manumissione tumultuaria cavere se existimavit, ne à servo beneficium accepisse dici posset, hoc à Stoa decerptum est; inter cujus placita etiam hoc, servum eo loco conditionem suam posuisse, ut nihil eorum, quaecumque praestat, superiori imputetur; ministeria esse servi, non beneficia, non officia; nisi, cum plus praestat, quam à servo exigi solet; & in adfectum amici transiit. Accurate excutitur ista *κρίσις* à L. Sen. l. 3. de benef. c. 18. & seqq. ERINES. *Laesum* pro MSS. & Patav. *liberatum*, summorumque virorum, *vulneratum*, aut mutatione praecedentis *puerum* in *servum.* Placuit autem *laesum*, quod antecedit, ut & *contusum:* quae quidem facile in tam delicato patiente in vulnus coire poterant. *Servus*

vero

LV. Comprobamus nos factum, &, quam in praecipiti res humanae essent, vario sermone garrimus. „ [a] Ita, inquit Trimalchio, non oportet „ hunc casum sine inscriptione transire; [b] statimque codicillos popposcit, „ & non diu cogitatione distorta haec recitavit:

„ [c] *Quod non exspectes, ex transverso fit,*
„ *Et super nos fortuna negotia curat,*
„ *Quare da nobis vina Falerna puer.*

[d] Ab hoc epigrammate coepit poëtarum esse mentio, diuque summa carminis

[a] TRIMALCHIO. [b] ENCOLPIUS. [c] TRIMALCHIO. [d] ENCOLPIUS.

c Distichon Trimalchionis est cum elego suo.

vero *unde dominum liberavit?* non à vulnere: nec saltem à contusione: quia hoc, quidquid erat, servus non abstulit, sed obligando modo curare cœpit. Atque id imperite *lanam albam* pro *conchyliata* applicando, unde etiam vapulavit. Nec scio, an umquam turpe fuerit habitum, etiam ipsis Stoicis, dominum in discrimine constitutum à servo liberari; certe *laedi*, deseri, prodi, crimini semper datum, summumque fuit nefas. Et quorsum *concurrere medici*, nisi quantum pote ut liberarent dominum, non per modum beneficii, sed ministerii. Quamquam nec medici per se à morbo liberent, sed per accidens, docente Aristotele, & usu. HADRIANIDES. *Liberatum* hic non quadrat. Quid si, *vulneratum?* vel, *servulo vili verberatum?* Non quod vere verberatus esset, sed, ne quis cavillaretur id factum. HEINS.

Vario sermone garrimus] Deesse quid videtur. SAMBUC. Proprie, ut in conviviis solet, ubi non solent uni materiae inhaerere diutius. Statius lib. VIII. Theb. vers. 609.

——— *Vario miscent sermone querelas.*

Ut recte emendavit Barthius, & his Petronii verbis illustravit. Paullo alio sensu dixit Ovidius lib. IX. Met. vers. 418.

——— *Vario superi sermone fremebant.*

Catull. carm. X.

Hac ut venimus, incidere nobis,
Sermones varii.

Et ita bis terve etiam Virgilius. Apposite autem Varro apud Nonium in *tempestas. Dum sermone canulam variamus, interea tonuit bene tempestate serena.* Valer. Flacc. lib. II. 664.

——— *Hasque inter variis nox plurima dictis*
Rapta vices.

Post *garrimus* prima editio habet. *Et Poëtarum coepit esse mentio.* BURM.

Quod non exspectes ex transverso fit] Auctor Queroli; *Numquid ex transverso quispiam me haeredem instituet?* Quintilian. in Declamat. *Deorum numen rebus humanis, etiam qua non apparet, intervenit.* BONGARS. Similis sententia apud Plaut. Mostell. Act. I. scen. I. in fin.

——— *Sed unum hoc scito, nimio celerius*
Venire quod molestum est, quam id quod cupide petas.

ubi Lambinus in Comment. ERHARD. Plautus Mostellar. Act. I. sc. III. *Insperata accidunt magis saepe, quam quae speres.* Pindar. Olymp. 12. πολλὰ δ' ἀνδρώποις παρὰ γνώμαν ἔπεσεν, ἐμπαλιν μὲν τέρψιος· WEITZ. Haec sic debent scribi: *Quod non exspectes, ex transverso fit, & super nos:*

——— *Fortuna negotia curat.*
Quare da nobis:
——— *Vina Falerna puer.*

Sunt duo hemistichia, quae ideo notanda, ut intelligatur, quae fuerit causa, quod facta sit mentio poëtarum. SCHEFFER. Ut Hexametri fiant, addi posset versui priori, *ubique*. posteriori, *nostra*, hoc modo:

Quod non exspectes ex transverso fit ubique,
Nostra & supra nos fortuna negotia curat.

Supra nos, ut apud Senecam ep. XII. *Saepe jam fortuna supra te fuit.* Sed *ruit* ibi maluerum. Ep XCIV. *Haec supra nos natura disponit.* HEINS. Haec in editis olim inter quaedam fragmenta legebantur Infr. cap. 82. Barthius vero ad Statii lib. V. Theb. 456. memoriae nimium confidens citat, ac si scripsisset *sciunt numina, quae supra nos negotium curant. Ex transverso* autem eleganter fieri dicuntur, quae praeter opinionem casu infelici eveniunt. Scribon. Larg. comp. XC. §. 231. haec *calamitas ex transverso incidit.* Et ita *tranversum necessitatis cursum* dixit Laberius apud Macrob. II. Satur. 7. Vid. Barth. ad Stat. I. Thebaid. vers. 348. BURM.

Ex trans verso] Vetus codex *transverso*. DANIEL.

Quare da nobis] Plane ejusdem sententiae Horatiana ode XI. lib. I. qui & saepius eamdem cantilenam repetit, Epicuri de grege porcus.

Distichon] Haec verba sunt delenda, irrepserunt enim è margine in textum. SCHEFFER. Haec opinor è margine in textum irrepsisse. HEINS.

Sub hoc epigrammate] Ita codex Tragurianus, nec video cur mutaverint editores in *ab*, est enim statim atque hoc epigramma fuerit recitatum, ejus occasione mentio coepit fieri poëtarum. Ita Plinius lib. II. Epist.

minis penes Morsum Trachem memorata est, donec Trimalchio: [a] Rogo, inquit, magister, quid putas inter Ciceronem & Publium interesse? Ego

[a] TRIMALCHIO.

Epist. 6. *Convenit autem amori in te meo, quoties tale aliquid inciderit, sub exemplo præmonere, quid debeas fugere*, id est, statim ac res talis aliqua accidit, ejus exemplo præmonere. Cum quarto casu Livius XXV. 7. *sub hæc dicta ad genua Marcelli procubuere*, id est, statim atque hæc dicta essent. BURM.

Cœpit poëtarum esse mentio] Pers. Sat. 2. WOUWER. Persius Sat. 1.

——— *Ecce inter pocula quærunt*
Romulidæ saturi, quid dia poëmata narrent.

Juvenal. Sat. 6. vers. 433.

——— *Cum discumbere cœpit,*
Laudat Virgilium ———

In carmine Publii notata quæpiam alibi publicavimus. BARTH.

Summa carminis] Vide ad cap. 2. dicitur eodem modo, ut, *summa belli penes aliquem esse*. Tacit. 11. ann. cap. 45.

Penes Mopsum Thracem] Alii, *Morsum*. An Domitium Marsum intelligit, de quo Ovidius & Martialis? PATISSON. Forte *Mopsum Tragicum*. AURAT. Forte *Mopsum*. SAMBUC. Impressi, *Morsum*, male. PUTEAN. Alii *Morsum*. Sunt qui legant *Marsum*, & intelligunt *Domitium Marsum*, cujus Ovid. & Sueton. meminere, & de quo Martialis est versus:

Quam levis in tota Marsus Amazonide.

Conr. Gesnerus in Bibliothecæ Epitoma. ERHARDUS. Mopsum ex Thracia, oriundum fuisse numquam legi, neque Domitium Marsum, cujus non verisimile est ineptos ostentatores eruditionis rationem habuisse, ut recentioris & Latini Poëtæ, cum mihi magis videantur hi convivæ semigræci antiquum aliquem ex Græcis poëtam laudasse, ut sapere viderentur supra vulgus, & tamen misere judicio suo lapsos, ut qui summam carminis tribuerint Poëtæ alicui non primi ordinis. Cum vero antiquæ editiones, codex Scaligeri & alii habeant *Morsum*, Taurinensis quoque codex & prima editio *Trachem* exhibebant, & Auratus jam *tragicum* legendum censuerit, latere alterius Poëtæ nomen crediderim, & conjectura ductus legendum putavero, *penes Morsimum Tragicum*. Scripserat librarius per compendium *Morsum*, id est, *Morsimum*. Morsimus autem ineptissimus Poëta, teste Suida, Tragœdus ὑποψυχρός, filius Philoclis, qui ab Aristophane in Ranis Act. 1. scen. 2. derisus, proverbio locum fecit, *si quis vel verbum è Morsimo exscripserit*, de quo vide Eraim. Adag. titulo *Absurda*, pag. 22. Tangit & eum idem Aristophanes in Equit. pag. 311. & in Pace pag. 684. ubi videndi Scholiastæ, & Suidas in Μόρσιμος. Ita ergo credere fas est ineptiisse Græculos, cum Trimalchio, qui, ut mox notavimus, Romanus videri affectabat, abrupte sermonem converterit ad Latinos, & multo absurdius componit Ciceronem cum Publio. Præterea Satyricus luxuria diffluentem senem egregie inducit versus Publii contra luxuriam laudantem & recitantem. In quo acumen & urbanitas Petronii perspicitur. Deinde Satyrici leporis est Publium hic adducere, tamquam gravem & censorium luxuriæ objurgatorem, qui & ipse luxuria diffluxit, & cujus nulla, *postquam servitutem exuerat, cœna fuit, sine abdomine, etiam vocabulo fuminis ab eo impositio*, teste Plinio lib. VIII. cap. 51. BURM.

Memorata est] *Est* deest in exemplari Biturig. Pith. PATISSON. Deest, *est*, in Vet. Cod. Brit. TORNÆS. Melius editio Plantini, *commorata est*. RICHARD. Lege *immorata est*. Lipsius Epistol. Quæst. lib. 3. ep. 2. Forte *remorata est*, ut habet V. C. probo sensu. ERHARD. Lege, *memorata*. Duæ literæ priores adhærerant huic dictioni ex præcedenti. BOURDELOTT. *Remorata* Vet. Cod. Lipsius legit *immorata*, Sallustiano verbo: malo cum Samb. & Leid. cod. *commorata*, quod & Richardo placuisse video: etiam in suis ad me literis Doct. Munckero. BOSCH. Scribi oportet, *morata*, vel, *remorata est*. HEINS.

Rogo, inquit, Magister] Alloquitur Grammaticum, aut censorem quemdam poëtarum. nam & Eumolpum compellat Eucolpius cap. XCIX. *Omnem scabitudinem animo, tamquam bonarum artium magister, deleret sine cicatrice*. Aut βασιλέα συμποσιάρχου, qui Varr. *modimperator*: nam & is *magister*. Lamprid. Elagab. cap. 20. *Præfectum Urbicum ad potandum vocabat, adhibitis & Præfectis Prætorio, ut, si recusarent, Magistri eos cogerent*. Martial. lib. XII. Epig. 48. *magister cœnæ*. WOUWEREN. Indubie alloquitur Grammaticum Criticum. nam Grammaticos *Magistros* & *Professores* appellari solitos docent veteres Inscriptiones, & illa apud Sueton. de Illustr. Gramm. cap. XXIII. in Palæm. *Vis tu, inquit, magister, quoties festinantem aliquem vides, abligurire?* Et cap. XXIV. in Probo: *Numquam ita docuit, ut magistri personam susceperet*. Wower. Polymath. cap. 4. Adeo ut inde etiam cognomina illis cesserint, ut dicerentur, *Dositheus Magister, Thomas Magister, Benedictus Magister*, &c. quorum libri circumferuntur. Nec *Magistri* tantum, sed etiam *Grammatici*: unde disertissimus Daniæ Historiographus, *Saxo Grammaticus*, nomen inveniet. Qui hodie dicantur *Magistri*, notum est: de cujus nominis origine supra aliquid retulimus, ut & de *Scholasticorum*, de quibus multa valde eleganter Goldast. in Not. ad Hieroclis Facetias. ERHARD. Sic solebant cum è Rhetore vel Grammatico quid scisciabantur. Fronto apud Gellium XIX. cap. X. ita ad Grammaticum, *Itane magister?* Et mox: *Audistine, magister optime, Ennium*

Ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem. Quid enim his melius dici potest?

a *Luxuriæ victu Martis marcent mœnia.*

Tuo

a *Versus ex Publio Syro mimographo.*

prater propter. Idemque Fronto ad Sulpicium Apollinarem lib. XVI. cap. VI. *Docesne, inquam, nos, magister, cur bidentes dicantur.* HEINS. Elegantissimam de hac & aliis vocis *magistri* significationibus, & usu, habuit quondam orationem Matthias Berneggerus, quæ inter editas ab ejus filio Tobia Argentorati ann. 1640. est prima.

Inter Ciceronem & Publium] Idem exemplar Biturig. *Publicum.* Pith. PATISSON. Veteres libri Impressi, *Publicum.* Quid si de Publio Mimo intelligas? PUTEAN. Sic solebant, cum Publium Syrum designabant. Tullius lib. XII. ep. XVIII. *Equidem sic tum obdurui, ut ludis Cæsaris nostri æquissimo animo viderem Plancum, audirem Laberii & Publii pœmata.* Plinius lib. VIII. cap. LI. *Ut tamen Publii, mimorum Poëtæ cœna, postquam servitutem exuerat, nulla memoretur.* Ubi tamen lego, *servitutem exierat.* Senec. ep. VIII. *Quam multa Publii, non excalceatis, sed cothurnatis, dicenda sunt.* Et sic Seneca pater controvers. XVIII. non semel. Et Gell. lib. XVII. cap. XIV. non semel quoque. HEINS.

Alterum honestiorem] Scilicet Publium. SAMBUC.

Honestiorem] Elegantiorem, meliorem, tersiorem, nitidiorem. Columbanus,

——— *sermonis honesti.*

ubi Goldastus in Notis. ERH. Ita Servius ad Virgil. I. Æneid. vers. 148. de antiquis, qui inverso ordine præpositionem detractam nomini jungebant verbo, dicit, illos *fecisse honestam elocutionem.* Alio sensu Terentius & Cicero *honestam orationem* dixere pro speciosa, & quæ prætexebat aliquid honesti. Sed Trimalchionem ad honestiorem, sive elegantiorem, orationem hic respicere mihi non persuadeo, nisi quatenus honorati, & in dignitate constituti, elegantiori sermone utuntur: nihil enim salis Satyrici inesset, sed tantum stulta fatuitas Senis nostri lauti appareret, qui Syri eloquentiam Ciceronis præferret. Sed hoc videtur voluisse, se facile Ciceroni concedere palmam eloquentiæ, sed illum, tamquam è schola hominem, & fæce magistrorum, non comparari debere cum Publio, qui multo honestior Cicerone, & eruditioris luxus erat, qui apparare doctius cœnam, ut mox ex Plinio vidimus, qui fercula miro dilectu variare poterat, & artem pascendi ventres rectius intelligebat. Hos enim solos honestos noster existimat, reliquos, qui antiqua parcimonia & frugalitate vivebant, rusticos & viles, & ut nos vocamus *Pedantes.* Eo sensu supra cap. 41. dixit *inter honestos cœnare.* Et cap. 43. *honeste vixit, honeste obiit.* Et Infra cap. 78. *servus libitinarii illius, qui inter hos honestissimus erat*; ridiculum autem est, libertum, ut fuit Publius, honestiorem Cicerone Consule censere; sed tale judicium decebat Trimalchionem. Quod non animadversum omnem leporem Satyricæ scriptionis demit: nam *honesti* ipsis ingenuis sunt meliores, & ita tantum vocantur, qui inter ingenuos honoribus, aut à se, aut à majoribus, gestis gloriam & dignitatem adepti sunt. Plinius l. XXXV. c. 10. *Semper quidem honos picturæ fuit, ut ingenui exercerent, mox ut honesti, perpetuo interdicto, ne servitia docerentur.* Ita & Sueton. Aug. 46. & apud Ciceronem passim. Vid. Manut. ad lib. XI. fam. Ep. 3. ita & capienda lex XXVII. ff. de Hær. petit. *in multorum honestorum virorum prædiis lupanaria exercentur.* Et l. I. ff. de concubin. & l. 41. de ritu nupt. quas ineptum est de honestate morum & virtute capere, cum de sola dignitate & discrimine fortunæ & honorum sint intelligendæ. BURM.

Luxuriæ victu] Alii, *luxuriæ & victu:* alii *ritu.* TORNAES. Forte *luxuria & victu.* AURAT. Publii versus. SAMBUC. Reperio in variis lectionibus *ritu*, item *luxuriæ victu:* & posterius probo, mutata litera, hoc pacto:

Luxurie victa Martis marcent moenia. RICHARD. Vetus Interpres Juvenalis in illud Sat. XI. *Sed laudem siliquas; ideo*, inquit, *siliquas posuit luxuria victu.* Sic habet antiquissimum exemplar. PITH. Publii Syri Mimi in luxum Romanorum. Scalig. in Catalect. Invehitur in Romæ luxus. H. Junius Animadvers. lib. 6. cap. 15. Juvenalis Sat. I. vers. 139.

——— *Quis ferat istas*
Luxuriæ sordes? quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter convivia natum!
Poena tamen præsens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas:
Hinc subitæ mortes, atque intestata senectus.

Hinc Varro quoque Satyram περὶ ὀψισμάτων scripsit. Puteanus Genial. sermonum libro. ERHARD. Hadr. Junius Cent. 8. Adag. 31. *argentea fame convivari.* WEITZ. Scripti plerique, etiam Codex Scaligeri, *Luxuriæ victu.* Utique corrigendum, *Luxuriæ Victu, Victus luxuriæ*, ut *luxuriæ domus* apud Phædrum lib. IV. fab. 4. ubi Schefferus adeundus. *Luxuriæ pretia*, in culice Maronis. *Luxuriæ sinus Bajanus* Symmacho Epist. XXIV. lib. VIII. HEINS. *Victu* antiquæ editiones, & scripti codices, quam vocem Barth. X. Adversar. cap. 2. explicat *oscitantiam & marcorem, quæ pestes bonæ excitatæque mentis luxuriam prodigalitatemque sequi solent.* Quæ cum scriberet, ipse credo somniculosus oscitabat: quis enim ita umquam locutus fuit? alii *victu* corrigunt, quod æque intempestivum puto. Et

aliud

Tuo palato clausus pavo pascitur,

Plumato

aliud esse *luxuriæ domum*, apud Phædrum, & quæ ibi adducta sunt, patebit satis, si consideremus, *victum* proprie dici, non de delicatis & exquisitis cibis, neque de ornatu muliebri sumtuoso, quæ proprie luxuriæ nomen merentur, & de quibus in hoc epigrammate agitur, sed de necessariis ad vitam sustinendam, parvis, & aridis alimoniis, teste Donato ad Terent. Andr. Act. 1. scen. 1. vers. 48. unde Virgil. II. Georg. vers. 459. *facilem victum*, Silius III. 280. *malignum*, & Cicero, Horatius & alii, sæpe *tenuem, exilem* & *quotidianum* dixerunt. *Parum autem est luxuriæ, quod naturæ est satis*, ut dixit Seneca de vita beat. cap. 13. Et hæc ratio olim fuit, cur *victus* non comprehenderit vestitum, nec habitationem, sed ea solum, quæ ad vivendum sunt plane necessaria, ut ex Terentii Heaut. Act. v. scen. 2. Cicer. pro Quinct. cap. 15. & lib. 1. de off. cap. 4. & aliis locis apparet; quamvis postea auctoritate Labeonis vocis hujus significatio ad alia fuerit prolata. vid. l. 43. & 44. ff. de V. S. quare præferrem conjecturam Richardi, quam & Heinsius margini sui codicis adscripserat, (miror autem, cur in notis diversum censuerit,)

Luxurie victa Martis marcent moenia.

egregio sensu; illam Romam Martiam, quam invictam armis & bellis passim prædicant scriptores, victam esse à luxurie; ita egregie Manlius apud Livium, XXXVIII. 17. ad milites. *Vobis mehercule Martis viris cavenda, ac fugienda amoenitas est Asiæ, tantum ha peregrinæ voluptates ad exstinguendum vigorem animorum possunt*, &c. & ita passim scriptores Romani queruntur, Romam per Asiaticas divitias & delicias victam & debilitatam. vide Florum lib. III. cap. 12. Salust. Catil. cap. 12. Juvenal. Sat. VI. 291.

——— *Sævior armis*
Luxuria incubuit, victumque ulciscitur orbem.

& passim. Et ut hic victos luxuria Romanos dicit Publius, ita Florus lib. II. cap. 8. dixit, Antiochum *sua luxuria debellatum*, eodem sensu. Idem de Hannibale dicit lib. II. cap. 6. *Quem indomitum armis Campaniæ soles subegerunt.* Ubi opportune adduxerunt viri docti Marcelli verba ad milites ex Livio lib. XXIII. cap. 45. *Illos, qui pugnant, marcere Campana luxuria, vino, & scortis, omnibusque lustris per totam hyemem confectos.* Sed hæc jam nimia in re manifesta. BURMAN.

Martis marcent moenia] Nemo ex interpretibus vidisse videtur, *moenia* veteri scriptura *munia* hoc loco significare, ut queratur Publius, Martis munia, Romanis antehac decus & gloriam parientia, luxuriæ viribus proruta torpere. Cujus generis querelæ ex Satyra Sulpitiæ, Gratii Cynegetico, Juven. Sat. 6. Sulpitio Severo, & Claudiano, notæ. Si tamen illud vulgare magis placet, *Martis moenia*, nulli dubium, quin Romam significet, quam & Erinna Lesbia hoc versu adloquitur:

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος.

Et Juvenal. in eadem materia dixit Sat. 6.

Paupertas Romana perit. ———

Barthius Ablegmin. Critic. lib. 2. cap. 18. cujus posteriorem explicationem comprobamus. ERHARD.

Clausus pavo pascitur] Alii *lautus pavo nascitur*. PATISSON. Alii *exclusus*, alii *cautus*. TORNÆS. Forte, *exclusus*. AURAT. Adstipulatorem me habent, qui reponunt, *pascitur:* loquitur enim de saginatione pavonum, de qua Plinius cap. 20. lib. 10. RICHARD. Lege *lautus pavo nascitur*. Scalig. in Catalect. vel, *Samius pavo pascitur*. Cum de iis sermonem instituerit Publius, quæ procul allata, deque longinquis regionibus accersita, luxuriam Romanorum instruebant, convenienter *Samium pavonem* nominat. eos autem ab Samo petitos, facile fidem fecerit Varro de R. R. lib. 3. cap. 6. Barthius Ablegmin. Critic. lib. 2. cap. 18. Acutius, quam probabilius. Nam pavones olim caveis inclusi, ut hodie anseres in Germania, pascebantur: quos cum Romani in delitiis quidem, sed extra cibum, initio haberent, ut nos hodie papagejos & psittacos, primus mensæ inferre ausus est Hortensius. Tertullian. de Pallio; *Præcidam gulam, qua Hortensius Orator primus pavum cibi causa potuit occidere.* In Judæam ex India primus induxit Salomo Rex, de quo 3. Reg. 3. sic legitur; *Classis Salomonis deferebat aurum, argentum, dentes elephantorum, simias, & pavos.* ERHARD. *Pascitur*, Scaliger probabili conjectura. Quamquam & *nascitur* haud quaquam censeo damnandum. Sic apud Nasonem:

Non ego natus equo, non fortibus utilis armis.

Cæterum, pro *clusus pavo* (ita enim in vetustioribus membranis exhibetur, non *clausus*) opinor relictum ab ipso Publio, *oculeus pavo*. De oculis caudæ pavoninæ tum alii, tum Gronovius in Observationibus. Præivit nobis ad hanc emendationem Plautus Aulularia Act. III. scen. 6. *Quod si Argus servet, qui oculeus totus fuit.* Quo alluserit Festus: *Argus oculeus. Argus est nomen hominis, qui fuisse fingitur oculis plenus.* Vide eumdem in *Oculatus*, & *Oculissimus*, & *Oculitus. Stellatus oculis Argus* Nemesiano in Cynegeticis. Apud Apulejum Metam. II. *Perspicaciorem Lynceo, vel Argo, & oculeum totum.* Marcianus Capella initio lib. VIII. *Et ecce subito prosilit quædam gemmata, nec minus totis artubus decenter oculea.* HEINS. Mihi nullum dubium, quin *clausus* scripserit Publius, & ad institutum ab Ausidio pavonum saginam, ab Hortensio autem etiam cœnis appositas aves, adlusisse. Vide Nonnium de re cibaria lib. II. cap. 24. Qua ratione autem clauderentur Pavones, docet Varro lib. III. de re rustic. cap. 6. Illud *oculeus* Heinsii nescio an alicui probari posset, quamvis non dissimili multum conjectura tentantem hæc Publii verba ducem habuerit Salmasium ad Tertull. de Pallio cap. III. qui legit,

Plumato amictus aureo Babylonico:
Gallina tibi Numidica, tibi gallus spado,
Ciconia

Tuo palato oculosus pavo nascitur.

Prætulimus etiam *pascitur*, quia hæc vox magis accommodata luxuriæ; & præcedenti *Luxuriæ* convenientior. pascitur enim sive saginatur eruditis illis helluonum palatis. Horat. I. Epist. III. 36.

Pascitur in vestrum reditum votiva juvenca.

Idem lib. III. od. 23.

Nam quæ nivali pascitur Algido
Devota, &c.

Et hinc ὀρνιθοθρεπτεῖον dixit Varro lib. II. de re rust. cap. 9. BURM.

Plumato amictus aureo Babylonico] Tertull. de pallio. *Pavo pluma vestis, & quidem cataclitis, imo omni conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio mauratior, qua terga fulgent.* proprie igitur cum de ave. At delicatioribus etiam vestes ex variis plumis contextæ. Senecæ epist XCI. *Non avium plumæ in usum vestis conservantur*: & graphice Prudent. Hamartig. v. 293.

——— *hunc videas lascivas præpete cursu,*
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea pennis.

hinc ipsi textores *Plumarii*. Varro de liber. educ. *Nulla, quæ non didicit pingere, potest judicare, quid sit bene pictum à plumario.* Firm. lib 3. Astron. *Linteones, aut Plumarii, vel colorum inventores.* cap. 13. *Linteones, vel tunicarum textores, tum plumarios.* & Constant. Imp. in lib. I. de excus. artif. Quamquam aliter Glossæ: *Plumarius*, φιλοδέφων. WOUWEREN.

Aureo Babylonico] Plin. & Martial. l. XIV. ep. 150.

——— *Victa est*
Pectine Niliaco jam Babylonis acus. BRASSICAN. Glossæ: *Babulonicum*, ψιλὰ πολύμιτον. Martial. lib. VIII. ep. 28. *Babylonica picta superbe texta.* Nobiles enim hoc artificio Babylonii. Tertull. de habitu mulier. *Phryges insuerent, & Babylonii intexerent.* Clem. Alex. Pæd. lib. 12. cap. x. *aureo Babylonico*, quia auro picta varie ea opera. Hieron. ad Lætam: *in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura.* Hipparchus Comicus: ἐαπίδιον ἐν ἀγάπητον ποικίλον Πέρσας ἔχων, καὶ γύπας. unde Plaut. *Alexandrina belluata consutaque tapetia.* WOUWER. Lege *plumate amictus auleo Babylonico* optime. cum, quid *aureum Babylonicum* sit, ne Sphinx quidem cum suo Oedipo sit conjectura. De *Babylonicis tapetibus* plurimi. Martial. lib. 8. epig. 28. *Plumate* autem amictum pavonem elegantissime dixit, cum nihil illi desit ad exprimendum *auleum*, præter quod plumis vestitus sit. Plumatas nomine vestes, veteribus etiam usitatas docet hoc loco Wouwer. Barthius Ablegm. Critic. lib. 2. cap. 18. & Animadvers. ad Claudian. *Plumatas* vestes innuit, quarum artifices *Plumarios* vocant, qui ex plumis avium vestimenta conficiunt, aut acu variegatim pingunt. Pancirollus de Magistratibus municipal. cap. ult. Weitzius Not. in Prudentii Hamartig. versic. 294. *Aureum* pro pulchro & splendido sumi, jam pueri norunt, & docebunt te Apuleji interpretes. etiam χρυσῆν apud Græcos, unde χρυσῆ Ἀφροδίτη, *aurea Venus*. Si oculi tui nihil credunt, nisi quod vident, inspice sodes pavonem, & resplendebit tibi splendorem plane aureum, aurumque maxime fulvum imitantem. Et *aureum* esse pavi epitheton ex Officina Ravisii Textoris didicimus. Totum Petronii versum explicat hisce elegantissimis verbis Tertullianus de Pallio; *Pavo pluma* (Lege *plumen*) *vestis & quidem cataclitis, imo omni conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio mauratior, qua terga fulgent.* Quibus verbis nihil ad rem afferri aut dici poterat accommodatius. ERHARD. Pisides Hexaëm. vers. 1217.

Ὢ πῶς ἰδών τις τὸν ταὼν μὴ θαυμάσοι
Τὸν χρυσὸν ὡς σάπφιρον ἐμπεπλεγμένον,
Καὶ τὴν πίτταν ἐν σμαράγδῳ πορφύραν.
Τὰς πολυμόρφους συνθέσεις τῶν χρωμάτων,
Ὅλας ἀσυγχύτους τε καὶ μεμιγμένας;

Vide Phil. Hist. animal. cap. 7. περὶ ταὼν, Oppian. 2. Cyneget. vers. 589. & lib. 3. vers. 344. Ovid. I. Metamorph. vers. 721. Claudian 2. de Rapt. Proserp. vers. 97. Gesnerum lib. 3. Hist. animal. Aldrovandum in Ornitholog. Theocritus:

Ὄρνις ἀγαλλόμενον πτερύγων πολυανθεῖ χροιῇ.

Synesius Dionem Sophistam ait in juvenilibus quibusdam suis scriptis ὑπτιάζειν καὶ ὠραΐζεσθαι καθάπερ τὸν ταὼν περιαθρεῖτα ἑαυτὸν, καὶ οἷον γαννύμενον ἐπὶ ταῖς ἀπλαισίαις τῶν λόγων. Hinc proverbium, *der Pfaw hat ein Englisch gwand, ein Teufelischen gsang, und ein hoffertigen Gang.* Ταὼς, id est, *Pavones*, appellant Græci nitidius cultos, & diversicoloribus amictos, ut *attagas* servos stigmatias: Erasmus in Chiliad. WEITZ. *Aureo*, scripti complures. HEINS. Editiones primæ & codices scripti *aureo*, nisi quod Tragurienses habeat *auro*. Salmasius ad Tertull. Pallium & ad Vopisc. Carin. cap. 20. *aureo* defendit. Pro *auleo* vero contendit Barth. in ablegminibus, & ad Stat. lib. II. Theb. vers. 91. de Babylonico vide eumdem Salmas. ad Pollionis triginta Tyran. cap. 14. & Amplissimi Cuperi Observ. lib. II. cap. 12. Isidor. Gloss. *Flammeum. Babilonicum.*

Gallina tibi Numidica] Impressi, *Mumicida*, alii, *Municida*. PUTEAN. Martial. lib. 3. ep. 58. WOUWEREN. Videndus Ulysses Aldrovandus Ornitholog. lib. 14. cap. 4. ERHARD. Quam & Africanam dixerunt, & quam Varro lib. III. de R. R. cap. 9. dicit *novissimam in triclinium ganearum è culina introisse, & propter penuriam magno venire*, vide & Columell. VIII. cap. 2. & Nonnium de Re Cibaria lib. II. cap. 25. qui

Ciconia etiam grata, peregrina, hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,

Avis

qui Numidicas ab Africanis etiam diversas fuisse habitas docet.

Gallus spado] Capus. GLOSSÆ. Capo, Martial. lib. 3. ep. 63. WOUWEREN. Capus. Hadr. Junius in Nomenclat. Sunt, qui *barbur* Hebraicam vocem capum interpretentur; sed hi capum cum gallo confuderunt, ut alii etiam nonnulli parum Latini fecerunt, cum tamen, teste Varrone, in gallinaceo genere villatico *capi semimares* dicuntur, quod sunt castrati. Quare inepte ab Isidoro scriptum est, *gallum à castratione* vocari. Nititur autem eo solum argumento, quod veteres abscissos vocarent *Gallos*, vel ex male intellecto Martiale, qui ait lib. XIII. ep. 63.

Ne nimis exhausto macresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit:

hoc est, castratus. ut erant Cybeles sacerdotes, *Galli* appellati. Unde idem rursus, epig. 64.

Succumbit sterili frustra gallina marito,
Hanc matris Cybeles esse decebat avem:

hoc est, hanc potius Cybelæ dicare decebat, nempe castratum, cujus castrati etiam essent sacerdotes, quam gallum: non autem, ut Ornithologus (videtur Gesnerum notare) exponit, hæc potius & proprie debebat vocari *Gallus*. Nam, quod capus hic à Petron. *gallus* dicitur, fit cum additione *spadonis*. Ulyss. Aldrovandus Ornitholog. lib. 14. cap. 17. Posterius enim vocabulum tollit prius, sicut quum dicimus, *virgo corrupta, nummus adulterinus*. Papias; *Capo vel capus ex gallo gallinacio fit castratus*. Balbus Catholico; *Capo, gallus castratus*. Marbodeus de Lapidib. pretios. cap. 4. ex Evacis libro ad Neronem;

Ventriculo galli, qui testibus est viduatus,
Cum tribus ut minimum factus spado vixerit annis. ERHARD.

Est *Deliacus*, quia in insula Delo præcipue castrabantur. Vide supr. ad cap. 23. & Nonnium lib. 11. de Re Cibaria cap. 22.

Ciconia etiam] Hadr. Junius lib. 6. cap. 15. Crini. lib. 4. cap. 13. Nos à veteri exemplari in exscribendis his versibus numquam discessimus. PUTEAN. Plin. lib. 10. cap. 23. Horat. lib. 2. Sat. 2. WOUWEREN. Et hæc tempore Augusti, auctore Ruffo Prætorio, mensæ illata. Vide Nonnium lib. 11. de Re Cibaria cap. 33.

Grata] Alii, *Græca*. alii, *Graja*. PATISSON. Alii *peregrina grata*. alii, *Græca*. TORNÆS. Scalig. in Catalect. edidit *Græca*; quod, quale sit, ego non capio, nisi quod ad simplicitatem priscam dictum, quæ omnia transmarina *Græca* putabat. placet vulgaris lectio. Barthius Ablegm. Critic. lib. 2. cap. 18. ERHARD. *Graja*, non *grata*. Salmas. ad Tertull. de Pall. HEINS.

Peregrino] Crinitus *peregrina*. PUTEAN. Sic & Phædrus vocat ciconiam *peregrinam volucrem* lib. 1. fab. 26. quam Varro *advenam* dicit de Re Rust. lib. 3. cap. 5. Rittershus. in Not. Barthius Ableg. Critic. lib. 2. cap. 18. Lege *grata peregrino, hospita*. Ravis. Textor in Epithet. vel sine distinctione, *grata peregrino hospita*. Crinitus de Honest. Disciplin. lib. 4. cap. 13. Douza hoc loco. Rob. Titius Assertion. lib. 7. cap. 5. prorsus inepte. ERHARD.

Hospita] Ita Varro apud Arnob. lib. VI. *hirundines hospitas* vocat. WOUWEREN. Pro *hospes*, ad quam inflexionem etiam *sospita* & *antistita* reperiuntur, ut ex Servio notat Joan. Brassicanus in Institution. Grammatic. de gener. nomin. *in Es breve*. WEITZ.

Pietaticultrix] Cultrix pietatis, unde vulgatum est, ἀντιπελαργεῖν, de ingenio & pietate ciconiæ erga parentes. GLOSSÆ. Legendum *Pietaticultrix, gracilipes, Choralistria*. BRASSICAN. Crinitus *pietati cultrix*, & Cælius lib. 12. Antiq. Lect. cap. 66. PUTEAN. Plin. Cicero, aliique complures. multis Philo περὶ τῶν ἓξ λόγων. Aristot. de histor. Anim. lib. 6. cap. 13. WOUWEREN. Lege ex lib. vulg. *pietatis cultrix*. H. Junius Animadvers. lib. 6. cap. 15. Ravis. Textor in Epithet. Rectius, *pietaticultrix*, sicut *nemoricultrix* Phædro, *silvicultrix* Catullo. Rittershus. Not. in Phædr. De pietate ciconiæ S. Epiphanius Physiolog. cap. 25. τὸ γὰρ ὄρνεον τοῦτο τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα αὐτῆς ἐυσεβείᾳ θαυμασίᾳ γηροβοσκεῖ. & Philes in Jambis. Barthius Ablegm. Crit. lib. 2. cap. 18. Non desunt apud veteres, qui referant, ipsam ciconiæ imaginem exsculpi olim solitam super sceptris Regum, quo eorum pietas atque justitia indicaretur. Illud enim vetus ἀντιπελαργεῖν vulgatum est, de ingenio atque pietate ciconiæ erga parentes: quod etiam D. Ambrosius confirmat, qui, *Romanorum*, inquit, *usu alitem hanc pietatis nomine honestatam*. Crinit. de Honest. disciplin. lib. 4. cap. 13. Adde Cœl. Rhodiginum lib. 23. cap. 34. Ambrosii verba sunt lib. 5. Hexamer. *Romanorum usu pia avis vocatur: &, quod vix uni Imperatori consulto senatus delatum dicitur, hoc ista aves in communi meruerunt*. Balbus Cathol. *Scias, quod hæc avis à quibusdam appellatur pia avis, propter pietatem, quam erga parentes ostendit*. ERHARD. Basilius Magnus Hexaëm. homil. 8. pag. 36. Cæl. Rhodigin. lib. 23. Antiq. lection. cap. 34. Turneb. lib. 8. Adversar. cap. 18. Scholiastes Juven. Satyr. 1. pag. 96. Philip. Camerarius Meditat. Hist. Cent. c. 66. WEITZ. Sic esse legendum, patet apud Cassiodorum lib. 2. epist. 14. Ælian. hist. anim. lib. 3. cap. 24. lib. 8. cap. 22. Sic apud Phædrum, *nemoricultrix*, ut *sylvicultrix* apud Horatium. Retinuimus in hoc poëmatio, *grata, peregrina*. BOURDELOTT. Vide nummum Antonini, PIETAS.

Avis exsul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiae nidum in cacabo fecit meo.

Quo

Gracilis pes è tota liſtria] Forte, *Hiſtria*. AURAT. *Gracilipes* vetus liber. SAMBUC. Hos verſus citat Gellius & Hadr. Junius in Animadverſion. Vide & Turneb. DELBEN. Antea legebatur, *gracilis pes è tota liſtria*. Lege *choraliſtria*. Crinit. de Hon. Diſc. lib. 4. cap. 14. Raviſ. Textor in Epithet. vel, *glotoriſtria*, aut (ut Crinit. mavult) *choraliſtria*. H. Junius Animadv. lib. 6. cap. 15. *choraliſtria, id eſt, joculatrix*. Jacob. Gaudenſis libro 3. Ærarii aur. Poëtar. Vulgo *coraliſtria* ſcribitur, quod quid ſibi velit, nullo modo aſſequor. *Crotaliſtria* emendandum exiſtimavi, à crotalis, quorum ſtrepitum imitatur *crepitante ciconia roſtro*, ut Poëta Ovid. 6. Metamorph. ſcribit, & Juvenal. Satyr. 1.

Quaque ſalutato crepuit Concordia nido.

Nam, etſi mihi non placent eorum inventa, qui à Politiano cap. 67. Miſcell. diſſentiunt, cornicem enim Concordiæ imaginem Politianus cenſet, tamen auſim affirmare, à Satyrico Poëta ciconiam intelligi, ut illi interpretantur. Exiſtimo autem, ætate Juvenalis, in faſtigio templi Concordiæ nidum ciconiarum fuiſſe: ut & hac ætate in quibuſdam templis aliquando Lutetiæ vidimus. nec ſenſum aliquem exquiſitiorem & ſubtiliorem hoc in verſu latere cenſeo. Ita cum obviam ſententiam non amplectimur, in avia auferimur & rapimur, multumque nobis moleſtiæ creamus. Videte autem quorſum prorumpat audacia mea. audeo enim affirmare, in Propertio etiam *coraliſtria* male ſcriptum eſſe, pro *crotaliſtria*, lib. 4. eleg. 9. hoc verſu:

Nile tuus tibicen erat, crotaliſtria Phyllis.

Turneb. Adverſar. lib. 8. cap. 18. *Crotaliſtriam* longe elegantiſſime vocat, quod crotalum quoddam glocitando, ſi ita loqui licet, imitatur, vel *glotorat*, ut auctor Philomelæ loquitur, quod verbum cum hoc epitheto Publii & re ipſa optime congruit. Barthius Ablegm. Critic. lib. 2. cap. 18. ERHARD.

Crotaliſtria] A crotalis, quorum ſtrepitum imitatur. GLOSSÆ. Sic verſus poſcit, non *corallıſtria*, & melius. & apud Propertium ſic emendandum videtur lib. 4. eleg 9. id eſt, ὀρχηστρις, quæ cum crotalis ſaltat. Macrob. TORNÆS. Hadr. Junius *glotoriſtia*. Crinit. & Cælius *choraliſtria*. Impreſſi, *è tota lyſtria*. veteris libri lectio rectiſſima eſt. PUTEAN. Jo. Saliſber. lib. 8. policr. cap. 12. *Croton*, &c. *muſicum notat inſtrumentum, quod in ſono vocem ciconiæ imitatur. Nam ipſa apud Ægyptios Crotalus dicitur*. PITH. & WEITZ.

Avis exſul hiemis] Plin. lib. x. cap. XIII. Ariſt. de hiſt. Anim. lib. VIII. cap. 15. WOUWEREN. Lege *exſulhyemis*, nominandi caſu, ut ciconiam appellarit *exſulhyemem* una dictione, qua facie & *pietaticultricem* dixit. Crinit. de Honeſt. Diſc. lib. 4. cap. 14. ERHARD. Non puto in unam vocem eſſe contrahendas duas; nam familiaris hæc veteribus conſtructio. Ita Horat. II. od. XVI. *patriæ exſul*. Ovid. VI. Metam. 199. *exſul mundi* Senec. controverſ. 22. *Accuſator civium me fecit exſulem, filius etiam meorum*. Ita Florus lib. III. cap. I. *Rex finium ſuorum regnique fugitivum*. Et lib. III. 22. *Profugus feralis tabulæ*. BURM.

Titulus trepidi temporis] Forte *tepidi*. AURAT. Impreſſi, *trepidi*. male. PUTEAN. Id eſt, index. BONGARS. Junius emendavit *tepidi*, cum antea eſſet, *trepidi temporis*; Animadverſ. lib. 6. cap. 15. Veris nuncia ciconia eſt. Ambroſ. Hexamer. lib. 5. cap. 14. Caſſiod. lib. 2. epiſt. 14. Claudian. Mamercus de ſtatu animæ lib. 1. cap. 21. Sidon. lib. 2. ep. 14. ubi Savaro. *Titulum* pro indicio ſive gloria poſuit. Sic Cremutius Cordus apud Senec. Suaſor. 6. de Cicerone; *Brevi ante princeps ſenatus, Romanique nominis titulus, tam pretium interfectoris ſui*. Quare remittimus de calore veteris noſtræ conjectatiunculæ; qua *titulum* longis multiſque ambagibus hic reponere annitebamur. Barthius Ablegm. Crit. lib. 2. cap. 18. *Titulus*, id eſt, index, nec opus ullo ambitu. ERHARD. Lego, *pipulus*. Caſſiodorus lib. 2. ep. 14. *lætitiam veris temporis introducens*. Ibi olim legebam *teporis*. Totam enim hanc epiſtolam pius & eruditus ſcriptor videtur à Petronio mutuaſſe. Pacatus Panegyrico ad Theodoſium vocavit, *peregrinam aeris volucrem, alieni temporis florem*. Talis hirundo, & luſcinia dicitur *veris nuntia*. BOURDELOTT. Titulus eſt, quia adventu ſuo monet, adeſſe prope vernum tempus. Bourdelotius hic *pipulo* excipi & differri meretur.

Nequitiæ] Hoc loco pro luxuria in victu, alias in Venere. GLOSSÆ. Luxuriæ. WOUWEREN. Luxuriæ in victu: alias in venere, ut inferius dicetur. ERHARD. Propria vox nepotinis ſumptibus, & luxurioſæ prodigalitati. Unde Ciceroni ſæpius *frugalitati* opponitur. vid. lib. III. Tuſcul. Quæſt. cap. 8. & cap. 17. libr. III. de finib. cap. 8. vid. & Gell. libr. VII. cap. 11.

Nidum] Rob. Titius Aſſertion. libr. VII. cap. 5. contra Turnebum, & Yvonem Villiomarum, ſive Scaligerum, docere conatur, ciconias in altis turribus nidum ponere, non conſueviſſe. Quare? quia Petronius hic ait;

Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.

Belle vero, ut ſolet, argumentatur. Ciconias Romani in luxum paverunt: Ergo ciconiæ nidos non habuerunt in turribus. Hunc παραλογισμὸν Ariſtot. vocat σόφισμα παρὰ τὸ ἐπόμενον. Auctor Philomelæ, qui nonnullis Ovid. dicitur;

Gloterat immenſo de turre ciconia roſtro.

non

Quo margarita cara tribacca Indica?

An

non apud Germanos tantum & Gallos, verum ipsos etiam Italos tuos, Titi. Juvencus Cælius Calanus Dalmata in Hist. de Attila Hunnorum Rege; *Conspexit ciconias aves, quæ in altis urbis turribus nidificaverant ex more naturæ, exportantes pullos suos de nidis earum foris civitatem ad loca campestria, & in arboribus nidos contra morem exstruere.* Et mox ibidem; *Aves, quarum natura est summis in urbium mœnibus nidificare,* &c. I nunc Titi, & perge summates virorum per imperitiam tuam petulcam impetere. Et, ficubi audimus, aut legimus, ciconias in arboribus nidificasse, scilicet fecisse defectu turrium aut fastigiorum, aut cum depressa fastigio superantur ab arboribus. Nam & Psaltes lib. 4. Psalm. 104. vers. 16. canit; *Satiantur arbores Jehovæ,* (id est, ingentes & maxime excelsæ, sicut omnia magna *divina* dicuntur) *Cedri Libani, quas plantavit, quod ibi nidificent volucres, ciconiæ, quarum domus abietes:* & in Helvetiis Alpibus, earumque radicibus, ubi humilia sunt ædificia, ciconias in arboribus nidos ponere, & quidem nuciferis, confirmavit mihi ἀυτόπτης & quotidianus arbiter Goldastus. Consule gentilem tuum Ulyssem Aldrovandum in Ornitholog. ERHARD.

Cacabo] Gloss. *Cacabum, χύτρον.* Vas, quod igni appositum. hoc ex multis Scribonii Largi locis colligere est. hinc lucet, unde Tertull. de Jejuniis: *Apud te agape in cacabis fervet, fides in culinis calet.* Paul. l. 18. D. de instruct. vel instrument. leg. *Nec multum refert inter cacabos & aënam, quod supra focum pendet: his aqua ad potandum calefit, in illis pulmentarium coquitur.* ex quis verum ejus usum haurimus. Isid. *Enulum, caldarium.* Gloss. *Æneum, λέβης.* Lege *aënum.* Ad eamdem rem miliario usi: Athen. τὸ μιλιάριον καλούμενον ὑπὸ Ῥωμαίων τὸ εἰς θερμῶ ὕδατος κατεργασίαν κατασκευαζόμενον. Gloss. *Miliarium, θερμόν.* & alibi τέρμιτρον. Lege θέρμιτρον. Comment. Juven. *Cacabum patinam* interpretatur, & Satyr. XI. *bascaudas, vasa, ubi calices lavabantur, & cacabos.* minus recte. WOUWEREN. Huguitio; *Cacabus, lebes, à sono fervoris dictus est: fervendo enim exprimit hunc sonum, cacaca,* Papias; *Cacabus vas de terra, & etiam de aramento.* Perperam: nam *cacabus* proprie ex ære; *Olla* ex terra vel luto. Sirach. cap. 13. *Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se collisserint, confringentur.* In Vitis Patrum lib. 4. de Abbate Macharios; *Adducentes ad vicum appenderunt in collo meo cacabos, & ollas, & ansas vasorum, & miserunt me circumire in vico illo per viam,* &c *Cacabatus,* fuligine nigratus. Eodem lib. de Abbate Moyse, qui erat Indianus, & Æthiops; *Bene tibi fecerunt, cimerose & cacabate: quia, cum homo non sis, quare te in medio hominum dare præsumsisti?* ERHARD. De mendo suspicari licet. Nam cur non, *in cacabo fecit tuo,* ut superioribus hæc respondeant? Forte;

Nequitiæ nidum in cacabo fecit meræ.

Ejusdem argumenti exstat apud Scholiasten Horatii epigramma, cujus initium, *Ciconiarum Rufus est conditor.* HEINS.

Margarita] Circa margaritas ardebat insana mulierum superbia. GLOSSÆ. Nam circa margaritas ardebat insana mulierum superbia. de qua re Rigaltius ad Phædrum lib. 3. fab. 51. ERHARD. Pluralis numeri est, ut monuit Dousa P. *Margaritum* dixit noster cap. LXIII. & Tacit. in vita Agricolæ cap. 12. *Gignit & Oceanus margarita, sed subfusca & liventia.* Et sæpe D. Hieronymus, qui à Christianorum infirmioribus magis olim Ciceronianus, quam Christianus, audiebat; ut ad Pammachium super obitu Paulinæ uxoris: *Fractum est,* inquit, *precioſissimum margaritum.* Et paullo post: *Lucet margaritum in sordibus, & fulgor gemmæ purissimæ, etiam in luto, radiat.* Optimi etiam Latinæ Linguæ Auctores post Τὸ *quo* quartum casum ponebant: unde etiam Nob. Heinsius mox mallet:

——— *tibi baccam Indicam?*

Ovidius II. Amor. El. IV.

Quo tibi formosam, si non nisi casta placebat?

Horat. lib. 1. ep. 5.

Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?

Martialis lib. V. ep. 53.

Quo tibi vel Nioben, Basse, vel Andromachen?

Phædrus lib. III. Fab. 18.

Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?

BOSCH.

Cara] Proprium margaritis epitheton, ut docuit Heinsius ad Claudian. Epithal. Honor. vers. 165.

Tribacca margarita Indica] Quæ tribus baccis seu unionibus constant. GLOSSÆ. Biturig. *tibi bacca.* Pith. PATISSON. Forte *tibi bacca Indica.* AURAT. Lege *cara tibi, bacca Indica.* Scalig. *Bacca,* unio. Horat. lib. 2. Sat. 3. *Diluit insignem baccam.* WOUWEREN. Quæ tribus baccis unionibusque inauri insertis constabat. Plin. lib. 10. cap. 35. *Hos digito suspendere, & binos ac ternos auribus feminarum gloria est.* At *baccarum* appellatio pro unionibus vel in illo Virgilii eluceſcit lib. 1. vers. 654. *Colloque monile Baccatum.* Had. Junius Animadvers. lib. 6. cap. 15. Alcimus Avitus de Consolatoria laude castitatis:

Nec tibi transfossis fixerunt auribus aurum,
Quæ compensarent pendentes vulnera, baccæ.

Barthius ad Claudian. IV. Consul. Honor. vers. 528. multus. Papias; *Invenitur etiam bacca pro gemma pretiosa. & inde baccatus, id est, baccis lapidibus adornatus.* Avienus vel (ut est in vetustis codd.) Avianus in Fabul.

Quid nitido pretium cortice bacca daret? ERH.

Virgilio *bacca Indi maris.* Nam, Plinio teste lib. 9. cap. 35. *margaritas Indicas maxime mittit Oceanus.* Unde

eas

An ut matrona, ornata phaleris pelagiis,
Tollat pedes indomita in strato extraneo?

Sma-

cas Tertullian. lib. de Resurrect. Christi, *rubentis maris grana candentia* appellat. D. Hieronymus *rubri maris grana*. Martialis lib. 10. epigr. 76. *Erythraos lapillos:*

Quidquid Erythræi niger invenit Indus in alga.

Margaritæ autem in conchis conceptu roscido generantur. Unde *margaritiferæ conchæ* apud Plinium. Margaritam autem Persius Satyr. 2. nuncupat *baccam conchæ*: Plinius *nucleum* dixit: Tertullian. *conchæum pusulam rotundam & verracam:* infimæ Latinitatis auctores *perulos;* quod nomen idioma nostrum servavit. Casaubon. ad Pers. p. 218. Taubman ad Culic. vers. 67. Vide Zehner. Cent. 2. adag 11. Basil. Fabrum in Thesaur. erud. Scholast. WEITZ. *Tribacca* Sambuci cod. & sex edit. Uniones enim non singulos singulis auribus comparatos jungebant Romanorum feminæ, sed binos, etiam ternos. De illa mulierum insania Claudianus VI. Hon. Cons. vers. 527.

Substrictque comam gemmis, & colla monili
Circuit, & baccis onerat candentibus aures. BOSCH.

Alii, cum codicibus duobus Scaligeri: *tibi bacca Indica.* Fuit, cum arbitrarer castigandum, *tricata Indica*, ut referatur ad monile, vel.

Quo margaritæ bacca tricata Indicæ.

Tricatæ baccæ, pertusæ & in lineam redactæ filo transsuto: contra, *extricatæ baccæ* in jure veteri occurrunt. Salmasius ad Poll. xxx. Tyran. cap. 32. legit *unibacca Indica.* Ego arbitror à Publio esse:

Quo margarita cara tibi baccam Indicam.

Sic, *Quo tibi fortunam*, apud Horatium. Seneca Controvers. 11. *Quo mihi Sacerdotem, cum precaria castitas est?* Nec aliter Naso locis compluribus, ut nos ex optimis Membranis primi restituimus. *Tribacca* tuetur se quodammodo Senecæ loco de benef. lib VII. cap. IX. de unionibus ex aure pendentibus: *video uniones non singulos singulis auribus comparatos; jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt. Junguntur inter se, & insuper alii binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent.* Ubi plura ad rem Lipsius. HEINS. Prima editio, & codex Tragurianus *tribaca.* Unde *tribaccam* fecere, quod versus ratio respuit. Et tamen tale quid requirit luxuria eorum temporum, quo fœminæ binis margaritis tertiam imponebant, & ita tribaccam inaurem gerebant, ut ex Plinii & Senecæ locis viri docti ad h. l. & Meursius de Luxu Roman. cap. 5. docuerunt. Quare & versui & menti Mimographi satisfiet, si scribamus:

Quo margarita tibi cara, tribacca, Indica.

Margaritum etiam veteres dixisse ex Valgio antiquo Poëta probat Charisius lib. 1. Instit. Gramm. pag. 84. BURM.

Aut ut matrona] Impr. *aut ut matrona ornata.* Cæterum & vetus exemplar *pelagus* habuit, sed *pelagiis* legendum esse ratio carminis suadet. PUTEAN.

Onerata] Alii, *ornata.* PATISSON. Efficacius ad luxuriam depingendam, &, quod locis à Meursio & aliis adductis magis respondeat, est *onerata*, quod aliquot editiones exhibent. Et solemnis est istorum verborum commutatio. vid. Heins. ad Val. Flac. III. 9. Ita Horat. Epod. VIII. admodum adposite:

Nec sit maritæ, quæ rotundioribus
Onusta baccis ambulet.

Senec. VII. de benefic. 9. *video uniones non singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo sunt.* vid. inf. cap. 67. BURM.

Phaleris pelagiis] Ornamentis marinis. GLOSSÆ. Alii, *patagiis.* PATISSON. Forte *pelagi.* AURAT. Lege *phaleris pelagi.* Tiberius apud Corn. Tacitum lib. 3. *Atque illa fœminarum propria, quis lapidum causa pecuniæ nostræ ad externas aut hostiles gentes transferuntur.* BRASSICAN. Hieron. *ut taceam de inaurium preciis, candore margaritarum rubri maris profunda testantium, Smaragdorum virore, Cerauniorum flammis, Hyacinthorum pelago,* &c. Manil. lib. 5.

Vix quisquam est locuples, oneratur terra profundo. BARTH.

Marinis. Infra cap. CIX. *per antemnam pelagiæ consederant volucres.* ERHARD. Nescio unde Dresemius ad Iscan. de Bell. Trojan. lib. III. vers. 394. *Phalegiis* illud suum habeat, nisi vitio Typothetarum id sit adtribuendum.

Tollat pedes] Vide Manutium in Epist. Ciceron. & Turneb. in locis lib. 11. de Oratore. PUTEAN. Plaut. *sustolli solent.* Cicer. ad Attic. PITH. Mart. lib. 11. epigr. 72.

Protinus accedunt medici, medicaque recedunt,
Tollunturque pedes: o medicina gravis!

WOUWEREN.

Indomita] Ob libidinem equæ indomitæ similis. Horat. de eadem libidine.

Indomitam properat rabiem sedare. ——

Attius apud Non.

Tereus indomito more atque animo barbaro
Compexit in eam Amore vecors flammeo. BARTH.

In strato] Autisiod. *si rato.* Pith. PATISSON. Lege juncta voce, *instrato*, ex Vet. cod. BRASSIC. Vetera exemplaria duo, *in Sirato. Sira* in Gloss. τὸ ἀιδοῖον dicitur. PITH. Nescio, cur Pithæus attendere voluerit corruptæ lectioni *strato*, quia *sira* in Glossis τὸ ἀιδοῖον dicitur, cum *sira* à Græco σειρὰ derivetur, quod notet funem, unde & in Glossis πλεκτὴ redditur. Ex hac significatione potuit per metaphoram traduci ad pudenda. Neque à *sira siratum* quis formare

Smaragdum ad quam rem viridem, pretiosum vitrum?
Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Nisi ut scintillent? probitas est carbunculus.
Æquum est induere nuptam ventum textilem,
Palam

mare vellet, cui sana mens constat; cur autem obvia spernamus, & extraneum stratum, pro toro alieno, quem adultera conscendat, capere recusemus? Ita Juvenalis Satyr. VI. dixit *alienum lectum concutere*, & similia alii. BURM.

Smaragdum ad quam rei] Forte, *ad quam rem.* AURAT. Alias, *ad quam rem.* BRASSICAN.

Smaragdum ad quam rem] Varro ταφῇ Μενίππ. *Ad quam rem nobis conflavium, ad quam rem urnarium.* PITH. Quo bonum. BONGARS.

Viridem] Proprium Zmaragdo fulgorem & nitorem exprimens epitheton. Seren. Sammon. cap. LIII.

Ne dubites illis virides miscere Zmaragdos.

Plin. XXXVII. cap. 5. *Zmaragdos tanto libentius spectamus, quoniam nihil omnino viridius comparatum illis viret.* Lutatius ad illa Statii lib. II. Thebaid. 276.

——— *Arcano florentes igne Zmaragdos.*

Virides lapides, quemadmodum glaucum, pro viridi, sic ignem pro splendore posuit. Unde dubito, an merito repudiaverit vulgatam apud Ovidium lib. II. Amor. eleg. 6. lectionem N. Heinsius,

Tu poteras virides pennis hebetare Zmaragdos.

& supposuerit *fragiles*, cui epitheto ibi locus nullus est, cum non respondeat τῷ *hebetare*. Inde & aurum, & quæcumque splendore ardent, *viride* & *virere* à Poëtis dicuntur. Claudian. II. de raptu vers. 291.

Fulgentes viridi ramos curvata metallo,

ubi vide Heinsii notas. Ita & apud Ovidium lib. IV. Metam. vers 636. quidam scripti codices habent.

Arboreæ frondes auro radiante virentes.

pro quo vulgo minus eleganter *nitentes* circumfertur. Vide Scriver. ad Martial. XII. 32. Ita & de marmore Statius I. Sylv. II. 148.

——— *Hic dura Laconum*
Saxa virent,

Et ita *viridem avem* dixit Ovidius Epist. Heroid. XV. 38. Cæterum *Zmaragdum* scribendum semper, certissimus auctor Brouckhusius docuit ad Tibul. II. IV. 27. BURM.

Pretiosum vitrum] Ita non modo appellat, quia erant maxime pellucidi, sed quia & iis uterentur ad specula, loco vitri. Vide Plin. XXXVII. 5. & ibi Harduinum. BURM.

Carchedonios] Flagrantia & igniti fulgores gemmarum. GLOSSÆ. Lege, *Quo Carchedonios.* AURAT. *Quo*, id est, cur. Barth. ad Claudianum. imo *quo*, valet, ad quam rem, in quem finem. ERHARD. Ita genus carbunculorum vocarunt, *propter opulentiam Carthaginis magnæ.* Plin. XXXVII. 7.

Nisi ut scintillet] Primo maluerim *portas*, quam *optas.* Sic, *portare rugas in fronte*, Nasoni in Amoribus. Deinde scribe, *nisi ut scintilles.* Alii Codices longius abeunt à vero; in quibus, *scintillent.* Denique mox maluerim, *æquum estne inducere nuptam.* HEINS.

Ignes lapideos] Manil. lib. V. vers. 511.

- - - - *Phœbais certantia lumina flammis,*
Gemmarumque illis radiantes lucibus ignes.

Claud. Paneg. in IV. Hon. Cons.

Quis junxit lapides ostro? quis miscuit ignes
Sidonii rubrique maris? - - - -

Hieron. ad Demetriad. *Ardentes gemma reddantur sermis.* WOUWEREN. Fulgores gemmarum. Claudian. VI. Cons. Honor. 51.

- - - - *Acies stupet igne metalli.*

Martial. lib. XII. epig. 15.

Miratur Scythicas virentis auri
Flammas Juppiter.

Lapides, gemmæ; Ovid.

Elapsusque cava fingitur aure lapis.

Manil. lib. 4.

Nec lapidum pretio pelagus cœpisse pigebit. BARTH. Quem vide etiam ad Stat. II. Theb. 276.

Nisi ut scintillet?] Lege *scintillent?* scilicet ignes lapidei Carchedonii. ERHARD.

Probitas est] Autisiod. *probita se.* Pith. PATISSON. Impressi, *est carbunculus.* quod probe, si ita legatur;

Nisi ut scintillet? probitas est carbunculus. PUTEAN. Ut Theogonetus: σοφία δὲ χρύσωμα. & ipse Publius: *Frugalitas est inserta fama bona*, nam *inserta*, ἔμβλημα, emblemata vero, quæ ex auro & gemmis, argento infixa. ut apud Xiphilinum Tiberio: τὰ ἀργυρᾶ χρυσοῦν τι ἔμβλημα ἔχοντα. Paull. lib. 7. Sententiarum tit. 6. WOUWEREN. Idem Publius apud Macrobium;

Frugalitas inserta est rumoris boni.

Jacobus Pontanus in Macrobium lib. 2. cap. 7. Nam *inserta*, ἔμβλημα, ut hoc loco Wouwerius annotavit, tacito auctoris, unde didicit, Scaligeri nomine, quemadmodum Scaliger de ipso queritur in suis ad Publ. Syrum Mimum Notis. ERHARD. Ἀρχαϊκῶς. color carbunculi judicium est probitatis, ut patet apud Auctorem Librorum Sacrorum Mosem, & gravissimum scriptorem Philonem Judæum, ubi loquitur de habitu Essæorum; tangit Laërtius lib. 6. BOURDEL. Lege *carbunculus.* TILEBON.

Induere] Veteres *inducere.* Pith. PATISSON. Forte,

Æquum est induere nuptam ad ventum textilem
Pallam, prostare nudam in thalami lectulo. AURAT.

Palam prostare nudam in nebula linea.

LVI. „Quod autem, inquit, putamus secundum literas difficillimum „esse artificium? Ego puto medicum, & nummularium. medicus, qui „scit,

Induere legendum suadet ratio carminis. Vulgo, *inducere*. SAMBUC. Quia id meretricum. Horat. lib. 1. Satyr. 2.

Altera nil obstat; Cois tibi pene videre est,
Ut nudam ——

Propert. lib. 4. eleg. 2.

Indue me Cois, fiam non dura puella.

Ventum vero pro tenui veste, etiam Tibull. lib. tertio, Eleg. 2.

Post hæc carbaseis humorem tollere ventis.

WOUWEREN.

Ventum textilem] Vestis est tenuissima, æquans propemodum subtilitate ventum. GLOSSÆ. Alii *ventum texti pala?* TORNÆS. Vestem ventosam & tenuissimam, æquantemque propemodum subtilitate ventos. Turneb. Adversar. lib. 1. cap. 15. quod seq. vers. dicit *nebulam lineam*, id est, linum, seu linteum tenuissimum. Irenæus Poliander apud Taubmannum Dissertat. de ling. Latin. *Ventum* ea notione extulit quoque Tibullus lib. 3. Eleg. 2. Et Propert. lib. 1. Eleg. 6.

Osculaque opposito dicat sibi dedita vento;

id est, veste sive velamine tenui. Is. Pontanus Analect. lib. 3. cap. 9. ERHARD. Taubmann. in Dissert. Lat. Ling. pag. 70. pro lino aut linteo tenuissimo accipit, uti & *lineam nebulam*. Zehner. in Nomenclat. lib. 5. cap. 40. reddit *Spinneweb*. Quo nomine Germani appellant sericum tenuissimum, & aranearum telis conforme. WEITZ. Ennodius Epigr. XLVIII.

Contulit hic ventos pretiosi fila metalli. HEINS.

Nebula linea] Tenue amiculum lineum, quod nec panni celebritatem, nec telæ densitatem, sed nebulæ tenuitatem æmulatur pellucidam. GLOSSÆ. Veteres *lunæ*. Pith. PATISSON. Horat. lib. 1. Sat. 2. Dio: γυμνός τι δὶ ὑπὲρ τῆς θύρας αὐτῆς ἰὼν, ὥσπερ αἱ πόρναι, καὶ τὸ σιδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων. Lucian. ἱμᾶσι. Ovid.

Vellera mollibat nebulas æquantia tactu. PITH. Plautus in Casina; *nebula haud est mollis atque cutis ejus est.* BONGARS. Plinius lib. 11. de Coa: *Ut denudet feminas vestis.* Hieron. ad Lætam: *Vestimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus vestita corpora nudentur.* ad Helvid. *Ingrediuntur expolitæ libidinum victimæ, & tenuitate vestium nudæ oculis ingeruntur*; meminit etiam in Marcellæ vid. epitaph. Seneca 2. Contr. 6. *Vestem nihil in matrona tecturam concupivit.* Controv. 8. *Ut tenui veste perspicua sit.* Philemon apud Clement. Alex. ἱμάτια διαφαίνοντα. Tibull. Senec. *pellucida*. Tertull. Pall. *Textu pellucido tegendo nudavit.* Fulgentius Mythol. lib. 1. *Astiterant itaque syrmate nebuloso lucidæ ternæ viragines.* WOUWEREN. Vide Turneb. Adversar. lib. 1. cap. 15. ERHARD. In Gloss. Petron. pro *celebritatem*, forte scribendum, *crebritatem*. Eleganter de his mulieribus L. A. Seneca lib. VII. de Benef. cap. 9. *Video*, scribit, *sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit, quibus sumtis, mulier parum liquido nudam se non esse jurabit.* BOSCH. Quidquid pertenue, *nebulam* dicebant. *Nebula* pro auri bractea apud Martialem. Apud Ennodium Epigr. XLVII.

Aurea per nebulam dissolvit fila magister.

Maroni *aura auri* pro bractea ponitur Æneidos sexto, Uti & eidem Ennodio Epigr. XLIX.

Stringitur artatis digitorum nexibus aura. HEINS. Servius ineditus, quem vidit Heinsius, ad Virgil. 1. Georg. 403.

Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri.

Nebula dicuntur, quæ imminente tempestate ob nimiam levitatem in aëre vento jactantur. Item vellera nubes dixit; tenuia aranearum textura, quæ imminente tempestate per aëra raptatur. Varro in Epimenide, nubes vellera lanæ stabunt. Sic & Aratus. Ovidius lib. VI. Met. vers. 21.

Vellera mollibat nebulas æquantia tactu.

Forte & ita *nebula* apud eumdem poëtam lib. V. Fast. vers. 269. capienda.

Vina quoque in magnis operose condita cellis
Florent, & nebulæ dolia summa tegunt.

Cæterum adscribam hic epigramma ineditum, quod inter Schedas Heinsianas repperi, quo similis tenuitatis vestis describitur. titulus est

VERBA AMATORIS AD PICTOREM.

Pinge, precor, pictor, tali candore puellam,
Qualem pinxit Amor, qualem meus ignis anhelat.
Nil pingendo neges, tegat omnia serica vestis,
Quæ totum prodat tenui velamine corpus.
Te quoque pulsit Amor, cruciant pigmenta medullas,
Si bonus est pictor, miseri suspiria pinge.

penultimo versu *pulset*, & ultimo *es pictor*, Heinsius legebat. Plura de hoc genere vestium vide apud Eruditissimum Tristanum, tom. 1. pag. 313. Egregie quoque illustravit Publii has argutias unicus poëtarum interpres Brouckhusius ad Tibull. lib. III. eleg. 2. vers. 21. BURM.

Secundum] Pro, *post*, vid. ad cap. 18.

Medicum & nummularium] Scilicet artificium. SCHEFFER. Non opus cum Scheffero hic *artificium* subintelligere, cum positum sit pro *medicorum* & *nummulariorum*, locutione etiam aliis scriptoribus usitata. Justin. lib. 11. cap. 14. *Athenienſium virtus ceteris prælata.* Et lib. IV. cap. 3. *Ausi facinus nulli Tyranno comparandum.* Vide utrobique Vorstium. similis fere

&

„scit, quid homunciones intra praecordia sua habeant, & quando febris „veniat. Etiamsi illos odi pessime, qui mihi jubent saepe anatinam pa- „rari. nummularius, qui per argentum aes videt. Nam mutae bestiae labo-

& illa locutio apud Justinum XVIII. 3. *Sacerdoti Herculis, qui honos secundus à rege erat*, pro *cujus*, v. Gronov. ad Liv. XXIII. 11. BURM.

Febris veniat] Celsus III. cap. 12. *Incertum est, quando febris ventura sit.* Plaut. Capt. III. sc. 4. *Illic isti, qui sputatur, morbus interdum venit.* SCHEFF.

Jubent] Proprie enim medici, cum remedia præscribunt, *jubere* & *imperare* dicuntur. Martial. lib. II. Ep. 40.

Omnes Tongilium medici jussere lavari.

Ovid. Epist. XX. Heroid. vers. 132.

Me miserum! quod non medicorum jussa ministro.

Terent. Andr. III. 2. *quod jussi dare bibere, & quantum imperavi, date.* Ita Græcis προστάττειν. Ælian. Var. Histor. lib. II. cap. 37. BURM.

Anatinam parari] Lege, *Anatinam parare*, id est, jusculis ex Anatum carne conficiendis operam impendere. Plutarchus in Catone Majore notat, illum familiam suam, ubi ægrotaret, ex Anatum, palumborum, & leporum, carne salubriter alere consuevisse, quam ajebat κῶφον εἶναι καὶ προσφόρον ἀσθενοῦσι. In quo etiam Catoni cum Medicis male conveniebat, qui asserunt, id genus cibi mali esse succi, durum ac stomacho alienum. Nisi reposueris, ægrotantibus ideo prodesse, quia parum nutriat, nec per copiam naturæ negotium faceſſat. TILEBOM. Hoc suspectum mihi. Scio quidem apud Plautum *anatinam fortunam*, verum, quid huc faciat, non video. Magis forsan est, ut accipiamus de medicamento ad tenendum anum, sive alvum. Nam de eo fuit quidpiam in præcedentibus. SCHEFFER. Abhorrent plerique medicos, quod tetri saporis medicamenta propinare ægrotis soleant, ex absinthio, centaurio, gentiana, aloë, colocynthide. Ex istis etiam Trimalcio, adsuetus dulcibus mellitisque, osor amarorum, etsi salubrium, corrupto judicio. Velim igitur, quod ex edito commodissime exit, legere *aloëtinam*, vel *aloëticam*, & subintelligere *potionem*. Aloën enim in usu quotidiano habitam olim haberique conservandæ sanitati, roborando tono viscerum, humorum vitiis corrigendis, & putredinibus quibusvis prohibendis & expiandis, notum est: V. Gal. I. 6. de simpl. med. fac. Paulus lib. 7. cap. 3. & 4. Minder. in aloëdario: Freit. lib. 2. aurora Med. cap. 5. REINES. Vomitiones matutinæ veteribus multum in usu ex præscripto medicorum. Martialis lib. IX. epigr. XCII. ubi hominum lautiorum incommoda recenset:

Quod nec mane vomis, nec lingis, Condyle.

Ita scribendum sit: *mane vomitinam parari.* Glossæ Labbæi: *vomitina*, ἔμετον. ἔμετος, *vomitina*. Sed istis locis *vomitinam* in *vomitivam* censeo mutandam. HEINS. *Anatinam* ego retinendum censeo, & miror Reinesium, in antiquorum medicorum scriptis versatissimum, non potuisse medicamentum, ad cujus confectionem Anatis sanguis vel caro adhibebatur, reperire, cum in celebri istius Antidoti Mithridatici confectione Anatum Ponticarum sanguinem fuisse mixtum tradat Gellius lib. XVII. cap. 16. & Plinius lib. XXV. cap. 2. & contra venena valere sanguinem Anatum tradiderunt omnes medici veteres. vide Scribon. Larg. Comp. CLXXVII. & ibi Rhodium. Sed, cum illius tantum usus fuerit in Antidotis, non puto huc respicere Trimalchionem, neque etiam potionem aliquam innuere, sed *anatinam* dici pro carne anatina, ut supra *bubulam* dixit, & vulgo *suillam*, *ovinam*, &c. dicitur. intelligit ergo medicos, non qui præscribebant remedia, sed regebant victum ejus, & alimenta sana ipsi imperabant. anatina autem caro mali succi est, neque erudito & luxurioso palato satisfaciebat. Unde & Varro III. de R. R. cap. 11. dicit, *eos non saginari propter suavitatem*; & hinc delicatiores tantum pectus & cervicem, abjectis reliquis, gustabant. Martial. XIII. 52.

Tota quidem ponatur Anas; sed pectore tantum,
Et cervice sapit: cætera redde coco.

Vide Nonnium de re cibar. lib. II. cap. 34. & Bruijer. lib. 15. cap. 31. Cæterum Trimalchioni forte ideo præscribebant medici, quia excrementosa hæc caro creditur, & contra tormina valere, quantum autem tormentum crediderit Trimalchio continere, supra vidimus. Et Plinius lib. XXX. cap. 7. dicit, *quod præterea traditur in torminibus, mirum est, Anate appositâ ventre transire morbum, anatemque emori.* Imo Columella lib. VI. de R. R. cap. 7. dicit de pecore, *ventris & intestinorum dolorem sedari visu anatis, quam si conspexerit, cui intestinum dolet, celeriter tormento liberatur*: ex quibus potest confici, Trimalchionem, cui aliquando circa stomachum sonabat, putes Taurum, invitum Anatinam comedere, ut à torminibus liberaretur. Ex Plutarcho quoque notat Nonnius & Tilebomenus Catonem solitum familiam ægrotantem aluisse anatum & leporum carne. BURM.

Parari] Et hoc medicorum verbum pro præparari. Scrib. Larg. §. 107. *Quamobrem utraque parata debent esse medicamenta.* Ovid. Remed. Amor. v. 91.

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras. BURM.

Per argentum as videt] Novit nummum probum discernere ab improbo & subærato. SCHEFF. Accipe de nummis adulterinis & subæratis, quales adhuc inveniuntur plurimi apud rei antiquæ studiosos Romæ. HEINS.

„laborioſiſſimae, boves, & oves: boves, quorum beneficio panem man-
„ducamus: oves, quod lana illae nos glorioſos faciunt. Et, facinus in-
„dignum! aliquis ovillam eſt, & tunicam habet. Apes enim ego divi-
„nas beſtias puto, quae mel vomunt, etiamſi dicuntur illud à Jove ad-
„ferre; ideo autem pungunt, quia ubicumque dulce eſt, ibi & acidum
„inve-

Nam mutæ] Lego, *ſunt mutæ*. TILEBOM.

Laborioſiſſimæ] Quid? an oves etiam laborioſiſſimæ? quis id umquam vel dixit, vel vidit? veriſimilius itaque eſt, auctorem ſcripſiſſe, *officioſiſſimæ*. Hoc enim tam ad oves, quam boves, referri poteſt. GOES. Non mutem. Non enim novum, duabus diverſis rebus, unum verbum modo adponi, quod alterutri modo convenit. Neque inepti Trimalchionis verba ad ſtateram exigenda; in hoc vero ſermone, ſtultus oſtentator Pythagoricum dogma, de non occidendis animalibus, videtur venditare. Quod patebit, ſiquis hæc conferat cum Pythagoræ oratione apud Ovidium lib. xv. Metam. verſ. 116.

Quid meruiſtis, oves, placidum genus, inque tuendos
Natum homines?

Et mox:

Quid meruere boves, animal ſine fraude doliſque
Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores?

Ubi laborioſas boves, & oves, ex quarum lana tunicæ & veſtes fiunt, eodem fere modo, ſed multo digniore, deſcriptas videmus. BURM.

Manducare] Cum faſtidio hæc vox prolata, quia lautus ille homo, & delicatiſſimis cibis aſſuetus, lentis dentibus conficiebat panem, cum alter ille libertus ſupra cap. 44. in fame & annonæ difficultate, *panem devorare*, dixerit.

Lana] Caſus ultimus, cum lana, per lanam, id eſt, veſte è lana. SCHEFFER.

Nos glorioſos faciunt] Faciunt gloriari nos illis atque ſuperbire. Plautus Pſeud. Act. II. ſc. 3. *Atque ego nunc me ut glorioſum faciam.* SCHEFFER.

Et facimus] Lege *& facinus*. TILEBOM.

Aliquis ovillam eſſet tunicam habet] Legendum putarem. *Aliquis admitteret, ſi ovillam tunicam haberet*. TILEBOM. Scribe totum locum iſto modo: *Et, facinus indignum! aliquis ovillam eſt, & tunicam habet.* Dicit; rem indignam eſſe, quod in cibum abutamur ovibus, cum illæ veſtes nobis præbeant. SCHEFFER. Scribe, *aliquis ovillam eſt, & tunicam habet!* Vidit ex parte Statilius. *Eſſe* pro edere frequentiſſimo in uſu antiquis. Similis querela apud Martialem in Xeniis, lemmate *Murices*.

Sanguine de noſtro tinctas, ingrate, lacernas
Induis, & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

Idem in Apophoretis, lemmate *caput avietinum*.

Mollia Phryxei ſecuiſti colla mariti,
Hoc meruit, tunicam qui tibi ſæpe dedit!

patet hinc, tunicas ex lana fieri ſolere. HEINS.

Apes enim ego divinas &c.] Hæc ſi compares cum verbis, quæ, velut ex naufragio erepta & male diſpoſita, leguntur in fragmento veteri & jam dudum vulgato Petronii: ubi, poſtquam dixit: *Quod non exſpectas, ex transverſo fit, & ſuper nos fortuna negotium curat.* Subdit, *Apes ideo pungunt, quia, ubicumque dulce eſt, ibi & acidum invenies: ſemper in hac re, qui vincitur, vincit, &c.* Hæc, inquam, ſi conferas, non dubitabis profecto prædicare ilico non alterius Scriptoris, quam hujus ipſius hoc opuſculum eſſe & haberi debere. TILEBOM. Præter Ariſtotelem & ſcriptores de re ruſtica, apum naturam diligentiſſime exſecutus eſt Plinius lib. XI. capp. quindecim: poſt hunc infiniti alii. Quintilianus Petronio φυσικάζοντι περὶ μελισσῶν proxime accedit, declam. XIII. *Cum ingenia noſtra, quæ nos ſcilicet ambitioſi noſtri æſtimatores proxima divinis credimus, ad percipiendas diſciplinas multo labore deſudent, nulla apis niſi artiſex naſcitur: quid credas aliud, quam divinæ partem mentis, his ineſſe? & quid non divinum habent, niſi quod moriuntur?* REINES.

Quæ mel vomunt] Plinius XI. cap. 12. de ſucco, unde mel conficitur. *In uterculos congeſtus apum (ore enim vomunt) ad hæc ſucco florum corruptus*, &c. SCHEFFER. Colum. IX. 2. *Utrum evomant liquorem mellis, an alia parte reddant.*

A Jove adferre] Pertinet huc illud Virgilii initio IV. Georg.

Protinus aërii mellis cœleſtia dona
Exſequar.

Columella IX. cap. 21. *Eubemerus poëta dicit, crabronibus & Sole genitas apes, quas Nymphæ Phryxonides educaverint, mox Dictæo ſpecu Jovis exſtitiſſe nutrices, eaſque pabula munere Dei ſortitas.* SCHEFFER. *Afferre*, ſi quid video. *Aërei mellis cœleſtia dona*, apud Maronem, ubi & interpretes conſulendi. v. & Plin. lib. II. cap. XIV. HEINS. Proprie. Senec. Epiſt. LXXXIV. *Apes debemus imitari, quæ vagantur, & flores ad mel conficiendum aptos carpunt, deinde, quidquid adtulerunt, diſponunt & per favos digerunt.*

Apes ideo pungunt] Apul. *Ubi mel, ibi fel; ubi uber, ibi tuber.* BONGARS. Claudian. Feſcenn. v. 105.

Non quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos;
Armat ſpina roſas, mella tegunt apes. BARTH.

Claudian. Feſcenn. verſ. 108. *Mella tegunt apes.* Vide Boëth. lib. III. Metr. VII. Barth. ad Claudian. dict. locum. Similis ſententia apud Gregorium Magnum in

„ invenies. [a] Jam etiam philosophos de negotio dejiciebat, cum pitta-
„ cia in scypho circumferri coeperunt. Puerque super hoc positus offi-
„ cium apophoreta recitavit: Argentum sceleratum: adlata est perna, supra

[a] ENCOLPIUS.

in Moralib. Et vulgo dici amat; *ubi mel, ibi fel*, ex Apulejo. ERHARD.

Acidum] Id est, amarum, *saur*. Infra cap. XCII. *Siccatoque avide poculo negat, umquam sibi acidius fuisse*. ERHARD.

De negocio dejiciebat] Non permittebat eis suum facere negocium, sed id sumebat sibi. Respicit quæstiones modo à Trimalcione allatas, de quibus Philosophi agere debebant potius, ut ad quos propius pertinerent. Dictum autem hoc, quomodo apud Ciceronem, *dejicere de sermone*. SCHEFFER. Nota elegantem loquendi modum Seneca ep. LXXXVIII. *Zenon Eleates omnia negotia de negotio dejecit*. Ubi cave, audias codices nonnullos Pinciani, tollentes illa: *de negotio*. HEINS. Eodem modo dictum puto, quo *de gradu, de statu, de possessione dejicere*, & similia, quæ passim obvia. *Negotium* autem ponitur hic pro re, de qua agitur. Ut ergo Trimalchio antea de Poëtis sententiam tulerat, nunc occasione mutarum bestiarum Philosophos de negotio dejiciebat, id est, tam arroganter decidebat, & sententiam quasi supremus magistratus de re quadam civili ferebat, ut nihil esset, quod postea exercere Philosophos posset, cum ille (de quo, ut de Pythagora ajebant, *ἀυτὸς ἔφα* possent dicere) hoc negotium confecisset. Non absimili sententia in *l. 69. ff. pro socio* dicitur *à negotio dimittere*, quod ita capio, unum ex sociis in se recepisse ex pacto, certo pretio præstationem nundinarum, id est, ut ego puto, istius lucri, sive damni quod spe & animo præsumserant illis nundinis se facturos: (nam illa, *id est epulas* glossema esse certus sum) & ita reliquos socios ab omni negotio emendi & vendendi illis nundinis liberos præstabat, recepto totius societatis negotio in se; cum vero postea, sive forte non tantum, ut speraverat, lucrum feciset, sive alia de causa non solveret societati illud, quod convenerat, Actione pro socio poterat conveniri ex societatis vinculo nata, & etiam ex vendito, quia res, quas emerat, ex natura quidem societatis cogebatur communicare cum sociis reliquis, *l. 74. ff. eod.* sed, interveniente hoc contractu, ut sociis præstaret nundinas, videbantur illi vendidisse res communes uni illi, qui reliquos à negotio hoc dimiserat. Est ergo, *præstare nundinas*, dictum eodem modo, ut præstare casum, damnum, periculum, dolum, culpam, & similia apud Ciceronem obvia, id est, exitum alicujus rei in se suscipere. Vide Manut. ad Ciceron. lib. 1. ad famil. Ep. 4. *A negotio* autem *dimittere*, est nullas partes illis assignare, ut fieri solet in societate, sed omne negotium in se recipere. Ita contra, *mittere in negotium*, Cicero pro C. Rabir. Post. cap. 2, dixit. *Nec interea locupletare amicos umquam suos destitit, mittere in negotium, dare partes*. Id est, eos recipere in societatem, & dare partem aliquam administrandam, & ad negotiandum mittere in varia loca. Quod Isocrates in Areopagit. pag. 146. in simili casu de divitibus, qui locupletare tenuiores amicos suos conantur, *καὶ ἐμποριαν ἐκπέμπειν*, dixit. BURM.

Pittacia] Vid. supra ad cap. 34. Unice autem hæc illustrat locus Suetonii mox à Scheffero adductus, & quæ ibi Casaubonus de titulis illis Apophoretorum. Et hæc præbere argumentum possunt, hanc cœnam liberam Saturnalibus fuisse celebratam.

Super hoc positus officium] Curtius: *Nobili Juveni Metroni super armamentarium posito, quod scelus pararetur, indicat. At ne in vicinium quidem diversorii quemquam commilitonum receptum esse, sed per dispositos, quos supra somnum habebat, omnes procul relegatos*. Sic scripti præstantiones; vulgo, *ad somnum*. HEINS.

Apophoreta] Munera, nominata in istis pittaciis, quæ non solum in festo Saturnaliorum, sed & alias, quotiens magnum haberetur convivium, dabantur. D. Ambrosius in Exhort. ad Virg. *Qui ad convivium magnum invitantur, Apophoreta secum reportare consueverunt*. SCHEFFER.

Argentum sceleratum] Sic fuit inscriptum uni ex pittaciis illis, titulus apophoreti, quo significabatur id, quod sequitur, perna scilicet, & cætera, sed obscure, ac ambigue, ut solebat aliquando in talibus. Sueton. August. cap. 75. *Saturnalibus, &, si quando alias libuisset, modo munera dividebat, vestem, & aurum, & argentum, modo nummos omnis notæ, etiam veteres regios & peregrinos: interdum nihil, præter cilicia, & spongias, & rutabula, & forpices, atque alia id genus, titulis obscuris & ambiguis*. SCHEFF. Quid hoc monstri? Opinor, *argentum sceletatum*, ut ad argentum in sceleti formam reductum (quale supra exhibitum in cœna) alludetur. HEINS. Etsi non plane capiam, cur ita dictum sit argentum, non tamen sollicitaverim vocem, & in plane inauditam *sceletatum* refingerem. Forte *sceleratum* vocavit eo sensu, quo porta, castra, & similia *scelerata* dicta fuere, in quibus aliquid infelicitatis acciderat: sic forte Argentum sceleratum, quia domino inde aliquid mali obveniret, vel, quia causa luxuriæ, vel simile quid, ut *sceleratus amor habendi* Ovidio, *scelerata sitis* Claudiano 1. in Rufin. 220. ubi egregia de hac voce notat Barthius. Ubi & sumi docet de unaquaque re, quæ horrenda est, & molesta. Ita ut & ratione ponderis sui sceleratum dici posset; ut *immensum argenti pondus* Horat. 1. Sat. 1. quæ si non quadrare alicui videantur, meminerit oportet, plurima in hac cœna

„pra quam accitabula erant posita, cervical, offla, colaris. Adlata est „ ferisapia, & contumelia aecrophagiae, saeldate sunt, & centus cum „ malo,

insolentia esse, quæ, quia nos non capimus, frustra critica manu sollicitari puto, ut in sequentibus verbis, vel corruptis, vel extraordinariis, manifestum est. Argentum vero inter munera Saturnalitia fuisse docet Mart. IV. 89. & V. 20. & alibi. BURM.

Acitabula] Scribe, *acetabula*. TILEBOM. Possunt commode de vasis genere noto capi, nisi quis malit *Ipsa pernarum acetabula*, ut vocat Plin. XXVIII. 11. intelligere. Tragurienſis codex habet *accitabula*, ut edi curavimus.

Offla] Ita mox, *offlam & tabulas*. & aliquanto inferius, *crucis offla*. Num utroque loco corrigendum, *offula*? SCHEFFER.

Colasis] Κόλασις. Sic enim putet aliquis scribendum, quamquam in ipso codice sit *colaris*, non *colasis*. Ut valde dubitem, cum præsertim hi tituli sic sint formati obscure, ut nil certi de iis dici queat. SCHEFFER. Hæc prodigiose corrupta. Nam paulo post etiam *offla* recurrit, quia autem præcedit *cervical*, hic intempestive subjungi *offam* vel *offulam* puto. κόλασις Schefferi vero plane inepta. Scripsit forte *insula collaris*, ut sit *focale*, sive fascia, qua male adfecti fauces & collum munichant, ut ex Horatio & Martiali satis notum. Ita quoque in Glossis σίμμα *offula*, ubi certe rescribendum unicuique patet *insula*, ut eædem Glossæ reddunt. Et hæc conveniunt Trimalchioni optime, quem vidimus cap. 32. inter cervicalia minutissima positum, & circa cervices laticlavia mappa & veste oneratum. BURM.

Serisapia] Suspicor, scribendum, *seria sapa*. Seria, vas est vinarium, cujus meminit Terentius, Columella, alii. De sapa Varro I. de Vita P. R. *Sapam appellabant, quod de musto ad mediam partem decoxerant*. SCHEFFER. Conjecto, vilem potum *seri lactis* innui: dictum, ut supra, *serisapius*, pro insipido. *Serisapia* vero potus respondet appositè, *contumeliæ aerophagiæ, edulio* scilicet ex *Lolio*. Sic pro Patav. *seri sapia:* in MS. uno verbo potest legi. HADRIANIDES. Et hic locus est perdifficilis. Scribo: *seviſapia & contumelia, æschiophagiæ solæ datæ sunt*. Sapones ex sevo fiebant, teste Plinio in historia naturali. Hos vulgus videtur appellasse *seviſapia*. Fiebant & è sevo adipata, & in res obscœnas formabantur. Martialis in Apophoretis.

Si vis esse satur, nostrum potes esse Priapum,
Ipsa licet rodas inguina, purus eris.

Vides, cur ludat nugator Trimalchio in seviſapiorum & contumeliæ nomine. HEINS. Non displicet Schefferi conjectura *seria sapæ*, nam, sapam inter Saturnalitia munera & apophoreta fuisse, docet Martial. VII. 52.

Et Laletanæ nigra lagena sapæ.

Et contumelia] Quid hoc loco facit, *contumelia*? Num legendum, *centum melcæ*? Melca sane genus est lactarii operis, notissimum quondam apud Romanos, ut ex Galeno, Paulo Ægineta, aliisque novimus. Sed nil definio. SCHEFFER.

Æcrophagiæ saldatæ sunt] An non legendum, *aerophagiæ simul datæ*, vel, *acrapalæ*? TILEBOM. In his rursum latere titulum novi apophoreti existimo. Ac primum, illud *datæ sunt*, distinctim à cæteris videtur scribendum, ut respondeat superiori, *allata est*. Pro cæteris vero, nescio, an legi possit, *acrophagias hylo*, vel potius, *acrophagia*, seorsum, ut illud *date* sit, nescio quid, quod titulus iste innuebat dandum. SCHEFFER. Lege *aerophagiæ simul datæ sunt & cenchrides*, pro Patav. *acrophagiæ, saledatæ sunt, & census*. Et MS. *acrophigiæ saldatæ sunt, & centus*. Quid *aerophagia*, proxime dictum; *Cenchrides* genus accipitrum, alias *tinnunculi*, & *triſtunculi*; nec his cum, *flagello, litorali mure, rana*, &c., ut sequitur, male convenire existimo. Est vero aliquid ponendum pronihilo, ut sic via fiat, & tristis desperatorum vox deinceps non toties audiatur. Nec invideo gloriam, quibus ad talia, habituris juxta tot Interpretum sententias, nobile jam adminiculum collationis MS. & edit. Patav. plus mediorum & temporis suppetit. Schefferi quod is suppeditaturus *cerasum* pro *census* vix fero in Lipsiensi editione, cum ego Upsaliensi ante uterer, expressum animadverti. Sed nec constructio favet, licet *simul datæ* legamus; sentioque verbo numeri multitudinis nomen subjectum plurale fuisse, tanto magis quod *cerasa* voluit dicere non cerasum, (quomodo si quis emendare audeat, simulque *malis* per me licet) ac in MS. post *malo* sit (·) deinde obscurum quid lateat sub *malo*, acriculis *porris*, & *persicis*, seu Persarum angariis. Cenchrides vero ante & post consimiles sibi paratas quasi harpyias inveniunt. HADRIANIDES. Monstra verborum, forte, *ac creophagiæ allatæ sunt*, quæ minime mihi à vulgatis abire videntur, sed in obscuris his titulis & apophoretis certi quid constituere periculosum. Certe, quæ Hadrianides hic somniat, nugæ meræ. In reliquis quædam sunt plana, & quæ in Apophoretis Martialis etiam occurrunt. Ut *cervical* epigr. 146. *Focale* epig. 143. *flagellum* epig. 55. & 79. *culter* epigr. 31. *muscaria* epig. 66. & 71. *cœnatoria* epigr. 135. *tabulæ*, sive, ut puto, *pugillares* epigr. 3. & seqq. *soleæ* epig. 65. inter Xenia vero *Porri* epig. 18. & 19. *murænæ* epig. 80. *Lepus* epig. 92. reliqua, pro nostri Trimalchionis lautitia singularia & extra ordinem data. Hæc autem omnia apud Petronium valde sunt mendosa, & laborant pleraque prava distinctione, qua confunduntur tituli, & ipsa Apophoreta, quæ discernere etiam difficile puto. Flagellum autem

„malo, porri, & perſica, flagellum, & cultrum accepit, paſſeres, & „muſcarium, uvam paſſam, & mel Atticum, coenatoria & forenſia, „offlam, & tabulas: accepit canalem, & pedale: lepus, & ſolea eſt ad„lata: muraenam, & litteram, murem cum rana adligatum; faſcemque „betae. diu riſimus: ſexcenta hujuſmodi fuerunt, quae jam ceciderunt „memoriae meae.

LVII. „Caeterum Aſcyltos intemperantis licentiae, cum omnia ſubla„tis manibus eluderet, & uſque ad lacrymas rideret, unus ex conliber„tis

autem & cultrum ad *contumelia* titulum referri oportere puto. BURM.

Et centus] Forte legendum *ceraſum*. SCHEFF.

Et cultrum] Ergo *cultrum* quoque rectum eſt in neutro. Citant ſane Lexicographi hoc fine verſum Propertii ex lib. IV. El. 5.

Cum ſallenda meo pollice cultra ſorent.

Sed pro *cultra* apud Gryphium eſt *clauſtra*. Alii habent *clatra*, quod & Scaliger retinuit, qui in MS. ſuo legi ait *culta*. Denique vix cultris locus eſt in illo verſu, ut hoc teſtimonium non multum valeat. Obſervo tamen in antiquis gloſſis, titulo de Ferramentis, *Cultrum*, μάχαιρα. & in Gloſſis aliis: μαχαίριον χειρὸς. *cultra*. Habet quoque Gloſſarium Tyronis & Senecae, ut appellant. SCHEFFER.

Accepit paſſeres] Non habet illud *accepit*, quo poſſit referri. Ergo mutilum & hunc, & ſequentem alium huic ſimilem exiſtimo locum. SCHEFFER. Male haec diſtincta videntur. Scribo: *cultrum accepit. Paſſeres & muſcarium: uvam paſſam & mel atticum. Cenatoria & forenſia: offlam & tabulas accepit.* Illud *paſſeres & muſcarium* ſunt titulus apophoreti; ſequitur deinde ipſum apophoretum, uva paſſa nempe, quae intelligebatur per paſſeres; & mel Atticum, quod intelligebatur per muſcarium, quia fit per muſcas. Apes enim ſpeciem muſcarum prae ſe ferunt, & vice verſa Heliogabalus muſcas, *apes manſuetas* appellavit. Sic alius titulus, *coenatoria & forenſia*, apophoretum offla, quae intelligebatur per coenatoria, quia offula pars coenae, & tabulae, quae intelligebantur per forenſia, quia tabularum uſus eſt in foro. Verbum, *accepit*, ad utrumque apophoretum refertur, neque deeſt aliquid hoc loco. SCHEFFER.

Coenatoria] Scilicet veſtimenta. Petron. cap. XXI. *coenatoria repetimus, & in proximam cellam ducti ſumus.* Adde Martial. Apoph. Epigr. 135. SCHEFFER.

Forenſia] Et hic veſtimenta ſunt intelligenda. Sueton. Aug. 73. *Et forenſia autem, & calceos numquam non intra cubiculum habuit.* Adde & Calig. cap. 17. & Columell. XII. cap. 4. SCHEFFER.

Et pedalem] Quid? *pedalem*. An rectius, *pedulem*; eſt enim hoc inter tegumenta pedum. Cetera, quae ſequuntur, plane mutilata ſunt. SCHEFFER. Etiam haec ſic diſtinguenda: *Canalem & pedalem: lepus & ſolea, eſt allata. Murenam & litteram: murem cum rana alligatam, faſcemque betae.* De cetero ſunt integra, & exponenda, ut ſuperiora. *Canalis* dictum quod ad canes ſpectat, ſicut *pedalis*, quod ad pedes. Illo innuebatur lepus, hoc ſolea. Canalem & pedalem ergo habemus titulum apophoreti. Similis titulus eſt *murenam & litteram*. Per *murenam* innuebatur mus cum rana. Quia mus rana differt una tantum littera à murena. Per *litteram* faſciculus Betae, quia beta inter litteras. Notum illud Juvenalis *Alpha & Beta puellae*. Fruſtra ſeſe torquent, qui haec emendant, vel aliter interpretantur. Omnia ad jocum erant facta. Tituli erant joco conficti, his reſpondebant apophoreta, ſed & ipſa non niſi jocoſa explicatione. SCHEFF. MS. & Patav. *& pedalem. Pedale* ποδεκμαγεῖον, ποδίον. Gloſſ. Philox. id eſt, quo pedes exterguntur. In Gloſſ. Cyrilli: ποδεκμάγιον, *pedale*. *Pedale* eſt ſocculus, qui pedi inducitur. Corn. Fronto de vocabul. differ. *Pedale* eſt menſura pedis. *Pedula* vero, quod pedibus praeſtat utilitatem, ut ſcabellum, pedules faſciae. De la Cerda. HADRIANIDES. Per *canalem* intelligere poſſimus inſtrumentum aliquod, in fiſtulae modum factum, quali utebantur in oleo conficiendo. Columell. XII. 50. ubi cum *ſolea* conjungitur, quae dubito an & huc faciat. Cum ea potius ad pedum ſoleam referri poſſit. Vel *canalis*, qualem deſcribit Celſus lib. VIII. cap. 7. quo crura fracta continentur, & ita cervicali & focali conveniret. *Pedalem* vero ſive *pedulem* faſciam, puto, qua pes involvebatur, de qua late egit Salmaſius ad Lamprid. Alex. Sever. cap. 40. ſed haec admodum obſcura adhuc eſſe exiſtimo. BURM.

Murenam & literam] Scriberem, *murenam accipit & murem*, &c. TILEBOM. Lege *litoralem*: hoc enim genus ranis vicinum eſt. Alludere autem ad βατραχομυομαχίαν Homeri voluiſſe inſtituto hujus apophoreti nec ipſum incredibile eſt. REINES.

Faſcemque betae] Columell. lib. X. 251.

Nomine tam Grajo, ceu litera proxima primae.

Sexcenta] Solemnis numerus, de multitudine. Vide Gudium ad Phaedri lib. I. fab. 25.

Ceciderunt memoria mea] Hoc Patavinus finxit è MS. *ceciderunt memorie mee*. An ut dicimus *cadere*

cauſa,

„ tis Trimalchionis excanduit, is ipse, qui supra me discumbebat, &, „ [a] Quid rides, inquit, berbex? an tibi non placent lautitiae domini mei? „ tu enim beatior es, & convivare melius soles. Ita tutelam hujus loci „ habeam propitiam, ut ego, si secundum illum discumberem, jam illi „ balatum duxissem. Bellum pomum, qui rideatur alios. larifuga nescio „ quis

a CONLIBERTUS.

causa, id est, à causa; sic *cecidérunt memoria*, pro è memoria? vel potius legendum, *exciderunt memoriæ meæ*, vel *memoria mea?* HADRIANIDES. Supra cap. LIV. *Nondum mihi exciderat coquus.* HEINS.

Cum omnia sublatis manibus eluderet] *Sublatis manibus* admirantis est. Sed hic per ironiam Ascyltos hoc gestu usus est. HEINS. Vide supra ad cap. 40.

Supra me] Vide supra cap. 37.

Berbex] Hoc est, *vervex*. Glossæ. πρόβατον, *berbex*. Hinc habeas *berbicem*, pro *vervecem* in libris optimis Vopisci, vita Aurel. in fine, quod Salmasius notavit. SCHEFF. Antiqua scriptura *berbex*. Sic apud Martialem in Apophoretis, codex veterrimus bibliothecæ Thuanæ lemma epigram. CCX. exhibet, *caput berbecinum:* in Putaneo & Rottorphiano, *caput verbicinum*, vidi exaratum. HEINS. Scribebant *verbex* & *berbex*, ita in inscriptionibus Fratrum Arvalium apud Gruter. pag. CXXI. *Verbex:* ut & in illa, quam edidit nuper Philippus à Turre, in cujus tamen secunda Tabula pag. 389. BERBECES II. occurrit, convicium autem hoc illustravit Taubmann. ad Plaut. Pers. Act. II. scen. II. vers. 2. & Bacchid. Act. V. scen. II. vers. 3. BURM.

Beatior] Opulentior, ditior. Ut apud Martialem X. epig. 82.

Sed si non fias, quadrante beatior uno.

Item lib. X. Ep. 87.

Certent muneribus beatiores.

Seneca ep. 45. *Beatum vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit.* SCHEFFER.

Convivare] Lege *convivari*. TILEBOM. Convivia lautius facere, & plus impendere in ea soles. Ennius in Sat. *Malo Hercle suo magno convivat sine modo.* Sic & alii. SCHEFFER. Vide Vossii de Analog. lib. 3. cap. 7.

Tutelam hujus loci] Deum tutelarem. Est autem *tutela loci* dicta, ut *tutela navigii* infra cap. CVIII. Inscriptio vetus apud Gruterum, pag. 105.

DEO TUTEL.
GENIO. LOCI.

SCHEFF. Trimalchionem. HEINS. Inscriptio vetus apud Fabrett. cap. II. pag. 79.

TUTELE LOCI.
CL. SERGIANUS. &c.

cujus notæ adeantur. Inscriptio alia Fratrum Arvalium apud Philipp. à Turre pag. 389. SIVE DEO SIVE DEAE IN CVIVS TVTELA HIC LVCVS LOCVSVE EST. Similem nuper produxit Vir eruditissimus Joannes Vignolius, qui egregie columnam Antonini nuper effossam illustravit, in Inscriptionibus selectis:

DEO
IN CVIVS TVTELA
DOMVS EST.

Est autem Genius Gaji, sive Trimalchionis, ut dicitur cap. 53. Et ita in nummis conspicitur sæpe tutela, effigie mulieris sedentis. Ut egregius Nervæ apud Tristan. tom. I. pag. 361. ubi *Italiæ tutela* conspicitur, & à Tristano doctissime explicatur. BURM.



Secundum illum] Juxta, apud illum. Petronius infra cap. CXXXI. *Deinde ut remotis omnibus secundum invitantem consedi.* SCHEFFER.

Jam illi balatum duxissem] Corrige: *jam illi alapam tum duxissem*, vel *dudum duxissem. Ducere alapam*, habes apud Phædrum nostrum V. cap. 4. cæterosque, quos ibi notavimus. SCHEFFER. Opinor, *jam illum balatum interdixissem.* Ut vulgari ac plebejo more dictum sit. Nam scriptores tersi dixissent, *balatu interdixissem. Vervecem* antea dixerat, cui nunc *balatum* assignat. Varro rei rusticæ lib. II. *Cui Cossinius, quoniam, inquit, satis balasti, ô Faustule.* Arnobius lib. III. pag. LXXII. *Si novenarius numerus cognomen Novensilium ducit, Cornificius balare convincitur.* Ubi, nescio quo jure, Elmenhorstius *labare* reponit. Sed longius hæc emendatio abit. Verius est, voluisse Arbitrum, *jam alapatum illi duxissem*, pro alapam. Sic apud Quintilianum lib. VI. *colaphum tibi ducam: & formulam scribam, quod caput durum habeas. Alapare*, ῥαπίζειν interpretantur Glossæ veteres Græco-Latinæ. Hinc *alapa* & *alapatus* pro colapho. Papias, *Alapare, alapas minari*, quod in aliis Glossis est *alapizare.*

„qui non valet lotium ſuum. ad ſummam, ſi circumminxero illum, ne-
„ſciet qua fugiat. Non me-Herculem ſoleo orto fervere, ſed in molle
„carne vermes naſcuntur. Ridet. quid habet, quod rideat? Numquid
„pater faetum emit? Lana, eques Romanus es. & ego Regis filius. Qua

„re

zare. Alapator, gloriator, jactator, in aliis Gloſſis, quod à mimis tractum. In Catholico Johannis de Janua, *Alapus, qui alapas patiendo ſibi victum parat.* HEINS.

Bellum pomum] Suſpicatur N. Heinſius, *promum* placet, ut ſit reſpectus ad liberalitatem ampliorem, de qua ſupra. SCHEFFER. Scio φυτὸν, *plantam*, hominem dici: ut & dialecto noſtra ἐις ψόγον, fructum, *eine Frucht*: ſed hic præferam legere χλευαστικῶς prolatum, *Bellum Momum!* quaſi diceret redivivum Momum, qui quoſvis carpere & ridere ſolens, *& quavis adſpergere cunctos.* REINES. Reineſius vult, *Momum*. Sed ſequitur *lariſuga* in primo caſu, ex quo veriſimile, tali caſu & hoc poſitum fuiſſe. At vero *momum* quarti caſus eſt. Manet ergo locus ſententia mea corruptus. Nam nec *promum* noſtrum amplius placere poteſt. SCHEFFER. Illud *pomum* hic non fero, & ejus loco *Comum* reponendum cenſeo. Comus commeſſationum Deus, unde comus hic loci pro convivatore. A Como etiam comœdiæ dictæ ſecundum quoſdam, quod in iis crebræ commeſſationes. Atque huc referenda illa Naſonis Triſtium ſecundo, loco non ſatis intellecto:

Accius eſſet atrox, conviva Terentius eſſet,
Eſſent pugnaces, qui fera bella canunt.

Tabellæ comicæ, in quibus comeſſationes depictæ, apud Plinium Nat. Hiſt. lib xxxv. cap. x. Varro de L. L. vi. *Comiter, hilare atque luculenter, cujus origo Græca κῶμος, inde Latine comiſſatio dicta: à Græcis, ut quidam dicunt, comœdia.* HEINS. Etſi nobis plebeji hujus convicii ratio & uſus non conſtet, nihil tamen contra codicis Tragurienſis auctoritatem moverem. Nam, ut Plautus *caſſa nuce non emere*, & alii fere eodem modo dixerunt, de homine vili, & quem contemnebant, cur non & ex pomo putri vel vili potuerit vulgus ſimile adagium ducere. Braſſicanus, cujus adagia Eraſmi adjuncta leguntur, ex Athenæo lib. III. cap. 7. adducit φαυλότεροι φαῦλων μῆλων. BURMAN.

Qui rideatur alios] Pro, *rideat*, etiam infra habemus cap. 61. *Etſi timeo ſcholaſticos illos, ne me derideant. tu videris, narrabo tamen, quid enim mihi aufert, qui ridetur.* Id eſt, *qui ridet.* HEINS. Codex Trag. *rideatur.* Nec mutandum: nam ſimilia ſupra vidimus. Et ita infra cap 61. ut notavit Heinſius.

Lariſuga] Mallem, *luciſuga*, ut *tranſuga*. Niſi quis exſtimet, larifugam accipiendum, pro deſertore laris domuſque ſuæ, vagabundo, errone. SCHEFFER. Diſtinguerem, *lariſuga neſcio quis; nocturnus, qui non valet lotium ſuum. nocturnus* eſt fur. Horat. I. Sat. 3. 117.

Et qui nocturnus divûm ſacra legerit. BURM.

Non valet lotium ſuum] Optime: quomodo Varro IV. de LL. *denarii, quod denos æris valebant.* Eſt autem quaſi proverbiali genere dictum de homine nullius precii. SCHEFFER.

Circumminxero] Paulo poſt: *at ille circumminxit veſtimenta ſua.* Sic enim conjunctim lego ibi, ut hoc loco. Nam & in pridem editis Petronius ad hoc exemplum uſurpavit *circumamictus, circumtonſus, circumtumulatus*, &c. SCHEFFER.

Non meherculem ſoleo orto fervere] Lege, *non mehercule mi ſolet cor cito fervere. Sed in molli carne vermes naſcuntur*: Seneca de ira lib. II. cap. XIX. *Volunt itaque quidam ex noſtris iram in pectore moveri, effervente circa cor ſanguine.* Apud Naſonem:

Et fervent multo linguaque corque mero. HEINS.

Sed in molli carne vermes naſcuntur] Hoc eſt, ſi nimium ſumus remiſſi languidique, perdimur. *Mollis caro* eſt flaccida, & humoribus abundans. Quomodo *corpus molle* Celſo uſurpatur. Ut lib. II. cap. 2. *ſubeunt lippitudines, tormina, febres, maximeque in molioribus corporibus. ideoque præcipue in mulieribus.* Eodem modo *pecus molliſſimum* oves appellavit Columella lib. VII. cap. 2. SCHEFFER.

Faetum] Leg. *foenum*. TILEBOM. Prava eſt hæc diſtinctio, quid enim, *lana eques es?* Itaque illud *lana* conjungendum antecedentibus. Porro *foetum lana emere* hic ponitur pro, rem facere ineptam ac ridiculam, credo, quod lanarum cauſſa fœtus habeantur educenturque. hic enim fructus eſt ovilli pecoris, ut notum. SCHEFFER. Hæc nihili ſunt. Forte, *numquid paret fatuum me? Itane, eques Romanus es? Paret* pro apparet, quod eo ſignificatu ſæpe occurrit apud auctores de limitibus regundis, & Martialem non ſemel. Nec aliter Maroniana illa veteres Grammatici interpretantur: *cœli cui fœdera parent.* HEINS.

Lana Eques Romanus es] Lege *Lamia*, & ſic alibi cognomen Æliorum, à Lamo rege, qui Formiis & Minturnis imperavit, deſcendentium: Horat. lib. 3. Od. XVI. REINES. Reineſius vult *Lamia*, quia cognomentum hoc in familia Ælia. Sed ſermo eſt de Aſclyto. Quomodo ergo nunc fit Lamia, vel in familiam venit Æliam? totus locus hic eſt valde obſcurus & corruptus; quid enim vult illud *pater*, quod præcedit? quis eſt pater ille, aut cujus eſt pater? ego ſcribam feſtinantem per compendia puto primum ſic ſcripſiſſe: *numquid G. inter foetum emit l. a. n. a. ex eo deinde foetum eſt*, quod nunc præfe-

„re ergo serviviſti? quia ipſe me dedi in ſervitutem; & malui civis Ro-
„manus eſſe, quam tributarius: & nunc ſpero me ſic vivere, ut nemini
„jocus ſim. Homo inter homines ſuos, capite aperto ambulo: aſſem aera-
„rium

rnnt Codices. *G. inter*, vel *ga. ter.* eſt *Gajus Noſter*, quomodo & in ſuperioribus Trimalchionem vocant. *l. a. n. a.* ſignificant *quinquaginta nummos aureos*. Ut ſic locus totus integre videatur ſcribendus: *Num quid Gajus noſter ſoetum emit quinquaginta nummis aureis? at eques Romanus es?* SCHEFFER. Interlinearis MS. lectio *leva* (forſan *lana*) ſuper *lana* emendationem hanc non ſiſtit, nam infra in ſimili, pro *lana*, nec *læve* nec *lana* locum habet: videnturque non unius eſſe hæ tales notæ, quæ non ſemper ſibi conſtant, ut conferenti patebit. HADRIANIDES.

Et ego] Iſta mihi lectio non placet. Scribo: *At ego Regis filius*. Sententia: Tu gloriaris, eſſe te Romanum equitem; ego vero nihilo ſum minor, cum ſim regis filius. Sed objicies ſortaſſis, atque dices, ſi es regis filius, quare ergo serviviſti? Hoc factum eo, quia civis eſſe malui Romanus, quam rex tributarius. SCHEFFER. Oblique hic Pallantem Claudii libertum perſtringit, ut reor, qui ab Arcadiæ Regibus (credo, quod Evandro Pallas erat filius) oriundum ſe ferebat. Quo nomine quam putide Scipio illi ſit adulatus, ſine rubore legi vix poteſt apud Tacitum XII. Annal. cap. LIII. ſed & Acte liberta, Neroni in deliciis, ab Attalo Rege ſe genus ducere jactabat, apud eumdem Tacitum, Suetonium & Xiphilinum, ſolita libertinis arrogantia. HEINS. Recte Heinſius jactationem libertorum hic tangi notat, quo & referas illa Horatii lib. II. od. 4.

Neſcias, an te generum beati
Phyllidis flavæ decorent parentes.
Regium certe genus & penates
Mœret iniquos. BURM.

Quare ergo serviſti] Forte, *quare, roges, serviſti?* GOES.

Civis Romanus] Nimirum per manumiſſionem, quæ cum libertate ſimul dabat civitatem. De qua vide Illuſtr. Spanh. Orbem Romanum Exerc. 1. cap. 3. & Exerc. II. cap. 5. Hac arte vero peregrini emebant civitatem Romanam, dando ſe in ſervitutem Romano, adjecto pacto, ut manumitterentur. Sed inanem & mendacem hanc eſſe hominis nequam jactationem patet ex iis, quæ addit, ſe quadraginta annos ſerviſſe, & capillatum puerum veniſſe in coloniam. Mereretur fidem, ſi major natu ſe mancipaſſet Civi Romano, & poſt breviſſimam ſervitutem manumiſſus fuiſſet. BURM.

Nemini jocus ſim] Horatius II. Sat. 5.

——— *Hæc mea cura eſt*
Ne quid tu perdas, neu ſis jocus ———

Cicero Or. pro Flacco: *Num illos putatis, quibus jusjurandum jocus eſt.* SCHEFFER. Phædr. I. Fab. 21.

Quicumque amiſit dignitatem priſtinam,
Ignavis etiam jocus eſt in caſu gravi.

ubi v. Scioppii notas.

Inter homines ſuos] Scribendum arbitror, *inter homines vos*. ſenſus eſt, non minus homo ſum, quam vos eſtis. Illud *homo* ſignificanter de libero eſt poſitum, ut ſupra, *me hominem inter homines voluit eſſe*. Servos olim vix in hominum numero habitos, non uno loco Seneca conqueritur: & adde Macrob. I. Sat. cap. II. SCHEFFER. Sic recte: & *ſuos* intellige liberos, qui ſui juris ſunt. Sic id verbi accipitur l. 7. §. 9. ff. ex quibus cauſis in poſſeſſ. eatur. *Adeo autem latitatio animum & affectum latitantis deſiderat, ut recte dictum ſit, furioſum hinc venditionem pati non poſſe, quia ſe non occultat, qui ſuus non eſt.* Similiter *meus*, mei juris, ut apud Perſium.

Poſtquam meus à Prætore receſſi.

Ubi vetus interpres: *Meus* dicit, *id eſt, liber, mei juris*. GOES. Nimis acuta eſt Goeſii explicatio. Lege *homo inter homines ſum, capite aperto ambulo*. Non autem cum Scheffero ad ſtigmata à ſervis celari ſolita reſpexiſſe magis crederem, quam ad luxuriantes & libidinantes, qui tecto capite obibant ganeas & loca ædilem metuentia, quos *furtim conſpatiantes* vocavit ſupra cap. 7. ubi vide quæ de centone & pallio, quo ſe velabant, & obvolvebant caput, viri docti congeſſerunt, & ita, ſe neque eſſe lari fugam neſcio quem, id eſt, vagantem, neque nocturnum, indicabat. BURM.

Capite aperto] Libere, ut me conſpicere poſſint atque contueri omnes. Plaut. Captiv. III. ſcen. 1. *In tribu aperto capite ſontes condemnant reos*. Vult, condemnare libere, abſque verecundia, vel metu. Solebant nempe flagitioſi, præſertim vero ſervi, ob flagitia notati in fronte, velare ſe, quoquo poſſent modo. Ita Gyton & Encolpius finguntur aluiſſe crines iſto fine, hinc Eumolpus cap. CV. *Quia nocentes horridoſque habebant capillos, juſſi ſqualorem damnatis auferri, ſimul ut notæ quoque literarum, non adumbratæ comarum præſidio, totæ ad oculos legentium accederent.* Advocati apud Plautum faciunt id veſte, Act. III. ſc. 4. Pœnuli.

Adeſte quæſo, Ad. quippini quia ſi voles
Operire capita, ne nos leno noverit,
Qui illi mala rei tantæ ſuimus illices. SCHEFF.

Aſſem ærarium] Hoc intelligo. Suſpicor, ſcribendum, *aſſem, ceratium*, quaſi diceret, non aſſem, imo ne ceratium quidem. De ceratio nummo habes apud Hottomannum Rei Num. p. 115. Imo potius, *aſſem ærarium*, arbitror legendum. *Aſſis ærarius* dicitur, (ut apud Ciceronem pro Quintio, *ærario ratio*) is, qui

„rium nemini debeo. constitutum habui numquam : nemo mihi in foro „dixit. Redde quod debes. Glebulas emi ; lamellulas paravi : viginti „ven-

qui est æris alieni, unde *ærati* & *obærati* dicimur. Ciceronis verba hæc sunt : *Hoc eo per te agebatur, quod propter æræriam rationem non satis erat in tabulis inspexisse, nisi ad Castoris quæsisses, quantum solveretur.* Sicut hic *æraria* illa est de alieno ære, quantum solvendum, sic *assis ærarius*, qui de alieno, pecuniaque mutuo accepta. SCHEFFER.

Constitutum habui numquam] Puta, diem, quo cui litem intenderem. Cic. in ep. ad Marium : *Si quod constitutum habes cum podagra, fac in alium diem differas.* SCHEFFER. Vide supra ad cap. XV.

Redde quod debes.] Formula est apud Senecam 3. de benef. cap. 14. *Æquissima vox est, jus gentium præ se ferens, Redde quod debes:* Item ep. 18. Apud eumdem lib. 7. cap. 21. Pythagoricus ad sutoris, cui quatuor denarios debebat, mortui tabernam reversus, *Ille tibi vivit*, inquit ad seipsum, *tu illi redde quod debes*, inseruitque per cloſtrum denarios, exigens à se pœnas improbæ cupiditatis, ne alieno adsuesceret. Usus eadem servus, reposco acerbior, apud D. Matthæum cap. 18. 28. ἀπόδος μοι ὅτι ὀφίλεις. REINES.

Glebulas] Agellos. Juvenalis Sat. XIV.

——— *Saturabat glebula talis*
Patrem ipsum ———

Apulejus IX. Al. *Jamque totum frugalitate spoliatum ipsis etiam glebulis exterminare gestiebat.* SCHEFFER. Id est, terrulas, lib. 6. C. Th. de patrocin. Vic. & Oper. Publ. Græce γλῆβαι, possessiones, tenementa: nobis *Landerey*. Inde glebalis functio, præstatio, pensio, munus glebale, id est, onus quod sequebatur glebam in Legibus Codicum ; Vetus enim Jus Romanum ignorat hoc vocabuli ea significatione. Græci etiam mediorum seculorum βάλον appellant ; unde in Juliani ep. XI. & Synesii ep. 38. πατρῶα βάλα, id est, prædium seu casamentum paternum. Antiqui glebam dixerunt terram ligatam, seu cespitem cum herba. Versificator lexicus manuscr. de Verbis raris: Isidorus *glebam terram vocat ; inde glebones* : id est, γηπόνοι, terricolæ, rustici, aratores. REINES.

Lamellulas paravi] Has ego lamellulas hic non intelligo. An scripsit, *etiam cellulas paravi?* Num potius legendum, *samellulas?* ut sit diminutivi *samella* diminutivum, quomodo mox *pedicellum* usurpat. SCHEFFER. Dediminutivum *lamellula* à lamella, lamula, hoc à denominativo *lama;* lama vero lacuna major, lacus, fossa, aquarum conceptaculum, vel collectaculum. In fundorum censu etiam lacus, piscinæ, vivaria erant. In antiquis piarum Traditionum chartis simul exprimuntur *areæ vel ariales terræ, terræ araturiæ cum campis, jugeribus, huphis, de pratis cardæ cum cultis & incultis, viis & in viis, exitibus & reditibus, pascuis, silvis, aquis, aquarumque decursibus, molinis ; cum domibus, ædificiis, cum omnibus adjacentiis, tum mancipiis & omni eorum supellectile* : hæc enim sunt quæ villam fundumve perficiunt. Glebulis igitur vel terris emtis etiam lamas adjecit Trimalcio. More suo, quo frequenter Diminutivis utitur, de quo ad cap. XXXV. Etiam hic dicit *glebulas, lamellulas*, & mox *pedicellum*. Eum vero è Stoicorum schola accepisse videri potest, qui, ut rerum mediarum contemtum aliis persuaderent, etiam ea, quæ magna putarentur τοῖς πολλοῖς & expetibilia, adpellationibus minutivis extenuabant. Hinc illa apud Epictetum & in libris Marci Imp. ψυχάριον, σωμάτιον, αἱμάτιον, σαρκίον, ἀγρίδιον, οἰκίδιον, ἱππάριον, δουλάριον, δοξάριον. Aliud spectavit Aristoteles jubens in talibus τὸ μέτριον παρατηρῆσαι, 3. Rhet. 2. nimirum dum format Oratorem. REINES. De lama seu lamis, unde Dn. Reinesius *lamellulas* deducit & nescio quibus non promtis formularibus ac Legendis fragmentum hoc passim in discrimen non necessario adducit, sic Vossius in Etymol. *Lamæ πηλόδεις τόποι*, ut interpretantur Glossæ Philoxeni. Similiterque Festus: *Lacuna*, inquit, *aquæ collectio, quam alii lamam, alii lustrum dicunt.* De eadem voce sic vetus Interpres ad illud Horat. Epist. 13. lib. 1.

Utribus uteris per clivos, flumina, lamas.

Lamæ, inquit, *lacunæ majores continentes aquam, pluviam*, &c. Ennius:

Silvarum saltus, latebras, lamasque lutosas.

Sed mihi non videntur *Lamellulæ* nostræ esse à *lama*, sed potius à *lamina*, unde *lamella*, hinc *lamellulæ*; *lamina* autem quemvis metalli fructum bractea crassius in latitudinem ductum significat, possentque hic *lamellulæ* pro argenteis, æreis, & id genus vasis ac suppellectili accipi. Quintil. lib. 4. cap. 2. *Tenuem laminam ducere, quam cælatura altior rumpat.* Vitruv. lib. 3. cap. 3. *Speculum argenteum tenui lamellula ductum.* Seu, *majorem diei partem in aruginosis lamellis consumit.* Neque hic Trimalchio loquitur, ut Reinesius tradit, sed alius Sevir. quanquam par omnium ratio seu Stylus. HADRIANIDES. Hadrianides putat, positas has lamellulas pro argenteis, æreis, & id genus vasis ac suppellectile, quod mihi non persuadet, nimis enim dura est figura. Reinesius exponit lacus, piscinas, vivaria à lamis. Sed qui agros ac glebas emit, habet has fere sociatas, nec parantur seorsum, saltem lamellulæ pro piscinis durum est, cum ne ipsæ lamæ quidem tale quid significent, verum loca depressa, in quæ aquæ pluviæ concurrunt. Putem ergo, scripsisse nostrum, *samellulas*, & intellexisse semina, quibus ulmaria fiunt, Columellæ descripta lib. V. cap. 6. *Samellula* est à *samera*, sicut *puellula* à *puera*. Nam à *puera* est *puella*, & *puellula*, sic ergo & à *samera*, *samella*

„ventres pasco, & canem: contubernalem meam redemi, ne quis in il-
„lius manus tergeret: mille denarios pro capite solvi: Sevir gratis factus
„sum:

samella, & *samellula*. Hoc itaque vult, se emisse sibi terræ aliquam portionem, & in ea fecisse ulmarium, conseviſſe spatium illud ulmis. SCHEFFER. Per *glebulas*, Furcifer fundos designat, per *lamellulas* paratam pecuniam. Seneca de benef. lib. VIII. cap. X. *Nunc volo tuas opes recognoscere, laminas utriusque materiæ, ad quas cupiditas nostra caligat.* Per *laminas utriusque materiæ* aurum & argentum designat. Idem Seneca de vita beata cap. XXI. *Sæculum illud, in quo censorium crimen erat paucæ argenti lamellæ.* Dixerat jam antea Naso:

Et levis argenti lamina crimen erat. HEINS.

Certissima Heinsii expositio, si modo capiat de pecuniæ loco paratis massis, non si de signata pecunia; & meræ nugæ, quæ de lacubus, cellulis, semellulis, samellulis, comminiscuntur. Lamina de argenti & auri massis dicitur, Horat. II. od. 2.

Nullus argento color est, avaris
Abdita terris inimice lamnæ,
Crispe Sallusti, nisi temperato
Splendeat usu.

Ovid. XI. Met. 124.

Lamina fulva dapes admoto dente nitebant.

L. 27. §. 6. ff. de Aur. Arg. & mundo. *Argentum factum recte quis ita definierat, quod neque in massa, neque in lamna, neque in signato, neque in mundo, neque in suppellectili, neque in ornamentis insit.* Unde apparet, male hic quosdam lamellulas intelligere supellectilem, vel pecuniam signatam capere, cum ditiores in Thesauris suis auri & argenti massas repositas haberent. Massam vocat Ovidius lib. III. Amor. eleg. 8.

Æraque & argentum, cumque auro pondera ferri
Manibus admorat: nullaque massa fuit. BURM.

Viginti ventres pasco] Plautus Perſa I. sc. 2. *Numquam quisquam meorum majorum fuit, quin parasitando paverint ventres suos.* Sen. ep. 17. *Facile est pascere paucos ventres.* SCHEFFER. Hoc de se jactitat, qui herè servus fuerat, aliqua similis Demetrio Pompei Magni Liberto, qui τότε πάντων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀνθρώπων ἐς Πομπήιον ἀποβλεπόντων ἐθεραπεύετο παρ' ἀξίαν, μέγα παρ' αὐτῷ δυνάμενος. Plut. Cat. min. de quo Seneca de tranquill. an. cap. 8. *numerus illi quotidie servorum, velut Imperatori exercitus, referebatur, cui jamdudum divitiæ esse debuerant duo Vicarii, & cella laxior.* Idem ep. XVII. *Turba servorum, ad quos pascendos transmarinarum regionum est optanda felicitas. Facile est pascere paucos ventres, & bene institutos, & nihil aliud desiderantes quam impleri.* REINES. Distingue, *viginti ventres pasco, & canem: contubernalem meam*, &c. HEINS. Fastidiose, & arroganter. *Pascere* enim proprie dicebantur illi, qui aliis quotidie convivia & cœnas dabant, qui Reges dicti à parasitis suis. Spart. Adrian. cap. 17. *Ad deprehendendas obsonatorum fraudes, cum cumplurimis summatibus pasceret fercula de aliis mensis jussit apponi.* Ubi v. Salmas. & ad Lampr. Sever. cap. 41. Et ita Porphyr. ad Horatium lib. III. od. 21. vers. 7. notat, Poëtam *significare, se Corvinum pascere*, quod Acro reddidit *invitare ad cœnam.* Et uterque lib. I. Sat. 4. vers. 88. *Qui præbet aquam* interpretatur, *qui pascit, qui prandium exhibet, convivatorem.* Et ita hoc loco posset capi, hunc hominem lautum viginti sibi parasitos, (quos elegantissime à voracitate *ventres* vocat, ut apud Terent. Phorm. Act. V. scen. VII. vers. 7.) assectas & mensæ consortes habere. Quamvis etiam de viginti servis capi posse minime diffitear, quos etiam proprie *pascere* dicuntur domini, ut docuit Casaubonus ad Spart. Adrian. cap. XI. Apulej. I. Met. de Milone dite, sed avaro, *neque præter unicam pascit ancillulam.* Ubi videndæ Pricæi notæ. in utroque autem sensu elegans translatio est à bestiis, quas saginabant. Parasiti enim nihil servis meliores, hi vero fere bestiarum numero in familiis veterum habiti, quare & lepide Satyricus ventribus his viginti canem, ut ejusdem loci & ordinis animal, addit. BURM.

Contubernalem meam] Quæ, cum servirem, mihi juncta contubernio fuisset. Unde apparet, si manumitterentur servi, eorum contubernales non simul fuisse liberatas, sed mansisse in servitutis conditione. Et ita multas inscriptiones, quas congerit Fabrettus cap. IV. pag. 315. de libertis, qui contubernalibus suis titulos posuere, capiendas existimo, quamquam & libertas jam factas contubernalium nomen retinuisse etiam verosimile esse possit ex quibusdam ibidem lapidibus. Et hinc in lege 81. ff. de condit. & demonst. JCtus de hac formula, *Stichus si rationes reddiderit, cum contubernali suo liber esto*, disquirit, unde apparet servos sæpe sine contubernali libertate donatos. Vide & l. 31. ff. de statuliberis. Et in l. 20. ff. de aliment. & cibar. legat. Stichus manumittitur, & ei jam libero contubernalis legatur, & in l. 41. §. 2. ff. de legat. 2. *omnibus libertis meis, & quos vivus, & quos his codicillis manumisi, vel postea manu misero, contubernales suas, item filios, filias lego.* Unde efficitur, tales libertos nullum jus in contubernales & filios ex iis natos habuisse, antequam liberalitate Patroni sui vinculo etiam servitutis eximerentur. Noster autem suis nummis redemerat, & pro capite, id est, libertate (nam servos caput non habere notissimum est) M. denarios solverat. BURM.

In illius manus tergeret] Abest quidpiam. Quid? si legamus, *in villis illius manus tergeret?* Illud *villis* potuit omissum esse ob similitudinem sequentis vocabuli,

„ſum: ſpero ſic moriar, ut mortuus non erubeſcam. tu autem tam labo-
„rioſus es, ut poſt te non reſpicias? in alio peduclum vides, in te ri-
„cium non vides? tibi ſoli ridiclei videmur? Ecce magiſter tuus, homo
„major natus; placemus illi: tu laeticuloſus, nec mu nec ma argutas? vaſus

buli, *illius*. Et villos memorat in cane Columella VII. cap. 12. laudatque eum, qui eſt *amplo villoſoque pectore*. Porro crines vice mantilium fuiſſe conſtat vel ex alio noſtri loco cap. XXVII. ubi ait: *digitoſque paululum aſperſos in capite pueri terſit*, SCHEFFER. Mirum, ſi contubernalem iſte canem habuit, in cujus villis manus tergeri poſſent. A librario iſtud eſt; nos legamus, *Canem contubernalem* habuiſſe, eam redemiſſe, *ne quis in illius capite manus tergeret*: (hoc enim ſolebant domini, hoc Trimalcio in pueri capite fecerat cap. 27.) mille denarios pro ea ſolviſſe: nimirum τὸ *capite* loco ſuo exciderat, in eumque revocandum eſt. *Canis*, Κανὶς autem, quaſi diceret *Novella*, muliebre nomen ex hiſtoria ſumtum. Fuit hoc nomine Liberta Antoniæ, eique à manu, dilecta Veſpaſiano, Suet. cap. 3. 21. & Domit. cap. 12. παλλακὴν adpellat Xiphilinus. In lapidibus notavi Cænidas, *Æliam*, *Aſiniam*, *Aureliam*, *Flaviam*, *Viniciam*. REINES. Recte Reineſius, quod & mihi in mentem venerat, niſi ſcripſerit *in illius ſinu manu tergeret*. Sic fovere manum in ſinu alterius, Senecæ de providentia cap. III. *Quid ergo? felicior eſſet, ſi in ſinu amicæ foveret manum?* HEINS. Videri poteſt, ſcripſiſſe Petronium: *ne quis in illius mammas manus tergeret*. Martial. III. LIII. ad Chloën.

Et vultu poteram tuo carere,
Et collo, manibuſque, cruribuſque
Et mammis, natibuſque clunibuſque.

Vicinitas duarum vocum, *mammas*, & *manus*, effecit, ut una abſorberetur ab altera. GOES.

Sevir gratis factus ſum] Quo reſpexit Mamertus in Panegyr. *refertur nuntius, conſulem me creatum ſine impendio*. Anonym. in litt. Lucii Roma. HADRIANID. Erant enim functiones ejuſcemodi libertis pretio emendæ. Gruter. in opere inſcriptionum p. CCCC. 7.

P. DECIMIVS. P. L. EROS.
MERVLA MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VĪ VIR
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. HS. IↃↃↃ.
HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REM. P.
DEDIT. HS. ↀↃ ↀↃ. HEINS.

Egregie illuſtrat hæc lapis productus ab Octavio Rubeo in libro, qui inſcribitur *Le memorie Breſciane*. pag. 270. & repetitus à Fabretto. pag. 403.

C. IVLIO. PAVLINO
ANDRAGATHO
VI. VIR. AVGVST.
GRATVIT.

C. IVLIVS. AQVILINVS
PATRI.

Ita & *Gratuitus Quinquennalis* apud Gruter. pag. CCCCLXXIX. 1. & *Decurio* CCCCLXXV. 3. 4. vid. & CCCCXXXII. 3. BURM.

Spero ſic moriar] Pro, *ſpero, quod ſic moriar*, per ellipſin. Terent. Heaut. III. ſc. 2. *Non uſus veniet, ſpero*. SCHEFFER.

Tam laborioſus es] Forte, *glorioſus es*, talem enim hunc hominem deſignavit in antecedentibus. Et glorioſi, ſi qui alii, maxime ſunt Seviri, ut, quæ retro ſunt, non reſpiciant. GOES.

Pedicellum] Minimum pediculum. Sic à *catinus* eſt *catinulus*, contracte *catillus*, indeque *catinellus*. SCHEFFER. Ut ratio oppoſitionis ſibi conſtet, lege *ricinum*, quod inſectum canibus eorumque plurimum auriculis pertinaciter inhæret & ſanguinem ligurit, tinea canis Oct. Horat. l. de phyſ. ſc. ex emendatione noſtra; Græcis κρότων, Ariſtoteli 5. h. an. cap. 26. κυνοῤῥαίστης (φαίνεσι γὰρ τὰς κύνας πίνοντες τὸ αἷμα αὐτῶν Schol. Hom. ad Od. 12.) infeſtat etiam pecus armentitium, majus fœdiuſque pediculo; eoque ſignificatio proverbii eadem, quæ illius apud Scriptores ſacros Matth. 7. & Luc. 6. de feſtuca & trabe in oculo, ubi κάρφος de minore, δοκὸς de grandiore vitio dicitur. Horatius eodem ſenſu *verrucas* & *tubera* oppoſuit: Seneca l. de vita beat. *papulas* & *ulcera*. Idem lib. 2. de Ira. cap. 8. *aliena vitia in oculis habemus; à tergo noſtra nobis ſunt*: quæ φιλαυτία hominum eſt. REINES.

In te ricium] Scribe, *in te ricinum*. TILEBOM.

Ridículi] Codex Tragurienſes *reduclei* pro *ridicli*, ut ſæpe. Ita *adicla*, *oſla*, *pediclum* & ſimilia in eodem codice.

Magiſter tuus] Agamemnon. vide ſupra cap. 55.

Homo major natu] Ita ediderunt, ſed Tragurienſis codex habet *natus*, quod non repudiarem. Ita Corn. Nepos. Reg. 2. *major annos ſexaginta natus deceſſit*. Et in Hannib. cap. 3. *minor quinque & viginti annis natus*. Lambinus utrobique *natu* reſtituere volebat, ſed tu vide Boſium. Etymol. Iſidor. *Adaſia, ovis major nata*. male tamen quidam addubitarunt, an Latinum ſit *major natu*, & recte hoc adſtruxit Vavaſſor. de vi & uſu quorumd. verbor. pag. 51. quibus plura addere facile foret. Apud Suetonium Aug. 53. Torrentius in MSS. repperit *grandi jam natu*. BURM.

Laticuloſus] An, ut à *metus*, *meticuloſus*, ita & à *latus*, *laticuloſus*? non exiſtimo, nec eſt ſimilis analogia, præterea ſenſus quoque inconveniens. Cur

„ vasus fictilis, imo lorus in aqua, lentior non melior. tu beatior es? bis „ prande, bis coena. Ego fidem meam malo, quam thesauros. ad sum- „ mam; quisquam me bis poposcit? Annis quadraginta servivi, nemo „ tamen scit, utrum servus essem, an liber; & puer capillatus in hanc „ coloniam veni: adhuc Basilica non erat facta. Dedi tamen operam, ut „ domino satisfacerem, homini mali isto, & dignitosso, cujus pluris erat „ unguis,

enim Asclytos dicatur hic libenter lætari? Puto plane *lacticulosus* esse scribendum. Glossæ veteres. λειπογάλακ[illegible], *lacticularius, lacticulosus.* Philoxenus. *lacticulosus*, λειπογάλακ[illegible]. Est autem λειπογάλακ[illegible], sicut λειπόσαρκ[illegible], quem recens nuperque lac destituit, qui ab uberibus cœpit submoveri, erratque Laurenbergius, quando exponit *subrumem* in glossario, cum hoc contrarium denotet. Quamquam eum huc induxerit Philoxenus, apud quem *lactiguloſus*, pro *lacticulosus* legitur. Quod cum fiat C in G mutato, sicut sæpe solet, ipse vocabulum à *lacte* & *guloso* compositum putabat. SCHEFFER. Opinor *tu lendiculosus*, à lende & lendicula, ut à pede & pediculo *pediculosus*. Deinde, *vasus fictilis, imo lorus in aqua. Vasus* & *lorus* solemni modo noster, cum utrumque generis neutrius sit. Glossæ Labbæi, ἱμὰς, *habena, lorus, corrigia, hoc lorum.* Et *lorus* apud Apulejum quoque. HEINS.

Nec mu, nec ma] An non legendum, *Menechma*? TILEBOM. Scribo divisim, *nec mu, nec ma*, & expono de eo, qui nil possit, nil valeat: quasi diceret; tu, qui puer es, & vix ablactatus, nec vales quidquam, audes hæc ridere? *Mu* & *ma* sunt Syllabæ sic à sono formatæ, quas infantes primum edunt. Hinc *mu facere*, quod Charisius exponit *mutire*. Lucilius; *non laudare hominem quemquam, neque mu facere umquam.* SCHEFFER.

Arguta suasus fictilis] Corrige: *argutas? vasus fictilis.* Illud *argutas*, hic est ab *arguo*, pro, traducis, accusas. Novius. *quando ad ludos venit, alii eum tacent, totum diem argutatur, quasi cicada.* Plaut. Amph. III. sc. 2. *Stupri, dedecoris à viro argutam meo.* At *vasus* habes in antiquis glossis: σκεῦ[illegible], *vasus, vasum, vasa.* SCHEFFER. Ut supra cap. XLVI. *Quid molestius ille argutat?* Propertius lib. I. eleg. 6.

Illa mihi totis argutat noctibus ignes.

Argutari pedibus, Titinius, pro pedes frequenter movere, vel strepere pedibus. *Terra hæc est, non aqua, ubi tu solitus argutari pedibus.* HEINS.

Lorus in aqua] Petronius cap. CXXXIV. *lorum in aqua, non inguina habet.* Glossæ veteres: ἱμὰς, *habena, lorus, corrigia, hoc lorum.* SCHEFFER. Scholiastes Juvenal. Sat. V. vers. 480. *Scutica, lorus latus, corium non confectum.*

Bis prandebis cœna] Perperam. Emenda: *tu beatior es? bis prande, bis cœna.* Si tu, ait, es beatior & opulentior, ergo bis prande, bis cœna, quod nempe fieri non potest. Videtur in animo habere illud Horatii I. ser. I.

Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hoc capiet venter plus, quam meus.

SCHEFFER.

Ad summam, quisquam me bis poposcit] Hic ita mihi legendum videtur, *ad summam, non quispiam me bis poposcit.* TILEBOM. Post, *poposcit*, punctum interrogationis est scribendum. *Quisquam* est, quisquamne? an quisquam? Virgilius lib. X. *quisquam merito sædissime pulsum Arguet?* Illud *poscere* absolutum est, pro pecuniam, aut nummos poscere; quod usurpavit Cicero in Verrinis: *Magistrum Sicyonum nummos poposcit.* SCHEFFER. Lege *quisnam.* HEINS.

Tamen scit] Mallem, *scIt*, hoc est, *sciit*, *scivit.* SCHEFFER. Lege *scivit.* HEINS.

Capillatus] Videtur hic, quicumque denique, probare velle, domi quoque pro ingenuo se habitum. Nam vulgo servis nutrire comam nefas fuit, quod jam alii notarunt. Subest tamen id quoque, quod sic ejus erga Trimalcionem officium declaretur, quando *capillati* fere, qui erant in deliciis. SCHEFFER.

Satisfacerem] Latet nequitia, de qua infra Petronius cap. LXXXVII. *rogare cœpi, ut paterentur satisfieri sibi, & cætera, quæ libido dictata dictat.* Et cap. LXXV. *ipsi meæ dominæ satisfaciebam.* SCHEFFER.

Mali isto & dignitosso] Corrigendus est ita hic locus, *magnifico & dignissimo.* TILEBOM. Hoc corruptum est. Suspicor, scripsisse, *malisto*, id est, maximo à μάλιστα. SCHEFFER. Ista servus de domino suo: intelligemus quid dicat, si legerimus *macaristo.* Μακαριστὸν vocat opulentum & Fortunæ bonis ornatum abundantemque, & ea re ab omnibus prædicandum beatum. Talis Xenoph. in apol. Sacr. ἀξιομακαριστότατος. *Dignitosus* est, qui aliis *dignitarius, axiomaticus*, ὁ ἐν τίλει, ἀπὸ τῶν λογάδων. Utitur Aldhelmus de laude virginit. cap. 28. pro eximio, singulari; *dignitosa innocentiæ palma*; ubi de Abele. Ut à vocabulo *Dignitas dignitosus* sequioribus seculis; ita à *dignus dignosus, à dignatio dignatiosus* formavere, dixereque pro æstimato, honorato, culto, τιμῆς μεστῷ. *Dignatio* vero pro precio, æstimatione, honore, gradu dignitatis, auctoritate, puræ latinitatis vocabulum est apud Cicer. ad Att. Plin. lib. 14. cap. 7. lib. 35. cap. 10. Sen. controv. 2. Tac. I. hist. 53. 3. 81. Sueton. Galba cap. 7. Symm. lib. 2. ep. 62. 67. lib. 9. ep. 110. Ennod. lib. 11. ep. 18. REINES. Ex *mali isto* facile fit *malisto*, non

„unguis, quam tu totus es: & habebam in domo, qui mihi pedem op-
„ponerent hac, illac, tamen (genio illius gratias) enatavi. Haec est
„vera athla: nam in ingenuum nasci tam facile est, quam accede istoc.
„Quid nunc stupes, tamquam hircus inervilia.

LVIII. „[a] Post hoc dictum Giton, qui ad pedes stabat, risum jam
„diu compressum etiam indecenter effudit; quod cum animadvertisset
„adversarius Ascylti, flexit convicium in puerum: &, [b] Tu autem, in-
„quit,

a ENCOLPIUS. b CONLIBERTUS.

non ita *macaristo*, quod vult Reinesius. Et dicit mox unguem ejus pluris fuisse, quam alterum totum. Debebat ergo esse *malistos*, ut enim unguis meus superet alterum totum, oportet me esse multo majorem altero, nec huc facit τὸ μακάριστον. SCHEFFER. Assentior Thomæ Munckero scribenti: *homini majesto*, ab eadem origine, qua *Deus Majus*, id est, Jupiter, & *majestas*, & *Majesta*, Vulcani Uxor. Qua de re vide Macrobium lib. I. Saturnal. cap. XII. HEINS.

Dignitoso] Philoxenus: *dignitosus*, ἀξιωματικός. SCHEFFER. In dignitate constituto. De verbis autem hujuscemodi inclinamenti vide Gellium lib. IV. cap. IX. HEINS. Vide Du Cange Glossarium.

Cujus pluris erat unguis, quam tu totus es.] Simile huic istud Rabbinorum priscos ad novos æstimantium *in l. Joma*; *melior est unguis priorum, quam venter posteriorum.* REINES.

Pedem opponerent] Supplantare me studerent. Ovidius IV. de Ponto El. 6.

Perstat enim Fortuna tenax, votisque malignum
Opponit nostris insidiosa pedem. SCHEFF.

Haec sunt vera, athlanam] Scribe: *Haec sunt vera athla. Nam*, &c. Ἄθλα, munera, quæ victoribus certaminum publicorum dabantur. Nempe præcesserat de supplantatione. SCHEFFER. *Athla* plurale est neutrius generis. Ampelius libello memoriali: *sunt, qui dicant Herculem & Thesea, quod similia athla sunt adepti.* Hic tamen tamquam singulare generis fœminini ponitur, qualia multa in usu apud vulgus. Sic *Schema, Trama*, & similia apud Plautum, etiam apud Nostrum. HEINS.

In ingenuum nasci] Nescio, an prius *in* abundet. Nam & Tertull. de Carne Christ. cap. 3. *Deus nasci in carnem erubescit?* Suetonius hac forma *subjici in servos* dixit vita Titi cap. 8. SCHEFFER.

Quam accede istoc] Puto corrigendum, *quam accedere istoc*. SCHEFFER. Non mutandum, sed gestu adjuvandum. Proverbium videtur plebejum & rusticum, ut plurima in hac cœna, quo aliquis digito monstrat locum vicinum, & quo facile quis perveniat. *Istoc* autem antiquo more pro *istuc*, ut *hoc* pro *huc*, de quo supra cap. 39.

Hircus Merculia?] Scribe, *Hircus ad Mercurium?* TILEBOM. Quid hic est, *Merculia?* Subdubito, annon fuerit, *Mercurialia*. Invenio enim *Mercuriale*, pro eo, quod Græci vocant ἑρμεῖον, acervumque lapidum significat in via publica, vel saxum, quo indigitatur rectum iter. Sic proverbium erit de eo, qui ad rem ignotam stupet. SCHEFF. Scriptura vetusti Codicis est, *hircus in ervilia*, & quidem genuina haud dubie. *Ervilia* & *Ervum* eadem. v. Dodon. Erviliæ non uno loco occurrunt apud Columellam & in Varrone apud Nonium, & tum fabæ subintelliguntur. *Faba ervilia* apud Plinium Naturali Historia, etsi Codices vetusti, *ervillam*, etiam agnoscant. HEINS. *Ervum* autem perhibetur non modo hominibus, sed & pecudi, saporis admodum ingrati, quamvis bubulæ utile adeo, ut & eo saginetur. Verum non aliter exhibetur bubus, quam elixum vel fresum, & aqua maceratum. Hac enim ratione usi videntur agricolæ in Italia, Græca illa, ut videre est apud Columellam lib. VI. cap. III. & Discoridem lib. II. cap. CXXXI. II. Dodon. lib. 17. cap. 17. Nam vel hoc vel illo modo temperatum amarorem deponit, & ad saginam commode assumitur. At, ita non præparatum cum esset, nec ita appetiisse videntur pecudes, sed aversatæ potius, ut videre potuerit ad illa obstupuisse, quemadmodum ad hæc convitia obstupuit Ascyltus. GOES. Legendum *Ervilia: Ervilia* est enim species *ervi*. Festus *Ervum & ervilia à Græco dicta sunt, quia illi ervum* ὄροβον, *Ervilia* ὀρόβιον *appellant*, qui *ervilia* pluralis generis facere videtur. Aliis singularis secundæ declinationis, ut nostro; quidam etiam *ervillam* dixere Varr. I. de Re Rust. cap. 32. *ferendum viciam, lentem, ciceculam, ervillam, cateraque, quæ legumina appellant.* Apud Columell. lib. II. cap. 14. *Ervilia* est in codice S. Germani: *stercorari lupino, faba, vicia, ervilia, lenti, cicercula, piso.* Vulgo legitur *ervo, lente.* Et ita Plinius lib. XVIII. cap. 9. & lib. XIX. cap. 3. BURMAN.

Tu autem] Apulejus IX. *Tu autem, inquit, tam mollis ac tener, mulieres appetis?* SCHEFFER. Infervit hæc particula aliquoties apud comicos graviori & concitatæ orationi. v. Plaut. Aulular. II. vers. 2. Captiv. III, IV. 24. Epid. I. I. 23. & passim: Ita & cum aliis voculis, *ecce, porro, tum*, conjungi solere docuit Gronovius ad Liv. lib. VII. cap. 35. Eidem usui infervit particula sequens *etiam*. Infra. cap. 95. *etiam minaris.*

Capa

„quit, etiam tu rides cepa pirrata? O Saturnalia! Rogo, mensis De-
„cember est; Quando vicesimam numerasti? Quid faciat crucis offla?
„cor-

Cæpa pirrata] Leg. *pyrrhata*. TILEBOM. Hoc est pretii nullius. An scribendum, *cepa capitata*? Plinius XIX. cap. 6. ubi loquitur de cepis: *Alterum genus capitata, quæ ab æquinoctio autumni seritur*. Num potius *pirra*, à Græco πυρρὰ, hoc est, *rufa*. Mallem ego, *cepa piperata*. SCHEFFER. Trajectus consonantium *c* & *p* in vocula dissyllaba factus à librario est; Petronius scripserat, *pica cirrata*, quod est convicium geminum in puerum jactum ab irato; alterum à moribus, quod esset garrulus & importunus blatero; alterum à cultu, seu habitu, quod cirros gestaret: utrumque adolescentibus scholasticis proprium. Ἀδολεσχᾶσαι enim & libenter nugas garriunt. Martialis hoc dicit de *matutini magistri cirrata caterva* lib. 9. ep. 30. Iidem φιλόκομοι & φιλόκοσμοι cirros amabant, & sic distinguebantur ab ignobilibus vulgaribus; ideo *cirratos* dixit Persius Sat. 1. vers. 29. Sunt autem cirri crines plexi tortique, in botryonem collecti, & nodo in vertice religati. Græci hoc ornatus capillitii genus μαλλὸν, in fœminis κόρυμβον, in viris κρώβυλον, in pueris σκόρπιον nominarunt. REINES. Reinesius nimis confidenter, ut ubique fere solet, *pica cirrata*. Ego puto lectionem istam posse retineri, si *pirrata* explicitur de induta aut vestita *porro* sive *birro*. *Pirrus* sive *birrus* (utraque scriptura reperitur) est de genere lacernarum, sic dictarum à colore, de quo satis, qui vestimenta veterum exposuere. Ab hoc *pirro* videtur formatum *pirratum*, sicut à *pileo*, *pileatum*, à *calceo*, *calceatum*. Et habebant istiusmodi lacernas pueri servique etiam, ut ex locis veterum est manifestum. Ita *cepa pirrata* erit cepa quidem per convitium ob acrimoniam & visum odiosissimum, pirrata tamen, ob lacernam, qua utebatur. SCHEFFER. Non male Reinesius, *etiam tu rides pica cirrata?* quomodo & supra *picam pulvinarem*, dictam Fortunatam vidimus à garrulitate, & ipsum Gytonem mox infra, *volsam piclam* per convitium nominari; cum tamen *cepa* æque ac *cepe* dicatur, ut apud Nasonem in Fastis:

Cædenda est hortis eruta cepa meis.

Idque apud Columellam, Plinium, Apicium, alios, omnium autem frequentissime apud Cœlium Apicium occurrit, videndum tamen, ne scriptura vulgata recte habeat sese, dum modo scribamus *cepa cirrata*, quomodo *tunicatum cepe* Persio, aut *cepa piperata*, nam cepam aceto piperato condiri solitam testis est Columella lib. XII. Ita supra, *piper, non homo*, & *cicerejus* pro calidæ naturæ homine seu caldicerebrio, ut ipse loqui amat. HEINS. Illud *cepa* mutandum non putem, nam cum ita dicta fuerit à forma capitis, ut Auctor moreti:

——— *Capiti nomen debentia porra.*

Ut Scaliger edidit, pro *cape*, verosimile est libertum convitium duxisse à cepa, & in comtum & crispum Gytonis caput deflexisse. Nam puer hic erat *crispus*. Infra cap. 97. & ita passim delicati & capillati pueri in hoc convivio, de quibus supra. Unde credibile est, *cirrata* hic pro, *pirrata*, esse legendum; quæ vox nauci est, & nimis arcessita est Schefferi explicatio, à *birro* eam vocem deducentis. Prior admitti aliquo modo posset à Græco πύῤῥα, quia *cepa rubens* ab eodem Auctore moreti dicitur, & flavis capillis essent insignes pueri. Sed præstat *cirrata*: Martian. Capell. lib. III. in fine. *Nam si rythmicum quid metricumque sicut inter cirratos audes, assumpseris.* Ubi perperam Grotius Grammaticos interpretatur, ut apud Persium, cum intelligendi sunt pueri, ut recte Casaubonus. Vide & Valesium ad Ammian. Marcell. lib. XIV. cap. 6. & Lipsi. excurs. D. ad Tacit. lib. III. Annal. BURM.

O Saturnalia] Scribendum, *Io Saturnalia*. Ita nempe Saturnalibus servi per urbem discursantes clamitabant. Romæque veteres è plumbo nummos, quibus *Io Saturnalia* inscriptum, memini videre. Saturnalibus & pileum gestabant. Hinc *pileata turba* apud Senecam epist. XVIII. HEINS. Non displicet Heinsii conjectura. Ita enim & Martialis lib. XI. 2.

Clamant, ecce, mei, Io Saturnalia versus.

Quamvis vulgata lectio eleganter indignationem hujus liberti exprimat, cui jam non liceret punire dicacitatem pueri, qui libertate Decembri utens impune deridebat libertum, nihilominus exprobat ipsi servilem conditionem, ut qui sibi majori, utpote liberto, qui jam vicesimam numeraverat, neque indigebat Saturnalitia libertate, male diceret. *Rogo*, hic interjectionis & exclamationis vim habet, qua indignitatem rei exprimit. supr. cap. 20. *Rogo, inquam, domina. Rogo, inquam, noli clamare.* Et passim in hoc fragmento. vide supr. Scheffer. ad cap. 39. BURM.

Rogo, December est.] Decembri Saturnalia agebantur, quæ nihil aliud erant, quam privatæ publicæque epulæ, & continuæ inter omnem licentiam lasciviamque comessationes. Sen. ep. 18. *December est mensis, quo maxime Civitas desudat. Jus luxuriæ publica datum est, ingenti adparatu sonant omnia.* Servi tum liberrime agebant: vid. eumdem ep. 47. REINES.

Quando vicesimam numerasti?] Quænam hæc vicesima? num mensis Decembris, de quo antecessit? Puto plane, quia illa die Saturnalia finiebantur. Ut sit sensus: quando tibi tandem desinunt esse Saturnalia? SCHEFFER. Reinesius hæc accipit de constituto vicesimæ canone, pendi solito propter eos, qui manu mittebantur ex lege Manliana, de qua Livius lib. 7. cap. 12. quod significavit mihi plurimum. Rev. & Doctiss. Dn. Arnoldus. Verum, ut hæc docte cogi-

tantur,

„corvorum cibaria. Curabo, jam tibi Jovis iratus sit, & isti, qui tibi „non imperat. Ita satur pane fiam, ut ego istud conliberto meo dono; „alioquin jam tibi depraesentiarum reddidissem. Bene nos habemus, aut „isti

tantur, ita loco huic nil sunt accommodata. Vult nempe Reinesius, hanc esse verborum istorum sententiam: quamdiu est, quod es factus libertus? At hoc liberto libertus ipse in praesentia aliorum, credo, objiceret. Deinde, quomodo cohærent ista, O Saturnalia! Rogo, mensis December est? Quando factus es libertus? Quid ad liberti factionem mensis December & Saturnalia pertinent? Denique, quomodo facit ad dicendi libertatem, ut quis cito vel sero fiat libertus, cum & servuli ipsi essent dicacissimi. Postremo Gyton à Petronio inducitur, non ut libertus, verum servus, atque puerile scortum. Verba sunt Petronii, ipsius in cap. XCI. *Video Gytona cum linteis & strigilibus parieti applicitum, tristem, confusumque, scires, non libenter servire.* SCHEFF. Oblique carpit Gytonis petulantiam, tamquam homini servo, qualem is se ferebat hoc convivio, parum convenientem. Ac proinde quærit, putetne esse Saturnalia, quibus nimirum plurimum licebat servis. Aut, si in libertatem assertus, quando vicesimam numerarit, hoc est, liber sit factus. Nam *vicesimam* ad eam refer pecuniam, quam pro libertate servi pendebant. Livius libro VII. de Cn. Manlio Cos. Anno V. C. CCCXCVII. *Ab altero Consule nihil memorabile gestum, nisi quod legem, novo exemplo, ad Sutrium in castris tributim de vicesima eorum, qui manumitterentur, tulit.* Idque ut plurimum domini ipsi pro servis, qui manumittebantur, pendebant. In supremis Trimalchionis tabulis infra cap. LXXI. *Philargyro etiam fundum lego, Carrioni quoque insulam & vicesimam & lectum stratum.* Hoc vectigal qui colligebant, *vicesimarii* dicti. Noster iterum infra cap. LXV. *scissa lautam novemdialem servo suo misello faciebat, quem mortuum manumiserat, & puto, cum vicesimariis magnam mantissam habet.* Quamquam & aliæ fuerint vicesimæ, ut hereditatis. HEINS. Hunc locum à Schefferi prava interpretatione vindicavimus olim in dissertatione de Vectigalibus P. R. cap. X. necdum eo tempore Reinesium & Heinsium nobiscum facere liquebat; cui expositioni miror Schefferum in curis secundis non concessisse, cum sententia emergat egregia, si de vectigali vicesimæ capiatur, inepta, si de die Decembris vigesimo; nam primo, nondum probavit, die vigesimo finita Saturnalia, cum illa XVI. Calend. Januarias inciperent, neque satis constet adhuc, per quot dies agitarentur, ut supra ad caput XXVI. indicavimus. Praeterea, quis in Italia dies mensium, nostro more, à primo ad ultimum ordine numeratos credat, qui sciat, per Nonas, Idus, & Kalendas divisos fuisse menses. Objicit ergo hic libertus, sibi aliquid esse visus, Gytoni servilem sortem, qui jam munere Saturnalium quidem libere dicax esset, sed simul tamen admonet conditionis suæ, rogans, quando tu libertus es factus, qui hic æquo jure mecum agere & deridere me audes. BURM.

Quid faciat crucis offla] Nescio, an rescribi debeat: *quid facias, crucis offla? corvorum cibaria?* SCHEFF. Convicia sunt in hominem perditum perdendumque: an à nostris accepta, qui talem patibulo victimam & corvis escam destinari dicunt? Plautus tamen fere talibus usus est. Alioquin ista mastigiæ remulenti invectiva rustica insulsa prorsus & illiberalis est, jociscque ad obscœnitatem usque petulans: spargit simul ænigmata, nimirum cum rhetoricari mox incipit scurra, quibus quærendus Oedipus, si tanti visa fuerint. Ad ea vero ulcera, quæ sanis librarius adfricuit, alius pelvim & spongiam poscceret, ne ita male cohærentibus, diffluxis, & diffractis concinnandis operam ponere cogatur. REINES. Sic *jungla* pro jungula, *ungla* pro ungula, *vincla, pocla*, & similia. HEINS. Nil muta. Sensus est, quid aliter facere posset furcifer, nisi ut dignum sua sorte & scelerata mente facinus designet; à tali nebulone, crucis mancipio, nihil aliud exspectes, nisi erga honestos homines petulantiam & contumeliam; de solemni illa formula, *Quid faciat*, supra egimus ad cap. XIV. quamvis ibi paulum alio sensu usurpetur, utrobique autem factum aliquod excusat. hic tamen ironice, quasi non irascendum sit nebuloni, cui mala mens, & malus est animus. BURM.

Corvorum] Horat. I. Ep. XVI. vers. 48.

——— *Non pasces in cruce corvos.*

Et hinc vulgaris illa apud comicos imprecatio εἰς κόρακας.

Jovis] Ita Plautus, Apulejus, Martianus, alii. Vocabularium vetus, titulo, *Deorum nomina. Jovis, Ζεύς.* SCHEFFER. Vid. supr. ad cap. XLIV. pro *tibi* Tragurienſis exhibebat *abi*, vitio librarii.

Et isti] Ita per contemtum Ascylton designat. vid. supra ad cap. IX.

Cum liberto meo dono] Scribe, *conliberto meo dono.* id est, ipsius gratia te nunc non accuso, apud Jovem, id est, Herum. Noster supra cap. XXX. *quidquid ergo est, dono vobis.* SCHEFFER.

De præsentiarum] *Deprasentiarum*, voce unica & adverbialiter sumta hoc intelligendum. Sic apud Æmil. Probum, seu Cornel. Nepotem, illum, quem Muretus appellat mundissimum & castigatissimum Scriptorem, in Vita Hannibalis, *impræsentiarum* sumitur. *Cum hoc, inquit, exhaustis jam patriæ facultatibus, cupiunt impræsentiarum bellum componere, quo valentior posteà congrederetur.* Et ita Cornelius Tacitus, Aul Gellius, alii. TILEBOM. Quid est, *de præsentiarum?* an formatur ita, ut, *impræsentiarum?* num scribendum, *tibi*

„ isti geuge, qui tibi non imperant; plane, qualis dominus, talis & servus.
„ Vix me teneo; & sum natura caldus, cicerejus; cum coepi, matrem
„ meam

idem præsentarium reddidissem? Plautus Mostell. III. sc. 3. *nunc ferat sex talenta magna argenti pro istis præsentaria.* Ita alibi. Sed *de præsentiarum* habet & inferius, ut nil temere sit mutandum. SCHEFFER. Latinum non est, sed plebi usitatum tamen. Sic infra, ubi *de præsentia* habes. HEINS. Legendum censeo, *reddidissem vicem.* Veteri Epigrammate, quod nescio an adhuc vulgatum sit, similiter, *redde vicem.* Integrum apponam.

Formosa es, fateor, dives, generosa, venusta:
Confitear, si vis, omnia, redde vicem.
Nempe parum casta es, nempe es deprensa, negabis.
Res venit ad lites, rursus & illa nego.
Dic potius, sed nempe semel, sed nempe puella,
Et cum deprensa quis nisi frater erat?
Frater erat. nihil est, fecit quia Juppiter illud,
Sed quod non fecit Juppiter, hoc facitis. GOES.

Valde blanditur Goesii conjectura & potuit vox *vicem* ab ultimis syllabis τῦ *reddidissem* absorpta esse. Ita noster in olim editis cap. 95. *redditaque scordalo vice, sine Amulo scilicet, & cella utor & nocte.* Ovid. I. Amor. Eleg. VI.

Redde vicem meritis, grato licet esse, quod optas.

Capitol. Gordian. cap. 27. *Misitheo eminenti viro &c. vicem reddidit.* Eo sensu infra in carmine de bello civili vers. 171.

——— *Reddenda est gratia vobis.*

Quamvis etiam, si tam elegantem hunc libertum fingere liberet, *reddidissem* simpliciter capere liceret, pro referrem tibi par pari, ut Terentius Eunuch. v. scen. 6. *reddam hercle.* BURM.

Bene nos habemus] Suspicor abesse quidpiam, & scribi oportere, *bene nos non habemus, aut.* Quomodo Martial. II. ep. 4. *Ne valeam, si non*, &c. formula comminantis: aut male agetur nobiscum, aut hoc efficiemus. Seneca ep. 24. de Scipione: *ferro se transverberavit, & quærentibus, ubi Imperator esset: Imperator, inquit, bene se habet.* SCHEFFER.

Aut isti geuge] Hoc quid sit, haud excogito: convitium latere aliquod videtur. SCHEFFER. Minatur non puero corrixanti tantum, sed & dominis ejus, quos ironice vocant *gennaos*, γενναίους: nisi Pluralis jacet pro Singulari. Legendum enim, *aut isti gennæi, qui tibi non imperant*, id est, qui non prohibent, qui indulgent tibi, ut te mihi opponas. Γενναῖοι, Γενναδεῖς dicuntur cum sale, ut Egregii: eademque figura, qua Δαιμόσιον Synesius, & Θεοπίσιον Theophyl. Simoc. in Epp. καλὸν & δαιμόνιον alii, quem derisum carptumque volebant, adpellarunt. REINES. Legendum *imperat*, unus enim tantum fuit, quem respicit. Sic supra, *& isti, qui tibi non imperat.* Sed quid *geuge*? Reinesius putat *Geta.* At hoc nimis longe abit. MS. Dalmaticum habet *geuge*, è quo tamen nihil exsculpo, nisi quod convitium ex Græco formatum videtur. SCHEFFER. Lege *haud isti agagæ*, vel *agagulæ*, quod verbum & infra quoque occurrit. *Agagulam, lenonem* Isidori Glossæ interpretantur. Et sic Glossæ Scaligeri MSS. *Agagula, lenocinator.* Aliæ, *Agagula, lenocinator, pantomimus.* HEINS. Hæc mire obscura, neque placent interpretum commenta, sed pro *aut* legendum *at* puto, ut oppositio appareat, & totus deinde hic sermo abruptus sit. *Bene nos habemus: at isti Geugæ, qui tibi non imperant.* Deest verbum, quo grave aliquod in eos diceret, & puto sensum esse, nos satis in re lauta sumus, sed tuus dominus pauperior. Nam ita supr. c. 38. *quam bene se habuit*; neque opus est *imperat* refingere, cum in convitiis & exprobrationibus major vis & invidia sit in plurali, licet agamus de uno tantum homine. vid. Donat. ad Terent. Andr. Act. III. sc. III. vers. 26. & Eunuch. Act. I. sc. I. vers. 3. quid illud *Geugæ* (nam ita legendum ex MS. est) velit, non satis dispicio, nisi à γίνω, pro quo vulgus γείγω utebatur, ut Meursius in Glossario Græco-Barbaro docet, veniat, & *Geuga* dicatur, qui cum fastidio degustat dapes, seu cui nulla satis placet; & ita libertus hic, sibi sobrius & facili victu contentus visus, ut qui se bene habebat, & modo juraverat, *ita satur pane fiam*, Ascylto, ut in præcedenti capite, hoc vocabulo exprobret fastidium, cui non *placerent Trimalchionis lautitiæ*, quia *beatior esset, & melius convivare soleret.* BURM.

Qualis Dominus] Vide Sidon. II. epist. II. ibique Savaronem. SCHEFFER. Terent Eunuch. Act. III. sc. II. vers. 43. *Quid tibi ego multa dicam? domini similis es.* Ubi notabilia verba Donati: *ineptus jocus, in quo servus injuriæ vice domino comparatur*, unde liquet Petronii judicium, quo libertis his insulsos & ineptos sermones & proverbia tribuit. BURM.

Caldus] Iracundus. Horatius I. Sat. 3.

Caldior est: acres inter numeretur. ———

SCHEFFER.

Cicer ejus cum cœpi matrem meam.] Scribendum. *cicer ejus cum cœpi: Matrem meam.* TILEBOM. De cicere sic Plinius lib. XVIII. cap. 12. *Ciceris natura est, igni cum salsilagine, ideo solum urit.* An, quia hoc proprium ciceris, ut solum urat, ideo hic, *cicer capere*, est materiam irarum habere? Vix persuadeo mihi, & de lectione ista vehementer dubito. SCHEFF. Prædicat homuncio sui animi generositatem, τὸ ἀπότομον, strenuitatem, & fervorem in omnibus (etiam τοῖς ἀνοήτοις) quem crescere sibi dicit à sumto jure ciceris; hoc enim sic incalescere, ut neminem timeat, respiciat neminem, ne matrem quidem suam. Sic igitur constituenda lectio est: *Ciceræ jus cum cepi.*

(accepi.)

„ meam dupondii non facio. Recte; videbo te in publicum: mus, imo „ terrae tuber. Nec surſum nec deorſum non creſco, niſi dominum „ tuum in rutae folium non conjecit, nec tibi par ero, licet me-Hercu- „ les

(accepi.) Cicer, Cicera, δίκλιτον πληθυντικῶς, cicera, ciceres. Τῷ *Cicera* ἑνικῶς utitur Colum. lib. 22. cap. 11. & ſervarunt Ruellius lib. 2. de Nat. ſtirp. 36. Bruyerin 7. de re cib. cap. 5. L. Nonn. 1. cap. 10. Ejus facultates, præter cætera, generare flatus, valde nutrire, eſſe ζημιωτικὴν τῆς σαρκὸς, id eſt, facere, ut intumeſcant carnes, ſecundum Dioclem apud Athen. in 2. augere proventum genituræ, & Venerem ſtimulare. Ideoque perorigæ cicer ſolent objicere equis admiſſariis ἐν ἄρῃ ὀχείας, ut eo cibatu roborati operi ſufficiant: notavit Galenus 1. de alim. facultat. Satis pellucet ex Arbitri genio hujus cœni nequitia: non opus eſt rimatu. REINES. Lege *caldus, cicerejus*. A cicere *cicerejus*, caldus, ut cicer. Adagium ruſticum, qualia hic complura occurrunt. Cicer terram, in qua naſcitur, adurit. Plin. lib. XVIII. cap. XII. ſic ſupra cap. XLV. *Caldicerebrius*. & cap. XLIV. *piper, non homo, is, quacumque ibat, terram adurebat. Cicerejus* Latinum eſſe, *gens Cicereia* evincit. Caji Cicereii, prætorii & triumphalis viri, apud Livium mentio. *Caldus* Cœliæ gentis cognomen, quo videtur alluſiſſe noſter. HEINS.

Cum cœpi] Nempe incaleſcere & iraſci. HEINS.

Matrem meam dupondii non facio] Neminem reſpicio, aut curo, ne ipſam quidem matrem meam. Ita Plautus Captiv. III. 1. *Neque ridiculos jam teruncii faciunt*. SCHEFFER.

*Recte videbo te ſtu ** publicum Mus: Imo terræ tubet, nec*] Sic putarim id eſſe legendum. *Recte videbo te ſtupere; publice mus, imo terræ tuber. Nec*. TILEBOM. Lego, *Recte ridebo te, ſtuprum publicum*; culcitam vulgarem & muliebris patientiæ maſculum ſcortum dicit; tum mus, etiam hoc in contemtum: mures enim opici, & curantur a nemine; tantum ſunt ut obterantur; liceat tamen etiam interpretari lutum, limum: mus enim terra. Iſid. Orig. 20. cap. 3. *terræ tuber*, vel pro fungo, qui terræ ἔκτρωμα potius quoddam eſt, quam verum ἀπογέννημα, vel pro vomica & abſceſſu, qui corporis naturalem ὄγκον & habitum deformat & vitiat, capi poteſt. REINES. *Recte*, ſeparari debet a reliquis, & eſt ex illis vocibus, quas plebeji & etiam ebrii ſæpe ſolent in ſermone geminare, ſine neceſſitate, ut, mox iterum *recte*, *ventes ſub dentem*. Ita aliqui moris hoc habent, ut *bene* ſæpe repetant, & ſimilia. *Videbo te in publicum*, ut habet Tragurianus, videtur provocandi ſpeciem habere, quaſi jam convivium turbare nollet, & petulantiam Aſcylti & Gytonis cohibere, ſed poſtea, ubi in publico eos deprehenderit, minatur vindictam; nam pugnacem fuiſſe hunc libertum declarant illa capitis præcedentis. *Ita tutelam hujus loci habeam, ſi ſecundum illum diſcumberem, jam illi balatum duxiſſem*. Loci ergo intervallo, & reverentia menſæ, prohibitus differt vindictam in aliud tempus. BURM.

Terræ tuber] Fungus. Petronius cap. CIX. *at nunc lævior ære, vel rotundo horti tubere*. Martiali memorantur frequentiſſime. SCHEFFER. *Mus* pro convitio legere haud memini. Inter blanditias amatorias occurrit haud raro: ut apud Martialem lib. XI. epigr. XXX. in membranis præſtantioribus.

Nam, cur me Murem, cur me tua lumina dicis?

Vide & Ælianum Hiſt. Anim. XII. cap. X. ſic, *turturilla* apud Senecam, ep. XCVI. loco vexatiſſimo. *Columbulus albulus*, apud Plautum. Sed hic forte ſcriptum *ſimus*, vel, quod malo, *pus*. *Rapuli pus*, apud Horatium. Sic *vomicas & carcinomata* Auguſtus apud Suetonium filiam neptemque nominat. *Vomica* etiam C. Marrio vati apud Livium in uſu. De tubere rectum eſt. In Floridis Apulei adagium eſt, *ubi uber, ibi tuber*. *Glabrior horti tubere*, Noſter in fragmentis. Lemma epigrammatis quinquageſimi apud Martialem Xeniis, *Terræ tubera*, ſic enim ſcripti Codices conſtanter, cum *tubera* tantum in editis pleriſque exhibeatur. HEINS. Heinſius numquam pro convicio *murem* legit, ſed apud Plautum Capt. Act. I. ſc. 1. & Perſ. Act. I. ſc. 1. Paraſiti, *quaſi mures ſemper edentes alienum cibum*, traducuntur, & notum illud Diogenis de muribus ſuas micas legentibus apophthegma. Neſcio tamen, an paraſitandi artem objicere voluerit Gitoni, & non potius libidinem & ſalacitatem exprobrare, ut apud Martialem, loco ab Heinſio laudato, *mus* ſumitur. Quod enim ibi blanditiis, hic convicio & contumeliæ inſervire poteſt. Munckerus ad Heinſium ſcribebat, ſibi videri Iſidorum lib. XX. cap. 3. ex male intellecto hoc loco ſcripſiſſe, *mus eſt terra, unde & humus*. BURMAN.

Nec ſurſum nec deorſum non creſco] rurſus formula, ſub exſecratione ſui comminantis. Itaque negative debet accipi. Ut in illo Virgilii Ecl. IV.

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus.

SCHEFFER. Ex vulgari uſu hæ particulæ ſæpe junctæ, Lucilius lib XXV. *Modo ſurſum, modo deorſum, tamquam collus cernui*, vid. infra cap. LXIII. Terent. Eunuch Act. II. ſc. 2. *Ne ſurſum deorſum curſites*. ἄνω κάτω. v. Eraſm. Adagia in *Conatu*. p. 120. & *inconſtantia*. p. 359. *Non creſco*, geminat hic negativam Tragurienſis, ut & mox, *niſi dominum non conjecit*, quæ male mutantur, ſtudio enim hæc loquendi ineptia a Petronio libertis tribuitur. BURM.

In rutæ folium non conjecit, nec tibi par] Scribas velim. *rutæ folium conjeceris, nec non tibi par*. TILEBOM. Senſus poſtulat, *conjeci*. SCHEFFER. De rutæ folio

„les Jovem Olimpium clames : curabo, longe tibi sit comula ista bes-
„salis, & dominus duponduarius. Recte, venies sub dentem; aut ego
„non me novi, aut non deridebis, licet barbam auream habeas. Sathana
„tibi

est etiam apud Martialem. Porro, lege, *conjeci*, nisi malis, *conjicio*, vel *conjecero*. HEINS.

Nec tibi par ero] Interrogationis signum hic ponendum post *ero*. Quid, ait, ergo, qui dominum tuum coërcui, & obsequentem mihi ad omnia feci, an te compellere ad officium nequeam? SCHEFFER. Lego, *nec tibi parsero*: omnia enim ista minantis sunt. REINES.

Jovem Olympum] *Olympum* aliquando pro Jove poni notum est, sed hic lege, *Olympium*. SCHEFF.

Clames] Pro *inclames*, apud Nasonem,

Clamabat superos Leda suumque Jovem. HEINS.

V. Festum in *plorare*.

Longe tibi sit] Absit abs te, ea careas, ea priveris. Martialis lib. 1. epig. 70. de Novio.

Tam longe est mihi, quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen. SCHEFFER.

Ista betalis] Hoc quid sibi velit, aliis cogitandum relinquo. SCHEFFER. *Betalis* an denominativum à *beta*? *betizare* apud Sueton. Aug. cap. 87. *languescere, effœminari*, & *betæ* homines *molles* atque *Cinædi* Diogeni. Unde Catullus,

Languidior tenera cui pendens sicula beta.

Nam *betaceus*, quod hodie adjectivum, pro *parva beta* substantive usurpatum. G. J. Voss. ex Charis. & Prisc. lib. 2. Analog. cap. 29. HADRIANID. Id est, faciam, comatule calamistrate, ne ultra tibi sic placeas, vel superbias, ob comam istam tuam similem betæ; possumus intelligere vel crispam (confundit enim hic scriptor, quas medici accurate distinguunt, betam & brassicam: hujus speciem quamdam crispam vocant ob folium, Plin. lib. 19. cap. 8.) vel mollem, dissusam, & pendulam; quo sensu Tibullus 2. El. 3. *molles capillos*, & Mart. lib. 4. ep. 42. *molles comas* dixit. Betæ etiam virtus primaria mollire. Sin legamus *pedalis*, promissam illam & muliebrem interpretabimur. REINES. *Comula bessalis* scribe. *Non tressis agaso*, apud Persium Sat. v. atque iterum.

Et centum Græcos curto centusse licere.

Sic *diobolares* & *triobolares* apud Plautum. Vatinius Ciceroni in Epistolis: *Simius, non semissus homo.* Et plenus horum noster sic cap. XLIV. *Ædilis trium cauponarum* cap. XLV. *Hermogenes homo sestertiarius*, & ibidem, *Gladiatores sestertiarii*. HEINS. Tragur. codex *besatis*, unde recte Heinsius *Bessalis*, quod respondet melius sequenti *dupondiario*; nam, quid *betalis coma* sit, credo, nemo facile explicabit. Illud autem *longe sit*, non notat, ut ea careas, vel priveris. Sed curabo, ne te juvet, ne ejus prælidio ferox sis, insolens & protervus. Ut enim *adesse* est juvare, sic *abesse* & *longe esse*, contrarium, ut ex Virgilio, Floro & aliis dudum docuerunt Viri Doctissimi, Passerat. ad Propert. lib. 1. eleg. 7. Muret. x. Var. 4. Gronov. ad Senec. Hippol. 974. &, qui illustrarunt Florum, Gruterus, & Freinshemius ad lib. II. cap. 2. nuperrime etiam elegantissimus Brouckhusius, in notis eruditissimis ad Tibull. lib. 1. eleg. vers. 2. BURM.

Recte venies sub dentem] Illud, *recte*, est vere, omnino, penitus. Ut in illo Plauti Bachid. Act. II. sc. 2. *Ille est oneratus recte, & plus justo vehit.* At *venire sub dentem* ille intelligitur, qui incidit in iratum, & mordentem. Pene illo modo, quo Augustus *esse sub maxillis* dixit apud Sueton. in Tiber. cap. 21. *Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit.* SCHEFFER.

Non deridebis] Absolute. Terentius Adel. Act. v. sc. 3. Mic. *Derides fortunatus, qui istoc animo sies.* SCHEFFER. Idem in Heautont. Act. v. sc. 1. *Derides? merito mihi nunc ego succenseo.* Et ita sæpe Plautus in Amphitr. Act. III. sc. 3. vers. 8. Curcul. Act. I. sc. 1. vers. 18. & passim. Ita & *deludis* idem Aulular. Act. v. vers. 11. & alibi.

Licet barbam auream habeas] Id est, deus sis. Nam deorum simulachris barbas addere solebant aureas. Sic habes barbam auream Æsculapii apud Val. Maximum lib. 1. cap. 2. Jovis apud Sueton. Calig. cap. 52. Persius communiter commemorat in omnibus, si quid fecissent gratum & honore dignum. Sat. II. vers. 58.

Præcipui, ait, *sunto, sitque illis aurea barba.*

SCHEFFER. V. Erasmi adagia in *dignitate*, p. 190.

Sathana] Nomen mulieris. SCHEFFER. Stupor Librarius Satanam cogitavit, fortassis parum meminens DEI, & pœne nobis, ut Petronium hunc inter Christianos numeraremus, persuaserat. Sed bene habet mala ejus scriptura; satis intelligimus artes, quas ubique prodit. *Saganam* debuit dare. Minatur servus alteri iras & maleficia Saganæ, quæ venefica erat, potens nimirum *carminibus versare atque venenis humanos animos*, ipsis quoque corporibus inferre noxas: traxit hoc Petronius ab *Horatio*, qui Saganam Canidiæ, sagæ non minus famosæ & terribili, sociam jungit 1. Sat. 8. & Epod. 5. REINES. Reinesius vult *Sagana* ex Horatio, qui facit aliquam hoc nomine sociam Canidiæ sagæ. Ac conveniebat in veneficam nomen à *saga* derivatum. Verum alia est ratio hujus loci. Mallem *Satuna* à *satu* & *serendo*, quia meretriculæ convenientius: nisi quis præferat *Athara* nomen Phœnicium & Syrorum, Derceti olim tributum, quo valde inclino. SCHEFFER. Locus vexatissimus, quem tamen expedies, si primam litteram, quæ ex præcedenti vocabulo huic adhæsit, rejicias, *Athana tibi ira-ta sit*, dixit Dorica enunciatione, quæ per Campa-

niam

„tibi irata sit curabo, & qui te primus decuro defecit: non didici geo-
„metrias, cretica, & alogias, naenias, sed lapidarias literas scio, par-
„tes

niam omnem, ac proinde & Capuæ, ubi hæc cœna celebratur, obtinebat, cum Palladem illi iratam, (est enim hæc Dea discipulis æque ac magistris præcipuo in cultu) imprecari vellet. De irata Pallade nonnihil à nobis dictum ad Fastos Nasonianos. ἐργάνη dicta hæc quoque Dea ab artibus inventis. Nasoni in Fastis, *Mille Dea est operum.* Sic & noster supra cap. XLIII. *Omnis Minervæ homo.* Et Trimalchio *Minerva ducente*, tamquam fortunas ejus auspicante, *mœnia intrabat*, supra cap. XXIX. HEINS.

Et qui te primus decero defecit] Hæc sunt pessime corrupta, nec, quid sibi velint, nunc excogito. SCHEFFER. Lege, *iratam Saganam curabo, & ei qui te primus condocefecit.* Præcipue enim, ut patet è seqq. magistro hujus discipuli indignatur, ut qui talem formasset cum inconcinnis moribus, & petulante lingua. Est autem Verbum istud dignum Petronio, quippe Ciceroni in V. Tusc. & 1. de nat. D. usurpatum, relatumque à Nonio M. cap. 2. quod librarius corrupit sic, ut tamen veræ lectionis manifesta vestigia in depravata observari possent. REINES. Reinesius, *qui te primus condocefecit.* Sed quid hæc sibi volunt? Curabo, ut iratus tibi sit, qui te primus condocefecit? MS. Dalmaticum verum habet ita, *qui te primus decuro defecit.* An scribendum, *qui te primus de curvo refecit?* hoc est, qui te primus erexit, fecit, ut, cum ante curvus esses, spectares terram, vilis scilicet, humilis, & abjectus, post auderes te erigere. Dictum esset eo prope modo, quo supra cap. XLIII. *costæ recorrectæ.* SCHEFF. Forte, *& ei, qui te primus de cerebro dejecit.* GOES. Habet Tragurienſis *decuro defecit*: unde Patavini *decero* fecerunt, Parisini *de cetero*: quæ cum nihil notent, receperunt editiones illud Reinesii *condocefecit*: sed mihi religio est ita grassari in ea, quæ non intelligimus, & malui corruptam exhibere, quamvis nullus dubitem, quin in illo *decuro* lateat Græca vox quædam, forte δικηρὸς œcurus, id est, domi custos, cujus prima litera *o*, quæ dimidiata *d* est, potuit parte augeri. *Qui te primus oecuro defecit*, ergo esset, qui te primus sine custode jussit esse, quum tam petulans puer deberet severa contineri disciplina. Qui melius conjecerit, vincat. BURM.

Geometrias, Cretica, & alogias menias] Lege, *Geometriam, Criticen, & alogias meras.* Ubique, & veteris & novi hujusce Fragmenti, sui semper similis exstitit Petronius, Ætatis suæ barbariem seu ingenuarum Disciplinarum contemtum, adeoque mores ab antiquis mutatos pessime, persequendo atque deprimendo: Illic, postquam Eumolpus pulcherrimarum Artium vicem doluit, ita emovetur & quærit cap. LXXXVIII. *ubi est Dialectica? ubi Astronomia? ubi Sapientiæ consultissima via? Quis umquam venit in Templum, & votum fecit, si ad Eloquentiam perveniisset? Quis si Philosophiæ fontem invenisset? Nec mirum: cum iis omnibus formosior massa auri videretur, &c.* Hic vero, hoc est in Novo, easdem Artes subsannat puer, seu Servus, atque Geometriam & Criticen; gloriaturque, se *lapidarias tantum scire Literas*, parteſque centum ad æs dicere, ad pondus, ad nummum. Ita scilicet & eo fine, ni fallor, fiebat, uti Principis & Amicorum suorum vitia latarent, *Literæ enim* (quemadmodum referebat quidam vir doctus, Majorum Temporibus) *sunt quædam veluti Specula, quibus Malorum vita obversa atque admota, cum est turpis, flagitiosa, & scelerata; talis etiam conspiciatur. Hoc eos male habet: Atque hoc potissimum nomine Literas & Literatos non modo dente rodunt, verum etiam omnibus machinis expugnant. Nam viri boni & abstinentes & justi & innocentes & integri & puri literas amant atque amplectuntur: Literatis favent ac suffragantur. Improbi, injusti, prædones, sicarii, avari, sacrilegi, impuri*, Omnes hi metuunt versus, odére Poëtas, *inquit Horatius. Omnes hi literis & doctis hominibus bellum inexpiabile semper indicunt. Quo magis*, inquit Tacit. Annal. 4. *socordiam eorum irridere lubet, qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contra, punctis ingeniis, gliscit auctoritas: Neque ii, qui male vixerunt, aliud, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam, peperere.* Porro critice, cujus hic meminit Petronius, ad Grammaticam pertinet: cujus quidem tres sunt Partes: prima, τεχνικὴ vocatur: ἱστορικὴ autem secunda: tertia ἰδιαίτερα: Et illa non omnium, sed pauciorum est. Neque in quibuslibet auctoribus versatur, sed in nobilissimis, ut alicubi disputat eruditorum ocellus Justus Josephus Scaliger. TILEBOM. Quid hoc est verborum? An legendum, *geometricas, creticas, & alogas nanias.* De Geometrarum paradoxis res est nota. Cretensium fabulæ mendaciaque proverbio circumferuntur. SCHEFFER. Forte *Geometriæ secreta, & alogas nanias.* Sic supra cap. LIII. *Cætera acroamata tricas meras esse.* Pro *nanias* possis & *manias* legere, qua voce Plautus usus est, vel, *mantas*, quod Latinis æque in usu testatur Cicero, & alicubi in Arnobio Salmasius ivit restitutum, sed frustra. HEINS. Non hæc, ut omnia hujus liberti verba, à stribligine sunt vindicanda, quem Petronius studio solœcum & balbutientem Latine inducit Neque scio, unde editores tantum sibi permiserint in his vocibus permutandis: nos Tragurienſem codicem sequimur, nisi, ubi unius vel alterius literulæ mutatio veram vocem nobis offerat. *Geometrias* dixit plurali numero pro geometriam, *cretica*, pro *criticen.* Hæc duo se dixit non didicisse, sequentia, *alogias, nanias*, priora respiciunt,

„tes centum dico, ad aes, ad pondus, ad nummum: ad ſummam, ſi „quid vis, ego & tu, ſponſiunculam exi, defero lanna. Jam ſcies, pa- „trem

Geometriam enim *alogias*, criticen *nanias* eſſe cenſet. *alogias* dixit etiam Seneca de morte Claudii. *Citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam.* Quid næniæ ſint, notiſſimum puto. Sanus ergo erit locus, ſi modo tranſponatur τὸ &, *non didici geometrias & cretica, alogias, nænias.* BURM.

Lapidarias literas ſcio] Per *Lapidarias literas* quid velit hic auctor, ſi quærat aliquis, dicam; meo quidem judicio, nihil aliud nempe, quam Baſilicas, domos præclaras, inſulas, villas ruſticas, nummos, & ſimilia id genus, illum innuere. TILEBOM. Eas, puto, intelligit, quas lapidarii incidunt ſaxis ac lapidibus. SCHEFFER. In MS. vero legitur *lipidarias.* Nondum igitur hic locus ita ſeſe habet, ut oportet, cum præſertim illæ lapidariæ literæ, quas ſubjecerunt nobis emendatores, commode ſatis, locoque huic convenienter, nequeant exponi. SCHEFFER. Literæ etiam pro ſtudiis ſumuntur, unde & utrumque conjunxit Cicero, unum per aliud explicans. Dicit itaque, rei lapidariæ peritiam habere, ac per hoc, ut ex ſequentibus liquet, architecturæ etiam ſibi cognitionem vindicat. Ait enim, *partes*, architecturæ ſcilicet, *decenter dico*, (Ita hæc namque legenda cenſemus) & dico, partes eas *ad æs*, ſive ad pretium, *ad pondus* plumbi, ferri, æris, *ad numerum* tignorum, aſſerum, lapidum, reliquorumque, quæ ars ædificatoria deſiderat. Et hoc infra hoc capite vocat *artificium ſuum, propter quod Diis gratias agit.* Architecti autem olim præcipue in Græcia in honore fuere. Hæc mihi mens & ſententia videtur loci hujus obſcuriſſimi, qui viros eruditiſſimos exercet. GOES. Supra cap. x. explicuimus, quid ſit *literas ſcire.* Ergo hæc non de ipſa architectura capio, ſed cum Scheffero de literis, quæ lapidibus inſculpi ſolebant, quas *quadratas* ſupra cap. 29. vocavit. Innuit ergo libertus, ſe didiciſſe artificium titulos lapidibus inſcribendi. Ita LAPIDARIUS in inſcriptione apud Gruter. DXL. 5. non eſt, qui lapides ex terræ viſceribus excidit, ſed qui exciſos format ad ſtructuram ædium vel monumentorum, *een Steenhouwer*, ut & in l. 5. §. 7. ff. commod. ubi *faber dicitur* & l. ult. ff. de jure immun. & l. 1. C. Theod. de excuſ. artific. videntur autem ab his lapidariis diverſi artifices fuiſſe, qui monumentis illis literas inſculpebant, & eleganter eas formabant. hoc artificium ſe didiciſſe jactat hic libertus. Quamvis & lapidarios ipſos titulum inſcripſiſſe non negem, ut infra cap. LXXI. ex Habinna lapidario, cui Trimalchio monumenti ſui ædificationem, ornatum, & titulum commendat, deſumi poſſit. Sed hic, ut ineptior jactantia liberti appareat, ſeparanda mihi literas ſcalpendi ars, à lapidario artificio videtur. De *partibus* egimus ſupr. ad cap. 46. BURMAN.

Partes centum dico, ad æs, ad pondus] Integra hæc eſſe vehementer dubito. ſenſum certe extrico nullum. SCHEFFER.

Ad æs] Credo *ad as* dixiſſe ſemilatinum hominem, pro *ad aſſem*, quod quid ſit ſupra docuimus. Arithmeticam indicat, quæ aſſem docebat dividere in infinitas partes, quod inſignem uſum in omnibus rebus civilibus & domeſticis, ubi diviſio erat inſtituenda, habebat; *ad pondus* autem dividere & partes facere illis, qui merces venales proponebant, ſerviebat, *ad nummum* argentariis, & qui pecuniam tractabant. BURM.

Ego & tu ſponſiunculam exi defero lana] Hic neque pedem neque caput animadverto, confuſa omnia. Eritne aliquid lucis, ſi legas? *Exi tu, & ego ſponſiunculam defero, Lana. Qui ἀγχινοίᾳ* præpollent vegetiore atque præſentiore, ſummam adhibeant. TILEBOM. Corrige, ac diſtingue: *ſi quid vis, ego & tu, ſponſiunculam ecce defero. Sane, jam ſcies.* Si, ait, vis, certabimus ego & tu inter nos, defero ſponſionem. *Deferre ſponſionem* puto dici, ut *deferre optionem.* Alterum habet Plautus Aulul. Act. II. ſcen. I. *impera, ſi quid vis.* Item, *ſi quid vis, roga.* SCHEFFER. Videtur reſtituendum, *exi, defero lamnam. Exi* provocantis formula, quam ſollicitandam non puto, apud Plautum:

Deinde utrinque Imperatores in medium exeunt.
Defero lamnam, refero ad tabellam ſive laminam plumbeam, quæ hominibus infimæ ſortis pugillarium loco erat, in qua conciperetur ſponſionis formula. Nam aut pignore depoſito fiebant hujuſmodi ſponſiones, aut, ubi de pretio convenerat, formula ſponſionis in tabella referebatur. Libellum vocat Naſo, ubi de ſponſione Circenſi agit, arte Amatoria, lib. I. verſ. 167.

Dum loquitur, tangitque manu, poſcitque libellum,
Et quærit, poſito pignore, vincat uter.

Lana pro *lanna* in codicibus exaratum haud raro invenias, idque pro *lamna* vel *lamina.* Sic codex Regius apud Arnobium lib. II. *launas pertundere auritum.* Gloſſæ Labbæi: *Lannæ*, λοβοὶ. apud Naſonem Amorum lib. III. El. VII. verſ. 79.

Aut te trajectis Ææa venefica lanis
Devovet, aut alio laſſus amore venis.

Ita quidem nunc circumfertur, ſed ego curis ad hunc poëtam ſecundis evincam, ſpero, ſcribendum eſſe, *trajectis lamnis*, capiendumque de laminis plumbeis, quibus magicæ ſuperſtitioni homines dediti nomen illius, quem ſibi devovendum ſumerent, inſcribebant, acuque defigebant, aut ſtilo cum diris inprecationum carminibus. Sed hæc non ſunt hujus loci: *Lamnæ* ſi minus placent in hoc Petronii loco, poſſumus, *defero annu-*

„trem tuum mercedes perdidiſſe : quamvis & Rhetoricam ſcio. Ecce „quidem nobis longe nemo : late venio. Solve me. dicam tibi, qui de „nobis currit, & de loco non movetur : qui de nobis creſcit, & minor „fit. Curris, ſtupes, ſatagis, tamquam mus in matella. Ergo aut tace, „aut

annulum Ulp. leg. XVII. de præſcript. verb. *ſi inhoneſta ſponſionis cauſa erit, annuli duntaxat repetitio erit.* Ubi vides annulos in ſponſione oppignoratos. Sed altera ſcriptura ad vetuſtam propius accedit. HEINS. Hæc prodigioſe corrupta ſunt, &, quia Tragurienſis codex *de fero* habet ſeparata, forte hic proverbium, vel ænigma aliquod ruſticum, latet, *lana de fero*, quæ de ovibus & mitioribus animalibus ferri ſolet, non de equo, cervo, vel alio, quod nomine *feri* ſolet indicari. Sed nihil definio. *Ego & tu ſponſiunculam*, eſt oratio, quæ parte ſua deficitur, ut hic plurima. ſubintellige *ineamus*. BURM.

Lana] Reineſius hinc facit *Lamiam*, quomodo nempe & in ſuperioribus putabat uſurpatum, cap. LVIII. verbis, *Lamia eques Romanus*, &c. Atqui eo loco nomen honoratum, quomodo ergo hic per convitium ponitur? MS. Dalmaticum habet *lanna*. Puto ſcribendum *Sanna*: Gloſſæ veteres: *Sanna, ſubſannator*, Μῶκος. SCHEFFER.

Jam ſciet] Inſultantis & minantis formula, ut mox *jam ſcies, hoc ferrum fidem habere*. Ita & τῶ ſciat utuntur Lib. I. 12. *Jam ſciant longe aliud eſſe virgines rapere, aliud pugnare cum viris*, ut legendum puto, vulgo *ſciunt* circumfertur. Apulej. 5. Metam. *ſciat ſe non ancillas, ſed ſorores habere majores.* BURM.

Mercedes perdidiſſe] Scilicet, quas magiſtris & doctoribus ſuis perſolvit. v. inf. ad cap. 82.

Quamvis & Rhetoricam ſcio] Lege, *neſcio*. Cum enim certum ſit, ut patet multis apud Petronium, tum in vetere Satirico, cum in hoc novo opuſculo, Trimalcionem odiſſe Philoſophiam, bonas artes, nobiliaque & illuſtria quæque ingenia, taleſque ſervos eſſe, quales dominos eſſe videmus, ut alicubi refert ipſe Petronius: nulli non videbitur idonea hæc emendatio noſtra, quantumvis toto à ſcripta lectione diſtet plus cœlo. TILEBOM. Forte *ſcias*. GOES.

Ecce quidem vobis] Non placet illud *quidem*. Suſpicor ſcribendum, *Ecce, qui dem vobis, longe venio*. Illud, *qui dem vobis*, ponitur ambigue, quoniam præceſſerat & de ſponſione, & de pœnis; nam & pecunia, & malum dicitur cui dari. *longe venio*, ut *longe ſum*, apud Cæſarem, Virgilium, Ovidium, alios. Vide Muretum x. Var. cap. 4. SCHEFF. Forte, *Ecce quid dem vobis, longe non eo, lente venio*. Quamquam, ſi quis retinere velit, *late venio*, non repugnavero. GOES.

Solve me dicam tibi] Etiam hæc valde ſunt obſcura. Puto autem ante illud *ſolve*, punctum oportere ſcribi, & mox comma. *Solve me, dicam*, pro, ſolve me, & dicam; ſi tu me ſolves, dicam. *Solvi* dicitur hoc loco, ut opinor, qui, cum ante teneret ſe, nec loqueretur, provocatur quacumque de cauſſa ad ſermonem. Ita *ſolvere ora* dixit Ovid. I. Metam. verſ. 181.

Talibus inde modis ora indignantia ſolvit. SCHEFF. Obtulerat ſponſionem, nec reſponderat Gyton, ut Hermeros, qui hæc loquitur, ſponſionemque obtulerat, hæreret in medio. Quapropter urget reſponſionem, &, vult ſi Gyton conditionem non accipiat, ut dicat ſaltem, eam ſibi non placere, atque ut ita ſe liberet & ſolvat. Licet enim juris effectu Hermeros ex ſponſu non teneretur, attamen, uſque dum Gyton poterat reſpondere, ipſe non erat plane ſolutus. GOES. Dictum ruſtice, pro ſolve mihi ænigma, quod proponam. Ipſum autem ænigma Oedipus expediat, ego me hic nihil intelligere fateor.

Qui de nobis currit, & de loco non movetur: qui de nobis creſcit, & minor fit] Lego, *eſt de nobis, qui currit*. Id eſt, noſtrum eſt unus, qui currit: tu nimirum. Et hæc, ut verba ſonant, vera eſſe non poſſunt, ut neceſſe ſit figuratam eſſe loquutionem. At quæ illa? Dicam, ſi potero. Utitur ſimilitudine gemina, quarum prima ſumta eſt de curſu, altera de incremento, quod creſcendo cuiquam accedit. Igitur curſu non male comparatur motus quilibet, etiam animi, qui ordinario & vulgari ſit concitatior, qualis indecens ille riſus, qui ſupra in Gytone narratur: hoc autem eum non moveri loco dicit eo, quod ita agendo nihil Gyton proficiebat: ut, qui non obeſſet ſibi, non patrocinaretur Aſcylto. Et hæc illa prior de curſu ſimilitudo. Altera incrementi eumdem illum riſum effrenatum reſpicit, ſed, quatenus ſignum eſt animi efferentis & extollentis ſeſe ſupra modum, imo ſupra ſe ipſum. Hoc enim vult, adeo Gytonem non extolli, ut etiam ſeipſo fiat minor. Pluris enim eum fuiſſe apud æquos rerum æſtimatores, cum ſilebat, quam cum riſu tam immodice efferebatur. GOES.

Curris, ſtupes, ſatagis] Curris, dum tam inſolenter quaſi triumphator rides, ſtupes, dum ſiles, nec eſt, quod reſpondeas; Satagis, dum tecum animo volvis & verſaris, quomodo te ex hoc labyrintho evolvas. GOES.

Satagis] Eleganter vim verbi explicat Quintilianus lib. VI. cap. 4. *Aſer venuſte Manlium Suram, multum agendo diſcurſantem, ſalientem, manus jactantem, togam dejicientem, & reponentem, non agere dixit, ſed ſatagere.* Idem repetit lib. XI. cap. 3. lepide autem comparat muri in matella deprehenſo, qui, ut exeat, currit & ſatagit, ſed non expedire ſe poteſt; quod proverbium & hodie efferre ſolent, *haret, ut mus in pice*:

„aut meliorem noli moleſtare, qui te natum non putat; niſi, ſi me judi-
„cas anulos buxeos curare, quos amicae tuae involaſti. Occuponem
„pro-

pice: ſed elegantius *in matella* dixit, forte ruſtico proverbio. Nam & hodie mures diſpoſitis vaſis fictilibus circa granaria & horrea agreſtes capere conſueverunt, in quibus, cum exſilire nequeant, vivi deprehenduntur. BURM.

Matella] Nonius in de generibus vaſorum: *Matella, aquarium vas.* SCHEFFER.

Meliorem] Fortiorem, valentiorem. Tac. de morib. Germ. cap. 32. *Excipit filius, non ut cætera, maximus natu, ſed, prout ferox bello, & melior.* SCHEFFER. Non ad fortitudinem, ſed ad conditionem, qua Libertinus & Servus differebant, referendum. Mox *Cave majorem maledicas* dixit, nam, licet Saturnalibus æquata omnium ſors videretur, non fert tamen Gitonis petulantiam Hermeros. ita capite præcedenti. *Tu melius cœnare ſoles.* Valer. Fl. lib. v. verſ. 490.

——— *Nec melior parere recuſo.*

& ita paſſim, *boni*, divites & nobiles dicti. Et hunc ſequentia, *qui te natum non putat*, ſenſum exigunt. BURM.

Moleſtare] Uſurpatur hoc in fragmento teſtamenti veteris, quod laudat Modeſtinus lib. x. Reſponſorum. Vide l. 20. ff. de liber. legat. Gloſſæ, ὀχλῶ. *Inquieto, moleſto.* SCHEFFER. Verbum ſequioris Latinitatis, quod, ut pleraque degenerantia antiquam venuſtatem, primo apud ruſticos & plebejos uſitatum, & ita hic decore à Petronio viliſſimo homini tributum, poſtea cœpit etiam à ſcriptoribus uſurpari. Vide Borrichii cogitationes in hoc verbo, qui tamen fœdo errore illud Obſequenti adſcribit, cujus caput XLII. laudat, cum illud perditum ſit, & à Lycoſthene ſit conſcriptum, cujus auctoritas certe non meretur, ut adducatur, neque is illuſtrior Modeſtino JCto huic verbo patronus commendetur. Melius huc fragmentum noſtri Petronii, apud Fulgentium facit, *nam centum me vernales allucitæ moleſtabant*, de quo poſtea videbimus. BURM.

Qui te natum non putat] Id eſt, qui te hominem non curat, non æſtimat. *Natum* pro homine poſuit & Plautus in Pſeud. Act. I. ſc. 3. *qui ſuum repetunt, alienum reddunt nato nemini.* At *putare* pro æſtimare habet Cic. pro Roſc. *Neminem præ ſe putat.* SCHEFFER. *Illud natum*, non hominem, ſed *puerum infantem* puto nunc explicandum. Comparat ſe cum altero, ſe virum; illum eſſe ait puerum, nec dignum, quocum eat in certamen. *Gloſſæ: Nati & natus,* τίκνα. *Non putat eſſe*, non reputat, non æſtimat, facit te nihili. SCHEFFER. Neque hominem, neque puerum hic notat. Sed, qui te obſcurum & tam vilem putat, ut nemo ſciat, te natum. Senec. Apocolynth. *horam ejus nemo novit, nemo enim illum natum putavit.* Martial. x. epig. 27.

Natali, Diodore, tuo conviva Senatus
Accubat, & rarus non adhibetur eques.
Et tua tricenos largitur ſportula nummos,
Nemo tamen natum te, Diodore, putat.

Vide Voſſium ad Catull. pag. 306. eadem fere formula *liberum quem non putare* dicitur de qua infr. cap. cap. 81. BURM.

Niſi ſi] Terentius Andr. Act. I. ſc. I. *Niſi ſi id eſt, quod ſuſpicor.* Et ſic alibi Tertull. de fuga in Perſ. cap. 5. *Niſi ſi vis confiteri, pati non vis.* SCHEFFER. V. Heinſ. ad Ovid. epiſt. Heroid. ep. 4. verſ. 111.

Annulos buxeos] Sic per contemtum puto nominare aureos, quia buxei ſint coloris. Quomodo Varro in Sexageſ. anates appellat *buxeis roſtris pecudes*, & Martialis, putidos dentes, *buxeos.* SCHEFFER. Hinc liquet, Gytonem annulos aureos in digitis geſtaſſe, quamvis ſervi officio fungeretur. Quod ordinis equeſtris proprium, nec libertis permiſſum, ſervis multo minus. Supra cap. præcedenti, ad Gytonis dominum: *Eques Romanus es*, quod haud dubie ex annulis colligebat: ipſe de ſe mox, *jam ſcies, hoc ferrum fidem habere.* Nam cave aliter interpretare *annulos buxeos*, quos ita contemtim vocat, quod non ex obryzo eſſent, ſed ex auro pallenti. *Ora buxo pallidiora* apud Naſonem, & *pallor buxeo ſimillimus. Color Buxeus* apud Plinium lib. II. cap. VII. & *dentes buxei*, apud Martialem. HEINS. Non Gytonem credo aureos annulos geſtaſſe, ſed ejus dominum Aſcylton equitem R. ad quem libertus hic reſpicit.

Quos amicæ tuæ involaſti] Eripuiſti, ſubduxiſti. Gloſſæ veteres: *Involo,* κλέπτω, *furo, involo.* SCHEFF. Sic cap. LXIII. *jam ſtrigæ puerum involaverant.* Catullianum eſt hoc verbi à vola manus deductum furandi ſignificatione: exſtitit & apud Vitruvium proœm. lib. VII. ſed corruperunt in Editionibus; legamus poſthac: *qui invidis moribus aliena ſcripta involantes gloriantur*; paulo ante *furantes* dixerat. REINES. Nonius: *ſuppilare eſt involare, vel rapere.* Serv. ad Virgil. lib. III. Æn. verſ. 233. ad illa, *pedibus circumvolat uncis. Aut circum prædam dixit volat uncis pedibus, aut intra volam interiorem manus amplectitur prædam, unde & involare dicimus intra volam tenere.* Sed grammatico acumini magis, quam veritati Etymon à *vola* deductum adſcribo. Cum recte à *volare, involare*, pro irruere in rem alterius, & ita auferre, poſſit derivari, ut infra cap. 63. BURM.

Occuponem propitium] Primo aſpectu mihi viſus ἅπαξ hic locus; ſed, cum poſtea mente revolverem, quanta ſemper fuiſſet Petronio proclivitas ad nova verba cudenda, ſtatim putavi diſtinctione tantum levi opus eſſe, ita legendo, *ô, Occuponem propitium! eamus.*

„ propitium! eamus in forum, & pecunias mutuemur. jam scies, hoc fer-
„ rum fidem habere. Vah! bella res est volpis uda. ita lucrum faciam,
„ & ita bene moriar, aut populus per exitum meum juret, nisi te toga
„ ubi-

eamus. TILEBOM. Scilicet, *tibi opto.* quomodo cui optabant Jovem propitium. Porro *Occuponem* hic accipio pro Deo eorum, qui quid occupant forsitan, & acquirunt furto, videturque hoc cognomento celebratus Mercurius, furum deus, velut mitiore ac honestiore. Ac, quia furto alter annulum subduxerat, hic ei optat propitium Mercurium Occuponem, ut prodesse illi faciat, usumque ipsius prospere succedere. SCHEFFER. Certum est, Mercurium, qui foro & mercimonio præesse, furum etiam artes fovere & provehere, credebatur, hic designari; sed *Occuponem* dictum fictumque à Petronio vix credidero. Est enim hoc verbi, perinde ut simplicis *capiendi*, honestius, & de licitis plerumque intelligitur, eoque actum vitiosum & infamen furti non repræsentat. Existimem autem, Petronium, in cujus omni sermone πολλὴ χάρις καὶ Ἀφροδίτη ἐπαυθεῖ, à Latino Verbo *clepere* venuste formato nomine *Cleponem* dixisse, quem Græci Κλῶπα & κλέπτην. Mercurio enim Deo, sive furatrinæ, sive furatrino, hanc adpellationem imposuisse Græcos, vel inde patet, quia Pana, quod Mercurio satus haberetur, κλωποπάτορα vocavit Theocritus. Et legam igitur, *ô cleponem propitium!* Certe exclamatio abesse non potest, & orationem mire perficit & exornat. Si quis autem *cleponem* accusare velit, tamquam vitio creatum, ei, alia ejusdem formæ, à verbi Præsente ducta, propria, ornatissima, & optima, bonis autoribus usurpata, indicando, puto, satisfecero. Dixerunt *appetones, coambulones, colones, comedones, convivones, fabulones, incubones, lurcones, machinones, manducones, nugones, palpones, rapones. reposcones, susurrones, verberones, vituperones.* Ipsum Verbale nomen *clepo* non ignorasse Latinos, sive veteres, sive medios, è seculi undecimi Grammatico Gallo Petro Helia audire jucundum erit. Ejus in Lexico metrico manuscr. hic versus est:

Vult clepo, furari, clepo, clepsis, clepsydra dici.

in quo Nomina à Verbo manantia tria; primum hoc ipsum Petronianum est; sed, quod in vulgatis seculo decimo quarto Dictionariis male, ultimâ vocali in sibilum corrupta, in *cleps* mutarunt, fortassis habito ad τὸ κλὴψ Græcum respectu. REINES. *Occuponem* hic licet, non pro infamis & vitiosi actus præside, sed in bonam partem, accipiamus, qui utrique periculum facturo mutuo à monetario sumendæ pecuniæ, illi ad suum aureum annulum, huic ad fidem ferrei propitius optatur. Sic textus servatur, & analogia voci favet. HADRIANID. Scribo, *ô Bucconem.* Glossæ Isidori: *Bucco, garrulus, quod cæteros loquacitate, non sensu exsuperet, rusticus, stultus.* Afranius & Pomponius citantur à Grammaticis in *Buccone adoptato*, hic etiam in *Buccone auctorato. Macci & Buccones* apud Apulejum. Vide Salmasium ad Solinum, & ad Lampr. Alex. Sev. cap. LXI. *Buccones* videntur dicti à dura bucca. Supra cap. XLIII. *Duræ buccæ fuit & linguosus.* HEINS. Non hic de Petroniani stili venere & gratia quærendum, sed, quo sermone viles hi & plebeji homines utentes decore induci in scenam debuerint. Itaque recte Mercurium *occuponem* vocari puto ab Hermerote, qui religione absterritus non audebat Furem dicere, sed molliori appellatione invocat occuponem, cujus præsidio tutum annulos aureos involasse Ascylto exprobat; eadem forma Amm. Marcel. lib. XXII. cap. 16. Ægyptios dicit *reposcones acerrimos.* BURM.

Hoc ferrum fidem habere] Per, *ferrum*, annulum intelligit ferreum, quem habebat in manu, quem comparat cum annulo alterius aureo. Plinius XXXIII. cap. 8. *Memoria avorum multi, prætura quoque functi, in ferro consenuerunt.* Et aliquanto ante: *Sinistræ maximam auctoritatem conciliavere auro, non quidem Romanæ, quorum more ferrum id erat.* Ita habent libri veteres. *Fidem habere* intelligit apud mensarium, qui in foro expositos habebat nummos, ut daret mutuo, accepta syngrapha, quæ subsignabatur annulo. SCHEFFER. Præ tuis nimirum annulis buxeis. GOES. Id est mihi, etsi plebejo, & in annulo ferreo, tamen credi. Quo sensu *fidem habere* aliquando sumi docuit Vavass. de vi & usu quor. verb. pag. 6. & Passer. ad Propert. III. eleg. v. vers. 6. quamvis locum ipsum Propertii meliori auspicio interpretatus sit summus amicus, & literarum decus Brouckhusius.

Res est volpis uda] Scribes, *est volpes*, pro, *vulpes.* TILEBOM. Divide *volpis uda*, id est, madida vulpes. Sic autem, velut proverbio, vocat eum, qui ab adversario male est habitus, victusque erubescit, quæritque latebras. SCHEFFER. Videntur transponendæ esse litteræ, unde eliciamus, *volsa picla. Volsi* pro cinædis. Sic, *volsi carpenta nepotis*, apud Propertium lib. IV. El. VIII. vers. 23. *& glabrior, quam volsus ludius*, apud Plautum Aulul. Act. II. scen. IX. vers. 6. *Volsa picla*, ut offla, pediclus, ridiclus, ædicla, & plura talia. HEINS. Vide quæ olim ad Phæd. lib. I. Fab. VII. notavimus. Quamvis Servius ad Virg. lib. XI. Æneid. vers. 522. *vulpes* præferat, quia diminutivum est *vulpecula*, non *vulpicula*

Aut populus per exitum] Hanc periodum ita constituendam puto: *Ita lucrum faciam, & ita bene moriar, aut ita populus per exitum meum juret, nisi te, &c.* GOES.

Te toga ubique perversa fuero persecutus] Quænam hic est *toga perversa?* Mentio fit *vestis perversæ* apud

„ ubique perversa fuero persecutus. Bella res, & iste, qui te haec docet, mu-
„ frius,

unum Senecam lib. 1. de ira cap. 16. Ubi de administratione suppliciorum : *Etsi perversa induenda magistratui vestis, & convocanda classico concio est ; procedam in tribunal non furens.* Hoc loco varie exponunt vestem perversam. Muretus accipit de prætexta inversa. Lipsius, Faber, & alii, de veste plebeja, tunica, toga sordida & pulla. Quoquo autem modo accipias, non video, ut huc pertineat. Nam nec inversa, nec sordida pullave vestis quicquam facit ad persecutionem. Adde, quod hic Asclyti adversarius non videtur fuisse in Magistratu, & conlibertus dicitur, in præcedentibus, Trimalcionis. SCHEFFER. Reinesius legendum putat *præversa*. Sic enim ait in litteris ad N. Heinsium : *Cum togæ essent alares, nec adstrictæ corpori, ut tunicæ lineæ, & gressum celeriorem cursumque eo impedirent, fiebat, ut, qui currere vellent, eas suspensas retraherent ante se ad pectus, (ut pallium in caput, vel collum, conjicere solebant servi properantes & furtivi in comœdia) in rugas contractas : quo schemate togas in anteriora versus adductas & complicitas fuisse nemo non intelligit. Et, ut hoc voluisse Petronium capiamus, omnino legendum est*, præversa. *Præversa, proversa toga, quæ & prorsa & antevorsa, (nam & sic surſum, est susversum*, rursum, *reversum*, retrorsum, *retroversum*) *fugientem alterum naviter persequitur, qui, adducta ad anteriora veste laxa & laciniosa, totum corpus involvente crura ad gressum cursumque libera sibi & expedita reddit, uti utrumque brachium in convivio illi, qui togam ideo submittebat. Idem sensus Chorus Auctor. ad* Herenn. lib. 4. Contorta toga cum pluribus aliis ire celeriter cœpit: *quod non poterat in veste fluente & susa, actuosum & navum remorante.* Hæc Reinesius. Sed non pauca obstant huic interpretationi. Primo dicit, retraxisse in pectus, item in anteriora versam adduxisse. Quod quo modo debeat intelligi, non video. Ut toga verteretur in anteriora, nil necesse fuit, quia & anteriora & posteriora semper tegebat. Voluit fortassis dicere, *in anterioribus*. Sed quomodo ibi verteretur? Suspensa, inquit, erat ad pectus. Vellem scire, unde igitur pependerit, si suspensa fuit, & simul versa. Poterat fortassis tunica sic suspendi ad cingulum. Toga, quæ fuit vestis extima, quomodo sic potuerit suspendi, non excogito. Jam faciamus versam ita, ut anguli alarum pertinerent ad pectus, non poterat ea res festinantem multum facere liberiorem, cum toga vestis esset multum demissa, & ad ipsos prope pedes pertinens. Imo per istam versionem circa genua & femora facta fuisset duplex, id est, festinanti molestior propemodum, quam ante fuerat. Igitur non approbare possumus ipsum illud *præversa* Reinesii, contra togam perversam accipio de rejecta in humeros & tergum, eo modo, sicut hodie videmus pallia sua, maxime si sint longiora, rejicere in humeros, ut brachia, pectus, & anteriora omnia habeant libera. Sic plane existimo, togam in anterioribus collectam, subductam ad superiora, & mox, omne ejus, quod alias à pectore descendere ultra genua ad pedes usque solebat, rejectum super unum humerum. Ista enim rejectione toga vere pervertebatur, id est, quod ante dependebat ad pedes, versum ad collum & caput habebat. Quo sensu & *perversi fasces* leguntur apud Jul. Obsequentem cap. 130. ubi ait. *Lustratione lictor perversis fascibus lauream imposuit.* Sunt enim *perversi* hoc loco, qui alias *versi*, aut *inversi*, cum eorum pars superior vertitur, ut fiat inferior, quod in notis dixi. Idem apud Plautum est *pervertere aulas :* verba exstant in Casina Act. IV. sc. 1. vers. 16. ubi de coquis, dissimulantibus se parare cœnam, ut submoveant Senem ab ea:

Aulas pervortunt, ignem restinguunt aqua.

Pessime Lambinus, *ollas dejiciunt, percellunt.* Nec enim hoc faciebant coqui, sed ollas invertebant, sicut hodieque solent coqui & coquæ: postquam aqua expurgarunt, vacuas & inversas reponunt suo loco, donec iterum adhibendæ ad coquendum. SCHEFFER. Sic apud Nasonem, arte amatoria lib. III. vers. 245.

Dictus eram subito cuidam venisse puellæ:
Turbida perversas induit illa comas.

Perversa vestis apud Senecam lib. 1. de ira cap. XVI. *Itaque, etsi perversa induenda magistratui vestis, & convocanda classico concio est, procedam in tribunal.* Quem locum unice huc facientem & alii jam viderunt. HEINS.

Muffrius] Quid verbi sit *Muffrius*, plane nescio. An non ejus loco belle substitueretur *Mesapus*. TILEBOM. Hoc quale sit, haud sane dixerim. SCHEFFER. Si editionem hic sibi relictam &, uti optima maxima est sequamur, recipiamusque *mustium*, fieri aliter non potest, quam ut pericopen hanc à Veneti vel Dalmatæ, unius ex illis, qui de Turcarum religione ritibusque undecunque aliquid cognoverant, manu esse adfirmemus. Verum ablit ea simplicitas, ut fucum lusitiosi Librarii non agnoscat. Unius negativæ trajectu in suum locum rem composuero, nimirum si legero, *qui te hæc docet, non musteus magister*, id est, non novicius, *οὐ νεοπάθων*, non imperitus, vulgaris, & pergulanus; sed veteranus, trebax, ἐμπειρότατος. Valeat tantumdem hæc conjectura, quantum mereri videbitur; mihi nec temere ea nata est, nec facile dimittetur: Petronium enim mihi reddit, quem à Librarii illiberali facinore amiseram. REINES. Reinesius trajecte legit, *non musteus magister*. Scilicet putavit *mussius*, esse scriptum, atque ita citavit. Sed *mustius* est etiam in Dalmatico MS. Deinde, quid significare debeat, *non musteus magister*, hic non video. Loquentem convitia profundere, res ipsa, totusque locus ostendit. At *magister non musteus* ne ipsi quidem

Reine-

„ frius, non magister. didicimus; dicebat enim magister, sunt vestra: Salve, „ recta domum, cave circumspicias, cave majorem maledicas, aut numera „ mappalia. Nemo dupondium evadit. Ego, quod me sic vides, propter „ artificium meum Diis gratias ago.

LIX. „ [a] Coeperat Ascyltos respondere convitio, sed Trimalchio de- „ lectatus conliberti eloquentia: [b] Agite, inquit, scordalias de medio; „ suaviter sit potius, & tu Hermeros, parce adolescentulo: sanguen illi „ fer-

a ENCOLPIUS. *b* TRIMALCHIO.

Reinesio convitium est. Fit quoque oppositio inter illum murium quemcumque denique & magistrum. Ideo sequitur: *dicebat enim magister*, contra scilicet, quam faciebat murius, qui propterea magister esse nequit. Potest videri scriptum fuisse apud nostrum *nustorius*, id est, nuphthorius, νυφθορεὺς, quod corruptorem mentis animique significat. Sensus sane per-accomodatus est. De lectione quisque sentiat, quod volet. SCHEFFER. Volebat Munkerus, *rus merum, non magister*, haud sane invita Minerva. Posset tentari, an non legendum esset, *Muricidus*, aut *Muger verius*, aut *Murgiso verius, non magister*. Festus: *Muger dici solet à castrensium hominibus quasi muccosus, qui talis male ludit.* Idem: *Mugiso, iners, desidiosus.* Glossæ Isidori: *Murgiso, callidus murmurator.* Apud eumdem Festum: *Murricidus, ignavus, stultus.* Ubi videndus Scaliger. Adeatur idem Festus in *Murcius.* Possis &, *Murcer verius.* Glossæ Labbæi: *Murcer*, ναθεὺς. Vide Salmasium in Solinum p. 637. HEINS.

Didicimus] Puta, ex hoc facto tuo, te non habuisse idoneum magistrum. Sic accipere verbum istoc licet. Quamquam mihi locus iste totus valde sit suspectus. SCHEFFER. Absolute dicitur, pro neque nos sumus sine disciplina, sed sub magistro profecimus. infra cap. 68. *Et numquid didicit.* Ita & Ovidius 1. Art. Am. 428.

Litera poscetur, ne didicisse juvet.

Et 11. Trist. vers. 342.

Hei mihi, cur didici, cur me docuere parentes?

Et Cicer. Bruto cap. LXXI. de Marcello. *Vehementer placet, nec vero sine causa: nam & didicit, &, omissis ceteris studiis, unum id egit.* BURM.

Dicebat] Suspicor, *docebat.* SCHEFFER.

Sunt vestra salva] Puto, verbis istis contineri præcepta Magistri, quæ dare quotidie discipulis solebat. Ergo scribo: *Sunt vestra, Salve*, hoc est, vestrum officium est, occurrentibus dicere, Salve, nec stare ac nugari diu, verum recta contendere domum. SCHEFFER.

Majorem maledicas] Petronius cap. XCVI. *maledic illam versibus, ut habeat pudorem.* Imitatus quoque est Tertullianus lib. Adversi. Praxeam: *Nos autem, dicentes Christum crucifixum, non maledicimus illum.* SCHEFFER. Forte, *cave morionem maledicas.* GOES. Græcismus est adfectatus, Theoph. περὶ εἰρωνίας. Συγγνώμην ὃ ἔχειν τοῖς κακῶς ἀυτὸν λέγουσι. Ita & noster infra cap. 74. *Maledicere Trimalchionem cœpit.* Sæpe Tertullianus. de Idolol. cap. 4. *Quorum cultores maledicit & damnat.* Et passim. vid. Barth. ad Hermæ Pastorem pag. 923. MSS. Tragurianus habebat *cave majorem maledicas.* BURM.

Aut munera mapalia] Suspicor scripsisse, *haud numera mapalia:* id est, ne singulas pergulas in via inspice, velut numerum omnium deberes inire. Glossæ. *Mappalia*, καλύβαι. Alio loco. καλύβη, *casa, tugurium, pergula* SCHEFFER.

Dupondium] Lege, *dupondius.* TILEBOM. Lego, *nemo dupondium evadit.* Postquam retulisset hactenus, quæ sint præcepta probi Magistri, & quomodo ad ea se componant discipuli idonei, subdit, neminem posse evadere puerum ullius precii, qualis nempe sit Gyton, qui risu ac contumeliis omnes afficiat. Sic Plinius, *Evadere sermonem malignorum*, usurpavit in epist. SCHEFFER.

Sic vides] Plautus Amph. II. sc. I. *Sic sum, ut vides.* Terent. Hecyr. III. sc. 5. *Qui sic sunt, haud multum haredem adjuvant.* SCHEFF. Vide supra cap. 38.

Scordalias] Rixas & contentiones fœdas, quales esse solent nautarum: est enim à σκόροδον, *allium*, quo frequenter nautæ utebantur. Petronius cap. XCV. sic usurpavit *scordali* vocem: *redditaque scordalo vice.* Glossæ Petronianæ: *Scordalus, homo alliatus, & illuvie squaloreque fœdus, sordidus, impurus.* Bene *alliatus*, ut dixi, & vocabantur ita, cum alii, tum præsertim nautæ, qui cum asperis essent moribus, hinc *scordali*, ferociores quicumque ac contentiosi. Isidori Glossæ: *Scordalus, ferox.* Ad eumdem modum aliud Glossarium, Turnebo laudatum. Cumprimis vero eos denotat, qui litigant inter pocula. Vide Senec. epist. 56. & 83. itemque Senecam Rhetorem suasoria ultima, & quæ ibi Lipsio & Scriverio notantur. SCHEFF. Non inepte ita vocat rixas, quæ fiunt inter pocula, ut Seneca de Tullio Cimbro dixit, fuisse *eum nimium in vino & scordalum.* Hanc vocem celeberrimus Grævius redonavit Suetonii Augusto cap. 65. *Agrippam ob ingenium scordalum ac ferox abdicavit.* Et Schultingius ad Senec. suasor VII. vide Fulgent. de continentia Virgiliana. & Swarth. Analect. lib. III. cap. 18. BURM.

Suaviter sit potius] Sitis potius hilares. SCHEFFER. Infra cap. 65. *Et me Hercules bene fuit.* & paulo post. *Sed tamen suaviter fuit.* Horat. I. Sat. 9.

„ fervet, tu melior esto. Semper in hac re qui vincitur, vincit. Et tu, „ cum esses capo, coco, coco, atque cor non habeas. Simus ergo, quod „ melius est, a primitis hiliares, & Homeristas speremus. [a] Intravit factio „ statim, hastisque scuta concrepuit: ipse Trimalchio in pulvino con- „ sedit, &, cum Homeristae Graecis versibus colloquerentur, ut insolen- „ ter

a ENCOLPIUS.

Suaviter, ut nunc est.

Sanguen illi fervet] Iracundus est. Cicero. V. fin. *Quotusquisque est, cum mors appropinquat, cui non fugiat timido sanguen.* SCHEFFER. Ennius: *O sanguinem Dis oriundum.* Lucret: *sanguen & ossa.* v. Nonium in *sanguis.* HEINS. Antiqua forma. vide diligentissimi Barthii notas ad Statii Theb. IV. vers. 464.

Fervet] Pers. Sat. III. vers. 116.

Nunc face supposita fervescit sanguis, & irae
Scintillant oculi.

Vid. supr. cap. 57.

Melior] Hic est sedatior, humanior, magis sapiens & moderatus. Horat. Epod. XVI.

Aut pars indocili melior grege. ——

Eo fere sensu Cicer. pro Quinct. cap. I. dixit *meliore mente audire*, pro æquiore.

Semper in hac re, qui vincit, vincitur] De jurgio. TORNÆS. Recte; nam

Si jurgiis provocet te, da manus:
In jurgiis est victor is, qui vincitur. RITTERSH.

Quam bene hic quadret, & apte locata sit, atque ex diverso in Satyrico vetere, quam male aberret hæcce sententia Trimalcionis, dum considero, mihi nullatenus in animum inducere queo, eruditos fore unquam, qui negent, amænissimam pariter & elegantissimam illam, quam excutimus, cœnæ Trimalcionis descriptionem, nostro Arbitro acceptam esse referendam. TILEBOM.

Capo, coco, coco] Lege, *capo, coco, cocio*, quam postremam vocem habes apud Sextum Pompejum in *Arilator.* TILEBOM. Cum esses alterius ætatis generisque, tuo isto tunc ingenio vivebas. *Capo* est, quem Petronius in editis appellat *gallum spadonem.* Is voce utitur non gallinacei sono, sed gallinæ, quem refert illud *coco.* Subest porro quid turpiculi his verbis, ostendunt enim licentiam ejusmodi concessam pueris, qualis Asclytos hic fuit. SCHEFFER. Lege, *cum esses calo coco, aque cor non habebas.* HEINS.

Habeas] Scribe, *habebas.* TILEBOM.

A primitis] Lege, *a primitus*, eodem modo, ut supra *de præsentiarum*, & *in præsentiarum.* TILEBOM. Hoc *primitis* est nihili. Suspicor, *apti, mites, hilares.* Probe, *apti*, hoc est, sociales, qui se jungere aliis vivereque conjuncti possunt. Cic. in Cornif. *O hominem semper quidem mihi aptum, nunc vero etiam suavem.* SCHEFFER. Forte *apprimitus;* voce nova, ut in hoc fragmento plurima. *apprime* meliores dicerent.

Homeristas] Hi sunt, qui carmina Homeri recitare voce canora solebant in conviviis, *Rhapsodi* etiam vocati, ut ex Athenæi lib. XIV. cap. 3. colligitur. Diomedes lib. III. *Rhapsodi, quod partes Homerici carminis in theatralibus circulis cum baculo, id est virga, pronunciabant, qui ab eodem Homero dicti sunt Homeristæ.* SCHEFFER. Sic Enniani stæ ab Gellio lib. XVIII. v. dicti, qui Ennianos versus in theatris populo legebant. Homeristas autem & Rhapsodos ab Aristotele vocatos, monet Athenæus lib. XIV. de Rhapsodis autem in Theatro certare solitis, videndus Meursius Ceramici gemini cap. VI. HEINS.

Speremus] Ita Tragur. & recte: jactabundus enim Trimalchio, ut componat rixantes, promittit novum aliquod acroama, quod delectare posset. *spectemus* à Patavinis est. Solent vero à librariis hæc verba confundi.

Factio] Caterva, multitudo, bono sensu. Festus: *Factio, & factiosus, initio honesta vocabula erant, unde adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur.* SCHEFFER.

Hastisque scuta concrepuit] Livius præpositionem addit lib. XXVIII. cap. 29. *Exercitus gladiis ad scuta concrepuit.* SCHEFFER. Ita enim Homerus & antiqui inducunt præparantes se pugnæ. Iliad. Δ. 447.

Σὺν ῥ' ἴεσαν ῥωσὶ, σὺν δ' ἔγχεα καὶ μένε' ἀνδρῶν
Χαλκειοθωρήκων· ἀτὰρ ἄσπιδες ὀμφαλόεσσαι
Ἔπληντ' ἀλλήλῃσι, πολὺς δ' ὀρυμαγδὸς ὀρώρει.

Hoc fiebat, ut explorarent arma, unde ἐγχίσπαλοι ab Homero dicuntur, teste Scholiaste ad Iliad. β. vers. 131. Apollon. Rhod. lib. I. 1136.

Καὶ σάκεα ξιφέεσσιν ἐπέκλυπτον ——

Et hinc ad saltationem militarem & bellicrepam hoc translatum, unde & Salii Romani, & deinde ipsi milites hoc habuere. v. Illustr. Spanhem. ad Callimach. Hymn. in Del. vers. 136. & Lindenbr. ad Ammian. Marcell XIV. cap. 2. infra cap. 89. *commovent orbes manus,* BURM.

Colloquerentur] Frustra forsan hæc exigimus ad consuetudinem Homeristarum, quando hi alio fine fuerunt adducti, ut liquet facile ex sequentibus. SCHEFFER. Fuerunt Aretalogi, qui centonibus Homericis inter se colloquebantur, & sententias jactabant. Dum interim insolens Trimalchio Latinum Poëtam cantaret. Vid. Casaubon. & Salmas. ad Sueton. Aug. 75. & Gramm. 2. Hic enim mos lautioribus erat tales ludos exhibere convivis. apposite Juvenalis Sat. XI. 177.

Nostra dabunt alios hodie convivia ludos;
Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis

Altisoni

„ter solent, ille canora voce Latine legebat librum. Mox silentio facto: „[a] Scitis, inquit, quam fabulam agant? Diomedes & Ganimedes duo „fratres fuerunt, horum soror erat Helena. Agamemnon illam rapuit, „& Dianae cervam subjecit. Ita nunc Homeros dicit, quemadmodum „inter se pugnent Trojani, & Parentini. Vicit scilicet, & Efigeniam „filiam suam Achilli dedit uxorem; ob eam rem Aiax insanit, & statim „argumentum explicabit. [b] Haec ut dixit Trimalchio, clamorem Ho„meristae sustulerunt, interque familiam discurrentem vitulus in lance „dunaria elixus adlatus est, & quidem galeatus. Secutus est Ajax, stricto-

„que

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS.

Altisoni dubiam facientia carmina palmam;
Quid refert, tales versus qua voce legantur.

Huc spectat & epigramma in Grammaticos in Antholog lib. II. cap. 10.

Τοῦτοις τοῖς παρὰ δεῖπνον ἀοιδομάχοις λογολίσχαις
Ταῖς ἀπ' Ἀρίσαρχε γραμματολικριφίοις,
Οἷς ὑ σκῶμμα λέγειν, ἔπιν φίλον, ἀλλ' ἀνάκεινται
Νηπυτιευόμενοι Νέστορι καὶ Πριάμῳ.
Μή γε βάλῃς κατὰ λέξιν ἔλως καὶ κύμα γένεσθαι,
Σήμερον ὑ δειπνῶ, μῆνιν ἄειδε θεά.

Quod Latine vertere, esset omni venere & lepore privare. BURM.

Insolenter] Raro. Cic. de Inv. I. *Evenire vulgo soleat, an insolenter, & raro.* SCHEFFER. Mutato ordine verborum: *ut solent, insolenter ille canora voce Latine legebat librum.* HEINS.

Diomedes & Ganymedes] Sunt haec rursum superioribus similia, nec cum historia convenientia, eam ob causam, quam ante dixi. SCHEFFER. Fratres fuere, scilicet, ut elegantis ingenii Trimalchio conjiciebat, quia ultimae syllabae ejusdem soni essent.

Parentini] Mallem, *Tarentini.* SCHEFFER.

Vicit scilicet] Quis? An Agamemnon? Num deest vocabulum illius, qui victoriam obtinuit? SCHEFFER.

Inter familiam discurrentem] Sicut Phædrus noster lib. v. fab. 7. *inter manus sublatus.* SCHEFFER.

Vitulus] Quid? vitulus, & is elixus hic apponitur? Atqui viri docti notant, apud veteres fuisse rariorem vitulinae usum. Exstitit profecto olim constitutio Valentis, qua prohibebatur populis Orientis. Hieron. cont. Jov. II. *Imperator Valens nuper legem per Orientem dederat, ne quis vitulorum carnibus vesceretur, utilitati agriculturae providens.* Sed haec ipsa constitutio subinnuit, non fuisse penitus ignotum, saltem per Orientem. Cicero quoque mentionem facit vitulinae, licet assae. Ita enim lib. IX. ep. 20. *Itaque usque ad assum vitulinum opera perducitur.* Et in veteri colloquio nominatur *vitulinum*, μόσχειον. Denique apud Plautum habes in macello, unde comparare sibi quærit Euclio ad filiae suae nuptias. Verba sunt in Aulularia Act. II. sc. 8.

Venio ad macellum, rogito pisces. indicant,
Caros; agninam caram, caram bubulam,
Vitulinam, cetum, porcinam. —— SCHEFF.

Vide Nonn. de re cibar. lib. 2. cap. 5.

In lance clunaria] Scribe, *in lance culinaria.* TILEBOM. Quænam est haec *lanx clunaria?* num à *clunibus* sic dicitur? At quae derivationis & denominationis hujus ratio? Suspicabar, *clumaria*, quasi qua cluma separari possit à frumento, vanni instar. Nam & apud Nonium est *cluma* loco *gluma*, ut à *cluma* sit *clumarius*, quemadmodum à *pluma*, *plumarius.* Quin imo apud Philoxenum reperio *clunar*, κριθῆς λέπυρον, quod cum lectione prima quadrat optime. Sed vereor, ne & hic *clumar* scribi debeat. Denique apud ipsum Petronium cap. XXVIII. est *lanx argentea, in qua purgatur pisum*, forte non multum dissimilis ab hac nostra. SCHEFF. Scripturae compendio factum *Ctunaria*, exprimendum lectione *Centenaria.* Nimirum C. librario hic est nota numeri. Omnes aliae ariolationes vanae sunt præ lectione data. Ante bellum Syllanum lances è centenis libris argenti super quingentas fuisse in Urbe, auctor Plinius lib. 33 cap. II. Elagabulum vasa (coquinaria, seu escaria) centenaria argentea habuisse Lampridius. REINES. *Decumana*, id est, magna, ut, *decumana ova, decumanus actipenser*, &c. Sic pro Patav. *clunaria*, & MS. testante simul varietate lectionum Roma missa, *dunaria*, incumbente insuper ultimo *a* compendiolo, quasi *dunariam* legendum, similive modo ampliandum, nec tamen super τῷ *i* punctulo conspicuo. HADRIANID. Nimis temerarie Hadrianides *in lance decumana* in ipsum etiam textum recepit. Quae enim vocis utriusque est similido? Reinesii *centenaria* magis placet. Verum intercedit nonnihil MS. in quo legitur *dunariam.* Deinde agitur hoc loco de Lancis magnitudine, ea vero non statim cognoscitur ex pondere. Possunt enim & minora esse ponderosiora, & minus ponderosa majora. Itaque nondum desero priorem conjecturam meam. SCHEFFER. Scribendum omnino *in lance clibanaria*, Lancis genus ita structum, ut clibanum haberet suppositum, ne cibus lance comprehensus frigesceret. Nam Reinesianum illud, de lance centenaria, longe re-

„que gladio, tamquam insaniret, concidit, ac modo versa, modo supina, gesticulatus mucrone, frusta collegit, mirantibusque vitulum partitus est.

LX. „Nec diu mirari licuit tam elegantes strophas. Nam repente lacunaria sonare coeperunt, totumque triclinium intremuit. Consternatus ego exsurrexi, & timui, ne per tectum petauristarius aliquis descenderet: nec minus reliqui convivae mirantes erexere vultus, exspectantes, quid novi de coelo nuntiaretur. Ecce autem deductus lacunaribus subito circulus ingens, de cupa videlicet grandi excussus, demittitur, cujus per totum orbem coronae aureae cum alabastris unguenti pendebant.

cedit à veteri scriptura supra cap. xxxv. *puer Ægyptius panem Cibano circumferebat.* Unde compertum habemus, etiam cibanos ad mensam solitos perferri. HEINS. Quid hoc monstri? nec satisfaciunt virorum doctorum correctiones. Forte scripsit *denaria*, si modo decem pondo Lanx sufficere potuerit, vel Trimalchionis ostentationi, vel toti vitulo sustinendo. Si nimis levis videatur, poterit refingi, *ducenaria*, quae vox per compendium scripta fuit *dunaria*, *denariam* autem vel *ducenariam* fuisse scire poterat Encolpius, quia in Lancibus Trimalchionis pondus erat inscriptum. vid. supr. cap. 31. *clunaria*, *clumaria*, & similia, hinc procul ableganda; narrat enim haec Encolpius, cui verba nota, & suae venae, tribuit semper Petronius, ut jam aliquoties notavimus. BURM.

Modo spuma] Lege, *modo palma*. TILEBOM. Emenda, & distingue simul: *modo versa, modo supina, gesticulatus mucrone, frustra collegit.* Collegit frusta, quae jacebant, alia versa, alia supina, mucrone cultri, quem flectebat in gyros atque huc illud movebat. *Colligere*, opinor, hic est, *struere*, id est, congerere decenter partes, & cuique suas praebere, unde & *structores*, quos in editis facere alios à scissoribus Petronius videtur. SCHEFFER. Scribendum videtur, quod alii ex parte jam monuerunt, *modo obversa, vel aversa, modo supina, gesticulatus mucrone, frusta collegit.* Senec. ep. XLVII. de hac arte: *Altus pretiosas aves scidit per pectus & clunes, certis ductibus circumferens eruditam manum.* HEINS. Nescio an non scripserit Petronius *modo verso, modo supino, gesticulatus mucrone*, ut artificium suum dextre vibrandi gladii, sive cultri scissorii, ostenderet hic Ajax: nam illa versa & supina frusta non arridenti.

Elegantes strophas] Quibus sub persona Ajacis introductus in triclinium Scissor est. SCHEFFER. Vox hoc ævo, ut videtur, recepta, pro fallaciis. Senec. ep. XXVI. *Non timide itaque compono ad illum diem, quo, remotis strophis, ac fucis, de me judicaturus sum, utrum loquar fortia, an sentiam.* Utuntur & Martialis & Plinius.

Lacunaria] Scribe, *laquearia*. TILEBOM. Triclinia versatilia inventum habentur Neronis, de quibus in ejus vita Suetonius cap. XXXI. & ad Athenæum Casaubonus, Seneca ep. XC. & Lampridius Heliogabalo cap. XXI. Apud Macrobium tamen Saturnalium lib. II. cap. IX. habes de Metello Pio, ex historiis Sallustii ad cœnam C. Urbini invitato: *Exornatis aedibus per aulæa & insignia, sceniscque ad ostentationem histrionum fabricatis, simul croco sparsa humus, & alia, in modum templi celeberrimi, praterea cum sedenti in transenna demissum Victoriæ simulachrum cum machinato strepitu tonitruum coronam ei imponebat.* Sed apposite magis ad hunc Petronii locum Val. Maximus, de luxu ejusdem Metelli. lib. IX. cap. I. *cum Attalicis aulæis conlectos penates læto animo intuebatur, cum immanissimis epulis apparatissimos interponi ludos sinebat. Cum palmata veste convivia celebrabat, demissasque laquearibus aureas coronas velut cœlesti capite recipiebat.* HEINS. Vid. Kobierzyk. de Luxu Roman. lib. II. cap. 7.

Deductus lacunaribus] Corrige, *diductis lacunaribus.* Tangi videtur illud, quod est apud Suetonium, Neronis cap. 31. *Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis versatilibus, ut flores, fistulis ut unguenta desuper spargerentur.* SCHEFFER. Habet Tragurienſis *deductus*, quod ferri potest, circulus enim ex lacunaribus deducebatur & descendebat. Quamquam *diductis*, elegantiorem sensum faciat, cum *demittitur* sequatur.

Circulus] Ita vocatus orbis ille, vel annulus, quo dolia constringuntur. Virgilius & Plinius ita usi sunt, unde apud Gallos adhuc hodie *cercle* dici docuit Menagius in originibus linguæ Francicæ. *Cupa* autem proprie est, vas vinarium majus, quod distinguendum à *cuppa*, quæ est vas minus, sive poculum, unde bibitur, docuit ὁ παν̀ Salmasius ad Capitol. Maxim. cap. 22.

Coronæ aureæ] Coronas ex solido auro convivis datas, omnem excedit fidem. Forte lemniscis aureis ornatas intellexerit Noster: & sic capio illud supra de Coco, donato corona argentea. Capitolinus in vita L. Veri Antonini, cap. 5. *Coronas quin etiam convivis datas lemniscis aureis interpositis, & alieni temporis floribus.*

„bant. Dum haec apophoreta jubemur sumere, respiciens ad mensam, „jam illic repositorium cum placentis aliquot erat positum, quod me„dium Priapus à pistore factus tenebat, gremioque satis amplo omnis „generis poma & uvas sustinebat, more vulgato. Avidius ad pompam „manus porreximus, & repente nova ludorum remissio hilaritatem hic „refecit. Omnes enim placentae, omniaque poma, etiam minima vexa„tione

floribus. Tertullianus de corona Militis, ex restitutione Salmasii: *Triumphi laurea soliis struitur, hinc aureis lemniscis inornatur, ac mustis unguentis delibuitur.* Sic inquam Salmasius ad historiam Augustam. Sed, cum in scriptis editisque exemplaribus, *ambustis unguentis*, exhibeatur, fors sit, ut dederit Tertullianus, *alabastris unguenti.* Quae conjectura hoc Petronii loco adstruitur. HEINS. Nescio, cur in lautissimi hujus liberti profusissima coena non liceret credere datas coronas ex auro solido: cum enim reges & ditissimos proceres non æmulari modo, sed superare studeret, verosimile est, fuisse veras aureas. Ut apud Tacit. II. Annal. 58. in convivio Regis Nabataeorum, *coronae aureae magno pondere Caesari & Agrippinae, leves Pisoni & ceteris offeruntur*, ubi de his coronis videndus Lipsius. Praeterea illae coronae, apud Capitolinum lemniscis aureis ornatae, non dicuntur aureae fuisse, sed tantum distinctae aureis lemniscis. Et si ita capere necesse esset omnia loca veterum, ubi mentio coronarum aurearum in conviviis, etiam ita interpretandi essent veteres scriptores, ubi agunt de coronis aureis alia occasione datis, ut cum pro praemio rei bene gestae darentur, vel in titulum gratulationis mitterentur, vel denique cum honoris caussa hoc ornamento viros egregios prosequerentur: de quibus abunde egerunt Lipsius in Epist. ad Belgas Centur. II. ep. 100. & Freinshem. ad Curtii lib. IV. cap. 5. & Comment. ad Nepot. Alcib. 6. BURM.

Alabastris unguenti] Et haec verba Wagenselius ut sumpta in Lucae Euangelio, tamquam indicia fragmenti hujus suppositionis, notavit immerito, & recte vindicavit Statileus exemplo Horatii, qui *Nardi onycem* dixit simili forma. *Alabaster* autem *unguenti*, idem est, ac *plenus unguenti*, ut Cicero locutus, teste Nonio in *Alabaster*. Ita Servius ad Virgil. Æneid. III. vers. 279. *Donatus ab eo unguenti alabastro.* Ex quibus recte Petronium contra Wagenselium defendit Munckerus ad Hygin. fab. XLI. De Alabastro, & unde illud vas ita fuerit dictum, vide Mauss. ad Harpocrat. pag. 23. Periz. ad Ælian. XII. Var. cap. 18. BURM.

Respiciens] Forte, *respicientibus.* GOES. Munckerus ad Hygini fab. CLXIV. legit *ut respicimus.* Sed cum constans sit lectio MSS. cur non satius est statuere ἀνάκολουθον, saepe scriptoribus, non quidem studio, ut puto, sed festinatione & imprudentia, frequentatum, cum initio nominandi casum posuerunt, postea vero subjiciunt verbum, quod alium postulat. v. Donat. ad Terent. Hecyr. Act. III. scen. I. vers. 6. & ita aliquoties Justinus absolute nominativum ponit, qui ad nullum verbum referri potest. Graecis nihil esse familiarius ad Euripidem docuit saepe Barnes. v. Phaeniss. vers. 290. Eurip. Med. II. Hippol. vers. 23. Alcest. 284. & 291. & plurimis exemplis adstruxit Cl. Periz. ad Ælian. Var. lib. II. cap. II. & lib. X. cap. 18. BURM.

Quod] Lege *quorum.* TILEBOM.

Priapus tenebat] Mirum, ni medium repositorium Priapum tenuerit, non Priapus repositorium. Nam ipse Priapus gremio sustinebat poma. GOES. Nescio quid hic tricetur vir Amplissimus, cum recte Priapus dicatur medium repositorium tenere, in cujus medio ejus statua erat posita. Ita Virgil. III. Georg. 16.

In medio mihi Caesar erit, templumque tenebit.

Ubi Philargyrus recte *possidebit* explicat, & ita in alio Virgilii versu mox cap. 68. à nostro adducto ex lib. V. Æneid. princ.

Interea medium Aeneas jam classe tenebat,
Certus iter. BURM.

A pistore factus] Qualem memorat & Martialis lib. XIV. inter apophoreta, & *Priapum siligineum* appellat. SCHEFFER.

Gremioque satis amplo] Meminit & Phurnutus Priapi, *gestantis omnium fructuum miscellaneam sinu.* Et apud Pisonem in de Nummis antiquis Gallice conscriptis commentario habes effigiem ipsius proprie ac peculiariter huc facientem. SCHEFFER.

Omnis generis poma] Hunc enim Deum colebant ut genitorem & parentem tam hominum quam frugum, unde & cum Pane saepe confunditur, imo ipsum solem esse Priapum, cujus vi omnia naiscuntur, ex Macrobio & aliis eruditissime ostendit Vossius de origine & progressu Idololatriae lib. II. cap. 7. Unde & in Lapide veteri apud Gruter. pag. XCV. I. dicitur *Pantheos*, & apud Boissardum tom. VI. pag. 36. ad statuam ejus duo corbes, in quibus omnis generis poma, quae hic gremio sustinet, videntur. BURM.

Et repente] Forte, *en repente.* HEINS.

Minima vexatione] Id est, attrectatione. Ita Plinius lib. XVII. Hist. Nat. cap. 23. *Namque orbitas vinculi sentiunt vexatione non dubia.* Ovidius I. Amor. eleg. 14.

Heu

„tione contacta, coeperunt effundere crocum, & usque ad nos molestus „humor accedere. Rati ergo, sacrum esse periculum tam religioso appa„ratu perfusum, consurreximus altius, & Augusto Patri Patriae Feliciter „diximus: quibusdam tamen, etiam post hanc venerationem, poma ra„pientibus, & ipsius mappas implevimus. Ego praecipue, qui nullo „satis amplo munere putabam me onerare Gitonis sinum. Inter haec tres „pueri

Heu male vexata quanta tulere coma!

Sueton. Aug. LIII. *in turba quondam sponsaliorum die vexatus.* Ita *intactus* & *vexatus* opponuntur inter se à Martiali lib. XI. epigr. 90.

Intactas quare mittis mihi, Pollia, coronas?
A te vexatas malo tenere rosas.

Unde & venereum esse verbum, & de impudica attrectatione sumi, supra ad cap. XVII. est animadversum. BURM.

Sacrum esse periculum] Hoc non assequor. Puto, plane vocem *periculum* praecedentis *sacrum* glossema esse, Horat. II. Sat. 3.

——— *metuensque velut contingere sacrum.*

SCHEFFER. Petronio, quippe φιλαρχαίῳ, convenit, ut scripserit *fericulum*: ex hoc post fecerunt κατὰ συγκοπὴν *ferculum*. Sane *placentae & poma*, quae exhibebantur, pro ferculo erant. *Sacrum* vero dicit ob *crocum*, cujus usus in sacris & ad pulvinaria Deorum, ob fragrantiae excellentiam. REINES. Reinesius vult *fericulum*, idque suo more, id est, temere in textum recepit Hadrianides. Ego non dubito, cum *periculum* sit & in MS. Dalmatico, quin legi debeat *peniculum*. Nempe de Priapo praecessit, solebat autem formari cum membro enormi sexus masculini, eratque membrum illud vel praecipue sacrum, quod est notissimum. Hinc ergo *sacrum peniculum*, à pene, membro isto, quasi sacram mentulam diceres, qua nempe Priapus unice censebatur, suamque tuebatur divinitatem. Ut sit sententia: rati sumus, illum Priapum cum peniculo seu mentula sua esse rem sacram, sicut simulacra Deorum esse solent. *Peniculum* significare penem sive mentulam, ex Plauto, atque ipso Cicerone, certissimum est. SCHEFFER. Valde verosimilis est Reinesii emendatio, certe praeferenda *peniculo* Schefferi: non enim agitur hic de Priapi solo membro, quod perfundebatur croco, sed de toto repositorio. Nondum tamen *fericulum* recipere ausus fui, cum *periculum* vocare potuerit totam hanc pompam, quae, si sine justa veneratione transmitteretur, negligentibus nocere posset. Ita dixit Plin. lib. XXXV. Histor. Natur. cap. 7. *pericula expingimus*, id est, naves, in quibus periclitamur. Arcanum ergo & symbolicum erat hoc repositorium, quod violare erat periculosum. Unde addit, quosdam postea audaciores factos *etiam post venerationem rapuisse poma*. Quia erant apophoreta, sed quae, antequam Augusto feliciter dixissent, attingere & diripere nefas esset. BURM.

Consurreximus altius] Munckerus in epistolis ad Heinsium mavult *ecjus*. Sed nihil necesse: è toris enim, more bene precantum, surgentes, manibus sublatis, feliciter dicunt: Heinsius etiam in ora codicis notaverat, legendum sibi videri, *religioso apparatu perfusi consurreximus altius.*

Et Augusto patri feliciter diximus] Liquet hinc, sub Imperatoribus conscriptam hanc Satyram. Notandus autem ritus. Seneca pater Controvers. XXVII. *Non bene intellexerunt Graeci, sed bene precati Caesari petebant, ut honorem Sabinus & tertio gereret.* Ubi videndus Andreas Schottus. HEINS.

Feliciter] Suet. in vit. Domit. cap. XIII. *Acclamari etiam in Amplitheatro epulari die libenter audiit domino & dominae feliciter.* Ubi *epularis dies* est, quo plebi epulum, forte in ipso amphitheatro, dedit, & quae inter epulas acclamabat *feliciter.*

Venerationem] Ita recte Patavinos excudisse puto, cum Tragurienses codex haberet *venationem*, cui hic nullus locus est. Quia autem Priapi, ut Dei, omnium semina in se habentis, & productoris, statua hic convivas admonebat, ut Augusto feliciter dicerent, proprie uti videtur voce *venerationis*, qua praecipue utebantur, cum vota facerent, & precarentur Deos, qui producendis frugibus & aliis praesunt, ut felicem & uberem proventum praestarent. Ita Horat. libr. II. Sat. II.

Et venerata Ceres, calmo ut consurgeret alto.

Tibull. lib. I. eleg. I.

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris.

Virg. I. Georg. vers. 338.

In primis venerare Deos.

Valer. Max. lib. I. cap. I. exempl. I. *Cererem quoque more Graeco venerari instituerant.* Quamvis non negem, etiam aliis de caussis veneratos olim Deos. Sed hoc notandum, hanc vocem religionem quamdam subitam, & sine solemni apparatu precationem, quae semper & ubique, sine hostiis, simplici verborum formula fieri consuevit. vid. Serv. ad Virgil. I. Æneid. vers. 49. & ad Æneid. vers. 84. & Amplissi. Cuper. observ. lib. II. cap. I. BURM.

Et ipsius mappas implevimus] Legendum, *& ipsi iis mappas implevimus.* Similia complura habes apud Martialem de mappa. HEINS.

Satis amplo] recte ita vocat munus, non *magnum*, quia

„pueri candidas succinti tunicas intraverunt: quorum duo Lares bul-
„latos super mensam posuerunt, unus, pateram vini circumferens, Dii
„propitii, clamabat. Ajebat autem, unum Cerdonem, alterum Felicio-
„nem, tertium Lucionem vocari. Nos etiam veram imaginem ipsius Tri-
„malchionis, cum jam omnes basiarent, erubuimus praeterire.

LX.

quia omnis generis pomis onerabat sinum. *Magnum* enim potest esse munus, ex uno genere rerum, sed *amplum* est, quod ex variis & diversis rebus congeritur. Vide Manut. ad Cicer. Epist. ad famil. libr. 1. Epist. 3. Cicer. 1. Verr. cap. 5. *Non vereor, ne aut à me ullum munus ædilitatis amplius, aut gratius Populo Romano esse possit.* vid. Barth. ad Stat. IX. Theb. vers. 625. & hinc *amplos homines* divites interpretatur Philargyrus ad Virgil. Eclog. VIII. Cæterum de more illo, quo servis ad pedes tradebant obsonia domum ferenda v. Salmas. ad Vopisc. Carin. cap. XIX. & ipsos in mappa adligata sustulisse convivas patet ex cap. 66. infr. BURM.

Onerare Gytonis sinum] Scribe, *onerare posse Gytonis sinum.* TILEBOM.

Candidas succinctas tunicas] Ovid. x. Met. vers. 536.

Nuda genu, vestem ritu succincta Diana. SCHEFF.

Lares bullatos] Quasi lares ipsi culti bullis fuerint. Sane bullas laribus suspendi solitas docet Persius Sat. v. vers. 31.

Bullaque subinctis laribus donata pependit. SCHEFFER.

Super mensam posuerunt] Hunc ritum egregie illustravit Vir Amplissimus Cuperus lib. II. Observ. cap. 3. Statuis autem in mensa positis, libatio ex patera fiebat, & Dei propitiabantur. Vide Torr. ad Horat. lib. IV. od. 5. Serv. ad Virg. I. Æneid. 730. & alios.

Cerdonem] A Græco κέρδος, arbitror, quod significat *lucrum.* At vero sequitur *Lucronem.* Quid igitur, si scribamus *Certonem*, à certando formatum, quia certavit, velut Trimalcio cum aliis, quos deinde superavit felicitate, atque lucro, unde facta nomina sequentia. Quæ, cum sint Latina, vix hoc Græcæ originis erit statuendum. SCHEFFER. Ἀπὸ κέρδους. Mox alius hujus farinæ *Lucro* vel *Lucrio*, eadem significatione. Nihil impedit autem, ejusdem domini servos alterum Græco, alterum Latino, vocabulo fuisse; eoque nihil mutandum est. Quin etiam fratribus Græca & Latina cognomina imposita legimus eadem potestate, ut alter Eutyches esset, alter Felix. De cognominibus *Cerdo* & *Lucro* est in Eponymologico. REINES. Adhuc suspicor, mendosum esse hoc vocabulum, nec me liberat à dubio Reinesius, quod dicat, non fuisse insolens, unum ex fratribus Græco, alterum Latino, idem significante, vocabulo compellare. Liquet nempe, illud agi per vocabula proposita, ut constaret, unde Trimalchio factus esset tam dives, eoque nomine Laribus agerentur gratiæ. Huc autem nil facit nomen idem significans, bis repetitum. Quare puto, nostrum scripsisse potius *Credonem.* Sicut à lucrando *lucro*, ita plane à *credendo Credo* poterat formari, atque is intelligi, qui multum credat aliis. Habuisse namque hoc in more positum Trimalchionem, liquet ex verbis actuarii, ubi ait cap. LIII. *Eodem die in arcam relatum est, quod collocari non potuit, sestertium centies.* Et est ordo conveniens, ut primo sit *Credo*, per quem pecuniæ credantur, deinde *Felicio*, qui creditum reddat felix per bonæ fidei debitores, tum *Lucro*, qui ex illis creditis lucrum dominæ afferat. SCHEFFER. Servile nomen: vetus inscriptio, pag. 186. 4. *L. Vitruvius L. L. Cerdo Architectus.* HEINS. Hoc nomen, & duo sequentia, *Felicio* & *Lucrio*, sæpe in antiquis occurrunt marmoribus, ut ex indice Gruteri apparet: & *Lucrio* servus est in l. 37. §. 3. ff. de legat. 3. nihil autem causæ video, cur aliquid esset mutandum in priori nomine. Nam, cum Græca vox κίρδος, præter lucrum, etiam teste Hesychio notet τέχνην, σοφίαν, παιδαγίαν, & similia, hic posset capi, ut astutia & calliditas in acquirendis divitiis notetur primo puero, altero felix successus, & tertio lucrum & divitiæ, quas ex negotiationibus, quas postea jactabit, fecit Trimalchio. Et hinc Mercurius, Deus negotiantium & furum, κερδῶος dictus, ut docuit Meursius ad Lycophr. Alexandr. vers. 208. BURMAN.

Felicionem] Idem nomen capsellæ aureæ, infra cap. LXVII. Apud Senecam ep. XII. Pusio verna, villici filius, etiam *Felicio* vocatur. HEINS.

Lucionem] Lege, *Lucrionem.* HEINS.

Nos etiam veram imaginem ipsius Trimalcionis, cum jam omnes basiarent, erubuimus præterire.] Cum, non nisi veri, & ad vivum expressi effictique, vultus dominorum in armariis disponi, tum promi, exhiberi & circumferri in conviviis solerent, inepta locutus fuerit Petronius, si lectionem editam sequamur. Necessum ergo, eam corrigi; veriusque videtur, in vocabulo *veram* latere nomen materiæ, è qua formata imago; nimirum scripsit, puto, Petronius: *Nos etiam ceream imaginem ipsius Trimalcionis, cum eam omnes basiarent, erubuimus præterire.* Ejusmodi thoracæ, θωρακίδες, σπάρια, sive προτομαὶ, thorace tenus effigiatæ è cera comitari solebant funera gentilitia, & semper defuncto aliquo, totus familiæ ejus, qui umquam fuerat, cum celebri pompa populus aderat. REINES. Existimo, tacitum convitium latere in τῷ *veram.* Neque enim de Trimalchione perinde honorifice noster

LXI. „ Postquam ergo omnes bonam mentem bonamque valetudinem „ sibi optarunt, Trimalchio ad Nicerotem respexit, &, [a] Solebas, in- „ quit, suavius esse in convictu; nescio quid; nunc taces, nec mutis. Oro „ te, sic felicem me videas, narra illud, quod tibi usu venit. [b] Niceros „ delectatus affabilitate amici: [c] Omne me, inquit, lucrum transeat, nisi „ jam dudum gaudimonio dissilio, quod te talem video. Itaque hilaria „ mera

a TRIMALCHIO. *b* ENCOLPIUS *c* NICEROS.

loquitur; habuimus cap. XLIX. *Nondum efflaverat omnia.* cap. L. *Pro reliqua insolentia.* habebimus cap. LXXIII. *Diduxit usque ad cameram os ebrium.* cap. LXXVIII. *Ebrietate turpissima gravis.* & erat deformis Trimalchio: supra cap. XXVIII. *Puer vetulus, lippus, domino Trimalchione deformior.* HADRIANID. Putat Hadrianides, hic tacitum latere convitium, quia de Trimalchione noster alias honorifice non loquatur. Quasi hoc in loco aliquid ad honorem ejus dicat. *Erubuimus*, inquit, *praeterire*, quod abunde ostendit, quam difficulter ac invite venerint ad hoc officium. Reinesius vult *ceream* pro *veram*, causa, quia omnes istius modi imagines in armariis fuerunt veræ. Sed sic dici posset, etiam cereas omnes in armariis fuisse. Deinde sermo est de Laribus allatis, non imaginibus cereis, quales habebant repositas in armariis. Jam vero Larium nulla species, exhibens hujus illiusve vultum. Itaque tamquam singulare quidpiam notatur, quod inter Lares eos fuerit, qui referret veram imaginem Trimalchionis. Quem cum cæteri tamquam Larem solenni osculo honorassent, se quoque non fuisse ausos hoc officium denegare, licet manifeste viderent, esse Trimalchionis effigiem, qui sub specie nomineque laris cultu divino velit honorari. SCHEFFER. Cum Scheffero puto fuisse inter lares ipsam Trimalchionis imaginem; quod insolens & arrogans, cum adhuc viveret; inter lares vero mortuorum tantum, vel Heroum, statuæ colebantur, ut omnibus satis notum.

Bonam mentem] Sic solebant veteres in fine convivii. Notavit strictim Ursinus in Appendice ad Ciacconium de Triclinio pag. 371. SCHEFFER. Seneca ep. X. *Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis.* Pers. Sat. II.

Mens bona, fama, fides, hæc clare, & ut audiat hospes

Seneca Controvers. XXV. *ut salva provincia sit, optamus meretrici bonam mentem.* HEINS. Recte hæc, duo, *bonam mentem, bonamque valetudinem*, conjungit. Nam bona mens animæ quasi valetudo & *sanitas* (ut Phædro dicitur lib. IV. fab. ult.) ut hæc corporis. Unde, quibus mala mens erat, non magis sapere & recte facere posse credebantur, quam ambulare & opus facere, quibus corporis erat imbecillitas. Et hinc Mentem ut deam colebant, quam &, pueris recens natis, venerabantur, ut illis faceret bonam mentem. Augustin. lib. VII. de Civ. Dei cap. 3. Horat. lib. I. od. 31.

Frui paratis & valido mihi
Latoë dones, &, precor, integra
Cum mente.

Et quæ plurima apud scriptores obvia. Vide Ampl. Cuper. II. Observ. cap. 17.

Niceros] Et hic collibertus videtur fuisse Trimalchionis. Et forte *Pompejus Niceros* dictus, quo nomine obscurus aliquis homo in lapide apud Gruterum pag. DCCCLXXXIV. 9. occurrit.

Suavius esse] Lege, *suaviorem esse*. TILEBOM. Istæc puto sic legenda: *Solebas, inquit, suavis esse in convictu. Nescio quid nunc taces, nec mutis.* Nescio, quæ sit causa, cur nunc sic taceas, ac ne mussites quidem. Infra cap. LXIV. *& solebas suavis esse, canturire*, SCHEFFER. Non fastidiam hanc lectionem in scriptore archaismorum & rariorum quorumvis amante & curioso. Ejus enim formæ Adjectiva ἄπαξ λεγόμενα observamus esse; hinc *suavis*, *suavius* (dixere etiam *suavionem*, sed substantive, alioque sensu) *industris*, apud Dudonem in Norm. aliquoties, Ælnotum de vita & pass. S. Canuti cap. 26. Mich. Scotum physiogn. cap. 10. *industrius: limis*, apud Amm. Marcell. lib. 20. *limibus oculis, limus: dapsilis, dapsilus: lepidis, lepidus, putris, putrus: opiparis* apud Apul. *opiparus: sceleslis* apud Paulin. Aquil. lib. 2. cont. Felicem Urgel. Ep. *scelestus: austeris*, in Notis Tiron. *austerus*. REINES.

Nec taces] Ita Tragurienſis codex, neque puto, urbani nostri Trimalchionis acumen Schefferi emendationem ferre: sed distingenda credo hoc modo verba *nescio quid. Nec taces, nec mutis.* Priora verba non debent conjungi cum reliquis. Nam illis Trimalchio, se admirari Nicerotis hunc insolitum morem indicat, eodem fere modo, ut nostrates dicere solent, *ik weet niet hoe ik het met u hebbe.* Tunc argutulus noster subjicit, *nec taces, nec mutis*, id est, loqueris. Nam *mutire* est loqui, teste Festo, & ita Plautus Curcul. Act. I. scen. I. *Numquam unum verbum mutit, quum aperitur, tacet.* Tragur. habet *mutes*. BURM.

Oro te] Vide supra cap. XLV.

Sic me felicem] Vulgata formula erat, *ita sim felix.* Propert. I. eleg. 7. 3. alia forma mox respondet Niceros, *Omne me lucrum transeat*, id est, relinquat & destituat. Stat. V. Theb. 25.

Transierit fortuna licet. ———

Gaudimonio dissilio] Illud *dissilio* accipio, pro hinc salio, ut *discedo*, velut durare nequeat in loco, sed coga-

„mera sint, etsi timeo istos scholasticos, ne me derideant. Viderit. Nar-
„rabo tamen; quid enim mihi aufert, qui ridetur? Satius est rideri,
„quam derideri:

„[a] *Hacc*

cogatur exsilire. Apul. *vertibulo ossa dissilierant.* Sic inferius cap. LXXXV. *Felicitate dissilio.* Etiam Isidorus posuisse pro mobili videtur lib. X. voce *gravis*, ubi ait: *Gravis pro consilio & constantia dictus, quia non levi motu dissilit, sed fida constantiæ gravitate consistit.* Nisi malis poni pro *rumpor*, quomodo Terentius dixit, *risu emorior. Gaudimonium* sic est dictum, ut *querimonia.* Hieron. in Procœmio Proph. *Gaudimonium ejus erit in luctu.* SCHEFFER. Veram puto ultimam Schefferi interpretationem. Ita enim lætitia occupat mentem & circumfundit, ut, nisi erumpere liceat, periculum sit, ne dissiliat. Ita Chærea Terentianus postquam virgine potitus esset, incedens omnibus lætitiis, exclamat in Eunuch. Act. III. scen. V. *Jamne erumpere hoc licet mihi gaudium.* Neque dissimilis illa Laodamiæ affectio, apud Ovid. Epist. XIII. 115.

Quando ego, te reducem cupidis amplexa lacertis,
Languida lætitia solvar ab ipsa mea?

Ut autem hic *gaudimonium*, ita mox capite seq. *tristimonium* dixit. BURM.

Te talem videam] Id est, tantum, tam beatum; usus enim hujus vocis frequens veteribus, cum excellentem & illustrem aliquem exprimere volunt. Vide quæ Scioppius & nos olim ad Phædri lib. III. fab. IX. notavimus. Cicer. pro Quint. cap. 20. *C. Aquillius, talis vir.* lib. III. ad fam. Ep. 13. *Quibus ego à tali viro contentus eram.* Flor. lib. IV. cap. 2. *Aderat Puellæ forma, & quæ duplicaretur ex illo, quod talis passa videbatur injuriam.* v. Ryckium ad Tacit lib. I. Annal. cap. 13. & ita Græcos uti voce τοιοῦτος docuit Illustris Spanhemius ad Callimach. Hymn. in Dianam, vers. 146. & Hœlz. ad Apollon. Argon. lib. I. vers. 5. *qualis* etiam hoc modo est apud Valer. Flacc. lib. V. 507.

——— *Qualemque dabat te fama, videmus.*

BURM.

Hilaria mera sint] Puto *mera* hic valere *vina.* SCHEFFER. Ego *hilaria* (*orum*, plur. proprie festa Matris deum) synecdochice capio pro gaudiis; sic & infra c. LXIV. *Interdiu severa, nunc hilaria. hilaria mera* intelligo gaudia pura; his adversatur quod sequitur, *ne rideant.* Ἐστι γὰρ γελοῖον τῷ ἀσχρῷ μόριον, καὶ ἁμάρτημά τι ὃ φθαρτικόν. *est enim ridiculum aliquo pacto peccatum, & turpitudo innoxia.* Aristot. Poët. 5. Ergo sic rideri est turbari, & *metuere*, hic *ne rideant*, idem valet quod ne mera gaudia turbent. Differuntque hoc pacto *rideri*, & *derideri*, tamquam magis & minus. Quibus nihil obest, quod Cl. Schefferus in seqq. notat. Nam, quidni *favor* etiam ex turpitudine innoxia oriatur, & erratum voluptate compensetur. HADRIANID. Male Schefferus. *Mera hilaria*, id est, sine ulla ægritudinis, aut sollicitudinis, mixtura. Ut supra *fugas meras* dixit cap. 45. & Apulej. lib. I. & 2. Metam. *nugas meras*, & similia. porro *hilaria* hic vocat Saturnalitiam festivitatem, quæ omni hilaritate absolvebatur. infra cap. 64. & hinc patet, male notare Salmasium ad Vopisc. Aurelian. cap. 1. *hilaria* non dici, nisi in Hilaribus Matris Deûm, de quo dubitaverat Casaubonus ad Lampridii Alex. Sever. cap. 37.

Et si timeo] Junctim est scribendum, *etsi timeo.* Petronius: cap. 117. *nec minus liber sum, quam vos, etsi pauperem pater me reliquit.* SCHEFFER.

Istos scholasticos] Agamemnonem & Ascylton intelligit, qui, hic inter libertos & plebejos cœnantes, eorum insulsos sermones vix sine risu audire poterant. vide supr. cap. 58.

Ne derideant] Legendum, *ne videant.* TILEBOM. Sequentia ostendere videntur, quod hic rectum simplex sit, *rideant.* SCHEFFER. *Ne me rideant*, ni fallor, ut requirunt sequentia. *Narrabo tamen, quid enim mihi aufert, qui ridet. Satius est rideri, quam derideri.* Scholiasticos vocabant homines bonis artibus & eruditioni studentes. Suetonium Tranquillum, amicum suum, Plinius Junior in Epistolis *Grammaticum* vocat. Capitolinus ex litteris Alexandri Severi de Maximino Juniore in ejus vita cap. 3. *Quamvis ipse adolescens & pulcher & scholasticus ad Græcas munditias eruditus esse videatur.* Scholastici tamen proprie, qui declamabant in scholis, qualis Agamemnon & ejus socii hac Satyra. Hinc passim Seneca pater scholasticos opponit iis, qui causas dicebant in foro. Videnda præfatio ejus in librum controversiarum quintum. Sic Curius Fortunatianus Rhetoricam inscripsit *scholasticam.* HEINS. *Ridere aliquem*, communiter est, *deridere*, aliquando tamen sensu medio capitur, ut idem sit, quod facete alicujus dicta arridendo excipere, Plaut. Captiv. Act. 4. sc. 1.

Quasi muti sedent, neque me rident. HADRIANID.

Viderit] Id est, si vel unus eorum nequiore sensu rideat, caveat, inquit, Hadrianides. Quasi vero possit minari, qui paulo ante dixerat, *timeas istos scholasticos.* Sunt itaque non nominantis, sed contemtu ulciscentis. Unde omnino necesse est, ut legamus, aut *viderint*, scilicet scholastici illi, aut *riserint*, quod præferrem. SCHEFFER. Puto legendum *viderint*, ut Schefferus malebat, & Patavini ediderunt: est enim formula, qua nos, neglectis iis & posthabitis, quæ à facto aliquo nos retrahere & deterrere poterant, decrevisse & statuisse nobiscum illud agere declaramus. infra cap. seq. *viderint, qui de hoc alibi exopinissent.* Ovid. Epist. XII. 211.

Viderit ista Deus, qui nunc mea pectora versat.

„ [a] *Haec ubi dicta dedit* ——

„ talem fabulam exorsus est. [b] Cum adhuc servirem, habitabamus in vico „ angusto (nunc Gavillae domus est) ibi quomodo Dii volunt, amare „ coepi uxorem Terentii coponis: noveratis Melissam Tarentinam, pul- „ cherrimum bacciballum. Sed ego non me-Hercules corporaliter, aut „ propter

a ENCOLPIUS b NECEROS.

Et ita idem Poëta alibi. v. infra cap. 87.

Quid enim mihi auſert] Nocet Petron. cap. 117. *Nemo auſus eſt artem damnare, nihil auferentem.* SCHEFFER.

Rideri, quam derideri] Differunt hæc duo, quia prius fit ex voluptate, posterius ex aversatione eorum, quæ dicuntur, habetque alterum favorem, alterum contemtum ejus, ob quem ridemus. De voce *derideri* notum est, & docent veteres Grammatici. *Rideri* verbo ita usus est Quintilianus lib. 1. cap. 3. ubi agit de noscendo ingenio discipulorum: *Non*, ait, *dabit mihi spem bonæ indolis, qui hoc imitandi studio petet, ut rideatur.* SCHEFFER.

Hæc ubi dicta dedit] Est hemistichion Petronianum; sic enim cap. CXXI.

Hæc ubi dicta dedit, dextræ conjungere dextram
Conatus.

Quamquam ante eum usurparit jam Lucilius, ut ex Nonio, voce *Pausa*, novimus. Ergo mallem seorsum, ad modum hemistichii, scribi. Puto autem, plane ex Virgilio desumtum, qui sic lib. 1. Æn. *Hæc ubi dicta*, &c. SCHEFFER. Ex Virgil. lib. 6. Æneid. vers. 628.

Gavillæ domus] A gente Gavia, Gavilla ὑποκοριστικῶς, ut in fœminarum nominibus apud Romanos solet. HEINS.

Quomodo dii volunt] facete, ac cum risu quodam illa hic adhibita est formula. Supra cap. XXXVIII. *quomodo dicunt.* Infra cap. LXVII. *quomodo nosti.* SCHEFFER. Hac formula idem vult indicare, quod Horatius lib. 1. od. 33. *Sic visum Veneri*, qua causam amoris ad Deos referebant, qui invitos etiam, vel certe non sua sponte in amorem pronos, inducebant ad amandum, & ita turpitudinis propriæ auctores Deos faciebant. Ita, si quid præter spem & meritum eveniebat, *dis aliter visum* pronuntiabant. Vide Senec. ep. 98. & Virgil. lib. 11. Æneid. vers. 428. BURM.

Noveratis Melissam.] Forte, *noveratis in ea Melissam.* GOES.

Baciballum] Puto legendum, *Bacellum.* TILEBOM. Sed, quid per *bacellum* intelligat, ut alias sæpe, non exprimit, nec credo, *bacelum* velle, quod passim habemus, explanatum. HADRIANID. Hoc quid sibi velit, aliis relinquo cogitandum. SCHEFFER. Lege, gemina *ll* in *di* mutata *casalbadium*, id est, scortillum. Κάσα, κάσσα, κασαΐς, κασαΐς, κασάυρα, κασαυρὰς, apud Aristoph. in Ἐκκλησιαζ. κασαλβὰς, apud Suidam, scortum significat; ejus diminutivum κασαλβάδιον, ut τὸ λαμπὰς, λαμπάδιον. τὸ παλλὰς, παλλάδιον. τὸ ἰκὰς, ἰκάδιον, *Icadium* in saxis mulieris proprium nomen, τὸ λοπὰς, λοπάδιον. Fortassis etiam à μαχλὰς, δρομὰς, τριβὰς, κυκλὰς formata fuere μαχλάδιον, δρομάδιον, τριβάδιον, κυκλάδιον: Puto veram lectionem dedisse, nec ut ad istud in Not. Tir. *fascinabulum, fascinabellum*, quamvis nec ineptum huic loco, transeamus, necessarium esse. REINES. Hadrianides edidit *basiballum* MS. Dalmaticum habet *bacciballum.* Nescio, an non *bascaniballum* sit scribendum, ut significet eam, quæ osculis fascinantia quasi tela emittit: sensus saltem non inconveniens est huic loco. SCHEFFER. *Baci* vel *Bacci* pro *Bacchi* frequenter exaratum deprehendas in vetustissimis membranis. Illud quoque solemne librariis, ut, quoties syllabæ binæ ejusdem soni è proximo concurrunt, altera harum intermittatur à festinantibus, aut operi minus intentis. Exempla suppeditat passim is ipse, quem in manibus nunc habemus, libellus. Demus igitur, antiquam hujus loci scripturam fuisse, *pulcherrimum baci ciballum*, sive *cymbalium*, ut Petronium nobis reliquisse fit verisimile. *Cymbalium*, ut *crotalium* infra cap. LXVII. & *tympanium* in Digestis, ὑποκοριστικῶς. Cæterum meminisse oportet, de Melissa, quæ copa esset, hunc sermonem institui. Copas autem, aut cymbalistrias ut plurimum antiquitus fuisse, aut tibicinas, aut aliis instrumentis musicis edoctas cantare, ignorari non potest vel ab illis, qui copæ Maronianæ meminerunt, illa enim:

Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lascivа taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.

Nec hercule mirum magis, cymbalistriam copam cymbalum dici, quam Grammaticum Appionem à Tiberio Cæsare *cymbalum mundi* nominatum: eumdemque *famæ publicæ tympanum* dici à Plinio in Historiæ naturalis præfatione: aut *Cymbalum juventutis*, nescio quem in Maronianis Catalectis, rhetorem. Potuit & hæc copa adhiberi sacris Bacchicis solere, cui Deo accepta in primis cymbala, ut & Matri Ideæ. Quam in rem non possum præterire antiquam ex opere Gruteriano inscriptionem, CCCXVIII. 12.

HIC. SITA. EST. PROPITIAE
PUPA. ET. FAMULA BACCHI.
CYMBALIS. C. TITIVS. PHI
LODESPOTVS. VIX. AN. XIIX.

Ubi cave aliter interpreteris illud CYMBALIS, quam cymbalistriam, à quo tamen interpretamento, per-

peram

„propter res venerarias curavi; sed magis, quod bene moriar, fuit, si „quid ab illa petii, numquam mihi negatum fecit: assem, semissem, „habui, in illius sinum demandavi; nec umquam fefellitus sum. Hujus „contubernalis ad villam supremum diem obiit. Itaque per scutum, „per

peram in Indice deflexit magnus Scaliger. HEINS. *Basiballum*, vel *basibolum*. *Basibolum* dictum est, ut κατάξολον, locus, unde, aut quo, trajicitur, λαγωβόλον, lignum quo lepores feriuntur, δροσοβόλον, rorem spargens seu fundens, & similia, Βασιβόλον à βάσις fulcimentum, & βάλλω figo, jacio, pono, immitto, condo. *Pulcherrimum basibolum*, idonea subjici. Eandem vero & propius *basiballum* dicere liceat, etsi analogia non perinde favet; in hoc tamen, qui *scholasticos forsan risuros* præfatus, talia ferenda. Quamquam *caballas* à Gr. καβάλλης, hoc à καταβάλλω, seu Dorico καββάλλω, descendat. VOSSIUS apud HADRIANID.

Corporaliter] Usurpavit hoc Ulpianus, licet sensu nonnihil diverso. Etiam Arnobius lib. v. *Corporaliter prohibet universa nos exsequi*. & Tertullianus de Carne Chr. 11. *Nisi corporaliter exhiberetur*. SCHEFFER. Vox frequens deinde facta scriptoribus Ecclesiasticis. Ita sæpe utitur Claudianus Mamertus. Vide Barthii Glossarium in eum scriptorem. Post hanc vocem MSS. Trag. habet *autem*, pro quo Munckerus ab fab. 75. legendum censet *eam*. Sed credo, librarium lapsum propter sequens *aut*, & ideo delendam voculam.

Res venerarias] Scribendum, *res venerias*, ut liquet. SCHEFFER. Res veneriæ, ἰδία Κύπριδος ἔργα, in ἀδεσπότῳ lib. 3. anthol. t. 11. de Patrophila: jucundæ Veneris res Luc. lib. 4. Non sollicitanda est scriptura ista *venerarias*, nec eximenda syllaba *ra*. Est enim cadentis Latinitatis verbum *venerare*, pro eo quod verecunde *cognoscere* dicunt, ut Latini, sic Græci & Orientales. Est apud Hyginum, quem glossematis magistrorum seculis inferioribus fœdatum esse scimus, fab. 75. Tiresiam pastorem dracones *venerantes* baculo percussisse; eos Apollodor. lib. 3. ὄφεις συνεσιάζοντας, Phlegon Θαυμασ. cap. 4. ὄφεις ὀχίνοντας dixit. Sixtus 11. Pont. R. serm. de divitiis: *Avaritia eo ab his* (amatoribus suis) *magis diligitur, quo magis augetur, & cum suis amatoribus venerata fuerit*. Gl. Latino-G. Haganoense: *Puber est puer, qui jam habet pubem, vel, qui jam venerare potest*. Sublectum tamen hoc è Balbi Catholico, in quo meliore sensu *generare* legitur. REINES. Recte censebat Thomas Munckerus frustra esse, *qui res venerias* reponunt, cum *venerari* sit ἀφροδιζιάζειν. Vide eum ad Hygini fabulam LXXV. HEINS.

Quod bene moriar fuit] Totus hic locus pessime distinguitur. Sic autem emendari debet: *sed magis, quod, bene moriar, si quid ab illa petii, numquam mihi negatum fuit*. Illud, *bene moriar*, formula jurantis est. Certe non pagani, sed Christiani. Sic paulo ante: *ita bene moriar, aut populus per exitum meum juret*. SCHEFFER.

Numquam mihi negatum fecit] Ita recte, sed distingue, *numquam mihi negatum, fecit*. GOES. Plane Tragurienſis *negatum fecit*: neque quid Patavinos induxerit, cur *fiat* reponerent, scio; laborat locus prava distinctione. Lege *numquam mihi negatum; fecit assem, semissem habui*; si caupona illa assem quæstu suo lucrata fuerat, se semissem habuisse, & cum ea divisisse lucrum, jactat. *Facere assem*, ut *facere rem* & similia, de quibus supra. Neque tantum communem cum illa pecuniam habuisse, sed & arcana sua ipsi credidisse, dicit, sed plebeja & insolenti locutione, *in illius sinum demandavi, nec umquam fefellitus sum*. BURM.

Assem, semissem habui] Pro, *si assem, si semissem habui*. Bene. SCHEFFER.

In illius sinum demandavi] Rarum genus locutionis, de quo amplius deliberandum. SCHEFFER. Placet, deliberandum. *In sinum alicujus confugere*, Ciceronianum est. Valesius in dissertat. sua illud *ad se secerunt*, supra, explicat, *in sinum suum conjecerunt*. similesque forsan alibi analogæ phrases reperientur. *Demandare*, est *committere*. HADRIANID.

Fefellitus sum hujus] Scribendum, ac distinguendum est: *fefellitus sum. Hujus contubernalis*. Verum illud *fefellitus* haud mihi quidem placet. Quid, si legatur, *fefellit usum*? puta ejus assis, vel semissis, id est, fecit dolo, ut, cum necesse esset, uti eo non possem. *Fallere usum*, ut *fallere spem, fallere judicium*, & similia. SCHEFFER. Videntur opici isti à *fallo* derivasse supinum *fefellitum*, pro *falsum*. Sed & cum secundo casu jungebant, ut: *falsus rei es*, & *multum falleris spei tuæ*. HEINS.

Hujus contubernalis. Ad villam] Sic puto interpungendum, *Hujus contubernalis ad villam*. TILEBOM.

Ad villam] In villa. Cic. Philip. 11. *Pecunia utinam ad ædem Opis maneret*. Idem Or. pro Roscio: *An amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam*. Varro 11. R. R. 11. *Ad casas instrumentum servare possunt*. Asconius ad Cicer. Divin. *Ad urbem, in urbe*. SCHEFFER. *Ad villam*, id est, in villa. Et sic Terentius Adelph. Act. 4. sc. 1. eodem sensu dixit, *apud villam*. Ita enim illic Syrus. *apud villam est. nunc eum maxume operis aliquid facere credo*, Et Andria Act. IV. sc. IV. *Di vostram fidem! quid turbæ est apud forum*. GOES.

Per scutum, per ocream egraginavi] Scribe, *per ocreas Egruminavi*. Plaut. Varro, id est, à mensura

„per ocream egraginavi, quemadmodum ad illam pervenirem: in angu-
„stiis autem amici apparent.

LXII. „Forte Dominus Capuae exierat ad scruta scita expedienda.
„Nactus ego occasionem persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad
„quintum milliarium veniat: erat autem miles fortis, tamquam Orcus,
„apoculanius.

& recta via discessi, uti interpretatur Georgius Alexandrinus. TILEBOM. Quid sit illud *egraginavi*, non excogito. An scribendum: *ego agitavi*, Curtius, lib. VIII. cap. 5. *Quonam modo cœlestes honores usurparet, cœpit agitare.* SCHEFFER. Scutum & ocrea, non minus quam peræ, baculus, ampulla, & zona, Plaut. Mercat. Act. 5. sc. 2. vers. 84. 85. sunt vasa & in apparatu itinerantium. Tum lego, *ego aginavi*, id est, properavi quam potui maxime. Gl. Latino Gr. *Aginare, festinare.* Idem *Agenator ille est, qui rem suam celeriter peragit.* Formarunt è Græcis ἀγίνεω, ἀγινεῖν, ἀγινίσκειν, quæ sunt παρεκτατικὰ, vel paragogica, τῶ ἄγειν. REINES. Reinesius existimat, *scutum & ocream* hic poni, tamquam instrumenta peregrinantium, quomodo eorundem sunt & peræ & baculi. Sed lubet scire, cur *ocream* hic scribere maluerit, quam *ocreas* si illud voluisset. Ergo censeo, pro *ocream* scribendum *ocrem*, sic enim veteres vocabant montem arduum & inæqualem. *Ocrem antiqui, ut Attejus Philologus in libro Glossematum refert, montem confragosum vocabant, ut apud Livium: sed qui sunt hi qui ascendunt altum ocrim.* At vero pro *scutum*, quod hic facit nihil, si legamus *ocrem*, puto ponendum esse *lutum*, & explicandum de loco depresso ac humili, quippe ubi fere colliguntur aquæ pluviæ, unde lutum: ut, *per lutum, per ocrem*, sit locutio proverbialis, qualis ea, qua Germani utimur: *uber Berg und Thal.* Vel: *durch dick und dunne.* SCHEFFER. Forte, *egre agitavi*, vel, *aginavi.* Glossæ Labbæi: *Aginat*, διαπράσσεται, στρέφει, μηχανᾶται, στρατίνει. & Στρέφει, *vertit, aginat, versat, detorquet.* HEINS.

In angustiis] Rebus angustis. Cic. in Læl. *Amicus certus in re incerta cernitur.* SCHEFFER.

Capuæ exierat] Mallem, *Capuam exierat*, nam loquitur de suo domino. Is autem eopse commorabatur in oppido, ubi tum sermones habebantur. Quod liquet, quoniam præcedit, *habitabamus in vico angusto.* SCHEFFER. De hac locutione videndus est præstantissimus Munckerus curis secundis ad Hygini fabulam CVIII. HEINS.

Scruta scita expedienda] Scribe *scruta scite expedienda.* Porro, *expedire scruta*, est, venalia proponere. Ovid. I. Amor. 421.

Institor ad dominam veniet discinctus emacem,
Expediet merces teque sedente suas,
Quas illa, inspicias, sapere ut videare, rogabit.

SCHEFF. Nescio, cur hic aliquid mutent viri docti, *scita scruta*, sunt pulchra, vel saltem vulgaris meliora. Scruta enim cum sint attritæ usu vestes, dimidiatæ strigiles, soleæ jumentorum, refixi clavi, vasa quassa & futilia, & similia frivola, ut egregie docuit Parrhasius ad Claudian. III. rapt. Proserp. vers. 163. quis nescit inter hæc scruta esse sæpe, quæ ita sunt detrita & comminuta, ut vix usui inserviant. Sed noster *scita*, id est, bella, & adhuc elegantia, expediebat. *Scitus puer* apud Terentium, *scitus arator* German. Arat. vers. 13. & similia vulgo obvia. BURM.

Persuadeo hospitem] Vide supra cap. 46.

Ad quintum milliarium] Suet. Fl. Vesp. cap. 1. *Ad sextum milliarium à Nursia Spoletum euntibus.* SCHEFFER.

Tamquam Orcus] *Orcum* pro Plutone posuit. Glossæ Labbæi: *Orcus*, χάρων, ἅιδης. Hyginus fabula CXXXIX. *Saturnus Orcum sub tartara dejecerat.* HEINS.

Apoculanius] Per Antiphrasin hoc dictum existimo; aut certe demenda est particula *a*. Sic ut legendum sit *Orcus poculanius.* quod non male à Gallis nostris verteretur *un sac à vin.* Nisi velis hic scribi: *Orcus epulonus*, Festus in *Epulonos.* TILEBOM. Hoc quid sit, non assequor satis. Suspicor nihilominus, locum totum ita oportere scribi, *tanquam Orcus, Apoculamus nos circa gallicinia (Luna lucebat tamquam meridie) venimus inter monumenta.* Illud, *apoculamus nos* sic dicitur, ut cap. LXVII. *ego me apoculo. Apoculo* est Græcum ἀποκυλίω *avolvo, amoveo, removeo.* Livius sic latine usurpavit lib. I. cap. 47. *Facesse hinc Tarquinios, aut Corinthum: devolve te retro ad stirpem.* Ita censeo legendum, non *devolvere*, quod parum convenit cum præcedentibus. Horatius pro eo posuit, *removeo*, lib. II. Sat. 6. isto versu:

Ergo, ubi me in montes & in arcem ex urbe removi.

Removi, est ἀπεκύλισα, *apoculavi.* Adde eumdem II. Sat. I. SCHEFFER. Comparat convivatorem suum militem Orco: &, cum Orcus, qui & Plutus, fingi soleat cæcus, vocat *apoculantum*, id est, oculis captum; talem Petrus Blesensis serm. 18. & 43. *abocellum* dixit, ἀνόμματον, quem imitatus noster non hoc solum, sed & verbum, uti videri potest, *apoculo* cap. LXVII. finxit: quamquam in phrasi, *ego me apoculo*, quam adhibet pro *abeo, semoveo me, è conspectu me surripio*, ellipsis verbi intelligi possit. *Ego me ab oculo*, scilicet, moveo ut cap. XXXVIII. *amici de medio*, scilicet fugerant. Insimæ barbariei ista sunt & suaviludium Petroniastrum sapiunt. REINES. Satius videtur ista sic distinguere: *Apoculamus nos*, id est, discedimus, iter inimus. Quod enim de Orco cœco putabam,

„apoculanius. nos circha gallicinia (luna lucebat, tamquam meridie)
„venimus inter monimenta. Homo meus cœpit ad ſtellas facere, ſed
„ego cantabundus; & ſtellas numero. deinde ut reſpexi ad comitem, ille
„exuit ſe, & omnia veſtimenta ſecundum jam poſuit. Mihi in animo,
„in

bam, nunc diſplicet. Interim iſta *abocellus* & *abocularе* ejuſdem ſeculi, ſed non Neroniani, verba eſſe conſtanter teneo. IDEM. Habet Tragurienſis *apoculanius*, quod neſcio cur ſit repudiandum, quamquam nobis de hoc cognomine Orci, quod apud plebem habebat, nihil conſtet. Heinſius in ora libri ſui notaverat, *Orcus Pacuvianus*, id eſt, qualem in tragœdia quadam Pacuvius introduxerat, eodem modo ut Plautus Rudenti Act. I. ſc. I. dixit *Alcmenam Euripidi*. Sed hæc longius abeunt. Forte ridiculum hoc nomen à plebe fictum, quia à *poculis* homines trahit in ſepulchrum & inferos. Sed præſtat nihil definire. Proverbium autem hoc, *ſortis tamquam Orcus*, potuit apud Plebem frequentatum eſſe, propter Proſerpinæ raptum quæ à Pluto violenter matri abrepta fuit: nam Plutum *Orcum*, dici ſupr. ad cap. XXXIV. oſtendimus. Et eo alludit Cicero lib. IV. in Verrem. cap. 50. *Hic dolor erat tantus, ut Verres, alter Orcus, veniſſe Ennam, & non Proſerpinam aſportaſſe, ſed ipſam abripuiſſe Cererem videretur.* Quamvis ego putem, melius adagio hoc ſignificari mortis vim, quam nemo vel fortiſſimus effugit, unde Orcus, (quo nomine mors, inferi, ſepulchrum, & ſimilia, veniunt) *nil miſerans* & *rapax* Horatio, *Pluto illachrymabilis* eidem, *immitis* Virgilio dicitur, & quæ ſunt id genus plurima. Similia vero huic proverbio ſunt illa Salomonis Cantic. VIII. verſ. 6. *Fortis eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Ubi LXX. interpretes ᾅδης habent, quo nomine ſæpe Pluto indicatur (vid. Scholia ad Eurip. Hecub. verſ. 2.) & Tertullianum *Orcum* vertiſſe teſtatur Delrio, in commentario ad illa verba, imo ᾅδης ipſa mors dicitur apud Euripid. Alceſtid. verſ. 13. in qua Fabula Θάνατος inducitur, quem recte *Orcum* Barneſius vertit. BURM.

Luna lucebat, tamquam meridie] Hæc verba parentheſi includenda. Senſus eſt, lunæ lumen feciſſe tam clara omnia, tamquam merus eſſet dies. De phraſi tamen cogitandum, quando luna utique meridie non lucet, *luna* eſſe ablativum cauſſæ, ac *lucebat* poni abſolute. SCHEFFER.

Homo meus] Vide ſupra ad cap. 41.

Ad ſtellas facere] Forte, *ad ſtellas verba facere. Sed ego eo &c.* Vel potius, *verba jacere.* Ovid. *ad ſtellas aliquis talia verba jacit.* HEINS. Vide ſupra ad cap. 15.

Sed ego cantabundus] Suſpicor ſcribendum, *ſedeo ego cantabundus*, id eſt, exſpecto ipſum. SCHEFFER. Proverbii vim habet, & capitur de hominis otioſi labore inutili, & in quo nihil proficiat; ſup. cap. LVIII. dixerat hoc, *numerare mapalia*, quod Perſius corvos, aves, ſectari. Græce τὸν πεπτώμενον διώκειν. Coracobus, quod fluctus maris numeraret, traductus inter ſtultiſſimos. Serv. ex Euphorione. REINES. Munckerus Heinſio ſcribebat, ſibi *cacabundus* videri legendum. Quia in monimenta ſæpe ſecedebant cacandi cauſſa, ut patet ex capite 71. Heinſius vero, margini adſcripſerat, *ſed ego eo cantabundus.* Ego vero Schefferi correctionem probo, *ſedeo cantabundus*, & *ſtellas numero*, quæ egregia otioſi & ſecuri hominis eſt deſcriptio, ut alio proverbio dixere *fluctus numerare*, quo & Ciceronem ad Atticum uſum notat Eraſmus. Innuit ergo, ſe nihil mali ſuſpicatum adhuc eſſe, ſed animi cauſſa ſtellas numeraſſe, quam ſecuritatem etiam notat verbum *ſedeo*, ut Virgil. XII. Æneid. 15.

—— *Sedeant ſpectentque Latini.*

& paſſim. Potuit & Niceros, religione aliqua erga fidera motus, ea numeraſſe ut veneraretur, ut Cicero III. de Nat. Deor. cap. 16. Philoſopho objicit. *Singulas enim ſtellas numeras Deos, eoſque aut belluarum nomine appellas, aut rerum inanimatarum.* BURM.

Secundum jam poſuit mihi in animo in naſo eſſe] Senſus nullus. Unde ſic libenter legerem. *Secundum jam poſuit. Is mihi in animo, in naſo, eſſe videbatur.* TILIBOM. An, *ſecundum viam poſuit?* SCHEFFER.

Mihi in animo] Ante hæc verba cenſeo abeſſe quædam, quæ oſtendebant mutationem ejus. SCHEFF. Perfecta oratio eſt, nec cogitandum de ſupplemento. Hoc vult, *Mihi in animo* erat (ἐν θυμῷ εἶχον, ἐνεθυμήθην, ἐλογιζόμην, ὑπῆρχέτό μοι, putabam) *inſanum eſſe*; nimirum colligebat hoc ex abſurdis ejus actionibus. REINES. Tentat hoc explicare Reineſius, ſed nemo non videt, eſſe frigidam explicationem ejus. Lego, *mihi in animo, ô in caſa eſſes.* Senſus, cogitabam ego mecum in animo, utinam nunc eſſes in caſa & tugurio, longe ab hoc verſipelli. Verba ſunt ſe ipſum alloquentis, ex timore, cum voto. SCHEFFER. Legebam, *mihi en anima* (vel *animus*) *in ano eſſe.* Teſtis eſt A. Gellius Noct. Att. lib. XIX. cap. IV. Ariſtotelem in problematis Phyſicis diſputaſſe, quamobrem eveniat, ut, quibus invaſit repentinus rei magnæ timor, plerumque ſtatim alvo cita fiant. Probabilius tamen eſt, *mihi en animus* (*vel anima*) *in naſo eſſe.* Idque propius accedit ad membranas. Omnis pene adfectus animi in naribus collocatur à ſcriptoribus antiquis. De ira videndus magnus Caſaubonus ad illud Theocriti Idylio primo:

Καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ καθῆται,

De riſu & ſubſannatione Perſius:

„ in naſo eſſe: ſtabam, tamquam mortuus. at ille circum minxit veſtimen-
„ ta ſua, & ſubito lupus factus eſt. Nolite me jocari putare; ut men-
„ tiar, nullius patrimonium tanti facio; ſed, quod coeperam dicere,
„ poſtquam lupus factus eſt, ululare coepit, & in ſilvas fugit. Ego pri-
„ mitus neſciebam, ubi eſſem! deinde acceſſi ut veſtimenta ejus tollerem,
„ illa autem lapidea facta ſunt. Qui mori timore, niſi ego? Gladium
„ tamen ſtrinxi, & matavita tau umbras cecidi donec ad villam amicae
„ meae

——— *Ira cadat naſo rugoſaque ſanna.*
——— *Naſo ſuſpendere adunco.*
——— *Tremulos naſo criſpante cachinnos.*
——— *Excuſſo populum ſuſpendere naſo.* HEINS.

Egregia eſt Munkeri emendatio, quam cum Heinſio per literas communicaverat, *mihi anima in naſo eſſe*, quod proverbium jam Anacreonta ode VII. uſum docebat.

Κραδίη δὲ μοὶ ἄχρις
Ἀίξασα. Κἄν ἀπέσθην.

Ubi κραδίη pro animo poni jam Faber annotaverat. Male autem Anacreonta de vehementis doloris ſtimulo id intelligere explicat Martinus Variar. Lect. lib. I. cap. 9. ubi plura de naſo, quæ iræ quoque ſedes eſt, habet. BURM.

Stabam] Virg. in Ætna. verſ. 62.

Et Mavors ſævus, & cætera turba deorum
Stant utrinque metu ——— SCHEFFER.

Recte Schefferus κυμολογίαν τῆ ſtare notavit. Val. Flacc. lib. IV. verſ. 639.

——— *Stant ora metu, nec feſſa recedunt,*
Lumina.

Stat. lib. XI. Theb. verſ. 673.

Horruit inſtinctu rabido, ſteteruntque trementes
Ceu viſu præſente, genæ.

Et lib X. 683.

——— *Steterantque ambo & vox hæſit utrique*
Dejectæque genæ. BURM.

Circum minxit] Mallem junctim ſcribere, *circumminxit*. Sic eſt, *circumcire*, *circumtondere*, apud Petronium. SCHEFF. Supra cap. LVIII. *ſi circumminxero illum*. Uſus eſt Apulejus hoc verbo. HEINS.

Nolite me jocari putare ut mentiar] Forte, *nolite me jocari putare, putareve ut mentiar*. GOES.

Quod cæperam] Tragur. *Quod, quod cæperam.*

Ubi eſſem] Terent. Heaut. II. ſc. 2. *Ubi ſim, neſcio.* SCHEFFER.

Matavitata] Sua tulit etiam Latina Lingua, quamvis gravis, fictitia effutitiaque verba: Quæ aliquando quidem lætitiam & animi exhilarationem ſignificabant, ut duobus in locis expreſſe noſter Petronius per voces *Madia Perimadia*, & ſuam *Gingilipho* geminatam: Non ſecus, ac Plautus, per ſuum *lyrælyra*. Aliquando vero referunt ſonum, aut imaginem rei, quam gerimus; & actus quem agimus, ut cum tubæ clangorem Ennius, ſuo *Taratantara*: & hic noſter nudum enſem motitando, voce *Mataritata*. TILEBOM. Vocabulum peſſime corruptum. An ſcribendum, *male vitatas umbras?* num potius, *male irritatas umbras?* SCHEFFER. Reſoluta *m* exit præpoſitio *in;* & lego igitur, *in alacritate:* excogitavi, puto, quod in rem erat, neque fallor. Habet autem Propoſitio hoc loco periphraſin Adverbii qualitatis; ut apud Ebræos τὸ ב, & τὸ ἐν apud Græcos. *In alacritate*, id eſt, alacre, alacriter; ut ἐν δυνάμει, potenter: ἐν δόξῃ, glorioſe: ἐν ἀγαλλιάσει, exſultanter. REINES. Reineſius, *in alacritate umbras*, quod abit quam longiſſime à ſcriptura vera MS. quæ eſt *mata vita tau umbras*. Et quî poſſit apta eſſe iſta emendatio, cum præcedat, *qui mori, niſi ego?* Sed & ſtatim ſequitur, *pene animum ebullivi*. Non fuit igitur ea alacritas, ſed ex morte imminente ſumma deſperatio. Mallem, *& in tota via umbras*. SCHEFFER. *Matavitatau* ſonat quaſi μὰ, τὰ, βήτα, ταῦ, intellectu Latino: *Profecto tua* (*res agitur,*) *vita tau*, ſcilicet litera τ in militia vitalis, ut Θ mortis index. Quæ ſimul congruerent ſententiæ Tilebomeni, & magis, ſi μὰ per aphæreſin pro ἐμὰ accipias; intelligeretur enim: *mea, tua* (*res* ſcilicet *periclitatur,*) *vita* τ. HADRIANID. Monſtro hæc ſimillima ſic videntur concinnari poſſe: *& matutinas umbras cecidi*. Sub gallicinium enim hæc geſta jam antea dixerat. *Cecidit umbras*, ut apud Maronem:

——— *Haſta volans noctis diverberat umbras.*

Hoc & *ventilare* dixerunt, hoc eſt, vanis ictibus aërem & auras percutere. Apud Martialem lib. V. ep. XXXI.

Currit, & in tota ventilat arma bove.

Seneca Ep. CXVII. *Quam ſtultum eſt, ubi ſignum pugnæ acceperis, ventilare, remove iſta luſtria arma.* HEINS. Minus à veteri ſcriptura abieris, ſi reſtitueris hoc modo: *Gladium tamen ſtrinxi, & motavi ita, tamquam umbras ceciderim.* GOES.

Umbras cecidi] Virg. 6. Æn. verſ. 260. ubi Sylla Æneæ:

Tuque invade viam vaginaque eripe ferrum.

Et poſt verſ. 290.

Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Æneas, ſtrictamque aciem venientibus offert;
Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formæ,
Irruat, & fruſtra ferro diverberet umbras.

Ad

„meae pervenirem. In larvam intravi ; pone animam ebullivi : ſudor „mihi per bifurcum volabat : oculi mortui ; vix umquam refectus ſum. „Meliſſa mea mirari coepit, quod tam ſero ambularem : &, ſi ante, in„quit, veniſſes, ſaltem nobis adjutaſſes ; lupus enim villam intravit, & „omnia pecora : tamquam lanius ſanguinem illis miſit. nec tamen deri„ſit,

Ad primum horum verſuum Naſcimbenus notat: *Qui agitare Dæmones moliuntur, ex Platonis diſciplina enſes & tela ſibi parent, neceſſe eſt.* Et ex Homero Ulyſſis exemplum profert, in mortuorum umbras gladium educentis. Et, Hortenſius ad eumdem locum: *Multi aſſerunt, Dæmones ferri aciem formidare. Et novi, quibus hoc ipſum nocturnis horis acciderit, ſed cum magna poſtea adverſæ valetudinis conflictatione. Qui Dæmones inſeſtare ſtudent, magno animo ferrum & tela objiciunt, neque temere cedunt illi quidem, niſi ferrum impactum diſſiliat.* Vide Cæl. Rhodiginum Lect. Antiq. 2. 8. ubi & hunc verſum profert, & multa de Dæmonum corporibus eorumque ſenſu tradit, quibus non temere fidem adhibeas. GOES.

In larvam intravi] Scribo, *januam intravi*. Petronius cap. CXXXIX. *heſterno die mulier quædam haud inculta januam intravit*. Adde Phædrum noſtrum lib. III. fab. 10. SCHEFFER. Lege *ibi januam intravi*. REINES. Scribe, *ut in aream intravi*. HEINS. *Minori variatione* legi poſſet, *in haram intravi*. Eſt autem hara locus, in quo pecora ſtabulantur, *ſuile*, in quo ſues. GOES.

Animam ebullivi] Vide ſupra ad cap. 42.

Per bifurcum volabat] *Bifurcum* eſt, quicquid in partes duas, velut furcam, eſt diviſum. Quomodo Columella lib. III. cap. 18. *paſtinum* appellat *ferramentum biſurcum*. At hoc neſcio quid faciat iſto loco. Ideoque cenſeo, deeſſe quidpiam, præſertim cum nec verbum *volare* conveniat ſudori. SCHEFFER. A concepto terrore ſubitaneo, à labore etiam, ſudor manare ſolet. *Biſurcum* vero adpellat utraque femora & crura, quæ in homine furcam adſimulant. Tum lego *colabat*, id eſt, ſtillabat, defluebat ex habitu, tamquam per colum tranſmiſſus. Eſt enim hoc Verbi liquidorum proprium, ut *cribrari* aridorum. Colabat autem pro colabatur, Activo pro paſſionis ſignificationem habente Verbo: de quo elegantiæ genere Gellius lib. 18. cap. 12. Schopp. 2. Verolim. 2. Juretus ad Symm. lib. 8. ep. 42. Ego Variar. lib. 3. cap. 11. pag. 516. 526. REINES. non femora & crura hac voce notari exiſtimo, ſed partem inferiorem maxillarum uſque ad gulam: docet hoc de jumentis Vegetius lib. II. artis veterinar. cap. XL. *Duæ à capite venæ deſcendunt, & conveniunt ſe ſub maxillis uſque ad gulam, inde à geminis venis inferius quatuor digitis ferramentum deprimis, ne in gulam mittas, & biſurcum tangas, & jumentum occidas.* Munckerus in Epiſtola ad Heinſium per nates & crura explicat. Et Horatii illa lib. I. Sat. 9. *mihi ſudor ad imos manabat talos*, huc trahit. BURM.

Sudor volabat] Elegans eſt, nec ulli mendo obnoxium. Seneca Oedipo Actu 5.

——— *Gelidos volat*

Sudor per artus. HEINS. Non damno hanc in plebejo homine locutionem, ſed apud Senecam, quem Heinſius laudat, conſtanter *fluit* habent editiones. Ennius tamen apud Feſtum in *Tullii*:

Miſſo ſanguine tepido Tullii efflantes volant.

Vix umquam] Vix tandem. Illud *umquam* ita uſurpari apud alios non recordor. Noſter infra rurſum cap. LXVIII. *Vix oculo mortuo umquam illum emi*. SCHEFFER.

Meliſſa mea] Hæc ideo Meliſſa, quia Meliſſam illam Tarentinam æquabat, ut dicti *Roſcii*, qui Roſcium æquabant, & ſupra, *Cicero*, puer ille, qui, Primigenius cum vocaretur, alter quaſi Cicero dicitur. GOES.

Ante] Prius, citius. Terent. Andr. Act. I. ſcen. 5. *Nonne oportuit præſciſſe me ante*. SCHEFFER.

Nobis adjutaſſes] Pacuvius in Chriſe, citante Donato ad Terentii Adelph. Prolog. *Adjuta mihi*. SCHEFF. Archaïſmo iſto, à Pacuvio inde, uſum fuiſſe Petronium, præſertim ludentem, facile adducor ut credam. Obſervans enim veteris Romæ cum Ennio, Catone, & Comicis iſtius ſeculi, libenter loquitur. Eumdem amarunt ſeculis incomtis male-Latinis; ſic Alcuinus l. 2. adv. Elipanti epiſtolam f. 949. edit. Pariſ. *In tantam ignorantiæ caliginem errabundus devolveris, ut ea, quæ tuis ſine dubio ſenſibus contraria ſunt, tuis etiam partibus adjuvare æſtimaveris* : niſi vernaculæ ſuæ Latinam attemperaſſe in talibus potius dicendi ſunt; nam & noſtra puriore tertium caſum adſciſcit Verbum *Helffen*. REINES. Ita Salmaſius Spartiano in Ælio Vero cap. IV. hunc archaïſmum ex veteri codice & editione Mediolanenſi reſtituit. *Sed ejus conſiliis juvit eventus*. Aliquantum diſſimile illud Terentii Hecyr. Act. III. ſc. 2.

Tu pueris curre Parmeno obviam, atque his onera adjuta.

Et Gellii lib. II. cap. 19. *Roges, veniant, operamque mutuam dent, & meſſem hanc nobis adjuvent*. BURM.

Et omnia pecora tamquam lanius] Scribe, *& omnia pecora turbavit, ac tamquam lanius*. TILEBOM. Poſt *pecora* ſcribendam ſtellulam puto, deſunt enim aliqua; niſi mavis, illa, tamquam minus auſpicata, reticeri, quod mihi rectius videtur, atque ideo mox,

„ſit, etiamſi fugit; ſervus enim noſter lancea collum ejus trajecit. Haec „ut audivi, operire oculos amplius non potui, ſed luce clara hac noſtri „domum fugi, tamquam copo compilatus: &, poſtquam veni in illum „locum, in quo lapidea veſtimenta erant facta, nihil inveni, niſi san„guinem. Ut vero domum veni, jacebat miles meus in lecto, tamquam „bovis, & collum illius medicus curabat. Intellexi, illum verſipellem „eſſe, nec poſtea cum illo panem guſtare potui; non, ſi me occidiſſes. „Viderint, qui hoc de alibi exopiniſſent; ego, ſi mentior, Genios „veſtros iratos habeam.

LXIII.

miſiſſet, ſcribi oportere. Porro *ſanguinem miſiſſe* dicitur, quia non necavit, ſed vulneravit morſu, ſicut ſolent lupi, cum in gregem veniunt, neminem invulneratum relinquunt. SCHEFF. Forte, *& omnia pecora invadens, tamquam*, &c. HEINS. Cum ſimilia etiam optimis ſcriptoribus quandoque ſponte, aliquando incogitantibus, exciderint, quid miremur, ſi huic plebejo ſimile accidiſſe videamus? Quare non opus hiantem orationem fulcire. Terent. Heaut. Act. I. ſc. I. verſ. 79.

Sed gnatum unicum, quem pariter uti his decuit,
Eum ego hinc ejeci miſerum.

Apulej. Princip. Apologiæ, *Calumniam magiæ, quæ facilius infamatur, quam probatur, eam ſolum ſibi delegit ad accuſandum*: Ubi mallem legere *qua facilius infamatur*. Vide ibi Caſaubonum, qui Helleniſmum eſſe notavit, cujus exempla etiam dedit Celeberrimus Perizonius ad Ælian. lib. XII. cap. 52. plura vide apud Gronovium ad Liv. XXV. cap. 27. BURM.

Operire oculos] Claudere, contrarium τῷ *aperire*. Petronius cap. XLIV. *oculis opertis bona ſua computant*. SCHEFFER.

Hac noſtri domum] Suſpicor ſcribendum, *huc*. SCHEFFER. Legendum arbitror, *ſed luce clara, hoc noctis, domum fugi*. Ubi lux clara eſt, quam luna ſuppeditabat. GOES.

Copo compilatus] *Copo* eſt *caupo*, atque ita etiam apud Ciceronem habent veteres membranæ non uno loco. Philoxenus: *Copo & caupo*, κάπηλος. At *compilatus* dicitur, qui furto læſus eſt. Nonius in voce *Suppilare*. *Suppilare eſt involare, vel rapere, à pilorum raptu, unde & furtum paſſi compilati dicuntur*. Solent autem hi curſu ſtudioque perſequi ſummo, quos ex hoſpitibus mane cognoverunt furtum feciſſe. Quo reſpicitur hoc dicto. SCHEFFER.

Bovis] Scaliger ad Feſtum voce, *Aſſeres, Axis, Axeris, ut ſuis, ſueris, Jovis, Joveris, bovis, boveris*. Adde Varronem lib. VII. de LL. unde ſua Scaliger deſumſit. SCHEFFER. *Bovis boveris*, & *ſuis ſueris*, dixiſſe veteres ad Feſtum Scaliger obſervat. HEINS.

Curabat] Medicorum verbum. Terent. Hecyr. Act. II. ſcen. 2. *Si metuit, ſatis ut meæ domi curetur diligenter*. Noſter infra cap. 140. *curavi diligentius noxioſiſſimum corpus*. Et ita vetus interpres Lucæ cap. VIII. verſ. 2. τεθεραπευμένας recte vertit *curatas*. BURM.

Verſipellem] Proprie ſic appellat, qui ex homine fieri ſolet lupus. Plinius VIII. cap. 22. *Homines in lupos verti, rurſumque reſtitui ſibi, falſum eſſe, conſidenter exiſtimare debemus. Unde tamen iſta vulgo infixa ſit fama in tantum, ut in maledictis verſipelles habeat, indicabitur*. Philoxenus, *verſipellio*, λυκανθρωπος. SCHEFFER. Verſipellis eſt, qui pellem, & per id figuram aut formam mutat. Plautus Amphitruonis prologo:

Nam meus pater intus nunc eſt, eccum Jupiter
In Amphitruonis vortit ſeſe imaginem,
Omneſque eum eſſe cenſent ſervi, qui vident.
Ita verſipellem ſe facit, quando lubet. GOES.

Vide Harduinum ad Plinii locum à Scheffero adductum.

Non ſi] Terent. And. IV. 2. *Non, ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omnes homines*. SCHEFFER. Vide Ryckji notas ad Tacit. 12. ann. cap. 37.

viderint] Retulimus codicis Traguriani ſcripturam. Quæ etſi forte non ſit proba, oſtendit tamen hic libertus his verbis, ſe fidem habere huic prodigio, nec curare, quid alii de λυκανθρωπίᾳ illa ſentiant, ſibi conſtare, verſipelles dari. v. de voce *viderint* ſup. cap. 62.

Alibi exopiniſſent] Libenter ex Feſto, *in poſtliminio*, ſcriberem: *aliter in opinione ſunt*. TILEBOM. Hæc corrupta ſunt, nec quid ſibi velint, ſatis diſpicio. SCHEFFER. Lege, *qui hoc de alio eſſe opiniſcent*. Latino-Barbarum eſt *opiniſcere, opiniſſere*, (& *opiniſſare* paragogicum τῷ *opinari*:) è quibus illud Deſiderativis, hoc Meditativis, adſcribendum. Bene tamen Latina hujus formæ & antiqua ſunt, *petiſſo, expetiſſo, incipiſſo*. REINES. Reineſius, *qui hoc de alio eſſe opiniſcent*. Verum non intelligo quid velit id, *de alio*. Sententia loci, ut exiſtimo, eſt talis: debere illos, qui hac de re opiniones omnium exanimarunt, videre, utrum poſſit fieri, nec ne, ut nimirum homo con-

LXIII. „[a] Attonitis admiratione universis: [b] Salvo, inquit, tuo ser-
„mone, Trimalchio, si qua fides est, ut mihi pili inhorruerunt; quia
„scio, Nicerotem nihil nugarum narrare. imo certus est, & minime lin-
„guosus; nam & ipse vobis rem orribilem narrabo. Asinus in tegulis:
„Cum adhuc capillatus essem, (nam à puero vitam chiam gessi) ipsim
„nostri

a ENCOLPIUS. b TRIMALCHIO.

convertatur in lupum. Ad quam exprimendam rectius fortasse scriberetur, *qui hoc de alibi exopini sunt*. Potest sane *exopinus* intelligi, qui non opinatur amplius, sed rem tenet certam exploratamque, ab *opinus*, quod à Phædro usurpatur. SCHEFFER. Legendum, *viderint, quid de hoc alii exopinassent*. *Exopino* & *exopinor* pro opinor: *exopinassent*, pro exopinati fuerunt, archaicum. Sic *excantassint*, & similia in lege XII. tabularum. Item *prohibessit*, pro prohibuerit, apud Ciceronem, *licessit*, pro licuerit, apud Plautum. Atque hinc infinitiva, *opinassere*, *impugnassere*, & similia alia. Veteres autem *opino* dixisse pro *opinor*, testis est Priscianus, adstruiturque Plauti, Pacuvii, Ennii, exemplis. HEINS.

Salvo, inquit, tuo sermone, Trimalchio] Transpositio unico verbo, legendum potius, *salvo tuo honore, inquit Trimalchio*. Nam quæ sequitur, narratio Trimalchionis est. GOES. Nil muta. Formula est excusantis, quod interpellat, ut & hodie urbanioribus est mos. Juvenal. Sat. v. vers. 72.

Salva sit artoptæ reverentia ——

Idem vero notat, quod *pace vestra, cum bona venia*, & similia. Vide Valesium ad Ammian. Marcell. lib. XVI. cap. 12. mox, *salvum sit, quod tango*.

Si qua fides] Et hæc usitata, in rebus incredibilibus, formula, qua nobis credi postulamus. Ovidius IX. Met. vers. 55.

Si qua fides (neque enim ficta mihi gloria voce
Quæritur,) impositio pressus mihi monte videtur.

Et vers. 371.

Si qua fides miseris, hoc me, per numina juro,
Non meruisse nefas.

Et passim etiam alii, noster infra cap. 65. *si qua est dicenti fides*.

Niceronem] Scribe, *Nicerotem*. TILEBOM. Supra hunc vocavit *Nicerotem*, ut, aut hic, aut ibi, aliquid vitii esse necesse sit. GOES.

Certus est] Vid. supr. cap. 44. quamquam hic videatur mendaci opponi.

Linguosus] Garrulus, λάλος. Usurpavit hoc vocabulum Hieronymus tali sensu sæpe, ut docet Casaubonus in Characteribus Theophrasti. SCHEFFER. Vide supra cap. 43.

Asinus in tegulis, cum adhuc capillatus essem, nam à puero vitam chiam gessi ipsim nostri delicatus] Sic distinguendum atque legendum esse arbitror huncce locum, *Asinus in tegulis. Cum adhuc capillatus essem, (nam à puero vitam chiam gessi) ipse noster delicatus decessit, mehercules, Margaritum*. TILEBOM. Ita præscribit proverbio fabulam, quam narraturus est; nimirum, rem novam, insolitam, simul horribilem, de strigibus παιδοπαιρίαις. Videri tamen etiam scholion marginale potest: quale etiam hoc, *Ecce, alius ludus* cap. LXVIII. REINES. Non dissimilia alii. Capitolinus Pertinace: *Equus pullus ea hora, qua natus est, in tegulas adscendit, atque ibi brevi commoratus decidens exspiravit*. Liv. lib. XXXVI. *Boves duos domitos in Carinis per scalas pervenisse in tegulas ædificii, proditum memoriæ est*. Sic *Ostrea reperire in tegulis*, apud Valerium Maximum lib. IX. cap. 1. HEINS. Hæc verba per se consistunt, & spectant ad notam illa tempestate fabulam, ad quam, allato hoc ejus initio, alludit, tamquam quid illi simile adlaturus. Scilicet in ea memorabatur asinus in summa parte ædium ipsoque tecto ambulans, quod stupendum omnibus ac prodigiosum videbatur. Quomodo apud Lucianum admirationi asinus est μηνύσας ἐκ τῶν ὑπερῴων, *ostentans se ex superiore tabulato*, quem est imitatus Apulejus lib. X. Omnium vero optime clarissimeque hæc cognoscitur ex Terentio, qui sic loquentem facit Lachetem Act. IV. Hecyr. sc. 3.

Jam nos fabula
Sumus Pamphile, senex atque anus.

Donatus eo loco. *Senex atque anus: Hæc duo nomina, ut posita sunt, caput inducant & incæptum hujusmodi fabularum*. Idem paulo post, *pronuncia: senex atque anus, quasi initium fabulæ*. Et ita Cicero *Bos Clitellas* apud Quintilian. lib. V. cap. 11. SCHEFF. Lib. II. de re Vehicul. cap. 2. Egregie Schefferus, & hoc non observatum plurima Poëtarum & aliorum loca obscuravit, qui tangunt duobus tribusve verbis notas vulgo fabulas. Ita Horatium lib. I. Epist. II. vers. 42. ad fabulam alludere docuit Gronov. de pecun. vet. lib. I. cap. 1. & lib. I. Sat. VII. vers. 27. Acro eodem modo, ad notas cantilenas, & loca quædam celebria veterum comicorum Accii, Pacuvii, Ennii & aliorum adludunt. v. Acr. & Torr. ad Horat. I. Sat. II. vers. 107. Plurimus in his Cicero, & præsertim in literis ad Atticum. Et hinc factum ut prima illa, sive fabularum, sive cantilenarum, sive celebriorum quorumdam locorum, verba in proverbia abierint. Tale est illud *Rideo, inquit Galba, canterio*. Quod interpretatur Festus, sine quo nemo hoc hodie intelligeret, ut nec scimus, unde natum hoc sit *asinus in tegulis*. BURM.

Vitam chiam] Delicatam intelligo, mollem, jucundam, quomodo & *risus chius* dictus est proverbio, de

„ noſtri delicatus deceſſit, me-Hercules margaritum, caccitus, & omnium „ numerum.

quo, qui Adagia compilarunt. SCHEFFER. Vita Chia pro molli, qualem Comœdiæ deſcribunt. *vitam geſſi*, pro egi: & ſic loquebantur non numquam. HEINS. Chii notati proverbio χῖοι κακοί. Anthol. lib. II. cap 43.

Καὶ τόδε Δημοδόκῳ, Χῖοι κακοὶ, οὐχ ὁ μὲν, ὃς δ' οὔ,
Πάντες πλὴν Προκλέης, καὶ Προκλέης δὲ Χίος.

Vide Eraſmum in proverbio *Ceris mali*. Sed, quia Niceros hæc ſubjungit voci *capillatus*, qualem ſe fuiſſe fatetur, id eſt, ſervum jam à puero, *vitam chiam gerere* ſimpliciter capio, pro ſervire, quod ille, nunc libertus, & antiquitatum, ut ſibi videbatur, peritus, honeſta hac locutione circumſcribebat, & ita prioris vitæ ſordes quaſi tegebat. Nata autem hæc locutio videtur inde, quod Chii primi omnium inter Græcos fuiſſe dicantur, qui ſervis pecunia emtis uterentur, cum aliis populis turpe hoc commercium videretur, & nullos ſervos, niſi bello captos, unde mancipia dicta, haberent: ut egregie hoc docet Athenæus lib. VII. cap. 18. *Gerere* autem *vitam* pro agere recte dici, præter ea, quæ Schefferus & Gronovius adducunt, probant exempla, quæ Cl. Grævius ad Cicer. IV. ad famil. epiſt. 5. adduxit. BURM.

Geſſi ipſimi] Puto ſcribendum: *geſſi ipſimi*. Τὸ *ipſimi* uſurpat etiam in ſequentibus: *femina ipſimi domino ſui*. ubi vide. *Geſſi*, eſt *egi*. Quomodo B. Cyprianus in orat. ſub martyrii horam: *Tibi gratias & laudem gero. Deus*. Livius XXXIX. cap. 54. *Neque illos recte geſſiſſe, quum in Italiam veniret*. Ita Optimus Gronovius lib. IV. Obſ. cap. 14. ubi vide plura. Plautus Pſeud. I. ſc. 2. *Sed tace, atque hanc rem gere*. SCHEFFER.

Monſtri delicatus] Scribo, *noſtri delicatus*. Quomodo apud Spartianum in Adrian. cap. 4. *delicati Trojani*, hoc eſt, οἱ ἐρώμενοι. Vide Caſaubonum eo loco. SCHEFFER. Opinor, *Iphis en noſtri delicatus*. Iphis nomen utrique ſexui conveniens, ut apud Naſonem in libris Metamorphoſeon, ac proinde catamito convenienter impoſitum. *Noſtri*, nimirum heri. Sic Plautus & Terentius non ſemel. Supra cap. XXX. *Cajus noſter foras cœnat*. Pueros autem, quoſquos in deliciis habebant, *delicatos* eſſe dictos, *deliciaſque heriles*, ut Alexis apud Maronem in Bucolicis, ſatis ſuperque manifeſtum eſt Inſcriptione Gruteri pag. DCLXI.

EVTVCHETI. PUERO
DELICATO. B. M.
L. FVFIDIVS. SPORVS
DOMINVS. FECIT
BREVIS. VOLVPTAS
FVIT HEINS.

Nullus quoque dubito, quin hic lateat nomen pueri delicati, ſed difficile illud conjectare. *Noſtri* recte Heinſius explicuit, & pluribus exemplis uſum hujus pronominis adſtruxit Ampliſſimus Cuper. I. Obſerv. 19. Talia autem noſſe oportuerat bonum illum Gallum, qui nobis Petronium integrum obtrudere voluit, & non hæc verba capere, quaſi ipſe Niceros adhuc capillatus, & puer, delicatum hunc amaſſet; cum veroſimilius ſit, illum ea ætate nondum virum egiſſe, ſed paſſum fuiſſe. Sed, talia ſi obſervare vacaret; nulla mihi, ſine hujus impoſtoris nota, pagina conſcribi poſſet. Saltem, *delicatos* turpes pueros & pathicos vocari, vulgo cum ſit notiſſimum, ignorare non potuiſſet, ſi umquam vetera monimenta tractaſſet. Sine tamen probri ſuſpicione *delicatos* pueros à parentibus & aliis dici, docuit Fabrettus cap V. Inſcr. pag. 362. qualis forte hic fuit, quia de ejus *matre* ſequitur. *Ancillas delicatas* etiam innocue dictas docent tituli, quos Heræ illis poſuerunt. V. Gruter. CCCXI. 6. & Fabrett. d. l. aliter vero capio lapidem apud Gruter. CCCXLIV. 13. ubi Æbutius *libertæ ſuæ Delicatæ* titulum fieri juſſit. & DCLXI. 15. BURM.

Caccitus, & omnium numerum] An legendum, *cæritus & omnium numerum?* Poſſet *cæritus* accipi pro eo, qui ex cæra eſt formatus, ut ſic notaretur pulchritudo ejus. Num potius *cirratus*, quod inverſe poſitæ fuerint literæ? ut intelligatur cincinnatus, comtulus. Tales enim amabant. Vide Senec. ep. 93. *Numerum*, eſt *numerorum*. Omnium numerorum eſſe dicitur, qui habet omnes numeros, id eſt, perfectus atque abſolutus eſt: ſicut eſſe bonæ indolis, & habere bonam indolem uſurpamus. Cicer. de offic. I. *Illud autem officium, quod rectum appellant, perfectum atque abſolutum eſt, &, ut iidem dicunt, omnes numeros habet*. Noſter infra cap. LXVIII. *Duo tamen vitia habet, quæ ſi non haberet, eſſet omnium numerorum*. Sic enim legendum ibi, non *nummorum*. SCHEFFER. Lege *eccritus*. ἐκκριτος, pro ſelecto, eximio, egregio. Philo aquilarum pullos eos, qui contra ſolem tuentur, vocat φιλτάτους καὶ ἐκκρίτους. Schol. Rhet. Ariſt. lib. I. οἱ ἔκκριτοι τῶν Αἰτωλῶν ſunt proceres, ſelecti Ætolorum. Heliod. lib. 9. Æthiop. cap. 3. dixit ἄνδρα ἔκκριτον καὶ τῷ σώματος ἰσχὺν ἐπίλεκτον. REINES. Caſtigandum *margaritum Hyacinthus*. Nota illa ſunt Auguſti ad Mæcenatem, quæ Macrobius conſervavit nobis Saturnalium. II. cap. IV. *Vale mel gentium, melcule, ebur ex Etruria, laſer Aretinum, adamas ſupernas, Tiberinum Margaritum*. Et in marmore antiquo apud Gruterum pag. CCCXXXII. 2.

DIS. MANIBVS
MEMORIAE. C. REGVLI. MORIBVS
DECORE. NATALIBVS. D. D. HYACINTHO
VEL. NARCISSO. COMPARANDI. QUI
VIXIT. AN. XII. M. III.

Et apud Martialem lib. VIII. epigr. LXIII.

Theſtylon Aulus amat, ſed nec minus ardet Alexin,
Forſitan & noſtrum ſic Hyacinthon amat.

HEINS.

Et

„ numerum. Cum ergo illum mater miſella plangeret, & nos tum plures „ in triſtimonio eſſemus, ſubito ſtrigae coeperunt, putares canem lepo- „ rem perſequi. Habebamus tunc hominem Cappadocem, longum, val- „ de audaculum, & qui valebat poterat Jovem iratum tollere. Hic au- „ dacter ſtricto gladio extra oſtium praecucurrit, involuta manu ſiniſtra „ curioſe, & mulierem, tamquam hoc loco, (ſalvum ſit quod tango) me- „ diam

Et nos tum plures] Scribe *; & noſtrum plures.* HEINS.

In triſtimonio] Scribe, *triſtimonia.* Nævius apud Feſtum in Colace: *Triſtimoniam deturbat ex animo.* SCHEFFER. *Triſtimonium*, ut *alimonium* apud Tacit. XI. Annal. XVI. & ſupra, *gaudimonium.* HEINS.

Hominem Cappadocem] Servum intelligere oportet: ex Cappadocia enim, Galatia, & vicinis regionibus quotannis venalium greges in Italiam ductos, ſupra ad cap. XXIX. docuimus, *homo* autem ſæpe ſervum notare, ad Cicer. pro Quint. cap. 19. notavit Paſſeratius, & Fileſacus lib. I. Select. cap. 17. Stat. lib. V. Silv. 2. verſ. 91.

——— *Hominum cui cura ſuorum.*

In jure ita paſſim vocantur. v. l. XLI. §. 10. de legat. 3. & alibi. *Hominem* ſimpliciter etiam pro paraſito, ſcurra, dici, adfirmat Salmaſ. ad Poll. XXX. Tyran. cap. 30. BURM.

Valde audaculum] Repono, *valde audacem.* TILEBOM.

Et qui valebat poterat Jovem iratum tollere] Scribe, *& qui, ſi volebat, poterat Jovem iratum tollere.* Quod & Munckero placebat. HEINS. *Valebat poterat*, Tragurienſis; ſed ultimum Gloſſema videtur.

Jovem iratum tollere] Sicut *taurum tollere* Petronius cap. XXV. SCHEFFER.

Percucurrit] Forte, *procucurrit.* HIENS.

Curioſe] Diligenter. Petronius iterum cap. CXXXV. *deterſiſque curioſe manibus inclinavit ſe in lectum.* Loquitur autem de manu involuta veſte, clypei loco. De qua conſuetudine Petron. cap. LXXX. *Intorto circa brachium pallio, compoſui ad præliandum gradum.* SCHEFFER. Videtur aliquid deeſſe: ut puta, *involuta lænæ manu ſiniſtra*, vel *amiculo*, vel *lacernæ*, vel *pallio*, vel *lacinia*. Talis nimirum erat habitus componentium ſe ad pugnam: niſi volumus lænam aut lacernam ſubintelligi. Sed tot locis tam male alibi exceptus Petronius facit, ut verius rear, excidiſſe nonnihil hic loci, librariorum culpa: præſertim cum alibi loquatur aliter, ut cap. LXXX. *Intorto circa brachium pallio compoſui ad præliandum gradum.* Similiter & alii. Apulejus Met. XI. *Accurrunt mœſti ſuppetias, obvolutiſque lacinia lævis manibus, lapidum crebris jactibus propugnare fratri, atque abigere canes, aggredior.* Ubi caſtigandum, *propulſare fratri.* Tacit. Hiſt. V. cap. XXII. *Ruunt per vias pauci armati militariter, pleriſque circum brachia torta veſte, & ſtrictis mucronibus.* Livius lib. XXVI. cap. XVI. *Inter hæc dicta paludamento circa lævum brachium intorto (nam ne ſcuta quidem ſecum extulerant) in hoſtes impetum fecit.* Antoninus liberalis fabula XII. ὁ δὲ φύλιος περιβαλὼν τὸν βραχίονα τῇ ἐσθῆτι, ὴν ἐφόρει, ἔφραξε τὸ τόμα τῷ λέοντος. Quod Pacuvius Hermiona dixit *clupeare brachium chlamide contorta*, ut eſt apud Nonium. Val. Maximus lib. III. cap. II. *Tum Scipio Naſica lævam manum apertæ togæ circumdedit.* Ubi homines eruditi quærunt, quo modo *toga aperta* dicitur, quæ clauſum ſit veſtimentum. Vir elegantiſſimus Octavius Ferrarius lib. I. cap. V. Rei veſtiariæ, interpretari & rem expedire conatur, ſed vereor ut fruſtra. Scribebam ego, *lævam manum obtortæ* (vel *intortæ*) *togæ circumdedit.* Sic *torta veſtis.* Tacito, *intortum paludamentum*, Livio, & *torta chlamys.* Valerio Flacco. Si quis tamen apud Val. Maximum malit, *parte togæ circumdedit*, quod ſcripti Codices ut plurimum exhibent, non multum obnitor. Porro, ad iſtum pugnantium ſtatum videri poſſunt & iſta Catulli reſpexiſſe:

Quare nos tela iſta tua evitamus amicta.

Ut & Senecæ de conſtantia Sapientis cap. VII. *Telum oppoſita veſte eludere.* HEINS.

Salvum ſit, quod tango] Formula eſt ejus, qui avertit omen, quod in ſe ex narratione mali alieni valere poſſe pertimeſcit. Itaque hic parentheſi debet includi. Nam præcedens *hoc loco* demonſtrative debet intelligi, quia ſimul cum his verbis intenderat digitum in ſui propriique corporis eum locum, in quo corpus mulieris fuerat vulneratum. SCHEFFER. Tangebat autem menſam, ut jurantes precanteſve ſolebant. Sic mox: *oſculatique menſam rogamus nocturnas.* Apud Naſonem lib. I. Amor. Eleg. IV. verſ. 27.

Tange manu Menſam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.

Quo loco vir ſummus Juſtus Lipſius nollem correxiſſet, *Tange manu mentum.* Nam, ut aræ pro Deorum menſis, ſic ſacrata menſa & aræ loco habita. De ſacratis autem menſis complura eruditum in modum congeſſit Gronovius obſervationum lib. IV. cap. IV. HEINS. Minime hic menſam tangebat, neque ſuum corpus, ſed aliquem convivarum proxime ipſi accumbentem, eo loco, quo Cappadox ille mulierem trajecerat, ut ſolent fere facere, qui ſermonibus ſuis geſticulationes adjungunt. Petit ergo veniam, quod

„ diam trajecit. Audimus gemitum; & plane (non mentiar) ipsas non „ vidimus: baro autem noster intro versus se projecit in lectum, & cor- „ pus totum lividum habebat, quasi flagellis caesus, quod scilicet illum „ tetigerat mala manus. Nos cluso ostio redimus iterum ad officium: sed „ dum mater amplexaret corpus filii sui, tangit, & videt manuciolum de „ stramentis factum: non cor habebat: non intestina: non quidquam: „ scilicet jam strigae puerum involaverant, & suppositum stramentitium „ vavatonem

tangat convivae pectus, vel aliam partem. Caeterum narratio haec admodum intricata, neque, quam mulierem intelligat, apparet, nisi striga fuerit mulier, de qua mox.

Et plane non mentior] Mallem scribere ac distinguere, *at plane, non mentiar, ipsas non vidimus.* SCHEFFER.

Ipsas non vidimus] Legendum *ipsam*, quoniam sermo est de una. SCHEFFER.

Introversus] Divide, *intro versus*, nempe intra ostium, extra quod cucurrerat ante. quomodo *retro versam aciem* dixit Horatius. SCHEFFER. Lege omnino, *intro reversus.* HEINS.

Illum tetigerat mala manus] Venefica, magicaque arte armata. Sic *malum carmen* habemus apud Plinium & alios isto sensu. Inscriptio vetus apud Gruter. pag. 586. *Quo. tempore, vivere. debuimus, à. mala. manu, disparati. sumus.* Plaut. Amphitr. Act. II. scen. I. *Huic homini nescio quid est mali mala objectum manu.* SCHEFFER. *Tangere* pro percutere dixere veteres per μείωσιν, sive imminutionem, ut notavit Muretus ad Catulli epigramma illud, cujus initium est: *Aureli pater esuritionum.* Atque ita accipiendum apud Horatium lib. III. od. 26.

——— *Sublimi flagello*
Tange Cholen semel arrogantem.

Cujus vim verbi non intellexit Jul. Cæsar Scaliger Hypercritico, cum Horatium notat, tamquam voce usum non satis gravi. *Mala manus* autem pro magica. Plautus Amphitruone Act. II. scen. I. HEINS. *Mala* est, magica. Vide Ampl. Cuper. II. Observ. cap. 17. & Brouckh. ad Propert. III. eleg. 5. vers. 20.

Officium] Scilicet plangendi, flendi, & quae alia luctus postulat. Ita *officium nuptiale* dixit supra cap. 25. ubi vide.

Amplexaret] Puto, melius sic scribi: *dum mater amplexat, & corpus filii sui tangit, en videt*, &c. Illud *amplexare* active sic posuerunt alii quoque, interque illos ipse Cicero. SCHEFFER.

Manuciolum] Puto, fasciculum denotari, nec esse multum *à manicillio* diversum, quod in Glossis legitur, Graeceque χειρίδιον redditur, hoc est, nescio quid, repurgandis pavimenti parietumque sordibus accommodatum, uti à Polluce docemur. SCHEFF. Forte *manupiolum.* HEINS. Recte Scheferus putat, fasciculum fuisse: eo glossae alludunt, quae habent *manicium*, χειρὶς, *manicula*, χείριον, unde noster fecit *manciolum* vel *manuciolum.* Idem autem est quod *manipulus.* in Isidori Glossis est *manua*, *manipuli*, quod latius explicat du Cange.

Strigae] Lege, *striges.* Discrimen enim luculentum est, referente Scaligero, inter *striges* & *strigas*, licet plerique illa confundant, & promiscue usurpent. SCHEFFER. Meminit Petronius cap. CXXXIV. *Quae striges comederunt nervos tuos?* Porro ex hoc loco suspicor, scribendum esse *striges.* Quanquam & Philoxenus: *Striga*, γυνὴ φαρμακὶς. De strigibus hisce habes alias non pauca huc spectantia apud Apulejum lib. II. Asini, cui potest addi Plautus Pseud. II. sc. 2. SCHEFFER. Recte *strigae* Tragurienses. Et ita verosimile est scriptum fuisse apud Festum, cujus verba sunt mutilata. Ita Keuchenius testatur in membranis Pithœanis apud Seren. Sammonicum cap. LX. fuisse *striga*, pro *strige*, & ex Glossariis quoque probat. De strigibus late Ovidius lib. VI. Fastor. vers. 131. ubi involare cunas & infantum viscera & sanguinem epotare credi narrat. Has autem strigas putabant esse mulieres sagas, quae nocte in aves versae volabant per tenebras, ut ex Isidoro & Festo patet. Ovid. I. Amor. VI. 13.

Nec mora, venit amor. non umbras nocte volantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.

Et Ovid. lib. I. Am. Eleg. VIII.

Hanc ego nocturnas suetam volitare per umbras
Suspicor, & plumis corpus anile tegi.

Vide & Torrentium ad Horat. Epod. V. & Tibull. II. El. VI. vers. 15. nondum vero hae aniles fabulae in Germaniae quibusdam partibus, & alibi, fidem suam amiserunt. BURM.

Involaverant] Supra cap. 58. de hoc verbo quaedam adnotavimus, hic autem proprie usurpatur de *strigis*, quae *volaticae* dictae, teste Festo & aliis.

Vaccatonem] Sic fortassis à vacando dictum, quod esset vacuus inanisque, ac destitutus intestinis. Licet vocabulum hoc alias non lectum nobis sit. SCHEFF. Lege *vacantonem.* Vacanto, fascis, manipulus, cento, volucrum corpore alio vacuum: vacantivus, βαλαντιβόν, vacans. Fortassis rectius dixerimus *Vacantionem* à Participio activo, ut *Crescentionem*, *Servantionem*, *Valentionem.* REINES. Hic plenis velis in Barbariam navi-

„vavatonem. Rogo vos, oportet credatis, sunt mulieres plus sciae, „sunt nocturnae, & quod sursum est deorsum faciunt. Caeterum baro „ille longus, post hoc factum, numquam coloris sui fuit; imo post pau- „cos dies freneticus periit.

LXIV. „[a] Miramur nos, & pariter credimus; osculatique mensam „rogamus nocturnas, ut suis se teneant, dum redimus à coena. Et sane „jam

a ENCOLPIUS.

navigatur; sed dixi, supra, propter singula verba Fragmentum hoc non posse destitui, qui hoc agit, integras sententias & narrationes proscribat, me minus pugnaturo quam pro singulis verborum. Video MSm: deprehendi fabricatorem, & promotores Hisp. *martilli* seu *martioli* (dolus autem, vel quasi, quo subtilior verique magis speciem præbet, eo odiosior) pro *marculo* aut *martulo*, quid ni eadem via *vaccatonem* productum statuam? Quæ mea mens de singulis. HADRIANIDES. Non dubito, quin legi oporteat: *vacationem rogo vos oportet*, &c. Manuciolum vel manipiolum illud vacationem & ferias exhibiturum erat rogo, ut pote non comburendum tamquam cadaver, ut quod nec cadaver esset. GOES. Quæ huc Viri docti conferunt sunt nauci. Heinsium admodum exercuisse hanc vocem docuerunt me mutuæ ejus cum Munkero Epistolæ, sed non potuisse sibi satisfacere ipse testatur, & quod nihil in notas transtulerit apparet. Munkerus conjiciebat *Bobatorem*, à *bobari*, quod à Græco βαυζειν, id est, ὑλακτειν, derivabat. Gloss. Philox. *Bobantes*, βοωντες: præterea posse etiam legi sibi videbatur *Blatonem*, ut prima syllaba fuerit perperam geminata. Heinsius, in hoc fragmento Osca quædam & Campana vocabula occurrere sibi persuadens, malebat *vavatorem*, quæ vox ex sono, quem infantes recens nati primum edunt, *va*, *va*, formata est. Unde & *vagire*, & *vaticanus ager* & *Deus* dictus. Vid. Gell. XVI. cap. 17. in alia epistola pro *vavatore* mavult *babactonem*, ἀπὸ τῦ βαβάζειν, & inde putat Italos hodie ἀπὸ τῦ βαμβαίνειν, ejusdem significationis voce, infantem nominare *Bambino*. In margine vero codicis adnotaverat hæc sequentia. Forte vulgus Campanum ἀπὸ τῦ βαυβάζειν, vagire, formarunt vocabulum *babasonem* sive *babazonem*, vel, mutato Z in T, *babatonem*. Quid si scribimus tamen *stramentitium Balatronem*, quo verbo etiam usus Lucretius, etsi loco in vulgatis libris mendoso. Sic *Barones*, *Babacali*, *Baceli*, & similia apud nostrum. *Balatrones* etsi pro hominibus nihili vulgo accipiuntur, Festus tamen interpretatur *Bullas luti ex itineribus, aut, quod calceamentorum soleis eraditur*. Interpretes Horatiani *Balatrones à balatu & vaniloquentia* dictos volunt, & *Balatrones* quasi *Blaterones*, quod *Blaterent, & clament sine ratione*, nam *Blaterare* est inepte clamare. Glossæ Labbæi, *Balatro* ἄσωτος, eædem ἀσωτος, *Ganearius*, *Lascivus*, *Luxuriosus*, *prodigus*, *profusus*, *sumtuosus*, *Helluo*, *Balatro*. Munkerus autem legebat *Atacionem*, ut alludatur ad Satyram Varronis *Atax stramentitius*. *Atacio*, ὑποκοριστικὸν ab *Atace*, ut *Senecio* à *Sene*. Sed ego in Varrone puto esse *Ajacem*. Hæc Heinsius. Sed non nostrum hos fluctus componere. *Barätro* autem & *balatro* quid sit, v. Spelmanni Gloss. in *Barator*, & *Balatro*. BURM.

Rogo vos] Vide supra cap. 39.

Sciæ] Scientes, doctæ. Pacuvius, citante Prisciano: *Neque quemquam invenit scium*. Glossæ veteres: ἰδὼς, *scius*. Nempe, sicut dicuntur *sagæ*, à sagiendo, quod multa sentiant, intelligantque, ita *sciæ*, quod multa sciant. A *scio* est diminutivum *sciolus*. SCHEFFER. Id est, scientiores. Munkerus malebat *plures sciæ*, vel, *quam plures sciæ*. Festus in Querquetulanæ, *sed fœminas antiqui, quas scias dicimus, viros appellabant*. Ubi Scaliger *quas nunc dicimus*. Barth. II. adversf. cap. 3. *quas incientes dicimus*. Sed *quas scias dicimus* Munkerus mavult, quem & vide ad Hygin. fab. XCII.

Nocturnæ] Sic appellat, propter sacra magica, quæ noctu solent celebrare, artemque ipsam, quam exercent noctu. SCHEFFER. Obvia passim apud Poëtas, è quibus sagas & veneficas nocte sacris suis operatas discimus. Ita *Nocturnæ strigis* Horat. Epod. v. & mox capite sequenti *nocturnos rogamus*.

Quod sursum est deorsum faciunt] Græcismo dixit. Mnesimachus in Hippotrapho apud Athen. l. 9. πάντες ὅ τι ἔνδον τὰ κάθατεν ἄνω, scilicet ποιῶσι, de familia discursante in domo & satagente. Seneca ex parte ep. 44. *Omnia ista longa vetustas miscuit, & sursum deorsum Fortuna versavit*. REINES. Vide supra ad cap. 58.

Coloris sui] Elegantius hoc, quam pro Trimalchionis persona dictum. Ovidius II. Metam. 403.

——— *Quæ postquam firma, suique*
Roboris esse videt.

l. 3. C. de Testam. tutel. *Quamquam unus vestrum suæ ætatis factus sit*. Id est, ejus ætatis, quæ puberem ostendit. BURM.

Osculatique mensam] Velut rem sacram. Sic enim habitas fuisse docent veteres. SCHEFFER.

Suis se teneant] Puta, *finibus*. Cicero III. fin. 1. *Quare illam quidem dimittamus, & suis se finibus tenere jubeamus*. SCHEFFER. Non *finibus*, sed *sedibus*, subintelligendum arbitror. Hac enim precatione solemni avertebant infaustum occursum Lemurum, Larvarum, & omnium nocturnarum imaginum; super-

stitio

„jam lucernae mihi plures videbantur ardere, totumque triclinium esse „mutatum, cum Trimalchio, [a] Tibi dico, inquit, Plocrime, nihil „narras? nihil nos delectaris? & solebas suavis esse, canturire belle „deverbia adicere melica. Heu! heu! abistis dulcis caricae. [b] Jam, in-

[a] TRIMALCHIO. [b] PLOCRIMUS. „quit

stitio enim illa valida invaserat olim, strigas, animos, animas, & umbras nocte ex sepulchris & ipsis inferis evolare, & vias infestare. Ovid. II. fast. vers. 551.

Vix equidem credo: bustis exisse feruntur.
Et tacitae questi tempore noctis avi.
Perque vias Urbis, Latiosque ululasse per agros
Deformes animas, vulgus inane, ferunt.

Eleganter Valer. Flaccus lib. III. vers. 447. deprecationem & lustrificum cantum nobis exhibet.

—— Ite peremti,
Ac memores abolete animas: sint otia vobis,
Sit stygia jam sedis amor, procul agmine nostro
Et procul este mari, cunctisque absistite bellis.
Vos ego nec Grajas umquam contendere ad urbes
Nec triviis ululare velim, pecorique fatisque
Nulla adeo pestes, nec luctifer ingruat annus.

Vide & Senec. Thyest. 668. Tibull. IV. eleg. 7. Horat. Epod. v. Ovid. V. fast. 29. & alios passim. Cæterum de sacris, & ritibus, quibus vel manes ciebant, vel sepulchro compescere & tenere conabantur, egit ad Tibull. I. 1. eleg. 2. Broukhusius noster, qui & ad I. 1. El. VI. 15. Imprecationem solemnem, qua animarum & strigum occursum & cantum, alicui optabant, uberrime illustravit. Dum hæc vero commentamur, tristissimus ad nos venit nuncius, charum illud Musis & omnibus humaniorum literarum cultoribus caput immatura morte nobis ereptum, & ita rempublicam literariam unico præsidio & decore suo orbatam; qui dolor cum me propius tangat, qui sub ejus ductu & consilio, quo mihi semper adfuit & adjuvit, diu militavi, non possum non, quin publicum dolorem privatis querelis augeam & incendam: cum eo enim Poëseos Latinæ omnis laudem apud Batavos concidisse & sepultam existimo. Sed erit alius locus hujus viri merita & dotes celebrandi. BURM.

Lucernæ mihi plures videbantur ardere] Hoc est, ebrius eram. Ita enim fit in ebrietate. Horatius II. Sat. 1.

—— Saltat Milonius, ut semel icto
Accessit fervor capiti, numerusque lucernis.

Habes similia apud Lucretium atque Juvenalem. SCHEFFER.

Tibi dico] Formula excitantis. Terent. Hecyr. IV. sc. 1. *Quid ais, Myrrhina? heus, tibi dico.* SCHEFF. Non modo excitantis, sed & increpantis & stomachabundi hæc formula, vide quæ Schefferus & ipse quoque olim ad Phædr. lib. IV. fab. 19. notavimus. Ovid. IX. Met. 121.

—— Tibi, Nesse biformis,
Dicimus. BURM.

Plorime] Lege, *Plocame:* adpellatio servi hæc est & vere Romana, nota è lapidibus: doceo in Epon. REINES.

Nihil nos delectaris] *Delector* nonnulli deponens crediderunt, quia non admittat ablativum cum præpositione *a*, vel *ab*, omnibus passivis communem. *Nos delectaris*, ego tolerabile judicem constructione & ellipsi Græca. *Nihil nos delectaris?* id est, πρὸς ἡμᾶς, id est, propter nos, vel causa nostri, nobis, qui & ipse solebas suavis esse, ut sequitur, *canturire*, &c. ἥδεσθαι πρός τι, *delectari aliqua re* HADRIANID.

Et solebas] Mallem, *at solebas.* SCHEFFER. Id est, *nam, quia*, Virgil. Bucolic. *Audieras, & fama fuit.* HADRIANID.

Canturire] Facilis esse ad cantus, Philoxenus: *canturit*, ψιθυρίζει. SCHEFFER.

Deverbia] Hunc totum locum sic conjicio legendum: *belle deverbia dicere, melicave. Heu, heu! abistis dulcis caricæ?* Quærit, *an abivistis caricæ dulces?* Caricæ, pro re quavis grata & suavi, quia caricarum apud veteres longe maxima æstimatio. *Dulcis*, est pro *dulces*, sicut solet locis aliis. *Abistis* pro *abivistis*, desiistis, cessastis esse. Cicero in epistol. *Illa mea, quæ solebas antea laudare, abierunt. Deverbia* sunt Comœdiarum partes, quales recitare consueverunt in convivio. Diomedes lib. III. *Diverbia sunt partes comœdiarum, in quibus diversorum persona versantur.* De Comœdiis per partes recitari solitis in convivio, res nota est. *Melica*, Lyrica sunt carmina. SCHEFFER. Legam, *melitari: heu! heu! abistis dulces carycæ. Melitari* factum è Græco μελετᾶν: μελέται vero sunt exercitationes, rhetorum declamationes; inde *melitari* idem, quod perorare, declamare, recitare. Diomedes l. 1. è Plinio (eundem laudat Charisius in primo: ejus librum tertium Artis Gramm. Gregor. Turon. præf. l. 1. Vit. Patr. & Salamon. Ep. Constantiensis in Lexico passim) docet *meditantem esse, secum cogitantem, melitantem, voce dicentem.* In reliquis deplorat se jucundis ejus narrationibus nunc carere, quasi diceret, ἔρρετε, ὀλώλατε, ἀστεῖσμοὶ συμποτικοὶ καὶ διηγήματα παιγνιώδη γελοῖα; periistis, quæ nos exhilarare solebatis. Vocat autem id genus per metaphoram *carycas*, id est scitamenta conditanea. Proprie καρύκη, καρυκία, καρύκευμα, Hippocrati & Galeno est edulium, intritum, seu miscella ex variis condimentis delicatis adparata, ἐκ πλειόνων ἀρτυμάτων συντιθέμενον ὑποτρίμματον ἐδωδὴν. Erot. Lydorum inventum esse è Timo-

nis

„quit ille, quadrigae meae decucurrerunt, ex quo podagricus factus sum, „alioquin, cum essem adulescentulus, cantando pene tisicus factus „sum. quid saltare? quid deverbia? quid tonstrinum? quem parem ha„bui, nisi unum Appelletem? [a] oppositaque ad os manu nescio quid te„trum exsibilavit, quod postea Graecum esse adfirmabat: nec non Tri„malchio ipse, cum tubicines esset imitatus, ad delicias suas respexit, „quem Croesum adpellabat. Puer autem lippus, sordidissimus, denti„bus catellam nigram, atque indecenter pinguem prasina involvebat „fascia, panemque semissem ponebat supra torum, atque hac, nausia „recusantem saginabat; quo admonitus officio Trimalchio Scylacem „jussit adduci, praesidium domus, familiaeque. Nec mora, ingentis

„formae

a ENCOLPIUS.

nis Sillis refert. Athen. l. 4. & 12. & à scriptoribus τῶν ὀψαρτυτικῶν celebrari; nominat Lucianus in Conv. χυμὸς καὶ πέμματα καὶ καρυκείας: Max. Tyrius diss. 11. ἡδύσματα, τροφὴ ποικίλη, καρυκείαι: Basilius Caesariensis apud Theodor. 4. Hist. Eccl. 19. Praepositum culinae: Σόν ἐστι τῆς τῶν ζωμῶν καρυκίας φροντίζειν. *tuum est jusculorum condituras curare*: & Nilus Constantinop. mensam ἄκαπτον simplicem ἀδαπάνητον solis oleribus, radiculis, & horariis fructibus constantem dixit ἀκαφόκνιτον καὶ ἄτεχνον. Poteram etiam de *Caricis*, quae sunt siccatae ficus, ἰσχάδες, dulci sapore commendabiles maxime, & inter mitiores cibos primae omnium receptae à mortalibus, exponere: sed quod dixi videtur elegantius & Petronio φιλεκκωικατάτῳ dignius. REINES. In melicis diverbia nulla habeo comperta, quibus in comoedia suus est locus. Quare reor corrigi debere, *belle diverbia adjicere Thymelica*. Ausonius Idyllio ad Nepotem:

Tu quoque, qui Latium lecto sermone, Terenti,
Comis, & adstricto percurris pulpita socco,
Ad nova vix memorem diverbia cogo senectam.

HEINS. Quid si, transpositis tantummodo verbis, legamus: *canturire belle melicam, diverbia adjicere?* canturire melicam, nempe poësin. GOES.

Abistis dulcis carica] Lege, *ubi estis dulcis carica*. HEINS.

Quadrigae meae] Videtur ex circo proverbium translatum, & idem notare, quod *quondam strenui Milesii*, & similia adagia: *decurrere* autem capio pro currere desierunt, ut particulam *de*, multis verbis junctа, eam vim habere ostendit Bernard. ad Stat. 1. Achill. vers. 8.

Phthisicus] Traguriensis codex *tisicus*.

Tonstrinum] In quo garruli ac loquaces solebant convenire. Docuit pridem Casaubonus ad Theophrasti Characteres p. m. 243. Nos quoque olim ea de re egimus ad Aeliani nostri lib. VI. Var. Hist. cap. 12. SCHEFFER. An, *quid toni histrionum*. HEINS. Nescio, unde editiones recentiores *tonstrinam* habeant. Subintelligitur autem *artificium*. vid. supra cap. 46.

Apelletem] Lege, *Apellem*, si velis. TILEBOM.

Oppositaque] Lege, *appositaque*. HEINS.

Exsibilavit] Imitatus Fistulae Sonum, ut mox Trimalchio, scilicet ut eum vinceret, Tubicines imitatur. Glossae Isidori *fistulor, sibilo*, & *sibilum* proprie de fistula dici, docuit Salmas. ad Lamprid. Commod. cap. 1.

Sordidissimus, dentibus] Scribe *sordidissimis dentibus*, & de puero intellige. SCHEFFER.

Panemque semissem] Illud *semissem* absque dubio vitiosum est. Ecquid namque *panis semissis?* Latet nomen generis peculiaris, ex quo fuit panis iste, vel embammatis, quo fuit intinctus. Id vero quale sit, haud promtum nobis divinare. SCHEFFER. Lege, *semestrem*, hoc est, durum. Seneca ep. XVIII. *Grabatus ille verus sit, & fugum, & panis durus, ac sordidus.* Ubi legendum, *& grabatus ille ferreus sit.* Nam in scriptis compluribus, *ferus*. Ita panem illum vocat pro nautico pane, cujus Plinius meminit lib. XXII. cap. XXV. *Vetus ac nauticus panis tusus, aut iterum coctus, sistit alvum.* Romani autem lautiores panem veterem aversabantur. Hinc est, quod eum adhuc fervente cum ipso clibano supra vidimus in mensa allatum. HEINS.

Nausea] Ratio requirit, ut scribatur, *hac nausea*, panem nempe istum. Puto autem hic deesse ea, quibus saginaverit catellam, & iccirco post *recusantem* asteriscum oportere scribi. SCHEFFER. *Sagina Margaritae* (hoc catellae nomen) erat panis sed forsan autopyros, poteratque accedere jus; qua ratione invitatus Trimalchio mox *Scylacem* siligineo excepit pane. HADRIANIDES.

Scylacem jubet adduci, praesidium domus familiaque] Et mox de eo, *nemo me plus in domo mea amat.* Theoph. in Charact. hominem rusticum describit, quod vocato cane & rostro ejus prehenso, ἵνα φυλάσσει τὸ χωρίον καὶ τὴν οἰκίαν, καὶ τὺς ὀδόν, dicat. Expressit istam adversus canem, comitem domini & socium in venatu, humanitatem Nonnus lib. 16. Dion. ubi Liber suum praedicans.

„ formae adductus est canis catena vinctus, admonituſque oſtiarii calce „ ut cubaret, ante menſam ſe poſuit. Tum Trimalchio jactans candi- „ dum panem: nemo, inquit, in domo mea me plus amat. Indignatus „ puer, quod Scylacem tam effuſe laudaret, catellam in terram depo- „ ſuit: hortatuſque, ut ad rixam properaret: Scylax, canino ſcilicet uſus „ ingenio, teterrimo latratu triclinium implevit, Margaritamque Croeſi „ pene laceravit. Nec intra rixam tumultus conſtitit, ſed candelabrum „ etiam ſupra menſam everſum, & vaſa omnia cryſtallina comminuit, & „ oleo ferventi aliquot convivas reſperſit. Trimalchio, ne videretur jactu- „ ra motus, baſiavit puerum, ac juſſit ſupra dorſum adſcendere ſuum. Non „ moratus ille, uſus equo, manuque plena ſcapulas ejus ſubinde verberavit, „ inter quam riſum proclamavit: bucca, bucca, quot ſunt hic? Repreſſus „ ergo aliquamdiu Trimalchio camellam grandem juſſit miſceri, potio- „ nes dividi omnibus ſervis, qui ad pedes ſedebant, adjecta exceptione:

„ [a] Si

Ἐισι, inquit, καὶ ἐν σκυλάκεσσιν ἐχέφρονες, ὅσοι Κρονίων
Ἀνδρομέην φρένα δῶκε, καὶ ἐ βροτέην πόρε φωνήν. REINES.

Jactans candidum panem] Phædrus noſter lib. III. fab. 8. *ſpuſta jactat familia.* Dicam ibi amplius in curis ſecundis. SCHEFFER.

Hortatuſque] Proprie dictum eſt hoc, *hortari canes*, de quo nos ad Naſonem plura Metam. III. fabula Actæonis verſ. 241. ubi à venatoribus loquendi modum notamus. HEINS.

Canino ſubiret uſus ingenio] Lego *Scylax canino ſubrate uſus ingenio*, id eſt, nonnihil fuit iratus pro ingenio canino, ſicut ſolent canes, præſertim tales, faciles iraſci. *Uſus ingenio*, ut apud Petronium vulgatum, *uſus beneficio, conſilio, viribus.* Curt. VII. cap. 8. SCHEFFER. Emendo, converſa ſyllaba *ret* & lego *ſubiter*, id eſt, ſubito. Adverbium enim iſtud ſub eadem ſignificatione terminationis geminæ, uti alia plura. REINES.

Margaritamque] Catellam pueri. SCHEFFER.

Reſperſit] Cod. Trag. *reſpexit.*

Non moratus ille uſus equo] An ſcribendum *non moratus ille, & uſus equo?* Equum intelligo Trimalchionem, quia juſſerat puerum ſupra dorſum ſuum adſcendere. SCHEFFER. Malim, *non moratus, illo uſus equo.* GOES.

Manuque plena] Mihi non eſt dubium, quin *manu plana* legi debeat, id eſt, non pugno, ſed palma. SCHEFFER. Eleganter, *manu plena*, pro *manu tota.* HEINS.

Inter quam riſum] Forte, *inter quem luſum.* GOES. *interque ea cum riſu* Munckerus in literis ad Heinſium.

Bucca, bucca, quot ſunt hic] Arridet mihi *Buco, Buco.* TILEBOM. Puto innui genus ludicri, quod hodieque paſſim frequentatur pueris. Clauduntur uni oculi, cæteri palmis feriunt ſcapulas, mox digitum imponunt, jubentque divinare, quis ſit, pollexne, an index, num alius quiſquam. Sed pro eo, quod hic digitus imponitur, veteres micando uſi videntur, id eſt, ſic protenſis digitis, ut, nunc hunc, nunc alium referrent numerum, quem cogebatur divinare, qui oculos habebat tectos. Cæterum, illud *bucca* quid ſit, non definio. Poteſt vox formata joco eſſe, ut in talibus conſuevit. Poteſt & ſcurram denotare. Quomodo apud Juvenalem Sat. XI. *Curtius & Metho bucca* leguntur. Niſi putes *bucco* ſcribi oportere, accipique pro ſtulto. Quomodo apud Plaurum in Bacchid. V. ſ. 1. ſunt *ſtulti, ſtolidi, fatui, ſungi, bardi, blenni, buccones.* SCHEFFER. Forte, *bucco, bucco*, quod convitium eſt. *Macci & buccones* ſtupidi: Apulejus Apologia: *Si cum hac una Rufini ſallacia contendatur, macci prorſus & buccones videbuntur.* HEINS. *Bucco*, Gloſſæ Iſidori. *Garrulus, ruſticus, ſtultus.*

Camellam grandem juſſit miſceri] Conſentaneum magis, *juſſit afferri.* TILEBOM. Compleri vino. Virgil. I. Georg. verſ. 9.

Poculaque inventis Acheloïa miſcuit uvis.

Martialis lib. XI. Ep. 6.

Miſce dimidios puer trientes.

Et lib. VI. Ep. 54.

Miſceri ſibi protinus deunces,
Sed crebros, jubet —— SCHEFFER.

Vide de hoc vaſe infra ad cap. 134. Gonſalium.

Ad pedes ſedebant] Cur *ſedebant?* Officium eorum alias, ut ſtarent. Ita, præter multa veterum loca, videas in ipſis imaginibus monumentorum. An legendum, *ad pedes ſedebant?* Et fortaſſis ideo jubet eis dari vinum & miſcere Trimalchio. Sed tamen & paulo poſt: *Servus, qui ad pedes Habinnæ ſedebat*, ut nil ſit mutandum. SCHEFFER. Non autem accumbebant, ut convivæ cæteri, ſed ad lectorum pedes in ſub-

„[a] Si quis, inquit, noluerit accipere, caput illi perfunde. interdiu se-
„vera, nunc hilaria.

LXV. „[a] Hanc humanitatem insecutae sunt matteae, quarum etiam
„recordatio me, si qua est dicenti fides, offendit. Singulae enim galli-
„nae altiles pro turdis circumlatae sunt, & ova anserina pileata, quae
„ut comessemus, ambitiosissime à nobis Trimalchio petiit, dicens, ex-
„ossatas esse gallinas. Inter haec triclinii valvas lictor percussit, amictus-
„que veste alba, cum ingenti frequentia comissator intravit. Ego maje-
„state

a ENCOLPIUS. *b* TRIMALCHIO.

subselliis sessitabant. Quos non tam convivarum loco habebant, quam ut convivas jocis ludisque reficerent, quales parasiti, & ridiculi omnes. Quare & servus apud Plautum in Sticho v. IV. 21. *Potius in subsellio Cynice accipiemur, quam in lectis.* Vide ibi interpret. & Torrentium ad illud Horatii lib. III. Sat. VIII. vers. 40. *secutis omnibus imis*, & ad Sueton. Aug. cap. 65. GOES. Vide quæ notavimus supr. ad cap. 34. hoc nimirum lautitiæ Trimalchionis conveniebat, ut unicuique convivæ suum servum assignaret, qui ad pedes sederet, quos nunc quoque potione honorat, erant enim Saturnalia.

Interdiu] Vox nihili. Quid enim est, *severa interdiu?* Legendum sine ambiguitate, *inter diu severa, nunc hilaria.* Hactenus, vult dicere, satisfactum est severitati solitæ, nunc ad hilaritatem vos invito. SCHEFFER. Non capio mentem Schefferi, neque, quid illud *inter* à *diu* separatum velit, intelligo. Si dixisset *satis diu severa*, sententia, quam dat, emergeret. Vox autem *interdiu* idem est quod *interdius*, id est, *dum dies est*, ut egregie ostendit ὁ πάνυ Gronovius ad Livium lib. XXIX. cap. 14. Ita Glossæ *inter diu*, μεθ' ἡμέραν, δι' ἡμέρας, ἐν ἡμέρᾳ. Vult ergo dicere, servos, dum dies est, debere officium suum facere, nunc vero, cum nox sit genialis, hilaria esse debere. Fragmentum Glossarii antiqui, quod protulit Barthius lib. XXIX. Adversar. cap. 19. *interdiu*, idem quod *diu* significare docet. de Hilaribus vide supr. cap. 61. BURM.

Mattea] Bellaria. Meminit & Suetonius in Cajo cap. 38. Nam, cum vulgo ibi legant *mactea*, Memmianus aliique libri rectius habent *matteas*. SCHEFF. Gallinæ altiles hic *matteæ* dicuntur, quia pro turdis circumferebantur, qui primam inter aves gloriam obtinebant. Martialis, ut à viris eruditis restitutus est:

Inter aves turdus, si quid, me judice, certum est,
Inter quadrupedes mattea prima lepus.

Sive, *mattya*, ut aliis videtur scribendum. Hinc ματτυάζειν, pro delicate vivere. Huc spectat jocus Julii Sabini in Turdum hominem invisum & infantem apud Senecam Controvers. XXVII. *Cum multitudo postularet, ut Romam Sabinus cum Turdo proficisceretur, Sabinus, silentio facto, ait, Ego ad Cæsarem non sum iturus cum mattea.* Vides ludi in nomine Turdi, quod turdus inter matteas. Perperam is locus sollicitatur à Joh. Petrejo, nisi quod malim, *non sum iturus cum hac mattea*, cum homine tam probrosæ vitæ. HEINS. Tertull. de Testim. Anim. cap. IV. *Vocas porro securos, si quando extra portam, cum obsoniis & mattyis tibi potius parentans, ad busta recedis.* Infra cap. 74.

Si qua fides] Vide supra cap. 63.

Singulæ enim gallinæ] Dictum hoc pro singulis convivis gallina altilis est data. Ita enim amabant loqui veteres. Suet. in August. cap. XL. *Fabianis & Scaptiensibus Tribulibus suis, die comitiorum singula millia nummum à se dividebat*, in Tiber. cap. XLVIII. *Militi nihil umquam largitus est, præterquam singula millia denariorum Prætorianis.* Livius lib. VII. cap. 37. *Milites singulis bobus donavit.* Et alibi. Mox infra cap. 66. *poma singula & cochleas singulas.* BURM.

Circulatæ sunt] Scribe, *circumlatæ sunt.* Quamquam isto modo & infra. SCHEFFER.

Ova anserina pileata] Quomodo, *pileata?* An, ut supra *aper pileatus* est appositus? At hoc vix convenit in ova. Suspicor, hic mendam latere, aut etiam abesse quidpiam. Sed sic habes quoque infra cap. LXVI. ut sit amplius cogitandum. SCHEFFER. Forte, *pilata.* GOES.

Ambitiosissime nobis Trimalcio petiit] Suspicor, abesse præpositionem, scribique oportere, *ambitiosissime à nobis.* Ellipsin profecto talem observare non recordor. SCHEFFER.

Exossatas] Lucretius lib. IV.

Atque exossato ciet omni pectore fluctus. SCHEFF.

Percussit] Virga, ex more, ad significandum magistratus publici adventum. Habes latius apud Lipsium I. Elect. 23. SCHEFFER.

Amictus] Forte *amictus.* Prætextatus. Nam & in Coloniis prætextæ jus habebant, qui magistratu fungebantur. Vide Orationem L. Valerii Trib. Pleb. apud Livium lib. XXX. cap. IV. HEINS.

Amictusque veste alba] Commissator Habinnas, Sevir ejus Coloniæ, ut mox audiemus, veste alba amictus, propter festum, cui interfuit, convivium. Horatius lib. II. Sat. II. vers. 60.

Ille repotia, natales, aliosque dierum
Festos albatus celebret ——

Cicero Or. in Vatinium. *Quum ipse epuli dominus Q.*

„state conterritus Praetorem putabam veniſſe. Itaque tentavi aſſurgere, „&

Arius albatus eſſet, &c. Eſt autem *alba veſtis*, recens, nova, nec ſordibus maculata. Vide Lipſium 1. Elect. cap. 13. & quæ nos olim ad Pacati cap. 37. SCHEFFER. Quo uti ſolebant magiſtratus. De albis veſtibus copioſe Ferrarius de re veſtiaria lib. 1. cap. XXII. Habinnam autem alba indutum opinor fuiſſe ob honorem, quo fungebatur. Juvenalis Sat. III. verſ. 178.

——— *Clari velamen honoris,*
Sufficiunt tunicæ ſummis Aedilibus albæ.

Solebat tamen albus color, non ſacrificiis tantum, ſed & conviviis ſolennioribus, adhiberi. Hinc Cicero objicit Vatinio Oratione adverſus illum habita, quod in funebri epulo M. Arrii cum toga pulla accubuiſſet. HEINS.

Commiſſator] Lege, *commeſſator*. TILEBOM. Proprium hac in re vocabulum, quo Terentius, Cicero alii, uſi ſunt. *Commiſſator libellus* apud Martialem, qui de conviviis & commiſſationibus agit. Apulejus Apologia: *Habes crimen meum, Maxime, quaſi improbi comiſſatoris, de ſertis & Canticis compoſitum.* Et poſtea: *Triclinium commiſſatoribus inquietum.* HEINS. Ita proprie, quia jam cœna apud Sciſſam peracta. Poſt eam enim ſi poculis vellent indulgere, hoc *comiſſari* vocabant. Sed de origine & Orthographia hujus vocis inter eruditos non conſtat: qui *comeſſari* ſcribunt, à *comeſum* deducunt, ut Torrent. ad Suet. Vitell. cap. XIII. qui *comiſſari*, deducunt à Græca voce κῶμος, vel potius κῶμος. v. Feſtum. Sunt & qui *comaſſare* à Græco κωμάζειν deducunt. v. Caſaub. De Satyr. Poëſ. pag. 150. nos cum iis facimus, qui *comiſſare* rectum putant; quia ita in Antiquiſſimis Terentii & aliorum membranis fuit repertum. Cæterum notanda hic temporum Claudianorum corruptela, quibus non comiſſationes modo poſt cœnam erant frequentiſſimæ, ſed homines genium ſuum plus æquo curantes, non contenti apud aliquem cœnaſſe, nocte turmatim per vias publicas vagabantur, & apud alios comiſſatum ibant. Senec. lib. VI. de benef. cap. 32. *Admiſſos gregatim adulteros, pererratam nocturnis comiſſationibus civitatem*, &c. De Apicio comiſſatorum omnium coryphæo vide eumdem conſol. ad Helv. cap. 10. imo Epiſtol. CXXII. narrat, plurimos ſuo tempore ita pervertiſſe officia diurna & nocturna, ut diem ſomno, noctem vino & unguento, exigerent, nec orientem ſolem nec occidentem viderent, quos feſtive Antipodas vocat. Gellius quoque lib. IV. cap. 14. narrat, Mancinum comiſſatorem ad ædes ſuas veniſſe, &, cum nollet eum recipere, vi voluiſſe irrumpere; ſed lapidibus fuiſſe depulſum. Româ autem in colonias hanc luxurioſorum ſectam tranſiiſſe hic notat Satyricus. BURM.

Prætorem putabam veniſſe] Ergo Præter Capuæ. Atqui in coloniis & municipiis nec conſules, nec prætores, ſed horum loco duumviri. Nihil certius. Patebat igitur hic loci ampliſſimus campus pugnandi adverſus hoc ipſum Petronii fragmentum illis, qui id eſſe ſuppoſititium & confictum credi voluerunt. Sed, ut Arbitrum vindicemus ab omni ſuſpicione temeraria, Capuanos memores priſtinæ fortunæ, etſi redactos in coloniam, Duumviros ſuos Prætorum nomine indigitaſſe, contra quam alibi in coloniis fieri ſolebat, è Cicerone docendum eſt: qui locus Agraria ſecunda prorſus eſt ſingularis, egregiumque in modum hæc Petroniana illuſtrat: *Cum veniſſem Capuam coloniam deductam, L. Conſidio, Sex. Saltio, quemadmodum ipſi loquebantur, Prætoribus; ut intelligatis, quantam locus ipſe adferat ſuperbiam, quæ paucis diebus, quibus illo colonia deducta fuit, perſpici atque intelligi potuit. Nam primum, id quod dixi, cum cæteris in coloniis Duumviri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebant. Quibus primus annus hanc cupiditatem attuliſſet, nonne arbitramini paucis annis fuiſſe Conſulum nomen appetituros? Deinde anteibant lictores non cum bacillis, ſed, ut hic Prætoribus anteeunt, cum faſcibus duobus.* Plura ad eam rem ſequuntur in eadem Ciceronis oratione. Loquitur autem de Sullanis temporibus, quibus colonia Capuam erat à Bruto deducta. Sed id, ut alia non pauca, videtur dein ex actis Sullanis reſciſſum. Nam haud multo poſt eodem coloniam deduxit Divus Julius. Duumviri igitur Capuæ Prætores dicebantur, duoſque cum faſcibus adhibebant hi lictores. At Seviri Auguſtales ibi uno tantum lictore, quod ex hoc Petronii loco manifeſtum fit, utebantur. Prætorem tamen pro duumviro Livius poſuiſſe poſſit videri libro. XXIII. *Præneſtini, cum Prætore ſuo Manlio, ſcriba is antea fuerat, Præneſte incolumes redierunt.* Sed hoc antiquis temporibus; quod ut intermitteretur Romanæ urbis reverentia coloniis ac municipiis, puto, poſt expreſſit. Nam apud Horatium Satyrici ſalis eſt lib. 1. Sat. V.

Fundos, Auſidio Luſco Prætore, libenter
Linquimus, inſani ridentes præmia ſcribæ,
Prætextam, & latum clavum, prunæque batillum.

Ubi rectius fortaſſe ſcripſeris; *prunæque bacillum*, quod olim nonnullis viſum quidem, ſed damnatum à Lambino. Cæterum hujuſmodi magiſtratus municipales non tantum prætextati cum lato clavo procedebant in publicum, ſed hoc veſtitu efferebantur etiam mortui, uti liquet ex iis, quæ infra: ubi Trimalchio jubet proferri prætextam, in qua volebat efferri. HEINS. Reineſ. inſcript. Claſſ. 6. *PRAET. CLAUD.* Id eſt, Prætor Coloniæ Claudiæ. GOES. Verum eſt quod Heinſius notat, in quibuſdam municipiis *Prætores* dictos fuiſſe ad exemplum Romæ: ita Spartianus cap. XIX. dicit, Hadrianum *in Etruria prætoram geſſiſſe*. Eodem modo in coloniis dicebantur στρατηγοὶ τῶν πόλεων ut vocat Modeſtinus in leg. VI. §. 16. &

„ & nudos pedes in terram deferre. Risit hanc trepidationem Agame-
„ mnon, [a] &, contine te, inquit, homo stultissime. Habinnas Sevir est,
„ idemque lapidarius, qui videretur monumenta optime facere. [b] Re-
„ creatus hoc sermone reposui cubitum, Habinnamque intrantem cum
„ admiratione ingenti spectabam. Ille autem jam ebrius uxoris suae hu-
„ meris imposuerat manus, oneratusque aliquot coronis, & unguento
„ per frontem in oculos fluente, Praetorio loco se posuit, continuoque
„ vinum & caldam poposcit. Delectatus hac Trimalchio hilaritate, &
„ ipse capaciorem poposcit scyphum, quaesivitque, quomodo acceptus
„ esset? [b] Omnia inquit, habuimus, praeter te, oculi enim mei hic erant:

a AGAMEMNON. *b* ENCOLPIUS. „ &

& leg. xv. §. 9. ff. de excusat. & Lucas Actor. xvi. 20. & 35. Unde & patet lictores habuisse, & hinc in coloniis erat *Praetorium*, ubi jus dicebat Praetor. Ita in lapide antiquo apud Gruter. pag. CLXVIII. 4. *Praetorium in urbe Munda.* hoc Graeci στρατήγιον, vel στρατηγεῖον vocabant, quam vocem apud Julium Obsequentem cap. CXVI. corruptam esse, me docuit Vir Amplissimus Cuperus. *Stratopedo, ubi senatus haberi solet, corvi vulturem tundendo rostris occiderunt.* Legendum enim *strategeo*, vel *stategio* palam est, si cum laudata modo inscriptione conferatur hic locus. Glossae quoque στρατηγεῖον, *praetorium.* BURM.

Tentavi assurgere] Petronius cap. CXI. *Tentavit mulierculae dare cibum. Assurgere* est, loco cedere honoris gratia. Quod sic absolute usurpavit quoque Cicero de Senect. cap. XVIII. *Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur levia atque communia; salutari, appeti, decedi, assurgi.* SCHEFFER. Ita optimus quisque scriptor. Ovid. III. Met. vers. 663.

Velaque deducunt, geminaque ope currere tentant.

Et hanc vocem à librariis saepe cum *pugnare*, & *certare*, commutatam fuisse, docere te possunt notae Heinsii ad Claudian. II. de Rapt. vers. 196. & ad Ovid. lib. III. Fast. vers. 307. & alibi. BURM.

Contine te] Id est, mane. SCHEFFER. Suet. Caes. 81. *cunctatus, an se contineret.* Celsus lib. I. cap. 2. *Qui crudum sine praecordiorum dolore ructat, is ex intervallo aquam frigidam bibere, & se nihilominus continere.* BURM.

Sevir] Qualis fuit & Trimalcio, ut inscriptio ipsius triclinii postibus affixa docet in jam editis. Fuerunt porro Seviri magistratus colonici, sacris in honorem Augustorum faciendis praefecti, atque ob id *Augustalium* elogio ornati, creati à Decurionibus, sicut docent veteres apud Gruterum Inscriptiones Et, quia magistratus erant, habent lictores suos, sicut hic Habinnas, & in praecedentibus Trimalcio. Ad lictores enim referendi fasces illi cum securibus in postibus praedictis. Quamquam hoc ab ipsis arroganter magis, quam ex jure, factum fuerit, ut in ante indicato Electorum loco Lipsius testatur. SCHEFFER. Honores quandoque cum artis professione fuisse conjunctos habemus in lapidum memoriis, apud Gruter. pag. MLXVII. Inscr. 8. ubi pariter de Augustali, qui *vestiarius* tenuiarius fuerat. Vide tamen ibi seriem in Atellano lapide. HADRIANID.

Videretur] Puto, *videtur*, scribendum. SCHEFFER. Puto, *qui sibi videretur*, vel. *qui se retur.* HEINS.

Reposui cubitum] Ut supra cap. XXVII. *Hic est, apud quem cubitum ponetis.* Alii dicerent, *reposui me in cubitum*, ut apud Horatium lib. II. Sat. IV. vers. 39.

Languidus in cubitum cum se convivae reponit.

HEINS.

Ille autem jam ebrius uxoris humeris imposuerat manus] Thesmopolin Philosophum convivio interfuturum, ἱπερειδόμενον καὶ τοῖς ὠλέναις, fingit Lucianus, id vero è senio & νοσηλείᾳ. In foeminarum rei lautae famulitio erant ἱπωμίδες Athen. lib. 6. vel, quod verius videtur ἱπωμιστρίδες: ἱπωμίστριαι quae dominabus terga humerosve supponerent, succollatrices. Eustath. lib. 10. de Amor. Ism. *Sostrati filiam Ismenes* ancillae *manibus innixam venisse narrat.* REINES.

Praetorio loco] Summo, quem occupare Praetor in Colonia solebat, si quando esset praesens, qua de re supra quoque dixi; quamquam nihil tale observarim apud alios, quod recorder. Cl. Gronovius, inepta imitatione *loci Consularis*, arbitratur dictum. SCHEFF.

Capaciorem scyphum] Horat. Ep. IX. 33.

Capaciores affer huc, puer, scyphos.

supra cap. 52. *scyphos urnales* jactavit.

Acceptus] Vide supra ad cap. 42.

Omnia habuimus praeter te] Tale illud Horatianum lib. I. Ep. X.

Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae,
Excepto quod non simul esses, cetera latus.

HEINS.

Oculi mei] Nisi his verbis Trimalchionem ipsum significet, cui adulatur. & eum oculos suos, ut rem chariissimam, vocet, nescio quid sibi velit. nam, si se non libenter ibi fuisse, sed praeoptavisse liberae huic coenae interesse, indicare voluisset, dixisset, credo, *mens*, vel *animus meus hic erat.*

„ &, me-Hercules, bene fuit. Scissa sacrum novendiale servo suo misello „ faciebat, quem mortuum manumiserat: & puto cum vicensimariis ma- „ gnam

Bene fuit] Scilicet nobis, quomodo apud Plautum Merc. II. scen. 2. *bene sit tibi*: quamquam ibi sit formula abeuntis & valedicentis. SCHEFFER. Vid. supr. ad cap. 34. Horat. II. Sat. VIII. 3.

——— *Ut mihi numquam*
In vita fuerit melius.

Scissa laucum novendialem servo suo] Scribes, *Scissa*, sive potius, *Sylla sacrum novendiale servo suo*. TILEBOM. Censeo scribendum: *Scissa sacrum novendiale servo suo faciebat*. De sacro novendiali in honorem defuncti habes abunde apud Kirchmannum lib. 4. cap. 3. SCHEFFER. Lege *Scilla*, vel *Sylla*, *sacrum novendiale cum Mystillo*. hoc apud Mart. l. I. ep. 51. REINES. Nondum contemno, *sacrum novendiale*. Sed, quia in Dalmatico est *laucum novendialem*, potest videri auctor scripsisse *ludum novendialem*, cum illi sacro ludos quoque addere consueverint. Vide Guttherium. SCHEFFER. Scribe, *lautam novemdialem*, nempe *cœnam*, sicut cum ritus ipse mœroris in nonum diem continuati dictus Augustino in Quæst. super Gen. Deinde possis etiam, *misellus faciebat*, ut ad Scissam referatur. De sacra cœna novendiali copiose in excursibus ad Tacitum Lipsius, & ante eum in Adversariis Turnebus. HEINS.

Misello] Hoc credo nomen servi fuisse. SCHEFF. Ut dubitem, an fuerit nomen servi, facit Tertullianus de Testimon. Animal. cap. IV. *Cum alicujus defuncti recordaris, misellum vocas eum, non, uti de bono vitæ ereptum, sed ut pœnæ & judicio jam adscriptum.* Et libro de Coron. cap. XIII. Archemorum, qui infans perierat, *misellum* vocat. *Miseros* ergo & *misellos* proprie mortuos appellabant. Gruter. inscr. p. DCCXV. 4.

MEMORIAE MISERRIMORVM.

hunc autem servum puerum adhuc fuisse puto, quare *misellum* dicit, & postea *ossicula* ejus, non *ossa*. BURMAN.

Quem mortuum manumiserat] Cui autem fini hoc, cum nec dominus Patroni nomen adipisci sic posset, nisi quadam fictione, nec servus sentire beneficium? an censendum cum reliquis, quæ magno numero nugantur isti convivatores moribus Romanis insolentia? Cum suum à manu Demetrium moribundum manumisit Martialis lib. I. ep. 102. inde & è domino Patronus factus est alter, alter è servo Libertus mori potuit. REINES. Videor mihi ingenium Arbitri nostri hic videre. *Manumisit*; quia mortuus. *vicesimarias accepit*; quia peculium tot millium ad dominum devolutum. *Mantissa* ad reliqua affingitur; vultque dicere, peculium hoc plane liberum ad dominum rediisse, nullis Actionibus gravatum. Certe manumissio mortui ne quidem fictionis, nisi fictio inter vivos retraheretur; nec tamen sic aliis ullum jus pareret, priusquam dominus per epistolam, inter amicos, similive modo, id se fecisse & facere ratumque habiturum testaretur. Id vero Arbitri non erat, sic nude proponere. Bene autem *manumiserat* plusquam perfecto, quia à domino hoc non perfectum. Nisi sensus sit, quem *manumiserat* manumittendo in articulo mortis, nunc *mortuum*. nam, si plane ad jocum hæc spectarent, puto dixisset *mortuum manumisit*; si vera & proprie loqui voluisset, dicendum fuisset *moribundum* vel *moriturum manumisit*, vix manumiserat. Hæc sic in utramque partem, quia video Dn. Reinesium tantum de altera cogitasse. HADRIANID. Dices, quorsum istud? Dicam. Morte filii aut servi, potestas vel patria, vel domini, non penitus exstinguitur. Nam remanet cadaver servile in jure, cujus & antea fuerat. Meum enim est, quod ex re mea supereset, cujus & jus vindicandi habeo. Huc hæc manumissio spectabat, ut funere, homine libero dignum quod sit, efferreretur, nec conjiceretur in puticulum, putredine consumendum, ut servilia solebant cadavera. Quo spectat illud Horatii lib. I. Sat. VIII.

Huc prius angustis ejecta cadavera cellis
Conservus vili portanda locabat in arca.

Funus ergo curabat ipse Scissa, & curabat ut homine libero dignum. Neque enim inauditum, defunctos novo honore affici. Honori ergo servi licet defuncti, consultum voluit. Hadrianus mortui Trajani imaginem triumphi honore decoravit, ut auctor est Spartianus. Cujus generis & honores alii Imperatoribus post mortem decreti. GOES.

Et puto cum vicensimariis] Ista lego ad hunc modum, *& puto, cum vicesimariis, magnam mantissam habet*. Intelligo de Scissa, eum ait habere vicesimarias, & una cum illis mantissam magnam, puta ex bonis manumissi Miselli. *Vicesimarias* expono pecunias, quæ dependebantur patronis ab illis, qui erant manumissi. Quomodo & apud Livium occurrit *aurum vicesimarium*. At *mantissa* est, quidquid additur rei principali, ut hoc loco alia quævis, præter debitas illas pecunias. SCHEFFER. Nota antiquam scribendi rationem, sic *thensaurus* & similia. HEINS. Egimus de hoc Petronii loco in dissertatione de Vectigalibus Populi Romani cap. X. cujus expositionis nos nondum pœnitet, cum Schefferi plane sit inepta, unde enim, quæso, docebit, Patronos vicesimas tulisse ex bonis libertorum? Aperte agitur de vectigalis vicesimæ exactoribus. Si quid porro, ut Celeberrimus Grævius volebat, mutandum sit, propius ad literarum ductum accedere puto, si legamus, *cum vicesimariis magnam rixam habet*. Ita Cicer. IX. ad famil. 32. *Etsi Academiæ nostræ cum eo magna rixa est.* BURM.

Man-

„gnam mantiſſam habet. quinquaginta enim millibus exiſtimant mor-
„tuum. Sed tamen ſuaviter fuit, etiamſi coacti ſumus dimidias potio-
„nes ſuper oſſicula ejus effundere.

LXVI. „[a] Tamen, inquit, Trimalchio, quid habuiſtis in coena?
„[b] Dicam, inquit, ſi potuero: nam tam bonae memoriae ſum: ut fre-
„quenter nomen meum obliviſcar. Habuimus tamen in primo porcum
„poculo coronatum, & circa lucunculum, & gigeria optime facta, &
„certe

a ENCOLPIUS. b HABINNAS.

Mantiſſam habet] *Mantiſſa* Feſto, lingua Tuſca, additamentum, quod ponderi adjicitur. HEINS.

Habet] Lege, *habuit*. TILEBOM.

Exiſtimant mortuum] Putant defunctum tot millia poſſediſſe. *Exiſtimant* eſt *æſtimant*, *cenſent*. Cicero de Orat. *Nonnulli, dum operam ſuam magnam exiſtimari volunt*. SCHEFFER.

Coacti ſumus] Egregius ſtrenui potatoris character, cui dolebat ex poculis bonam ſe partem vini perdere, quo rogum adſpergeret. Notus nimis ſatis ille mos eſt, quam ut à me illuſtrari debeat. Vide Kirchm. lib. III. de Funerib. cap. 6. eleganter Anicetus ille apud Gruter. DCCCCXLVIII. 10.

Oſſibus infundam quæ numquam vina bibiſti.

Cæterum de his epulis ad tumulum defuncti, & circumpotationibus, egregia quædam notavit Douza centurionatu lib. I. cap. XI. BURM.

Tamen] Optime. Senec. ep. 96. *Tamen tu indignaris aliquid*. SCHEFFER. Senec. Apocol. *Tamen inter ſextum & ſeptimum erat*. Juvenal. Sat. V. verſ. 24.

Qualis cœna tamen.

Vide Scheffer. ad Phædr. lib. III. fab. 7. BURM.

Non tam bonæ] Lege, *Nam tam bonæ memoriæ ſum*. Et puero hoc perſpicuum. Joco enim iſta in ſe dicit Habinnas. REINES. MS. Dalmaticum, *nam tam bonæ*, quod eſt rectum. Atque ita conjectaveram, priuſquam id pervenerat ad meas manus. SCHEFF. Quod de M. Meſſalla, ſummo illo Oratore, teſtatur Plinius Nat. Hiſt. lib. VII. cap. XXIV. Simile quid de Orbilio Beneventano Grammatico, plagoſo illo Horatii Poëtæ magiſtro, narrant, qui propterea dictus ſit, *litterarum oblivio*. Seneca ep. XXVII. narrat, Calviſium Sabinum libertum, cætera eruditum, tam malæ fuiſſe memoriæ, ut illi modo nomen Ulixis, & Priami, modo Achillis, exciderit. HEINS. Vide ſupra ad c. 49. Schol. Juvenal. ad Satyr. V. verſ. 3. de Sarmento? *bonæ ſe memoriæ eſſe perdita*. Ita legitur vulgo. Rutgerſius Venuſin. lect. cap. XVII. legit *bona memoria eſſe prædi-tum*. Sed videtur deeſſe vocula *re*, vel ſimilis. *Se bonæ memoriæ eſſe perdita re*: jocus fortaſſe inde ſumtus fuit, quia jam profligatis bonis tabulas accepti & expenſi conficere non neceſſe erat, ſed memoria omnium bonorum & facultatum conditionem comprehendebat, & ideo ſe aptiſſimum ad ſcribæ partes agendas judicabat, *perdita* autem *re* etiam Terentius dixit Eunuch. Act. II. ſc. 2. *quibus & re ſalva & perdita profueram*. Perdiderat ergo Sarmentus rem, ſed memoriam ſervaverat. BURM.

In primo porcum poculo] Scribe: *in primo porcum ferculo*. nam ſequitur mox: *Sequens ferculum fuit* SCHEFFER. Puto pro *poculo* ſcribendum *epulo*, & præterea, non *porcum*, ſed *porculum*. Nam in tota narratione hujus cœnæ omnia maligne extenuat. Porculum dixit Gellius lib. IV. cap. XI. Hinc *porcellus* alterum diminutivum. *Porculator*, qui porcellos curat, & *porculatio* apud Rei Ruſt. ſcriptores. HEINS. Hæc vox nihili eſt. Quomodo autem aper poterat coronari *poculo*? Proxime accedit *globulo*, qui genus edulii erat ex caſeo & alica, melle unctum, & papavere infriato conditum. Ita deſcribit Cato de R. Ruſt. cap. 79. Habinnas vero cum faſtidio & deſpectu de hac cœna loquens dapes has ruſticas & vulgares commemorat. BURM.

Saucunculum.] Hoc quid ſit, ægre divinavero. SCHEFFER. Diphthongus jacet pro ſimplice: *au* pro *u* vel *o*: imo in pronunciando ſic confundebant; inde *Claudius*, *Clodius*: *Aulus*. *Olus*. Lege *laucunculum*, *lucunculum*, id eſt, lucanicam. Alias lucunculus eſt γλυκωντὴς, ſcilicet ἄρτος vel πλακοῦς. Apul. 10. Metam. *pones cruſtula, lucunculos*. REINES. *Lucuntem* (edulii id genus erat) ita dixere, λυκοῦντα, vel λυκωντῆρα, quia farina, quæ *alba* eſt, adſpergeretur. Meminit ejus Varro apud Nonium. Indeque *lucunculus*. Afranius Fratriis apud Nonium:

Piſtori non: at, cur non ſcriblitario,
Ut mittat fratris filio lucunculos?

Legas & apud Tertullian. de Spectacul. *Voſſius*. Si cui non placet *lucanica*, quam Dn. Reineſius ſuggeſſit, is aliquando aliud, modo in legitima ſua ſignificatione, ſubſtituat; *lucunculum* vero opus piſtorium huc vix facere video: cogitaveram alias ex Catonis cap. 84. de *ſaviolo* ſeu *ſavillo*. HADRIANID. Forte, hoc depravatum è *lucunculo*, uti & Munkerus ſuſpicabatur, aut *lucunte*, quæ ſunt dulciarii operis: de quibus videndus Salmaſius ad Lampridium in Elagab. cap. 32. & Bulengerus de conviviis antiquis. Verius tamen exiſtimo, *ſaucunculum* vulgo Romano contracte dictum pro *ſaviolucunculo*, niſi librarii peccatum eſt. Ita *ſavium* & *ſaviari* pro *ſuaviari* veteres dicebant

„certe betam, & panem autopyrum de suo sibi, quem ego malo, quam „candidum, & vires facit, & cum mea re caussa facio non ploro. Se- „quens

bant. *savillum* pro *suavillo* apud Catonem est de Re Rust. HEINS.

Gizeria] Mallem, *gigeria*. Nonius: *Gigeria, intestina gallinarum, cum issitiis cocta*. Festus: *Gigeria, ex multis opsoniis decerpta*. Quod non puto repugnare, falsumve esse, propter issitia, ceu putabat Scaliger. SCHEFFER. Nota scribendi rationem, nam aliis *gigeria* sunt, ut Apicio lib. IV. cap. 11. *Gigeria pullorum coques*. Sic *zinziber* plerisque, quod Græcis ζιγγίβερις. In vetusto Apicii exemplari legi ad illud caput 11. notat Humelbergius *Cizeria*. HEINS.

Facta] Id est, apparata, vide supra cap. 47.

Et certe betam] Sub isto *certe* latet vox alterius cibi. SCHEFFER. Sub isto *certe* latere vocem alterius cibi recte vidit Notator doctissimus. Imo vero latet, sed sub utroque, *certe betam*: è quibus junctis & à librarii corruptela vindicatis exit mihi *cicerbitam*. Ita adpellant sonchum, quem inter ἐδώδιμα reponit Gal. 8 de simpl. med. fac. χλωρὸν ἔτι καὶ ἁπαλὸν, & Plin. lib. 22. cap. 22. Theseo peregrino ab Hecale hospita Attica adpositum fuisse scribit. Est autem σόγχος veterum, quæ hodie lactucella, à succo, quo scatet, inter cichoracea. Gu. Rivus ad Dioscor. lib. 2. cap. 130. de endivia Officinarum exponit. Ruellius lib. 1. de nat. stirp. cap. 20. & lib. 2. cap. 63. sonchum adpellatione *cicerbitæ* in Hetruria hodieque notum, *neque à Latinis eam usurpari, nec legitima moneta percussam, nec è prisco Latinitatis penu depromtam esse*, scribit: quæ fortassis non scribere melius erat. Exstat enim in Nothis Dioscoridæ, quæ vocant, id est, Synonymis herbarum Dioscoridis libro ante aliquot sæcula adjectis, Romanos sonchum asperum nominare κιτρῶται ἄσπιτα: & recepta fuit à nobilissimis Botanices scriptoribus, Cordo, Manardo, Cornario, Matthiolo, Amato Lusitano, Lobelio, Bauhino, Bodæo. Marcellus quoque Virgilius Florentinus, Comm. ad Dioscor. lib. 2. cap. 118. à suis *Cicerbitam* vocari scribit, sed non esse id ejus antiquum nomen; in quo sine dubio fallitur. Sæculo enim quarto cognitam habuit *Cicerbitæ* nomenclaturam Marcellus d. Empir. cap. 8. qui ad dentium dolorem leniendum commendat masticatum radicis *cicerbitæ* (male in Editis legitur *cucurbitæ*) *quam Græci sonchon adpellant*: præstareque id potest vi, quæ ipsi tribuitur, subadstringente. Etsi vero Notha illa ἀδέσποτα sint, & incerta ætate scriptoris Græci cum genuinis Dioscorideis præpostero hominum studio confusa fuerint olim, qua de re queruntur Marc. Verg. & Dion. Corronius præf. in Dioscor. non prorsus tamen, postquam separata hodie ea legimus, reprobanda sunt, quod in iis multa serventur, quæ ipsis verbis apud Plinium, Appulejum herbarium, & Oribasium reperiuntur; agnosci quoque potest, ea subinde ab Arabibus, Serapione, Rhase; Sim. Januense etiam, & M. Silvatico laudari, ut ante hosce elaborata fuisse necesse sit, esseque vetustiora, quam vulgo putantur, & cognitu digna, etsi fastidiosa & gregaria ingenia in summo natantium ἐκ τῆς βάσεως ὁρώντων, διὸ φιλοκρινούντων τὰ τοιαῦτα fere negligant. REINES. Heinsius in margine codicis sui notaverat forte *ex aceto beta*, ut & supra cap. 47 correxerat.

Et panem autopyrum de suo sibi, quem ego malo, quam candidum, & vires facit, & cum mea re causa facio, non ploro] Locus hic perobscurus. Ut igitur lucem aliquam illi commodem, sic legendum puto, *Et panem autopyrum, quem ego malo, quam candidum: hic & vires facit, & cum mea rem causa facio, non ploro*. Fallitur porro hic Habinnas, dum putat, viribus comparandis autopyrum panem candido, seu siligineus ille sit, seu similaceus, præferendum esse, contra communem Medicorum omnium sententiam, qui mordicus tenent, non tantæ firmitudinis alimentariæ autopyrum esse, quam sit siligineus aut similaceus. Confirmat hoc Corn. Celsus de re Medica lib. 2. cap. 17. *Ex tritico firmissima siligo, deinde similæ, deinde, cui nihil ademtum est, (quod αὐτόπυρον Græci vocant) infirmior est ex polline, infirmissimus cibarius panis*. Ita enim, qui laborat in Editis, Celsi locus sanandus est. TILEBOM. Factum ex farina, cui nil furfuris est detractum. Meminit Plinius, & quandoque fermentatum fuisse ostendit lib. XXII. cap. 25. *Ad omnia autem hæc fermentatus, qui vocatur autopyros, utilior*. SCHEFFER. Poterat videri scholion, τὸ *autopyrum*. HADRIANID.

De suo sibi] Sic Apicius lib. V. *suffundis jus de suo sibi*. Item: *de suo sibi jure pertangis*. & hic alibi. SCHEFFER. Id est, integer, purus, ut eleganter hanc locutionem explicuit Reines. ad Class. XIII. inscr. 63. Frequens hæc locutio Apulejo. lib. 1. Met. *Domûs infortunium novarum nuptiarum gaudiis à suis sibi parentibus hilarare compellitur*. Paulo post: *Cunctos in suis sibi domibus clausit*. lib. VIII *In suo sibi provoluta sanguine*. Et alibi. Gruter. DCCV. 3. IN. SVO. SIBI. POSITI. Panem autem autopyrum, candido inferiorem, & minus quidem alere, sed magis alvum movere docet Nonnius de re cibar. lib. 1. cap. 6. Et hoc vult noster istis verbis, *cum mea re causa facio, non ploro*. pro *vires facit*, Tragurienses habebat *vices*. BURM.

Cum mea re causa facio] Supra cap. XLVII. *si quis vestrum voluerit sua causa facere*; ubi nihil corrigendum liquet ex hoc præsenti loco. *Mea re causa*, est, *è mea re, velut causa*. SCHEFFER. Ordo verborum, ut puto, turbatus videtur effeciisse, cur à recta lectione longius recederetur. Repone primum, *& cum mea causa re facio*, & sic exigua mutatione efficies, &

„quens ferculum fuit ſciribilita frigida, & ſupra mel caldum infuſum ex„cellente Hiſpanum. Itaque de ſciribilita quidem non minimum edi. De „melle me uſque tetigi. circa, cicer, & lupinum, calvae, arbitratu, „& mala ſingula; ego tamen duo ſuſtuli, & ecce in mappa adligata ha„beo:

& cum me eo caſu reficio, non ploro. Panis enim autopyrus vulgo Dominis non apponebatur, ſed candidus. Juvenalis Satyra v.

Nam tener & niveus, molli ſiligine factus,
Servatur Domino. GOES.

Non ploro] Reſpicit ad illos, qui duram & adſtrictam alvum habentes, niti adeo coguntur, ut lacrymæ ex oculis cadant.

Scriblita frigida] Si recte attendis, tota hæc narratio characterem exhibet nobis ad vivum maligni & libertini in Habinna ingenii; quale & Echionis centonarii ſupra, qui de munere Norbani gladiatorio perquam ſplendido contemtiſſimum loquitur in modum. Uterque locus plus artificii occulti tegit, quam prima fronte polliceatur. Scriblitas calidiſſimas apponi ſolere, Martialis locus non unus teſtatur. Is præcipue, qui libro III. epigr. XVIII. exſtat.

Circumlata diu menſis ſcriblita ſecundis
Urebat niveo ſæva calore manus.

His calidis mel frigidum affundebatur, hic omnia contraria & præter uſum, cum innuat mel calidum ſcriblitæ frigidæ ſuperfuſum fuiſſe. HEINS.

Mel caldum] Egregie Heinſius malignitatem Habinnæ hic notavit. Nam ex præcepto Catonis de R. R. cap. 78. ſcriblita fiebat fere ad eumdem modum, quo placenta, ſed ſine melle.

Excellente Hiſpanum] Ratio poſtulat, ut ſcribatur, *excellens & Hiſpanum.* SCHEFFER. Legendum cenſeo, *& ſupra melle, caldum infuſum. ſuperante Hiſpanum.* Sequens ferculum erat ſcriblita frigida, ſed ſupra melle, quod caldum infuſum erat opertum. Ipſum autem mel bonitate ſuperabat Hiſpanum, quod venenatum produci in ea Provincia Plinius refert libro XXI. cap. XIII. GOES. Non audeo corrigere, licet ratio Latinæ Linguæ aliud poſtulet. Quis enim nobis cavebit, Petronium non ſtudio ita loquentem Habinnam induxiſſe? ut ſupra alios vidimus ſolœciſſantes convivas, præcipue cum ita hanc ipſam vocem extulerit ſupra cap. 45. ideoque ſcripturam ſcripti codicis ſervare in his omnibus decrevi. Non autem Plinius, loco ab Ampliſſ. Goeſſio adducto, dicit, Hiſpanicum eſſe venenatum, ſed illud, quod Heracleæ in Ponto fit. Corſicum mel amarius, & fere infame fuiſſe novi, non Hiſpanicum. Juſtinus lib. XLIV. cap. I. dicit, ex Hiſpania non *frumenti tantum magnam copiam, ſed & vini, mellis & olei*, in Italiam & Romam transvehi; & Strabo lib III. ex Turditania ceram, mel, picem, & coccum, inter cetera, exportari ait. Non ergo ipſum mel Habinnas carpit, ſed, quia ſcriblitæ infuſum erat, contra morem; quare de ſcriblita non minimum, (id eſt, ne minimum quidem, ut cap. XLVII. *vetare ne Jovis poteſt* cap. 9. *cujus ne ſpiritus purus eſt.* pro ne quidem) edit. ſed de melle ſe tetigiſſe ait. Verba autem illa, *de melle me uſque tetigi*, ſunt corruptiſſima, ſed certum eſt, poſt *tetigi* diſtinguendum. BURM.

De melle me uſque tetigi circa cicer & lupinum, calve arbitratu, & mala ſingula] Hujus loci eluminationem otio majore fruentibus, & literarum flumine ampliori inundatis, relinquo. TILEBOM. Forſan hæc tam corrupta ſic reſtituenda ſunt. *De melle melius. Quæ tetigi circa, cicer & lupinum, Calvæ arbitratu, & mala ſingula.* De melle, ait, melius aliquando edi, quam de ſcriblita, nempe, quia excellens fuit: quæ tetigi ex cibis circa poſitis cicere videlicet ac lupino, feci arbitratu Calvæ, quæ me orabat, non quod mihi placerent. Nempe inter viliores erant cibos. Vide Martialem lib. V. ep. ad Turanium. Ne ergo videretur dedignari, uxor ſic oravit. SCHEFF. Forte, *de melle nuſquam tetigi.* HEINS. Schefferus, *de melle melius, quæ tetigi circa cicer & lupinum.* Malim, *de melle melius, quæ circa tetigi, cicer & lupinum.* GOES.

Cicer, & lupinum] Cibus viliſſimus. HEINS. Supra ad cap. 15.

Calvæ arbitratu, & mala ſingula] Male hæc hactenus ſunt intellecta. *Calvæ* ſunt *nuces calvæ.* Harum, quantum quiſque convivarum vellet, pro arbitrio poterat ſumere, cum magna copia apponerentur, at mala ſingula, hoc eſt, totidem mala, quot convivæ, ut unicuique ſuum malum obtingeret. In cœnis enim veterum unicuique ſua portio, quam *partem* vel *partes* appellabant, deſignabatur. Sic nos habebimus *ſingulas cochleas.* Pari modo apud Plinium in apparatu cœnæ frugalis lib. I. ep. 15. *Paratæ erant lactucæ ſingulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulſo & nive, olivæ, betacei, cucurbiti, bulbi, alia mille non minus lauta.* Sic ſcribe è membranis, vulgo *olivæ Bœoticæ.* De betaceis Salmaſius ad Hiſtoriam Auguſtam. At bonus Habinnas, ut ſuam impudentiam ſuomet prodat indicio, bina nihilominus mala ſe fatetur inde ſuſtuliſſe: quod indecorum. Sed de calvis videamus: Gloſſæ Veteres, *calvæ*, ποντικὰ πεφυγμένα. Gloſſæ Labbæi ποντικόν, *nux avellana.* Cato de Re Ruſt. cap. VIII. *Nuces calvas, avellanas, præneſtinas & Græcas, hæc facito, uti ſerantur.* Porro, *arbitratu*, breviter dictum, pro *ſuo quiſque arbitratu.* HEINS. Egregie Heinſius *calvas nuces* huic epulo reſtituit. De iis men-

„beo: nam, si aliquid muneris meo vernulae non tulero, habebo convi-
„cium. Bene me admonet domina mea: in prospectu habuimus ursinae
„frustum, de quo cum imprudens Scintilla gustasset, pene intestina sua
„vomuit. Ego contra plus libram comedi, nam ipsum aprum sapiebat.
„Et si, inquam, ursus homuncionem comest, quanto magis homuncio
„debet ursum comesse? In summo, habuimus caseum mollem, & sa-
„pa, & cochleas singulas, & cordae frusta, & epatia in catillis, &
„ova

tio quoque fieri videtur in Priapejis carmine LI.

Nucemve longam, quæ vocatur & calva.

ut Scaliger emendavit ex editionibus antiquis, in quibus legebatur *quæ vocatur alva.* in voce *arbitratu* mendum adhuc latere suspicor. BURM.

In mappa] Martialis lib. II. ep. 30.

Hæc cum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda. SCHEFFER.

Habebo convicium] Convicio me prosequetur. Petronius: cap. 84. *Propter morum differentiam odium habet.* Livius I. cap. 10. *Ni parcat patri, habiturum infortunium esse.* Plaut. Amph. II. sc. 2. *Tu magnum malum habebis.* SCHEFFER. Infra cap. XCVI. *maledic illam versibus, ut habeat pudorem.* similis locutio *habere suspicionem*, de qua egimus ad cap. XV.

Me admonet] Mallem, *admonuit*, ut referatur ad Scintillam, quæ jusserit eum ista capere hoc fine. Nam Scintilla *domina* Habinnæ, id est, uxor, uti liquet ex sequentibus. Uxores enim appellasse dominas, eruditi pridem docuere. Quanquam & servata scriptione veteri possit intelligi de præsenti admonitione, qua rogabat Habinnam Scintilla narrare, quæ sequuntur de carne ursina. SCHEFFER. Sic uxores suas etiam homines plebeji appellabant. Vetus inscriptio pag. DCCCXL. 8. apud Gruter.

L. VIRIVS. HELIVS.
CONIVGI. DVLCISS.
FAVE. DOMINA. VALE. DOMINA.

HEINS. Nihil muta. Nam nutu suo Scintilla in memoriam revocabat, se pene vomuisse, & gestum ita conformabat, ut adhuc quasi nauscaret.

In prospectu habuimus] Suspicor, *improspectum* conjunctim scribi oportere, ut sit, *improvisum.* SCHEFF. Seneca ep. LXXVIII. *Non jacebit in conspectu aper, ut vilis caro, à mensa relegatus.* HEINS.

Ursina frustum] Olaus Magnus libro XVIII. cap. XXX. *Carnes ursinæ, sale conditæ, quasi suillæ asservari solent.* GOES.

Imprudens] His lautitiis non adsueta, sed ignara, quid esset. Vide de hac voce Gonsalium supra ad cap. 32.

Intestina sua vomuit] *Evomuit*, malim. Sed quod frequenter inculcandum mihi, tersæ Latinitatis ratio parum observatur à Nostro, quoties Trimalchio, aut socienni ejus libertini verba faciunt. HEINS.

Plus libram] Pro *plus quam libram*, ellipsi etiam optimo cuique scriptori familiarissima. Vide Gujetum ad Terent. Eunuch. Act. I. sc. 2.

Sapiebat, & si] Scribe, *sapiebat. Et si.* TILEBOM. Tam boni saporis erat, ac si apruna fuisset. simili fere modo *sapere hircum* Plautus Pseudolo Act. II. scen. 4.

Sed istic servos, qui ex Carysto advenit,
Quid sapit? Ch. Hircum ab alis

Ita è vetustissimis Schedis Turnebus. Ubi vides, *sapere*, etiam ad odoratum referri. Sed, quod Arbitrum præcipue illustrat, ecce apud Senecam lib. Natural. Quæst. III. cap. XVIII. *Mirabantur, lautum in illis esse fastidium, ut nollent attingere, nisi captum eodem die piscem, qui, ut ajunt, saperet ipsum mare.* Aliter apud Persium illa se habent, *cum sapimus patruos*, qualia & apud Ennium, Plautum, alios. HEINS. Ita sæpe Plinius lib. XIII. cap. 7. *Lesbium mare sapit.* lib. XVIII. cap. 5. *Unguenta meliora, quæ terram, quam quæ crocum, sapiunt.* lib. IX. cap. 35. *Ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritæ.*

Habuimus caseum mollem, & corde frusta] Caseum mollem, id est, χλωρὸν Aristophani. Gal. 10. de alim. fac. νέον est, Paulo lib. 3. νεοπαγὴς καὶ μαλακὸς, item πρόσφατον lib. I. recens, viridis, qualem maxime probabant. Tum lege *chordæ.* Χορδὴ inter cibos apud Athen. lib. 3. ex Antiphane, & lib 9. ex Epicharmo. REINES. Id est, ut puto, recentem. *caseum molle*, Pomponius dixit, teste Charisio lib. I. p. 60. HEINS. Ita & Nonius *molles castaneas* apud Virgil. Eclog. I. interpretatur *recentes, novas.* Tales caseos molles optime noverunt Trajectenses nostri, qui æstate media his avide fruuntur.

Sapa] Scribe, *sapam.* TILEBOM. Plinius lib. XXIII. cap. 3. *Vino cognata res sapa est, musto decocto, donec tertia pars supersit.* Sed, quomodo hic sapa inter cibos? Mallem legere, *rapa*, nisi & de his mox sequeretur. Forte fuit sapa inter embammata quoque, non sola poculenta. SCHEFFER. *Et sapam*, dixisse debuit, sive hic librarii error est, sive ipsius Habinnæ: de *sapa* autem confectione videndi Rei Rust. scriptores. HEINS. Non inter cibos, quibus convivæ vescerentur, sed eodem modo, ut Porco supra cap. XL. sportellæ caryotis repletæ adjunctæ, ut ejus esca delicatior, loco glandis, ostentaretur, ita hic cochleis sapa

„ova pileata, & rapam, & ſenape, & catillum concagatum, pax Pala-
„medes! etiam in alveo circumlata ſunt oxicomina, unde quidam etiam
„impro-

ſapa appoſita. Ea enim ſaginabant eas, Teſtis eſt Varro lib. III. de Re R. cap. 14. vide Nonn. de re cibaria lib. II. cap. 11. BURM.

Corde fruſta] Lego, *cordis fruſta*. SCHEFFER. *Chorda* proprie *inteſtinum*, ut χορδαὶ ἐρίφων, illia hœdorum, apud Athen. lib. 7. deinde *fides* ex inteſtino illo contorto & arefacto: HADRIANID. Scribe, *forda*. Forda, vacca gravida Naſoni in Faſtis, Varroni, Feſto, Gloſſæ Labbæi *Forda*, βοῦς ἐγκύμων. *Fordas*, ἐγκυμονούσας. Hinc *Fordicidia* apud Feſtum in Faſtis Romanis. HEINS.

Epatia] Horum meminit Lucilius lib. VIII. *Gigeria ſunt, ſive adeo hepatia*. Puto ita dicta, quod ex hepate fierent. SCHEFFER. Hepatia etiam Apulejo in Apologia. Gloſſæ Veteres, *Jecuſculum*, ἡπάριον. E catillis autem homines viliſſimi veſcebantur, niſi hic *patellas* malumus, cum catilla mox denuo ſubſequantur, erant autem *catilla*, vaſa fictilia. HEINS. Forte Suilla intelligit, quæ inter dapes electiores habebantur, præcipue ſi ars Apicii, quam tradit Plinius lib. VIII. cap. 51. in iis ſaginandis eſſe adhibita.

Catillis] Vide ſupra cap. 50.

Ova pileata] Quæ & cap. LXV. interpretor de ovis pertuſis, ſic ut vitellus una cum albumine effuſus, inſperſo farinæ momento, circa putaminis globum exterius coctura cogatur & concreſcat, ipſique putamini uti pileolus inſideat, idque contegat, ambiatve. Alio ſenſu *aprum pileatum* dixit cap. XL. REINES.

Et ſenape] Pro *ſinapi*. In vetuſtiſſimo Codice Columellæ modo *ſinape*, modo *ſenapi*, exaratum offendo. Apud Apicium quoque *ſinape* paſſim. Ut autem in genere neutro *ſinapi*, ſic in fœminino *ſinapis*. Quomodo Plauto, Columellæ, Plinio, uſurpatur. HEINS.

Catillum congiarum, pax Palamedes] Lucem nullam hic video: ſed ne adhibeo, ampliandum. TILEBOM. Ex his nil idonei exſculpo, niſi quod id, *pax Palamedes*, referam inter exclamationes, putemque, hic adhibitum propter artem & ingenioſam cibi præparationem. Palamedem inventorum raritate celebrem fuiſſe apud veteres, vel ex proverbio eſt notum. Hinc ergo *pax Palamedes* fuerit, pro *pax ſit Palamedes*, hoc eſt, pace tua fiat, pace tua dixerim. Cicero in Somnio: *Ne me è ſomno excitetis, & pax ſit rebus*. SCHEFFER. Malim legere *congelatum per pelamidas*. Gelatinæ culinariæ artis noſtris quoque menſis notæ ſunt, tam è carnibus & trunculis, quam è piſcibus factæ. Πηλαμὶς è thynnorum genere thynnis, è qua delicatiſſimi cibi parari ſolebant Athen. l. 7. 8. REINES. *Catillum concagatum* tantiſper intelligo *congiarium*. Neque quem terreat deminutivum *catillum*. Nam, ſi *catinum* Gloſſæ eſt vas eſcarium immenſum, quidni *catillus* congiarius? Tres vero *congios* uno hauſtu ſiccavit Novellius Torquatus, ſpectante Tiberio. Plin. lib. 4. cap. 22. Aut *conchatum*. potuit enim fieri, ut ſaltem in margine varia arte eſſet incurvatum: quemadmodum videmus, vaſa, à propoſita forma, quoad exteriora, miris flexibus ſæpe recedere, ſicque unà via ad conjecturam Cl. Schefferi, quod ſequitur *oxygonia* pro *oxycomina* legentis, muniretur, quippe τῶ *conchatum* alluderetur ſimul ad formam, & ad cibum. Novimus enim tot ludentis in conchis naturæ figuras orbiculatas, mucronatas, cuniculatas, reticulatas, de quibus Plin. lib. 9. cap. 33. vel ſimplicius *concharum*, quarum delicias deſcribit Athenæus lib. 3. In quibus omnibus locus ingenio Palamedis, is adeo & menſurarum repertor creditur. Hæc ſic in rapido tranſcurſu ab occupatiſſimo. Exſpecto vero novos Machaonas, Douſas, Wouwerios, Erhardos, &c. qui poſt præclaram Cl. Schefferi operam idem in tergendo hoc Fragmento præſtituri, quod illi in parte Satyrici dudum edita. Hic enim plurima laureola repoſita. Pro *congagatum* elegi *congiarium*, ne à notis literarum longius recederem. Exiſtimo autem, *catillum* hic minime talem, ſed vaſtum catinum ſignari. Quum & alias Petronio deminutis pro primis uti familiare, ut infra *cerebellum* pro *cerebro*, & plura alia, quæ pleraque congeſſit ſupra Reineſius. Quippe alveo impoſita *circumlata* fuere, pluraque plures inde ceperunt; & novimus, oſtreacea majus fere ſpatium occupare. *unde quidam*. Quidam, id eſt, ex oxygoniis illis *murices, echini*, &c. (per Syntheſin generis, non ad vocem, ſed ſenſum, reſpiciendo) utque quaſi intento digito hos monſtret. Potuiſſet etiam manere *quidem*. Salva ſemper meliore ſententia, in his omnibuſque aliis. HADRIANID. Et hic locus merito numerandus inter mendoſſimos. Primo proponam conjecturam meam, deinde videbimus de ſingulis. Caſtigabam igitur: *& catillum congiglæ* (hoc eſt conchiclæ) *tum pax! pelamides*. Pergit abjectiſſimos cibos enumerare. *conchis*, unde *conchicla* ſive *conchicula*, faba cum cortice ſuo decocta, edulium. Nota ſunt illa apud Juvenalem Sat. III. 293.

Cujus conche tumes? quis tecum ſectile porrum
Sutor, & elixi vervecis labra, comedit?

Tum apud Martialem illa lib. V. epig. 40.

Cræſo divitior licet fuiſſem,
Iro pauperior forem, Charine,
Si conchem toties meam comeſſes.

Apud Naſonem in Faſtis lib. V. verſ. 509.

Stant calices: minus inde ſabas, olus alter habebat.

Quæ ad conchem refer. Conchicla autem faba, faba integra, opponitur freſſæ fabæ. Et hæc quidem de *catillo conchiclæ*. Sequitur nunc (*pax*) *pelamides*. *Pax* interjectio eſt, qua Terentius & Plautus nonnumquam

„ improbiter nos pugno sustulerunt: nam pernae missionem dedimus.

LXVII. „ Sed narra mihi, Gai, rogo, Fortunata quare non recum-
„ bit? [a] „ Quomodo? nosti, inquit, illam, Trimalchio, nisi argentum com-
„ posuerit,

a ENCOLPIUS.

utuntur. Vide Vossium de hac interjectione lib. IV. cap. XXVIII. Pelamidum partus cordilla, teste Plinio, ipsæ Pelamides, cum annuum excessere tempus. thynni appellantur, piscículus est sale conditus. Hinc Juvenalis Sat. VII. 119.

——— *Siccus petasunculus, & vas*
Pelamidum.

De conchicla tamen & variis ejus speciebus videndus Apicius lib. V. cap. IV. HEINS. Forte, *pax Pegasides*. Non secus etenim, ac si Musa dictante cœnam Scissæ enarrasset, hic ubi apposita omnia enarratio spectat, silentium scilicet Musis indicit, ne forte plus enuntient, quam appositum. Nam *pax* interjectio est, quæ interponitur ad interpellandum vel truncandum sermonem, ut notavit Scaliger ad Ausonium, & Vossius loco jam indicato. GOES. Monstri similis hæc lectio. Forte in catillo hoc edulium quoddam fuit, quod liquidum, & stercoris speciem referebat, unde facili mutatione legi posset *catillum concacatum*: quia autem hoc pronuntians contra decorum peccare sibi videtur, & nauseam convivis creare, interjectione *pax Palamedes!* veniam fœditati huic precatur.

Oxicomina] Suspicor, *oxigonia*, & de nescio quo aculeato genere cibi, quale est, quod tribulus vocatur, accipio. SCHEFFER. Legendum, *sycamina*: ea vero mora sunt: de iis Theophr. 6. hist. pl. 7. & Athen. lib. 3. REINES. *Tribulus*, herba aculeata, duplicis generis; de altera Ovid. lib. 3. Metam.

——— *Lolium tribulique fatigant*
Triticeas messes.

Et Virg. 2. Georg.

——— *Lappa, tribulique, interque nitentia culta,*
Infelix lolium & steriles dominantur avenæ.

Alterum nonnisi in amnibus nascens, & aculeos condens. Nec credo inter lautitias, quæ hoc catillo ostenduntur, habere locum. Consule Plin. lib. 21. cap. 16. & Dioscorid. lib. 4. cap. 15. nisi per *tribulos*, *murices* intelligamus; murices non eos, quos Græci à trinis cuspidibus τριβόλους nuncupant, machinulas videlicet ferreas quaqua sui parte prorectas, tres aculeos protendentes, sed *murices concharum genus*, qui & buccina. Vossius in Etymol. Plin. l. 9. c. 36. & c. 33. *Murices*, conchæ aculeatæ; à quibus prædictæ machinulæ ferreæ sic nominatæ. Innuunt id verba Plinii de conchis loquentis lib. 9 cap. 33. *Quibusdam vertex* muricatim *tutortus, margine in mucronem emisso.* Idem de pernæ concharum genere lib. 32. cap. ult. *Cibum venantur, dentes in circuitu marginum habent pectinatim spissatos.* Et notum quid de Lacone Ælianus lib. 3. echinum una cum aculeis deglutiente, & conquerente referat: *O scelestum*, exclamabat, *edulium, neque ego nunc te ceu mollis animi dimittam, nec posthac iterum sumam.* Non igitur frustra concharum ostreorumve species unguium, pectinum, pinnarum, muricum, erinaceorum, & id genus nominibus insignitæ; nimirum, quod quasi pugno imperite aut avide vescentes *tollant* & repellant. *Cochleæ* quæ præcedunt ex genere sunt concharum, domicilio sese jam exserentium, duobus corniculis protensis, jam condentium. Plin. lib. 9. cap. 32. 33. *Limaces* dicuntur Varroni lib. 5. de L. L. & Colum. lib. 1. Aliis limaces nudæ sunt, non conchis inclusæ. Etiam infra earum mentio *fiet*; quin & in hoc Fragmento in epidipnide Trimalchionis: *Ingeniosus cocus in craticula argentea cochleas attulit. Ostrea* (in quibus forsan *echinus* seu erinaceus), & *conchæ*, differunt tantum testis asperis, & glabris, utraque dura, & generaliter idem, Ovid.

Ostreaque in conchis tuta fuere suis.

Glossæ: *Ostreum, conchylium* (à *concha*) HADRIANID. Observa alveum poni pro vase ligneo concavo, quomodo apud Livium, & Nasonem in Fastis, *alveus* dicitur, quo Romulus & Remus expositi. Nam vas illud, quo apes mellificant, *alvum*, non *alveum* dici oportere, vetustissimi Codices fidem faciunt, in quibus *alvus* semper nominatur, *alveus* numquam. *Alveus* ergo hic *vas, in quo manducatur*, ut Scholia Juvenalis antiqua interpretantur. *Oxycomina* sive *oxycomina*, ut Plinio lib. XV. cap. 3. dicuntur, olivæ sunt sale conditæ. Sic oxygarum & similia apud antiquos. HEINS.

Pugno sustulerunt] Puto innuere, tactu prædicti cibi quosdam fuisse læsos. Verba quomodo emendem haud invenio. SCHEFFER. Lego, *Unde quædam*, nimirum de moris, *etiam improbiter nos pugno sustulimus. Improbiter*, id est, avidius & rapidius, quam modestos convivas decebat. *Pugno*, id est, πυγμῇ: quantum pugno, δακτύλων συγκλείσει, comprehendere poteramus. REINES. Locus manifeste corruptus, quem tamen plerique taciti prætereunt. At is exigua mutatione, procul dubio, ita restituendus: *unde quidam, etiam improbiter, in os pugno sustulerunt.* GOES. Nihil mutem. sed sensum esse puto, Habinnam avide ad Alveum illum circumlatum manus extendisse, sed aliquos ex reliquis convivis immodeste pugnis illum prohibuisse & detrusisse, ne ex voto suo oxicominia posset capere.

Perna emissionem] Mendum Typographi sic colles. *Pernæ missionem*. TILEBOM. Lege, *pernæ missionem*. SCHEFFER. Eleganter. Modus loquendi è spectaculo gladiatorio petitus. HEINS.

Quomodo nosti inquit illam] Distingue. *Quomodo? nosti, inquit, illam, Trimalcio.* HEINS. Recte Heinsius

quo-

„ posuerit, nisi reliquias pueris diviserit, aquam in os suum non conji-
„ ciet. Atqui, respondit Habinnas, nisi illa discumbit, ego me apocalo:
„ & coeperat surgere, nisi signo dato Fortunata quater amplius à tota
„ familia esset vocata. Venit ergo galbino succincta cingillo, ita ut infra
„ cerasina adpareret tunica, & perisCelides tortae, phoecaesiaeque inauratae.
„ Tunc

quomodo? nosti, inquit, illam. Quomodo saepius noster utitur singulari modo, ut supra cap. XXXVIII. *Sed, quomodo dicunt, ego nihil scio* cap. 61. *Ibi, quomodo Dis volunt, amare cœpi Melissam*, hic potest suppleri quomodo rogas hoc, qui nosti ejus mores? BURM.

Argentum composuerit] Id est, decenti & eleganti ordine dispposuerit, & vasa, quorum jam in convivio usus amplius non desiderabatur, sed ablata erant, iterum incluserit armariis. Est enim hic ejus verbi proprius usus de rebus, quæ ordinantur & reservantur. Unde Servius apud Virgilium lib. VIII. Æneid. vers. 317.

Aut componere opes norant, aut parcere parto.

explicat *reservare, ordinare.* Ad ornatum quoque spectat; quo sensu *crines componere* Virgilius, & Ovidius, *Togam* Horatius dixerunt. Ita mox cap. seq. *composita tunica*: hæc est ergo illa diligentia Matrisfamiliæ, quam mox Scintillæ jactat, & cujus excusatione utitur, cur non discubuerit.

Reliquias] Proprie. Phædr. lib. I. fab. 22.

Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis.

Aquam in os] Vide supra cap. 42.

Me apoculo] Verbum hoc novum est, juxta cum multis, quæ habentur apud Petronium. Quo quidem significatur, recedo à mensis & à poculis. Cæterum quid mirum, si Romano maxime vigente sermone autus sit,

Signatum præsente nota producere nomen?

Sed obaudio, quosdam hic aliter sentire, & de una voce duas facere, cum Ellipsi, ut loquar cum Grammaticis, nempe figura, Arbitro nostro perfamiliari. TILEBOM. In hoc quoque loco non parum se exercuerunt homines eruditi. *Apoculo* opinor corruptum esse ex *apoceplo*, id est, *ab hoc eplo* vel *epulo*. In superioribus quoque *peculo* pro *epulo* legebatur cap. præcedenti. *Habuimus tamen in primo porcum poculo coronatum. Ego me ab hoc epulo* scilicet recipiam. Erat enim nefas mensas relinqui. De quo videndus Scaliger ad Festum in *Migrare*. Tales loquendi plures modi in hoc fragmento, ut infra cap. LXX. *Si prasinus proximis circensibus primam palmam*, nempe, consequatur. supra: *Ego & tu sponsiunculam.* Aliaque id genus complura. HEINS. At si quid conjectura assequi possum, scripsit Petronius: *Ego me ἀποκλίπτω.* Sic mox. *Dumque sic cohærent, Habinnas furtim compoculis* ficto, ut supra cap. 62. *Orcus Apoculanius.* Vel let forte tamen aliquis *apologo*, quo verbo utitur Seneca, Petronio nostro æqualis Epist. XLVII. sed ego præfero *apoculo*, quod huic parti convivii accommodatum, jam enim comissabantur, & poculis indulgebant fere ebrii hi comissatores. BURM.

Signo dato] Vide supra cap. 34.

Galbino] Viridi, luteo, χλωρῷ. Hinc apud Juvenalem, *aut galbina rasa.* Salmasius prolixe de colore hoc in magno opere. SCHEFFER. Vide Salmas. ad Lampr. Alexandr. Sever. cap. XLI. & Vopisc. Aurelian. cap. XXXIV.

Cingillo] Philoxenus. *Cingillus*, στρόφιον, ζώνιον. Aliud Lexicon vetus. *Cingillum*, ζωνάριον. Legitur & in Glossis Tullii Tyronis p. 158. Habes ad hoc exemplum *vascillum*, apud Macrobium, pro parvo vase. SCHEFFER.

Cerasina] Sic cap. XXVIII. est *cingulum cerasinum* ostiarii. *Cerasinus* autem color à ceraso, ut à cera cerinus: à praso prasinus: est vero dilute ruber. SCHEFFER.

PerisCelides tortæ] De his Reinesius. *Periscelia Tertulliano ornamenta illa, armillæ, orbiculi, annuli circa crura feminarum fluitantes plebejis ex argento fuere Plin. l. 33 c. 12. Persis, Medis, & Asianis aliis, Ψέλια περὶ τὰς χεῖρας καὶ τὰς πόδας, ex ossibus albis piscis cujusdam confecta, & prælata aureis è Charetis. Mityl lib. 7. Hist. Alex. Athen. lib. 3. potioribus Græcarum Romanarumque & Fortunatæ, ut patet è sequentibus, ex auro. Quare sine dubio pravum est τὸ* tortæ, *& legendum totidem similibusque brevibus literis* aureæ *prorsus ut supra* veram *scripserat, pro* ceream. *Qui* tortas *defendere volet, non dicet materiam, quæ tamen hic vel maxime attenditur. Vincula vero pedum, quæ similiter ex auro, nimirum textili, seu per fila intorto, sunt habenæ, quibus solearum vel calceorum ansæ constringebantur. Athen. lib. 12.* Χρυσᾶς ἀναστασὰς (*nisi* ἀναστασὰ *potius sunt*) *vocat, quibus Parrhasius pictor* τῶν βλαυτῶν τὰς ἀναγωγίας *adstringebat, aliud igitur à cruralibus circulis, qui ex auro solido fusi ductive.* Hæc Reinesius, sed sine aliqua necessitate. Quis enim cogitare possit, periscelides argenteas in Fortunata, tam divite ac opulenta, uxoreque ejus, qui id agebat unice, ut divitias suas omnibus ostentaret. Itaque mox quoque *armillæ crassissimæ* nominantur, absque mentione materiæ, quarum tamen eadem plane fuit ratio, quæ periscelidum. Voluit nimirum aliquid haud vulgare in eis notare, quo non pertinebat, si dixisset aureas, idem factum in periscelidibus. Eæ, quod fuerunt aureæ, hoc commune habue-

„ Tunc sudario manus tergens, quod in collo habebat, adplicat se illi „ toro, in quo Scintilla Habinnae discumbebat uxor, osculataque plau- „ dentem, Est te, inquit, videre? Eo deinde perventum est, ut Fortu- „ nata armillas suas crassissimis detraheret lacertis, Scintillaeque miranti „ ostenderet. Ultimo & periscelides resolvit, & reticulum aureum, „ quem ex obryzo esse dicebat. Notavit haec Trimalchio, jussitque „ adferri omnia: &, [a] Videtis, inquit, mulieris compedes? Sic nos bar- „ calae

[a] TRIMALCHIO.

runt cum multis, at quod *tortæ*, hoc prorsus singulare, quia vulgo erant simplices ac leves, cum contra tortæ funium referrent speciem, striis per ambitum ductis. SCHEFFER. Nota, & has Romanis fœminis in usu fuisse, quod à Lydis, unde Etrusci originem trahunt, videntur mutuatæ. Omphalæ certe, Herculis amoribus, periscelides Naso in Fastis & Seneca in Tragœdiis assignant.

Crura distincto religavit auro.

Ubi obiter moneo scribendum, *distento auro*. Distendebantur periscelides Omphales, cruribus Herculeis tam crassis aptandæ. Quem locum alibi pluribus illustramus. Interim Nasonem audi: is conjecturæ nostræ subscribit:

Fregerat armillas, non illa ad brachia factas
Scindebant magni vincula parva pedes. HEINS.

Phœcasiæque inauratæ] Mallem, *phœcasiaque inaurata*. Græcum enim genus calciamenti est. At his est φαινάκιον, ut ex Hesychio, Polluce, etiam Plutarcho, novimus. Qui postremus facile ostendit, non modo rusticum, quod Hesychius volebat, sed civicum urbanumve fuisse, quando tribuit Antonio per Gymnasia una cum pallio ambulanti. Seneca commemorat in philosopho, eoque Pythagorico, l. VII. Benef. c. 21. Appianus in Sacerdotibus Alexandrinis, ut virile magis, quam muliebre, fuisse appareat. Quo cum convenit, quod in Petronii excusis legitur. SCHEFFER. Vide infra cap. 82.

Adplicat se illi toro] Petronianum verbum supra cap. XXII. *Alii parietibus appliciti*. cap. CXXVI. *Lateri meo applicat mulierem*. infr. cap. XCI.

Est te, inquit, videre] Reinesius: *supple, dulce vel volupe est te videre. Absorpserat librario oscitante vox*, plaudentem, τὸ dulce, *vel* volupe, *in quibus eadem pene litteræ, alio ordine*. Omnia hæc sunt frustranea. Formula est cum admiratione quadam compellantis aliquem, post diuturnam absentiam; nec desiderat quidquam. Colloquium vetus scholasticum. *Et tenuit eum, & resalutavit, dicens: Est te videre? quid agis?* Sententia, daturne tandem nobis facultas tui videndi? SCHEFFER. Recte Scheferus: Est enim idem, ac *licetne te videre?* vide Heins. ad Ovid. II. art. amand. vers. 28. & Schulting. ad Senec. Suasor. III. Heinsius in margine codicis sui conjecerat legendum *estne inquit te videre?* Sed nihil opus; est enim hæc formula, non tam rogantis, quam accusantis neglecti officii amicam, quam diu non viderat.

Tὸ deinde] Lego, *eo deinde*. GOES.

Crassissimis] Suspicor scribendum *crassissimas*, ut respiciat, *armillas*. maxime cum mox sequatur de pondere. SCHEFFER. Quid ni talibus ambubaja, quam de mactra depsentem Trimalchio consortem assumsit? Ut in fine Fragmenti liquebit. HADRIANID.

Ostenderet] Egregium Satyrici nostri ingenium hæc produnt, qui muliebris vanitatis & jactationis inter æquales mores exprimit, & ita sæpe mulieres, annulos, gemmas, & alia ornamenta, quibus erant cultæ, ostendisse legimus; imo amatores, per caussam videndi hæc, tetigisse amicarum manus, inter artes amatorias refert Tibullus lib. I. eleg. VII.

Sæpe velut gemmas ejus signumve probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum.

Ubi videantur, quæ Eruditissimus Brouckhusius illustrando huic argumento contulit. BURM.

Et reticulum aureum, quem ex sobrussa esse dicebat.] Lege: *quæ ex obryzo esse dicebat*. Ut etiam referatur ad periscelides. Nam reticulum est generis neutrius. De reticulo aureo apud Juvenal. Sat. II. 46.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

HEINS. Vid. Salmas. ad Alex. Sev. cap. XLI. & observ. ad jus Attic. & Roman. pag. 161. Nihil vero opus hic τὸ *quem* loco movere, nam & *reticulus* est apud Plin. lib. XII. cap. 14. *Subligaria signantur artifici, persona adjicitur capiti, densusque reticulus*. BURM.

Ex sobrussa] Lego, *obrusso*, id est, *obryzo*. Auri obryzi, velut optimi purissimique, mentio frequens apud idoneos auctores. SCHEFFER.

Notavit hoc Trimalcio] Prorsus Petronianum hoc significatione spectandi, observandi, animadvertendi. Sic infra cap. LXXIII. & cap. VI. *Non notavi mihi Ascylti fugam*. Ita Valer. Fl. 2. Argon. vers. 312.

——— *Procul validis Lemnon tendentia remis*
Arma notant.

Cic. 3. de Orat. lib. 9. ep. ad Pætum 16. de divinat. Gell. lib. 18. cap. 14. REINES.

Mulieres compedes] Lege, *mulieris*. TILEB. Corrige, *mulieris compedes. Sic nos baceli despoliamur*. De voce *bacelo* alias dixi. *Despoliari* quoque notum Petronio. Sic enim in editis: *despoliatus ergo retro ad diversorium tendo*. Per *compedes* indignabunda ironia intelligit annulos dictos. Manilius lib. V. vers. 519.

Et

„calae despoliamur. Sex pondo & selibram debet habere, & ipse ni-
„hilo minus habeo decem pondo armillam, ex millesimis Mercurii fa-
„ctam

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla. SCHEFF. Philostr. ep. ad uxorem: Ὁ γὰρ καλλαπιστὴς ἑταιρικὸν. & αἱ χρυσαῖ πέδαι Θαΐδος, καὶ Ἀριστάγορας, καὶ Λαΐδος, φάρμακα. REINES. Lege *muliebres compedes.* HEINS. Iterum Satyricus non omittit hanc insanam mulierum luxuriam notare, & Trimalchioni, qui ipse diffluebat lautitiis, ridiculi caussa hanc censoriam orationem tribuere. Plinius lib. XXXIII. cap. 3. *Habeant fœminæ in armillis digitisque totis, collo, auribus, spiris, discurrant catenæ circa latera,* &c. Et cap. XII. *Argentum succedit aliquando & auro, luxu fœminarum plebis compedes sibi ex eo facientium, quas induere aureas, mos tritior vetat.* Sed gravior illa Virginum Christianarum objurgatio apud Cyprianum de Habitu Virginum. *Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla armillis & monilibus catena pretiosa, sint à compedibus aureis pedes liberi.* BURM.

Sic nos barcalæbe spoliamus] Trajectionem syllabæ *be* commisit librarius, ut frequenter, & è venusto eruditoque monstruosum effecit. Vera scriptura *berbeculi:* quasi diceret Trimalcio: Sic nos simplices & mulierarii à dominabus nostris, immodicorum semper affectuum, superbis & sumtuosis, illudimur & emungimur: adi Phædrum fab. 33. Quin ad augendam turpitudinem nomine fœminini generis *berbeculæ* usus videri potest; prorsus ut Poëta Ἀχαιὰς ἀντὶ Ἀχαιῶν; Sossius Antigonum regem ignavum victum & supplicem Ἀντιγόνην & Horat. I. Sat. 8. Pedatium Equitem mollitie infamem *Pedatiam* adpellavit. *Vervex, berbex,* cap. LVII. *verveculus, berbeculus,* cap. XXXVII. εἰς ᾠδὴν μῶν denominatio est, ut & *pecus,* oblivioso, stupidi, & stolidi. Talis apud Plautum in Persa Act. 2. sc. 2. *verveceum caput.* Adhæc habet etiam significationem mulieroso, exoleti tamen & inefficioli: quo sensu Plautus in Casina Act. 3. scen. 2. *verveces vetulos* dixit, Arnob. lib. 5. Jovem *verveceum,* cum libidinosum & stuprorum adulteriorumque flagitiis intentum vellet, notavit. REINES. Lege, *sic nos babecali despoliamur.* Quod verbum & supra occurrit cap. 47. *Quemvis ex istis babecalis in rutæ folium conjiciet:* & nobis conservavit unicus ille regius Arnobii lib. IV. Nam à vulgatis editionibus, si unam excipias Leidensem, quam Salmasius recensuit, nescio quo fato, jussum est exulare. Locum Arnobii ecce: *An uxore contentus haud una, concubinis, pellicibus, atque amiculis delectatus, impatientiam suam spargebat passim, ut babecali adolescentes solent.* De Jove sermo est, ubi reposuerunt: *uti Bacchari adolescentes solent.* Forte scribendum utroque loco, tam Petronii, quam Arnobii, *Babaculi,* ut ὑποκοριστικὸν sit à *Baba* homine stolidissimo Claudianorum temporum, cujus semel iterumque fit mentio apud Senecam, ut ep. XV. *Quam tu nunc vitam dici existimas stultam? Babæ & Ixionis?* Hunc & Claudium sub unum idemque fere tempus mortuos idem Apocolocuntosi testatur. *Aperit tunc Clotho capsulam, & tres fusos profert. Unus erat Augurini, alter Babæ, tertius Claudii.* HEINS. Non ausus fui mutare lectionem codicis Traguriensis, quamvis quid vocis sit non intelligam, retulit eam du Cange in Glossarium suum, sed nulla addita interpretatione. idem Glossario Græco ex Constantino de administr. imperio cap. LI. notat Michaelem quemdam *Barcalam* dictum, quasi βάρκας ἐλάτην, sed hoc cognomen huc nihil facere puto. Celeberrimus vero Grævius, in notis ad Isidori Glossarium in voce *Baburrus,* tam hic, quam supra cap. 67. mavult *babeculæ.* BURMAN.

Debet habere] Superiora requirunt, ut legamus, *debent.* SCHEFFER. Pro *habet.* Martialis Apophoretis epigr. XCV.

Grandia ne viola parvo Chrysendeta mullo:
Ut minimum libras debet habere duas. HEINS.

Legendum puto *debent habere.* Quoniam non respicitur ad armillam solam, sed & ad reliqua hic recensita. Imperator Valerianus, ut auctor est Treb. Pollio, in maxima liberalitate Claudio dederat brachialem unum unciarum septem. Et tamen Trimalchio, decem pondo armillam, pro ut ejus requirebat fastus, sibi fieri fecit. GOES. Nescio, cur mutatum velint viri docti, cum omnia in Trimalchionis supellectile ponderosa, & extra communem modum sint; ita *cochlearia sex libras pendentia* vidimus c. 33. *Lancem centenariam* c. LIX. & similia: eodem modo, ut armilla Fortunatæ responderet ceteræ luxuriæ, debebat habere sex pondo & selibram. Et licet vix tam graves alibi armillæ occurrant, in earum tamen mole & pondere mulieres lasciviisse indicio est, quod compedibus & catenis compararint, & brachia inclusisse dicantur, ut paulo ante ex Cypriano & aliis vidimus. Deinde libertini fastus homo, postquam reprehendisset hanc mulierum insaniam, addit παρὰ προσδοκίαν, se nihilominus habere armillam decem pondo. Quæ Satyrici nostri ingenium & festivitatem egregie produnt. BURM.

Millesimis Mercurii] Hæ an alibi millesimæ occurrant, ego me nescire fateor. Deliberent hic eruditi. SCHEFFER. Mercurio inprimis devotus erat Trimalcio; patet è cap. XXIX. & LVIII. ubi Cleponem propitium, sive invocat, sive optat. Exercebat enim mercaturam & fœneratoriam, cap. LXXVI. Illæ igitur *millesimæ Mercurii* recte exponentur de usuris infra unciarias, seu minimo fœnoris modo, eo nimirum, quo millesima sortis pars quot mensibus solvitur, ut in centesima pars capitis centesima die mensrua præstatur à δωδεκόμοιρα, id est, duodeni annui pro centenis,

„ctam [a] Ultimo etiam, ne mentiri videretur, ſtateram juſſit adferri, & „circulatum adprobari pondus. Nec melior Scintilla, quae de cervice „ſua capſellam detraxit aureolam, quam Felicionem adpellabat, inde „duo crotalia protulit, & Fortunatae invicem conſideranda dedit: &, „Domini, inquit, mei beneficio nemo habet meliora. [b] Quid? inquit „Habinnas, excatarriſſaſti me, ut tibi emerem fabam vitream. Plane, ſi „filiam

[a] ENCOLPIUS. [b] HABINNAS.

tenis. Seneca 3. de Ira cap. 33. *uſuram haud milleſimam* dixit, quae milleſimam non attigiſſet, eſſetque ideo omnium leviſſima. Quia vero armillam, & quidem decem pondo, è milleſima parte ſortis confectam eſſe jactat, eo ipſo ſummae capitalis pecuniarum aliis creditarum immanis dominum ſe oſtentat. Cui enim è milleſima uſura, quae in mille menſibus ſortem æquat, decem pondo exierunt, ei è centeſima, quae in centum menſibus par ſit ſorti, mille pondo auri provenient. Hoc de milleſimis Mercurii apud me certum eſt, de eo exiſtimet tamen quiſque, ut lubet, licet. REINES. Non puto, hæc de uſuris intelligi poſſe, ſed de voto milleſimarum ex quocumque lucro; ut decimæ erant vulgares, quas Herculi vovebant. v. Plutarch. Quæſt. Rom. XVII. Ita noſter Mercurio, Deo negotiantium, tantum milleſimas voverat, & poſtea, ut videtur, Deum adhuc defraudans, inde ſibi armillam fecerat. Ingens vero lucrum feciſſe oportet, qui ex milleſimis decem pondo armillam fecerat. Viceſimæ Apollini datæ meminit inſcriptio nuper publicata, à viro Doctiſſimo Joanne Vignolio, inter ſelectas inſcriptiones, quas eruditiſſimæ explicationi Columnæ Antonini Pii ſubjecit pag. 339.

M. MINDIOS. L. FI.
P. CONDETIOS. VA. FI.
ſ.c
AEDILES. VICESMA. PARTI.
APOLONES. DEDERI.

Circulatum] hic egregie falſus ſum, aut, vice *circulatum* poni debet, *ſingulorum*. TILEBOM. Rotundum, circuli in modum formatum, vix puto hic *circumlatum* legendum. HADRIANID. Scribe *circumlatum*. ſupra cap. LXVI. *In alveo circumlata ſunt oxycominia*. Et cap. XXXV. *circumferebat puer Ægyptius clibano argenteo panem* Martialis lib. III. epig. 17.

Circumlata diu menſis ſcriblita ſecundis. HEINS. For. *Circulatim*.

Capſellam] Capſulam, ſic dictam, ut apud Plautum *ciſtella*, unde nomen *ciſtellariæ* eſt factum. *Capſellas* habes apud Ulpianum l. 12. ff. de Inſtruct. vel Inſtrum. leg. SCHEFFER.

Felicionem] Obvium id nomen in antiquis inſcriptionibus, vernis & libertis impoſitum, propter bonum, ut puto, omen, ut ita ſupra Larum unum vidimus vocatum cap. 60. Heinſius tamen in margine libri ſui annotaverat, forte *filicionem*, ut *paterae filicatae* dicuntur à ſculptura.

Crotalia] Plinius lib. IX. cap. 35. de unionibus. *Hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus, feminarum gloria eſt. Subeunt luxuriae ejus nomina & tædia exquiſita perdito nepotatu: ſiquidem cum id faciunt, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum.* Unde videmus à ſimilitudine ſoni, quem crotala edunt, ita dictas margaritas. Pari modo *Tympania* dicta à forma *Tympani*, teſte eodem Plinio, & JCto in leg. XXXII. §. 8. ff. de auro & arg. leg. ſimilis luxuriæ inſtrumenta ſunt Elenchi & Cylindri: de quibus omnibus accurate egerunt Caſp. Bartholinus de inauribus veterum, & Meurſius de luxuria Roman. cap. v. invehitur in hanc mulierum inſaniam Cyprianus de Habitu Virginum. *An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſecularis iguara, crucietur, ut poſtea de aurium cicatricibus & cavernis, pretioſa grana dependeant gravia, etſi non ſuo pondere, tamen mercium quantitate?* BURM.

Invicem] Lege *in vicem*. TILEBOM. Vide ſupra ad cap. 12. ubi & de voce *conſiderare* egimus.

Et domini] Lege, *hæc domini*. GOES.

Excatarriſaſti me] Verbum Petronii, id eſt, *obtuliſti*, catharrum induxiſti importunis tuis petitionibus. Quidam fortaſſe vellent, *excarnificaſti*, Comicis Poëtis verbum familiare; aut *exanimaſti*, tuis ſcilicet querelis. TILEBOM. Verbum hoc, ut ſuſpicor, formatum eſt à καταῤῥιζόω, id eſt, radices ago, ut *excatarriſſare* ſit, radices extrahere, hocque velit locus, tu hoc impendio, quod faciendum mihi fuit in iſta crotalia, omnes pecuniarum vires abſumſiſti mihi. Niſi malis derivare à καταῤῥέω, quaſi diceret, omnem ſuccum & humorem irriguum abſtuliſſe. SCHEFFER. Familiare hoc habet ſcriba Dalmata x pro c, co, ſ, ſs pingere: ſic ſupra cap. XLV. & LXII. Hic igitur legam, *Ecce battariſaſti me*. Βατταρίζειν eſt impedite loqui, garrire, effutire, quæ tegere oportebat: uritur Cic. 6. Attic. 5. quod ante dixerat ἀλογιζόμενον παραφθέγγεσθαι, inconſiderate eloqui: ſignificat etiam fraudulenter agere. Βάσσαρος, βασσαρις, vulpes. Hoc autem dicit Habinnas; importunis tuis flagitationibus extorſiſti, Plautino verbo, exterebraſti, vel etiam, lingua aſſentatrice, adulatoria tua arte eo me perpuliſti, ut emerem tibi iſta κοροκόσμια nugalia,

„filiam haberem, auriculas illi praeciderem. Mulieres si non essent, „omnia pro luto haberemus. nunc hoc est caldum mejere, & frigidum „potare. [a] Interim mulieres sauciae inter se riserunt, ebriaeque junxe- „runt oscula: dum altera diligentiam matrisfamiliae jactat, altera deli- „cias, & indiligentiam viri. dumque sic cohaerent, Habinnas furtim „consurrexit, pedesque Fortunatae correctos super lectum immisit. Au! „au! illa proclamavit, aberrante tunica super genua composita. Ergo „in

[a] ENCOLPIUS.

galia, preciosum vitrum cap. LV. margaritas, quas à pertuso auriculae lobo suspenderes. Vid. Sen. 7. de benef. cap. 9. REINES. Verbum plebejum, à Graeco ἐκκαθαίρω. Sic apud Senecam *apologare* ep. XLVII. ex ἀπολογεῖν, & LXVI. *malacissare* ex μαλακίζειν, vel μαλάσσειν. *plassare*, apud Apicium lib. II. cap. 1. ex πλάσσειν. Item ex κωμάζειν *commissare*, ex πιτίζειν *pitissare*. HEINS.

Fabam vitream] Sic per indignationem quasi vocat *crotalia* prius dicta, id est margaritas certas, sic à sono, quem edebant collisae, vocatas, ut est apud Plinium lib. IX. cap. 35. SCHEFFER. A forma ita unionem non verum, sed vitreum dictum. De quo vide viros doctissimos ad Pollion. Gallien. cap. XII. BURM.

Si filiam haberem auriculas illi praeciderem] Nimirum onerosae sumtu futurae, si auriculis utrimque bina vel terna patrimonia, secundum mores publicos, volet dependere. REINES.

Omnia pro luto haberemus] Forte, *omnia ea pro luto*; Non enim haec ad alia, quam ad mundum muliebrem, referenda sunt. GOES.

Caldum mejere & frigidum potare] Significat, potiora erogari, quam acceperis. At, qui? Plurimum, vult dicere, expenditur in ornamenta muliebria, quum minus acceperis in uxore, quam innuit exigua dote concomitari. Sed, inquies, an aquâ potius est lotium? Non ita comparatio instituitur, ideoque nec horum verborum meminit, sed calidi & frigidi. At frigido caldum, qua tale, est potius, utpote naturae convenientius. Si vero quis etiam ipsum lotium aquamque respici existimaverit, sumtum id verbi à fullonibus videbitur, quibus majori in pretio est lotium, quam aqua, utpote quo caldo vestes sordibus recte mundant, cui rei tantundem aqua frigida confert neutiquam. GOES. Similitudo à fullonibus sumta, qui, calidam ut mejunt, ita frigidam potant. Calidum autem lotium illis pluris est, utpote qua vestes sordidas mundant, quam aqua frigida, quam potant, & minori opera quam lotium comparatur. Ita vult dicere, pluris est, quae in uxores expendimus, quam ea, quae ad nos deferunt. IDEM.

Sauciae] Vino, an, quod magis credo, his Habinnae dicteriis tactae laesaeque? SCHEFF. Aut etiam sauciae amore. HADRIANID. Id est, ebriae: ne bis idem dicat, variavit vocabulum. Martialis lib. III. Ep. LXVIII.

Hinc jam deposito, post vina rosasque, pudore,
Quid dicat, nescit saucia Terpsicore.

Justinus lib. I. cap. 8. ut è libris scriptis jam castigatum est à Bongarsio: *Omissis hostibus insuetos Barbaros vino se onerare patitur. Cognitis his, Cyrus, reversus per noctem, saucios opprimit.* Et lib. XXIV. cap. 8. *Hesterno mero saucius.* HEINS.

Matrisfamiliae] Scribe *matrisfamiliae*. TILEBOM. & SCHEFFER. Non satis assequor, quid velit per illam diligentiam. HEINS. Mihi hanc velle opinor, quam Trimalchio in Fortunata commemoravit paulo ante: *Nisi argentum composuerit, nisi reliquias pueris diviserit, aquam in os non conjicier.* Hoc enim, quod Trimalchio de Fortunata jam praedicaverat, id ipsum jactabunda effert hic ipsa apud Scintillam. Dum autem haec Fortunata, altera, nempe Scintilla, viri delicias & indulgentiam; ut jam pridem est restitutum loco ejus, quod antea legebatur, *& indiligentiam viri*. GOES. Satis patet hic intelligi studium illud bene administrandae rei domesticae, quam supra cap. 37. in Fortunata laudaverat. Et ita postea viri indiligentiam altera jactat, qui non frugalis & parci patrisfamilias, sed negligentis & prodigi numeros impleret. Vide celeberr. Grævium ad Cicer. Epist. ad famil. lib. III. Ep. 8. Terent. Phorm. Act. V. scen. 3. *Quia pol mei patris bene parta indiligenter tutatur.* Plin. lib. II. epist. 6. *Coenarem apud quemdam, ut sibi videbatur, lautum & diligentem, ut mihi, sordidum simul, & sumtuosum.* Cicer. Oeconomic. princ. *In re familiari laboriosior est negligentia, quam diligentia.* Nihil hic ergo mutandum, nec *indulgentiam*, quam Patavini hic ediderant, recipiendum. BURM.

Cohaerent] Petronius cap. CXIV. *Ne sic cohaerentes malignior fluctus distraheret, utrumque zona circumvenienti cinxit.* SCHEFFER.

Correctos] Lege, *collectos*. TILEBOM. Scribe, *correptos*. SCHEFFER. Eleganter. Valerius Maximus lib. VI. cap. V. *Inclinatam à Volscis aciem correxit.* HEINS. Vide supra ad cap. 43.

An, an, illa] Corrige, *Ah, ah!* Habes saepe apud Comicos. SCHEFFER.

Aberrante tunica] Lege *aberratne tunica?* TILEBOM. Haec ita distingui malim: *aberrante tunica su-*

„ in gremio Scintillae indecens imam rubore faciem ſudario abſcondit.

LXVIII. „ Interpoſito deinde ſpatio, cum ſecundas menſas Trimal-„ chio juſſiſſet adferri, ſuſtulerunt ſervi omnes menſas, & alias attule-„ runt, ſcobemque croco & minio tinctam ſparſerunt, &, quod num-„ quam ante videram, ex lapide ſpeculari pulverem tritum. Statim Tri-„ malchio: [a] Poteram, inquit, hoc fericulo eſſe contentus, ſecundas „ enim habetis menſas; ſi quid belli habes, adfer. [b] Interim puer Alex-„ andrinus, qui caldam miniſtrabat, luſcinias coepit imitari, clamante „ Trimalchione ſubinde: Muta: Ecce alius ludus. Servus, qui ad pe-„ des Habinnae ſedebat, juſſus, credo, à domino ſuo, proclamavit ſu-„ bito, canora voce:

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS.

„ [a] *Interea*

per genua. Compoſita ergo in gremio Scintillæ: cum nudata petulantia Habinnæ genua oſtendiſſet Fortunata, recollegit ſe, & in gremio ſuæ ſodalis reſedit. REINES. Convenit Naſonianis iſtis, arte amatoria lib. 1. verſ. 153.

Pallia ſi nimium terræ demiſſa jacebunt,
Collige, & immunda ſedulus effer humo.
Protinus officii pretium, patiente puella,
Contingent oculis crura videnda tuis. HEINS.

Vide ad cap. præced. Ovidius.

Nec niſi compoſitam ſe prius illa videt.

Imam rubore faciem] To *imam* pravum eſt. SCHEFFER. Lege *indecentiſſimam*, id eſt, deformem, aliam à nativa, ob intenſum ruborem ἀπρεπῆ. Quid ſi *incenſiſſimam*, vel *intenſiſſimam?* REINES. Recte jam reſtitutum, *indecentiſſimam faciem*. HEINS.

Scrobemque] Legendum, *ſcobemque*. Lampridius in Heliogab. cap. 31. *Scobe auri porticum ſtravit & argenti, dolens, quod non poſſet & electri: idque frequenter, quacunque fecit iter pedibus.* SCHEFFER.

Croco] Macrob. II. Sat. IX. ex Salluſtii fragmento, de Metello Pio: *croco ſparſam humum*, illo epulante, narrat. HEINS. Quantum in croci uſu, ſive aqua vel vino croco diluto, luxuriaverint veteres, docebit te egregie Vir illuſtris Ez. Spanhemius ad Callim. Hymn. in Apollin. verſ. 83. ubi de pluribus rebus, quæ croco tingebantur, uberrime agit. Trimalchio autem inviſitatæ elegantiæ homo minium ſcobi addidit.

E ſpeculari lapide] Hæc manifeſte ætatem Petronii produnt, cum Seneca ſcribat Epiſtola LX. *ſua demum memoria prodiiſſe ſpeculorum uſum*; quare egregie Satyricus Trimalchionem inducit novæ & antea non viſæ luxuriæ adfectatione ſe venditantem. De lapide vero ſpeculari vide Panciroll. lib. 1. rerum deperditarum, ubi tamen male confundit cum ſpeculari Phengitem, ex quo Neronem templum Fortunæ Sejæ conſtruxiſſe refert Plinius lib. XXXVI. cap. 22. & qui Nerone principe demum repertus eſt. Unde efficere eſt, ſi Neronem traducere voluiſſet Petronius, illum Trimalchionem inducturum fuiſſe pulvere ex Phengite nuper reperto triclinium ſpargi juſſiſſe, quia jam uſu trita erat ſpecularis lapidis luxuria. Cæterum Plinius ibidem addit, *Inveniſſe quoque aliquos uſum hujus lapidis in ramentis, Circum maximum ludis circenſibus ſternendi*, quæ ramenta nihil aliud ſunt, quam pulvis hic tritus. Minio autem jam Circum conſtraverat Caligula, teſte Suetonio cap. XVIII. quod & Neroni tribuere Plinium notat ibi Torrentius. An autem adhuc hodie ſuperſit lapis hic, contra Pancirollum diſputat Fort. Licetus in Quæſitis per Epiſtolam lib. 1. p. 115. BURM.

Habetis menſas, ſi quid] Poſt, *menſas*, pingendus eſt aſteriſcus. Deſunt enim hic aliqua. SCHEFFER. Senſus & connexio cum ſuperioribus exigit omnino, ut legatur: *ſed ſecundas etiam habebitis menſas.* GOES. Nihil hic deeſſe puto. Sed, ut Goeſius recte notat, convertit in ſequentibus ſermonem ad puerorum adſtantium aliquem. Menſas autem ipſas jam tolli jubet, non ſolum fercula & repoſitoria, quæ ter quaterque jam ablata fuerant. Vide ſupra ad cap. 34.

Si quid belli habes, affer] Sermo Trimalchionis ad familiam. GOES. Proprie de menſis ſecundis, quibus *bellaria* inferebantur. Terent. Adelph. Act. IV. ſcen. 2. *Nam jam adibo, atque unumquodque, quod quidem erit belliſſimum, carpam.* Ubi Donatus, *proprie* belliſſimum *dixit, unde & hujuſmodi ad irritandam gulam cibi* bellaria *dicuntur.* Vide Scaligerum ad Feſtum in *bellaria*. BURM.

Clamante Trimalcione ſubinde, Muta] Puero imitanti luſcinias adclamat, ut hortator ſimul & correptor, ut canat melius. φιλομελικώτερον: *muta*, id eſt, emenda, fac melius. Sic Horat. 1. Sat. 10.

Nil comis Tragici mutat Lucilius Auſi?

ubi Porphyrion: *Mutat pro emendat.* REINES. Explicat Reineſius, *emenda, fac melius.* Mihi ſecus videtur, exigiſſe nimirum Trimalchionem à puero, ut ſubinde cantum ederet alium, atque alium, more Philomelæ,

[a] *Interea medium Aeneas jam classe tenebat.*

„ [b] Nullus sonus umquam acidior percussit aures meas. nam, praeter er-
„ rantis barbarie aut adjectum, aut diminutum, clamorem, miscebat
„ Atellanicos versus; ut tunc primum me & Virgilius offenderit. Lassus
„ tamen cum aliquando desisset, adjecit Habinnas: [c] Et numquid didi-
„ cit? Sed [d] ego: ad circulatores eum mittendum audiebatur. Itaque
„ parem

[a] SERVUS. [b] ENCOLPIUS. [c] HABINNAS. [d] ENCOLPIUS.

lomelæ, quæ vocem innumeris modis solet variare. SCHEFFER. Ut alias puer aves quoque imitaretur, voluisse videtur Trimalchio. HEINS.

Sedebat] At eorum fuit proprium, *stare*. Sen. III. de Benef. *Servus, qui cœnanti ad pedes steterat.* Sed nimirum inter ebrios hic omnia confusa, servique liberorum morem induunt, de quo Ciacconius prolixe. SCHEFFER.

Interea Æneas, &c.] Quo significare voluit Trimalchio, ad medium cœnæ tum tantummodo perventum fuisse, adeo ut restet & pars altera, quamvis jam satis superque potus. GOES.

Acidior] Petronius cap. XXXI. *Paratissimus puer non minus me acido cantico excepit.* SCHEFFER.

Percussit aures] Eodem modo ut Plautus dixit Amphitr. Act. I. sc. I. vers. 177. *Vox aures meas verberat.*

Præter errantis barbarie] Locum hunc corruptum puto ita emendandum: *Præter errantis barbariæ aut adjectum aut deminutum clamorem, immiscebat Atellanicos versus.* Sane, si *barbarie* legamus, in casu sexto, illud *errantis* non habet, quo referatur. Dein *abjectus clamor* quis sit, nemo dixerit, nec, quomodo respiciat *deminutam adjectus* autem ei est oppositus, significatque locus totus, voces editas clamore, alias mutilas, alias auctas aliquot literis, ut barbari nimirum solent. SCHEFF. Opinor, *recitantis barbare.* Nam, teste Donato, barbarismus æque consistit in pronunciatione, quam in locutione. Gellius lib. XVI. cap. VI. *Legebat barbare insciteque Virgilii septimum.* HEINS.

Aut abjectum aut diminutum clamorem] Legendum puto *adjectum*, id est, inchoatum, ut continuato tenore eum non ad finem perduceret. GOES. *Adjectum* Munckerus quoque in literis suis ad Heinsium, qui ita in oram libri sui conjecerat, quia sequitur *diminutum.* Quod rectum censeo; sed cum Traguriano codice *barbarie* scribendum quoque existimo. Nam ille sonus vel adjectus vel diminutus barbariem istam declarabat. Teste enim auctore ad Herennium lib. IV. cap. 12. *Barbarismus est, cum verbum aliquod vitiose effertur.* Accommodate Quintilianus lib. I. Inst. Orat. cap. 5. agens de barbarismo, *tertium est illud vitium barbarismi, cujus exempla vulgo sunt plurima, sibi etiam quisque fingere potest; ut verbo cui libebit adjiciat literam syllabamve, vel detrahat.* Et in sequentibus plura adjectionis & detractionis exempla adfert. Augustin. lib. II. de Relig. Christ. cap. 13. *Barbarismus quid aliud est, nisi verbum non iis literis vel sono enuntiatum, quod ab iis, qui Latine ante nos locuti sunt, memorari solet.* Ex his patet, optime eloquentiæ leges Petronium novisse, cujus & tam egregia ubique præcepta tradit. BURM.

Ut tunc primum] Petronius iterum: *Itaque tunc primum Dorida vetus amator contemsi.* Alibi: *tunc primum bona fide pueri basium dedit.* SCHEFFER.

Me & Virgilius offenderet] Malim, *memet Virgilius offenderit.* GOES. Quid opus mutatione, cum vel pueris notum sit &, pro *etiam* millies sumi, quare neque Patavini, neque eos secuti, hic *etiam* reponere debuissent.

Aliquando desisset] Corrige, *desiisset*, vel *desisset.* SCHEFFER.

Numquid didicit] Scribe, *numquid aliud didicit?* TILEBOM. Non opus adjectione, *discere* enim simpliciter poni supra docuimus cap. 47.

Mittendo, audibant] An melius, *mittens, bene audiebat.* TILEBOM. Hæc corrupta sunt. Quid? si: *Sed ego, ad circulatores eum mitte.* Cætera non eluo, & sequentia testantur, esse mutila. *Circulatores* sunt, qui clamore magno in circulis multitudinis carmina recitant, aut res venditant. Glossæ *circulator, ὁ κλαγωγὸς, ἀγύρτης.* SCHEFFER. Censet Reinesius, cuncta hujus loci fore integra bonaque, si legatur, *mittens gaudebam.* Verum haud persuadet. Præcedit nempe, *sed ego*, quod ostendit, aliam hic loqui personam, eamque Habinnæ, interroganti, *numquid didicit?* respondere. Fuit autem servus, de quo Habinnas interrogabat, proprius Habinnæ. Quare, qui respondet ei, non potest dicere se misisse ipsum, & iccirco esse gavisum. Mallem ego locum ita legere. *Sed ego: ad circulatores eum mitte, id audiebatur, itaque parem non habet.* Sensus est, Habinnam quæsivisse, utrum non recte didicerit servus artem: Respondisse paulo submissiore voce quendam ex convivis, qui eam artem parum probabat, mitte eum ad circulatores potius. Hoc responsum contra, quam speraverat, esse exceptum ab Habinna, nam per indignationem reposuisse, at ipse parem non habet. Sunt omnia negocio convenientissima & apertissima: postremo, Lectioni MS. Dalmatici proxime insistentia, quæ talis: *Sed ego ad circulatores eum mittendo*

„parem non habet, sive muliones volet, sive circulatores imitari. desperatus valde ingeniosus est. [a] Idem sutor est, idem cocus, idem pistor, „omnis Musae mancipium. Duo tamen vitia habet, quae si non habe„ret, esset omnium numerorum: recutitus est, & stertit; nam quod „strabo-

[a] HABINNAS.

audiebatur, itaque parem non habet. SCHEFF. Existimem, sic distinguendum, & legendum. *Sed ego: ad circulatores eum mittendum audiebam. Itaque*, &c. Quae est responsio Encolpii. Sic ego, antequam MSm Roma afferretur. HADRIANID. Locus, si quis alius, mendosissimus, de quo ita censemus: *Circulatores* hic dici eos, qui in circulo sua recitant. Nam & hanc ejus vocis significationem esse Acron annotat ad illud Horatii Art. Poët. 136.

Nec sic incipies, ut scriptor Cyclicus olim.

Ita enim ille ad haec. *Cyclicus Poëta est, qui ordinem variare nescit, qui carmina sua circumfert, quasi circumforaneus.* Hoc primum: deinde emendo, *ad circulatores eum mitte, tundendo adjutabitur. Tundendo*, id est, iterum iterumque monendo. Donatus ad Terentii Hecyram: Act. 1. sc. 2. *Tundere est sapius idem repetere, translatio à fabrorum malleo. Adjutare* autem sive *adjuvare*, etiam pro corrigere veteres usurpavere. Cicero ad Atticum: *sed ferendus tibi in hoc meus error. ferendus? imo vero etiam adjutandus.* Id est, corrigendus est. GOES. De *circulatoribus* egimus supra cap. XLVII. Locus autem hic foede depravatus. Apparet tamen, Habinnam velle, servum hunc nullo magistro usum, sed quotidie circulatores, qui similibus ludis oblectabant populum, frequentando, sponte profeciisse, & expressisse eorum ludicra. Quare forte resingendum, *& numquam didicit, sed ego ad circulatores eum mittendo, erudiebatur.* Insolens quidem illa locutio, & cui multa deficiunt, *ego eum mittendo erudiebatur*, sed jam tot ejus generis in hoc convivali confabulatione vidimus, ut nemini mirum videri debeat. Si quis *numquid* velit retinere per me licebit, sed convenientius videtur *numquam didicit*, id est, nullo magistro ad eam rem peculiari usus est, ut diximus. Et haec sequentia firmant, muliones & circulatores, quibus saepe adstitit, illum imitari posse BURM.

Parem non habet] Lege, *parem non habebit*, nempe si ad circulatores mittetur. GOES.

Sive muliones volet, sive circulatores] Genus hominum clamosissimum. GOES. Nimirum, ut capite sequenti, flagello crepitum quemdam modulatum edere, sibila, & voces, quibus jumenta impellunt, coërcent, & similia, certo quodam artificio exprimere. De mulionibus abunde egit Schefferus de re Vehicul lib. 1. cap. 17.

Desperatus] Puto servi esse nomen. SCHEFFER. Est abusio vocis *desperatus*, pro *immoderate* aut effuse, hujus rursus pro *vehementer*; *vehementer* vero valde est pleonasmus. Subest tamen ironia, licet ex mente Habinnae, qui hic loqui denuo incipit, vel pergit, non tam sit nequam, quod reliqui dicunt, quam ingenioso propior & domino carus. Nomen hujus servi *Massa*, ut infra advertit Cl. Schefferus. HADRIANID. *Desperatus* est non tantum, qui ipse de se desperat, sed & de quo desperant omnes alii. Cic. ad Atticum lib. XVI. Ep. 15. *Desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam.* Hac posteriore significatione hoc verbum hic positum est, de eo nempe, de quo nihil boni sperare potest, quicumque recto judicio ducitur. Et hi, cum prae stupore animi sint nullius rei bonae capaces, omnia se posse sibi persuadent, quia nimirum exteriorem rei cujusque speciem, intrinsecam ejus naturam considerant. Et hinc si non aliis, ingeniosi sibi tamen ipsis videntur. Sed quum ad rem ventum est, & optato effectu destituuntur, pari confidentia ad alia transvolant. Et sic unus idemque modo sutor, modo cocus, modo pistor, omnis denique licet infelicis Musae mancipium. GOES. Dubito, an recte statuat Schefferus, nomen servi esse: Heinsius in ora libri sui malebat *sive circulatos imitari desperatos. Valde ingeniosus est.* Posses & capere, ut *desperatus* sit audax, improbus, ad omnia promtus, temerarius, ut Cicero in Catil. cap. v. Catilinae exercitum *ex desperatis senibus collectum* dicitur, eodem sensu saepe *perditos* homines idem, & alii dixerunt.

Idem sutor, idem cocus] Videtur Satyricus noster hic lepide tangere stultam illam de suo σοφῷ Stoicorum jactationem, quam & Horatius irridet lib. 1. Sat. 1. 24.

——— *Si dives, qui sapiens est*
Et sutor bonus, & solus formosus, & est rex.

BURMAN.

Omnis Musae mancipium] Sicut supra, *omnis Minervae homo*, de eo, qui facile artes discit quasvis. SCHEFFER. Sic dicebantur qui callebant artes liberales. Gellius lib. IX. cap. III. de Philippo, Alexandri Magni patre. *A liberali Musa & à studiis humanitatis afuit.* Cap. X. *Ammianus Poëta & plerique cum eo, ejusdem Musae viri.* Alibi apud eundem, *ejusdem Musae aemulus.* HEINS.

Duo vitia] Tragur. Cod. *duo vina.*

Omnium numerorum] Scribendum est *numerorum*, ut jam monui superius, ubi vide. SCHEFFER.

Recutitus est & stertit.] Non habet locum inter morbos mancipii esse recutitum; quod gentile Judaeorum nationi; nec de *intercutito* cogitandum est. Legerim *& cerritus est & stertit*: quo posteriori alludit joco

„ſtrabonus eſt, non curo. ſicut Venus ſpectat, ideo nihil tacet, vix „oculo mortuo umquam illum emit retentis denariis.

LXIX. „Interpellavit loquentem Scintilla, & ? [a] plane, inquit, non „omnia artificia ſervi nequam narras. agaga eſt; at curabo ſtigmam ha-„beat.

a SCINTILLA.

joco vitium prius. Cereriti, Cerriti, à Cerere irata percuſſi, fanatici, & commotæ mentis. Ceres autem eadem quæ Ἐρινύς, Furia. Nonius: *Cerriti & larvati, male ſani, & aut Cereris ira aut Larvarum incurſatione animo vexati.* Utitur Plautus Amph. Act. 2. ſc. 2. verſ. 144. in Men. Act. 5. ſc. 4. inter morbos recenſet, larvatum, cerritum eſſe, veternum, aquam intercutem, item Cic. 8. ad Att. 5. Horat. 2. Sat. 3. REINES. Reineſius vult, *Cerritus*, quia recutitum eſſe non habeat locum inter morbos mancipii. At hoc idem dixeris de ſtertente, id eſt, ronchos edente inter dormiendum, qualis hoc loco proprie intelligitur. Saltem inter formæ vitia referebatur, eſſe recutitum, quod ex Celſo noverat Reineſius, qui propterea modum curandi hujus vitii docet lib. IV. Itaque nil patior hic immutari. SCHEFFER. Neſcio cur deſpliceat Reineſio, *recutitus*: cum notum ſit, Romanos maxime verpos deteſtatos fuiſſe, unde apud Juvenalem & Martialem in illos ſcommata plura leguntur. vide Mart. VII. ep 29. & 81. Ridicule autem hæc duo vitia dicit, quaſi propter ea ex ædilitio edicto redhiberi poſſet, cum ea minime impediant miniſterium; ut neque ſtrabonem morboſum eſſe JCtus Trebatius ait, in vexata admodum leg. XII. § 4. ff. de ædilit. edicto. De qua vide Scip. Gentil. ad Apulej. Apolog. pag. 53. BURM.

Namque ſtrabo] Scribe, *nam quod*. TILEBOM. Lego, *nam quod ſtrabo bonus eſt, non curo*. Strabo eſt, cujus oculi ſunt diſtorti, ut notum. SCHEFFER. Lege *nam quod ſtrabonus eſt*. Non habet pro morboſo, & qui ideo redhiberi poſſit, ſervum ſtrabonem, ſed comparat eum Veneri, ſcilicet quæ pæta fingitur. Idem vero de iſto oculorum vitio reſponderat JCtus Trebatius, referente Ulpiano in l. qui clavum. D. de ædil. ed. *Strabus*, & *Strabo*, inter διπλᾶτα; *Strabax* Comica licentia fictum; & κατ' ἐπίπλασιν *ſtrabonus*. Seculo Carolino ſolebant nomina in *o* purum maſculina augere ſyllaba; hinc qui ante *ſtrabus* & *ſtrabo*, factus *ſtrabonus*: Sic *Othlonus*, *Ebbonus*, *Babonus*, *Drugonus*, *Walonus*, qui conciſius *Odilo*, *Ebbo*, *Babo*, *Druogo*, *Walo*; ad eandemque formam ſimilia propria nomina plurima. Tamen antiquos etiam ita conſueviſſe in quibuſdam arguendum inde, quod *Centurionus*, *Curionus*, *Decurionus* anteà dictus fuit, ut teſtatur Feſtus, qui nunc *Centurio*, *Curio*, *Decurio*. REINES. Lege, *ſtraboſus*. At vero pæta erat Venus, non ſtraba, ſed maligni ſtrabam dicebant, uti Palladem, quod glaucis erat oculis, ravam. Apud Lucianum Venus & Pallas ſibi invicem hoc quaſi oculorum vitium objectant. Tamen apud Theocritum Idyllio XX: χαροπώτερα πολλὸν Ἀθάνας ὄμματα. HEINS.

Non curo] Pro nihilo duco, nec pili facio. Vide doctiſſimi Brouckhuſii notas ad Tibull. I. eleg. 1. verſ. 57.

Sicut Venus ſpectat] Habet oculos Veneri ſimiles. Nempe Venus quoque putabatur ſtraba, quam tamen honoris gratia dicere malebant pætam. Ovidius lib. II. artis Amat. verſ. 659. ubi agit de vitiis oculorum. *Si qua ſtraba eſt, Veneri ſimilis; ſi rava, Minervæ.* Sic enim verſum illum erudite corrigit N. Heinſius, quem & de ſtraba Venere agentem pluribus ibi vide. Varro apud Priſc. lib. VI. *Non hæc res de Venere pæta, ſtrabam facit* ἑτεροφθαλμον. SCHEFFER. Malebat Munckerus, *ſic ut Venus ſpectat*.

Ideo nihil tacet] Lege, *ideo mihi placet*. HEINS.

Oculo mortuo] Cœco, nil videnti. Sic, *Lacerti ſenis athletæ mortui*, apud Ciceronem in de Senect. SCHEFFER. Forte, *vix oculo irretorto numquam illum emi trecentis denariis*. HEINS.

Emit retentis] *Emi trecentis*, legendum eſſe liquet. SCHEFFER.

Plane non omnia artificia ſervi nequam narras.] Servum, qui ad magiſtrum mittebatur, Paulus 3. ſentent. 7. imo l. 78. D. de legat. 3. dicit ſtudendi gratia alio transferri, deque artificio ejus, uti & peculio, ut pluris venderetur, non licebat venaliciario mentiri: idem l. 2. t. 17. Quicquid dominus præſtare ſervo debet, non eſt beneficium; ſed cum indulſit, liberaliter educavit, artes, quibus erudiuntur juvenes, tradidit. Sen. 3. de beneficiis cap. 21. REINES.

Agaga eſt, at] An potius, *Harpaga eſt, at*. TILEBOM. Suſpicor ſcribendum, *apaga eſt*, ab ἁπάγω, pro, fur eſt, aufert, abducit ſecum, quod poteſt. Niſi malis *agapa*, ἀγάπη, quia ſequitur ſtatim apud noſtrum, *Scintilla, noli Zelotypa eſſe*. Porro ſic innueretur domino ſuo fuiſſe in deliciis ſubinde. SCHEFFER. Intelligit πανέργον & veteranum mancipium, omniumque numerorum, & conſummatæ malitiæ. Iſidoro *agagola*, *agagula*, eſt lenocinator, pantomimus. Sweertio I. Analect. 8. placuit eſſe Germanicum *Gauckeler*; ſed verius eſt, formaſſe hoc è Latino *Joculator* majores noſtros. In Conſtitut. Caroli M. *Cocloarii*, item *caucolatores* cum maleficis & incantatoribus nominantur. REINES. Retineo adhuc illud *apaga*, vel propter ſequens *adcogno ſco Cappadocem*. Niſi *agagola*, quod eſt in gloſſis Iſidori, & diminutivum hujus eſt, magis cui arrideat. SCHEFF. *Agagas* lenones eſſe ſupra diximus. HEINS.

„beat. Risit Trimalchio, [a] &, adcognosco, inquit, Cappadocem: ni-
„hil sibi defraudit: & me-Hercules laudo illum. hoc enim nemo paren-
„tat: tu autem Scintilla, noli zelotipa esse. Crede mihi, & vos novi-
„mus. Sic me salvum habeatis, ut ego sic solebam ipsum Ammeam de-
„battuere, ut etiam dominus suspicaretur, & ideo me in villicationem
„relegavit. Sed tace lingua, dabo panem. [b] Tamquam laudatus esset
„nequissimus servus, lucernam de sinu fictilem protulit, & amplius semi-

[a] TRIMALCHIO. [b] ENCOLPIUS.

„hora

Adcognosco] Philoxenus. *Adcognoscit*, ἐπιγινώσκει. SCHEFFER. Celebratissimum est adagium antiquum: τρία κάππα κάκιστα. Quod ad Cappadoces, Cretenses, & Cilices refertur. *Adcognosco* autem etiam apud Tertullianum adversus Marcionem lib. IV. cap. 20. *Quem adcognoverunt Dæmones.* Sic *adagnoscere* dicebant. Labbæi Glossæ: *Adagnoscis*, ἐπιγινώσκεις. Apud Senecam II. de beneficiis cap. XIII. *Hoc depressior es, ostendisque te non adagnoscere ista bona.* Ita scripti, nam in vulgatis, *agnoscere*. HEINS. Fregens usus verbi simplicis *adgnoscere* pro deprehendere, & intelligere rem ita esse, ut vulgo fertur, vel revera est. Ita Hannibal videns fratris Asdrubalis caput ante stationes suas projectum, *agnoscere se fortunam Carthaginis fertur dixisse.* Livius lib. XXVII. cap. ult. Flor. II. 6. Alexander, mortem vicinam sentiens, dixit, *agnoscere se fatum domus majorum suorum.* Justin. XII. 15. Non vero ignota agnoscimus, sed ea, quæ antea jam vel scivimus, vel audivimus certe. vide Manut. ad Cicer. IV. ad famil. Epist. 4. Sic, quia Cappodoces erant celebres & nobiles astutia & malitia, hoc in servo hoc verum esse, quod vulgo de Cappadocibus jactabatur, experiebatur. Supra vero ad cap. XXIX. ostendimus, greges venalium quotannis ex Cappadocia & vicinis regionibus Romam fuisse deportatas, ita ut fere Cappadox pro mancipio sumatur, ut ex Horatio, Martiale, & aliis est notissimum. Cicero Orat. post. redit. in Senat. cap. VI. *Sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum, inhumanum negotium, Cappadocem modo abreptum de grege venalium diceres.* Elegans in Cappadocum nequitiam est Epigramma in Anthol. lib. II. cap. XLIII. pag. 244. quod legi meretur. Et cap. XLVI. pag. 250. non tantum servos, sed ex hac gente rhetoras etiam pessimos esse docet:

Θᾶττον ἴην λευκὰς κορώνας, πίνυάς τε χελώνας
Ἐυρεῖν, ἢ δόκιμον ῥήτορα Καππαδόκην. BURM.

Nihil sibi defraudit] Hoc vero est nullius precii. An scribendum, *nihil sibi detrahi audit*? Audit laudes suas sine fuco plene integreque celebrari. Sic joco potuit dictum esse. SCHEFFER. Puto, *defrudat*, vel *defrudavit*, nam *defraudat* ne ipsi quidem Trimalchioni concesserim. Furacem autem eum esse, oblique designat. HEINS.

Hoc] Scribe, *huic*. TILEBOM.

Parentat] Quid hic est *parentat*? Legerem divisim, *par exstat*, hoc est, hac re nemo est par, illi nempe Capadoci. SCHEFFER. Legendum, *nemo par exstat*. Quo modo & Schefferus. HEINS. Temere nimis codicis scripti lectionem abjiciunt viri docti. Si enim omnia, quæ non recte capimus in hac cœna, essent permutanda, novus plane nobis Petronius obtruderetur. Videtur autem urbanus Trimalchio alludere ad laudationes funebres, & in servo nequam & Agaga libidinosum & lenonium ingenium laudare, quo sibi conciliabat pathicos, & simul Scintillæ libidinem tangere videtur, quæ, cum infami servorum ministerio ad turpes amores utebatur, neque uno contenta, etiam zelotypa non debebat esse, si ille alio amores transferret. Has, vel similes, laudes cum nemo in parentatione prædicare soleret, Trimalchio in servum confert. Ita de hoc loco censeo. BURM.

Et vos novimus] Color ductus ex illo Virgilii Eclog. 3.

Novimus & qui te, transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles nymphæ risere, sacello.

Ipsum Ammeam] Hoc *Ammeam* suspectum mihi est, nec tamen habeo, quod pro eo possim commodius substituere. SCHEFF. Puto, *ipsius Mammæam*, vel *ipsam Mammæam*: est enim fœminæ nomen Mammæa. Fuit Julia Mammæa Alexandri Severi mater. Hic uxorem innuit herilem. Vid. supra cap. 45. HEINS.

Debatuere] Gladiatorium est *batuere*, sitque baculis per imaginarium certamen. Sueton. Calig. cap. 32. *Mirmillonem è ludo rudibus secum batuentem.* Hinc ergo *debatuere*, ut *depugnare*, *debellare*, ac similia. SCHEFFER.

In villicationem relegavit] Supra capite 29. vidimus, Trimalchionem dispensatorem olim fuisse, quod honestissimum inter urbana servorum officia: inter rusticos vero Villicus, qui rationes domini curabat, erat primi ordinis. Sed, cum Urbani deliquissent, pœnæ genus erat rus religari, ut viri docti dudum ex Plauto, Terentio, & aliis docuerunt. Vid. ad Horat. II. Sat. VII. vers. ult. de villicis vero ubertim agunt rei rusticæ scriptores.

Sed tace linguam] Lego, *sed tene linguam*. TILEBOM. Ratio postulat, *tace lingua*. SCHEFFER. Forte scripsit, *lingua mi*. IDEM. Scribe, *sed tace lingua, jam dabo panem.* Et hic loquendi modus apud

Plebem

„hora tubicines imitatus est, succinente Habina, & inferius labrum ma-
„nu deprimente. Ultimo, & in medium processit, & modo arundi-
„nibus quassis choraulas imitatus est, modo lacernatus cum flagello mu-
„lionum fata egit; donec vocatum ad se Habinnas basiavit, potionem-
„que illi porrexit, [a] &, tanto melior, inquit, Massa, dono tibi calligas.
„[b] Nec ullus tot malorum finis fuisset, nisi epidipnis esset adlata, turdis
„siligine, uvis passis, nucibusque fartis. Insecuta sunt Cidonea etiam
„mala spinis confixa, ut echinos efficerent; & haec quidem tolerabilia
„erant, si non fericulum longe monstruosius effecisset, ut vel fame
„perire

a HABINNAS. *b* ENCOLPIUS.

Plebem videtur obtinuisse. *Tace lingua*, ut apud Nasonem,

Lingua sile, non est horum memorabile quicquam. HEINS.

De sinu] Vide supra ad cap. 20.

Succinente Habinna] Proprie dictum, tamquam secundas partes faciente in hoc choragio. HEINS.

Harundinibus quassis] Quassæ arundines sunt rimosæ, ut ollæ quassæ; naves quassæ, quassæ faces. His vapulabant servi nonnumquam. In Petronianis jam olim editis cap. CXXXIV. *Ac nisi harundo quassata verberantis impetum minuisset* (malo, *inhibuisset*) *forsan etiam brachia mea & caput fregisset.* HEINS.

Mulionum fato egit] Suspicor, *mulionem fato egit.* Illud *fato* explico, sermone, loquela, clamore, nisi malis, *fatu.* Mulas voce agi notum est, & docet eleganter istos mulionum clamores vel unicus Claudianus, in Epigr. de mulabus Gallicis,

Absentis longinqua valent præcepta magistri,
Hæc sistit rapidas, hæc properare facit.
Læva jubet, lævo deducunt limite gressum.
Mutavit strepitum, dexteriora petunt. SCHEFF.

Potionemque illi porrexit] Malim, *potionemque villi.* Sic & Terentius, pro vino Adel. Act. v. sc. II. vers. 11. *In angulum abeam atque edormiscam hoc villi.* Apud Martialem lib. IX. ep. XCII. in scriptis potioribus: *Quod nec villa vomis*, quod in *vina* mutatum à Scriverio non oportuit. Quanquam nec vulgatum illic temere sollicitandum: *Quod nec mane vomis.* HEINS. Nulla opus correctione, cum *potio* sæpe in hac cœna simpliciter de vino ponatur. Erat autem præmium servorum ob bene navatam operam. vid. supra cap. 50.

Tanto melior] Terent. Heaut. III. sc. 2. *Tanto herde melior.* SCHEFFER. Landandi formulam hanc primus apud Ovid. 14. Metam. vers. 657. observavit exactissimus Gronovius, & simul inepto districho, quod nullus manuscriptorum agnoscebat, Poëtam exoneravit lib. 2. Observ. cap. 21. Adhibuit eandem Senec. lib. de tranq. an. cap. 15. *Laudemus toties dignum laudibus, & dicamus, tanto fortior, tanto felicior! effugisti casus humanos, livorem, morbum.* Idem ep. 31. *Admirabor & clamabo, Tanto melior: surge & respira.* REINES. Similiter Terentius Heautont. Act. III. sc. II. Sed & idem Adelph. IV. I. *Tanto nequior.* Plautus Pseud. Act. V. sc. V. *Tanto miserior.* GOES. Quint. lib. VIII. Inst. cap. 2. *Unde illa scilicet egregia laudatio, tanto melior.* Vide ad Phædr. lib. III. fab. 5.

Massa] Servi nomen. SCHEFFER.

Epidipnis] Ultima pars cœnæ. imo postcænium. Martialis XI. Epigr. 16.

Hinc seras epidipnidas parabit. SCHEFF.

Turdis illigine] Scribo, *turdis, siligine.* TILEBOM. Scribe, *turdis. siligine*, ut vult Nob. Heinsius. SCHEFF. Lege, *turdi siliginei uvis passis nucibusque farti*, sive *farsi*, ut vetustus liber. Sic *ventriculus farsus.* Hygino, fabula CXXVI. *Turdis siliginei*, quia totum epidipnidis fericulum fictum. Turdi è siligine, echini ex malis Cydoniis, anser, pisces, & omnium genera avium è porco. HEINS.

Farsis] Ita dixisse veteres ostendit Muncker. ad Hygin. fab. 126. Ut autem hi ficti erant Turdi, ita veterum luxuria novit servos peculiares farciendis avibus destinatos, qui *Fartores* in antiquis lapidibus dicuntur. vid. Gruter. pag. DLXXX. 15. & Reines. Class. IX. inscr. 12. Gloss. *Fartor* σιτευτής. vid. Barth. lib. VIII. Adversar. cap. 4. Idem est, notante Reinesio, qui *Aviarius Altiliarius* dicitur in lapide antiquo. Gloss. *Altiliarius* ὀρνιτοτρόφος. in Macello etiam fuisse fartores docet Terent. Eun. II. 2. ubi Fabricius eosdem, qui *conditores* dicebantur, existimat. BURM.

Ut echinos effiserent] Malo *effingerent*, nam *effecisset* mox denuo subsequitur. HEINS. Echinos in deliciis fuisse docet Nonnius de re Cibar. lib. III. cap. 38. sed, præter veros Echinos, erat fartum aliquod, quod Echinum refert, de quo vide Barth. ad Claudian. lib. II. in Eutrop. pag. 448. BURM.

Tolerabilia erant] Vide supra cap. I.

Monstruosius] Varro apud Gellium lib. III. cap. 16. dicit, *non recepisse hujusmodi quasi monstruosas raritates.* Sic enim ibi habent, teste Vossio, libri veteres, & confirmat meus in membrana. Glossæ τερατώδης, *monstruosus, portentuosus.* Tertull. de Resur. c. 9. *de posteritate monstruosum.* Appulejus *mirati monstruosas asini delicias.* SCHEFFER. Ita rectius, quam *mon-*

„ perire maluissemus. Nam, cum positus esset, ut nos putabamus, anser „ altilis, circaque pisces, & omnium genera avium, inquit Trimalchio: „ [a] Quidquid videtis hic positum, de uno corpore est factum. [b] Ego, „ scilicet homo prudentissimus, statim intellexi quid esset, & respiciens „ Agamemnonem: mirabar, inquam, nisi omnia ista defacta sunt, aut „ certe de luto: vidi Romae Saturnalibus ejusmodi coenarum imagi- „ nem fieri.

a ENCOLPIUS. TRIMALCHIO. LXX.

monstrosius, quod Poëtis magis familiare. *Monstruosum* etiam in optimis membranis apud alios scriptores inveni. *Novitas monstruosissima* apud Tertullianum lib. III. adversus Marcionem, & *monstruosa superstitio*. cap. XI. lib. I. ad nationes. Apud Arnobium lib. V. *Personarum monstruosissimae torvitates*. Sic *fastuosus* & *fastosus*, *montuosus* & *montosus*. HEINS. Recte. Tertull. Adversus Judæos: *novitas monstruosa*. Sic nimirum etiam apud Siculum Flaccum *locus saxuosus* Apud Faustum & Valerium *saxuosi limites*. GOES. Ita quoque apud Sueton. in Calig. cap. XVI. quamvis Salmasii codex *monstrosarum* habeat. Sed optimos Palatinos codices apud eumdem scriptorem in Tiber. cap. XLIII. *monstruosi* habere testatur Gruterus, & ita passim in MSS. reperiri. vid. egregie Dausq. in Ortograph.

Factum] Jam bis terve supra notatus usus hujus verbi in culinari opera; eleganter vero unum corpus vocat cibum unius generis, ut contra Apicius de re culin. lib. VII. cap. II. ex variis Dulciarium fieri docens, dicit, *ova tria lacte dissolves, ita ut unum corpus facias*. BURM.

Prudentissimus] Id est, ut supra cap. 36. de veteri conviva dixit, *qui sæpe ejusmodi ludos spectaverat*. Infra cap. LXXXVIII. *consulere prudentiorem cœpi*. Et cap. XV. *prudentissimus homo* eadem ironia. BURM.

Mirabar, inquam] Hæc sic lego: *Mirabor, inquam, nisi omnia ista de fricta sunt*. Plaut. Amphit. I. ic. I. *Mira sunt, nisi invitavit sese in cœna plusculum*. Petronius similiter, quamquam sensu contrario cap. XC. *Non miror, si te populus lapidibus prosequitur. De fricta*, puta *re*, quamquam mallem *fricto*. Glossæ. τηγανισὸν, *frictum*: Philoxenus, *Fricta*, τηγανητὰ. SCHEFFER. *Mirabar* ediderunt Patavini, & forte melius, quam *mirabor*. Virgil. Ecl. I.

Mirabar, quid moesta Deos, Amarylli, vocares.

Propert. III. El. VIII. vers. I.

Mirabar, quidnam mississent mane Camoenæ.

Ovid. I. Amor. eleg. VI.

Mirabar, tenebris si quis iturus erat.

Vide Heins. ad Claudian. Epithal. Pall. & Celer. vers. 56. BURM.

Omnia ista defricta sunt] MS. Dalmaticum verum habet, *defracta sunt*. Quo inducor, ut credam, scripsisse nostrum *de karta sunt*, pro *de charta*. Et cur non potuerit chartaceas habere cœnas, sicut Heliogabalus cereas, vitreas, ligneas, & id genus? SCHEFF. Uno verbo à *defrico*, fricando purgo, ἀποψήχω. At MS. in margine *al. defuncta*, id est, *de cadavere*, pars pro toto: nam *defunctum*, more Græcorum, substantive *cadaver*. Sen. *defuncta nullis planctibus revocantur*. HADRIANID. Lege, *omnia ista de cera ficta sunt*. Lampridius Heliogabalo: *Parasitis in secunda mensa sæpe ceream coenam, sæpe eburneam, aliquando fictilem, nonnunquam vel marmoream, vel lapideam exhibuit*. Narrat & Diogenes Laërtius lib. VII. Sphæro Philosopho ceream cœnam à Ptolemæo fuisse appositam. In Priapæis epigr. XLII. *cerea* quoque *Poma* occurrunt. HEINS. Patavini *defricta* ediderunt, sed hoc non respondet sequentibus *de luto*. *Defuncta*, quod in margine Traguriani codicis erat, inepte interpretatur Hadrianides; quis enim umquam cibos illatos *defunctos*, vel *de cadavere* dixit factos? Forte scribendum *defarta*, verbo quidem raro, sed quod, ut mille alia, quæ olim in usu erant, non supereſt apud scriptores ullos, quod sciam. Quod si non placet, legamus *defecta*; quo verbo Cato aliquoties utitur cap. LXXIV. de pane depsticio. *Ubi bene subegeris, defingito*. CXXI. *Ubi definxeris lauri folia addito*. Hoc autem optime respondet sequentibus, aut *certe de luto*. Nam, si non defecta, id est, ex opere pistorio essent, ex luto certe erant: nam de cera vel charta cogitare, quod semel modo iterumque factum legimus, non est verosimile. Nam cum tam singularis ingenii fuerit illa Elagabali cœnarum præbitio, non apte Trimalchioni tribuitur. Et mihi Viri Docti sæpe in eo nimii videntur, ut ubi quid insolitum, & quod forte non nisi semel factum vel scriptum est, legerint, quærunt id ope intempestivæ emendationis, etiam aliis scriptoribus intrudere. *Opera* autem *Pistoria* erant quotidiana Romæ, ita ut & venalia essent in popinis & ganeis. vid. Suet. in Tiber. cap. XXXIV. ubi recte Torrentius *Dulciaria* exponit. vid. Supr. cap. LX. Diversas figuras, in quas Pistores artifices hæc opera formabant, celebrat Martial. XIV. 222.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit: huic uni parca laborat apis.

Plura vide apud Salm. ad Lamprid. Elagab. cap. 32. & Vopisc. Tacit. cap. 5. & Colv. ad Apulej. lib. X. Met. BURM.

Vidi Romæ Saturnalibus ejusmodi coenarum imagi-

nem

LXX. „ Necdum finieram sermonem, cum Trimalchio ait: [a] Ita „ crescam patrimonio, non corpore, ut ista cocus meus de porco fecit. „ Non potest esse preciosior homo. Volueris, de bulba faciet piscem, de „ lardo palumbum, de perna turturem, de colaepio gallinam; & ideo, „ ingenio meo, impositum est illi nomen bellissimum, nam Daedalus vo- „ catur: &, quia bonam mentem habet, attuli illi Roma munus cultros „ Norico

[a] TRIMALCHIO.

nem fieri] E cera videlicet, vel luto. Hinc lucem mutuatur Martialis Apophoretis ep. CLXXXII. *in sigillum Giberi fictile:*

Ebrius hæc fecit terris, puto, signa Prometheus,
Saturnalitio lusit & ipse luto.

Uterque locus ad sigillariorum festum est referendus, quo cera lutove figilla aliaque fingebantur. HEINS.

Ita patrimonio crescam] Ejusdem generis sordidi & avari hominis jusjurandum, ut supra cap. 58. *Ita lucrum faciam, & ita bene moriar.* & cap. 61. *Sic felicem me videas.* & ibidem, *Omne me lucrum transeat.* Et ita moris erat per ea, quæ ardentes vovebant & optabant, ut, *Ita consul fiam,* & similia, jurisjurandi formulas concipere. De qua consuetudine vide Valesium ad Ammian. Marcell. lib. XXIV. cap. 3. Non absimilis illa Ovidii ad durum janitorem obtestatio lib. II. Amor. eleg. 2.

Sic tibi semper honos, sic curta peculia crescant.

Ridicule autem addit, *non corpore*, quia, si simpliciter dixisset *ita crescam*, aliquis rudior scilicet de statura accepisset; quia vero jam senex calvus erat, necesse erat, hanc ambiguitatem tollere, adjectis vocibus, *patrimonio*, *non corpore*: in quibus egregie Satyricus noster ineptias Trimalchionis depingit. BURMAN.

Volueris] Pro, *si volueris*, elegans & optimis auctoribus usurpatum. HEINS. Vide eruditissimi Brouckhusii notas ad Tibull. II. eleg. VII. vers. 43. & Manut. ad Cicer. v. Verrin. cap. 65.

De bulla] Quomodo, *de bulla?* Puto fuisse, *de bulba*, hoc est, *de vulva.* Ita supra fuit *berbex*, seu *bervix*, pro *vervex.* Nempe vulva porcæ in precio apud veteres; & hic omnia de porca in sequentibus, lardum, perna, &c. SCHEFFER. Pro, *bulba*, id est, *vulva*, ut recte eruditissimus Schefferus. Fieri autem de vulvulis isicia liquet ex Apicio lib. II. cap. III. ubi lego, *vulvulæ isiciatæ.* Sunt autem vulvulæ botelli species, ab involvendo dictæ. Apud Lampridium in Heliogabalo cap. 21. *Sumina aprugna cum suis bulbis.* Nævius apud Macrobium lib. II. Saturn. cap. 14.

Quis heri apud te? Prænestini & Lanuvini hospites.
Suopte utrosque decuit acceptos cibo,
Alteris inanem bulbam madidam dari,
Alteris nuces in proclivi profundere. HEINS.

Vulgati Codices,

Alteris inanem bulbam madidam dari.

sed Scriverius adscripserat in margine Codicis sui, qui nunc ad me pervenit, *madidantem*, ex vetusto, opinor, aliquo Codice; & inde emendavit, *inanem bulbam inadipatum dari.* quod non displicet. Est enim *inadipatum*, quod adipe inpinguatum non est, eoque nomine inane. GOES. Gloss. *bulba*, μήτρα. De luxu autem & insania veterum in vulvis suillis vide Nonnium de re cibaria lib. II. cap. IV.

De colo suis] Scribe, *coliphio.* TILEBOM. Hoc corruptum est. Num scribendum, *de coliphio?* Coliphium est genus panis, cujus meminerunt Plautus & Juvenalis, sicut quidem vulgo putant. At quid hic panis? Rectius Salmasius, qui appellat partem animalis aridam maxime ac siccam, ut est femur, aitque, Græcis non κωλύφια solummodo & κωλήπες, sed & κωλήπια dici, quod cum nostro convenit proxime. SCHEFFER. Sed, cum *perna*, ex qua *turtur*, coxam utramque, posteriorem & priorem, partesque suis maxime aridas & siccas complectatur, non video hic denuo *colepium* posse repeti. HADRIANID. Græcis κωλήπια. vide Suidam in κώληπα. Glossæ Isidori, *pulpidinem*, *colophia.* Plautus Persa Act. I. sc. III.

Collyræ facite ut madeant & coliphia.

Martialis lib. VII. ep. LXVII.

Cum Coliphia sexdecim comedit.

Scholiastes Juvenalis: *Coliphia*, *pulmentum sive*, (lege ex MS. *sicut*) *membrum virile.* Ex hoc autem Petronii loco liquet, coliphia è suilla carne fieri solita. HEINS.

Ingenio meo] Recte, quia ubique à Petronio noster inducitur adfectans magnam Mythicæ historiæ intelligentiam, ut supra jam sæpe apparuit. Trimalchio autem de suo hoc coco multa supra fidem jactans recte exhibetur, cum illud genus hominum passim apud comicos artem suam extollens & glorioſum inducatur, ut ex Plauto & aliis ostendit P. Victorius lib. XX. Variar. cap. 21.

Attulit illi Romam unus] Corrige, ut volebat N. Heinsius: *attuli illi Roma munus.* SCHEFFER. Puto, *attuli illi Roma munus, Norico ferro.* Ferri Norici apud veteres laudatissimi usus haud infrequens. Horatius carminum primo Od. 16.

——— *Quas neque Noricus*
Deterret ensis, nec mare naufragum.

Et Epod. XVIII.

„Norico ferro; [a] quos ſtatim juſſit adferri, inſpectoſque miratus eſt, etiam „nobis poteſtatem fecit, ut mucronem ad buccam probaremus. Subito „intraverunt duo ſervi, tamquam qui rixam ad lacum feciſſent; certe „in

[a] ENCOLPIUS.

Modo enſe pectus Norico recludere.

Apud Naſonem: lib. XIV. Metam. 712.

Durius & ferro, quod Noricus excoquit ignis.

Martialis Spectac. Epigramm. XXIII.

Norica quam certo venabula dirigit ictu?

Ubi *Dorica* nunc vulgo circumfertur perperam. Illud vero eleganter & proprie dictum *cultros Norico ferro*, pro *factos è Norico ferro*. Veteri lapide DEMETRIUS EQUO PUBLICO, ſcilicet merens. Sic *homo conſularibus ornamentis, multa eloquentia*, & innumera talia, HEINS. Recte: proprium hoc enim cocorum inſtrumentum, &, ut Plautus Aulul. Act. III. ſcen. 2. *cocum decet cultrum habere.* vide Meurſii Auctar. Philolog. cap. XXII.

Norico ferro] Quod effoditur ex alpibus Noricis, in quibus venæ ferri optimæ. Plinius XXXIV. cap. 14. *Alicubi vena bonitatem hanc præſtat, ut in Noricis.* Adde Martialem IV. ep. 55. SCHEFFER.

Mucronem ad buccam probaremus] Quomodo apud Suetonium in de Cl. Rhetor. cap. 6. Sextum Clodium jocatum legimus, *Fulviam Antonii uxorem, cui altera bucca inflatior erat, acumen ſtyli tentare.* SCHEFFER. Quod Sueton. in Neron. cap. XLIX. dixit *tentare aciem* (ut noſter infra cap. 78. *tentare an bonis lanis eſſent confecta.*) Et in Oth. cap. XI. *explorare aciem.* Sed & *probare*, quod perperam negavit Scioppius, Latine & eleganter dicitur pro experiri, & experimento capto cognoſcere, ut docuit, vir in literis noſtris olim Princeps, Grævius ad Ciceron. Verrin. III. cap. 30. BURM.

Rixam ad locum] Suſpicor, ſcribendum eſſe, *rixam ob lorum*, putoque, *lorum* illud intelligi, quo revinctam quiſque ad collum forte habebat amphoram. Nam, loris ſuſpenſa geſtaſſe iſtæc oneroſiora, & res docet ipſa. & exemplum lecticarum, de quibus videat Electa Lipſii, qui volet, nos quoque aliquando in de re vehicularia monſtrabimus. SCHEFFER. Omiſſa priori ſuſpicione, ſcribo, retentis omnibus, *ob lacum.* Porro *lacum* accipio de vaſe grandiori, continente aquam, cui fortaſſis habebant amphoras immiſſas, frigoris cauſſa. Gloſſæ *Lacus*, ὑδρίον. Itaque & in ſequentibus legendum: *certe in lacu adhuc amphoras habebant*, non, *in loco.* IDEM. *Ad lacum* tanquam aquam è lacu, ſive piſcina Trimalchionis domeſtica. amphoris hiſce hauſiſſent. Habebant enim lautiores homines hos lacus domi balneis vicinos. In hanc ipſam, puto, piſcinam prolabentur infra Aſcyltos & Encolpius. HEINS. Hanc retinendam eſſe ſcripturam cum Heinſio judico, non tamen de piſcina, aut lacu vicino Balneo, de quo infra cap. 72. videbimus, capio: ſed in domo noſtri Trimalchionis grande aliquod vas, ſive receptaculum, fuiſſe crediderim, ex quo ſervi amphoris vinum vilius hauriebant, quod familiæ miniſtrare deberent, cum dominicum eſſet in apothecis & amphoris diligenter gypſatis. Ita autem dictum illud receptaculum ad ſimilitudinem lacuum, qui in cellis vinariis & olearis, quibus muſtum & oleum recens expreſſum, ex cupis effluens, excipiebatur, quorum multa mentio eſt apud Rei Ruſticæ auctores. Vide Caton. cap. 25. Columell. XII. 18. Pallad. lib. I. cap. 18. & paſſim, & nos olim notavimus in diſſertatione de vectigalib. P. R. cap. 1. Et ita in genere *lacus* dici receptacula rerum liquidarum, & vaſa ampliora, docuit ſummus Voſſius in Etymologico, & recte vocem à Græca, λάκκος, deducit. Unde & fortaſſe etiam *laccum* Latini pronunciarunt. De tali vaſe capio leg. XXVII. §. ult. ff. ad L. Aquiliam. *Si tectori locaveris laccum vini plenum curandum, & ille eum pertudit, ut vinum ſit effuſum, Labeo ſcribit in factum agendum.* Laccum autem non recte *ciſternam* intelligere videtur Cujacius lib. X. Obſerv. cap. 9. & eamdem ciſternam vocari in l. XXI. §. 5. ff. de furtis. Qua enim ratione ciſterna vini plena, in terram depreſſa, à *tectore* (ita enim ſine dubio legendum eſt) curari poterit, ſi rimam duxerit, niſi prius extracto vino. Sed, ſi capiamus hunc laccum, ſive lacum, ex opere figulino fuiſſe, & in exteriori parte cœpiſſe dehiſcere & rimas ducere, locatum fuiſſe tectori, ut ille opere tectorio eum incruſtaret, & in ipſa curatione imperite malleo, vel alio inſtrumento adhibito, eum pertuderit, facillima legis erit ſpecies. Talem *laccum* etiam ciſternam vocari poſſe non nego, nam & Gloſſæ λάκκος, *ciſternam laccum*, reddunt, ſed de tali ciſterna capiendum contendo, quæ non in terram defoſſa, ſed ut vas amplum navibus onerariis imponitur, quale etiam à tectore pertundi facile potuerit. Et ita capiendam legem dictam de furtis cenſeo, & ejus quoque ſententiæ habeo ſuffragatorem virum Ampliſſimum Cuperum, qui de his lacubus per literas mihi eum conſulenti, ſe ita ſentire amice reſcripſit. Ex tali ergo lacu vinario vinum hauſturi hi ſervi ſimulantur rixam feciſſe. an vero vas illud, quod Romæ videtur, & à Boiſſardo tom. III. antiquit. cap. 145. conſpiciendum exhibetur, ſit lacus, ut dubitem, faciunt racemi vitium, quibus totum ornatur, quamvis Urnam eſſe velit Gudius apud Gruter pag. DCCCCXVIII. 17. & baſin ipſe Gruterus. Sed, ut judicent lectores, hic ex Boiſſardo exprimi curavi. BURM.

In

„ in loco adhuc amphoras habebant. Cum ergo Trimalchio jus inter liti-
„ gantes



In loco] Scribe, *in collo*. Supra: *collo suo circumferebat olera venalia*. Cato apud Servium ad Virgil. Æn. III. *Accipite hoc onus in collos vestros*. Catullus:

At mi nullus erat, neque hic, neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset. HEINS.

Munckerus in epistola ad N. Heinsium legit, *certe ambo adhuc a. h.* vel, quod verius putat, *in loro adhuc*. Heinsii conjectura videtur admittenda, quam unde Gallicus Petronii locupletator resciverit nescio, certe ejus editio exhibet, ut Heinsius conjecit, multos annos, antequam aliquis de novo hoc fuco somniaret.

„gantes diceret, neuter ſententiam tulit decernentis, ſed alter alterius am-
„phoram fuſte percuſſit. Conſternati nos inſolentia ebriorum, intentavi-
„mus oculos in praeliantes, notavimuſque oſtria, pectineſque è caſtris
„labentia, quae collecta puer lance circumtulit. Has lauticias aequavit
„ingenioſus cocus; in craticula enim argentea cocleas attulit, & tre-
„mula, teterrimaque voce cantavit. Pudet referre quae ſecuntur: inau-
„dito enim more pueri capillati attulerunt unguentum in argentea pelve,
„pedeſque

Sententiam tulit] Sic videlicet, ut ea ſe contentum redderet. Sic *ferre conſilium* apud Martianum lib. I.

Conſilium vis ferre meum —— SCHEFF.

Dictum eodem modo, ut *ſuffragia ferre*. Suetonius in Cæſ. cap. XIII. & alii dixerunt. *perferre ad ultimum vitæ finem conſenſum* Sueton. Aug. LVIII.

Alterius amphoram fuſte percuſſit.] Crates auditori novicio Zenoni olim lenticula cocta plenam ferendam per Ceramicum tradiderat; cujus miniſterii cum eum pudere animadverteret, παίσας τῇ βακλήρίᾳ καταῤῥήγνυσι τὴν χύτραν, Laërt. lib. 7. Arſen. in apophth. REINES. Emenda, *alter alterius amphoram fuſte percuſſit*. Simile mendum Juſtini Codices inſedit lib. VIII. cap. III. *Forte evenit, ut, cum duo fratres, reges Thraciæ, non contemplatione juſtitiæ ejus, ſed invicem metuentes, ne alter alterius viribus accederet, diſceptationum ſuarum judicem eligerent.* Το *alter* minus bene abeſt à libris, qua editis, qua ſcriptis. Juſtinus lib. XV. cap. III. *dum auxilium ferre alter alteri volunt.* Apud Maronem lib. II. 667.

Alterum in alterius mactatos ſanguine cerno.

Apud Naſonem Ponticis lib. I. eleg. 5.

Alter ob alterius funera mœſtius erat. HEINS.

Plura hujus elegantiæ exempla collegit diligentiſſimus Cerda ad d. l. Virgilii.

E Caſtris labentia] Illud *caſtris* hic ineptum eſt. Puto *teſtis* ſcribendum. Et fuere fictiles amphoræ, ut notum. Niſi malis, *cruſtis*. Interpres vetus Horatii à Cruquio editus: *Cruſtas quando in feminino dicimus, fragmenta ſignificamus.* SCHEFFER. Miror, Reineſio hoc potuiſſe placere, ut ſignificetur quaſi locus prælii. Vera lectio eſt *è caſſis*. *Caſſa* dicuntur rupta, fracta verberibus & concuſſione. Plautus in Curcul. Act III. verſ. 25.

—— *Nam, quid id refert mea:*
An aula quaſſa cum cinere effoſſus ſiet? IDEM.

Quæ hic de rixantibus primum, &, rejecta ſententia Trimalchionis, mox præliantibus ſervis narrantur, deſtinato ſic conſilio acciderunt, ut è *caſtris*, id eſt, loco prælii, pro miſſilibus lapidum, *oſtrea*, & *pectines*, volitarent; potuitque fieri, ut, vel inſtar caſtrorum aliquid ſubito emicaret, ſervis pugnantibus, vel ſocii utrinque accurrerint. Aut, ſi neutrum horum, nihilominus *è caſtris* recte poſitum autumo ad ſignificandum, ſic ferociter variaque arte pugnaſſe duos, quaſi eſſent plures, *intentatoſque* ſpectatorum *oculos* meruiſſe. Recte etiam locus pugnæ *caſtra* dicuntur, quandoquidem hoc, quidquid erat, per ſpeciem rebellionis contigit, quæ non alibi frequentior, quam in caſtris, aut ſtativis. Nec refert, ſi duo ſolum fuerint; *caſtra* hæc innotuere per conflictum, eratque in conſpectu Trimalchio imperator, qui tunc partem exercitus ſecum habebat, pars officium faciebat. *Fuſtibus* denique & ſaxis pugnare, antiquus bellandi modus HADRIANID. Scribendum utique, *è gaſtris*, ut jam pridem vidi, idque notis ad Hyginum fab. 108. etiam monuit Th. Munckerus. HEINS. Videtur vera conjectura Munckeri; ſimilis vaſis meminit Nicander Theriac. verſ. 106.

—— Τὰ δ' ἐν περιηγέϊ γάστρῃ
Θάλπε κατασπέρχων.

Hæc amplo vaſe coque confuſa.

Quæ collecta puer lance circumtulit] Ut in ipſa menſa à convivis aperirentur. Seneca ep. LXXXVIII. *O infelicem ægrum! quare? quia non oſtrea illi Lucrina in ipſa menſa aperiuntur.* Illud vero appoſite & ex uſu Romanorum, quod cœna jam tantum non finita, oſtrea pectineſque afferuntur. Conchilibus enim claudebant cœnam. Noſter ipſe Carmine de bello civili:

—— *Inde Lucrinis*
Eruta littoribus condunt conchilia cœnam. HEINS.

In Craticula argentea cocleas attulit] Inter argumenta luxuriæ Romanæ erat præcipuum, quod ardentem adhuc à foco cibum deglutirent, quem mox frigida vel nivatis potionibus reſtinguerent. Pleni hiſce veterum ſcripta. De boletis ardentibus in ventrem demiſſis videndus Seneca ſub finem lib. IV. Nat. Quæſt. & alibi paſſim. Huc refer, quod ſupra vidimus, panem in Clibano in menſam allatum, & ferventia tomacula in Craticula. De cochlearum conditura Apicius lib. VII. cap. XVI. HEINS. Vide ſupra cap. 31. & 35.

Tremula voce] Tibullus lib. I. eleg. V. verſ. 49.

Et ſibi blanditias tremula componere voce.

Ubi vide unicum literarum noſtrarum decus Janum Brouckhuſium. *Teterrimam* autem vocem dixit noſter ſupra cap. 35. ubi fruſtra *Tenerrimam* corrigunt viri docti.

Inaudito more] Quomodo *inaudito?* Athenis quidem mos fuit, καὶ τὰς πόδας τῶν τρυφώντων ἐναλείφειν μύροις,

„pedesque recumbentium unxerunt, cum ante crura, pedesque, talos-
„que corollis vinxissent. Hinc ex eodem unguento in vinarium, atque
„lucernam, liquatum est infusum. Jam coeperat Fortunata velle saltare:
„jam Scintilla frequentius plaudebat, quam loquebatur. cum Trimal-
„chio: [a] Permitto, inquit, Philargyre, & Carrio, & si prasianus es
„famosus, dic & Minophilae contubernali tuae discumbat. [b] Quid mul-
„ta? pene de lectis dejecti sumus, adeo totum triclinium familia occu-
„paverat. Certe ego notavi super me positum cocum, qui de porco
„anse-

a TRIMALCHIO. b ENCOLPIUS.

μύροις, probatque è Cephisodoro, Eubulo, Antiphane, & Anaxandride, Athenæus lib. 13. extr. de Arabibus, Syris, & Babyloniis alii. At etiam Romæ usitatum id: *Vidimus*, inquit Plinius lib. 13. cap. 3. *etiam vestigia pedum tingi*, (unguentis) *quod Othonem monstrasse Principi Neroni ferebant. Inauditum* igitur dixerit pro eo, quod novum eo tempore & primum receptum. REINES. Scilicet apud Romanos: nam, apud Judæos & Athenienses, id fuisse usitatissimum docuit doctissimus Bynæus de morte Jesu Christi lib. 1. cap. 111. §. 33. Tragur. *inauditu* habet.

Pedesque recumbentium unxerunt] Pro luxu eorum temporum. Plin. Histor. Natur. lib. XIII. cap. III. HEINS.

Crura pedesque] *Pedesque*, hic repetitum est ex superioribus, ac proinde expungendum. HEINS.

Coronis junxissent] Scribe, etiam ex N. Heinsii sententia, *vinxissent*. Horatius 1. Carm. 7.

Tempora populea fertur vinxisse corona. SCHEFF.

Hinc ex eodem unguento in vinarium atque lucernam liquatum est infusum] Scribe, *aliquantum est infusum*. Infra cap. LXXVIII. *Nardini quid & in vinarium jussit infundi:* ex castigatione nostra: Plinius lib. XIII. cap. III. de unguentis: *At hercle jam quidem etiam in potus addunt.* De lucerna unguentata Lampridius in Heliogabalo: *Idem in lucernis balsamum exhibuit.* HEINS. Posset de vino capi, quod liquatum (de quo vide Lambinum & Torrentium ad Horat. 1. Od. XI.) lucernæ, ex more apud Poëtas obvio, infundebatur; sed malo de unguento liquato capere, ne nimis crassum & densum olei vicem obire non posset.

Jam cœperat Fortunata velle saltare] Id est, jam saltare cœperat. Peculiaris Verbi *Velle* ratio, ut adjunctum alteri verbo faciat pleonasmum, & sit superfluum. Lucretio familiaris iste usus ejus: ut lib. 2.

——— *Indictum mortalibus edunt,*
Insidi maris insidias viresque dolumque
Ut vitare velint,

Ut mox:

——— *Prædicere ut armis*
Et virtute velint patriam defendere terram.

Tibullo lib. 1. el. 2. *Vidi ego.... manibus canas fingere velle comas.* Macrob. 5. Sat. 17. *Locus dignus est, ut eum velimus altius intueri*: & Jacobus Benevent. cap. 75. *Deus credita cum repetit, nemo dolere velit:* nimirum ut bonæ fidei debitor, sed reddere non doleat, aut gravetur. REINES. Petronianæ formæ locutio. supra cap. IX. *Tuus iste frater cœpit mihi velle pudorem extorquere.* Infra cap. XCVIII. *Si Gitona tuum amas, incipe velle servare.* Eleganter autem abundare illud verbum *velle* apud scriptores optimos ostendit præter alios Eruditissimus Brouckhusius ad Propertii lib. II. eleg. VIII. vers. 13. & nuper ad Tibull. lib. 1. eleg. V. vers. 50. BURM.

Permitto, inquit Philargire, &c.] Videtur hic locus nonnihil distortus, quem ita restitui posse opinor: *Permitto, inquit, Philargire discumbe, & tu Carrio (etsi Prasianus es famosus) dic & Minophilæ contubernali tuæ.* Hanc contubernalem autem existimo fuisse Philargiri, de qua mox capit. seq. *Philargiro etiam jundum lego & contubernalem.* GOES.

Et si prasimanus] Corrige: *& si, si prasinianus es.* Docent sequentia abunde, ubi de prasinæ factionis victoria *Prasinianus*, qui prasinæ favet factioni. quanquam forte rectius sit, *prasianus*. Antoninus vita sua. Τὸ μητὲ πρασιανὸς, μητὲ βενετιανός. Neronem mirum quantum favisse factioni prasinæ, res est notissima vel ex Suetonio. SCHEFFER.

Dic & Menophile] Suspicor scribendum, *Menophilo*. SCHEFFER. *Minophilæ* scribendum; in Traguriano enim semper simplex *e* pro diphtongo *æ* scriptum fuit, & male Patavini *contubernali tuo* ediderunt: permittit enim, ut cum sua contubernali accumbat. Fortasse & *Menophilæ* scribendum; *Menophilus* enim frequens in antiquis lapidibus est nomen servile. Hoc nomine & Medicus apud Celsum lib. VI. cap. 7. & Mithridatis Eunuchus apud Amm. Marc. lib. XVI. cap. 7. & Consularis vir apud Capitol. in Maximin. cap. XXI. occurrunt. Et vernum Menophilum eleganter irridet Martialis lib. VII. cap. 81. an autem fuerit hæc Carrionis, an Philargyri, cui capite sequenti legat suam, contubernalis, incertum facit ordo verborum. quamvis ego posterioris credam. Philargyri autem nomen in antiquis inscriptionibus est frequentissimum. BURM.

Discumbat] Lege, *discumbant*. TILEBOM.

„anserem fecerat, muria condimentisque foetentem. Nec contentus „fuit recumbere, sed continuo Ephesum Tragoedum coepit imitari; & „subinde dominum suum sponsione provocare. Si prasinus proximis „Circensibus primam palmam.

LXXI. „Diffusus hac contentione Trimalchio, [a] Amici, inquit, „&

[a] TRIMALCHIO.

Muria condimentisque fœtentem] Ad cocum refer, non ad anserem. Evincit hic locus nihil esse mutandum initio Satyricon fragmentorum, etsi viris doctis aliter sit visum. Recte enim ibi: *Non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in Culina habitant.* Valeant igitur illi cum sua *coriaria*, quam libris de modo usurarum inculcant. Emenda autem Martialem lib. VI. ep. LXVI.

Quam multis tineas pascunt blattaeque diserti,
Et redimunt olidi carmina docta coci.

Ubi perperam, *& redimunt soli*, circumfertur. Hoc enim manifeste falsum, quoniam & aromatarii, salsamentarii, aliique, redimebant carmina, ut iis merces suas involverent. Nota & illa Martialis lib. XIII. epig. 2.

Nec toga Cordyllis, vel penula desit olivis.

Itemque illud lib. III. ep. II.

Ne nigram cito raptus in culinam
Cordyllas madida tegas papyro,
Vel thuris piperisque sis cucullus.

Male olent ergo coci, male culinæ. Seneca ep. CIV. *Ut primum gravitatem urbis excessi, & illum odorem culinarum fumantium, quæ motæ, quidquid pestiferi vaporis obruerant, cum pulvere effundunt, protinus mutatam valetudinem sensi.* Non dissimile illud ejusdem Senecæ de tabernis unguentariis ep. CVII. *Qui in unguentaria taberna resederunt, & paulo diutius commorati sunt, odorem secum loci ferunt.* Sed plus est *in culina habitare*, quam *residere*, aut *paulo diutius commorari*. Nemo, inquiunt, habitat in culinis. At, *habitare* poni pro frequenter & assidue morari aut versari in culina, quis nescit? Quis, quæso, habitat in subselliis? *In subselliis* tamen *habitare*, usurpatum Ciceroni. HEINS.

Cocus continuo Ephesum Tragoedum coepit imitari, & subinde dominum suum sponsione provocare.] Librarius, more suo transponens literas, dedit *Ephesum*, quem sine omni dubio Petronius omnis Antiquitatis, si quisquam, peritus, *Thespim* dixerat Tribu Icarienſem, æqualem Soloni:

Ignotum tragicæ genus invenisse Camœnæ
Dicitur & plaustris vexisse poëmata Thespis,
Quæ canerent agerentque peruncti faecibus ora.

inquit Horatius art. Poët. vers. 275. Imitatus autem Thespim cocus eo, quod esset personatus, vel quovis modo velata facie: cujus rei inventor Thespis. Personatus autem ideo, ut liberius agere posset cum domino, cum quo discubuerat. REINES. Credo, fuisse eo tempore notum quemdam histrionem, sed cujus memoria, ut mille talium, intercidit; apud Gruterum pag. CCL. occurrit C. IVLIVS. C. L. EPHESIVS. QVI. ET. MASCVTIVS.

Si Prasinus proximis Circensibus primam palmam] In his procul dubio quidpiam deest. Sufficietne, si legis, *si prasinus sis, ajebat, nonne proximis Circensibus primam palmam habebis?* TILEBOM. Ex more convivarum, quorum plurimus super cœnam de factionibus Circensibus sermo, &, cum nullus fere esset his temporibus, quin alicui factioni faveret, frequentes hæ sponsiones. Apposite Martialis lib. X. epig. 48.

De Prasino convivа meus, Venetoque, loquatur,
Nec facient quemquam pocula nostra reum.

De sponsionibus illis vide Argoli notas ad Onuphr. de Ludis Circensibus lib. I. cap. XI. Cæterum ipsam sponsionis formulam ita concepisse ex solemni more cocum hunc puto, *ni Prasinus proximis Circensibus palmam.* v. Brisson. de Formul. lib. V. pag. 369.

Diffusus] An liberior, effusior factus, ut ad animum referatur? Sic *diffusionem animi* dixit Seneca de vita beata cap. 5. Inclino eo potius, ut accipiam pro *confusus*, quod habet infra cap. LXXIV. in re non absimili: *qua voce confusus Trimalcio.* SCHEFFER. Lætatus, cui contrarium *adstrictus.* Seneca ep. CVI. *Vide, an vultum nobis mutent, an frontem adstringant, an faciem diffundant.* Apud Nasonem *diffundere animum*, lib. I. Art. Amand. vers. 218.

Diffundetque animos omnibus illa dies.

Seneca ep. LVI. *Utraque res animum diffundit & mordet.* De vita beata cap. V. *Ex cognitione veri gaudium grande & diffusio animi.* Quam Stoïcis Græcis διάχυσιν ψυχῆς dici, cui animi contractio opponitur, συστολὴ ψυχῆς, Muretus observavit. HEINS. Recte Heinsius, nec debuerat dubitare Schefferus. Multus hujus verbi usus apud Ovidium III. Met. vers. 318.

Forte Jovem memorant diffusum nectare curas
Sepositisse graves, vacuaque agitasse remissos
Cum Junone jocos,

lib. IV. vers. 765.

Postquam epulis functi, generosi munere Bacchi
Diffudere animos.

lib. XIV. vers. 272.

Hæc, ubi nos vidit, dicta acceptaque salute
Diffudit vultus.

lib. IV. ex Pont. ep. IV. vers. 9.

Quæ, tamen inveni, vultum diffundere causſa
Possem.

Vid.

„ & ſervi homines ſunt, & aeque unum lactem biberunt, etiamſi illos „ malus fatus oppreſſerit: tamen, me ſalvo, cito aquam liberam guſtabunt. „ Ad ſummam, omnes illos in teſtamento meo manumitto. Philargyro etiam „ fundum lego, & contubernalem ſuam. Carrioni quoque inſulam, & „ viceſimam, & lectum ſtratum. Nam Fortunatam meam heredem facio, „ & commendo illam omnibus amicis meis: & haec omnia publico ideo, „ ut

Vid. plura apud Barthium ad Statii lib. 11. Thebaid. verſ. 213. & Brouckh. ad Tibull. lib. 1. eleg. 11. verſ. 3. & ſupra ad cap. x. BURM.

Et ſervi homines ſunt, & aque unum lactem biberunt] *Si ab uno homine, quem Deus finxit, orimur, certe conſanguinei ſumus*, inquit Lact. 6. div. Inſt. 10. *eadem omnibus principia, eademque origo* L. Sen. 3. de benef. 28. Quintil. decl. XIII. & Julian. in ep. ἀνθρώπῳ ἀνθρώπῳ καὶ ἐκὼν καὶ ἀκὼν πᾶς ἐσι συγγενής. Hinc illae de ſervis humane habendis praeceptiones Sapientum, Philemonis, Catonis lib. 4. diſt. 44. S. Barnabae in Epiſt. Sen. ep. 47. & Leges Poteſtatum: Aureus in hoc M. Seneca contr. lib. 7. declam. 6. lib. 1. de clem. cap. 18. & Iſidorus Peluſiota lib. 1. ep. 471. Τοῖς δικέταις χρησέον, ὡς ἑαυτοῖς, ἄνθρωποι γάρ ἐσι καθ' ἡμᾶς. ἡ γὰρ πρόληψις, ἡ τύχη πολέμε, ἡ τυραννὶς ὅπλων τύτες ἐποήσατο κλήματα. ἀλλ' οἱ πάντες ἐν ἰσμὲν καὶ τῇ φύσει, καὶ τῇ πίσει, καὶ τῇ μελλήσῃ κρίσει. nimirum, *cum ad exitum ventum eſt, omnes in aquo ſumus.* Philoſophaſter Trimalcion, qui Philoſophum ſe numquam audiviſſe gloriatur infra hoc capite, è ſchola Stoica iſtud ſublegit, uti & alia quaedam, inprimis iſtud περὶ περοδῆς, cap. LXXVI. quod optime intelligi poteſt è Ciceronis ad Poetum ep. 22. lib. IX. REINES. Hic jam *philoſophum* bona fide agit noſter Trimalchio. De ſervis enim ad coenam quandoque vocandis, vide Senecam è Trimalchionis ſententia differentem ep. XLVII. ubi inter alia: *Vis tu cogitare iſtum, quem ſervum tuum vocas, ex iiſdem ſeminibus ortum, eodem frui coelo, aque ſpirare, aque vivere, aque mori?* vide Epictetum diſſert. XIII. HEINS. Florus lib. III. cap. 20. *Enim vero ſervilium armorum dedecus feras: nam & ipſi per fortunam in omnia obnoxii, tamen quaſi ſecundum hominum genus ſunt, & in bona libertatis noſtrae adoptantur.* Ubi v. Freinshemium.

Unum lactem] Plaut. Bach. v. ſc. 2. *Nec lactem, nec lanam ullam, habent.* SCHEFFER. *Lacte*, & *lactem* dicebant antiquiores. nam *lac* pro *lacte*, contractum. Gloſſae veteres; *Lactem*, γάλα. hinc *lactes*. *Lacte*, Veteres dicebant, ut nos *lac*. Chariſius è Catone citat. *In Italia atras capras lacte album habere.* Sic Apulejus, ſic alii. Vide Nonium. HEINS. Vide ſupra cap. 38.

Malus fatus] Vide ſupra ad cap. 42.

Aquam liberam guſtabunt] Liberabuntur ex ſervitute, Ovid. 1. Amor. el. 6.

——— *Sic umquam longa relevere catena,*
Nec tibi perpetuo ſerva bibatur aqua. SCHEFF.

Illuſtrat hanc locutionem egregius Heſychii locus, quem ad Callimachii hymn. in Pallad. verſ. 46. adduxit & emendavit Illuſtris Spanhemius. Ἐλεύθερον ὕδαϛ ἐν Ἄργει, ἀπὸ τῆς συναγκείας πίνσι κρήνης ἐλευθερέμενοι τῶν δικετῶν, διὰ τὸ καὶ τὸν κέρβερον κύνα τάυτῃ διαδρᾶναι καὶ ἐλευθερωθῆναι. BURM.

Omnes illos in teſtamento meo manumitto.] Haec plena libertas erat, non minus quam illa, quae apud Conſilium, aut apud Conſulem, Pro Coſ. Praetorem, Praeſidem Provinciae, Legatumve Caeſaris, vel alium magiſtratum, cui hujuſmodi jus eſſet, manumiſſione conferebatur. l. 5. 7. D. de manum. vind. l. 4. Cod. de vind. lib. & apud Conc. manum. Eadem vocabatur *juſta*, vindictae impoſitione munita, l. 2. Cod. ſi adverſus libert. & quidem pro Tribunali; à qua differebat *data inter amicos:* quam nominat Cajus Inſt. l. 1. & Sen. l. de vita beata c. 24. & altera *per menſam* dicta, quando libertatis capiendae gratia ſervus convivio domini adhibebatur; & de hac explicanda ſunt verba autoris initio hujus fragmenti: *Venerat jam tertius dies, id eſt, exſpectatio liberae coenae:* nimirum, qua dominus liberam aquam guſtaturos eſſe mox promiſerat. REINES. Jactantia inſignis, cujus ſimilem ſepulchrali titulo inſculpi juſſit, forte ejuſdem ſortis libertus, Claudius Philargyrus Unguentarius apud Gruter. DCXXXVI. 9. FAMILIAM SVAM MANVMISIT. PECVNIAMQ. LEGAVIT.

Et contubernalem ſuam] Scribe omnino, *ſuam*: contubernales enim ſervis, quae liberis hominibus uxores. ſupra: *Contubernalem meam redemi.* HEINS. Hoc neceſſe erat adjicere, quia aliter, ſervo manumiſſo, ejus contubernalis manere cogebatur in ſervitute l. 41. §. 15. de fideic. libert. *December, diſpenſator meus, Severus vilicus, & Victorina vilica Severi contubernalis, in annos octo liberi ſunto.*

Et viceſimam] Quam nempe manumiſſus ipſe debebat ſolvere, eam nunc ab haerede praeſtandam volo. Vide diſſertationem de Vectigal. Populi Romani cap. X. cui ridere volupe eſt, legat hic Galli noſtri, cui Petronium Gallicum debemus, elegantem notam, & an ille intellexerit, qualis haec viceſima, & quid inſulae fuerint, judicet. BURM.

Lectum ſtratum] Tricliniarem nempe, ſive, ut vocavit capite XLII. *Vitalem ſtragulis bonis.* Terentius quoque Heaut. Act. IV. ſc. 1. dixit *lectum veſtimentis ſtratum.*

Commenda illam] Solemne teſtamentorum verbum.

„ut familia mea jam nunc sic me amet, tamquam mortuum. [a] Gratias „agere omnes indulgentiae coeperant domini, cum ille, oblitus nugarum, „exemplar testamenti jussit adferri, & totum à primo ad ultimum, in„gemescente familia, recitavit. Respiciens deinde Habinnam: [b] Quid di„cis, inquit, amice carissime? aedificas monumentum meum, quemad„modum te jussi? Valde te rogo, ut secundum pedes statuae meae catel„lam

a ENCOLPIUS. b TRIMALCHIO.

l. 41. §. 15. ff. de fideic. libert. *Te autem, Severe, fili carissime, uti Decembrem & Severum commendatos habeas.*

Publico ideo] Supra *publicare sermones*. HEINS.

Ut familia mea me nunc sic amet] Stolide hoc, ut omnia, Trimalchio: Heri enim cautiores dissimulabant, quos post mortem suam manumissos vellent, ne, spe melioris vitae erecti, dominis fata clam inprecarentur, vel etiam maturarent. HEINS.

Jam nunc] Horat. III. Od. VI.

——— *Et fingitur artubus*
Jam nunc.

Livius lib. XXII. cap. 38. *Jam nunc locatus in urbe sciret, quae sibi agenda armato forent.* Et ita passim optimus quisque scriptor. BURM.

Cum ille oblitus nugarum] Imo, *cum ille necdum oblitus nugarum.* Nam, quae sequuntur, nugae plane sunt nugacissimae. GOES. Minime sollicitandum: est enim formula solemnis & ironica de homine quid insulse agente. Agnoscere libet in his Claudium nostrum, de quo Seneca in Apocolocynth. *Claudius, ut vidit virum valentem, oblitus nugarum, intellexit, neminem parem sibi Romae fuisse:* quasi rem jam serio agere vellet, aut resipisceret & ad sanam mentem rediret homo *nulli nugarum laude secundus*, ut loquitur Martial. IX. 1. cum revera stultitia nova priorem cumularet. *Relinquere nugas* dixit Cicero VI. ad Att. 3. *Videaturne, aut pietatis esse meae fratrem relinquere, aut diligentiae nugarum aliquid relinquere.* BURM.

Quid dicis] Haec formula occultam objurgationem continet, quasi Habinnas in aedificando monumento ejus nimium lentus esset, quod jam homini mori volenti debebat esse paratum. V. Barth. Glossarium in Claudianum Mamercum. Manifestior exstat supra cap. 9. *Quid dicis, inquam, muliebris patientiae scortum?* BURM.

Quemadmodum te jussi] Damnant hunc loquendi modum Gronovius ad lib. IX. Martial. LXVI. Vossius constructionis cap. XXXVI. & Scioppius de stylo Historico. Tamen antiquiores sic loquutos autumo, ut & tuetur Thomas Munckerus ad Hygini caput CXCVI. quem vide. HEINS. Dubito, an patrocinium suum, quod huic locutioni commodavit Munckerus, severis judicibus probare possit, & an non potius illi secundum Vossium & Scioppium litem dare malint. Nullum dubium, quin illa locutio admitti possit, ubi infinitivi modi verbum subaudiri possit, ut hoc loco, *quemadmodum te jussi aedificare*; Ita Quintiliani verba, *jussit me Tribunus*, scilicet *pati stuprum*, vel simile quid, capienda. Martialis quoque locus lib. IX. Ep. 67. ita intelligendus.

Sed tu jussisses Eurysthea.

Scilicet servire, vel facere illa, quae Herculem jussit facere, quare neque mutandum ibi aliquid. Ita & Terentius Heaut. Act. IV. 5. *imo filium jube potius*, scilicet *deserre*, quod praecessit. Cicer. V. ad Att. Ep. ult. *Et, hercle, ut me jubet Acastus, confido te jam valere*, scilicet *considere*. Sed praecipua est controversia an Latine dicatur, *jubeo te, ut facias*, ubi nulla ellipsis potest locum habere, quod negamus ulli bonae aetatis scriptori usurpatum: nam Ausonium, & Apulejum, & similes, non moramur, neque eorum exemplis tueri se debebant viri literati: neque probioris notae est altera illa constructio, *jubeo tibi*, quam summo jure extra Latii fines proscripsit summus linguae Romanae vindex Gronovius ad Livii lib. XXVII. cap. 24. & quae non, nisi corruptis auctorum locis, vel eorum, qui jam labe aliqua infecto sermone usi sunt, defendi solet. Quare neque has delicias Statio, (ad cujus lib. VII. vers. 33. & 373. vide Barth.) neque Claudiano, neque Jurisconsultis, neque cuiquam posterioris seculi, invidemus. Sed cultissimo Poëtae Ovidio hanc stribliginem adtribui ab unico ejus sospitatore indignamur, qui unius sui codicis auctoritatem tanti putavit, ut contra reliquos omnes, & editiones, quotquot exstant, lib. VIII. Metam. vers. 752. legere maluerit:

——— *Famulisque jubet succidere sacrum*
Robur.

cum *famulos* certe scripserit terssissimus Poëta. Major autem inconsiderantia est doctissimi Barthii, qui in commentario ad Claudian. II. in Rufin. vers. 155. ad novam hanc omnino neque tritam rationem loquendi retulit verba haec Sallustii de Bell. Jugurth. cap. 84. *At Marius, ut supra diximus, cupientissima plebe consul factus, postquam & provinciam Numidiam populus jussit, antea jam infestus nobilitati, tum vero multus atque ferox instare.* Quis enim vel Tyro nescit, recte & passim dici *jubere provinciam, legem*, & similia, in quibus est ellipsis verborum *dari, ferri*. Ita Sallustiana oratio supplenda, *postquam ei Provinciam Populus dari jussit*, ita quoque Livius lib. I. cap. 22. *Tullum Hostilium*

„lam pingas, & coronas, & unguenta, & petraitis omnes pugnas, ut „mihi contingat tuo beneficio post mortem vivere. Præterea, ut sint in „fronte pedes centum, in agrum pedes ducenti. Omne genus etiam po- „morum

stilium regem Populus jussit, scilicet, *creari*, & ita in reliquis id genus loquendi modis. BURM.

Pingas] Hoc suspectum est. Fuit nempe lapidarius Habinnas, uti liquet ex superioribus. at lapidarii non pingunt. An legendum, *fingas?* nil definio. SCHEFFER. Lege, *fingas*. HEINS. Nescio, cur mutari debeat, cum potuerint hæc ornamenta sepulchri, quæ operi tectorio inducebantur, variis coloribus distingui. vid. inscript. apud Fabrett. pag. 449. Egregie autem Satyricus Trimalchionis monumentum exornat, utpote ex quibus ante actæ vitæ inter convivia imaginem viator perspiceret. Ea namque fere instrumenta insculpta & picta in sepulchris veterum conspiciebantur, quæ artem defuncti ostendebant. vid. Guther. de jure manium lib. II. cap. 28. & 29. Quod autem catellam & similia jubeat pingi, ex more quoque, quo similes deliciæ & ludicra insculpebantur, qualia plurima apud Fabrett. cap. V. pag. 381. & seqq. videre licet. BURM.

Petractis omnes pugnas] Mallem pro, *petractis*, quod est nihili, *peractas omnes pugnas*. Quomodo apud Virgilium sunt *peracta cades*, apud Ovidium, *peracta bella*. SCHEFFER. Habetur etiam in superioribus hoc vocabulum. Sic enim vulgati cap. LII. *Nam here motis pugnassent petraitis in poculis*. MS. Dalmaticum itidem *petraitis* habet hoc loco, at altero illo *petranctis*. Latere nomen quoddam proprium necesse est, sed à Trimalchione fortasse confictum, ut, quale illud fuerit, difficillimum sit divinare. Suspicabar quidem *Paridis*, nunc vero animum suspendo, & alterius exspecto conjecturas faciliores. IDEM.

In fronte] Putes rectius, *in frontem*, quia sequitur, *in agrum*. Sed sic & Inscriptio vetus apud Gruterum pag. 851. & Horat. I. Sat. 8.

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum.

SCHEFFER. Scilicet, *præterea*, monumento meo inscribas, *ut sint in fronte pedes centum*, &c. GOES. Recte mutat sententiam Schefferus, cum semper *in fronte* debeat scribi, quia latitudinem monumenti secus viam publicam notat, *in agrum* autem dicebant, quia in longitudinem à via in agrum introrsus extensum sepulchrum notat, ut erudite has solemnes notas explicuit Fabrett. capite III. pag. 176. & sequentibus. Quamvis & *in agro* scripsisse docere possunt ibi allati tituli. Jactationis autem insignis sunt hi centum & ducenti pedes, cum pleraque monumenta vix viginti pedes in fronte aut in agrum patuisse docere possunt lapides à Fabretto adducti, quibus plurimi ex Gruteratio & aliis addi poterunt, qui docent raro longius aut latius produci. Apud Sponium pag. 293. frons pedum XXXIV. in agrum p. XXIV. reperitur, apud Horatium vero mille pedes in fronte, & trecentos in agrum dabat ille, ut esset locus publicus, & capax multorum funerum. Noster vero sibi privatum, quod hæredem non sequatur, constituit sine exemplo magnum monumentum. BURM.

Omne genus enim pomæ] Suspicatur Nob. Heinsius, *pompæ*. Quid? si *pomi*. Sane arbores ad ornatum sepulchrorum adhibuisse, docent veteres. Vide Meursium in Funere cap. 41. ubi de buxo & palmite. Augusti Mausoleum circa alnos habuit, ut Strabo auctor est lib. V. Postremo Ulpianus l. 73. §. 1. ff. de Contr. Empt. nominatim *intra maceriam sepulcrorum loca plura hortis, vel cæteris culturis, servata* commemorat. SCHEFFER. Lege *omne genus etiam*, quod respondet præmisso modo *præterea*, ut sit loco συνδέσμου: nimirum istud volo, & hoc quoque. Solet alias τὸ *enim* abundare cum singulari gratia sermonis; ut in istis Plauti Persa Act. 2. sc. 2. vers. 46. *P. Male operam locas. S. qui? P. Quia enim nihil amas, cum ingratam amas:* & Terentii Andr. Act. 5. sc. 2. vers. 4. *Imo enim nunc quam maxime abs te postulo atque oro.* Sed hic locum non habet ea figura πυρίλλοιτος; sequitur enim proximo membro orationis: *Valde enim falsum est.* Pro *pomæ* vero legendum *pomonæ*. Pomona est quod Græce ὀπώρα, id est, omnis generis fructus edules, qui autumno matureſcunt. Solinus cap. 22. de Thule: *larga & diutina pomona copiosa est:* quod Dicæarchus de Bœotia esse ἐχόπωρον καὶ θερμοῖς ὑγροῖς ἄφθονον dixit. Vult igitur arboretum vel pomarium circa monumentum suum instrui, esseque ibi *vinearum largiter*. Maceriis, muris, septis, sepulcra claudi, ornari etiam ædificiis pertritum est; hortos iisdem adjacere & adjici adparet ex Inscr. Gratianensi 12. DCXXX. apud Gruter. in qua Hermes quidam, *hi horti*, inquit, *uti optimi maximique sunt, cineribus serviant meis: ex horum reditu Curatores vescantur natali meo, & rosam præbeant in perpetuum*. De vineis testatur lapis Sanct-Andreanus, quem V. C. Carolus Sponius Med. Collegiatus Lugdun. in Sequanis mihi descripsit; in eo profitetur Rufius quidam Satyrus, quod suæ suorumque memoriæ ædificium cum vinea & muris, & ad tutelam ejus & ad cœnam omnibus incolis ponendam KL. Febr. sicuti & rudecam in opus, scilicet vineæ, addiderit. Nimirum fiebant ista tam in tutelam, custodiam, cultumque monumenti, ut id integrum præstaretur, per sumtus refectioni necessarios, quam ut è proventibus annuis constitutæ profusiones, erogationes, & sparsiones missilium, exhiberi possent; ut pluribus doceo Comm. ad 112. Classis VI. REINES. Τὸ *enim* designat, Trimalchionem c. pedes in fronte, cc. in agrum, velle converti in hortum.

„morum volo sint circa cineres meos, & vinearum largiter. Valde enim „falsum est, vivo quidem domos cultas esse: non curari eas, ubi diu„tius nobis habitandum est; & ideo ante omnia adjici volo: HOC. „MONUMENTUM. HEREDEM. NON. SEQUATUR. Cae„terum erit mihi curae, ut testamento caveam, ne mortuus injuriam „accipiam! praeponam enim unum ex libertis sepulcro meo, custodiae „caussa,

tum. Cujus ritus plena sunt monumenta antiqua apud Gruterum. Ejus rei ratio, sive, quod poma, & mensae secundae, ad aetatem genialiter agendam conducant, sive, quod iis locus sit in sacris natalitiis, quae fiebant sine sanguine. Sic marito sacrum facturae Laodamiae, apud Hyginum fabula CIV. poma adferuntur. HEINS. Scriptura Traguriensis codicis est, *pomorum*, quam Patavini mutarunt in *poma*, unde viri docti tentarunt variis conjecturis locum sanum, & de hortis & arboribus monumento additis praeter rem hic multa adduxerunt: cum certe, si hoc voluisset lautus Trimalchio, spatium monumenti sui longe productius esse voluisset; quare capienda verba sunt de ornamentis, quae ipsi sepulcro insculpebantur, ut apud Boissardum occurrunt frequentia, in quibus pomorum omne genus, florum serta, vitium racemi, & similia affabre ficta exhibentur. BURM.

Falsum est] Non concoquo: mallem, *salsum*. Cicero II. de Orat. *Valde haec ridentur: & hercle omnia, quae à prudentibus, quasi per dissimulationem non intelligendi, subabsurde salseque dicuntur.* SCHEFFER. Id est, *vanum*, quodque veram humanitatis considerationem, & prudentiam agendi *mentitur*. HADRIANID. Scribatur meo periculo: *Valde enim insulsum est, non curari eas, ubi diutius nobis habitandum est.* *Eas*, scilicet domos: nam *domum* pro sepulcro dicebant veteres. Nec aliter capiendus Horatii locus vexatissimus, qui *domum exilem Plutoniam* dixit, pro sepulcro. Ut & *domum* pro sepulcro posuit auctor Epicedii in Drusum:

Claudite jam, Parcae, nimium referata sepulcra,
Claudite, plus justo jam domus illa patet.

In antiquis marmoribus passim, *Domus aeterna*, *Domus aeternalis*, *Domus perpetua*. HEINS. Recte Heinsius explicat *domos*. ita epigramma vetus apud Pithoeum p. 140. ad mentem Trimalchionis:

Haec domus aeterna est, hic sum situs, hic ero semper.

Ovidius l. X. Met. v. 34. *haec est domus ultima*. Seneca Hippol. 1241. *recipe me aeterna domo non exiturum.* Vide Fabrett. inscr. cap. II. pag. 112. & seqq. Quod autem *domum exilem Plutoniam* apud Horatium pro sepulcro capiat, ut & Rutgersius fecit in Venusinis lectionibus, & Vossius Epist. 169. minime id menti Horatii convenire videtur, qui ipsum orcum, vel inferorum regionem ita vocavit, quia nihil nisi umbras continet, non vera corpora, & ita revera sit *exilis domus, in qua non multa supersunt*, ut idem vates dixit lib. I. Epist. 6. & Virgilius VI. Aeneid.

Perque domos ditis vacuas & inania regna.

ut me docuit quondam, summus meus in his studiis auspex & dux, Janus Brouckhusius. Ita & Statius lib. IV. Theb. vers. 477.

Solvite pulsanti loca muta, & inane severa
Persephones.

Valer. Flacc. lib. II. vers. 603.

——— *Frustra vacui scrutaris Averni,*
Care, vias.

Ubi Bulaeus duo etiam Statii & Claudiani loca apta adfert, sed caussam locutionis perperam reddit. Jam autem Umbras passim *vacuas*, *tenues*, *nudas*, & *exiles*, à Poëtis dici, quis ignorat, aut sibi probari posceret? imo hinc Proserpinam Ἀσπάσιον à Lycophrone Cassandr. vers. 49. dictam crediderim. Praeterea passim inferorum regionem, etiam non addito illo *exilis* vel *vacua* epitheto, *domum ditis* vocari videmus. ita Euripid. Alcest. 436.

Χαίρουσά μοι ἐν ἀΐδα δόμοισιν
Τὸν ἀνάλιον οἶκον οἰκιτεύοις.

Senec. Medea. 740.

Et Chaos caecum, atque opacam Ditis umbrosi domum.

& ita alii. BURM.

Habitandum est] Unde infra cap. CXI. *domicilium* vocat.

Injuriam accipiam] Petronianae formae locutio, supra cap. 25. *Ne majorem injuriam in secreto frater acciperet.* Vide & infra cap. 94. & 130. *injuria* autem proprie hic de sepulcro violato. Lapis apud Fabrettum pag. 661. NE QVIS VELIT LOCO INIVRIAM FECISSE. BURM.

Praeponam enim unum ex libertis sepulcro meo.] Neque id novum. Gruterus Inscriptionum p. DCXXXVI, 12.

HI HORTI. VTI. OPT. MAXIMIQ. SVNT.
CINERIBVS SERVIANT. MEIS.
NAM. CVRATORES. SVBSTITVAM. HEINS.

Custodiae caussa] Haec ex more usitato Romanis. Propert. lib. III. Eleg. XIV. vers. 23.

Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos, ad mea busta sedens.

Ubi vide diligentissimi Passeratii adnotationes. Et Ramiresius de Prado in Pentecont. cap. XVII. observat, hos custodes modo divitum sepulcris appositos ex veteri Horatii commentatore ad Epod. XVII. vers. 47.

Unde

„ cauſſa, ne in monumentum meum populus cacatum currat. Te rogo, „ ut naves etiam monumenti mei facias plenis velis euntes: & me in tri- „ bunali ſedentem praetextatum, cum anulis aureis quinque, & nummos „ in publico de ſacculo effundentem; ſcis enim, quod epulum dedi, bi- „ nos denarios: faciatur, ſi tibi videtur, & triclinia: facies & totum „ populum ſibi ſuaviter facientem. Ad dexteram meam ponas ſtatuam „ Fortunatae meae columbam tenentem: & catellam cingulo adligatam „ ducat: & Cicaronem meum: & amphoras copioſas, gypſatas, ne effluant „ vinum:

Unde iterum faſtus noſtri liberti apparet. Praeterea hujus cuſtodiae cauſſa ſolebant Tabernas, & ædificium aliquod ſepulcro adſtruere, in quo cuſtodes illi habitarent. Lapis apud Fabrettum in notis ad cap. v. pag. 393.

D. M.
MINDIA. TYCHE. FECIT. SIBI. ET. SVIS. ET LIBERTIS. LIBERTABUSQVE. POSTERISQ. EORVM. CVM. AEDIFICIO. ET. TABERNA CVSTODIAE. TVTELAEQVE. CAVSA.

Ubi plura de hac materia eruditiſſimus Fabrettus. Vide & cap. IV. pag. 320. & Guther. de jure manium lib. II. cap. 31. Qui tamen lapidem Gruterianum pag. DCXXIII. 8. ubi *ad culturam* legantur HS. VII. male mihi explicare videtur de purgatione veprium, & malarum herbarum, & erogationibus, cum melius de ornamentis ſepulcrorum, quae inſculpebantur, & ſtatuis ſimilibus capienda videantur, ut noſter modo, *Vivo quidem domus cultas eſſe, non curari eas, ubi diutius habitandum eſt. Colere* enim ornare notat, ut vulgo notum. Vide ſupra ad cap. 32. Heinſii notas. BURM.

Populus cacatum currat] Loca enim ſacra nefas his inquinare ſordibus. Apud Perſium:

——— *Pueri, ſacer eſt locus, extra*
Mejite.

Inſcriptionum Gruteri pag. DCCXCII. I.

HOSPES. AD. HVNC. TVMVLVM.
NE. MEIAS. OSSA PRECANTVR.
TECTA. HOMINIS.

Similia habes in eodem opere Inſcriptionum. Ubi pag. CCCXXIX. inſcriptio extat jocoſa hiſtrionis Polenſis. HEINS. Lapidibus ab Heinſio productis adde alium Romae anno 1603. effoſſum, quem edidit Malvaſia, in ſua Ælia Lælia Criſpi p. 133. & Mabillon. tom I. Itineris Italici p. 148.

QVI. HIC MIXERIT. AVT
CACARIT. HABEAT
DEOS. SVPEROS. ET
INFEROS. IRATOS. BURM.

Cum annulis aureis quinque] Hoc quoque ſtulte glorioſum: annuli enim exprimi potuerunt in marmore, annuli aurei non potuerunt. Illud autem pro luxu ſæculi, quod annulos ſibi quinque, hoc eſt, ſuum cuique digito aſſignat. Seneca ſub finem lib. VII. Nat. Quæſt. *Exornamus annulis digitos: in omni articulo gemma diſponitur.* Martialis lib. V. epig. 11.

Sardonychas, onychas, adamantas, jaſpidas, uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.

Sic ſcribo, nam *ſmaragdos*, quod nunc circumfertur, vix admittit ratio carminis. Sed & illud pro cætero Trimalchionis faſtu, quod de annulis aureis ſubjungit, cum eorum uſu hominibus libertinis lege publica eſſet interdictum. HEINS.

Epulum dedi binos denarios] Conjunctio hic omiſſa videtur. SCHEFFER. Forte *in epulum dedi*. Plena hujus moris, de epulis funebribus annuis in publicum datis, marmora ſepulchralia. Plinius libro VII. epiſt. XVIII. *Deliberas mecum, quemadmodum pecunia, quam municipibus noſtris in epulum obtuliſti, poſte quoque ſalva ſit.* Vide J. Gutherium de jure manium lib. II. cap. X. HEINS. Omiſſa eſt conjunctio eodem jure, quo ſupra cap. 45. *Subolfacio quod nobis epulum daturus eſt Mammea; binos denarios mihi & meis.*

Faciatur & triclinia] Lege *faciantur*, nam ita loquuti Nigidius & Titinnius. v. Nonium. GOES. Retinui Tragurienſis codicis ſcripturam, & forte *triclinia* fœminini generis doctus noſter & Philologiæ ſtudioſus Trimalchio eſſe credidit.

Et catellam cingulo alligatam ducat & Cicaronem meum] Neſcio, an non ordo verborum hic turbatus ſit, legaturque verius: *Et Cicaronem meum, & catellam cingulo alligatam ducat.* Viſus enim mihi catellam Cicaroni attribuere, ut columbam Fortunatae. Delicias enim ſuas his nequitiæ nominibus indigitabant. Plaut. Aſinar. III. III. verſ. 103. *Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum, hirundinem, monedulam, paſſerculum, putillum* Plura his ſimilia apud alios. Quod igitur per columbam in Fortunata intelligi voluit, idem per catellam in Cicarone. GOES.

Amphoras copioſas] Vino refertas. Quomodo Petronius cap. XXIX. *Fortunam copioſam cornu abundanti* dixit. SCHEFFER.

Ne effluant vinum] Hæc vera ſcriptura. Apud Claudianum epigrammate in Jacobum magiſtrum equitum.

„vinum : & unam licet fractam sculpas , & super eam puerum ploran-
„tem : horologium in medio, ut, quisquis horas inspiciet, velit, nolit,
„nomen meum legat. Inscriptio quoque, vide diligenter, si haec satis
„idonea tibi videtur." C. POMPEJUS. TRIMALCHIO. MAECENATIANUS. HIC. REQUIESCIT. HUIC. SEVIRATUS. ABSENTI. DECRETUS. EST. CUM. POSSET. IN. OMNIBUS. DECURIIS. ROMAE. ESSE. TAMEN. NOLUIT. PIUS. FORTIS.

Sic tibi det magnum moriens conviva triumphum,
Et tua perpetuo dolia vina fluant.

Ita enim codices nonnulli antiqui. Ad quem locum vide quæ congessi. HEINS. Græcissat hic noster Trimalchio. Nam Græcos φίω, & similia verba, activa significatione ponere docui in dissertatione de Jove Fulgeratore cap. IV.

Et unam] Forte, *sed unam*. HEINS.

Velit, nolit] Seneca in Apol. *Velit, nolit, necesse est illi omnia videre*. SCHEFFER.

Inscriptio quoque, vide diligenter] Probarem magis, ut hic, *inscriptionem*, legeretur, licet possit etiam ferri scripta lectio ac loquendi modus. TILEBOM. Titulus, quem sepulcro suo imponi voluit glorioſus iste verbero Mæcenatianus, prorsus ad formam prisci ritus factus est, accuratus & venustus ; at clausula VALE ET TU testatur de seculo non optimo, ut ἀπεισαχθῶ videri possit ; priora enim interim ipsius Arbitri sunto ; quia consonant cum antecedentibus, quibus hunc hominem describserat. Dixi, quæ debebant, plura Comm. ad inscr. 14. Cl. IV. Cæterum τὸ PIUS pravum est : lege PIUS. FORTIS. FIDELIS. *Pietatis* laudem sibi rapit scelero, cujus ne micam quidem habebat, nec enim usquam dicitur Deos, sacra, templa, curasse ; *fortitudinis*, nimirum ejus in triclinniis & cubiculis : *in præteritos annos se retro agens, & validus in voluptatibus, quasi juvenis exsultabat* : fidelitatis, quam in custodiendis, quæ domini incuria & stupore clepserat, adhibebat, quippe παλαίτρῳ. Et hæc quidem possunt sub schemate dicta capi ; istud autem è vero quod NUNQUAM PHILOSOPHUM AUDIVERIT : quippe osor erat omnis liberalis doctrinæ, *literis* pueros *inquinari, & fatuos reddi* delirabat, prorsus non *Mæcenatianus*. REINES.

MÆCENATIANUS] Cur vero *Mæcenatianus?* Enodum vindice dignum Homo vanissimus Trimalchio, & terræ filius, moribus ac vitæ genere lautissimo, Mæcenatem, virum nobilissimum, videri volebat imitatus. Et hoc pro cætera sua arrogantia. Hinc ipsa cœna ad symphoniam omnia ministrata, Mæcenatiano more. Unde etiam fit, ut & infra cap. LXXIII. pro iis de Trimalchione, *& cœpit Menecratis cantica lacerare*, castigandum opiner, *Mæcenatis cantica*. Scripsit enim Mæcenas cantica, è quibus fragmenta nonnulla proferuntur à Seneca & Grammaticis antiquis. Cæterum, qui se sectæ alicujus dabant, sive jurisperiti celebris, sive medici, sive Grammatici, ab eo nomen mutuabantur. Sic Cassiani, à schola Juris Cassiana, ab Hippocrate & Galeno Hippocratici & Galenici dicebantur. Sic Grammaticus Aristarchus, Poëta Virgilianus, Poëta Ovidianus, Oratores Isocratici, vel Isicratici, ut apud Gellium libro XVIII. cap. VIII. Apud Tertullianum occurrit item coquus Apicianus, tamquam coquus insignis. Vixit autem lautissime delicatissimeque Mæcenas, unde ipse quoque Seneca in illum frequenter invehitur, ut alios omittam. Hunc æmulatus Trimalchio Mæcenatianum ob id dici, ac tumulo inscribi gestiebat. Aliam hujus nominis probabilem magis rationem qui attulerit, huic ego venerabundus assurgam. HEINS. Nullum dubium, quin sectam se Mæcenatis secutum hoc titulo jactaverit, qui in lusu pilæ, symphoniis, Philologiæ studio, & Grammaticis & Rhetoribus pascendis, eum æmulatus fuit, ut supra sæpe annotatum est. Et ita Pantomimos, qui vel Pyladæ vel Bathylli disciplinam sequebantur, eorum nomina sibi adsumsisse, & sepulchris inscripsisse, docet Salmas. ad Vopisc. Carin. cap. XIX. Ita interpretari licet sævum Tiberii apud Sueton. cap. 57. jocum, qui, Pompejo cuidam, equiti Romano aliquid perneganti, vincla minans, *affirmavit fore, ut ex Pompejo Pompejanus fieret*. Id est, si vellet Imperatori obloqui, & ita sectam Pompeji pro republica tueri perseverare, fore ut capite truncaretur. Fabrett. inscr. cap. IV. p. 318. derivata talia cognomina in *anus* esse in memoriam prioris domini, quem mutarunt alio, vel à quo manumissi postea fuerunt, censet. BURM.

HUIC SEVIRATUS ABSENTI DECRETUS EST] Auget splendorem hominis, absenti decretum fuisse honorem, tamquam fugienti irrogassent. Eadem vero ratio Seviratus hic collati, quæ GRATUITI, id est, gratiæ pro meritis referendæ, in lapidibus frequentissimi: ad 99. Class. I. REINES. Glorioſum hoc in primis, ambitus enim, qui regnabat inter candidatos, apud absentes locum habere vix poterat. HEINS.

CUM POSSET IN OMMINIBUS DECURIIS ROMÆ ESSE, TAMEN NOLUIT] Intelligendæ sunt Decuriæ Quinque, in quas digesti erant, quos Prætores Urbani è Civium potioribus, ut essent Judices caussarum planarum minutarumque, legebant. Earum unam fuisse Senatoriam, è Cicer. I. Verr. observamus.

TIS. FIDELIS. EX. PARVO. CREVIT. SEXSTERTIUM. RELIQUIT. TRECENTIES. NEC. UMQUAM. PHILOSOPHUM. AUDIVIT. VALE. ET. TU.

LXXII. „[a] Haec ut dixit Trimalchio, flere coepit ubertim; flebat „& Fortunata: flebat & Habinnas. tota denique familia, tamquam in „funus rogata, lamentatione triclinium implevit. Imo jam coeperam „etiam ego plorare, cum Trimalchio: [b] Ergo, inquit, cum sciamus, „nos morituros esse, quare non vivamus? Sic vos felices videam, con„jiciamus nos in balneum, meo periculo, non poenitebit. Sic calet, tam-

a ENCOLPUS. b TRIMALCHIO.

„quam

mus. Vocabantur illi ita lecti, missique in peculiare album, *Selecti*, *Selecti Judices*, *Judices de Selectis*, *Judices Selecti* ex V. Decuriis, ut ostendo ad Inscr. 113. Cl. VI. In saxis multa eorum mentio est; in libris, nisi si apud Ciceronem & Senecam, non fere reperiuntur. In Coloniis & Municipiis legisse tales videntur Duum Viri consensu Populi; vel etiam argumento 3. CCCCLXXV. & 2. MXCIX. apud Gruterum, Ordo Decurionum, Augustalium, & Plebs universa. REINES. Lege, *tamen noluit*, *pius*. HEINS.

EX PARVO CREVIT. SESTERTIUM RELIQUIT TRECENTIES] Divitiarum famam aucupabantur etiam vilia capita. Supra cap. LXV. de servo, *quinquaginta millibus existimant mortuum*. Stolidum autem maxime, quod summas patrimonii titulis sepulcralibus inseri curarent. Fecerat nostro similis Staberius, qui testamento id caviisse, constituta in haeredes poena, ni parerent, &, quantum quisque accepisset, in marmore faterentur, dicitur. Praestat de eo audire Horatium 2. Sat. 3. ita Philosophantem:

——— ——— *Quid ergo*
Sensit, cum summam patrimoni insculpere saxo
Heredes voluit? quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium, & cavit nil acrius, ut, si
Forte minus locuples uno quadrante periret,
Ipse videretur sibi nequior.

nimirum, solum divitem clarum, fortem, justum, sapientem & regem, & quicquid volet, futurum; in pauperem ista nequaquam cadere existimaverat. REINES. Vide supra cap. 38. 43.

NEC UMQUAM PHILOSOPHUM AUDIVIT] Lepidissime. Sic vapulant Jurisconsulti in veteri marmore apud Gruterum pag. DCLXII.

DOLVS. MAL.
ABESTO. ET.
IVRISCONSVLT. HEINS.

Mira jactantia de homine, qui etiam supra Philosophos de negotio dejiciebat cap. 56. quasi ipsa naturae suae praestantia ad rectam morum & vitae rationem pervenerit. Plus Ennio adhuc sapere voluit Trimalchio, qui Neoptolemum inducit dicentem:

Philosophandum est paucis, nam omnino, haud placet.

Apud Ciceron. II. Tuscul. initio. Irridere etiam videtur stultos scilicet parentes, qui adolescentes prima aetate ad Philosophos audiendos mittebant, cum illo studio, quod nihil ad panem faciat, opes sibi parare nequeant, nec ad trecenties HS. pervenire possint. Et ita Satyricus simul traducit mores sui seculi, quod neglectis artibus liberalibus pecuniosiores artes juvenes discebant. Vide egregie Martial. lib. V. ep. 57. & IX. 75. Et huc saepe noster alludit, ut supra vidimus de Cicarone, & infra in Eumolpo Poëta. similis argumenti aliquot epigrammata sunt in Anthologia lib. I. cap. 17. BURM.

VALE ET TU] Forte, *Vale tu & vade*. Vetus inscriptio apud Gruterum pag. CCCXIX.

VALETE. ABITE. IN. REM. VESTRAM.

GOES. Frequens in monumentis illa formula, *have*, *vale*, *salve*. Gruter. DCCIX. 4. HAVE. ET. TU. QUISQUIS. ES. VALE. Vide Reines. ad Class. VI. inscr. 117. qui tamen clausulam VALE ET TU non censet Claudianorum esse temporum. Sed fuerit non usurpata in seriis titulis, quid vetat ex ridiculi hominis persona fingi à Petronio? ET. TU. aliis verbis quam VALE subjici solere, docent inscriptiones duae apud Fabrett. pag. 681. quem vide. BURM.

Cum sciamus nos morituros esse, quare non vivamus?] Vibius Gallus Rhetor apud Sen. Contr. 14. *Convivae certe tui dicunt: Bibamus: moriendum est.* REINES.

Quare non vivamus] Petronius cap. XXXIV.

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus,
Ergo vivamus, dum licet esse bene. SCHEFF.

Ammianus Marcellinus lib. XVI. *Vivamus, pereundum est.* Senec. Controv. XIV. *Convivae certe tui dicunt; vivamus: moriendum est.* Quae castigatio Lipsiana multum hoc Petronii confirmatur. Plura ad eam rem Andr. Schottus. Noster supra cap. 34. Adde illud è Copa:

Mors aurem vellens, vivite, ait, venio. HEINS.

Sic vos felices videam] Supra cap. 61. *sic me felicem videas.*

Conjiciamus] Petron. cap. IX. *in eundem locum me conjeci.* SCHEFFER.

In Balneum] Est contra morem Romanorum hoc, qui loti coenitarunt: supra cap. XXVIII. Sed memi-

„quam furnus. [a]Vero, vero, inquit Habinnas, de una die duas facere „nihil malo: [b] nudisque consurrexit pedibus, & Trimalchionem gau„dentem subsequi. Ego respiciens ad Ascylton: Quid cogitas? inquam; „ego enim, si videro balneum, statim exspirabo. Assentemur, [c]ait ille, „&, dum illi balneum petunt, nos in turba exeamus. [d] Cum haec pla„cuissent, ducente per porticum Gitone, ad januam venimus: ubi canis „catenarius tanto nos tumultu excepit, ut Ascyltos etiam in piscinam „ceciderit: nec non ego quoque ebrius, qui etiam pictum timueram „canem, dum natanti opem fero, in eumdem gurgitem tractus sum. Ser„vavit nos tamen atriensis, qui, interventu suo, & canem placavit, & „nos trementes extraxit in siccum. Et Giton quidem jam dudum se

[a] HABINNAS. [b] ENCOLPIUS. [c] ASCYLTOS. [d] ENCOLPIUS. „ratione

nerimus, à Petronio hic describi hominem ἐξάνθραπον, πυράνομον, ἀντίνομον, αὐθάδη, ἄμικτον, & prorsus sui sensus. REINES. Distingue: *conjiciamus nos in balneum meo periculo, non poenitebit.* HEINS.

Calet, tamquam furnus] Pro more temporum istorum. Seneca ep. LXXXVI. ubi de balneis: *Nam hoc quoque nobilissimi ædiles fungebantur officio, exigendi munditias & utilem ac salubrem temperaturam: non hanc, quæ nuper inventa est, similis incendio; adeo quidem, ut convictum in aliquo flagitio servum vivum lavari oporteat. Nihil videtur mihi jam interesse, ardeat balneum, an caleat.* Ad quem balnei calorem immodicum referenda quæ mox subjiciuntur: *Quid cogitas? inquam. Ego enim, si videro balneum, statim exspirabo.* HEINS.

Vero] Scio, apud Ciceronem, in de L. L. & Terent. Adelph. III. sc. 2. illud *vero* poni etiam ab initio periodi; sed hic vel repetitio demonstrat, esse legendum, *vere, vere.* Respondetque hoc superiori, *non pœnitebit.* SCHEFFER. *Vero*, hic est vere. Gellius: *Verone, an falsò, incertum.* & refertur ad præcedens, *quare non vivamus?* hoc sensu: *Vere, vere: cum sciamus nos morituros, quare non vivamus?* ego certe meo loco *nihil malo*, quam tecum, ô Trimalchio! *de una die duos facere.* HADRIANID. Frustra lectionem hanc defendit Hadrianides, neque locus Gellii huc quidquam facit. Puto autem cuncta sic legenda: *Vere, vere, inquit Habinnas, ac de una die duas facere. Nihil malo.* Dixerat Trimalchio, *non pœnitebit.* Respondet Habinnas, *vere, vere*, non pœnitebit, quod tu dicis scilicet, conjicere se in balneum, atque ita simul *de una die duas facere.* Nec est quidquam, quod ego malim facere. SCHEFFER. Pro, ita vero, sic faciamus. Elegans hæc repetitio & Petroniani moris. Supra, *cave, cave canem:* & *babæ, babæ. modo, modo, cum illo videor loqui. Ita, ita, inquit Quartilla.* HEINS. Nihil muta, neque pro *vere* capias. Sed incepisse sæpe periodos ab hac particula veteres, imo ipsum Ciceronem, docuit Giphanius appendice observat. pag. 285. ut Heinsium olim Munckerus per literas monuit.

De una die duas facere nihil malo] *Duos* in plurali dicerent bonæ Latinitatis scriptores. Sed hoc archaïcum. Deinde hæc perplexe dicta, pro *nihil malo, quam de una die duos facere.* HEINS. Possis & legere, *de una die duos facere mihi malo.* GOES.

Nihil malo] Suspicio est, scripsisse nostrum, *nihil metuo*, id est, non metuo, non adversum mihi est. Sic Terentius, *nihil audio ipsum.* SCHEFFER.

Gaudentem subsequi] Puto recte se habere, poniique pro *subsequi cœpit*, vel *subsequebatur*, notissima narrantium figura. SCHEFFER. Lege *gradientem*, gradus moventem ad balneas. REINES. Nimirum, quia tam obsequentes convivas haberet, qui bis in die lavari vellent, & ita duos dies facere. Illud autem gaudium Trimalchio ipso incessu ostendebat & alacritate. Ita Virg. I. Æn. 690.

——— *Gressû gaudens incedit Juli.*

Ubi MSS. Sprotii codex, quem contulit Heinsius, vitiose habet *Gradiens*, quod hic quoque Reinesius vult substitui, illud autem *subsequi* hic nude positum in Encolpii oratione non concoquo, sed desiderari culpa librarii τὸ *cœpit* puto.

Nos in Turba] An *è Turba?* Quamquam est quoque cur non improbem illam scriptionem. TILEBOM. Eleganter & Latine, *turba*, pro confluxu populi, de quo loquendi modo nos ad Nasonem artis amatoriæ III. 417. Remedii vers. 581. HEINS. Ovid. I. Art. vers. 605.

Insere te turbæ. ———

Et I. Amor. IV.

In medium turbæ fac memor agmen eas.

Mox capite sequenti *sine turba lavari*; & passim.

Canis catenarius] Supra cap. XXIX. *canis ingens catena vinctus.* Seneca de Ira lib. III. cap. XXXVII. Janitorem difficilem & morosum *canem catenarium* vocat. Janitores enim, æque ac canes, catenati in limine domini excubare soliti. Vide Brodæum Miscell. III. cap. III. HEINS.

Ser-

„ratione acutissima redemerat à cane ; quidquid enim à nobis acceperat „de coena, latranti sparserat, at ille avocatus cibo furorem suppresserat. „Caeterum, cum algentes utique petissemus ab atriense, ut nos extra ja„nuam emitteret: [a] Erras, inquit, si putas te exire hac posse, qua ve„nisti. Nemo umquam convivarum per eamdem januam emissus est. alia „intrant, alia exeunt.

LXXIII. „[b] Quid faciamus: homines miserrimi, & novi generis „labyrintho inclusi, quibus lavari jam coeperat votum esse. Ultro ergo „rogavimus, ut nos ad balneum duceret, projectisque vestimentis, quae „Giton in aditu siccare coepit, balneum intravimus, angustum scilicet, „& cisternae frigidariae simile, in qua Trimalchio rectus stabat; ac ne „sic quidem putidissimam ei actionem licuit effugere: nam nihil melius „esse

a ATRIENSIS. b ENCOLPIUS.

Servatione acutissima] Puto hic, *se ratione acutissima*, scribendum esse. Sane *se* requirit sequens *redemerat*, quod cum altero vocabulo male junctum peperit praesentem lectionem. SCHEFFER. Scribe, *se ratione acutissima*. Et ita Schefferus. HEINS. Sed quodnam hic acumen? quis enim nescit canes ossa placare? Scripsit forte Petronius, *ratione accuratissima*, vel, *se ratione ac via tutissima*. GOES.

A nobis acceperat] Moris enim erat veteribus, cum ad convivium irent, servum (cujus officium hic tuebatur Giton. v. sup. cap. 26.) aliquem secum adducere, qui hero adstabat, & illi apophoreta, & edullia quaedam, retro dabant domum portanda. Vide Casaubonum ad Theophr. περὶ ἀπαιδευσίας, & Salmasium ad Vopisc. Carin. cap. XIX.

Latranti sparserat] Cani objecerat. Horatius III. Carm. 15. *Desine*

Stellis nebulam spargere candidis.

De *latrante* diximus ad Phaedrum nostrum. SCHEFF.

At ille] Rectius, *ita ille*. HEINS.

Evocatus cibo] Invitatus, allectus. Ita Silius lib. VII. vers. 501.

Evocat e liquidis piscem penetralibus esca.

SCHEFFER. Lege *revocatus* à furore, avocatus à latratu, demulsus offarum jactu. REINES. Traguriensis codicis scriptura est *avocatus*. Quam cur Patavini mutaverint nescio, *avocatur* enim canis à rabie & furore objecta offa, non vero *evocatur*. De ipso artificio vide notas virorum doctorum ad Phaedr. lib. I. fab. 23.

Nemo convivarum per eamdem januam emissus est: alia intrant, alia exeunt.] Veteribus Sapientibus est traditum, *Portam ingredi nefas, qua exieris*; apud Coel. lib. I. Ant. cap. 7. alio vero sensu. Neque in balneo licebat exire, qua ingressi fuissent. Luc. in Hippia Λοῦσαμένῳ ἔστί σοι μὴ τὴν διὰ αὐτῶν ἰόντι ἔξοδον ἐπανιέναι. REINES.

Quid faciamus] Vide supra cap. 14.

Coeperat notum esse] Credo quia in piscinam ceciderant. Sed non dissimulabo, videri legendum, *votum esse*, propter algorem nempe, ut se balneo calfacerent. SCHEFFER. Recte conjecit Schefferus *votum*, ita enim exhibet Traguriensis codex, quod male mutarunt Patavini.

Balneum intravimus angustum scilicet, & cisternae frigidariae simile, in qua Trimalchio rectus stabat] Scribe *in qua Trimalchio nec rectus*, vel *vix rectus, stabat*. Salse. Adeo angustum erat balneum, ut ne Trimalchio quidem, utcumque senio jam incurvus, & parvus cetera staturae, rectus consisteret, nedum ut aliis locus esset. *Rectus* pro *erectus*. Apud Martialem lib. II. Epigr. 53.

Liber eris, coenare foris si, Maxime, noles,
Si tua non rectus tecta subire potes.

Tale illud Nasonis in Fastis lib. I. vers. 201.

Juppiter angusta vix totus stabat in Aede.

Caeterum hac tempestate inter argumenta luxus Romani, balnea late diffusa & splendide aedificata, ut mirari possis, hoc balneum caetero Trimalchionis splendori non respondisse. Seneca ep. LXXXVI. ubi de villa Scipionis Liternensi: *Vidi villam structam lapide quadrato, cisternam aedificiis ac viridibus subjunctam, quae sufficere in usum vel exercitus posset, balneolum angustum, tenebricosum ex consuetudine antiqua. Non videbatur majoribus nostris caldum, nisi obscurum.* De balneis obscuris salse Martialis lib. II. ep. 14.

Nec Fortunati spernis, nec balnea Fausti,
Nec Grylli tenebras, Aoliamque Lupi.

Ubi vides, comtemni balnea obscura, & cum antro Aolio conferri. HEINS.

Rectus] Ovid. lib. III. Met. vers. 78.

——— *Interdum longa trabe rectior exit.*

Ita *recto se tollere trunco* lib. II. Metam. vers. 822. & *recto adsistere trunco* lib. VIII. Metam. vers. 640.

Ac ne sic quidem putidissimam ei actionem licuit effugere.] Sensus poscit, ut deleamus negativam, & legamus:

„ esse dicebat, quam sine turba lavari. & eo loco ipso aliquando pistri-
„ num fuisse. Deinde, ut lassatus consedit, invitatus balnei sono diduxit
„ usque

mus: *ac sic quidem putidissimam ei actionem licuit effingere:* nimirum quod nudus in turba staret & lavaret. Habebatur hoc autem inter Romanos flagitium, Cic. 9. ep. 22. ad Pætum. REINES. Locus sane obscurus; quem tamen distinctione juvi, cætera sine mutatione sic capiam: *Trimalchio rectus*, nimirum nudus, *stabat*, ac *ne sic quidem* insuper (vel juxta, æque, &c.) *putidam ei actionem licuit effugere*, id est, evitare. *Actionem* hic licet generalissime accipiamus, prout etiam verba complectitur, ut in *gratiarum actio*. Cic. pro Planco: *Quamquam à te nullam gratiarum actionem exspectabam*. & ipsum *agere*, est gerere. HADRIANID. Reinesius delendum putat *ne*, postea scribendum *effingere*. Nam, inquit, nudus in turba lavabat, quod flagitium apud Romanos habebatur. An nudus laverit, an id flagitium fuerit habitum, etsi dubitari queat, nunc non inquiro: illud nostrum voluisse, quod censet Reinesius, non persuadeor. Et ostendunt satis sequentia, quam actionem intelligat, sermonem scilicet ineptissimum, subdit enim, *nam nihil melius esse dicebat*. Quare omnia sunt sana. Ne sic quidem, ait, ei Trimalchioni licuit effugere (evitare, cavere, omittendo scilicet) impudentissimam actionem. SCHEFF. Ni fallor: *putidissimam ejus jactationem licuit effugere*. HEINS. Probo utraque manu Heinsii conjecturam: in vulgatis enim nullus sensus mihi videtur. Et, quæ hic de nuditate fingit sibi Reinesius, gratis dicuntur. Cum Petronius nudum eum lavasse non narret, neque vox, *putidissimam*, ad turpitudinem nudi hominis referri potest, ut fecit bonus ille Gallus Reinesii verba exscribens, & de suo augens Petronium voce *nobis;* cum *putidi* proprie homines sint, qui inepti, & nimia diligentia in sermone auribus graves & molesti sunt. Cicer. lib. VII. ad fam. Ep. 5. *Simus enim putidiusculi, quam per te vix licet*. Ubi v. Manutii notas. & Gronov. Observat. in script. ecclesiast. cap. XIX. & ita capiendus jocus Martialis lib. IV. ep. 20.

Dicit se vetulam, cum sit Cærelia puppa,
Puppam se dicit Gellia, cum sit anus.
Ferre nec hanc possis, possis, Colme, nec illam,
Altera ridicula est, altera putidula.

Vide supra cap. 54. putida ergo erat jactantia, se libenter sine turba lavari, & ideo balneum hoc angustius (nam diversum erat ab alio, cujus mentio supra cap. 28. facta) sibi in privatum usum exstruxisse, cum admitterentur, imo cogerentur fere, omnes convivæ in balneum ex triclinio venire. *effugere* vero mutandum minime est, nec de Trimalchione, pro *cavere omittendo*, sed de Encolpio & ejus comite capiendum, quibus molesta jam dudum fuerant jactabundi liberti putidissima verba, & exitum quærebant. Mart. lib. XI. ep. 99.

Effugere non est, Basse, basiatores.

Et XII. 84.

Effugere in thermis, & circa balnea, non est
Menogenen, omni tu licet arte velis.

Ovid. II. Art. Am. 531.

Effugere hunc non est. BURM.

Nihil melius esse dicebat, quam sine turba lavari.] Sensus postulat etiam hic, ipsaque ratio fabulæ, ut legamus, *in turba;* vocaverat enim convivas suos ad balneum, habebatque inde συναστρώτας plures. REINES. Reinesius vult, *in turba*, quia convivas evocaverat in balneum, quorum numerus fuit non exiguus. Imo propter hoc ipsum *sine turba* rectum est. Hæc enim una de putidissimis istis actionibus, quod, cum esset maxime in turba, diceret se sine turba esse. SCHEFF.

Eo loco ipso] Mallet Nob. Heinsius, *ipsi*. SCHEFF. MS. Dalmaticum, *ipso*, quod probo. Debet enim intelligi cum emphasi, in illo ipso loco, ubi lavabat, fuisse pistrinum olim. Et hæc una de putidissimis actionibus, quod pistrini faceret mentionem, qui ipse paulo ante servus loquebatur cum iis, qui similiter ante servierant, quorum supplicium solenne pistrinum fuit. IDEM. Lege, *eo ipso loco*, vel, *eo loco ipsi*. HEINS.

Invitatus balnei sono] Angusti videlicet, ut præcessit. Nam, teste Horatio lib. I. Satyr. IV. vers. 76.

Suave locus voci resonat conclusus. HEINS.

Diduxit (in balneo) *usque ad cameram os ebrium, & cæpit Menecratis cantica lacerare*] Camaram supra cap. XL. dixit pro tecto, laqueari, seu tabulato supero triclinii; hic oris pars superior θολωτὴ, convexa, seu fornicata, intelligenda est, quam Græci Οὐρανὸν, Poll. lib. 2. & ὑπερῷον, Latini *palatum* vocant. Cæterum inter characteres rustici habet Theophrastus cap. 5. τὸ ἐν βαλανείῳ ἆσαι. Vidimus nos, qui sub novacula, modo caneret, modo sibilaret, asso scilicet ore; erat autem quinquaginta annorum puer. De Menecrate Citharœdo, caro Neroni Aug. Suet. vit. Ner. c. 30. nihil curandum est; Mæcenatis, qui mollitiem vestitu, incessu, victu cæteriisque, etiam in stylum admiserat, carmina intelligenda sunt, quorum aliquot libros conscripsisse ferunt, qui fragmenta ejus cum solutæ tum ligatæ orationis collegerunt; exstant multa apud Senecam, qui in hominem ambiguus est: ep. 19. 101. 114. 120. Bene. *Mæcenatis cantica blateravit ἀπόνως*, & interfecti pudoris nebulo, qui Mæcenatianum se quoque præscripsit in tabula, quæ suprema ejus contineret, cap. LXXI. cum tamen Mæcenati literatorum fautori esset dissimillimus. REINES. Nota habitum, elata, & contenta voce, supinoque vultu, cantantis. *Diducere os*, habes apud Senecam quoque de clementia lib. II. cap. VI. ubi oscitantem describit. HEINS.

Ment-

„usque ad camaram os ebrium, & coepit Menecratis cantica lacerare, „sicut illi dicebant, qui linguam ejus intelligebant. Caeteri convivae „circa labrum manibus nexis currebant, & gingilipho ingenti clamore „exsonabant: alii autem, aut restrictis manibus anulos de pavimento „conabantur tollere, aut posito genu cervices post terga flectere, & pe„dum extremos pollices tangere. Nos, dum alii sibi ludos faciunt, in „solio, quod Trimalchioni periiapatur, descendimus. Ergo, ebrietate „discussa

Menecratis] Poëta Comicus. Suidas. HADRIANID. Opinor, *Mæcenatis cantica.* Nam & Mæcenas cantica conscripsit, ut jam supra dictum. Cæterum, qui lavabantur in balneis, ut intentione vocis sudorem provocarent, aut canebant, aut clamores ciebant. Quod inter balnearis exercitii genera. Unde maximi interdum in balneis strepitus. Vide querelam hac de re Senecæ epist. 15. & 56. Mercurial. de arte Gymnast. lib. III. cap. VII. HEINS.

Lacerare] Ut *traducere* supra cap. XLI. *acidissima voce domini sui poëmata traduxit.* HEINS.

Et gingilipho] Suspicor, *gingilismo* scribi oportere. Hesych. γιγγίλισμος, γαργαλισμὸς ἀπὸ χειρῶν, γέλως. SCHEFFER. Gingiliphus iste qui sit, quæritur, nec indagatur à viris eruditis. Vide ne exciderit syllaba, ut frequenter alias in hoc libello, ac proinde restituendum sit, *& singuli sophos ingenti clamore exsonabant.* Sic & supra cap. XL. convivæ *sophos* Trimalchioni acclamant, ubi illi assentantur ac plaudunt, pro more sæculi illius. Appositè Martialis lib. VI. ep. XLVIII.

Quod tam grande sophos clamat tibi turba togata,
Non tu, Pomponi, cœna diserta tua est.

Hinc dicti σοφοκλεῖς ab hac acclamatione, & *Laudicæni* apud Plinium epistola XIII. lib. II. ut vir summus Joh. Gerardus Vossius arbitratur, de constructione operis Grammatici cap. ultimo, à *laude dicendi.* Sed, quod verius videtur, *Laudicæni*, qui parasiticis artibus instructi omnia Laudando atque assentando ad cœnas magnatum ea arte subreperent. *Laudicæni* sive *Laodicæni*, nam utrumque Latine dictum, qui inter cœnandum Regis sui dicta ac facta laudibus extollerent. Atque inde transiit ad plausores quoscumque, quales Poëtæ & Rhetores ad plausum redimebant. *Cenam* autem sine diphthongo ut plurimum in antiquis lapidibus scribi monuit Aldus Manutius Orthographia. Quamquam Aldini Plinii editione *Laudicoeni* exhibentur. *Laudicoeni*, quomodo in eruditissimo Glossario veteri *Cupidicoenus*, τριχίδιπνος. Sic scribendum, non *Cupidicenus.* HEINS.

Tollere] Malim, *vellere.* Nam annuli isti ferrei, pavimento affixi, non tollebantur. Sed erat hoc inter exercitii genera. HEINS.

Posito genu] Sic Latinissimi scriptores. dixi ad Claudianum de VI. Consul. Honorii vers. 71. HEINS. Quid hoc? posito genu caput post terga reflectere, & extremos pedum pollices conari tangere, illudne est notatu dignum? Quis enim id non faciat, quod hic à convivarum nonnullis tentatum refert? Aliud ergo scripsit, quam quod nunc habemus, auctor noster. Quid ergo illud? Hoc nempe, quosdam convivarum conatos esse, *genu posito, cervices post terga flectere, & pedum extremos pollices capite tangere.* Et hoc est, quod à pluribus tentari potest, quam perfici. Nos tamen, quod mirandum magis, vidimus. Hominem nimirum, qui humi orbe posito, cujus diameter pedem vix æquabat, extremos calces extremæ ejus peripheriæ stans imponebat, & dein, cervicibus post terga reflexis, usque ad terram caput demittebat, eoque adducebat, ut eandem orbis peripheriam parte calcibus oppositа tangeret. GOES.

Sibi ludos faciunt] Versus vetus apud Varronem, citante Nonio in *cernuus.* *Sibi pastores ludos faciunt cernui.* SCHEFFER. Terent. Phorm. Act. V. scen. 7. *Ut ludos facit.*

In solo, quod Trimalcioni periiapatur] Videtur corrigendum: *in solio, quod Trimalcioni per duos aptatur, descendimus.* Illud, *in solio descendimus*, simile est *in balneo sequi*, quod cap. XXVI. habuimus. *Per duos* autem censeo, quia post *per* in voce *periiaptatur* sequuntur duo *i*, quæ puto esse numeralia. *Solium aptatur*, ut *convivium aptatur* apud Pomponium Nonio teste. *Naves aptantur* apud Sueton. Tib. 94. SCHEFF. Vera scriptura, *pyriabatur*, id est, calefiebat, accendebatur pro Trimalcione. Πυριᾶν & πυριάζειν ἀπὸ πυρὸς Græci dixere pro eo, quod Latini fovere, fomentare, calorem exterius inducere. Πυρόειν suffire, suffocare. Πυρία & πυρίασις fomentum, sive siccum, sive humidum, una θεραπειῶν medicarum & multi usus. Vetus & bonum istud Græcum Latino-Barbari suum fecerunt, dixeruntque sumta licentia *pyriare:* Sylvat. Pand. cap. 578. *Pyriare, fomentare, evaporare,* (in Edit. *pyriasé* forte è πυριάσαι) *Pyriasis, fomentatio, evaporatio.* Vocarunt etiam *stuffam*, cum membra suffumigantur, vel fumum & calorem per embolum excipiunt: est apud Guain. tr. de ægr. matr. cap. 5. 17. 22. & lib. de baln. cap. 4. indeque verbum *stufare*, id est, vaporare. Gilbertus Pract. P. 7. de hydr. matr. *Stuphetur cum decocto diversarum herbarum:* quod Græcis θυμιᾶν & ὑποθυμιᾶν. Per *solum* autem, vel *solium*, quod pyriabatur Trimalcioni, intelligenda est cella

„ discussa, in aliud triclinium deducti sumus, ubi Fortunata disposuerat „ lauticias suas; ita ut supra lucernas, aeneolosque piscatores notaverim: & „ men-

sudationis assæ, in quam loti se conferebant, ut vaporis calidi adpulsu corpora exsuctis humoribus otiosis deplerentur, & ad convenientem siccitatis temperiem redirent; eadem *vaporarium*, *æstuarium*; veteribus, Celso & Vitruvio, *Laconicum*, etiam *caldarium*; Luciano in Hippia, ubi de partibus balnearum, ἡλίωμα θερμὸν ἔκκαυμα. REINES. Legit Reinesius, *pyriabatur*, exponitque, calefiebat. Verum, solia in balneis seorsum calefieri, à nobis hactenus non est observatum. Deinde loquitur persona ea, cujus verba proba, Latina, & elegantia, per hanc cœnam totam, ut ei tale vocabulum minime possit convenire SCHEFFER. *Solium* est, vel thronus, vel vas balneare; de utroque inferius, priore quidem significatu hic in Fragm. de posteriore cap. XCII. ad verba, *circa solium sedentibus*. Possis in utravis accipere significatione, propendeo tamen ad priorem. *Descendimus in solio*, id est, in loco, hoc est, locum, qui solium continebat, ut Virgil. *vina coronant*, id est, crateres: metonymia contenti pro continente. HADRIANID. Lege, *In solio, quod Trimalchioni præparabatur*. Nisi mavis, *temperabatur*. Nam Plinius lib. XXVI. *Temperare solia humano sanguine*. De soliis balneariis & in ea descensu copiose Joh. Rhodius ad Scribonium Largum. *Cella solaris*, pro *solio*, Capitolino in Caracalla. HEINS. Vitiosa certe hæc lectio, cum vero solium unctioni & perfrictioni inservierit, forte legi posset *in solio, quo Trimalchio perfricabatur*, quamvis nihil definiam. *In solio*, dixit pro *in solium*, ut sæpe solent etiam optimi scriptores, & ad hunc auctorem sæpe est jam antea adnotatum. *In solium descendere* ter quaterque Celsus dixit lib. I. cap. 3. BURM.

Ergo Ebrietate] Num scribendum. *Ex eo Ebrietate*, ut respiciatur solium, de quo præcessit. SCHEFF. Hiant ista, quia desunt quæ in pyriaterio, in quod descenderant, contigerint, & quomodo exierint. Ea vero ipsa quoque supplere debuit ille, qui integrum cum suis fabulis, ludis, & lavationibus, convivium nobis dare posse existimavit, & Petroniano texto suos subinde pannos, non quidem vetustate commendabiles illos, sed novitate barbara solum spectabiles, adsuit. REINES. Fallitur subinde, quod pace venerandi senis dixerim, ut vel ex præcedente Nota liquet. HADRIANID.

Æneolosque piscatores] Quid hic faciunt piscatores? num & illi inter lautitias muliebres? Fateor, me hæc non expedire. SCHEFFER. Quid *piscatores* faciant inter utensilia muliebria, reposita in cubiculo, nemo facile dixerit. Legendum putabam *nascatores*. Medici Latini ex Italicismo *nascalia*, *nastalia*, vocant Sylvat. Pand. cap. 562. Guilb. Varign. lib. 16. cap. 4. Anton. Guainer. tr. de ægrit. matr. cap. 13. 17. 34. quæ Hippocrates προσθετὰ, suppositoria, subditicia, Dioscor. lib. I. cap. 25. προσθέματα τὰ πρὸς τὴν μήτραν, Paulus κάθετα, alii πεσσοὶ, *pessos*, *pessaria*. Sunt autem pessi in coni seu cunei formam è speciebus medicamentosis coactis effigiati, teretes, certæ longitudinis & crassitiei magdaleones, qui serico, petiave linea, obducti loculis mulierum utero laborantium intruduntur; differunt autem pro ratione morbi, ut sint alii emollientes, alii adstringentes, alii aperientes, Paulus lib. 3. cap. 62. alii abstergentes, alii anodyni, V. Nicol. Alex. antidotar. sect. 83. Etiam πεσσὸν φθόριον, qui fœtum corrumpere & abortum accersere potest, nominat Hippocrates ἐν Ὅρκῳ. Eos à similitudine & usu duciculorum, seu duccillorum, qui cunei sunt lignei, æneive, doliorum foraminibus obdi soliti, οἱ κοιλοκλεῖστις adpellant *Mutter Zapffen*. Pudeat efferre clarius, cui fini inter scruta & mundum scilicet suum habuerit Hippia ἀνδρομανὴς & pruriens ejusmodi pessulos; nefanda nequissimarum τριβάδων chirurgia è spurcalibus Gentilium nota est Eruditis. Superest tamen de isto loco aliud quoque suspicari, sed tendens eodem; fortassis τὸ *piscatores* è Græco *priapiscotos* corrupisse descriptorem. Inter μοτὸν, linamentorum, tentarum, seu turundarum, quæ vulnerum ulcerumque cavis induntur à Chirurgis, species est etiam μοτὸς ὁ πριαπισκωτὸς Galeno in Isagog cap. ult. id est, in formam fascini virilis fastigiatus, & inde τὸ *æneolos*, subintellecto substantivo, referetur ad materiam, τὸ *priapiscotos* formam indicabit; tale quid fuit id, quod Fortunata inter lautitias suas habuisse hoc loco dicitur, id est, *æneoli priapisci*. Et hoc probabilius est priore illo de *nascatoribus*, quod non esset Petronianum, quippe seculis natum proximis; *priapiscotum* autem vetus & Petronio, summo Græcanicæ doctrinæ cupitore & felicissimo imitatore, dignum. REINES. *Lautitiæ* sunt mundities, aut magnificentia in vestitu, ac epulis. Festus, Vossius, alii. Notavit hic Encolpius *supra*, *lucernas*, *& æneolos piscatores*, *& vinum in conspectu sacco defluens*. Videtur igitur saccus, aut colum hoc, ceu canalis, protensus è lacu superne vinifluo, in quo *piscatores*. Tale quid supra cap. XXXVI. *quatuor Marsyas garum piperatum fundentes*, habuimus etiam in *circulo cupæ*, de quo apophoreta pendebant, lacunari, tamquam cœlo, demisso. Et noti sunt pensiles veterum horti, totæque fere Ægyptiæ Thebæ. HADRIANID. Frustra Hadrianides piscatores hos defendit exemplo Marsyarum. Frustra eos Reinesius vertit in *nascatores*. Lectio verissima est, *æneolosque epistatores*. Sunt autem epistatores, tripodes, Græcis ἐπιστάται. Scholia Aristophanis in Avibus: ἐπιστάτη, χαλκοῦς, τρίπους, κυτροποδῶν ἐκλιτῶν χρεία. SCHEFFER. Lego, *æneolos quoque piscatores*. Nam supra lucernas icun-

„ menſas totas argenteas, caliceſque circa fictiles inauratos, & vinum „ in conſpectu ſacco defluens. Tum Trimalchio: [a] Amici, inquit, ho- „ die ſervus meus barbatoriam facit, homo praefiſcini, frugi, & mica- „ rius

a TRIMALCHIO.

icunculos effictos fuiſſe notum eſt: velut Sileni, Bacchi, Jovis, Palladis, aliorumque, ut videre eſt apud Licetum de lucernis. Supra lucernas itaque Fortunatæ icunculi ita quoque fuere forma piſcatorum. GOES.

Et vinum in conſpectu] Ante verba hæc puto punctum collocandum, nec enim pertinent ad præcedentia, cum id vinum non fuerit inter lauticias Fortunatæ. Deinde mallem, *Sed & vinum*. SCHEFFER. Seneca ep. XXVI. *Modo dicebam tibi, in conſpectu eſſe me ſenectutis: jam vereor, ne ſenectutem poſt me relinquerim*. Sic *in proſpectu*, ſupra cap. LXVI. *In proſpectu habuimus urſinæ fruſtum*. HEINS. Supra cap. XXVIII. *jatralipta in conſpectu ejus ſalernum bibebant*, infra cap. CXI. *nudatum pectus in conſpectu frequentiæ plangere*. & alibi. Terentius Phorm. Act. II. ſc. IV. *neque mihi in conſpectum prodit*, ubi *in conſpectu* Palatinum codicem habere teſtatur Paræus. Frontin. I. cap. XII. §. 10. *lapidibus in conſpectu omnium colliſis*, ubi contrario modo MSS. habent *in conſpectum*. Virg. lib. II. Æneid. verſ. 21.

Eſt in conſpectu Tenedos.

Ita *è conſpectu* pro, à longe, procul, ita tamen, ut conſpici poſſit, interpretatur Salmaſius ad Spart. Hadrian. cap. 21. *ſervum ſuum inter duos ſenatores è conſpectu ambulare vidit.*

Ex ſacco] Hoc vocabant *diffundere vina*, & *liquare*. vid. Commentatores ad Horat. lib. I. od. XI. & ad lib. I. Epiſt. V. verſ. 4. & alios.

Servus meus Barbatoriam facit] In optimarum vocum cenſum *Barbatoriæ* dictionem reponunt Gloſſæ veteres bonæ notæ, quam aliubi præterea fruſtra quæſieris. Hanc porro, declinante tandem cum Imperio Linguæ Romanæ proprietate, atque nitore, ſequioris Ævi ſcriptores *Barbitondio* expreſſerunt. Porro *barbatoriam facere* idem ſonat, ac *barbam facere*. Ita Plautus *unguentariam*, ita Tullius *naviculariam facere*, pro unguenta & naves facere, dixerunt. Barbatoriam exercendi ſeu faciendi munus ſervi tantum implebant apud Romanos. Ut enim apud eos perſonæ ſplendidæ utebantur ſervis ad omne genus officii, Pignorio & T. Popma referentibus ex profeſſo, ſic etiam ad barbam, ex quo Mena venit in urbem, anno CCCCLIIII. Urbis conditæ, velut in fine lib. 3. R. R. Varro auctor eſt. Nec debet vox iſta intelligi tantum de prima barbæ raſura; quæ fiebat quidem ritu exquiſitiore; ſed & de cæteris, quas, quoties luberet (lubebat autem ſæpiſſime) inſtituebant: præcipue vero, cum apud ſuos hoſpitari, aut cum illis aliisve recumbere, convivari atque gaudere, volebant. TILEBOM. Etiam hoc aliis explicandum relinquo. Puto tamen, *barbatoriam* ſcribendum. Gloſſæ Philoxeni *Barbatoriæ*, πωγονοκειρία. Intelligo hoc autem, de ſolenni barbæ raſura, cum primum ponitur, & conſecratur Deo, quod veroſimile eſt factum cum pompa & convivio. Imo docet aperte Juvenalis Sat. III. verſ. 186. Adde ibi interpretes, & quæ de ritu hoc notavit Hottomannus in de Barba cap. 6. SCHEFF. Videor idonee ſatis oſtendiſſe, quid ſit, *barbatoriam facere*. Tilebomenus putat, non de prima raſura, ſed omni, intelligendum, præcipue, cum recumbere cum aliis aut convivari vellent. Sed debebat locum hunc accomodaſſe interpretationi ſuæ, ac oſtendiſſe, quomodo potuerit dicere de ea ſola die, quod fecerit barbatoriam, quomodo ob eam rem convivas provocaverit ad hilaritatem. IDEM. Ut exquiſitum in modum eruditus Johannes Schefferus hunc locum illuſtravit de convivio ſolemni, quod parentes dabant, cum liberi barbam poſuiſſent, adducto eam in rem Gregorii Turonenſis loco, quem & nos unice huc facientem ex adverſariis. Ludovici de la Cerda diu eſt quod annotavimus, cap. CLXXXVIII. 17. pag. 468. At Trimalchio indulgentiam ſuam prorſus ridiculam hic jactat, apud quem ſervi etiam barbatoriam facerent. Turonenſis tamen locus mendoſum tinnit. Nam pro, *barbatorias in eo celebraverit*, videtur ſcribendum, *indecore celebraverit*. Cæterum falluntur, qui *barbatoriam* Latine dici negant. Exſtat enim id Vocabulum in Gloſſis Stephani & Labbæi antiquis non ſemel. *Barbatoria*, πωγονοκειρεῖα, πωγονοκειριά. Rurſus πωγονοκουρία, *barbatoria*, πωγονοκουρεῖα, *barbatoria*. Nero, Dione teſte, ludos Juvenalium nomine inſtituit, cum barbam primam raſiſſet. Videndus Lipſius Excurſibus ad Taciti Annal. XIV. littera B. Apud Lamprid. Heliogabalo, *barbam novacula facere*. Ubi Salmaſius perperam *barbatoriam* in Gloſſis antiquis interpretatur officinam tonſorum. Sed de *barbatoria*, quantum video, copioſe egit vir ſummus Hadrianus Valeſius ad Panegyricum Berengarii. HEINS. Neſcio ubi Scheffer. Gregorii Turonenſis locum Heinſio monſtraverit, certe in ejus notis non apparet, eſt vero ex lib. X. cap. 16. Spelmannus quoque in Gloſſario citat, & explicat artem tonſoriam, vel capilli barbæ cultum. An vero hic recte explicuerint viri ſummi *barbatoriam facere*, judicent eruditiores, mihi nondum conſtat. Cæterum, barbam poſuiſſe juvenes anno ætatis ſecundo & vigeſimo inchoato, cum ter ſeptenarium numerum impleviſſent, exiſtimat doctiſſimus Pagius in Criticis in Baronii Annales ad Annum Chriſti LVI.

Et micarius] Suſpicor ſcribendum, *& mi carus*. *Mi* pro *mihi*. SCHEFFER. Lego, *amicarius*, & interpre-

„rius. Itaque tangomenas faciamus, & usque in lucem coenemus.

LXXIV. „[a] Haec dicente eo, gallus gallinaceus cantavit, qua voce „confusus Trimalchio vinum sub mensa jussit effundi, lucernamque „& mero spargi; immo anulum trajecit in dexteram manum, &, [b] Non

a ENCOLPIUS. b TRIMALCHIO. „sine

terpretor προαγωγὸν, προαγωγίκα, cui studium & artificium est, amicas amatoribus conciliare, & vetitarum conventionum internuncium agere: ille ipse scilicet quem cap. LXIX. *agagam* vocavit, id est, lenocinatorem, lenatorem. Exercebant enim lenoniam præ reliquis servi, & lenones ipsi, quid aliud, quam fex servilis? testis vetus tam Græca, quam Latina, Comœdia. Diomedes lib. I. Gramm. ἑταιρηνοπάροχον, ἑταιρηνοπώλης, ἑταιραγωγὸς, *amicarius*: possis πορνοκάπηλον, πορνοτρίβην, πορνοκόπον, ut Menander, dicere. Verbo *Amicare*, pro placare, amicum reddere, utitur Papinius 3. Theb. vers. 470. M. Alanus Insul. in de planctu Nat. sæpissime; summæ de arte prædic. cap 28. *quos honestis sermonibus amicare debebas, veneno detractionis eis inimicare studes:* lib. 4. anti-Claud. cap. 8.

——— *Inimicum sidus amicat.*

Versificator Lexicus manuscr.

Cautus amicat eum, quem munere reddit amicum:
Si quis amicatur nobis, sit noster amicus.

Contrarium *Inimicare* legimus apud Horat. l. 4. carm. ult. Augustin. I. Confess. cap. 18. Sidon. lib. 5. ep. 19. P. Blesensem serm. 51. *qui fideli animæ inimicantur:* & M. Alanum l. d. frequenter, inprimis f. 319. a. Edit. Antv. *Ex oppositio, veritati Falsitas inimicans stabat attentior.* REINES. Reinesius vult *amicarius*, explicatque lenocinatorem. At hoc scire velim, quomodo consistat cum præcedenti *frugi?* Quomodo hoc sic ad laudem servi pertineat, ut dicendum sit præfiscini? SCHEFFER. Micarium esse, qui victum sibi pararet de micis è mensa herili projectis, jam supra monuimus, ut nullis conjecturis in loco sano sit opus. HEINS.

Tangomenas] Lege, *Tingomenas*, à tinguendo terram, seu pavimentum, mero, ut Horatiana pulsat canitque lyra. TILEBOM. Non refellam aliorum sententias super loco vexatissimo, quarum maxime probabilis illa Johannis Vorstii, viri doctissimi, qui censebat legendum, *tengomenos nos faciamus.* Faciamus nos madidos, sive ebrios. Suspicabar ego, tangi canticum, nescio quod, Græcum, cujus initium fuerit τίγω μήνας, hoc est, lunam madefacio, sive, totam noctem perpoto. Forte ex Anacreontis, aut alterius Poëtæ, lusibus depromtum. Unde τίγειν μήνας abierit in proverbium inter pergræcatores. Quod ex prava plebis pronunciatione abierit in *tangomenas.* Τίγω μήνας autem, ut in illo Alcæi cantico apud Gell. XVII. cap. XI. τίγω πνεύμονας ὕπνῳ. Unde Cl. Munckerus suspicabatur & hoc loco πνεύμονας esse restituendum. Hoc genus hominum noctem potando, diem stertendo, consumebat. De ipso nostro Petronio Tacitus: *Illi dies per somnum, nox officiis & oblectamentis vitæ, transigebatur.* Seneca ep. CXXII. *Inter alia, sunt qui officia lucis noctisque pervertunt, nec ante diducunt oculos, hesternæ graves crapula, quam appetere nox cœpit.* De qua re illic copiose, & alibi quoque is non semel. HEINS.

Gallus Gallinaceus] Cum jam ultra mediam noctem hoc convivium esset protractum, non potuit ex Galli cantu malum omen desumi, nisi à stulto Trimalchione ridicula superstitione ita explicaretur. Nam cantus hujus avis, nisi intempestivi & vespertini, sunt felicis augurii. Plin. lib. X cap. 21. *habent ostenta, & præpostera eorum vespertinique cantus. & spem, iter, vel opus inchoantis promovere cantus Galli* scribit Sarisberiensis lib. I. cap. 13. Potuisset & noster convivator in eo malum omen ponere, quod ad labores excitare soleat impigros homines hæc avis; ille vero, qui in lucem cœnare, imo de una die duas facere volebat, hac inauspicata interpellatione confundebatur. Nisi dicamus, quod magis placet, alludi ad morem, quo buccina convivium soleret dimitti, de quo Lipsius & alii ad Tacit. XV. Annal. cap. 30. hoc ergo abominabatur Trimalchio. BURM.

Sub mensa] Vide supra ad cap. 38. adnotata: quibus adde locum Eusebii Pamphili lib VII. de mandato domini p. 254. à Sirmondo editi: *Cum aliquis vocatus fuerit ad cœnam gentilium, & perrexerit, necdum enim hoc prohibitum est, vinum autem viderit à cœnante in terram effundi & libari, & accenso blasphemio ab his, qui ea, quæ sunt domini, ingrate manducant, cœperint blasphemare in Deum,* &c. In lucernas autem vinum ominis caussa infundere, ex Ovidio & aliis Poëtis est notissimum.

Annulum trajecit in dextram manum] Transtulit. Cornel Nep. vita Att. cap. 3. *Ac, ne illa peregrinatio detrimentum aliquod afferret rei familiari,* (Athenas) *magnam partem fortunarum trajecit.* SCHEFFER. Unde hanc ominis mali averruncationem didicerit Trimalchio, ignoro. Sed plebi fuisse persuasum, fingultus comprimi, *si anulum è sinistra in longissimum dextræ digitum transferant, aut in aquam ferventem manu immergant,* docet Plinius lib XXVIII. cap. 6. BURM.

Hic buccinus signum dedit] Adscribam, quod habet Barthius lib. XXXIX. Adversar. 6. ex Isidori libro MS. Differentiarum: *Mirum,* ait, *unde habeat, quod buccinum clangorem dicat.* Subdit deinde verba Isidori. *Buccina est tuba, qua signum datur in hostem, buccinus est ipse clangor.* Cogitent hic eruditi. Nam apud nostrum *buccinus* non est canor, verum cantor, sive is,

„ſine cauſſa, inquit, hic bucinus ſignum dedit; nam, aut incendium „oportet fiat, aut aliquis in vicinia animam abjiciet. Longe à nobis; „itaque, quiſquis hunc indicem attulerit, corollarium accipiet. [a] Dicto „citius de vicinia gallus adlatus eſt, quem Trimalchio juſſit, ut aeno „coctus fieret. Laceratus igitur ab illo doctiſſimo coco, qui paulo ante „aves piſceſque fecerat, in cacabum eſt conjectus; dumque Daedalus „potionem ferventiſſimam haurit, Fortunata mola buxea piper trivit. „Sumtis igitur matteis reſpiciens ad familiam Trimalchio: [b] Quid vos, „inquit, adhuc non coenaſtis? abite, ut alii veniant ad officium. [c] Su„biit igitur alia claſſis, & illi quidem exclamavere, [d] Vale Gai, hi au„tem,

[a] ENCOLPIUS. [b] TRIMALCHIO. [c] ENCOLPIUS. [d] FAMILIA.

is, qui canit. Sane, cum legatur *buccina*, & *buccinum*, uſurpeturque de re, non videtur repugnare *buccinus*, de perſona. Niſi plane putemus, ſcripſiſſe noſtrum, *hic buccinio ſignum dedit*, quod videtur rectius. SCHEFF. Proprie. *Signum dare* tibicines æneatoreſque dicebantur. Apud Naſonem lib. x. Metam. verſ. 652.

Signa tuba dederant, cum carcere pronus uterque
Emicat.

Buccinus pro *buccinatore* in Gloſſis Labbæi quoque occurrit, & *buccinum* pro *buccina* dixit Plinius Naturali Hiſt. non ſemel. Gallum gallinaceum vero non invenuſte *buccinum* vocat, quod illis æque ut buccinatoribus ſolenne eſt noctu cantare. Ter enim cantabant, quod in totidem partes nox apud Romanos divideretur. HEINS. Idem, quod Iſidorus, fere tradit Velius Longus de Orthographia pag. 2243. *Bucina erit tuba, qua ſignum dat buccinator: bucinus ipſe canor ex hac editus.*

Incendium oportet fiat] Plinius Nat. Hiſt. lib. XXVIII. cap. 11. *Incendia inter epulas nominata, aquis ſub menſis profuſis, abominamur.* Quod autem cæteri aquæ, id ille, pro ſolita ſibi profuſione, factitabat vino. GOES.

Oportet fiat] *Oportet* hic neceſſitatem ſignificat, jactat enim peritiam ſuam in augurando divinus noſter. Propert II. eleg. 7. verſ. 87.

Sed non effugies. Mecum moriaris, oportet.

ubi vide Paſſeratium.

Animam abjiciet] Seipſum ſpoliabit vita. Ita *vitam expellere* dixit Tacitus XVI. Ann. c. 19. SCHEFF. Non inepta hæc locutio; *expellere alicui animam* Ovidius lib. VI. Met. 617. *exuere animam* idem XIV. 777. dixit. Ita & *linquere animas* Virgilius III. Æneid. 140. quarum locutionum rationem reddit Servius, quod anima ſit perpetua, & tranſeat ad diverſa corpora, ſecundum Pythagoreos. Sed neſcio, cur non, ſalva eadem ſententia, anima nos relinquere dici poſſet, quæ corpus, quod ſolum eſt noſtrum, ut illi ajebant, deſtituit, & ideo nos relinquit, & in alia corpora tranſit: quare nimis acutum hic Grammaticum fuiſſe puto. Certe non dubitavit contraria locutione uti Cornelius Nepos Eumen. cap. IV. *Non prius diſtracti ſunt, quam alterum anima relinqueret.* Cæſar quoque lib. VI. de Bell. Gall. cap. 38. non quidem de morte, ſed de virium defectu, qui imago eſt mortis, dixit *animus reliquit Sextium.* BURM.

Longe à nobis] Formula antiqua, ut, *procul à nobis*, Seneca conſolatione ad Polybium: *Procul iſtud exemplum ab omni Romano viro, luctum ſuum intempeſtivis avocare luſibus.* HEINS.

Quem juſſit ut] Neque hic locus efficere poteſt, ut proba cenſeatur locutio, quam modo impugnavimus, *jubeo te ut facias*, cum hic ſubintelligi debeat, *quem occidi juſſit, ut fieret coctus.*

Ut ano coctus fieret] *Fieri*, verbum coquinarium, de quo ſupra ad illud cap. XLVII. *Quem vultis in cœnam ſtatim fieri?* HEINS.

Laceratus] Sciſſus in partes. Supra cap. XL. *Cæterum ad ſcindendum aprum non ille Carpus acceſſit, qui altilia laceraverat.* Et ſic Petronius cap. XXXVI. *Proceſſit ſtatim ſciſſor, & ad ſymphoniam ita geſticulatus laceravit obſonium.* SCHEFFER.

Doctiſſimo coco] Eleganter. *Doctus* enim, quicumque ſuæ artis, quam profitetur, peritus eſt. Inſcriptio vetus apud Fabrettum cap. III. p. 184.

Noverat hic docta fabricare monilia dextra,
Et molle in varias aurum diſponere gemmas.

Ita Columella lib. II. cap. 16. patruum ſuum *doctiſſimum & diligentiſſimum agricolam* laudat; ita Horatius, Ovidius, & alii paſſim. infra cap. 84. *Ipſis leonibus doctior.* BURM.

De porco aves] Ita ediderunt Patavini. Sed in Trajurienſi illa *de porco* non conſpiciuntur, itaque abeſſe juſſimus.

Mola] Iſidor. Gloſſ. *Fractillum ad frangendum piper.*

Matheis] Supra, *Matteis.* SCHEFFER.

Vale Gai] Ridicule; quaſi duæ cœnæ datæ eſſent, & de uno die duo facti. *Vale* enim poſt cœnam abituri, *ave* advenientes & ſalutantes dicebant. vide Briſſon. de formul. lib. VIII. p. 743. & 747. utraque autem

„tem, Ave Gai. [a] Hinc primum hilaritas noſtra turbata eſt; nam, cum „puer non inſpecioſus inter novos intraſſet miniſtros, invaſit eum Tri„malchio, & oſculari diutius coepit. Itaque Fortunata, ut ex aequo „jus firmum adprobaret, maledicere Trimalchionem coepit, & purga„mentum

[a] ENCOLPIUS.

„men-

ſalutatio ſæpe in monumentis reperitur, quare forte familia, quæ ex teſtamento manumittenda erat, ipſi mortem imprecatur.

Hinc] Scribe, *hic primum*.

Hilaritas turbata] Infra cap. 132. *Familia triſtis muſſat, quæritque quis domina hilaritatem confuderit.*

Puer non inſpecioſus] Nove, ſed invenuſte & infabre formavit: (Papinius, *indecorem*: Tacitus *indecorum* dixiſſet τὸν δυσειδῆ, δύσμορφον) prorſus, ut *incupidum* Afranius, *inſtudioſum* pro ἀμαθῆ, καὶ ἀμιλῆ Appul. *inſincerum* Cyprianus, *inactuoſum* Auguſtinus, *inpromtum* Cœl. Aurel. & illa ſemi-Latinorum, *ineloquens, indeficaus, incurialis, inſinibilis, inſertilis, irruinabilis*, ejuſque monetæ alia. REINES. *Inſpecioſus*, mihi ſpecioſius videtur, quam *inſpeciatus* Tertulliani, cujus tamen emuncta latinitas, ſcimus, quanti fiat. HADRIANID. Supra, *puer ſpecioſus*. HEINS. Agnoſce Petronianam Phraſin. Intra cap. 87. *At ille non indelectatus nequitia mea.* Cap. 139. *Mulier haud inculta.* Cap. 20. *Non indecenti riſu latera commovit.*

Invaſit eum] Vere Petronianum. Supra cap. 20. *virguncula cervicem ejus invaſit.* Infra cap. 85. *ſimulantem aliquot baſiolis invaſit.* Vid. & cap. 91. & 139.

Ex quo jus firmum] *Ex æquo jus firmum* legit Heinſius, id eſt, ut probaret, id demum firmum eſſe jus, quod ſit æquum. SCHEFFER. Non video, quid hic ſit difficultatis. Fortunata ex ſubitaneo complexu & oſculis pueri firmiter ſua opinione probavit, id eſt, *approbavit*, jus conſuetudinis inter Trimalchionem & cinædum. Vel, immota ſtatuit, *firmum jus* durare inter pathicum hunc & maritum. *ut*, hic eſt *quippe*, ſimileſque prorſus modi loquendi apud Quintil. *Nec ignoro quos tranſeo, nec utique damno*, ut *qui dixerim, in omnibus eſſe utilitatis quid.* Cic. *Hoc quia perſpicue verum eſt, nihil attinet* approbari. HADRIANID. Recte Reineſius *ex æquo*, probatque MS. Dalmaticum verum. Sententiam vero mire explicat Hadrianides de jure conſuetudinis inter Trimalchionem & cinædum. Quaſi ullum jus ſit, quod tales inter ſeſe poſſit conjungere. Imo hoc vult noſter, Fortunatam, ut oſtenderet, illud demum jus matrimonii eſſe firmum, quod utrique conjugatorum æque competeret, quando una pars non plus licere ſibi credat, quam altera, quando maritus æque putat ſibi prohibitum, amare cinædum, ac mulier, amare adulterum, convitiis Trimalchionem proſcidiſſe. SCHEFF. Riſum debet viris doctis, quiſquis ille fuerit, Hadrianides: elegantiſſima enim locutio, quam recte Scheffe-rus expoſuit, nullo modo ſollicitari debebat. *Ex æquo*, eſt eodem jure & modo, quo maritus ſibi aliquid licere credebat, illa quoque ſibi permiſit. Tibull. III. Eleg. 6.

Convenit ex æquo, nec torvus Liber in illis,
Qui ſe, quique una vina jocoſa colunt.

Ovid. Epiſt XX. verſ. 123.

Torqueor ex æquo, vel te nubente, vel ægra.

Lib. I. Amor. lib. X. verſ. 33.

Qua Venus ex æquo ventura eſt una duobus,
Altera cur illam vendit, & alter emit?

Iterum Epiſtol. XVII. verſ. 87.

Dixit, & ex æquo dotis formaque probata,
Victorem cœlo rettulit illa pedem.

Et paſſim, non diverſo ſenſu *ex æquo* aliquis *negotiari* pluribus locis dicitur à JCto l. 5. ff. ad municip. id eſt, non magis uno quam alio loco. *Jus* autem *firmum approbare*, eſt oſtendere & perſuadere convivis, ſibi non licentiam maledicendi uſurpatam, ſed illo mariti ſui facto indecoro jus certum & firmum conviciandi eſſe quæſitum. Ita *approbare* optimo cuique ſcriptori frequentatum. Suetonio paſſim. vide in Aug. VIII. XII. XVII. Galb. VI. Ita Senec. epiſt. XCIX. *lacrymas approbare. Imperia* lib. I. de Clement. 13. *gratum animum.* l. V. de benef. 4. *firmum* autem *jus* eſt, quod ipſo actu oſtendebat ſibi *firmum* competere: hujus juris colorem petas licet ex illis Juvenal. Sat. VI. 281.

——— *Olim convenerat, inquit,*
Ut faceres tu quod velles, nec non ego poſſem
Indulgere mihi.

licet de alia re agatur. BURM.

Maledicere Trimalchionem] Hoc unum eſt, quod in Encolpii verbis toto hoc libello poſſis carpere, quodque aures delicatas, tamquam parum Latine dictum, offendat. ſed fruſtra. Nam & noſter cap. XCVI. *contubernalis mea mihi faſtum facit, itaque, ſi me amas, maledic illam verſibus, ut habeat pudorem.* Vulgatus Bibliorum interpres, & è Chriſtianis auctoribus complures, cum quarto caſu amant jungere. Tertullianus adverſus Praxeam: *Nos autem dicentes Chriſtum crucifixum, non maledicimus eum.* Sed & ſupra apud Arbitrum habuimus cap. 58. *Cave majorem maledicas.* Quæ illic libertini hominis verba inter alia id genus obſoleta referri poterant, niſi ex magiſtri ore prolata eſſent. Apud Capitolinum ſcripti codices conſtanter in Vita Pertinacis: *Male Pertinacem loquebantur*, non, *Pertinaci.* HEINS.

Et purgamentum dedecuſque prædicare] Puto, & *purgamentum domus, dedecuſque prædicare.* HEINS. Solenne convicium in abjectos & viles homines, quo

ſenſu

„mentum dedecusque praedicare, qui non contineret libidinem suam. „Ultimo etiam adjecit, canis. [b] Trimalchio contra confusus, offen„sus convitio, calicem in faciem Fortunatae immisit. Illa, tamquam ocu„lum perdidisset, exclamavit, manusque trementes ad faciem suam ad„movit. Consternata est etiam Scintilla, trepidantemque sinu suo texit: „imo puer quoque officiosus urceolum frigidum ad malam ejus admo„vit, super quem incumbens Fortunata gemere ac flere coepit. Con„tra

a ENCOLIUS.

sensu & ipse Paullus Apostolus Ep. 1. ad Corinth. cap. IV. dixit, Christianos ὡς περικαθάρματα τῦ κόσμυ, καὶ πάντων περίψημα esse: ubi exquisita eruditione hanc locutionem illustravit Lambertus Bos, magna Græcæ apud nos penitus labentis disciplinæ spes & incrementum, in exercitationibus suis Philologicis. Περίψημα quoque rectius interpretari videtur, quam Vossius ad Catullum pag. 98. qui de spongia ad obscænos usus capit. Locutio enim ex piacularum victimarum καθάρματι, quæ projiciebantur, est desumta. Infra cap. 134. *Quod purgamentum nocte calcasti in trivio.* Hinc quoque patet, minime opus esse addere *purgamentum domus*, cum melius *civitatis*, vel *orbis*, subintelligi posset. simili modo infra cap. 108. *Pharmacum* vocat, ubi v. Gonsalium. BURM.

Prædicare] Compellare, vocare, dicere. Plaut. Pseud. 1. sc. 2. *Ut civitas nomen mihi commutet, meque ut prædicet lenone ex Ballione, regem Jovem.* SCHEFF. In malam partem accipiendum; exempla suppeditabit Thesaurus Fabri.

Canis] Id est, impudens. Terent. Eunuch. Act. IV. sc. 7. *Ain' vero, canis? siccine agis?* SCHEFFER. Ingens convitium. Verris Satellites Cicero in Verrinis haud semel *canes* appellat. Quemadmodum & Sejani emissarios Seneca consolatione ad Marciam cap. XXII. HEINS. Et non in viros modo, sed & in fœminas jacitur. Plautus Menæchm. v. 1.

——— *Idem faciebat Hecuba, quod tu nunc facis:*
Omnia mala ingerebat, quemquem aspexerat,
Itaque adeo jure cœpta est appellari Canis. GOES.

Hoc deerat adhuc vilissimorum hominum convivio, ut è trivio & ima fœce petitis conviciis se lacesserent: nam lautitiis quidem & stulto apparatu non æquare modo, sed superare honestos plebeji, ubi ad divitias pervenerunt, gaudent, sed educationis & sordium pristinarum vestigia semper apparent. *Canem* autem maritum vocat, propter libidinem, quam continere nequibat, sed palam in conspectu convivarum, more canum, exercebat. Alioqui hujus convicii acerbitas latius extendi potest, & maledici, obtrectatores, parasiti, delatores, impudentes, viles, trivio concepti, & vulgo quæsiti, hoc elogio ornari. Vide Barth. Adversar. VIII. cap. 14. Hottomann. & Manut. ad Ciceron. 1. Verr. cap. 48. BURM.

Confusus, offensus] Hoc *offensus* glossam puto esse τῦ *confusus*. SCHEFFER. Delendum videtur τὸ *offensus*, ex interpretatione alterius natum. Apud Nasonem lib. III. Amor. El. IX. vers. 15.

Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo.

Sæpe hoc vocabulum occurrit apud Valerium Maximum. HEINS. Forte scripsit Arbiter: *confusus offensa convitii.* GOES.

Calicem] Et hoc solemne ebriis, & rixam in compotationibus amantibus. Horat. lib. 1. Od. 27.

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est. &c.

Vide Passeratium ad Propert. III. eleg. 7. & commentatores ad Juvenal. Sat. V. vers. 26.

In faciem Fortunatæ immisit] Conjecit. Petronius in de Reip. statu turbato cap. CXXIV.

——— *In medias immittite lampadas urbes.*

SCHEFFER. Elegans illa & optimis scriptoribus frequentata geminatio præpositionis illius, cum qua verbum componitur, ut solemnis illa locutio, *se in medios hostes immittere*, Ciceroni, Livio, & aliis usitata. Sed & eadem ratio aliorum verborum. Nepos Pelop. cap. 3. *epistolam, sicut erat signata, sub pulvinum subjiciens.* Ita olim ex MSS. ediderant, sed recentiores mutarunt perperam & *in pulvinum* exhibuerunt. Alcibiad. 1. *Ut omnes admirarentur, in uno homine tantam inesse dissimilitudinem.* perperam quoque ibi *esse* quidam, pejus Magius & Schottus *tantam inesse*, delendum censent. Idem scriptor sæpe *adire ad aliquem* dixit, & similia passim observari possunt. Ita mox *ad faciem admovit*, & *ad malam admovit.* Cicer. III. Tuscul. cap. 18. *Fasciculum ad nares admovebis*, & alibi sæpius. BURM.

Urceolum frigidum] Suspicabar primo, *urceolo frigidam.* Nunc nil muto. Admovet frigidum urceolum ad malam, ut tumorem deprimat, quem immissus faciebat calix. Nos hoc fine cultrum frigidum imponere solemus. SCHEFFER.

Super quem incumbens Fortunata] Satis hoc familiariter, præsente præsertim, & offenso etiam marito. Nisi voluit Noster, *super quam*, hoc est, malam. Fit enim ipso naturæ instinctu, ut læsæ parti incumbamus. Sic supra Trimalchio cap. LIV. *cum graviter ingemuisset, supraque brachium tamquam læsum incubuisset.* Seneca Consolatione ad Helviam matrem: *Naturale est, manum sæpius ad id referre, quod doleat.* HEINS.

Nescio

„tra Trimalchio: [a] Quid enim, inquit, ambubaja non me misit, sede „machillam illam sustuli, hominem inter homines feci? at inflat se, tam„quam rana, & in sinum suum conspuit? codex, non mulier. Sed hic, qui „in pergula natus est, aedes non somniatur. Ita Genium meum propi-

[a] TRIMALCHIO. „cium

Nescio quid sollicitum Heinsium hic habuerit, dicit enim, Fortunatam super urceolum illum incubuisse, quem ipsi admoverat puer.

Non me misit] Scribo pro his valde corruptis: *Quid enim, inquit Ambubaja, non me misit, si de mactra illam sustuli, hominem inter homines feci.* Dicit, sustulisse illam *de mactra*, quod paupercula fuisset ante, ipseque eam fecisset divitem. Nam mulieres plebejæ ipsæ conficiebant panem. Plin. lib. XVIII. cap. 10. *Ipsi panem faciebant Quirites, mulierumque id opus erat, sicut etiam nunc in plurimis gentibus.* Imo erant inter servitia, *mulieres, quæ panem coquunt*, uti novimus ex Ulpiano l. 12. ff. de Instruct. vel instrum. leg. Qualis erat forte hæc ipsa Fortunata. *Misit*, est, *omisit, missum fecit*, ut sæpe. *Si* eleganter, pro *siquidem*. Virgilius 1. Geor. vers. 7.

Liber & alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista.

Servius ibi: *Si, siquidem.* Adde cætera. SCHEFFER. De ambubajæ vocabulo, quod & apud Horatium occurrit, è Syria Romam perlato, videndus inter cæteros in Hierozoïci parte secunda vir summus Samuel Bochartus. Reliqua sic constituenda. *Quid enim, ambubaja non meminit se*, pro *meminit sui*. Deinde, *de mactrilla illam sustuli*. De *mactrilla*, jam video occupatam emendationem à Cl. Reinesio, ut & illam loci mox subsequentis: *curabo, domata sit Kasaura alicaria*, pro *Cassandra caligaria*. Festus Pompejus: *Alicariæ meretrices appellabantur in Campania, solitæ ante pistrina Alicariorum versari quæstus gratia. Sicut hæ, quæ ante stabula sedebant, dicebantur prostibulæ.* Nihil magis appositum adduci poterat ad hunc Petronii locum. HEINS. Mallem tamen, *de mactrilla. en, illam sustuli.* Ea vocula auditores quasi in rem præsentem deducens, spectantes eam velut etiam nunc ad mactrillam. GOES. Acutæ & forte veræ doctorum virorum conjecturæ, non tamen recipere eos ausus fui, sed Tragurienſis codicis lectionem exhibui, ut & aliis cogitandi amplius sit facultas.

Se de machillam illam sustuli: hominem inter homines feci] Sic restituo hunc locum sane corruptissimum. *sede maxillam illi sustuli. Hominem inter homines feci.* TILEBOM. Lege *si de mactrilla illam sustuli. Mactrilla* pro mactrula, mactra. Fuerat enim mulier à furno, vel panicoctaria, ut loquitur Petr. Chrysol. serm. 99. σιτοποιὸς Theophrasto; vel quod circa pistrina, inter alicarios, quæstus gratia, diversabatur. REINES. De *mactrilla* satis, puto, liquidum feci; sed nec premendum videtur quod interea cogitanti & recogitanti occurrit. Fortassis Petronius Græcum ματρυλλεῖον adhibuit, legendumque *de matrylleo.* Ματρυλλεῖον autem locus ἐν ᾧ γράες διατρίβεσαι ἐδύκουτο τὰς βελομένας καταμεθυσθῆναι, Suidas: id est, ganea, taberna, ubi estur & potatur. Specialius Hesychio ματρυλλεῖον τόπος τῶν πορνευόντων, τυτὶς πορνεῖον, ὅπερ μαστροποὶ ἦτο μαυλισταὶ διατριβόν. & utroque prior Pollux lib. 7. πορνεῖα, οἰκήματα, ματρυλλεῖα. Utramvis significationem, utramvis lectionem recipiamus, conditio infelicis istius Fortunatæ, nimirum fuisse alumnam fornicis, extractamque è lupanari, notabitur. IDEM.

Hominem] Vide supra ad cap. 38. 39.

Sed inflat se tamquam rana] Ad apologum ranæ Æsopiæ alluditur. HEINS.

In sinum suum conspuit] Maledicendo marito. Dicitur de eo, qui se ipsum lædit in aliis, qui sibi ipsi nocet. SCHEFF. Id est, rem facit indecentem, & cujus eam, si homo sit, pudeat. Tibullus lib. 1. Eleg. 5. de homine, senili ætate, in lasciviam Venereamprolapso:

Hunc puer, hunc invenis, turba circumstetit arta,
Despuit in molles & sibi quisque sinus.

Quasi pueri illi juvenesque ipsi pudore perfunderentur ob senis istius amentiam. Belgis nostris in re non absimili dicere usitatissimum est: *Ik schame my van zijner wegen.* Plinius lib. XXVIII. cap. IV. *Veniam quoque à Diis spei alicujus audacioris petimus, in sinum spuendo.* Quicunque autem veniam petit, habet, cujus se pudeat. GOES. Non accurate satis explicant viri docti hanc proverbialem locutionem, quæ de homine arroganti, & alios præ se contemnenti, proprie debet explicari. Cum enim obvia sibi quædam infausti ominis, vel fascinum sibi objectum à se avertere & regerere vellent, despuebant in sinum; ita homines sibi placentes viliores, ut portenta, & quorum occursu & commercio quasi contagione quadam incestarentur, despuendo abominabantur. Vide D. Heinsii lectionum Theocritearum cap. XI. & Harduinum ad Plinii lib. XXVIII. cap. IV. ante ab aliis dicta compilantem. BURMAN.

Codex] Stipes, stulta. Terent. Heaut. Act. 5. sc. 1. *Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, asinus, plumbeus.* SCHEFFER.

In pergula] Id est, cœnaculo, de quo egimus supra ad cap. 38.

Somniatur] Deponenter, pro *somniat*. Sed hoc nusquam est observatum. Quare suspicor, postremam Syllabam male adglutinatam esse, & fortasse fuisse: *somniat*

„cium habeam, curabo domata sit Cassandra caligaria. Et ego, homo „dupon-

somniat. Ac ita. SCHEFFER. A contrario sensu, *neminem excelsi ingenii virum humilia delectant & sordida.* Sen. ep. 39. REINES. Pro *somniat*: Sic & Noster alibi: *delectatur* pro *delectat*. In veteri inscriptione apud Gruterum pag. DCCXCIV.

DE. QVA. NIHIL. ALIVD.
DOLITVS. EST. NISI.
MORTEM.

Somniare autem pro cogitare etiam habes apud Columellam lib. I. cap. VIII. *Socors & somniculosum genus id mancipiorum, otiis, campo, circo, theatris, aleæ, popinæ, lupanaribus consuetum numquam non eadem ineptias somniat.* HEINS. Retinui Tragurienſis codicis scripturam: nam similia jam supra aliquoties vidimus *fastiditur, rideatur.* &c.

Curabo domata sit.] Hoc anomalon, ut & præcedens *somniatur*, non absolvi possent barbarismo, nisi Florus *domaverunt*, & Tertullianus *edomator* dixissent. Habere tamen utrumque intra calcata & obsoleta rectum est. REINES. *Domaverunt* quod ex Floro post Vossium adfert Reinesius, non est à manu Flori, sed locus est corruptus. Vide lib. III. cap. 22. & ibi Cl. Grævium. Certiora habet eruditissimus Brouckhusius notis ad Tibull. lib. IV. Carm. I. vers. 116. Eleganter vero hoc verbo uxorem suam, ut feram bestiam, quæ domari debeat, traducit. Ita Chremes apud Terentium Phorm. Act. V. sc. I. *Conclusam hic habeo uxorem sævam.* Ubi Donatus *Illaturus sævam, bene conclusam prætulit, ut si diceret feram.* Et ita Albius Tibullus lib. III. eleg. IV. vers. 74. vocavit *ferum conjugium*, mulieris indomitæ & intractabilis societatem, ut optime exponit & illustrat Musarum castissimus sacerdos Brouckhusius. Et non diverso sensu Horatius I. Od. XXVII.

Quæ te cumque domat venus. BURM.

Cassandra caligaria] Cassandra ob proterviam nota apud veteres, & est Tryphiodorus poëta, cui propterea κυνομυῖα dicitur in Excidio Trojano, ut alicubi notavit Junius. Itaque sic vocat Fortunatam per convitium Trimalcio. *Caligariam* autem dicit, loco *militaris*, quasi quæ ornata sit caligis, proprio militum calceamento. *Caligarius* alias est apud Plinium lib. XXXIV. cap. 14. SCHEFFER. Convicium à stomachante marito jaci in uxorem intelligimus; at, quid significet, & unde tractum, minus: neque enim antonomasia hic locum habet, ut Cassandræ, quæ fuerat filia Priami, virgo, σύνευνος ἀδῖνος, παρθένος ἀγνή, ut est in Characteribus Trojanorum II. Porphyrog. nomine eam adpellaverit. Quod autem Cassandram pater Priamus apud Tryphodorum in Il. ἀλάστιν vocat κακόμαντιν θυρσαλίην κυνομυίαν, ob vaticinii ingrati, &, quod falsum vellet, libertatem, eam corripit, & ἐπιθετίζει, nec inde sequitur, ipsum Cassandræ proprium nomen ea figura, qua Ulyssem pro vafro, Nestorem pro prudente, Catonem pro serio, Tanaquilem pro imperiosa fœmina, Ædonem pro παιδοφόντει, dixerunt, ab improbis moribus mulierem torquere voluisse Petronium. Librarii insciti est, qui pro eo, quod non intelligebat, scripsit aliquid notum sibi, & autoris elegantiam hac sordicula sua fædavit. Primæva scriptura, *casauras alicaria.* Καταύρα, καυσαυρὰς, καυαρὶς prosedam lupam significat, dixi ad cap. LXI. *Alicaria*, quod vel pistrino obnoxia fuisset, ut modo, vel eo sensu, quo apud Festum *alicariæ mulieres* exponuntur prostibulæ. Data jam vera lectione non opus ultra habemus fingere, caligariam dici, quod *caligis*, habitu militari, *fuerit ornata* Fortunata. Imo supra cap. LXVII. ejus venientis in triclinium phæcasias inauratas fuisse dixerat Petronius; qui ipse cap. LXXXII. à militibus removet *phæcasiatos esse*; & à Fortunata igitur etiam removendum, caligatam fuisse. Simul è Petronio corrigendus error Doulæ, qui lib. I. Præcidan. cap. 20. phæcasia muliebris calceamenti genus fuisse negat. REINES. Cum litteris evidentissimis, *Cassandra caligaria*, scriptum sit etiam in Codice Tragurienſi, verbaque sensum habeant elegantissimum, quem antea exposui, frustra Reinesius nobis suum *Casauras alicaria* obtrudit. Et quid? Annon hodieque etiam per Germaniam nostram de muliere imperiosa, & mariti sui hera, dicimus *sie hat die hosen an.* Non quod vere vestita sit femoralibus, sed quod se gerat eo modo, uti solent, qui sic vestiuntur. Pari modo igitur & Fortunata dicta est *caligaria*, quod se gereret more caligariorum, id est, militum ferocientium, non quod caligas gestaverit, quod miror Reinesium credidisse me opinatum, ideoque censura sua duxisse perstringendum. Cum tamen dixerim QUASI *quæ ornata sit.* Sed & Cassandræ vox huc videtur quadrare plurimum, sive illo explicemus modo, quo dixi alibi, sive nudum spectemus vocabulum, cum κάσσα Græcis *Meretricem* significet. SCHEFF. *Cassandra*, quantum mihi constat, binæ celebrantur; *altera* Priami & Hecubæ filia, quæ, capto Ilio, occisoque sponso, vitiata est ab Ajace Oileo in templo Minervæ: in prædæ vero divisione Agamemnoni cessit, cumque eo Clytemnestræ & Ægisthi insidiis occisa: *altera* Iobate nata, Bellerophontis conjux. Possuntque hæc varie torqueri. Nam, utræque fuerint castæ & extra animi maculam, tunc sensus foret: *tu Cassandra vis videri, debereseque esse, sed quæ illis ea iga gregariorum in bello*, id est, *mores culpandi, minime adhæserunt, tibi oppido hærent, ut vel ex hoc caligario tuo ausu, & invectiva in me, videre fuit.* Collineo autem in *Cassandra* ad antiphrasin (quasi parum aut minime talis) non ad antonomasiam. In MS. sic legitur: *curabo domata si Cassandra caligaria* HADRIANID. Admodum ingeniosa est Reinesii emendatio, quam & Heinsius sibi in mentem venisse dicit; non tamen

„dupondiarius, ſeſtercium centies accipere potui. Scis tu me non men-
„tiri. Agato unguentarius here proxime ſeduxit me, &, Suadeo, in-
„quit,

auſus ſum ſollicitare Tragurienſis codicis ſcripturam; nam, quamvis nihil nobis conſtet de hac Caſſandra, quæ forte in illa colonia tam nobilis erat Viri ſui domitrix, & imperioſa mulier, & cujus nomen ita fuerit celebratum, ut abierit in omnium ſimili ingenio mulierum titulum; quam laudem quoque olim Tanaquil, Xantippe, & aliæ illuſtres Heroinæ retulerunt, quarum, ô Jupiter! utinam omne genus periiſſet, neque hodie tot ſupereſſent Margaretæ, quæ Caſſandris illis dubiam palmam facerent. Non mirum autem, hujus Caſſandræ res domi bellique geſtas, & parta de viro miſero, & qui

Stulta maritali porrexerat ora capiſtro.

tropæa, memoria excidiſſe, cum non in tam illuſtrem regnaverit maritum, ut Xantippe & aliæ: caligaria enim erat, id eſt, caligas faciebat, & vendebat cum viro ſuo caligario, & γυναικοκρατουμένῳ, ita apud Reineſium Cl. XI. inſcr. 116. *Q. Lævius Eutychus Caligarius de vico Cyprio* memoratur. Sed non magis nobis nota hæc Caſſandra, quam Appula, Tuccia, Maura, Ogulnia, Hippia, & aliæ à Juvenali celebratæ. BURM.

Dipondiarius] A *dipondio*, id eſt, aſſibus duobus, quod in veteribus Petronianis cap. XIV. legitur. Sic cap. XLV. *ſeſtertiarius*, ſic *centenarius* in ſuperioribus SCHEFFER. Vide ſupra ad cap. 58. Tragurienſis codex habebat *dependiarius*.

Accipere] Scilicet in dotem; ſic loquebantur. Martialis lib. V. ep. 47.

Quid eſſe noſtro ſortius poteſt Præto?
Ducenties accepit, & tamen vivit.

ſed illic refer ſimul ad dotem & hæreditatem. HEINS. Recte notata ab Heinſio χυριολόγια. Terent. Phorm. Act. II. ſc. III. *minas quinque accipe.* Ovid. Epiſt. VII. 149.

Hos potius populos in dotem, ambage remiſſa,
Accipe, & advectas Pygmalionis opes.

Et ita ſæpius Juris prudentes locuti, etſi frequentius apud eos, pro hæreditate vel teſtamento conſequi. BURM.

Agato unguentaria] Lege *Agatha* vel *Agathoſa*, Agathuſa: dixi de tali nominum forma in Eponymol. lit. A. REINES. *Agatho* apud Senecam, ludo de morte Claudii, virile nomen eſt. *Agatho & pauci cauſſidici plorabant.* HEINS. Nomen hoc in antiquis lapidibus frequentiſſimum, ut in Indice Gruteri conſpici poteſt. Sed neſcio, cur hic mulierem invito Petronio obtrudere voluerint Patavini & Reineſius, cum lectio Tragurienſis virum deſignet, & ratio talem lauto homini & genio quotidie indulgenti Trimalchioni jure familiarem poſtulet; utpote qui ad multiplices uſus unguentum luxurioſiſſime adhiberet. Hoc autem hominum genus, quam reipublicæ grave & minime neceſſarium ſit, docere poteſt Lex Solonis, quæ cavit, ne quis civis Atticus Myrepſicam faceret. Vide Caſaubonum ad Theophr. Charact. περὶ ἀπονοίας. ubi & de Lacedæmone ejectis unguentariis monet. Sed in Italia præcipui nominis erant unguenta Capuana; immo tanta ibi erat negotiatorum unguentariorum copia, ut celeberrimus inde Urbis vicus *ſeplaſia* dictus fuerit, ut, præter Feſtum in *ſeplaſia*, (qui male forum ſtatuit, quem errorem alii errarunt) & Aſcon. Pedianum ad Cicer. in Piſonem, docet Valer. Maximus lib. IX. cap. 1. *Campana luxuria, vigilantiſſimum ducem, exercitum acerrimum, dapibus largis, abundanti vino, unguentorum fragrantia, veneris uſu laſciviore, ad ſomnum & delicias evocavit, ac tum demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, cum Seplaſia & Albana, caſtra eſſe caperunt.* Imo & *ſeplaſiarii* dicti unguentarii, ita in lapide apud Gruterum DCXXXVI. 12. Vide Salmaſ. ad Elagabal. cap. 30. ad ſeplaſiariam quoque negotiationem reſpicit Plautus Rudent. Act. III. ſc. II. 16. *teque oro & quæſo, ſi ſperas, tibi hoc anno multum futurum ſirpe & laſerpitium, eamque eventuram exagogam Capuam ſalvam & ſoſpitem*, ut obſervavit Capacius in Hiſtoria Neapolitana p. 816. & Plinius lib. XIII. cap. 3. poſt Ægyptum accommodatiſſimam unguentis Campaniam dicit, propter roſæ copiam. Recte ergo, ſi hæc ſcena Capuæ, ut quidam credunt, eſt collocanda, unguentarium noſter, conſilium utile Trimalchioni dantem, inducit: quamvis, ſi Neapoli vixerit ille, nec ibi defuiſſe id genus hominum credibile eſt, quos & Romæ frequentes fuiſſe, & luxuriam ſuam ganeones ex eorum officinis inſtruxiſſe, docet Horat. lib. II. Sat. III. verſ. 228. *Unguentarius vici Loreti* eſt apud Reineſ. Claſ. XI. inſcr. 117. vide & infra cap. 76. BURM.

Unguentaria] Unguentariam memorat Plinius lib. VIII. cap. 5. SCHEFFER.

Here] *Heri*. Ita Plautus locis pluribus, Juvenalis, alii. SCHEFFER. *Here* putabam eſſe *heri*. Malo nunc intelligere dominam, an ſcribere *heræ*. IDEM. Mavult Schefferus *Heræ*: ergo ungentarius Fortunatæ fuerit, quæ tamen minime unguenta redolens inducitur à Petronio, ſed ſicca, ſobria, & quæ in culina habitabat, cujus ſordes diligens materfamilias magis olebat. *Here* vero ſanum eſt, ut in primis curis idem recte cenſuit, pro *heri*. Ovid. I. Amor. El. VIII.

Scis here te, mea lux, juveni placuiſſe beato.

lib. III. Faſtor. verſ. 852.

Hic here Phryxeæ vellera preſſit ovis.

Cum autem *here* vel *heri* ſæpe pro nuper, & indefinito tempore præterito, capiatur, ut docuit Heinſ. Lect. Theocrit. cap. VI. noſter putide loquax addidit *proxime*, niſi id à manu gloſſatoris ſit, qui *here* ita explicandum hic cenſebat. BURM.

Proxime ſeduxit] Abduxit ſeorſum in proximum.

Petro-

„quit, non patiaris genus tuum interire. At ego, dum bonatus ago, „& nolo videri levis, ipse mihi asciam in crus impegi. Recte; curabo „me unguibus quaeras: &, ut depraesentiarum intelligas, quid tibi fe- „ceris:

Petronius cap. XIII. *Seduxit me paululum à turba.* Sed ignoro, annon rectius sit, *proximo.* SCHEFFER.

Dum bonatus ago] Hoc desperate corruptum est. SCHEFFER. Quæritur de infelici matrimonio & incommoda uxore. Velim legere: *At ego, dum aporiatus ago,* id est, dum in angore animi & tristitia vivo. Ἀπορία est in re difficili inopia consilii, & περὶ πόρου, de evasione, dubitatio, sollicitudo, perplexitas, & ad hanc proxima desperatio. Ἀπορεῖν, ἐξαπορεῖν, est ambigere, nescire, quî se malo circumstante quis expediat. Verbo *aporiari* hoc sensu usus est vulgatus interpres Es. LIX. vers. 16. & 2. ad Cor. 4. 8. Order. Vital. lib. 10. hist. Eccl. *Isti nimiam egestatem in itinere pertulerunt, & pæne usque ad mortem aporiati sunt:* & lib. 13. *nimia penuria & fame, antequam proprios lares contigissent, aporiati sunt.* Verbo *aporiare* significatione depauperandi (pauper enim Latinis, qui Græcis βάπορος, ἄπορος, πανήπορος) usus est Petrus Bles. serm. 22. *Vernaculos & domesticos tuos aporiabis;* & Philippus rex Franciæ in testamento an. 1190. apud Rigordum: *qui per tallias nostras aporiati sunt.* Proverbio vero dicit, se suo sibi jumento malum accersivisse, &, unde commoda sperabat, ex eo contra animi sententiam accepisse damnum. M. Seneca 3. Contr. 5. *In fecurem incurris, & carnificem ultro vocas.* Illud tractum ex fabula de Lycurgo rege Edonorum in Thracia, qui, cum odio Bacchi vineta exscinderet, immisso furore à Libero, *unum sibi pedem amputavit,* Hyg. fab. 132. Variant, ut in talibus amat fieri; nam sunt, qui filio Dryanti crura obtruncasse, etiam qui interfecisse narrant: Apollod. l. 3. Natalis Com. mythol. l. 5. c. 13. p. 485. 503. De hoc ipso Lycurgo proverbium aliud Petroni, *Lycurgo crudelior,* exponendum est. Sævitiæ enim ejus modum, quod viatores hospitesque comprehensos εἰς μόρον ἕλκειν, mactare, eorumque capita, manus, pedesque portis suis præfigere soleret, graphice depingit Nonnus Dionys. lib. 20. Sed hæc sunto loco παροιμιάτων. REINES. Lege *Dum bona huic ago. Ago* pro *facio* apud Plautum sæpe, & alios. Id est, dum, è re quod hujus est, facio, & lenitati studeo, asciam mihi, &c. An etiam, *at ego, dum blandus ago, & nolo videri levis, ipse mihi, &c.* Quemadmodum dicimus *nudus ago.* HADRIANID. Reinesius *aporiatus,* quod recedit plurimum, nec convenientem habet sensum. Hadrianides *dum bona huic ago,* quod & recepit in textum. Verum *agere alicui bona,* pro *facere,* hactenus non observavi. Quid, si legas, *dum umbonatus ago,* pro, dum ago tegens me umbone tantum ac defendens, non, quod oportebat virum, impetum in Fortunatam faciens, eamque puniens ex merito. Possis &, *dum bona ratus ago,* id est, dum ago ea, quæ ratus sum esse bona. Quæ lectio pœne plus placet. SCHEFFER. An dixit, *boninatus* pro *benenato?* quomodo in Glossis Labbæi, *Bonisatus* ἐυμοιρος. Sed ibi potius *Boni fati* legendum. Cogitabam & aliquando, *bonis prognatus,* vel, *natus.* Ne longe abeamus, quod postremum, ne nunc quidem displicet: ni maluimus, *bene natus,* pro, dum ago bene natum. HEINS. Legendum ego vix dubito: *At ego dum, ut bono natus ago.* Facili errore ex *bono natus,* omissa una syllaba, *bonatus* natum est: & ultima littera verbi *dum,* illud, *ut,* absorpsit. Quod & in aliis evenit. Vult autem furcifer, in id se natum, & fatis scilicet destinatum, ut prosit & bono inpertiat alios se his assimulans, ut Cicero loquutus pro Sest. *qui se patriæ, qui suis civibus, qui laudi, qui gloriæ natos arbitrarentur.* Et huc quoque spectat, quod infra sequitur, *Nemo umquam tibi parem gratiam refert.* Ob beneficia nempe, quæ in alios confert. GOES. Munckerus Heinsio scribebat, sibi legendum videri; *dum bonus esse satago:* sed sine dubio latet ulcus adhuc. Gallicus noster Petronii locupletator legit, *dum bonâ huic ago,* scilicet *fide.* Et gallice vertit *pendant que j'en agis de bonne foi avec cette femme,* quis non miretur tam subtile ingenium, quale frustra hic ad axem Arctoum quæras. Minime vero miror, ipsi numquam hærere aquam, qui omni nodo adhibeat Alexandri gladium. Sed hic Hadrianidem scilicet legerat.

Nolo videri levis] Haud dubie corrigendum: *& volo videri lenis.* SCHEFFER. Deceperunt Patavini Schefferum, qui pro Tragurienſi lectione, *levis,* ediderunt *lenis.* Sed perperam; respicit enim ad facultatem divortii cum ea faciendi, qua uti noluit, ne levis & inconstans in amore videretur.

Mihi asciam in crus impegi] Notum adagium. Apulejus Milesi. III. *An, inquit, vulpinatis amasio, meque sponte asciam cruribus meis illidere compelles.* HEINS. Vid. Muncker. ad Hygin. fab. 242.

Recte] Distinctionem posui post hanc vocem. Vide supra cap. 58.

Curabo me unguibus] Lege, *curabo ne me unguibus.* TILEBOM. Omissa est conjunctio *ut,* sicut solet sæpe in talibus, *unguibus* porro *quærit,* qui unguibus studet eruere ac effodere sepultum è terra. SCHEFF. Rectius forte fuerit, *me unguibus eruas.* Apud Lampridium, in Acclamationibus Senatus post interfectum Commodum, occurrunt & illa: *Parricida sepultos eruit, Parricida sepultus eruatur.* Martialis lib. IX. Epig. 30.

Sit tibi terra levis, mollique legaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes.

Antiquum marmor in Gruteri opere Inscriptionum pag. CCCIV. 1.

„ceris: Habinna, nolo ſtatuam ejus in monumento meo ponas, ne mor-
„tuus quidem lites habeam. Imo, ut ſciat me poſſe malum dare, nolo,
„me mortuum baſiet.

LXXV. „[a] Poſt hoc fulmen Habinnas rogare coepit, ut jam deſine-
„ret iraſci: [b] &, Nemo, inquit, non noſtrum peccat; homines ſumus,
„non Dei. [c] Idem & Scintilla flens dixit, ac per Genium ejus, Gajum
„appellando, rogare coepit, ut effrangeret. Non tenuit ultra lacrymas
„Tri-

a ENCOLPIUS. b HABINNAS. c ENCOLPIUS.

— SECVS. QVI. FECERIT. MITEM. ISIDEM. IRATAM.SENTIAT,ET.SVORVM.OSSA.ERVTA. ATQVE. DISPERSA. VIDEAT.

Unde vides, pœnæ loco ſemper reputatum eſſe ſepulchro erui. Sed vult ineptus Trimalchio, ſe unguibus à Fortunata fore eruendum, præ nimio ſui deſiderio. HEINS.

Mortuus quidem] Etiam poſt mortem. SCHEFF.

Lites habeam] Juvenalis Sat. VI. verſ. 26.

Semper habet lites alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet: minimum dormitur in illo.

HEINS.

Malum dare] Ita Plautus, Terentius, alii. SCHEFFER. Quis neſcit, neminem non eſſe, qui poſſit malum dare, & in primis hominem fatuum? Et in eo jam erat Trimalchio, ut malum daret, cum illa convitia immitteret in uxorem. Quapropter, non hoc eſt, quod vult Petronius. Quid ergo? *me poſſe mortuum malum dare*, hoc eſt, quod ab auctore ſcriptum omnino opinor. Nam præter alia mala, quæ dabit in vita, hoc etiam adjiciet mortuus, quod quam maxime eſt ridiculum. GOES.

Mortuum baſiet] Quod alias faciebant conjuges, cognati proximi, amici in ſignum priſtini amoris. Confer. Kirchmann. I. Funer. cap. 5. SCHEFFER.

Fulmen] Vide infra ad cap. 80.

Nemo noſtrum non peccat, homines ſumus, non Dii] Xenoph. παιδ. ε. Τὸ γὰρ ἁμαρτάνειν ἀνθρώπους ὄντας οὐδὲν δίκαι θαυμαστόν. Et libro VI. Ὁρῶ γὰρ τῶν ἀνθρώπων οὐδένα ἀναμάρτητον διατελοῦντα. BARTH. Terent. Heaut. Act. I. ſc. I. verſ. 25. *Homo ſum, humani à me nihil alienum puto.* Juſtinianus Imp. in l. 2. §. 14. C. de vet. jur. enucl. *Penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis eſt: quod & à majoribus dictum eſt.* Et in l. 3. §. 13. eodem tit. *In nullo aberrare, ſeu in omnibus irreprehenſibilem ſeu inemendabilem eſſe, divinæ utique ſolius, non autem mortalis eſt conſtantiæ, ſeu roboris, quemadmodum & à majoribus dictum eſt.* Dictum illud majorum forte tale fuit; μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐπὶ θεῶν καὶ πάντα κατορθοῦν. Petronius infra cap. CXXX. *Fateor, me ſæpe peccaſſe: nam & homo ſum, & adhuc juvenis.* Conſtantinus M. Imp. Orat. ad Sanctorum cœtum cap. ult. *Humanum videtur aliquando errare: at in humanis erroribus Deus eſt omnino expers culpæ.* Simonides; πάμπαν δ' ἄμωμον ὄυτιν Dionyſius Cato. in Diſtich.

——— *Nemo ſine crimine vivit.*

B. Jacobus Apoſtolus in Epiſt. ERHARD. Hæc ſententia pridem ponitur in editis. SCHEFFER. Solemnis formula illis, qui vel ipſi deprenſi culpam deprecabantur, vel pro aliis excuſatione uterentur. Sed male Erhardus locum illum Terentii, *homo ſum, nihil humani à me alienum puto*, & qui omnibus fere in ore hodie etiam ſimili in caſu eſſe ſolet, huc adplicat. Ibi enim Chremes Menedemum ſe cruciantem, ignorans veras ſollicitudinum cauſſas, blande volens appellare, & ex eo diſcere, quid ſit, quod eum male habeat, dicit, ſe quoque eſſe obnoxium omnibus caſibus, & expoſitum fortunæ telis, quæ nemo homo evitare poteſt, vel, ut alii explicant, propter cognationem, quam natura inter homines conſtituit, ſe miſereri fortunas vicini ſui, quas ut ſuas, certe à ſe non alienas, exiſtimat. Rectius ergo accommodantur Petronianæ ſententiæ illa Juvenalis Satyr. VI. 283. de uxore à marito in turpi coïtu deprehenſa:

——— *Clames licet, & mare cœlo*
Confundas, homo ſum.

Ubi Schol. *nata ut peccem.* Terent. Adel. IV. ſcen. II. *Vah, hercle cenſen' hominem me eſſe? erravi.* BURM.

Gajum] Quia ſcilicet *gaudent prænomine molles auricula*, de quibus blanditiis abunde Viri docti egerunt.

Ut effrangeretur] Mitigaretur, & pateretur ſe per tot preces ſuperari. Ovidius ſimplici ſic uſus eſt VIII. Met. verſ. 508.

Nunc animum pietas, maternaque nomina frangunt.

Pariter Lucanus I. verſ. 364.

——— *Pietas, patriique penates,*
Quamquam cæde feras mentes animaſque tumentes
Frangunt. ——— SCHEFFER.

Rectius fuerit, *uti frangeretur*, apud Naſonem, Penelope:

Ille tamen pietate mea precibuſque pudicis
Frangitur.

Sed *effrangere* poſſe poteſt videri pro *frangere*. HEINS. *Ut ſe frangeret* adſcripſerat margini codicis ſui Heinſius. Verbum hoc ſæpe de iratis, aut alia animi affectione turbatis, qui mitigantur & molliuntur, ſumitur. Propert. lib. II. Eleg. XIV.

Frangitur in tacito femina ſæpe viro.

Et

„ Trimalchio, &, [a] Rogo, inquit, Habinna, sic peculium tuum fruni-
„ scaris, si quid perperam feci, in faciem meam inspue. Puerum basiavi
„ frugalissimum, non propter formam, sed quia frugi est, decem partes
„ dicit:

[a] TRIMALCHIO.

Et Eleg. XXI.

Frangitur & Juno, si qua puella perit.

Iterum Eleg. XXIV.

Lenta bibis: media nequeunt te frangere noctes.

Et ita alii passim. *Frangitur ira maris* Ovidius quoque dixit lib. II. Tristium. & Valer. Flacc. lib. II. vers. 315.

Ni Veneris sævas fregisset Mulciber iras.

Stat. VIII. Theb. 534.

In latus iras
Frangit, & experta jam non venit obvius hasta.

Se frangere, licet de alia re Valer. Flacc. lib. I. vers. 353.

——— *Magno veluti cum turbine sese*
Ipsius Æolia frangunt in limine venti.

Varro lib. II. de R. R. cap. 2. *Non ante quam calores aut frigora se fregerunt.* Et Cicer. lib. I. de Orat. cap. ult. *Scævola paululum conquiescit, dum se calor frangat.* Et magis appositè lib. IV. ad famil. ep. 6. *Cum jam frangerem ipse me, cogeremque illa ferre toleranter.* BURM.

Non tenuit] Petroniana phrasis; supra cap. 24. *Non tenui ego diutius lacrymas.* cap. 115. *Non tenui igitur diutius lacrymas.* Hæc notanda sunt, ut ubique sibi similem auctorem demonstremus, ubi Encolpium narrantem inducit. In cæteris, ubi stylus est horridior, personis convenientem sermonem videmus. *Non tenere lacrymas* etiam optimi ævi scriptores dixerunt. Ovidius IX. Met. 752. *Vixque tenens lacrymas, quis me manet exitus, inquit?* Cicer. 5. Verr. 67. *Paullo ante, judices, lacrymas in morte misera, atque indignissima, navarchorum non tenebamus.* BURM.

Peculium] Si proprie sumatur, ad Habinnæ conditionem, & Trimalchionis loquendi consuetudinem referri posset, cum uterque servus olim, nunc libertini, peculium vocare jure possint patrimonium suum, quamvis peculii vocabulo venire soleat etiam ingenuorum patrimonium, quia olim in pecoribus constabat universa substantia, ut docet Servius ad Virgil. I. Ecl. vers. 33. Quia autem fastidiosè sæpe locutos hos lautos libertos animadvertimus, ut *casulas*, *lamellulas*, &c. ὑποκοριστικῶς appellarent, qui latifundia & insulas amplissimas possiderent, ita & hoc loco Trimalchio intelligendus est loqui: nam docet Ulpianus in l. XVI. ff. ad SC. Trebellian. pleroque ὑποκοριστικῶς *patrimonium suum peculium dicere*, & ita præsertim in ea Italiæ parte, quæ Gallia dicebatur, proprie *peculium* vocabant bona παράφερνα, teste eodem JCto l. 9. ff. de jure dotium, ut rectè expositi Menagius amænit. Jur. Civil. cap. 3. vid. & infra cap. 88. Alia ratione *peculium* vocatur pecunia numerata, quam pater familias præsidii caussa seponit l. 79. §. 1. de legat. 3. quæ verba exercuerunt immerito viros doctos. Rævardus lib. V. Varior. cap. 17. & III. Conject. 6. intelligit nummos à rusticis sepositos, ut exercitui per eorum fines transeunti inde loco fructuum præstarent collationes, vel, quod metu *præsidii*, id est, militum, abscondunt. Perrenon. lib. II. Animadv. cap. 28. de collatione tributorum extraordinariorum ad sumtus bellicos capit, ut patresfamilias paratam pecuniam haberent ad præsidia, id est, milites parandos & alendos. Sed frustra. *Præsidium* enim proprie dicitur parata pecunia: cum autem *pecunia* vox late pateat, & omne genus possessionum comprehendat, rustici dicebant, omnem pecuniam, id est, patrimonium rerum, sive in fundis, sive in supellectile, esse fragile & dubium, si non *peculium*, id est, parata pecunia, ad manum esset, quod omni in casu certissimum sit præsidium. Verum sensum JCti vidit vir summus Hieronymus Bignonius in notis ad Marculph. Formulas lib. II. cap. 10. Et ita utitur Plautus Pers. Act. I. sc. 3. voce præsidii. *Marsupium habeat, inibi paulum præsidii.* Pœnul. III. Act. III. *Trecentos nummos Philippos portat præsidii*, Auctor Queroli p. 18. *Ut, si quid tibi spei aut præsidii est, totum auferant*, ubi vide Rittershusii notas p. 86. BURM.

In faciem meam inspue] Seneca de ira lib. III. cap. XXXVIII. *Diogeni Philosopho Stoico, de ira cum maxime differenti, adolescens protervus inspuit.* Et mox: *Catoni cum caussam agenti in frontem mediam, quantum poterat attracta, pingui saliva inspuisset Lentulus.* Similia apud eum alia. HEINS. Notus satis contumeliæ modus, quo & Servatorem nostrum milites vexaverunt. Senecæ locis ab Heinsio adductis adde duo alia ex libro de constantia sapientis cap. I. & 2. ubi Catonis *sacrum os purgamentis aspersum per contumelias* dicit. Et tertium ex consolat. ad Helviam cap. XIII. de Aristide. *Inventus est tamen, qui in faciem ejus inspueret*, ubi est eadem locutio. Vide infra cap. 132. BURM.

Quia frugi est] Propria laus servi. Vide Senecæ cont. XXI. HEINS. Gajus l. 18. pr. ff. de Ædilit. edict. inter præcipuas servi virtutes commemorat, quod *frugalitate sua peculium sibi comparavit.* Quo, si deceptus fuerit emtor, redhibitorio aut æstimatorio agere potest. leg. 31. §. 21. ff. de Ædilit. Edict. & ibi Mornac. GOES. Horat. lib. II. Sat. VII.

——— *Davusne? ita Davus, amicum*
Mancipium domino, & frugi, quod sit satis.

hinc apud Comicos formula solemnis, qua servos laudabant, *Frugi es.* Terent. Heaut. Act. III. scen. 3. 36. Adelph. V. IX. 2. & 25. & apud Plautum passim.

„ dicit: librum ab oculo legit: pretium sibi de diariis fecit: artisselium „ de

Decem partes dicit] Puto legendum, *decem partes didicit*. Cum autem orationis octo partes sint, ex stupida ignorantia dixit decem. GOES.

Ab oculo] A primo aspectu. SCHEFFER. Heinsius in margine notavit *libram abaculo legit*, quæ videtur mihi vera scriptura, partes enim illas, quas dicebat, ad assem & libram referri debere, non ad orationis partes, probavimus supra ad cap. 46. ridicula autem laudatio, quasi multum profecisset puer, qui decem partes dicere memoriter posset, sed totam libram non posset, nisi ex abaco recitare: nihil tamen mutavi. BURM.

Thretium sibi de diariis fecit] Lego, *pretium sibi de diariis fecit*. Litera initialis in voce *thretium* male ex fine præcedentis vocabuli adglutinata est, sequens vero est inversa illa, quam substituimus. *Pretium facere de diariis*, pro, *pretium diariorum facere*, quod dicitur, ut *pretium facere laboris*, *operæ*, ac similium. Ovid. 1. Amor. 10.

Et pretium, quanti gaudeat, ipsa facit.

Diaria sunt unius diei alimenta tenuia servorum, ut Petronius usurpavit in pridem editis. Horum fiunt pretia, cum venduntur. Quod solebant servi frugi colligere genium defraudando suum. Vide Terent. Phorm. 1. sc. 1. SCHEFF. Lege *teruncium*, HEINS. Emendationem Schefferi laudo, sed explicationem vix admitto. Non enim, servum tantum laudat, quod diaria vendiderit, & frugalis fuerit Trimalchio, sed tantum pecuniæ parcimonia & defraudatione genii ex diariis suis coëgisse & corrasisse dicit, ut sibi pretium libertatis inde fecerit, id est, suis nummis se è servitute redemerit, & libertatem acquisiverit: hoc enim pacto plurimi servi à dominis manumittebantur. Tacit. lib. XIV. Ann. cap. 42. *Pedanium Secundum servus interfecit, seu negata libertate, cui pretium pepigerat, sive amore exoleti insensus.* Ubi egregie Lipsius ex Seneca & aliis hoc illustrat: imo & solebant servi, si Patroni tale pactum cum illis inire recusabant, alios subornare, qui nummis servi peculiaribus eum à domino emebant, & manumittebant, quam fidem si frangerent, servis querela dabatur. vid. l. 10. ff. de in jus vocando l. 45. §. 1. ff. de rit. nuptiar. Apud Atheniensis hoc servis licuisse, ut ex peculio aliquid dominis quotannis penderent, & etiam pro capite numerarent, ut servitutem exuerent, apud Romanos secus fuisse, nescio qua auctoritate, adfirmat bonus ille Borremansius cap. XIV. Var. Lection. Huc refer *gratuitam illam libertatem*, quam Vespasianus avaritia detestabili negabat seni bubulco, sed nummos pro manumissione exigebat. Sueton. Vespas. 16. Contra liberalitatem Augusti perenni titulo celebravit Cosmus æditus Matris Deûm ab Imp. Augusto *Gratis manumissus*. Apud Gruter. CCCVIII. 6. Sueton. de Illust. Grammat. cap. XVI. de Lenæo. *Traditur autem puer adhuc catenis subreptus refugisse in patriam, perceptisque liberalibus disciplinis pretium domino suo retulisse, verum ob ingenium & doctrinam gratis manumissus.* BURM.

Artisselium] Prodigiosa vox, de qua quid faciam, ignoro. Suspicabar, *arcisolium*, intelligebamque instrumentum, Solis radiis arcendis, quod est alias *umbraculum*. Nunc relinquo aliis cogitandum. SCHEFF. Laudat artificium servi, quod in opere lignario excellat: lege *arcisellium*; arcuata sella est. Arnob. lib. 2. *arquata sella, acus, strigil, polubrum, siliquastrum, trulla, lancicula.* De enallage literarum *c* & *t* modo dictum. Formarunt autem ut *bicellium*, quod pro domo duas habente cellas dixere, & ut *bisellium*; quod pro sella duplice, vel duobus sedilibus, prorsus ut Græci δίφρον, currum, quasi δίφορον, quod in eo duo veherentur; exstatque in Notis Tir. & Sen. Comm. 4. t. 3. procul dubio acceptum ex Inscriptionibus. Ex his enim didicimus, HONOREM BISELLII proprium fuisse Coloniarum & Municipiorum, virisque bene meritis ab Ordine & Populo conferri consueviſse. Hinc in Suessana 3. CCCCLXXV. C. Titio Chresimo AUG. Liberto Ordo Decurionum & Augustalium & Plebs universa honorem Bisellii, quo quis optimo exemplo in Colonia habuit, decrevit, quod pro salute Imperatoris munus gladiatoriæ familiæ de pecunia sua secundum dignitatem Coloniæ ediderit: & in Abellana 2. MXCIX. Cn. Plætorius Sevir Augustalis adpellatur BISELLIARIUS, quod in publico vel bigis vehi, ut volunt quidam, vel sella duorum capace, vel duabus sellis uti, id est, duobus locis ipsi, beneficio Ordinis, spectare liceret. Ab isto more Laberius jocum in M. Tullium, quod duabus sellis sedere soleret, traxit: est in M. Sen. Contr. declam. 3. Macrob. lib. 2. Saturn. 3. & lib. 7. cap. 3. REINES. Puto, vocem hanc servandam, explicandamque de sella, quæ simul possit arcæ vicem præstare. Non est plane nostris quoque moribus insolitum, habere sellas, & scamna intus cava, quæ janua vel operculo possunt claudi, ut simul sint & sellæ, & capsæ, sive arcæ suppellectili servandæ. Nec ineptum, ab *arca* & *sella* parva fingere *arcisellium*. SCHEFFER. Non displiceret *artisselium* pro *artisylium*, si vel apud Latinos, vel Græcos (quorum Æoles fere *υ* in *ω*, *η* in *ι*, mutant) exempla facile transeuntis *y* in *e* supperent: nisi forsan apud Latinos *mattea* ex ματτύη, pro quo tamen apud Suetonium aliosque corrupte *mactea*, & juxta Græcum *mattyas*, legas. HADRIANID. *Arcisellium* vera scriptura est. Sellam arcuatam designat. Tacitus Annalium lib. XV. cap. LVII. *Postero cum ad eosdem cruciatus revocaretur, gestamine sellæ (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinculo fascia, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto indidit cervicem.* Glossæ Labbæi, *sella arcua-*

„de suo paravit, & duas trullas. Non est dignus, quem in oculis fe-
„ram? sed Fortunata vetat: ita tibi videtur fulcipedia: Suadeo, bonum
„tuum

arcuata, θρόνος. Rursus θρόνος, *sedis*, *tensa*, *solium*, *solla*, (lege *sella*) *arcuata*. Certe sellam quandoque poni pro solio, liquet vel ex Antonino Capitolini, qui pro solio *sellam* dixit *regiam*. *Sellam Regiam Parthorum Regi repetenti*, *quam Trajanus ceperat*, *pernegavit*. Ejusdem sellæ meminit & Spartianus in vita Hadriani. A sella derivatur *sellisternium* apud Tacit. lib. XV. Annal. cap. XLIV. Quod contra auctoritatem librorum scriptorum in *lectisternium* mutaverunt perperam. *Sellisternium* est enim vocabulum elegans & Latinum, occurritque non modo in notis Tyronis, sed & in Glossis Labbæi, ubi *sellisternium*, στιβάστρωσις. Tertullianus ad nationes: *Regibus quidem etiam sacerdotia adscripta sunt sacrique apparatus, ut tensæ & currus & solisternia & lectisternia*, à solio sternendo. Sed fortasse rectius *sellisternia* reponantur. Sed & *solisternium* Festus agnoscit in *solla*. Ubi tamen Paulus Diaconus, Festi abbreviator, in Codicibus nonnullis *sellisternium*. HEINS.

Et duas trullas] Nimirum è ligno tuticulas, quarum agitatu in ollis cibi conteruntur, & commiscentur; Græcis τυρόκαι sunt κινητήρια τῆς χύτρας. Alias significationes, quæ plures sunt & relatæ à Dalech. ad Plin. lib. 34. cap. 2. nihil huc faciunt; uti nec illa è gemma pergrandi excavata cum manubrio aureo Antiochi regis Syriæ potoria apud Cicer. 4. Verr. REINES. *Trullas* hic capio pro affabre factis vasis ligneis, latis & profundis, ex quibus, utut parum aptis, potabant. Juvenal. Satyr. 3.

Si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.

Et Horat. lib. 2. Sat. 3.

Qui Vejentanum festis potare diebus
Campana solitus trulla, vappamque profestis.

Ubi Dionys. Lambin. *trulla* genus est vasis, seu poculi vinarii, ut declarat hic locus apud M. Tullium lib. IV. In Verrem cap. 27. *Erat etiam vinarium ex una gemma pergrandi, trulla excavata cum manubrio aureo.* Adi Varron. lib. 4. de L. L. Nec video, cur non huc magis quadret, ac laudi detur, juxta *thronum*, quem H. Grotius ad Macrob. arcuatam sellam ex Glossis (sic quidem interpretamenta vocant, & Lexica) exponit, *vas* mensæ *potorium* ex arte fecisse, quam culinarium tudiculæ instrumentum, *cochlear*. HADRIANID. Nescio, quænam illæ *tuticulæ* Reinesii sint, sed *trullæ* nomine veniunt instrumenta omnia ad hauriendum aliquid ex vase aliquo majore comparata, quæ variis nominibus insigniebantur pro diverso liquore, quem hauriebant, ut egregie docuit Casaubon. ad Theophr. Charact. περὶ ἀναισχυντίας. Hic autem vas vinarium capiendum puto, quia *Campanæ trullæ*, quibus hauriebant vinum, celebres fuere Horat. lib. II. Sat. III. 144. ubi Acron & ligneum & vimineum & fictile facit. Sed fictile fuisse patet, quia in Campania plurimæ figulinæ celebres erant. Idem Poëta lib. I. Sat. VI.

——— *Adstat Echinus*
Vilis, cum patera guttus, Campana supellex.

Ubi Acron *Echinum vocat, in quo calices lavantur, vas æneum, quod modo Trisilla appellant.* Ubi forte *Trusilla* legendum, à *Trulla* vocabulo derivato. *Trullam myrrhinam* T. Petronii celebrat Plinius l. XXXVII. 2. BURM.

Ita tibi videtur fulcipedia] Etiam, quid hoc sit, non dispicio. Pars posterior convenit cum Græco παιδεία. Num scribendum, *dulcis pedia*. SCHEFFER. Lego, *falcipedia*. Trimalcion iratus invehit in uxorem à pedum vitio captata occasione, nominatque falcipediam, δρεπανύποδα, ἁρπήποδα, hoc est, cui essent *crura, simulent quæ cornua Lunæ*, ut jocatur Mart. 2. ep. 35. vel, quod crura in orbem panderet, ut loquitur Petronius, poplites habens divaricatos infra coëuntibus talis; adpellant tales *valgos*, βλαισούς, *Krumbein*. Analogia excusabit τὸ *falcipedia*, etsi nusquam præterea legeretur. Est enim apud Festum *acupedius, acuipedius, aquipedius, acipedius, cui præcipuum in currendo acumen*, & *acupes*, è Græco ὠκύπους. Item *quadrupedius*, quod est in Gloss. Latino-Germ. Haganoensi. Et *tripedia*, τριπόδης, τρίπους, scabellum tripedaneum: sellulam rusticanam adpellat Sulp. Severus dial. 2. quam Galli *tripediam*. Fortassis *Falco* apud Romanos cognomen etiam à crurum falcatorum forma, quasi falcipes, falcipedius. REINES. *Fulcipedia*, credo, quasi *pedibus fulcienda*, propter vitium continuum, vel temporaneum. Erat vero paulo ante Fortunata una cum Scintilla ebria, & vix nunc ebrietatem discusserant, ut ex superioribus constat. *Fulcipedia*, ut stapes, ——— pia, à sto & pes. HADRIANID. Formula solemnis. Terent. Phorm. Act. II. sc. V. *Ego Cratinum censeo, si tibi videtur.* Et paulo post. *Mihi sic hoc videtur.* Hecyr. Act. I. sc. 2. *Credo, ita videri tibi*, & ita passim. Illud autem *fulcipedia* quid sit, non comprehendo. Heinsius in ora libri sui notaverat: forte *falcipedia*, ut Reinesius legerat. *Milvam* cur vocet, rationem reddidimus, supra ad cap. XLII. accommodatissima autem huic loco exprobratio, quæ verbo *concoquas* convenit: milvina enim cibi aviditas fere in proverbium abiit, ut ostendit Jan. Guillelm. verisim. lib. III. cap. 4. qui ingeniosa magis quam verisimili conjectura Apulejo lib. III. Metam. hoc convitium tribuit. *Tunc milvina non cessas subinde lectorum juvenum capillamenta subripere.* Vulgo legitur *tunc ultima*, quod præferunt Elmenhorstius & Barthius ad Calpurn. Eclog. III. vers. 29. neque ego moverem loco. BURM.

Bonum

„tuum concoquas, milva, & me non facies ringentem, amasiuncula; ali-
„quando experieris cerebrum meum. Nosti me, quod semel destinavi,
„clavo tabulari fixum est. Sed vivorum meminerimus. Vos, rogo, ami-
„ci, ut nobis suaviter sit; nam ego quoque tam fui, quam vos estis;
„sed virtute mea ad hoc perveni. coricillum est, quod homines facit,
„caetera quisquilia omnia. bene emo, bene vendo. alius alia vobis dicet.
„feli-

Bonum tuum concoquas] Felicitate tua utaris: eaque vivas contenta; illam patiaris. Ita Cicero τῷ *concoquere* utitur. SCHEFFER. An *bolum*, nam voracissimum animal est milvus. HEINS. Id est, moderate & non insolenter fortunam tuam, tali viro, qui te de mactra sustulit, nupta, feras. Metaphora est à cibis dulcibus & mattyis desumta, quæ stomacho nocent, si immoderate appetantur. *Bonum* autem *tuum* eleganter est dictum, ut Plin. lib. XIV. cap. 14. *Apothecas fuisse, & diffundi vina solita Anno* DCXXXIII. *Urbis, apparet indubitato Opimiani vini argumento, jam intelligente suum bonum Italia.* Cicer. VI. ad famil. Ep. 5. *Itaque ne punctum quidem temporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se violatum putasset.* Tertull. lib. I. de cult. Femin. cap. 2. *Qui cogitabant, unde cecidissent, illud ipsum bonum seminarum naturalis decoris, ut causam mali, sic remuneraverunt, ne eis profuisset felicitas sua.* Celsus medicus *bona sua* dixit lib. II. cap. 2. *Si plenior aliquis & speciosior & coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet.* BURM.

Non facies] Lege, *non faciat.* TILEBOM.

Amasiuncula] Supra cap. XLV. *Ridebis rixam inter zelotypos & amasiunculos* Hic tamen malim, *Amazonisuncula;* tamquam viraginem & imperiosam perstringit. Sed hoc jam alios monuisse video. Apud Tertullianum contra Marcionem lib. I. *Fœmina Amazone audacior.* HEINS.

Clavo tabulari] Magno, firmo, quo in conjungendis tabulis ligneis utimur. *Tabulare* namque, quod ad ligneas spectat tabulas, habesque hoc vocabulum apud Plinium lib. XXXIV. cap. 9. Videtur in animo habuisse, quod legitur in Cicerone Ver. 5. *Ut hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clavo figeret.* Quamquam, cum hic sit *trabalis clavus*, non *tabularis*, cogitandum fuerit, an se recte habeant nostra. Nam & Horatius I. Carm. 35. v. 17. de Fortuna.

Te semper anteit saeva Necessitas
Clavos trabales, & cuneos manu
Gestans aëna. —— SCHEFFER.

Vivorum meminerimus] Cicero de fin. V. *Veteris proverbii admonitu, vivorum memimi.* SCHEFFER. Ominis mali avertendi causa. vide supra cap. 43.

Ut vobis suaviter sit] Malim, *ita vobis suaviter sit.* HEINS.

Tam sui, quam vos estis] Non est plena oratio. Putabam igitur excidisse τὸ *tenuis*, *Nam ego sui quoque tam tenuis. Tenuis* pro paupere; Suetonius Cæsare cap. 46. *Villam totam diruisse dicitur, quamquam tenuis adhuc & obaratus.* Symmachus lib. IV. ep. LI. *Homo tenuis, & labe patrimonii graviter exhaustus.* Apulejus IX. Met. *Erat ei tamen uxorcula etiam quidem satis tenuis, & ipsa extrema tamen lascivia.* HEINS. Nihil præterea addi debere mihi videtur. Terent. Eunuch. Act. IV. sc. IV. *Parmenonis tam scio esse hanc technam, quam me vivere*, pro, tam certo. Plaut. Aulul. Act. III. sc. 6. *Tam hoc scit me habere, quam egomet.* Stich. Act. III. sc. 1. *Tam confido, quam potest.* Formula autem hæc se cum aliis æquandi usitatissima in communi sermone. Plautus Captiv. Act. II. sc. 2. *Tam ego sui liber, quam gnatus tuus, tam mihi, quam illi, libertatem hostilis eripuit manus. Tam ille apud nos servit, quam ego nunc hic apud te servio.* Et Act. III. scen. 4. *Equidem tam sum servus, quam tu.* BURM.

Coricillum est, quod] Scribe, *Coricillum est, quod.* TILEBOM. Hoc non assequor: mallem, *corculum.* Plinius VII. cap. 31. *Cato corculos apud Romanos nominatos refert, qui sapientia præpollebant.* Nisi vis, *corcillum*, ut sit, *cor, corculum, corcillum*, sicut *os, osculum, oscillum.* SCHEFFER. Tilebomeni *coryllum* est à corycus. Hesych. κωρύκους, θυλάκους, id est, sacculus. Diminutivum κωρίκιον, parva bulga. Quid jam innuat Trimalchio, intelligere pronum. HADRIANID. *Cor, corculum, corcillum*, ut *furca, furcula, furcilla.* GOES. Est à Trimalchione, sibi sapere viso, fictum diminutivum, ut jam sæpe per affectationem ita loquentem vidimus. Munckerus in literis ad Heinsium illustrabat loco Jobi cap. XII. vers. 2. *Ergo vos estis soli homines, & vobiscum morietur sapientia? & mihi est cor sicut & vobis.*

Quisquilia] Glossæ Philoxeni. *Quisquilia*, σκύβαλα. SCHEFFER. Servius ad Virg. I. Georg. 85. stipulas, purgamenta terrarum, & alia inutilia ita dici notat.

Bene emo] Perite, docte. Sic, *assimulare bene*, apud Terent. in Andria. SCHEFFER. Imo vili pretio emo, neque lucri sordidi cupidus care vendo. Sed lucello contentus modico negotiationem exerceo. Cicer. ad Att. lib. I. ep. 10. *Bene nos emisse judicati sumus.* Sueton. Cæs. cap. 50 *Quo melius emtam sciatis, tertia deducta est.* Senec. Phœniss. vers. ult.

Impe-

„felicitate dissilio. Tu autem, sterteja, etiamnum ploras? jam curabo, „fatum tuum plores. Sed, ut coeperam dicere, ad hanc me fortunam „frugalitas mea perduxit. Tam magnus ex Asia veni, quam hic can„delabrus est. Ad summa, quotidie me solebam ad illum metiri, &, ut „celerius rostrum barbatum haberem, labra de lucerna ungebam. tamen „ad delicias femina ipsimi domino annos quatuordecim fui; nec turpe „est

Imperia pretio quolibet constant bene.
Ita contra *male emtas ædes* dixit Plaut. Most. III. scen. 2. Terent. Eunuch. Act. IV. sc. 4. *Male conciliatum servum*, & alii passim. BURM.

Alius alia vobis dicet] Quæ ego scilicet dicere nolo, quia, ut infra hoc cap. dicit, non sum de gloriosis. Alius autem alia majoraque dicet, quam me bene emere, bene vendere. GOES.

Felicitate dissilio] Supra cap. 61. *gaudimonio dissilio.*

Tu autem stertera] Hoc quid sit verbi, plane ignoro. Probarem potius: *Tu autem stercoraria*, seu mavis *Quercera*: quomodo vocatur febris quartana. *jactas me*, inquit Lucilius, *ut febris quercera*, sive *querquera*. TILEBOM. Convitium est, ex tempore per iram formatum, ut solet in talibus, & apud Plautum frequens est, à *stertendo*, quasi quæ ignava sit, & somnolenta. SCHEFFER. Huic nec analogia favet, nec auctoritas. Arbiter, puto, dixisset *stertoram* vel *stertorosam*, id est, vel somniculosam & ignavam, vel cum ingrato & crepero pectoris stridore, sonitu & roncho, sive dormientem, sive respirantem, sive loquentem. Κέρχνοι & κερχναζμοὶ apud Hipp. & Galenum sunt soni in thorace ac stridores reddentes respirationem difficiliorem; quæ inde κερχνώδης ἀναπνοὴ: ipsi, qui ita laborant, κερχνώδεις & βεγχώδεις. Ejus formæ bene Latina plura laudari possent; sed hæc nunc malui exhibere: *canorosus*, *clamorosus*, *colorosus*, *dolorosus*, *fœtorosus*, *fragorosus*, *livorosus*, *nidorosus*, *pudorosus*, *rigorosus*, *saporosus*, *sonorosus*, *squalorosus*, *timorosus*, *valorosus*, *vaporosus*, *vigorosus*. REINES. Non video Fortunatam ignaviæ posse insimulari. In ante editis Encolpius cap. XXXVII. *Coepi scisitari, quæ esset mulier, quæ huc atque illuc discurreret.* quæque ibi, & in Fragmento sequuntur. Paullo supra Trimalchio cap. LXVII. *Nisi argentum composuerit, nisi reliquias pueris diviserit, aquam in os non conjiciet.* Ejus tamen mox eodem capite *Habinnas furtim consurgens ebria pedes corrigit, & super lectum immittit.* A balneo ipsa *mola piper trivit*, ut non dispiciam, *sterteram* alio, quam ad somnolentiam ex potu, trahi posse. Multa sunt in L. L. quorum terminatio vix exacta analogia subsistit; ut, *mulciber* à *mulceo*, non sic *tuber* à *tumeo*, *faber* à *facio*, non sic *sartor* à *sarcio*? In subitaneis igitur sufficerit evidens significatio, & qualisqualis analoga terminatio, ut *gibbera*, *crepera*, *armigera*, sic *stertera*. Estque aliud originatio, aliud derivatio. HADRIANID. Nolim hoc sollicitari. *Sterteja* à *stertendo*. Sic *mulier secutuleja*, apud Nostrum cap. LXXXI. *Tanquam mulier secutuleja unius noctis tactu omnia vendidit.* Sic *locutulejus* apud Gellium lib. I. cap. XV. *Petreja* Festo, *quæ pompam præcedens imitatur anum ebriam.* Et multa nomina Romana sic desinebant, ut Apulejus, & Barbulejus apud Sallustium fragmentis historiarum. HEINS.

Candelabrus] Cæcilius apud Nonium. *Memini ibi candelabrum ligneum ardentem.* SCHEFFER. Sic Veteres loquutos scimus ex Nonio. HEINS.

Ad summa] Lege, *Ad summam*. TILEBOM. Lege, *Ad summam*, & à præcedentibus separa per punctum. Non est alia frequentior formula in Petronio, etiam olim divulgato. Cæterum hoc vitium paulo post recurrit. SCHEFFER. Lege, *Ad summam*, sæpe alias occurrit. In Plinii Epistolis optimæ Membranæ frequenter, *in summam: ad summa*, tamen hic imperite & vulgi de more dictum videri potest. HEINS.

Ad illum me uri] Corrige: *ad illum metiri*, candelabrum scilicet, ac sic explorare incrementa meæ staturæ. SCHEFFER.

Ut celerius rostrum barbatum haberem] Os. Plautus Menæch. I. sc. I. *Apud mensam plenam homini rostrum deliges.* Varro Peripl. II. *Itaque videas barbato rostro illum commentari.* Similiter Lucilius Sat. IX. Vide Nonium in *Rostrum*. SCHEFFER. Ex antiqua Cosmetice hoc est, dignumque Arbitro, qui de Medicinæ peritia subinde tam joco quam serio ostentata nobis cognitus, ut docuimus passim horum Scholiorum. De oleo vero lucernario est apud Aëtium tetr. I. s. I. lit. E. id curandæ τριχοῤῥοίας & alopeciæ, producendisque pilis, adhibuisse veteres testatur compositio medicamenti ex adipe ursino, adarce, muscerda, pice liquida, & oleo è lucerna, apud Alexandrum Trall. lib. I cap. I. REINES. Pro mento: sic veterum nonnullos locutos docet Nonius. Tauro dat *rostrum* Ennodius Epigr. XXX. *rostrum vesicæ* Apicio VIII. VII. HEINS. Plautus Menæch. I. I. *Apud mensam plenam homini rostrum deliges.* GOES.

Fœmina sui] Muliebria passus sum. Ut *mulier* & *fœmina* ita passim dicuntur. fuit ergo domini fœmina, & uxoris ejus vir. v. Sueton. Cæsar. cap. LII.

Ipsimi domino] in MS. vero exstat; *ipsi mi domini*. Non est dubium, quin *ipse mei domini* legendum sit.

„ est quod dominus jubet. Ego tamen, & ipsi meae dominae satisfaciebam. „ scitis quid dicam. taceo, quia non sum de glorioſis.

LXXVI. „ Caeterum, quemadmodum Di volunt, dominus in domo „ factus sum; & ecce coepi ipsi mi cerebellum. quid multa? coheredem „ me Caesari fecit, & accepi patrimonium laticlavium. Nemini tamen „ nihil satis est: concupivi negotiari. Ne multis vos morer, quinque „ naves aedificavi: oneravi vineam, & tunc erat contra aurum: misi Ro-

„ mam.

Nisi quis existimet, inter archaismos illud *ipsi*, pro *ipse*, referendum esse, quia sequitur ad eundem modum mox in MS. *ipsi meae domine*, & iterum cap. sequenti: *Coepi ipsi mi cerebellum.* Et profecto ad eundem modum veteres pro *mane* dixerunt *mani*. Adde, quae notavit Scioppius in arte Critica p. m. 49. SCHEFFER. Quid si, *ad delicias foemineas ipsissimi domini*, vel, *ipsissimo domino annos* XIV. *sui*. HEINS.

Nec turpe est quod dominus jubet] Supra cap. XLV. *Quid servus peccavit, qui coactus est facere?* Hausit ab Oratore Q. Haterio, qui in defensione Libertini, domino morem gerentis, dixerat, *Impudicitiam in ingenuo crimen esse, in servo necessitatem, in liberto officium.* REINES. Notum illis temporibus Q. Haterii Oratoris dictum, cujus & pater Seneca meminit: *Impudicitiam in ingenuo crimen esse, in servo necessitatem, in liberto officium.* HEINS. Alludit illud Plauti Captivis II. 1. 6. *Indigna digna habenda sunt, herus quae facit.* GOES.

Ipsi meae dominae satisfaciebam] Honesto vocabulo rem turpem eloquitur: sic supra alibi. Eadem verecundia ex ore Pythagorae ἰδίαν dixit Iambl. in I. cap. 9. *scire*, Pollio de Zenobia; & χρηματίσαι de infando pueri ministerio e Diocle Laërtius in Cratete. REINES. Vide supra ad cap. 57.

Taceo, quia non sum de glorioſis] *De* pro *ex* posuit: ita Sen. praef. 5. *non sum de judicibus severissimis*; ita Cicero, *Orator non sane de minoribus*: ita auctor cap. LXXII. *de una die duas facere nihil malo*: cap. LXXIV. *Cocus de porco aves piscesque fecerat.* Et cap. XLV. *athletae de magna turba*: quanquam hoc aliter quoque interpretari liceat. REINES.

Ipsimi cerebellum] Pro *ipsi mihi*, hoc est, in utilitates meas, ad mea commoda. Sic exponit illud *mihi* Scholiastes vetus Barthio laudatus ad III. Theb. Statii, ubi sic Poëta, vers. 14.

——— *raperent mihi funditus Argos.*

Mihi, ait, *meo commodo*. SCHEFFER. Id est, ad libitum meum coepi vivere, non obsecutus alieno cerebro, ut servi solent. *Excerebrari vino*, apud Tertullianum adversus Marcionem lib. IV. HEINS.

Coheredem me Caesari fecit] Recte; ex more illorum temporum, quo plurimi in testamentis Caesares haeredes scribebant. Vide Sueton. Aug. cap. LXVI. Tiber. XLIX. & passim.

Et accepit patrimonium laticlavium] Possis ad praecedens, *cerebellum* referre. Mihi tamen rectius videtur, *accepi*. Patrimonium *laticlavium* est, senatorium, quod ante Senatorii fuit. Caeterum, qui fuerint hi Senatorii, alias & Laticlavii vocati, docet prolixe Casaubonus ad Suetonii Augustum cap. 38. cui simul addi potest Neronis cap. 26. Puto autem hoc velle, factum officiositate sua, ut post mortem domini substitueretur ipse à Domina, fieret maritus ejus, & mox haeres una cum Caesare bonorum antecessoris sui simul atque domini, qui fuerat laticlavius. SCHEFFER. Plane puto, *feci & accepi*, legendum, ut ceteris cunctis oratio respondeat. IDEM. Lego *Accepi*. Non puto autem hinc effici, Trimalchionem duxisse domini sui viduam, qui Fortunatae suae, paris cum eo conditionis, semper junctus fuit: sed patrimonium à domino in dotem accepisse cum Fortunata, (quae olim ejus conserva fuit, deinde contubernalis, nunc uxor erat) quale senator vel laticlavii equites (de quibus vid. Rubenium de re vestiar. cap. 14. & 15.) quibus census esset Quadringenta, & jus annuli, habebant. Plinius XXXIII. cap. 2. *accepi* hic capiendum ut capite superiori. BURM.

Nemini tamen nihil satis est.] Sen. consol. ad Helv. cap. II. *Cupiditati nihil satis est, Naturae satis etiam parum.* REINES. V. supra ad cap. XLII. *neminem nihil boni facere oportet.*

Oneravi vinum] Et mox, *oneravi vinum, lardum*, &c. pro *oneravi naves vino, lardo*. An dicemus, Trimalchianam esse hypallagen, ut Virgiliana, *dare classibus austros*, pro *classes austris* sive *ventis*? Miror Dn. Schefferum, qui primam fregit glaciem, hujus rigorem non sensisse. Dn. Valesius hyemi Gallicae tribuit. Videant, qui Romanos soles huic Fragmento mecum non invident, tenebras depellant, frigida dissolvant. HADRIANID. In MS. Dalmatico est, *oneravi vineam*, sed recte ediderunt *vinum*. Nam sequitur mox in eodem MS. *oneravi rursus vinum*. Porro recte, *oneravi vinum*. Hadrianides quidem: *An dicemus, Trimalchianam esse Hypallagen*, &c. Sed nil necesse est. Poterat ille & Valesius meminisse illius Virgilii lib. I. vers. 199.

Vina bonus quae deinde cadis onerarat Acestes.

Et jam pridem Turnebus lib. XXVII. cap. 20. *Onerare Zamiam, quod proverbii speciem habet, mutatione*

Graci

„ mam. putares me hoc jussisse: omnes naves naufragarunt. Factum, non „ fabula: uno die Neptunus trecenties sestertium devoravit. Putatis me de- „ fecisse? non me Hercules mi haec jactura gusti fuit; tamquam nihil facti. „ alteras feci majores & meliores, & feliciores: ut nemo non me virum for- „ tem diceret. Scis; magna navis magnam fortitudinem habet. oneravi rur- „ sus

Graci sermonis mihi dictum videtur, ut sit ἐπιφόρτιον, *vel* ἐπιτίθημι ζημίαν. *Est enim onerare, imponere, ut Æn.* I. *Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes. Merces enim onerari dicuntur, cum illis navis aut jumentum oneratur.* Ubi tamen frustra ζημίαν reddit, quæ est σαμία, navis scilicet ex Samo insula, de qua in lib. de Mil. navali. Proverbium est apud Plautum in Aulul. Act. II. sc. 2. ubi vide, quæ pro isto genere locutionis etiam Salmasio notantur. SCHEFFER.

Et tunc erat contra aurum] Hoc est, venibat contra aurum, erat tam carum, ut compararetur æquale. Suspicor tamen scripsisse nostrum, *erat contra auro*, ultimamque literam ex sequenti voce male ad hanc esse translatam. Plautus Epidico III. sc. 3. *Non caruit auro contra.* Sic idem in Curcul. *Auro contra cedo modestum amatorem.* In milite: *Cedo treis mihi homines orichalco contra cum istis moribus.* In Pseudolo: *orichalco contra non carum fuit meum mendacium.* SCHEFFER. Non mutasset hic aliquid Schefferus, si vera credidisset, quæ adnotat summus Scaliger ad Varron. lib. I. de R. R. cap. 2.

Putares hoc me jussisse] Cave sollicites hunc locum. Adeo commotus non sum hac jactura, ut putares, me volente & jubente rem gestam. Et hoc pro cætera sua superbia. HEINS.

Naufragarunt] Naufragium fecerunt. Sic Sidonius IV. ep. 21. *minus naufragat.* SCHEFFER. Rursus idiotismum nota. Non enim in usu scriptoribus Romanis. Habes tamen apud Cyprianum sermone de oratione dominica *naufragare à fide.* In antiqua versione admonitionum S. Basilii à Goldasto edita cum Paræneticis scriptoribus: *multi per mulierum species à via virtutis naufragarunt.* HEINS. Vox frequentissima scriptoribus sequioris ævi, unde nihil contra hujus Fragmenti antiquitatem confici potest: nam, ut jam supra aliquoties ostendimus, corruptela Latini sermonis diu inter plebem invaluit, antequam inficeret etiam eruditos scriptores; & jam corruptissime, præcipue in Campania, & aliis oppidis & provinciis loquebantur, antequam omnis scribendi elegantia evanesceret. Neque huic voci *naufragare*, licet jam barbaræ, speciem antiquam saltem licuit obtinere, sed labente in pejus adhuc vitio sermonis, in *navrare*, unde *navratus*, & in Italicum idioma *naverare* & in Gallicum *navrer*, venit, ut docuere doctissimi Galli Cangius in Glossario mediæ Latinitatis, & Menagius in originibus Linguæ Gallicæ. Ut autem in antiquis Glossis ναυαγίω *naufrago* redditur, ita, ubi Pauli II. Corinth. cap. XI. vers. 25. Τρὶς ἐναυάγησα dicit, Salvianus lib. III. de Gubernat. Dei pag. 69. reddit *ter naufragavi.* Et ipse interpres vetus ita utitur Epist. I. ad Timoth. cap. I. 19. ut observat Voss. de vitiis sermonis lib. IV. cap. 14. BURM.

Factum, non fabula] Juvenalis Sat. VIII. vers. 125.

——— *Non est sententia, verum est,*
Credite me vobis solium recitare Sibyllæ. HEINS.

Neptunus] In MS. est *Neptuno*, verum puto à prima fuisse manu *Neptunos*, antique, ut solet Trimalchio hoc genere delectari, post ultimam literam adhæsisse sequenti vocabulo. SCHEFFER.

Me defecisse] Vires omnes amisisse, factum esse pauperem, post tot nummorum jacturam. Sic Petronius cap. CXI. de lumine: *Defecerat positum in monumento lumen.* SCHEFFER. Id est, animum despondisse. Flor. II. cap. 2. *Nec deerant, qui ipso Punici maris nomine ac terrore deficerent.*

Gusti fuit] Puto, *gustui fuit*, hoc est, non gustavi. SCHEFFER. Pro *gustui fuit:* sic Virgilius fere semper, Horatius, Naso, alii. Vide Vossium de analogia II. cap. XVII. HEINS. Codex Tragurienſis *Gusti*, archaïsmus à Trimalchione affectatus, ut Sallustius *Senati*, Terentius *Fructi*, & alii similia nomina flexerunt.

Tanquam nihil facti] An scribendum, *tanquam nil factum*, puta, *mihi sit*, tanquam nihil mihi acciderit, nullus casus me afflixerit? SCHEFFER. Optimum fortassis fuerit, scribere *tanquam nihil facta*, ut ad cladem referantur. *Facta* est *æstimata, habita*, quomodo quid magni aut parvi dicitur fieri. *Tanquam nihil*, est tanquam res nulla, tanquam nullum plane damnum. IDEM. Seneca ep. XXII. *Nemo quicquam habet facti: in futurum enim nostra distulimus.* HEINS.

Magnam fortitudinem habet] Ludit ambiguitate. nam *fortitudinem habet*, est idem, ac, *fortis est.* Ut habet dignitatem, favorem, honorem, & similia; juxta vero significat & adjunctam habet fortitudinem, sic ut oporteat eum esse forti animo ac magno, qui ædificare cupit magnam navem. SCHEFFER.

Seplasium] Hoc non assequor. Video quidem, Vossium in Glossario seu Lexico Originum sic scribere: *Est seplasiarii vox à seplasia, vel seplasium; quomodo vocari solent aromata, & simplicia medicamenta, ac unguentorum delicia. Ita usi Varro, Plinius, & Ausonius.* Sed haud persuadet: omnes enim hi de loco, ubi talia venduntur, non de rebus ipsis mercibusve

„ſus vinum, lardum, fabam, ſeplaſium, mancipia. Hoc loco Fortunata rem „piam fecit; omne enim aurum ſuum, omnia veſtimenta vendidit, & mi cen„tum aureos in manu poſuit: hoc fuit peculii mei fermentum. cito fio, „quod

agunt. Varro Ἀνθρωπόποδι: *Doti dato inſulam Chium, agrum Cacubum, Seplaſia Capuæ.* & in Synepheb. *Hic narium Seplaſiæ.* Plinius XXXIV. cap. 11. *Credunt Seplaſiæ, omnia fraudibus corrumpenti.* item, *fraus Seplaſiæ ſic quæritur eis.* & lib. XVI. cap. 10. *& inde fraus Seplaſiæ.* Auſonius Epigr. CXXIII.

Aere Seplaſiæ decipiare, cave.

Sed & cæteri, qui voce hac utuntur, nullum alium ejus norunt ſenſum. Unde adducor, ut exiſtimem, apud noſtrum eſſe compendium ſcripturæ, legique debere, *ſeplaſiariam*, ut ſubintelligi poſſit *rem*. Eſt enim *ſeplaſiaria res*, ut *ſeplaſiarius homo*, ſignificatque illud omne, quod primis temporibus in Seplaſia, Capuæ foro, vendi ſolebat, ut ſunt pigmenta, thura, pharmaca, aromata, & id genus varia, quæ una voce *ſpecierum* hodieque appellantur. SCHEFFER. Recte. *Seplaſium* via Capuæ fuit, ubi vendebantur potiſſimum unguenta & aromata. Aſconius ad orationem Ciceronis contra Piſonem: *Dictum eſt in diſſuaſione legis agrariæ ad populum, plateam eſſe Capuæ, quæ Seplaſia appellatur, in qua unguentarii negotiari ſunt ſoliti.* Sed & merces, quæ proſtabant in Seplaſia, Seplaſium & Seplaſia dictæ. Marcellus carmine de medicina.

Quodque ab Idumais vectum Seplaſia vendunt,
Et quicquid conſert mediis Lagea Cataplus.

Hinc *Seplaſiarius* in antiquo marmore apud Gruterum pag. DCXXXVI. 12.

T. VETTIVS. T. L.
HERMES
SEPLASIARIVS.

Vide Salmaſium ad Solinum, atque item ad Hiſtoriam Auguſtam. HEINS. Appoſite: Hæ enim merces præcipuæ Campaniæ: de vino nihil notius, nam *Liberi & Cereris certamen* inde à Flor. lib. I. cap. XVI. dicitur. Sidon. Apollin. Carm. V. verſ. 46. referens quos quæque regio fructus exponat, *ſert*, inquit,

——— *Campanus Iacchum.*

Ita & ſupra cap. 43. *Vendidit vinum quantum voluit.* Et quis non veterum ubertatem Campaniæ celebravit. v. Cluver. Ital. Antiq. lib. IV. cap. I. Lardum autem ex Campania plurimum exportari, docet Lex III. Cod. Theod. de ſuariis, & ibi doctiſſimus interpres Jac. Gothofredus. *Fabas* ibi abundaſſe docet in eodem Codice l. 2. de equis curulibus, ubi Imperatores jubent *Campanos ex neceſſaria, ſolemni, & antiqua præbitione duo millia modiorum ſabæ per ſingulas factiones ſtabulorum in urbe venerabili conferre.* Et hinc inter ſabatias, celebres fuere Bajanæ, quarum apparatum docet Apicius lib. V. cap. 6. de Seplaſio omnia jam manifeſta, poſt ea, quæ Schefferus, & Reineſius, & nos ad cap. 74. congeſſimus; neque hic nodus in ſcirpo quærendus, an Trimalchio jure ſuo non potuerit *ſeplaſium* dicere. Venalitiaria autem negotiatio, ubi quæſo non exercebatur? BURM.

Hoc loco] Senec. ep. 16. *Hoc loco dicet aliquis, liquet immundiſſimos fuiſſe.* Sic alii ſæpe. SCHEFFER. Id eſt, hoc tempore, ut plurimi in hujus vocis uſu fuere optimi quique ſcriptores. v. Gronov. ad Liv. lib. XXVII. cap. 7. & Græv. ad Cicer. lib. IV. ad Att. Ep. 2.

Veſtimenta] Scilicet ſtragula, ut plerumque eo ſenſu hæc vox occurrit.

In manu poſuit] Dedit. Convenit Plautinum illud in Aſin. I. ſc. I. *Tene ego defraudem, quoi ipſi nihil eſt in manu.* item ſc. 3. *Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum.* Terentius quoque in Phorm. IV. ſc. 3. *eho dic, quid vis dari tibi in manum?* SCHEFF. Id eſt, præſentem & numeratam pecuniam dedit. *Pro manu dare* dixit Terent. Adelph. Act. V. ſc. ult. & ita quæcumque res præſentes, quæ adſunt, dicuntur *in manibus eſſe* Cic. lib. VI. ad Att. Ep. 3. *Quippe res eſt in manibus, ſi autem abes longe gentium.* Statius lib. X. Theb. verſ. 29.

In manibus merces; nuſquam capita ardua belli,

Ubi v. Barthii notas. Lucretius lib. IV. verſ. 816.

Fit quoque ut interdum non ſuppeditetur imago
Ejuſdem generis, ſed ſemina, quæ fuit ante
In manibus, vir tum factus videatur adeſſe.

Ridicula autem hæc eſt pietatis Fortunatæ laudatio, quaſi ad Trecenties Sextertium jacturam reparandam centum aurei aliquid facere potuiſſent. Neque etiam oportet eo tempore multum ab uxore ſua deſpoliatum Trimalchionem, ut ſupra cap. 66. jactabat, neque Fortunatam compedes & armillas magni ponderis habuiſſe, unde tam puſilla pecunia confecta ſit. Et ideo addit etiam hoc fuiſſe *peculii ſui fermentum*, urbana locutione; quaſi hæc ſummula addita ejus peculio grandiori, incrementum dederit, ut fermenti exigua portio panis maſſæ addita eam inflat & auget. BURM.

Cito fio] Corrige, *cito fit*. SCHEFFER. Forte, *cito fit, quod Dii volunt.* Non diſſimile illud Livianum lib. I. *Evenit facile, quod Diis cordi eſt.* Noſter ſupra hoc capite. *Cæterum, quemadmodum Dii volunt, dominus in domo factus ſum.* HEINS. Nil muto, ſcilicet dives, ut erat in fatis. Quamvis & *τὸ fit*, egregie Heinſius illuſtrat. Ovid. lib. VIII. Met. verſ. 619.

——— *Immenſa eſt, finemque potentia cœli*
Non habet, & quidquid ſuperi voluere, peractum eſt.

Et ita ſæpe alii. BURM.

Uno

„quod Dii volunt: uno curſu centies ſeſtertium corrotundavi. Statim „redemi fundos omnes, qui patroni mei fuerant. aedifico domum: vena„litia coëmo jumenta. quidquid tangebam, creſcebat tamquam favus. „Poſtquam coepi plus habere, quam tota patria mea habet, manum de „tabula, ſuſtuli me de negotiatione, & coepi libertos foenerare. Et „ſane

Uno Curſu] Eleganter pro navigatione, ut optimus quiſque Latinitatis autor loquitur. v. Lambin. ad Horat. 1. od. 28. verſ. ultimo.

Corrotundavi] Conglomeravi, conglobavi. Horatius ſic uſus ſimplici lib. 1. ep. 6.

Mille talenta rotundentur, totidem altera porro.

Scholiaſtes Cruquii, *rotundentur, id eſt, compleantur: omne enim, quod rotundum eſt, ab omni parte perfectum eſt.* Ipſe Cruquius: *rotundari, ut mihi videtur, eſt redire in circulum, ut, ſi dicamus mille talenta millies: aut, ſi mavis, rotundari eſt, in ſe redire, ut unitas in ſe redit ad numerum denarium.* Puto, nihil horum velle Horatium. Potius, quia ſpeciem rotundam habet acervus omnis, ideo, quicquid in acervum congeritur, *rotundari* dicitur, & *corrotundari*, non ſecus atque *conglobari*, quod à globo, pariter rotundo, proficiſcitur. Adde quæ ſuperius dixi ad cap. 39. SCHEFFER. *Corrotundare* hoc loco eſt corradere, coacervare, adquirere, reſpectu habito ad formam nomiſmatis rotundam. Proprie loquitur Seneca, cum lib. 7. Natural. 26. *Corpus Cometarum corrotundari, ſplendorem autem longum adparere* dicit: id Græci efferrent, συστρογγύλισται vel συστρογγυλῶται & συσφαιρῶται. Activo συστρογγύλιν utitur Alexis in Phædro apud Athen. l. 4. de eo, qui patrimonium diſſiparat, & in ventrem condiderat; σφαῖραν ἐποίησε τὴν πατρῴαν οὐσίαν. οὕτω συνεστρογγύλιν ἰταμῶς καὶ ταχύ: id eſt, in rotundam ſcilicet pilæ formam redegit ſubſtantiam paternam; adeo impudenter & celeriter corrotundatam deglutiit; & Nicomachus apud eundem lib. 2. cap. XVI. abliguritorem rei paternæ hæc de ſe loquentem introducit:

Οὐσίδιον γὰρ καταλιπόντος μοι τοῦ πατρὸς,
Οὕτω συνεστρογγύλικα, κἀξεκόκκισα
Ἐν μησὶν ὀλίγοις, ὥσπερ ὢν τις ῥοφῶν.

Id eſt, *rem, quam pater mihi reliquerat, ſic corrotundavi, & egranavi paucis menſibus, ac ſi quis ovum exſorberet;* in quo nimirum à ſorbitione nihil remanet. Τὸ ἐξεκόκκισα, quod legit Scal. ad Varr. nec ſatis explicat, non intelligo; ἐκκοκκίζειν vero quod eſt *egranare, exacinare, grana eximere*, rem planam reddit; quæ enim granis, ceu medulla, & fartura, ſpoliantur, ea relinquuntur inania. Et hoc inſinuat gloſſa apud Varinum: ἐκκοκκίσας, ἐρημώσας. Κόκκος granum, ſemen, inprimis globoſum: κοκκία globuli, pilulæ, corpora minuta. Inde κόκκυν, τὸ ἐλάχιστον Heſychius interpretatur; Varinus, τὸ ὀλίγον. Et ab eo formarunt Latini *ciccum*, quo utuntur pro re levi, & nihili, qualis floccus, κρόκυς, fili retrimentum, pluma, achne, hitta, παιπάλη, & quodvis λεπτὸν ῥύσμα. REINES. Hoc verbo Vegetius, Seneca, & alii uſi ſunt. HEINS.

Quidquid tangebat] Vide ſupra ad cap. XLIII. *Crevit, quidquid crevit, tamquam favus*; & paullo poſt *Plane Fortuna filius, in manu illius plumbum aurum fiebat.* Seneca Epiſt. XCVIII. *Eadem intemperantia fingit ſibi perpetuam felicitatem, fingit ſibi creſcere debere, quacumque contigerunt, non tantum durare.* BURM.

Creſcebat tamquam favus] Hoc dixit, vel quia creſcebat occulte, vel quia ſine impendio. Utrumque enim fit in favo. GOES.

Tota patria] Immenſa jactatio, ex Aſia enim ſe veniſſe modo dixit; an illam ergo divitiis ſuperaverit? niſi de colonia, quæ altera quaſi beati hujus patria eſſet, intelligamus.

Manum de tabula] Forte, *manum de tabula ſuſtuli, immo de negotiatione.* Ni mavis, *manum de tabula, & coepi*, &c. Ut illud, *ſuſtuli me de negotiatione*, è Gloſſa in contextum irrepſerit. Cicero lib. VII. ad fam. ep. XXV. *Sed heus! tu manum de tabula, magiſter adeſt.* HEINS. Explicat Eraſmus ex Apellis hiſtoria: ſed rectius Manutius ad Ciceronis locum de pueris, qui abſente magiſtro in tabula quid pingunt, & eo veniente manum tollunt, ne deprehenſi verberentur. *Suſtuli me de negotiatione* autem eſt genuina Petronii manus, ſupra cap. 66. *Unde quidem etiam improbiter nos pugno ſuſtulerunt.* cap. 74. *Suſtuli illam de mactrilla.* BURM.

Et coepi libertos foenerare] Puto plane, ſcribendum, *& coëgi*. SCHEFFER. *Fœnerare* eſt mutuare, fœnorive dare. Utut vero Accuſativus perſonæ raro occurrat, eſt tamen in illo Martialis:

Hæc ſapit, hæc omnes fœnerat una Deos.

Id eſt, ab iplorum gratia quaſi fœnus levat. Sic etiam hic dictum puto, *fœnerare coepi libertos*, pecuniam à negotiatione in fœnerationem tranſlatam, cumprimis libertis, hoc eſt, ut tales evaderent, vel jam libertis, ut rem facerent, nundinatus ſum, iis ſic revera meo magno cum quæſtu beneficium fœneratum præſtando. HADRIANID. Omnino ſcribendum, *coepi per libertos foenerare.* Quaſi infra dignitatem eſſet exercere fœnus, nebulo ſuperbiſſimus eas partes libertis ſuis demandavit. *Foenerare* autem pro fœnerari etiam Seneca dixit ep. XLI. *Multum ſerit, multum foenerat.* Et ep. LXXVI. *In homine nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum foeneret.* Plinius lib. III. ep.

„ sane nolente me negotium meum agere, exoravit mathematicus, qui „ venerat forte in coloniam nostram, Graeculio, Serapa nomine, consiliator „ Deorum.

XIX. *Sum quidem prope totus in prædiis, aliquid tamen foenero;* sic vetustissimus Codex. HEINS. Commodo sensu retineri potest Tragurienſis codicis scriptura. Nimirum jam dives factus, ex fructibus & annuis reditibus beate satis & facillime cum posset vivere, servos plurimos manumittere cœpit, & ita libertos fœnerare, id est, acquirere, lucrari, sibi obnoxios & devinctos reddere. Gloria enim magna erat tam benigni ingenii esse, ut libertatem miseris illis non invideret. Eo sensu Martial. 1. epig. 77. dixit de arca Minervæ, sive Jurisprudentia:

——— *Hæc omnes foenerat una Deos.*

ita Cicero de Amicit. cap. 9. *Liberales sumus, ut non exigamus gratiam (neque enim beneficium foeneramus) sed natura propensi ad libertatem sumus.* Senec. lib. 1. de benef. cap. 1. *Demus beneficium, non foeneremus.* Potuisset ergo dixisse Trimalchio, & cœpi libertos, sola animi benignitate & voluntate motus, mihi adjungere & conciliare, sed aptius ad sordidam Trimalchionis & lucri cupidissimam naturam *foenerare* judicavit Petronius, qui ne beneficium quidem gratis, sed in spem gratæ mentis & officiorum & operarum à libertis ipsi præstandarum, dabat. Aliquid vidit Hadrianides, sed ejus oratio ita contorta & obscura est, ut, quid sæpe velit, vix capiam. BURM.

Negocium meum agere, exoravit] Distinctio est supervacua. Hoc ait, obtinuisse precibus Mathematicum, etiam ab invito, ut in rem alterius multa diceret. Sed sic scribendum erit: *nolentem me* exoravit, non *nolente*. SCHEFFER. *Nolente me negotium agere, exoravit* nolentem *mathematicus*. Quidni sensus & distinctio bona, cum nil facile mutandum? HADRIANID. Scribe, *nolentem me negotium meum agere exoravit mathematicus*. HEINS. Hiulca certe oratio est, sed similia jam toties in hac cœna vidimus, ut frustra in iis emendandis sudemus, quamvis in promtu sint etiam optimorum scriptorum exempla, ubi his ablativis, ut vocant, absolutis non respondeat sequens verbum. Sed hæc congerere hic non videtur operæ pretium; sed quid opus erat exorare, ut desisteret à negotiatione, qui ipse nolebat amplius negotiari? Fortasse *volente* scripserat, vel, ut in margine legitur, *exortavit*, pro *exhortatus est*. Nisi & stulte dictum accipiamus, ut reliqua Trimalchionis. Exoravit autem Mathematicus, prædicendo nimirum futura damna, naufragia & similia, cui ut fidem haberet, enumerat vanas quasdam de rebus puerilibus prædictiones, quibus id genus impostorum apud stultum & credulum vulgus auctoritatem sibi parat. Et ita eadem opera Satyricus noster non intactos hos divinos dimittit. BURM.

Mathematicus] De Mathematicis, antea proscriptis, sub Nerone autem toleratis in urbe, adeundi interpretes ad Taciti historiarum librum 1. cap. XXII. De iisdem multa scitu haud indigna Lipsius congessit excursu ad Ann. Tacit. lib. 11. littera G. Vanitatem horum peculiari libro aggressus est oppugnare Columella, quod de se testatur. Videndus & Aul. Gellius libro XIV. cap. 1. HEINS.

Græculus] In Manuscripto vero est, *greculio*, quod ostendit, lectionem vulgatam non esse veram. Et profecto Græculi per contemtum dicebantur. At iste Mathematicus hic supra modum laudatur. Suspicor ergo, nomen regionis vel urbis, unde venerat, hic latere, quod nunc non excogito. SCHEFFER. Malim duo contrahere & legere Serap-Ammon. Amarunt è duobus Numinum compositis nomina Ægyptii & Ἀγυπτιάζοντες Græci: inde Hor-Apollon, Phœb-Ammon, Herm-Ammon, Heracl-Ammon, Herm-Apion, Herm-Eraclas. REINES. Scriptura vetusti Codicis est *Greculio Serapa nomine*. Scribe, *Græculus, Serapio nomine*. Nam *Serapa* non videtur nomen Græcum, sed est *Serapio*. Hoc autem nomine fuit Rhetor Græcus, qui Severum Alexandrum erudiit, & medicus in Græcis magni nominis. Et eodem nomine alius Philosophus tempore Senecæ, de quo ille ep. XL. HEINS. Non ausus fui movere vocem, quam noster formare potuit, pro more suo diminuendi vocabula etiam jam à primitivis hac forma deducta, nec obstare puto, quod eum laudet. Nam talia, ἀσύστατα in Trimalchionis sermonibus ὄσα κόσις. De Græculis vidimus supra cap. 46. Nomen etiam *Serapa*, licet apud Veteres non occurrat, non magis, quam alia quædam in hoc Fragmento, est repudiandum, cum cognatum ipsi *Serapio* vel *Serapion* pluribus fuerit inditum, ut Heinsius duos recenset. Tertius est Geographus, cujus Cicero ad Atticum sæpe meminit, & cujus libri millesimam partem se vix intelligere scribit lib. 11. Epist. 4. Alius Ascalonites somniorum interpres, memoratus Fulgentio lib. 1. Mytholog. cap. 13. & Tertulliano de anima cap. 46. notante Munckero: & plures alii *Serapiaci*, ex antiquis lapidibus, in Gruteri indice reperiri possunt, & apud Reines. Cl. x. inscr. 110. qui & Class. XIV. inscr. 150. *L. Cæcilium Serapionem* habet. *Serapias* vero Fœminæ nomen in iisdem monumentis obvium. BURM.

Conciliator deorum] Non placet. Lego, *consiliator deorum*, & accipio de eo, qui consilia deorum exquirit, hoc est, qui ex astris & similibus colligit divinam voluntatem. Nam & hoc veteribus *consiliare*. Hinc *consiliantes divi*, apud Horatium, quorum alter alterius expetit consilium. Cicero sic usurpavit *consiliarii* vocem lib. III. de Leg. cap. 19. ubi de Augure. *Est autem boni auguris meminisse. Jovi optimo maximo*

se

„ Deorum. Hic mihi dixit etiam ea, quae oblitus eram, ab acia & acu „ mi omnia expoſuit, inteſtinas meas noverat, tantumque non dixerat, „ quid pridie coenaveram. putaſſes illum ſemper mecum habitaſſe.

LXXVII. „ Rogo, Habinna, puto, interfuiſti: tu dominam tuam de „ rebus illis feciſti: tu parum felix in amicos es: nemo umquam tibi „ parem gratiam refert: tu latifundia poſſides: tu viperam ſub ala nutri-

„ cas.

ſe conſiliarium atque adminiſtrum datum. Habes alias *conſiliatoris* vocem apud Phædrum noſtrum, atque alios, SCHEFFER. Lege, *conſiliator*, non *conciliator*, quod occupavit editiones nonnullas. HEINS. Recte *conſiliator* legit Schefferus, ſed nequit hæc vox notare, qui exquirit conſilia, verum qui dat: ut ex Phædri loco lib. 11. fab. 6. & quæ ibi notat Scheffer: manifeſtum eſt. *Conſiliandi* quidem verbum conſultare notat, & probæ notæ eſt, cum præter Cæſarem etiam Cicer. xv. ad Att. ep. 9. utatur, ſed *conſiliatorem* pro eo, qui rogat aliorum ſententias, occurrere, adhuc ignoro: neque decebat Trimalchionem, hunc ſuum Mathematicum in ordinem redigere, quaſi non ſaperet ſupra reliquos divinos, qui paſſim jactant, ſe rogare Deos, eorum mentem explorare, conſulere, & ſimilia; ſed hunc ipſi Dii in conſilium adhibebant, & fata ex ejus ſententia ſcribebant. Et fortaſſe hunc ineptus Trimalchio Mathematicum conſiliarium Deorum vocans, inter ſummos & Conſentes Deos locare voluit, qui ſemper Jovi adſidere & conſiliarii eſſe finguntur. Arnobius contra Gentes lib. 111. pag. 133. dicit, eos *ſummos Jovis conſiliarios & principes exiſtimari.* Vide Auguſtin. de Civit. Dei lib. 1v. cap. 23. Senec. de Natur. Quæſt. lib. 11. cap. 41. *Senatores Deorum* vocat Martianus Capella lib. 1. pag. 15. Quomodo autem Poëtæ luxurient in vanorum horum augurum commercio cum Diis extollendo, ſi Deus vitam dederit, aliquando ad Valerii Flacc. lib. 1. verſ. 231. oſtendemus. BURM.

Abacia & acumi omnia] Lege, *abace & acumine omnia. acumine*, id eſt, ingenii perſpicacitate, ut boni quique loqui amant Auctores. TILEBOM. Scribo: *Ab acia & acu mi omnia expoſuit. Acia* eſt filum in acu. Titinnius apud Non. *Reliqui acus aciaſque hero atque heræ noſtræ.* Gloſſæ veteres: ῥάμμα, *acia.* Eodem modo & Philoxenus. *Mi* eſt *mihi.* Supra hoc capite. *non me hercules mi hac jactura guſti ſuit.* SCHEFFER. *Mihi dixit*, hic temere inculcatum. Deinde ſic concinnandus cum Cl. Scheffero hic locus: *Hic etiam ea, quæ oblitus eram, ab acia & acu mi omnia expoſuit. Ab acu & acia omnia exponere*, elegans adagium. Titinnius apud Nonium. *Phrygio ſui primo, beneque opus ſtræ. Acum* pro re minuta Plautus etiam ponit Mænechmis: *Acum, credo, inveniſſes, ſi acum quæreres.* HEINS.

Inteſtina mea] Intima, ſecretiſſima cordis mei cogitata. SCHEFFER. Non erat mutandum in *inteſtima mea.* Poteſt enim & ad cogitationes inteſtinas referri, ut *inteſtina* referuntur ad Viſcera. Sed & apud Nonium *inteſtinus* agnoſcitur & *inteſtinum*, ut commentarius & commentarium, eventus & eventum, ſimiliaque alia. HEINS.

Tantumque non dixerat] Rectius in margine Codicis antiqui: *tantumque non mihi dixerat.* HEINS. Lege *tantum quod mihi non mihi dixerat*, id eſt, hoc ſolum ejus ſcientiæ divinæ deërat, quod non dixerat quid pridie cœnaveram. Vide de hac locutione viros doctos ad Cicer. in Verr. lib. 1. cap. 45. idem vitium inſederat Suetonii verbis in vita Auguſt. 63. ſed à Torrentio & Caſaubono, recte emendatum fuit. BURM.

Mecum habitaſſe] Perſ. Sat. 1v. *Tecum habita.* SCHEFFER.

Rogo, Habinna, puto interfuiſti] Repetenda ultima ſyllaba in *Habinna. Rogo, Habinna, nam puto interfuiſti.* HEINS.

Tu dominam] Sunt hæc verba Græculi illius, memorantis, quæ Trimalcio feciſſet olim ſecreto, ut hic: effeciſti ob res illas, ut domina uxor tua evaderet. Hic enim verborum ſenſus; & confer præcedentia. SCHEFFER. Primo ſcribendum, *de rebus puſillis*; gloriatur enim & alibi, ſe creviſſe de tenui. Deinde opinor, *dominium tuum*, vel *domum tuam.* Sed *dominium* malo, ne toties repetat, de domo ſua. HEINS.

Felix in amicos es] Lego: *felix in amicis es*, id eſt, inis amicitias infeliciter, cum eis ſcilicet, qui adverſus te non ita ſeſe gerunt, ut amicos decet. SCHEFF. Pro, *in amicis.* Vide Gellium lib. 1. cap. v11. Popmam in Catonem de R. R. HEINS.

Latifundia] Utitur hoc vocabulo Val. Maximus, Seneca, Plinius, alii. HEINS.

Viperam ſub ala nutricas] Ex Phædri, ſcriptoris mehercule perpoliti, & Petronio ætate paulo ſuperioris, hoc acute dictum ſive dicterium Trimalcio expiſcatum iviſſe videtur. Sic autem ille, libri ſuarum fabularum quarti Fab. 77.

Gelu rigentem quidam colubram ſuſtulit,
Sinuque fovit, contra ſe ipſe miſericors:
Namque, ut refecta eſt, necuit hominem protinus.

TILEBOM. Credo, alludere ad id, quod de Nerone apud Suetonium cap. 8. *Fabula exorta eſt, deprehenſis*

„cas. Et quod vobis non dixerim, & nunc mi reſtare vitae annos tri-
„ginta, & menſes quatuor, & dies duos? praeterea cito accipiam here-
„ditatem. Hoc mihi dicit fatus meus; quod ſi contigerit fundos Apuliae
„jungere,

benſis in lecto ejus circum cervicalia ſerpentis exuviis, quas tamen aurea armilla ex voluntate matris incluſas dextro brachio geſtavit aliquamdiu. De ſerpentibus, quas in deliciis habuere, docet alioquin Seneca 11. de Ira. c. 31. Martialis l. VII. epig. de Se. SCHEFF. Petronium ad id, quod de ſerpentis exuviis repertis in lecto Neronis pueri refert Sueton. cap. 8. alludere nunquam credam; neque ut iſtud eo trahatur tria helciariorum paria conficient: hoc ergo abierit. Uno verbo; verba ſunt Serap-Ammonis mathematici vaticinati de conjugio incommodo illo, ut ſupra obſervari potuit, à Fortunata Trimalcioni, ſcilicet ſerpentem in ſinu foturo cum eventu, quem ille Æſopi fruſtifiſſor fuerat expertus: notat Sen. ep. 42. hoc eſt, habituro refractariam, oblatratricem, exitialem, peſtem: ea Trimalcion hic repetit ad Habinnam. REINES. Aliis eſt, *Viperam in ſinu fovere.* Notus Æſopi apologus. *Nutricare* verbum antiquum Plautini Sæculi: *nutricari* Cicero dixiſſe maluit. HEINS. Eleganter Fortunatam *Viperam* vocat, ut ingratam, & crudelem, quam de mactrilla ſuſtulerat, & ſumma cura nutricaverat. Juvenal. Sat. VI. verſ. 641.

Tune duos una ſaviſſima vipera cœna?

Et eo ſenſu Baptiſta Joannes Judæos vocat γεννήματα ἐχιδνῶν, & Euripides Alceſtide verſ. 309.

Ἔχθρὰ γὰρ ἡ κακὴ μητρυιὰ τέκνοις
Τοῖς πρόσθ', ἐχίδνης δύσνοι ἠπιώτερα.
Noverca enim uxori ſuccedens liberis eſt inimica
Prioribus, nihilo mitior quam vipera.

De proverbio vide Eraſmum in ὄφις θάλπεις. pagin. 492. recte autem ad Neronis hiſtoriam hæc referri non poſſe vidit Reineſius. Sed accommodatius eſt dictum Tiberii de Caligula, qui *praedicabat, exitio ſuo omniumque Cajum vivere, & ſe natricem, (ſerpentis id genus) Populo Romano, Phaëtontem orbi terrarum, educare.* Sueton. Calig. cap. XI. ad quod Phædrum fabula ſecunda libri primi reſpexiſſe autumat, non extra veri ſpeciem, doctiſſimus Triſtanus in commentariis Hiſtoricis Imperatorum tom. II. p. 303. quæ & ſententia fuit Marquardi Gudii. BURM.

Et cur vobis non dixerim] MS. habet: *& quod vobis.* Forte ſcripſit, *& quid? vobis non dixerim.* SCHEFFER. *Quo* ſcribendum, pro *cur.* HEINS.

Etiam nunc mi reſtare vita annos triginta, & menſes quatuor, & dies duos] Nimirum ariolus ille genethliacus ita viderat ſcriptum in diptchera Jovis, vel tamen in Ὀφάσει ſic repererat, quod de longitudine vitæ promitteret ſciſcitatori; eique igitur fidem non immerito habuit homo φιλόψυχος, vanus & ſtolidus. Similem tamen ſibi & in eodem curioſitatis credulitatiſque luto hærentem habuit poſt aliquot ſecula MATRINIANUM quendam EX-PROTECTORIBUS, qui cippo, quem ſibi poſuit, inſcripſerat, Vixiſſe IN SECULUM AN. LXI. ET SPERARE ſe VIVERE ADHUC ANN. LXXXXIX. MESES. VI. DIES III. ET H. DECEM: è Codice Alciati ſumma fide deſcriptum à Placido Puccinellio monacho Caſſinenſe recenſet Octavius Boldonius l. 2. Epigraphices f. 349. inde acceptum repeto & interpretor n. 446. Claſſis XX. Syntagmatis Inſcriptionum. REINES.

Hoc mihi dicit fatus meus] Sic recte: referendum enim ad id, quod ſequitur, à quo non eſt divellendum. Ut temere hic editiones quædam receperint, *Hæc mihi dicit fatus meus.* GOES. Ita jam ſupra cap. XLII. vidimus *fatus*, pro fatum. Hoc tamen loco, quia de mathematico agit, mallem *fatuus meus*, quod magis ad Satyricam acrimoniam pertinet, ut ſimul Petronius ſtultitiam hujus artis indicet. *Fatuos* enim divinos & conjectores dici, nemo humanioribus literis imbutus ignorat: unde & uxor Fauni Fatua dicta eſt. v. Scalig. ad Varron. de L. L. p. 54. BURM.

Quod ſi contigerit fundos Apuliæ conjungere] Inprimis ſtuduerunt οἱ πλάσται, ut fundos fundis aggerarent, & fines promoverent, & latifundiis cenſerentur. Idem Trimalcio de ſe ſupra cap. XLVIII. *Nunc conjungere agellis Siciliam volo, ut, cum Africam libuerit ire, per meos fines navigem.* De eodem ſtudio Horat. 2. ep. 2. *Calabris ſaltibus Lucanos adjici* dixit. Deinde lege *ſatis dives.* an *divum* ſe nominat pro beato? REINES Hæc inquinatiſſima ſunt, in quibus tamen nonnihil videor videre. E *ſatis* eruo *ſi at HS.* nam numerus pecuniæ hic deſideratur. HS. cum linea ſuper appoſita, millies ſeſtertium ſignificat: *at* pro *ad* paſſim in antiquis marmoribus & Codicibus pervetuſtis exaratum occurrit. Totum locum ſic conſtitue: *Quid ſi contigerit fundos Apuliæ jungere, ſi ad HS. vivus pervenero? Jungere fundos Apuliæ*, eleganter & Latine dictum eſt, pro continuare ſuis poſſeſſionibus. *Si ad HS. vivus pervenero*, quomodo apud Noſtrum cap. 84 *Si ad HS. trecenties ſalvus pervenerit.* HEINS. Ego hunc locum ita conſtitui malim. *Hoc dicit fatus, quod ſi contigerit fundos Apuliæ jungere, ſatis vivos prævertero. Prævertere vivos*, ut *prævertere ventos*, apud Virgilium Æn. VII. 806.

——— ——— *Prælia Virgo*
Dura pati, curſuque pedum prævertere ventos.

Hoc ergo jactabundus dixit, in fatis eſſe, ſi fundos Apuliæ junxerit, felicitate auteceſſurum ſe omnes qui ſunt in vivis. GOES. Vide ſupra ad cap. 48.

Per-

„jungere, ſatis vivus pervenero. Interim dum Mercurius vigilat, aedifi-
„cavi hanc domum: ut ſcitis, caſa erat, nunc templum eſt. habet qua-
„tuor caenationes, cubicula viginti, porticus marmoratas duas, ſuſum
„cella-

Pervenero] Munckerus in literis ad Heinſium, *ſatis vivus provenero*, legendum judicabat, id eſt crevero; ſed mox, ubi Heinſius ſuam cum eo emendationem communicaverat, eam ambabus ulnis amplexus eſt in alteris literis. Et certe ingenio tanto, ut Heinſii, digna eſt: vellem eam veram præſtare poſſet. Nam, cur non hoc ultimum votum ſibi propoſuiſſe potuit Trimalchio, ſi Apuliæ fundos jungeret, ſe tunc contentum fore, dum viveret? Illud autem, *vivus pervenero*, ex communi formula videtur ſumtum. Virgil. ecl. IX.

O Lycida, vivi pervenimus, advena noſtri
Quod numquam veriti ſumus, ut poſſeſſor agelli
Diceret; haec mea ſunt, veteres migrate coloni.

BURMAN.

Mercurius vigilat] Tranſeunt hoc interpretes ſilentio; ſed videtur hic Trimalchio, cujus genio Mercurius ſemper delectatus fuit, & quem, ut negotiator, ſemper ſumma religione coluit, indicare pietatem ſuam, & viciſſim Dei curam erga ſe. Ut enim, bellum ſuſcepturi, Romani duces ſolebant intrare ſacrarium Martis, & motis Ancilibus & Haſta Dei dicere, *Mars vigila*, ita noſtrum Negotiaturum hoc ſolemni carmine Mercurium ſibi propitiare ſolitum fuiſſe veroſimile eſt. Vide Servium ad Virgil. VIII. Æneid. verſ. 3. Et eo reſpicere idem Poëta videtur lib. X. Æneid. 228.

——— *Vigilaſne, Deûm gens,*
Ænea? Vigila, & velis immitte rudentes.

Quamvis ibi Servius ad Virgines veſtales, quæ certa die ad Regem ſacrorum ibant, & dicebant, *Vigilaſne rex? vigila*, referat. Sed puto rectius ad *Mars vigila* reſpici. ergo dum Mercurius vigilat, id eſt, negotiationem mihi lucroſam & proſperam procurat, ego ædificavi hanc domum. BURM.

Cuſuc] Forte, *caſula erat*. Juvenali familiare vocabulum. Noſter etiam ſupra cap. XLIV. *ſi perſeverat hac annona, caſulas meas vendam*. HEINS.

Templum] Abuſive, propter magnificentiam & ſplendorem, qualis eſſe templorum ſolebat. SCHEFFER.

Porticus marmoratis] Lege, *marmoratas*. In inſcriptionibus Gruterianis pag. XXXIX. 4.

AEDITVI. VENERIS. HORTORVM
SALLVSTIANORVM. BASEM. CVM
PAVIMENTO. MARMORATO
DEANAE.

Et pag. CXXIX. 1.

SEX. DVSSIVS. RVFINVS. EX. CONLATIONE
SVA. ET. MANIPVLARIVM. SVORVM
AEDICVLAM. MARMORAVIT.

Iterum pag. CLXXXI. 4.

FLAVIVS. CATVLLVS
TESTAMENTO. AD. MARMORAN
DVM. BALINEVM. LEGAVIT. R. P. X. LXXV.

Nec diſpar inſcriptio apud Rhodericum Carum Antiquitatibus Hiſpalenſibus idiomate Hiſpano editis lib. III. cap. 8. Ubi *porticus lapideæ marmoratæ* exhibentur. Et ibidem lib. III. cap. 5. ubi *aream marmoravit* in lapide legitur. HEINS. Vid. Barth. ad Stat. Sylv. lib. IV. Sylv. III. verſ. 96.

Suſum] In ſuperiori parte ædium. Varro I. de R. R. cap. 6. *Qui colunt deorſum, magis aſtate laborant, qui ſuſum, magis hyeme*. Sic in decreto veteri de finibus inter Genuates & Veiturios apud Gruter. p. 204. in Pandectis Florentinis ſæpe, quod jam docti viri annotarunt. *Cellationem* autem valde mihi ſuſpectum eſt vocabulum. Quod enim? cellæne in ſuperiori ædium parte? SCHEFFER. *Cella* à celando dicta. Feſtus, Voſſius. Videturque res celanda ad ſe trahere cellæ locum. Sic *cellæ* vinariæ fere hypogæa ſunt, non ſic caldaria illa, qua de C. Plin. lib. 5. Ep. 6. cui ſol plus quam benigniſſime præſto erat, ac ne quidem penuaria, lignaria, farinaria, libraria, caſearia, &c. *Cellulas* vero columbarum, de quibus Columella, etiam altiſſimo videmus loco. Et *cellæ* hodie clauſtralium quidni in ſuperiore ædium parte, cellæ vero olim meretricum fere tantum in fornicibus, utrobique perſonæ celantur, ſed impari modo & fine. Itaque *cellatio* ſaltem pro conditoriis divitiarum & ſupellectilis, quæ ſic commode & ſicca alibi ſervari non poterat, hic poſſet accipi. HADRIANID. Vix præſtem ſanum hoc eſſe, quod Verbi, unde deſumere potuerint, nullus umquam fuerit, quantum memini, uſus: nec facile reperias à Nominibus formari ejusmodi, quæ Verbalium appellatione communiter adficiuntur. Lege igitur *cellariolum*, id eſt, reliquiarium, promtuarium, vulgariter *Diſpenſa*, *vaussion*. cujus ſtructura commode in ſuperioribus ædium, loco perflabili & ſicco; in ſubterraneis enim conditoriis pleræque ſpecies & pars penoris madore corrumpuntur. Si quis maluerit *collationem*, ei plura demonſtranda erunt fortaſſis non ita facilia. REINES. Quaſi vero non conſtaret, *cellam* olim fuiſſe dictam *celam*; ante enim Ennium conſonæ non geminabantur: *cela* vero ab ipſo themate, *celo*. Cum igitur fingeret noſter *cellatio*, in mente erat, *celo*, dat *cela*, ergo *celatum*, *celatio*: liceretque nobis antiquario hic modo ſcribere *celatio*. Nec tamen actum ſignificaturi, ſed locum: quia, quemadmodum *præſens* locum dedit, ita eadem cogitanti dicentique etiam *ſuprinum*, ac puto una cellatione plures cellas comprehendi. Ubi rurſum non tam

„cellationem, cubiculum in quo ipse dormio, viperae hujus sessorium, „hostiarii cellam perbonam, hospitium, hospites capit. ad summa, Scau„rus cum huc venit, nusquam mavoluit hospitari, & habet ad mare pa„ternum

exacta omnibusque communis analogia, quam analogia late spectanda. Sunt tamen plura hujus generis, ut, quod praecessit proxime, *cœnationes* pro *cœnaculis*. Vossius: Ejusdem sunt originis *cœnatio*, & *cœnaculum*. Utrumque locus fuit, in quo *cœnabatur*; sed *cœnatio* erat divitum. Dicebaturque *cœnatio* ea forma, qua *ambulatio* vocatur locus, in quo *ambulare* solent; & *gestatio* locus, in quo sanitatis caussa *gestabantur*. HADRIANID. Quid? sic & hic *coenationem* scribendum, ut perinde ipsam quoque habuerit pars ædium superior, sicut inferior, quemadmodum & cubiculum habuit. SCHEFFER. *Susum* pro *sursum* scio occurrere non semel in vetustissimis D. Cypriani, Prudentii, aliorum, codicibus, sed nihil id ad hunc locum. Pro *suso* tamen addita unica littera habebis *sustum*, idque pro *xustum*, sive *xystum*, veteri ratione scribendi, ut *Æguptus*, *Dea Phrugia*, *Dea Suria*, & mille talia in antiquis marmoribus apud Gruterum pag. DXVI. 5. *Sestus* pro *Sextus*, pag. CLXXIII. 5. *Prætestatus* pro *Prætextatus*. DLIX. 5. *Cojus* pro *Conjux*. Apud Maronem in Bucolicis Membranæ omnes, quas vidi, *Hylas* pro *Hylax*. *Hylax in limine latrat*. Exempla & alibi passim obvia. De xystis autem videndus Vitruvius. Per *cellationem*, verbo non satis obvio, designat seriem cellarum, in quibus aut servis cubilia sternebantur: quo pertinet illud Senecæ Controvers. XXI. de servo per nuptias filiæ herili juncto, *Ex cella migrabit in cubiculum suæ dominæ, vel domina ex cubiculo suo migrabit in cellam:* aut in quibus penus asservabatur, de quibus Donatus ad Terentii Adelph. Act. IV. sc. II. *Cella & cellarium à reponendis celandisque rebus esculentis & poculentis dicitur*. HEINS.

Viperæ hujus sessorium] Viperam appellat Fortunatam per indignationem & iram, quia exsibilare ipsum solebat. Germanus ad Varum apud Florum lib. IV. cap. 12. recisa prius lingua ejus: *tandem vipera sibilare desiste*. *Sessorium* sedes, habitatio, conclave. Sed hæc vox alibi non lecta est, & dubito de integritate ejus. SCHEFF. Utitur pro φορείῳ, gestorio, δίφρῳ καταστέγῳ, lectica, basterna. Cœl. Aurel. I. Acut. 10. *sella bajulatoria vel quolibet sessorio veheretur*. Hic significat γυναικῶνα, seu diætam matrisfamiliæ: γυναικωνῖτις, ubi prandere, cœnareque solebat, Luciano in Somnio: vel etiam speciatim κλισμὸν, reclinarium, reclinatorium. REINES. Præter vulgata, Reinesius in litteris ad N. Heinsium suspicatur etiam *cessorium*, quod amplecteretur, si ulla niteretur auctoritate. *Nec*, inquit, *abludet ab edito, si legerimus* cessorium. *Intelligetur autem tum locus, in quem saturi secedunt, qui alias* cessale. *Hoc vero à Græco* καΐζειν, χέζειν, *formatum existimari potest*. SCHEFFER. Sic, ut apud Plinium *dormitorium*, locus in quo dormitur. Plauti est *sessibulum*, id, in quo sedetur. Vitruvius habet *Deorum sessimonium*, hoc est, loca, ubi dii quasi sedent, seu simulacra eorum reponuntur. HADRIANID. Viperæ convitium in fœminas conferri solitum. Livius lib. XXXIX. cap. XI. *Hispalæ concubitu carere eum decem noctes non posse, illius excetræ delinimentis & venenis imbutum. Sessorium* autem, quamquam vix putem dici, à *sedendo*, unde & elegans vocabulum *domisedæ* in marmore nondum, quod sciam, edito; quomodo *prosedæ* pro *prostibulis* apud Plautum.

HIC. SITA. EST. AMYMONE. MARCI.
OPTIMA. ET. PVLCHERRIMA. LANIFICA.
PIA. PVDICA. FRVGI. CASTA. DOMISEDA.

HEINS. Recte explicare Heinsium puto. *Sedere* enim proprie de matribus familias, quæ domum servabant, Propert. III. eleg. X.

Nec frustra: quia casta domi perfederat uxor,
Vincet Penelopes Ælia Galla fidem.

Ubi vide Passeratio adnotata. Ovid. Ep. XVI. Heroid. vers. 16.

Nec sedeo servis dura superciliis.

Quod nescio cur non placeat Heinsio. In Catalectis Pithœi p. 121.

Domum servavit, lanam fecit. BURM.

Hostiarii cellam perbonam] Pervetus hoc est, nimirum tractum à Plauto, qui Mostell. Act. 3. sc. 2. vers. 3. *prandium perbonum* dixit, & ib. sc. 1. *peroptime:* quod imitatus scriptor seculi decimi quarti Rol. Capellutus tr. de pestil. apostem. curat. REINES. Distinguit hanc cellam à cellatione, cujus supra meminit; cella enim janitoris prope januam domus, quæ ejus curæ, etiam nocturnæ, credebatur. HEINS.

Hospitium hospites capit] Scribe, *hospitium M. hospites capit*. Littera numeralis ob similitudinem præcedentis perperam omissa est. *Hospitium* locus est in ædibus peculiaris, excipiendis hospitibus destinatus. Hoc sensu Florus Ostiam appellavit *hospitium urbis*, quo totius *mundi opes reciperentur*. SCHEFF. Scribe, *Hospites C. capit*. hoc est, hospites centum. Apud Tacitum pari peccatur modo, cum pro C. Cæsari, qui est Caligula, Cæsar simpliciter legatur, Ann. lib. XI. cap. VIII. HEINS.

Ad summa] Vide supra ad cap. 75.

Nusquam mavoluit hospitari] Lege, *mavolt*. Agnosce & hic certum antiquitatis argumentum. In Pliniano veteri Codice pari modo inveni exaratum lib. VIII. ep. XXI. Et sic Aldus è vetustissimis membranis illic exhibuit. Membranæ Maronianæ complures antiquitate spectatæ passim *volgus*, *volnus*, *Volcanus*, & similia. Nummi Veteres DIVOS IVLIVS. HEINS.

Habet

„ternum hospitium, & multa alia sunt, quae statim vobis ostendam. „Credite mihi: assem habeas, assem valeas: habes, habeberis. Sic ami„cus vester, qui fuit rana, nunc est rex. Interim, Stiche, profer vitalia, „in quibus volo me efferri. profer & unguentum, & ex illa amphora „gustum, ex qua jubeo lavari ossa mea.

LXXVIII. „[a] Non est moratus Stichus, sed & stragulam albam, & „praetextam, in triclinium attulit, jussitque nos tentare, an bonis lanis „essent

a ENCOLPIUS.

Habes, habeberis] Absolute. Respexisse videtur, quod habet Lucilius I. Sat. teste Schol. Vet. ad Juven. III. isto versu:

Quantum habes, tanti ipse sies, tantique habearis.

SCHEFFER. Ita semper judicavit vulgus, omniumque primum quaesivit de censu,

——— *Quot pascit servos, quot possidet agri*
Jugera, quam multa magnaque paropside caenat?

Strabo lib. 9. vocat κοινὸν λόγον, alius ὑμνῳδὸν πάλαι istud:

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα·
Δύναμίν τι πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἴσχει.

& ab admiratore auri Tragico, apud Luc. in Somn. istud:

Ω χρυσὲ, δοξώμα κάλλιστον βροτοῖς.
Οὔτ' γὰρ ἴσθ', ὃς βροτῶν ἴσχει κράτη.

itemque ab alio hoc: *ubique tanti quisque, quantum habuit, fuit.* nimirum, *ita Populus jussit. Sed Populi scita ex magna parte Sapientes abrogant*: etsi concedant λυσιτελῶς λιμώττειν χρυσὸν τὸ ἀνθράκινον γένος, *utiliter aurum esurire hommes*; hinc enim artes inventas & in communem vitam inductas esse; hinc conditas urbes; hinc institutas negotiationes; in summa, omni ordine & decore careret vita isthaec, nisi aurum homines mutuis operis indigentes fecissent: ut Philosophatur Hermagoras ad Sopatrum, in Epp. Theoph. Simoc. REINES. Puto veram scripturam esse, *aves, avebe-ris.* Ut sententia sit, salutabis, etiam resalutaberis. Nam in altera lectione idem bis dici videtur. Quamquam, si quis eam velit servare, non habebit me adversum sibi. SCHEFFER. Minime haec sollicitanda sunt, bina enim ejusdem sensus conjunxit adagia, *Habes, habeberis*: quantum habes, tanti habeberis. Quod versibus tragicis ita Seneca epist. CXV.

An dives, omnes quarimus, nemo, an bonus:
Non quare, & unde: quid habeas, tantum rogant,
Ubique tantum quisque, quantum habeat, fuit.

Qualia & apud alios plura. HEINS. *Habes* simpliciter positum, ut saepe, pro dives es, possides plurima, ut docuit celeberrimus Grævius ad Cicer. VI. ad Fam. Ep. 29. Vide & ad Phædr. Prolog. lib. III. Ovid. lib. III. Art. Amat. vers. 541.

Nec nos ambitio, nec amor nos tangit habendi.

Aurelius Victor in Caesaribus cap. 3. dixit *studium habendi*, quod Graeci πλεονεξίαν vocant. BURM.

Vitalia] Supra cap. 42. *Bene elatus est, vitali lecto*; ubi vide. *Vitalia* sic usurpasse censeo & Senecam ep. 99. *Quam multis cum maxime funus locatur? quam multi vitalia emunt?* Sic disertim habet meus membranaceus optimae notae, non *multis* & *emuntur*, unde postea in editis fecerunt *eruuntur*, ac exposuerunt, vel de exenteratis cadaveribus, vel de viscerum tractatione in viventibus, ut fit in ruptis. Verum prius repugnare consuetudini Romanae recte Lipsius observat. Posterius haud convenit cum caeteris ejus loci, qui de morte agit, non de morbis. Igitur non aliter accipio *vitalia*, quam quae adornando funeri sunt necessaria. Quae sic dicta fuerint ominis melioris gratia, pro *mortualibus*. Quomodo & *vitam* aliquando usurpasse pro *morte* docet Casaubonus ad Spartiani Hadrianum. Et sunt ipsa Macrini verba apud Lampridium: *mihi non multum superesse videtur ad vitam*, quod is ipse recte explicat, *ad mortem*. Ut sic, *emere vitalia*, sit, comparare ea, quae ad mortem funusque requiruntur. Ut sunt vestes funebres, stragula, & hujusmodi. SCHEFFER.

In quibus volo me efferri] Nota idiotismum vulgi. Poterat enim elegantius dixisse: *in quibus volo efferri.* HEINS.

Et stragulam albam & praetextam] Nota sepeliendi ritum. In toga efferri solitos Quirites, jam alii docuerunt, etiam plebejos. Unde apud Martialem:

Nec pallens toga mortui tribulis.

Nec Romae tantum sepeliebantur in toga, sed in municipiis quoque. Juvenalis Sat. III.

Pars magnae Italiae est, si verum admittimus, in qua
Nemo togam sumit, nisi mortuus.

Sed praetextam soli magistratus mortui. En Livium huic loco Interpretem. Is lib. XXXIV. cap. VII. *Purpura viri utemur, praetextati in magistratibus, in sacerdotiis: liberi nostri praetextis purpura togis utentur; magistratibus in coloniis municipiisque, hic Romae infimo generi magistris vicorum togae habendae praetextae jus permittemus, nec id, ut vivi solum habeant tantum insigne, sed etiam, ut cum eo crementur mortui.* HEINS.

Tentare] Proprie manibus tangere & explorare. Phædr. lib. IV. fab. 7.

Haec cum tentaret, si qua res esset cibi.

Et lib. III. fab. 10.

Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.

„essent confectae. Tum subridens: [a] Vide tu, inquit, Stiche, ne ista „mures tangant, aut tineae; alioquin te vivum comburam. ego glorio„sus volo efferri, ut totus mihi populus bene imprecetur. [b] Statim am„pullam nardi aperuit, omnesque nos unxit: [d] &, Spero, inquit, fu„turum, ut aeque me mortuum juvet, tamquam vivum. [c] Nam vinum „quidem in vinarium jussit infundi: &, Putate vos, ait, ad parentalia mea „invitatos esse. Ibat res ad summam nauseam, cum Trimalchio, ebrieta„te turpissima gravis, novum acroama, cornicines in triclinium, jussit „addu-

[a] TRIMALCHIO. [b] ENCOLPIUS. [c] TRIMALCHIO. [d] ENCOLPIUS.

Ubi vide adnotata, & Passerat. ad Propertii lib. 1. eleg. 3.

An bonis lanis essent confectae] *An è bonis lanis*, foret Latinius. HEINS.

Vide tu, inquit, Stiche] Possis etiam *Videto, inquit, Stiche*, sed nihil necesse est. HEINS.

Alioquin te vivum comburam] Minae hae sunt ventosi & insolentis domini, quales illae Mercurii Plautini, *Evades numquam, quin te sacrificem. Ignis poenam gravissimam credimus, cum servis irascimur.* Neque enim auditum, apud Romanos aliter animadverti in servos, quam virgis, flagellis, fustibus, crurifragio, cruce. *In servos quidem heris nihil non licere*, vetus dictum. Vid. Sen. 1. de Clem. c. 18. & Petr. Chrysol. serm. 141. sed magistratus temperarunt licentiam: inprimis Athenienses super saevitia in eos cognoscere consueverunt. Vid. Athen. lib. 6. ex Hyperide, Lycurgo, Demosthene; & circumferuntur duo rescripta D. Antonini Pii, alterum ad Ælium Marcianum Procos. Baeticae, alterum ad Alfium Julianum, plena humanitatis, quibus atrocius jura dominationis exercere heri prohibentur: Coll. LL. Mos. & Rom. tit. 3. REINES.

Ut totus mihi populus imprecetur] Ridicule, cum *imprecari* in malam partem sumi soleat ex usu Latini sermonis. HEINS. Ita & Apulejus utitur lib. IX. Met. *Solito sermone salutem ei imprecatus fuerat.*

Ampullam nardi aperuit, omnesque nos unxit] Ad quid unxisset adstantes? unctionem vero sibi, ut vivo, sic mortuo profuturam sperare dicit. Elota ergo menda lego, *ungueque suos unxit.* At cur ungues? quia clausulae sunt nervorum, ut loquitur Plinius: potius quia nervi, venae, arteriae, ad eos porriguntur; unde & extremorum insignis ille cum membris principibus consensus, quorum robori facere putabant inunctiones unguium. Quin eos deaurari mos quoque erat: Serv. ad Æn. verum id non sanitatis, sed ornatus caussa & luxu. Graecorum ea curiositas, quod privatim cuique parti corporis peculiare unguentum idoneum & salubre scirent; unde apud Antiphanem ille crura & pedes Ægyptio, buccas & mammam Phoenicino, utrumque brachium sisymbrino, supercilium & comam amaracino, cervicem & genua serpillino linebat. De nardini praestantia, praeterquam Scriptores sacri, testatur Menander in Cecryphalo apud Athenaeum lib. XV. Unctio autem ista Trimalcionis recte censebitur inter *crapularias*, quas parasitus Plautinus Stich. Act. 1. sc. 3. vers. 75. nominat: *ebrietate* enim *turpissima gravis* eam sibi adhibuit. REINES. Reinesius *omnesque ungues*, quod recedit longius. Nec fortassis multum profuerat, unxisse ungues. Mallem *omnesque venas unxit*, nempe (sicut solet) ad tempora, ad manus, & pectus, cum unguentis bene spirantibus etiam aegri sunt refocillandi. Cum praesertim paullo ante poene mortuum se simulaverat. SCHEFF. *Et* MSi est, quod Patav. omiserat. Ut verba retineam, sic intelligo: Omnes Trimalchio unxit, seu ungi jussit, in memoriam communis mortis, quidque ipse de unctione etiam mortui hominis sentiret, exponit, *Spero*, inquiens, *futurum*, &c. An vero consuetudinis Romanae fuerit mortuos exenteratos, vel non exenteratos, ungendi, alii disquirant. Dalecamp. ad Sen. Ep. 99. prius affirmat, septemque dies, antequam cadavera cremarentur, exemtis visceribus unctioni datos fuisse asserit; Lipsius ibid. negat, aut dubitat, quem laudat Scheffer. paullo ante ad, *vitalia*. HADRIANID. Omnium capiti nonnihil unguenti infusum vult noster. Miror Reinesium corrigentem, *ungueque suos unxit*. HEINS.

In vinarium] Puta, vas, quomodo est integre apud Ciceronem. Glossae Cyrilli, οἰνοφορεῖον, *vinarium*. SCHEFFER. Opinor voluisse Petronium, *Nardini quid inde in vinarium jussit infundi.* Ut ad praecedentia referatur: *statim ampullam Nardi aperuit, omnesque nos unxit.* De vinis unguentatis jam dixerunt alii. HEINS. Ego censeo, exigua mutatione restituendum esse: *Nam, ut vinum quidem, in vinarium jussit infundi.* Vocula *ut*, quae hic inserta, absorpra videtur per litteram extremam verbi praecedentis. Nam, quia volebat, ut nardinum illud se vivum juvaret, jussit in vinarium, aeque ut vinum, infundi, bibiturus inde vivus. Ut autem mortuum se juvaret, sperabat futurum cura ejus, cui funus suum commiserat. supra habuimus: *Sed tamen suaviter fuit, etiamsi coacti sumus dimidias potiones super ossicula ejus effundere.* GOES.

Gravis] Proprie. Ovid. lib. III. Met. vers. 608.

Ille mero somnoque gravis titubare videtur.

Epist.

„adduci, fultuſque cervicalibus multis extendit ſe ſupra torum extre-
„mum: & [a] Fingite me, inquit, mortuum eſſe: dicite aliquid belli.
„[b] Conſonuere cornicines funebri ſtrepitu. Unus praecipue ſervus libiti-
„narii illius, qui inter hos honeſtiſſimus erat, tam valde intonuit, ut to-
„tam

[a] TRIMALCHIO. [b] ENCOLPIUS.

Epiſt. XIV. Heroid. verſ. 33.

Jamque cibo, vinoque graves, ſomnoque jacebant.

Ita Livius, Tacitus, & alii quoque locuti. infra cap. 99. BURM.

Torum extremum] Lectum funebrem intelligit, quem jam tum paratum habuit Trimalcio, ut liquet ex ſuperioribus. SCHEFFER. Pulchre. Sic enim appellabant lectum mortualem, quo efferebantur. Pari modo *extremus* & *ſupremus ignis*, pro rogo, apud Naſonem 1. Amor. eleg. ult.

Ergo etiam, cum me ſupremus adederit ignis,
Vivam.

Ultimum ignem alii dicunt. Seneca in Epigrammatis.

Non panis, non hauſtus aquæ, non ultimus ignis.

Quod autem hic Trimalchio, idem Turannius: Seneca de brevitate vitæ cap. XX. *Turannius exactæ diligentiæ ſenex, cum vacationem procurationis à C. Caſare ultro acceptiſſet, componi ſe in lecto, &, velut examinem, à circumſtante familia plangi juſſit.* HEINS. Non capio de lecto funebri, ſed de extrema parte lecti, in quo cum maxime accumbebat: nulla enim mentio illati in triclinium lecti funebris præceſſit, quod non omiſiſſet Petronius, ita *extremum lumen* ſupra cap. 22. ubi vide. BURM.

Dicite aliquid belli] Velut defuncti laudem. Solebant enim clamorem dare circumſtantes, brevibuſque dictis virtutes defuncti celebrare, pium, bonum, benignum, & id genus nuncupare. SCHEFFER. Quale nimirum in laudatione funebri ſolebat. De quo vide J. Guther. 1. de jure manium cap. XXV. GOES. Non tam de laudatione funebri, ſed de ſermonibus, qui haberi ſolent, cum quem mortuum fama differtur, quales vidimus ſupra cap 42. de Chryſanto. *Homo bellus, tam bonus, animam ebullit*, &c. Volebat ipſe audire, quid poſt mortem de ſe opinarentur amici ejus. BURM.

Cornicines funebri ſtrepitu] Ergo & hos habebant in funeribus, non ſolos tubicines, quod miror omiſiſſe viros doctos, qui de funeribus egerunt. Seneca in Apocol. *Erat omnium formoſiſſimum Claudii funus, ut ſcires, Deum efferri, tibicinum cornicinumque, omniſque generis ſonatorum, tanta turba, ut etiam Claudius audire poſſet.* SCHEFFER. Quare conſonuere cornicines, cum imperarat, ut dicerent aliquid belli? Quia nimirum tibicinum cornicinumque priores partes in exſequiis erant, ſua modulatione attentionem ſpectatorum ad audiendum procurantes. Ita colligo è libello Senecæ de morte Claudii. Præmittit enim, *Erat Claudii funus omnium formoſiſſimum & impenſa cura plenum, ut ſcires deum efferri, tibicinum, cornicinum, omniſque generis æneatorum tanta turba, tantus conventus* (forte *concentus*) *ut etiam Claudius audire poſſet.* Deinde ſequitur: *Claudius, ut vidit funus ſuum, intellexit ſe mortuum eſſe, ingenti enim μεγαλογρφίᾳ nenia cantabatur anapaſtis:*

Fundite fletus &c.

Ita ergo & hic cornicinum concentus indicium faciebat jam ſequuturæ laudationis, & belli illius encomii, quod Trimalchio imperarat. GOES.

Servus libertinarii] Corrige, *ſervos libitinarii*. Ulpianus l. 5. ff. de Inſt. Act. *Si libitinarius ſervum pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliaverit*, &c. Liquet, libitinarios habuiſſe ſervos ſuos, eoſque ad varia miniſteria funeris ornandi. SCHEFFER. Pollinctor forte. l. 5. §. 8. ff. de inſtitor. act. *Si libitinarius, quos Græci νεκροδάπτας vocant, ſervum Pollinctorem habuerit, iſque mortuum ſpoliaverit, dandam in eum quaſi inſtitoriam actionem.* Unde liquet, libitinarios liberos fuiſſe. Meminit Libitinariorum & Seneca lib. VI. de benef. cap. XXXVIII. ubi eos cum *deſignatoribus* conjungit. videndus illic Lipſius. de pollinctore vero videndus Budæus ad d. l. 5. Turnebus lib. 28. Adverſ. cap. 31. & Alciatus ad l. 12. C. de excuſat. minor. HEINS. Ex hoc loco patet, libitinarios etiam in familia habuiſſe cornicines: an vero in ea habuerint omnes eos, quos illis Gutherius lib. 1. cap. XV. de jure manium adſcribit, merito dubites. Sed de his hic nunc non eſt locus. ſed & ex hoc loco patet, libitinarios homines fuiſſe liberos, ut & idem patet ex l. 5. §. 8. ff. de inſtitoria Act, lociſque pluribus aliis. An libertini generis fuerint, nec hic, nec alibi, quod ſciam, liquet. In ſordidis tamen numeratos eſſe, ex eo liquet, quoniam *nulli alii rei quam quæſtui vivebant.* Quod teſtimonium iis perhibet Valerius Maximus lib. V. cap. II. GOES.

Tam valde] Cicero in ep. ad Attic. *Quid opus eſt de Dionyſio tam valde affirmare*, in de fin. V. *tam valde perhorreſcere.* SCHEFFER. Latine dici hoc oſtendit Munkerus ad Hygini fab. XLI. Dubito tamen, an non ſcripſerit *tam valide* Petronius.

Intonuit] Cornu videlicet ſuo, ſic & *tuba intonare*. Apud Martialem lib. VIII. epigr. 56.

Nec quemquam tanta bella tonare tuba.

Apud Statium Achilleide II. verſ. 201.

——— *Tum grande tuba, ſic juſſus Agyrtes,*
Inſonuit.

Ubi *grande inſonare* eſt *intonare*. HEINS.

„tam concitaret viciniam. Itaque vigiles, qui custodiebant vicinam „regionem, rati ardere Trimalchionis domum, effregerunt januam subi„to, & cum aqua, securibusque tumultuari suo jure coeperunt. Nos „occasionem opportunissimam nacti Agammemnoni verba dedimus, ra„ptimque tam plane, quam ex incendio, fugimus.

LXXIX. Neque fax ulla in praesidio erat, quae iter aperiret errantibus, nec silentium noctis jam mediae promittebat occurrentium lumen. Accedebat huc ebrietas, & imprudentia locorum, etiam interdiu obscura. Itaque cum hora pene tota, per omnes scrupos, gastrorumque eminen-

Rati ardere Trimalchionis domum] Scilicet propter strepitum intempesta nocte excitatum. Nam & minori de caussa excitabatur eorum fervor & studium in avertendo incendium. Seneca ep. LXIV. *Intervenerant quidam amici, propter quos major fumus fieret, non hic, qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere vigiles solet, sed hic modicus, qui hospites venisse significat.* GOES.

Effregerunt januam, &c.] Ex his lucem accipit, quod Paulus JCtus dicit l. 3. ff. de officio Praefecti vigilum: *Sciendum est autem, Praefectum vigilum per totam noctem vigilare debere, & coërrare calciatum, cum hamis & dolabris.* Nam, quae sunt Paulo hamae & dolabrae, ea Nostro sunt aqua & securis. Adeoque recte jam olim Turnebus lib. XIX. Adverss. cap. XXIII. è Columella hamam notavit apud Paulum esse vas aquarium. Intelligimus quin etiam ex hoc Petronii loco, quale quantumque sit illud, quod praefecto vigilum sit tributum, nempe, ut sibi non sit exspectandum, quo ad usque pulsanti fores aperiantur, sed ut suo jure in aedes irruat foresque effringat. Id enim cum facit, suo jure eum tumultuari Noster dicit. GOES.

Suo jure] Elegantissima formula, quae magis usurpatum jus & consuetudinem notat, quam ut hinc colligamus, datam lege quadam facultatem effringendi domum, sed, quia vigilum ardor & studium exstinguendi incendia laudabile est, facile excusatur, si quid insolitum, & quod aliis illicitum esset, committerent. Est ergo quasi jure, & quod sibi pro more sumebant. Plinius lib. VII. Ep. 30. *Rustici, qui auribus meis post longum tempus suo jure abutuntur*; consuetudine illa longi temporis illud jus usurpasse dicit. Flor. III. cap. 18. *Equites interceptis vectigalibus suo jure peculabantur rempublicam.* Et ita Salmasius recte eamdem locutionem reddidit Floro lib. I. cap. 17. & exponit *suo arbitrio.* Ita Tacitus lib. IV. Annal. cap. 53. *Afer primoribus oratorum additus, divulgato ingenio, & secuta adseveratione Caesaris, qua suo jure disertum eum appellavit.* Ubi recte Freinshemius, *jure suo quid facere* dici aliquem, qui suo arbitrio jureque quid exsequitur, neque alienum mandatum & nutum respicere cogitur, ita *suo jure disertus* est, qui jam multis documentis facundiae editis in possessionem quasi venit, neque ab ullo amplius fas sit dubitari, an disertus haberi debeat, nec ne. Senec. de Tranquillit. anim. cap. 3. *sive spatiatur, & se utitur suo jure.* Ubi egregie Gronovius, nemine impediente. BURM.

Tam plane] Terent. Heaut. v. sc. 1. *Te miror, qui alia tam plane scias.* SCHEFFER. Finis haec Coenae videbitur cohaerere Editionum istis: *neque fax ulla in praesidio erat, quae iter aperiret errantibus: accedebat huc ebrietas & imprudentia locorum.* Sed, si rem recte pensitemus, non cohaeret. Cum enim paullo ante cap. LXXIII. *discussam ebrietatem* fuisse scripserit, quomodo nunc *ebrietatem* fugitivis è domo Trimalcionis iter difficile reddidisse? Non possunt ista ita facile conciliari, ut Petronium unum sobrium permodico intervallo contraria scripsisse concipiamus: Necesse igitur est, ut vel duas unius scripti ἐκδόσεις, quod dicebam, in unam confusas esse, vel duos ejus scriptores agnoscamus; & sic ἔκδοσις illa Petronii è Dalmatia, haec Arbitri fuerit; exstat enim ut geminum fragmentum in primum curata Satyrici hujus editione, quam Venetiis per *Bernardinum de Vitalibus* anno 1499. & anno sequente Lipsiae, faciente *Herm. Buschio Monaster.* poëta & Oratore, apud Jac. Thanner Herbopolensem prodiisse accepimus. Hoc unum restat, ut ludicrum istud multae eruditionis & sinceraе Latinitatis habitu speciosum aestimare discamus; sed, quae ipsi notae non optimae à seculis infelicibus invenusta passim obhaeserunt, curiose & sagaciter secreta suis autoribus remittamus. Et hunc colophona esse Censurae meae de isto Fragmento volo; ex eo quoque omnia & dicta ante & sensa judicari. REINES.

Scirpos gastrorumque] *Scirpi*, junci, ex quibus fiunt tegetes. *Gaster* vero vas fictile, rotundum, ventriculosum. Item terrae petrosae calculi. GLOSS. Stirpium, arundinum, aristarum. Lego, *caricum.* TORNAES. Lego, *scruptos.* Apud Gellium lib. 12. cap. 6. veteres libri habent *scriptos*, ut & apud Fabium & Cicer. PUTEAN. Forte *castrorumque eminentium.* DANIEL. Lege *per omnes scrupos gastrorumque eminentium fragmenta. Gaster* vas fictile rotundum, Aristoph. *gasterium.* WOUWEREN. Alii *glarearumque eminentium* fra-

nentium fragmenta, traxissemus cruentos pedes, tandem expliciti acumine Gitonis sumus. Prudens enim pridie, quum luce etiam clara timeret errorem, omnes pilas columnasque notaverat, certaque liniamenta evicerunt spississimam noctem, & notabili candore ostenderunt errantibus viam. Quamvis non minus sudoris habuimus, etiam postquam ad stabulum pervenimus. Anus enim ipsa inter deversitores diutius ingurgitata, ne ignem quidem admotum sensisset: & forsitan pernoctassemus in limine, ni tabellarius Trimalchionis interveniisset x vehiculis dives. Non diu ergo tumul-

fragmenta. Bourdelotius edidit *per omnes scrupos grumorumque eminentium fragmenta*: atque hæc ejus nota est. Scio, quid alii reposuerint. Propter MSS. scripturam, in quibus *grurumque*, non incommode videtur posse legi *grumorumque*. Et ita Scaliger, aliique post eum. Scio, quid proprie *Grumi*, οἱ διορίζοντες τὰς ὁδοὺς λίθοι, ut recte Glossarium vetus, ubi tamen male *Grimini* pro *Grumi*. Eædem enim Glossæ *Grumos* τυμβοὺς interpretantur, quos Latini *pilas*, *obices*, *aras*, Cyrenenses βωμοὺς; Attici, μασοὺς vocant. Hesychius. qui etiam Ἡρώδας nuncupant. Quid sint *gastræ*, alii interpretantur, scilicet, *vasa urinarum*. Interpres vetus D. Chrysostomi Hom. 3. *Et contra grumos calcitrans suos pedes cruentat.* BOURDELOT. Apulej. l. 2. de asin. in fin. *Vento repentino lumen, quo utebamur, exstinguitur, ut vix improvida noctis caliginem liberati, digitis pedum detunsis ob lapides, hospitium defessi rediremus.* SCIOPP. Placet Doctiss. Munkeri emendatio *gastrarumque eminentia fragmenta.* Cl. Gronovius legit *testorumque eminentium fragmenta*, lib. III. de Pec. vet. cap. 15. Γάστρα, ventrosum quoddam vas, vas Samium. *Gastræ* ergo amphoræ, & quidem tales, quales per angiportos, vesicam exonerantibus, erant collocatæ. Apud Macrobium C. Titius lib. II. cap. 12. *Dum eunt, nulla est in angiporto amphora, quam non impleant, quippe qui vesicam plenam vini habeant.* Consule Casaub. ad Suet. pag. 305. Noster in Frag. cap. LXX. Ubi de amphoris fuste percussis agit. *Consternati nos insolentia ebriorum, intentavimus oculos in prætiantes, notavimusque ostrea, pectinesque, è gastris labentia, quæ collecta puer lance circumtulit.* Olim perperam hic *è castris*, ut monuit Munckerus in suis ad Hyginum notis, legebatur. BOSCH. Hanc vocem tuetur Casaubon. ad Sueton. Vespas. cap. 23.

Expliciti] Proprie: error enim implicat. vide Gronov. ad Liv. lib. 27. cap. 47.

Prudens enim prude] Sic vet. Puto legendum. *prudens enim pridie cum luce*, &c. *Prudens enim partis.* PUTEAN.

Pilas notaverat certaque] Sic vet. Lego, *notaverat certa, quæ linea.* PUTEAN. *Pilæ* erant turriculæ & columellæ in viis publicis, quibus adfigebant venalium in domo mercium indicia. Martial. VII. ep. 60.

Nulla catenatis pila est præcincta lagenis,
Nec Prætor medio cogitur ire luto.

Vide Holstenium de Pila Staffilari. non vero credibile illum pridie creta notasse; quomodo enim conjectare poterat, se labyrintho illo aliter exire non posse? sed vulgata retinenda est lectio, & ita explicanda: Gitona, cum pridie intrasset, notasse, id est, oculis diligenter observasse, Pilas & Columnas in viis, ad quas iter dirigeret. Ita notare supra occurrit sæpius; vide ad cap. VI. *certa* lineamenta vero sunt, quæ non fallere poterant, quia pridie notaverat; eodem sensu, ut *certa sidera* nautis notantur, ad quæ dirigunt cursus, Horat. lib. II. od. 16. & Tibull. I. eleg. X. vers. 10. BURM.

Certaque] Sic vet. non *creta quæ.* Pith. PATISSON. Alii, *creta quæ lineamenta.* TORNÆS. Lege *Notaverat creta, quæ lineamenta evicerunt spississimam noctem.* Sic Mem. cod. Nob. Heinsius scribit *linimenta.* Doctiss. Munckerus *eaque lineamenta.* BOSCH.

Notabili candore] Ovidius I. Metam. 169.

Lactea nomen habet, candore notabilis ipso.

Diversitores] *Diversitor*, qui in caupona diversatur, diversoriarius. GLOSS. Primum legendum est, *Anus*, deinde forte, *ne signum quidem*, scilicet eorum, qui pulsabant hostium, *sensisset.* quam interpretationem confirmare videntur, quæ sequuntur; *& forsitan pernoctassemus in limine, ni tabellarius Trimalchionis venisset X. vehiculis dives. Non diu ergo tumultuatus stabuli januam effregit. non tumultuatus*, scilicet æque ac nos. Venit tamen in mentem alio referre ea verba, ut legamus, *ne ignem quidem admotum sensisset*, adeo scilicet ingurgitata erat. EMMIUS.

Diutius ingurgitata] Heinsius malebat *avidius*, quamquam & vulgata de protracta in seram noctem compotatione capi recte posset. Gellius eleganter lib. XV. cap. 2. *Ac simul inter ejusmodi orationem crebris & ingentibus poculis omne ingenium ingurgitabat.*

Invenisset] Lego, *interveniisset.* PUTEAN. Amplissimus Cuperus conjiciebat *vi juvisset.*

X. vehiculis dives] Recte. jungitur enim cum genitivo & ablativo. Horat. lib. II. Ep. II. vers. 31. *Multarum divite rerum.* Idem lib. IV. Od. 8. *Divite me scilicet artium.* Schop. in Miscellan. ERHARD. Servius ad Virgil. I. Ænid. vers. 14. *Modo tantum dives dici-*

tumultuatus ſtabuli januam effregit, & nos per eamdem feneſtram admiſit. * * *

Qualis nox fuit illa, dii, deaeque!
Quam mollis torus! hæſimus calentes,
Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas. Valete curae!

Mor-

dicimus, antiqui adjungebant cujus rei. ut, dives equum, dives pictai veſtis & auri, adjungentes tantum genitivo caſus. Et ad lib. II. Æn. verſ 22. *Dives opum, hic genitivo jungit. Statius, quod rarum eſt, & ablativo, ut, ſatis oſtro dives & auro.* Cujus obſervationibus quantum in hac re ſit tribuendum, patet ex nota ejuſdem ad lib. VII. verſ. 537. *Auſoniis olim ditiſſimus arvis.* Ubi notat: *ſecundum antiquum morem. Horat. dives antiquo cenſu.* Niſi quis velit ibi capere, ditiſſimus in agris Auſoniis, vel in regione illa. Sed & lib. X. verſ. 201. *Mantua dives agris.* Et ita Horatius, Ovidius & alii locuti. BURM.

Non diu ergo tumultuatus, ſtabuli januam effregit, & nos per eandem terram admiſit] Quæ hæc eſt *per terram* admiſſio? Parum abeſt, quin audeam legere, *feſtram;* quod oſtium fuiſſe minuſculum in ſacrario, jam alii ex Macrobio docuerunt: & epitoma Feſti *feneſtram* interpretatur. Ab hoc autem non eſt alienus Virgilii locus in libro ſecundo Æn. verſ. 479.

Ipſe inter primos, correpta dura bipenni
Limina perrumpit, poſteſque à cardine vellit
Æratos: jamque, exciſa trabe, firma cavavit
Robora, & ingentem lato dedit ore feneſtram.

RICHARD. Legendum *ferram:* Pflugius. vel, *feſtram. Feſtra* eſt oſtium minutum. Schopp. Veriſimil. l. 2. c. 18. Nihil verius vel apud Sagram. ERHARD. Neſcio quis primus hunc locum corrupit, nec vidit *eandem* referendum ad januam effractam. Lege, *per eandem intro admiſit.* BOURDELOT. *Feneſtram* meliores: *Feneſtra* interdum etiam ſignificat foramen, aut apertum quid. Sceparnio ſervus apud Plaut. Rud. Act. 1. ſc. 1.

Non ventus fuit, verum Alcumena Euripidi,
Ita omnis de tecto deturbavit tegulas:
Illuſtrioris fecit, feneſtraſque indidit. BOSCH.

Manus docta in Almelovenii codice *per eandem etiam admiſit.*

Qualis nox fuit illa, Dii] Apul. *Dii boni, qualis ille, quamque præclarus apparatus.* PITHÆUS. Formula admirandi, vel etiam exclamandi, quomodo etiam *ô Dii*, &, *Dii immortales*, dicunt. Schopp. Explanat. in Epidic. Act. 5. ſc. 1. Terent. *Dii boni, boni quid porto!* ERHARD.

Errantes animas] Crinitus & Plato in Epigr. infra c. 132. *corpora animarum mixturam ſecerant.* BONG. Phavorin. τί γὰρ ἄλλο ποιοῦσι οἱ τῷ σώματι φαίνοντες συνάπτεσθαι τὰς ψυχάς. Euſtath. καὶ ὅλην κατέδακνον, καὶ ὅλην ἀνερρόφων τοῖς χείλεσι. καὶ ὅλον ὅλην ὡς κιττὸς ξυπίχον κυπάρισσον ξυνεπλεκόμην τῇ κόρῃ, ζυνερριζῶμην ἀντῇ καὶ τὴν φύσιν ἐζήτουν κοινώσασθαι. PITH. Similis affectus, quamvis à diverſa cauſa, apud Manil. lib. V. verſ. 623.

Pernoctesque patres cupiant extrema ſuorum
Oſcula, & in proprias animam transferre medullas.

DOUZA F. Deliciæ compotum Amoris ἱμερῶν. Theocrit. Oariſt.

Εἰ τ' αὐτὰν δυνάμαν καὶ τὰν ψυχὰν ἐπιβάλλειν.

Bion. Epit. Adon.

Τοσσῦτον μὲ φίλασον, ὅσον ζώει τὸ φίλαμα,
Ἄχρις ἀπὸ ψυχᾶς ἐς ἐμὸν σῶμα κ' ἐς ἐμὸν ἦπαρ
Πνεῦμα τὸν ῥεῦσῃ.

Sic Ariſtænet. Heliodor. Tacitus, Apulejus, Manil. lib. 5. verſ. 623. Vide Platonis verſus apud Gellium (ab ipſo fortaſſis) interpretatos, lib. XIX. cap. XI. Macrob. 2. Sat. cap. 2. BARTH. Recte; quia ita amantes in fruitione mutua depinguntur adfecti, ut mutuis oribus, ſi fieri poſſit, ipſarum animarum fierent commercia. Barth. ad Claudian. Nupt. Hon. & Mar. verſ. 5. Infra de Polyæno & Circe cap. CXXXII. *Jam alligata mutuo ambitu corpora animarum quoque mixturam fecerant*, &c. Catullus de puero Theotimo;

Auſugit mi animus: credo, ut ſolet, ad Theotimum
Devenit. ——

Apulejus ad Critiam;

Quod ſi animum inſpires, dona jam carmina. ——

Vide Laberii carmen ex Platone, quod inter Pſeudographa Petronii legitur. Ovidius, ſive potius Leo Protonotarius Byzantinus, de Vetula lib. 1. cap. 13.

Jamque viderentur animas efflare viciſſim
Alter in alterius faciem. ——

Similia his apud Ariſtænetum in Epiſtol. Theocritum Eidyll. 28. Bionem Adonide, Macrobium Saturnal. libro 2. cap. 2. Gellium lib. 19. cap. 11. ERHARD. Propertius lib. 1. eleg. 13.

Et cupere optatis animam deponere labris.

Ubi vide quæ Paſſeratius, & muſarum noſtrarum gloria Brouckhuſius, adnotarunt. Quamvis forte Propertius ſcripſerit *aptatis*, id eſt, inter ſe connexis, &, ut priori diſticho ſcripſerat, *vinctis. Aptare* enim adnectere ſignificat, teſte Servio ad Virgil. IV. Æneid. 289. ita infra cap. CXIV. *Veluti lecto funebri aptatus.* Venit enim ab antiquo verbo *apere*, de quo egimus ad cap. 34. BURM.

Mor-

Mortalis ego sic perire coepi.

Sine caussa gratulor mihi. Nam, quum solutus mero amisissem ebrias manus, Ascyltos omnis injuriae inventor subduxit mihi nocte puerum, & in lectum transtulit suum; volutatusque liberius cum fratre non suo, sive non sentiente injuriam, sive dissimulante, indormivit alienis amplexibus, oblitus juris humani. Itaque ego experrectus pertrectavi gaudio despoliatum torum; si qua est amantibus fides, ego dubitavi, an utrumque trajicerem gladio, somnumque morti jungerem. Tutius demum secutus

Mortalis ego sic perire cœpi] Martial. l. 12. epigr. 18.

Sic me vivere, sic juvat perire. BONGARS.

Alii, *Mortales.* PATISSON. Alii, *curæ Mortales ego.* MSS. *curæ, Mortales ego sum.* TORNÆS. *Valete curæ Mortalis.* Ita distingue. WOUWEREN. Versum alium substituunt, ut solet, qui hunc non capiunt, & sane cuivis satis facilis. Si quid ingenui sanguinis habeo, credo, Satyricum voluisse dicere, se non amplius mortalem esse. Perit mortalis, qui ἀποθνήσκων desinit mortalis esse: divinatur autem, sive fit Deus, qui mortalitatem exuit. Itaque dixerat antea, *Valete curæ.* Tangit scilicet gloriationes Veneriorum, qui ex istis frivolis divinitatem metiuntur & mentiuntur. Plaut. Curcul. Act. 1. sc. 111. Terent. Heaut. Act. 4 Propert. alii. BOURDELOT. Scribe cum optimis codd.

Valete curæ
Mortales! ego sic perire cœpi. BOSCH.

Perire cœpi] Hoc est *perii*, vel *pereo.* Sallust. *sævire fortuna ac miscere omnia coepit.* Phædr. *sed quoniam grave omnino insuetis onus, & coepissent queri.* Hoc genus hic Pithæo, in Phædro doctiss. Rigaltio notatum. Ita Græci. Diodor. Sicul. lib. XI. ἤρξατο δὲ ναυπηγεῖσθαι κατὰ πᾶσαν τὴν παραθαλάττιον, &c. BARTH. Quem etiam vide supra ad cap. IX.

Solutus mero] Sic infra cap. CIX. *Eumolpus & ipse vino solutus.* Et inferius cap. CXXXVIII. *Anicula soluta mero ac libidine.* Etiam cap. CXI. *Quid proderit tibi, si soluta inedia fueris*; hoc est, si te inedia ingurgitaveris & inebriaveris, ut alii cibo & potu. Ut enim dicimus, *ebrius curis, fortuna, divitiis, ægritudine*, cujus rei exempla refert Muret. Var. lect. lib. 5. cap. 16. & Nathan Chytræus Scholiis in Buchanani Psal. 84. ita *solutus* quoque eleganter ad alia transtulit Petronius. Infra de Gythone cap. XCI. *Convertit ille solutum gaudio vultum*; hoc est, plenum. In vita SS. Juliani & Basilissæ: *Venit ergo dies, quo vicini invitabantur ad nuptias: platea sericis ornabantur: & aures omnium sonis musicorum & cantilenis virginum oblectabantur. ita ut si homo etiam ferreus esset, luxuria solveretur.* vid. Douzam lib. 2. cap. 18. Pari eademque figura infra Petron. cap. LXXXVI. *Totoque corpore citra summam voluptatem me ingurgitavi.* ERHARD. Justin. lib. 9. cap. 6.

Volutatus] In ἅπαξ hoc verbum. Lucilius 30. *Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar atque voluter.* Cic. 2. de Republ. *Cupido autem, & libenti, & libidinoso, & volutabundo in voluptatibus.* BARTH. Hoc verbum sæpe à librariis in *voluptari* commutatum esse, docere possunt adnotata celeberrimo Grævio ad Justini lib. XII. cap. ult. à quo, licet invitum, dissentire me facit proprietas, quæ major in *volutari* apparet, quam in altero verbo. Defendit egregie quoque Pricæus τὸ *volutari* ad Apulej. lib. IX. pag. 488. cujus testimoniis accedat Plinius lib. XXXV. cap. 11. *Pinxit Stratonicen volutantem cum piscatore, quem amare sermo erat:* ita enim habere editos & scriptos testatur Harduinus. Apud Sueton. Calig. cap. 42. licet alio sensu, *Super immensos aureorum acervos volutatus est*, ubi & Codex Salmasii *voluptatus est.* infra cap. 95. BURM.

Indormitavit] MS. *indormivit.* TORNÆS. Horat. Epod. v. vers. 69.

Indormit unctis omnium cubilibus
Oblivione pellicum. PITH.

Oblitus juris humani] Senec. de Benefic. *Quicquid erat, quo mihi cohærebat, intercisa juris humani societas abscidit.* SCIOPP. Id est, jurisgentium, quod gentes humanæ sibi ipsæ constituerunt, §. 2. Institut. de Jur. Nat. gent. & civ. Ulp. l. 1. §. ult. & Hermogen. l. 5. D. de just. & jur. §. 11. Instit. de rer. divis. *Jus humanum* dicitur à Livio lib. 1. Senec. lib. 3. de benef. Tacito lib. III. Histor. cap. LI. ERHARD.

Pertrectavi gaudio] Auson. Ephemeride:

Totum bene conscia lectum
Pertractat secura manus, probrosa recedit
Culpa tori. PITH.

Vide supra ad cap. 24. deinde male in editis legitur *dispoliatum: despoliatum* enim scribendum supra etiam notavimus cap. 30.

Si qua est amantibus fides] Martial.

Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit. Ovid.

Si qua fides, (neque enim ficta mihi gloria voce
Quæritur,) &c. PITH.

Arell. Fuscus apud Senec. VII. Controv. *Cum traditus esset mihi frater, imperatumque, ut sumerem supplicium, si qua est fides, tentari me putavi, an facerem parricidium.* WOUWEREN. Vide supra ad cap. LXIII.

cutus consilium, Gitona quidem verberibus excitavi; Ascylton autem truci intuens vultu, quoniam, inquam, fidem scelere violasti, & communem amicitiam, RES TUAS OCYUS TOLLE, & alium locum, quem polluas, quaere. Non repugnavit ille, sed, postquam optima fide partiti manubias sumus: [a] Age, inquit, nunc & puerum dividamus.

LXXX. [b] Jocari putabam discedentem. at ille gladium parricidali manu

a ASCYLTOS. b ENCOLPIUS.

Morti ingererem] Alii *mortis*. TORNÆS. Alii libri: *somnumque mortis ingererem*. Sed prior lectio confirmatur cap. LXXXIX.

——— *Hic graves alius mero*
Obtruncat, & continuat in mortem ultimam
Somnos. ——— RICHARD.

Notum illud Gorgiæ, ἥδε μὲ, ὁ ὕπνῳ ἄρχεται παραπλήσιος θάνατος τ' ἀδελφῷ. PITH. Hujus loci factum est Iphicratis, Athenienſium Ducis; qui, cum præsidio Corinthum teneret, & sub adventum hostium ipse vigilias circuiret, ac vigilem, quem dormientem viderat, cuspide transfigeret. quod factum quibusdam tanquam sævum increpantibus; *Qualem*, inquit, *inveni, talem reliqui*. ac si nihil differat dormiens à mortuo: ut inter Strategemata retulit Frontinus lib. 3. cap. 12. Et de Sisara Sarisberiens. ait lib. 8. cap. 20. *Qui soporem morti socians defecit & mortuus est. Mortem* vero *somno* comparari, vide in Notis nostris ad Prudent. 1. Cathemer. WEITZ.

Quoniam fidem scelere violasti] Encolpius prædicator Ascylto socio, in stupro fratris Gytonis, id est, Cynædi sive pulli sui, deprehenso, quasi nuntium remittit & divortium facit. Durantius Var. lect. lib. 2. cap. 11. ERHARD.

Res tuas ocius tolle] Hæc verba videntur esse solennia in rumpendis & dissolvendis ejusmodi impuris & flagitiosis sodalitiis. Ut contrahendæ societatis, sic etiam dissolvendæ, sunt quidam modi. Modestinus l. 4. ff. pro socio. *Societatem coire, & re, & verbis, & per nuntium, posse nos, dubium non est. Dissociamur renuntiatione, morte, capitis diminutione, & egestate.* Equidem renuntiatione rumpitur, puta, si quis, cognitis socii dolis & circumscriptionibus, vel damnosæ societatis tædio, societatem renuntiet. Exstat velut quædam distrahendæ societatis formula supra cap. x. *Ascylte, intelligo, nobis convenire non posse. Itaque communes sarcinulas partiamur*, &c. Et alia apud Apulejum Milesiæ fabulæ lib. 10. At vero, ut societas, sic etiam amicitia, renuntiabatur, & indicebantur capitales & immortales inimicitiæ. Mos quoque fuit Romanorum, si alicujus suspectam & invisam haberent amicitiam, renuntiare. Et, qui renuntiabant amicitiam, domo interdicebant; idque erat ex solennibus dirimendarum amicitiarum. Durantius Var. lect. lib. 2. cap. 11. Vide supra ad cap. x. ad verba, *Intelligo nobis convenire non posse*. ERHARD. Idem est quod migra; nam *sublatis rebus* solemni locutione abire dicuntur, qui domicilia transferunt. Justin. lib. XXXVIII. cap. 3. *Primo igitur adventu Tigranis Ariobarzanes sublatis rebus suis Romam contendit*. Liv. lib. 1. cap. 34. *Sublatis itaque rebus commigrant Romam*. BURM.

Et alium locum] *Locus*, pars inhonestior & turpis, in qua masculam aversamque venerem subagitabant. GLOSSÆ. Sunt & qui impurum quid hic notant. Arnob. *Quæ causa ratioque monstrabitur, cur insigniti sint his locis, quibus sexus solent libidinum propriarum admonitionibus recognoscere?* PITH. Putant, innui partem inhonestiorem. Cæl. Aurel. acut. passionum lib. 3. *Indecenter ipsa in loca manus mittunt, prurientibus verendis*. Tertull. de Anima. *Foetus in locis matris tumultuatur*. WOUWEREN. Subtiles sunt, qui hic quid nequius imaginantur. *Loci* tamen talis intellectus creber apud Medicos. Prudent. Peri Steph. 14. Columell. lib. 8. cap. 7. lib. 7. cap. 3. lib. 6. cap. 27. &c. BARTH. *Locus* hic pro turpi & obscœna illa corporis parte accipitur, in qua masculam aversamque Venerem subagitarent. Ita in carmine libero manifeste accipitur;

Quod virgo prima cupido dat nocte marito,
Dum timet alterius vulnus inepta loci.

Ex his quoque versibus constat, *locum* veteres pro muliebri usurpasse natura, ut è Græcis τόπος. Durantius Var. lect. lib. 2. cap. 11. Apud Græcos sic usurpavit Aristot. lib. 6. Animal. Galen. lib. 1. de Locis affect. Dioscor. lib. 1. cap. 59. Theodorus Priscianus lib. 2. Logico cap. 11. *Quibus, ut ætatis vergentis defectione, aut morbis locis residentibus, veluti partes frigentes usus Veneris officium pernegarint*. Utuntur Moschion, Cleopatra, Tortula, sive is Eros sit, Albucases, alii. ERHARD. Ego nimis subtiles hic interpretes cum Barthio censeo, qui ubique obscœniora venantur: intelligit enim simpliciter, aliud hospitium, stabulum, lupanar, vel similem locum. Solemnis vera illa formula *alium quæras*. Ovid. 11. Amor. eleg. ult.

Quin alium, quem tanta juvet patientia, quæris.

lib. v. Metam. vers. 181.

Quare alium, tua quem moveant miracula, dixit.

Tertullian. de pudicitia cap. VIII. *Quærant igitur alium Christiani suum fratrem*. Terent. Phorm. 11. scen. 1. *Quæreret alium virum*. Hecyr. v. 1. *Quære alium tibi amicum*. Nec dissimilis illa apud eumdem formula Eunuch. Act. IV. sc 7. *Quære, qui respondeat*. Et Stat. lib. VIII. Theb. vers. 76.

Quære, Deis qui bella ferat. BURM.

Manu-

manu ſtrinxit, &, [a] non frueris, inquit, hac praeda, ſuper quam ſolus incumbis. Partem meam neceſſe eſt vel hoc gladio contentus abſcindam. [b] Idem ego ex altera parte feci, &, intorto circa brachium pallio, compoſui ad praeliandum gradum. Inter hanc miſerorum de-

men-

[a] ASCYLTOS. [b] ENCOLPIUS.

Manubias] Ornamenta regum. GLOSS.

Solus incumbis] Ut draco ille in fabulis. Phædrus lib. 4. fab. 19. Sulpicius Severus lib. 1. Sacr. Hiſtor. *Inhiant poſſeſſionibus, prædia excolunt, auro incubant.* BARTH. Hinc & *incubi* dicti pædicones. Papias; *Incubat qui, vel quæ, ſemper incumbit, vel incubat.* Plaut. Perſa Act. 2. ſc. 4.

Video ego te, jam incubitatus es. PÆ. ita ſum. quid id attinet ad te?

At non ſum ita, ut tu, gratis. ——

Puer & ſervus invicem raptant pro illa re, quæ intelligi debet, & de qua apud Comicos convicia ſumere ſervi ſolent in ſervos. Ingenio Critico abutuntur, qui aliud ibi verbum de ſua liberalitate comminiſci ſtudent. ERHARD. Hinc, *Incuba, qui res alienas tenet.* Gloſſ. Iſidori. Quint. Declam. 12. *Ergo rabidi ſuper cadavera incubuimus.* CUPERUS. Cl. Grævius apud Iſidorum legit *incubat, qui res alienas tenet.* Reineſ. 1. Var. lect. 8. *incubo*, vel *incubator.* Gebhardus autem III. Crepund. 16. longius abit. *Incubare* vero proprium verbum de iis, qui Theſauros anxie cuſtodiunt, per vim & injuriam poſſident, docuere Elmenhorſtius ad Apulej. Metam. lib. IV. p. 191. & Pricæus p. 194. & Turneb. XXIV. Adverſ. 14. Idem cum *incumbere* ſæpe commutari, patuit ſupra cap. 33.

Gladio contentus] Alii, *gladio continuo.* TORNÆS. Mire dictum, ac ſi dixerit, in continenti, uno impetu. Germanicus Cæſar.

Subſequitur rapido contenta canicula paſſu.

Rutilius lib. 1. verſ. 57.

Volvitur ipſe tibi, qui continet omnia, Phœbus.

Id eſt, contento curſu emetitur. BARTH. Pro in continenti, vel perſeveranter, poni vix perſuadent, & in exemplis productis, *contentus* eſt, magna animi contentione, celeritate, quo ſenſu Valer. Flac. lib. III. verſ. 130. *contentam arundinem*, & lib. IV. verſ. 747. *contenta vela* dixit, & Manilius lib. 1. verſ. 269. *contentum arcum* dixerunt. Quare interpretor *contentus hoc gladio*, non aliis armis, ſed ſolo gladio meo uſurus, quod indicat particula *vel*; niſi quis malit legere *contemtus.* Ita capite 81. *Redeunte in animum ſolitudine & contemtu.* Sed placet prior expoſitio. BURM.

Intorto circa brachium pallio] Pacuvius, *Chlamyde contorta clypeat brachium.* PITH. Livius lib. XXV. *Paludamento circum lævum brachium intorto in hoſtes impetum fecit.* WOUWEREN. Corniſic. 4. ad Herenn. Appian. Mithr. Liv. lib. 25. BARTH. Valerius Flacc. lib. III. verſ. 118.

Limquit & undantes menſas infectaque pernox
Sacra Medon, chlamys imbelli circumvenit oſtro
Torta manum, ſtrictoque vias præfulgerat enſe.

Quem locum & Ampliſſimus Cuperus, & Brouckhuſius, codicum ſuorum oræ adſcripſerant, ut & ego jam olim feceram. Sed ſimul idem Cuperus adjecit hunc gradum optime illuſtrari nummis Demetrii Poliorcetæ, Demetriade cuſis, in quibus Neptunus circa ſiniſtrum brachium peplum torquet, & gradu præliantis ſtat, quorum unum ex Goltzii numiſmatibus Græciæ Tabul. XX. & XXXVIII. hic ſubjecimus.



Romanorum hunc fuiſſe habitum, ut, ad vim vel pugnam præparaturi ſe, lævo brachio circumdarent togam, docuit doctiſſimus Ferrarius de re veſtiaria lib. 1. cap. 5. & Illuſtris Schelius ad Hyginum pag. 6. vid. ſupra ad cap. LXIII. BURM.

Compoſui ad præliandum gradum] Statum præliantis componere; pugnaturi ita ſe conſtituebant, ne adverſarius ſtatum perturbare poſſit. GLOSS. Sic alibi *ſtatum præliantis componit.* Pugnaturi ita ſe conſtituebant, ne adverſarius ſtatum conturbare poſſet. Senec. Conſ. ad Polyb. *Utrumne percuſſus arma ſubmiſeris, an in ſtatu & gradu ſteteris.* alluſit Hieron. ad Demetr. *Quaſi in procinctu & acie ſtemus ſemper ad pugnam. Vult nos loco movere hoſtis, & de gradu decedere, ſed ſolidanda ſunt veſtigia.* Luciſer. Caralit. *Hoc tu putaſti de gradu pellere, hoc proſternere.* Idem: *Vovimus Chriſtiani nec proſperis nec adverſis de gradu dimoveri.* ut Laber. *Movere potuit de ſtatu.* Senec. lib. 2. de tranq. vitæ cap. 9. *Sane tantæ curæ fuit in gradu conſtare, ut contenderint caſi eundem obtinere locum.* Plaut. Amphitr. Act. 1. ſc. 1.

mentiam infelicissimus puer tangebat utriusque genua cum fletu, petebatque suppliciter, ne Thebanum par humilis taberna spectaret, neve sanguine mutuo pollueremus familiaritatis clarissimae sacra. Quod si utique, proclamabat, facinore opus est, nudo ecce jugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones: ego mori debeo, qui amicitiae sacramentum delevi. Inhibuimus ferrum post has preces: & prior Ascyltos, [a] Ego, inquit, finem discordiae imponam. Puer ipse, quem vult, sequatur, ut sit illi saltem in eligendo fratre salva libertas. [b] Ego vetustissimam consuetudinem putabam in sanguinis pignus transisse, nihil timui, imo conditionem praecipiti festinatione rapui, commisique judici litem: qui ne deliberavit quidem, ut videretur cunctatus, verum statim ab extrema parte verbi consurrexit, fratrem Ascylton elegit. Fulminatus hac pronunciatione, sicut eram sine gladio, in lectulum

a ASCYLTOS. b ENCOLPIUS.

Quisque, uti steterat, jacet, obtinetque ordinem. Sall. conjur. Catil. cap. 61. *Quem quisque vivus pugnandi locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat.* WOUWEREN. A Gladiatoribus. Sen. de Prov. *Ignominiam judicat gladiator cum inferiore componi.* Lucan. lib. 3. de Argonaut.

Primaque cum ventis pelagique furentibus undis
Composuit mortale genus. ——— BARTH.

Ovid. lib. IX. Met. vers. 43.

Digredimur paullum: rursumque ad bella coimus
Inque gradu stetimus, certi non cedere. ———

Gellius lib. IX. cap. 13. *Manlius statum Galli conturbari.* Et paullo post, *de loco hominem dejecit; movere loco* Cicero dixit 11. Catilinaria. hinc *gradum colligere*, quod Gellius d. l. dixit, iterum eodem pacto se constituere. Plaut. Amphitr. 1. 1. *Sed in fugam nemo tamen convertitur, nec recedit loco, quin statim rem gerat. Animam omittunt, priusquam loco demigrent.* Cic. lib. 1. de offic. *non perturbari in rebus asperis, nec tumultuantem de gradu dejici, ut dicitur.* Hinc illæ locutiones, *depellere de statu, de spe*, & similia. vid. Gronov. ad Senec. Agamem. vers. 515. CUPERUS. vide & Gebhard. ad Nepot. Themistocl. cap. 5. & infra cap. 95.

Miserorum] Ita omnes editi. Sed nuperus è Gallia novus interpres & interpolator edidit *furiosorum*; patet autem, hunc Petronii veri numquam genium assequi potuisse. supra cap. 20. *Mors non dubia miserorum oculos cœpit obducere.* Post: *Volebamus miseri exclamare.* & ita passim. Imo & *miseros* vocabant Latini scelestos, & ideo infelices. v. Passerat. ad Propert. 11. eleg. 28. p. 362. & alibi. BURM.

Tangebat genua] Supplicum more. Eurip. Hecub. ἅψω ᾽γὼ γονάτων τῶν ἐμῶν, τάπειν῾ ὤν. BARTH.

Thebanum par] A gladiatoribus, quorum paria dicuntur componi. GLOSS. Sidon. lib. 2. epist. 9. BARTH. Stat. lib. XI. Theb. vers. 125.

Nunc par insandum, miserisque incognita terris
Pugna subest.

Ubi v. Barth & ad lib. 1. vers. 2. de *paribus* gladiatorum vide supra ad cap. XIX. BURM.

Clarissimæ] Ita editiones veteres, sed Gonsalius, & eum secuti, *carissimæ*. nollem mutatum. Celebres enim hi fratres & omnibus noti familiaritatem inclytam colebant, cujus sacra si polluerentur, metus erat, ne per totam urbem rumoribus differrentur, ut dixit Encolpius sup. cap. 10.

Rapui] Festinantis, & tali conditione delectati, est verbum. *Arripere* dixit Terentius Eunuch. III. 5. *Submonuit me Parmeno ibi servus, quod ego arripui.* Ita Græci. Appianus de lege Gracchi agraria. Ὁ Γράχ῾ος ἁρπάσας τὸ λεχθὲν, ut notat P. Faber ad l. 169. ff. de Reg. Jur. Ælian. lib. III. Var. cap. 17. Ἐγὼ μὲν τὴν τοῦ ἀντοῦς ἀπραγμοσύνην ἁρπάσαιμι, ἐπιδραμών. Heliodor. lib. VIII. p. 377. ἅρπαγμα τὸ ῥηθὲν ἐποίησατο ἡ Ἀρσάκη. CUPERUS.

Ne deliberavit quidem] Contrarium senex ille apud Quintilian. Declam. 5. *Oderitis licet confessionem meam, deliberavi.* CUPERUS.

Ab extrema parte verbi] Aristænet. lib. II. epist. VII. Ἅμα ἔπ῾ος, ἅμα ἔργου. Vide CUM DICTO. Ind. Apul. BARTH. Vide supra ad cap. 24. Idem vero est *cum dicto*, ut Apulejum loqui notavit Brouckhusius noster. vide Barth. ad Stat. Theb. l. IV. v. 679.

Fulminatus] Territus, consternatus. GLOSSÆ. Heliodorus lib. VI. Ὥσπερ βέλει τῷ ῥήματι βληθείς. WOUWER. Similiter Heliodorus lib. 1. BARTH. Infra cap. 101. *Intremui post hoc fulmen attonitus.* Et cap. 100. *Uterque nostrum tam inexspectato ictus sono amiserat sanguinem.* Ammianus lib. 30. *Tamquam ictus è coelo, vitalique via voceque simul obstructa.* Artemidor. lib. 2. cap. 8. Καὶ γὰρ τὲς δινατθέντας ἐν τῇ συνηθείᾳ, χεῖρα-

lum decidi, & attuliſſem mihi damnatas manus, ſi non inimici victoriae invidiſſem. Egreditur ſuperbus cum praemio Aſcyltos, & paullo ante cariſſimum ſibi commilitonem, fortunaeque etiam ſimilitudine parem, in loco peregrino deſtituit abjectum.

Nomen amicitiae, ſi quatenus expedit, haeret,

Cal-

κεραυνῶσθαι φαμέν. Quod Rigalt. huc tulit in Not. ad Artemidor. Ovid. I. Triſt. 3.

Non aliter ſtupui, quam qui Jovis ignibus ictus
Vivit, & eſt vitae neſcius ipſe ſuae. WEITZ.

Supra cap. 75. *Poſt hoc ſulmen.* Uſum hac voce Jul. Firmic. de error. prof. relig. p. 17. *Æſculapius alibi ſulminatus*, notavit Ampl. Cuperus. & Cicer. IV. ad Att. 6. *ecce quarta ſulmen.*

Pronuntiatione] Sententia. dixerat enim, *commiſitque judici litem*, cujus proprium eſt *pronuntiare*. Non abſimiliter Juſtinus lib. I. *Hac denuntiatione optimates territi*, &c. Et infra Petron. cap. XCIV. *Confuſus hac denunciatione Eumolpus.* ERHARD.

Sicut eram ſine gladio] Quippe incinctus. paullo ante, *inhibuimus ferrum.* Infra cap. ſeq. *gladio latus cinger.* ERHARD. Senſus poſtulat, *cum gladio.* Anonym. MS. juxta M. Douzæ. HADRIANID. Recte *ſine gladio*, qui fulminato ex manibus ceciderat, vel quem antea depoſuerat.

Attuliſſem mihi damnatas manus] Legitur etiam, *damnatas*, quæ lectio Propertii verſu comprobatur lib. IV. El. VII. verſ. 46.

Ducet damnatas ignea teſta manus. RICHARD.

Plaut. Caſina Act. II. ſc. VII. verſ. I.

Si nunc me ſuſpendam, meam operam luſerim,
Et, praeter operam, reſtim ſumtiſecerim,
Et meis inimicis voluptatem crearerim.

Gruterus Suſpic. lib. 8. cap. II. ERHARD. Eleganter, pro quo vulgare magis eſt *intuliſſem.* vide Heinſ. ad Ovid. XVII. Epiſt. Heroid. verſ. 21. *Damnatas* autem eleganter *manus* vocat, quia hac ſententia Gitonis gaudio ſuo erant privatae, & ita damnatae, quas modo ebrias in pertractatione impudica amiſerat. Ita infra cap. 83. *Apollo damnabat noxias manus.* non clare ſatis explicuit Gonſalius. BURM.

Si non inimici victoria invidiſſem] Sic ſunt humana ingenia, ut eorum, quos ſibi inimicos putant, rebus proſperis doleant, adverſis gaudeant. Græci uno verbo ἐπιχαιρεκακίαν vocant. Et apud Timoclem, citante Athenæo lib. 6. nomen eſt comœdiæ Ἐπιχαιρεκάκῳ. Quod interpretatur Statius 2. Thebaid. verſ. 18.

Inſultare malis, rebuſque agreſcere latis.

Hinc Sophocles Ajace: Οὐκοῦν γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθρὰς γελᾶν. Et in Philebo Plato: Οὐκοῦν ἐπὶ μὲν τοῖς τῶν ἐχθρῶν κακοῖς ὅτι ἀδίκου ὅτι φθονεροῦ ἐστι τὸ χαίρειν. Joan. Bochius ad Pſalm. 24. Infra cap. XCII. *Injuriis ſcilicet inimici noſtri hilaris, commodis triſtis.* WEITZ.

Praemio] Præda, ut paullo ante hoc capite. *Non frueris hac praeda*, &c. ERHARD. *Praemium* interdum idem eſt, quod præda. Tibull. lib. I. El. II.

Nec ſinit, occurrat quiſquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta praemia veſte petat.

Virg. XI. Æneid. verſ. 78.

Multaque praterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, & longo praedam jubet ordine duci.

Hinc *praemiari*, pro prædari, apud Sueton. Tit. cap. VII. unde & *praemiatores* nocturnos explicat prædones Nonius apud Nævium in Agrypunt. *Nam in ſcena vos nocturnos coepit praemiatores tollere.* S. A. GABBEMA. In bello civili cap. CXIX.

——— *Omniaque orbis*
Praemia correptis miles vagus exſtruit armis.

Ovid. lib. VI. Met. verſ. 518.

——— *Spectat ſua praemia raptor.*

Ipſa quoque vox *egreditur* habitum victoris, & inſultantis, notat. BURM.

Nomen amiciae] Lege *amicitiae.* AURAT. Joannes Salisberienſis Policrat. lib. 3. cap. 7. lib. 8. cap. 3. Pith. PATISSON. Ipſa, quæ per nomen indicatur. Sic cap. ſeq. *Reliquit veteris amicitiae nomen.* Auguſtin. de Civ. Dei lib. I. cap. XV. *Multo minus nomen criminandum eſt Chriſtianum.* Statius VI. Theb. verſ. 16.

——— *Quorumque ingentia tellus*
Aonis & Tyria ſuſpirant nomina matres.

Arnobius lib. I. (pag. 2. Ed. Salmaſ.) *Poſtquam nomen in terris Chriſtianae religionis occoepit.* Stat. Achill. I. verſ. 12.

——— *Meque inter priſca parentum*
Nomina cumque ſuo memorant Amphione Thebae.

lib. II. verſ. 124.

——— *Illic ingentia certant*
Nomina. BARTH.

In tot circulis ſaeculorum, in tanto aetatum lapſu, in tanta multitudine & differentia perſonarum, vix (ut ait Lælius) tria inveniantur, aut quatuor, paria in amore. Hoc ipſum Arbiter noſter ingemiſcit, eiſi alterius videtur induiſſe perſonam. Ait enim; nomen amicitiae, &c. Johan. Salisberienſis Policrat. lib. 3. cap. 7. Huc pertinet illud Pindari in Nem. ιε'. i. circa finem:

Οἰχεται τιμὰ φίλων ταπεινόω
Φατί. παῦροι δ' ἐν πόνῳ πιστοὶ βροτῶν
Καμάτῳ μεταλαμβάνειν.

Et illud Senecæ in Hercul. Oëtæo verſ. 602.

Nam rara fides, ubi jam melior
Fortuna ruit.

Calculus in tabula mobile ducit opus.
Quum fortuna manet, vultum servatis amici;

Quum

Delrio Adversar. in Senec. ad hunc locum. Horum versuum hæc est sententia: si amicitiam utilitate potius metiri, quam honestate, volumus, hominum profecto vita similis erit ludo calculorum, & calculi inter se armare videbuntur. Nam in ludo tabulæ sic divisi sunt calculi in duas factiones, ut inter se quidam velut amici sint, quidam hostes. Unde Martial. lib. 14. epigr. 20. scripsit:

Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Quatenus autem utile est ludo, istam calculi amicitiam servant inter se. Igitur, si emolumentis amicitiam ponderamus, amicitiam, cujus tanta dignitas est & pretium, putemus exercere calculos in tabula, & nobile opus tuendæ amicitiæ ducere. Turneb. Adversar. lib. 1. cap. 15. Syrach. cap. 37. *Omnis amicus dicit; Et ego amicitiam copulavi: sed est amicus solo nomine amicus. Nomen amicitiæ* pro ipsa amicitia, sermo est elegans, nec Latinis tantum, sed Græcis quoque & Hebræis usurpata. Infra Petron. in carm. de bello civili cap. CXXIII.

——— *Imperii deserto nomine fugit.*

Dionysius Cato in Distich. *Inimicum nomen amici*, id est, inimicus amicus, φιλῶν ἀφιλῶν. David Psalmo 20. *Protegat te nomen Dei Jacob.* Et nusquam non in Sacris Literis. Videndi Bucer. Enarrat. in Matth. cap. 7. vers. 22. Scalig. in Catalect. ad Val. Catonis Diras pag. 176. & Notis ad Dionys. Catonis Districha, Rittershus. in Not. ad Gunther. lib. 1. vers. 31. Lindenbrog. Comment. ad tit. Cod. Si quis Imp. maledixer. Barth. ad Claudian. Bell. Getic. vers. 304. ERHARD.

Duos priores versus sic legit D. Munckerus:

Nomen amicitiæ sic, quatenus expedit, hæret,
Calculus ut tabula mobile ludit opus. BOSCH.

Scribendum, ni fallor:

Nomen amicitiæ, nisi quatenus expedit, hærent;
Calculus ut tabulæ mobile ducit opus.

Ut sit Epexegesis; amicitiæ, quæ nil nisi nomen sunt, sic hærent, nisi quatenus expedit, ut calculus ducit opus mobile tabulæ. Latrunculi enim instabiles de uno loco in alium transeunt frequenter. Possis tamen & *nomen amicitiæ hæret*; sed alterum elegantius, de quo mox plura. *Nisi quatenus expedit*, nisi quatenus est utile. De amicitiis paria apud Nasonem:

Nomen amicitiæ, nomen mane fides. HEINS.

Si quatenus] Intricatior est sensus hujus distichi. Scio *nomen amicitiæ* multis, & Ovidio etiam, & nostro infra dici, sed qua ratione *hærere* dici posset, vix capio. Quare forte scripserit Petronius:

Nodus amicitiæ si, quatenus expedit, hæret,
Calculus in Tabula mobile ducit opus.

Quid hic *calculus* sit, solus vidit vir summus Gronovius lib. III. de pecunia veteri cap. 15. Sensus jam apertus; si vinculum amicitiæ modo hæret, quatenus est utile, non est amicitia, sed calculus tantum, sive computatio sordida, & mercatura amicitiæ, quæ quotidie pretium diversum statuit illis, quibus ut amici utimur, eodem modo ut in computationibus idem calculus nunc pro asse, nunc pro denario, deinde pro talento & myriade ponitur, & iterum tollitur. Eleganter Cicero de amicitia cap. 14. *Atque mihi quidem videntur, qui utilitatis caussa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiæ tollere. Quatenus expedit*, etiam Justinus dixit lib. XLI. cap. 3. de Parthis, *fides dictis promissisque nulla, nisi quatenus expedit.* Quod si alicui audacior videatur conjectura, maneat *nomen amicitiæ. Ducit* autem *opus mobile*, elegantissime dictum pro rationes ita incertas facit, ut non possimus fidere talibus amicis: *Ducere* enim etiam proprium Arithmetices & ratiocinii verbum esse, erudite idem Vir magnus ostendit lib. II. Observ. cap. 10. Cicer. I. Verr. cap. 41. *Debere eum, ajebat, suam quoque rationem ducere.* Ubi vide Hottomannum. omnia jam, credo, plana erunt. BURM.

Mobile] Sic vetus, non *nobile*, Pith. PATISSON. Scal. *mobile*. Turneb. legit, *nobile*. Ut hic excusum est. DANIEL. Vetus liber *mobile*. Impressi, *nobile*, quod omnino rejicere non possum. PUTEAN.

Cum fortuna manet, &c.] Pœne affirmarim, pro, *cecidit*, legendum videri, *cedit*, hoc est, recedit. Ista enim inter se comparantur, manet, cedit: venire, manere, abire, redire, recedere ac revisere dicitur, Virgil. lib. XI. Æneid. vers. 42.

Tene, inquit, miserande puer, cum læta veniret,
Invidit fortuna mihi?

Horatius (de fortuna:) lib. III. od. XXIX. vers. 53.

Laudo manentem, si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit.

Idem lib. II. Sat. III. vers. 218.

Ut redeas miseris, abeat fortuna superbis.

Virgil. lib. III. Æneid. vers. 53.

Illæ, ut opes fractæ Teucrûm, & fortuna recessit.

Idem lib. XI. Æneid. vers. 426.

——— *Multos alterna revisens*
Lusit, & in solido rursus Fortuna locavit.

RICHARD. Lambin. in Horat. p. 88. *si fortunam*, &c. DANIEL. Vide Ovid trist. 1. El. 8. BARTH. Citat & illustrat Jac Magni Sophiolog. lib. 4. cap. 8. De verumnis istis, qui amicitias utilitate probant, neque indignum putant, se fieri comites instantis in orbe Deæ. Venuste Ovidius 2. de Ponto Epist. 3.

Diligitur nemo, nisi cui Fortuna secunda est:
Quæ, simul intonuit, proxima quæque fugat.

Huc etiam facit illud Boëthii de Consolat. lib. 3. prof. 5. *Quem felicitas amicum fecit, infortunium faciet inimi-*

Quum cedit, turpi vertitis ora fuga.
Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius

micum. ubi Sizmannus in Not. n. 677. ERHARD. Saresberiens. lib. 8. Policrat. cap. 3. *Quæ (amicitia) venit à sinceritate animi fidelis, certa, & fixa est; quæ ab arca, vel loculis, fluida, incerta, erronea, & deficiente viatico, emarcescit. Cum fortuna manet,* &c. Horat. 1. Carm. 35.

——— *Diffugiunt cadis*
Cum face siccatis amici,
Ferre jugum pariter dolosi.

Plautus Sticho Act. IV. sc. 1. vers. 16.

Ut cuique homini res parata est, firmi amici sunt:
Si res labat, itidem amici collabascunt. res amicos invenit.

Lambin. ad Horatii locum D. Carmin. 35. adducit. Gyraldus tom. 2. pag. 472. Joan. Bochius ad Psalm. 30. Vide & Ovid. 2. Pont. 3. & passim Theognidem. WEITZ. Fingitur vulgo lubrica & stans in orbe. Ovid. 11. de Pont. Epist. 111. vers. 36. quare illa *manere* proprie vix dici posset. Sed & alteram coluere veteres *Manentem*, & constantem. Ita in nummis Imperatoris Commodi legitur apud Tristan. tom. 1. pag. 413. FORTVNAE MANENTI & in Occonis nummis duo tresve occurrunt eo titulo, in quibus sedet fortuna, equum dextra tenens, sinistra cornucopiam.



Talem Horatius sibi optabat lib. III. od. 29.

Laudo manentem.

Ubi Torrentius scribit, se habere Hadriani Cæsaris nummos cum inscriptione *Fortunæ manenti.* Nescio, an non, memoriæ vitio lapsus, Commodi voluerit significare. Hoc certe novi, Gallicum Horatii interpretem tales Hadriani nummos numquam vidisse: sed, ut solent armenta ducem, qui pecori imperitat, sequi, ita ille Torrentii hic fidei & auctoritati, more consueto ignavis compilatoribus, acquievit. Egregie vero Lucretius lib. v. vers. 1116. ostendit, nequicquam homines manentem Fortunam velle sibi conciliare, & simul ad honores & divitias contendere, cum illa non conveniat, nisi illis, qui parce & æquo animo vivunt.

Quod si quis vera vitam ratione gubernet,
Divitiæ grandes homini sunt, vivere parce,
Æquo animo, neque enim est umquam penuria parvi:
At claros se homines voluere esse, atque potentes,
Ut fundamento stabili FORTUNA MANERET,
Et placidam possent opulenti degere vitam;
Nequiquam, &c.

Ovidius quoque, nullo Philosopho inferior, & qui usu dedicerat Fortunæ volubilitatem, ejus inconstantiam elegantissime describit, passim in carminibus in exilio scriptis. Sed præsertim lib. v. Trist. Eleg. 9.

Passibus ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et MANET in nullo certa tenaxque loco.
Sed modo læta MANET, modo vultus sumit acerbos,
Et tantum constans in levitate sua est. BURM.

Cum cecidit] Imo *cum cedit.* Sic legendum esse declarat dictio *manet*, Attico significatu μένει. BOURDELOT. Recte Douzam correxisse *cedit*, probat, & eruditissime illustrat, ingens nostrarum literarum Laus & Gloria, Brouckhusius ad Tibul. lib. III. eleg. 6. vers. 4.

Grex] Hoc nomine ludionum, juxta aut mancipiorum manipuli comprehenduntur. GLOSS. Lege, *grex agit.* AURAT. Ex *ait* fecimus *agit*, ut sæpe alias. SAMBUC. Unus ex veteribus, *Grex ait*, ut & impressi. Ego legendum censeo, *Grex agit in scena mimum.* est in hoc eodem idem error duobus in locis apud Apul. libris Floridor. PUTEAN. Pithœus Subsec. lib. 1. cap. 17. *Grex agit.* Nam mendose vulgati. Pindarus; *Perithonos viro, qui privatur amicis, paucique mortalium in arumna sunt fideles, ita ut sint participes laboris.* Noti huic rei confirmandæ Ovidiani loci lib. 1. Trist. & libro 6. de Ponto, Isocratis in Paræneſi; & Aristotelis lib. 7. Moral. ad numer. 602. *Gregis* nomine ludionum juxta ac mancipiorum manipuli comprehenduntur, catastorum præsertim, ac venalitiorum. Dousa Centurion. lib. 1. cap. 1. In qua editione & apud Salisberiens. legitur, *agit nimium*, perperam, & ipso etiam quoque Episcopo refragante. Sic enim ejusdem libri cap. 8. hunc & seqq. versus explicat; *Et quidem eleganti utitur similitudine; quia fere, quicquid in turba profanæ multitudinis agitur, Comœdiæ, quam rei gestæ similius est.* Vide totum locum, & de mimicis actoribus Bulenger. de Theatro libro 1. cap. 41. de aliis, quæ huc faciunt, Gulielmi Plaut. Quæst. in Epid. cap. ult. ERHARD. Artemidor. lib. 1. cap. 77. Βατιλικὰ μὲν πρόσωπα μιμεῖται, καὶ πολλὰς ὑπηρέτας ἔχει ὁ ὄρχηστὴς, ἀλλὰ μετὰ τὸ δεῖπνα μόνος παραλείπεται. Rigalt. ibid. in Not. p. 37. Vide Læl. Biscio-

lam

Filius hic, nomen divitis ille tenet:
Mox ubi ridendas incluſit pagina partes,
Vera redit facies, diſſimulata perit.

LXXXI.

lam tom. 1. Horar. ſubſiciv. lib. 1. cap. 2. Pet. Roverium in Notis ad Panegyric. pag. 98. Puteanum Promulſ. epiſt. 95. WEITZ. *Gregis* nomine merito colluvies illa viliſſimorum hominum inſignitur. vid. Terent. Prolog. Heautont. & Phormionis. Plautus etiam ſæpe ita Hiſtriones vocat. v. prolog. Aſinariæ & Caſinæ. Sic & in Antiquo lapide apud Gruter. pag. MXXIV. 5.

THEOCRITI
AUGG. LIB.
PYLADI
PANTOMIMO
HONORATO
SPLENDIDISSIMIS
CIVITATIB. ITALIAE
ORNAMENTIS
DEGVRIONALIB. ORNA.
GREX
ROMANVS
OB. MERITA. EIVS.
TITVL. MEMORIAE
POSVIT

Græce honeſtius vocabant Σύνοδον. vide Salmaſium ad Spartian. Hadrian. cap. 14. Sententiam vero hujus diſtichi expreſſit etiam Epigrammatarius Græcus in Antholog. lib. 1. cap. 13.

Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος. καὶ παίγνιον, ἢ μάθε παίζειν
Τὴν σπουδὴν μεταδοὺς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας.

BURMAN.

In ſcena Mimum] MS. *nimium*. TORNÆS. Scribe *mimûm* pro *mimorum*. BRASSICAN. Malim, *mimum*, quamvis idem error ſit apud Salisberienſem, vide Vet. Cod. Salisberienſis BONGARS. Johan. Salisber. *Fere totus mundus ex Arbitri noſtri ſententia mimum videtur implere.* Et. *Fere totus mundus juxta Petronium exercet hiſtrionem.* Pallad. σκηνὴ πᾶς ὁ βίος καὶ παίγνιον. Et alius. ἴσικεν θεάτρῳ. Ful. *Beatinus augur dicere ſolitus erat, diverſarum urbium honores ſomgur dicere ſolitus erat, diverſarum urbium honores ſomnialiter peragi urbicario mimologo, &c. Credo etiam, quod de Theophili Philoſophi ſententia legerat,* μίμος ὁ βίος. PITH. Palmerius hic legendum vult, *Schema:* quod probare equidem haud auſim. Erat namque *ſcena*, Græco charactere σκηνὴ, veſtis Perſica oblonga, qualis hic deſignatur. Vide Pollucem lib. 7. Meurſium in Spicileg. Theocrit. ad Idyll. 10. Optime ſcriptor optimus Seneca Epiſt. 77. ad Lucill. *Nemo ex iſtis, quos purpuratos vides, felix eſt, non magis, quam ex illis, quibus ſceptrum & chlamidem in ſcena fabulæ aſſignant: cum præſenti populo elati inceſſerunt & cothurnati, ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt.* Vide eumdem Epiſt. 81. WEITZ.

Dimittis ille tenet] Lege *divitis*. AURAT. Nomine *Divitis* inſcriptum fuiſſe mimum, è Seneca intelligere eſt, epiſtola 115. ubi ſuo more Mæcenatem exagitat: *Hunc eſſe, qui in tribunali, in roſtris, in omni publico coetu, ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrimque auribus, non aliter, quam in mimo Divitis fugitivi ſolet.* RICHARD.

Ridendas incluſit pagina partes] *Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, qui ridiculus foret, ut quicquid lacrymarum atque triſtitiæ coëgiſſent ex Tragicis affectibus, hujus ſpectaculi riſus detergeret.* vetus interpres Perſii. PITH. In fine fabularum mimi riſum movebant ſalibus & facetiis, eaque dicteria, *exodia*, dicebantur; ſcurra, qui intrabat, ut ridiculus foret, *exodiarius*. Juven. Sat. VI. verſ. 71.

Urbicus exodio riſum movet Attellana.

Apul. Florid. lib. 11. *Si mimus eſt, riſeris: ſi comœdia, faveris.* ergo *ridendas partes*, extremas. Gloſſæ Iſidori: *Exodium, cautio in theatris ludicra & ſcurrilis.* at in aliis Gloſſ. *Exodium, officium. Exodiarius, impoſitor officii*, de quis hercle impræſentiarum ampliandum cenſeo. WOUWEREN. Apud Lindenbrog. legitur; *Poſt ubi ridendas. Riſus* nempe in comœdiis frequens. Obſervat. Var. lect. in Papinii Statii Silvar. lib. 3. epigr. in Claudiam. ERHARD. Verum hujus loci ſenſum aperuit ſummus Gronovius in diatribes Statianæ capite 29.

Pagina] Cicero pro Cœlio. *Exitus mimi*, &c. BRASSICAN. Scena. Ruffinus de metris Terent. *Eſt in Eunucho Terentii ſtatim in prima pagina hic verſus trimetrus: Excluſit, revocat, redeamne? &c.* WOUWEREN.

Partes] Aſconius ad illa Cic. in Verr. *Sæpe illum, qui eſt ſecundarum, & tertiarum partium. Comœdia quinque actus habet. Eſt ergo perſona primarum partium, quæ ſapius de actis regreditur, & quæ ſubnectit.* Varro de Re Ruſt. lib. 2. *Cum accepiſſem conditionem, ut meæ partes eſſent primæ.* Horatius lib. 1. Epiſt. XVIII. verſ. 14. *partes mimum tractare ſecundas.* Juvenalis Satyra IV. *eſt mihi ſæpe vocandus ad partes.* Comment. *Metaphora à Comœdia, quia ſcenici ad partes ſuas ſolent revocari.* WOUWEREN.

Vera redit facies] Seneca Epiſt. LXXVII. *Nemo ex iſtis, quos purpuratos vides, felix eſt, non magis, quam ex illis, quibus ſceptrum & chlamydem in ſcena fabulæ aſſignant, cum præſente populo elati inceſſerunt & cothurnati ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt.* PITH. Vincentius Lirinenſis. *Cum actor Tragicus ſacerdotem effingit, aut regem, non eſt ſacerdos, aut rex. Nam, deſinente actu, ſimul & ea, quæ ſuſceperat, perſona, deſinunt.* BARTH. Senec. epiſt. XXIV.

LXXXI. Nec diu tum lacrymis indulsi, sed veritus, ne Menelaus etiam aut scholanius, inter caetera mala, solum me in deversorio invenire, collegi sarcinulas, locumque secretum, & proximum litori, moestus conduxi. Ibi triduo inclusus, redeunte in animum solitudine atque contemtu, verberabam aegrum planctibus pectus, & inter tot altissimos gemitus frequenter etiam proclamabam: Ergo me non ruinâ terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare? Aufugi judicium, harenae

XXIV. *Non hominibus tantum, sed & rebus, persona demenda est, & reddenda facies sua.*

Dissimulata] Optime rescribunt, *assimilata*. BARTH. Malim cum Douza, *assimulata perit*. Bulenger. de Theatro lib. 1. cap. 41. An legendum *desimulata*, ut *deformo*, *depingo*, *desiguro*, & talia? Pontan. in Macrob. lib. 1. cap. 7. Forte, si τὸ *De* accipiatur ut ἀυξητὸν, ut non στρατικόν. Barthius tamen veretur, ut hoc nimis sit ingeniosum, malitque scribere, *assimilata*, ut apud Plaut. *assimilate amare*. Animadvers. ad Claudian. lib. 11. in Rufin. vers. 81. ERHARD. Relictis conjecturis, quae locum hunc obruerant, legebam; *assimulata*. Dictio comica, & hujus rei. Virg. lib. 10. Æn. vers. 639. *Divini assimulat capitis*, &c. BOURDELOT.

Nec diu tamen lacrymis indulsi] Videntur deesse nonnulla. SAMBUC. Impressi, *diu tum*. PUTEAN. Codex Tragur. *tum*.

Antescholanus] Proscholus sive subductor. GLOSS. MS. *etiam antescolanus*. TORNÆS. Sic Autisiod. alii *aut scolanus*, *scolanius*. Pith. PATISSON. *Proscholus*, *sive subductor*, Ausonio: unde & *proscholium* Dositheo magistro. Καὶ ἐν τῷ προσχολίῳ ἐπιδηκα βίβλιον, καὶ κατέλιπεν τρίχας. PITH. Impressi, *scholanius*. PUTEAN. Vide de hoc hominum genere illust. Scalig. Auson. lect. lib. 1. cap. 15. cujus scrinia Gonsalius compilavit. Tragurienses quoque codex, *aut scholanius*, forte *scholarius*, aliquis ex illis, quos in principio Satyrici declamationibus operam dedisse vidimus.

Invenire] Autisiod. *invenire*. Pith. PATISSON.

Collegi sarcinulas] Varro lib. 1. de re rust. Plautus: *Constringam sarcinam*. Livius: *Conclamare vasa*. Xenophon Ἀναζάν. β. συσκίυάσθαι. Jureconsulti nostri *sarcinulas componere*. BRASSICAN. Juvenalis Sat. VI. vers. 146.

Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi. BARTH.

Proximum litori] Unde *litora* locos solitarios & desertos vocarunt Latini, ut adducto hoc Petronii loco ostendit Vossius ad Scylacis Periplum, in descriptione Lucaniæ & Casaubon. ad Sueton. Aug. cap. 72. Hic porro locus magis Neapoli quam Capuæ omnem hujus Satyrici scenam esse collocandam suadere videtur, quod deinde confirmatur ex cap. XCIX. ubi navem conscendunt, quæ Capuæ fingi non possunt acta.

Inclusa] Forte, *inclusus*. SAMBUC.

Solitudine] Unus ex Vet. *sollicitudine*, non tam bene. PUTEAN.

Verberabam planctibus pectus] Sic Q. Cicero *verberare aliquem conviciis*, fallitur, qui solennem lugentibus pulsum pectoris putat. BARTH. Imo vero de pulsatione pectoris capiendum. Propert. libr. II. eleg. 7.

Candida tesana verberat ora manu.

Et certe planctus, ut infinita Poëtarum loca docent, manuum pulsationem, qua pectus tundebatur, indicat, non mentis solius concitationem. BURM.

Altissimos gemitus] Virgil. XI. Æneid. 95.

Substitit Æneas, gemituque hæc edidit alto.

Ergo me non ruina terra potuit haurire? non iratum innocentibus mare? aufugi, judicium harenæ impositus] *Ruina* pro terræ hiatu. Rob. Titius Assertion. lib. 9. cap. 17. Apul. 8. Metamorph. *In profundam ruinam Cupidinis sese paullatim nescius præcipitaverat*. *Ruina*, ἀρχαϊκῶς, locus præcipitandi & ruendi, ut *labina*, locus labendi. Villiomarus Animadvers. lib. 9. cap. 20. Lege *aufugi judicium*, *harenæ impositi*. Tangit præteritas suas historias, *judicium* intelligit de adulterio, quo uxorem Lichæ corruperat. *Arenæ impositi*, quia damnatus ad ferrum, nescio qua fortuita ruina, evasit, de qua antea cap. IX. *Non taces, gladiator obscoene, quem de ruina arena dimisit*. Certe ad hanc terræ ruinam etiam ista pertinent. Lipsius Epist. Quæst. lib. 5. ep. 19. Lege, *non etiam innocentibus mare aufugi? An fugi judicium, arenæ impositi, hospitem occidi?* Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 28. neque vere, neque verisimiliter. *Aufugere judicium* dixit etiam Valerianus Cimelensis, vetus & probus auctor, serm. de bono disciplin. De *ruina* vide quæ supra adscripsimus ad illa verba cap. IX. *quem de ruina arena dimisit*. ERHARD.

Non iratum] Alii *num iratum*. TORNÆS. & PATISSON.

Aufugi judicium] Hic sermo non sine exemplo. Propertius lib. 1. El. IX. vers. 30.

Quisquis es, assiduas aufuge blanditias.

Q. Cicero apud M. fratrem lib. II. de Natura Dorum cap. XLIII.

Andromeda aufugiens adspectum mœsta parentis.

RICHARD. Huc pertinet, quod supra dixit Ascyltos cap. IX. *quem de ruina arena dimisit*. Sed totus ille locus deest. PUTEAN. Pro effugi. Cicero Fratri.

nae imposui, hospitem occidi, ut inter audaciae nomina mendicus, exsul, in deversorio Graecae urbis jacerem desertus? Et quis hanc mihi solitudinem imposuit? Adolescens omni libidine impurus, & sua quoque confessione dignus exilio, stupro liber, stupro ingenuus, cujus anni ad tesseram

Andromeda ausugiens adspectum moesta parentis. BARTH. Scioppii emendationem probat doctissimus Brouckhusius ad Propert. 1. eleg. 9. vers. 30. & docet, *ausugere* cum quarto casu conjungi non posse, quod frustra ex iisdem & corruptis veterum locis propugnat Muncker. ad Hygin. fab. CCLVIII. Emendationem Scioppi probat Horatii locus lib. 1. Sat. IV. 99. à Gronovio monstratus:

Quod tamen admiror, quo pacto judicium illud
Fugerit.

Graeca urbis] Neapolis. GLOSS. Tacitus XV. Annal. de Nerone cap. LIII. *Romae incipere scenas non ausus, Neapolin quasi Graecam Urbem delegit.* In vet. Gloss. ex Petronio. *Satis constat, eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam.* Et hoc eodem Satyrico cap. CVIII.

——— *Non Troius hostis*
Hac in classe vehit decepti munus Atridae.

Et in cap. CXIV. *Siciliam modo ventus dabat, sapissime Italici litoris possessor Aquilo*, &c. PITH. Juven. Sat. III. vers. 61.

——— *Non possum ferre, Quirites,*
Graecam Urbem. WOUWEREN.

Neapolin intelligunt. atqui *Ancon* quoque *Graeca urbs* Straboni, Plinio, & Solino, quae *Dorica* Juvenali, quod idem valet. Est autem & Ancon in litore maris. Vide Pighium in Herc. Prodic. & Francisc. Schottum in Itinerario Italiae lib. 1. ERHARD. Neapolin indicari non repugno; imo magis puto, quam Capuam: sed nomen hoc *Neapolis* accepisse, postquam à Longobardis vastata instaurari coeperit, quis Gonsalio aut constitutionibus Neapolitanis credet, qui à Polybio & omnibus antiquis ita jam appellatam sciverit. vide Cluver. Ital. Ant. lib. IV. cap. 3. Ubi & coloniam Graecam, & Graecorum moribus vixisse Neapolitanos, probat.

Solicitudinem] Alii *solitudinem*. TORNÆS. Alii legunt *solitudinem*, nimis multo rectius. ERHARD.

Adolescens omni libidine impurus] Scilicet, Ascyltos. ERHARD. Eleganter dictum de flagitioso juvene, qui omnium mulierum vir, & virorum mulier fuit, & impudicitiae & adulteriorum infamia flagrabat. Apposite Cicero de Gabinio post redit. in Senat. cap. 5. *Quis enim ullam ullius boni spem haberet in eo, cujus primum tempus aetatis palam fuisset ad omnes libidines divulgatum? qui ne à sanctissima quidem parte corporis potuisset hominum impuram intemperantiam propulsare?* Ita olim editi: sed Gruterus ex duobus MSS. reposuit *ad omnium libidines divulgatum*, quod odiosius putat; nos minime: major enim infamia ex duplici impuritate, quam in sola mollitie. De voce *impurus*, vide supra ad cap. 9. quo eadem fere in Ascyltum dedecora & probra jaciuntur, qui & in Encolpium retorquet, & hoc sequentia verba docent, *quem tamquam puellam*, &c. BURM.

Dignus exilio] *Exitio* Dousa P. optime, nam paullo ante cap. praecedenti infelicissimus ipse puer proclamaverat: *Ego mori debeo, qui amicitiae sacramentum delevi.* BOSCH.

Stupro liber] Geminum est illud Suetonii, quod apprime facit nostro auctori explicando, in Aug. cap. 68. M. Antonius, *adoptionem avunculi stupro meritum esse*, dixit. CUPERUS.

Cujus anni ad tesseram venerunt] Ad tesseram venire, id est, ad eam aetatem venire, qua tesseris ludere mos sinebat: puerorum enim & adolescentum nuces, virorum & senum tesserae erant. GLOSSÆ. Ad aleam sorte jactam. TORNÆS. Tale fere illud Leucipp. lib. 8. Αὐτὴ ὃ ἐχ' ὑπὸ σάλπιγγι μένον, ἀλλὰ καὶ κήρυκι, μοιχεύεται. PITH. Terentius Andr. Act. 1, sc. 1. vers. 61. *Symbolam dedit, coenavit.* BONGARS. Sic libri omnes. Id est, cujus anni creverunt inter tesseras, vinum, scorta. Ammian. Marc. lib. 28. *Omne, quod vivunt, vino & tesseris impendunt.* Scio, quid de hoc loco rescribant alii, atque de sua lectione sentiant. Sed non sine fuco. Ita autem dediti Romae tesseris à pueritia, ut nata esset *ars tesseraria*; quae quoniam secretioribus quibusdam notis discebatur, juncta est *magiae*. Idem Marcellin. lib. 14. BOURDELOT. Lege *venierunt*. Lips. Epistol. Quaest. lib. 5. cap. 19. *Ad tesseram venerunt*, explicare ausim *ad libertatem*, sive eam aetatem, qua tesseris ludere mos sinebat. Nam puerorum & adolescentum nuces, virorum autem & senum tesserae, id est, eorum, qui juris sui erant, nucesque reliquerant. Etenim *nuces relinquere* proverbium apud Persium, de iis, qui virum adfectant, adspirantque ad maturae vitae libertatem. Quid, si etiam aetas togae virili matura intelligatur, qui annus erat XVIII. Nam tribus olim tesseris ludebatur, & jactus felicissimus summusque, *ter sex*, id est XVIII. Sane de *stola togae virilis* mox sequitur. An rescribi potest; *cujus anni ante cellam venierunt?* vel etiam, *cujus arma ante cellam venierunt*, pro obscoenis? Explicari hoc ipsum ex alio Petronii loco potest cap. VIII. *In hunc locum me perduxit, prolatoque peculio coepit rogare stuprum. Jam pro cella meretrix assem exegerat.* An huc facit locus ille Macrobii lib. 1. Saturn. cap. 10. *Ferunt enim, regnante Anco, adituum Herculis per ferias otiantem Deum tesseris provocasse, ipso utriusque manum tuente, adjecta conditione, ut victus coena scortoque*

tesseram venerunt, quem tamquam puellam conduxit etiam, qui virum putavit. Quid ille alter die! qui tamquam togae virilis stolam sumsit, qui

toque multaretur. Eryc. Puteanus epist. ad Goldastum. ERHARD. Obscurarunt hunc locum magis diversæ virorum doctorum explicationes, quam ulla luce donarunt. Præter ipsos commentatores, quos hic subjecimus verbis Petronii, Ferrarius quoque lib. 1. elect. cap. 7. de Gitone capit, cum aperte de Ascylto loquatur auctor, & putat, ipsum Gitonem auctoraſſe ætatulam suam, & per tesseram alicui contigisse, à quo voluptatis mercede liber factus sit. Sed, cum ipse suæ interpretationi diffidat, nos quoque nihil ei deferimus. Senftlebius nucum Saturnalitiarum capite VIII. legit, *cujus anus ad tesseram venerunt*, sensu tam impuro, ut ipse consultius putet tacere, quam vel pauca etiam verba facere, quibus explicet. Abrahamus ad Ciceron. 11. Philip. cap. 18. cum iis facit, qui emendant, *cujus anni ad tesseram venierunt.* Sed omnia hæc nihil expediunt, forte simplicissimus sensus horum verborum est, quem Glossæ dant, qui jam ad senectutem pervenit, quia senes tesseris ludere solebant, unde Augustus apud Suetonium cap. 71. *Inter coenam lusimus γεροντικῶς.* vide Rutgers. lib. 11. Var. lect. cap. 12. non vero ita capiendum, quasi revera ætate senex esset, qui modo Adolescens dicitur, sed, quia exoletus erat, & jam diu se prostituendo florem ætatis consumserat, per convitium senem vocat. ut supra cap. 28. deliciæ Trimalchionis *puer vetulus* dicitur, & cap. 23. *molles, veteres*, ubi vide quæ notavimus. BURM.

Venerunt] Pith. *Venierunt.* TORNÆS. & PUTEAN.

Tamquam puellam] Videtur legendum, *puellum.* BARTH.

Conduxit] Mercede pactus concubitum. Ovidius 1. Amor. El. x.

Pro male conducto gratia nulla toro.

Ante dixerat de muliere:

Sola locat noctes, sola locanda venit.

& *vendit quod utrumque juvat.* exprobrat ergo Ascylto utramque libidinem, ut modo ostendimus. BURMAN.

Quid ille alter] Mirus Verbum. Ovid.

Tu quoque nomen habes cultos Narcisse per hortos,
Infelix quod non alter & alter eras. PITH.

Addatur asterisci * nota. Pith. PATISSON. Quidam, *quid ille alter? proh dii!* Lipsius ex vestigiis priscæ lectionis, ô *Dii.* Vetus scriptura est, *quis illo altero die?* BOURDELOT. Scilicet, Gnython puer. Lege *Quid ille alter, ô Dii? qui tanquam.* Lipsii Epist. Quæst. lib. 5. cap. 19. Verissime. Plaut. Aulul. *Perii, ô diei:* antique, pro *Dii.* Gulielm. Plaut. Quæst. in Aulul. cap. 4. ERHARD. Locus mire vexatus. Apparet, tale aliquid velle Petronium, quale Ciceronis illud è Philippica 11. *sumsisti virilem togam, quam statim stolam reddisti.* Quare Octavius Ferrarius Vir Clarissimus lib. III. de re vestiaria cap. 17. qui ultimus Petroniano loco manus admovit, castigabat, *quid ille alter, qui, die togæ virilis, stolam tamquam togam sumsit?* ego, qui locum M. Tullii jam mihi adnotaveram, Ferrario nondum inspecto, pridem est, quod hæc sic constituebam: *Quid ille alter (ô dis!) quid? inquam; qui die togæ virilis stolam sumsit.* Τὸ *die* absorbserat τὸ ô *di* sive, *dii.* Τὸ *quid*, τὸ *qui.* Et quia politissimus Ferrarius pollicetur, uberius acturum sese de hoc loco in Electis suis, quæ hactenus in publicum non prodiere, nos de nostro nonnihil addamus licet. *Quid ille alter?* ut apud Valerium Maximum lib. VIII. cap. II. *quid ille alter æque nobilis pictor? Dies togæ virilis* idem lib. v. cap. 4. *M. Cotta, eo ipso die, quo togam virilem sumsit, Cn. Carbonem postulavit.* HEINS. *Die qui tanquam* Leid. Cod. Lege cum Nob. Heinsio, *Quid ille alter? quid, inquam, qui die togæ virilis stolam sumsit.* Suet. Calig. cap. 10. *Uno atque eodem die stolam sumsit, barbamque posuit.* BOSCH. Locus etiam hic misere contortus & vexatus. Ferrarius in electis lib. 1. cap. 7. nihil fere addit iis, quæ in libro de re vestiaria dixerat; sed male de Ascylto capit, cum Gitonem hæc verba respiciant. Gatakerus ad Antonini l. 1. §. 7. legit trajectis vocibus, *quid ille alter, qui togæ virilis die stolam sumsit?* facili & non absurda medicina, nisi quod vocem *tamquam* resecet. Abrahamus ad Ciceronis d. l. legit, *quid ille alter, qui tamquam die virilis togæ stolam sumsit.* Nobis Heinsii lectio maxime arridet, quæ sensum satis perspicuum his verbis dat, sed tamen editionum veterum vestigia turbare non ausi sumus. Nescio autem, quid moverit Douzam, Gonsalium, & alios, ut hæc ultima Ascylton, Gitonem vero priora, respicere velint, cum certum sit, Gitonem primum tyrocinium, quo virum se probaret, in Pannychide devirginanda deposuisse; quare ille omni libidine, ut explicuimus, impurus dici nequit, neque ejus anni ad tesseram venisse, quæ Ascylto optime conveniunt. Hæc autem & sequentia Gitoni, qui Encolpium destituit, & unius noctis ebriæ tactu vendidit omnia. BURM.

Qui tamquam, &c.] Malim, *qui togæ virilis die stolam sumsit*, nisi *tamquam toga virilis* pro togæ virilis loco positum est. PUTEAN. Qui eo die, quo adolescentes prætextam ponunt, pro toga stolam induit, ut naturam concuteret, & cum sexu luctaretur. WOUWEREN. Utut ista maculosa, non dubium tamen, quin respexerit ad Cic. Philip. 11. *Sumsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* BARTH.

qui, ne vir esset, à matre persuasus est; qui opus muliebre in ergastulo fecit; qui, postquam conturbavit, & libidinis suae solum vertit, reliquit veteris amicitiae nomen, &, pro pudor! tamquam mulier secutuleja, unius noctis tactu omnia vendidit? Jacent nunc amatores obligati noctibus

Qui ne vir esset] *Fœmina cum non sis, vir tamen esse nequis.* PITH. Allusit ad fabulam Achillis. Notum, Achillem suasu & sollicitudine matris in virginem mutasse. WOUWEREN. Plane Eunuchum hic circumloquitur. BARTH. Male hanc Eunuchi circumlocutionem credit Barthius. Cum nec posset, vel vellet agere, à matre est persuasus, ut pati mallet, & opus muliebre facere. Hyperides apud Rutilium Lupum lib. II. de figuris sententiarum. *Nonne vehementissime admiraretur, si quisquam non gratissimum munus arbitraretur virum se natum, sed depravato naturae beneficio in mulierem convertere se properasset.*

A matre] Statim à nativitate. GLOSS. Statim à nativitate, Juvenal. Sat. VII. 196. *& adhuc à matre rubentem.* BARTH.

Opus] Ἄρρητον. Lucian. Dea Syr. Ἐσθῆτα ἣ ἔκ τινι ἀνδρὶν ἔχοισι, ἀλλὰ καὶ ἱματιώτε γυναικεῖα φορίσοσι, καὶ ἔργα γυναικῶν ἐπιτελέισοι. Longus Poem. IV. Ἐς Μιτυλήνην αὐτὴν ἄγειν ἐπὶ γυναικῶν ἔργα σπεδάζει. BARTH. Sic sæpe circumloquuntur nequitias suas. Musæus, κύπριδος ἔργα. Longus lib. 4. Poemen. Ὃς ἐς Μιτυλήνην αὐτὴν ἄγειν ἐπὶ γυναικῶν ἔργα σπεδάζει. Barthius in Musæum n. 141. ERHARD. Millies ita Ovidius, vocavit ἔργον Ἀφροδίσιον. Horat. Epod. XII. *mihi semper ad unum mollis opus.* v. infra cap. 100. appositè Epigramma Græcum in Antholog. lib. II. cap. 5.

Ἀνέμας ἠρήσαντο, καὶ ἐκ ἐγένοντο γυναῖκες,
Οὐτ' ἄνδρες γεγάασιν, ἐπεὶ πάθον ἔργα γυναικῶν,
Οὐδὲ γυναῖκες ἔασιν, ἐπεὶ φύσιν ἔλλαχον ἀνδρῶν,
Ἀνέρες ἐσὶ γυναιξὶ, καὶ ἀνδράσιν ἐσὶ γυναῖκες.

Quod Epigramma melius etiam in Aeschylum quadraret. In sequenti etiam epigrammate dixit, κοινὰ πρὸς ἀμφοτέρους ἔργα σαλευόμενον. Æschylus quoque Agamemn. vers. 1216.

Ἢ καὶ τέκνων ἐς ἔργον ἤλθετον νόμῳ.
An ad liberorum opus veniistis lege.

Deducta est autem metaphora à rustico opere, unde tot locutiones ad muliebria arva traducta sunt Græcis pariter & Latinis, ut mox in *solo libidinis* observat Glossator. BURM.

In ergastulo] Sic sæpe circumloquuntur nequitias suas: vel est allusio ad Herculem captum amore Omphales. GLOSS. Ut Hercules captus amore Omphales, quo allusit. WOUWEREN.

Conturbavit] Decoquit. Servi, qui dominorum pecunias intervertunt, *conturbare* dicuntur. GLOSSÆ. Plaut. Casin. Act. II. scen. VIII. vers. 25.

Hodie, hercle, opinor, hic conturbabit pedes.

PITHÆUS, *Conturbare*, decoquere. Servi, qui dominorum pecunias intervertunt, *conturbare* dicuntur. l. 5. §. 9. D. institor. l. 16. D. de in rem verso. Et apud Mart. *Conturbator Aper.* hinc ducta locutio WOUWEREN. Quidam Codicis locum mutilum subodorarunt. In MSS. *Conturbavit omnia.* ut Attius apud Marcellum:

Perturbat rem omnem, ac resupinat, soror.

Terentius Andr. Act. 3. sc. 4. *Jam perturbavi omnia:* Catullus Carm. 5. Et fortasse sic reponendum: sed non statuo. BOURDELOT. Hoc verbum explicuimus gemina in significatione cap. 38. Sed hic intelligendum, ea figura, qua supra cap. 6. *Ut veterem cum Gitone meo rationem deducerem.* Et postea, *osculis bona fide exactis.*

Libidinis suae solum vertit] *Solum* locus, qui aratur. Hoc loco *arvum* & *sulcus* dicuntur muliebria, ut è contra *vomer* virilia. GLOSS. Alii, *libidinis.* TORNÆS. *Solum*, locus qui aratur: etiam pro αἰδοίῳ. eodem pacto supra lusit in ambiguitate verbi *Locus.* Sic *arvum* quoque & *sulcus* dicuntur muliebria, ut è contra *vomer* virilia. Colvius, Douza, Schoppius ad Apuleji Anechom. Schickerath in Epist. Critic. ERHARD.

Secutuleia] Quæ virum appetit & sectatur. GLOSS. Quæ amicum sequitur. Virgil. Ecl. X. vers. 22.

——— *Tua cura Lycoris*
Perque nives alium perque horrida castra secuta est.

Propert. lib. II. El. XXXV. vers. 8.

——— *Et ignotum nonne secuta virum est?* PITH. Qui virum appetat & sectetur; si recta lectio est. Quamquam & respectus forte aliquis ad rem gladiatoriam, quia hi fugitivi, quos inducit Arbiter, olim in arena. Lipsius Saturn. serm. lib. 2. cap. 7. de secutore. At non Gnython puer in arena fuit, de quo hic sermo. Quare Fr. Pithœi explicatio magis est. ERHARD. Scribe *Sesutuleja:* lascivam puellam interpretatur Lotichius, quæ sine sede & lare certo ubicumque virum sequitur: *cujus*, ut ait Martialis, *nequitias vincere nemo potest.* BOSCH. Proprie lasciva & viri appetens mulier *sequi virum* dicitur, ut *Medeam sequacem* dixit Propertius. vide Passerat. ad Propert. lib. II. eleg. 34. pag. 392. honestiori paullulum sensu Claudianus I. de Rapt. Proserp. vers. 118.

——— *Quæ tale sequatur*
Conjugium, Stygiosque velit pro sole recessus.

Et de aliis rebus quibuscumque, quas studiosè appetimus, idem verbum usurpari docuit magnus Gronovius ad Livium lib. XXVIII. cap. 18. BURM.

Unius noctis tactu omnia vendidit] Retinuimus hanc lectio-

noctibus totis, & forsitan mutuis libidinibus adtriti deridẽt solitudinem meam. sed non impune. Nam, aut vir ego liberque non sum, aut noxio sanguine parentabo injuriae meae.

LXXXII. Haec locutus gladio latus cingor, &, ne infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires; mox in publicum prosilio, furentisque more omnes circumeo porticus. Sed, dum attonito vultu efferatoque nil aliud quam caedem & sanguinem cogito, frequentiusque manum ad capulum, quem devoveram, refero, notavit me miles, sive ille planus

lectionem, si MSS. sequimur, probam; si sensum, improbam. Hispanus quidam (Don Ramirez de Prado) primus hanc corruperat, ignorans fortasse, in Martiale suo *tactum* & *tangere* esse impudica. Hinc Plaut. Dilog. in Aul. Juv. Sat. I. BOURDELOTT. Lege *unius noctis pacto*. Apul. *Cum ipso de uxoris noctu pacisceuntur*. Macrob. *Unius pretium noctis*. Pontanus Notis in Macrob. lib. 2. cap. 2. Pro *tactu, pacto*, malim, & *pacisci noctes* mos & locutio vetus solebant, Er. Pureanus Epist. ad Goldastum. Ne longius à vulgata scriptura abeamus, an legendum *pactu*? ERHARD. Editiones veteres *tactu*, & probe novi, *tangere* quid in re veneria notet. Sed an Latine dicatur *unius noctis tactus* vehementer dubito. Quare admodum adridet Pontani conjectura *pacto*. Gallicus Petronii novus leno, *tractu*, nescio qua auctoritate edidit. *Omnia* autem cape, ut supra capite 11. *Nondum omnia erant facta. Vendidit* vero, ut cap. 144. *Neque puero, neque puellae bona sua vendere potest*. BURM.

Jacent] Propert. lib. I. El. XVI. vers. 33.

Nunc jacet alterius felici nixa lacerto. WOUWER.

Mutuis libidinibus attriti] Sic infra cap. LXXXVII. de Eumolpi opere Venerio cum puero; *inter anhelitus sudoresque tritus. Attriti libidinibus*, λισπόπυγοι. Pollux lib. 2. οἱ δ' ἰνδικῶς πυγᾶν ἔχοντες, λίσποι, καὶ ὑπολίσποι καλοῦνται, καὶ λισπόπυγοι. nimirum nimia Veneris patientia atque affrictione detritas nates habentes: Horatio *Depuges*, Juvenali *Depyges*. Papias; *Marisca, proprie vesica, quae circa podicem marium ex nimio fricatu & usu agendi opus Zodomiticum solet eructare. Unde Juvenalis*: Sat. II. vers. 12.

——— *Si podice levi*
Scinduntur tumida medico ridente mariscae. ERH. Proprium in hac re verbi *tero*, & ex eo compositorum, usum docuit Passerat. ad Propert. III. eleg. 10. pag. 470. *mutuus* etiam *libidinibus constupratum* dixit Sueton. Vitell. cap. XII. *mutui stupri commercium* Calig. XXXVI. ita *mutua gaudia* Ovidius II. Amor. eleg. 3. Lucret. IV. vers. 1200. & V. vers. 852.

Solicitudinem] Alii *solitudinem*. TORNÆS.

Nam aut vir ego] Apul. lib. 5. Metamor. *Nec sum mulier ego, nec omnino spiro, nisi eam pessum de tantis opibus dejecero*. WOUWEREN.

Liberque] Supra cap. 58.

Militiam perderet] Eleganter dictum, pro efficeret, ne utilitatem & fructum ex militia illa, quam aggrediebar, caperem. Ita supra cap. X. *Perdere noctem*. infra cap. 100. *Opus perdere anhelitu*. Et cap. LVIII. *Mercedem perdere*, & XCIV. *Verba perdere*, & alibi eo sensu. Ovidius I. Met. vers. 531. *perdere blanditias*. lib. III. Amor. El. 2. *perdis bona vota puellae*. Frequens ille verbi usus posterioris ævi scriptoribus, sed non solis, ut censet Barthius ad Statii lib. V. Theb. vers. 136. quem & vide ad lib. VIII. Theb. vers. 415. IX. 58. & 393. eodem sensu *perire* dicuntur, ex quibus nulla ad nos utilitas redit. vide eumdem ad Stat. VI. Theb. vers. 932. Senec. Thyest. vers. 721.

Stetit sui securus, & non est preces
Perire frustra passus. BURM.

Cibis excito vires] MS. auctior, *largioribus cibis*, &c. TORNÆS. Cognovit Homerus, quod cibus det vires, ideo Odyss. 2. nuncupat ἄλφιτα μυελὸν ἀνδρῶν. Et ibid. lib. 20.

Ἄλφιτα τύχῃσι καὶ ἀλείφατα μυελὸν ἀνδρῶν.

Et Iliad. 9. ad fin.

Νῦν μὲν κοιμήσασθε, τεταρπόμενοι φίλον ἦτορ
Σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.

Virgilius lib. I. Æneid. vers. 214.

Tum victu revocant vires, fusique per herbam
Implentur veteris Bacchi. ———

Et Val. Flaccus lib. 2. Argonautic. vers. 69.

——— *Cereris tum munere fessas*
Restituunt vires, & parco corpora Baccho.

Tiraquell. de Nobilit. cap. 31. §. 178. WEITZ. Vide Barth. ad Stat. lib. 8. Theb. vers. 169.

In publicum prosilio] Victorinus Massilienses lib. 3. in Genes. vers. 638.

Fœda manus vulgi, si fas dixisse, virilis
Prosilit. ——— WEITZ.

Nihil aliud quam] Vide infra ad cap. 86.

Ad capulum] Ut irati & minantes alicui cædem solebant. vide Sueton. Aug. cap. 26. Caligul. cap. 49. CUPERUS.

Quem devoveram] Euripides videtur vocare ὅρκιον ξίφος in Phœniss. vers. 1671. Refer ad ritum, quem illustrat Lipsius ad Tacit. XV. Annal. cap. 74. & Justinus lib. IX. cap. 7. Sueton. in Vitell. cap. VIII. CUPERUS.

planus fuit, sive nocturnus grassator: &, [a]Quid tu, inquit, commilito, ex qua legione es, aut cujus centuriae? [b]Quum constantissime & centurionem & legionem essem ementitus: [c]Age ergo, inquit ille, in exercitu vestro phaecasiati milites ambulant? [d]Quum deinde vultu, atque ipsa trepidatione, mendacium prodidissem, ponere jussit arma, & malo cavere.

a MILES. b ENCOLPIUS. c MILES. d ENCOLPIUS.

Notavit me miles] Sæpe ita loquitur cap. VI. XII. XXVII. XXIX. & alibi. BARTH.

Planus] Erro, vagabundus, qui discurrit sine noxa aliorum. GLOSS. *Planus*, qui discurrit sine noxa aliorum. *Grassator*, qui cædem molitur, vel ex lubidine, vel propter præmia, unde proprie, prædones nocturni, *præmiatores*. Nonius. de his Manil. lib. 4. vers. 184.

Sed pecorum membris media grassentur in urbe,
Et laceros artus suspendant fronte tabernæ,
Luxuriæque parent cædem, mortesque lucrentur.

Vide Plautum Amphitr. Act. 1. sc. 1. Arnob. lib. 2. Apul. Mil. lib. 2. WOUWEREN. *Planus*, erro. Hinc *planoperipatetici*, ab Lactantio dicuntur Philosophi Aristotelici, propter inconstantiam differendi, & eorum erraticam ambulationem. Gulielm. Plaut. Quæst. in Menæchm. cap. ult. Infra cap. CXIX. vocatur *vagus miles*,

——— *Miles vagus exstruit armis.*

Planus ergo miles vagabundus & erraticus, seu erroneus, quales sunt, quos hodie vocamus *Gardekneght*, quasi dicas, milites guardianos, qui guardiam, id est, præsidia, quærunt. quorum fraudes & impostura locum tralationi dederunt, ut *planus* pro nebulone & impostore dici cœperit. ERHARD. Ita infra cap. 140. *Unde plani autem, unde levatores vivunt.* vide Stewech. ad Arnob. lib. 11. pag. 74. & Elmenh. pag. 81. CUPERUS. Ita Plinius lib. XXXV. cap. 10. *Planus regius.*

Nocturnus grassator] Qui cædem molitur, vel ex libidine, vel propter præmia. GLOSSÆ. Impostor. BONGARS. Horum mentio apud Festum, Focam Virg. vita, Caton. apud Gell. lib. XI. cap. 11. Ausonium perioch. Iliad. X. BARTH. Abdias Propheta vers. 5. *si te fures, si nocturni grassatores, invasissent*, ita Seb. Castalio expressit, hunc Petronii locum imitatus. Sic Gell. lib. 20. cap. 1. *Qui vesperi suo vivit*, ait Plautus. Philoxen. ἡμεροκοιτῶν, *Dormitator*, *fur nocturnus*. Hinc Sidon. lib. 1. ep. 8. *Vigilant fures, dormiunt potestates.* In Altercatione Hadriani Augusti & Epicteti; *Quid est nox? Laboranti requies, grassanti lucrum.* Savaro ad Sidon lib. 1. ep. 8. ERHARD. Vide supra ad cap. XV. de grassatoribus vide Suet. Aug. cap. 32. & cap. 43. Calig. cap. 72. Quam acutum autem sit, à *grassando* deducere cognomen *Gradivi*, quo Mars sæpe indigitatur, videant Philosophi: Nam Grammatici vix tantum sibi sapere videntur, qui à gradu præliantis compositio, de quo capite 80. vidimus, quæ eorum est simplicitas, accurate & perspicue rationem explicari hujus cognominis putant, ipsos etiam nummos, quibus Mars in gradu stans, & *Gradivus* inde dictus, conspicitur, sibi id demonstrare persuadent. Sed forte arcanæ & magicæ vires, quas Logica bona, ut vocant, addit τοῖς σόφοις, aliter formant suos alumnos, nos sensu communi contenti vivere gaudemus. BURM.

Centuriæ] Veteres, *centuria*. Pith. PATISSON.

Constantissime] Intrepide. ERHARD. Ovid. lib. 1. Amor. eleg. V.

Cras mihi constanti voce dedisse nega.

Et ita passim alii. Vide egregie hanc vocem illustratam à summo Gronovio ad Tacit. vitam Agricol. cap. 27.

Ementitus] Convenit hoc verbum constantiæ, quam simulabat. Nam recte observat Torrentius ad Sueton. Cæs. cap. 66. nescio quam jactantiam & confidentiam in fingendo & mentiendo significare. Ita Cicer. Orat. II. Phil. cap. 33. *Ementiri auspicia.* Apposite idem Orat. pro Fontej. cap. 14. *Quod si, aut quantam voluntatem habent ad hunc opprimendum, aut quantam ad maledicendum licentiam, tantam haberent, aut ad ementiendium animi, aut ad fingendum ingenii.* vide & Suet. Neron. 33. BURM.

Phæcasiati] * Phæcasium tegimen pedirusticum: militem autem non oportebat Phæcasiatum, sed caligatum esse. GLOSSÆ. *Phecasiati*, Turneb. lib. 10. Adv. cap. ult. TORNÆS. Quid si legas, *phocaliati*, id est, crispatis capillis, à *focali*, id est, amictu armatorum, quanquam ineptum fortasse videri possit emendare quem, quod non intelligat. PUTEAN. *Phecasium* est calceamentum rusticum, non militare. BONGARS. Φαικάσιον, ὑποδήματος εἶδος γεωργικοῦ. PITH. Lege *phæcasiati*. Turneb. Adversar. lib. 1. cap. 15. Calcei albi *phæcasia*. Appian. lib. 5. Senec. 7. de Benefic. cap. 21. apud quem emit *phæcasia* Pythagoricus, ut σεμνά. Hinc & insolens, *miles phæcasiatus*, Petronio, ubi male *phocasiatus* aut *phœcasiatus*. Hæc veriora, quam quod Hesych. *phæcasium* esse ait tegimen pedis rusticum. Appiani verba; ὑποδήματα ἦν αὐτῷ λευκὸν Ἀττικόν, ὃ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι φαικάσιον. Marcilius ad Persium Satyra quinta. ERHARD. *Phæcasiati* omnino legendum. Opposuit legionario militi phæcasiatum, ut apud Ammianum Marcellinum *gregarius miles* opponitur *prætoriano militi*. BOURDELOT. Vide supra ad cap. 67.

Vultu atque ipsa trepidatione] Perinde atque Atreus apud

cavere. Despoliatus ergo, imo praecisa ultione, retro ad deversorium tendo, paulatimque temeritate laxata, coepi grassatoris audaciae gratias agere.

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit,

Tan-

apud Senec. testatur. Thyest. vers. 329.

——— *Multa sed trepidus solet*
Detegere vultus. ———

Eludant igitur, qui volunt, & susque deque habeant leges scriptas, dummodo conscientiæ non imponant, & ejus stimulos subsannent, cujus intimos cruciatus proditor vultus enunciat. Quod asserit & Pelignus Vates Metamor. lib. 2. vers. 447.

Heu, quam difficile est, crimen non prodere vultu!

Weitzius Not. in Prudentii Psychomach. lib. 1. vers. 702. ERHARD.

Ponere jussit arma] Hinc colligimus, tantum milites arma portasse, cæteros inermes per vias incessisse. Et, si qui cum armis à milite deprehensus fuerit, ab eo spoliatum & arma ponere jussum. Infra de hoc eodem grassatore ait Encolp. cap. XCIV. *Profuit etiam Eumolpo miles ille, qui mihi abstulit gladium.* Videtur autem hæc grassantium & raptorum formula fuisse; *Pone arma, & malo cave.* Fortassis etiam apud Germanos, de quibus id innuere videtur Ratpertus Turegiensis in Casib. Mon. S. Galli, ubi Gold. in Gloss. tom. 1. Alaman script. ERHARD. Jure & ex legibus: non enim licebat cuiquam gladio cingi & pro milite se gerere. l. 27. §. 1. ff. ad L. Cornel. de fals. *Qui se pro milite gessit, vel illicitis insignibus usus est, vel falso diplomate vias commeavit, pro admissi qualitate gravissime puniendus est.* Ubi, *pro milite se gerere*, est gladio accinctum per publicum ire, ut recte explicuit Panciroll. lib. 1. Var. lect. cap. 11. Grassatores ergo & Latrones habebantur, qui ferro cincti incedebant, cum milites non essent. Suet. in Aug. cap. 32. *Grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui caussa*, quos inhibuit Augustus. In urbe Roma vetitum quoque fuisse Gladio cinctum in publico conspici, ostendit sæpius Cicero, qui Antonio objicit, illum stantes cum Gladiis in conspectu Senatus adduxisse. v. Casaubonum & Bernecc. ad Suet. August. cap. 26. BURM.

Malo cavere] Ponenda arma, & malo cavendum fuit. GLOSS. Plaut. Bacchid. Act. 1. sc. 11. vers. 39. *Omitte, Lyde, ac cave malo.* & alibi. *Cave malo, ac tace tu.* Catalect. in Priap. Carm. LII. *Quare qui sapiet, malo cavebit.* PITH.

Temeritate lassata] *Laxata* scribit Doct. Munckerus, ut infra cap. CVIII. *Nec tamen cujusquam ira laxatur.* BOSCH. Veram credo Munckeri emendationem, cum, quia solemne librariis fuerit, has duas voces confundere, ut patet ex collatione variarum lectionum apud Ovid. Heroid. 11. Epist. vers. 123. Stat. lib. IV. Sylv. IV. vers. 13. & lib. IV. Theb. vers. 879. & passim: tum, quia nullo sensu *temeritas* dici possit *lassari*, sed recte *laxari*, id est, remitti & languidior fieri, eodem sensu quo *iras laxare* dixit idem Statius lib. VI. Theb. vers. 828. & noster cap. 128. *Laxatum corpus.* BURM.

Non bibit inter aquas] Vincentius adducit in Specul. Histor. lib. XX. cap. XXV. & ante eum Fulgentius Mytholog. lib. 2. in fab. de Tantalo, ubi legitur:

Nec bibit inter aquas, nec poma natantia carpit.

apud Vincentium vero legitur;

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit.

alias legitur, *poma patentia.* DANIEL. Alii, *Nec bibit, neque poma.* TORNÆS. In avaritiam & pecuniæ studium. Scalig. in Catalect. Vide Boëthium de Consolat. Philos. lib. 3. Metr. 12. ibique Thomam Aquinat. & Natalem Comitem in Mytholog. ERHARD. Ante hoc Epigramma delemus asteriscum. Ignoscite: nihil hic deberi credimus: planus est & facilis sensus, si recte proxime præcedentia ponderentur. BOURDELOT. Vide notas nostras ad Ovid. lib. 3. Amor. El. 6. vers. 51. WEITZ. Hoc epigramma, ut nec sequentia, huc non pertinere certus sum, nihil enim præcedit, quo referri posset, sed forte infra ad finem cap. 127. vel 132. reponendum, ubi Polyænos cupiens, pariter cupiente Circe, non potuit frui inguinis effæti parte juvante, nec voluptatem robustam invenire: unde se Tantalo comparavit. Nam imaginem Tyranni hic exhibere voluisse Satyricum, ut Gonsalius putabat, & Neronem indicari, minime credo; neque ullus in toto hoc Satyrico locus, ubi hæc Tyrannorum sollicitudo perstringitur, reperitur. At Ovidius lib. III. Am. eleg. 7. ejusdem Tantali fabula utitur, similiter in media voluptate destitutus:

Sic aret mediis tacitis vulgator in undis,
Pomaque, quæ nullo tempore tangat, habet.

& Leander apud eumdem Epist. XVIII. vers. 180. qui, cum pœne manu, quod amabat, tangebat, neque tamen frui poterat, ita queritur:

Velle quid est aliud fugientia prendere poma,
Spemque suo refugi fluminis ore sequi.

BURMAN.

Poma pendentia] Alii, *nec poma pendentia*, alii, *aut poma natantia*, alii, *nec carpit pendula*, alii, *nec poma patentia.* Refertur à Fulgentio II. Mytholog. Pith. PATISSON. Alii, *nec carpit pendula poma.* quod mihi quidem magis arridet. ERHARD. Hæc lectio minime mihi placet, pendent enim omnia omnino poma, non sola illa Tantali, si *impendentia* capiti ejus

dixisset,

Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis haec magni facies erit, omnia late
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.

* * * * * *

[a] Nequaquam recte faciet, qui cito credit. *
[b] Nemo coelum putat, nemo jusjurandum servat, nemo Jovem pluris facit: sed omnes opertis oculis bona sua computant. * *

[c] Quod

[a] PHILEROS. [b] IDEM PHIL.

dixisset, potuisset tolerari. Scaliger in Catalectis pag. 229. edidit

Nec bibit inter aquas, neque poma natantia sumit.

Munckerus ad Fulgentii Mythol. lib. II. cap. 18. mallet, *poma aut fugientia carpit*, vel *nec poma fugacia carpit*. Nos credimus veram esse lectionem, quam ex Fulgentio recepimus, *nec poma patentia carpit*. *Patere* enim dicuntur obvia, exposita, & quae facile capere possumus. Propertius lib. I. El. IX.

Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.

Et ita Ovid. II. Amor. El. XIX. 25.

Pinguis amor nimiumque patens in tædia nobis
Vertitur.

Ut egregie emendavit ex Codicibus MSS. N. Heinsius, & docuit, ita Puellas etiam dici *patere*, quae faciles amatoribus sunt, & ad quas aditus non intercluditur. Martialis lib. XI. Epigr. 105.

At mihi nuda satis nulla puella patet.

Vide Brouckhusii notas ad Propert. lib. IV. eleg. VII. vers. 74. BURM.

Sua vota] Non ad Tantali propria vota, ut Gonsalius fecit, sed ad solemnia avarorum & divitum, quorum imago hic Tantalus fuit, vota, refero, quae mox capite LXXXVIII. enumerabit, *Si ad trecenties HS. pervenero*, &c. iterum cap. 115. *Haec sunt consilia mortalium, haec vota magnarum cogitationum.* Haec vota premunt infelicem Tantalum, id est, avarum incumbentem congestis saccis: nihil enim inde sibi demere audet, metu, ne ad tantas, quas sibi vovet, divitias perveniat, si quid abradat; contra vero quotidie cumulat acervos, & in media pecunia pauper & esuriens manet. Hunc esse sensum puto, quem & Barthius deprehendisse videtur, quamvis ejus distinctio duriorem versum facere mihi videatur, ita enim legit ad Stat. lib. IV. Theb. vers. 538.

Non bibit inter aquas, poma aut pendentia carpit
Tantalus. Infelix, quem sua vota premunt.
Divitis, &c.

Ubi & hoc epigramma ante quinque secula à Silvestro Giraldo, Hiberniae scriptore, in testimonium vocatum docet, melior tamen illa destinctio alterâ, quam ad Claudiani I. in Rufin. vers. 188. *Tantalus infelix. Quem sua vota premunt, Divitis hic est.* BURM.

Divitis hac magni facies erit] Paulinus Natali IX. Fel.

——— *Urit*
Defectus miseri metus & miser ardor habendi,
Atque ita & inter opes inopes, quasi Tantalus ille
Inter aquas, sitiunt, nec habent, quod habere videntur.

BARTH. Cato,

Dilige denarium, sed parce dilige, formam.
Illi enim parce denariorum formam diligunt, qui pro sola necessitate quaerunt. Sed formam illi desiderant, qui denarios vendicant, non pro necessitate, sed pro superflua aviditate, quod faciunt divites, juxta illud Petronii;
Hoc magis sitiens erit omnia cernens
Qui timet & sicco, &c.

Jacobus Magni Sopholog. 6. cap. 8. ERHARD.

Omnia cernens] Alii, *omnia late Qui tenet*. Pith. PATISSON. Vide Hygin. fab. 82. BARTH. Nullus, ut mihi, quidem videtur, in his verbis sensus, qui apertissimus in lectione Fulgentiana: *late tenere* enim est divitem esse, possidere plurima latifundia. Egregie Ovidius lib. V. Met. vers. 130.

Dives agri Dorylas, quo non possederat alter
Latius; aut totidem tollebat farris acervos.

Horat. III. od. 17.

Qui Formiarum mania dicitur
Princeps & innantem Maricæ
Litoribus tenuisse Lirin
Late Tyrannus.

Ubi *late* cum *tenuisse* jungendum, & recte *diffuse* ab antiquo Scholiaste exponitur, est enim haec vox propria divitibus, qualem se Trimalchio jactabat, cujus patrimonium per multas regiones est diffusum. Utitur, huc respiciens, ita idem Horatius lib. III. od. 16.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. jure perhorrui
Late conspicuum tollere verticem.

Florus lib. III. cap. IX. *quae res latius aerarium P. R. quam ullus triumphus implevit:* noster infra in bello civili vers. 85. ——— *Aspice late*
Luxuriam spoliorum, & censum in damna furentem.

Tenere autem eodem sensu mox iterum occurrit cap. 83. *Nihil volunt inter homines melius credi, quam quod ipsi tenent.* BURM.

Qua timet] Alii, *qui timet*. TORNÆS.

Concoquit] Quam alii cibis abigunt, hic sicco ore, & nihil gustans, eam consumit.

Nequaquam] Haec fragmenta praeter ultimum, in Tra-

c Quod hodie non est, cras erit: sic vita truditur. * * *

d Quod non exspectas, ex transverso fit, & super nos Fortuna negotium curat. * * *

e Apes ideo pungunt, quia, ubicumque dulce est, ibi & acidum invenies. * * *

f Semper hac in re, qui vincitur, vincit. * * *

g Nemo nostrûm non peccat: homines sumus, non Dii. * * *

Non multum oportet consilio credere, quia suam habet Fortuna rationem. * * *

LXXXIII. g In pinacothecam perveni vario genere tabularum mirabilem. nam & Zeuxidos manus vidi nondum vetustatis injuria victas; & Protogenis rudimenta, cum ipsius naturae veritate certantia, non sine quo-

c ECHION. d TRIMALCHIO. e TRIMALCHIO. f IDEM TRIMALCH. g HABINNAS.

Traguriano codice suo loco exhibentur, & à nobis ibi collocata; hic tamen omittere noluimus, ut editionibus antiquis etiam nostra responderet.

Non multum] Convenit cum illo Menandri,

Οὐ παντὸς ἀγαθῆ, τὴν πρόνοιαν αἰτίαν
Κρίνειν δὲ ὀρθῶς ὑπολαβεῖν τὶς μοῖ δοκεῖ
Ἀλλ' ἔστι μὴ ταυτόματον ἐνίοτε χρήσιμον. COL.

Sallust. ad Caesarem *saepe prava magis, quam bona consilia prospere eveniunt, quia pleraque res fortuna ex consilio suo agitat.* WOUWER.

Pinacothecam] Tablinum, seu locus, in quo tabulae pictae, stragula vestis, & alia ornamenta reponi solebant. GLOSS. *Pinacotheca*, seu *tablinum*, locus, ubi tabulae pictae positae. Varro de Re Rust. lib. 1. cap. 2. *Cum spectatum veniunt villas, ut videant pinacothecas.* vide Fest. WOUWEREN. Plin. lib. XXXV. Hist. Nat. cap. 2. *Et inter hac pinacothecas veteribus tabulis consunt, alienasque effigies colunt, ipsi honorem non nisi in pretio ducentes.* A Tablino autem diversam esse pinacothecam, & Scaliger ad Festum, & Bernardinus Baldus de Vitruvianorum verborum significatione in *Pinacotheca*, & *Tablino*, docuerunt.

Fabularum] Alii, *tabularum*. TORNÆS.

Zeuxidos] De hoc Cicero, Plinius, Plautus Pœnulo, Festus in *Pictor*, Val. Mtximus lib. 3. cap. 7. ERHARD.

Manus vidi] Synesius epist. CLIV. Καὶ παραδείκνυται τὶ τῆς ἀρχαίας χειρὸς, ὥσπερ τῶν ἀνδριάντων λέγειν ἐώθαμεν. WOUWEREN. Schol. Pindari. Olymp. χεῖρες εἰσὶ πράξεων. BARTH. Id est, picturas. Sic dicitur χεὶρ Ἀπελλῆ, χεὶρ Πολυκλείτου, apud Pollucem. *Manus* etiam pro scriptura quia nimirum γεάφειν Græcis & pingere notat & scribere. ERHARD. Ita vocabant ipsa artificum, statuariorum, pictorum, & similium, opera, ut docuerunt Barth. ad Stat. lib. 1. Sylv. III. vers. 47. & ad lib. VIII. Theb. vers. 305. Passeratius ad Propert. lib. II. eleg. VI. vers. 27. & lib. II. eleg. XII. vers. 2. Cerda ad Virgil. lib. I. Æneid. vers 455. & eodem sensu χεῖρας à Græcis dici docuerunt Falconerius ad Donarium Nicomedis Medici pag. 140. & Salmasius de modo usurar. pag. 391. Vellej. Pater. lib. 1. cap. 12. *Maximorum artificum perfectas manibus tabulas ac statuas*, dixit.

Victas] Eleganter. *Vinci* enim dicuntur opera, ædificia, moles, & similia, quæ tempori & injuriis longæ ætatis cedunt. Propertius lib. III. eleg. 1. vers. 61.

Aut illis flamma, aut imber, subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.

ubi vide Passeratio adnotata. Seren. Sammon. c. 30.

Aut Cerasi victum longo jam tempore pomum.

& ita Valer. Flacc. lib. 1. vers. 829.

——— *Victam si solvere molem*
Jupiter, & primæ velit omnia reddere massæ.

Ut ibi legendum esse, ad ipsum Poëtam aliquando pluribus ostendemus. BURM.

Protogenis rudimenta cum ipsius naturæ veritate certantia] Cicero in Bruto. cap. XVIII. *Quis enim eorum, qui hæc minora animadvertunt, non intelligit, Canachi signa rigidiora esse, quam ut imitentur veritatem? Calamidis dura illa quidem, sed tamen molliora, quam Canachi. Nondum Myronis satis ad veritatem adducta, jam tamen quæ non dubites pulcra dicere.* DOUZA F. Pro *rudimenta* mallet Oeveringius noster *liniamenta*, ut apud Cic. in Brut. 18. *Similis in pictura ratio est, in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non sunt usi plus quam quatuor coloribus, formas & liniamenta laudamus. At in Aëtione, Nicomacho, Protogene, Apelle, jam perfecta sunt omnia, & nescio, an reliquis in rebus omnibus idem eveniat.* BOSCH.

Cum ipsius naturæ certantia] Alii, *cum ipsa naturæ certantia*. MS. *cum ipsius naturæ veritate certantia*. TORNÆS. Plin. lib. 33. *Accessit ars picturæ. Didicit homo naturam provocare.* Cicero lib. II. de Invent. cap. 1. *Præbete ex istis formosissimas, dum pingo, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur.* WOUWEREN. Douza legebat, *varietate*, aliter quam bene. *Veritas* opponitur rei fictæ; qualia Protogenis *rudimenta*. Opponuntur enim inter se *veritas*, id est, res ipsa, & *rudimentum*, id est, imago & simulacrum. Unde Cicero po Q. Roscio; *Quod est veritate falsum*: hoc est, reipsa. vide Castalionem in Annotat. ad cap. 1. Joan-

quodam horrore tractavi. Jam vero Apellis, quam Graeci Monocnemon appellant, etiam adoravi. Tanta enim subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem praecisae, ut crederes, etiam animorum esse picturam. Hinc aquila ferebat coelo sublimis deum. Illinc candidus Hylas repellebat improbam Naïda. Damnabat Apollo noxias manus, lyramque resolutam modo nato flore honorabat. Inter quos etiam pictorum amantium vultus, tamquam in solitudine exclamavi: ergo amor etiam

nis Euangel. ERHARD. Errant, qui hoc loco ponunt, *naturae varietate*. Etiam apud Statium lib. 2. Theb. vers. 216.

——— *Vivis certantia vultibus aera.*

Corrumpunt locum, qui aliter legunt. Habet enim à Virgilio, apud quem *spirantia aera*, non *ora*. Sic Petronius postea cap. LXXXVIII. *Qui pene hominum animas ferarumque aere comprehenderat*. BOURDELOT.

Monochromon] Pictura Apellis intelligitur. GLOSS. Alii *monohemeron*, alii *monochromon*. TORNÆS. Forte legendum *monogrammon*, ut sit pictura linearis Apellis. DANIEL. Veteres *Monocremon* non *Monochromon*, aut *Monochromada*, quod Hygemoni cognomen tribuit Plinius, qui celebriores Apellis tabulas quatuor coloribus constitisse notat. PITH. Lege *monocnemon*. Ut intelligatur pictura Apellis, in qua ἀνθρωπος μονόκνημος, id est, pictura λιτη. Ita longe corruptissimum recte emendat Scaliger. WOUWEREN. Hanc emendationem debemus Doctissimo Scaligero, nam ibi MSS. etiam in menda. Ferri enim potest τὸ *Monochromon*, *d'une couche*. Contra pictura Jalysi tetrachromon. Vulgo male, *monocremon*. BOURDELOT.

Animorum picturam] Hoc Graeci vocant πάθη καὶ ἤθη. Ælian. IV. Var. cap. 3. & Plutarch. lib. II. de fortuna Alexandri. Et ita Polygnotus hominum mores exprimebat, Xeuxis vero nullos, teste Aristotele cap. VI. de Art. Poët. ἔμψυχον εἶκονα vocat Aristæn. lib. I. ep. 1. & Zenob. III. Centur. Proverb. 7. dicit Dædalum ita effinxisse animalia, ut crederent ἔμψυχα esse, & moveri, & sonos edere. In ære si id fieret, *spirantia aera* dicebantur. Virgil. VI. Æn. 848. quod Servius explicat *animata* (quem & vide ad III. Georg. 34.) Statius in Surrentino Pollii:

Si quid Apellei gaudent animasse liquores.

Idem pietate Abascantii:

Si manus aut similes docilis mihi fingere ceras,
Aut ebur impressis aurumve animare figuris.

Martialis: lib. VI. Ep. 13.

Candida non tacita respondet imagine Lygdos,
Et placido fulget vivus in ore liquor.

ubi, *vivus liquor*, est succus ille & sanguis faciei, qui splendet è viventi; viva veraque facie fulget in hac statua: loqui putes & vivo succo os accendi, ut explicat recte Gronov. Diatr. Stat. cap. 25. CUPERUS. Adde Passeratium ad Propert. lib. II. eleg. 31. vers. 8. lib. III. eleg. IX. vers. 9. & Barth. ad Claudian. Bell. Get. vers. 19.

Ferebat in terris] Alii, *in cœlis*. PATISSON.

Deum] Scilicet Ganymedem. In Priapejis;

Quodque Jovi dederat, qui raptus ab alite sacra
Miscet amatori pocula sacra suo. ERHARD.

Improbam] Male intelligit de lenociniis Gonsalius, invitum enim rapuit Hylam Nympha. Est vero *improba*, audax, & quæ, amori suo non imperans, ipsius Herculis puerum non verebatur rapere. Ita *improbitatem* pro vehementi impetu mentis poni docuit Gronovius Diatr. Stat. cap. 29. ubi multis de hac significatione. Ita *improbum amorem* dixit Virgilius Æneid. IV. 412. *improbam manum* mox noster cap. 86. appositе Ovidius I. Art. Amator. vers. 665.

Pugnabit primo fortassis & improbe, dicet.

Et mox:

Quacumque est subita Veneris violata rapina,
Gaudet; & improbitas muneris instar habet.

Et ita passim. BURM.

Damnabat Apollo noxias manus] Quod Hyacinthum disco interemisset. TORNÆS. Vide supra ad cap. 80.

Modo nato flore] Hyacintho. Elegantissime Coluthus de Rapt. Hel. BARTH. Paschalius lib. 2. de Coronis cap. 14. ubi pro, *honorabat*, videtur legere *coronabat*. WEITZ.

Pictorum amantium] Melius fortassis, *diverorum amantium*. BARTH. Ampl. Cuperus *Deorum* malebat. Sed retineri vulgata potest, ut hi *picti amantes*, etsi vivere viderentur, non prohiberent, quo minus Encolpius, tamquam in solitudine exclamaret: vis est in particula *etiam*, nisi forte legendum sit *fictorum*, ut ad se referat, qui verus amans esset, cum Jupiter, Nympha, & Apollo picti essent, & sibi raptus puer pulcherrimus, quem Ganymedi, Hylæ, & Hyacintho præferendum judicabat, qui fictis poëtarum carminibus famam suam debent. BURM.

Vultus] *Lusus*, Nob. Heinsius. BOSCH.

Tangit] Frequens Ovidio & aliis hoc sensu verbum; lib. II. Amor. Eleg. 1.

Et rudis ignoto tactus amore puer.

lib. VIII. Met. vers. 184.

——— *Tactusque soli natalis amore.*

& passim. Et ita de aliis animi affectionibus, dolore, ira,

etiam deos tangit? Jupiter in coelo suo non invenit, quod eligeret, & peccaturus in terris, nemini tamen injuriam fecit. Hylam Nympha praedata, imperasset amori suo, si venturum ad interdictum Herculem credidisset. Apollo pueri umbram revocavit in florem, & omnes fabulae quoque habuerunt sine aemulo complexus. At ego in societatem recepi hospitem Lycurgo crudeliorem. Ecce autem, ego dum cum ventis litigo,

ira, &c. V. ad Cicer. II. Verr. cap. 34. Ovid. libr. VIII. Metam. vers. 279.

Tangit & ira Deos.

V. ad Phædr. I. fab. 24. Schefferi notas, & Gronovii dictata, juris publici facta.

Jupiter in cœlo suo non invenit quod eligeret, &c.] Similia apud Terentium in Eunucho. ERHARD.

Peccaturus] Adulteraturus, scortaturus: hæc est propriissima notio hujus verbi *peccare* pro pellicari, hoc est, scortari, mœchari. Balbus Catholico; *Peccare dicitur quasi pellicari. & inde peccator; quod nomen antiquitus tantum flagitiosos & libidinosos significabat: sed postea transivit in appellationem omnium iniquorum: & dicitur peccator, quasi pellicator.* Hinc *peccatrix* pro meretrice. Auctor ad Cornel. Papam de Passione Christi; *Filio prodigo revertenti non improperas luxum: mulieri adulteræ non opponis prostibulum: peccatricis publica non recusas servitium.* Hinc & in sacra Scriptura *peccatores* dicti prævaricatores divinorum præceptorum, quod, spreto & relicto thoro Christi cum alienis Diis adulterentur, &, castitate Ecclesiæ prostituta cum carne, mundo & Diabolo libere voluptentur. ERHARD.

Nemini tamen] Lege, *talem*, cæteroqui falsissimum docent omnes fabulæ. BARTH. Frustra sunt, qui reponunt *talem*. Nec attendunt ad amores Jovis, qui discedens deceptarum animos lætitia mulcebat. BOURDELOT. Sic recte legitur. Arbitri sensus est: non involavit alterius amores Jupiter, sicut meos superbus Æschylos. BOSCH.

Hilari Nympha] Alii, *Hylam Nympha*. TORNÆS. Veteres *hilari*. Pith. Alii *hylari*. PATISSON. Legendum puto, *& Hylam Nympha prædata*. PUTEAN.

Ad interdictum Herculem] Alii, *ad interceptum Herculem*. TORNÆS. Quodnam, quæso, interdictum liberum hominem exhibere postulasset? PUTEAN. Vide supra ad cap. 14.

Et os fabulæ] Alii, *& hos fabulæ*. MS. *& os fabulæ*, quod forsan pro *omnes* scriptum est. TORNÆS. V. C. *& hos fabulæ*. Forte *& suos fabulæ*. ERHARD.

Recepi Lycurgo crudeliorem] MS. auctior, *recepi hospitem Lycurgo*. TORNÆS. Fuerit Lycurgus crudelis Homero, Virgilio, aliis. Hæc tamen potius referenda ad illum Lycurgum, de quo postea cap. CXVII. *Et quicquid Lycurgi villa grassantibus præbuisset.* quæ narratio deficit. PITH. Referunt interpretes ad eum Lycurgum, de quo infra cap. CXVII. legitur; *Quidquid Lycurgi villa grassantibus exhibuisset.* Non recte, quomodo mihi persuadeo. Nam illa grassatio multo tempore post accidit, quam hæc fierent. Quare nihil dubito de Lycurgi illius crudelitate interpretari, quod & Ammianus lib. 22. *Judicibus Cassiis tristior & Lycurgis.* Et lib. 30. circa fin. *Judices numquam consulto malignos elegit: sed, si semel promotos agere didicit immaniter, Lycurgos inveniſſe se prædicabat & Cassios.* ERHARD. Simile est illud Timonis Phlasii apud Athenæum lib. 10. *Ferum bubulcum Lycurgo crudeliorem.* SCIOPP. De nullo alio, nisi de Thraciæ Tyranno Lycurgo, hoc proverbium sumi posse, plane persuadent ea, quæ Barthius tradit ad Stat. lib. V. Theb. vers. 715.

——— *Nec inhospita tecta Lycurgi*
Præbuerant aditus.

Neque *hospite* cum Scioppio & Gonsalio legendum est; nam, ut censet optime Brouckhusius meus, Æschylum hospitem vocat, & peregrinitatem objicit homini perfido, quem in hospitium receperat. BURM.

Cum ventis litigo] Haud absimile apud Paulum ad Corinth. cap. 14. εἰς ἀέρα λαλοῦντες. Lucret. lib. 4.

——— *Ne ventis verba profundam.*

Propert. lib. 1. Eleg. 16.

At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

WOUWEREN. Proverbialis locutio, omnibus linguis & gentibus usurpata. Job cap. 6. *Ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis:* hoc est, inania, φυῦλα, sine pondere & effectu. Coluthus in Helenæ raptu;

Ὡς ἡ μὲν πολύδακρυς ἐς ἠέρα φαντάσασα,
Μητέρα μαστεύουσα μάτην ἐπλάζετο κούρη.

Hepidannus Junior Sanctgallensis de Vita S. Wiboradæ lib. 1. cap. 25. *Ille afflictum clamitans, cum cognovisset, se preces in ventum fundere, surrexit.* Aleonora Angliæ Regina in Epist. ad Cælestinum Papam apud Petrum Blesens. epist. 145. *Sed, quid talibus immoror? curro in incertum, & aera verbero, atque in ventos nostri gemitus evanescunt.* Aul. Sabinus Eleg. 2. sub persona Demophoontis ad Phyllidem;

Nunc venti mea verba ferant, qui verba tulerunt.

Id est, evanescant, & nihil apud te proficiant. Suidas Ἀνέμῳ διαλέγεις, ἐπὶ τῶν ἀνηκόων. Cui simile & isthoc apud eumdem; Ἀνέμοις γεωργεῖς, in cassum niteris, frustra laboras. Sic *dare verba in ventos* dixit

go, intravit pinacothecam senex canus, exercitati vultus, & qui videretur nescio quid magnum promittere; sed cultu non proinde speciosus, ut facile adpareret, eum ex hac nota literatorum esse, quos odisse divites solent. Is ergo ad latus constitit meum, &, [a]ego, inquit, poëta sum, &,

[a] ENCOLPIUS.

Ovid. Et *ventosus* dicitur is, cujus promissa pro spisso eveniunt, aut in ventum abeunt, qui multa promittit, & pauca præstat. Dionysius Cato in Distich.

Ne sis ventosus, dum vis urbanus haberi.

Item vanus & mendax. Oseæ cap. 9 vers. 7. *virum spiritualem*, hoc est, ventosum. Loquitur autem de vanis Prophetis. ERHARD.

Senex canus] Eumolpus. TORNÆS.

Exercitati vultus] Ob vigilias in studiis pallidus & macilentus evadit vultus: hinc & imagines Poetarum macræ pingebantur. GLOSS. Rugosi, austeri. TORNÆS. Caper, *Exercitus laboribus, Exercitatus studiis.* PITH. Vide Comm. Juven. Sat. VII.

Ut dignus venias hederis & imagine macra.

WOUWEREN. Ob vigilias in studio ita pictos poëtas auctor Schol. Juven. BARTH. Ita vocant Poëtæ pallidum & macilentum vultum. Hinc & imagines poëtarum macræ pingebantur Juvenal. Sat. 7. De pallore poëtarum, & studiosorum hominum, ejusque caussa, vide Rader. ad Martial. lib. 7. epigr. 3. ERHARD. Pallidi exponit Raderus ad Martialis lib. VII. epigr. 3. subtristis & ad severitatem compositi Salmasius ad Lamprid. Alex. Sever. cap. LIX. frontem, quæ honestum, firmum & exercitum hominem præferret, Gronovius lib. II. Observat. 4. quæ omnia fere eodem redeunt, & ad labores & studiorum exercitationem referri debent: quo sensu jungitur sæpe *laboriosus* & *exercitatus*. Suet. Tiber. cap. VI. *Infantiam pueritiamque habuit laboriosam & exercitatam.* Plin. Paneg. cap. LXXXVI. *Laboriosa & exercita statione.* Alter Plin. lib. VIII. Histor. Nat. cap. 8. de Agrippa *misera juventa, exercito ævo, inter arma mortesque.* Et eo sensu *exercitum*, fatigatum ab exercitio interpretatur Nonius, & adducit ex Sallustii Jugurthino bello. *Nabdalsa exercito corpore;* est autem *exercitatus vultus*, qui à Sueton. Neron. cap. 37. dicitur *Tristis & Pædagogi vultus.* BURM.

Promittere] Προσδοκίαν παρασχεῖν. Juven. Sat. II.

——— *Duræ per brachia sæta*

Promittunt atrocem animum. WOUWEREN. Accipi potest *promittere* de vultu, quasi ejus vultus aliquam eruditionem promitteret, hoc est, præ se ferret. Rittershusius Not. in Phædrum. ERHARD. Supra ad cap. x. notavimus, proprie de arrogantibus ludimagistris hoc verbum usurpari.

Cultu] Vestitu. Plaut. *Exerce vocem, per quam vivis, & colis.* Lucanus x. Phars.

Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Tertull. de pallio? *Scytalosagittipelliger ille, qui totam epitheti sui sortem cum muliebri cultu compensavit.* WOUWEREN.

Proinde] Ex usu optimæ latinitatis idem notat quod *perinde*, unde scioli sæpe Librarii has voculas commutarunt. Vide summi Grævii notas ad Cicer. lib. x. ad Famil. epist. 24. & Manut. ad ejusdem libri epist. 34. pro *speciosus* Heinsius ad oram libri conjecerat *specioso*, sed nihil necesse. Nihil enim magis obvium, quam bene ornatos & pulchros *speciosos* dici, species enim vestibus & ornamentis conciliatur. Ita Ovidius lib. III. Met. vers. 20.

——— *Tollens speciosam cornibus altis*
Ad cœlum frontem.

Ubi tamen Heinsius *spatiosam* mavult. Sed hæ voces solemni librariorum errore commutantur. Eadem etiam varietas lib. XIV. Met. vers. 661.

Ulmus erat contra speciosa tumentibus uvis.

Ubi etiam *spatiosa* præfert Heinsius; sed mihi magis convenire constructioni cum sexto casu, *speciosa*, videtur. Noster in cœna Trimalchionis puerum *non inspeciosum* dixit cap. 74. & *Juvenis speciosus* bis terve Apulejo, *mulier speciosa* Ovidio III. Art. Am. vers. 321. ut autem *speciosum cultu* noster, ita Suetonius Cæs 45. *cultu notabilem* dixit. BURM.

Eum ex hac nota literatum esse, quos odisse, &c.] Ipso vultu Eumolpum ex eo genere hominum adgnoscit, quod odisse divites soleant, scil. Poëtam. Barthius in Ceir. Virgil. num. 1. Lege, *eum ex hac nota literatorum esse*, intelligit Poëtas. *Ex hac nota*, id est, talis notæ, phrasi Petroniana. Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 18. ERHARD. Antiquæ editiones omnes *eum hac nota literarum esse.* Sed recte correxit Scioppius *ex hac nota*, infra cap. 126. *Ex hac nota est domina mea.* Nam elegans usus propositionis hujus. Cicero pro Muren. 36. *Fuit eodem ex studio vir eruditus apud patres nostros, & honestus homo, & nobilis, Q. Tubero.* Ubi v. Cl. Grævium. Terent. Hecyr. Act. v. scen. 1. vers. 30. *Si alia esset ex hoc quæstu, non faceret.* Florus lib. 1. cap. 13. *Virgines ex sacerdotio Vestæ.* Cæterum locutionem hanc translatam à notis amphorarum Vinariarum, notaverat Ampl. Cuperus, & Senecam duobus locis usum, de Const. cap. III. *Ex hac tibi nota sapientem exhibeo.* III. de benef. cap. 9. *Quædam non sunt ex hac vulgari nota.* tertium ad Phædri lib. IV. fab. 23. adduxit Schefferus ex Epist. 52. *Nos ex illa prima nota non sumus.* BURM.

Quos odisse divites solent] Alii, *quod odisse.* TORNÆS. Horat. lib. 1. Sat. 4. WOUWEREN.

Ad latus constitit meum] Vide ne inrerpretamentum

& , ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quas etiam ad imperitos deferre gratia solet. Quare ergo, inquis, tam male vestitus es ? Propter hoc ipsum : amor ingenii neminem umquam divitem fecit.

Qui pelago credit, magno se foenore tollit ;
Qui pugnas & castra petit, praecingitur auro ;
Vilis adulator picto jacet ebrius ostro ;

Et

tum sit, & scirpserit Arbiter, *secundum me*, vel *propter me*. Anonym. MS. juxta man. Dousæ ad edit. Tornæs. HADRIANID. To & ignorant editiones. Forte, *is ergo, ut ad latus constitit meum, ego, inquit.* Nescio autem, cur, *ad latus consistere*, placere non debeat.

Si quid coronis credendum] Sueton. Neron. cap' XII. *Instituit & quinquennale certamen primus omnium Romæ more Græco triplex, Musicum, Gymnicum Equestre.* In iis certaminibus oratores, Poëtæ, & omne genus artificum de coronis contendebat, uti & in agonibus Capitolinis, qui, exemplo ludorum Olympicorum à Domitiano instituti. Sueton. cap. IV. Vetus Inscriptio apud Gruter. pag. CCCXXII. 3. L. VALERIO PVDENT. HIC. CVM. ESSET ANNORVM. XIII. ROMÆ. CERTAMINE. IOVIS. CAPITOLINI. LVSTRO. SEXTO. CLARITATE. INGENII. CORONATVS. EST. INTER. POETAS. LATINOS. OMNIBVS SENTENTIIS. IVDICVM. Tacitus Annal. XVI. cap. 4. *Senatus, propinquo jam lustrali certamine, ut dedecus averteret, offert Imperatori victoriam cantus, adjicit facundia coronam, qua ludicra deformitas velaretur.* Idem refert Sueton. Neron. cap. XII. Quo forte ille morsus: *Quas nonumquam ad imperitos gratia deferre solet.* WOUWEREN. Philosophi coronati in theatro. Synesius ad Pæon. ὅτοι μὲν δὴ ἴσων λαμπροὶ, καὶ τοῖς θεάτροις στεφανίτην. Jungerman. Sed hic locus de coronis Poëticis capiendus est, super quibus multa P. Faber in Agonistic. Jacobus Pontanus ad Virgil. Eclog. 7. Claudius Minos ad Alciati Emblema 204. Raderus ad Martial. lib. 8. epigr. ult. ERHARD.

Gratia ad imperitos] Non magis hæc querela Neronem tangit, quam omnis ævi Principes. Perpetua enim hæc famelicorum Poëtarum exprobratio fuit, quasi seculum, quo viverent, eos non intelligeret, & indoctiores præferret & præmiis honoraret. Quod & factum sæpe, docebit te Gellius lib. XVII. cap. 4.

Quare ergo, inquis] Alii, *inquit.* Pflug. *inquio.* Sed nihil mutandum: est enim præoccupatio. ERHARD. Legendum, *inquio.* Simile autem illud Carionis apud Aristophanem Pluto Act. 2. sc. 1. cum enim cœcus dixisset, se esse Plutum, dicit Cario,

Σὸ πλοῦτος, ἀνὴρ ἀθλίως διακείμενος. BOURDEL.

Quare ergo tam male vestitus] Mart. lib. VI. epig. 82.

Tunc es, tune, ait ille, Martialis:
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?

Et lib. III. 38.

Insanis: omnes, gelidis quicunque lacernis,
Sunt tibi, Nasones, Virgiliosque vides. PITH.

Neminem inquam] Quid si legas, *unquam ?* PUTEAN. Sic mox cap. seq. *Nescio quomodo bona mentis soror est paupertas.* Cujus rei caussam inquirit Aristotel. Problem. 4. sect. 29. Rittershusius ad Phædr.

——— *Virtus laudatur & alget.*

Tilemannus in Discursu Philolog. de Historicor. delectu, pag. 200. Dicta in hanc sententiam vetusta congessit Taubmannus Comment. in Plautum Stich. Act. 2. scena 1. ERHARD.

Qui pelago credit] In tenuis fortunæ homines. Scalig. in Catalect. ERHARD.

Magno se fœnore tollit] Ita loquitur Cassius Parmensis.

Non levis adscensus, si quis petit ardua, sudor
Plurimus hunc tollit. —— BARTH.

Id est, inflatus magni lucri spe, ne curet pelagus sæviens. Barth. Claudian. lib. I. in Rufin. vers. 22.

Præcingitur auro] MS. *ostro.* TORNÆS. Militare verbum: militiam sequitur auri amore. PITH. Eleganter: quia in zona res pretiosæ, ut aurum, argentum, &c. Sueton. Vitell. *Zona se aureorum plena circumdedit.* Hinc Egesippus lib. 5. cap. 24. *auro & argento succinctos* dixit. Perrenonius Animadversion. & Var. lect. lib. I. cap. 13. ERHARD. Barthius & hic in racemationibus, & ad Claudiani lib. I. in Rufin. vers. 22. deserere communem interpretationem hujus loci voluit, quam tamen etiam probavit Salmasius ad Vulcat. Cassium cap. I. & Spart. Pescenn. cap. X. Sed, ut Barthii expositionem non probo, ita neque possum credere, *auro præcingi*, esse, Zona plena auro cingi: sed cum *præcinctura* sit mollioris & effæminati viri, vel pueri delicati, indicium, ut patet ex Sueton. Cæs. cap. 45. & Macrob. lib. II. Saturn. cap. 3. turpitudo illa augetur, si tunica & vestes auro splendeant. Ita enim ornatas luxuriosorum tunicas fuisse, docet Ferrarius lib. III. de re vestiaria c. 15. BURM.

Vilis adulator] Salisber. lib. 3. cap. 13. non laudato auctore citat. BONGARS. Menand.

Ἀνθρωπος ἐὰν ᾖ χρηστὸς, εὐγενὴς, σοφὸς
Γενναῖος, εὖ ἴσθ' ὠφελος ἐν τῷ νῦν γένει.
Πράττει δ' ὁ κόλαξ ἅπερ ἅπαντων. PITH.

Lucianus de Parasito: Ὁ μὲν βίος τῷ παρασίτῳ χρείττων

Et qui ſollicitat nuptas, ad praemia peccat:
Sola pruinoſis horret facundia pannis,
Atque inopi lingua deſertas invocat artes.

LXXXIV. Non dubie ita eſt. Sed qui, vitiorum omnium inimicus, rectum iter vitae coepit inſpicere, primum propter morum differentiam odium

ἐπὶ τῇ τῶν ῥητόρων, καὶ τῶν φιλοσόφων. WOUWEREN. Salisberienſis de Nugis Curial. lib. 3. cap. 13. Raviſ. Textor in Epithet. ERHARD.

Oſtro ebrius] Dementatus, & mentis ob rem aliquam nimio immodicam haud compos. GLOSS. MS. *auro*. TORNÆS. Innuit, paraſitos & adulatores, ad ampliſſimas fortunas Principum ſtoliditate evectos, priorum vitæ ſordium non amplius memores, reliquos præ ſe deſpicere, rerum ſucceſſu elatos. Ita enim *ebrius* interdum metaphorice capitur pro dementato & mentis ob rem aliquam nimio immodicam haud compote, quia *ebrietas* mentem alienat & expectorat ob immodicum potum. H. Junius Animadverſion. lib. 3 cap. 6. & fuſius Gilb. Cognatus in Adagior. ſylloge. ERHARD. Interpretatur hoc recte Barthius ad Stat. lib. VI. Theb. verſ. 540. de ſtragula veſte auro variegata, Phrygio opere. *Ebrium* vero ego de mentis haud compote non caperem, ſed proprie de adulatore, ſe ad regum menſas inebriante, & vino nimis indulgente.

Sollicitat nuptas] Hinc *ſollicitatores* Paullo JCto. v. Sent. IV. §. BARTH. Vide & Barthium ad Hermæ Paſtorem pag. 930.

Peccat] *Spectat*, Scaliger ad oram Leid. Cod. BOSCH. Dictum, ut apud Propertium lib. II. eleg. 16.

Numquam venales eſſent ad munus amicæ.

ubi vide Paſſeratii notas. ex peccato ergo præmia & mercedem petunt, non gratis ſunt flagitioſi. Senec. epiſt. 122. *Quibus peccandi præmium eſt infamia*, de alio genere luxurioſorum dixit.

Pruinoſis pannis] Squalidis & horridis. GLOSSÆ. Lege *pruinoſis*. AURAT. Hanc lectionem agnoſcit & Puteanus, Epiſtolar. fercul. ſecund. epiſt. 3. Ammianus lib. 22. de Scythis; *Squalentes & pruinoſas ferarum tetro ritu veſcuntur*, id mox declarat; *Aquilone cæditur & pruinis*. ERHARD. *Hirtam togam* dixit auctor Dialog. de Corr. Eloq. cap. 26. *Adeo malim oratorem, vel hirta toga induere, quam fucatis & meretriciis veſtibus inſignire. Algentem togam* vocavit Martialis lib. XII. ep. 36 & XIV. Epigr. 137. CUPER. Cæterum, *horret*, mihi videtur aptius convenire pannis pruinoſis, quam *hæret*, quod habet prima editio, & Tragurienſis codex. *Horrere* enim pro algere, & *horrorem* pro *frigore* dicebant. Vide Heinſ. ad Ovid. lib. II. Art. Amat. verſ. 213. ita & *horridus* pro frigido, idem ad lib. II. Amor. Eleg. VI. verſ. 19 & lib. I. Faſtor. verſ. 495. ubi etiam apud Lucanum *hærens*, pro *horrens*, perperam legi oſtendit. Eodem modo variant codices Pliniani lib. XIV. 1. *Eadem modici hominis altitudine adminiculatæ ſudibus horrent vineamque faciunt.* Ubi alii *hærent*. Sed probum eſt *horrent*, id eſt, rigent, & ut arbores, quæ trunco valido nituntur, ſtant. De *pannis* vero vide Caſaubonum ad Sueton. Auguſt. 20. BURM.

Horret] Ita V. C. vulgo, *hæret*. SAMBUC. Alias legitur, *ſola pruinoſis horret prudentia pannis*. BRASSICAN.

Atque inopi lingua deſertas invocat artes] MS. *diſſertas*. Apud Henricum Stephanum ſequuntur octo verſus hic præteriti. TORNÆS. Vet. unus, *deſertas*. Quod poſtulat carminis ratio. PUTEAN.

Non dubio ita eſt] Alii codices *non dubie*, ut infra cap. CXXIV. *Haud dubie credentibus indicavimus*. ERHARD. Reduxi primæ editionis lectionem *non dubie ita eſt. Sed qui vitiorum*, &c. Quæ & Tragurienſis codicis eſt, niſi quod ille habeat, *ſed quis*. vulgata vix admittit ſenſum aptum Plin. lib. V. epiſt. 14. *Erit fortaſſe, imo non dubie, hujus propoſiti mei & minor laus & obſcurior fama*. Livium *haud dubie*, *nec dubie*, innumeris locis poſuiſſe notant lexicographi. Plinius quoque non ſemel lib. XVII. Hiſt. Nat. cap. 12. *Non dubie venenum eſt*, lib. XXI. cap. 18. *Non dubie mederi*, & paſſim in Pandectis quoque obvia formula. *Ita eſt*, vero affirmantis formula, millies apud comicos occurrit.

Rectum iter vitæ] Firmic. lib. 3. cap I. *Ut rectum iter vitæ mortalitas ingreſſa*. WOUWEREN.

Inſpicere] Alias, *inſiſtere*. BRASSIC. Legendum, *inſiſtere*. WOUWEREN. Forte *inſiſtere*. RITTERS. & BARTH. Omnibus fere commentatoribus damnata vox *inſpicere*, & communi ſuffragio ſubſtituta *inſiſtere*, & ita Terentium & alios locutos certum eſt. Religio tamen mihi eſt recedere à primis editionibus & MSS Codicibus, præſertim, cum commode explicari poſſit: *inſpicere* enim eſt examinare, cognoſcere, ut ſupra ad cap. XV. oſtendimus. Non abſimilis eſt illa Terentiani Demeæ Adelph. Act. III. ſc. III. philoſophandi ratio. *Denique inſpicere, tamquam in ſpeculum, in vitas omnium jubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi.* Ita vulgo legitur; ſed antiquæ editiones exhibent *inſpicere tamquam in ſpeculum vitas omnium*. Quod firmari poteſt Ciceronis in Piſonem cap. 29. loco, qui Terentium ſuum ante oculos habuiſſe videtur. *In quibus verſibus, ſi quis velit, poſſit iſtius tamquam in ſpeculo vitam intueri*. BURM.

Propter morum differentiam] Vide Boëth. de Conſ. lib. I.

odium habet (quis enim poteſt probare diverſa?) deinde, qui ſolas exſtruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quam quod ipſi tenent. Jactantur itaque, quacumque ratione poſſunt, literarum amatores, ut videantur illi quoque infra pecuniam poſiti. *

Neſcio quo modo bonae mentis ſoror eſt paupertas. *

Vellem tam innocens eſſet frugalitatis meae hoſtis, ut deliniri poſſet. Nunc veteranus eſt latro, & ipſis lenonibus doctior. * * *

LXXXV.

reipſa. vide Caſtalionem in Annotat. ad cap. 1. Joan. lib. 1. proſ. 111. BARTH. In eumdem ſenſum Boëthius de Conſolat. Philoſoph. lib. 1. proſ. 3. *Quod noſtris moribus inſtituti, ſtudiis improborum diſſimillimi videbantur.* ubi Sitzmanus in Notis num. 70. ERH.

Habet odium] Id eſt, ſibi conflat, & ab omnibus odio habetur. Senec. Epiſt. 105. *Quidam odium habuerunt, nec inimicum.* eo ſenſu ſupra cap. LXVI. dixit. *Habebo convitium.* vid. & ad cap. XV. Cæterum ingenioſa eſt Heinſii, quam codici ſuo adſcripſerat, conjectura, *præmium, propter morum differentiam, odium habet*: eo ſenſu, quo Terentianus Demea Adelph. Act. v. ſc. IV. qui vitam dure & parciter agens, & conterrens in quærendo vitam atque ætatem, *nunc exacta ætate hoc fructi pro labore à filiis ferebat, odium.* BURM.

Diverſa] Neſcio, an non verior Memmii Cod. lectio *Univerſa.* BOSCH. Tragurienſis codex *diviſa*, mendoſe. Neque *univerſa* Memmiani codicis melior: *diverſa* ſunt contraria, diſſimilia, ut vel tironibus notum eſt, reſpicit autem illud Horatii lib. 1. Sat. 1. 3.

Qui fit, ut nemo laudet diverſa ſequentes.

Et verſ. 109.

——— *Nemon' ut avarus*
Se probet, ac potius laudet diverſa ſequentes.

Vellej. Pater. lib. 11. cap. 60. *Inter naturaliter diſſimillimos, ac diverſa volentes, creſcebat odium.* BURM.

Sola exſtruere divitias] Lege *ſolas.* AURAT. Biturig. *inſtruere.* Pith. PATISSON. Jo. Salisber. ex hoc loco: *Qui ſolas divitias congerere curant, nihil in vita potius credi volunt via, quam cæteris prætulerunt.* PITH. Pari elegantia Phædrus *exaggerare opes*, & Cicer. *exaggerare rem familiarem.* Rittershuſius ad Phædrum. Dicuntur autem pulcherrime *incubones*, ἐπικυφότες, qui toti in opes & divitias incumbunt. ERH. Horatium imitatur, qui lib. 11. Od. 3. dixit

——— *Et exſtructis in altum*
Divitiis potietur hæres.

Vide ad Phædr. lib. 111. fab. XIX. Ita *congerere* Tibullus 1. eleg. 1.

Divitias alius ſulvo ſibi congerat auro.

ubi v. Gebhardi notas. Cyprian. epiſt. 1. *Pecuniarum ingentium exſtructos aggeres*, dixit.

Curant] Hic eſt, ſumma ope nituntur: ut eleganter hac voce uſos ſcriptores cum veteres, tum præcipue Chriſtianos ævi ſequentis, docuit Barthius ad Stat. lib. 11. Theb. verſ. 360. & Claudian. lib. 11. in Rufin. verſ. 158.

Tenent] Poſſident, vide ad cap. 82.

Quacumque ratione poſſunt] Ita vetus codex: vulgo *quacumque poſſunt.* SAMBUC. Lege *quacumque rationes poſcunt.* BARTH.

Infra pecuniam] Id eſt, minoris haberi. Ita Terent. Eunuch. 111. ſc. 2. *Tace tu, quem ego eſſe infra infimos omnes puto.* Apud Florum quoque lib. IV. cap. XI. editiones exhibent, *ſed pulchritudo infra pudicitiam principis fuit.* Ubi tamen cum Grutero & Freinshemio mallem *intra* legere. Infra capite 100. *infra fiduciam poſui.* BURM.

Neſcio quo modo] Q. Cic.

Neſcio quo pacto res mala facta bona eſt. BARTH. Vet. Cod. *quo non.* Sed vincent: in ſpeculo legit *quomodo.* P. DANIEL.

Bonæ mentis ſoror] Menander, Μακάριον, ὅστις ἀσθίαν καὶ νῦν ἔχει. PITH. Vid. Apulejum Apolog. Æneam Gazæum, alios. BARTH. Quæ Apulejo in Apolog. *Philoſophiæ vernacula:* Chryſoſtomo in Acta Apoſtol. Hom. 16. *mater ſanitatis.* Scip. Gentilis Comment. in Apul. Apolog num. 243. ERHARD. Idem dixit Crates apud Julianum Orat. VI.

Χαῖρε θεὰ δέσποινα, σοφῶν ἀνδρῶν ἀγάπημα,
Εὐτέλεια, κλεινὴς ἔγγονε σωφροσύνης.

Et ita Lucian. in Nigrin. φιλοσόφων & πενίαν jungit. Democritus divitias onus bonæ mentis exiſtimabat teſte Senec. de providentia cap. VI. Et ita alii plures ſenſerunt. *Sororem* autem vocat eleganter, quia ſimilis & conjuncta ſemper eſt bonæ menti paupertas, ut Plaut. Pœnul. *Hanc per dextram ſororemque lævam*: & ſimili ratione, ἀδελφὰ Græcis ſunt ὁμοῖα, οἰκεῖα, ἁρμόζοντα, πρέποντα, in Gloſſis, & Etymolog. magno. Ælian. lib. 11. Var. cap. 18. Λόγος ὃ καὶ ἐκεῖνος ὁ ἀδελφὸς τῷ προειρημένῳ. Et lib. XII. cap. 1. & alibi. CUPERUS.

Veteranus eſt latro] *Veteranus* hic is, qui longa annorum ſerie & experientia peritus, aſtutus: quomodo apud Livium lib. 1. *Poenum, hoſtem veteranum, trium & viginti annorum militia duriſſima, inter Hiſpanas gentes ſemper victorem.* Sic hoc ſenſu *vetus* ſæpe apud Tacitum. BOSCH. Ita *veterana meretrix* apud Fulgentium Mythol. HEINS.

Lenonibus Alii *latronibus.* TORNÆS.

Doctior]

LXXXV. In Asiam quum à Quaestore essem stipendio eductus, hospitium Pergami accepi: ubi quum libenter habitarem, non solum propter cultum aedicularum, sed etiam propter hospitis formosissimum filium, excogitavi rationem, qua non essem patrifamiliae suspectus amator. Quotiescumque enim in convivio de usu formosorum mentio facta est, tam vehementer excandui, tam severa tristitia violari aures meas obscaeno sermone nolui, ut me mater praecipue, tamquam unum ex Philosophis, intueretur. Jam ergo coeperam ephebum in gymnasium deducere:

Doctior] Astutior, fraudulentior. verbum Comicum Plauto & Terentio perpetuum. videndus Schopp. Explanat. in Mostell. ERHARD. Vide supra ad cap. 74.

Stipendio conductus] MS. *eductus*. TORNÆS. Ex more magistratuum Romanorum, qui saepe in cohorte amicorum doctos & Poëtas secum in provincias ducebant, ut Ennium secum habuit Fulvius Nobilior. v. Claudiani Praefat. ad lib. III. de laud. Stilicon.

Quotiescumque] Sic fit, teste Victore in Augusto. *Cumque esset luxuriae serviens, erat tamen otii & vitii severissimus ultor*, &c. AITTIRSH.

Usu formosorum] Qui usum sui dent Viris. GLOSS. Ovid. lib X. Met. 286. *ipsoque sit utilis usu*. Salvianus lib. VII. de Gub. *Quis credere aut etiam audire possit, convertisse in muliebrem tolerantiam viros, non usum suum tantum atque naturam, sed etiam vultum*, &c. Saxo Grammat. lib. v. Dan. Hist. BARTH Qui usum sui dent viris. Sic Hieronymus quoque in Vita Joannis Monachi. Val. Maximus lib. VI. cap. III. Plautus, atque alii, *usum* in muliere eodem modo accepere. Barthius Ablegmin. Critic. libro 2. cap. 1. Pamphilus ad Galateam apud Maurilianum;

En, lasciva Venus nos ad sua gaudia cogit,
Inque suos usus non jubet ire simul.

Plautus pro *usu* dixit *usuram*. unde *usurarius*, cujus usuram capimus, vel quo utimur, ad eam faciem, sicut *commodatarius*, *mandatarius*, &c. In Prolog. Amphitruon. de Jove adultero;

Alcumenam uxorem cepit usurariam.

de qua vide Goldastum docte eleganterque dissertantem contra interpretum nugas, Plautin. lection. lib. 1. cap. 4. ERHARD. Tibul. 1. eleg. x. vers. 55.

Et, cum furtivo juvenem lassaverit usu,
Tecum interposita languida veste cubet.

Tam severa tristitia] Terent. *Tristis severitas*. PITH. Severitate. Arnobius lib. VI. *Formas, quae cuivis tristi esse possint derisui*. Imp. in praef. Cod. Theod. Pacatus pan. *Severi patres his, quos plus diligunt, tristiores sunt*. BARTH. Argumentum hujus fabulae, sive Historiae verius, quale est Satyrae 2. apud Juvenal. in principio, videlicet oretenus & pallio philosophari hypocritas, aut scientiam rerum praeferre memorabilium: postmodo, cum soli sint, facere paria Cybeles apud Apulejum Gallis, aut Petroniano huic Eumolpo. Barth. ad Claudian. Epigr. in Curetium tertio. *Severa tristitia*, id est, tristiore & pædagogico vultu, sive (ut hodie dicere licet) Monastico, hoc est, hypocritico. Sueton. Nerone cap. 37 *Pato Thraseae* (scilicet mortis caussa fuit) *tristior & pædagogi vultus*. De cujusmodi simulatoribus Sidonius Apollinaris lib. 3. ep. 13. *Facilius obtingit, ut quispiam seria loquens vivat obscaene, quam valeat ostendi, qui pariter existat improbus dictis, & probus moribus*, Theobaldus Episcopus in Physiologo, de Syrene loquens;

Utpote sunt multi, qui de virtute locuti
Clunibus indulgent. ——

Ex illo Juvenal. Sat. 2.

—— *Et de virtute locuti*
Clunem agitant. —— ERHARD.

Violari aures meas obscaeno sermone nolui] Lege, *dolui*. Gruter Suspicion. lib 5. cap. 12. Improbe. imitatur enim Varronem Agathone; *Virgo de convivio abducatur ideo, quod majores nostri virginis acerba aures Veneris vocabulis imbui noluerunt*. ERHARD. *Nolui* veteres membranae. Forte *docui*. Nam, ut ait Phædrus Prolog. lib. IV.

—— *Decipit*
Frons prima multos, rara mens intelligit,
Quod interiore condidit cura angulo. BOSCH.

Tamquam unum ex Philosophis] Bene cum genere humano ageretur, si Eumolpus postremus fuisset eorum, quibus Philosophia in ore. nunc hodie plerosque numeres.

Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt.

Gruter. Suspic. lib. 5. cap. 12. ERHARD.

Jam ergo] Lege, *jam ego*. Sic Memm. codex. BOSCH.

In Gymnasium ducere] Hoc Pædagogorum officium. Glossi. Isidori *Pappas, Pædagogus, qui sequitur Studentes*. Neque in Gymnasia tantum & ludos ducebant, sed semper comitabantur. v. Valer. Max. III. cap. 1. Exempl. 2. & infra cap. 94. Pædagogos autem saepe corrumpendis sibi traditis liberis operam dedisse docebit aliud exemplum apud Valerium Max. lib. VI. cap. 1. ex. 3. Et hinc praeceptorem sanctissimum quemque eligendum, docet Quintilianus lib. 1. Inst. Orat. cap. 2. & Plinius lib. III. Epist. III. Corelliae consilium

ducere : ego ſtudia ejus ordinare , ego docere, ac praecipere , ne quis praedator corporis admitteretur in domum. Forte quum in triclinio jaceremus , quia dies ſolemnis ludum arctaverat , pigritiamque recedendi impoſuerat hilaritas longior, fere circa mediam noctem intellexi , puerum vigilare. Itaque timidiſſimo murmure votum feci ; &, Domina , inquam , Venus

lium dans de filii ſtudiis inſtituendis, ait, *Adhuc illum pueritiæ ratio intra contubernium tuum tenuit , præceptores domi habuit , ubi eſt vel erroribus modica , vel etiam nulla materia. Jam ſtudia ejus extra limen proferenda ſunt , jam circumſpiciendus Rhetor Latinus , cujus ſchola ſeveritas , pudor , in primis caſtitas conſtet ; adeſt enim adoleſcenti noſtro , cum ceteris naturæ fortunæque dotibus , eximia corporis pulchritudo : cui in hoc lubrico ætatis non præceptor modo , ſed cuſtos etiam rectorque quærendus eſt.* Quæ duo loca indicio Ampliſſ. Cuperi debeo. Hinc patet , in vulgari illa Ephebo rum corruptela , quam ſollicite parentes debuerint circumſpicere ſanctos pædagogos. BURM.

Prædator corporis] Adtemptator pudicitiæ. GLOSS. Supra cap. LXXX. *Non frueris , inquit , hac præda.* Athen. Τούτοις καὶ τὸν τῆ σώματος κόσμον ὑπὸ τῆ παίδους ἐξαγόμενοι καὶ σκυλεύοντες , ἑαυτὸς ἀνατιθέασι. Heliodor. Τὶ δὲ τὸ ἀναφρόδιτον νὸς οὕτω καὶ καλὸς καὶ ἀκμαῖ@ γυναῖκα ὁμοίαν καὶ προστηκούσαν ἀποθεῖται καὶ οὐχ ἅρπαγμα οὐδὲ ἐρμαῖον ἡγεῖται τὸ πρῶγμα. PITH. Felis pullaria. Sic cap. LXXXIII. *Hylam Nympha prædata eſt.* BARTH. Adtemptator pudicitiæ. ſic ſupra dixit cap. LXXX. *Egreditur ſuperbus cum præmio Aſcyltos:* hoc eſt, præda, ſcilicet Gnythone. ERHARD.

Dies ſolemnis] Poteſt de aliquo anniverſario & feſto die capi , quibus ludi claudebantur. ut Romæ quinquatribus fiebat , cum minerval ſolverent. Unde Plin. lib XXXV. Hiſt. Nat. cap. 11. *Juvenem requieſcentem, & quinquatrus celebrantem* dixit. Suet. Neron. XXXIV. *Solemnia quinquatruum.* Mira autem locutio *arctare ludum* pro claudere. annotavit Ampliſſimus Cuperus ad codicem ſuum, Virgilium lib. I. Æneid. verſ. 293. *artas compages* dixiſſe,

Dira ferro & compagibus artis
Claudentur belli portæ.

Ita contrario ſenſu idem Poëta dixit lib. II. Æn. v. 269.

Laxat clauſtra Sinon.

Et noſter infra cap. 97. *Clauſtrorum firmitatem laxavit ;* & mox in Haloſi Trojæ, *Danai relaxant clauſtra.* Forte huc referre liceret corruptiſſimum Ciceronis locum pro Rabirio Poſtumo cap. 14. *Quibus* (mercibus) *cum multæ naves refertæ fuiſſent , una non patuit , parva artata.* Senſus autem eſſet , ſi hæc lectio antiquorum codicum ſervanda ſit, ne unam quidem, nec parvam etiam patuiſſe, ſed arctatam & clauſam fuiſſe, ne videri poſſet, qua merce onerata eſſet. Sed illa verba adhuc obſcura & in mendo cubant, ideoque nihil hinc conficio. Melius hujus verbi uſus ex Lucano illuſtratur, qui cum *claudere* conjungit lib. IV. 369.

Aëra non paſſus vacuis diſcurrere venis
Arctavit , clauſitque animam. BURM.

Ludum] Scilicet literarium. ERHARD.

Pigritiamque recedendi] Otium, ut apud Martialem lib. 12. epigr. 4.

Tu facis ingenium , tu , ſi quid poſſe videmur ,
Tu das ingenuæ munera pigritiæ.

Id eſt, otio liberali, à quo literati dicuntur *Scholaſtici* & *Otioſi.* Petronii ſententiam Germanicis verbis optime exprimimus, *Als wir faul und mude waren , und der Jung ſchlaffen begert.* Deinde *recitandi* legit Jungermannus. Puto, *recedendi*, intelligi & tolerari poſſe. Putean. epiſtola ad Goldaſtum. ERHARD. Recte Gonſalius reprehendit eos , qui *pigritiam* hic otium liberale interpretantur. Senſus manifeſtus eſt , convivio in noctem protracto , illos manſiſſe in lecto tricliniari , neque libuiſſe ex triclinio recedere in cubiculum , ut lecto ſe imponerent. ut ſupra conviva ille cap. XLI. *Dies nihil eſt , dum verſas te , nox eſt. Itaque nihil eſt melius , quam de cubiculo recta in triclinium ire.* Qui in multam lucem dormiens, querebatur de brevitate diei, & ideo ſurgens ſtatim menſæ accubabat : noſtri vero in triclinio permanſerant ſublatis menſis , præ pigritia & vino liberalius hauſto , quo marcebant. Eodem modo ſupra in pervigilio Veneris cap. XXII. in ſomnum labuntur. Proprie vero utitur *recedendi* voce , quæ notat in interius membrum & conclave abire ; cubicula enim in parte domus interiori, triclinia ad atrium , ut ſupra vidimus. *Concedere* dixit Terentius Heaut. III. ſc. III. ubi pater filium objurgans , quod in triclinio , in vino immodeſtus, ſubagitaverat , ut credebat , amicam alienam, dicit, *at certe concedas hinc aliquo ab ore eorum*, id eſt, in interiorem domus partem , ut fecit poſtea apud Menedemum Clitipho, paterni moniti memor, cum in ultimis ædibus in conclavi lectus erat latus, ut amica frueretur, Act V. ſc. I. & ita *receſſus* vocabant ipſa conclavia. Ovid. I. Met. verſ. 177.

Ergo ubi marmoreo ſuperi ſedere receſſu.

Ubi interius membrum intelligitur, *atria* enim præceſſerunt. Idem lib. I. Faſt. verſ. 555.

Proque domo , longis ſpelunca receſſibus ingens
Abdita , vix ipſis invenienda feris.

noſter mox in haloſi Trojana *receſſus* vocat latebras. BURM.

Murmure votum feci] Superſtitio veterum, qua ſemper taciti aut murmurantes vota faciebant. GLOSS.

Venus, si ego hunc puerum basiavero, ita ut ille non sentiat, cras illi par columbarum donabo. Audito voluptatis precio, puer stertere coepit. Itaque adgressus simulantem aliquot basiolis invasi. Contentus hoc principio, bene mane surrexi, electumque par columbarum adtuli exspectanti, ac me voto exsolvi.

LXXXVI. Proxima nocte, quum idem liceret, mutavi optionem: &

Superstitio veterum, qua semper taciti aut murmurantes vota faciebant. Juven. Sat. x.

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cum Veneris sanum videt anxia mater.

Pers. Satyra 2.

Haud cuivis promtum est murmur tacitosque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto,

vid. Senec. ep. x. WOUWEREN. Qui cupide & ardenter aliquid à Diis petebant, tacitos ac murmurantes vota facere solitos, ab aliis annotatum est. Ejus rei exstat exemplum & in Sacra Historia 1 Reg. 1. vers. 10. & seqq. de Anna Elcanæ uxore votum in templo pro apertione vulvæ suæ faciente: & quidem vers. 13. sic legitur; *Porro Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur*, &c. ERHARD. Illustravit hunc votorum ritum egregie optimus ille virorum Brouckhusius noster ad Tibull. lib. IV. eleg. 5. vers. 17. & olim Barthius ad Statii Theb. lib. V. vers. 632. & Schottus 11. Observ. cap. 11. *Murmur* autem vox propria in arcanis his votis, & omnibus sacris, quæ fiebant nocte, ut, præter loca à Wouwerio adducta, docet Valer. Flacc. VII. 464.

——— *Totum septeno murmure fertur*
Per clypeum.

Ovidius lib. VII. Met. vers. 251.

Quos ubi placavit precibusque & murmure longo.

Sidon. Apoll. Carm. 11. vers. 86.

Pontificum de more senex arcana peregit
Murmura.

Ubi vide doctissimi Savaronis notas. BURM.

Domina Venus] Δέσποινα ἀφροδίτη. Alciphr. Achill. Alexandr. lib. 8. PITH. Apud Lucian. Amoribus δέσποινα Ἀφροδίτη. Ovid. lib. 1. de Arte amandi. WOUWEREN. Proprie, vide Heins. ad Ovid. epist. 4. Heroid. vers. 12.

Par columbarum] Appositè, nam *columbæ* & *palumbes* Veneri sacræ. Rader. ad Martial. lib. 8. epig. 28. sed & inter obscœna & nequam vocabula. Gruter. apud Taubmann. ad Plaut. Bacchid. Act. 1. sc. 1. ERHARD. Cur in tutela Veneris sint Columbæ, fabulam refert Lutatius ad Stat. IV. Theb. 226. unde apud Statium 1. Sylv. 11. 102. Veneri dixit Cupido:

——— *Hic nostræ deflevit fata Columbæ.*

Ubi vid. quæ Barthius notat, & Passerat ad Propert. lib. III. eleg. 3. Vide & Scholiast. Apollon. Rhodii ad lib. III, vers. 539. & ad Æsch. septem contra Theb. vers. 300. Et hæc ratio, cur in insula Salamine, quæ Veneri sacra, Columbæ plurimæ nutriebantur, unde & ab Æschylo in Persis vers. 309. vocetur πελειοθρέμμων. Hinc currus ejus Columbis junctis trahitur. Ovidius XV. Met. vers. 598.

Perque leves auras junctis invecta Columbis.

Vide Barth. ad Claudian. Epithal. Pallad. vers. 104. Et hinc ipsæ mulieres impudicæ *Columbæ* dictæ, ut Helena Lycophroni vers. 85. τρήρων vocatur, ut Scholiastes notat διὰ τὸ λάγνον. Et vers. 131. πελείας, ubi exponit idem πορνῶν. Artemidorus autem Oneirocr. lib. II. cap. 20. dicit, φάσσας, notare meretrices, περιστερὰς vero puras & mundas matresfamilias. Nam proprie illud genus Columbarum in hac materia intelligitur. Et *columbam* pro *palumbe* poni docet Servius ad Virgil. 1. Eclog. vers. 58. ut & Horatius lib. 1. od. 2. vers. 9. *Columbas* dixit, intelligens palumbes: illæ enim nidificant in arboribus. Unde & palumbes capere debemus Columbas, in augurio, quod Augusto imperium promisit apud Sueton. cap. 94. unde & discimus, quare, *palumbum regium*, dixerit Lampridius in Diadum. cap. IV. ubi dubitare non debuerat Casaubonus, an sit, qui omen regiæ fortunæ ferat. hoc enim manifeste docet Servius ad Virgil. 1. Æn. vers. 393. & ad lib. VI. Æn. vers. 190. & ex simili augurio, quod Alexandro Severo obtigisse narrat Lamprid. ejus vita cap. XIII. confirmatur. Sed ad nostri Petronii mentem egregie facit alius Virgilii locus Eclog. III. ubi palumbes Veneri sacras docet, in simili huic Pædagogi nostri munere.

Parta meæ Veneri sunt munera, namque notavi
Ipse locum, aëriæ quo congessere palumbes.

Et ingeniosissimus Poëta Naso inter munera, quæ Polyphemus Galateæ promittit, lib. XIII. Met. 833. ponit *par columbarum*, ubi & Palumbes notari puto. BURM.

Audito voluptatis precio] Confer Juven. Satyra V. WOUWEREN.

Invasi] Supra cap. 74. ubi vide.

Bene mane] Recte hoc vindicavit Munckerus in dissertatione erudita de Hygino, contra obtrectatorem Petronii. *Bene* enim est *valde*, ut Laurembergius in Antiquario exemplis plurimis probavit, & Manutius ad Ciceron. lib. VII. ad famil. Epist. 22. adde & Giphan. indicem Lucretianum in *bene*.

Optionem] *Optio* an hic est optatio, votum? alias, eligendi facultas. HADRIAN.

&, si hunc, inquam, tractavero improba manu, & ille non senserit, gallos gallinaceos pugnacissimos duos donabo patienti. Ad hoc votum ephebus ultro se admovit, &, puto, vereri coepit, ne ego obdormissem. Indulsi ergo sollicito, totoque corpore, citra summam voluptatem, me ingurgitavi. Deinde, ut dies venit, adtuli gaudenti quidquid promiseram. Ut tertia nox licentiam dedit, consurrexi ad aurem male dormientis: Dii, inquam, immortales! si ego huic dormienti abstulero coïtum plenum & optabilem, pro hac felicitate cras puero asturconem Macedonicum optimum donabo, cum hac tamen exceptione, si ille non senserit.

Si hunc tractavero] Plaut. Casin. Act. IV. sc. IV.

Corpusculum mellitulum. Ol. *mea uxorcula.*
St. *Quid est?* Ol. *institit plantam.* St. *quasi jocabo,*
Nebula haud est mollis, atque hujus est,
Ædepol papillam bellulam! Ol. *hei misero mihi!*
St. *Quid est?* Ol. *pectus mihi agit nunc cubito.*
St. *Quid tu ergo hanc, quaso, tractas tam?*
At mihi; qui belle hanc tracto, non agit.

Idem Bacchid. Act. II. sc. II. vers. 23. *Vide quaso, ne quis tractet illam indiligens.* PITH. Vide Heins. ad Ovid. lib. II. Art. Amand. vers. 633. Infra cap. 140. *Utraque manu Deorum beneficia tractat.* Et supra cap. 24.

Et ille non senserit] *Ut ille*, mallet Amplissimus Cuperus.

Gallos pugnacissimos] Varro de Re Rust. *In certamine pertinaces, & ad pugnandum maxime idonei.* Philo περὶ τῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον. Οἱ γῦν ἀλεκτρυόνες ὅταν ἐώθασι φιλοκινδύνως ἀγωνίζεσθαι, ὥστε ὑπὲρ τῦ μὴ ἥττους καὶ παραχωρῆσαι. κοὐ ἡττῶνται ταῖς δυνάμεσιν, ἀλλ' ἡττῶνται ταῖς ἐνθυμίαις, ἄχρι γὰρ θανάτου παραμένουσιν. quem, si lubet, vide. Plin. lib. X. cap. XXI. Ælian. Variar. Hist. libro II. WOUWEREN. Plutarch. in vita Lycurgi. *Adolescens ad illum, qui daturum ei se promitteret gallos gallinaceos in pugna exspirantes, minime, inquit, sed eos da mihi, qui in pugnis interficiant alios.* SCIOPP. Vide de pugnis Gallorum Schefferum & Kuhn. ad Ælianilib. II. Var. 28. Barth. II. Adversar. cap. ult. talis pugnax Gallus eleganter à Columella lib. VIII. cap. 9. *pyctes* vocatur.

Se admovit] Petroniana Phrasis. supra cap. XI. *Ascyltos furtim se foribus admovit.*

Obdormissem] Munckerus ad Fulgent. Mythol. lib. I. p. 6. legit *obdormiscerem*, & vitium ex compendio scripturæ natum existimat. Valde verosimiliter.

Citra summam] Manus erudita codicis Juniani adscripserat margini; forte *non citra*, idem quoque Amplissimo Cupero videbatur. Sed pace virorum doctorum dixisse liceat, minime necessariam hanc particulam puto: nam, *summa voluptas*, hic est plenus coïtus, qui demum tertia nocte est ablatus; secunda ergo nox tantum intra tractationem impudicam stetit, sine summa & robusta voluptate.

Ingurgitavi] Longus lib. II. Γυσάμενος τῆς ἐν φιλήμασι τίφψεως, ἁπλήστως ἐνεφορεῦντο ἡδονῆς. BARTH. Ovid.

——— *Ingentique implet Achille.*

Freherus. ERHARD.

Male dormientis] Simulanter dormientis. GLOSS. Ad Nequitiam. Ovid.

Et si quis male vir quærit habere virum. BARTH. *Male*, id est, simulanter. Sic infra cap. seq. *Irrepsi tamen, & male repugnanti gaudium extorsi* ERHARD. Recte Erhardus; perperam Barthius interpretatur. Horat. I. od. XIX. *digitum male pertinacem*, ut recte hoc exemplum adduxit Gonsalius, vocat non bona fide renitentis, sed ita pugnantis puellæ, tamquam quæ vincere nollet. Ovidius III. Met. vers. 730.

Jamque male hærentes alta rapit arbore ventus.

Senec. Agamemn. vers. 901.

——— *Pendet exigua male*
Caput amputatum parte.

Et ita alii passim.

Coitum plenum] Ovid. II. Art. Amand. 727.

——— *Tunc plena voluptas,*
Cum pariter victi, &c,

Et,

Gaudia ne domina, pleno si corpore sumes.
Te capiant. ———

Maximian.

Quæ mihi gustanti basia plena daret.

Tu vero lector, quisquis es, falleris, si de simplicibus verbis mores nostros spectas, feros quidem ista obsident, bonos præterlabuntur. PITH.

Asturconem macedonicum] Equum, cui non vulgaris in cursu gradus, vulgo tolutarium. GLOSS. Mart. distich. Plin. lib. 8. cap. 42. Suet. Ner. cap. 46. WOUWEREN. Longam disputationem interpretis Hispani adversus Macedonicum asturconem, quem ille *struthione* mutari velit, destruit Plutarchus lib. V. συμποσιακ. Καὶ τὸν ἥδιστα τῶν ἱππαρίων ὁρῶντες οὐχ ἥττον ἡδέως ἐγκωμιάζουσιν ἢ ὁρῶσι. καὶ γὰρ ὁ ἵππος καὶ ἀλεκτρυόνα, κοὐκ ἄλλοτι τοῖς ἱππείοις δεδῶσι, καλὸν εἶναι καὶ κεκοσμημένον ἐντρεπῶς βέλονται καὶ περιττῶς τὸ δῶρον. Achilles

ferit. Numquam altiore somno ephebus obdormivit. Itaque primum implevi lactentibus papillis manus, mox basio inhaesi, deinde in unum omnia vota conjunxi. Mane sedere in cubiculo coepit, atque exspectare consuetudinem meam. Scis, quanto facilius sit, columbas gallosque gallinaceos emere, quam asturconem: & praeter hoc etiam timebam, ne tam grande munus suspectam faceret humanitatem meam. Ergo aliquot horis

Tatius lib. I. Ἦν δέ μοι Κλεινίας ἀνεψιὸς ὀρφανὸς καὶ νέος, δύο ἀναβεβηκὼς ἔτη τῆς ἡλικίας τῆς ἐμῆς, ἐρωτι τετελεσμένος. μειρακίῳ δὲ ὁ ἔρως ἦν. οὗτο δὲ εἶχεν φιλοτιμίας πρὸς αὐτὸ, ὥστε καὶ ἵππον πριάμενος, ἐπεὶ θεασάμενον τὸ μειράκιον ἐπήνεσεν, εὐθὺς ἐχαρίσατο, φέρων αὐτῷ καὶ ἵππον. Immo & Aristophanes, quem ipse paulo ante adduxerat in aliam rem:

Καὶ τόσγε παῖδας φασὶ καὐτὸ τοῦτο δρᾶν,
Οὐ τῶν ἐρασῶν, ἀλλὰ τ' ἀργυρίῳ χάριν.
Χ. Οὐ τόσγε χρηστὸς, ἀλλὰ τὰς πόρνας. ἐπεὶ
Αἰτοῦσιν ἀεὶ ἀργύριον οἱ χρηστοί. Κ. τί δαί;
Χ. Ὁ μὲν ἵππον ἀγαθὸν, ὁ δὲ κύνας θηρευτικούς.

Quærit ille, quomodo Asturco possit esse Macedonicus? Nemo ignorat, in quanta dignatione fuerint equi Thessali. Διὸ καὶ λέγεται λόγος τοιοῦτος, inquit, Eustathius in Dionysium, ὡς Ἀθηναῖοι μὲν περὶ ναυτικὴν ἠσχόληνται τέχνην, Θετταλοὶ δὲ περὶ τὴν ἱππικὴν ἐμπειρίαν, Βοιωτοὶ περὶ τὴν τῆς γυμνασίας ἐπιμέλειαν. Eaque primaria Macedoniæ regio. Qui ex altero Asturico, altero Macedonico provenit, vel est Asturibus in Macedonia genitus, recte *Asturco Macedonius* dicitur. Hoc si neget Gonsalius, magna pars rerum nomina sua amittent. Non erunt Serica nostra *serica*, quia non lecta à Seribus. Et *Phasiani* nostri abhoc nomine prohibebuntur, quia non Phase advecti. Vocabulum *Asturco* etsi ab Hispana gente denominatum, non mansit tamen solis equis in Asturia natis, sed communicatum est cum omnibus pari habitu gressuque præditis. Plinius lib. VIII. cap. XLII. *In eadem Hispania Callaica gens & Asturica, equini generis, quos thieldones vocamus, minori forma, appellatos Asturcones gignunt, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio: unde equis tolutim carpere incursus traditur arte.* Hic certe jam & Callaïci Asturcones. Sic *Molossi* non tantum in Molottide nati: sic *Lucæ boves* etiam numquam in Lucania visi: sic *Samia* ubicumque facta: & similia innumera. Apollonius de Syntaxi lib. III. cap. XXIII. Ἀλλὰ καὶ τὰ τοιαῦτα ἔχεται τινος ἐννοίας. ἀφ' ἧς καὶ τὴν ὀνομασίαν εἴληφε καὶ τροπικώτερον μετῆλθεν ἐις κοινὴν ἐπίστασιν. ὡς τὸ ἁλιεὺς, κἂν ποτάμιος ᾖ, καὶ ἡ πύξις, κἂν διαφόρε ὕλης τύχῃ. GRONOV. Lib. 2. Observ. cap. 10. Τὸ *asturconem* Gonsalio displicet, quia tam grande munus suspectam faceret Pædagogi liberalitatem; emendat itaque *struthionem*. Sed *struthio* mihi, æque ac *asturco* illi, placet: licet dixerit *Struthiocamelum* noster infra cap. 137. Paullo enim post ipse nequam amator: *Scis, quanto facilius sit, columbas, gallosque gallinaceos emere, quam asturconem: & praeter hoc etiam timebam, ne tam grande munus suspectam faceret humanitatem meam.* Defendit etiam contra Gonsalium veram lectionem CL. Gronovius lib. II. Observ. cap. 10. BOSCH. Janus Vlitius ad Gratii vers. 514. malit legere *Asturconem Tieldonicum*, aut certe *Caledonicum*. Barthius ad Statii lib. IV. Silv. VI. vers. 75. *Asturconem Nasamonicum. Macedonicum* explicat eodem, quo Gronovius, modo Bochartus lib. I. Phaleg. cap. 6. de Asturconibus vero & eorum incessu & vectura delicata v. Salmas. ad Capitol. Maxim. cap. III. Miror autem, interpretes, qui omnia ad Neronem in hac Satyra referre gaudent, Asturconem ejus imperatoris hic significari non credidisse, de quo Suetonus cap. XLVI.

Implevi lactentibus papillis manus] Martial. lib. XIV. epig. 13.

Fascia, crescentes dominæ compesce papillas,
Ut sit quod capiat nostra legatque manus.

Maxim.

Urebant oculos duræ stantesque papillæ,
Et quas adstringens clauderet una manus.

Plaut. Bacchid. Act. III. scen. 3. *Nisi idemdem manus ferat ad papillas, labra à labris nusquam auferat.* PITH. Ineptiæ amantium. Ovid. I. Amor. V. vers. 20.

Forma papillarum quam fuit apta premi!

Lucian. ἑταῖρ. διαλ. καὶ περιέβαλλον, καὶ τὰς μασθὰς ἔθλιβον, καὶ ἐδάκνε μεταξὺ καταφιλῶσα. eadem Plaut. conjungit Pseud. Act. I. scen. I.

Teneris labellis molles morsiuncula,
Papillarum horridularum oppressiuncula.

Catull. Carm. LXIV. vers. 65. *lactantes vincta papillas.* WOUWEREN.

Omnia vota conjunxi] Noster cap. XI. *Fruorque votis usque ad invidiam felicibus.* Ovid. lib. I. fast. 431.

Gaudet & à pedibus tracto velamine, vota
Ad sua felici ceperat ire via.

Idem lib. XI. Met. 265.

Et potitur votis, ingentique implet Achille. PITH. *Vota* in verbis nuptis. Supra cap. XI. Inscriptio sepulchralis Romana apud Gruter. DCCCXLIII. 3.

Ingratæ Veneri spondebam munera supplex,
Erepta conjux virginitate tibi.
Persephone votis invidit pallida nostris,
Et pramaturo funere te rapuit.

Omnia

horis ſpatiatus, in hoſpitium reverti, nihilque aliud quam puerum baſiavi: At ille circumſpiciens, ut cervicem meam junxit amplexui, Rogo, inquit, domine, ubi eſt aſturco? *

LXXXVII. Quum ob hanc offenſam praecluſiſſem mihi aditum, quem feceram, iterum ad licentiam redii. Interpoſitis enim paucis diebus, quum ſimilis nos caſus in eamdem fortunam retuliſſet, ut intellexi ſtertere patrem, rogare coepi ephebum, ut reverteretur in gratiam mecum, id eſt, ut pateretur ſatisfieri ſibi, & caetera, quae libido diſtenta dictat. At

Omnia dixit, ut infra cap. CXXX. *Forſitan dum omnia concupiſco, voluptatem tempore conſumſi.* Senſus eſt praetextatus & nequam. ERHARD.

Nihil aliud quam baſiavi] Supra cap. 82. *nihil aliud quam eadem & ſanguinem cogito.* Haud vulgarem & obſervandam hanc locutionem plurimis Livii locis illuſtravit Gronovius ad Liv. lib. XXXI. cap. 24. & Berneccerus ad Sueton. Caeſ. 20. qui male nulli alii, quam Suetonio, uſitatam phraſin exiſtimat, unde in Theſaurum Fabri relata haec obſervatio; ſed, ne fallantur Tirones, ſciant, praeter Livium, ita & locutum Ciceronem libro I. de leg. cap. 8. *Eſt autem virtus nihil aliud, quam in ſe perfecta, & ad ſummum perducta natura.* Eadem fere forma Horat. III. od. V.

——— *Non aliter tamen*
Dimovit obſtantes propinquos,
Et populum reditus morantem,
Quam ſi clientum longa negotia
Dijudicata lite relinqueret.

Solet vero apud Ciceronem & Terentium & alios poſt *alius*, ſequi *atque*, *ac*, *&*, ut Terent. Andr. Act. III. ſc. III. *Alium eſſe cenſes nunc me, atque olim.* & ita paſſim. Sed *quam* non ſolet jungi, niſi negativae particulae, *non*, *nihil*, aut ſimiles cum τῷ *alius* junctae praecedunt. Ita Livius lib. VII. cap. 18. *Nuſquam alio, quam ad ſerviendum, nati.* BURM.

Junxit] Proprium in Venereis complexibus verbum. Vide egregie Heinſ. ad Ovid. Remed. Amor. verſ. 409.

Amplexui] Legendum credo *amplexu.* Nam vulgatum vix Latine dici poſſe cenſeo ita *petere amplexu* Ovidio reſtituit Heinſius Epiſt. XIV. 69. & VI. Met. 605. *excipere amplexu.* Idem Epiſt. XVIII. 101. Valerius Flacc. lib. VII. 254.

Occupat amplexu Venus, & furialia figit
Oſcula.

Ovidius lib. III. faſt. verſ. 509.

Occupat amplexu lacrymaſque per oſcula ſiccat.

Amplexu tenere, idem Heinſius Valerio Flacco lib. I. verſ. 214. reddidit.

——— *Sic amplexu, ſic pectora fratris*
Juno tenet.

Eadem locutio in MSS. codicibus occurrit apud Statium lib. I. Achilleid. 576.

Et ligat amplexu, & mille per oſcula laudat.

Quae ſi genuina eſt lectio, inter hiantes verſus erit reponendus, ut fecit Modius Epiſtol. III. quamquam id diſpliceat Gronovio Diatr. Stat. cap. 50. apud Valer. Flaccum quoque lib. I. 161. libenter reponerem:

Advolat, amplexu fraternaque pectora jungens
Ductor ait.

jungimus enim pectora amplexu. Ita idem Poëta lib. III. 310.

——— *Fas jungere tecum*
Pectora, & exſangues miſcere amplexibus artus.

Ita *os jungere* Ovidius IV. Faſt. 540.

Jungere dignata eſt os puerile ſuo.

Ita editi olim, & plurimi ſcripti. Quod neſcio cur diſplicuerit Heinſio, qui *tangere* ex duobus codicibus ſuis praetulit. *Jungere pectora* etiam noſter dixit in bello civili verſ. 229. BURM.

Domine] Ita appellati paedagogi diſcipulis. Manil. lib. V. verſ. 451.

Et dominum dominus praetexta lege ſequatur.

BARTH.

Ubi eſt aſturco] Jacob. Spiegelius Schol. ad Ric. Bartholini Auſtriad. lib. 9. Rader. ad Martial. lib. 14. ep. 176. An legendum, *Aſtur?* Volaterranus lib. 25. de accipitribus; *Aſtorgios Pauſanias ponit, quos Italici Aſtores dicunt, Aſtures alii vocant.* videndus Aemar. Ranconetus au livre de marine, venerie & faulconnerie, & Joan. Nicotius au Threſor de la langue Françoiſe. ERHARD.

Satisfieri ſibi] Ovid. Remed. Amor. 697.

——— *Qui dicit multa puellae*
Probra, ſatisfieri poſtulat ille ſibi. PITH.

Vide ſupra cap. 57. & 75.

Libido diſtenta] Tumens. nam *tumere* Tibull. ὀργᾶν & *tumor.* in Priap.

Et inquietus inguina adriget tumor.

Horat. lib. 2. Sat. 2. *tument tibi cum inguina.* Interpr. *libidine inflammantur.* apud eumdem, *nolis tentigine rumpi.* Interpr. *tentigine, id eſt, diſtentione membri virilis.* WOUWEREN.

At ille plane iratus, nihil aliud dicebat, nisi hoc, Aut dormi, aut ego jam dicam patri. Nihil est tam arduum, quod non improbitas extorqueat. Dum dicit, Patrem excitabo, irrepsi tamen, & male repugnanti gaudium extorsi. At ille, non indelectatus nequitia mea, postquam diu questus est, deceptum se, & derisum, traductumque inter condiscipulos, quibus jactasset censum meum, Videris tamen, inquit, non ero tui similis. Si quid vis, fac iterum. Ego vero, deposita omni offensa, cum puero

Aut dormi, aut dicam] Non omnino absimiliter vetus Persii interpres ad Sat. III. vers. 18. *Nutrices infantibus ut dormiant solent dicere sæpe, Lalla, lalla, Aut dormi, aut lacte.* PITH.

Quod non improbitas exterqueat] Ovid. libr. Art. Amand. 665.

Quis sapiens blandis non misceat oscula verbis?
Illa licet non det, non data sume tamen.
Pugnabit primo fortassis, & improbe, dicet,
Pugnando vinci se tamen illa volet.

Et vers. 675.

Quæcumque est Veneris subita violata rapina,
Gaudet, & improbitas muneris instar habet.

PITH.

Irrepsi tamen] Ignaro quasi aut invito. Terentianus:

Qua potui tamen obrepens incepta peregi. BARTH. *Irrepere* est clanculario & fraudulenter capere. Barth. ad Claud. lib. 1. Eutrop. vers. 146. Tralatio à serpentibus. Strabo Epigrammatarius lib. 1. in adolescentem pathicum, nomine Draconem;

Ἐπὶ Δράκων τὶς ἔφηβος, ἄγαν καλὸς, ἀλλὰ δράκων ὤν,
Πῶς εἰς τὴν τρώγλην ἄλλον ὄφιν δέχεται.

Hinc mollitiei pœnam divinam legimus, inguinis in serpentem μεταμόρφωσιν, quam refert de libidinoso Clerico Thomas Brabantinus, ex narratione Bonifacii Lausannensis Episcopi, lib. 2. de Propriet. apum, ubi inter cætera; *Ubi hoc semel, ut erat solitus, attentaret, manus inter crura loco virilis membri colubrum apprehendit.* ERHARD.

Male repugnanti] Tib. lib. 1. El. IV. vers. 47.

——— *Rapias tum cara licebit*
Oscula, pugnabit, sed tamen apta dabit:
Rapta dabit primo, post offeret ipsa volenti,
Post etiam collo se implicuisse volet. PITH.

Gaudium extorsi] *Gaudia* sunt, quæ propinat γλυκύπικρος illa Dea. Propert. lib. II. El. XI. vers. 9.

Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.

Calpurnius Eclog. 1.

Dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis.

Nemesianus Eclog. 2.

——— *Veneriseque imbutus uterque*
Tum primum dulci carpebant gaudia furto.

Barthius ad Claudian. libr. 1. in Eutrop. vers. 368. ERHARD.

Indelectatus] Pro delectatus, cujus generis contrarias notiones hujus præpositionis annotavit Alb. Gentilis de Latinitate vet. Biblior. vers. ERHARD. Haud videtur. Existimen, *non indelectatus* esse λιτότητα, extenuationem, qua, *plus nimio nequitia delectatus*, habereque *indelectatus* vim negativam, sed à *non* infractam, ut sensus sit *non indelectatus*, id est, delectatus. Nam præcedit *male repugnanti*; ut ante, *male dormiebat*: & mox plus nimio nequitia delectatus. *At ille*, sic cum commate legendum, & τῷ *inquit* jungendum, eritque res aliquanto planior. HADRIANID. V. supra cap. 74.

Nequitia] Martial. lib. IV. Epig. 42.

Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Et lib. IX. Epig. 69.

Cujus nequitias vincere nulla potest. PITH. Delitiis & fracta mollitie. Barth. ad Claudiani lib. 1. in Eutrop. vers. 262. Papias; *Nequam, qui nequit se continere à sceleribus. item nequam dicitur luxuriosus, quia incontinens est.* Huguitio; *Nequicia, malicia & luxuria.* Hermas in Pastore lib. 1. cap. 1. *Quando tibi turpe verbum aliquod locutus sum? Tunc illa ait; in corde tuo ascendit concupiscentia nequitiæ.* Et cap. 2. *Sed etiam nunc adjecerunt peccatis suis libidines, & commaculationes nequitiæ.* Hinc capiendus & interpretandus veteris Poëtæ versus;

Nequitia est, quæ te non sinit esse senem.

Et Siracidis Interpres cap. 9. vers. 1. *Non celes mulierem sinus tui, ne ostendat super te malitiam doctrinæ nequam.* ERHARD.

Traductumque inter condiscipulos, quibus jactasset sensum meum] *Sensus* hic, opinione quidem mea, sensu caret. Proinde arbitror legendum esse: *quibus jactasset censum meum*, id est, apud quos me fecisset unum beatiorum, ut loquitur Catullus. RICHARD. *Sensum*, id est, voluntatem, promissum, vel affectum & benevolentiam, qua in eum utar, ut nihil opus sit emendatione. ERHARD. *Censum meum* rectius puto, quam *sensum*. Jactaverat enim munera magistri sui Ephebus, & sibi promissum Asturconem, quem cum non accepisset, derisus & traductus fuit inter condiscipulos.

Vides tamen] MS. *videris tamen.* TORNÆS. Vide Heins. notas ad Ovid. Pont. lib. 1. ep. 2. BOSCH. Male Palmer. Spicileg. p. 661. vult legendum *vide sis.* locis ab Heinsio ad Ovidium productis adde nostri infra

puero in gratiam redii, ususque beneficio ejus, in somnum delapsus sum. Sed non fuit contentus iteratione ephebus plenae maturitatis, & annis ad patiendum gestientibus. Itaque excitavit me sopitum; Et, Numquid vis? inquit. Et non plane jam molestum erat munus. Utcumque igitur inter anhelitus sudoresque tritus, quod voluerat, accepit, rursusque in somnum decidi gaudio lassus. Interposita minus hora, pungere me manu coepit, & dicere, Quare non facimus? Tum ego totiens excitatus, plane vehementer excandui, & reddidi illi voces suas: Aut dormi, aut ego jam patri dicam.

LXXXVIII. [a] Erectus his sermonibus, consulere prudentiorem coepi aetates tabularum, & quaedam argumenta mihi obscura, simulque caussam

[a] ENCOLPIUS.

infra cap. 126. *Viderint matronae.* Tertull. Apologet. 16. *Viderit habitus, dum materiae qualitas eadem sit, viderit forma, dum id ipsum Dei corpus sit.* Et ita ille formularum antiquarum amator saepius.

Usque beneficio] Lego, *ususque*. PUTEAN. & TORNÆS.

Plenae maturitatis] Ἐνακμῶν. WOUWEREN. Est descriptio ephebi. Virgil. lib. VII. Æn. vers. 53.

Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.

Claudian. lib. I. de Rapt. Pros. vers. 131. *plenis adoleverat annis.* ubi vide Barth. ERHARD. Vide Barth. lib. XXII. Adversus. cap. 13. qui memoriae vitio de Gitone haec dicta notat.

Annis ad patiendum gestientibus] Puellae ἐν τῇ ἀκμῇ dicuntur *Catullae* & *catullire*. GLOSSÆ. Ὀργῶσι. *Gestire ad patiendum*, πασχατιᾶν, Latinis *subare*. Horat. 12. Epod.

——— *Subando*
Tenta, cubilia, tectaque rumpit.

Hieron. lib. I. adversus Jovian. *Subantem in hortulis inter adolescentulos.* Ipsi vero ἴφηβοι, hoc est, παῖδες ἐν τῇ ἀκμῇ, *Hirquitalli*, seu *Irques*, ut auctor Glossarii, &, quod Aristoteles τραγίζειν, antiqui *hirquitallire*. Censorinus de die Natali cap. 14. Fest. *Hirquitallus*. WOUWEREN. Puellae ἐν τῇ ἀκμῇ dicuntur *Catullae*, & *Catullire*, Latinis: ὀργᾶν, σφριγᾶν, τραγίζειν Græcis. Hippocrates de juvenibus; ἐπὴν ἀφροδισιάζειν ἄρξωνται ἢ τραγίζειν. Aristot. Histor. Animal lib. I. cap. 7. Didius nomine Ciceronis in ea in Sallust. *Et aetas tua jam ad ea patienda, quae alteri facere collibuisset, exoleverat.* ERHARD.

Ad patiendum] Infra cap. CXL. *Accessi tentaturus, an pateretur injuriam.* Firmicus lib. 3. *Patiantur, quae mulieres pati consueverunt.* Seneca Natur. lib. I. cap. 16. *Toto corpore patiente spectabat nefanda.* Idem: *Obscœnitas mea patientiam suam miratur.* omnino frequens in hac re scriptoribus. WOUWEREN.

Utcumque is inter] Alii, *utcumque igitur inter*. TORNÆS.

Anhelitus] Infra cap. 100. *Opus anhelitu perdet. Tritus* autem proprium libidinis verbum. v. Passerat. ad Propert. lib. III. eleg. 10. & 19. & ita *lassus*, de quo v. Broukh. ad Tibull. I. eleg. X. vers. 55.

Tutus] MS. *tritus*. TORNÆS.

Quod voluerat] Martial. *Quod voluit, fecit.* Catullus Carm. VI.

Ibi illa multa tum jocosa fiebant,

Auson:

Da fruar, & si non quod volo, quod volui. PITH.

Gaudio lassus] Infra cap. 132.

Nam, quis concubitus, Veneris quis gaudia nescit?

Nemesian. eclog. II.

——— *Veneriscque immitis uterque*
Tum primum dulci carpebant gaudia furto.

Mart. lib. XI. Ep. 27.

Addideris super haec Veneris si gaudia vera. PITH.

Quare non facimus] Juvenal. Satyra 6. *Et lateri parcas.* Commentator: *Si parum feceris, non irascitur ut uxor.* WOUWEREN. Turpe etiam verbum Ovidio, Martiali, aliis, & desumitur origo à Græcis, qui ποιῶ dicunt. idem est *perficere*, ut in Jul. Capitolino, & hoc Ovidii loco lib. II. Art. Am. 718.

Sed sensim tarda perficienda mora.

Et elegans est jocus apud Martial. lib. 3. ep. 79.

Rem peragit nullam Sertorius, inchoat omnes,
Hunc ego, cum futuit, non puto perficere.

Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. I. epigrammat. num. 2. ERHARD.

Reddidi] Ita supra cap. 58. *Jam tibi deprasentiarum reddissem.*

Erectus his sermonibus] Putschius legit *Experrectus*, quod non placet. *Erectus*, id est, consolatus sermonibus Eumolpi. ERHARD. Asteriscum insignivi locum. Quid hac in parte Petronio exciderit, incognitum; partem autem esse Philosophicae disputationis, sequentia denotant. BOURDELOT. Ego etiam deficere quaedam existimo.

Argumenta] Ita eleganter vocat res pictas, historias

sam desidiae praesentis excutere, cum pulcherrimae artes periissent, inter quas Pictura ne minimum quidem sui vestigium reliquisset. [a] Tum ille, Pecuniae, inquit, cupiditas haec tropica instituit. Priscis enim temporibus, quum adhuc nuda virtus placeret, vigebant artes ingenuae, summumque certamen inter homines erat, ne quid profuturum seculis diu lateret. Itaque, hercula, omnium herbarum succos Democritus expressit:

[a] ENCOLPIUS.

rias & fabulas à pictoribus expressas. Suet. in vita Tiber. cap. 44. *Ut, si argumento offenderetur, decies pro ea HS. acciperet.* Quem locum Amplissimus Cuperus adnotaverat. Vide Celeberrimi Grævii notas ad Ciceron. IV. Verrin. cap. 56. Ovid. lib. VI. Met. vers. 69.

Et vetus in tela deducitur argumentum. BURM.

Excutere] Amplissimo Cupero lib. I. Observ. cap. 3. non sana hæc vox videtur, quia non Encolpius, sed Eumolpus excutit causas desidiæ, & mavult *exigere.* Quod amplecterer, si MSS. addicerent. Sed *excutere* est hic examinare, quod &, qui interrogat, & dubitat, æque facit, atque is qui respondet, & disputat plenius. Ita Valer. Max. lib. II. cap. VIII. exempl. 2. *Post has leges judicii illius tempestiva mentio introducitur, in quo de jure triumphandi inter clarissimas personas & actum & excussum est.* Ovidius lib. IV. ex Pont. Epist. VIII.

Si genus excutias, equites ab origine prima
Usque per innumeros inveniemur avos.

Ita JCtus l. 92. ff. de legat. I. *excussum pretium* dicitur, diligenter examinatum: & ita sæpe loqui JCtos docuit Brissonius in lexico suo. *Rationem excutere* dixit Plinius lib. VII. epist. 31. *excutere fidem* pro explorare Frontin. I, II. 6.

Cum pulcherrimæ artes periissent] Legendum *cur pulcherrimæ* Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 18. ERHARD. In verisimilibus correxi, *cur pulcherrimæ.* SCIOPP.

Inter quas pictura] Plin. XXXV. cap. I. BARTH.

Vestigium] Indicium Claud. IV. Cons. Honor. vers. 373.

——— *Vestigia magnæ*
Indolis agnosco. ———

Pacatus. *Nullum toto terrarum orbe superbiæ, libidinis, crudelitatis, exstare vestigium.* BARTH.

Tropica] Umbræ rerum atque imagines tantum. GLOSS. Id est, umbram & imaginem tantum. Imo potius conversiones. PUTEAN. MS. *Tropica instituit.* TORNÆS. Conversiones, mutationes. Dan. Heinsius in Satyr. Hercules tuam fidem, sive Munstero Hypobolim. *Quis Deus tropica hæc induxit? aut quæ hæc est commutatio.* ERHARD.

Nuda virtus] Id est, sola, sine divitiis. Eleganter lapis apud Gruterum. pag. DCCV. 12.

NVLLI. PRAECLVSA. EST. VIRTVS
OMNIBVS. PATET. NON. QVAERIT
CENSVM. SED. NVDO. HOMI
NE. CONTENTA. EST.

Quæ expressa videntur ex istis Senecæ lib. III. de benefic. cap. 18. *Nulli præclusa virtus est, omnibus patet, omnes admittit, omnes invitat, ingenuos, libertinos, servos, reges, & exsules, non eligit domum nec censum, nudo homine contenta est.* Alio significatu *nudam virtutem*, dixit Gratius Cyneg. vers. 3. & Statius IV. Theb. 229. de fortitudine, quæ sine armis, solis corporis viribus ostenditur. Ut & *nudas vires* dixit, idem Statius VI. Theb. 17. eodem sensu Juvenalis Sat. XV. 53. dixit:

——— *Et vice teli*
Sævit nuda manus.

Vide Heins. crepund. Silian. p. 13. BURM.

Artes ingenuæ] Ovid.

——— *Ingenuas didicisse fideliter artes.* BARTH.

Codex Traguriensis *artes, ingeniissimumque certamen*, unde Heinsius conjiciebat *ingenuæ, spississimumque.*

Hercula aliis] Lege *hercule alii.* AURAT. Impr. Rom. *Itaque hercula alis*, ἴσως *Alpina*, ex Martiano Capella lib. 2. cap. 33. FF. ubi leg. *Abderitæ.* BONGARS. Sic Autisiod. alii *hercule*, alii *hercula*, in quibusdam deëst hæc vox. Cæterum nullum exemplar habet, *alimna*, ut est scriptum apud Martian. Capellam lib. II. Satyrici de eodem Abderita sene. Pith. PATISSON. Ita vet. codex. vulgo, *hercula alis genera herbarum.* forte *Hercules alius, alis herbarum*, &c. aut forte *Hercule herbarum.* SAMBUC. Mart. Capell. lib. 2. Satyrici, *Sed adversum illa, quoddam Abderitæ senis alimna, cui multa lapillis surculisque permixtis herbarum etiam membrorumque concesserat, præparavit.* Et est de hac re epistola Hippocr. nomine: & apud Plutarch. locus in symp. 7. sap. Sed quid si legamus *hortulo?* Diog. Laërt. in Democrit. Λέγει δέ, ὅτι τοσοῦτον ἦν φιλόπονος, ὥστε τῇ πατρικῇ δωρεᾷ τὸ ἀποτεμόμενος κατάκλεισ ἦν. PITH. Lucian. Philopseud. Laërtius ejus vita. WOUWEREN. Non dubito veram lectionem, quam in epist. Critica ad Apul. Sciceradus olim reposuit, *arcula.* de *arca* vide Vitruv. lib. V. cap. XII. BARTH. Num, *è pergula?* ut à Democrito contemtum patrimonium, & paupertinam domum significaret. Lucianus quidem in Philopseude scribit, Democritum in monumento clusum fuisse, atque ibi admiranda illa scripsisse. Lipsius Antiq. lect. lib. I. cap. 8. Lege *Itaque argilla herbarum omnium succos.* id est, in testa seu vase argillaceo coxit. Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 18. in qua tamen conjectura valde nutat: non item in Arte Crit. ubi affirmanter ex veteris

pressit : & ne lapidum virgultorumque vis lateret, aetatem inter experimenta consumsit. Eudoxus quidem in cacumine excelsissimi montis consenuit, ut astrorum, coelique motus deprehenderet : & Chrysippus, ut ad inventionem sufficeret, ter helleboro animum detersit. Verum, ut ad

veteris scripturæ vestigiis *arcula* fecit *argilla*. Alii *harcula*. Lege *arcula*, id est, prætorio. Euphormio Lusininus, sive Guilhelmus Barclajus Pater in Satyrico. *Lege harcula*. Nemo fuit, qui daret significatum ignotiori vocabulo. Fuere qui emendarent. At ego ex Victruvio videnter demonstrabo, *arcam* esse machinam, qua marinus fluctus à portu reprimitur, & inde diminutum *arcula* machina, qua humor alicunde exprimitur. Schickerath in Epist. Critic. ERHARD. In verisimilibus tentabam, *itaque argilla omnium* : hoc est vase argillaceo, sive testa : sed puto aliquid aliud latere, Apulej. lib. 3. Asin. *Specta denique quam parvis quamque futilibus tanta res procuretur herculis. Anethi modicum cum lauri foliis immissum rore fontano datur lavacrum & poculum.* Sic ibi libri quidam. SCIOPP. *Harcula* vet. cod. *Hercula* alii. Itaque *è pereula*, sive placet *pergula*, hoc est, paupertina domus Lipsius lib. 1. Antiq. Lect. cap. 8. Nob. Heinsius malit. *Itaque in pergula*, optime. Diogenes Laërtius lib. IX. adeo studiosum fuisse Democritum auctor est, ut ex vicino hortulo sibi pergulam seligeret, ibique se ipsum includeret. verba ejus sunt : ὥστε τῇ περικήπῳ οἰκήματίῳ τι ἀποτεμόμενος κατάκλειστος ἦν. Suetonius utitur & hac voce lib. de Illustr. Gramm. cap. 18. ubi de Lucio Crassitio : *hic initio circa scenam versatus est, dum Mimographos adjuvat. Deinde in pergula docuit.* Idem in Augusto cap. 49. Theogeni Mathematico *pergulam* fuisse refert. sed hic non tam paupertinam domum, quam quidem ædiculam aëri expositam, sub dio in publicum spectantem, significat, quales amare solent cæli syderumque contemplatores. BOSCH. Heinsius conjiciebat *è genere herbarum*, nam Codex Tragurienſis habet, *itaque genera herbarum omnium succos*. Prima editio *itaque Hercula alii genera herbarum*. Sed *itaque Hercules*, vel *Hercule*, videtur probum. Infra cap. 114. *Itaque Hercules postquam tempestas manifesta convaluit*. Vid. Amplissimum Cuperum, Observ. lib. 1. 2. qui pro *expressit*, etiam mallet *excussit*. Eo sensu, quo modo indicavimus.

Vis lateret] Viro docto, qui in codice, quem possidet Celeberr. Almeloveenius, quædam adnotaverat, videbatur odiosa hujus verbi repetitio, intra paucos versus, & malebat *hæreret*. Et adscripserat. Seneca *non diutius, quam miramur, hæsura*. Plautus Stich. Act. 1. sc. 3. *nam jam complures annos utero hæret meo*.

Ætatem] Vixit annos 100. Laërt. IX. BARTH.

Eudoxus] Alii, *Eudoxius*. PATISSON. Is, qui Græcis annum constituit. RITTERSH. Strabo Geograph. lib. 17. Δείκνυται γὰρ σκοπὴ τις πρὸ τῆς Ἡλιοπόλεως, καθάπερ καὶ πρὸ τῆς Κνίδου, καθ' ἣν ἐσημειοῦτο Εὔδοξος τῶν ὡρῶν τὰς κατάσεις. WOUWEREN.

Quidem] Alii *quidam*, pessime. *Quidem* particula est affirmandi, pro, certe, profecto. ERHARD.

In cacumen] V. C. *in cacumine*. SAMBUC.

Excellentissimi] Unus ex veteribus, *excelsissimi*. PUTEAN. Vet. Lexicon; *Excellentissimus dicitur à Petronio in primo Satyrarum*, quod & à Macrobio 3. Satur. P. DANIEL. Sic Autisiod. Alii *excellentissimi*. Pith. PATISS.

Consendit] V. C. *consenuit*. SAMBUC. Ita legendum, non *conscendit*, patet veritate Historica; Mons autem ille turris fuit seu specula, quam Cnidii, populares Eudoxi, venerabantur, & vocabant σκοπὴν Εὐδόξου. Sic Cassius apud Tacitum Annal. 4. Saxo Seriphio *consenuit*, & sic recte Lugd. Edit. BOURDEL.

Chrysippus ut ad inventionem sufficeret] *Ut ad inventionem sufficeret rerum*, Leid. cod. probe. Cic. 1. Tusc. Quæst. cap. 45. *Permulta alia colligit Chrysippus, ut est in omni historia curiosus*. Legendum existimat Doctissimus Th. Munckerus meus, *Chrysippus ut ad inventionem sufficeret acervi*. Chrysippus in Dialecticis quam maxime claruit, invenitque *acervum*, sive acervalem argumentationem, Tullio *sorites* dictam : Hinc acervum cum Chrysippo sæpe conjungunt auctores. Persius sub finem Satyr. ult.

——— *Depinge, ubi sistam,*
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

Martian. Capella lib. IV. in quo de Dialectica non longe ab initio :

Chrysippus cumulet, proprium consumat acervum,
Carneadesque parem vim gerat helleboro.

Sidon. Apollin. Carm. XXIII.

Nunc hunc, si voluit rotare rhythmos,
Quidquam proposito virum morari
Chrysippus potuisset ex acervo. BOSCH.

Helleboro animum detersit] Cum, quos cerebro minus sano esse significare volumus, iis helleboro opus esse dicimus. GLOSS. De elleboro Chrysippi Fulgentius Virgil. contin. initio. P. DANIEL. Quod hic de Chrysippo Petronius, idem de Carneade Academico scripturo adversus Zenonis Stoici libros tradunt Gellius lib. XVII. cap. XV. & Valerius Maximus lib. VIII. cap. VI. DOUZA F. Lucian. βι. πρ. meminit, alludit & in 2. Verar. ubi Ἠκούομεν δὲ περὶ Χρυσίππου, ὅτι ὁ πρότερον αὐτῷ ἐπιβὰς τῆς νήσου θέμις, πρὶν τὸ τέταρτον ἑαυτὸν ἐλλεβορίσῃ. Idem de Carneade Academico tradit Plin. lib. 25. cap. 5. Pro Chrysippo etiam est Tertullianus de Anima, cap. 6. ubi proverbialis est locutio; *Thales in puteum, Chrysippus ad elleborum*. vide Erasmum in proverb. *Bibere elleborum*, Chil. 1. cent. 8. adag. 51. ERHARD.

ad plastas revertar, Lysippum statuae unius lineamentis inhaerentem inopia exstinxit: & Myron, qui pene hominum animas ferarumque aere comprehendit, non invenit haeredem. At nos, vino scortisque demersi, ne paratas quidem artes audemus cognoscere; sed, accusatores antiquitatis, vitia tantum docemus, & discimus. Ubi est Dialectica? Ubi Astronomia. Ubi Sapientiae consultissima via? Quis, inquam, venit in templum, & votum fecit, si ad Eloquentiam perveniisset? Quis, si Philosophiae fontem attigisset? ac ne bonam quidem valetudinem petunt: sed

Plastas] Statuarios. GLOSSÆ. Deëst, quid, fortassis, nomen plastis. SAMBUC. Vellej. Paterc. lib. 1. cap. 17. *Hoc idem eveniisse Grammaticis, plastis, pictoribus, sculptoribus, ut quisque temporum institerit notis, reperiet, eminentia cujusque operis artissimis temporum claustris circumdata. Revertar* vero repositi secutus auctoritatem primae editionis, & Tragurienfis codicis. Hinc adparet, quaedam praecessisse hoc caput, quae hodie desiderantur.

Convertar] Sic Autisiod. alii *revertar*. Pith. PATISSON.

Miron] Ausonius. BONGARS. Cicero Bruto. Lucianus Hermoti. Strabo lib. 14. WOUWEREN. Hujus meminere Cic. 6. in Verr. & in Bruto, Strabo, lib. 14. Victruvius, praef. lib. 3. Statius 2. Sylv. Quintilian. lib. 3. Symmach. lib. 1. ep. 25. Juretus ad Symmachum, lib. 1. ep. 23. ERHARD.

Hominum animas] Vide epigrammata Eveni & aliorum ab Ausonio interpretata in Buculam Myronis. BARTH. Vide supra ad cap. 83.

Comprehenderat] Autisiod. & alii, *comprehendit*. Pith. PATISSON. MS. *comprehenderat*. TORNÆS.

At nos vino scortisque demersi] Sen. Natur. Quæst. l. 7. c. 32. Plin. l. 25. c. 1. WOUWER. German.

——— *Nec jam*
Semina virtutum vitiis demersa resistant. BARTH.

Infra belli civilis carmine vers. 58.

Hoc mersam caeno Romam somnoque jacentem.

Paratas artes] Quae in facili. supra cap. xv.

Nec victoria mi placet parata. BARTH.

Paratas, id est, jam inventas ac traditas, nedum ut novi aliquid indagemus. ERHARD. Vid. supra ad cap. 15. Horat. 1. od. 31.

Frui paratis, & valido mihi
Latoe dones.

Vide Brouckh. ad Tibull. lib. 11. El. 1v. vers. 1.

Audemus] Alii *avemus*. PATISSON. *Avemus* conjectura ducti scripsimus, Vulg. *audemus*. SAMBUC. *Audemus* magis arridet. P. DANIEL.

Sed accusatores antiquitatis vitia tantum] Impr. *sed accusatores iniquitatis vitia tamen*. PUTEAN. Codex Trag. & prima editio *iniquitatis*. Unde Heinsius conjiciebat *accusatores iniqui antiquitatis*.

Ubi est dialectica? ubi astronomia? ubi sapientiae consultissima via] Primum ad Chrysippum, secundum ad Eudoxum, tertium ad Democritum refertur, quem magni in philosophia nominis fuisse constat, quemque aliis omnibus etiam Platoni ipsi, in opinione quadam praefert Aristoteles lib. 1. cap. 2. de Ortu & Interitu. DOUZA F. Illustravit hanc formulam Heinsius ad Ovid. Heroid. Epist. 1v. 150.

Ubi sapientissimae consultissima via] Alii *sapientiae consultissima via*. TORNÆS. Suspecta mihi vox, quis enim umquam ita locutus? Forte *consuetissima via*, quam veteres nempe frequenter calcarunt. Eodem modo has voces permutarunt librarii apud Ovidium lib. 1. Art. Am. vers. 467.

Sit tibi credibilis sermo consuetaque verba.

Ubi quidam codices *consultaque* exhibent: codex autem Tragurienfis & editio princeps habent, *ubi sapientia, consultissima via*, ut sit appositio. BURM.

Quis, inquam] Forte, *unquam*. SAMBUC. Veteres, *inquam*, alii, *quis dudum*. Pith. PATISSON. *inquam*, Tragur. & editio prior.

Si Philosophiae fontem invenisset] Unus ex Veteribus, *attigisset*. PUTEAN. MS. *invenisset*. TORNÆS. Biturig. *attigisset*. Pith. PATISSON. *Invenisset* est ex conjectura virorum doctorum, sed prima editio, cum quo facit Tragurienfis codex, habet *attigisset*, quod nos reduximus. Frequentissima enim hujus verbi significatio, pro pervenire aliquo. Suet. in Vespas. cap. 1v. *Ut primum provinciam attigit*. Jul. Cæs. lib. 1v. bel. Gal. cap. 23. *Britanniam attigit*. Horat. 111. od. 111.

Hac arte Pollux & vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas.

Et ita *tangere*, & *contingere* passim. BURM.

Ac ne bonam quidem mentem] Seneca: *Votorum tuorum veterum licet Diis gratiam facias, alia de integro suscipe. Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis.* Vide Juven. Satyr. de Votis. PITH. Omnino sententia Persii, Sat. 11. vers. 6.

Haud cuivis promtum est murmur humilesque susurros
Tollere de templis, & aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, haec clare, & ut audiat hospes,
Illa sibi introrsum, & sub lingua murmurat: o si
Ebullit patrui praeclarum funus: & o si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro,

Her-

sed statim, antequam limen Capitolii tangunt, alius donum promittit, si propinquum divitem extulerit, alius, si thesaurum effoderit, alius, si ad trecenties H. S. salvus pervenerit. Ipse Senatus, recti bonique praeceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet: &, ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Jovem quoque peculio exorat. Nolito ergo mirari, si Pictura deficit, quum omnibus diis hominibusque formosior videatur massa auri, quam quidquid Apelles Phidiasve, Graeculi delirantes, fecerunt.

LXXXIX. Sed te video, te totum in illa haerere tabula, quae Trojae halosin

Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hares
Impello, expungam. ———
Juven. Sat. 10. vers. 23.
Prima fere vota, & cunctis notissima templa,
Divitiæ crescant & opes. ——— WOUWEREN.
Juven. Sat. x. vers. 356.
Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
BARTH. Stoici tria potissimum à Diis rogabant, bonam mentis, bonam animi valetudinem, tertio corporis, ex Juvenali Sat. x. vers. 357.
Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano,
Fortem posce animum, mentis terrore vacantem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera ponat,
Naturæ qui ferre queat quoscumque labores.
ERHARD. Editio prior & Tragurienſis codex tantum exhibent, *ac ne bonam quidem valetudinem petunt, bona mente* omissa. Quæ cum plerumque in votorum nuncupatione conjungi solerent, ut ostendunt loca à viris doctis adducta, aliquis sciolus quoque hæc Petronii verbis intrusit. Sed major erit vis Orationi Eumolpi nostri, si ita insanire ostendat homines, ut non modo artibus & sapientiæ non studeant, sed neque Deos precentur, ut saltem sani & validi vivant, sed unice divitiis inhient, quibus tamen frui nequeant, si valetudo mala eos infestet. vid. supra ad c. 61. BURM.

Antequam] Codex Tragurienſis. *Statim ante limen Capitolii, alius domum promittit.*

Promittit] *Promittere*, vovere, addicere, in votis promittere. GLOSSÆ.

Extulerit] Morticinum. Manilius lib. IV. vers. 71.
Ex ipsis quidam elati rediere sepulcris. BARTH.

Si thesaurum effoderit] Mortes suorum & inventio thesauri inter exempla votorum hominis avari solent jungi. Dio Chrysostomus in 4. de Regno; τοὺς δὲ θεοὺς τέλεον οὐκ ἴσασι λογίζεται, ὅτι μὴ πολλοὺς αὐτῷ μηδὲ μεγάλους θησαυροὺς παραδείκνυσιν, ἢ θησάτους τῶν οἰκείων τινῶν καὶ συγγενῶν, ὅπως ἔχοι κληρονομεῖν. Casaubon. in Pers. Satyr. 2. ERHARD.

Trecenties sestertium] Equestris census. BONG. Lege, *ad trecenties sestertium summam pervenerit.* AURAT.

Senatus recti bonique praceptor] Impressi, *recti honestique.* PUTEAN. *Bonique* V. Cod. Dionysii & meus. P. DANIEL. XII. Tabul. IS. ORDO. VITIO. VACATO. CETERIS. SPECIMEN. ESTO. BARTH. Vide Brossæum in Cassiodorum Variar. lib. 4. epist. 4. Juretum ad Symmach. lib. 1. ep. 46. ERH. *Recti hominisque* Tragur.

Capitolio] Forte *Capitolino*, scilicet, Jovi. SAMB. & RITTERSH. Sueton. Neron. *Barbam adornatam Capitolio consecravit.* PITH. Vide Lips. ad Tacit. Annal. lib. 15. WOUW. Minime necessariam emendationem puto in *Capitolino*, quod etiam volebat Marcilius ad Horat. l. III. od. 24. Qui & Suetonii locum in Nerone eodem modo sollicitat, cum utrumque recte se habere doceat Passeratius ad Propert. lib. IV. eleg. 4. & *Capitolium* sumi pro ipso Jove Capitolino. De donariis autem & votis, quibus Jupiter ille locupletabatur, vide Rycquium de Capitolio cap. XXI. & XXII.

Peculio exorat] Forte, *exornat.* SAMBUC. Sulpicius Servastus epigr. in Avaritiam; in Catalectis Pithæi pag. 27.
Hoc cœlo jubeas ut petat, inde petet.
Lindenbrog. Notis in Catalect. Præclare Persius Satyr. II vers. 62.
Quid juvat hoc, templis nostros immittere mores?
stultos esse probans, qui frustra Diis pretiosa dona offerant, qui divitiis nec capiantur, nec utantur. *Quid juvat*, id est, in quem finem hoc facimus, quod corruptelam morum nostrorum inferimus in res religiosas? nam, quia luxuria & avaritia animos nostros occupant, ideo sic erga Deos nos gerimus, quasi & illi essent luxurioſi & avari. Casaubon. in Pers. Sat. 2. ERHARD.

Noli ergo] MS. *nolite ergo.* TORNÆS.

Defecit] Reposuimus *deficit*, ex auctoritate codicis Tragurienſis & editionis principis.

Græculi delirantes fecerunt] post hæc devium & fugitivum Epigramma retraho; causam novit, qui Petronium attentu legit;
Non satis est, quod nos mergis furiosa juventus,
Transversosque rapit fama sepulta probris,
Anne etiam famuli, cognata face sepulti,
In testa mersas luxuriantur opes?
Vilis servus habet regni bona, cellaque capti
Deridet vestram Romuleamque casam.
Idcirco virtus medio jacet obruta cœno,
Nequitiæ classes candida vela ferunt.
BOURDELOT. De Græculis vide supra ad cap. XLVI.

Sed video te totum in illa hærere tabula] Hoc in

haloſin oſtendit: itaque conabor opus verſibus pandere.

a Jam decima moeſtos inter ancipites metus
Phrygas obſidebat meſſis, & vatis fides
Calchantis atro dubia pendebat metu:
Quum, Delio profante, caeſi vertices
Idae

a Κατακλυσμὸς Ἰλιακὸς (*Inundatio.*] hoc eſt, excidium *Ilii.*)

Vet. Lexico S. Benedicti Floriacenſis citatur ex libro XV. Petronii Arbitri. DANIEL.

Haloſis Trojæ] Expugnatio Trojæ. GLOSSÆ. *Haloſin* etiam Ilii dixit Sueton. in Nerone. PUTEAN. Anacreon: od. XVI.

Σὺ μὲν λέγεις τὰ Θήβης ὁ δ' ἄν,
Φρυγῶν ἄϋτὰς, ἐγὼ δ' ἰμὰς ἀλώσεις.

Suet. Ner. BARTH. Tryphiodorus ſcripſit, Ἰλίς ἅλωσιν. ERHARD. *Anoloſin* Tragur. *analoſim.* margo.

Opus verſibus pandere] *Opus* pro carmine etiam Ebræis. Pſal. 44. verſ. 2. *Dico ego opera mea Regi.* Bucerus. ERHARD.

Jam decima] Cataclusmos Iliacos. DANIEL.

Ancipites metus] Statius:

Anceps nutus ad majora tuliſſet.

Silius lib. III. verſ. 557.

——— *Ancipiti mentem labefacta timore.*

BARTH. Livius lib. II. cap. 20. *Ita metu ancipiti verſi à fuga Romani in hoſtem.* cap. 24. *At curia mœſta ac trepida ancipiti metu.*

Meſſis] Ita Poëtæ. Ovid. XIV. Met. 146.

Tercentum meſſes, tercentum muſta videre.

Et Euripid. paſſim. Sic Thucydides & Herodianus loquuntur, &c. Περὶ σίτου ἐκβολὴν, καὶ τῶν λήϊων ἀκμὰς ἔχοντων. BRASSICAN. Virgil. lib. II. Æn. verſ. 14.

——— *Tot jam labentibus annis,*
Inſtar montis equum divina Palladis arte
Ædificant. ——— WOUWEREN.

annus. Sic & *ariſtas* pro annis poſuit Virgilius Ecl. I. ERHARD. Hoc carmen ad acerrimam cenſuram vocavit Jacobus Tollius, olim in Fortuitis, cap. III. & deinde in animadverſionum criticarum ad Longinum Guſtus acceſſione, quæ omnia hic diligentius examinare adnotationum ratio non patitur, forte alias id præſtabimus copioſius, nos ſtudio hic Petronium Eumolpum aliquantulum inflatius carmen, nec ſaniſſimi coloris, pangentem inducere credimus, ideoque immerito in Petronium culpam conferri, qui oſtendit initio Satyrici ſui, ſe recte noſſe naturalem orationis & carminis pulchritudinem.

Atro metu] C. M. Victor. *Ecce niger terror.* Valer. *Arvaque nigro vaſta metu.* BARTH. Jungermannus legit *atrox dubio.* ERHARD. Nihil minus carpi quam hoc meretur epitheton, ut oſtendunt loca à Barthio adducta, quibus adde Virgilii lib. IX. Æn. verſ. 719.

Immiſitque fugam Teucris, atrumque timorem.

Valer. Flacc. lib. II. Argon. verſ. 45.

Noctiſque metus niger auget utrimque.

Et, quis ita hoſpes in Poëtarum lectione, qui neſciat, omnia triſtia, infauſta, miſera, illis *atra* & *nigra* dici? Ita *atras curas* Horat. II. od. III. *atras lites* in Art. Poët. verſ. 423. & ſimilia alii dixerunt. Neque video, male dici *dubiam fidem vatis pendere*, propter metum ſucceſſus felicis, quem Græcis promiſerat. Nam & Cicero ita fere loquitur, ut in II. Agrar. cap. 25. *Nolo, ſuſpenſam & incertam plebem obſcura ſpe & cæca exſpectatione pendere*, ubi obſcura ſpes & cœca exſpectatio, eſt ater metus Poëtæ noſtri. Pro Flacc. cap. 4. *Salus noſtra, quæ ſpe exigua extremaque pendet*, lib. III. ad Q. Frat. Ep. 5. *Promiſſis iis, quæ oſtendit, non valde pendeo*, & ita paſſim. Ita & Propertius lib. IV. eleg. VII. *Quum mihi ſomnus ab exſequiis penderet amaris.* Id eſt, poſt mortem Cynthiæ eſſet incertus: omnis autem locutio à ſtatera deſumitur, quæ levi momento pendens inclinatur. Livius lib. II. cap. 7. *Tam levi momento mea apud vos fama pendet? adeone eſt fundata leviter fides.* Cicer. II. Agrar. cap. 29. *An ignoratis cetera illa magnifica Populi Romani vectigalia, perlevi ſæpe momento fortunæ, inclinatione temporis pendere.* Hæc credo ſatis evincent, recte dici *fidem pendere metu.* BURM.

Pendebat] Dubia erat. Barth. ad Claudian. lib. de III. Conſ. Hon. verſ. 172. ERHARD.

Delio præfante, ferro caſi] Forte *fante*, vel *ferro* fortaſſe irrepſit ex gloſſa. SAMBUC. Stephan. *præſante ferro caſi.* TORNÆS. Veteres, *præſante.* Pith. PATISSON. Deleatur ſane vel *ferro*, vel *caſi*: alioqui exuberat verſus. PUTEAN. *Profante.* Atqui Apollo Trojanis favebat, & Virgil.

——— *Divina Palladis arte.* BONGARS.

Lege *profante. Profari* verbum eſt oraculo Delfico & Vatibus ſuum quaſi & proprium. Lucret. lib. 6.

Pythia, quæ tripode ex Phœbi lauroque profatur.

Schopp. Veriſim. lib. I. cap. 18. ERHARD. Recte correctum à viris doctis *profante.* v. Paſſerat. ad Propert. lib. III. eleg. 12. & in primis Gronovium ad Liv. XXII. 1.

Caſi vertices] Veteres *ferro caſi.* PATISSON. Statius lib. I. Sylv. 1. verſ. 9.

——— *Vertice ſacro*
Dindymon, & caſis decrevit frondibus Ida.

WOUWEREN. Sidonius Carm. IX. verſ. 115.

Decreſcens cui Dindymon reciſo
Fertur vertice texuiſſe claſſem.

Statius Eq. Domit. BARTH. Et hoc culpat cenſor, quia arbores cæduntur, non vertices montium. Quod quam-

Idae trahuntur, sciſſaque in molem cadunt
Robora, minacem quae figurabant equum.
Aperitur ingens clauſtrum, & obducti ſpecus,
Qui caſtra caperent. Huc decenni praelio
Irata virtus abditur, ſtipant graves

Equi

quamvis audacius dictum à noſtro videatur, non deſunt tamen ſimilis magniloquentiæ exempla. Ita Valer. Flacc. lib. II. verſ. 522.

—— *Non illa magis, quam ſede moveri*
Magnus Eryx, deferre velint quem vallibus imbres.

ubi intelligendæ arbores tempeſtate ex Eryce monte dejectæ, Stat. lib. XI. verſ. 194.

—— *Summittitur ingens*
Æmus, & anguſtos Rhodope deſcendit in amnes.

Verecundius tamen iidem Poëtæ dixerant *deferri* & *deſcendere ſylvas*. Val. Flacc. lib. I. verſ. 121.

—— *Simul undique cernit*
Delatum nemus.

Et lib. III. verſ. 31.

Funereas ad litora volvite ſylvas.

Statius lib. VII. Theb. verſ. 115.

Aut nutare ſolum, aut veteres deſcendere ſylvas.

denique rotundiores eſſent noſtri verſus, ſi ſcripſiſſet

Caſa vertice
Ida trahuntur, ſciſſaque in molem cadunt
Robora. BURM.

Sciſſaque] Alii *ſpiſſaque*. ERHARD.

In molem cadunt] Cicero non uno loco ſimiles verſus Euripidis Ennio verſos citat. BRASSIC. Claud. IV. Conſ. Hon. verſ. 617.

In civem rubuere gena.

Sidon.

In tua lucra feris exarmat guttur alumnis.

Minut. Fel. *Æſculapius, ut in Deum ſurgat, fulminatur.* BARTH. Hic quoque non litat divæ Criticæ Tollius. *Scindi* enim proprie robora dicantur, cum cuneus in ea agitur. Virgil. lib. VII. verſ. 510.

Quadrifidam quercum cuneis ut ſorte coactis
Scindebat.

Ita ut minime tenuis ſit hæc vox. Cavillari autem eſt, rogare, an cadant robora, poſtquam in molem ſciſſa ſunt? cum & ſcindi ſtantes trunci potuerint, *ſciſſa* autem *in molem* elegantiſſime dictum, pro ſciſſa, ut inde moles illa, equus ſcilicet, exſtruatur, ut recte Barthius illuſtrat exemplis. Lucanus I. 306.

In claſſem cadit omne nemus.

Flor. lib. IV. cap. 12. *Faces in urbem poſcere*, id eſt, ad eam incendendam. Sueton. in Cæſ. cap. VIII. *Conſcriptæ in Ciliciam legiones*, ut eo ducerentur. Ita Lucæ Euang. cap. IX. Comm. 3. Μηδὲν αἴρετε εἰς τὴν ὁδὸν, id eſt, ad iter commode conficiendum, & verſ. 13. βρώματα εἰς πάντα λαὸν. Homer. il. α. 226. εἰς πόλεμον θωρηχθῆναι, & quæ id genus infinita ſunt. Vide Barthium, & Heinſium ad Claudian. I. in Ruſin. 152. BURM.

Molem] Centones Virgiliani hi Jambi.

Quo molem hanc immanis equi ſtatuere? BARTH.

Robora] Quercus. Non multo poſt;

Roborea moles ſpirat alieno metu.

Virgilius lib. II. Æn. verſ. 185.

Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere juſſit.

Rob. Titius Aſſertion. lib. I. cap. 25. ERHARD.

Figuravent] Vet. *figurabant*. PATISSON. *Figurabat* Tragur.

Minacem equum] Non ita vocat, quaſi deberet minari Trojanis exitium, quum ſpecie voti eos deberet fallere, ſed quia ipſa figura eſſet veri equi, quod minax ſemper animal & animoſum fingitur, etiam cum dono datur. Hæ ergo minæ equi non indicabant, eum utero ſuo celare viros armatos, ſed ordinarium equi habitum oſtendebant.

Aperitur] Vet. Codex *Operitur*. DANIEL. Legendum crediderim *operitur*, nam latera equi intelligit, quæ ſecto robore tegebantur. & ita omnis Critici noſtri tumultuatio ſedari poterit, qui fatetur, ſe hic nihil videre, & oculis ſuis tenebras obductas. *Caſtrum* autem habet prima editio & Tragurienſis codex. Tornæſius & Patiſſonius ediderat *antrum*, quod ſecuti alii, nimis imprudenter. Solent enim Librarii voces *caſtrum* & *clauſtrum* confundere ſolemniter. Ita apud Virgil. II. Æn. verſ. 259. pro *laxat clauſtra Sinon*, *caſtra* in MSS. reperit Heinſius, apud Propert. lib. III. eleg. 7. pro *caſtra*, *clauſtra Peluſi* repoſuere viri docti. Eadem varietas eſt apud Ovid. II. ex Pont. Epiſt. IX. 37. & Statium lib. VII. Theb. verſ. 482. & in multis aliis Poëtarum locis. BURM.

Ingens caſtrum] Forte *clauſtrum*. SAMBUC. & RITTERSH. Alii, *caſtrum*, alii, *clauſtrum*. PATISS. Impreſſi, *caſtrum*, malim *antrum*. PUTEAN. Forte *clauſtrum*, ut Scaliger legit. DANIEL. Ingens omnino moles fuit equi Duratei, unde, *Qui caſtra caperent*. nam Scholiaſt. Lycophr. εἰς τὸν Δούριον ἵππον πεντηκοντα, ἢ τριακοσίων, ἢ κατ' ἐμὲ καὶ ὀκτὼ ἁλόντες Ἕλληνες ἐκάθητο. Petr. *Roborea moles*. Homer. μέγαν ἵππον. Virg.

—— *Et molem mirantur equi.*
Immenſam attollere molem. ——

Seneca, *dona molis immenſæ*. WOUWEREN.

Et obducti ſpecus] Veteres *obductum ſpecus*, forte *ſpecu* quia & *ſpecua* in numero multitudinis alicubi legimus. PUTEAN.

Irata virtus] Ipſi Achivi forte, ut Horat. lib. III.

Equi receſſus Danai, & in voto latent.
O patria! pulſas mille credidimus rates,
Solumque bello liberum: hoc titulus fero

Intus

od. XXI. verſ. 11. *Virtus Catonis.* Idem lib. 11. Sat. 1. verſ. 72.

Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Lali.

Virgil. lib. 11. Æneid. verſ. 18.

Huc delecta virum ſortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri. ——

Homerus Odyſſ. Θ. verſ. 512.

Δουράτιον μέγαν ἵππον, ὃν ἵαται πάντες ἄριστοι
Ἀργείων. WOUWEREN.

Ipſi Danai. Empedocles apud Laërt. lib. VIII.

Ἄξεις δ' ἐξ αὐδαο κατὰ φθιμένα μένθ' ἀνδρός.

Sic crebro Apollon. Orpheus Arg. Catull. Epit. P. BARTH. Pro, irati viri, hoc eſt, milites, abſtractum pro concreto, & ſemper de militibus hominibuſque bellicoſis accipitur. Explanat ipſe ſe Petronius infra hoc verſu;

Danai relaxant cloſtra, & effundunt viros.

Eſdras Junior lib. 1. cap. 4. verſ. 10. de Regis potentia; *Et omnis plebs & virtutes eum obſidiunt*, id eſt, tam plebeji, quam milites & potentes. Eſt autem modus hic loquendi Hebræis quam familiariſſimus, de quo videndus Beza Annot. in Apocal. cap. 13. verſ. 10. ERHARD. Ingenioſe qui repoſuerunt *jurata*. Scripta tamen lectio ferri poteſt. BOURDELOT. Poſſet capi pro forti, bellicoſa turba Ducum, ut *iram* ſæpe pro fortitudine & virtute bellica ponit Statius & alii, de quo vide Barth. ad lib. IV. Theb. verſ. 23. & verſ. 114. & alibi; ſed hoc minus convenire videtur *decenni prælio*, ut nec *jurata* Douſæ, quare mallem *Durata virtus abditur*. Literas primas verſibus ſæpiſſime deeſſe norunt, qui codices MSS. poëtarum viderint; cum vero reſtaret *urata*, librarius hanc vocem ignorans, obviam *irata* arripuit. Juſtinus lib. IX. cap. 3. *Athenienſes, cum longe majore militum numero præſtarent, aſſiduis bellis indurata virtute Macedonum vincuntur.* Frontinus lib. 11. cap. 1. §. 9. *Duratum longo uſu militem* in eadem hiſtoria dixit, & ita alii paſſim. v. Gronov. ad Liv. lib. XXIII. cap. 18. BURM.

Graves] Recte exponunt *gravidos*. Virgil. lib. 1. Æn. 274.

Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

BARTH. Hoc eſt, gravidos. Virg. lib. 11. Æn. verſ. 237.

—— *Scandit fatalis machina muros*
Fœta armis. ——

Ovidius III. Faſt. verſ. 23. *Jacet ipſa gravis.* Gratius Cyneg. verſ. 165.

—— *Ultroque gravis ſatcedere Tygri*
Auſa canis, majore tulit de ſanguine ſœtum.

WOUWEREN.

Equi receſſus] alii Danai receſſus. PATISSON. *Graves receſſus* bene Wouwer. interpretatur gravidos, ad exemplum Virgilii, qui *machinam fœtam armis* appellavit. Zinzerl. Miſcell. Critic. lib. 2. cap. 5. Salisb. lib. 8. cap. 7. *Porcum Trojanum ideo ſic vocabant, quaſi aliis incluſis animalibus gravidum, ſicut Trojanus ille equus gravidus armatis fuit.* Ennodius in Epiſt. *Ita dotatus liberalibus inſtitutis bonam mentem cura gravidam ad ſpem germinis melioris attollit.* ERHARD. To *Equi* abeſt a prima editione, lacunâ relictâ, neque habet Tragurienſis codex.

Et in voto latent] In equo, quem voverant. TORNÆS. Alii *in ſuo voto latent*. PATISSON. Dignus vindice nodus, quid ſit, in *voto latere*. Scio, non male poſſe dici, illos jam incluſos unice huic intentos voto, ut dolus dextre ſuccederet. Sed alio collimaſſe & in tropo perſtitiſſe Arbiter mihi videtur: ut, videlicet, quemadmodum in voto ſpem hominis ſive embryonem eſſe dicimus, ita & incluſos equi Duratei alvo dicat in voto latere. Zinzerling. Rectius alii *in voto* interpretantur, id eſt, in equo votivo. ERHARD.

O patria! pulſas mille credidimus rates] Exclamatio hæc, *O patria*, ſumta è veteri Poëta Ennio, opinor, in Andromacha: *O pater, ô patria! O Priami domus!* apud Ciceronem in ſecunda diſputatione Tuſculana. quod imitatus etiam Virgil. lib. 11. Æn. verſ. 241.

O patria, ô divum domus Ilium!

RICHARD. & BARTH. Plaut. Bacchid. Act. 4. ſc. 9.

O Troja, ô patria, ô Pergamum, ô Priame.

adi Lambinum. ERHARD.

Solumque bello liberum] Culpat cenſor *ſolum*, quaſi non ſublimis ſatis vox ſit. Ergo cadat, eo judice, Virgilius, qui lib. III. Æn. verſ. 697.

Exſupero præpingue ſolum ſtagnantis Helori.

lib. VI. verſ. 256.

—— *Sub pedibus mugire ſolum.*

lib. X. verſ. 60.

Atque ſolum, quo Troja ſuit. ——

Quæ eſt eadem regio, noſtro indicata. Et ita ille paſſim. quia autem *ſolum* fere terram, quæ fruges ſuſtinet, notat, v. Virg. Georg 1. 80. & VII. Æneid. 112. egregie noſter illud jam bello liberum dicit, in quo exſpatiantur Troës ſoluti obſidione, & jam illud arare & colere iterum falſa ſpe deſtinantes, quod adhuc tenuerant caſtra Græcorum; & ita Troja everſa & funditus exciſa, ſolum dicitur facta, Ovidio Epiſt. 1. Heroid.

Sed mihi quid prodeſt veſtris diſjecta lacertis
Ilios, &, muros quod fuit ante, ſolum.
Diruta ſunt aliis, uni mihi Pergama reſtant,
Incola captivo quæ bove victor arat. BURM.

Hoc titulus fero] Forte *percitus fero*. AURAT. & TOR-

Intus, haec ad fata compositus Sinon
Firmabat, & mendacium in damnum potens.
Jam turba portis libera, ac bello carens,
In vota properant: fletibus manant genae,

Mentis-

TORNÆS. Alii, *hic titulus*. PATISSON. Titulus victi equi incisus. BONGARS. Lege *bello liberum hostili fore juratus*. DANIEL. Manil. lib. v. vers. 643.

Quadrupedum medicas artes in membra Ferorum
Noverit. - - -

innuit mulomedicum. Arnob. lib. 2. *Saturnus in adulterio comprehensus, induit formam Feri*. WOUWER.

- - - Hoc titulus fero
Impositus, hoc ad fata compositus Sinon.]

V. C. *hac ad fata*. *Ferum* appellat equum Trojanum Virgilii & Catulli exemplo. *Titulus* autem huic impositus erat voti. Unde paullo ante dixit;

- - - Stipant graves
Equi recessus Danai, & in voto latent.

Guill. Canterus Novar. lect. lib. 3. cap. 14. *Fero*, id est, equo. Hinc *ferinus* pro equino apud Virgil. Unde Centauri *semiferi*, quod dimidiata parte equos repræsentarunt, dicti. Prudent:

Feros instigant subditis clamoribus atque
Flagellis. - - -

Virgil. lib. 11. Æneid. vers. 51.

- - - Inque feri curvam compagibus alvum.

Gifan. Ind. Lucret. Schopp. in Miscell. Barth. ad Claud. de Nupt. Honor. & Mar. vers. 138. ERHARD.

Incisus] Forte *juratus*. AURAT. & SAMBUC. Alii, *intus*: vel *juratus*. Stephan. TORNÆS. Hæc vox à manu editorum fluxit, prima editio & Tragurienſis *intus* habent. Canteri vero, *impositus*, minime placet, quia *compositus* eodem versu sequitur: certe per compendium scripta fuit vox, quæ hic desideratur, videtur. Forte *inscriptus*, ut Ovid. Ep. 11. Heroïd. vers. 145.

Inscribere meo caussa invidiosa sepulchro.

Et Ep. VII. vers. 193.

Nec consumta rogis inscribar Elissa Sichai.

de Titulo vero vide Barth. ad Theb. v. 87. BURM.

Hoc ad fata] Alii *hac ad fata*. PATISSON.

Mendacium] Alii *mendacii*. TORNÆS. Autisiod. *& in semper in damnum*. Fortassis pro, *mens*. Pith. alii *mendacio in damnum potens*. PATISSON. Lege *mendacio*. BRASSIC. Lege *en mendacium*. Stewechius ad Apulejum. ERHARD. Nob. Heinsius legit, *& mendacii*. Et paullo post, *libera ponti juba*. BOSCH. *Hei, mendacio in damnum potens*, legebat Palmerius in Spicileg. pag. 662. sed vulgata, quam codex Tragurienſis confirmat, & prima editio, explicari rectè potest. *Mendacium potens*, est quod persuadet; quo sensu Marcianus Capella lib. v. dixit, *Eloquentiam potentem omnium rerum*, & magis appositè Prudentius contra Symmachum lib. 11. 48.

Idola conflavit fallendi trina potestas.

vide Barth. lib. VI. Adversar. cap. 26. Lactant. lib. I. Instit. cap. 1. De veritate, *quæ, licet possit sine eloquentia defendi, tamen claritate ac sermonis nitore illustranda, & quodammodo differenda est, ut potentius in animos instuat, & vi sua, & instructa religione, & luce orationis ornata*. Ita cape & Terentii verba in prologo Heautontim:

Sed hic actor tantum poterit à facundia.

Quod Nepos in Alcibiad. cap. 1. dixit *dicendo valere*. Eodem sensu dicunt Euangelistæ, Christi sermones fuisse ἐν ἐξουσίᾳ, Lucæ cap. IV. Comm. 32. & Moyses dicitur fuisse δυνατὸς ἐν λόγοις, Actor. cap. VII. Comm. 22. ubi vide Pricæi notas. Et Jamblich. de vita Pythag. cap. 12. ἐξουσιαστικῶς λέγειν ἐπιχείρει. Ælian. lib. III. Var. cap. 1. ὁ λόγος ἐὰν ἔχῃ δύναμιν φρασικήν. Aristænet. lib. 1. Epist. 13. δυνατῶς συνελογίσατο. BURM.

Jam turba portis libera] Virg. lib. 11. Æneid. vers. 25.

Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycenas,
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu;
Panduntur portæ: juvat ire. - - - WOUWER.

Portas enim & mœnia quoque ipsa diruerunt Trojani, quo equum admitterent. Simmias Rhodius in Securi;

——— Ἔυπας
Ἐπειὸς πέλεκυν, ὀπωόκα πύργων
Θοιτεύχεων κατέρειπεν ἄμπυξ.

ita enim ibi legendum ex certissima Scaligeri emendatione. ERHARD. Hæc quoque ridet censor: sed, cur non dicamus, aliter construenda verba, hoc modo? *turba libera & bello carens properant portis in vota*. Neque video, quo minus proba sit locutio *in vota properant*, quam *cessare in vota*. Ut Virgilius dixit VI. Æn. 51. prima autem editio habet *jam fata properant*, de qua lectione vide Erhardi notas. BURM.

In vota properant] Alii *jam vota*. PATISSON. Jungerman. legit, *In fata properant*. fortassis & *Fata* vocare videtur illas res, quæ fatum Trojæ portenderent & interitum. Plaut. Bacchid. Act. 4. scen. 9. *Dum ibi exquirit fata Iliorum*. Ipse Petronius statim post:

- - - Fata sed tardant manus.

v. c. habet, *Jam vota properant*, scilicet turba Trojana, seu cives Ilienses. *Properare vota*, id est, equum, quem Graji voverant, festinare in urbem admittere. Judica, Lector, & arbitrare Arbitro suum sibi honorem. ERHARD.

Mentis-

Mentisque pavidae gaudium lacrimas habet,
Quas metus abegit: namque Neptuno sacer,
Crinem solutus, omne Laocoon replet
Clamore vulgus; mox reducta cuspide
Uterum notavit: fata sed tardant manus,
Laetusque resilit, & dolis addit fidem.
Iterum tamen confirmat invalidam manum,

Alta-

Mentisque pavidae] Et hic exsultat Tollius, & Petronium ridiculum facit. Sed sensus apertus est: gaudium illud recens mentis, paullo ante pavidae, lacrymas effundere, quas metus antea effuderat. *Abigere lacrymas* pro ejicere, effundere, videtur dixisse, quod tamen nove dictum, & insolenter. De lacrymis autem ex gaudio obortis egregie Casaubonus ad Sueton. Aug. cap 58 Barth. ad Claud. bell. Get. vers. 407. & ad Stat v. Theb. vers. 728 & Gonsalius noster infra ad cap. 110 BURM.

Gaudium lacrymas habet] Claud. B. Getic. vers. 407.

Singultus varios, lacrymosaque gaudia miscens.

Orosius lib. 11. cap XVII. BARTH.

Namque Neptuno sacer] Virgil. lib. 11. Æn vers 201.

Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos.

WOUWEREN. Jungermannus legit, *jamque*, verissime. ERHARD.

Crinem solutus] Malim, *crinem*. PUTEAN. Propter luctum patriæ. Tibull lib. 1. El. III. vers. 8.

Et fleat effusis ante sepulcra comis.

vel ritu antistitum, ut de Calasiri Heliodor. lib. VII. BARTH.

Laocoon] Scribe *Laocoon*. Virgilius & Plinius lib. 36. cap. 5. Jacobus Sadoletus etiam quæsitissimo carmine reddidit. BRASSICAN. Impressi, *Lacon*. PUTEAN. Veteres libri *Laucoon*, sicut *Laudice*, *Laumedon*, *Boudicea*, pro Laodice, Laomedon, Boodicea. Bongarsius Not. in Justinum lib. 13. sic infra *Lauconte*, pro Laocoonte, sic *Lautumiæ*, non Laotomiæ, Senec. *Laudicea*, pro *Laodicea*. Plin. epist. Scal. ad Fest. *Alumento*. ERHARD.

Replet vulgus] Hic vero plane deridendum se præbet criticus; quis enim ipsi indicavit, Laocoontem Principes Trojanorum & ipsum Priamum vulgus vocare? quo indice novit, Priamum etiam exiisse in solum bello liberum? neque Virgilius neque Petronius hoc dicunt; sed *vulgus* hic vocat, quam paullo ante *turbam*, quæ properabat in vota

Reducta cuspide uterum notavit] Alii, *uteri notavit fata*. PATISSON. Virgilius lib. 11. Æn. vers. 230.

- - - Sacrum qui cuspide robur
Laserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.

Rob. Titius Assertion. lib 1. cap. 25. *Reducta*, id est, nudata, ex vagina, in quam ducta sive condita erat, districta. Mopsi eodem sensu dicit, *Gladios retractant*. ERHARD. Ignorat hanc phrasin censor; sed an ideo proscribenda? Certe ita Senec. Agamemn. 536.

Certum (fulmen) *reducta Pallas excussit manu.*

ubi ὁ πάνυ Gronovius nostri Petronii auctoritatem advocavit. Ovidius XII. Met. vers. 132.

- - - Clypeoque adversa reducto
Ter quater ora viri, capulo cava tempora pulsat.

BURMAN.

Notavit] Neque hoc verbum caret sua Venere, quam non cepit Marsyas. Est enim idem ac leviter perstrinxit, non autem tabulas pertudit, quja fata, quæ excidium Trojanum destinaverant, ejus manus tardabant. Ita passim *notare ungue genas* Poëtæ. Ovidius 1. Amor. El. VII. vers. 50.

Ferreus ingenuas ungue notare genas.

Idem Epist. v. Heroid. vers. 22.

Et legor Oenone falce notata tua.

sic infra cap. 103. *frontes notare* pro inscribere dixit. Remanebat ergo ictûs vestigium & nota in equi utero, sed non transegerat Laocoon hastam. vide, quantum non ludibrium debeant sola ingenii fiducia freti, nec lectione veterum inundati, homines, qui laudes captant ex infamia aliorum, & omnia ad suum arbitrium revocare solent. BURM.

Fata sed tradunt manus] Lege *tardant*. AURAT. Lege *tardant*. Ita conjectura ducti hunc locum scripsimus & interpunximus. SAMBUC. Sic vetus. non *tardant*. Pith. PATISSON. Dele, *sed*. PUTEAN. Virgil 6. Æneid. vers. 515.

Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama. - - -

Senec. Agamemn. vers 627.

Danaumque fatale munus traximus nostra
Credula manu. - - -

Delrio in Adversar. ad Senec. Trag. ERHARD.

Latusque] Lege *lentusque*. AURAT. Forte *lasusque*. SAMBUC. Alii, *lentusque*, vel *telumque*. TORNÆS. Sic Autisiod. alii *latusque resilit*. Pith alii, *lentusque*. alii *tellusque*. alii *lasusque*. PATISSON. Al. *lentusque*. Legendum *Telumque* censent N. Faber & Delben. quæ conjectura illustratur Virgilii loco persimili. Scoph. *lususque*. *Lasus* mavult. Rittershusius; *lotusque* edidit Patissonius & eum secuti. *letus* Trajectinensis, prima editio *latus*. fine dubio corrupta vox, mihi placet *lentus* præ aliis conjecturis.

In-

Altaque bipenni latera pertentat. Fremit
Captiva pubes intus, &, dum murmurat,
Roborea moles ſpirat alieno metu.
Ibat juventus capta, dum Trojam capit,
Bellumque totum fraude ducebat nova.
Ecce alia monſtra. Celſa qua Tenedos mare
Dorſo replevit, tumida conſurgunt freta,
Undaque reſultat ſciſſa tranquillo minor.
Qualis ſilenti nocte remorum ſonus
Longe refertur, quum premunt claſſes mare,
Pulſumque marmor abiete impoſita gemit.

Re-

Invalidam] Quæ primo ictu nihil effecerat. male & hoc carpit Tollius.

pertentat] Non cum effectu capiendum, ſed de conatu. pertentare cupit. Propert. lib. IV. eleg. 1.

Quippe Lupercus equi dum ſaucia protegit ora.

Ubi vide Paſſeratium, qui explicat, protegere conatur, & exemplis illuſtrat. & Barth. ad Stat. XI. Theb. verſ. 12. & Græv. ad Cic. V. Verr. cap. 49. In ſacris literis obvium, ut verba, quæ effectum notare videntur, conatum tantum indicent. v. Grot. ad Luc. XVI. 9. & ita paſſim: quæ ſi animadvertiſſet cenſor, vitio creatus, non tot gaudia ejus corpus pertentaſſent, & de Petronio triumphum ante victoriam ceciniſſet. De *tentare*, & *pertentare*, vide ſupra ad cap. XII. BURM.

Murmurant Robora moles] Lege, *murmurat, Roborea moles*. AURAT. Alii, *dum murmurant, Roborea moles*, &c. PATISSON.

Roborea moles] Virg. lib. II. Æn. verſ. 185.

Hanc tamen immenſam Calchas attolliere molem
Roboribus textis cœloque attollere juſſit. BARTH.

Alii *Robora*. forte *Robuſta*, ut *robuſta materia*, Catoni & Varroni, pro, robuſtea. ERHARD.

Spirat alieno metu] Suſpirat, gemit præ metu, qui non ſe, at alios, tangebat. ERHARD. Hic defero patrocinium; ſed hanc argutiam judicio Petronii adſcribo, qui magiſtrum illum Eumolpum, & Poëtam non humillimi ſpiritus, ab ævi ſui curruptela non immunem inducere volebat. Ejuſdem notæ ſunt verſus duo ſequentes. *Bellum* autem *totum* argutus noſter dicit, quia decem illis annis nihil erat actum, totumque adhuc reſtabat ducendum, ut ita quaſi ab integro, nunc fraude & dolo aggrederentur Trojam, quam virtute non potuere expugnare. Color ductus eſt ex Virgilii II. Æneid. 195. BURM.

Juventus capta] Horat. lib. II. Epiſt. 1, verſ. 156.

Græcia capta ferum victorem cepit. - - -

WOUWEREN.

Ecce alia monſtrat] Malim, *monſtra*. PUTEAN.

Celſa qua Tenedos mare] *Qua* pro ubi, cujus notionis elegantiam & probitatem adverſus Giphanium evincit Schopp. in Veriſimil. ERHARD.

Repellit] Alii *replevit*. PATISSON. Stat.

Iſthmos, & à terris maria inclinata repellit.

WOUWEREN. Ita Tornæſius & eum ſecuti ediderunt: prima editio, Sambuci, & Patiſſonii, *replevit*, ut & Tragurienſis codex. Quare hanc lectionem reſtituimus, etſi nobis tumidi aliquid videatur ſpirare, quanta enim inſula credenda, quæ replet mare? *Repellit* illuſtravit Barthius ad Stat. IV. Theb. verſ. 62. BURM.

Dorſo] Oſor. lib. I. cap. 2. *anguſtum terræ dorſum*. BARTH.

Tumida cum ſurgunt freta] Ita conjectura ducti ſcripſimus. vulgo *conſurgunt*. SAMBUC. Alii, *cum ſurgunt*. PATISSON.

Undaque reſultat ſciſſa tranquillo minor] Explico, *Unda minor reſultat, quæ ſciſſa tranquillo eſt*. Tertullianus de Pallio cap. II. *Sic & mari fides infamis, dum & flabris æque mutantibus de tranquillo probum, de fluſtris temperatum, & extemplo de decumanis inquietat*. Puteanus epiſt. ad Goldaſtum. ERHARD.

Tranquillo] Vid. Gronov. ad Liv. lib. XXVIII. cap. 27.

Silenti nocte] Virg. lib. II. verſ. 253.

Tacitæ per amica ſilentia lunæ.

Silius lib. VIII. verſ. 640.

- - - *Sub nocte ſilenti*
Irrupere feræ. - - -

lib. XVII. verſ. 179.

- - - *Arderent cum bina in nocte ſilenti*
Caſtra.

Valer. Flacc. lib. II. verſ. 288.

- - - *Altæ per opaca ſilentia noctis.*

M. Victor lib. III. *de nocte ſilenti*. BARTH.

Longe refertur] Id eſt, è longinquo. ERHARD.

Pulſumque marmor] Mare. Virgil. I. Georg. verſ. 254.

Respicimus, angues orbibus geminis ferunt
Ad saxa fluctus: tumida quorum pectora,
Rates ut altae, lateribus spumas agunt:
Dat cauda sonitum: liberae ponto jubae
Consentiunt luminibus, fulmineum jubar
Incendit aequor, sibilisque undae tremunt.
Stupuere mentes. Infulis stabant sacri
Phrygioque cultu gemina nati pignora
Laocoonte, quos repente tergoribus ligant
Angues coruſci. parvulas illi manus

Ad

Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat. WOUWEREN.
Pelagus. Manil. lib. v. verſ. 612.
Perfudit liquido Perſeus in marmore corpus.
BARTH. Infra cap. 119.
- - - *Gravidis freta pulſa carinis.*

Angues orbibus geminis] Virgil. II. Æneid. verſ. 204. *immenſis orbibus angues.* WOUWEREN. Serpentes vel dracones marini. Amoſ. cap. 9. verſ. 3. *Et ſi celaverint ſe ab oculis meis in profundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos.* qnamvis ibi pro leviathane ſeu balæna à quibuſdam accipiatur. ERHARD.

Rates, ut aliæ] Lege *ut altæ.* AURAT.

Pontem jubæ] Sic vet. non *ponto jubæ.* Pith. alii *merito jubæ.* PATISSON. Impreſſi, *ponto in.* PUTEAN. Lege, *liberæ mento jubæ.* Scalig. WOUWER. An dicit, Dracones jubis ut ponte uſos? Non credo. Et latet aliquid. Lege, *liberæ ponto jubæ.* BARTH. Scaliger legit, *liberæ mento.* Alii mirifico verſus genere *portum iubæ Conſcendunt*, aut neſcio quid de *ponte* explicant. Gonſalius, *liberæ ponto.* quomodo tamen olim in Catalectis edidit Scaliger. Scribe: *liberæ pontum jubæ*, uſitatiſſima poëtis Synecdoche Grammatica. *Liberæ pontum*, quod ad pontum, exſtantes ponto. GRONOV. III. obſ. 11. Codices ſcripti plerique *pontum*, quod Gronovio ſe probabat obſervat. lib. III. cap. 11. ut ſit, liberæ quod ad pontum, ponto exſtantes. Scaliger *mento jubæ*, alii aliter, ſed legendum omnino *liberæ ponti jubæ.* Ut in uno horum, quibus uſus Scaliger, codice legebatur. Pluribus dictum à nobis ad illa Maronis Æneid. x. 154. *tum libera fati gens Lydia*, quæ & illic vera ſcriptura. HEINS. *Pontum* quoque Tragurienſis codex. Barthius ad Stat. lib. VIII. Theb. verſ. 463. vulgatam tuetur, & Bourdelotii caſtigationem merito explodit. Unde vero novus Petronii interpolator illud ſuum *coruſcant luminibus* arceſſiverit, neſcio. BURM.

Conſentiunt luminibus, fulmineum jubar] Eliſio hæc conſonantium durior illius ſæculi auribus atque inſolentior facit, ut legendum potius credam *igneum jubar.* ſic Virgil. de iiſdem lib. II. Æn. verſ. 210.

Ardenteſque oculos ſuffecti ſanguine & igni.
Theocritus Idyll. XXXIV. de anguibus Herculi immiſſis:

Ἀπ' ὀφθαλμῶν ὀ κακὸν πῦρ
Ἐρχομένοις λάμπεσκε. DOUZA F.

Deſperatum locum ſic puto poſſe reſtitui,

——— *Liberæ portum jubæ*
Conſcendunt. ———

Quod convenit cum Virgilio in pari narratione lib. 1. Poteſt etiam τὸ *pontem* retineri, ut apud Statium 8. Thebaid.

Contendiſſe putes, uter arva arbuſtaque tollat
Altius, an ſuperet pontes. ———

Emendationem autem noſtram in Petronium introduxi, & volui, an debuerim, Critici judicate. Neſcio, quem ſenſum hic capiant, qui legunt *ponto* & *conſentiunt.* BOURDELOT.

Fulmineum] Alii *igneum.* PATISSON.

Incendit] Eleganter; ſplendidum facit & illuſtre, ut longe videri poſſet. Stat. VII. Theb. verſ. 694.

Ille etiam clypeum galeamque incendit honore
Sidereo.

Joſeph. Iſcan. de bell. Troj. lib. IV. verſ. 78.

Regius incendit Helenam decor, arduaque jungit
Gloria.

Et verſ. 471.

——— *Regale verendas*
Accendit diadema comas. ———

Et eo ſenſu Plautus dixit *incendere genus*, de quo vide Gronovium lib. IV. Obſerv. cap. 3. BURM.

Infulis ſacri] Id eſt, ſacerdotes. GLOSSÆ. Vide Feſtum. WOUWEREN. *Sacri*, id eſt, ſacerdotes. Paulo prius de eodem Laocoonte, *Neptuno ſacer.* ERHARD.

Phrygioque cultu] Trojano habitu. GLOSS. Tutulati. Fulgentius de priſco ſermone. WOUWEREN.

Gemina nati] V. C. *gemini.* SAMBUC. Statius

——— *Gemino natorum pignore ſultus.*

WOUWEREN.

Laocoonte] Forte, *Laconte.* AURAT. Alii, *Lacoonte.* Alii *Lacoonti.* PATISSON. Impr. *Laceuti.* PUTEAN.

Ad

Ad ora referunt: neuter auxilio ſibi,
Uterque fratri tranſtulit pias vices,
Morſque ipſa miſeros mutuo perdit metu.
Accumulat ecce liberum funus parens;
Infirmus auxiliator; invadunt virum
Jam morte paſti, membraque ad terram trahunt.
Jacet ſacerdos inter aras victima,
Terramque plangit. Sic profanatis ſacris,
Peritura Troja perdidit primum Deos.
Jam plena Phoebe candidum extulerat jubar,
Minora ducens aſtra radianti face,
Quum inter ſepultos Priamidas nocte & mero
Danai relaxant clauſtra, & effundunt viros.
Tentant in armis ſe duces, ceu uti ſolet

Nudo

Ad ora] orandi cauſſa. Apulejus Apologia. *Nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* ubi plura Pricæus. HEINS. *Ad ora*; innuere videtur hic geſtus adorandi venerationem, niſi præ metu feciſſe putemus. v. Torrent. ad Sueton. Aug. cap. XCIV. BURM.

Uterque fratri: tranſtulit pietas vices] Ita vet. cod. vulgo *pias vices*. SAMBUC. Alii, *utrique*. pro *pias*, alii *pietas*: vet. cod. PATISSON. V. C. *pictas*. Lege *pietas*. &, *utrique*. Lindenbrog. Var. lect. in Catal. Non placet. ERHARD. *Pietas* quoque Tragur. infra cap. 95. *Reddita ſcordalo vice.*

Infirmis auxiliator] Alii, *infirmus*. TORNÆS. Impreſſi, *infirmus*. *Infirmis* & *infirmus* utrumque dicitur. vide Gif. in Caſſiod. librum de Inſtitutione divinar. literar. PUTEAN. Virg. II. Æn. verſ. 216.

Poſt ipſum auxilio ſubeuntem, ac tela ferentem,
Corripiunt. —— WOUWEREN.

In morte paſci] Forte, *paſti*. SAMBUC. Alii, *in morte paſci*. PATISSON. Impreſſi, *in morte paſſi*. PUTEAN. Alii, *in morte parci*, Forte, *Jam non reparci*. vide Gifan. Ind. Lucret. & Juretum in Symmach. ERHARD.

Perdidit primum Deos] Euripides in Troadib. νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν. BRASSIC. Credebant, Genios urbes expugnandas vel ſponte deſerere, ut de Troja ſignificat hic noſter, & Sen. in Troad. verſ. 53. vel ſolenni prece evocatos, ut de Vejis tradidit Livius lib. 1. & de prece iſtius evocationis ſumendum illud quod ſequitur de Græcis;

Contraque Troas Troja invocant ſacra.

Formulam ex Sammonico Sereno proponit Macrob. lib. 3. Saturn. cap. 9. Conſule Var. lect. Mureti & lib. 14. Adverſar. Turnebi. Guellium Pimpontium in 2. Æneid. & Briſſonium lib. 1. de Formul. pag. 70. & ſeqq. Delrio Comment. in Senec. Troad. n. 53. ERHARD.

Jam plena Phœbe] Senec. Agam. verſ. 711.

Vidimus patriam ruentem nocte funeſta.

Virgil. II. Æn. verſ. 250.

Vertitur interea cœlum, ruit Oceano nox, &c.

WOUWEREN. Infra 127. *Ut videretur mihi plenum os extra nubem Luna proferre.*

Sepultos nocte & mero] Virgil. lib. II. Æneid. verſ. 265.

Urbem ſomno vinoque ſepultam.

Livius de Hercule: *Somno vinoque gravatum.* Cornel. Tacitus de Germanis: *Largis epulis vinoque ſopiti.* BRASSICAN.

Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam.

WOUWEREN. *Somno* eſt, nocte, vide Heinſ. crepund. Silian. pag. 45.

Relaxant clauſtra] Virg. II. Æn. verſ. 259. *Laxat clauſtra Sinon.* WOUWEREN.

Effundunt vires] Lege *Viros*. AURAT.

Tentant in armis ſe duces] Πειρᾶται ἕκαστος. WOUWEREN. Infra in ejuſdem Eumolpi carm. de bello civili cap. 122.

—— *Sumite bellum*
Et temtate manus. ——

Salluſt. in Jugurth. *Arma atque tela temtare.* ERH.

Ceu uti ſolet] Mira varietas. Prima editio, *ceu ubi ſolet*. Tragurienſis

Ceu ubi ſolent
Nudo remiſſus Theſſali quadrupedes jungi
Cervicem.

Palmerius in ſpicileg. pag. 821.

Ceu ubi ſolet
Nodo remiſſus Theſſalus quadrupes jugi,
Cervicem, & altas quatere ad excurſum jubas.

Nudo remissus Thessali quadrupes jugo
Cervicem, & altas quatere ad excussum jubas.
Gladios retractant, commovent orbes manu,
Bellumque sumunt. Hic graves alius mero
Obtruncat, & continuat in mortem ultimam
Somnos, ab aris alius accendit faces,
Contraque Troas invocat Trojae sacra.

XC. [a] Ex his, qui in porticibus spatiabantur, lapides in Eumolpum recitantem miserunt. At ille, qui plausum ingenii sui noverat, operuit caput,

[a] ENCOLPIUS.

Nudo remissus] V. *Duro.* WOUWEREN.

Thessali quadrupes] Claud.

— *Et gens exercita campo*
Thessala.

Apud eundem similis comparatio libro de Nupt. Hon. BARTH.

Excursum] Alii, *excussum.* PATISSON. Impressi, *excussum.* PUTEAN. Prisca scriptura, *excussum*, pro *excursum.* Adeo vetus est hæc scripturæ indoles, ut Græculos inepte pronunciare coëgerit, κάσσω ἱππόδρομον. Scalig. ad Manil. lib. 5. vers. 87. WEITZ.

Retractant] V. *retrectant*, sed mendose, ut puto. DANIEL.

Commovent orbes] Id est, scuta. TORNÆS. Impressi, *orbes manus.* PUTEAN. Vibrant gyrando gladios. ERHARD. Recte Tornæsius clypeos interpretatur, ita sæpe Statius. vide Barth. ad lib. 11. vers. 581. & lib. IV. vers. 131. & lib. 11. Achill. vers. 178. hos autem ante pugnam concuti moris fuisse, supra notavimus ad cap. 59. BURM.

Bellumque sumunt] Flor. lib. IV. cap. 12. *hoc velut sacramento sumserant bellum.* Ovid. Ep. XVI. Heroïd. vers. 371. ut habent veteres editiones:

Nec tamen indigner pro tanta sumere bella
Conjuge.

ubi in curis secundis plurima exempla Heinsius adduxit. BRRM.

Continuat in mortem ultimam] Livius lib. XLV. *Somno mors aliis continuata.* Serenus

Ut conjungatur letho sopor altus acerbo. BRASSIC. Malim *ultimos*, aut sane *noctem ultimam*, quod idem erit cum morte. DOUZA F. Statius lib. X. Theb. vers. 295.

- - - *Somnique & mortis anhelitus una*
Volvitur. - - - BARTH.

Lege cum Patre, *noctem ultimam*, id est, mortem Douza F. ad Catull. epig. 5. Legendum aut *ultimos somnos*, aut *noctem ultimam*, id est, mortem. eligat lector alterutrum. Lindenbrog. Not. in Catal. Eligendum censeo neutrum. nam *continuare in noctem ultimam*, est dormientes ita obtruncare, ut una absolvant vitam plaga. Supra cap. LXXIX. dixit, *Somnumque morti jungerem.* qui locus opportune admodum huic nostro consentit. *Mors ultima*, quia omnium rerum finis. Dionys. Cato lib. I. Distichor.

Ne timeas illam, quæ vita est ultima finis.

Et Ovidius alicubi:

- - - *Mors ultima linea rerum.*

Dicitur & *mors suprema* eidem Dionysio Catoni in Distich. ut *fata suprema, ultima*, vel *extremum supplicium* apud JCtos. ERHARD. Homerus Iliad. 7. & apud alios; apud quos juncti somnus & mors. Dousæ tamen duo hic legunt, *in noctem ultimam.* Scripta lectio tolerabilis. BOURDELOT.

Avaris alius] Lege *ab aris.* AURAT. Vetus codex, *at aris.* vulgo *ovaris.* forte, *ab aris.* SAMBUC. *Ab aris*, præter fas religionis. Phædrus fabula LXVIII.

Ita hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas est accendi sacrum. HEINS.

Troas] Alii *Trojam evocat Troja.* PATISSON. De Diis evocandis v. Macrob. lib. 3. Saturn. BRASSIC. Fuit enim sua & fatalis quædam vis ruenti huic urbi. Aspexit & Senec. Tragoed. Troad. vers. 53.

Et quoddam sacrum regni jacentis.

Jacobus Pontanus Analect. lib. 2. cap. 9. ERHARD.

Ex his, qui in porticibus spatiabantur] Vide, si tanti, quæ prius adduximus. WOUWEREN. Propert. lib. IV. El. VIII. vers. 75.

Nec tu Pompeja spatiabere lentus in umbra.

BARTH. Delendus asteriscus. nam nihil deest: *subauditur* autem, *nonnulli*, vel, *aliqui*, erat autem ista porticus pinacothecæ juncta, in qua carmen hoc recitabat Eumolpus, audientibus istis ambulonibus. ERHARD. In porticibus otiosi ambulabant. Ovidius lib. I. Art. Amator. vers. 67.

Tu modo Pompeja lentus spatiare sub umbra.

qui locus credo Barthii, menti obversans effecit, ut Propertii verba non recte citaret, ille enim non *lentus*, sed *cultus* dixit.

Lapides in Eumolpum recitantem conjecerunt] An id moris obtinuit recitantes insectari lapidibus, si quid parum probe, aut ad mentem audientium? apud Senec. 3. Controvers. *Pueri scholas frequentant; hi Ciceronis Castium præferrent, nisi lapides timerent.* An ceritos

caput, extraque templum profugit. Timui ego, ne me poëtam vocarent. Itaque subsecutus fugientem ad litus perveni: &, ut primum extra teli conjectum licuit consistere, rogo, inquam, quid tibi vis cum isto morbo? Minus quam duabus horis mecum moraris, & saepius poëtice, quam humane, locutus es. Itaque non miror, si te populus lapidibus prosequitur. Ego quoque sinum meum saxis onerabo, ut, quotiescumque

ritos lapidibus obruebant, ut hunc poëtam, quem à se exiisse putabant? WOUWEREN. Ut poëtam & recitatorem molestum. Ex more theatrorum, ubi mali poëtæ saxis petebantur, sicut boni jaculo floris ferti & soluti honorabantur. Ad quem alludit jocus ille in malum citharoedum; Πολύκλορ& ὁ τῆ κιθαρῳδῆ φακὴν ῥοφῶντες, καὶ λίθον μασησαμένῳ, ὦ ταλαίπωρε, ἔφη, καὶ ἡ φακή σε βάλλει: *Cum Polyctor citharoedus in lenticulæ sorbitione lapidem manderet: O miser, ait, etiam lens te lapidat.* Lapidationis theatralis exempla multa apud veteres, præsertim Lucianum. Casaubon. Animadvers. in Athenæum lib. 6. cap. 11. Raderus ad Martial. lib. 3. epig. 33. in Ligurinum eodem vitio, quo hic Eumolpus, laborantem. ERHARD. Vide Barth. Advers. lib. XXII. cap. 13. & Meursium ad Lycophr. Cassandr. vers. 331. egregie illustrat etiam Porphyrio ad Horatii illa, Epode v.

Vos turba vicatim hinc, & hinc saxis petens,
Contundet obscoenas anus

Eleganter, quia insanos solent fustibus & lapidibus insectari, ut eos ab omnibus suis fugent.

Operuit caput] Vide ad cap. 7.

Poëtam vocaret] Alii, *vocarent*. TORNÆS. Nescio, an non melior Leidensis codicis scriptura, quæ exhibet, *Vocaret*, Eumolpus scilicet me. BOSCH.

Morbo] Ita molliori vocabulo insaniam vocare solebant. Cicer. IV. Verr. cap. 1. *Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium, ut amici ejus morbum, & insaniam*, ubi v. Hottomann. & Manut. *morbum animæ* in fragmento noster dixit amorem. vide Cicer. III. Tuscul. Quæst. cap. 5.

Poëtice] Poëtæ fingunt, se divinitus afflatos ad carmina rapi canenda. GLOSSÆ. Poëtæ fingunt se divinitus afflatos ad carmina rapi canenda, verbaque effari, non sua, id est, humana, sed divina, hoc est, Apollinis & Musarum, ut docet Lucianus ἐν Διαλέξει πρὸς Ἡσίοδον. Hinc Lucanus, licet à nostro Satyrico ut nimium humanus notetur. lib. 5. vers. 166. scripsit;

- - - Artus
Phœbados irrupit Pæan, mentemque priorem
Expulit, atque hominem toto sibi cedere jussit
Pectore. - - -

Et Claudian.

Jam furor humanos sensus Expulit. - - -

Barth. in Animadvers. Eodem modo Apul. lib. 5. *Inhumanæ mensæ lautitias* vocat dapes cœlestes. Gruter. Suspic. lib. 8. cap. 4. Ἀπροσδιονύσως & inepte ad hunc locum. *Humane* pro hominum more ac ritu. Et notandum est, quod, *poëtice* & *humane loqui*, quasi pugnantia collocentur. Schopp. in Miscellan. Apud Stratonem in Phœnicide ait paterfamilias de coquo verba effante obscura & inaudita:

Πλὴν ἱκετεύω γ' αὐτὸν ἤδη μεταβαλεῖν,
Ἀνθρωπίνως λαλεῦντε. - - -

Sic apud Hieronym. accipe *humanum sonum*; cum in Apolog. in Rufinum φράσιν hanc illius exagitans, *quæ mihi ad suspicionem veniebant*, ita loquitur; *Compeditam putes linguam ejus, & inextricabilibus modis ligatam, vix in humanum sonum erumpere.* Casaubon. Animadversion. in Athen. lib. 9. cap. 7. ERHARD. Viderint, quam Latine loquantur, illi Sapientiæ magistri,

Aurea de cœlo quos misit funis in arva,

qui classem sive scholam Humanitatis & Poëtices nullo discrimine dicere solent; Cic. 2. de divinat.

Ut sumat
Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam,

Potius quam hominum more cochleam.

Similis Stratonis Comici locus apud Athenæum lib. 9. ubi ait quidam de Coco poëtice & Homerice pleraque omnia efferre solito, se supplicem ab eo petiisse, ut consuetudinem illam mutaret, hominumque more secum loqueretur. SCIOPP. *Humane*, est sermone vulgari & communibus verbis uti; v. Herald. ad Arnobii lib. 1. pag. 43. eodem modo Cicero XVI. ad familiares, ep 21. severitatem Philosophorum opponit humanitati, ita de Cratippo scribens. *Sum totos dies cum eo, noctisque sæpe numero partem; exoro enim, ut mecum quam sapissime cœnet. Hac introducta consuetudine, sæpe inscientibus nobis & cœnantibus obrepit, sublataque severitate Philosophia, humanissime nobiscum jocatur.* Hoc ferme tale esse, ac si diceret, in istis cœnulis Cratippum sæpius *humane* loqui solere, quam Philosophice, annotaverat ὁ πάνυ Brouckhusius. *Poëtice* vero *loqui* est more Poëtarum omnia ampliter & graviter loqui, sine verborum vilitate, ut noster infra cap. 118. loquitur. Cicer. lib. V. de finib. cap. 4. *Natura sic ab iis investigata est, ut nulla pars cœlo, mari, terra (ut poëtice loquar) prætermissa sit.* Apulej. de Deo Socratis in fine. *Ulixi semper comitem voluit Homerus esse prudentiam, quam Poëtico ritu Minervam nuncupavit.* BURM.

Humane loqui] Poetice & humane loqui quasi pugnantia hic collocantur. GLOSSÆ.

que coeperis à te exire, sanguinem tibi à capite mittam. Movit ille vultum, &, [a] O mi, inquit, adolescens, non hodie primum auspicatus sum: imo, quoties theatrum, ut recitem aliquid, intravi, hac me adventitia excipere frequentia solet. Caeterum, ne & tecum quoque habeam rixandum, toto die me ab hoc cibo abstinebo. [b] Imo, inquam ego, si ejuras hodiernam bilem, una coenabimus. *mando aedicularum custodi coenulae officium. * *

XCI. Vi-

[a] ENCOLPIUS.

Saxis Onerabo] Plaut. Pœnul. Act. III. sc. I.

Neque nos populus pro ceritis insectabit lapidibus.

PITH.

A te exire] Furere, tui oblivisci. GLOSS. Lib. II. epist. 68.

Reges & dominos habere debet,

Qui se non habet. BARTH. Quem & vide, Adversar. lib. XII. cap. I. id est, Furere. Claudiano lib. I. in Eutrop. vers. 229. *oblivisci sui*, Boëthio lib. II. Prosa VI. *ex se exstirpari*, Apulejo *suum non esse*, Martiali *se non habere.* Barth. ad Claudian. lib. I. in Eutrop. vers. 229. vide infra ad illud, *tamquam insanum.* ERHARD. Vide Barth. Adversar. lib. VI. cap. 9. Ita Terentius Andr. Act. III. scen. V. vers. 16. *sine paullulum ad me redeam.* Et Adelph. Act. V. scen. III. vers. 8. *ad te redi.* Unde vulgo insani & iracundi *exire ex potestate* dicuntur, quia non sunt in potestate mentis, ut docet Cicero lib. III. Tuscul. Quæst. cap. 5. & lib. IV. cap. 36. eodem sensu *sibi excidere* dixit Senec. Hippolyto vers. 590. Tertull. de Jejun. cap. VI. *Recordabitur Dei, in eo tempore, quo ipsum sibi excidisse hominem solemne est.* de pudicit. cap. XIX. *Juxta est, ut excidisse sibi dicamus Joannem.* Septimius Bello Trojano lib. I. cap. 4. *Ubi animadvertit Palamedes, regem, ira atque indignatione stupefactum, consilio excidisse.* vid. supr. cap. XIX. BURM.

Sanguinem à capite mittam] Quia furentibus vena incidi solet, ut docet Celsus, & Juvenal. Satyr. 5. WOUWEREN. Observat Amplissimus Cuperus ambigue dictum; quia insani curabantur venæ in media fronte sectione, ut Juvenal. Sat. V.

- - - O medici mediam pertundite venam.

ita minatur hic, lapidibus conjectis vulnus capiti inflicturum. Adde & Sueton. Calig. 29.

Ut recitem] MS. *ut recitarem.* TORNÆS.

Adventitia frequentia] Allusio ad cœnæ præbitionem, quæ adventatoria dicitur. GLOSSÆ. Sueton. Vitell. *Famosissima super cæteras cœna ei data adventicia à fratre.* WOUWEREN. MSS. rectius, *hac me excipere adventitia.* Rectissimam lectionem reposuimus. Hac de re, scilicet, tam cœna, quam epistola adventitia, alibi. Cætera ista omnia vitiosa erant ratione interpunctionis. BOURDELOT.

Caterum, ne & tecum quoque habeam rixandum, toto die me ab hoc cibo abstinebo] Vereor, ne particula, *dum*, male adhæserit verbo, *rixam*, sitque divellenda, ut ab ea tertia periodus incipiat, hoc modo: *Caterum, ne & tecum quoque habeam rixam, toto die me ab hoc cibo abstinebo. Imo, inquam ego, si ejuras hodiernam bilem, una coenabimus. Dum mando ædicularum custodi coenulæ officium, video Gytona:* & quæ sequuntur. Profecto, sic collocata hac particula, *dum*, locus videtur integer, nec quidquam opus est asteriscis. Præterea τὸ *dum* sæpe inchoat comprehensionem, & narrationem connectit, ut cap. XCV. *Dum hæc fabula inter amantes luditur*, & cap. XCVII. *Dum Eumolpus cum Bargate in secreto loquitur.* RICHARD.

Habeam rixandum] Nota loquendi genus ex Græco fonte. Tacit. lib. 4. Annal. *An in penatibus iisdem tolerandum haberet.* Et lib. 14. *Si nunc primum statuendum haberemus.* Plin. lib. I. ep. 8. *Cum enitendum haberemus.* Pichena Not. ad Tacit. lib. 3. Annal. numero 44. ERHARD. Frontin. lib. I. cap. IV. exempl. 7. *Iphicrates, cum transducendum exercitum haberet per loca, quæ stationibus hostium tenebantur.*

Cibo] Sic Psalmogr. Regius. *lacrymas cibum suum* dicit, & Plaut. similiter, *amatori cibum copiam amata.* Sic cap. XCVI. BARTH. Manet in Metaphora. cibus hic res, qua delectamur. Infra cap. 96. *& veluti quodam cibo me replebam.* Ovid. VI. Metam. vers. 480.

Omnia pro stimulis, facibusque, ciboque furoris
Accipit. BURM.

Ejuras] Alii *curas.* PATISSON. Mart.

Tolle tuas artes, hodie coenabis apud me
Hac lege, ut narres nil, Philomuse, novi. PITH.

Pithœus Adversar. sive Subsec. lib. 2. cap. 8. Lege, deleto asteriscо; *si ejuras hodiernam bilem, una coenabimus. mando ædiculas custodi coenulae officium. Ædiculas* ὑπερμιτικῶς pro *ædiculæ.* Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. I. epig. 100. num. 6. ERHARD. Idem est, ac jurejurando promittas, te hodie non insaniturum. Ita Justin. lib. XII. 4. *Ut etiam patriæ nomen ejuraret*, ubi v. Clariss. Grævium & Vorstium. *Forum iniquum ejurare* Cicer. III. Verr. cap. 60. *Ejurare bonam copiam* Cicer. IX. ad Famil. 16. ubi egregie Manutius.

Una coenabimus] Juvenal. *Una simus ait.* PITH. Martial.

Octavam poteris servare: coenabimus una.

WOUWEREN.

Ædicularum custodi] An janitrici? hæc mulier fuit, ut

XCI. Video Gitona cum linteis & ſtrigilibus parieti adplicitum, triſtem confuſumque. Scires, non libenter ſervire. Itaque, ut experimentum oculorum caperem, convertit ille ſolutum gaudio vultum, &, [a] Miſerere, inquit, frater: ubi arma non ſunt, libere loquor: eripe me latroni cruento, & qualibet ſaevitia poenitentiam judicis tui puni. Satis magnum

GITON.

ut infra vocatur in his verbis cap. XCII. *mulierque coenae mandata curaverat*: & quidem vidua. nam ſuper eadem capiendum eſt illud, quod poſtea ſequitur cap. XCV. *Faxo ſciatis, non viduae hanc inſulam eſſe, ſed M. Manicii*: quaſi diceret, non hujus viduae, quae vobis coenam paravit, ſed heri ejus M. Manicii. ERHARD.

Strigilibus] His uſi ſunt veteres ad fricandum in balneis. GLOSSAE. His uſi ad fricandum veteres, unde nata vox *diſtringendi*. Seneca epiſt. 88. Marcell. de medicam. *Cum locum perunxeris, cito deſtringas*. Comment. Juven. Satyr. 3. *Strigil eſt, quem Xyſtra dicunt, quo oleum deteritur*. ita hunc locum legimus. Strigilem graphice deſcribit Apul. Floridorum lib. II. ſeu potius libro I. Nam, ut in tranſcurſu moneam, in horum librorum diſtinctione peccatum. ſane initium lib. II. annectendum lib. I. in facili cognoſcere vel ex ipſa orationis ἀκολουθίᾳ. itaque ſcribo, & diſtinguo: *Plura enim exſtant mea in Camoenis, quam Hippiae in opificiis.* (*operibus* induco, ut ſpurcum) *Quid iſtud ſit, animo attendatis, diligentius & accuratius diſputabo. Hippias è numero ſophiſtarum.* & quae ſequuntur. Exordium lib. II. *Sol qui micantem candido curru.* —— *Strigileculam, recta faſtigatione clauſula, flexa tubulatione ligula, ut & in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea rivulo laberetur*. Strigiles autem, & reliqua utenſilia, ſervi aliptae ad balneas deferebant, quod ex Luciani Lexiph. aliiſque claret. Spartianus Hadriano: *Publice & cum omnibus lavit, cum vero veteranum quendam dorſum & caeteram corporis partem vidiſſet ſibi atterere, percontans, cur ſe marmoribus deſtringendum daret, ubi hoc idcirco audivit fieri, quod ſervum non haberet, & ſervum eum donavit, & ſumtibus*. Sciendum huic miniſterio addictum Gytona. hinc Artemid. lib. I. Στλεγγίδας, καὶ ξύστρα, καὶ κατεμάγεια, θεράποντας σημαίνουσι. WOUWER. Senec. epiſt. 95. *Vetemus linteа & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum tenere Junoni*. vide Colvium in Apul. lib. I. Metamorph. & lib. 2. Floridor. Turnebum Adverſ. lib. 26. cap. 20. Philandrum ad Vitruv. lib. 5. cap. II. Mercurialem Var. lect. lib. I. cap. 8 Rader. ad Martial. lib. 14. epig. 47. ERHARD. Vide ſupra cap. 28.

Parieti adplicitum] Id eſt, affixum. GLOSSAE. Affixum. Val. Max. lib. 2. cap. I. *Juvenes aliquem ex patribus conſcriptis ad curiam deducebant, affixique valvis exſpectabant, donec reducendi etiam officio ſungerentur*. ERHARD. Supra cap. 22. *Alii parietibus applicti*. & cap. 67.

Triſtem confuſumque] Infra cap. XCIV. *Confuſius hac denuntiatione Eumolpus*. Iterum cap. CI. *Confuſus ille & conſilii egens*, id eſt, contriſtatus. Sic *confuſio* pro triſtitia. Idem Petron. eod. cap. *Poteris hanc ſimulationem & lacrymis & vultus confuſione obumbrare*. Vide Goldaſti Notas ad Valerianum Cimelenſ. ERHARD. Supra cap. 74.

Scires non libenter ſervire] Pro. ſcire & videre inde quis poſſet. ſic etiam *putares* ſupra poſuit. Schopp. in Miſcellan. Dixi ſupra fuſius. ERHARD. Supra cap. VII. Ovid. VI. Metam.

—— *Scires à Pallade doctam.*

Poenitentiam judicis tui puni] De quo ſupra cap. LXX. cum Aſcyltos peteret, Gnythoni arbitrii libertatem concedi, ut ſequeretur quem vellet, inquit Encolp. *Conditionem praecipiti feſtinatione rapui, commiſique judici litem*. Huc vidit hoc loco Gnython. *Poenitentia* pro facto poenitendo, μετανοητέῳ, ἀξιοποινῳ. Mox ſtatim hoc cap. *Si bona fide poenitentiam emendas. Poenitentia* eſt etiam actio poenitudinis. Infra cap. CXLI. *Aut fallor, aut Fortuna communis coepit redire ad poenitentiam ſuam*. Sueton. Octav. cap. 12 *Et, quo magis poenitentiam prioris ſectae approbaret, Nurſinos extorres egit oppido*: id eſt, oſtenderet, quam ſe poeniteret, quod priorem ſectam ſecutus erat. Quintilian. lib. 9. cap. 3. *Non poenituruм*, pro *non acturum poenitentiam*. ERH. Rectiſſima ſcriptura; & miror, quoſdam corrupiſſe. *Judicis*, Gitonis; ut ante. cap. LXXX. *commiſi judici litem*. BOURDEL. Non placet, quod *poenitentiam* hic poni pro facto poenitendo obſervant. Ideo permittitur punire Encolpio, quod Gitonem poenituit judicii priſtini, & recurrit ad eum, quem ſpreverat. Si non poenituiſſet, conſtanterque Aſcylto fortiori adhaeſiſſet, numquam Encolpio judicii, quo illi praelatus Aſcyltos, puniendi ab judice poteſtas fuiſſet. Verba ad gratiam conciliandam ſupplici, & metum invidiae, ſi quid durius in eum ſtatuatur, excitandum, efficaciſſima; eoque digna, quae intelligantur. Puni me, dum ſcias, ſi plector, non ob judicium me pati, ſed quia judicii poenituit: non enim tuis viribus invitum me in poteſtatem redegiſti, ſed ultro, ſponte mea, ad te reverſus ſum, tuiſque manibus me credidi & dedidi. Similiter eodem capite: *Sed nihil jam queror, nihil jam memini, ſi bona fide poenitentiam emendas*: non vox eadem factum poenitendum ſignificat. Nec ſatis diligenter inſpexit vir doctus, qui rogat; quid eſt *emendare poenitentiam*? ſupponitque: *bona fidem poenitentia emendas*. Primus gradus regreſſionis ad ſanitatem

eſt

magnum erit misero solatium, tua voluntate cecidisse. [a] Supprimere ego querelam jubeo, ne quis consilia deprehenderet: relictoque Eumolpo (nam in balneo carmen recitabat) per tenebrosum & sordidum egressum extraho Gitona, raptimque in hospitium meum pervolo. Praeclusis deinde foribus, invado pectus amplexibus, & perfusum os lacrimis vultu meo contero. Diu vocem neuter invenit. nam puer etiam singultibus crebris amabile pectus quassaverat. O facinus, inquam, indignum! Quod amo

a ENCOLPIUS.

est pœnitentia. Igitur *emendat poenitentiam*, qui primo isto gradu potitus scandit altius, & non tantum ignavo dolore ob admissum se plectit, sed & officiis id compensare, sanioremque se approbare in posterum studet ac satagit. Ita pœnitentiam emendabit Giton, si à pudore ob defectionem ad perpetuum fidumque amorem proficiscetur. L. Seneca præfatione Naturalium quæstionum: *Fidelissimus est ad honesta ex poenitentia transitus.* Declamatione ex Quintiliano adscriptis nona. *Neque inficior, fuisse me lentiorem, quam oportuit, tametsi hoc præcipue habere videor patris simile. Sed si ulla emendatio poenitentiæ est, hic in publico vobis adhibitis rogabo.* Tertullianus de pudicitia: *Quid enim ex poenitentia maturescit, quam emendationis effectus?* Idemque de pœnitentia: *sed ubi metus nullus, emendatio proinde nulla: ubi emendatio nulla, poenitentia necessario vana, quia caret fructu suo, cui eam Deus sevit.* Non potest autem vel excusari vel tolerari frigidissimum commentum de nequitia in voce, cui dignus sculna (ut verbo improbato in re nugaci utar) intervenit Balbus, an Blæsus, in Catholico, quod nomen ignoscat mihi genius lectoris, cum in opere serio pono. GRONOV. Lib. 4. Observ. cap. 13. Durior locutio merito negotium facessit viris eruditis. Ego puto, hic *poenitentiam* dici, non tam quod judicii pœniteret, sed quia fide soluta ab Encolpio ad Ascylton defecisset, & ita pœniteret amoris prioris, quo inductus judicium secundum Ascylton dederat, hanc pœnitentiam puniri petit Giton. & eodem sensu mox *emendare poenitentiam* est capiendum, pro consilii sui, quo Ascylti amori se tradiderat, emendatione, & pollicitatione firmi erga Encolpium amoris & fidei. Pœnituerat ergo Gitonem Encolpii, id est, non contentus erat eo, non placuerat ejus amor, sed prætulerat Ascylton. Ejus pœnitentiæ jam effectum fuerat judicium ejus. BURM.

Tua voluntate] Virgil.

——— *Feras solatia mortis ad umbras,*
Æneæ magni dextra cadis.

Quem allusit Petronius, Ovid. lib. XII. Met. vers. 80.

——— *Solatia mortis habeto,*
Dixit, ab Æmonio quod sis jugulatus Achille.

Attius apud Macrob. BARTH.

Cecidisse] Mirum, si παθητικῶς posuit, pro cæsum esse, hoc est, vapulasse. ERHARD. Minime παθητικῶς capiendum. Color sumtus ex Virg. lib. X. Æn. vers. 829.

Hoc tamen infelix miseram solabere mortem,
Æneæ magni dextra cadis.

quem imitatus Ovidius lib. V. Metam. vers. 190.

Magna feres tacitas solatia mortis ad umbras,
A tanto cecidisse viro.

Vide eumdem lib. IX. vers. 7. & XII. 80. & quæ ad Virgilii locum notat diligentissimus Cerda: BURMAN.

In Balneo] Egregie hanc ἀπειροκαλίαν fatuorum Poëtarum illustrat Casaubonus ad Theophrastum περὶ ἀγροικίας pag. 146.

Invado pectus amplexibus] Ovid. III. fast. 509.

Occupat amplexus, lacrymaque per oscula siccat.

PITH. Vide supra cap. 74.

Perfusum os lacrumis] Præ gaudio scilicet, Claudian. *gaudia poene moverunt lacrymas.* Exemplum talium lacrymarum est & apud Diodorum Sicul. & Orosium lib. 2. cap. 17. Barth. ad Claudian. Bell. Getic. vers. 407. & alibi Petron. cap. LXXXIX.

Mentisque pavidæ gaudium lacrymas habet.

ERHARD.

Vultu meo contero] Spississime basio. GLOSS. Quid si legas, *contergo?* PUTEAN. Supra cap. XXIV. *basia distrivit.* Martial.

Frustra blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis.

Seneca: *alius eorum manus osculis conterit.* PITHÆUS. Non movenda vox. vid. supra ad cap. LXXXI. ubi de libidinoso amplexu sumi *Tero* & ejus composita vidimus. Propert. lib. III. eleg. XVIII. vers. 6.

Forsitan ille alio pectus amore terit.

ubi vide Poëtarum unicum interpretem Brouckhusium. Eodem sensu cape & Propertium lib. IV. eleg. VII. vers. 94.

Mecum eris, & mixtis ossibus ossa teram.

BURMAN.

Diu vocem neuter invenit] Horat. Epod. XI.

——— *Amantem & languor & silentium*
Arguit, & latere petitus imo spiritus.

Heliodor καὶ ἴιχοντο ἀλλήλων ἀκουσόμενοι μὲν, ἅμα δὲ ἀσπαζόμενοι καὶ μικρὸν ἔδει ἀποθνήσκειν αὐτούς: οὕτως ἄρα καὶ τὸ χαρᾶς ὑπερβάλλον εἰς ἀλγεινὸν περίεστη πολλάκις, καὶ τὰς ἡδονῆς τὸ ἄμετρον ἐπίσπασον λύπην ἐγέννησεν. PITH.

Re-

amo te, quamvis relictus; & in hoc pectore, quum vulnus ingens fuerit, cicatrix non est. Quid dicis? peregrini amoris concessio? Dignus hac injuria fui? Postquam se amari sensit, supercilium altius sustulit. * nec amoris arbitrium ad alium judicem tuli; sed nihil jam queror; nihil jam memini, si bona fide poenitentiam emendas. Haec quum

Relictus] Molliori vocabulo turpem & perfidam desertionem & proditionem mitigat. Nepos Datam. cap. VI. *Si in turbam exisset, ab homine tam necessario se relictum.* Ubi plura notavit Keuchenius. Ovidius lib. III. Art. Amat. vers. 158.

Talem te Bacchus, Satyris clamantibus Evoe,
Sustulit in currus, Gnossi relicta, tuos.

Differre vero *relinquere*, quod levioris culpæ, *deserere*, quod gravioris criminis, & *prodere*, quod summæ perfidiæ est vocabulum, eleganter docet Cicero Act. in Verr. I. cap. IV. *Cujus Quæstura quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum à Quæstore suo pecunia publica? nudatum & proditum consulem? desertum exercitum? relictam provinciam.* Pro Cæcina XVIII. *Rem & caussam & utilitatem communem non relinquere solum, sed etiam prodere.* Noster mox: *Ego te reliqui, an tu prodidisti?* BURM.

In hoc pectore] Egregia & efficax amoris significatio: vindictæ enim cupiditatem vincere, quam alti sit animi, docebit nos ipse Zeno, qui teste Seneca lib. I. de ira cap. 16. dixit, *In sapientis quoque animo, etiam cum vulnus sanatum est, cicatricem manere.*

Quid dicis] Vid. cap. 9. & 71.

Peregrini amoris concessio] Amasius, qui alienum secutus est, eique se concessit. GLOSS. Alii, *concessor.* PATISSON. Pro amasio, qui alteri concessus. *Optio*, qui optatur. Plaut. Asinar. *Sume optionem Leonidam.* Sic Bibaculo Orbilius, *literarum oblivio*, quod scilicet literas oblitus esset. Palmer. in Spicileg. *Peregrini amoris concessio*, id est, qui alienum secutus es, eique te concessisti. Nam *concessio* pro eo dicitur, qui conceditur; sicut *frustratio* pro eo, qui frustra habetur, apud Plautum. Schopp. Explanat. in Mostell. Act. 5. sc. 2. *concessionem* vocat ipsum Gnythonem, peregrino scilicet amori concessum & obsecutum. Talia apud auctores exstant quam plurima, ubi sic adjunctorum quid pro substantia personæ ponitur. Barthius in Ceir. Virgil. num. 89. ERHARD. Nescio, an bene explicent Viri Docti, saltem nullo idonei auctoris loco, *concessionem* ita sumi, probant. Verba autem hæc querebundi & expostulantis Encolpii abrupta sunt. Legendum puto, *Quid dicis? peregrini amoris confessio? dignus* &c. *Quid dicis?* separari debet: de qua formula supra ad cap. LXXI. egimus. Idem est, ac si diceret, quam mihi caussam afferes, quo te colore excusabis, qui aperte, me coram, alium te amare confessus es? Ita infra cap. 127.

——— *Cum se confesso junxit amori*
Jupiter.

Virg. in Ceiri vers. 244.

Sin confessus amor noto te macerat igne.

ut veteres editiones habent, & probat Scaliger, & Perennonius lib. II. Animadv. cap. 4. & forte etiam apud Albinov. in mortem Drusi vers. 305. legendum

Tu confessus amor, tu solus & ultimus illi.

eleganter Propertius lib. IV. eleg. III. vers. 49. *apertum conjugem* vocat. Eodem modo *confessum hostem* dixit Claudianus VI. Cons. Honor. vers. 249. *confessæ medicamenta* Plin. lib. XXX. cap. II. Si cui tamen *concessio* placeat, adjuvabit Ovidii locus lib. II. Amor. Eleg. XIX.

At mihi concessi finis amoris eris.

sed nobis alterum venustius videtur. Nam postea addit, *Equidem fateor & præ me fero*, &c. BURM.

Postquam amari se sensit, supercilium sustulit] Lucian. ἐταῖρ. διαλ. Πλὴν ἀλλ' ἴσχε χρὴ τἀληθὲς εἰπεῖν, σὺ διέφθειρας αὐτὸν ὑπερμεγαπῶσα, καὶ τοῦτο ἐμφαίνουσα. ἐχρῆν δὲ μὴ πάνυ αὐτὸν ζηλεῖν ὑπερόπλαι γὰρ ἀντιβαίνοντες γίγνονται. WOUWEREN.

Supercilium sustulit] Pollux lib. II. Ὀφρῦς ἄφαι, ὑπερήφανον. WOUWEREN. Ita legendum, deleto asterisco. cujus rei explanationem affert Plin. lib. II. cap. 37. Frons & aliis; sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, severitatis index. In ascensu ejus supercilia homini, & pariter, & alterne mobilia & in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant fastum. Superbia alicubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Douza P. præcidan. pro Catull. cap. 6. Aristænetus in Epist. ὡς ἐρωμένῳ, αὐθαδείαν ὑπεραίρῃ, καὶ πεφρόνηκας μέγα, καὶ σεμνοτέρῳ γέγονας τὸν ὀφρῦν. Douza F. ad Catull. ERHARD.

Nihil queror] Latinissime. vide Lambinum ad Horat. lib. I. od. 2. Propertius lib. I. eleg. VIII.

Quin ego, vita, tuo limine vera querar.

Sueton. Aug. cap. XLIII. *Asinio Pollione graviter, invidioseque, in curia questo Æserninæ nepotis sui casum.* Tiber. LIII. *Nurum Agrippinam post mortem mariti liberius quiddam questam manu apprehendit.* Justin. lib. I. cap. 10. *queritur crudelitatem regis.* lib. XVIII. 7. *exilii injuriam queritur.* l. ult. ff. ex quibus causs. major. *Restituendus est, si aliquid damni juste queritur*, & ita passim veteres. BURM.

Si bona fide poenitentiam emendas] An simul spurcum quid latet in pœnitentia, ut supra in verbis *Locus*

quum inter gemitus lacrimasque fudissem, detersit ille pallio vultum, &, [a] Quaeso, inquit, Encolpi, fidem memoriae tuae adpello: Ego te reliqui, an tu prodidisti? equidem fateor, & prae me fero, quum duos armatos viderem, ad fortiorem confugi. [b] Exosculatus pectus sapientia plenum, injeci cervicibus manus: &, ut facile intelligeret, rediisse me in gratiam, & optima fide reviviscentem amicitiam, toto pectore adstrinxi.

XCII. Et jam plena nox erat, mulierque coenae mandata curaverat, quum Eumolpus hostium pulsat. Interrogo ego, Quot estis? obiterque per rimam foris speculari diligentissime coepi, num Ascyltos una veniisset. Demum, ut solum hospitem vidi, momento recepi. Ille, se ut in grabatum rejecit, viditque Gitona in conspectu ministrantem, movit caput, &, [c] Laudo, inquit, Ganymedem: oportet hodie bene sit. [d] Non delectavit me tam curiosum principium, timuique, ne in contubernium recepissem Ascylti parem. Instat Eumolpus, &, quum puer illi potionem de-

a GITON. b ENCOLPIUS. c EUMOLPUS. d ENCOLPIUS.

tus & *Solum*? Balbus Catholico: *Poenitentia dicitur quasi punientia, dicta eo, quod ipse homo in se puniat poenitendo quod male admisit, & scribitur per oe diphthongum poenitentia: sed, quando dicitur penitentia, quasi penis tentio, quod penem, id est, priapum, scilicet virile membrum, tendat, scribitur per simplex e.* Vide Rigaltii Notas in Phædrum. ERHARD.

Fidem memoriae tuae appello] Phædrus lib. 4. fab. ult. *Exhibe vocis fidem.* Rigaltius in Not. ERHARD.

Fateor & prae me fero] Ciceronianae elegantiae æmulatio. Pro C. Rabirio cap. v. *Quam ob rem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor, & prae me fero.* In Philipp. XII. cap. 3. *An non putamus fore, ut eos paeniteat, professos esse, & prae se tulisse odium in Antonium.* lib. 1. de Nat. Deor. cap. 5. *Rei tantae tamque difficilis facultatem consecutum esse me non profiteor: secutum esse prae me fero.* quo circa male Berneccerus apud Sueton. Aug. cap. XXVIII. *voluntatem prae se ferre*, simulare explicat, cum sit certis indiciis animi interiorem sensum aperire. BURM.

Armatos] Nimis ingeniosus hic Gonsalius. an ita satisfaceret amanti, si alium valentiorem Venereo in opere militem laudaret? Tu cape simpliciter, lector, nec in uberi nimis nuptorum verborum segete majorem, quam revera est, copiam require.

Plena nox erat] Forte *plane nox erat.* Anonymus ille juxta man. Dousæ & Scriverii, quem deinceps Anonymum MS. vocabimus. Adsignavit Dousa, placet. Hic vero est MS. quem sic acriter Dousa in editis Præcidan. ob tantum non pro contrariis *carpere* & *lacerare* habita, perstringit. Quorum patens scaturigo in MSS. HADRIANID.

Demum] *Deinde* Leid. Cod. BOSCH.

Grabatum] *Grabatus*, exiguus lectus, in quo meridiari solent. GLOSS.

Se rejecit] Terent. Andr. I. 1. *Rejecit se in eum flens quam familiariter.* Infra cap. CIII. *in cubile rejectus est.* de Grabato v. Isaaci Vossii notas ad Catullum pag. 25.

Ministrantem] Vide ad cap. 31.

Ganymedem] Ita ob formam egregiam, & quod libidinoso seni mollis videretur, vocat. Confer Martialis lib. IX. epigr. 37. & lib. X. Epigr. 98.

Bene sit] Vide supra cap. 35.

Ascylti partem] Alii *Ascylto parem.* PATISSON. Id est, Ascylto similem. Sic in l. 5. D. de iis, qui dejecer. vel effuder. *Edicti portio*, id est, simile edicti, ubi not. Sic Tertullian. in Apolog. cap. 5. *Domitianum Neronis portionem* appellat. PUTEAN. & BONGARS. Lege, *parem.* Sidon. Carm. XXIII. vers. 156.

Hellespontiaco parem Priapo. BARTH. Lege *Ascylti parem*, pro, comparem. in Diris: *Tuque eris isti par* —— Sidonius:

Hellespontiaco parem Priapo.

Quamvis in Petronio quidem malim, *Ascylti par.* Sic enim solebant hunc illius *par* dicere, cum geminum moribus significabant. Plaut. Rud. *Et erat hospes, par illius, Siculus senex* —— Palmerius in Spicileg. ERHARD. Qui hanc ultimam vocem mutant, non animum advertunt ad ambiguitatem verbi, quam pudor meus non explicat. BOURDELOT. Illud *partem* nescio probare, neque etiam, Arbitrum *Ascylti parem* scripsisse, credam, cum debuisset saltem *Ascylto.* Neque etiam Palmerii *par* placet, quia tunc accipiendum esset pro adversario, ut paria Gladiatorum dici est vulgatissimum, vide supra cap. 19. Et ita *par Ascylti* esset ipsi, non Encolpio, comparatus adversarius. Similis contentio est de Plauti verbis Pers. Act. v. scen. 1. 15. *Cedo parem, quem pepigi*, ubi Lambinus, *Cedo*

dediſſet, [a] Malo te, inquit, quam balneum totum: [b] ſiccatoque avide poculo, negat, ſibi umquam acidius fuiſſe: [c] Nam, & dum lavor, ait, pene vapulavi, quia conatus ſum circa ſolium ſedentibus carmen recitare. & poſtquam de balneo tamquam de theatro ejectus ſum, circuire omnes angulos

[a] EUMOLPUS. [b] ENCOLPIUS. [c] EUMOLPUS.

Cedo partem, quam pepigi, legit, & eum ſecuti alii, quidam *par*. Apud Ovidium quoque lib. III. ex pont. Epiſt. II. verſ. 88. olim legebatur:

Catera pars concors & ſine lite fuit.

ſed Naugerius & Heinſius reduxerunt *par*, unde videmus, Librariis ſolemnem harum vocum confuſionem fuiſſe. Cum ſecundo caſu conſtruxiſſe videtur Joſephus Iſcanius de bello Trojano lib. III. verſ. 92.

——— *Spirat par Herculis Hector.*

Id eſt, ſimilis Herculi; niſi neutro genere poſitum velimus. Quare puto, hic legendum *Aſcylto parem*, id eſt, ſimilem. Ut ſupra dixit, *parem fortunæ ſimilitudine commilitonem* cap. 80. Phædr. lib. II. fab. 2.

Ambæ videri dum volunt illi pares. BURM.

Malo te] *Malle* pro *præferre* uſitatum eſſe, docuit Nerius lib. I. Analect. cap. 12.

Siccatoque avide poculo] Ita loquitur Martialis lib. 6. ep. 91. lib. 7. ep. 70. WOUWEREN. Eleganti metaphora Livius lib. XXXIX. cap. 26. *Theſſalos, velut ex diutina ſiti, nimis avide meram haurientes libertatem.*

Negat ſibi umquam acidius fuiſſe] Id eſt, ſibi pejus fuiſſe, quam toto eo die, quo tot mala pertulerit. ERHARD. Forſan, *avidius fuiſſe*, id eſt, numquam magis ſitiviſſe. Anonymus MS. HADRIANID. Supra ad cap. XXXI. hæc verba explicuimus, & male poſt Barthium ad Hermæ Paſtorem p. 918. & in Gloſſario in Claudian. Mamerc. Erhardus exponit, numquam ſibi pejus fuiſſe, quam eo die, quo lapidatus, ejectus è balneo fuerat, & alia indigna pertulerat, cum de potione agat, qua nihil ſibi umquam acidius fuiſſe, id eſt, quæ acritudine ſua grata eſſet, & ſtomachum marcentem excitaret, adfirmat. BURM.

Ad ſolium] Veteres ad ſolium ſedentes lavabant. PUTEAN. *Solium* non erat vas, in quo totum corpus ſubmergeretur; ſed fiebat ad crura ſolum lavanda, ſedenteſque recipiebat, pertingente aqua uſque ad genua. *Circa ſolium*, id eſt, in circuitu ſolii. Ramirez ad Martial. lib. 2. epig. 42. ERHARD. Supra cap. 73.

Carmen recitare] Phædrus lib. V. fab. 5. *Poëtæ ſunt moleſti*, ſcilicet recitationibus ſuis, quibus frequentiſſimis fere enecabant homines. Nam, ut Horatius ait de Art. Poët. verſ. 474.

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.

Tales Martialis deſcribit, tum alios poëtaſtros, tum Ligurinum lib. 3. Talis Eumolpus iſte, qui in triviis, balineis, in conviviis ſua hominibus quibuslibet carmina recitavit. Rittershuſius ad Phædrum. ERHARD.

De Theatro] Martialis lib. XIV. Epigr. 166. cujus lemma *Cithara*:

De Pompejano ſæpe eſt ejecta theatro,
Quæ duxit ſylvas, detinuitque feras.

Ex altera parte juvenis nudus] ſcilicet Aſcyltos. Atqui ſub veſte veteres lavabantur. Celſus; *Sub veſte primum in balneo inſudare, ibi ungi, tum tranſire in calidarium.* videndus Artemidorus de Somniis. Velabantur autem obſcœnæ partes. Ambroſius Offic. lib. I. cap. 18. *Licet plerique ſe & in lavacro, quantum poſſunt, tegant, ne vel illic, ubi nudum totum eſt corpus, hujuſmodi intecta portio ſit.* Auguſtin. de Civit. Dei lib. 14. *Omnes gentes adeo tenent in uſu pudenda velare, ut quidam barbari illas corporis partes nec in balneis nudas habeant.* Savaro ad Sidon. lib. 2. ep. 2. Sed Petronius deſcribit ſimul & perſtringit impudentiam ævi ſui Neroniani. ERHARD. Minime hic impudentiam ævi Neroniani perſtringit, neque pugnant nudum, & ſub veſte lavari, ſed potius unum idemque ſignificat. *Veſtis* enim nomine præcipue tunica, & omne præter togam velamentum, apud ſcriptores Romanos ſignificatur, tunicati autem *nudi* centies dicuntur, quia toga demum erat amictus verus, tunica induti vix tecti videbantur. Vide egregie hæc illuſtrantem in obſervationibus ſuis Virum Ampliſſimum, Cuperum lib. I. cap. 7. Et hinc paſſim apud rei amatoriæ Poëtas nudæ puellæ vocantur, tunica tantum velatæ, ut contra *veſtitum ſcortum* togatam meretricem vocavit Juvenal. Sat. III. verſ. 134. & idem Satyr. VI. 124. nudam proſtitiſſe Meſſalinam dicit, quæ tamen, rejecto veteri centone, quo tecta intraverat lupanar, tunicata exſpectabat adulteros. Hic vero nudum caperem veſte tantum Balneari, qualem memorat Lampridius in Severo cap. XLI. indutum, & cui interim forenſia, quibus cum domum redire debebat, erant ſubducta, quod ne fieret, cuſtodes ſolebant adponere. vide l. 4. §. 2. ff. de his qui notant. infam. vide ſupra ad cap. 30. tunicas etiam depoſuiſſe, cum ſumerent veſtem balneariam, docet Ovidius lib. III. Art. Amat. verſ. 639.

Cum, cuſtode foris tunicas ſervante puellæ,
Celent furtivos balnea tuta viros.

Non tamen videtur negandum, numquam laviſſe nudos omnino, præſertim in domeſticis balneis, ut erat Trimalchionis ſupra cap. LXXI. in quod projectis veſtimentis Encolpius intrat cum ſociis, & nulla Balnearis veſtis ſumtæ mentio injicitur. Senec. Ep. 122.

angulos coepi, & clara voce Encolpion clamitare. Ex altera parte juvenis nudus, qui veſtimenta perdiderat, non minore clamoris indignatione Gitona flagitabat. Et me quidem pueri, tamquam inſanum, imitatione petulantiſſima deriſerunt: illum autem frequentia ingens circumvenit cum plauſu & admiratione timidiſſima. Habebat enim inguinum pondus tam grande, ut ipſum hominem laciniam faſcini crederes. O juvenem laborio-

frequens hoc adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt, ut in ipſo balnei pene limine inter nudos bibant, imo potent. Et adpoſite ad hunc Petronii locum docet Martialis ſæpe, & præcipue lib. 1. Ep. 24. ex nuditate illa ſæpe conditiones in Balneo quæſitas & reperta:

Invitas nullum, niſi cum quo Cotta lavaris,
Et dant convivam balnea ſola tibi.
Mirabar, quare numquam me Cotta vocaſſet,
Jam ſcio me nudum diſplicuiſſe tibi.

Vide & Spartian. Elagabal. cap. VIII. BURM.

Clamoris indignatione Gytona flagitabat] Plaut. Menæchm. *Propterea illius nomen memini facilius, Quia illum vidi clamore flagitarier.* Idem Pſeud. *Flagitare ſæpe clamore in foro.* PITH. Nove & durius dictum pro indignatione, quam clamore illo inſano prodebat.

Et me quidem pueri imitatione petulantiſſima deriſerunt] Artemidorus lib. 3. Μαίνεσθαι ἀγαθὸν τοῖς παιδίοις βλεπομένοις, ἐπειδὴ καὶ παῖδες τοῖς μαινομένοις ἀκολουθοῦσι. WOUWEREN. De ſannæ genere, quo, appoſito temporibus pollice, reliquis digitis erectis, aſini aures referentibus, inſanos traducebant, capit doctiſſimus Ferrarius lib. 1. elector. cap. 7. ſed nulla hic imitatio Eumolpi, quare capio de imitatione clamoris inſani, quem tollebat Eumolpus, & tamquam per echo petulanter reddebant pueri.

Tamquam inſanum] Lymphatum, & ceritum, & furioſum, quales Poëtæ & Vates vulgo dicebantur. Symmach. in Epiſt. *Videor vobis mentis inſipere, atque adeo in Poëtas nomen dediſſe.* Etiam Prophetæ apud Hebræos Oſeæ cap. 9. verſ. 7. *Scitote, Iſraël, ſtultum prophetam, inſanum virum ſpiritualem.* Sed & *prophetare* nihil aliud fuit, quam inſolentia loqui, ut enthuſiaſmo acti ſolent. Unde & qui bono Dei Spiritu afflati de divinis rebus diſſerebant, carnalibus hominibus inſani habebantur. Sic de eo, quem Eliſæus ad ungendum in Regem Jehu miſerat, dicebant, qui cum Jehu erant; *Quid venit inſanus iſte ad te?* id eſt, arreptitius. Sic & Paulum *inſanire* Feſtus putabat, divina diſſerentem, Act. 26. Inſanum enim caro judicat, quidquid ſuum captum exceſſerit. Bucerus Enarrat. in Matth. 11. in fine. ERHARD.

Cum plauſu] Martial. lib. IX. epig. 34.

Audieris in quo, Flacce, balneo plauſum,
Mutonis illic eſſe mentulam ſcito. PITH.

De quo plauſu mutoniatis fieri ſolito Ramirez ad Martial. lib. 1. epig. 24. ERHARD.

Inguinum pondus] Ovidius,

——— *Onus inguinis auſert.* PITH.

Querolus *ſuſcipe Paphien, Cytheren, Briſeiden ſed cum pondere Neſtoris.* BARTH. Vulgo *gravedinem* appellant, à gravitate oneris. Auguſtin. lib. ult. de Civit. Dei cap. 8. *Quidam ab informi pondere genitalium ſalvus effectus eſt.* In Querolo: *Da mihi pſalterias & concubinulas.* LAR. *Sume Paphien, Cytheren, Briſeiden, ſed cum pondere Neſtoris.* Juvenal. *herniam* appellat Satyra VII.

——— *Quibus jam incendi frigidus ævo*
Laomedontiades & Neſtoris hernia poſſit.

Arnob. lib. 7. adverſus Gent. *Ingentium herniarum magnitudine ponderoſi.* Et Moſes Levit. 21. ubi deſcribit, quales eſſe deceat miniſtros Dei; *Nec accedet*, inquit, *ad miniſterium Dei ſi fuerit ponderoſius.* ita enim habet antiquus quidam interpres in veteri cod. MS. pro quo vetus verſio vulgata *herniоſus. Hernia* igitur *pondus* dicitur propter rupturam pondere factam, cum inteſtina, rupta tunica, deſcendunt in veſicam. *Pondus* etiam pro teſticulis uſurpavit Catullus:

Devolvit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

Et Martial. lib. 7. Epigramm.

Judæum nulla ſub cute pondus habet.

Idcirco teſticulos *bilibres* appellat loco citato, Ovid. autem, pro pondere, *onus inguinis* dixit lib. 4. Faſtor. Pet. Daniel Not. in Querolum. Ubi tamen Martialis verſum non recte de teſticulis interpretatur, qui de inguinibus loquitur. Judæi enim non teſticulos, ſed inguina decuture ſolebant, quæ vocant *præputia.* De inguinum pondere graphice Plaut. Caſin. Act. 5. ſcen. 2.

Quicquid erat, calamitas profecto attigerat numquam.

Et Xiphilinus in Avito; πολὺ πάντας τῷ τῶν ἀιδοίων μεγέθει ὑπεραίρων. Adde Barth. in Claudian. Super eodem pondere Polyænus infra circa finem Diis gratulatur. in tanto beneficio granditatem partis hujus poſſuere. ERHARD.

Grande] Claudianus lib. 1. in Eutrop. verſ. 359. ambiguis verbis mollitiem turpem Eutropio exprobrans:

——— *Nihil eſt quod non in pectore magnum*
Concipit Eutropius; ſemper nova, grandia ſemper
Diligit, & celeri deguſtat ſingula ſenſu.

Laciniam faſcini] Id eſt, Priapi: quaſi dicat, multo brevior erat homo, quam ſuus ipſius faſcinus.

GLOSSÆ.

borioſum! puto; illum pridie incipere, poſtero die finire. Itaque ſtatim invenit auxilium. neſcio quis enim eques Romanus, ut ajebant, infamis, ſua veſte errantem circumdedit, ac domum abduxit: credo, ut tam magnâ fortunâ ſolus uteretur. At ego ne mea quidem veſtimenta ab officioſo

GLOSSÆ. Alii, *laſciviam*. PATISSON. *Faſcinum* eſt mentula. Hinc *faſcinoſus*, id eſt, mentulatus. Schopp. in Priap. carm. 27. Ergo hæc verba ſic intellige: erat tantus Priapus, ut homo ipſe appendix ejus, vel lacinia, eſſe videretur, id eſt, multo brevior eſſe videretur: id eſt, multo brevior erat homo, quam ſuus ipſius faſcinus. Ramirez ad Martial. lib. 1. ep. 24. Balbus Catholico; *Faſcinus etiam dicitur Priapus, quia quibuſdam faſciis ſolebat olim involvi, quum carerent braccis*. Auguſt. de Civit. Dei lib. 6. cap. 9. *Sed quid hoc dicam, cum ibi ſit & Priapus nimis maſculus, ſuper cujus immaniſſimum & turpiſſimum faſcinum ſedere nova nupta jubebatur more honeſtiſſimo & religioſiſſimo matronarum*, &c. Porro *faſcinum* dicitur non à *faſciis*, ſed à Græca voce βάσκανος, tralatione inde ducta, quod Priapi pro amuleto appendebantur pueris. *Lacinia* autem eſt veſtis aſſumentum redundans, & quod ornatus tantum gratia adjicitur. quod quia gravare interdum magis quam honeſtare ſolebat, ideo dixit Tertullian. lib. 4. adverſus Marcion. *Compendiatum eſt novum teſtamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum*. ERHARD. Hinc caſtigandus in Priapejis Epigr. XXXVII. locus, ubi pro *par* ſcribendum *pars*:

Cujus tu Pater ipſe pars videris,

In iiſdem Epigr. XXIX.

Parte tui majore.

Catullus in Galliambo.

Ego Manas, ego mei pars, ego vir ſterilis ero.

Arnobus lib. VI. *Genitalibus propriis inferior Priapus*, apud Juſtinum lib. VIII. cap. 4. *ſordidam clientelæ ſuæ partem* Philippum regem Athenienſes vocant. Ita apud Valerium Maximum lib. IX. cap. 1. *Ptolemæus rex vitiorum ſuorum acceſſio*, ut illic rectè jam caſtigavit Gronovius. non diſſimili modo apud Appulejum Metam. V. *Pſyche, crure ejus dextro manibus duabus arrepto, ſublimis evectionis appendix miſeranda*. ubi fruſtra Schoppius *appendio*. HEINS. Vide Gronov. ad Liv. lib. 45. cap. 7.

Laborioſum] Catal.

Deinde eſt difficile & laborioſum. PITH.

Male hoc explicare Gonſalium docuit me Brouckhuſius. Nam *laborioſus* eſt, qui cuivis labori magno ſufficit, eique exhauriendo par eſt. Nam hoc erat, *pridie incipere, poſtero die finire*. Et huic laborioſo opponitur *mollis, debilis, laſſus, tamquam caballus in clivo*. Infra cap. 133. rectè omnino. Nam laborioſus ἐργατικὸς capiendum, ut in Priapej. carm. LXI.

Sed quod carmina peſſimi Poëtæ
Ramis ſuſtineo laborioſis.

Eo ſenſu *laborioſiſſimos* dixit *boves* ſupra cap. LVI. BURM.

Pridie incipere] Catal.

Ibat ut inciperet longi deus Helleſponti. PITH.

Neſcio quis enim eques Romanus] Sub perſona hujus equitis, molles & effœminatos ſui temporis homines taxat, qui bene vaſatos è balneis ad convivia, è conviviis ad lectum educebant; fiebatque ſtrenuorum hujuſcemodi militum in balneis delectus. Senec. Quæſt. Natur. lib. 1. cap. 16. de Hoſtro quodam profligatiſſimæ obſcœnitatis homine: *In omnibus balneis agebat ille delectum, & aperta menſura legebat viros*, Ramirez ad Martial. lib. 1. epig. 24. ERHARD. Rectè hanc turpitudinem illuſtrarunt interpretes ex Seneca, Lampridio & Martiali. Quibus adde ejuſdem Poëtæ Epigramma 51. libri III. & quæ paſſim apud illum & alios de hoc delectu vaſatorum occurrunt. BURM.

Eques Romanus, ut ajebat, infamis] Stupro ſcilicet. ſic apud Quintilianum *infamis* pro adultera, cap. 3. lib. 6. Inſtit. Orator. *Dicebantur autem, dum vixit, infames femina ad eam convenire ſolita*. Et 2. cap. lib 9. *Ut ſi pater, qui infamem in matrem filium ſecreto occidiſſet, reus malæ tractationis jacularetur in uxorem obliquis ſententiis. Nam quid impurius, quam retinuiſſe talem? Infames* perſonæ quæ ſint, vide Briſſon. in verbo *Infames*. DANIEL. Fortunatian. *Adulteros liceat occidere. Infamis fuit quidam in nurum*. Quintilianus Declamatione cui titulus debet eſſe, *Infamis in nurum*: *Torſi*, inquit, *filium meum. Breviter judicibus ratio reddatur, infamem. Quid refert, an innocentem, ſi aliud omnibus licet*. ſic vet. ex. PITH.

Ut ajebat] Lege, *ajebant*. BARTH. Jungermann. *ajebant*. bene, & ita pridem Goldaſtus divinaverat. ERHARD.

Ab Officioſo] *Officioſi*, qui in balneo veſtimenta ſervabant, Capſarii alias dicti. GLOSS. Malim ex Paul. l. 3. D. de præf. Vig. §. ult. Capſarium interpretari, quam ex Seneca impudicum. ſane quemvis miniſtrum *officioſum* indigetari poſſe nihil prohibet. Interpr. hiſtoriæ Apollonii: *Accepto ceromate docta manu circumlevit ei, deinde in ſolio fovit, & exeunte rege ab officio diſceſſit. Rex vero reſpiciens ad famulum ait: Juvenis ille, qui mihi officium fecit, vide quis ſit*. WOUWEREN. *Officioſi*, qui in balneis veſtimenta ſervabant, *capſarii* dicti Paulo in l. 3. §. ult. D. de Off. Præf. vigil. & interpreti Juvenali Sat. 3. ad illa, *& ſonat unctis*.

cioso recepissem, nisi notorem dedissem. Tanto magis impedit inguina, quam ingenia fricare. [a] Haec Eumolpo dicente, mutabam ego frequentissime vultum: injuriis scilicet inimici nostri hilaris, commodis tristis. Utcumque tamen, tamquam non agnoscerem fabulam, tacui, & coenae ordinem explicui. * * * * *

XCIII. [b] Vile est, quod licet, & animus errore lentus injurias diligit. Ales

a ENCOLPIUS. b EUMOLPUS.

unctis Strigilibus, quos habent capsarii. Savaro ad Sidon. lib. 4. ep. 20. Lege *ab officio solus recepissem*. *Ab officio* interpretor, post officium, sive lavationem. Qua voce usus ita alibi & saepe Petronius. Sed diserte interpres Historiae Apollonii Tyrii in re pari; *Accepto ceromate docta manu circumlevit ei, deinde in solio fovit, & exeunte Rege ab officio recessit*. IS. Pontanus Analect. lib. 2. cap. 16. Imo lege *ab officio recepissem*, nempe balneatorio, sive balneatoris. *Officia* pro officialibus, *ministeria* pro ministris. Marcilius ad Suetonii Vespasianum. Vide Goldasti Notas ad Dositheum. ERH.

Notorem] Qui notitiam rei aut fortunae, velut oculatus testis profitetur. GLOSS. Senec. *Qui notorem dat, ignotus est*. PITH. *Notor*, qui notitiam rei aut fortunae profitetur. unde *notoria* est indicina, per quam res occultae notescunt. Vide Marcilium ad Suetonii Vespasian. ERHARD.

Impedit] Salsa ironia hic lacet, quare Dousae correctio, *expedit*, avertruncanda. BARTH. Ut hoc intelligatur; ait Eumolpus, Ascylton, quod bene vasatus esset, facile invenisse vestes, se vero doctum & literatum suas non recepturum, nisi notorem dedisset: additque, *tanto magis impedit*, id est, tantum praestat, peculio pensili quam ingenio docili, praestantem esse. Scopp. in Miscellan. Legendum *tanto magis expedit*. Wouwerius, Putschius, Pflugius. vel, *tanto magis impedit ingenia quam inguina*. Jungermannus. Quid si legamus, *tanto magis impendit*, id est, prodest, praestat, ut accipiatur substantive? ERHARD. *Impendit*. Nescio quamnam hic falsam ironiam deprehendant. BOURDELOT.

Fricare] Proprium libidinantium verbum. Martial. lib. XI. Epigr. 30.

Nil opus est digitis: sic mihi Phylli frica.

Ita ex membranis Florentinis, quas contulit Heinsius, rescribendum apud Apulej. lib. 11. Metam. *Super me residens, lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens, pendula veneris fructu me satiavit*, male nunc & insipide *fructa* circumfertur. Eadem vox reddenda, judice eodem Heinsio, Juvenali Sat. VI. vers. 322.

Ipsa medullina frictum crissantis adorat.

In codice enim vetustissimo Bernardi Rottendorphii invenit *Fructum*, vulgatae editiones habent *fluctum*. BURMAN.

Inimici nostri] *Nostri* abest C. M. *Inimici* scilicet Ascylti, ad eum enim pertinere videtur haec oratio. *Dousa* MS. HADRIANID.

Utcumque tamen, tamquam non agnoscerem fabulam, tacui] Ramirez legit & distinguit; *Utrumque tamen, tamquam non agnoscerem, fabulam tacui*, Hypomn. ad Martial. lib. I. ep. 100. num. 6. Fortassis non inepte, ut τὸ *utrumque* referatur ad illa duo, *injuriis — commodis*. Et *fabulam*, id est, rem inter nos gestam. ERHARD. Minime movenda vocula. Supra cap. XXI. *utcumque igitur lassitudine abjecta, cœnatoria repetimus*. ubi etiam alii *utrumque* exhibent.

Coenae ordinem explicui] Dominus convivii praenunciare solebat ordinem coenae, hoc est, quo ordine, & quid ultimum coquus missurus. Hac propter domino exhibitum scedium, quod descripta ordine obsonia habere, apud Athen. legimus. Cum itaque ordinem coenae explicuisset, respondet Eumolpus. WOUWEREN. *Explicare coenas* vocat ita struere, ut ea, quae complicaverat & asservaverat, ante explicaret, & promeret in iis. Martial.

Explicat & coenas unica mensa duas.

Eadem dicendi formula alibi dicit *explicare convivia*. Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. I. ep. 100. n. 6. ERHARD. Infra cap. 103. *ad ordinem tristitia redimus. Coenae ordinem*, illustrat Eustathius de Ismeniae Amoribus lib. IV. pag. 101. περὶ μὲν οὖν τῶν ἐν τῇ τραπέζῃ τρυφῶν Κρατισθένης φιλοσοφείτω, καὶ εἴ τις περὶ τὴν τράπεζαν ἕτερος. *Caeterum convivii opiparos cibos Cratisthenes, aut siquis alius adfuit, edisserat*. Quem locum adnotaverat Ampl. Cuperus.

Vile est quod licet] Videntur esse verba Encolpii gaudentis injuria Ascylti. ERHARD. Haec verba non ad ipsas dapes, quas communes fastidit luxuria, sed ad amores pertinere puto, &, cum inter coenam sermones forte impudicos commutassent Encolpius & Eumolpus, ille usus occasione, ad morbum suum delapsus sententias loquitur, & carmina fundit, quibus fastidium, quod & in amoribus & in apparatu coenarum ostendebant lauti & libidinosi, traducit. Et prima verba eumdem sensum habent, quem in fine epigrammatis *Amica vincit uxorem*. Quod enim licet & legitimum est, vile est. In eamdem sententiam fere Ovidius lib. II. Amor. Eleg. XIX.

Quod licet, ingratum est, quod non licet, acrius urit.

Ideo amantes magis in nupta, quam virgine, calebant, quia injuriam, quam maritis faciebant, diligebant; & à viro tetrico custodita, & januis clausis munita, in-

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afrae volucres placent palato,

Quod

incendebat adolescentium animos magis, quam parata & patens puella. vide eumdem Poëtam lib. III. Amor. eleg. IV. & quæ Gonsalius huc congessit. Hunc verborum illorum sensum puto. Sed, quid *animus errore lentus* sit, non capio, nisi intelligatur παθητικῶς de lento amatore, qui sibi injuriam fieri non modo patitur, sed etiam diligit injurias, quale exemplum supra præbuit ipse Encolpius, qui Gitona amabat, etsi relictus. Et ita *lentus* pro eo, qui injurias patitur, passim occurrit. Sueton. in Nerone cap. 40. vide Passerat. ad Propert. lib. III. eleg. 17. & Heins. ad Ovid. Heroid. XI. vers. 169. & Ep. XIX. vers. 81. Græv. ad Cicer. IV. Verrinam cap. 61. Sed cum hæc verba, ut fragmentum aliquod, per se consistant, difficile est verum eorum sensum indicare. Nam ita lacinias has consuere, ut Gallus ille sartor fecit, ridiculum est. Certe nobis Batavi palati & crassioris linguæ hominibus numquam *succosius* ille & *nutritivus cibus*, quem *famelicum doctorem devorare* jubet, probabitur, sed elegantiæ omnis arbitris Gallis libentes relinquemus: versiculos etiam istos

Nolo quod cupio statim tenere,
Nec victoria mi placet parata

ex hoc loco, ut alienos, secuti priores editiones ejecimus, ut qui rectius supra ad cap. XV. jam exhibiti fuerunt. BURM.

Lentus] Alii *lenitus*. PATISSON. An *lentus*, id est, tardus propter errorem, & pro *vile* legendum *utile*, deletis asteriscis? an ex vet. cod. legendum *lenitus*, ut infra cap. CVII. *Flectite mentes satisfactione lenitas?* ERHARD. *Lenitus* alii, ut infra cap. CVII. CL. Johannes Georgius Grævius malit, *latus*. Eleganter Seneca lib. III. de Benef. cap. 3. *Prima omnium ac potissima, quod novi semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus, inspiciamus: non in id quod est, sed quod appetitur, intenti. Quidquid enim domi est, vile est.* BOSCH. *Lentus*, Amplissimus Cuperus legendum censet *animus errore mentis*. Id est, hominum cupiditas, mente, seu ratione depravata & corrupta, id sequitur, quod non licet, quod cum alicujus junctum est injuria.

Ales phasiacis petita Colchis] Avis à Phasi fluvio primum in Græciam ab Argonautis delata. GLOSS. Hi versus in MS. ita leguntur:

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque aeriæ volucres placent palato,
Quod non sunt faciles, at albus anser,
Et pictis anas renovata pennis,
Plebejum. ——— TORNÆS.

Lege *Ales Phasiacis petita Colchis*. De *alite* vide Lactantium in Statium lib. 3. vel in Hymnis Bebelii fol. 48. b. Sidonius in 23. Carmine, cui tit. Narbo;

Sive Æetias & suus Iäson
Inducuntur ibi, ferusque Phasis,
Qui jactos super arva Colcha dentes
Expavit, fruticante cum duello
Spicis spicula mixta fluctuarent. DANIEL.

Manilius lib. V. vers. 370.

Quam modo militiæ Numidarum pascimur oris,
Phasidos & damnis, arcessitur inde macellum,
Unde aurata novo convecta est æquore pellis.

Clemens Pædag. lib. 2. cap. 1. Ὄρνις ἐπὶ τούτοις συνοικήσει τὴν ἀπὸ Φάσιδος, ἀτλαγὰς, ἀργυπτίας. Hieron. ad Salvinam: *Procul sint à convivits tuis Phasidos aves, Attagen Ionicus.* Martial. l. 7. ep. 57. WOUWEREN. In luxum Romanorum. Scalig. in Catalect. Sicut Agellius ait, *mensas nobis occupant Pavus è Samo, Phrygia Attagena, grues Melica, hœdus ex Ambrachia, Pelamis Chalcedonia, murœna Tartessia, aselli Pessiuntii, ostrea Tarentina, pectunculus Chius, elops Rhodius, scari Cilices, nuces Thasiæ, palma Ægyptia, glans Iberica.* Puteanus in Genial. serm. Vide de his elegantissimis versibus, ut gula omnes terras omniaque litora peragravit, Scip. Gentilem Comment. in Apul. Apolog. num. 419. Namque temporum suorum luxum notat, quibus copiosiores convivia sumtuosa pararent, illudque melius & delicatius censeretur, quod carius pluriscque venderetur. Rader. ad Martial. l. 13. epig. 71. De Phasiacis avibus etiam infra Petronius meminit cap. CXIX.

——— *Jam Phasidos unda*
Orbata est avibus: multoque in litore tantum
Solæ desertis adspirant frondibus aurœ.

Raderus ad Martial. lib. 13. epigr. 67. Aldrovandus in Ornitholog. An hinc propter similitudinem nomen acceperunt nostrates *Phasiani*, quorum frequentia in Alpibus Helvetiorum & Rhætorum, ut tradit Stumpfius in Chron. Helvetiorum, & Simlerus in Comm. de Alpibus? ERHARD.

Afræ volucres] Ex Africa petitæ in luxum Romanorum. GLOSSÆ. Sic vetus Horatii interpres in Epod. Pith. alii, *aëriæ*. PATISSON. Et hoc male legitur in Vet. meo Cod. Cl. Puteanus, vir doctissimus, *Afræ* reposuit ex Horatio Epod. 2.

Non Afra avis descendat in ventrem meum,
Non Attagen Ionicus.

Et Juvenali Sat. XI. vers. 142.

——— *Nec latus Afræ*
Novit avis. ———

Illustrat autem Petronium idem Puteanus è Latini Pacati Drepani loco à se emendato in Panegyr. Theodos. Augusto dicto cap. XIV. ubi Romanorum luxuriam carpit his verbis; *Namque appositas dapes non sapore, sed sumtu, æstimantes, illis demum cibis acquiescebant,*

Quod non sunt faciles: at albus anser,
Et pictis anas enovata pennis,
Plebeium sapit. Ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis,
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis est: amica vincit
Uxorem;

bant, quos extremus oriens, aut positus extra Romanum Colchus imperium, aut famosa naufragiis maria misissent, quos invitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericla rapuissent. vulgo male in impress. legitur. DANIEL. Horat. Epod. 2. ubi Acro: *Afra avis, gallina Numidica.* WOUWEREN. Pacat. cap. XIV. Juvenal. Satyr. XI. vers. 139.

Et Scythicæ volucres & Phoenicopterus ingens.

Idem vers. 142.

Nec fructum capreæ subducere, nec latus Afræ
Novit avis noster tirunculus. —— BARTH.

Vide supra ad cap. 55.

Quod non sunt faciles] Eodem sensu *facilis* dictum videtur, quo Horat. lib. I. Sat. II. vers. 119.

Namque parabilem amo Venerem facilemque.

Dousa MS. HADRIANID. Scilicet paratu. Ita supra cap. 86. *Scis, quanto facilius sit columbas, gallosque gallinaceos emere, quam asturconem.* Virgil. lib. II. Georg. vers. 459.

—— *Procul discordibus armis*
Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Ovidius lib. XIII. Metam. vers. 831.

Nec tibi deliciæ faciles, vulgataque tantum
Munera contingent, damæ, leporesque, capræque.

Senec. Hippol. vers. 516.

Et fraga parvis vulsa dumetis cibos
Faciles ministrant. BURM.

Albus Anser] Horat. lib. II. Sat. 8.

Pinguibus & ficis pastum jecur anseris albi.

Argenteum vocat Virgilius lib. VIII. Æneid. vers. 655. *candidum* Lucretius lib. IV. vers. 687.

Anas enovata] Alii *renovata*. Pith. alii, *renovata nassa*. PATISSON. In Catal. Scal.

Et pictis atagen opaca pennis.

Neutrum satis arridet. Alii

Et pictis anas inchoata pennis.

Ut non perfectam formam anatis dicat. BARTH. *Anas* prima longa, quod observandum. Taubmannus in Dissertat. de Ling. Lat. ERHARD.

Enovata] Forte, *enotata*. Jungermann. ERHARD.

Plebejum sapit] *Plebejus*, id est, vilis, ut Cic. *plebejos* vocat *Philosophos*: & Propert. *amictum plebejum* dixit, Lucret. *vestem plebejam*. Gisanius Indic. Lucret. Infra Petron. cap. CXIX.

—— *Non usu plebejo trita voluptas.*

Martialis;

Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas.

Casaub. in Pers. Sat. 3. ERHARD. Gravis hujus luxuriæ castigator ubique Seneca, sed præcipue in Epistola 122. ubi dicit, *ut inter istos nomen invenias, non opus esse tantum luxuriosam rem facere, sed notabilem.* Neque quod vulgare est, & quod patresfamiliæ rustici faciunt. Non oportere id facere, quod populus, res enim est sordida, trita, ac vulgaris: & quæ plura habet ibi censor.

Scarus] Piscis nobilissimi genus, mari Carpathio frequens. *Cerebrum Jovis* dictus ab Ennio. GLOSSÆ. Horat. Epod. 2. vers. 49.

Non me Lucrinis juverint conchylia,
Magisve Rhombus, aut Scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vehat mare.

Arata Syrtis, ut Virgil Æneid. 3.

Nullum maris æquor arandum. WOUWEREN.

Arata Syrtis] Alii *sitis*. PATISSON. Legendum puto, *arata Syrtis*. PUTEAN. Non est, ut aliam pro hac lectionem amplectamur. Auson. Mosel.

Quod salcata levi crispatur arena meatu,
Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo,

Idem, si satis bene memini, *novales* in aqua agnoscit. BARTH. Aliæ editiones habent: *atque arata Syrtis. Arata Syrtis*, ut Mæcenas apud Senec. *Vide ut alveum lintribus arant.* Pertinent autem huc Horatii versus ex Epod. II. vers. 49. Et egregie Latinus Pacatus Panegyr. Theod. Aug. dicto cap. XIV. Lindenbrog. Notis in Catalect. ERHARD. Sine dubio vera lectio. Vide infra ad cap. 119.

—— *Gravidis freta pulsa carinis*
Jam perarabantur.

Et Heins. ad Ovid. II. Amor. eleg. 10.

Probatur] Alii, *probamus*. PATISSON.

Mullus] Piscis maximæ nobilitatis & gratiæ, magnique pretii. GLOSSÆ.

Jam gravis est] Carus. Sallust. lib. 3. Hist. *Cum per omnem provinciam infœcunditate biennii proximi grave pretium fructibus esset.* vide Nonium. Cui opponitur *facilis* pro vili & bene parabili. Paullo ante; *Quod non sunt faciles.* ERHARD. Fœtet, & nauseam creat, ut passim *gravis odor, grave cœlum*, & similia occurrunt. *Gravis sentina* Juven. Sat. VI. vers. 99. noster infra cap. 103. *gravis nausea stomachus.* Idem Juvenalis eadem Satyra vers. 147.

Jam

Uxorem: rosa cinnamum veretur.
Quidquid quaeritur, optimum videtur.

« Hoc est, inquam, quod promiseras, ne quem hodie versum faceres? Per fidem, saltem nobis parce, qui te numquam lapidavimus. Nam, si aliquis ex his, qui in eodem synoecio potant, nomen poëtae olfecerit, totam concitabit viciniam, & nos omnes sub eadem caussa obruet. Miserere,

« ENCOLPIUS.

Jam gravis es nobis, & sepe emungeris, exi. male explicuit Erhardus.

Cinnamum] Frutex præstantissimum exsudans odoramentum. GLOSSÆ. Ratio carminis postulat, ut legatur, *cinnamum*. *Cinamomum* porro & *cinnamum* legitur. PUTEAN. Juven. Sat. XI. vers. 121.

Nil rhombus, nil dama sapit, putere videntur
Unguenta atque rosa. —— BARTH.

Ne scilicet ab eo expellatur. ERHARD.

Quicquid quaeritur] Lucian. Cynico. Πᾶσι χρῆσθαι ἀξιοῦντες, καὶ τοῖς ἀπαντῶσι μὴ τοῖς παρ' ὑμῖν μόνον, ἢ γῆν, ἢ θάλασσαν, τὴν καθ' αὐτοὺς αὐτάρκη νομίζοντες, ἀλλ' ἀπὸ πείρατων γῆς ἐμπορευόμενοι τὰς ἡδονάς, καὶ τὰ ξενικὰ τῶν ἐπιχωρίων ἀεὶ προτιμῶντες, καὶ τὰ πολυτελῆ τῶν εὐτελῶν, καὶ τὰ δυσπόρισα τῶν εὐπορίστων. Seneca Ep. 91. WOUWEREN. Sallust. *vescendi caussa terra marique omnia exquirere.* BARTH. Multo magnoque labore acquiritur. Barth. ad Claudian. l. I. in Rufin. vers. 205. & alibi. ERHARD. Vide infra ad cap. 119. *Quasitus tellure nitor.* v. Barth. ad Claud. Mamerc. p. 292. & 401.

Hoc est, inquam, quod promiseras, ne quem hodie versum faceres] Acrior & incitatior erit oratio cum interrogatione *faceres?* Verum & sine interrogatione potest esse ὑφαντικὸν. RICHARD. Venustissima locutio adumbrata ad divini Maronis exemplar lib. II. Æn. vers. 664.

Hoc erat, alma Parens, quod me per tela, per ignes,
Eripis,

ubi frustra torquent se Grammatici, qui *hocce* volunt. vide Pierium & alios interpretes. Horat. lib. I. Satyr. X. vers. 46.

Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem.

quæ omnia absque interrogatione legenda. Ut & in simili concitatæ mentis conquestione apud Virgilium lib. IV. Æneid. vers. 675.

Hoc illud, germana, fuit, me fraude petebas,
Hoc rogus iste mihi, hoc ignes araque parabant.

ubi interrogationis notam abesse malo. Statius lib. I. Sylv. IV. vers. 43.

Hoc illud, tristes invitum audire catenas. BURM.

Versum faceres] Proprie locutus. Docet nos Donatus ad illa Terentii in prologo Andriæ:

Ut Populo placerent, quas fecisset fabulas.
Bene feciſſet, *non* scripsisset. *Unde & Poëta* ἀπὸ τῦ ποιεῖν, *id est à faciendo, dicti sunt, sic Virgilius, Pollio & ipse facit nova carmina.* Horatius lib. IV. Satyr. 7.

Aut insanit homo, aut versus facit.

bis terve auctor dialogi de Oratoribus. Vide Passerat. ad Propert. II. eleg. 8.

Synoecio] *Synoecium*, conjecta in eadem domo conclavia. GLOSS. Alii, *gynacio.* PATISSON. Forte. *gynacio.* vide Veget. Putean. & Brisson. DANIEL. De quibus infra cap. XCVI. *Fit concursus familiæ, hospitumque ebriorum frequentia. Synoecium*, συνοίκιον, quæ & συνοικία. Philoxenus Gloss. συνοικία, *conclavum, conclavia, insula.* Æschines contra Dinarch. ὅπου γὰρ πολλοὶ, μισθωσάμενοι μίαν οἴκησιν, μελόμενοι ἔχουσι, συνοικίαν καλεῖμεν. Ergo *vicinia* hic non significat conjunctas in eadem platea habitationes atque ædes, sed conjuncta in eadem domo conclavia, quas supra *ædiculas* dixit, eæ singulatim inquilinis locabantur, præponebaturque mulier, quæ earum curam gereret, & supra *ædicularum custos* dicitur. Ipsa domus vocabatur *coenacularia*, interim etiam *insula*, ut paulo post à Petronio hæc ipsa domus. Itaque falsus Budæus in Commentar. Ling. Græc. & Henr. Steph. in Thesaur. Ling. Græc. ERHARD.

Sub eadem caussa] Elogio seu titulo. WOUWER. Jungermann. legit, *casa. sub eadem caussa*, est, propter eandem causam, ob idem elogium, quasi scilicet & nos omnes fureremus. sic *caussa* pro elogio sive titulo ponitur Matth. 27. vers. 37. quæ Marc. 15. vers. 26. *titulus caussæ*, Lucæ 24. vers. 38. *subscriptio*, Joh. 19. vers. 19. *titulus.* videndus Beza in Annotat. ERHARD. *Caussa* abest à C. M. Dousæ MS. HADRIANID. Id est, sub eodem prætextu, quasi omnes Poëtæ & insani essemus. Nulla hic ad elogium vel titulum allusio. Cicero sæpius *in eadem caussa* esse dicit, qui ejusdem criminis sunt rei. lib. V. in Verr. cap. 43. *is tamen in eadem caussa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus.* ibidem cap. 21. *Mamertini, qui erant in eadem caussa.* Livius lib. XXIX. cap. 22. *Plemnius, quique in eadem caussa erant.* præpositio vero *sub* eleganter prætextum & speciem, quam rei obtendimus, notat. Suet. Neron. 35. *sub crimine adulterii occidere.* Tacit. II. Histor. 26. *cum fratrem ejus Julium Frontoniem tribunum Othoniani sub eodem crimine vinxissent.* & ita passim. Cæterum, oportet jam tum Gorallos & Parrhasios fuisse, qui nullo discrimine Poëtas veros, sanctissimos vates, & clericales illos Poëtastros

ferere, &, aut pinacothecam, aut balneum, cogita. Sic me loquentem objurgavit Giton mitissimus puer, & negavit, recte facere, quod seniori convitiarer, simulque oblitus officii, mensam, quam humanitate posuissem, contumelia tollerem, multaque alia moderationis verecundiaeque verba, quae formam ejus egregie decebant.

XCIV. [a] O felicem, inquit, matrem tuam, quae te talem peperit! Macte virtute esto. Raram facit misturam cum sapientia forma. Itaque, ne putes, te tot verba perdidisse, amatorem invenisti. Ego laudes tuas carminibus implebo.

EUMOLPUS, ad GITONEM.

tastros & insanos habebant, & sub eadem caussa omnes obruebant. Et qui, cum frustra saepe versus, quibus plausum mererentur, pangere tentassent, neque illis adfuisset propicia Minerva, convitiis & maledictis alios agitant, & sine delectu bonos & malos eodem ordine habent. Sed mercenarias has Typographorum operas, qui ad paginarum numerum scripta sua vendunt, quae non appeterentur, nisi summos quosque viros canina rabie allatrarent, alias, si diis placet, data opera in ordinem redigemus. BURM.

Pinacothecam] Tablinum, seu locum, in quo tabulae pictae, stragula vestis, & alia ornamenta reponi solebant. GLOSSAE. *Aminothecam.* Malo, *pinacothecam* PUTEAN.

Negavit] Cap. XIII. *negavi circuitu agendum.* BARTH.

Negavit recte facere] Alibi: *nequaquam recte faciet, qui cito credit.* Horat. lib. I. Epist. I. vers. 60.

Si recte facies, hic murus aheneus esto.

Saepe JCti. BARTH.

Seniori conviciari] Plaut. Pers. Act. II. sc. IV. *Maledicis majori. PE. prior promeritus perpetiare.* PITH. Decore: haec enim pueris praecepta à Ludimagistris data, docuit nos supra cap. 58. *cave majorem maledicas.*

Quam humanitate posuissem] Liberalitate & benignitate. supra cap. LXXXVI. *Ne tam grande munus suspectam faceret humanitatem meam.* Infra CXXI. *Porrexit ad humanitatem invitantis victam manum.* Sic capio & interpretor illud: ibid. *Scitis, quid temtare plerumque soleat humanam satietatem*, Infra, liberalem & meliusculam. Iterum Petron. cap. CXXVI. *sive, quod humanius est, commodas, effice ut beneficium debeam.* ERHARD.

Contumelia tollerem] Hinc *contumeliosa humanitas*, apud Senec. epist. 4. quid sit, intelligi debet. ERHARD.

O felicem, inquit, matrem] Videntur deesse multa. SAMBUC. Virgilius lib. I. Aeneid. 605.

——— *Quae te tam laeta tulerunt*
Secula, vel qui te talem genuere parentes?

Ita non omnis fluvius fert * securos. & multis etiam aetatibus instrumenta sua, ut ille vocat, id est, viri vere docti defuerunt. BRASSICAN. Musaeus, ὀλβίη ἡ τέκε μήτηρ. PITH. Homerus:

Τρὶς μάκαρες μὲν σοίγε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

DOUZA F. Ex illis, quae sequuntur, *non quaesit iracundia caussam*, colligo, aut pauciss ima, aut nulla hoc loco desiderari. Nam, cum Gnythonem audivisset objurgantem & pro se loquentem, haec verba adjecit Eumolpus. Homer.

Τρὶς μάκαρες μὲν σοίγε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ.

Barth. in Musaeum num. 138. & ad Claudiani cons. Olybr. & Prov. vers. 201. Luc. II. vers. 27. *Beatus venter, qui te portavit; & ubera, quae suxisti.* ERHARD. Usitatam hanc laudandi bonae indolis adolescentem formulam docet Donatus ad illa Terentii Andr. Act. I. sc. I. vers. 68. *Tum uno ore omnes omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui gnatum haberem tali ingenio praeditum.* Ubi notat, Terentium *de more* locutum. Ovidius IV. Met. 322.

——— *Qui te genuere beati*
Et frater felix, & fortunata profecto,
Si qua tibi soror est, &, quae dedit ubera, nutrix.

Vide & Barth. lib. XXII. Adversar. cap. 13. BURM.

Te talem] Vide supra ad cap. LXI.

Raram facit mixturam] Vet. Cod. *peperit.* SAMB. Homer. Odyss. ε. ἦ ἄρα σοὶ γ' ἔπι εἶδεϊ καὶ φρένες ἦσαν. Vellejus in 2. *Forma, quam mente, melior.* Unde rursus Homer. Iliad. ω. σὺ δέμας καὶ εἶδος ἀγητός. BRASSICAN. Claud. *quem vultus honestat, Dedecorant mores.* BARTH. Jac. Magni Sophlog. lib. 10. cap. 8. addit; *quia scilicet pulchritudo facit ad sapientiam.* vide locum: Et ——— *quem vultus honestat, Dedecorant mores*, ut ait Claudian. I. laud. Stilic. 26. Ἀφροσύνῃ ἓν δεῖ εἰς τὸν νοῦν, καὶ μὴ εἰς τὴν ὄψιν, dicebat ad herum suum Æsopus apud Planudem, & Marculphus ad Salomonem. vide multis notantem Rittershus. ad Phædrum. Veteres tamen, cum puellas laudant, semper sapientiam cum forma jungunt: quod & Petronius ubique in suo Gnythone observat. Barth. in Musaeum num. 33. ERHARD.

Verba perdidisse] Vide supra ad cap. 82.

Laudes tuas implebo] Jactantia insignis glorioso Poëtae, qui se non humillimi spiritus praedicabat: *implere* enim est aequare, & pulchritudinis excellentiam carmine non minus egregio celebrare, ut dubitent lectores

* *F. sciluros.*

implebo. Ego paedagogus, & cuſtos, etiam quo non jusseris, ſequar: nec injuriam Encolpius accipit, alium amat. [a] Profuit etiam Eumolpo miles ille, qui mihi abſtulit gladium, alioquin, quem animum adverſus Aſcylton

a ENCOLPIUS.

res, an Poëtæ carmina ſint magis admiratione digna, an forma illa Gitonis mirabilior. Ita Ovidius I. ex Pont. II.

Maxime, qui tanti menſuram nominis imples.

quod alio modo effert lib. II. epiſt. 3.

Maxime, qui claris nomen virtutibus æquas.

Eodem ſenſu idem Poëta lib. III. Amor. eleg. I, dixit:

Implebit leges ſpiritus iſte meas.

Et Lucianus in Panegyrico in Piſones:

Et ſolidus primos impleret ſpiritus annos.

Nec diſſimili ſenſu noſter infra cap. CVIII. *implere tragœdiam* dixit. Non vero ita capienda ſunt Statii verba lib. VIII. Thebaid. 293.

——— *Nec adhuc implere tiaram.*

Quaſi *implere tiaram*, ſit *obire munia regia*, ut loquax ille Theſauri Brandenburgici conſtipator, ne inſpectis quidem Statii verbis, ſed Paſchalium de Coronis lib. X. cap. 2. compilans, & errantem ducem cæcus ipſe ſequens, fecit, qui inde, ſi diis placet, proverbium nobis excudit tom. III. Theſauri pag. 10. conſuluiſſet Barthii doctiſſimas notas, & ad Claudiani exemplum expreſſam locutionem didiciſſet. Sic ille enim, præter locum à Barthio laudatum, lib. III. de rapt. Proſerp. 218.

Nunc crinita jubis galeam, laudante Minerva,
Implet, & ingentem clypeum geſtare laborat.

Et hos ante oculos habuiſſe videtur, non ineptus pro ſeculo ſuo Poëta Joſephus Iſcanius de bello Trojano lib. V. verſ. 253.

Contorquet plenum galea caput.

Hic tamen fuit ille Begerus, qui Grævium docuiſſet, ſtylum Flori minime tumidum & affectatum eſſe. Papæ! quantum eſt regiæ Gazæ præfectum eſſe, & ſine uſu librorum & lectione veterum ſcriptorum ex numiſmatibus & ſupellectile antiqua ſapere. BURM.

Pædagogus] Vide ſupra cap. 85.

Etiam, quo non jusseris, ſequar] Epigramm.

Ἐι καὶ τηλοτέρω μέρεος τέον ἴχνι' ἐρείσεις,
Πτηνὸς ἴσως πτηνῷ κεῖσε τάχει μὲ φέρει.
Ἐι καὶ ἐς ἀντολίην πρὸς ὁμόχροον ἴξεαι ἠῶ,
Πιζὸς ἀμειτρήτοις ἴψομαι ἐν σταδίοις. PITH.

Pædagogi ſequebantur pueros. Horat. lib. I. Sat. VI. verſ. 79.

- - - *Veſtem, ſervoſque ſequenteis*
In magno populo ſi quis vidiſſet, avita
Ex re præberi ſumtus mihi crederet illos,
Ipſe mihi cuſtos incorruptiſſimus omnes
Circum doctores aderat. - - -

Manilius lib. V. verſ. 450.

- - - *Teneros etiam qui nutriet annos,*
Et dominum dominus prætexta lege ſequatur.

vide Ulpian. l. 15. §. Comitem D. de injuriis. Colloquiis pueril. μετὰ ταῦτα γραφεῖον ἐπεζήτησα καὶ σωμάτιον, καὶ ταῦτα παιδάκια ἐμῷ παιδί. Ἑτοιμαστεὶς οὖν εἰς πάντα προῆλθον, ἀκολουθούντες μοι παιδαγωγοὶ παῖδα dicit *capſarium*, qui eunti ad ſcholam libros portabat. Juven. Satyr. X. verſ. 117.

Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

WOUWEREN. Vide Colerum in Parerg. & Bern. Martinum Var. lect. lib. 2. cap. 15. Alb. Gentilem Lect. Virg. cap. 9. ERHARD.

Injuriam Encolpius accipit, alium amat] Omnino ſcribendum: *animum amo.* Philoſophicum nemini ignotum, & hic talis. Vel ſane melius ——— *animum amas.* Altera ex his conjectura res ipſa eſt. BARTH. Poſthæc inſero rei conveniens Epigramma:

Linque tuas ſedes, alienaque littora quære,
O juvenis, major rerum tibi naſcitur ordo.
Ne ſuccumbe malis: te noverit ultimus Iſter,
Te Boreas gelidus, ſecuraque regna Canopi,
Quique renaſcentem Phœbum cernuntque cadentem,
Major in externas Ithacus deſcendat arenas.

BOURDELOT.

Eucalpius] Vel *Enclopius*, impr. *Circlopius*: ſed, eſſe hoc nomen fabularum narratoris, ex aliis hujus libri locis manifeſtum eſt, quamquam interdum *Encolpion* dicatur. Sic paullo poſt pro *Eumolpo*, *Eumoſpo* & *Eumos*, perperam legitur. *Encolpius* Plinio lib. 8. epiſt. 1. *Encolpus* Martiali lib. 5. epigr. 49. PUTEAN. Prima editio exhibet *Circlopius*, quod & Sambuci habet. Tragurienſis codex *Eiclopius*. an aliquod convicium & dictum lateat, neſcio: forte *Cyclopius*.

Alium amat] Tragurienſis *alius*. mox idem, *profuit etiam Eumolpus.*

Quem animum adverſus Aſcyltum] Impreſſi *alioquin quoque adverſus, quem*, &c. Lego, *quem animadverſurus Eumolpum.* ſic enim loquebantur veteres, ut illa Proconſulis ſententia; *Paſſium Cypriarum gladio animadverti placet.* Et in Pandectis *animadverſi* dicuntur, in quos animadverſum eſt. PUTEAN. Malim *exſeruiſſem.* Plaut. Trucul. Act. II. ſc. 7. *nunc ego meos animos violentos, meamque iram ex pectore jam promam.* Item milit: Act. II. ſc. 4. *Exprome benignum ex te ingenium.* SCIOPP. *Alioquin quoque animum, quem adverſus Aſcylton ſumſeram, in Eumolpi*, &c. Tragur. Minime autem probabilis Puteani emendatio, neque neceſſaria, cum ſenſus ſit apertiſſimus & locutio Latiniſſima. Locum Plauti huic accommodatiſſimum adſcripſit Ampliſſimus Cuperus ex Amphitr. Act. I. ſc. 1.

ME. *Geſtiunt pugni mei*
SO. *Si in me exerciturus, quæſo, in parietem ut primum domes.*

Ascylton sumseram, eum in Eumolpi sanguinem exercuissem. Nec fefellit hoc Gitona. Itaque extra cellam processit, tamquam aquam peteret, iramque meam prudenti absentia exstinxit. Paullulum ergo intepescente saevitia, Eumolpe, inquam, jam malo vel carminibus loquaris, quam ejusmodi tibi vota proponas. & ego iracundus sum, & tu libidinosus. vide, quam non conveniat his moribus. Puta igitur, me furiosum esse: cede insaniae, id est, ocyus foras exi. Confusus hac denuntiatione Eumolpus, non quaesiit iracundiae caussam, sed, continuo limen egressus, adduxit repente hostium cellae, meque nihil tale exspectantem inclusit, exemitque raptim clavem, & ad Gitona investigandum cucurrit. Inclusus

Adde Propertium lib. I. eleg. 1.

In me nostra Venus noctes exercet amaras.

Et hinc forte Ultrajectinae editionis lectio in Cornelii Nepotis Hannib. cap. x. quam Schottus laudavit, probari posset. *Neque aliud quidquam egit, quam regem armavit & exercuit adversus Romanos.* non eo tamen sensu, ut desidem exercitio firmasse dicatur Prusiam Hannibal; sed, ut dicimur, *manus & pugnas exercere* in aliquem, ita ille Rege, tamquam instrumento, quo noceret Romanis, contra eos usus esset. Ita solemnem locutionem *exercere manus* pro movere, & pugnae vel alii rei se praeparare, esse docuit summus Gronovius ad Senecae Thyest. vers. 165. & Passeratius ad Propertii lib. III. eleg. 3. Ut vero *animum exercere*, ita passim *iram, odium exercere in aliquem*, occurrit, quare nihil hic temere mutandum. BURM.

Aquam petere] Vesicam exonerare, ad secessum ire. GLOSSAE. Hoc est, tamquam vesicam exoneraret. Veteres vero honeste *aquam* pro urina posuerunt; & veteres dicebant, *sumere se aquam*, cum ibant ad secessum. Ovid. lib. III. Art. Amand. vers. 610.

Sumenda detur cum tibi tempus aquae:

id est, cum tibi detur tempus ad exonerandam vesicam. vide Scalig. ad Propert. lib. 3. ERHARD. Scaligerum male has locutiones, *petere & sumere aquam*, explicuisse docuit Nicol. Heinsius ad Ovidii lib. III. Art. Amator. vers. 95. recte etiam explicuerat jam ante Mercurialis lib. VI. Variar. lect. cap. 6. & Bosius ad Ciceron. I. ad Attic. Epist. 16. hic vero non puto petisse aquam ad obscoenum, sed ad coenae usum. ineptissime vero Keuchenius ad Serenum Sammon. pag. 213. in versiculo illo Ovidii lib. III. Amor. eleg. 7.

Dedecus hoc sumta dissimulavit aqua.

aquam σπέρμα interpretatur; in Petroniano vero hoc loco exponendo sequitur Scaligerum. BURM.

Iramque] Tragurienſ. *iram itaque meam.*

Prudenti absentia] Ovidius lib. 3. Metamorph. 693. *Ira mora vires absumere posset.* Quintilian. Declamat. 17. *Parcere solet ira cedenti.* BRASSICAN.

Vel carminibus] Lege *ne carminibus.* AURAT.

Ejusmodi] Alii, *ejus nomine.* PATISSON. *Ejus nomini* Tragur.

Et ego iracundus sum, & tu libidinosus] Plaut. Menaechm. Act. II. scen. 1. vers. 43. *Tu magnus amator mulierum es, Messenio, Ego autem homo iracundus.* PITH.

Et tu] *Et* non habet Tragur.

Puta igitur] Unus ex veteribus, *putas igitur.* PUTEAN. Sic infra cap. XCIX. *Neque in amantium esse potestate furiosam amulationem. Amantes* enim furiosis aequiparantur, qua de re videndus Andr. Gail. fuse differens Observat. lib. 2. cap. 110. num. 23. & passim Poëtae *Amorem* insanum & furiosum vocant. Dixerat, *ego iracundus sum.* Hinc Horat. lib. I. cap. 1. *Ira furor brevis est.* —— ERHARD. In prima & Sambuci editione totus locus ita erat constitutus. *Putas igitur, me furiosum esse: reddo insaniae fidem: ocyus foras exi.* Tragurienſis, *putas igitur me furiosum esse, cedo insania, idem ocius foras exi.*

Cede insaniae, id est] Vet. *redde insaniae fidem.* Alii *idem.* SAMBUC. & PATISSON. Dixerat: *ego iracundus sum.* Seneca usquequaque iram insaniam esse disputat. Horat. *Ira furor brevis est.* Senec. lib. de Ira cap. 1. *Hic totus concitatus & in impetu est doloris, armorum, sanguinis, suppliciorum minime humana fruens cupiditate.* Lege ex V. C. *furens cupiditate.* Furit, inquit, minime humana cupiditate. idem Seneca adsciverit, iram speciem esse furoris minimi. Philemo: μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζόμεθα. Apollonius Macedo: τῆς ὀξυθυμίας τὸ ἄχθος μανία. vide Cicer. libro 3. Tuscul. Quaestion. WOUWEREN.

Abduxit] Alii *obduxit.* PATISSON. Apul. I. de As. aureo: *Ego vero adducta fore, pessulisque firmatis.* PITHAEUS. Alii, *obduxit*, non male. ERHARD.

Inclusus vero] Putschius legit, *ergo*, perperam. ERHARD.

Suspendio vitam finire] Suetonius Aug. LXV. *Phabe suspendio vitam finivit.* Justin. II. 5. *mulieres male sibi conscia, partim ferro, partim suspendio, vitam finierunt.* BURM.

Semi-

sus ego suspendio vitam finire constitui ! & jam semicinctio stantem ad parietem spondam vinxeram, cervicesque nodo condebam, quum reseratis

Semicinctio] Succinctorium, quod medium hominem cingat, & vestiat: zona minus lata. GLOSSÆ. Locus desperatus, quales complures in hoc scriptore, adeo ut in singulis trepidemus, nec magis certi ponere pedem, quam ii, qui in tenebris. Fateor, multa intacta nobis abiisse, quorum tamen tam ardua difficultas, ut aliorum quoque acumina hebetarint. WOUWEREN. Lege *hianti*, nam interserebat collum: facilis lapsus, correctio legitima. Similia apud Apul. lib. 1. Met. *Spondam* autem pedibus subdebat, qua mox depulsa, penderet furcifer. BARTH. Lege *spondæ me vinxeram*. *Semicinctium* est zona minus lata, Meursius Animadvers. miscell. lib. 3. cap. 7. Rectius forte, quam Rader. ad Martial. libro 14. epigr. 139. ERHARD. *Semicinctium* Nicetas Choniates in Codice Barbaro-Græco dixit, τριμάλιον, ἤτοι βόκλον. *Semicinctio* hic, quasi laqueo, ad informem nodum Encolpius utebatur. Rigaltius ad Artemidor pag. 65. WEITZ. Sic legendum MSS. testantur. Male, qui *hianti* reponunt, &c. BOURDELOT. Lege *stanti spondæ me vinxeram*. Est autem *semicinctium* zona minus lata, Meurs. Animadv. miscell. lib. 3. cap. 7. Lectionem hanc sequitur G. I. Vossius, in Etymolog. additque in *cingo*, *semicinctium* ita dici, quod dimidio minus latum sit, quam *zona*, sive *cinctus*. Sed quid dicemus de apparatione suspendii? Certum est ex sequentibus, spondam accipi pro toto, quod culcitam sustinet, hocque Encolpius suspendendus erexerat. Sic ergo hæc intelligenda: *Jam semicinctii*, instar laquei contorti, altera parte, *erectæ ad parietem spondæ* superne *me junxeram, vinxeram*, aut alligaveram, *cervicesque* alterius partis *nodo condebam*, propulsurus mox sellam, illamve rem eminentiorem, cui tantisper insistebam, & sic pensurus. Si cui, spondam ad id, qua longitudinem, quave firmitudinem, non sufficisse videatur, is Barthium & lectionem hanc sequatur Gabbemianam, seu de Salas, quo sensus evadat: *spondam*, cui ceu basi interim insisterem, jam vinxeram, mox deserenda, ubi de tigno sublimis penderem. Tornæsius, quod codice serius accepto, ejusque manuductione, & tot illustrium in eo MSS. cum non paucis dein aliis collatione ab ovo instituta hic subnexum relinquo, legit. *Jam me hemicyclo stantis ad parietem spondæ junxeram*. Ubi Dousa C. M. *semicinctio spondam*. *Hemicyclus*, est semicirculus, formamve ejus habens. Frellon. edit. Lotich. R. Herm. sic plane ut de Wouweren initio Notæ. HADRIANID. Hæc Gonsalii emendatio, quam in textum recepit. Vett. Edit. habuere: *Et hemicyclo stantis ad parietem spondæ junxeram*: Aliæ, *stantis ad parietem spondam*. Desperatum locum legendum puto: *& jam semicinctio me stanti ad parietem spondæ vinxeram*. Paullulum, antequam cervices nodo condebat Encolpius, zona seipsum alligaverat stanti spondæ, quam de grabato ad parietem erexerat. Sic enim cap. 5. Diversitor: *Rogo*, inquit, *ebrii estis, an fugitivi, an utrumque? Quis autem grabatum illum erexit? aut, quid sibi vult tam furtiva molitio?* BOSCH. Lege, *& jam semicinctium, stanti ad parietem spondæ, junxeram*. constituerat laqueo spiritum intercludere, semicinctium, sive zonam, ac fasciam pro laqueo aptat, neque in eo cubiculo quidquam erat, ubi illa altiori loco necteretur, non clavus, non tigillum. Ita lectulum in pedes erigit, spondæque sic erectæ, sive ad parietem stanti, semicinctio informem nodum jungit, unde spiritum intercluderet. Sed si erectus grabatus fuit, quomodo, in lectum præcipitari à Gitone introeunte Encolpius potuit? lectum, ajunt, nihil aliud fuisse, quam lodices & stromata, quæ de lecto deciderant, quæ mera ludificatio est. Nam de alio lectulo Petronius capiendus est. Cum enim eadem cella ipsis pro triclinio fuisset, tres, aut duos saltem, lectulos fuisse, in quibus discumberent, credibile est, & ideo de Eumolpo, qui in cellam venerat, *ille ut se in grabatum rejecit*. FERRARIUS. Lib. 1. Elector. cap. 7. Desperatum locum aliter sanare tentavit Vir celeberrimus Jacobus Gronovius de casu Judæ cap. 14. *semicinctio institam, ac parieti spondam junxeram*. Sed ita clavum in cella hac humili, ἐν τάχει, concipere deberemus tam altum, ut à terra ad eum pertinere non posset, nisi se spondæ auxilio sublevaret. Sed neque ulla mentio clavi, neque vero simile, tam altam cellæ camaram fuisse. Deinde recedit nimis à vulgata lectione hæc correctio. Mitior Amplissimi Cuperi conjectura, *& jam semicinctium stanti ad parietem spondæ fixeram*, vel *infixeram*. Qui & in margine libri sui notavit, Gronovium patrem legere, *& jam semicinctio, stanti ad parietem spondæ, me vinxeram*. Sed forte satius abstinere manum criticam, & vulgatam lectionem, *semicinctio stantem ad parietem spondam vinxeram*, ita capere, ut spondam erexerit, ad quam se suspenderet, sed, cum illa facile, pendente ex ea Encolpio, in terram delabi posset, primo eam alligavit, ut immota esset, parieti, qui vel clavum vel annulum vel aliud quid habebat, non altum satis ut se inde suspenderet, sed ad spondam alligandam aptum: deinde, se suspendio parans, aptat cervicibus laqueum, quem deinde collo indutum injiceret capiti spondæ, vel parti alicui exstanti, quod antequam efficeret, intervenit Eumolpus cum Gitone, & nondum alligatum spondæ, sed cum laqueo collo innexo stantem, impellit in lectum. Ipsam si cellam videre liceret, facilior nobis sensus ex his verbis eliceretur.] De *semicinctio*, vide Glossarium Latinitatis Caroli du Fresne. BURMAN.

Spondam] Spondæ sunt tabulæ, quæ utrimque lectum

ratis foribus intrat Eumolpus cum Gitone, meque à fatali jam meta revocavit ad lucem. Giton, praecipue ex dolore in rabiem efferatus, tollit clamorem, me utraque manu impulsum praecipitat super lectum. [a] Erras, inquit, Encolpi, si putas, contingere posse, ut ante moriaris. Prior coepi, in Ascylti hospitio gladium quaesivi. Ego, si te non invenissem, periturus per praecipitia fui: &, ut scias, non longe esse quaerentibus mortem, specta invicem, quod me spectare voluisti. [b] Haec locutus, mercenario Eumolpi novaculum rapit, &, semel iterumque cervice percussa, ante pedes collabitur nostros. Exclamo ego attonitus, secutusque labentem, eodem ferramento ad mortem viam quaero. Sed neque Giton ulla erat suspicione vulneris laesus, neque ego ullum sentiebam dolorem. Rudis enim novacula, & in hoc retusa, ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret, instruxerat thecam. Ideoque nec mercenarius ad raptum ferramentum expaverat, nec Eumolpus interpellaverat mortem mimicam.

XCV.

a GITON. *b* ENCOLPIUS.

ctum sustinent. GLOSSÆ. Alii *sponda junxeram*. alii *sponda me vinxeram*. PATISSON.

Cervicesque nodo condebam] Virg. 12. Æneid. vers. 603.

Et nodum informis letho trabe nectit ab alta.

Ambros. de Thob. cap. 2. *Informis laquei nodum stringitis*. Sedul. Carm. Paschal. lib. 4.

——— *Nodatis faucibus angens*
Infelicem animam laqueo suspendit ab alto.

Juretus in Symmach. lib. 4. ep. 51. ERHARD.

Revocavit ad lucem] Solemnem hanc priscis locutionem illustravit Gronovius ad Senec. Hippolyt. vers. 264.

Me utraque manu impulsum] Habet aliquid simile Apulejus lib. VIII. Metam. in fine: *Accepto*, inquit, *funiculo mortem sibi nexu laquei comparabat. Nec tamen latuit fidam uxorem casus extremus mariti, sed funestum nodum violenter invadens manibus ambabus.* PITH.

Si putas contingere posse] Exturbandum *contingere*: nam sententiæ officit. Palmer. in Spicileg. ERHARD. Terent. Heaut. Act. I. scen. 1.

Erras, si id credis, & me ignoras, Clinia.

Et Hecyr. Act. IV. scen. 4.

Erras, tui animi si me esse ignarum putes.

Nescio autem, quare Palmerio displiceat τὸ *contingere*, cum tam dura ellipsis non sit Petronianæ Veneris. Idem Terentius Heautont. Act. II. scen. 3. *si quidem id sapere est, velle te id, quod non potest contingere*. Ovid. XI. Met. 582. *Hoc de tot votis poterat contingere solum.* Plinius VII. cap. 48. *posse in Italiæ tractu* CXXIV. *annos vitæ contingere, apparet*, denique constructio illa *contingere ut*, Ciceroni & aliis familiarissima. de claris Oratorib. cap. XXXI. *quam hoc idem in nostris contingere intelligo, quod in Græcis? ut omnes fere Stoici prudentissimi in differendo sint.* & passim. BURM.

Per præcipitia] Alii *perituras præcipitio*. PATISSON. Alii, *petituras præcipitia*. ERHARD. Quomodo & C. M. Dousæ Edit. Frellon. & Lotich. HADRIANID. Vide notas nostras, ad Ovid. epist. 21. vers. 166. WEITZ. Retinuimus hic veterem scripturam. BOURDELOT. Solemne in comœdiis desperatorum confugium. Terent. Andr. Act. III. sc. 4. *utinam mihi esset aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.* ubi Donatus eleganter docet, in Tragœdiis ad gladium & laqueum confugere, sed in Comœdiis ad præcipitia. BURM.

Querentibus] Scribe, *quærentibus*. ERHARD.

Mercenario] Mercenarius, tonsor conductus. GLOSS. Esaias cap. 7. *Radet Dominus novacula, trans flumen mercede conducta, Rege Assyriorum.* LXX. verterunt *novaculam ebriam*, falsi ambiguitate Hebraicæ vocis. Hieronym. autem, *novaculam acutam*, cur verterit, non video: nisi per *mercedem* ductus sit ad *acumen*. Nos, quum Græcis & Latinis videamus *mercenarios* & *mercede conductos* appellari milites, qui Carum more vitam pro ære venalem habent, adducti sumus, ut Prophetam credamus ἀνθρωποπάθως Deo tribuisse mercenarii militis conductionem, hoc sensu; *Conducet Dominus novaculam trans flumen, Regem Assyriorum.* en notam allegoriam. *Novaculam* autem pulchre fecit eum, qui gentem Judaïcam vel cum minimo pilo, hoc est, cum pulvisculo è sua terra *abrasit*, hoc est, deportavit. Zuinglius Apolog. Complanat. in Esa. cap. 7. ERHARD.

Et semel iterumque] *Et semel atque iterum*, Mem. Cod. BOSCH.

In hoc retusa] Horatius I. od. 35. *O uti-*

XCV. Dum haec fabula inter amantes luditur, deversitor cum parte coenulae intervenit, contemplatusque foediſſimam jacentium volutationem, [a] Rogo, inquit, ebrii eſtis, an fugitivi, an utrumque? quis autem grabatum illum erexit? aut, quid ſibi vult tam furtiva molitio? Vos, me-Hercules, ne mercedem cellae daretis, fugere nocte in publicum voluiſtis; ſed non impune. jam enim faxo ſciatis, non viduae hanc inſulam eſſe, ſed M. Manicii. [b] Exclamat Eumolpus, [c] Etiam minaris? [d] ſimulque os hominis palma excuſſiſſima pulſat. Ille tot hoſpitum potionibus liberum urceolum fictilem in Eumolpi caput jaculatus eſt, ſolvitque clamantis

[a] DEVERSITOR. [b] ENCOLPIUS. [c] EUMOLPUS. [d] ENCOLPIUS.

O utinam nova
Incude diffingas retuſum in
Maſſagetas Arabaſque ferrum.

vide Heinſii notas ad Ovidii II. Amor. eleg. 9. & ad Claudiani Conſul. Olybrii verſ. 23.

Mortem mimicam] Simulatam. GLOSSÆ. Vet. *inimicam*. Pith. PATISSON. *Mimicam* legit Pith. TORNÆS.

* *Dum haec famula inter amantes ludit*] * Videntur deeſſe multa. SAMBUC. Prima & Sambuci editio *famula inter amantes ludit*, Tragurienſis *fabula i. a. ludit.*

Diverſitor] Qui in caupona diverſatur. Diverſoriarius. GLOSSÆ. Lege, *diribitor*, δαίτρὸς Græcis. BRASSICAN. Παιδοχὸς, diverſoriarius. Gloſſar. WOUWEREN.

Cum parte cœnulæ] Apul. lib. II. Metam. *Abi*, inquit, *fatue, qui in domo funeſta cœnas, & partes requiris.* Et lib. IX. *caſeum, atque alias prandii partes diviſerat.* PITH. Minime hic, ut Pithæus fecit, de partibus, quæ convivis diſtribuebantur, & de quibus ſupra ad cap. XXXIII. actum eſt, ſed de ferculo aliquo, quod inferebat deverſitor, eſt cogitandum. Gallus hoc ſenſiſſe videtur, qui de ſuo intrufit *altera*, & interpretatus eſt menſas ſecundas.

Volutationem] Supra cap. 79.

Grabatus] Lectus exiguus, in quo meridiari ſolent. GLOSSÆ.

Quid ſibi vult] *Vult* in aliis deeſt. PATISSON.

Molitio] Plautinum eſt. BRASSICAN. Recte Gonſalius nihil turpe huic ſubeſſe monuit, ut enim paſſim *moliri fugam* dixerunt alii, ita *molitionem* vocat deverſitor conatum & apparatum ad fugam. Frontin. lib. I. cap. I. §. 8. *nec ignoraret, majore bellum molitione inituros.* utitur & aliquoties Cicero. BURM.

Ne mercedem cellæ] Ἐνοίκιον, ſeu συγκώμιον. Poll. lib. I. WOUWEREN.

Jam enim faxo] *Jam jam faxo* V. C. Brit. TORNÆS. Formula minandi Apulej. I. de Aſino; *ſed non impune. Jam enim faxo ſcias quemadmodum ſub meo magiſterio mali debeant coerceri.* SCIOPP. Vid. ſupra cap. 58.

Viduæ] Hæc enim injuriis obnoxia proverbio locum dedit. Quintilian. Declam. CCCXXXVIII. *Imbecilla res eſt fœmina, & affert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua eſt.* Apulej. lib. V. Mileſiar. *Percuſſiſti ſæpius, & quaſi viduam utique contemnis.*

Mannicii] Alii *Manucii*. PATISSON. Lege *M. Anicii*. BRASSIC.

Etiam minaris] Vide ſupra ad cap. 21.

Palma excuſſiſſima] Excelliſſima. GLOSSÆ. Forte, *excelſiſſima*, ut ſupra *excelſiſſimi montis*. DANIEL. Id eſt, manu non languida, ſed plane deducta, pleneque vim exſerente. Seneca lib. 2. de Benef. cap. 17. *Si cum exercitato & docto negotium eſt, audacius pilam mittemus, &c. Si cum tirone, & indocto, non tam rigide, nec tam excuſſe, ſed languidius, & in ipſam ejus manum, remiſſe occurremus.* HADRIANID. Ita *excuſſo lacerto*. Ovid. Epiſt. Heroid. IV. verſ. 43.

Aut tremulum excuſſo jaculum vibrare lacerto.

Statius lib. X. Theb. verſ. 740.

Nunc jaculum excuſſo rotat in ſublime lacerto.

Senec. II. de Benef. cap. 6. *Sicut in telis eadem ferri vis eſt: ſed infinitum intereſt, utrum excuſſo lacerto torqueantur, an remiſſa manu effluant.* BURM.

Liberum urceolum] Alii *liber urceolum*. TORNÆS. Alii *liberum urceolum fictilem*. PATISSON. & PUTEAN. *Liberum*, id eſt, vacuum. DANIEL. Editio Plantini & Lugdunenſis *liberum*, rectius, id eſt, vacuum & exhauſtum. RICHARD. Vacuum & inanem. ſic intelligendus verſus iſte ſupra relatus cap. LXXXIX.

Jam turba portis libera, ac bello carens. ERH. *Liberum urceolum*, id eſt, vacuum & inanem. *Erhard. Quid ſi nulli vitio obnoxium, ſed integrum, & illæſum? Urceolus* hic forſan fictilis, ut verba ſonant, *futilis*, id eſt, inflabilis, acuti fundi, & patuli oris, Donat. in Andr. Terent. Voſſius. Neque enim in hac cella tot erant hoſpites, nec diverſitor vacue acceſſit, ſed *cum parte cœna*. His ita ſcriptis, video Ch. Richardi Biturigis codicem habuiſſe, *Ille tot hoſpitum potionibus liber urceolum fictilem in Eumolpi caput jaculatus eſt.* Subjungit: Editio Plantini, & Lugdunenſis (Tornæſii) *liberum*, id eſt, vacuum & exhauſtum. Ita Richar-

mantis frontem, & de cella se proripuit. Eumolpus contumeliæ impatiens rapit ligneum candelabrum, sequitur abeuntem, & creberrimis ictibus supercilium suum vindicat. Fit concursus familiae, hospitumque ebriorum frequentia. Ego autem, nactus occasionem vindictae, Eumolpum excludo, redditaque scordalo vice, sine aemulo scilicet, & cella utor & nocte. Interim coctores insulariique mulcant exclusum, & alius veru

Richardus: videoque hoc *liberum* Wouweren, Frellon. Lotich. R. Herm. amplexos, qui tamen omnes retinent *fictilem*, præter Gabbemam, quemque is secutus. Lector elegerit quod præstet, observetque stylum Petronianum à varietate ingeniorum, & editorum, antiquam lectionem reticentium, & novam substituentium, multum pendere. Tornæsius: *Ille tot hospitum potionibus liberum* (in MS. *liber*) *urceolum fictilem*, &c. Sic & c. Tragur, nisi quod pro *liberum* cum Richard. *liber* habeat. HADRIANID. Prima & Sambuci editio *liberum*, quod vacuum explicant, eo sensu, quo *liberare* utitur Ovidius lib. VI. Met. vers. 551.

——— *Vagina liberat ensem.*

Dictys Cretensis de bell. Trojan. lib. IV. cap. 11. ex antiquo Heinsii codice. *Quoad Alexander liberato gladio procurrens adversus hostem.*

Jaculatus est] Eleganter. Vide Lambin. ad Horatii lib. 1. od. 2. & Celeberrimum Perizonium apud Munkerum ad Hygin. fab. CCLXXIII.

Ligneum] Alii *igneum*. PATISSON. Forte *ligneum*. aut fortasse *igneum candelabrum* pro ardenti lumine. DANIEL. Cæcilius: *Memini ibi candelabrum ligneum ardentem*. Mart. Apophor. WOUWEREN. Conjiciebat *iligneum* Heinsius. Ut *iligni pedes* lectulorum apud Terent. Adelph. Act. IV. sc. 2. Sed cellæ huic lignea supellex convenientissima. Ita Cicero se *ad ligneolum lychnuchum* scripsisse fratri suo significat lib. III. epist. 7.

Sequitur abeuntem] Tornæs. omnesque alii, &c. Tragur. *sequiturque abeuntem*. HADRIANID. *Sequiturque abeuntem*, omnes scripti. BOSCH.

Redditaque vice] Vide supra ad cap. 58.

Scortillo] *Scordalus*, homo alliatus & illuvie squaloreque fœdus, sordidus, impurus. GLOSS. V. Q. *scordalo*. SAMBUC. Ita omnes veteres. Pith. alii *scortillo*. PATISSON. In Pithœi MS. Petronio legitur *scardalo*. quod Turnebus non approbat lib. 7. Adversar. cap. 4. ubi corrigit *scordalo*, interpretaturque, homini alliato, illuvieque & squalore fœdo. Pith. etiam legit *scordalo*. DANIEL. Vet. Lex. *Scordalus, ferox*. Seneca epist. 84. *Tullius Cimber & nimius erat in vino & scordalus*. PITH. In V. CL. Memmii cod. *scardalo* scribitur, ut existimo, perperam. *Scordalum* interpretor velut *scorodalum*, id est, hominem alliatum & illuvie squaloreque fœdum & sordidum & impurum, ut de quodam servo apud Plaut. in Mostell. Act. I. sc. I.

Germana illuvies oboluisti allium.

Talis enim, cum balneas inibat, & in elegantes lautosque inciderat, magno clamore & vociferatione excipiebatur: nisi forte ab immunditia & fœtore excrementorum alvi nomen habet. Hoc verbum etiam exstat apud Senec. ep. 57. *Adjice nunc scordalum & furem deprehensum*. Et ep. 84. *scordalum* appellat, quam veriorem scripturam esse reor. *Tullius*, inquit, *Cimber & mimus erat in convivio & scordalus*. Est & hodie Græcis *scordalus* morbus in oculis equorum, in angulo crescente caruncula. Turnebus Adversar. lib. 6. cap. 4. Ramirez magis probat, *scortillo*, ad Martial. lib. 1. epigr. 107. num. 2. ERHARD. Vide supra ad cap. 59.

Et cella utor & nocte] Familiaris Latinis dicendi modus, *promittere noctem, negare noctem, pacisci noctem, uti nocte*, ut honeste concubitus significetur. Ramirez Hypomnemat. ad Martial. lib. 1. ep. 107. n. 2. ERHARD.

Lictores] Ita vetus. vulgo, *coctores*. SAMBUC. MS. *Interim & coctores*. TORNÆS. Baptista Pius in Comment. ad Fulgentium retinet veterem lectionem, *coctores*. tu vide Pium. DANIEL.

Insularii] Inquilini unius domus. GLOSSÆ. L. 203. & 166. ff. de verb. sign. WOUWEREN. Gloss. Petr. *insularios* capit de inquilinis, nec non Scriverius MS. pro cultoribus insulæ. Et difficile est intellectu, unius insulæ & servum procuratorem (ut mox ex textu ac notis deprehendemus) & plures servos custodiæ caussa insulam inhabitantes statui. Saltem per *insularios* quivis servi, qui cum procuratore erant, hic capiendi videntur. HADRIANID. Recte Glossa explicat inquilinos, non servos. Sunt enim, qui in cœnaculis & ædiculis insulæ adjunctis habitant, quibus, quas à dominis insularum locabantur, procurator mercedi exigendæ erat præpositus. vide l. XI. §. 5. ff. de pignerat. Action. & domini insularum erant, qui totam insulam, & ædiculas illis adjunctas possidebant, ut egregie docuit literarum nostrarum decus Grævius ad Ciceron. pro Cælio. cap. 7. ubi ridicule Abrahamius magistratus quosdam sibi fingit, qui insulis singulis præessent. Sed & servos insularios fuisse negari nequit: nam JCtus in lege CLXVI. de verbor. signif. dicit *insularium urbanorum numero esse*, qui iidem qui procuratores, ut mox Bargates dicitur, qui vel servus vel libertus fuit, ut ex capite sequenti, ubi *contubernalis* suæ meminit, constat. Hic in Glossis dicitur

bouxóλος

veru extis stridentibus plenum in oculos ejus intentat : alius, furca de carnario rapta, statum praeliantis componit : anus praecipue lippa, sordidissimo linteo praecincta, soleis ligneis imparibus imposita, canem ingentis magnitudinis catena trahit, instigatque in Eumolpum. Sed ille candelabro se ab omni periculo vindicabat.

XCVI. Videbamus nos omnia per foramen valvae, quod paullo ante ansa ostii disrupta laxaverat, favebamque ego vapulanti. Giton autem, non

ἐποικόλογ@, *insularius, villicus*, id est, exactor pensionum. BURM.

Mulcant] *Mulcare* percutere. GLOSSÆ. Alii *multant*. TORNÆS. Sic Autisiod. Pith. alii, *mulctant*, alii, *multant*. PATISSON. Lege *mulcant*, ut infra cap. CXXXIV. *iterumque nihil respondentem mulcavit*. quo verbo utitur & Virgilius. DANIEL. Glossæ Isidori, *mulcat, percutit*. BARTH. Vide de hoc verbo Gronov. ad Liv. XXVIII. 30. & Græv. ad Sueton. Cæs. cap. XXVII.

Æstis stridentibus] Lege *extis*. AURAT. *Escis*, sic conjectura ducti scripsimus, vulgo *æstis*. SAMBUC. Alii, *assis*, alii, *escis*. PATISSON. Lege *æstu stridenti*. BRASSICAN. Proprie *stridere* caro, cum ad ignem assatur, dicitur. Ovid. VI. Met. vers. 645.

——— *Pars inde cavis exsultat aënis,*
Pars verubus stridet.

lib. II. Fastor. vers. 373.

Ut rediit, verubus stridentia detrahit exta.

Senec. Thyest. vers. 770.

——— *Stridet in verubus jecur.*

Carnarium] Locus, ubi caro salsa suspenditur. GLOSSÆ.

Furca de carnario rapta] Infra cap. CXXXV. *pannum de carnario detulit furca*. alii *carnaria*; vide Jo. Ruellium in Commentariolo super Moret. Virgilii, quod excudit Colin. DANIEL. Carnarium, κρεμαστήριον. vid. Non. *dolia*. WOUWEREN. Auctor Moreti. BARTH. Vid. supra cap. XLV.

Statum componet] Lege *componit*. AURAT. Supra cap. 80.

Solers ni par viribus imposuit] Forte, *solertia paria viris reposuit*. AURAT. Forte *impos, canem*, nam verba sunt omnia præsentia, *canit, trahit*. SAMBUC. *Ligneis* deest in V. Cod. Brit. TORNÆS. Deest *ligneis* in Biturig. Pith. Vetus codex, *præcincta, solers impar viribus*. PATISSON. Autor Rhet. ad Heren. lib. I. cap. 13. *Pedibus soleæ ligneæ inductæ sunt*. Gloss. *Solea* σανδάλιον. Item: σανδάλιον *Gallicula*, quæ vox etiam in Gloss. Isidori: *Calces Gallicæ militum*. Idem Glossarium: *Gallicula* τροχὸς. Hesych. τροχάδες αἱ σανδάλια ἀπὸ ἀιγείας δέρματ@. ita lege hunc locum. *Soleæ* igitur *ligneæ*, sunt, Gallicæ, aut sculponeæ: nam & ita recte appellantur, licet aliter Fulgentius exponat, utrumque vocabulum retinent Vascones, à gallicula, *gallicularius*. Glossæ Isidori: *Gallicularius, cerdo*, etsi minus proprium hoc interpretamentum. WOUWEREN. *Soleas* dixere Romani, scribente Gellio lib. 13. cap. 20. *omnia id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera pene nuda & teretibus habenis vincta sunt*. Eædem dicuntur *crepidæ* Gellio, & *Gallicæ* Cic. 2. Anton. differunt igitur à *calceis*, quod hi totum calcem seu pedem imum muniant, hæ vero tantum partem calcis solumque sive plantam pedis. Vossius. Nec quidquam video diserriminis, si *soleæ* hæ (exceptis habenis) revera statuerentur *ligneæ*, ut hodienum, non tantum quoad has, verum integros sæpe calceos, in nationibus observare est. quod Wouweren per *caprinam pellem*, lanatasve *sculponeas*, ut has Jo. Lud. de la Cerda (*calceos ex lana factos*) explicat (sed non probat), vix tangit, nisi cum Hadriano Junio, ac Vossio, per *sculponeas* calceos ex solido ligno exsculptos & excavatos intelligat; at vero *soleæ* non sunt calcei; sint igitur hic soleæ basin ligneæ. HADRIANID. Balduinus cap. III. capit de Calceis, qui totum pedem tegunt. Misere autem fallitur Gonsalius, putans Catullum, in carmine ad Manlium, Lesbiæ cultissimæ puellæ tribuere ligneam soleam his verbis, *arguta constitit in solea*. Melius exposuit Vossius pag. 290.

Impositа] Ut notet senilis facinoris impotentiam. BARTH.

Instigatque in Eumolpum] Apulejo hoc est, *inhortari*, lib. 8. *Villæ coloni canes rabidos & immanes, & quibusvis lupis & ursis sæviores, quos ad tutelæ præsidia curiose fuerant alumnati, jubilationibus solitis & cujascemodi vocibus nobis inhortantur*. WEITZ.

Ansa hostialis] Lege, *Ansa*. AURAT.

Ostioli rupta] Alii, *hostii disrupta*. PATISSON. Unus ex veteribus, *ansa hostiali*. PUTEAN. Lege *hostialis*. *Ansa*, Græcis κορώνη, circulus vel annulus ferreus additus hostio, quo pulsetur, vel ob formam, vel ob strepitum. Plautus Persa, Lucret. lib. I. vers. 316.

——— *Tum portas propter ahena*
Signa manus dextras ostendunt attenuari.

Plutarchus & Græci cæteri ῥόπαλον vocant, &c. Ovid.

Ferreus assiduo consumitur annulus usu. BRASSIC. In aliis libris *ansa hostialis rupta*. Lege *ansa ostii disrupta*. Had. Junius Animadvers. lib. 6. cap. 15. ER-

non oblitus misericordiae suae, reserandum ostium, succurrendumque periclitanti, censebat. Ego, durante adhuc iracundia, non continui manum, sed caput miserantis stricto acutoque articulo percussi. & ille flens quidem consedit in lecto: ego autem alternos opponebam foramini oculos, injuriaeque Eumolpi advocationem commodabam, & veluti quodam cibo me replebam: quum Procurator insulae Bargates, à coena excitatus,

HARD. Nonnulli ex veteribus *ansa ostioli rupta.* BOSCH. Prima editio *ansa hostialis rupta.* Tragur. *ansa ostiali rupta laxaverant.* Non male, ut in turba hac insularii & Eumolpus contendentes, & de introitu certantes, injecerint manum ansae, & eam ruperint, quamvis illam *ostialis* vocem non optimae notae censeam.

Stricto acutoque articulo] Κονδυλίζειν complicatis in condylos digitis percutere. GLOSSÆ. Κονδυλίζω, hoc est, *κονδύλοις πλήγω*, Suidas. Mart. Capella lib. 1. *Iisdemque, quibus fuerat eblandita, ictibus crebris verticem complicatisque in condylos digitis vulnerabat.* WOUWEREN. Servos condylis, colaphis, & talitris caedebant domini. Unde apud Martial. *Condylus* servi nomen, lib. 9. epigr. 94. Sic apud Suidam, ὁ δ' Ἡρακλῆς παῖδα νήπιον προσφέροντα ἐκ καταθύμιας κονδυλίσας ἀπέκτεινε. Juvenal. Satyr. 9.

Nos colaſum incutimus lambenti cruſtula ſervo.

Hic Petron. Vetus Gloſſar. κόνδυλος, *colaſus*, κονδυλώδης πόδος, ἢ χειρὸς, *hoc talitrum.* Rigalt. ad Artemidor. pag. 51. WEITZ.

Conſedit in lecto] Sic juxta Tornæſ. alios, codicemque Tragurienſem: Fellon. vero *conſedit in lectum*, quomodo & C. M. habuit Douſæ. Unde is ſuſpicatus legendum *conſidit*, ut ſeſſum capientis motus ſignificaretur: differunt enim *conſideo*, & *conſido*, ut quies & motus. HADRIANID. Nihil muto. Ita & *ſedens ſuper torum*, ſupra cap. XVII. Et ita Barthius ad Herm. Paſtorem pag. 895. plura producit loca, quæ hanc locutionem illuſtrant, & oſtendit, lectulos ita factos, ut de nocte in iis cubitarent, die illis inſiderent. Quamvis non negem, *conſidere*, à *conſido*, ſæpe de illis, qui ſtantes ſe in ſedile inclinant, dici. Vide Pincieri Parerga lib. XIV. cap. 49. & admodum difficile eſt dijudicare hæc duo verba, quæ tempora plurima eodem modo formant, & ſæpe in codicibus MSS. confunduntur. v. Heinſ. ad Claudian. VI. Conſ. Honor. verſ. 238. & ad Ovid. lib. 1. Metam. verſ. 307. falſum autem eſſe, *ſidere* & compoſita ab eo, vel perfecto carere, vel facere *ſedi*, ut lexica quædam exhibent, docuit Brouckhuſius meus ad Propert. lib. III. eleg. 7. verſ. 37. apud Plinium lib. VI. Epiſt. XX. pro vulgato, *vix conſederamus*, Aldi, Baſilienſis Cratandri, & Gryphii editio habent, *vix conſideramus.* BURM.

Opponebam] Forte *apponebam*, ut ſupra cap. XXVI. *applicare oculum curioſum* dixit.

Injuriam Eumolpo advocationemque] Ita conjectura ducti reſtituimus. & infra *Eumolpus* dicitur *periclitantium advocatus & dux.* vulgo *Eumolpi.* SAMBUC. *Injuriamque Eumolpi advocationemque commendabam, ac veluti*, V. C. Brit. TORNÆS. Alii *injuriaque Eumolpi velut quodam cibo me replebam.* Pith. PATISSON. Avet animus legere, *Injuriamque Eumolpo advocationemque commodabam:* Commodabat enim injuriam Eumolpo, quia eum excluſerat, quo nomine competere actionem injuriarum docet M. Tullius in Oratione pro Cæcinna. Commodabat advocationem, quia illi quodammodo aderat ſpectans per foramen, &, ut ipſius verbis utar, favebat vapulanti. *Injuriam* autem & *advocationem alicui commodare* ita dictum, ut cap. CI. *commodare manum*, & cap. CXII. *commodare locum perituro*, & cap. CXXVI. *commodare amplexus.* Huc accedit, quod verbum *commodare* pulchre convenit advocationi. Aſconius in Ciceronis divinationem cap. IV. *Qui defendit alterum in judicio, aut patronus dicitur, ſi orator eſt: aut advocatus ſi aut jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam amico commodat: aut procurator, ſi negotium (abſentis) ſuſcipit: aut cognitor, ſi præſentis cauſſam novit, & ſic tuetur ut ſuam.* RICHARD. Unus ex vet. *injuriamque Eumolpi advocationemque commendabam.* PUTEAN. Locus ſine dubio corruptus. Fortaſſe: *injuriaque Eumolpi advocationem commodabam.* Id eſt, favebam. Sequentia declarant. Scalig. WOUWEREN. Editt. Gabbem. Frellon. & Lotich. *oculos, injuriamque Eumolpo advocationemque commodabam & veluti quodam cibo me replebam, quum* (vel *cum*). Tornæſius: *oculos, injuriaque Eumolpi, veluti quodam cibo, me replebam, cum.* in marg. & Var. lect. *oculos, injuriamque Eumolpi, advocationemque commendabam: cum.* vet. cod. Brit. Ut v. c. Brit. ita & Wouwer. R. Herm. atque c. Tragur. ſed hic mendoſe: *oculos, incuriam Eumolpi*, &c. HADRIANID.

Advocationem] Id eſt, favere, à partibus alicujus ſtare. GLOSS. Sanus erit locus, ſi Wouwerii lectio, ſed non explicatio, recipiatur. Non enim eſt *favere* hic *commodare advocationem*, ſed moram aliquam poſtulare, ut non perfunctorie vapulet, ſed diu in tergo ejus hæreant manus tot hoſpitum, quod tacito voto poſcebat Encolpius. Vide Lipſium ad Senec. Conſ. ad Marc. cap. X. Vorſt. ad Valer. Maxim. lib. II. cap. IX. exempl. I. & Græv. ad Cicer. VII. ad famil. Epiſt. II. BURM.

Ex-

citatus, à duobus lecticariis in mediam rixam perfertur: nam erat etiam pedibus aeger. Is, ut rabiosa barbaraque voce in ebrios fugitivosque diu peroravit, respiciens ad Eumolpum, [a] O poëtarum, inquit, disertissime, tu eras? & non discedunt ocyus nequissimi servi, manusque continent à rixa? *

Contubernalis mea mihi fastum facit. Ita, si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem. * *

a BARGATES.

XCVII.

Excitatus] Phædr. lib. IV. fab. 24.

Homo perturbatus excitat Simonidem.

Ubi male Schefferus, *extra vocat*, cum sit, admonet, ut surgat. Mart. lib. V. Epigr. 14.

Bis excitatus terque transtulit castra.

supra cap. 87. *Excitavit me sepitum.*

A duobus lecticariis] Alciat. in tres poster. Cod. lib. ait legi *lectuariis*, & putat, legendum *perlecticarios*. BONGARS. Gonsalium, qui credidit, tenuiorum lecticas à duobus lecticariis posse perferri, refutavit Schefferus lib. II. de re Vehicul. cap. 5. Qui tamen non persuadet, *lecticarios* dictos ministros tricliniorum, qui suppellectilem curant, nam verba illa in cap. 34. *Insecutus est lecticarius, &c.* hoc non efficere, ostendimus. magis arridet expositio, quod subito ad turbam hanc & rixam à duobus lecticariis fuerit sublatus Bargates, & eorum humeris gestatus, cum lectica non esset ad manum. BURM.

Mediam rixam] Veteres *noxam*. Pith. PATISSON. Lege, *mediam noxam*. annotandum, quod hodie in Gallia jurgium ac dissidium vocatur *noise*, id à *noxia* detortum esse. Ausonius;

Sæpe in conjugiis fit noxia, si nimia est dos.

Noxiam & *noxam* idem esse vult Servius in Virg. Scalig. in Catalect. ad Priap. Fallit ergo Giphanius, qui *noxam* pro jurgio, rixa, aut contentione, apud veteres reperiri negat, in Observation. ling. Lat. ERHARD. Scaliger ad Priapeja carm. LXXXIV. & ad Manil. lib. II. vers. 480. *noxam* contendit dici pro jurgio, quem secutus Janus à Costa ad Institut. de Noxalib. Actionib. & Menagius in originibus Gallicis voce *noise*. Sed egregie hunc errorem castigavit, & vulgatam hujus loci lectionem vindicavit Gronovius ad Senec. Troad. vers. 403. BURM.

Poëtarum disertissime] Hinc sumsit Jac. Henrichmannus, qui ante annos plus centum vixit, quum initio Institut. Grammaticar. ad Bebelium scriberet; *Quis te non jure laudabit, Poëta disertissime?* ERH.

Tu eras] Terent. Adelph.

Ebem, mi pater, tu hic eras? BARTH.

Contubernalis] Quippe Bargates servus. inter servos autem matrimonium non est, sed contubernium. l. 12. §. 33. D. de instr. vel instrum. leg. *Contubernales* quoque servorum, id est, uxores. Ulp. l. 14. §. 2. D. de ritu nupt. & fragm. titul. de Tutel. WOUWEREN.

Fastum facit] Id est, despicit & repellit. *Fastus*, repulsa. Propert. lib. II. Eleg. 14.

Nec mihi jam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.

Nemesianus Eclog. IV. vers. 56.

Quisquis amat pueros, ferro præcordia duret,
Perferat & fastus. —— WOUWEREN.

Firmicus. *Mulieris divitis ac reginæ suæ amorem, quæ fastus amati adolescentis tyrannice voluit ulcisci.* BARTH. Me contemnit despicitque. Tacit. lib. 4. Annal. in fin. *juxta, gratiam aut fastus janitorum perpetiebantur.* Pichena Not. ad Tacit. lib. 2. Annal. num. 1. ERH. Hic libertum barbara voce paullo ante perorantem, jam loquentem eodem modo inducit Petronius, ut libertos fecit in cœna Trimalchionis, quæ ideo non debuisset Petronio abjudicari, quia hic idem decorum observat. *Fastus* quidem propria de amatoribus & amicis vox. Vide Gronov. IV. Observ. cap. X. sed *fastum alicui facere*. nescio an reperiatur apud cultiores scriptores. vid. tamen. Pric. ad Apul. Apol. pag. 214. *Maledicere aliquem*, supra illustravimus cap. LVIII.

Ita si me amas] Alii, *itaque si meam*. PATISSON.

Maledic illam versibus] Plaut. Aulular Act. IV. sc. X. vers. 57.

Bono animo es & benedice, nunc quæ res tibi & gnatæ tuæ
Bene feliciterque vortat. Ita Di faxint, inquito.

Et in Casina Act. II. sc. V. vers. 38.

Benedice, diis sum fretus: deos speravimus.

Idem in Rudente Act. III. sc. II. vers. 26.

Bene equidem tibi dico, qui, ut te digna eveniant, precor. PITH.

Vide Martial. lib. 4. ep. 17. WOUWEREN. *Maledicere aliquem* veteres dicebant, quod nos vulgatius, *alicui*. Sic *benedicere*. Barthius in Ceir. Virgil. n. 85. ERHARD.

Illam] Alii *illi*. PATISSON.

Ut habeat pudorem] Martial. lib. IV. epig. 17.

Facere in Lyciscam, Paulle, me jubes versus,
Quibus illa lectis rubeat, & sit irata.

Catul. carm. 42.

Adeste Hendecasyllabi, &c.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore. PITH.

Juvenal. Sat. 2.

XCVII. [a] Dum Eumolpus cum Bargate in secreto loquitur, intrat stabulum praeco cum servo publico, aliaque sane modica frequentia, facemque fumosam magis quam lucidam quassans, haec proclamavit: [b] *Puer in balneo paullo ante aberravit, annorum circa* XVI. *crispus, mollis, formosus, nomine Giton: Si quis eum reddere, aut commonstrare voluerit, accipiet nummos mille.* [c] Nec longe à praecone Ascyltos stabat amictus disco-

[a] ENCOLPIUS. [b] PRÆCO. [c] ENCOLPIUS.

——— *Habeat jam Roma pudorem.*

BARTH. & SCIOPP. Vide cap. 84.

Intrat stabulum praco] *Furtum*, quod à lictore, aut viatore licio praecincto, ipso aut alio quolibet comito indicium & fidem in lance praeferente; sive hoc privata sive publica ex auctoritate magistratus perquisitum inventumque est, *per lancem & licium conceptum* videtur. hujus rei amissae perquirendae & concipiendae ratio etiam apud Plaut. Mercat. Act. III. sc. IV. vers. 78.

Certum est praconum jubere jam quantum est conducier,
Qui illam investigent, qui inveniant: post ad praetorem illico
Ibo, orabo, ut conquisitores det mihi in vicis omnibus.

Exstant & alia praeconii hujus exempla, quae collegit Petr. Pithoeus Adversar. subsec. lib. I. cap. 2. & lib. 2. cap. 19. Brissonius Antiquitat. lib. 2. Marq. Freherus Parerg. lib. 2. cap. 20. Theod. Marcilius in Interpret. leg. XII. Tabb. cap. 7. P. Colvius Not. in Apul. Metamorph. lib. 6. & lib. 9. Cujacius Observat. lib. 16. Vitus Amerbachius epist. De furto per lancem & licium concepto, M. Tatius Alpinus epist. ad Wolfgang. Hungerum, de furto per lancem & licium. Nec apud Romanos modo; sed olim quoque apud Germanos, maxime Danos, rei furtivae publica per domos inquisitio fuit, de qua est in Legib. Scaniae cap. 2. lib. 7. *Si scrutinium negatum fuerit.* Et hodie nostris moribus furti perquisitionem Christianus apud Judaeos cum servo publico sive lictore instituere potest, quod vulgo *Schulbandt* appellatur. ERHARD.

Cum servo publico] Artemid. lib. 5. Juliano in Epist. δούλῳ καὶ δημόσιῳ. Frontinus de Aquaeductibus: *Lictores binos, & servos publicos, & scribas habeant.* Plinius lib. 10. Epist. *Quidam vel in opus damnati vel in ludum, publicorum servorum officio funguntur.* WOUWER.

Aliaque sane modica frequentia] Lege *sane non modica.* Pithoeus Adversar. Subsec. lib. I. cap. 2. quod non placet. ERHARD.

Facemque fumosam] Ovidius lib. X. Met. vers. 5.

Fax quoque, quam tenuit, lacrymoso stridula fumo,
Utque fuit, nullos invenit motibus ignes.

quassare autem & *quatere*, proprie. vide Passerat. ad Propert. lib. I. eleg. 3. Ita Jupiter *quassat fulmen* apud Phaedr. IV. fab. 17.

Haec proclamavit] De eadem proclamatione est apud Senecam lib. 5. Controvers. pag. 538. *Mittis praeconem, adducis illi omnia insignia, in caput malus perdat.* BONGARS. Is est legitimus ritus fugitivos perquirendi, Graeci vero σάλπιγξι admoverunt. Apollodorus lib. 3. de Deor. Orig. (cap. XII. §. 8.) Ὀδυσσεὺς δ' μνυσθέντα παρὰ Λυκομήδης ζητῶν Ἀχιλέα σάλπιγξι χρησάμενος ηὗρε. ex hoc ritu interpretor Artemid. lib. I. σαλπίζειν δοκεῖν σάλπιγξι τῇ ἱερᾷ, ἀγαθὸν τοῖς βουλομένοις συνγενέσθαι τισι. καὶ τοῖς ἀπολελύκοσι ἀνδράποδα, ἢ τινας τῶν οἰκετῶν. WOUWEREN.

Puer in balneo] De puero perdito & quaesito per lancem & licium, simile est quiddam apud Lucianum in Dialogis meretriciis cum hac Petronii fabula. DANIEL.

Annorum circa XVI.] Alii, *circiter*. Pithoeus dicto loco. Annus decimus sextus, legitima ephebi aetas. Josephus Antiquitat. Judaic. lib. 15. cap. 2. de Antonio Aristobulum, Alexandri Judaeorum Regis formosissimum filium, in amores & delitias concupiscente, & Herodi Regi, ut mitteret, mandante; *Herodes haud judicavit, forma & aetate florentem Aristobulum* (*erat enim annorum sexdecim*) *& genere praestantem, mittere ad Antonium, hominem libidini deditum, & voluptates inverecunde conquirentem.* ERHARD.

Mollis] Effoeminatus. Ovid. IV. Met. vers. 386.

——— *Tactis subito mollescat in undis.*

Vellejus lib. II. cap. LXXXVIII. *Molliciis pene ultra faminam fluens.* Macrob. 2. Saturnal. IX. Martial. lib. V. Epigr. XLII. BARTH.

Voluerit] Heinsius margini sui codicis adscripserat, forte *valuerit*. ut & manus viri eruditi in altero codice, quem mihi F. Hesselius Vir Eruditissimus transmiserat. Sed nequeo probare.

Accipiet nummos mille] Apul. *Cedo praemium, mille, inquit, nummi deponentur tibi.* Fortunat. *Dixit, daturum se denarios mille ei, qui ad se servum perduxisset.* Est & proclamationis ejusmodi exemplum apud M. Senecam VI. Controv. PITH. Μυυτρὸν γίγας. Ulpian. Rhetor nominat, εὕρετρον, quod praemium est eis, qui alienum quid jacens forte fortuna invenerunt, & domino restituerunt, aut restituere parati sunt. Hieronym. Wolphius Annot. in Demosthen. Promittuntur autem plerumque indicia comprehendendi furis, vel fugitivi, vel rei furtivae, per praeconem, ut Curius Fortunatianus scribit, antiquissimus Jureconsultus, aut per libel-

discoloria veste, atque in lance argentea indicium, & fidem praeferebat. Imperavi Gitoni, ut raptim grabatum subiret, annecteretque pedes & manus institis, quibus sponda culcitam ferebat: ac, sicut olim Ulixes pro

libellum publice propositum. Præco id his exsequitur verbis: *Si quis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam illius filiam, illius ancillam, illo nomine, conveniat illo loco illum prædicatorem, accepturus tot indicii nomine.* Cujac. 11. Observat. 18. WEITZ.

Nec longe à præcone] Unus est locus, ex quo intelligam, quid fuerit furtum per lancem conceptum. Nam de licio quidem probabile est, quod ex Gellio ab aliis adfertur, apud quem tamen *Limi* verbum corruptum est, ut ex auctoribus *Limitum* apparet. ubi tamen perperam etiam *limis* pro *limum* uno loco scriptum puto. Cæterum quod hic versus fuerit mos perquirendi, qui à Petronio describitur, indicant Plauti versus Mercat. Act. III. sc. 4. Discoloria etiam veste uti solitos, qui quid publica auctoritate facerent, indicio est l. 1. C. Theod. de habitu, quo intra urbes uti oportet. Porro quod ex Verrio Flacco adferri vulgo solet, Plauti esse verba ipsa indicant. PUTEAN.

Discoloria veste] Qua uti soliti, qui quid publica auctoritate facerent. GLOSS. Apud veteres, qui in domo alterius rem furtivam quærere volebat, nudus eam quærere cogebatur, licio tamen, quo pudenda tegebat, cinctus erat, & lancem, quæ patina erat rotunda & ampla, ante oculos tenebat, propter matrumfam. aut virginum præsentiam. Johan. Borcholten ad §. 3. Instit. de obligat. quæ ex delict. nasc. imo quæsitor licio cinctus fuit, & manu lancem tenuit, in qua pretium inventionis sive indicium esset, ut ex hoc loco probat Giphanius ad §. 4. Instit. eod. tit. *Discoloriam vestem*, ut Juris auctores *versicoloriam*, Vopisc. *coloriam*. Discoloria autem veste uti solitos, qui quid publica auctoritate facerent, testimonio est Constit. Cod. Theod. tit. de habitu, quo intra urbem uti oportet. Pithœus Adversar. lib. 1. cap. 2. Forte colore publico, ejus civitatis insigni, in qua tale quid fiebat. qui mos hodieque in Germania, & maxime omnium Helvetia, observatur, ut viatores & præcones in actibus publicis discoloria utantur veste. Recte autem Balduinus à Borcholten reprehenditur, quod in Legib. XII. Tab. cap. 12. furta per lancem & licium ea fuisse tradiderit, quæ sacerdotes licio amicti, & panem Aëtite lapide conditum in lance circumferentes prehendebant, cum is panis à fure devorari non potuisset. ei enim, præter Platonem, Festum, Gellium, manifeste repugnat hic Petronii locus. ERHARD. Nescio, an quæ Pithæus de furto per lancem & licium concepto disputat, ex hoc Petronii loco recte illustrentur; nam neque hic de furto, sed de re amissa investiganda agitur, neque discoloria veste indutus est, vel præco, vel servus publicus, sed Ascyltos, qui certe auctoritate publica hic aliquid egisse dici nequit. Quare melius, secundum Festi mentem, dixisset, ipsum, qui quæreret, licio cinctum fuisse. Licium autem esse vestem discoloriam docet Apulej. Apolog. *Virgilius enumerat vittas molles, & verbenas pingues, & thura mascula, & licia discoloria.* Sed puta adhuc multum caliginis huic rei esse offusum. Nam certe lanx hic non ante oculos tenetur, sed in ea præmium repertori ferebatur. Non explicant vero, quid *fides* hic sit, quam in lance præferebat; nisi quod Pithæus intelligat publicam, qua ex auctoritate magistratus perquiritur. Sed, in quo constiterit, silet, an diploma aliquod fuerit, quo ipsi à magistratu venia inquirendi in alienas domos datur, an vero tabulæ testium, qui hunc puerum, qui aberraverat, Ascylti esse juraverant, non addit; & tale quid fuisse oportuit, nam *fides* pro documento aut argumento aliquando sumitur. Ut Justin. lib. IX. cap. 2. ubi pueri & fœminæ & pecoris magnam vim, nihil auri & argenti à Scythis captum, *fidem* vocat *inopiæ Scythicæ*, id est, documentum, unde certo constaret de inopia. Neque sollicitare locum debuerat Scheffer. vide Barth. ad Stat. Thebaid. VI. in fine: nisi quis hariolari vellet, in lance hac imagunculam Deæ Fidei fuisse, ut per eam monerentur, rem perditam vel ablatam restituere. BURM.

Indicium] Præmium, quod indicibus datur: indicia, ἐυρετρον. GLOSS. Id est, præconium indicinæ, ut in l. 9. ff. de pœn. PUTEAN. Apul. lib. 9. *Indicina*, præmium, μήνυτρον, ἐυρετρον. WOUWEREN. *Indicium* pro præmio, quod indicibus datur. Ait enim, Ascylton, qui famulum suum amiserat, cum præcone circumivisse, & in lance indicium prætulisse, id est, pecuniam, quam daturus esset illi, qui sibi fugitivum suum indicaret. Cicer. de Divinat. *Quapropter, si tibi indicium postulas dari, quod tecum una feceris.* Ulpian. l. 4. §. ult. D. de condict. ob turp. caus. Sic & *nuntium* & *euangelium* in Cic. ad Attic. dicitur præmium nuntii & euangelii. ERHARD.

Grabatum subiret] Ut solebant, qui latere vellent. vide Casaubon. ad Sueton. Caligul. cap. LI.

Sponda culcitam] Veteres, *spondam culcita*. Pith. PATISSON. Lecti funibus tenti Martial. lib. 5. ep. 63.

Nulla tegit fractos nec inanis culcita lectos,
Putris & abrupta fascia reste jacet.

Fasciæ, quibus lectus tenditur, *instita*. Gloss. Isidori: *Instita, grabati resticulæ.* Horat. epod. 12.

Jamque subando
Tenta cubilia tectaque rumpit.

Comment. *Cubilia: lectum intortis funibus, vel fascio-*

pro ariete adhaesisset, extentus infra grabatum scrutantium eluderet manus. Non est moratus Giton imperium, momentoque temporis inseruit vinculo manus, & Ulixem astu simillimo vicit. Ego, ne suspicioni relinquerem locum, lectulum vestimentis implevi, uniusque hominis vestigium ad corporis mei mensuram figuravi. Interim Ascyltos, ut pererravit omnes cum viatore cellas, venit ad meam: & hic quidem pleniorem

lis tentum; tectaque: coopertoria lectuli stragula. Juven. *Cadurcum* nominat & institam. Locus est Satyra 6.

Magnaque debetur violato pœna cadurco.

Comment. *Membrum mulieris intelligitur, cum sit membri velamen, vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur.* Unde ait Sulpitia:

Ne me cadurcis destitutam fasciis
Nudam Calæno, concubantem proferat.

Quamvis idem Scholiastes ad Satyr. 7. *Cadurcum dicunt cucullum candidum, propter hyemes & nives comparatum, alii tabernaculum, aut tentorium, quibus merces protegere consueverunt.* WOUWEREN. Lectos funibus tentos fuisse docet etiam Herodot. Calliope in fin. ERHARD. *Culcitram*, Leid. cod. & sic cap. seq. BOSCH. Apud Horatium Epod. XII. *tenta cubilia*, ubi vetus scholiastes, *lectus restibus, sive fasciolis subtentus. Institam* vocant Glossæ Isidori. Et Scholiastes Juvenalis, *Instita qua lectus intenditur.* Lucilius. lib. VI. Sat. *tres à Deucalione grabati restibus tenti.* Apud Catonem de R. R. cap. 25. *lectus restibus subtentus.* HEINS. *Culcitam* semper scribendum, non *culcitram.* vid. Torrent. ad Sueton. Tiber. LIV. & Dausquei Ortographiam. institas vero Græcis κειρίας dictas ex Suida annotavit Amplis. Cuperus, qui describit, εἶδος ζώνης ἐκ σχοινίων, παχυτικὸς ἱμάντι ἢ δισμᾶσι τὰς κλίνας. v. Popmam ad Caton. de R. R. pag. 148.

Sicut olim Ulyxes pro ariete adhæsisset] *In ariete*, unus ex scriptis. D. Munckero legendum videtur, *imo ariete.* In antiquis exemplaribus fuit, *ero arietis*, unde Illustris Nicolaus Heinsius in suis ad me literis putat, scripsisse Petronium, *utero arietis.* Illa Ulyxis historia satis nota. BOSCH.

Astu simillimo] Apulej. 1. Metam. *At ego scilicet, Ulixi astu, deserta vice, Calypsonis æternam solitudinem flebo.*

Uniusque hominis vestigium] Propert. lib. II. El. 22. 35.

Apparent non ulla toro vestigia presso,
Signa voluptatis nec jacuisse duos. PITH.

Aristænetus lib. 2. ep. 22. καὶ τὸν στρωμνὴν ἐνετάραξε, παντελῶς συγχέασα τὸ ἔρισμα τῷ διυτέρῳ σώματος. Propertius lib. II. El. XXII. vers. 35. Mercerus in Not. ad Aristænet. ERHARD. Vide Passerat ad Propert. d. l.

Viatore] Idem hic, quod lictor. GLOSSÆ. Columella præfatione lib. I. *Illis temporibus proceres civitatis in agris morabantur, &, cum consilium publicum desiderabatur, à villis arcessebantur in Senatum. Ex quo, qui eos vocabant, viatores nominati sunt.* Sunt fere iidem cum lictoribus. Lat. Pacatus: *Nec ociosa viatoris manus plebem verbere summovebat.* Sane submovendi munus lictorum notum. Lego in V. inscrip. etiam *Viatrices* fuisse. WOUWEREN. Hic *viatorem* vocat, quem paulo ante *servum publicum*, & Wouwerius lictores fere eosdem fuisse pronuntiat. Fatemur quidem sæpe confusos à scriptoribus, sed diversos fuisse docet Livius lib. II. cap. 56. *Ardens ira Tribunus viatorem mittit ad Consulem, Consul lictorem ad Tribunum*; quamvis errare putem Tiraquellum ad Alex. ab Alex. lib. I. cap. 27. qui viatores tantum Tribunis plebis, lictores Consulibus, apparere scribit: nam infinita apud Livium & alios loca docent, etiam viatores à Consulibus ad prehendendos contumaces missos. Sed Consulibus, Dictatoribus, & Prætoribus, præter lictores, viatores apparebant, minores magistratus tantum viatores habebant. Ita apud Gruter. p. DCXXXI. I. & MXXXIII. 5. viatores, qui Consulibus & Prætoribus adparent, occurrunt. Sigonium quoque falli, qui lib. II. de Antiq. Jure Civit. statuit, viatores tantum vocandi, & nuntiandi, non vinciendi habuisse vim, innumera Livii loca revincunt. vid. Lib. II. cap. 56. & lib. III. cap. 56. Cicer. in Vatin. cap. 9. A servis publicis utrosque etiam diversos fuisse, patet, quia illi, in bello capti, non sub corona vendebantur, sed seponebantur à republica, ad varios usus, & ministeria; præcipue ut, si quid publico nomine ageretur, vel acquiri deberet publico, per hos conficeretur. v. Gell. lib. X. cap. 3. Liv. lib. XXXVI. cap. 49. Polyb. lib. X. cap. 17. in primis scribarum loco habebantur. Liv. lib. XLIII. cap. 16. Præterea his utebantur absentes cives Romani, & Pupilli, & similes, qui, ex Jure Romano per alium civem suæ potestatis nihil cum adquirere possent, mandabant negotia sua servis publicis, qui, omnium in civium dominio & potestate quia esse censebantur, etiam omnibus adquirere poterant. v. l. II. ff. rem pupill. salv. l. XIX. de compensat. l. I. §. 16. ff. de magistr. conven. l. XVIII. de adopt. Jam viatores non fuisse servos docet Tacit. lib. XVI. ann. cap. 12. ubi liberto locus inter viatores Tribunicios datur, ut præmium, quod inepte esset dictum, si servi fuissent viatores. Idem docet Livius lib.

rem ſpem concepit, quo diligentius oppeſſulatas invenit fores. Publicus vero ſervus, inſertans commiſſuris ſecures, clauſtrorum firmitatem laxavit. Ego ad genua Aſcylti procubui, & per memoriam amicitiae, perque ſocietatem miſeriarum, petii, ut ſaltem oſtenderet fratrem; imo, ut fidem haberent fictae preces, ſcio te, inquam, Aſcylte, ad occidendum me veniſſe: quo enim ſecures adtuliſti? Itaque ſatia iracundiam tuam: praebeo ecce cervicem, funde ſanguinem, quem ſub praetextu quaeſtionis petiiſti. Amolitur Aſcyltos invidiam; &, ſe vero nihil aliud quam fugitivum ſuum dixit quaerere; mortem nec hominis concupiſſe, nec ſupplicis; utique ejus, quem poſt fatalem rixam habuit cariſſimum.

XCVIII. At non ſervus publicus tam languide agit, ſed raptam cauponi harundinem ſubter lectum mittit, omniaque etiam foramina parietum

lib. XXXVIII. cap. 51. de Scipione *ab roſtris in Capitolium aſcendit: ſimul ſe univerſa concio avertit, & ſecuta Scipionem eſt. Adeo, ut poſtremo ſcribae viatoreſque tribunos relinquerent.* Ubi *ſcribae* ſunt ſervi publici, hi vero manumiſſi beneficio alicujus Magiſtratus, ejus nomen, ut Patroni, adoptabant. Varro lib. VII. de L. L. Appian. lib. I. bell. Civil. pag. 688. Petronius autem noſter quin confuderit viatores & ſervos publicos, dubium nullum eſt, niſi velimus ex ſervis publicis, quoſdam factos viatores, vel etiam viatorem huic non modicae frequentiae interfuiſſe. Quod autem hic ſecures habeat ſervus publicus, non capiendum, quaſi coloniarum magiſtratibus illae fuerint praelatae, ſed ex communi uſu: ſi enim mitterentur ad pignora capienda, vel in aliena domo quid agendum, ut effringerent januas, ſecures & alia fabrilia inſtrumenta adſumebant. BURM.

Quod diligentius] Alii, *quo diligentius*. PATISSON. Alii, *quo diligentius*, non paullo rectius. ERHARD.

Commiſſuris ſecures] Alii, *commiſſuras ſecure*. PATISSON. Si quid hic locus emendatione indiget, malim ita legere, *inſertans commiſſuris digitos*. PUTEAN. Notanda ſunt illa in geſtis Collat. *Curator Reip. Bovi ſervo publico dixit, intra, quaere, ne plus habent. Servus publicus dixit, quaeſivi & non inveni.* WOUWEREN.

Clauſtrorum firmitatem] Valvarum. Germ. *foribus reducit vincula clauſtri.* BARTH. *Infirmitatem* V. C. Anonymus ad oram cod. ſcripſerat: forſan legendum *clauſtri omnem firmitatem.* Nihil tamen muto. BOSCH.

Aſcylti] Alii *Aſcylto* PATISSON.

Petii, ut ſaltem oſtenderet fratrem] Id eſt, ut ſe gereret erga me tamquam fratrem, non tamquam inimicum. Tacit. 4. Annal. *Dum à clientibus exſtimulatur, ut erectum & fidentem animi oſtenderet.* Et ſic Plautus quoque ac Cicero *oſtendendi* verbo uſu ſunt. SCIOPP.

Quo enim ſecures attuliſti] Seneca lib. 4. Contr. 7. *Tulit ſecum gladium: ſic enim occiſuri veniunt.* WOUWEREN. Eleganter ſecures, non nominato alio telo, quaſi ut victimam illum mactaturus, quod olim in more poſitum, brevi videre erit apud Clariſſ. Paullum Merulam in Libro de Sacrificiis & Feſtis Romanorum Diebus; ſi melior edendi illum cum aliis MSS. dabitur occaſio, quam nuper me abſente nacta fuit Romanorum ejuſdem de Comitiis Hiſtoria. BOSCH.

Praebeo ecce verticem] Saresberienſis lib. 4. Policrat. cap. I. *Et ſecuri plerumque feriendas praebent cervices.* Et lib. 6. cap. 1. *Si ſpontaneam detrectas praebere cervicem.* Prudent. in Romano de Iſaaco verſ. 730.

Ultro ſacranti colla praebuerit ſeni. WEITZ. Proprium hoc & genuinum ea in re verbum. Sic elegante apud Naſonem lib. IV. de Ponto Epiſt. IV.

Colla boves niveos certae praebere ſecuri.

Et Faſt. lib. I. verſ. 83.

Colla rudes operum praebent ferienda juvenci.

BOSCH. Voci *praebere* vim ineſſe ſe ipſum offerendi libidini & contumeliae alterius, docuit Paſſerat. ad Propert. lib. III. eleg. 20. *Dare cervices* aliquoties dixit Cicero.

Utique] Supra cap. 43.

Quem poſt fatalem rixam habuit cariſſimum] De qua cap. IX. nam poſt illam rixam reconciliati fuerunt, ut patet cap. X. quae reconciliationis narratio deſideratur. ERHARD. Non video, quomodo hoc cum praecedentibus cohaereat. Scribendum itaque, *quem ante*, &c. BOSCH.

At non ſervus] Solemnis elegantiae formula. Cicer. pro Cluent. XXVII. *Facile hoc Avitus patiebatur, facile Cannutius, at non Oppianicus, neque Patronus ejus L. Quintius.* Virgil. II. Æn. 540.

At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis in hoſte fuit.

Harundinem] Virga, janitoris geſtamen, oſtio appendi

tum ſcrutatur. Subducebat Giton ab ictu corpus, &, reducto timidiſſime ſpiritu, ipſos cimices ore tangebat. * * Eumolpus autem, quia effractum oſtium cellae neminem poterat excludere, irrumpit perturbatus, &, [a] Mille, inquit, nummos inveni: jam enim perſequar abeuntem praeconem, &, in poteſtate ſua eſſe Gitonem, meritiſſima proditione monſtrabo. [b] Genua ego perſeverantis amplector, ne morientes vellet occidere: &, merito, inquam, excandeſceres, ſi poſſes proditum oſtendere. Nunc inter turbam puer fugit, nec, quo abierit, ſuſpicari poſſum. Per fidem, Eumolpe, reduc puerum, & vel Aſcylto redde. Dum haec ego jam credenti perſuadeo, Giton, conlectione ſpiritus plenus, ter continuo ita ſternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum Eumolpus

a EUMOLPUS. b ENCOLPIUS.

pendi ſolita. GLOSS. Lege, *cauponis*, harundinem oſtio appenſam intellige. Infra cap. CXXXIV. *& harundinem ab oſtio rapuit*. ea virga Senecæ, janitoris geſtamen lib. 2. de Traquillit. Douza Præcidan. pro Tibull. cap. 1. ERHARD. Non oſtio appoſitam, multo minus inſigne præfecti familiæ intelligere, par eſt, ſed obviam neſcio unde raptam prius cauponi, ut ea in rixa pro telo uteretur, & quam adhuc manu tenens intraverat cellam, ubi eam Eumolpo ipſi eripit.

Omniaque etiam foramina parietum ſcrutatur] ſolebant veteres in perquiſitione furti vel minutiſſima quæque, quamvis obſignata, perſcrutari & excutere. Plato de Legib. lib. 12. Apul. 9. *Immiſſis itaque lictoribus, caterisque publicis miniſtris, angulatim cuncta perſcrutari jubent*. P. Pithœus Adverſ. l. 2. c. 19. ERH.

Reducto timidiſſime ſpiritu] Ammianus lib. 19. de nocturnorum militum inſidiantium ſilentio; *Atque ipſum ſpiritum reprimentes*. ERHARD.

Scyniphes] Ea vox Exodi VIII. Origenes *muſcas minutas, ſed acerbiſſimo terebrantes ſtimulo*, ait, uti & Eucherius lib. 2. Inſtruct. *culicum genus aculeis permoleſtum*. Forte Petronio nomen animalis effigiati in lecto. Quid, ſi legas *ipſos ſcimpodes?* Heſych. σκίμπους, κράββατος. Schol. Ariſtoph. τὸν κράββατον σκιμποδᾶ λέγουσιν ἀττικοί. Quanquam alii σκιμπόδιον, lectum tricliniarem, ut apud Gell. lib. 19. cap. 10. & Heſych. σκιμπόδιον, ἐυτελὲς κλινίδιον· alii lecticam. WOUWER. De his Joan. Bochius ad Pſalm. 104. WEITZ. Vide Voſſ. ad Catull. carm. 20. pag. 58. Hinc *cimicare*, quod Græci eſt κορεῖν, id eſt, cimices occidere, vel cimicibus lectos purgare. vide Caſaub. ad Theophr. Charact. pag. 340.

*Tangebat * * Eumolpus*] Aſteriſcus deeſt in V. cod. TORNÆS.

Irrumpit perturbatus] Omnino legendum *perturbaturus*. BARTH. V. C. *perturbatus*. quod etiam viderant Interpretes. Prior lectio tolerabilis. BOURDEL.

Et mille] manus docta in codice Almeloveenii *En mille* conjecerat.

Meritiſſima] Alii *Veriſſima*. TORNÆS. Si attenderis quæ ſequuntur, vix dubitabis, quin ita legendum ſit: *Et in poteſtate tua eſſe Gitonem meritiſſima proditione monſtrabo*. Nam ſtatim dicturus eſt, *merito, inquam, excandeſceres, ſi poſſes proditum oſtendere*. Tria hæc, *merito, proditum, oſtendere*, tribus illis reſpondent, *meritiſſima proditione monſtrabo*. Sic cap. CXXV. *totamque ſallaciam invidioſa proditione detexerit*. RICHARD. *Propoſitione*. Gellius lib. 1. cap. V. de Hortenſio: *maledictis appellationibuſque propoſitis jactatus eſt*. Quare ſupervacuum viri docti, *proditione*. BARTH.

Morientes] Vide Paſſerat. ad Propert. lib. 11. eleg. 8. ubi proverbialem hanc formulam explicat. Ita & Cicero lib. XIV. ad famil. ep. 1. *per fortunas miſeras noſtras, vide ne puerum perditum perdamus*. Ubi vide Interpretes. Auctor ad Herenn. lib. IV. *noli exſtinguere exſtinctos*. ſic apud Nonium refertur dictum Plauti *in* injurioſum hominem *Terebratum quid pertundis*. Idem in Captiv. II. 8. *tum inventum inveni*, & Mercat. III. 4. *hac re homines occupatos occupant*. Et Cicer. ad Att. XV. 15. *impeditum impedire*. affine eſt illud in libris ſacris κάλαμον συντετριμμένον ἐπικλᾶσθαι. Sic de Andronico Comneno apud Nicetam lib. II. pag. 381. cum enim, ante triduum Imperator, exutus imperio eſſet, & oculo effoſſo, manu præciſa, ſcabioſo camelo impoſitus, perque urbem ſuam Conſtantinopolin traductus, omniquè genere contumeliarum vexatus, tandem pedibus ſuſpenſus eſſet, nullam ei aliam vocem excidiſſe memorat Nicetas, præterquam τὸ τὶ κάλαμον συντετριμμένον προσεπικλᾶτε. Hæc fere notaverat docti viri manus in margine codicis, quem poſſideo. BURM.

Excandeſcens] Alii, *excandeſcis*. TORNÆS.

Redde puerum] Alii, *reduc puerum*. PATISSON.

Collectione] Quintil. Decl. V. *Tandem, ſpiritu in pauciſſima verba collecto, inquit*. Juſt. VI. 8. *ut relatus in caſtra ſemianimis vocem ſpiritumque collegit*.

Continuo ita ſternutavit] Alii, *ter continuo*. PATISSON. & TORNÆS. Inſerendum adverbium ter

pus conversus salvere Gitona jubet. Remota etiam culcita videt Ulixem, cui vel esuriens Cyclops potuisset parcere. Mox conversus ad me, [a] Quid est, inquit, latro? Ne deprehensus quidem ausus es mihi verum dicere, imo, ni Deus quidam humanarum rerum arbiter pendenti puero excussisset indicium, elusus circa popinas errarem. * [b] Giton longe blandior, quam ego, primum araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio factum erat, coartavit; mox palliolo suo laceratam mutavit vestem, amplexusque jam mitigatum, osculis tamquam fomentis adgressus est, &, [c] in tua, inquit, pater carissime, in tua sumus custodia. Si Gitona tuum amas, incipe velle servare. Utinam me solum inimicus ignis hauriret! utinam hibernum invaderet mare! Ego enim omnium scelerum materia, ego

[a] EUMOLPUS. [b] ENCOLPIUS. [c] GITON.

ter ex vet. cod. RICHARD. Simile quiddam Apul. lib. IX. Metam. *Intercluso spiritu diffluebat, utque est ingenium vivacis metalli, crebras ei sternutationes commovebat, &c. quod cum putaret ab ea profectum, solito sermone salutem ei fuerat imprecatus.* PITH.

Concuteret] Apulej. I. Metam. *Hæc ego ut accepi, sudore frigido miser perfluo, tremore viscera quatior, ut grabatulus etiam succussus & inquietus super dorsum meum palpitando saltaret.*

Salvere Gitona jubet] Ζεῦ σῶσον. Meurs. ad Theocrit. pag. 45. & seq. Scalig. in Ausonian. lection. WEITZ. Mos est antiquissimus sternutantibus bene precandi. Schopp. Verisimil. lib. 4. cap. 12. Barthius ad Claudian. Præter Plin. Apulejus lib. 9 Titianus lib. 3. Epigramm. eleganter. Non ergo propter inguinariam luem institutus fuit, ut scribunt Paulus Monticassinus & Guilermus Mimatensis, quæ multo post tempore Romæ ita grassata est, ut oscitantes ac sternutantes efflarent animam. Savaro ad Sidon lib. 7. epist. 1. Eadem consuetudo apud Hebræos, ut sternutanti dicatur אסותא *asutha*, id est, salus, vel רפואה *repuah*, id est, medicina. Fingunt enim Rabbini, morbum initio mundi fuisse, qui אסכרא *ascera* à verbo סכר *secar*, id est, strangulare, dictus est, primumque pueros, post id adultos, corripuisse, atque strangulasse temporis puncto, ita ut cum sternutamento spiritus simul omnis avolaret, qua de re Elias Levita in Thisbithi. Casp. Waserus de Antiquis nummis Hebræor. lib. 2. sed more suo solentes suaviter fabulantur Rabbini. Sternutationem ad malum omen refert Frontinus Stratag. lib. I. cap. 12. §. 11, ad bonum Xenoph. Anabas. lib. 3. Ex quo procedit etiam noster hodiernus mos, ut, arripientes velut omen salutare, sternutantem salvere jubeamus. Barth. d. l. cui caussa est cur non assentiamur. ERHARD. Interpretum adnotationibus adde Salmasii Epistolam XXIV. & Valesiana pag. 68.

Culcita] Pulvinus, tectulus. GLOSSÆ.

Popinas] Diversoria. GLOSSÆ.

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Firmic. *Faciet popinarios, & qui alienarum voluptatum curam solicitudinemque sustineant.* PITH.

Giton longe] Excidisse modo particulam *sed*, vel similem, credit Amplis. Cuperus.

Araneis oleo madentibus] Seren. Sammon. cap. LIV.

Si vero caput infestus collisserit ictus,
Ex oleo necti vestis debebit Arachnes,
Nescîet hæc illinc (nisi cum sanavit) abire.

Quod exscripsit Marcellus de Medicam. cap. I. *Fracto capiti tela aranei ex olea & aceto imposita non recedit, nisi sanaverit.* WOUWEREN.

Amplexusque jam mihi gratum] Alii *amplexuque jam mihi gratus.* MS. *amplexusque jam mitigatum.* TORNÆS. Alii, *jam mihi gratum.* PATISSON. Alii, *jam mihi iratum:* scilicet Eumolpum. Gruter. Suspic. lib. 6. cap. 15. vel, *amplexuque jam mitigatum* Jungermannus. neutrum placet. Gython amplexus Eumolpum jam mitigatum, scilicet sibi, nondum autem Encolpio, ut ex sequentibus planum fit. ERHARD.

In tua, pater carissime, in tua custodia sumus] Ita apud Amphilochium in vita Basil. Magni, Petri sponsa Basilio ait; εἰς τὰς χεῖράς σου ἐμοὶ, τιμιώτατε πάτερ. WEITZ.

Incipe velle servare] Supra cap. XI. notavimus ex Higin. Hieron. vita Johann. Mon. *cœpimus velle ab eo proficisci.* BARTH.

Hibernum mare] Hibernum, vel sævum. GLOSS. Veteres *hiberum*, non *hibernum.* Pith. PATISSON. *Hibernum.* Musæus:

Χειμερίην καὶ ἄπιστον ἁλυσκάζων ἅλα νούτης.

Apud Plaut. Arcturus in Prolog. Rudent. vers. 69.

Increpuit hibernum & fluctus movit maximos.

Glossator in illud Persii: *Hibernat, sævit, inquit, vel à navigiis vacat.* PITH.

ego cauſſa ſum. Si perirem, conveniret inimicis. * *

XCIX. [a] Ego ſic ſemper, & ubique vixi, ut ultimam quamque lucem, tamquam non redituram, conſumerem. * *

[b] Profuſis ego lacrymis rogo, quaeſoque, ut mecum quoque redeat in gratiam. neque enim in amantium eſſe poteſtate furioſam aemulationem: daturum tamen operam, ne aut dicam, aut faciam amplius, quo poſſit offendi. Tantum omnem ſcabitudinem animo, tamquam bonarum artium magiſter, deleret ſine cicatrice. Incultis aſperiſque regionibus diutius nives haerent: aſt, ubi ea aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris, levis pruina

[a] EUMOLPUS. [b] ENCOLPIUS.

Inimicis] Forte, *amicis*. ERHARD.

Ego ſic ſemper] Horat. 1. epiſt. IV. verſ. 13.

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum. PITH. Dion. Cato.

Cum dubia incertis verſetur vita periclis,
Pro lucro tibi pone diem quocumque laboras.

BARTH. Ex praecepto Philoſophorum. Horat. lib. 1. ep. ad Albium. Muſonius, Οὐκ ἔστι τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν καλῶς βιῶσαι, μὴ προδιήμενον αὐτὴν ὡς ἰσχάτην βιῶσαι. apud Stobaeum ſerm. 1. Antonium in Meliſſa & Maximum Monachum ſerm. 51. Avianus Boëtus de Moribus; *Omnis dies velut ultimus judicetur.* Vide quae conſignavit Goldaſtus Not. ad Columban. cap. 7. Alius Poëta;

Vive memor lethi, &c.

Extremumque tibi ſemper adeſſe puta. ERHARD. Senec. Epiſt. XCIII. *Non ad eum diem me aptavi, quem ultimum mihi ſpes avida promiſerat, ſed nullum non tamquam ultimum adſpexi.*

Furioſam aemulationem] Id eſt, Zelotypiam. BONGARS.

Dicam aut faciam] His duobus omnia perperam commiſſa comprehendit etiam Ovidius lib. 1. Art. Amator. verſ. 599.

Ut, quidquid facies diceſve protervius aequo,
Credatur nimium cauſſa fuiſſe merum.

Infra cap. CVIII. *Ut nihil nec facere deceret, nec dicere.* BURM.

Scabitudinem] Scabredinem. GLOSS. Lege *ſcabritudinem*. Meurſ. Animadv. Miſc. lib. 4. cap. 6. *ſcabredinem* dixit D. Hieronymus in vita Hilarionis. ERHARD.

Bonarum artium magiſter] Id eſt, eloquentiae & Poëtices, quae proprie *bonae artes* dici meruere. Ovidius lib. 1. Art. Amator. verſ. 459.

Diſce bonas artes (moneo) Romana juventus.

& ita paſſim alii.

Sine cicatrice) Sic ſupra. *Sine dolore* Leid. cod. Nil muta. Mox idem cod. *ecce enim*. BOSCH.

Aſt, ubi ea] To *ea* delendum cenſet D. Munckerus meus. BOSCH.

Domefacta] Alii, *manſuefacta*, alii, *domita*. TORNAES. Dixit, quemadmodum Corn. Severus in Aetna;

——— *Domitis nemo Cererem jactaret in arvis.*

Lindenbrog. Not. in Catal. ad Aetn. ERHARD. Non cohaerere haec praecedentibus notat ampl. Cuperus: nam, ut inter mentem feram & eruditam comparationem inſtituit, (quod ſcilicet ira illam obſideat, hanc vero praeterlabatur) ita & componit terram aſperam & cultam: in illa nives durant, in hac, non ſecus ac pruina, liqueſcunt: quare legeret, *Et ubi aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris, velut pruina dilabuntur: ſimiliter in pectoribus ira cum ſedet, &c. Domefacta* vero vox inſolens: *Domare* autem *terram*, pro aratro ſubigere, frequens Poëtis. Virgil. lib. II. Georg. verſ. 62.

——— *Et omnes*
Cogenda in ſulcis & multa mercede domanda.

Et lib. IX. Aeneid. verſ. 608.

Aut raſtris terram domat. ———

Statius lib. VII. Theb. verſ. 332.

Aulida qui, Graiamque ſerunt, virideſque Plateas,
Et ſulco Peteona domant.

Manilius lib. IV. verſ. 902.

Et domuit terram ad fruges, animalia cepit.

Avienus deſcr. Orb. 146.

Hic longo ceſpite tellus
Funditur, & varia populorum pube domantur
Arva ſoli.

Et ita paſſim incultas terras, ut feras, quae manſuefieri & molliri debent, Poëtae & Oratores, conſiderare ſolent. Vide la Cerdam ad Virgilii lib. II. Georg. verſ. 36. Auctor quoque Dialogi de Oratoribus capite 40. notante Cupero, dixit, *indomitum agrum*. Eadem metaphora *imperare arvis*, ut jam domitis & ſubactis, dixit Virgilius lib. 1. Georg. verſ. 99. & Avienus deſcriptione Orbis verſ. 14.

Qua colitur populis, qua tellus paret aratro.

ut egregie obſervavit Broukhuſius nuper noſter ad Tibull. lib. 1. eleg. X. verſ. 9. BURM.

Nitet] Elegans verbum, quod proprie cultis agris convenire docuit magnus Gronovius ad Senecae Oedip. verſ. 156. & ita cape *nitentes Cycladas* apud Horatium lib.

pruina dilabitur. Similiter in pectoribus ira considit: feras quidem mentes obsidet, eruditas praelabitur. [a] Ut scias, inquit Eumolpus, verum esse, quod dicis, ecce etiam osculo iram finio. itaque, quod bene eveniat, expedite sarcinulas, &, vel sequimini me, vel, si mavultis, ducite. [b] Adhuc loquebatur, quum crepuit ostium impulsum, stetitque in limine barbis horrentibus nauta. [c] Et, Moraris, inquit, Eumolpe, tamquam

[a] EUMOLPUS. [b] ENCOLPIUS. [c] NAUTA.

lib. I. od. 14. Ovid. lib. IV. Fast. vers. 126.

Vere nitent terræ, vere remissus ager.

Virgil. lib. VI. Æneid. vers. 677.

——— *Camposque nitentes*
Desuper ostentat. ———

Et ita ipsæ herbæ arbores & omnia sata *nitere* dicuntur. Ovid. lib. X. Metam. vers. 647.

——— *Medio nitet arbor in arvo.*

Et lib. XV. Metam. vers. 202.

——— *Tunc herba nitens & roboris expers*
Turget.

ubi vide Heinsii notas. BURM.

Dum loqueris] Vide notas ad Ovid. lib. 4. ex Pont. Epist. 3. vers. 58. WEITZ. Vide supra ad cap. 16.

Similiter] Alii, *simul*. PATISSON.

In pectoribus ira considit] Attius Achille: *cum fervat pectus iracundia*. Claudian. in IV. Cons. Honor. vers 241.

Iram sanguinei regio sub pectore cordis Protegit.

Est vero hoc Platonicum, qui iram sub corde locat. vide Alcinoum cap. 17. διαγωγῆς. Barth. ad Claudian. dict. loc. ERHARD.

Prælabitur] Pro, præterlabitur. Symmach. lib. I. epist. 8. *Volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum, sed tantum nostra ora prælabitur*. Sic eleganter Columella, *prælabentis temporis fugam irreparabilem* dixit, hoc est præterlabentis. Guntherus lib. 5. vers. 281.

——— *Reliquas prælabitur amnis*
Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.

Ibi Rittershusius in Not. WEITZ. Nihil frequentius esse, quam *præ* in compositis verbis *præter* notare, docuerant, præter alios, summus Gronovius ad Livii lib. XXIX. cap. 32. & Munker. ad Hygin. fab. 199. & Rutgersius Venusin. Lection. cap. XIV.

Expedite sarcinulas] Catull. Epigr. XXVIII.

Aptis sarcinulis & expeditis.

Douza F. ad Catull. dict. loc. ERHARD. Id est, celeriter conligite & convasate. Virgil. lib. IV. Æneid. vers. 590.

Non arma expedient.

Et ita *expediti* proprie milites, & eorum duces, qui sine impedimentis agmen movent. vide Suet. in vit. Cæsar. cap. LVII. Cicer. lib. VIII. ad famil. Epist. 9. & passim. Apulej. lib. XI. Metam. in simili re dixit, *Raptim constrictis sarcinulis, nave conscensa.*

Impulsum] Vide supra cap. 16.

Barbis horrentibus] Horrida barba, id est, hispida. GLOSSÆ. Alii, *verbis horrentibus*. vel legendum, *barba horridus*. TORNÆS. & PATISSON. German.

Horrentesque jubas & fulvum cerne leonem.

Isidor. lib. X. *Hirsutus ab eo, quod sit hirtus & pilis horridus*. Apul. in Apolog. *Capillus horrore implexus atque impeditus*. Solin. cap. XXII. *Villosos habent armos, & menta promissis hirta barbis*. BARTH. Pro, barba horrida, id est, hispida. Figura est solens bonis scriptoribus, numerum pluralitatis pro singulari abutendi. Apul. lib. 4. *Barbis cærulis hispidum Portunum*. Prudent.

Hirsuta barbis solvitur sensim cutis.

Barth. in Ceir. Virg. num. 302. *Barbis horrentibus*, id est, δριξὶν φρικώδεσι. ERHARD. Grammaticos nihil reveritus videtur Petronius, qui docent *barbam* tantum dici de homine, sed *barbas* de quadrupedibus. vide Servium ad Virgil lib. III. Georg. 311. & lib. II. Æneid. vers. 277. Acronem ad Horat. Art. Poëticam vers. 298. & ita Flavius Caper de Orthographia pag. 2243. *barbam hominum, barbas pecudum dicimus*. Sed senior Charisius, qui lib. I. Instit. Grammat. pag. 74. *Barbam singulariter in uno homine recte, pluraliter in pluribus dicas. Nam & Virgilius* (lib. III. Georg. vers. 366.) *de pluribus ait.*

Stiriaque impexis induruit horrida barbis.

Errant enim, qui in hominibus barbam, in hircis barbas dici putaverunt: nam hic de hominibus Virgilius loquitur quamvis & hircorum dixerit barbas, sed, ut dixi, multorum. Charisii auctoritatem etiam secutus Valla lib. VI. elegant. cap. 14. Non ergo carpi potest Petronius, quod *barbas* hominibus tribuit, sed quod uni nautæ; quod tamen studio feciisse puto, ut graphice horrorem & hispidum nautarum habitum describeret, quorum barbæ tam incultæ esse solent, ut una multarum barbarum instar habeat. Eodem sale Apulejum lib. IV. Milesiar. *Portunum cærulis barbis hispidum* dixisse, adnotaverat Broukhusius. hoc non animadvertentes Viri docti hic, *verbis horrentibus*, legere maluerunt, à qua lectione etiam non alienus videtur fuisse noster Broukhusius, qui codici suo adscripserat, & firmari credebat loco Ovidii de Remed. Amor. vers. 664.

Horrebant sævis omnia verba minis.

Sed *horrere* eleganter etiam de hirsutis pilosa dici docuit

quam propudium ignores. [a] Haud mora, omnes consurgimus, &, Eumolpus quidem mercenarium suum, jam olim dormientem, exire cum farcinis jubet: ego cum Gitone, quidquid erat, in altum compono, & adora-

[a] ENCOLPIUS.

cuit Barthius ad hunc locum, & lib. v. Adversar. cap. 3 & ad Statii lib. 11. Thebaid. vers. 30. unde suum *horripilare*, fecit Apulejus. Et ita huc refert Ampl. Cuperus locum Valerii Flacc. lib. 1. vers. 229.

——— *Non ullo horrore comarum*
Terribilis.

Et Ciceronis ad Att. lib. 11. Epist. 1. *Tua illa horridula mihi & incomta visa sunt.* Et ita Græcos uti de horrore tali incomto ἀγρίῳ ex Euripidis Oreste vers. 226. & 387. adnotavit idem vir Amplissimus. BURMAN.

Moraris] Alii, *miraris*. PATISSON. De nautarum talibus convitiis Martial. lib. x. Epigr. CIV.

Hæc sunt, jam tumidus vocat magister,
Castigatque moras; & aura portum
Laxavit melior. vale libelle,
Navem, scis, puto, non moratur unus.

Sermo autem hic τὸ πρέπον nautæ servat, ideoque turbatior est, atque solet. BARTH. Hanc nautarum festinationem, qua vectores urgent & impellunt, illustrat aptissime adducto hoc Petronii loco Passeratius ad Propert. lib. 1. eleg. 8.

Propudium] Prope diem. GLOSSÆ. Alii, *properandum*. TORNÆS. Nonnihil ad istum locum facere videtur, quod ex Turpilio refert Isidorus: *Quasi*, inquit, *cum ventus fert navim in mari secundas, si quis propedon misit, si velt siniſtrum.* Sane Servius *podia* interpretatur funem, quo tenditur velum. sed quæramus. PITH. Quid si legas, *proludium*, ut intelligatur celeusma illud, quo nautæ discessum significant? BONGARS. Barthius ad Statii lib. 111. Sylv. 11. vers. 56. explicat *tamquam nescias, quas contumelias mereatis, & ferre soleant navigia morantes.* Qui sensus an ullis fidiculis exprimi possit, vehementer dubito. Ipse certe Barthius ad lib. 1v. Thebaid. vers. 25. suæ interpretationis oblitus, fatetur aliquid inesse huic loco adhuc inexcussum, & suspicatur, nauticum aliquod apophthegma latere, non facile quidem eruendum. Certe *propudium* (cujus vocis vim explicat Paulus Festi contractor,) hic tolerari nequit. Amplissimus Cuperus conjectabat *prolubium*, id est, promtum meum ad navigandum animum Qua voce usi Accius, Nonius, Laberius, Varro, Gellius, Apulejus, & quidam Terentio Adelph. Act. v. scen. 9. tribuunt. Non alienus tamen à Tornæsii varia lectione *properandum* est. Mihi hic aqua hæret: sed suspicor, in voce *propudium* nomen proprium latere forte ipsius nautæ, qui morantem Encolpion objurgat, quasi ignoraret nautam hunc, qui impatienter moras vectorum fert, neque, ut alii nautæ, mature excitant & impellunt vectores, sed tarde demum solvunt naves, sive aliquo vocabulo, quod à librariis in *propudium* fuit corruptum, indicavit Lycam navigii dominum, qui & iracundus & impotens, ut infra cap. 125. describitur, ægre ferret moras vectorum. Nisi per *propudium* intelligat *Tryphænam*, quæ voluptatis caussa huc atque illuc vectatur, & quæ imperiosa amputari moras juberet. Nam propudia & propudiosæ proprie meretrices, ut notissimum. BURM.

Haud mora] Non dubium, quin desint multa. BONGARS. Medium nautæ sermonem interrumpit, ut properans. BARTH.

Exire cum farcinis jubet] Hi ministri, *farcinatores*, Gloss. σκευοφόρος, *vasifer*, *farcinator*. Infra de hoc mercenario cap. CXVII. *Corax detrectator ministerii, posita frequentius farcina*, &c. vide Planudem in Vita Æsopi. ERHARD.

Olim] Vide cap. 22.

Quidquid erat] Ita veteres per extenuationem suas res & farcinas non magni pretii dixisse notavit Ampl. Cuperus. Terent. Hecyr. Act. III. scen. 5. *Quidquid est, id, quod reliquit, profuit.* Plaut. Menæchm. Act. v. sc. ult. vers. 91. *Vendam quidquid est.* Rudent. Prol. 58. *Quidquid erat noctu in navem comportat.*

In altum] Alii, *in alutam*. TORNÆS. Fortasse legendum, *in allene*, id est, in unum, in massam. vide Cælium. PUTEAN. *Inlatum* legit Salmasius ad Vopisc. id est, ἐμβληθὲν. ἐμβληθῆναι, & ἐμβολὴ dicitur de mercibus, quæ in naves imponuntur. ὑθήκην vocat Hesychius. WEITZ. Vetus schedium MS. *ad altum compono*. WOUWEREN. Scribe *quidquid erat elatum*, elatas ex ædibus farcinas hi duo componebant. Livius pari modo lib. 1. cap. 29. *jam fragor tectorum, quæ diruebantur, ultimis urbis partibus audiebatur, raptim quibus quisque poterat elatis*, lib. XXIX. cap. 20. *ad collegium Pontificum relatum de expiandis, quæ Locris in templo Proserpinæ tacta, violata, elataque essent.* Phædrus lib. IV. fab. 78.

Prædones adsunt, rapiunt quod quisque extulit.

C. Gracchus apud A. Gellium lib. XV. cap. 12. *Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex provincia manes retuli.* Noster infra, *cum ventum fuerit in portum, sine ulla suspicione pro farcinis vos efferam.* Salmasius ad Vopisc. Aurel. cap. 45. & Tertull. de pall. pag. 193. *inlatum compono* corrigebat, hoc est, ἐμβλητὸν. Sed ita erit utique vitiosa narrationis constructio. Quomodo enim illatas in navim farcinas potuit componere, qui ipse navim nondum intrasset? cum proxime subjiciquatur, *& adoratis sideribus intro navigium.* HEINS. Forte scripsit *in arctum compono*, pro in fascem. Sæpe enim librarii has duas voces confuderunt. Ut apud Ovidium lib. VII. Met. vers. 667. lib. 1. Trist. eleg. IX.

adoratis sideribus intro navigium. * *

C. Molestum, quod puer hospiti placet; Quid autem, non commune est, quod natura optimum fecit? Sol omnibus lucet. Luna innumerabilibus comitata sideribus, etiam feras ducit ad pabulum. Quid aquis dici formosius potest? in publico tamen manant. Solus ergo amor furtum potius, quam praemium, erit? Imo vero nolo habere bona, nisi quibus populus inviderit. unus & senex non erit gravis: etiam, quum volue-

IX. vers. 47. Lucan. lib. IV. vers. 664. & lib. II. vers. 710. & passim. *Componere* autem proprie est constipare, colligere in unum. Terent. Hecyr. Act. IV. sc. 3. *I ergo intro, & compone, quæ tecum simul ferantur.* Varro lib. IV. de L. L. in fine. *Stipendium à stipe dictum. Quod æs quoque stipem dicebant. Nam quod asses libræ pondo erant, qui acceperant majorem numerum, non in arca ponebant, sed in aliqua cella stipabant, id est, componebant, quo minus loci occuparent.* vide Broukhusium ad Propert. lib. I. eleg. IX. vers. 3. & supra ad cap. LXVII. notavimus, idem esse, quod decenti ordine disponere; quo sensu Græcos ἁρμόζειν usos adnotavit Ampl. Cuperus, ex Eurip. Phœniss. 117. & ἄρμενον φόρτον dixisse Hesiodum in Oper. lib. II. vers. 630. *conferre sarcinas in navem* dixit Plinius lib. VI. epist. 16. BURM.

Adoratis sideribus] Eustat. Καὶ δὴ περὶ τὸν λιμένα γενόμενοι, καὶ τὰς χεῖρας ὅλας πρὸς αὐτὸν ἀνατεινάμενοι τὸν λαμπρὸν οὐρανὸν, Ζεῦ πάτερ, λέγοντες. &c. Achill. Tat. lib. 2. παιανισμὸς ἦν καὶ πολλή τις εὐχὴ, θεοὺς σωτῆρας καλοῦντες, εὐφημοῦντες ἄϊσιον τὸν πλοῦν γενέσθαι. PITH. Puto Castorem & Pollucem. Propertius navigaturus deos maris invocat lib. 3. Eleg. 19.

Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes,
Cogar & undisonos nunc prece adire deos.

Plaut. Trin. Act. IV. scen. 1. apud Apol. Argon. lib. I. ingressuri mare Apollini Embasio faciunt. vide Schol. Imo & fluctibus ipsis faciebant. Cicero III. de Natura deorum. *Nostri duces mare ingredientes immolare fluctibus hostiam consueverunt.* WOUWEREN. Male vir doctus hinc colligit, noctu rem geri. Nam & diu sidera possunt nocere navigantibus. Sic pacem eorum navigaturo Maroni precatur Horat. Placabant autem & fluctus ipsos. Vide talia apud Catull. Faselo, Lucret. lib. 5. Pacat. panegyr. BARTH.

Molestum est quod puer hospiti placet] Martial. l. IX. Ep. 25.

Quid rogo? quid scelus est mollem spectare ministrum?
Aspicimus solem, sidera, templa, deos. PITH.

Senec. epist. XII. *Molestum est mortem habere ante oculos.*

Sol omnibus lucet] Ovid. VI. Metam. vers. 349.

——— *Usus communis aquarum est*
Nec solem proprium natura nec aëra fecit,
Nec tenuas undas. ——— WOUWEREN.

Chrysostom. Homil. 2. in Corinth. pag. 739. Καὶ γὰρ τὸν ἥλιον ἀνῆψεν οὐ σοὶ μόνῳ, ἀλλὰ τῷ κοινῷ· καὶ γὰρ τοσοῦτῳ γέγονε διὰ τὸ κοινὸν, καὶ ὁρᾷς σὺ μόνῳ τοσοῦτον, ὅσον εἶδον πάντες ἄνθρωποι, &c. Symmach. lib. 9. epist. 1. *Sicut omnibus in hac vita positis ac locatis communis est cœli spiritus, lux diei.* Lege sis Lactant. lib. 3. cap. 26. Cyprian. Serm. 1. de Eleemosyna, & Serm. 3. de Bono patientiæ. Quidam apud Brassicanum in Commentar. Grammatic. de construct. *Diem, aquam, Solem, Lunam, noctem, hæc argento non emo.* WEITZ.

Luna innumerabilibus, &c.] Toti huic narrationi convenit Epigr. 25. lib. 9. Mart. BARTH. Barthius lib. III. Adversar. cap. 7. legit *ducit ad spectaculum*, quia inepte censet lunæ potius quam soli hoc tribui, qui calore suo pabula producit. Sed ipse ineptire potius videtur. Quod facile persuadebunt ea, quæ stupendæ eruditionis Vir Ez. Spanhemius produxit ad Callimachi hymnum in Dianam vers. 164.

Ducit] Alii, *mittit*. Pith. PATISSON.

In publico tamen manant] Omnibus animalibus communes sunt. Prudent. lib. 2. contra Symmach. vers. 811.

——— *Nostros potant animalia fontes.*

Weitzius in Not. ad d. loc. Adde l. 2. §. 1. D. de divis. rer. & qual. §. 1. Instit. de rer. divis. & ibi Interpretes Juris. ERHARD.

Solus amor furtum potius quam præmium] Urbane furto commisit præmium; quod alterum dolo clam, alterum vi palam capiatur. Jam pueri norunt, *præmiatores* esse, qui de nocte *præmia* extexant, id est, prædas. Gulielm. Plaut. quæst. in Menæchm. cap. I. ERHARD.

Unus & senex] Alii, *vietus & senex*. PATISSON. Vult idem, quod versus isti Monastici à Cardinero relati;

Dactylus antiquus non est mulieris amicus,
Flectitur ut stramen, cum venerit ante foramen.

ERHARD. Valer. Max. lib. 2. cap. 1. *uno & sene.* BOURDELOT. Hanc retinui lectionem secutus editiones veteres. Firmat locus Quintiliani Declam. 5. Ampl. Cupero observatus. *Solus ac senex, non illa, quæ speraveram, prosperitate direxi.* similiter Ovidius Epist. XVIII. vers. 9.

Unus, & hic audax, à quo tibi litera nostra
Redditur, è portu navita movit iter.

voluerit aliquid sumere, opus anhelitu perdet. Hoc ut infra fiduciam posui, fraudavique animum dissidentem, coepi somnum obruto tunicula capite mentiri. Sed repente quasi destruente fortuna constantiam meam, ejusmodi vox super constratum puppis congemuit: [a] Ergo me derisit? [b] At haec quidem virilis, & pene auribus meis familiaris, animum palpitantem percussit. Caeterum eadem indignatione mulier lacerata ulterius excanduit, &, [c] Siquis Deus manibus meis, inquit, Gitona imponeret, quam bene exsulem exciperet! [d] Uterque nostrum tam inexspectato ictus sono amiserat sanguinem. Ego praecipue, quasi somnio quodam turbulento circumamictus, diu vocem conlegi, tremulisque manibus Eumolpi, jam in soporem labentis, laciniam duxi; &; per fidem, inquam, pater, cujus haec navis est, aut quos vehat, dicere potes? Inquietatus ille moleste

a LYCAS. *b* ENCOLPIUS. *c* TRYPHÆNA. *d* ENCOLPIUS.

Sumere] Inter verba nequitiæ. Martial. lib. x. ep. XVIII.

Cum duo venissent ad Phyllida mane futurum,
Et nudam cuperet sumere uterque prior.

Nemes. Ecl. IV. vers. 59.

——— *Sic gaudia sumet.* WOUWEREN.

Ovid. lib. III. Art. Amat. vers. 90.

Mille licet sumant, deperit inde nihil.

carminis impuri auctor Carm. IV.

Quod meus hortus habet, sumas impune, licebit.

& ita passim. Quo sensu & *accipere* supra dixit noster cap. LXXXVII.

Opus] Amph. ὑπουργίαν. Martial.

Accessi quoties ad opus.

Et,

Post opus & suas palæstras. PITHÆ.

Anhelitu perdet] Alii *ante id perdet*. Lege *anhelitu prodet*. Wouwer. ERHARD. Plaut. Asin. Act. v. sc. II. 23. *Ille opere foris faciundo lassus nocte advenit.* Et in Libero carmine carm. III.

Dat donum Lalage, rogatque, tentes
Si pictas opus edat ad figuras. SCIOPP.

Corrumpunt hunc locum contra MSS. Cod. qui legunt, *anhelitu prodet*. *Perdet* retinendum esse, patet ubique. In senibus autem maxima spiritus difficultas, ut patet fabulis Plautinis, & apud Æschinem in Epistolis, Hippocratem Aphorism. ult. & Celsum lib. 2. cap. 2. BOURDELOT. Supra cap. 87. & Barth. ad lib. 6. Theb. vers. 870.

Perdet] Vide supra ad cap. 82.

Infra fiduciam] Alii *intra*. PATISSON. Id est, credidi, non facile posse evenire. vide supra cap. LXXXIV. Et infra CXXVI.

Fraudavique] Alii, *firmavique*. PATISSON. Lege *diffidentem*. Meurs. Animadv. Misc. lib. 4. cap. 6. quod ante eum & Douza monuit. ERHARD. Douza P. primus vidit, hic legendum esse, *diffidentem*. BOSCH.

Somnum mentiri] Pro, simulare. Horat lib. IV. od. VI. vers. 13.

Ille non inclusus equo Minerva
Sacra mentito.

Virgil. Ecl. IV. vers. 42.

——— *Discet mentiri lana colores.*

Idem lib. II. Æneid. vers. 422.

——— *Clypeos mentitaque tela*
Agnoscunt. ———

Schopp. in Miscellan. ERHARD.

Obruto] Eleganter pro penitus operto. vide Munker. ad Hygin. fab. CXXV. nihil opus *obnupto*.

Destruente] Manus docta codici Junii adscripserat Tacit. IV. Histor. *Fortunam suam destrui Cæsar imparemque tanto imperio rebatur.* posset & commode legi *destituente*, ut conjecit Vir Ampliss. Cuperus.

Constratum] Cicer. V. Verrin. cap. 40. *Qui solus habuerit constratam navem & minus eximiam.* vide Hottoman. ad cap. 34.

Palpitantem] *Palpantem* Memm. cod. BOSCH.

Eadem indignatione] Pro, pari, simili, quod alii junctim solent dicere, *pari eademque*. ERHARD.

Mulier lacerata] Alii *lancinata*. TORNÆS. Infra de muliere Ephesina cap. CXI. *Ignota consolatione percussa laceravit vehementius pectus.* ERHARD.

Manibus] Alii, *navibus*. PATISSON.

Exciperet] Alii, *exciperem*. PATISSON.

Amiserat sanguinem] Cicer. lib. IV. ad Att. Epist. 16. *Amisimus, mi Pomponi, omnem non modo sanguinem ac sanguinem, sed etiam colorem & speciem pristinam civitatis.*

Circumamictus] Sciopp. hoc verbum ut minus Latinum Critico notavit obelo, in Element. Philosoph. Stoic. moral. cap. 132. satis pro imperio barbarus Potitius. ERHARD. Forte, *circumactus*. CUPER.

Laciniam duxi] Alii, *traxi*. PATISSON.

Per fidem] Supra cap. XCVIII. *Per fidem, Eumolpe, reduc puerum.* BARTH. Id est, dic per fidem. sin-

leſte tulit; &, [a] Hoc erat, inquit, quod placuerat tibi, ut ſuper conſtratum navis occuparemus ſecretiſſimum locum, ne nos patereris requieſcere? Quid porro ad rem pertinet, ſi dixero, Lycam Tarentinum eſſe dominum hujuſce navigii, qui Tryphaenam exſulem Tarentum ferat?

CI. [a] Intremui poſt hoc fulmen attonitus, juguloque detecto, aliquando, inquam, totum me Fortuna viciſti. Nam Giton quidem, ſuper meum pectus poſitus, animam egit; deinde, ut effuſus ſudor utriuſque ſpiritum revocavit, comprehendi Eumolpi genua, Miſerere, inquam, morientium, id eſt, pro conſortio ſtudiorum commoda manum. Mors venit,

[a] EUMOLPUS.

ſanctiſſimum erat juſiurandum, de quo Heraldus adverſar. lib. 2. cap. 3. ERHARD.

Et hoc, inquit, placuerat] MS. *Et hoc erat, inquit, quod*, &c. TORNÆS.. Vide ſupra cap. XCIII.

Supra conſtratum navis] Ἐπὶ τῦ καταστρώματος. PITH. Στέγη, Fulgent. de priſco ſermone. hinc Cicer. in Verr. *navis conſtrata*, quæ Cæſari *tecta*, in Gloſſ. *Caſana*, σκέπη πλοίου. WOUWEREN. Non ſub conſtrato navis, ſed ſuper dormiviſſe, ex hoc loco probat Caſaubon. in Perſ. Sat. 5. ERHARD.

Ad rem] Elegans formula. Infra cap. 108. *Nec tamen putaverunt ad rem pertinere, ubi inciperent.* Cicero lib. 11. de divinat. cap. 47. *Et, ſi ad rem pertinet, quo modo cœlo affecto, compoſitiſque ſideribus, animal quodque oriatur.* Et paſſim alii.

Licham] Alii, *Lycam*. TORNÆS. Manuſcripti ſemper *Licham*, ut & apud Martialem. *Lichas* ſervus Herculis erat, quem, Echalia in poteſtatem redacta, Hercules ad conjugem Dejaniram nuncium victoriæ miſit. Huic Lichæ Dejanira veſtem Neſſi Centauri ſanguine imbutam eo animo ad Herculem ferendam dedit, uti Hercules non amaret Iolem pellicem. Neſſi enim ſanguis vires amoris habebat. Hercules indutus tunicam, igne ſacro & furore correptus, Licham in flumen ad Thermopylas præcipitavit, ipſe in rogum ſe conjecit. Rader. ad Martial. lib. 19. epig. 48. ERH.

Dominum] Cicer. III. de off. cap. 23. *Quid? dominus navis eripietne ſuum? minime: non plus, quam ſi navigantem in alto ejicere de navi velit, quia ſua ſit. quoad enim perventum ſit eo, quo ſumta navis eſt, non domini eſt navis, ſed navigantium.* Horatius *magiſtrum* vocat lib. III. od. 6. & ſic fere Juriſconſulti. Hæc adnotaverat ad oram codicis ſui Broukhuſius. Ampliſ. Cuperus adſcripſerat inſcriptionem ex Reineſii Claſſ. III. n. 21.

Tryphana] Hoc nomen legitur apud Suidam in Ἄωλος: quod unde veniat docebit Ælianus lib. XIV. cap. 31. Πολεμαῖος ὁ Τρύφων (τοῦτο γὰρ αὐτὸν ἐκάλει ἐκ τῦ βίου) &c. CUPERUS. Vide Patin. ad tres inſcriptiones Græcas pagin. 211.

Exſulem] Alii, *uxorem*. TORNÆS.

Intremui poſt hoc fulmen attonitus] Emendandum hinc illud Salluſtii Fragmentum Hiſtor. I. *Sic vero quaſi formidine attonitus, neque animo neque auribus aut lingua competere.* Cum enim locutio ſit figurata, legendum ſane eſt: *quaſi fulmine.* Apulejus Metamorph. VIII. *Sed Charite vocem neſandam & horruit & deteſtata eſt; & velut gravi tonitru procellaque ſideris, vel etiam ipſo Diali fulmine, procuſſa, corruit corpus & obnubilavit animam.* Latinus Pacatus in Panegyrico: *Hinc reorum uſque ad damnationem metus, poſtea attonitus ſtupor.* Cæterum de animi conſternatione ſeorſim habes apud Senecam Natur. Quæſt. lib. 2. cap. 27. De aurium autem ſtupore Ammianus Marcellinus lib. 17. cap. X. *In Tagetis Thuſci libris legitur, Vejovis fulmine tangendos adeo hebetari, ut nec tonitrum, nec majores audire poſſint fragores.* Item Q. Curtius lib. 8. cap. 4. *Erat prope continuus cæli fragor, & paſſim cadentium fulminum ſpecies viſebantur, attonitiſque auribus ſtupens agmen nec progredi nec conſiſtere audebat.* DOUZA F. Florus lib. 2. cap. 12. *Regem attonitum tamquam ſubito malo ſtupentem.* Celſus lib. III. cap. XXVI. *Attonitos quoque videmus, quorum corpus & mens ſtupet.* Fit interdum ictu fulminis, interdum morbo. vide Senec. Natur. Quæſt. lib. 2. cap. 27. Gloſſæ: *Attonitus* ἐμβρόντητος, ἐμβροντηθείς. *Attonitus* ἐμβροντηθείς, ἐκπεπληγμένος. locus corruptus. *egregius* forte ἀγελάρχης. Gloſſa: ἀγελάρχης, *armentarius, gregarius, dux gregis.* tranſpoſita vox, nam verbum *attonitus*, minime interpretatur. Xenophon ἑλληνικῶν VI. Πέμπει κέρανος εἰς τὸ στρατόπεδον, καὶ οἱ μὲν τινες πλησίοντες, οἱ μὲν ἐμβροντηθέντες ἀπέθανον. WOUWER.

Super pectus meum] Tale illud apud Achill. Tatium libro 5. Ταῦτα ἔλεγε καὶ ἔκλαιεν, ἐπιθεῖσα μοῦ τοῖς στέρνοις τὴν κεφαλήν. Euſtath. ταῦτα εἶπε, καὶ περὶ τὸ στέρνον τοῦτο τὸμὸν ὅλον κατεπιθεῖσα τὸ πρόσωπον κατέῤῥεγε μοι τοῖς δάκρυσι. PITH. *Super pectus meum poſitus* diu Leid. codd. BOSCH.

Morientium * *i pro*] Alii, *morientem & pro*. TORNÆS. & PATISSON.

Commoda manum] Χεῖρα χεῖρα νίπτει. Senec. Apocol. BARTH.

Niſi

venit, quae, nisi per te licet, potest esse pro munere. Inundatus hac Eumolpus invidia, jurat per deos deasque, se neque scire, quid acciderit, nec ullum dolum malum consilio adhibuisse, sed mente simplicissima, & vera fide, in navigium comites induxisse, quo ipse jam pridem fuerit usurus. [a] Quae autem hic insidiae sunt? inquit, aut quis nobis Hannibal navigat? Lycas Tarentinus, homo verecundissimus, & non tantum hujus navigii dominus, quod regit, sed fundorum etiam aliquot, &

a ENCOLPIUS.

Nisi per se licet] Legendum, *per te non licet*. Jungermannus. ERHARD. Malim, *quae, si per te licet*, id est, si tuis manibus moriamur: sic Apulej. l. 4. de Asin. pag. 57. *sat se beatum, qui manu sociali volens occumberet*. SCIOPP. *Per te licet* subintelligerem *vivere*, nihilque mutarem. Sensus: tantis versamur in angustiis, ut cita mors muneris esse possit loco, nisi per te vivere liceret. HADRIANID. Optime Leid. cod. *nisi per te non licet*; hoc est, nisi certa mors à te non impeditur. BOSCH.

Pro munere] Ovid. lib. IX. Met. vers. 181.

Mors mihi munus erit.

Inundatus] Malim *innodatus*, si exempla ejus verbi occurrant. HEINS. Sed, quia saepius Petronius verbo *inundare* utitur (vide cap. XXI. CXIII. CXIX.) retinendum puto.

Dolum illum malum] Alii, *dolum ullum malum*. TORNÆS. & PUTEAN. Est enim dolus alius bonus, alius malus. Cic. lib. 3. Offic. de qua doli distinctione est in leg. 1. §. 3. D. de dolo malo. Gratiosus Epidaurita in Notis; D. M. M. L. *dolum malum multatur leges*, ubi Goldast. monet esse legendum, *multant leges*. ERHARD.

Vera fide] Vide de hac locutione Heinsii notas ad Ovidii Epist. Heroid. XVI. vers. 60.

Quis nobis Hannibal navigat] *Hannibal*, hic pro ferocissimo & capitali hoste. GLOSSÆ. Legendum *nobiscum*. Wouwer. *Annibalem* pro ferocissimo & capitali hoste, ut *Cyclopem* pro Archipirata. Durant. Var. lect. lib. 1. cap. 13. ERHARD. Minime mutanda elegantia. Quid enim magis obvium, quam dativum talem παρέλκειν. Quod passim observatum eruditis veterum interpretibus. v. supra ad cap. VI. *Hannibalem* vero in proverbium abiisse, pro fero vel inimico, ex Cicerone lib. VII. ad Att. ep. 11. adnotabat Ampl. Cuperus. *Utrum de Imperatore P. R. an de Hannibale loquimur?*

Verecundissimus] Supra cap. 25. Giton *verecundissimus puer* dicitur.

Regit] Simul ergo dominus erat navis & magister. Ut ille apud Ciceronem lib. II. de Invent. cap. 51. *Tempestas ipsos vehementius jactare coepit, usque adeo, ut dominus navis, cum idem gubernator esset, in scapham confugeret*. Sed vulgo solebant esse diversi domini, & gubernatores. Domini, qui exercent rem navicularium, qui raro ipsi navigabant, sed magistri, Gubernatores, qui pro dominis negotiatoribus merces transvehebant, & navi praeponebantur. Ovid. lib. I. Art. Amat. princ.

Tiphys in Haemonia puppe magister erat.

Val. Flacc. lib. 1. vers. 18.

——— *Aut Grajis Helice servanda magistris.*

vide eumdem vers. 381. 465. eodem sensu *pecorum magistri*. Ovid. lib. IV. fast. vers. 755. Virg. lib. II. Georg. vers. 529. & passim. BURM.

Negotiantis] Alii *negotiatorum*. TORNÆS. Priorem Gonsalii interpretationem verissimam puto; nam venalitiam familiam *negotiantem*, vocare contra omnem linguae Latinae usum est. *Negotiantes* enim proprie Romae dicti, qui per provincias foenus exercebant, merces undique coëmtas, & praecipue annonam, Romam comportabant. Quales Sueton. in vit. Caes. cap. 49. *negotiatores Urbicos* vocat. *Negotiantes* in vit. August. cap. XLII. Talis fuit Atticus. Cicer. lib. 1. ad Att. Ep. 18. Aulus Trebonius. Idem lib. 1. ad famil. Epist. 3. & infiniti, quorum plurima mentio in Ciceronis Verrinis & aliis orationibus, qui per servos & institores negotia procurabant; quae plana & manifesta probatione non indigent. vid. Pignor. de serv. p. 343. ubi docet & magistros navium fuisse saepe servos, & talem intellexisse Horatium lib. III. od. 6. mihi persuadeo:

——— *Seu vacat institor,*
Seu navis Hispanae magister
Dedecorum pretiosus emptor.

Non, ut Gallus interpres fecit, dominum intelligit: hujus enim amor non dedecori puellae esse posset, cum domini essent Equites & honestissimi cives, sed servi & liberti negotiatores peculio suo exorabant Romanas puellas, & corrumpebant: quod dedecus ibi notat Flaccus. Idem Flaccus lib. 1. Epist. XVI. 69. servis usos docet ad navigandum & negotiandum:

Vendere cum possis captivum, occidere noli,
Serviet utiliter, sine pascat durus, aretque,
Naviget, ac mediis hiemet mercator in undis,
Annonae praesit, portet frumenta, penusque.

Tales negotiantes & negotiatores, liberti & humilis conditionis homines, plena manu dabunt Indices Gruteri & Reinesii Inscriptionum. BURM.

Pe-

& familiae negotiantis, onus deferendum ad mercatum conduxit. Hic est Cyclops ille, & archipirata, cui vecturam debemus: & praeter hunc Tryphaena omnium feminarum formosissima, quae voluptatis caussa huc atque illuc vectatur. [a] Hi sunt, inquit Giton, quos fugimus: [b] simulque raptim caussas odiorum & instans periculum trepidanti Eumolpo exponit. Confusus ille, & consilii egens, jubet quemque suam sententiam promere: &, [c] fingite, inquit, nos antrum Cyclopis intrasse. Quaerendum est aliquod effugium, nisi naufragium ponimus, & omni nos periculo liberamus. [d] Imo, inquit Giton, persuade gubernatori, ut in aliquem portum navem deducat, non sine praemio scilicet; & affirma ei, impa-

a GITON. b ENCOLPIUS. c EUMOLPUS. d GITON.

Deferendum] Vide supra cap. 12.

Conducit] Alii, *conduxit*. TORNÆS. Alii, *conduxit*. quod & Heraldo video placuisse. Hinc in Gloss. *Ductor navis*, τριήραρχος. ERHARD. Id est, certo pretio deferendum suscepit. Cic. lib. 11. de Divinat. cap. 21. *Qui columnam illam de Cotta & Torquato conduxerat faciendam*. HADRIANID. Ita passim in jure dicuntur, qui aliquid faciendum mercede recipiunt. l. 58. §. ult. 59. 62. ff. Locat. cond. Festus *Redemtores proprie atque antiqua consuetudine dicebantur, cum quid publice faciendum aut praebendum conduxerant, effecerantque, tum demum pecunias accipiebant*. Et hinc Rittershusii & Pithœi lectio apud Phædr. lib. IV. fab. 24. retinendam puto, de Simonide.

Victoris laudem cuidam Pycta ut scriberet,
Certo conduxit pretio.

Quod male Meursius, Faber & Schefferus damnant & *condixit* praeferunt, quod est nauci. Simonides enim pretio suscepit laudes se scripturum Pyctæ. firmant sequentia, *opus adprobavit* Simonides isti Pyctæ: nam conductores opus perfectum adprobabant locatoribus, antequam mercedem acciperent. Vide l. 24. 36. 58. §. 2. ff. locat. & quæ ad Phædrum nos olim adnotavimus. BURM.

Cyclops] Pro Archipirata. GLOSSÆ. Præcedit *homo verecundissimus* de hoc ipso *Cyclope*, nimirum *Lyca*. Ergo alterutrum ironice dictum: puto hoc, *Cyclops*. accedit *Tryphana uxor voluptaria*. Confer tamen quæ infra de *Lycurgo*. HADRIANID.

Vecturam debemus] Vecturam solvebant ii, qui ratibus transibant. GLOSSÆ. Varro lib. IV. de lingua Lat. Hinc *vectura* quas solvebant ii, qui ratibus transibant. Plaut. Mostell. Act. III. sc. II. *Tris minas pro illis duobus praeter vecturam dedi*. WOUWEREN. Lege *invidemus*, omnino ex sententia. Lapsus facilis: *vecturam debemus*. BARTH. Vix persuadet. *Vecturam debemus*, sive pro vectione, sive pro mercede, accipies, commode positum. HADRIANID. Id est, mercedem. Vide Salmas. de Usur. cap. IV. p. 83. & cap. XVII. p. 516. ubi & *lauram* & *mercaturam* simili sensu dici docet.

Vectatur] Proprium voluptatis verbum, quo commodum & placatum iter indicatur. Docuit celeberrimus Gronovius in notis ad Livii, lib. XXXVIII. cap. 17. prioris editionis.

Jubet quemque suam sententiam proponere] Placet Leid. cod. lectio *promere*. Neque aliter legendum apud Plinium in Panegyr. cap. 65. *Jubes, quæ sentimus, promere in medium? proferemus*. Cic. ad Attic. lib. IX. *Nunc certe promenda tibi sunt consilia*. BOSCH. Jam in Patissonii, Wouwerii, & aliis editionibus exstabat.

Antrum Cyclopis intrasse] Sidon. l. 7. ep. 14. *Ut specum Polyphemi hospes exhorruit*. vide Hyginum ex Homero cap. 125. Savaro Not. ad Sidon. ERH.

Nisi naufragium ponimus] Forte, *naufragi*, vel *naufragio imponimus*, id est, nisi naufragio elabimur: sive, ut Petroniane loquar, nisi nos à periculo naufragium dimittit. SCIOPP. Id est, nisi naufragium futurum statuamus. An vero *ponimus* pro statuimus? Faceret huc Scriverius MS. *ponimus* explanans, *decernimus nobis*. HADRIANID. Est hoc proprium verbum disputantium & dissertantium, pro quo Barbari *supponimus*. Est idem quod fingimus, vel futurum certo nobis persuademus: Terent. Phorm. Act. IV. sc. 3. vers. 25. *Verum pone esse victum eum*, pro quo Cicero sæpe *fac, finge*: dixit. Idem Verr. II. cap. 38. *Itaque tantum verbo posuit, Sacerdote praetore Sthenium literas publicas corrupisse. Posuit verbo*, sed non probavit testibus, aut tabulis; sine illo argumento, aut testibus. Desumta vero proprietas à calculis, qui ponuntur, & finguntur valere, quod ratiocinator velit. Idem Terentius eadem scena, *his rebus sane pone decem minas*. v. Casaub. ad Caract. Theophr. περὶ ἀλαζονείας. Infra noster cap. CXVI. *Si bene calculum ponas, ubique naufragium est*. Plin. lib. II. epist. 19. *Sed plane adhuc an sit recitandum, examina tecum, omnesque quos ego movi in utraque parte calculos pone, idque elige, in quo vicerit ratio*. Suet. Othon. VII. *posita brevi ratione*. BURM.

Et omni nos periculo liberamus] Forte *& periculo, omni nos periculo liberamus*. Vel, *& uno periculo omnis nos periculo liberamus*. Anonymus MS. HADRIANID.

impatientem maris fratrem tuum in ultimis esse. Poteris hanc simulationem & lacrymis & vultus confusione obumbrare, ut misericordia permotus gubernator indulgeat tibi. [a] Negavit hoc Eumolpus fieri posse; [b] quia magna, inquit, navigia portibus se curvatis insinuant; nec tam cito fratrem defeciisse verisimile erit. Accedit his, quod forsitan Lycas officii causa visere languentem desiderabit. Vides, quam valde nobis expediat, ultro dominum ad fugientes accedere. Sed finge, navem ab ingenti posse cursu deflecti, & Lycam non utique circumiturum aegrorum cubilia: quomodo possumus egredi nave, ut non conspiciamur à cunctis? opertis capitibus, an nudis? Opertis. & quis non dare manum languentibus volet? Nudis. Et quid erit aliud, quam seipsos proscribere?

CII. [c] Quin potius, inquam ego, ad temeritatem confugimus, & per funem lapsi descendimus in scapham, praecisoque vinculo, reliqua Fortunae committimus? Nec ego in hoc periculum Eumolpum arcesso. Quid enim attinet, innocentem alieno periculo imponere? Contentus sum, si nos descendentes adjuverit casus. [d] Non imprudens consilium, inquit Eumol-

a ENCOLPIUS. b EUMOLPUS. c ENCOLPIUS. d EUMOLPUS.

In ultimis esse] Seneca lib. 2. controv. 5. *Cum subito nunciatum est, in ultimis esse filium.* Salvianus ad Ecclesiam: *vel moriens & in ultimis situs.* WOUWEREN. Timotheus Episcopus, sive Salvianus lib. 1. ad Eccles. Catholic. *In extremis situs.* Et alibi, *in ultimis esse.* WEITZ.

Indulgeat tibi] Veniam det. ex Corn. Nepote Pflugius. *indulgere* est octroyer, *willfahren.* ERHARD.

Portibus se curvatis] Alii, *curatis.* TORNÆS. Seneca, *Ipso litore, quod inter Cumas & Servilii Vatiae villam curvatur.* Leucipp. initio libro 1. Δίδυμος λιμὴν ἐν κόλπῳ πλατεῖ, ἠϊόνα κλίνων τὸ πέλαγος· ἡ γὰρ ὁ κόλπος κατὰ πλευρὰν ἐπὶ δεξιᾷ κοιλαίνεται. Sed & *curvum* notat Servius quasi perpetuum litorum Epithetum. PITH. Senec. epist. 54. WOUWEREN. Lege *se gravatim insinuant.* Lips. Epist. lib. 3. ep. 2. vel, *portibus se curvatis non insinuant.* Kottericius. ERHARD. Corruptus certe locus, sed Lipsii conjecturam in textum recipere non ausus fui, negationem tamen deesse crediderim, vel *non facile se insinuant*, aut simile quid.

Officii causa] Per cortesia. Pflug. ERHARD.

Visere] Propria huic officio, quod ægrotis praestamus, vox. vid. Heins. ad Ovid. lib. 11. Amor. eleg. 11. vers. 21. Gell. lib. VI. cap. 9. ex Pisone *Cn. Flavius Annii filius dicitur ad collegam venisse visere aegrotum.*

Ultro dominum] Alii, *domum.* PATISSON. Lege *Vide sis, quam valde nobis expediat, ultro ad dominum fugientes accedere.* Sensu commodissimo: Tute cogita, quam expediat, qui dominum fugiamus, ultro se ei restituere: quod faceremus, si tuo consilio uteremur. non alia mens Petronii fuit, nisi rectum est *accire* pro *accedere.* Anonymus MS. HADRIANID.

Ab ingenti cursu deflecti] Front. lib. 1. cap. 1. §. 2. *Nisi vi tempestatis à cursu praetoria navis abductus esset.*

Utcumque] Alii, *utique.* PATISSON.

Circumiturum] Suet. Tiber. cap. XI. *Perculsus inopinata re, diu quid ageret incertus, tandem singulos circumit.*

Quis non dare manum languentibus volet] Notavi hunc morem in hoc solo lectum, ut languentibus darent manum, praesertim capite opertis. an forte legendum, *Quis non adire manum languentibus volet?* quomodo Plautus, scilicet officii causa & humanitatis communis testandae? Piccartus Pericul. Critic. cap. 17. ERHARD. Licentius ad Augustinum:

——— *Facet omnis enim mea cura legendi*
Te non dante manum, & consurgere sola veretur.

Per funem] Calati. Pflug. ERHARD.

Vinculo] *Funiculus* dicitur in gemino apud Ciceronem loco lib. 11. de Invent. cap. 51. *Ut dominus navis in scapham confugeret, & inde funiculo, qui à puppi religatus scapham annexam trahebat, navim, quoad posset, moderaretur.*

Adjuverit casus] Id est fortuna. ERHARD.

Aditum haberet] Si posset in effectum perduci, si esset ratio ejus adoriendi, Cicer. IV. de fin. 9. *hac videlicet est correctio Philosophiae veteris, & emendatio, quae omnino aditum nullum habere potest in urbem, in forum, in curiam.* Nec male dixeris cum eodem, *si res facultatem habitura videatur*, lib. 1. famil. 1. Idem lib. XII. Att.

Eumolpus, si aditum haberet. Quis enim non euntes notabit? Utique gubernator, qui pervigil nocte siderum quoque motus custodit. Et utcumque imponi vel dormienti posset, si per aliam partem navis fuga quaereretur: nunc per puppim, per ipsa gubernacula dilabendum est, à quorum regione funis descendit, qui scaphae custodiam tenet. Praeterea illud miror, Encolpi, tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuae interdiu noctuque jacere in scapha, nec posse inde custodem, nisi aut caede expelli, aut praecipitari viribus. Quod an fieri possit, interrogate audaciam vestram. Nam, quod ad meum quidem comitatum attinet, nullum recuso periculum, quod salutis spem ostendit. Nam sine caussa quidem spiritum tamquam rem vacuam impendere, nec vos quidem

Att. ep. 44. *perfice igitur aliquid, quid autem aliud, nisi ut aditus sit emtori*, id est, ut horti subjiciantur praeconi, sive, ut vendantur in auctione, qua unusquisque eos comparare potest. l. VI. famil. ep. 10. *itaque si quis mihi erit aditus de tua fortuna.* CUPER. Puto *haberes* scribendum, Tu scilicet, Encolpi, ad scapham. Nam si *consilium aditum haberet*, quid significet, fateor me non capere.

Utique gubernator, qui pervigil] Salvianus lib. 1. *Gubernator & auras captans, & saxa vitans, & astra suspiciens.* Theon: κυβερνήτην ἢ τῆς νὺς ἀρχὴ βλέπειν ἐπαναγκάζει πρὸς τὰ ἄστρα. WOUWEREN. Ita Tiphyn mortuum lugens Jason apud Valer. Flacc. lib. v. vers. 45.

——— *Nec summa speculantem puppe videbo*
Pleiadumque globos & agentes noctibus arctos!

Siderum quoque] Alii, *siderum quaque.* TORNÆS.

Custodit] Observat. ERHARD.

Et utcumque] Alii, *& utique.* TORNÆS.

Fuga quareretur] *Fuga quoque quareretur.* Leid. cod. BOSCH.

Dilabendum] Legendum credo *delabendum.* Virgil. II. Æneid. vers. 262. dixit:

Demissum lapsi per funem. ———

Duo autem & plura gubernacula naves pro modo & magnitudine habuisse, docuerunt Schefferus lib. II. cap. 5. de militia navali, Grævius Lect. Hesiod. cap. 2. & Perizonius ad Ælian. lib. IX. cap. 40.

A quorum regione] Hygin. Astron. lib. 3. cap. 2. BARTH.

Scaphæ gubernacula] Alii, *scaphæ custodiam.* TORNÆS. Majoribus navigiis scaphæ & id genus minora alligata, quæ hinc ἐφόλκια. Hesych. ἐφόλκια, μικρὰ καράβια, παρὰ τὸ ἕλκεσθαι ὑπὸ τῶν μεγάλων πλοίων. idem tradit Scholiast. Aristoph. WOUWEREN.

Unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctuque] Dividebantur vigiliæ non minori cura in navibus, atque in urbibus & militia. Quod & ex Legum Navalium Rhodiorum verbis intelligitur, in quibus Præfecti vigilum mentio fit, quem βιγλίαν φρυρὸν vocant: unde & ἡμιφοβίγλιον apud Curopalatam ἀπὸ τῆς βίγλης, ex Latio, qui ejus seculi mos erat, sumto vocabulo. Verba legis hæc sunt; εἰ καὶ ὁ ἀρμενιστὴς ἀμελήσας, καὶ ὁ βιγλίαν φρυρὸς ἀποκοιμηθῇ, ὡς διαῤῥαχεῖς ἀπώλετο ὁ ἀρμενίζων, καὶ οὐ κρύσῃ ἀζήμιος φυλατθέσθω. Vocabantur hujusmodi vigiles *Noctiani* antiquis. Gloss. Græco Lat. Νυκτόφυλαξ, *noctianus, nocte custos, vigilis.* Hi autem, qui in navibus excubabant, etiam ναυφύλακες & *diatarii* Ulpiano l. I. §. 3. D. Naut. caup. stab. Paulo libro 3. tit. 7. Sent. *Zetarii* (quomodo *Zabulon* pro diabolon) vocantur, nimirum à dicæta, quæ erat custodum, non solum in navibus, verum & domibus. Lindenbrog. Not. in Catal. ad Cirin. Glossæ; Νυκτοφυλακίαι, *excubiæ, singulare non habet.* Philoxen. Gloss. *Vigil.* γρηγορητὴς, ἀγρυπνος. à Petronio appellatur *custos.* ERHARD. Vide Scheffer. lib. II. de milit. Naval. cap. 3. Cæterum est hic ellipsis τῆ causſa, vel *gratia*, de qua vide supra ad cap. XLIX.

Noctuque] Alii, *noctisque.* PATISSON. *Quid noctis videtur*, apud Varronem. PITH.

Interrogate audaciam] Seneca Controv. 8. lib 2. *An exhaustis viribus perierit, interrogate rumorem.* WOUWEREN. Elegantissime *interrogari* dicuntur res inanimatæ. Quintil. decl. 1. *Quid quo sit animo senis factum, potestis interrogare testamentum.* iterum declam. XVI. *Interrogo hoc loco impatientiam tuam, Mater, interrogo, quid faceres?* CUPERUS.

Nam quod ad meum comitatum] Fortasse *conatum.* Scal. WOUWEREN. Id est, ad me, qui in vestro sum comitatu, hoc est, quod ad illud, quod Encolpius dicebat, se nolle me in communionem periculi arcessere. *Comitatus* pro societate; & *comites* pro sociis. supra cap. CI. *mente simplicissima & vera fide in navigium comites induxisse.* ERHARD. Illustris Scaliger ad Leid. cod. oram notarat *conatum.* BOSCH.

Spiritum impendere] Vitam amittere. GLOSSÆ. Alii, *impenderem.* PATISSON. Seneca libro II. Controv. *Facilius potes carere eo, qui spiritum debet,*

dem existimo velle. Videte, numquid hoc placeat. Ego vos in duas jam pelles conjiciam, vinctosque loris inter vestimenta pro sarcinis habebo, apertis scilicet aliquatenus labris, quibus & spiritum recipere possitis, & cibum. Conclamabo deinde, nocte servos poenam graviorem timentes praecipitasse se in mare: deinde quum ventum fuerit in portum, sine ulla suspicione pro sarcinis vos efferam. [a] Ita vero, inquam ego, tamquam solidos adligaturus, quibus non soleat venter injuriam facere; an tamquam eos, qui sternutare non soleamus, nec stertere? an quia hoc genus furti semel mihi feliciter cessit? Sed finge, una die vinctos posse durare: quid ergo, si diutius, aut tranquillitas nos tenuerit, aut adversa tempestas, quid facturi sumus? vestes quoque diutius vinctas ruga consumit, & cartae adligatae mutant figuram. Juvenes adhuc laboris expertes,

[a] ENCOLPIUS.

quam eo, qui impendit. WOUWEREN. Eleganter; Senec. Epist. IX. *In quid amicum paro? ut habeam pro quo mori possim, ut habeam quem in exsilium sequar, cujus me morti opponam & impendam.* Ita *vitam impendere famae* Statius dixit lib. V. Sylv. I. vers. 63. supra cap. I. *Hunc oculum pro vobis impendi.* Et capite CXII. *malo mortuum impendere, quam vivum occidere.* Quintil. declam. XIX. *filius impensus est, ut erubescerem.* Eadem elegantia *prodigus animae Paullus* Horatio dicitur lib. I. od. XII. & Gallus Propertio lib. III. eleg. 8. quae locutio Silio & Statio quoque usurpata. BURM.

Rem vacuam] Vacantem, nullius precii. Capell. *Praescire Deis vacuum est.* Horat. lib. I. od. V. vers. 10.

Qui semper vacuam, semper amabilem
Sperat.

Sic noster alibi. BARTH. Pro vilem, & inutilem. ERHARD. *Vacuam* explico, quae nullius est, quae non possidetur ab aliquo, sed est sine domino, & ideo non curatur, ut solent res propriae & nostro in dominio. Cicer. III. de Orat. 31. *nostra omnis ista prudentia doctrinaque possessio, in quam homines, quasi caducam & vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, inviolaverunt.* Justin. lib. XIX. cap. ult. *praedam non esse talem, quam possessione vacua, fortuitis dominorum mortibus sicuti caduca occuparint*, lib. XXXI. 3. *velut vacua rursus possessione sollicitatus.* hoc saltem mitius videtur, quam, *vacuum*, vilem interpretari, adductis Capellae & Horatii locis, quae huc nihil omnino faciunt, & alium habent plane sensum. BURM.

In duas pelles] Segestria. Festus. PITH. De hoc genere *pellium* Paullus l. 5. D. de supellect. leg. Cujac. Observat. lib. 10. cap. 12. Sic Pers. Sat. 5 *pellem* dicit pro mantica & involucro vestis, supellectilis, aliorumque utensilium & sarcinarum. Turneb. Adversar. lib. 14. cap. 3. Harum pellium mentio & apud D. Hieronym. in Vita Hilarionis. *Pellis*, Germanice *Fellis*, vel potius *Phellis*, τῇ P. in digamma more nostro mutato. ERHARD.

Conjiciam] Emendo, *consuam.* Sic Dardanus apud Lycophronem. Citat hunc locum V. C. Jacobus Cujacius observat. lib. IV. Videtur autem tangere Colchorum legem, de qua Ælianus Var. lib. 4. cap. 2. BOURDELOT.

Inter vestimenta] Suspectus locus Ampl. Cupero, qui mallet *inter impedimenta.*

Praecipitasse se in mare] Forsan, *praecipitasse in mare.* Anonymus MS. HADRIANID.

Solidos] Id est, *vacuos.* Plinius *concretos* diceret. contrarium vacuo. Scal. WOUWEREN. Vide supra cap. 47.

Venter injuriam facere] Murmure, vel emissione stridoris. GLOSSÆ. Non dissimile illud Plauti Pœnulo Act. III. sc. II. vers. 32. Co. *Fores hae fecerunt magnum flagitium modo.* Ad. *Quid est flagitii?* Co. *Crepuerunt clare.* PITH. Vetus codex, *soleat ventus*, recte. Scaliger. WOUWEREN. Male in catalectis, *ventus.* BARTH.

Mea feliciter] Alii, *mihi.* PATISSON. Το *mea* redundat Scal. WOUWEREN. Probo aliorum codd. lectionem. *Semel mihi feliciter.* ERHARD. Forte, *antea feliciter.* SCIOPP.

Quid, ergo si diutius] *Ergo* pro autem, particula hoc loco est adversativa, de qua vide quae notarit Goldastus ad Valerianum Edit. Roverianae. ERH.

Si diutius aut tranquillitas nos tenuerit, aut adversa tempestas] Forte delenda particula *nos.* Qui Latine intelligunt, quorum haud saepe magnam hodie copiam esse video, facile mihi assentientur, Livius lib. 3. *silentium inde aliquamdiu tenuit.* id est, duravit. Et 39. *usque ad noctem diu anceps praelium tenuit.* Et 25. *ubi primum Aquilones (ii namque per aliquot dies tenuerant) cecidere:* & aliis locis pluribus. SCIOPP. Eleganti Scoppii observationi adde Livii locum alium lib. XXIII. cap. 44. *Imber continens per noctem usque ad horam tertiam diei insequentis tenuit.*

Cartae adligatae] Schedulae alligatae sarcinis erant, quae

tes, ſtatuarum ritu patiemur pannos & vincula? Adhuc aliquod iter ſalutis quaerendum eſt. Inſpicite quod ego inveni. Eumolpus, tamquam literarum ſtudioſus, utique atramentum habet. Hoc ergo remedio mutemus colores à capillis uſque ad ungues. Ita, tamquam ſervi Aethiopes, &

quæ indicarent, cujus eſſent. GLOSSÆ.

Statuarum ritu pannos patiemur & vincula] Velaminibus & pannis ſimulachra induta. Lactant. lib. 2. cap. 4. *His peplos & indumenta preciosa, quibus usus velaminis nullus est.* Comment. ad Juven. Sat. x. *Tunicam Jovis togam palmatam dixit auro confectam.* hinc in Firm. Aſtron. lib. 3. cap. 12. *Prophetas, & vestitores divinorum simulacrorum.* Verum quod Artemid. lib. IV. Ὁ ἐν Μαγνησίᾳ δέξας χαλκᾶ ἱματία περικεῖσθαι, ὀρθῶς ἀπέθανεν. ἐν γὰρ αὐτοῖς τὰ περιέχοντα ἀκίνητα, οἷα τοῖς ἀγάλμασι περιτίθεται. Quia ſæpe aurea, aut argentea, vel ærea auro inducta hæc amicula. Lactant. *Cum Jovi Olympio aureum amiculum detraxisset, laneum jussit imponi.* Juvenal. Sat. XI.

——— *Nullo violatus Juppiter auro.*

Interp. *Cum nec dum auro tectus esset, sed tota fictilis Jovis compago.* WOUWEREN.

Pannos] Panni ſunt de materia molliori in longitudinem ſciſſa velut lora, quibus devincitur aliquid. Barthius ad Statii lib. IV. Theb. verſ. 266.

Aliud aliquod] Alii, *adhuc aliquod.* TORNÆS. Malim, *aliud*, pro *adhuc*, ut in editione Lugdunenſi. RICHARD. Lege, *adhuc aliud aliquod.* Vetus ſcriptura, *adhuc aliquod.* BARTH.

Iter ſalutis] Vid. Barth. ad Claudian. Mamerc. lib. 1. pag. 249.

Tamquam literarum ſtudioſus] Supra cap. XCIX. *tamquam bonarum artium magiſter.* ERHARD.

Hoc ergo remedio] Quid? ſi deleamus, *remedio:* & ſcribamus, *hoc ergo mutemus colores à capillis, hoc*, ſcilicet, *atramento.* Anonym. MS. HADRIANID.

Mutemus colores] *Mutare colores* de re, quæ unum tantum colorem habebat. Vopiſcus in Probo cap. XXIII. *Ut ejus prætexta colores mutaret.* Ibi Salmaſius in Not. WEITZ. Si legiſſet Gallicus Petronii locupletator ea, quæ Salmaſius notavit ad caput ultimum Vopiſci in vita Probi, non *colorem* hic ediſſet.

A capillis uſque ad ungues] Plaut. Epid. Act. v. ſc. 1. verſ. 16 *Contempla Epidice, uſque ab unguiculo ad capillum ſummum eſt feſtiviſſima.* PITH. Plautus Epidico Act. v. ſc. 1. verſ. 17. Poſidippus Anthol. 7. Ἐκ τριχὸς ἄχρι ποδῶν ἱερὸν θάλος. Horatius Epiſt. lib. 2. ep. 2.

——— *Talos à vertice pulcher ad imos.*

Cicero pro Roſcio Comœdo cap. VII. *Nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum, (ſi quam conjecturam adfert hominibus tacita corporis figura,) ex fraude, fallaciis, mendaciis totus, conſtare videtur.* D. Hieronymus in quadam præfatione: *Contuli cum eo a vertice, ut ajunt, uſque ad extremum unguem.* Apulejus Metamorph. 3. *Ab imis unguibus ſeſe totum ad uſque ſummos capillos perlinit.* Lucianus in Aſino: Ἐκ τούτου λαμβάνει χρίεται ὅλη ἀπὸ τῶν ὀνύχων ἀξιαμύνη τῶν κάτω. Calliſtratus in Deſcriptionibus: Παῖς ἦν ὁ καλὸς ὅσων ἐκ κεφαλῆς ἐς πόδας ἐπαινεῖν τὸ τῆς ὥρης ἄνθος. DOUZA F. Speciem adagionis habet hæc locutio, & à Plauto eſt Epidico Act. v. ſc. 1. verſ. 17. Plutarchus de virtute Alexandri; Ἀλεξάνδρου δ' εἰ μηδὲν ἄλλο, τὸ σῶμα ἰδὼν κατατετρωμένον ἐξ ἄκρας κεφαλῆς ἄχρι ποδῶν διακείσοιτο. B. Ambroſ. Officior. lib. 2. *A veſtigio uſque ad verticem.* Apul. lib. 3. Metamorph. & ibi Colvius. Schop. Explanat. in Epidic. Act. 5. ſc. 1. Moyſes Deuteron. cap. 28. verſ. 35. *Sanarique non poſſis à planta pedis uſque ad verticem tuum*, Job. cap. 2. verſ. 7. *Percuſſit Job ulcere peſſimo à planta pedis uſque ad verticem ejus.* Eſaias cap. 1. verſ. 6. *A planta pedis uſque ad caput non eſt in iſto corpore integritas.* In libr. de Vita Adæ & Evæ cap. 9. *Inducam corpori tuo ſeptuaginta plagas de diverſis coloribus, ab initio capitis uſque ad ungulas pedum.* Nec in doloribus tantum, ſed & amoribus erat adagio huic locus. Samuel 2 Regum 14. verſ. 25. *Sicut Abſalom, vir non erat pulcher in omni Iſraël, & decorus nimis: à veſtigio pedis uſque ad verticem non erat in eo ulla macula.* Ammianus lib. 25. de Juliano Imp. *Ab ipſo capite uſque ad unguium ſummitates liniamentorum recta compage.* Rudolphus Baro de Rotenburg, qui ante annos CCCCL. in Aula Philippi Imper. vixit, his verbis amaſiam ſuam deſcribit;

Von dem Houpte unz uf den Fuos
Des wirt niemer Buos
Beider rot und wis
Alſo hat der Natur ſus
Gemachet is wengel var
Und hat dat bi ze wunſche gar
Geſtalt ir nimmeriche mund. ERHARD.

Proverbialis forma loquendi. Nonnus Dionyſiac. 48. pag. 1266. ἐκ ποδὸς ἄχρι κεφαλῆς. Vide Zehner. cent. 4. adag. 16. WEITZ.

Ita, tanquam ſervi Æthiopes, & præſto tibi erimus ſine tormentorum injuria hilares] Lege, *erimus in tormentorum injuria.* Confundit Æthiopas, qui Melanoſyri, cum Cappadocibus, qui Leucoſyri: de quibus Interpres Perſii Sat. 6. *Cappadoces dicebantur habere naturale ſtudium ad falſa teſtimonia proferenda: qui, nutriti in tormentis à pueritia, equuleum ſibi facere dicuntur, ut in eo ſe invicem torqueant, & , cum*

& praesto tibi erimus sine tormentorum injuria hilares, & permutato colore imponemus inimicis. [a] Quin tu, inquit Giton, & circumcide nos, ut Judaei videamur: & pertunde aures, ut imitemur Arabes, & increta facies, ut suos Gallia cives putet: tamquam hic solus color figuram possit pervertere, & non multa una oportet consentiant, & non natione mendacium constet. Puta, infectam medicamine faciem diutius durare posse: finge, nec aquae asperginem impositurum aliquam corpori maculam, nec vestem atramento adhaesuram, quod frequenter etiam non arcessito ferrumine infigitur: age, numquid & labra possumus tumore teterrimo implere? num-

a GITON.

in poena perdurarent, ad falsa testimonia se bene venundarent. Meursius Animadv. misc. lib. 3. cap. 7. ERHARD.

Sine tormentorum] Meursii vestigiis inhærens Ramirez de Prado in pentecontarcho cap. IX. legit, *in tormentorum injuria.* Sed recte vulgatam scripturam defendit Gronovius lib. IV. Observ. cap. 13. Tormenta autem hic non de equuleo, ut Meursius fecit, & similibus, capienda, sed, ut recte adnotavit Ampl. Cuperus, de vinculis & loris, quibus adstringi nolebant. Tormentum enim est funis tensus, Quint. decl. XIX. *Non tamen tormenta laxavi, non subtraxi, restinxique flammas.* vide Scalig. ad Priapej. carm. 5. Hoc ergo dicit, tibi erimus præsto, id est, ut servi parebimus, & Æthiopum personam sustinebimus, non vexati vinculis illis & pellibus insuti. *Injuria* vero hic notat non ignominiam, sed incommodum, quod vexat & nocet. Justin. lib. XLIII. cap. 2. *Puellam vinculis onerat, ex quorum injuria decessit.* Suet. Aug. cap. 14. *Repente comparuit incolumis & sine injuria.* Sæpe hoc sensu Plinius & alii. BURM.

Quid tu] Alii, *quidni.* alii, *quin tu.* PATISSON. Lege, *Quid? tu, inquit* jungerman. vel, *Quid tum, inquit*, Pflug. ERHARD. Legendum suadent sequentia, *quid tum?* SCIOPP.

Et circumcide nos, ut Judaei videamur, &c.] Vide Plutarchum in Cicerone, ubi de jocis & dictis Ciceronis. DANIEL. Isidor. Origin. lib. XIX. cap. XXIII. *Nonnulla etiam gentes non solum vestibus, sed & in vestibus aliqua sibi propria vendicant. Circumcidunt Judaei praeputia, pertundunt aures Arabes, &c. Mauros habet tetra nox corporum, Gallos candida cutis.* PITH.

Pertunde aures, ut imitemur Arabes] Vide Juvenal. in Satyr. DANIEL. & BONGARS. Arnob. *laminas pertunderent aurium*, hoc est, perforarent. Familiare Judæis, Pœnis, aliisque, qui Romanis barbari, aures perforare; unde Plautus Pœnulo Act. V. sc. II. vers. 21. *incedunt cum anulatis auribus.* Cæterum, hoc proprium insigne Arabum fuisse, quis veterum tradat, adhuc quæro: nam, quod apud Isidor, legitur, ex Petr. descriptum. WOUWER. De Lybibus hoc Macrob. lib. 7. cap. 3. Dio in Macrino, de Mauris. Τὰ τε γὰρ ἄλλα καὶ τὸ ὂς τὸ ἕτερον κατὰ τὸ τοῖς πολλοῖς τῶν Μαύρων ἐπιχώριον διατέτρητο. Juvenal. & Schol. BARTH. *Alii, Arabas.* Inaures baccatas & viri olim veteres, ut hodieque nostri, gestabant perforatis auriculis, sed more externo, & ab Arabibus accersito, ut ex hoc loco paret, & Juvenali Satyr. I. & Dione Cassio lib. 88. de Macrino Mauro. Libybus tribuit Macrobius lib. 7. cap. 3. Lydis Xenophon Anabas. lib. 3. Barthius ad Claudian. VI. Cons. Hon. vers. 521. ERHARD.

Increta facies] Creta illinere, candidam reddere. GLOSSÆ. Amm. Marcell. lib. XVI. *Candidi pene Galli sunt omnes.* D. Eucher. Instruct. lib. 2. cap. 4. *Galli a candore corporis primum Galatæ appellati.* WOUWEREN. Gallos facies incretasse indicare videtur: sed hoc ego ad nativum potius Gallorum candorem referendum censeo: sicut & *Gallicus vultus* apud Tertullian. de Virgin. Pithœus Adversi. lib. I. cap. I. Lindenbrog. Observation. in Ammian. *lib. 15.* pag. 60. ERHARD.

Gallia] Galli enim candidi facie. Manil. lib. 4. vers. 714.

Gallia vicino minus est infecta rubore.

Isidor. lib. 19. cap. 23. Dionys. Alex. vers. 285. λευκάτε φῦλα νέμονται ἀριμανίων Γερμανῶν. BARTH.

Oportet] Leg. *oporteat*, Heinsius.

Et non natione] Alii, *& non oratione.* TORNÆS. Nobiliss. N. Heinsius; *ut non una ratione mendacium constet*, ingeniose. Paullo post D. Munkerus; *nec vestem atramentum adhæsurum, quæ frequenter etiam non arcessito ferrumine inficitur.* Hæc emendatio mihi quam maxime arridet. BOSCH.

Non arcessito ferrumine] Non adhibito induramento & solidante glutine. Gloss. σουδᾶ, *ferrumino*, σύμμα, *ferramen.* Legendum *ferrumen.* σουμάτης, *indurator.* ERHARD. Vide ad cap. 37.

Numquid & labra] Auctor Moreti:

Afra, genus tota patriam testante figura,
Torta coma, labroque tumens, & fusca colore,
Pectore lata, jacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spaciosa prodigia planta.

WOUWEREN. Alludi ad morem, quo Indi se acu calida

numquid & crines calamistro convertere? numquid & frontes cicatricibus scindere? numquid & crura in orbem pandere? numquid & talos ad terram deducere? numquid barbam peregrina ratione figurare? Color arte compositus inquinat corpus, non mutat. [a] Audite, quid dementi succurrerit. Praeligemus vestibus capita, & nos in profundum mergamus.

CIII. [b] Nec istud Dii hominesque patiantur, Eumolpus exclamat, ut vos tam turpi exitu vitam finiatis. Imo potius facite quod jubeo. Mercenarius

[a] ENCOLPIUS. [b] EUMOLPUS.

calida compungebant & notis inurebant putat Palmer. in Spicileg. pag. 810.

Tumore] Alii, *humore*, TORNÆS. Vide Sulpic. Luperc. lib. 1. Vet. Epigr. BARTH. Propria hæc facies Æthiopum, quam & Septimus Serenus in Moreto tangit;

Torta comam labroque tumens. ——

Quo etiam pertinet illud Plautinum in Pœn. Act. v. sc. v. vers. 10. *Totam te faciam pugnis ut sis morula.* Lindenbrog. Notis in Catalect. ad Moret. Lege, *humore teterrimo*, Pflugius: quod quid sibi velit, æque illum cum imperitis arbitror intelligere. Ramirez de cicatricibus exponit, quibus interdum irati domini servos deformabant, ad Martial. lib. 2. ep. 29. n. 5. meo animo, non recte. ERHARD.

Crines calamistro convertere] Alii, *comburere*, TORNÆS. Tertull. *Simulque se mulieres intellexerunt, capillum vertunt.* Propert. lib. 11. El. XIV. vers. 32.

Quæ mentita suas vertit inepta comas. BARTH. Quippe Æthiopes sunt crispi capilli. Vel, ut Martial. *retorto crine.* Aristot. de Histor. Animal. lib. v. cap. 3. Αἰθίοπες οἱ ἐν τοῖς θερμοῖς, οὐλότριχες, ξηροὶ γὰρ οἱ ἐγκέφαλοι, καὶ ὁ πνεύμων. WOUWEREN. Capella lib. 4. BARTH. *Calamistrum*, hinc dictum, ut inquit Varro lib. 4. de Ling. Lat. *quod eo calefacto in cinere capillus ornatur.* aut, ut scribit Servius ad Virg. XII. Æneid. vers. 100. *acus est major, qua calefacta & fronti adhibita torquet capillos.* Hinc *calamistrata coma* Ciceroni pro Sextio cap. XII. *Calamistratus saltator* eidem in Orat. post reditum in Senat. cap. VI. *Calamistratus puer.* D. Hieronymo ad Demetriad. & Apulejo lib. 2. Metamorph. Qui autem hujusce rei erant opifices, *cinerarii* dicti Varroni, & Catullo Epigr. 56. & *cimistones* Plauto Aulular. Horat. 1. Serm. Satyr. 2. Tiraquell. Connub. 3. pag. 49. Siberus in Gemma pag. 213. *Calamistrum*, καλαμὶς, *ein Eysen, damit man das Haar krausse macht. Calamistro comam crispare*, vibrare, in gradus frangere, *Krausz. Haar machen.* Basilius Faber in Thesauro erudit. Scholastic. WEITZ.

Crura in orbem pandere] Aristoteles Problem. Sect. 14. Quæst. 4. Διὰ τι Αἰθίοπες καὶ οἱ Αἰγύπτιοι βλαισοί εἰσιν, ἢ διότι ὑπὸ θερμῆς ὥσπερ καὶ τὰ ξύλα διασφίγγεται ξηραινόμενα, ὅτω καὶ τὰ τῶν ζώων σώματα. δηλοῖ δὲ καὶ τρίχες, οὐλότριχες γὰρ ἔχουσι. ἢ ὃ οὐλότης ἐστὶν, ὥσπερ βλαισότης τῶν τριχῶν. WOUWEREN. Pete loci hujus interpretationem ex Clariss. Isaaci Vossii, spectatæ eruditionis viri, litteris ad Celeberr. Joh. Georg. Grævium, exhibitis in Hesiod. Lect. cap. 12. BOSCH.

Barbam peregrinatione] Alii, *barbara peregrina ratione.* TORNÆS. Forte, *peregri ratione*, more peregrino & exotico. SCIOPP. Lege *numquid & barbam*, sic Memm. cod. nonnulli ex scriptis exhibent *peregrinatione*; quam lectionem ex Suetonii loco in Ner. cap. 51. tuetur Gonsalius. Nihil tamen muto. *Pari ratione* Nob. N. Heinsius. BOSCH.

Color arte compositus] E contra Propertius lib. 2. eleg. 18.

Ut natura dedit, sic omnis recta figura est,
Turpis Romano Belgicus ore color.

Confer eundem lib. 1. eleg. 2. Cui ὁμόχροος Nazianzenus adversus fucatas mulieres: κάκιον ἐμοὶ μᾶνον, ὃ δῶκε φύσις. Vide Pollucem lib. 5. cap. 16. WEITZ.

Praligemus vestibus capita] Horat. lib. 11. Satyr. 111.

Nam male re gesta, cum vellem mittere operto
Me capite in flumen.

Capitibus velatis mori consuevisse videtur, si morte violenta, aut voluntaria. Lucanus de Pompejo, libro VIII. vers. 13.

—— *Ubi vidit cominus enses,*
Involvit vultus, atque indignatus apertum
Fortunæ præbere caput. ——

Quod etiam Plutarch. Pompejo. vide Sueton. Julio cap. XXCII. WOUWEREN.

Nec istud Dii hominesque patiantur] Infra; *Nec istud, inquit, Dii sinant.* Alibi, *Nec hoc Dii sinant.* Plaut. dicit, *Ne Dii sirint*, &, *Dii prohibessint.* ERHARD. Infra cap. 112. & 116. similes formulæ occurrunt.

Turpi exitu] Ex inveterata opinione, qua nihil miserius existimabant antiqui, quam in aqua perire, quia animam igneam exstingui in mari credebant. vid. Serv. ad Virgil. 1. Æneid. vers. 93. & passim eo Poëtæ alludunt. v. Barth. ad Stat. lib. VII. Theb. vers. 807. Dausquej. ad Sil. Ital. 1. vers. 143. Cuper. 1. obs. 8. & alios. *Exitum* pro morte sumi docuit Vorstius ad Valer. Max. lib. v. cap. 9. exempl. 5. Infra cap. CXI. *Eumdem omnibus exitum esse*, BURM.

Radas

narius meus, ut ex novacula comperistis, tonsor est: hic continuo radat utriusque non solum capita, sed etiam supercilia, sequar ego, frontes notans inscriptione sollerti, ut videamini stigmate esse puniti. Ita eaedem literae, & suspicionem declinabunt quaerentium, & vultus umbra supplicii teget. [a] Non est dilata fallacia, sed ad latus navigii furtim processimus, capitaque cum superciliis denudanda tonsori praebuimus. Implevit Eumolpus

Ratat utriusque non solum capita] Viliores servos per ignominiam semirasos habebant. Apul. lib. 9. de iis, qui in pistrinis: *frontes litterati*, & *capillum semiraſi*, & *pedes anulati*. ex hoc ritu capio Juvenal. licet interpr. aliter visum, Satyr. v.

——— *Pulsandum vertice raso*
Praebebis quandoque caput, nec dura timebis
Flagra pati. ———

Novi equidem ex Plauti Amphitr. servos, dum manumitterentur, capite rasos fuisse, imo & mento raso. Lucianus dial. qui Timon: ἡ καταπύγων οἰκέτης ἐκ παιδικῶν τιμῶν, ὑπιξυράμενος ἔτι τὴν γνάθον. & loquitur de servo, cui libertas testamento data. Tonderi certe & radi apud pleraſque gentes ignominiosum. Philostratus de Vita Apoll. Tyan. lib. VII. ἄρχεται τὸ ἐνθένδε τῆς ἐς τὸν ἄνδρα ὕβρεως, γενείων τε ἀποκείρας αὐτὸν καὶ χαίτης, ἐν τε τοῖς κακουργοτάτοις ὄντας. adeo ut κυρὰ, seu ἀπόκαρσις, pœnæ nomine adhibita; potissimum in iis, quæ ad ignominiam. Nicolaus Damascenus: τὸν ὃ μέγιστα ἀδικήσαντα, ὁ βασιλεὺς κελεύει κείρασθαι, ὡς ἰσχάτης ὕβρεως ἀτιμίας. Harmenopulus lib. 6. tit. 6. §. 18. τυπλόμενος καὶ κερευόμενος ἐξορίζεσθω. tit. 5. §. 8. tit. 7. §. 10. titul. 8. §. 7. & passim. Hæc pœna etiam adulterii. Harmenop. lib. 6. tit. 2. § 20. οἱ μοιχοὶ τυπλόμενοι καὶ κερευόμενοι ἐνοκοτίσθωσαν. §. 25. γυνὴ μοιχευθεῖσα τυπλομένη καὶ κερευομένη, &c. Hoc etiam in Taciti German. Cedreno, LL. Langobard. aliisque lectum. WOUWEREN. Vide Turneb. lib. 22. Adverſ. cap. 9. Lipſ. lib. 2. elect. cap. 15.

Sed etiam supercilia] Non tantum caput vult radi, contentus vulgari ignominia, sed etiam supercilia, ut viderentur gravius puniti. nam & hoc cum primis ignominiosum. Herodianus lib. VIII. cap. VIII. Γυμνὲς ἐξέλκουσι, παίοντες καὶ ἀποσκώπτοντες. γενείων τε καὶ ὀφρύων σπαραγμοῖς, καὶ πάσαις ταῖς τῦ σώματος λώβαις ἐμπαροινοῦντες. Supercilia in luctu rasa Artemidorus auctor, lib. 1. ἔθος παλαιὸν ἐπὶ πένθει τὰς ὀφρῦας ξυρᾶσθαι. WOUWEREN.

Frontes notans inscriptione, ut videamini stigmate esse puniti] Infra hoc capite, *implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Vide Ulpian. in fragmen tit. 1. ubi de Lege Ælia Sentia, cui stigmata scripta fuerunt, & Cujac. lib. 7. Observ. cap. 13. de fugitivorum epigrammate. DANIEL. Juvenal. *inscripta ergastula*. Plinius lib. 18. cap. 3. *inscripti vultus*. recte autem, *notans*: nam *nota*, seu, ut Cajus I. C. *indicia* sunt στίγματα. Auson. Epist. XV.

Ergo notas scripto toleraſti, Pergame, vultu.

notare igitur *inscriptione*, Γράφειν στίγματα. WOUWEREN. Lege, *solenti*. Sic vocat, *notum epigramma*, infra. BARTH. Hinc *nota* de servis inscriptis. *Extremæ notæ* de pessimo servo dixit Ulpian. *l.* 15. §. 43. D. de injur. Giphan. Observat. ling. Lat. qui tamen in eo fallitur, quod formulam illam *de meliori nota* putat à notis istis, quæ servis inurebantur, tractam: cum notæ istæ semper infamiam importarint. ERHARD. Invitis omnibus libris, ipsaque Petronii dictione, reponunt, *solenti*. BOURDELOT. *Notare* & *notæ* proprie de stigmate, Valer. Max. lib. VI. cap. VIII. ex. 7. *Servus ab eo vinculorum pœna coërcitus, inexpiabilique literarum nota per summam oris contumeliam inustus*. De verberum cicatricibus & vestigiis Ovidius lib. II. Fast. vers. 698.

Tergaque deducta veſte notata vident.

Idem *inscribere*, ut hic *inscriptio* dicitur. Plautus apud Servium ad Virg. lib. 1. Æneid. vers. 478. *Corpus tuum virgis ulmeis inscribam*. Unde passim *inscripti servi*, *inscripta ergastula*. Nescio autem, cur *solers inscriptio* moveri debeat, cum se tam perite adumbraturum stigma polliceatur Eumolpus, ut, qui videant verum credant. Ita Tibull. 1. eleg. 8.

Primus aratra manu solerti fecit Osiris. BURM.

Stigmate esse puniti] Quid si *punctis*? quod non probo. BONGARS. Lege, cum Douza, *punctis*. *stigmate punctus* est στιγματίας, servus compunctus notis, Cic. 2. Off. *stigmatitus*. Plin. ep. 5. *cicatrice stigmosus*. Val. Maxim. *mustus*, Plaut. in Cas. *literatus*. Mart. *inscriptus*. videndus Lipsius Elector. lib. 2. cap. 15. Rader. ad Martial. lib. 2. ep. 25. in fin. & lib. 8. ep. 70. Titus Popma de Oper. servor. verbo, *Literatum*. ERHARD. Sic MSS. quibus autem modis hæ notæ abstergerentur, dico alibi. BOURDELOT.

Eadem literæ & suspicionem] Jungermann. legit, *eadem*, quod & rectum est. ERHARD.

Umbra supplicii tegent] Alii, *simplici*, alii, *duplici*, rasuræ & notarum. TORNÆS. Lege, *supplicii*. Jungermannus: bene, & sic ante eum Douza. *umbra supplicii*, ut infra: *notæ literarum adumbratæ*. & iterum, *adumbrata inscriptione derisi*. ERHARD.

Implevit frontes ingentibus literis] Val. Max. lib. 6. cap. 8, *Servus ab eo vinculorum pœna coërcitus, inexpiabi*

pus frontes utriusque ingentibus literis, & notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit. Unus forte ex vectoribus, qui adclinatus lateri navis exonerabat stomachum nausea gravem, notavit sibi ad Lunam tonsorem intempestivo inhaerentem ministerio, exsecratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum, in cubile rejectus

piabiliqúe litteratam nota per summam oris contumeliam inustus. Scribon. Largus: *Ponemus quo stigmata solluntur. In ergastulo deprensum, & litteras habentem.* Quid autem illæ litteræ continerent, docet ipse Petr. *notum fugitivorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* vere, *totam faciem*: inscriptæ enim litteræ & verba toti vultui. I. Lipsius, amor & delicium generis humani, cujus feliciter curiosa doctrina & polite accurata diligentia nihil nobis residui in hac re fecit, ex Zonaræ Annal. III. docet Elect. I. Theophilum facies Monachorum compunxisse, & Jambicos versus atramento infuso expressisse. Non falso igitur epigramma liberali manu duxisse ait, quamvis Suidas: πάντα τὰ ἐπιγεγραμμένα τισὶ, καὶ μὴ ἐν μέτροις εἰρημένα, ἐπιγράμματα λέγεται. Solenni itaque ritu inscriptæ literæ, imo verba, quæ caussam crimenque ostenderent compunctionis. Columel. Hortulo:

Deletura diu fronti data signa fugarum.

Signa fugarum, hoc est, fugitivorum epigramma. etsi vir magnus legat *focorum*, doctissima sane interpretatione. Plato de LL. libro 8. ὃς δ' ἂν ἱεροσυλῶν ληφθῇ, ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ γραφεὶς τὴν συμφορὰν, καὶ μαστιγωθεὶς, &c. WOUWEREN.

Et notum fugitivorum Epigramma] Φ F. PITH. Quale fuerit illud, aliis investigandum relinquo. Brisson. de Formul. lib. 8. Fugitivi compungi solent notis vel literis, quibus dignoscuntur, & deprehenduntur, lib. 2. D. de fugit. Quintilian. *Si quis fugitivo stigmata scripserit.* Clemens Alexandr. τὸν δραπέτην στίγματα δεικνυσι. Cujac. Observat. lib. 7. cap. 13. Ramirez Hypomn. ad Mart. lib. 2. ep. 29. num. 5. Titus Popma de Oper. servor. verbo, *Fugitivum.* ERHARD.

Liberali manu duxit] *Literali* Memm. cod. BOSCH. Neque hanc vocem sollicitarem. Nam Eumolpus artium liberalium non studiosus tantum, sed & magister, tam perite & eleganter stigmatis literas duxisse censendus est, ut manu liberali, non vili & plebeja, esse formatæ viderentur. *Liberales* & artes & omnia dicta, quæ supra servilem & plebejam conditionem erant elata. Unde credibile est, illa stigmata ordinaria in Ergastulis rudi manu à villico aliquo inscripta, non tam nitide & eleganter fuisse expressa, quam à nostro magistro: nil attinet hæc exemplis adstruere. Saltem commodior interpretatio visa, quam admittere vocem minus latinam, *literalem*, quam neque barbara vosecula admiserunt. BURM.

Ex vectoribus] *Vectores*, qui navi vehuntur, ut & infra, *cum omnis vector nihil prius quærat, quam cujus se diligentia credat.* & iterum, *unus alterque infirmissimus vector. Vehere* enim & *vectare* dicuntur navigantes. Petron. cap. c. *Cujus hæc navis est, aut quos vehat.* Hinc *vectura*, φόρετρον, ναῦλον, in Lexico Græco Lat. Petron. *cui vecturam debemus.* Heraldus Adverss. lib. I. cap. ult. ERHARD.

Acclinatus lateri navis exonerabat stomachum nauseæ gravem] Sic statim; *Non dissimulata nauseantis devotione.* Senec. ep. 63. *Ut primum stomachum, quem scis cum maris nauseantem confligere, collegi.* IS. Pontanus Analector. lib. I. cap. 5. ERHARD. *Nausea*, ναυτία, ναυτίασις, inanis vomendi conatus, quem fere sentiunt navigantes in salsa aqua. Galenus lib. 3. περὶ αἰτιῶν συμπτωμάτων, Avicenna lib. 3. fen. 13. tract. 5. cap. 8. Erotianus in Lex. Hippocrat. Vide Martinium in Lexico Philologico. WEITZ.

Ad lunam] Elegantissima locutio Ovid. IV. Met. vers. 99.

Quam procul ad Lunæ radios Babylonia Thisbe
Vidit. ———

Et vers. 222.

——— *Inter*
Bis sex Leucothoen famulas ad lumina cernit.

Flor. lib. IV. cap. 7. *Lecto ad lucernam Platonis libro.* Propert. lib. III. eleg. 8.

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas.

ubi v. Passeratium.

Intempestivo inhærentem ministerio] Cap. CV. *Nocte intempesta.* Ergo *intempestivus* est ab *intempestus*, ut *intempestiva convivia* proprie sint, quæ nocte celebrantur, aut in multam continuantur noctem. ERHARD. Licet hic tempus nocturnum notet, non inde tamen *intempestiva convivia* deberet Erhardus probare, quæ nulla occurrere, nisi vitio librariorum docuit Salmasius ad Vopisc. Florian. cap. ult. & *intempestiva* omnia dici molesta & importuna, quæ non suo tempore fiunt, & in ejus sententiam frequentes ivere viri docti. De rasura autem hac, quæ naufragorum votum exhibebat, egerunt præter alios Abrahamus ad Cicer. pro Cælio cap. 19. Kirchmann. de funer. lib. II. cap. 14. Ferrar. II. elect. cap. 13. Brodæus ad Anth. lib. IV. cap. 21. p. 572. Casellius Variar. lib. II. cap. 6. BURM.

Inhærentem] Supra cap. 86. *Inhæsi basio.* cap. 88. *Lysippus unius statuæ lineamentis inhærens.*

Execratusque omen] Vide Hadr. Junium de coma. PUTEAN.

jectus est. Nos, dissimulata nauseantis devotione, ad ordinem tristitiae redimus, silentioque composito, reliquas noctis horas male soporati consumsimus. * *

CIV. [a] Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere, Encolpion, quod quaeris, scito à me in navem tuam esse perductum. [b] Exhorruit Tryphaena: &, [c] putes, inquit, una nos dormiisse: nam & mihi simulacrum Neptuni, quod * Baistor asylo notaveram, videbatur dicere, in navi Lycae Gitona invenies. [d] Hinc scies, inquit Eumolpus, Epicurum hominem esse divinum, qui ejusmodi ludibria facetissima ratione condemnat.

[a] LYCAS. [b] ENCOLPIUS. [c] TRYPHÆNA. [d] EUMOLPUS.

Somnia,

Rejectus] Supra cap. 92. *Rejecit se in grabatum.*

Non dissimulata] Melius, *nos dissimulata.* BARTH.

Devotione] Exsecratione & dirarum devotatione. ERHARD.

Soporati] Vide de hoc verbo Barth. ad Stat. lib. VI. Theb. vers. 235. Ovidius lib. I. Amor. eleg. 9.

Sæpe soporatos invadere profuit hostes.

Secundum quietem] Suet. in vit. August. cap. XCIV. *Affirmavit ipsum esse, cujus imago secundum quietem sibi obversata sit.*

Encolpion quid quæris] Vet. *Encolpion quod quæris, scito.* Pith. alii *quem quær.* PATISSON. Lego, *quem quæris.* PUTEAN. Encolpius est, qui hoc libro totus est, supra aliquotiens. BONGARS. Sæpe ita *Quod* Plaut. Apul. de crocodilo, *nam quod est ore amplo & elingue & plerumque in aqua recluſa, multæ arundines dentibus implectuntur.* BARTH. Narrabat somnium suum Tryphænæ Lichas. Ergo legendum ex fide MSS. *Encolpium quem quæris*, quem sensum etiam secutæ sunt postremæ editiones. BOURDELOTT. *Quem* Memm. & Pith. cod. *quod* alii, hoc est, quoniam. Cicero ad Q. Fratrem lib. 3. ep. 5. *Quod quæris, quod illis libris egerim, quos, quum essem in Cumano, scribere instituï.* BOSCH. *Quod* tolerari potest. Est enim usus istius particulæ, qualis apud Plaut. Asin. Act. IV. scen. I. *Quod illa aut inimicum aut Patronum*, &c. Et mox: *Quod illa dicat, peregre Epistolam allatam.* Aulul. Act. I. sc. 2. *Quod quispiam ignem quærat, exstingui volo.* Vide Fabricium ad Terent. Eunuch. Act. III sc. I. CUPERUS. Vide Gronov. ad Liv. lib. XLII. cap. 26.

Scito] Vid. Gronov. lib. 3. Observ. cap. 9.

Putes, inquit, una] Simile illud Leucipp. lib. 4. ἐς δ' ἦκται τοῦτο, ἀναμνήσκομαι προσόμοιον ἰδὼν ἐνύπνιον. PITH. Cap. CXII. *Facuerunt ergo una non tantum nocte.* BARTH. Sueton. Claud. cap. 37.

Quod Baistor asylo notaveram] Puto: *quod Bajis cestro ac stylo notaveram.* Scaliger. WOUWER. Confessæ imperitiæ summa laus est. Aliter edi curavimus. *Quod Bais ter asylo notaveram.* Nec exspectamus judicum sententiam. Peccavimus in hac emendatione aliisque dupliciter, primo, quod tentare ausi, ultimo, quod in textum admittere. Amicis scribimus, quique me judicas, pondera. BOURDELOT. Omnes scripti *Baistor asylo notaveram.* Unde Gonsalio legendum videbatur *Bajis ter stylo:* non sequor. Emendat Illustriss. N. Heinsius; *quod Bajis in peristylo notaveram.* De peristyliis videndus Vitruvius. BOSCH. Locus depositus. Sed, excussis literarum ductibus, liquebit scribendum esse, *quod Bajis in Peristylo notaveram.* Ergo templum Neptuni Bajis; nec mirum, in urbe mari tam vicina; additæ erant templis, ut plurimum, porticus, quæ & *peristyla* à columnis dicta, in quibus exponebatur illius seu Dei, seu Deæ, imago, cui Templum erat dedicatum Justinus lib. XLIII. cap. 5. *Cum in arcem Minervæ venisset, conspecto in porticibus simulacro Deæ, quam per quietem viderat, repente exclamat, illam esse, quæ se nocte exterruisset, quæ recedere ab obsidione jussisset.* HEINS. Bynæus de Calceis Hebræor. lib. I. cap. 8. emendat *quo Bajis in peristylio notaveram.* Sed jam ante eum discipulis suis hanc emendationem tradiderat J. Fr. Gronovius: unde & Ampl. Cuperus adnotaverat margini sui codicis. *notare* autem, ut toties in hoc Satyrico, est videre, animadvertere. Serv. ad Virg. lib. II. Æneid. vers. 286. *Senex quidam juvenem egregiæ formæ securum in publico excidio notavit in foro.* v. supr. c. VI. BURM.

Epicurum hominem divinum] Tertull. de anima cap. XLVI. *Vana in totum somnia Epicurus judicavit, liberans à negotiis divinitatem.* Vide Lucian. Pseudom. Propertius lib. II. El XXII. vers. 27.

Ibat & hinc castæ narratum somnia Vestæ,
Non sibi, neve mihi, quæ nocitura forent.

WOUWEREN.

Ejusmodi ludibria] *Spectra* vocat Lucretius, id est, nocturna somnia. ERHARD.

Facetissima ratione condemnat] Ante postremas Editiones retrahebam fugitivum Epigramma pene puer: an sit Eumolpi, quidam forte dubitant; an rei conveniat, nemo.

Somnia

Somnia, quae mentes ludunt volitantibus umbris,
Non delubra Deûm, nec ab aethere numina mittunt,
Sed sibi quisque facit. Nam, quum prostrata sopore
Urget membra quies, & mens sine pondere ludit,
Quidquid luce fuit, tenebris agit. Oppida bello
Qui quatit, & flammis miserandas saevit in urbes,
Tela videt, versasque acies, & funera Regum,
Atque exundantes perfuso sanguine campos.
Qui causas orare solent, legesque, forumque,
Et pavido cernunt incluſum corde tribunal.
Condit avarus opes, defossumque invenit aurum,
Venator saltus canibus quatit. Eripit undis.
Aut premit eversam periturus navita puppim.
Scribit amatori meretrix. Dat adultera munus.
Et canis in somnis leporis vestigia latrat.
In noctis spatio miserorum vulnera durant.

* Cae-

Somnia quae mentes ludunt volitantibus umbris, Non delubra Deum, nec ab athere Numina mittunt; Sed sibi quisque facit, &c. BOURDELOT.

Forte *acutissima ratione contemnat*. HEINS.

Somnia] Videatur Putean. in Como pag. 14. & seq. Zehner. Cent. 3. adag. 22. WEITZ. Plane cum his congruit Claud. præf. in lib. III. de Rapt. Proserp. HADRIANID. Totum hoc elegans Epigramma explicat Barth. adverſ. LI. cap. 3. & cum præfatione illa Claudiani comparat. Ultimum autem versum viliorem, & ab exscriptore additum de suo, ut fieri sæpe solet, judicat.

Volitantibus umbris] Proprie, ut ostendunt ea quæ adduximus supra ad cap. LXIII. Dum manes nocte vagantur, etiam somnia emitti credebat superstitiosa antiquitas è portis suis.

Ludunt] Vide Broukh. ad Tibull. lib. III. eleg. 4. verſ. 7.

Prostrata sopore] Virgil. Culice verſ. 113.

Concipit hic mitem, projectus membra, soporem.

WEITZ.

Mens sine pondere] Ex Peripateticorum sententia hoc dici, qui interdiu animum corpori circumplexum ministrare, sed noctu à corporis ministerio liberum prospicere futura, unde & somnia existunt, ostendit Valesius ad Ammian. Marcell. lib. XIV. cap. II. Cæterum in catalectis Scaligeri pag. 254. editus hic versus:

Languent membra, quies, & mens sine pondere ludit.

Quicquid luce fuit, tenebris agit] Basil. Magn. Homil. in Martyr. Julittam pag. 148. Πεφάνασι γὰρ πῶς αἱ καθ' ὕπνον φαντασίαι ὡς τὰ πολλὰ ἀπηχήματα εἶναι τῶν μεθημερινῶν φροντίδων. οἵα γὰρ ἂν ᾖ τὰ κατὰ τὸν βίον ἡμῶν ἐπιτηδεύματα, τοιαῦτα ἀνάγκη εἶναι καὶ τὰ ἐνύπνια. WOUWEREN. Nonnus lib. 42. verſ. 323.

——— Ὅιαι δέ οἱ ἔπλετο κούρη
Εἵματι νυμφιδίῳ πεπυκασμένη· ἀντίτυπον γὰρ
Ἔργον, ὅπερ τελέει τις ἐν ἤματι, νυκτὶ δοκεύει.
Βύκολοι δ' ὑπνώοντα κεραὸς βόας εἰς νομὸν ἕλκει,
Δίκτυα θηρητῆρι φαίνεται ὄψις ὀνείρου.
Γεωπόνοι δ' εὕδοντες ἀροτρεύουσιν ἀρούρας,
Αὐλακα δὲ σπείρουσι φερέσαχυν, &c. WEITZ.

Quin quatit] Alii, *qui quatit*. PATISSON. Virg. lib. 9. Æneid. verſ. 608.

Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.

Valer. Flaccus Argonautic. lib. 2. verſ. 122.

——— *Quatit oppida linguis.* WEITZ.

Prosuso sanguine] Alii, *persuso*. PATISSON. *Prosuso* Scaliger legit in Catalectis.

Qui causas] Scaliger edidit, *quin causas*.

Saltus quatit] Κυμολογία, de qua vide Gronovium ad Senec. Herc. Oetæ. verſ. 1523.

Dat adultera munus] Douza *numos* legit. ERH. Nihil muta. Ovid. lib. II. Amor. El. 19.

——— *Quid latrent, nocte silente, canes.*

Durius dixit Gellius lib. VII. cap. 1. *Demirantes, quod solum* (Scipionem) *id temporis in Capitolium ingredientem canes semper in alios savientes, neque latrarent eum, neque incurrerent.* Melius *adlatrarent* dixisset.

In spatio] Patissoni & Wouweri Plantiniana editio

[a] Caeterum Lycas, ut Tryphaenae somnium expiavit, [b] Quis, inquit, prohibet

a ENCOLPIUS. b LYCAS.

spatium, quod mihi rectius videtur, id est, quamdiu durat nox, durant vulnera. Ita *in spatium fugere* Ovid. lib. VII. Met. vers. 787. est recta via & longa fugere. *In spatium trahere*, pro extendere, extrahere, idem lib. XI. Metam. vers. 176. *in spatium porrigere*. idem lib. II. Metam. vers. 197. *digesta porticus in spatium* Propert. lib. II. eleg. 23. BURM.

Somnium expiavit] Id fiebat vini aspersione, aut aquæ lymphatæ. GLOSSÆ. Sueton. Galb. 18. *Quumque exterritus luce prima ad expiandum somnium, præmissis, qui rem divinam appararent, Tusculum excurrisset.* PITH. Varia superstitio expiandi somnia. Rem divinam faciebant. Tibull. lib. I Eleg. V. vers. 13.

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter sancta devenerauda mola.

Et lib. III. Eleg. IV. vers. 10.

——— *Omina noctis*
Farre pio placant, & saliente sale.

Aqua lavabant. Pers. Sat. 2.

——— *Et noctem flumine purgas.*

Propert. lib. 4. vers. 21.

Sæpe illa immerita caussata est omina luna,
Et sibi tingendas dixit in amne comas.

Plutarch. idem tradit περὶ δεισιδαιμονίας. Non autem omina tantum aqua expiabant, sed omni lustrationi adhibebant. Dion. lib. 39. πρός τε ὕδωρ ἀφικνεῖσθαι, καθαρμόν κἀνταῦθα τινα σφῶν ποιεῖσθαι. Servius inditus Æn. lib. XII. ad Virgilii vers. 169. *Pura vestis, qua uti consueverant ad sacrificandum. Ea autem purpurea. Purpura enim maris vicem ad piandum præbet.* Sane quævis scelera aqua expiabant. Varro Rer. humanar. lib. X. *Juxta Rhegium flavii sunt continui septem, in his à matris nece dicitur purgatus Orestes.* Idem Cato refert Orig. III. apud Prob. ad Virg. Vide Tertull. de Baptism. cap. 5. Virg. Æneid. VI. & inibi Serv. Lact. lib. V. cap. 20. Senec. Herc. Furent. Apul. Mil. lib. VI. Dion. lib. 48. Eurip. Taur. Sed & lustratio quæ per aquam, varia forma modoque peracta; aut enim parte aliqua immersi aut aspersi tantum. Cum parte aliqua, aut caput, aut manus abluebant. Quod caput, Pers. Sat. 2. Juv. Sat. 6. Apul. lib. X. Mil. Fulg. libro 2. Mythol. Theoph. Char. περὶ δεισιδαιμονίας. Quod manus, Scholiastes Soph. ἐθῶ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅτι ἡ φίνον ἀνθρώπῳ, ἢ ἄλλας σφαγὰς ἐποίει, ἀπονίπτειν τὰς χεῖρας εἰς κάθαρσιν τοῦ μιάσματος. Matth. cap. 27. λαβὼν ὕδωρ ἀπενίψατο τὰς χεῖρας, λέγων, ἀθῷός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος τοῦ δικαίου. Quo forte illud quod Hesychius: χερνίζειν τὸ ἁγνίσθηναι, δι' ὕδατος ἔχοντος κριθὰς καὶ ἅλας. Nota dignum, quod farris & salis injectione aquam piatricem pararint. Menander: ὕδατι περιῤῥᾶναι, ἁλῶν ἅλας, φάκες. vide Clement. Alexandr. Stromat. lib. 7. Cur salem adiecerint, ratio in proclivi, nam Proclus in Platon. auctor, aquam marinam purificare propter igneam portionem, tanto igitur magis ignis, quod verum est, iccirco veteribus frequens in omni lustratione. Varro apud Charis. *Fax adhibetur propter purgationem.* Vide eumdem apud interpr. Persii Sat. I. Diphil. apud Clem. Alex. lib. 7. Strom. Et, quia sacra nisi caste tractari non poterant, lavabant manus antequam facerent. Tibull. lib. II. El. I. vers. 14.

Casta placent superis, pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Ita hic locus disting. Plaut. Amph. *Invocat deos. Manibus puris* Pol. lib. I. Sed de his latius alibi. Pompon. Haruspice, apud Nonium in *puriter*. *Fac puriter bucco vel pectore rustico. Uti tractes lavi jamdudum manus.* Emendo:

Fac puriter vacca, vel pecore rustico
Intacto, lavi jamdudum manus.

Haruspex hortatur, ut faciat, se jamdudum paratum. *Facere vacca.* Virgil. Ecc. 3.

Cum faciam vitula pro frugibus.

Vacca autem Proserpinæ sacra fiebant. Virg. Æneid. VI. vers. 251.

——— *Sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.*

Atqui ut hic perperam *pectore*, pro *pecore*, ita quoque apud Varronem *pecora* pro *pectora*. Non. voce *Pullum*. Varro sesquivlysse. *Ubi nitide Phœbi veste pulla candidi modeste amictus pascunt pectora.* Lege, *ubi nitide Phœbi veste pulla candidi Modeste amicti pascunt pecora. Intacto pecore*, puto, impolluto. Quare hujusmodi victimas postularint, abunde Philo περὶ ζώων τῶν εἰς θυσίας, καὶ τίνα τῶν θυσιῶν εἶδη. Virgil. VI. Æneid. vers. 38.

Nunc grege de intacto septem mactare juvencos
Præstiterit. ———

Sive potius: *intactum pecus*, quod jugum non sensit. Fulgent. *Minervæ injuges boves sacrificare*, id est, jugum nunquam ferentes, qui caussam addit. vide Fest. hinc lucem do Senec. Agamem. vers. 352.

——— *Ad tua conjux*
Candida tauri delubra cadit,
Nescia aratri, nullo collum
Subacta jugo.

Silius lib. 13.

Caditur Ætneæ casta cervice Minervæ.

Casta cervice, injugi, intacta. Virg. Georg. IV. vers. 540.

——— *Intacta totidem cervice juvencas.*

Nisi potius in Pompon. L. *fac..... rustico uti mactes.* Denique, quod nonnumquam sola aspergine usi, Cicero II. de LL. Incestum aquæ aspersione tolli. Justinus martyr Apol. II. Καὶ τὸ λυτρον δὴ τοῦτο ἀκέσαντες οἱ δαίμονες διὰ τοῦ προφήτου κεκηρυγμένον ἐνεργῆσαι, καὶ ῥαντίζειν ἑαυτοὺς τοὺς εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν ἐπιβαίνοντας, καὶ προσιέναι αὐτοῖς μέλλοντας λοιβὰς καὶ νίψας ἀποτελεῖτας. τέλεον δ' καὶ λύεσθαι ἀπιόντας πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερὰ, ἔνθα ἐδρυ-

hibet navigium scrutari, ne videamur divinae mentis opera damnare? [a] Is, qui nocte miserorum furtum deprehenderat, Hesus nomine, subito proclamat, [b] Ergo illi, qui sunt, qui nocte ad Lunam radebantur? pessimo, me-Dius-Fidius, exemplo. Audio enim, non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues, neque capillos, deponere, nisi quum pelago ventus irascitur.

[a] ENCOLPIUS. [b] Æsius.

CV. [a] Ex-

ἱδρυται, ἱκετηρίοις. Quæ quidem expiatio ad victimas ipsas. Dionys. Halicarn. lib. 8. χερνιψάμενοί τε γὰρ αὐτοὶ, καὶ τὰ ἱερὰ καθαρῷ πυρὶ αγνίσαντες ὕδατι. Aspergebatur autem potissimum caput, quod fuse Ovidius Fastor. lib. 5. Sed hæc plene tractanda suo jam novimus titulo; pauca quidem tamquam in gustum, data occasione, interspersi, licet hoc votivum nobis non fuerat. Plutarchus vero de more expiandi somnia, περὶ δεισιδαιμονίας. Horribilibus spectris turbati postquam surrexerint, inquit, ὑπερεξαπατῶσιν ἑαυτοὺς, καὶ δαπανῶσι, καὶ ταράττεται ἱς ἀγύρτας ἐμπίπτοντες, λέγοντας: Ἀλλ' ἐστ' ἔνυπνιον φάντασμα φοβῆ, χθονίας δ' Ἐκάτης κῶμον ἐδέξω, τὴν περιπλανήτειραν καλεῖ γραῦν, καὶ βάπτισον σεαυτὸν ἱς θάλασσαν, καὶ καθίσας ἐν τῇ διημέρευσον. De reliqua superstitione expiandi somnia Clariss. Isac. Casaubonus, immortale sæculi nostri decus, Comment. ad Theoph. Char. περὶ δεισιδαιμ. WOUWEREN. Id quod vini aspersione fiebat, aut aquæ lymphatæ. Rader. ad Mart. lib. 7. epig. 47. & præfat. lib. 8. Dousa Centur. lib. 3. cap. 9. Adde Heliodor. lib. 7. pag. 320. Narrasse aëri somnia docet Euripid. in Iphig. in Taur. ERHARD.

Quis prohibet] Magis arrideret solemnis formula *quid prohibet?* Infra cap. 127. *Quid prohibet & sororem adoptare?* Vide Heins. ad Ovid. Epist. Heroid. x. vers. 87.

Divinæ mentis] Virg. lib. VI. Æneid. vers. 726.

—— *Totamque infusa per artus*
Mens agitat molem.

Deus est animus: Cato. Capella lib. 6. ad Minervam:

—— *Mens & solertia fati*
Ingenium mundi.

Vide Leontium in fine Sphæræ Arateæ. BARTH. Quid velint hujus loci interpretes, divinare non potui. *Divina mens* mihi Deus est, νοῦς. qua de re copiose alibi. BOURDELOT.

Divinæ mentis opera damnare] Lege *arcana opera damnare.* Mem. cod. Forte legendum; *divina mentis operta ac arcana damnare?* Nobiliss. N. Heinsius *arcana operta.* BOSCH.

Furtum] Omne quod clam fit. Sic Manil. libr. 1. vers. 27. *mundum furto clepere*, pro clam eum cognoscere. BARTH.

Hæsius nomine] Alii, *læsus omine.* PATISSON. *Æsius nomine*, recte reposuimus, & res ipsa per se loquitur. Etymologicum, Αἴσιος, ὁ τὴν αἰτίαν, τυτέστι τὴν ἀφορμήν, ὁθεν. Hoc nomen hinc rectissime convenit. BOURDEL. Gonsalius restituit *Æsius:* non male, mea sententia. *L. Æsius* est in lapide apud Gruter. XIII. 2. αἴσιοι proprie, qui omen faciunt. Schol. Sophocl. Oedip. Tyran. vers. 52. & Oed. Colon. vers. 34. antiquæ tamen editiones *Hesus.*

Non licere in navi neque ungues] Ad vitandum videlicet omen, nam salfugo maris ungues consumit, quod ex Solino colligere est, Polyhist. cap. 4. *Cum salsiores esias edit gravida, unguiculis caret partus.* WOUWEREN. Propert. lib. III. Eleg. v. vers. 65.

Huic fluctus vivo radicitus abstulit ungues.

Hoc verum est, naufragis & ungues à cute recidere, & extremitates labescere. Quod cum videret superstitiosa antiquitas, tamquam naufragium deprecari vellet, quo scilicet sciebat ungues radicibus avelli, solebat sibi ungues præsecare, quoties turbaret mare, ut ex hoc loco patet. Ergo irato mari capillorum resectione naufragium deprecabantur, ut evaderent unguium præsectionem, ne enecarentur in mari. Scalig. ad Propert. dicto loco. ERHARD.

Neque capillos deponere] Libanius, περὶ τῆς ἑαυτοῦ τύχης. PITH. Cap. CIII. *Naufragorum ultimum votum.* quod verum esse Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων. Καθάπερ ναυαγίαν τινὰ, καὶ σωτηρίαν δηγεμένων. οἷοι εἰσὶν οἱ πρὸς τοῖς ἱεροῖς ἐξυρημένοι τὰς κεφαλάς. Hermotimo: δοκῶ ἤ μοὶ ἐκ ἀλόγως ἂν καὶ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ ἐκ τῶν ναυαγίαν ἀποσωθέντες. Radebant autem caput, non ut mortem effugerent, sed naufragium. ξύρασθαι ἤ δοκεῖν τὴν κεφαλὴν, πλέουσι ναυάγιον σημαίνει, πλὴν ἐκ ἀποθανεῖν. ναυαγήσαντες μὲν γὰρ ἤ ἐκ μεγάλης σωθέντες νόσε, ξυρῶνται. WOUWEREN. Paullo ante: *Notavit sibi ad lunam tonsorem intempestivo inhærentem ministerio, exsecratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum.* Gentiles, urgente tempestate, ac nulla salutis spe affulgente, capillos soliti tondere. Nonius: *Qui liberi videbantur effugere. sicut naufragio liberati solent.* Eam ob causam Juvenal. Sat. 12.

Tunc stagnante sinu gaudent ibi vertice raso,
Garrula securi narrare pericula nautæ.

nautam vertice raso, quem in mari sæpissime pericula & naufragia invenissent. Ad hunc morem videtur alludere Paulus Act. Apost. cap. 27. ubi dejectos metu naufragii vectorum animos conatur erigere; εὐθὺς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται. Durantius Variar.

CV. [a] Excanduit Lycas hoc sermone turbatus; &, [b] itane, inquit, capillos aliquis in nave praecidit, & hoc nocte intempesta? attrahite ocyus nocentes in medium, ut sciam, quorum capitibus debeat navigium lustrari? [c] Ego, inquit Eumolpus, hoc jussi; nec non eodem futurus navigio, auspicium mihi feci, sed quia nocentes horridos longosque habebant capillos, ne viderer de nave carcerem facere, jussi squalorem damnatis auferri:

[a] ENCOLPIUS. [b] LYCAS. [c] EUMOLPUS.

lect. lib. 2. cap. 9. Kirchmannus de Funeribus lib. 2. cap. 14. ERHARD. Τὸ ξυρᾶσθαι naufragorum ultimum votum. Artemidor. lib. 1. Onirocrit. cap. 25. Quem morem jampridem observaverat Brodæus ad illud Lucillianum lib. 6. Antholog.

Σωθεὶς ἐκ πελάγους Λυκίλλιος ὧδε κέκαρμαι
Τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς· ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.

Rigaltius ad Artemidor. pag. 9. WEITZ.

Attrahite] Ovid. lib. III. Met. vers. 563.

Attrahite hunc vinctum.

Nec non eodem futurus navigio] Gallicus noster Petronii corruptor nullo sensu edidit *non omen facturus navigio hospitio mihi*, quæ quid significent, vellem nobis stupidis exponerent sublimia illa Galliæ ingenia: cum sensus optimus emergat ex vulgata, illum jussisse squalorem damnatis demere, quia, eodem navigio futurus, nolebat cum miseris & habitu infausto insignibus navigare, ne male ominatus ille habitus magnam partem in se quoque redundaret. Superstitionem illam respicit veterum, qui ominosum ducebant eadem navi cum infelicibus & sceleſtis navigare, aut eodem tecto uti, quod unius scelus omnibus malum creare posse crederent. nota historia Jonæ, quem, ut naufragii, quod timebant nautæ, auctorem præcipitabant. Horat. lib. III. od. 2.

——— *Vetabo, qui Cereris sacrum*
Vulgarit arcanum, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat Phaselum. Sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum.

Theophrast. περὶ δειλίας ridet eum, *qui ad minimam fluctuum agitationem quærit, an omnes vectores sint initiati.* Virgil. lib. I. Æn. vers. 40.

——— *Pallasne exurere classem*
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto
Unus ob noxam & furias Ajacis Oilei.

Sophocl. Antigone. 379.

Μητ' ἐμοὶ παρέστιος
Γένοιτο, μητ' ἴσον
Φρονῶν, ὃς τάδ' ἔρδει.

Oedip. Col. 1485.

Ἐναισίου δὲ συντύχοιμι
Μηδ' ἄλαστον ἀνδρὸς ἰδὼν
Ἀκηδὴς χάριν μετάσχοιμι πως.

Sibi ergo, simul cum his fugitivis & stigmate punctis, navigaturus auspicium fecit Eumolpus, ne participaret mala omina, quæ capillus sordidus faciebat, & ne infelici auspicio navigationem susciperet: locutio autem illa *auspicium facere sibi*, pro re fausta avertere sibi omen, & futuram felicitatem augurari, est elegantissima. Præter Horatii locum à Douza adductum Livius lib. I. cap. 34. *Aquilam ea regione cæli & ejus Dei nunciam venisse, circa summum culmen hominis auspicium fecisse.* Id est, bonum omen dedisse. Plaut. Stich. Act. III. sc. 2. *Augurium hac facit.* v. Turneb. lib. XXVI. Adverss. 26. BURM.

Auspicium mihi feci] Alii, *auspicium triste feci.* TORNÆS. Omnino scribendum *auspicium nihili feci*, cæterum nihil lætum aut delicatum in navigio faciebant. Achilles Tatius libro 5. Πολλάκις ἤκουσα παρὰ τῶν ναυτικοτέρων καθαρὰ δεῖν ἀφροδίσια εἶναι τὰ πλοῖα, τάχα μὲν ὡς ἱερά, τάχα δὲ ἵνα μητὶς ἐν τηλικούτῳ τρυφᾷ. BARTH.

Sed horridos nocentesque capillos] Sordidus & passus capillus reorum. Plin. lib. 7. epist. 27. *Reis moris est submittere capillum.* Idem Panegyr. Juven. Comm. *Cum res tenemur, capillos demittimus.* Gell. lib. 3. cap. 4. Prudent. I. adverss. Symmach. Nec tantum rei sordidi, hoc est, solito cultu reorum, capillo nimirum promisso, & veste obsoleta. Cicer. pro Cluent. sed etiam eorum propinqui. Mart. lib. II. epig. 24.

Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,
Squallidus hærebo, pallidiorque reo.

Quinct. lib. 8. Imo ipsi accusatores sordidati, ne rei habitu invidiam facerent, & facilius judices flecterentur. Cicer. v. in Verr. cap. 49. *Adspicite squallorem sociorum.* sæpe inspersus cinis, quo miserabiliores. Apul. lib. 7. *Ambabus manibus trahens cineroſam caniciem.* Milesſ. lib. x. & IX. Virg. Æn. x. obvium in S. Scriptura. Tertull. de jejuniis cap. 16. *Cum stupet cælum, & aret annus, ritu annuo saccis velati, & cinere conspersi, idolis invidiam supplicem objiciunt.* Apol. cap. LX. WOUWER. Scribe *sc. quia*; pro *scilicet.* Jungermannus. sordidus enim, squallidus & productus capillus reorum. Sisenna lib. 3. Histor. Plutarch. Rer. Rom. cap. 14. Oros. lib. 5. cap. 17. Cic. 4. in Verr. Livius lib. II. dec. 2. & lib. 4. dec. 5. Val. Maxim. lib. I. cap. 7. & libro 6. cap. 4. Justinus lib. 36. sub fin. Fortunatus de S. Martino, lib. 4.

——— *Et longa catena reorum*
Accrescente coma. ———

viden-

auferri: simul ut notae quoque literarum, non adumbratae comarum praesidio, totae ad oculos legentium accederent. Inter caetera apud communem amicam consumserunt pecuniam meam, à qua illos proxima nocte extraxi mero unguentisque perfusos. Ad summam, adhuc patrimonii mei reliquias olent. [a] Itaque, ut Tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utrisque plagas imponi. Nulla ergo fit mora. Aggrediuntur nos

[a] ENCOLPIUS.

videndi Wouwerius & Savaro ad Sidon. ERHARD. Vide supra ad cap. 99.

Notae quoque literarum non adumbratae comarum praesidio] Diphilus:

Κόμην τρίφαν μὲν πρῶτον ἱερὰν τῆ θεοῦ,
Ὡς φησι, δεῖ δὲ τοῦτο γ', ἀλλ' ἐστιγμένῳ
Πρὸ τῶν μετώπω παραπίτασμ' αὐτὴν ἔχει. PITH.

Non adumbratae] *Ne adumbratae*. Leid. cod. BOSCH.

Accederent] *Acciderent* malim. Sic *Fama ejus ad nos accidit* Livio lib. XXI. cap. 10, ubi vide Gronovium. Curtius lib. IV. cap. 4. *Alexander classem litori, à quo fremitus acciderat, admovit*. HEINS. Firmandae conjecturae facit egregie locus Ciceronis IV. Verr. cap. 1. *Denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, reliquisse*, ut recte viri docti constituerunt. Vide Gifanii Indicem Lucret. Colvium ad Apulej. v. Metam. pag. 70. Passer. ad Cicer. in Vatin. cap. 2. vulgata tamen locutio *accedere* magis dicitur de re, quae auribus, quam oculis, percipitur. Ut pluribus exemplis adstruxit Heinsius ad Ovid. lib. v. fast. 360. curis secundis, quas nos publico debemus. BURM.

Ad summam] Sallust. *Ad postremum, Denique*, Pflugius. ERHARD.

Tutela] Navium proris effigiata aut picta Deorum, quibus se mancipabant, signa imposita. GLOSS. Statim, *tentantque vilissimo sanguine tutelam placare*. Paulo post cap. CVIII. *a tutela navigii raptum*. videndus Turnebus. DANIEL. Navium proris effigiata aut picta deorum, quibus se mancipabant, signa imposita, idque *tutela* Latinis. Gloss. *Tutela*, παράσημον τῆ πλοίῳ. recte. nam & navigio nomen imponebat. Lucian. Navig. Τὴν ἐπώνυμον τῆς νεὼς θεὸν ἔχουσα, τὴν Ἶσιν. Statius Thebaid. 8. vers. 269.

—— *Solus stat puppe magister*
Pervigil, inscriptaque deus qui navigat alvo.

Lutacius: *Tutelam navis intelligimus cum gubernatore navigare. habent enim pictos praesules, quorum nominibus nuncupantur & naves.* hos intellexit Artemid. cui hinc facem praefero, lib. 2. Οἶδα τινὰ ναύκληρον, ὃς εἶδεν τὰς ἐν τῆ πλοίῳ θεὰς ἱδρυμένας ἀπολαλιναι. Persius Sat. 6.

—— *Jacet ipse in littore, & una*
Ingentes de puppe dei.

Gloss. *navium tutelam dicit, quam in puppibus habent, vel pingunt*. Procopius in Esaiae cap. 12. Ἐπεῖχαι τι φησὶν Παῦλον ὁ Λευκᾶς ἐν πλοίῳ Ἀλεξανδρινῷ παρασήμῳ Διοσκόροις. Ταῖς γὰρ πρῴραις ἀεὶ θεῶν εἰκόνας ἐνεγράφον, ὡς καὶ νῦν ἁγίων μαρτύρων. Lucae verba in Actis Apost. cap. 28. vide Fest. in Europa. Observo non semper deorum signa imposita, sed etiam animalium. Lactant. libro I. cap. 11. *Navis, in qua impositus, tutelam habuit in aquila figuratam de anseris effigie*. Lucian. Virg. Aeneid. 10 vers. 166.

—— *Aerata princeps secat aequora Tigri.*

Servius: *Cujus rostrum erat in similitudinem Tigridis; namque solent naves nomina accipere à tutelarum pictura*. quae verba valde corrupta leguntur. Licae navis tutelam forte habuit effigiem Palladis manu ramum oleae tenentis, quod ex sequenti cap. CVIII. claret. nam ἐλαία φυτὸν τῆ Ἀθηνᾶ ἀνακείμενον Artemid. lib. 5. WOUWEREN. Confundit hic Wouwerius Tutelam & παράσημον, quae distinxit Salmasius Exercit. Plin. pag. 403. & eum secutus Scheffer. lib. III. de Milit. Navali cap. 1. ubi ostendit, Tutelam in puppe fuisse, sed simul concedit, improprie παράσημον, quod in prora fuit, *Tutelam* dici, quando simulacra deorum in prora sunt posita, non ut Tutelae, sed ut signa. vide & Fabrettum de Column. Trajana. cap. IV. pag. 112. Sed contra hanc distinctionem παρασήμου & Tutelae acriter pugnat Stanlejus in notis eruditissimis ad Aeschyl. septem. cont. Theb. vers. 214. & certe difficilis admodum distinctio, cum tot loca veterum puppi, & alia proræ, deorum imagines attribuant, sive id acciderit, ut Salmasius vult, quia idem saepe fuit Tutela, & παράσημον, unum ejusdem Dei simulacrum, sive, quia Graeci una voce παράσημα utrumque expresserint, sive alia nobis ignota ratione. Tzetzes quoque ad Lycophron. Cassandr. vers. 26. dicit proris navium Barbaricarum & Bellicarum Deos fuisse inscriptos. BURM.

Quadragenas utrisque plagas imponi] Nota quod plagas numerarint. Paullus 2. ad Corinthios capite 11. Ἐν κόποις περισσοτέρως, ἐν πληγαῖς ὑπερβαλλόντως, ὑπὸ Ἰουδαίων πεντάκις τεσσαράκοντα παρὰ μίαν ἔλαβον. Zonaras Tom. 3. Τοῖς δὲ λοιποῖς ἐκκόψας τὰ ὄμματα, καὶ περιγράπτως ὁρίσας συγκλείστους αὐτούς, ἵνδα κατ' ἰνιαυτὸν πέμπων ἑκατὸν βυσσύρους ἤκειν ἔκαστον. saepe in LL. Georg. tit. περὶ φώνων ζώων: λαμβανέτω μάστιγας ε. ibid. λαμβάνων μάστιγας ιβ. verbatim LL. Bojoariorum tit. 18. *Si quis mulier potionem dederit, ut abortum faceret, si ancilla est*, CC. *flagella suscipiat*. WOUWEREN,

nos furentes nautae cum funibus, tentantque vilissimo sanguine Tutelam placare. Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi: caeterum Giton semel ictus tam valde exclamavit, ut Tryphaenae aures notissima voce repleret. Non solum ergo turbata est, sed ancillae quoque omnes familiari sono inductae ad vapulantem decurrunt. Jam Giton mirabili forma exarmaverat nautas, coeperatque etiam sine voce saevientes rogare,

REN. Utpote servis. nam verbera *poena* sunt *servilis* Petron. Bongarsius Not. in Justinum lib. 1. *Quadragenas*, inquit: nec enim olim arbitrio carnificis, sicut hodie fit, flagellabantur condemnati ad flagra, aut fustes, quod ex sacra Scriptura & Legibus gentium constat. Fr. Pithoeus Gloss. Legis Salic. tit. 13. Deuteronom. 25. vers. 3. *Si eum, qui peccavit, dignum viderint plagis, prosternent, & coram se facient verberari. Pro mensura peccati erat & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Sed & hodie apud Hispanos qui esculenta in macello coëmit, ut carius vendat, 25. qui annonam frumentariam flagellat, 100. ictibus à carnifice fustigatur. ERHARD. Vide supra cap. xxv.

Imponi] Locutio Ciceroniana. Orat. pro Sext. cap. 19. *An non accipienda plaga mihi sanabilis, illis mortifera, qui eam imposuissent?* Ita *imponere vulnus* lib. 1. ad Attic. Ep. 16. ubi vide Casauboni notas.

Vilissimo sanguine] Servili. ita capio apud Senec. de Clem. lib. 1. cap. 1. WOUWEREN. Non repugno quin de servis capiatur, ut credebantur. Sed tamen de omni turba humili & plebeja, in cujus morte nullum damnum, hoc vocabulum intelligitur Livius xxv. 6. *An vobis vestrisque liberis ignoscitis facile, Patres conscripti, in hæc vilia capita sævi.* Lucan. lib. v. vers. 262.

——— *Quæris terraque marique*
His ferrum jugulis, animasque effundere viles.

Cicer. lib. III. de Offic. cap. 23. *Quærit, si in mari jactura facienda sit, equine pretiosi potius jacturam faciat, an servuli vilis.* Ita Florus lib. II. cap. 6. Sardos vocat *gentem contumacem & vilis mortis*, id est, in cujus morte non magna est jactura, non, ut Salmasius legit, *vilis morti*, facilis ad excipiendam, & nihili mortem facientem. BURM.

Spartana nobilitate] Summa patientia. Notatur Spartanorum animi firmitudo ac tolerantia in sufferendis plagis. GLOSSÆ. Cur Spartana nobilitate? Tertull. ad Martyras cap 4 *Nam, quæ hodie apud Lacedæmonas sollennitas est maxima, διαμαστίγωσις, id est flagellatio, non latet. In quo sacro ante aram nobiles adolescentes flagellis adfliguntur.* Quod illud sacrum, quæ solennitas? Plutarchus. οἱ παῖδες παρὰ αὐτοῖς (Lacedæmonibus) ξαινόμενοι μάστιξι δι' ὅλης τῆς ἡμέρας ἐπὶ τοῦ βωμοῦ ὀρθίας Ἀρτέμιδος, μεχρὶ θανάτου πολλάκις διακαρτεροῦσι, ἵλαροὶ καὶ γαῦροι, &c. καλεῖται δὲ ἡ ἄμιλλα διαμαστίγωσις. Vide eumdem Lycurgo. Lucian. Icaromenip. Arrian. Diss. in Epict. lib. 1. cap. 2. Cujus instituti originem rationemque apud Philostr. libro 6. ubi Apollon. τὸ δὴ μαστίγων ἕθος, τῇ Ἀρτέμιδι τῇ ἀπὸ Σκυθῶν δρᾶται, χρησμῶν φασιν ἐξηγεμένων, ταῦτα δὲ σοφοὺς ἔφη τοὺς Ἕλληνας θεοὺς εὑρηκας, εἰ μαστίγων ἐγίγνοντο ξύμβολοι τοῖς τὴν ἐλευθερίαν ἀσκοῦσιν. ὁ μαστίγων εἶπον, ἀλλὰ τῷ αἵματι ἀνθρώπων τὸν βωμὸν ῥαίνειν. ἐπειδὴ καὶ παρὰ Σκύθαις τύτων ἠξίωντο. σοφισάμενοι δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι τὸ ἀπαραίτητον τῆς θυσίας, ἐπὶ τὸν καρτερίας ἀγῶνα ἤκουσιν, ἀφ' ἧς ἔστι μή τε ἀποθνήσκειν καὶ ἀπάρχεσθαι τῇ θεῷ τῶν σφῶν αὐτῶν αἵματος. WOUWEREN. Celebris Spartanorum Patientia. Pacatus paneg. *Ad hoc aulam omnem Spartanis gymnasiis duriorem, laboris, patientiæ, frugalitatis exemplis abundantem.* Aristænet. lib. 2. epistol. 17. Τὴν ἀνδρίαν μιμήσομαι τῶν Λακώνων. Maximus Tyrius Serm. 35. Διὰ ταῦτο ἡ Σπάρτη ἐπὶ πλεῖσον ἐλευθέρα, ὅτι οὐδὲ ἐν εἰρήνῃ σχολὴν ἔχει. μάστιγες αὐταὶ καὶ πληγαὶ Λακωνικαὶ, καὶ ἔθη κακῶν ταῖς ἀρεταῖς ἀναμεμιγύμενα. Nicolaus ἐθνικοῖς. Αἱ δὲ παῖδες νομίμως περί τινα βωμὸν περιόντες μαστιγοῦνται, ἕως ἂν ὀλίγοι λειφθέντες στεφανωθῶσι. vide plura apud Stob. serm. 42. Ista Nicolai haud dubio animo habuit Petronius. BARTH. Id est, summa patientia, Pflugius. vide de Lacedæmoniorum animositate & tolerantia Fr. Jureti Miscell. ad Symmach. lib. 2. ep. 46. Joseph. Stephani Demonstrat. politic. Henric. Steph. Append. ad Dicæarch. Nicol. Cragii Commentar. de Republ. Lacedæmon. Bernartii Commentar. ad lib. 8. Thebaid. Statii. ERHARD. Alludit ad Lacedæmoniorum morem, apud quos quotannis nobilissimi etiam pueri ad Dianæ aram loris flagellabantur; quorum numquam ullus exclamavit, neque ingemuit quidem, qua in patientia summam virtutem ponebant. Hinc Horatio *patiens Lacedæmon.* BOSCH. Recte ex sacris Dianæ illustrarunt viri docti. Quibus adde quæ Munkerus notavit ad Hyginini Fabul. CCLXIX. & hinc Lactant. ad Statii lib. 1. Theb. vers. 118. *Asperum Eurotam* dici notat propter μαστίγωσιν. *Quia virtutis est in sacris cædi verberibus sine corporis motu*, quem & vide ad lib. IV. vers. 228.

Tam valde] Supra cap. 78.

Non solum ergo turbata est] *Non sola* Anonymus ad Tornæs. Edit. BOSCH.

An-

rogare, quum ancillae pariter proclamant, [a] Giton est, Giton, inhibete crudelissimas manus, Giton est, Domina succurre. [b] Deflectit aures Tryphaena jam sua sponte credentes, raptimque ad puerum devolat. Lycas, qui me optime noverat, tamquam & ipse vocem audisset, accurrit: & nec manus, nec faciem meam, consideravit, sed, continuo ad inguina mea luminibus deflexis, movit officiosam manum: &, [c] Salve, inquit, Encolpi. [d] Miretur nunc aliquis, Ulixis nutricem post vicesimum annum cicatricem invenisse originis indicem, quum homo prudentissimus, confusis omnibus corporis indiciorumque lineamentis, ad unicum fugitivi argumentum tam docte pervenerit. Tryphaena lacrymas effudit, decepta

[a] ANCILLA, [b] ENCOLPIUS, [c] LYCAS. [d] ENCOLPIUS.

Ancillæ quoque] Alii, *ancillæ etiam.* TORNÆS.

Mirabili forma] Alii, *miserabili forma.* TORNÆS. Plane est illud ex Helena Eurip. ἐκκεκάφασι ξίφη. Heliodorus lib. 5. Τῶν δὲ ἐπαιλθόντων ἐπαυσταίνατο μὲν τινες ὡς πατάξοντες. οἱ δὲ ἐπιβλέψαντες οἱ νέοι κατώγασαν τὰς ἐπιφερομένας, ὠκλαζεν αὐτοῖς ὁ θυμός. καὶ παιῖντο αἱ δεξιαὶ τῶν καλῶν, καὶ βάρβαροι χεῖρες ὡς ἔοικε δυσαπῆνται, καὶ πρὸς τὴν ἱράσμιον θέαν ἀπρόσφιλῶ ὀφθαλμὸς ἡμερῶται. Lib. 6. κάλλος ὄψις ληστικὸν ἦθος οἷδεν ὑποστάτιν. WOUWEREN.

Forma exarmaverat navi] Στησίχορῶ περὶ τῶν τὴν Ἑλένην καταλείειν μελλόντων φησὶν, ἅμα τῷ τὴν ὄψιν αὐτῆς ἰδεῖν αὐτὸς, ἀφεῖναι τοὺς λίθους ἐπὶ τὴν γῆν. Sane πρὸς τὴν ἱράσμιον θέαν καὶ ἀπρόσφιλος ὀφθαλμὸς ἡμερῶται. Heliod. lib. 5. PITH. Arma excusserat. Lamp. Elagab. *exarmati leones.* Paul. l. 2. § 1. D. L. Rhod. *Navis si quid exarmaverit.* Senec. controv. *exarmata navis.* ep. 30. *Et si exarmavit, tamen reliquias navigii aptat ad cursum.* Sic *dearmare.* Apul. lib. 5. Metam. *Pharetras explicet, & sagittas dearmet.* Lege *pharetras expilet.* WOUWEREN. Non video quid exempla à Wouwerio adducta huc faciant: ponitur enim pro exorare, mitigare. Florus 1. 22. *Nisi quod jam inferentem signa filium mater Veturia lacrymis suis exarmavit.*

Giton est, Giton] *Hic hic, quem quærimus, hic est.* PITH. Legendum esse *Giton est, Giton est*, repetitione concinna, si non necessaria, censuit Brouckhusius olim meus.

Deflectit aures sua sponte credentes] Optime expressit adfectum amantis. ἀ γὰρ ἐπιθυμεῖ ψυχὴ, καὶ πιστεύει φιλεῖ, ut ait Heliodor. WOUWEREN.

Tryphena] Vet. exempl. *Triphena*, constanter, ut & *Giton*, non Gyton, *Chrisis*, non Chrysis, *Licas*, non Lycas, *Enothea*, non Oenothea, *Pannichis*, non Pannychis, *Polianos* tamen & *Bolianos*, quod semel monuisse satis est. Pith. PATISSON.

Nec faciem meam consideravit] Martial. lib. 1. epig. 97.

——— *Aspicit nihil sursum,*
Sed spectat oculis devorantibus draucos, &c. PITH.

Ulixis nutricem] Homer. odyss. 19 vers. 388.

Quum homo prudentissimus] Miretur nunc aliquis, nos minorum gentium Criticos in planis etiam & perspicuis Auctorum locis cæcutire, quum homines prudentissimi, quot Petronio restituendo operam tribuerunt, non viderint, hic legendum: *quum homo imprudentissimus.* SCIOPP. *Prudentissimus* alii corrigunt; perperam meo quidem judicio, ad Ulyssem respicit noster, non ad Lycam. BOSCH. Quis credat, Scioppium tam belle cucurbitas pingere? nihil sanius vulgata lectione, quod vel cœcus videat. Lycæ prudentiam comparat Petronius cum solertia nutricis Ulixeæ, idque non sine Satyrico dente, quem plane retundis atque hebetas, si legas *imprudentissimus:* neque cum Gonzalio & Douza, *pudentissimus*, reponendum. Ita censuit Brouckhusius, & eo sensu *prudens* supra jam occurrit cap. LXIX. & ideo addit *tam docte* perveniisse. De qua voce etiam egimus supra cap. LXXIV. BURM.

Confusis lineamentis] Calp. Flaccus Decl. 7. *Ita confusis lineamentis, projici jussit, ut ne pater agnosceret.* WOUWEREN. Justin. lib. III. cap. 5. *Si temporis spatio confusa corporum lineamenta essent.* Lucan. lib. II. vers. 66.

Cum jam tabe fluunt, confusaque tempore multo
Amisere notas.

Senec. Troad. vers. 1113.

Et ora & illas nobiles patris notas
Confudit imam pondus ad terram datum.

Statius Theb. lib. VII. vers. 297.

——— *Pater est natusque, sed ævi*
Confudere modos.

Infra cap. 108. BURM.

Indiciorumque] Alii, *factoique.* TORNÆS.

Argumentum] Id est, signum, notam. Justin. lib. XV. cap. 4. *Originis ejus argumentum etiam in posteris mansit.* Quod mox noster vocavit *originis indicem*, quamquam minus recte, cum cicatrix Ulixi non fuerit nota genitiva. Idem Justinus lib. XVI. cap. 5. *Eunti per publicum aurea aquila, velut argumentum generis, præferebatur.* BURM.

cepta ſupplicio : vera enim ſtigmata credebat captivorum frontibus impreſſa, ſciſcitarique ſubmiſſius coepit, quod ergaſtulum intercepiſſet errantes? aut cujus tam crudeles manus in hoc ſupplicium duraſſent? Meruiſſe quidem contumeliam aliquam fugitivos, quibus in odium bona ſua veniſſent.

CVI. Concitatus iracundia proſiliit Lycas, &, [a] O te, inquit, feminam ſimplicem! tamquam vulnera ferro praeparata literas biberint. Utinam quidem hac ſe inſcriptione frontis maculaſſent! haberemus nos extremum ſolatium. Nunc mimicis artibus petiti ſumus, & adumbrata inſcriptione deriſi. [b] Volebat Tryphaena miſereri, quia non totam voluptatem perdiderat: ſed Lycas memor adhuc uxoris corruptae, contumeliarumque, quas in Herculis porticu acceperat, turbato vehementius

[a] LYCAS. [b] ENCOLPIUS.

Tam docte] Vide ſupra ad cap. 74.

Stigmata credebat impreſſa] Cajus Inſtit. lib. 1. tit. 1. *Dediticii, qui poſt admiſſa crimina ſuppliciis ſubditi, & publice pro criminibus cæſi ſunt: aut in quorum facie quacumque indicia aut igne aut ferro impreſſa ſunt, & ita impreſſa ſunt, ut deleri non poſſint.* WOUWER.

Ergaſtulum] Vide, præter modo à Wouwerio & Erhardo laudatos, Salmaſ. Exercitat. Plin. pag. 180. Fabr. 1. Semeſtr. cap. 5. Pricæum ad Apulej. Metam. pag. 500. & Colv. pag. 118.

In ſupplicium duraſſent] Quinct. decl. 279. *Non omnium animos durare ad ſanguinem.* WOUWEREN. Adeo deſtinatæ fuiſſent, ut potuerint perſeverare. Lucret. lib. 5.

Atque opere in duro durarent membra manuſque.

Rigaltius Not. in Phædr. lib. 2. in fin. *Duraſſent*, pro, duraviſſent, id eſt, occalluiſſent, hoc eſt, inhumanæ & inſenſibiles factæ eſſent ad tantam crudelitatem. Goldaſtus. Hoc verbum variæ ſignificationis fuit apud Latiniſſimos. Vegetius; *Corpus, membra, ad laborem durare.* JCti, *Durare corpus in tormenta.* Stewechius ad Veget. Tacitus lib. 1. Annal. de Auguſto; *In nullius umquam ſuorum necem duravit.* ERHARD.

Contumeliam aliquam] Cod. Memm. *antiquam.* Forte *tamquam.* BOSCH.

Bona ſua] Vide ſupra cap. 75. *Bonum tuum concoquas.*

Tamquam vulnera] Pro, quaſi vero vulnera, &c. ERHARD.

Biberint] Eleganti ſane metaphora, quaſi literæ ita eſſent infixæ, ut deleri non poſſint. Statius lib. x. Theb. verſ 669.

Fulminis haud citius radiis adflata cupreſſus
Combibit infeſtas, & ſtirpe, & vertice flammas.

Ubi aliud ex Claudiano exemplum habet Barthius. BURM.

Hac ſe inſcriptione frontis] Lege *hacce inſcriptione frontes.* Jungermann. ERHARD.

Maculaſſent] Id eſt, variaſſent. Pflug. ERHARD.

Extremum] Non hic minimum interpretarer, ut ſupra cap. 22. ſed tale ſaltem, quod morientes habent in morte, ut *mortis ſolatium* Phædrus, lib. 1. fab. 9. dixit. Vide Pricæum ad Apulej. 11. Metam. p. 125. BURM.

Inimici artibus] *Mimicis* Pith. legit. TORNÆS.

Petiti ſumus] Proprium verbum de iis, qui inſidias & dolos nectunt. Virgilius lib. 1. Æneid. verſ. 717.

Reginam petit.

Servius: *non ſimpliciter dixit* petit, *nam* petere *proprie eſt inſidiari.* Et lib. IX. Æneid. verſ. 128.

Trojanos hæc monſtra petunt.

Juſtin. lib. IX. cap. 5. *Neque enim dubium erat, imperium Perſarum his apparatibus peti.* Ita & *adpetere* Curtius lib. VII. cap. 2. *Scelere Parmenionis omnes pariter adpetiti ſumus, maxime ego ac tu, quos amicitiæ ſpecie ſefellit.* BURM.

Voluit Tryphæna miſereri] Nota τὸ *Miſereri* παθητικῶς poſitum. BARTH. Minime hic παθητικῶς accipiendum; volebat enim nocentium & deprehenſorum miſereri. Sic ſimpliciter etiam Valer. Flacc. lib. II. verſ. 92.

Adclinem ſcopulo inveniunt, miſerentque, ſoventque.

Quia non totam] Male Douza. *non* pro nondum, Stewechius. ERHARD. Ut crediderat, numquam Gitona & Encolpion poſthac viſura. Nunc deprehenſis, licet ſtigmate inſignitis, ſpem concipiebat, nihil hoc dedecus voluptatem ſuam moraturum, dum toto eſſent modo corpore.

Contumeliarumque] Vet. *injuriarumque.* Pith. PATISSON. *Injuriarumque* cod. Memm. in quo mox *habere curam.* BOSCH.

Quas in Herculis porticu] Fuerunt & alibi porticus Herculis templi, veluti Tiburi. Suet. *Tibur, ubi etiam in porticibus Herculis templi perſæpe jus dixit.* PITH. Rectius de Tiburtini templi porticu Pithæus, quam de Romani cepit Douza. Nam veroſimile eſt, ſeceſſiſſe homi-

tius vultu proclamat: [a] Deos immortales rerum humanarum agere curam, puto, intellexisti, ô Tryphaena! nam imprudentes noxios in nostrum induxere navigium, &, quid fecissent, admonuerunt pari somniorum consensu. Ita vide, ut prosit, illis ignosci, quos ad poenam ipse Deus deduxit. Quod ad me attinet, non sum crudelis, sed vereor, ne, quod remisero, patiar. [b] Tam superstitiosa oratione Tryphaena mutata negat se interpellare supplicium, imo accedere etiam justissimae ultioni: nec se minus grandi vexatam injuria, quam Lycam, cujus pudoris dignitas in concione proscripta sit. * *

CVII. [c] Me, utpote hominem non ignotum, elegerunt ad hoc officium, petieruntque, ut se reconciliarem aliquando amicissimis. * Nisi forte putatis, juvenes casu in has plagas incidisse, quum omnis vector nihil prius quaerat, quam, cujus se diligentiae credat. Flectite ergo mentes satisfactione

a LYCAS. b ENCOLPIUS. c EUMOLPUS.

homines voluptati deditos, in delicati Tiburis amæna, licet hæc Satyrici pars interciderit. Nisi intelligamus, in oppido Herculanio, quod Herculeam Urbem vocat Naso, porticum Herculis fuisse, ubi illa acciderint.

Admonuere] Proprie, in somniis. Virgil. IV. Æneid. 351.

Me Patris Anchisæ, &c.
Admonet in somnis & turbida terret imago.

Vide Eruditissimi Brouckhusii notas ad Tibull. lib. III. eleg. 4. vers. 11.

Ita vide, ut prosit] An hic leg. est, *utrum*: an, *ut*, tantum valet? ἐπέχω. certe sic apud Symmach. etiam video usurpari ep. 27. lib. 6. *Diu mecum ipse contendi, ut ad vos pignus commune dimitterem.* Piccartus Periculor. Critic. cap. 15. At in hoc Petronii loco τὸ, *ut*, videtur esse extensivum, positumque ἀντὶ τοῦ *quam*, quo usus est supra cap. CI. in sermone gemino germano: *Vides, quam valde nobis expediat ultro dominum ad fugitivos accedere.* ERHARD.

Ne, quod remisero, patiar] Illustat hanc sententiam Gronovius Diatribes Statianæ cap. XXXIII.

Cujus pudoris dignitas] Provocabulum *cujus* refertur ad Tryphænam. ERHARD.

Me ut potes] Alii, *me ut puto*. PATISSON. Leg. *me utpote hominem*. Eam causam adfert, cur ipse electus sit patronus miserorum, quoniam usu & familiaritate conjunctior sit, & fidei jam perspectæ. Gulielm. Plaut. quæstion. in Epid. cap. ult. ERHARD.

Amicissimos] Antiquæ editionis *amicissimis*, quod recepi. Nam Encolpius & Giton rogabant, ut se reconciliarent Lychæ & Tryphænæ aliquando amicissimis.

Incidisse] Ovidius II. de Art. Amand.

Incidit in casses præda petita meos. BARTH.

Proprium in aucupio, piscatione, & venatione verbum, quando in retia & laqueos præda cadit. Cicer. v. in Verr. cap. 58. *Num ego tibi ullam salutem, ullum perfugium, putem, cum te implicatum severitate iudicum, circumretitum frequentia Populi Romani, esse videam? si, mehercules, id quod fieri non posse intelligo, ex his laqueis te exueris, ac te aliqua via ac ratione explicaris, in illas tibi majores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me superiore ex loco consici & concidi necesse est.* Ubi perpetua regnat metaphora hæc. Ovidius Halieutic. vers. 8.

Sic & scarus arte sub undis
Inciait, adsumtamque dolo tandem pavet escam.

Ut recte ex MSS. exhibuit Heinsius: nam ineptus est Swarthius, qui Analect. 1. cap. 5. legit

Decipit, absumtamque dolo jam depavet escam.

Et hinc passim locutiones desumtæ *in fraudem, in dolos*, &c. *incidere. Decidere* etiam Ovidius usus principio lib. II. Artis Amatoriæ.

Decidit in casses præda petita meos.

Quem versum memoriæ vitio male hic citat Barthius. BURM.

Omnis] Monachi manum olet. Anonym. MS. HADRIANID. Etsi sit ratior locutio, pro *omnes vectores*, nescio tamen cur, Monachi manum olere debeat. Ita Statius Sylv. II. vers. 129.

Hinc Inda monilia Glaucum,
Proteaque atque omnem Nereida quærere jussi.

lib. IV. Sylv. vers. 39.

Quis non in omni vertice Romuli
Reptasse dulcem Septimium putet?

Ubi vide Barth. & ad lib. III. Theb. 130. & v. 376.

Omnis vector] Videntur Interpp. VECTORIS vocabulum hic non recte satis accepisse. Significat *eum qui vehitur*, non *locatorem* navigii. Sic capite sequente *anus alterque infirmissimus vector*, pro sodalibus in vectura suis. Sic. l. 1. §. ult. l. 3. in pr. D. Nautæ caup. Stab. &c. BARTH.

factione lenitas, & patimini, liberos homines ire sine injuria, quo destinant. Saevi quoque implacabilesque domini crudelitatem suam impedient, si quando poenitentia fugitivos reduxit; & dedititiis hostibus parcimus. Quid ultra petitis? Aut, quid vultis? In conspectu vestro supplices jacent, juvenes, ingenui, honesti, &, quod utroque potentius est, familiaritate vobis aliquando conjuncti. Si, me Hercules, intervortissent pecuniam vestram, si fidem proditione laesissent, satiari tamen potuissetis hac poena, quam videtis. Servitia ecce in frontibus cernitis, & vultus ingenuos voluntaria poenarum lege proscriptos. [a] Interpellavit deprecationem supplicis Lycas, &, [b] noli, inquit, caussam confundere, sed impone singulis modum. Ac, primum omnium, si ultro venerunt, cur nudavere crinibus capita? vultum enim qui permutat, fraudem parat, non satisfactionem. Deinde, si gratiam à legato moliebantur, quid ita

[a] ENCOLPIUS. [b] LYCAS.

Satisfactione lenitas] Leg. *lentas*, sicut supra cap. XCIII. *animus errore lentus*. Jungermannus. ad eum locum vide quæ notavimus. ERHARD.

Liberos homines ire, quo destinant] Plaut Menæch. Act. v. scen. VII. 40. PITH.

Dedititii hostes] Supplices. GLOSSÆ. Grat.

O quisquis misero fas umquam in supplice fregit. WOUWEREN.

Potentius] Nimirum, ad obtinendam veniam, & placandum animum. Ita *potentes*, qui obtinent, & impetrant. Ovid. II. Art. Amand. 294.

Utilitas tua sit, titulus donetur amicæ,
Perde nihil, partes illa potentis agat.

III. Metam. 292.

Læta malo, nimiumque potens.

Et ita cape apud Statium II. Sylv. VII. 56.

Et supplex Priami potentis aurum.

Ubi male Barthius dubitat, an *potentis* legendum, vel, si servetur *potentis*, explicat de divitiis & imperii amplitudine, cum *potens* dicatur, quia exoravit Achillem. Et ita passim *potentes* amici dicuntur Imperatorum & Regum, qui gratia tantum valent, ut omnia obtineant. Vide Sueton. Aug. LXV. Horat. II. od. 18. & passim. BURM.

Familiaritate vobis aliquando conjuncti] Turpi illa & non dicenda. Justinus lib. 27. cap. 3. *Opera cujusdam meretricis adjutus, quam familiarius noverat.* ERHARD.

Si intervenissent pecuniam vestram] Leg. *intervertissent vos pecunia, vestram si fidem prod.* Palmerius in Spicileg. Tamen Plautus, *intervertere argentum*. Wouverius. *Intervertere* pro fraude ab aliquo auferre. apud Plaut. *intervertere aliquem argento* & *argentum*. Schopp. in Miscell. ERHARD. Palmerii & Douzæ criticen reprobat Gronovius lib. IV. observ. cap. 5. Suetonius quoque Vitell. cap. VII. usus eadem ratione hoc verbo, *Sinuessanos Formanosque, quorum publica vectigalia interverterat, non nisi terrore calumniæ amovit*, & Ciceronem ita usum notarunt Lexicographi, etiam vulgares.

Servitia] Servi. GLOSSÆ. Servos. Sallust. *Catilina credebat, servitia urbana posse sollicitari.* BARTH. Servi. Asinius Pollio ad Cicer. lib. 10. Famil. epist. 33. *Se non modo nationes, sed etiam servitia concitaturum.* Gruterus apud Taubman. in Plaut. Casin. prolog. in fin. WEITZ. Doctissimus Thomas Munckerus malit *stigmata*, ut paullo ante, & cap. 103. *Ut videamini stigmate esse puncti.* BOSCH

Deprecationem] MS. auctior, *deprecationem supplicis.* TORNÆS.

Noli caussam confundere, sed impone singulis modum] Elegantissime exprimit Græcum verbum, ἀφόρισον, διόρισον, dic designate & præcise. Nam ἀφορίζειν, quod Cicero *præcidere* dixit, est designare quotum quemque articulum, quotum quodque caput oppugnare velit litigator, ne in universum admissus licenter tergiversari & identidem evariare possit. ERHARD.

Ac primum omnium] *At* cod. Leid. Reddenda hæc particula Valerio Maximo lib. 8. cap. 8. ext. 19. *At, quia supra usitatam rationem excedentia attigimus*, &c. sic nostra ex vetustissimo codice excerpta. In vulgatis minus recte legitur, *Quæ quia supra*, &c. BOSCH.

Vultum qui permutat] Habet aliquid simile Philostrat. καὶ πάνυ δεῖ, inquit, δυσχεραίνειν τὴν φαρμασσομένην εὐμορφίαν ὡς πανοργίας ἔγγυς. PITH. Vultus, voluntas est, qui pro animi motu in facie ostenditur, juxta Nonium, Nicol. Perottum Sipuntin. in Cornucop. Junianum Majum de Priscor. propriet. verbor. Qui vultu suo sciunt alienos exprimere affectus, tales sunt versutissimi. Aut, vultum fingere, scelerati hominis est. Terent. Heaut. Act. v. sc. 1. *Vultus quosque hominum fingit scelus.* Scholiastes Juvenal. Sat. 3. WEITZ.

A legato] Pro, per legatum. sic contra *per*, pro

ab

ita omnia feciſti, ut, quos tuebaris, abſconderes? Ex quo apparet, caſu incidiſſe noxios in plagas, & te artem quaeſiſſe, qua noſtrae animadverſionis impetum eluderes. Nam, quod invidiam facis nobis, ingenuos honeſtoſque clamando, vide, ne deteriorem facias confidentia cauſſam. Quid debent laeſi facere, ubi rei ad poenam confugiunt? At enim amici fuerunt noſtri. Eo majora meruerunt ſupplicia. Nam, qui ignotos laedit, latro appellatur, qui amicos, paullo minus, quam parricida. [a] Reſolvit Eumolpus tam iniquam declamationem, &, [b] intelligo, inquit, nihil magis obeſſe juvenibus miſeris, quam quod nocte depoſuerunt capillos: hoc argumento incidiſſe in navem videntur, non veniſſe. Quod, velim, tam candide ad veſtras aures perveniat, quam ſimpliciter geſtum eſt. Voluerunt enim, antequam conſcenderent, exonerare capita moleſto & ſupervacuo pondere, ſed celerior ventus diſtulit curationis propoſitum. Nec tamen

a ENCOLPIUS. b EUMOLPUS.

ab, paullo poſt; *Quid attinet veritatem per interpretem quaerere?* hoc eſt, à te, qui eorum interpres es. ERHARD.

Omnia feciſti] Recte explicat Gonſalius. vide & Scaligerum ad Virgilii Culicem verſ. 180. qui & Graecos ita locutos docet. Lucian. Dial. Meretric. tom. II. p. 533. Edit. Grævianæ, ἅπαντα ἐποίει, & paſſim.

Nam, quod invidiam facis nobis ingenuos, honeſtoſque clamando] D. Brutus apud Ciceronem lib. II. famil. Epiſt. 1. *Non puto illos conceſſuros nobis publicum præſidium, magnam enim invidiam iis faceremus*, id eſt, haec res futura eſſet invidioſa, odium ipſis concitatura eſſet. Lambinus, hujus loquendi generis ignarus, mutatum ibat, ut legeretur, *invidiam iis conflaremus*. Sed & Livius ſic loquitur lib. 38. *Ad invidiam ei faciendam legatos criminibus ſubornatos in Senatum induxit.* Et Tertull. de Fuga in perſecutione cap. 10. *Malo invidiam Deo facere præter voluntatem ipſius pereundo, quam bilem per meam evadendo.* SCIOPP. Locutio haec vulgata, & egregie illuſtrata ab Ampl. Cupero lib. II. Obſerv. cap. 5. Senec. contr. lib. III. 33. *faciant invidiam alicui oculos deeſſe, alicui manus.* Ovid. IV. Met. 547.

Nimiumque in pellice ſæva
Invidiam fecere Deæ.

Vide ſupra ad cap. XIV.

Ingenuos honeſtoſque clamando] Cæſar; *ſe liberæ civitatis eſſe.* Hugius. Sic Apoſtoli in Actis. ERHARD.

Quid debent facere, ubi] Vide ſupra ad cap. 14.

Ad pœnam confugiunt] Id eſt, expetunt, poſcunt. Jungermann. ERHARD.

Amici fuerunt mei] Alii *noſtri*. TORNÆS.

Eo majora] Alii & *majora*. TORNÆS. Lego, *eo majora*. PUTEAN.

Qui ignotos ladit latro] Apul. lib. VII. Metamorph. *Crimine latrocinii in hoſpitem mihi cariſſimum poſtulabar.* *Quod crimen non modo latrocinium, verum etiam parricidium quiſque rectius nominaret.* PITH.

Qui amicos] Cicer. lib. I. in Verrem. cap. 15. *Eum, qui palam eſt adverſarius, facile cavendo vitare poſſis: hoc vero occultum, inteſtinum, ac domeſticum malum, non modo non exſiſtit, verum etiam opprimit, antequam perſpicere atque explorare poſſis.* Itaque Hipparchus apud Platonem in Hipparcho:

Μνῆμα τὸ δ' Ἱππάρχου, μὴ φίλῳ ἐξαπάτα.

Vide Ioan. Bochium ad Pſalm. 54. WEITZ.

Paullo minus quam] *Paullo minus*, ὀλίγῳ δεῖν. Sueton. Neron. cap. 40. *Talem principem paullo minus XIV. annos perpeſſus terrarum orbis.* Caſaubon. ad Sueton. pag. 212. WEITZ.

Latro parricida] Eadem crimina junguntur I. V. D. ad L. Pomp. de Parr. BARTH.

Reſolvit] Verbum Rhetorum. Quinct. lib. 5. cap. 13. *reſolvere diverſa dicta difficile.* WOUWEREN.

Incidiſſe] Caſu, non prudentia. ERHARD.

Simpliciter] Id eſt, ſine dolo, aut fraudis meditatione, ſupra cap. 101. *jurat, ſe nullum dolum malum conſilio adhibuiſſe, ſed mente ſimpliciſſima, & vera fide, in navigium induxiſſe.*

Conſcenderent] *Conſcendere*, ſimpliciter & abſolute pro navem ingredi, ut *deſcendere* pro egredi, poni, docuit Ampliſſimus Cuperus lib. III. Obſerv. 3.

Supervacuo pondere] Porphyr. ξυράμενοι τῷ σώματι περιττά. PITH.

Curationis] Eleganter: nam *curare capillos*, pro tondere, proprie dici, oſtendit Gronovius lib. I. Obſerv. cap. 23. HEINS. Hinc Sueton. Aug. cap. 79. *in capite comendo tam incurioſus*, ita *curare* de cultu corporis dicitur, ut, cum Hadrianus dicatur *curaſſe delicatos*, à Spartiano cap. IV. id eſt, comendis & ornandis delicatis operam dediſſe. vide ibi Salmaſium. Ita θεραπεύειν Græcis Longus ib. IV. ποιμεν. pag. 145.

tamen putaverunt, ad rem pertinere, ubi inciperent, quod placuerat ut fieret: quia nec omen, nec legem navigantium, noverant. [a] Quid, inquit Lycas, attinuit supplices radere? nisi forte miserabiliores calvi solent esse. Quamquam quid attinet veritatem per interpretem quaerere? Quid dicis tu, latro? Quae Salamandra supercilia tua excussit? cui Deo crinem vovisti? Pharmace, responde.

[a] LYCAS.

CVIII. [a] Ob-

& ἐπιμέλεια Plutarch. in Apophth. Lacon. pag. 418. CUPER. Ita Domitianus libellum *de cura capillorum* edidit, teste Suetonio, cap. XVIII. & hinc proprie *curationem facere* dictos, qui in Idolis comendis, & in aris ornandis, toti sunt, dicit Tertullianus de Jejuniis cap. XVI.

Ad rem] Vide supra ad cap. 100.

Miserabiliores] Per ironiam capiendum, cum magis obnoxii sint contumeliis & dicteriis calvi, ut infra cap. CX. videbimus.

Salamandra] Animal lacerti figura, cujus sanie illiti crines statim defluunt. GLOSSÆ. Το *sola* videtur inducendum, ut natum è repetito initio sequentis verbi, *sala Salamandra*. RICHARD. Τὰ δ' ἕτερα αὐτῆς ψιλοῖ τὰς τρίχας. Scholiast. Nicandri. PITH. Proba lectio. Sammonicus. cap. IX.

Seu salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,
Eximium capitis tactu dejecit honorem.

WOUWEREN. Quid est *quae sola?* forte *quo olea Salamandra*? Dioscorides lib. 2. cap. 54. auctor, Salamandram conditam oleo crines exstirpare. De ea vid. Plin. lib. 10. cap. 67. Nicand. Ther. & Alex. Arist. Hist. An. lib. 5. cap. 19. Dioscorid. lib. 6. cap. 4. Antigonum Admirand. cap. 91. Cassiodor. lib. 3. epist. 47. Philen Jambis. Constantin. Geopon. lib. 15. cap. 1. &c. BARTH. Sic in MSS. & ferri potest, ut *sola* apud Virgilium 3. Æneid.

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Vel *sola* referendum ad vim Salamandræ, quæ *potens* dicitur Sereno Sammonico cap. IX.

Defluit expulsus morbo latitante capillus
Si raro lavitur, seu vis epota veneni,
Seu Salamandra potens. ——

de hac Plinius lib. 10. cap. 63. Dioscorides lib. 2. cap. 56. Martialis lib. 2. Epigr. 66. BOURDELOT. Το *sola* nihili vocabulum est, unde variis conjecturis tentatus hic locus. Mihi videtur τὸ *quæ* iterandum, atque adnectenda esse prior syllaba τῇ *sola*. nam posterior donanda est secundæ in Salamandra. *Quæ, quæso, Salamandra supercilia tua excussit?* Postea vidi, Salmasium ad Trebell. Poll. Claud. XVII. conjectura non multum dissimili voluisse, *quæ Salamandra*, eraso τῷ *sola*. HEINS. Plinius lib. XXIX. cap. 4. *cum, saliva Salamandræ quacumque parte corporis, vel in pede imo, respersa, omnis in toto corpore defluat pilus.* vide Keuchenius ad Sammonic. cap. IX. p. 118.

Deo crinem vovisti] Tangit morem antiquum crines consecrandi vel Diis, vel etiam fluminibus. GLOSS. Varr. *Ambracia primum capillum pueritiæ demtum, item cirros, ad Apollinem ponere solebant.* Statius. lib. III. Sylv. 4.

Accipe laudatos juvenum Phœbeie crines,
Quos tibi Cæsareus donat puer, accipe lætus.

Sed & εἰς τοὺς ἀρχαίους, μετὰ τὸ παραμᾶσαι τῆς νεότητος, τὰς κόμας ἀποκείρειν τοῖς ποταμοῖς. PITH. Capillum Diis consecrabant, aut fluminibus. Pollux: ἔτρεφον δὲ τινες κόμην ποταμοῖς, ἢ θεοῖς. Diis Herculi, & Apollini. Herculi vulgus Athenienſium, ut ex Hesych. eruditissimus Casaubonus docuit, Apollini sortis majoris. Plutarchus Thes. μεταβαίνοντες ἐκ παίδων ἐλθόντες εἰς Δελφοὺς ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης. Callimach. εἰς Δῆλον. Quod fluminibus, Scholiastes Pindari: τὰς μὲν γὰρ πρώτας κόμας τοῖς ποταμοῖς ἀπεκείροντο, σύμβολον τῆς ἐξ ὕδατος εἶναι πάντων τὴν ἄσκησιν. Homerus Iliad. Ψ. ejusque interpres. Vovebant autem sacrum crinem prima constitutione infantis super terram, aut cum nomina imponebantur. Lucian. de Dea Syria: τοῖσι δ' υἱοῖσι πλοκάμους ἱερεὺς ἐκ γενετῆς ἀπίησι. Tertull. de anima, cap. 40. quem suadeo videas. Servius ad Virg. Æn. 4. Stat. Thebaid. lib. 6. Quin addo, in nuptialibus sacris comarum primitias Junoni & Dianæ obtulisse virgines. Pollux. lib. 3. Καὶ τῆς κόμης δ' τότε ἀπήρχοντο ταῖς θεαῖς αἱ κόραι. Nec virgines tantum, sed juvenes quoque. Lucianus de Syria Dea: τῇσι παρθένοισι καὶ τοῖσι νέοισι νόμον ἐποιήσαντο μὴ μὴν ἄλλως γάμον εἶναι, πρὶν Ἱππολύτῳ κόμας κείρασθαι. WOUWER. Præter eos, qui laudati ab Interpp. vid. Herodotum lib 2. Herodian. lib. 4. Euripid. Oreste, Silium lib. 4. Martial. 1. Epist. 31. Valer. Flacc. lib. 1. BARTH. Vide Tomasin. de Donar. cap. XI. Victor. VI. Var. Lect. 22. Barth. ad Stat. 11. Theb. 253. VI. 197. & III. Sylv. IV. in principio: Spanhem. ad Callim. in Delum, vers. 297. & infinitos alios.

Pharmacus] Veneficus, sacrilegus, sceleſtus. GLOSS. Venefice. Ita venenorum nomine contra medicamenta quoque veniunt. Gajus J. C. leg. 236. de V. S. sic *medicamenta* pro venenis nocivis, Varro περὶ ἐξαγωγῆς, *quærit ibidem ab Annibale cur biberit medicamentum? Quia Romanis me Prusiades tradere volebat.* vide Quintilian. Declam. 246. *Venenum* pro medicamento apud S. Augustinum lib. 18. de Civ. D. cap. 18. huic, ubi nocens illud significatur, adjicere solent. *malum venenum.* vid. l. 7. ad L. Pomp. de Parricid. &c. BARTH. Lactantius Placidus Comment. in Statii

CVIII. [a] Obstupueram ego, supplicii metu pavidus, nec, quid in re manifestissima dicerem, inveniebam. Turbatus, & deformis, praeter spoliati capitis dedecus, superciliorum etiam aequalis cum fronte calvities, ut nihil nec facere deceret, nec dicere. Ut vero spongia uda facies plorantis detersa est, & liquefactum per totum os atramentum omnia scilicet lineamenta fuliginea nube confudit, in odium se ira convertit. Negat Eumolpus, passurum se, ut quisquam ingenuos contra fas legemque contaminet, interpellatque saevientium minas, non solum voce, sed & manibus. Aderat interpellanti mercenarius comes, & unus alterque infir-

[a] ENCOLPIUS.

tii Thebaid. lib. 10. vers. 788. *Lustrare civitatem humana hostia Gallicus mos est. nam aliquis de elegantissimis pelliciebatur praemiis, ut se ad hoc venderet: qui anno toto publicis sumtibus alebatur purioribus cibis; denique certo & solemni die per totam civitatem ductus ex urbe, extra pomoeria saxis occidebatur à populo.* Hoc de Massilienſibus proprie ex Petronio refert Servius ad 3. Æneid. vers. 56. Observatum illud ipsum apud Athenienses; qui φαρμακοὺς illos vocabant. Hesychius, Suidas, Harpocratio in Lexic. unde hic Petronii locus interpretandus, qui eum, qui partem corporis quasi devoverat, *pharmacum* vocat, respiciens ad illos, qui totos se devovebant. Lindenbrog. Observat. Var. lect. in Lactantii Comment. vide Budæum in Comment. ling. Græc. & Annotat. poster. in Pand. Sic & apud Plautum, *Venefice*, convicii verbum est in homines improbos. Schopp. Suspect. Lect. lib. 1. epist. 10. Adde Goldasti Notas in Hieroclis à se Latinitate donati Facetias. ERHARD. Cœl. Rhodigin. lib. 6. Antiq. Lect. c. 12. Henr. Stephanus in Thesaur. Græc. ling. in φαρμακός. WEITZ.

In re manifestissima] In manifesto deprehensa. ERHARD.

Æqualis cum fronte calvities] Doct. Munckerus legit: *æquali cum fronte calvitie*, & tollit punctum post *re inveniebam*. BOSCH.

Facere nec dicere] Vide supra ad cap. XCIV. cæterum hiare sententiam recte animadvertit Gonsalius. Patissonii editio distinguit hoc modo. *Nec, quid in re manifestissima dicerem, inveniebam turbatus & deformis praeter*, &c.

Spongia uda facies] Athen. ἡάκλεις, ἐ σπογγιᾷ τίς μη παιλῶν τὸ πρόσωπον ἐκκαθαίρει μιμολυσμένον μαγείαις πολλαῖς. PITH.

Fuliginea nube] Colore atro. GLOSSÆ. Alii, *fuligimis confusa redierunt, in iram se odium convertit*. TORNÆS. Supra cap. 105.

Contra fas legemque] Lege, *contra jus fasque*, id est, leges humanas & religiosas. Nam *fas ad religionem, jura ad homines pertinent*, ait Serv. 1. Georg. vers. 269. idque velut adagio cessit. Savaro ad Sidon lib. 2. ep. 13. Nihil tamen apud Petronium mutandum esse, invitis omnibus scriptis cusisque libris, docuit Goldastus ad Columban. ERHARD. Goldasto accedo; minime enim hic aliquid mutandum. *Lex* enim idem, quod jus civibus datum & scriptum: ita, quod Terentius Heautont. Act. IV. scen. 1. dixit, *qui neque jus neque bonum neque aequum sciunt*. Plautus Menæchm. Act. IV. sc. 2. extulit, *qui neque leges, neque aequum bonum colunt*. Sic ergo legem, sive jus scriptum, opponit Divino juri. Unde toties illæ formulæ *humani divinique juris oblitus; divino & humano jure neglecto; nec Deos, nec homines, curans; Diis & hominibus iratus & inimicis; Diis & hominibus approbantibus*, & similes, quæ passim obviæ. Imo vero contendo, æque commode, si non commodius, dici contra *fas* & *legem*, ac contra *fas jusque*, cum jus generale sit, & tam divinam, quam humanam æquitatem complectatur. Lex vero species juris, quod scriptum est. vide Servium ad Virgil. 1. Æneid. 507.

Jura dabat legesque viris.

Ulpianus l. 33. ff. de legibus; *diuturna consuetudo, pro jure & lege, in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet*. Horatius lib. 1. Sat. 1. vers. 9.

Agricolam laudat juris legumque peritus.

ubi antiquus Scholiastes jus, *non scriptum*, leges *scriptum* interpretatur. Ita incerti Poëtæ Epigramma in Curii Fortunatiani Rhetoricam, in catalectis Pithœi pag. 149.

Quisquis Rhetorico sestinet tramite doctus
Ad leges & jura trahi, bene perlegat artis
Hoc opus, & notum faciet per compita callem.

In quibus omnibus jus à lege distinguitur. Et ita nulla gens sine jure, sine legibus tamen plurimæ fuere. Salust. Catilina, cap. IX. *jus bonumque apud eos non legibus magis, quam natura, valebat*. eodem modo *legibus solvi* potest Princeps, & quivis alius, non *jure*, quia à legis scriptæ alicujus vinculo liberari, non ab æquitate, potest. eo sensu dixit noster cap. XVIII. *legem donare superbum* ubi vide quæ adnotavimus. BURM.

Interpellatque non solum voce, sed & manibus] *Interpellare manibus*, καταχρησικῶς. ERHARD.

Unus alterque] Hanc locutionem tres notare vult Donatus ad Terent. Andr. Act. 1. scen. 1. *postquam amans*

firmissimus vector, solatia magis litis, quam virium auxilia. Nec quidquam pro me deprecabar, sed, intentans in oculos Tryphaenae manus, usurum me viribus meis clara liberaque voce clamavi, ni abstineret à Gitone injuriam mulier damnata, & in toto navigio sola verberanda. Accenditur audacia mea iratior Lycas, indignaturque, quod ego, relicta mea caussa, tantum pro alio clamo. Nec minus Tryphaena contumelia saevit accensa, totiusque navigii turbam diducit in partes. Hinc mercenarius tonsor ferramenta sua nobis, & ipse armatus, distribuit: illinc Tryphaenae familia nudas expedit manus. Ac ne ancillarum quidem clamor aciem destituit, uno tantum gubernatore, relicturum se navis ministerium, denunciante, si non desinat rabies libidine perditorum collecta. Nihil

amans accessit unus & item alter, quia postea sequitur, nam *hi tres tum simul amabant*, & praeterea, quia apud Virgilium Eclog. VIII.

Alter ab undecimo jam tum me ceperat annus,

quidam explicant tertium decimum. Ita & censet Scaliger ad illa Manilii lib. I. vers. 548.

Altera bis binis, ut sit pars tertia signis.

& Livium *altero & vicesimo* pro vicesimo secundo dixisse contendit. Vide & Manut. ad Cicer. XII. ad famil. Epist. 25. sed tamen apud Sueton. in Tito cap. XI. aliter capienda illa locutio: dicit enim, excessisse Titum *altero & quadragesimo aetatis anno*, quod ibi quadragesimum primum, non secundum, notare, inde manifestum est, quia natus fuit Titus III. Kal. Januarias, anno insigni Cajana caede, teste Suetonio cap. I. quod capiendum ante annum, cum Cajus sit occisus anno Christi XLI. 29. Januarii; obiit vero Titus Idibus Septembribus An. Christi LXXXI, vixit ergo annos quadraginta, menses IX. & dies XV, quadragesimo primo nondum impleto; sed, licet concedamus in similibus locis aliquando *alterum*, tertium notare, inde minime sequi puto, in hac locutione *unus & alter*, tres notari, cum sit indefinita, qua plures indicantur. Cicero pro Cluent. XXV. *unus & alter dies intervenit*. Ovid. III. fast. 399.

Ex illis unus & alter ait.

Horat. I. Epist. I.

Quidquid negat unus & alter.

Cicer. ad Attic. lib. XIV. epist. 18. *ut tanto opere laudarem, adductus sum tuis unis & alteris literis*. Sueton. Vespasian. cap. IV. *uno quoque & altero praelio constanter inito*, & ita passim. BURM.

Usurum viribus] Ovidius lib. II. Trist. 128.

O Princeps parce viribus use tuis.

Turbam diducit in partes] Factiones adversas. Lucanus lib. 7. vers. 118.

Prima velim caput hoc funesti lancea belli,
Si fine momento rerum, partisque ruina,
Casurum est, feriat ——

Barthius ad Claudianum n. 1896. ERHARD. Tacit. *Ea ultio Senatum in studia diduxerat*. SCIOPP. Infra in specimine belli Civilis vers. 265.

Namque omnis Regia Coeli
In partes diducta ruit.

Justin. lib. XV. cap. 4. *Socii iterum in duas factiones diducuntur*, & alii passim.

Ferramenta] Ita omnia artificum instrumenta, quae ex ferro fiebant, appellantur. Supra cap. XXCIV. Justin. XX. 2. *Metapontini in templo Minervae ferramenta, quibus Epeus, à quo conditi sunt, equum Trojanum fabricavit, ostentant*.

Familia] Servi & ancillae. Cato de re rustic. cap. 5. BARTH.

Nudas expedit manus] *Nudas*, hoc est, inermes, *mit bloſſen, truckenen fäuſten*. ERHARD. Vide supra cap. LXXXVIII. Male autem Gonsalius *familiam* hic de sequiori sexu & ancillis Tryphaenae capit, cum auctor aperte distinguat. Familia enim sunt servi, qui nudis manibus ad pugnam se accingunt, Ancillae clamore aciem incendunt.

Uno tantum gubernatore] Ergo alius *patronus* navis, alius *gubernator*. *Patronus* est dominus, qualis Lycas: *Gubernator* summus nautarum, à Patrono navi praefectus, qui & *Magister*. utraque vox Petronio frequens. Sic alius est *Exercitor*, qui est dominus navis, alius *Magister*, qui ab exercitatore praepositus est navi, §. 1. Instit. Quod cum eo, qui in al. potestat. l. I. & l. 4. D. de exercit. act. Reusnerus ad Brachylog. l. 4. c. 25. §. 5. ERHARD. Vide ad cap. CI.

Navis ministerium] Proprie de gubernatoris munere. Virgil. VI. Aeneid. vers. 302.

Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat.

Val. Flacc. III. 38.

Ipse ratem vento stellisque ministrat.

vide Barth. ad Stat. VIII. Theb. 752. & Broukh. ad Propert. lib. III. eleg. XV. vers. 15.

Perditorum] Vide supra cap. 5.

Rabies collecta] Ovid. IX. Metam. 212.

Usque

Nihilominus tamen perseverat dimicantium furor; illis pro ultione, nobis pro vita pugnantibus. Multi ergo utrimque sine morte labuntur, plures cruenti vulneribus referunt veluti ex praelio pedem: nec tamen cujusquam ira laxatur. Tunc fortissimus Giton ad virilia sua admovit novaculam infestam, minatus, se abscissurum tot miseriarum caussam: inhibuitque Tryphaena tam grande facinus, non dissimulata missione. Saepius ego cultrum tonsorium super jugulum meum posui, non magis me occisurus, quam Giton, quod minabatur, facturus. Audacius ille tamen tragoediam implebat, quia sciebat, se illam habere novaculam, qua jam sibi cervicem praeciderat. Stante ergo utraque acie, quum appareret, futurum non stlatarium bellum, aegre expugnavit gubernator, ut Cadu-

Utque dolor rabiem collegerat omnem. lib. 1. 233.

Ab ipso
Colligit os rabiem.

Sine morte] Vet. cod. *semimortui*. WOUWEREN. Leg. *sine mora lab.* Pflugius. Malim ego, quod in V. C. legitur, *semimortui lab.* ERHARD. Non scribendum *sine mora*, aut *semimortui*, quod nuperi editores receperunt. Si enim revera caesi aliqui, aut poene occisi, certe non apparebat futurum bellum, quod sequitur; jam erat. Meri sunt lusus facetissimi scriptoris, ut & illud, *sciebat se illam habere novaculam, qua jam sibi cervicem praeciderat.* Itaque, si mutandum est aliquid, scriberem praeterea: *plures incruenti vulneribus*, vel, *plures cruenti sine vulneribus*. GRONOV. Lib. IV. Observ. cap. 13.

Ira laxatur] Vide supra ad cap. 82.

Novaculam insertam] Sic vet. alii *infectam*. Pith. alii *insertam*. PATISSON. Libri quidam, *insertam*. alii *insectam*. verisimilius est, *infestam*. RICHARD. *infectam*, alii rectius. BOSCH. Sine dubio *infestam* praeferendum, ita proprie arma, tela, mucrones, *infesta*. vide Pricaum ad Apulej. 1. Metam. p. 9.

Tot miseriarum caussam] Tale fere illud Arnobii lib. V. *Et sub pinu arbore genitalia sibi dissecat, dicens: Tibi Acdestis hac habe, propter quae motus tantos furialium discrimtnum concitastis.* PITH. Latet simul quid spurci, & ad *caudam* alluditur. Scribendum autem est, *abscisurum*. quod ὑπερχιάστερον, quam illud alterum. Balbus Catholico, *Cado componitur cum am. quod est circum, & dicitur ancido, m. mutata in n., id est, circumcirca cadere: & cum abs & dicitur abscido: item cum ad, & dicitur accido, id est, juxta vel valde cado.* D. Virgilius lib. 1. contra Eutych. *Aut quibuscumque aliis membrorum abscisionibus multaretur.* Ibidem; *cum hominis manus abscinditur.* ita utrimque legit Goldasti MS. Recte itaque Calepinus illud Joannis 18. *Abscidit auriculam ejus dextram*, ad praesens *abscido*, non *abscindo*, fecit, quum retulit: Calepinus ille verus & vetus, non qui hodie sub ejus veste circumfertur. ERHARD.

Dissimulata missione] Alii, *offensione*. TORNÆS. Id est, clara voce clamans, abstinendum esse à pugna, qua premebantur à familia Tryphænæ Encolpius & Giton. nequitia eadem latet in voce *missione*, quae supra cap. XXI. neque hic se Gallulis suis jactare debebat Dacierius ad Horat. lib. 1. Ep. XIX. vers. 47. quasi ille primus omnium verum sensum horum verborum aperuisset, cum & Erhardus ad cap. XXI. & Lipsius lib. 11. Saturn. cap. 21. indicaverint. Sed ita solet.

Quod mirabatur] *Minabitur*, Leid. cod. & vett. editiones probe. BOSCH.

Tralatitium bellum] Ludicrum. GLOSSÆ. Alii, *nec cessaturum bellum*. TORNÆS. Sic Autisiodorense. alii, *stlatarium*. alii, *stalatarium*. Pith. alii, *statarium*. V. E. hanc vocem non habet. PATISSON. ἴσως *stlatarium*, vel *tralatarium*. BONGARS. Lego, *non tralatitium;* usus est hoc verbo pluribus in locis. PUTEAN. Ego quidem *tralatitium* non reprehendo, sed tamen v. c. lectio, *stlatarium*, ipsa vocis novitate se mihi commendat, *bellumque stlatarium* lentum dici videri potest, à *stlata* genere navigii, cui latitudo nomen dedit, auctore Festo. Ita enim, à lembo sive stlembo, equum gravem & tardum pedibus *stlembum* Lucilius vocavit. Nec dissimile illud in Plauti Pœnulo, Act. III. scen. 1.

Tardiores quam corbitae sunt in tranquillo mari.

Ac paullo post,

Obsecro hercle, operam celocem hanc mihi, ne corbitam date.

Imo enimvero, cum cogito, stlatarium bellum & tralatitium idem fere est, ludricum videlicet certamen, ut vis quædam festucaria. Nam in vetere glossario, *stlatarius*, exponitur, ἐργόμαχος. RICHARD. Alii, *stlatarium*. Gloss. *stlatarius*, ἐργόμαχος, quam tamen graphiam non probat Caper: *Stlataris*, inquit, *sine c litera scribendum est, à stlata rate piratica*. PITH.

Caduceatoris more Tryphaena inducias faceret. Data ergo, acceptaque, patrio more, fide, protendit ramum olivae à Tutela navigii raptum, atque in colloquium venire ausa:

[a] *Quis furor, exclamat, pacem convertit in arma?*
Quid nostrae meruere manus? non Troïus hostis
Hac in classe vehit decepti pignus Atridae,
Nec Medea furens fraterno sanguine pugnat.

[a] ENCOLPIUS.

Sed

Sic Phædrus, sic JC. loquuntur. videndus Rittershusius Notis ad Phædr. Alii *stataricum*, ut *stataria pugna* Ammiano, quando ex utraque parte acies stant, & *stataricum prandium* Mamertino, quod stantes milites capiebant. Savaro ad Sidon. lib. 2. ep. 2. ERHARD. *Statarium bellum* recte. Potuit tamen retineri *tralatitium*, ut ex quibusdam MSS. alii reponunt. Est igitur ἐργόμωκον. de qua dictione Gl. Vet. BOURDEL. Non vulgare. *Stlatarium* alii, quod de istis proprie rebus dicitur, quæ mari portata sunt & quasi Stlata advecta, de qua voce videndus Festus. Hinc Juvenalis illud Sat. VII. vers. 133.

Spondet enim Tyrio Stlataria purpura filo.

BOSCH. Recepi antiquorum codicum lectionem. de hac voce egerunt, præter Turnebum, Casaubonus Theophr. Caracter. περὶ κολακείας pag. 110. & Ferrarius de re vestiaria lib. III. cap. 12. Vossius tamen Instit. Orator. lib. IV. cap. VI. §. 15. *tralatiticum*, præfert. Cæterum à prima editione & Sambuci abest vox.

Caduceator] Legatus, qui pacem petit. GLOSSÆ. Heliodor. κηρύκειόν τε εἰρηνικῶν διαλέξεων σύμβολον ἀναδείξασα. PITH. *Caduceator*, κήρυξ ὁ ὑπὲρ εἰρήνης ἀπεσταλμένος, καὶ τὸ κηρύκιον φέρων. WOUWEREN.

Data acceptaque fide] Virgil. lib. VI. 150. *accipe dataque fidem*. BARTH. Formabam, *pacis amore*; sed inutili conjectura. *Patrium morem* simpliciter hic capio pro bono & prisco, & majoribus usurpato. Puteanus epist. ad Goldastum. ERHARD.

Patrio more] Prima editio Sambuci, Tornæsii, & Douzæ, *ex patrio more*, quod non temere est. Nepos, Conon. cap. III. *primum ex more Persarum ad Chiliarchum accessit*. Sueton. Cæs. 6. *è more* & 31. *ex consuetudine*. Sambuci & prima editio *ramum olivæ*, non *oleæ*, quod posteriores editores exhibent.

Ramum oleæ] Habitus supplicum, & pacem rogantium. GLOSSÆ. Sunt hujus moris apud Virgilium aliosque auctores multa vestigia. Quamobrem etiam *pacales oleæ* dicuntur, & oleagina corona uti non solebant, qui in prœlio fuerant. PUTEAN. Virgil. lib. 8. vers. 128. *Et vitta comtos voluit prætendere ramos*. Et in 11. vers. 306. *Pacisque manu prætendere ramos*. Lucanus in 3. vers. 332. *Orant Cecropiæ prælata fronde Minervæ*. Et alii. Euripides Heraclidis: ἱκετεύει σὺν κλάδοις. Plaut. Amphitryon. Act. I. scen. I. *Velatis manibus*. BRASSICAN. Hic habitus supplicum & pacem rogantium. hinc Stat. Theb. lib. 12. *supplicis arbor oliva*. &

——— *Ramos oleæ vittasque precantis*
Tradit.

Virgil. Æneid. XI.

Velati ramis oleæ, veniamque rogantes.

lib. 12. *Paciferaque manu ramum prætendit olivæ*. Livius: *Legati Locrensium ramos oleæ velamenta supplicum porrigentes*. Idem lib. 4. dec. 5. Apul. Mil. 3. Heliodor. lib. 9. ἀνδροισάντες ἐν πᾶσιν ἡλικίαν, καὶ κλάδους εἰς ἱκετηρίαν ἀναλαβόντες, κήρυς τε καὶ δάδας ἀψάμενοι. WOUWEREN. Oleæ ramus, insigne pacis præsentissimum. Val. Flaccus lib. 5. Statius 2. Theb. Appian. Punico. Silius lib. 13. paciferam hinc indigitant vates Christiani Hilarius, M. Victor, Alcimus Avitus lib. 4. Drepanius Florus, &c. BARTH.

Tutela] Navium proris effigiata aut picta Deorum, quibus se mancipabant, signa imposita. GLOSSÆ. Nota pro hoc loco, quod Pomponius Porphyrio in Horatium (pete à * fratre, quo loco) scribit, lib. 1. Od. 5. *Quis multa gracilis*, ad verba; *Miseri, quibus intentata*. In Glossario S. Benedicti in verbis Petronii, *Trojæ halosin*. DELBEN. Plurimi jam de hac scripserunt. vide Illust. Scal. ad Euseb. BARTH.

Quis furor, exclamat] Expostulatio. Scalig. in Catalect. ERHARD.

Convertit] Prima editio & Sambuci *convertis*, quod venustius videri posset, si legatur:

Quid, Furor, exclamat, pacem convertis in arma?

non male etiam Sambucus distinguit hoc modo:

Quis furor? exclamat, pacem convertis in arma?

Trojus] Id est, Paris. GLOSSÆ. Vet. cod. Brit. *Heros*. TORNÆS. & PATISSON. In Græca urbe. Supra cap. 81. *in diversorio Græcæ urbis jacerem desertus*. BONGARS.

Decepti pignus Atridæ] Helena Agamemnonis filia, Menelai conjux. GLOSSÆ.

Fraterno] Biturig. *superno*. Pith. PATISSON.

Sanguine pugnat] Imitatus videtur Sidonius Carm. V. vers. 155.

Absyrtum sparsura patri, facturaque cæsi
Germani plus morte nefas, dum funere pugnat,
Et Fratrem sibi tela facit.

Con-

* *Quis iste frater?*

Sed contemtus amor vires habet; & mihi fata
Hos inter fluctus quis raptis evocat armis?
Cui non est mors una satis? ne vincite pontum,
Gurgitibusque feris alios immittite fluctus.

CIX. [a] Haec ut turbato clamore mulier effudit, haesit paullisper acies, revocataeque ad pacem manus intermisere bellum. Utitur poenitentiae occasione dux Eumolpus, &, castigato ante vehementissime Lyca, tabulas foederis signat, queis haec formula erat: EX TUI ANIMI SENTENTIA, ut tu, Tryphaena, neque injuriam tibi factam à Gitone que-

[a] ENCOLPIUS.

Contemtus amor vires habet] Propert. lib. 1. eleg. 10.

Irritata venit, quando contemnitur ipsa,
Nec meminit justas ponere læsa minas.

WOUWEREN.

Quis raptis] Alii, *qui captis*. Pith. PATISSON.

Evocat armis] Alii, *annis*. PATISSON.

Nec vincite pontum] Alii, *ne*, &c. TORNÆS. & AURAT. & SAMBUC. DANIEL.

Altos] Gallicus interpres hæc ita cepit, ne velint scelere suo irritare deorum iram, qua commoti tempestatem immittant: sed sensus manifestus, si modo cum prima & Sambuci, Tornæsii, Patissonii & aliis editionibus *alios* pro *altos* legamus. Ne quæso vestro furore, & insania, ipsam maris & fluctuum feritatem superate, & his aquis sævientibus alios furentium & pugnantium fluctus & rabies immittite, vel, ut Brouckhusius meus malebat, ne fluctibus marinis sanguineos rivos ex vulneribus immittite. Respicere ad proverbium Tryphænam, quo quis *sævior mari* dicatur recte adnotavit Barthius ad Claud. 1. in Rufin. vers. 92. *alios* autem eleganter fluctus vocat, adhuc majores, & sæviores, prioribus supervenientes. Ita corruperunt & similem Statii locum lib. 1. Sylv. III. vers. 65.

Albentesque lacus, aliosque in gurgite fontes.

ut recte Bernartius & Barthius: qui & recte lib. VIII. Theb. 190. legendum censuit:

Poterisne reverti
Sedibus à Stygiis, aliaque erumpere terra.

non *alta*. vide eumdem ad Statii lib. VII. vers. 457. & 798. & Rigalt. ad Juvenal. Sat. X. vers. 150. eadem librariorum aberratio à Gronovio apud Senec. in Agamemn. vers. 500. notata.

Illam debiscens pontus in præceps rapit,
Hauritque, & alto redditam revomit mari.

Eleganter quoque Plinius voce *alius* utitur lib. XXX. cap. 3. de talpis *à rerum natura damnatis cæcitate perpetua, tenebris etiamnum aliis defossis, sepultisque aliis.* Ubi *tenebras alias* vocat, quod semper sub terra vivant, cum jam oculis capti tenebras paterentur, etsi in summa humo, ut alia animalia, degerent. Virgilius lib. IV. vers. 466.

Non vires alias, conversaque numina sentis?

vide de hac voce etiam Heinsii notas ad Valer. Flacc. lib. 1. vers. 146. *imponite* habent quoque primæ editiones. BURM.

Immittite] Autisiod. *imponite*. Pith. PATISSON.

Hac ut turbato clamore mulier effudit] Mulier ipsa turbata potius erat, quam turbatus clamor. Itaque magis probarem, *turbata clamore*. Nec enim diverso sermonis genere utitur. Nam τὸ *clamore* per se stat, idemque valet, ac si dixisset, *cum clamore*. Virgil. 1. Æn. vers. 519.

——— *Et templum clamore petebant.*

Idem 8. Æn. vers. 216.

Discessu mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.

RICHARD.

Hæsit acies] Intermissa est. Florus lib. III. cap. 16. simul ad ipsa brevia alludens, *hærebat in vadis pugna, cum æstibus solitis cum ipso certamine subductus oceanus intercedere bello videretur. Hæsitque* prima editio, Sambuci & Tragurienſis.

Inite pœnitentiæ occasione] Alii, *utitur*. TORNÆS. Alii, *initæ*. alii, *iratus*. PATISSON. Leg *præsenti occasione*. AURAT.

Dux Eumolpo] Leg. *Eumolpus*. AURAT. Hoc verbum usurpat Plinius lib. 10. ep. 86. DELBEN. & SAMBUC.

Fœderis signat] Alii, *fidei*. PATISSON. Vide Cujac. lib. 1. Observ. de formul. fœder. DANIEL. Unus ex scriptis habet *fidei*. BOSCH.

Ex tui animi sententia Tryphæna, uti neque injuriam] Ita restituimus, cum in v. c. esset *ubi*. SAMBUC. Est hæc formula jurisjurandi. Gell. lib. 5. cap. 6. PUTEAN. Ad fœderum formulas belle alludit, quas habet & recenset Brisson. de Formul. lib. 4. ERHARD. Hanc formulam præter alios illustrat egregie Gronovius lib. IV. Observ. cap. 14. exemplis aliis accedat insignis Inscriptio à Fabretto capite X. p. 673. prolata, ubi jusjurandum Arilienſium hoc modo concipitur: EX MEI ANIMI SENTENTIA, UT EGO IIS INIMICUS ERO, QUOS C. CÆSARI GERMANICO INIMICOS ESSE COGNOVERO, &c. Prima vero Editio *ut tu* non habet. *ubi Trisena* Tragurienſis. BURM.

quereris, neque, si quid ante hunc diem factum est, objicies, vindicabisve, aut ullo alio genere persequendum curabis, ut tu nihil imperabis puero repugnanti, non amplexum, non osculum, non coitum Venere constrictum, nisi pro qua re praesentes numeraveris denarios centum. Item Lyca, EX TUI ANIMI SENTENTIA, ut tu Encolpion nec verbo contumelioso insequeris, nec vultu, neque quaeres, ubi nocte dormiat; aut, si quaesieris, pro singulis injuriis numerabis praesentes denarios ducentos. In haec verba foederibus compositis arma deponimus: &, ne residua in animis etiam post jusjurandum ira remaneret, praeterita aboleri osculis placet. Exhortantibus universis odia detumescunt, epulaeque ad certamen prolatae conciliant hilaritate convivium. Exsonat ergo cantibus totum navigium, &, quia repentina tranquillitas intermiserat

Abjicies] Lege *objicies*. AURAT.

Ullo alio genere] Vide ad cap. 14.

Ut tu nihil] Alii, *Et tu nihil*. TORNÆS. *Ut tu nihil* Leid. cod. scribe; & *ut tu nihil imperabis*. Sic paulo post: *Item, Lyca, ex tui animi sententia, ut tu Encolpion nec verbo contumelioso insequeris*. BOSCH. *Et tu* prima editio & Sambuci; *ut tu*, Tragurienſis.

Venere constrictum] Anechom. *compectorata adhaerent Veneris glutino*. Sic *nodi Veneris* Lucret. lib. 4. BARTH.

Pro qua re] Alii, *pro hac re*. TORNÆS. Vel puer videat legendum, *pro quaque re*. SCIOPP.

Numeraveris] Alii *numerabis*. TORNÆS.

Ut tu Eumolpum] Forte, *ut tuum Eumolpum*. AURAT. Sic vet. impr. *Eumolpus*. Quod ineptum est. PUTEAN.

Ducentos] Autisiodor. *ducenos*. Pith. PATISSON.

Deponimus] In prima editione, Sambuci, & Tragurienſi sequentia usque ad, *exsonat ergo*, non reperiebantur. Insolens autem locutio *epulae conciliant hilaritate convivium*.

Abolere osculis] Plaut. Pœnul. Act. 1. sc. 3. *Non sum irata*. Ag. *da ergo, ut credam, suavium*. PITH. Petrus Ravennas serm. 93. *Oscula sunt reconciliationis indicia*. Petron. supra cap. XCIV. *Ecce etiam osculo iram finio*. Et iterum cap. XCI. *Exosculatus pectus sapientia plenum, injeci cervicibus manus*, &c. Sidon. lib. 4. ep. 23. *Cum paternis pedibus affusus, ex illo ore laso, ore terribili convicium exspectant, osculum exceperit*. Artemidorus lib. 2. cap. 2. de Somn. Savaro ad Sidon. lib. 4. cap. 23. ERHARD.

Odia detumescunt] Plaut. Casin. Act. II. sc. 5. *Nunc in fermento tota est, ita turget mihi*. Gruter. Suspic. lib. 8. cap. 8. Barth. ad Claudian. n. 611. & n. 1761. *Tumidus* pro irato. Et odia, dum gliscunt, dicuntur *intumescere*, cum sedantur, *detumescere*. ERHARD.

Epulaque ad certamen prolata] *Ad* pro post. Tursellinus de Particul. ling. Lat. An *ad certamen* est, cum certaturi vel præliaturi eramus? quia pugnaturi cibum capiebant ad reficiendas corporis vires. Supra cap. LXXXII. *Ne infirmitas militiam perderet, largioribus cibis excito vires*. ERHARD. Legendum cum MSS. *ob certamen prolata*, intermissæ. BOURDELOT.

Hilaritate concilium] Alii *convivium*. TORNÆS. Lege *convivium*. Jungermannus. *Concilium* pro turba, conventu, cœtu. Val. Maximus lib. 5. cap. 1. exempl. 5. de L. Paulo, qui Persen Regem, *introductum in tabernaculum, lateri suo proximum in concilio sedere jussit, nec honore mensæ indignum judicavit*. Jeremiæ 6. vers. 11. *Effundi* (scilicet bilem Dei) *super parvulum foris, & super concilium juvenum simul*. Petronius infra de Socrate cap. 140. *Nec ullius turbæ frequentioris concilio oculos suos crediderat*. ERHARD. Dormitasse hic scires Petronianos editores, quum vel cæcum vix præterire queat legendum *Convivium*. Varro de vino: *hoc hilaritatis dulce seminarium, hoc continet coagulum convivia*. Possis etiam *conciliant* accipere pro *commendant*, gratum acceptumque reddunt, sicut infra cap. CXXVIII. *Hæc ipsa quum diceret, tanta gratia conciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus mulcebat aëra*. Cicero quoque non semel sic usurpat, ut quum dicit: *favi iis rebus, quas primas homini natura conciliat: parentibus & patriæ nos primum natura conciliat: simulatque natum sit animal, ipsum sibi conciliari & commendari ad se amandum*. SCIOPP.

Exonerat cantus totum navigium] V. C. Brit. *exsonat ergo cantibus totum navigium*. Lego, *personat cantu totum navigium*. TORNÆS. Alii, *trium navigium*. PATISSON. Unus ex vet. *exsonat ergo cantibus totum navigium*. PUTEAN. Sic supra dixerat, *omnia nimio risu exsonuerant*. DOUZA F. V. C. *exonerat cantus tot n.* Leg. *exsonat cantu t. n.* Sic supra cap. XIX. *Omnia nimio risu exsonuerant*. Gruter. Suspic. lib. 6. cap. 15. nimis otiose. ERHARD. Prima editio *exornatur ergo*: manus eruditi viri in Junii codice *exornat* conjiciebat.

Tran-

ſerat curſum, alius exſultantes quaerebat fuſcina piſces, alius hamis blandientibus compellebat praedam repugnantem. Ecce etiam per antennam pelagiae conſederant volucres, quas tectis harundinibus peritus artifex tetigit. Illae viſcatis illigatae viminibus deferebantur ad manus. Tollebat plumas aura volitantes, pinnaſque per maria inani ſpuma torquebat. Jam Lycas redire mecum in gratiam coeperat; jam Tryphaena Gitona extrema parte potionis ſpargebat, quum Eumolpus & ipſe vino ſolutus dicta

Tranquillitas] Alii *tranquillitate*. TORNÆS.

Exſultantes] Alii *exſultans*. TORNÆS. Prima editio & Sambuci, *alius exſultans quaerebat fuſcinis piſces*. Tragurienſis *alius exſultans quaerebat fuſcinas, alius piſces hamis*, &c.

Quaerebat] Vet. cod. Brit. *captabat*. TORNÆS.

Convellebat] Alii *convertebant*. PATISSON. Lege *praedam*. AURAT. Omnes ante Tornæſium Editiones, *compellebat*.

Ecce etiam] Alii *quin etiam*. TORNÆS.

Pelagiæ volucres] Marinæ. GLOSSÆ. Id eſt, marinæ, ut Poëtas vulgo vocaſſe docet Paſſeratius ad Propert. lib. III. eleg. 6. p. 440. *pelagios* piſces Varronem & Columellam dixiſſe notarunt Lexicographi. *Iſis Pelagia* in antiquo lapide apud Gruter. p. CCCXII. 5. *Pelagi* prima editio.

Tectis arundinibus] Alii, *textis*. PATISSON. Leg. *textus*. AURAT. Martial. lib. 9. epigr. 56. WOUWEREN. Hanc caſtigationem ſibi vindicat ad Solinum Salmaſius, quæ Douſæ editionem anno ſæculi ſuperioris LXXXV. procuratam jam occuparat. Gronovius obſervationum lib. III. cap. 18. malit *litis arundinibus*, cui non accedo. HEINS. Vide ſupra ad cap. XL. has arundines amites vocatas, ex Feſto & Gloſſis antiquis adnotaverat Ampliſſimus Cuperus. *Amites, σάλικες. amites, ἰξευτικοὶ κάλαμοι*. Horat. Epod. 2.

Aut amite levi rara tendit retia.

Illa viſcatis illigata viminibus] Vide Notas noſtras ad Val. Flaccum lib. 6. verſ. 263. & Baſil. Fabrum Soranum in Theſaur. erudit. Scholaſtic. Longus Sophiſta lib. 3. Poemenic. *καὶ τὸν ἰξὸν ῥάβδοις μακραῖς ἐπίλαψε, viſcum virgis longis illevit*. WEITZ.

Illigata] Deeſt hæc vox primæ editioni.

Pinnaſque] Conchæ genus, alias Nacra. GLOSS. Alias *pennas per manus*. PUTEAN.

Spuma] Alii, *pluma*. PATISSON. Lege *immani ſpira*. DELBEN. Vulg. *per inania*, in vet. cod. *per Maria*. SAMBUC. Alias *inani ſpuma*. impr. *macria inani ſpira*. PUTEAN. C. Tragur. *pennaſque p. m. inani ſ. t.* Gloſſar. Petronianum: *Pinna*, conchæ genus, alias nacra. Sed errat Gl. Naſcitur *pinna* in limoſis, nec umquam ſine comite eſt, qui pinnothetes, vel pinnophylax. Plinius, Cicero, *pinnæ* vero hic ſunt duriores volucrum pennæ. HADRIANID. *Per inania inani* prima editio & Sambuci, *inani ſpuma* Tragurienſis, locus certe mendoſus. Et videtur illud *inani* à librario repetitum ex præcedenti *inania*. Forte ſcripſerit *pinnaſque* (vel *pennaſque*, ut prima editio Sambuci & Tragurienſis) *per inania ſpirâ torquebat*. Aura enim & plumas & pennas levi gyro intorquebat, neque enim præ levitate ſua videntur in mare potuiſſe deferri, ſed ab aura in ære ſuſpenſæ & volitantes jucundum ſpectaculum otioſis & epulantibus dabant. *Inania* autem vocavit aërem, quem frequentius *inane* vocant. Ovidius tamen II. Metam. 506.

Suſtulit, & celeri raptos per inania cœlo
Impoſuit cœlo. BURM.

Extrema parte potionis] Horat. lib. 4. od. 12.

Non ego te meis
Immunem meditor tinguere poculis,
Plena dives ut in domo, &c. BONGARS.

Epigramm.

Χθιζά μοι ἐρεμώασσα φιλακρήτης μετὰ κώμης
Στείμμασιν αὐλείας ἀμφιπλέκοντι θύρας,
Ἐκ κυλίκων ἐπέχευεν ὕδωρ, &c.
Ἐφλέχθην δ' ἔτι μᾶλλον ὑφ' ὕδατι, ἐκ γὰρ ἐκείνης
Λάθριον εἶχε κύλιξ πῦρ γλυκερῶν τομάτων.

Amoris indicia fuere & hæc inter pocula, ut ſolerent οἱ ἐρῶντες, ὑπὲρ τῶν ἀγαπωμένων πλείονας κυάθους ἐπιχεῖσθαι, ut Scholiaſt. Theocr. notat. vel ut amatori reſiduum poculum darent. Plaut. Horat. & alii. PITH. Sane & κοτταβίζειν antiquitus amantium; auctor Athen. lib. 10. & præguſtata vina exhibere, aut reſiduum poculum. Heliodor. lib. *καὶ τὴν φιάλην ἐπίτηδες ἐκπιόντα. ἀλλὰ σὺν τέχνῃ καὶ διὰ μικρᾶς τῆς λειψάνου τῷ Θεαγένῃ προπίοντα*. WOUWEREN.

Vino ſolutus] Vide ſupra ad cap. 79.

Dicta] Joca. Martial. lib. I. epiſt. 5. *Materiam dictis nec pudet eſſe ducem*. Cicer. ad Attic. lib. 2. epiſt. 1. *Hominem petulantem modeſtum reddo, non ſolum gravitate orationis, ſed hoc genere dictorum. Itaque jam familiariter cum ipſo cavillor & jotor*. niſi fortaſſe an leg. *dicta voluit in calvos ſtigm. jocularia*. Lactant. lib. 2. *Sacrilegia ſua jocularibus dictis proſequebatur*. apud Sueton. Ner. cap. 42. *Jocularia carmina laſciveque modulata*. WOUWEREN. Scommata, ſalſa convicia recte exponunt. Auguſtinus Vet. Epigr. lib. 1.

Quiſquis amat dictis abſentem rodere vitam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi,

BARTH.

dicta voluit in calvos ſtigmoſoſque jaculari: donec, conſumta frigidiſſima urbanitate, rediit ad carmina ſua, coepitque capillorum elegidarion dicere.

[a] Quod ſolum formae decus eſt, cecidere capilli,

[a] EUMOLPUS. *Vernan-*

Voluerit] Lege *voluere*. AURAT.

Stigmoſos] Stigmoſus, famoſus, nocens, cui ſtigmatis nota inuſta. GLOSSÆ. Forte *ſtigmoſoſque*, vel *ſtigmataque*. AURAT. Ita ex conjectura. vulg. *ſtiginoſeſque*. Forte etiam, *ergimoſoſque*. *Ergini cani* proverbio ſunt noti. SAMBUC. *Stigmoſus* Plinio lib. 1. ep. 5. P. DANIEL. Forte *erginoſoſque*. *Ergini cani* proverbio quoque noti. vel forte *Silanoſque*, ut Plaut. Rudente *Recalvum ac Silanum ſenem*, Giphan. RITTERSH. Leg. *ſtigmaticoſque*. BRASSICAN. Mira eſt correctorum audacia. Encolpius & Giton calvi & ſtigmoſi, ut docuit clare Petronius, & tamen alii legi volunt, *ergimoſoſque*. alii, *ſelenos*, ſcilicet διὰ τὸ ἀντὸ, calvos & plenos. BOURDELOT. Non credo vocem hanc Petronium probaſſe, quam neque Plinius lib 1. ep. 5. admittit. ex veſtigiis primæ editionis & Tragurienſis codicis credo legendum, *in calvos inſigneſque jaculari*. *Inſignes* deformes vocari notius eſt, quam probari debeat. Mox capite ſequenti *inſignitum non tralatitia deformitate* dixit.

Jaculari] Joculariter aliquem perſtringere. GLOSS. Hanc locutionem egregie illuſtravit ſummus Gronovius ad Livii lib. XLII. cap. 54. Tertull. de jejuniis cap. 2. *jaculantur interea & Eſaiam pronuntiaſſe*. lib. IV. adverſ. Marcion. cap. 24. *illicitorum matrimoniorum & adulterii figuras jaculatus eſt in Herodem*. Et alibi. Quintilian. lib. IX. cap. 2. *ut ſi pater, qui infamem in matrem filium ſecreto occidiſſet, reus malæ tractationis, jacularetur in uxorem obliquis ſententiis*, neſcio an non ita capiendus Horatius lib. II. od. 6.

Quid brevi ſortes jaculamur ævo
Multa?

eodem ſenſu, *jacere* & *jactare*, poni, docuit Barthius ad Statii lib. 1. Thebaid. verſ. 411. BURM.

Conſumta] Cap. XXIII. *conſumtis verſibus ſuis*, vide ad cap. XXXIII.

Urbanitati] Urbanitas quædam jocandi cum felle feſtivitas, ſic *urbanum Lucilium* vocat M. Tullius. BARTH.

Cœpitque capillorum] MS. *cæpitque in capillos ſuos*. TORNÆS. & PUTEAN. & BOSCH. Syneſ. φαλακ. ἐγκωμ. ἐλεγεῖα ποιῶ θρῆνον ἐπὶ τῇ κομῇ. WOUWER.

Elegidarium] Encomium. GLOSSÆ. Leg. *elegeidion*. BRASSICAN.

Summum formæ decus] Leucipp. lib. 8. στεύλνται τῆς κεφαλῆς τὸ κάλλος, τὴν κουρὰν ὀρῶς. PITH. Vet. cod. *ſummum*. RITTERSH. Clemens Alexand. τρίχες κόσμος τοῦ σώματος. & calvi ἄκοσμοι, teſte Polluce libr. II. Late hoc proſequitur Apulejus Mileſiarum 2. WOUWEREN. Serenus *capitis honorem* vocat capillos. Achill. Tat. lib. 8. τὰ δὲ Λευκίππης ἐμοῦ μείζονα πέπρηται, δεδάλευκεν, γῆν ἔσκαψεν, στεύλνται τῆς κεφαλῆς τὸ κάλλος. BARTH. Syneſius in Hymn.

Ἑτέρῳ δ' ἄγαλμα χαίτη
Καταειμένη τενόντων.

vide H. Junium de Coma cap. 11. Rader. ad Martial. lib. 10. epig. 71. Ambroſius Hexaem. lib. 6. *Comam*, inquit, *eſſe reverendam in ſenibus, venerandam in ſacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adoleſcentibus, comtam in mulieribus, dulcem in pueris. Tolle arboris comam, arbor ingrata eſt: tolle humani capitis capillum, tota pulcritudo flacceſcit*. Ph. Camerarius Horar. ſubciſiv. cent. 3. cap. 96. ERHARD. Ovid. 3. de Arte verſ. 249.

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

WEITZ. *Solum* omnes editiones veteres, quod probat & recte explicat Gronovius ad Senec. Hippol. verſ. 874. infra cap. CXI. *una in tota civitate fabula erat, & ſolum illud adſulſiſſe verum pudicitiæ amoriſque exemplum*, &c. Juſtin. lib. XLIV. 14. *armenta, quæ illis temporibus ſolæ opes habebantur*, id eſt, præcipuæ. *decus* vero hic pro ornamento ponitur. Ita Domitianus apud Sueton. cap. XVIII. *ſcias, nec gratius quidquam decore, nec brevius*. itidem de coma agens. Senec. Hippol. 826.

Quærit crine lacerato fidem,
Decus omne turbat capitis.

Virgilius X. Æneid. 135.

Aut collo decus, aut capiti.

Capitis honorem dixit Serenus cap. IX. ubi quædam Keuchenius adduxit huc facientia. ἀγλάϊσμα vocat Æſchyl. in Choephor. 191. ubi v. Stanlejum. Nihil autem notius, calvitiem fuiſſe maxime dicteriis & opprobriis obnoxiam. vide Sueton. Cæſ. XLV. Galb. XX. & paſſim apud Martialem. Venuſtiſſime Apulej. lib. 11. Metam. *ſi cujualibet eximiæ, pulcherrimaque fœminæ caput capillo ſpoliaveris & faciem nativa ſpecie nudaveris, licet illa cœlo dejecta, mari edita, fluctibus educata, licet, inquam, Venus ipſa fuerit, licet omni Gratiarum choro ſtipata, & toto Cupidinum populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, calva proceſſerit, placere non poterit nec Vulcano ſuo*. BURM.

Cecidere capilli] Tota hac periocha calvos vocat, qui tantum raſi, & promiſcue Poëtæ *raſo* pro calvo, & viciſſim, utuntur, etiam Petron. de Trimalcione.

Vernanteſque comas triſtis abegit hiems.
Nunc umbra nudata ſua jam tempora moerent,
Areaque attritis ridet aduſta pilis.
O fallax natura Deum! quae prima dediſti
Ætati noſtrae gaudia, prima rapis.
Infelix, modo crinibus nitebas,

Phoc-

Yvo Villiomarus Animadverſ. in Rob. Titium lib. 3. cap. 17. ERHARD.

Vernanteſque comas] Philoſtrat. κιφαλὴ γὰρ ἀνθοῦσα ἡδίων πολὺ τῆς τῆς Ἀθηνᾶς φυτῷ. Idem, τί ἴδοι μαχαίρων ἐπὶ τὰς τρίχας οἷον θέρος ἐξέκοψας. PITH. Prudent. *vernantes flore juventa.* ut *aream* Petron. ita *campum* vocat Martial. lib. 10. epiſt. 83.

——— *Latum nitida, Marine, calva*
Campum temporibus tegis comatis. BARTH.

In Pervigil. Veneris;

Vere concordant amores, vere pubent alites.

Id eſt, vernant. Pontanus in Macrob. lib. 7. cap. 16. ERHARD. Florentes, quaſi in vere ætatis, & in campis, ubi ver perpetuum. Paſſerat. ad Propert. lib. 1. eleg. XIX. p. 232.

Abegit] Alii *ademit*. Pith. PATISSON. Philoſtr. πρὶν δέ σου τὸ ἦρ ἀπιλθεῖν, ὅλον καὶ χειμῶνα ἐπισῆναι, δὸς αὐτὸ πρὸς ἵρατον τῶν γενείων. PITH. Quæ deſertos venuſtate agros facit. Barth. ad Claudian. num. 14. 24. Leg. *adedit*. Palmer. in Spicileg. quod placet impendio. ſic Ovid. 5. Metamorph. dicitur *Tempus edax rerum*. vide Calepinum in *Vetuſtos*. ERHARD. Non diſplicet Douzæ & aliorum emendatio, *adedit*, de quo verbo plura Heinſius ad Ovid. 1. Amor. xv. verſ. 41.

Mœrent] Vir doctus in margine Juniani codicis *marcent* ſcripſerat. Heinſius in ſequenti verſu mallet *friget adeſa*. Sed vulgatam ſervandam eſſe putavi, quia *mœrent* & *rident* inter ſe videntur aptius opponi. *Ridet* autem idem eſt, quod *ſplendet*; & Brouckhuſius ſuo codici adſcripſerat Homeri locum Odyſſ. Σ. 353.

Ἔμπης μοι δοκέει δαΐδων σέλας ἔμμεναι αὐτῇ
Κακκείφαλος ἐπεὶ ἢ οἱ ἔνι τρίχες οὐδ' ἠβαιαί.

Tamen mihi videtur facium ſplendor eſſe ipſius
In capite, quoniam non ei ſunt capilli ne tantilli quidem.

Ubi egregie Euſtathius dicit, ſcomma eſſe in calvitiem Ulixis, cujus calva comparatur faci & lumini ſplendenti; unde & φαλάκρα dicitur διὰ τὸ φάλιον, ἤ φάλει, ὅ ἐστι λαμπρὸν τὸ ἐπὶ τὴν κάραν. Unde & Martialis x. ep. 81. *nitidam calvam* vocat. BURM.

Areaque attritis] Alii, *extritis luget*. alii, *aret*. PATISSON. Nicias de ſene, qui capillos amiſerat: ὢν ἅπας γέγονεν, lib 2. Græcor. epigrammat. & Philoſtratus in Epiſtol. BRASSICAN. Vide Celſ. lib. 6. cap. 4. BARTH. Martialis lib. 5. epigr. 48. ad Labienum;

Nudum eſt in medio caput, nec ullus
In longa pilus area notatur.

ut areæ domorum graminibus, ita calvi carent capillis. Raderus ad Martial. lib. 5. ep. 48. Leg. *nidet aduſta pilis*: lævia enim & glabra quæ ſunt, nident. Palmer. in Spicileg. *Ridere* eſt nitere, vel lætum hilaremque eſſe, ut apud Horat. *Ridet argento domus*. quod de raſis, ſive σιλπνοῖς, uſurpat Petron. 9. Rob. Titius Locor. controverſ. lib. 3. cap. 17. *Ridere* non eſt nitere, ſed potius Græcorum σισηρέναι. quo verbo utuntur pro denudatione. & tamen σισηρέναι proprie eſt rictum diducere. Villiomarus Animadverſ. in Rob. Titium lib. 3. cap. 17. Defendit ſe Titius Aſſertion. lib. 3. cap. 17. ſed Villiomari expoſitio magis eſt: niſi ſi forte ex V. C. legend. *aret aduſta*, quæ lectio ſingularem habet emphaſin, *area aret aduſta*, id eſt, arefacta & glabrata. q. d. ξηρὰ ξηραίνεται ξηραθεῖσα. hinc & ξηραοία dicitur vitium illud capillorum, cum propter alimenti, ſeu humoris, defectum defluunt: ſpecies nimirum τῆς ἀλωπεκίας, de qua Alexander Trallianus in princ. libri; Ἀλωπεκία πάθος ἐστὶ, τριχῶν μάδιδες. aliter tamen de ξηραοία Auctor Definition. medicinal. ERHARD.

Ridet] Forte *ſordet*, vel *aret*. AURAT.

Fallax natura deum] Tibull. lib. 1. eleg. 4.

Crudeles divi: ſerpens novus exuit annos:
Formæ non ullam ſata dedere moram.
Solis æterna eſt Phœbo Bacchoque juventas:
Nam decet intonſus crinis utrumque deum.

PITH. Interpretare, ut illud vet. Poët.

——— *Saturnia ſancta Deorum.*

Vel *Natura Deorum*, ipſi omnes Dii. Sic *Natura crinis* apud Virgil. Ceiri verſ. CXXIV. vide ibi Not. BARTH.

Ætati] *Juventuti*. Sen. ad Helv. cap. XVI. Cæcil. apud Gell. lib. 2. cap. 23. BARTH.

Infelix, modo crinibus nitebas] Ita hos verſus ſcripſimus. vulgo perturbatus eſt ordo & ſcriptura. SAMBUC. Ita hos urbanos & diſertos verſiculos in ordinem redegit Turnebus. quo ſenſus eorum eniteſcat, calvus comparatur æri, & tuberi hortorum rotundo, nullaque lanugine villoſo. Antea vitio librariorum tranſpoſitus & conturbatus erat ordo hoc modo;

Infelix modo crinibus nitebas,
At nunc levior ære vel rotundo
Ridentes fugis & times puellas;

Phœbo

Phoebo pulchrior, & sorore Phoebi:
At nunc levior aëre, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda,
Ridentes fugis, & times puellas.
Ut mortem citius venire credas,
Scito jam capitis perisse partem.

CX. [a] Plura volebat proferre, credo, & ineptiora praeteritis, quum ancilla Tryphaenae Gitona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque

[a] ENCOLPIUS.

Phœbo pulchrior & sorore Phœbi:
Orti tubere quod creavit unda.
Ut mortem citius venire credas,
Scito jam capitis perisse partem.
Adversarior. lib. 4. cap. 19. ERHARD.

Nitebat] Proprium de comis decoris verbum, quod λιπαρὺς πλοκάμους, & λιπαρὰν ἐθειραν, ut Græci vocabant, notat. vide Illustr. Spanhemium ad Callimach. Hymn. in Apoll. vers. 39. & in Pallad. vers. 32. *nitidos capillos* vocat Horat. 1. Epist. XIV. 32. & *nitentes* II. od. VII. 7. *nitidum caput.* lib. 1. od. IV. Martial. lib. XII. 38.

Crine nitens, niger unguento, perlucidus ostro.

nitor autem ille unguentis, oleo, myrrha & similibus conciliabatur. Unde Græcum λιπαροπλοκάμους recte Suetonius in Nerone cap. XX. reddidit *insignes pinguissima coma*, ut recte observat Casaubonus. BURM.

At nunc] In Tragurienſi erat; *at nunc ære, vel rotundo levior.*

Levior ære] Cui simile est illud Apuleji; *Cucurbita glabrior.* & illud Martialis; *Levior & conchis Galle Cytheriacis.* H. Junius de Coma cap. II. ERHARD.

Horti tubere, quod creavit] Forte, *Ponti sidere, quod erravit.* AURAT. Martialis lib. XIII. epig. 43.

Læta suburbanis mittuntur aprina ramis,
Et vernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?

Pontanus Notis in Macrob. de Somn. Scip. lib. 2. cap. 6. ERHARD. *Tuber*, genus fungorum: de quibus Joh. Bapt. Porta lib. 10. Villæ cap. 70. Hadrian. Junius in Nomenclat. & Zehnerus in Nomenclat. lib. 4. cap. 11. *Tuber terræ*, aliud est, Græcis κυκλάμινος: de quo Porta ibid. lib. 9. cap. 17. WEITZ. Prima autem editio:

Horti tulere quod cecavit unda.

sed rectum est *tubere.* supra cap. XV. *calvus tuberosissimæ frontis.* Tubera autem nasci, cum imbres autumnales ac tonitrua crebra sunt, docet Plinius lib. XIX. cap. 3. & Mitylenis nasci *exundatione fluminum invecto semine.* Unde noster recte dicit, *quod creavit unda*, vide ibi Harduinum. Amplissimus Cuperus *undam* pro pluvia poni annotavit, quæ *aqua cælestis* dicitur in lapide apud Gruter. CLXXX. 2. & 3. & Horat. Carm. secul.

Nutriant fetus, & aquæ salubres,
Et Jovis auræ. BURM.

Times puellas] Biturig. *paves.* Pith. PATISSON.

Ut mortem citius venire credas, scito jam capitis perisse partem] Verticem eorum, qui in vicinia mortis, credebant veteres radi à Proserpina. Ad hanc superstitionem allusit hic Petronius. Virgilius Æneidos 4. difficiles ait obitus Didonis, quia

Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris croceis per cœlum roscida pennis
Devolat, & supra caput astitit, hunc ego Diti
Sacrum jussa fero; teque isto corpore solvo,
Sic ait, & dextra crinem secat. ——

Servius: *Traxit hoc de Alceste Euripidis, qui inducit Mercurium comam secantem, quia fato peribat mariti.* Cui suffragatur Macrob. Sat. lib. 5. cap. 19. Quamquam is Orcum, non Mercurium, ab Euripide induci auctor. verba Euripidis.

Ἱερός γὰρ ἔστ' ὁ κατὰ χθονὸς θεῶν.
Ὅστις τόδ' ἔγχος κρατὸς ἀγνίσει τρίχα.

Scholiastes ὡς ἑνὸς ὄντος τοῦ θάνατον τῷ μέλλοντι ἀποθνήσκειν τὴν κόμην τέμνειν. Stat. II. Silvar. de Glaucia, quæ in confinio mortis: *Jam complexa manu crinem tenet infera Juno.* Notandum quod Apul. cadaver hominis mortui ita describat, Milesi. II. *Et cum dicto juvenem quemdam linteis amiculis intectum, & adusque mentum deraso capite, producit in medium.* WOUWER.

Ineptiora præteritis] Leg. *præteritis.* AURAT. Id est, præmissis & antecedentibus. ERHARD.

Tryphæna] Leg. *Tryphænæ.* AURAT.

Corymbio] Redimiculum muliebrium comarum. GLOSSÆ. Leg. *connubioque dominæ.* AURAT. Ita v. l. *Corymbium est ornamentum capitis muliebre, deminutum à* corymba, *ut* τραπέζιον à τραπέζα, &c. SAMBUC. Leg. *corymbion.* Gallice, *fausse perruque.* BONGARS. Leg. *corymboque.* Interpres Thucydidis lib. I. κρωβύλος δέ ἐστι εἴδος πλέγματος τῶν τριχῶν ἀπὸ ἑκατέρων εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον, ἐκαλεῖτο μὲν τῶν ἀνδρῶν κρωβύλος, τῶν δὲ γυναικῶν κόρυμβος, τῶν δὲ παιδῶν σκόρπιος. Apud Tertullian. de veland. virginibus mendosissime legitur *scrobulos*, &c. & alibi prolixius de ea re diximus. BRASSICAN. *Corymbium* est ornamentum

que dominae pueri adornat caput. Imo ſupercilia etiam profert de pyxide, ſciteque jacturae lineamenta ſequuta, totam illi formam ſuam reddidit. Agnovit Tryphaena verum Gitona, lacrymiſque turbata tunc primum bona fide puero baſium dedit. Ego, etiamſi repoſitum in priſtinum decorem puerum gaudebam, abſcondebam tamen frequentius vultum, intelligebamque, me non tralatitia deformitate eſſe inſignitum, quem alloquio dignum nec Lycas quidem crederet. Sed huic triſtitiae eadem illa fuc-

tum capitis muliebre, deminutum à *corymba*, ut τριπόζιον à τράπεζα, &c. RITTERSH. *Corymbus* ſic redimiculum muliebrium comarum, ut *crobylus* virorum, *ſcarpius* puerorum intelligitur: à Grammaticis Græcis implicatio comarum in acutum deſinens explicatur.

——— *Crines nodantur in aurum.*

Cum Maro canit Æn. 4. Servius *crobylon* interpretatur. Sed hic comæ ſunt adpoſititiæ, quales flavas plerumque mulieres, mentito decore formam quærentes, præſertim in Aulis, ſibi adjiciunt. Nam, cui circumponitur *corymbion*, is raſus novacula fuerat. Turneb. Adverſar. lib. 4. cap. 19. ERHARD. *Crobyle*, κρωβύλη, retiolum, quo coma contegitur. Quin & κρωβιλῶ dicitur aureus argenteuſque corymbus, ex capillis dependens, πλέγμα τριχῶν ἐις ὄζυ ἀπολῆγον. Quod in viris κρωβύλος, in mulieribus κόρυμβος, in pueris στόφος dicebatur, &c. Tiraquell. Connub. 3. pag. 52. WEITZ. v. Nicol. Loenſ. Miſcel. lib. VIII. cap. 25.

Supercilia proſert] Calliblephara, quibus ſupercilia ad ornatum denigrant mulieres. GLOSSÆ. Artemid. lib. 1. ὀφρύας δασεῖαι, καὶ ἐυανθεῖς, πᾶσι ἀγαθαὶ, μάλιστα γυναιξίν. ἄυται γὰρ ὑπὲρ εὐμορφίας καὶ μέλαιναι χρίονται τὰς ὀφρύας. Tertull. de habitu mul. cap. 11. *Nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* de cultu fœmin. cap. 5. *Oculos fuligine collinunt.* Menander. τὰς ὀφθαλμὰς ὑπογράφεσθαι. Alexis apud Athen. lib. 15. τὰς ὀφρῦς πυρρὰς ἔχει τὶς, ζωγραφεῖσθαι ἀσχόλως. vide Clement. Alexand. Pæd. lib. 2. cap. 10. Cypr. de bono pudicit. cap. XI. WOUWEREN. Calliblephara intellegit, de quibus Marcellus Virgilius in Dioſcorid. & Pamelius in Tertull. de Cultu femin. cap. 5. num. 23. ERHARD.

De pyxide] Eſt in mundo muliebri. GLOSSÆ. Paul. lib. ſent. tit. 6. WOUWEREN.

Sciteque jactura] Ita v. l. vulg. *ſcitæ*. fort. etiam, *ſactura*, ut in Noct. Attic. fort. etiam, *naturæ*. SAMBUC. Forte, *natura*, vel *ſactura*, ut apud Agellium. RITTERSH. Corruptus certe locus. Vir doctus quidam in margine codicis Apuleji, quem poſſideo ad lib. VI. Metam. corrigit *ſcitaque ductura lineamenta ſecuta*, ut ſupra dixerat, *epigramma duxit liberali manu per totam faciem*, & emendat ſimul Apuleji verba. *Quia me neceſſe eſt indidem delibutam theatrum Deorum frequentare.* Ubi MSS. quidam *delitam*, alii *delinatam*, Aldus *delinitam*, ille *delineatam* mallet, eodem ſenſu, quo hic Petronius. Sed neſcio, an *ductura* recipi in latinitatem poſſit. prima editio & Tragur. Cod. *ſcitæque jacturæ*; niſi quod Tragur. in margine habeat *natura*. latet verbum aliquod, quod artificem ornatricis manum notet, nam, *jactura*, nauci eſt. Forte *ſcitaque formatura*, qua voce Lucretius utitur, lib. IV. verſ. 456.

Formaturaque labrorum pro parte figurat.

Qui & ſimilis flexionis voces amat. v. Giph. indic. in *diſpoſitura*, & *poſitura*: prima ſyllaba exciderat, unde, *matura* reſtante, librarius *natura* fecit. *formare* vero proprie de capillis, ſuperciliis, &c. Suet. Neron. cap. 51. *comam, ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſummiſit.* Propert. 1. eleg. 3.

Et modo gaudebam lapſos formare capillos.

ubi v. Broukhuſii notas. BURM.

Bona fide] Vide ſupra ad cap. XI.

Repoſitum] Virgil. 1. Æneid. 253.

Sic nos in ſceptra reponis,

ubi Servius, *Reſtituis in regna, quæ amiſimus.*

Tralatitia deformitas] Non inſignis, ſed vulgaris. GLOSSÆ. Tranſlatitia, exigua, parva. TORNÆS. Inſignis eſt locus ille Ciceronis ex lib 3. epiſt. ad Appium epiſt. 8. *Romæ compoſui edictum nihil additi, niſi quod publicani rogarant, cum Samum ad me veniſſent, ut de tuo edicto totidem verbis tranſferrem in meum, diligentiſſime ſcriptum caput eſt, quod pertinet*, &c. *hoc vero, ex quo ſuſpicio nata eſt, me exquiſiſſe aliquid, in quo te offenderem, tralaticium eſt.* Sic *translaticium funus*, id eſt, vulgare, commune, ac nullius ſumtus, apud Sueton. in Nerone cap. 33. & *jus tralaticium* apud eund. in Octavio cap. 10. ubi de M. Antonio Conſ. *Ac ne publicum quidem ac tralaticium jus ulla in re ſibi ſine pactione graviſſima mercedis impertiente ad Optimates ſe contulit.* Sic hoc loco apud Petronium *tranſlaticia* vel *tralaticia deformitas* eſt non inſignis, ſed vulgaris. Et infra cap. 113. *Nec Giton me aut tralatitia propinatione dignum judicabat.* Et iterum cap. 114. *prateriens aliquis tralatitia humanitate lapidabit.* Aſconius in 1. Verr. cap. 44. *Vetus edictum tranſlaticiumque eſt. Tranſlatitia veteres dixerunt non nova, nec nuper inventa, ſed aliunde tranſlata.* DANIEL. Lego, *tralatitia formoſitate.* BOURDELOTT.

succurrit ancilla, sevocatumque me non minus decoro exornavit capillamento: imo commendatior vultus enituit, quia flaucorum corymbion erat.

Decoro exornavit capillamento] Solebant crinem fastigiare, seu in summum verticem adstringere, in modum galeri, aut turris, unde Juvenal. Satyr. 6.

——— *Tot adhuc compagibus altum*
Ædificat caput. ———

convoluti isti crines ad verticem capitis, *tutuli* Romanis. Varro 4. de ling. Lat. Fest. Hoc appellavit Tertullian. de Pall. *comam struere*, & lib. de cultu fœm. *structores capillaturæ*. Hieronym. Epist. ad Demetriad. *Ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere*. ut Lucanus:

Turritamque gerens frontem. ———

& Nazianz. Μὴ κεφαλὰς πυργοτενέσιν πλοκάμοις γυναικῶν. Ex quibus haurimus, adscitos crines insuisse, quibus promissi non erant. Quod verum est. Apul. lib. XI. Mil. *Adtextis capite crinibus fœminam mentiebantur*. Habebant insuper adulterinorum crinium sutiles quasdam formas, has capiti ut veras adponebant; idque *capillamentum*. Sueton. Calig. cap. 11. Græcis πτύκη. Scholiast. Aristoph. φενάκη κυρίως ἡ προσθετὴ καὶ ἐπιτηδειτὴ κόμη ἀπὸ τῶν κατεῤῥυκαιῶν γυναικῶν, καὶ ἔτως ἀπατεωνῶν διὰ τὸ ἐπίσαλλον τῆς κόμης. Lucian. ἑταῖρ. διαλ. ὑπέῤῥεον γὰρ αὐτῇ αἱ τρίχες. νῦν δ' καὶ τὴν πτύκην ἐπίθετο. Idem Pseudomant. Manilius lib. v. vers. 146.

Illis cura sui vultus, frontisque decoræ,
Semper erit, tortosque in plexum ponere crines,
Aut nodis revocare, & rursus vertice denso
Fingere, & appositis caput emutare capillis.

Firm. Attr. l. 8. cap. 7. *Appositis alienis crinibus fictam pulcritudinem mentiantur*. Tertull. de cultu fœm. lib. 11. cap. 7. *Adfigitis nescio quas enormitates sutilium capillamentorum, nunc in galeri modum, nunc in cervicem retro suggestum*. Interpr. Juvenal. Satyr. VI. 123. *Crine suppositicio rotundo in modum galeæ facto*. Artemidor. lib. 1. ἀλλοτριαις τριξὶν αἱ γυναῖκες χρῶνται. Clem. Alex. Pæd. lib 2. cap. 11. ἀλλοτρίαν δὲ αἱ προθέσεις τρίχων, &c. Xiphil. Neron. & lib. 24. eadem refert de quodam Nectareo. WOUWEREN. Is quoque rasus fuerat, cui capillamentum est inditum. ut autem *corymbion* feminarum diximus, ita *capillamentum* virorum affirmamus. Turneb. lib. 4. cap. 19. Apud Suetonium tamen in Calig. cap. 11. *Et ganeas & adulteria, capillamento celatus, & veste longa, noctibus obiret:* quispiam credat, esse non quamcumque appositam comam, sed prolixiorem, longiorem, similemque prope femineæ. nam *capillus* est coma paullo longior, ut, cum virilis etiam promittitur. Juvenal. Sat. 5.

Ille capillato disjusum Consule potat.

Vestem ergo longam gessisse Caligulam censeret, ut stolam mulier solet ad pedes demissam, ne agnosceretur, & capillamentum sumsisse virili longius, simileque muliebri, aut Maurorum, & Hispanorum promissis crinibus. Nam hi populi capillati erant. sic *capillare* vocat *unguentum*, quo capillos ungunt feminæ, Martial. lib. 3. ep. 40. & *capillata arbor* apud Plin. lib. 18. cap. 24. ad quam capillus Vestalium ferebatur, ut sit *capillamentum* velut τριχωμα. Idem lib. 1. cap. 17. De capillorum & comæ structura, quod ad hunc locum, vide Zinzerling. Miscellor. Critic. cap. 47. In hoc tamen Petronii loco *capillamentum* non est virile, sed muliebre adæque, à domina Tryphæna submministratum. Unde & Fortuna vocatur *capillata* à Dionysio Catone in Distich.

Fronte capillata post est occasio calva. ERHARD.

Commendatior vultus] Gratior, elegantior, pulchrior. Infra cap. CXXVI. *mulierem omnibus simulacris emendatiorem*. Flavus enim capillus, ut niger, commendatur in puellis. Herc. Ciofanus Observation. in Ovid. lib. 1. ep. 19. ERHARD. Horat. lib 11. od. 8.

——— *Enitescis*
Pulcrior multo juvenumque prodis
Publica cura.

SCIOPP. Quo nimirum Lycæ magis placerem. Nepos. Alcibiad. cap. 1. *tanta erat commendatio oris atque orationis, ut nemo ei dicendo posset resistere*. Suet. Domit. XVIII. *commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud Senatum sic quondam jactaverit, usque adhuc certe animum meum probastis & vultum*. Justin. lib. XXXVI. 2. *filius ejus Moses fuit, quem, præter paternæ scientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat*. Et notus ille P. Syri versiculus:

Formosa facies muta commendatio est. BURM.

Flaucorum corymbion] Corymbion flavum; capillitium enim flavum commendat. GLOSSÆ. Alii *flavum corymbion*. TORNÆS. *Flavum* fuisse corymbion opinor. Apul. lib. 11. Metam. *Flavum & inaffectatum capillitium*. Et l. b. x. *flavis crinibus usquequaque conspicuus*. Ovid. lib. 11. fast 763.

Forma placet niveusque color, flavique capilli.

Matronis quidem numquam flava coma dabatur, sed nigra. Interpr. Juvenal. in illud Sat. VI. 120. *Sed nigrum flavo. Crine* (inquit) *supposititio rotundo, muliebri capitis tegumento in modum galeæ facto, quo utebantur meretrices flavo. nam nigro crine matronæ utebantur*. PITH. Corymbion flavum, & ideo commendatior vultus. Flavum enim capillitium commendat Apul. in Salvia Milesi. 11. Tibull. in amica sua Eleg. 5. lib. 1. Valer. Flacc. lib. 5.

Tum novus implevit vultus honor, ac sua flavis
Reddita cura comis. ———

adeo, ut, quibus ingenio flavi crines non essent, arte acquirerent. Tertull. de cultu fœm. cap. 6. *Video, quasdam capillum croco vertere*. Hieron. ad Lætam: *Ne capillum irrufes*. Menand. apud Clem. Alex.

— Ὀν-

erat. Caeterum Eumolpus, & periclitantium advocatus, & praesentis concordiae auctor, ne sileret sine fabulis hilaritas, multa in muliebrem levitatem coepit jactare. Quam facile adamarent. Quam cito etiam filiorum

—— *Ου δεῖ τὰς τρίχας ξανθὰς ποιεῖν.*

hoc inventum Plinius Galliarum adserit. cæteroquin auri ramentis illuminabant. Capitol. Vero cap. x. *Dicitur tantam habuisse curam capillorum flavorum, ut capiti auri ramenta inspargeret, quo magis coma illuminata flaveseceret.* Lamprid. Commodo cap. XVII. Matronarum tamen capillitium nigrum. Virgil. lib. IV. 698. *Nondum illi flavum Proserpina crinem.* Servius: *Matronis numquam flava coma dabatur, sed nigra. Didoni ergo dat, ut turpi.* Quid si legas *fabiorum erat corymbion.* Glossarium *Fabius παῦ.* Schol. Thucydidis lib. I. cap. 6. κρωβύλῳ εἰδῳ πλέγματῳ τῶν τριχῶν. ἐκαλεῖτο δὲ τῶν μὲν ἀνδρῶν κρώβυλῳ, τῶν δ γυναικῶν κορυμβῳ, τῶν δ παίδων σκόρπιῳ. igitur *corymbion* non est puerorum. Sane Hesychius Κρώβυλῳ, ὁ ὁμαλὸς τῶν παίδων. Cum itaque varie exponant, liquet indiscriminatim scriptores usurpasse. Pollux lib. II. Sect. 30. ἐκαλεῖτο δὲ (κορύμβη) πτύκη, καὶ προκόμιον προσθετὸν, ὲ γυναιξὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνδρᾶσι, &c. hoc stabilimentum lectionis nostræ: ergo corymbion est capillamentum, hoc est, προκόμιον προσθετὸν. WOUWEREN. Leg. *flavicomum*: Nam flavi capilli, tam in fœminis, quam viris, decentissimi putabantur. Theocrit. ξανθυλλὶς Πτολεμαῖῳ ἐπισάμεν δόρυ βάλλων. Idem, ξανθότριχι παῖ μενελάῳ. Catullus de Jasone in Epith. Pel. Silius lib. 4. Capitol. Vero. Herod. Commod. De fœmellis omnia notissima. BARTH. Scripti codices *flavicomum* tolerabili, quam retinemus, lectione. Fœminæ potissimam curam habebant corymbii flavicomi. Copiose dicimus ad Pausaniam. Viris etiam Veneriis studium tantum, *ut capiti auri ramenta respergerent, quo magis coma illuminata flaveseceret.* quæ de Vero notat Jul. Capitolinus in Vero, & Trebellius Pollio in Galieno. Has delitias tangit quidam Interpres Horatii, ad illud lib. I. od. 5.

Cui flavam religas comam, &c.

quæ copiosius, ut dixi, ad Pausaniam. BOURDEL. Patissonii, Tornæsii & antiquæ editiones aliæ *Flaucorum corymbium.* Casaubonus ad Sueton. Calig. XI. legit. *Quia flaveo ornatum corymbio erat*, sed, quo *ornatum* referri debeat, non video. Salmasius ad Trebell. Poll. Claud. cap. XVII. *quia flavum corymbion erat*, ubi & de corymbio disserit eruditissimus vir. Marcilius ad Horatii lib. II. od. II. *quia laconicum corymbion erat* conjicit, sed, cum tam incredibilis conjecturæ rationes eo loco non reddat, minus ejus auctoritate movemur. Barthius ad Statii Theb. VIII. 491. non abhorret à vulgato *Flaucorum*, & *Flaucus* suspicatur apud vetus Latium aliquem usum habuisse. Nos hic aquam nobis hærere, libenter fatemur. *Flavicomum*, quod reposuerunt Viri docti, adjuvari forte posset Prudentii loco, Apotheos. vers. 563.

Armiger è cuneo puerorum Flavicomantum.

de Flavis autem crinibus hic addere aliquid nihil attinet, post ea, quæ Broukhusius attulit ad Tibull. lib. I. eleg. 6. BURM.

Eumolpos] Lege *Eumolpius.* BRASSICAN.

Advocatus] Vid. Cujac. Parat. in lib. 2. Cod. & 4. Obs. 40. *Advocare*, patrocinio exposcere. Beda & Agroet. de Orth. ut hodie vulgo dicunt, pro præstare patrocinio videtur usus Lucil. lib. 29. *amicos hodie audivimus cum improbo illo Lucilio advocasse*, frustra ibi est Nonius. BARTH. *Advocatus* differt à *patrono*: nam *advocatus* is olim dicebatur, qui tantum, ut amicus, assistebat, gratia & auctoritate aliquem in judicio adjuvabat. Et ita semper eo utuntur Plautus, Terentius, Cicero, alii antiquiores. Schopp. in Miscellan. ERHARD.

Auctor] Alii *actor.* PATISSON. An leg. *actor?* nam *agere* verbum est advocatorum. Nepos in vita Attici cap. 3. de Athenienſibus. *Hunc in omni procuratione Resp. actorem auctoremque habebant.* ERHARD.

Ne sileret sine fabulis hilaritas] Pro, hilare concilium, hilares convivæ & combibones: abstractum pro concreto. ERHARD.

In muliebrem levitatem] Salisberiens. lib. 8. cap. 11. *Multus est in mulierum ineptiis ridendis, aut exprimendis, Petronius.* Virgil. lib. 5. Æncid.

Varium & mutabile semper
Femina.

Calpurnius in Bucolicis;

Mobilior ventis mulier. ——

Videatur Vincentius lib. 5. cap. 10. Specul. doctrin. *de moribus feminarum.* Donatus in Terent. Act. 2. sc. 1. Hecyræ, in hæc verba, *Tum nequam mulier*, citat Euripidis locum, qui adscriptus non est, in cujus loco stellula posita est. tu quære, citat & dictum locum Virgilii, *Varium*, &c. DANIEL. Q. Septim. lib. 6. de B. Troj. *mobile suapte natura ingenium muliebre.* BARTH. Joan. Salisberiensis lib. 8. cap. 11. quod inscribitur, *De molestiis & oneribus conjugiorum, & de pernicie libidinis, de mulieris Ephesinæ & similium fide:* inter cætera refert; *In muliebrem levitatem ab auctoribus passim multa scribuntur. Fortasse falso interdum: nihil tamen impedit, ridentem dicere verum, & fabulosis narrationibus, quas philosophia non rejicit, exprimere, quid obesse possit in moribus. Ex his enim liquet, quam facile ament, quanta oderint levitate, quam cito obliviscantur affectuum, & naturæ immemores interdum in filios armentur, interdum in viscera sua. sunt aliquæ pudicissimæ, licet Satyricus dicat, quoniam*

Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.

rum obliviscerentur. Nullamque esse feminam tam pudicam, quae non peregrina libidine usque ad furorem averteretur. Nec se tragoedias veteres curare, aut nomina seculis nota, sed rem sua memoria factam, quam expositurum se esse, si vellemus audire. Conversis igitur omnium in se vultibus, auribusque, sic exorsus est:

CXI.

mulier exacta castitatis. Et Tragicus, nullam esse seminam pudicam, quae non peregrina libidine usque ad furorem incendatur. Matrona quaedam, referente Petronio, &c. ERHARD.

Filiorum obliviscerentur] Homer. Odyss. ο. ὣς θα γὰρ ὃς θυμὸς ἐνὶ σήθεσσι γυναικὸς, &c. BRASSICAN. Male *filiorum*, hocque vel ex uno J. Sarisberiensi evidentissime patet, qui, ut aliis locis ipsum Arbitri sensum expressit, sic procul dubio & hoc, lib. VIII. cap. 11. scribit: *quam cito obliviscantur affectuum.* Legendum olim putabam *virorum*, ut ex seqq. patebit. Nonnullae Edit. *philorum* praeferunt à Graeco φίλος. Doctiss. Th. Munkerus emendat; *quam cito & carissimorum obliviscerentur.* Noster cap. 112. *ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem.* BOSCH. *Filiorum* codices plerique; sed scribendum *filorum*, sive *Philorum*, hoc est, amatorum: est enim id vocabulum Latio donatum. Hinc cognomen Gentis Romanae Furiorum, quorum nonnulli *Phili* dicti, quomodo *Philippi* in gente Marica occurrunt. Sic & *Sophi* vocabulum Latinis scriptoribus, Horatio, Phaedro, Martiali, aliis, usitatum, ut injurii sint, qui apud Valerium Maximum lib. VIII. cap. 8. Graece illa scribi oportere contendunt, *non se Sophum, sed Philosophum esse respondit. Logi* etiam apud Plautum aliosque. Ut Persa Act. III. sc. 2. *dabuntur dotis tibi sexcenti logi.* Apud Phaedrum lib. IV.

Factus periclo tum gubernator Sophus.

Et saepe alibi *Sophus* illi Aesopus dicitur, etiam aliis. *Sacra crypta* habuimus supra cap. XVII. id est, occulta, solet & Varro Satyris suis hujuscemodi Graeca frequenter inferere. apud Suetonium & Plinium in naturali Historia *Pallace*, παλάκη, occurrit pro pellice, estque haud infrequens in hujuscemodi Graecis vocabulis idem Suetonius, ut & scriptores Historiae Augustae. HEINS. Gronovius lib. IV. Observ. 13. putat scriptum antiquitus fuisse *fidiorum* per compendium, pro *fidissimorum*, unde solemni mutatione D. & L. fecerunt *filiorum.*

Peregrina libidine] Terentius Andr. Act. III. sc. 1. *Adeon' est demens ex peregrina:* ubi Donatus. *Et bene, adeo: quia tam demens est, quod amat ex peregrina.* PITH. Supra cap. XCI. *Peregrini amoris concessio.* Hinc *mulieres peregrinae* in sacris literis pro meretricibus & adulteris. *Peregrina* autem libidini opponitur *domestica.* ERHARD.

Ad furorem] Sic supra cap. XI. *vota usque ad invidiam felicia* dixit. Boëth. *Sirenes usque ad exitium dulces.* De Amore & furore vide Menandrum & Archilochum apud Stob. Sermone 62. BARTH.

Averteretur] Alii, *avelleretur.* TORNÆS. Ab officio puta. Sic supra cap. 109.

Vernanteisque comas tristis abegit hiems.

quod magno piaculo mutat acutissimus juvenis. Traductum enim ab hieme, & ita Nicetas Choniates Andronici Comneni calvitiem *aridae quercui* comparat. lib. 2. de ejus Imp. BARTH. Sana scriptura. Sueton. Neron. 52. *à Philosophia eum mater avertit.* Statius lib. VII. Theb. 119.

Non alter anhelos
Insinuare metus, animumque avertere veris
Aptior.

Tragoedias veteres] Justin. XI. 3. *adjiciunt & scelerum priorum fabulas, quibus omnes scenas repleverint.*

Seculis] Simpliciter positum, pro omni tempore, quod ante effluxit. Ita recte contra Scaligerum explicat illustrissimus Huëtius Manilii versum, lib. II. 603.

Lis una fuit per secula mortis.

Idem lib. I. vers. 185.

Cum facies eadem signis per secula constet.

Et vers. 517.

Variant faciem per secula gentes.

Et alibi. BURM.

Sed sua memoria facta, quae expositurum] V. C. *sed rem sua memoria factam expositurum.* TORNÆS. Summus Gronovius ad Dialogum de Oratoribus cap. XXI. legit. *sed rem sua memoria factam expositurum esse, si vellemus audire,* adsentiens Tornaesii codici.

Si vellemus audire] Sollemnis etiam nostris aniculis praefatio fabulae: *Narrabo vobis fabulam, si vultis audire.* RITTERSH. Respicit ad morem veterem, quo recitaturi fabulam solemni velut praefatione sibi audientiam parabant: qui mos hodieque in vulgo Saxonico remanet: *Ick weet ein Meerken, will gy se hören, ick will se zu seggen.* Rittershus. ad Phaedrum. ERHARD. Formula humanitatis. Theophr. Charact. περὶ λαλιᾶς. καὶ ὅτι αὐτὸς πάντα οἶδε, καὶ ἂν ἄκων αὐτὸ, μαθήσεται. *Se rem omnem probe tenere, illum, si audire velit, intellecturum.* simile apud Euripid. Phaniss. 874. σοὶ δ', ἐπεὶ χρῄζεις μαθεῖν, λέξω. Et Hippol. vers. 697. dixit, ἔχω δ' ἐγὼ μῦθον πρὸς τάδ', εἰ δίκῃ, λέγειν. Graecorum Oratorum est εἰ πρέπει ἀκοῦσαι. Themist. Orat. II. pag. 86. & εἰ βούλεσθε, pag. 87. & ἔστι μὴ λύπει, Aelian. lib. XIII. Var. cap. 1. Idem lib. XII. cap. 1. εἰ σοι βουλομένῳ ἐστίν. Plato 1. de leg. pag. 11. CUPER.

Sic

CXI. [a] Matrona quaedam Ephesi tam notae erat pudicitiae, ut vicinarum quoque gentium feminas ad sui spectaculum evocaret. Haec ergo, quum virum extulisset, non contenta, vulgari more, funus sparsis prosequi

[a] EUMOLPUS.

Sic orsus] Prima editio, Sambuci, & Tragurienſis *exorsus est*.

Matrona] Joh. Salisberienſis lib. 8. cap. 10. Pith. PATISSON. Citatur à Salisber. lib. 8. cap. 11. qui ait, Flavianum etiam auctorem esse, Ephesi ita facto accidisse, mulieremque impietatis suæ & sceleris parricidialis & adulterii luisse pœnas. BONGARS. Eadem est fere fabula apud Apulejum in lib. de asino aureo, vel Metamorphos. DANIEL. Hanc historiam vere contigisse, auctor est Flavianus apud Salisberiensem. Eadem carmine reddita est à Romulo Grammatico veteri, Fabular. Æsopicar. cap. 48. ubi videndus Commentator. Sed fusius & integrius refertur in Historia, quæ *de Cæsare Diocletiano, ejus Filio, & VII. Sapientibus* inscribitur, & Germanorum manibus jam annos supra ducentos versatur, ex Latino in nostrum conversa sermonem. Cujus Latini codicis vetustum & membraneum exemplar apud R. P. Johannem Muntzenbergium Priorem Carmelitarum in hac nostra Urbe vidimus; Græcum alicubi Bibliothecarum exstare scribit Velserus præfat. in Apollonii Tyrii Historiam. Franc Modius J. C. qui de veteri exemplo nihil inaudire potuit, Latinum fecit ex Germanico, nomina personarum mutavit, nova de suo confinxit, typisque Feyrabendianis edidit hoc titulo; *Ludus septem sapientum de Astrei Regii adolescentis educatione, periculis*, &c. Cui lubido, adire potest &, *septimum Zamolxis exemplum* legere. Hebertus Clericus carmine Gallico reddidit circiter A. N. C. CIↃ CC. & Latinum illud exemplar ad Joannem Monachum Altisilvanum auctorem refert. Sic enim scribit au Roman des Sept Sages de Rome;

Libon Moine de bonne vie
De Haute-selue l'Abbeie
A l'estoire renouvelee,
Par bel Latin l'a ordenee?
Hebers la vieut en Romans trere,
Et del Romans un livre faire.

apud Claudium Fauchetum in libro, quem Gallice & eleganter instituit atque inscripsit, *Recueil de l'origine de la Langue & poesie Françoise, Ryme & Romans: plus les noms & sommaire des oeuvres de CXXVII. Poëtes François, vivans avant l'an MCCC.* quem magna ex parte in Bibliothecam Francicam Anton. Verderius Vallisprivatæ Baro transcripsit. Porro Romani illius de Septem Sapientibus Romanis exemplar membraneum quam vetustissimum, sed pro se scriptum, exstat in Bibliotheca Goldasti nostri. Latinum illud antiquum exemplar secutus est Auctor libri, qui *Gesta Romanorum* vocatur, & moralisationibus, quas ipse dicit, hoc est, monitis ethicis & præceptis moralibus illustravit. Asserum Angliæ Regem hanc historiam in Anglicam linguam transtulisse, auctor est Commentator Romul. in principio Comment. ERHARD.

Ad spectaculum sui] Id est, ad se cum admiratione spectandam, supra cap. 26. *me quoque ad idem spectaculum lenta manu traxit.* Ovidius VII. Met. 785.

Tollor eo, capioque novi spectacula cursus.

Liv. XXIV. 29. *assueti & ante spectaculis concionum.* Florus lib. 1. *verso in spectaculum bello.* Quibus omnibus locis, & pluribus, quæ adjicere possemus, prima sua significatione ipsum spectandi actum & aviditatem notat. BURM.

Extulisset] Donatus in Terent. Andr. Act. 1. sc. 1. *Efferri proprie cadavera mortuorum dicuntur.* Quinct. lib. 8. cap. 5. *Infelicissima semina nondum extulisti filium, & jam ossa legisti.* Sen. ad Alb. cap. 2. Petron. cap. LXXXIII. Senec. de morte Claud. *Mathematici, postquam princeps factus, eum singulis mensibus efferunt.* WOUWEREN. Manil. lib. IV. 71.

Ex ipsis quidam elati rediere sepulcris.

Lamprid. Commod. cap. 1. *Antoninus quadrimus est elatus.* Augustinus de C. D. libro 1. cap. 12. *extulerunt in marmoreum tumulum.* BARTH. *Efferre* est mortuum hominem ad sepulturam exportare. Nam, ut Donatus in Andr. Terentii monuit, *efferri proprie cadavera mortuorum dicuntur*, cujus verbi frequentissima est apud Classicos autores mentio. Kirchmannus de Funeribus Roman. lib. 2. cap. 1. Lambin. ad Plauti Asin. Act. 3. scen. 3. Nota est formula indictionum funerum; L. TITIUS VIXIT. L. TITIO EXEQUIAS IRE CUI COMMODUM EST, HEM. TEMPUS EST. OLLUS EFFERTUR. Turneb. Adversar. lib. 9. cap. 17. *Efferre* Galli dicunt *colporter*. Frecherus. ERHARD.

Funus passis] Alii *funeris officium passis*. PATISSON. Vide Serv. in Virgil. SAMBUC. & RITTERSH. Impr. *funeris sparsis*. PUTEAN. V. Cod. *funus*. DANIEL. Vita S. Sebastiani MS. *advenit ergo mater & soluto capillo, scissisque vestibus, & uberibus obtunsis, ajebat, ô prædulces filii*, &c. BARTH. Omnes veteres editiones ante Tornæsium, *sparsis*. & ita codex Tragurienſis, quod cur in *passis* mutari debuerit, non video. Justin. lib. XXIV. 8. *simul & ipsæ vates, sparsis crinibus, cum insignibus & insulis pavidi procurrunt.* Et passim Poëtæ, apud quos tamen librarii sæpissime has duas voces inter se commutarunt, ut ex variis lectionibus Ovidii videre est, lib. 11. Metam. 239. vers. 513. & alibi. BURM.

Funus passis prosequi crinibus] *Prosequi*, verbum funebre, defuncti corpus, quod effertur, sequi: Æschylo προπέμπειν. Heraldus Adversarior. lib. 1. cap. 6. Ut omnia ad mœrorem & tristitiam essent composi-

sequi crinibus, aut nudatum pectus in conspectu frequentiae plangere, in conditorium etiam prosequuta est defunctum, positumque in hypogeo

ta, veteres capillamento quoque luctum præ se ferebant. Ac in fœminis quidem crines solutos ac circum colla fluitantes observare licet, vel ex hoc loco. Kirchmann. de Funer. lib. 2. cap. 12. ERHARD.

Nudatum pectus in conspectus frequentia plangere] *Planctus* dicitur omnis collisio, ait Lutatius. est autem hic gestus acriter lugentium. Q. Sulpit.

Mœret & ad cineres plangit sua pectora palmis.

Apul. Mil. 4. *Quid canitiem scinditis, quid pectora tunditis?* lib. 7. *ejulans tunsis uberibus.* lib. 8. & 9. Lucian. ἰταλ. διαλ. ἐπαράτῃ τὰς κόμας, καὶ τὰ στέρνα ἐτύπτετο, καὶ ἐπῄδα. Virgilius lib. 1. Æneid. 481.

——— *Tristes & tunsa pectora palmis.*

Firm. *Qui dolore percussi caput plangant, & pectora pugnis obtundant.* Martial. lib. 2. epigr. 65. At, quod ait *nudatum pectus*, Propert. lib. 11. Eleg. 19.

——— *Plangas pectora nuda.*

Ovid. 4. Fast. vers. 454.

Et feriunt mœsta pectora nuda manu.

Hoc innuisse puto Silium. lib. 12. vers. 598.

Sparsaque solutis
Crinibus exululant matres atque ubera nudant.

Juven. Sat. VI. 490.

Laceratis ipsa capillis
Nuda humeros Pisecas infelix, nudisque papillis.

WOUWEREN. Orpheus Arg.

Τοῦ δ' ὡς κλῦε σύγαμος ἀνὴ
Στήθεα δρυπτομένη λιγ' ἐκώκυεν, ἀμφὶ δ' ὄμῃσι
Ἀψαμένη μήρυτα βρόχῳ ἀπὸ θυμὸν ὄλεσσε.

BARTH. Habitus lugentium. Infra; cap. 115. *Non tenus diutius lacrimas, immo percussi semel iterumque pectus.* Goldastus. Ovid. Metamorph. lib. 6. circa fin.

——— *Passos laniata capillos,*
Lugenti similis, cæsis plangore lacertis.

sparsos capillos cum laniasset. Philomela intelligitur. Lacerare autem crines in mœroribus solent mulieres. Raph. Regius Enarration. in Ovid. ERHARD.

Conditorium] Vertit hypogæum. BRASSICAN. Seneca epist. 61. & 83. *conditivum* vocat, id est, sepulcrum, monumentum. μνημεῖον. RITTERSH. Subterraneum sepulcrum, *conditivum* Senecæ ep. 60. *conditi* pro sepultis, Arnobio lib. 1. Savaro ad Sidon. lib. 5. epist. 17. Nam *condere* verbum est mortuale vel sepulchrale. Rittershus. ad Phædrum. Id sepulcrum, etiam *requietorium* dicitur in vet. inscrip. Kirchmann. de Funer. lib. 3. cap. 10. Veteribus Christianis *cimiterium* quod Græcis κοιμητήριον, non unum sepulcrum, sed *sepulcretum* dicebatur, ut & nobis hodie. ERHARD. Sic antiquum marmor apud Gruterum pag. MCXXXIV. 6. D. M. PRIMILLÆ. ÆSTIONES. CUI ET SACRIS DOMESTICIS OFFERRE CONCESSERAT OLLAS VI. MINORES ET LIBERIS EJUS IN AVITO CONDITORIO INDULSIT. Quietorium & requietorium passim in monumentis vetustis occurrit. HEINS.

Hypogæo] Cella pro condendis mortuis extra urbem, alias conditorium. GLOSSÆ. Lege *Hypogæo*. AURAT. Aliud est Plinio lib. 25. cap. 13. *hypogeson*: & explicat Theon in Aratum. BRASSICAN. De hypogæo vide Egesippum, quem citat Gul. Philander Vitruvii interpres lib. 5. cap. 9. pag. 234. & lib. 6. cap. ult. pag. 285. ὑπαίθρα vocat Vitruvius. vide Egesippum meum manuscriptum cum ex. Morelii. DANIEL. *Hypogæorum*, id est, cellarum, pro condendis mortuis extra urbem. origo est Græca, quod satis etiam declarat Phlegon Trallianus, quem post Wouweren adducit Meursius Animadvers. misc. lib. 3. cap. 20. De qua custodia mortuorum etiam putem sensisse Ulpianum l. 14. De religios. & sumt. fun. & Apul. lib. 2. Metamorph. Colvius in Not. Quoniam sepulcra erant plerumque subterranea ædificia, arcuato opere exstructa, pavimentis strata, ac parietibus circumsepta, in quæ tamquam in cellas quasdam per gradus aliquot descendebatur, foribus conditorii clausis, vel apertis, prout usus requirebat. Indicat clarissime Petron. verbis seqq. *Descendit in conditorium*, quod hic Græca voce *hypogæum* vocat. Januas autem habuisse, docet idem aperte paullo post, ubi ait, militem, qui cruciarios custodiebat, nuptias fecisse cum ista matrona, *præclusis conditorii foribus*. Kirchmann. lib. 3. cap. 15. ὑπόγαιον apud Græcos in hac notione nondum reperio, sed ὑπογαιδιον, quod Hesych. exponit ὑπόγειον τύμβον. alioqui ὑπόγαιος idem quod ὑπόγειος. Tertullian. de Anima cap. 28. de sepulchro Pythagoræ, *Respice ad hypogeum, & si capit, crede.* ERHARD. Scribendum *Hypogeon*, Græcis enim ὑπόγειον, non ὑπογαῖον. Ita enim lapis apud Fabrettum cap. III. pag. 122.

FVLVIVS CHARISIVS IN HYPOGEO ---- INSTRVXIT. &c.

Et quod potuerunt in talibus conditoriis, non modo aliquot diebus latere, sed habitare, æque ac in ædibus, docet illustre exemplum Julii Sabini, qui tempore Vespasiani rebellans in Lingonibus, & victus, rus abiit, ibique in μνημεῖον ὑπόγειον κατέδυ, *in monumentum subterraneum ingressus*, & cum opinio esset constans, illum periisse, ibi novem annos cum uxore delituit, & duos ex ea filios suscepit, teste Xiphilino in Vespasiani vita pag. 745. editionis Wechelianæ, nam in Stephaniana perperam ὑπόγυιον legitur. Apud Gruterum tamen pag. MCXIV. 3. YPOGAEVM legitur, sed vitio marmorarii. Græco more autem addit, quia illi, cum sepelirent & conderent cadavera, non comburebant, subterranea sepulcra & hypogea fabricabant, ut multis

geo Graeco more corpus custodire, ac flere totis noctibus diebusque coepit. Sic adflictantem se, ac mortem inedia persequentem, non parentes potuerunt abducere, non propinqui: Magistratus ultimo repulsi abierunt: comploratāque singularis exempli femina ab omnibus quintum jam diem

tis ostendit Salmasius in Exercitationibus Plinianis. pag. 849. & seqq. & Jacobus Gothofredus ad leg. VI. Cod. Theod. de sepulcr. violatis. BURM.

Graco more] Miror equidem, cur *Graco more:* nam ex Homero aliisque constat, Græcos combussisse cadavera, & impresse Lucianus: περὶ πένθ. ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσεν. Obtinuisse tamen hunc morem sepeliendi, cognoscere est ex Phlegonte Trall. περὶ θαυμασίων καὶ μακροβίων: ἀνοιχθέντος ὑφ' ἡμῶν τοῦ καμάρας, εἰς ὃν πάντες οἱ οἰκεῖοι μεταλλάσσοντες ἐτίθετο, ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων κλινῶν εὕρομεν τὰ σώματα κείμενα. τῶν δὲ παλαίτερον τετελευτηκότων τὰ ὀστᾶ. WOUWEREN. At à Græcis combusta funera, clarum, Thucyd. lib 2. Parthen. Erot. cap. 6. BARTH. Quo de videatur Kirchmannus de Funer. Rom. lib. 1. cap. 1. David Chytræus de morte & vita æterna. Apud Romanos non condebantur corpora mortuorum, sed comburebantur: contra Græcorum more fiebat, apud quos consuetudo ista tum inoleviſſe, postquam à Philosophis animarum persuasa immortalitas, & circum cadavera volitatio, quam illi ab Ægyptiis didicerunt: Ægyptii porro ab Hebræis. Atqui apud utrosque istos vetustissimum esse condendi & sepeliendi morem præter Sacram Scripturam etiam Herodotus auctor est in Euterpe. vide Bezam in Annotat. ad Matth. 26. vers. 12. & Act. Apost. cap. 5. vers. 6. & cap. 6. vers. 6. Suidas auctorem Græci moris refert, Primum quendam Ceralium, scribens; Πρῶτος δὲ Κεραύλιος, (apud Phavorinum Camert. legitur, Πρίαμος ὁ Κερ.) εἰς τὴν Ῥωμαίων ἐσέβαλεν, (Phavorin. ἐσέβαλε, & rectius) πρῶτον μὲν εἰς λάρνακας, μετὰ τῶν νεκρῶν, δι' ἀγγείλαι τινὰς, καὶ εἰς ἀΐδιον ὀπώρας ἐχόντας, ἃ καλάμοις ὀρυττόμενα, τὰ γράμματα ἐμφαλοῦσι. Eusebius Hist. Eccles. lib. 7. cap. 21. *Ubi sanctorum corpora supinis manibus ac sinu exceperunt, oculos depresserunt, ora clauserunt, unanimes & parietes affecti strictim complexi sunt, lavarunt, & ad sepulturam ornarunt*, &c. Hæc ablutio inter sanctos olim erat futuræ resurrectionis pignus & tessera superstitibus: sed degeneravit in superstitionem. Beza in Act. Apost. cap. 9. vers. 37. Ablutionibus autem & unctionibus mortuorum usi sunt Hebræi ab omni ævo. qui ritus postea à plerisque populis, & præsertim Ægyptiis, profanatus est, & exenteratione & operosissimis condituris auctus, ut videre est Genes. 50. vers. 26. ubi utitur Moyses verbo חנט *hanat*, pro ἐνταφιάζειν. Beza in Matth. d. l. Adde Polydor. Virgil. de Invent. rer. lib. 3. cap. 10. Boemum de Morib. gent. lib 2. Zwingerum in Theatro vitæ hum. volum. 28. lib. 3. ERHARD.

Custodire] Vet. cod. *condire*. DANIEL. Papinian. *Titio centum relicta sunt, ita ut à monumento meo non recedat*. Tertullian. de anima, Lucian. PITH. Ulpian. lib. 14. D. de relig. & sumt. Firmicus lib. 3. cap. 9. *Pollinctores ac funerarios, mortuorum cadaverum custodes, ac sepulcrorum faciet janitores*. lib. cap. 26. *Monumentorum faciet custodes, vespillones*. WOUWEREN. Quod certis alioqui personis morientes demandabant. Modestinus IC. lib. 44. de Manumiss. Test. Papinian. leg. 71. de Condit. & demonstrat. Propert. lib. 3. El. 14.

Afferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit, custos ad mea busta sedens.

In id invehitur Antonin. lib. 8. τῶν εἰς ἑαυτόν. Μήτι νῦν παρακάθηται τῇ τοῦ κυρίου σωμᾷ πάνθεια, ἢ πέργαμος, τί δὲ τῇ Ἀδριανῇ Χαυρίας, καὶ Διότιμος; γελοῖον, &c. BARTH. Quem & vide lib. x. Adverss. cap. 1. Vide supra ad cap. LXXI.

Ac flere] Omnibus mos, funera fletu prosequi. Homer. Odyss. δ.

Τέτο νύ καὶ γέρας ὅιον ὀιζυροῖσι βροτοῖσι,
Κεῖσθαί τι κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

Vide me in Comment. Terent. p. 32. Meurs. ad Lycophron. p. 198. WEITZ.

Inedia persequentem] Lege, *prosequentem*. BRASSICAN. Lugentes cibis abstinebant. Lucianus: καὶ πάρεισιν οἱ προσήκοντες, καὶ πείθουσι γεύσασθαι, ὡς ἂν ἀιδοῦς, εὖ οἶδ' αὐτὸς ἀναγκαζομένους. ἀλλ' ἤδη ὑπὸ λιμοῦ τινῶν ἓξ ἡμερῶν ἀπηυδηκότας. Eurip. Medea Act. 1. sc. 1.

Κεῖται δ' ἄσιτος, σῶμ' ὑφεῖσ' ἁλιγδόσι,
Τὸν πάντα συντήκουσα δακρύοις χροός.

Vide Apul. Metamorph. libro 11. & VII. Homerus Iliad. Ω. WOUWEREN.

Propinqui] Luciano προσήκοντες. περὶ πένθ. καὶ πάρεισιν οἱ προσήκοντες, καὶ τὰς γοὰς παραμυθῆται τῶν τελευτηκότων. Cicer. *necessarii*. Lactant. lib. 6. cap. 12. *Non patiemur figuram dei jacere feris in prædam, sed reddamus id terræ, & quamvis in homine ignoto necessariorum munus implebimus*. Horum lugentes amicos consolari. Seneca de Consol. ad Marr. *Fatigata allocutiones amicorum, auctoritates affinium tibi virorum*. nam *alloqui* παραμυθεῖσθαι. Seneca:

—— *Parentes alloqui in luctu decet.*

WOUWEREN.

Ab omnibus] In vet. cod. deest, *ab*. TORNÆS.

Singularis exempli femina] Ennodius in Vita S. Epiphanii cap. 17. *Feminæ stupendæ sanctitatis & singularis exempli*. Savaro ad Sidon. lib. 6. ep. 3. ERHARD.

Sine

diem sine alimento trahebat. Adsidebat aegrae fidissima ancilla, simulque & lacrimas commodabat lugenti, &, quoties defecerat, positum in monimento lumen renovabat. Una igitur in tota civitate, fabula erat, & solum illud adfulsisse verum pudicitiae amorisque exemplum, omnis ordinis

Sine alimento trahebat] Impr. *se alimento subtrahebat*. PUTEAN. Trag. *se alimento trahebat*.

Lacrymas commodabat lugenti] Alii, *lacinias commundabat lugentis*. PATISSON. *Commundabat*. ita partim ex vet. cod. partim conjectura ducti restituimus. *Commundare* & Columell. & Ulpian. l. 14. §. *impensa*. de religios. & sumt. fun. ubi tamen male vulgo *commendandum*. usus est. SAMBUC. Leg. *aegra una ancilla tantummodo lacrymas commendabat*. AURAT. Pro Cujacio in Observat. ubi *commendare*, *commundare*. nam Vet. Cod. habet *commendabat lugenti*. DANIEL. Forte *commodabat*. Giphan. legit *commundabat lugenti*, ut Columella loquitur, & Ulpian. l. 14. D. de sumt. fun. ubi vulgo male *commendandum*. RITTERSH. Plutarchus παραμυθητικῶ πρὸς τὴν ἰδίαν γυναῖκα. ἐκ ὧν φοβηθεῖσι γυναικῶν εἰσόδες, καὶ φοραὶ, καὶ συνεπιτρηπήσεις, αἷς ἐκτρίβουσι καὶ παραδήγουσι τὴν λύπην. WOUWEREN. Forte *commodabat*. ut advocatum praesentia sua commodare alicubi dicit Ascon. Paed. BARTH. Legendum *commodabat*. Radulph. Fornerius Rer. quotidianar. lib. 3. cap. 19. vel, *lacinias commendabat lugentis*. *Commendare* pro *commaculare* etiam Silius potuit. Scriverius. vel, *lacrumas commodat lugenti*. Ut praeficae lacrimas suas & planctum suum alienis mortuis locabant mercede; sic istam fidissimam ancillam dicit heraе suae lacrimas commodasse, id est, in gratiam ejus flevisse una, ut ita ipsius allevaretur dolor. Rittershusius Not. in Phaedrum lib. 1. fab. 17. Ingeniose, & fulcitur auctoritate Donati, qui Terentianum illud in primore Andria *collacrumat*, interpretatur, *alienis lacrimis suas commendabat*. Kirchmannus de Funer. lib. 4. cap. 4. ERHARD. Du est, quum legi: *commodabat lugenti*, id est, sociam se lacrimis ejus adjungebat, quod aliis postea quoque in mentem venit; inprimis doctissimo Rittershusio in Phaedri editione, quam non erat, cur Rigaltius sic contemtim contereret, nisi aetatis id suae ac paene puerilis ambitionis argumentum esse voluit. Cic. ad Att. 3. ep. 15. *tu tantum lacrymas praebuisti dolori meo*. Et 2. de Oratore, *quum C. Marius moerorem Orationis meae lacrymis adjuvaret*. SCIOPP. Sine dubio legendum *commodabat*, id est, in ejus gratiam collacrimabat. vide Barth. ad Statii IV. Theb. vers. 75. Ovid. 1. Amor. eleg. VIII. 86.

Commodat in lusus numina surda Venus.

Seneca Medea vers. 907.

Quae commodavi scelera.

id est, in Jasonis gratiam commisi. Senec. Consol. ad Helv. cap. XIV. *quae eloquentiam commodando aliis sa-*

rigant. Tertull. de poenitent. cap. VI. *quis enim tibi tam infidae poenitentiae viro aspergines unius cujuslibet aquae commodabit*? Non ineleganter Guntherus Ligurin. lib. II. vers. 413.

Lenis Arar placidus Rodano quas commodat undas.

BURM.

Quotiens defecerat] Apud Salisberiens. & *quotienscumque defecerat*, in MS Cod. Nobilissimi & amplissimi Bongarsii, & *quotiensque defecerat*, pleonasmo etiam aliis elegantioribus usurpato. ERHARD. Haec verba absunt a primis editionibus & Tragurienst, *revocabat* etiam Sarisberiensis habat.

In monumento lumen] De hujusmodi luminibus Lucianus, Dion, Persius, &c. SAMBUC. & RITTIRSH. Modestinus l. 44. ff. de manum testam. *Ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant, & solemnia mortis peragant*. PITH. Pers. Sat. III.

Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto
Compositus lecto. ——

Modestinus Basilixῶν XLIII. tit. 3. *Servi mei sint liberi, si in monumento meo solennia manere fecerint*. V. Interpr. *Saccus servus meus, & Irene & Eutychia ancillae meae omnes sub hac conditione liberi sunto, ut monumento meo alternis mensibus lucernis accendant, & quae fieri consueverunt peragant*. WOUWEREN. Rad. Fornerius Rer. quotidian. lib. 3. cap. 19. Kirchmannus de Funer. lib. 4. cap. 4. Zuingerus in Theatro vit. hum. Tom. 12. lib. 4. & volum. 28. lib. 3. ERHARD.

In tota civitate fabula erat] Ovidius lib. IV. Metam. 189.

Haec erat in toto notissima fabula coelo. BARTH. Plaut. Pseudol. Act. 1. sc. 5.

Ita nunc per urbem solus sermo est omnibus.

SCIOPP. Horat. lib. 1. Epist. 13. *Et fabula fias*. Epod. 11.

—— *Per urbem fabula quanta fui.*

Tibull. lib. 2. eleg. 5. *Fabula nunc illi est*. Et lib. 1. eleg. 4.

Parce puer, quaeso, ne turpis fabula fiam.

Terent. Hecyra. *Jam nos fabulae sumus, senex atque anus*. Non dissimile est illud Propertii lib. 1.

Quam cito de tanto nomine rumor erit? WEITZ. Plin. lib. VIII. epist. 18. *habes omnes urbis fabulas*. Seneca epist. III. de benef. 23. *sic servata nobilis fabula, & exemplum duarum urbium fuit*. & ita passim.

Solum illud] Alii *solum videlicet*. PATISSON. Ita prima editio, & Tragurienstis, nisi quod illae *adfluxisse* exhibeant, de voce *solo*, vide supra ad cap. CIX.

Fu-

nis homines confitebantur. Quum interim Imperator provinciae latrones juſſit crucibus adfigi, ſecundum illam caſulam, in qua recens cadaver matrona deflebat. Proxima ergo nocte, quum miles, qui cruces ſervabat, ne

Pudicitiæ exemplum] Inſcriptio apud Gruter. CCCCXXVI. 3.

FOEMINAE RARISSIMAE.
SINGVLARIS. EXEMPLI.
PVDICITIAE.

Item pag. DCXVII. 8.

GRAXIAE. ALEXANDRIAE. INSIGNIS.
EXEMPLI. AC. PVDICITIAE.

WOUWEREN.

Omnis ordinis] Leg. *ordines*. AURAT. Τὸ *homines* non conſpicitur in prima editione, neque codice Tragurienſi. Sambucus edidit *omnes ordines confitebantur*.

Imperator provinciæ] Præſes, vel Proconſul. GLOSS. Cic. in Piſon. cap. 16. *Appellatus eſt hic vulturius, ſi Diis placet, Imperator provinciæ, Præſes provinciæ*. Sic *rector provinciæ* leg. 5. Cod. in quibus cauſ. pig. vel hypoth. tac. contr. ita ſemper in geſtis Collat. inter Catholicos & Donatiſt. coram Marcellino. WOUWEREN. Præſes, vel Proconſul. Salluſt. in Jugurth. in Orat. Adherbalis cap. 24. *Me, quem vos Imperatorem Numidis poſuiſtis*. Ad devitandum odium & benevolentiam conciliandam noluit ſe vocare Regem, ſed P. R. Præſidem in regno Numidiæ. Mox enim; *regno Numidiæ, quod veſtrum eſt*. Vide Ph. Berterii Pithanon diatrib. 1. cap. 9. ERHARD. *Imperator* eſt prætor, aut qui prætore adminiſtrat provinciam. Cicero de Inventione lib. 1. cap. 33. *Epaminondas Thebanorum imperator, ei, qui ſibi ex lege prætor ſucceſſerat, exercitum non tradidit*. Ad quem locum Marius Victorinus. *Notare debemus omnes Magiſtratus & prætores imperatores appellatos*. HEINS. Gutherius de offic. dom. Aug. lib. 1. cap. 5. ſuſpicatur poſt dictionem, *Imperator*, adhibendam eſſe diſtinctionem, ut provinciæ latrones cruci affixos intelligamus Imperatoris juſſu, non extra veri ſpeciem, cum, *Imperator provinciæ*, mihi inſolens locutio videatur, & locus Ciceronis in Piſonem cap. XVI. à Wouwerio adductus aliter debeat deſtingui, & *provinciæ*, cum *Vulturius*, jungendum. *appellatus eſt hic vulturius illius provinciæ, ſi Diis placet, Imperator*. Id eſt, expilator provinciæ. ita & pro Quintio cap. VII. *confugit ad C. Flaccum Imperatorem, qui tum erat in provincia*. Et ita *provinciam imperio obtinere, provinciæ cum imperio præeſſe*, & ſimilia dicebant. Salluſtius quoque recte dixit *Imperatorem Numidis poſuiſſe*, quamvis Grutero ſuſpecta vox Imperatoris ibi ſit. Neque locus Ciceronis ab Heinſio productus huc facit. Quis dubitat enim, an recte Imperatores ſint prætores, & quicumque cum imperio aut provinciæ, aut exercitui, præerant. Sed, *imperatorem provinciæ*, dici ſimpliciter, mihi nondum obſervatum eſt. BURM.

Latrones crucibus adfigi] Latrones in crucem acti. Firmicus lib. 6. cap. 31. *Homicidam, latronem efficiet iſtis facinoribus comprehenſus, patibulo ſuffixus in crucem crudeliter erigitur*. lib. 8. cap. 22. *latrones faciet crudeliter feritate graſſantes: hi in crucem tollantur*. WOUWEREN. Cruci latrones affigi ſolitos, ex ſacris prophaniſque docent Petr. Faber Semeſtr. lib. 2. cap. 10. Lipſius de Cruce lib. 1. cap. 13. Savaro Not. in Sidonii lib. 4. ep. 23. Talentonius Var. rer. lib. 2. cap. 9. Celſus Adornus lib. 2. cap. 23. Gretſerus de Cruce Tomo 1. ERHARD.

Secundum illam eamdem caſulam, in qua recens cadaver matrona deflebat] Caſulas & ædificia monumentis ſuperponi præter hunc locum expreſſe indicat vetus Inſcr. apud Gruter. DCCLXII. 5. M. AVRELIVS. ROMANVS. ET. ANTISTIA. CHRESIME. VXOR. EIVS. FECERVNT. SIBI. LIBERTIS. SVIS. POSTERISQVE. EORVM. MONVMENTVM. CVM. AEDIFICIO. SVPERPOSITO. &c. Elicitur præterea ex l. 18. §. ult. D. de alim. leg. & l. 171. §. 2. D. de condit. & demonſtr. WOUWEREN. Non ædificium ſuperſtructum monimento, ſed ipſum Hypogeum, caſulam hic vocari, docet Rutgerſius Venuſinar. Lection. cap. 11. prima autem editio, Sambuci, Tragurienſis, & Sarisberienſis, *ſecundum illam caſulam*, habent.

Proxima ergo] MS. P. *vero*. TORNÆS. Vet. cod. *autem*. RITTERSH. *Proxima vero nocte, quum miles, qui cruces aſſervabat*, Leid. cod. *Proxima autem* cod. Memm. BOSCH.

Servabat] Alii *aſſervabat*. PATISSON. Romanorum mos fuit, ut facinoroſos, quorum pœnæ ad exemplum pertinebant, ſupplicio affectos honore ſepulturæ prohiberent. itaque cuſtodes adhibiti, donec putrefacta cadavera. Petr. Faber Semeſtr. lib. 2. cap. 9. Lipſius de Cruce lib. 2. cap. 16. Beza Annotation. in Matth. cap. 27. verſ. 54. Talentonius Var. rer. lib. 2. Celſus Adornus epiſt. ad Talenton. lib. 2. cap. 23. Guilielm. Fornerius Not. in Caſſiodor. lib. 2. epiſt. 22. Gretſer. de Cruce Tom. 1. Hodie noſtris moribus in exemplum relinquuntur, ſine cuſtodibus tamen, cadavera ſuſpenſorum, rotæ ſupplicio affectorum, veru affixorum, & ſimilium. contra quos mores Petrus Ravennas IC. ut improbatos, invehitur in fine Compendii Juris Canon. & in Dictis notabil. extravag. in princ. quem duobus libris confutat Hochſtraten Provincial. Monachor. Prædicator. in Juſtificatorio Principum Alamann. Auguſtus tamen Imp. corpora damnatorum cognatis ſe & amicis non negaſſe lib. 10. de Vita ſua ſcripſit, ad ſepulturam ſcilicet: unde nec Joſepho Arimatheo & Nicodemo corpus Chriſti negatum. vide l. 1. & l. ult. D. de cadaver.

ne quis ad sepulturam corpora detraheret, notasset sibi & lumen inter monumenta clarius fulgens, & gemitum lugentis audisset, vitio gentis humanae, concupiit scire, quis aut quid faceret. Descendit igitur in conditorium, visaque pulcherrima muliere, primo, quasi quodam monstro infernisque imaginibus turbatus, substitit: deinde, ut & corpus jacentis conspexit, & lacrymas consideravit, faciemque unguibus sectam, ratus

punitor. Porro, pro *asservabat*, vet. cod. habet *servabat*. quod non displicet, & Plautina vestigia sectatur. ERHARD. Ante Tornæsii editionem, omnes *servabat*, quod rectum credimus: *corpus detraheret* prima quoque editio, & Sambuci & Joannes Sarisber. sed codex Tragur. *neque ad sepulturam detraheret*.

Ne quis ad sepulturam corpus detraheret] Tacit. lib. VI. ann. 29. *Damnati, publicatis bonis, sepultura prohibeantur*. Augustus tamen, corpora damnatorum cognatis se non negasse, libro 10. vita sua scripsit. PITH.

Notasset sibi] Impr. *ibi*. Ego veterem lectionem maxime probo, vel eo maxime quod hæc phrasis Petronio maxime placet, ut supra cap. 6. *Non notavi mihi Ascylti fugam*. PUTEAN. Ovid. lib. 1. Art. Amand. 109.

—— *Oculisque notat sibi quisque puellam*. PITH. Forte *ibi*. alii *ibisibi*. RITTERSH. Elegans phrasis, *notare sibi*, & veteribus non infrequens. Cato de Re Rust. cap. 158. *Si vis bene tibi dejicere*. Meursius in Not. ERHARD. Vide supra ad cap. 6.

Audisset] Vet. cod. *audiret*. RITTERSH.

Vitio gentis humanæ] Sall. histor. 1. *Vitio generis humani*. PITH. Id est, curiositate. RITTERSH. Apul. Flor. 4. *propius accessit, ut cognosceret more ingenii humani, quisnam esset*. WOUWEREN. Eutyches Gramm. *Curiositas humanæ familiaris naturæ*. BARTH. Salustius Jugurth. *More humani ingenii cupido ignara visundi animum vertit*. Val. Maxim. lib. 1. cap. 7. in Annibale; *humani ingenii prona voluntate vetita scrutandi pone respiciens*, &c. Colerus Not. ad Valer. Putschius ad Sallust. Apul. lib. 4. Florid. *Propius accessit, ut etiam cognosceret more ingenii humani quisnam esset*. Suetonius Claud. cap. 10. *Latentem discurrens forte gregarius miles, animadversis pedibus, è studio sciscitandi, quisnam esset, agnovit*. ERHARD. Dubium, an præstet *mentis*, an *gentis*, pro utraque enim lectione adduci possunt similes locutiones. Sic illa *vitio humani ingenii* (cujus exempla adduxerunt viri docti) videtur ostendere, *mentis* esse præferendum. Curtius lib. VIII. 14. *ac primo humani ingenii vitio spei suæ indulgens*. Q. Septimius de bello Trojano lib. II. cap. 15. *more ingenii humani*. Sulpit. Sever. lib. 1. cap. 4. *his more ingenii humani consilium fuit*. Et cap. XII. *Populus, ut semper, parum dicto audiens, more ingenii humani*. Et ita Seneca epist. 85. *vitia mentis humanæ inveterata & dura* dixit. Et voces illas sæpe in MSS. codicibus confusas à librariis, docent infinita veterum scriptorum loca. Curtius lib. VII. cap. 7. *rursus ad superstitionem humanarum gentium ludibria revolutus*. Ubi Modius recte restituit *mentium*. apud Horatium quoque lib. 1. od. 3. in MSS. codice reperit Torrentius

Audax omnia perpeti mens humana.

apud Ovidium quoque recte à viris doctis emendatum lib. III. Pont. eleg. IV.

Et Regum vultus, certissima pignora mentis.

cum antea legeretur *gentis*. Ita contra apud Germanicum in Phænom. vers. 135. editur

Ferrique invento mens est latata metallo.

ubi Heinsius mallet *gens*, scilicet humana, apud Ovidium lib. 1. Metam. 100.

Mollia secura peragebant otia gentes.

ubi etiam codices quidam *mentes*; vide ibi de hac varietate plura ab Heinsio adnotata, qui & in secundis curis, quas nos aliquando proferemus, hunc Petronii locum adfert, & *vitio mentis humanæ* præ vulgata laudat, & Avieni locum simili emendatione sanat, vers. 554.

Ut vulgi corda fatiget
Sors rerum, & mentem ferat inclementia fati.

nunc *gentem* circumfertur. Sine ulla lectionis varietate est apud Ovidium lib. 1. Metam. 55.

—— *Humanas motura tonitrua mentes*. BURM.

Quodam monstro] Fieri hoc solet monstris nocturnis visis, vide Phlegontis Tralliani fabulam 1. quæ ei historia est. BARTH. Id est, spectro. hinc *Mostellaria* Plauti. Hymnus Ecclesiasticus in Dedicat. Ecclesiæ;

Dæmonis sæva perit hic rapina,
Pervicax monstrum pavet, & retenta
Corpora linquens fugit in remotas
Ocyus umbras. ERHARD.

Substitit] Alii *subsistit*. RITTERSH.

Jacentis] Id est, mortui. Vide Schefferum & Axenium ad Phædr. fab. XXIV.

Unguibus sectam] Est in XII. Tabulis: *Genas ne carpito*. Interpres Iliad. sub finem β. Euripid Supplicib. διὰ παρηίδων ὄνυχα, &c. BRASSICAN. Prohibitum in XII. Tabul. BONGARS. Artemid. lib. 1. ἐν τοῖς πένθεσι, λαφύσσονται τὰς παρειὰς οἱ ἄνθρωποι. Glossæ: *Praefica, ἡ πρὸ τῆς κλίνης ἐν τῇ ἐκφορᾷ κοπτομένη*. Virgil. Æn. XII. 605.

—— *Flavos Lavinia crines*
Et roseas lacerata genas. ——

Et

ratus scilicet id quod erat, desiderium exstincti non posse feminam pati, attulit in monumentum coenulam suam, coepitque hortari lugentem, ne perseveraret in dolore supervacuo, & nihil profuturo gemitu pectus diduceret: omnium eumdem exitum esse, sed & idem domicilium; & caetera, quibus exulceratae mentes ad sanitatem revocantur. At illa, ignota consolatione percussa, laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super

Et Æneid. 3. vers. 66.

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri. ——

Servius ineditus: *Varro dicit, mulieres in exsequiis & luctu ideo solitas ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfaciant. quare etiam institutum est, ut apud sepulcra victimae cadantur.* hoc Varr. fragmentum apud Lutatium quoque, si recte, legitur. Statius Theb. VI. vers. 219.

—— *Mollem famularum brachia planctum.*

Lutat. *Non percussionem manuum significat. Planctus enim dicitur omnis collisio, Varronis opinio. Ideo mulieres solitas in luctu ora lacerare, ut sanguine ostenso inferis satisfiat.* Distinguo: *Planctus e. d. o. collisio.* reliqua annecto iis verbis, quae praecedunt vers. 209. hoc modo. verba Statii, in quis imitatus Virg.

Spumantesque mero paterae verguntur & atri
Sanguinis, & rapti gratissima cymbia lactis.

Lutat. *Et atri sanguinis. Duas res mittit. Unam qua nutrit animam, id est, lac, alteram, qua constat, id est, sanguis. Nec mirandum, quia sanguinem ad inferos placandos intulerit: nam sanguis proprie videtur esse animae possessio, unde exsangues mortuos dicimus. Varronis opinione ideo mulieres solita in luctu ora*, &c. WOUWEREN. Solebant foeminae maritis mortuis parentare genarum lacerationibus, quae unguibus fiebant, quod legibus Solonis & XII. Tabb. vetitum. Kirchmann. lib. 2. cap. 11. ERHARD. Infra cap. CXXXII. *Consecuitque genas.* Oppianus 4. Halieutic. vers. 259. vocat hoc ὀρύσσεσθαι. Lex tamen XII. Tabular. prohibuit, *ne mulieres genas raderent.* Rittershus. in Oppian. pag. 297. Crispinus Annotation. ad leg. XII. Tabb. part. 1. n. 9. Rosinus lib. 8. Antiquit. Roman. cap. 6. ad leg. XII. Tabb. 5. WEITZ. Ovid. VI. Met. 148.

Et rigido sectas invenit ungue genas.

Scilicet quod erat] MS. *scilicet id quod erat.* TORNÆS. Sulpit. Sever. lib. 1. S. H. *ratus id quod erat, aquas decedere.* saepius Apul. BARTH.

Desiderium exstincti] Cicer. 11. Philipp. cap. 18. *Ipse, amore ardens, confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset.* WOUWEREN. Horat. *Quis desiderio sit pudor aut modus, tam cari capitis.* BARTH. Senec. Cons. ad Helv. cap. XIV. *quod desiderium ipsum per se pati non potes.*

Attulit] Alii *contulit.* Pith. PATISSON.

At nihil profuturo, &c.] Alii, *profuturo: gemitu diduceret.* PATISSON. Leg. *diducere.* Jungermannus. Dinamius epist. ad Discipul. *Plus lugent, qui plus diligunt, &, dum auxilium praestare nequeunt, pugnis pectora & lacerta tundunt; illi tamen, qui sepulchro conditur, nihil praestaturi.* Supra Petron. cap. LXXXI. *Verberabam aegrum planctibus pectus. Pectus diducere*, quo pacto supra dixit de Gythone; *risu dissolvebat ilia sua.* ERHARD. Oppian. 4. Hal. 258. τῷ πολλοὶ μάτην περιμοχθήσουσι. ubi vide Trabeae & Actii versus, quos doctiss. Rittershusius adducit; & adde Commentar. nostrum in Terent. pag. 499. WEITZ.

Diduceret] Sic dicimus *ilia ducere*, & *ilia suspendere.* Lucanus lib. 4. vers. 756.

Pectora rauca gemunt, quae creber anhelitus urget,
Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus.

Statius lib. VI. 473.

—— *Nec tam integer illis*
Impetus, & longi suspendunt ilia flatus.

RITTERSH. *Diduceret.* Tragurienis codex, Sarisberiensis & Tornaesii, Patissonis & aliae editiones *deduceret* prima, editio & Sambuci. vide Heinsii notas ad Ovid. I. Amor. eleg. 7.

Omnium eumdem exitum esse] *Mortem* omnibus communem esse. Horat. 2. Carm. 18.

—— *Aequa tellus*
Pauperi recluditur,
Regumque pueris.

Vide eumdem 1. Carm. 4. & 28. & 2. Carm. 3. & 14. & 3. Carm. 1. Pindar. Nem. 5. ἀφτὲς τί πνιχός τί θανάτῳ παρὰ σῶμα νέονται. Vide Bochium ad Psalm. 48. WEITZ. *Communem exitum* vet. cod. BOSCH. Sarisberiensis; *omnium eadem esse, scilicet idem domicilium.*

Domicilium] Acherunticum puta. BARTH. Sepulcrum, puto, *domicilium* nuncupat; quemadmodum *domus aeterna* in aliquot Inscriptionibus. Joh. Kirchmannus de Funer. Rom. lib. 3. cap. 10. Radolph. Fornerius lib. 3. Rer. quotidian. cap. 6. WEITZ.

Et cetera] Quod Sallust. dicere solet, *& alia.* Pflugius. ERHARD.

Exulceratae mentes] Cicero pro Dejotaro *exulceratum* dixit *animum: fore putabant? ut in exulcerato animo facile fictum crimen insideret.* Manutius Comment. ad Cic. Famil. lib. 1. epist. 1. WEITZ.

Revocantur] Vide supra cap. 94.

Ignota] Forte, *inopinata.* RITTERSH.

Percussa] Alii *perculsa.* TORNÆS. Horat. lib. 1.

ſuper pectus jacentis impoſuit. Nec receſſit tamen miles, ſed eadem exhortatione tentavit dare mulierculae cibum, donec ancilla, vini certe ab eo odore corrupta, primum ipſa porrexit ad humanitatem invitantis victam

Carm. 7. BARTH. *Perculſa*, quod alios habere notat Tornæſius, non eſt admittendum, & vana eſt diſtinctio Agrætii de Orthograph. pag. 2274. qui *perculſum* animo, *percuſſum* corpore dici adfirmat. Virgil. I. Æn. 513.

Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul percuſſus Achates.

ubi Pierius teſtatur, ita ſemper in optimis codicibus legi, licet alii *perculſus* vitioſe præferant. Lucan. VI. 596.

Mens dubiis percuſſa pavet.

Ita Grotii editio & infiniti MSS. codices; & Cicero, cujus auctoritate abutitur Agrætius, ſæpe de perturbatione animi utitur. Sic imitatus Terentium ſuum, qui *percuſſit illico animum* dixit Andr. Act. I. ſc. I. eadem dictione utitur lib. IV. ad Att. 8. & V. Tuſcul. 11. verum quidem eſt, *percutere* proprie dici de vulnere, quod infligitur corpori, ſed eadem eſt animi ratio, cui vulnus imponitur dolore, & aliis adfectionibus. eleganter Cicero III. ad Att. 12. Metaphoram docet, *percuſſiſti autem me etiam de oratione prolata, cui vulneri, ut ſcribis, medere, ſi quid potes.* & ita infinitis locis hanc vocem à librariis eſſe permutatam cum *perculſus*, docere poſſunt adnotata Barthio ad Stat. IV. Theb. 460. & Heinſio ad Ovid. IV. Metam. 138. BURM.

Laceravit vehementius pectus] Artemid. γυναῖκες ἐν πένθει τοὺς μάζας λαχαίνουσι. WOUWEREN.

Ruptoſque crines ſuper pectus jacentis impoſuit] Τριχὸς ὃ πάντα νέκυν κατασύρουσι, ὡς ἐπιβάλλον κειρόμενοι. Statius Thebaid. lib. VI. verſ. 144.

——— *Tergoque & pectore fuſam*
Cæſariem ferro minuit, ſectiſque jacentis
Obnubit tenuia ora comis. ———

Præterea ἔθος ἦν τέμνειν τὰς κόμας, καὶ ἐπιτιθέναι τῷ τάφῳ, ἵνα διὰ τέτο πένθος ἴλεως αὐτοῖς ὁ νεκρὸς ᾖ. Euripides Iphigenia Taurica:

Τύμβον τε χώσον, καὶ πίθες μνημεῖα μοὶ,
Καὶ δάκρυ, ἀδελφὴ, καὶ κόμας δότω τάφῳ.

Statius Epiced. in patrem, *crines Pone ſuper tumulum.* hinc eſt quod de Achille Syneſ. τρίχας ἱεροῖς ὁσιώθεισας ἡρίοις ἀπάρξασθαι. Vide Homerum Iliad. Ψ. ejuſque interpr. Interdum in rogum projiciebant, aut impoſitos cadaveri cremabant. Homer. τὰς ἀπὸ νεὺ πυρὴς ξανθὴν ἀπεκείρατο χαίτην. Herodian. lib. IV. παύτε ὁ φιλοκόρης πλόκαμον ἐπιθεῖναι τῷ πυρὶ (rogo Feſti liberti) ζητῶν ἐγελᾶτο. Atqui hac ſectione crinium inferias faciebant. Heliodorus lib. 6. ὦ μόνη μοι γλυκεῖα φροντὶς. εἰ μὲν τέθνηκας, τὰς ἐπιφέρω χοὰς, καὶ ἅμα ἔτιλλε τὰς τρίχας, καὶ ἐπὶ κλίνη ἐπέβαλλε. in abſentis locum, quaſi in jacentem ipſum Theagenem, lib. VII. ἀλλ' ἰδοὺ σοι, τροφεῦ καὶ σῶτερ, ἵνθα γᾶν ἔχεις, καὶ ὡς ἔχεσιν, ἀποσπένδω τῶν ἐμαυτῆς δακρύων, καὶ ἐπιφέρω χοὰς ἐκ τῶν ἐμαυτῆς πλοκάμων. καὶ ἅμα ἀπεσπάρατεν ὡς ὅτι πλείστας τῶν ἑαυτῆς τριχῶν. WOUWEREN. Evulſos ac tonſos raſoſque crines in funebri luctu ſolebant mortuis offerre, & ſuper ipſorum pectora vel tumulos ponere parentandi gratia. Kirchmann. lib. 2. cap. 15. ERHARD. Sarisberienſis *raptas*. Quæ perpetua & ſolemnis librariorum fuit aberratio. Ovid. Ep. III. verſ. 15.

At lacrymas ſine fine dedi, rupique capillos.

Epiſt. X. 16.

Utque erat à ſomno turbida rupta comis.

Ita meliores libri & margo Berſmanni. lib. I. Amor. eleg. VII. verſ. 49.

At nunc ſuſtinui, ruptis à fronte capillis,
Ferreus ingenuas ungue notare genas.

ita codices multi, vulgo *raptis*. Eodem enim ſenſu *ſcindi*, *lantari*, *ſecari*, aliis in locis capilli dicuntur. Ita & Epiſt. XV. verſ. 114.

Nec puduit ſciſſis exululare comis.

ubi priſcæ quædam editiones *ruptis*, quibus quinque codices, quos Heinſius contulit, conſentiunt. BURMAN.

Ancilla vini] Plautinum eſt. Gregorius Theologus ita dixit in Poëmat. ἴαμος ἀγγέλοι ἴσοι χελιδόνες, ἦθος, ὀτώρης δεσποίνης δμωαί. BRASSICAN.

Incertum habeo odore] Alii *incertum ab eodem*. Deſunt in vet. cod. M. S. *incertum habeo*. TORNÆS. Salisberienſis *incertum habeo*. Autiſiod. *certo ab eo*. Pith. PATISSON. Lege *incertum an ab adore corrupta*. Putſchius, ſed illam lectionem optimus Bongarſii codex comprobat. *Ab eo*, ſc. milite. ERHARD. Corruptum locum emendo, *vini cibique*. MSS. *Vici citi*. Confirmat emendationem Petronius, dum ſubjicit, *refecta potione & cibo*, & alibi, *nec minus avide replevit ſe cibo, quam ancilla*. Et *non cibum non potionem capiebam*. Sic vinum & cibus jungi ſolita, ut apud Homer. Iliad 5. & 9. & paſſim. Heſychius illuſtr. Philoſ. vit. Juvenal. Sat. 5. Claudianus Epigr. 33. Scribon. Larg. Præfat. lib. de compoſ. BOURDELOT. Vetus editio: *vini incertum habeo odore* Douſa auctoritate ſcripti ejicit tres voces, *certe ab eo*: Cujus tamen quantum apud alios pondus eſſe velit, præjudicat ipſe conjiciendo: *vini adeo odore*, omiſſo τῷ *certe*, quod ſupra τὸ *adeo* collocatum à ſtudioſo quodam putat. Putſchius: *incertum an ab odore*. Bourdelotius, adplaudente Gonſalio: *vini cibique ab eo*. Sarisberienſis in eadem fabula: *humi certum habeo odore*. & in margine: *incertum habeo, an vini odore*. Quæ cum conſiderarem, ſuccurrit: *donec ancilla vini nectareo odore corrupta*. Et ſane, qui vim quamdam ſingularem illius animæ demonſtratu-

rus

ctam manum: deinde, refecta potione & cibo, expugnare dominae pertinaciam coepit. &, Quid proderit, inquit, hoc tibi, si soluta inedia fueris? si te vivam sepelieris? si, antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis? Id cineres, aut manes credis sepultos sentire? Vis tu, reviviscere reluctantibus fatis exstinctum? vis, discusso muliebri errore, quam-

rus erat in expugnanda tam officiosa ancilla, videtur non odorem solum & nudum posuisse, sed adjecisse illi laudem, quæ virtuti, quam erat commemoraturus, fidem faceret. GRONOVIUS Observ. in script. Eccles. cap. xv.

Corrupta] Sic Trag. cod. & Editt. nonnullæ. *donec ancilla vini odore corrupta* Memm. cod. *incertum an odore corrupta*, Bongarsii cod. Forsan legendum; *donec ancilla, incertum, an ab vini odore corrupta.* Clariss. Gronovius in Observ. ad Script. Eccl. cap. xv. legit; *donec ancilla vini nectareo odore corrupta*, quem adi. BOSCH. Non alienus est à summi Gronovii conjectura Vir Ampl. Cuperus. Nam ita & ἀλοιφῇ νεκτάρεη apud Apollon. Rhod. III. Argon. vers. 831. ἀμβρόσιος ὄσος dicitur Longo lib. IV. ποιμεν. pag. 153. Gallus noster, cui tantum Petronius debet, depromsit ex criticis suæ arcanis, *ancilla vini certe grato odore corrupta.*

Victam manum] Alii, *victa manum.* PATISSON. Vulg. *victa manu.* SAMBUC. Leg. *manum.* AURAT. Retinuimus primæ editionis & Tragurienſis codicis scripturam, quam & adgnoscit Sarisberiensis. Ovidius lib 1. Amor. eleg. 2.

Porrigimus victas ad tua jura manus,

ut omnes editi & scripti codices, præter tres, qui *vinctas* habent. Sic & Epist. xx. vers. 260. editiones antiquæ aliquot, Aldina, Gryphiana, & Micylli;

Et dabo convictas tempore victa manus.

ubi etiam unus Palatinus *convinctas.* BURM.

Expugnare] Vide de hujus verbi usu Barth. ad Statii lib. IV. Theb. vers. 187.

Et quid] Forte, *ecquid.* SAMBUC. Nihil opus emendatione, cum elegantissimum usum hujus particulæ &, ante *το quis, quantus*, & similia, ostenderit præter alios Gifanius in Indice Lucretiano; & in & *quantis*, & in *ecquis* sæpe transisse docuerit.

Soluta fueris] Ita in Epigrammate Senecæ ad Corsicam, ut Pithæus ex codice suo edidit:

Parce relegatis, hoc est, jam parce solutis,

Curtius lib. VIII. cap. 9. *Nec altus honos habetur corporibus, quæ senectus solvit.*

Vivam sepelieris] D. Hier. in vit. Joan. Mon. *tam quam vivens sepultus, de inferno jam quodammodo mugitum cordis, gemitumque reddebat.* BARTH.

Indemnatum] A Parcis scilicet, quæ fata scribunt homini. Stat. VIII. Theb. 26.

Fata ferunt animas, & eodem pollice damnant.

& ita nulli mori credebantur, nisi damnati, id est; destinati morti. Servius ad Virg. IV. Æneid 699.

——— *Stygioque caput damnaverat orco,*

Nondam eam morti destinaverat. Et ita omnes morti destinati, imo & devoti, qui diris & exsecrationibus mortem imprecabantur, *damnati* dicebantur, ut bis terve Barthius notavit. vid. ad Stat. II. Theb. 696. & VI. 55. & VII. 239. & Adverss. XVII. cap. 15. BURMAN.

Effuderis? cinerem aut manes credis curare sepultos] MS. *Effuderis? id c. a. m c. sentire s.* TORNÆS. Apulej. lib. 8. *Inedia statuit elidere sua sententia damnatum spiritum.* SCIOPP.

Id cineres aut manes sepultos credis sentire] Virgilii est lib 4. Æneid. vers. 34. *Hoc etiam manes credis curare sepultos?* Isocrates Evagora: εἰ τι ἐστὶν αἴσθησις τοῖς τετελευτηκόσι. Seneca apud Polybium: *Si quis defunctis sensus est.* Ammian. Marcellinus lib. 30. *Ingemiscent, si quis vita digressis est dolor.* Nemesianus Eclog. 1. *Si sensus datur post fata quietis.* BRASSICAN. Prima editio, Sambuci, & Tragurienſis habent, *id cineres aut manes sepultos credis sentire*, cujus dicti color cum sumtus sit ex Virgiliano versu, eum ipsum suppossuerunt Glossatores, sibi sapere videntes, sine ulla codicis scripti auctoritate. *sentire* autem accommodatius ad communem formulam, *si quis manibus sensus*, de qua vide Rittersh. ad Phædri lib. IV. fab. 4. & Brisson. de formul. lib. VIII.

Curare] Plaut. *Id Dii curant scilicet.* ERHARD.

Reviviscere] Joan. Salisberiens. addit, *reluctantibus fatis exstinctum*, quod deest in veteribus nostris exemplaribus omnibus. Pith PATISSON. & PITH. Hinc Theocritus Idyll. 12. vers. 19. Ἀχέροντα nuncupat ἀνέξοδον, quemadmodum summus Poëtarum Latinorum *undam inferorum irremeabilem.* Oppian. 4. Halieutic. vers. 392. ἀνέκβατον ἄϊδος ἰυγὴν. & 3. Halieut. vers. 397. ἄϊδος ἴρκος ἄφυκτον. Cointus Smyrn. lib. 3. vers. 15. ἀνοστὸν ἀϊδοῆα. Plaut. Pœnul. Act. I. sc. 2. *Quo die Orcus ab Acheronte mortuos remiserit.* Seneca Hercul. fur. vers. 860.

Nemo ad id sero venit, unde numquam,
Cum semel venit, potuit reverti.

Et Hercul. Oeteo vers. 1550.

Vadis ad Lethen Stygiumque littus,
Unde te nulla referent carina.

Ibidem vers. 1525.

Dic, ad æternos properare manes
Herculem, & regnum canis inquieti,
Unde non umquam remeavit ullus. WEITZ.

quamdiu licuerit, lucis commodis frui? ipsum te jacentis corpus commovere debet, ut vivas. Nemo invitus audit, quum cogitur, aut cibum sumere, aut vivere. Itaque mulier, aliquot dierum abstinentia sicca, passa est frangi pertinaciam suam: nec minus avide replevit se cibo, quam ancilla, quae prior victa est.

CXII. Caeterum, scitis quid tentare plerumque soleat humanam satietatem. Quibus blanditiis impetraverat miles, ut matrona vivere vellet, iisdem etiam pudicitiam ejus adgressus est. Nec deformis, aut infacundus juvenis castae videbatur, conciliante gratiam ancilla, ac subinde dicente:

—— Placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?

Quid

Hæc absunt à MSS. nec illa agnoscit editio Patissonii. Credebant, vi quorumdam lapidum reluctantibus fatis animas in corpora redire. Orpheus poëmat. λίθων. Eadem vis plantis quibusdam & floribus, de quibus Etymologicum voce, Βάκκω. BOURDELOT.

Discusso] Vide supra ad cap. 47.

Admonere debet] Sic Autisiod. alii, *commonere potest*. Pith. PATISSON. Vet. *commonere*. Sed rectius puto *commovere*. DANIEL. Prætulimus, *commovere*, quia primæ editiones omnes ita habent; *admonere* autem interpretationem margini adscriptam credideriim.

Audit] Obtemperat. Virgil. 1. Georg. 514. *nec audit currus habenas*. BARTH. & ERHARD.

Cibum sumere] Nioben etiam de cibo cogitasse dicunt Poëtae & Philosophi. BRASSICAN. Si dicam male hic legi: *bibere*, quamvis paullo post, *vivere*, legi sciam, non pro Germano id me facere facile credant, qui me Stoicorum meorum ritu, &, ut ipsi loqui amant, κατ' ἔνστασιν ὑδροπότην esse meminerint, quum contra ea Germanis nostris summa sit cautio, ut à se procul jubeant abire lymphas vini perniciem, atque ad severos migrare. SCIOPP.

Abstinentia sicca] Catull. Carm. XXII.

Atqui corpora sicciora cornu,
Aut si quid magis aridum est, habetis
Sole & frigore & esuritione. PITH.

Frangi] Vide ad cap. 75.

Se replebit cibo] Vet. *implevit se cibo*, & in Gloss. *replebit*. DANIEL.

Plerumque] Alii *plurimum*. PATISSON.

Humanam satietatem] Antiphanes Comicus ἐν πλησμονῇ κύπρις, *in satietate Venus. Sine Cerere & Baccho friget Venus*. BONGARS. Hinc D. Hieron. *Venter gulæ proximus*. Et Dionys. Cato in Distich.

Cum Venere & Baccho lis est & juncta voluptas.

Contra Terent. Eunuch. Act. IV. sc. 5. *Sine Cerere & Baccho friget Venus*. ERHARD. Tragur. c. *hum. satietatem*. Non male, credo. Sed ad *satietatem* duo MSi. ad edit. Tornæsii, prior Anonymus: An verum est? *fatuitatem*, aut simile quid. subdit Dousa? De *humana satietate* nihil verius, & sententiæ isti assensum commodaverat jam antea Lucretius lib. 5. de primis illis terrigenis scribens:

Hac animos ollis mulcebant atque juvabant:
Cum satiate (satias nom.) *cibi, nam tunc sunt omnia cordi.*

Adde à Catullo Carm. XXXIII.

Nam pransus jaceo, & satur supinus
Pertundo tunicamque palliumque.

HADRIANID.

Blanditiis] Tacitus lib. XV. Annal. cap. 64. *deinde oblata mitiore spe, blandimentis vitæ evictam.*

Caste] Leg. *Castæ*. AURAT. Ironice, quasi minime tali. *Anon.* HADRIANID.

Placitone etiam] Versus sint Annæ ad Didonem 4. Æneid. Nec enim non errore lapsus Georg. Thomsonus, qui ad Petronium primum auctorem refert in Vindice Veritat. adversus Just. Lipsium lib. 2. cap. 2. pagin. 92. & Episcopo Andegavensi, non Petronii Satyricon, sed Æneida Virgilii in manibus fuisse scribit auctor fide dignus Petron. Matthæus Histor. Francor. libro 2. narrat. 3. in princip. ERHARD. Sunt versus, ut constat, Annæ ad Didonem, apud Virgilium lib. IV. Æneid. haud procul initio. Et eos profert Anna, ut Sororem ad nova connubia impelleret, quia undique barbaris & feris nationibus cingebatur, ad hæc bella verebantur, & Germani minas: sed, hæc cum locum hic habere non possunt, mirum non videbitur, si dicam, locum hunc mendo laborare: sed est illud festivissimum parodiarum genus, cum, servatis iisdem vel fere iisdem verbis sententia longe alio detorquetur, cujus rei exempla dabit politus vir Janus Rutgers. lib. II. Var. 2. ita celeberrimum illud Hectoris Iliad. M. vers. 243. pronuntiatum

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Para-

Quid diutius moror? ne hanc quidem partem corporis abstinuit, victorque

Parasitus à Metagene comico inductus, ad suos mores inflectendo sic παρῳδῶν:

Εἰς διανὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ δείπνου.

Ita Cicero Homeri versibus ex Iliad. E. 428. una voce mutata, in rem suam usus est ad Attic. lib. XIV. epist. 13. Illud Ennii de Fabio Maximo.

Unus homo nobis cunctando restituit rem.

Sic invertit Augustus apud Sueton. Tib. 21.

Unus homo nobis vigilando restituit rem.

Idem hic voluisse Petronium suspicor, ut sit legendum:

—— *Quorum consueveris arvis.*

honesta oratione rem turpem denotat, id est, non venit in mentem, te nuptam fuisse. Vox *consuescere* elegans in hac re. Cicer. v. Verr. cap. 12. *huc omnes mulieres, quibuscum ille consueverat, conveniebant.* Terent. Hecyr. Act. IV. scen. 1. *si is posset ab ea sese derepente avellere, cum qua tot consuesset annos, non eum hominem ducerem.* Ubi Donato addi debet Scopp. in Parad. liter. ep. 8. *Arva* autem de re impudica usurpari insolentius est: ita tamen τὸ *rura* infra cap. CXXXI.

—— *Cantu sua rura colebant.*

Et videntur sic sequentia aptius cohærere. De honesta hac circumlocutione v. Gell. lib. IX. cap. 10. & nos alibi plura notavimus. Lucret. lib. IV.

Atque in eo est Venus, ut muliebria conserat arva.

CUPERUS.

Partem corporis abstinuit] Signate dictum. Livius lib. I. cap. 1. *Omne jus belli abstinuisse.* Lucanus in 9. vers. 1010. *Abstinuit tellure rates.* Sic & Paulus Jureconsultus loquitur. BRASSICAN. Forte desunt quædam. AURAT. Adhuc quærimus interpretem huic loco. BARTH. Quæ scilicet honeste nominari nequit. Infra cap. CXXXII. *cum ea parte corporis, quam ne ad cogitationem quidem admittere severioris notæ homines solent.* Ovidius lib. I. fast. vers. 437.

At Deus obscœna nimium quoque parte paratus.

In Priap. Carm. XLVIII.

Quod partem madidam mei videtis,
Per quam significor Priapus esse.

Theodor. Priscianus lib. 2. Logic. cap. 11. *Tunc ipsis partibus duras super addimus fricatione manuum vel subjacentium paulo asperiorum.* Ibidem; *Quibus partes frigentes usus Veneris officium pernegarint.* Et paullo prius; *Et tensionem particulæ cum assidua patratione facit.* ERHARD. Sic postea, *cum illa parte corporis.* Marius apud Sallustium. Cicer. lib. 9. epist. fam. Apulej. Asin. lib. 7. Prudentius Cathemerin. D. Hieronymus Epist. 61. Miror, ex interpretibus non pessimis unum ad hunc locum ita scripsisse, *adhuc quærimus interpretem huic loco.* BOURDELOT. Vox *corporis* vehementer de mendo suspecta est. Quid si *torporis?* cujus vocis usus est ad exprimendam consilii in re maxime subita incertitudinem. Livius lib. 2. *si tua re subita consilia torpent, at tu mea sequere.* Cicero ex Homero. *Quidnam torpentes subito obstupuistis Achivi.* Plaut.

Quid faciam nescio, timore torpeo.

hinc *vigere* & *torpere* apud Livium sibi contrario opponuntur, lib. 23. *Te, ad unum modo ictum vigentem, velut jaculo emisso torpere.* SCIOPP. Vitiosus locus, quem ingeniose hoc modo emendat Nobilissimus Heinsius; *ne hæc quidem puerilem partem corporis abstinuit, victorque miles utrumque persuasit. Puerilis pars*, idem est ac posterior, quomodo ab Hieronymo vocatur lib. I. adv. Jovianum. *puerile corollarium* vocat Apul. lib. III. Metam. Martialis lib. IX. Epigr. LXVII.

Lascivam tota possedi nocte puellam,
Cujus nequitias vincere nemo potest.
Fessus mille modis illud puerile poposci,
Ante preces totas, primaque verba dedit.

Sic lego cum vett. edit. non *nulla potest*, ut cum Palatino MS. Scriverius. BOSCH. Frustra hic sudant interpretes, cum facillima sint verba, neque Heinsius, qui obscura putabat, debuerat aliquid mutare. Non enim per *partem* hic muliebris sexus nota, sed virilis, est intelligenda, quam impudicus Eumolpus inter narrandum nautis ab ejus ore pendentibus digito suo monstrabat. Eodem modo, ut ipse Hortorum custos carmine libero V.

Totamque hanc sine fraude, quantacumque est, &c. Et sæpe alii auctores pronomen hoc δεικτικῶς ponunt, *pars* autem pro ea, qua viri sumus, passim in carminibus Dei Hellespontiaci occurrit. Ita & Phædrus lib. IV. fab. 4.

Naturæ partes, veste quas celat pudor,

ubi recte Schefferus. Si vero umquam, hic turpissime se dedit cum suo *torporis* Scioppius, ita ut Brouckhusius noster hæc verba ad notam ejus adscripserit. *Si satuis & insulsis conjecturis præmium aliquod constitutum est, id vel propter hanc unam merito suo auferet nugiloquides Claravallensis.* Certe nihil vidi umquam ineptius. an non meminerat, apud ipsum Petronium, præter laudata ab Erhardo verba, eandem locutionem occurrere? infra cap. CXXIX. *funerata est pars illa corporis, qua quondam Achilles eram* Et cap. CXXXVIII. *forsitan rediret hoc corpus ad vires, & resipiscerent partes veneficio, credo, sopitæ.* Eumolpi autem partem intelligi, docet vox *abstinere*, quæ, si cum quarto casu construatur, ponitur pro abstinere se à re aliqua. Non solum ergo matrona blanditiis evicta, se abstinere à cibo, cujus odore icta erat, non potuit, sed neque à formosi & non infacundi juvenis parte, quæ, matronis non fatuis monstrata, ipso cibo gratiores delicias promittere solet, & castissimæ hujus viduæ omnem dolorem & tristitiam penitus

que miles utrumque persuasit. jacuerunt ergo una, non tantum illa nocte, qua nuptias fecerunt, sed postero etiam ac tertio die, praeclusis videlicet conditorii foribus, ut si quis ex notis ignotisque ad monumentum ve-

penitus exturbare poterat. Ita Livius præter locum à Brassicano laudatum lib. XXXIII. cap. 34. *abstineret liberas omnesque Græcas*: & παιδικὰς Plinius lib. XXIX. cap. 5. *Gallinaceus inclusus abstineatur die ac nocte.* lib. XXX. cap. 7. *abstineri à frugibus & gallinam & hominem oportet.* Vegetius artis veterinariæ lib. III. cap. 4. *Bos, si febrire cæperit, uno die à cibo est penitus abstinendus.* Paullo aliter Martialis lib. IX. Epig. 87.

Languidior noster si quando est Paullus Atili,
Non se, convivas abstinet ille suos.

Noster quoque paullo ante cap. CVIII. *ni abstineret à Gitone injuriam mulier damnata.* Unde patet, quam recte Erhardus notet, *abstinere* cum accusativo haud temere reperiri. BURM.

Abstinuit] Alludit simul abstinentiam, quam mulier voverat, & jam quinque dies servarat. *Abstinere* cum accusativo rei haud temere apud quosvis reperias. ERHARD.

Victor] Eleganter pro voti compote, propositi effectore. Vide Servium ad Virgil. Eclog. IX. & I. Æn. 192. & II. 329. præcipua autem quadam κυριολογίᾳ, pro eo, qui puellam expugnavit, ejusque concubitu potita. Ovid. II. Met. 437.

——— *Superum petit æthera victor*
Jupiter.

Idem lib. II. Amor. eleg. XII.

Ite triumphales circum mea tempora lauri,
Vicimus, in nostro est ecce Corinna sinu.

auctor elegiæ in Mæcenatem, quem nemo assuetus bonis poëtis, & aureæ ætatis deliciis, Albinovanum credat, vers. 93.

Sic est, victor amet, victor potiatur in umbra,
Victor odorata dormiat inque rosa.

Ubi Logices suæ præsidio, ut Orci Galea tutus Philosophus, qui omnes Grammaticos ratiocinandi artem non intelligere superbe semper jactat, *umbram*, pacis tempus explicat, *quia*, vide vim argumentandi, *umbra soli opponitur, non aliter ac otium bello.* Ergo, si quid ego video, hinc deberet consequi, *solem* pro belli tempore poni, & hoc probari & Lexica nova hac significatione augeri. ut autem exemplo aliquo, egregie ad suam explicationem accommodato, hoc omnibus Grammaticis inauditum persuadeat, adducit Ciceronis verba, in quibus *umbra*, itidem ut apud Poëtam, quem illustrat, sumitur pro recessu amæno, sive sub velis, quæ solis æstum summovent, sive pro arbore, sub qua solebant genio veteres indulgere, cum contra exercitaturi, & militaribus operibus vacaturi, soli se dabant, ut vel pueri norunt. potuisset sequens versus

Victor odorata dormiat inque rosa

id docere, si connectere ratiocinator egregius verba auctorum didicisset. Nos ergo, Goralli exemplum secuti, *non paremus despotico Philosophorum imperio*, in republica literaria, & quæ certa videntur *dictatoribus illis*, nobis non modo dubia, sed falsa plane videntur. BURM.

Jacuerunt ergo] Alii, *latuerunt.* PATISSON. Verbum libidinis, *Jaceo*, sic supra cap. XXVI. *quum inclusi jacerent.* iterum cap. LXXXI. *Jacent nunc amatores obligati noctibus totis.* HADRIANID. Prima editio & Sambuci, & codex Tragurienſis *latuerunt.* Quas voces perpetuo confuderunt librarii. v. Ovid. II. fast. 244. III. Epist. 50. Lucan. II. 162. & alibi.

Nuptias fecerunt] Supra cap. XXVI *Nuptias fecerunt.* Usurpatur hæc formula duobus modis: cum de ipsa pompa & solemnitate nuptiali, quæ palam fit, tum de συνουσίᾳ, cum nova nupta novusque maritus in cœtum conveniunt, ut cum Ausonio in Periochis Homericis loquar. D. Rittershusius ad Epistol. Plinii pag. 436. Vide quæ supra adduxi ad d. cap. 26. *Officium nuptiale.* WEITZ.

Sed postero etiam] Lege cum Memm. cod. *Sed & postero etiam ac tertio die.* BOSCH.

Conditorii] Basil. Faber in Thesauro erudit. Scholastic. *Conditorium, sepulchrum.* Quid autem appellat Suetonius *conditorium?* an quam Strabo lib. ult. πύλον? Ea erat arca olim ex auro, postea è vitro. Sic ait Plin. lib. 35. *Defunctos multos fictilibus doliis condi voluisse.* Inde *conditorium*, θήκη, λάρναξ. An potius, quam Strabo περίβολον vocat, intelligit? Locus fuit urbe media, sepulturæ Regum destinatus, quem vocari ait Strabo σῆμα. Didymus in proverbio ἴνυς ὁ σφάκλης: ἐν μέσῃ τῇ πόλει μνῆμα οἱ οἰκοδεμήσας, ὃ νῦν Σῆμα καλεῖται. πάντας ἐκεῖ τοὺς προπάτορας σὺν αὐτῇ κατέθετο, καὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα. Petron. hoc loco. Seneca *conditorium* pro eo dicit Epist. 62. & Epist. 84. Plinius uterque *conditorium.* Ammianus lib. 18. *Conditorium muralium tormentorum*, pro ὁπλοθήκη. Casaubon. ad Sueton. Aug. cap. XVIII. WEITZ.

Ut quisque] Sic Autisiod. alii *quisquis.* Pith. PATISSON. Id est, quisquis, vel quicumque RITTERHUS. *Quisque*, pro quisquis, quicumque. Ver. tamen Cod. exsertim scribit, *quisquis*, ut supra: *Quod quisquis perperam dixit*, &c. Et infra cap. CXVI. *Quia quisquis suos heredes habet, nec ad scenas, nec ad spectacula admittitur.* ERHARD. Sic & Tornæs. cæteri. Dousa MS. *at quisquis ex n. i.* cod. M. Tragur. *ut siquis ex ignotis cognitisque.* HADRIANID. *Quisque* pro quicumque, vel quisquis, usitatissimum sequioris ævi scriptoribus docuit Buchnerus ad Venantii Hymn. de

veniſſet, putaſſet exſpiraſſe ſuper corpus viri pudiciſſimam uxorem. Caeterum delectatus miles & forma & ſecreto, quidquid boni per facultates poterat, coëmebat, & prima ſtatim nocte in monumentum ferebat. Itaque cruciarii unius parentes, ut viderunt laxatam cuſtodiam, detraxerunt nocte pendentem, ſupremoque mandaverunt officio. At miles, circumſcriptus

de reſurrectione Domini verſ. 52. quare cum prima editione, Sambuci & Tragurienſi codice malui, *ſiquis* reponere. in ſequentibus probarem *notis, ignotiſque*. qui & ſæpius jungi ſolent. Phædrus lib. I. fab. 11.

Virtutis expers verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit, notis eſt deriſui.

Cicer. 1. Verrin. 7. *putabam non ſolum notis, ſed etiam ignotis probatam meam fidem eſſe & diligentiam.* Ubi recte Hottomannus docet activa ſignificatione poni, pro iis qui norunt, & qui non norunt. BURM.

Ex notis ignotiſque] Impr. *ex ignotis cognatiſque*. PUTEAN. Forte *ex notis cognatiſque*. SAMBUC. Douza emendat, *agnatiſque* non ex mente Arbitri. *Noti* ſunt amici & cognati; *Ignoti*, peregrini, cum quibus nulla nobis conſuetudo. præcedenti capite, *Ignota conſolatione percuſſa*. Equidem huc pertinere arbitror, quod ſupra dixit; *victimarum quoque gentium fœminas ad ſui ſpectaculum evocaret*. ERHARD.

Mulieris] Hoc in aliis deeſt. PATISSON. In vet. c. abeſt *mulieris*. MS. *& forma mulieris & ſecreto*. TORNÆS. Deſideratur quoque hæc vox in prima editione, Sambuci, & Tragurienſi, & ſane addita ab inſcita manu videtur.

Quidquid boni] Vide ſupra cap. 34. & 42.

Per facultates poterat] Alii, *per facultates habere poterat*. PATISSON. *Habere poterat* Sambuci codex & quatuor alii. BOSCH.

Cruciati] Qui in cruce, aut qui ea digni. GLOSS. Autiſiod. *crucaria*. Pith. alii, *cruciati*. PATISSON. Id eſt, in crucem acti. SAMBUC. Alias *cruciarii*. Sic etiam Sueton. & Jureconſulti vocant. BRASSICAN. Sic libr. ſcripti. impreſſi, *cruciati*. PUTEAN. Vet. *cruciariis*, quod verbum reperitur & apud Apulejum de Aſin. aureo in Colinei exempl. lin. antepenult. ſurſum legendo, pag. 130. b. ubi *emactarius* legit Gif. Cujacius Quintilianum citat tit. de Obligat. lib. 7. 11. P. DANIEL. Seneca lib. 4. controverſ. *Cruciarios* dicit in crucem ſublatos, Apul. lib. 10. Aſin. aur. cruce dignos. vide Annotat. in exempl. Colinei. BONGARS. Calpurn. Flacc. Declamat. 17. *Padagogus cruciarius*. Et apud M. Senec. 4. Controverſ. & Apul. PITH. Seneca Contr. III. lib. VI. *Fecit ſe ſimilem ſervis, ſororem raptis, libertum cruciariis*. WOUWER. *Cruciarius* dictus is, qui in cruce, vel qui ea dignus. Calpurn. Flaccus in Declam. *Padagogus cructarius, peregrinus cruciarius*; de his qui appenſi in cruce. aut qui ea digni, per convicium ſic nominati. Iſidor. *Cruciarius, eo quod cruce dignus*. Lipſius de Cruce lib. 1. cap. 3. Colvius Not. in Apulej. Metamorph. lib. 10. Barthius Ablegmin. Critic. lib. 2. cap. 9. Balbus Catholico; *Cruciarius, qui eſt cruce dignus, vel qui ſert crucem ad ſuum diſpendium, vel ad officium ſuſpendit*. Ammianus lib. 29. *Longum eſt, quæ cruciarius ille conflavit*. quem paullo poſt vocat, *perditum nebulonem*. ERHARD. Ita & *carcerarium* dixiſſe Donatum ad Terent. Phor. II. 3. notavit Ampl. Cuperus.

Detraxere] *Detraxerunt* Memm. & Leid. cod. BOSCH.

Supremoque mandaverunt officio] Virgil. lib. XI. verſ. 61.

——— *Supremum comitantur honorem.*

Ita ſæpe Livius & alii loquuntur. Homerus Odyſſ. ω. γέρας ἐπὶ θανόντων, & alibi non ſemel. BRASSICAN. Id eſt, ſepeliverunt. RITTERSH. Curt. lib. III. cap. 12. *Apparatum funerum, quo Perſæ ſuprema officia celebrarent*. Hieron. epitaph. Paulæ; *Sacrilegium putabat, qui non tali fœmina ultimum reddidiſſet officium*. Apul. lib. 8. Mil. *officia feralia*. lib. 9. *peractis feralibus officiis tradunt ſepulturæ*. WOUWEREN.

Circumſcriptus] Alii *circumſpectus*. Pith. alii *circumpectus*. PATISSON. Vett. libb. *circumſpectus*. Lege *circumpectus*. *Circumpectere* ſignificat defraudare, circumvenire, & malum aut infortunium alteri dare. Gulielmus Plaut. quæſt. in Bacchid. cap. 2. Putſchius emendat, *circumſpectus*, vel, *circumſpectans*. Magis eſt Gulielmiana lectio. ERHARD. Nihil eſt mutandum. BOURDELOT. *Circumpectus* duo codd. *circumſpectus* ex noſtris unus & alii vett. teſte Erhardo, quomodo legendum eſſe dudum me monuit Nobiliſſ. Heinſius. Recte & ironice, ut multis locis noſter. Hic enim militis ignaviam non tralatitia elegantia ridet Arbiter, ut paullo poſt mulieris miſericordiam & pudicitiam. Mox malim cum cod. Leid. *deſidet*, quod de eo proprie dicitur, qui ab aliquo miſſus ultra debitum moratur. Sueton. in Jul. cap. 2. *Stipendia prima in Aſia fecit* (loquitur de Cæſare) *M. Thermi prætoris contubernio, à quo ad arceſſendam claſſem in Bithyniam miſſus deſedit apud Nicomedem, non ſine rumore proſtratæ regi pudicitiæ*. BOSCH. Cicero ad Att. lib. VII. ep. 9. *aut Senatuſconſulto circumſcriptus, aut ſublatus, aut expulſus ſit*. ubi vide Manutii notas. Noſter de Bello Civili:

Atque ut fuga mobilis ævi
Circumſcripta mora. CUPERUS.

Vide & Celeberrimi Grævii notas ad dictum Ciceronis

scriptus dum residet, ut postero die vidit unam sine cadavere crucem; veritus supplicium, mulieri, quod accidisset, exponit: nec se exspectaturum judicis sententiam, sed gladio jus dicturum ignaviae suae: commodaret modo illa perituro locum, & fatale conditorium familiari, ac viro faceret. Mulier non minus misericors, quam pudica; Nec istud, inquit, Dii sinant, ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum duo funera spectem: malo mortuum impendere, quam vivum occidere. Secundum hanc orationem jubet corpus mariti sui tolli ex arca, atque illi, quae vacabat, cruci adfigi. Usus est miles ingenio prudentissimae feminae; posteroque die populus miratus est, qua ratione mortuus isset in crucem.

CXIII.

ronis locum, quamquam hic pro decepto sumere mallem, ut Asconius ad Cicer. 1. Verrin. cap. 16. *circumscribere*, decipere alias significare, docet. vide Cujac. XIII. Observ. 25. Ita Tertullianus de patientia cap. 5. *Diaboli circumscriptionem* dixit.

Residet] Alii, *desidet*. PATISSON. Vett. duo exempl. *dum residet*. Attius, *Restdivus somno*. PITH. Juvenalis, Sat. XII. vers. 93.

Principis angusta Caprearum in rupe sedentis.

BARTH.

Quid accidisset] Antiquae editiones & Tragur. *quod*.

Commodaret] Sic Autisiod. alii *commodet ergo*. Pith. alii, *commode ergo*. PATISSON. Vet. cod. *commodaret modo illa*. TORNÆS. Vulg. *commodet*. SAMBUC. Vellej. Patercul. lib. 2. *manum morituro commodaret sibi*. PITH. De sepulchro hanc vocem sumi docuit Salmasius ad inscriptionem Herodis Attici pag. 59. & 67. Tragurienses vero codex *commendaret*, solemni aberratione. vide ad caput praecedens.

Familiari ac viro] Apul. lib. IX. Metam. *Tecum ipsa videris, quem sine meo consilio pigrum & formidolosum familiarem istum sortita es, qui & amoris languidi desidia tuos volentes amplexus discruciat*. PITH.

Faceret] Alii *faciat*. PATISSON.

Nec istud] *Ne istud* Nobiliss. N. Heinsius. BOSCH. Vide supra cap. 103.

Hominum duo] Leid. & Memm. cod. has voces non agnoscunt. BOSCH.

Malo mortuum impendere] Lego, *pendere*, sensu ita postulante. BOURDELOT. Nihili est illud *pendere*, vide supra cap. 102.

Secundum hanc] Tragurienses codex *sed hanc*, quod ortum ex compendiosa scriptione.

Ex area] Lege, *ex arca*. PUTEAN. Ex sarcophago. vide sequentia. BONGARS. Id est loculo, Graecis, σορὸς. RITTERSH. Glossae: *Arca & Arcela* Κιβωτὸς, σωρὸς, κάμπιρα, λάρναξ. Leg. *Arca & arcula* κ. σ. κάμψα. vide Hesych. Frontin. de limit. agr. lib. 1. *In campis statuerunt terminos quadratos, & interjectis locis arcas & monumenta*. WOUWEREN. *Arca* fuit loculus, sive feretrum, in quo corpus, sive cadaver integrum, condebatur, vide Marcian. l. 39. D. de relig. & sumt. fun. ac Cajum l. 7. D. eod. quorum hic diserte quidem sepulchrum ab arca distinguit, ille vero mobiles fuisse arcas istas non obscure significat. Kirchmann. lib. 3. cap. 15. Ab *arca* est nostratis vox *Sarck*, cujus vis in mundo. Graecis σορὸς. Hesychius; σορὸι, σαρκοφάγοι γίνονται ἰσχναίνουσαι τὰ σώματα. vide Aristophanis Interpret. item λάρναξ. erat autem vel ex ligno, ut apud Josephum περὶ Ἁλώσ. Δύο λάρνακας, ὡς ἐις ἰκομιδὴν νεκρῶν παρασκευασμένην: vel ex lapide, ut auctores sunt Plutarch. Numa, de sepulchro Numae Regis, & Dioscorides lib 5. cap. 142. ERHARD.

Usus est miles ingenio] *Ingenium* pro calliditate, astutia, & promptitudine aliquid machinandi. Balbus; *Ingenium, astutia, calliditas, prudentia, subtilitas*. ERH. Eleganter dictum, pro, in utilitatem suam rem à muliere excogitatam vertens. Justinus lib. XI. cap. 8. *violentius usus oraculo*, quod non debuerat Scheffero videri depravatum. Ita enim & Tacitus lib. 11. ann. 54. *appellit Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur*. Ubi an Tacitus ad Graecam vocem χρῆσθαι alluserit, ut vult Turnebus, an uno hoc verbo indicit vanitatem oraculorum, quibus Imperatores & duces, subornatis ante Sacerdotibus, ut ex Alexandri vita constat, utebantur, ad auctoritatem & famam sibi parandam, non definio: saltem patet, loquendi genus fuisse usitatum. Ita de aliis rebus. Frontin. Stratag. lib. 11. cap. 1. exempl. 14. *usus hoc ejus incommodo, nondum ordinatam hostium aciem invasit*, ubi vide quae notat Tennulius. supra noster cap. LXXXVII. *usus beneficio ejus*. & ita in formulis illis *ambitione non utor, conditione tua non utor*, quas explicat magnus Gronovius lib. III. de pecun. veter. cap. 17. BURM.

Mortuus isset in crucem] Huc inseri volui epigramma in mulieres.

Fœmina nulla bona est, aut, si bona contigit ulla,
Nescio quo pacto res mala facta bona est.

Attri-

CXIII. [a] Risu excepere fabulam nautae, & erubescente non mediocriter Tryphaena, vultum suum super cervicem Gitonis amabiliter posuit. At non Lycas risit, sed iratum commovens caput, [b] si justus, inquit, Imperator fuisset, debuit patris familiae corpus in monumentum referre, mulierem adfigere cruci. [c] Non dubie redierat in animum *edile expilatumque libidinosa migratione navigium. Sed nec foederis verba permittebant meminisse, nec hilaritas, quae praeoccupaverat mentes, dabat iracundiae locum. Caeterum Tryphaena, in gremio Gitonis posita, modo implebat osculis pectus, interdum concinnabat spoliatum crinibus vultum. Ego moestus, & impatiens foederis novi, non cibum, non potio-

[a] ENCOLPIUS. [b] LYCAS. [c] ENCOLPIUS.

Attribuitur Ciceroni, an Quinto fratri, incertum. Natat inter fragmenta Ausonii & Petronii. BOURDEL. Simili fere modo Plaut. mostell. Act. II. sc. 1. *excurrere* dixit: *Ergo dabo illi talentum, primus qui in crucem excucurrerit*, noster infra cap. CXXXVII. *si magistratus hoc sciverint, ibis in crucem*. Graecis est ἀναβαίνω. Lucianus fine libelli de morte Peregrini. CUPERUS. *Ad crucem*, prima & Sambuci editio & codex Tragurienſis.

Risu excepere fabulam] Salisberienſis lib. 8. cap. 11. *Tu historiam aut fabulam, quod his verbis refert Petronius, pro libitu appellabis. ita tamen ex facto accidisse Ephesi, & Flavianus auctor est, mulieremque tradit impietatis suae & sceleris parricidalis & adulterii poenas dedisse. Non quidem solus est in mulierum ineptiis ridendis aut exprimendis Petronius: scribit B. Hieronymus*, &c. Ab Imperatore sive Praeside Provinciae capite plexam fuisse traditur in libro illo de Septem Sapientibus. ERHARD.

Erubescente] Primae editiones & Tragurienſis, *& erubescente non mediocriter Tryphaena, vultum suum super cervicem Gitonis amabiliter posuit*. Forte *erubescens*; quamvis & exempla occurrant, ubi ablativus ille absolutus praemittatur verbo, quod primum casum requirit. Florus lib. IV. cap. 1. *seque palam professo incendium suum restincturum ruina minaretur*, ut quidam capiunt. vide Dausquei notas ad Q. Calabrum lib. III. pag. 80. BURM.

At non] Vide supra cap. 98.

Commovens caput] Homer. Odyss. ε. κινήσας δὲ κάρη. Virgilius in 7. *Tum quassans caput*. BRASSICAN.

Mulierem adfigere cruci] Et *mulierem adfigere cruci*. Memm. cod. placet. BOSCH.

Mobile] *E le* Autisiod. alii. *edile*. alii *hedile*. Pith. alii *cubile*. PATISSON. Forte quid deest. SAMBUC. Leg. *debile*. AURAT. Vide Amplis. Cuper. lib. 2. obs. cap. 17.

Expilatum libidinosa, &c.] Huc pertinet locus ille cap. seq. ubi Lycas sic Encolpium supplex rogat: *Vestem illam divinam, sistrumque redde navigio*, & alter locus cap. CXVII. *Nam numos in praesentem usum Deum Matrem pro fide sua redditurum*. De his locis, horumque verborum sensu, frustra tot Petronianas Notas, Observationes, Collectanea, Spicilegia, Animadversiones consulas: ita de compacto omnes altum silent. Ego de navigio, quod Isidi (hoc enim Apul. lib. II. vero nomine *Matrem Deum* appellatam, testatur) quotannis mense Martio dicari, onustumque muneribus largis ventis ferentibus pelago reddendum committi solebat, haec accipio. * In Kalendario rustico festum legimus mensis Martii, quod *Navigium Isidis appellatur*; ejusdem illo ipso, quem jam laudavimus, loco, Apulejus mentionem facit. Tale ergo navigium ad fundum Lycae vento temere appulsum, summa ab eodem religione & cerimonia diu cultum, impias Encolpii apud Lycam viventis manus non effugit. Is enim effigiem Deae, *vestem, sistrum*, aliaque indidem suppilavit, ac profugit. Hujus sacrilegii poenam Lycas naufragium interpretatus, *sistrum, vestemque* restitui petit. Encolpius iis venditis numos se confecturum pollicetur; videnturque de ipso esse dicta, quae Fulgentius ex Petronio affert. *Tot regum manubiae penes fugitivum repertae*. SCIOPP.

Permittebam] Leg. *permittebant*. AURAT.

Praeoccupaverat] Leg. *occupaverat*. Pith. PATISSON.

In gremio Gitonis posita] Sicut & nova nupta, nuptiali convivio. Apul. lib. VI. Met. *Accumbebat summum thorum maritus, Psychen gremio suo complexus*. Juvenal. Sat. II. vers. 129. *Sed & gremio jacuit nova nupta mariti*. PITH. Ovid. Epist. V. vers. 70.

Harebat gremio turpis amica tuo.

Pectus, modo concinnabat spoliatum] Ita vet. cod. vulg. *interdum concernebat spol.* SAMBUC.

Spoliatis crinibus] Alii *spoliatum*. Pith. PATISSON. Leg. *crinibus vultum*. Putean. & ita Cod. Calder. DANIEL. *Spoliatis* Memm. cod. male. Vide quae nos ad cap. XXX. BOSCH.

* *De eodemmet* Isidis Navigio *memoria est apud Lactantium l. 1. Fulgentium Placiadem in Mythologico, Lucianum in* πλοῖον ἢ εὐχ. *Diodorum Siculum L.*

potionem capiebam, sed obliquis trucibusque oculis utrumque spectabam. Omnia me oscula vulnerabant, omnes blanditiae, quascumque mulier libidinosa fingebat, nec tamen adhuc sciebam, utrum magis puero irascerer, quod amicam mihi auferret, an amicae, quod puerum corrumperet. Utraque inimicissima oculis meis, & captivitate praeterita tristiora. Accedebat huc, quod neque Tryphaena me alloquebatur, tamquam familiarem, & aliquando gratum sibi amatorem, nec Giton me aut tralatitia propinatione dignum judicabat, aut, quod minimum est, sermone communi vocabat, credo veritus, ne inter initia coëuntis gratiae recentem cicatricem rescinderet. Inundavere pectus lacrymae dolore paratae, gemitusque suspirio tectus animam pene submovit * * In partem voluptatis tentabat admitti, nec domini supercilium induebat, sed amici quaerebat obsequium. * *

Obliquis] Eum dicunt se non posse ὀρθοῖς ὄμμασιν ὁρᾶν, quem exosum & invisum habent. Homerus:

Τὸν δὲ ὑπόδρα ἰδὼν προσέφη πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς.

Dionysius Halicarnass. lib. 11. Antiquit. Rom. ἔκειτι γὰρ αὐτὸν ὀρθοῖς ὄμμασι δυσαίμενι ὁρᾶν, ἀνάξιον γεγονότα τῶν προγόνων, &c. Heraldus 2. Adversar. 4. Vide quae notavi ad Musaeum vers. 100. WEITZ. Contra *rectis oculis* aspicere dixit Sueton. Aug. cap. XVI. & Seneca de constant. Sapient. V. & Epist. CIV. & ὀρθοῖς ὄμμασι Theocrit. Idyll. V. vers. 35. & Sophocl. Oedip. Tyran. vers. 1396. Ovidius describens invidiam lib. 11. Met. 776. dicit

——— *Nusquam recta acies.*

& postea vers. 787.

Illa deam obliquo fugientem lumine cernens.

BURMAN.

Trucibusque oculis] Ὀφθαλμοῖς ταραχώδεσι. Jul. Pollux lib. 2. cap. 4. n. 10. Ovidio 6. Metamorph. vers. 623. est *tueri oculis immitibus.* WEITZ.

Oscula vulnerabant, omnes blanditiae] Infra cap. CXL. *Nec se rejiciebat à blanditiis.* Ovid. lib. 11. Amor. eleg. 19.

Quas mihi blanditias, quam dulcia verba parabat!
Oscula, Dii magni, qualia quotque dabat!

Et lib. 111. eleg. 7.

Et mihi blanditias dixit, dominumque vocavit,
Et quae praeterea publica verba juvant. PITH.

Vulnerabant] Eleganter, ut supra *vulnus in pectore*, cap. XCI. Propertius lib. 11. eleg. V.

Me ladit, si multa tibi dabit oscula mater.

Corrumperet] Auson. Epigr. LXX.

Corrumpit totum qui puerile secus. BARHT.

Tralatitia propinatione] Vulgari, perfunctoria. GLOSSAE. Lucian. καὶ ἔνιοτε πιοῦσα παραδοίην τῷ Γανυμήδει τὸ ἔκπωμα, ὅδε ἤτοι ἐν αὐτῷ ἐκείνῳ ποιεῖν καὶ λαβὼν ἐφίλει μεταξὺ, καὶ πρὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς προσῆγε, καὶ αὖθις ἀφεώρα ἐς ἐμέ. ταῦτα ἤδη συνίην ἐρωτικὰ ὄντα. PITH.

Aut, quod minimum est, sermone communi vocabat] Catullus Carm. XXXVIII.

Quem tu, quod minimum sacillimumque est,
Qua solatus es allocutione? SCIOPP.

Sermone communi vocabat] Deleo *vocabat*, aut scribo *sermoni communi vocabat.* Sed illud potius. *Anonymus* MS. HADRIANID. Id est, vulgari & usitato, quo etiam humiliores appellamus, ut, cum *dominum* salutamus, quae *publica verba* vocat Ovidius lib. 111. Amor. eleg. 7. Quintil. 11. 10. *sed morem communis hujus sermonis decore quodam scenico exornant.*

Coëuntis gratiae] Horat. lib. 1. epist. 3.

——— *An male sarta*
Gratia nequicquam coit, & rescinditur? ———

WEITZ.

Cicatricem rescinderet] Ita Virgil. 3. Georg.

——— *Ferro rescindere summum*
Ulceris os. ———

Ovid. 4. Trist. 4. *Retractando coëuntia rumpere vulnera*, dixit. Et 3. Trist. 11.

——— *Rescindere crimina noli,*
Deque gravi duras vulnere tolle manus.

Cicero verbo *refricare* sic utitur de Lege Agrar. Orat. 111. cap. 2. *Ne aut refricare obductam jam Reipubl. cicatricem viderer.* lib. 5. epist. 17. *Nec refricem meis literis desiderium ac dolorem tuum.* Pro Flacco cap. 23. *Quo cum venisset Lalius ad iratos, & illud Castricianum vulnus dicendo refricuisset.* Ad Attic. lib. 12. epist. 19. *Quae res forsitan sit refricatura vulnus meum.* WEITZ.

Gemitus suspirio tectus] Ovid. 5. Trist. 1.

Strangulat inclusus dolor. WEITZ.

Amici quaerebat obsequium] Scilicet Lycas. *Obsequium* in rebus nequam & turpibus, ut apud Plautum *obsequi*, & *morigerari* patientes in Venere dicuntur. vide Schopp. Explanat. in Mostellar. ERHARD.

[a] *Dum ancilla reſtitans in haec erupit:* Si quid ingenui ſanguinis habes, non pluris illam facies, quam ſportam. Si vir fueris, non ibis ad ſpuitam. [b] *Haec animi pendentem angebant. Sed* me nihil magis pudebat, quam ne Eumolpus ſenſiſſet, quidquid illud fuerat, & homo dicaciſſimus carminibus vindicaret *creditam noxiam.* *

Jurat Eumolpus verbis conceptiſſimis. * * *

CXIV. Dum haec taliaque jactamus, inhorruit mare, nubeſque undique adductae obruêre tenebris diem. Diſcurrunt nautae ad officia trepidantes, velaque tempeſtati ſubducunt. Sed nec certos fluctus ventus impulerat:

[a] ANCILLA. [b] ENCOLPIUS.

Dum Ancilla] Abſunt ab antiquis editionibus, ut & alia quædam, quæ diverſo charactere expreſſimus. & certe, quæ primus intruſit mala manus debuiſſet indicare, unde ſumſerit. Sed liberalior Gallicus ille Petronii inſtaurator, qui incredibilem hic narrationis ſeriem barbara & non Latina Oratione contexit.

Si quid ingenui ſanguinis habes] Hoc eſt, ſi quid in te virilis roboris maneret. Caſaubon. in Perſ. Sat. 1. ERHARD. Quæ minimis hic litteris, humaniſſime Lector, & hoc & aliis in locis deſcripta vides, ſcito conjecturas & ſupplementa cujuſdam Editoris, non Petronii, eſſe. Locus hic in ſcriptis depravatus & fruſtra in multis editionibus à variis tentatus, ut opinor, ſic forſan reſtituendus; *ſi quid ingenui ſanguinis habes, non pluris illam facies, quam ſpuriam; ſi vir fueris, non ibis ad ſpurcam*, vel *ſpurcum*. Huic occaſionem emendationi præbuit Cato, has voces conjungens lib. Orig. *Graci tam impudenti jactantia jam effunduntur, ut, quoniam his dudum nemo reſponderit, ideo libere à ſe ortam Italiam & eandem ſpuriam ſimul & ſpurcam atque novitiam, nullo certo autore, ſed per ſolam inſaniam, fabulentur.* Non. Marcellus in *Spurcum*. *Spurcum ſignificat obſcœnum, impurum, lutulentum.* Plaut. Aſinar. Act. IV. ſc. 1. *Tot noctes reddat ſpurcas, quot puras habuerit.* Cicero pro Domo cap. 10. *Scilicet tu helluoni ſpurciſſimo, præguſtatori libidinum tuarum, homini egentiſſimo & facinoroſiſſimo, Sex. Clodio ſocio tui ſanguinis, qui* &c. Non audiendus hic Lambinus, legens ex S. Victoris cod. *impuratiſſimo*, aut Guilelmius, *ſpurcatiſſimo* emendans. BOSCH. Vide ſupra ad cap. XLIV. Quintil. Declam. XII. *Si quidquam tibi ſanguinis humani ſupereſt.* Valer. Max. lib. IX. cap. 1. §. 8. *viator ingenui ſanguinis.*

Sportam] Vaſis genus vile ex vimine, aut juncis. GLOSSÆ. Lege *ſcortum*. Putſchius. ERHARD.

Si vir fueris] Apul *Cominus in aſpectum, ſi vir es, dirige.* Heliodor. ἀλλ' ὅπως ἀνὴρ ἔσῃ καταλάβου. PITH. Apul. lib. 11. Metam. *Cominus in aſpectum, ſi vir es, dirige.* Heliodor. ἀλλ' ὅπως ἀνὴρ ἔσῃ, καταλάβου. WOUWEREN. Porcius Latro in Catilin. *Si viri eſtis, declinatura*, &c. Salluſt. in Catilin. *Quis mortalium, cui virile ingenium eſt, tolerare poteſt?* Hoc autem loco ſimul obſcœni quid latet. Infra cap. CXXIX. Polyænus frigidus & maleficiatus: *Non intelligo me virum eſſe, non ſentio.* unde *virile officium*. Theodor. Priſcianus lib. 2. Logic. cap. 11. de rebus inflantibus vel erigentibus membra virilia; *Quæ per potiones accepta virile ſemper officium reparant.* ERHARD.

Ibis ad ſportam] Alii, *ad ſpurcam*. PATISSON. Forte *ſpinthriam*. TORNÆS. Leg. *ſportam*. Caſaubon. in Perſ. Sat. 1. vel, *ſpurcam*. Putſchius. ERHARD.

Quidquid illud] Vide ſupra ad cap. 99.

Homo dicaciſſimus] Jocoſiſſimus, mordaciſſimus. ERHARD.

Conceptiſſimis verbis] Sen. *conceptis verbis juravit, ſe non indicaturum, etiamſi in medio foro hominem vidiſſet occiſum.* BARTH.

Inhorruit mare] Pacuvius, *Inhorreſcit mare, Tenebræ duplicantur, noctuque & nimbum occæcat nigror*, &c. *Undique omnes venti erumpunt.* PITH. Seneca lib. 8. Contr. ult. *Subito fluctibus inhorruit mare, ac diſcordes in perniciem noſtram flavere venti. Dimiſſa eſt nox cælo, & tantum fulminibus dies redditur.* Vide eumd. l. 7. controverſ. 1. Senec. Agamemnone. WOUWEREN. Virgil. lib. 5. *& inhorruit unda tenebris.* Boëth. lib. 2. proſ. 2. BARTH. Confer Achillem Tatium lib. 3. initio de Clitophont. & Leucipp. amorib. WEITZ. Hoc verbum unum eſſe ex ſingularis rei & gratiæ vocabulis, quorum non paucis Lingua Latina ipſam Græcam aliaſque omnes tranſit, cenſet & illuſtrat Barthius ad Statii lib. 1. Theb. verſ. 309. Valer. Flacc. III. 348.

Ter inhorruit æther.

& paſſim Poëtæ.

Diſcurrunt nauta ad officium trepidantes] Seneca Agam. verſ. 508.

——— *Omnis officio ſtupet*
Navita relicto. ——— WOUWEREN.

Valer. Flaccus Argonaut. lib. 1. verſ. 312.

Diſcurrunt tranſtris, hi ceſo cornua malo
Expediunt, alii tonſas in marmore ſumme
Prætentant; Prora ſunem legit Argus ab alta.

Vide Ovid. lib. 11. Metamorphoſ. verſ. 483. WEITZ.

Certos fluctus] Leg. *certus*. Jungermann. Bene, &

pulerat: nec, quo deſtinaret curſum, gubernator ſciebat: Siciliam modo ventus dabat, ſaepiſſime Italici litoris Aquilo poſſeſſor convertebat huc illuc obnoxiam ratem: &, quod omnibus procellis periculoſius erat, tam ſpiſſae repente tenebrae lucem ſuppreſſerant, ut ne proram quidem totam gubernator videret. Itaque, Hercules, poſtquam ** manifeſta convaluit, Lycas

fluctus accipe in accuſandi caſu. ERHARD. Nihil mutarem. Ventus non impellit certos fluctus, id eſt, æquales, & inter ſe ſimiles, ſed, ut in tempeſtate fieri ſolet, qui modo ad cælum navem evehant, modo ad fundum deprimant. Aliquando remiſſa vi, ut videtur, procellæ minores, deinde ſævitia ventorum ingruente majores fluctus mare volvit. Ita Horatius lib. II. od. 16.

Simul atra nubes
Condidit diem, neque certa fulgent
Sidera nautis.

Val. Flacc. I. 17.

Neque enim in Tyrias cynoſura carinas
Certior, aut Grajis Helice ſervanda magiſtris.

Tibull. I. eleg. 10.

Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt inſtabiles ſidera certa rates.

Certa ergo *ſidera* ſunt, ad quæ curſum ſuum dirigere poteſt, & ita *non certi fluctus*, qui inopem conſilii, &, quid ſperare debeat, incertum faciunt Gubernatorem Quamquam & *certum ventum* dici poſſe non negem. BURM.

Ventus impulerat] Dum enim cœlum nubes adducit, aura prior turbatur, & incerta, nunc in hanc, nunc in illam, regionem ſe convertit. cujus rei exemplum hic Petron. exhibet. Lindenbrog. Obſervat. Var. Lect. in Statii Thebaid. lib. 5. epigr. in Priſcillam. ERHARD.

Quo deſtinaret curſum, magiſter ſciebat] Lucanus: lib. V. verſ. 645.

——— *Neſcitque magiſter,*
Quam frangat, cui cedat aqua. ———

Seneca Agam. verſ. 507.

Nil ratio, nec uſus audet, ars ceſſit malis.

WOUWEREN.

Ventus dabat] Alii *oſtendebat*. TORNÆS. Muſæus:

Αἰθέρι μίσγετο πόντος, ἀνέργετο πάντοθεν ἡ γῆ,
Μαρναμένων ἀνέμων. ζεφύρῳ δ' ἂν τε πνέον εὖρος,
Καὶ νότος ἰς βορέην μεγάλας ἐφώκεον ἀπειλάς.

Vide Seneca Agam. verſ. 470. & ſeqq. WOUWEREN. Id eſt, oſtendebat. Val. Flacc. I. 465.

Fluctibus è mediis terras dabit ille magiſtro,
Et dabit aſtra rati.

Italici litoris poſſeſſor Aquilo] Ventis aliis validior. TORNÆS. Elegantiſſime & fere Poëtice, pro perpetuo ejus vexatore & infeſtatore. Lucan. l. II. v. 454.

Ut, cum mare poſſidet Auſter
Flatibus horrificis.

Propert. I. eleg. XVIII. 2.

Et vacuum Zephyri poſſidet aura tuemus.

Ubi Paſſeratius notat, Horatium dixiſſe lib. III. od. 10. *incolas Aquilones*. Papinius lib. IV. Sylv. IV.

Sed tu, dum nimio poſſeſſa Hyperione flagrat
Torva Cleonai juba ſideris, exue curis
Pectus.

Idem lib. IX. Theb. 494.

Sed amicior undis
Fraxinus, ingentique vadum poſſederat umbra.

Ubi Barthius ex Martiale ſimilem locum producit. Seneca Herc. Fur. 282.

Et quidquid atra nocte poſſeſſum latet.

Et Herc. Oetæ. 1293.

Inter infernos lacus
Poſſeſſus atra nocte cum fato ſteti.

Sed, ne Poëtæ ſoli ita videantur locuti, ecce & Juſtini verba ex lib. XLI. cap. I. *ex quo fit, ut Parthia pleraque finium aut æſtus, aut frigoris magnitudo, poſſideat.* eadem figura dixit Horatius I. od. 3. *arbitrum Adriæ notum.* & lib. II. od. 17. *Tyrannum Heſperiæ Capricornum undæ.* BURM.

Obnoxiam partem] Alii *proram*. TORNÆS.

Tam ſpiſſa repente tenebrae] Tale quiddam Leucipp. lib. 3. ἀεὶ τὸν θάνατον προσδοκῶντες, καὶ ἢ ὡς ἐκὸς ἐ μακρὰν. περὶ γὰς μισεμβρίας δείλη ὁ μὲν ἥλιος τέλεον ἀφανίζεται. ἐωρῶμεν δὲ ἑαυτὺς ὡς ἐν σελήνῃ. PITH.

Lucem ſuppreſſerant] Curtii loco à Douſa adducto adde alterum ejuſdem ſcriptoris, ex lib. IV. cap. 3. *ſubito ſpiſſa nubes intendere ſe cœlo, & quidquid lucis internitebat effuſa caligine exſtinctum eſt, tunc inhorreſcens mare paullatim levari, deinde acriori vento concitatum, fluctus ciere, & inter ſe navigia conlidere.* Ubi ſimilis illa fere deſcriptio, quaſi ad unam & ſolemnem formulam Scholaſtici ſe omnes componerent, Petronianæ. Mallem vero in Curtii verbis *effuſa caligine*, ut lib. VII. cap. 6. & IX. 5. idem auctor loquitur, & paſſim alii. BURM.

Poſtquam manifeſta convaluit] Forſitan reponendum, *poſtquam maris æſtus convaluit*. Pacuvius: *Sævi exiſtunt turbines; Fervet æſtu pelagus.* niſi quis legat, *poſtquam tempeſtas convaluit*. PITH. Leg. *poſtquam tempeſtas manifeſta convaluit*, deleto aſteriſco. Putſchius. vel, *poſtquam maris æſtus invaluit*. Meurſ. Animadverſ. miſc. lib. 4. cap. 6. ERHARD. Emendationem hujus loci debemus MSS. Cod. *Poſtquam ſpes omnis manifeſto evolavit: Manifeſto*, ἐπ' αὐτοφώρῳ. Quid autem impulerit Correctorum audaciam, ut omnimodo locum illum deturparent, haud adhuc vi. deo.

cas trepidans ad me supinas porrigit manus: &, [a] Tu, inquit, Encolpi, succurre periclitantibus, id est, vestem illam divinam sistrumque redde navigio. Per fidem, miserere, quemadmodum quidem soles. [b] Et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit. Tryphaenam autem prope jam fide-

a LYCAS *b* ENCOLPIUS.

deo. Me sanum reposuisse non dissidio. *Evolare* esse verbum abdicatæ spei, frustra esset monuisse. BOURDELOT. Non habeo fidem Bourdelotio, qui audacissime sæpe locos sanos tentat, & nescio quos codices crepat. Itaque non debuerant ei auscultare editores. Meursius Critic. Arnob. cap. 1. legit *maris æstus invaluit*. Sed Amplissimus Cuperus egregie ostendit lib. 11. observ. cap. 17. excidisse vocem *tempestas*, cujus amplectimur emendationem, nisi quod mallem *tempestas manifesta convaluit*. *Manifesta tempestas*, est gravis, ut de ea nemo amplius dubitet, an sit futura noxia & damnosa. Ita *manifestas contumelias* pro gravibus, noster dixit infra cap. CXXXII. & *manifestas numinis vires* Valer. Maxim. lib. 1. cap. 1. exempl. 17. ita *manifestum lumen*, de quo Heinsius ad Val. Flacc. lib. 1. vers. 105. BURM.

Lycas trepidans] Alii, *trepidus*. PATISSON.

Vestem illam divinam, sistrumque] Linteam vestem sacerdotalem intelligit, qua in sacrificiis induti Isidis Sacerdotes. *Sistrum* iidem Sacerdotes quatiebant in sacris, quæ manu ferebant, ut Apollonius aliique scribunt. videndi Hugo Grotius in Februis Marciani Capellæ libro 2. Raderus ad Martial. lib. 12. epigr. 25. ERHARD.

Sistrum] Crepitaculum æneum, quo Ægyptii Sacerdotes in Sacris Isidis utebantur. GLOSS. Sistrum habuisse vim sedandi tempestates, hoc adducto Petronii loco ostendit Vir Eruditissimus Tristanus tom. 1. Comment. p. 726. & egregium nummum Commodi illustrat, ubi Isis, sive Africa, sinistra sistrum, dextra fasciculum frumenti porrigit Commodo, qui navigio pedem impositum habet, quasi promittens tutam in Africam navigationem classi Africanæ, quam ad annonam inde petendam instituerat. Eum hic exprimi curavimus.



Quemadmodum quidem soles] Forte *quondam*; Aliquis ad oram libri: placet & eo magis, quia mox: *& illam quidem*, &c. BOSCH.

Et illum] Barth. ad Stat. v. Theb. vers. 421. putat, hæc conjungenda cum superioribus *ut ne proram quidem totam Gubernator videret, & illum quidem*, &c. media autem à librariis pessime esse interposita. Quod probare nequeo, cum neque ulla codicis MSSti auctoritate nitatur, neque ulla mentio submersi Gubernatoris, aut vociferantis, fiat; præterea ex sequenti periodo. *Tryphaenam autem*, patet, hic actum de Lyca, & Tryphænam impositum scaphæ, ne simili modo periret. Quæ non cohærerent, si hæc verba de gubernatore essent capienda, & non de domino navis, nisi statuamus, Lycam fuisse ipsum Gubernatorem, ut videtur indicare supra cap. CI. ubi vide quæ notavimus: quamquam, ut verum fatear, hic diversos videatur statuere Lycam & gubernatorem, quem forte sibi vicarium Lycas gubernaculo admoverat. BURM.

Repetitumque] Ex Virg. lib. 1.

Illum ter fluctus ibidem,
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.

BARTH. *Raptatumque* forte quis malit. Sed alterum omnino probum. sic Livius lib. IV. cap. 19. *assurgentem ibi regem umbone resupinat, repetitumque sæpius cuspide ad terram adfixit*. Columella lib. IV. cap. ult. de vinea. *Bis ferro repetenda est veris principio, ut incitetur ejus proceritas*. Palladius lib. IV. tit. 11. *Vervacta etiam, qua Januario mense sunt facta, repetere*. HEINS. Id est, bis terve in gyrum circumactum & impulsum submersit. Propert. lib. III. eleg. 5.

Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus.

Repetere vero, pro bis terve petere, in aliis quoque rebus dicitur. Ita Suetonius pro denuo, iterum, in judicium vocare & accusare. August. cap. XXXII. & Domit. VIII. & IX. *repetere aliquem toxico*, pro, cum male successisset primo datum venenum, denuo tentare. *Repetere vectigal multorum annorum*, apud Justin. XIX. cap. 1. est sæpe petere, & instare, & urgere, ut solvatur. Similem quoque hujus vocis vim observat & illustrat Gronovius ad Senec. Herc. furent. vers. 770, & Oedip. vers. 61. BURM.

Prope jam] l. G. *properam*, id est, propere, ut *protinam* & *protinus*, *promiscuam* & *promiscue*. RITTERSH. Forte *properam*. BARTH. Leg. *properam*, antique pro, *propere*, sicut *promiscam* & *promiscue*, *protinam* & *protinus*, *perperam* & *perpere*, *palam*, sexcenta alia. Gulielm. Plaut. Quæst in Epid. cap. ult.

ER-

fidelissimi rapuerunt servi, scaphaeque impositam cum maxima sarcinarum parte abduxere certissimae morti. *ego Gitoni* applicitus cum clamore flevi: &, hoc, inquam, à Diis meruimus, ut nos sola morte conjungerent; sed non crudelis Fortuna concedit. Ecce jam ratem fluctus evertet. Ecce jam amplexus amantium iratum dividet mare. Igitur, si vere Encolpion dilexisti, * ad oscula, dum licet, & ultimum hoc gaudium fatis properantibus rape. Haec ut ego dixi, Giton vestem deposuit, meaque tunica contectus exseruit ad osculum caput: &, ne sic cohaerentes malignior fluctus distraheret, utrumque zona circumvenienti praecinxit, &, [a] si nihil aliud, certe diutius, inquit, juncta nos mors feret; vel, si voluerit

[a] GITON.

ERHARD. Nescio, an captaverit Petronius antiquam illam vocem *properam*, & cujus nullum exemplum apud veteres, quod ego quidem sciam, occurrit, qui *properatim* & *properiter* olim dicebant. Quare restitui antiquarum editionum scripturam *prope jam*. Et explico, Tryphaenam prope etiam fuisse excussam navigio, cum eam rapuerunt servi. Forte excidit verbum unum, ut infinitis nostri Satyrici locis accidit. Amplissi. Cuperus mallet, *Tryphaenam autem properantes f. s.* manus viri docti in codice Clariss. Almelovenii, lege *propere jam*. BURM.

Parte abduxerat] Alii, *abduxere certissimae morti applicitus*. Addatur asteriscus nota. PATISSON. Lege *abduxere*. *Ego certissimae morti applicitus*. Putschius. ERHARD. Insolentior esset locutio, si pro eripere, vel subducere morti, esset positum, ut cepisse videntur quidam interpretes, certe Gallicus interpres reddit, *la delivrerent d'une mort certaine*. Et tamen, cum servati essent Encolpius, Eumolpus, & Giton, Tryphaenam non inveniunt enatasse, quam verosimile est una cum scapha, maxima sarcinarum parte onerata, & in quam, ut fieri solet, quisque pro se insilire tentabat, submersam fuisse, vel saltem in diversum litus ejectam, *Abduxere* ergo *certissimae morti*, id est, in certam mortem, & periculum, quod non evasit, quia nulla de ea post mentio. Manus viri docti in codice Almelovenii adscripsit, sibi videri legendum *abduxere. ego certissimae morti applicitus*, sed nec hoc Latinum puto. BURM.

* *Applicitus*] Pro asteriscō præcedente hanc dictionem scribo ex MSS. *Gitoni applicitus*, sensu sano ita postulante. BOURDELOT.

Ecce jam amplexus] Convenit cum illo Eustath. ἰδοὺ τὸ μῖσος τὴν σὴν, πνεῦμα θρασὺ τῆς σῆς χειρὸς ἁφαρπάζει με. μέγα κῦμα θαλάσσης πῦρ ἐρωτικὸν ἐπικλύσαι φιλονικεῖ. PITH.

Dividet] Ambigue dictum notavit manus viri docti in codice, quem V. Cl. Fr. Hesselius mihi misit, ut supra cap. 77. *age nunc & puerum dividamus*.

Si vere Encolpion dilexisti * *ad osculandum licet*] Asteriscō loco reponendum censeo *exsere caput*. Dicit enim postea, *exseruit ad osculum caput*. Sublato asteriscō potest esse ἀσύνδετον. Postrema tamen editio, quam impuri mei Chalcographi sequuntur, invitis MSS. locum reformans fecit. *da oscula*. BOURDELOT.

At oscula ac ultimum hoc gaudium] Simile illud Heliod. προσαφήνται μὲ καὶ τὰ τελευταῖα περιῤῥαλεῖν ἰσχάτων φιλημάτων καὶ ἀψύχων ἀπεσίῳθην. PITH. Pariter Bion Epitaph. Adonid.

Ἔγρεο τυτθόν Ἄδωνι, τὸ δ' ἂν πύματόν με φιλήσαις,
Τοσσοῦτον με φίλασον, ὅσον ζώει τὸ φίλημα. BARTH.

Lege *da oscula*, vel, *age da oscula* Jungermannus. ERHARD. *Ad oscula* veteres editiones, quod tuetur Barth. lib. XII. adversar. cap. 1. & XXII. cap. 13. & abruptum dicendi genus, dignum & loco huic, & Petronio, censet: non alia ratione, quam in rebus creperis clamari solitum, *ad arma*, non ineleganter. Sed deesse aliquid puto. Simile quid Accius in Alcmaeone apud Nonium in, *Amplexa*, voluisse videtur. *Postremo amplexa, fructum, quem Dii dant, cape*. Ubi forte etiam *rape* magis conveniret. Nam in angustiis his positi festinanter capere debebant. vide de usu hujus vocis *rapere* Heins. ad Ovid. Epist. XIX. vers. 74. & Tennul. ad Frontin. Strateg. lib. I. cap. IV. exempl. 8. BURM.

Fatis properantibus] Propertius lib. II. eleg. 22. *Quod si forte tibi properarent fata quietem*. Vopiscus Probo cap. 21. *Fatalem properavit necessitatem*. WOUWEREN. Sic in Institutt. Juris lib. 4. cap. ult. *Si quis parentis fata properaverit*. Cujac. in Not. ERHARD.

Mea tunica contectus] Epigramm. νῦν δὲ καὶ ὀπτὸν κρύψῃ μιὰ τοὺς φιλέοντας χλαίνα. Ovid. Am. I. El. V.

Diripui tunicam, nec multum rara nocebat,
Pugnabat tunica se tamen illa tegi. PITH.

Si cohaerentes] Propert. lib. II. eleg. 12.

Atque utinam haerentes sic nos vincire catena
Velles, ut numquam solveret una dies. PITH.

Malignior fluctus] Eleganter dictum, quasi invideret, nec ferret arctos amantium complexus. vide Barth. ad Stat. I. Theb. vers. 374. qui egregia ibi ad hunc sensum loca veterum adducit.

Detraheret] Alii, *distraheret*. PATISSON.

Si nihil aliud] Simile quiddam Eustath. lib. 7. Leucipp.

luerit misericors ad idem litus expellere, aut praeteriens aliquis tralatitia humanitate

Leucipp. lib. 3. Ἐλέησον, ἔφη, δέσποτα Ποσειδῶν. εἰ ὃ ἡμᾶς ἀποκτεῖναι θέλῃς, μὴ διαφθόρῃς ἡμῶν τὴν τελευτήν. ἐν ἡμᾶς κῦμα καλύψατε. εἰ δὲ καὶ θηρίων ἡμᾶς βορὰν πέπρωται γενέσθαι, εἰς ἡμᾶς ἰχθῦς ἀναλωσάτω, ἵνα καὶ ἐν ἰχθύσι κοιῇ ταφῶμεν. PITH. Supra cap. XIX. *quibus si nihil aliud virile, sexus esset.*

Juncta nos mors feret] *Junctos nos mare feret.* Petr. Faber. TORNÆS. Legend. *junctos nos mare feret.* induxit autem errorem, quod præcedit eod. cap. *ut nos sola morte conjungerent.* P. DANIEL. Alii, *junctos nos mors*, Wouwer. Supra dixit, *ut nos sola morte conjungerent.* Avianus Bœthus de Moribus; *Multos vitam differentes mors juncta prævenit.* Goldast. in Notis. Sic apud Plaut. Asin. Act. 3. sc. 3. Philenium ad Agrippum;

——— *Certe enim tu vita es*
Mihi. complectere. AG. Facio lubens. PH. Utinam
sic esseramur! ERHARD.

Hunc locum male aliter legit Petrus Daniel. BOURDELOT.

Voluerit misericors] Credo, excidisse vocem *Deus*, nisi legendum, *si voluerit miseros fors ad idem litus expellere.*

Tralatitia humanitate lapidabit] Jus scilicet humanitatis commune: sacrum enim erat & exsecrabile cadaver hominis mortui præterire & non sepelire. GLOSS. Obiter adhibita & perfunctorie. TORNÆS. *Humanitatis negotium gerere* dicitur, qui cadaver sepelit L. *& si quis*, §. *sed interdum*, de Religios. ubi scripsit P. Faber. *Humanitatis ratione multa* se I. C. dicunt *admittere* l. 6. de Appellat. *Humanitate suggerente* l. 1. vers. *quid ergo*, Quando appell. fit. Cicero *communis humanitatis jure* dixit pro Flacco cap. XI. *Si quem infimo loco natum nullo splendore vitæ, nulla commendatione famæ defenderem, tamen civis civem à civibus communis humanitatis jure ac misericordia deprecarer, ne ignotis testibus*, &c. *civem ac supplicem vestrum dederetis.* Vide Brisson. in verbo HOMINIS *appellatione.* Seneca epist. 66. *Itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet & hominibus laborantibus intereuntibus illa nihil patitur.* Apulejus Apolog. 2. *Commune jus humanitatis & fas commune* dixit, quod *commune omnium hominum* nostri dicunt l. 1. in fin. & L. *omnes populi*, D. de justit. & jur. & plerunque *jus gentium* dicitur. verba Apuleji hæc sunt; *Athenienses quidem propter commune jus humanitatis ex captivis epistolis Philippi Macedonis hostis sui unam epistolam, cum singula publice legerentur, recitari prohibuerunt, ne maritale secretum divulgarent: præferendum rati fas communi propriæ ultioni.* Et lib. 3. de Asin. aur. *Lugubriter ejulantes, per publicam misericordiam, per commune jus humanitatis, ajunt, miseremini indigne casorum juvenum.* Contumelios humanitas quid sit apud Senecam epist. 4. explicandum. Quintilian. cap. 11. & ult. lib. 12. Institut. *Hos ille formabat quasi eloquentiæ partus, & ut vetus gubernator littora & portus, & qua tempestatum signa, quid secundis flatibus, quid adversis ratis poscat, docebit, non humanitatis solum communi ductus officio, sed amore quodam operis.* In l. 2. Cod. Theod. de Postlim. tit. 5. lib. 5. *humanitatis sit præstitum.* Spartianus in Antonino Caracalla cap. IV. ubi de Papiniano & Petronio jussu Caracalli occisis; *Tractaque sunt* (ait) *eorum per plateam cadavera sine aliqua humanitatis reverentia.* Idem auctor in Adriano cap. X. *De militum etiam ætatibus judicabat, ne quis, aut minor, quam virtus posceret, aut major, quam pateretur humanitas, in castris contra morem veterem versaretur.* Seneca lib. 1. de Tranquillit. vitæ cap. 15. *Alienis malis torqueri, æterna miseria est, alienis delectari malis, voluptas inhumana, sicut illa inutilis humanitas, flere, quia aliquis filium suum efferat, & frontem suam fingere.* Idem Epist. 86. *Humanitas vetat superbum esse*, &c. Ut *humanitas*, ita & è contrario *inhumanitas* dicitur ab eodem Seneca epist. 100. *Quid nunc ex duritia suadeo*, &c. *Inhumanitas est ista non virtus*, &c. Cicero Philipp. XI. cap. IV. *Nisi denique natura & humanitati inventus esset inimicus.* Et pro Quintio cap. XVI. *Hæc in homines alienissimos viri boni faciunt, & hominum existimationis & communis humanitatis caussa.* Et cap. XXXI. *Aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ, si non hominis, at humanitatis rationem habeat.* Negotium gerere humanitatis merito dicitur, qui mortuum sepelit. Nam qui cadaver aut reliquias alicujus sepulturæ tradit, memoria humanæ conditionis id facit L. *quidam in suo*, 27. D. de condition. instit. Seneca pag. 325. ubi de luctu; *Sæpe salva sapientes*, &c. *& oblivisci quidem suorum, ac memoriam cum corporibus efferre*, &c. *inhumani est animi.* & contra jus φιλανθρωπίας. Quintilianus in Ægro redemto, Declamat. 5. *Hinc & ille venit affectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus, & insepultum quodlibet corpus nulla festinatio tam rapida transcurrit, ut non quantulocumque veneretur aggestu*, id est, lapidet. Idem auctor verbo *humanitatis* usus est in Declamat. 6. Corporis projecti, *Convenerunt etiam alieni parentes, totum in spectaculum populus effusus est, & ignoto quoque corpori publica humanitas quasi quasdam fecit exsequias.* Et paullo post; *Non sepelis? Vide quæso, ne, dum litigas, arenam fluctus aggerat, injiciat humum misericors populus.* Et postea; *Nobis vero* (rerum natura) *exanimes genuit non solum miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam religionem, inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde injecta ab alienis.* Seneca lib. 5. de Benefic. cap. 20. *Patrem alicujus in solitudine exanimem invenî, corpus ejus sepelivi*, &c. *præstiti patri ejus, quod ipse præstare voluisset, nec non & debuisset. Hoc*

humanitate lapidabit, aut, quod ultimum est, iratis etiam fluctibus, imprudens arena componet. [a] Patior ego vinculum extremum, &, veluti lecto funebri aptatus exspecto mortem jam non molestam. Peragit interim tempestas

[a] ENCOLPIUS.

tamen ita beneficium est, si non misericordiæ & humanitati dedi, ut quodlibet cadaver absconderem, sed, si corpus agnovi, si filio tunc hoc præstare me cogitavi. At, si terram ignoto mortuo injeci, nullum in hoc habeo hujus officii debitorem in publicum humanus. Lactantius cap. 12. lib. 6. Institut. *Et quamvis in homine ignoto necessariorum sepulturam nulli negandam munus implebimus, in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas, &, ubicumque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis justitiæ ratio consistit, quam in eo, ut, quod præstamus nostris per affectum, aliis præstemus per humanitatem, quæ est multo certior justiorque,* &c. Justinus lib. XI. *Ejusque mortem illachrymatum Alexandrum, benigne prosecutum, idque eum non amoris, sed humanitatis caussa fecisse.* P. DANIEL. Suet. Neron. XXXIII. *Comitialis morbo & consuetudine correptum apud convivas mentitus postero die raptim inter maximos imbres tralatitio extulit funere.* PITH. Sacrum & exsecrabile, cadaver hominis mortui prægredi, nec sepelire. Schol. Sophocl. οἱ γὰρ νεκρὸν ὁρῶντες ἄταφον, καὶ μὴ ἐναμησάμενοι κόνιν, ἐναγεῖς εἶναι ἐδόκουν. Ælian. Var. hist. l. v. cap. 14. Νόμος καὶ ἔτι Ἀττικὸς, ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θᾶττον ἢ πρὸς δυσμὰς βλέποντας. Hoc maxima religione servatum apud omnes gentes. Hieron. ad Sabin. *Fossam humum lapidibus construentes, ex more cumulum parant.* WOUWEREN. Ex communi humanitatis jure atque officio terram homini mortuo etiam ignoto sepeliendi caussa injicimus. Quintil. Declam. 5. *Hinc & ille venit adfectus, quod ignotis cadaveribus humum congerimus.* Ubi sub *affectus* vel affectionis nomine misericordia, humanitas, mansuetudo, pietas, intelligitur, sine cujus intentione cadaver alienum nemo funerat. Quamobrem, qui de pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura volverunt. Multis P. Faber Semestr. lib. 2. cap. 1. & ex eo Waramundus de Erenberg, sive potius Eberardus à Weihe in Meditam. pro Fœderibus lib. 2. num. 9. Adde Tobiæ cap. 1. & Baccharium in epist. de Recip. lapsi. ERHARD. Præter adductos à viris doctis, vide Commentatores ad Horat. 1. od. 28. Guther. de jure manium lib. II. cap. 15. & 17. Loens. III. Miscell. Epiph. cap. 19. ubi docent, grande fuisse nefas insepultos relinquere, quos naufragium ejecit in terram. Cicer. de republ. lib. III. apud Nonium in *excipere*. *Quod insepultos reliquissent eos, quos è mari propter vim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necaverint.* Et hinc Virgilius, notante Donato, lib. 1. Æneid. vers. 45. vehementem iram Minervæ in Ajacem ostendit, quod

Turbine corripuit scopuloque infixit acuto,
Ne ad litus deveniens saltem sepulturam acquireret. Et hinc turpissimum & miserrimum mortis genus veterum superstitio censebat, aqua submergi, quia sepulturæ beneficio privabantur. Ovidius lib. 1. Trist. eleg. 2.

Nec letum timeo: genus est miserabile leti
Demite naufragium, mors mihi munus erit.

Sed hoc argumentum hic exsequi non patitur adnotationum ratio. v. Ampliss. Cuper. observ. lib. 1. cap. 8. Barth. ad Stat. VII. Theb. vers. 807. & quæ Vir quidam eruditus de hoc mortis genere nuper commentatus est, in observationibus Hallensibus tom. VII. Observ. 5. BURM.

Lapidabit] Alii, *tumulabit*. TORNÆS. *Monte sub hoc lapidum jacet Ballista sepultus.* Pro hoc loco de arena ossibus danda. vide Od. 28. lib. 1. Horat. BONGARS. Dionysius Halicarnas. ἀλλ' οἱ παριόντες αὐτὴν ἐρρίμμενην ἐν ᾧ διεχρήσθη χωρίῳ λίθους ἐπιφορεῖντες καὶ γῆν ἐκχεύσαν ὡς πλῶμα ἔρημον κηδεμόνων. PITH. Solebant tumulos lapidibus sternere. Hieronymus epist. quadam ad Innocent. *Linteo cadaver obvolvunt, & fossam humum lapidibus construentes ex more tumulum parant.* Petron. hoc *lapidare* dixit. Virgil.

Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.

Meurs. ad Lycophron. vers. 1064. WEITZ.

Quæ ultimum est] *Quod ultimum est.* Leid. cod. BOSCH.

Imprudens arena componet] Seneca Contr. 4. lib. 9. *Omnibus natura sepulturam dedit. naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit.* WOUWEREN. Inscia, nescia. Plaut. Pseud. *Emit hospitalem is filium imprudens senex.* Schopp. in Miscellan. Propert. lib. 3. eleg. 6.

Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita,
Patum sponte tua vilis arena tegat.

ubi Dousa P. in Not. reliquis. ERHARD. Adde Passeratii notas ad Propert. lib. 1. eleg. XVII. pag. 223. & ad lib. III. eleg. VI. pag. 442. & Barth. ad Claudian. lib. 1. in Rufin. vers. 369

Componet] Id est, sepeliet. Virgil. lib. 1. Æneid.

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Vide Turneb. lib. 18. cap 14. P. DANIEL. Tacitus Histor. 1. cap. 47. *Pisonem Verania uxor, ac frater Scribonianus, T. Vinium Crispina filia, composuere.* PITH. Horat. lib. 1. Sat. 9.

——— *Haud mihi quisquam;*

Omnes composui.

Acro: *in urnis condidi, & sepelivi.* Tacit. de Vita Agric. *Paucioribus hominum lacrimis compositus est.* WOUWEREN. Sepeliet, condet. Tacit. in Agricol. cap.

pestas mandata fatorum, omnesque reliquias navis expugnat. Non arbor erat relicta, non gubernacula, non funis, aut remus; sed quasi rudis atque infecta materies ibat cum fluctibus. * Hospites veluti conclamans. * Procurrêre piscatores, parvulis expediti navigiis, ad praedam rapiendam: deinde, ut aliquos viderunt, qui suas opes defenderent, mutaverunt crudelitatem in auxilium.

CXV. *Tum, vocum concursu facto*, audimus murmur insolitum, & sub diaeta magistri, quasi cupientis exire belluae gemitum. Persequuti igitur sonum

cap. 46. *Paucioribus tamen lacrymis compositus es.* Pichena in Not. num. 101. ERHARD.

Aptatus] Id est, annexus. vide supra ad cap. 34.

Non arbor erat relicta, non gubernacula] Paria in fragmento Alexi. τὸ μὲν γὰρ ὕδωρ κῦμα κυλίδεται, τὸ δ' ὕδωρ· ἄμμος δ' ἀεὶ τὸ μίσον ναὶ φορήσεται σὺν μελαίνᾳ χειμῶνι μοχθήρᾳ μεγάλῳ καλὰν πᾶς μὲν γὰρ ἀντλῶ ἐσπέδαι ἔχει, λαίφω δ' πᾶν ἄδηλον ἦδη καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' ἄντο χαλῶσι δ' ἄγκυραι. BARTH. Fortasse *malus* scripserat, quod ne quis adjectivum arbitraretur, notatum alicujus manu ad oram, *arbor:* quod deinde in ordinem verborum irrepsit. *Arborem* tamen pro malo dicunt poëtae. *Anonym. MS.* Synthesis esset, ut illud Virgilii:

——— *Centauro invehitur magna.*

id est, non aliquo ex Thessaliae populis, Centauris dictis, sed Centauro navi: sic hic, *non malus erat relicta*, non intelligenda arbor pomifera, sed navis. Verum cum *arbor* nonnisi poëtice pro malo usurpetur, etiam parum decora videtur oratori haec synthesis. nisi forsan legamus, *non malus erat relictus.* HADRIANID. Cum tota haec naufragii descriptio elatiori stilo sit elaborata, nescio, cur non *arborem* pro malo potuerit ponere Petronius, cum ipsi JCti, ita saepe malum vocent, ut Lexicographi adnotarunt. Et praeterea Frontinus lib. II. Strategem. cap. v. exemplo 46. *Memnon Rhodius ita ordinavit suos, ut paucarum navium malos erigerent, easque primas agi juberet. Hostes autem procul conspicati numerum arborum, & ex eo navium quoque conjectantes, obtulerunt se certamini.*

Non gubernacula] Apulej. lib. II. Met. *navis ipsa, qua vehebamur, variis turbinibus procellarum quassata, utroque regimine amisso, agre ad ulteriorís ripae marginem detrusa, praecipitio demersa est, & nos, omnibus amissis, vix enatavimus.* Quae Pricaeus recte cum Petronianis his confert, ut & sequentia de praedonibus, qui ejectos spoliant.

Rudis & infecta materies] Id est, rude & non politum lignum. vide Tennul. ad Frontin. lib. I. Strateg. cap. v. exempl. I.

Percurrere] Forte, *procurrêre.* RICHARD.

Tum vocum concursu facto] Haec à mala manu intrusa sunt, neque convenit, ut in concursu vocum (si id modo Latine dici possit) audirent murmur, quod silentibus aliis melius exaudiri potuisset.

Audimus murmur] Fulgent. de Allegor. librorum Virgil. *Quales vatum imagines esse solent, dum, adsumtis ad opus conficiendum tabulis, stupida fronte arcanum quoddam latranti intrinsecus tractu submurmurant.* Stat. lib. 3. ad Uxorem Sylv. v. vers. 33.

——— *Tu procurrentia primis*
Carmina nostra sonis: totasque in murmure noctes,
Aure rapis vigili. ——— WOUWEREN.

Non absimile est, quod de semetipso Statius ad Uxorem lib. 3. Sylvar. Sylv. 5. If. Pontanus in Glossario Gallico, verb. *Baritus* de Bardis Poëtis Gallis. ERHARD.

Diæta] Cubile, in quo navicularius quiescit: item habitatio in hortis. Plin. ep. lib. v. Epist. 6. *Contra mediam fere porticum zeta recedit, quae quatuor platanis inumbratur.* l. 55. §. Lignis, D. de leg. III. *diaeta sunt hypocaustа.* Plin. *vaporaria. Diaeta* est quae aliis cœnatio. Sidon. *Ex triclinio in diaetam sive cœnatiunculam fit transitus.* Servius ad Virg. Æneid. I.

——— *Vocemque per ampla volutant*
Atria. ———

ex Catone adserit, veteres in atrio epulari solitos. At *atrienses*, principes servi tricliniares. Plaut. Pseud. Act. II. scen. 2. *Condus promus procurator peni.* HA. *Quasi te dicas atriensem.* PS. *Ego? imo ego atriensi impero.* hinc liquet, cur in Glossis *Atriensis* διαιτάριος, διαιτάρχης. *diaetarii* meminit Ulp. l. XII. §. 42. D. de instr. vel instrum leg. Paul. Sent. lib. 3. tit. de Legat. *zetarii*, ut Plin. *zeta* & *zetula*, diæta, diætula. In quo hallucinatus vir doctus, qui adscrit *zetam* ἀπὸ τῦ ζῶν, ut *diaetam* ἀπὸ τῦ διαιτᾶσθαι. Nihil enim aliud, nisi scriptionis mutatio, ut apud Phædrum contra Arrian. in principio: *nisi illam zabolicae subtilitatis fraudem viderem.* pro diabolicæ. Ergo omnis mansio appellari potest *diaeta.* Petron. δίκησις μετὰ τὴν πρόμναν. hinc forte *diataxii*, Ulpian. l. I. §. 3 D. Nautæ caup. stabul. ut rec. rest. qui custodiæ gratia navibus præponuntur. WOUWEREN.

Magistri] Gloss. *Magister, gubernator.* Glossarium: *Magister*, ἐπισάτης: Hesych. Gloss. *Magister navis*, κυ-

sonum, invenimus Eumolpum sedentem, membranaeque ingenti versus ingerentem. Mirati ergo, quod illi vacaret in vicinia mortis poëma facere, extraximus clamantem, jubemusque bonam habere mentem. At ille intercarmen in fine. [b]Injicio ego phrenetico manum, jubeoque Gitona accedere, & in terram trahere orcam mugientem. *

Hoc opere tandem elaborato, casam piscatoriam subimus moerentes, cibisque naufragio corruptis utcumque curati tristissimam exegimus noctem.

[a]EUMOLPUS. [b]ENCOLPIUS.

Postero

βερήτης. l. 3. de Naufr. l. 37. de Navic. C. Theod. Virgil. Æn. v. Valer. Flacc. l. 8. *Puppe procul summa vigilis post terga magistri.* WOUWEREN.

Cupientis exire] Manus viri docti in margine codicis Almeloveniani *excire*. Ut apud Apulej. de Deo Socratis, *quem adversatorem malis in omni vita ciebo.* Et ita *excire* pro evocare & elicere Plautus Epid. Act. IV. sc. 2. *quod me exciristi ante ades.* Lindenbrogius vero ad Donatum in Andr. Act. I. sc. I. legit *Quasi rugientis ex ira.*

Bellua gemitum] Seneca. *Vocem nullius terrestris animalis, sed, qualis esse marinis belluis solet, raucam & implicatam.* Dositheus magister: *Bellua marina, κῆτος.* Glossar. *Bellua κῆτος, χάδδαλον.* Fest. *Balenam belluam marinam ipsam dicunt esse pistricem, ipsam esse cetum.* Glossar. *κῆτος Pistrix de bellua.* PITH. Suet. Ner. cap. 12. *Exhibuit naumachiam marinis aquis, innantibus belluis.* WOUWEREN. Balænæ, quæ *bellua* vocatur. Claudian. lib. 2. in Eutrop.

Sic ruit in rupes, amisso pisce sodali,
Bellua. ———

Savaro ad Sidon. lib. 5. epigram. 13. ERHARD.

Persecuti igitur sonum invenimus Eumolpum] Plaut. Rud. Act. I. sc. 4.

Consequamur gradu vocem. SCIOPP.

In vicinia mortis] Ἐν προθύροις θανάτοιο, ut loquitur Oppian. 5. Halieutic. vers. 289. WEITZ.

Laborat carmen in fine] eleganter dictum. Quintil. decl. v. *facilius est divisa subtrahere, quorum magnitudo laborat in solido.* Idem decl. XV. *laboranti primo sui voluit facultate succurrere*, id est, ægro. Et Græci Poëtæ tunc ἀπορῶν πρὸς τὰ μέτρα dicuntur. Lucian. principio Timonis. CUPERUS. Optime explicat Vir Amplissimus: qui enim promtissimus ad extemporalitatem usque erat Poëta, queritur, se circa finem ei imponendum sollicitum hærere, neque aptum posse invenire, & ideo petit spatium meditandi, quasi pluris esset carmen consummare, quam in naufragii periculo salutem quærere; in quibus Satyricus noster insaniam intempestivi Poëtæ egregie ostendit, non constantiam Philosopho dignam, ut hic Hadrianides somniat. & ita *Laborare* eleganter Latinis omnia dicuntur, quæ in periculo sunt, ne lædantur, aut pereant. Ut hic carmen laborat, quia, si finis non imponeretur aptus, periculum erat, ne totum intercideret, & fœtus ille ingenii periret. Horat. I. od. IX.

Nec jam sustineant onus
Silvæ laborantes.

Idem I. od. 28.

Ah miser!
Quanta laboras in Charybdi.

Et sic sæpe alibi idem Poëta. Ovidius I. Met. 257.

——— *Et mundi moles operosa laboret.*

Statius lib. VII. Theb. 3.

Concussitque caput, motu quo celsa laborant
Sidera.

Supra noster cap. XLIV. *populus minutus laborat*, & cap. 24. *ut putares detectum parietem nimbo laborare.* BURM.

Porcam mugientem] Alii *portam*. Pith. PATISSON. Puto legend. *porcam.* PUTEAN. Optimus codex, *portam mugientem.* L. *poëtam mugientem.* Scal. WOUWEREN. Sine caussa hoc mutarunt viri doctissimi. BARTH. Leg. *orcam.* est piscis apud Plin. lib. 9. cap. 6. & quidem ex belluarum genere. Jungermann. An leg. *phocam?* Glossæ; φόκη, *vitulus marinus. In terram trahere* phrasis est piscatorum. *Mugientem*, id est, γρόμον, apud Hesych. ERHARD. Dixerat antea, *tamquam cupientis exire bellua.* Non igitur attenderunt, qui mutare ausi sunt. BOURDELOT. Illustris Scaliger legit *poëtam mugientem.* Mallet Doctiss. Th. Munckerus *poëtam mutientem*; quod admodum arridet. Est enim *mutire* confusum aliquem & obscurum edere sonum: quod à meditabundis sæpe fieri videmus. BOSCH. Barth. ad Stat. I. Achil. 524. citat *orcam*, & ex veteri Schol. notat, omnem inconditum sonum Poëtis mugitum dici. *Phocam* tamen, quod Dousa conjecerat, probavit Brouckhusius.

Elaborato] Magno labore, nisu & molestia, confecto. Justin. I. 2. *Ninyas contentus elaborato à majoribus imperio, belli studia depositit.* Ita Cicero de Clar. Orat. cap. XC. *elaborata oratio & elucubrata.* Sueton. Aug. LXIV. *ac nihil aque elaboravit, quam ut imitarentur chirographum suum.* Ita Torrentii codices: vulgo *laboravit:* usus & Horatius lib. III. od. I. & Epod. XIV. tantæ scilicet molis erat Poëtam insanum & reluctantem

Postero die, quum poneremus consilium, cui nos regioni crederemus, repente video corpus humanum circumactum levi vortice ad litus deferri. Substiti ergo tristis, coepique uventibus oculis maris fidem inspicere: &, hunc forsitan, proclamo, in aliqua parte terrarum secura exspectat uxor: forsitan ignarus tempestatis filius: aut patrem utique reliquit aliquem, cui proficiscens osculum dedit. Haec sunt consilia mortalium, haec vota magnarum

tem à membranis suis abstrahere, qui maluisset vitam, quam carmina, perdere. BURM.

Cibisque naufragio corruptis] Prochorus Hist. de S. Johanne Euangel. πάντων δὲ ἡμῶν ἐξελθόντων ἐπὶ τῆς ξηρᾶς, καὶ κατακειμένων, καὶ μὴ δυναμένων πρὸς ἀλλήλους λαλῆσαι ἀπὸ τῆς ἀσιτίας, καὶ τῦ φόβυ, καὶ κόπυ, ἐποιήσαμεν ἀπὸ ὥρας ἑκτης ἕως ὥρας ἐνάτης κείμενοι, καὶ εἰς ἑαυτὸς ἐλθόντες εἰσηλθομεν Σελεύκιαν, καὶ ὡς ναυαγίῳ περιπεσόντες ἠτήσαμεν ἄρτυς. λαβόντων ὖ ἡμῶν, καὶ φαγόντων, καὶ εἰς ἑαυτὸς ἐλθόντων, ERHARD.

Postero die quum poneremus consilium] Malim, *quum componeremus consilium*, sicut infra cap. CXXVI. *Convicium verens abeundi formavi consilium.* SCIOPP. Elegans locutio. Cum consultaremus, cum quæstionem & consilium haberemus, in qua regione potissimum tuti esse possemus. Ita *quæstionem ponere* Phædr. fab. XIII.

Nec quæstionis positæ causſam intelligit.

Hygin. fab. LXVII. *si carmen, quod posuisset, aliquis interpretatus esset.* corruptus hac in voce Plinius lib. II. Epist. 3. *poscit controversias plures, electionem auditoribus permittit, sæpe etiam partes.* legendum sine dubio *ponit.* CUPERUS Lib. III. Observ. cap. 20. Senec. Phœnis. vers. 133.

Sæva Thebarum lues
Luctifica cæcis verba committens modis
Quid simile posuit.

Cicer. I. de Orator. 22 *Quid mihi nunc vos, tamquam alicui Græculo otioso & loquaci, & fortasse docto atque erudito, quæstiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis?* inepta ergo Scioppii emendatio.

Crederemus] Heinsius mallet *crederemur.* Sed vulgata mihi sanior videtur: proprie enim se credere aliquis dicitur regioni, mari, procellis, & similibus, qui pericula subit, quæ illa secum ferre possunt. Horat. lib. III. od. 27.

——— *Age, te procellæ*
Crede veloci.

Virgil. lib. V. Æneid. vers. 850.

Æneam credam quid enim fallacibus austris,

lib. VI. vers. 15.

Præpetibus pennis ausus se credere cælo.

Quia ergo ubique mala invenerant, ponunt consilium inter se, cui se crederent regioni, ubi quies & securitas ostenderetur. Portum tandem inveniunt Crotona. BURM.

Levi vertice] Alii, *Vortice.* TORNÆS. & ERHARD.

Ergo tristis] Lege, *ego tristis.* Pith. PATISSON.

Viventibus oculis] Alii, *nictantibus:* alii, *humentibus.* P. Fab. *Inventibus.* TORNÆS. Jungermann. legit *diligentibus*, Putschius, *liventibus.* ERHARD. Loco hujus lectionis pravam substituunt. BOURDEL. Per pleonasmum (neque enim mortui vident), aut epexegesin, seu expositionem, aut appositionem, ut vocant, in antithesi ad *maris fidem* & *corpus mortuum*, quasi diceret, oculis qui adhuc vivunt. HADRIANID. *Humentibus* alii, recte. Sic Claudianus, Suetonius, & Ovidius lib. XI. Metam. vers. 464.

——— *Sustulit ille*
Humentes oculos.

Error inde natus, ut existimat Doct. Munckerus noster, quod primitus scriptum fuit *umentibus*, neglecta aspiratione; ut in veteri inscript.

ET QUICUNQUE TUIS UMOR
LABETUR OCELIS.

J. Lipsius legit *uventibus*, nescio, an melius. quamquam non ignoro, Catullum Ep. LXVII. *uvidulam à fletu* dixisse, quo loco non audiendus Palmerius, *fluctu*, emendans. BOSCH. Inepte *viventibus* propugnat Hadrianides; sine dubio legendum *uventibus.* vide Gronov. Diatr. Statianæ cap. XXIII. Ita *humentes oculos* Ovidius lib. XI. Metam. vers. 464. Quamquam differre inter se *humentes* & *uventes* oculos notavit in margine codicis sui Broukhusius, *uvere* enim dicuntur, cum leviter oboriuntur lacrymæ, quæ proveniebant, quia spectabat ignoti hominis cadaver, motus videlicet communi lege humanitatis. Postquam autem agnovit exanimum Lycæ corpus, tum vero non tenuit diutius lacrymas. Hic demum cæperunt *humere oculi.*

Maris fidem] Histor. Apoll. *Intuens mare tranquillum, ait:* O *maris fides!* adduco interpretem Tertullianum de Pall. cap. 2. *Sic & mari fides infamis, & flabris aque mutantibus, de tranquillo probum, de fluctibus temperatum, & exemplo de decumanis inquietat.* WOUWEREN. Sic Plinius Panegyr. Infra: *Non sola mortalibus maria hanc fidem præstant.* Freh. ERHARD.

Cui proficiscens osculum dedit] Sueton. Ner. cap. 37. *Neque proficiscens quemquam osculo impartivit.* Stat. Theb lib. 12. vers. 717.

Jam nec coniugibus suprema nec oscula natis
Fungit. ———

gnarum cogitationum. En, homo quemadmodum natat? Adhuc tamquam ignotum deflebam, quum inviolatum os fluctus convertit in terram, agnovique terribilem paullo ante & implacabilem Lycam, pedibus meis pene subjectum. Non tenui igitur diutius lacrymas, imo percussi semel iterumque manu pectus; &, ubi nunc est, inquam, iracundia tua? Ubi impotentia tua? nempe piscibus belluisque expositus es, &, qui paullo ante jactabas vires imperii tui, de tam magna nave ne tabulam quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete. Ite cauti, & opes fraudibus captas per mille annos disponite. Nempe hic proxima luce patrimonii sui rationes inspexit; nempe diem etiam, quo venturus esset in patriam, animo suo finxit. Dii Deaeque, quam longe à destinatione sua jacet! Sed non sola mortalibus maria hanc fidem praestant. Illum bellantem

Plaut. Mercat. lib. III. Regum cap. XIX. Ovid. Trist. I. WOUWEREN.

Quemadmodum natat] Alii, *quemadmodum natus*. TORNÆS. Sumtum ex Plauto, ut & alia plura, Rudent. Act. I. sc. 2. *Hui homunculi quanti estis, ejecti, ut natant*. PITH.

Non tenui] Vide supra cap. 75.

Manu pectus] *Manibus* cod. Leid. BOSCH.

Ubi nunc] Egregie hanc formulam illustravit Heinsius ad Ovidii IV. Epist. vers. 150. cui plura addere in proclivi esset. Sed larga satis ibi copia, & timeo Gallulos censores. vide & Freinsh. ad Tacit. lib. II. Annal. cap. 2.

Nempe piscibus belluisque expositus] Plaut. Rudent. Act. II. sc. VI. vers. 29. *Piscibus in alto, credo, prabent pabulum*. Apul. libro V. *Per saxa cautium membris jactatis, alitibus bestiisque obvium ferens pabulum*. Martius vates apud Livium lib. 25. cap. XII. *Piscibus ferisque fiat esca caro tua*. WOUWEREN. Hoc miserum credebant veteres. v. Barth. ad Stat. IX. Theb. vers. 300. & quos ibi laudat.

De tam magna navi ne tabulam quidem naufragus habes. Ite nunc mortales, & magnis cogitationibus pectora implete] Vetus Poëta in Catalect. de Fortunæ inconstantia;

Ite, novas toto terras conquirite mundo,
Nempe manet magnos parvula terra Duces.

Raderus ad Martial. lib. 5. epigr. 71. ERHARD. Cicer. lib. IV. ad Attic. Epist. ult. *Hæc enim me una ex hoc naufragio tabula delectat*. Quintil. decl. XII. *Naufrago tabulam abstulisti, mortuo adplicas navem*. CUPER.

Ite nunc] Juvenal. Sat. XII. vers. 57. *I nunc, & ventis animam committe*. Propert. lib. III. El. XVI. vers. 17. *I nunc, tolle animos*. Virgil. libr. VII. Æneid. vers. 425. *I nunc, ingratis offer te, irrise, periclis*. PITH. Et hanc exprobrationis formulam illustravit Passeratius ad Propert. lib. III. eleg. 6. pag. 442. & Heinsius ad Ovid. lib. III. Amor. eleg. 3. & ad Claud. lib. I. de rapt. Proserp. vers. 91.

Opes fraudibus captas] *Partas* alii; forsan melius, *raptas*. BOSCH.

Proxima luce] Proxime anteacta. *Proximus* propritim de præterito dicitur, ut *primus* de futuro. Supra; *& prima statim nocte in monumentum ferebat*. Infra, *Accessisse huic tristitiæ proximum naufragium*. ERHARD.

Finxit] Amicus noster non è multis Rev. D. Matthias Oeveringius mallet hic, *fixit*: quod notam hanc quantitatis, virgulam transversam, olim syllabis imponi solitam, erroris occasionem ducat. Unde fluxit, ut *totiens* pro *toties* & multa alia, de quibus adeundus Lipsius. BOSCH.

Dii Deaque] Frequens hæc formula apud Paganos scriptores, de qua adeundus Ludovic. Dorleans in Cogitation. ad Tacit. Annal. lib. 4. pag. 476. col. 2. WEITZ. Vid. supra cap. LXXIX.

Sed non sola maria] Philemo: οὐ τοῖς πλέουσι τὴν θάλασσαν γίνεται μόνοις χειμών, ὡς ἔοικεν. PITH. Seneca lib. 7. Controv. 1. *Multas rerum natura mortis vias aperuit, & hæc est conditio generis humani, quod nascimur uno modo, multis morimur; laqueus, gladius, præceps locus, venenum, naufragium, mille alia mortes insidiantur miseræ huic animæ*. Firmic. Astron. lib. I. cap. 4. *Quidnam de mortium* (Lege *mortalium*) *vario exitu dicemus? Ille, cogente fato, suspenditur laqueo, at ille gladio percutitur, ille mari flammibusque submergitur, ille sævientibus flammis ignique traditus in cinerem favillamque convertitur, ille per præcipitia jactatur, ille cadentium tectorum ruina comprimitur*; & quæ sequuntur. Vide locum. Simonides, Anacreon apud Stobæum, Stat. Theb. lib. IX. WOUWEREN. Adi Rittershus. notas in Oppian. lib. 5. Halieutic. vers. 336. WEITZ.

Fidem] Ironice dictum. *Fides* mari dicitur esse, cum tuto navigari potest. Virgil. libr. III. Æneid. vers. 691.

Inde

tem arma decipiunt: illum Diis vota reddentem Penatum suorum ruina sepelit: ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit. Cibus avidum strangulavit, abstinentem frugalitas. Si bene calculum ponas, ubique naufragium est. At enim fluctibus obruto non contigit sepultura. Tamquam interfit,

Inde, ubi prima fides pelago, placataque venti
Dant maria.

hinc Pittacus interrogatus à quodam, τὶ ἄπιστον? respondit θάλασσα, apud Plutarch. in Apothph. Philosoph. CUPERUS.

Decipiunt] Eleganter; quibus victoriam se & gloriam consecuturum speraverat, iis ipsis mortem invenit. Et ita *decepti* dicuntur, quos vota & spes fallunt. Virgil. IV. Æneid. vers. 17.

Postquam primus amor deceptam morte fefellit.

Vide notas Pricæi ad Apulej. lib. VIII. Milesf. p. 447. Et ita cape illa Terentii Andr. Act. 1. sc. 5. *Ego propter me illam decipi miseram sinam.* Et Cicero lib. v. ad famil. epist. 16. *Hoc confirmare possum, ea miscere, parari, impendere reipublicæ, quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse videatur*, id est, ut Manutius explicat, privatus aliquo bono, quod sibi futurum speraverat, si diuturnior vita fuisset data. BURM.

Ruina sepelit] Miror, Gonsalium ad spuriam, vel certe jocularem inscriptionem respexisse Petronium, credere: quam inter spurias retulit Gruterus pag. 111. & primum vulgavit Fr. Luisinus lib. III. Parerg. 40. Reinesius Epist. XLVIII. pag. 444. joco confictam, licet antiquam, censet. *Ruina camaræ* oppressos exhibet Phædrus lib. IV. fab. 24.

Ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit] Non dissimile est, quod Fulconi Regi Hierosolymitano obtigit. Is, leporem forte insectatus, subita equi ruina præcipitatus terræ caput adflixit, cerebroque per nares aureisque erumpenti in Reginæ oculis exspiravit. Guilhelm. Tyrius in Chronic. Hierosolymit. Crusius in Annal. Suevor. A. C. 1142. Horat. Tursellinus in Epitom. Histor. lib. 8. p. 358. Sethus Calvisius in Chronol. anno 1141. Mich. Saxo in Chron. Cæsar. part. 2. pag. 247. Similiter Maria Imperatrix, Maximiliani I. conjux, casu equi inter venandum præcipitata vitam mortalem amisit: Cuspinian. de Cæsarib. in Maximiliano Primo, Jacob. Menlius in Genealog. Austriac. & plerique omnes Chronographi. Ita Sigismundus Georgius Seldius, Caroli V. & Ferdinandi I. Vice cancellarius, dum ex prædio Viennam rediret, cisio, in quo cum Joh. Ulrico Zasio vehebatur, tum forte Psalmis legendis intentus, inter eundum excussus, & capite ad saxum illiso letaliter vulneratus, tristi fato exstinctus est, anno 1565. Jacob. August. Thuanus Histor. lib. 36. Bucholcerus in Indice Chronologic. pag. 613. WEITZ.

Cibus avidum strangulavit] Lipsius 2. de Constant. 19. Pet. Crinitus de Honest. disciplin. lib. 2. cap. 6. Sic Attila Hunorum Rex ex ingluvie suffocatus interiit; Wolffg. Lazius de Migration. gent. lib. 11. pag. 603. Jornandes in Chron. Gothor. Ant. Bonfinius in Rer. Ungaric. decad. Nicol. Olahus in Athila, Sethus Calvisius in Chronolog. anno Christi 453. in fin. Cyriac. Spangenberg. in Chronic. Saxon. anno 454. WEITZ.

Si bene calculum ponas] Boëth. *Vis cum fortuna ponere calculum?* BARTH. Plinius Secund. lib. 2. 14. *Hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus.* Boëth. l. 2. pros. 3. de Consol. *calculum ponere*, Sitzmanus in Not. n. 58. ERHARD. Plinius lib. 2. epist. 19. *Examina tecum, omnesque, quos ego novi, in utraque parte calculos pone, idque elige, in quo vicerit ratio.* Saresberiensis lib. 8. Policrat. cap. 6. *Qui singulis noctibus cum servis suis calculum ponunt, & quod effuderunt usu vel abusu diurno, quasi nocturnis lachrymis deflent.* WEITZ. Id est, si rem bene expendas, consideres. locutio elegantissima desumta inde, quod veteres calculis numerare solerent; & amant metaphoras hujusmodi auctores. Cicero ad Att. VIII. epist. 12. *Quare nunc saltem ad illos calculos revertamur, quos tum abjecimus.* Plinius lib. 1. ep. 14. *& sane, de posteris & his pluribus, cogitanti, hic quoque in conditionibus deligendis ponendus est calculus.* Euripid. Orest. vers. 1100. ἐις κοινοὺς λόγους ἐλθωμεν. *una rationem ineamus.* Theophr. Caract. cap. XIV. τοιοῦτος τις, ὁς λογισάμενος ταῖς ψήφοις, καὶ κεφάλαιον ποιήσας. cap. XXIII. κελεῦσαι θεῖναι τὰς ψήφους. CUPERUS. Vide supra ad cap. 101.

Ubique naufragium est] Vide Barth. lib. 5. Adversar. cap. 18.

At enim fluctibus obruto] Stobæus λόγ. 96. Philemonis illud adducit ex Ephebis; ἐ τοῖς πλέουσι τὴν θαλάτταν γίνεται μόνοισιν χειμών. BONGARS. Philosophum hic agit Eumolpus: nam sapientes à plebeja illa opinione, de sepulturæ honore & necessitate animum abducentes, omnem post mortem cadaveris consumtionem sepulturam idoneam credebant. v. Barth. Adversar. lib. LIII. cap. 10. Ita eleganter Apulejus lib. IV. Milesf. *Tunc nos, magnanimi ducis vigore venerato, corpus reliquum veste linea diligenter convolutum, mari celandum commisimus. Et nunc jacet noster Lamachus elemento toto sepultus.* Ubi non aliena adnotavit Pricæus. Barthius vero hic legit *continget.*

Tamquam interfit] Teles: τί διαφέρει ὑπὸ πυρὸς καταυθῆναι, ἢ ἀπὸ κυνὸς καταφρωσθῆναι, ἢ ἐπάνω τῆς γῆς ὄντα ὑπὸ κοράκων, ἢ κατορυχθέντα ὑπὸ σκωλήκων. Seneca de Fortuit: *Quid interest ignis me an fera consumat, an*

tem-

interſit, periturum corpus quae ratio conſumat, ignis, an fluctus, an mora. Quidquid feceris, omnia haec eodem ventura ſunt. Ferae tamen corpus lacerabunt. Tamquam melius ignis accipiat. Imo hanc poenam graviſſimam credimus, ubi ſervis iraſcimur. Quae ergo dementia eſt, omnia facere, nequid è nobis relinquat ſepultura, *quando etiam ita de invitis fata ſtatuant*? * Et Lycam quidem rogus inimicis collatus manibus adole-

tempus omnium ſepultura? PITH. Lucifer Caralit. lib. Moriendum eſſe pro Dei filio: *Quantum ad exitum, nihil intereſt, clavo an lancea moriar*, &c. WOUWEREN. Pie nos D. Cyprianus ita monet; *Noſtra nihil intereſt, aut à quo, aut quando, perimamur, mortis & ſanguinis praemium à Domino recepturi.* Ph. Camer. Horar. ſucciſ. Cent. 3. cui adde Waremundum de Erenberg ſive Eberhardum à Weihe in Definit. Fœderis nove repexa, libro 2. numero 99. 105. 106. ERHARD.

Quae ratio] Alii, *quae nato*. TORNÆS.

Conſumat ignis, an fluctus, an mora] Minutius Octavio. *Non intereſt, utrum feras diripiant, an maria conſumant.* unde forte legendum pro *mora, mare*. BONGARS. Lege, *mare*, ſicut ſupra cap. XCVIII. *Utinam me ſolum inimicus ignis hauriret, utinam hibernum invaderet mare!* Puttchius. Sed, quia *fluctus* meminit, nihil videtur mutandum. nomine *mora* intelligit mortem naturalem. ERHARD. M. Minutius in Octavio pag. 24. Prudentius in Romano verſ. 48. Seneca de Remed. fortuit. *Quid intereſt, ignis me an fera conſumat, an tellus omnium ſepultura.* Franc. Petrarcha de Remed. utriuſque fortun. WEITZ. Barthius dicto loco legit *ignis, aër, fluctus, an mora.* Et lib. XXII. Adverſ. cap. XIII. recte contra Erhardum explicat *moram*, non mortem naturalem, ſed conſumtionem cadaveris putrefactione naturali, cui opus tempore. Quod confirmat locus Ovidii ab Ampl. Cupero codici ſuo aſcriptus ex lib. XV. Met. verſ. 156.

Corpora ſive rogus flamma, ſeu tabe vetuſtas,
Abſtulerit, mala poſſe pati non ulla putatis.
Morte carent animae.

vide Gonſalium.

Fera tamen corpus lacerabunt] Salluſt. in Jug. *Feralis peſtis abſumat.* Pflug. ERHARD.

Accipiat] Barth. ad Stat. XII. Theb. verſ. 99 legit *abripiat*. Quod laudat Broukhuſius.

Imo hanc poenam] Senec. *Utilem ac ſalubrem temperaturam, non hanc, quae nuper inventa eſt ſimilis incendio, adeo quidem ut convictum in aliquo ſcelere ſervum, virum lavari oporteat. Nihil autem videtur intereſſe, ardeat balneum an caleat.* PITH. L. 28. §. 11. D. de poenis. recte autem *poenam graviſſimam*. Summa ſupplicia ſunt, crux, crematio, decollatio. Mediocrium delictorum poenae, metallum, ludus, deportatio. Minimae, relegatio, exilium, opus publicum, vincula, inquit Paul. Sent. lib. V. de abolit. quos gradus poenarum conſtituit etiam Calliſtr. d. leg. 28. D. de poenis. At inter ſummas poenas graviſſima vivicrematio. Paul. lib. V. Sent. ad l. Cornel. de ſicar. & venef. *Magicae artis conſcios ſummo ſupplicio affici placuit, id eſt, beſtiis objici, aut cruci ſuffigi. Ipſi autem magi vivi exuruntur.* Gravius crimen, magum eſſe, quam magicae artis conſcium, ideo magi graviſſima poena puniuntur, nempe igne, uti & aruſpices: l. 3. C. de Malef. & Math. At magicae artis conſcii ſummo quidem ſupplicio afficiuntur, id eſt, beſtiis ſubjiciuntur, aut cruci ſuffiguntur, ſed non graviſſimo, id eſt, ut Tertull. de anima, vivicomburio. Petron. cap. CII. *Conclamabo, ſervos poenam graviorem timentes praecipitaſſe ſe in mare.* Per *poenam graviorem*, aut crucis, aut ignis, aut beſtiarum ſupplicium innuit. WOUWEREN. Vide l. 28. §. 11. D. de poen. Harmenopul. l. 8. tit. 12. in princip. Baſilixôn lib. 60. lib. 51. c. 29. & lib. 6. Eclog. 6. ERHARD.

Ubi terris iraſcimur] Neſcio, unde *terris* in recentiores editiones irrepſerit, antiquiores Tornæſii, Patiſſonii, Wouwerii, & omnes alii, *ſervis*. Barthius d. l. *cum ſervis* legit.

Omnia facere] Graeci ἅπαντα δρᾶν, de irrito conatu, ut docuit Ill. Scal. Martial. lib. 2. 14.

Omnia cum fecit, ſed renuente Deo.

Idem:

Ut peccare velis, cum feceris omnia, falli
Non potes. ——

Seneca ep. CXXV. *Quid formam culis? Cum omnia feceris, à multis animalibus vinceris.* WOUWEREN. Genus loquendi non vulgare in utraque lingua: quod fere dicebant de irrito conatu. Scalig. in Catalect. Comment. in Culic. ubi congeſſit exemplorum copiam. Uſus & ſupra Petron. *Quid ita omnia feciſti, ut, quos tuebaris, abſconderes.* ERHARD. Barth. Adverſ. LIII. cap. 10. legit *omnia facere, ne quid è nobis relinquat, ſepulturae.* Et exponit omnia ſepulturae facere, nihil non moliri, ut corpus condatur terrâ, quod merito irridet Petronius. reliqua *quando etiam de invitis fata ſtatuant*, malam manum olent.

Rogus collatus manibus] Scripſimus, *Rogus collectus*, & ſic fere in omnibus Editionibus & MSS. Manilius lib. 4. verſ. 55.

Et collecta rogum facerent fragmenta carinae.

BOURDELOT. Male tentat Bourdelotius. *Conferre* enim

adolebat: Eumolpus autem, dum epigramma mortuo facit, oculos ad arcessendos sensus longius mittit. *

CXVI. Hoc peracto libenter officio, destinatum carpimus iter, ac momento temporis in montem sudantes conscendimus, ex quo haud procul impositum arce sublimi oppidum cernimus. nec, quid esset, sciebamus errantes, donec à villico quodam, Crotona esse, cognovimus, urbem antiquissimam, & aliquando Italiae primam. Quum deinde diligentius exploraremus, qui homines inhabitarent nobile solum, quodve genus negoenim funereum esse verbum docuit Gronovius Diatr. Statianæ cap. XXXII. neque etiam locus Manilii à Bourdelotio adductus eum adjuvat, legi enim debet:

Ejectaque rogum facerent fragmenta carinæ.

Ut ex Gemblacensi codice emendavit verissime Scaliger: *ejecta* enim *carina* proprie est, naufragio expulsa in terram. Ut *ejectum cadaver* Cicer. in Pison. cap. IX. & *ejectam naufragorum manum* in II. Catilin. cap. XI. dixit. *Ejecti ut natant* Plaut. Rudent. Act. I. scen. 2. vide Passerat. ad Cicer. pro Quint. cap. XIX. BURM.

Adolebat] Comburebat. ERHARD.

Dum Epigramma mortuo facit] Lucian. περὶ πένθ. γράμματα μὲν γὰρ, καὶ πυραμίδες, καὶ τῆλαι, καὶ ἐπιγράμματα πρὸς ὀλίγον διαρρέντα. Id. Dipsad. Athen. lib. 2. Juvenal. Sat. 3. *tituli.*

——— *Titulo res digna sepulcri.*

Ita semper V. inscript. WOUWEREN.

Arcessendos] Ut faciunt exercitati vultus Pædagogi, qui, tamquam divinum spiritum sibi attraherent, oculos torquent, & insaniam ipso habitu profitentur.

Hoc peracto] Deest asteriscus in V. cod. MS. TORNÆS. Lact. lib. 7. cap. 12. *Ultimum & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum sepultura.* WOUWEREN.

Destinatum] Ergo præcesserat consilium certum.

Momento temporis] Barth. Adversf. lib. XXII. cap. 13. malebat reponere *monimento*, quasi temporis admonitu, sed puerilis ætatis impetum correxit maturior in commentario ad Stat. lib. VI. Theb. 115.

In montem sudantes] Tale illud Apul. lib. VIII. Metam. *Sylvosi montis asperum permensi jugum, jam vesperâ tenebrante, pervenimus ad quoddam castellum.* PITH.

Impositum arce sublimi oppidum] Horat. lib. IV. od. XIV. vers. 11.

——— *Et arces*
Alpibus impositas tremendis. SCIOPP.

Amplis. Cuper. lib. II. Observ. cap. 117. legit *impositam arcem sublimem oppido cernimus.* Posset tamen vulgata scriptura servari, si per *arcem* intelligamus verticem collis, vel montis, ut sæpe eam appellare Poëtis & aliis scriptoribus mos est, ut sit Croto imposita colli, vel monti. Ut Silius Italic. lib. XI. vers. 18. vocat, *altam Crotona*: sed, quia patet ex descriptione hujus urbis apud Livium lib. XXIV. cap. 3. flumen medio oppido fluere, non potuit illa, saltem tota, in monte fuisse sita, sed tantum ejus arx, nisi procul spectantibus arx speciem oppidi illis præbuerit. *Arces* autem dici vertices montium, etiam sine ædificiis, docet Val. Flacc. lib. III. vers. 565.

Jam pater umbrosis Tirynthius arcibus ornos
Depulerat.

Avienus descr. orbis vers. 995.

In qua vitifera Tmolus juga proferit arcis.

noster infra bis terve in specimine belli civilis. vide Barth. ad Stat. IV. Sylv. I. vers. 7. dixit autem *impositum arce* pro *arci*, ut apud Suetonium in Ner. cap. 50. etiam editiones priscæ habent, *impositum colle hortorum*: ubi *colli* supponunt viri docti, sed recte Casaubonus archaïsmum esse docet. Si cui tamen durior locutio videatur *oppidum impositum arce*, posset capere *impositum* pro simplici *positum*, ut viderint oppidum positum, quod arcem haberet sublimem in colle vicino. BURM.

Crotona, urbem antiquissimam] Strabo Geograph. lib. VI. Cicero lib. II. de invent. cap. I. *Crotoniatæ, quondam cum florerent omnibus copiis, & in Italia in primis numerarentur.* Justinus lib. XX. WOUWEREN De Crotoniensium pristina virtute, qua *aliquando fuit Italiæ prima*, ut ait hic Petron. præter Strabonem, lege M. Ciceronem 2. Rhetoric. de luxuria autem & vitæ genere, post attritas bellis frequentibus vires, de quibus inde ab hoc loco usque ad calcem libelli Petron. vide Justinum Epit. lib. 20. Bongars. in Not. Non de Crotona, sed Roma potius in Crotona, Arbiter intelligendus. Nihil in urbe sincerum ait, nec sincero locum. Martialis eadem omnia de Roma lib. 4. epig. 5. ubi iisdem argumentis, quibus hic rusticus, Fabianum ab urbe deterret. Raderus in Comment. Adde Ramirez. Hypomnem ad Martial. l. 4. epig. 56. in princ. ERHARD.

Et aliquando Italiæ primam] Cicero II. de invent. cap. I. Interpres MSS. Viri Clarissimi D. Amelmi: *Crotoniatæ, Romani.* De Crotone, passim obvia, ut apud Strabonem lib. 6. apud Jamblich. lib. 8. de vita Pythag. Interpres ad Lycophron. Alexandr. BOURDELOT.

negotiationis praecipue probarent, post attritas bellis frequentibus opes; [a] O mi, inquit, hospites, si negotiatores estis, mutate propositum, aliudque vitae praesidium quaerite. Sin autem urbanioris notae homines sustinetis semper mentiri, recta ad lucrum curritis. In hac enim urbe non literarum studia celebrantur, non eloquentia locum habet, non frugalitas sanctique mores laudibus ad fructum perveniunt, sed, quoscumque homines in hac urbe videritis, scitote in duas partes esse divisos. Nam, aut captantur, aut captant. In hac urbe nemo liberos tollit: quia, quisquis

[a] VILLICUS.

Post attritas bellis civilibus opes] Alibi. *in regione bello attrita.* Tacit. *mox attritis opibus.* Sic alio loco Petr. cap. CXXXIII. *Sed inops & rebus egenus attritis.* ubi vett. quædam exempl. habent, *& rebus egenis attritus.* ut alibi, *libidinibus attriti.* Tacit. lib. II. Hist. cap. 76. *Popinis & comessationibus & principis imitatione deteritur.* PITH. *Atterere* pro absumere. Apul. lib. II. *Nam & viriculas patrimonii peregrinorum attriverant impensa.* Sic & *conterere* pro consumere. Schopp. in Mostell. Act. 4. scen. 2. Infra; *Detritaque commoda luxu.* ERHARD.

O mi hospites] Mei hospites. GLOSS. Ita Salvian. Epist. I. *Quaeso mi dilectissimi.* Ibid. *Mi dulcissimi ac dilectissimi mei.* Epist. 7. *Mi domini venerabiles.* WEITZ. Nisi Petronius villico huic hanc vocem studio tribuerit, quia forte sic rure loquebantur in illa Italiæ parte, nollem polito huic scriptori eam attribuere. Nam, cum quidam in primo casu *mius* pro *meus* dixerint, teste Diomede lib. I. de pronomine pag. 319. hinc in plurali formabatur *mii*, quod contracte *mi* faciebat. Sed insolentius est, quod Apulejus lib. IV. & IX. *mi heritis.* lib. VIII. *mi conjux* dixerit, pro *mea:* quam tamen locutionem à Tibullo cultissimo longe abesse voluit unicus ejus interpres Brouckhusius, quem consule ad lib. I. eleg. VII. vers. 69. Cæterum publica hæc compellatio & blanditiæ communes, *ô mea, ô mei.* Ovid. XIV. Metam. vers. 761.

——— *Quorum memor, ô mea, lentos*
Pone, precor, fastus.

apud Plautum & Terentium centies occurrit, *ô mea tu, ô mea,* & similia. BURM.

Notæ] Vide supra ad cap. 83.

Sustinetis semper mentiri] *Sustinet* cum infinitivo est, audet, in animum inducit. Schopp. in Priap. carm. 47. Juvenal. idem de Roma Satyr. 3.

Quid Romæ faciam? mentiri nescio ———
Cedamus patria.

Raderus ad Martial. lib. 4 epig. 5. ERHARD. Ita sæpe Suetonius usus est hac voce: in Cæs. cap. 74. in Aug. cap. 31. & 66. in Tit. cap. I. & alibi. Ovidius lib. V. Met. vers. 608.

Manalioſque sinus, gelidumque Erimanthon, & Elin
Currere sustinui.

Cicer. I. in Ver. cap. 4. *Sustinebant tales viri, tot hominibus honestissimis ex tam illustri provincia, tot populorum privatorumque literis, non credidisse? tantæ P. R. voluntati restitisse? sustineant.* Sed & sine infinitivo elegantissime positum vim habet eamdem. Livius lib. XXXI. cap. 13. *Senatus querentes eos non sustinuit.* Id est, non ausus est querelas eorum contemnere. Vatinius ad Ciceron. lib. V. ad famil. Ep. 10. *Si, me hercules, Appii os haberem, tamen hoc sustinere non possem.* Et Cicero lib. VI. ad famil. Ep. 6. *Quia non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui justius videtur irasci posse, concesserit. Mentiri* autem hic non simpliciter positum, ut in Juvenalis loco ab Erhardo prolato, sed jungendum cum *homines urbanioris notæ,* ut *mentiri somnum* supra cap. 100. *mentiri sexum* Justinus lib. I. & mille talia. Quod non opus esset monere, nisi sublimia illa Gallorum ingenia has locutiones non capere ex interpretatione Gallica vidissem. Ita vero capiendum esse docet res ipsa. Videbat enim villicus Eumolpum exercitati & pædagogici vultus, qui videbatur nescio quid magum promittere, unde conjiciebat, eum literarum studiis & sanctitati morum esse operatum. Ideoque monet, supercilium illud esse ponendum, & ad urbanitatem esse vultum fingendum. BURM.

Nam, aut captantur, aut captant] Martial. ad Marianum, cujus hereditas petebatur, lib. VI epigr. 63.

Scis te captari, scis hunc, qui captat, avarum:
Et scis, qui captat, quid, Mariane, velit? &c.

Venari dixit Horatius *viduas avaras.* Rader. ad Martial. lib. 6. ep. 44. Quinetiam & apud JCtos vulgatissimus de captatoriis institutionibus & voluntatibus locus. Ramirez Hypomn. ad Martial. lib. 4. ep. 56. in pr. ERHARD. Sæpe Seneca hanc sui & Petroniani seculi corruptelam castigat. Epist. LXVIII. *Pulsare superbas potentiorum fores, digerere in literam orbos senes.* & alibi. Plinius quoque hæc tempora respiciens præfatione lib. XIV. *Postquam cæpere orbitas in auctoritate summa & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo, pessum ire vitæ pretia, omnesque à maximo modo liberales dictæ artes in contrarium cecidere, ac servitute sola profici cœptum.* Ammianus quoque Marcellinus lib. XXVIII. cap. 4.

quis suos heredes habet, nec ad scenas, nec ad spectacula admittitur; sed omnibus prohibetur commodis, inter ignominiosos latitat. Qui vero nec uxores umquam duxerunt, nec proximas necessitudines habent, ad summos honores perveniunt, id est, soli militares, soli fortissimi, atque etiam innocentes, habentur. Videbitis, inquit, oppidum, tamquam in pestilentia campos, in quibus nihil aliud est, nisi cadavera, quae lacerantur, aut corvi, qui lacerant. *

CXVII. [a] Prudentior Eumolpus convertit ad novitatem rei mentem, genusque divinationis sibi non displicere confessus est. Jocari ego senem poëtica levitate, credebam, quum ille, [b] Utinam quidem sufficeret largior

a ENCOLPIUS. b EUMOLPUS.

4. *Subsident aliqui copiosos homines, senes, aut juvenes, orbos, vel cælibes, aut etiam uxores & liberos, ad voluntates condendas allicientes eas præstigiis miris*, &c. vide Lipsi. ad Senecam de Constantia Sapientis cap. v. BURM.

Liberos tollit] Educare, nutrire. GLOSSÆ.

Suos heredes habet] *Alieno uti nihil moror.* Pflug. ERHARD.

Nec ad scenas, nec ad spectacula] Ne idem bis dicat, lege *nec ad cœnas.* Bongarsi. Not. in Justin. lib. 20. cap. 4. ERHARD. Hæc Bongarsii emendatio, Omnes scripti, *scenas.* BOSCH. Ast ego per *scenam* intelligerem histrioniam, per *spectacula* ludos gladiatorios, pugnas bestiariorum, naumachias, & talia. Quæ sane ut differunt, ita tantum non vim fieri Petronio existimo. Neque sic ad cœnas *admittimur*, quemadmodum ad scenas & spectacula. HADRIANIDES.

Omnibus prohibetur commodis] Scævola l. xxxv. ff. de legat. 3. *Idem quæsit, an & commoda & principales liberalitates, quas libertus ex eadem tribu usque in diem mortis suæ consecuturus fuisset*, &c. PITH.

Qui vero nec uxores umquam duxerunt] Ammianus Marcell. lib. 14. cap. 6. *Vilia omnia existimant præter orbos & cælibes; nec credi potest, qua obsequiorum diversitate colantur homines, sine liberis.* Plutarch. περὶ τῶν ἐπὶ τὰ ἄγονα φιλοστοργίας: ἀτέκνως οἱ πλούσιοι δειπνίζονται, οἱ ἀγάμους θεραπεύουσι, οἱ μήτορες μόνοις τούτοις ἐοίκασι συνηγορεῖν, &c. WOUWEREN.

Id est, soli militares] *Hi soli* MS. cod. Memm. forte *bi.* BOSCH.

Videbitis] Vet. *audebitis.* Pith. alii, *adibitis, inquit.* PATISSON. Lege *adibitis*, vel potius *Videbitis.* PUTEAN.

Nisi cadavera, quæ lacerantur, aut corvi, qui lacerant] Avariores divitibus ægris per speciem consolationis assidebant, ut scriberentur heredes. Quos Petronius vocat *corvos*, alii *vultures*, qui cadavera exspectant, ut illi heredipetæ mortem divitum & orborum. Seneca epist. 95. *amico ægro aliquis assidet, probamus: at, si hoc hereditatis caussa fecit, vultur est, cadaver exspectat.* Talem fuisse Regulum Plinius scribit in Epist. talem & Oppianum Martialis, &c. Ergo, ut, olim Iberis vultures fuisse sepulchri loco, Silius refert, ita hi heredipetæ sunt divitum vultures, quorum bona devorent. Rader. ad Martialis lib. 6. epig. 43. Hinc Hieroglyphici mortuorum bona captantes vulture cadaveri insidente declarant. multis Pierius lib. 18. Hieroglyphic. ERHARD.

Prudentior] Alii, *prudentior.* TORNÆS. Deleatur Asteriscus. Pith. PATISSON.

Convertit] Bernartius ad Statium male legit, *advertit.* BOURDELOT.

Genusque divinationis] Lege, *divitationis*, hoc est, quo quis ad divitias pervenire possit. vox derivata à *divito*, quod invenire est in Accii Astyanacte. Gruter. Suspicion. lib. 1. cap. 12. Sine dubio rusticus illis recensuerat aliquot genera, quibus Crotone homines ditescerent. ERHARD. Non omnino spernenda lectio, *divitationis.* Respicit enim illud, *qui vero nec uxores*, &c. BOURDELOT. *Divitionis* cod. Memm. Janus Gruterus *divitationis.* Nob. N. Heinsius *diæ rationis*, vel *genusque liquidæ rationis.* BOSCH. *Divinationem* pro apotheosi dici, ut Gonsalius volebat, nullo idonei scriptoris loco probari posse, puto. *Divitare* autem veteres pro *ditare* dixisse, ostendit Nonius. Gronovius vero conjicit *simulationis.* Quod probat Ampl. Cuperus. Ita infra cap. 140. *Et si non servasset integram simulationem, periclitabatur totam tragœdiam evertere.* Cicero lib. x. ad Att. Ep. 1. *De pace idem sentio, quod tu; simulationem esse apertam, parari autem bellum acerrime.* lib. VII. epist. 1. *Quam vero difficilis ejus diuturna simulatio.*

Largior scena] Quæ sequuntur quid glossæ olent. BARTH. Lege, *largior schema, quæ præberet*, illa enim, *id est, vestis humanior, vestimentum latius*, manifesto è Glossa. Palmer. in Spicileg. vel, *largior scena, id est, vestis humanior, vestimentum lautius.* cui lectioni jam argumenta dicentur. Gulielm. Plaut. quæst. in Epidic. cap. ult. Mihi videtur nihil mutandum, præterquam τὸ *scena* in *schema* cum Palmerio. Etenim Petronius proprietatis observantissimus distinguit inter

gior scena, id est, vestis humanior, quae praeberet mendacio fidem. Non me Hercules peram istam differrem, sed continuo vos ad magnas opes ducerem. [a] Atqui promitto quidquid exigeret, dummodo placeret vestis rapinae comes, & quidquid Lycurgi villa grassantibus praebuisset. Nam nummos in praesentem usum Deûm matrem pro fide sua reddituram. [b] Quid ergo, inquit Eumolpus, cessamus mimum componere? Facite ergo me dominum, si negotiatio placet. [c] Nemo ausus est artem damnare nihil auferentem. Itaque, ut duraret inter omnes tutum mendacium, in verba Eumolpi sacramentum juravimus, uri, vinciri, verberari, ferroque necari,

a ENCOLPIUS. *b* EUMOLPUS. *c* ENCOLPIUS.

vestem & *vestimentum*, ut *vestis* sit strictior & elegantior, *vestimentum* laxius & negligentius, *vestis*, qua corpus induitur, *vestimentum*, quod vesti superinjicitur. Eodem pacto in hoc Satyrico distinguit inter *plumas* & *pinnas*, inter *odium* & *iram*, inter *petere* & *velle*, & id genus similia. ERHARD. Censeo, non movendam optimam lectionem. Sic idem hac de re postea. *Et ne quid scaena deesset.* Et docuimus antea, verbum esse theatrale, quod quidem paullo ante etiam repetit. BOURDELOT.

Vestimentum latius] Alii, *instrumentum*. TORNÆS. Correxit primus Dousa P. *vestis humanior, quae*. Antiqui Codd. habuere, *vestis humanior, vestimentum latius, quod praberet mendacio fidem*. Unde J. Gulielmio, *lautius*, emendare placuit Plaut. Quæst. pag. 145. Forsan probe Leid. cod. *instrumentum latius*, hoc est, nitidior suppellex: quo sensu sæpe apud Just. ut lib. XXI. cap. 5. ubi de Dionysio, Syracusis expulso: *tunc, depositio imperio, arcem Syracusanis cum exercitu tradit, receptoque privato instrumento Corinthum in exilium proficiscitur*. & sic lib. XV. cap. 1. & aliis locis. BOSCH. Hoc modo & Lotich. nec non edit. Frellon. nisi quod hæc pro *scaena*, *scema*. Tornæs. Wouwer. R. Herm. *u. q. s. l. s. i. e. v. h. vestimentum* (Tornæs. alii *instrumentum*) *latius, quod p. m. f.* Anonym. MS. (ad edit. Tornæsii:) Fallor? an omnia illa verba ex ora libri in contextum irrepserunt? & sic restituendum est: *Utinam quidem suppeteret largior schema, quae praberet mendacio fidem?* Dousa MS. F. *schema* ex Plauti Amphitr. *cum servili scema*. Iterum Anonym. MS. alio tempore atque charactere: deleo & lego: *Utinam suppilaretur schema, quae praberet mendacio fidem*. HADRIANID. *Vestis humanior*, opponitur divinæ isti vesti, cujus mentio supra cap. 114. Pro *vestimentum latius*, Gronovius legit *instrumentum lautius*. Id est, nitidior supellex, ut Justin. lib. XV. cap. 1. *Demetrio privatum instrumentum ac familiam reddidit*. Et cap. 2. *Amicos ejus cum privati instrumenti ministris*.

Praberet] Lege, *prabiberet*. Gulielm. d. l. ERHARD.

Pœnam) *Peram*. Pith. TORNÆS. & PUTEAN. Martial. lib. XIV. epig. 81.

Ne mendica ferat barbati prandia nudi,
Dormiat, & tetrico cum cane pera rogat. PITH. Lege, *peram istam*. *pera* est Græcorum πήρα. non, inquit, differrem experiri. Palmer. in Spicileg. cui adstipulantur Pithœus, Gulielm. alii. ERHARD. Scribe *non mehercules peram istam diu ferrem*. HEINS. Quod & probat Gronovius. Ampl. Cuperus conjicit & legi posse, *scenam istam differrem*. manus docta in codice Junii *operam istam differrem*. *Deferrem* Editio Patissonii.

Atqui promitto] Forte, *ad quæ promitto*. HEINS.

Rapinæ comes] Alii, *rapina*. TORNÆS. & PATISSON.

Nummos] Vide Barth. Adversar. lib XXII. cap. 13.

Mimum componere] Mimicam fabulam componere. GLOSS. Sueton. Oth. cap. 22. *Ne pœna acrior omnem mimum divulgaret*. ita passim apud scriptores. WOUWEREN. Perseverat in eadem tralatione, quam ceperat ante: *Utinam quidem sufficeret*, &c. Ad hæc verba cum Encolpius respondisset adesse *scenam*, subjicit senex; ergo quid cessamus mimicam fabulam componere? quam illico componunt, & in Eumolpi verba jurant, & in servilem modum ficti dominum eum salutant, tum quæ ipse proponit de opulentia sua, ut legitima verba mimi, condiscunt. Gulielm. Plaut. quæst. in Epid. cap. ult. ERHARD. Ita J. Gulielmus emendavit; cui lubens concedo, nihil verius Apollinem Delphis profatum umquam. Omnes, quos vidi, codd. *in unum*, male præferunt. Sic *compositam fallaciam* Plauto, & *compositum figmentum* Macrobio, cui veram nuper lectionem asseruit Eruditiss. Jacobus J. F. F. Gronovius lib. I. in Somn. Scip. cap. 11. *Et compositis advocata scena figmenti ipsam quarendi veri januam mendacio polluerunt*. BOSCH.

Facite ergo me] Forte, *facite, rogo, me dominum*. HEINS.

Uri, vinciri] Sacramentum est auctorantium se laniſtæ apud Senec. epist. 57. & Tertull. PITH. Duplex genus inter gladiatores, *Coacti* & *Voluntarii*. *Coacti*, servi, damnati, captivi: *Voluntarii*, liberi, quique pretio se addicebant. Hi proprie *auctorati*. Gloss. *Auctoratus*, ἀυθαιρέτως εἰς θάλον ἑαυτὸν βάλλων, καὶ μα-

νέμενος

cari, & quidquid aliud Eumolpus jussisset, tamquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus. Post peractum sacramentum serviliter ficti dominum consalutamus, elatumque ab Eumolpo

νομαχῶ. Gloss. Cyrilli; πιπράσκω ἰς μονομαχίαν, auctor. Goldastus legit, *auctoro*. præcessit enim, πιπράσκω καθ' ὑπόθεσιν, *auctoro*. Manil. lib. 4. Astron. vers. 225.

Nunc caput in mortem vendunt & funus arenæ. Hi autem, quia liberi, juramento solenni interposito fiebant; jurabatque novitius gladiator, se omnia passurum, ausurumque, quæ legitimum gladiatorem jusmos esset: hoc est, ustionem, verbera, necem. nam in hæc tria jurabant. Juramenti in auctoratione forma in his Petronii, cujus meminit Horat. lib. 2. Sat. 7.

Quid refert uri, virgis, ferroque necari,
Auctoratus eas? ——

Acro: *Gladiatores ita se vendunt, & cautiones faciunt, uri flammis, virgis secari, ferroque necari.* Hæc breviter ex Scalig. Comment. ad Manil. libro 4. Astron. Turneb. Adversar. lib. 2. cap. 20. P. Fabri Semestr. lib. 2. cap. 11. P. Pithœi Not. ad titul. 9. Collat. LL. Mosaïc. & Rom. Barn. Brissonii de Formul. lib. 8. Jureti Miscellan. in Symmach. lib. 2. ep. 46. Durantii Variarum lection. lib. 1. cap. 8. Palmerii Spicileg. Lipsii Saturnal. serm. lib. 2. cap. 5. Ramirezii Hypomnem. ad Martial. lib. 2. præfat. n. 7. Waremundo de Erenberg. Definition. Fœderis lib. 2. n. 133. ERHARD. De hoc sacramento plenius egerunt commentatores ad Horat. lib. 11. Sat. 7. & Gothofredus ad l. ult. §. 17. ff. de munerib. *legitimi* vero gladiatores sunt ordinarii. vide Sueton. in Aug. cap. XLV. & quæ supra ad cap. XXI. notavimus.

Ferroque necari] Alii, *secari*. PATISSON. Lege, *virgis ferroque necari*. Turneb. d. l. eumque secutus Durant. d. l. Ego nihil muto: & vulgatam lectionem fulcio hisce Helenii verbis; *uri flammis, virgis secari, ferroque necari.* ubi Goldastus putat verba esse transposita, reponendaque hoc modo, *virgis necari, ferroque secari*: aut certe legendum, *virgis verberari, ferroque necari*. ERHARD.

Tamquam legitimi gladiatores domino corpora animasque religiosissime addicimus] *Legitimus gladiator* est auctoratus, id est, ἀνθωρίτας ἰς δῆλον ἑαυτὸν βάλλων. erant enim hi liberi: itaque, cum sponte libertatem penitus vendidissent, servili hoc sacramento obstringebantur, corpora animasque addicentes. apte igitur Petronius, cum serviliter hic omnia fingantur. alioquin damnati ad ludum auctoramento non obstricti, nec qui bestias depugnare locabant, aut sponte in arenam descendebant. nam, quod bestiis conficiendis operas suas locabant, desperata quidem audacia quæstus gratia manus arenæ locabant tantum, at auctorati serviliter totos se ludo vendebant. Glossæ Isidori: *Auctoratio, venditio. nam sub auctoratione sunt gladiatores, qui se vendunt.* Manil. lib. IV. vers. 225.

—— *Caput in mortem vendunt & funus arenæ.* vide Comm. Juven. ad Sat. XI. vers. 8.

Scripturus leges & regia verba lanistæ.

Itaque & Ulp. apud Rufinum Collat. LL. Mosaic. & Roman. t. 8. *Qui depugnandi*, inquit, *caussa auctoratus erit, quive bestias depugnare locaverit:* distinguit auctoratum ab eo, qui bestias depugnare locavit, quorum mentio in l. 1. §. 6. D. ad SC. Tertyll. l. 3. §. 5. D. de testib. Ergo destinati arenæ, damnati, servi, captivi, & liberi. Qui damnati ad bestias, seu, ut Tertull. de spect. cap. X. *ad ludum* servi pœnæ efficiebantur. Tertull. Apol. cap. XLI. Sen. ep. 10. 71. ἐπιθανατίοις Paullo 1. ad Corinth. cap. 4. ut docuit Ill. Scaliger: προσδοκίμοις τῷ ἀποθανεῖν, ait Suidas. De Servitiis & Captivis notum; dati enim ad ludum libidine Impp. & dominorum. Tert. de spect. cap. 10. Liberi, aut precio inducti, aut sola libidine pugnandi. Qui precio inducti, hoc est, οἱ διὰ πόρον ἰς ἀγῶνα καταιόντες, ut Græcus interpres, sunt auctorati, aut qui manus arenæ locant tantum: de quibus diximus. recte ergo Firmicus libr. septimo: *Gladiatores efficiet, sed qui damnati ad hoc exitium transferantur.* distinguit damnatos ad bestias, ab iis, qui se vendunt, aut locant manus arenæ, aut sponte pugnant. Idem Firm. lib. 8. cap 13. *Qui se ob alienæ gratiæ voluntatem nundinali sanguinis jactura ad mortis spectaculum vendant. Si vero Saturnus hic fuerit, in ludum sententia judicantis adducuntur.* Quamquam hæc de aliis etiam intelligi posse, haud nego. De ingenuis, qui adfectatione pugnandi in arenam descendunt, Tertull. Cyprian. alii complures. Asin. Pollio ad Cicer. lib. X. epist. 32. *Qui depressus in ludum bis gratis depugnasset.* Quæ quidem à me huic fini adducta, ut plene Petronium caperemus. haud inficior quæpiam aliis tacta, non tamen, ut ait ille, omnia vulgata. WOUWEREN.

Post peractum] Alii, *postquam est peractum*. TORNÆS.

Serviliter ficti] In modum & habitum servilem formati. ERHARD. Id est, formati & instructi, ut nos pro veris servis gereremus: metaphora desumta ab artificibus, qui materiem lentam & sequacem formant. Servius ad Virg. lib. VIII. Æneid. vers. 634. *Fingere est formare aliquid, & ad integram faciem arte perducere, unde fictores dicuntur, qui imagines, vel signa, ex cera, vel ære, faciunt.* Ita Terent. Heaut. Act. V. scen. 1. *Syrus mire finxit filium.* Horat. Art. Poët. vers. 366.

molpo filium pariter condiſcimus, juvenem ingentis eloquentiae, & ſpei. ideoque de civitate ſua miſerrimum ſenem exiiſſe, ne aut clientes ſodaleſque filii ſui, aut ſepulcrum quotidie cauſſam lacrymarum cerneret. Acceſſiſſe huic triſtitiae proximum naufragium, quo amplius vicies ſeſtertium amiſerit. nec illum jactura moveri, ſed deſtitutum miniſterio non agnoſcere dignitatem ſuam. Praeterea habere in Africa trecenties ſeſtertium fundis nominibuſque depoſitum. Nam familiam quidem tam magnam per agros Numidiæ eſſe ſparſam, ut poſſit vel Carthaginem capere. Secundum hanc formulam imperamus Eumolpo, ut plurimum tuſſiat, ut ſit modo ſolutioris ſtomachi, ciboſque omnes palam damnet; loquatur aurum & argentum, fundoſque

O major juvenum, quamvis & voce paterna
Fingeris ad rectum.

Et ita legendum apud eumdem lib. III. od. 6. *Teneris fingitur artubus*, id eſt, membra ad agilitatem & motus laſcivos formantur. Et ita paſſim alii. & ita ſupra cap. III. *fictos adulatores* dixit. BURM.

Dominum conſalutamus] Cujus hæc formula apud Plautum; *Patrone ſalve*. Moſtell. Act. 3. ſcen. 2. ERHARD.

Condicimus] Lege, *condiſcimus*. docet enim fabulam Poëta, ut hic Eumolpus, diſcunt actores, & diſcunt ſimul, dum actionem periclitantur. Gulielm. Plaut. quæſt. Epidic. cap. ult. ERHARD. Recte ita emendavit Gulielmius: nam *docere* dicuntur Poëtæ. Cicer. IV. Tuſc. cap. 29. vide Torrent. ad Sueton. Claud. cap. XI. unde διδάσκαλος Poëta apud Ariſtoph. Plut. Act. III. ſcen. ult. *Diſcere* vero Hiſtrionum eſt. Terent. Prologis Heautont. & Hecyræ. Unde intelligenda verba Andr. Act. III. ſcen. I. *Non ſat commode diviſa ſunt temporibus tibi Dave, hæc. D. Mihin'? G. Num immemores diſcipuli.* Et Plautus in Pœn. Act. III. ſc. 2. *fac modo ut condocta tibi ſint dicta ad hanc fallaciam. C. Quin adepol condoctior ſum, quam Tragici aut Comici.* Quem locum adſcripſerat Ampliſſ. Cuperus. BURM.

Ingentis eloquentiæ] Egregie hoc elogium Juvenis illuſtrat Barth. ad Stat. lib. IV. Sylv. IV. verſ. 45.

Cauſſam lacrymarum cerneret] Martial. lib. I. Epigr. 86.

——— *Servos via perdidit omnes,*
Et pecus, & fructus, non amat inde locum.

PITH.

Acceſſiſſe proximum naufragium, &c.] Theophr. περὶ ἀλαζονείας. Ὁ ὃ ἀλαζὼν, τοιοῦτός τις, οἷος ἐν δείγματι ἐσηκὼς διηγεῖσθαι ξένοις, ὡς πολλὰ χρήματα αὐτοῖς ἐστιν ἐν τῇ θαλάττῃ, καὶ περὶ τῆς ἐργασίας τῆς δανειστικῆς διεξιέναι, ἡλίκη, καὶ αὐτὸς ὅσα ἐπιλήφει. WOUWEREN.

Factura moveri] Vide ſupra cap. 30. & 64.

Miniſterio] Pro Miniſtris. ERHARD.

Agnoſcere] Vide ad cap. 69.

Nominibus] Hoc eſt, poſitis in fœnore. Aſcon. *Tituli debitorum nomina dicuntur, præſertim in iis debitis, in quibus hominum nomina ſcripta ſunt, quibus pecunia commodata.* Nomina igitur debitorum tabulis inſcripta. hinc Apul. *tabulis flagitari*, Apolog. *Pater ejus plurimis creditoribus deſœneratus dum undique tabulis flagitaretur.* WOUWEREN. Cicer. V. Verr. 7. *pecuniam ſibi eſſe in nominibus.*

Ut plurimum tuſſiat] Hoc potentiorum erat, uti & procul ſpuere. vide Caſaub. ad Theophr. Char. περὶ δυσχερείας. WOUWEREN. Horat. lib. 2. Sat. 5. BARTH. Τὸ *modo* deeſt Caſaubono in Comment. ad Theophraſti Character. Conſimiliter de Carino captatore teſtamentario Martialis lib. 5. epigr. 39.

——— *Aut ſemel fac illud,*
Mentitur tua quod ſubinde tuſſis,

id eſt, morere, ut tandem aliquando hereditatem tuam cernamus. ERHARD. Vide Herald. & Ramirez ad Martial. lib. I. ep. II.

Ut ſit modo ſolutioris] Alii, *& ſit morbus ſolutioris.* Lucian. Chronoſol. ὅπως τὸ αὐτὸ πίνειν ἅπαντας μηδ' ἴσῳ πρόφασις τῷ πλησίῳ, ἢ στομάχῳ, ἢ κεφαλῇς ὀδύνη, ὡς μόνον δι' αὐτὴν πίνειν τὸ κρίτινον. WOUWEREN. Legendum, *ut ſit morbo ſolutioris ſtomachi.* Hanc lectionem ad Tornæſ. edit. notaverat nonnemo. Celſus lib. IV. cap. V. ubi de Stomachi morbis; *Vulgatiſſimum vero peſſimumque Stomachi vitium eſt reſolutio, id eſt, quum cibi non ſit tenax, ſoletque deſinere ali corpus, ac ſic tabe conſumi.* BOSCH. Id eſt, qui cibi non eſt tenax, quod vitium *reſolutio ſtomachi* dicitur à Celſo lib. IV. cap. 5. *diſſolutio* à Plin. lib. IX. cap. 48.

Loquatur] Id eſt, dictis & factis apparentibus ſimulet. vide Gronov. ad Senec. Oedip. verſ. 683. adjecit & quædam exempla Ampl. Cuperus. Martial. lib. III. Epigr. 43.

Theatra loqueris & gradus & edicta. &c. Horat. I. Sat. 3.

——— *Re-*

que mendaces, & perpetuam terrarum ſterilitatem. Sedeat praeterea quotidie ad rationes, tabulaſque teſtamenti omnibus * renovet; &, ne quid ſcenae deeſſet, quotieſcumque aliquem noſtrûm vocare tentaſſet, alium pro alio vocaret, ut facile appareret, dominum etiam eorum meminiſſe, qui praeſentes non eſſent. His ita ordinatis, quae bene feliciterque evenirent, precati Deos, viam ingredimur. Sed neque Giton ſub inſolito faſce

——— *Reges atque Tetrarchas,*
Omnia magna loquens.

Cicer. lib. IX. ad Att. Epiſt. 3. *Ad me currens Poſtumus Curtius venit, nihil niſi claſſes loquens & exercitus.* Simile illud Horat. Epiſtola ad Mæcenatem lib. I. Epiſt. 7. verſ. 84.

Sulcos & vineta crepat mera. ———

Ita Apollon. Rhod. lib. III. Arg. 711.

Οἱ ἀγορῆιν
Ἀρὰς τε συγιὰς καὶ ἱρκύνας.

Fundoſque mendaces] Infructuoſos, & ſpem agricolarum fallentes. GLOSSÆ. Satis obvia Poëtis locutio. vide Heinſ. ad Ovid. II. ex Pont. eleg. 2. Ita contra *ager fidelis* Ciceroni lib. XVI. ad famil. ep. 17. & fertilis & reſpondens. Et Themiſt. Orat. de Amicitia XXII. p. 268. ὥσπερ γὰρ τῆς γῆς ἡ μὲν ἄκαρπος, ἡ δὲ πιστὴ τὰς ἀμοιβὰς ἀποδίδωσι τῷ τὸ σπέρμα καταβαλόντι. Horatius lib. III. od. 16. *ſegetis certa fides meæ.* Ita & auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis vocat *jugera certa*; quod ſi cepiſſent editores, non *culta* prætuliſſent. loca vero hæc adſcripſerat codici ſuo Ampl. Cuperus.

Sterilitatem] Alii, *ſertilitatem*, alii, *ſelicitatem*. PATISSON.

Sedeat ad rationes] Saresberienſis lib. 8. Policrat. cap. 6. *Nihil moleſtius eſt, quam ſi triclinii præſul in convivio ſedere videatur ad calculum.* WEITZ.

Tabulaſque] Recte, & ex more Romano, qui ſæpe ſignabant & reſignabant teſtamenta, & præcipue cavebant, ne inteſtati morerentur. Unde Sueton. in vit. Cæſ. cap. LXXXIII. dicit, Cæſarem *ſolitum fuiſſe hæredem ſcribere Pompejum.* Et in Galb. cap. XVII. *Piſonem ſemper teſtamento in bona nomenque adſcitum.* Plinius lib. V. epiſt. 5. *deceſſit veteri teſtamento, omiſit, quos maxime diligebat.* Ubi forte legendum *omiſit, quos cum maxime diligebat*, id eſt, eo tempore, quo deceſſit; unde & Plutarch. in Catone majore pag. 341. dicit inter tria, quorum pœnituerat Catonem, fuiſſe, *quod unum diem manſerit inteſtatus.* Non intellexit vero Gonzalius, quid prima & ſecunda cera ſit, quæ ejuſdem teſtamenti ſunt duplices tabulæ, ut ex Suetonii Cæſ. cap. 83. patet: à JCtis paſſim *ſecunda tabula* dicuntur. Sed hæc notiſſima. an autem omnibus *diebus*, an *horis*, ſit ſupplendum, incertum, & malluimus locum aſteriſco notare, quam de noſtro ſupplere. BURM.

*Omnibus * renovet*] Lege, *omnibus horis* (vel *diebus*) *renovet*. Putſchius. Sic Carinus apud Martialem mutavit ſæpe conditum à ſe teſtamentum, ut illiceret captatores ad ferenda munera, quibus ſpem faciebat hæreditatis, lib. V. Epig. 39.

Supremas tibi tricies in anno
Signanti tabulas, Carine, miſi, &c.

Carinus eluſit captatorem, ut Fabius Labienum apud eundem Martialem lib. 7. epigramm. 65. videndus Seneca lib 6. Benef. 38. Raderus ad Martial. lib. 5. epig. 40. & lib. 6. epig. 44. ERHARD. Hinc aſteriſcum inutilem amovimus: rationem reddit Juvenal. Sat. 12.

——— *Delebit tabulas*, &c. BOURDELOT.

Scenæ] Apul. lib. 8. *Omnemque ſcenam ſceleris illuminat. ſcena feralium nuptiarum.* paſſim alii. WOUWEREN.

Quotieſcunque aliquem noſtrum vocare vellet, &c.] Auctor Rhet. ad Herenn. lib. 4. cap. 50. Notatione oſtentatoris pecunioſi: *Cum puerum reſpicit hunc unum, quem ego novi, vos non arbitror noviſſe, alio nomine appellat, deinde alio atque alio, heus tu, inquit Sannio, ne quid iſti barbari perturbent, ut ignoti, qui audient, unum putent eligi de multis.* Seneca de brevit. vitæ cap. 17. Horat. libro I. Sat. 3. WOUWEREN.

Alium pro alio] Eamdem fallaciam adhibet glorioſus pauper, cui unus erat ſervus, apud Athenæum lib. VI. cap. 3. Quos verſus emendat Caſaubon. ad Theophr. Charact. pag. 347. CUPERUS.

Quæ bene feliciterque] Cicero pro Muræna. RITTERSH. *Quod*, omnes, quos vidi. BOSCH. Græcis eſt ἀγαθὴ τύχη. Plato lib. I. de legib. initio. CUPERUS.

Giton ſub inſolito faſce] Latet hic nequitia. *Faſcis* (unde & *faſcinus* ſupra, *putares hominem faſcini laciniam*) poſitum abſolute pro onere. HADRIANID. Inepte hic iterum obſcænum ſenſum captat Hadrianides, & falſa eſt *faſcini* etymologia, qua meliorem tradit Voſſius in Etymologico. Quid vero ſimplicius, quam per faſcem onus, quod geritur, intelligere. Virgil. lib. III. Georg. verſ. 347.

Injuſto ſub faſce viam cum carpit.

ubi Servius *ſub magno onere*. Ut *ego hoc te faſce levabo* Eclog. IX. verſ. 65. ubi itidem videatur Servius. mox vocat noſter *ſarcinam*. BURM.

Mer-

fasce durabat, & mercenarius Corax, detrectator ministerii, posita frequentius sarcina, maledicebat properantibus, adfirmabatque, se aut projecturum sarcinas, aut cum onere fugiturum, [a] Quid vos, inquit, me jumentum putatis esse, aut lapidariam navem? hominis operas locavi, non caballi; nec minus liber sum, quam vos, etsi pauperem pater me reliquit. [b] Nec contentus maledictis, tollebat subinde altius pedem, & strepitu obscoeno simul atque odore viam implebat. Ridebat contumaciam Giton, & singulos strepitus ejus pari clangore persequebatur, *olfactui ut officeret. Sed & hic ad ingenium redux Eumolpus.*

CXVIII.

a CORAX. b ENCOLPIUS.

Mercenarius] Non de servo capiendum: mercenarii enim erant liberi homines, qui operam mercede locabant. Ita *Mercenarius Oppianici* Ennius dicitur apud Cicer. pro Cluent. cap. 59. & ipsa vox notat, & mox ipse se *liberum* dicit.

Detrectator ministerii] Recusans, invitus sequens. GLOSSÆ. Antiquitus mos fuit, ut iter facientes servum comitem secum traherent, qui sarcinas, seu φορτία, aut σκεύη ὁδοπορικὰ ferret. Sarcinæ autem loris constrictæ. Catull. carm. 28. *Aptis sarcinulis.* Festus *Apex: Comprendere vinculo antiqui apere dicebant.* Proba igitur lectio Apul. de Mundo: *Soluta compage simulac totius incolumitas interiret. Ad hoc instar Mundi salutem tuetur Deus apta & revincta sui numinis potestate.* Ennius.

——— *Si quando vinclis venatica velox*
Apta silet canis. ———

Petron. cap. CXIV. *Patior vinculum, ac veluti lecto funebri aptatus,* hinc Græcis sarcinæ στρωματοδέσματα. ea involuta stragulis, aut pellibus. Petron. cap. CII. *Ego vos in duas pelles conjiciam, vinctosque loris pro sarcinis habebo.* De servo, qui sarcinas ferebat, Lucianus Asin. ἵππῳ δέ με κατῆγε, καὶ τὰ σκεύη: καὶ δεξάπαν ἠκολούθει. Apul. Mil. I. *Thessaliam ex negocio petebam, puero unico sequente.* Dixi, etiam vasa reficiundo corpori necessaria circumtulisse. Apul. I. Milesi. *Ac simul proser oleum unctui, linteum tersui, & cætera huic usui. Nihil rerum istarum, inquam, quæ ubique itineris nos comitantur.* Xenoph. lib. III. Memorab. ἀκόλουθον ἠκολούθει φέρων τὰ στρώματα καὶ τἄλλα σκεύη, &c. adi locum. Hinc liquet, hos servos ab officio ἀκολούθους appellasse. Huic ministerio inservit Corax. Vide Petronium cap. XCIX. WOUWEREN. Qui recusabat onus. Claudian. lib. I. de Rapt. Proserp. vers. 156.

Et quoties detrectat onus cervice rebelli.

Spartiano in vita Getæ est *retractator.* vide Salmas. ad Spart. Adrian. cap. 2. CUPERUS.

Cum onere] Forte, *cum uno onere.* Vetus Scriptura, *cum onere.* Cum integro sane non poterat, qui vix incedere ob ejus gravitatem. BARTH.

Jumentum] Proprie de equis dicitur, unde mo *caballi* addit. Phædr. fab. LXIII. Sueton. Neron. cap. 5. Cicer. XII. ad Att. 32. CUPERUS.

Lapidariam navem] Qua vehuntur lapides. GLOSS. Forte *Japygarum*, quæ lapidibus oneratur. TORNÆS. Hac formula uti possumus, cum volumus innuere, nos illiberaliter haberi. Pflug. ERHARD.

Hominis operas locavi] *Locare suas operas* est servire alicui pro mercede. Schopp. in Observat. Ling. Lat. ERHARD. Plinius lib. X. Epist. 16. *Quibus operas suas locaverat.* Paulus in Sentent. lib. 5. tit. 1. §. 1. *Operæ tamen eorum locari possunt.* Anianus ibid. WEITZ. Elegans locutio, qua significamus, nos impares oneri: quo refert Ampl. Cuperus illud Othonis dictum apud Sueton. cap. IX. τί μοι καὶ μάκροις αὐλοις. & Ciceronis lib. II. ad Att. Ep. 16. hos autem, qui servos nimis onerare solerent, perstringere Theophr. Charact. cap. XII. notavit.

Operas] *Operam locare* dixit Plaut. Trin. Act. IV. scen. 2.

Nec minus liber] Solemnis illorum jactatio, quibus impotenter alii imperabant. Supra cap. LXXXI. *Aut vir ego liberque non sum.* Suet. Claud. cap. XL. *si quem alium, & se liberum esse.* Hinc *aliquem liberum non ducere.* Cicer. lib. II. ad Brut. 2. *Cæperat tanta esse insolentia, ut neminem liberum duceret.* vide Passeratium ad Propert. lib. II. eleg. VIII. pag. 277. idem Cicer. in Verr. lib. I. cap. 47. *Quemadmodum is tenuissimum quemque contemserit, despexerit, liberum esse numquam duxerit.* Et cap. sequenti. *quo ore, quos numquam liberos putavit, libertinos homines sit solitus appellare.* Ratio harum formularum satis manifesta iis, qui norunt, quanti libertas apud Quirites fuerit, & quam æquato jure olim viverent, ut nulli, ne quidem in summo magistratu positi, tenuiores possent contumelia aliqua adficere. BURM.

Strepitu obscœno] Dum pederet præ anxietate. TORNÆS. Honesta locutio. *Strepitus obscœnus* est πορδή. Glossæ: *Pedibus peditum*, πορδή. WOUWER. Dum præ lassitudine & angore pederet. Sic Germani dicimus, *Er soll vor Angst in die Hosen scheissen.* Facetus in Catone;

Hæres post mortem pedit amore suo.

Id

CXVIII. [a] Multos, inquit Eumolpus, ô juvenes, carmen decepit: nam, ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse. sic forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tamquam ad portum faciliorem, refugerunt, credentes, facilius poëma exstrui posse, quam controversiam sententiolis vibrantibus pictam. Caeterum neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum est

[a] EUMOLPUS.

Id est, præ amore ejus defuncti: Et versus Scholasticus;

Credimus esse pedis strepitum, cum, turgide, pedis.

Minutius in Octav. *Strepitus per pudenda corporis expressos*: unde liquet, cur *obscœnum* dixerit Petronius. ERHARD. Saresberiens. lib. 1. cap. 5. *Quando tumultuantes inferius crebro sonitu aërem fœdant, & turpiter inclusum turpius produnt.* WEITZ. Manus docta in codice Junii hic *crepitu*, & infra *crepitum* mallet. *Clamore sequebatur*, veteres editiones, quod probum puto, neque *clangore* Douzæ fuit admittendum. Imitabatur enim Giton ore strepitum obscœnum; quod & hodie pueros lascivos facere videmus. hoc sensit, qui ineptam illam laciniam adsuit, *olfactui ne officeret*, quæ desunt in antiquis codicibus, ut & sequentia, *sed & hic ad ingenium redux Eumolpus.*

Multos] Addatur in margine literis quadratis, *Eumolpus*. Pith. PATISSON. Vide Horatium. RITTERSHUS.

Juvenes carmen] Vet. cod. *nimirum carmen*. DANIEL.

Ut quisque versum pedibus instruxit] Hier. ad Eustoch. ex Fabio: *Poëtam non potest nosse, nisi qui versum potest struere.* sic, *poëma exstrui posse*. WOUWER.

Sensumque teneriorem verborum] Forte *teneriore verborum ambitu*. SAMBUC. Forte, *severiorem*. DELBEN. Sambucus. *teneriore*. Vetus meus, *teneriorem*, ut in textu. DANIEL. Præferrem quoque *teneriore ambitu verborum*. Ita vocat versificationem molliorem, ut *nimium teneris juvenari versibus* dixit Horatius Art. Poëtic. vers. 246. & *tenerum carmen* Ovidius III. Amor. eleg. 8. & passim Poëtæ. *intexere* similiter Tibullus, sive quicumque auctor Panegyrici ad Messalam, vers. 5.

Nec tua prater te chartis intexere quisquam
Facta queat. BURM.

In Heliconem venisse] Quam plurimos tum Romæ res familiaris domi angusta impellebat audere aliquid in literis. multi ad forum se conferebant: plures, cum agere causas nescirent, aut nimis laboriosum putarent, ad poëtices studium, tanquam in portum, confugiebant. Ad istos falso creditos poëtas referenda sunt hæc Petronii verba, & Persii versus in prolog. Nam, quod illi impudentes jactabant, somniasse in Parnasso, & ab ipsis Musis fuisse doctos, id Pers. refellit, veram afferens causam, quæ miselios ad templa Musarum, tamquam ad egestatis suæ asylum, compulisset. vide Casaubon. Comment. in Pers. prolog. ERHARD. Barthius ad Claudiani IV. Consul. Honor. vers. 411. legit, *Putabit se continuo in Heliconem venisse*, & Silium hic tangi putat, ut & alii crediderunt; quibus ne accedam, facit, quod ille demum carmini struendo sub Domitiano se dederit, quo tempore Petronius nusquam erat. Seculi ergo sui consuetudinem vulgatam tangit. Vide supra ad cap. 7. neque veros caussarum patronos hic intelligit, sed qui in umbra declamationibus forensibus caussis proludebant. BURM.

Excercitati] Forte, *excerciti*, id est, defessi. SAMBUC. Videtur notare Silium Italicum, de quo Martial. lib. VII. epig. 62.

Proque suo celebrat nunc Helicona foro.

uti & Lucanum, qui, relicto foro, ad Heliconem transgressi, pro caussis carmina Apollini, quam Themidi operari elegerunt. Rader. ad Martial. lib. 7. epig. 53. ERHARD.

Ad carminis tranquillitatem, tamquam ad portum] Vide Plin. lib. 9. ep. 7. WOUWEREN. *In portum* Barthius, & mox *sententiis.*

Vibrantibus] Alii, *umbrantibus*. PATISSON. Vide supra ad cap. XLVII. *umbrantibus* Tragurienſis quoque. Juvenalis vocavit *rotatum sermonem* Sat. VI. vers. 449. de quo loco mox agendi erit locus.

Caterum, &c.] Quædam deesse videntur. SAMBUC. Quid requiratur in Poëta. RITTERSH.

Sanitatem amat] Alii, *suavitatem*. TORNÆS.

Concipere] Vet. *conspici*. Pith. PATISSON. & TORNÆS.

Ingenti flumine] Alii, *ingens flumen*. TORNÆS.

Inundata] Biturig. *inundaverit*. Pith. PATISSON. Vet. cod. Brit. *inundaverit*. alii, *inundata*. TORNÆS. Timocles: Κόμποις παφλάζων ἠπίοις τυχὸν ὅμασι προσπαδύσας ἔχει, μισθωτὸς ἀρδεῖ πεδία τῶ δεδωκότος. PITH. Tragur. codex *mundetur*. Quod, licet sensum quemdam efficere non inelegantem posset, credo tamen scriptum pro *inundetur*, quo noster aliquoties utitur,

est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate; & sumendae voces à plebe submotae, ut fiat,

Odi profanum vulgus, & arceo.

Praeterea curandum est, ne sententiae emineant extra corpus orationis expressae, sed intexto vestibus colore niteant. Homerus testis, & Lyrici, Romanusque Virgilius, & Horatii curiosa felicitas. Caeteri enim aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare. Ecce,

& quod melius convenit τῷ *ingenti flumine*, ut *flumine largo*, dixit, *defundere*, cap. v. Vide de similibus locutionibus Barth. ad Claudian Consul. Mallii vers. 21. Ita elegantia sane summa Tertullianus Apolog. cap. XVIII. dixit Deum *emisisse in seculum spiritu divino inundatos viros*. Ita καταχλύσαι apud Graecos de immensa copia, qua quis impletur, poni docuit P. Victorius lib. XXXIII. Variar. Lect. cap. 19. BURM.

Effugiendum est ab omni verborum vilitate] Seneca lib. 1. Controvers. *De alia re longe recedendum est ab omni obscœnitate verborum, & sensuum, quædamque satius est cum caussæ detrimento tacere, quam cum verecundia dicere.* PITH. Juvenal. Sat. 7.

Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale moneta.

WOUWEREN. Quem locum ex Senec. 1. Controv. adducit in Collect. Fr. Pithœus, scias ἀπροσδιόνυσον esse. Loquitur enim Petron. de vili & abjecto nimisque humili dicendi genere, nec proprio, aut accommodato. ERHARD. Locutio Petronio nostro, ut videtur, peculiaris. *Vilitas* vero verborum, proprie de plebejo sermone dicitur, ut docet Nonius in *sisilare*. *Sisilare*, (*quod nos vilitatem verbi vitantes sibilare dicimus, & est maledica vocis significatio, vel contumeliosa popularium, quum sisilationibus quis exploditur*) *à Græco ducere originem invenimus*. Vegetius præfat. Art. Veterin. *Chiron & Absirtus deligentius cuncta rimati, eloquentiæ inopia ac sermonis ipsius vilitate sordescunt.* Horatius Art. Poët. vers. 131.

Publica materies privati juris erit, si
Nec circa vilem patulumque moraberis orbem.

Quintilianus lib. VIII. cap. 3. *vili orationi* opponit *accuratam*. Cæterum Tragurienſis codex trajectis verbis habet. *Effugiendum est, ut ita dicam, ab omni verborum vilitate*; ut forte hæc formula, *ut ita dicam*, respiciat locutionem insolentem *effugiendum est à vilitate*, non ipsam vocem *vilitatem*, cui non video, cur veniam præfari debeat Petronius. BURM.

Ut fiat] Biturig. *itaque fiat*. Pith. PATISSON.

Odi profanum vulgus] Versus est Horatii carm. lib. 3. od. 1. Alludit ad Eleusiniorum mysteriorum solennem morem, unde exesse per præconem jubebantur profani. is & ad alia sacra extenditur, ut in *mirabili ignis prodigio* apud Gratium Cyneget. Orphei illustres versus huc alludunt à Tatiano, Cyrillo, Clemente Alexandrino, Justino Martyre, & Eusebio in testimonium citati. Vide de hoc more late scribentes B. Brissonium de Formul. lib. 1. P. Gregorium Syntagm. Juris lib. 31. cap. 8. Barthium Animadvers. ad Claudian. lib. 1. de Rapt. Pros. vers. 4. *Profanum vulgus* dixit proprie & eleganter. Nam vulgaria sunt profana. Hinc Ezechiel cap. 42. vers. 14. Sacerdotes jubet extra depositisque sacris vestibus tractare *vulgaria*, id est, profana, quod vetus interpres imperite reddidit, *procedere ad populum*. Zuinglius in Compilat. De vulgo ab eruditis hominibus contemnendo nonnulla notavit Scalig. ad Catull. Brissonius d. lib. Rittershusius ad Phædrum. ERHARD.

Rationis] Sic Autisiod. alii, *orationis*. Pith. PATISSON. Alii, *extra corpus orationis*. TORNÆS.

Sed intecto vestibus colore niteant] Editio Plantini, & Lugdunensis, & exempl. Autis. *intexto*. quod verius puto. Sic enim hoc cap. *sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit*. Plin. cap. 48. lib. 8. *Aurum intexere* (*vestibus*) *in eadem Asia invenit Attalus Rex, unde nomen Attalicis*. Idem cap. 11. lib. 13. *Et tamen adhuc malunt Parthi literas vestibus intexere.* Utitur & M. Tullius eo sæpe verbo metaphorice. RICHARD. Lege, *intexto*. BARTH. *Sed intexto versibus colore* Samb. cod. *Intecto vestibus* Memm. cod. *sed ut intexto versibus* V. C. Lego, *sed ut intexto vestibus colore niteant*. Quo juvat Trag. cod. scriptura *sed intexto vestibus colore niteant*. BOSCH. Egregie hæc Illustrat Vir eruditionis immensæ Huetius, in origine fabularum Romanensium, pag. 65. & 66.

Horatii] Vide Barth. ad Stat. lib. 10. Theb. vers. 700.

Aut versum timuerunt calcare] Legendum *aut visam*. N. Faber. DANIEL. & RITTERSH. Longe probabiliorem censeo lectionem v. c. *aut visam timuerunt calcare*. *Calcare viam*, ut Horatius lib. 1. od. 28.

Et calcanda semel via leti. RICHARD.

Pro, *terere*, ut à via trita translatio ducta sit, quæ eadem calcatur. Nam & Aristoph. in Avib. dixit; οὐ Αἰσχύλου πεπάτηκας; id est, *Æschylum non bene calcasti*; quod est, eum non tristi, nec diligenter frequenterque pervolutasti, sed quæ senticosa sunt, & spinosa aculeis-

Ecce, belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius Historici faciunt; sed per ambages, Deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum, praecipitandus est liber spiritus, ut potius

aculeisque horrentia, vestigio premere timemus. Turneb. Adversar. lib. 4. cap. 19. *Calcare*, pro, contemnere, proterere. nam eos poëtas, seu versifices, potius tangit, qui hodie sunt frequentissimi, quorum animi impotentes sunt carminum, nec possunt contemnere quod sordidum & vulgare est: omnia enim eodem ingenii aut caloris æstimant examine. Barth. ad Claudian. Bell. Gildon. vers. 257. *Timuerunt*, id est, non ausi fuerunt. Auctor de Orig. gent. Rom. *Quam opinionem sequi metuit noster Maro.* Recte autem Douza *visam* restituit, pro *versum*, cui Putschius, Freherus, alii adstipulantur. ERHARD.

Calcare] Contemnere. ait, eos limæ peperciſſe. nec potuisse aversa styli uti parte. sic usitatiss. *Calcandi* verbum Ind. Apul. docemus. BARTH.

Ecce belli civilis opus quisquis attigerit] Interpungendus ita videtur locus: *Ecce belli civilis ingens opus: quisquis attigerit.* RICHARD. Tangit Lucanum, in cujus, ut æqualis, invidiam hoc carmen fecit, & quem è poëtarum numero excludit etiam Quintilian. lib. 10. cap. 1. Serv. in 1. Æneid. & Jornandes in Hist. Gothor. reclamante tamen Sidonio Apollinari lib. 2. ep. 10. Savaro in Not. Rader. ad Martial. lib. 14. epigr. 171. Gyraldus Dialog. 4. Barth. ad Claudian. ERHARD.

Plenus literis] Sic *plenus scientia* dixit Claud. Mamertus lib. 2. cap. 10. *omni scientia refertus* Eucherius ep. ad Valerian. Savaro ad Sidon. lib. 4. ep. 22. Sic infra Petron. *Eumolpus felicitate plenus.* Et iterum, *oratione blandissima plenus.* ERHARD.

Historici] Vide Barth. ad Stat. 3. Theb. vers. 426.

Quam Poëtæ] Desunt hæc duo verba in vet. cod. M. S. TORNÆS. Ita vet. cod. à vulgo absunt, *quam poëta.* SAMBUC.

Et fabulosum sententiarum tormentum] Fabius lib. x. de eodem, ut videtur, Lucano: *Lucanus*, inquit, *ardens, & concitatus, & sententiis clarissimus, &, ut dicam, quod sentio, magis oratoribus, quam Poëtis, annumerandus.* Servius in 1. Æneidos: *Quod diximus poëtica arte prohiberi, ne aperte ponat historiam, certum est. Lucanus namque in numero poëtarum esse non meruit, quia videtur historiam composuisse, non poëma.* PITH. Barthius ad Statii lib. IV. Theb. vers. 37. legendum docet, *torrentem*, & ita vocari fabulosarum literarum inundationem, quæ rapit calamum Poëticum, ut præcipitetur per fabulas, & raptus aliunde, velut quodam torrente, nihil sine illis stilus producat. sed ego mallem hic alludi ad machinas bellicas, quæ ingenti vi & vehementia effundunt & torquent tela, saxa, & similia, ut ita liber ille spiritus & copiosus effundatur & præcipitetur quasi per tormentum, cui nemo resistere potest, sed quod omnia prosternit & disrumpit. Simili comparatione, etsi in alia re, à tormento bellico desumpta utitur Ovidius IX. Metam. vers. 217.

——— *Terque quaterque rotatum*
Mittit in Euboicas, tormento fortius, undas.

Quæ verba si Stephanus Thesauro suo Latino, in gratiam pauperum, qui ex lexicis omnes opes suas parant, adjunxisset Juvenalis *sermoni rotato*, potuisset inde quidam pansophos (qui Poëtas Philosophari primum docere voluit, & ex artis logicæ præceptis carmina non præcipitare per tormentum, sed languide prorepentia eructare) sine ope bonæ suæ logicæ, intelligere, illum non esse *sermonem Poëtarum adstrictum numeris*, neque etiam ita vocari *argumenta Philosophica, ob certum numerorum enuntiationum*, quibus nihil puerilius & jejuno Logico dignius excogitari potest. *Rotatus* enim *sermo* est per tormentum quasi præcipitatus, ut *vibrantes* illæ *sententiæ*, quas paullo ante vocavit, tela illa, & arma, quibus pugnant declamatores & oratores. Mererentur tales Poëtarum interpretes ex Helicone, si eum invadere vellent, rotari, aut furcillis & tormentis abigi. BURM.

Liber spiritus] An hunc exercitati vultus Pædagogis illis inesse credamus, aut scire, quid sit liber ille Poëtarum spiritus, qui quotidie nobis in exponendis Poëtis, quos non capiunt, & Ephemeridibus ad impune maledicendum & rem faciendam compositis, occinunt, Poëtas legibus & necessitate metri coactos & invitos ineptiisse, cum aliter locuturi fuissent, si soluti fuissent illa metrica servitute & legibus Pedis? ὑπὸ λύρας. Si umquam experti fuissent, quod Ovidius de se puero jam jactabat:

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et, quod tentabam dicere, versus erat.

aliter censerent. Sed nunc, cum reptaverint per nescio quas prosodias, Thesauros Poëticos, & similia infelicium ingeniorum præsidia, & post mali carminis unius & alterius eructationem, cum se derideri videant, convertunt linguam sacrilegam in artis, ad quam aspirare non potuerunt, contumeliam, &, quos vivos ne obliquo quidem sermone tangere, metu tormenti Poëtici, quo tela in plumbeos hos homines facillime expelli videbant, audebant, sed quibus humiliter adulabantur, iis post funera insultare audent. BURM.

potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosae orationis sub testibus fides; tamquam si placet hic impetus, etiamsi nondum recepit ultimam manum.

CXIX. [a] *Orbem jam totum victor Romanus habebat,*

[a] BELLUM CIVILE.

Qua

Ut furentis animi vaticinatio appareat] *Furor* est ἐνθουσιασμὸς ille divinus, quo cœlitus adflata Poëtarum natio ad carmen decantandum rapitur. Plato in Ione. Orpheus in Argonaut.

Νῦν δ' ἐπὶ ἀερόφοιτον ἀπήπλατο δαίμονα οἶστρον.

Impetum vocat Ovid. lib. 1. Fastor.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacra semina mentis habet.

In tali ἐνθουσιασμῷ constituti Hesiodus, & reliqui antiquissimi Poëtæ, à Musis sua se carmina accepisse commenti sunt. vide Lucian. ἐν Διαλέξει πρὸς Ἡσίοδον, Barth. ad Claud. Porro de furore Poëtico lege Corn. Agrippam lib. 3. de Occult. Philosoph. ERHARD. Vide egregie hæc illustrantem virum eruditissimum Schultingium ad Senec. Suasor. 1. pag. 11.

Religiose] Scribe, *religiosæ*. Pith. PATISSON.

Tanquam] Alii, *quanquam*. alii, *jamque*. PATISSON. Vet. cod. *fides*, *tanquam*. deest aliquid. TORNÆS. & AURAT. Tollendum esse asteriscum, puto: nihil enim deest, sed *tanquam*, valet, exempli gratia: quemadmodum apud Plautum, *veluti*, &, *sicut*. In Aulularia Act. III. sc. 4.

——— *Facinus audax incipit,*
Qui cum opulento pauper cupit rem habere, aut negotium,
Velut Megadorus tentat me omnibus miserum modis,

In Pœnulo Act. II. sc. 1.

Ita me Dii ament, tardo amico nihil est quicquam iniquius:
Præsertim homini amanti, qui, quicquid agit, properat omnia,
Sicut ego hos duco advocatos. RICHARD.

Putschius legit *tangam*. inepte. particulam *tamquam* sic absolute & supra posuit cap. XXVI. *& me tamquam furtivis subinde osculis verberabat.* Et iterum cap. LXXXI. *qui tamquam togæ virilis stolam sumsit.* Marius Victorinus de Arte Grammat. libro 4. *Hoc genus metri maxime desiderat separari in duas clausulas, tamquam*

Super alta vectus Atys:
dehinc, Celeri rate maria. Sic vocula ὡσεὶ non tantum similitudinem significat, sed etiam veri speciem, ut Johann. 1. *Vidimus eum tamquam unigenitum.* hic ὡς habetur, cui æquipollet ὡσεὶ. apud Lucam 22. ubi scribitur: *Factus est sudor ejus, tanquam gutta sanguinis decurrentes in terram.* quod non sic accipiendum sit, quasi dicere voluerit, Servatorem emisisse sudorem similem guttis sanguinis, ut ipse tamen sanguis non fuerit: sed intelligendum est, sudorem decurrisse sanguineis guttis. Bucerus Annotat. in Matth. cap. 26. vers. 39. ERHARD. Tragurien-sis, *tam quæ si placet.* & mox, *recipit.*

Recepit ultimam manum] Paucula deesse videntur. SAMBUC. Quinctil. lib. 1. *summam eloquentiæ manum imponerent.* Auson. Paullino. *Quamvis per te summa manus contigerit.* hinc Seneca ep. 12. *Deditos vino potatio extrema delectat, quæ ebrietati summam manum imponit.* Inscriptio Viennæ apud Gruter. pag. CLXIV. 2. *Ad summam manum perduxerunt perfectionis.* WOUWEREN. Supremam & exactissimam censionem. Virgil. lib. 7.

Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit Regina manum.

Solinus præfat. *opusculum impolitum prius in medium dederunt, quam inchoatæ rei summa manus imponeretur.* Prudent. Psych.

——— *Sola duello*
Impositura manum, ne quid jam triste supersit.

Boëth. libro 2. prof. 7. *hoc unum est, quod præstantes quidem natura mentes, sed nondum ad extremam manum virtutum perfectione perductas, allicere solet.* BARTH. Quem & vid. lib. XII. Adversar. cap. 1.

Orbem jam totum] Pompon. Sabin. in Virg. Æn. 7. Pith. PATISSON. *Orbis* olim imperium Romanum appellabatur. Sic Aurel. Victor in Diocletiano. *Ubi orbis Romani potentiam cepit.* BUSCH. Citatur à Pomponio Sabino ad illud simile Virgilii libr. 7. vers. 100.

——— *Qua Sol utrumque recurrens*
Aspicit Oceanum. ——— BONGARS.

Florus in eadem hist lib. IV. cap. 11. *Jam pene toto orbe pacato, majus erat imperium Romanum, quam ut ullis externis viribus exstingui posset.* WOUWER. Sallust. *ea tempestate mihi imperium P. R. multo maxime miserabile visum est. Cui cum ad occasum ab ortu Solis omnia domita armis parerent, domo otium atque divitiæ adfluerent,* &c. Latinus Pacatus, de Imp. Rom. *quia gentibus adoratur, cui toto ORBE terrarum privata & publica vota redduntur.* Hinc *ORBIS ROMANUS* Ulpiano leg. 17. de Stat. Hom. Lucan. lib. 7. vers. 423.

Haud multum terræ spacium restabat Eoæ.
Ut tibi nox, tibi tota dies, tibi curreret æther,
Omniaque errantes stellæ Romana viderent.

Rutilius lib. 1. Itin.

——— *Ipse videtur,*
Quem sibi ROMA facit, purior esse dies.

Pari

Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque,
Nec satiatus erat. Gravidis freta pressa carinis

Jam

Pari ambitione Vet. Epigr. lib. 11.

Sol citra nostrum flectitur imperium.

Sic *Romana dies* apud Stat. 1. Sylv. 1. Mart. lib. 9. ep. 2. vid. Egesipp. lib. 11. cap. 9. Claud. 4. Cons. Honor. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adversar. 2. Satyra, in qua vitia Romanorum reprehenduntur. Buschius in Annotat. de mutatione Reipub. Romanæ. Scalig. in Catalect. ERHARD. Lactant. lib. v. cap. IX. *Populus ipse Rom. per feciales bella indicendo, & legitime injurias inferendo, semperque aliena cupiendo, atque rapiendo, possessionem sibi totius orbis comparavit.* BOSCH. Principium hoc belli civilis ita ante annos fere octingentos expressit & æmulatus est Hericus, satis doctus eo ævo vates:

Orbem tum totum victor Romanus agebat,
Qua mare, qua tellus, qua cardo invergit uterque,
Si quod in orbe fretum, si quis sinus abditus usquam,
Si quod clima foret Phœbæa lampadis expers,
Si qua fuit regio, qua fulvum gigneret aurum,
Nil nisi Romani vivebat nominis umbra.

GABBEMA. Lipsius de Magnitud. Romana lib. 1. cap. 3. Scribanius de Magnitud. Romanæ Eccles. lib. 1. WEITZ. Inde Roma apud Athenæum lib. 1. cap. 17. ἐπιτομὴ τῆς οἰκουμένης, *compendium orbis.* Et populus Romanus δῆμος τῆς οἰκουμένης, *mundi populus* à Polemone oratore, ut referunt Galenus & Athenæus dicto loco, vocatus est. Ut Casaubonum ad Theophr. Caracter. initium docuisse notaverat Amplissimus Cuperus. vide Freinsh. ad Flor. IV. 3. carmen vero hoc se primum nomine, *speciminis de bello civili*, nuncupasse, jactat Barthius ad Claudian. Consul. Prob. & Olybr. vers. 128. & idem ad IV. Consul. Honor. vers. 340. dicit, *videri doctis hoc carmen Petronium pro Nerone contra Lucani. fastum scripsisse, nequaquam tamen spiritum ferre, quem jactat.* Et adversariorum dicto loco adfert versus Herici.

Terra] Ita edidit Hadrianides & Bosschius. Sed recte omnes editiones veteres *terræ*.

Sydus currit utrumque] Vet. cod. MS. semper habet, *sidus*. BRASSICAN. Sol, *utrumque*, oriens, & occidens. Rutilius lib. 2.

Qua fert atque refert Phœbus uterque diem.

Virgil. Cul. vers. 100.

Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque æthereo ponit discrimina Mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces. BARTH.

Quem etiam vide lib. XXIII. Adv. cap. 11. Sic Claudian. de Roma in Bell. Gild. vers. 48.

——— *Ad Solem victrix utrumque cucurri.*

Orientem videlicet & Occidentem. Petronius *sidus* vocat Solem, ut Græcis est ἄστρον. Scholiast. Pindari Olymp. 1. τὰ γὰρ ἐκ πολλῶν συγκείμενα ἄστρα ζῴδια, ἄστρα λέγονται, ὁ δὲ ἥλιος ἀστήρ. Barth. ad Claudianum in IV. Consul. Hon. vers. 30. & bell. Gild. vers. 48. Ad rem est Pet. Matthæus Histor. Francor. lib. 1. narr. 1. num. 11. ERHARD. Barthius tam hic, quam ad Stat. v. Theb. 154. & Adversar. lib. XXIII. 2. orientem & occidentem intelligit. Et ad Claudian. 11. in Rufin. vers. 155. putat esse Ironicum in Philosophiam Epicuri, quæ futilia & inepta de corporibus cælestibus sciverit. Ego vero per *sidus utrumque* Solem & Lunam mallem intelligere: nam *sidus* simpliciter pro sole sæpe ponitur. Justin. lib. XIII. cap. 7. *solstitiales ortus sideris primus invenit.* Ubi vid. Bernecceri notas, & Heinsii ad Ovid. lib. XIV. Metam. vers. 172. & Broukh. ad Tibull. II. 1. 47. Statius lib. VII. Theb. vers. 709.

——— *Ceu letifer annus*
Aut jubar adversi grave sideris. ———

Ammianus Marcell. libr. XVIII. cap. 7. *Aut ubi solis radiis exarserit tempus, in regionibus æstu ambustis, vapore sideris, & magnitudine culicum agitantur.* Non minus frequenter vero Luna *sidus* κατ' ἐξοχὴν dicitur, & *sidera* simpliciter posita Solem & Lunam notant. Vide quæ Tennulius ad Frontin. lib. 1. strateg. cap. XII. exempl. 9. in hanc rem notavit. Et eo sensu videtur Virgilius lib. VI. Æneid. 796. dixisse

——— *Jacet extra sidera tellus*
Extra anni Solisque vias. ———

Ubi Donatus annum, *noctem*, id est, Lunam, Solem *diem* explicat. Plinius lib. VIII. cap. 1. de Elephantis, *Religio quoque siderum Solisque ac Lunæ veneratio. Auctores sunt, in Mauritaniæ saltibus ad quemdam amnem, cui nomen est Amilo, nitescente Luna nova, greges eorum descendere, ibique se purificantes solemniter aqua circumspergi, atque ita salutato sidere in silvas reverti.* Apertius vero lib. II. cap. 13. *ut* XV. *diebus utrumque sidus quæreretur, nostro ævo accidit.* Lucanus in loco à Barthio citato lib. VII. 423. *noctem* & *diem* vocat. BURM.

Nec satiatus erat] Festus Rufus; *Cato Cyprias opes Romam navibus advexit, ita ut jus ejus insulæ avarius magis, quam justius, simus assecuti.* Idem scribit Ammian. Marcellinus lib. 14. *Avide magis, quam juste*, &c. Tale convitium in Romanos Vibii Virii refert Livius decadis 3. lib. 6. & Mithridatis Justinus lib. 38. BRASSICAN.

Gravidis freta pulsa carinis] Manilius lib. 5.

Prudentem & cæco raptabit in æquore pistem,
Cumque suis domibus concha vallonque latentes
Protrahit in morsus, nihil est audere relictum:
Quæstus naufragio petitur, corpusque profundo
Immissum pariter quam præda exquiritur ipsa, &c.

Jam peragebantur; si quis sinus abditus ultra,
Siqua foret tellus, quae fulvum mitteret aurum,
Hostis erat: fatisque in tristia bella paratis.
Quaerebantur opes, non vulgo nota placebant
Gaudia, non usu plebejo trita voluptas.

Aes

BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. 11. *Gravidis*, id eſt, onuſtis. ERHARD. Philipp. Rubenius lib. 2. Elector. cap. 10. *gravidas carinas* haud ſatis probat, & putat germanum eſſe, *Grajis freta pulſa carinis*. nempe, inquit, Pontus, & loca, per quæ Jaſon cum ſuis ad aureum vellus profectus eſt. WEITZ. *Preſſa carinis* Liber Tragurianus, quod malo. HEINS. Fruſtra *Grajis* quoſdam ſupponere docet Gronovius Diatrib. Statian. cap. XXVI. reſpiciens Rubenium, qui lib. II. Elector. cap. X. ita cenſuerat. *Pelli* autem melius dicitur mare remis, quam ipſis ratibus. Ita notavit Ampliſſimus Cuperus, *everberare*, dixiſſe Curtium lib. IV. 5. & Attium apud Feſtum in *rates*. *repercutio ratibus mare*. Sed Tragurianus codex habet *preſſa*, quod præfert Heinſius, & Cuperus. Et ipſa res exigit.

Jam peragrabantur] Quidam legunt, *peragebantur*. COLLADON. Fortc *perarabantur*. Sic Virg. *aquor arandum*. Delbenius. DANIEL. Improprie dictum. quamquam apud Tacitum id occurrit. apud Florum quoque l. II. c. 7. *Populus Romanus tota Gratia litora veluti triumphali claſſe peragravit*. cap. 17. *Decimus Brutus peragrato victor Oceani litore*. Suetonius Cajo cap. 37. *litora peragrare Liburnicis*. Juſtin. XII. cap. 9. *cum lectiſſima manu navibus conſcenſis Oceani litora peragrat*. Magis Poëticum tamen ſit, ſi hoc loco legamus *jam perarabantur*, vel *peragebantur*, quod poſterius à libro Traguriano confirmatur, & codice Scaligeri, aliiſque nonnullis. Apud Naſonem Epiſtola XV.

Factus inops agili peragit freta cærula remo.

deinde putem, *ſi quis ſinus abditus alto*. Aurum terra marique quæſitum innuit. HEINS. *Perarabantur* illuſtrat Heinſius ad Ovid. II. Amor. eleg. X. verſ. 33. Et ita ſupra cap. XCIII. *aratam ſyrtim* dixit. mihi tamen Tragurienſis codicis lectio, *peragebantur*, unice probatur. Valer. Flacc. lib. I. verſ. 560.

——— *Sic ecce meus, ſic orbe peracto*
Liber, & expertus terras remeavit Apollo.

Stat. lib. V. Theb. verſ. 574.

——— *Longus vix tota peregit*
Membra dolor,

ubi vide Barthium. BURM.

Si quis ſinus abditus ultra] *Sinus* proprie pars illa dicitur, quæ eſt intra pectoris brachiorumque complexum. Per metaphoram littora curva vocantur, & quaſi brachiis mare amplectentia. *Sinus* etiam prima producta vaſis genus eſt ſinuoſum & galcila. Virgilius Eclog.

——— *Sinum lactis & hæc tibi liba, Priape,*
Expectare ſat eſt. ——— BUSCH.

Si qua foret tellus] Galgacus apud Tacit. Vita Jul. Agric. *Romani raptores orbis, poſtquam cuncta vaſtantibus defuere terræ, & mare ſcrutantur: ſi locuples hoſtis eſt, avari, ſi pauper, ambitioſi*. WOUWEREN.

Tellus quæ fulvum] Vet. Cod. *tellus fulvum quæ*. COLLADONIUS.

Hoſtis erat] Salluſt. Jug. *paullo ante Carthaginenſes, item Regem Perſen, poſt, uti quiſque opulentiſſimus videatur, ita Romanis hoſtem fore*. vide eum epiſtola Mithridatis ad Arſacen ex lib. 4. Hiſtor. BARTH. Quem etiam vid. lib. XXIII. Adverſ. cap. 11. Similia Claudian. lib. I. in Rufin. verſ. 189. *Rufino populandus erat*. Barth. ad Claudiani dict. loc. ERHARD.

Fatiſque in triſtia bella paratis] *Fatum*, voluntas hoc loco, & apud Virgil. lib. VIII. verſ. 292.

——— *Fatis Junonis iniqua*. BUSCH.

Feliciter rebus ſuccedentibus, quocumque etiam jure. BARTH. Quem & vide lib. XXVI. Adv. cap. XXIV.

Quærebantur opes] Ovid. lib. I. Metam. BONGARS. Magno labore & cura. Ita mox *Quæſitus nitor*. Et *Quæritur in ſilvis fera* & ſupra cap. XCIII. *Quidquid quæritur, optimum videtur*. Terent. Eunuch. Act. I. ſc. 2. *Relictis rebus omnibus quæſivi*, ubi v. Donatum. Claud. in Eutr. lib. II. verſ. 333.

Quæſitos trans regna cibos.

lib. I. in Rufin. verſ. 386.

——— *Nec murice tinctis*
Velleribus quæretur ovis.

Vide Barth. ad Claud. lib. I. in Rufin. verſ. 205. & ad Stat. II. Theb. 308. & Paſſerat. ad Propert. lib. I. eleg. 2. pag. 148. Ita *quæſitiſſimas epulas* dixit Salluſt. lib. II. Hiſtor. *Quæſitiſſimos honores* Tacit. II. Annal.

Non uſu plebejo trita voluptas] Vet. unus, *riſu plebejo*, &c. PUTEAN. Quidam legunt, *riſu plebejo tracta voluptas*. COLLADON. Nudo uſu, nihil ad voluptatem. Virg. Cul.

O bona paſtoris ſi quis non pauperis uſum
Mente prius docta faſtidiat. BARTH. Quem & vid. lib. XXVI. Adv. cap. XXIV. Scaligeri codex & alii complures *tracta*, idem *riſu*, non *uſu*. Puto *ritu*. Tragur. *uſu plebejo tricta*. Sambuci *plebeja trita*. Opinor, *non uſu plebejo adſtricta voluptas*, vel *ritu plebejo*. Ut veſtigiis Scaligeriani libri proxime inſiſtamus. non adſtrin-

adſtringebantur voluptatis plebejæ anguſtiis. Sic *adſtringi voluptatibus* apud Ciceronem in paradoxis. Livius lib. XXXIX. cap. 1. *inops regio, quæ parcimonia adſtringeret milites.* Juſtinus lib. XII. cap. 3. *his rebus ingentes epularum apparatus adjicit, ne jejuna & adſtricta luxuria videretur.* Ita lego, vulgo *deſtructa luxuria.* Idem lib. XLIV. *dura omnibus & adſtricta parcimonia.* HEINS. Vide ſupra ad cap. 93.

Plebeja] Lege, *plebejo.* AURAT.

Trita] Alii, *tracta.* TORNÆS.

Ac ſpireum cum] Lege, *Heſperia coccum.* AURAT. Alii, *Heſperia coccum.* Autiſiod. *Æs Epyrecum.* fortaſſis pro *Æs Ephyræ Regum:* vel, *Æs Ephireum.* at Bitur. & alii, *Ac ſe pyrecum.* quædam *piretium.* Pith. alii, *Æs pyræum.* alii, *Ac ſpireum.* PATISSON. Aliud exemplar habet, *Ac ſpireum cum laudabat*, quod nullum habet ſenſum, & corruptum eſt. BUSCH. Γρ. *Ac ſe piretum.* Alii, *ac ſe pyre cion.* COLLADON. *Æs pyræum*, vetus codex. *conlaudabat* conjectura ductus poſui: cum vulgo eſſet, *Ac ſpireum cum laudabat.* SAMBUC. Ad hunc verſum nota crucem, ut ſuſpectum. DELBEN. Lege, *Heſperia coccum laudabat miles in ora.* STEPHAN. Scal. *Aſſyria concham.* Turneb. lib. 4. cap. 19. *Ac ſeſe pictum.* Fr. *Ac ſe piretron.* DANIEL. Audaciſſime ita ad ſuum ſenſum interpolavit acumen Palmerii. *Aſſyriarum gemmarum* mentio apud Sidonium paneg. Major. *Purpura* ex eadem Regione Maro Culice.

Si non Aſſyrio fuerint bis lauta colore
Attalicis opibus data vellera. —— BARTH.

Alii, *Æſopyreum.* Lege, *Ac ſeſe pictum laudabat miles in unda.* Turneb. Adverſ. lib. 4. cap. 19. vulgo, *Æs pyreum conlaudabat miles in unda.* Reſtituendum puto; *Æs Ephyreum conlaudabat miles, in uda* (ſeu *uma*) *Quæſitus tellure* —— Nam *uda* in *unda* migravit non raro, Gifanius Ind. Lucret. in *caſus ſextus.* Totum locum ita emendo;

Æs Ephyreum laudabat miles: in uda
Quæſitus tellure nitor certaverat oſtro;
Hinc Numida lapides. ——
Ecce alia clades & læſa vulnera pacis:
Quæritur in ſilvis Mauris fera: & ultimus Hammon
Excutitur. ——
Ad mortes precioſa: fames premit advena claſſes:
Tigris & aurata gradiens jactatur in aula,
Ut bibat, &c. ——
Heu pudet effari parituraque prodere fata.

Æs Ephyreum eſt Corinthium. Juven. *Ephyræum.* Virgil. *Ephyreium.* Queritur, æs Ephyræum eſſe in amore militi, quod armis non faciat; illud quod faciat, non eſſe. Palmer. Spicileg. ERHARD. *Æs pireum*, Samb. & Trag. cod. *Ac ſepiretum*, Leid. *pirecum* V. C. Legend. eſſe me monuit Nobiliſſ. N. Heinſius,

Æs Ephyreiacum laudabat miles in umbra.

Quae-

Sub arborum umbris in porticibus, ubi ſpatiabantur Romani, ſtabant imagines fictæ ex *ære Ephyreiaco*, hoc eſt, Corinthiaco. Interpres Apollonii. Ἔφυρα, ἡ Κόρινθος, ἀπὸ Ἐφύρας τῆς Ἐπιμηθέως θυγατρός. Virg. Georg. II. *Ephyreiaque æra.* BOSCH. Pervenimus ad locum peſſime adfectum, & qui longe aliter vulgo nunc exhibetur, quam in ſcriptis comparet exemplaribus, quorum veſtigiis dum minus inſiſtitur fideliter, nil mirum, tot eruditione præſtantes viros in hunc ſcopulum impegiſſe. Prima editio, *Ac ſpireum cum laudabat miles in unda.* Tragurianus *Æs pireum cum l. m. i. u.* Sambuci codex *Æs pyreum cum lauda bat.* Codex unus Scaligeri, *Ac ſe piretum laudabat.* alter ejuſdem *Ac ſe pirecum*, vel *pyrecum*, ut Patiſſonius ex Bituricenſi libro & aliis. Codex Autiſſiodurenſis *Æs Epyrecum.* alii quidam *Æs piretium.* editio Patiſſonii *Æs Ephyræ regum laudabat.* Nihil in his omnibus, quod vulgatæ ſcripturæ imaginem præ ſe ferat, multo minus, quod Salmaſianæ conjecturæ patrocinetur. Scribebat ille Solinianis exercitationibus: pag. 732.

Heſperium coccum laudabat miles: eadem
Quæſitus tellure nitor.

Quam caſtigationem videri poteſt ſublegiſſe H. Stephano, qui ad oram editionis ſuæ cum fragmentis veterum Poëtarum luce publica donatæ, corrigebat

Heſperia coccum laudabat miles in ora.

Quæ conjecturæ hoc ipſo refelluntur, quod longius abeunt à ſcripta lectione. De *ære Ephyræo*, vel Corinthiaco hic agi, ſunt qui viderint. clariſſimus Voſſius ad Pompon. Mel. lib. III. cap. 10.

Heſperia concham miles laudabat in unda.

Sed, nec *coccum*, nec *concham*, in ſcriptis comparere, jam vidimus. Tragur. & Sambuci liber & Autiſſiod. proxime accedunt, veram lectionem, *Aes Ephyreiacum:* nec multum abhorrent reliqui codices; ſed in eo omnes ſunt mendoſi, quod *undam* agnoſcant pro *umbra.*

Aes Ephyreiacum laudabat miles in umbra.

per *umbram* autem porticus deſignat, quibus nemora ut plurimum accedebant, hominum otioſorum deambulationibus atque oblectamento ſub æſtivum diem dicata. Per ipſas autem porticus diſpoſitæ tabulæ, ſtatuæque æreæ ac marmoreæ, magnorum artificum opera: quod, cum ex aliis ſcriptoribus, tum ex noſtro de Haloſi Trojana, abunde liquet. Teſtaturque id ipſum Plinius paſſim. *Umbram* pro porticu apud Poëtas invenias frequenter. Sic *umbra Pompeja*, pro Pompeja porticu ſæpe apud Naſonem, Propertium, & Martialem. de *ære Corinthio* omnia notiora ſunt, quam ut interpretationis egeant, quantum luxuriæ Romanæ licuerit in eo conquirendo. Norunt & Tirones, Corinthon dictam Ephyren. Salluſtius, ubi agit de luxu militari poſt bellum Achaïcum, quo

capta

Quaesitus tellure nitor certaverat ostro.
Hinc Numidae accusatius, illinc nova vellera Seres,

Atque

capta & direpta Corinthus orbem Romanum tabulis ac signis æreis præsertim implevit, taxat inter alia, quod in his spectandis & mirandis occuparetur miles. Bell. Catil. cap. XI. Tacitus Hist. lib. II. cap. 92. *Sed miles, plenis castris, & redundante multitudine, in porticibus, aut delubris, & tota urbe, vagus, non principia noscere, non servare vigilias, neque labore firmari, per illecebras urbis, corpus otio, animum libidinibus imminuebat.* Laudandi verbo etiam usus de hac ipsa re Livius lib. XXXIV. cap. 4. *infesta, mihi credite, jam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantesque.* HEINS. Kuhnius ad Æliani Var. libr. IV. cap. I. legit cum Vossio.

Hesperia concham laudabat miles in unda.

& Hesperiam undam mare Atlanticum interpretatur. Nos, licet corruptam, primam lectionem reduximus, conjecturis virorum doctorum valere jussis, & hic hærere nobis aquam fatemur.

Laudabat] Ἴσως *Lavabat.* COLLADON.

In unda] Lege, *ora.* AURAT.

Nitor] Hunc Salmas. exercit. Plin. de minio intelligit, Vossius ad Melæ lib. III. cap. 10. de cinnabari.

Certaverat ostro] Id est, de palma contenderat, utrum magis expeteretur. Valer. Flacc. libr. V. vers. 645.

Et tibi, magne pater, terris donaria certant.

Statius lib. I. Sylv. II. vers. 87.

Vidi & Abydeni juvenis certantia remis
Brachia.

vide Lambin. ad Horat. lib. II. od. 6.

Ostro] *Ostrum* cruor muricis aut conchylii dicitur. BUSCH.

Numidæ crustas] Steph. *silices.* Scaliger, *accurrant.* TORNÆS. Veteres, *accusant.* alii, *accurant*: Biturig. *accusat.* Pith. PATISSON. Forte, *silices.* AURAT. & STEPHAN. Mendosus locus. SAMBUC. Corruptus & hic locus est: potes legere, *Numidæ ac satius.* BUSCH. Rg. *accusant.* alii, *accusatius*, ἴσως, *accurant*, aut, *advectant.* nam & verbo hic opus est, & illi pecuaria habebant amplissima, non solum marmora. COLLADONIUS. Vet. *accurant.* DELBEN. Vetus unus, *accusatius.* PUTEAN. Seneca ep. 87. *Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis & pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint, nisi illis undique operosa & in modum picturæ variegata circumlitio prætexatur.* WOUWEREN. Sidon. carm. V. vers. 37.

Jungitur his Symas, Numadum lapis additur istis,
Antiquum mentitus ebur. —— BARTH.

Lege *Numidæ accurant.* Turneb. Adversar. lib. 4. cap. 19. *Numidas lapides* vocat columnas & marmora Numidica contemtim. illud, *Numidæ accusant*, unde Turneb. *accurant*, alia occasione subrepsit, cum scriptum esset, *Numidæ lapides*; id ne quis arbitraretur nominandi casu esse, fuerat, qui ad oram adscriberet, accusativum esse, hoc modo, *accusat.* Palmer. in Spicileg. *Numidæ crustas*, id est, marmora. Senec. ep. 87. hinc *crustæ marmoreæ.* l. 17. §. quæ tabul. D. de action. empt. Isidor. lib. 19. cap. 13. Plin. l. 36. cap. 6. Sidon. lib. 2. ep. 2. *Jam si marmora inquiras, non illic Paros, Charystos, Proconissos, Phryges, Numidæ, Spartiatæ, ruptum variatarum posuere crustas.* Savaro ad Sidon. d. l. Weitzius indic. in Dracontii Hexaem. *crustæ.* ERHARD. Gloss. παγιτᾶ κλάσματα, *crustæ.* Item: κλάσμα παγιτᾶ, *crustæ, Eyssischolpen.* Basil. Faber in Thesaur. erud. Scholastic. verb. *Crustæ.* Ammianus lib. 15. *Humus crustata frigoribus.* Et lib. 17. *Et crustis pruinarum.* Cl. Rutilius lib. I. Itinerar.

Et gravis æstivo crusta colore coit.

Lindenbrog. in Not. ad Ammian. Onomastic. *Crusta*, πλάξ, ὕστακον. Servius differentiam facit inter *crustam* & *crustum*, ut *crusta* sit eorum, quæ non comeduntur, ut *crusta marmor*, *crustum* vero eorum, quæ comeduntur. Scholiast. Juvenal. ad Satyr. 9. Statius I. Sylvar. Baln. Etrusc.

Sola nitet flavis Nomadum decisa metallis
Purpura. ——

Et lib. 2. Sylvar.

Hic Nomadum lucent flaventia saxa.

Vide Indicem nostrum in Dracontium in *crusta*, Freherum in Auson. Mosell. vers. 48. WEITZ. Hic denuo licenter grassati sunt homines eruditi, cum codices scripti *crustas* illas minime agnoscant. Tragurianus, *hinc Numidæ accusatus.* Scaligeri codex *accusant*, unde ille *crustas.* Editio prima & Sambuci codex *accusatius*, Bituricensis *accusat*, alii *accurant*: *acculant* nimirum fuerat primo exaratum pro *accumulant.* Numidæ & Seres nova vellera accumulant. De vestitu agit, & quidem, Serico seu Byssino. Seres depectere hæc vellera ex arboribus, creditum antiquis, quis ignorat? Idem Plinius tradit de arboribus in Atlante monte, quod refer ad Numidas Petronii. HEINS.

Vellera Seres] *Seres* lanitio sylvarum dediti sunt, depectentes canitiem frondium aqua perfusa. * mus fœminis laborem ducendi fila rursusque * ab iis *sericum* ipsa lana arborum & *sericæ* vestes sunt appellatæ. BUSCH. Vide Notas nostras ad Dracontium, & Indicem, Basil. Fabrum in Thesaur. erudit. Scholastic. verbo *Seres.* WEITZ.

Atque Arabum] Deesse post hunc versum complura, magnus Scaliger in codice suo adnotarat. Recte omni-

Atque Arabum populus ſua deſpoliaverat arva.
Ecce aliae clades, & laeſae vulnera pacis.
Quaeritur in ſylvis an reo fera, & ultimus Ammon

Afro-

omnino, ſi haec de aromatis & unguentis capiuntur, quibus orbem Romanum Arabes inſtruebant. Sed, cum de luxu veſtimentorum agat in ſuperioribus Arbiter, haec quoque eodem referenda, & de Goſſypio vel de ſerico, capienda eſſe arbitror. Certe ſcriptores antiqui, cum de rebus Indicis agant, lanam & linum & byſſum frequenter confundunt. De Arabibus quoque Plinius lib. XII. cap. II. *Arabiae autem arbores, ex quibus veſtes faciunt, Cynas vocari, ſolio palmae ſimili: ſic Indos ſua arbores veſtiunt.* HEINS.

Deſpoliaverat] Non abſimilia illa Statii lib. I. Sylv. II. verſ. 122.

Queritur jam Seras avaros
Auguſtum ſpoliare nemus, Clymeneaque deeſſe
Germina, nec virides ſatis illachrymare ſorores,
Vellera Sidonio jam pauca rubeſcere tabo.

ubi Heinſius in ora codicis notaverat, ſibi videri corrigendum *querimur jam Seras avaros Auguſtum ſpoliare nemus.* Ut *auguſtum nemus* dixit idem lib. IX. Theb. 718. Non autem de veſtibus ex Arabia petitis, ſed de thure & odoribus capio: non enim hic de veſtium luxu ſolo agit. Nam certe Numidae non mittebant veſtes, niſi Getulicam purpuram innuerit. BURM.

Ecce aliae clades] Seneca: *O ſata! victus Herculem peremit Lycas: Ecce alia clades, Hercules perimit Lycam.* WOUWEREN. Juven. XII.

——— *Genus ecce aliud diſcriminis, audi*
Et miſerere. BARTH.

Clades quodvis infortunium notat. Barthius in Ceir. Virg. num. 283. ERHARD. Supra cap. LXXXIX. *ecce alia monſtra.* Statius lib. I. Achill. verſ. 66.

En aliud furto ſcelus.

vide Barth. ad lib. XII. Theb. verſ. 349.

Eliſae vulnera pacis] Alii, *& laeſae*, TORNÆS. SAMBUC. & COLLADON. Impreſſi, *eliſae*. PUTEAN. Quaſi conſtupratae, hoc enim *Laedendi* verbum. Tertullianus in Sodoma.

Anteque vel Circaea novas per pocula formas
Sumere, quam laeſum Sodomis amittere ſexum.

BARTH. Elegantiſſime. Sic Claudian. lib. II. de Laud. Stil. verſ. 380. *vulnere famae.* vid. Barth. dicto loco. ERHARD. Vid. Barth. ad Claud. II. de Laud. Stil. 380. & II. in Rufin. 116. ſic quoque Cicer. II. Philipp. *at quanta merces Rhetori eſt data, audite patres conſcripti, & cognoſcite Reipubl. vulnera.* quae verba & poſſunt legi apud Sueton. cap. V. de Clar. Rhetor. CUPERUS.

Mauri fera] Alii, *auro fera*. alii, *circo fera*. TORNÆS. AURAT. STEPHAN. Vetus codex, *arcu fera*. vulgo *an reo fera*. SAMBUC. Vetus, *arco fera*. DELBEN. Quidam liber *auro fera*; *leus cavea fera*. COLLADON. Lege, *in ſylvis fera nunc leo*. BRASSIC. Editio Lugdunenſis, *Quaeritur in ſylvis Mauri fera*. Aliquanto rectius, niſi fallor: ut ſit Enallage numerorum, *in ſylvis Mauri*, pro Maurorum, & Mauritaniae. Poteſt etiam legi, *Mauro*, tertio caſu, pro quaeritur à Mauro venatore. Vel, *in ſylvis Mauris. Maurae ſylvae*, ut apud Horat *Maura jacula*, *Mauri angues*, & *Maura unda*. Nam de venatione leonum hic Petronium loqui, ea, quae de tygride ſubjicit, facile fidem fecerint. In Mauritania autem multi & magni leones, vel teſte Horatio libr. I. od. XXII. verſ. 21.

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit eſculetis,
Nec Jubae tellus generat, leonum
Arida nutrix. RICHARD.

Salvianus l. ult. *In ſpectaculis primum deliciarum genus eſt mori homines, impleri ferarum alvos humanis carnibus cum circumſtantium voluptate, & conſpicientium laetitia. Atque, ut hoc fiat, orbis impendium eſt. Adeuntur loca abdita, luſtrantur invii ſaltus, peragrantur ſylvae inexplicabiles: &, ut devorari poſſint homines, non licet naturam rerum habere aliquid ſecretum.* WOUWEREN. Juven. XI.

Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes,
Et Mauri celeres; & Mauro obſcurior Indus.

BARTH. Alii, *Mauris*, ut ſolet Horat. dicere, *Maura unda*, *Maurus ſerpens*, *Mauris jaculis*. Georg. Fabricius Caſtigat. Odar. Horat. lib. I. od. 22. Palmer. in Spicileg. ERHARD. *Mauri*, alii, quod rectius puto. BOSCH. *Mauris* malim, vel *Mauro*; prima editio *an reo*. Tragurianus, *areo*. Hinc *circo* Henr. Stephanus, in Scaligeri & aliis codicibus *auro*, pro *Mauro*. codex Sambuci *arcu*. Sed forte ſcripſerit noſter, *in ſylvis Euri*, ut univerſum deſignet Orientem. Indum enim proprie animal Elephas. De Africa, ubi etiam invenitur, mox agit Arbiter. Juvenalis, de dentibus Elephantis,

Et quos depoſuit Nabathaeo bellua ſaltu
Jam nimios capitique graves. HEINS.

Ultimus Ammon] Alii, *Hammon*. alii, *Hamon*. PATISSON. & STEPHAN. Alter ex vet. *Hamo*. PUTEAN. Eberhardus Graeciſta non ineleganter:

Ammos vox Graeca eſt, à nobis ſertur arena;
Juppiter hinc Ammon Libyca regione vocatur:

Ergo *ultimus Hammon* poſſunt intelligi ultima Libyae deſerta, in quibus Hammon Juppiter colitur. BUSCH. Horat. lib. III. od. 18.

Afrorum excutitur. ne deſit bellua dente,
Ad mortes precioſa fames, premit advena claſſes
Tigris,

Non trabes Hymettia
Premunt columnas ultima recisas
Africa.

Plin. lib. VIII. cap. 10. de Elephantis. *In extremis Africæ, qua confinis Æthiopiæ eſt, poſtium vicem in domiciliis præbent dentes.*

Affrorum] Scribe, *Afrorum*. BRASSICAN. Aphricæ, unius orbis partis, Libya pars multa eſt, & vel eremis ſterilibus obducta, vel propter ſitum cœli deſerta, aut monſtroſo ac malefico genere beſtiarum infeſta. Ex hac Romani animantes feras pro celebrandis ludis afferri curaverant. BUSCH.

Excutitur] *Excutere*, movere, Cic. *Explica atque excute intelligentiam tuam*. BUSCH.

Bellua dente] Ἴσως, *bellua pœnæ*. COLLADON. Κατ' ἐξοχὴν de Elephante. Terent. Eunuch. Act. III. ſc. 1. verſ. 25.

Eone es ferox, quia imperium habes in Belluas.

Quem locum adſcripſerat ampliſſimus Cuperus. Vide Lindenbrog. ad Amm. Marcel. lib. XXV. cap. 6.

Dente ad mortes pretioſa ſuas] Alii, *ad mortes pretioſa fames*. TORNÆS. *Famens* conjectura ducti ſcriptimus, vulgo *fames*. SAMBUC. Legendum, & diſtinguendum:

Ad mortes pretioſa. fames premit advena claſſes:
Tigris & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat —— COLLADON.

Legendum & diſtinguendum, *Ad mortes precioſa, fames premit advena claſſes, Tigris*, &c. DELBEN. *Ad mortes pretioſa fames*, prima editio cum Traguriano, & ſcriptis pleriſque. Codex unus Scaligeri, *ad mortem pretioſa fames*: alius ejuſdem, *ad mortes ſuas*. Sambuci, *ad mortes pretioſa famens*. Forte,

—— *Ne deſit bellua denti*
Ad mortis pretioſa famem.

Fames mortis, ut *honorum fames* Floro, *fames auri*, Maroni aliiſque. Primo expetebatur propter dentes elephas, qui varios uſus præſtabant, ut modo vidimus è Juvenalis loco, quo refer & Claudianum tertio conſ. Stilicon. verſ. 345. & ſequentibus. Plinius libro XII. cap. 1. *Ex arbore & ſimulacra numinum fuere, nondum pretio excogitato belluarum cadaveri, antequam eodem ebore ora numinum ſpectarentur & menſarum pedes.* Deinde ad ſpectacula theatralia, quomodo de Tigribus mox noſter. *Deeſſe denti*, ut Florus de Antonio lib. IV. cap. IX. *Nec ille deſuit vitiis, quin periret.* HEINS. Senſum Petronii videre videor, ſed non expedio me ex conſtructione verborum. Vult, Elephantos peti ob ſolos dentes, qui, cum ſint minima tantæ belluæ pars, tamen pretium totius faciunt. Plinius appoſite libr. VIII. cap. 3. *Prædam ipſi in ſe expetendam ſciunt, ſolam eſſe in armis ſuis, quæ Juba cornua appellat, Herodotus & conſuetudo dentes.* Ubi plura de raritate dentium, & luxuria. Epigramma in catalectis Pithæi pag. 154.

Monſtrorum princeps Elephas promuſcidis armis,
Horret mole nigra, dente micat niveo,
Sed vario fugienda malo cum belua gliſcat,
Eſt tamen ex certis mors precioſa fera.
Nam quæ conſpicimus montani roboris oſſa,
Humanis veniunt uſibus apta ſatis.
Hæc eſt humanæ ſemper mutatio mortis.
Fit moriens ludus, qui fuit ante pavor.

Totum adpoſui, quia eget emendatione. Quarto verſu legerem,

Eſt tamen expertis mors pretioſa fera.

Nam in vulgatis nullus ſenſus. Sexto reponendum *luſibus*, quod habet margo Pithæi: agere enim videtur de talis vel teſſeris eburnis, quibus ludebant. Septimo, *humanæ ſortis* legendum eſſe nemo negabit. Vult igitur, belluam iſtam eſſe, dum vivit, timendam; poſt mortem, quæ illis, qui lucrum faciunt ex teſſerarum vel aleæ jactu, eſt pretioſa, depoſito pavore, ludorum materiem dare. *Mors* autem *precioſa* eſt, quæ magno emitur, & multo labore & ſumtibus in venationem Belluæ impenſis infertur, & poſtea lucrum dat. Vide de vi hujus vocabuli Torrent. ad Horat. lib. II. od. 6. & Brouckhuſium ad Propert. lib. IV. eleg. V. verſ. 43. Appoſite Sidonius Apollin. carm. II. verſ. 152.

Indus odoriſero crinem madefactus amomo
In tua lucra feris exarmat guttur alumnis,
Ut pandum dependat ebur, ſic truncа reportat
Boſporeis elephas inglorius ora tributis.

ſolum ergo pretium huic animali faciunt dentes, ob quos Libyes etiam bella cum iis gerunt, teſte Ælian. Hiſtor. Animal. lib. VI. cap. 56. *precium ergo ſui fecit miſerabiles* has feras, ut de alia re loquitur Curtius lib. V. cap. 6. turbat vero illa vox *fames*, quam conſtanter habent editiones veteres & codices, & quam Palmerius ſequentibus jungens refert ad claſſem Alexandrinam, quæ, loco frumenti, feras muneribus devehebat. Credo epitheton latere τὰ *claſſes*, ut totus locus ita ſit conſtituendus:

—— *Ne deſit bellua, dente*
Ad mortes precioſa. Phari premit advena claſſes
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula.

Illa vox *Phari* exſcriptori monacho ignota fuit, & in margine quidam notaverat, *famem* inde Romæ eſſe, quod Alexandrina claſſis pro frumento Africanas feras ad ſpectacula ferret. Nondum tamen conjecturæ huic tantum tribuo, ut veram ſpondeam; ſed ſimile quid latere certum eſt. *Pretioſam quoque famem*

Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula,
Ut bibat humanum, populo plaudente, cruorem.
Heu pudet effari, perituraque prodere fata!

famem dixit Martialis lib. x. Epigr. 96. sed non video, quid huc faciat, nondum enim de ciborum luxuria agit. Sed mox demum. BURM.

Fames premit advena classes] Classe ex Ægypto Romam commeatus portabatur. At Imperatores eo dementiæ venerant, ut annonaria classe feras ac circo arenam peterent. Suet. Nerone. Palmer. in Spicileg. ERHARD.

Premit] Egregie. Onerata tota classis feris premitur. Confundere autem Auctorem nostrum Tigrin cum Panthera notavit Brouckhusius, quia tempore belli civilis, quod hic describit, nondum Romæ exhibita Tigris, quæ demum ab Augusto, dedicatione Theatri Marcelli, diu post bellum hoc, fuit populo data, Pantheræ vero jam olim. vide Plin. lib. VIII. cap. 17.

Tigris] Idem Sabinus in Cyrin Virgilii, *jactatur*, legit, & ad Domitiani tempora refert. Pith. PATISSON. Pomponius Sabinus in Cirin Virgil. *Tigris velocissima omnium quadrupedum est. Q. Tuberone, Fabio Max. Coss. primus Romæ Tigrim ostendit divus Augustus, in dedicatione theatri Marcelli: post eum divus Claudius quatuor mansuefactas in caveis aureis, in circo, quarum meminit Petronius, cum ait:*

——— *Et aurata Tigris jactatur in aula,*
Ut bibat humanum populo plaudente cruorem:

quod tamen belli illius civilis ætati non congruit. & priora quidem Plinii sunt, quæ sequuntur ex Petronio, Sabini illius minorum gentium Grammatici. PITH. An, quia ungues ejus inaurati? Claudian. de Rapt. Proserp. de Baccho;

——— *Quem Parthica Tigris*
Velat, & auratos in nodum colligit ungues.

Statius lib. II. de Liberi sacerdote;

——— *Quem discolor ambit*
Tigris, & auratis adverberat unguibus armos.

Virgil. Æneid. 5.

——— *Tergum Gætuli immane leonis*
Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.

ERHARD. Ærata mallet Brouckhusius. *Aurata rabidus spectatur in aula*, Amplis. Cuperus. *Aulam* vocat vero splendidam caveam, quam & inaurare solebant, qua ex Africa feræ vectabantur. Claudianus lib. III. de Laud. Stilic. vers. 323. vocat *Ilignas domus*, ubi Barthius hunc Petronii locum advocat; ita & Stat. lib. II. Sylv. v. vers. 4. *domum Leonis. vectatur* autem cum constans sit lectio editionum priorum, indicat, has aulas esse caveas, quibus in navi includuntur, non illas in amphitheatro, de quibus Lipsius agit cap. IX. de Magnit. Roman. egregie Servius ad Virgil. lib. IX. Æneid. vers. 60. *Graci aulas vocant animalium receptacula. Unde in sacris ædibus & tribunalibus septa, quæ turbas prohibent, aulas vocamus.* vide Vlitium ad Gratii Cyneget. vers. 167. Qui recte docet, tota cancellata septa ita vocari, & ita hic Petronius, ut invidiam luxuriæ faciat, *aulas* vocat ingentes & inauratas caveas. Omnia autem verba electa in hoc versu, *gradiens*, tamquam elatus animo & superbiens. *Vectatur*, molliter & delicate. vide supra cap. 101. BURM.

Vectator in aula] Emenda, *vectatur in aula*. BUSCH. Pomp. Sab. in Cyrim 1976. legit, *jactatur*, & explicat: quæ explicatio si vera est, ostendit ætatem Petronii, cujus vitam recenset, cum loqueretur ante bellum, quod tangitur. Itaque est ut illud:

——— *Portusque require Velinos*,

de quo Gellius & Paterculus. BONGARS. Etiam apud Pompon. Sabinum legitur, *jactatur*, male: advecta namque ex Hyrcania. Barth. ad Claudian. ERHARD.

Humanum cruorem] Prudent.

Funditur humanus Latiali in munere sanguis.

BARTH.

Heu pudet effari] In v. c. MS. hi tredecim versus sequuntur post illum,

Vulneribus reparantur, inops audacia tuta est.

TORNÆS. Ita ex conjectura; vulgo *affari*. SAMBUC. Lege, *effari*. BRASSICAN. STEPHAN. DELBEN.

Perituraque] Alii, *parituraque*. PATISSON. Lege *paritura fata*. Jam pridem fata perniciem parturiebant Romanis nunc paritura. Palmer. in Spicileg. ERHARD. Ne hæc quidem sana sunt. Quamquam nec desunt codices, qui alio transferunt hos versus, nempe post versum 57. *Vulneribus reparantur*. Forte *partitaque prodere*. HEINS. Id est, quæ perniciem alicui, vel rei, vel homini, portendunt, perditura, Quintil. decl. VIII. initio: *Nec persuaderi miseræ potest, perituro laborasse fato, in quo inventum est, quod sanaret alium.* Sic *imminentia signa* Floro lib. IV. cap. 7. pro iis, quæ imminentia præsignificant. *Caducum auspicium*, quod casum alicui denuntiat. Sueton. Galb. cap. XVII. Sil. Ital. lib. XVI. de rege Syphace. *Spes caducæ* Ovidio lib. IX. Metam. vers. 596. *preces caducæ* idem I. Fastor. *lachrymosum fumum* dixit Horatius, qui lacrymas exprimit. *Ementita tela* Virg. lib. II. Æneid. vers. 422. quæ Trojanos. Græcos esse mentiebantur. & ita infra vers. 208. videtur capiendum:

Et perniturorum disjecit bella Gigantum.

Id est, Jovem perdere cupientium. CUPERUS. Legendum crederem, *perituraque prodere facta*, nullas

Persarum ritu male pubescentibus annis
Subripuere viros, exsectaque viscera ferro
In Venerem fregere: atque ut fuga mobilis aevi
Circumscripta mora properantes differat annos,

Quae-

voces frequentius commutari, quam *fata* & *facta*, satis constat. Pudet ergo Petronium effari, & memoriæ & posteritati prodere facta, quæ deberent perire, & æterno silentio involvi. Ita apud Propertium lib. I. eleg. 3.

Luna moraturis sedula luminibus.

Livinejus exponit, quæ morari & resistere debuerant. ut idem Poëta lib. III. eleg. 19.

Phœbe moratura contrahe lucis iter.

Vellejus Patercul. lib. II. cap. 5. *Quem morituram miserat militem, victorem recepit.* Statius lib. IX. Theb. vers. 253.

——— *Evasurumque relicto*
Amne Linum, ni fata vetent, & stamine primo
Ablatum tellure mori.

Noster mox:

——— *Perituram extollere molem.*

Id est, quæ perire debet. BURM.

Prodere fata] *Fata* hîc verba signant, μύθους, non μοίρας. Ita *famina* aliis usurpantur. BARTH. Quem & vide lib. XXVI. Adversar. 24.

Persarum ritu] Hoc Domitianus primus prohibuit, quod non jam obtinuit tempore Petroni, id est, Neronis. hoc celebrant temporis Domitiani Poëtæ, atque inter ceteros Statius his maxime versibus, qui huc pertinent ex lib. 3. Sylvar. de Coma Earini. BONGARS. Claudianus lib. I. in Eutrop. vers. 339.

——— *Seu prima Semiramis astu*
Assyriis mentita virum, ne vocis acuta
Mollities leveque gena se prodere possent.
Hos sibi conjunxit similes: seu Persica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram.

WOUWEREN. Vide Rigaltium Not. ad Phædr. lib. 3. fab. XI. Barthium ad Claudian. lib. I. in Eutrop. vers. 47. & 342. ERHARD.

Male pubescentibus annis] *Male*, parum. Virgil. lib. I. Georg. 448.

Heu male tum mites defendit pampinus uvas.

Etiam valde, sed semper in malam partem. BUSCH. Lege *annis*. BRASSICAN. Ovid. lib. IV. Metam. vers. 285.

——— *Quare male fortibus undis*
Salmacis enervet.

Idem lib. I. Art. Amat. vers. 524.

Et si quis male vir quærit habere virum. BARTH. Quem & vide lib. XXVI. Adv. cap. 24. *Male*, pro, vix, vixdum, pro quo supra dixit, *adhuc: pueris adhuc nascentibus.* Sic fors est, ut & Alcimus usurpaverit ad Lesbiam;

Horreo sanguineo male mora rubentia succo.

ERHARD.

Subripuere viros] Apud Persas castrati viri. Diodor. in Alexandr. BRASSICAN. Statius 3. Sil. IV. de Domitiano:

Nondum pulcra ducis clementia cœperat ortu
Intactos servare mares, nunc frangere sexum
Atque hominem mutare nefas, gaviscque solos,
Quos genuit, natura videt, nec lege siniſtra
Ferre timent famulæ natorum pondera matres.

PITH. Arnob. lib. I. *Attyn spoliatum viro.* lib. 5. *Attys virum sibi abstulit.* ita Græcis ἀνὴς, & ἀνδροτέμονσθαι, evirare. WOUWEREN. Virilem potentiam. Juven. *plenusque Nerone propinquo.* Ovid. *& melior matre fuisse soror.* Sic Arnobio *vir* pro crepundiis illis Pyrogopolinicæis. BARTH.

Exsectaque viscera] Alii, *exactaque.* PATISSON. Lege *exactaque viscera ferro Tunc Venerem fugere.* BRASSICAN. Quidam legunt, *exectaque.* COLLADON. *Viscera*, pro, testiculos, coleos. Dicit id, quod in Notis Gratioſi Epidauritæ legitur, A. T. A. *adulescenti testiculos abscidit*, & quod apud Martialem;

——— *Exsecuisse mares.* ERHARD.

Exactaque multi ex scriptis cum prima editione, deinde *nobilis ævi* Tragurianus. HEINS.

In venerem fregere] Sic melius, quam *fugere*, invetusto exemplari legitur. BUSCH. Quidam legunt. *fregere.* COLLADON. Pacatus Panegyr. cap. XIV. *nisi æstiva in gemmis capacibus glacie Falerna fregissent.* Eadem translatio. BARTH. Emolliverunt. Statius lib. III. Sylv. IV.

——— *Jam frangere sexum*
Atque hominem mutare nefas. ———

Barthius ad Claudian. lib. I. in Eutrop. vers. 262. & ad lib. II. de laudib. Stilic. vers. 69. ERHARD. Ita Tragurienſis codex, & recte. Hieronymus Epist. ad Salvinam *Histrio fractus in feminam.* Et Cyprianus lib. I. Ep. X. ad Eucratium. *Quemadmodum masculus frangitur in feminam, & sexus arte mutatur.* Quæ loca debeo Jacobo Gothofredo ad l. III. Cod. Theod. ad l. Jul. de Adult. quem & vide ad l. VI. eod. ubi egregia ad hoc argumentum profert juris antiqui peritissimus interpres. Salmasius ad Lampridii Alexandr. cap. 66. hunc locum citans legit *eripuere viros.* BURM.

Mobilis ævi] Alii, *ævo.* PATISSON. Vetus codex *nobilis.*

Quaerit se natura, nec invenit: omnibus ergo
Scorta placent, fractique enervi corpore gressus,
Et laxi crines, & tot nova nomina vestis,

Quae-

nobilis. SAMBUC. Vet. *nobilis aevo.* Impr. *mobilis avi.* PUTEAN. rę. *nobilis avi.* COLLADON. Claudian.

——— *Nasci lanuginis umbram*
Servatoque diu puerili flore, &c.
Arte retardatam Veneri servire juventam.

Barthius ad Claudian. lib. 1. in Eutrop. vers. 343. & 345. ERHARD.

Quare se natam non invenit] Quidam legunt, *quarit se natura, nec invenit.* COLLADON. & DELBEN. Vincent. in Specul. doctrin. lib. 4. cap. cxx. sub tit. de naturalibus desideriis secundum Philosophos;

Quarit se natura, nec invenit, omnibus ergo
Scorta placent, fractique nervi in corpore gressus.

DANIEL. Clem. Paed. lib. 3. cap. 3. πάντα μεταπεπλασται ἡ τρυφὴ, κατήσχυνε τὸν ἄνθρωπον. ἀφροδίσιοι καὶ περίεργα πάντα ζητεῖ, πάντα ἐπιχειρεῖ, βιάζεται πάντα, συνέχει τὴν φύσιν. τὰ γυναικῶν οἱ ἄνδρες πεποίηκαν, καὶ γυναῖκες ἀνδρίζονται παρὰ φύσιν, &c. WOUWEREN. Tale illud Ovid. lib. 8. *inque epulis epulas quarit.* Stat. 11. Theb.

Jam trepidi sese quarunt numerantque.

Martial. lib. 11. ep. 83.

Et se, qui fuerant prius, requirunt
Trunci naribus auribusque, vultus.

Porro de pari portento Cypr. sive Tertull. Sodoma.

Pulsabant caelum invidia connubia mixta
Incestu parili generis natura rebellis
In sese, lasumque viri cum corpore nomen.

BARTH. Quem etiam vide lib. XXVI. Adversar. cap. XXIV. Vide l. 31. C. ad Leg. Jul. de adult. ibique interpretes. ERHARD. D. l. III. Cod. Theod. ad L. Jul. de adult. *Ubi amor quaritur, nec videtur.* De locutione ipsa vide supra ad cap. XLVII.

Scorta placent] *Scortum* etiam Bagoam & *exoletum* Q. Curtius dixit in 10. & Livius decadis 4. lib. 9. de L. Flaminio. meminit & Cicero de Senectute. BRASSICAN. Adolescentes exsecti. Sic cap. IX. & cap. LXXXI. quod hactenus non observatum. BARTH. (Quem etiam vid. libr. XXVI. Adversar. cap. XXIV.) & ERHARD. Heinsius ad Ovid. lib. III. art. amator. vers. 238. citat *serta placent.* Sed vide supra cap. IX.

Fractique enervi] Vulgo *factique.* SAMBUC. Quidam legunt *fractique.* STEPHAN. COLLADON. Alias *Fractique.* Ammianus Marcellin. Et D. Hieronymus ad Rusticum, *Qui gradum mollius incedendo frangunt, tanquam ferrent sacra Junonis, ut Juvenalis & alii ludunt.* Cicero lib. 1. de Officiis scribit, esse *similes pomparum ferculis.* Seneca lib. 7. Natural. quaestion. *Suspendimus gradum, repimus.* Marinus Neapolitanus, putat etiam animi rationem ex incessu colligi. Unde & Sallustius de Catilina: *Cujus incessus modo citus, modo tardus.* Ita nobis Julianum describit Gregorius Theologus: & Cicero de Antonianis in 13. Philipp. &c. BRASSICAN. Apud Vinc. *nervi serpere.* DANIEL. Manil lib. 5. vers. 152.

Faeminea vestes, nexa sine tegmine planta,
Et species fictique placent ad mollia gressus.

WOUWEREN. Emolliti & extreme delicati. Salvianus de Provident. lib. 5. *Cum muliebrem habitum viri sumerent, & magis quam mulieres gradum frangerent.* Barth. ad Claudian. lib. 1. in Eutrop. vers. 262. Catullus carm. XLII.

Turpe incedere myrmice ac molestе
Ridentem catuli ore Gallicani.

Lege *mimice*, id est, cinaedice. Cinaedorum exossa & enervata plane in ingressu mollitia, quam in Embasicoeta mire expressit supra Petronius. P. Pithoeus Adversar. vel subsec. lib. 1. cap 17. ERHARD. Seneca lib. 7. Quaestion. Natural. *Quicquid est boni moris, exstinguimus levitate, & politura corporum. Muliebres munditias antecessimus, colores meretricios, matronis quidem non induendos, viri sumimus. Tenero & molli ingressu suspendimus gradum: non ambulamus, sed incedimus.* Scalig. ad Manil. pag. 401. WEITZ. Sine dubio legendum *fractique.* vide egregie ad rem facientia in notis Barthii & Heinsii ad Claudian. 1. in Eutrop. vers. 262. & in epistola Joh. Fred. Gronovii ad Vossium, quae inter Vossianas selectas CCLXVI. & infr. ad cap CXXVIII.

Laxi crines] Hos Asiaticis Historici tribuunt: vestes item illas *demissitias*, ut Plautus vocat, Lucanus lib. VIII. vers. 366.

Quicquid ad Eoos tractus mundique teporem
Labitur, emollit gentes clementia caeli,
Illic & laxas vestes, & fluxa virorum
Velamenta vides, &c.

L. Apulejus lib. 1. Floridorum: *Laxos vestium trabas.* Hoc de Parthis scribit Justinus lib. 41. & Herodianus in 4. Vitruvius lib. 6. cap. 1. Manilius in 4. vers. 748. *Et laxo Persis amictu.* Corn. Tacitus lib. 20. *Propexum rutilatumque crinem* Germanis tribuit. Idem scribit Ammian. Marcellinus. Livius decad. 4. lib. 8. Gallis adscribit: *Promissa & rutilata coma.* Lucanus lib. X. vers. 130.

Ut nullas Caesar Rheni se dicat in arvis
Tam rutilas vidisse comas.

Juvenalis Satyr. 2. 13.

Caerula quis stupuit Germani lumina, flavam
Caesariem, & madido torquentem cornua cirro.

Cirros Germanorum commemorat Tertullian. in lib.

Quaeque virum quaerunt. Ecce Afris eruta terris

Poni-

de Veland. virginib. Plinius lib. 18. cap. 12. dixit *rutilandis capillis*. Seneca in ult. Epistolar. *Capillum Germanorum nodo vinxeris*. alias mendose *modo* legitur. Idem lib. 3. de Ira: *Rufus crinis, & coactus in nodum, apud Germanos*. Martialis lib. spectac. Epigr. 3.

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

Tacitus in Agricola scribit, Domitianum, in falso de Germanis triumpho, *crinibus subditititiis usum fuisse*. Martial. lib. 14. epig. 26.

Captivis poteris cultior esse comis.

Dicit autem Arbiter hæc omnia in externum luxum Romæ, quæ, tametsi *ceperit omnes, ab Asia tandem capta & inclinata est*. BRASSICAN. Impudicitiæ aut luxuriæ argumentum. Jul. Firm. *Exornant muliebriter nutritos crines, & delicatis amicti vestibus vix caput lassa cervice sustentant*. BARTH. Quem vide etiam lib. xxvi. Adversf. cap. xxiv. Ut apud Lucan. lib. 10. & alios. Nec improbo *lixi*. BOURDELOT. Cur vero *laxi crines?* Tragurianus *lassi*. Opinor *pexi*, vel *flexi*. De fœminarum crinibus vestibusque agit hic versus. de quibus in mille ponendis ac flectendis modos, deque vestitus feminei generibus mille, adfatim cum alii, tum Naso Arte amatoria. *Laxos* tamen *crines* pro flexis potuit posuisse noster. Apud Nasonem, lib. III. art. 145.

Hanc decet inflatos laxe jacuisse capillos:
Illa sit adstrictis impediendа comis.

Ex quo loco patet, non omnem feminarum ornatum è laxis capillis constitisse, qui & nonnumquam adstringerentur. HEINS.

Tot nova nomina vestis] Hoc Euclio apud Plautum in Aulularia de universa mulierum natione conqueritur. Et Epidico: *Istæ faciunt vestimentis nomina*, &c. Certe Græci calceos Thyrrhenicos κακὸν ἔργον appellant, quod viri non absque morum inclinatione illis uterentur. Et est periculum, ne hæc πατροφθορία magnam calamitatem omnibus Rebuspublicis afferat. BRASSICAN. Plaut. Epidic. BONGARS. Plaut. Epid. Act. II. scen. 2. *Quid istæ, quæ vesti quotannis nomina inveniunt nova?* PITH.

Quæque virum quærunt] Quæ omni corporis habitu & incessu mollitiem præferebant, dicebantur *virum quærere*. GLOSSÆ. Ante hunc versum in v. c. MS. leguntur illi tres,

Tres tulerat Fortuna duces. ——

& sequentes. TORNÆS. Lege *quæque viri quærunt*. AURAT. STEPHAN. *Quæque virum quærit*. Vet. cod. vulg. *jure quærit*. SAMBUC. Lege *quærunt*. DELBEN. & COLLADON. Lege, *quo jure hæc quærit*. BRASSICAN. Vincent. *Viri quærunt*. DANIEL. Ovid. lib. 1. de Arte Amandi vers. 524.

Et si quis male vir quærit habere virum.

Firmicus; *Dic mihi, boccine est, quod in viro fœminam quærunt?* Mox: *deinde, cum se alienos à viris fecissent*. Lucian. Pseudolog. ἡ βελτίστη ἐκείνη γυνὴ, ἐξ ἂν προσείμην, ἔφη, ἄνδρα καὶ αὐτὸν ἀνδρὸς διόμενον. Manil. lib. v. vers. 151.

Atque odisse virum, sterilesque optare lacertos.

BARTH. Quem vide etiam lib. xxiii. Adv. cap. 11. Quem videbant mollem, victu, ore, vestitu, de eo dicebat, *Hic virum quærit*. idem olim de Pompejo Magno dictum, qui, cum omni corporis habitu & incessu mollitiem præferret, hoc effugere non potuit, ita enim à Cinna Poëta perstrictus fuit;

Fasciola qui crura tegit, digito caput uno
Scalpit: quid credas hunc sibi velle? virum.

Scalig. Auson. Lect. lib. 1. cap. 27. ERHARD. Nobiliss. N. Heinsius legit: *virque virum quærit*. Ovid. lib. 1. Artis Amatoriæ vers. 524.

Et siquis male vir, quærit habere virum. BOSCH. Non cohærent hæc cum superioribus. prima editio & Tragurianus, *Quæque jure quærit*, mendosissime. Nequid te morer, scribendum, *Quisque virum quærunt*, vel, *virque virum quærunt*. Sic enim loquebantur, quoties de pluribus intelligi vellent. Sic *turba ruunt, plebs eunt, senatus conveniunt, miles pugnant, eques currunt*. De quibus ad Nasonem jam dixi, ad Maronem plura dicturus. Hæc autem ad ritus pæderasticos referenda. Sic apud Nasonem,

Cætera lasciva faciant concede puellæ,
Vel si quis male vir quærit habere virum.

Seneca Epistola CXXII. *Numquam vir erit, ut diu pati virum posset*. HEINS. Satis cohærere mihi videntur; *quæque* enim ad vestes referri debet, quæ molliores, & non decoræ viris, ostendunt, illos esse molles & quærere virum. Ut Phædrus dixit *oculis venantem virum*, ita hic mollis vestitus ostendit, sibi viro opus esse. Hanc autem turpitudinem castigat quoque Lucanus lib. 1. vers. 163. ubi plura, quæ & hic carpit Petronius, communia.

Non auro tectisve modus, mensæque priores
Aspernata fames: cultus gestare decoros
Vix nuribus rapuere mares: fœcunda virorum
Paupertas fugitur, totoque arcessitur orbe,
Quo gens quæque perit, &c. BURM.

Ecce Afris eruta terris] Stringit insanam luxuriam Romanorum. Sunt autem hæc aliquantisper turbata, & forte manca. Quis usus ostri ad has mensas, quæro. χειρόμακτρα posuisse cocco clavata, ex Vopisci Tacito liquet: Lamprid. Alex. Severo: *Convivium summi nitoris fuit, ita tamen, ut pura mantilia mitterentur, sæpe cocco clavata*. an oblique petit luxum instruendis lectis triclinaribus? illi enim magnifice picti & conchyliati. Virgil. lib. 1. Æneid. vers. 700.

—— *Stratoque super discumbitur ostro.*

recte vero, *ac maculis imitatur vilibus aurum*. Plin. lib. 13. cap. 15. *Atlas mons peculiari proditur Sylva. Confines*

Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum,

Citrea

fines ei Mauri, quibus plurima arbor cedri. & mensarum insania, quas fœminæ viris contra margaritas regerunt. WOUWEREN. Cl. Gronovius observat. lib. III. cap. II. emendat hos versus:

——— *Ecce Afris erutа terris*
Ponitur, ac maculis imitatur vilius aurum,
Citrea mensa; greges servorum, ostrumque renidens:
Quæ turbant censum, hostile ac male nobile lignum,
Turba sepulta mero circumvenit. — BOSCH.

Malim *Afris tescis*, sive *tesquis*. utroque enim modo scribitur, *tesca* pro sylvis. Frequenter id nomen corruptum in antiquis libris; quod Propertio, Martiali, Tacito, aliis à me restitutum. HEINS.

Citrea mensa] Alii, *aurea mensa*. PATISSON. Scribe ex vet. cod. *Citrea*. Romani insaniebant in emendis mensis citreis & vasis Corinthiis, *quorum rudis usus erat pro Republica*, ut ait Vellejus. Tertullian. de Pallio. M. T. Cicero quingentis millibus nummûm orbem citri emit, & bis tantum Asinius Gallus pro mensa ejusdem Mauritaniæ numerat. Meminit Plinius lib. 13. cap. 15. *Mensæ Citreæ* meminit Cicero in Verrem. Martialis lib. IX. Epig. 23.

Ut Mauri Libycis centum flent dentibus orbes.

Et lib. XIV. Epig. 138.

Nobilius villosa tegant tibi gausapa citrum,
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Varro lib. 3. de Re Rust. cap. 2. *ubi nunc vides citrum*. Nam de luxu & insania mensarum loquitur. Meminit & de *citro ex Atlante* Plinius, & Martialis. Et Seneca luxuriæ seculi sui *citri radices* objicit, ut in Tertullianum à nobis egregie restitutum (nihil magnum dico) longe prolixius dixi. BRASSICAN. Fg. *aurea*. ἴτεας, *cedrea*. COLLADON. Martial. lib. 14. epigr. 89. cujus lemma, *Mensa citrea*;

Accipe felices Atlantica munera sylvas,
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Videndus Rader. ad Martial. lib. 12. epigr. 54. & lib. 14. epigr. 79. ERHARD. Hunc versum sequenti postponit Gronovius lib. III. Observ. cap. 11. adsentiente Ferrar. lib. 1. elect. cap. 7. neque me repugnante. De luxu circa has mensas idem agit lib. II. elect. cap. 17. ut & Ciacconius de Triclinio pag. 20. & Ursinus in appendice pag. 227. & 292. commentatores ad Horat. lib. IV. od. 1. Quia autem magni constabant hæ citreæ, fraus mercatorum *quasi citreas* reperit, quarum meminit JCtus in l. 21. §. 2. ff. de act. empti. ubi v. Gothofred.

Greges servorum] *Ne Sannione quidem domi relicto*, ut est apud Terentium, & Ammian. Marcellinum. Sic L. Apulejus in 1. Apologet. *Imperatores quidam Romani paucitate famulicii gloriati sunt. M. Antonius octo servos habuit, Manius Curius duos calones, pauciores servos habuit, quam triumphos. M. Cato tris secum in Hispaniam ex urbe duxit.* Id quod Athenæus lib. ζ. Diphnosoph. abunde docet. Seneca de Consolat. ad Albinam: *Unum fuisse Homero servum, tres Apollini, nullum Zenoni satis constat*, &c. BRASSICAN.

Astrumque renidens] Lege, *ostrumque renidens*. AURAT. & STEPHAN. *Nidere* & *renidere* dicuntur, quæ sentiunt aliquem odorem. aliquando etiam fulgorem reddere significant. Plautus: *Tota renidet domus*. BUSCH.

Maculis] Seneca de Tranquillitate animi cap. 1. *Mensa varietate macularum conspicua, & per successiones nota*. Idem lib. 7. de Beneficiis. *Æstimatum lignum Senatoris censu*. Tertullian. de Pallio: *Quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas!* Meminit Paulus Jureconsult. in tit. Pandectar. de actionibus empti. BRASSICAN. Tertull. de pallio: *Heu quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas!* Vide Plin. lib. 13. cap. 14. Plutarch. in Cicer. Lucanus de eadem re lib. 1.

——— *Mensæque priores*
Aspernata fames. ———

Et lib. 9.

In nemus ignotum nostræ venere secures,
Extremoque epulas mensasque petivimus orbe.

PITH. Senec. de Tranq. c. 1. *Placet minister incultus, & mensa non varietate macularum conspicua*. WOUWEREN. Vide Plinium l. 35. cap. 1. BARTH. Hæc de citreis mensis capienda, quis non videt? cum interim male cum superioribus cohæreant. *Ostrum renidens* ad lectos conviviales refer, pro quo alii minus bene *ostro*. Neque enim mensa insternebatur ostro, sed lecti accubitorii; & hi non minus ex citro interdum, quam ipsa mensa, *& quidquid denique lectis Scribitur in citreis* apud Persium. Sed & τὸ *imitatur* manifeste falsum est. Scribe, *& maculis mutatur vilibus aurum*. Neque aliter jam olim clarissimus Lipsius, quod Tragurianus confirmat & Sambuci liber: possis & *his maculis mutatur vilius aurum*. Nam orbes isti ac lecti citrei pretio immani redimebantur, qua de re videndi, qui ex professo luxum Romanorum describpserunt. Unde Tertullianus de Pallio, *Hem quantis facultatibus æstimavere ligneas maculas*. De maculis ligni citrei Plinius copiose; & complura congessit in observationibus Gronovius. Propertius,

Non Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.

Quod de lecto citreo capiendum. In uno Scaligeri codice hoc ordine legebantur hi versus: I. *Quaque virum*. II. *Ponitur*. III. *Qua sensum*. IV. *Citrea mensa*. Aliter Gronovius Observat. lib. III. cap. XI. Perperam *aurea mensa* in antiquis nonnullis. in Tragurianо *Antea*. HEINS. Gronovius legit *maculis imitatur vilius aurum*, quod displicet Ferrario, qui Lipsianam præfert emendationem, quæ & Heinsio probatur, neque mihi displicet. Nusquam enim video, maculas

Citrea mensa; greges servorum, ostrumque renidens,
Quae turbant censum; hostile ac male nobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit: omniaque orbis
Praemia correptis miles vagus exstruit armis.

In-

culas citreas dici imitari aurum, sed, quia mensæ citreæ tam maculosæ erant, majori in pretio erant, quam aurum. Aperte Martialis lib. XIV. epigr. 89. BURM.

Mutatur] Lege, *imitatur*. DELBEN.

Quæ sensum turbant hostile, ac nobile lignum] Alii,

Quæ turbant sensum, hostile ac male nobile legunt. TORNÆS. Biturig.

Quæ sensim trahat hoc sterile ac male nobile lignum, Autisiod. *Quæ sensum trahat hosterile.* Pith. alii,

Quæ turbant sensum, hostile ac male nobile lignum. PATISSON. Legendum est,

Et sensum turbat tandem male nobile lignum. BRASSICAN. Mire variat scriptio. Lege

Quæ turbant censum, hostile ac male nobile lignum. hoc est, quæ exhauriunt & lancinant facultates, seu, ut Tacit. *opes proluunt*. Quid autem *turbare*, ostendimus. *male nobile*, ut Terent. Eunuch. Act. IV. sc. IV. vers. 2. *male conciliate*. Donat. *Male significat magno*. Plaut. Amph. Act. I. sc. I. vers. 132. *Scorto conducto male*. Pseud. Act I. sc. II. vers. I. *male habiti, male conciliati*. WOUWEREN. Optime acutiss. & amicissime Wow. *censum*. Ut alibi *Conturbatores*. Quomodo Ennius,

—— *Magnam pervertet opum vim*. BARTH.

Quem vide etiam lib. XXIII. Adversus. cap. II. Legendum *censum turbant, hostile ac nobile lignum*. Putschius. Malim cum Wouwerio.

Quæ turbant censum, hostile ac male nobile lignum. Hostile, in hostis terra quæsitum. Supra hoc capite.

Si qua foret tellus, quæ fulvum mitteret aurum,
Hostis erat. ——

Eodem spectat & illud eodem hoc capite,

—— *Et læsa vulnera pacis*. ERHARD.

Nullus hic *hostili ligno* locus. Neque Africa aut Mauretania hostiles illo tempore. Sed prius videamus, quæ præcedunt. In iis scribendum, *quæ censum turbant*, non *sensum*. Sic *turbare rationes* Juris consultis. & id jam alii viderunt. Prima editio & Tragurianus *hostiale*, non *hostile*. Scaligeri & Patissonii codices, *quæ sensum* (*sensim* Patisson.) *trahat hoc sterile ac male nobile lignum*. Scriberem,

Quæ censum turbant sterilem: ac male nobile lignum
Turba sepulta mero circumvenit.

Nam non video, quo jure citrus, quæ sit inter arbores frugiferas, *sterilis* dicatur. Fuit, cum vellem, *teres* ut apud Nasonem,

Nec dubita tereti scamnum producere lecto.

sterilis census, è quo nulli reditus, sic *dos* & *pecunia* sterilis apud JCtos. HEINS.

Hostile] Lege *sterile*. DELBEN. Quidam legunt, *sterile ac male nobile*. Lege *male*, id est, improbo more, ut supra hoc capite, *male pubescentibus annis*. COLLADON. Seneca de Benef. *Video istic mensas ac lignum æstimatum senatorio censu*. Tertull. de Pall. *ligneas maculas*. WOUWEREN. Fortasse huc facit locus Æliani lib. XII. ποικ. cap. I. Μετὰ γὰρ τὸ ἐμπλησθῆναι τροφῆς, οἱ Πέρσαι τῷ τε οἴνῳ καὶ ταῖς προποσίσιν οὐ μάλα ἀποσχολάζουσιν, οἷονεὶ πρὸς τὸν ποτὸν ὡς πρὸς ἀντίπαλον ἀποδυόμενοι. Optime autem Wow. *hostile ac male nobile*. BARTH. Quod nobilitatem non meretur, sed acquisivit ex luxuria. Mart. lib. X. Epig. 80.

Plorat Eros, quoties maculosa pocula myrrha
Inspicit, aut pueros, nobiliusve citrum.

Turba sepulta mero] Est hoc genus loquendi Poëtis usitatum, quasi proverbiale, *vino somnoque sepulti*: Virgil. lib. 2. Æn. vers. 265.

Invadunt urbem vino somnoque sepultam.

Lucret. lib. I.

—— *Morbo affectis somnoque sepultis.*

Petronius supra cap. LXXXIX.

Cum inter sepultos Priamidas nocte & mero.

Gilbert. Cognatus in Adagior syllog. ERHARD. Vide supra ad cap. 89.

Omniaque orbis Præmia] Sulpicia:

Omnia bellorum terra quæsita marique
Præmia. PITH.

Exstruit] Alii, *esurit armis*. PATISSON. DELBEN. COLLADON. *Corruptis* legendum esse patet apud Ammianum Marcell. lib. 22. *corruptis*, contra institutum militiæ Romanæ, & sacramentum militare. BOURDELOT. *Esurit*, duo codices. BOSCH. Immo *adstruit armis*. Nam liber unus Scaligeri *esurit*, alter *effurit*. Talis ille apud Horatium Achilles,

Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

perperam etiam *conceptis* Codices nonnulli. Forte & *adserit armis*. alterutrum verum est. Sed priori acquiesco. *Adstruere*, ut Vellejo *victus à Cæsare Pharnaces vix quicquam gloriæ ejus adstruxit*. Plinius Panegyrico, *sibi accrescere putat, quod cuique adstruatur*. & *nihil felicitati suæ putat posse adstrui*: Justin. XXXIII. *Rebus supra votum effluentibus tot victoriis adstruxerat*. Tacitus vita Agricolæ. *Quid aliud tot ornamentis praedito adstruere fortuna poterat*. Deinde *condunt conchylia cœnas*, non *vendunt*, quod Hadrianus Junius aliique jam observarunt, sed & alter Scaligeri codex

cum

Ingeniosa gula est. Siculo scarus aequore mersus
Ad mensam vivus perducitur, inque Lucrinis
Eruta litoribus vendunt conchylia coenas,
Ut renovent per damna famem; jam Phasidos unda
Orbata

vum Patissonianis *inde Lucrinis*, non *atque*, & *deducitur* pro *perducitur*. Puto,

——— *Siculo scarus aequore mersus*
Ad mensam hinc vivus deducitur; inde Lucrinis
Eruta littoribus condunt conchilia cœnas. HEINS. Retineo *exstruit*. Respicit enim ad fercula, quæ arte quadam exstruebantur. v. supra ad cap. xxxv. quomodo autem *correptis armis* exstruere possit miles fercula, undique ex victis gentibus petita, non capio. Gonsalii editio habet *conceptis*, neque monet, unde hanc lectionem habeat, si *contemtis* liceret reponere, sensus optimus exiret. Sed contineo manum. Manus viri docti in codice, quem ab Hesselio habeo, forte *extulit*, vel *extudit*, id est, extorsit.

Ingeniosa gula est] Martial. lib. 13. de gallina altili;

——— *Ingeniosa gula est.*

BONGARS. DANIEL. PITH. Ex Petronio citat Jac. Magni in Sopholog. lib. 6. cap. 12. *Eruditam gulam* alius appellitat. Omnia luxuriæ instrumenta condimentaque proceres gulæ invenere. Rader. ad Martial. lib. 13. ep. 6. ERHARD. Lipsius de Magnitud. Roman. lib. 4. cap. 7. Saresberiensis lib. 8. Polycratic. cap. 15. Gilbertus Cognatus Cent. 9. adag. 859. WEITZ. Proprie *ingenium* dicitur, quo nova excogitantur, & inaudita. Suet. in vit. Calig. cap. 37. *Nepotinis sumtibus omnium prodigorum ingenia superavit.* Ita Ovid. lib. III. Amor. eleg. 8.

Contra te solers, hominum natura, fuisti,
Et nimium damnis ingeniosa tuis.

Plinius præfat. lib. XXXIII. *Heu prodigiosa ingenia! quot modis auximus pretia rerum?* Gulam autem ingeniosam optime licet cognoscere ex Horatii lib. II. Satyr. 2. & Lucani lib. IV. vers. 373. & seqq. & Valer. Maxim. lib. IX. cap. 1. BURM.

Scarus] Piscis nobilissimi genus, mari Carpathio frequens, *cerebrum Jovis* dictus ab Ennio. GLOSS. Columella lib. 8. cap. 16. BRASSICAN. Plin. lib. 9. cap. 17. Fab. lib. 5. cap. 10. *Nec helopem nostro mari aut scarum ducas.* BONGARS. Fab. lib. 5. Inst. cap. 10. Juvenal. Satyr. 5.

——— *quando omne peractum est,*
Et jam defecit nostrum mare, dum gula sævit
Retibus adsiduis.

Vide Plinium lib. 9. cap. 17. Colum. lib. 8. cap. 16. A. Gell. lib. VII. cap. 16. Macrob. lib. II. cap. XII. PITH. Pro *mersus*, forte *versus*. Horat. Epod. II. v. 50.

——— *Scari,*
Si quos Eois intonata fluctibus
Hyems ad hoc vertat mare. BARTH.

Quem etiam vide lib. XXIII. Adversar. cap. 11. supra cap. XCIII.

——— *Ultimis ab oris*
Attractus scarus est. ———

Martial. lib. 13. epigr. 79.

Hic scarus, aquoreis qui venit obesus ab undis.

Ennius piscem hunc appellat *cerebrum Jovis*: *Scarum*, inquit, *præterii cerebrum Jovis.* Plin. lib. 32. cap. ult. *Scarus, qui hodie principalis est.* Rader. Comment. in Mart. ERHARD. Vide Scipionis Gentilis notas ad Apuleji Apolog. pag. 417. & seqq.

Perducitur] Alii, *deducitur*, *inde Lucrinis*. PATISSON.

Atque Lucrinis] Lg. *inde Lucrinis*: ἴσως, *inque*, vel *aque*. COLLADON. *Lucrinus lacus* situs est in sinu Bajano contra Puteolos, adeo proximus, ut in maximis tempestatibus aliquando conjungi soleant. BUSCH.

Tendunt conchylia] Ostreæ nobilissimæ ex Lucrino lacu Campaniæ. GLOSSÆ. Alii, *condunt conchylia*. PATISSON. AURAT. STEPHAN. Perperam mutant in *condunt*. *Vendunt*, id est, pretiosos faciunt. COLLADON. Totarum cœnarum pretiis conchylia comparantur. mira est phrasis. BARTH. Quem etiam vide lib. XXIII. Adversar. cap. 11. E lacu Lucrino, qui in Campania est. Erythræi & quorundam aliorum sententia, *Lucrinus* lacus mare mortuum appellatur, unde ferebantur ostreæ nobilissimæ, quæ hic conchylia vocat; lautorum mensæ apponebantur. Martial. lib. 13. epigr. 77.

Ebria Bajano veni modo concha Lucrino,
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Raderus in Commentar. ad Martial. ERHARD. Amplissimus Cuperus mallet *tendunt*, pro extendunt, ut ἐκτεινεῖς τροφὰς dixit Artemid. Oneirocr. lib. III. cap. 55. id est, *prolixa convivia*: quod etiam amplectitur Bynæus lib. 1. de calceis Hebræor. cap. 8. *condunt*, quod alii præferunt, sensum commodum efficit, ut nimirum ultimo ferculo ostrea apponantur. Ita contra ab ovis incipiebant, quod *committere* dicit *cœnam* Varro in Endymionibus apud Nonium in *committere*, & *dominus*. Ita Stat. lib. X. Theb. vers. 54.

Condiderant jam vota diem.

& *condere certamina* in catalectis Pithœi pag. 75. & passim. *Claudere cœnas* dixit Martial. lib. XIII. epigr. 14. solebant vero luxuriosi ostrea in ipsa mensa aperire. Senec. Epist. LXXVIII.

Per damna] Omnino allusit huc Divus Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericor. *Novi & genera & nomina piscium. In quo littore concha sit lecta,*

Orbata eſt avibus: mutoque in litore tantum
Solæ deſertis adſpirant frondibus aurae.
Nec minor in campo furor eſt, emtique Quirites
Ad praedam ſtrepitumque lucri ſuffragia vertunt.
Venalis populus, venalis curia Patrum.

Eſt

calleo, ſaporibus avium diſcerno provincias, ciborum me raritas ac noviſſime damna ipſa delectant. BARTH. Similiter Claudian. ERHARD. Id eſt, cibos, qui ſolo pretio probantur, quia cari ſunt. Claudian. II. in Eutrop. 329.

Qui ventrem invitant pretio, traduntque palato
Sidereas Junonis aves, &c.

ubi vide Barthii animadverſiones; hæc eſt illa *pretioſa fames*, & *conturbator macellus*, quem Romæ exprobrat Martialis lib. x. epigr. 96. De luxuria vero circa cibos pretioſos ſæpe Seneca agit. vide Epiſt. LXXVIII, Ep. XCV. & CVIII. & paſſim. vid. & Macrob. VII. Saturn. cap. 4. in fine. *Damna* autem poni pro nimio & profuſo ſumtu eſt notiſſimum. vid. Barth. ad Stat. VI. Theb. 83. unde *damnoſi*, prodigi. vid. Cl. Grævium ad Sueton. Neron. cap. 31. BURMAN.

Phaſidos unda] Colchidis flumen ingens & omnium Ponti amnium clariſſimus. GLOSSÆ. Γρ. *Phaſidos* COLLADON. Plinius lib. 26. cap. 8. *Huic navigatur ad Phaſin, huic profunda vadis exquiruntur.* Et lib. 19. cap. 4. *Aves ultra Phaſidem amnem peti, & fabuloſo quidem terrore tutas, imo ſic pretioſiores.* Columella lib. 8. cap. 8. *Quamquam vel hos magis tolerabiles putem, qui oblectamenta delitiarum poſſidendi habendique cauſſa gravi ære & argento penſent, quam eos, qui Ponticum Phaſin, & Scythica ſtagna Moeotidis eluant: jam nunc Gangeticas & Ægyptias aves temulenter eructant.* Seneca Conſolat. ad Albinam: *Ultra Phaſin capere volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat.* Demoſthenes in Epitaphio dixit, ἔξω Φάσιδος ἐκβαλεῖν. Nos etiam adagio dicimus: *Extra Herculis columnas.* Pacatus in Panegyric. reprehendit etiam *peregrini aëris volucres.* Meminit & Lucianus de Mercede conductis. Manilius in 5. verſ. 370.

——— *Numidarum paſcimur oris*
Phaſidos & dulcis, arceſſitur inde macellum.

Martialis lib. 13. Epigramm. 69. lemmate, *Phaſianus:*

Argiva primum ſum transportata carina,
Ante mihi notum nil niſi Phaſis erat.

Ha ſunt aves, quibus avolant patrimonia, ut D. Hieronymus ad Salvinam ſcribit. BRASSICAN. *Phaſis* Colchidis flumen, præter modum ingens, & omnium Ponti amnium clariſſimus: oritur enim in Moſchis. à quo *Phaſiana* avis appellata eſt. Martialis libr. XIII. Epigr. LXIX. BUSCH.

In littora tantum] Lege, *in litore.* AURAT, STEPHAN. Lege *litore tantum Solæ.* Lepide, auræ adſpirant cantum frondibus, ut Lucret. *canere*, Virgil. *loqui ſylvas.* Palmer. in Spicileg. De hoc concentu, quem folia vento inſpirante edere ſolita, Barth. ad Claudian. in Feſcenn. ERHARD. Sic Lycophron Caſſandr. verſ. 1452. κῦμα χαῦδον dixit. ubi vide Meurſ. WEITZ.

Solæ deſertis] Nota in margine, *Ariſtides.* DELBEN. Similis ſententia apud Ariſtidem. COLLADON.

Nec minor in campo] Martio, ubi comitia. Æmulatur Lucanum apud quem ambitioſæ querelæ de ſuffragiis corruptis lib. I. Pharſal. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. 2. Idem notat Varro in Sexageſi; *Sumtum comitia habebant, ibi nunc fit mercatus.* Auſ. Popma in Conjectan. Eadem Claudianus quoque in Panegyr. de VI. Conſul. Honor. verſ. 4. ubi Barthium vide in Animadverſ. ERHARD. Egregie hæc illuſtrat Caſaubonus ad Sueton. Cæſ. cap. XIX.

Emtique Quirites] Forte *emtuſque Quirites*, ut ſit nominativus, locus à Sergio fortaſſe intellectus. DANIEL. Senec. de conſtant. Sapient. cap. I. *Habere te, quod reipublicæ nomine movereris, quam hinc P. Clodius, hinc Vatinius, ac peſſimus quiſque venumdabat, & caca cupiditate corrupti, non intelligebant, ſe, dum vendunt, & vanire.* vide & eumdem Epiſt. CXV.

Ad prædam] Auctor Declamat. in Salluſt. *Ita igitur egit, ut nihil non æquum ac verum duxerit, quod ipſi facere collibuiſſet, neque aliter vexavit ac debuit, ſi quis prædæ loco accepiſſet magiſtratum.* Male ibi Manut. *vexandi* verbum in *vivendi* commutat. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adv. cap. 2. Lege,

Ad ſonitum ſtrepitumque lucri ſuffragia vendunt.

Henr. Bebelius de Abuſione Ling. Lat. cap. 12. & cap. 24. & ante eum ſic legebatur apud Laur. Vallam in Elegant. Ling. Lat. lib. 4. ERHARD.

Verrunt] Alias, *vendunt.* lege, *vertunt.* BRASSICAN. Vincent. lib. 20. cap. 25. *vertit.* DANIEL.

Venalis populus] Saluſtius non ſemel in Bello Jugurthino, *Romæ omnia venalia eſſe.* & alibi Florus cum Juſtino. BRASSICAN. Simillime Appianus ἐμφυλ. β. BARTH. Quem & vide. Adverſ. lib. XXIII, cap. 2.

Venalis curia patrum] Apud Vincent. leg. *præmus.* DANIEL. Pecuniæ cauſſa omnia conceduntur. Nam, ſi quis pecunioſus à Senatu aliquid optat, pecuniam Senatoribus exhibendo ſtatim, quod vult, conſequitur. Hinc M. Cato apud Salluſtium in Catil. cap. LII. *pecuniæ*

Est favor in precio, senibus quoque libera virtus
Exciderat, sparsisque opibus conversa potestas,
Ipsaque majestas auro corrupta jacebat.
Pellitur à populo victus Cato: tristior ille est,
Qui vicit, fasces pudet rapuisse Catoni.
Namque hoc dedecus est populi, morumque ruina.
Non homo pulsus erat; sed in uno victa potestas,
Romanumque decus. quare tam perdita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice praeda.

Prae-

cunia servitis. Ibid. *Quibus omnia honesta atque inhonesta comparare mos erat*: id est, qui per fas & nefas pecuniam comparare studebant. Ipse quoque Petronius supra cap. XIV.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat? &c. Gilbert. Cognatus in Adag. *omnia venalia habet.* vide eundem de Romanæ Curiæ venalitate in Adagio;

Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet.

Apud Jac. Magni Sopholog. lib. 5. cap. 3. & lib. 8. cap. 6. legitur, *curia primum.* mendose. ERHARD.

Est favor in precio] Lege, *En favor.* Stewech. ad Apulej. ERHARD.

Libera virtus] Libertas. Sic *provida virtus*, pro prudentia, apud Prudentium Psychom. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adversar. cap. 2.

Sparsisque opibus] Vide Flor. lib. III. cap. 12. BARTH. Id est, divisa pecunia. Martial. III. Epig. 75.

Cæpisti puras opibus corrumpere buccas.

Flor. lib. III. cap. 1. *Rex callidissimus Populum Romanum armis inclytum & invictum opibus aggressus est.*

Potestas] Magistratus. Claud. Bell. Get. vers. 49.

——— *Potestates priscus discriminat ordo.*

Sic Arnobio Angeli *potestates cælestes.* Optatus Afer, lib. III. *potestatibus & regibus injuriam facere.* Salvian. lib. VII. BARTH. Quem etiam vide Adversar. libr. XXIII. cap. 2. & ad Claudian. Bell. Get. vers. 39. pag. 310. & ita Plinius lib. XXIX. cap. 4. & alibi.

Ipsaque majestas auro corrupta jacebat] Apud eundem Magni lib. 8 cap. 6. legitur,

Jam quoque Majestas auro corrupta jacebit.

sed lib. 5. cap. 3. *latebit.* Quoad rem, vide Barth. ad Claudian. VI. Consul. Hon. vers. 4. ERHARD.

Jacebat] Vincent. *jacebit.* DANIEL.

Pellitur victus Cato] Plutarch. Caton. BONGARS.

Tristior ille est] Deterior. Publius in Mimis;

Ad tristem partem strenua est suspicio. DELBEN.

Severior. *Tristis Cato.* Boëth. BARTH. Quem vide etiam libr. XXIII. Adversar. cap. 2. ubi *quoi vicit*, vel *cui*, scribendum existimat.

Dedecus populi] Alii, *dedecori populo*, alii, *dedecoris populi.* PATISSON. Lege, *dedecus est populo.* AURAT. Lege, *dedecus est populi.* STEPHAN. Lege, *dedecori.* COLLADON. Prima editio, Tragurianus, alter Scaligeri, & Sambuci, *Namque hoc dedecoris populo*: in nonnullis *dedecori.* Ni fallor, corrigendum est, cum vulgata ferri non possint, *Namque* (*ô dedecora! ô populi morumque ruinæ!* vel *morumque ruinas!*) *Non homo pulsus erat.* Paullo ante malim quoque sic distingui:

Venalis populus, venalis curia: patrum
Est favor in pretio.

vel *& favor in pretio est.* Tum, *tristior illo est, qui vicit.* HEINS. Insititium versum & auctori suo redonandum censebat Brouckhusius.

Morumque ruina] Salvianus libro VI. *Quid in alia non longe, sed prope ejusdem magnificentiæ, civitate? nonne eadem & rerum ruina & morum?* BARTH. Quem etiam vide libr. XXIII. Adversar. cap. 2.

In uno victa potestas] Valer. Maximus lib. VII. cap. 6. *Si vere æstimare volumus, non Catoni tunc Prætura, sed Prætura Cato negatus est.* HEINS.

Tam perdita] Alii *prodita.* PATISSON. Alii, *tam perdita.* TORNÆS. Ἰσως *jam perdita.* COLLADON. *Tam prodita*, prima editio & multi ex scriptis, alter etiam Scaligeri codex *prodite.* Forte

Quare à se prodita Roma
Ipsa sui merces erat, & sine vindice præda.

HEINS.

Ipsa sui merces] Florus lib. 3. cap. 13. *Et misera Resp. in exitium suum merces erat.* PITH. Sallust. Or. Lepidi. libr. I. Histor. *Plebis innoxiæ patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum.* Merces præmium, Apul. lib. I. Manil. lib. V. vers. 616.

Hic dedit Andromedæ cœlum, stellisque sacravit
Mercedem belli. ——— BARTH.

Quem & vide lib. XXIII. Adversar. cap. 2. Præmium. L. Florus lib. III. cap. XIII. Barth. ad Claudian. IV. Consul. Honor. vers. 501. & lib. I. in Eutrop. vers. 220. & alibi illic. ERHARD. Locutio elegans, & Flori loco, ad quem vide Freinshemium, egregie illustratus, in quo nihili est illud *marcescebat*, quod ex Codice suo profert Barthius ad Stat. VIII. Theb. 265.

Praeterea gemino deprenſam gurgite praedam
Foenoris ingluvies, uſuſque exederat aeris.
Nulla eſt certa domus, nullum ſine pignore corpus:
Sed veluti tabes, tacitis concepta medullis,
Intra membra furens curis latrantibus errat.

Arma

Vell. Paterc. II. 22. *Sui quiſque periculi merces erat, nec quidquam videbatur turpe, quod erat quaſtuoſum.*

Porro] Alii *praterea*. TORNÆS.

Geminam] Lege *gemino*. STEPHAN. Forte *gemino*, id eſt, Orientali & Occidentali. AURAT. Fg. *gemino*. Luxuria ſcilicet & ambitione. COLLADONIUS. Metaphora ex terra ducta in mari periclitantibus convenientiſſima. Douza Præcidan. pro Catul. cap. 6. *gemino gurgite*, id eſt, avaritia & prodigalitate, ſeu luxu, de quibus Romanorum vitiis Salluſt. in Catil. & Jugurth. Lucan. lib. 3. & lib. 7. alii, quos allegat P. Broſſæus Animadverſ. in Caſſiodor. lib. 12. ep. 39. ERH. Neſcio, quid de duobus maribus hic comminiſcantur interpretes, cum tota oratio ſit metaphorica; ſed corruptum verſum exiſtimo: præterquam enim, quod inconcinna ſit repetitio vocis *prædam*, quæ in priori verſu præcedit, quid quæſo ſignificare poteſt, ingluvies fœnoris & uſura exederat prædam deprenſam gurgite gemino? quare pro *prædam*, lego *plebem*, quam exederat fœnoris ingluvies. Antea egerat de ſtatu reipublicæ corrupto, ubi omnia venalia, & honores emebantur & vendebantur, unde naſcebantur infinita mala, ut probi, qualis Cato, repulſam ferrent, & Vatinii, & alii præferrentur. Similis pernicies, (nam *gemino* hic non pro duplici, ſed ſimili capiendum) plebem exederat, quæ ære alieno contracto, ut luxuriæ indulgeret, exedebatur. Hunc puto ſenſum horum verborum. *Deprendi* autem eleganti à naufragio & procellis deducta metaphora plebs dicitur, quæ patrimonii naufragium patitur. Vide ad Phædri lib. v. fab. 4. ubi male Scheffërus. Virgil. IV. Georg. verſ. 421.

——— *Deprenſis ſtatio tutiſſima nautis.*

Ovid lib. XI. Metam. verſ. 663.

Nubilus Ægæo deprendit in æquore navim
Auſter.

vid. Douz. ad Catull. præcid. cap. VI. qui recte hunc Petronii locum inde illuſtrat. BURM.

Gurgite prædam] Alii, *pridem*. PATISSON.

Funeris ingluvies] Alii, *foenoris ingluvies*. TORNÆS. Ἴσως, *ingluvies*. COLLADON. Lege, *ingluaies*. Palmer. in Spicileg. Papias; *Ingluvies, voracitas. Ingluviosus, vorax. Foenus* uſurpatur, ut ſupra cap. LXXXIII.

Qui pelago credit, magno ſe foenore tollit. ERH. Legendum *Foenoris ingluvies*. Fulgentius lib. III. Mythol. fab. II. *oſtendit foenerantium vitam rapina ingluvie eſſe ſordidam.* Fuit & cum vellem *verſuraque adederat aris*, vel, *& abuſus adederat aëris. Nulli eſt certa domus.* Sed de iis ampliandum. De fœnoris ingluvie ne dubitetur. *Hinc & uſura vorax avidumque in tempora foenus, Et concuſſa fides*, apud Lucanum è ſcriptis lib. I. verſ. 181. non *in tempore*, ubi plura quæ cum his Petronianis componi poſſunt. HEINS.

Uſus] Notandum pro *uſura*, obtinent enim locum fructuum uſuræ l. 34. ff. de uſur. BARTH. Quem vide etiam Adverſ. lib. XXIII. cap. 2. *Uſus* pro uſura uſurpatur. Douza Præcidan. pro Catull. cap. 6. Methodorus apud Magnum in Sopholog. *Ingratus eſt, qui beneficium reddit abſque uſu.* ERHARD. Iſidorus definit uſuram, *incrementum foenoris ab uſu aris crediti appellatam.*

Exciderat] Forte, *exederat*. AURAT. & STEPHAN. Neque hoc recte in *exederat* mutatum. *Uſus*, id eſt, uſura. COLLADON. *Exederat* elegans eſt. Ut apud Terent. Heaut. Act. III. ſc. I. *Quid te futurum cenſes, quem aſſidue exedunt?* & paſſim. Ampliſſimus Cuperus viderat etiam, hos verſus laborare, & conjecerat legendum:

Ipſa ſui merces erat & ſine vindice. Prædam
Praterea gemino deprenſam gurgite ſoeda
Foenoris ingluvies, &c.

per *foenus* autem intelligit ſortem, ſeu pecuniam ſub uſuris creditam, ut Salmaſius cap. 2. de uſuris docuit. Tragurienſis vero codex & prima editio habent *exciderat*, ſed male. *Exederat* confirmat ſequens *tabes*, & geminus Lucani locus ab Heinſio adductus. BURM.

Certa domus] Nullius domus certum dominium, fœneratoribus omnia obtinentibus. BARTH. *Certa*, id eſt, certum dominum habet. Salluſt. *incertas domos habere*. ERHARD.

Veluti tabes] Apud Livium BONGARS. Livius lib. II. cap. 23. *Æs alienum feciſſe. Id cumulatum uſuris, primo ſe agro paterno avitoque exuiſſe, deinde fortunis aliis, poſtremo veluti tabem perveniſſe ad corpus.* Idem lib. VII. cap. 38. *An æquum eſſe, dedititios ſuos illa fertilitate atque amœnitate perfrui, ſe, militando feſſos, in peſtilenti atque arido circa urbem ſolo luctari, atque in urbe inſidentem tabem creſcentis indies fœneris pati.* Male ibi *labem* quædam editiones exhibent.

Hiris latrantibus] Alii *lacerantibus*. PATISSON. & DELBEN. Lege *latrantibus errat*. AURAT. Ἴσως, *lacerantibus*. vel, *latitantibus*. COLLADON. Vide Feſtum. BARTH. Loquitur de Romanæ juventutis effuſione & ære alieno, nulli ajens patrimonium ſuum relictum, ſed ut tabem æs alienum in omnes defluxiſſe.

Ita-

Arma placent miseris, detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur. inops audacia tuta est.
Hoc mersam coeno Romam somnoque jacentem
Quae poterant artes sana ratione movere,
Ni furor, & bellum, ferroque excita libido?
CXX. *Tres tulerat Fortuna Duces, quos obruit omnes*
Armorum strue diversa feralis Enyo.
Crassum Parthus habet, Libyco jacet aequore Magnus,

Julius

Itaque commodissime legetur, *hiris latrantibus*. Notum est, *hiram* esse intestinum jejunum: quod, ut inane & vacuum semper est, ita isti gumiæ satiabantur numquam, sed hiabant luxu & avaritia semper. Semper autem famelicorum intestina à bonis scriptoribus *crepare* aut *latrare* dicuntur. Guliel. Plaut. quæst. in Mostell. cap. 4. ERHARD. Perperam Janus Gulielmus, pærelegantis vir ingenii, Plautinis quæstionibus, *hiris latrantibus*, dictum alibi. non male magnus Scaliger *curis lacerantibus*, posset & *latitantibus*. HEINS. Non movendam lectionem docet locus Statii lib. 11. Sylv. 1. vers. 13.

—— *Admoto latrant praecordia tactu.*

Et lib. 11. Theb. vers. 338.

—— *Et magnas latrantia pectora curas.*

quæ adscripserat Amplis. Cuperus. vide Barth. ad ultim. Statii locum.

Detrita] Consumta, exstincta, Prosper Aquit. libro contr. ingrat.

Nec jam illis possunt attriti illudere fures. BARTH. Quem & vid. lib. XXIII. Advers. cap. 2. Respicit veteranos, qui emeritæ militiæ præmiis per luxum consumtis, sacramento adiguntur, spoliorum cupidine novorum.

Reparantur. inops] Alii, *reparatur inops*. PATISSON.

Inops audacia tuta] Exemplum apud Horatium lib. 2. Epist. 2. BARTH. Quem etiam vide libr. XXIII. Advers. cap. 2. Proverbialiter. idem cap. CXXXIII.

Quisquis inops peccat, minor est reus. ——

Cognatus in Adagior. syllog. ERHARD. Polynices apud Euripid. Phœniss. ad fratrem Eteoclem, Thebanorum Regem, vers. 600.

—— Δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος, καὶ φιλόψυχον κακόν.

Timida vero res sunt divitiæ, & amans vitæ malum. CUPER.

Hac mersant coeno] Ita vet. cod. vulgo, *hoc mersant*. SAMBUC. Quidam legunt *mersam*. COLLAD. Lege, *hoc mersum*. DELBEN. Idem Florus lib. III. cap. XII. *Illa opes atque divitiæ afflixere saeculi mores, mersamque vitiis suis, quasi sentina, Rempublicam pessum dedere.* PITH. Vitiorum. Salvian. lib. VII. *ingressos hæc loca Wandalos quis non putet omni se vitiorum & impuritatum coeno immersisse?* Cyprianus de Vanitate Idolorum. *Spiritus sordibus terrenis immersi.* Germanicus.

Aurea sed postquam proles terris data, nec jam
Semina virtutum vitiis demersa, resistunt.

Seneca de Brev. vit. cap. 11. alii. BARTH. Quem vide etiam libr. XII. Advers. cap. 1. & libr. XXIII. cap. 2. Lactantius lib. VII. cap. 6. *Qui sequentes praesentem voluptatem terrestribus & fragilibus se bonis addixerunt, & animas, ad caelestia genitas, suavitatibus mortiferis, tamquam luto coenove, demerserunt.*

Excita libido] Alii, *excisa*. alii, *exsciſſa*. PATISSON. Lege, *excita*. AURAT. *Libido*? lege per interrogationem. DELBEN. Lege *excisa*, id est, coërcita, constrata. sic supra hoc capite, *usuque exciderat aris*. COLLADON. *Excita* codex Scaligeri. *Excissa* prima editio, *excisa* Tragurianus. An *accincta*? HEINS.

Tres] Pompejus, Crassus, Cæsar. vide Lucan. lib. 1. BARTH. Senec. de constant. Sapient. cap. 11. de Catone. *Cum ambitu congressus, multiformi malo, & cum potentia immensa cupiditate, quam totus orbis in tres divisus satiare non poterat.*

Obruit omnis] Quidam legunt *omnes*. COLLAD.

Strue] A lignis, vide Charis. lib. 1. BARTH. Quem etiam vide libr. XXIII. Advers. cap. 2.

Enyo feralis] Erinnys vel Bellona. GLOSSÆ. Lege *Erimnys*. COLLADON. Scribe, *Erynnis*. BRASSIC. Alii, *Erynnis*. Ut infra cap. CXXIV.

—— *Horrida Erynnis*
Et Bellona minax. ——

sed *feralis Enyo* etiam Apollonio Collatio in Excid. Hierosolymor. ut notavit Goldast. ad Valerianum, & Barth. ad Claud. lib. 1. in Eutrop. vers. 238. (& lib. XXIII. Advers. cap. 2.) ERH. *Erinis*, Tragur. cod.

Libyco jacet aequore Magnus] Mart. lib. 5. ep. 71. de Pompejo & Pompeji filiis;

Pompejos juvenes Asia, atque Europa, sed ipsum
Terra tegit Libyes, si tamen ulla tegit.
Quid mirum, toto si spargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

Pompejum Magnum ad Pelusium, quod in Libya ad Nili ostium, qua oppidum excurrit, occisum & sepultum esse, plerique tradunt. vide Rader. ad Martial. libr. 5. ep. 71. & lib. 3. ep. 65. & Andr. Schottum in

Julius ingratam perfudit sanguine Romam.
Et, quasi non posset tot tellus ferre sepulcra,
Divisit cineres. hos gloria reddit honores.
Est locus, exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter magnaeque Dicarchidos arva,
Cocyta perfusus aqua. nam spiritus extra

Qui

Not. ad Auctorem de Viris illustribus, num. 77. Lucanus libro 8. vers. 713.

Pompejo raptim tumulum Fortuna paravit,
Ne jaceat nullo, vel ne meliore sepulcro.

Petrus Comestor in Scholast. Histor. *Pompejus, Hyrcano favens contra Aristobulum, Iherusalem templum obsedit, profanavit, in porticibus equos stabulavit. Unde numquam postea fuit fortunatus, qui prius erat fortunatissimus, & occisus diu jacuit inhumatus.* Adi Joseph. Matthatriadem in Antiquit. Judaic. & Gorionidem in Epitom. & Conradum Thuricensem in Fabulario. ERHARD.

Magnus] Lucanus recte *truncum* vocat. Exstat in Pompejum versus Adriani Cæsaris in Græcis Epigrammatib. à Dione etiam laudatus:

Τοῖς ναοῖς βριθοντι πόση σποδὶς ἵπλετο τύμβος;

BRASSICAN.

Julius] Alii, *Tertius*. TORNÆS. Malim *Tertius* cum prima editione & aliis scriptorum, qui & *Erinnys*, non *Enyo* paullo ante. HEINS.

Perfugit sanguine] Lege, *perfudit*. BARTH.

Et quasi] *En* Stewechium legere notaverat manus docta in ora Cl. Hesselii libri.

Tot tellus] Lege *tellus tot*. DELBEN. Martial. de Pompejis libr. v. Ep. LXXI.

Quid mirum, toto si spargitur orbe? jacere
Uno non potuit tanta ruina loco,

lib. v. Ep. LXXVI. vid. lib. III. vet. Epigr. AURAT. Quem vide etiam libr. XXIII. Adversi. cap. 2. In Catalect. exstant epitaphia Pompejorum, in quorum quarto:

——— *Divisa ruina est,*
Uno non potuit tanta jacere solo.

Lindenbrog. in Not. ERHARD.

Hos gloria reddit honores] Hoc hemistichium videtur παρωδιάζειν Dionys. Cato in Distich.

——— *Quos gloria vexat inanis.* ERHARD.

Gloria pro ambitione & inani studio famæ ponitur, quam Poëtæ, ut numen, à militaribus viris cultam sæpe inducunt, quæ ad quævis stimulat, & postea hanc mercedem reddit. De ea nos aliquando latius ad Valer. Flacc. lib. I. vers. 76. agemus. BURM.

Est locus exciso] Ante hunc versum legitur in v. c. MS. *Rerum humanarum*, &c. TORNÆS. Topographia, id est, loci descriptio, in quo semel Orcus, seu Pluto, Proserpinam filiam Cereris rapuit uxorem: vel inferorum domus descriptio. BUSCH. Descriptionem hanc Vesuvii montis credit Gonsalius, sed sulphurariam agri Puteolani à Petronio hic egregie describi ostendit Eruditissimus Bernardus de Montfaucon, in Diario Italico nuper edito cap. XXI. & certe locum penitus demersum exciso hiatu, non montem esse cuivis patet.

Parthenopen] Lege *Parthenopes*. AURAT. STEPHAN. Lege *Parthenopen inter magnaque Dicarchidos*. COLLADON. *Parthenope*, à Syrene sic nominata, præclara urbs est Campaniæ, quæ nunc Neapolis, id est Nova urbs, nominatur. hanc Cumani à parentibus egressi condidisse feruntur: qui, cum in eo loco Parthenopes corpus in veteri monumento conditum inveniissent, nomen ejus urbi indidere. hinc *Parthenopeus*, id est, Neapolitanus. BUSCH. In MS. Bongarsiano glossator, *Neapolim*, & statim ad illa, *Dicarchidos arva*) *Cumarum*. ERHARD.

Magnæque Dicarchidos arva] Campaniæ arva, ubi Puteoli, qui olim Dicæarchia, quod juste regerentur, dicti. GLOSS. Alii, *magnæ*. TORNÆS. Alii, *Dicæarchidos*. AURAT. *Magnæque Diarchidos*, ita fere V. C. SAMBUC. Lege, *Dicearchidos*. Statius lib. 2. Sylvarum in Surrentino Pollii:

Celsa Dicarchæi speculatrix villa profundi.

Plinius lib. 3. cap. 5. *Deinde Puteoli colonia, Dicearchia dicti.* Meminit Strabo, & Stephanus de Urbibus, & noster Festus Pompejus. BRASSIC. Tragurienſis codex *magne elichartidos arva Cocithia perfusus aqua.*

Cocyta aqua] Alii *Cocytia*. alii *Cocyti*. PATISSON. SAMBUC. & BRASSIC. Cocytus fœda palus, in qua semper luctiferi bubonis gemitus & aliarum dirarum avium turpissimus ululatus auditur. Seneca in Herc. Fur. vers. 686.

Palus inertis fœda Cocyti jacet:
Hic vultur, illic luctifer bubo gemit. BUSCH.

Aut duæ vocales in unam contrahuntur, aut secunda syllaba hujus vocis, *Cocytia*, non convenit versiculi modulo. Quare probo quod est in aliis editionibus, *Cocyta*, pro *Cocytia*, ut *Ceraunum saxum*, pro *Ceraunio*, dixit Propertius lib. II. El. XIII. vers. 3.

Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno?

Et ut idem lib. III. El. III. vers. 67. dixit *Partham, tellurem*, & *Parthos locos*: ac Virgilius, *Romulam tellurem*. RICHARD.

Spiritus] Virgil.

- - - Sævi

Qui furit, effuſus funeſto ſpargitur aeſtu.
Non haec auctumno tellus viret, aut alit herbas
Ceſpite laetus ager: non verno perſona cantu
Mollia diſcordi ſtrepitu virgulta loquuntur:
Sed chaos, & nigro ſquallentia pumice ſaxa
Gaudent ferali circum tumulata cupreſſu.

Has

—— *Savi ſpiracula Ditis.* BARTH.
Quem vide etiam lib. XXIII. Adverſ. cap. 2.

Æſtu] Peſtilenti calore. vide Thucydid. libr. 2. BARTH. Quem vide etiam lib. XXIII. Adverſ. cap. 2. Recte Barthius. Lucretius lib. VI. verſ. 12. 60.

Omnia complebant loca tectaque, quo magis æſtus
Confertos, ita acervatim mors accumulabat.

ut olim ille locus ante Lambinum legebatur. v. Rutgerſ. Var. Lect. IV. 1. & Barth. lib. 1. Adv. cap. 9.

Auctumno] Lege, *autumno*, non *auctumno*. DELBEN. Vide Barth. lib. XXIII. Adverſ. cap. 2, cui hic locus ſuſpectus eſt.

Vellus viret] Τῷ. *tellus viret*. COLLADON.

Verno perſona cantu] Nota *perſona*, pro *reſonativa*. AURAT. Ovid. lib. III. Triſt. Eleg. 12.

Indocilique loquax gutture vernat avis.

neſcio autem, an apud Rutilium lib. 1. verſ. 112.

Vernula quæ vario carmine ludat avis,

intelligatur avis, quæ vere canit: cum *vernulam avem* interpreter domi natam, cum Barthio. Ita *urbanitas vernula* ſupra cap. XXIV. vide tamen Munck. ad Fulgent. lib. 1. pag. 10.

Mollia] Flexibilia, lenta, mobilia. ERHARD.

Virgulta loquuntur] *Pſithyriſma* vocat Theocritus. Martianus Capella in Muſica: *Quoque procerior arbor eſt, & in altum tendit, eo magis acutum ſonum reddit: quæcumque vero quam minimum ab radice abſunt, gravius & rauco murmure quatiuntur.* Meminit & Seneca in Natural. quæſtionib. L. Apulejus lib. II. Aſini: *Arbores clementi motu brachiorum obſibilabant.* Auſonius ad Paulinum:

Eſt & arundineis modulatio muſica ripis,
Atque arguta ſuis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit ſoliis quoties levis Eurus acutis.

Cornelius Severus:

Pinea frondoſi coma murmurat Apennini.

Catullus Carm. IV.

—— *Nam Cythorio in jugo*
Loquente ſæpe ſibilum edidit coma.

Claudianus 1. lib. de Raptu Proſerpinæ:

Stridula coniferis modulatur carmina ramis.

Idem de Nuptiis Honorii & Mariæ:

Et platano platanus, alnoque aſſibilat alnus.

Nemeſianus Eclog. 1.

Obſtrepat & vento nobis ne garrula pinus.

BRASSICAN. Manil. lib. III. verſ. 651.

—— *Totumque canora*
Voce nemus loquitur.

Longus 1. Pœmen. ἴκμασεν ἂν τις καὶ τοὺς ποταμοὺς ᾄδειν, ἠρέμα ῥέοντας, καὶ τὲς ἐνίμους συρίττειν, ταῖς πίτυσιν ἐμπίοντας. BARTH. Quem etiam vid. lib. XXIII. Adverſ. cap. 2. Muſicæ rationis hoc eſt. Nam, ut quæque procerior ac mollior arbor eſt, eo magis vento acutum reddit ſonum, auctore Capella. Auſonius;

Eſt & harundineis modulatio muſica ripis,
Atque arguta ſuis loquitur coma pinea ventis,
Incubuit ſoliis quoties levis Eurus acutis.

Claudianus de Rapt. Proſerp. lib. 1. verſ. 206.

Stridula coniferis modulantur carmina ramis.

ubi Parrhaſius in Comment. & Barth. in Animadverſ. Quo retulerim & illud, quod paullo prius in hoc carm. legitur;

Orbata eſt avibus, mutoque in litore tantum
Sola deſertis adſpirant frondibus auræ. ERHARD.

Virgil Ecl. VIII. verſ. 22.

Mænalus argutumque nemus pineſque loquentes
Semper habet.

Nigro ſqualentia pumice ſaxa] De ſpiraculo Ditis contra nigrum pumicem hoc dicit. Barth. ad Claudian. 2. de rapt. Proſ. verſ. 103. ERHARD.

Circumtumulata] Ἴσως, *circumcumulata*. ut infra, *cumulos*, dixit, pro, *tumulos*. COLLADON.

Cupreſſu] Lucanus in 3. verſ. 442.

Et non plebejos luctus teſtata, cupreſſus.

Et prolixe Plinius. BRASSICAN. Ovid. lib. III. Triſt. eleg. 13.

—— *Ferali cincta cupreſſu.*

Sammon:

—— *Feralis fronde cupreſſi.*

Horat. Epod. V. *cupreſſus funebris.* Acro: *Inſeris conſecratas & funeri aptas, quia funeribus adhibebantur: nam, ut cupreſſus reciſa numquam repullulat, ita mortui non redeunt ad vitam.* hinc Stat. Theb. libr. IV. verſ. 464. *cupreſſus lutexit plorata latus.* Lutacius: *Apollo, miſertus Cypariſſi, vertit eum in arborem ſui nominis, de qua Virg. Funeſta fronde coronat. Hæc cauſſa eſt quare cupreſſus divitum funeribus adhibetur. Lucanus: Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus. Quia inceſtatas familias Romani hac notabant. Quidam volunt, ad hoc electam arborem, quia infructuoſa apta defunctis, vel, quod in tutelam dixerint inferorum* L. *funeſtatas familias.* nam, quod *inceſtatas familias* ea notarint,

Has inter ſedes Ditis pater extulit ora,
Buſtorum flammis, & cana ſparſa favilla,
Ac tali volucrem Fortunam voce laceſſit:
[a] Rerum humanarum, divinarumque poteſtas,
Quae nova ſemper amas, & mox poſſeſſa relinquis;

DIS PATER. *Ecquid*

tarint, nullibi lectum. Servius ad Virgil. 4. Æn. verſ. 506.

——— *Fronde coronat*
Funerea. ———

Serv. *Romanis moris fuit, ut potiſſimum cupreſſus, quæ exciſa renaſci non ſolet, in veſtibulo mortui poneretur, ne quis ſacram rem facturus imprudens domum introëat.* Antiquiſſimus cupreſſi uſus in funeribus, ſed apud alias gentes diverſus. Legimus, arcas confeciſſe ex cupreſſu. Theodor. Serm. 8. de Martyr. καὶ ὁ Θουκυδίδης τῶν ἐν τῷ Πελοποννησιακῷ τετελευτηκότων διηγεῖται τὸ γέρας, &c. ἁλίκιαι ᾗ τοῖς ἥκιστα ἐυρεθεῖσιν ἐμηχανῶντο τιμὴν κυπαρισσίνας μὲν κατασκευάζοντες λάρνακας, κοινῇ ᾗ πάντες, οἱ μὲν ἡγεμονες, &c. WOUWEREN.

Ditis pater] *Dis*, Pluto: inde *divitiæ*, omnes è terra provenientes opes. & *ditem* veteres divitem appellavere. *Ditis pater* eſt Diabolus, ſicut *mendacii pater* idem dicitur in Euangelio Johannis. BUSCH. *Ditis*, recto caſu. In vet. Gloſſ. *Ditis pater*, πλούτων. Scalig. in Catal. ad Ætnam verſ. 640. Adde Goldaſtum in Paræneticis ad Columban. ERHARD. Gloſſæ, *Ditis pater*, Πλούτων. Tertullianus ad Nationes à V. C. Jacobo Gothofredo editus lib. 1. cap. 10. *Riſimus & meridiani ludi de deis luſum, quod Ditis pater Jovis frater gladiatorum exſequias cum malleo deducit.* In MS. erat *Diſtis pater*. HEINS. Servius ad Virgil VI. Æneid. 273. *dicimus & hic Dis, & hic Ditis*, vide Cicer. 11. de nat. Deor. 26.

Et cava ſparſa] Lege, *& cana*. AURAT. & BRASSICAN. Ita paſſim Poëtis cinis & favilla *cana* dicitur. vide Heinſ. ad Ovid. 11. art. Amator. 440.

Ac tali volucrem Fortunam] Compellatio Ditis, & attentio ad Fortunam deam contra humanam pacimoniam. BUSCH. Recte: alata enim fingitur. Horat. libr. III. od. 29.

Laudo manentem; ſi celeres quatit
Pennas, reſigno, quæ dedit.

Cicero pro Sylla 32. *O falſam ſpem! ô volucrem fortunam!* & occaſio, quæ eadem & Fortuna, in Epigrammate D. Auſonii XII.

Quid Talaria habes? volucris ſum.

ita cum alis eſt ſtatua apud Sponium & alios. vid. Ampl. Cuper. Harpocr. p. 38. & Beger. Theſ. III. p. 297. Opponitur illa manenti Fortunæ, de qua ſupra cap. LXXX. Cum autem volucris & inconſtans Fortuna omnibus Populis fuerit, videbatur apud Romanos ſedes poſuiſſe, quare eleganter Ditis Pater eam hic titulo *volucris* compellare inducitur à Petronio, ut admoneat eam levitatis, & debere ad ingenium ſuum redire, cum Romani non mereantur ejus munere perpetuo frui. Egregie hæc illuſtrant verba Plutarchi, in libro de Fortuna Romana pag. 317. ubi dicit, Fortunam levibus ſe alis librare, & præcipitem ferri. Ita illam deſeruiſſe olim Perſas & Aſſyrios, deinde leviter PERVOLASSE Macedoniam, poſtea Ægyptum & Syriam peragraſſe, aliquoties ſe Carthaginem contuliſſe, ſed, cum trans Tiberim in Palatium veniſſet, ALAS depoſuiſſe, Talaria exuiſſe, & globo ſuo verſatili abjecto, Romam intraſſe ὡς μένουσαν, *ut manſuram*. Et hoc ſequentia indicant,

—— *Cui nulla placet nimium ſecura poteſtas*, &c.

Quibus exprobat Fortunæ ſuam erga Romanos conſtantiam. Quod & vox *laceſſit* docet, & hinc in nummis Imperatorum *Fortuna Auguſti* exhibetur ſine alis, veſte talari firmiter conſiſtens, cum cornu copiæ & gubernaculo, ut Plutarchus eam dicto loco deſcribit. BURM.

Laceſſit] Quid ſi *faceſſit*, id eſt, fatigat? *fatigare* eleganter de precibus immodicis dicitur. Juſtinus lib. 1. Quintil. decl. IV. *illa æſtimemus, propter quæ fatigamus votis deos. Laſſare* dixit Stat. lib. IX. Theb. verſ. 722. CUPERUS.

Sors cui] Hunc verſum totum omiſit Scaliger in Catalectis. BARTH. (Quem & vide lib. XXIII. adv. cap. 2.) Fortuna Huguitioni, Papæ, Balbo. Buttoni. ERHARD. Non agnoſcit codex Tragurienſis. Iſque eſt, cujus in recenſione ſupra mentio facta eſt. Et ſuſpectus mihi vel propter mox geminatum *poteſtas*. HADRIANID.

Divinarumque poteſtas, Quæ nova, &c.] Lege forte;

——— *Divinarumque poteſtas,*
*Cui nulla nimium * nimium ——— poteſtas.*

DELBEN. Adde verſum iſtum ex MS. cod.

Fors, cui nulla placet nimium ſecura poteſtas.

COLLADON. *Poteſtates cœleſtes* pro ſuperis non ſemel eruditiſſimus Arnobius dicit. Barth. ad Claudian. Nupt. Hon. & Mar. verſ. 199. & lib. II. in Eutrop. verſ. 65. ERHARD.

Quæ nova] Alii, *tu nova*. TORNÆS. Menand.

Ὡς μεταξολαῖς χαίρουσα παντοιαῖς τύχη. PITH.

Ovid. 5. Triſt. 9. Hinc Euripid. Alceſt. ait; τὸ τῆς τύχης ἀφανὲς ἐκ ἐναι διδακτόν, οὐδ' ἀκίνητον ἔδρα τύχης. Quare Hecuba apud eumdem:

Οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν, ὦ μὴ χεῖσθαι,
Οὐδ' ἐυτυχοῦντας, ἐν δοκεῖν πράξειν ἀεί.

Οὐδ'

Ecquid Romano ſentis te pondere victam?
Nec poſſe ulterius perituram extollere molem?
Ipſa ſuas vires odit Romana juventus,
Et, quas ſtruxit opes, male ſuſtinet. adſpice late
Luxuriam ſpoliorum, & cenſum in damna furentem.
Aedificant auro, ſedeſque ad ſidera mittunt.
Expelluntur aquae ſaxis, mare naſcitur arvis,
Et permutata rerum ſtatione rebellant.

En

Καὐγὼ γὰρ ἦν ποτ', ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμί· ἦτι.
Τὸν πάντα δ' ὄλβον ἥμαρ εἷν μ' ἀφείλατο.

Confer P. Roverium in Not. ad Panegyr. pag. 98. WEITZ.

Et mox poceſſa] Lege, *poſſeſſa*. COLLADON. Forte, *Vix*. Sed non opus. BARTH.

Relinquis] Senec. de vita Beata cap. 28. *Petita relinquimus, relicta repetimus.*

Ecquid] Trag. *& qui.*

Pondere] Calpurn. eclog. I.

Scilicet ipſe Deus Romana pondera molis
Fortibus excipiet ſic inconcuſſa lacertis.

Ovid. II. Triſt. verſ. 221.

Non ea te moles Romani nominis urget,
Inque tuis humeris tam leve ſertur onus.

Perituram] Ἴσως, *ruituram*. COLLADON.

Ipſa ſuas vires odit] Livius in præfat. I. decadis: *Ut jam magnitudine laboret ſua.* Et; *Jampridem prævalentis populi vires ſe ipſa conficiunt.* Horatius Epod. de bello civili. Tale quiddam ſcribit Æmilius Probus in Ageſilao, & Q. Curtius in 10. BRASSICAN. Propert. lib. III. eleg. II.

Frangitur ipſa ſuis Roma ſuperba bonis.

Struxit] Vide ſupra ad cap. LXXXIV. Horat. II. Sat. II. 95.

Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent, quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, &c.

Luxuriam ſpoliarum] Lege, *ſpoliorum*. AURAT.

Cenſumque in damna] Supra cap. CXIX. Seneca epiſt. XCVI. *Memini quondam fuiſſe nobilem Æſopi patinam, in quam, quicquid ſolet apud lautos diem ducere properans, in damnum ſuum popina congeſſerat.* BARTH. Quem & vide lib. XXIIII. Adverſ. cap. 2. In ſumtus & expenſas inſanas. vide ſupra verſ. 36. *Ut renovent per damna famem.* Manilius lib. IV. verſ. II. *cenſus pretium eſt effundere cenſum.*

Ædificant auro] De inſanis Romanorum ædificationibus Cicero, aliique multi. SAMBUC. Manil. lib. V. verſ. 507.

——— *Triclinia templis*
Concertant, tectique auro jam veſcimur aurum.
Ac, ne materies tali ſub munere deſit,
Quarere ſub terris aurum, furtoque latente m

Naturam eruere omnem, orbemque invertere prædæ
Imperat ———

Apul. de Deo Socrat. WOUWEREN. Si ſolus Nero auro ædificaſſet, & non ille luxus Cæſaris tempora jam infamaſſet, quo noſter reſpicere debuit, crederem Gonſalio, hic auream domum intelligi. Sed plena hujus luxuriæ inſectationis ſcripta veterum, ut oſtendit maximus Gronovius Diatr. Stat. cap. XXXIX. & Gevartius Lect. Papin. cap. XIX. vide Horat. lib. II. od. 18. & libr. III. od. I. Cæterum manus docta in codicis Almeloveniani ora ſcripſerat forte *aulas*, ſed induxerat iterum. BURM.

Sedeſque ad ſidera mittunt] Seneca libro 2. Controv. *Sedes ipſas in tantum exſtruxere, ut domus ad uſum, & munimentum parata ſint, nunc periculo, non præſidio: tanta altitudo ædificiorum eſt, tantæque viarum anguſtiæ, ut neque adverſus ignem præſidium, neque ex ruinis ullum effugium ſit, ad delicias dementis, luxuria lapis omnis eruitur, cæduntur que gentium ſylvæ: æris ferrique uſus, jam auri in exſtruendis domibus.* WOUWEREN.

Expelluntur aquæ] Lucrinus lacus proximus. BONGARS. Ad vivum Papin. lib. I. Sylv. 3. BARTH. Quem & vid. lib. 23. Adverſ. cap. 2. Et hoc male explicare Gonſalium, docet ibidem Gronovius. Senec. Thyeſt. verſ. 459.

Non claſſibus piſcamur, & retro mare
Jacta fugamus mole.

Mare naſcitur arvis] Senec. V. Controv. *Alunt in ſummis culminibus mentita nemora, & navigabilium piſcinarum freta.* BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. 2.

Mutata rerum ſtatione] Contra naturam. Sen. epiſt. CXXIII. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. 2. Idem ad Claud. IV. conſ. Honor. verſ. 239. citat, ac ſi legiſſet:

Terræ mutata rerum ſtatione rebellant.

eleganter vero illuſtrat vocem *ſtationem*, quæ à natura rebus ſingulis per perpetuas leges eſt aſſignata. Ita Lucanus lib. IV. verſ. 127. dixit

Servatoque loco rerum. ———

contra Stat. libr. I. Sylv. 2. verſ. 156.

Nec ſervat natura vices. ———

Senec. lib. VI. de benef. cap. 31. *Mutatis legibus natu-*

En etiam mea regna petunt. perfossa dehiscit
Molibus insanis tellus, jam montibus haustis
Antra gemunt: &, dum varius lapis invenit usum;

In-

ra. Quod autem *rebellant* de Romanis ceperit Barthius ad Gratium vers. 126. reprehendit eum Gonsalius. Sed defendit sententiam suam Barthius ad Statii dictum locum lib. 1. Sylv. 2. BURM.

Rebellant] Qui? Romani scilicet, vide ad Cirin. Claudianus de Laud. Stil. lib. 11. vers. 178.

- - - Quis devius esset
Angulus, aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos colerent. ———

Non addit: *populi.* Ingeniopatactos aliquis leg. *rebullat.* ut sequenti flammis, ita hoc versu undis componat Fortunam scilicet. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverss. cap. 2.

Et etiam] Lege *En etiam.* AURAT.

Mollibus in sanis tellus. jam montibus austris] Legendum est: *Molibus insanis tellus: jam montibus haustis.* ita enim habet vet. cod. BRASSICAN. Usque ad miraculum magnis. vide amicum nostrum, incomparabilem Casaub. ad Athen. libro XIII. cap. v. BARTH. Has jam Cicero pro Milone cap. XX. & XXX. reprehendit. Tyronibus porro jam notum, *insana* omnia dici, quæ modum excedunt.

Jam montibus austris] Ἴσως, *haustis.* AURAT. Vet. cod. *austriis.* vulgo *austris.* SAMBUC. Alii, *haustis.* Delben. *auctis.* DANIEL.

Antra gemunt] Sub mole scilicet & pondere montium. DANIEL. Illustr. N. Heinsius legend. existimat, *Astra premunt.* Opinabantur nimirum plerique veterum, astra inniti cacuminibus montium. De Atlante, cælum humeris sustinente, nota fabula est. BOSCH. Nihil hîc sani, omnino scribendum, obloquentibus licet membranis, *Astra tremunt.* Opinabantur veteres, astra montibus inniti, hinc tota Atlantis fabula pendet. Subducto igitur & subruto montium adminiculo, tremere astra & casum minari erat necesse. Sic Claudianus bell. Get. vers. 347. de Alpibus:

Interdum subitam glacie labente ruinam
Mons dedit, & trepidis fundamina subruit astris
Pendenti male fida solo.

quæ vera illic scriptura, non *tepidis austris*, quod multi codices agnoscunt. Noster infra vers. 147. ex certissima Gronovii castigatione:

Cælum illic sedisse putes.

Vulgo *cecidisse.* Papinius:

Stat sublimis apex, ventosque imbresque serenus
Despicit, & tantum sessis insidit astris.

Naso de Atlante Metam. IV.

——— *Omne*
Cum tot sideribus cælum requievit in illo. HEINS.

Ingeniosa quidem Heinsii conjectura, & has duas voces sæpe à librariis confusas, indicio esse potest locus Valerii Flacci lib. III. vers. 67. sed nulla libri scripti auctoritate nititur. Et, cum *gemere* proprie dicatur de rebus, quæ nimio pondere premuntur, nescio an non Delbenii conjectura sit præferenda:

Jam montibus auctis
Antra gemunt.

Ut *montes* vocet insanas illas moles ædificiorum, quæ ad sidera educta montium numerum augent, & terram, quæ interius in antra & specus est excavata, premunt. BURM.

Varios lapis invenit usus] Autisiodor. *vanus lapis invenit usum.* Pith. alii *varius lapis invenit.* PATISSON. Lege, *vanos lapis invenit usus.* DELBEN. Quidam legunt, *varios lapis invenit usus.* COLLADON. Rectius editio Lugdun.

——— *Ac dum varius lapis invenit usum.*

Nisi *varios* scriptum sit ἀρχαικῶς, pro *varius:* ut cap. LV.

——— *Probitas est carbunculos.*

Horat. Sat. 4. lib. 2.

Ten' lapides varios lutulenta radere palma?

Et ep. 10. lib. 1.

Nempe inter varias nutritur Sylva columnas.

quibus in locis, *Parios*, & *Parias*, qui reponunt, Parii marmoris sensum habent. Varium autem lapidem videtur significasse cap. CXIX.

——— *Ac maculis imitatur vilibus aurum.*

Mendose, ut suspicor. At editio Plantini emendatius,

——— *Ac maculis mutatur vilibus aurum.*

Id est, auro emitur vel permutatur, varius lapis Plinius cap. 1. lib. 36. *quos ad usus, quasve ad voluptates alias, nisi ut inter maculas lapidum jaceant.* Et cap. 7. ejusdem lib. *Differentia eorum est ab Ophite, cum sit illud serpentium masculis simile.* RICHARD. Lege *Partus lapis invenit usus.* Palmer. in Spicileg. Immo lege, *Varius lapis*, ut apud Horat. lib. 2. Sat. 4. ubi male Glareanus & Erasmus *Parios* substituunt. Dousa Comment. in Horat. *Varius lapis*, marmor, quod est varii coloris. Vitruvius lib. 7. cap. 5. *Ex eo antiqui, qui initia expolitionibus instituerunt, imitati sunt primum crustarum marmorearum varietates.* Savaro ad Sidon. lib. 2. ep. 2. Potest tamen & vulgata lectio non incommode retineri. Ait Pluto; dum lapidibus, quorum cottidie novos usus inveniunt, & novis inventionibus adhibent, cædendis & eruendis montes & valles excavantur, metuere se, ne terra penitus exciса, & inferis apertis, animæ inclusæ evolent & ad cœlum tendant. ERHARD. Ego cum illis facio, qui legendum censent:

——— *Varius lapis invenit usum.*

Nam

Inferni manes caelum sperare jubentur.
Quare age, Fors, muta pacatum in proelia vultum,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.
Jam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus,

Ex

Nam primæ editiones & Tragurienſis codex *vanus* habent: hæ autem voces ſolemniter à librariis permutatæ. vide Ovid. v. Faſt. verſ. 402. & alibi. Intelligit autem Teſſellata & ſectilia. vid. Torrent. ad Horatii dictum locum.

Inferni manes] Homerus Iliad. lib. v.

Ἐδδείσαν δ' ὑπένερθε ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεὺς.

& quæ ſequuntur. BRASSICAN.

Sperare jubentur] Biturig. *ſatentur*. Pith. PATISSON. Lege *jubentur*. COLLADON. DELBEN. Pro, ſperant: eſt enim hoc verbum nonnumquam cum actione conjunctum. Juvenal. Satyr. 6. verſ. 621.

——— *Minus ergo nocens erit Agrippina*
Boletus, ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit
In cælum ———

hoc eſt, coëgit Claudium mori. Virgilius lib. 2. Æneid.

Hectoris ad tumulum Trojæ ſub mœnibus altis
Juſſa mori ———

hoc eſt, juſſu occiſa. Eſt autem Hebraïſmus, de quo multis Caſtalio Annotation. ad Pſalm. 138. ERHARD. Id eſt, ſperare, lucem cœli ſuperi aliquando ad ſe perventuram. Ubi quam valde jamdudum cordi fuit Gonſalio legere, *coelum ſpectare*, tam mihi nihil mutare. Valer. Flaccus lib. 11.

Saturnum Tityamque vocat, ſpemque atheris amens
Concipit.

Papinius lib. 111. Theb.

Procul igneus antris
Mons tonat: exundant apices fluctuſque Pelorus
Contrahit, & ſperat tellus abrupta reverti.

voces Petronius ſumſit à Marone IV. Georg.

——— *Quid me coelum ſperare jubebas?*

ſic *timere* apud Auſonium de Moſell. 147. de Balæna mare hauſtum profundente:

——— *Vicinique timent decreſcere montes.*

GRONOVIUS. Obſerv. lib. 1. cap. 19. Reſpicit ad opinionem illam veterum, nefas eſſe, ſi Solis lux ad inferos veniret: de qua egerunt abunde viri docti. vid. Barth. ad Stat. lib. IV. Theb. verſ. 209. lib. VII. verſ. 784. & libr. XI. verſ. 590. Gronovium ad Senec. Herc. Fur. verſ. 566. Et Poëtæ eo paſſim adludunt, dum triſtia, tenebroſa, & opaca tartara deſcribunt, & alium apud inferos ſolem, aliam lucem eſſe fingunt. vide & Heinſium ad Claudian. libr. 11. de Rapt. verſ. 263. qui & in notis ineditis ad Ovidii lib. v. Metam. verſ. 348. mallet hic *ſpirare*. Sed nihil neceſſe. vide Gronov. ad Senec. Herc. Fur. verſ. 438. BURM.

Quare age, Fors] Deeſt, *age*, in Vet. Cod. MS. TORNÆS.

Romanosque cie] Claſſico excita. Plaut. Amphitr. Virgil. *Aere ciere viros*. Infra;

——— *Et tuba Martem*
Sideribus tranſmiſſa ciet ——— ERHARD.

Hoc eſt, inſtiga. Hinc *lituus* pro ſtimulo Cicer. ad Attr. libr. 11. epiſt 12. *De lituis βωπιδ&*, *de ſignifero Athemone*. Et lib. XI. ep. 12. *Lituum defectionis fuiſſe*, lib. VI. ad fam. 13. *Quem illi tubam appellant defectionis*. *Ciere* autem proprium verbum militare & *tuba* jungitur. Infra;

——— *Et tuba martem*
Sideribus tranſmiſſa ciet. ——

Vide Juſtin. lib. XXII. cap. 7. Suet. in Claud. cap. XXI. CUPERUS.

Ora cruore] Ita Alexander Macedo de ſe loquitur apud Lucian. in Dialogo Scipione: Ὑμεῖς ἴσως ὅσους ὑμεῖν νεκροὺς ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας κατέπεμψα. φησὶ γὰρ ὁ Ποσθμενὸς μὴ διαρκέσαι τὸ σκάφ& αὐτοῖς τότε. Nicocles Rex de malis Medicis dicebat hoc Homericum: Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν. BRASSICAN.

Tisiphone] Una ex Furiis, à cædibus plectendis dicta. GLOSSÆ. Poſt hunc verſum in vet. cod. MS. leguntur:

Vota mihi cedunt ———

& ſequentes. TORNÆS. Scribe ex vet. cod. *Tiſiphone*. BRASSICAN.

Perluit artus] Ἴσως, *proluit artus*. COLLADON. Sic infra,

——— *Sudor quoque perluit ora*. ERHARD.

Non opus reponere contra codices *proluit*, de quo verbo agit Caſaubon. ad Prolog. Perſii. Ovidius libr. III. 173.

Dumque ibi perluitur ſolita Titania lympha.

ſæpe confuderunt hæc cognata verba librarii. Idem Poëta Faſtor. lib. IV. verſ. 778.

Dic ter, & i, vivo perlue rore manus.

ut Heinſius legit, vulgo *proluе*. Contra lib. 5. verſ. 435.

Terque manus puras fontana proluit unda.

edidit, cum codices plerique habeant *perluit*. Eadem varietas eſt lib. IV. Metam. verſ. 310

Sed modo fonte ſuo formoſos perluit artus.

Puto autem majoris efficaciæ eſſe *τῦ perluere*, quod eſt penitus madefacere, *proluere* autem leviter adſpergere, *leviter lavare*, ut recte obſervat contra Caſaubo-

Ex quo Syllanus bibit enſis, horrida tellus
Extulit in lucem nutritas ſanguine fruges.
CXXI. *Haec ubi dicta dedit, dextrae conjungere dextram*
Conatus, rupto tellurem ſolvit hiatu.
Tum Fortuna levi defudit pectore voces:
a O genitor, cui Cocyti ponetralia parent.
Si modo vera mihi fas eſt impune profari,
Vota mihi cedunt: nec enim minor ira rebellat

a FORTUNA.

num. Heinſ. ad Claudian. lib. II. in Eutrop. verſ. 239. vide infra cap. 128. BURM.

Sullanus] Γρ. *Syllanus*. COLLADON. Quis hæc ignorat? Sed audi Senecam lib. I. de Clementia, *Sylla, cum in vicino ad ædem Bellonæ ſedens exaudiſſet conclamationem tot militum ſub gladio gementium, exterrito Senatu, hoc agamus, inquit, Patres conſcripti: ſeditioſi pauculi meo juſſu occiduntur. Hic non eſt mentitus; pauci Syllæ videbantur*, &c. Plutarch. in Sylla, & nos prolixe in **Reconditis lectionibus*. BRASSICAN.

Bibit enſis] Ut Virgil. XI. Æneid. de haſta,

——— *Virgineumque alte bibit acta cruorem.*

vid. Paſſerat. ad Propert. III. eleg. II. p. 479.

Horrida tellus] Ἰσως, *arida*. COLLADON. Si horrida ſit, quomodo fruges efferat? deinde non puto, Poëtam noſtrum ultimam in *enſis* ſine cæſura producere voluiſſe. Scribendum puto *ſordida tellus*. Prima litera adhæſerat ultimæ τῦ *enſis*, & *ordida*, quod reſtabat, à librario in *horrida* fuit mutatum. Neque harum vocum permutationem inuſitatam librariis, docet locus Ovidii lib. IV. Faſtor. verſ. 897.

Stabat & autumnus calcatis ſordidus uvis.

ubi tres codices, quos contulit Heinſius, habent *horridus*. *Sordida* ergo *tellus*, & madefacta ſanguine belli Syllani & Mariani, ab eo tempore quievit, & quaſi lætamine aliquo illo cruore pinguefacta, extulit fruges. Quare jam fas eſſe ait, iterum bella moveri & agris vaſtitatem induci. *Sordidum* autem proprie de ſanguine, qui fœdat & maculat, dicitur. Lucanus lib. IV. verſ. 315.

Sordidus exhauſto ſorbetur ab ubere ſanguis.

Sanguine autem nutritas fruges dixit, ut, præter Ovidium à Braſſicano laudatum, & Horatius II. od. I.

Quis non Latino ſanguine pinguior
Campus ſepulchris impia prælia
Teſtatur? BURM.

Nutritas ſanguine fruges] Eruditiſſime dictum. Servius in Virgil. verſu lib. XII. verſ. 118.

——— *Et Diis communibus aras*
Gramineas ———

Marti gramen eſt ſacrum, quod ſecundum Plinium ex humano cruore procreatur, &c. Eſt apud Plinium lib. II. cap. 63. & alibi. Meminit & L. Apulejus in libr. de Herbis: & † Leontius Mythographus, auctor minime malus, ſuperioribus annis à nobis tantum non ab inferis excitatus, & aliquando cum Philologis ‡ communicandus. Ovid. Epiſtol. I. Heroid.

Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Corteſius in Corvino:

Et madida humano pingueſcunt ſanguine glebæ.

Tale quiddam de *agroſti* ſcribit Suidas in πολλίος. BRASSICAN. Plutarch. in Quæſtion. Græcor. locum quendam in Samo πάναιμον dictum ſcribit, à copia ſanguinis profluentis ex cæſis ibi Amazonibus. Pſalm. 67. verſ. 24. *Intinguatur pes tuus in ſanguine*. Joan. Bochius ad Pſalm. 57. WEITZ.

Tunc fortuna] Reſponſio fortunæ. BUSCH. Quidam legunt, *Tum fortuna*. COLLADON.

Fas eſt mihi vera] Lege, *vera mihi fas eſt*. AURAT. Legendum eſt, *Hæc modo fas impune mihi eſt ſi vera profari*. BRASSICAN.

Impune probari] Lege *profari*. AURAT.

Vota mihi cedunt] Alii, *vota tibi cedent*. TORNÆS. SAMBUC. COLLADON. Alii, *mihi*; quod recte exploſum eſt. ERHARD. Prima editio & Sambuci *vota mihi cedunt*, Tragurienſis corrupte *vota mihi credent*, ſequor priorem lectionem. Dicit Fortuna, ſe jam diu optaſſe, iterum Romanos bellis civilibus collidere, jam autem eveniſſe tempus, quod diu votis popoſcerat. Rationem reddit, cur hoc optarit, in ſequentibus, quia Romani ejus muneribus abuſi non reverenter habuerint Fortunam benignam. Ita Florus lib. II. cap. 17. *Vir ſummus aſtu & audacia, ſi res ceſſiſſet*. lib. III. cap. I. *Citra ſpem omnium fortuna ceſſit, ut Rex fraude præcipuus fraude caperetur*. Suet. in vita Aug. cap. XCI. *Ceſſitque res proſpere*. Virgil. Æneid. lib. XII. verſ. 147.

Qua viſa eſt Fortuna pati, Parcæque ſinebant,
Cedere res Latio.

ubi

Pectore

* *Hæ nondum prodierunt.*

† *Pontius Leontius Burdegalenſis, cujus meminere Sidonius & Fortunatus.*

‡ *Non præſtitit: & Leontius adhuc latet, aut periit in bello Smalkaldico, cum numeroſis aliis bonæ ſcripturibus.*

Pectore in hoc, leviorve exurit flamma medullas.
Omnia, quae tribui Romanis arcibus, odi;
Muneribusque meis iraſcor: deſtruat iſtas
Idem, qui poſuit, moles Deus: & mihi cordi
Quippe cremare viros, & ſanguine paſcere luxum:
Cerno equidem gemina jam ſtrictos morte Philippos,
Theſſaliaeque rogos, & funera gentis Iberae:
Jam fragor armorum trepidantes perſonat aures,

Et

ubi Servius. *Feliciter cuncta procedere.* BURM.

Minor ira rebellat] Lege *rebullat*. Definire videtur voluiſſe iram. Eſt enim ea fretum (fervorem dicunt, ſive rebullitionem) ſanguinis circa cor. Palmer. in Spicileg. Quid ſi, *rebullit?* quod non metuam in textum recipere. ERHARD. Senec Epiſt. 69. *Cito rebellat affectus.* CUPERUS.

Leviorque] Ἴσως, *leviorve*. COLLADON.

Omniaque] Lege, *omnia quae*. AURAT. Ita conjectura ducti ſcripſimus; vulgo, *omniaque*. SAMBUC.

Romanis arcibus] Vet. Cod. *artibus*. PATISSON. SAMBUC. Romæ. Sulpicia,

In freta Sicaniæ & Carthaginis exiit arces.

BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. 2. lege, *Artibus*. Putſchius, & Pflugius. ERHARD. Sed fruſtra; præſtat *arcibus:* ſequitur enim, *moles iſtas deſtruet, qui poſuit*. HADRIANID. Non movendum *arcibus*. Prima enim editio ſic exhibet, & ita vocat Romam, quia ſeptem arcibus, ſeu collibus, eſt impoſita. vide ſupra ad cap. CXVI. vel quia ædificiis, de quorum luxuria mox queſtus erat Ditis Pater, ſuperbiſſimis tumebat. BURM.

Deſtruet iſtas] *Diſtruat*, ut in vet. cod. DANIEL. Vide Sueton. in Galb. cap. XVIII. CUPER.

Idem, qui poſuit, moles Deus] Fortuna. *Deus* quandoque ἐπικοινῶς utrumque ſexum complectitur. ERHARD.

Et mihi cordi] Forte, *eſt mihi cordi*. SAMBUC. Quod & verum eſſe puto. ERHARD. Amiciſſimus M. Oëveringius noſter legendum putat; *eſt mihi cordi*, ſecus enim fruſtra illud & redundaverit. BOSCH.

Quippe cremare viros, & ſanguine paſcere luxum] Hunc verſum in vet. cod. MS. ſequitur,

Pande age terrarum ſitientia, ——

& ſequentes. TORNÆS.

Sanguine paſcere luxum] Explere, & in eo voluptatem meam capere. Optatus Afer lib. 2. *Neque enim Eccleſia dici poteſt, quæ cruentis morſibus paſcitur, & Sanctorum ſanguine & carnibus opimatur.* vide Barth. ad Claudian. lib. II. de laudib. Stilic. verſ. 14. ERHARD. Vide Heinſium ad Ovid. lib. III. Amor. eleg. 8. pro *cremare* vero Gronovius ſuſpicatur ſcribendum eſſe *armare*, id eſt, in bellum civile impellere.

Cerno equidem] Enthuſiaſmus Poëticus. Stat. I. Ach.

—— Video jam mille carinis
Ægaum Joniumque premi.

Horat. I. Carm. XV. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. 2. Scilicet animo. Quomodo Cicero libr. V. ad Attic. Ep. 12. *Cerno jam animo, quanto omnia uberiora, atque ornatiora futura ſint.* Hinc Patres, quando oculis corporeis ſe aliquid vidiſſe volebant dicere, addebant ἀισθητῶς. Gregorius Nyſſenus in Epiſt. ad Euſtath. pag. 2. Ἔπειδὴ τοίνυν εἶδον μὲν καὶ αἰσθητῶς τὰς ἁγίας τόπους, &c. CUPER.

Gemino jam ſtrictos Marte Philippos] Alii, *gemina jam ſtratos morte Philippos*. TORNÆS. Quidam legunt *jam ſtratos*. COLLADON. DELBEN. Lege, *ſtructos*. Palmer. in ſpecileg. ERHARD. Legendum:

Cerno equidem gemino jam ſtratos Marte Philippos.

Conſule N. Heinſii notas ad Ovidianum illud libr. XV. Metam. verſ. 824.

Emathiaque iterum madefacti cade Philippi.

BOSCH. *Gemina ſtratos morte* aſſeruit pulchre Gronovius lib. III. Obſerv. cap. 11. ubi *mortem* pro ſtrage vel occidione poni docet. A Poëtis etiam confundi Philippos Theſſalios & Macedonicos. Sic & Naſo Metam. XV.

Æmathiique iterum madefient cade Philippi.

legebant alii, *gemino jam ſtrictos Marte Philippos*. Ut hic *mors gemina*, ſic *una mors* apud Lucanum lib. II. de Prænestinis à Sulla interfectis.

Unius populum pereuntem tempore mortis.

Auſonius:

Conjungit mortes una ſagitta duas.

apud Martialem quoque occurrit. Noſter ipſe *mille jam mortibus frigida*. Nam & *mortes* dicuntur, de quibus Voſſius de Analog. lib. I. cap. XL. HEINS.

Jam fragor armorum] Ἴσως, *Armeniæ*. COLLAD. Legendum:

Jam fragor armorum crepitantum perſonat auras,
Et Libyen cerno, & tua Nile gementia clauſtra.

neque vero trepidabant aures Fortunæ eo armorum fragore, quæ eum ſibi volenti eſſe non diſſimulet. Palmer. in Spicileg. ERHARD. Hic verſus in antiquis editionibus omnibus præponitur alteri. *Et Libyæ*, quem Tragurienſis ita exhibet:

Et Libyae cerno, & tua Nile gementia cloſtra.
Actiacoſque ſinus, & Apollinis arma timentes.
Pande, age, terrarum ſitientia regna tuarum,
Atque animas arceſſe novas: Vix navita Porthmeus
Sufficiet ſimulacra virum traducere cymba.

Claſſe

Et Libye cerno tua ville gementia caſtra. prima editio:

Et Libya: cerno tua Nile gementia caſtra. Ampl. Cuperus malit:

Perſonat aures
In Libya: cerno tua, &c.

Heinſius mallet:

En Libya cerno tua mole gementia clauſtra.

verſus adhuc cubant in mendo. *Clauſtra* autem & *caſtra* confundi docuimus ſupra ad Trojæ Haloſin.

Trepidantes] Ita alibi *timidiſſimam admirationem* dixit. BARTH. Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. XXIV.

Perſonat aures] Lege, *auras*. TORNÆS. Lege, *aures*. AURAT. Ita vet. cod. vulgo, *auras*. SAMBUC.

Et Libya] Lege, *En Libya*. AURAT. Lege, *& Libya, cerno Nile*. COLLADON.

Gementia caſtra] Τῇ. *clauſtra*. mihi magis placet τὸ *caſtra*, Cleopatræ ſcilicet. COLLADON. Statius:

Cui luget complexa ſuos?

Lucr. libr. I.

——— *Tibi rident æquora Ponti.* BARTH.

Quem & vide lib. XXIII. Adverſ. cap. XXIV.

Arma trementes] Alii, *timentes*. TORNÆS. Ἴσως, *timentis*, Nili ſcilicet. COLLADON. Quo referatur illud, *timentes*, non diſpicio. In edit. quidem Lugdun. legitur, *trementis*, unde forſitan legendum eſt, *frementis*: frementem enim & iratum hoſtibus Apollinem in Actiaca pugna deſcribit Propertius in Eleg. 3. lib. 4.

Non ille attulerat crines in colla ſolutos,
Aut teſtudineæ carmen inerme lyræ.
Sed qualis aſpexit Pelopeum Agamemnona vultu,
Egeſſitque avidis Dorica caſtra rogis.
Aut qualis flexos ſolvit Pythona per orbes
Serpentum, imbelles quem timuere lyræ.

Quinetiam eo progredior, ut totum locum illum Petronii hoc modo ac ordine legendum putem:

Cerno equidem gemina jam ſtratos morte Philippos,
Theſſalicaque rogos, & funera gentis Iberæ:
Et Libyæ cerno, & tua, Nile, gementia clauſtra.
Jam fragor armorum trepidantes perſonat aures:
Actiacoſque ſinus, & Apollinis arma timentes.

RICHARD. Alludit Virg. lib. 7. Æneid. BARTH. *Timentes* editiones primæ, & Tragurienſis. Heinſius in ora codicis ſcripſerat, forte *tuentis*.

Arceſſe] Alii, *accerſe*. TORNÆS. Lege, *arceſſe*. Stewech. ad Apul. lib. 7. de Aſin. ERHARD. Ita ſcribendum. Alterum *accerſe* dudum à viris doctis extra Latii limites proſcriptum eſt.

Navita Porthmeus] Alii, *Proteus*. alii, *certa*. TORNÆS. Sic Autiſiod. recte. alii, *Proteus*. Pith. alii, *prora*. PATISSON. Conjectura ducti ſcripſimus *Porthmeus*. utitur & Juvenalis ea voce Græca, Charontem portitorem deſignante. SAMBUC. Lege *Porthmeus*. BRASSICAN. In hoc verbo pone in margine; *Hæc emendatio eſt Baptiſtæ Pii* Poſter. Annotat. cap. 48. DELBEN. & BONGARS. Sic reſtituit Bapt. Pius Annotat. Poſter. cap. 48. ex quo loco apparet, Baptiſtam Pium vidiſſe plura Petronii fragmenta. Scaliger *Proreus*, Προρεύς. DANIEL. Τῇ. *certe*, ἴσως *parva*, vel *picta*. ἴσως *Portmeus*, vel *putri*. COLLADON. Inferorum portitorem vocat *Protheum*: verum omnes Poëtæ Arbitro repugnant. Ant. Delrio Adverſar. in Senec. Hercul. fur. Act. 3. ſcen. 2. verſ. 770. Lege, *Porthmeus*, & Charontem intellige, quem Diodorus ſic appellatum contendit, quoniam tranſmittit animas defunctorum. Baptiſta Pius Annotat. poſter. cap. 48. ERHARD. *Porthmeus* eſt Charon, qui portitor apud inferos eſt. Virgil. lib. 6. Æneid. *Portitor ille Charon.* *Porthmos* enim ſignificat fretum: & *porthmis*, *idis*, naviculam: & *porthmeus* transfretatorem, id eſt, qui homines navigio traducit. Scholiaſtes Juvenal. ad Sat. 3. pag. 31. b. Joan. Tortellius de Ortograph. diction. ex Græcis ductar. Baſil. Faber in Theſaur. erud. Scholaſtic. verbb. *Portitor*, & *Porthmeus*, Taubmann. ad Plaut. Aſinar. Act. 1. ſc. 3. De eo Virgil. 6. Æneid. & Seneca Hercul. fur. verſ. 763. Tibullo eſt:

——— *Stygia navita turpis aqua.*

Ovidius, ſeu Pedo Albinovanus, ad Liviam de morte Druſi:

Fata manent omnes, omnes exſpectat avarus
Portitor, & turbæ vix ſatis una ratis.

WEITZ.

Sufficiet] Tragur. *ſufficit ad ſimulacra*. Forte, *ſufficit hæc*. HEINS.

Simulacra virum] Pro, virorum, animas hominum, quas mox vocat *umbrarum facies*. & etiam *pater umbrarum* dicitur Plauto, id eſt, animarum. ERHARD.

Traducere cymba] Pedo Albinovanus Eleg. de morte Druſi;

——— *Omneis exſpectat avarus*
Portitor, & turbæ vix ſatis una ratis.

Lindenbrogius Not. in Catalect. ERHARD.

Tuque

Classe opus est. tuque ingenti satiare ruina,
Pallida Tisiphone, concisaque vulnera mande.
Ad Stygios manes laceratus ducitur orbis.

CXXII. *Vixdum finierat, quum fulgure rupta coruſco*
Intremuit nubes, eliſoſque abſcidit ignes.
Subſedit pater umbrarum, gremioque reducto
Telluris, pavitans fraternos palluit ictus.
Continuo clades hominum venturaque damna
Auſpiciis patuere Deûm; namque ore cruento
Deformis titubans vultus caligine texit.

Civi-

Tuque ingenti ſatiare ruina] Hæc deſunt in vet. cod. MS. uſque ad verſum.

Vix dum finierat. —— TORNÆS.

Horat. od. 2.

Heu nimis longo ſatiate ludo. DANIEL.

Theſiphone] Lege, *Tiſiphone.* AURAT. Scribe, *Tiſiphone.* Bellum à *Furiis* immitti, docent omnes Poëtæ. Sed & Hiſtorici, ſemel impendentibus omnibus ultimis, ſic loqui conſueverunt. Hoc Virgilius *Alecto* tribuit. Ovid.

—— *Qua terra patet, fera regnat Erinnys.*

Seneca in Oedipo:

Rupere Herebi clauſtra profundi
Turba ſororum face Tartarea.
Mors alta avidos oris hiatus
Pandit, & omnes explicat alas.

Sic in Sacris Propheta: *Infernus dilatavit animam ſuam, & aperuit os ſuum abſque omni termino.* Lactantius:

Inferus inſatiabiliter cava guttura pandit.

Apud Ammian. Marcellinum mille locis legimus: velut; *Cuncta cientibus Furiis.* Et; *Luctuoſos inflaret.* Et; *Jam luctis cladium concrepantibus.* Et; *Bellona faces accenderant.* Et; *Cœtus Furiarum horrificus totius Aſiæ cervicibus inſedit.* Et; *Malorum civium buccinas inflabant.* Et cætera: quis enim omnia poſſit perſequi? Seneca lib. 4. Natural. quæſtion. ſcribit, in ſummis malis exclamaſſe Menandrum: *Omnes mali vivant.* BRASSICAN.

Conciſaque vulnera mande] Biturig. *pande.* Pith. PATISSON. Ἰσως *funera*, vel, *viſcera mande.* COLLADON. Lege, *vulnera.* DELBEN. Valer. Flacc. lib. III. verſ. 105.

Dedit ille ſonum, compreſſaque mandens
Æquora purpuream ſingultibus expulit haſtam.

Qui locus merito mihi ſuſpectus. *expellere haſtam* ſingultibus, nihil eſſe, omnis viderit. Tentabam *extrahit*, nunc muto, & cum Zinzerling. cap. 14. promulſ. critic. lego *exſpuit auram.* Verum ſimile plane factum de mortuo refert Euripides Phœniſſ. verſ. 1432. Quintil. decl. 12. *terram morientes momorderunt.* Homer. Iliad. B. verſ. 418. adde Giphan. in Epiſt. apud Abbem. pag. 647. poſſet tamen hic legi *lambe.* CUPERUS. Prima editio & Sambuci, *conciſſaque vulnera manda.* Tragur. *conſiſſaque vulnera mande.* Verum puto *lambe*, ſanguine enim paſtas Furias, quis ignorat?

Intremuit] Ἰσως, *infremuit.* COLLADON.

Subſedit] Ita omnes editiones ante Gonſalium, qui non monuit, unde *ſubſidit* hauſerit. quomodo autem verba illa *ſedere* & *ſidere*, & compoſita, paſſim confundantur, oſtendimus ſupra ad cap. XCVI.

Gremioque reducto] Id eſt, clauſo hiatu. Seneca Troad. verſ. 198.

Repetenſque ditem, merſus ingentem ſpecum
Coëunte terra junxit. CUPER.

Heinſius mallet *gremioque reducta Telluris pavitans.*

Namque ore cruento] Forte debuerat ſubſequi hujuſmodi verſus;

Noſtrum quadrijugo ſcandens Sol æthera curru,

AURAT. Γε. *ora*, Ἰσως. COLLADON.

Deformis Titan] Sic legendum eſſe vidit Ianus Paſſeratius: nam vulgo ſic legitur; *Deformis titubans.* Cui ſimile eſt illud Virg. I. Georg.

Cum caput obſcura nigrum ſerrugine texit.

Lambin. Comment. ad Lucretium lib 4. *Titan* pro Sole. Barth. ad Claudian. an, quia in MS. Bongarſiano legitur *ora*, totus locus ita erit cum Colladonio componendus;

—— *Namque ora cruentus*
Deformi Titan vultus caligine texit.

Vulgatam tamen lectionem defendit vet. Poëta apud Oroſium lib. 7. cap. 5. ubi de Furore;

- - - *Fremit horridus ore cruento.*

Sunt autem notanda hoc loco oſtenta, omina, & præſagia futurorum bellorum, de quibus vide Barthium pluribus locis in Animadverſ. ad Claudianum ubi varia horum verſuum loca explanantur. ERHARD.

Deformes Titan] Vet. *titubans.* Pith. PATISSON. Deeſſe videtur verſus ante hunc. STEPHAN. Lege, *deformi.* BRASSIC. In antiquo exemplari male erat, *deformis titubans.* BUSCH. Lege, *Titan*, ſic etiam

Del-

Civiles acies jam tum ſpirare putares.
Parte alia plenos exſtinxit Cynthia vultus,
Et lucem ſceleri ſubduxit. Rupta tonabant
Verticibus lapſis montis juga, nec vaga paſſim
Flumina per notas ibant morientia ripas.

Ar-

Delbenius conjecit legendum. DANIEL. Expreſſimus editionum veterum & Tragurienſis codicis lectionem, quæ licet mendoſa ſit, non auſus tamen conjecturas virorum doctorum recipere in contextum. Cæterum ſimilia his oſtenta vide apud Statium lib. VII. Theb. verſ. 404.

Civiles acies jam tum ſpirare putares] Id eſt, diceres, cruentum Solem jam ſpirare bella civilia. COLLADON.

Parte alia] Prodigia belli futuri prænuncia. BRASSICAN.

Rupta tonabant] Legi poſſe videtur Delbenio:

—— *Jam rupta tenebant*
Verticibus laſſis montes juga. —— DANIEL.

Pro, diſrupta, ſciſſa. ERHARD. Verbo *tonare* majora murmura & ſonitus indicari docuit Barthius ad Stat. lib. I. Achill. verſ. 452. ubi, in montibus auditos ſonitus pro prodigiis habitos, hoc adducto Petronii loco oſtendit.

Laſſis montis] Ἰσως, *quaſſis montes*. COLLADON. Lege, *Verticibus lapſis montis juga*. Labes enim ſignificatur & hiatus, quæ ipſa quoque in oſtentis numerata ſunt. Palmer. in Spicileg. ERHARD. Habent omnes editiones & Tragurienſis *laſſis*. Semper vero *laſſus* & *lapſus* à librariis confunduntur, ut mille locis oſtendi poſſit. vid. Broukh. ad Propert. lib. IV. eleg. IV. verſ. 62. *Laſſi* autem *montes* Poëtice dicuntur à frequenti & toties iterato illo ſonitu, quem edebant. Heinſius in marginem conjecerat, *laceris*, vel *quaſſis*, vel *laxis*. BURM.

Flumina] Alii, *Fulmina*. TORNÆS. Lege, *Flumina*. COLLADON. BRASSICAN. Morientibus illis fluminibus opem ferre conabimur, non abſurda prorſus opinione, ſcriptum fuiſſe à Petronio,

—— *Nec vaga paſſim*
Flumina per notas ibant torrentia ripas.

hoc ſenſu: vaga flumina, paſſim torrentia, tunc non ibant per notas ripas. non amplius, inquam, alveo ſuo & ripis flumina continebantur, ſed effuſa per agros & ſylvas omnia ſternebant & rapiebant ſecum. Loquitur enim de prodigiis bellorum civilium, de quibus etiam Virgil. lib. I. Georg. verſ. 482.

Proluit inſano contorquens vortice ſylvas
Fluviorum rex Eridanus, campoſque per omnes
Cum ſtabulis armenta tulit.

Idem in lib. II. Georg. verſ. 452.

Nec non & torrentem undam levis innatat alnus
Miſſa Pado ——

Plinius de eodem Pado, ſive Eridano, cap. 16. lib. 3. *Augetur ad Canis ortus, liquatis nivibus, agris quam navibus torrentior*, id eſt, rapiditate & impetu nocentior. Ut autem *torrentem* undam dixit Virgilius, ſic & Seneca in epiſt. 40. *Habeat vires magnas, moderatas tamen, oratio, ſi perennis unda, non torrens.* Idem Virgil. in Eclog. 7.

Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.

Torrentia flumina, ut Homero, χείμαῤῥοι ποταμοὶ ιλ. δ. Petronius vero *notas ripas* dixit, imitatione Horatii, torrentem amnem deſcribentis, in laudatione Pindari libr. IV. od. II. verſ. 5.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluere ripas,
Fertur, immenſuſque ruit profundo
Pindarus ore. RICHARD.

Scribe:

—— *Nec vaga paſſim*
Flumina per notas ibant morientia ripas.

non aliter, quam dicit Macrob. in Somn. Scipion lib. 2. cap. 8. Familiariter *per* pro inter ponere ſolet. nec audio, qui, in nuperis notis, morientibus hiſce fluminibus mederi conatur, ſed veriſſimum eſt, quomodo poſui ego & interpunxi, non manebant, inquit, intra ripas ſuas flumina, paſſim vaga. Et, ne hæſitet quiſpiam porro, ponam Manilianos verſus, lib. 4. Aſtron. verſ. 624. quos hic adumbravit Petronius;

Donec in Ægyptum redeant curvata per undas
Littora, Niliacis iterum morientia ripis.

Quod aurem ait, *ibant morientia*, aſpexit quodammodo Claudianus in Conſul. Mall. Theod. verſ. 114.

—— *Naſcentes ibant in ſecula libri.*

Pontanus Not. in Somn. Scip. lib. 2. cap. 8. elegantes, *morientia*, pro, exareſcentia, ut apud Claudian. malim autem, *latas*, quam *notas*, quia decreſcente flumine *latæ*, ſeu *laxæ*, fiunt ripæ. Barth. ad Claudian. Conſul. Olybr. & Probr. verſ. 220. Qui tamen ſui oblitus ad Bell. Gildon. verſ. 41. ſcribit; *Notas ripas* excedentem *vagum* dicunt etiam Horat. & Seneca. Et diverſa loqui videtur, *vaga* & *morientia* eadem vocans, nec ſufficere videntur, quæ Pontanus produxit. Sed omnis elegantia in τῷ *morientia* ſepulta eſt. Dicit enim, *mori flumina*, quæ exuberantia ſpeciem ſuam perdunt & confundunt. Mors enim reſolutio formæ eſt. ERHARD. Recte explicat Gronovius lib. III. Obſerv. cap. II. contra Barthium (quem & vide ad Stat. IV. Sylv. III. verſ. 74.) & alios. Neque etiam

Armorum ſtrepitu cœlum furit, & tuba Mortem
Sideribus trinis acta ciet: jamque Ætna voratur
Igni-

etiam *notas ripas* movere licet. nec cum Boxhornio ad Lamprid. Diadumenum conjicere *noſtras*. Manilius lib. IV. verſ. 417.

Terrenos aſpice tractus
Et maris, & notis fugientia flumina ripis.

Ita Phædrus lib. I. fab. II. *exitus notos* dixit, & Ovidius libr. I. Metam. verſ. 370.

- - - Adeunt pariter Cephiſidos undas,
Ut nondum liquidas, ſic jam vada nota ſecantes.

Ire autem proprie de fluviis dici, docet Barth. ad Stat. IV. Theb. 833.

Morientia] Biturig. *manantia*. Pith. PATISSON.

Armorum ſtrepitu] Virgil. Georg. I. verſ. 473.

Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audiit. - - -

Et Plinius lib. 2. cap. 59. Prolixe Julius Obſequens de Prodig. Ovidius lib. 15. Metamorph. &c. BRASSIC. Legendum *crepitu*, egregie oſtendit, collatis inſignibus veterum ſcriptorum de hoc omine locis, deliciæ quondam noſtræ Janus Brouckhuſius ad Tibull. libr. II. eleg. V. verſ. 73. cujus inexhauſtas lectionis divitias, & ingenii copias, dum ſtupet eruditior orbis, jejunus & nudus quidam Gallulus, qui nihil in literis noſtris umquam, niſi ex lexicis & Theſauris publicis compilatum, proferre potuit, & tamen ſibi δεκησίσοφος egregrie placet, maledico dente nuper carpſit, & cujus viventis oculos ſuſtinere non auſus fuiſſet, degener vulturius cadaver laceravit. *Armorum tenitru*, dixit grandiloquus ſæpe ultra modum Papinius lib. III. Theb. verſ. 423. BURM.

Tuba mortem] Scribe, *Martem*. Pith. PATISSON. COLLADON.

Sideribus] Ἴγνυσι, *fulguribus*. COLLADON. Locus corruptiſſimus, prima editio & Sambuci *ſideribus armis acta ciet*. Tragurienſis, ut & codex vetus, quem Sambucus laudat, *ſideribus trinis acta*. Forte

Sideribus tribus acta ciet.

Eodem fere modo, ut Florus lib. III. cap. 21. *Tribus, ut ſic dixerim, ſideribus agitatum eſt*. Ut tria ſidera hic tres duces, Craſſum, Pompejum, & Cæſarem notent. Quod ſi non placeat, fateor, me hic nullum ſenſum videre. Nam *tranſmiſſa*, *demiſſa*, & ſimilia, ex nova moneta prodiere. *Mortem* etiam conſtanter habent omnes veteres, ut eam quoque, tamquam Deam hic Poëta conſideret, licet *ciere Martem* ſit vulgatius.

Tranſmiſſa] Alii, *demiſſa*. TORNÆS. & STEPHAN. & AURAT. Alii, *tremefacta*. Vet. *armis acta*. alii, *tranſacta*. alii, *tumefacta*. PATISSON. Mendoſe Vet. cod. pro *armis*, *trmis* habet. SAMBUC. Lege, *ſideribus ciet acta armis*. BRASSICAN. Lege, *acta*. DELBEN. Alias non recte legitur, *ſideribus armis acta ciet*. BUSCH. Lege *tumefacta*. COLLADON. Lege, *tremefacta ciet*. Sidon. carm. 5. *Et Venerem Martemque ciunt*. Savaro in Not. ERHARD.

Ætna vocatur] Forte, *voratur*. COLLADON. SAMBUC. Lege, *micabat*, non *voratur*. BUSCH. Hoc inter portenta citat Xiphilin. καὶ τὸ τῆς Αἴτνης πῦρ πλεῖον ῥύεν, καὶ πόλεις λυμανῆ ἄμεινον. WOUWER. *Flumina* ποιητικώτερον, quam *fulmina*. Accius apud Cicer. 2. de Natur. Deor. Virgil. I. Georg. Sulpicius Severus in Ætna, Ovid. Exſul, Eleg. 10. lib. 2. dixit *Ætneos lacus*. Strabo lib. 6. Interpres Æſchyli ad Prometh. vinct. Solinus cap. 11. Sic & MSS. autores illi cauſæ meæ patrocinantur. Nec tamen omnino improba eſt lectio vulgaris. BOURDELOT. *Flumina* quidem dici poſſe de copia & agmine quaſi flammarum, agnoſco. Sed ominis ratio expoſcit *fulmina*, quæ cum ſoleant ex cœlo à Jove torqueri, nunc mutato ordine & lege naturæ ex Ætna, ubi erat officina Vulcani, in qua cudebantur fulmina, in cœlum mittuntur. Manilius I. aſtr. verſ. 650.

Sunt autem cunctis permixtis partibus ignes,
Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubes
Et penetrant terras, Ætnamque minantur Olympo.

Ubi nihil neceſſe cum Tanaquillo Fabro ad Lucret. lib. I. pag. 427. reponere *Ætnaque imitantur Olympum*. Ampliſſ. Cuperus non abhorret à *rotatur*, quod Cerda probabat. Ita enim Claudian. I. de raptu.

Quæ ſcopulos tormenta rotent?

pro quo *glomerare* Virgilius III. Æn. 577. ſed tamen præfert *voratur*, id eſt, læditur, & exhauritur. Corn. Sever Ætn. verſ. 113.

Aut etiam incluſi ſolidum exedere vapores.

Et hoc poſtulat frequentiſſima Poëtarum loquendi conſuetudo. Albinovanus in mortem Druſi 134.

Et vorat hos ipſos flamma roguſque ſinus.

ubi grandis ille & magnifici nominis adoptator Gorallus, ex lexicis ſuis ſapiens, egregiam nobis notam obtrudit, & *ſinus*, *viſcera* eſſe ſtatuit; ne autem Philoſophus ſine ratione aliquid enuntiet, dicit *ſinus viſcera dicta videntur, quod veſtium ſinu teguntur*. Euge! belle! σοφῶς! quid non facit bona Logica? certe nos Grammatici, quibus, etiam remota veſte, obſtaret cutis & caro, ne ad viſcera penetrarent oculi, explicaremus, Liviam, nimio deſiderio filii abductam, cadaver in rogo poſitum, & artus inanes, ſive anima vacuos, amplecti, non animo, ſed brachiis ſuis & pectore, & ita imprudenter, ut ipſa flamma Liviæ veſtes voret & conſumat. Et hoc, geſtu ſi adjuvetur verſus, indicant verba illa *hos ipſos*, quos digito quaſi demonſtrat. Nam nos edocti ſumus à Poëtis, *ſinus* poni pro ipſis veſtibus, ut pars ſæpe pro toto. Ovidius Epiſt. XIII. 36.

Indue regales, Laodamia, ſinus.

Ignibus insolitis, & in aethera fulmina mittit:
Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis,
Umbrarum facies diro stridore minantur.
Fax stellis comitata novis incendia ducit;
Sanguineoque repens descendit Jupiter imbre.

Haec

Propert. lib. 1. eleg. 2.

Quid juvat ornato procedere, vita, capillo
Et tenues Coa veste movere sinus?

Seneca Oedip. vers. 422.

Inde tam molles placuere cultus,
Et sinus laxi, fluidumque Syrma.

Hippol. vers. 390.

Brevis expeditos zona constringat sinus.

Valerius Flaccus lib. 1. vers. 103.

——— *Aut tereti crinem subnectitur auro,*
Sidereos diffusa sinus.

Sed jam fastidiosus Philosophus nasum subducet ad tantam exemplorum farraginem, quæ tamen facile accumulari aliis posset, &, me hæc chartis illinere, ut occasione ea, quæ lectione continua in adversaria conjeceram, promendi utar, jactabit; quo jejuno dicto Eruditissimi Brouckhusii Commentarios infamare conatus est lexicorum unicus exscriptor. Objiciet etiam à se prolatum illud Ovidii ex Thesauro Stephanij, qui in Epistola quinta Oenones pro *præcordiis* sumi notavit. Quod tamen nescio an procedat: nam *attoniti micare sinus* possunt dici, ubi cordis palpitatio & tremor ita magnus sit, ut ipsi vestium sinus moveantur, & inde colligatur horror ille, qui quatit corpus. Quod si quis tamen præfracte ipsam pectoris partem ibi intelligi velit, per me licet, ne tamen ipsa viscera *sinus* dici inde contendat, & Albinovani locum contra Poëtæ mentem interpretetur. Hæc justus dolor, quo lacerari meritissimorum Virorum manes ab imi subsellii Gallulo indignamur, expressit, neque humaniorum artium cultores, quorum plurimi jam procaciam istam vix tolerandam mecum censent, in malam accepturos partem confido. Cæterum flammam & ignem *vorare*, *edere*, & similiter, passim à Poëtis dici, ad dictum Albinovani locum ostendit Heinsius, & nos in dissertationis de Jove Fulgeratore cap. VI. ita & Statius lib. VI. Theb. 109.

Non grassante Noto citius nocturna peredit
Flamma nemus.

Ubi nollem, Barthio ineptam hanc visam scripturam, quæ lentitudinem quamdam contra impetum & celeritatem rei ingerit, cum contra celeritatem flammæ notet, quæ penitus consumsit & abolevit silvam. Horatius III. od. 75.

Nec peredit
Impositam celer ignis Ætnam.

Vide Heinsium ad Ovidii I. Amor. eleg. ult. vers. 41. BURM.

Inter tumulos] Vet. *cumulos*. Pith. PATISSON. COLLADON. Lactant. lib. 2. cap. 2. *Vulgus æstimat mortuorum animas circa tumulos, & corporum suorum reliquias oberrare.* Sed eadem inter ostenta numerat Ovid. 2. Fast. WOUWEREN.

Ossa carentia] Alii, *arentia*. Pith. PATISSON. Gronovius mallet *ossa calentia*, id est, recens cremata, recentia ab rogo. Quia circa illa potissimum oberrare animas hominum credidit superstitio veterum, ut Plato in Phædone. Unde & Statius Epicedio Glauciæ:

Plorantemque animam supra sua funera vidi.

neque ab hac conjectura abhorret Amplissimus Cuperus: adducto loco Euripid. Orest. vers. 422.

Ἕκτον τόδ' ἦμαρ, ἔτι πυρὰ θερμὴ τάφου.
Sextus hic dies est, rogus adhuc calet sepulcri.

sed & vulgata nititur superstitione simili, qua credebant, umbras circumvolare insepulta cadavera. vide Barth. ad Stat. lib. V. Theb. vers. 163. & XII. Theb. vers. 150. & 159.

Stridore] Proprie de umbris. vide quæ plena manu de iis tradit Brouckhusius ad Tibull. lib. 1. eleg. 2. vers. 47.

Stellis comitata] Lege, *crinita*. DELBEN. COLLADON.

Incendia ducit] Simile prodigium apud Claudian. bell. Get. vers. 242.

- - - *passimque crematas*
Perbacchata domos nullis incendia caussis,
Et numquam cœlo spectatum impune cometen.

ubi Barthius Petronium nostrum adducit.

Recens Jupiter imbre] Alii, *igne*, TORNÆS. Ἰσως, *ruens*. COLLAD. Hunc versum Claudianus expressit, *Sanguineo rubuisse Jovem*, ex Ovid. lib. 15. & Hesiodo in Clypeo Herculis, Barth. ad Claudian. libr. 1. in Eutr. vers. 5. II. in Eutr. vers. 41. & bell. Getic. vers. 379. *Jupiter* pro aëre. ERHARD. Ingeniose in suis ad Ovid. Notis lib. XII. Metam. vers. 61. veterem nostro restituit lectionem N. Heinsius *repens*. Sic *repens fulminis ictus* Lucr. lib. V. *repens hostium adventus*, Cicer. lib. III. Tusc. Quæst. & *repens belli Gallici fama*. Liv. lib. VI. BOSCH. Heins. ad Ovid. XII. Metam. 61. mallet *repens*. Amplissimus autem Cuperus lib. 1. Observ. cap. 2. *rubens*. Ita enim Claudianus lib. 1. in Eutrop. vers. 4.

——— *Nimboque minacem*
Sanguineo rubuisse Jovem. ———

Et Livius lib. XXV. cap. 7. *Sol rubere solito magis sanguineoque similis. Jovem* autem pro aëre poni, passim ob-

Haec oſtenta brevi ſolvit Deus. Exſuit omnes
Quippe moras Caeſar, vindictaeque actus amore
Gallica projecit, civilia ſuſtulit arma.
Alpibus aëriis, ubi Grajo nomine pulſo
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer, hunc nive dura

Clau-

obſervarunt viri docti. vide Barth. ad Stat. libr. 11. Theb. verſ. 154. de *deſcenſu* Jovis, nos egimus abunde in diſſertatione de Jove fulguratore.

Haec oſtenta] Quidam *promiſſa*. COLLADON. *Oſtenſa* Tragurienſis. *Solvere* autem hic eſt oſtendere, quid portendant; ne enim diutius in iis explicandis haereant anxii mortales, ſequitur ſtatim civile bellum à Cæſare coeptum.

Quippe moras Caeſar] Incredibilem Cæſaris celeritatem quis non ex hiſtoria comperit? Lucanus in 3. Pharſal.

Agmine nubiferam rapto ſuperevolat Alpem, &c.

Cicero ad Attic. *Ruit hoc τέρας*. Et, *Ego ſcio quem metuam, & quamobrem*. Et, *Arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus*, &c. BRASSICAN.

Alpibus aëriis] Haec omnia petenda ſunt ex Appiani 2. & ipſo Cæſare libr. 3. de Bello Civili. Qui Lucanum adjicit, is totam hiſtoriae πραγματείαν feliciter intelliget. Satis eſt digitum ad fontes intendiſſe, & quaſi de ſuo lumine lumen accendiſſe, viamque comiter monſtraſſe. Virgil. in 6. Aeneid. verſ. 830.

—— Quantas acies ſtragemque ciebunt
Aggeribus ſocer Alpinis, atque arce Monaci
Deſcendens gener adverſis inſtructus Eois.

BRASSICAN. Legendum & diſtinguendum:

Alpibus aëreis (ubi Grajo nomine pulſa
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri)
Eſt locus. —— COLLADON.

Grajarum Alpium etiam meminere Ptolemaeus, Plinius, Tacitus, Antoninus in Itinerar. Ammianus, & alii. Sunt vero eae Alpes, quas hodie *Montem S. Bernardi minorem* nominant, à coenobiolo in ſummo vertice D. Bernardo ſacro. Aegid. Tſchudus in Deſcript. Rhetiae, Johan. Stumpſius in Chronic. Helvetior. Leander Albertus in Deſcript. Italiae, Joſ. Simlerus Comment. de Alpib. p. 92. b. Barth. in Claud. bell. Getic. verſ. 322. ERHARD.

Grajo nomine pulſa] Alii, *nomine pulſo*. TORNAES. Forte, *pulſa*. SAMBUC. Lege, *nomine ſurſum*. DELBEN. *Pulſa* etiam Barthius ad Claudian. Bell. Getic. verſ. 347. unde Erhardus, & eum ſecutus Gonſalius, hauſerint ſuum *vulſa*, non docuerunt nos. Sed video etiam Cluverium ita citare in Ital. antiq. lib. 1. cap. 32. qui & ingentem hic Petronium errorem commiſiſſe autumat, quod confuderit tranſitum Grajarum Alpium cum Maritimarum. *Pulſas Alpes* poni poſſe pro dejectis arbitratur Ampl. Cuperus. Ita Propert. lib. III. eleg. 1.

Nam quis equo pulſas abiegno noſceret arces?

Et eo pertinere notat Ciceronis locum III. Catilin. *Cum & ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuae veterum hominum dejectae*. Inclinat tamen in *vulſae*: editio Genevenſis, neſcio à quo an. 1629. procurata, in margine notat:

—— Ubi Grajo nomine ſurſum
Eſcendunt.

Eſcendunt quoque habet Cluverius dicto loco; ſed contra mentem auctoris. Si enim ſurgerent, nec ſe paterentur adiri Alpes, quo pacto trajeciſſet Cæſar? Oportet ergo, hic juga fuiſſe depreſſiora. Sane omnes editiones veteres & Tragurienſis codex habent:

—— Ubi Grajo nomine pulſo
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri.

quod rectum puto. Sed nondum ſatisfacit mihi illud *pulſae, pulſo*, vel *vulſae*, & corruptam vocem exiſtimo. Forte *celſae* vel *pronae*, vel ſimilis vox à librario loco mota fuit. BURM.

Eſt locus Herculeis aris ſacer] Idem affirmant Aem. Probus, ſive Corn. Nepos in Annibal. Ammianus, Silius Italicus, alii. *Alpes Penninas* eſſe contendit Gaud. Merula, ſic dictas ab Hercule Pennino in ſummo verticis conſecrato, Antiquit. Gall. Ciſalp. lib. 3. cap. 5. 9. & 10. & lib. ſect. 2. cap. 11. Quem refutat Simlerus. nam, etſi Livius *Pennini Dei* meminerit, non tamen inde evincitur, eum *Herculem Penninum* appellari. Et, quod ipſe Merula non diffitetur, diverſae ſunt *Alpes Penninae* atque *Grajae*. & bono ſpatio diſſitae, contra exiſtimavit Reimund. Martianus, & eum ſecuti Cuſpinianus atque Jovius. Nam *Penninae Alpes* ſunt, quas mediae aetatis ſcriptores vocant, *Montem Jovis*, vulgus Helvetiorum *S. Bernhardi majorem*, qui idolum Jovis, quem puto Penninum veteribus dictum, in ſummo vertice deſtruxit atque dejecit. At *Grajae Alpes* ſunt *Mons Bernhardi minor*, ut modo dictum, quibus à nonnullis annumeratur *Mons Cales*, ſeu *Cinſius*, è mediae aetatis ſcriptoribus dictus. ERHARD.

Herculeis] Hoc Livius inter fabulas refert. quibuſdam tamen non prorſus vana & inanis narratio videtur, quando Herculis tranſitus multa veſtigia indicantur, *Herculis Monaci portus*, & harum Alpium nomen. & *Lepontii* ita dicti creduntur, quod ab Hercule

Claudit hyems, canoque ad ſidera vertice tollit,
Coelum illinc cecidiſſe putes; non ſolis aduſti
Manſueſcunt radii, non verni temporis aura:
Sed glacie concreta rigens, hyemiſque pruinis,
Totum ferre poteſt humeris minitantibus orbem.
Haec ubi calcavit Caeſar juga milite laeto,
Oravitque locum, ſummo de vertice montis
Heſperiae campos late proſpexit, &, ambas
Intentans cum voce manus ad ſidera, dixit:
[a] *Jupiter omnipotens, &, tu Saturnia Tellus,*

a CÆSAR.

Armis

eo loco relicti fuerint. Simler. Comment. de Alpib. ERHARD.

Claudit hyems] Id eſt, frigore & gelu adſtringit, ut contra calor *aperire*, *patefacere*, & *laxare* dicitur. Senec. Herc. Furent. 8.

Hinc qua tepenti vere laxatur dies.

ubi vide notas Gronovii. Ovidius 11. Epiſt. Heroid. verſ. 123.

Sive die laxatur humus, ſeu frigida lucent
Sidera.

ubi Heinſius in curis ſecundis pluribus illam locutionem illuſtrat. Stat. lib. IV. Sylv. IV. verſ. 13.

Jam Terras volucremque polum fuga veris aquoſi
Laxat.

ubi male Behotius lib. 1. Apoph. 1. *laſſat* reſcribi jubet. Joſeph. Iſcanius lib. v. Bell. Troj. verſ. 400.

——— *Vix flore ſolum laxaverat æſtas*
Tertia. ———

utrumque Virgilius lib. 11. Georg. 317.

Rura gelu tum claudit hyems. - - -

Et mox verſ. 330.

- - - *Zephyrique tepentibus auris*
Laxant arva ſinus. - - -

ubi vide quæ viri docti adnotarunt & præcipue Cerda. *Nix* autem *dura* eſt concreta, ſive in glaciem durata. *Duratas ſolo nives* dixit Horatius lib. III. od. 24. ſed ohe! jam ſatis eſt. Goralli ferulam & ſcuticam metuo, ſi in re nota plura conſtipem. BURM.

Cannoque] Lege, *canoque*. AURAT.

Cœlum illinc cecidiſſe putes] Hæc includenda ſunt parentheſi. COLLADON. Pulchre & vere Gronovius Obſervationum lib. III. cap. 11. *cælum illic ſedisſe putes*. Vide quæ à nobis dicta ſunt ſupra ad verſum 3ci. hujus poematis. HEINS.

Non ſolis adulti] Alii *aduſti*. Pith. PATISSON. Ἰσως, *aduſtus*, locus ſcilicet. COLLADON. Alii *aduſti*. male. *Sol adultus* eſt meridies, quo radii Solis non habent, quo magis adoleſcant. Sidon. lib. 4. ep. 8. *Jam Sol adultus roſcidæ noctis humorem radio creſcente ſorbuerat*. Savaro in Not. Seneca Herc. Oetæo verſ. 1288.

- - - *Vicitque faces*
Solis adulti glaciale jubar.

ita ibi legendum eſt. Zinzerling. Miſcellor. Critic. lib. 2. cap. 17. ERHARD.

Manſueſcit radius] Alii, *manſueſcunt radii*. PATISSON. Quidam legunt *manſueſcit radius*. COLLADON. Primæ editiones & Sarisberienſis codex *non ſolis aduſti manſueſcunt radii*, quod ſecuti ſumus.

Glacie concreta rigens] Ἰσως, *concreta algens*. COLLADON. Hieronymum Alexandrum legere, *ſed glacies concreta riget*, notavit Ampl. Cuperus.

Totum ferre poteſt] Locus mendoſus videtur. SAMBUC.

Humeris minitantibus] Id eſt, trepidantibus. COLLADON.

Optavitque locum] Alii, *oravitque*. alii, *intravitque*. PATISSON. SAMBUC. Ἰσως, *luſtravitque*. COLLADON.

Heſperiæ campos latæ] Lege, *late*. STEPHAN. AURAT. COLLADON.

Intentans cum voce manus] Ariſtoteles in lib. de Mundo; καὶ γὰρ πάντες οἱ ἄνοι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐχὰς ποιούμενοι. *Omnes certe deprecaturi ad coelum manus tollimus*. Nam Deo ſummum locum tribuimus. Unde toties eſt apud Homerum: Iliad. O. verſ. 371.

Εὐχετο γὰρ χεῖρε ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα.

Virgil. lib. x. verſ. 667.

Et duplices cum voce manus ad ſidera tendens.

Cicero lib. 7. Epiſtolar. famil. ad Cæſarem: *Suſtulimus manus*. Meminit & Tertullian. in Apologetico, cap. 23. BRASSICAN. Deos orantium vetus mos eſt, manus ſupinas, ut loquuntur Virgilius, Horatius, cœlo attollere. Barthius in Ceir. Virg. num. 403. id quod flagrantis animi indicium eſt. David Pſalm. 63. verſ. 5. *Sic benedicam te in vita mea, & in nomine tuo levabo manus meas*. Bucerus in Annotation. in Pſalm. ERHARD.

Saturnia tellus] Hemiſtichium Ennianum apud Var-

Armis laeta meis, olimque onerata triumphis,
Teſtor ad has acies invitum arceſſere Martem,
Invitas me ferre manus, ſed vulnere cogor,
Pulſus ab urbe mea, dum Rhenum ſanguine tingo,
Dum Gallos iterum Capitolia noſtra petentes
Alpibus excludo: vincendo certior exſul:
Sanguine Germano, ſexagintaque triumphis,
Eſſe nocens coepi. quamquam quos gloria terret?
Aut qui ſunt, qui bella vident? mercedibus emtae,

Ac

Varronem, id eſt, Italia. ERHARD.

Laeta meis] Adſcripſerat aliquis oræ codicis ſui *Fœta*, ut Virgil. II. Æneid.

- - - *Scandit fatalis machina muros*
Fœta armis.

Triumphos autem hic poni pro victoriis, recte adnotavit Ampl. Cuperus: ter enim tantum triumphavit Cæſar. Valer. Flacc. lib. III. Arg. verſ. 291.

- - - *Taleſne acies, taleſne triumphos*
Sorte dabant.

Onerata triumphis] Ornata, honeſtata, ut apud Plautum. ERHARD.

Teſtor ad has acies] Lege, *ad has arces*. Maſſiliam ſignificat, & ſubjecta Inſubriæ oppida. id poſtea etiam clarum fit;

Dum Cæſar tumidas iratus deprimit arces.

Palmerius in Spicileg. ERHARD. Scilicet vos. ut Virg. II. Æneid. verſ. 431.

Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Teſtor.

ubi Servius, *deeſt vos*. Græce una quoque voce μαρτύρομαι. Lucian. in Timon. vide Salmaſ. ad Jus Attic. & Rom. pag. 808. CUPERUS.

Arceſſere] Alii, *accerſere*. Pith. PATISSON. Egimus de hac voce ſupra ad cap. XXXVII. eſt hic quærere bellum, & cauſſam eſſe belli, quod facile evitari potuiſſet. Virgil. X. Æn. verſ. 11.

Adveniet juſtum pugnæ, (ne arceſſite) tempus.

Ferre manus] Etiam Virgiliana imitatio, qui lib. V. Æneid. verſ. 402.

- - - *Quibus acer Eryx in prælia ſuetus*
Ferre manum.

ubi Servius, *contendere, & manum pro manus, nam utraque manus armatur*. Ita tranſpoſitis verbis locus Alle ſcribendus. frequentius eſt *conſerre manus*. Barth. lib. XXIII. 24. *manus* interpetratur vim, ut poſtea, *Et tentate manus*. BURM.

Dum Rhenum] Lege, *dum*. AURAT. Scribe, *Renum*, ſine *h*, ut eſt in V. C. DANIEL.

Sanguine vinco] Lege, *pingo*. Palmer. vel, *tingo*, Jungermann. itaque habent quidam libri veteres. Infra;

Theſſalicos ſinus humano ſanguine tinge. ERH. *Vinco* eſt in antiquis editionibus & Tragurienſi, ſed recte repoſitum *tingo*.

- - - *Sexagintaque triumphis.*]

Ex fide hiſtorica lego *quinquaginta*. Ratio patet apud Solinum cap. 6. qui prælia Cæſaris narrando, quinquaginta prælia viciſſe, bis ſiniſtra manu præliaſſe, aſſerit. Minus recte Plinius lib. 7. cap. 25. qui emendationem accipiet à Solino. Itaque Cicero Cæſar. I. dum laudat Cæſarem, dixit *numerum præliorum ἀυξητικῶς*, ut hoc loco, ſi retineatur vetus lectio. BOURDEL.

Eſſe nocens coepi] Id eſt, reus peragi. ERHARD.

Quos gloria terret, Aut] Lege *terret? Aut*. COLLADON.

Bella vident] Lege, *timent*. DELBEN. COLLADON. In aliis *vident*. Lege, *jubent*. Bella jubebat populus Romanus centuriatis comitiis coactus, quem hic Cæſar invidioſe ex operis mercenariis collectam multitudinem vocat. Guliel. Plaut. quæſt. in Moſtell. cap. 4. ERHARD. Alii, *vident*, minus recte. Unus ex ſcriptis, *jubent*; quomodo legendum eſſe dudum monuit J. Gulielmius, Quæſt. in Plaut. Moſtell. cap. IV. Eſt hoc comitiale verbum, ut indicat formula, qua rogabant; VELITIS. JUBEATIS. QUIRITES. BOSCH. *Qui bella jubent* Ianus Gulielmius. Sed contrarium Arbiter volebat. invectus hic ore Cæſaris in illos, qui arma deponi à Cæſare volebant. Scribendum igitur cum Gronovio lib. III. Obſerv. cap. II. *vetant*, ubi etiam erudite docet, operas & viliſſimam plebis partem mercede conduci ſolere per potentes & factioſos in republica homines, & hanc colluviem falſum Populi Romani nomen geſſiſſe. Idem præclare illic illuſtrat, quid voluerit Petronius per illa, *quorum eſt mea Roma noverca*. Hoc eſt, qui nec moribus, nec fortunis, ſunt veri cives, digna omnia, quæ videantur apud ipſum. Pro *mercedibus emtæ*, poſſis, *mercede redemtæ*, ſed nil necelle. *Mercedum pactiones* Ciceroni in paradoxis. HEINS. Omnes editi etiam & ſcripti *vident*. *Vetant* Gronovii longius à ſcriptis abit. *Jubent* Guilielmi præferrem: cum, quia potuit reſpicere ad decretum, quo hoſtis fuit judicatus, & quo juberentur Conſules videre, ne quid detrimenti reſpublica caperet, de quo

Ac viles operae: quorum eſt mea Roma noverca,
Ut reor, haud impune; nec hanc ſine vindice dextram
Vinciet ignavus. victores ite furentes,
Ite mei comites, & cauſſam dicite ferro.
Namque omnes unum crimen vocat. omnibus una
Impendet clades. reddenda eſt gratia vobis:
Non ſolus vici. quare, quia poena tropaeis
Imminet, & ſordes meruit victoria noſtra,
Judice Fortuna cadat alea. ſumite bellum,
Et tentate manus. certe mea cauſſa peracta eſt.
Inter tot fortes armatus neſcio vinci.
Haec ubi perſonuit, de coelo Delphicus ales

Omina

Senatuſconſulto graviter queritur initio libri 1. de Bell. Civili, tum, quia facillimus lapſus in duobus his verbis, quæ & alias confuſa à librariis. Ita apud Virgil. lib. 1. Æneid. 577. & 1v. 546. pro *jubebo* codices alii, quos contulit Heinſius, *videbo* vitioſe exhibent. Sed *viles operas* egregie explicat Gronovius, quas *campeſtres operas* vocat Sueton. in Aug. cap. 3. BURM.

Mercedibus emtæ] Livius Decad. 3. lib. 10. *Homines miſtæ ex colluvione, quos non fides teneret, ſed merces.* Et Decad. 1. lib. 1. *Apud vagos merces valuit.* Lucanus lib. x. verſ. 408.

Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur,
Venaleſque manus. ibi fas, ubi maxima merces.

Diſcant tandem vagi illi Cares, ut ne quid aliud dicam, adagium, quod interpres Thucydidis lib. ζ. citat; πιπράσκει δ' ὁ καλὸς πάντα πρὸς ἀργύριον. BRASSICAN.

Viles opere] Lege, *operæ*. AURAT.

Quorum eſt mea Roma noverca] Sic Vellejus Paterculus in princip. Hiſtor. ERHARD. Dictum Scipionis etiam habet Valer. Maxim. lib. v1. cap. 11. §. 3.

Et reor] *At reor*, HEINS.

Vinciet] Alii, *incidet*. PATISSON.

Ferentes] Alii, *frequentes*. PATISSON. TORNÆS. Ἰοῶς, *frequentes*, vel *nocentes*, vel *ſequentes*. COLLADON. Lege *furentes*. ipſe poſtea,

Mitis turba Deum terras exoſa furentes.

Id eſt, impetum bellicum facientes, & armatas impetu ferri ad pugnam. BOURDELOT. Prima editio, & Sambuci, *ferentes*. Tragur. *Furentes*. eadem varietas eſt apud Statium lib. v1. Theb. 776. & 1x. verſ. 5. præſtat tamen *furentes*, quia dolore accenſos ſtimulat, ut ferro rem agant. *Furere* enim proprium militibus. v. Heinſ. ad Val. Flacc. lib. 1. verſ. 144. & alibi. Ita *furor* & *inſania* de Martis opere. v. Barth. ad Stat. lib. 111. Theb. verſ. 669. & libr. 1x. verſ. 5. BURM.

Comitis] Alii, *comites*. TORNÆS. Deleatur ſtigma aſteriſci. Pith. PATISSON.

Cauſam diſcite ferro] Lege, *dicite*. STEPHAN. AURAT. Quo pacto & ſupra dixit; *gladio jus dicturum ignaviæ ſuæ*. ERHARD.

Reddenda eſt gratia vobis] Lege *votis*. Votis jam & exſecrationibus inimicorum Cæſariani perierant. Hanc tam impenſam voluntatem negat Cæſar, quin remuneretur. Sic mox; *Votis interficit hoſtem*. Palmer. in Spicileg. Sed *vobis* evincunt ea, quæ ſequuntur: & ipſe Cæſar ait; *Non ſolus vici*. ERHARD. Heinſius quoque mallet, *reddenda eſt gratia vobis*.

Et ſordes meruit victoria noſtra] Alludit ſordes reorum, dum in judicio præſentes accuſantur: de quibus vide quæ ſupra diximus. ERHARD.

Judice ſortuna cadat alea] Jacta forte alea. AURAT. Lucanus, *Cadat alea fati*. BRASSICAN. Idem Cæſar apud Suetonium cap. 31. *Eatur, inquit, quo Deorum oſtenta & inimicorum iniquitas vocat. jacta eſt alea, inquit*. ERHARD.

Sumite bellum] Id eſt, ſuſcipite. Flor. lib. 1v. cap. 12. *Hoc velut ſacramento bellum ſumſerant*. Suet. in Cæſ. cap. 60. *Prælia non tantum ex deſtinato, ſed ex occaſione, ſumebat*. Salluſtius in Jug. cap. 20. *Prius omnia pati decreverat, quam bellum ſumere*. Lucan. lib. 1x. verſ. 200.

Juvit ſumta ducem, juvit dimiſſa poteſtas.

Supra cap. 89. infra verſ. 283. Ita *ſumere impetum* Flor. lib. 1v. cap. 12. *ſumere pacem* Propertius lib. 11. eleg. 1. CUPERUS.

Et tentate manus] Ἰοῶς, *Intentate*. COLLADON. Supra cap. 89. *Tentant in armis ſe duces.*

Peracta] Propria vox in judiciis, vide Heinſ. ad Ovid. xv1. Epiſt. Heroid. verſ. 324. Budæum ad l. x111. ff. de publ. judic.

Delphicus ales] Aquila. GLOSSÆ. SAMBUC. Aquila. ſed cur *Delphicus*? an, quia in Apollinis tutela? Atqui Jovis avem eſſe, in ejuſque tutela auctores rerum

Omina laeta dedit, pepulitque meatibus auras.
Nec non horrendi nemoris de parte ſiniſtra
Inſolitae voces flamma ſonuere ſequenti.
Ipſe nitor Phoebi vulgato latior orbe
Crevit, & aurato praecinxit fulgure vultus.
CXXIII. *Fortior ominibus movit Mavortia ſigna*
Caeſar; & inſolito greſſus prior occupat auſu.
Prima quidem glacies, & cana vincta pruina
Non pugnavit humus, mitique horrore quievit:

Sed,

rum memorant. vide Iſidor. Etymolog. lib. 17. cap. 3. ERHARD. Delphicus ales eſt corvus, qui & *ales Phoebeius* Naſoni dictus, ut recte Gronovius interpretatur adverſus illos, qui Aquilam accipiunt, aut accipitrem. Is adeatur Obſervationum libr. III. cap. 11. in Manilii verſibus lib. I. Aſtronon. 780. malim corrigi:

Et commilitio volucris Corvinus adeptus
Et ſpolia & nomen, quod geſſit ab alite Phoebi.

nunc circumfertur, *quod geſtat in alite Phoebum.* HEINS.

Omnia laeta] Lege, *omina.* STEPHAN. AURAT. COLLADON. Conjectura ducti ſcripſimus *omina.* vulge, *omnia.* mox *Fortior ominibus.* SAMBUC.

E montibus auras] Alii, *meatibus.* TORNÆS. Alii, *e montibus.* PATISSON. BRASSIC. Vet. Cod. *meatibus.* vulgo, *montibus.* SAMBUC. Fe. *meatibus*, id eſt, volatu ſuo. COLLAD. Recte emendatum. Apulej. XI. Metam. *Volucres coelo meantes.* vide ſupra ad cap. V.

Auras] Lege, *iras.* STEPHAN.

De parte ſiniſtra] Ennius,

Cum tonuit laevum bene tempeſtate ſerena.

Cicero lib. 2. de Divinat. Eſt apud Homerum & Virgilium. BRASSICAN. Quæ erat felix, ut & *laeva.* Meurſius Animadverſ. Miſcell. lib. 3. cap. 18. De hoc omine ex volucris volatu Barth. ad Claudian. I. in Eutr. verſ. 125. ERHARD.

Inſolita voces] Quidam legunt *inſolitae.* COLLAD.

Flamma ſonuere ſequenti] Quia vet. cod. habet, *Inſolita flamma*, videtur legendum, *ſequentes*, ſcilicet *voces.* BRASSICAN. Vet. cod. *frequenti.* vulgo, *ſequenti.* SAMBUC. & DELBEN. Ἰσως, *luna ſonuere.* COLLADON.

Latior] Alii, *latior.* PATISSON. *Latior* primæ editiones & Tragurienſis. *latior* tamen malim. Nam ominoſum foret & monſtro ſimile, ſi contra naturam orbis Solis ipſe creſceret. Sed, ut recte Senec. Epiſtol. XCII. oſtendit lucem ſolis integram & eamdem eſſe, quamvis aliquid interjaceat, quod nos prohibeat ejus adſpectu, & licet videatur minor, cum luceat inter nubila, non tamen eſſe minorem sereno. Ita omen fauſtum erat, ſi repente diſcuſſis nubibus orbis ſe totum exſereret ſerena facie & læta: *latus* autem boni ominis propria vox. Phocas in vita Virgilii:

Ipſe puerperiis adriſit latior orbis.

Martialis lib. IX. ep. 62. licet in alia plane re:

Atque oluere lares comiſſatore Lyaeo,
Crevit & adſuſo latior umbra mero.

ut legendum ibi vult Heinſius ad Ovid. lib. I. art. Am. verſ. 650. BURM.

Fortior] Alii, *latior.* Pith. PATISSON. Vide, commentarii loco, Sueton. Cæſar. cap 59.

Inſolito greſſus] Lege, *inſoliti.* AURAT. STEPHAN. Vet. cod. *aurato.* Forte, *inſolitos.* SAMBUC. Legit hunc verſum amicus chariſſimus Matthias meus Oeveringius.

Caeſar & inſolito greſſu prior occupat hoſtis.

Hoc autem facile immutatum ex *hauſtus*, quod in multis Codd. BOSCH.

Hauſtus] Alii, *auſus.* PATISSON. Ἴσως, *auſus.* COLLADON.

Cana vincta] Alii, *cana juncta.* PATISSON. & COLLADON. Lege, *glacieque & cana vincta pruina. Vincta*, id eſt, ligata, ut mox ait, *& undarum vincula.* Putſchius. De nivibus Alpinis Claudianus in III. Conſul. Honor. verſ. 99. ubi vid. Barth. notas. ERHARD. Lege, *vincta pruina.* Sic poſtea,

Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit.

Et alibi,

——— *Vincta fluctus ſtupuere ruina.*

Et:

——— *Nimbos fregere ligatos.* BOURDEL.

Vineta corrupte Tragur. *juncta* prima & Sambuci editio. Quæ vox fere ſemper à librariis cum *vincta* eſt commutata. *Vinciri* vero proprie de gelu & frigore, quo adſtringitur aqua, dicitur. Vide quæ notavit Heinſius ad Ovid. lib. III. Triſt. eleg. 10. & ad Claudian. Epigramm. VII. ubi hæc Petronii verba adducit, & *vincta* vindicat.

Mitique quievit horore] Alii, *mitique horrore quievit.* PATISSON. COLLADON. Pro *onere*, Palmer. in Spicileg. ERHARD. Acute dictum, pro frigore

adhuc

Sed, poſtquam turmae nimbos fregere ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit,
Incaluere nives, mox flumina montibus altis
Undabant modo nata; ſed haec quoque juſſa putares:
Vinctaque mox ſtabant, fluctus ſtupuere pruina,
Et paullo ante lues jam concidenda jacebat.
Tum vero maleſida prius veſtigia luſit,
Decepitque pedes, paſſim turmaeque, virique,
Armaque congeſta ſtrue deplorata jacebant.
Ecce etiam rigido concuſſae flumine nubes
Exonerabantur, nec rupto turbine venti
Deerant, ac tumida confractum grandine coelum:

Ipſae

adhuc tolerabili. *Horrere* enim & *horror* ſæpe de frigore dicitur, appoſite Ovidius lib. II. Amor. eleg. 16.

Tum mihi, ſi premerem ventoſas horridus Alpes,
(Dummodo cum Domina) molle fuiſſet iter.

ubi vide Heinſ. & ad lib. II. art. Amat. verſ. 213. Conferenda vero hæc itineris deſcriptio cum Annibalis apud Livium lib. XXI. 36. unde neſcio an non ſit deſumpta.

Fulmina] Lege, *flumina*. AURAT. COLLAD.

Juſſa putares] Alii, *miſſa*. PATISSON. Lege, *ſpiſſa*. AURAT. STEPHAN. Hæc in exemplari corrupta deerant. BUSCH. Lege *juſſa putares*. Ἴσως, *juſta*, id eſt, legitima. Ovidius lib. III. Amor. El. 5.

Quid, ſi legitimum flueret, ſi nobile flumen.

COLLADON. Neque lectionem neque interpunctionem improbo. Hoc enim ſentit: flumina, quaſi magico aliquo carmine juſſa & coacta, ſtetiſſe. Verum in veteri codice Douza legi aſſerit,

——— *Sed haec quoque juſta putares.*

quod damnare mihi religio eſt: præſertim, cum vetus codex in editione Plantini ſequentia ita concipit,

Vinctaque mox ſtabant.

Flumina, inquit, modo nata, vera & perennia flumina videbantur: eadem tamen mox concreſcebant & conſiſtebant. *Juſta* vero *flumina* dixit Petronius, ut Ovid. in Eleg. 5. lib. 3. Amorum, ubi torrentem objurgat, *flumen legitimum*:

Quid ſi legitimum flueres, ſi nobile, flumen?

Juſtum quoque *amnem* dixit Livius in libro primo: *Sorte quadam, divinitus, ſuper ripas Tiberis effuſus lenibus ſtagnis, nec adiri uſquam ad juſti curſum poterat amnis*. RICHARD. Dicerte *juſſa* habet Tragurienſis, quod probum puto: flumina illa modo nata & undantia frigoris vi tam ſubita adſtricta ſtabant, ut putares juſſa, ac alicujus imperio non fluere. *Jubeor* autem etſi non dicimus, *juſſus* tamen eſt participium uſurpativum, ut notat Servius ad Virgil. lib. X. Æn. verſ. 444. Ovid. Epiſt. XVII. Heroid. verſ. 362.

Figitur in juſſo noſtra ſagitta loco.

Claudian. de IV. conſ. Honor. verſ. 523.

——— *Juſſum mentiri neſcius ictum.*

frequentiſſime vero *juſſus* confunditur cum *miſſus*. Ita hic prima editio & Sambuci *miſſa*. v. Heinſ. ad Ovid. lib. V. Metam. verſ. 660. BURM.

Stabant & vincta] Alii, *ſtantibus & victa*. PATISSON. Lege, *ſtabant & vincta*. AURAT. STEPHAN. COLLADON. Vetus codex, *vinctaque mox ſtabant*. SAMBUC. Lege, *ſtabant & victa*. BRASSICAN. Corruptus verſus. Prima editio *ſtabat victa fluctus ſtupuere pruina*. Tragurienſis relicta lacuna:

Stabat. . . . . juncta fluctus ſtupuere pruina.

Præterea offendit illuc *vincta pruina*, quod modo præceſſit, quare ex eo verſu interpolatum videtur.

Et paulo ante lues] Ἴσως, *Qua paulo ante fluens*: pruina ſcilicet. COLLADON. *Lues* eſt ſoluta aqua, ut, cum nives in tabem aquamque liquatæ ſunt. Ait enim, aquas, quæ ante labebantur ſolutæ, repente in pruinam concreviſſe & glaciem, ut ferro earum rigor frangendus eſſet. Turneb. Adverſar. lib. 4. cap. 19. Livius vocat *fluentem labem liqueſcentis nivis*, itemque *tabidam nivem*. ERHARD.

Tum vero maleſida prius veſtigia luſit) Pruina prius maleſida, quod erat liquefacta, & male ſuſtinebat veſtigia. COLLADON. Vide Barth. ad Claud. de rapt. Proſerp. lib. I. verſ. 166. Florus ſæpius Poëtice, quam humane, loquens lib. III. cap. IV. *Perfidum glacie flumen equitatur*. ubi v. Freinsh.

Paſſim] Alii, *pariter*. PATISSON. COLLAD. *partem*, Tragur.

Conjecta ſtrue] Lege, *congeſta*. AURAT.

Nec rupto turbine] Lege, *nec rupti*. Pith. PATISSON. Ἴσως, *nec rapti*. COLLADON. Lege *rupto*, pro, *erupta*. ut Virgil.

——— *Ceu rupto turbine venti.*

Palmer. in Spicileg. ERHARD.

Confractum grandine cœlum] Lege, *conſarctum*: pro-

Ipsae jam nubes ruptae super arma cadebant,
Et concreta gelu Ponti velut unda ruebat.
Victa erat ingenti Tellus nive, victaque coeli
Sidera, victa suis haerentia flumina ripis;
Nondum Caesar erat: sed magnam nixus in hastam
Horrida securis frangebat gressibus arva.
Qualis Caucasea decurrens arduus arce
Amphitryoniades, aut torvo Jupiter ore,
Quum se verticibus magni demisit Olympi,
Et perituroruм dejecit tela Gigantum.
Dum Caesar tumidas iratus deprimit arces,
Interea volucer, motis conterrita pennis,

Fama

propter illud, *tumida*. nam alterum alteri aptum. Palmer. cui non possum adsentiri. ERHARD.

Nubes ruptae] Eodem modo Germani talem nimborum tempestatem dicimus *Wolckenbruch*. ERH.

Unda ruebat] Alii, *umbra*. Pith. PATISSON. Lege, *concreta gelu putri velut unda ruebat*, & accipe de aqua nicta caduciter ruente, quae & *ruina* Varroni. Auct. Popma Collectan. ad Varron. vel lege, *Ponti velut unda ruebant*, scilicet nubes. Atqui mare propter motum perpetuum non concrescit, maxime Ponticum. Sed philosophatur, opinor. & Oceanum Septemtrionalem respicit, mareque Islandicum, ex cujus litoribus glacies vento pulsae ruere in eum locum scribuntur, qui dicitur *Mare glaciale*, si quidem fieri potuit, ut de hac re aliquid Petronio innotuerit. ERHARD.

Victa erat ingenti] Ἰσως, *Vincta*. & mox, *Vinctaque caeli* Iterum, *vincta suis*. COLLADON.

Nondum Caesar erat] Vinctus scilicet. dixerat supra;

——— *Nec hanc sine vindice dextram*
Vinciet ignavus. ———

COLLADON. & ERHARD.

Sed magnam nixus in hastam] Lege, *magnum nixus in hastam*, adverbialiter, ut ad Caesarem ipsum referatur. Palmer. in Spicileg. *Magnam* pro longa dixit, μεγάλην, ut *magnum tempus*, pro longo. Infra cap. CXXV. *Dum hac magno tempore Crotone aguntur*. Alibi tamen ipse Petron. cap. seq.

——— *Et ingentem quatiens Mavortius hastam*. ERHARD. Stat. v. Theb. 19.

——— *Admoti nixus Polynicis in hastam*.

Qualis Caucasea decurrens arduus arce Amphitryoniades] Dum aquilam Promethei cor exedentem sagitta peremisset. *Caucasus*, mons est altissimus, asperque, & inhospitalis, Indiam a Scythia dirimens in finibus Assyriorum. hinc *Caucaseus*. Virgil. Eclog. 6.

Caucaseasque refert volucres. BUSCH.

Arduus arce] Alii, *axe*. Pith. PATISSON. Molestus, incommodus, intractabilis, ut exponit Gellius. *Ardue*, difficulter. BUSCH. De *arcis* significatu vide supra ad cap. CXVI.

Amphitryoniades] Hercules. ERHARD.

Dejecit tela gigantum] Machinamenta. BUSCH. Ita recte Gulielm. cum vulgo esset, *dejecit*. Plaut. quaest. in Mostell. cap. 4. ERHARD. Male hoc sollicitant. Primae editiones enim & Tragur. codex constanter *dejecit* exhibent. *Dejicere* proprie prosternere, & millies hac voce in re militari & venatione utuntur scriptores. v. Gebh. ad Corn. Nepot. Thrasybul. cap. 3. Gronovius malebat *bella Gigantum*: Tragur. enim *Tella*. Sed *Tela Gigantum* potuit pro ipsis Gigantibus, vel eorum armis, quae torquebant in coelum, vel ipsis montibus, quos sibi invicem imponebant, & quos Jupiter fulmine dejecit. Virgil. lib. 1. Georg. vers. 283.

Ter pater exstructos dejecit fulmine montes.

Ita enim ex Romano codice legit & probat Pierius: sed passim *dejicere* & *disjicere* confunduntur. vid. Heins. ad Ovid. lib. XII. Metam. vers. 109. BURM.

Tumidas] Alii, *timidas*. PATISSON. Haec leguntur in veteri codice MS. post illum versum,

Intremuit nubes, eliscque, &c. TORNAES.

Arces] Id est, Alpes. COLLADON.

Volucer] Alii, *volucris*. Pith. PATISSON. COLLADON. Nunc primum editum est, *volucris*, cum antea legeretur, *volucer*, quod tamen expungi non debuit. Ita enim dictum *volucer* genere foeminino, ut *acer hyems*. Ennius apud Priscianum:

Aestatem autumnus sequitur, post acer hyems sit.

quem versum laudat quoque Servius in 6. Aeneid. scribitque, veteres etiam dixisse, *alacer*, tam foeminino, quam masculino genere. RICHARD. Recte tuetur Richardus *volucer*. Nam veteres similia adjectiva utriusque generis habuisse, certum mihi est, & promiscue etiam dixisse *volucris* & *volucer*. Ita infra cap. CXXXI. *Sylvester Aedon*. vide Vossium lib. II. Analog.

Fama volat, ſummique petit juga celſa Palati,
Atque haec Romano tonitru ferit omnia ſigna.
Jam claſſes fluitare mari, totaſque per Alpes
Fervere Germano perfuſas ſanguine turmas.
Arma, cruor, caedes, incendia, totaque bella
Ante oculos volitant. ergo pulſata tumultu
Pectora, perque duas ſcinduntur territa cauſſas.

Huic

cap. 21. Ita contra *ſilveſtris ager* Columellæ præfat. lib. I. ut eſt in optimo codice MSS. *Volucris* autem Fama recte dicitur, quia alata fingitur. Ovidius Epiſt. XVII. verſ. 207.

Non ita contemno volucris præconia Famæ.

Ita Virgil. lib. III. Æneid. verſ. 121.

Fama volat. ———

Et Martial. lib. X. epigr. 3.

Quos rumor alba gemmeus velut penna.

Horat. lib. II. od. 2.

Illum aget penna metuente ſolvi
Fama ſuperſtes.

An vero caput alatum, quod in limine Theſauri Græci tom. II. conſpicitur, ſit Famæ, non dijudico. BURM.

Pennis] Antiſiod. *Pinnis*. Pith. PATISSON.

Summi Palati] Id eſt, Romani. COLLADON. montis Palatini ERHARD.

Romano attonito] Scribe, ut in vet. cod. *tonitru*. Pith. Lege, *attonito fert omina ſcæva*. AURAT. SAMBUC. Lege, *tonitru ferri omnia ſigna*. BRASSICAN. Sic melius, quam in exemplari: ſed *ſciva* melius, quam *ſigna*, id eſt, ſcæva BUSCH. Ἴσως

Atque hoc Romano tonitru ferit omnia, ſigna
Et claſſes fluitare mari. ——— COLLADON.

Omnia ſigna etiam codex Tragur. alii. Lege, *omina dira*. nam *ſigna* gloſſa eſt, ad illud *omina*. Anonym. MS. HADRIANID. Hadr. Jun. legit, *omina ſcæva*, reliquorum variantes lectiones nihili ſunt. Quid ſi pro *omnia*, ponamus *omina*? facilis eſt horum permutatio. Tunc autem ſic diſtingue:

Fert omina: ſigna
Jam & Claſſes fluitare mari.

ſigna, intelligo aquilas, legiones, milites, auxilia. Ita hæc conjungit Valer. Flacc. lib. I. extremo,

——— Nec ſola mei gravia adſore nati
Arma ratemque putet, claſſes & pontica ſigna.

ubi per *ſigna* intellige aureum vellus. CUPER. Verſus corruptiſſimus. Tragurienſis habet,

Atque hæc Romano tonitrui ferit omnia ſigna.

Prima editio:

Atque hæc Romano tonitoni ferit omnia ſigna.

Et ita Sambuc. niſi quod ille *tonito*. Ego hic nihil video, multo minus credo, Petronium ſequentibus duobus verſibus reſpexiſſe ad Virgilii tres verſus lib. X. Æneid. verſ. 10, ut Cerda volebat, Ibi enim de bellis Punicis, hic de civili, diverſis plane verbis agitur. Sola Alpium mentio utrique communis.

Fert omnia] Alii, *ferit omina*. PATISSON.

Jam claſſes, &c.] Deſunt hi duo verſus in vet. cod. MS. TORNÆS.

Fluitare] Audacius, *bellum fluitans*, dixit Statius lib. VII. Theb. verſ. 808.

Talis erat campo belli fluitantis imago.

Ubi recte *navale* explicat contra Cerdam Barthius. Et Florus lib. II. cap. II. *Marco Attilio Regulo duce jam in Aſricam navigabat bellum.*

Fervere] Media correptâ more priſcorum, qui *fervo*, *fervis*, dicebant, ut docet Quintilianus. Virgil. libr. I. Georg. verſ. 457. & Propert. lib. II. eleg. 7. CUPER.

Arma, cruor] Homerica exaggeratio, Iliad. λ. verſ. 164.

Ἐκ τ' ἀνδροκτασίης, ἐκ δ' αἵματος, ἐκ τε κυδοιμοῦ.

Et Odyſſ. λ.

Ὑσμῖναιτε, μάχαιτε, φόνοιτ', ἀνδροκτασίαιτε.

Silius Italicus in 6.

Ventum erat in pugnamque & Martem, & prælia, & hoſtem. BRASSICAN.

Totaque bella] Lege, *notaque belli*: hoc eſt, quæ bellum comitantur. Palmer. in Spicileg. aliter quam bene. *totaque bella* eſt, quod ille alter Poëta dixit,

——— Bella undique bella.

Græcis, πάντα πολεμόν. ERH. Supra cap. LXXXIX.

Bellumque totum fraude ducebat nova.

Tota bella ergo ſunt omnia, quæ bella comitari ſolent, quæ inſunt bellis, & ſe menti offerunt, cum bellorum imago ſe nobis dat. manus viri docti in codice Cl. Almelovenii *torvaque bella* conjecerat.

Tumultu] Ita eleganter vocat concertantium in animo cogitationum confuſionem. Vide Barth. ad Claudian. Mamerc. lib. I. cap. 24. & ad Stat. libr. VI. Theb. verſ. 589. *Pulſata* autem ex uſu poſterioris ævi, pro commota. vide eumdem ad Stat. lib. VIII. Theb. verſ. 249. & late de uſu hujus vocis ævo non optimo agentem ad lib. IV. Theb. verſ. 477.

Per dubias] Alii, *perque duas*. PATISSON. Lege, *perque dubias*. AURAT. Male alii, *per duas*. BUSCH. Ἴσως, *territa curas*. COLLADON. Virgilius VIII. Æn. verſ. 20.

Atque animum celerem nunc huc, nunc dividit illuc.

Quod & ipſum eſt Homericum. BRASSICAN. Le-

ge

Huic fuga per terras, illi magis unda, probatur;
Et patriae est pontus; & jam timor; est magis, arma
Qui tentata velit: fatisque jubentibus actus,
Quantum quisque timet, tantum fugit. ocior ipse
Hos inter motus populus, miserabile visu,
Quo mens icta jubet, deserta ducitur urbe.
Gaudet Roma fuga, debellatique Quirites
Rumoris sonitu moerentia tecta relinquunt.
Ille manu trepida natos tenet, ille Penates

Occul-

ge *Pectora perque duas scinduntur tertia partes.* Tertium illud sequi vellent: sed enim id per duas sententias, non easdem illas, scinditur. Quod tertium sit, quæ duæ illæ partes, commemorat; *Huic fuga per terras*, &c. Palmer. in Spicileg. sed meras affanias loquitur. ERHARD. Tornæsius: alii, *perque duas.* Ubi Dousa; sic & codex MS. Ita quidem & codex. Tragur. Quæ talia vel ideo notare juvat, quo sciamus, nos hujusmodi versus vix habere integros, & sine labe. Quales paulo ante,

Atque hæc Romano attonito fert omnia signa;

Et,

Vinctaque mox stabant, fluctus stupuere pruina.

Ubi codices MSS. Tornæsii, Dousæ, Trag.

Atque hoc (Tr. *hæc*) *Romano tonitru ferit omnia signa.*

Editio Parisiensis (H. Steph.) laudante Dousa in Præcidan. & ipse codex MS. Dousæ:

Stabant & vincta fluctus stupuere pruina

Tornæs.

Stantibus at victa fluctus stupuere pruina.

Tragur.

Stabat. . . . juncta fluctus stupuere pruina.

Et alia quæ non semper resecare vacat, sed iis hoc incumbit, qui primi lectiones mutant, ut quidem Stephan. & Tornæsius suo loco fecere, & ego in Fragmento. HADRIANID. Virgilium imitatus lib. 11. Æneid.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Gronovius mallet:

—— *Per dubias scinduntur territa curas.*

Et patria est pontus] Forte, *Et patria est timor ipsa.* AURAT. Forte, *Et patria pontus, sed jam timor: est,* SAMBUC. Quidam legunt, *Et patria est pontus jam tutior.* COLLADON. Corruptus itidem locus in quo nullus sensus, nam, qui receperunt conjecturam Colladonii, temere fecerunt. Tragur.

Et patria est pontus. & jam timor est magis arma.

Prima editio & Sambuci:

Patria est portu, & jam timor.

Forte:

Et patria est cunctis etiam timor; est magis, arma &c.

Qui tentata velit: fatisque jubentibus actus] Alii,

Qui tentare velit fatisque jubentibus uti.

PATISSON. COLLADON. TORNÆS. Lege, *actus.* AURAT. Vetus codex, *acti.* forte, *actus.* SAMBUC.

Quantum quisque, &c.] Lege,

Quantum quisque timet, tanto fugit ocyor, ipse Hos inter.

Ocyor enim præcedentia respicit. *Anonym. MS.* HADRIANID.

Tantum fugit) Unde Cicero dicebat: *Ego vero quem fugiam, habeo, quem sequar, non habeo*: lib. 8. Epist. ad Attic. Et meminit Macrob. lib. 2. Saturn. BRASSICANUS.

Mens icta] Id est, insana. COLLADON. Pro perculsa & territa, an legendum *acta jubet?* ERHARD. Supra cap. 100. *Uterque nostrum tam inexspectato ictus sono.* vide Barth. ad Stat. libr. IX. Theb. vers. 179. Amplissimus Cuperus observabat, ita Græcos absolute usurpare βεβολημένος. Apoll. Rhod. lib. 1. Argon. vers. 262. Et ἀνὴρ βεβολημένος, idem vers. 1216. & lib. 11. vers. 411.

Rumoris sonitu] Liv. lib. XXVII. cap. 45. *Famam bellum conficere, & parva momenta in spem metumque compellere animos.*

Manu trepida] Alii, *pavida.* PATISSON. Hi quatuor versus in veteri MS. sequuntur post:

—— *In prælia ducit.* TORNÆS.

Belli metus & Panica consternatio. Euripides Supplicibus ὁρᾶτε παῖδες τὸν δ' ἔχοντας ἐν χεροῖν. Iphigenia in Tauris: Τὸ βρέφος ἕλκον ἀγκάλαις. Diodorus Siculus, l. 18. νηπίους παῖδας ἐν ἀγκάλαις φερομένους. Aristoph. Thesmophor. Ἐξαρπάσας μοι τὸ παιδίον ἀπὸ τῆς τιτθίας. Virgil. lib. VII. Æn. vers. 518.

Et pavidæ matres pressere ad pectora natos.

Pacatus in Panegyrico. *Matres pensa manibus abjecerunt.* Homerus Iliad. 10. χαμαὶ δὲ οἱ ἔκπεσε κερκὶς: de Andromache utitur. Et Euripid. de Hecuba Troadibus. Virg. 9. vers. 476. *Excussi manibus radii.* Et Ovid. lib. 2. Fastor. de Lucretia. Idem lib. 12. Metamorph. *Captæque erat urbis imago.* Quintilian. lib. 8. captæ urbis expugnationem ex bono scriptore refert.

Occultat gremio, deploratumque relinquit
Limen, & absentem votis interficit hostem.
Sunt, qui conjugibus moerentia pectora jungant,
Grandaevosque patres: onerisque ignara juventus

Id,

Et Cicero lib. 4. ad Herennium. Excidium Cremonæ Tacitus lib. 19. elegantissime describit, &c. Atque hæc omnia Arbitro magnam lucem inferunt. BRASSICAN. Patissonii editio *panda*, quod nescio an operarum culpa acciderit, pro *pavida*. Similem urbis Romanæ consternationem vide apud Silium initio libri IV.

Penates] *Fenates*, lares esse, vetustas putavit, quales Æneam in Italiam advectasse Vergilius scribit: quasi penes nos natos; non autem naturæ nostræ Deos, ut quidam putant, qui proprie dicuntur *Genii*. BUSCH.

Votis interficit hostem] Vide Scalig. ad Tibulli lib. 4. eleg. 6. ERH. Sic Oedipus apud Sopoclem: v. 978.

——— Ἐγὼ δ' οὐδ' ἐνθάδε
Ἄψαυς· ἔγχους· ἔιτι μὴ ἐμῷ πόθῳ
Κατίφθιτ'· ἔτω δ' ἂν θανὼν εἴη ξ ἐμοῦ.

Nisi (inquit) *votis ipsum interfeci, nisi imprecatione mea mors illi properata sit.* Scaliger in Tibull. lib. 4. Eleg. 6. *Dousa MS.* Interpres vero Latinus editionis Colon. an. 1614. verba hæc Oedipi sic expressit: *egoque hic sum, Neque arma attigi: nisi forte desiderio mei Contabuit: nam tunc quoque à me interfectus esset.* Ad verbum sic reddo: *egoque hic sum, Neque ensem* (aut hastam) *attigi nisi forte meo desiderio Extinctus: nam sic quoque ex me mortuus esset.* Si jam in τῷ ἐμῷ πόθῳ pollessivum ἐμῷ pro primitivo ἐμοῦ accipiamus, quod Græcis & Latinis usitatum (ut *mea caussa* pro *mei caussa*, &c.) ut sensus & vera versio omnino exigunt, male intellexit locum Scaliger. Certe, si quis integrum Sophoclis Oedipum tyrannum perlegat, plane contrarium sententiæ Scaligeri deprehendet, vehementerque falsum, & tot exscriptores. Nam ibi Oedipus, ne juxta oraculum in parricidium incideret, Polybum, quem patrem putabat & Corintho fugit, ac imprudens plane in via in Lajum verum patrem incidit, & hunc, orta subito rixa, interficit; quo cognito ipse se postea præ dolore oculis privat: cumque hæc ante Thebis loqueretur, de oraculo & mortuo naturali morte Corinthi Polybo sermo erat, cujus vitæ amore solum mutarat. HADRIANID. Ita Statius II. Theb. 133.

——— *Sic excitus ira*
Ductor, in absentem consumit prælia fratrem.

Κτάνεν ἀμείνων dixit Eurip. Hippol. 44. Servius ad libr. II. Æn. vers. 104. *ergo Sinon, qui victima fuerat, &c. iure & votis & præmiis Græcorum interficitur.* Liv. lib. XXII. cap. 14. Id vocat *votis debellare. Votis agere* Cicer. II. Catil. & Justin. XXIV. 5. Hieronym. ad D. Aug. *Hæretici, quos gladio nequeunt, voto interficiunt.* CUPER. Ad hunc Petronii locum respexisse Salvianum lib. III. de gubern. Dei puto. *prima semper irarum tela maledicta sunt, &, quidquid non possumus imbecilli, optamus irati. Ac sic in omni animorum indignantium motu votis malis pro armis utimur.* Euripidis loco ab Ampl. Cupero adducto adde alterum Phæniss. vers. 772.

Ἡμᾶς δ' ἀμεῖσιν, ἤν τύχῃ, κατακτενεῖ.

non absimilis, licet de alia re, locutio Claudiani in Bell. Getic. vers. 46.

Alta nec incertis metimur flumina votis. BURM.

Sunt qui] Ἴσως aliquid deest, vel hic versus non suo loco collocatus est. COLLADON.

Lugentia pectora] vel *marentia*. BUSCH. *Pignora* conjicit Stewech. ad Arnobii lib. V. pag. 117. qui memoriæ vitio ex Halosi Trojæ citat: & certe non absimilis vero conjectura, ut jungant conjugibus filios & patres. Ita *pignora*, pro *pectora*, viri Eruditi reddiderunt Valer. Flacco lib. I. vers. 605. vide de harum vocum confusione Andr. Schotti Observ. lib. II. cap. 57. restituendam quoque *pignoris* vocem credo Manilio lib. II. vers. 600.

Idcirco nihil ex semet Natura creavit
Pectore amititiæ majus, nec rarius umquam.

ita vulgo legitur. Sed, quid est *pectus amicitiæ?* legendum *pignore amicitiæ*. BURM.

Onerisque ignara] Alii, *non gnara*. PATISSON. Lege, *Humeris ignara*. AURAT. Id est, oblita oneris, non sentiens pondus præ amore. COLLADON. Talis Æneæ pietas celebratur. Xenophon in lib. de Venation. Virgil. in lib. 2. Æneid. Ovid. lib. 13. Metamorph. vers. 624.

——— *Sacra altera patrem*
Fert humeris venerabile onus Cythereius heros.

Idem lib. I Fastor. vers. 527.

Jam pius Æneas sacra, & sacra altera patrem
Afferet.

Idem lib. 4. Fastor. vers. 37.

Hinc satus Æneas, pietas spectata per ignes,
Sacra, patremque humeris, altera sacra, tulit.

Idem Epistol. Didonis ad Æneam:

Diva parens, seniorque pater, pia sarcina nati.

Tale est nobile epigramma Græcum in Æneæ φιλοσοργίαν: lib. I. Auth. cap. 87. Ep. 2.

Ἐκ πυρὸς Ἰλιακῆ δοράτων μέσον ἥρπασεν ἥρως
Αἰνείας ὅσιον παιδὶ βάρος πατέρα.
Ἕκλαγε δ' Ἀργείοις· μὴ ψαύετε, μικρὸν ἐς Ἄρη
Κέρδος ὁ γηραλέος, τῷ δὲ φέροντι μέγα.

Latine

Id, pro quo metuit, tantum trahit; omnia ſecum
Hic vehit imprudens, praedamque in praelia ducit.
Ac, velut ex alto quum magnus inhorruit Auſter,
Et pulſas evertit aquas, non arma miniſtris,
Non regimen prodeſt: ligat alter pondera pinus,
Alter tuta ſinu tranquillaque litora quaerit:
Hic dat vela fugae, Fortunaeque omnia credit.
Quid tam parva queror? gemino cum Conſule Magnus,
Ille tremor Ponti, ſaevique repertor Hydaſpis,
Et piratarum ſcopulus: modo quem ter ovantem
Jupiter

Latine ſic Marullus:

Quum ferres medios, proles Cytherea, per hoſtes
Impoſiti collo languida membra patris.
Parcite, ait, Danai: levis eſt ſene gloria rapto,
At non erepto gloria patre levis.

Simile quiddam refert Joannes Stobæus Sermon. οζ. de Cadmo & Agave. Nec minore pietate celebres haberi debent, qui vel belli tempeſtate bonos libros efferunt, aut tineis & blattis eripiunt. Nihil addo: μὴ τις Ἀχαιὸν ἄνδρ' ἀνώγει. BRASSICAN. Explico, non par oneri magno ferendo. vel, nolens ſe onerare multis rebus auferendis, ſed illud tantum ſecum vehens, pro quo metuebat, & quod amabat maxime. Ita Claudian. Bell. Gildon. 439.

——— *Sonipes ignarus habenae.*

Id, pro quo metuit, tantum] Hæc verba ſunt parentheſi includenda. COLLADON.

Hinc vehit] Alii, *hic velut*. PATISSON. Alii, *hic vehit*. TORNÆS. COLLADON.

Et pulſas] Tragur. *Et pulſat & vertit aquas.*

Miniſtris] Ἴσως, *magiſtris*. COLLADON. Nihil mutandum, vide ſupra ad cap. 108.

Arma] Sunt inſtrumenta nautica, unde *armari* & *exarmari* naves dicuntur. vide Barth. ad Stat. lib. 11. Theb. verſ. 107. & Boſium ad Nepot. Dion. cap. 1x.

Pondera pinus] Rates, naves, quæ ex lignis pineis conficiuntur. ERHARD.

Hic vela dat] Lege *Hic dat vela*. COLLADON.

Fortunaque omnia credit] Lege, *cedit*. Pflugius. ERHARD.

Gemino cum conſule] Pompejus bis Conſul. ERHARD. Imo, Pompejus cum duobus Coſſ. Marcello & Lentulo.

Ille tremor Ponti] De Pompejo idem ſcribit Pedo Albinovanus Rer. Roman. lib. 1.

Ille, cui ternis Capitolia celſa triumphis
Sponte Deûm patuere, cui freta nulla repoſtos
Abſcondere ſinus, non tutae moenibus urbes.

Scalig. in Catalect. ERHARD.

Saevi quoque terror Hydaſpis] Alii, *ſævique repertor*. PATISSON. Lege, *repertus*, AURAT. SAMBUC. *Hydaſpes* cum *Hy* ſcribitur: fuit autem Rex Medorum, à quo fluvius Mediæ cognominatus eſt; & alius Indiæ. BUSCH. Non recte mutatum in *repertus*. COLLADON. *Repertor Hydaſpis*, vocatur Pompejus, quia fabuloſum illum fluvium exiſtimabant: qua ex opinione vulgi ſcripſit Horatius libr. 1. od. xxii. verſ. 7.

——— *Vel quae loca fabuloſus*
Lambit Hydaſpes.

Alii tamen libri, ut editio Lugdun.

——— *Saevi quoque terror Hydaſpis.*

Alii vero, ut editio Steph.

——— *Saevique repertus Hydaſpis.*

Repertus terror, qui præter opinionem ei terror exſtitit. Virgil. lib. vi. Æn. verſ. 343.

Dic, age, namque mihi fallax haud ante repertus
Hoc uno reſponſo animum deluſit Apollo.

Ennius apud Feſtum, in Navus:

Navu' repertus homo eſt, Grajo patre, Grajus homo rex.

Cæcilius, in Epiſtola, apud Priſcianum:

Nam novu' quidem deus repertus eſt Jovis.

Plautus in captivis Act. iii. ſc. iv. verſ. 36.

Tu repertus, qui Philocratem ſuperes verſiverbio.

Eleganter autem, *ſcopulus piratarum*, dictus Pompejus, ut eodem tempore tribunal L. Caſſi, *ſcopulus reorum*, Valer. Max. lib. iii. cap. 7. ex. 9. RICHARD. *Saevique repertor Hydaſpis*, Memm. Trag. & V. C. BOSCH.

Piratarum ſcopulus] Id eſt, offendiculum. Pflug. ERHARD. Scribe, *peiratarum*. Piratas (quibus nomen fecit ἡ πεῖρα, ἡ βλάβη, δόλος, καὶ τέχνη) attrivit Pompejus. Id quod ubique dicitur. Unde pulchre *ſcopulus piratarum* dicitur. Ita Caſſius *reorum ſcopulus* dictus fuit, auctore Val. Maximo lib. 3. cap. 7. Cicero lib. 3. de Oratore: *Scopulus patrimonii & vorago*. Florus lib. 4. cap 9. de Bello Parthico, *Scopulus publicae ſecuritatis Antonius*. BRASSICAN.

Ter ovantem] Vide Paſſerat. ad Propert. lib. iii. eleg. 10. pag. 471. Non ſunt autem Albinovani ſed Albini verſus, quos Scaliger ad Catalect. pag. 251. citat

Jupiter horruerat, quem fracto gurgite Pontus,
Et veneratus erat submissa Bosporus unda,
Pro pudor! Imperii deserto nomine fugit,
Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.

CXXIV. *Ergo tanta lues Divûm quoque numina vidit?*
Consensitque fugae Coeli timor. ecce per orbem
Mitis

citat, exstant apud Priscianum lib. VII. pag. 741. *Ovantem* autem hic poni pro triumphantem docuit Barth. lib. XXIII. Adversar. cap. 24.

Jupiter horruerat] Brevis rerum gestarum Pompeji Magni descriptio exstat in antiquis Inscriptionibus Romanis, & nuper etiam Basileæ cum Instrumento Veituriorum per Robertum nostrum editus est. Meminit Cicero Philippic. 13. Vellejus Paterculus lib. 2. Festus Rufus in Histor. Roman. Plinius lib. 7. epist. 27. Plutarch. in Pompejo, & Appianus lib. 2. prolixe. &c. BRASSICAN.

Fracto gurgite Pontus] Alii, *fracto in gurgite*. TORNÆS. *Pontus* proprie id mare dicitur, quod à Mæotide palude usque in Tenedum protenditur: sed, ubi primum se arctat, de Tenedo incipiens, post Helladis casum *Hellespontus* vocatur: ubi expandit, *Propontis:* ubi iterum premit, *Thracius Bosporus*: ubi iterum effundit, *Pontus Euxinus*. BUSCH. Male puto Gonsalium explicare. Solemnis enim Poëtis mos est, victarum gentium flumina & maria ita inducere, ut submissis & lenibus undis submittere se & servitutis jugum sentire videantur, *minores volvere vortices*, ut Horat. lib. II. od. 9. & fluctuum tumorem remittere. Virgil. lib. VIII. Æneid. vers. 722.

——— *Euphrates ibat jam mollior undis.*

unde in Ferculis Triumphalibus fingebantur lentius fluere, ut fracti & victi. v. Passerat. ad Propert. lib. II. eleg. 1. pag. 247. *Fracta* vero *unda* etiam alia in re dicitur, quoties impetus fluctuum vel à litore, vel vadis, rumpitur. Valer. Flacc. lib. III. vers. 36.

Spumosumque legunt fracta Scylaceion unda.

Ovid. libr. IV. Trist. vers. 280.

Frangitur unda vadis.

plura Heinsius in curis secundis ad Ovid. Epist. VII. Heroid. vers. 169. BURM.

Submissa] Locutio desumta à facto Valerii, qui fasces Populo ante concionem submisit, ut ait Florus lib. I. cap. 10. infra venefica cap. 134.

——— *Mihi pontus inertes*
Submittit fluctus.

& ita de fluviis, tamquam sensum haberent, loquuntur. vide Ammian. Marcell. libr. XVII. cap. 4. & ibi Vales. CUPERUS.

Bosphoros] Scribe *Bosporos*. Interpretatur Interpres Apollonii Rhodii Argonautic. lib. α. & lib. ζ. Sed diversâ ratione scriptor rerum Romanarum lib. 16. Corn. Tacitus libr. 12. eleganter *arctissimum divortium* vocat. BRASSICAN.

Imperii deserto nomine] Id est, imperio, eleganti circumlocutione. Ita *nomen agelli*, pro agello, apud Catonem in diris vers. 90.

Dulcia rura valete, & Lydia dulcior illis
Et casti fontes, & felix nomen agelli.

ubi, quæ Christ. Arnoldus collegit, meliore judicio possent disponi. Et, si scholiasten Euripidis sequimur, ille ita locutus in Oreste vers. 1082.

Ἀλλ' ὦ ποδώκους ὄμμ' ὁμιλίας ἐμῆς.

interpretaturus enim hæc ponit ὄνομα ὁμιλίας. Nisi Typographus erraverit, Græci tamen ita loquuntur. Ælianus lib. XIII. cap. 28. Plutarch. vita Alex. pag. 30. CUPER. Vide de hac apud Latinos locutione Barth. ad Claudian. Bell. Getic. vers. 303. Græcis quoque usitatam docuit Grotius ad Euangel. Lucæ cap. 1. vers. 49. Et eadem ratio est in καλεῖσθαι, pro εἶναι, quod passim occurrit. Cæterum Nodotius post hunc versum, alium interjicit, quem, unde ceperit, ignoro, in nulla enim editione deprehendi. Est autem talis:

Ignavaque fuga Romam famamque relinquit.

Et sequenti versiculo edidit:

Ut Fortuna levis Magni quoque terga videres,

vellem nos monuisset, unde omnia ista hauserit.

Ergo tanta lues Divûm quoque numina vidit] Post hunc versum in veteri codice MS. legitur,

Justitia & lacera, &c. TORNÆS.

Lege,

Tergo tanta lues Divi quoque numina vidit.

Tergo videre, est fugientem videre, ut apud Catullum de Achille Carm. LXIV. vers. 335.

Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.

hoc vult Petron. Deos è terris fugisse belli crudelitate territos, hoc est, tergo visos esse. Guljelm. Plaut. quæst. in Mostell. cap. 4. ERHARD. Recte, qui primi sic reposuerunt, pro quo erat, *Tergo tanta lues*. Dii de re desperantes imagines suas è templis auferunt & aufugiunt. Lamprid. Commod. *Vestigia deorum in foro visa sunt exeuntia*. Ultimæ tamen Petronii editiones emendationem hanc gustare non potuerunt. Olim sic locum integrum legebam,

Ergo tanta lues divûm quoque numina fundit,
Consensitque fugæ cœli timor?

Nec fortasse male. BOURDELOT.

Cœli timor] Pompejus COLLADON.

Furen-

Mitis turba Deûm terras exosa furentes
Deserit, atque hominum damnatum avertitur agmen.
Pax prima ante alias, niveos pulsata lacertos,
Abscondit galea victum caput, atque relicto
Orbe fugax Ditis petit implacabile regnum.
Huic comes it submissa Fides, & crine soluto
Justitia, ac moerens lacera Concordia palla.
At contra, sedes Erebi qua rupta dehiscit,
Emergit late Ditis chorus, horrida Erinnys,
Et Bellona minax, facibusque armata Megaera,
Letumque, Insidiaeque, & lurida Mortis imago.
Quas inter Furor, abruptis ceu liber habenis,
Sanguineum late tollit caput, oraque mille
Vulneribus confossa cruenta casside velat.

Haeret

Furentis] Lege, *furentes*. AURAT. COLLADON.

Damnatum avertitur agmen] Aversatur, abominatur, fugit: ad quam rationem *antevortitur* & *prævortitur* Plautus ὑστερολογίας usurpavit. ERHARD. Virgilius libr. III. Georg. 499.

Victor equus fontesque avertitur, & pede terram
Crebra ferit.

Statius VI. Theb. 192.

——— *Appositas impasta avertitur herbas.*

Pax prima ante alias, &c.] Ostendit, Pacem à Romanis abiisse: similiter Fidem, & Justitiam, & Concordiam. BUSCH. Describitur fuga Deorum. Sic Hesiodus de Justitia: Aratus de Astræa. BRASSIC.

Abscondit galea] Ἰσως, *Absconditque olea*, quid enim Paci cum galea? COLLADON. Mirarer *galeatam pacem*, nisi continuo post ad inferos eam præcipitaret: atque etiam, si Diis placet, *Justitiam & Fidem* comites daret: quas alii ad cœlum remittunt. *Anonym. MS.* HADRIANID.

Victum] Quidam libr. *vinctum*. COLLADON.

Submissa fides] Ita scribe, Pith. PATISSON. COLLADON. Tornæs. alii, *sincera Fides*. Sed codex MS. Dousæ, & edit. Frellon. *summissa*. Tragur. MS. *summa* (id est, *summissa*) *Fides & crine soluto*. HADRIANID.

Et lacera marens] Alii, *ac marens lacera*. TORNÆS.

Palla] *Palla*, muliebre vestimentum dicitur ad vestigia usque demissum. Plautus Menœchm. III. sc. 11. vers. 4. *Pallam ad phrygionem fert confecto prandio*. BUSCH.

Sedes Herebi] *Erebus*, absque aliqua aspiratione, aut diphthongo, à Græcis scribitur: & ponitur pro parte inferni, in qua, teste Servio super 6. Æneid. tantum illi morabantur, qui bene vixerant: unde ad Elysios campos non nisi purgati proficiscerentur. BUSCH. Seneca Oedip. vers. 160.

Rupere Erebi claustra profundi
Turba sororum face Tartarea, &c.

Idem vers. 572.

——— *Rumpitur cœcum chaos*
Iterque populo ditis ad superos datur.

& sequentia.

Erynis] Lege, *Erynnis*. AURAT.

Bellona minax] Virgil. lib. I. Æneid. vers. 294.

——— *Furor impius intus*
Sæva sedens super arma, & centum vinctus aheneis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Calphurnius Eclog. I.

——— *Dabit impia victas*
Post tergum Bellona manus, spoliataque telis
In sua vesanos torquebit viscera morsus.

Plinius lib. 35. cap. 10. *Apelles pinxit Belli imaginem restrictis à tergo manibus*. BRASSICAN. Virgil. Æn. lib. 8. Stat. Theb. I. Seneca de ira lib. 2. cap. 35. WOUWEREN. Hanc quoque apud Inferos sedem habere, & inde emergere, finxit Seneca Hercule Oet. vers. 1311.

Abrumpat Erebi claustra, me stricto petat
Bellona ferro.

ubi Gronovius hunc Petronii locum adducit.

Lurida Mortis imago] *Luridum* supra modum pallidum, quasi *loridum*, id est, loro percussum. Ovid, lib. II. Amor. 9.

Stulte, quid est somnus, luridæ nisi mortis imago?

BUSCH. ERHARD. Oportet negligenter Ovidium legisse, neque rationem metri meminisse, qui ita citant. *Gelidæ mortis* scripsit Ovidius, cum *luridæ* versus non admittat, quod ipse hic locus admonere debuerat.

De-

Haeret detritus laevae Mavortius umbo,
Innumerabilibus telis gravis, atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.
Sentit terra Deos, mutataque sidera pondus
Quaesivere suum: namque omnis Regia coeli
In partes diducta ruit: primumque Dione
Caesaris acta sui ducit. comes additur illi
Pallas, & ingentem quatiens Mavortius hastam.
Magnum cum Phoebo Soror & Cyllenia proles
Excipit, ac totis similis Tirynthius actis.

In-

Detritus] Longo nimirum usu. Virgil. Eclog. VI. vers. 17.

Et gravis attrita pendebat cantharus ansa.

Mavortius umbo] *Umbo*, media pars clypei. hinc *Umbilicus*, quicquid in aliqua re est medium, & ligamentum instrumentorum. BUSCH.

Flagranti stipite] Signo ardenti, lignea face, *Funckel.* Infra cap. CXXXVI. *Vexat cubitum ipsa stipite ardenti.* Balbus Catholico; *Stipes, titio vel truncus ligni.* ERHARD.

Portat] Tam bona, quam mala, *portare* nos notat Donatus ad Andr. Act. II. scen. 2. & ad Hecyr. Act. III. sc. 5. *porto* quasi aliquid magnum. Et certe plerumque de magno aliquo malo & damno hac voce usi veteres. Virgil. lib. III. Æneid. vers. 539.

Et pater Anchises bellum, o terra hospita, portas,
Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur.

lib V. Æneid. vers. 840.

——— *Tibi tristia somnia portans.*

Seneca Troad. vers. 436.

Quae visa portent, effer in medium, metus.

vide Barth. lib. II. Adversar. cap. 12. & Passerat. ad Propert. lib. I. eleg. 3. pag 156.

Sentit terra] Opinio haec, Deos pondere suo premere loca, in quae veniunt, passim apud Poëtas reperitur. Amplissimus Cuperus adscripserat, hinc illustrari Ovidium libr. I. Art. Am. vers. 560. lib. III. Metam. vers. 621. lib. IV. Met. vers. 448. lib. XV. Met. vers. 693. & lib. III. fastor. vers. 329. Homer. Il. N. vers. 18. addi possunt, quae notat Barth. ad Claudian. III. cons. Honor. vers. 107. & ad Stat. lib. IV. Theb. vers. 796. & lib. VII. vers. 65. & 745. & hinc passim tremere terra adventu Deorum à vatibus fingitur.

Mutataque sidera] Ἰσως, *mirataque.* COLLADON. Lege, *mirataque.* Absentibus Diis sidera ait insolitam levitatem coeli mirata, & onus assuetum requisisse. Gulielm. Plaut. quaest. in Mostell. cap. 4. ERH.

Quaesivere suum] Elegantissime dictum pro, desiderarunt ordinarium & legitimum pondus. Illustravit elegantem hanc locutionem immensa eruditionis copia, & quae solis aridis & jejunis Gallulis stomachum movet, Brouckhusius ad Tibull. lib. II. eleg. III. vers. 26.

In partes deducta] Quidam legunt *diducta.* COLLADON. Male prima editio & Traguriensis codex, *deducta.* vide supra ad cap. CVIII.

Caesaris acta sui] Ἰσως, *astra sui.* COLLADON. Rarior locutio: non tamen placet Colladonii emendatio. Blanditur magis Passeratii conjectura, qui ad Propert. lib. IV. eleg. I. pag. 558. legendum esse putat I. *Caesaris arma sui ducit*, & egregie illustrat. Et sane, voces hae saepe à librariis confusae fuere: ita apud Ovidium lib. XI. Met. vers. 222. editum

——— *Qui fortibus armis*
Acta patri vincet.

codices autem habere plurimos *fortibus actis* notat Heinsius. Si cui tamen vulgatam lectionem *acta* retinere placeat, explicare poterit *ducere* pro regere, moderari, ut Venus omnia sui Caesaris regat, & praesit ejus actis: quo sensu Tacitum lib. III. Annal. cap. 58. *ducere provincias* dixisse, volunt Gruterus ad Senec. Oedip. vers. 264. & Rutgers. Venus. lect. cap. 25. BURM.

Pallas] Hanc Caesari ob insignem ejus eruditionem & eloquentiam propitiam à Petronio induci censet Gronovius.

Mavortius hastam] Alii, *Mars obvius.* TORNAES. *Mavortius* substantive pro Mavorte, vel Marte. ERHARD. Suspecta haec vox quoque Brouckhusio; Barthius autem ad Stat. lib. VII. Theb. vers. 33. incaute Petronium hic Pallada & Martem, inimica semper inter se numina, uni eidemque parti faventes inducere censet, quamquam id Papinium quoque lib. VIII. vers. 708. fecisse notet.

Magnum] Emendavit ante Gevartium lib. I. Elect. cap. 6. hunc locum Barthius lib. XXXVI. Adversar. cap. 24. & postea ad Statii lib. VIII. Theb. vers. 688. Gevartium laudat, cui idem in mentem venerat. Ovidium quoque lib. I. fast. vers. 603. & IV. ex Ponto III. 4. ita vocasse notaverat Ampl. Cuperus.

Ac totis similis, &c.] Caesari scilicet. COLLAD. Ita Theseum Hercuii quoque actis paribus similem in-

Intremuere tubae, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos Stygium caput. hujus in ore
Concretus sanguis, contusaque lumina flebant.
Stabant aerati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora.
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineam tremula quatiebat lampada dextra.

Haec

inducit Papinius lib. XII. Theb. 584. ubi vide Barthio adnotata.

Intremuere tubae] Alii, *infremuere*. alii, *jubae*. PATISSON. COLLADON. Lege, *intonuere*. Calcagnin. de concordia. ERHARD.

Discordia] Ex illis Virgilianis, lib. VI. Æneid. vers. 280.

—— *Et discordia demens*
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Et VIII. vers. 702.

Et scissa gaudens vadit Discordia palla,
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

PITH. Versus illi ab optimis quibusque scriptoribus maxime commendantur. Seneca lib. 2. de Ira cap. 35. *Vel si videtur, qualis apud Vates nostros est.*

Sanguineum quatiens dextra, lavaque flagellum,
Aut scissa gaudens vadit Discordia palla.

BRASSICAN. Hoc enim habitu describitur Discordia apud Virgil. 8. Æneid. vers. 702. & Æneid. 6. vers. 280. quod notarunt Crinitus de Hon. Disc. lib. 13. cap. 2. Weitzius Not. in Prudent. Psychomach. lib. 1. vers. 685. ERHARD.

Concretus sanguis] Prudent. lib. 1. contra Symmach. *concreto processit crine*. Weitzius in Not. vers. 491. ERHARD.

Stabant irati] Alii, *arati*. TORNÆS. COLLAD. In aliis *arati*. Scribe *serrati dentes*. Plinius lib. XI. cap. 38 *Piscium omnibus serrati dentes, praeter scarum*. HEINS.

Scabra rubigine dentes] Ovid. VIII. Met. 802.

—— *Scabri rubigine dentes.* PITH.

Virgil. Georg. lib. 1. vers. 495.

Exesa inveniet scabra robigine pila.

ubi Servius: *aspera, unde & scabies dicitur à corporis asperitate*. vide ibi Cerdam.

Draconibus] Serpentibus, anguibus. Andreas Hierosolymitanus serm. εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν, de Christo; ἵνα τύχῃ σοφίας παγιδεύσας τὸν ὄφιν καὶ τὸν δράκοντα, &c. ERHARD.

Obsessa draconibus ora, &c.] En habitum, quo Furiae depingebantur: vetulae, caput anguibus pro capillitio cinctae, sanguineam manu facem gestantes & flagellum. vide Delrionem Comment. in Medeam Sen. vers. 14. ERHARD.

Atque inter toto] Alii, *atque intertorto*. TORNÆS. AURAT. Mutant *intertorto*, perperam. COLLAD. Editio Lugdun. *inter toto*, quomodo legisse etiam Lilium Gyraldum apparet, commoda & aperta sententia. Inter vestem, inquit, toto pectore laceratam, quatiebat lampada. Nam vestis, utpote lacera, non obstabat, quo minus per illam vibraret facem. De lacera veste Discordiae Virgilius libr. VIII. Æneid. vers. 702.

Et scissa gaudens vadit Discordia palla.

Porro scio esse, qui illud, *sanguineam lampada*, concoquere non possint, legantque;

Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

A quibus dissentio: Nam *sanguinea lampas*, ob sanguinei coloris flammam, dicitur, ut apud Virgilium lib. X. Æneid. vers. 272.

Non secus ac, liquida si quando nocte Cometa
Sanguinei lugubre rubent. RICHARD.

Barthius ad Papinii libr. 11. Theb. vers. 288. restituit:

Rupta ter intortam lacerato in pectore vestem.

quam ita veram putat restitutionem, ut præ illa, quidquid collatum est in hoc generoso carmine, plebejas nugas dicat. Sed, quem sensum hæc emendatio efficiat, non video; nam, *rupta vestem*, dici Latine posse vix puto, & longius abit à scripta lectione codicum. Offendit vero maxime illud *inter*, nec video, quomodo quis inter vestem dici possit quatere lampada dextra. Forte scripsit,

Atque ferens toto laceratam pectore vestem.

vel. *Atque terens*, sed locum adhuc in mendo cubare mihi persuasum est. *Toto* habent omnes editiones veteres & Tragurienfis codex, qui & *lacerata* exhibet.

Sanguineam tremula] Forte, *sanguinea tremulam*. SAMBUC. Alii codices, & Calcagninus, *sanguinea tremulam*. ERHARD. Videtur alludere ad priscum illum vetustæ militiæ morem. nam ante inventum tubæ usum incensis facibus acies instructas præibant, quibus utrimque conjectis manus conserebant. Statius 4. Thebaid. vers. 5.

Prima manu rutilam de vertice Lariſſaeo
Ostendit Bellona facem. ——

Claudianus lib. 1. de Raptu Proserp. vers. 40.

Tisiphone quatiens insausto lumine pinum
Armatos ad castra movet pallentia manes.

Meurs. ad Lycophron. Cassand. vers. 1295. WEITZ.

Haec ut Cocyti tenebras, & Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Appennini,
Unde omnes terras, atque omnia litora posset
Aspicere, ac toto fluitantes orbe catervas:
Atque has erumpit furibundo pectore voces:
[a] *Sumite nunc gentes accensis mentibus arma;*
Sumite, & in medias immittite lampadas urbes.
Vincetur, quicumque latet; non femina cesset,
Non puer, aut aevo jam desolata senectus.
Ipsa tremat Tellus, laceratque tecta rebellent.
Tu legem Marcelle tene: Tu concute plebem
Curio: Tu fortem neu supprime Lentule Martem.
Quid porro tu, Dive, tuis cunctaris in armis?
Non frangis portas? non muris oppida solvis?
Thesauroque rapis? nescis tu, Magne, tueri

[a] DISCORDIA. *Roma-*

Haec ut] Lege, *Haec ubi*. BRASSICAN.

Nobilis Apenini] *Apeninus*, mons altissimo jugo ab Alpibus ad Siculum fretum tendens, à Pœnis ita dictus, ut quidam putant. Unde Alpes primi Pœni pervias fecerunt, cum antea redderent Italiam inaccessam. BUSCH. Alii, *Apennini*: cujus scripturæ rationes pete ab Jo. Chrysost. Zanchio de Cenomanor orig. lib. 2. ERHARD.

Atque has erupit] Quidam legunt *erumpit*. COLLADON. Lege, *Inque has erupit*. BRASSICAN. Quomodo Virgil. dixit lib. IV. Georg. vers. 368.

Et caput, unde altus primum se erupit Enipeus.

Sic quoque *erumpitur*, pro erumpit se, Lucret. lib. VI. vers. 581.

Vis venti exagitata foras erumpitur. ——

Sic *prorupit se in fugam*, apud Plaut. ni fallor. ERHARD. *Effudit* Tragurianus. Ut mox, *Cum hæc Eumolpus effudisset*. De voce *erumpere* cum quarto casu egerunt abunde Gisanius in Lucretiano indice, & Brouckhusius ad Tibull. lib. IV. Carm. 1. vers. 86. Manus autem viri eruditi in codicis Almeloveniani ora scripserat, sibi legendum videri *Inde has erupit*, quia non bene cohærent dictiones.

Accensis mentibus] Freinshemius ad Flor. libr. III. cap. 10. mallet *mœnibus*. Sed displicet id merito Brouckhusio, quia sequenti versu sequitur:

—— *In medias immittite lampadas urbes.*

& ita bis idem diceret. Ita locutus Silius lib. IV. vers. 169.

Nam tibi, cum stimulas cornu, atque in prælia mentes
Accendis.

Et lib. I. vers. 345.

Accensa exsultant mentes.

Ita *accensas cohortes* dixit Valer. Flacc. lib. VII. vers. 637. BURM.

Desolata] Id est, quæ ab ævo fere relicta est, defecta annis, & ætate debilis, ut ait Phædrus. Est enim *desolatus*, qui solus relictus, ut ostendit Gronovius Observ. lib. IV. cap. 21.

Tu legem, Marcelle, tene] De lege Claudia seu Marcelli in Cæsarem, & Curionis tribuni pl. seditionibus, vide Sueton. Cæsare. SAMBUC. Sueton. in vit. Jul. cap. 28. Dion lib. 40. WOUWEREN. Virgil. 6. Æneid. ibique Servius & Tib. Donatus. ERHARD. Vide Gronov. Diatr. Stat. cap. 3.

Curio] Hic C. Curio violentissimus Tribunorum pleb. quem sibi inimicum ingenti mercede Cæsar defensorem paravit. de hujus seditionibus & turbis vide Suet. Jul. Dion. lib. 40. WOUWEREN. Sidon. lib. 4. ep. 3. *Æstuat, ut Cethegus; incitat, ut Curio.* Alanus Anticlaud. lib. 2. *Succendit ut Curio.* Savaro ad Sidon. lib. 1. ep. 11. ERHARD.

Ne supprime] Alii, *neu supprime*. TORNÆS. Sallust. Catilinar. ERHARD. *Neu* prima & Sambuci editio & Tragur. Codex.

Tu die tuis] Alii, *tu dive tuis*. TORNÆS. *Dive* retineri potest κατὰ πρόληψιν, quia Discordia, ut dea, futurum divum sciebat: magis tamen probo quod est in editione Lugdunensi, *Die*, quoniam Iülo prognatus Cæsar, & à Venere ac ipso Jove ducebat originem. Sic ejusdem gentis Ilia *dia* vocatur ab Ennio, apud Nonium in *Nepos* feminini generis.

Ilia dia nepos, quas ærumnas tetulisti?

Dium, inquit Festus, *antiqui appellabant, ut à Deo ortum*. RIGHARD. Corrigunt, *Die*. illud retineri debet. *Divum* vocat communi & plebejo tum nomine.

Nam

Romanas arces? Epidauria moenia quaere,
Theſſaliaeque ſinus humano ſanguine tinge.
Factum eſt in terris, quidquid Diſcordia juſſit.

« Quum haec Eumolpus ingenti volubilitate verborum effudiſſet, tandem Crotona intravimus: ubi quidem, parvo deverſorio refecti, poſtero die am-

ENCOLPIUS.

Nam & Auguſtus ſemper ſe *Divi filium* dixit, & *Divas* pro Cæſare κατηχρηστικῶς. Nepos in Vita Attici; *In affinitatem pervenit Divi Julii filii*, id eſt, Octaviani, qui fuit Julii Cæſaris adoptivus filius. quod monere fere putidum foret, niſi aliorum corrumpendi (corrigendi volui dicere) libido aurem vulſiſſet. ERHARD.

Romanas acies? Epidauria] *Romanas arces: Epidamnia.* Paſſerat. TORNÆS. Monui jampridem, & nunc moneo, legendum videri. *Romanas arces*, ut cap. CXXI.

Omnia, qua tribui Romanis arcibus, odi.

Magnificentius enim *Romanæ arces* dicuntur, quam urbs Roma: ut, Carthaginis arces, quam Carthago: & Pergameæ arces, quam Pergama. Virgilius II. Georgic. verſ. 172.

Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.

Item lib. IV. Æneid. verſ. 234.

Aſcanione pater Romanas invidet arces?

Et lib. X. Æneid. 12.

Cum ſera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes immittet apertas.

Notiſſimum eſt, ut Pompejus, adventante Cæſare, urbem reliquerit, quid tamen impedit Ciceronem audire in epiſtola undecima lib. 7. ad Atticum: *Per fortunas, quale tibi conſilium Pompeji videtur? Hoc quare, quod urbem reliquerit. Ego enim ἀπορῶ. Tum, quid abſurdius? Urbem tu relinquas? Ergo idem, ſi Galli venirent.* Et in epiſt. 16. lib. 8. ideo vocat Pompejum ἀπολιτικώτατον καὶ ἀστρατηγικώτατον quibus iſta plane reſpondent, *neſcis tueri Romanas arces.* Et epiſt. 2. ejuſdem libri: *nihil ulla in gente unquam ab ullo auctore Reipub. ac duce turpius factum eſſe videtur, quam à noſtro amico factum eſt: cujus ego vicem doleo, qui urbem reliquit, id eſt, patriam, pro qua, & in qua, mori, præclarum fuit.* RICHARD. Legendum eſſe *Romanas arces*, patet ipſa narratione. BOURDEL. Heinſius conjecerat legendum:

Neſcis ſi, (vel, *qui*) *Magne, tueri*
Romanas arces, Epidauria nomina quære,
Theſſaliceſque ſinus humano ſanguine pingues.

Epidauria manna] Epidaurus urbs in Achaia Æſculapii delubro percelebris. GLOSSÆ. Alii, *Epidamni manna*. alii, *Epidamni nomina*. Sic vetus, recte. Pith. PATISSON. *Epidaurus* urbs eſt in Achaia, Saronico quaſi marmore redimita, Æſculapii delubro percelebris. hinc *Epidaurius*, quod eſt cognomentum Æſculapii. Ovidius de Ponto lib. I.

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera cordis ope. BUSCH.

Rg. *Epidauni nomina. Ἴσως, Epidamni.* COLLADON. Fuit hoc nomen ominoſum & infauſtum, ob idque in *Dyrrachium* mutatum, ut Plin. auctor eſt. Alluſit & Plautus Menæchmis, *Ne mihi damnum in Epidamno duas.* PITH. Lege, *Epidamnia nomina quare.* Neſciit Romam tueri Pompejus, atque adeo Italiam vacuam Cæſari occupandam reliquit: atque ita Dyrrachium cum exercitu tramiſit, cui *Epidamni* nomen vetus mutarant Romani, ominis cauſſa, ut Plutarch. Plaut. Menæchm. Itaque *Epidamnia nomina* dicit, alludens ad ſignificatum vocis. neque non tamen *nomina* pro re dicunt. Albinovan:

——— *Nomina magna locorum.*

Palmer. in Spicileg. ERHARD. Certa eſt correctio *Epidamni*, confuſas has à librariis urbes, paret & ex Lucan. II. 624. & X. 545. Seren. Sammon. initio, & aliis. Pro *Mœnia* autem *nomina* Tragurienſis. Eadem varietas obſervatur in codicibus MSS. Ovidii lib. IV. faſt. verſ. 812.

——— *Ambigitur mœnia* (vel *nomina*) *ponat uter.*

Diſcordia] Tragur. *juſticia*, ſed in margine erat *diſcordia.*

Volubilitate verborum] Alii, *verborum bile.* TORNÆS. Alii, *ingenti bile.* Pith. PATISSON. Temerarium non eſt, quod in veteri codice legitur, *ingenti bile.* ſi quidem per bilem inſaniam poëticam intelligit, de qua cap. XC. *Imo, inquam, ſi ejuras hodiernam bilem, una coenabimus.* Horat. in arte Poëtica verſ. 301.

——— *ô ego lævus,*
Qui purgo bilem ſub verni temporis horam?
Non alius faceret meliora Poëmata.

Quare illa verba, *volubilitate verborum*, inducenda puto, ut quæ huc irrepſerint ex verbis mox ſequentibus. *Ex præſcripto ergo conſilii communis, exaggerata verborum volubilitate.* RICHARD. Exempla petere eſt ad hoc genus dicendi à Savarone Not. in Sidon. lib. 9. ep. 9. ERHARD. Lege cum tribus ſcriptis *ingenti verborum bile.* Sic ſupra cap. 50. *Si ejuras hodiernam bilem, una coenabimus.* BOSCH. *Verborum* deeſt in prima & Sambuci editione, quæ *volubilitate* habent.

Cratona] Forte, *certona.* AURAT.

Intravimus] Tragur. *vitavimus.*

Ubi quidem] Heinſius in margine notaverat, forte *pridie.*

amplioris fortunae domum quaerentes, incidimus in turbam haeredipetarum sciscitantium, quod genus hominum, aut unde veniremus? Ex praescripto ergo consilii communis, exaggerata verborum volubilitate, unde, aut qui, essemus, haud dubie credentibus indicavimus. Qui statim opes suas summo cum certamine in Eumolpum congesserunt. certatim omnes muneribus gratiam Eumolpi sollicitant. * *

CXXV. [a] Dum haec magno tempore Crotone aguntur, & Eumolpus felicitate plenus prioris fortunae esset oblitus statum, adeo ut suis jactaret, neminem gratiae suae ibi posse resistere, impuneque suos, si quid deliquissent in ea urbe, beneficio amicorum laturos. Caeterum ego, etsi quotidie magis magisque superfluentibus bonis saginatum corpus impleveram, putabamque, à custodia mei removisse vultum Fortunam, tamen saepius tam consuetudinem meam cogitabam, quam causam. &, Quid, ajebam, si callidus captator exploratorem in Africam miserit, mendaciumque de-

[a] POLYÆNUS. pre-

Ampliori fortitudine domum quaerentes] Forte, *fortuna*, vel *fortitudine*, pro, fortuna. AURAT. Veteres editiones & Tragurianus *ampliori fortitudine*.

Heredipetarum] Qui alterius hereditatem petunt, vel cupiunt. GLOSSÆ. Hæredipetæ, κλῆρον ἁρπάζοντες. WOUWEREN. Vide Gruter. Suspic. extraord. cap. 7. *Heredipetæ*, qui statim *captatores* vocantur. Papias; *Heredipeta, qui alterius hereditatem petit, vel cupit; & componitur ab hereditas, vel heredium, & peto. Herediscapa, qui hereditatem alterius capit; & componitur ab hereditas, vel heredium, & capio. Herediscinda, qui alterius hereditatem scindit, aufert; & componitur ab hereditas, vel heredium, & scindo.* Ad eandem faciem dicitur *lucripeta* Dionysio Catoni in Distich. ERHARD. De horum aucupiis adi Musarum lumen Piccartum mellitissimum Observat. historic. politic. dec. 12. cap. 3. WEITZ.

Quid genus hominum] Homerus non uno loco: τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες. Et noster.

Qui genus, unde domo? pacem ne affertis, an arma? Orpheus in Argonautic. ὅστε νυλισσῆρες, &c. Sic enim veteres interrogare solebant, ut scribit Thucydid. in princip. BRASSICAN. Lege, *quod genus homines*, ut, si non amplius, id saltem relinquamus Petronio, ne non Latine loquatur. Quamvis, ne quid dissimulem, malim, *qui genus, aut unde domo, venissemus*: Quæ fuit antiquorum percontandi hospites forma. *Anonym. MS.* HADRIANID. *Quid* prima & Sambuci editio. Apud Virgilium quoque lib. VIII. Æneid. vers. 114. Heinsius in quinque codicibus repperit *quod genus*. De hac interrogatione autem vide ibi Cerdam.

Ex praescripto ergo consilii] Vetus Senatusconsulti formula D. C. C. S. id est, de communi consilii sententia. SAMBUC.

Exaggerata] Ita omnes editi & Tragurianus: unde miror frontem Galli interpolatoris, qui exhibet, *exaggerati prudenter unde aut qui essemus, &c.* Quæ unde habeat vellem docuisset, nam nec Latina quidem sunt. *Volubilitas* autem, cujus exempla plurima Savaro habet, non tam facundiam, quam inanem & præcipitatum sonitum multorum verborum, quibus, ut involucris, rem obscuramus, ne penitus fallaciam pervideant homines, notare mihi videtur. Ita elegantes Gellius lib. IX. cap. 15. vocat, *Involucra sensuum, & verborum volumina, vocumque turbas.* Et Seneca epist. XL. ubi egregie volubilitatem verborum castigat, vocat *verba convolvere.*

Opes suas in Eumolpum congesserunt] Hoc Martial. appellat *mittere munera in hamo.* Vide lib. 6. epig. 36. WOUWEREN.

Omnes muneribus] Alii, *omnes Haredipetæ muneribus.* TORNÆS.

Magno tempore] Rarior locutio. Sed cum & *parvum* & *exiguum tempus* pro brevi dixerint alii, liceat Petronio nostro *magnum* pro longo dicere. Apulejus lib. v. Metam. simili sententia, *Hæc diutino tempore sic agebantur.*

A custodia mei] Cum Dii *custodes* dicantur, & respicere, & vultum in aliquem convertere, qui alicujus tutelam gerant, & bona ejus procurent, non potest Encolpius, ad feliciorem conditionem traductus, putare, Fortunam vultum removisse à custodia sui, nisi in sequiorem partem capiamus vocem *custodia*, ut supra cap. X. *custos molestus*, pro exploratore, occurrit. Semper ergo Fortuna exploraverat & captaverat occasionem, qua læderet & malo adficeret Encolpium, nunc, benignior facta, ab eo vexando destiterat. Nisi ita capiamus, nescio, quid sibi hæc verba velint.

Si

prehenderit noſtrum ? Quid, ſi etiam mercenarius, praeſenti felicitate laſſus, indicium ad amicos detulerit, totamque fallaciam invidioſa proditione detexerit? Nempe rurſus fugiendum erit, & tandem expugnata paupertas nova mendicitate revocanda. Dii, Deaeque, quam male eſt extra legem viventibus! quidquid meruerunt, ſemper exſpectant. * * *

CXXVI. [a] Quia noſti Venerem tuam, ſuperbiam captas, vendiſque amplexus, non commodas. Quo enim ſpectant flexae pectine comae? quo facies medicamine adtrita, & oculorum quoque mollis petulantia?

a CHRYSIS ancilla Circes AD POLYÆNON.

quo

Si etiam mercenarius] *Si etiam mercenarius Eumolpi*, Leid. cod. placet. ſupra cap. 54. *haec locutus mercenario Eumolpi novaculam rapit*, &c. BOSCH.

Invidioſa] *Ambitioſa*. Memm. cod. BOSCH.

Dii Deaque] Supra cap 79. & 115.

Quam male eſt extra legem viventibus] Plaut. *Nihil eſt miſerius, quam animus hominis conſcius.* De hoc flagello conſcientiae, & metu, qui eum neceſſario ſequitur, vide Caſaubon. in Perſ. Sat. 3. Barth. ad Claudian. lib. II. in Rufin. verſ. 140. & IV. Conſul. Honor. verſ. 280. multis. ERHARD. De vi conſcientiae egregie Cicero pro Milone cap. 23.

Quicquid meruerunt exſpectant] Seneca. *Conſcientia aliud agere non patitur, ac ſubinde reſpicere ad ſe cogit. Dat poenas quiſquis exſpectat. quiſquis autem meruit, exſpectat.* PITH. Aſpexit indubie hæc verba Macrob. in Somn. Scip. *Sibi videntur exitium, quod merentur, excipere.* Iſ. Pontanus in Not. Puto, particulam *ſemper* excidiſſe, ut ſcripſerit Petronius; *quod ſemel meruerunt.* Barth. ad Claudian. IV. Conſul. Honor. verſ. 280. In hiſtoria Marculphi minime nupera, ut vulgo putatur, ſed perveteri, & cujus jam ante annos quaſi 10. mentionem fecit Guilhelmus Archiepiſcopus Cypri in Belli ſacri Hiſt. legitur; SAL *quod timet impius, veniet ſuper eum.* MAR. *qui male facit, & bene ſperat, totum ſe fallit.* Nec fruſtra ille; *Conſcientia ſcelerum, metus judiciorum*, &c. ERHARD.

Semper exſpectant] Vetus codex *ſuper*. Sed puto legendum, *ſemper*. DANIEL.

Exſpectant] Id eſt, timent. vide Barth. ad Statii Theb. lib. I. verſ. 375. & lib. XIII. Adverſ. cap. 24.

Quia noſti Venerem tuam] Τὴν Ἀφροδίτην πρὸς σῦ ἰσαι. WOUWEREN. Id eſt, Gratiarum concinnam elegantiam, & amabilitatem ad ejus divæ ſacra ducentem. Barthius lib. VI. Adverſ. cap. 16.

Superbiam captas] Lege, *ſuperbia me captas*. HEINS. Neſcio, an recte: ut enim *inanem gloriam captare*, & ſimilia, paſſim occurrunt, pro affectare, ita & *ſuperbiam*, quae ſequitur Formam. Ovid. lib. I. Faſt. verſ. 419.

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.

quem locum Ampl. Cuperus ſuo codici adſcripſerat.

Amplexus non commodas] Alii, *amplexus non commodos*. PATISSON. Id eſt, non ſine mercede aliquem amplecteris. Ita *vendere tempora* eleganter dicuntur Fœneratores, qui pro temporis commodo, quo quis utitur ſua pecunia, pretium & mercedem paciſcitur. Manil. lib. IV.

Navigat, & celeres optando ſortibus annos
Dulcibus uſuris, aequo quoque tempora vendit.

Quorum verſuum ſenſum non recte aſſecutus eſt divinus Scaliger, ut animadvertit Salmaſ. ὁ πάνυ cap. III. de mod. uſur. pag. 93. Sic Seneca *venale tempus*, eodem ſenſu lib. VII. de Benef. *Quid ſunt iſtae Tabulae, computationes, & venale tempus, & ſanguinolentae centeſimae?* Liv. lib. XXVII. cap. 31. de Philippi libidine, *Neque enim omnia emebat, aut eblandiebatur, ſed vini etiam flagitiis adhibebat.* CUPERUS. Ovid. lib. I. Amor. eleg. X.

Et vendit, quod utrumque juvat, quod uterque petebat,
Et pretium, quanti gaudeat ipſa, facit.

Quae Venus ex aequo ventura eſt grata duobus,
Altera cur illam vendit, & alter emit?

Propertius lib. I. eleg. 2.

Teque peregrinis vendere muneribus.

Plaut. Mil. Glor. Act. II. ſc. 3. *Non ego poſſum, quae ipſa ſe venditat, tutarier.* Plena autem Poëtarum carmina querelis contra venalem hanc venerem. vid. Ovid. lib. I. Amor. eleg. 8. & lib. III. eleg. 8. & paſſim quoque alii. BURM.

Flexae pectine comae] An *pecten* abuſive pro acu comatoria dixit? ERHARD.

Facies medicamine attrita] Athen. ὥσπερ πρῶτοι τὸ πρόσωπον ἐντριφάμενοι, καὶ προκόμια περιθετά τι λαβόντες. PITH. Juvenal. Sat. VI. verſ. 472.

——— *Inducitur atque fovetur*
Tot medicaminibus.

Tertull. *Cutem medicaminibus ungunt.* Antipater: Ψιμυθίῳ τὰς παρείας ἐντρίβομεναι. Artemidorus lib. I. ἔοικε καταχρίεσθαι τὸ πρόσωπον, ὥσπερ αἱ γυναῖκες. WOUWEREN.

Et oculorum quoque mollis petulantia] Lege, *quoquo mobilis petulantia*, aut certe, *quaque mollis*. Quid, inquit, ſibi volunt quoquo verſum verſatiles illi & petaces ocelli? Nec diſſimile, quod Apulejus in re haud multum etiam abſimili de Venere ſcripſit lib. Mileſ.

quo inceſſus tute compoſitus, & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrantia, niſi quod formam proſtituis, ut vendas? Vides me? nec auguria novi, nec Mathematicorum coelum curare ſoleo: ex vultibus tamen

Et nunc mite conniventibus, nunc acre criminantibus, geſtire pupulis, & nonnumquam ſaltare ſolis oculis. Nec abit ipſius Arbitri epigrammatium;

O blandos oculos & inquietos,
Et quadam propria nota loquaces.
Illic & Venus & leves Amores,
Atque ipſa in medio ſolet voluptas.

Deinde dictio *petulantia* ſignanter admodum hic expreſſa eſt, & valet, quod in notiſſimo verſiculo legitur;

Minerva flavo lumine, Venus peto.

Hæc cum ita ſint, opportune in medicinam rapio Senecam Patrem lib. Controverſ. 5 Controv. 6. Vulgatur; *Muliebrem veſtem ſumſit, capillos in foeminæ habitum compoſuit, oculos in puellari lenocinio circumdedit.* Lege, *circumtulit.* Iſ. Pontanus Analect. lib. 3. cap. 12. *Oculorum mollem petulantiam* dixit, ut *oculos ad petulantem laſciviam* Lycurgus apud Rutil. Lupum lib. 1. Juſtinus de Sardanapalo lib. 1. *Cum mollitia corporis & oculorum laſcivia omnes foeminas anteiret.* Barth. ad Claudian. ERHARD. Erhardus legit, *quoque mobilis*, quod in textum recipere auſi ſunt Editorum nonnulli. *Mollis oculorum petulantia* eſt ſoluta oculorum laſcivia. Sic Ovidio *molles oculi*, Catulloque *ebrii ocelli*, & Horatio, *lubrici oculi*, & alibi: *vultus nimium lubricus aſpici*, ut & *grata protervitas.* Juſtin. lib. 1. cap. 3. ubi de Sardanapalo, viro muliere corruptiore; *cum mollitia corporis & oculorum laſcivia omnes foeminas anteiret*, &c. BOSCH. Alii codices *mobilis.* Scribendum *quoque mobilis petulantia. Laſcivia oculorum* eſt Juſtino lib. 1. *oculi ludibundi* A. Gellio lib. III. cap. 5. *patrantes oculi* Perſio. Plinius lib. XI. cap. 37. *ſupercilia homini & pariter & alterne mobilia, & in iis pars animi.* HEINS. Præferrem quoque *mobilis*, quia laſcivi & petulantes Juvenes & puellæ non tranquillos, ſed verſatiles & mobiles, habent oculos. Ita & Seren. Sammon. Carm. 36.

Mobilis hirſutas horret laſcivia ſetas.

ubi male alii *mollis & hirſutas.* vide Keuchenii notas. BURM.

Inceſſus tute] Alii, *Inceſſus tantum.* TORNÆS. Ariſtænet. βάδυσμα τεταγμένον. βραχὺ δὲ ὥσπερ κυπάριττος ἢ φοίνιξ, σειόμενον ἡσυχῇ. PITH. Senecæ *inceſſus compoſitus*, qui Ambroſ. 3. de Virg. *ſobrius.* Vet. inſcript. *inceſſus commodus*, epiſt. 69. *modeſtus inceſſus ac compoſitus, ac probus vultus.* At Petronio fictus ad molitiem. Apul. Mil. *ſuperfluo inceſſu foeminam mentiebatur.* Hieron. ad Euſtoch. *ſolutis genibus fractus inceſſus.* Adverſ. Helvid. *greſſum frangere.* Idem: *ludentibus pedibus incedunt.* Seneca Natur. Quæſt. lib. 7. cap. 31. *Tenero & molli inceſſu ſuſpendimus gradum.* Fir. lib. 8. cap. 7. *Molliter ambulant, veſtigia ſua cum delicata quadam moderatione ſuſpendunt.* Sen. ep. 15. Clem. Alex. Pæd. lib. 2. cap. 11. Philo, περὶ τοῦ μίσθωμα πόρνης εἰς τὸ ἱερὸν μὴ προσδέχεσθαι. WOUWEREN. Sic Catullus:

——— *Quam videtis*
Turpe incedere, ritmice, ac moleſte.

ita ibi legit Scaliger epigr. 43. Lege, *ſtudio compoſitus.* Hippolytus à Collibus in Harpocrate. Corrigit Douza, *arte compoſitus*, at quanto ex literarum reliquiis verius ſit, *fuco compoſitus!* Plaut. *Vitia corporis fuco occultant.* Pontan. Analect. lib. 3. cap. 12. Propert. lib. 2. eleg. 4.

Nequicquam perfuſa meis unguenta capillis
Ibat, & expenſo planta morata gradu.

ubi Beroaldus in Commentar. ERHARD. Nobil. N. Heinſius ingenioſe, ut ſolet omnia, genuinam lectionem noſtro ſic reſtituit; *quo inceſſus, ſcite compoſitus.* BOSCH. Lege *inceſſus ſcite compoſitus:* nam, ut egregius talium arbiter Naſo lib. III. art. Am. 299.

Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris,

ubi plura ad rem. Sic *ſcite coli & ornari*, apud Livium lib. IV. cap. 44. *ſcitus convivator* apud eumdem lib. XXXV. cap. 49. HEINS. Nihil mutandum. *Tute compoſitus* eſt ita inſtitutus, ut cavere ſibi videatur à caſu, non præceps & temerarius inceſſus, nec, ut Apulej. 11. Metam. vocat, *immeditatus*, & qualem Menandri deſcribit Phædrus lib. V. fab. 1.

Veniebat greſſu delicato & languido,

vide Barth. Adverſ. lib. XII. cap. 1. & XXII. cap. 13.

Formam proſtituis ut vendas] Propert. lib. 1. El. 2.

Quid juvat. &c.
Teque peregrinis vendere muneribus,

Tibull.

Sit procul à nobis, formam cui vendere cura. PITH.

Vides me] Petroniana Phraſis. Supra cap. 38. *Vides illum, qui in imo imus recumbit.* cap. 46. *Vides Phileronem cauſſidicum* cap. 58. *Ego, quod me ſic vides propter artificium meum, Diis gratias ago.*

Nec auguria novi] Martial.

Non ſum divinus, ſed ſcio quid facias. PITH.

Tibullum habuiſſe ante oculos arguti & amabilis ingenii noſtrum nequam, credit Janus Brouckhuſius ad lib. 1. Eleg. IX. verſ. 4. ubi egregie hæc illuſtrat copia ſimilium apud Poëtas locorum, quæ ſtomachum bilioſis Gallulis & Philoſophis movent. Mathematicorum cœlum ſatis traduxit noſter ſupra cap. XXXIX.

Mathematicorum] Gellius lib. 1. cap. 9. *Vulgus, quos gentilitio vocabulo Chaldæos dicere oportet, Mathematicos dicit.* WOUWEREN.

Ex vultibus tamen hominum mores colligo] Diſtingue,

ex

men hominum mores colligo, &, quum ſpatiantem vidi, quid cogites, ſcio. Sive ergo nobis vendis, quod peto, mercator paratus eſt: ſive, quod humanius eſt, commodas, effice ut beneficium debeam. Nam, quod ſervum te & humilem fateris, accendis deſiderium aeſtuantis. Quaedam enim feminae ſordibus calent: nec libidinem concitant, niſi aut ſervos viderint, aut ſtatores altius cinctos. harenarius aliquas accendit, aut perfuſus pulvere

ex vultibus tamen hominum, mores colligo. Hippolytus in Harpocrat. pag. 17. Ex ipſa orationis figura homines noſci etiam Homerus indicat Odyſſ. I.

——— Ὀυ μὲν γάρτι κακῷ γε ἰὼς ἅπα ἴσκει.

Eraſmus in Adag. *Ex habitu bonum virum præ ſe fert.* ERHARD. Tamquam metopoſcopus. vide Sueton. Tit. 2.

Cum te ſpatiantem vidi] Nota, ex inceſſu cognoſci mores mulierum. Pflugius. ERHARD. Non de Puellæ inceſſu, ſed vel de Encolpii, ſive Polyæni, agitur, quem ancilla Circes ſollicitat; vel de cujuſcumque hominis, ſi *cogitet* legendum eſſet.

Beneficium debeam] Non abſimiliter Leucipp. ἵνα μαχέσῃ, ὁ χαρμίδης ἔιπε, δίδας τὴν χάριν. lib. 4. PITH. Fugit ſub finem litera, qua reprehenſa, rotundior erit oratio: *efficis ut beneficium debeam.* Pontanus Analect. lib. 3. cap. 12. vel pro *debeam* legendum eſt *debeat*, nempe domina. Jungermannus. ERHARD.

Quaedam enim feminæ ſordibus calent] Vide Celeſtinum. ERHARD.

Libidinem concitant] Alii, *libidine concitantur.* TORNÆS.

Statores altius cinctos] Servi præſentes Dominis ad cuſtodias, eorumque juſſa ac nutus exſequendos. GLOSS. Alii, *ſtratores.* TORNÆS. Catalect.

Jam primum ſtator hic libidinoſus, &c. PITH. Puto, innui ſervos, qui præſentes dominis ad cuſtodias, eorumque nutus & juſſa exſequendos: atqui, ut apparitores ab apparendo, ita ſtatores à ſtando. Certe Ciceroni ſunt magiſtratuum nuncii. Epiſt. lib. 11. Epiſt. 17. *Litteras à te mihi ſtator tuus reddidit.* Plancus lib. 10. Epiſt. 21. *Statores* ſervi, qui *latrones*, quod, ut ait Varro 6. de Lingua Lat. circum latera erant regum, aut quod ad latera habebant ferrum. hoc expreſſit Ovid. lib. III. Amor. eleg. 11.

Quando non fixus lateri ſpatiantis adhaſi,
Ipſe tuus cuſtos. ———

Sen. epiſt. 22. *Nudum erit latus? Incomitata lectica?* hinc liquet, cur δυλακεῖσθαι *laterare.* hos poſtea *ſtipatores* à ſtipando appellatos, idem Varro auctor. Horat. lib. 1. Sat. 3.

——— *Nec te*
Quiſquam ſtipator ſectabitur.

Gloſſ. *Stipator, ſatellet, σωματόφυλαξ, δορύφορος.* Sidonius lib. 1. ep. 2. *Circumſiſtit ſellam comes armiger: ſatellitorum turba ſatellitum ne obſit admittitur, ne obſtrepat, eliminatur.* Lege, ex MS. *ne abſit admittitur.* Suidas: δορύφοροι, φύλακες, ὑπηρέται βασιλέως, ὁπλόφοροι. Antoninus Imp. ὁ, τι δυνατόν ἐστι ἐν αὐλῇ βιῶντα, μήτε δορυφορήτως χρήζειν. Ariſtot. περὶ κόσμ. οἱ μὲν ἀμφ' αὐτὸν βασιλέα δορύφοροι. & Apul. interpr. *Ante fores viri fortes ſtipatoreſque regalium laterum, tutela pervigili cuſtodiam per vices ſortium ſuſtinebant. Erant inter iſtos diviſa officia, in comitatu regio armigeri*, &c. Plaut. Caſ. quem mox armigerum ſervum ſcutigerulum vocat. Sidonius quoque & plerique ejus ætatis ſcriptores, qui eoſdem, quos Tacit. *excubitores armatos regiæ domus.* ep. l. 1. *Armati regiæ domus adſiſtunt aditibus, quibus horæ primi ſoporis vigilabuntur.* Firmico dicuntur *ſcutarii.* Aſtron. lib. 3. cap. 4. *Facies ſcutarios, vel Imperatorum protectores, vel qui proprio excubitu principibus ſalutem ſervent.* Zoſimus lib. 3. συναποκλινάντων αὐτῷ καὶ τῶν ἀμφὶ τὸν βασιλέα δύο ταγμάτων, οὓς σκουταρίους προσαγορεύουσιν. Quamquam & gladiatores, qui ſcutarii. Antoninus Imper. de Vita ſua παρὰ τὸ τροφεῖος, τὸ μήτε πρασιανὸς, μήτε βενετιανὸς, μήτε παλμυλάριος, ἢ σκουτάριος, γενέσθαι. Sueton. ſpeculatores Claud. cap. 34. *Neque convivia inire auſus, niſi ut ſpeculatores cum lanceis circumſtarent.* Suidas: σπικουλάτωρ, τῷ δορυφόρῳ. At, qui Ammiano lib. 14. *ſcutariorum rector*, forte is poſterioribus σκρίβων. Suid. σκρίβων, ὁ τῶν σωματοφυλάκων ὑπερφερόμενος. WOUWEREN. Alii *diutius.* Hinc *diſcinctos* puto legendum, ac *ſtatores* ſervos eſſe puto, aut libertos, qui prope herum aut patronum ſtant, & ei præſto ſunt, &, ſi quem quærat, arceſſunt ſiſtuntque. Turneb. Adverſar. lib. 4. cap. 19. Ex MS. Jac. Cujacii legendum, *ſtatores altius cinctos*, non, ut in illo, quem citat Turneb. *diutius cinctos.* Qui tamen codex, quo eſt uſus Turnebus, ex eo ipſo exemplari veteri Cujaciano deſcriptus fuerit. *Statores* ſunt proprie carcerum aut ædium cuſtodes. nam *ſtare* eſt verbum ejus rei, apud Manil. lib. 5. Sunt & qui alias *latrones*, ſic dicti, quaſi *laterones*, quod latus tegerent. Scalig. in Catal. ad Priap. ERHARD. De iis egerunt abunde Salmaſius ad Vulcatii Caſſ. cap. IX. Lamprid. Elagab. cap. XXXIII. & Reineſ. Comment. ad Inſcr. Claſſ. I. Inſcr. 19. & Claſ. VIII. Inſcr. 4. & Barthius lib. XXIII. Adverſ. cap. 24. de cinctura eorum quoque quædam addit.

Diutius cinctos] Alii, *altius cinctos.* TORNÆS. Succinctos, hoc eſt, velociores, magis expeditos; Acro ad Hor. *Servi veterum cincti.* Philo περὶ βίου θεωρ.

ἀζώστους.

vere mulio, aut histrio scenae ostentatione traductus. Ex hac nota domina est mea. usque ab orchestra quatuordecim transilit, & in extrema plebe quaerit, quod diligat. [a] Itaque oratione blandissima plenus, Rogo, inquam, numquid illa, quae me amat, tu es? Multum risit ancilla post tam frigidum scema, &. [b] Nolo, inquit, tibi tam valde placeas: ego adhuc servo numquam succubui; nec hoc Dii sinant, ut amplexus meos in crucem mittam. Viderint matronae, quae flagellorum vestigia osculantur:

ἄζωστοι ἢ καὶ καθειμένοι τὰς χιτωνίσκας ἐσίασιν, ὑπηρετίσοντες ἕνεκα τοῦ μηδὲν εἰδωλον ἐπιφέρεσθαι δολοπρεπῆ σχήματος εἰς τοῦτο τὸ συμπόσιον. WOUWEREN.

Arena aliquas accendit, aut perfusus pulvere mulio] Bourdelotti editio, *Arenarius aliquas accendit, aut perfusus pulvere multo.* BOURDELOT. Supra cap. XXVI. *Quartilla jocantium libidine accensa.*

Perfusus pulvere multo] *Mulio.* Pith. TORNÆS. Luctator. Palæstritæ pulvere se aspergebant post unctionem, ut firmius lubricos alioquin artus tenerent. Plutarch. Sympos. probl. lib. 2. quæst. 4. κεκλῆσθαι γὰρ ἀπὸ τῆς πάλης τὰς παλαίστρας, οὐχ ὅτι πρεσβύτατόν ἐστι τῶν ἄλλων, ἀλλ' ὅτι μόνον τῶν τῆς ἀγωνίας εἰδῶν πηλῷ καὶ κονίστρᾳ καὶ κηρώματος τυγχάνει δέομενον. Idem: αἱ μὲν γὰρ παλαιόντων ἐπίξηλαι καὶ ἕλξεις κονιορτῷ δέονται. apud Heliod. lib. 10. ubi Theagenes parat se luctæ. καὶ ἅμα πόνει ἀνελόμενος, καὶ ὤμυς τε καὶ πήχεσιν ἔτι πρὸς τῆς βουλασίας ἰδρῶτι νεοτισμένοις ἐπιχιάμενος, προβάλλει τι ἐκτάδην τῷ χειρί. Tertull. de pall. *Studia palaestra male senescentia, & lutea unctio, & pulverea volutatio.* Apul. libr. 9. Mil. *In modum pugilum, qui pulviculo perspersi dimicant.* Lucian. περὶ γυμνασίων. Ilid. Orig. lib. 15. cap. 2. WOUWEREN. Pessime Gonsalius hic sibi somnia de *tῶ mulio* fingit. ita inscript. apud Gruter. pag. DCXXXVII. 1. FOLIOQVE MVLTO. CUPER. posset tamen *mulio* reponi, quia antea dixerat, sordibus calere fœminas: erant enim muliones, vel servi, vel institores, leg. 5. §. 5. ff. de Instit. Act. vel, si liberi, vilissimæ conditionis, quales qui cursui publico destinata animalia agebant. l. x. & XXXI. C. Theod. de Curs. publ. unde & Lamprid. in Elagab. cap. 12. notat illum etiam *mulionem ad vicesimam curare jussisse.* v. Scheffer. de re vehic lib. 1. cap. 17. BURMAN.

Aut histrio] Juvenal. Sat. 9. WOUWEREN.

Scaena ostentatione] Tacent interpretes, præter Gonsalium, qui tamen quid sibi velit non video. dum ait, *ostentatio frequenter Ciceroni simulatio est. Ostentatio scenae*, explicanda ea, quæ in scena fit. Videtur idem mos fuisse in scena, qui in amphiteatro, ut scilicet omnes histriones, ante hic ornatos in scena ostentarent. De gladiatoribus Quint. decl. 92. Qui locus est elegantissimus. Holstenius ad pass. SS. martyrum pag. 170. hæc ostentatio quomodo facta sit docet Ferrar. lib. 11. cap. 24. part. 10. usus est hac voce Plin. l. epist. 3. *Ostentatio* armorum in inscript apud Pignor. epist. 34. quam tamen recte ut spuriam rejicit. CUPERUS.

Ex hac nota] Vid. supra cap. 83. Phædr. lib. IV. fab. 24.

Fabella talis hominum discernit notas.

ubi vid. Scheffer.

Usque ad orchestra quatuordecim transilit] *Quatuordecim*, scilicet, gradibus. Pflugius. Erant in *orchestra* Senatorum sedibus loca designata: erant & in XIV. gradibus orchestræ primis vel proximis Equitum sedes. inde *orchestram & populum* Juven. dixit pro primoribus & plebe. P. Pithœus Advers. vel subsec. lib. 1. cap. 17. Eleganter de muliere dictum, quæ amatoribus plebejis & vilissimis delectatur. Turneb. Advers. lib. 4. cap. 19. ERHARD.

In extrema plebe] Horat. lib. 11. od. 4.

Credo, non illam tibi de scelesta
Plebe delectam.

Illa tu es] Elegans idiotismus. Valer. Flacc. lib. 11. vers. 485.

Verum ô jam redeunt Phrygibus si numina, tuque
Ille ades, auguriis promisse & sorte Deorum.

Illustravit egregie N. Heinsius ad Ovid. XIV. Heroid. vers. 95. & Epist. XV. vers. 78.

Scema] Vestimenti genus minus æstivum. GLOSS. Vide ad cap. 44.

Tibi placeas] Vide ad cap. 44.

Ego adhuc servo numquam succubui] Licet ingenuæ, inquit, ac nobiliores matronæ reperiantur, quæ ad explendam libidinem cum servis crebro flagella passis, & mox cruci suffigendis, consuescant, ego, tametsi ancilla sim, cum equitibus tantum rem habeo. Petrus Faber Semestr. lib. 2. cap. 8. ERHARD.

Ut amplexus meos in crucem mittam] *Amplexus*, pro eo, qui amplectitur, id est, me amplectendam. Sic *necessitudines* pro necessariis, *convivia* pro convivis, *regna* pro regibus, &c. frequentari observavit Bernart. Schol. ad Statium lib. XVI. Thebaid. vers. 756. ERHARD.

Crucem mittam] *Crux* pro servo, nam servilis pœna crux erat. GLOSS. Servilis pœna *crux* Juvenal. *Pone crucem servo.* vide Petr. Fabrum in Semestr. lib. 2. cap. 8. Lipsium de Cruce lib. 1. cap. 12. Gretserum de Cruce, lib. 1. Venuste vero *crucem* servum cruciarium

tur: ego, etiamsi ancilla sum, numquam tamen nisi in Equestribus sedeo. [a] Mirari equidem tam discordem libidinem coepi, atque inter monstra numerare, quod ancilla haberet matronae superbiam, & matrona ancillae humilitatem. Procedentibus deinde longius logis, rogavi ancillam, ut in platanona duceret dominam. Placuit puellae consilium: itaque collegit

[a] POLYÆNOS.

rium appellat, qua facie sermonis *scelus* pro sceleste. Lipsius d. l. Bernartius d. l. ERHARD.

Viderint] Vide supra ad cap. 61. & 77.

Flagellorum vestigia] Ulpian. fragm. pro stigmatibus. BONGARS. Ulpian. lib. 1. Regul. *De dittorum numero sunt, quibus vestigia scripta fuerunt.* PITH. Σημεῖα τῶν πληγῶν. Tertull. de Pall. *vestigia cestuum viris occupavit.* Ovidius 3. Amor. 8.

Cernes cicatrices veteris vestigia pugnæ. WOUWER. Lege *flagrorum vestigia*, id est, servos, qui Plauto *mastigia*. Sidonio *fractores scrularum*, Tertulliano *flagra rumpentes*. Savaro ad Sidon. libro 3. ep. 13. quæ hoc loco *flagellorum vestigia*, infra vocat *verberum notas*. Adi Brissonium Selector. lib. 3. cap. 10. Gretserum de Cruce, lib. 1. cap. 8. 9. 10. Rader. ad Mart. lib. 14. cap. 69. ERHARD. Ovid. 11. Amor. eleg. VII.

Quis Veneris famulæ connubia liber inire,
Tergaque complecti verbere secta velit?

Amplissi. Cuperus adscripserat Turpilii locum apud Nonium in *caries*. *Viden' ut osculatur cariem, num illum illæc pudet?*

In Equestribus sedeo] Seneca lib. 7. de Benef. cap. 12. *Equestria omnium Equitum Romanorum sunt.* BONGARS. Martial. lib. XI. Epig. 105.

Hectoreo quoties sederat uxor equo.

Seneca VII. de Benef. PITH. *Equestria* pro locis theatralibus equitum, &, modificatis verbis, pro *equitibus* usurpavit. Ideo vero est: numquam est mihi res, nisi cum illis, qui sedent in quatuordecim ordinibus. Turneb. Adversar. lib. 4. cap. 19. Metaphora ab equestribus, hoc est, locis in spectaculo equiti datis. Pet. Faber Semestr. lib. 2. cap. 7. Lipsius de Amphith. cap. 14. Pet. Pithœus Adversar. lib. 1. cap. 17. ERHARD. Pomponius, *prostibulo. Qua peditibus nubere poterant, equites sperant spurca.* SCIOPP. Recte convenit hoc epigramma, quod hic inserui,

Invenias quod quisque velit, non omnibus unum est.
Quod placet, hic spinas colligit, ille rosas.

BOURDELOT.

Discordem libidinem] Omnino legendum *dissortem*, ut docuit Illustris Heinsius A. Sabini Ep. 1. vers. 35.

Non servus Antiphates, nec in uno corpore dissors
Parthenope. BOSCH.

Pridem est, quod legendum vidi *tam dissortem libidinem*. *Dissors* sane, quod *ancilla haberet matronæ superbiam, matrona ancillæ humilitatem*, quibus verbis optime Arbiter interpretatur *libidinem dissortem*. Diximus de hoc vocabulo ad Epistolam Sabini 1. vers. 35. HEINS.

Humilitatem] Seneca lib. 1. de benef. cap 9. *Si quis nulla se amica fecit insignem, nec alienæ uxori amulum præstat, hunc matronæ humilem, & sordidæ libidinis, & ancillariolum vocant.* PITH.

Longius jocis] *Jocis* in aliis deest. PATISSON. Plin. lib. 5. epist. 3. *Fuisse de versiculis meis multum sermonem, eumque diversitate judiciorum longius processisse.* SCIOPP. *Jocis*, Leid. cod. forsan ex glossa. BOSCH. Prima editio & Sambuci *procedentibus demum longius rogavi ancillam.* Traguriensis quoque ignorat τὸ *logis*.

Rogavi ancillam, ut produceret dominam] Has ancillas honestius habebant, utpote conscias non solum libidinum, sed consiliorum & mentis dominæ: dicebantur autem *Fabiæ*. Gloss. *Fabia παιδίσκη*. Talis illa apud Plautum Milite, Act. III. sc. 1.

Quasique hunc anulum Fameæ ancillæ dederit, ea
porro mihi,
Militi ut darem.

Ita Vetus Edit. Florentina. Lege, *Quasique hunc anulum Fabiæ suæ dederit.* apud Juvenalem Satyra 6. vers. 354.

——— *Et flavam cui det mandata puellam.*

Fortassis an legendum, *& fabiam, cui det.* WOUWEREN.

In platanona produceret] Alii, *in platea nova duceret.* TORNÆS. & PATISSON. Turneb. lib. 26. Adversar. cap. 6. *in platanona*, id est, ubi platani crescunt, ut apud Sidonium lib. 8. ep. 9.

Myrtos & platanona pervagatus. DANIEL.

Martial lib. XII. Epig. 50.

Daphnonas, platanos, ac nerias cyparissos,
Et non unius balnea solus habes. PITH

Εἰς πλατανῶνα. paullo post *flexitque se in eum diphona*. Lege, *daphnona*. *Platanon* & *Daphnon* loca platanis & lauris consita. Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 6. Jacobus Gaudensis lib. 3. Ærarii aur. Poët. *Platanon, locus platanis consitus.* Magnus olim usus *Platanorum* in delitiis æstivis. Cicero: *Hæc tua platanus ad opacandum hunc locum patulis diffusa ramis* Plato in Phædro; καλήγε ἡ καταγωγή. ἥτε γὰρ πλάτανος ἅυτη μάλα ἀμφιλαφής τε καὶ ὑψηλὴ, τῆς τε ἄγνε τὸ ὕψος καὶ τὸ σύσκιον πάγκαλον. Videndus Jac. Pontanus ad Virgil. 4. Georg. Raderus ad Martial. lib. 9 epigr. 46 Barth. ad Claudian. Fescenn. de nupt. Honor. vers. 18. ERHARD.

git altius tunicam, flexitque se in eum daphnona, qui ambulationi haerebat; nec diu morata, dominam producit è latebris, laterique adplicat meo mulierem omnibus simulacris emendatiorem. Nulla vox est, quae formam ejus possit comprehendere: nam, quidquid dixero, minus erit. Crines, ingenio suo flexi, per totos sese humeros effuderant: frons minima, &

Duceret] Ita fragmentum Tragur. & Codd. nonnulli, quam lectionem præfero eo magis, quia mox, *nec diu morata dominam producit è latebris*. Verum, ne quid dissimulem, scribendum opinor, *rogavi ancillam, ut in platanona deduceret dominam*. Neque aliter solet noster. supra cap. 45. *Jam ego cæperam Ephebum in gymnasium deducere*. Sic ibi legendum. cap. 60. *Imo, inquit Giton, persuade gubernatori, ut in aliquem portum navem deducat*. Et aliis locis. BOSCH. *Duceret* primæ editiones & Tragurianus codex. Et mox sequitur *producit*. De platanone vide Philandr. ad Vitruv. lib. v. cap. 11.

Placuit puellæ] Alii, *ancillæ*. PATISSON. Ancillæ, sicut *puer* pro servo: & dicitur hic de stuprata. ERHARD.

Daphnona] * (si daphnon) loca sunt lauro consita. GLOSSÆ. *Daphnona*. Pith. & Turneb. alii, *daphona*. alii, *adophona*. TORNÆS. Alii, *se in cadophona*, &c. PATISSON. Vet. cod. *adophona*. SAMBUC. Lege, *daphnona*. Turneb. supra Jacob. Gaudensis Ærarii aur. Poët. lib. 3. *Daphnones loca sunt lauro consita*. ERHARD. Prima editio & Sambuci *in cadophona*, Tragurian. *cadophena*: latet aliquid. Sed intelligi viride aliquod, quod hypæthris ambulationibus semper inservire solebat, & porticibus adjungebatur (Vitruv. lib. v. cap. 9.) manifestum est.

Ambulationi] Alii, *ambitioni*. TORNÆS. Ambulacro. sic Isa. cap. 4. מסתור Hieronymus transtulit *abscensionem*, pro loco, in quo quid absconditur, sicut Latini *deambulationem* vocant locum, in quo deambulatur. Zuinglius in Compilation. Suetonius Augusto, c. 100. *Circumjectasque sylvas & ambulationes in usum populi tunc jam publicarat*. Sic *coenatio* pro cœnaculo. ERHARD.

Dominam producit] *Produci* meretricium. Pontanus in Macrob. lib. 2. cap. 2. Verbum ad rem accommodatissimum, constat ex Plauto. Bongarsius Variis Lect. in Justin. lib. 9. Alii malint, *perducit*, unde *perductores*, προαγωγεῖς. qui hoc differunt à lenonibus, quod *lenones* sunt scortorum, *perductores* etiam invitarum personarum, ut tradit Asconius in Cic. Verr. lib. 1. cap. 12. Franc. Modius Not. in Justin. lib. 9. ERHARD. Prima editio & Sambuci, *perducit latebris*.

Simulacris emendatiorem, nulla vox est quæ formam] *Forma emendatior* etiam à Nazario dicitur in Panegyr. cap. 34. *Nullam matronarum, cui forma emendatior fuerit, boni sui piguit*. RITTERSH. Ennodius; *Qui te ultra emendationem omnium protulisti*. Plin. epist. & Auson. Paneg. *optimus & emendatissimus*. Arnob. lib. 2. *emendatissimi mores*. Juretus Miscellan. ad Symmach. libro 1. ep. 26. *Simulacris*, id est, imaginibus, pupis, picturis. Est elegantissima formæ omnium speciosissimæ descriptio. Rara autem concordia formæ atque pudicitiæ. Hinc Martial. Catullam suam optat, vel minus formosam, vel magis pudicam: hoc, ne tam vilis habeatur, illud, ne tam turpis ob formam omnibus prostitutam exsistat. Ita pudiciorem ait fore minus formosam, aut honestiorem magis pudicam. Rader. ad Martial. lib. 8. ep. 50. ERHARD. Plaut. Epid. Act. v. sc. 1.

Usque ab unguiculo ad capillum summum est festivissima

Estne? considera: signum pictum pulchre videris.

Eurip. Hecub. vers. 560.

Μαστούς τ' ἔδειξε, στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος
Κάλλιστα.

Mamillasque ostendit, & pectora quasi statua
Pulcherrima.

Ovid. iv. Met. 675.

Marmoreum ratus esset opus. ——

Emendata autem est, in cujus toto nusquam corpore menda est. vide Gronov. ad Senec. de ira libr. 1. cap. 5.

Nulla vox est, quæ formam ejus possit comprehendere] Heliod. ἔτως ἂν εἶναι τοῦ κάλλους ὑπερβολὴν, εἰ εἴη αὐτῷ δυνατὸν εἶναι τῷ λόγῳ φράζειν. WOUWEREN.

Quicquid dixero minus erit] Hieronym. epitaph. Nepotian. *Vincitur sermo rei magnitudine, & minus est omnino, quod dicimus*. WOUWEREN. Simile huic illud Tibulli lib. v. El. 1. vers. 6.

—— *Dictis ut non majora supersint.*

Dousa F. ad Tibull. Imitatus est Cyprianus ep. ad Donatum; *Quicquid jam voce delinquitur, minus*. Pontanus Analect. lib 2. cap. 17 vide Juretum Miscellan. ad Symmach. libr. 1. ep. 26. & Celestinum. ERHARD.

Crines ingenio suo] Ut *sponte sua sandix*. BONGARS.

Ingenio suo flexi] Gloss. *Ingenia*, ἐυφυΐα, φύσις. Nævius: *Ingenio arbusta consita*. Sallust. *Ingenium loci*. Tertull. de habitu mul. cap. 2. *Herbarum ingenia traduxerant*. ita *ingenuus* αὐτοφυὴς. ut Aus. *Ingenui fontes*. *Crines ingenio flexi*, sponte aut natura flexi, Apul. *inaffectatum capillitium*. Flectebant autem calamistro. Varro IV. de Ling. Latin. *Calamistri, heis calefactis in*

cinere

& quae radices capillorum retroflexerat: supercilia usque ad malarum scripturam currentia, & rursus confinio luminum pene permixta: oculi clariores stellis extra lunam fulgentibus: nares paullulum inflexae: & oscu-

lum

crinere capillus ornatur. forte: *tornatur.* Hieron. ad Eustoch. *Crines Calamistri vestigio rotantur.* hinc finxit Juvenal. Sat. 6.

——— *Taurea punit*

Continuo flexi crimen facinusque capilli. WOUWER. Natura sua & per se. Bongarsius Not. in Justin. lib. 2. Barth. ad Claudiani l. 1. in Rufin. v. 210. & l. 1. de Rapt. Proserp. vers. 143. Nam *ingenium* est natura. Nævius Lycurgo; *Ite actutum in frondiferos lucos, ubi ingenio arbusta nata sunt, non obsita:* id est, ubi sunt ingenua & nativa arbusta, non manu aut arte sata. *Ingenuus*, αὐτοφυὴς, sponte natus, nativus, naturalis, ut *ingenui fontes*, οἱ μὴ χειροποίητοι. Schopp. in Miscellan. ERHARD. Id dixit Aristæn. lib. 1. Epist. 1. ἡ δὲ κόμη φυσικῶς εἰλυλισμένη. *Suo* hic est proprio, nativo. vide Gronov. Observ. lib. 1. cap. 11. De *flexis capillis* Salmas. ad Capitolin. Pertin. cap. 12. & Adrian. cap. 26.

Per totos se humeros effuderant.] Heliod. lib. 3. ἡ κόμη δὲ ἔτι πάντε διάπλοκος, ἔτι ἀσύδετος, ἀλλ' ἡ μὲν κόμη καὶ ὑπαυχένιος, ὤμοις τε ἑκατέροις ὑπεκόσμητο. Apul. Mil. x. *crines sensim intorti, per colla passim dispersi.* multis hoc in Fotide describit lib. 11. Tertull. de cultu fœm. 6. WOUWEREN.

Frons minima] Martial. lib. IV. Epigr. XLII.

Audi, quem puerum, Flacce, locare velim.
Lumina sideribus certent, mollesque flagellent
Colla comæ: tortas non amo, Flacce, comas.
Frons brevis, atque modus breviter sit naribus untis:
Pastanis rubeant æmula labra rosis:

Lucian. ἴσως. Arnob. *Imminuerent frontes nimbis.* Sic enim legendum videtur. Isidor. *Nimbus est fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte seminarum.* PITH. Frontem tenuem etiam præferunt Horatius, Silius, Arnobius; sed patulam Virgilius. Barthius in Ceir. Virgil. numer. 497. Veteres angustam & pauxillam frontem inter formæ dotes collocabant. Horatius de Lycoride sua;

——— *Insignis tenui fronte.*

Silius:

Et castigata collecta modestia frontis.

Dousa Commentar. in Horat. cap. 2. contra Scalig. & in Succidan. pro Horat. cap. 2. Quum & illæ, quibus spatiosior modus frontis obtigerat, cultu imminuere studebant, quas reprehendit Arnobius adversus Gent. libro 2. ubi inter cætera, *imminuerent frontem limbis*: Bernartius in Statii Sylvar. lib. 1. epithal. Stellæ & Violant. & Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 4. ep. 42. num. 6. quod epigramma putat à verbis Petronii per imitationem desumtum esse. Porro de frontis parvæ ac modicæ indiciis & significationibus variant scriptores. Trogus Pompejus apud Plin. libro 11. *Quibus parva frons, mobilem animum subesse significat.* Meletius de Natura hominis, cap. 8. *Parva vero ac modica fronte ingenii acumine præditos, & ad discendum propensos opinari sunt.* Polemon de Natura signor. interpret. lib. 1. cap. 4. *Frons angusta per se, rudem hominem arguit.* Melampus lib. de Nævis corporis, in princ. *In fœmina fronte nævus positus, regnaturam, vel magnæ potestatis futuram denotat.* ERHARD. Magno verborum ambitu, nihil tamen novi, & aliis indicti, afferens, ut comtulis Gallulis mos est, hanc veterum de frontis contracto spatio opinionem exposuit Chevræus in miscellaneis suis operibus Gallice editis pag. 322.

Retroflexerat] Hoc nemo melius dicendo expresserit, quam exemplum præbet pictura nescio cujus Romanæ mulieris, in Iconibus Fulvii Ursini, ubi, ut hodie fere Belgicæ mulieres solent, arcus capillus factus, & cincinni post illum ordine positi conspiciuntur. BARTH. Lib. IV. Adversar. cap. 3.

Supercilia] Gonsalii notatis addendus Ammian. Marcell. lib. XXIII. cap. 6.

Malarum scripturam] Alii, *junctaram.* TORNÆS. & SAMBUC. Alii, *junctaram.* forte, *triturum*, à terendo, id est, molendo. DELBEN. Anacreon od. XXVIII.

Τὸ μεσόφρυον ὃ μή μοι
Διάκοπὶς, μήτε μίσγε.
Ἔχέτω δ' ὅπως ἐκεῖνη
Τὸ λελιθότως σύνοφρυν
Βλεφάρων ἴτυν κελαινήν.

Aristenætus: Τὸ δὲ μεσόφρυον ἐμμέτρως τὰς ὀφρῦς διορίζει. DOUZA F. *Scripturam* alii, *junctaram* unus. BOSCH. *Scripturam* prima & Sambuci cum plerisque veteribus editionibus & Tragurienſis codex. Sed neutrum intelligere me fateor. Nisi quod *scripturam* caperem pro extrema linea, quæ finit & circumscribit malas. Ita Ampl. Cuperus notavit, Lucianum in imaginibus dixisse τὸ ὀφρῦων εὐγραμμον.

Fulsus confinio] Lege *fusius.* AURAT. Vet. cod. *rursus.* Vulgo, *& fusus.* SAMBUC.

Oculi clariores] In his præcipua formæ laus, si ignei, & ut sidus radiarent ocelli. vide Ovid. lib. III. Amor. El. 3. & Junium de pictura lib. III. cap. 9. qui & reliquas corporis partes, à Petronio hic laudatas, non omisit. Divinum hoc putabant antiqui, si vegeti & ignei essent oculi. vide Sueton. Aug. LXXIX. Serv. ad Virg. lib. VIII. Æneid. vers. 680. Hinc nihil familiarius Poëtis, quam sideribus comparare tales oculos, qui scintillas & radios emittere videntur. BURM.

lum, quale Praxiteles habere Dianam credidit. Jam mentum, jam cervix, jam manus, jam pedum candor, intra auri gracile vinculum positus, Parium marmor exstinxerat. Itaque tunc primum Dorida vetus amator contemsi.

Quid

Nares paullulum inflexæ] Duo in forma nasi Martialis requirit lib. IV. Epigr. XLII. alterum, moderatum debere esse nasum, alterum, flexuram illam modica uncitate decoram:

——— *Atque modus breviter sit naribus uncis.*

Sidon. lib. 1. ep. 2. *nasus venustissime incurvus.* Ramirez Hypomn. ad Martial. lib. 4. epig. 42. n. 7. ERHARD.

Osculum] Ovid. 1. Metam. vers. 499.

——— *Videt igne micantes*
Sideribus similes oculos, videt oscula, quæ non
Est videsse satis. WOUWEREN.

Non recte mutant in *ossum* vel *ossulum* Prisciani auctoritate abusi. Virgil. 1. Æneid. *Oscula libavit natæ*, id est, ora, ut Servius exponit. utuntur eodem modo Horatius quoque & Ovidius, quos notavit Nestor Novariensis. Est enim *osculum* hoc loco, non φίλημα, sed τοιμάτιον, vel (qua voce Aristot. in Problemat. utitur) στόμιον, Apulejo *buccula*, id est, parvum os. ERHARD.

Dianam] Ita constanter omnes editiones. Sed, quia Venus Cnidia Praxitelis opus, quæ hodie à Mediceis Principibus possideri creditur, veteribus fuit celebratissima, Gallicus Petronii nostri locupletator hic *Venerem* suppositit. Itane licet grassari in veterum monumenta, &, sine ullius codicis auctoritate, quæcumque in mentem veniunt, lectoribus obtrudere? Sed, qui tot simulachra elaboraverat Praxiteles, nonne videri posset etiam Dianæ (quæ pulcherrima semper virgo fuit habita, ut etiam cognomen καλλίστης reportaverit. vide Pausam. lib. VIII. cap. 36.) imaginem fecisse? Certe Brauroniam Dianam Praxitelis opus fuisse docet Pausanias lib. 1. cap. 23. & Anticyræ signum Dianæ Praxitelis manu factum fuisse idem narrat lib. X. cap. 37. An has viderit noster Polyænos, adfirmare nequeo, ut nec, an tali osculo, quale hic Circen habuisse dicit, insignes fuerint hæ Dianæ. Sed hoc scio, non ita licere pro arbitrio veterem lectionem mutare. BURM.

Pedum candor intra auri gracile vinclum] Περισκέλιον. Manil. lib. V. vers. 519.

Et pedibus niveis fulserant aurea vincla.

Plin. lib. 13. cap. 3. *Habeant fœminæ* (aurum) *in armillis*, (Lege, *armis*) *digitisque totis, collo, auribus, sparis discurrant catenæ per latera, & inserta margaritarum pondera è collo dominarum pendeant: etiamne pedibus induitur?* Catenæ aureæ, si in collo, *monilia* & *torques*: si in lacertis, *viriæ, armillæ*, & *brachionariæ*: si in cruribus, *periscelides*. Glossæ: *Periscelides, ornamenta, vel circuli aurei, crurum muliebrium.* Tertull. de cultu fœm. *Nescio, an crus de periscelio in nervum se patiatur artari.* Seneca Hippol. vers. 321.

Crura distincto religavit auro.

Chares Mitylenæus apud Athen. lib. 3. Θηρεύεσθαι κατὰ τὴν Ἰνδικὴν θάλασσαν. τὸ δ' ἐστὶν ἄδρον καὶ πρόμηκες, ἔχων ἐν αὐτῷ σάρκα καὶ μεγάλην καὶ λευκὴν, ἐξ ὧν ἐξαιρέντες ὀστᾶ λευκὰ, προσαγορεύουσι μὲν μαργαρίτην, κατασκευάζουσι δὲ ἐξ αὐτῶν ὁρμίσκους τε καὶ ψέλλια περὶ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας. Cyprian. de habitu Virg. cap. 16. *Nec brachia includat aut colli de armillis & monilibus catena preciosa, sint à compedibus aureis pedes liberi.* Forte rectius ex vestigiis Vet. Scripturæ: *Nec brachia includantur armillis, nec colla monilibus, catena preciosa, sint à compedibus aureis pedes liberi.* Clemens Alexandr. Pæd. lib. 2. cap. 12. Πέδας ἢ περισφυρίους τὴν περὶ τὰς πόδας ἀκοσμίαν τῶν γυναικῶν Φιλήμων ἐν συνεφήβοις προσείπεν. Ἱμάτια διαφαίνοντα, καὶ πέδην τινὰ χρυσῆν, &c. Aristoph. etiam πέδας χρυσᾶς. verbatim Cypr. *compedes aureos.* WOUWEREN. Quod *sicyonia* vocabant, quæ sunt solæ muliebres, quæ obstragula habebant, sed tantum corrigiis aliquot sive ligulis, aut vinculis, quas *ansas* nominabant, superiori pedis parti obstringebantur. idque quam poterat arctissime, quo videlicet aptior comprehensiorque eniteret pedis forma. Tibullus lib. 1. Eleg. IX. vers. 14.

Ansaque compressos colligat arcta pedes.

Ovidius lib. III. Am. El. III. vers. 7.

Pes erat exiguus, pedis est aptissima forma.

Douza Præcidan. pro Tibul. cap. 4. ERHARD. Pes constrictus erat intra aurea vincula, de quibus egregie egit pro sua eruditione Celeberrimus Perizonius ad Ælian. lib. IX. cap. 11. Et olim Rubenius lib. 1. de re Vestiar. cap. 16. qui hunc Petronii locum citans *Parium marmor exstruxerat*, exhibet, nescio an ex conjectura ita corrigere voluerit, an operæ aberrarint. BURM.

Parium marmor] Candidissimum. GLOSS. Horat. lib. 1. od. XIX. vers. 5.

Urit me Glycera nitor,
Splendentis Pario marmore purius. PITH.

Scholia Pindari. Παριὸς ὁ λίθος, ὁ καλούμενος λύγδινος. Hinc *candidissimum* Servius ait ad Virg. Æneid. 1. hinc Anacr. λυγδὸν τεύχηλος. Arnob. libro quarto: *Ulnarum nives marmoreique candores.* WOUWEREN. Quod est candidissimum. Arnob. lib. 4. *Ulnarum nives marmoreique candores.* Martial. lib. 8. ep. 53.

Marmorea fundens nigra Falerna manu.

Ra-

Quid factum est, quod tu projectis, Jupiter, armis,
Inter coelicolas fabula muta taces?
Nunc erat à torva submittere cornua fronte.
Nunc pluma canos dissimulare tuos.

Haec

Rader. in Commentar. Petrus Damiani Meditation. cap. 6. *Crura pendent marmorea*, de Christo crucifixo. ERHARD.

Exstrinxerat] Lege, *exstinxerat*. AURAT. *Exstinxerat*, Vet. cod. SAMBUC. Deleverat pulchritudine & superaverat. DELBEN.

Qui factum] Primæ editiones & Tragurienſis codex *quid factum est*. Solemnis autem illa Jovi exprobratio, quasi omnibus formosis deberet potiri & frui puellis. Propert. lib. II eleg. II.

Cur hac in terris facies humana moratur,
Jupiter, ignoro pristina furta tua.

Statius lib. I. Sylv. II. vers. 134.

Quod nisi me longis placasset Juno querelis,
Falsas huic pennas, & cornua sumeret albæ
Rector, in hanc vero cecidisset Jupiter auro.

Auctor Octaviæ vers. 762.

Si vera loquax fama Tonantis
Furta & gratos narrat amores,
Quem modo Leda pressisse sinum
Tectum plumis pennisque ferunt;
Modo per fluctus raptam Europen
Taurum tergo portasse trucem;
Qua regit, & nunc deserat astra,
Petet amplexus, Poppæa, tuos, &c.

Vide Ovidii quoque elegiam x. libri III. Amorum. Et similis coloris sunt, quæ infra cap. 139. habet. BURM.

Nunc erat à torva submittere cornua fronte] *Erat submittere*, ἐμμιχᾶς, pro, nunc erat tempus submittendi. Ammianus lib. 31. *Tunc erat spectare cum gemitu facta dictu visuque prædira*. ERHARD. *Cornua* Jovis Ammonis, qui umbilico tenus ut aries fingebatur. HADRIANID. Illustravit hanc venustatem summus Gronovius lib. IV. Observ. 8. Amplissimus. Cuperus apud Terentium quoque ex MSS. Andr. Act. I. sc. I. legendum censet *prope est, cum alieno more vivendum est mihi*: non *adest*. Eunuch. Act. III. sc. 5. *Nunc est profecto interfici, cum perpeti me possum*. ubi Donatus notat recte ordinem hunc esse. *nunc est profecto tempus*. vide & Eruditissimi Brouckhusii notas ad Propert. lib. II. eleg. VIII. vers. 16. Græcos ita quoque locutos adnotavit idem vir Amplissimus. Homer. Iliad. Θ. vers. 373.

Ἔσται μὰν ὅτ' ἂν αὖτις ἐΰφρονα Γλαυκώπιδα εἴπῃ.

Gelasius in Actis S. Conc. Nic. pag. 13. referens Blasphemata Arrii. οὐκ ἀεὶ ὁ Θεὸς πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν ὅτε ὁ Θεὸς πατὴρ οὐκ ἦν. *Deus non semper pater fuit, sed fuit, cum Deus pater non erat*. Eurip. Alcest. vers. 1109. ἀλλ' ἐσθ' ὅθ' ἡμᾶς αἰνέσεις. *Erit cum nos laudabit*. Non vero semper *tempus* subintelligi in similibus locutionibus debere puto. Sed etiam *ratio, caussa*, & similia, quod huc maxime quadraret. Sic in locutione illa *est ut*. Horat. I. Epist. XIII. 2.

Non est, ut copia major
Ab Jove donari tibi possit.

Et lib. III. od. I.

Est, ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis.

ubi inepte Dacierius explicat, *est negotium, ut* &c. Et nihil huc faciente Ciceronis loco illustrare tentat. *Ejusmodi spero negotia esse, ut vos istic commodissime sitis*. Non enim dicit *est negotium, ut*, &c. Sed, spero, negotia illa, quæ agitis, esse ejusmodi, ut sitis istic, &c. quæ longe alia locutio est. Sed ita solet ille, qui nunc unicus Horatii interpres audit, & qui Doctissimos, quos omnibus paginis compilat, commentatorum labores è manibus Tironum excutere conatus est. Ita Ovidius lib. II. Metam. vers. 518.

Est vero, cur quis Junonem ladere nolit

Stat. X. Theb 488.

Est, ubi dat vires nimius timor.

in quibus, & pluribus aliis, locis, stultum esset *negotium* subaudire: cum *locus, tempus, ratio, caussa, opportunitas, facultas*, vel similia debeant intelligi. BURM.

Submittere] Ponitur pro sursum mittere, attollere. Lucretius lib. I. vers. 8.

Tibi suaves dædala tellus
Summittit flores.

ubi videndæ notæ Creeghii, qui post alios *subjicere* ita etiam poni docet. vide commentatores ad Virgil. Eclog. X. vers. 74. & Passerat. ad Propert. lib. I. eleg. 2. vers. 9. non intellexit vim verbi Hadrianides, qui cornua Jovis Ammonis hic indicari putat. Cum Petronius velit, Jovem in Taurum mutari, ut erat, cum Europen raperet. BURM.

Pluma canos] Alii, *pluma crines*. TORNÆS. Stewechius ad Arnob. lib. V. pag. 122. legit

Nunc pluma crines dissimulare tuos.

Sed non cepit ille veneres Petronianas, qui non affectabat hos archaïsmos; sed facili & vulgari elegantia sensus suos quam apertissime aperire solet. Neque *crines*, quod & alii supponunt, ulla cum gratiâ intruduntur, cum Senem Jovem ad puellas iturum juvenilem induere formam par erat. Et *canos* prima editio & Tragurienſis agnoscit. BURM.

Haec vera est Danaë, tenta modo tangere corpus,
Jam tua flammifero membra calore fluent.

CXXVII. Delectata illa risit tam blandum, ut videretur mihi plenum os extra nubem Luna proferre. Mox, digitis gubernantibus vocem, [a] Si non fastidis, inquit, feminam ornatam, & hoc primum anno virum expertam, concilio tibi, ô juvenis, sororem. habes tu quidem & fratrem, neque

[a] CIRCE.

Tanta modo] Lege, *tenta*. AURAT.

Jam tua flammifero membra calore fluent] Quare? quia Jupiter in aurum mutatus irrepsit in sinum Danaæ. ERHARD.

Risit tam blandum] Græci dicunt, ἁπαλὸν ἢ χλιαρὸν γελῶν. de quo decenti ac moderato risu videatur Bern. Martinus Var. Lect. lib. 3. cap. 26. ERHARD. Sponsor voluptatis robustæ ille risus. Ovid. lib. III. Amor. eleg. 2.

Risit, & argutis quiddam promisit ocellis,
Hoc satis hic, alio cætera redde loco.

Extra nubem plenum os Luna proferre] Alii, *extra nubem Luna caput proferre*. TORNÆS. Creberrime occurrit comparatio venustæ formæ cum Luna. Nonnus Dionys. libro 4. de Cadmi forma;

Ἔπποτε δινείων φρεσοτερπέα κύκλον ὀπωπῆς
Ὀφθαλμοὺς ἐλέλιζεν, ὅλη σελάγιζε Σελήνη.

Plane ut Petronius. Q. Calaber libr. I. de Penthasilea;

Ὡς δ' ὅτ' ἐρεμνὸν ἴυγρὸν ἐν ἀστράσι δῖα Σελήνη
Ἐκπρέπει ἐν παντεσσιν ἀριζήλος γεγαυῖα
Ἀιθέρι· ἀμφιραγέντος ὑπαὶ νεφέων ἐριδούπων.

Et ipse ad eum simillime. Barthius ad Claudianum de Nupt. Honor. & Mar. vers. 243. Salomon in Cant. Canticor. cap. 6. vers. 10. *Est est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens: pulchra, ut Luna, electa, ut Sol.* ERHARD. Poëtis frequentissima hæc blandæ & formosæ faciei cum plena Luna comparatio, ut Barthius pluribus exemplis ex Græcis Poëtis petitis adstruxit. Egregie Hylæ formam describens Valer. Flaccus lib. III. vers. 558. Lunæ & Soli similem eum lucem diffundere fingit:

Stagna vaga sic luce micant, ubi Cynthia cœlo
Prospicit, aut medii transit rota candida Phœbi,
Tale jubar diffudit aquis.

Horatius lib. II. od. V.

——— *Albo sic humero nitens*
Ut pura nocturno renidet
Luna Mari.

Et quæ plura passim obvia. BURM.

Digitis gubernantibus] Idem est, quod Suetonius de Tiberio dicit cap. LXVIII. sermonem habuisse, *non sine molli quadam digitorum gesticulatione*. De cujus studio Romanis & Italis, non solum viris, sed & fœminis receptissimo, vide quæ notavit Barth. ad Claudian. Cons. Manl. vers. 312. & Wouwer. Polymath. cap. VII. quod autem Gonsalius huc trahat illa è Ciceronis lib. VII. ad Fam. ep. 6. *Manibus gypsatissimis persuasit*, quorum verborum explicationem sublegit Nicolao Loënsi lib. II. Epiphyl. cap. 8. errare mihi videtur. Nam, sive *gypsatas manus* candidas, quod tamen vix arbitror verum, sive barbararum vel venalium mulierum ritu tinctas accipias, eodem redit, dummodo non cum τῷ *persuasit*, conjungas, sed cum τῷ *illa*. Illa Medea, quæ habebat manus gypsatas, persuasit artibus & fraudibus suis: opponitur enim Medea Gypsatis manibus, matronis opulentis & primariis. BURM.

Feminam hornam] Apud Plaut. Mostell. Act. I. sc. III. vers. 3. Philematium læna scorto. *Eventus rebus in omnibus, velut in horreo horna messis, magni fit.* Lucilius, *Horna abstuleri. te à viro*. PITH. Alii, *hornam*, ut *femina* pro muliere accipiatur. *Hornam*, id est, annotinam, ἐνὸς, πέρυσινον. ERHARD. Sine dubio legendum *ornatam*, ut editiones veteres & Tragurianus habent. *Ornata* autem est, cujus maritus vel pater honoribus & dignitate est conspicuus. Quo sensu passim Cicero *ornatos* & *ornatissimos* vocat. Vid. Orat. pro Cœlio cap. XVIII. pro Flacco cap. XXXVIII. Suet. Cæs. I. v. Pricæum ad Apulej. libr. I. Metam. pag. 52. quamvis etiam posset hoc loco sumi pro diligenter amicta, & cultu speciosa, quam non verosimile erat fastiditurum libidinosum Polyænum, cum sola forma eum abripere posset.

Virum expertam] Horat. lib. 3. od. 14.

——— *Et puella*
Jam virum expers. WOUWEREN.

Concilio tibi] Plaut. Milite, Act. IV. scen. 5. *Evenit tibi mea virtute super hac vicina, quam ego concilio tibi.* Festus, Servius. PITH. Peculiare huic rei verbum. Isidor. Origin. lib. 10. *Conciliatrix ob societatem flagitiosæ consensionis dicta, eo quod intercurrat, alienumque nundinet corpus, hanc & lenonem vocant.* Lucilius; *Saga & bona conciliatrix*. Barth. ad Claud. lib. I. in Eutrop. vers. 283. ERHARD.

Habet fratrem] Lege, *habes*. AURAT. Puellæ, quibus cum solitæ, *Fratres* vocabant; contra amatores suam comparem, *sororem*. Infra cap. CXXIX. *Recipies nervos, si triduum sine fratre dormieris*. Nam Giton pullipremoni illi pro culcitella, Martialis. lib. II. ep. 4.

O quam blanda es, Ammiane, matri.
Quam blanda est tibi mater, Ammiane.

Fra-

neque enim me piguit quaerere: sed quid prohibet & sororem adoptare? eodem gradu venio: tu tamen dignare & meum osculum, quum libuerit, cognoscere. [a] Imo, inquam ego, per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere: invenies religiosum, si te adorari permiseris. Ac, ne me judices ad hoc templum Amoris gratis accedere, dono tibi fratrem meum. [b] Quidni? inquit illa, donas mihi eum, sine quo non potes vivere? ex cujus osculo pendes? quem sic tu amas, quemadmodum ego te volo? [c] Haec ipsa quum diceret, tanta gratia conciliabat

[a] POLYÆNOS. [b] CIRCE. [c] POLYÆNOS.

Fratrem te vocat, & soror vocatur.
Cur vos nomina nequiora tangant?

Eadem notione apud Tibull. Senec. alios, Lipsius Antiq. Lect. lib. 3. Cinædos ergo tecto nomine *fratres* appellabant. Et in toto hoc opere Cinædus iste Giton *frater* appellatur. Ramirez ad Martial. lib. 2. epigr. 4. ERHARD.

Inquirere] *Quærere* Leid. cod. probe. Sic legendum esse, dudum vidit Lipsius, qui mox, *& sororem adoptare eodem gradu venia*, corrigit. Adi antiq. Lect. lib. 3. BOSCH. Recepimus priorum editionum & codicum scripturam *quærere*, maxime propter Ovidii locum à Douza adductum.

Quid prohibet] Vide cap. 104.

Sororem adoptare? eodem gradu venio] Legendum, *sororem adoptare eodem gradu venia?* Lipsius d. l. ERHARD. Palmer. Specileg. pag. 781. legit. *Sororem adoptare eodem gradu? venia tu tantum dignare*, &c. Sed vulgata, quam primæ editiones & codex Tragur. confirmat, aptum satis sensum habet. *Eodem gradu venio*, id est, ero tibi pari vinculo conjuncta, quo ille tuus frater. *Venire* autem eleganter se dicit, sui copiam factura deinceps, & amica futura. Seneca Epist. XCVII. *Illa formosa, quam desideras, veniet.* Plura exempla suppeditabit Heinsius ad Ovid. lib. 11. art. amator. vers. 11. BURM.

Tu tantum] Alii, *tu tamen*. TORNÆS. Reduximus editionum primarum & Traguriani codicis scripturam. Tu, etsi alio amore fratris tui occupatus, dignare tamen etiam meum osculum, cum vacabis à fratris tui amplexu, &, cum libuerit, cognoscere & experiri, num & illud suavitate aliqua te adficiat. Artificiosissima hæc petulantis mulieris ad amorem est invitatio, reliqua eodem melle & venere sunt condita.

Agnoscere] Alii, *cognoscere*. TORNÆS.

Per formam tuam te rogo] Lege, *per te, per formam tuam*. Stewech. ad Apul. lib. 4. de Asin. ERHARD. Si quid mutandum sit, solemni obtestationum formula rescriberem *imo, inquam, per ego te formam tuam rogo*: de qua plena manu egit summus Gronovius ad Livium lib. XXIX. cap. 18. in priori editione, nam in posterioribus nescio quare eruditissima illa observatio sit resecta.

Cultores] Amatores. Tralatione verecunda. GLOSS. Male Glossa. *Cultor* minus est, quam *amator*. Qui colit, & frequenter visit ad puellam, & observat, cultor est. Ovidius lib. 1. art. Amat. vers. 722.

Qui fuerat cultor, factus amator erat.

Sueton. Oth. cap. 11. *Post patris mortem libertinam aulicam, quo efficacius coleret, etiam diligere simulavit.* Ita Dido, quæ amari se ab Ænea credebat, Annam sororem coli ab eo dicit lib. IV. 422.

Solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus.

Venuste ergo Polyænos & modeste respondet Puellæ, quæ ipsa non totum sibi amatorem poposcerat, sed cum fratre dividere voluerat. Deinde, cum *colere* & mox *adorare* se velle dicat, Deam, ut postea vocat, illam se censere indicat. BURM.

Templum amoris] In Traguriano & primis editionibus deest, *amoris*.

Quidni, inquit illa, donas mihi eum, sine quo non potes vivere; ex cujus osculo pendes] Lege, *Quid? inquit illa, donas mihi eum, sine quo non potes vivere? ex cujus*, &c. Putschius: & ante eum Douza. ERHARD. *Quidni* est vehementer asseverantis, sed velut ironicum. Apul. lib. 4. pag. 65. *Nequisquam dolor sedatur puellæ. Quidni, quæ inter genua sua deposito capite sine modo flebat.* Et lib. 6. pag. 98. *Ad exitum se compelli manifeste comperit. Quidni? ad quæ suis pedibus ultro ad Tartarum demeare cogeretur*, & lib. 9. pag. 149. *Viam confeceramus longe pejorem, quidni? Lacunosis incilibus voraginosam.* Et pag. 159. *Apponebat & cœnam mulier. Quippe ni? Destinatam alii.* Ergo *quidni* & *quippeni*, valet, nempe, *quippe*. SCIOPP. Tragurienis, *quid ne.*

Sine quo non potes vivere] Tale illud Alciph. ζῶ γὰρ χωρὶς ἐκείνης μὴ δύνασθαι. PITH.

Ex cujus osculo pendes] Non dissimiliter Leucipp. lib. 1. Καὶ συνεξέναξεν ὁ Κλειτιὰς, ὥσπερ ἐκ τῆς ἐκείνης ψυχῆς κρεμάμενον. PITH. Lucretius lib. 1. vers. 38.

Eque tuo pendet resupini spiritus ore. SCIOPP.

Quemadmodum ego te volo] Lege, *ego me volo*. Jungermannus. ERHARD.

Gra-

ciliabat vocem loquentis, tam dulcis sonus pertentabat aëra, ut putares inter auras canere Sirenum concordiam. Itaque miranti, & toto mihi clarius

Gratia] Hic est χάρις illa, & in dicendo lepos, & suada. vide Passerat. ad Propert. lib. 1. eleg. 2. pag. 150. simile illud Virgilii lib. VIII. Æneid. vers. 373.

——— *Dictis divinum adspirat amorem.*

ubi Servius, *id est dictis suis addit venustatem, ut amabiliter ejus audiatur oratio.* BURM.

Pertentatum mulcebat aëra] Non notant viri docti, unde hanc lectionem acceperint. Prima & Sambuci editio cum codice Traguriano habent *pertentabat aera*. Quod non displicet, & dictum ad similitudinem Virgiliani versus lib. 1. Æneid. vers. 502.

Latonæ tacitum pertentant gaudia tempus.

ubi recte docet Cerda, huic verbo inesse amoris & blanditiarum potestatem. Et Mercerus ad Nonium voce *temulenta* proprium esse verbum rei sensim etiam usque ad summum pervenientis. Vidit quoque Barthius in vulgato nullum sensum esse. ideoque in notis ad Zachariam Mitylenæum pag. 168. corrigebat, *temperatum mulcebat aëra*. Sed frustra. BURM.

Inter auras] Alii, *inter aures*. TORNÆS. Alii, *intus aures canere*. PATISSON. Vet. cod. *inter aures*. SAMBUC. Variant libri. alii, *inter auras:* alii, *inter aures:* quidam, ut editio Plantini, *inter aures*. eamque affirmat esse v. c. scripturam. Sic tamen locutos esse Latinæ Linguæ auctores, præstare non ausim: eo labor potius, ut neutrum illud, *auras*, & *aures*, existimem esse Petronii. Etenim multo argutius videtur, *intus canere*, multis de caussis. primum, *intus canere*, id erit, in ipso quasi ore & gutture Circes canere. Deinde, valde perite & artificiose canere. Postremo furtum quoddam animorum indicabit, & pœne subreptos omnes audientium sensus suavissima illa modulatione. Alludum autem ad Græcorum Proverbium ἀσπένδιοι κιθαρισταί, de quo satis sit ad hunc locum adferre, quæ in Ciceronis 1. Verrin. cap. 20. scribit Asconius: *Cum canunt Citharistæ, inquit, utriusque manus sanguntur officio. Dextra plectro utitur, & hoc est foris canere: Sinistra digitis chordas carpit, & hoc est intus canere. Difficile autem quod Aspendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu utraque manu, sed omnia, id est, universam cantionem intus, & sinistra tantum manu, complecteretur. Unde omnes, quotquot fures erant, à Græcis Aspendii citharistæ in Proverbio dicebantur, quod, ut ille carminis, ita isti furtorum occultatores erant.* RICHARD. Idem in Fragmentis: *Sirenum cantus & dulcia plectra Thaliæ Ad vocem tacuisse reor.* Agathias Anthol. 7.

Ἡματι γὰς σὸν φίγος ὁμοῖον, ἀλλὰ τὸ μὲν πυ
Αφθογγον, τὸ δὲ μοι καὶ τὸ λάλημα φέρεις,
Κεῖνο τὸ σειρήνων γλυκερώτερον.

Id est:

Quippe tuo jubare exæquas diem, at ille soni expers
Juncta est clariori blanda loquela tuo,
Sirenum illa sua superans dulcedine nectar.

Aristænetus: ἡνίκα ἡ φθέγξεται, βαζοὶ, ὅσαι τῆς ὁμιλίας αὐτῆς αἱ σειρῆνες. Cæterum ad Agathiæ versus alludit & illud quod sequitur: *Itaque miranti & toto mihi coelo clarius nescio quid relucente.* DOUZA F. Lege, *intus canere*. Digitis psallere, canere intus, plectro, foris dicebatur. Difficilior autem intus canendi modus: & ratio in proclivi. nam qui foris canebant, plectro velut uno digito chordas impellebant, id est, simplicius, qui intus, quinque digitis, velut totidem plectris. Er. Puteanus in Musathen. cap. 11. *Seirenum concordiam* dixit, ut Claudian. *concordiam vulgi.* Barth. ad Claud. VI. Consul. Honor. vers. 604. ERHARD. Quid sit σειρήνων μέλος, docere poterit Aristænetus lib. 1. epist. 1. de Laide: ἡνίκα δὲ φθέγξεται, βαζοὶ, ὅσαι τῆς ὁμιλίας αὐτῆς αἱ Σειρῆνες; ὅσον ἡ γλῶττα σωμύλης ἐρᾷ. Et lib. 2. νὴ τὰς μούσας, ἐυσόμως ἦδον, ἴσα καὶ Σειρῆνες γλυκεῖαι ἀφιέντες φωνήν: Ælianus Var. Hist. lib. 12. de Aspasia: φώνημα δὲ εἶχον ἡδὺ καὶ ἀπαλὸν, εἶπεν ἄν τις, λαλούσης αὐτῆς ἀκούειν Σειρῆνος. Vide plura apud Meurs. ad Lycophr. vers. 1463. Saresberiensis lib. 1. Policratic. cap. 6. *Sirenarum concentus credas esse, non hominum*, &c. Confer Lambin. ad Horat. lib. 2. Satyr. pag. 149. & lib. 1. epist. pag. 252. Hadr. Junium Cent. 5. adag. 41. Lipsi. lib. 1. Quæstion. epist. 14. WEITZ. Callimachus Hymno Apollinis, &c. Non tamen fraudabo lectorem lectione MSS. quæ habet, *intra aures*. BOURDELOT. *Inter aures* vet. cod. *intus aures*. Sambuci cod. *in auras* alii. locus corruptus, quem hac me via sanasse existimo, *in terris canere Syrenum concordiam*. BOSCH. *Inter aures canere*, quid significet, fateor me ignorare, ita tamen editio prima & Tragurienſis: *intus aures* Sambuci, quod adhuc obscurius. *Inter auras* autem, quod aliæ exhibent, est leni spirante aura, quæ vice Musicorum instrumentorum modulationem Sirenum adjuvat. Ita *inter somnum, inter noctem, inter cœnam*, & similia passim occurrunt, de quibus vide Vorst. ad Valer. Max. lib. 1. cap. 1. ext. 8. & lib. III. cap. 11. exempl. 23. & de Latinit falsi suspect. cap. XXI. *Concordia Sirenum* vero est, ut recte notavit Amplissi. Cuperus, symphonia, quam veteres novisse docet Vossius de de cantu Poëmatum pag. 82. & patet ex Apulejo de mundo pag. 66. & 71. Edit. Elmenh. & Cicerone apud Augustin. de civit. Dei lib. 11. cap. 21. Valer. Flacc. III. Arg. vers. 464.

——— *Oriturque trementum*
Remorum sonus & læta concordia vocis.

ubi *læta vox* de cantu haud dubie capienda. Hæc vir erudi-

rius coelo nescio quid relucente, libuit Deae nomen quaerere. [a] Ita, inquit, non dixit tibi ancilla mea, Circen me vocari? non sum quidem Solis progenies; nec mea mater, dum placet, labentis mundi currum detinuit: habeo tamen, quod coelo imputem, si nos fata conjunxerint. Imo etiam nescio quid tacitis cogitationibus Deus agit, nec sine causa Poliænon Circe amat. Sed inter haec nomina magna fax surgit. Sume ergo amplexum,

[a] CIRCE.

eruditissimus. concordiam hanc quoque intelligit Ovidius lib. 1. Metam. vers. 518.

——— *Per me concordant carmina nervis.*

Et de Orpheo lib. x. Metam. vers. 146.

Et sensit varios, quamvis diversa sonarent,
Concordare modos.

Quintilian. lib. v. Inst. cap. 10. *Cantus vocis plurimum juvat sociata nervorum concordia.* De Sirenibus autem late Barthius ad Claudian. Epigr. 33. & Brouckhusius noster ad Tibull. lib. IV. eleg. 1. BURM.

Sirenum cantus] Suavissima illa modulatio, qua omnes pene audientium sensus subripiebantur. GLOSS.

Toto mihi cœlo clarius nescio quid relucescente] Resplendente, ἐπιγνητικῶς. ERHARD. Neque hic mihi sensus constare videtur. Tragurianus habet *reducente*. Heinsius in ora libri sui notaverat, legendum *reducentis*, ut cum *Dea* jungatur.

Ita inquit] Heinsius mallet, *Itane*.

Non dixi] Lege, *dixit*. AURAT.

Circen vocari] Nescio, cur omiserint Editores nonnulli τὸ *me*, ubi omnes tamen meliores membranæ, *Circen me vocari*. BOSCH. *Me* quoque editiones primæ & Tragurianus codex agnoscunt.

Non sum quidem Solis progenies] Non sum, quam videor nomine præferre, Circe: qui enim? mea mater non detinuit cursum Solis. Persem autem parentem fuisse Circes, eamque amatam à Sole, habemus Odyss. x. Jam fingi, Solem diutius hærere in cœlo, probaverit Ovid. lib. 4. Metamorph. vers. 195. Gruterus Suspicion. lib. 6. cap. 15. Ne longius eamus, Circe fuit venefica, at magicis artibus sagæ dicuntur Lunam deducere, & solis cursum inhibere. Ita enim infra gloriatur saga mulier cap. CXXXIV.

——— *Luna descendit imago*
Carminibus deducta meis, trepiduque furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.

Ait ergo, se quidem Circen vocari, non tamen esse veneficam, ut illa antiqua Circe fuit, qua de eadem saga mulier ibid.

——— *Phœbeia Circe*
Carminibus magicis socios mutavit Ulixis.

Phœbeia, id est, (uti hoc loco explicatur) *Solis progenies*. ERHARD.

Mea mater] Lege, *mea arte*. AURAT. Male expositi Douza, rectius Gonsalius. Heinsius autem conjiciebat, *nec Deo, mea mater dum placet.*

Dum placet] Lege, *cum placeret*. Jungermann. ERHARD. Recte Douza P. *quum placuit* emendat. Τὸ *placuit* agnoscit Memm. codex. Mox clariss. Gronov. legit *currum*. vide Observ. lib. 1. cap. 2. BOSCH.

Libentis mundi] Lege, *labentis*. AURAT.

Habebo] Editiones primæ & Tragur. codex *habeo*.

Habeo tamen quod cœlo imputem] Adeo dulce amor malum est, ut cum Diis ex pari vivere se putent, qui feliciter amant, imo Diis ipsis de felicitate controversiam moveant. Neque aliter loquens introducitur Leander à Musæo;

Οὐκ ἀὴν ἐγὼ κατ' Ὄλυμπον ἐφημέροιο Θεὸς εἶναι,
Ἠματέρην παράκοιτιν ἔχων ἐνὶ δώμασιν Ἡρώ.

Zinzerlingus Miscellor. Critic. lib. 5. cap. 6. ERHARD.

Deus agit] Τὸ *Deus* insititium mihi videtur, placeret *mens*, facilis enim mutatio. CUPERUS. Accedo egregiæ conjecturæ. Ovidius Epist. XII. vers. ultimo.

Nescio quid certe mens mea majus agat.

mens agitat mihi dixit Virgil. IX. Æneid. 187. mallet Heinsius, *tacitis concitationibus Deus agit*.

Belieno nece amat] Alii, *Polyænon Circe*. TORNÆS. Autisiod. *Belienon*, male. Homer. Odyss. μ. Pith. PATISSON. Lege, *Olienos me amat*. AURAT. Vet. cod. *bolieno*. puto legendum, *Olienon Circe*. vide paulo post. ibi, *Olienos Circæ salutem*. SAMBUC. Alii, *Bolienum*. Verum hic fortasse est Eucolpius, qui nomen Crotone mutaverat. BONGARS. Lege, *nec sine causa Polianum Circe amat*. Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 6. DANIEL. Apud Hom. Odyss. μ. Ulyxes à Sirenibus πολύαινος appellatur. Vid. Ovid. el. 6. lib. 3. Am. PITH. Vulgo, *Bolianum*, quod non sine causa suspectum, constat enim apud Homerum Odyss. μ. à Circe Ulyssem amatum fuisse; qui & Πολύαινος appellatur à concinentibus mollissimum carmen Sirenibus, cujus initium est;

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ.

an non igitur fabulæ tam notæ, & à poëtarum principe confictæ, recordatio, & nominum convenientia, *Polyænum* mihi magis, quam *Bolyænum*, persuadeant? Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 6. ERHARD.

Inter hæc nomina] Forte, *inter hæc noctis*. AURAT. Primæ editiones & Tragurienses, *sed inter hæc nomina magna fax surgit*. Heinsius conjecit. *scilicet i. h. n. m. pax surgit.*

plexum, si placet. neque est, quod curiosum aliquem extimescas: longe ab hoc loco frater est. [a] Dixit haec Circe, implicitumque brachiis, mollioribus pluma, deduxit in terram vario gramine indutam.

Idaeo quales fudit de vertice flores
Terra parens, quum se confesso junxit amori
Jupiter, & toto concepit pectore flammas,
Emicuere rosae, violaeque, & molle cyperon,
Albaque de viridi riserunt lilia prato.

[a] POLYÆNUS.

Talis

Curiosum aliquem extimescas] Martial. libr. XI. Ep. 69.

Spectas nos, Philomuse, cum lavamur, &c.
Paduant, Philomule, curiosos. PITH.

Catullus Carm. VII.

Tam te basia multa basiare
Vesano satis & super Catullo est,
Quae nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Superstitio veterum, qua nimium felicitatis successum, certumque ac praefinitum numerum, obnoxium fascino credebant. itaque laudantes aut numerantes dicebant, *praefiscini*, quo omnem invidiam se amoliri putabant. Scalig. ad Catull. ERHARD. Non de fascino, sed exploratore aliquo, qui furta Veneris enuntiet fratri, capiendum. Ita *Curiosum oculum adplicabat* Quartilla supra cap. XXVI. tale erat illud *curiosum principium*, quod non delectabat Encolpium cap. XCII. & ita passim haec vox capitur.

Implicitumque me] Tò *me* abest à primis editionibus & codice Traguriano. Neque certe requiritur.

Mollioribus pluma] Martial. lib. VIII. Epig. 64.

Vincas mollitie tremente plumas.

Ovid. lib. XIII. Metam. 796. *Mollior cygni plumis.* PITH.

Deduxit] Propria vox. De qua vide Gronovii lib. I. Observ. cap. 17.

Varie] Omnes, quos vidi, scripti exhibent, *vario gramine.* BOSCH. *Vario* habent editiones primae & Tragur.

Indutam] Cicero aliique dicunt, *vestitam.* SAMBUC.

Idaos quales] Tale quiddam in Diris Val. PITH. Philostratus in Epistolis: καὶ τῷ Διὶ, ὅτε ἐκοιμᾶτο ἐν τῇ Ἰδῃ τῷ ὄρει, ὦδη ἡ γῆ ἀνῆκεν λωτὸν καὶ ὑάκινθον καὶ κρόκον. DOUZA F. Descriptio loci amoeni. Scalig. in Catalect. In eadem historia eadem descriptione utitur Val. Cato in Diris;

Et mecum tenera gavisa est ludere in herba,
Purpureos flores, quos insuper accumbebat,
Candida formoso supponens brachia collo.

Idem ad Catal. Comment. in Diras. Similis locus & apud Philostratum in Epistolis. Lindenbrog. Not. in Catal. Eum habes apud Dousam F. in Spicil. cujus plenaque in Notas illas suas transscripsit Lindenbrog. ERHARD Respicit ad Homer. Iliad. Ξ. vers. 346.

Fudit] Alii, *fundit.* PATISSON. Lege, *fundit.* AURAT. *Funditur*, prima editio.

Confesso junxit] Alii, *concesso vinxit.* TORNÆS. Forte, *concesso.* vet. cod. *junxit.* SAMBUC. Lege, *quum se confesso vinxit amore.* Virgil. in Ciri; *Sin confessus amor.* Graecanicum est, ὁμολογητὸς, tam qui in confesso est, quam qui esse potest. Scalig. in Catalect. ad Cir. Non recte; neque enim hic versus componendus cum Virgiliano, cum Virgilius opponat incestum amorem confesso, & in hoc versu aliud longe negotium sit. Barthius in Ceir. num. 245. Quae vulgo fese omni abjecto pudore prostituebant, non tenebantur Lege Julia de adulteriis, quia sese per criminis professionem omnis honestatis ac juris redderent expertes. Hinc feminae famosae, ut ad evitandam legis poenam jure ac dignitate maritali exsolverentur, lenocinium profiteri coeperant. Et hoc est, quod ait Martialis lib. VI. Ep. 22.

Ne lex Julia te notare possit,
Non nubis, Proculina, sed fateris.

Et hinc *confessus amor* pro impudico. Virg. Ceir.

Sin confessus amor noto te macerat igne.

Et Petronius hoc loco. Petrus Perrenonus Animadvers. & Var. Lect. lib. 2. cap. 4. ERHARD. *Confessus amor* est Juno; videsupra ad cap. 91.

Violaque] *Rideque*, primae editiones.

Cyperon] Rosmarinus, odorifera herba. GLOSS. Lege, *Cyperis.* AURAT. Τὸ κύπειρον dicitur Graecis, & ἡ κύπειρος, herba odorifera, quae, ut *rosmarinus*, in nostris hortis vulgaris, & retento Graeco nomine Cyperis dicitur. Barbaris etiam *Cypria.* Balbus Cathol. *A Cyprus Cypria, genus holeris, quia ibi valde abundet.* videndus Scholiastes Nicandri in Alexiph. At *Cupressus* est arbor, κυπάρισσος, cujus supra meminit Petronius hoc versu;

Gaudent ferali circumtumulata cupressu.

Et infra;

——— *Tremulaque cupressus.*

Virg. 2. Georg.

——— *Nec Idais cyparissis.*

Probus, *Cyparissum dicit cupressum. Cupressi* vel *Cyparissi* in secunda flexione apud Festum in *Cupressi*, & Isidor.

Talis humus Venerem molles clinavit in herbas,
Candidiorque dies secreto favit amori.

In hoc gramine pariter compositi mille osculis lusimus, quaerentes voluptatem robustam. *

CXVIII. [a] Quid est, inquit, numquid te osculum meum offendit? numquid spiritus jejunio macer? numquid alarum negligens sudor? Puto, si

a CIRCE AD POLYANON.

Isidor. lib. 17. cap. 7. ERHARD. Suidas, κύπειρον, ἐδώδιμος βοτάνης, *genus herbae*. Sed, qualenam sit, non explicat. WEITZ.

Venerem] Hoc de opere ipso venereo capit Barthius ad Stat. v. Theb. 110. sed melius de ipsa Dea, ut mox vocavit, Circe, quam nunc Venerem dicit, intelligendum. *Clinavit* probat Barth. Adversar. lib. XIII. cap. 24. & Ampl. Cuper. interpretatur *invitavit*, ut infra cap. 131. *secundum invitantem consedi*, ita Graecis est παρακαλῶ. Euripid. Phoeniss. vers. 1260. Ita & Horatius Epod. 11. dixit fontes *invitare somnos*. Praeterea idem notavit, Graecos talem campum ψυχαγώγιον vocare. Longinus lib. 1. ποιμ. pag. 3. καὶ ἡ θάλασσα προσέκλυζεν ἐν τόποις ἐκτεταμένοις ψυχαγώγιον μαλθακῶς. Ita enim lego, neque moror Jungermanni emendationem, idem καταγώγιον est apud Aelianum lib. III. cap. 1. aliud est ψυχῆς καταγώγιον apud Gregor. Nyssen. in Epistola, quam de iis scripsit, qui Hierosolymam itabant. Θεῖε προσεγγισμοὶ τοπικὴ μετάσασις ἢ κατεργάζεται, ἀλλ' ὅπῃ πεῖ' ἂν ἦς πρὸς σὲ ἦξει ὁ θεὸς. ἐπεὶ γὲ τὸ τῆς ψυχῆς σῷ καταγώγιον τοιοῦτοι εὑρεθῇ, ὥστε ἐνοικῆσαι τὸν κύριον καὶ ἐμπεριπατῆσαι. Nam ἀγωγὴ vocatur omne illud, quod nos ad aliquid faciendum inducit, quod nos agit. Ita Plato lib. 1. de leg. pag. 25. ἀρετὴν vocat τὴν τὲ λογισμῷ ἀγωγὴν χρυσῆν καὶ ἱερὰν, τῆς πόλεως κοινὸν νόμον ἐπικαλυμένην. Et paullo post, δεῖν δὲ τῇ καλλίσῃ ἀγωγῇ τῇ τὲ νόμε ἀεὶ ξυλλαμβάνειν. Ita Plutarchus, in Lucullo, Bibliothecam Luculli vocat Τῶν Μουσῶν καταγώγιον. hinc forte etiam Horatius Epod. 11. vocat *gramen tenax*:

Libet jacere modo sub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine.

Haec vir Amplissimus.

Molles clamavit in herbas] Lege, *clinavit*. unde *inclinare*, Lipsius Antiq. Lect. lib. 1. cap. 8. Recte, & verificant haec Petronii verba; *inclinavit se in lectulum, ac me semel iterumque basiavit*. ERHARD. Sic & Frellon. Lotich. *clamavit* Tornaes. caeteri cum c. Tragur. Anonym. MS. Fuit, cum probarem, *clunavit*:

Ad terram trepido descendunt clune puellae.

Ita Plinio *conclunati* boves. Quid si *mollem inclinavit in herbam*? Dousa MS. Ego malim,

Talis humus molles Venerem inclinavit.

HADRIANID.

Candidiorque dies] Hic versus abest à primis editionibus & codice Tragurienſi. Sed in sequentis capitis carmine quinto versu legebatur,

Pariter compositi] Vide supra ad cap. 19.

Mille osculis lusimus] Catull. *multa milla ludi*. PITH. Tacitus Annal. 14. *Famque lasciva oscula, pranuntias flagitii blanditias annotantibus proximis*. DOUZA F.

Quaerentes voluptatem robustam. Deesse quid videtur. SAMBUC. Joh. Sarisber. lib. 1. cap. 4. *Apri dentibus exstinctum Adonidem deflet Venus, habens semper cum venatione vel robusta commercium*. Ovidius hoc vocat *firmiter coire*; Epist. XIX. vers. 67.

Firmius ô cupidi tandem coëamus amantes,
Nec careant verâ gaudia nostra fide.

Spiritus jejunio macer] Foetidus, graveolens. GLOSSAE. Alii, *marcet*. PATISSON. Corpus quidem jejunio macessit, spiritus vero, anima, & anhelitus, qui potest? An legendum *spiritus jejunio acer?* ut acrem spiritum gravioris odoris dicat, quomodo dixit Virgilius Aeneid. VII. vers. 84.

——— *Savamque exhalat opaca Mephitim.*

Et Catullus Carm. LXIX.

Ladit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.

Item ibidem

Quare aut crudelem nasorum interfice pestem.

Dicitur *saeva Mephitis*, *trux caper*, *crudelis nasorum pestis*, ut *acer spiritus*. *Spiritus* quoque *acer* dicitur ab Horatio, quamvis alia notione verbi, lib. 1. Sat. IV.

Idcirco quidam, Comoedia, nec ne Poema
Esset, quaesivere, quod acer spiritus, ac vis,
Nec verbis, nec rebus inest.

Videri possit etiam legendum *marcet*, pro putret ac putet, ut Plinius ait: *avis Lagopodis accisa corpus statim marcescere*. Jejunis autem acrior foetidiorque spiritus. Martialis lib. IV. epig. 4.

Quod siccae redolet palus lacunae,
Quod jejunia sabbatariorum.

Caecilius Plotio, apud Gellium lib. II. cap. 23.

Sed tua morosane uxor? Quam, rogas?
Qui tandem? taedet mentionis: qua mihi,
Ubi domum adveni ac sedi, extemplo suavium
Datat, jejuna anima. Nil peccat suavio;
Ut devomas, volt, quod foris potaveris. RICHARD.

Id est, foetidus. Schopp. Suspect Lect. lib. 5. epist. 3. Lege totum locum; *Numquid spiritus jejunio macer? numquid alarum negligens sudor putet? si haec non sunt*, &c. Lipsi. Epistol. quaest. lib. 2. ep. 2. Vel legendum,

si haec non sunt, numquid Gitona times? Perfusus ego rubore manifesto, etiam, si quid habueram virium, perdidi; totoque corpore velut laxato, [a] Quaeso, inquam, Regina, noli suggillare miserias: veneficio contactus sum. *

[b] Dic Chrysis, sed verum: numquid indecens sum? numquid incompta, num-

a POLYÆNOS. b CIRCE.

jejunio acer, ut alii habent, id est, gravis, aut *marcet*, id est, putet. Jejunia enim graveolentiam creant, ut etiam parœmia ostendit νηστίας ὄζει. Hinc & Martialis Basilum ait hircum olidum & fœtidum olere *jejunia sabbatariorum*, id est, Judæorum. *Spiritus jejunio acer*, ut Cæcilio apud Gellium, *jejuna anima*, pro fœtida & graveolenti. Raderus ad Martial. lib. 4. epigr. 4. ERHARD. Lege, *jejunio ater*. vide Bourdelotum ad Petronium de graveolentia oris. BOURDELOT. Wouwerius ad Sidon. Apoll. lib. III. Epist. 13. legit, *spiritus jejunio acet*. Gruterus curis secundis ad Martial. lib. IV. Epigr. 4. legit *macet*, quod & Heinsius conjecerat in notis ad Phædr. lib. II. Epilog. qui & *mucet* legi posse addebat. Vulgatam defendit Barth. Adversar. lib. XXIII. cap. 24. & vult iratam mulierem, & ea parte læsam, qua minime vellet, nove loqui. de gravi odore ex jejunio vide Victor. Var. Lect. lib. IV. cap. 2.

Numquid alarum negligens sudore] V. *sudoris*. Glossæ: *Ala* ἴξεδρα, Εἴλεμα. Σχόλη, Πτέρυξ ὀρυθ. Lege, *Ala* ἴξεδρα, ὀσδη μασχάλη. π. ο. Item: Μάλη ἀνθράπε *Subraco*, *Subalo*. Lege, Μάλαια, *Subbrachia*, *Subala*. Isidor. lib. XI. cap. 1. *Alæ subbrachia sunt*, &c. Fœtor sub alis nascitur, qua parte pilant, iis, quis per ætatem licet cum mulieribus rem habere, gravior, si sæpius, si corpore sudoro. fœtor iste Græcis τράγος, Latinis *hircus*. Horat. 12. Epod.

——— *Hirsutis cubet hircus in alis.*

apud Plaut. Pœn. Act. IV. sc. II. vers. 50. *Sine pennis volare haud facile est. meæ alæ pennas non habent.* Mi. *Nolito ædipol devellisse: jam duobus mensibus Volucres tibi erunt hircinæ.* Firmicus lib. 6. cap. 31. *Quorum corpora hircini odoris tristem eluvi em desudatis gravibus sudoribus evaporent.* Glossæ: *Hircosus, quod sit ore & corpore fœtido.* Marcell. de Medicam. *Ad hircos & alas fœtentes remedium.* Itaque φιλόκαλοι, ut odorem abigerent, vellebant alas pice, aut resina, quod Clemens Pæd. lib. 3. cap. 2. πιτίζεσθαι. Martial. lib. 2.

Et splendent vulso brachia trita pilo.

Tertull. de Pall. *Unde apud hirtos & hirsutos tam rapax ab ala resina, tam furax à mento volsella.* Juvenal. Satyr. XI. Capitol. Pertin. *Vasa calefactanda resina divellendis hominibus.* hinc διεῤῥωπακισμένοι, *resinati*. Juvenal. *resinata juventus*. Volsi levigabantur pumicibus. unde φιλοκάθαροι, qui Senecæ *volsi* & *expoliti*, Plinio *pumicati*. Manil.

Pumicibus cavis horrentia membra polire.

Horat. Epod. *Horrens capillis*: Apul. Apoll. *Capillus horrore implexus*, & *horripilare*, hoc est, ὀρθοτριχεῖν, quæ vox in Gloss. & Apulejo, Isidoro in Gloss. *Horripilatur*, *horret*. Vegetius lib. I. cap. III. de Mulomed. *Fit gracilis horrentibus pilis*. apud eumdem: *pilus erectus & horridus*. Fest. *Hircipili duorum pilorum homines*. Lege, *Horripili*. φριξοτρίχες, id est, ὀρθοῦντες τὰς τρίχας, ut Suid. interpretatur, vel potius: *Hirtipili durorum pilorum homines*. Plin. lib. XI. *Pili à cute exeunt crassa hirti*. nam, quod ingerunt de hircorum setis, sententia est. *Hirtus, hirsutus, hispidus*, ἀυχμηρός. Ergo Juven. *hispida membra*, δασεῖα. Sane τὰς μασχάλας θηριώδεις καὶ δασεῖας ἔχειν ἄχρι ἐπὶ πολὺ τῶν πλευρῶν, inter signa τῆς δυσχρείας à Theophr. refertur. WOUWEREN. Fœtidus & graveolens, *hircosus* Plauto Mercat. Act. 3. scen. 3. vers. 14. & Gellio lib. 12. cap. 2. Sidon. lib. 3. ep. 13. *Alarum specubus hircosis & acescentibus*, scitissime; nam alæ *subhirci* sunt Isidoro lib. II. cap. 1. Savaro ad Sidon. ERHARD.

Puto, si hæc non sunt] Alii, *porro*. PATISSON.

Totoque corpore velut laxato] Lege, *luxato*, ut sit metaphora à gladiatoribus sumta. Jungermannus & Putschius, optime. ERHARD. Vide supra ad cap. 82.

Regina] Martialis. lib. II. Epigr. 68.

Quem regem & dominum prius vocabam.

Et lib. IV. Ep. 84.

Sollicitus donas, dominum regemque salutas.

Hybrias, δισπότην καὶ βασιλέα μέγαν φωνέοντι. Diogenes quidem τὰς ἐυμόρφους τῶν ἑταιρῶν ἐκάλει βασιλίσσας, πολλοὺς γὰρ πράξειν ἃ ἂν προστάξωσι. PITH.

Veneficio] Egregie hæc illustravit decus nuper literarum Brouckhusius ad Tibull. lib. I. Eleg. VI. vers. 5.

Dic Chrysis, numquid indecens?] Puellas habuerunt in ministerio, tum ornatrices, tum quæ velut à consiliis formæ, quod stringit Juven. Sat. 6.

Est in consilio matrona, admotaque lanis,
Emerita quæ cessat acu; sententia prima
Hujus erit; post hanc ætate atque arte minores
Censebunt, tamquam famæ discrimen agatur,
Aut animæ: tanta est quærendi cura decoris.

Hieron. *Crines disponebant ancillæ*. edoctæ autem certis magistris ad hoc ministerium, velut ad artificium. Leg. 65 § Ornatricibus. D. de leg. III. Dicebantur *Ornatrices* ab officio, uti & Græcis κομμώτριαι. Hesych. κομμώτρια, κοσμοῦσα τὰς τρίχας. Clement. Pæd. libr. 3. cap. 2. κομμῶται δὲ καὶ κομμώτριαι περὶ τὰς γυναῖκας ἀμφιπολεύουσι αἱ μὲν τὰ κάτοπτρα, αἱ δὲ τοὺς κιμυφάλους, ἄλλαι

numquid ab aliquo naturali vitio formam meam excaeco? noli decipere dominam tuam; nescio quid peccavimus. [a] Rapuit deinde tacenti speculum,

a POLYÆNOS.

ἄλλας τοὺς κίνας. Lucian. μετ' αὐτῆς δὲ δεσποίνης κομματῆς. Juvenal. Sat. 6.

——— *Ponunt*
Cosmeta tunicas.

Interpr. *Eos dicit, qui ornamentis præsunt, non tamen & ornatrices.* Ergo proprie *ornatrices*, quæ crines disponebant. Sueton. Claud. cap. 40. *Hæc matris meæ ornatrix fuit.* V. Inscript. CINERIBUS. HAMILLAE. ALPIONIAE. QVINTAE. ORNATRICI. FESTVS. M. SEPTIMI. GALLI. DISPEN. CONTVBERNALI. B. M. F. Juvenalis Ornatrici nomen *Psecæ* ab arte imposuit, nam ψεκάζειν Græci dicunt, quando minutum sive rarum pluit. Ornatrices igitur componentes rarum ac parvum aquæ solent mittere, ac velut ψεκάζειν. ut est apud Interpr. Glossæ: κοσμήτρια, *ornatrix*. Item: *Cinisiones, ornatrices.* Acro ad Horat. lib. 1. Sat. 2. *Cinisiones & cinerarii, eadem significatione apud veteres dicebantur ab officio calamistrorum, qui acus & veruta flando calefaciebant, quibus matronæ capillos crispabant.* Varro 4. de Ling. Lat. *Qui calamistros calefactos in cinere ministrabat, à cinere Cinerarius est appellatus.* Glossæ: *Cinerarius* δελ& ἰταιρας. Charis. libr. 1. *A Cinere cinerarius, muliebre ministerium.* Cato in Orig. *Mulieres capillum cinere ungebant, ut rutilus esset crinis.* ubi sane, quia diversum eorum munus, diversa origo. Senec. de Tranq. Vitæ cap. 14. Tertull. 2. ad uxor. Glossæ: *Cinisto*, ἱμπλέκω. Item, γυναικῶν κοσμητος, *Cimnisso.* lege, *Cinisto.* Plaut. Aulul. Act. III. scen. v. *Caupones, patagiarii, indusiarii.* lege omnino, ut V. E. Florent. *Cinistones, p. i.* Sciendum itaque, Ornatrices esse puellas, quæ composuere capillum, Cinisiones & cinerarios, qui acus calefactas subministrarunt ornatricibus, quamvis Gloss. pene confundant. WOUWEREN. Non absimiliter Philematium Plautina ad Scapham in Mostell. Act. 1. sc. 2.

Contempla amabo, mea Scapha, satin' hæc me vestis deceat.
Volo meo placere Philolachi ———
Ego verum amo, verum volo mihi dici, mendacem odi.

Utraque hæc ancilla, & Scapha & Chrysis, ex ornatricibus, de quibus Scalig. in Priapej. & ad Festum, Rævardus Conjectan. lib. 2. cap. 18. seq. Bernartius ad Statii Sylvar. lib. Radul. Fornerius Quotidian. lib. 1. cap. 22. Hæ & *cinistones* dictæ, nec puellæ tantum, sed pueri huic ministerio adhibiti. Salisberiensis libr. 3. cap. 12. *Quod cubicularii aut cinistones, nanive, aut quicumque nebulonum, quibus delicatus divitis sensus aut furor carere non potest.* Balbus Catholico; *Cinistio, qui calamistrum calefacit, scilicet ferrum, quo capilli crispantur. hic vulgo crimifer dicitur.* ERHARD.

Sed verum] Elegantem hujus particulæ usum jam notavit Scioppius ad Phædr. lib. IV. fab. 17. Senec. Herc. Fur. vers. 724.

Vultus est illi Jovis,
Sed fulminantis.

Et vers. 1177.

At tu ede Thesèu, sed tua, Thesèu, fide.

Martial. lib. 1. Epigr. 118.

Et scalis habito tribus, sed altis. BURM.

Numquid indecens sum] Lege *Dic Chrysis, sed verum, numquid incomta, numquid indecens sum? numquid ab aliquo*, &c. Bern. Martinus Var. Lect. lib. 1. cap. 7. ubi tractat de muliercularum cultu & nitela corporis. ERHARD. Non de vestitu, sed de ipso corpore capiendum. Suet. Domit. 18. Victor in Vero. *procerus decenter membra.* Priapej. Carm. 36.

Habet decentes nuncius Deûm plantas.

de gestu, quem ludentes pila frangebant. inscriptio apud Gruter. pag. DCXXXVII. 1. VRSUS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA LVSI DECENTER CVM MEIS. CUPERUS. Recte. Nam *decentes* puellæ, quæ omni parte corporis pulchræ, & quasi staturâ ad regulam exactâ sunt. Ita *Gratiæ decentes* Horat. lib. 1. od. 4. *Venus decens* od. 18. Paullus Maximus *decens* lib. IV. od. 1. ita *servitia decentiora* apud Sueton. Cæs. cap. XLVII. ex Lipsii certissima emendatione. BURM.

Numquid ab aliquo naturali vitio formam meam excaco] *Naturale vitium* vocat animo inhærens à natura, quod dedecet atque deturpat corporis formam, nec speculo potest emendari. Rigaltius ad Phædrum lib. 2. fab. 47. Immo *naturale vitium* est, quod corpori innatum, & ab ipsa natura impactum. Non absimiliter infra; *si dolorem meum naturali convicio exoneravi*: hoc est, in meam ipsius naturam & corpus facto. ERHARD. Præpositio vacat. vide Passerat. ad Propert. lib. IV. eleg. 1. pag. 570. nisi *ab* positum sit pro ob, propter. Ovid. III. Metam. vers. 571.

Spumeus & fervens, & ab objice sævior ibat.

vide Gronovium ad Senec. de Clement. lib. 1. cap. 20. *Excæcandi* autem verbum illustravit Heinsius ad Ovid. XV. Metam. vers. 272. BURM.

Rapuit speculum] Propert. lib. IV. eleg. 7.

Delitiaque meæ Latris, cui nomen ab usu est,
Nec speculum dominæ porrigat illa novæ.

WOUWEREN. Hinc eleganter Martiali libr. IX. Epig. 17. dicitur *consilium formæ speculum.* Ovid. lib. II. Amor. El. 17.

Scilicet à speculi sumuntur imagine fastus,
Nec nisi compositam se prius illa videt.

Et lib. III. art. Am. vers. 136.

Nec genus ornatûs unum est, quod quamque decebit
Eligat & speculum consulat ante suum.

vide, quæ in hanc rem egregie contulit Vir Illustrissi-

lum, &, postquam omnes vultus tentavit, quos solet inter amantes risus frangere, excussit vexatam solo vestem, raptimque aedem Veneris intravit. Ego contra damnatus, & quasi quodam visu in horrorem perductus, interrogare animum meum coepi, an vera voluptate fraudatus essem.

Nocte soporifera veluti quum somnia ludunt
Errantes oculos, effossaque protulit aurum

In

mus Spanhemius ad Callim. Hymn. in Pallad. vers. 17. BURM.

Tentavit] Vide ad cap. 12.

Frangere] Insolentior etiam locutio: risus *frangit* autem vultum, quando lascivior & mollior faciei habitus adparet, ut *fracta pronuntiatio* Plinio. libr. 11. Ep. 14. fœminarum mollem & delicatam imitans. *Fracti soni* Tacito lib. XIV. Ann. cap. 20. *Fracta vox* Juven. Sat. 11. vers. 111. Amplissimus Cuperus mallet *fingere*, ut supra cap. 113. *Omnes blanditiæ, quascumque mulier libidinosa fingebat.* Et sane *Frangere* & *Fingere* frequenter à librariis fuere commutata. Ita supra cap. CXIX. pro *fracti gressus*, aliis *ficti* placet. Ita apud Horat. lib. III. od. 6. in quibusdam MSS. legitur *fingitur artibus*, in aliis *frangitur*. vide Heins. ad Claud. l. 1. in Eutrop. v. 262. inepte autem explicuit Dacierius ad Horatii lib. 1. od. 35. quasi frangere *perdere* hic notet. Non cepit scilicet construendum ita esse, ut risus dicantur frangere vultum inter amantes, id est, faciem reddere lasciviorem & magis amabilem. Et tales interpretes mercenarii Ephemeridum scriptores laudibus in cœlum vehunt, dum eruditissimos, præsertim mortuos, contumeliosis verbis traducunt. Sed quid dicas? mutuum muli scabunt.

Vexata solo vestis] Pulvere respersa, rugisque deformata. GLOSSÆ. Martial. lib. XI. Epig. 90.

A te vexatas malo tenere rosas.

Juvenal. Sat. XI. vers. 187.

Humida suspectis referens multicia rugis
Vexataque comas. PITH.

Excussit] Propria vox. De veste vel alia re, ex qua pulverem vel alias inhærentes sordes quatiendo excutimus. vide Scheffer. ad Phædr. lib. V. fab. 5. Ovid. lib. 1. art. Am. vers. 149.

Utque sit, in gremium pulvis si forte puellæ
Deciderit, digitis excutiendus erit.
Et si nullus erit pulvis, tamen excute nullum.

Ita ad illud Persii Sat. 1. *nam belle hoc excute totum*; Cornutus, ut vulgo creditur, *translatio à vestimento pleno sentibus, vel quibuscumque corpusculis, quod, dum excussum fuerit, quidquid habet absconditum, projicit. Concutere* dixit noster supra cap. XII. de voce *vexare* egimus supra ad cap. IX. BURM.

Ædem Veneris] Ergo Veneris sacellum in isthoc horto, non Priapi. ERHARD.

Damnatus] Vide supra ad cap. 80.

Visu] Frequentissima vox in titulis & lapidibus *ex visu*, pro somnio, quo à Diis moniti aliquid dedicaverunt. Neque refert, *visus* an *visum* dicatur. vide Nerii Analect. lib. 11. cap. 19. Tomasin. de Donar. cap. XXVI.

Interrogare] Vide supra ad cap. CII.

Vera voluptate] Re, qua voluptatem capimus. ERHARD.

Nocte soporifera] Scribit Tacitus in princ. lib. XVI. *Illusit deinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius, ex promisso Cesellii Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnæ quietis imaginem ad spem haud dubiam retraxit. Vectusque Romam, Principis aditum emercatus, expromit repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur*, &c. Inspice ipsum Tacitum. Existimat Ludovicus Dorleans, Arbitrum super istis Bassi insomniis hos versus concepisse: nam erant contemporanei, nec postea diu supervixit. Somnia sunt, inquit idem Interpres, imagines, quæ, corporibus dormientibus, semperque vigilantibus animis nascuntur, & intereunt. Amm. Marcell. lib. XIV. *Sopitis corporibus*, ait, *animus semper vigens, motibus indefessis & cogitationibus subjectus, & colligit visa nocturna, quas phantasias nos appellamus.* Sed avarorum sunt somnia opes. Sallust. III. fragm. *Contra ille calvi ratus* (id est decipi) *quærebat, num somnio thesaurus portenderetur?* Apul. IV. Mil. *Nocturnæ visiones contrarios eventus nonnumquam pronuntiant; denique flere & vapulare, & nonnumquam etiam jugulari, lucrosum prosperumque proventum nuntiant. Contra ridere, & mellitis dulciolis ventrem fagmare, vel in voluptatem Venereamconvenire, tristitia animi, languore corporis, damnisque cæteris, anxiatum iri prædicant.* Sic illudunt hominibus dormientibus dæmones per insomnia. S. A. GABBEMA.

Effossaque protulit aurum in lucem tellus] Nonnus Dionysi. libr. 35. vers. 245. pœne ad verbum hæc habet:

Ὡς δ' ὁτε τις κατὰ νύκλα βαθυπλήτοις ἐν ὀνείροις
Τέρπεται ἀπρήκτοισιν ἐπ' ἐλπωρῆσιν ἀείρων
Ἀφνειὰς παλάμηισι μινυνθαδίης χύσιν ὁμφῆς,
Ὑπναλέων κιτέωνα ἀπατήλιον ἐλπίδα βόσκων.
Ἀλλ' ὁτε φαινομένης ῥοδοειδέος Ἠριγενείης,
Χάζεται ἀκλεέσιο παλίγκυτος ὄψις ὀνείρου
Σὺν κενεαῖς παλάμηισιν ἐγείρεται, οἶδεν ἀείρων,
Ῥίψας κλεψιόων σκιοειδέα τέρψιν ὀνείρων, &c.

Ita

In lucem tellus, versat manus improba furtum,
Thesauroſque rapit, ſudor quoque perluit ora,
Et mentem timor altus habet, ne forte gravatum
Excutiat gremium ſecreti conſcius auri.
Mox ubi fugerunt eluſam gaudia mentem,
Veraque forma redit, animus, quod perdidit, optat,
Atque in praeterita ſe totus imagine verſat. * * *

[a] Itaque hoc nomine tibi gratias ago, quod me Socratica fide diligis. Non tam intactus Alcibiades in præceptoris ſui lectulo jacuit. *

CXXIX. [b] Crede mihi, frater, non intelligo me virum eſſe, non ſentio. funerata eſt pars illa corporis, qua quondam Achilles eram. * Veritus

a GITON. b POLYÆNOS.

Ita apud Theocritum Piſcator in ſomno ἀνήλκυσε χρύσεον ἰχθὺν πάντα τῷ χρυσῷ πεπυκασμένον. WEITZ.

Verſat manus] Alii, *non ſit manus*. PATISSON.

Perluit ora] Alii, *proluit ora*. alii, *perluit artus*, PATISSON. Sic quidem noſtri omnes. Tornæſius: alii, *proluit*. quomodo & codex Tragur. *proluit ora*. Douſa MS. *perluit ora*, alii *perluit artus*. HADRIANID. Vide ſupra ad cap. CXX. Poſt hunc verſum Leid. cod. hoc auctior,

Candidiorque dies ſecreto ſavit amori. BOSCH.

Mentem timor altus habet] *Pectora terror habet*, ait Ovid. lib. III. faſt. quomodo & Maro:

Quod ſi tantus habet mentes & pectora terror.

BOSCH. Vide Heinſ. ad Ovid. epiſt. XII. verſ. 170.

Veraque forma redit] Supra cap. LXXX.

Vera redit facies, diſſimulata perit. ERHARD. Scribendum *redit* pro *redit*: producitur enim in eo tempore ultima ſyllaba. vid. Heinſ. ad Ovid. Epiſt. Heroid. VI. verſ. 31.

Animus quod perdidit optat] In eadem ipſiſſima re Dionyſ. Cato in Diſtich.

——— *Mens humana quod optat*. ERHARD.

Quod me Socratica fide diligis] Atqui Socratem ut pædiconem & puerarium diſtulerunt antiqui, Lucianus, Theodoretus Græcan. affect. ſerm. 12. Senec. epiſt. 104. Tertullian. Apologet. cap. 148. Callianus Collat. 13. cap. 5. Lucilius apud Nonium in *Signare*, & in *Diſcrimen*. unde convicium in Socratem ὁμματα παιδιᾶσαι. Savaro ad Sidon. libr. 4. ep. 3. ERH.

Non tam intactus Alcibiades] ἰσωτικὸς γὰρ ἦν ἱππισπὶς καὶ ὁ Σωκράτης, καὶ ὑπὸ μίαν Ἀλκιβιάδης αὐτῷ κλανίδα κληθεὶς ἐκ ἁπλῆς ἀίστης. Lucian. PITH. Plato in Sympoſ. Plutarchus & Corn. Nepos in Alcibiade. *Tangere* inter Veneris vocabula, ut Varro loquitur. Martial. lib. I. epig. 92. Barth. ad Claudian. de laudibus Seren. verſ. 127. ERHARD.

Lectulo] Alii, *cubiculo*. ſicut D. Paul. ad Rom. 13. *non in cubilibus & impudicitiis*. ubi tamen verius dixi fornices lupanares intellegi. ERHARD.

Non intelligo me virum] Tertull. de Virgin. vel. cap. XII. *Simulque ſe mulieres intellexerunt*. PITH. Idem cap. XI. *ex quo ſe intelligere cœperit*. Vell. Paterc. lib. II. cap. CXVI. *A. Licinius Nerva Silianus, quem virum ne qui intellexit quidem, abunde miratus eſt*. Plin. lib. XXXV. cap. 10. *ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem*.

Non ſentio] Ovid. lib. III. Am. El. VII. verſ. 20.

Nec juvenem, nec me ſenſit amica virum. PITH.

Funerata eſt] Egregie de membro inutili & quaſi mortuo: ita Epigramma vetus apud Pith. pag. 50. de Scævola.

Una domans bellum funere dextra ſuo.

Hercules Oetæus apud Senec. verſ. 1245.

——— *O vires prius*
In me ſepultæ!

ubi legendum notavit Heinſius *ô vires prius jam me ſepultæ!* acute, me Hercules! accommodatius vero ad obſcœnum Petronii ſenſum Martialis lib. XI. Epigr. 47.

Nec levat exſtinctum ſollicitata caput.

& Apulejus libr. VII. Metam. *Tali ſententia mediis orci manibus extractus, ſed extremæ pœnæ reſervatus, mœrebam, & in noviſſima parte corporis totum me periturum deflebam*. Ubi nihili eſt *noviſſima* illa *pars*. Heinſius in curis ſecundis Ovidianis, quas debeo publico, ad lib. I. faſt. 408. corrigebat *nobiliſſima parte*. Error natus ex confuſione V. & B. de *parte* autem ſupra vide ad cap. CXII. BURM.

Pars illa corporis] Alibi cap. 132. *Cum illa parte corporis*. Ovid. libr. III. Amor. El. VII.

Quin iſtic pudibunda jace pars peſſima noſtri.

PITH.

Qua quondam Achilles eram] Totus quaſi corneus. Infra cap. CXXXIV. *niſi illud tam rigidum reddidero quam cornu*. ERHARD.

Achilles] Latet obſcœnitas, quæ ad haſtam illam celebrem & nobilem Achillis, qua omnes Græciæ duces ſuperabat, adludit. hinc in Priapejis *haſta* pars illa

tus puer, ne in secreto deprehensus daret sermonibus locum, proripuit se, & in partem aedium interiorem fugit. * Cubiculum autem meum intravit Chrysis, codicillosque mihi dominae suae reddidit, in quibus haec erant scripta.

Si libidinosa essem, quererer decepta, nunc etiam languori tuo gratias ago. In umbra voluptatis diutius lusi. quid tamen agas, quaero, & an tuis pedibus perveneris domum? negant enim medici sine nervis posse ire. Narrabo tibi, adolescens, paralysin cave. numquam ego aegrum tam magno periculo vidi. me Dius Fidius, jam peristi. Quod si idem frigus genua manusque tentaverit tuas, licet ad tubicines mittas. Quid ergo est? etiamsi

illa vocatur, & *telum* à Justino lib. XXXVIII. cap. 2. δολιχόστομον ἔγχος Suet. Vespas. 23.

Veritus puer] Alii, *vetitus*. TORNÆS.

Sermonibus] Unde deprehenderetur mendacium & tota scena, & mimus divulgaretur Crotonienſibus.

Chrysis] Ovid. lib. IX. Metam. 506.

Una ministrarum, &c.

Flava comes aderat faciendis strenua jussis. PITH.

Reddit] Lege, *reddidit*. SAMBUC.

Si libidinosa] Αἰ αἰ τάλαν, exclamat Drose apud Lucianum, οὐδὲ τὸ χαίρειν προσείρηκας. PITH. Interponit Bourdelotius, CIRCE POLIENO SALVTEM. *Si libidinosa essem*. &c. Sed deest in primis editionibus & Tragur. inscriptio, & forte rectius. Non enim convenit objurganti & laesae humanitas illa; contra Polianus, placare tentans, nomen suum blanditiis inscribit.

In umbra voluptatis] Forte, *quod in umbra*. SAMBUC.

Quid tandem agas] Scribe, *quid tamen agas*. Pith. PATISSON. *Tamen*, Mem. Leid. & Trag. codex. lectio etiam tolerabilis. consule Notas ad cap. 31. Neque forsan aliter scribendum ac distinguendum Ovidianum illud in ipso operis initio:

Hanc tua Penelope lento tibi mittit, Ulysse,
Nil mihi rescribas, at tamen ipse veni. BOSCH.

Perveneris] Lege, *perveneris*. AURAT.

Sine nervis homines ambulare posse] Alii, *ire posse*. TORNÆS. Lege, *iri*. DELBEN. Bapt. Pius lib. 4. Commentar. in Lucretium circa fin. fol. 124. citat hunc Petronii Arbitri locum; *sine nervis ajunt stare nil potesse*. quo loco idem Pius quosdam legere *venis* testatur, ut sit sensus, quae voluptas in venarum interiori fomite bacchabatur. DANIEL. Tornaesius: alii, *sine nervis posse ire*. Anonym. MS. Deleverim *homines*, & scripserim, *negant enim medici sine nervis ire potesse*: aut potius, *stare potesse*: quia id alteri illi convenit. Tragur. codex, *sine pedibus posse ire*. Petr. Danielis: *sine nervis posse ire*. HADRIANID. Reduximus priorum editionum lectionem. Nam, *homines ambulare posse*, unde petierint, viri docti non indicant. Tragurianus vitiose *sine pedibus posse ire*.

Narro ibi] Lege, *tibi*. AURAT.

Ego aegrum] *Ego* in aliis deest. PATISSON. Negat hanc phrasin Latinam esse H. Stephanus in Pseudocicerone; asserit Schopp. Verisim. lib. 4. cap. 14. quem vide. ERHARD. Elegans locutio. Sic Cicero ad famil. lib. IV. Ep. 15. *Ne quo periculo te proprio existimares esse*. Et lib. VI. ad fam. Ep. 4. *Quanto fuerim dolore meministi*. lib. I. ad Att. Ep. 12. *Rem esse insigni infamia*. Et lib. II. ep. 21. *Ut nunc se res habet, admirabili gloria est*. lib. V. ep. 14. *Tamen magno timore fuit*. Ita *animo habere*. lib. I. ad Att. Ep. 6. & Auctor Bell. Hisp. cap. 78. & Lucil. lib. 29. Satyr. *Calo locare*, pro *in cœlo*. Juven. Sat. X. vers. ult. *curru locare* Valer. Fl. lib. II. vers. 270. Ita Graeci: Euripid. Hecub. vers. 456. οἰκτρὰν βιοτὰν ἐχέτην ἄκοις. Adde Serv. ad Virg. lib. I. Æn. vers. 2. CUPERUS.

Medius fidius jam peristi] Τὸ *Medius fidius*, quamvis jurisjurandi specie positum videatur, habet tamen vernilius quid, ac Petronianum magis, in recessu: atque ad *mediam partem* illam, qua viri sumus, vocabuli multo honestissimi ambitu obnuptum, applicari potest. Douza Centurionat. libr. I. cap. 9. ERHARD.

Tentaverit] Proprium de morbis verbum. Horat. lib. I. Epist. 6.

——— *Morbo renes tentantur acuto.*

& ita saepe Cicero, & alii.

Ad Tubicines mittere] Cogitare de exsequiis; proverbialis locutio de morituro, & jam animam agente. GLOSS. *Tibicines*, Pith. TORNÆS. AURAT. id est, perieris totus. Tubicines arcessebantur ad exsequias. SAMBUC. Mortui ad tubam deducebantur. Persius Sat. 4. *Hinc tuba candelæ*. PITH. Id est, cogites de exsequiis. nam tibicines in funeribus canebant. Statius Thebaid. V.

Cum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia. ——— &c.

vide Lutatium. Seneca de morte Claud. *Et erat omnium formosissimum Claudii funus, ut scires, deum efferri; cornicinum, tibicinum tanta turba*. Xiphilin.

Oi

etiamsi gravem injuriam accepi, homini tamen misero non invideo medicinam. Si vis sanus esse, Gitonem roga: recipies, inquam, nervos tuos, si triduo sine fratre dormieris. Nam, quod ad me adtinet, non timeo, ne quis inveniatur, cui minus placeam, nec speculum mihi, nec fama mentitur. Vale, si potes.

a Ut intellexit Chrysis, me perlegisse totum convitium: *b* Solent, inquit, fieri, & praecipue in hac civitate, in quâ mulieres etiam Lunam deducunt. *

a POLYÆNOS. *b* CHRYSIS.

Itaque

Οἱ μὲν ἓν ἄλλος, πρὸ τῆς κλίνης προέιμεν, καὶ τοις ἐκάστοντο, ἐτέρων πενθίμων ἐπαυλώντων. Artemidor. lib. 1. cap. 58. αὐλεῖν ἢ πυθικοῖς αὐλοῖς, πένθος σημαίνει. Respondebant autem planctu praeficae aliaeque lugentes mulieres lamentabili tubae clangori. Lucian. περὶ πενθ. τί γὰρ μὲ δεῖ κακύτος ὑμᾶν ὀίνησι, καὶ ἡ πρὸς τὸν αὐλὸν αὐτῆ περιστυτία, καὶ ἡ τῶν γυναικῶν περὶ τὸν θρῆνον ἀμετρία. Non. *Praefica.* Dicuntur autem θυμαῦλαι, qui Apul. Flor. *monumentarii ceraulae*, proprie *fiticines*, *quod apud fitos canere soliti, hoc est, vita functos & sepultos.* Gell. libro vicesimo, capite 2. D. Matth. cap. 7. WOUWEREN. Alii, *tibicines*, id est, de te actum est, & jam jamque animam ages. specie quadam adagionis venuste & cavillatorie dictum à Petronio, veluti de mortuo, aut jam jamque morituro, pro, accersere eos, qui in funere canant, pompamque funeris suo cantu concelebrent. Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 6. Ex more funeribus curandis faciundisque adhiberi consueto antiquitus: est enim convicium exagitantis amatoris sui, qui de thoro ejus sine voluptate surrexerat, *membra sine viro*, hoc est, *lorum in aqua, non inguina, aut nervos.* Unde ipse amator supra: *Funerata est pars illa corporis, qua quondam Achilles eram.* Douza Centurionat. lib. 1. cap. 9. Alludit ritum veterem, quo mortuos deflebant πρὸς τὸν αὐλὸν. Casaubonus Not. in Matthæum, cap. 9. vers. 23. vel quo mortui ad tubam efferebantur. Kirchmannus de Funer. Rom. lib. 2. cap. 4. Videndus Vatablus, Beza, Fr. Junius ad Matthæi Euangelistæ cap. 9. vers. 23. Muretus & Scaliger ad Catull. ERHARD. *Ad Tibicines* alii, quia Tibiæ ex ossibus fiebant, ut docuit Bartholinus de Tibia lib. 1. cap. 4. Aliter explicat Vossius ad Catullum pag. 143. qui putat, Circen jocari in invalidos & enerves pedes, & illum lignea fulcra sibi debere parare, qualibus claudi & tripedes utuntur.

Quid ergo est] Vide supra ad cap. 4.

Accepi] Tragurianus, *excepit.*

Misero] Recte Gonsalius. Ita *miseram coxam* dixit Veget. art. Veterin. lib. III. cap. 18.

Non invideo] Vet. *non invenio.* Pith. PATISSON.

Gytona rogo] Lege, *roga.* AURAT. Quid rogaret Gytonem? ut non ad licentiam cum illo rediret, vel, ut secum dormiret, & sibi paterotur satisfieri. In nonnullis codicibus scriptum est *Gitonem*, unde legendum suspicarer, *si vis sanus esse, Gitona ne roga*, quod etiam consilium secutus est Polyænos, noxissimum postquam corpus diligentius curasset, modica postquam unctione usus cibisque validioribus bulbis scilicet, cochlearumque sine jure cervicibus, pastus esset, postquam merum parcius hausisset. Sic ipse loquitur cap. 130. *Hinc, ante somnum levissima ambulatione compositus, sine Gitone cubiculum intravi: tanta erat placandi cura, ut timerem, ne latus meum frater convelleret.* Nobiliss. Nic. Heinsius legit, *Gitoni te nega*; vel, *Gitonem abnega.* BOSCH.

Si triduo sine fratre] In Pervigil. Veneris:

Ipsa vellet, ut venires, si deceres virginem,
Jam tribus choros videres feriatos noctibus.

PITH. Senec. Epist. 123. *Non puerum habes, qui amicæ moveat invidiam.*

Ne quis inveniatur] Afranius apud Nonium in *virosa.* *Virosa non sum, &, si sum, non desunt mihi, qui ultro dent, aetas integra est, formæ satis.*

Nec speculum mihi, nec fama] Theocr.

Καὶ γὰρ ἔμοιγε δὴ δοκεῖ ἔχω καλὸν, ὅς με λέγοντι,
Οὐ γὰρ πρὰν ἐς πόντον ἐσίδλεπεν. PITH.

Lucillius. Ψευδὴς ἔσοπτρον ἔχει Δημοσθένης. DOUZA F. Tertull. de habitu mul. cap. 1. *Jam & speculo tantum mentiri licet.* WOUWEREN. Ovid. 3. Trist.

Et speculum mendax esse querere tuum:

id est, expostulabis speculum, quod tamen nescit mentiri. Savaro ad Sidon. lib. 7. ep. ult. *Speculum non mentitur*, adagio cessit. Car. Bovillus lib. 3. Adag. 44. ERHARD. Sic *forma conscia*, Virgil. lib. 8. Æneid. vers. 393.

Ut intellexit] *Et*, Tragur.

Perlegisse] Lege, *peregisse.* DELBEN.

Solent hac fieri] Vet. cod. Britann. *solet hac, frater.* TORNÆS. Lege, *ista fieri.* AURAT. Lege, *solent, inquit, hæc, frater:* vel, *solent, inquit, hæc, & præcipue*, &c. illud, *fieri*, inculcatum. Palmer. in Spicileg. ERHARD. Primæ editiones & Tragur. *solent, inquit, fieri.* vide supra ad cap. XLIX.

Mulieres Lunam deducunt] Magæ, veneficæ. GLOSS.

Itaque hujus quoque rei cura agetur: reſcribe modo blandius dominae, animumque ejus candida humanitate reſtitue. verum enim fatendum eſt, ex qua hora injuriam accepit, apud ſe non eſt. [a] Libenter quidem parui ancillæ, verbaque codicillis talia impoſui.

POLYÆNOS CIRCÆ SALUTEM.

CXXX. Fateor, me, domina, ſaepe peccaſſe: nam & homo ſum, & adhuc juvenis: numquam tamen ante hunc diem uſque ad mortem deliqui. Habes, inquam, confitentem reum. quidquid jusſeris, merui. proditionem feci, hominem occidi, templum violavi. In haec facinora quaere ſupplicium. Sive occidere placet, ferro meo venio: ſive verberibus contenta es, curro nudus ad dominam. Id tantum memento, non me, ſed inſtrumenta peccaſſe. Paratus miles arma non habui. quis haec turba-

[a] POLYÆNOS.

Agetur] Primæ editiones & Tragur. *agitur*.

Animumque ejus] *Ejus*, in aliis deeſt. PATISS.

Reſtitue] Vet. cod. *reſtituemus*. SAMBUC.

Ex qua hora injuriam accepit] Heliodor. Claricl. αἱ χρηταὶ, λέγετα, καὶ φιλόνεοι γυναῖκες ἀμείλικτοι γίνονται, καὶ βαρυμήνιδες ἀποτυγχάνουσαι, καὶ τοὺς ὑπερόπτας ὡς ὑβριστὰς εἰκότως ἀμύνονται. PITH.

Fateor, me, Domina, ſaepe peccaſſe] Ariſtænet. lib. 2. ep. 13. Bongarſ. ERHARD.

Peccaſſe] *Peccare* minus, *delinquere* levius. DELBEN.

Et homo ſum] Vide ſupra ad cap. 75.

Juvenis] Epigramm. ἰλήκοις ἥλικες ἢ νεότης. PITH.

Ante hunc diem] Vet. *hanc diem*. PATISSON.

Habes confitentem] Alii, *habe, inquam, confitentem*. TORNÆS. Ambroſ. lib. 5. epiſt. 28. ad Theod. *Quid mandas in abſentes indicium? Habes praeſentem, habes confitentem reum*. WOUWEREN. *Habe* prima & Sambuci editio; ſed Tragur. cod. *habes*.

Proditionem feci] Praecipua recenſet ſcelera, quibus & inviſum diis hominibuſque fieri aliquem cenſebant. Ovidius 1. Art. Amat. 641.

Reddite depoſitum, pietas ſua foedera ſervet,
Fraus abſit, vacuas caedis habete manus.

Hominem occidi] Alii, *homines*. TORNÆS.

In hac facinora quare ſupplicium] *In hac mala facinora quaere ſupplicium*, Leid. cod. recte: ſic alibi, *grande facinus*, &, *indignum facinus*. BOSCH. Id eſt, ad haec digno ſupplicio vindicanda. Phaedr. Prolog. lib. v.

Cum deſtinaſſem operis habere terminum
In hoc, ut aliis eſſet materiae ſatis.

ubi vide Schefferi notas. Ovid. libr. VIII. Metam. verſ. 77.

——— *Neque in hoc tamen ignibus ullis*
Aut gladiis opus eſt.

Sive occidere placet, ferro meo venio] Philoſtrat. epiſt. πλεῖν κέλευσον, ἐμβαίνω. πλαγὰς ὑπομεῖναι, κατεῤῥῶ. ῥίψαι τὴν ψυχὴν, ἐκ ἐκνῶ. Douza F. ad Tibull. ERHARD.

Sive verberibus contenta es] In candidis carminibus elegans Poëta Tibullus lib. II. eleg. 3.

Non ego me vinclis verberibuſque nego. BOSCH.

Illud unum] alii, *id tantum*. TORNÆS. Reduxi priorum Editionum & Tragur. lectionem, *id tantum*.

Inſtrumenta] Arnob. *Ergone Deum mater genitalia illa disjecta cum floribus, ipſa per ſe maerens, officioſa ſedulitate collegit & ſuſtulit flagitioſi operis inſtrumenta fadique, abſcondenda etiam mandavit terrae*. PITH.

Paratus miles] Alii, *paratas*. PATISSON. Lege potius, *peritus*. DELBEN. Forte, *parata*. SAMBUC. RITTERSH. Catul.

Nam quamvis videar ſatis paratus.

Ovid. lib. I. Faſt. 435.

At deus obſcaena nimium quoque parte paratas.

PITH. Lege cum Leid. cod. *Parata miles arma non habui*. Si hanc lectionem operoſius veram probarem, omnino te violarem, ô pudor! BOSCH. Sana lectio. Cicer. Phil. IV. cap. 5. *Faciam igitur, ut Imperatores inſtructa acie ſolent, quamquam paratiſſimos milites ad praeliandum videant, ut eos tamen exhortentur*. ad Att. lib. VII. ep. 6. *Niſi forte haec illi tum arma dedimus, ut nunc cum bene parato pugnaremus*.

Arma non habui] Priap. *Hac mei te ventris arma laxabant*. Sutrius: *Myrrhinum mihi adſers, quo virilibus armis occurram fortiſcula*. Nicander:

——— Τὸ δὲ πιὼ ἐπὶ μέσσον ὀνειδ&
Ὅπλον βραμήταο διαπλέκιον πεφάτισαι. PITH.

Propert.

Oſculaque admota ſumere & arma manu.

WOUWER. Vide Paſſer. ad Propert. lib. I. eleg. 3. pag. 154. & lib. III. eleg. 7. pag. 452.

An-

turbaverit, nescio. Forsitan animus antecesserit corporis moram; forsitan, dum omnia concupisco, voluptatem tempore consumsi. non invenio quod feci. Paralysin tamen cavere jubes; tamquam major fieri possit; quae abstulit mihi, per quod etiam te habere potui. Summa tamen excusationis meae haec est: Placebo tibi, si me culpam emendare permiseris. Vale.

Dimissa cum ejusmodi pollicitatione Chrysíde, curavi diligentius noxiosissimum corpus, balneoque praeterito, modica unctione usus, mox cibis validioribus pastus, id est, bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus, hausi

Anteceſſit corporis moram] Alii, *operis*. TORNÆS. Infra cap. 134. *ætatisque longæ moram*. supra cap. 115. *Ignis, an fluctus an mora consumat corpus, nihil interest*. DANIEL. Tamquam Vulcani, quem Hyginus fabulatur sperma, dum luctaretur cum Minerva, ejaculasse, veramque voluptatem perdidisse, antequam omnia fecisset. Hanc fabulam opinor respexit Petronius. ERHARD. Primæ editiones & Tragur. *antecesserit*, & rectius: eleganter enim subjunctivus huic voci subjungitur. Ovid. I. Epist. 77.

Forsitan & narres, quam sit tibi rustica conjax.

Epist. IX. 53.

Forsitan hunc generis fato reddamus amorem.

& ita fere semper amare Ovidium, Heinsius infinitis locis ostendit. vid. & Epist. X. v. 85. Ep. XII. v. 175. Ep. XV. vers. 5. & Columella lib. III. cap. 9. *fœcunditas ab his forsitan desideretur*, ut est in optimo codice, quem contulit Heinsius.

Omnia] Supra cap. XI. *Nec adhuc quidem erant omnia facta.*

Paralysin] Quæ à lucta in palæstra Veneris nervos occupare solet. GLOSSÆ.

Tanquam jam] In aliis deest, *jam*. TORNÆS. *Tanquam jam major*. Leid. cod. recte. BOSCH.

Per quod etiam re habere] Lege, *te habere*. AURAT. Catull. Carm. 63.

Quid tum si carpunt, tacita quod mente requirunt.

PITH. Lucian. ἐταῖρε ἑταῖρα. Κροκάλη δύο τάλαντα αἰτήσασα, εἰ βούλεται μοιχὸν ἔχειν αὐτήν. Terentius Adelph. Act. III. scen. III. vers. 35. *Ebo, an domi est habiturus*. Donat. *Haberi uxor* (Lege, *habere uxorem*) *& vir dicitur, & haberi mulier, cum coit*. Aristot. Λέγεται ὁ ἀνὴρ γυναῖκα ἔχειν, καὶ ἡ γυνὴ ἄνδρα. Idem Donatus: *Habere, stuprare intelligimus*. WOUWEREN. *Habere*, ut Græci τὸ ἔχειν. Aristipp. ἔχω Λαΐδα. Terent. Andr. Act. I. sc. I. vers. 58. *Quis heri habuit Chrysidem?* Palmer. in Spicileg. Lipsius Epistol. quæst. lib. 3. ep. 2. ERHARD.

*Permiseris * Dimissa*] Supple *permiseris, Vale. Dimissa*. Meursius Animadvers. Miscell. libr. 4. cap. 6. ERHARD. Prima editio & Tragur. *dimiseris*.

Curavi diligentius noxiosissimum corpus] *Curavi*, id est, cibo potuque refeci. Liv. lib. 3. *Tum quidem corpora somno ciboque curant*. Savaro ad Sidon. lib. 2. ep. 9. Malim exponere, id est, medicatus sum. Cajus l. 44. D. de V. S. Donatus in Andr. & Eunuch. Cicero lib. 16. ad Tyron. *Curationes ejus non probo*, scil. medici. *noxiosum corpus*, quod supra dixit *ægrum*, item *veneficio contactum*, & *damnatum*. ERHARD. Hæc quoque de militari more locutio; cum se accingerent prælio, antea corpora curare solebant milites. vid. Virgil. lib. IV. Georg. vers. 187. ibique Servium. Curt. lib. III. cap. 8. & passim.

Corpus] Præcipue obscænam partem. vide supra ad cap. CIII. & ad Phædr. lib. III. Fab. II.

Balneoque praterito] An, *præcedente?* an vero, intermisso & neglecto? ERHARD.

Bulbis] Alexis apud Athen. lib. II. cap. 23.

Βολβούς, κοχλίας, κήρυκας, ὠά, ἀκροκώλια,
Τοσαῦτα τοῦτων ὅν τις ἥυρον φάρμακα
Ἐρῶντι.

Et paullo post. Οἱ βολβοὶ δύσπεπτοι μέν ἰσι, διεγερτικοὶ τ' ἀφροδισίων. ἡ δ' παροιμία φησὶν, ἐδὲν σ' ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς. Mart. lib. 3. ep. 74. & passim apud eumdem. WOUWEREN. Plin. lib. 20. cap. 9. de bulbis; *Per se triti nervorum contractionem medentur*. Ibid. *Ad sudorem tusi illinuntur nervis utiles. ideo & paralyticis dantur juxta in pedibus*. Ibid. *Venerem maxime Megarici stimulant*. Vide Dominic. Marium in Enarrat. in Ovidii Eleg. de medic. fac. Joh. Baptist. Portam Magiæ natur. lib. 3. Ramirez ad Martial. lib. I. Epigr. 75. n. I. Barthol. Merulam in Ovid. de Arte amandi lib. 2. ERHARD.

Cochlearumque sine jure cervicibus] Lege, *struicibus*, voce Plautina. Vulgatam lectionem confirmat Athenæus lib. 3. de ostreis, expeti cervices eorum ostendit in cibis, & nominat τραχήλους πορφυρῶν, κηρύκων. Lipsius Epist. Quæst. lib. 3. epist. 2. *cochleæ* sunt τράχηλοι, sive purpuræ conchylia. partes autem cerycis, aut purpuræ, aliusve conchylii, fuisse ad cibum expetitas, scribit Hesychius in Ταραττῶμαι. Casaubonus Animadvers. in Athen. lib. 3. cap. 10. Plin. lib. 30. cap. 9. *Cochleæ lata pota tollere dicuntur pedum & articulorum dolores*. Et lib. 32. cap. 4. *Terrestrium carnes*

hausi parcius merum. hinc, ante somnum levissima ambulatione compositus, sine Gitone cubiculum intravi. Tanta erat placandi cura, ut timerem, ne latus meum frater convelleret.

CXXXI. Postero die, quum sine offensa corporis animique consurrexissem, in eumdem platanona descendi, etiamsi locum inauspicatum timebam, coepique inter arbores ducem itineris exspectare Chrysidem. Nec diu spatiatus consederam, ubi hesterno die fueram, quum illa intervenit, comitem aniculam trahens. Atque, ut me consalutavit; [a] Quid est, inquit, fastose, ecquid bonam mentem habere coepisti? [b] Illa de sinu licium pro-

a CHRYSIS. b POLYÆNOS.

suffusionibus proprie magicisque artibus refutandis salutares produntur. ERHARD.

Hausi parcius merum] Martialis lib. 1. Epigr. 107.

Interponis aquam subinde, Ruse,
Numquid pollicita est tibi beatam
Noctem Navia? &c.

Arist. Problem. PITH. Sammon. Carm. 37.

Languidus antiquo curatur penis Iaccho.

WOUWEREN.

Ne latus meum frater convelleret] *Latus vellere*, lascivum. Ovid. lib. 1. de Arte vers. 605.

Insere te turbæ, leviterque admotus eunti
Velle latus digitis, & pede tange pedem.

Claudianus lib. 1. in Eutrop. vers. 85.

——— *Nec blandior ullus eunti*
Ancillæ tetigisse latus. ———

Sidon. Carm. 11.

Semiferi Galatea latus, quod pollice fixo
Vellit, & occulto spondet connubia tactu.

Savaro in Not. supra de lascivia discipuli sui Eumolpus cap. LXXXVII. *Pungere me manu cœpit, & dicere, quare non facimus?* Et in Priapej. Tibullus;

——— *Usque dum mihi*
Iocosa Venus molle ruperit latus. ERHARD.

Platanona] Locus platanis consitus. GLOSSÆ. Lege, *inde in platanona*, Jungermann. ERHARD.

Locum inauspicatum timebam] Quasi omen haberet. Ovid. lib. 11. fast. 202.

Ire per hanc noli, quisquis es, omen habet. PITH. Phædrus lib. 1. fab. 18.

Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.

Comitem aniculam trahens] Sic Græci. Heliod. lib. 1. συνεφείλκετο τὸν νυμφίσκον. WOUWEREN. Alii, *comitem proselenon aniculam*, id est, antelunarem. RITTERSH.

Fastose] *Fastus* ab antiquo φαστὸς, φάσκω à φάω. Etiam pro superbia, quæ in grandiloquentia, aut nimia verborum ostentatione. Postea generalius pro quavis ὑπερηφανείᾳ. *Fastosus*, ὑψιλόλογος, qui alta loquitur, aut jactitat. Becmann. in Origin. WEITZ. Amplissimus Cuperus libr. 2. Obs. cap. 17. legit, *astrose*.

Bonam mentem] Malam enim habentes, quasi fascino impediti, frui fortuna non poterant oblata. vide supra ad cap. LXI. & LXXXVIII.

Illa de sinu protulit licium] Lucian. ἰταΐῃ. διαλ. ἔστιν ἐκ τῶν κόλπων προκομίσασα ῥόμβον ἐπισείσειν ἐπῳδήν τινα λέγουσα ἐπὶ τρόχῳ τῇ γλώσσῃ βερβερικὰ ὀνόματα. WOUWEREN. Vide ad cap. xx. de liciorum autem usu in magicis quædam habet Scipio Gentilis ad Apulej. Apolog. pag. 165.

Licium] In veneficiis adhibebantur licia discoloria, non solum illigandi incantandique, sed & expiandi & solvendi, gratia, unde & *ligaturæ* dicuntur. GLOSS. Ovid. lib. 1. Amor. El. VIII.

Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia. ——— PITH.

Liciorum usus ad magica nobilis poëtarum locis. Virgil. Pharm. Ceiri. Nemesian. Ecl IV.

Hæc eadem nobis, quæ versicoloria fila
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas.

Quamquam inguinum morbos ligaturis curarint. Plin. lib. 28. cap. 4. WOUWEREN. Distingue, *licium protulit varii coloris, filis intortum.* apud Ramirez ad Martial. lib. 4. epigr. 6. n. 4. In veneficiis licia adhibebantur discoloria, non tantum illigandi incantandique gratia, ut in Pharmaceutr. Virgil.

Terna sibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo. ———

Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 6. *Licia*, quas alii auctores in hoc argumento *tænias* nominant, in Magis olim sacris usurpabantur, erantque diversi coloris, quorum numerum non exprimit: cæterum plurima aliquando miscebantur: fere tamen pauciores, puta tria, aut etiam duo. Casaubon. in Apul. Apolog. Clemens Alexandr. infinite, ταινίαις ἰρίῳ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμέναις. Et novena expressit Virgil. in Cir. Scip. Gentilis Comment. in Apul. Apolog. num. 353. Varia & discoloria fuisse docet Colvius Not. in Apul. Apolog. 1. Anicula autem hæc venefica fuit, quæ Polyæni curam susceperit, cujus, ut ipse loquitur, inguinum vires funeratæ erant. Morbos enim venefici ligamentis sanabant. Marius Victorinus in Cic. *Medici officium curare est, sed, quia multi & incantatione & liga-*

protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam. Mox turbatum sputo pulverem medio sustulit digito, frontemque repugnantis signat.

Dum vivis, sperare licet: tu, rustice custos,
Huc ades, & nervis tente Priape, fave.

Hoc peracto carmine, ter me jussit exspuere, terque lapillos conjicere in sinum,

ligamentis curant; curare, inquit, sed apposite ad sanitatem. Sed præcipue morbos inguinum, quod & Plin. docet lib. 28. cap. 4. *Inguinibus medentur aliqui, licium telæ detractum alligantes novenis septenisque nodis, ad singulos nominantes viduam aliquam, atque ita inguina alligantes licio.* Cornel. Celsus; *Imponendum licium ex viro est, aut amurca cocta cum eodem.* Hujus rei multi præterea meminerunt. Horat. Sat. 8. lib. 1.

——— *Herbas atque incantata lacertis*
Vincula cum magno risuque jocoque videres.

Nemesianus Eclog. 4.

Hæc eadem nobis varieque coloria fila
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas.

In quibus versibus maximum Poëtam imitatus est in Pharmaceut. Lindenbrog. Not. in Catal. ad Cir. Adde Plinium de re Medica lib. 2. cap. 43. *Licia* hæc mediæ ætatis scriptores *ligaturas* vocabant. Gregorius Turonens. de Miracul. lib. 2. cap. 45. *Incantationes immurmurat, sortes jactat, ligaturas collo suspendit.* Idem de mirac. S. Martini. Hinc Marcus Remensis in Gestis habitis super divortio Thietbergæ Reginæ; *Ad hæc non pertinent ligaturæ exsecrabilium remediorum, quæ ars medicorum commendat, sive in præcantationibus,* &c. Quæ verba exstant apud Rabanum Maurum epist. ad Bonosum. Fr. Pithœus Gloss. ad legem Salicam, tit. 21. ERHARD. Non filum laneum, sed stamen filis intertextum obligando aptum. Alibi noster: *Ut solvit ergo licio pannum. Licio*, id est, qua parte erat licium, hoc est, filum, seu funiculus, quo pannus vinciebatur. Paschalius lib. 5. de Coronis cap. 15. Veneficiorum *licia* & filamenta lanea discoloria. Virgil. Pharmaceutr.

Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo. ———

Item:

——— *Et molli cinge hæc altaria vitta.*

Servius: *Molli vitta, lanea scilicet.* Apulejus Apolog. *At, si Virgilium legisses, profecto scisses, alia quari ad hanc rem solere. ille enim, quantum scio, enumerat vittas molles, & verbenas pingues, & thura mascula, & licia discoloria.* Ovid. 1. Amor. 8.

Scit bene, quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia. ———

Rigalt. ad Artemidor. pag. 41. WEITZ.

Turbatum sputo pulverem, &c.] Propert. libr. IV. El. VII. vers. 45.

Aut Nomas arcanas tollat versuta salivas.

Plin. lib. 28. cap. 11. WOUWEREN. Sputum fronti illinebatur lustrale, infami digito, & exspuebatur. Hæc & Persium illustrant, Satyr. 2. canentem;

Infami digito & lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

Turnebus Adversar. lib. 26. cap. 6. ERHARD.

Medio sustulit digito] Persio *infami*, is vero *infamis;* neque aliæ res, nisi probrosæ, porrectione hujus digiti indicabantur. Dio Chrysostomus Oratione 33. εἴ τις παραγένοιτο εἰς πόλιν, ἐν ᾗ πάντες ὅ, τι ἂν δεικνύωσι, τῷ μέσῳ δακτύλῳ δεικνύουσι, ποιάντινα ἡγήσεται τὴν πόλιν ταύτην. Casaubon. in Pers. Sat. 2. ERHARD.

Signat] *Signavit*, Leid. cod. huic loco insere distichon illud,

Dum vivis, sperare licet, tu, rustice custos,
Huc ades, & nervis tente Priape fave. BOSCH.

Dum vivis, sperare licet] Exstant hi duo versus in Priapejis, quos Petronio adscripsere Scalig. in Catalect. & Schop. in Comment. ad Priap. qui tamen in eo fallitur, quod existimavit in pervigilio Priapi, de quo supra, recitatum fuisse. ERHARD. Apollodorus Comicus:

Οὐδέποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράσσοντα δεῖ,
Ἄνδρες, τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν ἀεί.

Theocritus Idyll. 4. vers. 41.

Θαρσεῖν χρή, φίλε Βάττε. τάχ' ἄνριον ἔσσεθ' ἀμεινον,
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες. WEITZ.

Hi duo versus apud Tornæsium non leguntur, nec in cod. Trag. HADRIANID.

Hoc peracto carmine] Turnebus videtur legisse; *Hoc pacto carmine ter me jussit exspuere, terque lapillos conjicere in sinum, quos ipsa præcantans purpura involverat.* Adversar. lib. 26. cap. 6. ERHARD.

Ter me jussit exspuere] Plin. lib. 28. cap. 4. *Torporem sedari quocumque membro instupente, si quis in sinum exspuat, aut si superior palpebra saliva tangatur.* Vet. Interpr. in illud Juven. *Conspuiturque sinus. Propter fascinum, inquit, verborum ter sibi in sinum spuunt, & videntur fascinum arcere.* Scholiast. Theocr. ἰώθασι αἱ γυναῖκες ποιεῖν ὡς μὴ βασκανθῶσι, εἰς τὸν κόλπον ἐπτύειν τρὶς, τὸ νεμεσητὸν ἐκτρεπόμεναι. PITH. Tibull. lib. 1. El. 2. vers. 54.

Ter cane, ter dictis despue carminibus.

Sane latissimi usus hæc superstitio. *terna despuere deprecatione in omni medicina mos est*, ait Plin. Marcell.

sinum, quos ipsa praecantatos purpura involverat, admotilque manibus tentare coepit inguinum vires. Dicto citius nervi paruerunt imperio, manusque aniculae ingenti motu repleverunt. At illa gaudio exsultans, [a] Vides, inquit, Chrysis mea, vides, quod aliis leporem excitavi?

[a] PROSELENOS.

[a] *No-*

de medicam. *Varulis remedium tale facies. Annulos digitis eximes, & digitis tribus oculum circumtenebis, & ter despues.* Idem: *Quum haec dixeris, tribus digitis terram tanges, & despues, idque ter.* Ad caedes expiandas ter despuebant, Apollon. Argon. IV. vers. 478.

Ἥρως δ' Αἰσονίδης ἐξάργματα τάμνε θανόντος.
Τρὶς δ' ἀπέλειξε φόνα, τρὶς δ' ἐξ ἄγος ἔπτυσ' ὀδόντων,
Ἢ θέμις ἀνθέντησι δολοκλασίας ἱλάεσθαι.

multis Scholiast. quem vide. Quod vero Juven. interpr. *propter fascinum verborum ter sibi in sinum spuunt* Theocr. Idyll. 6. ejusque Scholiast. item Idyll. VII. vers. 126.

——— Γραΐα τε παξείη
Ἄτις ἐπιφθύσδοισα τὰ μὴ καλὰ νόσφιν ἐρύκοι.

Etiam Callim.

——— Τὶ κόλποισιν ἐπιπτύουσι γυναῖκες.

Hanc vim sputi etiam ex Aeliano haurimus, qui de columbis lib. I. cap. 15. Ἐκ διαδοχῆς φασὶν ἐπωάζειν τὰς περιστερὰς, εἶτα τῶν νεοττῶν γινομένων, ὁ ἄρρην ἐμπτύει αὐτοῖς, ἀπελαύνων αὐτῶν τὸν φθόνον, ἵνα μὴ βασκανθῶσι. Nec tantum ad fascinum arcendum, sed etiam omnia exspuere familiare, quo forte allusit Senec. Consol. ad Marc. cap. 9. *Quis non, si admoneatur, ut de suis cogitet, tanquam dirum omen respuat, & in capita inimicorum abire illa jubeat?* imo ad omnia quaeque dira, horribilia, aut aversanda, ut, si rabiosum, si comitiali morbo correptum vidissent. Theophr. Char. περὶ δεισιδαιμονίας. μαινόμενόν τε ἰδὼν, ἢ ἐπίληπτον, φρίξας εἰς κόλπον πτύσαι. Plin. lib. 28. cap. IV. *Despuimus comitiales morbos, hoc est, contagia regerimus.* Plautus Capt. Act. III. sc. IV. vers. 23. WOUWEREN. Haec Tibullum illustrant lib. I. eleg. 2.

——— *Ter dictis despue carminibus.*

Turnebus d. l. Est autem & hoc ex arte venefica. Theocrit. Id. 7.

——— Γραΐα τε παρείη
Ἄτις ἐπιφθύσδοισα τὰ μὴ καλὰ νόσφιν ἐρύκοι.

Ubi vetus ejus Scholiastes; ἐώθασι δὲ αἱ γραῖαι, ὅταν ἐπάδωσιν, ἐπιπτύειν. Val. Cato in Diris;

Ter in gremium mecum, inquit, despue.

Ad fascinum enim arcendum in sinum spuebant. Probus commentator Juvenal. ad illum Satyr. 7. versum; *Conspuitur sinus. Propter fascinum* (inquit) *verborum ter sibi in sinum spuunt, & videntur fascinum arcere.* Theocritus:

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ τρὶς ἱερὸν ἔπτυσα κόλπον.

In medicina quoque solebant despuere. Plin. lib. 28. cap. 4. *Veniam à Deis spei alicujus audaciores petimus in sinum spuendo.* etiam eadem ratione *terra despuere in omni medicina mos est, atque effectus adjuvare*, ut idem ait, quod & anus haec observat. Lindenbrogius in Catal. ad Cir. Barthius in Ceir. Virgil. n. 371. ERHARD. Vide quae eruditissimus Meursius ad Theocrit. Idyll. 6. WEITZ. Praeter adductos à commentatoribus, vide plures à doctissimo Brouckhusio laudatos ad Tibull. lib. I. eleg. 2. vers. 54. & Keuchen. ad Seren. Sammon. cap. 37.

Terque lapillos conjicere] Lapidum in magicis usus varius. Philostr. de vita Apoll. Tyan. lib. 7. ἀνήπλει ἡ τέχνη τὰς ἐρώντας μάλισα. νοσοῦντες γὰς ὑπαράγωγον ἔτω νόσον, ὡς καὶ γραιδίοις ὑπὲς αὐτοῖς διαλέγεσθαι, θαῦμαστον οἶμαι εἶδεν πράττουσι προσιοντες τοῖς σοφισαῖς τέτοις, οἱ κίσοι τε αὐτοῖς φέρειν δώσουσι, καὶ λίθους, τὰς μὲν ἐκ τῶν τῆς γῆς ἀπορρήτων, τὰς δ', ἐκ σελήνης τε καὶ ἀστέρων. WOUWEREN.

Nervi paruerunt imperio] Οὐδὲν σ' ὀνήσει βολβὸς ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃ; Ovid. lib. III. Amor. eleg. 7.

Quid vetat & nervos magicas torpere per artes.

PITH.

Ingenti motu] Legendum, *inquieti motu.* Tibull.

Et inquietus inguina arrigat tumor.

Gruterus Suspic. lib. 4. cap. 12. ERHARD. *Meta* Leid. cod. Gonsalius ausus est edere, *ingenti tumore*, secundum Tibullianum illud,

Et inquietus inguina arrigat tumor. BOSCH.

Restituimus omnium ante Gonsalium editionum lectionem. Et nescio, cur *motus* in hac re displiceat, cum in opere venereo saepe celebretur. Ovid. lib. II. Amor. 10.

Et mihi contingat Veneris langueſcere motu.

Infra cap. 120. *Puella artificium pari motu remunerabat.* vide supra ad cap. XX. ita & *moveri* Plautus Asin. Act. IV. sc. I. *equidem illam moveri gestio.* Lucret. lib. IV. vers. 1269.

Idque sua causſa consuerunt scorta moveri.

Nisi quis malit hic *ingentem motum* explicare incrementum & extensionem membri virilis. Eo enim modo plantae & arbores *moveri* dicuntur, quae crescunt, ut egregie ostendit summus Gronovius lib. III. Observ. cap. I. & ita *naturalis motus arboris* capiendus in lege VII. ff. de servitut. praed. Urbanor. quam male de transplantatione explicat Forner. rer. quotid. lib. II. cap. I. de radicibus, quas modo huc, modo illuc mittit Janus à Costa ad Instit. tit. de rer. divis. §. 31. de omni motu, sive vegetatione, sive concussione ventorum, sive alio, Galvanus de usufr. cap. XLI. num. 3. BURM.

Alis leporem excitavi] Mentulam erigere. GLOSS. Ver.

[a] Nobilis aestivas platanus diffuderat umbras,
Et circumtonsae trepidanti vertice pinus,
Et baccis redimita Daphne, tremulaeque cupressus.
Has inter ludebat aquis errantibus amnis

[a] POLYÆNOS. *Spu-*

Vet. cod. MS. *aliis*. TORNÆS. Vet. Ex. *Aliis*. Ovid. 3. de Art. Am. vers. 661.

Credula si fueris, alia tua gaudia carpent,
Et lepus hic aliis exagitatus erit. PITH.

Vet. ex. *aliis*. Bene, dum quid melius. Jungermann Et sic est legendum. Macrobius lib. 6. cap. 5. *Prædicant aurito parente me natum*. Afranii ait versum esse, qui ita in prologo ex persona Priapi. Quod itaque *aurito parente*, id est, lepore, genitum illum Divum prædicabant, non puto temerarium. Nam quid hic Petron. velit, facile capitur, & recte aptatur illud Nasonis ex. libr. III. de Art. Am. vers. 661.

Credula si fueris, alia tua gaudia carpent,
Et lepus hic aliis exagitatus erit.

Pontanus Not. in Macrob. lib. 6. cap. 5. Jungermannus etiam corrigit, *quod saltu leporem excitavi*, quod minus placet: & pro Pontani lectione stare videtur, quod Germani dicere solent de erecta mentula; *Er raget wie ein Hasenohr*. ERHARD. *Aliis leporem excitavi* Proverbium recte explicat Plautus Pœnulo Act. 3. sc. 3.

Nos tibi palumbum ad aream usque adduximus,
Nunc tu illum melius est capere, si captum esse vis.

BOURDELOT. Eruditi frustra vexarunt, & *alis leporem excitare* obtruserunt, nescio quid de obscæno leporis sensu commenti. Quasi vero, etiam si pars illa *lepus* diceretur, possent alæ leporibus affingi. Locus Juvenalis tam facit ad hanc rem, quam alæ ad leporem, & quidquid ibi ex Italis Poëtis inepte concinnarunt. Vetus lectio in re improba proba est, quam visam docti recipere timuerunt. Qui enim in venatione è cubili leporem excitat, non sibi illum incitat, sed ei, à quo capitur, vel occiditur. Sic vetula illa stantem fascini laciniam, nervosque imperio obsequentes, non sibi, sed delusæ Circi usui ac pulpamento futuros excitaverat. Id Ovidii verba à viris doctis adducta evincunt. FERRARIUS. Lib. 1. Elect. cap. 6. Valde suspectum est istud *quod*, nec sapit Romanam locutionem: deinde, cum libri scripti *aliis* habent, non *alis*, sic opinor refingendum, *vides, inquit, Chrysis mea, vides? aliis leporem excitavi*. Recte sane *aliis*. Nam in gratiam Circæ placandæ hoc totum negotium peragebatur, cujus quidem laboris fructus ad ipsam aniculam minime erat perventurus. Bene huc vocant interpretes Ovidii locum ex libro III. art. Amat. vers. 661. Ipsum *excitandi* verbum est à venatione desumtum. Cicer. III. de Offic. cap. 13. *Suntne igitur insidiæ, tendere plagas, etiamsi excitaturus non sis, nec agitaturus?* hæc in margine codicis sui notaverat Brouckhusius meus. Phædr. lib. II fab. 8.

Cervus nemorosis excitatus latibulis.

ubi vide Scheffer. BURM.

Nobilis æstivas] Descriptio loci amœni. Scalig. in Catalect. ERHARD. Nob. Nicolaus Heinsius me docuit, hic legendum esse, *mobilis*, hoc est, vento agitata. Neque aliter apud Statium, ubi perperam vulgo, *nobiles Sylvæ*. lib. 4. Sylv. 3. in Domitiana via,

Fervent litora, mobilesque sylvæ. BOSCH.

Retinui *nobilis*. Notissima enim & celeberrima inter arbores Platanus, circa quam luxuria hujus seculi erat maxima. Horat. 1. od. 14.

Quamvis Pontica pinus,
Sylvæ filia nobilis.

Senec. Thyest. vers. 168.

——— *Totus in arduum*
Autumnus rapitur, sylvaque mobilis.

ubi etiam *nobilis* est in MSS. Mediceo à prima manu. vide Barth. ad Claudian. Fescennina vers. 18. & Ursini Append. ad Ciacc. de Triclin. p. 205. ubi docent, solitos maxime genio indulgere veteres eruditi luxus homines sub platano. Neque Veneris gaudia sub hac arbore contemnebant. vide & confer cum hoc Petronii loco Aristænet. lib. 1. Epist. 3. ubi reperies sub Platano fontem amœnissimum, & Lusciniæ cantu æra mulceri. BURM.

Trepidanti] Alii, *crepidanti*. PATISSON. AURAT. Sept. Sever.

Pineâ brachia cum trepidant. PITH.

Et baccis redimita Daphne, tremulaque cupressus] Lege, *Et baccis Daphne redimita, altaque cupressi*. BRASSICAN. Pro *Daphne* Tragur. *clamne*. Cæterum Heinsius ad Ovid. lib. VI. Met. vers. 468. citat.

Et Lauro redimita Daphne.

Aquis errantibus] Sic Autisiod. sic Biturig. alii, *trepidantibus*. Pith. alii, *ludentibus*. PATISSON. Non movendum. proprie de fluminibus, quæ in gyros & anfractus devolvuntur. Horat. lib. II. od. XIV.

Visendus ater flumine languido
Cocytus errans.

Ovid. lib. 1. Met. vers. 582.

In mare deducunt fessas erroribus undas.

Eleganter etiam dicit, amnem *ludere*, id est, more saltantium non recto cursu tendere, sed in gyros verso: vel etiam, undis tremulo motu subsultantibus Hæc enim propria vis vocis *ludere*, unde *Ludias undas* Scaliger ad Catulli Carm. XXXII, interpretatur. Elegan-

Spumeus, & querulo verſabat rore lapillos.
Dignus amore locus; teſtis ſylveſter aëdon,
Atque urbana Progne, quae circum gramina fuſae,
Et molles violas, cantu ſua rura colebant.

Premebat illa reſoluta marmoreis cervicibus aureum torum, myrtoque florenti

gantius ſeculo ſuo Joſeph. Iſcan. de Bell. Trojan. libr. I. verſ. 83.

Stat dubius novus hoſpes aquae, reditumque fugamque
Ludentis pelagi miratur.

Propert. lib. III. eleg. 16.

Plauſus ab umbroſo qua ludit pontus averno.

ubi vide quae notavit diligentiſſimus Paſſeratius pag. 515. & *alludere* quoque undas dici docet Plin. lib. XXVI. cap. 7. *Tripolium in maritimis naſcitur ſaxis, ubi alludit unda.* BURM.

Verſabat] Alii, *vexabat*. PATISSON. Prima editio & Tragur. codex, *vexabat rore capillos.*

Lapillos] Lege, *capillos*. AURAT. Forte, *rore lapillos*. DELBEN. Ita conjectura ducti ſcripſimus, vulgo *capillos*. SAMBUC. Ita lymfam ſuſurrantem deſcribit Virgil. in Copa:

Eſt ſtrepitans rauco murmure vivus aquae.

Horat. Epod. 2.

Fonteſque lymfis obſtrepunt manantibus.

Idem lib. I. epiſt. 10.

Quam qua per pronum trepidat cum murmure rivum.

Et lib. 2. carm. 3.

——— *Qua obliquo laborat*
Lymfa fugax trepidare rivo.

Vide Taubmann. Comment. in Culic. pag. 152. WEITZ.

Dignus amore locus] Illuſtris Nic. Heinſius ad Ovid. lib. 6. Met. verſ. 468. cum optimis Membranis,

Dignus amore locus, teſtis ſylveſtris aëdon
Atque urbana Procne. BOSCH.

Sylveſtris] *Sylveſter*, primae editiones & Tragurienſis, quod cur mutandum ſit non capio. Ita ſupra cap. 123. *volucer Fortuna.* Ubi vide.

Jasdon] Forte, *Aëdon*. AURAT. TORNÆS. Biturig. *Yasdon*. Pith. alii *Aëdon*. alii, *hirundo*. alii, *ſylveſtris Aëdon*. PATISSON. Lege, *Aëdon*. Ἀηδόνα namque Graeci luſciniam vocant, qua Graeca dictione non abſtinuit & Virgilius. Baptiſt. Pius Annotation. poſter. cap. 48. ERHARD. Recte repoſuerunt *Aëdon*. Judicium coci inter catalecta Pith. pag. 454.

Tu facis, in lucis ut cantet triſtis Aëdon.

Nemeſ. Ecl. 11.

Vocalem longos quae ducit Aëdona cantus.

Lucan. Panegyr.

Sic & Aëdonia ſuperantur voce cicadae.

Urbana Progne] Poſſet ex Aſconio ad Cicer. I. ad Verr. cap. 46. explicari, ubi dicit, *quia Chelidon, id eſt, hirundo, urbem frequentat, facete urbanam provinciam Ciceronem dicere Chelidonis meretricis auſpicio ſuſceptam eſſe.* Sed doctiſſimus Brouckhuſius vix concoquebat *urbanam* vocari, quae nec miteſcit, aut manſueſcit umquam, nec in urbe crebrius, quam in agro, conſpicitur. Quare ille à manu Arbitri fuiſſe credebat *orbata Progne*. nota autem ſatis eſt fabula.

Quae circum gramina fuſae] Alii, *fuſa*. PATISSON. SAMBUC. Heinſius malebat, *quae circum gramine fuſa*, rura gramine circumfuſa. Schultingius vero ad Senec. Suaſor. 7. pag. 48.

Quae, circum gramine fuſo
Et molli viola, cantu ſua rura colebat.

Sed retinui vulgatam, quae optimum efficit ſenſum. Aves illae, *fuſae circa gramina & violas*, eleganter dicuntur, quae temere & paſſim ibi vagantur. Valer. Flacc. lib. I. Arg. verſ. 252.

——— *Molli juvenes ſunduntur in alga.*

Et verſ. 710.

——— *Primoque in limine Acaſti*
Fuſus humi.

Virgil. lib. I. Æneid. verſ. 214.

——— *Fuſique per herbam*
Implentur veteris Bacchi.

Stat. v. Theb. verſ. 186.

Jam domibus fuſi, nemorum per opaca ſacrorum
Ditibus indulgent epulis.

Et ita paſſim: & ſic explicabat etiam Ampliſſimus Cuperus, niſi quod mallet, *qui circum germina fuſi*, adſcripſerat praeterea ex Senec. Agamem. 436. *fuſuſque tranſtris miles.* Et infra in fragmentis:

Nil metuit licito ſuſa Puella toro. BURM.

Et molles violas] Sic loquitur & Maro Ecloga V.

Pro molli viola, pro purpureo narciſſo.

Et Æneid. XI. verſ. 69.

Seu mollis violae, ſeu languentis hyacinthi. BOSCH.

Sua jura] Biturig. Autiſiod. *ſua fura*. Pith. PATISSON. Lege, *colebant*. AURAT.

Premebat] Alii, *tremebat*. PATISSON. *Tremebat*, vet. liber. Vulgo, *fremebat*. SAMBUC. Prima editio *fremebat*. Sambuci & Tragur. *tremebat*. Sed *premebat* rectum. vid. ſupra ad cap. 18.

Reſoluta] Reclinatam in cubile interpretatur Gonſalius, ſecutus Paſſeratium ad Propert. lib. II. eleg. 34. pag. 396. Sed neſcio, an non ſit *reſoluta*, hilaritatem & Veneris æſtum facie ſua praeferens. Ut ſupra cap. XCI. *ſolutum gaudio vultum* dixit. Et ita Ovidius Epiſt. XIII. Heroid. verſ. 116. dixit *ſolvi à latitia.*

Jornand.

florenti quietum verberabat. Itaque, ut me vidit, paululum erubuit, heſternae ſcilicet injuriae memor: deinde, ut remotis omnibus ſecundum invitantem conſedi, ramum ſuper oculos meos poſuit, & quaſi pariete interjecto audacior facta: [a] Quid eſt, inquit, paralytice, ecquid hodie totus veniſti? [b] Rogas, inquam ego, potius quam tentas? totoque corpore in amplexum ejus immiſſus non precantis uſque ad ſatietatem oſculis fruor. *

a CIRCE b POLYÆNOS.

CXXXII. Ipſa

Jornand. de reb. Getic. cap. XLIX. *Reſolutus hilaritate.* Rutilius Lupus de figur. ſentent. pag. 6. *Ego arbitrabar filium ad patrem diſſoluto vultu venturum.*

Marmoreis cervibus] Lege, *cervicibus.* AURAT. Locus mendoſus, forte, *crinibus.* SAMBUC. BRASSIC. Alii, *crinibus.* Lege, *premebat hilare ſoluta marmoreis clunibus aureum torum.* Lipſius Antiq. Lect. libr. 1. cap. 8. Non probo. *Reſoluta* eſt in lectulum projecta. ERHARD.

Aureum thorum] Κλιδὸν. Ut Virg. *aurea Venus.* WOUWEREN.

Myrtoque floranti] Lege, *florenti.* AURAT. Sic Calliope, ludibundo palmulæ tactu vaporans, Fulgentii pectus poëticæ pruriginis dulcedine ſpargit. PITH. Probus in Virgil. 1. Georg. *Myrtus eſt arbuſcula Veneris ſubjecta tutelæ. Cæſar autem Julius, qui trahit ab Æneæ genus, idcirco materna myrtus dicta eſt à Virg.* Servius in 2. Georg. (*Solido Paphiæ de robore myrtus*) *Paphiæ, Veneriæ, à Papho inſula, in qua Venus colitur. Huic autem myrtus conſecrata eſt, vel, quod hæc arbor gaudet lucribus, & Venus mari dicitur procreata, vel, quod, ut Medicorum indicant libri, hæc arbor apta eſt mulierum neceſſitatibus plurimis.* ERHARD.

Conſedi] Alii, *reſedi.* TORNÆS.

Oculos meos] Alii, *ſuos.* TORNÆS. *Suos* Leid. Memm. & vet. cod. neſcio, an non melius, præ pudore ſcilicet, ſic cap. 73. *Riſu excepere fabulam nauta, erubeſcente non mediocriter Tryphæna, vultumque ſuum ſuper cervicem Gitonis amabiliter ponente.* BOSCH.

Quid eſt, inquit] Aliis deeſt, *eſt.* TORNÆS.

Ecquid hodie totus veniſti] Alii, *lotus veniſti.* TORNÆS. Sic reſcripſi. alii, *ecquid hodie veniſti.* Pith. alii, *ecquid lotus veniſti.* PATISSON. Lege, *ecquid.* AURAT. Ex conjectura ſcripſi *lotus:* vulgo *totus.* ita & in Tibullo male eſt *tota* pro *lota.* SAMBUC. Nihil dicam apertius: at iracundæ ſic ſolent alloqui *mares inutiles*, ut vocat Marcellus Medicus. Cicero in VII. Verrina, *non promtiſſimos.* Plautus, *qui nihil agant, niſi præſentibus teſtibus.* BRASSICAN. Apul. *Arctiſſime namque complexatum me prorſus, ſed totum recepit.* Alciphr. καὶ ἐγὼ ἠγπάμην & δοὺς ἐντυγχάνειν τοῖς ἐμοῖς γράμμασιν ὅλα μοι ἐντυγχάνων. PITH. Sic Gruter. Suſpic. lib. 7. cap. 8. antea erat, *quod lotus veniſti.* ERH. Quid ſignificet hoc verbo mulier libidinoſa ſatis apparet, alio ſenſu Cicero lib. XII. ad Att. Ep. 48. *Quam ob rem, ut ante ad te ſcripſi, aut ego ad te totus, aut tu ad me quotus libebit. Totus*, id eſt, cum omnibus meis. lib. 5. ad famil. ep. 20. *Totum enim ſcribam meum, quem tibi video nunc eſſe ſuſpectum, tibi tradidi.* id eſt, ut nullas operas mihi reſervarem. CUPERUS. *Totus* hic notat toto corpore, nullo membro debilis. Infra cap. 40. *Eumolpo me totum adprobavi.* ita, licet alio ſenſu, Propert. 1. eleg. 5.

Aut cur ſim toto corpore nullus ego. BURM.

Non precantis] Forte, *comprecantis.* TORNÆS. SAMBUC. Lege, *non pernegantis*, ut illam male pertinacem recuſationem puellarum indicet. Lipſ. Antiq. Lect. lib. 1. cap. 8. vel, *non pugnantis*: quod Veneribus iſtis ſolenne, ſed ita tamen, ut non ægre ſua ſibi vincantur proditione. Gruter. Suſpic. lib. 5. cap. 12. *Non precantis*, pro deprecantis, culpam ſcilicet, quam heri in me admiſit. Meurſ. Animadverſ. miſcell. lib. 4. cap. 32. An legendum, *comprecantis*, id eſt, benedicentis, more faſcinum amolientium? ERHARD. Id eſt, non deprecantis, non recuſantis, ſed volentis, &, ut dicimus, bene contentæ. Plaut. Pœnulo Act. v. ſc. 4.

AG. *Siquidem amicitia habenda eſt, cum hoc eſt habenda.*

AD. *Haut precor.* AG. *Multa bona vobis facere vult.*

AD. *Bonus vobis bonis benefecerit.* SCOPP.

Precantis, pro deprecantis. Sic apud Terent. *precator* non ſemel pro deprecatore. Heautont. 5. 2. *Nec tu aram tibi, neque deprecatorem, pararis.* Ibid. *Eum precatorem mihi paro.* Donatus: *Precari aliquando idem quod deprecari.* Phorm. 1. 2. *Ad precatorem abeam credo, qui mihi ſic oret.* Meurſius Append. ad Theocrit. WEITZ. Sic etiam c. Tragur. Tornæſius: forte *comprecantis*, pro *non precantis*; quæ etiam eſt ſententia Erhardi MS. quidam ad oram edit. Schonwetter. *non precantis*, id eſt, non dira mihi imprecantis ob heſternam impotentiam. Lipſius: lege, *non pernegantis.* Gruterus: *non repugnantis.* apud Erhard. *non precantis*, id eſt, non jam pellectus & precibus quaſi invitatus, ut heri, ſed ſuopte motu. HADRIANID. Broukhuſius maluiſſet legi *non negantis.* Et tale quid deſiderari manifeſtum eſt. ſupra cap. XX. *Non repugnanti puero innumerabilia oſcula dedit.*

CXXXII. Ipsa corporis pulcritudine me ad se vocante trahebat ad Venerem. jam pluribus osculis collisa labra crepitabant. jam implicitae manus omne genus amoris invenerant. jam alligata mutuo ambitu corpora animarum quoque mixturam fecerant. * *

Manifestis matrona contumeliis verberata, tandem ad ultionem decurrit, vocatque cubicularios, & me jubet catomidiare. Nec contenta mulier tam gravi injuria mea convocat omnes quasillarias, familiaeque sordidissimam partem, ac me conspui jubet. Oppono ego manus oculis meis, nullis-

Trahebat] Forte trahebar.

Pluribus osculis collisa labra] *Poppysma* Juvenali. Tibull. lib. 1. El. IX vers. 57.

——— *Ut lenis agatur*
Spiritus, ut ne dent oscula rapta sonum. PITH.

Implicita manus] Aristænet. καὶ τοῖς ἐκείνοις δακτύλοις τοὺς ἑαυτῆς περιπλέξας. Eustath. Ἡ δ' ἀντιφίλει καὶ κατεφίλει με, καὶ κατὰ κιττὸν συνεπλέκετο, καὶ ὅτως ἡμᾶς μυρίαι περιεχόρευον χάριτες. PITH.

Alligata mutuo ambitu corpora] *Mutuum ambitum* honeste vocat insinuantium, seu amantum, tenacissimum complexum. Unde Horatius *ambitiosam* puellam dicit habilem agilemque in circumplectendo penitissime pullo suo: lib. 1. od. 36.

Lascivis hederis ambitiosior.

Gulielm. Plaut. Quæst. in Mostellar. cap. 4. ERH.

Ad ultionem decurrit, vocatque cubicularios] Lucian. Asino. καὶ καλεῖ ἤδη ἐνδὺς τὸς δικέτας, καὶ κελεύει με τῶν ὠτων μετεώρων, κομισθῆναι ἔξω τῆς δικίας. Nam & hic turbarat dominæ hilaritatem. WOUWEREN.

Cubicularios] Qui sint *cubicularii*, docet Lex 103. D. de V. S. Glossæ; κοιτωνίτης, *cubicularius*. Scriptoribus mediæ ætatis *camerarii*. *Kammerling*. Bebelius de Abusione ling. Lat. ERHARD.

Catarogare] Catomis cædere. GLOSSÆ. Turneb. *catomoligare*. forsan, κάτω *rogare*. TORNÆS. Vide Turnebum in Juvenalem. DANIEL. Id est, fortassis, *me jubet catomis cædi*. Scriptor passionis S. Viti: *tunc iratus Valerianus jussit infantem catomis cædi*. Et in passione S. Afræ: *Catomis te cædi jubeam*. Subsequitur enim, *verberibus sputisque ejectus sum*. PITH. Alii, *catamolidiare*. Lege, *catamidiare*, hoc est, ludi. Spart. in Hadriano. possemus vel alio modo sanare hanc vomicam, sed silere optimum: nam hujusmodi desperatissimis locis medelam conjecturis quærere, Andabatarum more digladiari arbitror. WOUWEREN. Latinum non puto: & vide, ne sincerius sit, *scato rigare*. sciunt omnes, quid sit Græcis τὸ σκατὸν, quod cubicularii maxime mulierum efferunt. Gulielm. Plaut. Quæst in Mostell. cap. 4. Lege, *catomo ligare*. Turneb. Adverss. lib. 26. cap. 6. eumque secutus M. Velserus Rer. Augustan. lib. ad Passion. S. Afræ, vel legendum, *catomo dare*. velut Horat. dixit *dare catenis*, & Plaut. *cruci dare*. Schopp. Verisim. lib. 2. cap. 18. & in Arte Critic. ERHARD. *Saccato rigare*. Aliud meum flagitium, emendatio in textum recepta, quæ tamen tutorem habet Lucretium multis in locis. *Saccato*, id est, urina. BOURDELOT. N. Nicolaus Heinsius emendat, *Et me jubet catomis objurgari*. Supra cap. 34. *Animadvertit Trimalchio, colaphisque objurgari puerum jussit*. Olim legendum hariolabar cum Cl. Salmasio, *& me jubet catomidiari*. Sic apud Spartianum Hadrianus, *Decoctores bonorum suorum catomidiari in amphitheatro jussit*. BOSCH. Recepi *catomidiare*, quod Salmasius ad Spartian. Hadrian. cap. XVIII. volebat, & doctorum plurimorum suffragiis est comprobatum, vide Gronov. lib. IV. Observ. cap. 13. Spanhem. ad Callim. Hymn. in Cerer. vers. 45. hoc Zosimus lib. V. cap. 2. vocat, κατὰ τῦ τίνοτ@ παίσθαι, quem locum adscripserat codici suo Amplissimus Cuperus.

Quasillarias] Genus ancillularum omnium spurcissimum ac despicatissimum. GLOSSÆ. Turneb. *quæsitarias*. alii, *quassillarias*. TORNÆS. Forte, *quæsitarias*. *Quæsitaria*, μιτωίτης & ἐπωίτης, mendica, à *quærendo*, ut *rogator* à *rogando*. DANIEL. Forte, *quæstuarias*. RITTERSH. Ancillas quasillis affixas. Douza Præcidan. pro Tibull. cap. 14. Tibullus, *pressumque quasillo scortum*. qualem ancillam intellexit & Juvenal. Satyr. II. vers. 57.

Horrida quale facit residens in codice pellex.

Scalig. ad Tibull. Alli, *quassitarias*. videtur legendum, *quæsitarias*, & *quæsitaria* esse mendica à *quærendo*, ut à Græcis μιτωίτης & ἐπιτωίτης vocatur, & à Latinis *rogator*. Turneb. Adverss. lib. 26. cap. 6. An legendum, *quæstuarias*? Balbus Catholico; *Quæstuaria dicuntur meretrices, quæ quæstu corporis vivunt*. Irenæus lib. 1. cap. 20. adverius Hæres. de Simone mago; *Hic Helenam quandam, quam ipse à Tyro civitate Phœnices quæstuariam cum redemisset, secum circumducebat*, &c. Quod Eusebius ex Justini Apolog. 1. exponit, πρότερον ἐπὶ τέλους καθεῖσαν ἐν Τύρῳ τῆς Φοινίκης, Hist. Ecclesiast. lib. 2. cap. 13. ubi videndus Jacob. Grynæus in Annotat. ERHARD.

Conspui] De hoc contumeliæ summæ genere v. Barth. ad Claudian. de IV. Cons. Honor. vers. 404. & Adverss. lib. XXIII. cap. 24.

Oppono ego manus oculis] Ovid.

Vir-

nulliſque precibus effuſis, quia ſciebam, quid meruiſſem, verberibus ſputiſque extra januam ejectus ſum. Ejicitur & Proſelenos, Chryſis vapulat, totaque familia triſtis inter ſe muſſat, quaeritque, quis dominae hilaritatem confuderit. * *

Itaque penſatis vibicibus animoſior verberum notas arte contexi, ne aut Eumolpus contumelia mea hilarior fieret, aut triſtior Giton. Quod ſolum igitur ſalvo pudore poteram confingere, languorem ſimulare coepi, condituſque lectulo totum ignem furoris in eam converti, quae mihi omnium malorum cauſſa fuerat.

Ter corripui terribilem manu bipennem,

Ter

Virgineas oculis oppoſuiſſe manus. PITH.

Nullis precibus] Lege cum Memm. cod. *multiſque precibus.* BOSCH.

Verberibus ſputiſque] Sen. *Cum modo per populi levatus manus, & obrutus ſputis per forum traheretur.* Muſon. πληγῆναι, ἐμπίσθησθαι, ὡς τὸ χαλεπώτατον πληγή. PITH. Summum contumeliae genus verberari & conſpui. D. Marcus cap. 14. καὶ ἤρξαν τοῦτοις ἐμπτύειν αὐτῷ καὶ κολαφίζειν αὐτόν. cap. 15. καὶ ἔτυπτον αὐτὸν τὴν κεφαλὴν, καὶ ἐνέπτυον αὐτῷ. Lucian. καταπλ. καὶ κατὰ κόρης ἴπαλ. καὶ καταπτύσας μου. Conviv. ſeu Lapith. προσέπτυσέ τι τοῦ Ζωΐδημου, καὶ ἐμειδία παισὶν κατὰ κόρης. Idem Aſino: ἐπειδὴ οὐδέ μὲ πάντα ἀνθρώπινα ἔχοντα, προσπτύσατά μοι, &c. Seneca libro. Quod in ſap. non cadat injur. libr. 3. de Ira, cap. 28. Xiphil. Auguſto. WOUWEREN.

Ejicitur &] Adludit ad matronarum impotentiam, quae, peccante marito, vel amatore, bilem, quam in illos evomere non poſſunt, aut omnem non valent, in famulitium deinde miſeraeque familiae terga egerunt. Barth. Adverſ. lib. v. cap. 8.

Penſatis vibicibus] Lege, *vibicibus*, vel *viribus*. Putſchius. illud magis eſt. ERHARD. Gronov. lib. IV. Obſerv. 13. mavult *penſatis vicibus*, quem vide.

Hilarior fieret, aut triſtior] Theognis:

Μηδὶ σὺ γ' ἀπρήκτοισιν ἐφ' ἔργμασιν ἄλγε' ἀέξων, &c.

Μηδὲ φίλως ἀνίας, μηδὲ ἐχθρεὺς εὐφρανε. PITH.

Salvo pudore] *Honore* habet Memmii codex. BOSCH.

Poteram contingere] Biturig. *poterat contingere, languorem ſimulavi*, Pith. PATISSON. Alii, *contingere*. Palmer. inducit, ut alienum, in Spicileg. ERHARD

Simulare coepi] Alii, *ſimulavi*. PATISSON. *Simulavi*, vet. cod. vulgo, *putavi*. SAMBUC. Lege, *in ſimulare coepi*. *Languor* proprie in palaestra Veneris, cum à lucta nervos paralyſis occupavit. Lipſ. Antiq. Lect. lib. I. cap. 8. ERHARD.

Lectulo] Alii, *lecticulo*. PATISSON.

In eam converti] Sic ſtatim: *namque illa metu frigidior.* Et iterum; & *illa ſolo fixos.* Similiter in Priapej.

Heu, heu me miſerum! quod iſta lignum eſt.

Petronius quoque in neutro cap. CXXXIV. *Niſi illud tam rigidum reddidero, quam cornu.* quomodo & in Priapej.

Quod partem maddam mei videtis.

Quae praeciſa provocabula videntur per ἀντονομασίαν & κατ' ἐξοχὴν de illa parte corporis dici, ſine qua id dici, quod ſumus, non poſſumus, atque adeo ſine qua genus humanum periret. ita enim deſcribit Huguitio; *Penis à penetro, quod eſt officium ejus circa junctiuram humani generis.* ERHARD.

Omniumve malorum] Lege, *vel malorum*. AURAT. Dele τὸ, *Ve*. BRASSICAN.

Ter corripui] Hippocrates de Scythis in lib. De aëre, aquis, loc. PITH. Luſus Sotadicus. Scalig in Catal. ERHARD.

Terribilem] Alii, *terribili*. PATISSON. Catalect.

Heu, heu me miſerum! quod iſta lignum eſt,
Quae me terribilem facit videri.

Et

Huc adde quod me terribilem deum ſuſte. PITH.

Columella lib. x.

Arboris antiquae numen venerare Ithyphalli
Terribilis membri. WOUWEREN.

Bipennem] Martial. lib. XI. Epig. 73.

Drauci nata ſui vocat bipennem. PITH.

Juvenal. Sat. 6. verſ. 657.

Hoc tantum refert, quod Tyndaris illa bipennem
Inſulſam & ſatuam dextra levaque tenebat.

WOUWER. Id eſt, mentulam. Schopp. in Priap. Carmin. 19. ſed, qui obſcoena omnia cogitat, ipſe obſcoenus eſt. *Bipennem* appellat ferrum illud biceps, quo volebat partem illam abſcindere, à forma ſic dictam, quae erat hujuſmodis, à qua & *anceps ſecuris* dicitur: Gazae δίστομος ἀξίνη, Heſychio πέλεκυς δίστομος, & ἀμφίστομος. Formam expreſſit Simmias Rhodius, quam vide. ERHARD.



Ter languidior coliculi tepente thyrſo,
Ferrum timui, quod trepido male dabat uſum.
Nec jam poteram, quod modo conficere libebat.
Namque illa metu frigidior rigente bruma;
Confugerat in viſcera, mille operta rugis.
Ita non potui ſupplicio caput aperire:
Sed furciferae mortifero timore luſus,
Ad verba, magis quae poterant nocere, fugi.

Erectus igitur in cubitum hac fere oratione contumacem vexavi: Quid dicis, inquam, omnium hominum Deorumque pudor? nam, nec nominare quidem te inter res ſerias, fas eſt. Hoc de te merui, ut me in coelo poſi-

Coliculi repente] Deleatur Virgulæ nota. Pith. PATISSON. Gloſſæ, *coliculus*, *χραμβία*, *καυλία*. WOUWEREN.

Thyrſo] Hic obſcœne pro mentula. GLOSS. Suetonius Auguſto: *Thyrſus lactucula*. Plinius lib. 19. de braſſica mea. Utitur & Columella in Hortulo. recte vere, *languidior caulis thyrſo*. Sic Plaut. Sticho: *Non magis ſtare poteſt, quam fungus imbri*. Octavius Horatianus, minime malus autor, dixit *vitium turiones molliſſimos*. BRASSICAN. Pace Grammaticorum mihi liceat ex adverbio participium facere, minima mutatione, & ſcribere, *tepente thyrſo*: Thyrſus enim coliculi, ubi intepuit, fit languidior. Diſſimile autem non illud Catullianum Carm. LXVIII.

Languidior tenera cui pendens ſicula beta.

RICHARD. Hinc *thyrſum* pro mentula poſuit Apulej. in Anechom. *Languidus thyrſus*, id eſt, remiſſa mentula. Schopp. Comm. in Anechom. Apul. Contingit Schoppio, quod hominibus nequam, qui, ſemel tales, ſemper præſumuntur nequam, ut eſt in Regula Bonifacii Papæ in Decretalibus relata. ERHARD. Eſt aliud nequitiæ genus longe periculoſius, quam cujus Schoppius accuſatur. Quamquam nullus nego, ubi non de ipſis vocibus agitur, nuditatem noſtram modeſta circumlocutione veſtiendam. Cæterum in iſtis 2. verſiculis *Ter languidior--uſum* latet proſopopœia membri languentis. Et in prioris verſus *bipennem* abſque dubio amphibolia eſt. patet ex forma ancipitis ſecuris, qua ad hanc rem uſurus erat. Virgil. 4. Georg.

Ure ſata: & validam in vires molire bipennem.

HADRIANID.

Ferrum timui] Alii, *tremui*. PATISSON.

Male dabat uſum] Alii, *dabat mali uſum*. PATISSON.

Mille operta] Alii, *male*. PATISSON.

Ita non potui] Alii, *jam non potui*. TORNÆS. Sic vet. cod. vulgo, *jam*. SAMBUC.

Supplicio] Biturig. *ſupplicis*. Pith. PATISSON.

Timore luſus] Alii, *luſis*. TORNÆS. Lege, *luſus*. AURAT.

Erectus igitur in cubitum] Fulgent. *Adſtiti propter ego erectus in cubitum veneratus verboſam vtragnem*. PITH. Plautus: *Ædificat, columnam mento fecit ſuo*. Lucianus in Dialog. de Mercede conduct. ſcribit, Herculem, hoſpitem Pholi Centauri, ſic à pictoribus expreſſum fuiſſe, ut altero cubito humi fixo inniteretur, & dextera ſcyphum tolleret. BRASSICAN. Lucian. περὶ πένθ. πρὸς δὲ τοῖς ἢ ἂν λέγῃ ταῦτα ὁ νεκρὸς ἐπιστραφεὶς, ἀνακλίνας αὐτὸν ἐπ' ἀγκῶνος. WOUWER. Vide Freinshem. ad Curt. lib. III. cap. 6. ubi ex Bourdelotii notis ad hunc Petronii locum quædam adfert, quæ in editione Batava fruſtra quæras. ſed Pariſienſem mihi videre nondum licuit, licet diu multumque quæſiverim. De hoc vero geſtu ſedentium in lectis plura notavit Paſſeratius ad Propert. lib. 1. eleg. 3. pag. 157.

Ac fere oratione] Lege, *hac fere*. AURAT.

Quid dicis, inquam] Supra cap. 9. *Quid dicis, inquam, muliebris patientiæ ſcortum, cujus ne ſpiritus purus eſt*. BOSCH. Vide ſupra ad cap. 71.

Hominum Deorumque pudor] Claudianus in Eutrop. lib. 1. verſ. 9.

Heu terra cœlique pudor! —— WEITZ.

Nec nominare quidem te fas eſt] In rebus mali ominis δυσφημίας vitandæ cauſa, plerumque veteres perſonæ nomen ſupprimere ſolebant. Sic Ælianus de Regis cujuſdam Thracum crudelitate dicturus, lib. 5. cap. 11. ita præfatus eſt: τὸ δ' ὄνομα λεγέτω ἄλλος. Sic inter varia conviciorum exempla hoc etiam ab Ulpiano relatum eſt, *filius non nominandus*, in leg. 3. princ. ff. de lib. & poſth. Et in ludicro Grunnii Porcelli teſtamento: *Et nec nominando do, lego, ac dimitto popam ac piſtillum*. Eodem ſenſu *non dicendus filius* apud Apulejum ſub finem lib. 5. Metamorphoſ. vel, *cum gemitu nominandus*, ut apud Ammian. Marcellinum lib. 28. *Graſſabatur per ſtrages multiplices fortunarum homo cum gemitu nominandus*. Rudolph. Fornerius

positum ad inferos traheres? ut traduceres annos primo florentes vigore, senectaeque ultimae mihi lassitudinem imponeres? ROGO TE, MIHI APODIXIN defunctoriam REDDE. Haec ut iratus effudi,

Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
Nec magis incepto vultus sermone movetur,
Quam lentae salices, lassove papavera collo.

Nec minus ego, tam foeda objurgatione finita, poenitentiam agere sermonis mei coepi, secretoque rubore perfundi, quod, oblitus verecundiae meae,

nerius lib. 5. Rer. quotidian. cap. 28. WEITZ.

Hoc de te merui, ut me in calo positum ad inferos traheres] Palladas Anthol. 7. εἰς τυχήν.

Τὲς δ' ἀπὸ τῶν νεφελῶν εἰς ἀΐδην καταγει.

DOUZA F. Dixi supra ex Erasmo, *in coelo esse*, quid sit. Eo alluxit Horatius, cum ait lib. 1. od. 1. *Diis miscent superis*, id est, beatum me & celebrem reddunt. Et Theocrit. in Hodœporis;

——— Ἐς ἀερίαν ὑμὲν ἀλεύμαι.

id est, *in coelum vobis saltam*. Ex adverso, qui repente decidunt à summa felicitate, dicunt *ad inferos trahi*, & *ex astris decidisse*. M. Tull. ad Attic. lib. 2. de Pompejo; *O spectaculum uni Crasso jocundum, ceteris non item. nam, quia deciderat ex astris potius, quam progressus videbatur*. Gilb. Cognatus in Adagior. syllog. Sic de *Lucifero*, hoc est, Assyriorum Rege, Isaias Propheta, cap. 14. vers. 12. *Qui ad coelos usque elatus eras, ad inferos deturbaberis*. Et Christus apud Matth. cap. 11. vers. 23. *Et tu Capbernaum, numquid usque in coelum exaltabaris? usque in infernum descendes*. Dinamius epist. ad Discipulum; *Deus nos invitat ad coelum, quos Diabelus in infernum mergit*. ERHARD. Vide supra ad cap. XXXVI. Cicer. Philipp. 11. cap. 42. *Collegam quidem de coelo detraxisti, effecistique non tu quidem etiam nunc, ut sit similis tui, sed certe ut dissimilis esset sui*. Justin. lib. v. cap. 5. *Cui paulo ante omnem humanam opem interdixerant, eum, si queant, in coelo posuisse cupiunt*. Sophocl. Oedip. Colon. vers. 372.

Ὡς ἀντὶ Ἄργου ἢ τὸ Καδμείων πέδον
Τιμὴν καθίζων, ἢ πρὸς ἀερίου βίου.
Ut vel Argos vel Thebas
Detrimentis adficiat, vel ad coelum evehat.

BURMAN.

Traduceres] Publicæ contumeliæ exponeres. supra cap. XVI.

Ultima mihi] Barth. lib. LVII. Adversar. cap. 8. legit, *juveni*.

Apodixin defunctoriam] Libellus, quo ostendit quispiam, se defunctum esse; hic remissio senilis ætatis. GLOSS. Id est, remissionem senilis ætatis, ut explicat Cujacius lib. 10. Cod. tit 22. de apochis publicis. In Passione S. Georgii; *O apodixin carminum, ô inlecebra maleficiorum tuorum*, ubi *apodixis* videtur accipi pro liberatione, ut puto; Gallice, *ô la belle delivrance*: aut pro ostentatione, Gallice, *ô la belle monstre, la belle parade*. DANIEL. Apocham. PITH. Ἀποδείξω, est JCtis protestari: & ἀπολιπτικὴ ἀπόδειξις, est ἀποχὴ seu cautio receptæ pecuniæ. *Apodixis defunctoria*, libellus, quo ostendit quispiam se defunctum esse, quod est, profiteri defunctoriam. WOUWEREN. Remissionem senilis ætatis. Cujac. Paratit. Cod. lib. 10. tit. 22. de apoch. publ. *Apodixis* est apocha, securitas. Brossæus in Cassiodor. var. lib. 11. ep. 7. Huguitio; *Apodixes, ostensio, fantasia, probatio, experimentum, virtus, potestas*. In vita B. Agnetis: *Ad filium meum voluisti apodixen tuæ artis magicæ demonstrare*. Auctor Mamotracti. ERHARD. Omnes hic interpretes aliena effutierunt, solus verum sensum vidit summus Gronovius lib. IV. Observ. cap. 13. quem consule.

Fixas oculos] Lege, *fixos*. AURAT. Virg. versus. BRASSICAN. Supra hoc cap. *illa metu frigidior*. Arnob. *Priapum circumferentem res illas præliorum expeditione paratas*. Catull. Carm. LXVII.

——— *Unde soret nervosius illud*. WOUWER. Ex illo libr. 1. Æneid. *Diva solo fixos*, & illo libr. 6. *Illa solo fixos*, &c. *Nec magis*, &c.

Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Ultimus partim ex Eclog. 5. Virg. *Lenta salix quantum*, &c. partim Æneid. 9. *Lassove papavera collo*. Jungermannus. ERHARD.

Aversa] Alii, *diversa*. TORNÆS.

Incepto] Alii, *incerto*. PATISSON. Lege, *incepto*. AURAT. Vet. cod. *incepto*. SAMBUC.

Vultum] *Vultus* primæ editiones & Tragur.

Penitentiam agere] Auctor Dialogi de oratoribus cap. XV. *Neque illius, inquit, sermonis mei poenitentiam ago*. ubi Pithæus notat, in exemplari Italico adscriptum fuisse, *Eadem verba sunt Petronii*, quod non cepit; & male ad argumentum, quod sub initio Satyrici Petronius tractat, retulit, cum solam hanc phrasin Tacito cum Petronio communem esse voluerit, qui quis ille fuit, qui hæc adscripsit. Locutus ita & Valerius Maximus, & alii. BURM.

Rubore perfundi] *Perfundi rubore*, probitatis est indicium.

meae, cum ea parte corporis verba contulerim, quam ne ad cognitionem quidem admittere severioris notae homines solent. Mox perfricata diutius fronte, quid autem ego, inquam, mali feci, si dolorem meum naturali convitio exoneravi? aut quid est, quod in corpore humano ventri maledicere solemus, aut gulae, capitique etiam, quum saepius dolet? quid? non & Ulixes cum corde litigat suo? Et quidem Tragici oculos suos tamquam audientes castigant. Podagrici pedibus suis maledicunt, chiragrici manibus, lippi oculis; & qui offenderunt saepe digitos, quidquid doloris habent, in pedes deferunt.

Quid

dicium. Unde illud Terentianum: *Erubuit, salvares est.* Diogenes, auctore Laërtio, cum videret adolescentulum erubuisse, *confide*, ait, *fili; hujusmodi est virtutis color.* Scholiast. Juvenal. ad Satyr. 11. pag. 105. Sidonius lib. 1. epist. 2. *Juvenili rubore suffunditur, namque hunc illi crebro colorem non ira, sed verecundia, facit.* Radevicus Frisingensis in Chronic. *Lactea cutis, & quae juvenili rubore suffundatur.* Eucherius Lugdunens. Comment. in 1. Reg. 14. *Sicut pudor, quod aetatum viridiorum magnum est ornamentum.* Videndus Savaro Not. ad Sidon. lib. 1. epist. 2. pag. 11. WEITZ.

Cum ea parte corporis] Stoïcum est. Ita de *menta* pusilla Cicero jocatur. Et ille:

Est olus, in nostris passim quod nascitur hortis,
Quod si diminuas, jam caro, non olus est.

Nam *menta* diminutivum est *mentula.* Et tamen Socrates à *Conno* fidibus didicit. BRASSICAN. Cæl. Aurel. acutar. pass. lib. 3. *Pati eas partes, quarum usu congressus Veneris celebratur.* Ovid. 2. de Arte amandi vers. 707.

Invenient digiti quod agant in partibus illis,
In quibus occulte spicula tingit amor.

Arnob. lib. 5. *Partem illam corporis, per quam sexus foemineus sobolem solet prodere.* WOUWEREN.

Ad cognitionem] Forte, *ad cogitationem.* RITTERSH. Arnob. lib. 5. *Propudiosa corporum monstratur obscœnitas, objectanturque partes illae, quas pudor communis abscondere, quas naturalis verecundia lex jubet, quas inter aures castas sine venia nefas est, ac sine honoribus appellare praefatis.* WOUWEREN. Lege, *ad cogitationem.* Similis locus apud Arnob. *Insigmire his partibus, quas enumerare, quas persequi, probus audeat nemo, nec sine summa foeditatis horrore mentis imaginatione concipere.* Meursius Crit. Arnob. lib. 3. cap. 3. ERHARD. *Cognitionem* rectum putamus. Alii, *cogitationem.* Sed partes illae pudendae vocantur, quod ea pudeat severioris notae homines ad cognitionem, sive ad oculos, admittere, &c. BOURDELOT.

Perfricata diutius fronte] Alii, *perfricta.* TORNÆS. Τετατυσάμενος καὶ τρίψας τὸ πρόσωπον. PITH. Cicero lib. 1. Epistolar. ad Attic. *ut frontem ferias.* Item in Bruto: *frons non percussa.* BRASSICAN. Apud Lucian. quispiam de re simili verba facturus, Ὁ δὲ δεξία τὸ πρόσωπον ἀνατρίψας, ἡσυχῇ καὶ μικρὸν ἐπισχών, ἄρχεται δέειν οἰ δέσποινα Ἀφροδίτη, &c. WOUWER.

Naturali convitio] Alii, *natali.* TORNÆS. Lege, *tali.* AURAT. Vet. cod. *naturali.* SAMBUC. Aristaenetus: Ἅπας γὰρ δὲ ὀτιοῦν ἀχθόμενος τὴν ψυχὴν τὸ λιποῦν ἐκκαλῶν, ἐπικουφίζει τῇ διανοίᾳ τὸ βάρος. &, ut Seneca ait; *Omnis adversa fortuna habet in querelis levamentum.* DOUZA. F.

Exoneravi] Ita Ovidius dixit, *egerere dolorem.*

Num & Ulixes] Alii, *num exul Ulixes.* TORNÆS. Legendum, *Non & Ulyxes.* Jungermann. ERH.

Cum corde litigat] τῷδε ὃ πλήξας κραδίην ἠύπατε μύθῳ. PITH. Homerus Odyss. υ.

——— Κραδίη δὲ ἐνδον ὀλάκησι, &c.

Ennius, ut Varro lib. VI. de Ling. Lat. citat,

——— *Animus cum pectore latrat.*

Et:

Τέτλαθι δὴ κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποθ' ἔτλης:
Corde fera magno, quoniam graviora tulisti:

Virgilius lib. 1. vers. 199.

O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.

BRASSICAN.

Oculos suos tanquam audientes] Videtur deesse aliquid, ut, *tanquam videntes, aut aures tanquam audientes.* BONGARS. Dicere videtur, Tragicos interdum oculos suos objurgare, tanquam oculi verba eorum audiant. Sed fortasse scriptum fuit *audientes* pro *odientes*, id est, odio habentes, & invisos sibi: ut contra veteres dixerunt, *Rodus, orum, oricula, orata*, pro Raudus, aurum, auricula, aurata. Sic apud ipsum Petronium cap. IX. ubi legitur, *in conductum accurrit*, v. c. habet *aucucurrit*, quod positum fortasse, pro occurrit. Veteres autem dixisse *odio, odis*, & Festus docet. *Osi sunt*, inquit, *ab odio odis, declinasse antiquos, testis C. Gracchus.* Inde participium *odientes.* Sic *odivi* pro odi, legitur in Antonii epistola ad Hirtium & Cæsarem: *Mihi quidem constat, nec meam contumeliam, nec meorum ferre, nec deferere partes, quas Pompejus odivit.* RICHARD. Non puto Petroniano nitori convenire illud *odientes*, quamvis

&

Quid me ſpectatis conſtricta fronte Catones,
Damnatiſque novae ſimplicitatis opus?
Sermonis puri non triſtis gratia ridet,
Quodque facit populus, candida lingua refert,
Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia neſcit?
Quid vetat in tepido membra calere thoro?

Ipſe

& Fileſacus lib. 1. Select. cap. 14. probet, quod vulgatæ interpreti condono. Sed *audientes* eſt quaſi audire poſſent convicia,

Quid me conſtricta] Excuſatio laſcivioris materiæ. Scalig. in Catal. ERHARD. Primæ editiones & Tragurianus:

Quid me ſpectatis conſtricta fronte Catones?

Salmaſius ad Capitol. Maxim. & Balb. cap. 6. legit *cum ſtricta*. Ut Manil lib. v. verſ. 106. *ſtrictos Catones* dixit.

Spectatis fronte] Ad imitationem illius in Priap. Carm. 7.

Obliquis pathica quid me ſpectatis ocellis? ERH.

Catones] Valer. Maxim. lib. 2. cap. ult. exem. 8. Plutarch. in Caton. Senec. epiſt. 98. Martialis, alii. ERHARD.

Damnatiſque novae ſimplicitatis opus] Simplicitatem illam novam non eſſe, ea, quæ ſequuntur, declarant. Sciunt autem qui in his literis verſantur, b. & v. ſæpe inter ſe commutari. Itaque puto ſcriptum, à librario fuiſſe, *vonæ*, quod poſtea in *novæ* depravatum ſit. *Bona* vero *ſimplicitas*, quæ, ut ait Plautus, eſt ſine ulla malitia mala. RICHARD. Vult docere adulescens, vitio ſibi dari non opertere, ſi de rebus voluptariis Latine, hoc eſt, liberius loquatur, & ſuo quidque nomine appellet, contemtis aliorum, qui diverſa ſentiant, reprehenſionibus: nam & illos, qui liberius dicta ferre non poſſunt, falſis opinionibus laborare, ſibi autem fictam gravitatem minime convenire: ipſorum denique Deorum vitam ex Epicuri ſententia hoc uno felicem eſſe, quod de aliis parum ſint ſolliciti, neque in alienum judicium ſe componere, aut metu infamiæ gravitatem fingere laborarent. Sciopp. Element. Philoſoph. Stoic. moral. cap. 132. ERHARD. Minime movenda vox, opponit rigori & ſeveritati priſcæ Catonum *novam ſimplicitatem* ſui ſeculi. Non vult ergo, Catones illos exigere ſuum ſermonem ad verecundiam antiquam. Terent. Eunuch. Act. II. ſc. 2. *Olim iſti fuit generi quondam quaſtus apud ſeclum prius. hoc novum eſt aucupium.* Horat. 1. od. 2.

Terruit gentes, grave ne rediret
Seculum Pyrrhae, nova monſtra queſtae.

lib. IV. od. 2.

Seu per audaces nova dithyrambos
Verba devolvit.

& ita paſſim alii.

Simplicitatis opus] *Simplicitas* verborum eſt, cum rem ſine ullis ambagibus & circumlocutione, ut eſt, ſimpliciter & naturaliter eloquimur. Ita uſurpatur in Priapej. carm. *Obſcure poteram*, &c. ubi Scalig. & carm. *Simpliciter*, &c. ubi Schoppius. Adi Martialis interpretes. ERHARD.

Sermonis puri] *Purum ſermonem*, pro Latino. *Latina oratio*, nuda & obſcœna, quæ nulla circuitione ſpurcas res prætextatis verbis loquatur. Martial. *Latine loqui licet*, hoc eſt, ſuis nominibus res appellare. Palmer. in Spicileg. ERHARD.

Nam, quis concubitus] Alii, *nam, quis concubitus Veneris, quis gaudia neſcit.* PATISSON. Ita diſtinxit Scaliger, eumque ſecuti Douza in Præcidan. & Sciopp. d. l. vulgo, *Concubitus Veneris, quis gaudia neſcit.* ERHARD.

Gaudia] Lucret. lib. 4.

Denique tum membris collatis flore fruuntur
Ætatis, jam cum præſenſit gaudia corpus.

Catull. nupt. Manl. Cato Dir. & alii. WOUWEREN. Petron. ſupra cap. LXXX. *Pertrectavi gaudio diſpoliatum torum.* Iterum cap. CXIV. *Ultimum hoc gaudium ſatis properantibus rape.* Auſonius,

——— *Ubi caſſa libido*
Foemineos coetus & non ſua bella laceſſit,
Irrita vexato conſumere gaudia lecto. ERHARD.

Quis petat] Alii, *petit.* TORNÆS. Apud Scalig. pro *petat* legitur *petit.* in Catal. Lege, *Quis vetat in tepido membra.* Palmer. in Spicileg. vel, *Quis putat in calido membra tepere toro?* Quæ lectio nonnihil à Catullo & Cn. Mario lucis mutuatur: quorum iſtius verſus eſt Carm. LXVIII.

Frigida deſerto tepefecit membra cubili.

Hujus autem;

Sinuque amicam refice frigidam caldo.

Sciopp. Element. Philoſoph. Stoic. moral. cap. 132. At enim, quis non putat ejus

——— *In calido verba tepere ſono?* ERHARD.

In Satyrico correxi. *Qui putat in calido membra tepere toro?* id eſt, quis eſt tam rerum liberarum imperitus, tamque ab omni Venere alienus, ut putet in calido lecto, quem concumbentes amatores calfecerunt, membra eſſe tepida? Matius:

Sinuque amicam recipere frigidam caldo.

Catullus de lecto Cœlibis.

Fri-

Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Jussit,

Frigida deserto tepefecit membra cubili. SCIOPP. Legendum, *quid vetat.* Consule Nob. Heinsii notas ad Ovidii Epist. x. vers. 86.

Quid vetat & gladios per latus ire meum? BOSCH.

Calere toro] Lege, *jacere.* AURAT. Vet. cod. *calere.* SAMBUC.

Ipse pater veri doctus] Alii, *vera.* TORNÆS. Alii, *ipse pater veri doctus Epicurus in arce Jussit & hoc vitam dixit habere Deos.* alii, *telos.* alii, *Ipse pater vera doctus Epicurus in arte.* PATISSON. Sic Lucret. sic ceteri suæ sectæ auctores *Patres* vocant. vide Indicem Gifan. Cic. lib. 4. Acad. *Epicurus, qui voluit subvenire erroribus, videtur conturbare veri rationem.* Et libr. 1. de Finib. *insector ille veritatis.* BONGARS. Quamvis priori versiculo sit opus tibicine, non fulciam tamen, sed leviter duntaxat mutabo posterioris initium, & interpungam, hoc modo:

Ipse pater veri, doctus Epicurus in arte,
Lusit, & hoc vitam dixit habere telos.

Perspicua sententia. Ipse Epicurus, pater veri, ut ille apud Flaccum, *non sordidus auctor Naturæ verique,* doctus in arte, nimirum voluptaria, & amatoria, lusit, indulsit amori scilicet ac Veneri: hoc enim plerumque latinis est *Ludere.* Livius Andronicus apud Festum, in *Adjatim*; *Adsatim edi, bibi, lusi*: quod Græci, ἔφαγον, ἔπιον, ἠφροδισίασα: ut in Epigrammate Sardanapali apud Athen. lib. 12. ἐγὼ ἐξασίλευσα, καὶ ἄχρι ἑῴων τῶ ἡλίου φῶς ἔπιον, ἔφαγον, ἠφροδισίασα. Propertius lib. II. El. III. vers. 5.

Turba Menandreæ fuerat nec Thaïdos olim
Tanta, in qua populus lusit Erichthonius.

Catullus in Hymenæo:

Ludite, ut lubet, & brevi
Liberos date.

Ovid. eleg. 8. lib. 1. Amorum:

Ludite formosæ, casta est, quam nemo rogavit.

Plena exemplorum omnia, sed unum duntaxat addam è Nuptiis Pomponii, apud Nonium in *Condepsere*:

Partem insipavi, concluſi, indepsui.

Scripsi ego de conjectura, *concluſi*; quamvis in libris Nonii legatur *conluſi.* quod nec inficior defendi posse. RICHARD. Lucretius lib. III. vers. 9. *Tu pater & rerum inventor.* Cicero de finibus lib. 1. cap. 10. *Inventor ille veritatis.* PITH. Ita & Lucretius Epicurum vocat. Videntur honoris caussa Philosophi auctores suæ doctrinæ soliti appellare *Patres*: ut Academici Platonem, Epicurei Epicurum, Aristotelem Peripatetici. nam & ita Cic. lib. 3. de Nat. Deor. cap. 9. ubi de Zenone; *nihil igitur affert pater iste Stoicorum, quare mundum ratione uti putemus.* Gifanius Ind. Lucret. Lambinus ad Lucret. ERHARD. In variantibus lectionibus notatur, versu posteriori aliter legi: *dixit habere Deos*, quomodo & Scaliger edendum curavit. Ego in Satyrico monui legendum.

——— *Epicurus inertem*
Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Sensus est: inepte agimus nos homines, qui vulgatis laborantes opinionibus res illas Veneris, ut subturpiculas, suis nominibus exprimere verecundamur, conviciumque & infamiam inde veriti gravitatem ac severitatem fingimus, quum tamen sapientissimus Epicurus, & homo divinus in decretis jussisque suis atque scitis, quas κυρίας δόξας vocat, *inertem vitam*, hoc est, placidam, molestiaque & cura alienorum judiciorum carentem jusserit, eandemque vitam Deos habere dixerit. Ac, ne viderer Criticorum istorum ritu somniare, non Tibulli solum verba attuli:

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,

sed hunc quoque Tertull. locum cap. 7. adverss. Valent. *Sit itaque Bythos iste* (Deus Valentini) *infinitis retro ævis in maxima & altissima quiete, in otio plurimo placidæ, &, ut ita dixerim, stupentis divinitatis, qualem jussit Epicurus.* Qui *lusit* malunt, eos sibi à Poëta Veronensi dictum meminisse, velim; *satis diu lusisti nucibus, lubet jam servire Thalassio.* SCIOPP. Nob. Nicol. Heinsius sic constituebat hunc locum,

Ipse pater Veneri dictis Epicurus in hortis
Lusit, & hanc vitam dixit habere Deos.

BOSCH. Varie tentatus locus. Passerat. ad Propert. lib. III. eleg. 20. pag. 531. legit

Ipse pater veri doctrinæ Epicurus in arce.

Ramiresius de Prado ad Martial. libr. 1. Epig. 4. citat,

Ipse Pater veri, doctusque Epicurus in arte
Lusit, & hoc vitam dixit habere telos.

Tragurianus codex habet:

Ipse patet veri doctus Epicurus in arte
Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos,

primæ editiones itidem, nisi quod *pater veri doctus Epicurus in arte* exhibeant. Unde autem *hortis* intruserint nescio, nisi ex fama horum hortorum celeberrima, de quibus vide Taubmann. ad Virgil. Cir. vers. 3. deinde, *doctum* Epicurum vocari immerito, ostendit sagacissimus Brouckhusius ad Propert. libr. III. eleg. 20. vers. 26. neque etiam capio, qua ratione *horti docti* possint dici, ut voluisse videtur Menagius, qui ad Laërt. lib. 1. Segm. 17. citat

Ipse pater veri doctis Epicurus in hortis.

Mihi adhuc aqua hæret. Si *horti* hic retinendi essent, posset fingi:

Ipse Pater veri Actæis Epicurus in hortis
Lusit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Ita *Actæam terram* infra cap. CXXXV. dixit, & ita passim Poëtæ Atticam vocant. BURM.

Epirus in arce] Lege, *Epicurus.* AURAT. Quintilian.

Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Nihil est hominum inepta persuasione falsius, nec ficta severitate ineptius.

CXXXIII. Hac

tilian. lib. 12. *Cicerone tunc arcem eloquentiæ tenente.* Quanto vero rectius Epicurum dicit Arbiter *arcem veritatis tenere?* Nam Philosophum hunc è Græcis multi sic defendunt, ut putent, vix aliquem meliorem exstitisse. Tale est hoc epigramma, titulo Menandri: Anthol. lib. III. cap. 5.

Χαῖρε Νεοκλείδα, δεδυμένον γόνῳ, ὃν ὁ μὲν ὑμῶν
Πατρίδα δουλοσύνας ῥύσατ', ὁ δ' ἀφροσύνας.

Neocles pater fuit Themistocli, qui servitutem à patria fortissime depulit. Fuit & alter Neocles pater Epicuro, qui mentes hominum ex densissimis vitiorum tenebris eripuit. Id quod & Lucretius in 1. scribit:

Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Restinxit stellas, exortus uti æthereus Sol.

Tertullian. in Apologetico cap. 38. *Licuit Epicureis aliquam voluptatis veritatem decernere, id est, animi æquitatem.* Græci vocant εὐθυμίαν. De qua, tanquam summo bono, Cicero in 5. lib. de Finib. bonor. & malor. Seneca, & Diogenes Laërtius scribunt librum prodidisse Democritum: & hodie exstat elegantissimus Commentarius Plutarchi. BRASSICAN. Alii, *in arte.* Lege, *doctos Epicurus amare.* Gul. Canterus Novar. Lect. lib. 3. cap. 14. Lambinus Comment. in Lucret. Vel legend.

Ipse Pater veri, doctus Epicurus, in arce
Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Ita hos versus meliores fecimus, sed sola distinctione. Amm. Marcellin. lib. 25. de Juliani virtutibus; *post hæc serio ad artes confugiens doctrinarum.* Cic. lib. 1. de Divinat. *Arcem tu quidem, Quinte, Stoicorum defendis.* Sidonius;

—— *Quodcumque Platonis*
Ingenium, quod in arce fuit, docet. ——

Barthius in Ceir. Virgil. numer. 15. & ad Claudian. lib. 1. in Rufin. vers. 335. & ad Consul. Manlii Theod. vers. 6. vel denique, *Epicurus inertem.* quomodo Tibullus lib. 1. El. 1.

Me mea paupertas vitæ traducat inerti.

Quoad Latinitatem, *jussit inertem vitam*, correctioni huic fundus dari potest Tertulliani locus, qui legitur in lib. adversus Valentinianos, cap. 7. *Si itaque Bythos iste* (Deus Valentini) *infinitis retro ævis, tm maximis & altissima quiete, tm otio plurimo placidæ & (ut ita dicam) stupentis divinitatis, qualem jussit Epicurus.* Valde autem fallor, aut *jubendi* verbum ad κυρίας δόξας Epicuri respicit, quibus ille non tam Philosophi more disputare, quam domini exemplo jubere videbatur: neque aliter Senecam accipio, ubi sic scribit; *Voluptas illa Epicuri ad parvum & exile revocatur, &, quam nos virtuti legem dicimus, eam ille dicit voluptati: jubet illam parere naturæ.* Sciopp. Philosoph. Stoic. moral. cap. 132. Ecce tibi tritalogus nugidoloquides, ut sententias loquitur! Dicas, in Epicuri sinu somniasse, ut Persiani Poëtæ in Parnasso. Et hanc emendationem explosit jam Barth. ad Claudian. Consul. Manl. Theod. vers. 6 ERHARD. *Doctis Epicurus in hortis*, defendit Gassendus lib. 1. de vita Epicuri cap. 6.

Jussit & hoc vitam] Legendum & distinguendum;

Ipse pater veri, doctusque Epicurus in arte
Lusit, & hoc vitam dixit habere telos.

Ludendi verbum subputidum est, & lascivæ significationis. Ovid. lib. 2. de Arte vers. 389.

Ludite, sed furto celetur culpa modesto.

Et lib. III. vers. 64.

Ludite, eunt anni more fluentis aquæ.

Ramirez Hypomnem. ad Martial. lib. 1. epigr. 4. n. 13. & ante eum Richardus. ERHARD.

Telos] Exitus. GLOSS. Alii, *Telos.* TORNÆS. Varro περὶ ἀμίσεων. *Porro inde ab unoquoque compito ternæ viæ oriuntur, è quibus singulæ extimæ exitum ac telos habent proprium. A primo compito dextram viam munit Epicurus.* PITH. Athenæus lib. 12. Ἐπίκουρος ἐν τῷ περὶ τέλους φησὶ, τιμητέον τὸ καλὸν καὶ τὰς ἀρετὰς καὶ τὰ τοιαῦτα, ἐὰν ἡδονὴν παρασκευάζῃ. DOUZA F. Τέλος. ita omnino legendum. Scalig. in Catalect. vel, *dixit avere deos.* Stewech. ad Apul. aut totus locus ita castigandus;

Ipse pater veri doctus Epicurus in arce
Jussit, & hoc vitam duxit habere telos.

Nam Deos tollebat Epicurus, aut certe conjugium inter Deos. *Arx* autem Epicuri etiam apud Lucret. & *arx Philosophorum* apud Virg. Ciri;

Si me jam summa sapientia pangeret arce.

Palmer. in Spicileg. vel legendum;

—— *Et hanc vitam dixit habere Deos.*

quem versum nonnulli codices item, ut ego lego, scriptum exhibent. Sciopp. d. l. & Barth. ad Claudian. Consul. Manl. Theod. vers. 6. ERHARD. Editio quoque Bourdelotiana *doctus Epicurus in arte*, & *habere telos*, & in Comment. frustra diu pugnatum de veritate hujus lectionis, quam veram cum Scaligero præstamus. Præcipua Epicuri Philosophiæ capita, ἀλήθεια, τέλος. Recte igitur *in arte veri* & *habere telos*, ut patet apud Senecam, & Athenæum lib. 2. BOURDEL.

Narra mihi] Id est, dic mihi. Cicer. 11. ad Att. 7. *narra mihi. Reges Armenii Patricios salutare non solent. Tua fide* vero, ut apud Vellej. Paterc. lib. 11. cap. 63. *Plancus deinde dubia, id est, sua fide, diu quarum esset partium secum luctatus.* CUPERUS.

CXXXIII. Hac declamatione finita Gitona voco, &, Narra mihi, inquam, frater, sed tua fide, ea nocte, qua te mihi Ascyltos subduxit, usque in injuriam vigilavit, an contentus fuit vidua pudicaque nocte? Tetigit puer oculos suos, conceptisque juravit verbis, sibi ab Ascylto nullam vim factam: * *Utut res haberet, spem vultu simulavi*, positoque in limine genu, sic deprecatus sum numina versu:

Nympharum Bacchique comes, quem pulcra Dione
Divitibus sylvis numen dedit, inclyta paret
Cui Lesbos, viridisque Thasos, quem Lydus adorat
Vestifluus, templumque tuis imponit Hypaepis.

Huc

Sed] Vide supra ad CXXVIII. *dic Chrysis, sed verum.* prima editio, *sed eam, si de ea nocte, qua.* Sambuci, *frater si ea nocte, qua.* Tragur. *frater sed tam si de ea nocte qua.*

Sed ea fide] Lege, *sed bona fide.* AURAT. Vel hic locus satis doceat, quanti sit periculi Criticum agere velle. Nam Dousa Pater, dum *tua fide* barbarum & Petronio indignum esse clamitat, & *tuta fide* reponi jubet, meretur audire, quod Socrates apud Platonem à Protagora: τὸ ἁμαρτάνειν σου μεῖζον ἁμάρτημα ἔχει, ἢ ὃ ἁμαρτάνεις. id quod hæc Senecæ Herc. Furent. planum faciunt vers. 1175.

——— *Quis meas dederit neci*
Omnes simul, profare: quid genitor siles?
At tu edo Theseu, sed tua, Theseu, fide.

Et fuit tamen, qui hanc in Dousa audaciam notari nollet: sed nempe is, qui, ut apud Batavos cenaret, poëtam laudavit. SCIOPP. Nihil opus est Douziana emendatione. *Tua fide* est, quod nos diceremus, jura mihi per animam tuam. ERHARD.

Ascyltos] Lege; *Ascylta.* AURAT.

Ea nocte] Alii, *si ea nocte.* PATISSON. Mendosa hæc corrigenda in hunc modum: *frater de ea nocte, qua te mihi Ascyltas subduxit, si usque ad injuriam vigilavit.* BRASSICAN.

Usque injuriam] Lege, *usque ad injuriam.* AURAT. Sic alibi: cap. CXL. *Accessit tentaturus, an pateretur injuriam.* Plaut. Aulular. Act. IV. scen. 10. vers. 64. *Ego me injuriam feciſſe filiæ fateor tuæ, Cereris vigiliis, per vinum.* PITH. Plinius Paneg. cap. 30. *Usque ad injuriam sterilitatis exaruit.* Senec. de Benef. *Non necessitatibus tantummodo nostris provisum est, usque in delicias amamur.* SCIOPP.

Vidua pudicaque nocte] Ovid. Epist. XIX. 69.

Cur ego tot viduas exegi frigida noctes? PITH.

Translatum ex illo Catulli:

Nam te non viduas jacere noctes.

Douza F. ad Catull. epigr. 4. & 5. Muretus ibid. ERHARD. MSS. *Vacua*, quod idem est, Horat. lib. 1. od. v.

Qui semper vacuam, semper amabilem.

Tacitus fere omnibus paginis. pro *pudica*, idem MSS. *pura.* Tibull. lib. 1.

——— *Puro succubuisse toro.* BOURDELOT.

Conceptissimis verbis] Certa Verborum formula, quam is juraturo præit, qui juramentum defert. GLOSSÆ. Supra cap. CXIII. primæ autem editiones & Tragurianus hic habent *conceptisque.* de jurejurando per oculos v. Passerat. ad Propert. lib. 1. eleg. XV. pag. 214. cui multum debet Gonsalius.

Juravit, sibi ab Ascylto nullam vim factam] Suspicor, hic inferendos versus, qui leguntur in Fragmentis: *Naufragus ejecta*, &c. sed nihil adfirmo. DOUZA F.

Ab Ascylto] Lege, *ab Ascylta.* AURAT.

Positoque in limine genu] Scilicet, templi vel sacelli Priapi, ergo *numina*, hoc est, Priapum. ERHARD. *Positoque* MSS. BOSCH.

Deprecatus sum numina versu] Alii, *depecatur sua victima versu*, forte, *suavissimo versu.* TORNÆS. Forte *sua crimina.* AURAT. Ita V. C. Vulgo, *victima.* forte, *suavissimo versu.* SAMBUC. Prima editio *deprecatur sua victima*, Sambuci & Trag. *deprecatur sua.* Quicumque vero templum Priapi intrabant, Epigramma parietibus inscripsisse notat Scaliger ad Priapeja Carm. XLIX.

Numina] Venerem scilicet. BRASSICAN.

Quem pulcra Dione] Lege, *quam.* Nam Dionem Veneri matrem tribuit Homerus Iliad. lib. 5.

Ἡ δ' ἐν γούνοισι πίεσε Διώνης δῖ' Ἀφροδίτη.

Theocritus in Ptolemæo:

——— Διώνας πότνια κόρα. BRASSICAN.

Cui Jesos] Lege, *Lesbos.* AURAT. Ita concinnavit atque reposuit corruptum in vulgatis versum, *Cui lasos*, &c. Had. Junius Animadv. lib. 6. cap. 15. ERHARD.

Lydus] Forte, *Nilus.* AURAT.

Septifluus] Autisiod. *semper fluvius.* PATISSON. *Vestifluus*, Turnebus. TORNÆS. Turneb. libr. 26. Adversar. cap. 6. legit, *vestisluus*, ut apud Auson. *vestisluus Ser.* DANIEL. Lege *vestisluus.* vestes enim Lydorum erant fluxæ, ut ex Herodoto constat. *Septifluus* autem *Nilo* convenit, non *Lydo.* Turneb. Adversar.

Huc ades, ô Bacchi tutor, Dryadumque voluptas,
Et timidas admitte preces: non sanguine tristi
Perfusus venio, non templis impius hostis
Admovi dextram, sed inops, & rebus egenus
Adtritis, facinus non toto corpore feci.
Quisquis peccat inops, minor est reus. Hac prece, quaeso,
Exonera mentem, culpaeque ignosce minori.
Et, quandoque mihi fortunae arriserit hora,

Non

versar. libr. 26. cap. 6. & tacito auctoris nomine Lindenbrog. Var. Lect. in Catalect. ERHARD. Legimus, *Vestifluus*, & ratio in proclivi. De *Hypœpis* Ovidius Transformat. lib. 6. vers. 13.

Orta domo parva, parvis habitabat HYPÆPIS.

BOURDELOTT. *Septifluus*, tres scripti. BOSCH. Constanter veteres *septisluus*, sed probo emendationem *vestifluus*, quam illustrat Passer. ad Propert. III. El. 17. pag. 513. Ita auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis vers. 77.

Lydia te tunicas jussit lasciva fluentes
Inter lanificas ducere sæpe suas.

ubi Philosophus in elumbi & inepta paraphrasi sua ostendit, se non noviſse, quid sit *ducere tunicas*, quod est nere, & texere, ut vulgo *lanam ducere* dixisse veteres etiam lexica potuissent eum docere. Valer. Flacc. lib. I. vers. 428.

—— *Quod gemina mater spectabile telæ*
Duxit opus.

de Lydis & eorum ornatu in sacris Bacchi etiam Avienus descr. Orb. vers. 1008.

—— *Subeunt hæc serica sæpe*
Pallia, & impulsi Zephyris agitantur amictus.
Hæc linquenda tamen læto reor omnia Lydo.

de vestibus autem fluentibus obvia omnia. vide ad Phædr. lib. v. fab. I. & alibi. BURM.

Hypæpis] Oppidum Lydiæ, alibi *hypæpus* hymnus Dianæ sacer. GLOSSÆ. Alii, *hypæpis*. PATISSON. Forte, *templisque tuis imponit honores*. AURAT. Lege, *hypæpis*. Ovidius lib. 6. Metamorph. vers. 13. de Arachne:

Orta domo parva, parvis habitabat Hypæpis.

Meminit Strabo. Et Stephanus de Urbibus. Ὑπαιπα πόλις Λυδίας, κλινθεῖσα ὑπὸ τὸ παρακείμενον ὄρος, ὑπὸ τοῦ Διὸς, καθάπερ ἴχνη γυναῖκας, ὅθεν Ἀφροδίτης: *Hypæpa Lydiæ urbs, sic dicta ab editiore situ. habet autem peculiari quodam Veneris beneficio pulcherrimas mulieres.* BRASSICAN. Lege, *Hypæpis*. Est enim Lydiæ oppidulum *Hypæpa*, ut libr. VI. Metamorph. testatur Ovid. Alioqui etiam Dianæ sacer Hymnus est *Hypæpus*. H. Junius Animadvers. libr. 6. cap. 15. Forte legendum, *suis imponis Hypæpis*. Jungermann. Nam *Hypæpa* Lydiæ sicut Veneri & Priapo sacra, ut scribunt Stephanus & Strabo. ERHARD. Doctiss. viro Th. Munckero omnino legendum videtur, *suis Hypaepis*: erat enim Lydorum oppidum. Quando autem templum in isto oppido Priapo positum ait, satis indicat, id numini ejus fuisse dicatum. BOSCH. Rescriberem *piis imponit Hypæpis*. hanc enim vocem librarii sæpe cum *tuus* & *suus* confuderunt. Ovid. VII. Metam. 172.

—— *Quod, inquit,*
Excudit ore pio conjux scelus, ——

ut recte Heinsius ex codicibus MSS. pro *tuo* reposuit lib. XIV. Metam. vers. 813.

—— *Memorique animo pia verba notavi.*

ubi etiam quidam codices *tua*. lib. V. Fastor. vers. 49.

Illa patres in honore pio matresque tuetur.

ita etiam meliores libri: vulgo *suo*. De *Hypæpis*, vero vide Tristan. Comment. Histor. tom. II. pag. 538. BURM.

Et timidas] Alii, *sed timidas*. PATISSON.

Non templis impius] Hoc inter maxime impia & detestabilia facinora numerabatur. vide Eruditissimi Broukhusii adnotata ad illud Tibull. lib. III. Eleg. 5.

Nec nos sacrilegos templis admovimus ignes.

Rebus egenus attritis] Horat. lib. II. Sat. 2. *quam nunc accisis*, &c. DELBEN.

Quisquis peccat inops, minor est reus] Ita Virgil. in Culic.

Dignus amor venia, gratum si Tartara nossent
Peccatum minus esse. ——

id est, quisquis in gratiam alicujus peccat, minor est reus. Scalig. Comment. in Culic. ERHARD.

Hac prece, quæso] Scribe, *queso*. BRASSICAN.

Culpæ minori] Senec. Thyeste vers. 135.

Et major placeat culpa minoribus.

ubi summus Gronovius hæc Petronii verba laudat.

Et quandoque] Id est, quandocumque, ut alias sæpe. SAMBUC. ERHARD. Lege, ex vet. cod. *& cum læta mihi*. BRASSICAN. Recte pro *quandocumque* positum notant, ut apud Horat. art. Poët. vers. 359.

—— *Miror & idem*
Indignor, quandoque bonus dormitat Homerus,

& ita aureæ ætatis scriptores fere semper.

Non sine honore tuum patiar decus: ibit ad aras,
Sancte, tuas hircus, pecoris pater ibit ad aras
Corniger, & querulae foetus suis, hostia lactens;
Spumabit pateris hornus liquor: & ter ovantem
Circa delubrum gressum feret ebria pubes.

Dum hæc ago, solertique cura depositio meo caveo, intravit delubrum anus laceratis crinibus, atraque veste deformis: extraque vestibulum me injecta manu duxit, *cuncta timentem.* *

CXXXIV.

Fortunæ arriserit hora] Ovidius libr. 1. Trist. eleg. 4.

——— *Vultu ridet Fortuna sereno.* WEITZ.

Hora] Pith. *aura.* TORNÆS. Lege, *aura.* Scalig. Lipsi. Pith ERHARD. Alii, *aura*, & rectius. *Aura* ventum faventem & favorem significat. Hinc *aura popularis*, & *aura favoris popularis*, apud Livium sæpe. Hinc fortunæ aura apud Poëtas *favens fortuna* dicitur. Salmas. ad Vopisc. pag. 409. WEITZ. Hanc vocem cum *aura* confundi docere te possunt notæ Heinsii ad Ovid. Epist. III. vers. 44. qui in secundis curis in hoc Petronii loco *hora* retinet.

Non sine honore tuum patiar decus] Quod si hoc mihi præstiteris, tum ego honorem tuum concelebrabo sacrificiis, & in decus tuum faciam, ut, &c. *Honor* pro sacrificio & litatione. Catullus in Priapo de re non absimili;

Pro queis omnia honoribus hæc necesse Priapo
Præstare, & domini hortulum vineamque tueri.

Tibullus ad Bacchum lib. 1. El. VIII. vers. 53.

Huc venias hodierne, tibi dum ruris honoris
Libaque Mopsopio dulcia melle feram.

Petronius in Fragment.

——— *Atque error jussit inanis*
Agricolas primos Cereri dare messis honores.

Honor etiam pro quovis munere, quo quis honoratur. Germanis *Verehrung.* Cic. ad Tyron. *Honor medico habendus.* An sic interpretandus Jesus Sirach, dum cap. 38. vers. 1. scribit; *honora medicum propter necessitatem?* Hinc *honorarium vinum*, quod Regibus & potentibus honoris gratia offertur, ut docet Muret. Var. Lect. lib. II. cap. 5. *Honorem habere alicui* fere Plautus usurpat, pro, in alicujus gratiam aliquid facere. ERHARD.

Ibit ad aras Sancte tuas hircus] Catullus in Priapo;

Sanguine hanc etiam mihi, sed tacebitis, aram
Barbatus linit hirculus, cornipesque capella. ERH.

Sancte tuas] Sic Autisiodor. nisi quod *decoris* habet, pro *pecoris*, &, *festus suis hostia lactens.* in aliis totus hic versus deest. Pith. PATISSON.

Pecoris pater corniger] Non taurus, sed caper. ERHARD.

Festus suis] Lege, *Foetus suis.* AURAT. Ita legendum: vulgo, *festus.* SAMBUC. Ita legendum, non *festus*, quod non explicat, quam desideramus, sententiam. Turneb. Adversar. libr. 26. cap. 6. ERHARD.

Spumabat pateris] Lege, *spumabit.* AURAT. Hieronym. ad Heliod. *Non est tantum in eo servitus idoli, si quis duobus digitulis thura in bustum aræ jaciat, aut haustum paterâ poculo fundat merum.* Varro 4. de Ling. Lat. WOUWEREN. Virg. 1. Æneid. vers. 738.

——— *Ille impiger hausit*
Spumantem pateram. WEITZ.

Hornus liquor] Id est, hornotinus, hujus anni. Horat. Epod. 2. vers. 47.

Et horna dulci vina promens dolio.

Et lib. 3. Carm. 23. *Horna fruge.* Plautus Mostell. Act. 1. sc. III. vers. 3. *Eventus rebus omnibus, velut horno messis magna fuit.* Propertius lib. IV. El. III. vers. 61.

Illa dies hornis eadem denuntiat agnis.

Basil. Faber in Thesaur. erud. Scholastic. WEITZ. Vide Torrent. ad Horat. lib. 3. od. 23.

Et ter ovantem Circa delubrum gressum feret ebria pubes] Herodian. lib. 5. Virg. 7. Æn. Callim. ἐς Δῆλον. WOUWEREN.

Depositio meo caveo] Ovid. libr. IX. Metam. vers. 119.

——— *Nessoque parantis*
Fallere depositum. PITH.

Nigraque veste] Alii, *atraque.* TORNÆS. Hic habitus miseriarum, ut loquitur Accius apud Cic. Tusc. Quæst. lib. III. cap. 26. *Scindens dolore identidem intonsam comam.* Apul. Mil. 2. *Genialem canitiem revellens senex.* hoc obvium passim. Sed de veste, quæ luctum & miserias vestit, haud mediocres dividiæ inter scriptores, de quîs plene J. Lipsius ille ingenii & omnis politioris doctrinæ princeps, comm. ad Annal. Taciti lib. 2. Apulej. Mil. 2. *Matronam flebilem fusca veste contectam.* Macrob. lib. 3. *Mortuam atratus tamquam filiam luxit.* Græcos atratos in luctu minus amplam bigimus. Xenophon de Athenien sibus, qui parentes lugebant, μέλαια ἱμάτια ἔχοντ. Euripid. in Iphig. Aulid. ubi moritura ad matrem vers. 1438.

Μήτ' ἔν γε τὸν σὸν πλόκαμον ἐκτέμῃς τριχὸς,
Μήτ' ἀμφὶ σῶμα μέλανας ἀμπίσχῃ πέπλους.

Artemid.

CXXXIV. [a] Quae ſtriges comederunt nervos tuos? aut quod purgamentum nocte calcaſti in trivio, aut cadaver? Nec à puero quidem te vindicaſti:

PROSELENOS.

Artemid. lib. 1. τὸ ᾧ μίλαν ἱμάτιον σωτηρίαν προσημαίνει· ἐ γὰρ οἱ ἀποθανόντες, ἀλλ' οἱ παθόντες τὸν ἀποθνήσκοντας τοιούτοις χιῶνται. At Lucianus obtendit, Philoſp. νεκρικὸς ἰσθῆτα μελαίνη. Pollux vero lib. 4. οἱ ᾗ ἐν δυσχίμοις ὄντες ἢ λευκᾶ δυσπνοῇ ἔιχον, μάλιστα οἱ φυγάδες, ἢ μέλαινα, ἢ γλαύκινα. WOUWEREN. De veſte lugubri vide Rævardum Conjectan. libr. 1. cap. 20. Lipſium Comment. ad Tacit. Annal. lib. 2. Savaronem Not. ad Sidonium. ERHARD.

Cuncta timentem] Abſunt hæc ab omnibus editionibus priſcis.

Quæ ſtriges] Vide ſupra cap. 63. & Paſſerat. ad Propert. lib. 3. eleg. 5. pag. 436.

Purgamentum] Commoſtrum. BONGARS. Καθάρματα in trivia projecta aut fluenta. Suidas: ὀχυθυμία, ὅτα καθαίροντες τὰς οἰκίας Ἀθηναῖοι, νύκτας ἐῤῥ ἔιχον ἐν ταῖς τριόδοις τιθέναι. quem vide & Heſych. Sed & ἐν τῇ τριόδῳ Ἑκάτης δεῖπνον κείμενον, ut ait Lucian. mortuorum dial. Schol. Ariſtoph. Pluto Act. 11. ſc. 4. κατὰ ᾧ νουμηνίαν οἱ πλούσιοι ἔπεμπον δεῖπνον ἐσπέρας ὡς θυσίαν τῇ Ἑκάτῃ ἐν ταῖς τριόδοις. ἱδρύοντο γὰρ τὴν Ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις, ὅτι ἐπὶ τῶν καθαρμάτων καὶ μιασμάτων ἡ θεός. ait Scholiaſt. Theocr. & ὁρκῷ παρὰ κύλιχι, ἡ Ἑκάτη ταῖς φαρμακίσι. ἐυρετὴς γὰρ τῶν φαρμακῶν ἡ θεός, ait Scholiaſtes Apollon. Huc pertinet quod Burchardus Decret. lib. 10. cap. 11. *Perſcrutandum eſt, ſi aliquis ſubulcus ſive venator, vel cateri hujuſmodi dicant diabolica carmina ſuper panem aut ſuper herbas, aut ſuper quadam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abſcondat, aut in bivio, aut in trivio projicat, ut ſua animalia liberet à peſte & clade, & alterius perdat.* Plato l. 11. de LL. ubi de veneficis: ὧν ποτε αἷμα ἴδωσι πᾶν κήρινα μιμήματα πεπλασμένα ἢτ' ἐπὶ θύραις, ἢτ' ἐπὶ τριόδοις. Vide Horat. lib. 1. Sat. 8. Quod in fluenta Homerus:

——— Καὶ ἐς ἅλα λύμαθ' ἕλκων.

Nemeſianus Eclog. IV.

Quid prodeſt, quod me pagani mater Amynta
Ter vittis, ter fronde ſacra, ter thure vaporo
Luſtravit, cineresque averſa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes ſulphure lauros.

Claudianus IV. Conſ. Honor. 330.

Trans caput averſus manibus jaculatur in altum
Secum rapturas cantata piacula tædas.

Vide locum, pleniſſime vero Theocritus Idyll. 25. quem operæ inſpexiſſe, WOUWEREN. *Purgamenta*, quæ quidem Græci καθάρματα appellant, quibus februabatur aut expiabatur aliqua noxa, mittebantur in profluentem plerumque, interdum & in mare, interdum in trivium: jaciebaturque ab averſis trans caput, ut in Pharmaceutria ſcriptum eſt, nec reſpiciebant, ne eorum aſpectu malum traherent. Ea autem ſecum ſceleris & culpæ admiſſæ omne nefas omnemque noxam auferre credebant, & contagione quadam aliis tradere, ſi quis tangeret. Itaque erant ea purgamenta omnibus inviſa, ut ea vel pede *calcaſſe* nefarium haberetur & inauſpicatum, & mali alicujus præſagium. Hanc ſuperſtitionem Cynici irridebant, qui (apud Lucianum ſcriptum eſt) ſæpenumero ovis purgamento veſcebantur. Turneb. Adverſar. libr. 26. cap. 7. *Trivia*, τρίοδοι, loci in urbe dicuntur, in quæ veteres conjiciebant omnia inquinamenta: ipſaque adeo domorum & urbium purgamenta. καθαρμῶν γὰρ, inquit Euſtathius, ἐκβολαὶ εἰς τὰς τριόδους ἐγίνοντο: & morem multis explicat Harpocration in ὀχυθυμία. Caſaubon. Animadverſ. in Athen. lib. 6. cap. 16. Adde Barth. Animadverſ. ad Claudian. VI. Conſ. Honor. verſ. 330. ERHARD. Sordes purgamentorum in aquas abjicere mos, vel fluviales, vel marinas. Homerus:

——— Εἰς ἅλα λύμαθ' ἕλκων.

Virgil. Eclog. 8.

Fer crineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti
Transque caput jace. ———

Quin etiam in trivia projici ſolita: uti fuſe hæc docet elegantiſſimus Meurſius ad Lycophron. verſ. 1158. & ſeq. WEITZ. Vide ſupra ad cap. 74.

In trivia] Vet. *in truno*, non *in trivio*. Pith. PATISSON. *Intritum*, infauſtum eſt Plauto. BONGARS. An, *in trivio*: Athenæus, τρίοδοι τινὲς αἵνται πρὸς ἀλήθειαν ἐγένοντο πλήρεις πάντων ἀποκαθαρμάτων. Unde ἱδρύοντο τὴν Ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις. Plutarch. χθονία ᾧ δεῖπνον Ἑκάτῃ πεμπόμενον εἰς τριόδους ἀποτροπαίων καὶ καθαρσίων ἐπέχει μοῖραν. Sane apud Suetonium in Veſpaſiano ſic habet optimus codex: *Prandente eo canis è trivio manum humanam intulit, menſaque ſubjecit.* Auſon. Epigr. 72.

Abjecta in triviis inhumati glabra jacebat
Teſta hominis nudum jam cute calvitium.

PITH. In trivio abjicebantur vulgo ſordes & purgamenta ædium. Phædr. lib. 1. fab. 27.

Trivio conceptas & educatus ſtercore.

Purgamentum enim proprie de ſtercore & ſimilibus ſordibus, quæ in trivia abjiciuntur, dicitur. Ita Columella lib. 11. cap. 15. bis terve utitur, cujus locum adducemus, ut medicinam faciamus. *Licet enim quamlibet frondem, licet è vepribus compitiſque congeſta colligere.* Ita vulgo legitur, ſed egregius codex S. Germani, quem conſuluit N. Heinſius, habet *licet è verpribus & eviis competique congeſta colligere.* Ex cujus corruptæ lectionis veſtigiis apparet, legendum eſſe, *licet è vepribus & triviis compitiſque congeſta colligere.* Heinſius malebat & *è vis.* quod eodem redit. Et hæc ratio eſt, cur ſuperſtitioſi hominis characterem hunc

dicasti: sed mollis, debilis, lassus tamquam caballus in clivo, & operam & sudorem perdidisti, nec contentus ipse peccare, mihi Deos iratos excitasti, *ac poenas mihi nullas dabis?* [a] Ac me iterum in cellam Sacerdotis nihil recusantem perduxit, impulitque super lectum, & harundinem ab ostio rapuit: iterumque nihil respondentem mulcavit, ac, nisi primo ictu harundo quassata verberantis impetum minuisset, forsitan etiam brachia mea caputque fregisset. Ingemui ego, utique propter mascarpionem, lacrymisque ubertim manantibus, obscuratum dextra caput super pulvinar inclinavi.

[a] POLYÆNOS.

faciat Theophrastus περὶ δεισιδαιμονίας. Καὶ ἐπὶ τοῖς τριόδοις ἀπελθὼν κατὰ κεφαλῆς λέσασθαι. *Et in compitis antequam discedat, aqua caput insperſa lustrat se.* BURMAN.

Aut cadaver] An δημοσίους φαρμακεὺς intelligit? Δημοσίους ἢ τοὺς λεγομένους φαρμακεὺς, οἵπερ καθαίρουσι τὰς πόλεις τῶν ἑαυτῶν φόνῳ, ἢ τοὺς δημοσίᾳ, καὶ ὑπὸ τῆς πόλεως τρεφομένους. ἔτρεφον γάρ τινας Ἀθηναῖοι λίαν ἀγενεῖς καὶ ἀχρήστους. καὶ ἐν καιρῷ συμφορᾶς τινος ἐπελθούσης τῇ πόλει, λοιμοῦ λέγω, ἢ τοιούτου τινος, ἔθυον τούτους ἕνεκα τοῦ καθαρθῆναι τοῦ μιάσματος, ὡς ἐπωνόμαζον καθάρματα. Schol. Aristoph. Equit. Act. III. scen. ult. Quæ illustrant illa cap. ult. *Massilienses, quoties pestilentia laborabant*, &c. Quamquam ominosum mortuum tangere, imo domum funestam ingredi, adeo ut mirum quam formidarint busta aut sepulcra. Theophr. Char. περὶ δεισιδαιμ. Καὶ ὅτε ἐπιβῆναι μνήματι, ὅτε ἐπὶ νεκροὺς ἐλθεῖν. Gellius lib. 10. cap. 15. *Locum, in quo bustum est, numquam ingreditur: mortuum numquam attingit.* Apul. Apolog. *omnia noctium occursacula, omnia bustorum formidamina, omnia sepulcrorum terriculamenta.* Ammian. lib. 31. WOUWEREN.

Nec à puero quidem te vindicasti] Scilicet, Gythone. Infra hoc capite, *Neque puero, neque puellæ bona sua vendere potest.* Uterque locus respicit verba Gythonis superius relata cap. CXXVIII. *Hoc nomine tibi gratias ago, quod me Socratica fide diligis. Non tam intactus Alcibiades in præceptoris sui lectulo jacuit.* ERHARD.

Caballus in Clivo] Ovidius Rem. Amor. vers. 394.

Principio clivi noster anhelat equus. PITH..

Est hoc παροιμιῶδες. quod proverbium aliter extulit Ovidius in 1. Remed. vers. 394. Casaubon. Comment. in Pers. in prolog. ERHARD. Vide supra ad cap. 47.

Deos iratos extricasti] Lege, *excitasti*. WOUWER. ERHARD.

Ac pœnas] Hæc quoque desunt antiquis editionibus.

Impulitque] Vide ad cap. 16.

Harundinem] *Harundo*, virga, Janitoris gestamen, ostio appendi solita. GLOSSÆ. Lege, *arundinem de hostio*. BRASSICAN.

Rapuit ostio] Lege, *rapit ocyus*. AURAT. Prima editio & Tragur. *rapuit ostio*. De *arundine* vide supra ad cap. XCVIII.

Mulcavit] Alii, *mulctavit*. alii, *multavit*. TORNÆS. Vide ad cap. 95.

Primo ictu] *Ictu* ignorant editiones prima & Sambuci & Tragur. Acidalius vero ad Vellej. Paterc. lib. 1. cap. 8. pag. 178. mallet legere, *nisi primo ictu harundo quassata, verberantis impetu minuisset.*

Mascarpionem] Alii, *masturbatorem*. alii, *masturratorem*. alii, *masturbionem*. PATISSON. Vet. cod. *masturbatorem*. vide tamen, num retineri possit vulgata lectio, *mascarpionem*. SAMBUC. Alii, *masturbatorem*. Lege, *masturbionem*, vel, *mastuprationem*. Philoxenus Gloss. *Masturbat, manuturbat*, δίφει, καὶ δίφεται. ἐπὶ ᾧ ῥῆμα κοινόν. Aliud Glossar. *Mastuprari*, δίφεσθαι, ut id dicat de calamitate Sicula. Jungermannus. Jac. Gaudensis lib. 3. Aer. aur. Poëtar. *Masturbari, id est, virilia turpiter turbare*. Alexander Poëta apud Bedam in Proverbiis Poëtarum;

Monstripare monstro nihil est corruptius isto.

Lege, *Manstupro monstro*. ERHARD. Alexander Poëta apud Bedanum in Proverbiis ab Erhardo adducitur. At is noster Philippus Galterus est, cujus verba lib. 1. Alexandreïdos ita leguntur:

——— *Noctis*
Monstriparæ monstro nihil est. ———

Facessat igitur & in Morboniam abeat monstrosa correctio; *Manstupro monstro*, &c. Locus ille plane alienus, & huc minime trahendus. WEITZ. *Masturbatorem*, Sambuc. cod. *marscarpionem*, Trag. cod. & vett. nonnulli: unde Nobil. Heinsius, *marsupionem* pro marsupium, marsupio; sic *saxiperium* pro saxiperio, & sexcenta alia. BOSCH.

Obscuratum] Alias, *obvelatum*. BRASSICAN. Nihil opus correctione. *Obscurare* caput est obvolvere. Horat. lib. II. Sat. VII. vers. 55.

——— *Odoratum caput obscurante lacerna.*

Ita & cape Valer. Flacc. lib. III. vers. 526.

——— *Ad obscuræ decurrens cingula mammæ.*

ubi nihil mutandum. ita supra cap. 105. *non adumbratæ notæ*. BURM.

Pulvinum] Alii, *pulvinar*. PATISSON. Plaut. Casina. Act. III. sc. 2. *subducam navim in pulvinaria*. BRASSICAN.

Altera

inclinavi. Nec minus illa fletu confusa altera parte lectuli sedit, aetatisque longae moram tremulis vocibus coepit accusare, donec intervenit sacerdos, &, [a] Quid vos, inquit, in cellam meam, tamquam ante recens bustum, venistis? utique die feriarum, quo etiam lugentes rident, [b] O, inquit, ô Enothea, hunc adolescentem quem vides, malo astro natus est: nam neque puero, neque puellae, bona sua vendere potest. Numquam tu

[a] ENOTHEA [b] PROSELENOS.

Altera per te lectuli] Lege, *altera parte lecti.* AURAT.

Aetatis longae moram] Biturig. *nomen.* Pith. PATISSON. Veturia Coriolani apud Livium lib. 2. cap. 40. *In hoc me longa vita & infelix senecta traxit.* Juvenal. Satyr. 10. vers. 243.

Haec data poena diu viventibus, ut renovata
Semper clade domus multis in luctibus, inque
Perpetuo maerore, & nigra veste senescant, &c.

Et vers. 255.

Quod facinus tandem tam longo admiserat aevo?

Mimus Publianus:

Heu quam paenitenda incurrunt homines vivendo diu.

Luciani:

Ἀλλὰ με μὴ κλαίοις, καὶ γὰρ βιότοιο μετέσχον,
Παύρου, καὶ παύρων τῶν βιότοιο κακῶν.

Seneca pulchre de improbissimo & perditissimo dixit: *O dignum hominem, qui vitae dederetur*, &c. BRASSICAN. Prudent. in Hymn.

Absolvas precor optime
Hujus nunc animae moras.

Seneca Troade vers. 939.

Abrumpere ense lucis invisae moras.

Val. Flaccus lib. 6. vers. 733.

Saeva quidem lucis miseris mora. ——

Idem Seneca eadem Troad. vers. 1169.

Ubi hanc anilis exspuam lethi moram.

Zinzerling. Miscellor. Crit. lib. 3. cap. 14. ERHARD.

Quid nos, inquit] Lege, *quid vos.* AURAT.

Ante recens bustum] Id est, flentes, ut solent ante rogum. vide Gronov. lib. 11. Observ. cap. 12.

Utique die feriarum, quo etiam lugentes rident] Haec in aliis desunt. PATISSON. Non absimiliter Tacitus lib. IV. Annal. cap. 70. *Ubi inter sacra & vota, quo tempore etiam profanis abstinere verbis mos est, vincla & laqueus inducantur.* PITH. Val. Maximus libr. 1. cap. 1. exemplo ult. *Quanto nostrae civitatis Senatus venerabilior in Deos? qui post Cannensem cladem decrevit, ne matronae ultra trigesimum diem luctus suos extenderent, uti ab his sacra Cereris peragi possent*, &c. Nec apud Romanos tantum, sive Ethnicos, sed etiam Judaeos. In Protevangelio Jacobi; ἤγγικεν ἡμέρα Κυρίε, καὶ μὴ ἔξεστί σοι παυθῆναι. Vide Historiam Judith. ERHARD. Desunt in Trag. & primis editionibus.

O, inquit, Genothea] Ita vet. cod. vulg. *Genotra.* sic mox vet. codex, *ô Genothea.* SAMBUC. *O Enthea*, legendum esse, ratio postulat, Magi, ut haec anus, dicuntur ἔνθεοι. Lycophron Alexandra, & ibi Isaac Zetzes. Ausonius, Epigr. 106.

——— *Velut enthea daemone Maenas.*

Neque tamen *Oenothea* male, propter ebrietatem, cujus hic mentio crebra. BOURDELOT. Scribe, *ô, inquit, Oenothea* cum Leid. cod. & sic aliis locis. In Sambuci codice legitur *Genotheas*, sed male. BOSCH. Recte Boschius. Est enim nomen ridiculi caussa compositum à vino & sacris.

Hunc adolescentem, quem vides] Sic vet. ex. & est Antiptosis: ut, *Urbem quam statuo vestra est.* Virg. PITH. Graecis & Latinis usitatissima constructio, quam plurimi Viri docti illustrarunt. vide inter alios Manutium ad Cicer. lib. IV. ad fam. Epist. 1. Munker. ad Hygin. fab. XXXIV. & CCLXXIV. Gronov. ad Senec. Herc. Oet. vers. 410.

Malo astro natus] Isidorus lib. 10. cap. 1. *Astrosus ab astro dictus, quasi malo sidere natus.* WOUWER. Adagium est? *quarta luna natus.* BRASSICAN. Id est, ut Plautus ait, *Diis iratis* (sive *inimicis*) *omnibus.* ERHARD. Ovidius in Ibim:

Natus es infelix (ita Di voluere) nec ulla
Commoda nascenti stella levisve fuit.
Non Venus adfulsit, non ulla Juppiter hora.

Jovis enim & Veneris sidera benigna sunt nascentibus & salutaria. Contra stella Saturni malefica est, quibus in ortu irradiaverit. Propertius lib. IV. Eleg. 1. vers. 106.

Et grave Saturni sidus in omne caput.

Scholiast. Juvenal. ad Satyr. 7. WEITZ. Vetus Scholiastes Statii ad lib. III. Theb. vers. 367. *Diis invisum* interpretatur *malo astro natum*, ubi vide Barthium, & ad lib. IV. vers. 760. hinc Propertius lib. IV. eleg. 1. 119.

——— *Nunc ad tua devehor astra.*

Id est, ad nascendi sortem; sed haec obvia.

Nequepuero, neque puellae] Lege, *puero, puellave.* AURAT. Scribe, *nam neque puero, neque puellae.* BRASSICAN.

Bona sua vendere] Tibull. libr. 1. El. VII. vers. 39.

Quid tenera tibi conjuge opus? tua si bona nescit
Servare, ah frustra clavis ineste foribus.

Plaut. Casin. Act. II. sc. 8. *Ut ego hodie Casinam dee-sculabor, ut mihi bona multa factam clam meam uxorem.*

tu hominem tam infelicem vidisti. lorum in aqua, non inguina habet. Ad summam, qualem putas esse, qui de Circes toro sine voluptate surrexit? [a] His auditis Enothea inter utrumque consedit, motoque diutius capite; [b] Istum, inquit, morbum sola sum, quae emendare scio. Et, ne putetis perplexe agere, rogo, ut adolescentulus mecum nocte dormiat, nisi illud tam rigidum reddidero, quam cornu.

Quidquid in orbe vides, paret mihi; florida tellus,
Quum volo, spissatis arescit languida succis,
Quum volo, fundit opes scopulis. atque horrida saxa

Nilia-

[a] POLYÆNOS. [b] ENOTHEA.

rem. PITH. Vide supra ad cap. 75. & 105.

Lorum in aqua, non inguina] Martialis libr. VII. Epigr. LVIII.

——— *Madidoque simillima loro*
Inguina. ——

Et lib. X. Epigr. LV.

Loro cum similis jacet remissus. PITH. Mart. lib. I. epig. 61. lib. 7. ep. 58. lib. 10. ep. 55. WOUWEREN. Lipsius lib. 2. Epist. Quæst. cap. 25. WEITZ.

De Circes thoro] Phryne de Xenocrate dicebat, *se non à viro, sed à statua, exire.* Diogenes Laërt. & Val. Max. lib. 4. cap. 3. Seneca Controversiis: *Tamquam à Sacerdote abiit.* Simile quiddam est apud D. Hieronymum ad Salvinam. Plautus Bacchidib. Act. I. sc. I. *Lectus ipse malitiam suadet.* Cicero pro Muræna cap. 5. *In Asia continenter vixisse laudandum est.* Et Poëta damnat eam, quæ etiam privignum Phædræ à puriore vitæ instituto dimovere potuisset. BRASSICAN.

Sine voluptate surrexit] Lamprid. Heliogab. cap. 30. *Mulieribus uteretur & ipse & amici cum jurejurando, quod efficerent voluptatem.* Apul. lib. 11. Met: *& libidinem incitantes, & voluptatem integrantes.* PITH. Arnobius lib. V. pag. 158. *Sed cum obluctatus diu id, quod sibi promiserat, obtinere nequisset, voluptatem in lapidem fudit victus*, ubi Elmenhorstius ex Hygino similem affert locum. CUPERUS.

Surrexit] Ita Ovid. III. Am. eleg. VII.

Sic flammas aditura pias æterna Sacerdos
Surgit, & à caro fratre verenda soror.

Motoque diutius capite] Alii, *diu.* TORNÆS. Ovid. Epist. XIX. Heroid. vers. 45.

Annuit illa fere: non nostra quod oscula curet,
Sed movet obrepens somnus anile caput.

Emendare] Propria Medicorum vox, ita Plinius *emendare dolores capitis*, & similia, sæpe dixit.

Perplexe] Terent. Eunuch. Act. V. sc. I. *Pergin' sceleste mecum perplexe loqui?* Livius lib. XXXIII. 34. *Nihil jam perplexe, ut ante, cum dubia res incolumi Philippo erant, sed aperte pronuntiatum.* & ita ille sæpius. Senec. Hippol. 855.

Perplexa verba magnum nescio quid tegunt.

Adolescentulus] *Adolescentulus tuus*, Leid. cod. recte. BOSCH. Suspecta hæc vox Barthio lib. XXIII. Adversar. cap. 24. quippe anus ignorabat, Encolpio ullum adolescentulum in deliciis esse.

Mecum nocte dormiat] Aliis deest, *nocte.* TORNÆS.

Illud tam rigidum] Alii, *illum.* PATISSON. C. Aurel. Acut. pass. lib. 3. *Tensionem autem veretri fuisse nimiam, ut cornu putaretur.* WOUWEREN. Abruptus sermo, ut ille apud Virgil. I. Æn. vers. 135.

Quos ego! sed motos præstat componere fluctus.

ERHARD. Propria vox Ovid. III. Amor. 7.

Quæ nunc ecce rigent intempestiva, valentque.

ubi vide quæ notat Heinsius, & præsertim Ovidii alterum locum lib. II. fast. 346.

Et rigido cornu durius inguen erat.

de cornu vide supra ad caput. XLIII. *illud* vero egregie explicat Herald. ad Martial. lib. IX. 69.

Quicquid in orbe vides] Lambinus pag. 285. DANIEL. Prorsus his gemina apud Tibull. lib. I. eleg. 2. WOUWEREN. Circes veneficia apud Homerum Odyss. X. BRASSIC. Saga mulier. Scalig. in Catal. Ejusmodi veneficam, qualem hic Petronius, effinxere etiam Tibullus, Lucanus, Martialis, Apulejus, Claudianus. Delrio ad Claudian. I. in Ruffin. Raderus ad Martial. lib. 9. epigr. 22. multis. Barth. ad Claudian. I. in Rufin. vers. 146. & sequent. ERHARD.

Spissatis] Alii, *siccatis.* PATISSON. *Siccatis* Lambinus ad Horat. Epod. 5. ex codice Memmii. & Delrio ad Claud. I. in Rufin. ex veteri libro restituunt. imitatus Ovidium, qui lib. II. Met. vers. 211.

Fissaque agit rimas & succis aret ademtis.

Sulcis] Alii, *succis.* PATISSON.

Fundit aquas] Alii, *opes.* TORNÆS. *Aquas* Delrii codex, sed sequenti versu sequitur, & passim fruges *opum* & *divitiarum* nomine veniunt, quas tellus parens ex gremio suo *fundit*, ut proprie loquuntur veteres, ejus liberalitem indicantes. supra cap. 128. Cicer. de Natur. Deor. lib. II. cap. 32. *Gravidata seminibus omnia parit & fundit ex se*, alludens ad puerperium, quo etiam funditur homo ex matris alvo. vide ad Phædr. lib. III. fab. 15. Egregie idem

Cicero

Niliacas jaculantur aquas: Mihi pontus inertes
Submittit fluctus: Zephyrique tacentia ponunt
Ante meos sua flabra pedes: Mihi flumina parent;
Hyrcanaeque tigres, & jussi stare dracones.
Quid leviora loquor? Lunae descendit imago
Carminibus deducta meis: Trepiduſque furentes
Flectere Phoebus equos revoluto cogitur orbe.
Tantum dicta valent. Taurorum flamma quiescit
Virgineis exstincta sacris. Phoebeia Circe

Car-

Cicero de Senectute cap. xv. de Terra. *Quæ cum gremio mollito & subacto semen sparsum excepit, primum id occœcatum cohibet; ex quo occatio (quæ hoc efficit) nominata est: deinde tepefactum vapore & compressu suo diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris stirpium sensim adolescit, culmoque erecta geniculato, vaginis, jam quasi pubescentibus, includitur, è quibus cum emerserit, fundit frugem spici ordine structam.* Porro illud *scopulis*, quod primæ editiones & Tragurianus codex habent, hic minus videtur concinnum Mallem

Cum volo, fundit opes populis; atque horrida saxa
Niliacas. &c.

sententia clara. BURM.

Fundit aquas scopulus] Ita conjectura ducti scripsimus. vulgo, *scopulis*. SAMBUC. Alii, *fundit aquas scopulus, atque horrida saxa Niliades*, &c. PATISSON.

Horrida] Lambinus & Delrius ex suis codicibus exhibent *arida*, quod placet, quia melius aquis opponitur.

Niliades] Alii, *Niliacas*. TORNÆS. Delrius *Niligenas*. Forte pro *nubigenas*, ut Statius lib. 1. Thebaïd. vers. 365.

Miratur modo nubigenas è montibus amnes
Aure pavens.

Niliades habent editiones priscæ & Tragur. Heinsius in margine notaverat, forte *elicitas*. Sed *Niliacas* potuit dixisse pro fœcundantibus terram. BURM.

Mihi flumina parent] Apoll. Arg. libro 3. de Maga vers. 532.

Καὶ ποταμοὺς ἴσησιν ἄφας κελαδεινὰ ῥέοντας,
Ἄτρα τε καὶ μήνης ἱερῆς ἐπέδησε κελεύθους.

WOUWEREN. Similia Apollonium Medeæ tribuere lib. IV. Arg. vers. 442. notavit Amplissimus Cuperus.

Et jussi stare leones] Alii, *jussi & servire Dracones*. TORNÆS.

Lunæ descendit imago Carminibus deducta meis] Lucian. Philopseud. καὶ τὴν Ἑκάτην ἐναργῆ παρεισας, καὶ τὴν σελήνην καταπῶν. Horat. 5. Epod. Apul. Mil. 2. Stat. lib. VI. Theb. vers. 687.

—— *Thessala victrix*
Ridet anhelantes audito carmine bigas.

Schol. Apollon. ad lib. III. Arg. vers. 532. Τινὲς δὲ τὰς ἐκλείψεις ἡλίου καὶ σελήνης καθαιρέσεις ἐκάλεσαν τῶν θεῶν. τὸ παλαιὸν φασὶν οἱ φαρμακίδες τὴν σελήνην καὶ τὸν ἥλιον καθαιρεῖν. Cleomedes: ὁπόταν ἐκλείπῃ ἡ σελήνη, ὅτι φαρμακίδες εἰσὶν αἱ καθαιρεῦσαι αὐτήν. Ideo tinnitu æris & clamoribus defectum Lunæ adjuvabant. Ovid. Medic. Facei vers. 41.

Et quamvis aliquis Temesæa removerit æra,
Numquam luna suis excutietur equis.

Seneca Hippol. vers. 790.

At nos, solliciti lumine turbido,
Tractam Thessalicis carminibus rati,
Tinnitus dedimus, tu fueras labor.

Quia multis in locis Græcorum vetustissimi æris sonos tanquam rem validissimam adhibere soliti. Macr. Saturn. libr. 5. cap. 19. quem vide. WOUWEREN. Quod tum credebant fieri, cum objectis umbris eam videbant deficere. quod cum fieret, pulsabant æra, quod antidotum habuere contra artes fagarum. vide Rader. ad Martial. lib. 9. epigr. 23. Magi gloriantur, se posse Lunam cœlo deducere, posse carminibus agere astra, ut descendant ad jussa. Chymici Planetarum spiritibus tam familiariter utuntur, ut spiritibus mineralium illos, quomodo lubet, præficiant. Jo. Seguinus in Excursu in Battologiam Quercetani de Alchymia cap. 8. ERHARD. Paschalius in nominato Coronarum & vere tessellato opere libr. 9. cap. 20. WEITZ. Eleganter Tibullus lib. 1. el. 2.

Hanc ego de cœlo ducentem sidera vidi,
Fluminis hac rapidi carmine vertit iter.

BOSCH.

Trepiduſque furentes] Lege, *furentis*, ex vet. cod. Delrio ibid. ERHARD.

Taurorum flamma quiescit] Lege, *taurorum ut flamma quiescat*. Delrio. ERHARD. Respicit haud dubie ad Medeam, dum Taurorum in Colcho flammam repressit. Apoll. lib. III. Arg. vers. 530. CUPERUS

Phœbeia Circe] Lege, *Phœbæaque Circe*. Delrio ibid. ut infra in Fragmento.

Sic Phœbæa chelys. ——

Illud tamen & MS. Bongarsianus agnoscit, & Valerius Flaccus lib. 1. Argon. vers. 228. dixit, *Phœbeius*

Carminibus Magicis socios mutavit Ulixis.
Proteus esse solet, quidquid libet. His ego callens
Artibus Idaeos frutices in gurgite sistam,
Et rursus fluvios in summo vertice ponam.

CXXXV. [a] Inhorrui ego, tam fabulosa pollicitatione conterritus, anumque inspicere diligentius coepi. [b] Ergo, exclamat, ô Enothea, imperio para te: [c] detersisque curiose manibus, inclinavit se in lectulum, ac me semel iterumque basiavit. Enothea mensam veterem posuit in medio altari, quam

a POLYÆNOS. b PROSELENOS. c POLYÆNOS.

Idmon. ERHARD. *Phoebeaque Circe* Memm. & Leid. cod. BOSCH.

Socios mutavit Ulyxis] Virgil. Eclog. VIII.

Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis. PITH.

Protheus] Lege, *Proteus.* BRASSICAN.

Callens artibus] Ita Latinos locutos docuit Munkerus ad Hygin. fab. CXXVI. & Barth. VII. Adversar. 19.

Idæo frutices] Sic vet. exemplar, alii, *Idæos*, alii, *Idæos latices.* PATISSON. Nemesianus Eclog. IV.

Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant fata, vellitur arbos.

Claud. libr. 1. in Ruf. Virgil. Æneid. Lucan. libr. 6. Manil. lib. 1. WOUWEREN. Vide Joan. Bochium ad Psalm. 113. pag. 595. & seq. Lambinum ad Horat. Epod. 5. pag. 356. WEITZ. Ita omnes editiones antiquæ, & ita supra cap. 128. *flores de Idæo vertice fusos* dixit. Barth. ad Claudian. libr. 1. in Rufin. vers. 358. legit *Ægeo frutices in gurgite sistam.* Ad hoc autem magiæ genus alludere Christum, apud Lucam cap. XVII. vers. 6. existimat Pricæus.

Latices] Alii, *frutices.* TORNÆS.

Et rursus fluvios] Hadrian. Junius Cent. quinta, adag. dec. septimo. WEITZ.

Inhorrui ergo] Forte, *ego.* SAMBUC.

Tam fabulosa] Alii, *tali fabulatione.* TORNÆS. *Salutatione*, etiam apud Ambrosium 104. DELBEN.

Coepi] Editio prima & Tragur. *incepi.*

Inspicere] Proprium metoposcoporum verbum Sueton. Tito, cap. 2. *Metoposcopum à Narcisso Claudii liberto adhibitum, ut Britannicum inspiceret.* vide Pontan. ad Macrob. lib. II. Saturn. cap. 2. CUPERUS. Vide & Gell. lib. V. cap. 5. Livius lib. VI. cap. 41. *est aliquis qui se inspici, qui æstimari fastidiat.*

Parere] Alii, *parate.* Pith. PATISSON. Lege, *parete.* BRASSICAN. Lege, *parate.* Valerianus Cimelens. de Bon. Discipl. *Quæ in tantum imperio animum parant.* Goldast. in Notis. mox Petron. *Servio ego imperio.* An huc juvat illud Terentii? Andr. Act. 1. sc. 5. *Uxor tibi ducenda est, Pamphile, hodie, inquit, para.* Jungermann. ERHARD. Tragur. *parcite.* post hoc verbum sequentia primæ editiones & Tragurienses hoc modo exhibent. *Mox incincta quadrato palliso, cucumam ingentem foco apposuit, detersisque curiose manibus inclinavit se in lectum, ac me semel iterumque basiavit, simulque pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita. Ut solvit ergo.* BURM.

Inclinavit se in lectulum] Apul. *Inclinatam dolio pronam uxorem fabri superincurvatus fecure dedolabat.* PITH.

Mensam veterem] Ἐσχάραν Tertull.

——— *Festas exstruet alte*
Cespitibus mensas. ———

Lusit Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 4.

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes,

optime Festus, quem vide. Aristoph. Ἀχαρν. τὴν ἐσχάραν μοι δεῦρο καὶ τὴν ῥιπίδα. Schol. ἐσχάραν τὴν νῦν καλεμένην ἄρυλλον. Prudent. contra Symmach.

Omnibus ante pedes posita est sua cuique vetusta
Arula. ———

Vocatur & *altarium.* Glossæ: *Altarium*, ἐπιξωμίς. Auson. Ephem.

Foculamque vivi cespitis
Vanis relinquo altaribus.

Nam & *foci* ἐσχάραι, ut Glossæ exponunt. Ovid. lib. 4. Metam.

——— *Focos totidem de cespite ponit.*

Stat. 4. Theb.

——— *Ara profunda*
Erigitur Cereri.

Lutacius: *Tria sunt in sacrificiis loca, per quæ piationem facimus. Scrobiculo facto inferis aris tribus sacrificamus, caelestibus, exstructis focis, unde etiam nominata sunt altaria, ad quæ sacrificantes manus porrigimus in altum.* Lege, *Scrobiculo facto inferis, aris terrestribus sacrificamus, calitibus exstructis focis.* hæc vera est lectio, quam nos eruimus. Festus: *Altaria ab altitudine dicta sunt, quod antiqui diis superis in ædificiis à terra exaltatis sacra faciebant, dis terrestribus in terra, diis infernalibus in effossa terra.* Sane hoc veteres sollicite servasse, ex Homero apparet. Heliod. lib. 9. Lucian. Necromant. Apul. Mil. lib. 1. *Devotionibus sepulchralibus in scrobem procuratis.* lib. 12. de Pag. Sacrif. C. Theod. *Redimita vitis arbore, vel erecta effossis ara cespitibus.* Juvenalis Satyr. 12. Horat. Sat. lib. 1. Ecl. 8. WOUWEREN.

Vivis

quam vivis implevit carbonibus, & camellam etiam vetuſtate ruptam pice temperata refecit. Tum clavum, qui detrahentem ſecutus cum camella lignea fuerat, fumoſo parieti reddidit: mox incincta quadrato pallio cucumam ingentem foco appoſuit, ſimulque pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad uſum repoſita, & ſincipitis vetuſtiſſima particula mille plagis dolata. Ut ſolvit ergo licio pannum, partem leguminis ſuper menſam effudit, juſſitque me diligenter purgare. Servio ego imperio, granaque ſordidiſſimis putaminibus veſtita curioſa manu ſegrego. At illa inertiam meam accuſans improba tollit, dentibuſque folliculos perite ſpoliat,

Vivis implevit carbonibus] Alii, *bivis*. PATISSON. Sic recte legitur; male in duobus *binis*. Sic in Pertinace Capitolinus, *vivaciſſimi carbones*, dixit. BOSCH. Ita Horat. lib. III. od. 21. dixit *vivas lucernas*, pro accenſis & lucentibus.

Camellam] Vas. mox; *infra manus meas camellam vini poſuit*. Ovid. lib. 5. Faſtor.

Dum licet, adpoſita veluti cratere camella
Lac niveum potes purpureamque ſapam.

Turneb. Adverſar. lib. 26. cap 7. ERHARD.

Temperata] Id eſt, ſubacta. vide Barth. ad Stat. II. Theb. verſ. 130.

Camella lignea] Sacrificiis lignea vaſa adhibita, vel hinc lucet, tum quod Feſtus: *patella, vaſa picata ſacrificiis apta*. Frequens uſus vaſorum Samiorum in ſacris. Plaut. Capt. *at ea non tantum operis figlini, ſed lignea*. Cic. ad Q. Fr. WOUWEREN.

Quadrato pallio] Athenæus, Τῶν δὲ ἄλλων Ῥωμαίων οἱ μὲν διὰ ἀγάλματος προσπεπλάκασι, οἱ δὲ λοιποὶ μεταμφιάζονται τετράγωνα ἱμάτια, τὰς ἐξ ἀρχῆς πατρίδας πάλαι διαμάζοντα. PITH. Tertullianus etiam in lib. de Pallio *quadratam juſtitiam* vocat. id quod nunc omitto, quoniam apud autorem hunc, niſi fallor, rem exactiſſime interpretatus ſum: nec metuo, qui diverſum ſentiat, modo recte ſentiat. BRASSICAN. Tertull. de Pall. cap. 1. WOUWEREN. Vide Ferrar. de re Veſtiar. libr. 1. cap. 3. & Salmaſ. ad Tertull. pag. 111.

Cucumam] Ahenum eſt aquæ calefaciundæ, unde Martialis; *cucumam fecit Itacilius*. Browerus Notis ad Fortunatum lib. 6. poëm. 10. Ejus diminutivum *cumion*: quod apud Arrianum Diſſert. Epicteti; δεῖ αὐτὸν ἔχειν κεκάμιον, ὅπως θερμὸν ποιῇ τῷ παιδίῳ, ὑπὲρ ἀνάγκης. Politianus Miſcellan. cap. 30. & aliud *cucumula*, de quo infra. ERHARD. Vide Gothofredum ad leg. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. de Sicar. hinc Gallos formaſſe ſuum *coquemar*, docuit Menagius in Originibus linguæ Francicæ.

Pannum] Alii, *panarium*. PATISSON. Sacculum ex panno. ERHARD.

De carnario] Vide ſupra ad cap. XLV. egregie Ovidius lib. VIII. Metam. verſ. 647.

——— *Furca levat ille bicorni*
Sordida terga ſuis, nigro pendentia tigno:
Servatoque diu reſecat de tergore partem
Exiguam, ſectamque domat ſerventibus undis.

Faba ad uſum repoſita] Forte, *ad eſum*. DELBEN. Nil muta: id eſt, ad victum quotidianum. Nam *uti* pro *edere* ponitur. Sueton. Domit. XVI. Ter. Heaut. Act. V. ſc. 11. verſ. 24. adde Gronov. de Pecun. Veter. lib. II. cap. 7. *Uſus* præterea ponitur pro quotidiana vivendi ratione. Quintil. Declam. V. *Non cum uſu nunc veſtro, non cum moribus, loquor*. CUPER. *Uſus* etiam notare poſſet medicinam, quam languidæ & funeratæ parti facere conſueverat. Certe Serenus Sammon. cap. XXXVII. ad tumores teſtium fabam commendat:

Aut faba cum tepidis Bacchi decocta fluentis.

BURMAN.

Sincipitis vetuſtiſſima particula] Porcini ſcilicet, de quo vide Caſaubon. in Perſii Sat. 6. ſic mox; *coæquale natalium ſuorum ſinciput*. ERHARD. Calvarium innuit humanum, cujus uſus in Magicis frequentiſſimus. Apulej. Apologia & libr. II. Mileſ. HEINS. Wouwerus de Polymath. cap. X. intelligit ſinciput porcinum: nam ſuillam durabant ſale pauperiores. & in uſus quotidianos adſervabant, ut ſcribit Varro II. de re ruſtica, & auctor Moreti. Unde ait *mille plagis dolatam*, id eſt, cui ſæpius particula præſciſſa: ſubjungit enim, *dum illa carnis paullulum delibat, & coæquale natalium ſuorum ſinciput in carnarium furca reponit*. Inde ipſa pars ſuillæ, ita aſſervata, *ſuccidia* antiquis appellata, ut notant Grammatici. BURM.

Super menſam effugit] Lege, *effudit*. AURAT.

Putaminibus] Rarum eſt hoc, *putamina* leguminum dici, ſed non ineruditum. Plinius libro 18. cap. 10. fabam cum ſuis valvulis *cutem* vocat, Marcellus Medicus *pellem*, Serenus Sammonicus cap. 50. Corn. Celſus *involucrum*, Lucretius *veſtem*, Plinius non ſemel *tunicas*. qui & *evalvari*, id eſt, valvulis exui, dixit. BRASSICAN.

Improba] Prima editio & Sambuci, *improbat*.

Folliculos] *Folliculus* fabæ eſt λόπιμον: *ſiliqua* eſt,

spoliat, atque in terram veluti muscarum imagines despuit. Mirabile quidem paupertatis ingenium singularumque rerum quasdam artes *fames edocuit.* *

Non Indum fulgebat ebur, quod inhæserat auro,
Nec jam calcato radiabat marmore terra,
Muneribus delusa suis: sed crate saligna
Impositum Cereris vacuae nemus, & nova terrae
Pocula,

quæ fabas plures continet, Græcis λοβός: *vulvula* est λέπος, cortex. ERHARD.

Perite spoliat] Vet. cod. MS. *pariter spoliat.* TORNÆS. & SAMBUC. Lege, *perite despoliat.* Stewech. ad Apul. lib. 1. de Asin. Recte, *perite spoliat. Perite* respondet ei voci, quæ antecessit, *inertiam*, quam propriissime hoc loco accipit pro imperitia, inscitia. ERHARD. Tragur. *pariter.*

Veluti] In aliis deest. PATISSON.

Mirabile quidem] Muncker. ad Fulgent. Virgil. Contin. pag. 140. legit *quiddam.* de voce *ingenii* vide supra ad cap. CXIX. *ingeniosa gula est.*

Miserabile quidem paupertatis ingenium] Forte hic interponendum Epigramma illud ex fragmentis,

Omnia, quæ miseras possunt finire querelas.

DOUZA F. Ita Socrates Xenophontis appellat πενίαν, σοφίαν ἀντοδίδακτον. Qua de re multa scribit L. Apulejus in 1. Apologetic. BRASSICAN. *Paupertas invenit artes.* Claudian. *Ingeniosa egestas.* Theocritus piscatoribus;

Ἁ πενία, Διόφαντε, μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει.

Manilius lib. 1. vers. 80.

Et labor ingenium miseris dedit, & sua quemque
Advigilare sibi jussit Fortuna premendo.

Apulejus Apologetico; *Paupertas prisca apud sæcula omnium conditrix, omnium artium reparatrix.* Mille talia apud Scriptores. Vide Dominici Nani Mirabellii & Josephi Langii Polyantheam, Ant. Bernhardi Mirand. Flores Poëtar. verbo *Paupertas*, Frid. Taubmanni Not. in Plaut. Stich. Act. 2. sc. 1. Exstant & libri *De bono paupertatis*, ad quorum mentionem Nicolaus Abbas Panormitanus in Gloss. jur. Canon. ita ἐπιφωνεῖ; *A tali bono custodi nos Domine.* ERHARD. Archytæ Pythagorei est:

Χρειὼ πάντ' ἐδίδαξε· τί δ' ἃ χρειώκεν ἀνεύροι.

Manilius libr. 1. vers. 80. Adi Casauboni Clarissimi Commentarium ad Persii prologum. WEITZ.

Singularumque] Alii, *singulariumque.* TORNÆS. Lege, *singularesque.* AURAT. Vet. cod. *singularumque rerum.* SAMBUC. Prima editio, *singularemque rerum quasdam artes.* Sambuci, *singulariumque rerum quædam artes.* Tragur. *singularumque rerum quasdam artes.* omnes autem ignorant *fames edocuit*, quæ neque Patissonii, neque Wouwerii, habent, sed Gonsalius de suo addidit.

Quasdam artes] Alii, *quædam certis.* PATISSON. Vulgo, *quasdam.* SAMBUC.

Indum non fulgebat] Alii, *non nitidum.* TORNÆS. Alii, *Indum non.* alii, *nitidum.* PATISSON. In tenuis fortunæ homines. Scalig. in Catal. ERHARD.

Indum ebur] Sidon. carm. 2.

Indus, odorifero crinem madefactus amomo,
In tua lucra feris exarmat guttur alumnis,
Ut pandum dependat ebur, sic trunca reportat
Bosporeis elephas inglorius ora tributis.

Et carm. 5.

——— *Fert Indus ebur.* ———

Quintilianus Architremius in Cleopoli,

Inda ebore, argento Sardinia. ———

Savaro Notis ad Sidonium. ERHARD.

Calcato] Alii, *falcato* TORNÆS. Vetus codex, *falcato.* SAMBUC. Senec. Epist. XVI. *Ut terram marmoribus abscondas, non tantum habere tibi liceat, sed calcare divitias.* WOUWEREN.

Mermore terra] Lege, *marmore.* AURAT. Cic. in Paradox. cap. 6. *Illi aurata tecta in villis & sola marmorea facienti*, &c. ERHARD.

Impositum Cereris vacuæ nemus] Lege, *Cereris nemus, bacæ, & nova terræ Pocula.* Palmer. in Spicileg. vel, *Cereris munus vacuæ, & nova.* Jungermann. ERHARD Nob. Nicolaus Heinsius me hic legendum esse docuit:

Impositum Cereris flavæ penus.

Sic *flava Ceres* sæpe apud Poëtas, Virgilius libr. 1. Georg. vers. 96.

——— *Neque illum*
Flava Ceres alto nequicquam spectet Olympo.

Ubi Servius: *Flava dicitur propter aristarum colorem in maturitate.* Tibullus lib. 1. Eleg. 1.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Ovidius III. Amor. Eleg. X.

Flava Ceres, tenues spicis redimita capillos,
Cur inhibes sacris commoda nostra tuis?

Ausonius ad Theodosium.

Agricolam si flava Ceres dare semina terræ.

BOSCH. Egregia est Heinsii emendatio, quamvis posset & legi *largæ*, quod magis accedit ad vulgatam lectionem. In antiquo voto Fortunæ Prænestinæ apud Pithœum in Catalect. pag. 147.

Qui

Pocula, quae facili vilis rota finxerat actu.
Hinc mollis scillae lacus, & de caudice lento
Vimineae lances, maculataque testa Lyaeo:
At paries circa palea satiatus inani,

For-

Qui larga Cereris messes fructusque renatos
Digerit in pretium.

intelligit noster canistra, quibus Cererem expediebant, teste Virgilio lib. I. Æn. vers. 701. Servius autem ad vers. 706. dicit, & pocula in canistris argenteis apponi, quæ *canistra siccaria* dicantur. Canistra vero è salignis virgultis fieri, docet Palladius in Novemb. tit. XVII. Hinc & *sportulæ* dictæ; de quibus vide Torrent. ad Suet. Domit. cap. VI.

Fixerat actu] Lege, *finxerat*. Persius:

——— *Et acri*
Fingendus sine fine rota. ———

De reperto figlinarum orbe prolixe diximus in Plinii lib. VII. BRASSICAN.

Finxerat actu] Alii, *fastu*. TORNÆS. Vet. cod. *astu*. SAMBUC. *Actu*, hoc est, ut Poëtæ dicunt, ἀγῷ. ut, πεῖσθ' ὦ ἀγῶς. Scalig. in Catal. ad Moret. & post eum Lindenbrog. Var. Lect. in Catal. ERHARD. Traguriens. *facili vilis nota finxerat hasta*, sed *actu* rectum. Ita Virgil. Eclog. III.

Lenta quibus torno facili superaddita vitis.

facili torno est simplici, agili, sine multo labore. Ita Tibull. lib. I. Eleg. I.

Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus & facili grandia poma manu.

Propert. lib. II. Eleg 1.

Sive Lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur, faciles ut premat arte manus.

ubi vide Passeratii adnotationes. Ita *facilem canem* dixit Nemesianus Cyneget. vers. 50. & ita supra cap. XXIII. *femore facili, clune agili*. BURM.

Mollis Scillae latus] Alii, *molli stillae*. Pith. *mollis tiliae*. TORNÆS. Sic Autisiodor. Pit. alii, *hinc mollis scillae latus*. alii, *mollis stillae latus*. alii, *mollistillae*. alii, *molistillae*. alii, *mollis tiliae*. PATISS. Lege, *molliscellae*, vel *mollicellae*, in quo tamen *i* breve est. AURAT. Lege forsitan, *lacus*. PITH. Non libet meminisse quid alii dixere. restituo ex vestigiis veteris scripturæ, *Hinc mollis stillae lacus*. Varro 4. de Ling. Lat. *Lacus, lacuna magna, ubi aqua contineri potest*. Glossæ: λάκκος *lacuna, lacus, cisterna*. hinc *laccarii* λακκόποιοι, qui in iisdem Glossis *lacunarii*. Innuit Petronius prisca ætate non fossis inducta fuisse maria, nec tantis impensis piscinas habuisse, sed contentos lacuna, qualem stillæ confluvia fecerant. Incredibile quanta luxuria pisciinas habuerint, quem luxum festive increpat Seneca libr. 2. Controv. 1. WOUWEREN. Lege, *hinc mollis tiliae lacus*. *Lacus* enim *tiliæ* mollem & sequacem & lentam esse. Tamen, *& molli stillae lacus*, non reprehendo. Palmer. in Spicileg. Lege, *hinc molli stillae lacus*. Lindenbrog. Var. Lect. in Catalect. ERHARD. Prima editio, & Tragur. *molli scille latus*. Sambuci, *mollis scillae latus*. Forte *hinc mollis scillae lacus*, ut indicet *vinum scillinum*, cujus ratio conficiendi traditur à Columella lib. XII. cap. 33. & Plin. XIV. cap. 16. & Pallad. Julio tit. VI. & Dioscorid. lib. V. cap. 26. *Lacus* autem de receptaculo vini est intelligendus, de quo egimus ad cap. LXX. Quia autem hoc vinum erat medicatum, & rusticis familiare, opponitur luxuriæ sequentis ævi, quæ varie inficiebat vina. Hydropem depellere hoc vinum docet Serenus cap. XXVIII.

Sæpe & scillino pelluntur noxia Baccho.

mollem autem *scillam* recte vocat, quia ipsi non inest *vis asperior*, teste Plinio lib. XIX. cap. 5. Quæ hic de piscinis commentatores habent, nihil ad mentem Petronii. BURM.

Candice] Lege, *caudice*. AURAT.

Viminiæ lances] Alii, *ulminiæ*. PATISSON. *Vimineo*, Tragur.

Maculataque] Posset exponi rubra, ex colore vini: sed forte scripsit *cumulataque testa Lyæo*, Id est, plena & coronata vino. Voces autem *cumulare* & *maculare* confusas à librariis, docere potest Ovidii locus Epist. IX. vers. 20. Ubi vide Heinsii notas. BURM.

Et paries] Autisiod. *at paries*, *circa*. Pith. PATISSON. Vereor, ne frustra sint, qui hic subtile acumen exercent. Vitruvius lib. 2. cap. 1. ubi de priscorum hominum vita, *Furcis erectis, & virgultis interpositis, luto parietes texerunt. Alii, luteas glebas arefacientes, struebant parietes, materia eos tegumentantes, vitandoque imbres & æstus, tegebant arundinibus & fronde*. Plin. lib. 35. cap. 14. *Illini quidem crates parietum luto, & lateribus crudis exstrui, quis ignorat?* Seneca epist. 92. *Virgeam cratem texuerunt manu, & vili obliverunt luto*. WOUWEREN. Varro Τάφη Μισιπωσ; *Ut hirundines figulis oblitis luto tegulas fingebant*. Auson. Popma in Conjectan. Parietes olim fiebant (ut & hodie quibusdam in locis Alemanniæ) glebis & cespitibus è terra circumcisis. maxime in castris, scribente Vegetio lib. I. cap. 21. & cap. 24. & lib. 3. cap. 8. *Formatius paries* Plinio lib. 35. cap. 14. Isidoro lib. 15. cap. 9. *Herma* Avieno in Ora marit. & Columellæ lib. 9. cap. 1. *Est herma porro cespitum munitio*, hoc est, (uti ego interpretor) vallum ex luto, cespitibus, & palis infixis, ad cujus similitudinem etiam ædium parietes fieri incipiebant, hinc *paries castrensis* Sidonio, qui Capitolino *cespiti-*

Fortuitoque luto: clavus numerabat agreſtes:
Et viridi junco gracilis pendebat harundo.
Praeterea quae fumoſo ſuſpenſa tigillo,

Con-

tius murus, Gildæ Sapienti *murus ceſpitibus factus*. Savaro ad Sidonium. ERHARD. Simili modo hodie & Perſas parietes facere apti uſus, ex Vallæ itinerario Tom. II. pag. 194. notaverat Broukhuſius. Eleganter autem *ſatiatum parietem* dicit, pro denſato, repleto. Tertull. Apol. cap. VIII. *Rudem excipe ſanguinem, eo panem tuum ſatia.* Quintil. Declam. 1. *Spatium ingens domus digeſto cruore ſatiatum.* Ita *ſaturatas murice veſtes* Ovidius Epiſt. XIII. verſ. 37. dixit, quem imitatus Martial. VIII. 48. Statium quoque lib. 1. Sylv. II. dixiſſe.

Robora Dalmatico lucent ſatiata metallo.

notaverat Ampl. Cuperus. Ubi poſtea vidi Gevartium plura de hac voce notaſſe in lectionibus Papinianeis lib. 1. cap. 19. vide & Salmaſ. exercit. Plinian. pag. 868. BURM.

Luto] Nam hoc ruſtici, ut & hodie fieri amat, crates, quibus loco parietum utebantur, tegebant. Imo luto utebantur in condendis ædibus lateritiis, cui rei calcem hodie adhibemus. Marcell. Comes Chron. pag. 47. *caſtella latere lutoque conſtructa.* CUPER.

Clavus numerabat] Alii, *clauſos numerabat agreſtes*, alii, *avos*. TORNÆS. Forte, *clauſos*. AURAT. Si recte advertas, proba etiam hæc lectio. In V. C. *Clavis numerabat agreſtis*. WOUWEREN. Legendum,

Et paries circa palea ſatiatus agreſti,
Fortuitoque luto, clavus numerabat & annos.

Tranſmigrarunt cognatorum verſuum ultimæ dictiones. Repoſuimus loco *inani*, *& annos*: quia ex S. Pompejo didicimus, *clavos annales* dici, ex quibus numerus colligeretur annorum. *Clavus annalis*, inquit, *appellabatur, qui figebatur in parietibus ædium, per annos ſingulos, ut per eos numerus colligeretur annorum.* Petronius igitur, barbari & inculti ſeculi mores deſcribens, dicit, clavis annos numerari ſolitos, quos ſecuta ætas eleganter per Conſules numeravit. Durantius Var. Lect. lib. 1. cap. 5. aut legendum,

Fortuitoque luto clavos numerabat agreſtes.

Nam in templis quotannis clavus figebatur annorum index. Ita paries ille agreſtis ſacelli, de quo Petronii carmen, numerabat clavos, hoc eſt, per clavos recenſebat annorum numerum. Palmer. in Spicileg. & ante eum Douza. ERHARD. Duo codices *clauſos* habent, alius, *avos*, Leid. *clavus*. *Agreſtes* tres ſcripti, optime ergo emendat Cl. Gronov. libr. 2. Obſerv. cap. 5.

Fortuitoque luto clauſos umbrabat agreſtes.

Cicero lib. 2. Tuſcul. *Quæ ceteris in urbibus molliſſimo cultu parietum umbris occuluntur.* Et Claudian.

Umbratura Deam vetro ſinuatur in arcum
Bellua. BOSCH.

Salmaſius exerc. Plin. pag. 868. *clauſos munibat.* Gronovius *clauſos umbrabat*, quem vide. ego *latus umbrabatur agreſte.* Sic illa caſa apud Lucanum lib. V. verſ. 518.

Et latus inverſa nudum munita Phaſelo.

undique laterum apud Apulej. lib. VIII. hoc eſt, à qualibet parte ædium. HEINS. Celeberrimus Perizonius cap. V. animadv. Hiſtor. retinet vulgatam & olim editam lectionem:

——— *Clavis numerabat agreſteis.*

ut ſenſus ſit, parietem illum clavis, quos fixos continebat, numeraſſe, vel clavorum numero ſignificaſſe ſingulos iſtius loci vel domicilii agreſtes, eorumque ætates, ſeu annos; cum vero idem ſenſus emergat, ſi cum prima editione & Tragurienſi codice legatur *clavus numerabat agreſtes*, eam retinui. BURM.

Et viridi junco gracilis pendebat harundo] Priſca ætate tecta arundinea, aut ſtraminea. Seneca: *ſtipula aliiſque ſylveſtribus operuere faſtigium, &, pluviis per devexa labentibus, hiemem tranſire ſecuri.* WOUWER.

Pendebat] Seneca epiſt. 91. *Ut lacunaria penderent.* WOUWEREN.

Præterea quæ] Alii, *præterea quam*. Pith. PATISSON. *Quam* Memm. cod. unde Douza P. *quæ*. BOSCH.

Fumoſo ſuſpenſa tigillo] *Tigillum*, ſive *tegillum*, ſignificat tranſtillum, id eſt, longurium tranſverſum: unde lardum, tomacula, ſuccidias, alia id genus, ad diuturnitatem uſus in carnario ſalita ſuſpendimus. Tibullus pro adverſariis, aut perticis, quibus ex more pectinata villarum pergularumque culmina fulciri & ſuffundari ſolent. Ex Douza Schopp. in Miſcellan. Apud Gulielm. legitur, *tegillo*, quem vide Veriſimil. libro 2. cap. 5. ERHARD. *Fumoſum tigillum* dixit quia caminis talibus, ut nos utimur, per quos fumus exire poterat, carebant veteres. vide Lipſium Epiſt. ad Belg. cent. III. epiſt. 76. Manut. ad Cicer. lib. VII. ad fam. ep. 10. licet in balneis & cubiculis aliis vaporaria habuiſſe probet Lipſius & Bonifacius in Hiſtor. ludicr. lib III. cap. 23. Ferrarius tamen acriter contendit pro caminis lib. 1. Elect. cap. IX. & certe obſcura hujus rei ratio eſt, & credimus nos, in vulgaribus ædibus, & caſis ruſticis, nulla talia fuiſſe foramina in tectis, ut in noſtris, per quæ fumus evolveretur. Quod infinita loca oſtendunt, quæ *fumoſa* & *nigra* illa ædificia deſcribunt. Priap. carm. XIII.

Nigra fornicis oblitus favilla.

Apulej. 1. Metam. *In cujus hoſpitio nec ſumi, nec nidoris, nebulam vererer.* Et hinc Græcis μιλαθρον dictum.

ἀπὸ

Conservabat opes humilis casa mitia sorba
Inter odoratas pendebant texta coronas,
Et thymbrae veteres, & passis uva racemis.
Qualis in Actaea quondam fuit hospita terra
Digna sacris Hecates, quam Musa loquentibus annis

Bac-

ἀπὸ τῆ μιλαίνεσθαι ὑπὸ τῆ καπνῆ notat Schol. Homer Iliad. I. vers. 204. Fumum vero etiam per feneſtras & fores exitum ſibi quæſiviſſe, docet elegans Epigramma in Anthol. lib. II. cap. 32. pag. 229.

Τὸν λεπτὸν φυσῶντα τὸ πῦρ Περίκλεον ἤρεν ὁ καπνὸς,
Καὶ διὰ τῶν θυρίδων ἐνθεν ἀπῆλθεν ἔχων;
Ἀλλὰ μόλις νεφέλη προσενίζατο, καὶ δι' ἐκείνης
Προσκυτίζη τρωθεὶς μυρία ταῖς ἀτόμοις.

Proclum tenuem sufflantem ignem fumus rapuit,
Et per feneſtellas abiit in aëra ubi cum vix per nubes
Descendisset vulneribus millibus ab atomis est affectus.

Neque aliter video, quo pacto potuerint fumo indurari & ſervari, non modo cibi, ut mox vidimus in carnario, ſed inſtrumenta ruſtica, & ligna, ut ex Virgil. I. Georg. 175. ſed & vina, ut paſſim rei ruſticæ ſcriptores, imo & clavi navium, de quibus celeb. Grævius Lect. Heſiod. cap. II. & alia, hæc enim in anguſto, ut noſtrorum plerumque, camino, neque etiam ſi latior eſſet, omnia ſuſpendi nequirent. Sed totam illam partem villæ & ædificii, ubi focus erat, fumo repleri, neceſſe fuit. Quamquam & fumaria ſeparata habuiſſe, junctа balneis, docet Columella lib. I. cap. 6. qui & ibidem docet, *in ruſtica parte magnam & altam culinam ponendam, ut & contignatio careat incendii periculo, & in ea commode familiares omni tempore anni morari queant.* Unde recte efficimus, focum in culina in medio pavimento, ut & Ruſticis noſtratibus adhuc moris eſt, fuiſſe, neque ipſi caminum fuiſſe ſuperpoſitum, quia monet, ut tam alta fiat, ne contignatio igne poſſit corripi, lautiores autem in cubiculis ſuis, ad imitationem balneorum, tubos & canales parietibus inſeruiſſe, per quos vapor & fumus exiret, nullus dubito. BURM.

Mitia ſorba] Alii, *mitio ſervo*. Pith. PATISSON. Forte *mitia porro*. AURAT. Paſchalius de Coron. lib. 3. cap. 1. WEITZ. Alii, *ſervo*. MS. Bongarſianus, *ſorva*. Smetius legit, *mitia porro*, in Proſod. verbo *Conſervabat*, niſi ſi corruptum eſt pro, *porra*. Vulgata vero lectio omniumque veriſſima. Dioſcorid. lib. I. cap. 174. ὄνα τὰ μηλίζοντα καὶ μήπω πέπειρα, id eſt, *nondum mitia*. ERHARD.

Inter odoratas] Lege, *odoratas*. AURAT.

Pendebant texta] Alii, *pendebat teſta*. TORNÆS. Sic Autiſiod. alii, *pendebat*. alii, *pendebant texta*. PATISSON. Lege, *pendebant*. AURAT.

Et timbræ] Autiſiod. *Et ymbræ*, pro, *& thymbræ*. Pith. PATISSON. Gloſſ. *Thymbra, ſive conila, ſive ſatureja*, θύμβρα. Hinc θυμβροφάγος & θυμβριπίδειπνος pro frugali, hoc eſt, φειδωλῶς καὶ ἐυτελῶς ζῶντες vide Scholiaſt. Ariſtophan. in Acharn. ERHARD, Forte *Thymbræ ſeries*: in faſcem enim redigebantur hæc condimenta. Columell. lib. XII. cap. 8. apud quem *ſæniculi faſciculos* habes frequenter. HEINS. Traguriensis codex *timbre*.

Ima racemis] Lege, *uva*. AURAT.

Qualis in Actæa] Deeſt verſus, quo deſcribebatur anus: & ſequentes ita ſunt emendandi;

Qualis in Actæa quondam fuit hoſpita terra
Digna ſacris Hecale, quam Muſa loquentibus annis
Battidæ veteri vivendam tradidit ævo. AURAT.

Hecale] Alii, *Hecates*. TORNÆS. Autiſiod. *Hecates*. alii, *Hecales*. Pith. alii, *Hecate*. PATISSON. Ad hunc verſum ſcribe in margine; Hunc locum primus reſtituit Bapt. Pius apud Fulgent. in enarrationibus Fabularum allegoricis ex Plutarcho, qui Callimachum ſcribit Hecaleſia ſcripſiſſe. DELBEN. Lege, *Hecale*. vide Politian. Miſcell. cap. 24. & intelliges, eſſe tibi ſatisfactum. BRASSICAN. Lege, *Ecale: quam Muſa*. de qua in Priap.

Æqualis tibi, quam domum revertens
Theſeus repperit in roge jacentem.

Scalig. in Catal. comment. ad Priap. *Hecale* dicitur anus pauperrima, & mendiciſſima, quod, cum in trivio ſoleret adponi viliſſima Hecatæ cœna, ut alearum & mænarum, eam, ut eſt apud Ariſtophanem in Pluto, pauperes rapere conſueſſent pene priuſquam adpoſita eſſet. Significatur autem hoc loco *Hecale* pauperrima, quæ hoſpitio Theſeum recepit. Turneb. Adverſar. lib. 26. cap. 7. Veteres cœnam perparcam, & impendio frugalem, *Hecatæ cœnam* apellabant: quod apud inferos tenuiſſimo victu minimoque cibo eoque viliſſimo vivitur, juxta Poëtarum Theologiam, ſiquidem umbræ plebejæ malva porroque victitant. Hecatæ mænides ac triglidas piſces, apud nos contemtiſſimos, habent in deliciis, ut ſibi ſacros. Unde & Athenis locum eſſe dictum *Triglam*, atque inibi ſimulachrum *Hecates Triglantinæ*. Verum illud expendat eruditus lector, an proverbium accipi poſſit de cœna illa, quam ſingulis menſibus in triviis Hecatæ collocabant divites, diripiebant pauperes. cujus rei meminit etiam Ariſtophan. in Pluto, ubi videndus Interpres. Eraſmus in Chiliad. adag. *Cœna Hecates* eſt τῆς Ἑκάτης δεῖπνον, de quo ſupra dictum eſt. Ea mendici vivebant. Inde Hecale mulier pauperrima dicitur digna ſacris Hecates, ſive Hecatæ, quod

cœna

Baccineas veteres mirando tradidit aevo. * *

CXXXVI. Dum

cœna Hecatæ sacra à pauperibus raperetur. Nisi si quis Hecalen dignam Hecates sacerdotio fuisse interpretetur. Turneb. Aduersar. lib. 1. cap. 15. de frugali admodum tenuique apparatu effertur *Hecales cœna*, ab Hecale paupercula, cujus apud Ovid. fit mentio, & cujus egenam cœnam non aspernatus fuisse Theseus legitur, ut scribit Julianus Cæsar ad Jamblichum Philosophum. Dicitur autem *Hecale* anus Theseum tum juvenili in ætate hospitio solere excipere, proque illius ad pugnam profecturi sospite reditu vota nuncupasse: in cujus beneficii memoriam Theseus instituit postea *Hecalesion* festum, quo *Jovi*, ab illius nomine *Hecalo* dicto, sacrificabatur. Callimachus scribit in opere, quod ab anu inscripsit *Hecalen*, habuisse illam φιλοξενίης τέγος ἀκλινέστερον, id est, hospitii lares cunctis patentes. Had. Junius in Adag. Ἑστίᾳ θύουσι. *Lari sacrificant*, in tenaces dicitur, qui de suis nemini quicquam impartiunt: aut in convivas edaces, qui nihil de appositis epulis mittunt amicis, neque quicquam faciunt reliquum. Nam antiquis religiosum erat, ex iis, quæ Laribus immolabantur, aliquid foras efferre. Huic diversum adagium fingi poterit, τῇ Ἑκάτῃ θύειν, *Hecatæ sacrum facere*, siquidem in hujus Deæ sacris, ii qui cœnam inferebant, ipsi nihil inde gustabant, neque quidquam auferebant propter tumultum & fumum, ut inquit in Symposiac. Plutarch. Idem Junius in Adag. *Cynice vivere* quid sit, supra dictum est. *Cœna* quoque *Hecates*, & ovis lustrationum, ut mendici, & sepiis crudis vivebant. *Hecale* mulier paupera, quod cœna Hecatæ à pauperibus diriperetur: de qua Aristophan. Plato, Lucianus in Dialog. Diogenis & Pollucis, item Charont. ac Menippi. De *Hecate* Plaut. Cistellar. & Ovidius. Gilb. Cognatus in Adag. *Cynice vivere*. *Hecate* ergo Græcis est Ἑκάτη: unde Nicephoro in Synes. Ἑκατικὴ σφαῖρα. *Hecaten* porro, *Proserpinam*, & *Dianam* idem numen, fuisse Philologi tradunt. ERHARD. Rhodigin. lib. 30. antiq. Lect. cap. 21. WEITZ.

Battiata veteres] Alii, *baccineas veteres vivendo*. TORNÆS. Vet. *Bacchineas veteres*. PATISSON. *Battiadæ veteris*, partim ex v. c. partim conjectura ducti restituimus. *Hecales* anus Atticæ cœnam terrestrem Theseo adpositam *Battiades*, id est, Callimachus, celebrat. Vide Plinium. SAMBUC. *Battiadæ veteris*, Scaliger admonuit. BONGARS. Lege, *Battiadæ vatis vivendo tradidit ævo*. *Battiades*, id est, Callimachus, videtur de Aruspicina scripsisse secundum Fulgent. lib. 3. Mytholog. in fab. Orphei, quin & idem Fulgent. Battiadem in Paedris citat, in principio Expositionis Virgil. continent. Hecalesia autem scripsisse, refert Plutarchus. *Battiades* vero à Batto nomen deflectit. DANIEL. Quidam cod. *Batineas*. Plane hic mendum est, cui purgando forsitan adjumentum feret, quod Σῆμος ἐν δευτέρῳ δηλιάδος ἐν τῇ τῆς ἑκάτης φησὶ νήσῳ τῇ Ἰριδὶ θύουσι Δήλιοι τὰς βασυνίας καλουμένας. ἐστὶ δὲ ἐφθὸν πύρινον σαῖς σὺν μέλιτι. Si modo recte novus interpres Athenæi lib. XIV. cap. 13. secutus fere antiquiorem: *Semus*, inquit *lib. 2. Deliadis scribit: Delios in insula Iride Hecatæ sacrificare placentas, quas vocant basynias. fiunt hæ ex farina tritici aqua subacta & cum melle cocta.* Nos, nacti emendatiores codices, lectionem reddemus emendatiorem. PITH. Lege, *Battiadis vatis vivendo*, *Battiadem*, Callimachum Poëtam Cyrenensem intelligit, ab Aristotele Batto dicto, qui Cyrenen condidit, ut est apud ipsum Callimachum in Hymno in Apollinem, cum Scholiasta. Meminit & Politianus in *Nutritiis*, ubi quidam *a* nugator arrogantissimus *b* nostra ante nos dixit. Expungendus jam & plane radendus è Philologiæ fastis, quoniam, ut Cicero dixit, maluit improbe tollere, quam humaniter sumere & agnoscere. BRASSICAN. Sic legendum puto, non *Bacchenaas veteres*, ut intelligatur poëma Callimachi, Batti filii, quod *Hecale* inscriptum erat. Turneb. Adversar. libr. 27. cap. 7. Scalig. in Priap. *Battiades* etiam Callimachus dicitur Catullo epig. 117. ut ibi notarunt Ant. Parthenius & Pall. Fuscus. item Ovidio in Ibin, ut observavit Ach. Statius ad Catull. in fin. *Battiadis* scripta citantur à Fulgentio in Mytholog. quis fuerit, hinc discas licet. ERHARD.

Mirando] Lege, *vivendo*. Scalig. in Priap. Alii, *mirandam*, quo modo Dionys. Cato in Distich.

Nam miranda canunt, sed non credenda, Poëtæ.

ERHARD. Prima editio *vivando*. Sed hi ultimi versus misere fœdati, neque spes medicinæ, nisi à codice integriore. Nos edidimus, ut olim legebantur ante conjecturas virorum doctorum. De Hecale vero Callimachi vide eruditissimo Bentlejo adnotata ad Callimachi fragmenta pag. 314. & Schott. libr. 11. Observ. cap. 29. Barthius vero lib. XXIII. Adversar. cap. 24. in priori versu legit *loquentibus arma*; sed illa loquentia arma mihi admodum languent.

Dum

a Quis iste nugator? An Iodocus Badius Ascensius, qui in universa Politiani opera *Annotationes* scripsit? An vero Nicolaus Beraldus, qui in *Sylvam* quoque & *Rusticum* Politiani copiose commentatus erat? An Joan. Murmelius, cujus exstant in eumdem Rusticum & Sylvanum *Annotationes*? Nam Francisc. Sanchez, Academiæ Salmanticæ in Hispania Professor, longe post Brassicanum *Scholia* sua in Politiani Nutricia, Sylvas, Rusticum & Mantuani vulgavit.

b Commentaria in Nutritia Politiani, edita Norimbergæ apud Petrejum anno 1538.

CXXXVI. Tum illa carnis etiam paullulum delibat, & dum coaequale natalium suorum sinciput in carnarium furca reponit, fracta est putris sella, quae staturae altitudinem adjecerat, anumque suo pondere dejectam super focum mittit: frangitur ergo cervix cucumae, ignemque modo convalescentem restinguit, *vexat cubitum ipsa stipite ardente*, faciemque totam excitato cinere perfudit. Consurrexi equidem turbatus, anumque non sine risu erexi: statimque, ne res aliqua sacrificium moraretur, ad reficiendum ignem in vicinia cucurrit. vix ad casae hostiolum processerat, quum ecce tres anseres sacri, qui, ut puto, medio die solebant ab anu diaria

Dum illa carnis] Apud Politian. legitur, *Tunc illa*, cap. 30. Miscellan. ERHARD.

Et coaquale] *Et dum coaquale*, Memm. cod. BOSCH. Cum sint, qui *coaquale* vix Latinum esse arbitrentur, hinc contrarium liquet. Idemque vocabulum locis compluribus apud Justinum occurrit. Nec assentior illis, qui *aequale* illi reponunt, etsi semel iterumque scripti codices ei lectioni suffragentur. Sic *cohaeredem* quoque noster dixit in Trimalchionis epulo. HEINS. Ego potius à librariis insciti hanc vocem provenisse credo. Vide Graev. ad Justin. lib. XXXVII. cap. 4. Et Voss. ad libr. IX. cap. 6. Sciopp. de Stil. Histor. pag. 163. Vorst. ad Sulpit. Sever. lib. I. cap. 26. qui elegantius censet *aequales*; non tamen damnat *coaequales*. Forte haec vox statim post Augusti tempora, ut plures aliae, irrepsit. Nam & Columella utitur libr. VIII. cap. 15. prima autem editio & Sambuci cum Tragurienst ante hanc vocem habent *dum*. BURM.

Staturae altitudinem] Suetonius Augusto cap. 73. *Calceamentis altioribus usus, ut procerior videretur*. Hoc Persis tribuit Xenophon lib. 8. de Paedia Cyri: *Calceis*, inquit, *aliquid subjiciunt, ut proceriores esse videantur*, &c. De longis alibi multa, neque minus erudita, nisi fallor, diximus. BRASSICAN.

Suo pondere dejectam] Martialis:

Victa est pondere cum suo repente. PITH.

Foculum] *Focum* primae editiones & Tragurienst codex.

Cucumulae] Alii, *cucumae*. TORNAES. Alii, *cucumae*. Politianus cap. 30. Miscellan. & Baptist. Pius Posterior. cap. LXI. Pith. PATISSON. & BONGARS. Lege, *cucumae*. Hunc locum nominatim citat, & diligenter interpretatur, Angel. Politianus in Miscellan. cap. 30. nec transmisit ex Jureconsultis nostris Budaeus in reliquis Pandectarum. Meminit insignis scriptor Arrianus in Epicteto lib. 7. cap. XI. & Marcellus Medicus cap. 26. BRASSICAN. Sic Phaedro *lagena collum*, lib. I. fab. 26. sic supra Petron. *Amphorae vitreae, quarum in cervicibus*, &c. Rittershusius & Rigaltius ad Phaedr. Legendum autem, *cucumae*. Politianus Miscellan. cap. 30. & Calepinus in Dictionar. Est autem lebes & olla. Giphanius Observat. Ling. Lat. Immo *cucumula* vasis genus est, quod *cucumellae* in l. I. §. paen. D. ad L. Corn. de sicar. Cujac. Observat. lib. 10. cap. 15. *Cucumellae* vasculi genus, quod à forma cucumeris nomen suum invenit, ad eundem usum, ad quem & labra & crateres, paratum. Connanus ad L. 17. D. si servit. vindicet. ERHARD. *Cucumelae* tres scripti, quae lectio etiam tolerabilis, licet hanc superiori capite *cucumam ingentem* appellaverit, ubi & *focum* dixit, hic vero *foculum*. BOSCH.

Convalescentem] Ovidius lib. VIII. Met. vers. 477.

——— *Nam, postquam pestifer ignis*
Convaluit.

supra cap. 114. *tempestas convaluit*. vide Cuper. libr. II. Observ. cap. 17. Caeterum *modo* non habent veteres editiones, nec Tragur.

Vexat cubitum ipsa stipite ardenti] Desunt haec in exemplari Joannis Biturigum Ducis; non male. Pith. PATISSON. Desunt haec verba in primis editionibus & codice Tragurano, & sine sensus jactura abesse possunt. Heinsius in margine notaverat, forte legendum *vexata cubitum*, &c. Sed commodius videtur *versata* pro eversa, lapsa in ignem, nisi quis malit *luxat cubitum lapsa* vel potius *laesa stipite ardente, faciemque totam excitato cinere perfudit*. Sed nihil definio.

Excitato funere perfugit] Lege, *cinere perfudit*. AURAT. Forte, *excitato cinere*, vel *pulvere*. SAMBUC. BRASSICAN.

Turbatus anumque] Benedicti Floriacensis exemplar, *turbatus animi & non sine risu me erexi*. Pith. PATISSON.

Sine risu meo] *Meo* non est in antiquis editionibus, nec Tragur.

In vicinia] Alii, *in viciniam*. PATISSON. Sequentia vincunt legendum, *cucurrit & processerat*. SCIOPP.

Ostiolum] Scribe ex vet. cod. *Hostiolum*. BRASSICAN.

Processi] Forte, *processit*. SAMBUC.

Tres anseres sacri] Cap. seq. *occidisti Priapi deliciae, anserem omnibus matronis acceptissimum*. Laudo, quae alii curiose indagarunt his interpretandis, sed fallor, aut no-

diaria exigere, impetum in me faciunt, foedoque, ac veluti rabioso, stridore circumsistunt trepidantem: atque alius tunicam meam lacerat, alius vincula calceamentorum resolvit, ac trahit: unus etiam, dux ac magister saevitiae, non dubitavit crus meum serrato vexare morsu. Oblitus itaque nugarum, pedem mensulae extorsi, coepique pugnacissimum animal armata elidere manu: nec satiatus defunctorio ictu, morte me anseris vindicavi.

Tales Herculea Stymphalidas arte coactas
Ad coelum fugisse reor, peneque fluentes
Harpyias, quum Phineo maduere veneno
Fallaces epulae. tremuit perterritus aether
Planctibus insolitis, confusaque regia coeli
Visa suas moto transcurrere cardine metas.

Jam

vam facem praefero ex Artemid. lib. 4. cap. 85. Γυνὴ ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἔδοξε χῆνα τετοκέναι. ἐκρίθη, εἰ μὲν ἱερέως εἴη ἡ γυνή, τὸ τεχθὲν ζήσει, ἱερεῖ γὰρ οἱ χῆνες, καὶ ἐν ναοῖς ἀναστρεφόμενοι. εἰ δὲ μή, εἰ μὲν θῆλυ εἴη, ζήσειν μέν, ἑταιρικῶ δὲ χρὴ σιθῆναι βίω, διὰ τὸ περικαλλὲς τῶν χηνῶν. WOUWEREN. Appositе Auctor Queroli pag. 27. *Hosne tu olores esse narras? ego in sacellis proxime anseres inspexi multos: neminem vide cygnum.*

Fœdeque] Legendum, *fœdoque*. Jungermannus. ERHARD. *Fædoque*, meliores. BOSCH.

Vincula calceamentorum] Fasciæ, quibus in calceatu utebantur. Plin. lib. 9. cap. 57. Pollux lib. 2. Menander apud Theodoret. Serm. 6.

Ὑποδύμενον τὸν ἱμάντα τῆς δεξιᾶς
Ἐμβάδος διέρρηξε. ——

Plutarch. συμπος. προβλημ. διακοῦσαι τῶν ὑποδημάτων τοὺς ἱμάντας. WOUWEREN. Hæc vincula Latinis *fascia*. In Historia S. Eugenii; *constrictus ocreis crura, fasciolisque plantas*. Festo *Amenta, quibus vinciuntur soleatum lora*. Genus hoc calcei *obstrigilus* est dictus veteri Glossographo MS. Savaro ad Sidon. lib. 8. ep. 11. Ovidius III. Metam. 168.

Vincla dua demunt pedibus. ——

Latini etiam *corrigias* dixerunt, quas Isidorus, eumque secuti Huguitio, Papias, Balbus, Britto, male calciamenta interpretantur, cum fuerint eorum lora, ut vocat idem Isidor. lib. 19. cap. 34. de *Mulleis* loquens; *superiore parte cum ossеis vel æreis malleolis, ad quos lora deligabantur*. Græci ἱμάντας appellabant. Apud Matthæum cap. 3. ait Joannes ad Christum; ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων τῶν ποδῶν. ubi videndus Beza in Annotat. ERHARD.

Serrato morsu] Floride dictum, in qua re magistri sunt & bene felices artifices, Plinius, A. Gellius, Arbiter, & alii plures, vix jam ab alio nominandi, nisi qui plane rerum potiatur in hoc emendatissimo dicendi genere. *Geographica vix possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι*. Cicero lib. 2. Epistolar. ad Attic. BRASSIC.

Oblitus nugarum] Jocorum, *schimpffs*. ERHARD. Senec. Apocoloc. *Claudius, ut vidit Virum valentem, oblitus nugarum, intellexit, neminem parem sibi Romæ fuisse: illic non habere se idem gratiæ*. SCIOPP. Supra cap. 71.

Defunctorio ictu] Jureconsulti dicunt *defunctorie* & *perfunctorie*. Procopius & Philostratus non semel, ἀπαρέργως. BRASSICAN.

Tales Herculea] Est hoc ex sententia Pisandri Camirei, qui Stymphalidas in Arcadia, non interfectas ab Hercule, sed Crotalorum sonitu fugatas, tradidit, ut auctor est Pausanias lib. 8. PUTEAN. Est hoc ex Pisandri sententia, quam refert Pausan. lib. 8. PITH. Stymphalides & Harpyjæ. Scalig. in Catalect. ERHARD. Iis pennas vice telorum fuisse, ex Euripidis Phryxo scribit Lucilius Tarrhæus in β. Argonautic. librum Apollonii Rhodii. De Phinei Harpyjis res est notior ex Apollonio & Virgilio, quam ut multa dici debeant. BRASSICAN. *Herculea audacia*, Justinus præfat. BOSCH.

Arte volucres] Alii, *coactas*. TORNÆS. *Arce*, Traguriens.

Peneque fluentes] Alii, *pœnasque luentes*. TORNÆS. Alii, *sanieque*. Pith. & alii *pœnasque luentes*. alii, *ferventes*: alii, *furentes*. PATISSON. & AURAT. Legendum, *sanieque*. DANIEL. Videtur legendum, *pennaque fluentes Harpyas cum Peneo maduere*. PITH. Alii, *pœnasque luentes*. Lege, *pennaque fluentes*, poëtica phrasi, pro volantes. Lipsius Antiq. Lect. lib. 3. ERHARD. Heinsius in ora libri notaverat, legendum *pennaque fluentis*.

Furtivo maduere] Alii, *Phineo*. TORNÆS. Barth. ad Claudian. de Bell. Getic. vers. 28. ERHARD.

Visa suas] Nullus manu exaratus codex hunc versum

Jam reliqui revolutam, passimque per totum effusam pavimentum, collegerant fabam, orbatique, ut existimo, duce redierant in templum, quum ego, praeda simul atque hac vindicta gaudens, post lectum occisum anserem mitto, vulnusque cruris haud altum aceto diluo. Deinde, convitium verens, abeundi formavi consilium, collectoque cultu meo ire extra casam coepi. Nec dum liberaveram cellulae limen, quum animadverto Enotheam cum testo ignis pleno venientem. Reduxi igitur gradum, projectaque veste, tamquam exspectarem morantem, in aditu steti. Collocavit illa ignem cassis harundinibus collectum, ingestisque super pluribus lignis, excusare coepit moram, quod amica se non dimisisset, tribus nisi potionibus

sum agnoscit. BOSCH.

Revolutam] Lege, *resolutam*, quia supra, *dentibusque solliculos spoliat*. Jungermann. ERHARD.

Haud altum] Eleganter Pacatus paneg. cap. III. *Altorum vulnerum cicatrices pendente manu tractabo*, in Epigrammate veteri de Galatea, quod in Catalectis Petronianis producitur:

Nec tamen alta pedum vulnera sentit Amor.

Aceto diluo] Plin. lib. 23. cap. 1. PITH.

Convitium verens] Alii, *convicium*. TORNÆS.

Collectoque cultu meo] *Ornatu & vestitu*, mox enim ait, *projectaque veste*, &c. ERHARD. Plaut. Capt. Act. IV. sc. *Collecto quidem est pallio: quidnam acturus est?* quod Casaubonus ad Theophr. char. pag. 141. interpretatur, in humeros conjecto. supra cap. 126. *Collegit altius tunicam*. CUPER.

Liberaveram cellulae limen] Legendum, *superaveram*. Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 7. quem refellit Douza. *Libare limen* dixit, ut Apulejus *haurire portum*, & Aristoph. γεύσασθαι τῆς θύρας. Wouwer. emend. in Apul. ERHARD. Non mirum magis id loquendi genus debet videri, quam quod Officiorum libro primo dicebat Tullius *liberare promissa*. sic & *liberare fidem*, & *ex alienum* Jurisconsulti l. 41. §. 1. ff. de fideic. libert. *liberare oculum* Tertull. de Virgin. Veland. *Arabiae faemina faciem ita totam tegunt, ut, uno oculo liberato, contenta sint dimidiam frui lucem*. Sic & Curtius lib. x. cap. 2. *liberate oculos meos, ingratissimi cives*. *Liberare gladium* Dictys libr. IV. cap. 11. *Deiphobus amplexus inermem juvenem, quippe in sacro Apollinis nihil hostile metuentem, exosculari gratularique super his, quae consensisset, neque ab eo divelli, aut omittere, quoad* (vulg. *quo*) *Alexander liberato gladio procurrens adversum hostem per utrumque latus geminato ictu transfigit*. Sic optime totus ille locus in vetusto codice, qui penes me exstat, exaratur. Nisi quod scribendum *aversum hostem*: nam paullo ante dixerat, *Interim Alexander, compositis jam cum Deiphobo consiliis pugione cinctus Achillem aggreditur, confirmator veluti eorum, quae Priamus pollicebatur, moxque ad aram Apollinis, quo, ne hostis dolum persentisceret, aversusque à duce adsistit*. Ubi *pugione cinctus Achillem aggreditur*, & *moxque ad aram Apollinis*, à veteri codice sunt. Deinde malo, *ne qua hostis dolum persentisceret, aversus à duce subsistit*. Nam in meo codice *resistit*. Sed ad rem, *librare gladium*, quod vulgo apud Dictym circumferri videas, Latine non dicitur: *librari hasta, saxa*, dicuntur, & quidquid manu emittitur, & ad jactum inservit. *liberatur gladius vagina*, ut plenius extulit Naso lib. VI. Metam. vers. 551.

——— *Auratum vagina liberat ensem.*

Idem lib. XI. 157. *aures liberat arboribus*. Phædrus lib. III. fab. 2. de panthera:

Veloce saltu fovea se liberat.

Passione B. Perpetuæ & Felicitatis, quod insigne monumentum antiquitatis L. Holstenii industriæ debetur, visione Saturi. *Ibamus autem non supini sursum versi, sed quasi mollem clivum adscendentes, & liberato primo mundo vidimus lucem immensam*. Quo loco cur hæreret vir eximius Petrus Possinus, nihil causse erat: neque enim insolens magis, *liberare mundum*, quam *liberare limen* in Petronio. Hygin. fab. CCLVII. *vix tandem Mœrus liberato flumine consequitur carnificem*. HEINS. V. Salmas. ad Solin. pag. 9. & Munker. ad Hygini dictam fabulam.

Cum testo ignis pleno] Ovid. lib. II. fast. 645.

—— *Hic ignem curto fert rustica testo.* PITH. *Testum* genere neutro. Solebant autem antiqui testa ignem petere. Hinc Cornificius ad Herenn. lib. 4. *Hic de tanto patrimonio tam cito testam, qua sibi petat ignem, non reliquit*. Turneb. Advers. lib. 26. cap. 7. ERHARD. De hac voce vide Heins. ad Ovid. lib. 2. fast. vers. 645.

Cassis harundinibus] An *cassis*, pro *quassis*, id est, fractis? ERHARD. *Quassis*, Leid. cod. BOSCH.

Ingestisque super pluribus lignis] Tmesis, pro, *superingestis*. ERHARD.

Tribus nisi potionibus è lege siccatis] Cicero *Iste enim Prator severus ac diligens, qui populi Romani legibus numquam paruisset, illis diligenter legibus, quae in poculis ponebantur, obtemperabat*. PITH. Horatius lib. 2. Sat. VI. vers. 68.

bus è lege siccatis. [a] Quid porro tu, inquit, me absente fecisti? aut ubi est faba? [b] Ego, qui putaveram, me rem laude etiam dignam fecisse, ordine illi totum praelium exposui; &, ne diutius tristis esset, jacturae pensionem anserem obtuli. quem anus ut vidit, tam magnum aeque clamorem sustulit, ut putares, anseres limen intrasse. Confusus itaque, & novitate facinoris attonitus, quaerebam, quid excanduisset, aut quare anseris potius, quam mei misereretur.

CXXXVII. At illa, complosis manibus. [c] Scelerate, inquit, etiam loqueris? nescis, quam magnum flagitium admiseris. Occidisti Priapi delicias, anserem omnibus matronis acceptissimum. Itaque, ne te putes nihil egisse, si magistratus hoc scierint, ibis in crucem. Polluisti sanguine domici-

[a] ENOTHEA. [b] POLYÆNOS. [c] ENOTHEA.

Siccat inaequalèis calices conviva, solutus
Legibus insanis. ——

Plutarch. Symp. problem. lib. 3. Quæst. 9. Οἱ περὶ τὸν Διόνυσον ἁρμονικοὶ τρεῖς κατεῖδον οἶνον συμφωνίας πρὸς ὕδωρ διὰ πέντε, καὶ διὰ τριῶν, καὶ διὰ τεσσάρων, ὅταν μὲν λέγοντες καὶ ᾄδοντες, πέντε πιεῖν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέσσαρα, &c. Hesych. τρίτῳ κρατῆρι, Σοφοκλῆς ναυπλίῳ κατὰ πλέονα. ἐν τοῖς συνεσίοις ἐκείνοντο κρατῆρες τρεῖς, καὶ τὸν μὲν πρῶτον, Διὸς Ὀλυμπίου καὶ Θεῶν Ὀλυμπίων, ἔλεγον. τὸν δὲ δεύτερον, Ἡρώων. τὸν δὲ τρίτον Σατῆρος. ex his claret, cur Ausonius hanc bibendi legem *mysticam* dixerit. WOUWEREN. Ausonius;

Ter bibe, vel toties ternos, sic mystica lex est.

Scalig. Auson. Lect. lib. 2. cap. 26. Nam, non ultra ternarium scyphorum numerum in sympossiis progrediendum esse, lex convivialis edicit, quem numerum etiam Synodus Nannetensis definit can. 4. Savaro ad Sidon. lib. 1. ep. 2. Adstricti olim lege quadam ad ternas, interdum ad novenas, potiones. Ausonius de utrisque in eo, quem modo adscripsimus, Gripho ternarii numeri. Puteanus in Genial sermon. Turneb. Advers. lib. 16. cap. 11. Lambinus Notat. ad Horat. lib. 3. Od. 19. & Plauti Stich. Act. 5. sc. 4. Pontanus Not. in Somn. Scip. Macrob. lib. 1. Taubman. ad Plaut. Stich. Act. 5. scen. 4. Legem convivialem de tribus poculis Augustum diligenter observasse, Suetonius, & Carolum Magnum, scribit Eginhardus. *Potio* pro potu, hoc est, id quod bibitur, *ein Trunck*, Schorus de Phrasib. Ling. Lat. Schopp. in Observat. Ling. Lat. ERHARD. Plin. l. 3. ep. 20. *sufficiunt duæ fabulæ, an scholastica lege tertiam poscis?* SCIOPP.

Ex lege] Id est, consuetudine, & ordinaria ratione bibendi. vide Gronov. ad Plaut. Milit. Act. 11. sc. 2. vers. 91 & supra ad cap. XXI. in antiquo lapide apud Malvas. Marm. Felsin. pag. 424. EX LEGE PLENA VT PRÆSTENTVR. ita supra *ex more* cap. CVIII.

Quum protuli anserem] Hæc verba non agnoscunt editiones Tornæsii, Patissonii, Wouwerii, & aliæ; & ejicienda puto, legendumque cum antiquis, *anserem obtuli, quem anus ut vidit.*

Complosis manibus] Apul. lib. IX. Metam. *Suosque casus graviter ingemiscens, depensis pro prandio lacrymis, vacuasque manus complodens.* Heliod. βαρέως δέ τε πρὸς ταῦτα ἀνοιμώξας ὁ Ἀχαιμένης, καὶ τῷ χεῖρε διατρίψας. PITH. *Complodere manus* solent, quos ira possidet. Seneca de Ira. lib. 1. cap. 1. *Articulorum sepsos torquentium sonitus, complosæ sæpius manus, & pulsata humus pedibus.* WOUWEREN. Vide supra cap. XVIII. & XX.

Scelerate, & loqueris?] Lege, *etiam loqueris.* Plaut. Persa; *Scelerate etiam respicis?* Douza Centurionat. libro 4. cap. 10. Sic supra; *Exclamat Eumolpus; etiam minaris?* Idem Plaut. Mostell. Act. 5. sc. 2. *Verbero, etiam irrides?* ERHARD.

Etiam] Vide supra ad cap. XXI. prima, Sambuci, Patissonii & aliæ editiones, *& loqueris nescius quam*, etiam Tragur.

Admiseris] Alii, *admisisti.* PATISSON.

Priapi delicias] *Anserem* non frustra Priapo sacrum esse dicit. Nam & Jovem putant non in Cycnum, sed in Anserem esse commutatum, cum Ledæ vitium inferret, ut est apud Pausanium. Nec oscitanter & neglecte dixit Poëta in Ciri:

——— *Formosior anser Ledæ.*

Ego puer aliquando lusi, plane anser inter olores:

Anser Amyclæo celebratur nomine Ledæ,
Sed vere tandem Juppiter anser erat.
Penelopem exhilaret felicior anser Ulysses,
Anser erat terra nobilis atque mari.
At nunc mille Joves liceat, vix cernere Ulyssem
Unum: ita virtutis regna caduca ruunt.

BRASSICAN.

Ne putes nihil egisse] *Nihil*, pro, rem parvam & contemnendam. ERHARD.

Scierit] Alii, *scierint.* PATISSON.

Ibis in crucem] Forte, *tibi crucem figet.* AURAT. Male. vide supra cap. CXII.

Inimi-

micilium meum, ante hunc diem inviolatum, feciſtique, ut me, quiſquis voluerit inimicus, ſacerdotio pellat.

[a] *Haec ait, & tremulo deduxit vertice canos,*
Conſecuitque genas, oculis nec defuit imber.
Sed, qualis rapitur per valles improbus amnis,
Quum gelidae periere nives, & languidus Auſter
Non patitur, glaciem reſoluta vivere terra:
Gurgite ſic pleno facies manavit, & alto
Inſonuit gemitu turbatum murmure pectus.

Tum ego, Rogo, inquam, noli clamare, ego tibi pro anſere ſtruthiocamelum reddam. Dum haec, me ſtupente, in lectulo ſedet, anſeriſque fatum complorat, interim Proſelenos cum impenſa ſacrificii venit, viſoque anſere occiſo, ſciſcitata cauſſam triſtitiae, & ipſa flere vehementius coepit, meique miſereri, tamquam patrem meum, non publicum anſerem, occidiſſem. Itaque taedio fatigatus, Rogo, inquam, expiare manus pretio licet, ſi vos provocaſſem, etiam ſi homicidium feciſſem: Ecce duos aureos pono, unde poſſitis & Deos & anſeres emere. Quos, ut vidit Enothea, [a] Ignoſce, inquit, adoleſcens, ſollicita ſum tua cauſſa: amoris eſt hoc argumentum, non malignitatis. Itaque dabimus operam, ne quis hoc ſciat. Tu modo Deos roga, ut illi facto tuo ignoſcant.

[a] POLYÆNOS. [b] ENOTHEA.

Quiſ-

Inimicus ſacerdotio pellat] Poſt haec verba commodiſſime inſerentur hi verſus:

Haec ait, & tremulo deduxit vertice canos,
Conſecuitque genas,

& quae ſequuntur. DOUZA. F.

Oculis nec defuit imber] Similitudo eſt à fluminibus Gruterus Suſpicion. lib. 8. cap. 8. Nihil frequentius Poëtis, quam lacrymas *imbrium* nomine cenſere. Eleganter Calaber;

Εἶλκε βίη Σκάδοιο, τῆς δ' ἄτροπα δάκρυ' ἀπ' ὄσσων
Πίδακος ὣς ἴχθυτο. ——

Barth. ad Claudian. lib. III. de Rapt. Proſ. verſ. 311. ERHARD. Vide notas noſtras ad Ovid. 3. triſt. el. 2. verſ. 19. WEITZ. Vide ſupra ad cap. XVII. & Brouckh. ad Tibull. lib. 1. eleg. IX. verſ. 53.

Per valles] Quintil. lib. V. Inſtit. Orat. cap. 14. *Feratur igitur, non ſemitis, ſed campis, non uti fontes anguſtis fiſtulis colliguntur, ſed, ut latiſſimi amnes, totis vallibus fluat, ac ſibi viam, ſi quando non acceperit, faciat.*

Reſoluta] Vid. ad Belli Civilis ſpecimen verſ. 147. audacius vero dictum *Glaciem vivere*, pro durare, nec liqueſcere. *Vivere mare* dixit Statius lib. VI. Theb. verſ. 362.

Rogo] Vide ſupra ad cap. 7.

Sedet] Vet. *ſuadet*. Pith. PATISSON.

Cum impenſa ſacrificii] Arnob. *Quid cum pultibus Deo ſit, quid cum libis, quid diverſis cum fratribus, conſectionis jure multiplici atque impenſarum varietate conditis?* PITH.

Expiare manus pretio licet, etiamſi homicidium feciſſem] Tertull. cap. 5. de Baptiſmo *Penes veteres, quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.* Seneca Herc. fur. verſ. 1328.

Et tota Tethys per meas currat manus,
Haerebit altum facinus. ——

vide, ſi tanti, quae cap. CIV. notata ſunt. WOUWER. Legendum puto, *manes*, ſcilicet anſeris. Cicer. in Piſon. cap. VII. *A me quidem etiam poenas expetiſtis, quibus conjuratorum manes mortuorum expiaretis.* Riſum ergo captat, quaſi anſeris occiſi ſint manes, & ſimul ſtultam ſuperſtitionem irridet, quae homicidia etiam pecunia expiari poſſe crederet, vel ut alii luſtratione. vide Ovid. lib. II. faſt. verſ. 45.

Ah nimium faciles, qui triſtia crimina caedis
Fluminea tolli poſſe putetis aqua! BURM.

Si vos provocaſſem] Forte, *ſi eos provocaſſem*, id eſt, anſeres. SCIOPP.

Pono] Cicer. III. in Verr. cap. 70. *Cum poſita eſſet pecunia apud eas ſocietates, unde erat attributa.*

Et deos & anſeres] Alii, *duos anſeres*. PATISSON. Forte, *unde poſſitis & denos anſeres emere.*

a Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.
Uxorem ducat Danaën, ipsumque licebit
Acrisium jubeat credere, quod Danaën.
Carmina componat, declamet, concrepet, omnes
Et peragat caussas, sitque Catone prior.
Jurisconsultus, Paret, non Paret, *habeto*,

Atque

a POLYÆNOS.

Quisquis habet nummos] Joh. Salisberiensis lib. 7. cap. 16. Policrat. Pith. PATISSON. Vincentius lib. 20. cap. 25. specul. DANIEL. Horat. lib. 2. Satyr. III. vers. 94.

——— *Omnis enim res,*
Virtus, fama, decus, divina, humanaque, pulcris
Divitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiensve etiam, & rex,
Et quicquid volet. ——— WOUWEREN.

In avaritiam & pecuniæ studium. Scalig. in Catalect. Johannes Salisberiensis Policrat. lib. 7. cap. 16. *Avaro nihil vile videtur, aut sordidum, &, sibilante populo, seipsum consolatur, imo & sibi applaudit, simul ac nummos contemplatur in arca. Petronianum istud ingestum omnibus credas*, &c. ERHARD. Bene Strigelius:

Est mundus pelagus, regina pecunia nauta est:
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

Demosthen. Olynth. 1. Δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δέοντων; *Opus sunt opes, & sine iis nihil fiet, quod opus.* Lips. 4. Politic. 9. Guazza de Civili conversat. dissert. 4. pag. 224. Zehner. cent. 2. adag. 41. Bebelius lib. 3. Facetiar. pag. 136. tit. *ne negligitur, quicunque pecunia caret.* Apud Joan. Brassicanum, Bebelii supparem, in Institut. Grammatic. de præpositione, legitur: *Sine numis ne quid attentes.* WEITZ. Diversa tradit Sallustius in Orat. 1. de republica ord. *Id ita evenit, si pecuniæ, quæ maxuma hominum pernicies est, usum, atque decus dempseris*, &c. Ita hic puto legendum, non, *omnium*, ut hactenus in vulgatis. Eleganter ad mentem Arbitri Propertius lib. III. Eleg. X.

At nunc desertis cessant sacraria lucis,
Aurum omnes, victa jam pietate, colunt.
Aurea nunc vere sunt sæcula, plurimus auro
Venit honos, auro conciliatur amor.
Auro pulsa fides, auro venalia jura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.

BOSCH. Similis paræmia apud Schol. Aristoph. ad Concionatr.

Ὦ τ' ἀργύριον ἦ, πάντα θεῖ κυλίνεται.

uti felicissime emendat vir in Græcis doctissimus Tan. Faber, & multa in hunc sensum congessit Marcell. Donat. ad Suet. August. cap. XLI. CUPER. Vide Scriverium ad Martial. lib. 1. epig. 76.

Navigat] Vincent. *naviget*. DANIEL. Lege, *naviget*, ut & in seq. vers. *temperet* pro, *temperat*. BRASSICAN.

Temperet] Vincent. *temperat*. Et postea toto versu.

Carmina componit, declamat, concrepat omneis.

DANIEL. Seneca Oedipo vers. 882.

Fata scilicet mihi
Fingere arbitrio meo. WEITZ.

Arbitrio] Suet. in Cæs. cap. 20. *Unus ex eo tempore omnia in rep. ad arbitrium administravit.*

Danaën] Alii, *daphnen*. PATISSON. Danaës corruptæ fabula, sive historia, plane in proverbium erat apud veteres. Ejus ἐπιμύθιον est, ut pecuniæ omnia facilia esse sciamus. Τὰ γὰρ τοῖς ὅπλοις ἀδύνατα κεραυνῆναι, τῷ χρύσῳ ῥᾴδιον ἐστι κατατολεμῆσαι, τῷ ἀργυρίῳ δὲ ὑποτάσσεται πάντα. ut ait Diodor. Siculus. Et non sua magis ætate, quam nostra, Oraculi veridici vicem fuit;

Ἀργυρίοις λόγχαισι μάχῃ, καὶ πάντα κρατήσεις.

Barthius ad Claudianum. ERHARD. Pet. Damianus lib. 1. epist. ultim. *Habens, ut ajunt rustici, pugillum aureum, frangit murum ferreum.* Refer huc illa apud Bernardinum de Bustis pag. 258. *Divitiæ faciunt scabiosum stare in mensa numulariorum. Et mulieres dicere solent; Et illa gallina cantat, quæ ovam sentit.*

Nummus honoratur, sine nummis nullus amatur,
Nummus ubi loquitur, Tullius ipse tacet.

Malleus argenteus dissecat portas ferreas. WEITZ.

Acrisium jubeat credere, quod Danaën] Acrisium jubeat idem credere, quod Danaë credidit, scilicet, se compressam à Jove fuisse: quod Acrisius noluit credere, ut patet ex Apollodor. lib. 2. Jungermann. ERHARD.

Concrepet] Accipio de crepitu digitorum, quo silentium faciebant Oratores, de quo Casaubonus ad Persii Sat. IV. vers. 5. & Commentatores ad Lucæ Act. Apost. XII. 17. & XXI. 40. de alio crepitu vide supra ad cap. XVII. & XXVII.

Jurisconsultus] Nihili hæc sunt, scribendum reor:

Jurisconsultis PARET, NON PARET, habetor.

quasi Jurisconsultorum scientia omnis in formulis constaret. PARET, NON PARET. LIQVET, NON LIQVET. Nam *paret* pro apparet. *Paret non paret Jurisconsultis habetor*, ut *Trimalchioni τὰ πάντα est.* HEINS. Ampl. Cuperus mallet *Jurisconsulti* vel *Jurisconsultûm*, pro Jurisconsultorum, *paret non paret habeto*

Atque esto quidquid Servius & Labeo.
Multa loquor: quidvis nummis praesentibus opta,
Et veniet. clausum possidet arca Jovem.

Interea haec satagens, infra manus meas camellam vini poluit, &, quum digitos pariter extensos porris apioque lustrasset, avellanas nuces cum precatione mersit in vinum: &, sive in summum redierant, sive subsederant, ex hoc conjecturam ducebat: nec me fallebat, inanes scilicet, ac sine medulla ventosas, nuces in summo humore consistere, graves autem & plenas integro fructu ad ima deferri. *Tum ad anserem adpellens sese* recluso pectore

habeto. Prima editio *habento*. Tragur. *habente*. De formula hac plura Manutius habet ad Cicer. Divinat. cap. XVII.

Paret non paret habeto] Forte, *pauper non posset haberi*. AURAT. *Patet non patet* legendum; sunt verba ex formulis JCtorum; vide Festum. SAMBUC. Legendum, *habeto*. STEPHAN. & BRASSICAN. Vide Festum in verbo, *paret*, expresse. DANIEL. Veteres dicebant, *si paret*, teste Festo, quod posteriores *si apparet*. Fuit autem formula, *si apparet, Titium dare oportere*, propria actionis in personam, ut notum ex Cicerone. Giphanius ad §. *hic itaque*, Instit. de Action. *Parere* est quod vulgo hodie apparere, patere. Erasmus ad Catonis Distich. Rittershus. Notis ad Gunther. Schopp. Suspect. Lect. lib. 2. ep. 20. Grotius Februis ad Capell. lib. 8. pag. 298. Zinzerling. Miscellor. Crit. lib. 1. cap. 12. Rader. ad Martial. lib. 12. ep. 25. ERHARD.

Servius & Labeo] Alii, *Servius ut Labeo*. PATISSON.

Multa loquor quidvis] Vincent.

Parva loquor, quodvis nummos praebentibus opto.

DANIEL. Id est, nimis multa. Sic *quid multa? quid multis?* passim apud scriptores, praetertim Comicos. Plautus Vidularia. *Quid multa verba? plurimum luctatumus*; in aliis tamen codicibus *magna loquor*. Unde *Parva* Thomas Munckerus ad Fulgentii Mythol. lib. III. cap. 6. idem tuetur & *veniet*, adversus Scriverium legentem *Eveniet*. HEINS. Adscripserat idem Heinsius oræ codicis sui, forte *stulta loquor*.

Quidvis] Lege, *quod vis*, & ibidem, *opta*, casu imperandi, pro, *optas*. BRASSICAN.

Quidvis nummis praesentibus opta] Menander:

Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεὸς
Τὸ ἀργύριον ἡμῖν καὶ τὸ χρυσίον.
Ἰδρυσάμην τούτους γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν
Εὐξαι ὅ, τι βούλει, πάντα σοὶ γενήσεται,
Ἀγρὸς, οἰκίαι, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταί, μάρτυρες. μόνον δίδου.
Αὐτὸς γὰρ εἶπεις τοὺς θεοὺς ὑπηρέτας. PITH.

Theodoricus Abbas S. Trudonis apud Flaccium Illyricum in Catal. test. Verit.

——— *Fit nummis Praesul & Abba.*

Idem;

Quid non speremus, si nummos possideamus?

Vide Casp. Waserum de Antiq. numis Hebræor. lib. 1. cap. 2. & cap. 12. ERHARD.

Eveniet] Alii, *& veniet*. TORNÆS. Forte *eveniet*. SAMBUC. Vincent. *Eveniet:* & recte. vide Henricum Stephanum in fragm. Comicorum Græcorum, qui versum Græcum adducit, à quo videtur Petronii Carmen desumtum. & tamen Henric. *Et veniet* male retinuit, cum versus Græcus *Eveniet* legat. DANIEL. Sine dubio legendum *Eveniet*, quod melius respondet τῷ *opta*. Ovidius lib. VI. Metam. vers. 370.

Eveniunt optata Dea.

lib. IV. Fast. vers. 775.

Quæ precor, evenient. ———

lib. II. ex Pont. Ep. 1.

Quod precor, eveniet. ——

Camellam] Ovidius lib. 4. Fastorum circa fin.

Dum licet, apposita veluti cratere camella,
Lac niveum potes purpureamque sapam.

Gellius lib. 16. cap. 7. *camellam* usurpat, ubi vulgo male *camelliam*. An legendum est, *scamellam?* de quo verbo consule Brissonium, quod reperitur in libro Adelardi de Virginitate, quem mihi ostendit, & postea vidi in Bibliotheca Navarræ. DANIEL.

Infra manus] Alii, *intra manus*. PATISSON.

Avellanas nuces] Illustravit hunc locum Senftlebius in nucibus Saturnalitiis cap. XVII.

Conjectura] Patissonii & Tornæsii & Wouwerii editiones *conjectura dicebat*. Parisiensis anni 1601. *conjectum dicebat*. Sed *conjecturam ducere* bis terve Cicero in libris de Divinatione.

Nec me fallebat] Non omnino absimilis mos ille Palicæ apud Stephanum. ἔστι γὰρ ὄρνεον ἅγιον αὐτόθι, ὅσα γὰρ ὀμνύει τις, εἰς πινάκιον γράψας, βάλλει αὐτὸ εἰς τὸ ὕδωρ. ἐὰν μὲν ἐν ἐυορκῇ, ἐπιπολάζει. ἐὰν δὲ μὴ ἐυορκῇ, τὸ μὲν πινάκιον ἀφανίζεται, αὐτὸς δὲ πίμπραται. PITH.

In summo humore consistere] Id est, in summitate aquæ supernatare. ERHARD.

Ex-

ctore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura praedixit. Imo, ne quod vestigium sceleris supereſſet, totum anserem laceratum verubus confixit, epulasque etiam lautas, paullo ante, ut ipsa dicebat, perituro paravit. Volabant inter haec potiones meracae. *

CXXXVIII. Profert Enothea scorteum fascinum, quod, ut oleo & minuto pipere atque urticae trito circumdedit semine, paullatim coepit inserere ano meo. Hoc crudelissima anus spargit subinde humore femina mea. * Nasturcii succum cum abrotono miscet, perfusisque inguinibus meis, viridis urticae fascem compehendit, omniaque infra umbilicum coepit lenta manu caedere. *Urticis ustum, fuga subductum, exaestuans consectatur.* * *

Aniculae, quamvis solutae mero ac libidine essent, eamdem viam tentant, & per aliquos vicos secutae fugientem, Prehende furem, clamant. Evasi tamen, omnibus digitis inter praecipitem decursum cruentatis. * *

[a] Chry-

Extraxit] Alii, *extrabit*. PATISSON. Notissimum, ex jecoris forma divinasse. Juven. Sat. 5. Plin. lib. 10. cap. 22. Apul. Mil. 2. Cic. 1. de divinat. WOUWER. Ritus vetus & sacer in extis extrahendis victimarum. Lucianus de Sacrific. καὶ ὥσπερ ὁ Κάλχας ἐκεῖνος, ἀνατέμνων, καὶ τὰ ἴγνατα ἐξαίρων, καὶ καρδιουλκῶν, καὶ τὸ τῷ βωμῷ περιχέων. Colvius in Apul. lib. 1. Metamorph. pag. 14. ERHARD. Ὑπατοσκοπίαν id Graeci nominarunt: de qua Peucerus in Commentar. de praecipuis divination. gener. pag. 187. & seq. WEITZ.

Fortissimum jecur] Nob. N. Heinsius me docuit legendum esse, *fartissimum jecur*, quomodo apud Ciceronem & alios. BOSCH. De Anserino jecore, magnis Romanorum helluonum deliciis, res est notissima, etiam de eodem in maximam mensuram jusso excrescere, unde *magno jecur anseri majus*. Hic vero quid vult sibi *fortissimum jecur*? scribe, ne quid te morer, *fartissimum*. Accius Prometheo apud Ciceronem, lib. 11. Tusc. cap. 10.

Tum, jecore opimo farta & satiata affatim,
Clangorem fundit vastum, & sublime advolans,
Pinnata cauda nostrum adulat sanguinem.

ubi de Aquila Prometheo apposita, ejusque viscera carpente agit. Possis & illic. *jecore opima farto*. HEINS. Conjicit Ampl. Cuperus *sordidissimum*. Nisi *fortissimum* pro sano capiamus, ut passim *aegra viscera* in hac materia dicuntur. Manus viri docti in codice, quem à doctissimo Hesselio habui, explicat *maximum*, quia fartilibus in magnam amplitudinem excrescit, teste Plin. x. cap. 22. v. Mart. lib. XIII. 58. & Juven. Sat. v. 114. VI.

Volabant inter hac potiones] Macrob. dixit, *variantibus poculis*. Pontanus in Not. libr. 7. cap. 1. ERHARD.

Scorteum fascinum] Φαλλόν, Suidas: φαλλοὶ, μόρια δερμάτινα. εἰδωλον σκύτινον. ὕστερον δὲ ἐκ δερμάτων ἐρυθρῶν. WOUWEREN.

Urtica] Vet. *Vetica*. Pith. PATISSON. Ovidius 2. de Arte Am. vers. 415.

Sunt, qui praecipiant herbas satureia nocentes
Sumere, judiciis ista venena meis.
Aut piper urtica mordacis semine miscent,
Tritaque in annoso flava pyrethra mero. PITH.

Juven. Sat. 11.

Irritamentum Veneris languentis, & acres
Divitis urticae. ——

hinc Sat. 2.

Hac tetigit Gradive tuos urtica nepotes.

id est, haec prurigo. WOUWEREN. Isidor. Etymolog. lib. 17 cap. 9. *Urtica vocata, quod tactus ejus corpus adurat. Est enim ignea omnino natura, & tactu perurit: unde & prurigmem facit.* Haec κνίδωσις apud Graecos pro prurigine. ERHARD.

Hoc] Legendum puto, *ad hoc*, vel *hinc*.

Cum Abrotano] Plinius. PITH.

Infra umbilicum] Martialis lib. VI. Epig. 37.

Et prurit tamen usque ad umbilicum. PITH.

Soluta mero] Vide ad cap. 79.

Prehende furem, clamant] Leucipp. lib. 7. εἰ δὲ φυλάσσοντες ἰδιωκον νομίζοντες ἀποδιδράσκειν, καὶ ἐφῶον τοὺς ἐντυγχάνοντι λαβέσθαι. PITH. Formula eorum clamantium, qui furem insequebantur. Brisson. Formul. lib. 8. ERHARD. Supra cap. 14. *magnaque vociferatione, latrones tenere, clamavit*. BOSCH. Vide supra cap. XIV.

Evasi tamen] *Tamen* est tandem. Gruter. Suspic. libr. 5. cap. 10. Barthius in Ceir. Virg. n. 335. ERHARD.

For-

[a] Chrysis, quae priorem fortunam tuam oderat, hanc vel cum periculo capitis persequi destinat. * *

[b] Quid huic formae aut Ariadne habuit, aut Leda, simile? quid contra hanc Helene, quid Venus posset? Ipse Paris, Dearum lividinantium judex, si hanc in comparatione vidisset tam petulantibus oculis, & Helenen huic donasset, & Deas. Saltem, si permitteretur oscŭlum capere, si illud coeleste ac divinum pectus amplecti, forsitan rediret hoc corpus ad vires, & resipiscerent partes veneficio, credo, sopitae. Nec me contumeliae lassant. Quod verberatus sum, nescio, quod ejectus sum, lusum puto; modo redire in gratiam liceat. * *

CXXXIX. Torum frequenti tractatione vexavi, amoris mei quasi quamdam imaginem. * * *Sic pervicax.*

[a] CHRYSIS. *aut de* CHR. [b] POLYÆNOS.

Non

Fortunam tuam] Vir doctus in codicis Hesselii ora conjecerat *fortunam tum.*

Quid huic formae habuit aut Ariadne aut Leda simile?] Similis huic locus alibi apud Nicetam Choniatem, qui jam non succurrit. DOUZA F.

Dearum libidinantium] Lege, *lividinantium*, ut sit, dearum æmularum & livore laborantium. Gruter. Suspicion. lib. 1. cap. 12. ERHARD. *Libidinantium*, tres codices, unde Douza pater *litigantium* ad oram Tornæs. edit. doctissimus Thom Munkerus emendat, *vitilitigantium*; quod cum indicassem Ill. Heinsio, respondit, se & hoc dudum suis in adversariis annotasse. BOSCH. Vide Barth. ad Stat. 2. Achill. vers. 337.

Judex] Quod judicium ubi habitum, observavit de Urbib. Stephanus; ἐγὶ δὲ τόπος ἐν τῇ Ἰδῃ Τρωικῇ Ἀλεξανδρείᾳ λεγόμενος, ἐν ᾧ φασὶ τὸν Πάριν διακρίναι τὰς θεάς. Pontanus Not. in Macrob. lib. 5. cap. 16. ERHARD. Hoc titulo passim Paris à Poëtis ornatur. Horat. lib. III. od. 3.

Fatalis incestusque judex.

Senec. Agam. 730.

——— *Fatalis sedet*
Inter potentes arbiter Pastor Deos.

Et Troad. 65.

——— *Jamdudum sonet*
Fatalis Ide, judicis diri domus.

Tam petulantibus oculis] Alibi, *Oculorum quoque mollis petulantia.* Rutilius Lupus ex Lycurgo: *Cujus omnes corporis partes ad nequitiam sunt appositissimae: oculi ad petulantem lasciviam.* PITH.

Helenen donasset] Id est, præteriisset, & Helenen, & deas, noluisset agnoscere. Ovid. lib. III. Art. Am. vers. 85.

Ut Veneri, quem luget adhuc, donetur Adonis.

Id est, quamvis nos nescire simulemus amores Veneris & Adonidis. Supra cap. 127. nec dissimiliter Horat. III. od. 3 vers. 33. videndus omnino Heinsius ad Ovidii locum, & Gronovius III. Observ. cap. 23. hæc adscripserat codici suo Broukhusius. Unde appareret, quam temere conjecerit Barthius dicto loco corrigendum, *& Helenen hinc damnasset & Deos*, sed ipse retractat merito.

Resipiscerent] Manus viri docti in ora codicis Almeloveniani conjecerat *reviviscerent.*

Nec me contumeliae lassant] Epigramm.

Ὑβρις ἐρᾶτας ἔλυσε· μάτην ὁ δὲ μῦθος ἀλᾶται.
Ὕβρις ἐμὴν ἐρέθει μᾶλλον ἐρωμανίην. PITH.

Propert. lib. II. eleg. 19.

Ultro contemtus rogat, & peccasse fatetur
Lasus, & invitis ipse redit pedibus.

Idem ibid.

Nil ego non patiar, numquam me injuria mutat.

Dousa F. ad Tibull. ERHARD.

Quod verberatus sum, nescio] Ovid. 2. de arte amandi vers. 533.

Nec maledicta puta, nec verbera ferre puellae
Turpe. ——— WOUWEREN.

Modo redire in gratiam liceat] Vix dubito, quin & hic interponendi sint illi versus è Fragmentis:

Candida sidereis ardescunt lumina flammis.

Nam omnino idem eos dicere cum eo, quod Petronius hic vult, manifestum est. DOUZA F.

Torum frequenti tractatione vexavi] Ausonius Epigr. CVIII.

Defectos sic fama viros, ubi cassa libido
Fœmineos cœtus & non sua bella lacessit,
Irrita vexato consumere gaudia lecto. PITH.

Martial. lib. XI. ep. 30. WOUWEREN. Lege, *jactatione.* Jungermann. Vulgatam probant illa, quæ supra leguntur cap. CXXXI. *Premebat illa resoluta marmoreis cervicibus aureum thorum.* Et iterum cap. LXXIX. *Ut experrectus pertrectavi gaudio dispoliatum thorum.* ERHARD. Vide supra ad cap. LXXXVI.

Sic pervicax] Desunt in editionibus priscis: Gonsalius posuit, quasi ad carmen sequens pertineret, *sic*

Non ſolum me Numen & implacabile fatum
Perſequitur; prius Inachia Tirinthius ira
Exagitatus onus coeli tulit: ante profanus
Junonem Pelias ſenſit: Tulit inſcius arma
Laomedon; Gemini ſatiavit numinis iram
Telephus: Et regnum Neptuni pavit Ulixes.
Me quoque per terras, per cani Nereos aequor,
Helleſpontiaci ſequitur gravis ira Priapi. * * *

Quaerere à Gitone meo coepi, num aliquis me quaeſiſſet. [a] Nemo, inquit, hodie: ſed heſterno die mulier quaedam haud inculta januam intravit: quumque diu mecum eſſet locuta, & me arceſſito ſermone laſſaſſet, ultimo coepit dicere, te noxam meruiſſe, daturumque ſerviles poenas, ſi laeſus in querela perſeveraſſet. * *

[b] Nondum querelam finieram, quum Chryſis intervenit, amplexuque effuſiſſimo me invaſit, &, [c] Teneo te, inquit, qualem ſperaveram: tu deſiderium

[a] GITON [b] POLYÆNOS. [c] CHRYSIS.

pervicax numen & fatum perſequitur me, &c.

Tirinthius] Alii, *Tirnejus*. vet. *Titinejus*. alii, *Tirincius*. PATISSON. Alii, *Tirincius*. forſan, *Tirinthius ira*. TORNÆS. Val. Flaccus lib. I.

Protinus Inachiis ultro Tirinthius Argis, &c. ERHARD.

Ira] Alii, *ora*. PATISSON.

Profanam] Alii, *profanus*. TORNÆS. Apud Scalig. in Catalect. legitur *prophanus*. ERHARD. Prætuli *profanus*, qua ratione enim Juno *profana* dici poſſit, non video. *Senſit* vero eleganter, pro expertus eſt inimicam & gravem. Val. Flacc. lib. IV. verſ. 745.

Nos quoque, nos Amycum, tanto procul orbe remotum,
Senſimus.

lib. V. verſ. 504.

—— *Deumque*
Nos genus atque ratem magnæ ſenſere Minervæ.

lib. VI. verſ. 502.

—— *Meque illo magiſtrum*
Sentiet.

Senec. Agamem. 825.

Te ſenſit Nemeæus arcto
Preſſus lacerto fulmineus Leo,
Cervaque Parrhaſis:
Senſit Arcadii populator arvi.

Florus lib. III. cap. 2. *prima trans Alpes arma noſtra ſenſere Salyi*. BURM.

Gemini] Non puto, Minervam *geminum numen* recte poſſe dici, quia artibus & bellis præeſt. Sed Bacchum & Minervam innui crediderim. Cauſſam iræ Minervæ reddidit Gonſalius. Bacchum Telepho inimicum, & auctorem, cur ab Achille fuerit vulneratus, tradit Tzetz. ad Lycophr. Caſſand. verſ. 206. BURM.

Satiavit numinis iram] Alii, *iras*. Silius libr. XI. verſ. 604.

—— *Neque enim ſatiaverat iras*
Dicendo. ——

Boëthius lib. 4. de Conſolat. metr. 7. *ſatiavit iras*. ubi Sitzmannus in Not. numer. 192. ERHARD.

Cavit] Vet. *pavit*. Pith. PATISSON.

Helleſpontiaci] Sidonius Apollin. Carm. XXIII.

Et te, Maſſilienſium per hortos
Sacri ſtipitis, Arbiter, colonum,
Helleſpontiaco parem Priapo. PITH.

Ita Priapus vocatur etiam Arnobio lib. 5. & Claudiano libro I. in Eutrop. De tractu Helleſponti præter ceteros Balſamo Sextæ Synodi can. 39. Savaro Not. in Sidon. Carm. 23. verſ. 156. Vide Schopp. Collectan. in Priapeia. ERHARD.

Me quaſiſſet] Terent. Phorm. Act. I. ſc. 2. *Si quis me quaret Rufus*.

Intravit januam] Phædr. lib. III. fab. 10.

—— *Deinde noctu ſubito januam*
Intravit.

ubi Schefferus Ellipſim eſſe dicit, pro, per januam ædes intravit.

Arceſſito] Vide ad cap. 38.

Noxam] Vide ad cap. 96.

Serviles pœnas] Plagas & verbera, Bongarſ. ad Juſtin. lib. I. ERHARD.

Perſeveraſſet] *Perſeveraſſes* manus viri docti in codice Almelovenii.

Invaſit] Ovid. lib. XI. Metam. verſ. 260.

Vix bene virgineos Peleus invaſerat artus.

vide ſupra ad cap. LXXIV.

Teneo te, inquit, qualem ſperaveram] Apul. Met. 10.

siderium meum, tu voluptas mea, numquam finies hunc ignem, nisi sanguine exstinxeris. * * *

[a] Unus ex novitiis servulis subito adcucurrit, &, mihi dominum iratissimum esse, adfirmavit, quod biduo jam officio defuissem; recte ergo me facturum, si excusationem aliquam idoneam praeparassem. Vix enim posse fieri, ut rabies irascentis sine verbere considat. *

CXL. Matrona inter primas honesta, Philumene nomine, quae multas saepe hereditates officio aetatis extorserat, tum anus & floris exstincti, filium filiamque ingerebat orbis senibus, & per hanc successionem artem suam

[a] POLYÆNOS.

10. *Teneo te, inquit, teneo meum palumbulum, meum passerem.* DOUZA F. Totidem prope verbis Heliod. προσερομένα τι τῷ Θεαγένει, τῆ ἀγχόθεν ἐχρητῆτο, καὶ ἐμὴν, ἔχω σε, Θεάγενες. Apul. Mil. lib. 8. *Charitem non tenebis, non frueris nuptiis.* lib. 2. *Nequeunti tenere Fotidem.* WOUWEREN. Διαπόρησις poëtica in rebus optatissimis. Ach. Statius ad Catull. de nuptiis Pel. & Ther. Apul. Metamorph. libro 5. *Teneo te, meum lumen.* Colvius in Not. ad libr. 10. Apul. Cæsar apud Sueton. cap. 59. *Teneo te, inquit, Africa.* In Priap.

Prendam te tamen, & tenebo prensam.

Q. Catullus de Theotimo amasio suo;

Ibimu' quaesitum, verum ne ipsi teneamur,
Formido, quid ago? da Venu' consilium. ERH. Formula est, qua utebantur, cum sibi nec opinantibus aliquis occurreret. Terentius Heaut. Actor. 11. sc. 3.

A. *O mi expectate Clinia, Salve. CL. ut vales?*
A. *Salvum advenisse gaudeo. CL. teneo ne te,*
Antiphila, maxime animo exoptata meo? BOSCH. Quintil. Decl. XVIII. *Teneo unicum meum, velit, nolit invidia.* Senec. Herc. fur. vers. 623.

O Gnate certa & sera Thebarum salus,
Teneone in auras editum.

Ovid. lib. VII. Met. vers. 143.

——— *Gratantur Achivi,*
Victoremque tenent, avidisque amplexibus haerent.

Tu desiderium, tu voluptas] D. Hieron. ad Nepotianum: *Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delitias & lepores & risu dignas urbanitates, & caeteras ineptias amatorum, in comoediis erubescimus, in seculi hominibus detestamur.* WOUWEREN. Alii, *desiderium meum. Desiderium* verbum est interdum amatorium, quo voluptas & delitiæ & amores significantur. Apud Horat. quoque ex amoris erga Mæcenatem abundantia scriptum esse arbitror lib. 1. od. 1.

O desiderium & dulce decus meum.

Et lib. 1. od. 14.

Nuper sollicitum quae mihi taedium,
Nunc desiderium curaque non levis.

Et, *desiderii poculum*, est poculum amatorium, ut Epod. od. 17.

Desideriique temperare poculum.

Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 7. Vide Jureti Miscellan. ad Symmach. lib. 9. ep. 28. & Rob. Constantini Supplement. Ling. Lat. ERHARD.

Numquam finies hunc ignem] Non absimiliter Leucippe lib. 5. ἀρκεῖ μοι καὶ μία συμπλοκὴ, μικρᾶ δίομαι φαρμάκῳ πρὸς τηλικαύτην νόσον. σῶσόν μοι ὀλίγον τὸ πυρός. Eustath. ἀλλ' ὕδωρ ἀιδοῦς ἔρωτος πῦρ ἐ κατέκλυσεν. Zenod. ὀίομένος πάυσειν τοῦτο τὸ πῦρ ὕδατι. PITH.

Nisi sanguine strinxeris] Id est, me occideris. Pflugius. Voce *sanguinis* in obscœnis usus est & Seneca Pater lib. 7. Controvers. 5. *Quod amica suae sanguinem misit.* Et postibi; *facit, quod facere solet: pro amatore sanguinis suo non parcit.* Juvenal. Satyr. 1.

Accipiat sane mercedem sanguinis,

nempe ex Medicorum doctrina, non Aristotelis. Nic. Faber Not. ad Senec. Controvers. libr. 7. Contr. 5. An sic capiendum & illud Plauti Bacchid. Act. 3. sc. 1. ubi ait Lydus Pædagogus de meretricibus;

Apage istas à me sorores, quae hominum sorbent sanguinem.

Et Curcul. Act. 1. sc. 2. in fin. de amica;

Quae mihi misero amanti ebibit sanguinem.

ubi videatur Theocriti locus à Taubmanno annotatus. ERHARD.

Si excusationem aliquam praeparassem] Cicer. ad Attic. lib. 12. ep. 26. *Dubito, an excusationem aliquam ad Silium darem.* SCIOPP.

Matrona inter primas honesta] *Honesta* deleo; sic Sallustius & Apoll. *Anonym. MS.* HADRIANID.

Philomela] Alii, *Philumene.* PATISSON. Τὸ *nomine* παρέλκει, ut Lucæ 16. 20. ὀνόματι Λάζαρον. & sexcentis talibus exemplis. Rittershus. ad Plinii Epistol. pag. 245. WEITZ.

Tamen anus] Alii, *tum anus.* TORNÆS. Alii, *tamen*, alii *tandem.* PATISSON.

Floris exstincti] Apul. Apol. *Nova nupta flore exoleto.* Philo Jud. ἀπομαραθείσης ὥσπερ τινὸς ἀνθρώπου τῆς ἡμῶν. WOUWEREN.

Filium filiamque ingerebat orbis senibus] Ammianus

ſuam perſeverabat extendere. Ea ergo ad Eumolpum venit, & commendare liberos ſuos; ejus prudentiæ, bonitatique credere ſe & vota ſua; illum eſſe ſolum in toto orbe terrarum, qui praeceptis etiam ſalubribus inſtruere juvenes quotidie poſſet. Ad ſummam, relinquere ſe pueros in domo Eumolpi, ut illum loquentem audirent, quae ſola poſſet hereditas juvenibus dari.

libro 14. cap. 6. de Romanorum degeneri ſtatu; *Nunc inanes ſtatus quorundam, vile eſſe, quicquid extra Urbis pomeria naſcitur, æſtimant, præter orbos & cælibes: nec credi poteſt, qua obſequiorum diverſitate coluntur homines ſine liberis Romæ, ut his, qui patres ſunt, tamquam in capita medicorum, acerbius cœlibes dominentur* Tacitus Annal. lib. 13. cap. 42. *Romæ teſtamenta & orbos velut indagine ejus capi.* Cicero in Paradox. *Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſervat? loquitur ad voluntatem, quicquid denuntiatum ſit, facit, aſſentatur, aſſidet, miratur.* Pichena Not. in Tacit. de Moribus Germanor. num. 44. Ramirez Hypomnem ad Martial. lib. 2. epigr. 32. numer. 1. & libro 4. epigr. 56. Lindenbrog. Obſervation. in Ammianum lib. 14. & 28. d. l. Quibus hæc adde. Ammianus lib. 28. cap. 4. *Subſident alsiqui curioſos homines, ſenes, aut juvenes, orbos vel cœlibes, ad voluntates condendas allicientes eos technis miris: qui cum ſupremis judiciis ordinatis, quæ habebant, reliquerint his, quibus morem gerendo teſtati ſunt, illico pereunt.* Tertullianus de Patientia; *Quæ aucupandis orbitatibus omnem coacti obſequii laborem mentitis adfectionibus tolerat.* Auguſtinus de Hæreſib. cap. 87. de Abeloniis hæreticis; *Non miſcebantur uxoribus & iis tamen ſine uxoribus vivere ſecta ipſius dogmate non licebat,* &c. *Nec umquam eis defecit, unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, & filios ſuos inopes ad ſpem hæreditatis alienæ dantibus libenter.* ERHARD. Similem hiſtoriam Oenanthes, quæ Agathocle & Agothocliæ illecebris Ptolemæum devinctum tenebat, Juſtinus libr. xxx. cap. 2. narrat.

Ingerebat orbis ſenibus] Curavi, ut hæc legerentur διαλύτως, *orbis, ſenibus.* Inter tres eorum notas, quos hæredipetæ captabant, hæ duæ. Tres erant, *locuples, orbus, ſenex,* ut patet apud Ciceronem Paradox. penult. Scimus in Horatio hæc junctim legi, ſed nec male, ſi disjunctim. BOURDELOT.

Venit] Stewech. ad Arnob. lib. 5. pag. 124. legit, *venire.*

Commendare liberos ſuos ejus prudentiæ] Filium & filiam. Solebant veteres, non mulieribus, ſed viris præceptoribus, filias ſuas erudiendas inſtituendaſque tradere una cum filiis. Docet Julianus in l. 4. D. ubi pupill. educ. & Vetus Inſcript. apud Gruter. DCCLIII. 2. *Pudens M. Lepidi libertus, grammaticus;*

Procurator eram Lepidæ, moreſque regebam,
Cum vixi, manſit Cæſaris illa nurus.

Rævardus Conjectan. lib. 2. cap. 19. Quod vetuſtatis exemplum ſecutus Carolus M. qui filias ſuas, æque ac filios præceptoribus dedit informandas, ut memoriæ prodiderunt Einhardus ejus Cancellarius, & Alcuinus præceptor epiſt. ad Eulaliam Caroli ipſius filiam. Sic Heduiga quoque Sueviæ Duciſſa præceptore uſus eſt primum Conſtantinopolitano quodam magiſtro in Græcis diſciplinis, dein Ekkehardo Palatino S. Galli monacho in Latinis, quemadmodum ſcribit Ekkehardus Junior Sanctgallenſis in Caſibus Monaſterii. ERHARD. Optimus Memmii codex non agnoſcit *ſuos*, quod jam monuit Douza P. BOSCH. Egregie hæc illuſtravit ſummus Gronovius lib. III. Obſerv. cap. 23. Ampl. Cuperus adſcripſerat Claudiani locum ex lib. 1. de rapt. Proſ.

Tibi gaudia noſtri
Sanguinis & caros uteri commendo labores.

diſtinge vero cum Gronovio *commendare liberos ſuos; ejus prudentiæ bonitatique credere ſe & vota ſua.* Sed præterea exciderat poſt τὸ ſe, *ſpes. credere ſe ſpes & vota ſua.* Sic enim liberos appellabant parentes. ſupra cap. IV. *Spes ſuas ambitioni donant.* Valer. Max. libr. V. cap. 4. *Venite igitur in manus noſtras proſpera parentum vota, felicibus auſpiciis prognatæ ſoboles, quæ efficietis, ut & genuiſſe juvet, & generare liberos.* Poteſt & legi, *credere ſpes & vota ſua.* HEINS.

Vota ſua] Quibus filios ſibi ſuperſtites, & eorum manibus ſepeliri optabant. Quintil. Decl. *Ille eſt filius noſter, cujus ſpes ipſas amavimus. Quem apud omnia templa & ſurdos Deos ſuperſtitem precati ſumus, à quo ſepeliri optavimus.* Et, ſi filiis ſuperſtites parentes optabant, *contraria vota* dicebantur. Quint. Decl. 1. *inter infelices alius eſt ordo votorum; cæcus filius optavit ſuperſtitem patrem:* cui gemina plane eſt inſcriptio apud Gruter. pag. DCLXIX.

CVI. VOTA.

ERANT. VT. PARENTIBVS. ISTA. PARARET
SET. MORS. IMMATVRA. FECIT. VT. FACERENT
PARENTES. FILIO. CONTRA. ORDINEM.

ubi detritum eſſe τὸ VOTORVM credo. CUPER.

Relinquere ſe] Τὸ ſe delet ibidem Stewechius.

Quæ ſola poſſet hereditas juvenibus dari] Cic. Officior. 1. cap. 33. *Optima hereditas à patribus traditur liberis, omnique patrimonio præſtantior gloria virtutis rerumque geſtarum, cui dedecori eſſe nefas & vitium judicandum eſt.* ERHARD. Qualis hereditas liberis ſit relinquenda, id vero docet Baſilius Magnus Hom. ἐν Λακίζοις. pag. 214. παιδὸς ἐστι; θησαυρίζε αὐτοῖς θησαυρὸν ἀίδιον. θησαυρὸς δὲ ἐστιν, ἡ ἐυσέβεια χρημάτων κατάλειψις.

dari. Nec aliter fecit, ac dixerat; filiamque specioſiſſimam cum fratre ephebo in cubiculo reliquit, ſimulavitque ſe in templum ire ad vota nuncupanda. Eumolpus, qui tam frugi erat, ut illi etiam ego puer viderer, non diſtulit puellam invitare ad Pygiciaca ſacra. Sed & podagricum ſe eſſe, lumborumque ſolutorum, omnibus dixerat, &, ſi non ſervaſſet integram ſimulationem, periclitabatur totam pene tragoediam evertere. Itaque, ut conſtaret mendacio fides, puellam quidem exoravit, ut ſederet ſupra commendatam bonitatem, Coraci autem imperavit, ut lectum, in quo ipſe jacebat, ſubiret, poſitiſque in pavimento manibus, dominum lumbis ſuis commoveret. Ille lento parebat imperio, puellaeque artificium pari motu remunerabat. Quum ergo res ad effectum ſpectaret, clara Eumolpus voce exhortabatur Coraca, ut ſpiſſaret officium. Sic, inter mercenarium

λιπὶ παισὶν ἀγαθὴν μνήμην, ἢ πλεῖστον πολύν. Et paullo inferius: παῖδας ἐζήτεις, συνεργὸς τῷ βίῳ. ἕλαβεις συνεργὸς, κοινωνὸς, διδασκε καὶ λόγοις ἀγαθοῖς ὑποδείγμασι χρησοῖς. ὁποῖον προσῆκεν εἶναι τὰ πρὸς τὸν θεὸν, ὁποίους πολλάκις εἶδες. ἀπ' γάρ ἐστι ὁ πλεῖστος, πολλῶν χρημάτων τιμιώτερος. αὕτη ἡ κληρονομία ἀγαθὴ, παρὰ πατρὸς εἰς παῖδας παραπεμπομένη. Theognis verſ. 1157.

Οὐδένα θησαυρὸν μεταθήσειν παισὶν ἄμεινον
Πλὴν σοφίης. WEITZ.

Ad Pygiciaca ſacra] Alii, *ad pygiaca ſacra*. TORNÆS. Non admodum diſſimiliter Leucippe libr. 5. Μυθῶμεν ὦν, ὦ φίλτατε, τὰ σὰ τῆς Ἀφροδίτης μυστήρια. PITH. Πυγιακά. WOUWEREN. Lege, *pygiaca ſacra*, id eſt, coïtum, quod *pygarum*, ſive clunium, uſus in Venere ſit permagnus. Schopp. in Priapej. carm. 18. An legendum, *pygiſiaca*, à πυγίζειν? quod tamen proprie eſt cum averſo coïre. ERHARD. *Pygeſiaca* ſcribi volumus. BOURDELOT. Laurenbergius: *Pygiciaca ſacra* coïtum vocat. Motus exigebant in re venerea & agitationem, ut illæ merito damnarentur, quæ immobiles jacebant. Habet enim neſcio quid mobilitas illa incentivum, efficitque viris Venerem concinniorem, teſte Lucret. libr. IV. circa fin. Coïtus, qui, ut hic, à fœmina ſuperſtante peragitur, ab Apul. dicitur, *pendula Venus*, lib. 11. Met. *Hæc dicens, inſcenſo grabatulo, ſuper me ſenſim reſidens, ac crebra ſubſiliens, labriciſque geſtibus mobilem ſpinam quatiens, pendula Veneris fructu me ſatiavit, uſque dum laſſis animis & marcidis artubus defatigati ſimul ambo corruimus.* HADRIANID. Valeſium maluiſſe legere, *Iſiaca*, docent Valeſiana pag. 179.

Lumborumque ſolutorum] *Lumbi* enim valentes & vegeti ad Venerem requiruntur. Schopp. Comment. in Priap. carm. 18. & Veriſimil. lib. 3. cap. 16. ERHARD. Catull. epigr. 18.

Qui duros nequeunt movere lumbos. BOSCH.

Id eſt, ſe Venere eſſe enervatum, vel operi Venereo inhabilem, quia vis ea in lumbis conſiſtit. *Duros lumbos* ejuſmodi hominibus tribuit Catullus Epigr. 16, quibus opponit Martialis lib. v. Ep. 79. *laſcivos lumbos*, & auctor Priap. carm. 18. *fluctuantes lumbos*. adde Arnob. lib. III. pag. 105. & IV. pag. 140. & Meibom. de uſu Flagror. &c. CUPERUS.

Periclitabatur evertere] Græciſmus, ἐκινδύνευε παρατρέπειν, id eſt, parum aberat, quin evertiſſet. RITTERSH. Ælian. I. Var. cap. 8. καὶ κινδύνευσεν ἀπόλεσθαι διαταχίαν.

Pene] Nomen opinor, *Anonym. MSS.* HADRIANID.

Ut ſederet ſupra commendatam bonitatem] Lego, *commodatam bonitatem*. Quod explicandum ex his duobus locis, *vendiſque amplexus, non commodas*: quod ſupra dixerat cap. CXXVI. Item cap. CXXXIV. *Nam neque puero neque puellæ bona ſua vendere poteſt.* DOUZA F.

Lento parebat imperio] *Lento* adverbialiter pro *lente*. ERHARD. Omnino legi debet, *lente*, nam propterea eum exhortatur Eumolpus ſpiſſare officium. SCIOPP.

Pari motu] Explicationem pete à Donato ad Ter. Eun. Act. III. ſc. I. verſ. 34. Ampliſſ. Cuperus mallet, *puellaque artificium pari motu remunerabat.*

Officium] Ovidius lib. III. Art. Amat. Eleg. VII. verſ. 25.

At nuper bis flava Chlide, ter candida Pitho,
Ter Libas officio continuata meo eſt.

Propertius lib. II. El. XVIII. verſ. 23.

——— *Experta puella*
Officium tota nocte valere meum. PITH.

Venerium. ſupra hoc capite. *Quæ multas ſæpe hereditates officio ætatis extorſerat.* Theodor. Priſcianus libr. 2. cap. II. loquens de iis, quæ membra frigentia ad Venerem inflant & erigunt, *quæ per potiones accepta virile ſemper officium reparant.* ERHARD.

narium amicamque positus senex, veluti oscillatione ludebat. Hoc semel iterumque ingenti risu, etiam suo, Eumolpus fecerat. Itaque ego quoque, ne desidia consuetudinem perderem, dum frater sororis suae automata per clostellum miratur, accessi tentaturus, an pateretur injuriam. Nec se rejiciebat à blanditiis doctissimus puer, sed me numen inimicum ibi quoque invenit. * *

Dii majores sunt, qui me restituerunt in integrum. Mercurius enim, qui animas

Mercenarius] Tonsor conductus. GLOSS.

Oscillatione] Sext. Pompejus. BONGARS. Fest. *Oscillum Santra ait dici, quod oscillent, id est, inclinent, praecipiteque in os ferantur. Oscillantes, ait Cornificius, ab eo, quod os celare sint soliti personis, propter verecundiam, qui eo genere lusus utebantur.* Servius. PITH. Serv. ad Virg. Georg. 2. Erat autem lusus, quo impositi transverso tigno, de arbore suspenso, alternis se mutuo submittebant. hinc Tertull. de Pall. *oscillum penduli impetus.* Graecis ἀώρα. Hesych. Hyginus Mytholog. cap. 130. WOUWEREN. Videndus Scalig. Castigat. in Festum, & Auson. lection. Pamelius in Tertullian. de Pallio. Balbus Catholico; *Oscillum, quoddam genus ludi, scilicet, cum funis suspenditur de trabe, in quo pueri & puellae sedentes impelluntur huc illuc*, &c. ERHARD.

Ingenti risu] *Nisu* conjecit vir doctus in ora codicis Cl. Hesselii.

Consuetudine perderem] Seneca Cons. ad Helv. cap. 15. *Redisti, non, ut voluptatem ex filio perciperes, sed ne consuetudinem perderes.* SCIOPP.

Automata] Νευροσπάσται. BONGARS. Hesych. ἀυτοματήσαντες, ἀφ' ἑαυτῶν πράξαντες, ἀυτομάτητον σπέρμα ἀνδρός. Senecae Epist. 89. *Pegmata.* PITH. *Automata* sunt confixa, aut confixiles machinae, ut Apul. quae sua sponte moventur. vel, ut Seneca, tabulata per se surgentia. Dioni ἴκρια. Petron. hunc motum puellae automata indigitat, quia, dum eam mercenarius commovendo sublevat, ἀυτομάτως, hoc est, sua sponte & per se videtur surgere. Sane ἀυτόματα, quaecunque sponte & per se facta. ut ἀυτοματήσαντες, ἀφ' ἑαυτῶν πράξαντες. & ἀυτόματον, ἀυτοφυές. Philo Iconum lib 2. ὅτι ἐφύτευσαν, ἀλλὰ ἀυτόματα ἡ γῆ σφίσιν ἀναπέμπει ταῦτα. WOUWEREN. Glossae, ἀυτοματος, *per se, injussus, sponte.* Hesychius; ἀυτοφαρίζειν, ἀυτοματεῖν. Et Eustathio ἀυτόματοι μηχαναὶ dicuntur αἱ καθ' ἀυτὰς ἐνεργῆσαι. Et ἀυτόματῳ πόνῳ in Epigrammat. est non coactus, sed ultro susceptus; quod Hesychio ἀυτοματεῖν, Xenophonti Paed. 4. & Aristoteli libr. 1. de Gen. anim. ἀυτοματίζειν. Budaeus in Comment. ling. Graec. ERHARD.

Per clostellum] Seneca lib. 7. de benefic. cap. 21. *per clostrum, qua se commissura laxaverat.* BONGARS. & PITH. Glossae; κλεῖθρον, *claustrum, clostrum.* Claudian. de Raptu Proserp. lib. 1. vers. 237.

——— *Stant ardua ferro*
Moenia, ferrati postes, immensaque nectit
Clostra chalybs. ———

ita ibi legit veterrimus cod. MS. Bibliothecae Schobingeranae. ERHARD.

Miratur] Vir doctus in eodem codice, *rimatur.*

Tentaturus] Ut in illo Tibull. libr. 1. El. 111. vers. 73.

Illis Junonem tentare Ixionis ausi, &c.
WOUWEREN.

Inimicum] Vir doctus, *mimicum.*

Dii majores] Serv. ad illa Virg. lib. 3. Æn. *Cum socio natoque & magnis diis.* Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 4. Schol. Apollon. Arg. lib. 2. Sect. 25. Sed de his alias. WOUWEREN.

Mercurius, qui animas ducere & reducere solet] Horat. lib. 1. od. 1x. vers. 17. de Mercurio.

Tu pias laetis animas reponis
Sedibus.

Hinc Graecis πομπαῖος. apud Sophocl. Ajax, ubi se interimere gestit: καλῶ δ' ἅμα πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον ἵν μὲ κομίσαι. Artemid. libr. 2. νοσοῦντας δὲ ἀναιρεῖ (Ἑρμῆς) διὰ τὸ ψυχοπομπὸς νενομίσθαι. Luc. Dial. mortuor. Lutacius ad Stat. Theb. 4. Phornutus lib. 4. WOUWEREN. Unde Mercurium vocat Horat. *Orci satellitem*, lib. 2. Od. 18. ut Graeci ψυχοπομπὸν, cui respondet illud Apulejanum, *animarum vector.* idem enim est hic *ducere* & *reducere*, idem *vehere* & *revehere.* Horatii verba sunt lib. 11. Od. xv111. vers. 34.

——— *Nec satelles Orci*
Callidum Promethea
——— *Revexit auro captus.*

Scip. Gentilis Append. Notar. ad Apul. num. 34. Ab hoc officio Mercurius fuit Πομπαῖος dictus. Ajax apud Sophoclem suo se ense transfossurus; καλῶ δ' ἅμα Πομπαῖον Ἑρμῆν χθόνιον, ἵν μὲ κομίσαι. ubi Scholiast. Vocatur etiam ψυχαγωγὸς. Hesychius; ψυχαγωγὸς, ὁ κατάγων τὰς ψυχὰς εἰς ᾅδου. Mercurius apud Homerum, τὰς ψυχὰς κατάγει ἀϊδόσδε. Nec non & νεκροπομπός. Lucianus; δεῖ με καὶ τὸ τε τῷ Πλάτωνι ψυχαγωγεῖν καὶ νεκροπομπὸν εἶναι. Unde apud Homer. Odyss. ω. ψυχὰς μνησήρων κατάγει, & apud Virgil. lib. 1v. Æneid. vers. 242.

——— *Virgam capiens animas vocat Orco*
Pallentes, alias sub tristia tartara mittit.

Et

animas ducere & reducere solet, suis beneficiis reddidit mihi, quod manus irata praeciderat, ut scias, me gratiosiorem esse, quam Protesilaum, aut quemquam alium antiquorum. Haec locutus sustuli tunicam, Eumolpoque me totum approbavi. At ille primo exhorruit: deinde, ut plurimum crederet, utraque manu Deorum beneficia tractat. * *

a Socrates, Deorum hominumque *judicio sapientissimus*, gloriari solebat, quod numquam neque in tabernam conspexerat, nec ullius turbae frequentioris concilio oculos suos crediderat. Adeo nihil est commodius, quam semper cum sapientia loqui. Omnia, inquam, ista vera sunt: nec ulli enim celerius homines incidere debent in malam fortunam, quam qui alienum concupiscunt. Unde plani autem, unde levatores viverent, nisi aut locel-

EUMOLPUS. F.

Et hoc est, quod Arbiter ait, *ducere ac reducere*. ERHARD.

Protesilaum] Vide Broukhus. ad Propert. libr. 1, eleg. 19.

Sustuli tunicam] Hyginus fab. CLXXXIX. *Procris tunicam levavit, & ostendit, se foeminam esse*, ubi vide quae notat doctissimus Munkerus.

Totum] Vide supra ad cap. 131.

At ille primo exhorruit] Claudianus Epithal. Pall. vers. 136.

——— *Vinci patiare rogamus,*
Sic uxor, sic mater eris: quid lumina tingis?
Virgo, crede mihi, quem nunc horresci, amabis.
PITH.

Utraque manu] Martialis lib. 1. Epigr. 16.

Hac utraque manu complexaque adsere toto. PITH.

Socrates deorum hominumque * *gloriare solebat*] MSS. qui sequuti oraculum, lacunam explent, *Socrates deorum hominumque* judicio sapientissimus *gloriari solebat*. BOURDELOT. Sic ingeniose lacunam supplevit amplissimus Janus Rutgersius lib. 6. Var. Lect. cap. 8. Ita locuti sunt Vitruvius lib. III, in initio Praefationis, Apulejus lib. de Deo Socratis pag. 51, Valerius Maximus lib. III. cap. 4. Ext. 1, secundum Pythiae illud:

Ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. BOSCH.

Ita supplevit Rutgersius lib. VI. Var. cap. 8. & adprobat Ampl. Cuperus adscripto loco Ciceronis de Divin. cap. 20. *Accusavi eum, cui quaestor fueram, qui cum me sors consuetudoque majorum, qui cum me Deorum hominumque judicium conjunxerat.* Per Deos intelligit Apollinem. Themist. Orat. XIV. pag. 318. Ælianus libr. II. Var. 13. Lactant. de ira cap. 1. Arn. lib. II. pag. 57. Valerius Maximus libr. VII. cap. 2. Ext. 1. *Socrates humanae sapientiae quasi quoddam terrestre oraculum.* Eunapius in vita Ædesii vocat περιπατὸν ἄγαλμα τῆς σοφίας. Quae loca adscripserat Ampl. Cuperus, vide & Cicer. de Amicitia cap. 2. & 4. & Senect. cap. 21.

Cum sapientia loqui] Id est, philosophari. ERHARD.

Incidere in malam fortunam] Βαθὺν εἰς ὀχετὸν ἄτας ἐλθεῖν. Pindar. Olymp. 10. WEITZ. Vide ad cap. 107.

Plani] Πλάνοι, circulatores, impostores, homines vagabundi, fallaces, ἀπατηλοὶ, insigni versutia praediti, quales fuerunt Cephisodorus & Pantaleo, & Matras apud Alexandriam, de quibus Athenæus libro 14. Cicero pro Cluentio cap. 26. *Hic ille planus improbissimus, quaestu judiciario pastus.* Tales hodie apud nos in hac urbe frequentes circumforanei medici, *Zahnbrecher, Schreyer, ciarletani*, etiam ludiones, *Hanckler, cocuones*, & denique *plano scholiastici, Fahrende Schuler.* sed primas in hoc quaestu tenent *Cingari, Zigeuner. Plani* autem, qui D. Cypriano *implanatores.* Balbus Catholico; *Implanare, decipere, vel in errorem ducere.* Sirach. cap. 15. *Non dicas; Ille* (scilicet Deus) *me implanavit, non enim necessarii sunt ei homines impii.* Et cap. 34. *Qui implanatus est, abundat nequitia.* ERHARD. Supra ad cap. 82.

Levatores] Sic vet. non *leccatores*, quos antiq. Gloss. *gulosos & lenones* interpretantur. Pith. alii, *lenatores*, habent. PATISSON. Nullibi istud vocabuli legere memini, nec quod vetus Glossarium habet. *Silatarus*, πλάνος. PITH. Vetus Poëta:

Graculus assueta lenandi callidus arte. DOUZA F.

Levare est rapere, abducere. Sidon. lib. 7. ep. 2. *Levat divitem conjugem pauper adamatus.* item abigere, Gregorius Turonens. Histor. libro 6. cap. 45. *levantes pecora.* item furari. Idem lib. 7. cap. 4. *Thesaurarii levaverunt aureum missorium.* In Legib. Gothor. lib. 8. t. 5. *Si porci ad pastum in glande suscepti ante decimas datas furto leventur.* Possit etiam legi *lavatores*, id est, fures. Acro in Horat. ep. 17. lib. 1. *Laverna dicta à lavando. nam fures lavatores dicuntur.* Savaro ad Sidon. In vet. Glossar. *Levare, planare:* &, *levatores, planatores*, exponuntur. ERHARD. *Levatores* recte, & sic legendum docuit Savaro. BOURDELOT. Sed & *levo* in bonam partem, Virg. 2. Æneid.

——— *At-*

locellos, aut ſonantes aere ſacellos, pro hamis in turbam mitterent? Sicut muta animalia cibo ineſcantur, ſic homines non caperentur ſpe, niſi aliquid morderent. * * *

CXLI. [a] Ex Africa navis, ut promiſeras, cum pecunia tua & familia tua non venit. Captatores jam exhauſti liberalitatem imminuerunt. Itaque aut fallor, aut fortuna communis coepit redire ad poenitiam ſuam. * * [b] Omnes, qui in teſtamento meo legata habent, praeter libertos meos, hac

a POLYÆNOS. b EUMOLPUS.

——— *Atque arcta levari*
Vincla jubet Priamus. ———

Quid? ſi *levatores* à *levis* prima longa, pro glabro, unde *levigo*, quod tamen Apulejus uſurpavit pro *levo*, 4. Metam. *ſarcina levigatos*, id eſt, exoneratos. HADRIANID. Vide Pontan. ad Macrob. lib. 6. Saturn. cap. 1.

Sacellos] *Saccellos* conjicit vir doctus in ora codicis Heſſeliani, ut diminutivum ſit à *ſaccus*.

Sicut muta animalia] Xenoph. Κυρ. παιδ. τοῦτό γε τοιοῦτόν ἐστιν, οἷόν περ ἐπὶ τὰς κύνας ἐν θήρᾳ ἀνακαλοῦσι ἀεὶ τῇ κλήσει. PITH. *Muta*, ἄλογα, irrationalia. vide Goldaſti Notas ad Valerianum edition. Roverianæ. ERHARD.

Non caperentur ſpe] Supra cap. 111. *ſpe prædæ moratur in ſcopulo.* Seneca. *Et fera & piſcis ſpe aliqua oblectante decipitur.* PITH. Tibull. lib. 2. el. 6. Diſtingue cum vet. edit. *ſic homines non caperentur, niſi ſpe*, &c. BOSCH.

Familia tua] *Tua* non agnoſcit codex Leid. BOSCH.

Cum pecunia tua] Barthius ad Statii lib. v. Theb. 724. hæc non eſſe ex Petroniana accuratione putat, & ſuſpicatur, geminas naves jactatorem captatoribus ſpopondiſſe; unam, quæ pecuniam veheret, velut Reges aut ſatrapræ nummis ſolent peculiaria navigia, aut conclavia tribuere, alterum, quæ familiam: quare corrigit *cum pecunia una, & familia una non venit.* Quæ mihi minime probantur. nam ex ſolemni formula hæc deſumta ſunt, qua omnes opes, quas divites poſſident, duabus his, *pecunia & familia* comprehendere ſolebant. Ita in lege XII. Tabular. *Pater familias uti ſuper familia pecuniave ſua legaverit, ita jus eſto.* Et, *Si Paterfamilias inteſtatus moritur, familia pecuniaque ejus agnatûm gentiliumque eſto.* Auctor ad Herenn. lib. 1. cap. 13. *familia* ſervos, inde famulos dictos, comprehendebat, *pecunia* reliquas opes, quia veterum in pecudibus erant maxime poſitæ. Gellius lib. XVIII. cap. 1. *Quoniam & corporis integritas ſanitaſque, & honeſtus modus formæ, & pecunia familiaque, & bona exiſtimatio, cæteraque omnia corporis & formæ bona neceſſaria viderentur perficienda beatæ vitæ.* Idem lib. XVI. cap. 10. *Neque proletarii, neque capite cenſi, milites, niſi in tumultu maximo ſcribebantur, quia familia pecuniaque his aut tenuis aut nulla eſſet.* Sueton. Vit. Neron. cap. 4. *Ex hoc Domitius naſcitur, quem emtorem familiæ pecuniæque in teſtamento Auguſti fuiſſe vulgo notum eſt.* & paſſim ita veteres. Hanc formulam autem poſterioris ævi Juriſconſulti corruperunt, & *pecuniam tutelamve* ſuppoſuere, ut apparet ex l. 52. ff. de Verb. ſignific. quod autem *familiæ* nomine poſtea venerint etiam filii, filiæ, imo ipſa uxor, deſcendit ex jure poteſtatis patriæ, qua omnes has perſonas, eodem jure, ut ſervos, paterfamilias habebat, & ſic poſtea etiam Juriſconſulti *familiæ* appellatione res comprehenderunt, ut Ulpianus l. 195. §. 1. de V. S. ait; quod factum quia formulam veterem mutarunt. Unde & deduxerunt *erciſcundæ familiæ* judicium, quod ignotum hac appellatione primis Jurisprudentiæ temporibus, qui *ercti citi* vocabant, *erctum* enim vel *Herctum* vocabant patrimonium; *citum* autem ab antiquo verbo *cio*, id eſt divido, quod à Græco σχίω & σχίζω derivatur, deſcendebat. vide Feſt. in *Herctum citum.* Et Serv. ad Virg. lib. VIII. Æneid. verſ. 642. ex qua formula unum verbum *erciſcere* conflarunt. Et, cum debuiſſent dicere *erctum* & *familiam* dividere, quia *erctum*, ſive pecunia, & *familia* in diviſionem hæreditatis veniebant, & forte in lege XII. Tabularum, vel ſaltem à priſcis Juriſconſultis judicium illud *familiæ & ercti ciſcundi* dicebatur, hinc fecerunt *familiæ erciſcundæ.* Quæ formula jam Ciceronis tempore obtinuit, ut patet ex lib. 1. de Orat. cap. 56. & Orat. pro Cæcin. cap. 7. ſed hæc latius hic deducere non patitur notarum ratio. BURM.

Captatores jam exhauſti] Heredipetæ, qui alienis patrimoniis inhiant. Supra cap. CXXV. *Quid, ſi callidus captator exploratorem in Africam miſerit.* Infra; *Nec quid aliud in hac epulatione captabant, niſi tantum, ne eſurirent.* Ait, *jam exhauſti*, id eſt, ducti luſique muneribus ſuis. Rader. ad Martial. libr. 9. ep. 35. ERHARD.

Ad poenitentiam] Hæc explicanda ex iis, quæ ad cap. 125. notavimus: *Putabam à cuſtodia mei removiſſe vultum Fortunam.*

Præter liberos] Alii, *libertos meos.* PATISSON. *libertos*, Leid. cod BOSCH. Sine dubio *libertos* legendum, nam capite 117. elatum ab Eumolpo filium finxerant.

Apud quaſdam gentes] Tertull. Apolog. cap. 9. *Ajunt apud*

hac conditione percipient, quae dedi, si corpus meum in partes conciderint, & adstante populo comederint. Ne plus aequo exhorrescant, apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut à propinquis suis consumantur defuncti, adeo quidem, ut objurgentur aegri frequenter, quod carnem suam faciant pejorem. His admoneo amicos meos, ne recusent, quae jubeo, sed, quibus animis devoveant spiritum meum, eisdem etiam corpus consumant [a] Excaecabat ingens fama oculos, animosque miserorum.

Gorgias paratus erat exsequi. *

De stomachi tui recusatione non habeo, quod timeam. sequeretur imperium, si promiseris illi pro unius horae fastidio multorum bonorum pensationem. Operi modo oculos, & finge, te non humana viscera, sed centies sestertiûm comesse. Accedet huc, quod aliqua inveniemus blandimenta, quibus saporem mutemus. Neque enim ulla caro per se placet, sed arte quadam corrumpitur, & stomacho conciliatur aversо. Quod si exemplis vis quoque probari consilium, Saguntini, oppressi ab Hannibale, humanas edêre carnes: nec hereditatem exspectabant. Petavii idem fecerunt in ultima fame, nec quidquam aliud in hac epulatione captabant, nisi tantum, ne

[a] POLYÆNOS.

apud quasdam gentiles Scytharum defunctum quemque a suis comedi. Lucian. περὶ πένθ. Solin. Similis immanitas Massagetarum. Tertull. libro I. adversus Marcionem. Hieron. adversus Jovian. 2. *Massagetæ miserrimos putant, qui agrotatione moriantur, & parentes, cognatos, propinquos, cum ad senectam venerint, jugulatos devorant.* Theodoretus Sermone IX. qui est de LL. Strabo libro 2. WOUWEREN. De Hibernis Strabo libr. 4. de Scotis D. Hieronymus libr. I. contra Jovinian. De Padarum gente Indica Joan. Boemus de Morib. gentium libro 2. cap. 8. De Scythicis gentibus, ut Massagetis, Issedonibus, Antropophagis, idem cap. 9. De Galatis, lib. 3. cap. 22. De Tartaris, d. l. 2. cap 10. ERHARD.

Carnem faciant pejorem] Vide Kirchmann. cap. 2. Appendicis ad libros de funer. Rom. BOSCH.

His admoneo] Alii, *iis amoveo*. TORNÆS.

Excæcabat ingens fama oculos] *Petunia ingens* Leid. cod. & duo veterum, quid, si legamus, *Excœcabat pecuniæ ingens fames oculos.* Sic *Auri fames* apud Senecam, & Virgil. lib. III. Æn. 57.

——— *Quid non mortalia pectora cogis,*
Auri sacra fames!

Horatius eleganter lib. II. Odar. 16.

Crescentem sequitur cura pecuniam,
Majorumque fames. BOSCH.

De stomachi] Loqui de stomacho, ut rationis capace, quod serio adfirmat Disarius apud Macrobium lib. VII. Saturn. cap. 4. notavit Broukhusius in ora codicis sui.

Operi oculos] Vide supra ad cap. 44.

Centies sestertium comesse] Martialis lib. V. epig. 71.

O! quanta est gula centies comesse! PITH.

Blandimenta] Condimenta, condituras. ERH.

Corrumpitur] Vir doctus in Junii codice, *corrigitur.*

Saguntini] Seneca Controv. lib. IV. Contr. XXVII. *Necessitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium est. Hac excusat Saguntinos, quod patres occiderint.* Juven. Satyra 15. ejusque interpres. WOUWEREN. Vide Andr. Schotti Not. in Auctorem de Vir. illustr. n. 42. ERHARD.

Oppressi] Rittersh. ad Oppian. lib. 3. vers. 197. malit, *obsessi.*

Petavii] Puteanus, *Petilini.* Frontin. lib. 4. cap. 5. Liv. lib. 23. TORNÆS. Alii, *Perusii*, alii, *Petilini.* Sed *Petavii* habet vet. Benedicti Floriacensis exemplum, quod unicum hac parte habuimus, cujus & aliorum quattuor scripturam suis quamque locis bona fide reddere satis habuimus. Conjecturas nec adjicere voluimus nostras, nec debuimus alienas. PATISSON. Lege, *Petelini*, de quibus Frontinus lib. 4. Stratagem. cap. 5. Athenæus Dipnosophist. libro 12. DANIEL. De *Petilinis* Livius lib. 23. Polyb. lib. 7. Valer. Max. lib. 6. De *Petaviis* aut *Petausis* nescio quis. PITH. Illustris Josephus Scaliger ad oram Leidensis codicis scripserat, *Perusii*: quis non videt, hanc genuinam Petronii scripturam esse? Perusia Tusciæ urbs est, ab Achæis prope Thrasimenum lacum condita, in qua L. Antonius, pulsus Cæsaris viribus, se contulerat, quam tandem, non nisi turpi fame coactam, expugnavit Augustus, ut tradunt Livius in Epitome lib.

ne esurirent. Quum esset Numantia à Scipione capta, inventae sunt matres, quae liberorum suorum tenerent semesa in sinu corpora. * *

Massilienses, quoties pestilentia laborabant, unus se pauperibus offerebat, alendus anno integro, postea, ornatus verbenis & vestibus sacris, circumducebatur per totam civitatem cum exsecrationibus, ut in ipsum reciderent mala civitatis: & sic projiciebatur. *

126. Suetonius in ejus vita cap. 15. Florus libr. IV. cap. 5. Confirmat magni viri emendationem Ausonius Epist. 22. etiam, æque ac Arbiter, Saguntinos & Perusinos conjungens, cum canit:

Jam jam Perusina & Saguntina fame
Lucaniacum liberet.

Hinc *Perusina fames* Lucano. Ad miseram civitatis hujus deditionem procul dubio respexit Propertius, circa finem lib. I. ad Tullum de patria sua sic scribens:

Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulcra,
Italiæ duris funera temporibus.
Cum Romana suos egit discordia cives,
Sit mihi præcipue pulvis Etrusca dolor. BOSCH.

Schottus lib. III. Observ. cap. 4. *Petami*, qui idem qui *Petilini* sunt, legisse videtur.

Massilienses quotiens pestilentia] Ex Servio Honorato ad versum lib. 3. Æn. vers. 58. *Auri sacra fames.* DANIEL. Gallis universim adtribuit Lactantius Placidus, cujus verba superius adscripta leges ad illam Satyrici vocem *Pharmace.* ERHARD. Vide ad hunc locum viri doctiss. Abr. Berkelii notas ad Antoninum Liberalem, circa finem pag. 261. BOSCH.

Ornatus verbenis] Harum usus vulgatiss. in sacris. Apul. Apol. *Si posueris donum aliquod, si sacrificaveris, si verbenam sumseris.* Eurip. Alcest. WOUWEREN.

Vestibus sacris] Infulis. nam eæ & hostiarum & sacerdotum. Fest. Glossæ Isid. *Insula, sacerdotalis vitta.* in iisden: *Insulat, propiciat.* Emporius de loco communi: *Inspiciendi sunt personarum habitus, ut sacerdotis vitta & insula.* hinc Senecæ Agam. *Sacratæ insulæ.* Florus lib. 4. cap. 2. *Quæ omnia velut insulæ in destinatam morti victimam congerebantur.* Sueton. Calig. cap. 27. *Alterum, qui se periturum pro salute sua voverat, cunctantem pueris tradidit, verbenatum insulatumque, qui votum reposcentes per vicos agerent, quoad præcipitaretur ex aggere.* WOUWEREN.

Et sic projiciebatur] Legendum, *proficiebatur*, hoc est, sacrificabatur, & immolabatur, & in partes dissecabatur, ut docuit Petrus Daniel. Festus; *Proficium, quod profecatum projicitur.* Arnob. lib. 7. *Quod si omnes has partes, quas proficias dicitis, accipere Dii amant,* &c. BOSCH.



FRAG-

FRAGMENTA PETRONII SUPERIORIS SATYRICI,

Quae quibus in locis reponenda sint, incertum est.

Candida sidereis ardescunt lumina flammis,
Fundunt colla rosas, & cedit crinibus aurum,

Mel-

Incertum est] Titulus hic Gabbem, edit, cum Frellon. & Lotichii communis. Sciendum itaque, plures dari scriptores Petronios, præter nostrum T. P. *Arbitrum*. Est nimirum *P. Petronius Rhetor*, *Petronius Grammaticus*, *Petronius Afranius*, *Petronius Indicus*, *M. Petronius Venustianus*, *Petronius Antigenis Pisaurensis*, *C. Petronius Hilarus Pisaurensis*, *Petronius Appolodorus P. R. & Petronius Levita*, quorum singulorum fragmenta & Epigrammata continet Editio Frelloniana ac Lotichii. Cauto igitur opus, ne, quod istorum est, T. Petronio Arbitro affricetur. Et Claudius quidem Binetus in calce editionis Dousæ, tum & MS. ad edit. Tornæs. x. nobis annumerat Epigrammata, singulis Petronii Arbitri nomine præfixo, quæ ex ecclesiæ Bellovacensis bibliotheca veteri Isidori Etymologico connexa accepisse profitetur, hac serie:

I. *Sicut sunt rerum naturæ*, &c. ut habebitur inferius.

II. Psittacus:

Indica purpureo genuit me litore tellus,
Candidus accenso qua redit orbe dies.
Hic ego divinos inter generatus odores
Mutavi Latio barbara verba sono.
Jam dimitte tuos, Paan ô Delphice! cycnos,
Dignior hac vox est, quæ tua templa colat.

III. *Naufragus ejecta*, &c. ut infra.

IV. *Aurea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis.* & reliqua, quæ supervacuum hic adscribere:

V. Ad Deliam:

Si Phoebi soror es, mando tibi, Delia, causam, &c.

VI. *Omnia quæ miseras*, &c. ut infra.

VII. De columbarum nido in Galea:

Militis in Galea nidum fecere columbæ,
Adparet, Marti quam sit amica Venus.

IIX. *Judæus licet & Porcinum*, prout infernis.

IX. In Cupidinem:

Lecto compositus vix prima silentia noctis, &c.

X. Ad Nealcen puerum:

Sit nox illa diu nobis dilecta, Nealce, &c.

Quæ complura apud Binetum sequuntur, air, se in eod. quidem codice verum absque Petronii titulo reperisse, quæ inter primum in ordine fragmentorum occu-

liisque subjectum, *Candida sidereis*. tum in fine Satyrici *Fœda est in coitu. Accusare & amare*. ac demum, *Delos jam stabili*. Sed & IV, V, VII, IX, & X. præmissorum Frellon. edit. auctor Petronio Afranio, II. vero Petronio Indico adscribit; quæ tamen Dousæ palato sic se adprobarunt, ut majorem melioremque partem Arbitro tribuerit, excepto IV. *Aurea mala* quod respuit. Attendendum igitur in seqq. quis auctor ullus an nullus laudative & indagari possit. Triste vero fatum doctorum scriptorum, quod sic nomina auctorum jam olim negligebantur, hodieque à multis idem fiat, & quadrata commisceantur rotundis, ut nescias, cui quid debeatur, undeve fluxerit. Sic superius cap. LI. historiam fabri vitri ductilis à Jano Dousa primum Satyrico absque titulo & præfatione ex Sarisberiense insertam credidi; sed jam, penitius Præcidanea ipsius scrutatus, reperi capite Præcid. ultimo lib. 3. historiam hanc quidem ex Crinito, Dione Cassio, Isidoro, & Sarisberiense adductam, attamen eam hoc loco, quo hodie legitur, à summo illo Viro insertam, vix constat, id vero ex Præcidan. certissimum, ipsum pro Sarisberiensi *martiolo*, *marculum*, legere jubere, quod in superioribus contra insertorem, quisquis ille fuerit, notandum. HADRIANID.

Candida sidereis] Amatorium. BINETUS. Confer Musæum de Herone vers. 56. Achilles Tatius sub finem lib. I. de Leucippe: τὸ δὲ κάλλος ἀτράπλον τῇ τῶν ἡλίων ἰδέᾳ μοι τῇ Λευκίππης εἶναι προσώπῳ. τὸ γὰρ τῆς σώματος κάλλος αὐτῆς πρὸς τὰ τῆς λειμῶνος ἤρίζεν ἄνθη. Ναρκίσσῳ μὲν τὸ πρόσωπον ἐσικὸς χροιᾶ, ῥόδοις δὲ ἀνεπλέον ἐκ τῆς παρειᾶς, ἴουλος ὁ ἥτιον ὀφθαλμῶν ἐμάρμαιρεν ἀνγὴ, αἱ δὲ κόμαι βοστρυχόμεναι μᾶλλον ἐλίσσοντο κιττῷ. WEITZ.

Fundunt colla rosas] Meurs. ad Theocrit. pag. 96. legit, *findunt*: quæ vide. WEITZ.

Cedit è crinibus aurum] Lege, *cedit è crinibus aurum*. BINET. Magnum veterum studium in flavo capillitio. Auctor Lyrici, quod Cn. Gallo adscribunt;

Pande puella, pande capillulos
Flavos, lucentes, ut aurum nitidum.

Statius I. Achill.

——— *Fulvoque nitet coma gratior auro.*

Mellea purpureum depromunt ora ruborem,
Lacteaque admixtus sublimat pectora sanguis,
Ac totus tibi servit honor, formaque Dearum
Fulges, & Venerem coelesti corpore vincis.
Argento stat facta manus, digitisque tenellis
Serica fila trahens precioso stamine ludis.
Planta decens modicos nescit calcare lapillos,
Et dura laedi scelus est vestigia terra,
Ipsa tuos quum ferre velis per lilia gressus,
Nulli sternuntur leviori pondere flores.
Guttura nunc aliae magnis monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti: tu sola placere
Vel spoliata potes. Nulli laudabile totum,
In te cuncta probat, si quisquam cernere possit.
Sirenum cantus, & dulcia plectra Thaliae
Ad vocem tacuisse reor, quae mella propagas
Dulcia, & in miseros telum jacularis amoris.
Cor grave vulnus alit, nullo sanabile ferro,
Sed tua labra meo saevum de corde dolorem
Depellant, morbumque animae medicaminis hujus
Cura fuget, nec tanta putres violentia nervos
Dissecet, atque tuae moriar pro crimine causae.
Sed, si hoc grande putas, saltem concede precanti,
Ut jam defunctum niveis ambire lacertis
Digneris, vitamque mihi post fata reducas.

AL-

Barthius ad Claudiani libr. III. de Raptu Proserp. vers. 86. ERHARD.

Et tibi servit honor] *Honor* apud Poëtas pulcritudinem rerum significat; Martial. lib. 6. ep. 80. Horat. lib. II. carm. od. XI. Tibull. lib. I. el. 9. alii. Et Sidonius Apollinaris prosa etiam oratione secutus poëtas lib. I. ep. 2. Theodoricum Gothorum regem depingens, ait. *Maximus in minime rugosis genibus honor.* Etiam usurpatur mentione sacrificii, ex more veterum poëtarum, imprimis Virgilii lib. I. Æneid. vers. 335.

——— *Haud equidem tali me dignor honore.*

Ubi Serv. *honore* pro sacrificio. Hinc *honorarius tumulus*, quem veteres iis, quos amabant, excitare soliti sunt. Sueton. in Claud. cap. I. Inde vetustæ marmorum inscriptione *ob honorem* habent. Alciat. Parerg. lib. X. cap. XII. firmat Tac. sententiam his verbis II. Annal. *Honorique patris princeps ipse cum legionibus decurrit.* S. A. GABBEMA.

Ladis coelum & vestigia] Legendum, *ladi scelus est vestigia.* BINET.

Ipsa tuos] ita Poëtæ frequenter inducunt Nymphas & Deas, ut Tellus ipsis submittat flores & gramina, ne plantæ dura terra lædantur, & faciunt eas tam levi lapsu fluere, ut vix tangant & lædant substratos flores. Valer. Flacc. lib. III. 527. de Nymphis venantibus.

Ipsa citatarum tellus pede plausa sororum
Personat, & teneris submittit gramina plantis.

Sternuntum] Forte, *sternuntur*, aut, *tanguntur.* DOUZA F.

Sirenum] Vide ad cap. CXXVII.

Putres nervos] Hinc colligi posset, hos versiculos esse inserendos post cap. CXXXI.

Albutia] Meminit *Albucillæ* multorum amoribus famosæ Corn. Tacitus libro 5. quæ & ea fortasse fuerit, de qua Fulgentius lib. I. Mytholog. in præfatione scribit Petronium Arbitrum carmen amatorium lusisse. DANIEL. Vide Munker. ad Fulgent. Mythol. lib. I. pag. 23.

Mem-

ALBUTIA.

* * *

Memphitides puellae,
Sacris Deûm paratae.
Tinctus colore noctis
Manu puer loquaci.

AEgy-

Memphitides puellæ] Ex Terentiano Mauro de versibus extremo. DANIEL. Terentianus Maurus de Metris cap. *Jambius dimetrus claudus qui fiat*, ubi Nicolaus Bryſæus in Annotation. Marius Victorinus Art. Grammat. lib. 3. de duobus Jonicis Sotadeo & Sotadico, *Memphitides*, id eſt, Ægyptiæ, ſupra dixit, *pueris Alexandrinis*. ERHARD. Vid. Barth. Adverſ. lib. VII. cap. 5. & lib. XXII. cap. 4. qui verſus duos proponit:

Agnoſcere hæc poteſtis,
Cantare quæ ſolemus,
Memphitides.

quos vulgo Terentiano adſcribunt.

Sacris Deûm paratæ] Deorum emptæ. Ethnici ſuperſtitioſis ſuis ſacris puellas muſicas adhibebant. In Priapej.

Cum ſacrum fieret Deo ſalaci,
Conducta eſt pretio puella parvo.

Morem alicubi narrat & explicat Plautus. ERHARD.

Tinctus colore noctis] Ægyptius tibicen, qui in deliciis. Juven. Sat. XV.

——— *Ede virorum*
Saltatus nigro tibicine.

Apul. libro 1. Florid. de Indis: *in corpore colore eſt noctis*. WOUWEREN. Iſidor. lib. 19. cap. 23 *Mauros habet tetra nox corporum*. Lindenbrog. Not. in Catalect. Winsbeckius in Paræneſi ad filium;

Swerzer, danne ein Sur.

id eſt, atrior Syro, vel Ægyptio, de quo hic Petronii verſus capiendus. Goldaſt. Animadverſ. ad Winsbec. ERHARD. Senec. Herc. Furent. verſ. 861.

Et color noctis malus.

ubi vide commentarium Delrii, qui legit *Ægyptius Choreates*. in catalectis Pithæi pag. 81. de Ægyptio ſervo:

Fencaramentarum noſtrum proceſſit ad axem,
Et piceo gaudet corpore verna niger.

ubi legendum *Fax Garamantarum* notavit Heinſius in ora codicis ſui, & ſequenti carmine vocat *noctis alumnum*.

Manu puer loquaci] Luc. περὶ ὀρχήσεως. ἀκούω ἄνθρωπι, ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον, ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐτοῖς λαλεῖν. Cyprianus de ſpect. *Loqui digitis elaborat*. WOUWEREN. Eſt χειρονόμων κορυλής, & *Anus recocta vino* eſt crotaliſtria. Idem prope eſt in Epigramm.

Ἐζακριβωμένη τῷ πήχει χειρονομοῦντι.

Item;

Ἡ κροτάλοις ὀρχήστρις ἀρίστιον. ———

Scalig. ad Propertium lib. 4. Eleganter de his loquacibus digitis Philoſtratus Icon. lib. 1. in Como, adeo ut etiam doceat, quomodo digiti collocandi ſint, ut conſoni fiant. Verba ejus hæc ſunt; Καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεψαλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει εἰς τὸ κοῖλον, ἵν' ὦσιν αἱ χεῖρες σύμφωνοι, πλητόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. Sidon. Apollinaris lib. 9. ep. 13.

Digiti, quibus canentes
Pariter ſonante lingua.

Qui tamen verſus etiam aliter explicari poterunt. Meminit quoque loquacium digitorum A. Caſſiodorus lib. 4. Variar. ep. 51. *His ſunt addita orcheſtrarum loquaciſſima manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita, quam Muſa Polymnia repperiſſe narratur*. Sed addubito, hucne pertineat is locus, an de iis notis digitorum intelligendus potius, quibus taciti diſtantes inter ſe loqui conſueverunt. Lindenbrog. Not. in Catalect. Nonnus Heliopol. in Dionyſiac.

Ἔγραφε φαιήντι τύπῳ τιτάνιδα φύτλην,
——— Γαιυμηδὲς ἔγραφε μορφὴν
Χερσὶν ἀφωνήτοισι πολύτροπα δακτύλια πάλλων.

Bulengerus de Theatro l. 1. c. 43. Suetonius l. 2. c. 83. *Cum pueris minutis, quos ſacie & garrulitate amabiles undique conquirebant, præcipue Mauros & Syros*. Caſaubon. in Commentar. quem vide, & Barth. fuſe differentem ad Claudian. Conſ. Manl. Theod. verſ. 311. Ammianus lib. 18. *Ad nocendum emittebat cubiculariosjam adultos, ut inter miniſteria vitæ ſecretioris gracilitate vocis ſemper pueriles & blandæ apud Principis* (Conſtantii) *aures nimium patulas exiſtimationem viri fortis invidia gravi pulſarent*. Hujus gracilitatis cauſſa ſectio. Hos autem pueros caſtratos fuiſſe, ejuſdem Ammiani verba, quæ inibi ſubſequuntur, ſatis evincunt; *Horum & ſimilium tædio juvat veterem laudare Domitianum, qui minaciter interdixerat, ne inter terminos juriſdictionis Romanæ caſtraret quiſquam puerum. quod ni contigiſſet, quis eorum ferret examina, quorum paucitas difficile toleratur?* Eos poſtea, mortuo Conſtantio, Julianus ſucceſſor aula exegit. Socrates Hiſtor. Tripart. lib. 6. interprete Epiphanio Scholaſtico; *Expulitque palatio eunuchos tonſores & cocos. Eunuchos quidem, quia ejus uxor obierat, poſt quam non duxit aliam*. Idem Ammianus lib. 22.

AEgyptias choreas.

*

Balneatricem. * * * Pollice usque ad periculum roso.
Anus recocta vino,
Trementibus labellis.

*

Juverunt segetes meum laborem.

*

Triplici vides ut ortu
Triviae rotetur ignis,
Volucrique Phoebus axe
Rapidum pererret orbem.

*

Non

de eodem Constantio; *Uxoribus & spadonum gracilentis vocibus & palatinis quibusdam nimium quantum addictus. Manu loquaci*, ut apud Salomon. Proverb. cap. 6. *Annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* ERHARD. Rigaltius ad Artemidorum pag. 36. seq. omnino adeundus. WEITZ.

Ægyptias choreas] Alii, *Ægyptius choreates*, alii, *Ægyptius choraules*. Ægyptii enim choraulae & crotalistriae in pretio erant. Scalig. ad Propert. lib. 4. Bernartius in Statii Sylvar. lib. 5. in fin. Savaro in Sidonii lib. 1. ep. 2. Cantabant enim optime Ægyptii pueri, ideoque eos *loquaces delicias* vocat Statius. Trimalcio quoque supra, propter excellentiam vocis, eos convivio adhibuit. Lindenbrog. Notis in Catalect. Hinc nata parœmia, Ἀράξιος ἀυλητὴς, in loquaces, à moribus horum puerorum: de qua videndi Suidas & Hesychius. Pueri choraulae quoque in veteri Ecclesia apud Christianos adhibiti, de quibus Browerus in Not. ad Fortunati lib. 2. epig. 10. Qui nomen hodieque retinent, & à nobis *Choral* appellantur. Huguitio: *choraules, qui agit choream.* Papias: *choraules, princeps chori, vel qui cum cannulis, id est, fistulis, canit in choro.* Balbus: *choraula, qui chorum ducit, vel qui in choro cum cannulis cantat, qui aliter dicitur choraules.* ERHARD. Sic & Frellon. atque Lotichii. Tornæs. *Ægyptius choreutes.* & connectitur cum præcedente *loquaci.* Wouweren & Hermann. non habent. HADRIANID.

Balneatricem] Servius ad lib. XII. Æneid. vers. 159. *nomina in* tor *exeuntia foeminina ex se faciunt, quæ in* trix *terminantur, si tamen à verbo non veniant, ut ab eo, quod est* lego, *&* lector, *&* lextrix *facit*, doceo, doctor, doctrix. *Si autem à verbo non venerint, communia sunt: nam similiter masculina & foeminina in* tor *exeunt, ut* hic *&* hæc Senator, hic *&* hæc balneator, *licet Petronius usurpaverit* balneatricem *dicens.*

Pollice usque ad periculum roso] Vetus interpres Horatii Epod. v. *Canidia rodens pollicem. Habitum & modum expressit Canidiæ furentis.* Petron. *ut monstraret furentem*, pollice, *ait*, usque ad periculum roso. HADRIANID. Iratorum gestum esse rodere ungues ostendit Passeratius ad Propert. libr. II. eleg. 4. pag. 262.

Anus recocta vino] Ex Diomede lib. 3. DANIEL. Crotalistria. Scalig. ad Propert. lib. 4. Eodem modo Catull.

Fuffitio seni recocto.

Scalig. ad Catullum. Diomedes lib. 3. Grammat. ubi videndus Cæsarius in Scholiis. ERHARD. Vide Torrent. ad Horat. lib. II. Sat. v. vers. 55. & Barth. lib. XXXIII. Adversar. cap. 4. Val. libr. VI. vers. 444. ubi Heins.

Juverunt segetes] Et hunc versum videtur Terentianus indicare esse Petronii. DANIEL. Terentianus Maurus de Metris, in VI. tomo hendecasyllaborum, & ibi Nicol. Brissæus in Annotat. Marius Victorinus Artis Grammat. lib. 4. fusissime. ERHARD.

Triplici] Ex eodem Terentiano. quamquam horum versuum nonnullos Varronis esse Terentiani interpres quodam Augustini loco innuere videtur. DANIEL. Videtur eo alludere, quod Lunaris motus periodus triplex sit, unde & Lunaris mensis triplicis generis. dicitur enim aut περίοδος σελήνης, seu περίοδος σελήνης, aut σύνοδος, aut φάσις. DOUZA F. Wouwerus de Umbra cap. V. explicat de triplici progressu Lunæ, quæ, relicta Solis orbita, jam ad boreales Zodiaci partes, jam in austrum divertit, & præter consuetos illos suos motus, in latitudinem progreditur; unde Apulejo *multivaga*, & veteribus *Trivia* dicta, hæc enim Varronis lib. VI. de L. L. verba. *Trivia Diana dicta est, quod in trivio ponitur fere in oppidis Graciæ, vel quod Luna dicitur esse, quæ in coelo tribus viis movetur, in altitudinem, latitudinem, longitudinem.*

Triviæ] Id est, Dianæ: loquitur de Luna & Sole. ERHARD.

To-

Non bene olet, qui bene ſemper olet.
Animam noſtro amplexam in cerpore.

*

Qui vultur jecor intimum pererrat,

Et

Totum pererret] Vet. cod. Pith. *rapidum*. ERHARD.

Non bene olet] Ex Hieronymo in Epiſtola ad Demetriadem de Virginitate ſervanda. Qui verſiculus apud Martialem quoque reperitur lib. 2. epigrammate 12. Sed & multa Petronius & Martialis habent inter ſe communia, ut illud; *Ingenioſa gula eſt*. & de cœna Trimalchionis, cui apud Martialem lib. 3. epigr. 4. Malchionis cœna prope eſt eadem. Adde Cæl. Rhodiginum libr. 7. cap. 27. DANIEL. Cic. ad Attic. *Mulieres ideo bene olere, quia nihil olent*. ita ſæpe ludunt, ut Varro: *Bellaria maxime mellita, quæ mellita non ſunt*. WOUWEREN. D. Hieronymus ad Demetriadem de Virginit. ſervanda; *Cincinnatulos pueros & calamiſtratos & peregrini muris olentes pelliculas (de quibus illud Arbitri eſt, non bene olet, qui bene ſemper olet) quaſi quaſdam peſtes & venena pudicitiæ virgo devitet*. Aut memoria lapſus eſt Hieronymus, aut verſum hunc Martialis ab Arbitro Petronio mutuatus eſt. Exſtat enim apud Martialem in Nævolum. Plautus item ſcripſit in Moſtell. Act. 1. ſcen. 3. *mulierem eam optime olere, quæ nihil oleret*. quemadmodum & Plinius ſcribit, *eam aquam eſſe optimam, quæ nihil ſapiat*. hæc eſt enim natura aquæ. Eraſmus in Annotat. ad Hieronym. M. Tullius epiſt. ad Attic. lib. 2. Epiſt. 1. *Quamquam ita tua horridula mihi atque incompta viſa ſunt, ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quod ornamenta neglexerant, & ut mulieres ideo bene olere, quia nihil oleant, videbantur*. Ad hæc vero Martialem lib. 11. Epigr. 12. parte aliqua reſpexiſſe, palam fit amplius intuenti;

Poſtume non bene olet, qui bene ſemper olet.

Id vero ex Arbitro eſſe Hieronymus teſtatur. Cœl. Rhodiginus Lect. Antiquar. libr. 24 cap. 25. Ambo & Petron. & Martialis ex Plauto ſumſerunt. Douſa Succid. pro Horat. Plautus Moſtell. Act. 1. ſc. 3. de vetulis incruſtatis & interpolibus;

Ut ſudor cum unguentis conſociavit,
Ibidem olent, quaſi quum una multa jura confuderit coquus.

Savaro ad Sidonium lib. 8. ep. 11. *Bene olet, qui nihil olet*. Diogenes cuidam habenti capillos unguento delibutos; Cave, inquit, *ne τὴς κεφαλῆς ἰωδίαν, τὸν βίον ἐυωδίαν adducat*. Fama eſt quidam odor vitæ, unguentum & odores olent mollitiem & nequitiam: *Quis* autem *tales viros non dicat mulieres?* Cic. de Catilinariis pueris. Horat. Epod. Od. 12. Hunc verſum B. Hieronymus laudavit, Raderus ad Martial. lib. 2. epigr. 12. ERHARD.

Animam noſtro amplexam in corpore] Priſcianus lib. 8. *Similiter adminiculor, adulor*, &c. *amplector*, &c. *plerique deponentia eſſe confirmant, ideo, quia frequens uſus eorum ſignificationis eſt activæ. Communia vero eſſe defendit, tum natura ipſius ſenſus, tum veterum non improbanda auctoritas: à qua, quæ potuimus à diverſis colligere libris, exempla proferamus. Petronius: Animam noſtro amplexam in pectore*, περιπλεχθεῖσαν. *Lucillius: Quin amplexetur, qui velit, ego non ſinam me amplectier, amplexetur*, περιπλεκέσθω. *Cicero pro Roſcio: Quo uno maleficio ſcelera omnia complexa eſſe videantur*. Idem lib. 11. *Multa ex hujuſmodi verbis inveniuntur apud antiquiſſimos participia præteriti temporis, tam activam, quam paſſivam, ſignificationem habentia, ut meditor*, &c. *ſic etiam amplector, amplexus*, ὁ περιπλεὶς καὶ ὁ περιπλεχθεὶς. *Petronius: Animam noſtro amplexam in pectore*. A deponenti participium paſſive, veteres ſecutus, enunciavit Parrhaſius in Claudian. de Raptu Proſerp. lib. 1. ERHARD.

Qui vultur jecur ultimum pererrat] Non abludunt hinc iſta Euſtathii in Odyſſ. α. Ματρίας ὁ Ἀλεξανδρεὺς κατὰ τὴν ἱστορίαν τῦ Ἀθηναίου ἔλεγε πρὸς ἄινιγμα θηρίον τι τρέφειν, ὅπερ αὐτὸ ἑαυτὸ ἐσθίει, ὡς καὶ ζητεῖσθαι φησὶ μέχρι τῦ νῦν τὸ ματρίας θηρίον, τὸ ᾧ ἡ θυμὸν ἔτως ἢ φθόνον δηλοῖ, ἢ λύπην, ἢ καὶ τε κωμικώτερον ἐμπαθές. Quæ magis etiam illuſtrando Petronio fecerint, ſi legatur in ultimo verſu: *livor atque luctus*, non *luxus*. Alia quædam ad hunc locum diximus in Notis ad Tibullum. DOUZA F. Ex Fulgentio Mytholog. lib. 2. in fab. de Prometheo. vet. cod. *jecor intimum*, quod probo. DANIEL. Lege, *qui vultur*. Douſa F. ad Tibull. Attius apud Cicer. 2. Tuſc. & Servius in Eclog. 6. pro *vulture* habet *aquilam*. Marcilius in epigr. 7. Martial. de Amphitheat. Ἀλληγορεῖται Promethei vincti, cujus jecur aquila depaſcitur, fabula. Animi graviora πάθη, ut invidiam, iram, odium, & ſimilia his, recte dixeris feras ſeipſas vorantes. Chryſoſtomus in epiſt. Pauli ad Roman. παρεικάσαι ἠμᾶν λέοντες, θυμοὶ, ἐπιθυμία, χαλεπὰς ἔχοντες ὀδόντας. Theodoretus in Θεοφιλεῖ. de Theodoſio: Λιταυρία δὲ ὑμεναίοις χρώμενον ἀεὶ, τὴν ἐπιθυμίαν καὶ τὴν ὀργὴν καὶ τὴν ἀλαζόνειαν τάτ' ἄλλα τῆς ψυχῆς θηρία κατοικίζει. Caſaubon. Animadverſ. in Athen. lib. 1. lib. 16. Lucretius lib. 3. ad rei Venereæ cupiditatem, animique ſolicitudines, hanc fabulam retorſit, cum dicat, fieri non poſſe omnino multa, quæ traduntur de inferis, neque Tityum, ſi par jecur univerſo terrarum orbi habuiſſet, perpetuum dolorem ita pati potuiſſe, ſed per hæc animi curas antiquos ſignificare voluiſſe, ut

ab

Et pectus trahit, intimasque fibras,
Non est, quem lepidi vocant poëtae;
Sed cordis mala, livor atque luctus.

*

Ad libidinis incitamentum, Myrrhinum se poculum bibisse. . . . In fere

ab iis retrahamur. ita enim inquit:

Sed Tityus nobis hic est in amore jacentis,
Quem volucres lacerant, atque exest anxius angor,
Aut alia quavis scindunt torpedine curæ, &c.

Natalis Comes Mytholog. lib. 6. cap. 19. Plane autem ejusdem notæ est Macrobianum illud: *Vulturum jecur immortale condentem*, &c. Pontanus in Not. ad Somni. Scipion. ERHARD. *Qui* legendum censeo, ut editum inter fragmenta Petronii. Πραγματικῶς & κατ' ἱστορίαν interpretatur Scholiastes Hesiodi p. 251. edit. Heinsi. MUNKER. ad Fulgent. Mythol. lib. 2. cap. 9. Barthius ad Statii lib. IV. Theb. vers. 538. Ita legit & destinguit hos versus:

Quin vultur jecur intimum pererrat?
Et pectus trahit, intimasque fibras?
Non est, quem lepidi vocant Poëtæ.
Sed (cordis mala) livor atque luxus.

Intimum] Ita & MS. Leid. Modius & 6. edd. *ultimum*. Quomodo adducunt quoque Bochartus Hierozoic. & Brassican. ad Petron. Putarem, τὸ *intimum* præferendum, nisi mox sequeretur *intimasque fibras*. Ovid. lib. IX. Met. vers. 202. *Pulmonibus errat ignis edax imis*. Damasus: *Latuitque sub imo pectore*. Catullus carm. 6. *Ignes interiorem edunt medullam*. Sed ingrata & invenusta est ejusdem vocis repetitio ista, nec sapit limatum Petronii judicium. MUNKER. ad d. l.

Pererrat] *Penetrat* Barth. frustra. MUNKER. ad d. l. offendit immerito Barthium hæc vox; cum enim per novem jugera extensus fingatur Tityus, & jecur ejus & viscera, simul atque eorum pars à vulture adesa erat, renascerentur, eleganter *pererrare* dicitur vultur, dum avide nunc hanc, nunc illam, partem laniat & attondet.

Et pectus trahit] Vetus codex. Horatius; *Et quærit pectus*. DANIEL.

Tepidi vocant poëtæ] Ita vet. cod. P. Pithœus *lepidi*, Scal. *timidi*. Baptista Pius in Comment. legit *tepidi*, & exponit, insuaves, insipidos, non inflammanter, ardenter, lacertose, nec omnibus nervis rei scopum attingentes. Putean. *trepidi*. sed *lepidi* ex Pithœi conjectura legendum videtur. DANIEL. Lege, *non est, quem Tityum vocant Poëtæ*. Palmer. in Spicileg. quod Douzæ sublegit. vel potius, *non est, quem Tityi vocant poëtæ*. ut livor & luxus vulturi adlimulentur, quo modo fere in Epigramm. Antholog. 2.

Ὄρνεον ἠσθιόμην κεκλημένοι ἄθλιοι ἄνδρες
Ἄλλων ὀρνίθων βρώματα γιγνόμενοι.

Καὶ τὸ μὲν Τιτυὸν κατὰ γῆς δύο γῦπες ἔδουσιν,
Ἡμᾶς δὲ ζῶντας τέσσαρες ἀιγυπιοί.

Dousa F. ad Tibull. cujus divinatio non displicet, licet vulgatum sua quoque ratione probum. Pontanus Not. in Som. Scipion. Macrob. ERHARD. Ita cum 6. edd. etiam Cod. Leid. Gloss. *falsi*. Dixerim potius *nugaces*. Sane *tepentes nanias* pro frivolis nugis usurpavit Claud. Mamertus de Stat. Anim. lib. II. cap. 8. Ad eumdem modum existimabam aliquando, *tepidas nugas* dixisse versiculos suos Ausonium, & legebam in carmine ad Pacatum: *Inveni, tepidæ silete nugæ*. Scaliger hic in margine libri sui emendaverat *trepidi*. Quod non contemnendum. Potuit enim *trepidos* vocare poëtas, quod quasi timidi & meticulosi omnia facere soleant φοβερώτερα. Salmasius volebat *Tityon*, & Bochart. Hieroz. Part. II. lib. II. 27. atque ita *cui* esse retinendum. Quod non putem, cum sic pendeat sententia. Videtur hoc voluisse: Non est vultur quem Promethei viscera exedere fingunt nobis Poëtæ: sed livor & luctus sunt, qui hoc faciunt, si de Tityo accipere mavis, legendum cum Douza not. in Tibull. cap. 2.

Non est, quem Tityi vocant poëtæ. MUNKER. ad d. l. Brassican. in fine notarum edidit, *timidi*.

Vocant Poëtæ] Lege, *volunt*. Casaubon. in Athen. lib. I. cap. 16. ERHARD.

Mala] Non agnoscit vocem illam Leid. Cod. Barth. Adversar. lib. XII. cap. 1. emendat *lama*. Sed velim scire, quomodo sic constet versus, cum prior syllaba in *lama* producatur ab aliis, vide Horat. lib. I. Epist. 13. vers. 10. Pro *luxus* malebat *luctus* Scaliger. ut & Douza Spicileg. in Petron. nec displicet. Lucretium secutus est Petronius. Servius ad Æn. VI. vers. 596. *Sane de his omnibus rebus mire reddit rationem Lucretius, & confirmat in nostra vita esse omnia, quæ finguntur de inferis. Dicit enim Tityon amorem esse, hoc est, libidinem: quæ secundum Physicos & Medicos in jecore est, sicut risus in splene, iracundia in felle; unde etiam exesum à vulture dicitur in poenam renasci: etenim libidini non satis fit, re semel peracta. Sed recrudescit semper. Unde ait Horatius*, incontinentis aut Tityi jecur. Lege, *nec Tityi*, &c. Ita enim habetur lib. III. od. 4. MUNKER. ad d. l.

Livor atque luxus] Scribo, *livor atque luctus*. Pontanus Not. in Macrobii Somn. Scip. Tamen Henricus Longepressensis de male fortunatis lib. 3.

Luxus edax, livor macer, ardor cæcus habendi,
Vastat opes, mordet optima, corda cremat. ERH.

Myr-

aumarium memet conjeci. . . . . Obtorto valgiter labello. . . . . Totus fere mundus mimum videtur implere. . . . . Non duco contentionis funem, dum constet inter nos, quod fere totus mundus excerceat histrionem.

*

—— O maxima rerum,
Et merito pietas homini tutissima virtus!

*

. . . . Hor-

Myrrhinum se poculum] Lege, *myrinum*, id est, *murinum*, à *myro*, non à *myrrha*, cujus admixtione amarescceret, cum fuerit delicata potio & ganeæ propria. Had. Junius Animadvers. libr. 5. cap. 19. ERHARD. Est ex Fulgent. lib. 3. Mythol. cap. 8.

In aumatium] Sic Fulgentius: quamquam in uno v. cod. manuscripto legatur, *In naumatium*, an ναυμάχιον? in altero *omacium*. Forte, ναυμάτιον. unde ναυματαῖα, *aprica*, Arrianus lib. 8. DANIEL. Alii, *aumatium*, suspicor, *automatium* legendum, ut locus significetur theatri, vel circi, ubi erant machinæ, quæ *automata* à Græcis vocantur, quæ sponte moveri videntur, & miraculo sunt. Turneb. lib. 26. Adv. cap. 10. ERHARD. *Aumatium* cum Mercero habet etiam Leid. Cod. sed Vett. edd. *aumarium*. Atque ita legit etiam Vulcanius ad Philoxenum, corruptamque eam vocem autumat ex *armarium*. Grammaticus nescio quis Barthio laudatus adversar. Col. 1693. *Armarium locus, ubi quarumque artium instrumenta ponuntur. Armentarium, ubi tantum tela armorum.* Scribe, *armamentarium*, ita enim ὁπλοθήκη Latinis appellatur. Laurenbergius in suo antiquario *aumarium* dicit esse *latrinam publicam*. Mirum, ni hoc inde suspicatus est, quod *locus secretus* dicatur à Fulgentio. Gloss. Labb. Ἄβαξ, *abacus, armarium*. Turneb. Advers. lib XXVI. cap. 10. *suspicor*, inquit, *automatium scribendum, ut locus significetur theatri, vel circi, ubi erant machinæ, quæ automata à Græcis vocantur, quæ sponte moveri videntur, & miraculo sunt.* Non persuadet. Hieronymus epist. ad Paulin. *Cur dicitur Paulus vas electionis? Nempe, quia legis & scripturarum sanctarum erat armarium.* Scrinium intelligi vult. Σκεῦος ἐκλογῆς dicitur Paulus; sed ea verba cur *vas electionis* potius, quam *electum instrumentum*, vertant, videre numquam potui. MUNKER. ad Fulgent. Mytholog. p. 183.

Conjeci] Phrasis Petroniana, vide cap. 9. & 72.

Obtorto valgiter labello] Vulgo apud Fulgentium, *Abrosa valgia labello*. sed in vet. cod. & vet. Glossario legitur, *Obtorto valgiter labello*. alias, *Abroso valgiter lavello*, in impr. cod. quibusdam. DANIEL. *Valgi* verbo utuntur etiam Nævius & Plautus apud Nonium. Ch. Colerus Terentianar. epist. 2. Balbus Catholico; *Valgia à voluo dicitur, quasi voluta, id est, retortio. Proprie enim labiorum obtorsio est, quam facimus, quum aliquem deridemus. unde valgire est retorquere.* Vide quæ supra ad illa Satyrici verba, cap. XXVI. *commovebat valgiter labra*, attulimus. ERHARD. *Obroso*, veteres editiones Fulgentii, teste Munkero.

Mimum videtur implere] Salisb. de Nug. Curial. lib. 3. cap. 8. *Vita hominis super terram tentatio est: quæ, si proprietatem nominis sequimur, mali frequentius habet notam. In hac utique tentatione, vel militia, licet sibi septem millia Dominus reservaverit, fere totus mundus ex Arbitri nostri sententia mimum videtur implere, ad comœdiam suam quodammodo respiciens, &, quod deterius est, eousque comœdiæ suæ insistunt, ut in se, cum opus fuerit, redire non possint.* Ita ibi legendum esse, non *numerum*, docuit P. Pithœus subseciv. lib. 1. cap. 17. Octavianus Augustus apud Sueton. cap. 99. *Et quid iis videretur mimum vitæ commode transegisse.* ERHARD.

Exerceat histrionem] Salisberiens. lib. 3. cap. 8. *Ut ergo gentilium figmentis pium accommodemus auditum, rerum omnium tragicus finis est. Aut, si nomen comœdiæ gratiosius est, non duco contentionis funem, dum constet inter nos, quod fere totus mundus, juxta Petronium, exerceat histrionem. Quod & quidam temporis nostri scriptor egregius, infidelium tamen verbis, eleganter expressit;*

Ridiculos hominum versat sors cœca labores,
Sæcula nostra jocus, ludibriumque Deus.

ubi in quibusdam exemplaribus legitur *histrioniam*. Sed illam scripturam probat ipse Petronius hisce verbis ejusdem libri cap. 9. *Et finem sine honore habituri creduntur, quia dignitatem naturæ mundani histrionis habitu polluere dedignatur.* hanc Douza ex illo Plauti, *Jovem facere histrioniam*. ut *Mundo histrionia* sit, quæ Germanis veteribus, *der Werlte göchel*. Goldast. Animadvers. ad Winsbeck. ERHARD.

O maxima rerum] Adducuntur hi versus & illustrantur à Vincentio Belvacensi Specul. moral. lib. 20. cap. 20 & à Jacobo Magni Sopholog. lib. 4. cap. 10. ERHARD. Hæc Petronio adscripta, vel in Silio Italico, vel alibi, legere se meminisse scribit Barth. ad Stat. lib. III. Sylv. III. vers. 1.

Horrificoque infestant] Citat Petronii Arbitri nomine Joannes Ravisius Textor in Epithetis, verbo *Murmur*. ERHARD.

*

—— Horrificoque infestant murmure tigres.

*

Nam comptum me vernales alucitae molestabant. . . . Postquam ferculum adlatum est. . . . Tot Regum manubiae penes fugitivum repertae. . . . Satis constat, eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam. . . . . Petauroque jubente modo superior. . . . Adfer nobis alabastrum Cosmianum. . . . Suppes. . . . Tullia.

*

—— Ineluctabile fatum.

*

—— Tremebunda supervolat hasta.

*

Qui

Nam centum vernales me allucita molestabant] Fulgentius in Expositione sermonum antiquorum, in verbo *Hallucinari*. vulgo, *centum venales*. in vet. cod. *contum vernali me allucite molestabant*. in altero, *comptum me vernali alicite molestabant*. *Allucere*, *jactare*. *Allucinare*, *vane somniare*. *Allucinatio*, *lucis alienatio*. *Allucinaria*, *vana somniaria*. *Allucita*, *somniatores*. Vide Papiam, ex quo hæc sumsimus. DANIEL. An legendum *centumvirales*? ut intelligat, muscas, quibus frequenter infestantur, qui in centumvirali judicio adsunt tempore æstivo. Sambucus legit *centum venales*. Sed *vernales* hic mallem, hoc est, *vernæ*. Locum hunc in Petronii fragmentis ita adduci video: *Nam comptum vernali allucita molestabant*. Barth. Membranæ: *Conceptam me vernali alucita molestabat*. Cod. Leid. *Centum vernali me alucite molestabat*. Verbo *molestare* usus etiam est in Fragm. Trag. *Ergo aut tace, aut meliorem noli molestare*. MUNKER. ad Fulgent. Mythol. pag. 182. Lege *nam contubernales me allucita molestabant*. vulgo inepte legitur *nam centum vernales*. Ego vero *allucitas* hic interpretor, non culices, sed illos, qui officia lucis noctisque pervertunt, qui in tenebris vivunt, & interdiu stertunt. cujusmodi hominum genus M. Cato *antipodas* vocabat, ut est apud Senecam Epist. CXXII. dicuntur vero *allucitæ*, vel *alucita*, à privativa particula *a* vel *ab*, & *luceo*, unde & *alucinari*, vel *allucinari*, quasi *ablucinari*, quidam dici existimant. Philoxeni Glossæ Νυκτικόραξ, *alucus*, *bubo*. Sed & Servius ad Virg. Eclog. VIII. *Ululæ aves ἀπὸ τῆς ὀλολύζειν, id est, à fletu nominatæ, quas vulgo alucos vocant*. Sic lege, non *ulucos*, ut vulgo. VOSSIUS ad Catull. pag. 90. Codici Fulgentii, quem habuit Celeberrimus Grævius, Cauchius adscripserat, legendum sibi videri, *centum urnales me alucita molestabant*.

Ferculum] Fulgent. Expos. Sermon. Antiq. *Ferculum missus carnium*. *Petronius Arbiter*, *postquam ferculum allatum est*.

Totum Regum manubia penes fugitivum restiterant] In vet. cod. manuscripto Fulgentii, *Tot regum manuvies penes fugitivum*. sed altera manu postea *reperta* emendatum est. in altero v. cod. etiam legitur *manubies*, non *manubiæ*, ut in excusis. DANIEL. In editione Basileensi Hervagiana Fulgentii legitur *penes fugitivum restiterant*. Huc autem pertinere Epigramma paullo post sequens, quod incipit, *Non Satis est*, credebat Broukhusius meus. Bourdelotius retulit ad cap. LXXXVIII.

Satis constat] Ex Glossario S. Dionysii. DANIEL.

Cryptam Neapolitanam] Vide Erasmum in Adag. Cœl. Rhodiginum, & Henricum Stephanum in Apolog. ubi *Cryptam* explicat. DANIEL. Seneca epist. LVIII. *A ceromate nos apte excepit in crypta Neapolitana. Nihil illo carcere longius, nihil istis faucibus obscurius, quæ nobis præstant, non, ut per tenebras videamus, sed, ut ipsas*. WOUWEREN.

Petauroque jubente modo superior] Glossar. S. Dionysii; *Petaurus genus ludi. Petronius*, &c. DANIEL. Optime interpretatur Manil. lib. v. vers. 434.

Corpora, quæ valido saltant excussa petauro,
Alternosque cient motus, elatus & ille
Nunc jacet, atque hujus casu suspenditur ille.

WOUWEREN.

Adfer nobis alabastrum] Ambrosius Calepinus in dictione COSMVS, *qui nobilis unguentarius Romæ fuit. hinc*, inquit, *Cosmianum unguentum. Petronius*, &c. DANIEL. Vide Rader. ad Martial. lib. 14. ep. 100. ERHARD. Vide Martial. lib. XI. ep. 9.

Suppes] Glossar. *Suppes*, *suppummis*, *hoc est*, *supinis pedibus*. *Petron.* Wouweren. HADRIANID.

Tullia] Citatur in Vet. Glossario; *Tullia*, *media vel regia*. *Petron.* Wouweren. HADRIANID.

Ineluctabile] Hoc & sequens fragmentum, & quod incipit *exciso desossa*, unde sumserint collectores, vellem nobis indicassent.

Pra-

Qui praeesse cupit, prodesse recusat.
Magnus in exemplo est, cui non suffecerat orbis.

*

— Excisо defossa marmore petra.

*

Quinque pedum fabricata domus, qua nobile corpus
Exigua requievit humo. ——
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.

*

Mille saporatam medicatis frugibus offam.

*

Non est forma satis; nec, quae vult bella videri,
Debet vulgari more placere sibi.
Dicta, sales, lusus, sermonis gratia, risus,
Vincunt naturae candidioris opus.
Condit enim formam, quidquid consumitur artis,
Et, nisi velle subest, gratia tota perit.

*

Non satis est, quod nos mergis, furiosa juventus:
Transversosque rapit fama sepulta probris?

Anne

Praesse cupit] Sub nomine *Plauti* adducitur à Jacobo Magni in Sopholog. pag. 74. ubi restituendum videtur *Petronius*. DANIEL.

Atque ut] Est versus secundus ex Culice Virgilii, qui cur hic relatus sit, nescio.

Mille saporatam] Dionysius Halicarnasseus. DANIEL. Etiam ex Virgilio desumtus, qui lib. VI. Æneid. 410.

Melle soporatam & medicatis frugibus offam
Objicit.

ubi male *saporatam* quidam corrigunt. vid. Barth. ad Stat. VI. Theb. 235.

Non est forma] Arbitri non esse putat hoc Epigramma Barthius lib. XXII. Adversar. cap. 4.

Dicta, sales, lusus] Hippolytus à Collibus in Harpocrate. Eleganter autem *sales*: quibus quæ caret, *insulsa* appellatur. In Priapej.

Insulsissima quid puella rides? ERHARD.

Dicta, proprie mordaciores facetiæ. Unde in Glossis *Dictum σκώμμα*. Terent. Eunuch. Act. III. scen. 1. *Tuumne id dictum erat*. Et vetus Scholiastes à Barthio laudatus ad Stat. IX. Theb. vers. 302. *dictis, maledictis, probris*. vide supr. ad cap. CIX. de iis autem late agit, qui in dictis jaciendis fuit promtissimus, Cicero lib. II. de Orat. cap. 54.

Sermonis gratia] Supra in Satyrico de Circe cap. CXXVII. *Hæc ipsa cum diceret, tanta gratia conciliabat vocem loquentis*, &c. ERHARD.

Candidioris] Quid, quæso, est *candidior* natura, an vult, dicta, &c. vincere candorem & formam corporis, ut magis placeat puella non insulsa, sed faceta, quam in cujus corpore, etsi Pario marmore sit candidius, sit nulla salis mica. Præferrem tamen *naturæ languidioris opus*, ut languidius sit opus naturæ, forma scilicet, dictis & salibus. voces autem hæ confunduntur sæpius à Librariis. Ita apud Stat. libr. VI. Theb. 746.

—— *Et stimulis jam languida colla tumescunt.*

codex Rottendorphii, quem contulit Heinsius, habet *candida*. BURM.

Non satis est quod nos mergis] In luxum Romanorum. Scalig. in Catal. *Non*, pro annon, numnon, μετ' ἐρωτήματος. ERHARD. Hoc Epigramma Bourdelotius putat ad cap. LXXXVIII. esse referendum. ego respicere servos & libertos illos luxuriosos, quales in Trimalchione & ejus similibus traduxit, existimo.

Transversos rapit] A tramite nimirum virtutis. Plin. libr. XXVIII. I. *Remedia auferrent transversos*. Flor. libr. IV. 2. *Hic dolor transversum egit*. Septimius de Bello Troj. lib. I. cap. 7. *Præda ac libidine transversi agebantur*.

Fama sepulta] Eleganter dictum, pro obruta &

Anne etiam famuli cognata fece sepulti,
In testa mersas luxuriantur opes?
Vilis servus habet regni bona: cellaque capti
Deridet festram, Romuleamque casam.
Idcirco virtus medio jacet obruta coeno:
Nequitiae classes candida vela ferunt.

*

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua coelo

Ful-

obscurata tot dedecoribus & stupris. Ita Horatius lib. IV. od. 9.

Paullum sepulta distat inertia
Celata virtus.

Ovidius Epist. Heroid. VII. vers. 91.

His tamen officiis utinam contenta fuissem
Et mihi concubitûs fama sepulta foret!

lib. I. ex Ponto Epist. 5.

Vosque, quibus perii tunc, cum mea fama sepulta est,
Nunc quoque de nostra morte tacere reor.

Cognata face] Incognitum mihi, quare fæcem famulis vel servis *cognatam* dicit, nisi, ut ea vilissima pars & excrementum vini, ita hi hominum postremi & ultimi. & ita passim *fax hominum* vilissima turba vocatur, ut mox *vilem servum* vocat. Sequenti versu *luxuriantur* positum videtur pro luxurioſe profundunt.

Mersas] Lege, *mersa*. HADRIANID.

Luxuriantur] Alii, *luxurientur*. TORNÆS.

Cellaque capti] Pro, captivi, id est, servi vel mancipii. ERHARD.

Deridet festam] Lege, *festram*. Antonius Gnipho librum scripsit, *de festra*: quid videlicet *festra* in veterum libris & sacris significet. In eo libro pleraque omnia exoleta vetustatis persecutus erat, ut ex Macrobio cognoscimus. Itaque hoc dicit Petronius festram & quicquid antiquitas suum habuerit cum Gniphone, cum suis omnibus libris rideri. Palmerius in Spicileg. ERHARD.

Romuleamque casam] Vitruv. lib. II. cap. 1. *Item in Capitolio commonefacere potest, & significare mores vetustatis Romuli casa in arce sacrorum stramentis tecta.* WOUWEREN. Val. Maximus lib. 2. cap. 8. ubi de disciplina militari; *Ortum è parvula Romuli casa totius terrarum orbis fecit columen.* Idem lib. 4 cap. 4. in fin. *Per Romuli casam, perque veteris Capitolii humilia tecta, & aternos Vestæ focos, fictilibus etiamnum vasis contentos, juro.* ERHARD. De ea Justus Rycquius, antiquitatum callentissimus lib. de Capitol. Romano cap. 44. Erat autem *festra*, autore Gniphone Grammatico apud Macrob. Saturnal. lib. 3. cap. 12. ostium minusculum in sacrario Capitolii, extremæ antiquitatis. Quin antiquiores, auctoritate Festi, *festram* dicebant, quam nos feneſtram. Conjungit autem *festram Jovis* cum *Romuli casa* Petronius, quod utraque in Capitolio, locis parum invicem disjunctis, esset. De *festra* idem observat Junian. Majus de Priscor. propriet. verbor. Nestor Novarienſ. in Vocabular. Eilhard. Lubinus de Antiq. verb. & doctissimus Laurembergius in Antiquario. WEITZ.

Nequitiæ classes] Cicero pro domo cap. x. *Quid tandem? si, quæ tum illis reipub. tenebris, cæcisque nubibus & procellis, cum Senatum à gubernaculis dejecisses, populum è navi exturbasses, ipse Archipirata cum grege prædonum impurissimo, plenissimis velis navigares.*

Candida vela] Id est, λαμπρὸς ἀήτης. Scalig. in Catal. ad Culic. ERHARD. Ἀργυφα ὀπλα νηῶν, Oppian. Cynegetic. WEITZ.

Primus in orbe Deos] Ex Fulgentio Mytholog. lib. 5. ubi habet V. C. *in urbe*. Habetur hoc hemistichium & apud Statium lib. 3. Theb. vers. 661. ad quem versum ejus interpres Cœlius Firmianus Lactantius Placidus scribit; *Negat, Deos ulla alia re celebrari, nisi timore mortalium, ut Lucanus; Quæ finxere, timent. & Petronius Arbiter, istum secutus;*

Primus in orbe Deos fecit timor ——

Puto autem, ex Fulgentii rivulo Lactantium sive Lactatium sumsisse, non ex ipso Petronii fonte, quem numquam fortasse viderat. Nam & illic Mintanorem Musicum citat iisdem omnino verbis, atque Fulgentius, ut Luctatius Petronium post Statium fuisse affirmare non possit, sed potius conjecerit, neotericum auctorem Petronium esse, quippe à Fulgentio citatum. Certe Lucanus & Petronius σύγχρονοι fuerunt, imperante Nerone; Statius autem longe post vixit, temporibus nimirum Domitiani. itaque omnino fallitur Luctatius, qui Statio facit posteriorem Petronium, cum fieri potuerit, ut illi inferior tempore hunc secutus sit, & versum ab eo sumserit. Lilius Gyraldus Dialog 3. de Latinis Poëtis de Petronio scribit, sed, quo tempore vixerit, non habet compertum. *In Quintiliani*, ait, *enarrationibus literatores quidam eum ante Quintilianum floruisse suspicantur. Sed Placidus Lactantius illum vult Statio posteriorem*, &c. Sciendum, qui sint illi literatores, an veteres, an neoterici: deinde reprehendendus Gyraldus, qui non bene examinaverit Statii interpretem, quod ex Fulgentio hæc

Fulmina quum caderent, discussaque moenia flammis,
Atque ictus flagraret Athos, mox Phoebus ad ortus
Lustrata dejectus humo, Lunaeque senectus,
Et reparatus honos: hinc signa effusa per orbem,
Et permutatis disjunctus mensibus annus
Projecit vitium hoc: atque error jussit inanis
Agricolas primos Cereri dare messis honores:

Pal-

hæc sumserit, uti dictum. DANIEL. In superstitionem, Scalig. in Catal. Statius lib. 3. Thebaid. vers. 661.

Primus in orbe Deos fecit timor.

Ad quæ verba Lactantius Placidus interpres: *Negat, Deos ulla alia re celebrari, nisi timore mortalium. ut Lucanus:* —— *Qua finxere, timent. Et Petronius Arbiter istum secutus. Sic & Mintanor Musicus:*

Deum, doloris quem prima compunctio
Humani finxit generis.

In adversitatibus enim & timore Deum invocamus. unde istud Petronianum. & illud Gregorii: *Mala, quæ hic patimur, ad Deum nos ire compellunt.* juxta quod Psalmista; *ad Dominum, cum tribularer, clamavi.* Et contra; *Impinguatus est dilectus meus & recalcitravit.* Iodoc. Badius Ascensius Explanat. in Val. Max. lib. 1. cap. 1. ERHARD. Recte Barthius ad Statii lib. III. Theb. vers. 661. ostendit, ex verbis Lutatii non constare Petronium post Statium, sed Lucanum, scripsisse. Sine dubio enim Statius hoc Hemistichium sumsit à Petronio, licet Servius ad Virgilii II. Æneid. 715. citet Statii nomine. Cæterum argumento hoc usos fuisse Stoicos, Deum esse, quia fulmina è cœlo mittuntur ad terrendos & puniendos homines, apparet ex elegantissima Horatii oda XXXIV. libri I. ubi irridet illorum stultitiam, qui Epicureos hoc argumento ad Deorum providentiam perducere conabantur.

Parcus Deorum cultor & infrequens,
Insanientis dum sapientiæ
Consultus erro, nunc retrorsum
Vela dare, atque iterare cursus
Cogor relictos: namque Diespiter,
Igni corusco nubila dividens
Plerumque, per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum.

Ita enim distinguenda verba puto, non *plerumque per purum*, &c. Nam falsum est, Jovem plerumque tonare sereno cœlo, ut Dacierius voluit. Neque poterant Stoici hoc umquam probare, cum hoc rarissime fieret, & omen facere crederetur. Sed Jupiter ille, qui plerumque tonabat cœlo nubibus obducto, nunc tonuit, tempestate serena, unde Horatio volebant persuadere non ex naturalibus caussis tonitru fieri, sed à Jove certo consilio fulmen & tonitru è cœlo etiam puro mitti. Quamvis & Horatius ibi potuerit, non tam Stoicorum, quam Augurum, disciplinam irridere, qui eliciendorum fulminum etiam serena tempestate rationem imperitæ multitudini tradebant ex Numæ instituto. vide Ovid. III. fast. vers. 285. & quæ nos de Jove Fulgerat. cap. IX. disputavimus. De timore autem caussa religionis satis multa congessit Barthius ad dictum Papinii locum. Refellit autem Lactantius lib. de Ira Dei cap. 10. ut notaverat Ampl. Cuperus. BURM.

Phœbus ad ortus] Immo ad occasus dicendum erat. Sed ex ingenio est corruptæ scriptionis petenda correctio, & legendum:

Mox Phœbus ad ortus
Lustrata redit actus humo,

in orbem lustrata terra redit in locum orientis. Nihil planius. BARTHIUS ibidem.

Lunæque senectus] Vocat senectutem Lunæ, quando decrescit. Ita Apulej. lib. IV. Florid. de Thalete, *idem Lunæ vel nascentis incrementa, vel senescentis dispendia, vel delinquentis obstacula repperit.* Ita *consenescere* venti dicuntur, qui jam considere incipiunt. Dictys Cretens. lib. I. *damna lunaria* vocat Claudian. Panegyr. Honor. Gell. lib. XX. cap. 7. *& deficientis luminis damna sentimus.* CUPERUS.

Et permutatis] Sensus horum versuum hic est. Loquitur auctor de Diis, quos ait timorem fecisse, ut, cum fulmina caderent, &c. hinc signa, id est, simulacra Diis erigi solita; huic malo accessit diversa anni tempestas, quam nunc lætam, nunc rigidam, vel æstatem, vel hyemem, scimus. Hæc, inquit, diversitas fecit, ut longius serperet hoc malum. CUPER.

Projecit vitium hoc] Ut *projectam libidinum audaciam*, pro effusa & immodica, sic *projicere audaciam, lasciviam*, pro effundere. ergo *projicere vitium*, cujus jam modus nullus est. Palmer. in Spicileg. ERHARD. Commune fecit, effudit in omnes partes mundi. BARTHIUS ibidem.

Error inanis] Vanus, superstitiosus. ERHARD.

Agricolas primos Cereri] Hinc *frugum parens* Senecæ dicitur in Herc. fur. eique fruges sacræ, tanquam inventrici. Delrio in Comment. n. 299. ERHARD.

Primos] Docte. Nam prima & antiquissima sacra Cereris, cui primitiæ frugum oblatæ. Cicero IV. Verr. cap. 49. *Cererem antiquissimam & religiosissi-*

Palmitibus plenis Bacchum vincire: Palemque
Paſtorum gaudere manu, natat obrutus, omni
Neptunus demerſus aqua: Pallaſque cavernas
Vindicat. Et voti reus, & qui vendidit orbem,
Jam ſibi quiſque Deos avido certamine fingit.

*

Nolo ego ſemper idem capiti ſuffundere coſtum!
Nec toto ſtomachum conciliare mero.
Taurus amat gramen mutata carpere valle,
Et fera mutatis ſuſtinet ora cibis.
Ipſe dies ideo nos grato perluit hauſtu,
Quod permutatis hora recurrit equis.

*

Uxor legitimus debet quaſi cenſus amari:
Nec cenſum vellem ſemper amare meum.

*

Invenias quod quiſque velit, non omnibus unum eſt,
Quod placet: hic ſpinas colligit, ille roſas.

*

Nam nihil eſt, quod non mortalibus afferat uſum,

Re-

mam principem omnium ſacrorum, quæ apud omnes gentes fiunt, vocat. vide eumdem pro Balbo cap. 24.

Natat] Sententia eſt, Neptunum, tantum Deum, ſingi tam ridiculum, ut in omni aqua natantem deprehendere liceat. BARTHIUS ibidem.

Cavernas] Alii, *tabernas*, TORNÆS. Sic reponunt nonnulli. alii legunt, *tabernas*. atqui tabernæ Bacchi ſane vinariæ: cæteræ, Mercurii. *Cavernas* virgo reſpuit, &, ſi quæ virginales, illas Dianæ venatrici permittit. reddantur litterariæ Deæ *lucernæ*, quas illi tribuerat Petronius, ſed ſenſu ambiguo. Sic Arnob. vocat *Minervam lucernarum modulatricem*. Delrio Comment. in Senec. Herc. fur. n. 299. ERHARD. Veroſimilem Delrii conjecturam illuſtrat etiam Barthius, ipſe tamen mallet *palæſtras*, ab Olivo.

Vendidit orbem] Barthius Adverſ. lib. xxxvi. cap. 17. *Urbem*, Patriam nimirum, volebat, ſed ad Papinii locum d. præfert *Orbum*, id eſt, hæredipeta, qui orbum, quem adulatur, cariſſime magnoque pretio vendidit, bona ſua ſummo cum emolumento elargiens; nihilque potuiſſe & ingenio ſuo & re ipſa dignius ſcribere Satyricum auctorem exiſtimat.

Nolo ego ſemper idem] De vitando faſtidio, Scalig. Catalect. Huic ſimile eſt epigramma illud, quod ſequitur, *ſic contra rerum*, &c. ERHARD.

Coſtum] *Coſtus*, ſive *coſtum*, nardi ſpecies. at *nardi* unguento perfuſa capita patet ex Pſalm. 23. & Matthæi Euang. cap. 26. Vide Barth. ad Claudian. Bell. Gildon. verſ. 184. ERHARD.

Nec toto ſtomachum conciliare mero] Lege,

Nec noto ſtomachum conciliare mero.

Palmer. in Spicileg. Jaſon. Cyrenæus Machabæor. lib. 2. cap. ult. in fin. *Sicut enim vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt, alternis autem uti, delectabile, ita legentibus ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* ERHARD. Approbat Palmerii correctionem Barth. lib. xxii. Adverſ. cap. 4. & ita citat Broukhuſius ad Tibull. lib. 1. eleg. ix. ubi emendat, *noti pocula Bacchi*, in Nemeſiano.

Conciliare] Quid eſt *conciliare?* nimirum contrarium Petronius dicere vult, ſtomachum faſtidio affici unius ſemper vini potu. poſſet antiqua vox *concipilare* amanti reconditiora excidiſſe. Nihil tamen mutem. Nam *ſtomachus* etiam commotionem ipſius faſtidiumque ipſum ſonare ſolet. BARTH. Lib. xxii. Adverſ. cap. 4.

Permutatis] Male repeti *mutandi* verbum, affirmem: nam & de noctis & diei ſucceſſione loquitur, & repetitio illa Petroniana non eſt, cum Epigramma alioqui ejus Genium ſpiret. Emacula,

Et pernoctatis hora recurrit equis.

Neque enim mutare equos Solem ullibi ſcriptum, dictum, aut pictum legitur. BARTH. ibidem.

Uſum] Scribendum, *uſus*. BARTH.

Re-

Rebus in adverſis, quae jacuere, juvant.
Sic rate demerſa fulvum deponderat aurum,
Remorum levitas naufraga membra vehit.
Quum ſonuere tubae, jugulo ſtat divite ferrum,
Barbara contemptu praelia pannus habet.

*

Linque tuas ſedes, alienaque litora quaere,
O juvenis! major rerum tibi naſcitur ordo.
Ne ſuccumbe malis: te noverit ultimus Iſter,
Te Boreas gelidus, ſecuraque regna Canopi,
Quique renaſcentem Phoebum, cernuntque cadentem.
Major in externas Ithacus deſcendat arenas.

*

Nam citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam ſecreta tegant: quidquid dimittis in aula,
Effluit, & ſubitis rumoribus oppida pulſat.

Nec

Rebus in adverſis, quae jacuere, juvant] Eadem mente, qua & in Catal. Virgilii;

Jacere me, quod alta non poſſim, putas,
Ut ante, vectari freta.

Et neſcio quis dixit, *jacentem guſtum.* Et Gellius; *Oppido quam jacere ac ſordere incipiunt, quae Latina ſunt.* eſt, quod Graeci, ἀτονῶ, Scalig. in Catal. *Quae jacuere*, id eſt, quae contemta fuerant. Lucretius lib. v. verſ. 1135.

Ergo Regibus occiſis ſubverſa jacebat
Priſtina majeſtas ſolioram, & ſceptra ſuperba.

Schopp. in Miſcellan. Cic. Famil. lib. 14. ep. 2. *Te nunc, mea Terentia, ſic vexari, ſic jacere in lacrumis & ſordibus?* Et ad Attic. lib. 10. ep. 4. *Jacet in moerore meus frater.* Paul. Manutius in Comment. *Jacere*, torpere, ignavum & timidum eſſe. unde *Abjectus.* Barthius ad Claudian. libr. 1. de Rapt. Proſ. verſ. 97. ERHARD. *Jacere* eſt, vilem eſſe, contemni, ut ad Claudianum multis notamus. BARTH. Dubito tamen, an non ſcripſerit auctor, *qua nocuere, juvant*: ut ſit elegans antitheſis, ex ipſis enim rebus, quae nocent, in adverſis licet colligere ſummum fructum.

Vulſam deponderat aurem] Lege, *fulvum deponderat aurum.* Palmerius Douzae ſublegulus in Spicileg. ERHARD. Tornaeſ. *vulſam deponderat aurem.* Anonym. MS. Leg. *fulvum deponderat aurum.* Douſa MS. Sic Petron. Carm. de bello Civili;

Si qua foret tellus, fulvum quae mitteret aurum,
Hoſtis erat. —— HADRIANID.

Linque tuas ſedes] Exhortatio. Scalig. in Catalect. ERHARD.

Cernuntque jacentem] Forte, *cadentem.* Manilius: *Quaque cadit Phoebus.* DOUZA F. Lege, *cadentem*, ut me monuit Douza F. Confirmabat autem conjecturam ſuam hoc Manilii; *Quaque cadit Phoebus.* Lindenbrog. Not. in Catal. Loquitur ſecundum vulgi opinionem. credunt enim vulgares, Solem mori, cum tendit ad occaſum, & rurſus emergentem naſci. Catull. lib. 1. epigr. 5.

Soles occidere & redire poſſunt.

Palladius Fuſcus in Annotat. in Catull. ERHARD. Douzae quoque emendationem adprobat Barthius lib. XXII. Adverſ. cap. 4. & multis exemplis illuſtrat.

Major in externa ſita cui deſcendat arenas] Alii, *externam ſit qui deſcendat arenam.* TORNAES. Palmerius Specil. p. 814. legit, *deſcendit.*

Ithacus] Ulyſſes. Huic *peregrinatio* prudentiam addidit. Douſ. MS. HADRIANID.

Nam citius flammas] De Aulicorum vanitate. Scalig. in Catal. vide Hippolytum à Collibus in Principe cap. 10. Weitzium Not. ad Prudentii περὶ στεφ. Hymn. 2. verſ. 253. Quoad formulam dicendi, videtur ea eſſe quodammodo proverbialis. Cicero 2. de Orat. *Dicere ajunt Ennium, flammam facilius ore inardente opprimi, quam bona dicta teneat.* Ennodius lib. VII. Epiſt. XVI. *Facilius eſt ignem lingua comprimere.* lib. 1. Ep. 25. *Facilius eſt ardentes favillas ore comprimere.* Juretus Miſcellan. ad Symmach. libro 1. epiſt. 25. ERHARD.

Mortales] Mortiferos, lethales. vide Goldaſti Notas ad Valerian. edit. Rover. ERHARD.

Rumoribus oppida pulſat] *Quatere* dixit Valer. Flacc. lib. v. verſ. 273.

—— *Omnemque quatit rumoribus Arcton.*

lib. II. 122.

Mo-

Nec satis est vulgasse fidem: simulatius exit
Proditionis opus, famamque onerare laborat.
Sic commissa verens avidus referare minister
Fodit humum, Regisque latentes prodidit aures;
Concepit nam terra sonos, calamique loquentes
Invenere Midam, qualem narraverat index.

*

Fallunt nos oculi, vagique sensus
Oppressa ratione mentiuntur.

Nam

——— *Motis quatit oppida linguis.*

Frequens autem posterioris ætatis scriptoribus vox *pulsare* eo sensu, quo veteres *fatigare* dixerunt, ut ostendit Barthius ad Claudian. Bell. Gildon. vers. 170. & ad Stat. libr. VIII. Theb. 249. vide supra ad cap. CXXIII.

Proditionis opus] Elegans circumlocutio, id est, ipsa proditio. Ita *virtutis opus* dixit Curtius lib. VIII. cap. 14. ubi vide Freinsh. Claudian. de laud. Serenæ vers. 11.

Dignius an vates alios exercuit unum
Fœmineæ virtutis opus.

Sic commissa ferens] Fulgentius Mytholog. lib. 3. in fab. de Apolline & Marsia. Quos versus mutuatus est Petronius ab Ovidio lib. XI. Metamorphos. vers. 190. ubi dedecus stolidi Indicis Midæ describit.

Creber arundinibus tremulis ibi surgere lucus
Cœpit, &, ut primum pleno maturuit anno,
Prodidit agricolam: leni nam motus ab Austro
Obruta verba refert, dominique coarguit aures.

Porro vet. cod. pro *ferens*, habet *verens*, & pro *minister*, *magister*. DANIEL. Lact. argum. lib. XI. Met. fab. 5. *Midas quidem deformitatem suam celare volebat, sed eam vidit famulus tonsor, qui, cum eam nec eloqui auderet, nec reticere posset, humum effodit*, &c.

Viderat hoc famulus, qui, cum nec prodere visum
Dedecus auderet, cupiens efferre sub auras, &c.

Hinc patere cuivis facile existimo, rectius esse *verens*, quam quod Modius & alii dederunt, *ferens*. Sarisber. Polycrat. lib. III. cap. 12. *Si terræ secretum suum infodiat, vel arundo succrescens hoc producet in publicum, & levi flatu in auras proferret, quontam auriculas asini Midas habet.* MUNKER. ad Fulgent. Myth. pag. 126.

Avidus servare] Fulgent. *avidus referare*. TORNÆS.

Excepit nam terra sonos] Fulgent. *concepit nam terra sonum*. TORNÆS.

Calamique loquentes] Juliano Antholog. lib. 7. in extremo epigramm. μιδέοι κάλαμοι, ubi Maximus in Scholiis, Fulgent. Mytholog. lib. 3. Brodæus in Annotat. ad Antholog. ERHARD.

Invenere Midam] Persius,

Auriculas asini quis non habet?

Ferunt nonnulli, primum à Poëta scriptum fuisse,

Auriculas asini Mida rex habet.

deinde metu Cæsaris scripturam mutasse, *quis non habet*. Petronius videtur in Neronem commodasse. Erasmus in Adag. *Midas auriculas asini*. ERHARD. *Incinuere* Salmasius & Palmerius, in Fulgentii ille, hic in Petronii margine emendaverant. Et recte quidem. *Incinere* elegans verbum est. Propert. lib. II. el. 18.

——— *Seu varios incinit ore modos.*

Auson. epist. 23.

Depressis scrobibus vitium regale minister
Credidit, idque diu texit fidissima tellus.
Inspirata dehinc vento cantavit arundo.

Fabula unde orta sit, narrat Conon apud Phot. cap. I. MUNKER. ad Fulgent. Mytholog. p. 126.

Qualem narraverat] Fulgent. *conceperat*. TORNÆS. Cujus verba per calamos omissa sub terris hæc erant: *Midas rex asini aures habet*. Raph. Regius, Jac. Micyllus, & Greg. Bersmannus in Ovid. lib. II. Metamorph. Lactantius Placidius in argumento ejusdem libri, *Refert quod, cum deformitatem illam* (scilicet aurium asininarum) *veste celaret, ut famulus vidit, neque eloqui posset, ejusdem Dei* (Apollinis) *mentem in aures haberet. cui rursus obruta arena, arundines enatæ, agitataque vento deformitatem Midæ indicarent.* ERHARD. Ita & MS. Leid. in Petronianis fragmentis edi ierunt *narraverat*. Rectius utique & sententiæ convenientius, nisi scripsit, *conspexerat*. MUNKER. ad d. l.

Fallunt nos oculi] Sext. Empir. ἀντίθεμεν δὲ ἡ φαινόμενα φαινομένοις, ἢ νοούμενα νοουμένοις, &c. φαινόμενα μὲν φαινομένοις ὅταν λέγωμεν, ὁ αὐτὸς πύργος πόρρωθεν μὲν φαίνεται στρογγύλος, ἐγγύθεν δὲ τετράγωνος. PITH. Sextus Empiricus in libro contra Mathematicos scribens ex opinione Epicuri: Οὕτως ἂν εἴποιμι ψεύδεσθαι τὴν ὄψιν, ὅτι ἐκ μακροῦ μὲν διαστήματος μικρὸν ὁρᾷ τὸν πύργον καὶ στρόγγυλον, ἐκ δὲ τοῦ σύνεγγυς μείζονα καὶ τετράγωνον, ἀλλὰ μᾶλλον ἀληθεύει, ὅτι καὶ ἔτι φαίνεται μικρὸν αὐτῇ τὸ αἰσθητὸν καὶ τοιετόσχημον, ὄντως. (forte interponendum ἐστὶ) μικρὸν καὶ τοιετόσχημον τῇ διὰ τὸ ἄπορος φορᾷ ἀποθραυομένων τῶν κατὰ τὰ εἴδωλα πυράτων. Tertullia-

Nam turris, prope quae quadrata surgit,
Adtritis procul angulis rotatur.
Hyblaeum refugit satur liquorem,
Et naris casiam frequenter odit.
Hoc illo magis, aut minus, placere
Non posset, nisi lite destinata
Pugnarent dubio tenore sensus.

*

Jam nunc ardentes Auctumnus fregerat umbras,
Atque hyemem tepidis spectabat Phoebus habenis:
Jam platanus jactare comas, jam coeperat uvas
Adnumerare suas defecto palmite vitis:
Ante oculos stabat, quidquid promiserat annus.

*

Sic & membra solent auras includere venis,
Quae penitus mersae, quum rursus abire laborant,
Verberibus rimantur iter: nec desinit ante,
Erigidus strictis qui regnat in ossibus, horror,
Quam tepidus laxo manavit corpore sudor. Sic

*

tullianus de Anima cap. 17. *Item ut turris habitus eludit, intervalli conditio compellit in aperto, aqualitas enim circumfusi aëris, pari luce vestiens angulos, obliterat lineas.* Similis fere ratio & à Lucretio redditur lib. 5. Meminit vero hujus rei idem Empiricus Pyrrhon. Hypothes. lib. 1. cap. 13. Notandum etiam, in Petronio *rotatur* poni, pro rotundatur. DOUZA F.

Nam turris, prope quæ quadrata surgit] Lucret. lib. IV. vers. 354.

Quadrataque procul turres cum cernimus urbis,
Propterea fit, uti videantur sæpe rotundæ,
Angulus obtusus quia longe cernitur omnis.

Isidor. Orig. lib. 15. cap. 2. *Turres, quamvis quadratæ aut latæ construantur, procul tamen videntibus rotundæ existimantur, ideo quia omne cujusque anguli simulatum per longum aëris spatium evanescit, atque consumitur, & rotundum videtur.* WOUWEREN. Sextus Empiricus Pyrrhon. libr. 1. & Tertull. de Anima cap. 17. quæ loca Douzæ F. sublecta notavit Lindenbrog. in Catal. ERHARD.

Attritis] Alii, *detritis*. Lucretio, *obtusis*. ERHARD.

Angulis rotatur] Pulchre & appositè. Macrob. lib. 7. cap. 14. *Cum sit anguloſa, rotunda existimatur, facit rationis negligentia.* Pontanus in Not. ERHARD.

Et naris casiam frequenter odit] Lege, *Et marcens casiam.* Multo cibo & potione completi, *marcere dicuntur.* Petron. supra cap. XXII. *Et ancillæ super thorum marcentis excussum forte altius poculum caput fregit.* Ammianus lib. 21. *Unde largiori potu, saginisque admodum distenti marcebant.* Sidon. ep. 9. lib. 2. *pectora marcida cibis.* Savaro in Not. ERHARD. *Naris*, in casu nominandi, agnoscunt etiam barbarorum temporum Grammatici, Huguitio, Papias, Balbus Januensis, Britto, Calepinus, Melberus, &c. pro eo tamen *nar* legitur apud Alexandrum de Villa Dei, Gallum, qui regnum quondam inter barbaros Grammaticos in Scholis omnibus obtinebat, lib. 1. Doctrinal. & probant non solum ejus commentatores, Kempo Tessalienſis, Joan. Synthen, Torrentinus Daventriensis, &c. verum etiam ipsi Latinitatis restauratores, Henrichmannus in tract. de Verb. Grammatic. & Joan. Brassicanus in Institutionib. Grammatic. de in *ar* desinentibus. WEITZ.

Sensus] Hic post *sensus* Tornæsius subjunxit epigramma illud Eumolpi de Insomniis superius cap. CIV. Satyrico insertum. Unde jam non miror, etiam in MS. Tragur. desiderari, quod inter fragmenta latuerit. HADRIANID.

Ante oculos stabat, quicquid promiserat annus] Sic paullo post; *Grandine qui segetes & totum perdidit annum.* ERHARD.

Sic & membra solent] Forte Encolpius, aut Eumolpus, persuadere volens plenum & voluptabilem coïtum, philosophari instituit. Videtur enim hoc de humani missione seminis dicere. ERHARD. Dehinc apud Tornæsium sequitur:

Hæc ait & tremulo deduxit vertice canos,

ut supra cap. CXXXVII. HADRIANID.

Sic contra rerum naturae munera nota
Corvus maturis frugibus ova refert:
Sic format lingua foetum, quum protulit ursa,
Et piscis nullo junctus amore parit.
Sic Phoebeia chelys vinclo resoluta parentis
Lucinae tepidis naribus ora fovet.
Sic sine concubitu textis apis excita ceris
Fervet, & audaci milite castra replet.
Non uno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

*

Naufragus, ejecta nudus rate, quaerit eodem
Percussum telo, cui sua fata legat.
Grandine qui segetes & totum perdidit annum,
In simili deflet tristia fata sinu.
Funera conciliant miseros, orbique parentes
Conjungunt gemitus, & facit hora pares.
Nos quoque confusis feriemus sidera verbis; Et

Haec ait & tremulo] Deleri debuit hoc fragmentum, quod supra cap. CXXXVII. in possessionem edicto Goldasti restitutum est. ERHARD.

Sicut sunt rerum naturae] Exstabant illi duo priores versus, ubi legitur;

Sic contra rerum naturae munera nota
Corvus maturis frugibus ova refert,

Reliquum explevi ex meo v. c. BINET.

Sic format lingua foetum, cum protulit ursa] Ovid. 15. Metamorphos. vers. 379.

Nec catulus, partu quem reddidit ursa recenti,
Sed male viva caro est; lambendo mater in artus
Fingit, & in formam, quantam capit, ipsa reducit.

Verum hac de re ubertim, &, ut solet, docte, commentatur Rittersh. ad Oppian. 3. Cyneget. vers. 159. & Haschelius ad Horapollinem p. 204. WEITZ.

Sic sine concubitu] Hinc Prudentio 3. Cathemer. est *nexilis inscia connubii*. Virgil. in Georg. lib. IV. vers. 198. *Qui neque concubitu indulgent*. WEITZ.

Apis excita ceris] Alii, *apes*, quod in nominativo corripi, scribit Probus in Catholico eo nomine reprehensus à Pompilio in Arte Grammatic. & Joan. Brassicano in Institution. Grammatic. de *in es desinentibus*, qui τὸ *es* in *apes* ex generali regula volunt produci. Sed Probum probant Glossographi, Huguitio, Papias, Balbus in Catholic. Iunianus Majus, Tortellius, Calepinus, &c. Dici tamen etiam *apis* in nominandi casu, admittunt iidem Grammatici, ex suggestione Curii Lanceloti lib. 1. de Literatura non vulgari. Ovidius.

Non apis inde tulit collectos sedula flores.

Nec temere aliter apud bonos ac probatos auctores reperitur. WEITZ.

Contenta valet Fortuna tenore] Lege, *volat Fortuna tenore*, hoc est, more illo & quasi ῥήσει variandi. Sic, *tenorem sensuum* idem Petron. dicit, *morum tenorem* Sidonius, *aqua tenorem* Dracontius. Barthius ad Claudian. Bell. Gildon. vers. 205. ERHARD.

Naufragus ejecta] Propertius lib. 2.

Navita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oves. ERH.

Ejecta rate] Nihil muta: in littus per naufragium. vide supra ad cap. 115.

Cui sua fata legat] Narret, dicat. Servat hoc loco vim primigeniam, quam accepit à Graeco λέγειν. ERHARD. Satin' Latine? noluit, credo, dicere, apud quem de fato suo conqueratur, tamen & Catullus sic ferme loquitur carm. LXV.

At certe semper amabo,
Semper maesta tua carmina morte legam.

sed ille locus controversus. BROUKHUSIUS.

Perdidit annum] Ovid. 1. Met. 273.

—— *Longique perit labor irritus anni.*

Sortique parentes] Forte, *orbique parentes*. BINET.

Hora] Id est, mors, fatale tempus. vide Barth. ad Stat. lib. II. Sylv. I. vers. 54. Horat. II. od. 16.

Et mihi forsan, tibi quod negarit,
Porriget hora.

Ubi Acro, *forsan, tibi mors occurrendo, me transibit*. Plinius lib. XIII. cap. 3. *unguenta illico exspirant, ac suis moriuntur horis*. Ubi nihil necesse rescribere *heris*, cum Ferrario lib. II. elect. 3. Ita passim *extrema, novissima*

Et fama eſt junctas fortius ire preces.

*

Omnia, quae miſeras poſſunt finire querelas,
In promptu voluit candidus eſſe Deus.
Vile olus, & duris haerentia mora rubetis,
Pugnantis ſtomachi compoſuere famem.
Flumine vicino ſtultus ſitit, & riget Euro,
Quum calidus tepido conſonat igne rogus.
Lex armata ſedet circum fera limina nuptae,
Nil metuit licito fuſa puella toro.
Quod ſatiare poteſt, dives natura miniſtrat,
Quod docet infrenis gloria, fine caret.

*

Judaeus licet & porcinum numen adoret,
Et coeli ſummas advocet auriculas: Ni

viſſima hora, & ſimilia. BURM.

Et fama & conſtans] Lege, *& fama eſt junctas*. BINET.

Omnia, quae miſeras poſſunt finire querelas] Seneca epiſt. 16. Bongarſ. ERHARD.

Pugnantis ſtomachi] Lego, *pungentis*. DOUZA F.

Flumine vicino ſtultus ſitit] Vetus humani generis mos, *potare flumina*. Seneca lib. 4. epiſt. 25. *Panem & aquam natura deſiderat: nemo ad hoc pauper eſt; intra quae quiſquis deſiderium ſuum claudit, cum ipſo Jove de felicitate contendat.* Menander apud Stobaeum Serm. 5. ſive Euripides, ut volunt Athenaeus lib. 4. cap. 28. & Agellius lib. 7. cap. 16.

Ἐπὶ τί δεῖ βροτοῖσι, πλὴν δυεῖν μόνοιν,
Δήμητρος ἀκτῆς, πάματος δ' ὑδηχόου,
Ἅπαντα πάσοι, καὶ πίφυχ' ἡμᾶς τρέφει:
Quid quaeſo deeſt mortalibus, niſi haec duo,
Fruges Cereris, potuſque profundens aquas,
Quae praeſto ſunt, ideoque nata, ut omnes alant?

Et de Pythagoricis Alexis in Tarentinis, apud Athenaeum lib. 4. cap. 39.

——— Καθ' ἡμέραν τάδε,
Ἄρτος καθαρὸς εἰς ἑκατέρᾳ, ποτήριον
Ὕδατος. τοσαῦτα ταῦτα.
——— *In ſingulos dies*
Utrique panis purus eſt, & poculum
Aquae: nec amplius quicquam:

Hinc Horatio lib. 1. epiſt. 19. *aqua potor*, Sidonio *potor Moſella*. Peſcennius Niger apud Spartianum cap. 7. *Nilum habetis, & vinum quaeritis?* Lex Aquaria apud Frontinum: *Ne quis aquam eletato: ſi quis eletarit, H. S. decem millium multa eſto.* Vide Freher. ad Auſonii Moſellam verſ. 30. Savaron. ad Sidon. lib. 4. epiſtol. 17. & ad Carm. 5. verſ. 580. Refer huc illud 2. Maccab. 1. 40. Ὅσοι καταῖσιας πίνειν, ἀναύστως δὲ καὶ ὕδως πάλαι, πολέμιοι. οἱ δὲ τρόπον τινὰ ὕδατι συγκιρασθεὶς ἡδὺς, καὶ ἐπιτερπῆ τὴν χάριν ἀποτελεῖ. ὅτω καὶ τὸ τῆς κατασκευῆς τῷ λόγῳ πρέπει τὰς ἀκοὰς τῶν ἐντυγχανόντων τῇ συντάξει: *Sicut vinum ſemper bibere, aut ſemper aquam, contrarium eſt; alternis autem uti, delectabile; ita legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus.* WEITZ.

Effugit Euro] Forte, *& riget Euro*. BINET.

Lex armata] Alcimus Avitus lib. 3. verſ. 367. *legibus armatas lites* dixit. Prudent. lib. 2. in Symmach. *Lex armata ſedet*. Conſtantinus Imper. in L. 31. C. ad Leg. Jul. de adult. *inſurgere leges & armari jura gladio ultore* ſcripſit. Vide Juretum ad Symmach. pag. 86. Juſtinianus Imper. in procem. Inſtitut. in princ. *Imperatoriam Majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam.* ubi notarunt interpretes, Cujacius, Balduinus, Mynſingerus, Borcholden, Rittershuſius, Tialingus ab Aytziga, alii, in Commentar. WEITZ.

Judaeus licet & porcinum numen adoret] In hoc falſus animi Petronius, aliique Gentilium, qui reverentia tam immundi exoſique animalis affici Judaeos putabant, cujus figura Hadrianus Imp. in portis poſita abigere & abſterrere aditu Hieroſolymorum Judaeos voluit. Freherus Parergor. lib. 3. cap. 11. ERH. Caſaubon. ad Sueton. p. 153. WEITZ. Vid. Fabri. Epiſt. lib 1 6.

Numen adoret] Cunaeus lib. 11. de Republ. Hebr. legit *abhorret*, ſed poſtea ſententiam mutavit.

Et coeli ſummas] Quid ſi legas, *Et Cilli ſummas advocet auriculas? κίλλος, ὄνος*. Somniarunt enim Nationes, caput aſininum Deum fuiſſe Judaeorum: quod refutant Joſephus, Tertullianus. PITH. Notum eſt, Judaeos ab Appiano Alexandrino, Moloneque, Tacito, & aliis, notatos eſſe, quod aureum aſini caput in templi ſacrario ſervarent atque adorarent: quoniam Moſe duce (ut improbe aſſerunt) aſinorum beneficio aquas Judaei invenerint. Quos mendaciorum ar-

gunt Josephus & Tertullianus. Romani etiam pari causa Christianos, æque ac Judæos, *Asinarios* vocarunt. Sed & figuris picturisque Christianis illudebant, quando infando etiam picturæ genere Deum nostrum sic depictum spectanti populo proposuerunt, ut is foret auribus asininis, pede altero inungulatus, librum gestans, & togatus. Cui flagitio ut scelus adderent, tali titulo Christi effigiem dedecorarunt: *Deus Christianorum ὀνόχοητος.* Qua in re vel ipse quidem Tertullianus ægre à risu abstinuit, quum nomen ipsum & formam conspiceret. Pet. Crinitus de Honest. discipl. lib. 1. cap. 9. ERHARD. Frellonii editio, *& cilli.* F. Pith. *& cœli.* HADRIANID. Quomodo hoc de Judæis dici possit, multi ambigunt. Vir summus Josephus Scaliger in Elench. Trihær. cap. XXXI. ad quæstionem Serarii Jesuitæ de Cœlicolis respondet, fuisse *Judæo Christianos. addo* (sunt verba Scaligeri) *etiam Massalianos, ipsosque deductos ab iis Judæis, quorum prosecha erant ἐν ἀέρι καὶ ἀιθρίῳ τόπῳ* (in aëre & subdiali loco) *qui proprie cœlicolæ dicebantur, & de quibus manifesto Juvenalis intelligit,*

Nil præter nubes, & cœli numen adorant.

Petronius in nostris Catalectis:

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cœli summas advocet auricolas.

An non satis clare uterque poëta, fuisse Judæos, dicit qui cœlum adorarent, & ejus aures advocarent? qui Cœlum adorant, quid aliud quam cœlicolæ? Ipsos Essenorum portionem fuisse, superius à nobis demonstratum est. Et paullo post subjicit. *Illi*, Judæi Cœlicolæ, *cum suis superstitionibus, & nomine cœlicolarum, ac Massalianorum ad Christianismum conversi sunt. Quia fundebant preces sub Dio, ab eo Cœlicolæ Latinis, dicti à Judæis Massaliani, qui erant Essæi, aut, ut diximus, hæresis ab Essenis profecta. Nam Essæi ab Hellenistis: ἐσσαῖοι vocabantur, quod sane Judaice est Massaliani: neque aliter possunt dici. Isti igitur Cœlicolæ pseudo-Christiani sacro lavacro tincti, iterum ad priscum Judaismum deficiebant, & nomine tenus Christiani Cœlicolarum ritus retinebant.* Huc etiam pertinent, & ex eodem fonte, Essenorum nempe Hæresi, derivarunt Veteres illi Hæretici, quos Σαμψαίους, Sampsæos Epiphanius vocat Hæres. LIII. additque hanc nominis illius interpretationem: Σαμψαῖοι γὰρ ἑρμηνεύονται ἡλιακοὶ, quasi dicas *solares:* est enim hoc Hebræis שמשא à voce שֶׁמֶשׁ *schemesch*, quæ *solem*, significat. Dictum supra Cœlicolas & Sampsæos hos, à tertia inter Judæos secta, quæ est Essenorum, originem trahere. Essæi enim illi, contra præceptum, quod Deus Judæis dederat, ut scilicet precantes occidentalem mundi plagam spectarent, faciem orientem versus convertebant. Præterea quoque magnus Scaliger ut Essenorum proprium recenset, τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα ἱκετεύειν, *solem orientem supplicare.* Cui contradicit Nobilissimus Salmasius in immortali opere exercitationum Plinianarum, asseritque, eos solem quidem honorare, venerari, ad eum preces fundere, non tamen adorare. Litis definitio consistit in recta explicatione loci illius, qui producitur ex Josepho. Verba ejus ita sonant: πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγξονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν ἐυχὰς ἀποπεμψάντες ἱκετεύουσιν ἀνατεῖλαι, id est, *ante exortum solis nihil profani loquuntur, sed patrias quasdam ad ipsum preces celebrarunt, ipsi supplicantes, ut oriatur.* Quidquid sit, hoc tamen hinc liquere videtur, hæresin *Cœlicolarum* & eorum, quos *Sampsæos* ἡλιακὰς Epiphanius vocat, esse τῶν Ἐσσηνῶν ἀπόσπασμα (*Essenorum revulsam partem*) & ab iis originem ducere; præsertim cum scimus, Essenos hos ἐν ἀέρι καὶ ἀιθρίῳ τόπῳ precari solitos, supplicantes se ad Orientem convertisse, solem ipsum, si non adorasse, saltem honorasse, & similia. Adjiciamus conjecturam celeberrimi Drusii, quam proponit in lib. de tribus sectis Judæorum, dicens: *fortasse Cœlicolæ sunt, quos Benjamin in Itinerario* שאמיין *schamaiin vocat, quorum Synagoga ipsius tempore adhuc erat in Mesraim, urbe magna Ægypti. nam* שמים *Schamaim Hebræis est cœlum: unde adjectivum est* שמיי *cœlestis vel Cælicola, cujus pluralis* שאמיין *schamaiin Cœlicolæ.* Siquis superioribus non contentus est, habeat denique & hanc conjecturam. Inter nationes, quia verus Judæorum Deus ipsis erat ἄγνωστος, *ignotus*, ut patet ex Inscriptione illa aræ apud Athenienses tempore Apostoli Pauli, varia deliria, multæque nugæ de Judæorum religione increbuerunt; credebant, eos caput asininum colere, quod & ipsis Christianis à gentibus objectum meminerunt illi ex Patribus, qui adversus Nationes scripserunt. Vide Tertull. Apol. cap. XV. Imo & porcum eorum numen faciebant. quo etiam respicit Arbiter, cum in versu præcedenti ait, *Judæus licet & porcinum numen adoret.* Abstinebant enim Judæi ab hujus esu, ut animalis immundi. Lev. XI. VII. Unde Juven. Sat. XV.

Nec distare putant humana carne suillam.

Et Sat. VI.

Et vetus indulget senibus clementia porcis.

Inter sinistras has de Judæorum cultu opiniones etiam hæc maxime apud Gentes invaluit, qua cœlum pro numine habere credebantur. Strabo Geograph. lib. XVI. *Moses docebat, quomodo Ægyptii non recte sentirent, qui ferarum ac pecorum imagines tribuerent, nec Græci, qui Deos hominum figuris insignirent, & quod id solum Deus esset, quod nos, terram, ac mare contineret, quod cœlum & mundum & rerum omnium naturam appellamus.* Ad quod intelligendum, nota, varia apud Judæos exstare nomina, quibus Deum designare soliti sunt, quale השם *nomen illud*, מקום makom, *Locus.* dicunt enim de homine שעשוי בריוקנו של מקום *quod factus sit ad imaginem loci*, id est, Dei. Dictum ita Deum putem, quia omnia continet, & omnio in eo subsistunt. His adde, quo frequenter Deum appellabant, quod & præcipue huc facit, שמים *Schamaim*, Chaldæis שמיא *Schmaia*, Hellenistis οὐρανος, *cœlum*: unde, ægrotos visitantes, precantur ipsis רחמו עליך השמים *cœlum misereatur tui*, id est, Deus.

simi-

Ni tamen & ferro succiderit inguinis oram,
Et nisi nodatum solverit arte caput, Exem-

similiter loquuntur in adagio quodam, ubi de operibus hominum dicunt הכל לשם שמים *omnia propter coelum*, quasi dicas, omnia opera nostra debere dirigi ad gloriam Dei. sic & Chaldæis דחל שמיא est vir pius & religiosus. Eumdem quoque esse usum vocis εὐσεβὴς apud Helleniſtas, supra notavi; hinc in N. T. de Baptismo Johannis dicitur, quod non sit ex hominibus, sed ἐξ οὐρανοῦ, hoc est, Deo. Matth. XXI. opponitur enim non terræ, ut loco inferiori, sed hominibus, ut creaturis. Sic quoque Christus dominus noster apud Lucam introducit loquentem peccatorem: ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανόν. Imo & per cœlum jurare solebant. Matth. v. tractat. Berachoth: השמים כן הוא *per Coelum ita est.* unde manavit ritus ille elevationis manuum ad cœlum in jurejurando usurpatus. Gen. XIV. vers. XXII. Apoc. X. vers. V. Ex hisce prædictis proclives fuerunt gentes in hanc suspicionem, eos nubes & Cœli lumen adorare, ut ait Lucanus, cœlique summas advocare *auriculas*. Præsertim, cum ex Judæis Essæi precaturi Orientem, reliquis Judæis ex mandato divino ad Occidentem sese convertentibus, cœli plagam, (quæ fortasse Arbitro dicitur summa sive extrema cœli auricula) conspiciebant, solem, ut supra, si non adorabant, saltem honorabant, proseuchas eligebant ἐν ἀέρι καὶ ὑπαίθριῳ τόπῳ *in aere & subdiali loco.* Hisce autem ritibus, & cœli soliſque observatione, non parvam nationibus ad hanc de ipsis opinionem πρόφασιν ac *ansam* dederunt. WYBINGA. Vide Petiti lib. II. Var. Lection. cap. II. & Barth. lib. XXII. Adversar. cap. 4.

Advocet agricolas] Lege, *auricolas*, sive quod idem est, *auriculas*. Sic in jure tit. *de jud. & coelicolis.* BINET.

Ferro] Hoc quidem nullam in Arbitro difficultatem habet, attamen, quia plures sunt, qui circumcisionem hanc cultro, non ferreo, sed lapideo, peractam volunt, vindicandus nobis est hic author, & genuinus mos asserendus. Illis, qui secus sentiunt, causa erroris est locus male interpretatus Libri, qui dicitur Josuæ capite V. Deus præcepit Josuæ, ut faceret sibi חֲרֹת צֻרִים quod illi vertunt, *cultros lapideos*, vel *petrinos*. præterea etiam mysterium hac in re venatur magnus ille Scholasticus Thomas Aquinas, dicitque, cultro lapideo Messiam significatum, accommodatque huic negotio verba Pauli, quæ exstant I. ad Cor. XV. III. ἡ δὲ πέτρα ἦν ὁ Χριστός. *Petra autem erat Christus.* Sed, quid tandem est verba Scripturæ præter mentem & scopum dicentis adducere, si hoc non est? Verum, ut redeamus ad rem, quamvis non negem צור rupem & petram designare, tamen etiam aciem & acumen hæc vox denotat, quod ex unico loco manifestum esse potest, Psalm. scil. LXXXIX. vers. XLIV. ubi dicitur הֲשִׁיב צוּר חַרְבּוֹ, id est, *recedere facis*, hoc est, *retundis mucronem sive aciem gladii ejus.* Unde nihil nos cogit hîc per חרבות צרים intelligere cultros lapideos, cum magis genuina versio est per cultros acierum, id est, cultros acutos. Adstipulatur huic versioni nostræ Chaldæus paraphrastes, qui hoc loco habet אזמלין חריפין cultros, sive novaculas acutas. TH. WYBINGA.

Et nisi nodatum] Casaubon. ad Sueton. cum Bineto legit, *nodatum*. Et illico, *grata migrabit ab urbe.* ERHARD.

Inguinis aram] Lege, *oram*, & forte, *arram*, quia circumcisio est veluti quidam arrabon, ut & Scriptura vocat. BINET. His circumcisio describitur, quam nemo ignorat Judæis familiarem esse, & non ab Ægyptiis ad illos, sed ab illis ad Ægyptios derivasse. Quippe, cum nihil umquam de circumcisione inaudiverant reliquæ gentes, Deus אל שדי patriarchæ Abrahamo & semini ejus hoc symbolum ac sacramentum fœderis sui tradidit, Genes. XVII. vers. XV. *Hoc est foedus meum, quod observabitis inter me & vos, & inter filios tuos post te, circumcidetur vobis omnis mas.* Unde merito Juvenalis Sat. XIV. de iis ait, *præputia ponunt.* & Horatio dicuntur *Apellæ.* Etiam ipse hic Arbiter hoc ut proprium Judæorum indicium recenset, inducitque Gitona hæc loquentem cap. CII. *circumcide nos, ut Judæi videamur.* Præterea, si penitius geminum hunc scitissimi auctoris versiculum inspiciamus, videtur ille nobis ob oculos ponere receptum tunc temporis apud Hebræos circumcidendi ritum. Hic consistebat, primo in circumcisione κατ' ἐξοχήν, מילה *milah*. secundo in פריעה *priah*, id est, *denudatione*, nempe glandis. Hisce intermiscebant scioli eorum Rabbini ritum tertium, quem מציצה *mezizah* appellant, quod interpretari licet *exsuctionem.* unde, loquentes de toto circumcisionis hoc negotio, dicunt: מלין פורעין ומוצצין hoc est, *circumcidunt, denudant, & exsugunt.* Primum enim המוהל ille, qui circumcisioni præest, extremam inguinis cuticulam abscindit, sive, ut ait Arbiter, *succidit inguinis oram.* hoc facto, ore (at quis non mirabitur hunc inficetum morem) mentulam arripit, ac sanguinem exsugit, velut Horatii

Non missura cutem nisi plena cruoris hirudo.

Denique idem ille המוהל pollicibus suis, unguibus probe ad illud armatis, reliquam cuticulam, qua parte penem circumtegit, discerpit, ac retro convolvit, eo usque, ut glans penitus denudetur ac retegatur. hoc est, quod Auctor dicit, *Et nisi nodatum*, sive, ut Casaubonus, & quidem non male, *nodatum solverit arte caput*, hoc, ut diximus פריעה, denudationem nominant Hebræi, de qua hoc axioma Talmudicum, id est. מל ולא פרע את המילה כאלו לא מל *Qui circumcidit & non denudat circumcisionem, perinde est ac si non circumcideret.* TH. WYBINGA.

Exemptus Populo, Grajam migrabit ad urbem,
Et non jejuna ſabbatha lege premet.
Una eſt nobilitas argumentumque coloris
Ingenui, timidas non habuiſſe manus.

Suſpecta iſthaec & Petronii putantur.

T. PETRONII ARBITRI EUSCIUS.

Cer-

Exemptus populo] Expreſſum eſt mandatum hac de re Gen. XVII. ubi Deus non voluit, non tantum ex Hebræa ſtirpe prognatos, ſed etiam alienigenas, pecunia emptos, & vernas circumcidi, addita hac clauſula: *Mas præputiatus, qui non circumcidit carnem præputii ſui, exſcindetur anima ejus ex populo eo.* Unde etiam Proſelyti illi Hebræis dicti גרי צדק *hoſpites juſtitiæ.* Ut jus civitatis adipiſcerentur, Judæorum more ſe circumcidi paſſi ſunt. Præterea etiam hoc tempore, deſtructo licet templo & everſa politia, ad hanc ſuam circumciſionem, ut ad ſacram anchoram, Judæi confugiunt, in hac ut ſibi propria gloriantur, hanc retinent, ut apertam ad cœlum ac felicitatem viam: ſpecimen habe in his verbis: אינו טומע פרה הגוים אלא ישראלי בעבור ברית המילה id eſt, *Non exaudit* (Deus) *os gentium, ſed Iſraëlitarum propter circumciſionem.* Hanc ergo circumciſionem, qui non recipit, eum rejiciunt, omnes gentes ut ערוים *præputiatos* & גוי נבל *gentem ſtultam* præ ſe comtemnunt, & odio pluſquam Vatinianô proſequuntur. Huc referendum illud Juvenalis Satyr. XIV.

Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti,
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

WIBING.

Graja mygrabit ab urbe] Lege, *Grajas migrabit ad urbes.* BINET.

Et non jejuna ſabbata lege premet] Atqui Judæi ſabbato non jejunabant. Vere: ſed Judæi omnes dies *ſabbata* vocabant à principe nempe ſabbato, quo feriabantur, à quo *primam ſabbati, alteram ſabbati*, &c. nominabant. Ita ut, quicumque per hebdomadem jejunaret, aliquo die ſabbati jejunare diceretur. Jejunia vero religioſiſſime colebant, quod ex Sueron. conſtat in Auguſt. cap. 76. præſertim Samaritani, quos *Doſitheos* nuncupabant, ſabbatum ita obſervabant, ut, quo quiſque habitu in tempus primum incidiſſet, & permaneret ad veſperam, ſive ſtaret, ſive ſederet, &c. Baronius Cardinalis Annal. Eccleſiaſt. Tom. I. Judæorum ſabbata vexat & Juvenalis ſæpicule & Martialis. Raderus ad Martial. lib. 4. epig. 4. ERHARD. Aut hic auctor per ſabbatha intelligit ferias quaslibet ſeptimas, aut, more loquendi tunc temporis uſitato, ipſam ſeptimanam, quomodo Phariſæus ille apud Lucam Euangeliſtam cap. 18. de ſe prædicat, νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, *jejuno bis in ſabbato*, id eſt, in ſeptimana. Si prius, locutus hic eſt non ſecundum rei veritatem, ſed juxta arreptam Romanorum de Judæis opinionem, unde etiam apud Sueton. Aug. cap. 76. *ne Judæus quidem, mi Tiberi, tam diligenter ſabbathis jejunium ſervat, quam ego hodie ſervavi.* Dico, hoc non dictum ex rei veritate, quod ſatis novit, qui in Talmude & priſcorum Rabbinorum ſcriptis verſatus eſt: ubi videbit omnia potius contraria. Singulis enim ſabbathis corpus quam concinne ornant, veſtes ſabbathicas, id eſt, magnificas induunt, epulis non unis per integrum diem indulgent. Imo tantum abeſt, ut Sabbatho jejunarint, ut etiam nec pridie ejus nec poſtridie hoc admiſerint, non pridie, quia illa dies erat παρασκευὴ τοῦ σαββάτου, qua anima ad proximum ſabbathum præparari ſolebant, nec poſtridie: non tantum quod ea dies poſtmodum factum eſt feſtum Chriſtianorum, ſed etiam, & vel maxime שלא יצא מעובב שבת לציום ne Sabbathi lætitiam mœroi exciperet jejuniorum. Quod ſi autem quis per *Sabbatha*, ut dixi, ſeptimanam intelligat, ab Arbitri forſan mente, non tamen à rei veritate, aberrabit. Varius enim in Septimana jejuniorum ordo & numerus fuit in populo Judaico, præſertim tamen & ordinario, ut modo ex Phariſæo audivimus, iis bis in ſeptimana vacabant. Dies his deſtinati erant ſecundus & quintus. Ratio ut & numerus horum dierum apud Rabbinos differunt. Auctor libri סוסר R. Juda dicit, eos jejunare feria quintâ, & ſecundâ, quia quintâ Moſes montem Sinai adſcendit ad accipiendam legem, & ſecundâ ex eo deſcendit. Idem auctor plura alibi ſuperaddit, dicitque: quater jejunant in hebdomade; feria ſecundâ, tertiâ, quartâ & quintâ, ſecundâ propter nautas & eos, qui per mare navigant, tertiâ propter eos, qui iter faciunt per deſerta, quartâ ait, היו מתענין מפני אסכרה id eſt, jejunant propter האסכרה quod eſt angina, συνάγχη, ne ſcilicet ea infantes invaderet. quintâ propter gravidas & parturientes; feriâ autem primâ non jejunant, quia feſtum eſt Chriſtianorum. Hæc ille. Alias horum dierum rationes adfert Volumen jejunii: Statuerunt Magiſtri noſtri, ut jejunium eſſet feria ſecundâ & quintâ propter tres res, videlicet propter deſtructum templum, propter legem conflagratam, & propter probrum nominis divini. TH. WYBINGA.

Euscius] Apud Fulgentium in Expoſitione Virgilianæ Continentiæ moral. ſecundum Philoſophos, legitur, *Petronius in Euſcio.* ubi alias in uno vet. cod. *Euſcion.* in altero *Euſtion.* fortæ, Εὐσχιῶ. Et ſubjicit Fulgentius; *Ergo tunc jurgii calumnia diſcitur, & venalis lingua in alienis negotiis exercetur, dum ſtudii doctrina profecerit, ſicut in advocatis nunc uſque conſpicitur.*

Cerberus forensis erat causidicus.

*

Foeda est in coïtu & brevis voluptas,
Et taedet Veneris statim peractae.
Non ergo, ut pecudes libidinosae,
Caeci protinus irruamus illuc:
Nam languescit amor, peritque flamma.
Sed sic, sic sine fine feriati,
Et tecum jaceamus osculantes,
Hic nullus labor est, ruborque nullus;
Hoc juvit, juvat, & diu juvabit;
Hoc non deficit, incipitque semper.

*

Accusare, & amare tempore uno,
Ipsi vix fuit Herculi ferendum.

*

—— Et scuta latentia condunt.

*

—— Torva solum sub fronte latebat.

*

Delos, jam stabili revincta terra,
Olim purpureo mari natabat,
Et moto levis hinc & inde vento Ibat

eitur. Quæ verba, inquam, sunt Fulgentii, non (ut quidam putarunt) Petronii. DANIEL. Barth. ad Stat. lib. 11. Theb. 26. & IV. 486. putat corruptam vocem ex scribendi compendio & vel legendum lib. 1. vel 11. vel *Strico*, id est, *Satirico*. Quod probat quoque Munckerus ad Fulgentii Virgil. Contin. pag. 157.

Cerberus forensis erat Causidicus] Lucill. Anth. 2.

Οὐ δίχεται μάρκον τὸν ῥήτορα νικρὸν ὁ πλούτων
Εἰπών, ἀρκίτω κέρβερος εἶναι κύων.

Varro Atacinus: *latrant fora, classica turbant.* Tertullianus de Pallio: *Jura non conturbo, causas non elatro.* Hinc *canina facundia* Appio, & Prudentio *caninum studium.* Columellæ libr. 1. *canina contentio.* Firmico libr. 4. dicitur hoc *forense litigium.* Similia quædam habes apud Marcellinum libro 30. DOUZA F. Hinc Sallust. apud Lactantium; *Cicero caninam facundiam, at Appius, inquit, exercuit.* Vide Savaron. ad Sidon lib. 4. ep. 4. & Rittersh. Ind. Symmachiano. Alluſit huc puto & Salisberiens. libr. 5. Policrat. cap. 10. Jungermann. ERHARD.

Fœda est in coïtu] Sequebantur ista in v. c. sed sine Petronii titulo, at priores illi duo phalæcii vix alius fuerint, quam Petronii. BINET. Vide Ciceron. de Senectut. cap. 12.

Sic, sic] Horat. lib. 11. od. 11.

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere.

Donatus ad Terent. Andr. Act. 1. sc. 2. docet *sic* pro *leviter, negligenter*, poni, ut Græcis οὕτως. Ita & Pricæus apud Apulej. lib. v. Met. pag. 104. emendat. *Tunc forte Pan Deus rusticus juxta supercilium amnis sedebat, complexus sic canam Deam*, id est, incuriose.

Et scuta latentia] Virg. lib. 3. Æn. id est, late patentia. vide quæ notavit noster S. G. DANIEL.

Torva] Sic emendavi, cum esset *curva* scriptum. DANIEL.

Latebat] *R. latebant*, id est, late patebant. DAN.

Delos] Hoc Petronio dignissimum Epigramma rotundum & nitidum censet Barthius Adversar. lib. XLIX. cap. 5. pluribus hujus insulæ fata, & honores exsequitur Callimachus Hymno suo in Delum.

Purpureo] Eleganter. Nam *conchylii color austerus glauco & irascenti similis mari.* Plin. lib. IX. cap. 36. imitatio est Virgilii IV. Georg. 373.

In mare purpureum violentior effluit amnis.

Ubi vide Servium. Valer. Flacc. III. 422.

Gyaro] Et hoc ex Virgilii lib. III. 77.

—— *Gyaro celsa, Myconoque revinxit.*

Ubi recte interpretes viderunt, *celsa* ad Gyarum referendum, ut hic *alta.* Quare frustra Barthius volebat *arta.* Statius quoque expressit Virgilium libr. III. Theb. 438.

—— *Ipsa tua Mycono Gyaroque revelli,*
Dele, times.

Con-

Ibat fluctibus inquieta summis.
Mox illam geminis Deus catenis
Hac alta Gyaro ligavit, illac
Constanti Mycono dedit tenendam.

*

Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.

*

Dividias mentis conficit omnis amor.

Explicit. T. Petronius Arbiter.

P. PETRONII RHETORIS DECLAMATIO.

Quid est, judices, dolus? Nimirum ubi aliquid factum est, quod legi dolet. Habetis dolum, accipite nunc malum.

PETRONII GRAMMATICI FRAGMENTA.

Horatius: *Quis te redonavit Quiritem diis patriis?* cujus nominativus est hic *Quirites*. * * Classica à calando, id est, vocando, sunt dicta.

Constanti] Id est, insulæ quasi firmis radicibus mari impositæ. Rarior hæc significatio.

Mycono] Sic scribendum esse docuit Nob. N. Heinsius in notis ad Ovid. XXI. Heroid. Epistol. *Myconos* enim, non *Mycone*, dicta est hæc insula. BOSCH.

Catillata geris] Fabius Planciades Fulgentius in Expositione sermonum antiquorum, in verbo, CATILLARE, citat Propertium, *Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.* sic enim in omnibus excussis. forte pro *Propertius* substituetur *Petronius* non male, ut & Scaligero visum. nam Petronium & alibi in suis libris sæpissime laudat. Quanquam in vet. cod. manuscripto legitur; *Propicius*

Catillata geris sua dominica publicam prostibulum.

post *publicam* in *publicum* mutatum est: sic forte scriptum erat *Propicius*, quod postea altera manu mutatum est in *Propertius*. in altero vet. cod. legitur, *Propartius*. DANIEL.

Dividias mentis] Sic apud eundem Fulgentium in verbo DIVIDIÆ citatur Propertius, ubi etiam fortasse pro *Propertius* legendum *Petronius* (quomodo idem Scaliger non male judicavit) quod altera quoque manu in *Propertium* commutatum esse facile apparet. Certe hi duo versus Petronium redolere non nobis tantum, sed & aliis viris sagacissimis, videntur. Porro apud Fulgent. legitur; *Dividias dixerunt tristitiam.* In vet. Lexico, *Dividia, discordia, bellona.* Et; *Dividiosus, qui per suam discordiam alios dividit.* DANIEL.

Quid est, Judices, dolus] Ex Isidor. lib. 5. Etymol. cap. 26. de Criminibus in lege constitutis: *Dolosus, insidiosus, vel malignus ab eo quod deludit: aliud enim agit, & aliud simulat. Petronius aliter existimat dicens: Quid est, Judices, dolus? nimirum, ubi aliquid factum est, quod legi dolet. Habetis dolum, accipite nunc malum.* Idem cap. 27. *Dolus est mentis calliditas, ab eo, quod deludat. Aliud enim agit,* &c. DANIEL.

Quod legi dolet] Itaque *dolus* à dolendo dictus est. videndus Savaro ad Sidon. lib. 5. ep. 5. ERHARD.

Quiritem] Sergius in Editionem II. Donati; *Item Quirites dicit numero tantum plurali: sed legimus apud Horatium, hunc * Quiritem. vetus nominativus hic Quiris. Item idem Horatius; Quis te redonavit Quiritem Diis patriis? cujus nominativus erit hic Quirites, ut dicit Petronius.* Hunc putant quidam Grammaticum, quem citat Sergius, quod & facile crediderim, cum inveniam in vet. libro Petronium citatum in explicatione vocabuli *Classicum*, ubi sic habetur; *Classicum dicitur ex Vegetio de Re militari lib. II. quod buccinatores per cornu dent. quod insigne videtur imperii, quia classicum canit Imperatore præsente, vel cum in militem capitaliter animadvertitur: & classica aucta re Petronio à calando, id est, vocando sunt dicta* DANIEL. Diomedes lib. 1. *Quirites, sed Flaccus in Satyra Quiritem dixit.* Priscianus lib. 4. *In* TIS *quoque inveniuntur denominativa, sed antique prolata, penultimam natura vel positione longam habentia, ut Samnitis pro Samnis, ac Laurentis quoque pro Laurens, Tiburtis pro Tiburs, teste Capro. Sic Quiritis pro Quiris, & Ceritis vel Ceretis pro Ceres, qui tamen nominativi non sunt in usu.* Augustinus in Arte; *Pluralia masculini generis, manes, Quirites, cancelli:* Vetus Grammaticus, qui est membraneus in Bibliotheca Goldasti in Artem secundam Donati. *Sunt alia pluralia tantum masculini generis, ut hi manes, hi Quirites.* Et paullo post: *Quarites, qui & Romani & Quarites dicti, quia Quirus dictus est Romulus, quod semper asta utebatur.* ERHARD.

FINIS.

JANI DOUSÆ
PRÆCIDANEA,

D. JOSEPHI ANTONII GONSALII DE SALAS

COMMENTA,

DISSERTATIONES ET PRÆFATIONES,

ET

INDICES.

JANUS DOUSA

DANIELI ROGERTI SUO.

S. D.

Annos abhinc, ni fallor, jam factum est septem, quum tibi meane, an publica felicitas dicam nescio, eam cogitationem immisit, ut Bataviam nostram crebro revisendo de præsentia nobis tua gratiam facere & velles & posses, mi suavissime Daniel, quam rem studiorum meorum rationi opportunissimam feliciter aliquamdiu atque ex sententia nobis sub manus successam, cupientissimisque adeo ac lubentissimis animis utrinque porro continuatam ac cultam, in ipsa pene (ut sic dicam) Epitasi inopinatus reviviscentium armorum civilium clangor, patriæque infœlicis fortuna mediis peregrinationibus istis tuis ex transvorso incurrens desubito abrupit atque exstinxit; summo adeo meo bonorumque omnium cum dolore, tum illorum hominum flagitio, qui tumultus hos nobis Tagœdiasque concivere. Me miserum, tene (ô Rogers) animo meo carissime: tene inquam ista doctrina, fide, comitate, industriæque indole, & (quod rei caput est) ista benevolentia dico, tantum temporis, tam multa adeo millia à Lipsio ac Dousa tuo discretum, sejunctum, & quasi abalienatum in externo solo vitam degere? Musasque ac studia nostra, ex cujus consuetudinis solatio tantas voluptates haurire ac participare solita, ex ejus distractione ac dissidio tantos percipere luctus? Atqui paullo etiam præsentiæ tuæ desiderium tolerarem facilius, si modo id ipsum mutua scribendi assiduitate lenire ac commitigare possemus. Nunc isti malo hoc insuper adjunctum est incommodi, quod ne per literas quidem interpretes colloqui inter nos confabularique liceat, ita undique & terra & mari interceptus est commeatus,

Nec quicquam in Clario numine præsidii est.

Næ jam ego reapse nimis quam verum esse experior Plautinum illud:

Tum denique homines nostra intelligimus bona,
Cum quæ in potestate habuimus, ea amisimus.

Itaque nec te mihi succensere æquum arbitror, nec caussæ dictionem exspectare, quod biennium prope jam totum literarum officio desuerim. Tantum rogo quæsoque, ut satisfactionem quam dico animo, quo decet, accipias; flectasque mentem justissima deprecatione lenitam, ea lege, ut bona fide pœnitentiam emendem, hoc est, superiorum temporum veternum nova ac succidanea diligentiæ usura sarciam porro atque compensem, simulatque primum per illos licuerit, quibus est ea res in manu. qua in re si tuæ fortunæ successus opinioni ac votis responderit meis,

Rex sum: Regem autem quid loquor? imo Deus.

Ac ne me judices gratis aut sine mercede hacce noxa exsolvi velle; en tibi, mi Patrone, Petronium hunc nostrum, qui caduceatoris more inducias faciat tecum: ac Rogertem Dousæ tranquillet suo, reducemque, ut antea, propitium concinnet nobis. Quid ni (inquies) eum dones Scriptorem mihi, cujus quidem à capite ad calcem curatissime descripti meo solius beneficio Exemplar indeptus primitus? jam tum, quum Patriæ nomine ad Britannos meos Legatus missus Publicæ Auctoritatis munus sustinebas. Fateor, ac præ me fero. Itaque redit (ut vides) ad te depositum tandem tuum: non quidem sartum tectum, hoc est, inviolatum modo; sed vero, præter haud pœnitendam literarii fœnoris accessio-

ceſſionem, nova inſuper politura refictum, ac DOUSIANIS denique COMMENTARIIS illuſtratum. & quidem poſt geminatas (ut ſcis) SATYRICI illius Editiones multo electiſſimas, LUGDUNENSEM ac LUTETIANAM inquio. quæ res in cauſſa fuit, ut publicationis iſtius propoſitum in hæc uſque tempora differre fuerim coactus. Accipies proinde (ut dixi) hanc PRÆCIDANEORUM TRIGAM: quibus hercule aliud nihil obfuturum intelligo magis, quam quod ARBITRUM auctorem habent. Noſti hoc ſæculum quibus moribus ſit;

Pergula pictorum: veri nihil, omnia ficta.

Id DOUSA curat ſcilicet. Et tamen ita res abibit, niſi mihi præſidium ipſe contra occupare propero in tempore. quod ne ab ipſo PETRONIO petam, ecqua cauſa eſt, iſtiuſmodi nobis ſic quaſi ex tripode Oraculum ſuggerente? *Nihil eſſe hominum inepta perſuaſione falſius, nec ficta ſeveritate ineptius.* Quod te per prætextatæ amicitiæ memoriam, per communia Muſarum Sacra, ac ſtudiorum noſtrorum ſocietatem obſecro obteſtorque; ut Salinarum Arbitri poſſeſſionem, tanquam legitimus procurator, defendundam ſuſcipias: neu contra fas legemque Civem Patricium, & (quæ ratio maxima eſt) Conſularem infibulari, multo minus evitari ulla porro ratione patiaris. quem non tralaticia ædepol deformitate inſignitum, ac vix Maſſilienſibus ſuis cognitum MEMMIANA munificentia primitus à fatali adeo meta revocavit ad lucem. Nam quod ad me attinet, nullam recuſo invidiam, quæ ſpem ſalutis modo aliquam ARBITRO noſtro oſtendat. Quod ſi utique facinore opus eſt, cur non (quia belliſſima eſt occaſio) ipſimet inteſtabiles fiant potius, qui tam ſevera triſtitia violari aures ſuas obſcœno ſermone palam ac publicitus aſſimulantes, ſuæ atque alienæ lubidini nihil non in ſecreto condonant? Scis, quos dicam. Quò majore opere ex parte tua adnitendum, ut & Sectores omnes fruſtra ſint, & SATYRICUS noſter in patrocinio tuo ac fide tuto audeat conquieſcere, ALBIMONTANI GENII Perennitate ſecutus: utique adverſus iſtos, qui novam nobis Hiſtrioniam commenti, aliorum ſimpliciter dicta in crimen raptare non ceſſant; ipſi adeo factorum innocentes, ut in eodem plane contubernio cum EUMOLPO PETRONIANO ſtipendia jam olim factitaſſe videri poſſint. cui generi ipſius hercule jampridem advocatus venire cupio, ſi quî mea opera citius addici poſſint, MORBONIAM porro ut abeant recta via. *Vale ocelle noſter, imo ocelle* MUSARUM. LUGDUNO BATAVORUM.

JUSTUS LIPSIUS
ad Juventutem.

En PETRONIUS, *Arbiter Leporum,*
Et ſalſus pater & ſalax jocorum:
Quos novit Latium, vetuſque Roma,
Padore obſitus impolitiaque
Dudum, nunc melior politiorque
In novam properat ventre lucem.
Non quidem magica recoctus arte,
Sed DOUSÆ *medica recoctus arte.*
DOUSÆ, *qui veterum arbiter Leporum eſt.*
DOUSÆ, *qui pater elegantiarum eſt.*
At tu noſtra ſave & cave Juventus.
Merum mel latet hic, latet venenum.
Probis mel merum, aut improbis venenum.

Idem Cent. I. Epiſt. LXX.

Duſa noſter Commentarios ad Petronium ſcripſerat nunc totus in Hiſtoria concinnanda ſuæ gentis.

ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΕΛΛΟΓΙΜΟΥΣ ΚΑΙ ΠΕΡΙΦΑΝΕΙΣ ΠΕΤΡ. ΑΡΒΙΤΡΟΝ ΚΑΙ ΙΑΝΟΝ ΤΟΝ ΔΟΥΣΑ.

Ἐπίγραμμα διαλογισικὸν.

α. Ἔστιν ξεῖνε τὶς ἐσσὶ; β. Πετρώνιος, ὃν ποτὲ Ῥώμη
Τίμιον ὑπατικῇ βλέψεν ἐν ἀγλαΐᾳ.
α. Οἷδ' ἀπὸ Μασσαλίας τὸν ῥήτορα, τὸν σιχαοῖδον
Δίζυγος ἐυπίας ῥυθμῷ ἀγαλλόμενον.
Πῶς δ' ἔλαθες συγερὴ τόσσον χρόνον ἔυοχος ὀφθείς;
Ἑλλογίμοις, ἐδ' ἂν γνώριμος ὑμνοπόλοις;
β. Δήιος, ἐσπερίης ἀπελάσας πατρίδος αἶσης,
Δῆρον βαρβαρικαῖς ἐγκατέρεξε πίδαις.
Ὀψὲ δ' δή με φιλόφρονες εἰς φάος ἤγαγον, ἔνεγκον,
Καίρια δουλοσύνης λύτρα χαρισσάμενοι.
Δηθὰ δ' λυτρωθεὶς, κεκολαμένος ἄιαν ἀμείβων
Πλαγχθὴν, ἐτιδαὸν λάπτιον ἐσσάμενος.
Ἐισότε Δοῦσα μ' ἐαῖς φιλίαις μεγάροισι κομίσσας
(Τὤνεκα οἱ δοῖεν χάρματα πολλὰ θεοὶ)
Ῥωμαλίοι προτέρην μετενείγκατ' ἐς ἀξιότητα,
Τὴν δ' ἐμὲ λαμπροτάτην τήνδενον ἀμφάσας.
α. Ὡς ἐτεὸν γ' ἔπος ἐσσὶν, ὁμοῖον ὡς τὸν ὁμοῖον
Προσπελάᾳ μεγάλων αἰὲν ἑκηβολίη θεῶν.
Μασσαλιῶται ξεῖνοι συγχαίρετε, Δουσιάδη τε
Ἀμφοτέροι, ξείνῳ σπένδετε, καὶ λογίῳ.

JA-

JANI DOUSÆ NORDOVICIS
PRO
SATYRICO PETRONII ARBITRI
VIRI CONSULARIS PRÆCIDANEORUM
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Satyram Petronianam haud unius quidem, sed vero complurium librorum opus fuisse. Dictorum factorumque quasi papavere & sesamo sparsorum *ad joci Plautini similitudinem accommodatio.* Frictam nucem, *pro cocta, sive tosta potius, tam apud Horatium, quam Plautum, sumi oportere.* Madidum, *seu* Tepidum cicer, *pro fricto in Martiali. Dictionis Petronianæ cum Octaviano eloquendi genere conlatio; adjecta suspectioris insuper alterius loci emendatione.*

Satyricon istud Petronii Arbitri in libros plures diribitum, tributum ac dispartitum fuisse, satis magno argumento est nobis veteris Glossarii fiducia, quod apud literatissimum antiquæ fidei custodem Petrum Danielem nostrum in publicos potius, quam privatos usus adservari intelligo. Inde enim lic quasi ex armario depromta festiva illa ablectissimorum Fragmentorum symbola, de qua post omnes omnium collectas novissime ac recens nobis gratiam fecit is, qui Lutetianæ Editioni architectus cluit. Ibi igitur inter cætera & hoc exemplum sub Satyrici illius spicilegii exodium Petronianis amatoribus occurrit: *Excelsissimus dicitur à Petronio in* 1. *Satyrarum.* Unde manifestum, hoc opus certo librorum ordine (ut dixi) à compositore suo distinctum & quasi interjunctum fuisse, quod quoniam in tanto ejus scriptorum defectu compertioribus argumentis præstare haud facile est, ambagibus ac diverticulis relictis de semita in viam me sistere approperabo, hoc est, in rem præsentem venire pergam: non ut œconomiam novam hic ullam instituam scilicet, sed vero ut ordinem mihi ab ipso auctore præscriptum ac præstitutum conservem, studiose utique ac sedulo. Proinde ab Eucolpianæ Declamationis fragmento telam hancce auspicato orsuri, post *rerum tumorem*, & *sententiarum vanissimum strepitum* in Arbitri nostri arbitrio conquiescere cogitamus, scævam perversamque hujus (an illius?) sæculi eloquentiam junctis in unum copiis, omnibusque pariter cachinnis flagellaturi, nec *mellitos verborum globulos*, & *omnia dicta factaque quasi papavere & sesamo sparsa vel unius assis æstimaturi: imo minoris etiam, quam vitrea fracta & somniorum interpretamenta Ascylti.*

Cap. I. Et quoniam *Papaveris ac sesami* nos in memoriam induxit Arbiter, haud alienum instituto nostro videtur Satyricam Petronianæ metaphoræ similitudinem Comico Plautinæ urbanitatis suffragio adjutum porro ire atque defensum. Id exstat Pœnulo in joco non absimili ἐμφατικῶς usurpatum, cui etiam utrumque tam *Sesamum* istud, quam *Papaver* aspersum reperitabis. verbi caussa, act. I. sc. II. vers. 112.

AG. Obsecro hercle ut mulsa loquitur? MI. Nihil nisi laterculos,
Sesamum, papaveremque triticum, & frictas nuces.

Ad exemplum Plautinum etiam Horatii illud spectare videtur ex Arte, vers. 249.

Nec si quid fricti ciceris probat, & nucis emtor.

Neque enim *Frictum* istud ad *Cicer* modo, quod præcedit, sed vero etiam ad *Nucis* mentionem, quæ porro sequitur, pertinere autumo, hoc Plautino potissimum testimonio persuasus; interpretorque, *Coctum*, seu *tostum Cicer*, adstipulante nobis Martialis loco, quem libro primo Epigr. I. reperias hujusmodi:

—— Quod otiosæ
Vendit qui madidum cicer corona.

Item ibidem Epig. 104.

Asse cicer tepidum constat, & asse Venus.

Madidum enim, seu *Tepidum* Martiali, quod Horatio *Frictum*. & scimus *Madidum* pro cocto usurpatum antiquis, item Comico nostro non semel; sed & Vergilio:

Et quamvis igni exiguo properata maderent.

Unde liquido dilucet error eorum hominum, qui *Frictum* pro novello & recenti in Horatio positum sunt interpretati. Sequitur deinceps in eapse Declamatione illa, quam contra umbraticos & præposteros sæculi sui Declamatores in nescio qua *Porticu* ab Eucolpio habitam palam deprehendimus, argutissima hæc similitudo.

Cap. II. *Qui inter hæc nutriuntur, non magis sapere possunt, quam bene olere, qui in culina habitant* | V. C. uno verbo auctior, *Tantum* interpositum habebat, hoc modo: *Qui inter hæc tantum nutriuntur.* neque id abhorret sententia. Legitur porro ex ordine.

Pace vestra liceat dixisse, primi omnem eloquentiam

perdidiſtis. Levibus enim atque inanibus ſonis ludibria quædam excitando effeciſtis, ut corpus orationis enervaretur & caderet] Idem hoc ipſum de Aſiatica iſta tolutiloquentia Octavianus Cæſar, cujus (quantum quidem ex ejuſdem Fragmentis eſt conjectare) univerſam prorſus dictionis imaginem à Petronio noſtro poſſideri, jampridem ſatis acceptum eſt mihi. Scribit igitur ille in quadam ad M. Antonium epiſtola, (Suetonium auctorem ſequor) ludens malum & inconſtans in eligendo genere dicendi ingenium ejus: *Tuque dubitas, Cimberne Annius, an Verrius Flaccus imitandi ſint tibi? ita ut verbis, quæ C. Salluſtius excerpſit ex Originibus Catonis, utaris? an potius Aſiaticorum oratorum inanibus ſententiis verborum volubilitas in noſtrum ſermonem transferenda?* Quibus mox item ſuccinit Arbiter porro hic noſter, inquiens: *Nuper ventoſa iſtæc & enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigravit, animoſque juvenum ad magna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſidere afflavit.* Cæterum, quod dixi Petronianum ſcribendi genus ad Octavianæ dictionis ſimilitudinem examuſſim mihi conformatum videri, neminem demiraturum arbitror, qui quidem bona animi mente, hoc eſt, judicio ac ratione utatur; denique Suetonianum illud ejuſdem loci de Auguſto Principe teſtimonium memoriter commeminerit ſatis: *Genus eloquendi ſequutus eſt elegans & temperatum, vitatis ſententiarum ineptiis, atque inconcinnitate, & reconditorum verborum* (*ut ipſe dicit*) *fœtoribus, præcipuamque curam duxit, ſenſum animi quam apertiſſime exprimere. quod quo facilius efficeret, aut necubi lectorem vel auditorem obturbaret ac moraretur, neque præpoſitiones verbis addere, neque conjunctiones ſæpius iterare dubitavit, quæ detracta adferunt aliquid obſcuritatis, etſi gratiam angent.* Quæ quidem omnia ita graphice, & quaſi ad verum Petronianam nobis orationem ob oculos repræſentant, ut, niſi de Auguſto ea memorata eſſe conſtaret nobis ex Hiſtoricæ fidei auctoritate, in alium potius neminem, quam in Arbitrum noſtrum convenire ex animi ſententia jurati aſſeverare poſſimus. Ita velut *Uno in ludulo erudituli ambo* ſirempſe prorſus mihi, nec quicquam minus, quam publici ſaporis ſermonem habere videntur. Habes inter ejuſdem porro indignationis argumenta.

Nondum juvenes declamationibus continebantur, quum Sophocles aut Euripides invenerunt verba, quibus deberent loqui] Placet legi, *Conterebantur*, Metaphora vere Petroniana.

CAPUT II.

Interrupta argumentorum aliquot recenſio carptim & quaſi per Satyram facta; rerumque ſub uno aſpectu poſitarum veluti Breviarium quoddam; earum dico, quarum perpetuæ in Petronio narrationes (*quantum quidem ex centunculis ejus ſuperſtitibus exſculpere atque exterebrare potuimus*) *hac tempeſtate nequicquam deſiderantur.* Græcæ urbis *appellatione haud aliam, quam* Neapolim, *ſignificari. Id Corneliano quoque teſtimonio firmatum. Lutetianæ lectionis aſſertio.* Verba atroci ſtilo effodere, *quomodo intelligendum. Quandam Arbitri noſtri ſententiam de Horatio adumbratam videri.*

Eucolpicam Declamationem Agamemnonis interpellatione abruptam fuiſſe fidem nobis faciunt hæc verba.

Cap. III. *Non eſt paſſus Agamemnon me diutius declamare in porticu, quam ipſe in ſchola ſudaverat*] *Porticum* quam dicat neſcio, præſertim quum nec pes nec caput Eucolpianæ diſſertationis, in tanta tamque deformi Satyrici iſtius decurtatione, uſpiam gentium compareat hodie. Nam nec de *Agamemnonis ſuaſoria* reliquum nobis quicquam fugitiva oblivio fecit. Quid? quod majorem inſuper ac meliorem *ſuperioris Declamationis* partem Petronio, imo vero nobis, amatoribus inquam ejus, deperiiſſe credibiliter augurari poſſimus. Jam de *obſcœna illa, modiſque omnibus flagitioſa Eucolpii ſervitute, eodemque ad arenam* (ſicuti apparet) *condemnato; de fuga ejus, ac judicio deluſo: de nocturna hoſpitis cæde: de uxore Lycæ corrupta, tum injuriis eidem illatis, expilatoque contumelioſa migratione navigio*, nec vola, nec veſtigium, quod ajunt. Quid *de damnatione Tryphænæ, de exilio ac dignitate ejus in concione proſcripta: de Lycurgi villa deſpoliata, ac rapinis communibus; de Menelao anteſcholano* loquar? quid vero aliud, niſi horum omnium nobis ac doctis omnibus nihil præter inaniſſimum deſiderium reſtare? Sed & *de prepudioſa illa, quamque ſtupro emeruerat, Gitonis manumiſſione, deque primis impudicitiæ ejuſdem tyrociniis, præpoſteraque ac nefaria cum Eucolpio conſuetudine: de Aſcylto infamia notis cooperto, qui ne vir eſſet à matre perſuaſus, ipſo virilis Togæ die ſtola aſſumpta in muliebris patientiæ ſcortum tranſierat, opus etiam muliebre in ergaſtulo fecerat:* omnia hæc, inquam in perpetuum evanuerunt, haud radicitus quidem, verum hercule eradicitus. Taceo *conturbationem Aſcylti, ſolique verſionem multo perditiſſimam:* taceo *fraternam cum Eucolpio ſub præceptoris umbra initam ſocietatem, & viridarium ſædiſſimis utriuſque voluptatibus inquinatum*: poſtremo, *quod ex turpiſſima lite in riſum jurgantes convorterat, laudationem Poetæ, cujus adeo ſubidiſſimæ recitationi cum auritis, imo vero dentatis plagis interfuerant ambo, neque id fruſtra: quippe quam vocatio etiam fuerit ſubſequuta, ex utriuſque captatoris ſententia, paraſiticis potius, quam ſcholaſticis artibus quæſita.* Neque minor jactura facta in argumentorum ſequentium amiſſione, *de pallio loquor per latrocinium harpagato, de tunicula Aſcylti intactis aureis plena deperdita, eademque porro mox à ruſtico quodam in ſolitudine inventa: de Sacro Priapi antecryptam turbato, de nocturnis in ſacello magni illius Dei religionibus inſpectis, proditiſque.* Ex quibus tum univerſis, tum ſingulis facile eſt adfirmare, ipſa hæc tan-

tantula, quæ reliqua etiamnum possidemus, Fragmenta vix mehercules in decima ejus Satyræ parte censeri posse, quam non sola carminum varietate mistam condidit Petronius noster, Varronis (uti arbitror) Menippæas sequutus. Atqui essent omnia faciliora, si vel *in his* ipsis, quæ de tanto corpore supersunt, reliquiis aliqua fabellarum cohærentia, seriesque continuatæ porro historiæ appareret. nunc protasi quasi, atque epitasi amissa, quarum potiorem adeo partem argumenta, quæ posui, olim occupasse videntur; catastrophen insuper centonis in morem virgatis undique veluti pannis consutam, pessimeque sane ac discorditer conciliatam habemus. Ita interrupta omnia, ac passim lacunis deformata, quarum vicem explent asteriſci, quibus hercule ego lumbos adeo omnes defractos vellem, ut vel noviſſimum Actum integrum saltem inviolatumque haberemus, cujus nunc, sicuti Aululariæ Plautinæ, nequicquam atque irritis votis exodium misere desideramus. Cæterum de *ejusdem Porticu* habes aliquanto etiam post, capite 6. Nam ne de *Porticu Herculis Romæ à Philippo quondam extructa* dictum credam, cujus meminit cap. 106. obstat *Græca urbis* mentio. *in cujus diversorio se desertum jacere lamentatur Eucolpius* postea. Addidisset saltem urbis appellationem, cætera porro compertiora haberemus. Utut est, gnarum hoc saltem nobis, *situm ejus proximum littori fuisse*. & fortassis hæc fuerit, quam Satyricus ipse cap. cxv. *Insulam M. Manicis* indigitat. unde ductore Eumolpo navi aliquando conscensa Tarentum cogitantes, facto per tempestatem naufragio, Crotona adpulsi, de credula Coranorum ac hæreditatum turba, hoc est, de prædonibus ipsis prædam capturi, felicitate pleni, ne dicam ebrii, prioris fortunæ statum facile porro obliviscantur. nisi forte tamen *Insula* id loci, pro domo publico privatove circuitu cincta, eaque, quæ parietum communione careat, positam interpretemur. qua notione nomen illud accipi haud raro solere, ex Cicerone nobis, Tranquilloque, tum Petronianæ ætatis scriptoribus, clarum. Commodum hæc sic scriptitaram, quum mihi hujusce controversiæ caussa ad commune Academiæ nostræ oraculum profecto, ac vix primam dum hercule *Græcæ urbis* syllabam eloquuto, *Ipsius aurem Vellit, & admonuit* de loco Cornelii Taciti. unde scitior factus sum tandem, *nobilem illam Cumanorum coloniam, ac primariam Magnæ Græciæ civitatem*, (*Parthenopen, seu Neapolim dico*) peculiari *Græcæ urbis* appellatione insignitam antiquitus. credo, ob *Gymnicos ludos* maxime, tum *Musicum illud quinquennale certamen* magna Græcarum urbium frequentia ibidem solitum celebrari; vel (quod vero propius videtur) ob vetustissimam Græcæ prosapiæ jam inde ab ipso usque Thesco ac priscis Athenienſibus (quorum coloni Chalcidenses cluebant) repetitæ altius originationem. Locus, quem dico, Taciti lib. 15. Annalium hisce verbis conceptus exstat: estque sermo omnis de CL. Nerone contra decus Imperatorium scenaturiente, vel Bacchanal factitante verius: *Nam adhuc per domos aut hortos cecinerat Juvenalibus Ludis, quos ut parum celebres & tantæ voci angustos spernebat. Non tamen Romæ incipere scenas ausus, Neapolim quasi Græcam urbem delegit.* Ad illa *Agamemnoniæ dissertationis* verba aliquando veniamus.

Cap. IV. *Quod si paterentur laborum gradus fieri, & studiosi juvenes lectione severa mitigarentur*] Ita lego, proboque hanc lectionem præ veteri ac Lugdunensi illa, *Irrigarentur*. Persistit enim in metaphora Petronius noster, & *Maturitatem* istam, quam per verbum *Mitigari* exprimit, opponit *studiorum cruditati*, qua juventutem de parentum consilio obnoxiam laborare questus fuerat antea, verbis illis: *Deinde quum ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt, & eloquentiam, qua nihil esse majus confitentur, pueris induunt adhuc nascentibus. Mitigari* ergo pro *Mitificari* (quo vocabulo usus Gellius) hoc est, matureſcere positum accipiemus. Sequitur exinde.

Ut sapientiæ præceptis animos componerent, ut verba atroci stilo effoderent] Idem cum Horatiano illo peniſſime:

Sæpe stilum vertas, iterum quæ digna legi sint
Scripturus, &c.

Stilo enim (id quod à Turnebo, magno illo doctrinarum ac leporum omnium parente, sagaciſſime indagatum) in ceratis tabellis literas faciebant, vel pangebant potius; cujus adeo stili cuspis, qua æquor illud cereum inarabatur, *Acumen* cluebat. unde & M. Tullius: *Omnia sub acumen stili subeant necesse est:* Altera pars retusa erat, qua veluti transverso calamo jugulabant, id est, inducebant, eradebantque obliterantes, si quæ minus ex sententia videbantur: ipsamque ceram illam denuo complanabant, sartam (uti prius) æquabilemque concinnantes, ad novam scripturam supponendam quasi succidaneam, veteri ac fugitiva illa expuncta scilicet. *Stilum* ergo *vertere*, est interpolare atque emendare, quod scripseris: nec mucronem (ut antea) sed vero alteram stili partem, inversam dico, atque ideo obtusiorem ad delendum adhibere. Præcipit proinde cum Horatius, tum Arbiter frequentes in scribendo lituras faciundas, verbaque (*quamvis invita recedant*) *atroci stilo effodienda*, hoc est, crebro invertendum graphium, nec stilo, aut ceræ parcendum, si quis digna modo posteritatis auribus conscribillare postulet sese. Vide exemplum Prudentii prudentiſſime apud eumpse Turnebum illum Adversar. suorum lib. 14. cap. 24. interpretatum in hanc, quam posuimus, sententiam. Pergit narrare porro apud Petronium Agamemnon.

Nunc pueri in scholis ludunt, juvenes ridentur in foro, & quod utroque turpius est, quod quisque perperam didicit, in senectute confiteri non vult.] Exprimere videtur voluisse dictum Horatianum. cujus quantopere studiosus fuerit Arbiter, testis est Elogium illud multo liberaliſſimum, quo *curiosam* in Poëta isto Biformi *felicita-*

licitatem idem admiraturus postea. Illud igitur Horatianum (ut dixi) exprimere voluisse videtur hic noster: ex lib. II. Ep. 1. v. 83.

Vel quia nil rectum, nisi quod placuit sibi, ducunt:
Vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

CAPUT III.

Licinianæ improbitatis (*an* Humilitatis *potius*?) *in privam, hoc est, in veterem suam sedem reductio.* Improbitate *illa* Luciana, *seu* Lucilliana *etiam* humilitate, *una cum Turnebi Imperatoris sui præsidio ac propugnatulis, tam hic, quam in proximi Scazontis constitutione, de statu dejecta, infirmata, ne dicam subversa funditus. Contra*, Lucillianum nomen *postliminium Sidoniano carmini restitutum, Calvo, qui alienum temere usurpaverat, pariter cum titulis suis gentilitiis injusta possessione pulso denique ac deturbato.* Perditi, *quod genus vocitentur.* Addictus Histrioniæ. *Salisbergensis exempli integratio.* Mittere habenas.

Cap. IV. *Sed ne me putes improbasse schedium Lucilianæ improbitatis, quod sentio & ipse carmine effingam.*] Ita nobis refert curatissima illa, ac Parisiensis Editio.

Turnebus, pater eruditionum,
Idemque ARBITER *omnium Leporum;*
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac aliis erunt in annis.

priorum exemplariorum fidem sequutus non *Improbitatis*, verum *Humilitatis*, rescribebat. idque Petronianæ etiam sententiæ haud paullo accommodatius visum. Nam (sicuti idem argute subjicit) *Lucillius in Satyris interdum se ad humilitatem Jamborum demittebat; hodieque in Grammaticis quidam ejus Jambici reperiuntur.* Alii non *Lucillianæ*, sed vero *Lucianæ improbitatis* potius maluere, & ita in contextu posuerunt, haud quidem suo, verum hercle communi vitio in errorem imprudentes compulsi, inscitia ætatis maxime, qua Petronium hunc nostrum Luciano posteriorem credidere: quare venia digni. Et fuit tempus, quum & ipse scripturæ eorundem vestigiis insistens ex *Lucianæ*, *Lucinianæ* concinnandum hariolarer. atque eo mehercules audacius, quoniam in codice quodam membranaceo *Lucinianæ* deprehenderam jam antea, quamquam quid grave, si de *Diserto illo Catulli Salicippio*, seu *Salaputio* dictum accipiamus? Licinio, inquam, Calvo cognomine, qui multum & diu cum ipso Cicerone, & quidem ambiguo certamine, de Eloquentiæ principatu contentiones exercuit. & cujus *Delicati versiculi* passim à Catullo, familiari suo, de meliore sane nota commendantur. quippe qui & oratione summum illum Oratorem (uti dictum est) æmulus, & Poëta insuper non humillimi spiritus fuit. Nam (ut testis est Seneca) *carmina quoque ejus, quamvis jocosa sint, plena sunt ingentis animi.* Proinde *Improbitatis* istud non improbo; quam etiam in Poëmatibus ejus agnovisse Ovidius videtur, quum scribit:

Par fuit exigui, similisque licentia Calvi,
Detexit variis qui sua furta modis.

Hoc est, variis modorum, seu numerorum generibus Epigrammati convenientibus, ad exemplum Catulli scilicet. Quod si quis *Humilitatis* mordicus retinendum contenderit, ad Liciniani stili mediocritatem & oratorium dicendi genus verbum istud accommodare debebit. quod an humile fuerit, haud facile dixerim: hoc compertum habeo tamen, Ciceroni ipsi & accuratum & exquisitum visum oppido: & cujusmodi non nisi abs summo Atticismi cultore manare potuisse est verisimile. eundemque & *violentum & incitatum in dicendo* à Seneca perhiberi, etiam scio. neque aliter sane de Orationibus ejus Plinius Nepos. Sed enim *Humilitatem* hanc potius in Poëmata Calvi convenire crediderim, in quibus & priscæ illius Latinitatis imaginem examussim expressam, & simplicitatem Catullianæ æmulam, (cujus ætati suppar vixit) ad vivum oppido enituisse, & Epigrammatum ipsius Fragmenta, & residua de eo veterum testimonia fidem nobis abunde facere atque adstruere possunt. Cæterum, ut hic *Lucillius* pro *Licinio* perperam objectus nobis, ita in versu quodam Sidoniano, quem Petronii Editor producit, contrarius admissus error, hoc modo:

Non Licinius hic, Lucretiusque est.

Quin eo loci haud dubie *Lucilli* nomen reponendum, tum ipsius sententiæ ratio, tum legitima Phaleuciorum dimensio commonefacere nos possint.

Cap. V. Hic porro Scazon se prodit:

Clienque cœnas impotentium captet.] Examussim optime. Neque enim Turnebi commentum probare possum, *Ne potentium* audaciissime rescribentis. Et vero *Impotentium* valde potentium interpretor. qua significatione hoc verbum Horatio alias familiare. Sequitur

v. 6. *Nec perditis addictus obruat vino*
Mentis calorem.] *Perditis*, id est, nequam & dissolutis hominibus, & quos *Asotorum*, ac *Nepotum* cognominibus pro dignitate insignire possis. Eo dico, quod animadvertam hanc etiam lectionem in controversiam à Petronianis Correctoribus vocitatam fuisse, imo adeo præter omne meritum suum mala manu solicitatam. Sequitur etiam:

v. 7. —— *Neve plausor in scena*
Sedeat redemtus Histrioniæ addictus.] Quorum versuum explicationem Præcidaneis nostris Plautinis reservabimus. Amphitruonis Prologo id omne, cujuscunque modi videtur, de nostro gratificaturi. interim hocce pro tempore admonuisse contenti, ne quis porro Turnebo insistat credere, *ro Histrionis* hunc in locum magna cum fiducia inducenti; atque adeo

Ado-

Addictus istud non participationem, sed vocabulum esse adseveranti: hæresi præpostera, nec tanti viri acumine condigna. Quum *Histrioniam facere* apud Plautum etiam iteratum offendas, & ipse Arbiter eadem voce alibi præterea usus reperiatur, non quidem in his Fragmentorum ruderibus, sed vero in exemplo quodam, quod à Joanne nescio quo Salisberiensi depravate productum ita corrigendum plusquam Turnebica fiducia pronunciamus: *Non duco contentionis funem, dum constet inter nos, quod fere totus mundus, juxta Petronium, exerceat histrioniam.* Nam & illic, & in postrema Lutetiana Editione, *Histrionem*, perperam hodie publicatum legitur.

v. 13. *Mox & Socratico plenus grege mittat habenas Liber, &c.*) *Mittere habenas* Petronio & Propertio idem, quod Ovidio *Immittere*, aliis *Permittere*, seu *Remittere*, i. e. laxare, ac concedere habenas. Hinc patet hoc loco *Mittat*, non *Mutet* retinendum, quod tantopere tamen quibusdam complacitum.

CAPUT IV.

Notare sibi. Petronii complures loci aut correcti, aut novo interpretamento illustrati. Mos in re trepida ac subitaria capitis operiundi. Nonariarum Cellæ, Distingui Titulis quæque suis solitæ. *Eas adeo* (cellas *dico*) *meritorias, stataque ac certa mercede, hoc est, asse uno parabiles fuisse. Res quasi* per nebulam, seu caliginem *videre. Omnes Gitonis mores ad subdolam accusatam vernilitatem facti oppido.*

CAp. VI. *Dum hæc diligentius audio, non notavi Ascylti fugam*] Phrasis Petroniana, quamque hic idem scriptor,

Tantum non in delitiis habuisse videtur:

bis utique usurpatam postea, primum cap. CIII. *Notavit sibi ad Lunam tonsorem intempestivo inhærentem ministerio.* Iterum deinde cap. CXI. *Proxima ergo nocte quum miles notasset sibi & lumen inter monumenta clarius fulgens, &c.* Servandum itaque Pronomen, neque de hoc dictionis genere delibandum quidpiam. Habes deinceps.

Et dum in hoc dictorum æstu motus incedo] Præpositionem *In* inducendam arbitror, at cætera retinenda: mirorque, quid eos moverit, qui, Tò *Motus*, loco movere sunt ausi. Sequitur porro:

Ingens scholasticorum turba in porticum venit, ut apparebat, ab extemporali declamatione nescio cujus, qui Agamemnonis Suasoriam exceperat] *Suasoriam* accipito, quam Agamemnon nescio quis in Schola exsudaverat supra, cap. 3. interim dum in Porticu declamat Eucolpius ejus, quam ibidem habuimus, Declamationis particulam. Porro legitur:

Sed nec viam diligenter tenebam, quia nec quo stabulum esset sciebam.] Videtur aliquantillum deerrari; & nescio, an interponendum hujuscemodi quidpiam: *Quia nec, quo iter ad stabulum esset, sciebam.* Vel certe adjectandum *Loco*, hoc modo: *Quia nec, quo loco stabulum esset, &c.* Sic enim idem cap. VIII. *Cum errarem per totam civitatem, nec invenirem quo loco stabulum reliquissem.*

Cap. VII. *Tarde, imo jam sero intellexi, me in fornicem esse deductum*] In veteri Codice erat, *Tandem*, non *Tarde*. Sequitur mox.

Exsecratus itaque aniculæ insidias, operui caput: & per medium lupanar fugere cœpi in aliam partem] De more operiendi capitis in re crepera & subita antiquitus frequentato diximus quiddam in Notulis nostris ad Horatium; plura (uti spero) dicturi suo loco ad Mostellariam Plautinam. quo etiam referundum exemplum illud cap. XX. in hoc ipso Petronio: *Operuerat Ascyltos pallio caput, admonitus scilicet, periculosum alienis intervenire secretis.* Sed tamen neque illud pigebit asscribere, quod apud Fabium lectum nobis huic loco illustrando mirabiliter facit, libro 5. c. 1. *Ita neque illum probaverim, qui, quum esset cruentus gladius ejus ab accusatore prolatus, quo is hominem probabat occisum, subito ex subselliis ut territus fugit, & capite ex parte velato, quum ad agentem ex turba prospexisset, interrogavit, an jam ille cum gladio recessisset. Fecit enim risum, sed ridiculus fuit.*

Cap. VIII. *Jam pro cella meretrix assem exegerat*] Locum liberum designat, in quo homines venerei ac voluptuarii nequam faciebant clam (ut inquit Comicus) remotis arbitris. Hoc enim genus *Cellæ* dicebantur; easque à Lenis, sive etiam Lenonibus conduci mos erat, assis unius (sicuti hinc patet) pretio. In ejusmodi ergo secretum se à patrefamilias perductum commemorare pergit Ascyltos: &, absque pertinacia sua fuisset, daturum pœnas, & quidem *penitas*, parato præsertim, imo promto peculio in rem præsentem, Facit eodem quoque Senecæ patris locus II. Controversiarum: *Deducta es in lupanar, accepisti locum, pretium est constitutum, Titulus inscriptus est.* Quo loco *Titulum* intellige, quem planius expressum reperias Satyra illa Juvenalis, ubi de indomita Messalinæ *Inuperatricis rabie, an tentigine dicam?* agit gravissimus publicæ luxuriæ castigator Satyricus, quem dixi, his verbis:

Intravit calidum veteri centone lupanar,
Et cellam vacuam atque suam. tum nuda papillis
Constitit auratis, Titulum mentita Lyciscæ.

Adiice & Martialis ista:

Intrasti quoties inscriptæ limina cellæ,
Seu puer arrisit, sive puella tibi. &c.

Pergit porro Petronius:

**Junctis viribus molestum contempsimus*] *Ego, & Ascyltus scilicet. Intelligit autem pullipremonem, vel subulonem illum potius, patremfamilias dico, qui Ascylto paullo ante hillas cædere voluerat; eundem porro obstinate etiam persequutus, frustra; quippe *valentiorem nactus adversarium*; jamque insuper occursu & quasi intercessione Eucolpii fratris novis succenturiatum copiis, animisque ac viribus solidissime confirmatum.

Cap. IX. * *Quasi per caliginem vidi Gitona in crepidine semita stantem*] Plautus noster, *Per nebulam*, dixisset.

Et in eundem locum me conjeci] Sic dictum, quomodo ab eodem alibi: *In armarium memet conjeci.*

Consedit puer super lectum, & manantes lacrymas pollice expressit] Ergo simulatas, atque ad ostentationem doloris comparatas modo, & velut vi quadam extritas; neque dissentaneas nimium illis Ovidianis, quas lib. I. de Arte, amatorum deliciis unicus ille Venerearum rerum magister præivit hoc præcepto suo;

Si lachrymæ (*neque enim veniunt in tempore semper*)
Deficiunt, uda lumina tange manu.

Unde perspicere est, quam condigne ædepol, atque ex disciplinæ pullariæ regula personæ serviat Giton: quem nusquam non sui similem, hoc est, nequam malumque ac versipellem, & (ut uno verbo absolvam) pathicum & quasi Comœdicum inducit Petronius: prorsus, rota figulina vorsutiorem, & in quem meritissimo Horatianum istud convenire putandum,

Verna ministeriis ad nutus aptus heriles.

& reliqua, quæ de argillæ udæ imitatione ibidem ordine deinceps operæ pretium sit lectitare.

CAPUT V.

Intentare, *sive* Intendere manus alicui, *vel* in aliquem. Inhorrescere. Nocturnus percussor, grassator, advocatus. Fortiter facere. Cum pura muliere pugnare, *quo sensu acceptanda.* Fratris nomen *in obscœnis ubique apud Petronium.* Vitrea fracta *solidata, ac pristinæ suæ integritati restituta. Ejusdem loci per se obscuri liquidissima declaratio.*

CAp. IX. *Quibus ego auditis, intentavi in oculos Ascylti manus*] Ex hac nota est, quod ab eodem iteratur cap. 108. *Nec quicquam pro me deprecabar, sed intentans in oculos Tryphæna manus* cap. 95. *Alius verus extis stridentibus plenum in oculos ejus intentat.* Usi quoque eadem phrasi Tacitus haud semel, Hirtius, Livius, ipse Cicero denique. neque aliorsum trahenda *Digitorum intentatio* apud Senecam. Habes haud multo post.

Inhorrescere se finxit Ascyltus] Idem Cap. 135. *Inhorrui ego tam fabulosa pollicitatione conterritus.* Item alias plus vice simplici, pro *Cohorrescere*, & quasi mente tota atque omnibus artubus contremiscere,

Quod fit, ubi subito correpunt membra pavore,
Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæret:
Genua tremunt, gelidusque coit formidine sanguis.

Legitur mox ibidem:

Non taces nocturne percussor?] *Nocturnus grassator*, cap. 82. Etiam *Advocati penè nocturni*, c. 15. Quod vero idem mox subdit:

Qui ne tum quidem, quum fortiter faceres, cum pura muliere pugnasti,] Novo, neque usitato more dictum videtur; utique mihi, qui *Fortiter facere* hac sententia nullus alibi, quod sciam, memini lectitare: positum (ut apparet) pro, *Muliebre arvum conferere*, armisque virilibus agere res mariti; atque in robusta (ut idem loquuturus postea) hoc est, in mascula Hercule, non autem pathica voluptate deditum esse. *Pura* vero *mulier*, libera est, immunisque à fœditate *morbi Campani*, ac *luxu illo Capitali*, quem Nolanis assignat Ausonius, Lesbiis usurpatum antiquitus: unde & λεσβιάζειν, quod dissimulanter innuere volentes Latini illi veteres Plautus, Varro, Seneca, Tranquillus denique: *Comprimere linguam; Offendere buccam; Ori* seu *Capiti cujuspiam illudere* (quibus respondent, *Mergere caput; Comprimi; Ore alicui morigerari*) periphrasi multo honestissima circumscripsere. Martialis lib. IX. Epigr. LXIX.

Improbius quiddam ridensque rubensque rogavi,
Pollicita est nulla luxuriosa mora.
Sed mihi pura fuit.

Ubi hoc quoque observabis, non do nihilo esse, quod *Luxuriosa* Epithetum attribuerit fellatrici. Item alia hujus generis passim; at non eadem circuitione semper. Quo etiam referundum id, quod ante Ascylto tacite exprobraverat Eucolpius dictis illis: *Cujus nec spiritus purus est.* Eodem quoque honestatis velamento in diverso * *Ligurum* genere, hoc est, Varronianis *Labdis* notandis usa Latinorum verecundia: Exempli gratia; *Occultare se demisso capite, Perdere caput in aliqua, Molas lingere, Obligurire*: cujus rei infamia Tiberio quoque hircoso ac olido seni clare & publicitus *Attellanico Exodio* exprobrata apud Suetonium hisce verbis:

Hircus vetulus naturam Capreis ligurit.

Veniamus ad Petronianum illud cap. eod.

Cujus eadem ratione in viridario frater sui, qua nunc in diversorio puer est] Unde apparet non Gitona modo, sed vero & Ascyltum puerili morigeratione, id est, pygiaco obsequio, quod Eucolpio jam olim in viridario officiosissime præstiterat, *Fratris* appellationem jure quodam suo ex pathica disciplina indeptum antea. Quam rem in priori hujusce narrationis serie (quæ nunc ab stirpe interiit planissime) pluribus haud dubie Petronius noster fuerat exsequutus. *Sed hæc prius fuere &c.* Legitur,

Cap. X. *Quid ergo homo stultissime facere debui, quum fame morerer? an videlicet audirem sententias, id est, vitream fractam* (lege *vitrea fracta*) *& somniorum interpretamenta?*] Agamemnonis dissertationem intelligit de causis corruptæ Eloquentiæ, paullo ante cum Eucolpio habitam. Unde quum se præter opinionem fratris, vel præceptoris potius (nam & hanc quoque appellationem ipse sibi Eucolpius attribuerat modo) ad Gitonem inforandum, stabulum versus, hoc est, in diversorium, furtim & quidem curriculo volabundus subduxisset; ut hoc saltem colore aliquo probabili feciſſe videretur, dentes suos dentientes, ac lippientes fame

* *Cunnilingorum.*

fame fauces, ventrisque esuritoris inanias callide, nec non rationabiliter obtendit, cui jampridem latranti explementum quæritare majus operæ pretium fuisse cavillatur sibi, quam tædium illud scholasticæ auditionis devorare diutius, in excipienda primum præceptoris sui (Eucolpii inquam) Declamatione, deinde eampse mox consequutis Agamemnonis sermonibus, soluta partim, partim vincta oratione, bifariam puta conceptis. Unde & *Vitrea fracta*, & *Somniorum interpretamenta* appellat, multo urbanissime: ut quasi *Scopas solutas* dicas,

Inanes inquam Præficarum Nanias,
Plautique Mortualia.

CAPUT VI.

Ad uberiorem Petroniani loci intelligentiam curiosa felicitate evasum. De more locupletum Poëmata sua recitantium culto antiquitus, indidemque pullatæ ac pannosæ multitudinis assensum atque approbationem aucupantium & quasi ementium sibi; non quidem ulla Poëticæ facultatis virtute, aut scientiarum meritis, sed vero gratuita cibi ac vestimenti præbitione, Conlectanea accuratissima.

ORdinem continuare pergamus porro. Subjungit igitur Petronius c. eodem x.

Multo me turpior es tu hercule, qui, ut foris cœnares, Poëtam laudasti] Odiosum aliquem recitatorem intelligit, cui frequentem aurium operam locaverat Eucolpius; non quidem carminum (quibus hercle nihil invenustius) sed vero multo validius Genio ipsius cœnæ illectus: secundum illud Martialis nostri:

Quod tam grande Sophos clamat tibi turba Togata,
Non tu Pomponi, cœna diserta tua est.

Cujus adipiscendæ gratia à semet ipsus impetraverat idem ille, quem dico, frater Ascylti, ut præter animi sui sententiam inculta & male nata Poëmata plausu etiam immeritissimo prosequeretur, *Sophocles ex Eucolpio, ex auditore Laudicœnus factus* subito. Hæc enim nomina in *Cœnipetas* vulgo detorquebant, id est, in cœnarum captatores, eosque, qui (ut Catullus loquitur)

Quærunt in triviis vocationes:

& qui deterius nihil, quam *domicœnia* odere. Cujusmodi à Martiali plurimos adeo in Epigrammate graphice prorsus, omnibusque suis coloribus depictos videmus: præque cæteris *Selium* quendam, familiam eo in genere strenuissime ducentem. Quid mirum vero? quum non deessent iis temporibus homines lauti ac locupletes, qui re nulla alia, quam carmina sua ut recitarent, assidua cœnarum præbitione auditorum studia emererentur: interdum lacernarum etiam, vel similium rerum largitionibus gratiam eorundem ac faventiam aucupantes. Exemplo fuerit nobis unicus pro omnibus Ligurinus ille Martialis, de quo ita falsissimus Poëta,

Hæc tibi, non alia est, ad cœnam caussa vocandi,
Versiculos recites ut, Ligurine, tuos.

Neque omittenda illa Horatii, de semet in Epistolis prædicantis;

Non ego ventosæ plebis suffragia venor
Impensis coenarum, & trita munere vestis.

Qui mos etiam Persio non intactus, ineptum ac divitem recitatorem his dictis Satyrice compellanti:

——— *Calidum scis ponere sumen;*
Scis comitem horridulum trita donare lacerna.

Quibus insuper alterum quoque ab Horatio locum appingas licebit, qui in Arte legitur istiusmodi:

Ut præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores jubet ad lucrum ire Poëta
Dives agris, dives positis in fœnore nummis.
Si vero est, unctum qui recte ponere possit.

& cætera, quæ sequuntur eodem pertinentia, in Notis nostris ad Horatium plus uno in loco liberalissime explicata. Hujus proinde laudationis turpitudinem, sive indignitatem verius etiam hic Eucolpio objicit Ascyltus. Neque alio me hercule referundum, quod idem haud multo sane post: *Hodie (inquit) quia tanquam scholastici ad coenam promisimus, non perdamus noctem. Ad coenam*, Poëtæ illius scilicet, ab Eucolpio (uti diximus) cœnæ gratia collaudati. Cujus haud dico versus, sed verò & nomen pariter cum meliore hujusdem Satyrici parte (id quod ex superioribus argumentis satis superque antea nobis ostensum) ubi sint, utrum sint, an non sint, id vero Lethen scire oportet scilicet. Nam ne de Trimalcionis cœna, qui & ipsus Poëta videri volebat, aut perbelle certe amorem carminum simulabat, dictum credam, obstat temporum ratio. Hæc enim, qua de agitur, cœna in hodiernam vesperam condicta; at altera illa triduo, an quatriduo post. Indicio sint (præter ea quæ ab ipsa usque stirpe interciderunt) tot interjectæ in medio festivissimæ narratiunculæ, in quibus dies, vesperas, noctesque aliquot absumtas, superstites etiamnum reliquiæ attestantur. Arguta porro, atque oppido prudens commonitiuncula illa.

Non perdamus noctem] Eam vero & Martialis noster scitissime aliquoties expressit. Ut: lib. XI. 57.

Et nihil ex tota perdere luce voles.

Item: lib. X. 63.

Et nihil extremos perdidit ante rogos.

Postremo: lib. VII. 46.

Perdiderit nullum vita reversa diem.

Quo etiam respexit Plautus noster, quum scribit: *Diem perdidi optimum.*

CAPUT VII.

Phraseos Plautinæ cum Petroniana conlatio. Quæsticuli *in Arbitro, depulso* Quæstionum *frigore, certo potius, quam arbitrario jure repositi.* Collidere cum aliquo, ἀντὶ τοῦ Confligere, *absolute positum in Seneca.* Rumoribus differre. Habitationem ac sedem pro-

prospicere sibi. Fraternitas Eucolpiana *quousque debeat extendi.* Colluſio *in re voluptatum.* Veſtæ contubernium, *pro* Veſtæ contubernali, *felicis conjecturæ alite in Petronio reſtitutum. Addita & alterius loci emendatio.* Diviſionis *munus inter nequitiæ vocabula, atque ad eos, qui Sectiones ambituriunt, abdegandum.*

ULterius in Petronio progrediamur. Cap. eodem x. * *Rurſus in memoriam revocatus injuriæ, &c.*] Phraſis vetus, & qua Plautus etiam uſus in Perſa:

Ne ſuarum ſe miſeriarum in memoriam inducas.

Pergit Petronius.

Ac paupertatem noſtram privatis quæ ſtibus conemur expellere] Ita noviſſima illa Pariſienſis Editio. Aliæ, atque in his Lugdunenſis, *Quæſtionibus.* Quæ lectionum diverſitas me adigit, ut *Quæſticulis* reſcribendum harioler, voce examuſſim probiſſima, & qua Lucillius, Varro, ipſe Cicero uſus denique Probarem *Quæſtubus*, niſi idem vocabulum in proxima etiam linea repetitum viderem. Quæ iteratio an Arbitrum noſtrum condeceat ſatis, doctioribus arbitris arbitrandum porro ac diſcutiendum relinquimus. Eſt in eodem capite.

Alioqui mille cauſſæ nos quotidie collident, & per totam urbem rumoribus deferent.] Sic Silius:

——— *Concurſuſque viros colliſerat acer.*

nec non Papinius:

Gloria collidit fratres. ———

Abſolute vero Seneca lib. de Div. Providentia, quo loco de Catone diſſerit, Uticenſi dico: *Quem ſibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret.* Quod ſupereſt, malim inibi *Different*, quam *Deferent*, uti hodie vulgo legitur. Idque haud paullo (meo quidem animo) ſignificantius efficaciuſque. Ad ſequentia gradum porro capeſſamus:

Cras autem, quia hoc libet, & habitationem mihi proſpiciam, & aliquem fratrem] Proba, & Romana loquutio, quam nec refugit Livius, *Qui ſedem* (inquiens) *ſenectuti veſtræ proſpiciunt. Fratris* vero cognominationem cum germana cognatione confundas, cave. Nihil enim abſurdius. Et docuit jampridem, tertio Antiquarum ſuarum, unico magis unicus Lipſius noſter, nomen illud inter vocabula nequitiæ paſſim à veteribus celebratum. Et haud ſcio, an *Fraternitatem* iſtam ab Arbitro poſitam alio ſignificatu uſpiam in hoc opere ſis reperturus.

Cap. XI. *Diſcuſſiſque fortiſſime clauſtris invenit me tum fratre ludentem*] Honeſta ſane rei turpiculæ periphraſis ex ejus ſæculi conſuetudine (ut apparet) nata, indidemque porro in vulgum recepta. Quam in Seneca etiam Patre deprehendas lib. 11. Controverſ. XI. *Omnes infamaverunt raptæ patrem, quaſi cum raptore colludentem.* Item ſub ejuſdem Controverſiæ finem: *Hermagoras ſolebat interdum diu ſchemata perſequi, interdum breviter & fortius attingere, ſicuti in hac ſententia fecit, cum ſuſpicionem facere vellet inter raptæ patrem & raptorem colluſionis.*

Et quid agebas, inquit, frater ſanctiſſime? quid veſticontubernium facis?] Quod quidem Turnebus verbo juncto venuſte de iis dictum autumat, qui ſub eadem veſte cubant. Mihi non ſit veriſimile, ſuſpicorque duobus potius verbis reſcribendum *Veſtæ contubernium* ut ironiam ſemel inſtitutam continuare perpetuet porro, & *Veſtæ contubernium* per irriſum appellet eum, quem videri vult à Veſtalium caſtimonia quam longiſſime abeſſe.

Et me coepit non perfunctorie verberare, adjectis etiam petulantibus dictis: Sic dividere cum fratre nolito] Ita Editiones, quas quidem mihi uſque adhuc inſpectare contigit. Cæterum haud placet hæc clauſula, & pro *Nolito*, perlubenter hercule *Cogito* legerim. Latet autem ſpurcities, ne ipſi quidem Petronio diſſimulata. Addit enim: *Petulantibus dictis.* Quamobrem autem? Id vero non jam meis, verum hercule Ciceronis ipſius verbis enucleare conabor tibi. Sic enim ille libro 9. ad Pætum ſuum Ep. 22. *Ergo in verbis honeſtis obſcoena ponimus. Quid enim? non honeſtum verbum eſt Diviſio? At ineſt obſcœnum. Cui reſpondet Intercapedo.* Unde & Plautus Aulularia:

Me tu quidem hercle, hic tam palam, non dividas.

Hinc etiam *Diviſores* dicti *Hillicidæ*, qui Pullariam facerent ſcilicet.

Cap. XII. *Nec diu moratus ruſticus quidam familiaris oculis meis, &c.*] Id eſt, quem vidiſſe alias videbar mihi, quique (cum Plauto dicam) oculis meis haud ſane ignorabilis objiciebatur. Invenias idem loquendi genus infra cap. 100. *Vox pene auribus meis familiaris.* Hoc eſt (uti dictum modo) auribus antehac meis compluries uſurpata.

CAPUT VIII.

De Metus, *an* Motus *prærogativa diſputatum. Alterius loci enarratio. Mos priſcus* Fures, *ſeu* Latrones etiam deprehenſos flagitandi, *ab hodierni ſæculi conſuetudine non abhorrens.* Inſpicere querelam, Morbum. In controverſiam eſſe. *Manuſc. Codicis lectio præſentata. Fragmenti alterius Petroniani cum hujus ipſius loci argumento conciliatio, per cauſſam* Cryptæ Neapolitanæ: *unde Lipſiana quoque de* Græca Urbe *ſuſpicio validiſſime confirmetur. In* ſacrum Quartillæ ante cryptam *turbatum inquiſitio paullo curioſior.* Manus inter ſe uſque ad articulorum ſtrepitum contritæ *præſens animi ſtomachantis indicium. A Scaligeri ſententia in Propertium diſceſſum.*

VEntum ad Cap. XII. Id vero & quædam ordine conſequentia tralaticia opera, hoc eſt, perfunctorie, & quaſi ulterius properantes percurſitabimus. Pergit caſus proinde ſuos commemorare Encolpius:

Ac ne ipſe quidem ſine aliquo metu hominem conſpexi.] Ita eſt in editione nuperrima. Et fortaſſe probe. In altera, *Motu.* Quod ſi recipimus, quid reſtat aliud, quam ut pro levi animi commotiuncula, deſubito objecta, poſitum interpretemur?

Cap.

Cap. XIII. *Exhilaratus ego, non tantum quia prædam videbam, sed etiam quod Fortuna me à turpissima suspicione dimiserat, &c.*] Id est, liberaverat, exsolveratque. Unde patet, Ascyltum jam antea *tuniculam istam intactis aureis plenam* sibi non à Præmiatore aliquo ignoto, sed vero abs Eucolpio ipso astu manticulatam, manuque improba sublectam, falso sane persuasum habuisse, neque misero profuisse *Fraternum* illud *sanctum ac venerabile nomen*, quo minus in suspicione furti apud carissimum commilitonem, ac contubernalem suum immeritissimo poneretur.

Cap. XIV. *Injecit utramque lacinia manum, magnaque vociferatione Latrones tenere clamavit*] Si *Tenere* retineamus, subaudiendum videtur *Se;* ut manifesta in noxia Latrones sese tenere significet, tanquam deprehensos. Alii tamen, *Tenete*, malunt potius. idque ad nostri hujus sæculi consuetudinem referre haud absurde possis, quoties trium literarum homines in ipso furto deprehensos persequimur ac reflagitamus, altiore voce conclamantes: *Hout den dief.* Cui opinioni ipse quoque Arbiter hic noster succenturus postea cap. 138. ubi scribit: *Anicula, quamvis soluta mero ac libidine esset, eandem viam tentant, & per aliquos vicos sequuta fugientem, Prehende furem, clamant.*

Cap. XV. *Ac postero die judex querelam inspiceret. Neque enim res tantum, quæ videretur, in controversia esse, &c.*] Eadem ratione dictum, qua apud Plautum: *Morbum inspicere.* Quod reliquum est, utraque manu Turnebi emendationem amplector, accusandi casum Petronio redonantis, rescribentisque *In controversiam esse* hoc loco, more loquendi Plauto, Ciceroni, ac veteribus illis perquam usitato, qui. *In mentem fuit*, non vero *In mente*, consimiliter dictitabant.

Cap. XVI. *Et me derisisse, inquit, vos putabitis? Ego sum ancilla Quartillæ, cujus vos sacram* (lege, *sacrum*) *ante cryptam turbastis*] In veteri Codice: *Et derisisse, inquit, vos me putatis?* plane & probe exaratum visebatur. Cæterum hoc leve; illud aliquanto pensius magisque (ut quod res est dicam) κρύφιον de *Crypta*: quod quidem ego de nulla sane alia, quam Neapolitana illa, accipiundum habeo persuasum mihi, veteri P. Danielis Glossario inductus maxime, hujuscemodi nobis fragmentum submINISTRANTE ex 1. Satyrarum Petronii: *Satis constaret eos nisi inclinatos non solere transire cryptam Neapolitanam.* ad cujus ipsissimum loci argumentum hæc ipsa quoque pertinuisse evidens suspicio est mihi. Unde magis etiam interpretationis ejus auctoritas suffulcitur de Petroniana *Græca urbis* commemoratione, quam eampse utique cum Neapoli fuisse, antiquissima, id quod supra ostensum, Græci generis colonia (ubi hæcce omnia, quæ Protasi continentur, gesta ac patrata) nec Lipsianum nobis, nec Cornelianum oraculum mentitur. *Sacrum* vero nocturnum & penetrale in Sacello Priapi, (cujus *Genio Pervigilium deberi* monet Quartilla postea) à sequiore sexu ex ritu & disciplina patratum intellige. Ejus enim Dei sanctuarium *ac religionem juvenes isti urbani* interventu suo vitiaverant scilicet. qui non contenti tanti Semonis mysteria, ceremonias, totque annorum secreta oculis profanis usurpata indignissime contaminasse, etiam ante *Cryptam Neapolitanam* (ut diximus) turbellas dare sustinuerant insuper: alienissimo & loco & tempore vias publicas grassatura sua infestas habere ausi: nec secus quam *Præmiatores nocturni* viatorum loculis ac vestimentis insidias facere. Cujus rei testis *pallium* fuerit, mala manu, hoc est, nefario latrocinio, ne sacrilegio dicam, ab iis ipsis harpagatum antea. Quo item referendum, quod Eucolpio & Ascylto mox ab eadem Quartilla objectari videmus: *Quanam est, inquit, hæc audacia? aut ubi fabulas* (*rapinas*, lego) *& antecessura latrocinia didicistis?* Præcesserat,

Cap. XVII. *Ut ergo tam ambitiosus detonuit imber, retexit superbum pallio caput, & manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis: Quanam est, inquit, hæc audacia?*] Hoc ipsum inter alia commoti vehementius animi indicia recensет quoque Seneca lib. III. de Ira his verbis: *Adjice articulorum crepitum, quum se ipsa manus frangunt.* Item ibidem cap. 1. lib. I. *Horrent ac subriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articulorum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque? &c.* Unde liquet illustrissimi viri error, qui ad Propertianum illud: l. IV. El. VII. v. 11.

Spirantisque animas, & vocem misit, at illis
Pollicibus fragiles increpuere manus:

interpretamenti vicem adjecit, eum proculdubio gestum fuisse componentium se ad dicendum, more etiamnum hodie plerisque familiari.

Protendo igitur ad genua vestra supinas manus] Imitatio Horatiani illius:

Cœlo supinas si tuleris manus.

CAPUT IX.

Turnebica correctioni assensum. In certamine gladiatorio, Qui non jugulat, victorem abire, *quam potissimum ob caussam censuerit Arbiter. neque aliunde natam emendationem illam, quam corruptissimo Martialis loco nos adolescentuli imputavimus jam olim, pro conjunctione caussali disjunctivam negationis particulam primitus substituere ausi. Tectioris sententiæ exploratio. Emendatus Petronii locus, non sine exemplorum tam à Plauto, quam Martiali festivissima conlatione.* Mutare equum, *quid?* Horribilis secreti *enunciatio.*

Cap. XVIII. *Nam sane & sapiens, cum tempus, jurgia flectit*; (ita enim haud dubie cum doctissimo Turnebo locus ille rescribendus) *Et qui non jugulat, victor abire solet.*] Alludere autem videtur ad morem ac disciplinam gladiatorum, quorum sollertiæ, industriæ, peritiæque vis omnis, ac præcipuum

porro ad victoriæ consequutionem momentum, non in feriundo, aut etiam jugulando; sed vero habili quadam membrorum agilitate potius, modicoque corporis inflexu ac declinatione, adversarii petitiones, hoc est, ictus impetusque contra objectos eludendo, exeundoque; atque ita tractim ac sedato nisu par suum dilassando fatigandoque & quasi ad languorem dando positum id temporis putabatur. Unde & recte inter alia gladiatorii artificii encomia illud etiam à Martiali haudquaquam præteritum, vel dissimulatum:

Hermes vincere, nec ferire doctus.

Quanquam eo loci perperam in omnibus volgatis exemplaribus nullo sensu, *Sed ferire*, jam inde ab antiquo typis publicatum exstet. Unam Junianam editionem excipio modo, quæ correctiunculam hanc nostram, ex Petroniani loci conlatione & conceptam mihi & edolatam jam olim, paginarum margini adtextam præfert. Neque id adeo mirandum; quippe in qua adstruenda vivus ille bono sane atque obsequenti chirographo usus fuerat exemplari. sed tum denique, posteaquam eidem antea de fugitiva hacce, quam dico, lectione primulum certe aurem vellissem, quam ille porro tanti æstimasse visus, ut eam fastidiose etiam pro sua publici juris facere neutiquam sit dedignatus. Impetrabilis porro ac clemens illa sequens supplicatio, qua non quidem mortem, sed (quæ morte ipsa intolerabiliora) tormenta à se, cruciatusque corporis deprecatur Eucolpius noster.

Cap. XX. *Rogo inquam, domina, si quid tristius paras, celerius confice. Neque enim tam magnum facinus admisimus, ut debeamus torti perire.*] Ita enim legendum. cui scripturæ Curtianum quoque illud adstipulari videmus; *Callisthenes quoque ante tortus interiit.*

Operuerat Ascyltos pallio caput, admonitus scilicet, periculosum alienis intervenire secretis] Hoc enim & ipsius suo & Eucolpii periculo perdoctus fuerat jam antea, ob inexpiabile scelus, nec consilio, sed casu ab imprudentibus admissum, id est, ob sacrum Quartillæ in honorem Priapi institutum, (id quod supra planius ostensum nobis) nimium alieno tempore, adde oculis profanis, indignissime usurpatum. Itaque jam inde cautiori facto placuit operire caput porro, ne quid in oculos denuo fortuitum incurreret, unde periculum aliquod sibi in posterum crearetur. Prudenter utique, atque ex disciplina præcepti ejus, cujus Quartilla ipsum commonefecerat prius: *Neque enim impune quisquam, quod non licuit, adspexit.*

Cap. XXI. *Ultimo cinædus supervenit, myrtea subornatus gausapina cinguloque subcinctus modo extortis nos clunibus cecidit, modo basiis olidissimis inquinavit.*] Huic consentaneum quod habes infra cap. XXIV. *Ab hac voce equum cinædus mutavit, transituque ad comitem meum facto, clunibus eum basiisque distrivit.* Sed videtur legendum potius in Fragmento illo priore: *Modo extritis nos clunibus cecidit*, ad exemplum Martialis scribentis:

Culus tritior Hadili lacernis.

item Plauti ex Fragmentis amissarum Fabularum:

Cum extritis talis, cum todellis crusculis.

Quod si quispiam *Extortis* malit, referendum erit ad pygæ ejusdem macritudinem, ita porro à Martiali meo quasi penicillo expressam:

Habere amicam nolo, Flacce, subtilem,
Quæ clune nudo radat, & genu pungat:
Cui serra lumbis, cuspis eminet culo.

Cæterum quod *Equum mutasse Cinædum* prædicat, ea vero metaphora à Vertumnis, hoc est, equorum desultoribus, & (quod Propertius ait)

Trajicit alterno qui leve pondus equo,

desumpta videri potest. De re taceo, quippe flagitiosa, & quam, nostri pudoris non est, explicare.

Uterque nostrum religiosissimis juravit verbis, inter duos periturum esse tam horribile secretum.] *Horribile*, id est, sacrum, verendum, & quod hominum mentibus tacitam quandam à se religionem incutiat. Unde & Catullus ἱερογλῶς scilicet:

Di magni, horribilem & sacrum libellum.

Sic & Petronius postea cap. LXXXIII. *Et Protogenis rudimenta cum ipsius naturæ veritate certantia non sine horrore tractavi.* Id est, non sine religione, metu, ac reverentia, quæ rebus sacris potissimum ac divinis debetur. Sic *Horrifice*, pro *Venerande* apud Lucretium: item *Religionem* pro *Metu*, & contra, plus semel positum invenias. idque ipsum non sine æmulo ac rivali, Vergilio primum, cujus hoc de *Lauro* exemplum occurrit modo,

——— *Multosque metu servata per annos.*

id est, Religionis ergo. deinde & Valerio Flacco libro 2. vers. 440. de Sacris Bonæ Deæ in Samothracia institutis primulum:

——— *Mane sacrisque metum servemus opertis.*

CAPUT X.

Veteris ludi mos, quo dormientibus ora fuligine oblinebantur, *ad Plauti, ac Petronii plenam solidamque exemplorum intelligentiam nunc primum Noniano indicio patefactus; accommodatusque ad ritus ævi præsentis, & Regalium nostrorum festivitates.*

Cap. XXII. *Cum Ascyltos gravatus tot malis in somnum laberetur, illa, quæ injuria depulsa fuerat, ancilla totam faciem ejus fuligine longa perfricuit, & non sentientis labra humerosque sopitionibus pinxit.*] Spero me gratiam à Lectore non nimium ingrato iturum, si ex confragosa planam fecero loci hujusce interpretationem, retracto fugitivo Ludi veteris more. neque id medius fidius Petroniani magis, quam Plautini honoris gratia, meretricem Adelphasium inducentis in Pœnulo, forma ferocem, eoque nomine plus æquo blandientem sibi; non sine contemnifica sane, plenissimaque fastidii gloriatione: quam hujusmodi castigatiuncula retundit demum Antheraſtilis soror:

Stulta,

Stulta, soror, es magis quam volo, an vero pulcra videre, obsecro,
Si tibi illic nox os oblitum est fuligine?

Cæterum hujusdem loci sententiam, ad Petroniani exempli illustramentum mirifice faciuntem, fuliginea somniorum suorum nube solens nobis oblevit Lambinus, quam Marcelliana tandem spongia absterfurus, Grammaticam ejusdem observationem huicce chartæ illinere non gravabor: *Sublevit, significat illusit, & pro ridiculo habuit, tractum à genere ludi, quo dormientibus ora pinguntur.* Unde perspicue dilucet, hoc pigmenti genus per joculum & ludum iis allini solere, quos aliis deridendos propinare volebant, idque turpiculis puellis potissimum, quas hoc contumeliæ genere à procaci juventure affici mos erat: credo, ut hac quasi censione monitæ, deformitatis suæ in memoriam revocarentur. Confirmat opinionem hanc nostram Adelphasium, quam ibidem ob amabilitatis successum hæc de semet satis glorioſe prædicantem Comicus induxerat modo in Pœnulo, actu quinto scena quarta vers. 8.

——— *Certo enim, quod quidem ad nos duas*
Attinuit, præpotentes, pulcræ, paciſque potentes,
soror, fuimus.
Neque ab juventute ibi irrideculo habita, quod pol,
Soror, cæteris omnibus factum est.

Hinc mos ille, quasi per manus jam inde ab antiquo traditus nobis, dimanasse videri potest, quem in joco & vino pridie Regalium, *optimo dierum* scilicet, usurpare consuemus etiamnum hodie, Morionem sortito ex omni numero creandi ac deligendi, cui inter cætera veræne, an simulatæ, stultitiæ commoda, etiam hæc quasi prærogativa data, ut triclinio in orbem lustrato, oculisque quaqua versum circumactis, si quidpiam forte ab incurioso, maleque sedulo conviva contra communis Regis (Dialis inquio) Edicta vel dicto, vel facto per incogitantiam (ut fit) titubatum animad verterit, ei vero homini multam imponat illico; hoc est, carbone aliquo teterrimo, seu fuligineo potius medicamine (ut in Plauto & Petronio fit) os ei totum faciemque perfricatam denigret, cum ingenti accubantium plausu: quibus tamen pariter delinquentibus, Legesque communibus suffragiis latas migrantibus eadem porro decoloratio impendet, solo Rege excepto modo, quippe exlege & quasi sacro. Atque hæc ipsa ad *Fuliginem* satis. Restat, ut *Sopitionibus*, quæ sequuntur, manum applicem: quas lubenter equidem *Scipionibus* commutarim, si tamen, quid id esse verbi dicam *Scipionibus*, satis pro comperto haberem. Nam in Catullo auxilii quæ specula, gravissimam adeo hanc pœnam puellæ suæ deprædatoribus interminante?

——— *Namque totius vobis*
Frontem tabernæ Scipionibus scribam.

Qua enim ratione *frons Tabernæ Scipionibus* conscribillari possit, non video: non utique magis, quam condignus ille doctissimo Poëta Interpres Scaliger noster, cui secundas agere, & mendum potius tam hic, quam in Catullo latere suspicari mavolo, quam enarrare, quæ non intelligo.

CAPUT XI.

Concrepare æra. Cymbalistria. Crotalistria. *Horatii ac Martialis locorum ad sententiam Petronianam accommodatio.* Urbanitatis vernulæ *vera ac luculenta enarratio, correctusque Arbiter, eademque Seneca locis duobus. Mancipiorum id genus in probris meditate funditandis liberrima atque impunissima dicacitas. Alia quædam nota haud proletaria.*

Cap. XXII. *Cum intrans cymbalistria, & concrepans æra omnes excitavit*] Eadem fere loquutio apud Propertium lib. III. El. XVII. vers. 6.

Cymbala Thebano concrepuere Deo.

Item Ovidium:

——— *Themeseaque concrepat æra.*

Quod & Martialis sequutus

Et Tartessiaca concrepat æra manu.

Cymbala proinde ex ære, quemadmodum & *Crotala* (unde *Crotalistria*, simili modo conformatum) sed & *Sistra*, instrumentum tinnulum, concavum, Matris Deorum sacris consuetum adhiberi antiquitus.

Cap. XXIII. *Perfluebant per frontem sudantis acatia rivi, & inter rugas malarum tantum erat cretæ, ut putares decoctam parietem nimbo laborare.*] Similitudo aptissima, quo aptari etiam haud incommode sane poterit Horatianum illud ex Epod. XII. vers. 7. de Vetula huic Cinœdo non nimium dissimili,

Quis sudor vietis, & quam malus undique membris
Crescit odor, quum pene soluto
Indomitam properat rabiem sedare: nec illi
Jam manet humida creta, colorque
Stercore sucatus crocodili.

Item Martialis:

Quam cretata timet Fabulla nimbum.

deque eadem alibi:

Crassior in facie vetulæ stat creta Fabullæ.

Plura qui volet, succidaneas ad Horatium notas nostras consulito.

Cap. XXIV. *Complosit illa tenerius manus, & o (inquit) hominem acutum, & urbanitatis vernulæ sontem*] Ego, *Frontem*, malim: ἐπανιὼς. neque aliter sane fuerat in manuscripto. Cæterum *Vernula urbanitas* quæ sit, video quæri posse. Ego eam interpretor, quæ *salibus* (uti est apud Juvenalem) *natis intra pomœria constat:* quæque proprie, auctore Fabio, *Urbanitas* perhibetur. qua idem notari vult sermonem præferentem in verbis, & sono, & usu proprium gustum *Urbis*, &c. cui contraria sit *Rusticitas*. Nisi potius tamen ad *Vernarum dicacitatem* allusum, quibus impunissime etiam in dominos jocularia funditare jus erat. sicuti & Morionibus quoque, Cinædisque, ac mancipiis denique eum in usum præstinatis

conciliatisque, quo initium videlicet ab ipso convivii præbitore facientes in convivas porro singulos scommata ac dicteria viritim evibrarent. quibus tantum abest, ut perstricti offenderentur, ut etiam risu ea ipsa prosequerentur ac plausu; in joco quippe & vino vernaliter, hoc est, argute ac ridiculariter profusa. Probo istuc ipsum ex Seneca ita lib. 11. de Tranquillitate vitæ differente: *Eadem caussa est, cur nos mancipiorum urbanitas in dominos contumeliosa delectet, quorum audacia ita demum sibi in convivas jus facit, si cœpit à domino. Ut quisque contemptissimus, & ut maxime ludibrio est, ita solutissimæ linguæ est. Pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam acuunt, & sub magistro habent, qui probra meditate effundant. Nec has contumelias vocamus, sed argutias.* Adde istuc ex ejusdem de Divina Providentia libro: *Itaque quum videris bonos viros, acceptosque Diis, laborare, sudare, per arduum conscendere, malos autem lascivire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum hos* (emendo, *nos*) *modestia delectari, vernularum licentia. Illos disciplina tristiori contineri, horum ali audacia* (malim, *audaciam.*) *Idem tibi de Deo liqueat.* Hactenus liquidissime Seneca. Neque enim genus istud laxo imperio modo, verum soluto quoque; imo etiam *sub magistro* (uti ex eodem Seneca demonstratum modo) habebatur: quo videlicet præeunte, nequitiæ omni, ac scurrilibus cavillis, Mimicisque dicteriis jam inde à prima ac tenella ætate assuefierent strenue. Unde arbitror planum fieri, cur scripserit Martialis lib. 10.

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis.

Item 1.

Urbanus tibi, Cæcili, videris.
Non es. crede mihi, quid ergo? verna es.

Neque omittendum id hominum genus, *Vernas Equites*, joculari, imo Satyrico convicio indigitatos, eodem Martiali, ac Juvenali auctoribus. Proinde haud inscite Horatius:

——— *Vernasque procaces*
Pasco libatis dapibus.

nec non Tibullus:

Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominæ ludere verna sinu.

Ad Petronium denuo convortamur:

Per fidem, inquam, nostram, Ascyltos in hoc tridinio solus ferias agit] Sententia efflagitare videtur, ut *Vostram* rescribamus.

Hodie enim post asellum diaria non sumo] Id est, Quoniam quidem ex sententia per diem totum robusta me voluptate explevi: ipsaque adeo usque ad satietatem quinta Venerei nectaris parte, lepidissimo inquam illo Ityphalli flore, à molitoribus meis onusta ac plena navi discessi, ultra igitur promulsidi locus non est, in satura præsertim ac saburrata probe. cras vero primo cum diluculo, simulatque integram famem ad ovum attulero, tum igitur gustatione hacce matutina primulum, sic quasi *Rude* aliqua *Velitari*, satis pol in tempore more porro meo initiabor solens.

CAPUT XII.

Rima improbe diducta *unde, quomodoque interpretandum.* Acus *cognomento* Lascivæ *ex Martiali & Tertulliano declaratio.* Valgia *Petroniana suse ac dilucide explicata. Turnebi expositio defensa; alia rejecta, una cum suffragatore suo Monstrojulienst.* Valga savia *non pro meretricia collabellandi actione* (*uti volunt alii*) *sed vero pro ore ac labellis ipsis valgiter, hoc est, ad irrisum conformatis in Plautino Milite accipiunda.* Aliquem labiis ductare.

Cap. XXVI. *Itaque, cum inclusi* (Sic & Persius: *Scribimus inclusi numeros ille, &c.*) *jacerent, considimus ante limen thalami, & imprimis Quartilla per rimam improbe deductam applicuerat oculum curiosum, lusumque puerilem libidinosa speculabatur diligentia*] Placet lectio oræ Lugdunensis Editionis prætexta, in qua *per rimam improbe diductam* legitur. Atque istuc facit exemplum illud à Martiali lib. 11.

Oblinitur minimæ, siqua est suspicio, rimæ,
Punctaque lasciva quæ terebrantur acu.

Ubi, cur *Lasciva acus* cognominata Martiali, in controversiam vocari posse video. Mihi vero jam id ex Christianissimo scriptore Tertulliano planum facere est benignitas, in opusculo de Virginibus velandis præeunte nobis in hæc verba: *Simulque se mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu lasciviore comam sibi inserunt, crinibus à fronte divisis apertam professæ mulieritatem.*

Et quia considerantium hæserant vultus, (simile apud Ovidium: *Hæsit, & in vultu constitit usque tuo*) *quicquid à spectaculo vacabat, commovebat valgiter labra, & me tanquam furtivis subinde oculis verberabat*] Hoc est, Quoniam reliqui qui aderant aliovorsum mentes oculosque diviserant suos, totique adeo in Gytonis ac novæ nuptæ automatis per rimam libidinosa curiositate inspectandis, lusuque puerili exigendo diditi videbantur, Quartilla interim, quicquid temporis nuptiarum spectaculo clanculum suffurari poterat, id porro omne oculissima in me contemplatione injecta avide & quasi catillatim consumebat, oris habitu in lasciviam conformato, hoc est, *obtortis valgiter labellis*, & quod Catullus *Micantibus* amat dicere, semihiulcum savium lingula leniter leviterque protensa eminus amatori suo objectans. Neque aliorsum spectat illud Aquinatis Satyrici, Sat. IV. vers. 18.

Blandaque devexæ jactaret basia rhedæ.

De motu oris ad fœdissimam patientiam comparato etiam Martialis lib. 1.

Una lavamur: aspicit nihil sursum,
Sed spectat oculis devorantibus draucos:
Nec otiosis mentulas videt labris.

Denique idem Juvenalis Satyra IX.

Quam?

Quamvis te nudum spumanti Virro labello
Viderit, &c.

Locum fusius enarravi, mollium exemplorum collatione uti coactus, probiorum inopia. eo magis, quod videam in *Valgiis* hisce Petronianis explicandis valgiter nimis hallucinatum amicum quendam nostrum, qui rem se factam habere est arbitratus, si eapse illa cum *Valgis* Plauti *saviis* confunderet; non sine gravissima Turnebi reprehensione, quasi valgiter, id est, prave Interpretis hicce officio functi. At ego ajo, recte, & Turnebum ab iniquissima calumnia libero, hactenus quidem, quod ad furtivas istas Quartillæ osculationes scilicet. Nam de *Valgiis* Plautinarum Meretricum prudentius consuli potuisse, quis vero est, qui dubitet? qui quidem hæc viri illius verba aliquanto præsentiore animo ruminetur, VII. Adversar. libro lectitata: *Valga savia, obtortiones sunt oris ad derisionem. Nam suavium interdum est conformatio oris & labrorum ad suaviandum.* Sapienter sane usque adhuc, illa, quæ sequuntur, non item: *Meretrices autem, dum Gloriosum Militem ductabant atque captabant, per illusionem tamen inter osculandum os obtorquebant, valgumque reddebant, eum ex animo non basiantes, atque ludificantes.* Neque movet me sententiæ ejusdem succidaneus Lambinus, quam hoc ipso etiam Petronii exemplo confirmare adnititur. perperam, uti dictum ac doctum est modo. *Suavia* enim non pro suaviationibus (proinde ut vulgo solet) verum potius pro *Labiis* ipsis accipi oportere ipsa sententia clamitat. idque divinitus (ut omnia) à principe illo Scaligero animadversum. Non igitur de *Valgiis* inter basiandum Militem à Meretricum turba per irrisum & contumeliam conformatis, sed vero de *posticis sannis* intelligendum, sine basiatione: quibus fastidiosæ illæ ac contemnificæ Militem absentem, seu præsentem etiam, sed aversum tamen, atque (ut fieri solet) à tergo ludos faciebant assidue. quas quidem (*Saumas* dico) oris obtortione lascivum morem adumbrare mos erat. indidemque interpretandum id quod antecesserat modo.

Itaque meretrices labiis dum ductant eum.

Quod proverbialiter dictum aliud significare videtur mihi, quam quod ipse mox porro explicat Comicus, *Valgis suaviis*, hoc est, prave distorto ore Militem subsannant scilicet, habentque miserum & Glorioſum illum omnibus modis ludibrio ac despicatui.

CAPUT XIII.

Priscæ beatulorum delitiæ, solo nutu, vel digitorum certe crepitu, si quid vellent, poscendi ac significandi. *Eam in rem Martialis, Tacitus illustrati.* Aquariæ provinciæ Præfectura ad Eunuchos. De Linteorum in balneis usu: *nonnulla item de* Mappis, *hodiernæ consuetudini penitus adversantia.* Sellæ, ac Lecticæ *discrimen.* Cursores falerati. *Locus Tranquilli cum cura discussus, imo (ut spero) cum fructu.*

Cap. XXVII. *Trimalcio lautissimus homo digitos concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit*] *Concrepuit digitos*, sic dictum, ut supra, *Concrepare æra*, &, quod nos vulgo dictitare consuemus, *Op zijn vingeren knippen.* Mos utique ex Martialis disticho libri XIV. planissimo planior, cui Lemma, *Matella fictilis:*

Dum poscor crepitu digitorum, ac verna moratur,
O quoties pellex culcita facta mea est!

Unde & alterum ejusdem Poëtæ locum in promptu sit expedire:

Cum peteret seram media jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus.

A lautioribus porro Eunuchos in delitiis habitos quis nescit? atque id genus Aquariæ provinciæ præsulum potissimum, ejusdem quoque Epigrammatarii testimonio adstruere posse videor, in re & persona huic prorsus consimili, imo etiam cognomini ita more suo deliciantis.

Digiti crepantis signa novit Eunuchus,
Et delicatæ suscitator urinæ
Domini bibentis ebrium regit penem.

Huc accommodandum illud Taciti de superbia Pallantis lib. 13. *Respondit, nihil unquam se domi, nisi nutu, aut manu significasse.*

Cap. XXVIII. *Jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur, non linteis, sed palliis ex mollissima lana factis*] A lavatione enim tenuiores oleo, ditiores contra unguento perfusos, pro re puta atque opibus unosquosque, carbasinis velis, id est, linteis sudariisque setabis detergeri mos erat, quemadmodum & hodie, non autem palliis laneis. unde hoc ipsum quoque inter quæsitissimas Trimalcionis elegantias lautitiasque ponit Arbiter noster. De Linteis balnearibus, quod dixi, confirmat Martialis lib. X.

Lintea ferret Apro vacuus cum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus.

Item alibi:

Lintea si sumas, nive candidiora loquetur,
Sint licet infantis sordidiora sinu.

Unde hanc quoque ducere est conjecturam, eos, qui lavandi causa balnea publica ingrediebantur, lintea, quibus extergerentur, secum prius domo adportare consuevisse, ne quis ea forte à balneatore subministrata opinetur. Quod mirum nemini videri debet, quando alienas etiam epulas adituri mappam quisque suam abs se ad mensam adferre cogebantur. Ejus moris testem facio eundem Epigrammatarium meum:

Ad cœnam Hermogenes mappam non attulit unquam.
A cœna semper rettulit Hermogenes.

Nec *Mappam* modo, sed vero & lagenam, indicio ejusdem:

Sed mappa quum jam mille rumpitur furtis,
Rosos tepenti sphondilos sinu condit, &c.

Et mox:

Nec esculenta sufficit gulæ præda,
Misto lagenam replens ad pedes vino.
Hæc per ducentas quum domum tulit scalas, &c.

Addatur fidei insuper causa ex Lapithis Luciani de mappa, seu mantili, in rem præsentem testimonium multo apertissimum. Καὶ ἅμα λέγων, τὴν ὀθόνην περιστᾶν ἐπιχείρει. ἦν ὁ παῖς ἔσχε τοῦ Ζηνοθέμιδος, μεστὴν ὄντων παντοδαπῶν κρεῶν. καὶ ἔμελλε, λύσας αὐτὴν μὲν, ἀποῤῥίπτειν αὐτὰ εἰς τὸ ἔδαφος, ἀλλ' ὁ παῖς ἐκ ὤκνει, καρτερῶς ἀντιχόμενος.

Hinc involutus coccina gausapa lectica impositus est.] Sicut hic *Lectica* solius, ita *Sellæ* quoque mentio Lecticæ conjuncta legitur apud Senecam libro de Brevitate vitæ: *Nec illos quidem inter otiosos numeraveris qui sella se & lectica huc & illuc ferunt, & ad gestationum suarum, quasi deserere illas non liceat, horas occurrunt, quos & quando lavari debeant, &c.* Et mox: *Audio quendam ex delicatis (si modo delitiæ vocandæ sunt, vitam & consuetudinem humanam dediscere) quum ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, dixisse interrogando: Jam sedeo?* Unde in *Sellis* sessitare, in *Lecticis* vero resupinos gestari cubantium in morem solitos, prorsus persuasum est mihi. De cæteris Lipsianum Oraculum adeunto, cujus *Electa* non compilo. Subjungit deinceps Arbiter:

Præcedentibus faleratis cursoribus IIII. *& chiramaxio, in quo delitiæ ejus ferebantur, puer vetulus, lippus, domino Trimalcione deformior*] De *Cursoribus*, quidem (sicuti hic) faleratis meminit etiam Tranquillus in vita Neroniana: *Nunquam carrucis minus mille iter fecisse traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turba, atque cursorum.* Qui locus præter Egnatium & Glareanum etiam Phœnicem illum Europæ, Turnebum dico, miserrimis modis exercitum, & quasi in equuleo tortum habuit. idque adeo haud mirandum, in tanto chirographorum Codicum dissidio, ac varietate: quorum alii *Phalerata comazacum;* alii *Phalerata hamaxicorum;* sunt etiam, qui *Phalerata cum amaxicorum* nobis repræsentant; nec defuere, qui *Cymazacum* præferrent. Ex quorum omnium pariter lectionum farragine, hujusce Petroniani loci fiducia maxime ac subsidio fretus, in Suetonio rescribendum præstare nullus dubitem, *Phalerata chiramaxicorum turba*, vel certe, *Chiramaxeorum, &c.* ut Rhedarios, Essedariosque intelligamus. (ἁμαξεὺς enim quidnam aliud, quam *Essedarius*?) Eos dico, qui *Chiramaxiis* cum herili præerant imperio, & cælatorum vehiculorum aurigationi quasi Præfecti cluebant: in quibus infelicium catamitorum Pædagogia (quos Martialis meus *Cathedralitios ministros* indigitat) oblita facie vectari consueverant; ut ne sol videlicet, aut frigus teneram ac delicatam cuticulam perstringeret. cujus eximiæ cautionis commonefecit nos Seneca, neque aliena adeo visa, quæ huc per caussam infarciretur. Sic igitur ille Epistola CXXIII. *Omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Et mox lineis aliquot interjectis: *Omnium pædagogia oblita facie vehuntur, ne sol, ne frigus teneram cutem lædat. Turpe est neminem esse in comitatu puerorum, cujus facies medicamentum desideret.* Sed enim hoc nihil ad pompam & comitatum Trimalcionis, quem haud longius sane, quam è balneo ad triclinium proficiscentem inducit Petronius, uno exoleto contentum modo, qui non *Lectica*, aut *Rheda*, sed vero *Chiromaxio* feratur. Atque equidem quid id esse dicam verbum *Chiramaxium*, nescio. & pœnitet expositionis, qua id genus gestatorii cum *Rheda* aut *Essedo* confudisse videor prius. tametsi non ignorem *Essedis* etiam in *gestatione* locum fuisse ævo veteri: & *Gestatores* nominatos ejuscemodi generis vectores: indicium nobis præeunte Martiali versiculis illis libri I.

Illinc Æmiliæ, Salariæque
Gestator patet essedo tacente.

Sed multo etiam certius, magisque historica ex fide, Suetonio Tranquillo, cujus narratio ista de Claudio mihi commodum hercule succurrit modo: *Solitus etiam in gestatione ludere, ita essedo alveoque adaptatis, ne lusus confunderetur.* Quocirca Scaligero Principi hic nostro satius esse duco subscribere; qui Festi *Arcumam, Chiramaxii* vocabulo interpretatur, pro modici plaustri genere, neque plurium, quam unius hominis capaci: adde, à servis, non à mannis trahi, ac provehi solito: unde & caussa nomini.

CAPUT XIV.

Agamemnon *quisnam apud Petronium?* Picæ Variæ *consideratio.* De adoptivo Trimalcionis Prænomine *haud languida sane fidei conjectura.* Cœnatoria *cujusmodi fuerint; &, an eadem cum* Vestimentis Cubitoriis, *quæsitum.* Cautum Romanis olim Legibus fuisse, ne Quæstoribus, vel Provinciam sortitis munera porro ulla accipere à Provincialibus liceret. Trimalcionis Petroniani cum Martialis Malchione affinitas. *Habitus utrorumque, ornatusque in persona Mæcenatis à Seneca tanquam penicillo expressus.* Armillarum mollities *à fœminis paulatim ad viros quoque traduci cœpta.* Cochlearia *quid, & cui potissimum usui apud Romanos? Eapse comesorum ovorum, tum Cochlearum maxime (unde & etymon rei) calycibus perterebrandis, superstitionis ergo, servisse antiquitus.* Pondus eorundem in Petronio expensum. *Dubius & controversus Martialis locus Lucilliani testimonii similitudine defensus pariter, ac declaratus.*

Eodem Cap. XXVIII. *Sequimur nos jam admiratione saturi, & cum Agamemnone ad ostium pervenimus.*] *Agamemnon* hic Trimalcio non est; sed is, quem

quem *Suaſoriam in ſchola habuiſſe* nobis narraverat antea, addita ejuſdem inſuper *de cauſſis corruptæ Eloquentiæ Diſſertatione*: quam Eucolpianæ Declamationi conſequam ac ſubjectam ibidem initio hujus operis invenias.

Super limen autem cavea pendebat aurea, in qua pica varia intrantes ſalutabat.] De hoc genere Plinius lib. x. cap. xxix. *Nuper, & adhuc tamen rara, ab Apennino ad Urbem verſus cerni cæpere picarum genera, quæ longa inſignes cauda Variæ appellantur.* Nos patrio ſermone, *Bonte exters*, nominitamus, famoſa garrulitate amabiles. nec mentitus Martialis lib. 14.

Pica loquax certa dominum te voce ſaluto
Si me non videas, eſſe negabis avem.

Cap. XXX. G. POMPEIO. TRIMALCIONI. VI. VIRO. AVGVSTALI. CINNAMVS. DISPENSATOR.] Neque multo poſt: III. ET PRIDIE KAL. IAN. G. NOSTER FORAS COENAT. Repono utrobique CN. ut *Gnæus* fiat denique, quem cognomentum etiam Pompeji ferre videmus. nec vero mirum cuipiam videri debet de Prænomine, cujus ſolius nota in hac noviſſima Inſcriptione Petronianus iſte Trimalcio inſignitur. In eo enim ingenuorum dignitas poſita antiquitus, credo, quod ſervi generis homines inopiam Prænominum paterentur: & cognomine honeſtiores appellare familiarius, quam pro dignitate habebatur: contra ac nos hodie factitamus. Qua de re plura ac compertiora noſſe qui volet, eum porro ego Adverſaria magni illius Turnebi accedere jubeo, lib. 11. cap. xix. ad huncce Horatii locum:

Quinte puta, aut Publi (gaudent prænomine molles
Auriculæ,) &c. ——

Veſtimenta mea cubitoria perdidit, quæ mihi Natali meo donaverat cliens quidam Typia, &c.] *Cœnatoria* appellitaverat ſupra: cujuſmodi patroni locupletiores, vel etiam advocati ab anteambulonibus & clientulis ſuis quotannis muneri accipiebant diebus Natalitiis, ex more & diſciplina munificentiæ Romanæ. Martial. lib. x.

Pugnorum reus, ebriaque noctis
Cœnatoria mittat advocato.

Vide, que notavimus ad illum Horatii locum:

Natales grate numeras, ignoſcis amicis.

Quibus tamen & hæc quoque ex Plinio Juniore adjici oportuerat inſuper, per incogitantiam (ut fit) ſilentio nobis prætervecta id temporis, quæ libro Epiſtolarum ejuſdem IV. de Julio Baſſo, qui Bithyniam ſortitus repetundarum reus redierat, ad hoc exemplum legunt: *Multis enim, atque etiam Principi dixerat, ſola ſe munuſcula, duntaxat Natali ſuo aut Saturnalibus, accepiſſe, & pleriſque miſiſſe.* Item paullo antea de eodem: *Hoc illum onerabat, quod homo ſimplex & incautus quædam à Provincialibus, ut amicis* (Male enim in H. Stephani Editione *ut amicus* procuſum exſtat) *acceperat. nam fuerat in provincia eadem Quæſtor. Hæc accuſatores furta ac rapinas, ipſe munera vocabat. ſed Lex munera quoque accipi vetat.* Unde hoc quoque præter alia docemur, Præſidibus, ſeu Procuratoribus Provinciarum iſtud juris utique non fuiſſe, ut à Provincialibus ſuis, quibus aut cum Principis, aut cum Populi præerant poteſtate, aliqua porro munera acceptarent; *ne Natali quidem ſuo, aut Saturnalibus, optimo dierum:* ab amicis tamen & familiaribus licuiſſe. Sed nos ad Petronium noſtrum reveniamus denique: in quo credo fore, qui *Veſtimenta* iſta *Cubitoria* diverſa à *Coenatoriis* fuiſſe aſſeverabunt, & illa quidem *Cubicularibus*, hæc vero *Triclinariibus Lectis* conveniſſe ex utriuſque vocis etymo fidem haud dubie ſunt facturi. neque ego huic ſententiæ repugno. Sed quid diutius tricor? quaſi vero Lis iſta non abs Lipſio noſtro in Saturnalibus ſuis publicitus deciſa jampridem! Fateor: &, *Accubitoria*, literula in Petronio retracta, pro *Cubitoriis* reponenti meritiſſimo utique ac lubens ſuffragatorium addo calculum.

Cap. XXXII. *Poſituſque in cervicalia minutiſſima*, (noſtrarum Puerperarum in morem) *expreſſit imprudentibus riſum. Pallio enim coccineo adraſum incluſerat caput, circaque oneratas veſte cervices Laticlaviam immiſerat mappam*] Huc ſpectat Martialis illud de Malchionis hujus, pene dixeram, germano, & quidem gemino:

Jacet occupato galbanatus in lecto,
Suffultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

Caput vero *pallio incluſum* Mæcenatico cultui reſpondet peniſſime; qui tamen non riſum, ſed juſtam indignationem potius Senecæ ſtomachanti expreſſiſſe videtur. Teſtes hæcce ipſiſſima ejus verba, Epiſt. cxiv. *Hunc eſſe, qui in Tribunali, in Roſtris, in omni publico coetu ſic apparuerit, ut pallio velaretur caput, excluſis utrinque auribus, non aliter, quam in Mimo Divites fugitivi ſolent. Laticlaviam* etiam *Mappam* inter munuſcula alia Saturnalitia, & quidem viliſſima, pretiique minimi, à Piceno cliente muneri miſſam Sabello Cauſſidico commemorat falſiſſimus Poëtarum Martialis, lib. 4. Epigram. 46.

Et lato variata mappa clavo.

Et ne has tantum oſtenderet divitias, dexterum nudavit lacertum armilla aurea cultum, & eboreo circulo lamina ſplendente connexum] *Armillæ* ſequiori ſexui antiquitus in uſu tantum, mox etiam gliſcente luxuria ad virorum ornamenta traducta. Vide Plinium lib. xxxiii. cap. iii. Hiſtoriæ Natural. Eadem mollities in Caligula quoque notata à Suetonio ſcribente: *Sæpe depictas gemmataſque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum proceſſit.* Nec non à Seneca lib. ii. In ſapientem non cadere injuriam: *Chæreæ Tribuno militum Cajus ſignum petenti, modo Veneris, modo Priapi dabat, aliter atque aliter exprobrans armato mollitiem. Hoc ipſe pellucidus, crepidatus, armillatus, &c.* Quo loco, *Aliter, atque aliter*, utraque Venere ſtudioſum, hoc eſt, modo *agentem*, modo *patientem* interpretor. Per *Priapum* enim Diviſorem, ſive Admiſſarium; per Venerem & mollem & impudicum deſignari res ipſa vociferatur.

Cap.

Cap. XXXIII. *Accipimus nos cochlearia, non minus sex libras pendentia, ovaque ex farina pingui figurata pertundimus.*] Hinc *Cochlearium* usum apud veteres qui fuerit, planissime deprehendimus. Neque hinc modo, verum etiam ex Martiali, ita lib. 14. sub Lemmate *Cochlearis* disputante:

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis.
Nunquid scis potius, cur Cochleare vocer?

Facit eodemque & locus Plinii ex libro 28. capite 2. *Defigi quidem diris deprecationibus nemo non metuit. Huc pertinet ovorum, ut exsorbuerit quisque, calyces cochlearumque protinus frangi aut eosdem cochlearibus perforari.* Cujus superstitionis manifestissima vestigia nostrarum etiamnum muliercularum animis firmissime impressa hodie est animadvertere; quibus prima hujus quoque rei cautio esse consuevit, usque adeo, ut quodvis Venerium etiam Vadimonium deserere præoptaturæ videantur prius, quam non post ovorum exsorbitionem testas eorundem sive adeo putamina pertusum ire protinus, imo vero frustillatim comminuere, ne *Diris* illis *Plinianis* scilicet, id est, carminibus Devotoriis Thyestæo ritu conceptis obnoxiæ factæ defigi, aut linguæ malignantis execrationibus fascinari porro ab invidis, vel malevolis possint. Cæterum omnis *Cochlearum* virtus pro ratione ponderis, & argenti modo æstimata. atque in hoc ipso quoque pars aliqua elegantiæ posita fuisse videtur. non quod singula apud Trimalcionem Cochlearia singulas sex libras pependisse autumem (apage istam ponderis immanitatem, Tudiculæ, seu Truæ alicui magis, quam Cochleari convenientem) sed quod de plurium potius Cochlearium strue, non autem de singulis Petronium fabulari persuasum sit mihi. Et tamen malum *Cochlearis* pondus *Saturnalibus*, *optimo dierum*, dono missi sibi in Posthumiano exagitat Martialis, lib. 8.

Octavus (s. annus) *ligulam misit sextante minorem.*
Novus acu levius vix cochleare tulit.

Sic enim legendum autumo. quasi diceret Poëta; vix dignum esse, quod *Cochlearis* nomine censeatur ad exemplum (ficuti opinor) Lucillii, ita in re dissimillima ὑπερβολικῶς argutantis:

---- Vix vivum hominem, ac monogrammum.

Unde additum ab Epigrammatario, *Acu levius:* ad rei vilitatem more suo, hoc est, Poëtico magis magisque etiam elevandam. Ad Lucillianæ quoque Hyperbolæ imitationem Ovidianum illud non insulse comparatum judices:

Si pata est, Veneri similis: si flava, Minervæ:
Sit gracilis, macie quæ male viva sua est.

Ita enim postrema Pentametri ejus particula reconcinnanda: neque iis assensus commodandus, quibus novæ loquutionis gratia ex hujus loci interpolatione ingeniose potius, quam verisimiliter quæsita, *Nisa*, pro *Viva*, ausis rescribillare, deceptis (opinor) proletariæ illius scripturæ vanitudine, quæ majorem fere ac meliorem exemplarium nostrorum partem, impune & vindice nullo, ad hoc usque tempus perperam insedit, hoc exemplo: *Macie quæ male visa sua est.* Nam (ut meus est animus) absque illa lectione fuisset. conjectura ista nata non foret.

CAPUT XV.

Promulsis, *unde dicta.* Gustatoria. *In veterum* Cœnarum *legibus fuisse, ut convivarum nemo ferculi sui parte fraudaretur: quam haud modo in profundum condere, sed domum etiam asportare jus erat. Eam in rem Martialis pro testimonio adducta auctoritas.* Rectæ Cœnæ *observatio. Erasmus in Lucianici loci versione notatus. De festivissima Epigrammatis cujusdam, in fine laborantis, enarratione Martialis Genio gratificatum.*

Cap. XXXIV. *Jam Trimalcio eadem omnia lusu intermisso poposcerat, feceratque potestatem clara voce, si quis nostrum iterum vellet Mulsum sumere.*] Hinc patefit etymon *Promulsidis*, & curnam ita dicta prior pars Cœnæ. Sequitur enim è vestigio de *Gustatoriis à choro cantante pariter raptim sublatis.* Quo etiam respexit Horatius noster, ex disciplina Catiana conviviorum strategis hoc quoque inter cætera nepotinum præceptum Satyrice instillans:

——— Vacuis committere venis
Nil nisi lene decet. leni præcordia mulso
Prolueris melius. ———

Nec minus Seneca Epist. cxxii. de Sp. Papinio quodam è genere Lucifugarum, prorsus contra consuetudinem, ordinemque naturæ, sic quasi ex professo viventium, ideoque non ab octava hora vespertina, sed à prima luce auspicantium cœnas: *Circa lucem discurritur, pueri vocantur, cellarii, coqui tumultuantur. Quæro, quid sit? Dicitur Mulsum & alicam poposcisse, à balneo exisse.* Postremo etiam Plinius Junior, lib. 1. Epistol. xv. de eadem ista *Gustatione*, sive adeo *Promulside* verba faciens: *Paratæ erant lactucæ singulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulso & nive.* Quo etiam pertinebit illud à Martiali Distichon:

Nos alicam, mulsum poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Ad superiorem Arbitri locum aliquando reveniamus: è quo etiam ille mos declaratur non ita vulgo vulgatus, lautiores olim Dominos convivis suis voce clara potestatem facere solitos, in Cœnarum præsertim Rectarum exhibitione, poscendi quæ vellent, interdum etiam iterata. idque priusquam *Gustatione* sublata novum mensæ ferculum inferretur. *Quadram* enim singulis, partemque suam palam flagitare jus erat: eamque non in ventrem ablatam modo, verum mappa madente conditam domum quoque asportare, si vellent. Clara omnia de Martiali, exempli gratia:

Nihil est miserius, nec guloſius Santra:
Rectam vocatus quum recurrit ad coenam,
Quam tot diebus noctibusque captavit,

Ter-

Ter poscit apri glandulas, quater lumbum,
Nec erubescit pejerare de turdo.

& reliqua ad finem usque. *Coenam* porro *Rectam* eandem esse suspicor, quam Graji homines, τὸ ἐντελὲς ἢ τελυτιλὲς δεῖπνον appellitant; in qua nihil desideres scilicet mensæ apparatui necessarium. Colligo ex Luciano narrante: Καὶ ἅμα ἐπεκκόμιζο ἡμῖν τὸ ἐντελὲς ὀνομαζόμενον δεῖπνον. Quo loco Erasmus tamen, dum vim vocabuli Græci nequicquam exprimere satagit, *Absolutam coenam* reddidit insciti ssime. Ex iis vero, quæ dicere occœperam prius, alterius quoque in Martiali meo Epigrammatis sententia illustratur, quod lib. 11. in Cæcilianum quendam exstat hujusmodi:

Quicquid ponitur hinc & inde verris,
Mammas suminis, imbricemque porci,
Communemque duobus attagenam,
Mullum dimidium, lupumque totum,
Murenæque latus, femurque pulli,
Stillantemque alica sua palumbum.
Hæc, quum condita sunt madente mappa,
Traduntur puero domum ferenda.
Nos accumbimus otiosa turba.
Ullus si pudor est, repone coenam.
Cras te, Caciliane, non vocavi.

Exemplum integrum adscripsi, non tam joci facetia inductus, quam Junianæ Editionis pravitate: ubi postrema hæcce clausula, in qua totius Epigrammatis consistit lepos, inficetissime concepta legitur, præterito in futurum perperam commutato, hanc ad faciem:

Cras te, Caciliane, non vocabo.

Nihili enim istuc; nec tanto minus Exhibitore, quam Poëta ipso, lectio indigna, cujus hæc sententia fuerat jam olim: Si quando à nobis vocatus es ad cœnam forte, nullum ita nec facetum, nec lepidum mensæ nostræ ferculum inferri potest, quod non vixdum appositum ad te trahas illico, atque in mappam istam tuam harpagatim converras, domum porro à puero e vestigio auferendum, haud secus, quam si non in commune obsonatum, sed vero quantum in lancibus est epularum ac scitamentorum, uni & soli tibi antepositum foret. Unde relinquitur, ut ipse convivator ego, ac parochus, cæterique item, quantum est, convivæ mei dentibus dentientibus, Tantali in morem, ringentes ac famelici, maleque feriati accumbamus; quum tu unus omnium nostrum pariter munus iniquissime fungaris; haud quidem ambabus malis expletis tuburcinans modo, verum etiam catillans insuper, mappaque ac manibus pariter gypsatissimis circumverrens universa; oblitus Juris humani, imo adeo contra communes Leges Cœnaticæ disciplinæ, quæ jubent partem cuique suam adsignari ex æquo, ut fiat Trimalcionis illud: *Æquum Mars amat.* Quare, si quid ingenui etiamnum pudoris est tibi, cœnam istam, non tibi solum, sed vero mihi quoque in partem, reliquisque item convivis meis destinatam atque instructam, fac de manibus tuis reglutines ac remittas aliquando: ut & nos de ea, non minus quam tu, ô Cæciliane, bene esse possimus in commune. Quid enim? non in crastinum etiam, verum in hodiernam vesperam tantum esse te volui, atque expetivi convivam mihi. Salse, arguteque, quasi dicat; O bone Cæciliane, si hanc tecum rationem pergis instituere in posterum, ut mappam usque tuam, ita unctam effertamque ab alienis epulis, redux domum porro comportare pertendas, faxo cras in totum etiam diem de obsonio abunde ampliterque cautum ac provisum sit tibi, hoc est, ut ipse haud de vesperi hoc meo prandeas modo, verum laute adeo, atque opipare insuper cœnam facias postridie. Atqui te (si nescis) ego, non ut posterum in diem ventrem etiam domi saginares tuæ, saburraresque de meo, verum uti hoc vespere apud me pari cum cæteris jure hilarem convivam ageres, familiariter vocitavi. Quid hac quæso urbanitate urbanius?

CAPUT XVI.

Signum ministrantibus symphonia dari solitum ad inferundam coenam. Objurgare colaphis. Lecticarius *de convivio abdicatus, suaque* Supellecticario *dignitas restituta. Arbiter correctus.* Carptores, Structores, Scissores, Chironomantes, *singuli pro* Cibicidis. Petronii cum Juvenali, ac Martiali meo super Structoris munere *controversia.* Structuræ *hujusce Magistros, & quasi Professores Publicos in pergulis prostare solitos Romæ, compluribus ac luculentis testimoniis demonstratum. Eadem Juvenali larga diffusa lucis claritas de Seneca luminaribus accensa.* Longe arcessere. Nummos metiri modio. Abire in cœlum.

EOdem Cap. XXXIV. *Cum subito signum symphonia datur, & Gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur*] Res omnis manifesta ex Seneca, lib. de Brevitate vitæ: *Convivia mehercule horum non posuerim inter vacantia tempora, quum videam quam solicite argentum ordinent, quam diligenter exoletorum suorum tunicas succingant:* (quod postremum expressit Flaccus:

——— *Ut omnes*
Præcincti recte pueri, comtique ministrent)

quam suspensi sint, quomodo aper à coco cæsus exeat, quanta celeritate signo dato glabri ad ministeria decurrant. Idem in epist. *Transeo pistorum turbam, transeo ministratorum, per quos signo dato ad inferendam coenam discurritur.*

Colaphisque objurgare puerum, ac projicere rursus paropsidem jussit] Usus eodem loquendi genere & Persius:

——— *Solea puer objurgabere rubra.*

Nec non Tranquillus: *Ferulis objurgari.* Sequitur deinceps:

Insequutusque est Lecticarius, argentumque inter reliqua purgamenta scopis coepit verrere] Inter tot res convivii multo electissimas *Lecticario* quis locus? Et

certe (ut quod res est, fabuler:) poterat cœna esse sine illo. Sed deformatus haud dubie locus, & quem in decorem pristinum non aliter sane reponi posse arbitror, quam si in *Lecticharii* vicem *Supellecticarius* succedat. eum dico, istiusmodi supellectilem qui curet, quique provinciæ adeo mundulæ præfectus jure optimo, suoque ipsius meritissimo, eluat, ne videlicet abs Eucolpio & cæteris injuria *laudatus ob elegantias Dominus* existimetur, Lecticarium argento admovere ausus, ὄνον (quod dicitur) πρὸς λύρην. quo quid absurdius? Rescribatur proinde: *Inæquatusque est Supellecticarius.* Quam vocem & Pandectæ Veteres pro Romana identidem agnoscunt; asseritque præterea probæ & antiquæ fidei monetæque Glossarium illud multo elegantissimum, quod Rei nostræ Literariæ in commune, præsertim Antiquariæ, gratificatus est non ita pridem industriosissimus Typographorum Henricus Stephanus.

Heu, heu, nos miseros, quam totus homuncio nil est!
(In V. C. pro *Totus*, *Coecus* exaratum legebatur:)
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus:
Ergo vivamus, dum licet esse bene.]

Versus insulsissimi, nihil adeo minus, quam Genii Petroniani. Itaque suspicatus aliquando fui, Pentametri clausulam hoc modo interpolari posse, haud paullo concinnius:

Ergo vivamus, dum licet, estque bene.

Id est, dum per occasionem, perque valetudinem licet; *dumque virent genua.* Nunc & me frustra fuisse, & Petronium Trimalcionis, hoc est, hominis omnium subitissimi *buras, quisquilias, ineptiasque* in joco & vino exprimere voluisse, video demum atque intelligo, hercle vero serio. Itaque recepta scriptura servetur.

Cap. XXXVI. *Non minus & Trimalcio ejusmodi methodio lætus*] *Methodium*, ut *Exodium*, pro *Methodo*, id est, fictione, seu ludificatione. eo dico, ne quis de Editionis Lugdunensis sententia pro *Transitu* porro interpretari pertendat. Clara explicatio hæc nostra ex narrationis superioris argumento. Sequitur:

Carpe, inquit. Processit statim scissor, & ad symphoniam ita gesticulatus lateravit obsonium, ut putares Darium, (Quid si, Daren, vel Dareta, legamus?) hydraule cantante pugnare. Ingerebat nihilominus Trimalcio lentissima voce, Carpe] Proprie, atque oppido Latine Trimalcio. Ab ejusmodi enim munere *Carptores* hoc genus dictitabantur. Juvenalis: *Librarius, archimagiri, Carptores. Carpere* enim nihil aliud, quam quod Petronius, *Lacerare*, dixerat antea. neque aliter sane antiquissimos illos Romuli nepotes loquutos scito. argumento utique est illud XII. Tabularum: MULIER FACIEM NE CARPITO. Eo dico, uti ab errore insubido eos aliquando in viam reducam, quibus *Carpere*, & *Lacerare*, tantum non contraria esse persuasum video jampridem, Ovidiano illo testimonio subnixis: *Carpe cibum digitis.* Quos potius ad verbi istius compositæ mentem atque animum convertere oportebat, puta *Concerpere*, ac *Discerpere*, eadem cum τῷ *Lacerare* significantia. Notandum porro, quem *Scissorem* hoc loco indigitat Petronius, eundem à Juvenali non *Carptorem* (ut diximus modo) sed vero & *Structorem* simul, & *Chironomanta* Græco nomine perhiberi. quomodo & Martiali versu illo:

Et quæ non egeant ferro Structoris ofellæ.

contra mentem Petronii nostri, qui paulo prius *Structoris* meminens, eum non pro *Cibitida Lucilliano*, aut obsoniorum Divisore, sed pro *Archimagiro*, & penes quem *patinariarum struicum* concinnatio, quo scilicet rite omnia ordineque fierent, gabatis & lancibus singulis apte ac suo loco dispositis, hoc est, pro artifici ferculorum mensæ imponendorum ordinatore, instructore, & quasi arbitro visus accipere. idque (sicuti apparet) non sine ratione, & quidem (uti animus meus est) cum primis probabili, si modo verbi ipsius etymon pressius aliquanto investigare velimus. Verum ad Juvenalem revolvamur, quo mos gesticulatoriæ istius, inter tam anxias rerum electissimarum lanienas, planior atque illustrior fiat. Scribit igitur ille Sat. 5. vers. 120.

Structorem interea (ne qua indignatio desit)
Saltantem spectas, & chironomanta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia. nec minimo sane discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Item Sat. XI. vers. 136.

Sed nec Structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Trypheri doctoris, apud quem
Sumine cum magno lepus, atque aper, & pygargus,
Et Scythicæ volucres, & Phœnicopterus ingens
Et Getulus oryx, hebeti lautissima ferro
Cæditur, & tota sonat ulmea cœna subura.

Quæ tum universa, tum singula lumen desiderant, alioqui per se nebulosa oppido; & (absque Seneca Interprete foret) Platonis numeris obscuriora. Proinde parentem illum Philosophiæ Romanæ audiamus, in Epistol. in has nobis explicationes præeuntem: *Cum ad cœnandum discumbimus, alius sputa detergit, alius pretiosas aves scindit per pectus & clunes certis* (forte certisque) *ductibus circumferens eruditum manum in frusta excutit. Infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet, nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis caussa docet, quam qui necessitatis discit.* Unde liquido edocemur, inter cæteras Romæ conturbantis lautitias, seu Luxuriæ verius probra, etiam doctores in pergulis prostitisse, qui dædalæ hujusce *Structuræ* scientiam profiterentur. ad quam item decuriam pertinere videntur *Popinæ Præfecti*, tum *Culinariæ Artis Magistri.* de quibus idem Seneca Epistol. XCV. *Innumerabiles esse morbos non miraberis, coquos numera. Cessat omne studium, & liberalia professi sine ulla frequentia desertis angulis præsident. In Rhetorum ac Philosophorum scholis solitudo est. At quam celebres* (id est, frequentes) *culinæ sunt! quanta circa nepotum focos juventus*

ventus premit. Emendo, *Quanto circo*, vel certe, *circulo*, id est, quam spissa, ac frequente corona. Sic Martialis:

Nec calculator, nec notarius velox
Major quisquam circulo coronetur.

Rursus de Structoribus alibi Seneca: *Quare ars est apud te ministrare, nec temere, & ut libet collocatur argentum, sed perite servatur* (corrige *Struitur*, vel mea, vel Lipsiana fiducia potius) *& est aliquis scindendi obsonii magister.* Idem de Brevitate vitæ loco antea laudato: *Quum videam quam suspensi sint, quomodo aper à coco cæsus exeat, quanta celeritate signo dato glabri ad ministeria decurrant, quanta arte scindantur aves in frusta non enormia.* His superaddatur Plinianum illud, de Gallinis arte secandis: *Postea culinarum artes invenerunt, ut clune sectentur, ut dividantur in tergora, ut à pede uno dilatatæ repositoria occupent.* Ad Eucolpii narrationem regrediamur denuo.

Cap. XXXVII. *Non potui amplius quicquam gustare, sed conversus ad eum, ut plurima exciperem, longe arcessere fabulas coepi*] Idem loquutionis genus usurpatum à Seneca Patre Controversiarum VIII. *Hoc ut alsquando faciendum est, quum res patitur, ita ineptissimum est luctari cum materia, & longe arcessere.* Nec non ipse Petronius postea quoque cap. XCV. *Exmolpus autem, dum Epigramma mortuo facit, oculos ad arcessendos sensus longius mittit.*

Uxor, inquit, Trimalcionis Fortunata appellatur, quæ nummos modio metitur] Ad hoc exemplum scripserat Horatius antea: *Dives, Ut metiretur nummos.* Ibidem paulo post de eadem Trimalcionis uxore:

Nunc nec quid, nec quare, in coelum abiit.] Id est, ut rem ipsam vernaculo sermone strictim attingam modo: *Zy en kent haer selven niet.* Cui loquutioni affinis quoque illa Senecæ philosophantis: *Subsilire in coelum ex angulo licet.* Vide an & hinc Dialogi Fabiani de Oratoribus defectus sarciri possit hujusmodi explemento: *Tum mihi supra Tribunatus & Præturas & Consulatus ascendere videor, tum in coelum abire.* Nam in libris nostris lacuna est id loci asteriscō insignita.

CAPUT XVII.

In M. Tullii cum Publio Syro comparatione Trimalcionis judicium suis, hoc est, Petronianis ponderibus examinatum. Ejusdem Mimici ingenii acrimonia cum Senecæ, tum duorum Juliorum, & quidem Cæsarum, Caji inquam Dictatoris, ac Scaligeri nostri æternis præconiis coheonestata. Ejus rei luculentissimum specimen prabitum à Petronio. Publiani Genii elegantia, & eruditus luxus.

Cap. LV. *Et Poëtarum coepit esse mentio, diuque summa carminis penes Mopsum Thracem immorata est*, (ita enim Lipsius noster) *donec Trimalcio, Rogo, inquit, Magister, quid putes inter Ciceronem, & Publium interesse. Ego alterum puto disertiorem fuisse, alterum honestiorem. Quid enim his melius dici potest?*] Vide, & ride (mi Lector) præposterum insciti simi convivatoris judicium: nec vero Arbitrum nostrum, sed Trimalcionem nugas blatientem te audire existimes velim, quem quidem modis omnibus ridiculum ex professo ut faceret, Poëtarum commemoratione abrupta, novum prorsus atque inexspectatum de M. Tullio sermonem subito injectantem inducit, ut *Florem* scilicet

Delibatum illum populi, Suadæque medullam

cum Mimicis sordibus, & Publiana tolutiloquentia contenderet. quo quid ineptius, vel absurdius fingi possit, haud video sane; nisi (ut meus est animus) fieri non posse arbitror. At tu fortasse novum istud atque insolens comparationis genus non ad prosam Tullii dictionem, verum potius ad Poësin ejusdem, haud perinde quo merebatur plausu à posteris exceptam, pertinere contendes. cujus hercle sententiæ me subscriptorem minime es habiturus. Et tamen Trimalcioni nostro etiam advocatus ut veniam, nullam mihi linguam esse fateor, qua horundem Publii Jamborum argutias, ac felicem verborum compositionem satis pro virtute prædicare possim. Nam (ut ne à Petronii imitatione recedam) *quicquid dixero, minus erit.* Ita publici saporis nihil, itaque novo urbanitatis sale sparsa omnia, atque ad præstationem Elogii ejus, quod de Syro hoc nostro testatum reliquit sanctissimus Romani Theatri Censor Seneca libro I. de Tranquillitate vitæ, his verbis: *Publius Tragicis Comicisque vehementior ingeniis, quoties Mimicas ineptias, & verba ad summam caveam spectantia reliquit; inter multa alia cothurno, non tantum sparitis, fortiora & hoc ait:*

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Ubi tamen, *Siparia*, ad marginem adscriptum legitur, idque verius. Est enim *Siparium genus veli, quo in scena Mimi utuntur*, teste Pompejo. Credo te jam exspectare, uti & alteram quoque magni illius J. Cæsaris Scaligeri laudationem hic imputem referamque expensam tibi. Merito. Neque enim decere, aut ullo modo convenire videtur nobis, ut tanti Herois Censuram minoris, quam ipsius Senecæ judicium faciamus. Sic igitur ille libri primi Poëtices suæ cap. X. de Mimographo hoc nostro, Equitis Romani, Laberii dico, haud quidem æmulo solum, sed & victore: idque de Divi ipsius Julii liberalissima sententia: *Translata in Italiam argumenta adeo salibus, ac dicacitate aucta sunt, ut unus Publius universam Græciam ea laude spoliarit.* Sed jam tempus, ejus rei specimen aliquod ut speciamus, Arbitri nostri beneficio maxime. Nam absque illo foret, quid reliquum erat, quam ut ita lepidi ac venusti Poëmatis inopiam in perpetuum porro pateremur?

Luxuriæ victu Martis marcent moenia:
Tuo palato clausus pavo nascitur, (forte *pascitur*)
Plumato amictus aureo Babylonico:
Gallina tibi Numidica, tibi gallus spado:

Ciconia etiam grata, peregrina, hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,
Avis exsul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.]

Video Publio isti idem, quod nostris Scauris hodie, usu venisse propemodum, qui, gravissimi alienæ nequitiæ objurgatores in propatulo visi, sibi suæque lubidini nihil non in secreto condonant: nec cito, aut temere cuiquam, nisi scelerum suorum administro, vel conscio, gratiam offensæ alicujus facturi. Huic enim generi flagitium quodvis impune, modo occulcultum, ac sine arbitris: nam *Testibus* non audeo dicere. credo, illam ut Plinianam sententiam nobis verisimilem faciant scilicet: *Multisamam conscientiam pauci verentur.* De Publiana vero insolentia, (Ciceroniano more me loqui scito, seu verius elegantia) quam in aliis potius quam semetipso Mimus ille tanto dictorum acumine exagitasse videtur, ita Plinius: *Publii* (inquit) *Mimorum Poëtæ coena, postquam servitutem exuerat* (malim, *Servitute exierat.* Sic enim & Cicero: *Exire ærumna*, pro liberari) *nulla memoratur sine abdomine, vocabulo etiam suminis ab eo imposito.* Ut mirum non sit, eum etiam *Ciconiarum* meminisse; quas id primum temporis edules factas, novamque ex earundem conditura ὀψοποιΐαν Romæ institutam didicerat de Sempronio Rufo, auctoritatem eam haudquaquam utique defugiente, & quidem Prætoriam. quo cognomento insignem ipsum Horatius facit. ad quem locum consule observatiunculas nostras. Adjice Fragmentum quoddam Cornelianum, Nepotis dico, apud Plinium Majorem, ita lib. x. cap. XXIII. differentem: *Cornelius Nepos, qui Divi Augusti Principatu obiit, cum scriberet, Turdos paullo ante coeptos saginari, addidit Ciconias magis placere, quam grues*, &c. Cæterum *Thrax Poëta* iste qui fuerit, cui *summa carminis* in Trimalcionis convivio delata, divinare non est meum. & scin', quid verear, ne pro *Eumolpo* scilicet præpostera sciolorum diligentia *Mopsum* objectaverit nobis. *Eumolpo* inquam, de quo non infrequentem sane, nec infestivam in posteriore hujus Satyrici parte mentionem habituri postea. qui an *Thrax* etiam fuerit, ignoro: hoc scio, non indignum, qui in principum Poëtarum lustro haud postremus censeatur.

CAPUT XVIII.

Margaritum inter faleras pelagias. Pedes tollere. Indomita. Stratum extraneum. Carbunculi, unde Carchedoniorum cognomento famigerati potissimum. *Eorum flagrantia, & quasi ignitus fulgor. Septuosioris cujusdam loci in Publiano versio dissertatio.*

PErgamus auscultare Mimum porro publicæ Luxuriæ accusatorem:

Cap. eodem LV. *Quo margarita, cara, tribacca, Indica?*
An, ut matrona onerata faleris pelagiis
Tollat pedes indomita in strato extraneo?]

Margarita numero plurali posita accipio, utpote generis neutri, quando *Margaritum* in singulari quoque veteres extulisse constat. Vel Mæcenatis Fragmentum specta, in nuperis ad Horatium Notis integritati suæ primitus à nobis restitutum. In eo enim ita scriptum deprehendes:

Lugens te, mea vita, nec smaragdos,
Nec percandida margarita quæro, &c.

Adde quod ejusdem casus continuatio deinceps sequatur. argumento sunt ista:

Smaragdum ad quam rem, viridem, pretiosum vitrum?

Cæterum ubi idem:

Tollat pedes indomita in strato extraneo?

dixerat modo, Mimica quædam sententiæ obscœnitas subesse videtur: ut, *Indomita* significet, necdum domita, vel satiata saltem tot ac tam assiduis libidinibus; haud quidem in lecto maritali, sed vero in strato extraneo, id est, apud adulterum, vel adulteros verius. quorum (id quod de Clodia sua Catullus)

Nullum amat vere, sed identidem omnium
Ilia rumpit.

Nam *Tollere pedes* quid sit, operam interpretando si pergam sumere, nugas egero. Itaque, Scriptorum aliquot exemplis contentus, pausam facere approperabo. Nonius in Atellanarum Fragmentis:

Mammas teneas, pedes extollas, congenues, savies.

Cicer. Epistolar. II. ad Atticum: *Noli, inquam, de uno pede sororis queri, licet etiam alterum tollas.* Quibus addas, si voles, illa à Martiali:

Tolluntur que pedes. ô medicina gravis.

Item:

—— *Ille pedem sustulit, hic tunicam.*

Idem porro Græcis αἴρειν σκέλη valere, facete ab eruditissimo omnium Victorio observatum, hocce Aristophanis exemplo, ex Fabula, quam ἐκκλησιαζούσας vocavit, eam in rem producto examussim scitissime:

Ἐκεῖνο δ' οὐ πέφροντίκαμεν, ὅτῳ τρόπῳ
Τὰς χεῖρας αἴρειν μνημονεύσομεν τότε:
Ἐνθυμίαι γὰρ ἐσμὲν αἴρειν τὰ σκέλη.

Pergit Publius Romanas delitias flagellare porro hujusmodi castigatione:

Quo Carchedonios optas ignes lapideos,
Nisi ut scintillent? Probitas est carbunculus.]

Horum Senariorum nemo (quod sciam) clarius, quam Plinius, illustrationem præiverit tibi. Ita enim ille lib. 37. cap. 7. *Principatum habent Carbunculi, à similitudine ignium appellati, cum ipsi non sentiant ignes, ob id à quibusdam Apyroti vocati. Horum genera Indici, & Garamantici, quos & Carchedonios vocavere, propter opulentiam Carthaginis magnæ:* & reliqua, quæ deinceps ibidem sequuntur. Quod vero jubjungit Mimographus noster, *Probitas est carbunculus.* omnibus credo modis obscurum plerisque visum iri. Videor tamen facile à memet ipsius impetrare posse, ut *Probitatem*

bitatem pro Pudore, *sive* adeo pudicitia Matronali, positam existimem. cui innuere videtur, scintillantibus gemmis exoticis, aut lapidibus pretiosis opus non esse: ut quæ, nullis etiam externis adminiculis adjuta, ipsa per se carbunculi in morem flagret, atque scintillet tamen:

Purpureum toto fundens de corpore lumen.

Sed monendus Lector, perperam nimis in nupera ac postrema illa, quam politissimæ Lutetiæ debemus, Petronii Editione, *Carbunculos*, impressum residere. nisi tamen *Carbunculos* id loci recto casu *dixit* τὸ *Carbunculus* antiqua declinandi forma positum existimemus.

CAPUT XIX.

Terna in Petronium correctiones. Gradum ad præliandum, *sive* statum præliantis componere. Eucolpius, ac Ascyltus non fortunæ modo, sed & vitiorum similitudine, Par inter sese quam bene compositum. *Ex Luciani exempli conlatione clarum Satyrico nostro lumen accensum: simul mendum sublatum. Brevis Eucolpiorum scelerum enumeratio, quasi tu Elenchum dicas. De ejusdem ab arena liberatione, ducta ex argumentorum fugientium signis non aliena sane, neque incredibilis conjectura.*

Cap. LXXIX. *Itaque quum hora pene tota per omnes scirpos, gastrarumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes, &c.*] Vidi oculis, vidi ipse meis exemplar membranaceum, in quo liquido *Scruptos* expressum legebatur. Unde ipsus, *Scrupos*, concinnavi illico: arbitrorque porro pro *Gastrarumque*, *Glarearumque* reponendum, ut terræ petrosæ scrupolæque calculi, seu lapilli intelligantur, cujusmodi in ripis nostris spectare ac littoribus est frequentes, iter faciuntibus molestos. *Carices* aliorum nullus moror.

Et forsitan pernoctassemus in limine, ni tabellarius Trimalchionis invenisset x. *vehiculis dives.*] Restituo, *Intervenisset*: ita postulante sententia, manca alioqui, ac imperfecta. Et vidi librum, qui fidem faceret, haud aliter verba hæcce ab auctore concepta. Porro *x. vehiculis dives*, sic dictum, ut:

Dives agris, dives positis in fœnore nummis.

Cap. LXXX. *Idem ego ex altera parte feci, & in torto circa brachium pallio, composui ad præliandum gradum.*] Simile illi, quod habituri postea cap. XCV. *Alius furca de carnario rapta statum præliantis componit.* Utrique etiam consentaneum Plautinum illud in Milite:

——— *In statu stat senex,*
Ut adoriatur mœchum manifestarium.

Quod quidem pudentissimæ tralationis genus ab Gladiatorum pugnaturientium positura ductum qui nescit, illi Lipsianis Saturnalibus quantum potest convenitis, imo vero intellectis potius, quam pellectis, est opus, in quibus omnia, maxima, minima, ad *Statum* istum quæ faciant, non Pœna sed Græca fide, vel Romana potius, sigillatim tradita atque excussa.

Egreditur superbus cum præmio (id est *præda*) *Ascyltos, & paullo ante charissimum sibi commilitonem, sortunæque etiam similitudine parem in loco peregrino destitutus abjectum.*] Recte, atque ex argumento. Uterque enim fugitivus, hic (Eucolpius scilicet) *obscœnus gladiator, arenarius & homicida.* Alter (puta Ascyltos) *ergastularius, impudicus*, tum *conturbator.* Quæ omnia ex insequenti Eucolpii querimonia atque indignatione, in iis, quæ priore Satyrici hujus parte desiderantur, Petronium nostrum persequutum, satis acceptum est mihi, idque à nobis etiam superius indicatum. Quod vero subjicit Eucolpius, *In loco peregrino destitutum se & quasi abjectum ab Ascylto*, id vero aliquanto etiam planius explicat nobis postea, ubi ejusdem Ascylti, tum Gytonis opera potissimum, *mendicum se atque exsulem in diversorio Græcæ Urbis desertum jacere, lamentatur.* Cui loquendi modo consonat Propertianum illlud:

Desertum Eoa passa jacere domo est.
Grex agit in scena mimum, pater ille vocatur,
Filius hic, nomen divitis ille tenet.
Mox ubi ridendas inclusit pagma partes,
Vera redit facies, dissimulata perit.]

Grex, proprie. Etenim *Gregem Histricum* (ut Plautus meus loqui consuevit) hoc est, & Chorum, & Catervam Histrioniam faciuntium designat. Quod superest, videor fidem meam hoc loco obstringere quamvis audacter posse, atque asseverare legendum: *Assimulata*, non *Dissimulata.* Et sententiam ipsius Epigrammatis appello. Quam etiam in Necromantia sua expressit Lucianus, haud alia sane usus similitudine. Sic enim inibi: Οἶμαι δ' καὶ τῶν ἐπὶ τῆς σκηνῆς πολλάκις ἰωμένων τὸς τραγικοὺς ὑποκριτὰς τύτους πρὸς τὰς χρείας τῶν δραμάτων ἄρτι μὲν Κρίοντας, ἐπίοτε δ' Πριάμους γιγνομένους, ἢ Ἀγαμέμνονας. Καὶ ὁ αὐτὸς, ἢ τύχοι, μικρὸν ἔμπροσθεν μάλα σεμνῶς τὸ τῦ Κίνυρα, ἢ Ἐρεχθέως σχῆμα μιμησάμενος μετ' ὀλίγον οἰκέτης προῆλθεν ὑπὸ τῦ ποιητῦ κεκελευσμένος· ἤδη δ' πέρας ἔχοντος τῦ δράματος, ἀποδυσάμενος ἕκας αὐτῶν τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην ἐσθῆτα καὶ τὸ προσωπεῖον ἀποθέμενος καταδὰς ἀπὸ τῶν ἐμβάτων πένης, καὶ ταπεινὸς παρέρχεται, ἐκ ἔτ' Ἀγαμέμνων ὁ Ἀτρέως, ἐδὲ Κρέων ὁ Μενοικέως, ἀλλὰ Παῖλος Χαρικλέους Σφηττὸς ὀνομαζόμενος, ἢ Σάτυρος ὁ Θεογίτονος Μαραθώνιος.

Cap. LXXXI. *Ausugi, judicium harenæ imposui, hospitem occidi, ut inter audaciæ nomina mendicus, exsul, in diversorio Græcæ Urbis jacerem desertus.*] Eleganter *Nomina audaciæ* appellat, *ausugisse à domino, operam arenæ inter Gladiatores, & quidem obscœnos* (id quod Eucolpio cap. IX. supra objectaverat Ascyltos) *auctoratum locasse, hospitem per fidem necasse.* Unde ibidem quoque *Nocturnus percussor* ab eodem commilitone suo, jure optimo indigitatus. Cæterum subdubito, an locum totum rescribere potius, atque interpungere ausim hoc modo: *Effugi judicium, harenæ imposui, hospitem occidi, &c.* Quid enim? an non ita Horatius quoque?

Sed tamen admiror, quo pacto judicium illud Fugerit.

Utut est, aqua mihi hæret utrobique. Et videtur haud obscure significare, seu suam illam ad gladios locationem, seu casu fortuito (Deo scilicet, id quod in Proverbio est, ἀπὸ μηχανῆς opitulante sibi) seu calido, callidoque nescio quo commento, atque effugio ludificatum, incolumem ac sine noxa evasisse; eaque ratione salutem peperisse insperatam sibi. Quo etiam spectat, quod idem successus ipse suos miseratus fuerat modo querimonia hujusmodi: *Ergo me non ruina terræ potuit haurire?* Item exprobratio illa Ascyltica, cap. 9. *Non taces gladiator obscoene, quem de ruina arena dimisit?* Quamquam hæc ex Lipsii Epistolicis jam nota. Ut videatur ruina fortasse pensilis nescio cujus Theatri, momento aliquo luxatis machinis, arena elapsus fuga porro consuluisse sibi Eucolpius, & (quod Plautus inquit) exercuisse se protenus ad cursuram. eodemque fortean pertinuerit Fragmentum illud extra operis hujus ordinem, è veteri doctissimi P. Danielis Glossario, Satyrico nostro attributum: & inter alia Petroniana exempla sub Lutetianæ Editionis finem ab eruditissimo Collectore relatum hujusmodi: *Petauroque jubente* (*juvante*, malim) *modo superior.* Nec non alterum quoque istud à Turnebo emaculatum ad hanc faciem: *In automatium* (*aumarium* est in exemplaribus nostris) *me conjeci.* quod quidem τῦ *Petauri* mentionem antecessisse sane verisimile sit mihi. Scin', quid suspicer: ad *Automati forte alicujus*, sive *Pegmatis ruinam*, coagmentis inter se nimio machinamentorum pondere elisis ac solutis scilicet, hanc Eucolpiani effugii impostura quam dicit, pro argumenti ratione probabiliter accommodari posse. unde turbella aliquanta, novaque (uti in re subita solet) concurrentis, invicemque se collidentis exorta populi spectatoris trepidatione, versipellis ille, atque in omnes furtorum occasiones intentus, (ne dicam ipsis pene mechanicis ac scansilibus illis, in quæ impositus fuerat, Tabulatis versatilior) lubricitate sua, quasi anguilla, ac pressantis (ut dixi) multitudinis beneficio, per turbam tacite, ac latenter, ut fit, invisus atque ignorabilis dilapsus, hoc est, fugitivos imitatus inflexa pedum pernicitate, salutem porro pepererit sibi.

CAPUT XX.

Macula tua, altera, eluta è Petronio. Mutuis libidinibus attriti. *Inter* Sicyonia, *ac* Phæcasia *discrimen, & utriusque generis æstimatio. Quæstioni acceptus Seneca. Additum nonnihil præterea de colore calceatus Romani.*

Eodem Cap. LXXXI. *Et quis hanc mihi solitudinem imposuit? Adolescens omni libidine impurus, & sua quoque confessione dignus exilio.*] Apage *Exilium* istud. Levius hoc enim, quam pro delicto Gytonis, vel etiam justa ac seria Eucolpii indignatione. Itaque nihil dubito, quin, *Exitio*, scripserit Arbiter. Hoc enim est illud quod cap. 80. manifesta pro noxia commeritum semet Gyton ipse professus fuerat prius, Fratrum duorum fatali rixæ intercedere ausus, atque ita sese quasi medium facere, hac personata deprecatione proclamans: *Quod si utique facinore opus est, nudo ecce jugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones. ego mors debeo, qui amicitiæ sacramentum delevi.* Quæ Deprecatio non *Exilii*, sed *Exitii*, & quidem præsentarii res erat. neque alio utique Gytonis hæcce confessio referunda.

Quid ille alter? die qui tanquam togæ virilis stolam sumsit; qui, ne vir esset, à matre persuasus est; qui opus muliebre in ergastulo fecit] Scriptura non dubie transposita, & vide, an hujusmodi additamento spes sit restitui posse concinnius: *Quod ille alter? qui ipso inquam togæ virilis die stolam sumsit, &c.* Nisi si cui forte Lectionem hanc Lipsianam potius animatum est sequi: *Quid ille alter, ô Dii! qui tanquam togæ virilis, &c.* Videtur proinde Ascylto idem quod *Græcorum primo* (ut cum Crispo hoc dicam) Achilli evenisse. quem parens fati præscia, quod filium ad Pergama, *Trojæ sub mœnibus altis*, oppetiturum prædidicisset, periculi hujus declinandi ergo, ægre ab eodem vixque maternis tandem precibus obtinuerat, ut assumto habitu virginali in Scyro insula tantisper inter lanificas occultatus falleret, dum decennale bellum cum Trojanis obsessis positum esset denique. Sed ille virum se esse masculo facinore Deidamiæ serio aliquando approbavit: Ascyltos contra, accepta semel muliebris patientiæ lege, intercutibus probris usque & usque flagitatus porro, post fœdissimas adeo divisiones, ne capite quidem suo injuriam abstinuisse videtur. Scires & aversum & adversum pariter impudicum fuisse, hoc est, *per caulas corporis omnes* (uti apud Carum est) lubidinem alienam sine ulla exceptione excepisse. Patet hoc ex superiore quoque illa Eucolpii increpatione, qua eumpse inclamaverat prius: *Quid dicis, inquam, muliebris patientiæ scortum, cujus nec spiritus purus est?* Pergit secum porro Eucolpius stomachari.

Jacent nunc amatores obligati noctibus totis, & forsitan mutuis libidinibus attriti derident solitudinem meam.] Eandem in suspicionissimo amore solicitudinem, multis magnisque experimentis percognitam, etiam expressit Propertius, Cynthiam suam probri, stupri, dedecoris manifesto visus insimulare:

Quin etiam multo duxisti pocula risu,
Forsitan & de me verba fuere mala.

Adumbravit & popularis noster, delitiæ meæ, nulli Poëtarum secundus tenerrimo hocce districho?

Forsitan & de me teneros motura cachinnos
Miscetur vestris fabula nequitiis.

Notanda porro phrasis illa: *Mutuis libidinibus attriti*, etiam Propertio familiaris, de virosissima Cleopatra istiusmodi nobis Elogium perhibenti:

Et

Et famulos inter fœmina trita suos.

Denique ipsi quoque Petronio infra Cap. 87. *Utcumque igitur inter anhelitus sudoresque tritus, quod voluerat, accepit.* Ad *anhelitus* istos etiam referendum Juvenalis illud:

——— *Nec queritur, quod*
Et lateri parcas, nec quantum jussit anheles.

Cap. LXXXII. *Age ergo* (inquit ille) *in exercitu vestro Phœcasiati milites ambulant?*] Ita enim princeps nobis hunc locum restituit Turnebus. Rite, atque ex disciplina Romana. *Militem* enim non *Phœcasiatum*, sed *caligatum* esse conveniebat. Neque iis assentior tamen, qui *Phoecasia*, muliebre calceamenti, seu solearum, genus fuisse volunt, ac tantum non cum Sicyoniis confundunt. Perperam. *Sicyonia* enim levioris pretii, tametsi Lucretius reclamare videatur, ac duarum drachmarum opus: *Phoecasia* vero bis tanti. Et illud quidem doceo ex Dialogis Meretriciis Luciani: Δω. Εὖγε, ὦ Μυρτάλη, λογισάμενοι τὰ ὑποδήματα ἐκ Σικυῶνος τὰ πέντε δύο δραχμῶν. Alterum ex Seneca de Beneficiis VII. cap. XXI. ita rem istam computante: *Pythagoricus quidam emerat à sutore Phoecasia (rem magnam) non præsentibus nummis.* Et paullo post de eodem ad tabernam Sutoris interdiu occlusam nominis expediundi gratia nequicquam revorso: *At Philosophus noster tres, aut quatuor denarios (non invita manu) domum retulit, subinde concutiens. Rem magnam*, subdit Seneca, ἰσωνικῶς, & suo more argutias faciens. credo, quia pretiosiores fortasse, quam pro persona Philosophi videbantur; quem *Crepidis* potius, vel *Baxeis* calceatum incedere conveniebat. Et tamen idem ille, quem dico, Romanæ sapientiæ antistes, in epistolis ipsius à sese hac quidem in re seorsum mihi sentire videtur, quo loco monet: *Puto quædam esse, quæ decent phoecasiatum, palliatum.* Unde in communi etiam omnium Philosophantium usu fuisse videri possunt, haud aliter, quam amictui *Pallium*, peculiare huic generi gestamen: cum quo *Phoecasia* conjunxit (ut vides) Seneca. Utut est, Græcanicum genus, ex Plutarcho; ex Appiano coloris etiam candidi fuisse condiscimus. *Albis* certe *calceis* Romanos quoque in publico usos de Martiali cognoscas, ita in Cinnam quendam ludente, more suo:

Sordidior cœno quum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive. &c.

Et fortasse Phœcasiatum voluit dicere.

CAPUT XXI.

Insperata ex traverso fieri. Vita truditur. Protogenis rudimenta cum Naturæ ipsius varietate certantia. Lycurgus *quisnam fuerit, de cujus* crudelissima sotietate *Eucolpius secum & cum animo suo conqueritur.* Literarum studia & odio & molestiæ semper jam inde ab antiquo fuisse opum ac divitiarum structoribus. *Mendum à Petronio submotum. Alia haud pauca explanatu. De* Pinacothecarum positura *quiddam non protritum.*

Cap. LXXXII. *Nemo cœlum putat, nemo jusjurandum servat, sed omnes apertis oculis bona sua computant*] Frequens hæc apud probos omnes tam veteres, quam novos scriptores querimonia, neque dissentanea Ovidianæ illi ex libris Tristium.

At redditus jam quisque suos amat: & sibi quid sit
Utile, sollicitis computat articulis.

Et deinceps interposita lacuna Arbiter:

Quod hodie non est, cras erit: sic vita truditur.] Ad exemplum credo istus Horatiani: *Truditur dies die, &c.* Sententiolæ porro istæ, interjectis passim asteriscis, lacunasque explentibus, dispositæ usque ad postremam illam: *Non multum oportet consilio credere, &c.* ad Eucolpii derelicti personam pertinere videntur, semetipsum demum consolantis de vi atque injuriis, imo contumeliis ab Ascylto illatis sibi, deque perfidia ac dissidio pulli sui, Gytonis. Habes ibidem.

Quod non expectas, ex transverso fit, & super nos Fortuna negotium curat] Sic & Seneca quoque loquutus deprehenditur lib. de vita beata: *Morbos dico, funera, debilitates, & cætera ex transverso in vitam humanam incurrentia.* Est itidem apud Plautum: *Ex transverso incedere.*

Cap. LXXXIII. *In Pinacothecam perveni vario genere Tabularum mirabilem*] *De Pinacothecis* consulendus Plinius lib. 35. cap. 2.

Et Protogenis rudimenta cum ipsius naturæ veritate certantia non sine quodam horrore tractavi] Quamvis τὸ *Veritate* non alienum huic loco, ego tamen assentationem in eam partem flecto, ut *Varietate* potius rescribendum existimem. Consule eundem Plinium super Protogene, Statuariæ non minus, quam Picturæ artibus famigerato.

Et hos Fabulæ quoque habuerunt sine æmulo complexus] Non, ut ego, invenustus, infelix, desertusque, cujus amores ad se per summam injuriam translatos æmulus Ascyltos intervortit. unde abs eodem subjungitur statim.

At ego in societatem recepi Lycurgo crudeliorem] Atque hic *Lycurgus* ille fuisse videtur, de quo mentio cap. 117. cujusque adeo *villam à se dispoliatam, vestesque latrocinio harpagatas*, ipsius apud Eumolpum postea indicium professurus Eucolpius. eo dico, ne quis temerarium Thracem illum Dryantis filium, Liberi patris osorem,

Vesanumque nova nequicquam in vite Lycurgum;

aut Legum etiam Lacedæmoniarum latorem ex transverso somniet nobis.

Sed cultu non proinde speciosus, ut facile appareret, eum hac nota literatum esse, quos odisse divites solent] Confer cum his sententiam illam multo argutissimam Epistolæ Plinianæ libri VII. de Cornelio Minutiano: *Natus splendide, abundat facultatibus, amat studia, ut pauperes solent.* Unde apparet, jam inde à Plinianis tem-

temporibus, humanitatem ac literas odio semper divitiarum amatoribus fuisse. proinde non esse, quod nostri modo sæculi fastidium ac contemtum tantopere miremur. nec quicquam expediendo huic loco accommodatius invenies. qui tamen ad veterem hancce formam interpolandus videtur. *Ut facile appareret eum ex hac nota literatorum esse, &c.* Qua phrasi itidem infra usurus, capite CXXVI. *Ex hac nota domina mea est, &c.* Igitur Eumolpum interrogare properat Eucolpius.

Quare ergo, inquio, tam male vestitus est?] Sic Martialis quoque in re prorsus huic simili, ne dicam gemina, & quidem ipsus de se:

Cur ergo, inquit, habes malas lacernas, &c.

Nec Satyrice minus magnus ille Auruncæ alumnus,

Scit πουητικον esse, videt tunicam, & toga quid sit.

Quæ sequuntur porro, cum iis desiderantur, in quorum vicem asteriscos vacuas lacunas explentes successere, ea vero omnia partim astricta numeris, partim soluta oratione concepta, ex persona Eumolpi prolata videntur, fortunam casusque suos Eucolpio commemorantis. in quibus exsequendis binas propemodum horas insumtas, ex castigatione illa Eucolpiana, quam habituri sumus infra cap. 90. ducere audere videor conjecturam. Sic enim inibi: *Minus quam duabus horis mecum moraris, & sæpius Poëtice, quam humane loquutus es.* Ubi *Humane*, pro, Hominum more ac ritu, simpliciterque capiundum, & quod nos patrio sermone dictitamus, *Menschelijcker wijs.* quasi vero duo ista, *Humane* inquio, & *Poëtice loqui*, contraria inter se ac pugnantia forent. Ridicule. & jocus omnis (ut vides) ex novitate dicti atque insolentia quæsitus. Ex quibus tum singulis, tum universis apparet, Eumolpum istum Petronianum narrationem institutam longius insuper producturum fuisse, nisi eampse abrupisset subito *hominum in Porticibus spatiantium, nec verba, verum lapides loquentium*, odiosa interpellatio. qua ille *adventitia*, interim dum *Halosim Trojæ* recitat, exceptus, plausu ingenii sui cognito, caput operuisse, extraque templum curriculo sese proripuisse inibi invenietur. Unde item manifesto docemur, Pinacothecas templis fere ac Porticibus publicis annexas, seu continuatas fuisse. crede, quo augustiores intrantibus scilicet, majoremque adeo religionis speciem habere viderentur: simul, ad frigus in umbra captandum, animi causa (ut fit) sub iisdem inambulare volentibus, æstivis præsertim calo-ribus.

CAPUT XXII.

Leonum *in* Lenones *commutatio. Locorum aliquot expositiones.* Indelectatus. *Illustramentum sententiæ Plinianæ.* Tropica *Petronii dilucide enarrata. De verbo* Audere, *pro* Velle, *tam Arbitro, quam Plauto novi interpretamenti gratia facta.*

Cap. LXXXIV. *Deinde, qui solas exstruere divitias curant, &c.*] Proprie, & antique. id quod ad illud Horatii planum fecimus, l. II. od. III. v. 19.

——— *Et exstructis in altum*
Divitiis potietur hæres.

Vide Festum in dictione *Struere.*

Nunc veteranus est latro, & ipsis leonibus doctior] Quid si, *Lenonibus*, legas? *genus quod improbissimum est*, siquidem Plauto credimus.

Cap. LXXXV. *Jam ergo cœperam ephebum in gymnasium deducere, ego studia ejus ordinare, ego docere ac præcipere, &c.*] Ex œconomia sequentium satis superque apparet legendum *Jam ego cœperam, &c.* Ita enim haud paullo concinnior fuerit ter iterata pronominis repetitio.

Cap. LXXXVI. *Ut tertia nox licentiam dedit, consurrexi ad aurem male dormientis*] Idem, *Irrepsi tamen, & male repugnanti gaudium extorsi.* Id est, simulate repugnanti, sive obluctanti potius, idque ex disciplina adeo puellari, cui respondet Ovidianum istud lib. I. Am. El. V. vers. 15.

Quæ, cum ita pugnaret, tanquam qua vincere nollet,
Victa est non ægre proditione sua.

Etiam Horatii illud libro primo Od. IX. vers. 23.

Pignusve dereptum lacertis,
Aut digito male pertinaci.

Et præter hoc etiam timebam, ne tam grande munus suspectam faceret humanitatem meam] Hoc est, ne me munificentia largitasque tam profusa in aliqua probri poneret suspicione apud pathicissimi pueri, mei inquam discipuli, parentes. Adfine illi, quod jam inde ab initio fuerat professus cap. 85. *excogitasse se novam rationem* scilicet, qua non esset patrifamiliæ suspectus amator.

Cap. LXXXVII. *At ille non indelectatus nequitia mea, &c.*] Nota novitatem verbi, *Indelectari.* Nec enim apud alium scriptorem Romanum temere compositionem eam reperias, condignam mehercule venustissimo ingenio Arbitri nostri.

Cap. LXXXVIII. *Simulque caussam desidiæ præsentis excutere, quum pulcherrimæ artes periissent, inter quas Pictura ne minimum quidem sui vestigium reliquisset*] Eadem fere de insipientia sæculi sui atque inhœcetia apud Plinium conqueritio lib. XXX. cap. II. & quidem pæne toto: *Ita est profecto, artes desidia perdidit, & quoniam animorum imagines non sunt, negliguntur etiam corporum. Animorum imagines*, id est, quoniam omnes, qui nunc sunt, homines communi hac divinæ auræ particula ad ignaviam & voluptates corporis præpostere abutentes, animorum veluti inopiam pati, sensusque prorsus ac rationis expertes videntur; *Nil nisi Cecropidæ, &c.*

Pecuniæ, inquit, cupiditas hæc tropica instituit] Hoc est, umbras rerum atque imagines tantum, & simulacra quædam inania, surdo figurarum discrimine. Qua de re superius Plinii caput, qui volet, consulito.

At nos vino, scortisque demersi, ne paratas quidem artes avemus cognoscere] In pervulgatis hoc loco, *Audemus*, antea lectitabatur, quo magis subit admirari eorum hominum audaciam, ne imperitiam dicam, qui principes illud in *Avemus* commutare institerunt. Quo in numero Burrhum nostrum nollem equidem fuisse. frustra: quippe sero, ac depugnato jampridem prælio. Sed hoc beat saltem, quod ita conjectura ductum de ingenio (quo supra Sicambrum præditus) ipsius se restituisse inficias non eat. Nam (ita me Deus amet) à blattariis Codicibus male metuebam miser. Quos ille, quoties videtur, perpetuos auctores habet, & quidem in mundo; ne apud Parthos, aut Armenios censeas. Cæterum in rem præsentem. *Audemus*, inquam, revocandum censeo, & retrahendum è fuga. Atque eo audacius, quo compertius mihi, verbum istud notione longe diversa priscis illis, quam nobis hodie, in usu atque in consuetudine fuisse. Argumento, quod dico, abunde fuerit Plautinum illud Menechmi:

Ecquid audes de tuo istuc addere?

Hoc est, Numquid sustines addere istuc insuper aliquid de tuo? vel, Nunquidnam abs tete impetrare potes, ut præterea de tuo istuc vel corollarii vicem addas quidpiam? Item alibi,

Nunquid audes gratiam mihi aliquam facere hic (scribo *hinc*) *argenti?*

Sic *Sodes* eidem, pro *Si audes*, Comico more toties celebratum, an vero aliud, quam *Sis* notare censeas, quod pro *Si vis* antique positum capiunt Literatores?

Ipse Senatus, recti bonique præceptor, mille pondo auri Capitolio promittere solet] *Promittere* in Votis, id est, addicere, seu Vovere. Sic Tibullus:

Interea nigras pecudes promittite Diti.

Cæterum de solenni Promissionis hujus ritu, quem tangit Arbiter, nihil aliunde extrico, hactenus quidem, quod ad Senatum: nam ad Imperatores ipsos, non ausim ducere, inter quos Augustum memorat Suetonius, *in cellam Capitolini Jovis* XVI. *millia pondo auri, gemmasque ac margaritas quingenties* LLS. *una donatione contulisse*. Quo item referri poterit Horatianum illud ex lib. Carm. III. Oda XXIV.

Vel nos in Capitolium,
Quo clamor vocat & turba faventium:
Vel nos in mare proximum
Gemmas, & lapides, aurum & inutile
Mittamus, &c.

CAPUT XXIII.

Halosis Ilii. Suspectiorum aliquot locorum *restitutio, partim ab ingenio, partim à Manuscriptis.* Ferus, *pro Equo positum, substantive: indidemque* & Semiferus, *pro* Lapitha ac Centauro *constatus, etiam* Semifer. JANI PANNONII, & *Pontificis*, & *Poëtæ* Quinqueecclesiensis *meritissimum Encomium. Fugitivæ nonnullæ Lectiones retractæ, retractatæ aliæ.* Correctionum Triga, *vel* Quadriga *verius.*

Cap. LXXXIX. *Sed video te totum in illa hærere Tabula, quæ Trojæ halosin ostendit*] Etiam *Halosin Ilii* dixit Suetonius in Nerone.

——— *Cæsi vertices*
Idæ trahuntur, scissaque in molem cadunt
Robora] Vidi Manuscriptum, in quo *Spissaque*, non *Scissaque* plane & probe exaratum habebatur. Et dubitamus adhuc, utri scripturæ adhæreamus potius? Legimus ibidem:

Huc decenni proelio Irata virtus abditur] Mihi valdius arridet, *Jurata virtus*, id est conjurata, simplex pro composito. Nec multo post:

Hoc titulus fero
Incisus, hoc ad fata compositus Sinon
Firmabat, & mendacium in damnum potens.]

Ita enim ablectissima illa Parisiensis Editio, quomodo & nos ante decennium emendaveramus jam olim: examussim optime. Ut sit sensus: *Hoc Titulus Equo Durio inscriptus, hoc ipsum & Sinon Trojæ proditor confirmabat.* Itaque pro *Hæc*, quod est in aliis, *Hoc* repetendum; tum vero postrema copula ante τὸ *Mendacium* inducenda: ejusque vicem, *Hei*, sive etiam, *Heu*, rescribundum cum hac interpunctione:

Firmabat. hei mendacium in damnum potens:

Id est, detrimentosum Ilionsibus, imo calamitosum oppido: sensu manifesto, atque etiam pereleganti, quod cur de nostro alius adscriberet sibi, causa non erat. Sed tamen credo fore, qui *Mendacium* istud accusandi casu positum interpretabuntur, conjuncteque cum superioribus construendum: ut intellexerit Arbiter, Sinonem tum ad *Fata*, hoc est, ad implendum Fatum, (*novissimum illud de tribus dico, quo Portæ Scææ limen superum scinderetur*) tum ad *Mendacium* pariter *in damnum potens*, id est, Trojanis (ut diximus) calamitosum, sive exitiale & funestum potius, docte meditateque instructum atque compositum fuisse. Neque ego sane huic sententiæ repugno. Pax sit potius: & sequi ipse malo adeo, quam trahi; vel rei tantillæ causa contentionis funem ducere, cum adversario præsertim valentiore. Et quoniam in mentionem *Feri*, pro *Equo* positi, occasione oblata potius, quam quæsita, incidimus, etiam ad partes vocitetur Prudentii locus è libro περὶ στεφάνων, Hymno XI. qui Hippolito Martyri inscriptus legitur:

Postquam composito satis instruxere paratu
Martyris ad poenam verbera, vincla, feros,
Instigant subitis clamoribus atque flagellis.

Sic enim hunc locum ex Vet. Cod. doctissimi Giselini primitus restituit Gifanius noster, quum *Feras* antea in Prudentio imprudenter excusum serio cum Antiquariis stomacharemur. Quod ut ita esse mihi cum amico conveniat meo, ita scorsum rursus ab eodem sentire necessitas subigit me, in verborum simul ipsorumque versuum constructione. Quam quidem con-

tinenter ipsus atque conjunctim constituendam censeo, eosdemque huncce in modum interpungendos:

Martyris ad pœnam verbera, vincla, feros
Instigant subitis clamoribus atque flagellis.

Feros enim pro *Equis* antiquitus usurpatos haud Catulli modo, Virgiliique auctoritatibus confirmare possis; sed & liquidius multo ejus Epitheti contemplatione, quod Hippocentauris Lapithisque omnes uno ore contribuunt Poëtæ. Etenim genus istud *Semiferos* indigitant, non quidem à *Feritate* vocabuli ejus etymologia petita, sed vero à forma ipsa, qua *Feros* (ut diximus) hoc est, Equos dimidiata sui parte assimulasse finguntur. Unde illorum hominum error castigandus pariter, quibus in compositione ista, τὸ *Ferus*, adjectivum potius, quam substantivum esse, falso quidem hactenus, sed tamen serio, fuerat persuasum, quorum offensa tamen non minus tolerabilis, quam felix illorum hominum audacia laudanda, qui rectum ejus verbi casum admutilantes novissimæ syllabæ detruncatione bimembre hoc genus *Curto* Horatii *Mulo* prorsus adsimile reddiderunt, ita ut *Apellæ* propemodum videantur, *Semifer*, pro *Semiferus*, nobis trisyllabum nominativum commenti. Utque non mendice, sed plena manu, tecum porro agere perseverem, mi Lector, etiam recens quoddam superioris sæculi exemplum istuc pertinens in commune hoc loco proponam, à Poëta uno omnium elegantissimo JANO PANNONIO petitum, in cujus Elegiarum opere versus istiusmodi exstare invenitur:

Nec nisi duratum Lambro thoraca volebam,
Nec nisi ferrato ferreus ire fero.

Ecce alia monstra, celsa qua Tenedos mare
Dorso repellit, &c.] Lectio & proba & plana; at in Lutetiana Editione, *Replevit*, legitur. non recte, neque ad disertissimi Poëtæ Genium.

De geminis Lacoontis filiis in Vergiliano illo anguium totidem improbo atque inexplicabili nexu satagentibus laborantibusque:

——— *Neuter auxilio sibi,*
Uterque fratri transtulit pias vices.]

Ita Editiones Gallicanæ. Mihi tamen, nescio quo pacto, Antverpiensis scripturæ interpunctio arridet impensius, ea ipsa inquam, quam Clarissimi Sambuci Bibliothecæ debemus, in qua ita hæc distincta observavimus jam olim:

——— *Neuter auxilio sibi,*
Uterque fratri, transtulit pietas vices.

Tentant in armis se duces, seu ubi solet
Nudo remissus Thessali quadrupes jugo
Cervicem, & altas quatere ad excursum jubas.]

Placet scriptura libri veteris, in quo diserte calamo exaratum legebatur:

Tentant in armis se duces, seu solet ubi.

Neque istud satis, nisi versus item proximus in pristinum tandem decorem me porro conjectore reponatur hoc modo:

Nodo remissus Thessali quadrupes jugi
Cervicem, &c.

Nam & hæc quoque correctio à nobis erat; verum antevortit nescio quis, qui eample in rationum suarum Tabulas referre sustinuit non ita pridem, expensi, haud excepti, inquio, *oblitus Juris humani.*

——— *Hic graves alius mero*
Obtruncat, & continuat in mortem ultimam
Somnos.]

Sic & paullo prius cap. 79. *Et dubitavi, an utrumque trajicerem gladio, somnumque morti jungerem.* Malim tamen in Petroniana Trojæ Halosi, *Noctem*, legi. Nam, quanti obsecro est illud, *Mortem ultimam?* An vero mors ulla (naturalis inquio) homini evenire possit, quæ ultima non sit?

Cap. XC. *Timui ego, ne me Poëtam vocarent.*] Ita enim malo, quam (quod omnes usque adhuc Editiones insedit) *Vocaret* legere, ut ad Eumolpi Lapidatores referatur, non ad Eumolpum ipsum, eo quod in comitatu ejus Eucolpium vidissent antea, ex persuasione Parœmiæ illius conjecturam ducentes, qua vulgo dictitare consuevimus, *Aves concolores una fere volitare scilicet.*

Rogo inquam, quid tibi vis cum isto morbo? Minus quam duabus horis mecum moraris, & sæpius Poëtice, quam humane, loquutus es] *Humane* & *Poëtice* opponit. Facete, ad exemplum opinor sententiæ illius Horatianæ:

Surge, & inhumanæ senium depone Camœnæ.

Qui locus, quantus est, huic Petroniano explicando mirabiliter facit. Vide Notulas nostras in biformem Poëtam illum Venusinum. Habes ibidem:

Imo quoties Theatrum, ut recitem aliquid, intravi, hæc me adventitia excipere frequentia solet] Rescribe: *Hæc me adventitia, &c.* Argute. Etenim ad *Cœnæ* præbitionem quæsita allusio, quæ *Adventoria* Martiali, Plauto *Viatica* indigitatur, & persistit in Metaphora semel instituta Eumolpus subjectans porro è vestigio: *Cæterum ne & tecum quoque habeam rixandum, toto die me ab hoc cibo abstinebo.*

CAPUT XXIV.

Illustramentum Historiæ Petronianæ. De Linteis, ac Strigilibus balneariis *cum cura & fide dissertum.* Tergeri, Fricari, *item* Destringi, *peculiaria ipsce rebus vocabula.* Gyton quid Ascylto? De Gutto, *atque* Ampulla *nonnihil. Vestimentis asservandis cautio cujusmodi in balneis publicis adhiberi solita antiquitus.* Capere experimentum. *Obscurioris argumenti declaratio. Hominum quorundam importunitas, nulla, aut loci, aut temporis, habita ratione, frequentes, imo assiduas, alienis auribus Poëmatum suorum recitatione argutias, hoc est, molestias exhibentium. Idonea ejusce rei exempla ab Horatio, & Martiali. Ambigua alterius loci interpolatio.*

Cap.

Cap. XCI. *Video Gytona cum linteis & strigilibus parieti applicitum, tristem confusumque. Scires non libenter servire*] Scilicet Ascylto. Ergo in balneo erat Gyton, quum hæc acciderent; unde statim ab Eucolpio extractus, atque inde in hospitium porro, interim dum carminum suorum recitationi intentus Eumolpus, corporis vero lavationi Ascyltus dans operam, non notat sibi fugitivam fratris harpacitatem. Quæ mox caussa etiam fuisse videtur, cur ostreosus ille palam vestimentis circumductus magna clamoris indignatione reflagitatum puerum vestigiis fuerit persequutus: cujus dilapsu ac perfugio tantam porro jacturam fecisset miser, quam æquiore animo tamen laturus videbatur, siquidem pro veste modo investem sibi pullum recipere contingeret. Facit huc locus Juvenalis Satyræ III. vers. 262.

——— *Et sonat unctis*
Strigilibus, pleno componit linteа gutto.

Item Persii Flacci Sat. v. vers. 126.

I, Puer, & strigiles Crispini ad balnea defer.

Denique Epigrammatarii illud:

Linteа ferret Apro vacuus quum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus.

Illustris enim *Strigilum, Linteorumque*, ad desquammandum, fricandum, exsaniandum, purgandumque corpus, in balineis usus temporibus illis, haud paullo illustrior futurus tamen Pliniani hujus loci commonstratione, libro III. Ep. v. de Plinio avunculo: *Secessu solum balnei tempus studiis eximebatur. Cum dico balnei, de interioribus* (id est, quæ in secreto sine arbitris fieri solent) *loquor. Nam dum destringitur, tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat.* Ubi diserte rem utramque sic quasi indice digito designari videmus. *Destringitur* enim ad *Strigilem* (unde & etymon nomini) *frictionem; Tergitur* vero ad *Linteа*, & sudariorum post balnea abstersionem referundum. Adde, fidei caussa, ex magni illius Turneb. Adversar. lib. 26. cap. 20. *Apud Senecam lib. 22. Epist. 13. Elegantissime, Destringere, est sudorem strigilibus siccare & detergere. Ut (inquit) sudorem, quem moverunt potionibus crebris & ferventibus, subinde destringant. Et apud Plinium lib. 34. cap. 8. Se destringentem, est Ἀποξυόμενον, qui strigilibus se defricat, & sudorem sordesque deterget.* Et hactenus quidem ille. Nunc ad Gytona invite atque ingratiis (quæ quidem somnia de nihilo sibi fingit Eucolpius) hero suo servientem remigremus denuo: qui utrique utique huic ministerio ab Ascylto (cui etiam pro culcitella erat, omnibus & horis & locis officium faciundo suum) præfectus fuisse a nobis existimatur, quo videlicet lavanti domino præsto esse posset, *pleno gutto* (id quod ex Juvenali docuimus supra) hoc est, ampulla, vase olearióne, an aquario potius, ad abluendas infusione sordes; *linteis componendis, strigilibusque*, ad detergendum delicatissimum sudorem promptе parateque, quum usus posceret, *expediendis*, simul, uti malas balnearіorum furunculorum siniſtras vestimentis herilibus (quomodo anus illa Martialis, quam *Cinnana in Togula præsidentem* induximus prius) curiosa observatione prohibitum iret ac defensum. Quæ tamen omnia, perfidia ejusdem & transfugio maxime, Ascylto contraria, ac præter omnem exspectationem etiam flagitiose evenerant. Sequitur in Petronio.

Itaque ut experimentum oculorum caperem, &c.] Eadem loquendi ratione non indelectatus Plinius: sed & Seneca Remed. fortuit. *Ægroto. venit tempus, quo experimentum mei caperem.* Habes deinceps ex ordine Petroniano:

Convertit ille solutum gaudio vultum. &, Miserere, inquit, Frater: ubi arma non sunt, libere loquor] Blanda & amatoria præteriti metus simulatio. Hoc enim dicit Gyton, se tandem sine cura ac corde libero contra consistere, cominusque & ex propinquo magis Eucolpium compellare audere, quoniam inermem eum ac sine telo obviam occessisse videt sibi, quem armatum ac districto gladio ferocem pueriliter nimis expaverat antea. Vel referundum certe ad delenimenta illa satisfactionis Gytonicæ, quam hoc capite habituri. idque verius puto; cæterum rem vide: *Equidem fateor, & præ me fero, quum duos armatos viderem, ad fortiorem confugi.* Ut significet Gyton, se jam primum denique, remoto armorum metu, atque Ascylto maxime, fidem amoremque suum adversus Eucolpium libere atque ex animo depromere audere scilicet: quem præsente, & (quæ ratio maxima) armato Ascylto, nimis hercule præter animi sui sententiam dissimulare fuerat coactus, seque in fidem ejusce patroni tradere, quem minime voluisset, præsertim fortioris. *Delitiæ pueri.*

Relictoque Eumolpo (nam in balneo carmen recitabat) per tenebrosum, &c.] Adverte mirificam observationem decori in homine *nimis* Poëta, & quem ita totum recitandi cacoëthes, vel morbus potius, penissime occupatum tenet, ut nullo non & loco & tempore hominum auribus molestias argutiasque, vel ad fastidium usque, ne languorem dicam, versuum suorum prælectione exhibeat. Quod genus etiam a Flacco urbanissime perstrictum lib. I. Sat. IV. vers. 73.

Non recito cuiquam nisi amicis, idque coactus:
Non ubivis, coramve quibuslibet. In medio qui
Scripta foro recitent, sunt multi, quique lavantes.
Suave locus voci resonat conclusus; inanes
Hoc juvat, haud illud quærentes, num sine sensu,
Tempore num faciant alieno.

Lavantes, inquit, hoc est, in balneo ac circa solium sedentibus carmina sua vel ingratiis ad nauseam usque ingerentes, ad exemplum credo Eumolpi Petroniani, cui etiam *in vicinia mortis, lethique modo non limine in ipso* carmen facere vacabat, sicuti narrabitur postea: item Ligurini illius, de quo apud Martialem meum festiva mentio lib. 3. Epigram. 44. Ejus tibi hic etiam gustum aliquantum dabo.

Et stanti legis, & legis sedenti;
Currenti legis, & legis cacanti:

In thermas fugio, sonas ad aurem:
Piscinam peto, non licet natare:
Ad cœnam propero, tenes euntem:
Ad cœnam venio, fugas sedentem:
Lassus dormio, suscitas jacentem, &c.

Vide præterea, mi Lector, ea, quæ ad superiorem Horatii locum suo in loco adnotavimus. Petronius porro:

Invado pectus amplexibus, & persusum os lachrymis vultu meo contero.] Quid si vero nobiscum legas? *Contergo*, tametsi cum recepta lectione faciat locus superior, quem retro habes cap. XXIV. de uno exoletorum omnium insulsissimo Embasicœta: *Transituque ad comitem meum* (scilicet Ascyltum) *facto, clunibus eum basiisque distrivit.* Nec non venustissimus ille Venerum omnium ac Leporum pater Aristænetus in Epistolis suis vere Eroticis l. I. Ep. CXVI. Τοὶ γὰρ ὃν ἐκβακχευθεῖσα τῷ ἔρωτι, ἀνέκλασέ τε πρὸς ἑαυτὴν τὸν αὐχένα, καὶ περιέλιξεν. ὕστω προσφῦσα μανικῶς, ὥστε μόλις ἀποσπᾶσαι τὰ χείλη, καὶ κατέτριφε μᾶ τὸ στόμα.

JANI DOUSÆ NORDOVICIS
PRO
SATYRICO PETRONII ARBITRI,
Viri Consularis, Præcidaneorum
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Draucos, *hoc est, grandioris peculii homines, in balneis publicis communi pariter lavantium plausu exceptari solitos, & Petronii & Martialis indiciis patefactum: eadem alter ejusdem Epigrammatarii locus per caussam explicavit. Lucillii versus tentati; correctusque Arbiter.*

ET nuptis & prætextatis verbis usurus hoc Capite, veniam hercule (*Prudenter simul, ut puto, ac pudenter*) antea præfabor mihi: Socratemque imitatus, *in re mollicula & parum severa*, caput operire insistam, Arbitri nostri arbitratu maxime, ita scriptitantis

Cap. XCII. *Illum autem frequentia ingens circumvenit cum plausu & admiratione timidissima, &c.*] Ascyltum refert plausu & admiratione secundissima à favente undique circumstantium corona exceptum, quos commendata supellectilis ejus bonitas ad gravissimum sibi spectaculum (Romane loqui me scito) in rem præsentem porro frequentesque ac conglobatos exciverat, nemine non Votorum conceptione tacita, hoc est, timidissimo murmure (quæ illius sæculi mollities fuit) rutabulum istiusmodi in postfurnium suum oculis devorantibus muliebriter exoptante. frustra: quandoquidem non nisi in Equestribus sedere solitus Ascyltos, omnes porro à se admissarios spernere ac segregare quam longissime: neque quenquam tanta fortuna dignum judicare, præter Equitem Romanum istum, Ordinis sui dehonestamentum; qui eumpse veste dispoliatum, tunicaque & pallio circumductum, simulque improbissima clamoris indignatione Gytona flagitantem miseratus, suis sibi ipse exuviis nudum destitutum circumdedit; atque in penates, imo in cubile transtulit suum. credo, ne diutius sine integumento circa balneas expalliatus erraret miser, homo Equestri tantum culcitella dignus, quippe à peculio ac pensilibus ita basilice opipareque instructus, ut non cum sui sæculi Draucis modo, sed & cum Hercule illo Goropiano de vasorum luculentitate in ambiguum certamen descendere posset. Atque hinc, veluti de plano, cuivis illustre jam tandem factum confido, in quam sententiam à Celtibero l'oëta scriptum fuerit:

Audieris in quo, Flacce, balnea plausum,
Mathonis illic esse mentulam scito.

Neque aliunde, quam ex hocce Arbitri loco versuum istorum explicationem commodius peti posse existimo, mire alioqui frigentium. Quanquam quisnam adeo in Re Antiquaria hospes, obsecro, ut nesciat, Equites istiusmodi sessorem pati solitos, hocque morbo usque ad insaniam laborantes, Magiris, vel *Saliis* potius domesticis non contentos, emissarios insuper habuisse, qui impensa mercede ostreosos undique, ac bene vasatos conquirerent sibi, ad se è vestigio domum perducendos suam; quo videlicet fortuna tam magna soli porro, ac sine æmulo, potirentur. Atque is delectus, eaque censio in balneis publicis exige-

batur

batur potiſſimum, ubi loturos omnes, quaſi venales, inſpectare, palamque ac cominus, & veluti oculato die pretium pro virtute, atque *ad menſuram inguinis* (uti apud Juvenalem eſt) unicuique facere erat copia. Probo ex Seneca lib. 1. Natural. Quæſt. *de divite neſcio quo obſcœnitatis uſque in Scenam productæ*, & *per utramque cavernam* (id quod Auſonius ait) *moli conſueto*. Sic enim inibi: *In omnibus quidem balneis agebat ille delectum, & aperta menſura legebat viros.* Et reliqua, quæ ſequuntur. Etenim pudet ac piget adſcribere. Quod vero ſubdit Arbiter:

Habebat enim inguinum pondus tam grande, &c.]

cum illa Martialis loquutione germanitus conſentit, qua ait lib. 7. Epigr. 35.

Sed meus, (ut de me taceam) Lecania, ſervus
Judæum nulla ſub cute pondus habet.

Ubi curnam *Judæum pondus* dicat, in controverſiam vocari poſſe video. nec quicquam à Domitio auxilii; qui *Inguina Judæa. id eſt, circumciſa & aperta, (ut Judæus eſt) Epithetum iſtud Ponderis interpretatur*, quaſi intellexerit Martialis, *Servum ſuum Judaïcæ ſuperſtitioni addictum; ideoque quamvis ex gentis illius lege præputiis circumciſis, ſine ſcorteo tamen ſubligaculo, multo minus theca aliqua (quam fibulam appellitabant) abenea munitum palam atque in publico lavari.* Seu cum *Gutto* potius, & *Linteo* ad herilem ſudorem deſtringendum extergendumque, *Strigileſque* (uti docuimus) expediendos domino coram lavanti adſiſtere, media etiam parte corporis nuda. Neque enim aliam ſententiam ullam commodiorem ex ipſius verbis elicere poſſum. Utut eſt, *ſolennia inſanit Domitius*, & quidem ſolens. Non enim hoc vult Poëta noſter: ſed *Judæum pondus* vocat ſalſiſſime partem eam, qua viri ſumus, non quidem *teſta Samia circumciſam*, tanquam hominis recutiti, & cui Sabbatarium in morem decorticata fuerit pellicula illa verendorum ſcilicet; verum glandem potius præputio ſuo vi tentiginis retectam, ſuaque ſponte magis, quam Judaïcæ circumciſionis adminiculo denudatam, unde & vocabuli *Verpæ* originatio deducta: & τὸ *Verpus*, nunc contumelioſe pro Apella, id eſt, curto ac recutito Judæo: nunc viciſſatim pro eo, cui ἀιδοῖον ἀποψαλμένον, καὶ ἰσχολυμένον, quaſi tu λιποδερμὸν dicas, uſurpatum antiquitus. eadem nimirum ratione, qua apud Catullum Lesbia

Glubit magnanimos Remi nepotes.

Quaque Pœnum illum Plautinum in Fabula ſibi cognomine, inter alia Militaria opprobramenta, *Deglupta* quoque *Mana* cognomento inſigniri videmus. Quo etiam ψωλὸς & ἀποψωλισμὸς Ariſtophanis; tum denique licatiſſimi illi Lucillii verſus pertinere judicandi, à Junio noſtro apud Marcellum reſtituti primitus ad hanc faciem:

Cum poclo bibo eodem, amplector labra, labellas
Fictrices compono, hoc eſt, tum (lego, *cum*)
ψαλοκαπῦμαι.

Malim tamen, ita ut antea legebatur, priorem partem relinquere, hujuſcemodi interpunctione ſcilicet:

Cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis
Fingens, (forte *figens*) *compono, hoc eſt, cum* ψαλοκοπῦμαι.

Idque haud paullo ſimplicius. ut noviſſimum o, τῦ *Compono* dico, in numerorum dimenſione nullum exteratur. Cæterum deinceps, quo loco in Petronio legitur,

Itaque ſtatim invenit auxilium. neſcio quis enim Eques Romanus, ut ajebat, infamis, &c.] Ecquis vero homo tam matula, qui hic ſtatim, *Ajebant*, reſcribendum non videat: uti ſubaudiatur, *Vulgo, atque in turba ſcilicet.* Neque enim ad Helleniſmum illum Catullianum apte ſatis accommodari poſſe opinor, quo idem in Phaſeli uſus dedicatione,

Ait fuiſſe navium celerrimus.

CAPUT II.

Officium Petronio factum in nova, imo vero antiqua, τῦ Officioſi *enarratione. Veſtimentorum in balneis depoſitorum cuſtodia cujuſmodi hominum fidei delegata antiquitus.* Notores *eam quoque in rem cautionis loco dari atque adhiberi ſolitos. Ei generi fulcimentum, fidei cauſſa, à Seneca petitum, atque impetratum: Junii, tum Rhenani conjecturis (tam hic, quam in voce* Juratores *apud eundem Senecam) in perpetuum porro exploſis, atque ejuratis denique.*

Cap. XCII. *At ego ne mea quidem veſtimenta ab officioſo recepiſſem, niſi Notorem dediſſem, &c.*] *Officioſum* qua notione hoc in loco accipi velit, necdum ſatis etiam liquere mihi pronuncio lubens, niſi hillas abs ſe cæ as fortaſſe ſignificat ei, apud quem, tantiſper dum lavatur, veſtimenta ſua depoſuerat Eumolpus. Hoc enim cognomentum, paullo ante Petronii ætatem, primitus impudicis atque inforari ſolitis inditum qui neſcit, is certe Senecæ Patris Controverſias vel nullus legiſſe; vel, ſi oblitus, legiſſe quaſi per nebulam modo, caliginemque mentis potius, quam corporis luminibus infeſtam habuiſſe videtur. Loquitur autem de Aterio Declamatore libro earundem Controverſiarum IV. hiſce verbis: *Memini illum (quum Libertinum reum defenderet, cui objiciebatur quod patroni concubinus fuiſſet) dixiſſe: Impudicitia in ingenuo crimen eſt, in ſervo neceſſitas, in liberto officium. Res in jocos abiit: Non facis mihi officium; &, Multum ille, vel hic in officiis verſatur. Ex eo Impudici, & obſcœni aliquamdiu Officioſi vocitati ſunt.* Cæterum hoc veriſimile non eſt: videorque potius eam in partem aſſentationem flectere debere, ut *Servum Capſarium* hic notari exiſtimem, penes quem erat veſtimentorum cuſtodia, eorum videlicet, qui in balneis publicis calida macerabant ſeſe; quo elixi potius, quam aſſi ſuaviores exiſterent ſcilicet. At hoc ipſum haud

sine mercedula, inquiet aliquis. Fateor; atque ideo tenuioris notæ homines vernam ad pedes, vel vetulam certe aliquam peculiarem secum ductabant: quibus ejus rei cura potissima incumbebat, operam observationi ut darent, ne quis rursum gravior aut propensior, quam advenisset, domum è balineo se receptaret, Corniculæ illius Æscopicæ in morem, furtivis lavantium plumis haud decore exornatus, fures balnearii ut consuevere.

Lintea ferret Apro vacuus quum vernula nuper,
Et supra togulam lusca sederet anus.

Quo magis demiror, Eumolpum istum non Coracem mercenarium suum huic negotio præfulsisse. verum is fortasse, quum hæc fierent, alio quopiam ablegatus fuerat antea. nisi eumse autumemus tamen in strigilibus, linteis, atque olei stilla, hero, seu potius conductori suo, subministrandis deditum atque occupatum fuisse, quod non arbitror. & paret ex sequentibus, Eumolpum solum postea sine assecla aliquo, aut pedissequo, ad hospitium Eucolpii, cui cœnulam condixerat, plena se demum nocte recepisse, quoniam ob importunam recitationem de balneo, tanquam de theatro, ejectus fuisset. Unde & nobis insuper, quorsum lavatio ista pertinuerit, clare ac perspicue dilucet, nimirum ad morem illum tam Græciensibus, quam Italicis hominibus, frequentatum, quo non nisi munditer prius eloti ac lixati probe ad cœnas itare condidicerant, jam inde ab antiquo. Quod vero addiderat Eumolpus, *Nisi notorem dedissem*, nihil potuit festivius: significatque, omnes jampridem sese furum balneariorum mores experimentis certissimis provisos probe antea atque exploratos habuisse. ac propterea de vestimentis suis solicitum, priusquam ea ipsa exuta *officioso* illi asservanda concrederet, cautionem istam consulto adhibuisse, ut *Notorem* deposito apponeret suo: hoc est, præsentium aliquem testem, & quidem oculatum ut faceret, qui porro sese postea (siquidem usus veniret) & Eumolpum res suas vindicantem probe cognitum habere asseveraret: eidemque, quantum pote, suffragio suo adversus vestirapos omnes, tricones nempe, atque inficiatores lentissimos, in partem præsto foret illico; convinceretque caussa utique liberali, Eumolpi esse spolia, quæ Harpax ille balnearius possideret. Hoc adeo genus hominum *Notores* dicebantur. cui rei firmandæ *Notorem* quoque à me Senecam Philosophum dabo; ita in Ludo de morte Claudiana, ex ejusdem conclamati persona Herculis Fidem appellitantis, jocose & lepide cavillantem: *Ego te, fortissime Deorum Hercules, speravi mihi adfuturum apud alios; & si quis à me Notorem petisset, te sui nominaturus, qui me optime nosti.* Quid igitur? vincone jam argumentis *Notorem* retinendum in Seneca? neque Junium nostrum audiendum, qui Petroniani *Notore* destitutus, ac singulari vocabulo non contentus binas ex una nobis dictiones exsculpsit, in quas, si in alias ullas, Plautinum illud conveniat penitissime: *Nec pes, nec caput.* Sic enim vult legi: *Et si qui à me noto rem petisset, &c.* Descensurus alioqui (id quod ipsus de se fatetur) in multo absurdiorem Rhenani sententiam: & cum eodem quamvis audacter auxilium etiam à Græcis petiturus hujusmodi: *Et si quis ἀμίστορα petisset, &c.* Nodum in scirpo. Quanquam utriusque Manibus ignoscendum, qui abs se porro *Juratores* exigi vetuere: quos una cum *Notoribus*, quos dixi, ab eodem Senecæ Ludo exclusissimos fecerunt: *ἀντὶ τῶ Jurato res* castigationem multo insscitissimam, ac parissimam priori illi, quam posuimus modo, à se substituere ausi ad hoc exemplum: *Quis unquam ab Historico jurato res exegit?* Nec satis, accessit etiam tertius, qui, nescio quo jure (more tamen Correctoribus nostris non insolito; qui, si quid ignorant, statim de vicino mutuantur) *Jure auctores*, in Seneca scriptitandum pronunciavit, quasi vero *Juratores* omni Romanæ Civitatis jure expertes, imo extra numerum Quiritibus illis fuerint. Vides, Plautinæ Latinitatis insscitia scriptoribus priscis quantum detrahat gratiæ: quantum denique emendandi rationi nova hæc, qua vulgo uti consuemus, Hypercritici acuminis insolentia: quicquid auribus nostris minus familiare objicitur, statim extra Romanam Decuriam exigentes, quasi aut Barbarum, aut exoletum, ut nunc quidem Antiquitati facimus nomina. Neque pol advortimus, nobis id ipsis vitium hærere, cujus alios insimulamus: imperitiamque ac sordes nostras caussam esse, quo minus munditias illas germanas, ac meras Latinæ linguæ Veneres (quibus architectus Plautus) sagaciter odorari ac perientiscere valeamus. Nam nisi à Plautinæ Scenæ facetiis ac festivitatibus homines, quos dixi, manum sic quasi jurati abstinuissent, nunquam ædepol ita madida memoria, adeoque subtesto judicio fuissent, ut non meminissent *Juratores* hosce, pro *Juratis testibus* accipi oportere: quos *Sacramento adigi*, solenne etiam hodie.

CAPUT III.

Emaculatus Arbiter. Idem enarratus. Exhibita veteris libri scriptura. Formosis olim pueris Tonsorium quoque ministerium ab heris impositum, ex Petronii, & Martialis auctoritatibus fides facta. Pavoris *proprietas excussa. Mendum exstirpatum.* Coctores, *pro Cocis.* Mulcare *à* Multare *diversum.* Considit, *pro* Consedit *repositum. Petroniana metaphora illustratio à Plauto.* Rixa, *ex definitione Juvenalis. Unius, alterius loci de Manuscripti Codicis sententia restitutio.* Scrutatores.

Cap. XCII. *Tanto magis impedit inguina, quam ingenia fricare.*] Elegans in re turpicula παρήχησις, si tamen *Expedit*, pro *Impedit* rescribatur. Enimvero hocce coliculi genus frictionibus vel ad ruptionis periculum usque grandiri ajunt, qui sciunt, eo impensius,

sius, siquidem tractatrix accedat. scin', cujusmodi? haud dico amplius.

Cap. XCIII. *Ales Phasiacis petita Colchis,*
Atque Asia volucres placent palato,
Quod non sint faciles, &c.]

Hoc est, facili, vili, seu minuto pretio parabiles: eodemque plane sensu, quo Horatius ipse de se prædicat, lib. I. Sat. II. vers. 119.

——— *Namque parabilem amo Venerem, facilemque.*

Ex persona pathicissimi Gytonis. sequitur.

Cap. XCIV. *Ego, si te non invenissem, periturus per præcipitia fui.*] Ita in Gallicanis Editionibus. at in manuscripto, quod mihi oculis usurpare contigit, *Petiturus præcipitia fui*, diserte exaratum legere memini jam olim.

Rudis enim novacula, & in hoc retusa, ut pueris discentibus audaciam tonsoris daret, instruxerat theeam.] Mollitiem sæculi illius perditissimi considera. Homines enim elegantes haud contenti olim Catamitis ad pocula, calonibus ad Lecticam forma & patientia conspicuis, ex lubidine sua ad omne ludibrium ac flagitium impunissime abuti, etiam Tonsores insuper in ministeriis, imo in delitiis habebant. quorum frequenti opera non in tondenda coma, pilisque vellendis modo, aut barba rasitanda, æquandisque simul atque expungendis genis, sed vero & pygiacis sacris Cinædice, ne nefarie dicam, de nocte administrandis utebantur. Cæterum, quoniam *mortalium nemo* (ut in Proverbio est) *artifex nascitur*, antequam artis experimentum caperent, collumque novaculæ submitterent, strictim, aut per pectinem attondendi, imputatos istos veteranis tonsoribus in magisterium prius ac disciplinam tradebant; qui eosdem & præceptis suis, & quotidiano operæ ejus usu exercitatos porro, idoneosque in posterum redderent herili occipitio radundo. videlicet, ne quid per imperitiam (ut solet) titubarent, *tanquam virum tonderent.* Martialis lib. VIII.

Tonsorem puerum, sed arte talem,
Qualis nec Thalamus (Lipsianam correctionem sequimur) *fuit Neronis* (malim *Neroni*)
Drusorum cui contigere barbæ, &c.

Proinde, quum res ea à periculo non abesset, Tyrocinium artis acie novacularum retusa auspicabantur, (id cum ex hocce Petronii loco, tum vero ex sequentibus manifesto docemur) quo videlicet audaciores redderentur: nec ad strictum ferramenti mucronem, animo non minus, quam corpore effœminati (pueriliter, an muliebriter dicam?) de nihilo expavescerent. Unde non inscite ex argumento subtexitur porro:

Itaque nec mercenarius ad raptum ferramentum expaverat, nec Eumolpus interpellaverat mortem mimicam.] Proprie *Expaverat*. *Pavor* enim (ut quidem Fronto interpretatur) *puerilis est.* Sic Horatius I. lib. od. XXXVII. vers. 21. de Cleopatra virilis audaciæ Heroina differens:

——— *Quæ generosius*
Perire quærens, nec muliebriter
Expavit ensem, &c.

Item Suetonius de muliebris ignaviæ Imperatore Claudio, *Quasdam insidias temere delatas adeo expavit, ut deponere Imperium tentaverit.*

Cap. XCV. *Fit concursus familiæ, hospitumque ebriorum frequentia.*] Rescribo, *Hospitum ebriorum;* commate, copulaque inductis, aberatque eadem etiam à MS. ut *Frequentia* auferendi casu accipiatur.

Interim coctores, insulariique mulcant exclusum.] *Coctores*, coquos interpretor, ac pro eo hominum genere, qui (ut noster fabulatur Comicus) *non machæra ad Legionem, sed vero veru in culina acres bellatores cluunt.* Etiam *Mulcant* (unde *Mulciberi* quoque appellationem derivant Grammatici) significantissime usurpavit: uti idem Comicus sæpe, item Livius, Tacitus, denique ipsusmet infra: cap. 134. *Et harundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulcavit.* Quod propterea visum est ponere, ne quis verbum istud cum *Multare* confundere de communi porro sententia insistat. Habes

Cap. XCVI. *Et ille flens quidem consedit in lecto.*] *Lectum* habebat V. C. unde fit, legendum ut suspicer, sed suspicer tantum, haud certa inquam, verum arbitraria sententia potius: *Consedit in lectum*, præteritum istud verbi perfectum non à *Consideo*, verum à *Consido* deflectens. Idem eodem:

Injuriamque Eumolpi, advocationemque commendabam, & veluti quodam cibo me replebam.] Sæpe est apud Plautum, *Istuc mihi cibus est, quod fabulare.* Item: *Qui pro cibo habeas te verberarier* & alia talia. Sequitur:

A duobus lecticariis in mediam rixam persertur.] Proprie, ac signate *Rixam* usurpat; siquidem *Rixa* est, ex Satyrica illa Juvenalis definitione,

——— *Ubi tu pulsas, ego vapulo tantum.*

Quod tamen non ex mea, sed ipsius persona dictum postulo. Nihil enim est tanti. Sequitur subinde:

Contubernalis mea mihi fastum facit. Ita, si me amas, maledic illam versibus, ut habeat pudorem.] Nota verbum *Male dicere*, cum accusandi casu conjunctum. cui respondet *Bene dicere*, eidem casui à Tibullo copulatum versu illo:

Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat.

Cap. XCVII. *Intrat stabulum præco cum servo publico, aliaque sane modica frequentia.*] Concinnior sane veteris libri lectio, quæ negationem interpositam ostendit, hoc modo: *Aliaque sane non modica frequentia.*

Extentus infra grabatum scrutantium eluderet manus.] Huc refer *Scrutatorum* nomen apud Tranquillum in Claudio.

Publicus vero servus insertans commissuris secures, claustrorum infirmitatem laxavit.] *Firmitatem* erat in Chirographo, idque haud paulo opportunius ad sententiæ concinnitatem facere nobis visum.

CA-

CAPUT IV.

De Pertica ostiarii, *sive* harundine *foribus præfigi solita, quædam monetæ non protritæ. indidemque Propertiani loci obscuritas in partem discussa, atque illustrata.* Ritum bene sternutantibus dicendi, *solennem nobis etiamnum hodie, multo vetustiorem esse, quam vulgo existimetur: neque aliunde, quam à religiosa illa Gentilium consuetudine natum primitus, propagatumque in hæc tempora. Id superstitibus tam Plinianis, quam Petronianis, testimoniis liquidissime demonstratum.*

Cap. XCVIII. *At non servus publicus tam languide agit, sed raptam cauponi harundinem subter lectum mittit, omniaque etiam foramina parietum scrutatur.*] Harundinem ostio appensam affixamque intellige; de qua planius idem infra quoque cap. 134. *Et harundinem ab ostio rapuit, iterumque nihil respondentem mulcavit; ac nisi primo ictu harundo quassata verberantis impetum minuisset, forsitan etiam brachia mea, caputque fregisset.* Ea *Virga* appellatur Senecæ, Janitoris, sive ostiarii gestamen lib. II. de Tranquillitate vitæ: *Ille pusilli animi est, qui sibi placet, quod hostiario libere respondit, & virgam ejus fregit.* Vide, quæ cultissimo Poëtarum Tibullo in Præcidaneis nostris imputavimus nuper. Neque aliovorsum Propertianum illud attinere facile ipsus persuaserim mihi, quod libro IV. ex persona Cynthiæ defunctæ Poëtæ amatori objectum legitur:

Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Læsit & objectum tegula curta caput.

Dum hæc ego jam credenti persuadeo, Gyton, collectione spiritus plenus, continuo ita sternutavit, ut grabatum concuteret. Ad quem motum Eumolpus conversus, Salvere Gytona jubet.] Unde disertissime apparet, etiam hunc in usu antiquitus fuisse morem, ut *sternutantibus*, si qui in re præsenti forent, bene comprecarentur, ac salutem subinde ingererent, conceptissima illa voti formula dicentes, *Salve.* Qui ritus à Paganis ac Gentilibus illis ad nos, qui Christiani cluimus, devolutus, & quasi per continuas successorum manus traditus porro, usque in hunc etiam diem sanctissime simul, ac religiosissime custoditur. Argumento est solenne illud, quo vulgo *sternutantes* afficere consuevimus, bene ominatis verbis vernaculam phrasim usurpantes: *De Heere wil u zegenen.* quasi si Latine dicas: *Servet, aut sospitet, te Deus.* quod quid quæso aliud fuerit, quam *Salutatio* ista priscorum: *Servari* enim, item *Salvere*, germana inter se, ne dicam pæne gemella. utrunque *in Deo* positum, salutis omnis ac conservationis auctore. Unde & ab Arnobio verissime juxta, ac augustissime *Sospitatoris* cognomento insignitus. Neque vero subleste illorum fidei fides habenda, qui Precationis istius gloriam priscis illis Latinis adimentes, eam in nuperos ac novitios auctores transtulerunt; antiqui moris insciti maxime, quibus propterea errationem istam, ut cætera quoque, haud gravatim condonamus. tantum pervicaces esse desinant, amentque condiscere aliquando, quod nesciunt. quo in numero etiam Plinianum illud esse comperient, ad hanc ipsam (quam dico) consuetudinem, si quod aliud, accommodatum cumprimis, è lib. XXVIII. cap. II. Histor. Natur. *Cur sternutamentis salutamur? Quod etiam Tiberium Cæsarem, tristissimum (ut constat) hominum, in vehiculo exegisse tradunt. Et aliqui nomine quoque consalutare, religiosius putant.* Hactenus ille. Nec abhorret à vero hujus item religionis (ne superstitionis dicam) ceremoniam in sternuente Gytone salutando adhibuisse callentissimum sane Eumolpum: eundemque nomine etiam suo caute consultoque ac meditate compellitasse scilicet; & quidem ad hoc exemplum: SALVE GYTON. Quod & ipsum consequa Petroniana narratio aperte ac palam indicare videtur, qua scribitur: *Salvere Gytona jubet, &c.*

CAPUT V.

Veteris cujusdam medicinæ observatio ad præsentis ævi consuetudinem accommodata. Copulæ inductio. Periphrasis zelotypiæ. Auxilium Petronio opportune latum: eademque tam Tibulliano quam Juvenalis loco,

Per caussam, lucis copia facta novæ.

Trium, quatuor mendorum purgatus Arbiter. Idem variis interpretamentis illustratus. Circumamictus somnio. *Iterum emendatus Satyricus noster.* Adducecere laciniam. Constratum puppis, *quid?* Fulminatus. *Macula, quæ Patissonii Editionem insuscaverat, deleta, non sine nebulosioris loci declaratione.*

Cap. XCVIII. *Gyton longe blandior, quam ego, primum araneis oleo madentibus vulnus, quod in supercilio erat, coarctavit.*] *Araneas*, pro textricibus ipsis, cave interpreteris hoc loco: potius est, ut Vescas earundem telas (quam *Vietam aranei vestem* indigitat Lucretius) Arbitrum intellexisse credamus. Et vero, quum recogito, eandem quoque & nos medicinam vulgo factitare consuemus, si quando digitulum forte, aliudve quod membum temere (ut fit) atque imprudentes incidimus nobis.

Utinam me solum inimicus ignis hauriret, & utinam hibernum invaderet mare.] *Hibernum* placet, præ eo, quod in Parisiensi Editione legitur, *Hiberum*, tantum copula inducenda ante secundum, *Utinam.* neque aliter Patissonius.

Cap. XCIX. *Neque enim in amantium esse potestate furiosam æmulationem.*] Eleganter amentium potius, quam amantium, zelotypiam hacce circuitione describit, seu potius circumloquitur.

Ut scias, inquit Eumolpus, verum esse, quod dicis, ecce etiam osculo iram finio.] Ex prisca amoris post offensiunculas (ut solet) integrandi consuetudine. quo idem quoque respecturus postea cap. 109. *Et ne resi-*

dua

dua in animis etiam post jusjurandum ira remaneret, præterita aboleri osculis placet.

Haud mora, omnes consurgimus.] In Rogertiano Codice *Hac*, pro *Haud*, visitabatur. cæterum quum copulam negativam flagitet sententia, labor, ut *Nec*, ex *Hac*, concinnandum harioler.

Cap. C. *Unus, & senex non erit gravis: etiam, quum voluerit aliquid sumere, opus anhelitu perdet.*] Placet legi, *Prodet.* neque id sine auctore sane, Editione inquam Lugdunensi, nec non MS. Codice toties à nobis laudato, quibus etiam sententiæ ipsius ratio astipulari videtur cumprimis. Senes enim (ut scimus) asthmatici, hoc est, anheli. Spiritus autem timide reducendus, tam in reddendo, quam recipiendo anhelitu, illud *reciprocando* volui dicere: præsertim si furti res fuat. Unde de semet cautissime multis magnisque experimentis hac quoque in parte firmus ac prudens cognitus Tibullus noster:

Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur
Spiritus, ut nec dent oscula rapta sonum

Aliter Juvenalis Satyra VI. quum scribit:

——— *Nec queritur, quod*
Et lateri parcas, nec, quantum jussit, anheles.

Ibi enim de obstinatione ac perseverantia in re voluptatum est sermo. hic vero de collectione spiritus tantum, quem, nisi intra pulmones penitissimos suspensum retro pertinaciter inhibeas, cum sonitu erumpere necesse sit, teque ipsum manifesta in noxia, veluti soricem, tuopte indicio deprehensum perire.

Hoc ut infra fiduciam posui, fraudavique animum dissidentem.] Quid si *Dissidentem* scribas? Sequitur:

Cæpi somnum obruto tunicula capite mentiri.] *Obruto* non placet, & fortasse *Obnupto* legendum, hoc est, velato, obtectoque, antique.

Ergo me derisit?] Licæ sermo abruptus de injuria Eucolpii, tanquam absentis (quippe quem in navi, hoc est, in potestate sua esse nesciebat) apud Tryphænam cum justissima indignatione conquerentis. Et mox:

Et, si quis Deus manibus meis, inquit, Gytona imponeret, quam bene exsulem exciperet!] Scilicet me Triphænam: Recte ergo erit, *Exciperet:* nisi si quis *Acciperet* malit, ac Plautum sequi potius. Item mox:

Ego præcipue, quasi somnio quodam turbulento circumamictus, diu vocem collegi.] Loquutio vere Poëtica, atque ad exemplum (uti apparet) illius Tibullianæ:

Et cum te fusco somnus velavit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus.

Atque hujusmodi translationibus efferta fere omnia Poëtarum volumina. Sequitur è vestigio:

Tremulisque manibus Eumolpi jam in soporem labentis lacinias duxi] Ambigo de lectionis veritate; eo magis, quod in Editione Lugdunensi asteriscus ad postremam vocem adpictus, & credo reponendum *Adduxi*, id est, vorsus me attraxi adprehensam laciniam. proprie, ac significanter.

Et, Hoc, inquit, placuerat tibi, ut super constratum navis occuparemus secretissimum locum, &c.] Sic idem quoque eloquutus antea: *Ejusmodi vox super constratum puppis congemuit.* Videtur autem *Foros*, seu *Tabulata* potius intelligere. Unde *Constrata*, & *Contecta naves* dictæ scilicet.

Cap. CI. *Intremui post hoc fulmen attonitus.*] Eodem Metaphoræ genere usus fuerat & supra: *Fulminatus hac pronunciatione.* Sequitur deinceps:

Aliquando, inquam, totum me Fortuna vicisti.] *Aliquando*, pro *Tandem*: quomodo & Plautus Rudente: *Aliquando osculando, uxor, melius est pausam facere.* Item M. Tullius: *Collegi me aliquando.* Compluries tamen hæc duo in unum conjuncta, & quasi inter se conciliata reperias: puta, *Tandem aliquando*, vel, *Aliquando tandem.*

Quæ autem hic insidiæ sunt? inquit, aut quis nobis Hannibal navigat?] Emendabis de Lugdunensis Editionis sententia: *Aut quis nobiscum Hannibal navigat?* Videtur ad Punicam calliditatem Hannibalis allusum à Petronio: qua veteranus Imperator ille, *omnibus Pœnis Pœnior*, insidias thesauris suis furtim comparatas vaferrimo commento traditur elusisse, non quidem ex *Harpacum thesaurariorum* manibus elapsus modo, sed vero eos ipsos etiam probe atque ex animi sui sententia ultus oppido. Vitam vide, resque ejusdem gestas ac patratas, apud Plutarchum & Æmilium Probum.

CAPUT VI.

Petroniani exempli integratio. Alia explicata. Crura in orbem pandere, *ex Martiali meo interpretatum. Quatuor plus minus locorum restitutio, partim ex chirographa fide, partim ex conjectura.* Manus literalis.

Cap. CII. *Præterea illud miror, Eucolpi, tibi non succurrisse, unum nautam stationis perpetuæ interdiu noctisque jacere in scapha.*] Quis tam stipes, vel plumbeus, qui non videat rescribendum esse? *Interdiu noctuque, &c.*

Nam quod ad meum quidem comitatum attinet, nullum recuso periculum] Novo more dictum, vel perantiquo potius, pro societate, seu communione periculi mei cum vestro. Cicero: *Societas & Comitatus alicujus.* Item alibi: *Abstrahere se ex comitatu amplissimorum virorum.* Ibidem mox:

An tanquam eos, qui sternutare non soleamus, nec stertere? an quia hoc genus furti semel mihi feliciter cessit?] De Sternutamento Gytonis, cujus indicio proditus fuerat Eumolpo, subter grabatum absconditus, diximus antea ad cap. 98.

Age, nunquid & labra possumus tumore teterrimo implere?] In Chirographo exemplari hæc postrema transposita legebantur hunc in morem: *teterrimo implere tumore?* Et paulo post:

Nunquid & crura in orbem pandere? nunquid & talos ad terram deducere?] Poplites divaricatos, cruraque, Lunæ dividuæ in morem, sic veluti in cornua extrorsum sinuata intellige. infra *coëuntibus talis:* vitium Æthiopum genti (ad eos enim spectat hæc oratio) proprium ac genuinum. qui maximam fere partem diversas, seu displicatas habent suras, pravis & vitiosis talis subnixi. quo fit, ut cancros, sive etiam lacertos, in incessu imitari videantur. cujusmodi genus hominum *Valgos* Plauto indigitatos reperimus. Talem & Phœbum quendam omnibus Poëticis coloribus depictum proposuit Epigrammatarius nobis lib. II.

Cum sint crura tibi, simulent quæ cornua Lunæ,
In Rhytio poteras, Phœbe, lavare pedes.

Rhytium enim vasis genus pandum, incuruum, ac simillimum cornui, unde & à nonnullis κέρας, hoc est, cornu vocitatum. Quod quidem Martialis Epigrammation loco huic explicando uniter uniceque comparatum videtur.

Audite, quid timenti succurrerit] Chirographæ membranæ manifesto *Dementi* repræsentabant: neque aliena mehercules ab hocce loco sententia, si quidem ad loquendi rationem popularibus nostris in consimilibus rebus usitatam respicere nos postulemus, qua vulgo dictitare soliti: *Segget, dat het u een dwaes geseyt heeft.* quum tamen diversum prorsus, & contra quam verba hæc sonant, intelligi volumus.

Cap. CIII. *Sequar ego, frontes notans inscriptione solerti, ut videamini stigmate esse puniti*] Puto restituendum, *Stigmate esse puncti.* neque aliter Cicero, *Notis compunctum*, pro Stigmatico usurpans. Sequitur exinde:

Ita eadem litera & suspicionem declinabunt quærentium, & vultus umbra supplici tegent] Quid si *supplicii* legamus?

Implevit Eumolpus frontes utriusque ingentibus literis, & notum Fugitivorum Epigramma per totam faciem liberali manu duxit] Epigramma, quod dicit, reperies infra, inter reliquias eas, quæ extra opusculi istius ordinem leguntur in lectissima illa Patissonii Editione, quam uni omnium eruditissimo Pithœo memores sane ac grati acceptam ferimus meritissimo. Cæterum commonendus Lector, exemplar manuscriptum hoc loco non *Liberali*, sed *Literali*, diserte adeo, ac sine litura ulla repræsentasse. neque aliter sane Petronium scripsisse, animus induci potest. *Literalis* ergo, ut *Virginalis*, *Verbalis*, alia apud unum Plautum infinita, ad eandem speciem conformata atque composita. Unde & *Literatus*, pro Inscripto, ac Stigmoso apud eundem Comicum, ad quod ipsum Arbiter etiam noster haud dissimulanter allusisse videri debet.

CAPUT VII.

Bini Petronii loci (quorum alter interpunctionis, alter superflua negationis vitio laborabat) opinione correcti. Facere sibi auspicium. Plagas imponere cuipiam. Mille hominum. Tutelæ navalis expiatio. Invicta Laconica juventutis ad flagellorum ictus sufferendos fortitudo. Facile, quod quisque vult credit. Alterius loci castigatio. Porticus Herculis, *ubi gentium? Aliorum exemplorum collatione Petroniana Historia lumen accensum.*

Cap. CIII. *Non dissimulata nauseantis devotione ad ordinem tristitiæ redimus*] Emendo, *Nos dissimulata*, mecum faciunte sententia, ac receptam lectionem contumaciter repudiante. Legitur subinde.

Cap. CIV. *Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere: Encolpium, quem quæris, scito à me in navem tuam esse perductum*] Ita enim hæc legenda, ac distinguenda: credoque esse verba Licæ somnium suum Tryphænæ ac Eumolpo narrantis.

Cap. CV. *Ego, inquit Eumolpus, hoc jussi; nec non eodem futurus navigio auspicium mihi feci*] Sic Horatius:

——— *Cui si vitiosa libido*
Fecerit auspicium, &c.

Itaque, ut Tutela navis expiaretur, placuit quadragenas utrisque plagas imponi] Antiquus & verus loquendi modus, quippe à Lucillio, in cujus Fragmentis hic Senarius invenitur:

Cui sæpe imposui mille plagarum in diem.

Appone ex Propertio:

Imponitque notam collo.

Mille vero *plagarum*, sic dictum, quomodo *Mille hominum* apud Quadrigarium: nec non apud Horatium, *Mille ovium.* Vide Agellium libro I. Noct. Att. cap. 16.

Aggrediuntur nos furentes nautæ cum funibus, tentantque vilissimo sanguine Tutelam placare] *Vilissimo sanguine*, id est, servili, & (quod vilius etiam) Fugitivorum: ut quidem de compacto perbelle ab Eumolpo assimulabatur: phrasi & Suetonio & Tacito perquam familiari. *Tutelam* vero *navis placare*, est *Expiare*, quomodo ipsusmet prius interpretatus fuerat modo.

Et ego quidem tres plagas Spartana nobilitate concoxi] Nota enim Spartanorum animi firmitudo ac tolerantia in sufferendis plagis: quibus à teneris etiam in ore, hoc est, in conspectu parentum adsuefacta tantum non occalluerat juventus Lacedæmonia. Seneca de Divina Providentia cap. IV. *Numquid tu invisos esse Lacedemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis?* (al. *admotos*) *Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, & laceros ac semianimes rogant, perseverent vulnera præbere vulneribus.* Unde merito Horat. Odar. I.

Me nec tam patiens Lacedæmon.

Nec non Martialis noster:

Vel non cæsus adhuc matre jubente Lacon.

Habes subinde in Arbitro:

De-

Deflectit aures Tryphæna jam sua sponte credentes, &c.] Quemadmodum usu venire solet in rebus, quas cupienter nimis, atque avariter obtingere nobis desideramus Galla credulitate tumidi. Merito. *Quis enim* (uti vere à Poëta Hispano scriptum) *damnet sua vota libenter?* Sed & Ovidio:

Cur ego non votis blandiar ipse meis?

Miretur nunc aliquis, Ulyxis nutricem post vicesimum annum cicatricem invenisse, originis indicem, cum homo prudentissimus, &c.] Non equidem dubito, quin scribendum sit, *pudentissimus.* Hoc enim Elogio eundem supra quoque honestum fecerat Eumolmolpus, cap. 101. quum diceret: *Licas Tarentinus homo verecundissimus.*

Volebat Tryphæna misereri, quia non totam voluptatem perdiderat] Malim, *nondum totam.* Sequitur subinde

Sed Licas memor adhuc uxoris corruptæ, contumeliarumque, quas in Porticu Herculis acceperat, &c.] Ergo facinora hæc in Urbe, terrarum domina, patrata ab Eucolpio. Romæ enim Porticus Herculis, quam, Æde ejusdem Dei instaurata, Martius Philippus exstruxerat, Augusti vitricus. Unde & Philippi apud Martialem titulo insignita libro Epigr. v.

Vites censeo Porticum Philippi:
Si te viderit Hercules, peristi.

Cui urbanæ injuriæ altera quoque ab eopse Eucolpio Licæ Tarentino per summam contumeliam illata, sic quasi succedanea, subjungitur postea cap. CXIII. *Non dubie redierat in animum *edile, expilatumque libidinosa migratione navigium* Quo item referri debere videtur, quod habes cap. 114. ex persona ipsius Licæ in propinquo naufragii articulo suppliciter prolatum: *Et tu (inquit) Eucolpi, succurre periclitantibus, id est, vestem illam divinam, sistrumque redde navigio. Per fidem, miserere, quemadmodum quidem soles.* Ex quibus verbis liquido est conjectare, antea item eodem quoque Licæ navigio vectum cum Gytone Eucolpium: sed enim utrumque maritumis moribus cum illo ac Tryphæna expertum, furtim inde se subduxisse, abacta insuper præda (cui *Sistrum* istud, *vestemque divinam* insuisse est verisimile) & compilato per fidem Lica, quasi Fugitivos, & quibus in odium bona sua venissent. id quod paullo superius iisdem exprobratum à misericordissima fœminarum Tryphæna scilicet. Ait ibidem Licas

Quod ad me attinet, non sum crudelis, sed vereor, ne quod remisero patiar] Superstitiosus hic quidem est, vera prædicat. Evenit enim, cujus metuens fuerat maxime; scilicet, ut in profundum, hoc est, in maximam malam crucem ipse navigii dominus pessum ac præceps sine viatico divorsus abiret miser, piscibus in alto (opinor) pabulum præbiturus, captivi contra salvi ac superstites in sospitale littus ejecti ex inimici manibus per tempus sane elaberentur.

CAPUT VIII.

Ciceronis locus cum Petroniano collatus. Intervortere pecuniam. *Enucleatus Arbiter, idemque correctus,* Pharmacus, *pro sceleste.* De Tryphænæ damnatione *nonnulla.* Uti viribus suis. *Alterius loci integratio.* Pelagiæ volucres: *Petronius ope Propertianæ illustratus.*

Cap. CVII. *Nisi forte putatis, juvenes casu in has plagas incidisse, cum omnis vector nihil prius quærat, quam cujus se diligentiæ credat*] Verisimiliter utique ex solenni navigantium consuetudine. Unde & Cicerò Tyroni suo consuadet, ut non nisi caute atque explorato itineri committat sese. Quo enim alio spectent, quæso, cautiones illæ toties iteratæ? verbi causa, Epist. lib. 16. *Reliquum est, ut te hoc rogem, & à te petam, ne temere naviges. Solent nautæ jestimare quæstus sui causa. Cautus sis, mi Tyro: mare magnum & difficile tibi restat. Si poteris cum Messinio (caute is solet navigare) si minus, cum honesto aliquo homine, cujus auctoritate navicularius moveatur.*

Si mehercules intervertissent pecuniam vestram, si fidem proditione lasissent, &c.] In Manuscriptis membranis erat, *Pecunia.* unde suspicor desiderari, *Vos,* aut aliud aliquid, affine huic quod sit, hoc modo: *Si mehercule vos intervortissent pecunia, vestram si fidem proditione lasissent.* Et tamen, *Intervortere* cum accusandi casu in Plauto offendas haud semel, exemplis gratia: *Intervortere argentum.* Item Asinar. *Unde summam, quem intervortam?* Nihil ergo immutandum.

Quanquam quid attinet veritatem per interpretem quærere?] Scilicet tete, qui, vicem Interpretis sustinens, pro deprehensis ac convictis causam audes dicere, tanquam si ipsi pro semet loqui non possent? Pergit tinnire Licas:

Quid dicis tu latro? quæ sola salamandra superciliæ tua excussit?] Corrigendum, *Exussit*; atque interpretandum ex Plinio, ita libro x. cap. LXVII. scribente: *Salamandræ sanie, quæ lactea ore vomitur, quacunque parte corporis humani contacta, toti defluunt pili; idque quod contactum est, colorem in vitiliginem mutat.* Respexit haud alio sane Epigrammatarius Celtiber:

Hoc Salamandra notet, vel sæva novacula nudet,
Ut digna speculo fiat imago tuo

Subdit deinde cum stomacho Licas iste Petronianus:

Cui Deo crimen vovisti? Pharmace, responde] *Pharmace*, id est, sacrilege, sceleste, piacularis, sacer. Utitur voce ea in βατράχοις suis Aristophanes:

Καὶ πονηροῖς κἀκποιηρῶν, οἷς ἅπαντα χρώμεθα
Ὑστάτοις ἀφιγμένοισιν, οἵοις ἡ πόλις προτῇ
Οὐδὲ φαρμακοῦσιν εἰκῇ ῥᾳδίως ἐχήσατ' ἄν.

Sed & Hipponax ille:

Βάλλοντες ἐν χειμῶνι, καὶ ῥαπίζοντες
Κράδῃσι, καὶ σκίλλαισιν, ὥστε φαρμακόν

Sequitur subinde:

Cap. CVIII. *Sed intentans in oculos Tryphænæ manus, usurum me viribus meis clara liberaque voce clamavi, ni abstineret à Gytone injuriam mulier damnata, &c.*] Multata enim exilio Tryphæna: unde & supra lamentata fuerat misera, *se non minus, quam Licam, grandi injuria vexatam, quippe cujus pudoris dignitas in concione fuisset proscripta.* idque Eucolpii istius potissimum, tum Gytonis opera ac comitate evenisse, ex argumento ipso posse videor conjectare. Cæterum, quod Tryphænæ interminatur Eucolpius, *viribus suis sese usurum* tandem, ea forma dictum, qua Senecæ illud de Divo Augusto apud Pollionem cœnitante: *Fuit Cæsari sic castigandus amicus; bene usus est viribus suis.*

Sed contemtus amor vires habet, &c.] Ex persona Tryphænæ, secundum Maronianum illud:

——— *Spretæque injuria formæ.*

Quo pertinent & illa cap. 100. *Ergo me derisit?* & quæ sequuntur.

Cap. CIX. *Alius exsultans quærebat fuscina pisces.*] Probior (meo quidem animo) Lugdunensis Editionis scriptura, quæ non *Piscatorem*, sed *Pisces exsultantes* facit, quomodo & Martialis noster.

Et piscem tremula salientem ducere seta.

Fuscinam vero cum Cicerone appellat, quam *Tridentem* Plinius, pro instrumento, quo pisces, aut anguillæ confodiuntur, nota etiamnum nostris hominibus captura, qui hoc genus, *Elgers*, patrio sermone indigitant, terna dentium serie insigne. Et mox:

Ecce etiam per antennam pelagiæ consederant volucres, quas textis arundinibus peritus artifex tetigit.] Frequens Epithetum istud apud Junium Columellam, etiam *Pelagicus*. Sed & in Senariolis illis Publianis supra cap. LV. an non disertim lectum?

An ut matrona onerata saleris pelagiis, &c.

Ovidius noster *Volucres Marinas* appellitat. quin imo & Propertius, versu illo in Pætum naufragio præreptum sibi:

Sed tua nunc volucres astant super ossa Marina.

Etiam *Arundinum* mentionem ex hoc Propertiano explices licebit:

——— *Sed arundine sumta,*
Faunus plumoso sum Deus auctupio.

CAPUT IX.

Bina ex uno distichо macula eluta. Calliblephara. Corymbion. *Compluris emendationum cumulus.*

Habes subinde ab Eumolpio capillorum Elegidarion multo hercule festivissimum: cujus primum distichon hunc in morem typis divulgatum exstat:

Cap. CIX. *Quod solum formæ decus est, cecidere capilli;*
Vernantesque comas tristis abegit hiems.]

Ratio perverse nimis, improbeque subducta. Neque enim omne puerilis formæ decus in sola positum casarie. Miror proinde, hoc mendum tanto jam tempore insedisse exemplaria nostra. Itaque tollatur quamprimum, haud quidem mea, verum manuscripti Codicis fiducia maxime, in quo diserte *Summum*, non *Solum* exaratum legebatur, sententia aptissima, nec sine quadam ambiguitatis gratia, quæ voculæ huic subest, quam *Præcipuum*, tam *Supremum* pariter significanti. Videturque, inquam, ad *Capitis posituram* allusum, quæ in homine pars summa. Repono etiam deinceps, ab eodem exemplari veluti manu in correctionem inductus:

——— *Tristis adedit hiems.*

In illo enim, *Adegit*, comparebat planissime. unde nuperi *Abegit*; priores, *Ademit*, exsculpserant. Neutrum ad Bacchum. Accessit tamen tertius, qui conjecturam hanc nostram in * Racemationes transtulit suas, dissimulato, unde acceperat, nomine.

Cap. CX. *Imo supercilia etiam profert de pyxide, sciteque jactura lineamenta sequuta totam illi formam suam reddidit.*] *Calliblephara* designat, quibus supercilia ad ornatum denigrant mulieres interpoles. quod genus medicaminis tetigit etiam Juvenalis in Satyra:

Ille supercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Nec non Martialis meus lib. IX.

Nec tecum facies tua dormiat; immuis illo,
Quod tibi prolatum est mane, supercilio.

Denique disertissimus Christiani generis scriptor Tertullianus de habitu muliebri, quo loco de Angelis, quæ ad fœminas hominum se penetrarunt, agitat: *Illi* (inquit) *proprie & peculiariter fœminis instrumentum istud muliebris gloriæ contulerunt, lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & medicamenta ex fuco, quibus lanæ* (forte *malæ*, vel certe *Genæ*) *colorantur, & illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia producuntur.* Sed & ibi fortasse *Ciliorum exordia* (nisi cui, *Exodia*, arrideat potius) ex altero Petronii loco emendandum, quem habes cap. 126. his verbis conceptum: *Supercilia usque ad malarum scripturam currentia, & rursus confinio luminum pene permixta.* Vide Plinium præterea, non uno in loco *Calliblephara* ista sequiori sexui concinnantem. Ait ibidem Arbiter:

Imo commendatior vultus enituit, quia flaucorum corymbion erat] In Codice MS. duabus literulis minus, quam *Flaucorum*, referebatur, ad hoc exemplum: *Flaucor.* Unde nos *scripturæ utriusque lineamenta sequuti totam Gytoni formam suam reddere posse* videmur, hac levicula commutatione, rescribendo scilicet *Glaucum.* nisi forte Germanicæ cujusdam gentis nomen reponendum, *Cauchorum* puta, aut simile aliquod: unde tanquam à victis deditisque sibi flava potissimum capillamenta petere gaudebant Romani, juxta illud Nasonis:

Jam tibi captivos mittet Germania crines:
Culta triumphatæ munere gentis eris.

Qui

* *Palmerium notat in Spicileg.*

Qui mos apud Poëtas, tum Historicos, ita tritus atque obvius passim, ut in re nota plura nos verba depердere pudeat pigeatque.

Cap. CXI. *Donec ancilla vini certe ab eo odore corrupta, &c.*] Ita novissima quidem Editio. Lugdunensis autem, *Incertum habeo*. Quæ verba insititia videntur. Certe à manuscripto, quo ego usus, aberat utrumque; legebaturque hoc modo, & quidem probissime: *Donec ancilla vini odore corrupta.* Nisi fors scripserit Arbiter: *Vini adeo odore corrupta.* Omisso τῷ *Certe*. Quod quasi glossema quoddam fuisse videtur τοῦ *Adeo*, à studioso aliquo (opinor) extra lineæ ordinem superne collocatum. Unde postea in contextum ipsum ab Exscriptoribus relatum denique.

Ipsum te jacentis corpus commovere debet, ut vivas.] Quid si? *Commonere. Admonere* enim est in Editione Sequanica. Sequitur:

Nemo invitus audit, cum cogitur aut cibum sumere, aut vivere.] Omnia mira sunt, nisi ad illam forte Trogi Pompeji sententiam respexerit, quam de Poro Indorum Rege hostium potito commemorat nobis abbreviator ejus Justinus libro XII. *Qui victum se adeo doluit, ut, quum veniam ab hoste accepisset, neque cibum sumere voluerit, neque vulnera curari passus sit: ægreque sit ab eo obtentum, ut vellet vivere.*

Cap. CXII. *Quid diutius moror? ne hanc quidem mulier partem corporis abstinuit.*] Membranæ calamo exaratæ: *Nec hanc quidem, &c.* Cæterum non nauci illud; uti nec istud, quod apponam insuper:

Ut quisque ex notis ignotisque ad monimentum venisset.] Quo loco liber idem, *Quisquis*, nobis repræsentabat, tametsi haud ignorem alterum interdum pro altero, & quidem promiscue, sumi. Videtur &, *Notis, agnatisque* non incommode rescribillari posse.

Nec istud, inquit, Dii sinant, ut eodem tempore duorum mihi carissimorum hominum funera spectem.] *Hominum*, in Chirographo non erat. Et credo ab aliquo Librariorum Arbitro condonatum.

Cap. CXIII. *Non dubie redierat in animum * edile, expilatumque libidinosa migratione navigium.*] *Moechile* legendum puto, monuimus supra, pro *Moechimonio*, ut quidem loquitur Laberius. Ut referatur ad *uxorem Licæ corruptam.* Qua de re vide retro Cap. 106. Ibidem:

Sed obliquis trucibusque oculis utrumque spectabam.] Hinc & Flaccus;

Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam
Limat.

Item Ovidius,

—— *Oblique lumine cernit.*

Cap. CXIV. *Et quod omnibus procellis procellosius* (sic enim & V. C. alii, *Periculosius*) *erat, tam spissa repente tenebræ lucem suppresserant, ut ne proram quidem totam gubernator videret.*] Huic non dissimile Curtianum illud, ex libro Histor. IIX. *Deinde momento temporis repressus est imber. Cæterum adeo spissa intendere se nubes, ut conderent lucem, vixque colloquentium inter ipsos facies noscitaretur.*

CAPUT X.

Propertio duobus in locis ex Petronii collatione lumen prælatum. De religiosa priscorum pietate, ut corporibus inhumatis, ac sepulturæ honore carentibus, de pulvere glebaque ter injecta gratia à prætereuntibus fieret, religiosissime dissertum. Diætarii magistri. Diætarii. *Obscurissimi loci declaratio, alterius etiam correctio.* Eumolpus mentem jussus habere bonam. *Superfluentis pronominis exstirpatio. Verbi cujusdam revocatio de manuscripti Codicis dissensione nata primitus.* O mi hospites, *sic dictum, quomodo* Mi dulcis anus, Mi sidus. SUOS HÆREDES habere. Commoda, *quid? Bina maculæ fugatæ de Petronio.*

Cap. CXIV. De Lica pelagiis fluctibus per tempestatem absorpto: *Et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit.*] Atque hoc illud est, quod in consimili casu nobis iteratur à Propertio.

Tu Patum, ad Pharios tendentem lintea portus,
Obruis insano terque quaterque mari.

Aut prætereiens aliquis tralatitia humanitate lapidabit; aut, quod ultimum est, (ita enim distinguo atque interpungo) *iratis etiam fluctibus imprudens arena componet.*] Hoc ex veterum religione, vel superstitione potius; Jurisque adeo Pontificii cautionibus prædicat. Fraudem enim plusquam capitalem, ne Piaculum dicam, sibi capitique suo accersere censebatur, si quis naufrago, seu cadaveri alioqui insepulto, temere fortuitoque (ut fit) in via objecto sibi, de glebæ, seu pulveris injectione, & quidem ter repetita (quam *Lapidationem* hic vocat Arbiter) gratiam facere quasi per contemptum neglexisset. Unde rite etiam Horatius I. Carm. ex persona naufragi ad nautam prætervehentem:

At tu nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti inhumato
Particulam dare, &c.

Nec non sub ejusdem Odæ exordium:

Quanquam festinas, non est mora longa, licebit
Injecto ter pulvere curras.

Jam quod de *Imprudentis arenæ Libitinaria opera* subjungitur à Petronio, explicat nobis Propertianum illud libri III.

Reddite corpus humo, positaque in gurgite vita
Patum sponte tua vilis arena tegas.

Cap. CXV. *Audimus murmur insolitum, & sub diæta magistri, quasi cupientis exire bellua gemitum. Persequuti igitur sonum invenimus Eumolpum sedentem, membranaque ingenti versus ingerentem.*] *Diætam* pro Cænatione hoc loco, an cubili potius, in quo navicularius, hoc est, navigii magister conquiescit, sumere videtur. Unde & *Diætarii* apud Jurisconsultos,

qui in navibus custodiæ causſa præponuntur. Lege 1. §. 3. ff. Naut. Caup. De *Belluæ* porro *gemitu* neſcio quid è Senecæ Ludo mihi de morte Claudiana videor electaſſe, & credo Eumolpum ſignificari, alieniſſimo tum tempore, quippe in ipſa mortis vicinia, Poëtantem: imo & cum mugitu quodam verſus ſuos, naucleri Diætæ tanquam Muſæo incluſum, ridicule ingerentem membranæ. Idem enim propemodum illic de ſtupore illo Cæſare, ovicula mera, Cordubenſis noſter Philoſophus: *Tum Hercules primo adſpectu ſane perturbatus eſt, ut qui etiam non omnia monſtra timuerit* (lego, *domuerit*) *ut vidit novi generis faciem, inſolitum inceſſum, vocem nullius terreſtris animalis, ſed qualis eſſe marinis belluis ſolet, raucam & implicatam, putavit ſibi tertium decimum laborem veniſſe.* Adiuvat ſuſpicionem noſtram haud timide ſane quod ſequitur, de eodem Eumolpo lepidiſſime confictum: *Injicio ego phrenetico manum, jubeoque Gytona accedere, & in terram trahere porcam mugientem.* Siquidem & illic forte *Phocam*, ἀντὶ τῆ̃ *Porcam* reſcribendum, ut *Belluæ* (quod præceſſerat) *gemitui* omni ex parte reſpondeat.

Extraximus clamantem, jubemuſque bonam habere mentem.] Id eſt, ſanam & validam; quaſi dicas, ad priſtinam ſanitatem redire. Sic & ſupra cap. 3. *Et* (*quod rariſſimum eſt*) *amas bonam mentem.* Nec minus cap. 84. *Neſcio quo modo bonæ mentis ſoror eſt paupertas.* cap. 88. *Ac ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt.* Ubi poſtremum τὸ *Bonam* puto abundare. Sed & Propert. lib. 3.

Mens bona, ſi qua Dea es.

denique paſſim alibi Ovidius.

Aut patrem utique reliquit aliquem, cui proficiſcens oſculum dedit.] *Aliquem*, aberat à Manuſcripto: & ſine illo utique per ſe conſtat ſententia, *Ipſa ſuis pollens opibus*, neque Pronominis alicujus indiga.

Illum Diis vota reddentem penatum ſuorum ruina ſepelit.] Variare hoc loco ex chirographi codicis auctoritate liceat mihi. Namque in eo non *Sepelit*, verum *Cæperit*, memini lectitare. Unde & mihi ſcripturæ hujuſce lineamenta quaſi veſtigiis perſequuto viſum eſt emendare *Coöperit*. Nec tamen (ut ne hoc quoque diſſimulem) hac manuſcripta deterior cuſa lectio. Habes ibidem:

At enim fluctibus obrato non contigit ſepultura. Tanquam interſit, perituram corpus quæ ratio conſumat, ignis, an fluctus, an mora. Quicquid feceris, omnia hæc eodem ventura ſunt. Feræ tamen corpus lacerabunt. Tanquam melius ignis accipiat.] Totam fere hujuſce loci ſententiam ab Arbitro mutuatus Minut. Felix, quum ſcribit: *Inde videlicet & exſecrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas, quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, annis tamen & ætatibus in terram reſolvatur: nec interſit, utrum feræ diripiant, an maria conſumant, an humus contegat, an flamma ſubducat: quum cadaveribus omnis ſepultura, ſi ſentiunt, pœna eſt, ſi non ſentiunt, ipſa conficiendi celeritate medicina.*

Et Licam quidem rogus inimicis collatus manibus adolebat.] Scilicet meis, qui paullo antea cum eodem inimicitias, & quidem capitales, ingratiis utique, nimiſque adeo adverſus animi mei ſententiam exercere tueram coactus.

Cap. CXVI. *O mi* (*inquit*) *hoſpites, ſi negotiatores eſtis, &c.*] *Mi*, ſingulari pro plurali poſito, antique, quomodo ſæpicule Plautus noſter, ut vel Ciſtellaria: *Mi homines, mi ſpectatores, &c.* Nec minore inſolentia Apulejus neutro genere, & quidem numero ſingulari, eundem vocativum efferre auſus Apologia prima, in lepidiſſima illa Platonici Epigrammatis verſione:

Aſtra vides: Utinam fiam (*mi ſidus*) *Olympus,*
Ut multis ſic te luminibus videam.

Quomodo & fœminino Tibullus lib. 1.

Vive diu, mi dulcis anus, &c.

Quod quidem uni omnium ſollertiſſimo caſtigatori Joſ. Scaligero aſſentior lubens. Nam abſque illo foret, *Mi*, pro *Mei* à Plauto uſurpatum poteram ſuſpicari, virtute contractionis ſcilicet: ſicuti *Di* quoque pro *Dei*, ſeu *Dii*, monoſyllabum pro diſſyllabo, ſcriptitatum animadvertimus.

In hac urbe nemo liberos tollit, quia quiſquis ſuos hæredes habet, &c.] Notum apud I C. quid ſit, SUUS HÆRES. Sequitur exinde:

Nec ad ſcenas, nec ad ſpectacula admittitur, ſed omnibus prohibetur commodis] *Scenæ, & Spectacula*, quanam inter ſe nota diſtingui poſſint, haud ſane video: ſuſpicorque non *Scenas*, verum *Cœnas* ſcriptitaſſe Petronium. eas dico, quas & orbis & locupletibus maxime ſenibus aſſidue ingerebant turpilucricupidi captatores, hæreditates aliorum animis avidis præcipientes, atque inhiantes vulturinum in morem. *Commodis* porro, id eſt, honoribus atque immunitatibus, pro queis nos *Privilegia* (opinor) diceremus.

Cap. CXVII. *Genuſque divinationis ſibi non diſplicere confeſſus eſt.*] *Divitionis* habebat exemplar Manuſcriptum. Unde nos *Ditationis*, exterebrare auſi ſumus.

CAPUT XI.

Largior, *ſeu* laxior ſcena. Scema, *fœminino genere. Gloſſema, quod in contextum irrepſerat, ſubmotum. Pithœanæ conjecturæ ſubſcriptum.* Familiæ, *nec non* τῆ̃ Familiaris, *ſignificatio haud ſane familiariter accepta. Lacunæ explementum.* Tribus locis redintegratus Arbiter.

Cap. CXVII. *Utinam quidem ſufficeret largior ſcena, id eſt, veſtis humanior, quæ præberet mendacio fidem.*] Ita enim lego, inductis ſuperfluis illis è gloſſemate, ut apparet, procuſis: *Veſtimentum latius.* Verum tempeſtas memini quum quondam fuit, quum *Scema* reponendum arbitrarer, motus cum Veterum auctoritate, tum Comici noſtri cumprimis, apud quem τὸ *Scema*, *Scemæ*, hoc eſt, genere fœminino

minino prolatum memineram lectitasse. ut Amphitr.

Quod ego huc processi sic cum servili scema.

Pro vestimenti genere. Nunc Plinianæ potius sententiæ accedo, Nepotis dico. ita Epist. lib. VII. argumentantis: *Nonne, quum surgis ad agendum, tum maxime tibi ipse diffidis? tum commutata, non dico plurima, sed omnia capis? utique si latior scena, & corona diffusior.* Suspicorque de comitatu suo loqui Eumolpum, quem ampliorem, id est, frequentiorem, minusque adeo æstive viaticatum sibi, tum cultius aliquanto exornatum desiderare prædicat sese, ne scilicet simulatas divitis domini partes, & quasi Mimicam personam actitare videatur. tametsi non ignorem, sumi quoque interdum pro loco ipso, ubi quispiam se ostentat, suique specimen facit. Unde, *In Scenam prodire*, μεταφορικῶς· quomodo & ipse Arbiter aliquanto post hoc capite in eodem adhuc argumento versans: *Et, ne quid scenæ deesset*, &c. Sequitur:

Non me hercules pœnam istam differrem, sed continuo vos ad magnas opes ducerem.] Ita Editiones, quas correctissimas nobis exhibuit Gallia, pro quo unus atque unicus ille Pithœus noster, *Peram*, restituit, cui etiam codex chirographus, toties à me ob probitatem laudatus, hac utique in parte assentabatur. Cujus vicem haud insite mihi supplere videtur posse Græca dictio, in hunc locum (si qua alia) convenientissima; πεῖραν inquio, hoc est, tentamentum, sive adeo experimentum, atque id quod Gallico, *La preuve:* vernaculo sermone, *Een proeve*, perhibere vulgo solemus, facta à gustatu in alienum migratione. Neque aliam sane Pithœi mentem super hocce loco fuisse, persuasum mihi.

Nam familiam quidem tam magnam per agros Numidiæ esse sparsam, ut possit vel Carthaginem capere] Proprie *Familiam* dicit, neque enim alio Titulo servæ conditionis homines censi antiquitus, nimirum à *Famulando*, auctoribus Ictis, & Ulpiano in L. 1. ff. *de vi, & vi arma.* Unde & *Gladiatorum Familiæ* apud Ciceronem. Cujus rei caussam hanc reddit Seneca Epistol. XLVII. *Ne illud quidem videtis, quam omnem invidiam majores nostri dominis, omnem contumeliam servis detraxerint. Dominum, Patremfamiliæ appellaverunt, Servos* (*quod etiam in Mimis adhuc durat*) *Familiares.* Confirmat hoc ipsum Plautus Amphitr. *Advenisse familiares dicito.* Item Epidico; *Quis properantem me reprehendit pallio?* TH. *Familiaris.* Denique alibi compluries.

*Sedeat præterea quotidie ad rationes, Tabulasque testamenti omnibus * renovet*] Videtur desiderari *Horis*, vel aliquid tale ad lacunæ explementum. Ibidem:

Ridebat contumaciam Giton, & singulos strepitus ejus pari clamore prosequebatur] Malim *Clangore:* idque Petronianæ sententiæ haud paullo accommodatius.

Cap. CXVIII. *Neque concipere, aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine literarum inundata*] Ita quidem rectissime postrema Editio, quum in prioribus omnibus *Inundante* antea legeretur. Utitur ea ipsa Metaphora solens Petronius. ut vel paullo prius cap. CI. *Inundatus hac Eumolpus invidia.* Item cap. XXI. *Vino etiam Falerno inundabamur.*

Cæteri enim, aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut versum timuerunt calcare] Scio, cujusmodi sententiam ex hocce loquendi genere nobis exculcaverit Turnebus, receptæ scripturæ vanitate deceptus; quæ mihi ipsa *Via* illa, quam & Homerum principem, sequutosque mox Lyricos, ac Romanum Vergilium cum Horatio legitime institisse vult credi Arbiter, asperior ac petricosior videtur. Quis enim *bonæ mentis* ad hunc quidem modum loqui se postulet? *Versum calcare?* Non ego: nam, quod ad me attinet, sane nolim. Proinde magna cum fiducia reponendum pronuncio atque edico: *Non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare.* Idque non mihi, sed vero Lectioni manuscriptæ, credi, atque acceptum referri cupio.

CAPUT XII.

De Lucani coætanei sui Pharsalia, ab Arbitro hoc nostro, haud arbitrario, sed certo Censoriæ animadversionis præjudicio notata gravissimæ suspicionis conjectura. Iniquissima amborum inter se commissio, fati similitudine parium potius, quam laudis. Inops audacia tuta est, *ad confinem quandam Sallustianæ Historiæ sententiam opportunissime traductum: in eaque enarranda quantum Glareani acies caligaverit, ostensum. Locorum aliquot, cum Martialis, tum aliorum festivissima cum Petronianis collatio* Simplex, *pro Composito: simul* Peragere, *pro* Perorare *positum. Totidem, quot ego, ac tu sumus (mi Lector) mendæ de Petronio sublatæ.*

Eodem Cap. CXVIII. *Ecce, belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius Historici faciunt, quam Poëtæ, &c.*] Aut frustra sum ego, aut ad Lucanum Poëtam, notissimum illum Civilium bellorum compositorem, trahendum hanc digressionem, qua Satyrice ejusdem Pharsaliam perstringit hic noster; ἀκαιρεῖ quidem, & quasi ex traverso, verum ita tamen, ut eum ipsum veluti digito indicare videatur. In quo Petronium, quantum à corrupto, & quidem communi ætatis suæ judicio abfuerit, haud obscure est animadvertere, quo tanti æstimatus Lucanus, ut non defuerint illis, sequutisque temporibus, viri doctrinæ nomine cumprimis celebres, atque in his Papinius, & Martialis, illi conterraneus fere, qui eum & Vergilio (si Diis placet) & Homero ipsi parem facere, ne dicam anteponere, haud quaquam dubitavere; qua fiducia sufflatus ipse virtutis suæ etiam præconium facere, atque in has iniquissimæ contentionis inanias erumpere veritus non est:

Et quantum mihi restat ad Culicem?

Juvat

Juvat opinionem hanc noſtram Cenſoria illa, quam ibidem præmiſerat Eumolpus, principum Poëtarum commemoratio, non ultra *Romanum Vergilium*, & *curioſam Horatii felicitatem* a Petronio extenſa. Subdit enim, *Cæteros* (Lucanum, ut dixi, & totam illam Poëtarum manum haud dubie deſignans) *aut non vidiſſe viam, qua iretur ad carmen, aut viſam timuiſſe calcare.* idque mihi Oraculi inſtar, & (ſi mei arbitrii res fuat) unam mehercule a Petronio *Eumolpicam Trojæ Haloſin*, aut hanc ipſam potius vere Poëticam belli civilis vaticinationem multo mavelim mihi,

Quam vel trecenta Cordubenſis illius
Pharſalicorum verſuum volumina.

Quod ipſum & Quintilianus circumſpecte conſiderans, Oratoribus, quam Poëtis potius, hunc Cæſariani belli ſcriptorem cenſuit adnumerandum. Utut eſt, σύγχρονοι certe Lucanus ac Petronius noſter, indidemque fortaſſe in contentione ſtudiorem communium aliquanta æmulationis ſimultas. Utrique enim, imperante crudeliſſimo Nerone, tum vitæ, tum Genii ſimilitudine diſpares, parem vitæ exitum ſortiti; ſed hic (Arbitrum dico) vertente anno poſt, C. Suetonio, L. Teleſino Coss. quum alter Annæus ille, Silio Nerva, & Attico Veſtino Coss. anno, qui præceſſerat modo, ab V. C. DCCCXVIII. ejuſdem Principis juſſu fatalia Parcarum fila venis ante diem inciſis abrupiſſet ſcilicet.

Cap. CXIX. In deſcriptione belli civilis: *Atque Arabum populus ſua deſpoliaverat arma*] Quis vero mente uſque adeo exſenſa, ut *Populis* ſtatim emendandum non videat? Et mox:

Perſarum ritu, male pubeſcentibus annis,
Surripuere viros, exſectaque viſcera ferro

In Venerem fregere] Cujus ſententiæ acrimoniam in animo habuiſſe videri poteſt ſanctiſſimus Martyr Cyprianus lib. Epiſtol. 11. ad Donatum, de exoſſi ac Cinædica illa Hiſtrionum ſaltatione condignos homine Chriſtiano ſermones diſſerens: *Videte contra ſoedus juſque naſcendi patientiam inceſtæ turpitudinis elaboratam. Evirantur mares: omnis honos & vigor ſexus evirati corporis dedecore emollitur, pluſquam* (lego *pluſque*) *illic placet, quiſquis magis virum in foeminam fregerit.* Sequitur in Petronio.

Atque ut fuga mobilis ævi Circumſcripta mora properantes differat annos, Quærit ſe natura, nec invenit] Huc ſpectat capitalis illa Legis pœna Conſtantio & Conſtante auctoribus perlatæ, quam Variarum ſuarum ex Codice *ad L. Juliam de adult.* laudat nobis exactiſſimæ eruditionis Cenſor Durant. Caſellius, ex veteri quadam membranula, nova hacce forma à ſeſe interpolatam primitus: *Cum vir nubit in foeminam viris porrecturam quid cupiatur, ubi ſexus perdidit locum? ubi ſcelus eſt id, quod non proficit ſcire? ubi Venus mutatur in alteram formam? ubi amor quæritur, nec invenitur?* Quum in libris, quantum eſt, formulariis: *Ubi amor quæritur, nec videtur?* perperam inibi vulgo procuſum exſtet. Legitur ibidem:

Et laxi crines] Pro quo ego *Fluxi* lubenter repoſuerim ad illud Martialis mei accommodandum:

——— *Molleſque flagellent*
Colla comæ. ———

vel certe *Lixi* reſcribendum, id eſt, lixivio (quam *Cauſticam*, ſeu *Batavam ſpumam* idem Poëta appellitat) loti atque imbuti crines, verbi cauſſa:

Et mutat Latias ſpuma Batava comas.

Niſi ſi tamen, *Laxos*, pro ſolutis interpretari malimus.

Inops audacia tuta eſt] Sententiam, me hercule, ſcitam oppido, argutamque, ac brevem, nec minore adeo elegantia à Principe illo Hiſtoricorum in conſimili pene Catilinariæ conjurationis argumento expreſſam, quaſique enarratam dicto iſtiuſmodi: *Nam ſemper in civitate, quibus opes nullæ ſunt, bonis invident, malos extollunt: vetera odere, nova exoptant: odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent: turba atque ſeditionibus ſine cura aluntur, quoniam egeſtas facile habetur ſine damno.* Quam tamen ſententiam haud quaquam fueram laudaturus, niſi in luce mera miſere caligaſſe hoc loco Glareani aciem advorterem, qui tam argutæ clauſulæ intellectum ignotum ſibi, ac ſupra captum eſſe fateatur ſuum; niſi poſt *Habetur* diſtinctioni locus fiat, ac poſtea inferatur ἀνυπόστατος *Sine damno.* Ridicule, & vere adeo *Nodus* (quod dicitur) *in ſcirpo.* Habes porro apud Petronium:

Cap. CXX. *Tres tulerat Fortuna duces, quos obruit omnes*
Armorum ſtrue diverſa feralis Enyo.
Craſſum Parthus habet: Libyco jacet æquore Magnus:
Julius ingratam perfudit ſanguine Romam.
Et, quaſi non poſſet Tellus tot (ita v. c.) *ferre ſepulcra.*
Diviſit crneres] In membranaceo Codice:
Tres dederat Fortuna duces.

liquido referebatur. A reliquorum vero verſuum argutia Epigrammatis unius acumen Martialis noſter mutuatus videri poteſt, quod Magni Pompeji, ejuſque filiorum Manibus merito hercule ac lubens à ſe ſuaque Muſa imputandum cenſuit hoc exemplo:

Pompejos juvenes Aſia atque Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyæ, ſi tamen ulla tegit.
Quid mirum, toto ſi ſpargitur orbe? jacere
Uno non poterat tanta ruina loco.

Quid mirum vero? qui vel acutiſſimum etiam Hemiſtichium illud ex hoc ipſo Poëmate ad alterius item Epigrammatis concluſionem transcripſerit ſibi:

——— *Ingenioſa gula eſt.*

Alterum præterea quoddam à D. Hieronymo, in Epiſt. ad Demetriad. de virginitate ſervanda, Arbitro, non Martiali auctori condonatum:

——— *Non bene olet, qui bene ſemper olet,*

Quem tamen verſum nulla ſui parte minutum, aut immutatum, apud Martialem reperias etiamnum hodie, lib. 11. Epigramm. XII.

Cap. CXXI. *Vota mihi cedunt*] Ita Editio Lugdunenſis.

tensis. Ego tamen Parisiensi potius, tum chirographo codici meo subscribendum autumo: in quo, *Vota tibi cedent*, disertissime legebatur, id est, succedent, evenientque tibi ex sententia, quæ vovisti, omnia.

Cap. CXXII. In eodem Poëmate ex persona Cæsaris jam Dictaturientis: *Certe mea caussa peracta est.*] Hoc est, *perorata*. Quomodo apud Callimachum illum Romanum, *Caussa perorata est*. *Agere* enim, sive *Orare caussas*, germana, imo gemina esse

Nec pueri ignorant, nisi qui nondum ære lavantur.

Cap. CXXIII. *Fortior omnibus movit Mavortia signa Cæsar, & insolito gressu prior occupat ausus.*] Aliis, *Haustus* placet: neutrum mihi, verum istuc potius, quod ponam:

——— *Et insolito gressus prior occupat ausu.*

Sequitur

——— *Mox flumina montibus altis*
Undabant modo nata, sed hæc quoque missa putares.]

Quo loco alii, *Spissa*, legunt: at Rogertis mei Codex calamo exaratus, *Justa*, habebat. Unde novissima Editio *Jussa* nobis concinnasse videtur. Mihi vero, si quis in tanta dissentientium scripturarum varietate conjecturæ locus est reliquus, *Stare* stat restituere, idque proxime sequentis versus causa maxime, quem in optima illa Parisiensi Editione hac forma conceptum memini reperitare:

Stabant, & victa fluctus stupuere pruina.

Cap. CXXIV. *Quid porro tu, Dive, tuis cunctaris in armis*] Apostrophe Poëtica ad Divum Julium, infesta patriæ signa inferre satagentem.

CAPUT XIII.

Maculæ binæ, quæ Petronium inquinabant, deletæ. Alterum hujusdem Satyrici locum ad Tibullianæ sententiæ similitudinem conformatum videri. Libidenem concitare. Oboscular. *Turnebica opinioni assensum.* Digiti gubernantes vocem. Conciliare, *quid?*

Cap. CXXV. *Cæterum ego, etsi quotidie magis magisque superfluentibus bonis saginatum corpus impleveram, putabamque à custodia mei removisse vultum fortunam; tamen sæpius tam consuetudinem meam cogitabam, quam caussam.*] Non mehercules intelligo (de clausula postrema loquor) nisi porro (mi Lector) negativæ particulæ des locum, ante τὸ *Tam* collocandæ, hocce exemplo scilicet: *Tamen sæpius non tam consuetudinem meam cogitabam, quam caussam.*

Totamque fallaciam invidiosa proditione detexerit.] V. C. *Ambitiosa proditione* in ipso contextu præferebat planissime.

Cap. CXXVI. *Quia nosti Venerem tuam, superbiam captas, vendisque amplexus non commodos.*] Rescribo, atque interpungo: *Vendisque amplexus, non commodas*, ipsa adeo sententia hanc nobis conjecturam præeunte, quam & Lipsio pariter nostro in mentem venisse gaudeo, gratulorque merito mihi, etiam sequenti insuper ratione corroboratam, hoc, inquam, non inani argumento, quod mox hoc capite ab ea ipsa ancillula amatrice objicitur Polyæno: *Sive ergo nobis vendis, quod peto, mercator paratus est: sive (quod humanius est) commodas, effice, ut beneficium debeam.*

Quo incessus tute compositus?] Quid est, *Tute*? Nihil id quidem, atque adeo Petronio indignum, cui porro commodare ut pergam, pro *Tute*, *Arte*, de opinione restituere haud gravabor. Habes inibi:

Vides me? nec auguria novi, nec Mathematicorum cælum curare soleo: ex vultibus tamen hominum, mores colligo; &, cum spatiantem vidi, quid cogites, scio.] Eadem de se fere Tibullum promittentem operæ pretium fuerit auscultare lepidissimis versiculis illis:

Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra Deorum,
Præcinet eventus nec mihi cantus avis.
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.

Eodem capite,

Quædam enim fœminæ sordibus calent: nec libidinem concitant, nisi aut servos viderint, aut stratores altius cinctos.] *Libidinem concitant*, ea forma usurpatum, quo Poëtarum Deus, *Martemque accendere cantu:* Martialis vero,

Inde lego, Musasque cio, Phœbumque lacesso,

dictare ausi.

Viderint matronæ, quæ flagellorum vestigia osculantur.] In M S. exemplari, *Obosculantur* vitiose sum legere. sic fere dictum, quomodo, *Obligurire*, apud Suetonium. Mox:

Procedentibus deinde longius jocis, rogavi ancillam, ut in platanona produceret dominam. Placuit puellæ consilium; itaque collegit altius tunicam, flexitque se in eum daphnona, qui ambulationi hærebat.] Ita est in Editione Gallicana, & quidem utraque, in prioribus vero *Ut platea nova duceret* lectum hactenus. Unde fuit tempus, quum, *In prata nova*, emendandum hariolarer; nunc Turnebi potius sententiæ accedo, lectionem novissime procusam auctoritate sua stabilientis, docentisque porro, *Platanona*, item *Daphnona*, nihil aliud quicquam, quam loca Platanis, ac Lauris consita significare, Latinæ Civitatis jure, haud sane repugnantibus Græcis, donata jam olim; & quidem ab antiquo. Addo fidei caussa bina à Poëta Celtibero testimonia, ut:

Exornant pictæ qua Platanona feræ:

Item:

Dispositi daphnona suis Torquatus in hortis.

Cap. CXXVII. *Mox digitis gubernantibus vocem, &c.*] Argute, de actione, seu gesticulatione digitorum verius, nimium illecebrosa, concinnaque, ac prorsus meretricia, cui non multum absimile, in dissimili licet argumento, illud Tibulli nostri:

At postquam fuerant digiti cum voce loquuti.

Subjungitur deinceps à Circe:

Si non fastidis, inquit, fœminam ornatam, & hoc primum anno virum expertam, concilio tibi, ô juvenis,

sororem.] Proprie, *Concilio*, in re lenocinii usurpat Petronius. Sed enim & Ovidius, non minus urbane de Tithoni nuptiis apud Auroram expurgans sese:

Cur ego plector amans si vir tibi marcet in armis:
Non me nupsisti conciliante seni.

Unde & *Conciliatrix*, pro *Adductrice*, id est, lena, seu stupri sequestra (quod genus nos patrio sermone *Koppelerssen*, vulgo hodie indigitamus) Plauto, Comicisque antiquitus frequentata.

CAPUT XIV.

In amoris curiositatem severæ seriæque habitæ quæstiones; productis ejus rei à Plauto, Horatio, Ovidio auctoritatibus. Cultores, pro amatoribus. Duùm suspectæ fidei locorum repurgatio. Item de Fascino *nonnihil.*

Pergit delitias porro Polyæno dicere Circe. Eodem cap. CXXVII.

Habes tu quidem & fratrem, neque enim me piguit inquirere.] Nequiter sane, atque ex præscripto disciplinæ Lenoniæ, ita in Menæchmis adumbratæ à Plauto; ubi, quum herus admirans dixisset:

Sed miror, qui ille noverit nomen meum.

Ecce servus non paulo sapientior;

Minime hercle mirum: (inquit) *morem hunc meretrices habent;*
Ad portum mittunt servolos, ancillulas:
Si qua peregrina navis in portum advenit,
Rogant, cujatis sit, quid ei nomen siet.
Post illæ (scribo, *post illa*) *extemplo se adplicant, agglutinant.*
Si pellexerunt, perditum amittunt domum.

Quo etiam applicare possis Ovidianum illud, ex ipsius Helenes persona benignius sane, quam necesse fuerat probæ, ad captiosissima Paridis blandimenta rescriptum:

Nec tamen ipse negas, & nobis omnia de te
Quærere, si nescis, maxima cura fuit.

Ain vero, mi Helena? tantumne à re domestica operæ otiique fuisse tibi, ut oblita pudicitiæ tuæ matronalis, ac Genialis thori immemor, res omnes relictas habuisse fatearis, præ istorum facinorum cognitione, quæ Paris juveniliter per anteactam vitam bene, an sequius, turpiter certe ac libidinose patrata designarit? Cui bono autem? quidve curatio isthæc ad Menelai conjugem, de Barbaro & alieno adolescentulo ita anxie isse inquisitum singula? quo, nisi ut per literas quoque interpretes turpitudinem ipsa denudes tuam? tibique invicem res amationesque Ilienses hospitis curæ atque adeo solicitudini haud minori, quam illi tuas, fuisse tuopte manifesta indicio ostendas. utque ex insano insaniorem Alexandrum tum concinnes scilicet, quem sic tu amas, quemadmodum ille te vult, cujusque adeo pulcritudinis propius ac penitus percognoscendæ multo cupientior videris, quam puellæ Horatianæ Barri illius formosi, quem lib. Sermon. I. Sat. VI. à Satyrico illo hujuscemodi coloribus depictum habemus:

Ut, si qui ægrotet, quo morbo Barrus, haberi
Et cupiat formosus, eat quacunque, puellis
Injiciat curam quærendi singula, quali
Sit facie, sura quali, pede, dente, capillo, &c.

Imo, inquam, ego per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere.] Nota *Cultores* pro Amantibus positos, tralatione verecunda, à qua haud longe sane abludere videtur, quod nos, servile hoc hominum genus Gallico sermone designare volentes, pro *Amatorculis*, *Servos*, seu *Famulos* perhibere consuemus. sicuti & puellas quoque in delitiis habitas, non quidem *Amicas*, sed *Dominas* eadem ratione vulgo appellitamus, loquendi forma (credo) ab ipsis usque Latinis accersita. Sed enim hic non ad *Culturam*, quæ Reges, Dominosque, id est, potentiores amicos sequi fere, & quasi comitari solita, verum potius ad nescio quam Religionis speciem, Numinum magis, quam hominum venerationi debitam (quæ *Cultus* nomine proprie ac signate Romanis exprimitur) vocabuli hujus virtus referunda, cujus Metaphoræ continuandæ porro, *Religiosam* etiam *Adorationem*, & nescio quid de *Templo* insuper subjungit Polyænus, neque id adeo injuria; quippe qui & *Deæ*, & *Regimæ*, non solum *Dominæ*, titulo mactam, augustamque factam Circen adveneraturus postea.

Quidni, inquit illa, donas eum mihi, sine quo non potes vivere, ex cujus osculo pendes, quem sic tu amas, quemadmodum ego te volo?] Delitiæ meretricis. Sed videtur emendandum: *Quid? inquit illa, donas eum mihi, &c.* Neque aliter sane fuerat in manuscripto, nisi quod, ὰντὶ τοῦ, *Eum mihi*, *Mihi illum*, transpositum inibi legebatur. Quid? quod *Dones* potius, quam *Donas*, rescribendum videtur? si tritam lectionem retinere porro, mordicusque defensitare velimus. In eodem exemplari eodem capite hujuscemodi visitabatur scriptura:

Non sum quidem Solis progenies, nec mea mater, dum placuit, labentis mundi cursum detinuit.] Quæ placet, utique præ ea, quæ exstat in impressis omnibus, *Dum placet*, impensius etiam placitura, siquidem, *Cum placuit*, rescribatur: hoc est, quotiescunque matri meæ aut visum, aut conplacitum fuit, ad exemplum (opinor) Tibulliani illius in materia huic prorsus parissima:

Cum libet, hæc tristi depellit nubila cælo:
Cum libet, æstivo provocat orbe nives.

Denique Ovidii quoque ex libro Amorum I.

Quum voluit, toto glomerantur nubila cælo,
Quum voluit, puro fulget in orbe dies.

Sume ergo amplexum, si placet: neque est, quod curiosum aliquem extimescas: longe ab hoc loco frater est.] De hac ridicularia veterum superstitione, qua nimiæ felicitatis successum, certumque ac præfinitum bonarum rerum numerum *Fascino* obnoxium opinabantur,

tur, consulendus ævi nostri Phœnix Jos. Scaliger, ad Votum illud Basiaturientis Catulli:

Tam te basia multa basiare
Vesano satis & super Catullo est,
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, aut mala fascinare lingua.

CAPUT XV.

Loca non pauca de opinione correcta, plura interpretata. Quasillariæ. *Immoderata muliebris libidinis intemperantia, ne dicam importunitas, in* Tribunatum *quasi* Verberalem *erumpere denique, atque in insontis famulitii terga languorem siculæ maritalis expiare solita antiquitus, ne quis nunc censeat.* Frons constricta.

Cap. CXXVIII. Ex persona Polyæni, *Militis quidem pransi parati*, sed nec arma, nec rem (ubi re cum primis opus) habentis in mundo: *Lorum*, quod dicitur, *in aqua*, &c.

Perfusus ego rubore manifesto, etiam si quid habueram virium perdidi, totoque corpore velut laxato, &c.] Eundem *Languoremne*, an *Paralysin* dicam, sibi in Corinna quoque alias obvenisse tota Elegia v. libri Amorum III. secum post irritas minas lamentatur Ovidius:

Huc pudor accessit, facti pudor ipse nocebat,
Ille fuit vitii causa secunda mei.

Etiam de *Veneficio*, & cæteris, quæ sequuntur, eandem Nasonis Elegiam consulas licebit. Ea enim, quanta quanta est, haud alio sane, quam ad hæc Arbitri explicanda, nata mihi prorsus, ac composita videtur.

Rapuit deinde tacenti speculum, & postquam omnes vultus tentavit, quos solet inter amantes risus frangere.] *Risus*, huic loco quid faciat, nobis necdum in mentem venire potuit; itaque mihi quoque *omnes vultus tentanti, Nisus* tandem visum est emendare, pro eo, quod supra scilicet *Furtivam molitionem* appellitaverat, interpretandum. Sequitur porro:

Excussit vexatam solo vestem, &c.] *Vexatam*, inquit, quod nos opinor, *gekreuckt*, diceremus; scilicet superiori illa in gramine volutatione, malo astro, Deaque Perfica non favente, hoc est, sine *robustæ* adeo *voluptatis* effectu, præter speciem, ætatem, atque utriusque sententiam denique, cum Polyæno amatore suo tentata, sive inchoata potius, quam ad *Patratum* perducta. Et mox:

Ego contra damnatus, & quasi quodam visu in horrorem perductus, &c.] Quid, si hoc potius est, ut *Viso* reponatur, pro *Spectro*, & quasi somnio quodam turbulento? proinde ut idem loquutus supra cap. 100. *Visa*, certe, pro *Insomniis* poni quis nescit, qui Mudæas fores vel primis digitis impulerit modo?

Cap. CXXIX. In Epistola illa multo urbanitatis sale cumulatissima: *Narrabo tibi, adolescens, paralysin cave. Nunquam ego ægrum tam magno periculo vidi.*] Eadem loquutionis forma usus quoque ad Ciceronem suum M. Cælius; de absoluto Messala scribens: *Itaque relictus Lege Licinia, majore esse periculo videtur.*

Cap. CXXXII. *Nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes quassitarias, familiæque sordidissimam partem, ac me conspui jubet.*] Ita est in Editione Lugdunensi; in Lutetiana vero, *Quassillarias:* unde nos, *Quasillarias*, extricaveramus jam antea: hoc est, genus ancillularum omnium spurcissimum ac despicatissimum: quas *Robustum* ad *Codicem* detrusas, inibique herilibus pensis in perpetuum damnatas interpretabamur ex Plauto, Tibullo, Propertio, Ovidio, Juvenali denique; unde & *Codicariarum* cognomento insignitæ antiquitus. Hactenus hæc scripseramus, quum ecce potiorem ejusdem item sententiæ fundum nobilissimum Jos. Scaligerum esse percepimus denique, qui ad locum illum Albianum,

Sit tibi cura togæ potior, præsumque quasillo
Scortum, &c.

Hoc ipsum Petronii exemplum, (quod inani strepitu aures Turnebi verberaverat jam olim) ita ut nos emendavimus, Lectori porro arripiendum reliquit. Rescribo deinceps:

Oppono ego manus oculis meis, multisque precibus effusis, quia sciebam quid meruissem, verberibus sputisque extra januam ejectus sum.] Male enim in omnibus Editionibus *Nullisque precibus* hodie cusum comparet: nostraque correctio ista, non audacis ingenii curiositatem, sed vero chirographum optimæ & notæ & fidei, Rogertinum inquam codicem, auctorem habet. Pergit narrare porro:

Ejicitur & Proselenos, Chrysis vapulat, totaque familia tristis inter se mussat, quæritque, quis domina hilaritatem confuderit?] Ridicule; sed tamen ex ejus sæculi consuetudine stolatis pariter ac togatis mulieribus recepta: quæ libidine indomita, atque inexstincta, ad furorem usque prurientes, nihil pejus adeo deteriusque metuebant sibi, quam ne vir suus, vel adulter utique haud paullo virilior, vidua pudicaque contentus nocte, fundum familiarem, hoc est, officium suum, colere negligens parcusque existeret:

Neu tenuem texens rivalis aranea telam
Deserto in Veneris hortulo opus faceret.

Ideoque (quæ illius temporis insolentia fuit) quoties evenisset forte, ut admissarius suus virum se esse quodammodo quasi oblitus videretur, parte illa corporis funerata scilicet, quam potissimam in nobis fœminæ appetunt sibi, reliquum erat, ut in servorum ancillarumque insontium gregem herilis expeteret culpa; hoc est, ut *caudicariæ* omnes cum librariis, ac ornatricibus, cæteraque familiæ pars multo sordidissima, piaculares ob alienam ignaviam fierent: utque tot ministeriorum infelicium terga capitis unius lenitudini, haud secus utique quam succidanea, subderentur. Cui disciplinæ etiam lux fœneranda à Juvenali meo, hanc ipsam matronarum impotentiam, atque insatietatem, ad hoc exemplum Satyrice castiganti, *censione* dico, non *bubula*, sed *papyrina*, ut vides:

Est operæ pretium penitus cognoscere, toto
Quid faciant, agitentque die; si nocte maritus
Aversus jacuit, perit libraria; ponunt
Cosmetæ tunicas; tarde venisse Liburnus
Dicitur, & pœnas alieni pendere somni
Cogitur; hic frangit seruas, rubet ille flagellis,
Et scutica; sunt, quæ tortoribus annua præstent.
Verberat, atque obiter faciem linit, audit amicas,
Aut latum pictæ vestis considerat aurum:
Et cadens longi relegit transversa diurni,
Et cadit, donec lassis cadentibus, Exi,
Intonet horrendum, jam cognitione peracta, &c.

Itaque pensatis vicibus animosior verberum notas arte contexi, &c.] *Vibicibus*, edendum esse tam scio, quam me amare Petronium.

Quid me spectatis, constricta fronte Catones?] Id est, adducta, seu contracta, & quasi caperata fronte. Usus eodem loquendi genere & Martialis, libro decimo:

Et numeras nostros adstricta fronte trientes.

Nec minus Propertius libro Elegiarum II.

Differet hæc nunquam, nec poscet garrula, qua te
Astrictus ploret sæpe dedisse pater.

Adde huc *Adductus*, ex Cornelio Tacito, pro severo, tetricoque, ac supercilioso, cujusque frons semper adeo matutina, id est, striata, seu corrugata Catonianam quandam, ac plusquam Censoriam præferat gravitatem. Quærit in eodem Epigrammatio Arbiter noster:

Nam quis concubitus, Veneris quis gaudia nescit?
Quis vetat in tepido membra calere thoro?]

Ita repono, itaque reposui jam olim, antequam certe * Victorius nescio quis hac ipsa, quam quidem à me acceptaverat, conjectura Racemationes porro suas auctiores facere instituisset. Sequitur:

Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Fussit, & hoc vitam dixit habere telos.]

Perpera hæc Sequaniçæ Editionis scriptura, quam ex Lugdunensi partim, partim ex ingeniosis cum meis, tum alienis suspicionibus, ita porro me præeunte, in pristinum honorem restituas licet:

Ipse pater veri doctos Epicurus amare
Jussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Qua lectione nihil verius, nihil adeo argutius. Scias, è Petroniana officina profectum bonum pedem ad nos porro Gallo-Belgas attulisse.

* *P. Victorius.*

CAPUT XVI.

Fidei Tutamen *appositum*. Volenti neque vim, neque ullam injuriam fieri. Res attritæ. Culina mortualis, sive bustuaria. *Locorum alia explanata, alia reficta, ad incudem dico Petronianam.* De Clavo numerali, annorum indice, *prisca quædam, ac monetæ Romanæ.* Fortuitum, Gratuitum, Pituita *denique, penultima productæ enunciari debere: ideoque hæc, aliaque talia trisyllaba fieri, quoties in Hexametris occurrant.* Tergilli Plautini *consideratio.*

Cap. CXXXIII. *Hæc declamatione Gytona voco, &, Narra mihi, inquam, frater, sed tua fide, &c.*] Quid vero est? *Tua fide.* Apage tam frigidum schema à Petronianis facetiis, & quidem quam longissime, nihil enim indignius. Mihi certe dubium non est, quin pro *Tua*, *Tuta fide*, debeat emendari, hoc est, quæ ex sese nihil incommodi tibi, tuæque adeo existimationi, in posterum sit paritura, quippe arcano dicturo, atque ei, qui culpis tuis & veniam simul & silentium præstare condidicerit solens.

Tetigit puer oculos suos, conceptissimisque verbis juravit, sibi ab Æschylo nullam vim factam] Nihil hoc mirum; quippe cupienti omnia Gytoni facta, neque quicquam adeo grave, vel præter animi sui sententiam passus. Sic supra idem de Jove; cap. LXXXIII. *Et peccaturus in terris nemini tamen injuriam fecit.* Festive; atque ex opinione nostris etiamnum JCtis celebrata, qui, *Volenti nullam fieri injuriam*, serio nobis ac vero vultu asseverant. Habes eodem capite:

——— *Sed inops, & rebus egenis*
Attritus, facinus non toto corpore feci.]

Lego:

——— *Et rebus egenus*
Attritis, &c.

Phrasi Poëtis omnibus usitatissima; item Livio Historico, qui *Attritas opes* alibi dictitasse invenitur: quomodo & ipse Petronius antea cap. CXVI. *Post attritas bellis frequentibus opes, &c.* Et tamen recepta lectio vel Plauti auctoritate defendi posse videtur, qui *res dubias, egenas*, conjunxit non semel. Denique quid verat Arbitrum nostrum obscœnitatis (ut solet) latebram sub honestissimæ translationis sparo quæsivisse?

Cap. CXXXIV. *Quid vos, inquit, in cellam meam, tanquam ante recens bustum venistis?*] *Culinam* his verbis circumscribere videtur, unde & *Inquilini* etymon deductum. Ita enim *Loca quædam sub Urbe inopium funeribus destinata, ubi ferales, sive sepulcrales epulas comburi mos erat, antiquitus indigitata*, ex Festo, & Aggeno Urbico docuit nos omnium doctissimus Jos. Scaliger. Quasi innuat Enothea, Eucolpion, & Proselenon ex hac esuritorum nota esse, *quos cibos è flamma petere posse*, urbane sane cavillatur Terentius: hoc est (ut Catulli quoque interpretamento in rem Petronii utamur) *in sepulcretis*, tuburcinandi causa, quamvis *semiraso ustore* prohibente, *ipso carpere e rogo cœnam.*

Et ne putetis perplexe agere, rogo, ut adolescentulus mecum nocte dormiat, nisi illud tam rigidum reddidero, quam cornu] Eadem similitudine in Fauni quoque Satyriasmo usus Ovid. ubi narrat:

Et tumidum cornu durius inguen erat.

Verum hujusmodi commentanti venia præfanda fuerat prius, caputque Socratico exemplo operiundum.

——— *His*

——— *Hîc ego callens*
Artibus Idæo frutices in gurgite ſiſtam,
Et rurſus fluvios in ſummo vertice ponam.]

Ita Editio Pariſienſis. malim tamen cum Lugdunenſi, *Latices*, in *Fruticum* locum reponere; tum *Ægæo* potius quam *Idæo* legere, ex conjectura. Male eſt ibibem in Editione poſtrema:

Cap. CXXXV. *Ergo exclamat, ô Enothea, imperio parete.*]

Revocanda enim priorum Editionum ſcriptura, quæ, *Imperio para te*, liquido nobis antea repræſentabat.

Non Indum ſulgebat ebur, quod inhæſerat auro] Fallor? an ad Horatianum illud ſpectavit Arbiter libri Carm. II.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar, &c.

Et paries circa palea ſatiatus inani,
Fortuitoque luto: clavus numerabat agreſtis.]

Clavos proculdubio emendandum, diſtinguendumque hoc modo:

Fortuitoque luto clavos numerabat agreſtes.

Ut de *Clavis Annalibus* loquatur, qui pangebantur, id eſt, ſigebantur in parietibus ſacrarum Ædium, per annos ſingulos, ut per eos numerus colligeretur annorum; qua de re Feſtum, qui volet, adito, in dictione *Clavus annalis*. Adde ex Livii lib. VII. *Volſiniis quoque clavos indices numeri annorum fixos in templo Nurſiæ Etruſcæ Deæ diligens talium monimentorum auctor Cincius adfirmat.* Plura darem, iſtius niſi quantula conjecturæ gloriola eſt, alio nuper migraſſe viderem: opera inquam, & comitate hominum eorum, qui Adverſariis noſtris per fidem inſpectis, partem horundem diutius ſub ſigno eſſe, atque intra Veſtæ penetralia

Verſari æquo animo non potuere pati

credo, non parum in largiendo prothymi, parumve munifici viderentur, de alieno præſertim; nam quanti id refert? modo Lectori conſtet, *omnia inter amicos communia eſſe debere*, jure familiaritatis maxime: quo quidem hoc genus, vel ad plagiorum uſque infamiam, illiberaliſſime abuſi. Quod ſupereſt, illud indictum nobis abire non debet, *Fortuito*, hoc loco trium in ſe ſyllabarum numerum habere, non quatuor: quomodo & *Pituita*, apud Horatium. Fallunt enim, atque adeo falluntur ipſimet, qui verbum illud, quotieſcunque auferendi Caſu poſitum occurrit, aut ex Ionico minore, aut ex Choriambo conſtare ſic quaſi pro comperto confeſſoque (ut, contra ſi quis ſentiat, nil ſentiat) perſuaſum habent ſibi: priorem quidem ſyllabam pro verſificantis arbitrio communem, tertiam vero ubique brevem facientes, ſola (ſicuti apparet) pronunciatione ſeducti, qua nos hodie ſane grave nimis ac præpoſtere uti, omnium Poëtarum teſtimoniis convincimur: in verbis præſertim hoc exemplo formatis, *Gratuitum*, *Fortuitum*, aliiſque talibus; quæ omnia tertiis ſyllabis correptis publica exprimit conſuetudo, quum ex traverſo tamen debeant produci. Indicio fuerit hoc ipſum, quod inter Petronianos Hexametros laudavimus modo. clarius vero Horatianum illud ex II. Carminum Oda XV.

Nec fortuitum ſpernere ceſpitem
Leges ſinebant, &c.

Sequitur verſu interjecto:

Præterea, quæ fumoſo ſuſpenſa tigillo
Conſervabat opes humilis caſa, mitia ſorba
Inter odoratas pendebant texta coronas.]

Pithœanæ Editionis ſcripturam vides: in qua nihil deſideres utique, niſi forte ſingularis literæ ſuppoſitionem in provocabulo *Quæ*, E. ſcilicet in S. commutata, ad hanc faciem:

Præterea quas fumoſo ſuſpenſa tigillo
Conſervabat opes humilis caſa, &c.

Ut *Mitia ſorba*, & *Veteres*, quæ mox ſequuntur, *Thymbras*, *uvamque non ſine paſſis racemis*, *pariter inter odoratas coronas pendentia*, appoſitione decentiſſima appellet *Opes Tuguri iſtius paupertini*: quas ego ſane (ſi quidem optio utriuſque eveniat mihi) adipatis Regum Epulis, omnique Perſico apparatu recuſem commutare.

Sat, ô, beatus unicis Camœnis.

Atque ita, *Humilis caſa iſta fumoſo ſuſpenſa tigillo* aptiſſime congruet: eademque Plauto meo opera commodabitur, ita in Aulularia argutanti:

Quin Divum atque hominum clamat continuo fidem,
De ſuo tigillo ſumus ſi qua exit foras.

Qui quidem totus ſuper triparca Euclionis avaritia, inter Coquos, ſervumque Megadori, ceditur ſermo. Plura enim hic à nobis eam in rem exſpectes, cave: hoc unum didiciſſe contentus, *Tigillum* iſtud haud aliunde quam à *Tigno* formatum, quaſi tu *Diminutivum* dicas: quod ego pro *Tranſtillo*, hoc eſt, longurio tranſverſo; unde Lardum, Tomacula, Succidias, alia id genus ad diuturnitatem uſus in carnario ſalita ſuſpendere ſolemus, lubentiſſime hercule interpretarer, ſi tamen iſtiuſmodi annonæ, aut apud ſordidiſſimum Euclionem, aut in priſci illius ſæculi conſuetudine locum omnino ullum faciundum exiſtimarem. Tibullus quidem pro *Tranſverſariis*, aut *Perticis*, quibus ex more, pectinata villarum pergularumque culmina inniti, fulciri, & quaſi ſuffundari ſolent, *Tigilla* accepiſſe videtur, quum de primis illis ruſticis, ac Saturniis architectonibus prædicat:

Illi compoſitis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.

Catullus vero pro Hyperthyro, cui generi *Limini ſuperi* nomen inditum à Plauto, verbi cauſſa:

Dixerit hic aliquis: Qui tu iſthæc, Janua, noſti?
Cui nunquam domini limine abeſſe licet,
Nec populum auſcultare, ſed huic ſuffixa tigillo
Tantum operire ſoles, aut aperire domum.

Quocirca non etiam defuturos arbitror, qui *Tegillum* in Plauto conſcribillandum pronunciabunt, pro *Tecti genere exiguiore*, uti apud Varronem explicat nobis

Marcellus; quem ſirempſe hoc verbum in mente habuiſſe, ſuſpicari quid vetat? quum alterum illud, *Ligellum* inquam ſuum, pro *Tuguriolo, ac domicilio breviore, perperam nobis ſuppoſitum ire auſus.*

CAPUT XVII.

Locorum aliquot obſcuriorum illuſtratio. Libare limen, *Attico quoque Ariſtophanis patrocinio defenſum.* Penſio, *pro* Penſatione. *Anſer, Priapi pariter, ac Matronarum delitiæ. Ejus rei aliqua rationum veriſimilitudo quæſita, relataque ad* Verecundiæ *notam ſcilicet, qua præ cæteris hoc* pennipotentum genus *vulgo inſignitum nobis concinnat Plinius. Additum præterea de Cenſoria cibatus Anſerini locatione, eidem animanti omnium ſacerrimo* OB MERITUM, *ac Capitolii defenſionem, antiquitus decreti præbitique ex publico.*

Cap. CXXXVI. *Jam reliqui* (ſ. anſeres) *revolutam, paſſimque per totum effuſam pavimentum, collegerant ſabam, &c.*] *Effuſam* Menſæ everſione ſcilicet: cui, oblitus anilium edictionum, purgandique leguminis cura ad tempus ſepoſita, (haud quidem præliandi ſtudio, neque quo pugnaciſſimo animali ullum capitis periculum crearet, ſed ut ſemetipſum potius, tum folliculum ſuum, à rabioſo impetu, ferratiſque Trigæ iſtius Anſerinæ morſibus ſartum tectum præſtaret) pedem, opinor, tertium extorſerat Polyænus. ita ut de *Tripede*, jam *Bipes* reddita videretur, ad exemplum illud Martialis mei:

Ibat tripes grabatus, & bipes menſa.

Veterem Menſulam illam dico, quam, Enotheæ Sacerdotis opera maxime, binis etiam carbonibus impletam, poſitamque ſacrificii cauſſa in medio item altari, habuimus ſupra cap. præcedenti. Ex quorum ſingulorum pariter conſideratione planum de confragoſo omnibus jam concinnatum opinor locum in fine hujus capitis, ubi Enothea denuo in cellam ſuam revorſa, *quidnam ſe abſente Faba factum ſit*, ſcitari pergit ex Polyæno, *Faba*, inquam, cujus nec volam adeo, nec veſtigium ullum reliquum inibi notabat ſibi; neque mirum; ut quæ è Sacra Menſa illa (quam tertii pedis defectu perculſam ſubverſamque memoravimus modo) in terram univerſa revoluta exciderat, unde in proclivi adeo Anſeribus fuit, partem illam leguminis temere humi diſperſam, paſſimque per totum pavimentum effuſam, in profundum ilicet, hoc eſt, in voracem ventrem condere, ſibique auferre porro, & quidem cum ipſis folliculorum quiſquiliis, quos periphraſi multo feſtiviſſima, *Muſcarum imagines* capite præcedenti ſupra indigitaverat Petronius.

Necdum libaveram cellulæ limen, &c.] Ita in utraque Gallicana Editione probiſſime cuſum exſtat. Proinde, an Turnebus apud ſe fuerit, dubito: quum pro *Libaveram*, *Superaveram*, objectare auſus eſt nobis. quaſi vero non ſirempſe Metaphora iſta aliquot ante Petronium ſeculis, & quidem Athenis Atticis,

Uſus item in Ranis priſcus Ariſtophanes?

Verbi gratia. Οὐ μὴ διατρίψῃς, ἀλλὰ γύσαι τῆς θύρας.

Et, ne diutius triſtis eſſet, jacturæ penſionem anſerem obtuli, &c.] *Penſionem*, pro *Penſatione* poſuiſſe videtur, qua voce idem quoque uſurus poſtea, cap. CXLI. *Sequetur imperium, ſi promiſeris illi pro unius horæ faſtidio multorum bonorum penſationem.* Porro:

Cap. CXXXVII. *At illa, compleſis manibus, Sceleratè, inquit: & loqueris? Neſcis, quam magnum flagitium admiſeris. Occidiſti Priapi delitias, anſerem omnibus matronis acceptiſſimum*] Cur vero *Matronis anſerem acceptum* prædicat? an *Verecundiæ* cauſſa fortaſſe, quam animanti huicce antiquitus tributam, unicus ille Naturalium Rerum ſcriptor memorat nobis Plinius lib. x. cap. xx. quo loco Pavonina pariter ingenia deſcribit? *Ab auctoribus non glorioſum tantum animal hoc (pavo) traditur, ſed & malevolum: ſicut & Anſer verecundum: queniam has quoque quidam addiderunt notas, &c.* Credo equidem, neque enim aliud, quod dicam, habeo in mundo; an potius, quoniam Iſidi hoc alitum genus peculiariter ſacratum? quam Deam curatiſſimis utique ceremoniis colebant Stolati ordinis Matronæ: nimis quidem adverſus animi Propertiani ſententiam, utpote, quem votivum illud Puellæ ſuæ in Caſto Iſidis Pervigilium, ac Decemnoctialis ſecubitus, in iſtiuſmodi contraria ſane vota, ne dicam Thyeſtæas preces, ſtomachoſum amatorem coëgit erumpere:

Atque utinam Nilo pereat, quæ ſacra tepente
Miſit matronis Inachis Auſoniis.

Sed quum *Priapi* etiam *delitias*, idem pugnaciſſimum iſtud animal appellitet Petronius, haud ſine cauſſa ſuſpicari poſſit aliquis, improbius neſcio quid ſub Matronalis ſchematis integumento occultari; nec alio fortaſſe accommodandum, quam quod avis ejuſce lingua in cibo, vel potione certe, aſſumta, fœminarum libidinem concitare, maximumque adeo pruriginis muliebris ſuſcitabulum eſſe credatur. Ego tamen priori ſententiæ meæ, a nemine hactenus tentatæ, acquieſcere tantiſper cogito, donec aliquid veriſimilius ſeſe obtulerit mihi. Utut eſt, Anſeres iſtos ſacros fuiſſe, ac propterea alimenta *ob meritum* ſibi decreta accepiſſe ex publico (ſicuti in Prutanio Athenis bene de Re Populi meritis fieri ſolet) ex Arbitro didicimus jam antea. illud non item, cibaria horundem locare publicitus, rem Cenſoriæ inprimis curationis fuiſſe. idque in fide Flaminum, ac Sacerdotum potiſſimum, quo fiebat, ut hocce *Ganſarum* genus nemini coquo in jus vocare jus eſſet; id quod de Lydis piſcibus prædicat Varro. De Locatione vero alimentorum ita Plinius lib. x. cap. XXII. *Eſt & anſeri vigil cura Capitolio teſtata defenſo, per id tempus canum ſilentio proditis rebus. Quamobrem cibaria Anſerum Cenſores in primis locant.* Adde ex Arnobii lib. VI. *Cur canes in Capitolio paſcitis? cur anſeribus victum alimentamque præbetis?* Cæterum hoc ipſum Romæ, quum hæc omnia Crotone geſta: ubi, an ritus idem obtinuerit, vel Petronium interrogato, ne quæras foris.

CA-

CAPUT XVIII.

Aliquammulti loci apud Petronium lustrati, correctique. Mero ac libidine solutus. Regnum Neptuni pavit Ulysses, *quo pacto oporteat interpretari.* Effectus *pro* Patratu *in re nuptiarum.* Clostellum. Dei Lampsacii numen *Lycæ pariter ac Tryphænæ propitium: Polyæno contra terra marique iratum infestumque.* Eucolpium, & Polyænum, *pro una eademque persona indiscriminatim sumi debere.* Carnis Etymologia, *ejusdemque vocis proprietas, Donato maxime adminiculante, excussa.* Pseudogalli, tum nostrorum hominum Latinitas non ferenda: *simul eorundem in vocabuli istius usurpatione insolentia atque impuritia detecta.*

Eodem Capite CXXXVII. *Itaque tædio fatigatus, rogo, inquam, expiare manus pretio licet.*] Ecqua vero causa est, quin, *Liceat*, hunc in locum restituere liceat nobis?

Infra manus meas camellam vini posuit, & cum digitos pariter extensos porris apioque lustrasset.] Id est, hoc piamenti genere februatos expiasset, sive repurgasset, quippe impiatos, conscleratosque, ac pollutos anserina cæde scilicet. Habes exinde:

Avellanas nuces cum precatione mersit in vinum: &, sive in summum redierant, sive subsederant, ex hac conjectura dicebat: nec me fallebat, inanes scilicet, ac sine medulla ventosas, nuces in summo humore consistere.] Et ego quoque, quamvis nec superstitiosus, nec hariolus cluens, conjecturam tamen ex his Arbitri ipsius verbis ducere haud dubitanter ausim, locum, qui in medio est, hoc modo repurgandum: *Ex hac conjecturam ducebat, &c.* Cæterum, quod hic de *Nucibus* Petronius, id ipsum de *Ovorum* ingenio refert M. Varro in lib. Rei Rust. verbi gratia: *Ovum inane natat, plenum desidit.*

Epulasque etiam lautas, paullo ante (ut ipsa dicebat) perituro paravit.] Recte, atque ex fide argumenti superioris. Etenim *malam Crucem* Polyæno interminata fuerat Enothea.

Cap. CXXXVIII. *Anicula, quamvis soluta mero ac libidine essent, eandem viam tentant.*] Usus eadem phrasi & supra cap. LXXIX. *Nam cum solutus mero amisissem ebrias manus, &c.* Item cap. CXXXI. *Premebat illa resoluta marmoreis clunibus* (ita enim cum Lipsio legendum) *aureum thorum.* Nec non Ovid.

Turpe jacens multo mulier resoluta Lyæo.

Idem in Arte:

Sentiat ex imis Venerem resoluta medullis
Fœmina.

Neque aliorsum illa quoque alterius loci improbitas trahenda:

Odi concubitus, qui non utrinque resolvunt, &c.
Ipse Paris Dearum libidinantium judex.] Quid, *Libidinantium*, faciat hoc loco, sane non video. Quocirca, frustra eos haud quaquam futuros, arbitramur, qui *Litigantium* se legere nobiscum potius sunt præoptaturi; vel certe *Licitantium*, cum Lipsio. Subdit porro Polyænus:

Si hanc in comparatione vidisset, tam petulantibus oculis.] Ab eodem habitu fidera quoque ista, plus quam Circeia, commendaverat & supra cap. CXXVI. *Et oculorum quoque mollis petulantia, &c.*

Cap. CXXXIX. *Gemmi satiavit numinis iram*
Telephus, & regnum Neptuni cavit Ulysses.]

Restituo, *Pavit*, à *Pavendo*, imo vero hercule à *Pascendo*, ne quid mentiar; nimirum, quod (uti Plautus autumat) piscibus in alto pabulum præbuerit toties, cum suis, tum sociorum naufragiis, apud Homerum:

Nobilis, ac nusquam non famigeratus Ulysses.

ut non injuria de ipso Romanus Philetas prædicasse judicetur;

In mare cui soli non valuere doli.

Quæ conjectura eo firmior videtur mihi, quoniam *satiavit* video etiam antecessisse, Metaphoram sequenti huicce tantum non confinem, ac geminam.

Cap. CXL. *Ea ergo ad Eumolpum venit, & commendare liberos suos ejus prudentiæ, bonitatique credere se & vota sua.*] Provocabulum, *suos*, aberat à Manuscripto: potestque etiam à libris nostris, salva sententiæ integritate, abesse.

Cum ergo res ad effectum spectaret, &c.] Hoc est, Quum, gaudia sua (Lucretiana saltem circuitione uti ut liceat mihi) toto corpore præsagiente, in eo jam Venus esset, ut hortum virginalem, & muliebria arva aspergine seminali consitum iret Eumolpus. Per *Effectum* enim plenam *voluptatis robustæ*, reique Venereæ, consummationem honestissimi vocabuli ambage circumloquitur, *Patratum* dico: idque ex Divi ipsius Isidori definitione observatum pol memoriter mihi.

Dum frater sororis suæ automata per clostellum miratur.] *Clostellum*, diminutivum à *Claustro*, eadem formatione cum *Plostello*, *Mostello*, *Castello*, *Rastello*, quorum origo adeo in promtu, atque in confesso. Et mox:

Nec se rejiciebat à blanditiis doctissimus puer, sed me numen inimicum ibi quoque invenit.] Videlicet *Implicabilis illa* (*Lycæ ultrix, anne Tryphænæ?*)

Quæ me per terras, per cani Nereos æquor,
Hellespontiaci sequitur merita ira Priapi,
Præsens heu nimium vindex in partibus illis,
Quas sinus abscondit, nam nec puero, nec amicæ,
Nec mea Fratri in Pygiacis bona vendere possum.

nedum ut Eumolpo, velut antea, totum approbare me postulem. De Tryphæna, ac Lyca addidi: qua vero conjectura adductus? inquies, hac scilicet, quod in superiore illa Eucolpii cum Gytone & Eumolpo navigatione aurem in somnis Lycæ à Priapo vulsam commeminerim jam antea: eumque serio cum Tryphæna per quietem admonitum, Eucolpium, quem quærebant, ejusdem Dei opera ac consilio maxime, in navim suam esse perductum, quæ quidem res & iram

ultoris

ultoris Numinis advorsus hunc noſtrum, contra in Tarentinum negotiatorem illum, ejuſque vectricem omnium fœminarum (vel Eumolpo teſte) formoſiſſimam, ſtudium divinum præſens, ac propitiam voluntatem nobis, velut in tabella, pleniſſime ſimul ac planiſſime oſtentat. Quid enim? Cave Polyænum iſtum diverſum eſſe ab Eucolpio illo priore exiſtimes: nec mirere, ſi unum fugitivi caput aliter atque aliter, pro tempore & loco, duarum perſonarum munus parteſque ſuſtineat pariter. Ita enim rem natam intelligas velim, ut Scenæ ſerviendum fuerit, vetuſque illud & quaſi quotidianum nomen ſuum Eucolpio commutandum. Cui bono? inquies. Nimio vero, quo integra videlicet ſimulatio ſervaretur, utque fallere facilius inter ignotos poſſet: quippe cujus rebus minime conducebat, anteactæ vitæ ſuæ flagitia Crotoniatibus innoteſcere, latrociniaque, ac cædes, & inquietem illam obſcœnæ ad arenam damnationis, tum fugæ, ac tot adulteriorum infamia conſcientiam diſpaleſcere in vulgum: fallaciamque, ex præſcripto conſilii communis callidiſſime inſtitutam, invidioſa proditione à peregre adventantibus denudari: atque ita inchoatam Tragœdiam perſonis capiti detractis indigniſſime ſubverti. Cujus adeo rei periculum non erat, quam diu quidem Eucolpius mutato nomine Coranis illis, Galla credulitate tumidis, pro ſuppoſititio neſcio quo Polyæno, quem perbelle ſeſe eſſe aſſimulabat.

Et titulo, & ſpecie ignorabilis objiceretur.

Cap. CXLI. *Apud quaſdam gentes ſcimus adhuc legem ſervari, ut à propinquis ſuis conſumantur defuncti, adeo quidem, ut objurgentur ægri frequenter, quod carnem ſuam faciant pejorem.*] De Lege iſta, & Gentibus, quarum exemplum Coranis ſuis, hoc eſt, captatoribus, Eumolpus imitandum proponit, plenius conſulendus Solini Polyhiſtor. capite LV. Quod reliquum reſtat igitur, in *Carnis* vocabulo ſummam Latinitatis rationem à Petronio habitam, defunctorio ictu reſolvendum non eſt. Etenim, probe & ſignate verbum rei convenientiſſimum uſurpaſſe, fidem abunde facturus nobis Donatus illa ad Terentianam Heautontimorumenon explanatione: *Caro dicta eſt, eo quod careat anima, & Caro proprie dicitur mortuorum, unde & Excarnificare deductum, item Carnifex, pro eo, qui Carnes ex homine facit.* Hactenus Donatus. Unde animadvortas licet barbariem ac ſordes neſcio cujus Maximiani, qui uſque adhuc tamen pro principe illo Elegiographo Cornelio Gallo, non dico mihi,

Nec bardo juveni, neque naris obeſæ,

ſed ſtolidæ imperitorum turbæ obtruſus, in cujus impuriſſimis, Carminibusne, an criminibus, dicam? hic quoque inter cætera Pentameter occurſurus eſt tibi:

Carnis ad officium carnea membra placent.

Ut enim *Carnea membra* iſta, pro carnoſis & ſuccipleniſ, auctoritate Martialis, qui *Carnarius ſum*, eodem fere ſignificatu princeps viſus procedere, defenſitare facultas ſit nobis: illud tamen qua ratione ferri poſſit, non video, *Carnis officium*, pro Veneria corporis oblectatione, reque Voluptatum, poſitum eſſe apud eos utique, qui Latine, quam Barbare, loqui potius, vel ſcriptitare ſe ſtudent:

Queis hæc (cum Flacco dicam) ſint qualiacunque
Arridere velim, doliturus, ſi placeant ſpe
Deterius noſtra, Beleago, teque Gotalſi
Moroſophorum inter jubeo plorare cathedras.

JANI DOUSÆ NORDOVICIS PRO SATYRICO PETRONII ARBITRI, Viri Conſularis, Præcidaneorum

LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

Multum eſſe in re aliqua; *inibique emendatus Macrobius.* Saurea Plautinus *ſexus quodammodo ſuo reſtitutus apud Fulgentium. De* Albutia Petroniana, *an ne eadem* cum Albutilla Taciti, *quæſitum, ac pronunciatum denique. Narrationum complurium, de incertis Arbitri atque extraordinariis Fragmentis in unam veluti ſtrucm congeſtarum, Douſica deſideratio.*

Hactenus quaſi per ſcrupos Petronianos, atque (ut ipſus loqui amat) *glarearum eminentium fragmenta* ſemicalceatos traximus pedes, myrmico & moleſto inceſſu auctoris lineamenta atque ordinem capitum perſequuti; quæ, quanquam interrupta oppido, nobis tamen ad callem muſteum quodammodo inveſtigandum, præeunte clariſſimo Pithœo, ac veluti faculam ad ſpiſſiſſimas tenebras

nebras evincendas, non sine succussu, vel potius successu cominus prælucente, semitam aperire visa; nam, absque illo manuductore fuisset,

Nox cœca ante oculos, nec Numinis ulla vialis
Copia, nec misero Lucifer ullus erat.

Itaque parum abfuit, quin cum *Depontano illo Catulli Municipe.*

Præceps pessum ierim in lutum per caputque, pedesque.

idque imprudentia locorum maxime, etiam interdiu obscura. Reliquum est, ut, quæ præterea à Veteribus passim in exemplum adducta ejusdem nobis monstratio, fumosam magis quam lucidam facem quassantis, extra Satyræ hujus ordinem liberalissime prævit, suspensis per timorem vestigiis casabundi porro attentemus; haud quidem continenti serie (ut antea) sed vero saltuatim potius, ne non reapse videlicet sic, quasi per Satyram, grassari judicemur, ad destinatum finem properantes denique: qui, quo eveniat, Diis etiamnum in manu est.

QUOD IGITUR FAUSTUM, FOELIX, AC FORTUNATUM FUAT *cum Editori, tum spectatoribus*, vel (si mavoltis) *Arbitris*, locum quendam Macrobianum, ab eopte, quem dico, laudatissimo tædigero nostro in rem præsentem laudatum, præmittere stat sententia, in quo perexiguam, imo duarum modo literularum, præpositionem soleo desiderare, recte, necne, viderint doctiores, atque in primis ille, cujus nomen (sanctum nobis in perpetuum futurum) edissertavimus modo, inter Arbitri nostri Arbitros,

Quantum est, aut erit, aut fuit priorum.

citra controversiam consultissimus, namque, ut nunc legitur: *Auditum mulcent* (de fabularum ratione institutus hic fuerat sermo) *velut Comœdiæ, quales Menander, ejusve imitatores agendas dederunt: vel argumenta fictis casibus amatorum referta, quibus vel multum esse Arbitrum, vel Apulejum nonnunquam lusisse miramur*, ferri qui pote? At vero modica tantum præpositionis accessiuncula fiat, jam omnia in proclivi existent. Sed rem vide: *Vel argumenta fictis casibus amatorum referta, in quibus vel multum esse Arbitrum, &c.* Nam & in Cicerone; *Multus in eo fuit*, sive, *in ea re*: & Sallustio; *Multus in opere*, etiam cum faventia lectitamus: & Græcos τὸ πολὺς consimiliter usurpantes,

Haud veniam modo, sed laudem meruisse fatemur.

Monendus Lector, in notabili illa Fulgentii Censura, Plautinum Saueam, ne vir esset, præpostere à Lutetiano Librario persuasum. Sic enim ille.

Scilicet Petroniana subit Albutia: hac enim alludente & Plautinæ Saureæ dominatus obdormit.] *Saurea* autem *Servus dotalis* in Asinaria apud Plautum, quem de communis dominæ sententia, domino ipsi suo dominantem more suo concinnat Comicus. Unde merito hercule *Dominatus* ejus à Fabio Planciade haud obscure incessitur. Proinde è fœmina in marem, me vindice, denuo tandem transire ut possit *Dominator* iste *Atriensis Demæneti*, iterum dico omnibus, generis rationem ante omnia commutandam, ne, exemplo Petroniani Ascylti, à sexu ipse suo fugisse videatur scilicet. Cæterum, quæ hic *Albutia* vocitata Petronio, eandem cum Albucilla Taciti esse (nisi & illic forte, *Albutillam*, ὑποριστικῶς scribillandum) facile adducor ut credam, ob has notas maxime, quibus ipsam Historicus ille insignem magis, quam honestam facit, ita scribens sexto Annali suo: *Dein multorum amoribus famosa Albutilla, cui matrimonium cum Satrio Secundo conjurationis indice fuerat, defertur impietatis in Principem. Connectebantur ut conscii & adulteri ejus, Gn. Domitius, Vibius Marsus, L. Arruntius, &c.* & quidem hoc ipso facilius, quod Sallustianam Semproniam, ejusdem pene farinæ matronam, statim porro ibidem subjungat Mythologicus ille scilicet. Mirum vero, in universa hac Fragmentorum Farragine nec vestigium, quod ajunt, nec volam elegantiæ illius (quam in eapse muliere tantopere ab amatoribus expetitam agnoscere videtur Planciades) imo ne nomen quidem, quod minimum fuerat, uspiam locorum comparere. Sed profecto verum erit, id quod jam inde ab initio *Præcidaneorum* meorum conquestus sum prius, vix decimam miscelli hujus operis partem in manus nostras perveniisse; nam qui pote? quum neque de *Cerbero illo latratore Trisauci*, quem *Causidicum*, seu *Rabulam Forensem fuisse*, facile fidem nobis (expertis inquio) facturus erat Arbiter: neque de *tot Regiis illis manubiarum struicibus penes fugitivum* (Ascyltumne an Eucolpium?) *repertis*: de *Allucitis eundem molestantibus*: aut *quinam Longuriones illi fuerint, quos, nisi inclinatos, non solere transire cryptam Neapolitanam*, ex veteris Glossarii Petri Danielis relatu cognoscimus, residuum nobis quicquam publicæ calamitatis injuria fecerit; ut de *Petauri* interim *circumactu* nil dicam: de *Tullia* nescio quam *Regiam* significante: de *Definitione Doli, & Mali, apud Judices*, (uti apparet) & quidem legitime institutæ: de *Aumario, in quod semetipsum conjecerat Eucolpius*: de *Myrrhino poculo, quod quidem, ad libidinis concitamentum, epotum sibi professus fuerat Satyricus noster*: de *Sacerrimo illo Massiliensium ritu in Pharmaci unius verbenis vestibusque sacris ornati, eoque cultu per totam civitatem circumducti devotum ac succidaneum caput universam pestilentiæ publicæ contagionem à se despuentium, atque exsecrantium quam longissime: posteaquam ille inopia, ac necessitate* (*quas venter ærumnas creat*) *ad extrema compulsus, in fagimam se conjicere non dubitasset, alendum antea, quasi in πρυτανίῳ, publicis, & purioribus cibis; & quidem per annum integrum, offerens locansque sese: atque inde, Piacularis Victimæ in morem, depromendum ad lanienam porro, aut saxo depromendum in maximam malam crucem*, ut fiat illud: *Unum pro cunctis dabitur caput*, cui ritui ea quoque consona, quæ libro XVIII. de Carthaginensibus narrantur à Justino, Quemnam denique *Furentem illum* fuisse suspicabimur, *qui ad periculum usque* (id

quod ab Acrone refertur) *pollicem arroserat sibi*, de quibus omnibus singulatim in extraordinariis Fragmentis istis mentio non infestiva, & quasi gustus quidam præbitus nobis, si tamen *Gustum* appellare possis, minuta nescio quæ Analecta (quorum nec pes, nec caput in tanta ubiam vastitudine comparet) & quasi ramenta quædam Petroniana de copiosissimis Epulis residua nobis modo. quæ Passerini prandii reliquias vix æquare posse videantur.

CAPUT II.

Pithœana conjectura de ætate Petroniana confirmatio. Eidem Satyrico nostro maculæ aliquot insigniores detersæ. Hallucitæ, *quid? indidemque verbi* Hallucinari *originatio deflexa. Vera* Manubiarum *significatio ostensa.* Excelsissimus. Ducere contentionis funem.

Ex D. Hieronymo in Epist. ad Demetriad. de Virginitate servanda:

Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri est, non bene olet, qui bene semper olet, quasi quasdam pestes ac venena pudicitiæ virgo devitet.] Hæc Hieronymi citatio doctissimi Pithœi conjecturam de ætate Arbitri nostri validissime confirmat; ipsum nempe Martialis tempora antecessisse, imo plane eundem esse, quem inter paucos familiarium Neroni assumptum, tanquam *elegantiæ* ARBITRUM, testis est Tacitus; nam, nisi ita esset, Martialem, non Petronium Pentametri istius auctorem laudasset Hieronymus, quemadmodum & Papinium (uti opinor) Fulgentius lib. 1. Mythol. in sequentis Hemistichii relatione, utrique Poëtæ communis:

Primus in orbe Deos fecit timor.

si tamen Papinio de Placidii Lutatii Statiani Interpretis sententia (qui Hemistichium istud ab ipso Statio mutuatum Arbitrum vanissime hariolatur) ætate posteriorem judicasset hunc nostrum, qua persuasione nihil absurdius utique, aut stolidius. Habes protinus Fragmentum ejusdem ab Isidoro Hispalensi Episcopo prolatum, paullo aliter, quam in Etymologici illius contextu hodie cusum legitur, exempli gratia:

Quid est judicis dolus? Nimirum, ubi aliquid factum est, quod Legi dolet. Habetis Idolum, accipite nunc malum.] At nobis receptam potius Isidori Editionem consilium est sequi, in qua ad ipsos *Judices* directus hic sermo, & *Dolum*, pro *Idolum*, disertissime publicatum hoc exemplo: *Quid est, Judices, Dolus? &c.*

Cui vultur jecur ultimum pererrat,
Et pectus trahit, intimasque fibras,
Non est, quem lepidi vocant Poëtæ,
Sed cordis mala, livor, atque luxus.]

Ita lepidissima illa Parisiensis Editio. contra Bap. Pio placebat *Tepidi*, hoc est, insuaves, insipidi, non inflammantes ardenter, lacertose, nec omnibus nervis rei scopum attingentes, qua lectione nihil mehercule tepidius, ita ut in ipsum Pium potius, nec cœlum, nec terram, nedum scopum Petroniani acuminis attingentem, *Insuavitas ista enervis*, quam in *Poëtas Fabulatores* convenire videatur. Quid mirum? quum neque ipse Scaliger (at quantus jaculator!) satis Εὐστόχως nobis hoc loco vel oculos, vel manum collimasse censeri possit, qui *Timidi* legit, quam scripturam Editio quoque Lugdunensis amplexa,

Haud timide, ut tanto tibicine suffundatam.

Ego vero, post tot tantasque pugnantium opinionum sententias, si quis correctioni quartæ locus est reliquus, nihil equidem addubito, quin ad istuncce modum,

Non est, quem Tityum vocant Poëtæ, &c.

clausulam hanc suam conceperit Petronius. Atque hanc conjecturam mihi divini illius Scaligeri hariolatio haud timide suggesserat jam olim, quam quum postea ad horum veruum marginem jure, & quidem optimo, pro mea (uti res erat) solens adtexuissem, ecce ab ipsis usque Vipsanensibus vulturem tibi, qui Tityum nostrum usu facere ausus est suum, non quidem jecur illi, sed mihi conjecturam involans meam, qua in re singulari sum fato, meapte culpa maxime, qui per fidem toties istiusmodi Laconibus libros meos pertractandi fecerim copiam.

Repono in Furii Comœdiarum scriptoris exemplo, ita Gliconem Meretricem (si qua Planciadi fides) loqui facientis:

Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus armis occurrem fortiuscula.] Nam in Editione Patissonii *Adfers* legitur, sed perperam. In versibus illis vero:

Concepit nam terra sonum, calamique loquentes
Invenere fidem, qualem narraverat index.]

nodum in scirpo mihi videntur quæsivisse, qui lectionem hanc ipsam examussim probissimam in dubium vocare ausi, dignissimi utique, quorum calida commenta non nisi apud auritos Midas inveniant fidem.

Allucinari dicitur vana somniare, tractum ab Allucitis, quos nos Conopas dicimus. Petronius: Nam centum me vernali allucita molestabant.] Aut plane hallucinor ipse, aut aliter rescribendus hic locus, & fortasse interpolandus ad hoc exemplum: *Nam centum me vernæ hallucitæ molestabant.* Protinus ibidem legitur:

Manubiæ dicuntur ornamenta Regum, unde & Petronius Arbiter ait: Tot regum manubiæ penes fugitivum repertæ.] Credo *Eucolpium*, vel certe Ascyltos significari. Etenim (ut ille ait) *maculæ pares utrisque.* Quid? quod de amborum *Manubiis* etiam habuimus supra, cap. 79. ubi de semet, & fraterrimo illo Fratre suo narrat Eucolpius: *Non repugnavit Ascyltos sed, postquam optima fide partiti manubias sumus, &c.* Proprie, ac signate oppido. *Manubiæ* enim à *Manu* etymon suum sortitæ, quasi *Spolia* dicas furtim, aut per vim, hoc est, per latrocinia, seu rapinas, quæsita: sed vero magnifica ea, atque opulenta, &, proinde, uti

uti hinc discimus, Basilica prorsus; neque aliter Cicero: *Qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit.* Citatur porro ex Veteri Glossario P. Danielis:

Excelsissimus, dicitur à Petronio I. *Satyrarum*] Credo non alium locum Glossarii hujusce Auctorem in animo habuisse sibi, quam quem nos in Petronio habuimus prius, cap. LXXXVIII. *Eudoxus quidem in cacumine excelsissimi montis consenuit, &c.* Ita enim malo, quam quod in Mamertina Editione spectant: *In cacumen excellentissimi montis consenuit.*

Deinde ex Joannis Salisberiensis Policratico:

Non duco contentionis funem, dum constet inter nos] *Ducere contentionis funem*, est velitari, sive altercari, jurgiaque cum aliquo exercere super re quapiam controversa. Quo etiam Horatianum illud perlubenter traxerim lib. I. Epist. x. vers. 48.

Tortum digna sequi potius, quam ducere funem.

utiturque eapse metaphora alibi Tertullianus.

CAPUT III.

De Festra *Palmerianæ correctioni subscriptum, enarrationi non item.* Casæ Romuli *à Seneca ac Dionysio Historicæ substrictionis statumen quæsitum.*

Vilis servus habet Regni bona: Cellaque capti
Deridet festam, Romuleamque casam.]

Probe, & sincere omnia, si *Festam* excipias tamen, pro quo Janus Palmerius emendandum conjiciebat *Festram*, positum videlicet pro re quavis antiqua & vili; quoniam de *Festra* Ant. Gnipho integrum librum ediderit olim, ubi (ut cognoscimus è Macrobio) de plerisque id genus, quibus vetustas cludebat, satis pòl curiose disputaverat, ut non magis ad ipsam *Festram*, quam ad eum librum Gniphonis (quem cum ipso auctore, & quicquid casca illa Antiquitas exoletum habuerat, irrideri autumat Palmerius) respexerit Arbiter. Et hæc quidem mens, sicuti apparet, Melleri nostri. Ego autem ingeniosi adolescentis conjecturam, prout debeo, amplector, hactenus quidem, ad vocabuli *Festræ* restitutionem quod attinet; nam enarratio istiusmodi (dicam libere) haud placet, qui seorsum à capite amico sentire audere, nullum piaculum esse deputo, arbitrorque Arbitrum nostrum sæculi sui insolentiam tumtusque intolerabiles more suo sugillare, imo criminose, & quidem palam ac publicitus incessere, atque hoc velle significare, eo jam luxuriæ ventum, atque in tantum à majorum suorum moribus degenerasse suæ ætatis ingenia, ut vilissimum quamvis mancipium, mediastinus puta, aut cellarius alioqui, & catenatus janitor, non quidem *Gniphonis librum de Festra* (uti Palmerio placet) *aut rancidas omnino Antiquitates*, sed vero *Festram ipsam potius, hoc est, Ostium illud in Sacrario Romano minusculum, ac vetustissimam Romuli Regiam*, tanquam casam, aut gurgustium aliquod prætegere, & tegillo suo contemnificus ac fastidii plenus naso suspendat adunco, nauseans propemodum ad Saturniam simplicemque illam priscæ Reipubl. continentiam, ac frugalitatem parvissimo contentam, neque id adeo injuria: quippe quem cella laxiore, ne angustiore dicam temporibus nostris (ex Arbitri persona disputo) pandiculari, lumbosque ac nervos suos exporrigere videmus, quam *Aula* quondam Urbis nostræ Conditoris fuerit scilicet, id quod facile crediturum scito, qui modo loci illius apud Juvenalem, & ipsum corruptissimos sæculi sui mores perpetuo detestantem, meminerit memoriter, Sat. XI. vers. 79.

Ipse (sc. Curius) *focis brevibus ponebat oluscula, quæ nunc*
Squalidus in magna fastidit compede fossor,
Qui meminit, calidæ sapiat quid vulva popinæ, &c.

Sed hoc ad malaciam, seu fastidia eduliorum plebejum sapientium, nunc vero *Regiam* istam *Quirini Casam*, cujusmodi fuerit, propius aliquanto consideremus. Tradit igitur Seneca Pater II. Controversiar. *Inter hæc tam effusa mœnia, nihil est humili casa nobilius, fastigiatis supra templis auro fulgens prælucet Capitolium. potes objurgare Romanos, quod, quum humilitatem suam obscurare possint, ostendunt.* De eadem insigne quoque testimonium habet Fastor. III. ubi Romuli patrem, Martem ipsum inquio, ita loquentem inducit, Ovidius vers. 183.

Quæ fuerit nostri si quæris Regia nati.
Aspice de canna straminibusque domum.

Item I. vers. 199.

Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva thorum.

Denique efferti argumento isto, quantum est, Poëtarum libri. Quibus tamen singulis fœneranda lux ab Historica illa Dionysii Halicarnassæi narratione, quæ est libro Antiquit. I. in Romuli & Remi fratrum mentione scilicet, à Scriptore Græco verbis hujusce modi veluti penicillo adumbrata. Βίῳ δ' αὐτοῖς ἦν βουκολικὸς, καὶ δίαιτα αὐτουργὸς, ἐν ὄρεσι τὰ πολλὰ πηξαμένοις διὰ ξύλων καὶ καλάμων σκηνὰς αὐτομάφους, ᾗ ἐπὶ καὶ εἰς ἐμὲ ἦν τις ἐκ τῆς παλαιότητος ἐπὶ τῆς πρὸς τὸν ἱπποδρόμου τρεφούσης λάγνου, Ῥωμύλῳ λεγομένης, ἣν φυλάττουσιν ἱεραν, οἷς τέτων ἐπιμελὲς, δόξαν ἐπὶ τὸ σεμνότερον ἐξάγοντες. εἰ δέ τι ποιήσειαν ὑπὸ χειμῶνος, ἢ χρόνε, τὸ λεῖπον ἐξακούμενοι, καὶ τῷ πρόσθεν ἐοικοῖεντες εἰς δύναμιν

CAPUT IV.

Uni, item alteri Emendationi manus injecta; caussaque liberali postliminium auctori sua res vindicata. Inops audacia tuta est. *De duorum, qui perperam diremti fuerant, locorum reconciliatione conjectura. Sententiam quandam Petronianam de Ennio adumbratam videri.*

Nam nihil est, quod non mortalibus adferat usum:
Rebus in adversis, quæ jacuere, juvant.]

Quæ jactare, Id est, quæ despicatui, & quasi derelictui nobis, nulloque in honore aut pretio fuerant antea, tunc, quum eorum usu facile carere poteramus.

Sic rate demersa vulsam deponderat aurem;
Remorum levitas naufraga membra vehit.
Cum sonuere tubæ, jugulo stat divite ferrum:
Barbara contemni prælia pannus habet.]

Alterum prioris Hexametri Hemistichium hoc modo emaculandum, *Fulvum deponderat aurum*, indicavere ante nos alii, posteaquam id ipsum à nobis, & quidem in re præsenti, præmoniti fuissent prius, quemadmodum novissimi item Pentametri clausulam, quem hoc exemplo corrigendum ad oram Editionis Lugdunensis papyro interposita in Adversariis meis notaveram planissime:

Barbara contemtu prælia pannus habet.

Quam tamen restitutionem nostram idem ille, quem dixisse me sentio, in ipsissimi hujus Petroniani Epigrammatis per causam à se laudati contextum nullus referre veritus, auctoris sui nomine per fraudemne, an contemtum, maligne dissimulato. Cæterum, quod dixit Petronius, *Pannum* (quo pannuceam, hoc est, pannis centonibusque obsitam ac sordidatam Plebeculam designat) *barbara prælia habere contemtui*, id est, bellicorum tumultuum unice securum degere, nec barbariem præliorum curare, quasi nihil ad se attinentium, haud inscite (meo quidem animo) applicare possis ad Hemistichii illius sententiam, quam habes cap. CXIX. in Carmine illo Belli Civilis longe omnium ingeniosissimo:

——— *Inops audacia tuta est.*

cujus nos hancce inibi ex Sallustio rationem reddidimus, *Quoniam egestas facile habetur sine damno.* Cui illud quoque ab Aquinate Satyrico succenturies licebit:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Hoc enim dicto *Viatoris vacui securitas* multo facetissime exprimitur, qui, etiam coram immanissimo viarum insessore, ac sicario publico, in ipsa mortis vicinia constitutus cantillare, & quidem fidenter ac sine noxa, sustineat. *Pannus* igitur in Petronio, pro eo, cui deprehenso nihil præter pannum, id est, scissam ac sordidam tuniculam, auferre possis. Quis enim ita immanis obsecro, aut barbarus, detrahere uti nudo vestimenta se postulet? In divite vero, atque opulenter viaticato, ornatoque, ratio prorsus dispar; *in cujus jugulo ferrum stare*, hoc est, ficas in unius caput undique ac mucrones distringi:

Claroque & caro potius, quam sanguine vili,
Noxia Bellonæ tela tepefieri.

intelligit Petronius noster. Sequitur porro Poëtici styli, imo stimuli, ab exemplo Ductoris Ithaci ad longinquas peregrinationes exhortatio:

Linque tuas sedes, alienaque littora quære,
O juvenis; major rerum tibi nascitur ordo,
Ne succumbe malis, te noverit ultimus Ister, &c.]

Suspicorque hanc APERTÆ ipsius DICTIONEM fuisse, hoc est, Responsum ex Tripode, & Apollinis persona ei datum scilicet, qui Delphicum Oraculum consulerat, tanquam Tiresiam Horatianus Ulysses, quibus artibus, atque undenam potissimum, opes ac divitias sibi parere vel corruere posset, hujuscemodi captiosæ quæstionis argutiola grassatus:

Nunc si nos audis, atque es divinus Apollo,
Dic mihi, qui nummos non habet, unde petat?

Quam lepidissimi Epigrammatii clausulam una cum Tetrasticho præcedenti, ac festivo Petronianorum versuum auctario, imo Thesauro boni, de Blattariorum Codicum penu depromtam, ac gypsatissimis Vespilionum manibus opportune præreptam, alius neminis, quam Claudii Bineti doctrinæ, comitati, judicio, ac diligentiæ debemus. Sed de toto hoc genere proximo Capite singulatim videbimus, unam prius Poëmatii sequentis sententiam excussuri, quam de Enniano penu penissime adumbratam quamvis audacter ausim dicere. Ea vero hæc est:

Nam citius flammas mortales ore tenebunt,
Quam commissa tegant.]

Nunc Ennianam, si videtur, audiamus, lib. II. de Oratore relatam à M. Tullio: *Dicere, ajunt, Ennium, flammam à sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat.*

CAPUT V.

In Petronianam Cl. Bineti Symbolam seriæ ac severæ habitæ quæstiones: novusque ac Censorius quidam velut delectus adhibitus. Ejus exempli primum Epigramma (quod & ἀκέφαλον esse demonstravimus) de Prisciani, ac Fulgentii Auctoritatibus, pristino tandem nitori restitutum, auctumque unius insuper Hexastichi supplemento: quod à reliquo corpore suo divulsum facile ex rei ipsius conjicias argumento. Alia quædam.

Receperam superiori capite, proxime me aliquid de Cl. Bineti collecta dicturum. Id reapse aliquando ut præstem, & res, & locus, pœne dixeram efflagitare, non tantum postulare videntur: ipse, inquam, Arbiter Petronius noster, cujus liberalissimo Genio quin major meliorque Epigrammatum istorum pars debeatur.

Religio sane est addubitare mihi.

In eo proinde assensum Editori nostro haud gravatim videor commodaturus, unum è primoribus excipio, quod ne Petronio assignem, ipsa constructionis totius invenustas in causa, nihil minus quam Petronium, resipientis, à quo vitio structorem hunc nostrum abesse quam longissime, cognitum habent omnes, quibus aut palatum, aut pectus sapit, ad Genium inquio, sed Petronianum. Scin', quod dicam? Epigrammatium illud Martiæ nomini inscriptum, super pomis & castaneis à delicata illa muneri missis nescio cui, Versificatori huic scilicet

Pleno ruris, & inficetiarum.

Ejus

Ejus hoc est initium:

Aurea mala mihi, dulcis mea Martia, mittis,
Mittis & hirsuta munera castaneæ.]

Quod ipsum tamen cum Tetrasticho sequenti aliqua ratione tolerabile videri poterat, nisi conclusio Gallica hieme illa Petroniana frigidior.

Hei, cor pane mihi finderet, ac cerebrum.

Quid enim istis languidius obsecro, vel inconcinnius?

At si dissimulas multum mihi cara venire,
Oscula cum pomis mitte: vorabo libens.

Verum de hoc satis: ad primum Epigramma convortamur, cui ædepol principium deesse, videre qui nequeat, næ vere cœcum illum, haud luscitiosum, esse oportebit: commonefaciundum insuper, prioris Hexametri contextum, virtute Lectionis margini asscriptæ, ex Prisciani ipsius sententia, ac Fulgentii laudatoris fide, celeriter repurgandum, ita nobis Petronium enucleantis: *Solus Corvus contra rerum naturam in mediis æstivis fervoribus oviparos pullulat fœtus, unde & Petronius:*

Sic contra rerum Naturæ munera nota.
Corvus maturis frugibus ova refert.]

Jam, quod ad finem ejusdem attinet, is vero (me judice) haud absurde adeo agglutinari posse videtur ad alterum Poëtæ nostri Hexastichon quoddam, de Catalectis magni illius Scaligeri depromtum, atque indidem porro inter Petronianæ cœnulæ reliquias, extra Satyræ ipsius ordinem tamen, ab obsonatore Lugdunensi relatum primitus, cum Lemmate istiusmodi:

DE VITANDO FASTIDIO.

Id enim omni sane ex parte hujus, quo de agitur, Carminis argumento respondet penissime: quod ipsum clarius adeo ut liqueat, Epigrammatis prioris exordio sequentis ausim sub uno quasi aspectu lecturis proponere:

Non uno contenta valet Natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices
Nolo ego semper idem capiti supponere cœstum,
Nec noto (id Mellero placebat) *stomachum*
conciliare mero.

Taurus amat gramen mutata carpere valle, &c.]

Sequitur deinceps in Editione Bineti Epigrammatium multo argutissimum, *Psittaci* (uti apparet) *honori consecratum*, quod, quia obscuritatis nihil habet, elegantiæ plurimum, glossematis meis corrumpere superfedebo: tantum ab ipso contextu manum abstinere Lectorem velim, ubicunque alterius ad marginem adscriptæ Lectionis suppetierit copia. Ea enim optima ac Petronissima esse persuasum tibi habeas, mi Lector, (generatim, hoc est, de toto opere in universum prædico) quæ singulis paginarum oris præ-texta aliquem scripturæ variantis præferunt Titulum.

ET HOC PUTA VATEM DIXISSE.

Nec minor tertii Carminis luculentias, quam in prioris tamen Hexametri particula cogimur desiderare. Nam quanti obsecro pretii est illud?

Naufragus ejecta nudus rate, &c.] Ego certe (si & fidei & notæ priscæ Codices auctores in mundo haberem mihi) lubenter adeo emendarem:

Naufragus eversa nudus rate.

Neque enim *Ejecta* quid fiet, hoc utique tempore divinare possum.

CAPUT VI.

De controversa Lectionis veritate in versu Petroniano παραδόξως, varie, atque in omnes partes, disceptando certatum. Quid Romanis Orea. Aras, *pro* Cancellis, *quos, Priscorum Quiritum exemplo, patrio sermone* Kajos *vulgo nominitamus*; Auricolas, *pro* Nubeculis *positos videri. Locis aliquot laborantibus suppetiæ latæ.*

Ad octavum Epigramma saltuatim porro transeamus, etenim reliquis, in medio quæ sunt, abunde Binetus ipse medicinam fecit. Id adeo in *Curtos Judæos*, (genus apud Romanos quod contemptissimum erat; unde & *Recutitorum, Verporum, Apellarum, Sabbatariorum* inditis ex re cognominibus per summam contumeliam appellitati) detortum apparet. Quid enim?

Judæus licet, & porcinum Numen adoret,
Et cœli summas advocet auriculas;
Ni tamen & ferro succiderit inguinis aram,
Et nisi nodatum solverit arte caput, &c.]

Ita enim est in contextu, unde Binetus, *Arram*, nobis extricavit scilicet, quod *Circumcisio* (vel Scriptura teste) sit velut *Arrabo* quidam nationi Judaicæ, sed &, *Oram*, in eadem ora adcusum legimus. *Ego vero quid sequar, aut quem?* Ipsum me potius, atque hocce porro quod apponam denique.

Ni tamen & ferro succiderit inguinis oream, &c. prudentissima translatione, pro pellicula glandis sphæram cooperiunte; quod ea sit veluti frœnum, sive lupatum potius (hoc enim *Orea* est) iis dico, qui recutiti vel circumcisi non sunt, idque ipsum eo fit verisimilius nobis, quod Metaphoram inchoatam porro continuare voluisse videatur Petronius, nec, quod semel prospere sub manum atque ex sententia cessit, relinquere, præsertim quum de *Nodato capite* continenter atque è vestigio subjungat: Quid vetat & pro *Labio, Oream* interpretari hoc loco, figura non absimili? quod *Præputium* glandi nihil aliud, quam *Labrum*, quippe quod duplici seu bipartito Bitrontis Dei cognomine nunc *Clusium*, nunc *Patulcium* pro re nata possis indigitare. *Oreas* vero ab *Ore* sic dictas, ac utramque, quam proposui, significationem habere, tam Latinis, quam Græcis (qui *Labra* etiam χαλινοὺς vocant) gnarum nobis ex Festo, principis illius Jos. Scaligeri Commentariis, uti ipsus Illustris, est illustriore reddito, *Quam solis radii esse, olim cum sudum est, solent.* Nec tamen vel *Oram*, vel (si malis) etiam *Aram* in Petronio defensari posse abnuerim. sed pro *Ara inguinis Judaici*, sic tanquam pro Aris & focis

patriis vorsis gladiis depugnare velle, id vero æquum sane haud arbitror:

Neque illi, qui faciunt, mihi placent, plane loquor.

animo tamen æquiore hoc ipsum passurus, si præliatores istos modo, vel Pugiles potius, quanam ratione *Ara* hoc loco locum habere possit, satis pol cognitum atque exploratum habere cognovero prius, quod quidem persuaderi mihi ipse vix posse opinor. Ego igitur huic generi tanquam in tempore auxiliaris venturus, aio, asseroque *Aram*, sive *Oram Judæo inguini* non minus apte mehercule, quam *Oream* illam nostram, congruere, ut videlicet primum illud (*Aram* inquio) *pro Cothone Serviano*, hoc est, pro margine, labro, seu crepidine aggestu terræ in altum editius aliquanto exstructa, *qua flumina* (uti Carus loquitur) *oppilantur*, ad undarum exæstuantium impetus potissimum coërcendos, dictum interpretemur. Quod quidem genus nos populari sermone *Kajos* indigitare consuevimus jam inde ab antiquo, quam Romanæ item notæ vocem esse, ab eodem Sermone illo, quem dixi, edocti suimus jam olim. *Cajare* enim apud Quirites Priscos illos, *Comprimere, coärtare, compescere*, unde & *Cajeta pro ætatis coärtrice*, & *Cajatio coërcitio*. Ita siquidem me malo, quam *Puerilem eadem* cum Fulgentio interpretari;

Qui capite ipse suo instituit vestigia retro.

Utut est, elegantet mehercules *Aram* appellat pelliculam illam, cujus Apellæ, id est, Judæi, ex disciplina majorum, ac patriæ Legis necessitate inopiam quodammodo patiuntur: quasi si *Labrum*, seu *Crepidinem* dicas, supremam struthei partem integumento suo probissime adeo ac pudicissime velantem. Idem fere de lectione illa altera, τῷ *Oram* scilicet, dictum cupio; quod proinde ut vestimentorum extremitas *Limbus*, vel *Instita*; sic & folliculus, seu membranula illa peniculamenti instar fimbriata ac lacinisa fascinum circumquaque ambire, imo vero coronæ, sive causiæ in morem, vel cuculli potius, capitellum ipsum prætexere videatur. Cæterum ecquidnam Pentametro illo sibi voluerit Petronius:

Et cœli summas advocet auriculas;

non mediusfidius intelligo: nisi si rescribendum forsitan:

Et cœli summos advocet auriculas:

Pro *Aurarum*, hoc est, ætheris ac nubium cultoribus: idque ex sententia illius, quod in Judæos detortum prædicat Juvenalis:

Nil præter nubes, & cœli numen adorant.

Pergit eo ipso in Carmine de eadem gente porro commemorare Petronius noster:

Exemptus populo Graja migrabit ab urbe, &c.]

Neapolim significari opinor periphrastice. Huic siquidem *Græcæ Urbis* cognomentum peculiariter, & quasi speciatim antiquitus tributum de Varrone nostro, Lipsio inquam, didicimus nuper. Vide quæ ad locum superiorem cap. 81. notata à nobis antea: *ubi mendicum exsulem in diversorio Græcæ Urbis desertum sese ac desolatum jacere, secum lamentatus Eucolpius:* Habes deinde

Vidi ego me tecum falsa sub imagine somni:
Somnia tu vincis, si mihi vera venis.]

quo loco *Vinces* rescribi malim. Et mox altero ab hoc Epigrammate:

Jam veteres iras Venus, & Tritonia ponat.]

pro quo *Ponit* inibi jam lectitatur. Denique tertii, hoc est, sequentis Tetrastichi initio *Intertexta* conjunctim scribendum. Sed hoc vilius, quam pro monentis, aut legentium etiam dignitate: quemadmodum & alterum illud in venustissimis illis oppido, ac vere Eroticis Hexametris nescio cujus amatoris Poetæ,

Guttura nunc aliæ magnisve monilibus ornent,
Aut gemmas aptent capiti, &c.]

Illic siquidem, *Magnis monilibus*, palam hodie procusum exstat, repugnante initialis syllabæ mensura, & quidem contumaciissime, in dictione *Monilibus*. Nec minus leviculum illud Distichio, cui *Cæsaris* præmissus Titulus, in honorem (uti apparet) Lucani Cordubensis:

Mantua da veniam fama sacrata perenni, &c.]

Ubi, *Famæ*, potius placet, tametsi non ignorem receptam lectionem vel Tullii ipsius præsidio atque auctoritate defendi posse, scribentis: *Consecrare aliquem omni genere monumentorum.* Illud vero magis nugas etiam sapit, quod pro *Arte*, *Ante* reposuimus hocce Pentametro in epigrammate de Elephanto.

Fit moriens ludus, qui fuit arte pavor.

CAPUT VII.

Poema quoddam Madaurensis Philosophi de Menandro conversum, longe illud quidem omnium venustissimum, cæterum plerisque ignotum invisumque hactenus, ideoque post nuperam Bineti Editionem formis recudi jussum denuo. Loca in eo non pauca explicata, correcta, vel illustrata.

Exemplum hocce Capite Phœnicis illius Justi Lipsii imitari decretum est mihi: atque, ut ille PERVIGILIUM VENERIS ab eruditissimo JC. Pithœo submini-stratum sibi ablectissimis ELECTIS suis inseruit nuper, item & ego alterum quoddam haud minoris elegantiæ Poëmatium, non lectum antea, non visum, doctis (uti spero) ac bonis omnibus cupientissimis, imo cum summa adeo ipsius Bineti (ab eo enim hic argenti rivus) voluntate, gratiâ, faventiâ, in publicum adoptabo mihi. Dabo hocce primum Romanæ Poësos ac communium studiorum cultoribus, dabo etiam Genio ipsius meo, dabo denique, imo merito lubens redonabo Auctori suo scilicet, quem quum antehac dilexerim semper, nunc etiam,

Ob unici hujus Carminis facetiam,
Dignum Latinis, haud Batavis auribus,
Et amare capior pariter, & admirarier.

Is autem L. Apulejus cluit, Philosophus ille Madaurensis

rensis nobilissimus: atque ab illo architectone Poëma istud, quod dico, exstructum. in cujus partibus aliquot sigillatim castigandis, ne opera nostra largiores esse, neve industriam apud Lectorem ostentare velle videamur, Carmen integrum, præmissa antea inscriptione, antelogio huic nostro protinus subjiciemus: non quidem, uti hoc ipsum in Editionis suæ contextum retulit Binetus, sed quomodo nos, partim ex variis ejusdem Lectionibus ad oram libri attextis, partim ex privi ingenioli conjectura universum porro illud rescribendum existimamus. Exemplum vide.

L. APULI Ἀχόμενος ex MENANDRO.

Amare liceat, si potiri non licet:
Fruantur alii: non moror: non sum invidus.
Num sese excruciat, qui beatis invidet.
Quos Venus amavit, facit amoris compotes.
Nobis Cupido velle dat, posse abnegat.
Olli purpurea delibantes oscula
Clemente morsu rosea labella vellicent;
Malas odorent ore & ingenuas genas,
Et pupularum nitidas geminas gemmulas.
Quin & cum tenera membra molli lectulo,
*Cum pectora * adhærent Veneris glutino;*
Libido quum lascivo instinctu suscitet
Sinuare ad Veneris cursum femina, fœmina
Inter gannitus & subantis voculas,
Carpant papillas atque amplexus intiment,
Arentque sulcos molles arvo Venerio,
Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis,
Dum crebros ictus combibente lumine,
Trepida in decursu Venere, & anima fessula,
Ejaculent tepidum rorem nivels laticibus.
Hæc illi faciant, quèis Venus non invidet,
At nobis casso saltem delectamine
Amare liceat, si potiri non licet.

Nunc quid in his ipsis potissimum variatum sit, videamus, correctionum nostrarum rationes in loco atque in tempore redditurі.

*Cum pectora * adhærent Veneris glutino;*

Lacunam in medio vides, sed vero modicam eam, & cui explendæ sesquipedali verbo neutiquam sit opus. Itaque statim auxilium à Bineto invenit, *una*, interponere ausо, huc ipsa illum manu quasi ducente sententia. Mihi vero idem juris istuc ab Hypercriticis nostris si tribuatur, quid vetat, quo minus *Arte*, sive *Arcte*, ἀντὶ τῦ *Una*, in vacuum porro venire Veneris glutino agglutinatum jubeam?

Libido quum lascivo instinctu suscitet
Sinuare ad Veneris cursum femina, &c.

Ita restitui, ac distinxi, nisi me animi mens fallit, ἰσόχρως. Neque vero est, quod quenquam novitas ejus loquutionis offendat: *Suscitet sinuare femina ad Veneris cursum*, qui modo in tractatione Poëtarum ingenii aciem ac nervos subactos habeat probe: pro *lucitet*, seu *solicitet sinuare*, hoc est, ad lunanda implexu sinuoso, & quasi pectinatim conserenda, atque *flexipedum hederarum in morem* contortiplicanda inter se femora, sive adeo *femina*, amantes ut solent, quod *Congenuare*, vel etiam *Congenulare* casca dictitabat Latinitas. Quod si quis Bineto subscribere sese maluerit potius, emendanti præmisso commate:

Sinuent ad Veneris cursum, &c.

ecce hic etiam secundas agere paratum Dousam; hoc enim satius consultiusque esse deputo, quam in ambiguam litem descendere, aut in dividiam porro venire cum homine ignoto.

Atque amplexus intiment.

Noviter dictum, at rationabiliter tamen, estque, *oscula* (uti apud Ovidium meum est) *linguis luctantia*
Vulgiter obtortis alte insinuare labellis.
& (quod Plautus perhibet) *proserpentem bestiam facere, duplicem ut habeas linguam.*

Thyrsumque pangant hortulo in Cupidinis.

Latine, ac signate oppido, si modo eorum hominum acumini credendum, qui à *Thyrso* isto non Bacchico, sed Ithyphallico vernaculum illum nostrum, quod hodie fœminis præcipue ad quemvis subitum casum, puta si pedem offenderint, aut testum forte manibus prolapsum confregerint, temere ac muliebriter proclamantibus, vulgo in ore esse consuevit; haud quidem iis Togatis dico, aut vili de plebe modo; sed vero his Stolatis etiam,

Quèisque tegit medios instita longa pedes:

hoc est, de summo Matronis loco, ac ordinis primarii, multo in speciem honestissimis. Neque id adeo mirandum, quum *Thyrsus* nihil aliud, quam *Scapum*, sive *Caulem* in morem columnæ supinatum ac subrectum Latinis hominibus designat. Sed neque minor proprietas in verbo *Pangant*, pro *Figant* posito, qua ratione & *Plantæ*, & *Taleolæ pangi*, vel *depangi* dicuntur, quum inhumantur, hoc est, deferuntur, aut defiguntur in terram. Unde & Strategus ille Poëtarum Mantuanus noster:

——— *Pange ordine vites.*

Vide Festum. De *Hortulo* vero *Cupidinis*, metaphorice ad rem voluptatum translato, quod eodem loco addit Apulejus, posteaquem Venerei arvi arationi *Vim illam Lucillianam*, id est, satum genitalem rite atque ordine subjecisset, consulendus flos ille Belgarum unicus Lipsius noster, Antiq. Lectionum libro III. Sequitur deinceps:

Dum crebros ictus combibente lumine,
Trepida in decursu Venere, & anima fessula, &c.

Ita enim emendare potius visum nobis, quam retinere id, quod in contextu est modo: *Conbibente lumine*, aut quod ad oram à Bineto adtextum legitur, *Connivente*. *Combibere* porro *ictus lumine*, Tralatio omnium elegantissima: à quo etiam Lucretianum illud alienum videri non debet:

Sic igitur Veneris qui telis accipit ictum,
Sive puer membris muliebribus hunc jaculatur,
Seu mulier toto jaciens è corpore amorem,
Unde feritur, eo tendit, &c.

Sic, *Amorem bibere*, Virgilius: *Ignem totis ossibus*, imo

imo *medullis bibere* aut *vocare*, Ovidius, Papinius, & cæteri omnes, quicquid est Poëtarum. Apulejus hic igitur, *Putres in Venerem, fractosque ac vere patrantes* oculos denotare volens, eorum exprimit habitum, *qui validis Veneris compagibus hærentes* (uti apud eumpse Carum nostrum legimus) *sollicitant spatium decurrere amoris*, hoc est, quum res ad effectum jam spectat, Poëtæ Sulmonensi haud ignarum. Sic enim ille II. de Arte:

Aspicies oculos tremulo fulgore micantes,
Ut sol in liquida sæpe refulget aqua.

Sed & Juvenalis,

——— *Oculosque in fine trementes.*

Ad superiorem Lucretii *Decursum* illa etiam sequentia opportune possis accommodare:

Trepida in decursu Venere, & anima fessula, &c.

Quæ quidem restitutio feliciter (uti spero) nata nobis sub manu; quum in Bineti Editione:

Trepidante cursu, Venere & anima fessula, &c.

Illepida hercule, ac coacta nimium constructione legatur. Etiam *Laticibus* scripsimus, contextum potius, quam succidaneam, quæ margini adhæret, Lectionem sequuti, ea vero *Lactibus* refert, quod, uti barbarum ac invenustum, hoc utique significatu, nec ipsa quidem Amorum mater, aut nobis, aut Apulejo, unquam opinor, persuaserit.

CAPUT VIII.

Alterius item lepidissimi Poëmatii Exemplum, Carminum Horatianorum genera omnia ac modos singulis versibus complexi: nuper à Cruquio primum, mox à Bineto, tertio nunc denique à nobis editum, & plenius, & emendatius, non sine curiosa difficillimorum locorum explanatione.

Pergam officium meum exsequi porro, &, quando semel jam exorbitare institi, alterum quoddam Poëtæ quidem incerti, cæterum venustate & vetustate nihil (uti spero) priori illi Apuleji Poëmatio concessurum, in commune proponam. Promulgatum id non ita pridem, & quidem bis eodem anno iterata Editione, primum dum comitate atque industria liberalissimi Cruquii nostri, iterum ab unico superiorum Carminum Editore Cl. Bineto: non sine lituris, mendis, ac lacunis aliquot, quas tamen, facta utriusque exemplaris conlatione, nos & exsarcire, & integrare posse confidentia est, ita alterum alterius auxilio eget. Argumentum ex Titulo haud ignotum. Ipse, candidissime Lector, consideres licet.

*PASIPHAÆ FABULA EX OMNIBUS METRIS HORATIANIS.

Filia Solis
Æstuat igne novo,

* *Exstat apud Rufinum de Metris.*

Et per prata juvencum,
Mentem perdita, quæritat.
Non illam thalami pudor arcet,
Non Regalis honos, non magni cura mariti.
Optat in formam bovis
Convertier vultus suos:
Et Proetides dicit beatas;
Ioque laudat, non quod Isis alta est,
Sed quod juvenca cornua in frontem levat.
Si quando miseræ copia suppetit,
Brachiis ambit fera colla tauri,
Floresque vernos cornibus illigat,
Oraque jungere quærit ori.
Audaces animos efficiunt tela Cupidinis:
Illicitisque gaudet
Corpus mcludi stabulis, se faciens juvencam.
Et amoris pudibundi malesuadis
Obsequitur votis, & procreat (heu nefas) bimembrem,
Cecropidæ juvenis quem perculit fractum manus,
Filo resolvens Gnossia tristia tecta domus.

Restituimus (ut vides)

Et per prata juvencum,

legitimam Bineti lectionem præ Cruquina illa subditicia:

Et perpetrata juvencum,

merito, hercule, ac perlubenter amplexi. Atque, ut hic Pictaviensis illa Antverpianæ, ita contra Antverpiana Pictaviensi, septimo ab hinc versu, multis millibus, mea quidem sententia, antistat, in hocce exemplo:

Ioque laudat, non quod Isis alta est, &c.

Etenim in Editione Bineti defectus hoc loco, quem ex Cruquiana supplevimus, antiquo Memphiticæ Deæ nomine retracto è fuga. Etiam *Juvenca* ibidem, ἀντὶ τῦ *Juvencæ*, restituere ausi, hujuscemodi interpretationis fiducia maxime: Pasiphaë Ius felicitatem non cessat prædicare, ac magnificare præ sua, laudibusque in cœlum vehere assidue; non eo quidem nomine, quod primaria Ægypti Dea, ac quasi Præsestrix, novo præterea Isidis cognomento insignis cluens; verum potius, quod vaccina forma, lacteoque candore, notabilis cornua superbe ac gloriose elata, atque in frontem subrecta gerere conspiciatur. Quid vero? annon cornuta utrobique Inachis,

Sive juvencam illam, sive Deam facias?

Juvencam, quod de puella omnium formosissima in candidæ juvencæ faciem ob furiosam Junonis æmulationem conversa primitus: *Deam* autem, quod, quum ipsius Isidis personam omnemque imaginem gerit, non alius cœlestis Numinis, quam Lunæ nobis habitumque ac personam repræsentet, quæ candida est, & cœrula, hoc est, humida, maximeque diebus primis corniculata. At Pasiphaë hanc ipsam, non ut Isidem lunatis atque in frontem elevatis cornibus conspicuam; sed vero, ut patalem bovem laudibus in cœlum tollit; ac Juvencæ potius, quam Deæ similem fieri exoptat sese: quo non homini, sed tauro adultero

adultero suo, vaccina scilicet specie totam approbare se possit. Reliqua in libris Formulariis bene se habent, usque ad Distichon illud,

Illicitisque gaudet,
Corpus includit stabulis efficiens juvencam.

Ita enim est in utrisque, idque ex divini illius Scaligeri castigatione maxime, quam nos pœne integram sequuti sumus; excepto, quod pro *Includit*, postrema excluså litera, *Includi*, pro *Efficiens*, transpositis sic quasi per μετάθεσιν prioris syllabæ elementis, divisim, *Se faciens juvencam*, fatali huic monstro probabiliter condonavimus; hoc est, assimulans sese, quasi revera Juvenca fiet. Nota enim, prodigiosæ quidem, sed antiquæ fidei, Historia, qua abiegnæ bovis Dædali artificis simulacro fallaciter inclusa, ac bovillo integumento velata, indomita hæc Minoïs uxor ductori Regii armenti inforandam se præbuit, ex cujus compressu gravida facta non hominem, sed Minotaurum, in gremium currucæ mariti profuderit denique. Possit & lectio constitui ac reconcinnari hoc modo:

Illicitisque gaudens
Corpus includit stabulis, &c.

uti Participium τὸ *Gaudens* accusandi, haud nominandi, Casu acceptum, ad vocem *Corpus*, non vero ad ipsam *Pasiphaën* referamus, eadem permanente sententia scilicet. Τῷ *Stabulis* vero etiam ambiguitas nonnulla subesse videri possit, & fortasse ad penitiorem *Stabulorum* significationem alludum, unde & *Prostibula*, & *Prostibulæ* derivatæ, quasi *pro stabulis prostantes*, ad capturas emerendas exigundasque à prætereuntibus; de prostitutis loquor, ac Togatis hisce, quæ meretricium quæsti sui gratia in propatulo facere condidicerunt scilicet: quod genus universum, ita graphice veri que ac genuinis coloribus expressum, ab unico illo Comicorum principe habes in Pœnulo:

Profedas, pistorum amicas, reliquias alicarias,
Miseras, schœno delibutas, servilicolas sordidas;
Quæ tibi olant stabulum statumque, sellam & sessibulum merum,
Quas adeo haud quisquam unquam liber tetigit, neque duxit domum.
Servolorum sordidulorum scorta Diobolaria.

Sed & *Præsepim*, sive adeo *Præsepium*, apud eundem pro mansiuncula meretricia, hoc est, pro fornice, lustroque, ac loco libero usurpatum reperias non semel, nec apud Plautum modo, sed vero apud Varronem quoque, & ipsum M. Tullium; *Omnia enim loca clausa, & tuta Præsepia vocitata antiquitus*, teste Nonio. Neque aliovorsum Juvenalis illud, mea quidem sententia, interpretandum:

Qui bona donavit præsepibus, &c.

Porro, ne quis postremum Hemistichium istud ita, ut posuimus modo, legere addubitet nobiscum, loquutionis fortasse insolentia offensus; eum vero ego à Latinorum Comicorum Principe melius Latine addiscere, indidemque has phrases in animum suum immittere, ac fideli memoriæ commendare jubebo: *Bardum, Vilem, Glorioſum, Facetum atque, magnificum virum facere ſeſe:* interdum omisso etiam Pronomine, quomodo *Ferocem facere*, in Mostellaria, id quod nostris quoque Idiotismis consentit planissime, queis vulgo dictitare soliti: *Faire la pretieuſe, le brave, Den pracchert, oſt den haen maken.* Nam, quod in Pictaviensis Editionis contextu, *Effigies juvencæ*, quasi per appositionem, superiori sententiæ connexum appensumque legitur, quid vero ad emendationem hanc nostram? quæ tamen, si cui obesioris naris Lucumoni arriserint minus, poterit, me quoque hoc ipsum præeunte sibi, *Effigie juvencæ*, hoc est, sub mendaci juvencæ ligneæ velamento, falsoque adumbrata vaccinæ personæ specie ac simulacro extrinsecus contentus, sibi potius approbare, quam mihi; nam ipsus sane, ad me quod attinet, à prioris sententiæ statu haud facile dimovebor. Habes subinde:

Et amoris pudibundi malesuadis, &c.

Pudibundi, non in laude, sed in vitio positum videtur, pro pudendi ac merito erubescendi amoris morbo scilicet, quod silentio prætereundum haud quaquam putavimus. Versu vero antepenultimo, qui sequitur, geminam in Pictaviensi exemplari lacunam Cruquii nostri comitate explevimus: cui, hostimentum par pari de alieno aliquando ut redderemus, manuductore Bineto, in proximo Sapphico synarteto vicissim auxilio fuimus, primum pro recto patrium, deinde pro auferendi casu rectum in extremo substituentes: hoc amplius, deleto commate, quod versus sententiam in medio conturbare utrobique ac destruere visum hactenus. Eleganter vero *Bimembrem*, hoc est, biformem, seu bicorporum, vocat portentosum Pasiphaës partum: quem cum ingeniosissimo Poëtarum Ovidio,

Semibovemque virum, semivirumque bovem,

rite possumus interpretari.

CAPUT IX.

De Vitri flexilis temperamento *Tiberii Principis temporibus reperto. Ejus adeo rei causſa quatuor Scriptorum Auctoritates productæ, atque inter ſe conciliatæ mutuo. Dictorum aliquot Joh. Salisberienſis Arbitro auctori ſuo (illuc unde bonum pedem attuleranr)* liberali ac literali causa *assertorum enumeratio.*

Petrus Crinitus, magni illius Politiani auditor, ac discipulus, inter cætera industriæ, atque ingenii sui facinora, libros nobis complures HONESTÆ DISCIPLINÆ Titulo honestos reliquit. In iis, præter Grammaticæ rei, ac verborum veterum tractationem, multa item ad Historias reconditiores pertinentia passim lectitantibus occurrunt, quibus Sallustianum illud jure optimo occentari possit: *Fides sit penes auctorem.* Ea excipio modo, ubi, non abs semet, sed vero ex certorum monumentorum relatu, casci ævi ritus, vel res etiam interdum gestas, curiosa felicitate conquisitas,

recenſet: quo in numero illud quoque (uti ſpero) memoria haud ſane indignum videri poterit, quod idem de *Vitri ductilis*, ſeu *flexilis* inventione, ea, qua à Scriptoribus priſcis acceperat fide, nobis porro examinandum proponit, quæ res, quoniam miraculo affinis, eademque noſtro quoque Arbitro digna æſtimata, quam convivalibus Trimalcionis ſui feſtivitatibus interponeret, ne nobis quidem aliena videri debet, quam paullo altius fuſiuſque repetitam, adductis undique in unum teſtimoniis, aſſeramus, atque corroboremus in poſterum, & quidem eo hercle curioſius, quod de geſtæ rei veritate ipſe Plinius nonnihil utique viſus ſubdubitare. Sic enim unicus ille, ac fideliſſimus Naturæ arcanorum ſcrutator, lib. XXXVI. cap. XXVI. *Ferunt à Tiberio Principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile eſſet: & totam officinam artificis ejus abolitam, ne aris, argenti, auri metallis pretia detraherentur, eaque fama crebrior* (reſtituo, *celebrior*) *diu, quam certior fuit.* Ubi clare Imperatoris nomen, ſub quo hoc ipſum acciderit, habes expreſſum, id quod unum modo, culpa Exſcriptoris puto, in Petroniano exemplo deſideratur. Sed & Græcis verbis ejuſdem Hiſtoriæ narrationem aliquanto adſtrictius à Dione pertractatam operæ pretium fuerit cognoſcere, eo magis, quod nulla Hiſtorici ejus mentio apud Crinitum. Tradit igitur Caſſius iſte, ſed quaſi pro comperto; lib. LVII. pag 617. Κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον καὶ σοὶ μεγίστη ἐν τῇ Ῥώμῃ, ἐπειδὴ ἑτεροκλινὴς ἐγένετο, θαυμαστόν δή τινα τρόπον ἀρθώθη· ἀρχιτέκτων γάρ τις, οὗ τὸ ὄνομα οὐδεὶς οἶδε (τῇ γὰρ θαυματοποιίᾳ αὐτῷ φθονήσας ὁ Τιβέριος οὐκ ἐπέτρεψεν αὐτὸ εἰς τὰ ὑπομνήματα ἐσγραφῆναι) οὗτος οὖν, ὅσις ποτὲ ὠνομάζετο, τάς τε θεμελίους αὐτῆς περιῆλε κρατύνας, ὥστε μὴ συγκινηθῆναι, καὶ τὸ λοιπὸν πᾶν πάχοις τε καὶ ὑματίοις παχέσι περιλαβών, σχοίνοις τε ποντικαῖς αὐτὴν διέδησε, καὶ ἐς τὴν ἀρχαίαν ἕδραν ἀνθρώποις τε πολλοῖς καὶ μηχανήμασιν ὠσάμενος ἐπανήγαγε. τότε μὲν ὁ Τιβέριος καὶ ἐθαύμασεν αὐτὸν, καὶ ἐζηλοτύπησε, καὶ διὰ μὲν ἐκεῖνο χρήμασιν ἐτίμησε, διὰ δὲ τοῦτο ἐκ τῆς πόλεως ἐξήλασε, μετὰ δὲ ταῦτα προσελθόντος οἱ αὐτοῦ, καὶ ἱκετείαν ποιουμένου, καὶ τοῦτο πετήριόν τι ὑαλοῦν καταβαλόντος τε ἐξεπίτηδες, καὶ θλασθὲν πῶς, ἢ συντρίψαντος ταῖς τε χερσὶ διατρίψαντος, καὶ ἄθραυστον παραχρῆμα ἀποφήναντος, ὡς καὶ συγγνώμης διὰ τοῦτο τυχόμενου, καὶ ἀπέκτεινεν αὐτόν. Meminit & Iſidorus lib. XVI. cap. XV. his verbis: *Fertur autem, ſub Tiberio Cæſare quendam artificem excogitaſſe vitri temperamentum, ut flexibile eſſet, & ductile. Qui, dum* (forte *cum*) *admiſſus eſſet ad Cæſarem, porrexit phialam Cæſari, quam ille indignatus in pavimentum projecit. Artifex autem ſuſtulit phialam de pavimento, quæ complicaverat ſe, tanquam vas æneum: deinde malleum de ſinu protulit, & phialam correxit. Hoc facto, Cæſar dixit artifici: Numquid* (lege *Numquis*) *alius ſcit hanc condituram vitrorum? poſtquam ille jurans negavit, alterum hoc ſcire, juſſit eum Cæſar decollari, ne dum hoc cognitum fieret, aurum pro luto haberetur, & omnium metallorum pretia abſtraherentur.* pro quo, *Detraherentur*, antea dixerat Plinius, & mirum ni ita corrigendum in hoc Iſidori loco. Omnium vero diſertiſſime Joannes Salisberienſis, quamvis ab exemplis ſupra dictis in partem nonnihil diſſentiens, libro *de Nugis Curialium* IV. cap. V. qui *Policraticus* inſcribitur, non quidem de ſuo, ne quid erres, ſed vero de alieno (id quod corniculæ iſti cum ſartoribus illis ſemipriſcis, Solino puta, Macrobio, Iſidoro, atque aliis ejuſdem farinæ mangonibus commune) ſolens utique, præſertim de Satura Arbitri noſtri, quam ex hac ejuſdem ediſſertatione auctiorem porro, inſtructioremque, ſuo loco, hoc eſt, Trimalcionis cœnæ reddas licebit: *Apud Petronium Trimalcio refert fabrum fuiſſe, qui vitrea vaſa faceret tenacitatis tantæ, ut non magis, quam aurea, vel argentea, frangerentur. Cum ergo phialam hujuſmodi de vitro puriſſimo, & ſolo, ut putabat, dignam Cæſare fabricaſſet, cum munere ſuo Cæſarem adiens admiſſus eſt. Laudata eſt ſpecies muneris, commendata manus artificis, acceptata eſt devotio donantis. Faber, vero ut admirationem intuentium verteret in ſtuporem, & ſibi plenius gratiam conciliaret Imperatoris, petitam de manu Cæſaris phialam recepit, eamque validius projecit in pavimentum tanto impetu, ut nec ſolidiſſima & conſtantiſſima æris materia maneret illæſa. Cæſar autem ad hæc non magis ſtupuit, quam expavit. At ille de terra ſuſtulit phialam; quæ quidem non fracta erat, ſed colliſa, ac ſi æris ſubſtantia vitris ſpeciem induiſſet. Deinde martiolum* (lege, *marculum*) *de ſinu proferens, vitrum correxit aptiſſime, & tanquam colliſum vas æneum, crebris ictibus reparavit. Quo facto, ſe cœlum Jovis tenere arbitratus eſt, eo quod familiaritatem Cæſaris, & admirationem omnium ſe promeruiſſe credebat. Sed ſecus accidit. Quæſivit enim Cæſar, an alius ſciret hanc condituram vitrorum. Quod cum negaret, eum decollari præcepit Imperator, dicens, quia, ſi hoc artificium innoteſceret, aurum & argentum vileſcerent, quaſi lutum.* Et, ut palam demonſtret, ſe quoque ſupradictæ Hiſtoriæ fidem, non minus quam Plinium, ſuſpectam merito ac controverſam habere, ſubjungit ſuis verbis protenus: *An vera ſit relatio & fidelis, incertum, & de facto Cæſaris diverſi diverſa ſentiunt.* Quaternas (ut vides) Auctoritates produximus, Crinito duorum teſtimoniorum ſuffragiis ſuperato, idque Petroniani honoris cauſa maxime, cujus an Salisberienſis iſte, pro rei merito, aut ſcriptoris etiam dignitate, rationem habuerit ſatis, prudentioribus porro ingeniis conſiderandum relinquo: hoc unum præſtare contentus modo, priorem hujuſce narrationis partem auctori ſuo Arbitro acceptam referundam videri, non, qua ad ſententiam tantum, ſed vero, qua etiam ad dictionis ſimplicitatem, ipſumque verborum ambitum, tametſi ſtellis multo candidiſſimis nebulam à Britanni illius fullonia aſperſam non negaverim: ſed ita tamen, ut pannum in purpura poſitum haud obſcuris utique indiciis deprehendas, quemadmodum & libro *Policratici* VII. cap. XV. ſub finem, ubi aliam quandam ſententiam tacite, ac diſſimulato auctoris nomine

nomine in usus accommodat suos, verbi gratia: *Nam, ut dici solet, amor ingenii nunquam hominem divitem fecit*, pro quo in Satyrico nostro invenias; cap. LXXXIII. *Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.* Denique, initio capitis sequentis, quis obsecro non videt latibulum furti quæsitum verbis illis: *Qui solas divitias congerere curant, nihil in vita potius credi volunt via, quam cæteris prætulerunt*; qui quidem Petronianum istud memoriter commeminerit modo? cap. LXXXIV. *Deinde qui solas exstruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quam quod ipsi tenent.* Pæne præterieram immemor, quod prius monitum oportuit, ad *cœnam quoque Trimalcionis* alterum ejusdem Centonum sarcinatoris exemplum pertinere, à Fragmentorum Arbitri Editore, per incogitantiam credo, silentio prætermissum. Id vero lib. VIII. cap. VIII. *Policratici*, quem dico, reperitabis hujusmodi: *Cœnam Trimalcionis apud Petronium, si potes, ingredere, & porcum sic gravidari posse mirabere, nisi forte admirationem multiplex, ignota, & inaudita luxuria tollat.* Ad quam *Cœnam* etiam retrahendum autumo Fragmentum minutulum, quod à Fulgentio Grammatico sub Petronii nomine citatur his verbis: *Postquam ferculum allatum est.*

DON JOSEPHI ANTONII GONSALII DE SALAS

COMMENTA

IN

T. PETRONII ARBITRI SATIRICON.

Labor pene puerilis, nunc autem postliminio duorum lustrorum incudi denuo redditus.

AUDITORI MEO.

Ecce in περισχολίῳ, Auditor, adsum, ut, antequam centonem liceat elevare, & Auditorium introire, possim tecum paucis verbis agere; paucis, inquam, sed quæ rescire te, mea nonnihil refert, & etiam tua. Sed Aures tuas jam bibulas auguror, fac ut sentiam quoque benivolas. Equidem jam olim, adhuc nimirum puer, ex umbris Grammaticulorum egressus, dum parenti, heu quondam meo! inlustri, & venerando, morem gero, luminaque melioris illius ævi penitus lustro, sidera minus coruscа delibo tantum, factum est, ut in Arbitrum Petronium inciderem; &, quanti illum fecerint Viri eruditione conspicui, quamque etiam tum carum foret illius nomen, ex omnium longa commendatione condiscerem. Avidus ideo lectionem adgredior, quis ambigat? Sed, Bone Deus, ut offendi eum disruptum, lacerum, ac deformem! Prætereo hic doctorum Virorum conatus, quibus eidem primitus anxii subvenere; nam licet plurimum ii profecerint, egebat miser ille auxilio præsentiori. Imparem me sane tanto facinori sat bene noveram, quod nec dum juvenis forem, & quod conscius itidem meæ curtæ supellectilis. Attamen, fateor quidem, mihi ab iniquo labore temperare non potui; sic prima illa ætas audax est, immo præceps, ac lasciviens. Post vero haud breve temporis spatium, quam onus subieram, in prolixam segetem suberevit nostra lucubratio, seu potius molem indigestam, ac farraginem: inibi namque obgesseram temere, quicquid ex adsidua lectione succurrebat opportunum. Obgannient haud dubio hic homines insubidi, tristi & supercilioſa fronte mihi objectantes, Siccine puer, Venere apud Arbitrum prostante nuda oculos pascere, immo exsaturare, non erubuisti? non salva res est. Sed velim id tam candide ad eorum aures perveniat, quam simpliciter gestum est. Dicam, quod verum scio; narratiunculæ ejus devirginatæ, me-Hercules, vel in illa ætatula mihi, quod musica ad surdum. Suaviloquentia me cœpit, simplicis stili mundities, urbanitas, & sales, & in summa tot Veneres, quibus primæ notæ Scriptoribus aliis quam longissime supereminereret. Insuper & Sapientiæ præceptis animum meum ita Petronius composuit, ut vel exinde insigniter edidicerim Fortunam contemnere, imminentiaque tot Fati discrimina catus opperiri. Deferbuit tamen id studium nostrum, & altum siluit tribus pene lustris, quousque plurimorum hortamina, quæ apud me imperii vim obtinebant, tandem compulerunt, ut omnino satagerem fidem jam antiquam liberare, satisque tot annorum facere exspectationi, qua publicæ, qua privatæ. Repetii itaque rude opus, &, nunc addendo, nunc vero innumera jugulando, tunc primum concinnavi; ac deinde, ut paret, in COMMENTA haut incommode digessi. Iis autem in Comminiscendis quæ ratio servata nobis fuerit, & lubet aperire.

Nostra enim COMMENTA παραλειπόμενα fere sunt ceterorum Interpretum, apud quos offendentur indubio, si inlustratione indigentia (quod mirum valde erit) nonnulla prætermisimus. Pariterque, Scriptorum loca illis memorata adtingere, nobis summa religio fuit, nisi diversa prorsus ratione producerentur. Præterquam quod & iisdem nonnunquam Criticum ferrum, nonnunquam novam faculam admovemus. Ast in omnibus spero me secutum tale temperamentum, ut de me queri non possit, quisquis de se bene senserit; quum salva omnino personarum

rum reverentia ; ubique ludam eorum Nominibus parcens ingenti ſuperſtitione, quorum ſententiæ utcumque mihi non probarentur, laudarim vero omnium, qui digni elogio. Ubi autem longiuſcule digreſſi per Parerga videbimur evagari (quod & rarenter fit) ſi propius rem inſpexeris, haud extra oleas, ut ajunt, ferri nos, conſtabit manifeſto. Ἀπροσδιόνυσα quidem non ſunt, quæ Auctorem quoquo modo exornant, aut morem, quem tetigit; ibique, recenti inquam exornatione priſcorum rituum, fors haud luſimus operam. Pleriſque etiam locis, quibus huc uſque opus fuit Delio natatore, primi nos, præfiſcini, vitam & lucem dedimus; omnibus vero adſeruimus vindicias antiquæ Lectionis, ubi ne deſperata loca erunt excipienda, de quibus optime forſan omnium fuimus meriti. Cæterum quidem etſi Satiricon illis ſcriptum fuit, qui ſolent ſpectare Florales, adſit tamen COMMENTORUM noſtrorum Auditor ſeverus Cato; impudentiam enim exhorrens non exibit de theatro. At denique, jam dum plura alia, quæ apud nos ſervantur confecta, publici juris facimus, quiſquis es ex Critico Senatu in præſentia futurus meus Auditor,

Vive, vale: ſi quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti, ſi non, his utere mecum.

DON JOSEPHI ANTONII GONSALII DE SALAS

COMMENTA IN T. PETRONII ARBITRI SATIRICON.

Cap. I. *Num alio genere Furiarum declamatores inquietantur, qui clamant?*] Figurata omnino interrogatio est adseverantis, cui orationis generi vigoris plus, ardorisque ineſt excitando auditori, commovendo, quam si *pronuntiative*, ut ajunt Grammatici prisci, rectaque ac simplici oratione diceret, *Non alio genere Furiarum*, &c. Fruſtra igitur sunt, qui emendant. Furiarum vero haud dubio genus secundum est, quo Declamatores inquit agitari. Tres namque illæ fuere, *quarum prima Alecto:* Verba Fulgentii sunt, Mythol. lib. 1. cap. VI. quæ, rem opportune satis totam aperiunt. *Ἀληκτὼ enim Grace impausabilis dicitur. Alia Tisiphone: Τισιφόνη autem, quasi τίσιν φονὴ, id est, ultarum VOX. Tertia Megara: Megara enim est, quasi μεγάλη ἔρις, id est, magna contentio. Primum est ergo, non pausando Furiam concipere. Secundum est, IN VOCEM ERUMPERE. Tertium, jurgium protelare.* Qui in vanas ergo, sensus est Satirici, Declamationum voces erumpunt, num alio, quam Tisiphones, Furiarum genere inquietantur?

Declamatores.] Satis superque Interpretes jam pridem de Declamatoriis exercitationibus ad Arbitri egerunt inlustrationem, quo circa, quum hac in parte, ut & nonnullis aliis, præverterint nos, leviter loca, ne asymboli scilicet, indeque discedamus jejuni, nonnunquam adtingemus. Præcipua enim olim fuit, in scholis Rhetorum, & Sophistarum, Declamationum exercitatio, eamque vario temporum lapsu varias induisse formas, jam dudum factum est, quum Viri eruditi monuerunt. *Thesibus* primitus, *Locisque Communibus* sese Scholastici, ipsique Sophistæ exercebant, aliterque, & aliter, quousque ad *Suasorias* tandem, *Controversiasque* devenere. Sub *Declamationum* autem nomine omnes nimirum exercitationum species illæ apud Latinos comprehensæ, uti μελετῶν apud Græcos. *Ficta* enim erant *Certamina Rhetorica*, ut Priscianus ait, unde & πλάσματα dicta, & *Figmenta Sophistarum*, item Auctori Dialogi de Orator. argute sane, *Scena Scholasticorum*, & Ennodio *Dicendi simulacra*. A. Gellius *Decursus ludicros* vocavit, & *Simulacra prœliorum voluptaria*. Eo autem, quod Declamationes repræsentarunt perdiu litium fictas imagines, Ausonius *Falsas* lites vocavit, Epist. 11. ad Paullum Rhetorem:

Vel Falsas Lites, quas schola vestra serit.

Quod S. Basilius mire verbis illis exposuit, L. 2. Cont. Eunom: Πρὸς κατηγόρους τι μάχη μὴ ὑφεστῶτας, καὶ ἀπολογία πρὸς κατηγορίαν οὐ προῤῥηθεῖσαν, καὶ λόγος πρὸς δικαστὰς τῆς ὑποθέσεως φαινομένους. *Est enim pugna adversus accusatores, qui nusquam sunt, & ad accusationem non prædictam responsio, & ad Judices, qui nulli videntur, oratio.* Id vero postea fastidientes Scholastici, ad mera nugamenta, quasi tempestate delati, adhæsere, tanquam ad saxum, diversaque prorsus à forensibus caussis tractare cœperunt, quo Arbitri spectat plane & illa indignatio hoc capite: *Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident, sed piratas*, &c. eaque propter, *quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos.*

Inquietantur.] Ductum est ab spectris, nocturnisque terriculamentis, quæ nimirum *Inquietare*, hoc est, somnos impedire consueta. Sic puer veneficæ minatur apud Horatium: Epod. v. vers. 91.

Quin, ubi perire jussus exspiravero,
Nocturnus occurram furor,
Petamque vultus umbra curvis unguibus.
(Quæ vis Deorum est Manium)
Et INQUIETIS adsidens præcordiis,
Pavore somnos auferam.

Inquietari igitur, somno privari prisci. Ita apud ipsum

ipsum Arbitrum Eumolpi illud est in soporem labentis, ab Encolpioque excitati, cap. 100. *Inquietatus ille molestè tulit; &, hoc erat,* &c.

Succisi poplites membra non sustinent.] Parissime Lucanus noster, Petronio σύγχρονος, in extremo Panegyrico ad Pisonem:

Et tremefacta cadant SUCCISO POPLITE MEMBRA.

Nescio an, more suo, Lucani versum huncce, immerito tamen, carpat nunc Petronius. Isti porro *Supernati* vocabantur antiquitus. Festus: *Supernati dicuntur, quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum. Ennius:*

His pernas succidit iniqua superbia Pœni.

Hæc ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent.] Fecerunt omnino Ciceroni Christiano, Lactantio inquam. Ipsus profitetur, lib. 1. cap. 1. *Multum nobis Exercitatio Fictarum Litium contulit, ut nunc majori copia, & facultate dicendi causam vexatis peroremus.* Prolixe autem Arbiter, ut plures Antiquorum, genus id Exercitationis insectatus est.

Rerum tumore, & sententiarum vanissimo strepitu] Vide quæ notantur inferius ad verba illa capitis 11. *Levibus enim, atque inanibus sonis,* &c.

Sententiarum.] Plurimus usus *Sententiarum* in declamationibus, & in Petronio plurima mentio. Illuc faciunt loca, quæ sequuntur: cap. VI. *Dum ergo juvenes Sententias rident.* Et cap. X. *An videlicet audirem Sententias, id est, vitrea fracta.* Et cap. CXVIII. *Quam controversiam Sententiolis vibrantibus pictam,* & iterum ibidem. *Ne Sententiæ emineant extra corpus,* &c. Græcis autem Sententiæ illæ γνῶμαι dictæ: quarum differentias, exemplaque, tradidere ex Hermogene Priscianus, lib. *de Præexercitamentis Rhetoricæ*, & Aphthonius *in Progymnasm.* cap. 4. De illis etiam loquitur Seneca Pater, Præfat. Controvers. ad Filios; dum, in ipsis sæpius fuisse exercitatum nostratem Porcium Latronem, Oratorum, ipsius Senecæ sententia, facile principem, his verbis edocet: *Aliquo die nil præter has translatitias scriberet, quas proprie Sententias dicimus; quæ nihil habent cum ipsa Controversia implicitum, sed satis apte & alio transferuntur: tanquam quæ de Fortuna, & Crudelitate, de Sæculo, de Deliciis dicuntur. Hoc genus Sententiarum supellectilem vocabat.*

Ut, quum in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos.] Insigne exemplum Porcii Latronis hocce patefacit, quod refert Quinctilianus, lib. 10. cap. 5. Ego autem altiuscule repetam locum, quia hujusce Declamationis Petronianæ potissimam partem inlustret mirifice, indicetque judicium, quod de id genus Exercitationibus fecerit summus Oratorum Magister: *Sed, quemadmodum forensibus Certaminibus exercitatos, & quasi militantes, reficit ac reparat hæc velut sagina dicendi, sic Adolescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri, & inanibus simulacris: usque adeo, ut difficile ab his digressos sit adsuefacere, ne ab illa, in qua prope consenuerunt, umbra, vera discrimina, velut quendam solem, reformident. Quod accidisse etiam Porcio Latroni, qui primus clari nominis professor fuit, traditur: ut, quum ei, summam in scholis opinionem obtinenti, caussa in foro esset oranda, impense petierit, uti subsellia in basilicam transferrentur, ita illi cælum novum fuit, ut omnis ejus eloquentia contineri tecto ac parietibus videretur.*

Quia nihil ex his, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident.] Ideo ineptissimam judicavit Arbiter Declamatoriam Exercitationem, indeque ortum, *ut, quum in forum venerint Adolescentes, putent se in alium terrarum orbem delatos,* Contra ex antica Plinius Nepos sensit de Exercitatione Poëtica lib. 7. Ep. 9. qui locus, præterquam quod sane eruditus est, venit etiam & huc satis opportune. *Itaque summi Oratores, summi etiam viri sic se, aut exercebant, aut delectabant; immo delectabant, exercebantque. Nam mirum est, ut his opusculis animus intendatur, remittaturque, recipiunt enim amores, odia, iras, misericordiam, urbanitatem, omnia denique, quæ ad vitam pertinent, atque etiam in foro caussisque versantur.*

Cap. II. *Pace vestra.*] Formula veniam deprecantis. Tibullus lib. 2. El. 5.

Pace tua, pereant arcus, pereantque sagittæ.

Ovidius lib. 3. Amor. El. 2.

Pace loquor Veneris, tu Dea major eris.

Pax pro *venia* usurpata antiquitus, & viciissim *Venia*, pro *Pace*; sic ad versum illum Virgilii 3. Æneid.

Sed votis, precibusque jubent exposcere Pacem.

Nonius *Pacem* interpretatur *Veniam*, & Servius ad hunece 1. Æneid.

Orantes Veniam templum clamore petebant.

Veniam pro *Pace*. Inde conjunxit Arnobium l. 2. *Cum Pace hoc ejus, & cum Venia dixerim.*

Primi omnium eloquentiam perdidistis.] *Primi omnem*, aut *primi omnium*, fere idem; sed paucis hocce post Ciceronem usu veniisse annis, disertissime omnium dixit Seneca Rhetor, Præfat. Controv. l. 1. *In deterius deinde*, agit tunc de Ciceronis ævo, *quotidie data res est: sive luxu temporum, nihil est enim tam mortiferum ingeniis, quam luxuria: Sive, quum præmium pulcerrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia, multo honore quæstuque vigentia: Sive fato quodam, cujus maligna perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem, quam ascenderunt, relabantur.* Alia vero Petronio causa est potior, videlicet, Declamationum exercitatio, quæ etiam & post Ciceronis constitit ætatem. Plane ipsus Seneca ibidem: *Scholastica Controversia multo recentior est, sicut ipsa Declamatio, apud nullum Auctorem antiquum ante ipsum Ciceronem, & Calvum inveniri potest, qui Declamationem distinguit.* Additque de Declamatione: *Modo nomen hoc prodiit: nam & studium ipsum nuper celebrari cæpit. Ideo facile est mihi ab incunabulis nosse rem post me natam.* Vide ergo, quam consone Petronio accinat.

Levibus

Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effeciſtis, ut corpus orationis enervaretur.] Plane enim hic fucatam Declamationum elocutionem, turgidulæque Orationis ampullatas voces, *inanes sonos, atque leves* vocavit, ut supra etiam cap. 1. pariſſimo ſenſu: *nunc & rerum tumore, & sententiarum vaniſſimo ſtrepitu*, & infra hoc capite, *nuper ventoſa iſthæc, & enormis loquacitas*, & cap. CXVIII. *Controverſiam ſententiolis vibrantibus pictam*, eodemque faciunt verba hoc capite, *pudica oratio non eſt maculoſa, nec TURGIDA.* * Elegans autem allegoria eſt, & conſonans dictis: *ut corpus orationis enervaretur.* Sic & Symmachus l. 4. Ep. 29. locutus. *Plures utilitatis, & honeſtatis adſertiones in ipſo corpore orationis invenies.* Et Petronius: cap. CXVIII. *Ne ſententiæ emineant extra corpus Orationis expreſſæ.*

Declamationibus continebantur.] Vera hæc eſt lectio. Continebantur juvenes Declamationibus, detinebanturque, Petronii ætate, priuſquam in forum venirent. Fruſtra hic Auctor Analector. eſt lib. 2. cap. 9. & alii, qui pariter emendare conantur.

Quum Pindarus, novemque Lyrici.] Novum hocce Græcis, Latiniſque Scriptoribus, quibus Novem tantum Poëtæ Lyrici cum Pindaro agnoſcuntur videlicet. Enumerant plane, nominantque Epigrammata Græcorum, Anthol. lib. 2. cap. 67. Ep. x.

Εἰς τὰς ἐννέα Λυρικούς.

Πίνδαρε, μυσάων ἱερὸν στόμα, καὶ λάλε σειρὴν
Βακχυλίδη, Σαπφοῦς τ' Αἰολίδες χάριτες,
Γράμμα τ' Ἀνακρείοντος. Ὁμηρικὸν ὅς τ' ἀπὸ ῥεύμα
Ἑστάσας δικίοις Στησίχορ' ἐν παμάτοις,
Ἥ τε Σιμωνίδεω γλυκερὴ σελὶς, ἠδύ τε πειθὼ
Ἴβυκε, καὶ παίδων ἄνθος ἀμησάμενε,
Καὶ ξίφος Ἀλκαίοιο, τὸ πολλάκις αἷμα τυράννων
Ἔστυσεν, πάτρης θέσμια ῥυόμενον,
Θηλυμελεῖς τ' Ἀλκμᾶνος ἀηδόνες, ἵλατε πάσης
Ἀρχὴν τῆς λυρικῆς καὶ πέρας ἱσπάσατε.

Vertit Megiſerus:

In Novem Lyricos.

Pindare, Muſarum ſacrum os, facundaque Siren
Bacchilides, Sapphus gratiaque Æoliæ,
Stripta Senis Teji, quique ipſum imitatus Homerum
Steſichore, eximium carmine nomen habes:
Muſa Simonidis inclita, tuque lepore ſuavis
Ibyce, gratus erat cui puerilis amor:
Quique Tyrannorum Diis ſæpe cruore litaſti,
Alcæi mucro, jura tuens patriæ:
Et vos Alcmanis cantus; eſtote benigni,
Principium & finem contrahitis Lyricæ.

Et alias. Sic & Quinctilianus lib. 10. cap. 1. ubi & Pindari eximium elogium: *Novem vero Lyricorum longe Pindarus Princeps, &c.* Innuit & Auſonius Ep. 32. quod in Sapphus ſimulacrum ſcriptum:

Εἰμὶ ἐνάτη Λυρικῶν, Ἀονίδων δεκάτη.

Sum Nona Lyricorum, Aonidum Decima.

Petronio eſt igitur aliquod quærendum effugium. Iſaacius enim Lycophronis Scholiaſtes Novem illis Lyricis Poëtis decimam neſcio quam *Ecyrrhinam* Poëtriam addidit, itaque ex Decem illis ipſorum chorum conſtituere non dubitavit. Lilius autem Gyraldus, homo doctiſſimus, Dial. 9. de Poët. Hiſt. *Ecyrrhinam* pro *Corinnam* mendoſe exaratum pro certo habuit: quum & Hephæſtion *Corinnam* duplici, *r*, videatur enuntiare. Cui ſententiæ Vinetus quoque Auſonii eruditus interpres ſubſcripſit haud cunctabundus. Itaque, quum cap. CXVIII. Lyrici tantum nominantur Petronio, indubie Decem illi ſunt intelligendi. Unde etiam patet, qui mendacii jam olim inſimulavit Hygiñum, *Septem* quippe ſolum *Lyricorum* exſtat apud illum Epigraphe capitis 222. ſatis rem non vidiſſe: nam, præter Pindarum, uti ex Arbitro liquet, præterque Sappho, Corinnamque poëtrias, *Septem* olim celebrabantur ſeparatim Poëtæ Lyrici.

Homericis verſibus canere timuerunt] Daniel Heinſius, lib. de Tragœdia, legit, *canere non timuerunt.* Homericam quippe dicendi rationem, ait, Lyrici expreſſerunt, maſculam nempe & nervoſam, minime vero corruptam & effœminatam. Docte vero Arbiter verbo, *Homericis verſibus*, Epicum poëma ſignificavit, quod heroicis, ſive hexametris verſibus condi debere, docuit in Poëtica Ariſtoteles. Sic Homerus fecit, exemplumque poſteris reliquit. Unde Horatius in Arte:

Res geſtæ regumque, ducumque, & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, monſtravit Homerus.

Et Ovidius extremo lib. 1. De Remedio Amoris:

Fortia Mæonio gaudent pede bella referri.

Mæonius pes Naſoni, quod noſtro *Homerici verſus.* Itaque Arbitri mens patet, ſcilicet non auſum Pindarum, & reliquam Lyricam cohortem Epopœiam adgredi, & heroicum poëma, quod verius nos interpretamentum putamus.

Ad hoc genus exercitationis.] Nempe Declamationum; frequenter olim *Exercitatio* de omni Declamatorio genere uſurpata. Vide quæ dicuntur infra cap. CXVIII. ad verba: *Sic forenſibus miniſteriis exercitati.*

Nuper ventoſa iſthæc & enormis loquacitas Athenas ex Aſia commigravit.] Tale eſt judicium Ciceronis de Aſiaticis Oratoribus in Bruto: *Hinc Aſiatici Oratores, non contemnendi quidem, nec celeritate, nec copia, ſed parum preſſi, & nimis redundantes.*

Ventoſa iſthæc & enormis loquacitas.] Supra hujuſce loci meminimus. Addimus & τὸ *loquacitas* ſuum fel quoque haut deeſſe. *Loqui* enim ἁπλῶς Oratoribus priſcis incondite verba facere erat, cui oppoſitum *Dicere.* Cicero ſæpe docet, & Quinctilianus; ſed hoc proletarium. Græci idem obſervarunt in λαλεῖν, & διαλέγεσθαι, ſive λέγειν, ut Ammonius docet περὶ ὁμοίων, &c. quod & in Eupolidis verſu animadverſum:

* De tumida hacce Declamatorum dictione abunde egit noviſſime Lud. Creſollius Theat. Vet. Rhet. lib. 3. cap. 23.

Λαλιῶν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν.
Blatterare optimus, dicere ineptissimus.

Unde jam & Maximi Tyrii in Sophistas pateſcit ſcomma, quorum σοφίαν, ait, eſſe πολυῤῥήμονα; καὶ λάλον, *verboſam nimium & loquacem.* Diſſert. 15. Et Luciani illud ſimile in Philoſophos, in Bis accuſ. quos quum δεξοσόφους deſcribit, eos pariter vocat λάλους, *loquaces.*

Animoſque juvenum ad magna ſurgentes veluti peſtilenti quodam ſidere adflavit.] Decens valde ab novellis arboribus tranſlatio, illæ enim ſunt quæ facilius ſiderantur. Clariſſime docet Theophraſtus adpoſitiſſimo loco, lib. 5. de Cauſſ. Plant. cap. 10. Ἀστόβλητα μὲν οὖν μάλιστα γίνεται τὰ φυτὰ, καὶ οἱ μόσχοι διὰ τὴν ἀσθένειαν. Συμβαίνει δ' τὸ πάθος, ὅταν ἡ γῆ ξηρανθῇ, καὶ μὴ ἔχωσιν ἕλκειν ὑγρότητα· διὸ καὶ ὑπὸ ἄστρον πλεῖσα. τὰ δ' πρεσβύτερα διὰ τὴν ἰσχὺν ἀντέχει τε μᾶλλον, καὶ ἕλκει πόῤῥωθεν. *Siderantur præcipue plantæ novellæ, ac ſurculi, ſuæ cauſſa imbecillitatis. Quod accidit, quum, ſiccata tellure, humorem trahere nequeant: quapropter plurima pereunt ſub ſidus. At majores ætate, utpote validiores, magis reſiſtunt, & alimentum eminus trahunt.* Etiam Plinius lib. 17. cap. 24. *Proprium tamen Siderationis eſt, ab ortu canis ſiccitatum vapor, quum inſitæ ac Novellæ arbores moriuntur.* Haud aliter & Tyrunculorum progreſſus facillime ſiſtuntur, ac veluti ſideratione ſurculi præoccupantur.

Stetit, & obmutuit.] Manet adhuc in metaphora. Sideratio enim motum tollit, & linguam, ut ex Medicis notum. Dixit etiam Martialis; & lib. 7. Ep. 91. firmat Petronii, *Obmutuit:*

Hoc opus eſt, ſubito fias, ut Sidere, Mutus.

Et lib. 11. Ep. 86. ejuſdem, *Stetit:*

Sidere percuſſa eſt ſubito tibi Zoile lingua,
Dum lingis cunnum; Zoile, nunc futues.

Quod neutiquam erat Interpretibus prætermittendum.

Ac ne carmen quidem ſani coloris enituit.] Paullo poſt hocce ex Horatio confirmamus, ejuſque rationem reddimus.

Sani coloris.] Metonymia eſt, & elegans ad carmina tranſlatio. Non abſimilis eſt illa Symmachi ad leges Epiſt. 117. lib. 9. *Valeo, quantum ſinit æger animus. Atque utinam leges æque mecum valerent, quarum Sanitas ab ipſis plerumque conrumpitur, quibus curanda mandatur.* Sic & Cicero in Bruto, de Eloquentia loquens varias regiones peragrante: *Omnemque illam SALUBRITATEM Atticæ dictionis, quaſi SANITATEM, perderet,* & poſt pauca: *Rhodii SANIORES, & Atticorum ſimiliores.* Quod à D. Auguſtino videtur clarorem accipere, quum lib. 3. contra Petilianum *Sano* opponit *Tumidum*, diſertim autem Seneca inluſtrat utrumque, Præf. lib. 5. Controverſ. *Muſa Rhetbor multum habuit ingenii, nihil cordis, omnia uſque ad ultimum Tumorem perducta, ut non extra SANITATEM, ſed extra naturam, eſſent.* Recte ergo *Sanus color* bene valentis dicitur. Unde jocus Martialis lib. 1. Ep. 78.

Fulcre valet Charinus, & tamen pallet.

Exitum fecit.] Sic & plures locuti. Seneca Ep. 105. *Exſpectarent, viderentque, quem admirator auri Exitum Faceret.* Et Quinctilianus Declam. 5. *Exitum Faciam hominis, ad quem non venerit pater.* Et alias ſæpe. Etiam Marcellus JCtus l. 3. Dig. De iis, quæ in teſtamento delentur: *Credi poteſt ſatis ſe conſecuturum putaſſe, ut inteſtati Exitum Facerent.*

Poſtquam Ægyptiorum audacia tam magnæ artis compendiariam invenit.] Quænam illa compendiaria via eſt, quam Ægyptii ad picturam invenerunt? Fruſtra, Hercules, petes ab Interpretibus, fruſtra ab quolibet alio, qui palmari omnium conſenſu gloria litterarium ſtadium percurrerit. Dum hæreo hic, parumque lucis mutuari aliunde poſſe confido, conſulere tandem de Pictura Veterum decrevi prudentiorem. Obtulit ſeſe inluſtris vir, & omnifariam eruditione refertus, in primiſque amicus, Don Joannes de Fonſeca & Figueroa. Ille enim de Pictura Veteri, inter plura alia humanioris litteraturæ monumenta, librum jam confectum adſervat; unde mecum depromtam interpretationem perlibenter communicavit. Ecce ejus ipſamet verba, Lector habe. Neronis enim ævo, Pictura *ne minimum quidem ſui veſtigium reliquerat*, auctore Petronio. Hinc immaniſſima illa in emendis picturis pretia. Suetonius Tiberio, cap. 44. Dio, alii. Sed, quia Petronius addit, ideo Picturam exitum feciſſe, quia audacia Ægyptiorum tam magnæ artis invenit compendium, quærendum eſt, quid ſit, per compendium pingere. Quid ſit *Compendium* in ſcriptis, pueri ſciunt, & hoc eſt, quod à viris doctis ad hunc locum obſervatum invenio. Quid vero Compendiare picturam, hoc opus, hic labor. Primus Nicomachus, Ariſtodemi filius, ac diſcipulus, in pingendo omnibus velocior, mira breuitate cœpta opera abſolvebat: ut contra ille, qui nunquam manum de tabula. Sed hoc pingere non eſt per compendium, immo brevitati conſulere. Philoxenus Eretrius, Nicomachi diſcipulus, *celeritatem præceptoris ſequutus* (verba ſunt Plinii) *breviores etiamnum quaſdam picturæ vias, & Compendiarias invenit.* Non ſolum, inquit, celeritatem præceptoris ſequutus eſt: ſed novo more vias, per quas pictura compendiaretur, invenit. An vero cum Ægyptiis conveniret, & illorum compendium ſequutus eſſet, ignoramus. Verum enim vero, quid tandem per compendium pingere Ægyptiis ſit, ex uno Plinio, de veteri pictura, pluſquam reliqua omnium Scriptorum, tum Græcorum, tum Latinorum, turba bene merito, diſcimus plane. Quæ verba quia ſatis mendoſa & conrupta, ex Codicibus Hiſpalenſi, & Regio, ſi non prorſus emaculata, non, ut hodie dolemus, lacera exſcribam; ratio enim emendationum in noſtris Plinianis perpetuis notis plene, σὺν θεῷ, tradetur, verba igitur doctiſſimi Scriptoris ſunt, lib. xxxv. cap. xi. *Pingunt & veſtes in Ægypto, inter pauca mirabili genere, candida vela poſtquam adtrivere inlinentes non coloribus, ſed colorem ſorbentibus medicamentis. Hoc quum fecere, non*

adparet

adparet in velis, sed in cortina pingi: in ferventes aquas mersa post momentum extrahuntur picta. Mirumque quum sit unus in cortina colos, ex illo alius atque alius fit in veste, accipientis medicaminis qualitate mutatus. Nec postea ablui potest, ita cortina, non dubie confusura colores, si pictos acciperet, digerit eos ex uno, pingitque, dum coquit, & adustæ vestes firmiores fiunt, quasi non urerentur.

Compendiariam.] *Compendiaria*, sive *compendium* est via contractior, quæ ad metam cujusque rei sine flexibus nec diverticulis tendit. Glossæ: *Compendium, Compendiaria*, συντομία. Ovid. 3. Metamorph.

Tardius exierant, sed per Compendia montis
Præcipitata via est.

Et passim omnes. Magnæ ergo artis pictoriæ Compendiaria, quam Ægyptii invenerunt, brevior indubie via erat, qua ad artis peritiam tyrunculi pervenire possent; neutiquam vero, uti ego existimo, ingeniosum illud artificium per compendium pingendi. Itaque Compendiaria via discendi fuit, non vero pingendi.

Cap. III. *Amas bonam mentem.*] Omnium potissima habenda est semper interpretandi ratio, quæ parium videlicet ævo constet Scriptorum conlatione. Ideo Seneca noster sæpius procedet subvenire Petronio, quum ætate enim haud secus parissimus Scriptor sit, atque conruptissimorum sui temporis morum acerrima exagitatione. Apud utrumque ergo *Bonæ Mentis* memoria frequentissima, licet parcissimus ejusdem fuerit in ipsorum ævo proventus. Quid autem *Bona mens* Antiquis foret, plane Seneca ipsus significavit, Ep. 10. quum inquit: *Votorum tuorum veterum licet Diis gratiam facias, alia de integro suscipe: roga BONAM MENTEM*, quod ut explicet, addit: *Bonam Valetudinem animi.* Est igitur sane Mentem Sanam habere, id est, non insanire. Id Horatius lib. 1. Sat. 9. *Mentem bene sanam* vocavit, & Juvenalis Sat. 10. 356. Ceterum subdit Seneca, *deinde corporis* pro bona valetudine vota esse susципienda, quo mire facit alius Petronii locus cap. LXXXVIII. ubi sub Eumolpi persona Veterum vota insectatur: *Quis umquam venit in templum*, Petronius inquit, *& votum fecit, si ad eloquentiam perveniisset? quis, si Philosophiæ fontem invenisset? ac ne Bonam quidem Mentem, aut Bonam Valetudinem petunt.* Nostra autem Siren plura tibi Bonæ mentis exhibebit exempla.

Exercitationibus.] Quæ istæ *Exercitationes*, dicimus infra, ut jam monuimus.

Tanquam piscator.] Eloquentiæ Præceptores, Magistrive, ac Sophistæ cum Piscatoribus conlati olim haud semel. Inde Plato Sophisticen cum Piscatione comparat, in Sophista. Sic & avidum Sophistam depingit Themistius Orat. 1. Εἰ δὲ δὴ συμβαίη τῷ ἔτῳ φιλοχρημάτῳ, καὶ ὁμιλητὰς προσφοιτῶν, ὀρίζειν ὀλίγαις καμαῖς, μισθῷ δὲ ὅμως ἐσπράξεται ὁ διδάσκαλος τῆς ἀφωνίας. *Quod si adeo sordido & avaro homini discipulorum copia contigerit, quos paucis trimibus (setis) velut pisces inescarit, erunt illi quidem piscibus elinguiores, mercedem nihilominus taciturnitatis hujus Præceptor exiget.* Inde apud Suidam sunt ἁλιεῖς σοφισταί, *Piscatores Sophistæ*, etsi alio videatur ibidem ipsos trahere.

Moratur in scopulo.] Ad vivum hic Piscator repræsentatur, calamo suo super rupe aliqua, pisciculos nempe captans, morabundus. Quod super scopulis Piscatores exercerent piscatum, jam dudum factum est, quum Meursius vidit. Porro nos nunc primum addimus, id potissimum de illo piscationis genere capiendum, quod *hamo* moliebantur, *calamoque*. Non dubie hocce primus Arbiter ipse palam faciet in istomet loco; ecce ejus integra verba: *Sic eloquentiæ Magister, nisi, tamquam Piscator, eam imposuerit HAMIS escam, quam scierit adpetituros esse pisciculos, sine spe prædæ moratur in SCOPULO.* Nec magis obscure indicabit nobis Theocritus, Idyllio. 21. vers. 41, Piscatoris somnium describens:

——— ——— Εἶδον ἐμαυτὸν
Ἐν πέτρᾳ μεμαῶτα· καθεζόμην δ' ὃ δόκευον
Ἰχθύας· ἐκ καλάμων δ' πλώιον κατέσειον ἐδωδάν·
Καί τις τῶν τραφερῶν ἁρέξατο· καὶ γὰρ ἐν ὕπνοις
Πᾶσα κύων ἄρτας μαντεύεται ἰχθύα κηγών.
Χὠ μὲν τἀγκίστρῳ ποτιφύσετο.

——— ——— *Videbam meipsum*
In Rupe conantem pisces capere, sedens autem observabam
Pisces; ex ARUNDINE vero suspensam fallacem quatiebam escam,
Et unus ex grandibus adpetivit: nam & in somnis
Omnis canis offam auguratur; sic & ego pisces.
Et ille quidem HAMO adhærescebat, &c.

Sic & Aristænetus, lib. 1. Ep. 7. Παρὰ τὴν ἀκτὴν ἐτηρούμην κατὰ πέτρας, καὶ τῷ ἀγκίστρῳ προσπεπηγότα κάλλιστον ἰχθὺν ἀναστῶντι τὸ καλάμῳ κυρτουμένῳ τῷ βάρει; vertit Mercerius: *Dum ad littus in SCOPULO molior, hærentemque hamo pulcerrimum piscem trabo curvato pondere CALAMO.* Unde jam & novam lucem Plauti loco conamur præferre, perperam usque adhuc Interpretibus accepto. Inquit in Rudente. 2. 1. 10.

Post id piscatum HAMATILEM, ET SAXATILEM adgredimur. Post id, id est, post aliud piscationis genus, quod præmiserat scilicet, *Ostreorum* saxis ut plurimum adhærescentium. Non ergo id voce *Saxatilem* intellexit, quæ interpretatio Criticorum est, diversum à Piscatu *Hamatili* facientium. Ast totus totus versus unici Piscationis modi periphrasis est. Ex ipsa enim scena luce meridiana clarior tota res patet, quam paucis verbis sic percurrimus. Piscatores igitur vitæ suæ rationem reddentes, ex duobus Piscationis generibus constare, plane satis ostendunt; Primum instrumentis designant, quæ in illo versu:

Hice HAMI, atque hæ ARUNDINES sunt nobis quæstu & cultui.

Alterum, Testaceis ipsis, plura recensentes; ejus namque instrumenta præter manus non memorantur. Atque

que adeo utrumque sese exercitare intimant: post Ostreorum nimirum, alterum, ad quod prædictis Hamis, & Arundinibus opus habent. Et Comicus quidem, ut perspicuo satis rem exponeret, videtur de industria extrema scena addidisse, ad Concharum capturam Piscatores necessario esse conversos, quum Piscatui HAMATILI & SAXATILI ob maris tempestatem locus non esset.

Cap. IV. *Primum enim, sicut omnia, spes quoque suas ambitione donant.*] Sententia juxta ac locutio tam perspicuæ, quam elegantes, vidi tamen hic implicatos Criticos nonnullos, sicut mures in pice. Mens ergo Petronii est, haud esse nimirum parentum curam, quum ad scholas liberos mittunt, ut ipsi vere docti efficiantur ibidem; imo potius, ut ex foro lucrum aucupentur, quocirca dum compendio inhiant, quæ eorum vota sunt, ad quæ properant, *cruda adhuc gnatorum studia in forum propellunt.* Isthæc enim præcipua est conruptæ caussa eloquentiæ, adtestante Dialogi ejusdem argumenti Scriptore cap. XII. *Nam lucrosa hujus, & saginantis* (sic legit Lipsius) *Eloquentia usus, recens, & malis moribus natus, atque, ut tu dicebas Aper, in locum teli repertus.* Idemmet & carmini obfuit, quo minus *sano colore eniteret*, ut supra dixit Petronius, cap. 2. prius autem Horatius ad Pisones vers. 330.

——— *Ad hæc animos ærugo, & cura peculi,*
Quum semel imbuerit, speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, & lævi servanda cupressu?

Bourdelotius nuper edidit *Ambitioni*, prius autem Plantinus; & viris doctis jam olim non displicuit.

Sicut omnia.] Mirifice & hic ævi sui mores exprimit, cui sæpius postea succinit Martialis, scite admodum, lib. 4. Ep. 56.

Sordidius nihil est, nihil est te spurcius uno
Qui potes insidias dona vocare tua.
Sic avidis fallax indulget piscibus hamus:
Callida sic stultas decipit esca feras.

Acutissime vero lib. 5. Ep. 18.

Odi dolosas munerum & malas artes.
Imitantur hamos dona: namque quis nescit,
Avidum vorata decipi fcarum musca?
Quoties amico diviti nihil donat,
O Quinctiane, liberalis est pauper.

Et passim alias. Adpositum erit potissimum hocce Commentum, si τὸ *Ambitioni*, quo proba lectio est, nempe prætuleris.

Quum ad vota properant.] Sic inferius in Trojæ Haloi cap. LXXXIX. *In vota properant*, ubi fors plura.

Verba atroci stilo effoderent.] Atroci, id est, rigido ac censorio, lituique minime parcenti. De hacce autem veteri scribendi ratione, stilis nempe in tabellis ceratis, jam Turnebus. Paucula nos addimus abs re haud abhorrentia. *Graphium* stilus vocatur à Græco γραφεῖον. Sic habet epigraphe Ænigmatis 1. apud Symposium, ubi eleganter ejus forma, & usus describtus. Sic & Seneca utitur lib. 4. Quæst. Nat. cap. cap. VI. Inde *Graphiarium* theca, aut vagina Graphiorum. Martialis lib. 14. Ep. 21.

Hæc tibi erunt armata suo Graphiaria ferro:
Si puero dones, non leve munus erit.

Tabellæ vero dictæ *Pugillares*, & ἁπλῶς *Ceræ*. Plinius Junior lib. 1. Epist. 6. totam rem confirmat: *Erant in proximo non venabulum aut lancea, sed stilus & pugillares. Meditabar aliquid, enotabamque; ut, si manus vacuas, plenas tamen ceras reportarem.* Erant à numero foliorum Pugillares *Duplices* vocati, *Triplices*, *Quincuplices*, &c. Martialis Apoph. Fuit etiam Græcis in usu, observo ego, ipse scribendi modus: Laërtius in Antisthene: Πρῶτος τὸ Ποντικὸν μειράκιον, μᾶλλον φοιτᾶν αὐτῷ, καὶ πυθόμενον τίνων αὐτῷ δεῖ, φησὶ, βιβλιαρίῳ καινῷ, γραφείῳ καινῷ, καὶ πινακιδίῳ καινῷ, τὸν νῦν παρεμφαίνων. *Pontico adolescenti, quum se illi in disciplinam dare vellet, rogaretque, quanam re sibi opus esset; Libro, inquit, novo, & Stilo novo, novaque Tabella, animum significans.* Sis autem videre expressa Antiquorum graphia, apud Pignorium sunt, opere De Servis, Ursinum, alios.

Ut, quod vellent imitari, diu audirent.] Præcipuum ferme Imitationis præceptum. Nam sicut nemini cutis, aut color (quæ Viri docti similitudo est) certave corporis constitutio ex epulis provenit, quas leviter adtingit, sed ex quotidiano videlicet pastu, quo longo tempore vegetatur & alitur, sic nisi vestigiis illius, quem æmulari inprimis cuique propositum est, quilibet institerit diu, eidemque constanti adsiduaque opera adsueverit, ipsam omnino perdet, nec ejus habitum induet, quem repræsentare conatus est. Sic enim docuere Grammaticorum, ac Rhetorum filii; sic & plurimis exemplis, si satis non liqueret, facile utique nos palam facere possemus. Notum est Demosthenem omnium, non solum decem Oratorum, facile Principem, uti Thucydidem Historicum eximium effingere tandem aliqua in parte potis esset, octiens manu sua descripsisse, Luciano, & Procopio testantibus; sed nolumus in re clara diutius immorari.

Quod quisquis perperam discit, in senectute confiteri non vult.] Cicero in Lucullo: *Deinde infirmissimo tempore ætatis, aut obsequutus amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis judicant: & ad quamcunque sunt disciplinam, quasi tempestate, delati, ad eam, tanquam ad saxum, adhærescunt.* Sive de iis loquitur Petronius, qui, ut ne usquam fateantur, quid nescire, nequaquam à sapientiore sese erudiri unquam perpetientur. Ferum sane illud pecus, impurissimum tamen, pro pudor! omnium viventium ex eorum grege fieri passus sum sat temporis mihi familiarem; ab ipsius autem stultitia, ac turpitudinis sordibus tandem abhorruit animus, arcuitque longissimum.

Sed, ne me putes improbasse Schedium Luciliana humilitatis.] Mirum est, quantum negotii Interpretibus Petronii locus iste facessierit. Quod sic autem sit retinendus,

nendus, vel Appulei simillimus alter possit satis convincere; inquit ergo in Floridis: *Sed, ut me omnisariam noveritis, & in isto, ut ait Lucilius, Schedio incondito experimini, an idem sim repentinus, qua & præparatus.* Recte insuper ad rem & Glossæ Veteres: *Σχέδιον, Ex tempore dictum.* Tale Agamemnonis effinxit carmen. Huc facit & S. Isidorus lib. 6. Orig. cap. 14. *Scheda est, quod adhuc emendatur, & necdum in libris redactum est.* Apertius autem Festus ore Paulli: *Scheda genus navigii inconditum, id est, trabibus tantum inter se nexis factum, unde mala poëmata Schedia adpellantur.* Idem igitur *Schedia*, *Scheda*, & *Schedium*. Cæterum & ad Jamborum humilitatem itidem Lucilium descendisse, ex nonnullis scilicet, qui in priscis Grammaticis reperiuntur, conligere est.

Cap. V. *Artis severæ si quis amat effectus.*] Versiculorum horumce miserum fatum. Nam haud secus, ac si ex argilla cerave picti factique essent, quisquis, ut ad illos accessit, denuo ad libitum suum effingere neutiquam cunctatus est. Contra, nos veteres, ac vulgatas lectiones adserentes (quod institutum toto fere in opere servandum proposuimus) veram ex eis Petronii mentem elicere conabimur. *Artis severæ* omnino retinendum; plane enim supra, cap. IV. *Severam Legem*, quam nunc *Artem Severam*, adpellavit, verba sunt: *Parentes objurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos SEVERA lege proficere.* Ac deinde eodem capite *Severam Lectionem* sic illis instituit: *Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi juvenes lectione SEVERA mitigarentur.* Minime etiam τὸ *Effectus* mutandum, *Artis* quippe *Severæ Effectus* est, Arbitro ipso Auctore, *Grandis illa Oratio, quæ majestatis suæ pondus nimirum habet.* Quam autem ut perfecte juvenes consequantur, tot erudita præcepta tradere, nunc adgreditur.

—— *prius more*
Frugalitatis lege polleat exacta.]

Ista prorsus est ex priscis scripturis concinnior, quapropter omnibus prætulimus: neutiquam tamen nobis permisimus in recentiorum commentationum prolixam segetem manum videlicet immittere. Richardi vero adridet interpretatio; facit, *prius-more* unum verbum, id est, more prisco, & veterum Eruditorum consuetudine. Id genus junctorum vocabulorum in optimis Scriptoribus exempla plura. Ceterum, *polleat*, *polleat* loco, quum ea itidem V. C. Scriptura sit, decenti satis sensu recipi quoque potesset. In voce autem, *Exacta*, latere mendum, jam olim suspicabar, quum *Frugalitatis Exactæ* apud Senecam meum mentionem reperissem lib. de Brevitate vitæ cap. 18. *Non deerunt*, inquit, *& Frugalitatis Exactæ homines*, &c. Mutationem sane committi, valde fuit prorsum: è quippe diphthongi, facillimum fuit, oblitterari, nondum tamen in textum admisi, ne, quum aliorum audaciam criminarer, ad eumdem lapidem viderer impingere.

Nec perditis addictus.] Videtur Henricus Stephanus primum reperisse: *Nec perditis abditus.* Unde, *nec in popinis abditus* fecit, quod nec nobis displicuit, ne minimo intervallo bis, *addictus*, repeteret.

Obruat vino Mentis calorem] Quintilianus parissime lib. I. cap. II. *Qui corporis cura Mentem obruerunt.*

Neve plausor in scena.] Ingenui namque etiam plaudendo addicti. Insignis est Suetonii locus in Nerone, unde & plausuum genera simul edisscimus; nescio, an alibi ipsorum exstet memoria; inquit ergo cap. 20. *Neque eo segnius adolescentulos equestris Ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissimæ juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, Bombos, & Imbrices, & Testas vocabant.* Tacitus autem eos plausores, *Equites Augustinos*, adpellavit. Fuit & plaudendi genus aliud, quod, *Scabellorum crepitum*, vocavere. Ipsum indicat factum Cicero pro M. Cælio, post Mimi, aut Fabulæ exitum: *Deinde scabella concrepant, aulæum tollitur.* Meminit & Suetonius in Caligula cap. 54. & Arnobius lib. 2. Ceterum de plausus genere manibus inter se percussis, alibi plura.

Sed sive armigera rident Tritonidis arces,
Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,
Sirenumque domus.] Sensum istorum versuum cape:
Sed sive armigera rident Tritonidis arces,
id est, si stylo Attico ille delectatur. Athenarum arcem à Tritonide Minerva conditam esse, ipsamque urbis Tutelam audiisse, vulgaris res est. Et
Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,
sine Laconico stylo. Lacedæmon urbs erat princeps regionis Laconicæ.

—— *Sirenumque domus* ——

sive stylo Siculorum Oratorum, illi enim proprium habebant, & ab aliis distinctum: de quo Cic. in libb. de Oratore, aut, ni fallor, in Bruto. Sirenas autem Siculum mare littusque inhabitare, credebant Antiqui, Statius lib. 2. Syl. Epic. in Glauc. Melior.

Nec, si tergeminum Sicula de Virgine carmen
Adfluat. ——

Hancce fuisse Petronii mentem, nullus ego dubito, nescio tamen, silent omnes Interpretes alii, quidnam senserint. *Rident*, id est, adridenti. Sic Plauto Catullo, aliis.

Det primos versibus annos] *Laborum*, quos dixit supra, hosce designat *gradus*. Primus *Poësis*, in quo Homero adsuefacere sese Tyrunculum, exertim jubet. Dein *Philosophia*, cujus quum variarum Sectarum placita devorarit (id per *Socraticum gregem* innuit non oblique) Discipulo mutandas habenas præcipit, ut totum videlicet sese *Oratoriæ* manciper *Exercitationi*, qua *Græcæ*, qua *Latinæ*, ita tamen Poëtices interdum delinimentis interspersis, ut ex forensis arenæ labore, si forte oppressus, recreari animus possit, reficique. Illud est.

Interdum subducta foro det pagina cursum,
Et fortuna sonet celeri discincta meatu.
Dent epulas, & bella truci memorata canore.

Sic flumine largo
Plenus, Pierio defundes pectore verba.]

Eadem fluminis metaphora usus cap. CXVIII. poëtam instruens: *Neque concipere, aut edere partum mens potest, nisi ingenti Flumine Litterarum inundata.* Ratione haud absimili, paullo ante Homerum *Mœonium Fontem* vocavit. Verborum,

——— *Pierio defundes pectore verba,*

eadem adhuc Allegoria est; ait ergo, ex *Pectore*, velut Musarum ex monte *Pierio* (unde ipsæ *Pierides* dictæ) verba defundes in perennis fluminis modum, ex montibus namque fundi flumina dicuntur. Sic fluvius Nonno Ὀρεσσίχυτος, *ex montibus fusus*, Ὀρειτρεφὴς Tryphiodoro, & ipsi Arbitro cap. CXXIII.

——— *Mox Flumina montibus altis*
Undabant modo nata. ———

Cap. VI. *In hoc dictorum æstu.*] *Æstus* hic dubia mentis est fluctuatio, ducta ab mari metaphora. Pariſſime transfert Plinius Nepos, quum Suetonium Tranquillum consulit de suorum versuum recitatione: scilicet, an ea in re libertum suum experiatur, siquidem parum omnino fidat ipsusmet sibi: *Explica Æstum meum, audio me male legere duntaxat versus.* Et postea iterum: *Iterum dicam, explica Æstum meum, vereque rescribe, num sit melius, &c.* Virgil. lib. 8. Æneid.

——— *Magno curarum fluctuat Æstu.*

Sic *Salum* usurpavit Appulejus initio lib. 4. Miles. *Ego igitur quum in isto cogitationis Salo Fluctuarem*, & iterum lib. 9. Itidem & κλύδων Græci transferunt. Eustathius lib. 6. de Amorib. Ism. & Ism. plures.

Totus.] Hæc probior lectio, uti Horatii illud, lib. 1. Sat. IX. vers. 2.

——— *Totus in illis.*

Et lib. 1. Epistol. 1. vers. 11.

Quod Verum atque decens curo, & rogo; & omnis in hoc sum.

Sic passim ὅλος Eustathio in Amor. Ism.

Ab extemporali declamatione.] Extemporalium Declamationum studium, veluti eximium ingenii prompti decus, magni priscis Oratoribus habitum. Earum ideo exercitationum crebra memoria est apud Græcos Rhetores, & Romanos. Αὐτοσχέδιον vocabant Græci, & ἑτοιμον, aliterque & aliter. Præparatæ orationi opponebant *Repentinam.* Celsus *Subitariam dictionem* adpellat, Quinctilianus, ut Arbiter, *Extemporalem*; Cicero *Subitam & fortuitam orationem;* Martialis autem *Rhetorem* ipsum *Extemporalem.* Eleganter Tacitus, sive quisquis est Auctor Dialogi de Oratoribus, cap. VI. *Sed Extemporalis audacia, atque ipsius temeritatis vel præcipua jucunditas est. Nam ingenio quoque, sicut in agro, quamquam alia diu serantur, atque elaborentur, gratiora tamen, quæ sua sponte nascuntur.* Simularunt autem & pluries subdoli Sophistæ, & quum parati ad dicendum venerant, videri tamen satagebant ex tempore dicere, quod etiam indicat Hermogenes. Et Fabius Quinctilianus lib. 10. cap. 7. *Quemadmodum Extemporalis facultas paretur*, docte tradit, fuse vero ecce jam Viri eruditi.

Qui Agamemnonis suasoriam exceperat.] Id est, qui Declamare inceperat, postquam Agamemnon desierat. Usus est haud inelegans verbi, *Excipere.* Sic Cicero: *Hunc Labienus Excepit*, hoc est, Labienus loqui cœpit, simulac ille alter finem fecerat; sic Virgilius lib. 4. Æneid. vers. 114. ubi post Veneris orationem incipit Juno:

——— *Tum sic Excepit regia Juno.*

Agamemnonis suasoriam.] Non isthæc de Agamemnone Suasoria, qui Iphigeniam filiam immolare recusabat, ut voluit vir doctissimus, insigniter deceptus. Argumentum sane fuit, quo plures olim Declamatores exercitati. Sed ipsus apud Petronium Agamemnon Rhetor est, qui Suasoriam declamaverat, cujus disertim cap. 2. mentio: *Non est passus Agamemnon me diutius declamare in porticu, quam ipse in schola sudaverat.* Enimvero postquam Suasoriæ finem imposuit, cum Encolpio de caussis conruptæ eloquentiæ, ut visum est, edissertavit, interea vero perorans, qui ipsum excepit, subitaneam declamatiunculam; cujus videlicet sententias, inquit Petronius, ridebant Scholastici, ordinemque dictionis infamabant. Quod utique minime etiam capiendum de suasoria Agamemnonis, uti novissimus sentit interpres. Intempestiva, quod ajunt, Minerva, Petronius in medium protulisset Scholasticos antiquam jam, memoriaque obliteratam carpentes Declamationem; Extemporaneæ vero parcentes, recentique.

Cap. VII. *Et, rogo, inquam, mater.*] Comis, blandaque compellatio, pariter Appulejus itidem ad aniculam, lib. 1. Metam. *Remato, inquam, joco, Parens optima, dic, oro,* &c. Idem lib. IV. Metam. *Parce, inquit, mi Parens.*

Divinam ego putabam.] Hoc est, Sagam. Aperte Appulejus ipsus. lib. 1. Metamorph. *Saga, inquit, & Divina, potens cœlum deponere, terram suspendere,* &c.

Centonem anus urbana rejecit.] Ego centonem istum jam pridem Encolpii faciebam, ut in hoc anicula insuper peregrino imponeret, ejus in turpitudinis loco caput aperiens, ubi operiundum potius. Hocce fulcitur sequentibus, quum Encolpius ait: *Exsecratus itaque aniculæ insidias, operui caput, & per medium lupanar fugere cœpi in aliam partem.* Operuit ergo caput, à vetula quippe nudatum. Operiendi autem modum vide apud Lipsium De Amphith. cap. 20. Barthium postea hujusce sententiæ suffragatorem animadverti acciri potesse. Ceteri namque hic nugipolyloquides mirifici.

Nudasque meretrices.] Nudæ prostabant in cellis olim meretrices. Talis apud Horatium, lib. 2. Sat. 7. meretricis periphrasis est:

——— *sub clara NUDA lucerna*
Quæcunque excepit turgentis verbera caudæ.

Juvenalis Sat. 6.

——— *tunc*

——— *tunc NUDA papillis*
Proſtitit auratis ———

Factum enim, ut commodei nſpici amatoribus poſſent, ne qua labe deciperentur occulta. Plane P. Vinitius apud Senecam Rhetorem, lib. 1. Controvers 2. *NUDA in littore ſtetit ad faſtidium emptoris: omnes partes corporis & inſpecta, & contrectata ſunt.* Id autem eouſque in uſu fuit Majoribus, ut inſpectionem illam paterentur honeſtæ matronæ. Suetonius ſic in Auguſto, cap. LXIX. *Et conditiones quaſitas per amicos, qui matresfamilias, & adultas ætate Virgines Denudarent, atque Perſpicerent, tanquam Thoranio mangone vendente.* Fors autem *Nuda*, quia indutæ pellucidis veſtibus; diſertim videtur dicere Publius Mimus:

Palam proſtare Nudam nebula linea.

Ubi nos plura.

Operus caput.] Nam antea aperuerat anicula, jam ſupra nos ad verba: *Centonem anus urbana rejecit.* Tangit etiam hic ſcortatorum morem in lupanaribus. Ideo, ut novum, notatum illud Plauti Paraſito Captiveis 3. 1. 15.

Ipſi de foro tam Aperto capite ad Lenones eunt,
Quam in tribu aperto capite ſontes condemnant reos.

Sed plura hic Interpretes.

Æque laſſus, ac moriens Aſcyltos.] Adridet mihi admodum hæc lectio; ait, *æque laſſus*, ſcilicet atque ego; paullo ante de ſeipſo Encolpius inquit: *Donec in curſu fatigatus, & ſudore jam madens*, ac poſtea de Aſcylto itidem: *ſudorem manibus deterſit.* Elegantiſſime dixit, *moriens*, ut anhelantem exprimeret, notum enim eſt, animam tunc temporis ſpiſſius duci. Pariſſime Propertius, El. 10. lib. 1.

Quum te complexa Morientem, Galle, puella,
Vidimus.

Nec longius abit idem Petronius, cap. XCVIII. *Ne Morientes vellet occidere.*

Cap. VIII. *Per anfractus deinde obſcuriſſimos egreſſus.*] Sic ſuperius cap. præcedenti de eodem lupanari dixit Encolpius: *At ſubinde, ut in locum ſecretiorem venimus.* Utrumque etiam de domo Lenonis, haud ſecus atque de Lupanari, dixit Plautus Pœnulo. Act. 4. ſc. 2.

——— *Itaque in totis ædibus*
Tenebræ latebræ ———

Remota igitur ut plurimum loca illa; nam ſcortatores, & ganeones Ædiles metuebant. Illud eſt etiam Petronii cap. præced. *Video quoſdam inter titulos, nudaſque meretrices, FURTIM conſpatiantes.*

Prolatoque peculio.] Hunc locum Interpretes parum honeſte capiunt, puto ego, & minimum vere. Plane enim Antiquus Grammaticus convincit, cujus ex veteri Lexico teſtimonium profert Bongarſius; ubi, ad confirmandum *Peculii* voce *aſſem* vel *denarium* ſignificari, iſtemet Petronii locus Lexicographo laudatur. Pecuniæ etiam ſignificatione utitur eo & alibi Arbiter: *Jovem*, inquit, *quoque Peculio exorat.* A pecu, cujus effigie primum æs ſignatum, *Pecuniam*, *Peculium* dictum, pueris eſt notum.

Jam pro cella meretrix aſſem exegerat.] Hæc lectio optima eſt, non vero, ſi unica dictio, *Procella*: ſenſus enim eſt narrationi convenientiſſimus, nimirum pullipremonem illum in meretricis cellulam Aſcylton deduxiſſe; ipſam autem cellæ popoſciſſe mercedem. Qui vero ad ſcorti capturam detorquent, mirifice ineptiunt.

Mihi injecerat manum.] Manum injicere, vulgare, ſed hic ambigue poſitum. Nam *Manus* verbum impurum eſt, ac penem ſignificat. Plautus in Pſeudolo Act. 3. ſc. 1. 19.

Atque edepol nunc male eum metuo miſer,
Si quiſpiam det, quoi Manus gravior ſit.

Ubi æque anceps locutio, ibique plura Comici Interpretes.

Et niſi valentior fuiſſem.] Plinius ep. ult. lib. 8. *Longeque Valentior amor ad obtinendum, quod velis.* Sic Roma prius dicta *Valentia.* Solinus cap. 2. & Feſtus in Roma: *Appellaviſſe à Viribus regentis Valentiam.* Inde Hiſpanorum, *Valiente.* Idem eſt cap. XCI. *Fortior*, Petronio, ibi & huic loco facem præferimus.

Satyrion bibiſſe.] Potio eſt ad Venerem concitandam. Ideo cap. XX. vocavit *Medicamentum.* Plinius ſic, lib. 26. cap. 10. de Satyrio Erythmico, inquit: *Venerem, etiamſi omnino manu teneatur radix, ſtimulat. magis adeo, ſi bibatur in vino auſtero. arietibus quoque, & hircis ſegnioribus in potu dari. Et à Sarmatis equis ob aſſiduum laborem pigrioribus in coitu, quod vitium Proſedamum vocant.* Puto Satyrii *ſemen* etiam (ut de bulbis dicemus poſtea) Plinium ibidem innuere *ſimile teſtium eſſe.* Adjuvat enim partem, quam illud repræſentat. Alia vero apud Petronium potio eſt Veneris Languentis ſuſcitabulum, nimirum *Myrrhina*, teſte Fulgentio lib. 3. Mythol. ecce ejus verba: *Unde & Petronius Arbiter, ad libidinis concitamentum, Myrrhinum ſe poculum bibiſſe refert.* Quod in fragmentis infra occurrit. Ubi quum ejus rationem reddat ab ipſa Myrrhæ natura petitam, nullus omnino Hadriani Junii emendationi relinquitur locus, ſubſtituentis *Myrinum.* Animadvers. lib. 5. cap. 19. quam etiam ipſe Mythologicus ſcriptor altero inſuper Sutrii Comici teſtimonio non leviter oppugnat, ibidem ipſum vide. Addimus vero ab eodem Plinio Secundo edocti, *Satyrii* nimirum nomine herbas etiam alias Græcis cognominari, quæ Veneris tamen procul dubio forent incentivæ, ex quibus nominatim *Crategin*, & *Thelygonon* deſignat, additque: *In totum Græcos, quum concitationem hanc volunt ſignificare, Satyrion adpellare;* quæ omnia Arbitri ſunt interpretamenta, præterquam quod certo certius ſit, tunc temporis Romæ inſignem aliquam potionem frequenti admodum in uſu fuiſſe, quæ ab effectu ſuo *Satyrion* vocaretur, quod vel unus Petronius ſatis poteſt oſtendere, cap. XX.

Junctis viribus moleſtum contempſimus.] Plane ſatis ex fragmenti hujuſce, & ſuperioris ſententia cognoſcitur,

tur, longas scilicet eventuum narratiunculas, qui Aeschylo, diversorium quærenti, contigerunt, nobis à malignitate temporis esse subreptas, nec uspiam modo (pro dolor!) comparere.

Cap. IX. *Quasi per caliginem.*] Proverbialis locutio, qua significatur aliquid haud perspicue videre. Cic. 12. Philip. cap. 1. *Quod videbam equidem, sed quasi per Caliginem.* Et lib 5. de finibus. *In infirma ætate, imbecillaque mente vis naturæ per Caliginem cernitur.* Idem erat, *per Nebulam.* Plautus in Pseudolo Act. 1. sc. ult.

Sunt quæ te volumus percontari, quæ quasi
Per Nebulam nosmet scimus, atque audivimus.

Etiam *per somnum*, Græcis κατ' ὕπνον, quo usus Plato lib. 7. de Legibus. Latius vero Adagiographi.

Quum quærerem.] Hiatum hic, etsi non magnum, agnosco; minime enim cohæret, puerum Gitona *in Crepidine Semitæ stare*, & nulla interjecta mora, *super lectum sedere:* quod asterisco, defectus indice, (uti nos fecimus) debuit notari.

Manantes lacrimas pollice extersit] Prior lectio, *Expressit;* nec loco erat inepta; nota enim ars ista pullorum Veneris, qua soliti suppetiari lacrimarum defectus; illud Virgilii est lib. 2. Æneid.

——— *Captique dolis, Lacrimisque Coactis.*

Sic locum Servius legit, cui parissime Juvenalis, Sat. 13.

——— *Vexare oculos humore Coacto.*

Item Ovidius 6. Metam.

Invitique oculi Lacrimis maduere Coactis.

Et Eleg. 8. lib. 1. Amor.

Quin etiam discant oculi Lacrimare Coacti.

Quæ ideo adduxi, ut Scholiastæ scripturam obiter firmarem, immerito pæne ab omnibus sollicitatam; quum & plurimi sint in illa disciplina Poëtæ omnes. In textu tamen, *Exterſit* retinuimus; optime quippe ea voce mos puerorum lacrimantium exprimitur: eo etiam mirifice facit Nasonis locus lib. 13. Metamorph.

Quas ubi marmoreo DETERSIT POLLICE VIRGO.

Et Epist. Heronis:

Dumque queror, LACRIMÆ per amantia Lumina MANANT,
POLLICE quas tremulo conscia siccat anus.

Plura autem Interpretes. Novum vero illud est, nec absonum, Papinii in Lucani Gen.

Sic fata est, leviterque decidentes
Abrasit lacrymas nitente plectro.

Muliebris patientiæ scortum.] Scorti masculi periphrasis est, cujus simillima forma & cap. LXXXI. quum inquit: *Qui opus Muliebre in ergastulo fecit*, utiturque eleganter tertium quoque eodem locutionis genere, cap. XXV. *ut Muliebris Patientiæ legem posset accipere. Gladiator obscœne, quem de ruina arena dimisit.*] Triplex olim pegmatum genus; sic omnino distinguenda sunt, *Triumphale, Theatricum, Amphitheatricum. Triumphalia* Pegmata Fercula erant, non Αὐτόματα. Machinis ergo illis Triumphalibus Imagines Captarum Urbium deportabantur, fluviorum, montium, & marium, pompæque Triumphalis erant non minimum ornamentum. Ipsas graphice describit Josephus lib. 7. De Bell. Jud. cap. 24. *Theatralia* sive *scenica* in Theatri scena machinabantur Antiqui Tragicis actionibus ut plurimum deservientia, quorum apud Servium exstat adcurata delineatio ad lib. 3. Georg. Ast *Amphitheatralia*, de quibus Petronio impræsentia sermo est, præ omnibus sane erant insignia, qua magnitudine, qua inventis variis mirabilibusque, & lusibus ingeniorum stupendis; ea Seneca Ep. 91. conatur exprimere. Illæ igitur miræ erant contabulationes, quæ machinamentis occultis vel adtollebantur, vel deprimebantur. Iis insuper & facinorosi homines erant impositi, ut vel pugnam inibi inter se, uti Gladiatores, committerent; vel, solutis mox compagibus Pegmatis, in Caveam, sive Arenam, ubi aut Ignis, aut feræ erant de industria positæ, præcipites ruerent. Quæ omnia, ex Strabone, Apulejo, Claudiano, & Suetonio satis superque firmarunt vir doctissimus Justus Lipsius, Josephus Scaliger, & Isaacus Casaubonus. Unde jam quisque animadvertet clarere Petronium, quum Gladiatorem illi Pegmarem, uti Tranquillus loquitur, Encolpium hic esse factum, palam jam sit. Ipsus enim in pegmate populo exhibitus, & cum femina aliqua omnium turpissima, ut *Gladiator*, compositus, unde *Obscœnus* jure adpellatus (non dissimili schemate, ait Lipsius, quo Asinus Appulejanus) felici quodam sidere Ruina pegmatis ex Arena præter spem evasit. Eodem utique pertinet locus, cap. LXXXI. *Ergo me non RUINA Terra potuit haurire? Non iratum etiam innocentibus mare? Ausugi judicium, ARENÆ imposui, &c.*

Quem de ruina arena dimisit.] Ὕστερον πρότερον in verbis est. Sunt autem, qui quavis sponsione adfirmare non dubitent, trajectis voculis locum sic esse scribendum: *quem de arena ruina dimisit.* Nobis vero, nihil mutare, visum.

Pugnasti.] Verbum etiam impudicum, *Pugnare*, ut pœne omnia alia, quæ militiam spectant. Cornelius Gallus, sive quis ille est:

Fortis ad occasum ni Pugnem Solis ab ortu,
Detrahat ignavo protinus arma Venus.

Haud secus infra cap. XIX. illis præsertim, qui locum eum subturpiuscule cogitant: *Ut si depugnandum foret, &c.*

Cujus eadem ratione in viridario frater sui, qua nunc in diversorio puer est.] Vulgata hæc Lectio omnino servanda. Verba sunt Aeschylti ad Encolpium. Itaque τὸ *Cujus* ad ipsum Encolpium referendum, nequaquam ad Mulierem. Recte quidem, nam ipsus Aeschyltos præposteram quoque patiebatur libidinem, sic paullo ante ad ipsum Encolpius: *Quid dicis, inquam, muliebris patientiæ scortum.* Quo facit etiam & illud Gitonis ad Encolpium de Aeschylto: *Tuus, inquit, iste Frater,*

seu

seu Comes. Ex occulta ergo libidinum conlatione, nempe sui, & Encolpii, suam minorem palam ostendere in præsentia Ascyltos conatur; utpote, qui Gitonem sollicitaret, Encolpius vero jampridem Ascylton. Quod valde tempestive Ascyltos hic procul dubio illi exprobrat. Elegans autem est illa circumlocutio, cui adfinem & Luciani dabo aliam in Gallo, quum de Pythagora, qui postea, ut ajebat ipse, Aspasia fuit meretrix, inquit sutor Micyllus: *σὶ ἦν φασι, καὶ Πυθαγόραν ὄντα τὴν ὥραν λαμπρὸν, πολλάκις Ἀσπασίαν γενέσθαι τῷ τυράννῳ. Nam ajunt, te etiam tum, quum Pythagoras esses, venusta forma decorum, sæpius Aspasiam fuisse Tyranno.* Pariter etiam Ovidius loquutus in emendatissima Medeæ Epistola:

Hoc illic Medea fui, nova nupta quod hic est.

Subduxisti te, inquam, à Præceptoris colloquio.] Subintelligit, ut Gitonem quæreret, quæ unica dividiarum Origo. Itaque verba isthæc ἐμφατικῶς præferenda, mentem autem intimam Encolpii verbum *Subducere* eruit, ostenditque nobis, quod ibi est, clanculum scilicet de loco discedere: qua notione sæpe eo alias utitur Petronius, supra cap. VI. *Oportune Subduxi me.* Sed plura exempla exhibebit Siren. Ast vero Ascyltos vindicat se ab suspicione, ratione verisimili; telumque avertit, quod callide etiam non vult agnoscere, ideoque subdit cap. seq. *Multo me turpior es tu, hercule, &c.*

Cap. X. *Sententias, id est, vitrea fracta.*] Miro acumine *Sententias* Declamationum confert cum *Vitreis Fractis*, cui adstruendo, ac demonstrando opera nostra neutiquam erit necessaria, siquæ de illis apud Senecam Rhetorem Portius Latro supra scitissime protulit, utique & nunc opportune in memoriam verbatim revocentur. Sententias enim ipsas esse, veluti orationis membra divisa atque disiuncta, plane ibidem agnosces.

Et somniorum interpretamenta.] Nihil contemtius diceret Ethnicus homo, nedum quippe nauci habita illis Somniorum Interpretamenta. Audi ergo comparis hominis adsensum, ut vel inde discant, qui CHRISTUM DOMINUM induerunt, tandem resipiscere. Ennium, inquam, Tragicum Telamone, cujus aurei versus jure merito legantur pluribus in locis:

Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos haruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos conjectores, non Interpretes Somniûm:
Non enim sunt ii, aut scientia, aut arte divinei:
Sed superstitiosi vates, impudentesque hariolei,
Aut vvertes, aut insanei, aut quibus egestas imperat:
Qui sibei semitam non sapiunt, alteri monstrant viam:
Quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsei petunt.
De his drvitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.

Communes sarcinulas partiamur.] Adlusio mera est ad formulam repudii, de qua infra Juvenalis Sat. 6.

Collige Sarcinulas, dicet Libertus.

Communium Sarcinularum partitionem subindicavit Martialis verbis illis:

Quæ tua sunt, tibi habe; quæ mea, redde mihi.

Et Plautus in Amphitruone, Act. 3. sc. 2. Quo etiam & Petronii facit illud post, cap. 79. *Sed postquam optima fide partiti manubias sumus.*

Et tu litteras scis.] Quasnam *litteras* innuit Eumolpus, an *Librariorum*? ipli etiam audiebant *Litterati*. Plane Cornelius Nepos in Attico: *Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima: si forma, vix mediocri; namque in ea erant pueri Litteratissimi, anagnostæ optimi, & plurimi Librarii, ut ne pedissequus quidem quisquam esset, qui non utrumque horum pulcre facere posset.* Anne *Grammaticorum?* notissimum enim est, & illos *Litteratos* esse dictos, & *Litteratores.* Inde petivit jocum Cæsar, quem refert Tranquillus: *Sulla nescivit literas*, quasi dicat, nescivit quod Grammatici est, nempe *Dictare*, id est, Gerere Dictaturam. Utut autem sit, Grammaticum omnino facit Arbiter Ascylton, nam Librariorum professio & inter Grammaticæ partes fuit olim recensita. Disertim D. Augustinus, & ad rem adpositissime 2. de Mus. & 2. de Ord. *Grammatica Græce, Latine Litteratura nominatur; & ipso nomine se profiteri litteras clamat: &, quicquid dignum litteris est, id sibi vindicat. Librariorum, & Calculorum professio velut quædam Grammaticæ infantia est, quam Varro Litterationem vocat. Græce autem quomodo adpelletur, non satis in præsentia recolo.*

Aliquid aliud promittam.] Profitebor. Horatius lib. 2. Epist. 1. vers. 115.

——— *Quod Medicorum est,*
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri.

Et per totam urbem rumoribus different.] Nonius: *Differre, diffamare, divulgare*, & laudat Lucilium, lib. 30. Sat.

Gaudes, quum de me ista foris Sermonibus Differs.

Iterum eodem in libro:

Et maledicendo multis Sermonibus Differs.

Sic etiam Varro lib. 4. de vita Pop. Rom. *Si modo civili concordia exsequi rationem paret, RUMORES famam DIFFERANT, licebit, nosque carpant.* Et Tertullianus c. Apologetici.

Ad cenam promisimus.] Plinius Junior Epist. 15. lib. 1. *Heus tu, Promittis ad cœnam, nec venis.* Plautus Sticho. 4. 1. 8.

Et magis par fuerat, me dare vobis cenam advenientibus,
Quam me ad illam Promittere.

Intelligunt, venire.

Non perdamus noctem.] Prisca formula. Titus Imperator apud Suetonium. cap. 8. *O amici, diem Perdidi.* Idem apud Aurelium Victorem: *Amici, ait, Perdidimus diem.* Martialis lib. 5. Ep. 81.

Durum est, perdere ferias.

Alii.

Amoliri custodem molestum.] *Amoliri*, inquiunt veteres Grammatici, *dicuntur ea, quæ cum magna difficultate, & molimine summoventur, & tolluntur è medio.* Custos iste Ascyltos est, qui diligenter observabat, an luderet cum Gitone Encolpius, ut nactus sic vindictæ occasionem, redditaque scordalo vice, eum increparet, quod ex sequentibus patet.

Cap. XI. *Osculisque tandem bona fide exactis.*] Formula solennis, BONA FIDE, qua uti Veteres in amicitiis ineundis, societatibusve; tempestive ergo addidit illam hic, quippe dissidia præcesserant. Indicat, plane nunc jam cum Gitone in gratiam Encolpium rediisse. Simillime, post civile illud in Licæ navi bellum, omnibusque jam ad pacem revocatis, inquit cap. CX. *Tunc primum Bona Fide puero basium dedit Tryphæna.*

Fruorque votis.] Proprium *voti* significatum, sponsio scilicet est Deo facta, inde & alia pleraque propagata. Id enim, quod suscepti votis poscimus à Deo, vehementer optamus: exin igitur ortum, ut usurpetur *Votum* pro re desiderata, etiamque pro ipsis desideriis. Recte hinc jam Votum & ad nuptias significandas Antiquis traductum: quod, uti autumo ego, nuptiæ Virginibus optatissimæ sint. Sic M. Grunnius in Ludicro suo testamento locutus est: *Sorori meæ Quirinæ, ad cujus Votum interesse non potui, do, lego* Solari hordei modios XXX. S. Ambrosius Serm. 180. *Solent autem homines, sicut mos est, in suis Votis, hoc est, Nuptiis, præcipue saltare, & canere.* Apulejus in Florid. *Togam parari Voto & funeri.* Hinc adluceo facem Claudiano, lib. 1. de rap. Pros. de ipsa loquenti:

——— *Mistaque tremit formidine Votum.*

Frequens est & Petronio Vox variis significationibus, quibus de agimus suis in locis. Hic pro re optata sumendum.

Usque ad invidiam felicibus.] Magna semper & Amoris gaudia Invidiæ sunt obnoxia. Hinc & interpretandum illud ejusdem Petronii, cap. C. *Immo vero nolo habere bona, nisi quibus populus invideri.* Eademque illius apud Propertium mens est, Eleg. 12. lib. 1.

Invidiæ fuimus. ———

Sed de hoc alias fortean latius.

Nec adhuc quidem omnia erant facta.] Extremæ nequitiæ Verbum, *Omnia.* Sic infra cap. LXXXI. *Et, proh pudor, tanquam mulier secutuleja, unius noctis pactu Omnia vendidit.* Et cap. CXXX. *Forsitan dum Omnia concupisco.* Item meus Seneca lib. de Divina Provid. cap. 3. *Quanto magis huic invidendum est, quam illis, quibus gemma ministratur, quibus exoletus Omnia pati doctus, &c.* Nec forte aliunde petendus est jocus Martialis Ep. 97. lib. 7.

Omnia, Castor, emis; sic fiet, ut Omnia Vendas.

Ejusdem quoque notæ est, *Facta*, sed hocce vulgo jam notum.

Quid vesticoncubernium facis?] Valde mihi hoc in loco probatur, *Vesticontubernium:* ad id nimirum verbum conflatum, ut sub eadem veste subindicet cubantes; præcesserat superius: *opertum me amiculo evolvit*, quod utriusque necessario esset tegmen, quum arctissimis essent complexibus adligati. Præterea aliud est non dubium Vesticontubernii specimen Petroniani, cap. CXIV. *Giton vestem deposuit, meaque tunica contectus exseruit ad osculum caput.* Sic in Ovidii Ep. Paris de Helena ac Menelao accubantibus:

Rumpor, & invideo, (quid nunc tamen omnia narrem?)
Membra superjecta quum tua veste fovet.

Et Socrates sæpe fecit, incorrupte tamen, ut alibi dicimus. Sic apud Lucianum in *Vitarum Auctione* idem Socrates profatur: τίς δ' ἂν ἐπιτηδειότερός μοι γένοιτο συνεῖναι καλῷ; καὶ γὰρ ὑ τῶν σωμάτων ἐραστής εἰμι, τὴν ψυχὴν δ' ἡγοῦμαι καλὴν. ἀμείλει κἂν ὑπὸ τούτοις ἱματίοις μοι κατακλίνωνται, ἀκόμη αὐτῶν λεγόντων μηδὲν ὑπ' ἐμοῦ δεινὸν παθεῖν. *Quis magis idoneus me esse queat, qui cum formoso puero versetur? Neque enim corporum amator sum: animam enim formosam esse existimo, & quamquam sub eodem Palliolo mecum recumbant, audies illos, vel ipsis testibus, nihil grave à me perpeti.* Pariter & Sophocles, uti apud Athenæum lib. 13. Dipnosoph. narrat Hieronymus Rhodius, quem adi sis. Frequentissime autem omnium Tyrrheni: de ipsis namque sic Heraclides: πάντες ὑ ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ μετὰ τῶν γυναικῶν κατάκεινται, κἂν παῶσί τινες. *Omnes sub eadem veste cum uxoribus concumbunt, quicumque tandem adsint.*

Lorum de pera solvit.] *Lorum* ad adliganda vestium involucra aptissimum, sic cap. 102. inquit Eumolpus: *Ego vos in duas jam pelles conjiciam, vinctosque Loris inter vestimenta pro sarcinis habebo.* Et ad verberandum; ita apud JCtos *Lora* eidem usui frequentissime adhibentur, Plautum, & alios. Dignum sane, quod de Sallustio Historico narrat ex Varrone A. Gellius, ut haud intempestive etiam legatur; inquit ergo cap. 18. lib. 17. M. *Varro, in litteris, atque vita, fide homo multa, & gravis, in libro, quem inscripsit Pius, aut, de Pace, Cajum Sallustium Scriptorem seria illius, & severa Orationis; in cujus historia notiones censorias fieri, atque exercere videmus: in adulterio deprehensum ab Annio Milone Loris bene cæsum dicit: &, quum dedisset pecuniam, dimissum.* Ast mendosus est plane uno verbo locus in omnibus exemplaribus, quæ mihi videre contigit: alia habent, ut expressimus, alia *Nationes*, alia *Notas*, ex omnibus vero veram lectionem elicimus, nimirum *Notationes*, de quo jam neutiquam est ambigendum.

Sic dividere cum fratre nolito.] Si emendationi hic locus, ita equidem scriberem: *Sic dividere tu fratrem nolito.* Levissima omnium vulgatæ scripturæ mutatione, nequiori sensu apertissime ad Sarcinularum partitionem adludens, quam supra expetivit Encolpius. *Itaque communes sarcinulas partiamur*, inquit, cap. X. Nam verba *Partiri*, & *Dividere* unius & ejusdem sunt impro-

improbitatis, ut constat ex Plauto, observavitque Lipsius Ep. Quæst. lib. 5. Ep. 14. Quæcumque autem scriptura sit, idem plane respectus est.

Cap. XII. *In forum.*] Κλοπαποπωλεῖον aperte innuit, sive *Forum furinum*, ut loquitur Plautus. Graphice, me-Dius Fidius, hic exprimit Petronius morem apud nos usque adhuc prorsus inviolatum, cujus nescio an apud aliam nationem reliqua sint vestigia. Deficiente jam die mercatus incipit: quæ nimirum ridicularia res est, oppido quam fallacibus mercibus numquam ibi emtores deficere. Forum, cujus Petronio mentio, dubio procul est, quod *Vespertinum* adpellavit Horatius lib. 1. Sat. 6. observavitque Casellius, contulitque primus cum Arbitri loco: unde postea Symbolæ mutuatæ sunt. Vulgus hominum nostratium vocat *Baratillo.*

Injecit contemplationem super humeros rustici emtoris.] Et hinc propriam vendentium consuetudinem animadvertere licet, illorum præcipue, qui merces, non quidem preciosas, novasque, venditabant, sed id genus spolia, quibus infima ex plebe emtores pellici consueverunt. Super humeros videlicet venales vestes imponebant, ut inde conspectui facilius apertiusve offerrentur; nos etiam passim videmus, apud quos mores non pauci ex prisco illo ævo desumti neutiquam quidem hucusque obsoleverunt. Res autem adeo est hic exsertim descripta, ut nec minimus jam dubitationi relictus sit locus; pergit igitur narrare Encolpius: *Detraxitque HUMERIS Lacniam, & diligentius tenuit. O lusum Fortunæ mirabilem! Nam adhuc nec futuræ quidem adtulerat rusticus curiosas manus, sed tanquam mendici spolium etiam fastidiose VENDITABAT.*

Timeret fidem oculorum.] Eleganter dictum, miroque *Fidei* usu. eodem quoque cap. xci. locutus: *Quæso, inquit, Encolpi, Fidem Memoriæ tuæ adpella.* Multifariam vero voce ea utitur Petronius hocce in Satyrico.

Cap. XIII. *Nam adhuc nec futuræ quidem adtulerat rusticus curiosas manus.*] Plane Tunica illa duplici panno constabat, recto, & inverso: inter utrumque ergo per commissuram aureos immiserant, postea futuram probe consuentes: cui adhuc rusticus, inquit Petronius, non adtulerat curiosam manum. Ast quænam illa rusticitas, ni stupor potius vocandus est, hominis, qui suspectum non habuit tuniculæ pondus aureis videlicet plenæ?

Depositum esse inviolatum vidit.] *Depositum* hoc aurei ipsi sunt, quos Tunicæ fidei crediderat, apud ipsamque deposuerat, non Tunica, ut male quidam Interpres. Hocce verum est, nam, quod nunc figurate *Inviolatum depositum*, postea recta oratione *Aureos Intactos* adpellat. Etiam nobis, *Deposito*, idem est, &, apud quem deponimus, cujusque fidei committimus, *Depositario.*

Ad interdictum veniret.] Hoc est, in jus ad Prætorem Peregrinum, nam lis erat inter peregrinos & cives. Diversus ab Urbano erat Prætor Peregrinus, qui inter cives & peregrinos jus dicebat. Testantur Pomponius Jureconsultus in l. 2. ff. de Orig. Jur. Festella de Magistrat. cap. 19. plures. Etiam veteres Lapides PRÆTORIS PEREGRINI meminere, qui PRÆTOR INTER CIVES ET PEREGRINOS, juri nimirum dicundo, ipsis quoque nominatur.

Cap. XIV. *Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat?*] Id ipsum de Augusti ævo Cornel. Tacitus 1. Annal. *Invalido LEGUM auxilio, quæ vi, ambitu, postremo PECUNIA, turbabantur.* Quid ergo de Neronis perditissimo sentiendum est?

Ipsi, qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnumquam numis vendere verba solent.]

Verbis, *qui Cynica traducunt tempora cœna*, fictos denotat pecuniæ contemtores: derisores namque opum fuisse Cynicæ Disciplinæ sectatores, notissimum ex Luciano, Laërtio, pluribus. Sic Ausonius de Diogene, familiæ ductore, Epig. 52.

Pera, polenta, tribon, baculus, scyphus, arcta supellex
Ista fuit Cynici: sed putat hanc nimiam.
Namque cavis manibus ternens potare bubulcum,
Cur, scyphe, te, dixit, gesto supervacuum?

At, *vendere verba*, quod Plauto est, *Logos vendere*, Sticho 2. 3. 59. de Causidicis olim dictum, ut convincunt testimonia ab Interpretibus adducta. Ast hic de Judicibus omnino capiendum, vel ipso Petronio interprete, qui addit:

Ergo Judicium nihil est, nisi publica merces,
Atque Eques, in causa qui sedet, emta probat.

Exin & cap. cxix. dixit:

——— ——— *Emtique quirites*
Ad prædam, strepitumque lucri suffragia vertunt.

Ergo judicium nihil est, nisi publica merces.] In Decretis Canonicis 11. quæst. 3. sic scriptum legimus: *Licet advocato vendere justum patrocinium, & Jurisconsulto rectum consilium, sed non licet Judici vendere justum judicium.* Verum etiam adversus Advocatos Lex olim lata, quæ Cincia cognominata est, *qua cavebatur antiquitus, nequis Advocatus ob causam orandam pecuniam donumve acciperet.* Tacitus lib. 11. Annal. & Livius lib. 34. Sed postea *Claudius*, Verba sunt etiam ejusdem Cornelii, *capiendis pecuniis posuit modum usque ad dena sestertia, quæ egressi repetundarum tenerentur.* Ac deinde iterum sub Nerone Senatusconsulto cautum est, *Nequis ad causam orandam mercede, aut donis, emeretur*, ut inquit Tacitus, lib. 17. Anual. Puto id Senatusconsultum esse, quod in Nerone cap. 17. inter alia refert Tranquillus, ecce illud: *Item, ut litigatores pro patrociniis certam justamque mercedem darent.* Ipsa dena sestertia luisse, suspicari proclive est: nam pro justa mercede habita sunt pluribus Principibus. Ademmet Trajanus Advocatis quoque permisit, *perfecte tamen negotiis*, uti ait Plinius Junior lib. 5. Ep. ult. quæ Decreti sui fuit moderatio, nam id procul dubio prorsus vetabat aliquid accipere. Innuit Plinius ipse verbis illis Epist. 14.

ejusdem lib. quibus clarissima lux ex dictis adfulget: *Pauci dies, & Liber Principis severus, & tamen moderatus.* Idemmet honorarium Ulpianus Patronis etiam adtribuit in singulas causas l. 1. de Var. & ext. cogn. Nota vero mihi munerum adpellationes, quibus Patronos donatos, ostendit etiam Plinius; *quam me juvat, quod in causis agendis non modo Pactione, Dono, Munere, verum etiam Xeniis, semper abstinui.* Sed satis jam de his, quæ in gratiam nostri ævi litigatorum dicta sint, misere à Patronis sanguisugis exsuctorum.

Atque Eques, in causa qui sedet.] Equites olim quoque Judiciis adhibiti. Pomponius Lætus de Legibus *Aurelia lege communicata sunt Judicia Senatui, Equitibusque Romanis, & Tribunis ærariis. Eam tulit Aurelius Cotta Prætor.* Quando id factum, refert Cassiodorus in Chronico: *His Coss.* scilicet, Q. SERVILIO, & C. ATILIO SERRANO, *per Servilium Cæpionem Consularem Judicia Equitibus, & Senatoribus communicata.* Verbum autem, *Sedere*, proprium est Judicum. Cic. pro Rabirio: *Modo vos iidem in A. Gabinium Judices Sedistis.* Sed hoc vulgare. Item, *in causa*, vel, *de causa Sedere*, priscis etiam dictum. Apulejus in Apologia: *quod si modo Judices de CAUSA ista SEDERENT C. Fabricius, Cn. Pompejus.* Qui longius abeunt, errant. Sæpius autem Judicialis forma Romæ immutata.

Recuperare potius thesaurum.] Recte. Nam ex Grammaticorum sententia, *Recuperari* dicuntur amissa, quum ad eum, qui ea amisit, integra redeunt. Tuniculam ergo, uti Æsylto videbatur, adhuc erat *intactis aureis plena.* Rusticus autem propritim diceret, Pallium preciosum Redemisse, nam à prædonibus illud recuperarat: quæ vis verbi *Redimere.* Exin *Redimita*, quas Glossæ veteres interpretantur; *Res à prædonibus Redemptæ.*

Præter unum dipondium, sicilicumque.] Misere luxata periodus non minus quam sequens: sed quas Interpretes, ex fide enim MSS. inquiunt, ut tolerari possint, concinnarunt. Sic eas amplexus est & Bourdelotius: itidem fecimus nos, quum meliora nunc præstare non possimus. *Sicilicum*, inquit Festus Pauli, *dictum, quod Semunciam fecet.* Pendebat igitur duas dachmas, quippe Unciæ octo, ut Priscianus docet. Sic Rhemnius Palæmon, de ponderibus & mensuris.

Drachmam si gemines, aderit, quem dicier audis
Sicilicus.

Sicilicum etiam vocabant antiqui Grammatici notam, *quam*, ut tradit Marius Victorinus, *supra litteram, quam geminari oportebat, scilicet imponebant*, quod signum ἀπλῶν *aversam* alibi adpellat; autumo commatis notam fuisse, semicirculum nempe, sive punctum vocis caudatum. *Dipondius*, teste Varrone lib. 8. *duo asses pendebat*; inde Prisciano de ponderibus *numus est bilibris*, erat enim *libralis As.* Itaque *As*, *Libra*, & *Pondo* idem; omnia clare ipsus Varro lib. 4. *Dupondius à duobus ponderibus, quod unum pondus Assipondium dicebatur, id ideo, quod As erat libra pondus.*

Lupinos.] *Lupini* olim vilissimum pauperum cibarium, & aliorum, frumenti inopia; Cynicorum vero adeo creberrimum, ut vix umquam à Cynici pera abesse Lupinos contingeret. Diogenes ipsorum Πρωτότυπον quemdam uti Cynicum instruens apud Lucianum, in Vitarum Auctione inquit: Ἡ πήρα δέ σοι θέρμων ἔσαι μεστὴ, καὶ ὀπισθογράφων βιβλίων. *Peram præterea Lupino, & libris Opisthographis refertam habebis.* Et in Mortuor. Dial. sic Charon ait ad Menippum Cynicum insignem: Δεῖξον τί ἐν τῇ πήρᾳ ἔχεις. Μεν. Θέρμους, εἰ θέλεις, &c. *Ostende quid habeas in pera. MEN. Lupinum, si velis, &c.* Inde Crates apud Aristotelem: ἐκ ἀνδὸς γὰρ ἐκ οἶδα, φησὶν, πήρα δύναμιν ἡλίκην ἔχει θέρμων τε χοίνιξ. *Non equidem perspicuo novi, inquit, quantam vim pera habeat, ac lupinorum chœnix.* Parcimus autem hic pluribus, quæ de illis addere possemus. Miram tamem ipsorum historiam vide apud Theophrastum, lib. 8. Plinium variis in locis.

Itaque ne interim præda discederet, &c.] Aut locus mendo laborat, aut insigni defectu. Ipsi vero in integrum restituendo hodie non sumus, tentabimus tamen sensum ex superstitibus verbis haud indecentem elicere, totam videlicet periodum sic interpretantes. *Itaque ne interim præda discederet, vel minoris pallium addicere placuit*, id est, placuit preciosum pallium parvi vendere, *at precium majoris compendii leviorem faceret jacturam*, hoc est, ut precium, etsi minimum foret, quo illud tunc venderetur, faceret jacturam leviorem illius majoris compendii, quo vendi aliter debuisset pallium ipsum preciosum: nam numis illis ex eodem pallio parvi vendito habitis emere facile possent sordidam tuniculam, aureis tamen prædivitem. Adhuc tamen equidem hæreo; ideo amplius de hocce loco censeo deliberandum.

Conciones.] *Conciones* homines sunt, qui ad clamorem veluti in concionem convenerant. Sic Cic. in Orat. *Conciones sæpe exclamare vidi, quum apte verba cecidissent.* Figurata locutio est Petronio familiaris. Sic post pauca iterum: *Et nescio quis ex Concionibus calvus*, & tertium: *videre acumen non minus Concionum*, &c. Sic cap. CXVII. *Ministeria* dixit pro Ministris, cap. CXXVI. *Crucem* pro Cruciariis, & cap. CVII. *Servitia* pro Notis Servorum. Quod commune etiam aliis Scriptoribus. Catullus mulierem prostituti pudoris vocavit *Lupanar.* Lucilius, & Tertullianus *Carceres* Servos vinctos in carcere: *Ergastula* servos Ergastularios: *Metalla* in Metalla damnatos: Ammianus Marcellinus *Togam* viros Togatos. Capitolinus, & Vulcatius *Affectus* ipsas personas, quæ affectu præcipuo amantur: & id genus alia, quæ Viris magnis jampridem animadversa. Idem prorsus locutionis genus, cap. XCI. quum ad Gitonem inquit Encolpius: *quid dicis peregrini amoris Concessio?* ubi *Concessio* pro eo dicitur, qui conceditur, sic *Optio*, pro eo, qui optatur, dictus Antiquis, is nimirum erat, *qui adjutor dabatur*, Auctore Festo, *Centurioni à Tribuno militum: & quem Centurio Optabat sibi rerum privatarum*

minis-

miniſtrum. Idem docet Vegetius lib. 2. cap. 7. *Optiones ab Optando adpellati*, &c.

Pannuciam] Hujus verbi meminimus ad locum, cap. LXXXIII.

Riſum diſcuſſit.] Riſum eorum, qui ad clamorem confluxerant. Paullo ante: *ſed nullo genere par erat cauſſa noſtra, & conciones, quæ ad clamorem confluxerant, noſtram ſcilicet de more Ridebant invidiam*, quo loci Hiſpaniſmum nota, *nullo genere*, ſic & nos dicimus: *de ninguno genero.*

Cap. XV. *Advocati jam pæne nocturni.*] Argute dictum, *pæne nocturni*, de furibus non manifeſtariis. *Nocturni* autem de Furibus apte dicitur, nam & illis nomen à *Furvo*, qui noctis color; quippe, *Noctem fur diligit*, ut verbum eſt vetus. *Et Fures per noctem, quæ atra ſit, facilius furantur*, ut ait apud Agellium Varro. Propterea *Tenebricolum* Plautus adpellavit Furem, *Lucifugam* Lucilius, Varro etiam *Tenebrionem.* Hinc ergo originem duxiſſe miras voces Gloſſarum S. Iſidori, jam claret: *Furabula, Tenebræ. Furſuraculum, Tenebræ.* Major vero venuſtas & ideo ineſt verbo, *Pæne nocturni*, quod etiam ad diem jam ſeneſcentem, hoc eſt, ad noctis & lucis confinium, ibi quoque reſpectum ſit. Recte igitur, homines, id temporis in publicum egredientes, *veſpertiliones*, vocari Ulpiano, ac Varroni: avis namque veſpertilio eſt, quæ interdiu latet, noctu evolat; ſic etiam furem, quod de die dormiat, ἡμεροκοίτου adpellavit Heſiodus.

Judex querelam inſpiceret.] Forenſe verbum. *Inſpicere*, plane Valerius Max. oſtendit lib. 5. cap. 9. *Inſpectaque diligentiſſime cauſſa, abſolvit eum.* Sic nos, *Ver el pleito, la Viſta de el pleito.*

Sed longe aliud quæri, in utra parte ſcilicet latrocinii ſuſpicio haberetur.] Iſthæc ſimulatio erat Advocatorum; nam, quod unice in votis habebant, nimirum, quod ſubdit, erat: *ceterum adparebat nihil ALIUD QUÆRI, niſi, ut ſemel depoſita veſtis inter prædones ſtrangularetur, & nos metu criminis non veniremus ad conſtitutum.* Itaque neutiquam iſtæ duæ ſententiæ inter ſe repugnant, uti magnum virum credere cognovi. Dicunt mihi, ipſum adſerere: non ſollicitos eſſe Lucifugas illos Advocatos de Judicis in utroſque de furto ſuſpectos animadverſione, dummodo inter ipſos veſtis ſtrangularetur. Nec minus id nos pro certo habemus, qui prius Arbitrum audivimus, unicam ipſorum curam eſſe, *Pallium lucrifacere.* Serio tamen ſimulabant, longe aliam ſollicitudinem habere, *In utra parte ſcilicet latrocinii ſuſpicio haberetur.*

Calvus tuberoſiſſimæ frontis.] Hujus loci interpretatio petenda eſt ab ipſo Petronio, cap. CIX. quum in *Calvos* Eumolpus exacuit ſtilum:

At tunc lævior ære, vel rotundo
Horti TUBERE, quod creavit unda.

Ridiculam ergo faciem exprimit recalvaſtri, cujus videlicet frons ad occipitium uſque, inſtar magni Tuberis glabra, depilataque, tumoribus hinc inde etiam prominentibus, ipſummet reddebat præ cæteris conſpicuum, atque illius nocturnæ Concionis veluti præſidem.

Niſi ut ſemel depoſita veſtis.] Pretioſa ſcilicet, unde claret, quod ſequitur: *Idem plane & nos volebamus.* Aſcyltos, & Encolpius pannuciam tantum vindicare cupiebant, parum quidem de ſplendida veſte ſolliciti.

Non veniremus ad conſtitutum.] Varro de Re Ruſt. lib. 2. cap. 5. *Sed Veniſſet ad Conſtitutum.* Eſt ergo *ad conſtitutum Venire*, adeſſe tempore promiſſo. Nec longius Arbitro petendum commentum. Idem Appulejo eſt, *ad dictum venire*, in Floridis ubi de Philemone: Macrobio, *ex diſpoſito convere* l. 1. Saturn. c. 7.

Votum caſus adjuvit.] Simile illud cap. CII. *ſi nos deſcendentes Adjuverit caſus.* ſic & locutus Symmachus lib. 4. Epiſt. 52. *Modo Eventus Adjuvet deſtinata.*

Nolo quod cupio, &c.] Hos duos verſiculos hic exſulare, & illis adſuendos eſſe, quibus cap. XCIII. locus eſt, ibidem docebimus.

Cap. XVI. *Beneficio Gitonis præparata nos implevimus cœna.*] Id negotii Gitoni commiſſum, præcedentia illa argumento ſunt, cap. IX. *Quum quærerem, Numquid nobis in prandium frater paraſſet, conſedit puer, &c.*

Nos implevimus cœna.] Pariter locutus Plautus ſub Paraſiti perſona, Sticho. I. 3. 19.

Inanimentis Explementum quærito,

Infra rurſus Arbiter cap. XCVI. *Et veluti quodam cibo me Replebam.*

Oſtium ſatis audaci ſtrepitu impulſum exſonuit.] Grajus, ſive Granius, Peliadibus:

Sonat Impulſa regia Cardo.

Impulſum ergo *exſonuit*, hoc eſt, pulſante ancilla; infra cap. XCII. *Eumolpus Oſtium Pulſat.* Addit, *ſatis audaci ſtrepitu*, cui conſonum veteris illud Comici:

Qui repens ſemipulſus onere gravi ſores Strepitu terret.

Character eſt hominis ruſtici, & inurbani. Ariſtophanes Nebulis Act. I. ſc. 2.

Ἀμαθὴς γε νὴ Δί' ὅς τις ἄτωρὶ σφόδρα
Ἀτριμιμρίμνως τὴν θύραν λελάκλικας.
Rudis, per Jovem, quicumque ſic vehementer
Inconſiderate januam calcitraſti.

Etiam iracundi. Sic apud Appulejum lib. 9. furens *ſaxo ſores verberat.* Urbanius Lacones, de quibus Plutarchus: Ἔθος ἦν αὐτοῖς μηδὲ κόπτειν τὰς αὐλείας θύρας, ἀλλ' ἔξωθεν βοᾶν. *Moris erat apud ipſos, non pulſare oſtia, ſed foris clamare.*

Aperi, jam ſcies.] Omnino eſt, quod nos dicimus: *Abra, y lo verà.* Ex Petronii autem eleganti locutione lucem præbeo ſplendidiſſimam formulæ illi, qua uſus vetus Interpres Biblicus in verbis D. Matthæi illis reddendis cap. 25. ὕστερον δὲ ἔρχονται καὶ αἱ λοιπαὶ παρθένοι λέγουσαι, κύριε, κύριε, ἄνοιξον ἡμῖν. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς. quæ ad verbum Latine ſonant: *Poſterius vero veniunt & reliquæ virgines dicentes, Domine, Domine, Aperi nobis. Ille vero reſpondens ait: Amen dico vobis, non novi vos*, Inter-

pres autem postrema verba sic: *At ille respondens ait, Amen dico vobis, NESCIO VOS.* Parissime & usus Arnobius lib. 1. *Et is habendus divinus est, qui aut Summum Imperatorem Nescit; aut ignorat à nobis quotidianis ei precibus supplicari.* Nescit, id est, non nosscit. Et Arbiter ipse cap. XCI. *Scires non libenter servire.*

Dum loquimur.] Proverbii species. Sic Ovid. lib. 3. Amor. El. 6.

Dum loquor, increvit latis spatiosus in undis.

Hispani, *mientras lo digo.*

Sera sua sponte delapsa cecidit.] *Sera*, inquit Varro lib. 7. *quibus remotis fores pandantur.* Optime ad mentem Petronii. A foribus ergo removebantur Seræ, quod vulgo jam notum; unde liquet, cur *Appositiæ*, sive *Appositæ*, dicerentur, ut Ovidio in 1. Fastor. Locus item claret Plauti in Curculione, quum Pessulos, ut subsiliant, precatur Phædromus Act. 1. 2.

Fite causa mea ludii Barbari,
Subsilite, obsecro, & mittite istanc foras.

Præterea addimus, Seras fuisse catenis prehensas, catenas vero januis ipsis adfixas: ne videlicet Seræ, quum januæ recludendæ forent, amitterentur. Id haud obscure videtur Propertius innuere ultima omnium Elegia:

Et jaceat tacita Lapsa Catena Sera.

Alii vero Antiquarii volunt, ut Catenis ipsis fores occluderent, postibus eas inserentes, adpendentesque Seras ad Catenarum extremum. Itaque, quum januæ essent aperiendæ, Seræ è Catenis, quibus inhærebant, eximerentur.

Sua sponte.] Sic apud Virgilium centum ostia patefacta lib. 6. Divini Operis:

Ostia jamque domus patuere ingentia centum
SPONTE SUA.

Julius Obsequens inter ostenta, quæ mortem Cæsaris præmonuere, illud memorat: *Nocte, quum valvæ * cubili clausæ essent, SUA SPONTE apertæ sunt.* & Suetonius de re eadem cap. 81. *Ac subito cubiculi fores SPONTE patuerunt.* Etiam Macrobius de porta Viminali, quæ postea Janualis dicta: *Postquam clausa est, mox SPONTE patefacta est.* Sed nunc in Petronio magicæ nescio quid disciplinæ subolfacere mihi videor, uti apud Apulejum januæ sunt itidem à saga reseratæ lib. 1. Metamorph. *At illæ probæ & fideles januæ, quæ SUA SPONTE deseratæ nocte fuerant.*

Recluseque subito fores.] Præclusæ namque supra: *Præclusisque foribus ridere*, &c. To *subito* suspicionem cantaminis adauget. ita apud Suetonium supra inter Julii mortis præsagia *Subito*, & *Sponte sua* apertæ valvæ.

Et, me derisisse, inquit, vos putabitis?] Hæc ancilla Encolpium, & Ascylton ad stabulum usque secuta est, ipsis autem præ gaudio recuperati thesauri haud animadvertentibus; illud est quod Encolpius dixit: *Ergo, recuperato, ut putabamus, thesauro, in diversorium præcipites abimus.* Apte ergo nunc illos nihil minus cogitantes ingrediens adloquitur: *Et me derisisse vos putabitis?* sed longe aliud est, nam ego hospitium vestrum cognovi, Quartillæ indicavi, & jam, ut vobiscum loquatur, ipsamet adest. Hoc certo certius est, nam per quietem ea erat Quartillæ monstrata medicina; *Illos perquirere.* Sic cap. seq. paullo post inquit: *Et ideo medicinam somno petii, jussaque sum vos perquirere, atque impetum morbi monstratæ subtilitate lenire.*

Sacra ante cryptam turbastis.] Ego divinus non sum, hic autem adfirmare ausim, unum & idem cum hacce crypta sacellum illud Priapi esse cap. seq. memoratum: ubi quam opportune, quæ arcana erant ac recondita sacra, possent celebrari, cuilibet patebit jam satis, modo, quidnam Crypta sit, haud penitus ignoret. Sic, quæ bonæ Deæ erant abditissima sacra, & in quibus propudiosæ libidines matronis committebantur, pariter agi & in Antris solita fuisse, certum est: Antris, inquam, hoc est, subterraneis, fornicatisque sacellis. Plane Juvenalis indicat Sat. 6. ubi sermo est de sacris illis exsecrandis:

Tunc prurigo moræ impatiens, tunc semina simplex;
Et toto pariter repetitus clamor ab Antro:
Jam sas est, &c.

Priapi autem sacra, ne quid erres, scito duplicia fuisse. Prima in aperto ac propatulo loco peragi solita, quæ & *ante Cryptam* videlicet, & quorum exhibet luculentam imaginem Marmor illud Boisardi post pauca nobis describendum. Altera propudiosa magis, quæ ideo abstrusa, in intimoque subterranei sacelli, cryptæve, recessu impudenter commissa. De utrisque latiuscule nos loquimur infra. Ceterum, *Turbastis*, Plautus exponit Pseud. 1. 1.

Scis tu quidem, hercle, mea si commovi Sacra,
Quo pacto, & quantas soleam Turbellas Dare.

Cap. XVII. *Imber.*] Ipsus cap. CXXXVII.

——— *oculis nec defuit Imber.*

Plures sic usurparunt. Omnia sunt ad ostentationem doloris conficta. Eodem quoque spectat manuum illa extrema conlisio: *Et manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis.* Ubi optime Dousa P. neutiquam alii. Hujusce notæ sunt & illa, cap. XXIII. *Qui ut infractis manibus congemuit.*

Retexit superbum pallio caput.] Aperuit caput; opertum namque habebat, uti & ancilla. Hinc jam disces, feminas olim palliis capita obtegere solitas, quum vagarentur per urbem: quo, non inepte fortassis, Martialem traho lib. 9. Ep. 33.

Hanc volo, quæ facilis, quæ PALLIOLATA vagatur.

Habitus namque erat parum pudicarum. Matronas autem honestas numquam credam ego foras obvelato capite progressas. Sed quænam hæc Pallia? inquis. mihi in dubio est. Pallium Antiquis & muliebre fuit vestimentum; sic docet JCtus Ulpianus in l. 23. D. de auro & argento leg. etiam Scævola in l. 38. §. 1.

* *An* cubiculi, *ut Suetonius.*

§. 1. D. de auro & arg. leg. *Muliebria sunt*, inquit, Ulpianus, *quæ matrisfamiliæ causa sunt comparata, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione: veluti Stolæ, PALLIA*, &c. Habuere & alia communia, hoc est, quibus aut vir, aut femina, sine dedecore posset uti; addit ipsus Ulpianus: *Communia sunt, quibus promiscue utitur mulier cum viro, veluti si ejusmodi pænula, Palliumve, est; & reliqua hujusmodi, quibus sine reprehensione vel vir, vel uxor, utatur.* Fortitan & illud *Palliolum* feminis etiam commune, quod in deliciis erat delicatioribus, de quo suggillans Mæcenatem sic Seneca meminit: *Hunc esse, qui in tribunali, in rostris, in omni publico cœtu, sic adparuerit, ut Pallio velaretur caput*, &c. & Petronius habitum describens Trimalcionis, cap. XXXII. cui loco Lipsius bene jam adluxit, cap. XX. Amphith. En Pallia tria, id vero vulgivagarum quodnam sit, dicat ille, qui laurum momordit.

Fabulas.] *Fabulam* rem gestam etiam notare, jam docuerunt Critici. Sic Plautus Persa 5. 2. 11.

——— *Sed quid ego adspicio?*
Hoc vide, quæ hæc Fabula est?

Vide Gruterum lib. 18. suspp. cap. 3. quod hic Petronii Interpretes haud cognoverunt. Pariter etiam cap. XX. ipsus Arbiter: *Æscylios, jam deficiente Fabularum contextu.* & cap. XCII. *utrumque tamen, tamquam non agnoscerem Fabulam, tacui.*

Me-Dius Fidius.] Magnum hoc Antiquis jusjurandum. Plautus Asinaria 1. 1. 8.

Per Dium Fidium quæris! Jurato mihi
Video necesse esse eloqui quicquid roges.

Recte; nam *Deus Fidius* olim dictus, qui *Fidei* præerat, Jovisque erat quidam filius; idque valebat, ac si dicerent, *Ita me Dius Fidius juvet.* sed plura addere inutile est, quum acta res Hansenio jam sit de Jurejur. vet. cap. IV. Argute Arbiter videtur usurpasse Circes codicillis cap. CXXIX. *Medius Fidius jam periisti.* Ubi Symbolæ, habueruntque à Douza P.

Neque enim impune quisquam, quod non licuit, adspexit.] Propertius lib. 4. El. 10. de occultis Bonæ Deæ sacris:

Feminea loca clausa Deæ, fonteisque piandos,
Impune & nullis sacra retecta viris.

Sacra enim vetita qui vidissent, visu privari credebant Antiqui. Cic. pro domo sua ad Pontif. *Quem unquam audisti majorum tuorum, qui & Sacra Privata coluerunt, & publicis sacerdotiis præfuerunt, quum Sacrificium Bonæ Deæ fieret, interfuisse? nemnem: ne illum quidem, qui cæcus factus est.* Appium Claudium intelligit. Sic & Metellus Pontifex, quod, quum Palladium in Vestæ templo repositum ab incendio, flammisque liberaret, inspexisset (erat enim, ut ait Lucanus, lib. IX.

——— *in abstruso Pignus memorabile templo.*)

orbam luminibus, lib. 7. cap. 43. Plinius, intius ad Statii lib. 2. Thebaid. verbis illis subindicavit: *Est Palladium, quo quidam quondam viso privatus est visu.* Insignis autem rei inlustrandæ locus est Heliodori, quum se Chariclea orbatum ob similem noxam Charicles agnoscit lib. 4. Καὶ ὁ Χαρικλῆς, περιστὸν μὲν ἴσως διαμάχεσθαι πρὸς τὰ παρόντα. Συνίημι γὰρ ὡς ἐκ θεῶν μηνίδος ταυτηὶ τίνει τὴν δίκην, ἣν, ἐξ ὅτου εἰς τὸ ἄδυτον ἀωρὶ παρελθὼν εἶδον ὀφθαλμοῖς, ἃ μὴ θέμις, ὁ θεός μοι προεῖπεν, ἀνθ' ὧν ἐ προσηκόντως εἶδον, τῆς τῶν φιλτάτων ὄψεως στέρεσθαι. *Charicles autem* (inquit) *supervacaneum est fortassis deinceps certare cum præsenti fortuna. Intelligo enim, quod ob iram Deorum luo hanc pœnam: quam ab eo tempore, quo, intempestive in adytum ingressus, vidi, quæ fas non fuerat, Deus mihi prædixit, propterea his, quæ animo meo charissima essent, me privatum iri.* Experitur itidem & Priapi iram non semel Encolpius ob scelus commissum, ut notamus alibi. Non desunt tamen viri adprime docti, qui hic solennia nugentur.

Præsentibus numinibus.] Valerius Maximns Tiberio adulans lib. 9. cap. 11. *Aræ, pulvinaria, templa Præsenti Numine vallata sunt.* Horatius lib. 2. Ep. 1.

——— *Et Præsentia Numina sentit.*

Et quum Augusto blanditur Ode 5. lib. 3.

—— *Præsens divus habebitur*
Augustus ———

Et Plautus apud Servium more suo joculariter usurpavit:

Vinum precemur; namque hic Deus Præsens adest.

Ast *Præsentibus*, hoc est, potentibus, nam illud prisci potentius numen, quod præsentius, ligneumve illud foret, lapideumve. Hinc & Arnobio Phœbus oritur, quum de pristinis suis sic profatur erroribus lib. 1. *Si quando conspexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam inesset VIS PRÆSENS, adulabar, affabar, & beneficia poscebam nihil sentiente de trunco*, &c. Isthæc etiam haud dubio & olim causa exstitit Deorum multitudinis, sive, ut S. Justinus loquitur, πολυθεότητος.

Ut facilius possis Deum, quam hominem, invenire.] Disertim ipsissimum Plinius Major lib. 2. cap. 7. quod *DE DEO* est: *Quamobrem MAJOR COELITUM POPULUS etiam QUAM HOMINUM intelligi potest.* Et rationem subdit: *Quum singuli quoque ex semetipsis totidem deos faciant, Junones Genioque adoptando sibi.*

Ætate magis vestra commoveor, quam injuria mea.] Parissimum est illud Ovidii 10. Metamorph. quod de Hippomene inquit Atalanta:

Sed, quod adhuc puer est, non me Movet ipse, sed ætas.

Et, quod de Jasone anterius Medea lib. 7.

——— *Vivat, an ille*
Occidat, &c.

Imprudentes, addit, &c. ubi bene de imprudentia Erhardus, quem vide.

Ipsa quidem illa nocte vexata, tam periculoso inhorrui frigore.] Mirum illud sane, Amoris in opere, ubi calor

calor neceſſario ſuſcitatur, frigere. Iſthic ſenſus eſt hujuſce loci. Unde, iratum eſſe numen, ſcortillum cognovit, ſeque ipſam morbo haud levidenſi laborare. Omnia enim inſigniter ſunt ad augendam ſuperſtitionem comparata. *Vexare*, nuptum verbum, de quo alibi loquimur. Adpoſitum & hic valde illud erit Martialis lib. 8. Ep. 46.

Felix, quæ tenerum Vexabit ſponſa Maritum.

En Priapi ſacra, quæ, quippe obſcœniſſima, nupta etiam, hoc eſt, obvelata, & occulta. *Illa nocte*, ait, fuiſſe vexatam, qua fecit ſacrum, & turbellas dedere Encolpius, & Aſcyltos.

Tam periculoſo inhorrui frigore, ut tertianæ etiam impetum timerem.] Frigus, quod febribus præcedit, triplex obſervatur Medicorum filiis, ac διάψυξις, φρίκη, ῥίγος adpellatur, id eſt, *Frigus*, *Horror*, & *Rigor*. Diſtant enim, differuntque intenſione, remiſſione, nam *Frigore* ſumma corporis tantum inalgeſcunt: *Horrore* totum, ſed leviter, concutitur: *Rigore* autem uſque eo corpus contremiſcit, concutiturque, vix ut cohiberi poſſit. Alii vero ſcriptores has adpellationes confundunt.

Et ideo medicinam ſomno petii.] Eſt enim, quod Virgilius dixit, lib. 7.

——— *ſomnoſque petivit.*

Ægrotantes in Æſculapii templo. Plaut. Curcul. Act. 1. 1.

Ideo ſit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æſculapii fano.

Sic & Act. 2. ſc. 1. & 2. Etiam in Iſidis, ut docet Tibullus. Item Serapidis, ut Suetonius in Veſpaſiano, cap. 7. Vide autem Mercurialem de Arte Gymnaſt. lib. 1. ſtatim ſub initium, ubi & hujuſce rei inſignia monumenta. Tabellæ videlicet ſunt, Romæ in Æſculapii templo jampridem inventæ, quæ quidem curationum rationem diſertim exhibent. Sed, cum miraculoſæ prorſus illæ curationes ſint, parum ſane ex id genus tabellulis juvari poterat primo ſuo ortu rudis Medicina, quod & monere neceſſe habuit eruditus vir. Porro & pictas tabellas, quæ etiam Iſidis fanis plurimæ ſpectabatur ſuſpenſæ (nam

——— *Pictores, quis neſcit, ab Iſide paſci?*

ut ait Satyricus) ejuſdemmet notæ cum illis fuiſſe, innuunt non obſcure Tibulli illa, lib. 1. El. 3.

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi
Picta docet templis multa Tabella tuis.

Nobis enim hoc intellectu facilius eſt, apud quos hujuſcemodi ἀναθήματα parietibus templorum adpenſa paſſim viſuntur. Illud quippe colimus NUMEN, quod vere θαυματεργὸν unicum poteſt.

Major enim in præcordiis dolor ſævit.] Videtur hic illud Horatii ob oculos habuiſſe Epod. 3.

Quid hæc veneni Sævit in Præcordiis?

Vulgetis.] *Vulgetis*, *Proferatis in populum*, *Traducere velitis*, idem. Neutiquam enim hic erit intempeſtivum, quod de Numenio Philoſopho ſcriptum Macrob. reliquit, lib. 1. de Somnio Scipionis, cap. 2. *Numenio denique inter Philoſophos occultorum curioſiori offenſam numinum, quod Eleuſinia ſacra interpretando Vulgaverit, ſomnia prodiderunt, viſas ſibi ipſas Eleuſinias Deas habitu meretricio ante apertum lupanar ludere proſtantes; admirantique, & cauſas non convenientis Numinibus turpitudinis conſulenti reſpondiſſe iratas, ab ipſo ſe adyto pudicitiæ ſuæ vi abſtractas, & paſſim adeuntibus proſtitutas.* Ideo & Alcibiades accuſatus fuit, ut tradit Plutarchus, quod Cereris ſacra parum reverenter evulgaſſet. Nuper autem latius hocce argumentum proſecutus Meurſius in Eleuſiniis, cap. 20.

Deorumque Conſilia.] Id eſt, arcana, myſteria. Videtur & Feſtus facem huic interpretationi præferre, quum inquit: *Conſilium, vel à conſulendo dicitur, vel, quod in unam ſententiam plurium mentes conſiliant, & conveniant; ſed A SILENTIO credibilius dictum putatur, quo maxime invenitur.* Et nunc ad rem maxime.

Protendo igitur ad genua veſtra ſupinas manus.] Geſtus eſt ſuppliciter deprecantis, qui ſæpius Petronio iteratur, videlicet cap. 80. 97. 98. 101. Inde ergo veteres Gloſſæ: Γονυπετὴς, *Genuarius*, *Supplex*, Et plures Græcorum, ex quibus paucorum loca ſolum deſignabo. Homerus ſæpiſſime, Diodorus Siculus lib. 17. Plutarch. Rer. Rom. cap. 49. Heliodorus lib. 5. aliasque, Tryphiodorus in Ilii Haloſi, verſ. 255. Euripides Supplicibus, Clytemneſtra, & Iphigenia, Sophocles non ſemel, & ſæpius Syneſius, Ariſtænetus lib. 1. Ep. 22. Onoſander Strategici cap. 14. Paſſim itidem & apud Latinos Scriptores, quos longum recenſere. Plinii autem locus, ubi moris videtur rationem reddere, haud reticendus. Iſthæc ejus verba ſunt lib. 11. cap. 45. *Hominis Genubus quædam & religio ineſt obſervatione gentium. Hæc Supplices attingunt: ad hæc MANUS TENDUNT: hæc, ut aras, adorant: fortaſſis, quia ineſt iis vitalitas. Namque in ipſa Genu utriuſque commiſſura, dextra lævaque priore parte gemina quædam buccarum inanitas ineſt: qua perfoſſa, ceu jugulo, ſpiritus fugit:* Sive religio eis ideo exhibita, quod eſſent Deæ Miſericordiæ conſecrata. Servii referam eruditum teſtimonium ad illud Virgilii 3. Æneid.

Dixerat, & Genua amplexus, Genubuſque volutans
Hærebat ———

ſcribentis: *Phyſici dicunt, eſſe conſecratas numinibus ſingulas corporis partes, ut Aurem Memoriæ. Hinc eſt, Cynthius aurem vellit, & admonuit. Frontem Genio, unde venerantes Deum tangimus frontem. Dextram fidei; unde paullo poſt: Atque animum præſenti pignore firmat. Genua Miſericordiæ, unde hæc Tangunt Roganres.* Etiam Quinctilianus lib. 6. cap. 1. Exinde autem, quod cariſſima Genua forent ob vitæ in illis diſcrimen à natura conlocatum, obortum ſane, ut merito Obteſtationes olim fierent *Per Genua*. Plautus ſæpe, ſic Curculione 5. 2. 31.

——— *Per tua Genua te obſecro,*
Ut nos facias certiores, &c.

Et

Et Mostellaria 3. 2. 57. Milite 2. 6. 61. Rudente 4. 3. 13. Truculento 4. 3. 15. & aliis. Verum enim vero eo usque ritus percrebuit, ut & ipsa Deorum Genua, non hominum tantum, contrectarint. Arnobius lib. 6. *Ita enim non videtis spirantia haec Signa, quorum plantas & Genua Contingitis, & contrectatis orantes.* Videtur & Anacreon illud significasse. Ὦ ἄναξ, ὦ δαμάλης Ἔρως, καὶ νύμφαι κυανώπιδες, πορφυρέη τε Ἀφροδίτη συμπαίζουσα, ἐπιτρέφεται ὄψ ὑψηλῶν ὀρέων κορυφαί, Γοῦνά μοί τι σὺν ἱμερόεις ἰλλ' ἡμῖν κεχαρισμένης δ' ἐυχωλῆς ἐπακοῦσαι, Κλεοβούλῳ δ' ἀγαθὸς γένου σύμβολος, τὸν ἐμὸν ὄψ ἔρωτα αὐ' ὃ νῦν τι δίχεσθαι.

O domitor rerum, & dux Amor,
Qui cum Nympha caerulea
Et purpurea ludit Venus,
Et altorum juga montium,
En Genua Supplex Amplector tua,
Tu propitius teneras exaudi preces,
Fave Cleobulo, Suscipite amorem meum.

Cui simillimum venit, etiam Votorum sponsiones ipsis signari Deorum in Genibus. Illud est Apuleji in Apologia: *Votum in alicujus statua Femore Adsignasti.* Eo procul dubio cera illitae & illae statuae. unde nunc clarebit Juvenal. Sat. 10. 55.

Propter quae fas est Genua Incerare Deorum.

ubi Scholiastes: *In Signis insignare, Vota facere.* Idem & Prudentius lib. 1. contra Symmachum:

—— *Et Saxa* (id est, statuas Deorum) *illita Cera*
Viderat. ——

Quo Tabellae etiam interdum adhibitae, quibus quum vota suscepta essent exarata, ipsas deinde adfigebant Genibus simulacrorum, quod notatum jam aliis.

Supinas manus, petoque.] Gestus precantis, *Supinas manus porrigere.* sic & cap. 114. *Lycas trepidans ad me Supinas porrigit Manus.* Livius lib. 6. Bell. Pun. *Undique matronae in publicum effusae, circa Deum delubra discurrunt, crinibus passis aras verrentes, nixae genibus, Supinas Manus ad caelum, ad Deos tendentes.* Virgilius lib. 3. Aeneid.

—— *Tendoque Supinas*
Ad caelum cum Voce Manus.

Erant omnino ad coelum conversae palmae. Convincit Servius, quum illud enarrans 4 Aeneid.

Multa Jovem Manibus supplex orasse Supinis.

Docet, *Caelestes Deos Manibus ad caelum Supinis invocari;* aperitque manuum gestum altero Maronis loco:

—— *Duplices tendens ad sidera Palmas.*

ὑπτίαν χεῖρα vocat Galenus lib. 1. de Usu Part. hoc est, *Supinam manum*, sursum videlicet aquae continendae conversam.

Nocturnas religiones.] Priapi sacra vocat *Nocturnas Religiones*, veluti noctu peractas. & apte quidem, quum essent abdita. Sacra enim, quae occulta olim, Noctu fiebant. Rationem reddit Clemens Alexand. lib. 4. Stromat. Διὰ ταῦτ' ἂν καὶ αἱ τελεταὶ γίνονται νυκτὸς μάλιστα, σημαίνουσαι τὴν ἐν νυκτὶ τῆς ψυχῆς συσκιὰν ἀπὸ τοῦ σώματος. *Propterea ergo Sacra quaeque Mysteria maxime noctu fiunt, significantia eam, quae noctu fit, animae a corpore contractionem.* Hinc Senecae in Medea lucem praebeo novam, quum Lunam Noctis praesidem ipsamet invocat. Act. 1.

Tacitisque praebens conscium Sacris jubar,
Hecate triformis.

Tacitis, hoc est, occultis, arcanis; sive, quod idem est, Magicis lubet interpretari, cui mire adcinit & & illud Horatii Epod. v. vers. 49.

—— *O rebus meis*
Non infideles arbitrae,
Nox, & Diana, quae silentium regis,
Arcana quum fiunt Sacra.

Arcana, hic etiam Magica. Sic in Hercule Furente inquit ad Cererem Megara:

—— *Tibi, frugum parens,*
Secreta reddam Sacra, tibi multa fide
Longas Eleusi Tacita jactabo faces.

Eleusinia quippe Sacra etiam abdita; quae, ut vel exinde liquet, & Nocturna fuere. De ipsis in Hippolyto Phaedra loquitur:

Jactare Tacitis conscias Sacris Faces.

Et in Troadibus mentio Act. 3. Ideo & Statio illis reconditis Sacrorum mysteriis initiati, *Taciti Mystae*, vocantur. Pariter & *Isidis Sacra* Recondita, & Nocturna. Sic de ipsis Appulejus lib. 11. *Quum primum*, inquit, *initiatus, nocte media, vidi solem candido coruscantem lumine, &c.* Sic & *Bacchi Orgia*, ut Virgilius 4. Georg.

—— *Nocturnaque Orgia Bacchi.*

Et 4. Aeneid. ac proinde *Nyctelia* dicta, ut asserit Servius, quae & occulta fuisse, nihil dubium; sic Euripides in Bacchis:

Ἄῤῥητ' ἀβακχεύτοισιν εἰδέναι βροτῶν.
Arcana non Bacchantibus scire, haud licet.

Cujus & Clemens meminit lib. 4. Stromat. Itidem & *Bona Dea Sacra*, de quorum flagitiis Juvenalis Sat. 6. Ita igitur & Priapi sacra erant Nocturna, quia Arcana: merito quidem, quippe quae impudicissima. Hoc enim subodorari ex tota hac scena licebit cuique; minime vero prorsus Secreta ea percipere, quae Mystae vix omnes noverunt, ut ait Arbiter: praesertim, quum Petronianis Sociis interdictum sit, in populum illa proferre. Equidem tamen vere initiatum producam, qui haud cunctanter nobis propalet. Ecce Epigrammatarius est Priapejorum Ep. videlicet 34.

Quum sacrum fieret Deo Salaci,
Conducta est pretio puella parvo,
Communis satis omnibus futura,
Quae, quot NOCTE viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat salignas.

En jam Quartillae *Vexatio* penitus ut pateat. Erant & his *Bacchanalia*, sive *Liberalia* Sacra quam simillima. Vide autem Priapi Sacrificalem pompam, quam ex marmore jampridem Boissardus expressam dedit, in-

terque plura Vetuſtatis monimenta viſitur part. 2. ſuarum Antiquit. Eam ad propatula Priapi ſacra pertinere, ſupra monuimus. Ibi enim plurima puellarum turba in varia exercitamenta dispertitur. Hic Sacrificulis pluribus hoſtia oppido conveniens mactatur, aſellus quippe eſt: illic canentium, tibiaſque inflantium chorus conſpicitur; alibi Saltantium choreaſque ducentium, nonnullis tamen ex eis Crotala ſimul, crepitaculave quatientibus, quæ noſtratium prorſus referunt ſpeciem, *Sonaxas*, dictorum. Ubique vero longum agmen ſpargitur vimineis Calathiſcis donaria adferentium, vaſculiſque liquorem Bacchi. Verecundiſſimis demum munus tributum eſt, rubens pondus venerandi, reverenterque pertractandi, florumque ſertis coronandi, quibuſdam inſuper illud ſuccis fragrantiſſimis perfundentibus.

Jocum, riſumque.] Formula eſt, qua Priſci utebantur frequenter. Cic. 2. de lege Agraria: *Oppidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per Riſum ac per Jocum comtemnent.* Sic etiam, *per Ludum*, & *per Jocum*, dicebant, uti paſſim Scriptores.

Cap. XVIII. *Gemitibuſque largis concuſſa, tota facie, ac pectore.*] Varii hujus loci ſenſus erunt, ab diverſa eum interpungendi ratione. Sive ita diſtinguitur: *Gemitibus concuſſa facie, ac pectore*, & tunc conſonum habebit illud cap. XCI. *Nam puer etiam ſingultibus crebris amabile pectus quaſſaverat.* & cap. CXI. *Nihil profuturo gemitu pectus diducere.* Sive Pectus, Faciemque, innuit, manibus percuſſiſſe, adhibitis inſuper largis gemitibus, ſic cap. CXV. *Non tenui igitur diutius lacrimas, immo percuſſi ſemel iterumque manu pectus.* & cap. CXXXVII.

Conſecuitque genas, oculis nec deſuit imber.

aut denique ſic interpungendus locus: *gemitibuſque largis concuſſa, tota facie, ac pectore torum meum preſſit.*

Deſcendentes ab aure capillos meos dentata manu duxit.] Quot Protei ſunt formæ, tot lectiones hujus vocis *Dentata* variantes. haſce ego inveni: *tentata, temperata, lenata, temptata, tentante, lentata, lenta.* Lipſii vero inluſtre fuit acumen, qui primus *dentata* ſcripſit. Sed mihi ſemper longum placuit ſententia (verior dubio procul eſt) legentium *Lenta*, quod Richardum, autumo, primum adinveniſſe. fulcitur plane pluribus ejuſdem Petronii parilibus locis. ut ut autem ſit, mirifice Lucilius mentem Arbitri expreſſit lib. 29 Sat. *Hic ubi me videt, ſubblanditur, palpatur, Caput Scabit, pedes legit:* nam Feſtus inquit: *Pedes dicuntur, quod diminutive dicimus Pediculos.* Exprimit etiam Plautus in Moſtellaria 1. 3. 69. præcipue vero ſi locum, uti Turnebus, ſcite interpreteris.

Soli (Amatori) *gerundum cenſeo morem, & Capiundos crines.*

ubi, *Capere crines*, eſt blandiri, & adſentari, lentoque capillorum tactu ac mulcente amatorie delinire. Quo faciunt & Calliopes blanditiæ illæ apud Fulgentium lib. 1. Mythолog. *Laudatorio palmula tactu meam mulſit Caſariem, percuſſaque mollius cervice quam decuit*, &c.

Quod ſi non adnuiſſetis de hac medicina.] Conſtanter omnia, quæ vidi, vulgata Petronii exemplaria habent, *Annuiſſetis.* Scaliger vero F. malebat *Adjuviſſetis*, conferens cum illo Catulliano ad Ipſithillam:

Jube, ad te veniam meridiatum:
Quod ſi juſſeris, illud Adjuvato,
Ne quis liminis obſeret tabellam.

Judicent ergo docti illi Conſcripti, quibus SENATUS de mutatione litterarum frequenter HABETUR.

Et dignitatem.] Cujuſnam Dignitas? ego religionis poſthabitæ interpretor. nequâquam enim de ſe tam ſuperbe ſcortillum ſentiret, ut poſtquam de injuria ſibi inlata ſumpſiſſet vindictam, in ſe adhuc Dignitatem inſuper vindicandam agnoſceret. De duobus plane cum illis querebatur, expoſtulabatque; nempe de injuria ſua, ac de myſteriis Numinis Lampſaceni violatis. ipſi poſtea de utroque jubent, eam eſſe ſecuram; ac denique ipſa utrumque etiam nunc jactat fuiſſe vindicandum, niſi iidem de medicina, quam petebat, plene adnuiſſent.

Legem donare.] Jam pridem in lib. Veriſimil. Scioppius ſcribere tentabat, *Regem*, & ad oram libri mei etiam adpinxerat; ſed poſtquam inter nos de Epigrammate iſto verba contulimus, reſipuit, ſuamque lectionem jugulavit; adſtruens vulgatam, ſubnotanſque, *Legem donare* dictum eſſe, ut paullo inferius cap. XXV. *Legem accipere*, recte.

Hoc amo, quod poſſum qualibet ire via.] Etiam hic doctiſſ. Scioppius ſuam emendationem ex Veriſimilibus in libri mei marginem protulerat ſcribens, *quo poſſum.* Aſt etiam illi

——— *Atrum*
Tranſuerſo calamo ſignum

adlevit, poſt-id-ea: nam meam hujuſce verſus interpretationem tueri, habuit prorſus antiquum. Eccillam: *Hoc amo*, inquit Quartilla, id eſt, hoc mihi placet, quod via, qua mihi libet, poſſum ire, hoc eſt, quod jus meum per pacem, & ſine jurgio obtineo. Quod neque me contemnitis, neque mihi, ut vobiſcum litigem, legeſque præſcribam, neceſſitatem imponitis. Diſtichum autem ſequens ex dictis nec minus claret.

Nam ſane ſapiens contemtus jurgia flectit.] Mirum eſt, quot monſtra lectionum Conrectores hic comminiſcantur, & quam impendio viris doctis adrideant. Senſus autem, qui ex vulgari ſcriptura depromitur, adeo genuinus eſt, ut quemvis alium, ut ſpurium nothumve, ſi Arbiter reviviſceret, abdicaret, atque è conſpectu ſuo prorſus removeret. Ille ipſe quidem eſt, quem expreſſit Locmanus homo inter Arabes doctiſſimus ἐπιμυθίῳ cujuſdam Arabici Apologi Leonis & Vulpis, quod ſic ad verbum Erpenius interpretatus eſt: *Deſpectionem* (Contemtum) *SAPIENTI ipſa morte graviorem eſſe.* Scioppius, *Flectit*, etiam in

meo

meo libro interpretatur, Inflectit. Sed mihi valde placet, *Nectit*. sic Ovid. lib. 2. Amor. El. 9.

——— *modo Jurgia Nectat.*

Quod & aliis, puto, jam olim probatum.

Et, qui non jugulat, victor abire solet.] Sensus totius Epigrammatis cohærens, & perspicuus. Turpe est, inquit, contemni, leges imponere, & edicta præscribere, superbum. Mediam vero inter utrumque viam tenere, ipsam discupere: modo sic, quod optet, consequatur. Eidem insistens secundo disticho addit, adeo esse factu difficile contemtum pati, ut Sapiens ipse, cui omnia contemnere datum est, contemni fese, non patiatur. Minime vero esse necessarium, ut compos fiat quilibet vototum suorum, vim adhibere, nec alicui inferre. Mira enim concinnitate omnia procedunt, si aliter iis non videtur, quibus omnia hic conturbantibus, nodum in scirpo quærere, immerito adlubuit.

Complosis deinde manibus.] Hoc est, conlisis, & invicem percussis, qui gestus Plaudentium est; nam *Complodo* τῦ *Plaudo* compositum. *Plodo* rursus idem cum Plaudo, non duo diversa, ut vulgo creditur. Plane docent Grammatici prisci. inquit Diomedes lib. 1. *Plaudo frequens est, apud Veteres Plodo.* & post testimonia: *ea consuetudine, qua, AU, syllaba cum, O, commercium habet; ut quum dicimus Claustra, & Clostra; & Cauda, Coda; & similia.* Frequens enim est hæc commutatio, unde Priscianus in 1. loquens de syllaba, aut diphthongo, *au, transit*, ait, *in, O, productam more antiquo, ut Lotus pro Lautus; Plostrum, pro Plaustrum; Cotes, pro Cautes.* Hinc ergo pluribus in locis interpretatus Petronius. cap. xx. *Complosit manus.* cap. XXIV. *Complesit illa tenerius manus.* cap. XXXIV. *Complosit Trimalcio manus.* & cap. CXXXVII. *Complosis manibus.* Ast, quod præcipuum est, Plaudentis gestum scilicet planius exprimere, operæ erit pretium non inutile. Plausus igitur fere totus in manibus. Cic. ad Atticum: *Populus Romanus manus non suas in defendenda libertate, sed in Plaudendo consumit.* Autumo ego & Vocem Comitem adhibuisse. Convincit Martialis l. 6. Ep. 34.

Quæque sonant pleno Vocesque Manusque theatro,
Quum populus subiti Cæsaris ora videt.

Manuum vero Plaudentis figura, sonusque etiam, quem ex plausu ciebant, nescio an omnibus innotuit. Ego plene ex Philostrato didici in Comi imagine: Μιμεῖται τινα ἡ γυνὴ καὶ κρότου, ὃ μάλιστα δεῖται ὁ Κῶμος. καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεραλμένη τὴν ἀριστερὰν πλήττει ἐς τὸ κοῖλον, ὑφ' ὧν αἱ χεῖρες ξύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. *Plausum etiam quemdam imitatur pictura, cujus maxime indiget Comus. Nam dextera contractis digitis subjectam sinistram ad cavum plectit, ut manus, cymbalorum more percussæ, consonæ fiant.* Verbotenus videtur mutuatus esse Aristænetus, Ep. 10. l. 1. quem alibi laudamus. Simillime etiam Corippus:

Ingeminantque Cavos dulci modulamine Plausus.

Cavæ denique manus complosæ illum sonum efficiunt, qui *Poppysmus* vocatur, ficta omnino vox ad soni similitudinem. *Poppysmi* est & apud plures mentio, qua Græcos, qua Latinos. Mirifice etiam Martianus Felix lib. 2. Plausus sonum expressit, *Bombos tympani*, vocans. Erant & alii Plaudendi modi, de quibus jam diximus.

In tantum repente risum effusa est.] Paullo ante hoc capite de eadem Quartilla: *Et ex lacrimis in risum mota.* Mimicus ergo iste risus large effusus, vel ipso Petronio adtestante. Cave ideo credas, quid habuisse illum cum Iratorum risu commune, quod, miror, erudito Interpreti nuper in mentem venisse; nec minimum enim videbatur Iræ relictum loci post *Inducias factas*, omnibusque jam ad pacem revocatis. Similis risus Jovis Olympici cujusdam simulacri fuit, sed magis, ut satis constat, mirus. Id videlicet Caligulæ, Auctor est Tranquillus cap. 57. *quum dissolvi, transferrique Romam placuisset*, TANTUM CACHINNUM REPENTE EDIDIT, *ut machinis labefactis opifices diffugerint.* Loquutus item, ut Arbiter, Appulejus haud semel. inquit lib. 2. Milef. *quum nos in clarum cachinnum videret effusos.* Et mox: *inlicentiosus cachinnus effunditur.*

Cap. XIX. *Omnia mimico risu exsonuerant.*] Mimi large risum concitabant. Appulejus in Floridis: *Si Mimus est, Riseris; si comœdia, faveris.* Infra etiam de Mimo cap. LXXX.

Mox ubi Ridendas includit pagina partes.

Simpliciter, *Omnia.* Ipsus Appulejus 8. Metamorph. *Latratibus servidis, dissonisque miscent Omnia.*

Et præcincti certe altius eramus.] Omnino iste de paratis ad prælium accipiendus est locus; ne autem hic quid ambigamus, facit ipse parationis contextus. Lege tute rursus adtente, & palam fateberis. Notissimum enim est, qui ad pugnam expediti forent, stetisse Præcinctos. Inde, *Cincti*, pro Militaribus viris Antiquorum quamplurimis usurpati; & contra, *Discincti*, pro imbellibus, militiæque inhabilibus. Sic Acro ad Horatii illud in Arte vers. 50.

——— *Cinctutis non exaudita Cethegis.*

Inquit: *Cinctutis*] *Antique dixit, id est, Militaribus viris, & ad Militiam paratis. Unde per contrariam dixit Poëta*, l. 8. Æneid.

——— *Discinctos Mulciber Afros.*

Id est, imbelles ad militiam. Parissimus item mos, observo ego, Judæis dimicaturis. Sic Macchab. l. 1. 3. 58. Καὶ εἶπεν Ἰούδας, περιζώσασθε, καὶ γίνεσθε εἰς υἱοὺς δυνατοὺς, καὶ γίνεσθε ἕτοιμοι εἰς τὸ πρωὶ τοῦ πολεμῆσαι. reddit vulgatus Interpres: *Et ait Judas, Accingimini, & estote filii potentes, & estote parati in mane, ut Pugnetis.* Luceo ego & hinc jam Petronio cap. LXXXIII.

Qui pugnas & castra petit, Præcingitur auro.

Sed hic latius Wouwerius. Fuere antiquitus plures Præcincti alii, nos addimus, & hunc in modum in præsentia distinguimus. Signanter ego *Venatores* in-

veni, *Chirurgos*, *Popas*, ac denique, *iter facturos*. Evinco testimoniis. *Venatores* quidem omnium maxime eo habitu indigebant; aliter enim vagari non possent per obliqua montium devexa, quæ saxis asperrimis cinguntur, nec per cava convallium lacunosa, quæ spinetis, & senticetis vastissimis aggerantur. Aristæum primum Venatorem primitus id adinvenisse, docuit Nonnus lib. 5. Dionys. vers. 238.

——— κυνοσσόον εἰς δρόμον ἄγρης,
Πέπλα φαεινομένης ἐπιγουνίδος ἄχρι φορῆσαι,
Μήποτε θηρητῆρος ἐπειγομένου ποδὸς ὁρμὴ
Ἄψ ἀνασειράζοιτο καθαπτομένοιο χιτῶνος.

——— *Canes agitantem in cursum Venationis,*
Vela adparentia ad genua usque ferre, (docens)
Ne quando pedum Venatoris festinantis impetus
Retro retraheretur demissa veste.

Adeo ergo demissæ vestes impedimento Venationi forent, ut feminæ ipsæ non, nisi Succinctæ, feras persequerentur. Dianam sic fingunt Poëtæ omnes. Ovid. lib. 3. Amorum El. 2.

Talia pinguntur Succincta crura Dianæ:
Quum sequitur fortes fortior ipsa feras.

Vetus Poëta:

Si Succincta togam risu pharetrata Diana
Venatrix toto crine soluta fores.

Lege *ritu*, ut Ovidius infra. Minutius Felix Ethnicos deridens: *Diana interim est alte Succincta Venatrix.* Ita & in numis visitur. Valeriani quidam sic habent, cum inscriptione ΕΦΕΣΙΩΝ ΑΡΤΕΜΙΣ, quos Ephesi cusos esse, putant Antiquarii. Exhibent Deam cum cane venatico, arcu, & pharetra, ac proxime arborem: utpote sylvarum Præsidem significantem; ipsius vero habitus est, caput detonsum, vestis autem eo alte Succincta, ut genu nudum prorsus adpareat. Tale ergo, ut descripsi, numisma apud me servo. Similis Venus Ovidio est 10. Metamorph. ubi Adonidis Comes est Venatoris & illa Venatrix:

Per juga, per sylvas, dumos, & saxa vagatur,
Nuda genu, Vestem ritu Succincta Dianæ:
Hortaturque canes, &c.

Ita etiam Rhodopis puella venatu gaudens apud Achillem Tatium lib. 8. Παρθένος ἦν ἐνειδὴς ὄνομα Ῥοδόπη, κυνηγίαν ἐρῶσα καὶ θήρας, πόδες ταχεῖς, ἔυσκοι χεῖρες, ζώνη καὶ μίτρα, καὶ ἀναζωσμένος εἰς γόνυ χιτὼν, καὶ κατὰ ὦδρος κερὰ τριχῶν. *Virgo erat olim formosa Rhodopis nomine, venatu gaudens, pedum velocitate, jaculandique peritia insignis admodum, & cingulum, & mitram, Veste Genu tenus Succincta, Capilloque Detonso, gestare consueta.* Sed jam ad *Chirurgos* transimus. Ipsi procul dubio & Succincti, ne in artis suæ exercitatione impedirentur. Virgilius plane 12. Æneid. de Iapide Chirurgo loquens:

——— *Ille retorto,*
Pœonium in morem, senior Succinctus amictu,
Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis, &c.

Item Papinius lib. 1. Sylv. 4. quum parant se, qui Rutilium Gallicum erant curaturi:

——— *Ritu se Cingit uterque*
Pœonio, &c.

Similiter *Popæ*, hoc est, Ministri sacrificaturi. Ovidius 2. Fast.

Numinis esse potest Succinctus causa Minister,
Hostia cœlitibus quo feriente cadit.

Suetonius Caligula cap. 32. *Admota altaribus victima, Succinctus Poparum habitu, elato alte malleo cultrarium mactavit.* Sic Propertius, Lucanus, alii, quos Brissonius laudat lib. 1. de Form. De *iter* autem *facturis* nihil dubium, vel ipso Petronio teste: unde & eidem duobus in locis clarorem præbeo. Primus est cap. CXXVI. quum abeuntis Chrysidis exprimit habitum: *procedentibus inde longius logis, rogavi ancillam, ut in platanona produceret dominam. Placuit puella consilium, itaque Collegit Altius Tunicam, flexitque se in eum Daphnona, qui ambulationi hærebat.* Alter est cap. CXXXVI. quum Polyæni *Deinde convicium verens, Abeundi formavi consilium: Conlectoque Cultu meo Ire extra casam cœpi.* Contra paullo post eodem capite Manentis ut habitum ostendat, inquit: *Reduxi igitur gradum, PROJECTAQUE VESTE tamquam exspectarem morantem, in aditu steti.* Proinde ergo & Mercurius ἀνεσταλμένος, sive *Alticinctus* depingitur Capellæ lib. 1. Sat. utpote Nuncius Cœlitum: *Ac jam pubescentes genæ seminudum eum incedere, chlamydique indutum parva, invelatumque cætera, humerorum cacumen obnubere sine magno risu Cypridis non sinebant.* Passim id & in sacris Bibliis observatum. Exodi cap. 12. 11. Ægypto nimirum profecturis Judæis præcipit Dominus: *Sic comedetis illum,* (Agnum) *Renes vestros Accingetis, & Calceamenta habebitis in pedibus, &c.* Ipsum Ezeckielus Tragicus:

Οὕτω φάγεσθε ταῦτα περιζωσμένοι,
Καὶ κοῖλα ποσὶν ὑποδεδῆσθε, &c.
Tunc comedetis ea Cincti,
Et calceos pedibus induetis, &c.

Sic Reg. 4. 4. *Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua, Vade.* Ex consuetudine ista orta indubie nostra proverbialis locutio, *ponere fuldas en Cinta*, pro, de discessu cogitare. Nominatim isti Præcincti reperiuntur. Generatim vero omnes, qui quodlibet opus gnaviter essent adgressuri, *Præcingi* dicebantur; pariterque strenui, promti, & expediti homines vocati *Præcincti*. Contra *Discincti*, ignavi, molles, ac negligentes. In Scriptoribus natant testimonia. Sic de Mæcenate Seneca Ep. 92. *Alte Cinctum putes dixisse: habuit enim ingenium & grande, & virile, nisi illud ipse Discinxisset.* Adlusit ad ipsius habitum; Discinctus quippe in publicum progrediebatur, uti & Julius Cæsar, unde uterque non leviter notati.

Paria composueram.] Paria componere, Comparare, & Committere, propriæ erant de Gladiatoribus formulæ, vide Justum Lipsium lib. 2. Saturn. cap. 19.

Non

Nota insuper illud Terentii Adelph. Act. 2. sc. 2. de concertatione loquentis Æschini, & Lenonis:

—— Numquam vidi iniquius
Concertationem COMPARATAM, quam hæc hodie inter nos fuit.

Ubi Donatus: *ET COMPARATAM ad dictum Syri refert, qui ait, concertationem fuisse, PARES FACIENS Æschinum, & Lenonem.* Traducitur etiam locutio ad Veneris flagitium, ad quod Petronium hic respexisse nonnulli volunt: signanter vero cap. CXXVII. *In hoc gramine PARITER COMPOSITI mille osculis lusimus*, &c. cui & illud parissimum cujus cujus sit veteris politissimi Poëtæ:

Sit nox illa diu nobis dilecta Nealce,
Quæ te prima meo pectore COMPOSUIT.

Tunc vero excidit omnis constantia attonitis.] Martialis lib 8. Ep. 56. de Marone:

Excidit Attonito pinguis Galatea poëtæ.

Recte ergo Arbiter, nam supra dixerat cap. XVII. *Attoniti exspectavimus lacrymas ad ostentationem doloris paratas.* Verum enim vero nunc jam, quod inprimis præmonendum est, in Quartillæ domo sunt Encolpius, Ascyltos, & Giton; patet, nam pavere miseri incipiunt, qui prius in diversorio quum essent, ubi neminem, qui suppetias adferre posset, timebant præter ancillam, & virgunculam Quartillæ comites, præsenti erant animo ad pugnam. Ast aliena in domo sibi parari insidias, suspicari erat pronum. Erant igitur jam apud illam. Aliter enim abhinc, quæ ad Trimalcionis usque convivium acta sunt, parum sibi omnino constarent.

Cap. XX. *Siquid tristius paras.*] Vide ergo quam suspecti in præsentia sunt de insidiis, quas neutiquam alibi, ut diximus, expaverant. quod ut constaret, vel Encolpii verba illa sufficerent, in diversorio adhuc stantis cap. præcedenti. *Sed NEQUID TRISTIUS exspectarem, comitatus faciebat,* (Quartillæ videlicet.)

Ut debeamus torti perire.] Immerito hic sese torquent interpretes, quum mero meridie clarius sit, verbis, *ut debeamus torti perire*, id significari, ac si aliter diceret, ut debeamus diutissima morte torqueri, lentisque cruciatibus sensim exanimari; quod opponitur verbis illis, *siquid tristius paras, Celerius Confice.*

Lodiculam in pavimento diligenter extendit.] *Lodices* inter lectorum supellectilem recensitæ; erant nimirum opertoria. Martialis indicant Hendecasyllabi l. 14. Epig. 148. cujus Lemma *Lodices:*

Nudo stragula ne toro paterent,
Junctæ nos tibi venimus sorores.

Plane etiam, meo animo, Juvenalis Sat. 6.

ΖΩΗ, ΚΑΙ ΨΥΧΗ *modo sub Lodice relictis,*
Uteris in turba.

Glossæ: *Lodex, στρῶμα.* Etiam earum usus in campo, gymnasio, & in balneis frequens: uti quum se exercebat Augustus *involutus Lodicula* erat, referente Suetonio cap. 83. ubi plura Casaubonus; qui habitus erat, autumo ego, delicatorum, ceu etiam *Gausapa*, ut Trimalcio Gausapatus exit è balneo paullo infra cap. XXVIII.

Sollicitavit inguina mea.] Verbum esse nuptum, *Sollicitare*, sciunt jam omnes; ego autem insuper observo, summam nequitiam ἁπλῶς eo verbo Priscos significasse. Acute Martialis subindicat l. 8. Ep. 56.

Et libata dabat roseis carchesia labris,
Quæ poterant ipsum sollicitare Jovem.

Id est. Jovem reddere tentum. Planius l. 6. Ep. 71.

Tendere quæ tremulum Pelian, Hecubæque maritum
Posset ad Hectoreos sollicitare rogos.

Mille jam mortibus frigida.] Retinuimus constantem omnium vulgatorum scripturam. Locum autem infra cap. XXIX. cum alio conferimus, unde ei claror accedit, ipsum adi.

Operuerat Ascyltos pallio caput, admonitus scilicet periculosum esse alienis intervenire secretis.] Douza P. voluit, Arbitrum adludere hocce fragmento ad superius Priapi sacrum in Crypta à Quartilla institutum, profanorumque oculis, Ascylti puta, & Encolpii, usurpatum; forsitan non inepte. Sententia tamen communis est, de qua posset edoceri Ascyltos pluribus eventibus. Notissimum Horatii præceptum:

Arcanum neque tu scrutaberis ullius umquam.

Porro, *Secretis*, interpretaberis, turpitudinibus, ac flagitiis, quæ in illa impudica scena apud Quartillam commissa. Noxium, turpeque visu Antiquos adpellasse *Arcanum*, ac *Secretum*, vulgaris res est. Occulte fiunt, quæ bona non sunt.

Duas instratas ancilla protulit de suris.] Hanc lectionem libentius amplector, quod eam vel veteris Glossarii tueatur testimonium. Quæ vero *Instrata* istæ sint, videtur Wouwerius etiam subolfeciisse ad verba, *laciniam extremam* cap. XII. Nam procul dubio ex illis fasciis sunt, quibus ad pedes, crura etiam, femoraque contegenda, convestiendaque utebantur Antiqui, loco videlicet femoralium, & tibialium, braccarumque, quibus hodie nos utimur. Fascias vero illas crurales, semper ego pro certo habui, proprie feminarum fuisse: Viris certe non sine dedecore concessas, ideoque infamia notati, delicatique, mollesque omnino habiti, ægrotis tamen exceptis, qui videlicet muliebrem illum habitum non erubescerent. Sic P. Clodio objectæ turpiter *Fasciæ* apud Ciceronem; sic etiam Pompejo à Licinio Calvo; si conjecturæ Jos. Scaligeri lib. 1. Auson. Lect. cap. 27. manuducente tamen illum Ammiano Marcellino, fides habenda est.

Fasciola qui crura ligat, digito caput uno
Scalpit, quid credas hunc sibi velle? virum.

Illo equidem insignem locum jam pridem observaveram Ovidii 3. de Arte, ubi puellis præcepta tradit illis haud contemnenda:

Pes malus in nivea semper celetur aluta,
Arida nec Vinclis Crura resolve tuis.

Sed nos manum de tabula, quum copiose hæc ad

Suetonium prosecutus sit Casaubonus, prius vero Hieronymus Magius lib. 3. Miscell. cap. 3. quibus & isthæc demum poteris addere.

Medicamentum.] Medicamentum hocce, & Satyrion, quod sequitur, idem. Vide quæ supra adnotantur ad verba cap. VIII. *Adeo ubique omnes mihi videbantur Satyrion bibisse.*

Ebibisti?] Hocce inter *Bibere*, & *Ebibere*, interesse docuerunt Grammatici prisci, *quod Bibit, qui aliquid relinquit in poculo; Ebibit, qui totum exhaurit.* Ea Petronii mens. Subdit plane Quartilla: *Quicquid Satyrii fuit Encolpius Ebibit?*

Non indecenti risu latera commovit.] Non indecenti, hoc est, tempestivo. Eidemmet utebatur Tussi impudicum Numen, ubi & nequissima utitur translatione Epigr. XXVI.

Cum Tussi miser exspuo salivam.

Equidem quasi per caliginem memoria teneo, illi tempestivo risui me alibi legisse quid tempestivum, quod modo non occurrit. Hinc vero Martiali clarorem præbeo, Ep. 17. l. 7.

Pedere te mallem: namque hoc nec inutile dicit
Symmachus, & Risum res movet ista simul.

Risus quippe operi, quo de agit, tempestivus videlicet ob motum, quo illud juvatur, ut inquit alibi:

Nec Motu dignaris Opus, nec voce juvare.

Utique postquam virguncula cervicem ejus invasit, & non repugnanti puero innumerabilia oscula dedit.] Amplexans cervicem Gitonis, os ejus dissuaviata est, non cervicem. Plane indicat ipse Petronius loco parili cap. XCI. *Invado pectus amplexibus, & perfusum os lacrimis vultu meo contero.* Indicat & parissimo loco Aristænetus lib. 1. Ep. 16. qui perperam Interpreti redditus, dum potius facit puellam cervicem osculantem amasii: Τοιγαρῆν ἐκβακχευθεῖσα τῷ ἔρωτι, ἀνέκλασέ τε πρὸς ἑαυτὴν τὸν αὐχένα, καὶ περιβαλοῦσα ὅτω προσφῦσα μανικῶς, ὥστε μόλις ἀποσπᾶσαι τὰ χείλη, καὶ κατέτριβέ μου τὸ στόμα· Vertimus nos: *Quocirca amore ad insaniam perducta, meam ad se inclinavit cervicem, atque osculata est, adeo adhærescens insane, ut vix avellere labia liceret, osque mihi contriverit.*

Innumerabilia oscula dedit.] Opportune, *Innumerabilia*, dixit de osculis. sic Martialis lib. 6. Ep. 34.

Nolo quot arguto dedit exorata Catullo
Lesbia: pauca cupit, qui Numerare potest.

Sed Petronio sic dictum respectu ad Veterum superstitionem, ut fascinum averteret. Credebant enim fascinationi esse obnoxium præfinitum numerum; eis vero rebus invidos nocere non posse, quarum numerum, aut nomen non tenerent. inquit ergo Catullus Carm. 5. ad quod adlusit Martialis supra:

Da mihi basia mille, deinde centum;
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum.
Dein quum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus Invidere possit,
Quum tantum sciat esse basiorum.

Unde & Martiali novam facem accendo Ep. 65. lib. 3.

Hoc tua, suave puer Diadumene, basia fragant.
Quid, si tota dares illa sine Invidia?

Id est, si usque eo multa dares, ut numerari non possent? Sic enim ab Invidorum linguis liberæ forent illæ basiationes. Est vera proculdubio isthæc Valerii mens; aliter constare sententiam non posse, quisquis animadvertet, qui cum cæteris ad Diadumenum epigrammatibus hocce contulerit. Cupit plane innumerabilia oscula Valerius, etiamque ut totis labellis, non ut lib. 2. Ep. 10. & 22. optabat, tantum *dimidio* ea Diadumenus imprimeret. *Totus*, verbum nequitiæ est, de quo alibi loquimur. Iterum & Carm. 7. de basiis itidem dixit Catullus:

Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Quo adlusio elegans illa est veteris Poëtæ:

Jungere & Innumeras nexa per ora Animas.

Cap. XXI. *Invocare Quiritium fidem.*] Livius lib. 3. cap. 44. *Nutrix puella FIDEM QUIRITIUM implorat.* Seneca Ep. 15. *Nemo statim QUIRITIUM FIDEM implorat.* Hoc erat, *Quiritare.* Varro lib. 5. L. L. *QUIRITARE dicitur is, qui QUIRITIUM FIDEM clamans implorat.* & Nonius Marcellus: *QUIRITARE, est clamare; tractum ab iis, qui QUIRITES INVOCANT.* ubi testimonia. Inde nostrum, *Gritar*, fluxisse, autumant ex nostris viri docti Sanctius, & Aldretus, quibus adsentior, alii vero dissentire videntur. Formula erat, PRO VESTRAM FIDEM QUIRITES. Livius lib. 10. *Decurrit inde ad arma, & pro Vestram Fidem Quirites clamitans.* Etiam &, PORRO QUIRITES. Sic &, FIDEM PLEBIS ac FIDEM POPULI ROM. item PATRUM, & CONSULUM FIDEM invocabant; etiam FIDEM MILITUM. Verba autem *Invocare, Implorare,* & *Inclamare*, huic destinata. Festus, & Servius docent; sed hæ Grammaticorum quisquiliæ sunt.

Malas pungebat.] Sunt qui & hic pingere tentarent, *Pingebat*, ex Juvenale. Sed acu genæ Satyrographo non pinguntur, sed producuntur supercilia Sat. 2. Pinguntur, sed non acu, etiam malæ, quæ *purpurissatæ genæ* Appulejo dicuntur in Apologia: *Rubore maculatæ* Tertulliano de Cultu feminarum: Et *Mendacio ruboris infectæ* D. Cypriano de Habitu virgin. Ceterum bene etiam ibidem, *acu pingere*, scripsisset Petronius, nam *pingere ferro* Antiquis erat, stigmatis notare. Claudianus sic lib. 1. in Rufinum vers. 315.

Membraque qui Ferro gaudet Pinxisse Gelonus.

Quod à Virgilio sumtum, qui prius 2. Georg. dixerat:

——— *Pictosque Gelonos.*

Quem locum Servius interpretatur: *Stigmata habentes.*

Penicillo.] Ex spongia procul dubio. Plinius lib. 9. cap. 45. *Spongiæ genus tenue, densumque, ex quo Penicilli.*

cilli. & lib. 31. cap. 11. Glossarium vetus: *Penicillum*, σπογγίον, σπογγάριον. Plurimus ejusmodi penicillorum usus Veteribus. *Ad quævis abstergenda* Plinius, ut plurimum *mensas*, Martialis lib. 14. Ep 144.

Hac tibi sorte datur tergendis Spongia mensis
Utilis, expresso quum levis imbre tumet.

Ad manum igitur *Penicillum abstersorium* haberet puella. Item *ad fricanda corpora* strigilum vice, linteolorumque, etiam Plinius. Item *ad Chirurgica opera*, quod notissimum. Et *ad pingendum*; Penicillis quippe ex Spongia confectis olim pingi solitum; vel delebant saltem, quod displiceret. Plinius lib. 35. cap. 10. ubi de Protogene loquitur veram canis anhelantis spumam exprimere conante: *Absterserat sæpius, mutaverat que Penicillum nullo modo sibi adprobans. Postremo iratus arti, quod intelligeretur, Spongiam EAM impegit inviso loco tabulæ, & illa reposuit ablatos colores, qualiter cura optabat.* Cuinam Spongiæ τὸ *Eam* referret, nisi ad præcedens *Penicillum*, quum nusquam alia? Inquis, ad illam, qua subintelligitur *Absterssisse sapius* tabulam. Fors non male isto sensu, quod illud *Absterserat sapius* de Spongia deletili accipiatur; &, *Mutaveratque penicillum*, opportune videlicet de Pictorio. Facit, ut pro certo habeamus, hocce in animo habuisse Secundum, parissimus eventus, quem Apelli equum pingenti usu venisse, narrat Sextus Empiricus Pyrrhon. Hypot. lib. 1. cap. 12. isthæc sunt ejus verba: Φασὶ γάρ ὅτι ἐκεῖνος ἵππον γράφων, καὶ τὸν ἀφρὸν τὸ ἵππου μιμήσασθαι τῇ γραφῇ βουληθείς, ἔτυχε ἀπιτύχων, ὡς ἀπιπεῖν, καὶ τὴν σπογγιὰν, εἰς ἣν ἀπέμασσε τὰ ἀπὸ τὴ γραφίδος χρώματα, προσρίψαι ἐπόνησε τὸν ὑπ' αὐτοῦ ποιῆσαι μίμημα. Vertit Henricus Stephanus: *Ajunt enim de ipso* (Apelle) *quum in pingendo equo spumam ejus pictura sua repræsentare voluisset, tam male ei rem successisse, ut de ea omnino desperaret, ideoque spongiam, in quam absterebat penicilli sui Colores, in illam imaginem impegisse. Spongiam autem, quum equum adtigisset, spumæ similitudinem expressisse.* Similis fuit & Nealcæ pictoris successus itidem in Equi pictura, teste eodemmet Plinio, quem prius Valerius Maximus retulerat lib. 8. cap. 11. ipsos vide.

Cinædus supervenit myrtea subornatus gausapila, cinguloque succinctus] Cinædi variis coloribus muliebriter induti, ut infra cap. XXIII. ex Appulejo ostendimus, ubi & istum locum inlustramus. *Myrteus* color olim erat in precio. Sic Ovidius, quum de diversis lanarum infectarum coloribus agit, lib. 3. de Arte, inter alios, qui varias res imitantur, hujusce meminit:

Hic Paphias Myrtos.

Gausapila.] Varii olim *Gausaparum* usus. & *mensis* tegendis erant, & *lectis* vestiendis, & *hominibus*, uti ex Epigrammatis lib. 14. Valerii Martialis 138. 147. 152. 29. 145. & lib. 6. Ep. 59. Horatio, aliisque constat, & variorum quoque colorum fuisse. *Myrtea* hic Petronio, item *Coccinea* cap. XXVIII. Glossæ D. Isidori habent: *Gaunaca*, *Gausapa*. Unde quid lucis mutuatus videtur Terentius Varro lib. 4. L. L. quem locum optime sic edidit Auson. Popma: *Quibus operiebantur Operimenta, & Pallia opercula dixerunt; in his multa peregrina, ut Sagum, Reno, Gallica: Gaunacum majus sagum, & Amphimallon, Græca.*

Modo extortis nos clunibus cæcidit.] Omnino id factum, quum Cinædus, velut equis, Encolpio utebatur, & Ascylto. planum hoc ex sequentibus cap. XXIV. *Ab hac voce equum cinædus mutavit, transituque ad comitem meum facto, Clunibus eum, basisque distrivit*, ubi & nos plura. Utrobique autem propritim loquutus est, nam in ejusce modi inequitatione vix abesse poterit, quin Clunium illam agitationem paterentur miseri illi cinædis succumbentes, quod expressit Horatius alibi etiam laudandus:

Clunibus aut agitavit equum lasciva supinum.

Extortis clunibus.]Durum jam olim epitheton, *Extortis*, mihi videbatur, *Clunibus*. Proinde ego suspicabar scribendum *cruribus*, quæ extorta sæpenumero qua Vara, qua Varia videmus; & in Cinædi inequitatione procul dubio cæderent succubantes. Faceto Epigrammate Phœbum quemdam inridet Martialis lib. 2. Ep. 35. fors obtortis similiter cruribus deformem. Ast vulgaris lectio tolerari potest, sumendo locum de insigni Cinædi macritudine.

Horribile secretum.] Adi quæ ad verba illa observantur cap. LXXXIII. *non sine Horrore tractavi.*

Palæstricæ.] Nescio an figurate loquitur, ut Terentius Phormione Act. 3. sc. 1. domum Lenonis vocavit *Palæstram*, & Lucianus in Asino Hipparchi ancillam, Veneriseque conluctationum magistram satis opportune nomine *Palæstræ* insignivit; inquit ergo eademmet ad Lucium: Τέτο μὲν πάντως δεῖ σε μνημονεύειν, ὦ νεάνισκε, ὅτι εἰς Παλαίστραν ἐμπέπλωκας. καὶ χρήσῃ νῦν ἐπιδείξει, εἰ γέγονας ἐν τοῖς ἐφήβοις γοργὸς, καὶ παλαίσματα πολλὰ ἐμαθὲς ποτε· ἀλλ' ἐκ ἴδοις, ἔφην, φεύγοντά με τὸν ἔλεγχον τέτον. ὥστε ἀπόδυσαι, καὶ ἡμῖν παλαίωμεν. *Hoc præ cæteris, adulescens, memineris oportet, te in Palæstram incidisse: nunc ostendas licet, an sis factus inter adulescentes agilis, & hujusmodi certamina exercitatus. Cui, haud, inquam, defugiam hanc provocationem, ut jam nudari, & Palæstræ exercitio incumbere, sum paratus*, ac plura ibidem ejusmodi. Sic & Martialis lib. 10. ep. 55. *Palæstram* usurpat. Plautus autem similiter valde meretricem in Cistellaria *Gymnasium* adpellavit. Oleis, unguentisque convivas olim ungi solitos, etiamque Palæstritas, tonsoribus est notum. Unde jam hic satis clarere Petronium, quisquis animadvertet.

Cœnatoria repetimus.] *Cœnatoria*, vestes domesticæ sunt Adcubitoriæ. Vide Lipsium lib. 1. Saturnalium cap. 2. Fallitur autem vir magnus, dum *Pallium* illud Trimalcionis, quo cap. XXXII. *adrasum incluserat coeput*, idem facit cum istis Cenatoriis, nam longe aliud est, ut ibi constabit. Vide etiam Stuckium l. 2. Antiquit. Convival. c. 26. quod est *de convivali vestitu.*

Fussi

Jussi ergo discubuimus.] Sive hoc urbanitati demus, nota est apud honestioris notæ homines consuetudo: sive mori peculiari, scire oportet id negotii, scilicet gradum suum in conviviis adsignare unicuique, datum olim cuidam ministro, quem Ταξίαρχον Græci vocabant, *Nomenclatorem* Latini. Ex Athenæo ego didici lib. 2. Dipnosoph. Μετὰ ταῦτα ἀναστάντες κατεκλίθημεν ὡς ἕκαστος ἤθελεν, ἢ περιμείναντες ὀνομακλήτορα, τὸν τῶν δείπνων ταξίαρχον. *Posthæc nos adsurreximus, & ut cuique libitum est, accubuimus, non exspectato Nomenclatore, suum in coena cuique gradum & ordinem adsignaturo.* Insigni enim loco id genus Nomenclatorum mentio est apud Ammianum Marcellinum lib. 14. cap. 16. quum de præpostero agit convivarum delectu: *Et si digesto plene consilio id placuerit geri, is adhibetur, qui pro domibus excubat aurigarum, aut artem tesserariam profitetur, aut secretiora quædam se nosse confingit. Homines enim eruditos & sobrios, ut infaustos, & inutiles, vitant quoque accedente, quod & Nomenclatores adsueti hæc & talia venditare mercede accepta, coenis quosdam & prandiis inserunt subdititios, & obscuros.* Et τῷ Δαιτρῷ munus istud nescio an tributum. Suidas: Δαιτρὸς, προσδιαιρῶν ἐλάχιστα τοῖς ἐσωμένοις· ἄτω γὰρ ἐσιῶντο μεριζόμενοι τότε πρόβατα, καὶ τὸν τόπον. *Divisor, distributor, qui minima frusta convivis divisa adponit, sic enim convivantur, & oves, & LOCUM dividentes.* Hoc est, unicuique suum locum adsignantes. Sunt & exempla jubentium accumbere, cum alias, tum apud Plautum Persa. 5. 1. 15.

Tu, Sagaristio, Accumbe in summo. SA. *Ego nihil moror.*

Qui fors eo non reluctatur, quod servi nempe rationem non habebant loci in accumbendo. Iterum 5. 2. 14.

Locus hic tuus est, hic Accumbe.

Gustatione mirifica initiati.] *Gustatio, Gustus, Gustulus, Promulsis. Proœmium, Antecoena*, vel *Antecoenium*, & *Prandium*, pro cœnæ prima parte usurpari constat, sive primo Missu: Portunianus vetustissimus Auctor, *Paracoenium*, nuncupat. *Promulsidare* vero, vel *Promulsidarium* dicebatur Promulsidis repositorium, quod infra palam facimus; nos unica voce *Principios; Antes* vulgo hominum usurpari quoque vidi. Plurima mentio est apud priscos Auctores illorum vocabulorum, uti apud doctos viros observatio. Ipse Petronius explicat, *Gustatione initiati.* Ad hancce etiam cœnæ partem referenda sunt & loca sequentia, cap. XXXI. *Adlata est tum Gustatio valde lauta.* & cap. XXXIII. *Gustantibus adhuc nobis repositorium adlatum est*, quod Repositorium in Gustu quoque censendum. & cap. XXXIV. *Gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur.* Iterumque cap. XXXI. *Ceterum in Promulsidari asellus erat Corinthius*, &c. illud autem cap. XXIV. translative dictum: *Hoc, inquit, belle eras in Promulside libidinis nostræ militabit.* Plura autem de his addere, foret quidem humanitate Lectoris abuti, ideo ad alia progredimur.

Vino etiam Falerno.] *Vinum Falernum*, à Falerno agro in Campania, nobile. *Secunda nobilitas*, inquit Plinius lib. 14. cap. 6. *Falerno agro erat.* Sic autem de illo ex Galeno tradidit Athenæus lib. 1. cap. XXI. ὁ Φαλερῖνος οἶνος ἀπὸ ἐτῶν δέκα ἐστὶ πότιμος, καὶ ἀπὸ πεντεκαίδεκα μέχρις εἴκοσιν· ὁ δ' ὑπὲρ τοῦτον ἐκπίπτων τὸν χρόνον κεφαλαλγικὸς, καὶ τὰ νευρώδες καθάπτεται. *Falernum vinum potui anno decimo tempestivum est, & ab anno decimo quinto usque ad vigesimum: vetustius vero caput dolore adficit, & nervos tentat*; & plura, quæ de ejus generibus subdit. Idem Cicero, & Plinius docuere.

Priapi Genio.] *Genii Deorum* sæpe Antiquis memorati. Martianus Felix de Nupt. Philolog. lib. 1. *Junonis vero Sospitæ Genius accitus ex nona.* Minutius Felix Octavio: *Et est illis tutius per JOVIS GENIUM pejerare, quam Regis.* Nam & illam, invenit olim supparasitandi semitam Antiquitas, *per Genium Principis* religiose jurare. Sic in marmoribus, ac numis reperiuntur hoc genus Inscriptiones: GENIO AUGUSTI, GENIO CÆSARIS, GENIO IMPERATORIS, & his similes, sed hoc protritum.

Pervigilium deberi.] Subdole dictum, in proclivi ratio est, cur & *Priapo* Pervigilium debeatur; amat enim hocce numen *Operosis*, & *Pervigilibus noctibus*, ut cum Appulejo loquar, creberrime coli. Ipse de se prædicat carmine libero:

Parum, quod acta sub laboribus luce,
Parem diebus Pervigil traho noctem.

Itidem etiam *Venus* atque *Amor.* Illa proinde *Noctuvigila* Plauto; *Noctiluca* Lævio antiquissimo Poëtæ. Φιλοπάννυχος, *Pervigilium cupiens* Orpheo; & ejus palæstram Casinæ Plautinæ Prologographus vocavit *Excubias.* Isti etiam, *Amori* inquam, ea propter *Vigilandi vis* tribuitur ab Appulejo lib. de Deo Socratis: *Quorum è numero Somnus atque Amor diversam inter se vim possident; Amor Vigilandi, Somnus Soporandi.* Hinc jam & C. Plinii Epigrammati dies oritur:

Huc mihi vos largo spumantia pocula vino,
Ut calefactus Amor Pervigilare velit.

Alioquin largius merum somnum conciliat. Hinc & *Noctes* Amoris, ac Veneris ἁπλῶς *Pervigiles* vocatæ; ipsius Appulejus lib. 2. fab. Miles. *Ut nocte Pervigili & oleo Lucerna, & vino calix abundet.* Lucianus quoque amatorium hocce Pervigilium subindicat Διαλ. ἑταιρ. Ὁ ὃ τῶν νυκτῶν φιλεῖται, μόνος ἔνδον ἐστὶ, καὶ μὴν παννυχίζεται. *Ille autem tota nocte osculatur, & solus intus est, & quoddam Pervigilium tecum peragit.* Amica item Propertii simile prorsus, atque Quartilla, Pervigilium postulabat nocte illa, quæ *candidissima* vati. l. 2. El. 15.

Illa meos somno lassos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit, Siccine lente jaces?

Exin & Papinius repulsum Somnum sibi evocat l. 1. Sylv.

At nunc, heus, aliquis longa sub nocte, puellæ
Brachia nexa tenens, ultro te Somne repellit.
Inde veni.

Aſt Catullus ad ipſum reſpicit Pervigilium epigram. in Gellium:

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque ſorore
Prurit, & abjectis Pervigilat tunicis?

Inde & haſta ſcilicet, quæ ſtrenua exſtitit in Veneris prælio, *Pervigil* etiam dicta Maximiano:

Conſcia ſecreti ſemper fidiſſima noſtri,
Adſtans in noſtris Pervigil obſequiis.

Contra vero, qui viduo cubabat toro, amicamque non habebat, *Somnum* evocabat. Plane Martialis Ep. 72. lib. 1.

Et quia nulla venit, Tu mihi, Somne, veni.

Et Ep. 107.

Quid parcis tibi, Ruſe? Dormiendum eſt.

Erant & alia *In potu Pervigilia*, quæ ſerio inſectatur Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagog. cap. 4. illudque Græci vocabant, ut ex Polluce ediſcitur, διαπαννυχίσαι, & διανυκτερεῦσαι, καὶ παραπίμψαι τὴν νυκτὸς ἕως τε πρὸς ἥλιον. Tale ergo illo in convivio Pervigilium Liberi Genio deberi, merito admoneret quoque meretricula.

Cap. XXII. *Sopitionibus.*] Sic retinuimus, uti eſt in primis editionibus. Nam lectionem illam, quam præferunt nuperi, *ſopiti titionibus*, ex argute contracta voce Gruterus diſſolvit. Appoſitiſſima eſt enim illa compoſitio ingenio Petronii, cujus generis & plures ſunt Antiquis, Satyrographis potiſſimum, excogitatæ. Sic de illis Grammatici: *Componuntur autem nomina* (verba ſunt Priſciani lib. 5.) *modis quatuor, ex duobus integris, ut Tribunus-plebis, jusjurandum. Ex duobus corruptis, ut Benevolus, Pinnirapus. Ex integro & corrupto, ut Inimicus, Extorris. Ex corrupto & integro, ut Efferus, Impius.* Ipſummet docuere Donatus, Servius, Cledonius, & Quinctilianus.

Fatigatus guſtum hauſeram ſomni.] Eadem mens Terentii Eunucho Act. 2. ſc. 1.

Opus faciam, ut Defatiger uſque ingratiis, ut dormiam.

Nam poſt laborem inviti dormire cogimur. Illud eſt, *Ingratis*, interprete Donato. Hiſpanice, *aunque no quiera.* Sic paullo ante: *Quum Aſcyltos gravatus tot malis in Somnum laberetur.* Porro ex loco Terentii non incommode fortaſſis mecum noviter interpreteris Propertii locum lib. 3. El. 9. qua celebrat puellæ ſuæ Natalem:

Dulciaque Ingratos adimant convivia Somnos.

Rem miram, novamque cupit Poëta, ut diei videlicet ſolenniis vacare largius poſſit; nam convivii proprium eſt, ſomnum conciliare. *Ingratos* ergo *ſomnos*, inquit, hoc eſt, coactos, & quodammodo neceſſarios.

Alii circa pedes, &c. alii parietibus, &c. quidam in ipſo limine, &c.] Ubique pueri, ſervi; præceſſit, idem & tota intra foriſque Familia fecerat, & ſubſequitur: *Et pueri deterſis paullisper oculis redierant ad miniſterium.* Adpoſitiſſime Ovidius lib. 2. Amor. El. 5.

Jamque frequens ierat menſa conviva relicta:
Compoſiti Juvenes unus & alter erant.

Compoſiti ſunt ſepulti ſomno & vino, ut alibi dicimus.

Diſcumbentium.] Etiam ſoporatorum, quod in triclinis frequenter factum, reſque notiſſima eſt. Sic in Platonico convivio, licet παμπύκιοι Socrates, Agathon, & Ariſtophanes; plures tamen ſomno indulſerunt in diem uſque inluceſcentem. Sic infra etiam cap. LXXXV. in triclinio, ubi cum puero Eumolpus ſoleret, ipſe ſomnum ſimulabat, pater ſtertebat. Infinita prope exempla adducere equidem poſſem qua Græcorum, qua Latinorum.

Marcebant] Tranſlative pro *Dormiebant*; ſic Plinio Cæcilio, *Somno Marcidi* ſunt, quippe marcent, ac languent, qui edormiſcunt. Languidi autem, & ſomniculoſi potiſſimum ebrii: quorum effectiſſimam prorſus referebat imaginem illud cœnaculum. Ita Papinius in lib. 1. Sylv. VI. verſ. 96.

——— *Tuoque Baccho*
In ſerum trahor Ebrius ſoporem.

Ea propter Horatius *Potorem* vocavit *Marcentem*. Et *Marcidum* ipſus Statius *Bacchum* lib. 4. Thebaid.

Marcidus edomito bellum referebat ab Æmo
Liber.

Et in Sylvis ipſa *Vina Marcida* Μετωνυμικῶς, & *Marcentia pocula.*

Lucernæ quoque humore defectæ tenue & extremum lumen ſpargebant.] Plutarchus: λύχνοι φῶς καταφειρομένου. Sed elegantiſſime omnium Ovidius extrema Epiſtola Heronis Leandro,

Namque ſub aurora jam dormitante lucerna.

Huncce vero Petronii locum ad λαμπαδομαντειαν traxit Auctor Diſquiſitionum Magicarum. Unde autem viro doctiſſimo id venerit in mentem, ego prorſus ignoro: quum neceſſario ſiccis lucernis id luminis emarcentis contingat. Diverſa longe ratio in Propertio lib. 4. El. 9. ab ipſo etiam adducto:

Sed neque ſuppletis conſtabat flamma lucernis.

Aſt apud Quartillam, poſtquam Tricliniarches lucernis occidentibus oleum infudit, continuo *refectum convivium eſt.*

Duo Syri.] Duo ſervi. ex Syria nempe advecti plures, uti ex Cappadocia, regionibus natis ſervituti, ut ait Cicero Orat. de Provin. Conſ. Inde *Cappadox*, & *Syrus*, ſimpliciter pro ſervo paſſim occurrunt. Perſius Sat. 6.

——— *Ne ſit præſtantior alter*
Cappadocas rigida pingues paviſſe cataſta.

Juvenalis Sat. 6.

——— *Quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*

Sic *Syriſcus* inter alios ſervos apud Terentium in Eunucho, nomen à Syro diminutum, auctore Donato. Vere, nam in ισκος terminantur diminutiva propria Græcorum; ab iiſque Hiſpani acceperunt, & vernaculo ſermone hodie conſervant; ita & *Syriſca* Copa illa, de qua elegantiſſimum poëmation inter Virgilii

Catalecta ; & Ausonius Eunum liguritorem convicio vocavit *Syriscum*.

Expilaturi.] Lepide dictum, ad oram libri mei Scioppius interpretatur, Prædaturi, Furaturi. Nec defuit, qui *Exsiccaturi* mavellet legere : recte si mentem Auctoris spectes, minime vero si lectionis veritatem. Revera enim, *Expilare lagenam*, joculariter pro Siccare dixit lepidissimus Scriptor.

Lagenam] Lagena vas fictile vinarium. Ventre fuisse protuberante ex Juvenale conligitur Sat. 12. 60. Ejus enim plurima exstat apud priscos Scriptores mentio. Lagena vinum ad mensam deferebant, quod festo *Lagenophoriorum* nomen præbuit, in Bacchi nimirum honorem Alexandriæ, Ptolomæo inventore, institutio. Hocce ex Eratosthenis testimonio planum Athenæus fecit principio lib. 7. Οἱ δειπνῶσι κατακλιθέντες ἐπὶ στιβάδων, καὶ ἐξ ἰδίας ἕκαστος λαγήνου παρ' αὐτῶν φέροντες πίνουσιν. *Quod coenaturi discumberent in toris gramineis, & è lagena quisque sua, quam domo adtulisset, biberent.* Haud est absimilis ritus, qui & in Χόων festo Athenienses servabatur, ut in Acharnensibus testatur Aristophanes. Non vero in Lagenis bibebant, ineptum quippe vas illud ad potandum, sed ex ipsis vinum effundebant in pocula, quæ inter nihilominus ab Jureconsultis recensentur *Lagenæ*. Fuit & mensuræ genus apud Græcos *Lagena*, Auctore Athenæo ipso lib. 11. qua significatione commune trium generum nomen inveniri, pluribus ibidem testimoniis confirmat. Ceterum *Lagena* non tantum testaceæ factæ, verum etiam ex filis è radicibus arborum decerptis, uti & alia vasa, spectabiles conficiebantur olim. sic Plin. cap. 31. lib. 16. scriptum reliquit.

Inter argentum.] Et subdit, *cecidit etiam mensa cum argento.* Item cap. XXXIV. *Argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere*, ubique μετωνυμικῶς pro Argenteis patinis, quod *Argentum factum* vocant Jurisconsulti, ac definit S. Isidorus lib. 16. Orig. cap. 17. *Quod est in vasis, & signis.* Parissime & nos simpliciter, *Plata*, argenteam supellectilem vocamus.

Avidius rixantur.] Propter lagenam. de simili autem rixa non inepte fortassis Juvenalis capiendus Sat. 5. immo potius, meo animo, valde concinne:

Inter vos quoties, libertorumque cohortem,
Pugna Saguntina fervet commissa lagena.

Figlina erant ex Hispania adducta vascula, non exiguo olim habita in precio.

Diductam fregerunt Lagenam.] Id est, in duas partes ductam, quod non latuit Erhardum. nos vero rem amplius inlustramus ; mirifice hoc Lucanus explicat lib. 5. Phars.

——— *Notos Altera Phœbi,*
Altera Pars Boream, Diducta luce, vocabat.

Etiam Suetonius in Tiberio, ubi de Agrippina loquitur os suum obturante cap. 53. *Rursus mori inedia destinanti, per vim, ore diducto, insulcari cibum jussit.* Scioppius autem ad oram libri mei scripserat : *Forte legendum, eductam, id est, exhaustam.* Sed quum isthæc mea postidia illi adprobassem, subdidit : *placet, Diductam, sicut Patrocli cadaver apud Homerum.* Sic etiam Actæon Doricus adulescens pulcerrimus apud Maximum Tyrium Dissertat. 8. Σπώμενον τὸ μειράκιον ὑπ' ἀμφοῖν βίᾳ διαφθείρεται ἐν χεροὶ αὐτῶν. *Adulescentulus utrinque in diversa Diductus, violentiaque ipsa dilaceratus, in manibus eorum exspiravit.* Revera duo Syri hic ipsis oculis spectantur utrinque Lagenam adprehensam tenentes, & alter avellere alteri conantes, quousque illa in duas partes ducta, unusquisque suam deportarit.

Caput fregit.] Non sine horrore tractandæ sunt purissimi sermonis elegantiæ ; pariter usus cap. CXXXIV. quod notatum aliis, parissime & nos dicimus: *quebrar la cabeza.* Eadem acceptione elegans alia Petronii locutio est, *Solvere frontem.* inquit ergo cap. XCV. *Ille tot hospitum potionibus liberum urceolum fictilem in Eumolpi caput jaculatus est, Solvitque clamantis Frontem.* Quæ ipsissima translatio cap. CXXI. locum præcedentem mirifice inlustrat.

——— *Rupto tellurem Solvit hiatu.*

Et stertere tanquam olim dormientes cœperunt.] *Stertere* signum est quidem alti soporis. Differte Plinius de Avunculo stertente : *Tum se quieti dedit, & quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior, & sonantior erat, ab iis, qui limini obversabantur, audiebatur.* lib. 6. Ep. 16. Omnino vere, nam sonantius stertunt, qui corpore ingenti sunt, pectoreque præditi obeso. Apte ergo qui somnum simulant, stertere eis inprimis curæ est. plane his in Syris id visum : plane etiam in puero, cujus impuram Eumolpus infra exponit narratiunculam. Sic cap. LXXXV. de illo inquit : *Audito voluptatis pretio puer stertere coepit ; itaque adgressus simulantem*, &c. quod satis eleganter,

——— *Vigilanti stertere naso,*

dixit Juvenalis de marito Lenone Sat. 1. Ille vero nasi sonus ῥόγχος dicitur, per Onomatopoïam compositum vocabulum, quo & utuntur Scriptores Latini, sæpe Martialis, & Horatius, si bene memini, & Sidonius. Glossæ Arabico Latinæ : *Runco, sonitum de naribus emitto.* scribe *Rhoncho*, sive *Rhonco* ; ῥογχίων Græci etiam habent, teste Hesychio. Exinde & Hispani, *Roncar*, Plautus autem dixit ; *Rhonchissat*, à ῥογχάζειν Græcorum.

Jam & Triclinarches experrectus, lucernis occidentibus oleum infuderat.] Apte, nam *Triclinarches*, qui triclinii præfectus, id est, cui commissa potissimum est cura convivialis, & qui adparando præerat convivio, Triclinioque exornando. Idem Græcis dictus συμποσιάρχης, & ἀρχιτρίκλινος. Inter alia etiam, ut hoc ἐν παροδῷ observem, ejus muneris erat, potionem prægustare, unde apud convivium illud nuptiale Signorum primo, quo innotescere cœpit JESUS DOMINUS, inlustre primum Architriclino vinum adlatum, non vero ut biberet, sed ut Gustaret tantum :

Ut

Ut autem Gustavit Architriclinus aquam vinum factam, ait D. Joannes cap. 2. ubi indubie ejus indicatum fuisse officium animadvertent Viri Docti. Indeque jam & Inscriptiones Lapidum clarere:

A LAGVNA. TRICLINIARCHA.

& alibi:

VOTVM. SYLVANO. SOLVIT. LIBENS.
MERITO. T. F. DIADVMENVS. LVRVESIANVS.
PRÆGVSTATOR. AVGVSTI.

Lucernis occidentibus oleum infuderat.] Ut reviviscerent, non ut suffocarentur saturitate, uti quorundam est, nescio quæ, observatio. satis liquet ex sequentibus. Præterea apud Plutarchum Quæstio est, in Quæst. Rom. q. 75. cur Romani non fuerint soliti lucernam occidere, sed potius illam ultro consumi, atque extingui desinere, cujus plures edit ibidem rationes, & iterum lib. 7. Sympos. Problem. 4. Inde fortassis illa Lucerna, quæ pernoctantibus, in potuque pervigilium agentibus luceret, dicta fuit λύχνος πάννυχος, *Lucerna pervigil*, illud est Horatii lib. 3. Carm. 8.

——— *Et Vigiles Lucernas*
Perfer in lucem.

& Carm. 21. lib. 3. *Vivam* vocat:

Te Liber, &, si læta aderit, Venus,
Segnesque nodum solvere Gratiæ,
Vivæque producent Lucernæ,
Dum rediens fugat astra Phœbus.

Martialis *Seram* lib. 10. Ep. 9.

Seras tutior ibis ad Lucernas;
Hæc hora est tua, dum furit Lyæus,
Quum regnat rosa, quum madent capilli.

Nam ipsum usque in Phœbum, quod obiter dicam, producebant convivia. sic etiam lib. 7. Ep. 9.

In Lucem coenat Sertorius. ———

Hispani: *hasta la manana*. Eleganter Propertius lib. IV. Eleg. VI. vers. 85.

Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

Plures alii.

Pueri redierant ad ministerium.] De *Pueris* sic Paulus JCtus leg. 204. ff. de verb. sign. *Fueri adpellatio tres significationes habet: unam, quum omnes servos pueros adpellaremus: Alteram, quum puerum contrario nomine puellæ diceremus. Tertiam, quum ætatem puerilem demonstraremus.* Nunc sigillatim: *Quum omnes servos pueros adpellaremus.* Est Græcorum imitatio, quibus æque multiplex significatus vocis παῖς, Dorice Πᾶς, unde postmodum Latinis *Puer*. nam Antiquiorum compositiones illæ, *Marcipor, Publipor, Quintipor*, exinde ortæ proculdubio, quæ nimirum *servilia* erant nomina, ut Festus inquit voce *Quintipor*, à prænominibus Dominorum ducta, significantiaque *Marci servus, Publii, Quintii*. sic usus etiam Varro: *Quintiporis Clodiani joria, ac poëmata Gargaridiani dices*, &c. sed postea interciderunt. Quinctilianus lib. 1. cap. 4. *In servis intercidit jam illud genus, quod ducebatur à Domino, unde Marcipores, Publiporesque.* Τῷ *Puer* hacce notione omnes usi. Cic. ad Atticum: *Eo die Pueri tui mihi à te litteras reddiderunt.* Usurpatur passim & in sacris Bibliis. D. Augustinus in 1. Locutionum ad locum: *Et nos erimus servi Domini nostri*, inquit: *Etiam hic παῖδες Græci habent, hoc est, Pueri: quod tam assidue Scriptura pro servis ponit, ut difficile inveniatur, non isto nomine adpellare Servos.* Et ad locum Geneseos: *Salvus est Puer tuus, pater noster*, addit: *Hic expressius ostenditur, Pueri nomine Servum solere significari. Non enim in illo sene* (de Jacobo loquitur) *posset hoc esse nomen ætatis.* De his ergo capiendus nunc, & sæpe alias, Petronius. Eadem ratione, observo ego, *Juvenem* etiam vocavit servum Ovidius 3. de Arte:

Ancillæ, puerique manus ferat ante tabellas:
Pignora nec Juveni credite vestra novo.

Et lib. 2. Amor. El. 5.

Jamque frequens erat mensa conviva relicta:
Compositi Juvenes unus & alter erant.

Sed deinde Lex: *Quum Puerum contrario nomine puellæ diceremus.* Hocce notum. Ovidius:

——— *Sive puellæ,*
Sive dares Puero.

Quanquam, *Pueris legatis*, inquit Lex 81. ff. de leg. 3. *etiam puellæ debentur; ut & Servis legatis etiam ancillas quidam deberi recte putant: quasi commune nomen utrumque sexum contineat.* Et vere omnino, nam utroque sexu sæpicule τὸ *Puer* Antiquis enunciari, observatum Grammaticis Veteribus, Prisciano, & Charisio. Ait Nævius lib. 2. Belli Punici:

Prima incedit Cereris
Proserpina Puer.

At denique JC. *Quum ætatem puerilem demonstraremus.* Quod omnino vulgare. Sed notandum est, *Puellæ* nomine natu quoque grandiorem includi, uti, quæ adulescens, aut, quæ mater jam sit. Horat. lib. 3. Od. 22. ad Dianam:

Quæ laberantes utero Puellas
Ter vocata audis.

Et similiter Penelope, apud Ovidium in Epistola, se puellam vocat, quum Ulysses jam pridem Telemachum perperisset. Addimus quartam significationem nobis jam olim observatam, postea vero aliis etiam novimus animadversam, *Pueri* pro filiis usurpantur. Horatius sententia inlustri lib. 2. Od. 18.

——— *Æqua tellus*
Pauperi recluditur,
Regumque Pueris.

Et alias pluries. Sed Donatus ad Terent. Andr. Act. III. sc. 11. vers. 10. scite: *Omnis, quæ peperit, puerpera, & non quod Puerum, sed quod Filium pepererit, Puerpera dicta est.* Sic Ovidius lib. 2. de Ponto Eleg. 8. ad Augustum:

Parce, Puer, sæcli decus admirabile nostri.

Filium Cæsaris vocabant adsentatores. Ita Procopio γύπαιδες, id est, *Terræ Filii*, ut Salviano *Gepidæ*. Sic & *Puera* pro Filia, & puella invenitur apud Scriptores

ptores veterrimos ; ſicut *Puerus* quoque pro *Puer*.

Quum intrans cymbaliſtria, & concrepans æra.] Lubet hic de *Cymbalis* & *Cymbaliſtriis* facere digreſſiunculam haud inutili opera. Et primum præmittimus, bene Petronium in convivium cymbala intuliſſe; nam ſæpe antiquitus ad illa adhiberi ſolita, ex Priſcis non pauci indicavere. Plane ſic Cicero in Piſonem: *Quum Collega tui domus cantu, & Cymbalis perſonaret: quumque ipſe nudus in convivio ſaltaret.* Ita & Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 4. Inter laſciva conviviorum muſica inſtrumenta diſertim *Cymbala* recenſuit. *Crotala*, quæ ſimillima crepitacula ſunt, comitibus, adſecliſque Comi, Commeſſationum numinis, dedit Philoſtratus in Comi ejuſdem imagine. Muſicam autem, quam Cymbalis edebant, *Tinnitum* adpellarunt Veteres. Ecce Appulei verba 8. Metamorph. *Inibi vir principalis, & alias religioſus, Tinnitu Cymbalorum, & ſouitu Tympanorum*, &c. Etiam Virgilii 4. Georg.

Tinnituſque cie, & Matris quate Cymbala circum.

Erudite ergo vulgatus Interpres illud D. Pauli reddidit Ep. 1. ad Corinthios cap. 13. Γέγονα χαλκὸς ἠχῶν, ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον. *Factus ſum velut æs ſonans, aut Cymbalum Tinniens.* Hinc dubio procul *Cymbala ærea* fuiſſe, facile conligere eſt, nam *Æris* proprium *Tinnire*. Arnobius lib. 7. *Etiamne Æris Tinnitibus.* Et Catullus de Nupt. Pelei, & Thetidos:

Aut tereti tenues Tinnitus Ære ciebant.

Unde jam planum, cur Hiſpanus Epigrammatarius ἀπλᾶς *Æra* Cymbala vocarit Epig. 204. Apophoretorum. Itidem hic Petronius: *& concrepans ÆRA.* Propertius *Æra rotunda* lib. 4. Eleg. 7. 61. Et, *Concava Æra*, Ovidius 4. Metamorph. Sic ideo & Gloſſæ veteres habent: *Æneatores*, Κυμβαλοκρέται. Ex quibus abunde, puto, cuique jam patet eorum materia. Reliquum eſt, ut quæramus formam. Haud obſcure Servius expreſſit ad Virgilii verſum illum ſupra adductum iſtis verbis: *Quæ in ejus* (Matris Deorum) *tutela ſunt Cymbala, ideo quod ſimilia ſunt hemicyclis cali, quibus cingitur terra, quæ eſt Mater Deorum.* Sane eleganter; ſed propius adhuc rem inſpectemus. Scribonius Largus aliud agens ecce quomodo deſcripſerit cap. 55. *Item mentaſtrum, vel radicem* κοτυλη-δόνος, *quæ herba folia ſimilia Cymbalis habet.* Inde ergo *Cymbalion* planta ipſa nominata Dioſcoridi lib. 4. cap. 88. Eandem vero Cotyledonem ſic Plinius delineavit lib. 25. cap. 13. *Cotyledon parvula herba, caulieulo tenero, puſillo, pingui folio, & concavo, ut Coxendices.* Quales ergo *Coxendices*, ut penitius exin Cymbalorum faciem percipiamus? Petenda omnino eſt illarum figura ab Anatomicorum filiis. Ipſi autem oſtendunt perſpicue, Coxendicum oſſa habere utrinque ſinum cavum, profundumque, non ſecus ac ſi medius globus impreſſus fuiſſet eorum unicuique. Illæ porro duæ cavitates nimirum ſunt, quibus femorum oſſium capita ſeſe articulant, & quas Medici antiqui, latiore Coxendicis notione, adpellarunt *Coxendices*. Item *Pyxides*, *Buccellas*, *Acceptabula*, & *Acetabula*; uti Cymbala etiam ipſa. S. Iſidorus lib. 3. Orig. cap. 22. *Cymbala Acetabula quædam ſunt, quæ percuſſa invicem ſe tangunt, & ſonum faciunt.* Hinc & tangendi rationem elicimus, quæ optime & cum Servii verbis conſentit. Pariſſime & Amalarius Fortunatus lib. 3. cap. 3. *Cymbala invicem tanguntur, ut ſonent, ideo à quibuſdam labiis noſtris comparata ſunt.* Idem totidem fere verbis & D. Auguſtinus ad Pſalm. 150. Do inſuper Philoſtratum, eadem Comi imagine; qui ritum plaudendi exprimens, & id quoque non expreſſit obſcure: Καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν πλήττει ἐς τὸ κοῖλον, ἵν' ὦσιν αἱ χεῖρες ξύμφωνοι, πληττόμεναι τρόπῳ κυμβάλων. *Nam dextera contractis digitis ſubjectam ſiniſtram ad cavum plectit, ut manus, Cymbalorum more, percuſſa conſona fiant.* Eo manubriata erant, anſatave in convexitate exteriori, ut aptius ſic manibus ambabus hinc & illinc apprehenſa conſiderentur. Ipſorum habes apud Pignorium imagines, quas ex Romanis Bacchanalium ſacrorum ſcalpturis dedit haud inelegantes. Ipſas vide; ob oculos omnia, quæ hic obſervavimus, habebis patentia. Sunt quoque & quadam in gemma chorum Dionyſiacum, ſacraque Bacchanalia exhibente. Cujus ego duas picturas jam vidi graphice expreſſas: apud Caſaubonum primam in Diatriba de Satirica Græcorum poëſi; alteram apud Scaligerum F. Epiſtola Gallice ſcripta, & in Opuſculis poſtumis edita. Verum enimvero ille videtur non ſatis rem vidiſſe, dum Baccham illam, quæ Bacchum præcedit, inſtrumenta invicem concrepantem, incedentemque retrorſum, facit *Tympaniſtriam, manibus videlicet*, verba ejus ſunt, *Tympanum quatientem.* Scaliger vero longe aliter, rectequeſenſit, quem tute vide. Nos autem, de Tympanis nonnulla proferentes, palam omnino faciemus, ea cum Cymbalis nullo modo eſſe confundenda: *Tympanum* enim muſicum erat inſtrumentum, cujus variis in ludicris uſus, pompiſque Deorum, nemini hodie, arbitror, ignotus eſt. Pelle erat ſuperinductum, ut ex pluribus Scriptorum locis, quæ hic adferre poſſemus, conſtat abunde, unum tamen aut alterum adtingemus. Phædrus ſic extremo lib. 3.

Detracta pelle ſibi fecerunt Tympana.

Ovidius Cymbala, & Tympana, ut ſæpe alias, denonotans libr. 4. Faſt.

Æra Deæ comites, raucaque Terga movent.

Catullus de Atti, & Berecynthia:

Niveis citata cepit manibus leve Tympanum,
Tympanum, tubam, Cybele tua mater initia:
Quatienſque Terga tauri teneris Cava digitis.

Cava igitur hinc Tympana cognoſcimus, *& digitis tangi ſolita*, non mutuo inter ſe inſtrumenta, ut de Cymbalis dictum, gemmaque ipſa ſignantiſſime expreſſum. Rem magis confirmo. Lucretius lib. 2.

TYMPANA TENTA ſonant PALMIS.

Ecce *Palmis. Manu* Ovidius in Ibin:

Et quatiens molli Tympana rauca MANU.

Inter-

Interdum & *Bacillo*; unde apud Phædrum jocularitèr asino, ex cujus pelle Tympana facta, vel mortuo non defuerunt plagæ:

Putabat se post mortem securum fore:
Ecce alia Plaga congeruntur mortuo.

Nostris puto, similia prorsus fuere instrumenta vocatis *Panderos*, & *Aduffes*. Patet ergo aperte jam differentia, insigniterque Criticum illum virum à vero aberrasse. Habet autem eorum effigies Ara marmorea, quam Boissardus exsculpsit Part. 3. Roman. Antiquit. fol. 47. Ibi enim Cybele visitur Deorum mater, sedens in curru, qui à leonibus trahitur, dextra spicas, ac milium tenens, sinistra vero *Tympanum*. Stat & ibidem Attis puer innixus pinui, mitratus, braccatusque *Tympanum* etiam sinistra extollens, dextramque, ut quatiat videlicet, ad ipsum dirigens.

Cap. XXIII. *Infractis manibus congemuit.*] Idem aliter supra cap. XVII. *Et manibus inter se usque ad articulorum strepitum contritis*, quod à me jam dictum. Utrumque complexus est Seneca lib. 3. De Ira cap. 4. *Adjice Articulorum Crepitum, quum se ipsa Manus Frangunt.* Qui gestus Furentis potius sunt, quam sese ad dicendum Componentis; ubi tot Viri docti turpiter lapsi sunt, ut nos indicamus alibi.

Ejusmodi carmina effudit.] Cantio isthæc, quæ Plauto *Cinædica* dicta, quod petulans, quod voluptaria, itidem Petronio, & insuper, quod à Cinædo effusa. Parum tamen juxta Appulei sententiam foret blanda & suavis, quippe vocem tribuit monstris illis *raucam* & *absonam*, licet *fracta* nihilominus, & *effoeminata* sit.

Spatalocinædi.] Equidem Puer adhuc reponendum hic putabam *Batalo cinædi*, congrua satis compositione, qualibet sumatur acceptione Βάταλος. Atticis, teste Plutarcho, erat pars corporis, quæ honeste satis nequit enuntiari: Δοκεῖ δέ μοι καὶ τῶν ἐκ ἐυπρεπῶν τι λεχθῆναι τὸ σώματος μορίων παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς τότε καλεῖσθαι Βάταλος. Eupolis videtur & *Batalum* vocasse τὴν πρωκτὸν, id est, *podicem*; unde & Cinædi ipsi *Batali* vocati, ἀπὸ τοῦ τύπτεσθαι ἐν τῷ ἔργῳ, καὶ βαταλίζεσθαι. Fuit *Batalus* & Ephesius tibicen, de quo hæc Libanius protulit: Ἱστόρηται γάρ ποτε Βάταλον Ἐφέσιον αὐλητὴν γενέσθαι, ὃς πρῶτος ὑποδήμασι γυναικείοις ἐπὶ τῆς σκηνῆς ἐχρήσατο, καὶ μέλεσι καταγόσι, καὶ ὅλως τὴν τέχνην ἐμαλθάκιζεν, ἀπὸ τούτου δὲ ἔτοι ἐκλύτους, καὶ ἀνάνδρους βατάλους ἐκάλει. Narratur *fuisse Batalum quendam Ephesium tibicinem, qui omnium primus in scena calceamentis usus est femineis, & fractis cantibus; & artem tibiarum remollivisse prorsus videtur; ab hoc exsolutos, & parum viros Batalos vocabant.* Inde ergo fracti, & remolliti *Batali*; sic eos Hermogenes vocat lib. 2. de Form. Orat. Thomas Magister, Æschines, & alii. Sed latius jam isthæc Rhodigino acta. Verum enim vero, quum vulgaris scriptura non incommode possit tolerari, postquam isthæc Conrectoribus designaverimus, eam omnino conservandam putamus.

Clune agili.] Describit Cinædicam Saltationem verbis subturpiculis, pariter quæ ad illam mirifice faciunt, atque Cinædorum ad flagitia; quod & hic semel plene indicasse sufficiat. Utrumque ergo utrique convenire, *Agilem Clunem* inquam, & *Femur Facile*, indubium est. Disertim Juvenalis Sat XI. vers. 164. Saltatricibus Gaditanis dedit *Tremulum Clunem*, & itidem sæpius Martialis, aliique. Ad obscœna quoque traduci motum Clunium Agilium, neminem fugit. *Cevere* id vocabant antiqui. Martialis lib. 3. Ep. 95.

Sed pædicaris, sed pulcre, Nævole, Ceves.

Persius Sat. 1. 101.

——— *An Romule Ceves?*

ubi priscus Grammaticus: *Molleścis? Molles, & obscœnos Clunium Motus significat.* Vides ergo plane datum Cinædis. Feminis vero sæpius à pluribus, illudque vocarunt *Crissare*. Lucilius

Crissatura, ut si frumentum Clunibus vannat.

Carmen Liberum de Telethusa:

Crissabit tibi fluctuante lumbo.

Ea mens Ovidio de Sapphone Epistola ad Phaonem:

Tunc te plus solito lascivia nostra juvabat:
Crebraque Mobilitas, aptaque verba joco.

Tibullo item Eleg. 9. lib. 1.

——— *Nec tu stultissime sentis,*
Quum tibi non solita corpus ab arte Movet.

Inde, venusta compositione, puellæ ea insignes mobilitate vocatæ *Recelliclunia*. Idem tu puta de *Femore* esse quoque dictum.

Manu procaces.] Locum non capio de Cinædi masturbatoribus, ut volunt nonnulli, nec, ut alii, de Impudicis illis, quorum Characterem Seneca delineat in Ep. 52. Ibi enim signanter Hispano Philosopho illi notantur,

Qui Digito scalpunt uno caput.

uti ex Licinio Calvo Juvenalis dixit Sat. 9. 133. quæ impurissimis illis valde erat levis nequitia: potius enim sollicitationem subindicat, ut Petronius loquitur, frigidorum inguinum, cui etiam & *Manus* adhibitæ. Sic Martialis ad Lesbiam lib. 6. Ep. 23.

Stare jubes nostrum semper tibi, Lesbia, penem,
Crede mihi, non est mentula, quod digitus.
Tu licet & Manibus blandis, & vocibus instes, &c.

Ita & Juvenalis Sat. 6. 198.

——— *Quod enim non excitat inguen*
Vox blanda, & nequam? Digitos habet, ut tamen omnes
Subsidant pennæ.

Sive adjumentum ibi obscœni operis Arbiter innuit, quod inter alia designatum reliquit Iberus Epigrammatarius lib. 11. Ep. 105.

Nec Motu dignaris opus, nec Voce juvare,
Nec Digitis.

Molles, veteres, Deliaci manu reciśi.] Videtur hic locus à D. Augustino adumbrari lib. 2. de Civit. Dei cap. 7. *Quanto melius & honestius in Platonis templo libri ejus legerentur, quam in templis dæmonum Galli abscinderentur, Molles consecrarentur, Insani secarentur.*

Galli namque sacerdotes secti, & obscœnissimi, ut ex Luciano notum, Appulejoque.

Molles.] *Mollis*, ait D. Isidorus lib. 10. Etymolog. *quod vigorem sexus enervato corpore dedecorat, & quasi mulier Emollitatur.* Inde *Molles* opponuntur *viris*. Cornelius Tacitus lib. 11. Annal. sub. princ. *Exin adulterium Poppæa, ac postremo MOLLITIAM corporis objectare.* (Asiatico nempe) *Ad quod, victo silentio, prorupit reus; Et interroga, inquit, Suili, filios tuos, VIRUM me esse fatebuntur.*

Veteres.] Exoleti, Vetuli cinædi, & qui *Pueri vetuli* argute Petronio ipsi dicuntur cap. XXVIII. *Et in Chiramaxio deliciæ ejus ferebantur, Puer vetulus, Lippus*, &c. Evocat ergo compares suos, comitesque, nam de ipsomet cinædo subdit Encolpius: *Et inter rugas malarum*, &c.

Immundissimo me basio conspuit.] Babigerum hisce verbis facit Cinædum, prorsus enim sputis persundebat miserum, quem osculabatur, id ergo est, *basiis conspuere*, summa concisione, summa elegantia dictum. Talibus Martialis etiam dedit *Nares caninas*, quippe adsiduo mucidæ. Catullus in Acmem, deformi puellæ, *Os non siccum.* Immunditiæ namque Character est. Item Stultitiæ. nihil aliud vult S. Isidorus Glossographus, & Papias: *Babiger, Stultus. Babigera, Stulta.* Inde parissime nos fatuos ac stultos adpellamus, *babosos, baberas, que se les cae la baba.*

Super inguina mea diu multumque frustra molait.] Nunc Encolpius equus cinædi, postea Ascyltos, quum *equum cinædus mutavit.* Addit, *frustra*, id est, sine voluptate Encolpii robusta.

Moluit.] Bonæ sunt, quas hic conferunt, Symbolæ. Addo insuper ego ex Bibliis sacris unum aut alterum. Jobo sic & verbum *Molere* usurpatum cap. 31. 10. *Molat alteri uxor mea?* quod sic explicat D. Hieronymus: *Scortum sit alterius uxor mea.* Et Jeremias Thren. 5. 12. *Juvenes ad Molendum rapuere.* Et idem S. exponit; *Adolescentibus impudice abusi sunt.* Ceterum conlatio illa, quam ad verba cap. XCV. *Quid sibi vult tam furtiva Molitio?* Symbolæ faciunt, omnino est ridicularia. Prorsus non viderunt, *Molitionem* illam à verbo *Molior*, non *Molo*, duxisse Originem. Est igitur ibi *Molitio*, quædam quasi machinatio, dictumque *ob grabatum erectum.* Epigrammate item 94. hic etiam nuperrime laudato, longe aliud Ausonium voluisse, cuilibet patebit legenti, sed si omnia ἀκαίρως adducta nobis indicanda forent, quam inficetum adgrederemur opus! & quam invidiosum nobis esset futurum! Verba autem illa *atque omni vi detexit recusantes.* mirifice rem ob oculos ponunt.

Perfluebant per frontem sudantis acacia rivi.] Ad quid *Acacia* in caput cinædo inducta, jam olim nos vidimus, uti sciunt non pauci, quibus primores nostras in Arbitrum notatiunculas communes fecimus. Postea apud Marcilium Horatii interpretem Commentum invenimus nostrum, unde nuper Bourdelotius protulit. *Acacia* ergo sudori immixta defluebat à capillis fucatis. Senex enim Cinædus canos tingebat, quibus malarum rugæ mirifice consentiunt. Geminus est germanus ille, licet non fucatus, quem depinxit Appul. lib. 8. fab. Milef. *Cinædum & Senem, calvum quidem, cincinnis semicanis, & pendulis capillatum.* Sic ab oculis sudantium calliblepharo oblitis manare, Eubulus ait in Stephanopolidibus, rivulos atramenti, apud Athen. libr. XIII. cap. 1.

Κἂν ἐξίητε τῇ θύρᾳ, ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ὑδροῤῥόους
Δύο ῥέοντι μέλανος. ———

Si per æstatem vobis est progrediendum foras, ab oculis continuo rivi
Duo fluunt atramenti. ———

Et inter rugas malarum tantum erat cretæ.] Insignis, & tempestiva cinædorum descriptio apud Appul. lib. 8. Metamorph. *Die sequenti variis coloribus induviati, & deformiter quisque formati, Facie Cæneso Pigmento delita, & Oculis Obunctis graphice, prodeunt: mitellis, & crocotis, & carbasinis, & bombycinis injecti. Quidam tunicas albas, in modum lanciolarum quoquo versum fluente purpura, depictas cingulo subligati.* Unde & Petronius claret supra cap. XXI. *ultimo cinædus supervenit myrtea subornatus gausapila, Cinguloque succinctus.* Muliebriter enim variis coloribus induti.

Tantum erat cretæ.] Facies quippe depicti cinædi *creta*, usi potissimum more feminarum; quibus tantum ejus adhibitum (de deformibus sermo) ut forma velut sub larva omnino lateret; ea mens est Martialis lib. 6. Epig. 93. de Thaide:

——— *Aut acida Latet oblita Creta, &c.*

Plura *Cretæ* genera. de *Selinusia* sic Plinius lib. 35. cap. 16. *usus ad mulierum maxime cutem: lactei coloris est, & aqua dilui celerrima.* Ea propter summa Cretatæ cautio, ab quolibet humore declinare; exsertim Martialis ipsus lib. 2. Ep. 41. & Horatius Epod. XII. Sudore igitur nunc cinædi creta diluta. Alia præterea & candori acquirendo olim fuere usurpata, uti *Gypsum*, sic de Medea Cicero lib. 7. fam. Ep. 6. *Optimatibus matronis illa manibus Gypsatissimis persuasit.* Item *Cerussa.* Plautus Mostell. Act. 1. sc. 3.

PHIL. *Cedo Cerussam.* SCA. *Quid Cerussa opus est?* PHI. *Nam qui malas oblinam.*

Et Ciceroni, *Cerussatæ buccæ*, dictæ sunt; & Eubulo apud Athenæum lib. 13. cap. 1. Περιπεπλασμέναι ψιμυθίοις, *Cerussis oblitæ* feminæ; quo circa post paucos versus addit:

Ἐπὶ τῷ προσώπῳ δ' αἱ τρίχες φορούμεναι
Εἴξασι πολιαῖς ἀνάπλεω ψιμυθίου.
Qui vero capillus in facie volitat
Cano similis, Cerussa plenus est.

Cerussatam namque frontem adtingebat: non vero, quia Cerussa foret capillus fucatus, quod insigne erratum fuit Viri eruditi. Etiam *Melinum.* Ibidem Plautus. Vere autem *falsum candorem* illum adpellavit Propertius lib. 1. El. 2. Ast *Creta* latius pro quavis terra candefaciente sumta Auctoribus priscis invenitur.

Glossæ

Glossæ veteres: κνυάγιτ@, *Creta*, *Cretisodina*. Sic & *Cretatum* pro candido, uti *Cretatum bovem* Juvenalis Sat. 10. *Candidum* interpretatur Scholiastes, & Persii Sat. 5. *Cretata ambitio* Candidati sunt. Sed de Fucis his alii quam insigniter hic nobis fucum faciunt!

Detectum parietem nimbo laborare.] Id est, parietis opus albarium nimbis esse dilutum. Id opus *Tectorium* vocabatur; & ab ipsa albedine, *Albarium*, etiam dictum; ex Vitruvio patet lib. 7. cap. 2. uti & conficiendi modus ipsum *albarium opus*, sive *Tectorium*. Rem vero totam perspicue inlustrat Bernad. Baldus Opere de verbis Vitruvianis erudito, Voce, *Albarium opus*. Nostra hæc mens jam olim, puto & Wouwerii. Bourdelotius tamen aliter locum interpretatur, nec inconcinne, ipsum vide. Haud infrequens metaphora est ab parietum Tectoriis ad faciem variis offuciis coopertam, & incrustatam. sic Juvenalis Sat. 6. vers. 468.

Tandem aperit vultum, & Tectoria prima reponit,
Incipit agnosci.

Qui locus omnino capiendus est de fucis illis, quibus domi apud maritos feminæ faciem incrustabant, & removebant, ut mœchis placerent, foras prodituræ; puta, pane lacte asinino madido, & similibus, minime autem de Cretæ albedine, gypsive, quam subinde inducebant faciebus. nam isthæc sane, non *Prima Tectoria* dicerentur, potius secunda; quippe ipsa inducta, posteaquam jam reposuissent Prima. Vulgo hocce factitari etiamnum hodie videmus; ubi tamen ejus loci Interpretes parum constantes video. Ratio dubio procul est, totius Juvenalis loci, ubi speciatim scelus illud perstringit mulierum, luxatio, ordoque versuum præposterus, quod miror tot doctos viros non animadvertisse. Sic ergo vulgatis leguntur nullo bono sensu, immo valde inconcinno, parumque cohærenti:

Interea fœda aspectu, terrima vultu,
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat. Et hinc miseri viscantur labra mariti.
Ad mœchum veniet lota cute. Quando videri
Vult formosa domi? Mœchis soluta parantur.
His emitur, quicquid graciles huc mittitis Indi.
Tandem aperit vultum, & Tectoria prima reponit,
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites deduxit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicatur, an hulcus.

Ita autem reponendos cogitamus:

Interea fœda aspectu, terrima vultu,
Pane tumet facies, aut pinguia Poppæana
Spirat. Et hinc miseri viscantur labra mariti:
Tandem aperit vultum, & Tectoria prima reponit,
Incipit agnosci, atque illo lacte fovetur,
Propter quod secum comites deduxit asellas,
Exul Hyperboreum si dimittatur ad axem.
Sed quæ mutatis inducitur, atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit, & madidæ, facies dicatur, an hulcus?
Ad mœchum veniet lota cute. Quando videri
Vult formosa domi? Mœchis soluta parantur.
His emitur, quicquid graciles huc mittitis Indi.

Mens sic Satyrici Poëtæ, quam supra tetigimus, plane percipitur, remanetque clarior,

Quam Solis radii esse olim, quum sudum'st, solent.

Cap. XXIV. *Quæso, inquam, domina, certe Embasicoetam jusseras dari.*] Valde hic viri eruditi Notis ad Aristænetum demiror incogitantiam, qui Embasicœtam Incubum interpretatur. Nam præterquam quod longius abit originatio, iniquissima insuper foret Encolpii querela. Si incubum enim promisit Quartilla, Incubum præstitit. Neutiquam nos inficias imus, alios ab Incubis esse cinædos, sed in hacce propudiosæ libidinis fabula cinædus plane Incubi partes agebat, ut nos sat pluribus. inquit de ipso Encolpius cap. præcedenti. *Super inguina mea diu multumque frustra moluit*, & paullo post: *Ab hac voce equum cinædus mutavit.* Longe ergo alia fuit Arbitri mens, nam poculi genus erat haud dubio *Embasicoetas*, cujus apud Athenæum mentio lib. 11. Dipnosoph. Ἔφηβ@ τὸ καλούμενον ποτήριον Ἐμβασικοίτας. *Ephæbus poculi genus, quod nunc Embasicoetam nominant.* Itaque quum *Embasicoetas detur*, jussit Quartilla, poculum illud exhibendum, pro certo habuit Encolpius, mente autem Quartillæ cinædus erat, qui Embasicœtas vocatus, quod illa subdit: *Quid? tu non intellexeras, cinædum Embasicoetam vocari?*

Per fidem, inquam, vestram.] Hic jusjurandum est, ut cap. 100. *Per Fidem, inquam, pater, cujus hæc navis est? &c.* Encolpius sic Eumolpum obstringebat, ut verum diceret. Sic nos, *Por vuestra se*, *Por mi se*. Galli *par vostre foy*, *par ma foy*. Formula itidem erat in Deprecationibus, & Obtestationibus, usurpata. Exempla in Arbitro non pauca. cap. XCIII. *Per Fidem, saltem nobis parce, qui te nunquam lapidavimus.* Et cap. XCVIII. *Per Fidem, Eumolpe, reduc puerum.* Ac cap. CXIV. *Per Fidem, miserere, quemadmodum tu soles.* Sic Appulejus Miles. lib. 2. *Per Fidem vestram, inquit, Quirites, Per pietatem publicam, peremto civi subsistite.* Quod etiam & Brissonius vidit in Formulis.

Equum cinædus mutavit.] Nam usque huc, uti jam diximus, Encolpius erat equus cinædi. Cap. præcedenti ipsemet inquit: *Super inguina mea diu multumque frustra moluit.* De hocce nequam inequitandi modo etiam meminere alii Scriptores. Horat. plane expressit Sat. 7. lib. 2.

Clunibus aut agitavit Equum lasciva supinum.

Martialis lib. 11. Ep. 105.

Hectoreo quoties sederat uxor Equo.

Quem locum præ aliis libentius adduxi, ut, quam diversam Naso de Andromacha opinionem habuerit, obiter palam facere possem, inquit ergo lib. 3. de Art.

Parva

Parva vehatur Equo: quod erat longissima, nunquam
Thebais Hectoreo nupta Resedit Equo.

Quod & anterius dixerat lib. 2.

Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo.

Hinc & *Equitare*, verbum impuritatis. Juvenalis Sat. 6.

Inque vices Equitant, & Luna teste moventur.

Quod & cum Græcis habuere commune Latini, uti notatum pluribus. Ejusdem notæ & illa Eumolpi molitio cap. CXL. Qui nimirum *puellam exoravit, ut sederet supra commendatam bonitatem.* Et mulieris apud Lucianum impudicissimæ, cujus videlicet nequissimus vector, & quo ipsa inequitare volupe habuit, asinus fuit, non Equus. Ea vero Madaurensi Scriptori *Pendula Venus* dicitur lib. 2. Milesf. fab. Ast & cinædis nec illud defuit, ut prorsus feminæ vel ideo viderentur. Clare Petronius, cui suppetiatum venit Appulejus lib. 8. Metamorph. de eisdemmet loquens: *Passimque circumfusi nudatum, supinatumque juvenem execrandis uredinibus flagitabant.* Ubi & alia non pauca hujus Petronianæ scenæ gemina germana. Item Arnobius lib. 5. ubi Bacchi narrat propudiosum flagitium: *Et postica ex parte nudatus accedit, subdit, insidit, &c.*

Basisque distrivit.] Infra hanc locutionem cum aliis similibus conferimus. *Tero* notæ turpitudinis verbum, hic non adeo profligatæ est, uti aliis in locis. Pariissime autem cap. XCI. *Perfusum os lacrimis vultu meo Contero.* Barba dixit Juvenalis in re tamen longe turpissima, initio Sat. 9.

Quid tibi cum vultu, qualem deprensus habebat
Ravola, dum Rhodopes uda Terit inguina Barba.

Ceterum nequiori significatu Petronio alias, ubi & nos alia.

Et risu dissolvebat ilia sua.] Pueri namque & puellæ in risum proni, ea propter, modicum ridere, filiam apud Lucianum anus erudit, quippe, ut ille ait,

—— *Discunt etiam Ridere puellæ,*
Quæritur atque illis hæc quoque parte decor.

inquit ergo διαλ· ἑταιρ· Κό· Πῶς ὃ ταῦτα ἐκτήσατο ἡ Λύρα; Κρω· Τὸ μὲν πρῶτον κατακοσμοῦσα ἑαυτὴν ἐυπρεπῶς, καὶ ἐυσταλῆς ἰοῦσα, καὶ φαιδρὰ πρὸς ἅπαντας, ἐκ ἀχρι τοῦ καγχάζειν ῥαδίως, καθάπερ σὺ ἐιωθας, ἀλλὰ μειδιῶσα ἡδὺ καὶ ἐπαγωγόν. COR. *Quo pacto autem hæc acquisivit Lyra?* CRO. *Principio quidem exornando seipsam eleganter, deinde facilem atque hilarem gerendo se erga cunctos; non eo quidem usque, ut in cachinnum facile solveretur, quemadmodum tu soles, sed adridendo suave, ac blandum quiddam.* Sic Circe infra cap. CXXVII. *Risit tam blandum*, ubi nos plura. Haud secus nequitiarum magistellus in lib. 3. de Arte suas etiam puellas edocet, qui locus & Petronio nunc adpositissimus:

Sint modici rictus, parvæque utrinque lacunæ:
Et summos dentes ima labella tegant.
Nec SUA perpetuo contendant ILIA RISU:
Sed leve nescio quid, femineumque sonet.

Cui facit & illud Varronis: *Rictus parvissimus, ut refrenatus Risu roseo.* Arbiter, *Dissolvebat*, inquit; sic Arnobius lib. 1. *Atque in lasciviam Dissolvamini cachinnorum.*

Cujus esset puer.] Puer hic ἀγνῶς accipiendus, nam Gitonis ætas puerilis demonstratur; quæ una ex notionibus ejus, ut supra jam diximus. Planum hoc ex præconio illo, quo Gitonem Ascyltos quærit, cap. XCVII. nam ibi serio agitur, & inquit præco: *Puer in balneo paullo ante oberravit annorum circa* XVI. &c. Itaque fere semper de Gitone dictum hoc in Satyrico.

Mox manum dimisit in sinum.] Vicem subeat interpretamenti locus Senecæ P. ex Præfatione in lib. 4. Controvers. *Inter puerilis condiscipulorum sinus lasciva Manu obscæna lusisti.* Sic, *Turpia ludere* Juvenalis Sat. 7. Accinit & illi Rhetori Cicero Christianus, Lactantius inquam, lib. 1. de Fals. Relig. cap. 20. *Et Mutinus, in cujus Sinu pudendo nubentes residunt, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur.* Apertius & morem istum refert S. Augustinus lib. 6. de Civit. Dei cap. 9. Feminarum autem *Sinus* haud prorsus absimilis, ipsarum namque in Sinum manum immittere, etiam inter contrectationes impudicas habitum. Terentius Heauton. Act. 3. sc. 3.

—— *Vidine ego te modo Manum in Sinum huic meretrici*
Inserere?

Quod Plauto omnino est, *Papillam pertractare.* Unde & notior redit Catullus, quum ad Passerem Lesbiæ:

Qui cum ludere, quem in Sinu tenere,

Item Amalthæus:

Fert nitido duo poma Sinu formosa Lycoris:
Illa eadem nitido fert duo fraga sinu.

Et vetus quidam Poëta:

Sinus expansa profert cinnama.

Vasculo tam rudi.] Sic, *Rudes lacernæ*, sunt Martiali novæ; uti &, *Rudis toga.* unde jocum elegantem petivit Ep. 36. lib. 3. Ita *Rudes curæ*, nuperrimæ, nondumque per ora hominum evulgatæ. Sic *Rudis foetus capellæ* eidem tenellus est, & Tertullianus pariissime de infantis sanguine cap. 8. Apolog. dixit: *Fugientem animam novam specta, excipe Rudem sanguinem.* & Appulejus lib. 1. Milesf. *Quæ vel auditu nova, vel visu Rudia.* Sic & *Filia Rudis* ipsi Valerio est, immatura virguncula, pusilla. Et Ovidius 4. Fastor. simillime inquit de juvenca nondum marem experta:

—— *Juvencam*
Mactarunt, operum, conjugiique Rudem.

Et Epistola Helenæ:

Sum Rudis ad Veneris furtum: nullaque fidelem
(Dii mihi sunt testes) lusimus arte virum.

Uti Arethusa apud Propertium lib. 4. El. 3.

Quum Rudis urgenti brachia victa dedi.

Quonam igitur pacto, adloquor virum doctum, inter *Titulos* censendus est puer parvissimi peniculi, nondumque Venereis initiati; si necessario, *Tituli* futuri

futuri sunt Cornuto immanibus pensilibus juvenes peculiati? Hocce adhuc planius fit ex sequentibus: *Hodie post asellum diaria non sumo.*

Hoc, inquit, belle cras in promulside libidinis nostræ, &c.] Hoc translative dictum, ut supra monitum est, ad verba cap. XXI. *Gustatione mirifica initiati.* Ait ergo scortillum, *In promulside libidinis nostræ*, id est, ac si diceret, loco mihi erit Venereæ Gustationis, & inritamenti libidinis. Scite, nam in Gustu, quæ aviditatem cibi provocarent, exhibita.

Militabit.] Verbum Amoris. Ovid. lib. 1. Amor. El. 9.

Militat omnis amans, & habet sua castra Cupido:
Attice, crede mihi, Militat omnis amans.

Et in Epistola Didonis:

Frater, Amor, Castris Militet ille tuis.

Etiam Veneris, qui usus longe ab superiori diversus. nunc Petronius, perinde atque Appulejus lib. 9. Metamorph. *Commodum prima stipendia Veneri Militabant novi, & nudi milites.* Puto & Horatius lib. 3. Carm. 26.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et Militavi non sine gloria.

Sic & *Militiam* usurpavit Naso lib. 3. Amor. El. 7.

Quæ (membra) *nunc ecce Vigent intempestiva, valentque:*
Nunc opus exposcunt, Militiamque suam.

Itidem *Præliari* translatum. Appulejus lib. 2. Milesi. *Tota enim nocte tecum fortiter & ex animo præliabor.* Alibi. *Præliare, & fortiter Præliare.* Item, *Pugnare* Cornelio Gallo, sive quisquis ille sit:

Fortis ad occasum, ni Pugnem solis ab ortu,
Detrahat ignavo protinus arma Venus.

Ita & Petronius cap. IX. *Cum pura muliere Pugnasti.* Primam autem velitationem, levemque pugnam innuit nunc Arbiter.

Hodie enim post asellum diaria non sumo.] Hunc locum licet infra adtingimus, loco proprio nunc magis inlustramus. Asini ingenti membro sunt præditi: unde & bene Vasati homines *Aselli* dicti. Plane Juvenalis Sat. 9. 92.

——— *Atque bipedem sibi quærit Asellum.*

Huc indubie meretricula adlusit, ludens scilicet ambiguitate vocis *Asellus*, denotantis Promulsidis gestatores, quorum inferius haud ambigua mentio cap. XXXI. *Ceterum in Promulsidari Asellus erat Corinthius cum bisaccio positus.* quem qui Vas fecit toto cœlo aberravit. ex Corinthio ære Asellus erat effictus procul dubio, cui indicium facit indubitatæ fidei impositum *bisaccium.* Sive ad *Asellum Piscem* respexit, qui valde olim preciosus & gulonibus expetitus. Plinius lib. 9. cap. 17. Post accipenserem *Præcipuam auctoritatem fuisse Lupo, & ASELLIS*, ex Cornelio Nepote, & Laberio tradidit.

Diaria.] Lexicon vetus: ὀψώνιον, *Opsonium*, *Diarium.* At *Diarium* tenuissimum erat Opsonium, nempe alimentum unius diei, exiguum tamen, utpote servorum, ancillarumque. Horat. lib. 1. Ep. 14. eorum item, qui in carcere vincti. Sic Seneca Pater Controvers. 27. lib. 4. *Quum introductus esset è Carcere in Senatum, postulaturus ut Diaria acciperet.* Vinctorum autem victum ita tenuem fuisse, ut solum mortem prohiberet, minime autem augeret vires, notum, vel ipso Sallustio testante lib. 3. Hist. *Namque ut illis* (alimentis carceris) *exiguitate mors prohibetur, senescunt vires.* Mulierculæ igitur dicaculæ mens cuinam jam satis non patebit?

Cap. XXV. *Ad aurem ejus*] *Ad aurem*, sive, *In aurem*, aliquid dicere, Antiquis erat, secreto nimirum loqui. id nos *hablar al oido* dicimus. Ipse Petronius cap. XXVIII. *Et tanquam in aurem secreto aliquid diceret.* Sic & cap. LXXXVI. *Consurrexi ad aurem male dormientis.* Inde facetissime quendam Cinnam Valerius noster insectatur Ep. 90. lib. 1.

Garris in aurem semper omnibus Cinna,
Garris & illud, teste quod licet turba.
Rides in aurem, quereris, arguis, ploras,
Cantas in aurem, judicas, taces, clamas.
Adeone penitus sedit hic tibi morbus,
Ut sæpe in aurem, Cinna, Cæsarem laudes.

Sed nondum Cinnarum genus exstinctum est, aures videlicet miserorum, quibus obviam fiunt, perpetuo obtundentium.

Devirginetur.] Glossæ Isidori: *Devirginat, corrumpit.* Sed plura de hoc verbo Interpretes. Ad ejus normam simili in re simile verbum conflavit Cæcilius Comicus, nimirum *Deintegrare*, inquit: *Novem virgines*, (sic satius est legere, quam *nomen virginis*) *nisi mirum est, Deintegravit.* Bene ergo interpretatur Nonnius, *diminuit.* Minui enim dicebantur Virgines, quum eorum *Virginitas interficiebatur*, ut Appulejus loquitur, quod itidem Livius, *Expugnare decus muliebre*, vocavit.

Et quæ non plus quam septem annos habere videbatur.] Sic nescio quæ Dionysia apud Poëtam veterem (Martialem putant Scaliger, & Scriverius) octennis scilicet, sacris itidem Veneris initiata; tale ergo in ejus monumento elogium legi, finxit Epigrammatarius:

Hic jacet exutis Dionysia flebilis annis,
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Cujus in octava lascivia surgere messe
Cœperat, & dulces fingere nequitias. &c.

Nec puellam ejus ætatis esse, ut muliebris patientiæ legem posset accipere.] Hujusce sententiæ elegans illa Allegoria Horat. lib. 2. Carm. 5.

Nondum subacta ferre jugum valet
Cervice: nondum munia comparis
Æquare, nec tauri ruentis
In Venerem tolerare pondus.

Ἀχαρὶς erat Psiche, Quartillæ autem videbatur jam χαρίζεσθαι posse. inquit ergo Plutarchus in libello de Amore: Χάρις γάρ, ὦ Πρωτογένες, ἡ τῆ θήλει ὑπείξις τῷ ἄρρενι κέκληται πρὸς τῶν παλαιῶν καὶ τὴν ὕπατον γάμων

ἔχουσαν ὥραν ἡ Σαπφὼ προσαγορεύουσα φησίν. ὅτι σμικρά μοι παῖ ἔμμεναι φαίνεαι κἀχάρις. *Charis enim, O Protogenes, à Veteribus vocatum fuit obsequium, quod femina mari præstat, atque adeo Sappho quandam nondum viro maturam compellans, ait: quia parva mihi videris, & ἀχαρις*, hoc est, *Charitum Venerearum expers.* Idem & Scholiastes Pindari Sapphone itidem laudata effert. Etiam Maximus Tyrius Dissert. 8. sed κάλλος ὑπερβολὴ, inquit Heliodorus, καὶ εἰς μεγέθους ἐμφασιν φέρει προσθήκην. *Forma excellentia multum etiam addit ad proceritatis speciem.* Ideo Chariclia, ipso referente, Charicli videbatur, *Jam matura viro*, etsi non *plenis nubilis annis.* Inquit ergo lib. 2. Ἄγει με παρ' αὐτὸν, καὶ δείκνυσι κόρην, ἀμηχανόν τι καὶ δαιμόνιον κάλλος, ἣν αὐτὸς μὲν ἑπταετῆ γεγονέναι ἔλεγεν. ἐμοὶ δὲ καὶ ὥρα γάμου πληνιάζειν ἐφάνη. *Ducit me ad se, & ostendit puellam, insigni & divina forma præditam, quam ipse annos septem natam esse dicebat, mihi vero jam non procul abesse à tempore apto conjugio videbatur.* Septennis erat, ut Pannychis. Sed notandum etiam est, quod ille nimirum, qui istiusmodi puellarum potiretur immaturarum, Siculos, acerbas uvas decerpentes imitari, dicebatur. Aristænetus lib. 2. Ep. 7. Σικελὸς ὀμφακίζει πῖδοκλῆς παρατρυγῶν παιδισκάριον, καὶ τῷ φιλήματι ἀμαθῆς. *Siculos imitari videris, acerbas uvas legentes, quum puellam ante tempus decerpis, etiam basiorum imperitam*; quod postea apud Græcos abiit in Proverbium, referuntque Zenodotus, Diogenianus, & Suidas. Sic apud Eustathium ad Ismeniam, suæ virginitatis florem præmature delibare satagentem, inquit Ismene. φεῖσαι παρθενίας ἐμῆς. μὴ πρὸ τῆς ὥρας ἐκλίπῃς τὰς σταφυλὰς, &c. μὴ τὴν σαφυλὴν ὀμφακίζσαι. *Parca virginitati meæ, ne ante messem spicam evulseris, &c ne acerbam uvam decerpseris.* Unde jam & splendida lux Horatio adfulget eodem in Carmine, nescio an ejus viderint Interpretes:

——— *Tolle cupidinem*
Immitis Uvæ. ———

Est omnino illi, *Immitis Uva*, quæ Varroni, *Virgo acerba*, in Satt. Sic Nicetas Choniates lib. 1. Andronici: Καὶ παραγκαλιζόμενος ὁ πίπων τὴν ὀμφακίζουσαν. *Amplexatusque est maturus Acerbam* (Virginem). Pariter ergo ὀμφακίζουσαν usurpavit, nam supra Eustathius quoque dixit σαφυλὴν ὀμφακίζουσαν, uti & Glossæ veteres: ὄμφαξ βότρυς, *acerba uva, uva immatura.* Isthæc ego sic ad hujus Petronii loci inlustrationem jam pridem concinnaram. Sed postea quum in eruditi Bourdelotii Commentarium incideremus, paucula ex eis adtingentis, delendo, ut meum est institutum, calamus jam paratus erat. Sed continuo semel eis parcendum in præsentia decrevi, fors inde nonnihil gratiæ à Lectore initurus: præcipue quum methodus hic mea modusque procedendi longissime alius mihi servatus olim sit.

Quum primum virum passa sum.] Ovidius 5. Fast.

Virgineo nullum corpore passa virum.

Immerito hic in Scioppium invehuntur Symbolæ.

Junonem meam iratam habeam.] Formula isthæc *Exsecrationis* est, ut infra ad verba cap. CVIII. *Data ergo acceptaque patrio more fide*, dicimus. Nunc vero inquio, in *Imprecationibus* etiam *Iratos deos* fuisse invocatos Antiquis. Afranius Deposito:

——— *Dii sint tibi Irati,*
Qui conciere cogites tantum mali.

Ovid. 3. de Arte:

Crimina dicuntur, resonat clamoribus æther:
Invocat Iratos & sibi quisque deos.

unde lux ipsi Arbitro cap. CXXXIV. ubi Proselenos anus enervatum profatur Encolpium: *Nec contentus ipse peccare, mihi deos Iratos excitasti.*

Posse taurum tollere.] Nequiter Proverbium traductum, de quo jam plus satis Interpretes, de *Taurique* significatione. addam tamen locum Horatii ipsis prætermissum Epod. XII.

——— *Pereat male, quæ te*
Lesbia quærenti Taurum, monstravit inertem.

Ne majorem injuriam in secreto.] Elegans *Injuriæ* acceptio de stupro, sæpius Petronius cap. LXXIX. *Volutatusque liberius cum fratre non suo, sive non sentiente injuriam, sive dissimulante.* Et cap. CXXXIII. *Usque in Injuriam vigilavit.* Et cap. CXL. *Accessi tentaturus, an pateretur Injuriam.* Hinc etiam & locus ille cap. CVI. interpretandus: *Nec se minus grandi vexatam Injuria.* Convincit impuritatis vox *Vexatam*, de qua alias. Similiter usus & Plautus Cistellaria. 1. 3. 32.

Illa illi dicit, ejus ex Injuria
Peperisse se gnatam, atque eam se servo illico
Dedisse exponendam.

Itidem & Naso Epist. Helenæ:

Utilis interdum est ipsis Injuria Passis.

Consurrexi ad officium nuptiale.] Hoc est, ut adessem ad Nuptiarum celebrationem, & sollennitatem, meque comitantium Nuptiali pompæ immiscerem, videlicet *ne majorem injuriam frater in secreto acciperet.* Exorbitant enim, qui ad nequam magis Officium deflectere locum istum conantur. Enim vero sic apud Tranquillum idem Nuptiarum Officium in Claudio cap. 26. *Ac vix uno interposito die confecit Nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cujus OFFICIUM NUPTIARUM & ipse cum Agrippina celebravit.* Et in Nerone cap. 28. de nefandis ejus cum puero Sporo nuptiis loquens: *Cum dote, & flammeo per solenne NUPTIARUM celeberrimo OFFICIO deductum ad se* &c. Solennitatem ergo pluribus rebus adhibitam, pompamque comitantium, notissimum est, Priscos *Officium* adpellasse. Sic Tertullianus cap. 16. de Idololatria nonnulla recensuit: *Circa OFFICIA vero privatarum, & communium solennitatum, ut Togæ puræ, ut Sponsalium, ut NUPTIALIUM, ut Nominalium, nullum putem periculum observari de flatu Idololatriæ, quæ intervenit: causa enim sunt considerandæ, quibus præstatur OFFICIUM.* Agimus de aliis nos Opere in isto. *Officium* ergo pompa erat, comitatus; plane cum Arbitro Appulejus lib. 4. Metam. *Consensu parentum*

rentum tabulis etiam maritus nuncupatus ad nuptias, OFFICIO frequenti cognatorum & affinium ſtipatus.

Cap. XXVI. *Puella caput involverat flammeolo.*] Trita res nuptiarum ritus hac, etſi ludicra, ſcena ſervati. Flammei munus, nuptarum vultus velare. Martialis:

——— *Velarunt Flammea vultus.*

Velatæ enim ubique gentium novæ nuptæ: & inde ab *Nubendo*, id eſt, velando, dictæ *Nuptiæ*; nobis exin *Velationes*. Caper lib. de Ortograph. *Vir ducit, mulier nubit, quia pallio obnubit caput ſuum, genaſque.* Illud Petronio, *Involvere.* Flammeum dictum velum illud, aut Vitta, quaſi *Filameum.* Sive quia eo adſidue utebatur Flaminica uxor Flaminis, auctore Feſto: cui, divortium facere non licuit; ſive quia lutei coloris, qui flammæ ſimilis, ac floris calthæ, & geniſtæ, ovique vitelli, ſed nonnihil purpuraſcens.

Præſerebat facem.] Nuptiale verbum, *Præferre.* Martial. lib. 3. Ep. 93.

Uſtorque tædas Præferat novæ nuptæ.

Seneca, ſive quiſquis auctor eſt Octaviæ Act. 2. ſc. 2.

Hic mihi jugales Præferat tædas Deus.

Alii, Idem, *Prælucere*, Græcis δαδουχεῖν. Servius ad illud 4. Æneidos,

Fulſere ignes

inquit: *unde Hodieque & Faces Prælucent.* Feſtus *Rapi ſolet Fax, qua Prælucente nova nupta deducta eſt.* Martialis lib. 12. Ep. 42.

Præluxere Faces.

Ipſe autem, qui Prælucebat, δαδοῦχος Philoſtrato in Epiſtol. Latine *Prælucens.*

Facem.] Facibus iſtis Nuptialibus, lucis quod ſatis eſt, dedere plures Poëtarum Interpretes; & non pauci, qui de nuptiarum ritibus ſcripſere. Lis tamen adhuc eſt inter Criticos de ipſius Nuptialis Facis materie: an *pineam*, an *ſpineam* fecerint Scriptores. Sed ſic ego exiſtimo; ex utraque arbore fuerunt indubie confectæ, ita etiam Plinii ævo ex *Carpino*, & *Corylo*, ut ipſe teſtatur L. C. *Corneas* & fuiſſe adſerit Servius ad 8. Eclog. Virg. *qua quaſi diutiſſime luceant.* Eas quoque *Odoriferas* fuiſſe factas, docuit me Ariſtænetus Ep. 10. lib. 1. haſtæ nimirum pineæ aromata inducebant, uti nos facibus noſtris ceram; loquitur de nuptiis Acontii & Cydippæ: Ἔκαιον δὲ κατὰ δώματα δαῖδες ἐκ λιβανωτοῦ συγκείμεναι, ὥστε ἅμα καίεσθαι, καὶ θυμιᾶσθαι, καὶ παρέχειν τὸ φῶς μετ' εὐωδίας. *Ardere interea in ædibus tædæ thure accenſæ, ut ſimul & arderent, & ſuffirent ædes, lumenque cum odore ſuavi præberent.* Haud vero Varronis reticenda eſt Facis Nuptialis origo, Virgilii etiam Scholiaſte eam referente: *Varro in Aetiis dicit, ſponſas Faces præire, quod antea non niſi nocte ducebantur ab ſponſis.*

Longum agmen.] Servatus hic & mos ille, qui hodie quoque omnino ſervatur. Satagebant igitur Antiſi nova nupta deduceretur. Quinctilianus Declam. 106. *Vis ſcire quid ſint nuptiæ? Adſpice illam virginem, quam pater tradidit, euntem die celebri, Comitante Populo.* Plures. Id vocabant, *Officium nuptiale*, uti jam dictum; &, *ad Officium venire.* Suetonius Caligula cap. 25.

Plaudentes] Hinc novimus, inter nuptiarum ſollennia fuiſſe Plauſibus locum; quod à Græcis Romanos accepiſſe, obſervo ex Ariſtæneto Ep. 10. lib. 1. ubi inſigne rei teſtimonium, dum Acontii deſcribit Cydippæque nuptiarum celebritatem: Ἑτερος δὲ τοῖς ὄρχημασιν ἐπικρότει, καὶ ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις τὴν ἀριστερὰν ἐπλήττεν εἰς τὸ κοῖλον. ὑπ' ὠσὶν αἱ χεῖρες εὐφωνοι συμπληττόμεναι τρόπον κυμβάλων. Qui locus male ab docto Interprete habitus, dum τοῖς ὑπεσταλμένοις δακτύλοις, reddit, *digitis diductis:* quum geſtus plaudentis, Verbumque ipſum omnino velint, *contractis.* Latine ergo ſonat floridus Scriptor: *Alius ad cantionum modulamina Plaudebat, dexteraque manus contractis digitis ſubjectam ſiniſtram feriebat in cavum, ut manus percuſſa inſtar cymbalorum modulatum ſonum efficerent.* Vide quæ nos de Plauſibus ſupra.

Thalamumque ingeſta exornaverant veſte.] Illud eſt Ariſtæneti in eadem Epiſtola: καὶ δεύτερον ὁ θάλαμος ἐκοσμεῖτο. *Thalamuſque iterum Exornari cœpit.* Thalamus ergo eſt, quod poſt pauca *cubiculum* vocat: *Correptumque Gitona in Cubiculum traxit.* Quartilla nempe, quod erat Pronubæ officium. Cui ſimile eſt illud Luciani Dialog. Panop. & Galen. ἡ Θέτις καὶ ὁ Πηλεὺς ἀπιοῦσι ἐς τὸν θάλαμον ὑπὸ τῆς Ἀμφιτρίτης καὶ τοῦ Ποσειδῶνος παραπεμφθέντες. *Thetis ac Peleus conceſſerant initio in Thalamum, deducentibus eos Amphitrite ac Neptuno.*

Jacerent.] *Jaceo*, etiam verbum libidinis. ſic cap. LXXXI. *Jacent nunc Amatores obligati noctibus totis*, cap. CXII. *Jacuerunt ergo una, non tantum illa nocte*, &c. Martialis lib. 11. Ep. 23.

——— *Quod nudo cum Ganymede Jaces.*

Per rimam adplicuerat oculum curioſum, & libidinoſa ſpeculabatur diligentia.] Schema furtim ſpectantis. Sic cap. XCII. *Obſerque per Rimam foris ſpecularis diligentiſſime cœpi.* Appulejus lib. 3. Mil. *Ipſa per Rimam oſtiorum quamplam jubet ſpectare.* Et lib. 9. *Ac de Rima quidam proſpiciunt.*

Oculum curioſum.] *Subinde Curioſos Oculos, patente porta, ſpectaculi proſpectu gratiſſimo reficiens.* Appulejus lib. 10. Metamorph. Sic & alias.

Commovebat valgiter labra.] Lamias turres, & pectines Solis nobis hic exhibent Critici ſuis commentationibus. nos vero, quæ noſtra ſunt, conſueto more, ſincere proferimus. Valga igitur illa labrorum commotio, oris eſt omnino conformatio oſculum laceſſentis; ea autem haud aliter, quam labia obtorquendo, foraſque vertendo, fit: quod Antiquis *Valgire* dictum. oſtendant Grammatici. Inquit in Gloſſis S. Iſidorus: *Valgis, foras verſi, tumentibus.* Lege, *foras verſis*, & labiis intellige. Nec aliud Fulgentius vult, quum alterum Petronii fragmentum profert in Expoſitione ſermonum antiquorum ad Calcidium

Grammaticum : *Valgia sunt labellorum obtortiones in supinatione, sicut & Petronius ait : Obtorto Valgiter labello.* Apertius tamen Balbus Catholico : *Valgia à Volvo dicitur, quasi Volvia, id est, Retortio.* Inde equidem rectius forsan deducere videor mihi vocem nostram, *belso*, scriboque *Velso*. Graphice illum habitum oris expressit Hispanus Isidorus: *foras versis, tumentibus.* Porro & Græcis sunt Valga videlicet labra χείλεα λοξὰ dicta, uti ex Arinæi Epigrammate jam pridem ego observaram. Postea idemmet & Jos. Scaligero in mentem venisse, ipsum ab eo Latine factum Epigramma fecit ut credam :

Ὄμματα δινεύεις κυφίων ὑδάλματα πυρσῶν,
Χείλεα δ' ἀκροβαφῆ λοξὰ παρεκτανύεις.

Vertit Scaliger :

Lumina distorques tacitas prodentia flammas,
Ductas purpurea Valga labella rosa.

Effinxit & Anacreon in suæ puellæ imagine:

Γράφε χείλος ὅπα Πειθοῦς
Προκαλύμενον φίλημα.
Facito labella Suadæ
Quibus osculum lacessat.

Ceterum subdit Balbus : *Proprie enim labiorum obtorsio est, quam facimus, quum aliquem deridemus : unde Valgire est retorquere.* Unde & dies omnino inluxit Principis Comici loco in Milite 2. 1. 16. qui totiens viris doctissimis negotium facessiit. Ratio autem in proclivi est, eadem enim oris est conformatio contemnifica, ac basiorum est invitabunda.

Et me tanquam furtivis osculis verberabat.] Acute hic more suo Arbiter. Revera Oscula Quartillæ *Furtiva* non erant, videbantur tamen, quum quicquid temporis à spectaculo vacaret, osculationibus velut subriperet, ac Fararetur. Ideo illud *tanquam*, opportune additum. Propritim autem vocarentur *Oscula Furtiva*, quæ præsente patre, aut custode, alove, aversо tamen, atque ut sæpe fit, à tergo amanti imprimeret puella. Pari ratione Hispani haud inscite vulgo id vocant, *à Hurtadillas.* Præterea, *osculis Verberare*, dictum ut cap. XXIII. *Basio conspuere.* & cap. XXIV. *Basiis disterere.*

Cap. XXVII. *Videmus senem calvum.*] Incipit hinc Neronianæ hujus Fabulæ Actus Trimalcionicus. Sub larva autem Trimalcionis ipsum Neronem Principem latere, alii jam subodorati sunt. Longum vero eruditus ille vir aberravit, qui in Horatium edidit *Quotidiana*; dum ex Trimalcionis calvitie, sive rasura, ut ille vult, ipsum conditione Libertina, libertumve fuisse, auguratur. Paucis id palam hic facere in animo est, simulque rei toti adpositam Præfatiunculam. Primum, equidem quæro, anne Libertus, ut Deus Mercurius, effingi nimirum auderet, quod Caligulæ Principis, ut postea dicemus, fere omnibus fuit audacius deliramentum? insuperque ab ipsa Minerva tæniis duci, quum ideo vel suo Jovi fastus insanissimi nota inurereturr? Sed quid loci est ambigendi reliquum, quum plane ipsemet se præbeat denique Divinandum, & in Deorum numerum à Mercurio referendum? quæ omnia cap. XXVI. parent. Præterea addimus, quod etsi jam dicta removerentur, imo potius Ingenuitatis indicia reperiri facile foret in de Trimalcione narratiunculis, quam ejus videlicet Libertinitatis. Ingenuorum dignitatem totam in Prænominibus Romanos antiquitus positam habuisse, jam olim observavit Turnebus lib. 2. Adverss. cap. 19. adductisque fulcivit testimoniis, illis quippe servi generis homines nimirum carerent. Quo & illud facit Horatii lib. 2. Sat. 5.

Quincte, puta, aut Publi (gaudent Prænomine molles
Auricula.) ——

Et Ciceronis Ep. 32. lib. 7. Fam. *Quod sine Prænomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, &c.* Amici namque, inter se honores abjicere, consueverunt. Palam ipse Trimalcio paullo post quadam in Inscriptione solius Prænominis nota insignitus. Unde Dousæ P. manuducente tamen illum eodem Turnebo, Trimalcionis Nobilitas animadvertitur. Juvat & in eadem inscriptione τὸ *Noster*, additum. *Nostri* namque erant Imperatores dicti, ut ibidem notat Bourdelotius. Sed quid? quum nec rasura ipsa interstitio fuerit inviolabilis Ingenuitatis, & Libertinitatis; siquidem Liberti sæpius insigniter reperiuntur Comati, cujus unico testimonio, inlustri tamen, erimus in præsentia contenti. Ecce superbus ille Caussidicus est graphice Martiali figuratus, qui, adhuc servili Epigrammate frontem quum haberet inscriptam, nihilominus tamen delicatissime Capillatus memoratur eidem Ep. 29. lib. 2.

Cujus olet toto pinguis Coma Marcelliano.

Nec te remorari debet, quod *Procurator*, quod *Dispensator* videatur quoque designari Trimalcio, nam simulate ea plane dicta sunt, ut quemadmodum ad summum Imperii fastigium evectus Princeps foret, vel ita commode à Satyrographo peracuto posset subindicari. Quod etiam ut insanissimus Princeps depingendum curasset, suspicari me Hercules maxime est proclive. Apte enim Dispensator de Imperatore diceretur; quod equidem, si probatione indigeret, satis superque hic redderem manifestum. Deformem ergo, atque ridiculum Senem quum vellet Petronius Trimalcionem proponere, opportune reapse Calvum effinxit, quæ ultima deformitas, ut sæpius in isto opere ostendemus. Nec te loquendi modi turbare debent, nam *Rasus* pro Calvo, vicissimque *Calvus* pro Raso Petronio, ut aliis parcam, usurpati videlicet, cujus Siren testimonia exhibebit. Juvenis vero Trimalcio erat depictus, ubi Mercurium induerat Capillatus; quæ omnia diligenter curiosus pictor cum inscriptione reddiderat. Addimus autem in fine, quod, licet toto in Satyrico Arbiter tangat Neronem, hic tamen mores ejus, ingenium, ac delicias signantissime exprimendas sumpsisse videatur.

Inter pueros Capillatos.] Pueri, quibus impudice utcban-

utebantur, Capillati. Commendatiores plane crinibus vultus. Talis erat ficti divitis apud Martialem grex:

Quem grex togatus sequitur, & Capillatus.

Et alibi ipsorum mentio:

Ludimagister, parce simplici turbæ;
Sic te frequentes audiant Capillati.

Sed hocce Caprimulgis notum. Exin Ganymedes καλὸς, κομήτης, *formosus, Capillatus* Luciano, pluribus.

Ludentem pila.] Pilæ lusum parum seni opportunum, juvenum proprium esse, prima fronte videbitur cuique. Sic Apollinaris lib. 5. Ep. 17. de Filimatio sene:

Ausus & ipse manu Juvenum tentare laborem,
Sphæristarum se turmalibus constanter immiscuit. Ideo, inquit Savaro, Seni Trimalcioni inludit Petronius. Sed omnia heic simulata. Verum enim vero sæpius pila senes etiam exercitati. clare indicat illud Martialis lib. 14. Ep. 47.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit ætas:
Folle decet pueros ludere, folle Senes.

Et Spurina apud Plinium juniorem: *Movetur pila vehementer & diu, nam hoc quoque exercitationis genere pugnat cum Senectute.* Pariter & in inscriptione antiqua apud Velserum Monum. Augusti. *Ursus Togatus*, qui senex, ipso testante, primus vitrea lusit pila.

Qui soleatus pila sparsiva exercebatur.] Adsentior hic adserentibus, trigonali pila ludere Trimalcionem, ostendere nunc Petronium voluisse. Omnia enim quæ de illa tradunt viri doctissimi, adprime verbis Arbitri conveniunt, nos singillatim testimoniis evincimus. Primum inquit, *Soleatus*, aptissime, nam illo pilæ genere inferiores ludentis partes firmæ manebant, superiores vero agitabantur continuo. unde recte Mercurialis de illo cepit Celsum, quum cap. 6. lib. 1. alvum lubricam medicatur: *Quem vero frequenter citata alvus exercet, huic opus est pila, similibusque superiores partes exercere.* Soleatus ergo, immotæ quippe inferiores Lusoris partes illo lusus genere; alio enim quolibet soleæ forent impedimento, quo minus moveri posset expeditius. Nam, qui ait, aptatis soleis omnino indicari, post lotionem pila lusisse senem, ludos facit. plane enim paullo post, finito lusu, intrat balneum Trimalcio. Testimonio autem Martialis fulciri, fortassis alicui videatur, insolentiam illam lusus Trimalcionis jam loti, soleatique Epig. 84. lib. 12.

Colliget, & referet lapsum de pulvere follem,
Etsi jam lotus, jam soleatus erit.

Sed per jocum est, ac per risum dicta exaggeratio: nunquam enim factum, nisi à misero quodam cenæ captatore. Soleatos autem non solum post lotionem exstitisse, haud dubium est, A. Gelliusque ostendit. lib. 13. cap. 20. Deinde inquit Petronius, *Pila sparsiva*; ubi & ludendi modum mirifice expressit: nam sic à lusore fallente mittebatur in proximum conlusorem pila, ut spargi videretur, nobis hoc notissimum. Addit Arbiter, *nec eam amplius repetebat, quæ terram contigerat*; ubi & ad duo respexit, ad lautitias nempe hominis delicatissimi, de quibus infra; etiamque ad ludi genus, quod postea clarius significat, quum ait: *Alter numerabat pilas, non quidem eas, quæ inter manus lusu expellente vibrabant; sed eas, quæ in terram decidebant.* nam perdebat illas. Trigonalis enim pilæ maxima laus, ne unquam caderet; cui impediendo utraque manu utebantur lusores, uti ex pluribus Valerii Martialis locis docuit Mercurialis lib. 2. Art. Gymn. cap. 5. Ideo ut decideret pila accipienti, æstus omnino mittentis erat: cui plurima ad id fraus adhibita. Traho ego & ad lusum huncce novum inventum Ursi Togati, qui nimirum *Vitrea Pila* ludere, primus edocuit, ut periret, quum caderet. Sic apud nos ollis, aut id genus fictilibus vasculis id factum. Elegantissima quidem Inscriptione apud Velserum inter Augustana monumenta Vitreæ illius pilæ exstat memoria:

VRSVS TOGATVS VITREA QVI PRIMVS PILA
LVSI DECENTER CVM MEIS LVSORIBVS, &c.

Nec eam amplius repetebat quæ terram contigerat.] Signanter hic ingenium exprimit Neronis, deridetque absque dubio. Illi enim valde in deliciis fuerunt deliciæ similes. Sic de ipso Suetonius cap. 30. *Nullam vestem bis induit.* Quidnam igitur jam mirum, si pilam haud iterarit post terræ contactum? Nec ambigendum, id in aliis servasse: nam Alagabalus, qui Imperator quum esset, *dicebat se Neronem imitari*, narrante Lampridio, *Calceamentum nunquam iteravit: annulos etiam negatur iterasse.* Etiamque *linteamen lotum nunquam adtigit, mendicos dicens, qui linteis lotis uterentur.* Et, quod ridiculum magis est, eadem illi mens in Veneris voluptatibus: *Idem mulieres nunquam iteravit, præter uxorem.*

Follem.] Lexicon vetus: Πῆμα, *mantica, Follis.* Vegetius de Re militari lib. 2. cap. 20. *Denique decem Folles, hoc est, decem sacci.*

Matellam tenebat argenteam.] Vas reddendæ urinæ inserviens *Matellam* adpellabant Antiqui, etiam *matulum, lasanum, scaphium.* Hispani *Urinal* ab οὐρέω Græcorum. Qui autem *Metellio Corinthius* Ciceroni est 5. Paradox. dubium. Et subsidii nihil à Varrone 4. LL. ita variantes sunt lectiones. Quod tamen certius constat, Alagabalum, est, carius minxisse. Sic de illo Lampridius: *Onus ventris auro excepit: in myrrhinis, & onychinis minxit.*

Quæ inter manus lusu expellente vibrabant.] Non usque adeo improba hæc lectio, ut egeat necessario emendari. *Vibrare* enim neutraliter sumitur, ut sæpius alibi Auctoribus priscis.

Digitos concrepuit.] De hacce consuetudine consulendi interpretes. De ipsa & intelligendus Velius Longus de Orthograph. *Nam & digitorum sono pueros ad respondendum ciemus.* Fuit etiam, observo ego, inter Signa Amantium nocturna ille digitorum crepitus. Tib. lib. 1. El. 2.

Non mihi pigra nocent hiberna frigora noctis;
Non mihi, quum multa decidit imber aqua.

Non labor hic ladit, referet modo Delia poſtes;
Et VOCET AD DIGITI ME TACITURNA SONUM.

Novo autem more Petronius, *concrepare digitos*, dixit. alii Latini Auctores *digitis concrepare*, ut Plautus in Milite, Cic. 3. de Officiis. At nos de aliis digitorum ſonis alibi egimus.

In capite pueri terſit.] In coma pueri dependula linteoli vice. res mira, nova. nondum quid ſimile in Antiquitate offendere mihi adhuc contigit, præter illud Epigrammatiſtæ noſtri ad Theopompum formoſum puerum:

——— *Has Uncto polluit Ungue Comas?*

Taceo de capillis Mariæ abſterſoriis Pedum DOMINI apud Phariſæum diſcumbentis, tantum Veneror.

Cap. XXVIII. *Itaque intravimus balneum.*] Etiam de Trimalcione hocce capiendum, ut ex ſequentibus liquet. & apte, nam pila ſe exercuerat ſenex. Poſt exercitationes enim lavandi à primis temporibus conſuetudo percrebuit. Ideo, obſervo ego, Gymnaſia olim prope mare conſtructa. Plane docet Ælianus de animalibus lib. 6. cap. 15. Τὸ γυμνάσιον τὸ τῶν Ἰασίων ἐπικεῖται τῇ θαλάσσῃ, καὶ οὗγε ἐφῆβοι μετὰ τὰς δρόμους, καὶ τὰς κονίσεις καταντες ἐνταῦθα ἀπελούοντο κατά τι ἔθος ἀρχαῖον. *Faſenſium igitur Gymnaſium mari imminet: illic ephebi poſt curſus, & palæſtras mare ingreſſi, antiquitus recepto more, lavabant.* Jucundum ſane ſaluberrimumque habebatur inprimis, pulverem ac ſudorem aqua abluere. Ea propter itidem fuere & juxta flumina. Philoſtratus indicat in Apollonii vita cap. 18. lib. 6. Ἄγε μοι τοῦτον ἐπὶ τὴν τοῦ ποταμοῦ ὄχθην ἐφ' ἧς αἱ παλαῖστραι. *Ipſum autem ducito* (canem ſcilicet) *ad fluminis ripam, ubi palæſtræ exercentur.* Proinde ſane & in Campo Martio, qui Romæ ſecundum Tiberim erat, juventus Romana exercebatur. Diſerte tradidit Livius lib. 1. ab V. C. *Ager Tarquiniorum, qui inter Urbem & Tiberim fuit, conſecratus Marti, & Martius deinde dictus, quia exercitia ibi fiebant: palæſtrita in eo ſe exercebant, & jam fatigati ludo abluebant ſe in Tiberi, & natabant.* Quod etiam Vegetius lib. 1. de Re milit. cap. 10. ad exercendum militem videtur retuliſſe: *Ideoque Romani veteres, quos tot bella, & continuata pericula ad omnem rei militaris erudierant artem, Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo juventus poſt exercitium armorum ſudorem, pulveremque dilueret; ac laſſitudinem curſus natandi labore deponeret.* Luculenta eſt ipſius Campi apud Strabonem lib. 5. ejuſque exercitationum deſcriptio, quem vide. Innuit morem etiam Themiſtius Orat. 1. ubi de Athletico ritu apud Eleos, & Piſatas verba in hunc modum inſtituit: Ἀλλὰ τόγε Φιλάμμωνα ἐκεῖνον ἐκ ἂν ποτε ἤφισαν πρὸς τῷ Ἀλφειῷ κονίσασθαι, μὴ ξυμμαρτυρήσαντος Ἀριστοτέλους τῷ γένει, καὶ παῖδα ποιησαμένου. Vertit Petavius: *Verum Philammonem illum numquam ad ALPHEUM ASPERGI PULVERE ſiviſſent, niſi teſtem ſe generis ejus profeſſus eſſet Ariſtoteles, atque in filium adoptaſſet.* Ideo in Thermis poſtea utraque conjuncta, Gymnaſia, & Balnea; ut ab exercitiis irent protinus lavatum. Oſtendit inſignis Plinii Junioris locus Ep. 6. lib. 5. deſcribens Tuſculanum ſuum: *Apodyterio ſuperpoſitum eſt Sphariſterium, quod plura genera exercitationis pluresque circulos capit.* Unde aperte, in vicinia videlicet balnei loca fuiſſet exercitationibus deſtinata, cognoſcitur. Quid autem *Apodyterium*, dicimus infra hoc capite.

Et ſudore caleſacti momento temporis ad frigidam eximus.] Recte Laconico uſi, ubi ſudarent, quia non ſe illi exercuerant; eo autem Trimalcio, ſi lubuit, potuit abſtinere; prævius neceſſario ſudor lavationi, quod, puto, lippi jam viderunt. Sudoris autem excitandi varii modi: nam quibus exercitia defuiſſent, haud tantum ſubſidio Sudatorium. Plures recenſent Celſus lib. 2. cap. 17. Aëtius Tetrab. 1. Sect. 3. cap. 9. Cella illa, ubi ſudor eliciebatur, *Laconicum* vocata, *Sudatorium*, *Aſſum*, *Cella Aſſa*, *Cella ſudatoria*, & *Sudatio* Vitruvio. Eam jam olim ex Piſanis balneis deſcripſit Robortellus, quem vide. More vero Laconum à Laconico ad frigidariam tranſitum fecerunt, mediam, ubi calida lavabant, prætergredientes. expreſſe Martialis lib. 6. Ep. 42. de Hetruſci Thermis:

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore,
Cruda virgine, Martiaque mergi.

Vide Plutarchum in Alcibiadis vita. Sic de Plinio Nepos ejus Ep. 16. lib. 6. *Uſus ille Sole*, (Sudatorii vice) *mox Frigida, guſtaverat jacens.* Hancce vero hujus loci veram eſſe ſcripturam, evincunt illa Ep. 5. lib. 3. quæ de avunculo quoque: *poſt Solem plerumque Frigida lavabatur, deinde Guſtabat.* Erat ætate Neronis id frequenter in uſu, Carmis quippe Maſſilienſis Medicus valde probaret, ſuaderetque. Sic de Paconio Agrippino, quem in exilium egit Neronis ſævitia, (ut narrat Tacitus extremo lib. 16. Annal.) tradidit Epictetus, poſt exercitia quinta hora frigida lavari. Ita & Seneca *Pſychrolutem* ſeipſum vocat, hoc eſt, lavatorem in frigida Ep. 53. & 83. Ratio in proclivi eſt, nam ut docet Galenus in 10. Method. ſic membra, quæ excalefacta ſunt, ſive in anterioribus ſoliis, ſive in exercitiis refrigerantur; ac vires, denſata cute, ſimul firmantur; ubi hocce latius perſequitur. Interdum (ut morem non protritum hic haud prætermittam) poſtquam ſudorem excitaverant, antequam in frigidam deſcenderent, corpora ſiccis pulviſculis conſpergebant; cutem ſic aliquantulum conſtipantes, ne corpus ſudore jam laxum, & tranſpirabile ſubita frigiditate rigorem pateretur, morbumque contraheret. Hocce ego ex Plinii didici inſigni loco lib. 21. cap. 19. ſic de roſarum foliis loquentis: *Et aridis, & expreſſis aliquis uſus. Diapaſmata inde fiunt ad ſudores coercendos, ita ut à balneis inareſcant corpora, dein frigida abluantur.* Retinui veterem ſcripturam, *inareſcant corpora*, quæ plane concinnior ad mentem Auctoris. Huc etiam ſpectat & quod præmiſerat cap. eodem: *Et ſiccis* (Roſarum foliis) *femina aſpergun-*

tur.

tur. Disertim & *Diapasmata* vocavit, hoc est, *Conspersoria.* Constabant ex aridis floribus, additis nonnunquam aromatibus. Innuit plane Theophrastus lib. de Odoribus: Ὡς μὲν οἱ τὰ ἀρώματα, καὶ τὰ διαπάσματα συντιθέντες, ξηροῖς πρὸς ξηρά· *Ut qui aromata, ac Diapasmata componunt, sicca siccis.* Unde Plinius lib. 13. cap. 2. *Siccis Odoribus constant, quæ Diapasmata vocantur.*

Jam Trimalcio unguento perfusus.] Eo usque luxus illius ævi, Plinius lib. 13. cap. 3. *Linique jam non solum, PERFUNDI UNGUENTIS gaudent.* Sic ego distinguo locum, aliter confusum, minime tamen emendatione indigentem. Sed planius adhuc inlustrat, quid sit nimirum *Unguentis perfundi*, quum inquit: *Vidimus etiam vestigia pedum tingi: quod M. Othonem monstrasse Neronis Principi ferebant. Quæso, ut qualiter sentiretur, juvaretque ab ea parte corporis? Nec non aliquem ex privatis audivimus jussisse, spargi parietes balnearum unguento, atque C. Principem Solia Temperari: ac ne * Principale videatur hoc bonum, & postea quendam ex Servis Neronis.* Unguentis ergo dilutis in balneari solio lavabant, & sic vere tunc illis *perfusi, madefactique.* Plane de Cajo ipso Caligula Tranquillu. cap. trigesimo septimo. *Commentus novum balnearum usum, portentosissima genera ciborum, atque coenarum: ut calidis, frigidisque Unguentis lavaretur.* Verum enimvero post Caium eo deliciarum ventum, ut ad servos usque Neronis devoluta sit insignis luxuria. Quid igitur de Principe ipso sentiendum, cui id tribuit in præsentia Petronius? Dicat Eutropius lib. 1. cap. 4. de ipso loquens: *inusitatæ luxuriæ, sumtuumque, ut qui, exemplo Caligulæ, in calidis, frigidisque lavaret unguentis.* Item Eusebius in Chronico: *Nero tantæ luxuriæ fuit, ut frigidis, & calidis lavaretur Unguentis.* Signanter ergo admodum hic notat illum Arbiter sub Trimalcione. Ceteri vero Interpretes veniunt galeati, prorsus esse Andabatas arbitraberis.

Tergebatur.] In Apodyterio, in quo, uti Cornelius Celsus docet, *se novissime, qui se lavissent, Abstergere, & ungere consuevisse.* Ita Galenus quoque lib. 10. Method. In Apodyterio etiam, quod & *Tepidarium* vocabatur, ad balneas ingressuri exuebant vestes, unde ei nomen ἀποδυτήριον Latine sonat *Spoliatorium*, sive *Spoliarium.* veteres Glossæ: ἀποδυτήριον, *Spoliarium.* & D. Isidori Glossarium: *Spoliaria, exteriores balnearum cellulæ.* ita Lexicon Arabico-Latinum: *Spoliarium, exterior balnei cellula.* Hinc juniori Plinio facem splendidam accendo lib. 3. Ep. 5. ubi de avunculo: *In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur, quum dico balinei, de interioribus loquor, nam dum distringitur, Tergiturque, audiebat aliquid, aut dictabat.* Plane indicat in exteriori cella distringi, ac tergi, hoc est, in Apodyterio. Describit ipsum Baccius lib. 7. de Thermis, præbetque Ichnographiæ icona. Vestes igitur in Apodyterio deponebant, quum balneum intrabant; ac postquam laverunt, eodem revertebantur; & ungebantur ibidem, & Tergebantur, iterumque vestes sumebant.

* Id est, *Principum.*

Non linteis.] Vide quæ dicimus ad verba capitis XCI. *Cum linteis & strigilibus*, quæ huc pariter spectant.

Sed palliis ex mollissima lana factis.] Nihil de *Palliis* istis Interpretes, sed manum, ut est in proverbio, sub pallio continent. Ego suspicabar jam olim *Endromidem* esse, ex illis nempe, quas *Tyrias* vocat Juvenalis Sat. 6. exponuntque Interpretes, purpureas, molles, pretiosas, ac leves. Endromide enim sudorem Ceromate permixtum, in palæstra & cursu excitatum, abstergebant, unde ei impositum nomen. recte igitur Trimalcioni unguento perfuso & Endromis abstergendo adhibita. Nec obstat, quod ipsam faciat Martialis *Pinguem*, & *Sordidam*, quum levissimas, mollissimasque conquirere facile beatoribus; & utcunque res sit, de Endromide etiam ipsus Valerius effert lib. 14. Ep. 126.

Pauperis est munus, sed non est pauperis usus.

Recentioresque, à divitibus usurpari solitam, palam fecerunt; sicut & ad usus balneares adhiberi, viri docti Rhenanus, Pamelius, & Salmasius: præcipue autem post frigidam. Præterea & Martialis testimonio, mihi, quæ nunc dixi, videor fulcire; mittit ad amicum Endromidem, & posteaquam, vario ejusdem muniis recensitis, multifariam laudasset, addidit lib. 4. Ep. 9.

Non sic in Tyria sindone tutus eris.

Hoc est, satius & tutius tibi erit, pallio isto tegi & abstergi, quam linteis aliis Tyriis videlicet. Sindonem enim, notum est ex Polluce lib. 2. cap. 16. confici olim ex Ægyptiaco lino; & sic voeatam credimus, quia primum, ut opinatur etiam Bayfius cap. 13. de re vest. in Sidone urbe fieri cœperit, rectèque Tyria ideo à Martiale dicta, quia vicinæ erant urbes Tyrus, & Sidon. quo etiam & id mire facit Marcelli: *Plagæ grande LINTEUM tegmen, quod nunc torale, vel lecticariam Sindonem dicimus, quarum diminutivum est, Plagula.*

Iatraliptæ.] Frequens est Iatraliptarum mentio in Gymnasiis; erant veluti Medici Athletarum, qui interdum *Gymnastæ*, *Progymnastæ*, *Paedotribæ*, & *Aliptæ* nuncupati. *Progymnasti* à Seneca Ep. 83. de quibus plura Mercurialis, Turnebus, & Petr. Faber. Hic vero Petronio Unctores sunt, qui tamen, ut Principem delicioſissimum decebat, simul artis Medicæ gnari quum essent, scite officio suo fungerentur, manibusque doctissimis. *Medicunctores* haud incommode possent Latine nominari, sive *Reunctores*, ut ex Plinio volunt nonnulli, meo autem animo non bene.

In conspectu ejus falernum bibebant.] Potabant large & in balneis; nonnulla consuetudinis proferam testimonia. Adpositissimum hocce Martialis est. lib. 12. Ep. 71.

Lintea ferret Apro vacuus quum vernula nuper,
Et supra togulam Lusca sederet anus.

Atque

Atque olei stillam donaret Opelius unctor;
Nudorum tetricus censor, & asper erat.
Frangendos calices, effundendumque Falernum
Clamabat, biberet qui modo lotus eques.
A sene sed postquam numi venere trecenti,
Sobrius à Thermis nescit abire domum.
O quantum diatheca valent, & quinque comati!
Tunc quum pauper erat, non sitiebat Aper.

Falerni hic Valerius pariter meminit, itemque *Unctoris*, quem Arbiter, ut diximus, vocat *Jatraliptam*. Quinctiliani autem do aliud testimonium extremo cap. 6. lib. 1. *Igitur ut velli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotare, quamlibet hæc invaserint civitatem, non erit consuetudo, quia nihil horum caret reprehensione.* Inter mores igitur corruptissimos & ille habitus olim, quapropter ipsum exagitat non semel Seneca F. Vide Epist. 122. & Plinium lib. 14. cap. 22. & Arnobium, ut puto, lib. 1. Potionem vero calidam in balneo quoque præberi solitam, ex Plauto ego jam pridem observabam in Rudente 2. 3. 43.

Ædepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum vestimentis postquam abs te abii, algeo.
Ne Thermopolium quidem ullum ille instruit;
Ita salsam præbet Potionem, & Frigidam.

Videlicet uti balineator perversus. Caussam autem, cur in conspectu Principis, adpositissimam edit Bourdelotius, quem adi.

Hinc, involutus coccina gausapa.] *Hinc*, id est, è balneo, exiit nimirum gausapatus. Simile illud Senecæ Ep. 53. *Sed memor artificii mei veteris, mitto me in mare, quomodo Psychrolutam decet, Gausapatus.* Ibi etiam Lipsius notat. Nos vero de *Gausapis* jam cap. XXI. *Hinc ergo*, id est, ex balneo *lectica impositus est*, ait Arbiter. Ejuscemodi erant Trimalcionum deliciæ. Increpat idem divinus Seneca loco inlustri cap. 12. De Brevitate vitæ: *Audio quendam ex delicatis (si modo delicia vocanda sunt, vitam, & consuetudinem humanam dediscere) quum ex balneo inter manus elatus, & in sella positus esset, dixisse interrogando, jam sedeo?*

Gausapa.] De *Gausapis* supra memoriam fecimus, cap. XXI. ubi de ea meminit Petronius.

Lectica impositus.] Viri docti plura jam de Lecticis. Insuper tamen ego Luciani locum addam in Cynico rei inlustrandæ opportunum: Ὑμεῖς δὲ τοῖς ἀνθρώποις ὥτε ὑποζυγίοις χρῆσθε, κελεύετε δ' αὐτὲς ὥσπερ ἁμάξας τὰς κλίνας τοῖς τραχήλοις ἄγειν, αὐτοὶ δ' ἄνω κατάκεισθε τρυφῶντες, καὶ ἐπεὶδὰν, ὥσπερ ὄνους, ἡνιοχεῖτε τῶν ἀνθρώπων, ταύτην, ἀλλὰ μὴ ταύτην τρέπεσθαι κελεύοντες, καὶ οἱ ταῦτα μάλιστα ποιοῦντες, μάλιστα μακαρίζεσθε. *Vos, inquam, qui hominibus tanquam jumentis utimini. Nam eos jubetis, ut Lecticas tanquam currus in cervicibus ferant. Ipsi vero in sublimi residetis delicati, atque illinc homines perinde tanquam asinos aurigamini; imperantes ut hac, non illac eant. & qui hæc facitis maxime, iidem maxime beati videmini.* Ast magnus Vir, dum Elect. lib. 1. agit de Lecticæ forma, satis non vidit, quid Asseres essent in illa. Lecticam enim ex Asseribus compactis videtur formare: quod licet equidem non inficior, minime tamen hic adfirmare dubitem, ipsorum neutiquam esse, quam faciunt Scriptores prisci, memoriam. Longe enim diverso usui in Lecticas fuerunt Asseres illi adhibiti, quod ego sic ostendo perspicue. Perfecta jam Lectica oblongi nimirum inserebantur Asseres per ejus latera, ipsi porro hinc inde foras scilicet ab illa progrediebantur, ac prominebant eo usque, ut illis, videlicet Asserum extremitatibus aut humeris, aut brachiis, aut manibus impositis, facile Lecticarii servi tollere possent Lecticam, Loris tamen à collo pendentibus, ponderi nempe minori cum labore sublevando, super interdum additis. Huc procul dubio trahendus Martialis

Quem grex togatus sequitur, & capillatus,
Recensque Sella, linteisque, Lorisque.

Nunc autem ipsismet tantum testimoniis, quæ doctus Vir, invitis Auctoribus, ad suam deflectere conabatur sententiam, nostram, ut planius constet, stabilire proposui; quæ paullo pensiculatius examinanda. Sic Juvenal. Sat. 7. vers. 132.

Perque forum juvenes LONGO premit Asse Medos.

Apertius adhuc Martialis lib. 9. Ep. 23.

Et Canusinatus nostro Syrus Asse sudet.

Erant enim, quod magis quidem rem convincit, Asseres illi omnino exemtiles. Plane Juvenalis indicat Sat. 3. 245.

——— *Ferit hic cubito, ferit Asse duro*
Alter ———

Et Suetonius in Caligula cap. 58. *Ad primum tumultum Lecticarii cum Asseribus in auxilium adcurrerent.* Enim vero nobis hæc cognitu prorsus faciliora sunt, qui hujuscemodi gestatorias sellas, exemptilibus Asseribus, Lorisque, à servis itidem deferri, videmus passim.

Præcedentibus saleratis cursoribus quatuor.] Cursores isti diversi ab illis, quorum cap. sequenti mentio, de quibus & nos ibi. Symbolæ autem inepte confundunt. Horum ministerium satis unico Seneca indicare Ep. 123. *Omnes jam sic peregrinantur; ut agmen Cursorum antecedat. Turpe est nullos esse, qui occurrentes via dejiciant, qui honestum hominem venire magno pulvere ostendant.* Antecedebant ergo dominos, turbamque submovebant. *Saleratos* autem *Cursores* suos fecit Trimalcio luxu insanissimo: *Phalera* namque Equitum, ac Nobilium erant ornamentum, ut vel sic intemperiem Principis innueret Arbiter. Idemmet notatum Tranquillo de ipso Nerone cap. 30. ut jam, illum Imperatorem hic repræsentari, videret, qui inter Criticos clueret Tiresias: *Nunquam carrucis minus mille fecisse iter, traditur, soleis mularum argenteis, canusinatis mulionibus, armillata, & Phalerata cum Mazacum turba, atque Cursorum.* Præterea *Phalera* sunt & equorum ornamenta. Quid si dicamus, ea dedisse Cursoribus Neronem, uti *Alas* Verus Imperator,

rator, Spartiano teste, *Ventorumque Vocabula*, ut illorum sic pernicitatem uterque significarent? Judicium penes doctos esto. Procul dubio vero servi, qui A pedibus dicebantur, intelligendi Cursores. Fortean & Cursores *Anteambulones* vocati. nondum tamen mihi videre contigit locum ullum, unde conligere liceat, Anteambulonum operam haud liberorum fuisse, nam disertim Martialis de seipso loquens lib. 10, Ep. 74. ait:

—— *Quamdiu Salutator,*
Anteambulones, & Togatulos inter,
Centum merebor plumbeos die toto.

Erant omnino officiosi illi togati, qui sportulæ mercede officiive gratia potentiores comitabantur Anteambulantes, Ipsus Valerius Ep. 18. lib. 2.

Sum Comes ipse tuus, tumidique Anteambulo regis:
Tu Comes alterius; jam sumus ergo pares.

Et lib. 3. Ep. 7.

Centum miselli jam valete quadrantes,
Anteambulonis congiarium Lassi.

Item Suetonius in Vespasiano cap. 2. Qua autem ratione, qui De Operis Servorum scripserunt, ipsos in Familiam Urbanam intruserint, ego prorsus ignoro. quod animadversione dignum judicavi, ne juventus studiosa deciperetur. Verum enimvero Cursorum ministerium plane servile, quod vulgo satis notum. qui velit tamen adeat Paulum JCtum leg. 99. § ult. ff. de leg. 3. & de Cursoribus.

In quo delitiæ ejus ferebantur.] Ad exemplar prorsus M. Antonii, cujus inter alia flagitium hocce exagitat Cicero Philipp. 2. qui locus Petroniano simillimus: *Vehebatur in essedo Tribunus plebis,* (Antonius) *lictores laureati antecedebant: inter quos, aperta lectica, Mima portabatur, &c.*

Delitiæ ejus.] Quos in delitiis habebant, *Delitias* vocabant. Statius in Epicedio in filium lib. v. Sylv. v.

Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces
Delitias, doctumque sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul, salibusque protervum
Dilexi. ——

Virgilius Eclog. 2.

Formosum pastor Corydon ardebat Alexin,
Delicias domini.

Quo adlusit Propertius lib. 2. Eleg. ult.

Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin,
Agricolæ domini carpere Delitias.

Eleganter & noster Quinctilianus lib. 1. cap. 2. *Gaudemus, siquid licentius dixerint: verba ne Alexandrinis quidem permittenda Delitiis, risu & osculo excipimus.* Sunt omnino, qui *Pueri Alexandrini* Petronio infra cap. xxxi.

Puer vetulus.] Qui *Pueri Veteres*, supra jam vidimus cap. xxii. Varro adpositissime Bajis: *Quod non solum innubæ fiunt communes; sed etiam VETERES PUERASCUNT, & multi pueri puellascunt.* Hosce & apud divinum Senecam haud obscure delineatos, mihi videre videor Epist. 122. nec non Eunuchos, qui ideo videlicet castrati, ut diutius itidem eorum abuterentur pueritia: *Non vivunt contra naturam, qui expetunt,* (sic legit Lipsius) *ut Pueritia splendeat tempore alieno? quid fieri vel crudelius, vel miserius potest? numquam vir erit, ut diu virum pati possit? & quum illum contumeliæ sexus eripuisse debuerat, ne ætas quidem eripiet?*

Cum minimis symphoniacis tibiis.] Inlustris de Tibiis locus. Verbatim nos persequimur. *Tibiis*, duas quippe uno spiritu animabat. Inventum hocce Hyagnis est, Appulejo teste in Floridis. Postea in usu crebriter. Martialis lib. 14. Epigr. LXII. Lemmate *Tibiæ.* Plura sic Antiquorum simulacra duas inflando & hodie visuntur. Progredior, *Symphoniacis*, hoc est, concinentibus, consonantibus. Ubi & genus expressit concentus, ex Gravi scilicet, & Acuto temperati. *Symphonia*, inquit D. Isidorus, *modulationis est temperamentum ex Gravi & Acuto concordantibus sonis, sive in voce, sive in FLATU, sive in pulsu.* Eandem Symphoniæ modulationem, parissime quoque in sonorum triplici genere musicorum, & Cassiodorus agnovit: *Symphonia est sonitus Gravis cum Acuto temperatus, modulationem efficiens in voce, vel in organis quæ percutiuntur, aut INFLANTUR.* & iterum lib. de Musica: *Symphonia est temperamentum sonitus gravis ad Acutum, vel Acuti ad Gravem, modulamen efficiens: sive in voce, sive in percussione, sive in FLATU.* Signanter etiam melos illud Symphoniacum, hoc est, ex Gravi & Acuto temperamentum, dedit & Tibiis Appulejus: *Primus Hyagnis Lævis & dextris foraminibus, Acuto tinnitu, Gravi bombo, concentum musicum miscuit.* & plures alii. Pythagoras autem ex impari Tibiarum longitudine Symphoniam quoque in sonorum differentiis quæsivit, quod large Censorinus ostendit cap. 10. Addit demum, *Mimmis.* recte; nam Tibiæ olim aliæ erant *Breves*, ac *Longæ* aliæ, & inter utrasque *Mediæ.* Ut plurimum *Breves* pueriles erant, dictæ ideo *Puellatoriæ.* sive ob clariorem sonum, uti voluit Solinus cap. 11. Polyhistoris. Pueri enim pariter, ac feminæ, & spadones ἀξύφωνοι sunt: angustior quippe illis arteria, ut docent Aristoteles de Hist. Animal. & Sect. 11. Problem. & Alexander Aphrodisæus Problem. lib. 1. Sed *Puellatoriæ* erant, quæ Græcis παρθενιοι dictæ: nam differre eas volunt nonnulli à *Puerilibus*, quas Græci παιδικὰς vocabant. Athenæus lib. 4. Εἰσὶ δ' οἱ αὐτοὶ (ἡμίοποι) τοῖς Παιδικοῖς καλαμίνοις, οἷς ἔχ ἧσσον ἐναγωνίοις πρὸς τὰς ἐναγχίας χρῶνται. διὸ καὶ τερπνὰς αὐτὰς κέκληκεν ὁ Ἀνάκρεων. *Sunt autem ipsa* (* Hemiopi) *eadem cum Puerilibus Tibiis, quibus, quod ad canendi certamina minus idoneæ, in conviviis utuntur. quamobrem & Teneras vocavit Anacreon.* De hisce omnino capiendus Epigrammatarius, ubi Turanium ad cœnam invitat, Ep. 78. lib. 5.

Parvi Tibia Condyli sonabit.

Et eis haud puto absimiles, quas rebus sacris adhibuere postea Catholici, vocavitque *Pueriles Fistulas*

* Semiplenæ, *sive*, *semitoniæ.*

Venantius lib. 2. Carm. ad Clerum Parisiacum. Utrasque igitur illas Pueriles, & Puellatorias, *Minimas* agnoscimus, & propritim eas puero Petronium tribuisse. Breves etiam fuere & *Gingrinæ*. Festus: *Gingrire anserum vocis proprium est. Unde genus quoddam Tibiarum Exiguarum, Gingrinæ.* Easdem Solinus appellat *Breviores*. & Hesychius: γιγγρίαι, αὐλοὶ μικροί. unde claret error ibi scribentium, μακροί. Latius autem eas ex Xenophonte descripsit Eustathius in lib. 17. Iliad. Homeri. Porro de *Mediis* memoria apud Hesychium; de *Longis* apud Dionem, sive Xiphilinum, in Othone.

Prasinatus cerasino succinctus cingulo.] Certum est sese medios cinxisse Romanos Cingulis, Baltheis, Zonis, Semicinctiis, Linteis, aliisque, de quibus plurima mentio aliis Scriptoribus, etiamque Arbitro est. nunc hostiarium cinctum vides *Cerasino Cingulo*, quæ fortassis nota peculiaris servorum Neronis fuit, æque ac *Prasinus* color. notum Prasinæ factioni faviisse Principem. Servus autem illo Cingulo etiam forte notatus, eo quod *Cinguli* olim indices fuerint Magistratus, *dignitatis*, Imperii. Suidas: Ζώνη, τὸ ἀξίωμα. & in Jure Civili *Cinguli honor.* leg. 14. Cod. Theod. de privil. eorum. Et leg. 2. C. ut dignit. ordo. ut vel exin Neronis insania conjici quoque facile possit. Sed alias nos in isto opere de diversis Cingulis latiuscule loquimur.

Prasinatus.] Notum & hinc jam in Neronem Satyricum scoma. Ego autem magis adhuc confirmo. Nam Cajum Principem, quem penitus æmulari, glorioſum duxit inprimis ipsus Nero (ut alibi dicimus) Suetonius testatur, nimis Factioni Prasinæ fuisse addictum. inquit ergo in Caligula cap. 55. *Prasina Factioni ita addictus, & deditus, ut coenaret in stabulo adsidue, & maneret, &c.*

Cavea pendebat aurea, in qua pica.] Martialis Ep. 6. lib. 3.

Ponitur in Cavea mortua Pica mihi.

Argentea autem Cavea Psittaci Melioris apud Statium lib. 2. Sylv. ubi elegans perfectaque omnibus suis numeris id genus Cavearum descriptio:

At tibi quanta domus rutila testudine fulgens?
Connexusque ebori virgarum argenteus ordo?

&c. ubi & *Limina*, & *Fores*.

Pica varia intrantes salutabat.] Firmata satis lectio *Pica Varia*. etsi scriptura altera, quam sua editione Bourdelotius ex nescio quis MSS. exhibuit, ferri & optime possit. nimirum, *Pica vario intrantes salutabat*. nam eam non leviter tueri videtur id Nasonis in Philomela:

Pica loquax VARIAS modulatur gutture voces,
Scurriliter strepitu quicquid & audit, ait.

Vulgaris tamen semper à nobis præferenda est. Variis enim velut ex centunculis Pica vestita spectatur, nigerrimis, & candidis. Nobis avis est vulgatissima simili vocabulo *Picaça*, & aliter *Urraca* dicta. Erant igitur doctæ antiquitus, quæ volucres erant vocales, potissimum salutare, χαῖρε, *ave*, *vale*, *salve*, dicentes, cujus innumera Scriptoribus vetustis testimonia.

Cap. XXIX. *Non longe ab Ostiarii cella canis ingens catena vinctus.*] Servi, qui ædium olim custodiæ erant pro foribus adhibiti, *Ostiarii* vocabantur, *Janitores*, *Custodes*, *Clausitrui*, & *Pueri à Janua*. Notum jam hoc & iis, qui nondum ære lavantur. Præterea erant & illis insuper additi *Canes*, natura sua excubitores vigilantissimi, ut ab iis tandem ingressu arceretur ignotus ille, qui aliud videlicet agentem præterfugisset Janitorem. Adposite hic noster Columella recitandus lib. 7. cap 12. *Nunc, ut exordio priore sum pollicitus, de Mutis Custodibus loquar: quanquam Canis falso dicitur Mutus Custos. nam quis hominum clarius, aut tanta vociferatione bestiam, vel furem prædicat, quam iste latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis Custos incorruptior? quis Excubitor inveniri potest vigilantior?* Trimalcionis vero Canis Mutus Custos vere diceretur. Ceterum ad limina erant utrique Janitores, ut à loco, videtur, discedere non possent, adligati, catenaque vincti. Hocce tamen videntur nonnulli ignorasse ex Petronii Interpretibus. sed adeo res clara est ex pluribus locis utriusque Senecæ, Patris, & Filii, Suetonio in Vitellio cap. 16. & lib. de Claris Rhetor. Ovidio passim, perinde ac Tibullo, Plauto, Phædro, Afranio, Nævio, aliisque innumeris, ut pudeat in eo diutius immorari. Unicum tamen ex Theodoro Metochita proferam testimonium, quia Neronis ævi est, lectuque sane dignum. Ἐπὶ τῷ Νέρωνι καὶ Σίμων ὁ μάγος ἦν. πρὸς ὃν ὁ κορυφαῖος ἐλθὼν, ἔυρε κύνα διδεμένον ἀλύσει ἐν τῷ πυλῶνι αὐτῦ, κατισθίοντα τῦς ἄνυ προτρεπῆς ἐπιχειρῆντας εἰσελθεῖν ἐπὶ τὸν Σίμωνα. ᾧ δὴ καὶ ἐκέλευσεν εἰσελθεῖν, καὶ ἀνθρωπίνῃ φωνῇ περὶ Πέτρυ ἀναγεῖλαι. Vertit Meursius: *Sub Nerone etiam Simon Magus erat, ad quem quum vir summus Petrus accessisset, Canem invenit in Vestibulo ad Catenam adligatum, devorantem, qui injussu ad Simonem intrare vellent. Hunc intrare ille jussit, & de Petro voce humana nuntiare.* Vincula illa *Impedimenta* vocata invenimus, etiam & *Compedes*. Porro Canis iste Trimalcionicæ domus custodiæ joculariter erat adhibitus. Ast alibi apud Petronium ipsum Catenarius est Molossus vivus, quem Janitrix comes in Eumolpum instigat cap. xcv.

In pariete erat pictus.] Efficti ergo olim Canes Janitores per jocum ac per risum magnarum domorum vestibulis, sive vivorum vice, sive additi cum vivis. Ex auro, & argento sculpti in Regis Alcinoi aula Homero sunt 7. lib. Odysseæ. Ex marmore autem duo Anno 1558. reperti fuere prope Tiberim, via Vitellia ad lævam duobus passuum millibus ab Urbe. Antiqui omnino sunt illi, & artis industria, ac magnitudine mirabiles. Fuisse autem in eum, quo de agimus, usum effigiatos, quum multa plane convincant, tum sedendi modus, ac totius corporis habitus, instar excubitorum formidabilis, nullum prorsus ambigendi

gendi locum reliquum faciunt. Habent præterea & sua collaria, ut catenæ eis insererentur, quibuscum adligabantur, uti jam diximus. Illos nobis jam dedit in suis Antiquitatibus Romanis Boissardus, ipsum adi.

Quadrata littera.] An *litteræ* erant, quæ *Longæ* Plauto bis aut ter dictæ? an aliæ ab illis, erantque olim Litteræ diversæ *Longæ*, & *Quadratæ*? Vide ipsum Comicum Aulularia 1. 1. 39. Pœnulo 4. 2. 15. Rudente 5. 2. 27. Ego etiam olim per somnium cogitabam, an fors hacce aut simili forma Litteræ illæ fuissent figuratæ? CAVE CAVE CANEM, uti in nonnullis numis antiquis litteræ similes hodie spectantur. Verum enimvero quum litteras minusculas, quibus hodie utimur, & olim in usu fuisse, certum sit; haud inepte ut majusculas, aut Capitales denotaret, adderet signanter, *Quadrata Littera* fuisse titulum scriptum. Fidem nobis minuscularum Litterarum faciunt veteres Inscriptiones, quarum copia apud Gruterum non minima, observavitque Scaliger F. cap. 19. suorum ad ipsas Indicum, quod est rerum Grammaticarum. Alias & aliæ quoque reperiuntur Inscriptiones nonnullæ, quæ adstruunt id ipsum. Non autem proculdubio, ut hocce insuper moneam, idem Josephus istud animadverterat, quando apud Wouwerium suasit, *Quadratas litteras* omnino esse quærendas. Ceterum quod ex Quinctiliano vir Doctus comminiscitur, ego prorsus non capio, quum pariter Petronii ævo, & Quinctiliani, vel ipso adsertore, Capitales, Quadratæve Litteræ fuerunt in usu: antiquissimæ vero adeo obsoleverant, ut neutiquam Arbiter egeret, formam Quadratarum designare, ut non vetustissimis characteribus illud fore descriptum, intelligeretur.

CAVE CAVE CANEM.] Per jocum etiam erat admonens inscriptio Cani depicto addita; quod ex Edicto Ædilium non liceret, Canem mordacem ita habere, ut cuiquam nocere, vel damnum inferre posset. leg. 40. cum seq. D. de Aedilit. edict.

Venalitium titulis pictum.] Pictum in porticu *Venalitium*, ut infra hoc capite *Grex cursorum*. apte ut figurarum varietate spatiantes delectarentur, fallerentque tempus exspectantes. Sic in publicis porticibus depicta munera gladiatoria exponi solita, Plinius adserit cap. 7. Hist. Natur. lib. 35. quod videtur innuere inventum fuisse Neronis liberti, nisi C. Terentii Lucani esse mavis. Erat ergo apud Trimalcionem Grex Catastorum depictus, quibus (ut in foro, ubi venum expoliti) *Tituli* collis erant aptati. Quid Tituli illi indicarent, novimus ex edicto Ædilium Curulium, ubi qua parte de mancipiis vendundis cautum est, scriptum sic fuit testante A. Gellio lib. 4. cap. 2. TITVLVS SERVORVM SINGVLORVM VT SCRIPTVS SIT CVRATO, ITA VT INTELLIGI RECTE POSSIT, QVID MORBI VITIIQVE CVIQVE SIT: QVIS FVGITVS ERROVE SIT; NOXAVE SOLVTVS NON SIT. Recte igitur à Venalitio Mango *Venalitiarius* dictus, Lexicon vetus: Μεταπράτης ἀνδραποδῶν. *Mango, Venalitiarius.*

Et ipse Trimalcio capillatus caduceum tenebat.] Nosce jam simiam Caligulæ, quem typum sibi proposuit Nero penitus imitandum, ut alibi dicimus. inquit ergo de eodem Cajo Philo Judæus legatione ad ipsum: Τοσαύτη δέ τις περὶ αὐτὸν ἦν λύττα, καὶ παράφορ& καὶ παράκοπ& μανία, ὥστε καὶ τὰς ἡμιθέους ὑπερβὰς ἐπαινῆσαι, καὶ ἐπαπιδύεται τοῖς τῶν μειζόνων, καὶ ἀμφιδαλῶν εἶναι συνεστιοῖς, Ἑρμῆ, καὶ Ἀπόλλωνος, καὶ Ἄρεως. Ἑρμῆ τὸ πρῶτον κηρυκείοις, καὶ πεδίλοις, καὶ χλαμύσιν ἐνσκευαζόμεν&. *Tantus autem ei inerat furor, tam insana vecordia, ut non contentus se æquiparari Semideis, ad Majores Deos versus, æmulationem cum eis susciperet. cum Apolline, Marte, ac Mercurio. Mercurii primum Caduceo, talaribus, chlamydeque ornatus.* Ipsummet & Tranquillus cap. 52.

Ratiocinari.] Ratiocinari de Procuratore olim dictum. recte, quum ipse *Rationes acciperet*, ut ait Arbiter cap. seq. hic omnia simulate dicuntur, & aliud in titulo, ut ait proverbium, aliud in pyxide est.

Mercurius capiebat.] Hic Trimalcio divinandus proponitur, cui Mercurius præerat, ut docte hic notat Bourdelotius, quem vide.

Notavi etiam in porticu gregem Cursorum cum magistro se exercentem.] Carpitur & hic dubio procul Nero. illum immodico currus agitandi studio deditum fuisse, palam faciunt, insectanturque simul Suetonius, Dio, Tacitus, Philostratus, Constantinus Manasses, Plinius, Orosius, & alii. Nunc vero dissimulanter Principem tangit, abusive vocans *Cursores*, qui revera *Aurigæ* erant. Aurigæ enim circum metas currendo sese exercebant. Faciunt & huc *Grex*, & *Magister*, quorum ibi mentio. utrumque quippe de Aurigis propritim dictum. Sic *Gregis* meminit Suetonius in Nerone cap. 22. *Quare spectaculum multiplicatis missibus in serum protrahebatur, ne dominis quidem jam factionum dignantibus, nisi ad totius diei cursum, Greges ducere.* Et *Magistri* Lapis Lanuvinus apud Gruter. 2. CCCXXVIII.

M. AVRELIO LIBERO PATRI ET
MAGISTRO ET SOCIO DOMINO
ET AGITATORI FACTIONIS PRASINÆ
AURELIVS CÆCILIVS PLANETA
PROTOGENES OB III. PALMAR.
HOC DONVM VOVIT
NATIONE AFR.

Exarata à Magistro quodam Inscriptio Factionis etiam Prasinæ, conlega simul, sociique defuncti. Aurigationis Tyrocinium est, quod ibi Petronius denotat: *Rudimentum* Suetonius vocavit loco laudato. Vecti insuper & curribus Aurigarum *Cursores*, quod Athenienses, testante Dionysio Halicar. extremo lib. 7. nuncupabant, ἀποβάτας, Poëtæ παραβάτας. Plures antiquitus & *Cursores* alii, seu de quibus parum foret in præsentia opportunus sermo.

Grande armarium.] Armariis signa contineri, majorumque imagines, neutiquam novum. Id in animo Juvenali initio Sat. 8. quum περιφραστικῶς, *Tabulam capacem*, vocat:

Qui fructus generis Tabula jactare Capaci
Corvinum, &c.

Loquitur de Cereis avorum statuis, quæ in atriis per stemmata disposita. distertim vero Plinius lib. 35. Hist. Natur. cap. 2. *Expressi cera vultus singulis disponebantur Armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera.* Ast grandi illi Armario plures ædiculæ fortassis; ubi inter alias & illa fuit, quæ Lararii vicem præstabat. Ut ut autem sit, quod aptum ad servandam imaginem, nec ineptum aliis etiam signis continendis *Armarium* olim vocatum.

In cujus ædicula erant Lares argentei positi.] Lares antiquitus Familiares Dii cujusque domus. Ipsus Lar in Prologo Aululariæ Plauti:

Ego Lar sum Familiaris, ex hac familia,
Unde exeuntem me aspexistis. hanc domum
Jam multos annos est quum possideo, & colo.

Majores cujusque familiæ, eidem fuere Numina. Non tamen omnes, sed illi tantum, qui recte & honeste curriculum vivendi à natura datum confeciſſent. Plane Appulejus de Deo Socratis, cujus locum rei toti aperiendæ longiusculum recitare non gravabor: *Animum humanum emeritum stipendiis vitæ, corpore suo abjurantem, vetere Latina lingua reperio LEMUREM dictitatum. Ex hisce ergo Lemuribus, qui posterorum suorum curam sortitus, placato & quieto numine domum possidet, LAR dicitur FAMILIARIS. qui vero ob adversa vitæ merita, nullis bonis sedibus, incerta vagatione, ceu quodam exilio punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, ceterum noxium malis, id genus plerique LARVAS perhibent. Quum vero incertum est, quæ cuique sortitio evenerit, utrum LAR sit, an LARVA, nomine MANEM deum nuncupant.* Ipsum, sed brevius, Martianus Felix lib. 2. *LEMURES, si vitæ prioris adjuti fuerint honestate, in LARES domorum, urbiumque vertuntur. Si autem depravantur ex corpore, LARVÆ perhibentur, ac MANIÆ.* Ideo ipsorum simulacra vix abesse contingeret à domo alicujus, sed Lararii's impositа colebantur honoribus, supplicabanturque, *Thure, Vino,* & *Coronis*, Plautus docuit. Ast, observo ego, *Lucernis*, etiam ante ædiculas pendentibus. Planum hoc fit ex bilychni lucernæ æneæ Lugduni reperta, anno 1505. apud Gruter. 14. CVI. cujus catenis inserta tabella erat cum hac inscriptione:

LARIBVS
SACRVM
P. F. ROMAN.

Id est, *Publicæ Felicitati Romanorum* Apud Guilielmum Choulium lib. de Antiqua Religione Romanorum hujusce Lucernæ imaginem videre est. Confirmo insuper veteri inscriptione Prænestæ in Latio inventa, apud Gruter. 3. LXXVII. ubi inter alia,

ET. CVPIDINES. IIII. CVM. SVIS.
LYCHNVCHIS. ET. LVCERNA. LARVM.

Argentei haud insolenter facti. Municipibus Rheginis T. TARFENIUM reperio inter alia legasse LARES ARGENTEOS SEPTEM. Sic ex marmore constat Calabriæ civitatis apud Gruter. pag. CLXXIV. 7.

Veneris signum.] Lares non solum in illis Lararii's, sed & aliorum numinum inibi habuere simulacra. Lampridius in Alexandro Severo cap. XXIX. qui locus & supra de Laribus dictis aderit opportunus: *Matutinis horis in Larario suo (in quo & Divos Principes, sed Optimos electos, & animas Sanctiores, in queis & Apollonium. &, quantum Scriptor suorum temporum dicit CHRISTUM, Abraham, Orpheum, & hujusce modi deos habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.*

Et pixis aurea non pusilla, in qua barbam ipsius.] Hic & digito Neronem indicat, ut ex Dione patet lib. 61. pag. 698. Μετὰ δὲ ταῦτα ἕτεροι αὖ εἰδωλ- ἑορτὴν ἤγαγεν (ἐπεκλήθη δ' Ἰουβενάλια, ὥσπερ τινα νεανισκεύματα) καὶ ἐτελέσθη ἐπὶ τῷ γενείῳ αὐτοῦ, καὶ γὰρ τοῦτο τότε πρῶτον ἐξύρατο. καὶ τὰς τρίχας ἐς σφαίριόν τι χρυσοῦν ἐμβαλὼν ἀνέθηκε τῷ Διὶ τῷ Καπιτολίνῳ. *Posthac celebravit festa alterius generis, quæ dicuntur Juvenalia, ea propter barbam ejus, quæ tum primum rasa fuerat, facta sunt. cujus pilos in Pixidem Auream conjectos Jovi Capitolino consecravit.* Etiam Suetonius cap. 12. quem locum Interpretes adferunt.

Atriensem.] Qui forent *Atrienses*, M. Varro docet lib. 7. LL. *Si ab ade & tuendo adituus est, cur ab Atrio & tuendo non Atrituus sit potius, quam Atriensis?* Atrium ergo Atrienses tuebantur, hoc est, Atrio præfecti quum essent, aliisque servis præpositi inferioribus (qui *Atriarii* dicti) sedulo curabant, ne quid ex Signis, stemmatibus, picturis, ac ceteris in atrio reponi solitis, deperiret. In Atriis enim omnes census, divitiasque servarunt Antiqui, ut ostendunt Plinius lib. 35. Histor. Natur. cap. 2. Vitruvius extremo cap. 4. lib. 6. Valerius Maximus lib. 5. cap. 8. Servius in Libb. 1. & 9. Æneid. Unde qui honoratiores erant, & integræ fidei servi Atriorum observationi adhibiti, pariterque picturarum porticuum, quod ex Arbitro liquet. Ut autem promti magis excubare possent, cellæ atriis in ipsis erant Atriensibus adstructæ, uti Hostiariis pro foribus. Suetonius indicat in Caligula cap. 57. Plura adhuc insuper possem de Atriensibus adferre, ni res jam pridem à Viris doctis foret præoccupata. Nota ergo nunc mihi, quam opportune de picturis Atriensem Encolpius interrogarit.

Quas in media porticu.] Sic hiatulum supplevi ex consensu fere omnium doctorum Virorum, ibi *Porticum* subintelligi, ubi frequenter olim picturæ conlocatæ, adfirmantium. Induxerunt pessimo exemplo asteriscum nuperæ editiones, ejus in locum haud quid substituentes idoneum. Commentum vero Scaligeri F. de Medica porticu longius putamus abire, quam possit convenire Petronio. Dempsterus vult *media* sub-

stan-

stantive esse positum, Atriumque significare. quod & nobis non displiceret, si constaret, sic Atrium adpellatum ab Antiquis.

Cap. XXX. *Procurator rationes accipiebat.*] Plures Procuratores fuere, de quibus non hic tempestivus sermo: nam de illo tantum nonnulla delibabimus, qui Rationibus nimirum præerat. Ipsissimi ergo sunt, qui in antiquis monumentis PROCURATORES A RATIONIBUS vocantur. Sic in veteri lapide Lanuvino apud Gruter. 2. CCCLXXI.

T. AVRELIO
AVG. LIB.
APHRODISIO
PROC. AVG.
A RATIONIBVS

Rationes accipere, quod Hispanis, *tomar las quentas*. Sic Seneca Ep. 14. *Rationes Accipit, forum conterit, Kalendarium versat, sit ex Domino Procurator.* Et Ep. 122. de Sp. Papinio: *Audio circa horam tertiam noctis flagellorum sonos: quæro, quid faciat? dicitur Rationes Accipere.* Istæ enim Rationes domesticæ erant, quæ quotidie relegebantur, quod vel ex Seneca claret, nam diurnum Papinii vitæ recenset tunc ordinem. De iisdem ergo Rationibus Petronius loquitur: quas bene *Diurnum* vocavit ideo Juvenalis Sat. 4. 482.

——— *Longi relegit transversa Diurni.*

Non autem intelligendi sunt Hispanus Philosophus, & noster Satyricus de aliis Rationibus, quas à Dispensatoribus accipiebant Domini, de quibus Cicero in Hortensio apud Nonium: *Quid tu, inquam, soles, quam Rationem à Dispensatore Accipis, si ara singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare?* Rationes enim istæ non tam crebro accipiebantur, quod abunde constat ex Dispensatoris munere, de quo infra. Viros autem principes, haud dubium est, habuisse id genus Procuratores, qui diurnas domus Rationes acciperent; non ita vero alii minoris fortunæ homines, sed ipsimet accipiebant, uti Sp. Papinius. Dispensatoris autem Rationes vel ipse Imperator relegebat. Suetonius in Galba cap. 12. *Et ordinario quidem Dispensatori breviarium Rationum offerenti paropsidem leguminis pro sedulitate ac diligentia porrexisse.* Hocce *Breviarium Rationum* summarium est acceptæ expensæque pecuniæ, minime vero quotidie Imperatori exhibitum; neque in eo contentæ expensæ domesticæ, ac minutæ. Differitas etiam satis constat ex ipso Petronio, qui Dispensatorem aureos numerantem facit; Procuratorem vero accipientem Rationes. etsi Scriptores (ut hoc item moneam) interdum confundant. Porro Rationes illæ vel immaniter exactæ, ut & in Seneca visum: næ tunc sæpe vapulabant servi. Juvenalis itidem loco citato,

——— *Longi relegit transversa Diurni,*
Et cadit, donec Lassis cadentibus, &c.

Quod præcipue miratus sum, in postibus triclinii fasces erant.] Luculenta hujusce loci interpretatio petenda est à Lipsio lib. 1. Elect. cap. 23. paullo ante finem. ipsum vide.

Quasi embolum navis æneum.] Glossarium vetus: Ἔμβολον, ἐπὶ νεὼς. *Hæc Rostra, singularia non habet.* Non ergo *Rostrum* pro aduncа illa navis parte proferrent emendati Scriptores. Ferrea semper fuere Rostra, æneave. unde Græcis vox conflata χαλκέμβολον *æneum embolum.* Plutarchus in Pompejo: ἐπιπήκοντα δὲ χαλκεμβόλους παρέλαβε. *Nonaginta æreis rostris armatas naves accepit.*

Lucerna.] *Triclinaris*, sive *convivialis*, nam erant jam in Triclinio. Talis est illa Martialis lib. 14. Ep. 41.

Inlustrem quum tota meis convivia flammis,
Totque geram mixtas, una Lucerna vocer.

Discrimen enim Lucernarum fuit haud secus ac Lectorum. Erant namque *Lucernæ* aliæ, quæ *Cubiculares.* Id genus illa, cujus Tibullus meminit lib. 1. El. 3.

Hæc tibi fabellas referat, positaque Lucerna,
Deducat pleno flamina longa colo.

Ejusdem generis sunt, quæ nocturnis Veneris conluctationibus præsunt, earumque est apud politos Scriptores memoria haud inficeta. Martialis lib. 10. Ep. 38.

O quæ prælia! quas utrinque pugnas
Felix lectulus, & Lucerna vidit!

Et lib. 14. Ep. 39. ipsa loquitur Cubicularia:

Dulcis conscia Lecticuli Lucerna,
Quicquid vis, facias licet, tacebo.

Quæ Galieni Imp. mens est in Epithalamio:

Ludite, sed vigiles nolito exstinguere Lychnos:
Omnia nocte vident, nil cras meminere Lucernæ.

Item Propertius inter alia voluptatum suarum specimina illud memorat lib. 2. Eleg. 15.

Quam multa adposita narramus verba Lucerna?

Caussam autem, cur eam amatores in deliciis suis adhibuerint, Appulejus edidit opportunam lib. 5. Fab. Mil. *Quum Lucernam scilicet amator aliquis, ut dulcius cupitis etiam nocte potiretur, primus invenerit.* Aliter enim haud cederet deformis admodum vultus emendatissimo. Erant præterea & *Sepulcrales Lucernæ*, de quibus alibi.

Bilychnis de camera pendebat.] Harum pensilium Lucernarum supra meminimus, cap. præcedenti. & cujusdam effigiem esse apud Guilielmum Choulium, etiam monuimus. Ipsæ Lucretio lib. 5.

Pendentes Lychni

dictæ. Similem eleganter descripsit S. Paullinus Natali 9. Felicis, Petroniumque inlustrat hisce versibus:

Ecce vides quantus splendor velut ade renata
Rideat insculptum Camera crispante Lacunar,
In ligno mentitur ebur, tectoque superne
Pendentes Lychni spiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus, undantes flammas levis aura fatigat.

Lucerna Bilychnis δίμυξος est, sed quam vocem alias ego nusquam offendi.

III. ET PRIDIE KAL. JAN.

G. NOSTER FORAS COENAT.] Hocce non obliquè & de Nerone tradidit Suetonius cap. 27. *Coenitabatque nonnumquam & in publico, Naumachia præclusa, vel Martio Campo, vel Circo Maximo, inter Scortorum totius urbis, ambubajarumque ministeria.* Nonne jam vides, cur perditissimos homines, Encolpium puta, ejusque socios, in Trimalcionis convivium intulerit Arbiter? Nec minus clare Tacitus lib. 15. Annalium cap XXXVII. ubi & causam reddit: *Ipse quo fidem acquireret, nihil usquam perinde lætum sibi, Publicis locis struere convivia, totaque urbe quasi domo uti.* Et nec inconcinna Vertranii emendatio, *Nihil usquam Periculosum sibi*, scribentis. Ægyptiis olim isthoc commune. Sic de ipsis Mela noster lib. 1. cap. IX. *Cibos Palam & extra sua tecta capiunt.* Ita & Hispaniarum Reges in publico (sic & nos dicimus) cibos bis, terve capiunt in anno, non tamen extra Regiam Antiquiores autem Romani alio spectabant, quum in propatulo cœnitarent. Ita S. Isidorus lib. 20. Orig. cap. 2. *Apud veteres enim solitum erat in Propatulo vesci, & communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret.* Quo de egregius est Val. Maximi locus lib. 2. cap. 5. *Fuit enim illa simplicitas Antiquorum in cibo capiendo, humanitatis simul, & continentiæ certissima index. Nam maximis viris prandere, & cœnare in Propatulo, verecundiæ non erat: nec sane ullas epulas habebant, quas populi oculis subjicere erubescerent.* Idem pluribus Salesberiensis in Polycratici lib. 8. cap. 7. refertque Leges olim latas fuisse, quæ jubebant, ut patentibus hostiis cœnitaretur. Ipsas VALVIPATAS & VALVIFRAGAS adpellari, auctor est Portunianus antiquissimus Scriptor.

Altera Lunæ cursum, Stellarumque VII. imagines pictas.] Puto hic Cœnationem illam Neronis designari, (jam enim in Triclinio erant) de qua sic Suetonius cap. 31. *Præcipua Coenationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circumageretur.* Imitabatur omnino cælestem machinam. quapropter & Planetarum Imagines ibidem quoque necessario adessent, quorum mentio in hacce Trimalcionici Triclinii descriptione nihil posset signantius aliud præ se ferre. Facit enim & huc Ferculum illud XII. Signorum. Conveniens namque omnino foret etiam ipsum illi Cœnationi.

Qui dies boni, quique incommodi essent.] Ex eventibus rerum secundis, & adversis omina observarunt Veteres bona, vel tristia; cujus plura in Camillo Plutarchus recitat exempla, refertque ab Heraclito reprehensum fuisse Hesiodum, quod ἀγαθὰς constituisset ἡμέρας, & φαύλας, uti in ejus opere patet, cui titulus Ἡμέραι. Ejusdem fuere & superstitiosi admodum observatores Romani; & vix, puto, reperiri gentem posse, quæ pura omnino evaserit ex simili contagione. Ex nomine apud nos jam solum reliquo dierum, *aciagos*, nuncupatorum conligere est, ejuscemodi nugarum rationem aliquando etiam Hispanos habuisse. Eosdem dies faciunt Viri docti cum illis, quos *Atros* Antiqui vocarunt, dictosque putant esse quasi *atriagos*. Alii ab Ægyptiacis diebus deducunt, qui in Decretis Canonicis notati: *Non observetis dies, qui dicuntur Ægyptiaci, aut Kalendas.* Pessimi ominis habiti dies Ægyptiaci respectu illorum, in quibus Ægyptus olim plagis adflicta. itaque *Aciagos* velut *Ægyciagos* vocarunt Prisci. Sed nos de his hic non plura, quum loco proprio in De Antiquorum Calculis Diatriba nostra abunde egerimus.

Ceterum ut movimus dextros gressus.] Similiter paullo post. *Retulimus ergo dextros pedes.* Hispane dicimus: *volvimos à mano derecha.*

Procubuit ante pedes] Supplicis gestus, precantisque. Arnobius lib. 4. *Et quia non Supplices Mutuno Procumbimus, atque Tutuno.* Ritus erat Persarum proprius, uti apud Curtium passim. Sic Alexander ad Sisigambim Darii matrem lib. 5. *Procumbens sæpe me venerari voluisti, inhibui.* Usque ad terræ contactum faciem demittebant Procumbentes. indicat Ammianus lib. 18. cap. 19. de Antonino loquens, qui ad Saporem Regem Persarum transfugerat. *Sublata tiara, quam capite summo ferebat honoris insigne, dejiluit equo; curvatisque membris, humum Vultu pene contingens salutavit, patronum adpellans & dominum.* Etiam Curtius lib. 8. *Alexandrum venerantibus Persis, Polypercon, qui cubabat super Regem, unum ex his mento contingentem humum, per ludibrium cœpit hortari, ut vehementius id quateret ad terram,* &c.

Dispensatoremque in prætorio aureos numerantem.] Dispensator servus, qui domini pecuniæ præpositus erat, ejusdemque jussu eam pro necessariis Dispensabat, posteaque in sua breviaria accepti & expensi summas, ac rationes inferebat. Unde apud Jurisconsultos merentur libertatem, si dominicas rationes ipsi tractaverint diligenter. Insignis enim locus est apud Suetonium in Vespasiano cap. 12. de Dispensatoris cura in referendis in rationarium pecuniis Principis nomine expensis; simulque de adscribendo titulum summæ, qui videlicet, modo sic fieri posset, addebatur semper: *Expugnatus autem à quadam, quasi amore sui deperiret, quum perductæ pro concubitu sestertia quadraginta donasset: admonente Dispensatore quemadmodum summam rationibus vellet referri? Vespasiano, inquit, adamato.* Petronius vero dixit, *numerantem*, ut Macrob cap. 4. lib. 2. Saturnal. ubi de Augusto loquitur: *Secuto omnium risu, Dispensatorem Cæsar vocavit & sestertia centum millia numerare Graculo jussit.* Sed novitio more; apud Antiquiores enim Dispensatores pecuniam appendebant, non numerabant. unde eis nomen. sic Pompejus Festus: *Dispensatores dicti, qui æs pensantes expendebant, non adnumerabant.* Et in eandem sententiam veniunt Plinius 33. Hist. Natur. cap. 3. M. Varro extremo lib. 4. LL. D. Isidorus lib. 10. Etymol. Cornutus, aut quisquis est Persii ille vetus Interpres Sat. 2. Papias, alii. Nobis Dispensatores dicuntur, *Thesoreros*, & in Constitutio-

tutionibus pariter vocantur Dispensatores, qui Principum curant pecunias, Thesaurorumque gerunt administrationem. *Dispensatio* Dispensatoris functio est apud Suetonium in Vespasiano cap. 23. & Othone cap. 5.

Non tam jactura me movet.] Sic cap. CXVII. *Nec illum jactura moveri.* pariter & Catullus Carm. 12. de linteo amisso.

Vestimenta accubitoria —— Tyria.] Cubitoria, vel Accubitoria scribas, nihil prorsus interest. Facta igitur Adcubitoria vestimenta ex Purpura. Plinius inquit lib. 9. Histor. Natur. cap. 39. *Purpura dibapha quis jam non Triclinaria facit?* Eadem igitur *Triclinaria*, *Adcubitoria*, & *Coenatoria*, quorum supra etiam cap. XXI. mentio. Sed in balneo, quæris, subducta fuere vestimenta Cœnatoria? haud inquam inepte. nam quum è balneo recta irent ad cœnam, haud indecenter cœnatoria jam induti irent etiam ad balneum.

Sed jam semel lota.] Aliter, *sed tantum semel lota.* sed longe abit à ductu litterarum. Qui vero interpretantur, *sed jam semel*, pro *sed tamen*, argute faciunt: ast duriuscula videtur locutio. Probior lectio mihi est, *sed ea semel lota.* exaratum fors erat forma ista, *ea semel.* unde facile stolidus librarius, *jam*, illud conflavit. In textum tamen recipere ausus non sum. Plurima est Scriptoribus mentio de vestibus illis. Eleganti autem ambage bis tinctas concepit Ennodius Paneg. Regi Theodorico dicto: *Exhibete, Seres, indumenta, precioso murice qua fucatis, & non uno aheno bibentia nobilitatem tegmina prorogate.* Est memoria & in Sacris Bibliis Numer. cap. 19. 6. *Coccinumque bis tinctum sacerdos mittet in flammam.* Suspicor precioriores purpuras pluries murice infectas, nam mihi Martialis haud oblique præire videtur ad hancce conjecturam lib. 2. Ep. 28.

Quaque Tyron Toties epotavere Lacerna.

Et Epig. 11. lib. 10. qui locus unice Arbitro tempestivus quum sit, miror tot Interpretibus silentio fuisse prætervectum:

ET LOTAM, ut multum Terque Quaterque togam.

Cap. XXXI. *Ad summam.*] Formulæ hujusce varius apud Arbitrum usus, sed quemadmodum in præsentia, sæpius alias usurpat. Loca parallela isthæc occurrunt. sic cap. XXXVII. *Ad summam, mero meridie si dixerit illi tenebras esse, credet.* & cap. CV. *Ad summam, adhuc patrimonii mei reliquias olent.* & cap. CXXXIV. *Ad summam, qualem putas esse, qui de Cirtes toro sine voluptate surrexit?* cap. CXL. *Ad summam, relinquere se pueros in domo Eumolpi, ut illum loquentem audirent.* Idem est, ac si aliter diceret, ut summatim & sine ambagibus dicam, sive, demum, denique. & quod Hispani dicimus: *ten resolucion, ten fin, i finalmente.* Sic & Vitruvius Præfat. lib. 7. *Ad summam, mors ejus, ut parricidii damnati, varie meratur.*

Vinum dominicum.] Diversum quippe erat à convivarum vino. qui nescio an fastus divitum antiquorum fuerit, an sordes. ipsius autem apud Scriptores tam Latinos, quam Græcos querela est creberrima. Facete, more suo, sæpe Martialis. Sic lib. 4. Ep. 86.

Nos bibimus vitro, tu myrrha, Pontice, quare?
Prodat perspicuus ne duo vina calix.

Tali nunquam nos suspicioni erimus obnoxii, qui abstemii sumus, Frigidamque omni nectare potamus suaviorem. Et lib. 6. Ep. 11.

Quod non sit Pylades hoc tempore, non sit Orestes,
Miraris? Pylades, Marce, bibebat idem.

Juvenalis etiam Sat. 5. 51.

Non eadem vobis poni modo vina querebar.

Nec minus falsè eum morem insectatur Lucianus, apud quem ita Saturnalium Legumlator Legem tulit: Οὐκ τὸ αὐτὸ πίνειν ἅπαντας. μηδ' ἕνα πρόφασιν τῷ πλησίον, ἢ στομάχου ἢ κεφαλῆς ὀδύνη, ὡς μόνου δεῖ αὐτὴν πίνειν τὸ κρείττονος. *Eodem de vino omnes bibunto: neque prosit diviti, si causetur vel stomachi, vel capitis dolorem, ut ideo bibat de meliore.* Et rursus in Epist. Saturnal. Προειπεῖν δὲ καὶ τοῖς οἰνοχόοις, μὴ περιμένειν ἐς ἂν ἐπλάκις αἰτήσῃ πιεῖν ὑμῶν ἕκαστος, ἀλλὰ ἢν ἅπαξ κελεύσῃ, αὐτίκα ἐγχεῖν, καὶ ἀναδοῦναι, μεγάλην κύλικα ἐμπλησαμένους, ὥσπερ τῷ δεσπότῃ. καὶ τὸν οἶνον ὃ αὐτὸν πᾶσι τοῖς συμπόταις εἶναι, καὶ τὸν αὐτὸν εἶναι. ἢ ποῦ γὰρ γεγράφθαι τοῦτον τὸν νόμον, τὸν μὲν ἀνθοσμίᾳ μεθύσκεσθαι, ἐμοὶ δὲ ὑπὸ τοῦ γλεύκους διαῤῥήγνυσθαι τὴν γαστέρα. *Utque præmoneantur pincernæ, ne cunctentur, donec unusquisque nostrum septies poscat bibere, sed semel jussi protinus infundant, & ingentem calicem impletum irradant, æque atque ipsi domino, utque unum, & idem vinum convivis sit omnibus. Alioqui ubinam ista lex scripta fuit, aut receptus mos, ut hic vino odorato generosoque temulentus sit, mihi contra musto disrumpatur alvus?* Et tertio etiam ibidem. Idem & in cibis factum, quod magis adhuc spurcidicum. Unde omnium lepidissime à nescio quo Pontico quæsivit Epigrammatarius lib. 3. Ep. 60.

Cur sine te coeno, quum tecum, Pontice, coenem?
Ministratoris gratia est.] Vere, nec fugit Lucianum. ideo cavit iisdem in Legibus: οἱ διάκονοι πρὸς χάριν μηδενὶ μηδέν. ἀλλὰ μηδὲ βραδυνέτωσαν, μηδὲ παραπεμπέτωσαν. *Ministri ne cui quid Favore danto, neque contantor neque prætermittunto.*

Alexandrinis.] Argutuli Romam exinde adducti pueri, speciosique. Ovid. lib. 1. Trist. Eleg. 2.

Non ut Alexandri claram delatus in urbem
Delicias videam, Nile jocose, tuas.

Martialis lib. 4. Ep. 42.

Niliacis primum puer his nascatur in oris,
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Et supra Quinctilianus.

Aquam nivatam.] Notum jam, notari hic etiam Neronem, *cujus inventum decoquere aquam, vitroque demissam in nives refrigerare*, ut ait Plinius lib. 31. Histor. Natur. cap. 3. cujus & Juvenalis meminit Sat. 5. & Suetonius cap. 48. vocavitque *Neronis decoctam.* Fuit olim & potui Nix ipsa decocta; Aqua etiam ex

Nivibus

Nivibus dilutis; itemque aqua cum Nive commista, sed quæ parum ad Petronii interpretationem conducunt, itemque ad corporis valetudinem, uti apud Macrobium videre est lib. 7. Saturnal. cap. 12. Neronis autem Decoctæ *voluptas frigoris*, Plinius addit, *contingit sine vitiis Nivis*. Subridet igitur opportune Arbiter, Decocta illa uti in conviviis Principem ad pedum quoque lotionem manuumque.

In manus infundentibus.] Plura hic ego congesseram, postea, quum animadverti, id laboris pridem convivialium rerum Scriptoribus præoccupatum, omisi consulto. Addam tamen, quod fortean non ita erit protritum, nimirum Romanos, æque ac nos hodie, post epulas manus lavasse. Conligo ex divino Seneca, dum Lucilio vitæ suæ seriem exponit quotidianam Ep. 83. *Panis deinde siccus & sine mensa in prandium: post quod non sunt lavandæ manus.* Quia sordes videlicet non contraxerant cibo parcissimo: alias igitur non deforet ablutio. Confirmo insuper inlustri Suidæ loco, qui & plura non obiter edocebit: Ἀπόνιπτρον. Ἀριστοφάνης: ὥσπερ ἀπόνιπτρον ἐκχέοντες ἐσπέρας. ἐιώθασι δὲ οἱ Ἀρχαῖοι, ὅποτε ἐκχέοιτο ἀπόνιπτρον ἀπὸ τῶν θυρίδων, ἵνα μήτις βραχῇ, λέγειν τῶν περιόντων ἐξίτω. καὶ ἀπονίψασθαι τὸ δεῖπνον ἔλεγον. πρὸ τῦ δείπνε δὲ κατὰ χειρός. *Malluvium. Aristophanes: ut manuum, ac pedum ablutorum aquam, & sordes effundentes Vesperi. Antiqui autem, si forte manuum, aut pedum ablutorum aqua ex fenestris effunderetur, ne quis ea rigaretur, prætereuntibus dicere solebant, Exeat* (hinc scilicet, id est, caveat sibi) & ἀπονίψασθαι, id est, *Manus abluere, dicebant POST COENAM. Ante Coenam vero dicebant*, κατὰ χειρός, ist est, *in manum* (aquam funde.) Athenæus autem has locutiones permutat lib. 10. moremque lavandi manus post cœnam satagit multis stabilire. Vide jam, quæso, quam altam ducat originem vulgaris formula nostratium, *agua va*, præmonentium, quum aqua ex fenestris effunditur.

Aliisque insequentibus ad pedes.] Nota, quæso, quod lavatio isthæc in mensa, licet in balneo loti jam satis illis convivæ, ut supra visum. Quapropter omnino fallitur vir doctissimus, quum adserit, Si in balneis prius fuissent, neutiquam Antiquos lavare pedes in convivio solitos. quod Arbitri suffragio plane reluctantis conatur tueri, quum ex antica oppositum hic ostendat ipse Petronius. Sic etiam apud Planudem Xanthus è balneo rediens iterum ante cœnam jubet, ut pedes suos Æsopus lavet. Ipsum adi, nos loco parcimus longiusculo. Necessario autem, vel ob hancce consuetudinem, pedibus nudis adcumberent veteres: quandoquidem, ne stragula conspurcarent, haud fuisset prorsus necessarium, quod vulgo jam satis superque notum.

Ad pedes.] Plautus in Persa. § 2.

Locus hic tuus est, hic accumbe. Ferte aquam pedibus, præben' tu puere?

Pelluvium adpellatum vas lavandis pedibus inserviens, ut *Malluvium* manibus: itemque *Malluvia*, & *Pelluvia*, auctore Festo. *Polubrum* quoque eidem, teste Nonio. Modum indicat Livius: *Argenteo polubro, & aureo gutto.* Planius Fabius Pictor lib. 16. *Aquam manibus, pedibusque dato, Polubrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua.* Guttus, Gutturnium est. sic etiam Varro lib. 4. LL. *A Gutteis Guttum adpellarunt.* Festus: *Gutturnium vas, ex quo aqua in manus datur: ab eo quod propter oris angustiam guttatim fluat.* Etiam *Urceolus manalis* à manando dictus: ut & *Aqua manalis*, quam vocem nescio ubi memini legisse. Unde Hispanorum *Aquamanil* eidem usui. Sic & hodie visuntur in antiquis Marmoribus, quæ Triclinia repræsentant, pueri sinistra manu Malluvium tenentes, dexteraque Urceolum Manalem. Et apud Ursinum in Append. ad Triclin. Ciaccon. cujusdam id genus cernitur depicta imago.

An tota familia cantaret.] Aptissime dictum de familia Principis usque ad dementiam Cantoris, nam ut est in proverbio: ὁποία ἡ δέσποινα, τοιαὶ καὶ θεραπαινίδες. *Qualis hera, tales & ancillæ.* Ipse autem eo videlicet insaniæ tandem devenerat, ut Citharœdi habitu depingi amaret impendio numisque excudi; quorum hodie nonnullos exstare, nemo nescit. Ejus item mortem sibi conscisscentis novissimum fuit verbum, referente Constantino Manasse:

Οἷον, ὦ Ζεῦ, κιθαρῳδὸν ὁ ἐμὸς ζημιῶται.
Qualem, ô Jupiter, Citharœdum mortales amittunt!

Lege Capp. 20. 21. 22. Suetonii, ubi prorsus delirantem Imperatorem deprehendes, indeque locum istum luculenter inlustrari. Eadem etiam multis Dio, ac Plinius sæpius inculcant, Lucianus in Nerone, Joan. Saresberiensis lib. 1. Polycratici cap. 7. Julianus Imp. in Cæsarib. Eutropius lib. 7. Suidas.

Itaque potionem poposci: paratissimus puer non minus me acido cantico excepit.] Hinc observo equidem, nescio an usquam quantum est Criticorum observarit alius, Quod pueri antiquitus bibentibus, nec sane inpestive tunc, ut alias, canere essent soliti. Plane etiam Horatius lib. 2. Ep. 2.

Quin etiam Canet indoctum, sed dulce Bibenti.

Traho huc & Manilium lib. 5. Astron. vers. 327. ubi oriente lyra fidicines & Cantores nasci docet:

Ille dabit cantus inter convivia dulces,
MULCEBITQUE SONO BACCHUM, noctisque tenebris.

Verbis autem, *Noctisque tenebris*, convivia designat Antiquorum, quæ in multam noctem protrahebantur, ut supra diximus. Haud absonum est quod & Athenienses in Festo, quod *Choas* adpellabant, fuit antiquitus factum. Indicebatur per præconem certamen bibendi ad tubæ sonitum; sic Aristophanes in Acharnensibus, ubi præco clamitans inducitur.

Ἀκούετε, λεώ, κατὰ τὰ πάτρια τὰς Χόας
Πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος. ὃς δ' ἂν ἐκπίῃ
Πρώτιστος, &c.

Audi

Audi Populе, more patrio Choas
Bibere ad tubam: qui vero ebiberit
Primus, &c.

Apud Suidam quoque memini me obſervaſſe huc conducentia, quæ nunc non occurrunt.

Pantomimorum.] Qui *Pantomimi*, dicat nobis unicus Manilius lib. 5. verſ. 473.

Externis tamen aptus erit nunc voce Poëtis,
Nunc ſaturo geſtu, referetque affectibus ora,
Et ſua dicendo faciet, ſoluſque per omnes
Ibit perſonas, & turbam reddet in uno.

Plenius adhuc & planius Ariſtænetus Ep. 26. lib. 1. & Macrobius lib. 2. Sat. cap. 7. quos vide. Ceterum in Neronem agnoſce parum aberrans telum. Adeo enim ſcenicis artibus fuit addictus ille Princeps, ut *Paridem Pantomimum occiſum ab eo, quaſi gravem adverſarium*, tradat Suetonius cap. 54. Æque, ac Petronius, illum etiam perſtringit Plinius Panegyrico: *Idem ergo populus ille aliquando Scenici Imperatoris ſpectator, & applauſor, nunc in Pantomimis quoque averſatur & damnat effeminatas artes, & indecora ſæculo ſtudia.* Latius vero Philoſtratus de vita Apollon. lib. 5. Et Joan. Saresberienſis lib. 1. de Nugis Curialium cap. 7. & cæteri jam ſupra laudati Scriptores.

Cui locus novo more primus ſervabatur.] Vere, *novo more*, nam Medius Locus in conviviis honoratior erat Romanis, quod planum fecit Scriptorum teſtimoniis inprimis eruditiſſimus noſter Ciaconius lib. de Triclinio, Manutius ad lib. 9. Ep. Famil. Ciceronis, Epiſt. 26. & Lipſius lib. 3. Antiq. Lect. Quod autem ex Feſto proferunt Interpretes, non recte capiunt. neutiquam, *novo more*, Primus Locus Trimalcioni ſervaretur, ſi Rex ſemper ſupra omnes accumberet. De Pontificalibus cœnis tantum Grammaticus loquitur, aut de illis, quibus Pontifices adhibiti. Næ talibus cœnis ordo erat, Feſto ipſo Auctore: *Rex, deinde Dialis, poſt hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto loco Pontifex Maximus.* Confirmatur Pontificalium librorum auctoritate, referente A. Gellio: *Super flaminem Dialem in convivio, niſi Rex Sacrificulus, haud quiſquam alius accumbit.* & Servius ad illud lib. 2. divini Operis verſ. 2.

Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto.

Quod ſatis etiam non vidit Vir doctiſſimus.

In promulſidari.] Supra de *Promulſide* nos, quæ jam ad Petronium poſt tot doctos Viros ſufficere videbantur. Addere tamen in præſentia lubuit, *Promulſidare*, ſive *Promulſidarium*, mihi eſſe Promulſidis, ſive cœnæ primæ partis ferculum, repoſitoriumve; Martiali *Guſtatorium* dicitur Ep. 88. lib. 14. Arbitroque inferius cap. XXXIV. in Promulſide namque ſeu me autem *Promulſidare* vocari adſero vas continendæ Guſtationi deſtinatum, ut omnes voluere Eruditi. Plane hic indicat Arbiter, inquiens, *In Promulſidari eſſe aſellum Corinthium duabus lancibus tectum*, cui uſui Repoſitoria aut Fercula in convivium inferri ſolita fuiſſe, hoc eſt, ut lances, & ſtruices patinarias ſuſtinerent, infra dicimus. Plane etiam indicat Ulpianus leg. 19. §. 10. ff. de aur. & arg. leg. *Sed ſi cui vaſa ſint legata, non ſolum ea continentur, quæ aliquid in ſe recipiant, edendi bibendique cauſſa paratum, ſed & quæ aliquid SUSTINEANT. ET IDEO ſcutellas, vel PROMULSIDARIA contineri.* Hinc vero neutiquam conligere eſt, quod *Promulſis* neceſſario pro vaſe uſurpetur aut lance: Itemque pro Guſtu aut antecœna minime uſurpari poſſe *Promulſidem*, ut voluit nuper Vir doctus ad Pallium Tertulliani, adſeverans ſcilicet, nuſquam de guſtatione aut antecœnio *Promulſis* dixiſſe priſcum Scriptorem. nam præterquam quod ſuomet ipſe gladio jugulatur, verba illa proferens Arbitri cap. XXIV. *Hoc belle cras in Promulſide libidinis noſtræ militabit; hodie enim poſt aſellum*, &c. omnemque adimit ſententiæ leporem, ibi Aſellum cum Promulſide confundens, quod, ſi diis placet, nunc in Promulſidari artificioſi valde convivatoris Aſellum quoque vidit. plura præterea Teſtimonia obvia erunt cuique, ex quibus, ipſum falli, conſtabit manifeſto. Adeat interim Ciceronis Epp. 16. 20. lib. 9. ad Familiares, ubi aperte *Promulſidem* pro Guſtatione extulit Cicero.

Aſellus erat Corinthius cum biſaccio.] Vera, quæ hic Erhardus & Bourdelotius cogitant. Sed nemini ex Noſtris, certo ſcio, quod addam, in mentem venit; niſi ille, de cujus pravitate ſæpius in iſto opere conqueror, poſtquam cum illo feci communes lucubrationes meas, pro ſuo, uti alia plura, hocce venditarit. Ecce originatio indubitatæ fidei eſt, quam de Hiſpano nomine *Biſaças à Biſaccio* Romanorum duco haud cunctabundus. Vide Covarr. Theſaur. vocibus, *Biaças, Bicaças.* Sordebunt præ iſta indubie quælibet aliæ Etymologos noſtrates conſulenti. Quod vero addit, *tegebant Aſellum duæ lances*, eſt videlicet inter duas lances eſſe illum conſtitutum.

Fuerunt & tomacula ſupra craticulam ferventia argenteam poſita: infra craticulam Syriaca pruna cum granis Punici mali.] Primi nos hujuſce loci ſenſum odorati ſumus reconditiorem, in eo videlicet (quum ipſe ex illis ſit, qui ad Principis ingenium penitus exprimendum ſunt compacti) plus aliud, quam verba ſonant, neceſſario fuit requirendum. Sed jam ad rem. Primum ſciendum eſt, quid ſint *Tomacula.* Verius enim, quod nos cognoverimus, adferemus in medium. *Tomacula* ergo ex variis plerumque carnium generibus olim fuiſſe confecta, indubium eſt. Carnes enim valde minutatim concidebant, unde eis nomen, ἀπὸ τῆς τομῆς, id eſt, *inciſione.* Eas ſubinde condiebant cum ovis, aromatis, & oleribus, ex quibus omnibus in unum perfecte redactis globulos ad nucis magnitudinem efficiebant. Demum pilas, aut globulos illos omento involutos, aut in ſartagine larido frigebant; aut, quod frequentius factum, in craticula torrebant. Longum foret loca, unde iſthæc depromſimus, referre. Bene igitur, qui idem cum Tomaculis faciunt *Offellas*, quod indicare mihi videtur

tur & Martialis hexametro illo Ep. 221. lib. 14.

Parva tibi curva Craticula sudet Offella.

Quo & ille facit Ep. 48. lib. 10.

Et, quæ non egeant ferro structoris, Offella.

Et alius lib. 12. Ep. 48.

Me meus ad subitas invitet amicus Offellas.

Ubi, *Subitas Offellas*, non subito factas interpretor, nam id non facile: sed illico ut amicus adfuit conviva, super Craticulam ad torrendum impositas, quæ è fumo videlicet fuissent quamprimum detractæ. Ibi enim, uti notatum aliis, durabantur, siccabanturque. Idem prorsus hodie parissime nobis usurpatum, variis potissimum in suum farciminibus. Verum enim vero quum Tomacula, Offellæ, sive Insitia ex porcinis constarent ut plurimum partibus pinguissimis, necessario in mensam producenda erant satis calentia palato atque stomacho consulentibus. Id autem fieri neutiquam poterat, nisi Craticulis ipsis adferrentur, foculoque oportune iisdem subjecto. Aperte hocce innuit Petronius, quum *Tomacula* illa facit *Ferventia:* aperte quoque Martialis, quum *Fumantia* lib. 1. Ep. 42.

Quod Fumantia qui Tomacla raucus
Circumfert tepidis cocus popinis.

Ubi, id significare Valerium, & Raderus animadvertit. Ast numne, ais, ignis est subtus Craticulam Trimalcionis argenteam injectus? Omnino, inquam ego: simulatus tamen & effictus, non verus. Ipsum indubie ut repræsentarent, Syriaca pruna infra Craticulam posita fuere, & Grana Punici mali. Aliter ineptissime profecto ferventibus eduliis adjungerentur. Quam proprie vero prunarum vicem Pruna Damascena, & Punici mali grana possint subire, quisque animadvertet. Similes enim lusus insanientium fuere Principum delitiæ, Neronis autem ingenio adpositissimi. Non alio abeunt, quæ sequuntur cap. XXXIII. Ligneæ Gallinæ, in corbe ova ex farina figurata incumbentis, nugamenta, ut dicemus ibidem. Parissimæ fuere & parissimis Principibus insaniæ. Sic Alagabalo Neronis simiæ convivas suos ludificandi ipsissimus animus. Isthæc inter alia de ipso Ælius Lampridius scripta reliquit: *Pisum cum aureis, lentem cum cerauniis, fabam cum electris, & oryzam cum albis exhibens.* Cujus sane loci mentem peniissime Casaubonus percepit, quicquid nuperus ejusdem Historici Interpres incassum reluctetur. Næ ille miscebat aurum, gemmasque cum oleribus, aut natura aut arte iisdem adsimilantes, ut falleret sic etiam, perinde ut pluribus aliis convivas suos, quum cibos adgrederentur. Inde prorsus Trimalcionicus concœna fatetur ingenue, cap. XXXIII. se suam fictorum ovorum partem voluisse abjicere; *nam videbatur illi jam in pullum coisse.*

Cap. XXXII. *Ad symphoniam adlatus est.*] Adferebantur in triclinium ad tibias, sed nimio tantum luxu profluentes. Sic Antiochus, referente Polybio lib. 26. Histor. apud Athenæum lib. 10. cap. 11. ad Symphoniam adlatus est: ἰδὼν καὶ τῶν νεωτέρων φησὶ συνιέναι δοκοῦντάς τινας εὐωχουμένους ὅπου δήποτε, παρὼν μετὰ παιδιᾶς, καὶ συμφωνίας. *Et sicubi convivari juvenes intelligeret, cum lagenis, & Symphonia illuc accedebat.* Pariter & domum deducebantur à cœna præcedentibus quoque lucernis, facibusve. Cic. in Catone: *C. Duillium M. Filium, qui Pœnos primus classe devicerat, redeuntem à cœna senem sæpe videbam puer. delectabatur crebro funali, & Tibicine, quæ sibi nullo exemplo privatus sumserat: tantum licentiæ dabat gloria.* Idem de C. Duillio plures referunt. *Adlatus*, nempe Chiramaxio, aliove Sellæ gestamine, vel Cathedræ. Sed verius Lectica, ut supra cap. XXVIII. *Lectica impositus quum ergo adferretur.*

Ad Symphoniam.] Sic instrumentum quoddam musicum, *Symphonia* adpellatum, describit S. Isidorus lib. 3. Orig. cap. 22. *Symphonia vulgo adpellatur lignum cavum ex utraque parte, pelle extenta, quam virgulis hinc & inde Musici feriunt. Fitque in ea ex concordia Gravis & Acuti suavissimus cantus.* Ejusdem enim formæ sunt cum Antiquorum *Sistris*, nostrisque *Panderos.* Etiam S. Hieronymus Epistola ad Damasum adfirmat, quosdam olim Latinorum, *Symphoniam* genus fuisse Organi Musici, existimasse. An ergo de simili quodam musico instrumento capiendus hic, & sæpe alias Petronius, ubi de Symphonia mentio? Doctiores viderint, nos vero progredimur.

In cervicalia minutissima.] *Cervicalibus* locum fuisse in lectis tricliniaribus, jam Critici monuere. A Cervice autem denominari, Priscianus docet lib 4. & recte: nam delicatulorum Cervices subfulciebantur Cervicalibus. Eadem cum Pulvinis facit Volaterranus lib. 28. *Pluma* erant referta. plane Martialis lib. 14. Ep. 146.

Tinge caput nardi folio, Cervical olebit.
Perdidit unguentum quum coma, Pluma tenet.

Inde Plinius jam claret, quum in Trimalciones ejusmodi invehitur lib. 10. Histor. Nat. cap. 22. *Eoque deliciæ processere, ut sine hoc INSTRUMENTO Plumæ durare jam ne virorum quidem CERVICES possint.* Loquitur ibi de lana anserum mollissima. *Cervicalia* nunc, *acericos*, nos adpellamus non magna vocis differentia, si eraditur tantum littera, *a*, in principio addita.

Expressit imprudentibus risum.] Id est, novitiis convivis, qui id nondum spectaverant. Sic cap. LXXIX. *Imprudentiam locorum* tribuit eis nimirum, quibus, per ejusmodi anfractus egredi, non contigerat. Contra senem indigenam, suæque rerum civitatis bene conscium, *Prudentiorem* adpellat advena Encolpius cap. LXXXVIII. *Consulere Prudentiorem cœpi ætates tabularum*, &c. De veteri autem conviva inquit cap. XXXVI. *At ille, qui sæpius ejusmodi ludos spectaverat.* & cap. sequenti, *Deinde ut audivi veterem convivam.*

Pallio enim coccino.] Supra hunc locum, leviter tamen, tetigimus, ubi de Palliis egimus. plene vero Lipsius cap. 20. Amphith. quem vide.

Circaque oneratas veste cervices laticlaviam immiserat mappam.]

mappam.] Et locus iſte nominatim de Nerone accipiendus. Palam faciunt Hiſtorici. Tranquillus ſic prodidit in vita ejus cap. 51. ubi *Mappam* iſtam *Sudarium* vocat: *Ac plerumque ſyntheſinam indutus, LIGATO CIRCUM COLLUM SUDARIO prodierit in publicum, ſine cinctu, & diſcalceatus.* Habitus omnino eſt in triclinio diſcumbentis. ac proinde ego exiſtimo Mappis aut Sudariis illis Linteola omnino reſpondere, quæ, *babadores*, vocamus, quibuſque in menſa utuntur divites nonnulli, ac delicati homines. Dio σιδόνιον vertit, integrumque locum verbis illis concepit: Τοὺς βελτιστὰς χιτώνιόν τι ἐνδεδυκὼς ἄνθινον καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων ἠσπάσατο, καὶ γὰρ ἐν τούτοις ἤδη παρνόμει ὥστε καὶ ἀζώστους χιτῶνας ἐν τῷ δημοσίῳ ἐνδύεσθαι. Notum eſt & Mappis illis adſutos quoque *Clavos* fuiſſe.

Veſte.] Veſtis hæc mihi Palliolum eſt, quo habebat delicatulus ille caput incluſum; fieri enim aliter non poterat, quin humeros illud neceſſario contingeret. Aliis vero doctis viris *Focal* eſt, quod itidem, ajunt, eſſet habitum in deliciis olim, non ad raucedinem ſolum, aut anginam adhibitum. Sed præclare nugantur, nec adferunt exemplum, quo opinionem ſuam conroboratam videri velint.

In minimo digito ſiniſtræ manus.] Longa apud Macrobium lib. VII. cap. XIII. diſceptatio, cur præcipue ſiniſtra annulorum geſtamini deſtinata ſit. Attejus autem Capito rationem reddit, quam unicam adferre, digna enim ſcitu eſt, nobis adlubuit. Agit de immodica Antiquorum in gemmis luxuria, ſcalpturiſque ipſarum, ac ſubdit: *Hinc factum eſt, ut uſus annulorum exemtus dexteræ, quæ multum negotiorum gerit, in Lævam relegaretur, quæ otioſior eſt, ne crebro motu, & officio manus dextræ precioſi lapides frangerentur.* Plures aliæ ſunt rationes, quas brevitati conſulentes reticemus. Pluribus exſequitur Plinius lib. 33. cap. 2. Apion Ægyptius apud A. Gellium lib. 10. cap. 11. & apud Macrobium alii. Inde Tertullianus ait extremo lib. de Habitu Mulieb. *Et Siniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit.* Notaque eſt Sabinorum hiſtoria, à quibus Tarpei filia quod in ſiniſtris manibus haberent poſtulavit, annulos intelligens: *illi vero ſcuta pro aureis donis ſuere congeſta*, tradente Livio lib. 1. ab V. C. cap. 11. natantque teſtimonia Auctorum voluminibus. Verum enim vero Minimus digitus olim, ut Medius, annuli honore privatus, quod plane Petronio, aliiſque non paucis repugnare videtur, ipſus Capito: *Medium & Minimum vitaverunt, ut meptos, alterum magnitudine, brevitate alterum.* Sed poſtea turbatum hocce, ſicut omnia, aperte Seneca lib. 7. Nat. Quæſt. Et Martialis Epig. 63. lib. 5.

Per cujus digitos currit levis annulus omnes.

Annulum grandem.] Magnorum annulorum geſtationis originem ab ipſiſmet jam olim Sabinis trahere Romani potuere. ſic Livius loco laudato: *Quod gemmatos Magna ſpecie Annulos habuerint Sabini*, &c. Hinc & Martialis tibi lucis nonnihil mutuatur, qui *Annulum gravem* vocavit; nam quia Grandes annuli, erant & Graves. Ideo *Dactyliotheca* excogitata ipſis reponendis. ita lib. 14. Ep. 121. cujus Lemma *Dactyliotheca*:

Sæpe Gravis digitis elabitur Annulus unctis:
Tuta mea fiet ſed tua gemma fide.

Ea propter & inventum poſtea delicatum diſcrimen, Annuli nempe æſtivales, qui leviores; hiemales item, qui Graviores forent. Id Juvenalis Sat. 7.

Semeſtri vatum digitos circumligat auro.

Et planius Sat. 1. in Criſpinum, quod jam Criticis puto eſſe notatum.

Extremo vero articulo digiti ſequentis.] *Annularis* nempe, ſive, ut vocat Macrobius, *Medicinalis.* apud quem & rationem videre eſt, quam ei præſtitit Attejus Capito. Præterea notandum, in ſingulis Articulis à Priſcis geſtatos annulos, ideo, *extremo*, expreſſe Petronius addidit. Aperte Seneca: *In omni Articulo gemma diſponitur.* Immo & in uno Articulo plures. Martialis lib. 5. Ep. 11.

Sardonychas, ſmaragdos, adamantas, jaſpidas Uno
Portat in Articulo Stella, Severe, meus.

Niſi de Annulo uno ridicularia Hyperbole hocce dictum ſit. Sed omnium maxime mirum eſt, quod ex dictis conligere licet, nimirum quod ipſiſmet in Articulis Annulos Antiqui geſtarunt, nam id ſummo manuum impedimento foret procul dubio. Fateor me diu hic hæſiſſe; nihilque crepera admodum in re adfirmare ſum auſus, quouſque in Clementis Alexandrini locum incidi, qui ut fugitivus mos denuo in lucem proferretur, vel ſolus quidem ſufficeret. Inquit ergo lib. 3. Pædagogi cap. 11. Ἀλλὰ καὶ τὸν δακτύλιον οὐκ ἐπ' ἄρθρῳ φορητέον τοῖς ἀνδράσι. γυναικεῖον γὰρ τοῦτο εἰς ὃ τὸν μικρὸν δάκτυλον. καὶ τοῦτο εἰς τὸ ἔσχατον καθήκει. ἴσαι γὰρ ὅτως ἐνεργὴς ἡ χεὶρ, ἐν οἷς αὐτῆς δεόμεθα καὶ ῥᾷστα ὁ σημαίτης ἀποπεσεῖται, τῇ μείζονι τὸ ἄρθρε συνδέσει φυλαττόμενος. *Sed neque à viris eſt Annulus in Articulo ferendus: hoc enim eſt muliebre; ſed in parvo digito, atque adeo in extrema ejus parte eſt conlocandus: ita enim erit manus ad operandum expedita in iis, in quibus ea egemus: neque facile excidit ſigillum, quod majore Articuli ligamento cuſtoditur.*

Ferreis velut ſtellis ferruminatum.] Annulum aureum, ait, ferreis ſtellis ferruminatum, uti Juriconſultus, *Scyphum argento ferruminare.* Innuit enim Petronius, auro ferreas ſtellulas fuiſſe incluſas, alte impreſſas, & inligatas, de quo late Salmaſius ad Claudium Trebellii Pollionis cap. XVII. Haud abſimile hoc opus ab illo, quod *Vermiculatum* dicitur. *Atauxia*, Arabico nomine nos adpellamus, nam eo Mauri ſunt artifices inſignes. De hocce indubie & accipiendus Tranquil. in Aug. cap. 7. *Thurinum cognominatum, ſatis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imaguncula ejus æream veterem, ferreis ac pœne jam exoleſcentibus litteris hoc nomine inſcriptam.* ubi Caſaub.

Dextrum nudavit lucertum armilla aurea cultum.] Clarius hic Neronem ſignificare non potuit. Sic de ipſo Suetonius cap. 6. *Exuvias ſerpentis AUREÆ*

ARMILLÆ inclusas DEXTRO BRACHIO gestavit. Inde & notatus Caligula Neronis Archetypus, referente ipso Tranquillo cap. 52.

Dextrum lacertum armilla aurea.] Proprie dixit *Lacertum*, ubi armilla, nam *Armea* dicta ab armo suprema brachii parte in humeros, collumque vergente. Festus: *Armillas ex Auro, quas viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quod Antiqui humeros cum brachiis Armos vocabant. Unde Arma ab his dependentia sunt vocata.* Ab *Armea* deinde deminutivum *Armilla* factum est. Ea quoque suprema brachii pars vocata *Lacertus*. Addit, *dextrum*, novo more: nam Antiquiores brachiis lævis Armillas gestavere. Livius lib. 1. ab V. C. cap. 11. ubi de ambiguo pacto Tarpejæ virginis verba sunt: *Additur fabulæ, quod vulgo Sabini Aureas Armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatosque magna specie anulos habuerint, pepigisse eam, quod in Sinistris, &c.* Quod idem Dionysius Halicarnass. enarrat. Proprius ergo ornatus fuit militum, ut supra etiam dixit Festus, Isidorus item lib. 19. cap. 31. *Armillæ autem proprie Virorum sunt, collatæ victoriæ causa militibus ob armorum virtutem. Unde & quondam vulgo Viriolæ dicebantur.* Glossæ, φίλιον. *Viriola, Armilla.* Erat *Viriola*, deminutivum etiam à *Viria*, vocabant & *Calbeos*, sive *Galbeos*. etiam Festus: *Calbeos Armillas dicebant, quibus Triumphantes utebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur.* Quia in Brachiis ergo gestatæ Armillæ, adpellatæ & *Brachiales*; ipsæ Glossæ, βραχιάλιον. *Viriola.* & quia in Brachiis postea dextris, *Dextralia*, & *Dextrocheria*, ut S. Isidorus, ac plures indicant. Et *Spinther* item genus Armillæ, ut Festus in *Spinther*, & Priscian. lib. 5. Erit igitur ὑμνικὴ Neronis inrisio illa Armillæ ostentatio, utpote parum viri, quod satis notum: cujus haud secus mollitiem insectabitur, si vel Armillas pro, uti etiam fuere, feminarum sumas ornamentis. Ipsarum autem imagines jam Antiquarii dedere Chifletius in Vesontione urbe. & Pignorius de Servis. quibus non injucunde oculi pascuntur intuentium. pluresque statuæ hodie spectantur Antiquorum Armillis hisce conspicuæ.

Et eboreo circulo lamina splendente connexum.] Eboreo Circulo forte Exuviæ illæ serpentis inclusæ; Circulus autem ipse Armillæ indubie annexus. Erant enim Armillæ tessellis distinctæ, gemmisque. quo pertinet illud Juvenalis Sat. 9.

——— *Cui succina mittat*
Grandia.

Ubi Scholiastes vetus (Probum Birthium nonnulli nominant) *Gemmata Dextrocheria.*

Dentes persodit.] *Persodit*, ut Martial. lib. 6. Ep. 74.

Foditque tonsis ora laxa lentiscis.

Appulejus, *Exscalpit.* At aliud est *Dentiscalpium*, nimirum quo dentes lævantur, scalpunturque: aliud *Dentrificium*, videlicet pulviculi candidici, quibus dentes fricantur, Græcis ὀδοντότριμμα. Confudit tamen Appulejus in Apologia, quem vide.

Cap. XXXIII. *Cum tabula terebintina, & crystallinis tesseris.*] Aleatorius lusus Talorum, Tesserarum, & Calculorum, res valde confusa est hodie, & implicata. Ea propter non pauci ex humanioris litteraturæ candidatis hanc exornandam Spartam suscepere-runt: sed tale horum ludorum fatum est, ut, contrario sibi quum plures opponantur docti Viri, tamen de manifesto errore jure postulare neminem possis: tantis sunt Scriptorum, qui laudantur, exempla involuta tenebris. Nos olim densam admodum caliginem illam discutere conabimur, & fortasse non ludemus operam. Interea, quod indubium est, & huc præsertim facit in præsentia, proferimus: nimirum similes ludos inter conviviorum oblectamenta antiquitus numerari, ac fere semper in ipsa inferri solitos. Auctores enim scatent testimoniis. Addimus & Neronem hic plane perstringi, de quo sic scriptum Suetonius reliquit in ejus vit. cap. xxx. *Quadringenis in punctum HS. Aleam lusit.* quod de Tesseris accipiendum, jam dudum est, quod probe censuit Calcagninus. Ceterum tolerabiliorem facit lusoriam Tabulam Neronis Terebintinam Gemmea illa M. Pompei, cujus videlicet apud Plinium in Histor. Natur. cum admiratione mentio cap. 2. lib. 37. *Transtulit alveum cum Tesseris lusorium è gemmis duabus. Latum pedes tres, Longum pedes quatuor. & ne quis ea de re dubitet, nulla gemmarum magnitudine hodie prope ad hanc amplitudinem accedente.* Latinis *Alveus*, sive *Alveolus* Tabula lusoria dicta est, etiam *Abacus*: Græcis τάβλα, πλινθίον. Tesseræ, *Lepusculi*, *Jacula*, *quadrantalia*, *Numeri*; *item* κύβοι, ὀστᾶ ἐστιγμένα.

Pro calculis enim albis, aut nigris.] Quid eadem in Tabula Calculi cum Tesseris? Ludus enim, quem finire cupiebat, Calculorum fuit, uti satis liquet ex sequentibus. Quid ergo Tesseræ adhibitæ eidem Ludo? Latet adhuc Ludi genus tenebris Antiquitatis involutum, unde etiam & non pauca Auctorum loca quadam quasi nocte offunduntur. Cedet forsitan diei aliquando Caligo; lusumque locaque equidem, si Deus det, luce clara illuciscam in Diatriba de Antiquorum Calculis. Nunc autem, Calculi, inquam, geminis coloribus erant distincti. Lucanus in Panegyrico ad Pisonem:

Callidiore modo tabula variatur aperta
Calculus, & Vitreo peraguntur milite bella,
Ut Niveus Nigros, nunc & Niger adliget Albos.

Et Martialis lib. 14. Ep. 17.

Hic mihi bisseno numeratur Tessera puncto,
Calculus hic gemino Discolor hoste perit.

Sidonius item Apollinaris Ep. 12. lib. 8. *Hic tabula Calculis strata Bicoloribus.*

Interim dum ille omnium agmen testorum inter lusum consumit.] Locus iste ex illis est, de quibus bene præcipue nos opere in isto meritos esse, existimare possumus. Illum supplemus, & interpretamur. an vere, judicium tantum penes Doctos esto. Τὸ *Agmen*, ubi asteriscus erat, inseruimus, adeo concinno sensu, ut illud,

illud, aut simile quid, necesse habuerit scripsisse Petronius. quod ex peculiari Ludi illius ratione (cujus nunc ea tantum, quæ huc conducere videbuntur, adtingam) Phœbo fiet meridiano clarius. Ludus ergo ille belli omnino præ se ferebat imaginem, ut eleganter Martialis dixit lib. 14. Ep. 20, quod est de Calculis:

Insidiosorum si ludis Bella Latronum,
Gemmeus iste tibi Miles, & Hostis erit.

Et Lucanus:

——— *Vitreo pugnantur milite Bella.*

Et crebriter omnes. Deinde, ars Lusus erat, haud aliter ac in bello fit, Calculum hostem inter duos milites, hinc & hinc domunculis Tabulæ conlocatos, ita comprehendere, ut neutiquam hosti illi subterfugiendi alius relinqueretur locus. itaque de medio, revera autem de Tabula, velut devictis contingit, tolleretur. Omnia hæc mira brevitate Julii Pollucis insignis locus manifesta reddit lib. 9. cap. 7. Διαιρεμένων δὲ εἰς δύο τῶν ψήφων κατὰ τὰς χρόας, ἡ τέχνη τῆς παιδιᾶς ἐστι, περιλῆψαι τῶν δύο ψήφων ὁμοχρόων τὸν ἑτερόχρουν ἀναιρεῖν. *Calculis autem bipartito secundum colorem divisis, Ludi hujus ars est: duorum concolorum comprehensione, alterum discolorem tollere.* Inde pariter jam multi Scriptorum loci lucem accipient. Nobis autem hic unum, aut alterum designare tantum, adlubuit, quum plenius alibi id simus præstituri. sic Ovidius lib. 3. κακοτεχνίας:

Cautaque non stulte latronum Prælia ludat:
Unus cum gemino Calculus Hoste perit.

Et lib. 2. Trist. Eleg. 1.

Discolor ut recto grassetur limite Miles,
Quum medius Gemino Calculus Hoste perit.

Martialis item lib. XIV. Epigr. XVII.

Calculus hic gemino discolor Hoste perit.

Aliique. Inquit ergo Arbiter: *Dum consumit Agmen testorum*, hoc est, dum unusquisque Calculus a gemino hoste circumventus perit, ac tollitur. Hinc jam obscurissima in re viros doctos cæcutire, nihil erit mirum: modo ignara juventus, fidem illis habere, caveat omnino. Sic erit & à nupero Petronii interprete hic præcipue cavendum, qui locum istum restituere pariter conatus est. Non vidit vir eruditus, quod Tesserarum numerus illo in lusu nunquam consumitur, & Terebintinas Tesseras in Petronio non esse.

Testorum.] Calculorum intelligit. eadem ratio calculorum nominis, ac Testorum, ut initio lapillis ludebant, ita & Testis. Petronio autem magis, quam *Testa*, videtur *Testum* adrisisse, ut rursus infra cap. CXXXVI. *Animadverto Enotheam cum Testo ignis pleno.* Ita & *Scrupi* vocati sunt Calculi illi. Cicero lib. 1. de Oratore: *Pila bene, & XII. Scrupis ludere.* Quintilianus lib. 11. *An vero Scævola in lusu XII. Scruporum, quum prior Calculum promovisset*, &c. Nuncupati etiam priscis Auctoribus *Latrones & Latrunculi*, & *Canes*: suos vero quisque lusor *Milites*, alterius appellabat *Hostes*: Λίθοι, ψῆφοι, πίσσοι Græcis dicti. Postea autem à materia varia, *Gemmei*, Martiali: *Vitrei*, Ovidio, Lucano, & Martiali: *Aurei*, & *Argentei*, Petronio

Repositorium adlatum est cum corbe, in qua gallina erat lignea &c.] Repositorium istud etiam in Gustatione, indicat clare Petronius, quum inquit: *Gustantibus adhuc nobis.* ac postea cap. sequenti. *Et Gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur.* Adhuc ergo in antecœna illi convivæ. Hinc autem animadvertere quoque licet Sybaritici Patrisfamiliæ exquisitum ingenium, apud quem voluptatis architectum omnia noviter machinabatur gula ingeniosissima. nam quum moris esset, cœnam ab ovis tunc temporis frequenter auspicari, ut in eo etiam convivis suis imponeret, & insaniæ suæ specimen præberet egregium, ova illa excogitavit Trojana, mira quidem novitate constructa, ipsaque cum rei veritate pugnantia. Ei tempestive sane corbis, gallina, & palea simul adhibita; & addita insuper simulatio illa Convivatoris: *Amici, ait, pavonis ova gallinæ jussi supponi, & me Hercules timeo, ne jam concepta sint, tentemus tamen, si adhuc sorbilia sunt.* quæ omnia denique effectissime erant confecta, adeoque ut deceptus Encolpius Conviva fateri non erubesceret, se pæne projecisse partem suam, nam videbatur illi jam in pullum coisse. Ova autem in cœnæ procemio apponi solita fuisse, nihil, puto, magis protritum. inde est Horatianum illud, quod formam proverbii habet lib. 1. Sat. 3.

——— *Si conlibuisset, ab Ovo*
Usque ad mala citaret.

Ubi Acron: *Ovum enim initium coenæ erat, quippe quod in Gustu statim à balneis offerebantur.* Sic Porphyrio, Athenæus, Varro, Cicero, & plures alii.

Repositorium adlatum est.] Variæ *Repositorii* fuerunt Scriptoribus priscis acceptiones, quod non animadvertisse, occasioni fuit Viris doctis insigniter inter se dissidendi. Nobis vero, quæstiunculis omissis, quid Petronio *Repositorium* sit, satis erit ostendere. Tabula nimirum illa, qua struices ciborum variæ exstruebantur, sive ipsæ struices imponebantur Patinariæ, hoc est, lances cum opsonio, Petronio vocatur *Repositorium.* Huic usui illud destinatum, apud Athenæum quoque videre est lib. 4. cap. 2. Καὶ μετὰ τὸν ποτὸν ὑελᾶς πίναξ ὀπτηχὺς πυ τὴν διάμετρον, ἐν θήκῃ κατακείμενος ἀργυρᾷ, πλήρης ἰχθύων ὀπτῶν πάντα γένη συνηθροισμένων ἄπαστος προσεδέδη. *Post compotationem, vitrea lanx diametro bicubitalis in Repositorio conlocata argenteo, assis piscibus omne genus congestis plena, adposita est.* Illa ergo ad mensam adferebatur à duobus vel pluribus servis, super ipsamque Reponebatur: unde potuit etiam nomen invenire. Sic etiam auferebatur subinde, ut alteri sequenti locum relinqueret. Hoc plane Petronius indicat, quum cap. sequenti inquit: *Quum subito signum symphoniæ datur, & gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur.* Et deinde cap. XXXV. *Laudationem FERCULUM insecutum est*, &c. Ferculum, & Repositorium idem. Sic, quum Ferculum

ipsum incipit describere, ait: eodem cap. *REPOSITORIUM enim rotundum*, &c. & cap. XXXVI. *Ad symphoniam illi tripudiantes procurrerunt, superioremque partem REPOSITORII ABSTULERUNT* (scilicet Rotundi illius XII. Signorum) *quo facto videmus infra, scilicet in altero FERCULO, altilia, & summa*, &c. Id genus Repositoriorum exstat apud Plinium, Athenæum lib. 9. sub pr. & Plutarchum mentio, in Pelopidæ vita, unde etiam Philander infert ad cap. 5. lib. 6. Vitruvii, mutari Repositoria ista consueviſse. Plinium autem de ipsis quoque capio lib. 33. cap. 11. ubi inquit: *Repositoriis argentum addi sua memoria cœptum, Fenestella dicit, qui obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu. Sed & testudineatum in usum veniſse. Ante se autem paullo Lignea ROTUNDA solida: nec multo majora, quam mensas fuisse. Se quidem puero QUADRATA, & compacta, aut acere operta, aut citro cœpisse. Mox additum argentum in angulis, lineasque per commissuras.* Erant igitur variis figuris fabrefacta, struicibus tamen potissimum convenientia. diſertim Petronius ipse cap. XXXVI. *Repositorium enim Rotundum duodecim habebat Signa in orbe dispositа.* Est infra etiam *Quadratum* aliud, aut *Quadrangulum*, de quo & nobis erit loquendi occasio. *Compostile* Ennodius vocavit Epig. 22. quod Arbiter *Repositorium*, à compositis scilicet in eo lancibus obsoniorum. Septem paropsides gavatæ conlocatæ erant in illo Ennodii, ubi erudite Sirmondus.

Convertit ad hanc scenam vultum Trimalcio.] Istam veram esse hujus loci scripturam, censemus. Optime enim de quovis figmento *Scena* dicitur, ducta origine ab eo, quod in Scena Res Gestæ, sed Fictæ ut plurimum, agerentur. Sic Senecæ sæpius est, passim Appulejo, etiam Tertulliano, & aliis pluribus, quod observarunt jam viri docti, & nos infra cap. CXVII. haud intempestive tangimus.

Cochlearia non minus sex libras pendentia.] Veterem hic exhibuimus lectionem, cujus sententiæ fides non ut religiosæ sub testibus orationis, sed potius uti exaggerationis jocularis sumenda est. Id ergo non vidisse, novitiæ scripturæ hujus, *Selibras pendentia*, ansam Conrectoribus præbuit. *Cochleare* notum est convivialis supellectilis instrumentum, ad liquida capienda potissimum deserviens. Lexicon vetus: *Cochleare*, δοίδυξ. recte, nam ejusdem formæ instrumenta coquinariis etiam usibus adhibita. Vide Aristophanem in Equitibus. In marmoribus antiquis reperiuntur ipsorum imagines expressæ.

Partem meam.] *Pars* de cibi portione. sic Plautus Menæchmis. 3. 2. 14.

Satur nunc loquitur de me, & de Parti mea.

Sed plura jam Interpretes.

Pinguissimam ficedulam.] Valde olim in deliciis habitæ sunt Ficedulæ. sic Phavorinus Orator: *Is nunc Flos cœnæ habeatur inter istos, quibus sumptus, & fastidium pro facetiis procedit. Qui negant ullam avem, præter Ficedulam, totam comesse oportere.* Ficis fiebat pinguis Ficedula, & inde ei nomen. falsæ Martialis lib. 13. Ep. 49. ubi loquitur Ficedula:

Quum me ficus alat, quum pascar dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Pari ratione συκαλὶς dicta Græcis. Aſt Becmanus in Originibus Ling. Lat. per auctumnum solum, ait, ei esse Ficedulæ nomen, quia tunc ficus edat; sed cetero anni tempore *Melancoryphus*, quod apicem capitis nigrum gestet, unde versus:

Sumque Melancoryphus, quod mihi fuscus apex.

Res est prorsus ridicularia. Erant pingues oppido commendatæ, ideo ἀγλααὶ Epicharmo συκαλίδες dictæ apud Athenæum lib. 2. Nitet enim, quod pingue est.

Ficedulam inveni.] Non improprie Trojana vocarentur illa ova, nam ut adposite Sarisberiensis: *Et in hunc modum farciendo quam plurima, facimus esse Trojana.* Neutiquam absimilia, quæ apud Martialem *Ova* dicuntur *Secta* lib. 10. Ep 48.

Secta coronabunt rutatos Ova lacertos.

Et lib. 5. Ep. 79. *Divisa:*

Divisis cybium latebit Ovis.

Quæ pariter ei Epigrammatario in Gustatione quoque sunt. Inclusus in illis Ovis piscis vocatus Cybium, ut in Trimalcionicis Ficedula. Platina vero illa conficere condireque edocet lib. 9. de tuend. valetud. De his ergo procul dubio erit, me interprete, Juvenalis capiendus Sat. 5.

Sed tibi DIMIDIO constrictus Cammarus Ovo
Ponitur.

Vide etiam quæ de Porcis Trojanis infra adnotamus.

Cap. XXXIV. *Si quis nostrum iterum vellet, mulsum sumeret.*] Primam sitim in cœna, immo in Promulside, Mulso sedabant Antiqui. Plane autem hic docet Petronius. si iterum in Gustatione sitirent, Mulsum & iterum procul dubio potabant. nunc Trimalcionis convivæ adhuc erant in Gustatione. & quia jam removere Gustatoria, proximum erat, clara voce præmonuit Trimalcio, Si quis iterum vellet, Mulsum sumeret. Aperiunt clarius sequentia: *Quum SUBITO SIGNUM SYMPHONIA DATUR, & Gustatoria pariter à choro cantante rapiuntur.* Hæc vera est mens hujusce loci, eritque ex sententia illorum, qui aliter usque adhuc senserunt. Mulsa aqua & Turcæ hodie utuntur adsidue. Marcilius autem de Mulso plene ad Horatii lib. 2. Sat. 4. ac plures alii.

Colaphisque objurgare.] Vel hinc discere posses, Antiquis, *Objurgare*, non tantum verbis fuisse, sed verberibus etiam, quod jam docti viri adnotarunt. Plato apud Senecam lib. 3. De Ira, cap. 12. *Tu, inquit, Speusippe, servulum istum verberibus objurga, nam ego irascor.* Columella sic, *Objurgare flagello.*

Insecutusque est supellecticarius.] Valde mihi hic suspectus *Supellecticarius* cum *Scoparo* confusus viliſſimo mancipio: nisi hocce etiam deliciis Trimalcionis perinde tribuitur, ut in cœlo munus ipsum Mercurio dedit facetissime Lucianus in Deorum Dialogis. inquit ergo Deus ille, ubi de laboribus suis cum Matre Maja con-

conqueritur : Ἑωθεν μὲν γὰρ ἐξανασάντα, σαίρειν τὸ συμπόσιον δεῖ. *Nam mane protinus surgendum est mihi, statimque verrendum cœnaculum, ubi Dii compotant.* Nec magis subsidii est in altera lectione, quam plures vulgati antiquiores præferunt, *Lecticarii*. ideo nobis, eam amandare in desertas insulas, visum; & illam videlicet amplecti, quam ceteris viri docti præposuere. *Illi* autem *Supellecticarii* sunt, qui in veteribus Inscriptionibus dicuntur A SUPELLECTILI.

Argentumque inter reliqua purgamenta scopis cœpit verrere.] Simile illud Senecæ Patris in Controvers. 25. *Inter PURGAMENTA, & jactus cœnantium, & sparsam in convivio scobem, humanus sanguis EVERRITUR.* Et paullo post : *Inter temulentas ebriorum Reliquias humanum EVERRITUR caput.* Plato item Comicus apud Athenæum lib. 15. Jambicis istis:

Ἐγὼ δ' ὑδρίαν παραχέων ἐπέρχομαι
Κἀγὼ δ' παρακορήσων.

Aquam lavandis manibus ut affundam, venio:
Ego vero EVERRAM.

Puto equidem per singulos missus officio suo functum esse Supellecticarium, immo, quoties mutarentur Repositoria. Verum enimvero inter novas Trimalcionis elegantias etiam videtur illud recensendum, hoc est, scopis verri preciosa pavimenta apud ipsum, quum potius illa leviter alias spongiis extergerentur antiquitus, conlectis tamen prius, quæ de mensa cecidissent, purgamentis, ut docet Ulpianus, quod de Asarotis vulgare est.

Equum Mars amat.] Proverbium sapit, ductum fortassis ab illa origine, à qua ortum etiam, ut Marti Equus immolaretur apud Romanos Idib. Decemb. nimirum quod crederent, ἵππῳ τὴν Τροίαν ἁλῶναι, *Equo captam fuisse Trojam*, ut ait Plutarch. in Rom. Sed quidnam *Equus* habet cum illo commune, *Mensam cuique suam adsignari*? Suspicabar ego, quod haud aliter atque uno in equo tantum unico sessori sella paratur, quod & Martialis dixit lib. 5. Ep. 40.

Uno credis Equo posse sedere duos?

Sic & in illis mensis factum, quum unicuique scilicet convivæ mensa sua adsignaretur. quod igitur evitando æstui foret indubie potissimum remedium; in Heroumque conviviis fieri solitum, ex Homeri Odysseæ lib. 1. notat Athenæus.

Addiditque, *Obvii & per discessum servi minorem nobis æstum sublata frequentia facient.*] Sic lacunam supplevi, & sic locum desperatissimum haud incommode restituere conatus sum. quo loci tantum nostræ emendationis est vox *Obvii*, quæ propius accedere visa ad monstrum illud dictionis *Obit*, quod in *Obiter* vulgati nonnulli ineptissime mutarunt. Cetera ex variantibus MSS. Codicum lectionibus concinniora seligentes integram periodum conflavimus, cujus sensus perspicuus. Æstum removere Trimalcioni satagenti duo venerunt in mentem. primum, convivarum cuique suam mensam adsignare: alterum, elevare frequentiam concursantium servorum, jussis videlicet ab triclinio nonnullis discedere. Hæc ad unguem omnino cohærent, ac dum alius meliora nobis exhibet, possunt tolerari.

FALERNUM OPIMIANUM ANNORUM CENTUM.] Cujusque generis vinum anno videlicet DC XXXIII. V. C. genitum (cujus tunc fœcundissimus proventus) L. Opimio Consule, *Opimianum* fuit ab eo denominatum. Clare hoc Plinii indicant verba lib. 14. cap. 14. *Apothecas fuisse, & diffundi solita vina anno* DC XXXIII. *Urbis, apparet indubitato Opimiani vini argumento, jam intelligente suum bonum Italia. Nondum tamen ista genera in claritate erant. Itaque omnia tunc genita unum habent Consulis nomen.* Id *Tunc*, ipsum annum DC XXXIII. denotat, quo ipsus Opimius Consul. Idem Plinius sibimet quidem interpres cap. 4. ejusdem libri: *Anno fuit omnium generum bonitas L. Opimio Consule* &c. ita & lib. 11. Vellejus Paterculus cap. VII. *Hic est Opimius, à quo Consule celeberrimum Opimiani vini nomen: quod jam nullum esse spatio annorum colligi potest, quum ab eo sint ad te, M. Vinci, Consulem* CLI. Quo & procul dubio Martialis adlusit lib. 7. Ep. 78. Quum ait, se *Vinum Consulare* potasse; Anniculum vero scoptice subintelligens. Sed major me-Hercules Falerni Trimalcionici ætas, si hominum ætates computamus. Anno videlicet DC XXXIII. Consul Opimius: ad mortem vero Petronius actus anno DCCCXIIX. medii ergo sunt inter utrumque CLXXXV. anni. Satyrici autem hujusce codicilli, ut primum dictum est, supremæ tabulæ fuere Arbitri testamenti. Parum igitur Petronii fides ex Vellejo constaret, nisi pro illa plane testimonio expresso staret Plinius Secundus oculatus testis, nimirum quum de opimo Opimiani Consulatu addit cap. 14. *Durantque adhuc Vina ducentis fere annis.* Exsertim, *adhuc*, hoc est, sua ætate. Præterea autem *Saeculare* aliud vinum apud Martialem lib. 8. Ep. 45.

Amphora Centeno Consule facta minor.

Ubi, *Facta minor*, illud est, quod Hispani dicunt, *decentada*. Velut lib. 11. Ep. 27. ad suum Ganymedem:

Pocula da labris Facta Minora tuis.

Ait, ANNORUM CENTUM, subintelligiturque, ET QUOD EXCURRIT. id namque interdum non additum usque ad integrum sæculum.

Verum est, vinum Opimianum prasto.] Isthæc antiqua est, & vulgata lectio, nostraque adpositissima interpunctione vera juxta atque clara. Facessant ergo hinc viri doctissimi cum suis emendationibus, quibus neutiquam jam hic concedendus locus. Illud autem, *verum est*, ἐμφατικῶς proferendum, quod rem miram valde adserere videatur Trimalcio, hoc est, vivere vinum adhuc tam multæ ætatis videlicet.

Larvam argenteam.] Explicet hic unus Seneca pauciissimis verbis totum de Larva locum, quem miror tot interpretes prætermisisse. Ecce sic Ep. 24. loquitur: *Nemo tam puer est, ut Cerberum timeat, & tenebras, & Larvarum habitum nudis ossibus cohærentium.*

tium. Est igitur, ut inde patet, σκελετός. Petronius etiam evincit postea illo versu:

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

Verum enim vero quum apud varias gentes constet, mortis in conviviis memoriam fuisse haud infrequentem, non omnium videlicet finem eundem fuisse, certum est. quod adhuc non vidi observatum Doctioribus. Perfunctorie nos rem adtingimus in præsentia, fortean alias plenius acturi. De Essedonibus memoriæ prodidit noster Mela lib. 2. cap. 1. *Funera parentum laios, & victimis, ac festo cœtu familiarium celebrare.* Ac postea addit: *Capita ubi fabre expolivere, cincta pro Poculis gerunt.* Ipsis quidem τελευτὴ γλυκερὴ prorsus videbatur, ut Orpheus inquit, hoc est, *Mors dulcis.* & vere, *quum finis multiplicis miseriæ in Morte sit*, teste Cicerone. Unde apud plures Nationes morem servari scimus, ut lacrymis excipiantur nascentes, defunctis vero gaudio magnaque exsultatione parentetur. Essedonibus ergo, exhilarandi animi gratia, fati memoria in convivium tempestive injecta; locus namque ille hilaritudinis. De Scythis vero sic ipsus Mela; *Pocula, ut Essedones parentum, ita inimicissimorum capitibus expolire.* Idem Solinus cap. 25. Herodotus lib. 4. Strabo lib. 7. In Mensam igitur sic Barbari isti mentionem inferebant hostium internecionis, ut vel exin delectationem caperent. Ita de Alboino Longobardorum Rege conligere est apud Warnefridum lib. 1. cap. 27. qui videlicet, postquam de Gepidis victor evasit, *In eo prælio*, addit, *Alboin Cunimundum occidit, caputque illius sublatum ad bibendum ex eo Poculum fecit: quod genus poculi apud eos Scala dicitur: lingua vero Latina Patera vocitatur.* Ast quid de Ægyptiis dicendum, ad quos & ipsius consuetudinis origo videtur referri? Scriptores haud sane consentiunt. Herodoto omnino est Epicurea invitatiuncula, quo largius nimirum ideo perpotarent, & oblectarentur convivæ. Ἐς τοῦτον ὁρέων, ait singulis conviva quidam, aut convivator, πῖνέ τε καὶ τέρπου. ἔσται γὰς ἀποδαινῶν τοιοῦτος. Sed Plutarcho longe mens alia in septem Sapientum convivio: Ὁ δὲ Αἰγύπτιος σκελετὸς, ὃν ἐπεισκῶς εἰσφέροντες εἰς τὰ συμπόσια προτίθενται, καὶ παρακαλοῦσι μεμνῆσθαι τάχα δὴ τοιοῦτος ἐσόμενος, καὶ πίε χαίρε, καὶ ὡρος ἐπικαμὼν ἡμῶν, ὁμως ἔχει τινὰ καιρὸν, εἰ μὴ πρὸς τὸ πίνειν, καὶ ἡδυπαθεῖν, ἀλλὰ πρὸς φιλίαν, καὶ ἀγάπησιν ἀλλήλων προτρέπεται, καὶ παρακαλεῖ τὸν βίον, μὴ τῷ χρόνῳ βραχὺν ὄντα, πράγμασι κακοῖς μακρὸν ποιεῖν. *Ægyptii inferre in convivia solent Sceletum, hortarique convivas, ut meminerint sese non ita multo post tales fore. is quanquam ingratus, & intempestivus comessator, tamen suum habet locum, non ad potum & voluptates, sed mutuum amorem, dilectionemque cohortans: monensque vitam breve tempus sortitam, non debere malis rebus longam reddi.* Petronius autem hic aperte adsentitur Herodoto, uti Poëtarum fere chorus inlustrior.

Postquam nos auferet Orcus.] Nota genus loquendi Poëtis elegantioribus familiare. Propertius l. 2. El. 20.

Ambos una fides Auferet, una dies.

Et Eleg. 11.

——— *Tecum uno munera lecto*
Auferet extremi funeris atra dies.

Et Virgilius 6. Æneid.

——— *Et ab ubere raptos*
Abstulit atra dies.

Orcus. Horatius itidem lib. 2. Sat. 5.

——— *Si quis casus puerum egerit Orco.*

Ergo vivamus.] Hic *vivere* ἁπλῶς, genialiter vivere est. Ita & cap. XCIX. *Ego sic semper, & ubique, Vixi, ut ultimam quamque lucem tanquam non rediturum consumerem.* Sed hic satis Interpretes. Proprie nobis est illud *Vivere, darse buena vida*, Scaligero F. *holgar*, nam & Hispane nescire non passus est. Galli itidem, ut nos, inquiunt, *se donner bon temps.*

Dum licet esse bene.] Id est, Dum Vivimus. Manuduxit nos ad hancce interpretationem haud incerta via Mæcenas quodam apud Senecam Carmine:

Vita dum superest, BENE EST.

Et eadem Inscriptionis illius sententia:

AMICI, DUM VIVIMUS, vivamus.

Sic parissime ergo Petronius: *Ergo vivamus, DUM VIVIMUS.* sed, *Esse bene*, ductum ex formula illa bene precantum, *BENE SIT*, qua nihil crebrius in priscis Scriptoribus, & in Lapidibus. Persius Sat. 4.

Ingemit, hoc Bene sit.

Marmor vetus:

BENE. SIT. FILIIS. FILIABUS. MEIS.
QUI. ME. BENE. COLUERUNT.

Usurpata itidem & veteri Interpreti Psalm. 127.

——— *Et Bene tibi erit.*

Structor.] Alius à *Carptore* Petronio est, Martiali vero idem lib. 10. Ep. 48.

Et quæ non egeant ferro Structoris ofellæ.

Carptor enim Arbitro Scissor est, sive Cibicida, ut paullo infra dicimus. Qui vero *Structores* Petronio sint, Wouwerius exponit. Nomen est à verbo *Struere* ductum, quod est conviviale. Sic, *Struere convivia, & epulas*, Tacito, & Plauto, *Mensas exstruere.*

Super Arietem Cicer arietinum.] Et nomine, & formæ similitudine aptum legumen hocce Arietis Signo. De ipso sic Plinius lib. 18. cap. 2. *Est enim Arietino capiti simile Cicer, unde ita adpellatur, album, nigrumque.* Etiam Columella cap. 10. lib. 2. ejusdem meminit. Nos autem hic tantum illa Signa tetigimus, quæ neglecta olim Interpretibus fuere, cetera namque ab ipsis prorsus petenda sunt.

Super Geminos, testiculos, ac renes.] Aptissime, nam *Gemini* certe habent *Renes* animalia, ac *Geminos Testiculos.* Nec obstat si quis forte objiciat sciolus, *Buteonibus ternos*, Plinio testante lib. 11. cap. 49. *Testes* esse, unde *Triorches* dicti: & in Brileto, ac Tharne *quaternos Renes cervis.* ibid. cap. 37.

Super Cancrum Coronam.] An Turdorum isthæc Corona? uti illa Martialis lib. 3. Ep. 47.

Illic Coronam pinguibus gravem turdis.

Et

Et lib. 13. Ep. 51. de qua forte capiendus Naſo lib. 2. de Arte:

Quin etiam turdaque licet, miſſaque Corona,
Te memorem domina teſtificere tua.

Sed potius ad floream coronam, ego autumo, ibi reſpexiſſe Ovidium. An *Lucanicorum* farciminum erat Trimalcionica? de illa ſic ipſus Martialis lib. 13. Epig. 35.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ,
Pultibus hinc niveis grata CORONA datur.

Aſt cujus cujus fuerit, quid *Corona* cum *Cancro*, ut bene de Structore Encolpius ſenſerit? Equidem puto, rationem Aſtronomicam hic locum habere. Nam quum Cancer exoritur, Corona in occaſum vergit, ſic tamen conſtituta, ut media Coronæ pars ſupra Horizontem emineat, altera media non apparente. Iſte ſenſus eſt illorum Ciceronis verſuum ex Arato Latinæ conſuetudini redditorum:

Jam ſimul ut ſupero ſe toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapſa Corona.
Et loca conviſit cauda tenus infera Piſcis,
Dimidiam retinens ſtellis diſtincta Coronæ
Partem etiam ſupera, atque alia de parte repulſa eſt.

Ipſum Feſtus Avienus dixit in Arateis Phœnomenis. Et Leontius Mechanicus in Conſtructione Sphæræ: Οἷον, ὅτι κατὰ μὲν ἀνατολὴν δύει τὸ ἥμισυ τῆς στέφανε. *Veluti quod Oriente Cancro occidat Dimidium Coronæ.* Bene igitur in Ferculo præit Corona Cancro, quum pariter & præire videatur in cœlo. Quod etiam Carolo Paſchalio doctiſſimo viro exiſtimo in mentem veniſſe.

Super Virginem, ſericulam.] Adcurata ex Antiquis editio Lugdunenſis Joan. Tornæſii hic ad marginem habet: *Nempe, Serotinam, quæ Auguſto matureſcit.* Serotina intelligens poma, quorum apud priſcos Agricultores mentio, notumque eſt, Auguſti menſe Solem ingredi Virginis ſignum. Eadem editio Scorpionis defectum ſic reficit: *Super Scorpium, ejuſdem nominis piſcem.*

Super Aquarium, anſerem.] Longe abit viri docti ad hunc locum interpretatio, quam videre eſt apud Symbolas. Cur autem Aquario Anſer optime conveniat, ratio in proclivi eſt. In lacubus enim, amnibuſque anſeres continuo verſantur, ut notum eſt ſatis, ac docet Ariſtoteles lib. de Hiſt. Anim. 8. cap. 3. Qua propter *Aquoſus Anſer* recte in Priapeis dixit vetus Poëta.

In medio autem ceſpes cum herbis exciſus favum ſuſtinebat.] Recte in centro Signiferi circuli ceſpes cum herbis conſtitutus, ibi enim ſedes propria Terræ eſt. Eidem autem impoſitus *Favus*, urbes ſatis opportune repræſentat, quod elegantiſſime dictum Virgilio loquenti de Apibus 4. Georg.

Sola communes natos, conſortia Tecta
URBIS habent.

Et paullo poſt:

Nec vero à ſtabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cœlo, adventantibus Euris:
Sed circum tuta SUB MOENIBUS URBIS aquantur.

Quibus loco obſcuriſſimo facem accendimus, in tenebris uſque adhuc relicto ab Interpretibus.

De Laſerpiciario mimo canticum extorquet.] Loci conruptiſſimi conrectionem à doctis Viris præſtitam libentius nos eo in præſentia amplexi ſumus, quod concinna valde interpretatione fulcire ipſam poſſemus. nam omnino de tibia capiendus eſt locus, è Laſerpitii caule perforato confecta. Ubi etiam acu Neronem Petronius tetigit. Inluſtrem rei locum Plinii dabo lib. 19. Hiſtor. Natur. cap. 3. *Ab his proximum dicetur autoritate clariſſimum Laſerpitium, quod Græci, Silphion, vocant; in Cyrenaica provincia repertum: cujus ſuccum vocant Laſer, magnificum in uſu, medicamentiſque, & ad pondus argentei denarii penſum. Multis jam annis in ea terra non invenitur: quoniam publicani, qui paſcua conducunt, majus ita lucrum ſentientes, depopulantur pecorum pabulo. Unus omnino caulis noſtra repertus memoria, Neroni Principi miſſus eſt.* Aptiſſimus enim erat caulis ad tibias. apud Botanicos autem ejus pictura hactenus non viſitur: aſt ego ex numis Cyrenæorum haſce delineavi.



Tales ergo numos Silphii nota ſignatos Cyrenenſibus fuiſſe, Auctor eſt Ariſtoteles, teſtante Ariſtophanis Scholiaſte in Pluto, & Equitibus. Verum enim vero proferre quid obſtat, quum jam emendationi ſit conceſſus hic locus, longe mihi illam placere, quæ αὐτοσχεδίως ſub ipſo ſtili acumine fuit, videlicet *de laſerpitio mimico canticum extorquet.* Veteres Codices habent: *de laſerpitio mineo*, &, *de laſerpitio & minio.* qua enim, præterquam quod veteris aſteriſci lacunula magis reſarciri videtur, ſenſus quoque, quem ex verbis elicere neceſſarium eſt, exprimitur planius. Idem tamen bene ſignificari lectione illa, quam in textum admiſi, jam olim ſenſerunt Scaliger F. & Erycius Puteanus.

Suadeo, inquit Trimalcio, cœnemus; hoc eſt jus cœnæ.] Videtur hic innuere Petronius voluiſſe, vi quadam

olim ad edendum urgeri solitos, potandumque, qui apud Principem decumberent cœnaturi; illudque cœnæ quasi Jus præsentissimum servari. Idemmet & iis hodie usu venire ferme solet, quibus molestum videlicet, ac pertinacissimum contigit habere convivatorem. Contendet usque adeo, pugnabitque amoris, & benivolentiæ obtentu, donec, velis nolis, cibi jam tibi saturo, etiamque palato tuo ingratissimi sumendi necessario sint. Jus vero illud hic apud Petronium Neronianum (si hodie uspiam gentium) inviolatum adhuc apud Phagesyposios conservatur Cimmerios. Protinus hancce gentem cognoscet, quem Erycii Puteani non fugerit Comus elegantissimus. Cum illis ergo, cui datum est semel discumbere, nequicquam ipse sui manet deinceps juris, sed Intemperantiæ, sive, quod idem est, Convivii Domini: haud secus ac qui navem conscendit, in naucleri potestate, pelagique.

Cap. XXXVI. *Superiorem partem repositorii.*] Ferculum hocce duobus constabat Repositoriis, sive Repositorium malis vocare, duobus Ferculis; superiori nempe, & inferiori. In ipsis ergo, ut in ceteris, omnia erant ad vivum efficta. Ideo superius, Zodiacum quippe orbem repræsentabat, apta enim rotunditate erat circinatum. Inferius autem, quoniam stagnum quoddam, Euripumve tetragona, proculdubio erat quadratum figuratione. planum id ex verbis: *Notavimus etiam circa angulos Repositorii Marsyas IV.* Vix unquam est, ut fiant aliter stagna. Illas autem Repositoriis formas fuisse, jam ex Plinio supra didicimus. Opportune etiam stagni in medio Pegasus, cujus ungula fontem aperuit Hippocrenen. sic apud nos mediis Euripis montes visuntur, Castella, Insulæ, ac monstra varia.

Marsyas IV.] Signa olim fontibus imposita, ex quorum rostris, aliave corporis parte aqua salire solita, varias potissimum Satyrorum species repræsentarunt. Inde ortum, ut *Sylvanorum* plurima mentio, ubi est fontium, qui postea injuria temporum in *Silanos* degenerarunt; quod pridem & Docti viri animadverterunt, germanamque vocem restituere conati sunt. Marsyas quoque ex Semicaprorum turba fuit, unde & huc opportune adducti IV. illi. Plura hic docte Wouwerius, cujus & scriptura *Veretriculis*, mihi adridet valde. Eo autem, uti ego autumo, præ aliis Satyrorum simulacris fontes Antiqui exornarunt, quod hortis & viridariis, ubi fontes creberrimi, illa scilicet, amuleti loco, insuper forent adversus fascinum. In eum usum Satyrica Signa posita olim, ego ex Plinio didici lib. 19. Histor. Natur. cap. 4. *Contra invidentium effascinationes fuisse in Hortis Satyrica Signa.* Quæ enim quam aptius & simulacris fontium ridiculariis accipiantur præ Phallis, & Ithyphallis, uti alii volunt, tute vides.

Garum piperatum.] Quid *Garum*, hodie nemini ignotum; paucis tamen illud conficiendi modum Plinius tyrunculis tradat lib. 31, cap. 7. *Aliud etiamnum Liquoris exquisiti genus, quod Garum vocavere, intestinis piscium, caterisque, quæ abjicienda essent, sale maceratis, ut sit illa putrescentium sanies.* Frequenter & *Pipere* condiri Garum consuevit. Apicius in Polytele. *Fungi fagimei elixi calidi exsiccati in Garo, Pipere accipiuntur, ita ut Piper cum Liquamine teras.* Id vocabant *Piperatum*; ipsum vero Garum κατ' ἐξοχὴν *Liquorem*, & *Liquamen*. Veteres Glossæ: Γάρον, *Liquamen*. Magni illud Antiqui æstimarunt, valdeque in deliciis habuerunt.

Super pisces, qui in Euripo natabant.] Et hic nos elegantiam subodoramur haud cuilibet obviam, nam quum omnia ad vivum essent in convivio illo ingeniose effigiata, ut revera pisces viderentur *Natare*, alio colore in Euripum erant inferendi, etsi jam cocti, quam quo essent videlicet vivi, nam coquorum fuit & tale artificium olim. Didicit & inter alia deliramentum hocce à Nerone Princeps Alagabalus recensente Lampridio, qui locus certissimo nobis ansam præbuit hujusce Commenti: *Pisces semper in marina aqua cum Colore suo Coctos conditura Veneta comedit.*

In Euripo.] Euripi, hoc est, stagna olim erant in hortis, pariter ac hodie, alendis piscibus, ut hic Petronius denotat. Item ad natandum. Seneca Epist. 83. *Ille tantus Psychrolutes, qui Calendis Januariis in Euripum saltabam.* Hispani vocamus, *Stanque*, verissima, auctore me, originatione: videlicet, quia in eo *stant aqua*. Ideo Plinio Nepoti Ep. 3. lib. 1. *Euripus viridis, & gemmeus*, qui omnino color aquæ stagnantis est, non fluentis. Ceterum mirum est, quod Lampridio narratur, scilicet Alagabalum *in Euripis vino plenis navales Circenses exhibuisse.*

Cujusmodi methodio.] *Methodium* hocce Tornæsiana editio ad oram *Transitum* interpretatur; & Ferculi videtur subintelligere. Dousa P. impugnat, &, *Methodium*, pro, *Methodo*, hoc est fictione, seu ludificatione dictum, contendit. Wouwerius, *Metodio*, legit, à μετῳδίᾳ, id est, interjecto cantico. Bourdelotius ad Scalig. F. Ausonii. Lectiones Lectorem remittit, ubi quid hic *Methodium* sit, ait, reperiri. Equidem tamen nondum cepi, quonam modo huc faciant, pertineantve Sealigeri illa. Isthæc videlicet sunt, quæ huc usque excogitarunt Interpretes, per me autem licebit omnino, ut

——— *trahat sua quemque voluptas.*

Scissor.] Carptor, Cibicida, Divisor, Diribitor, Cerodeta. Etiam Petronio *Carpus* joculariter dictus, ut simul vocet, & imperet Trimalcio. Quod antiquis erat hac notione *Scindere*, *Dividere*, & *Carpere*; nos *Trinchar* dicimus, Scissoremque, *Maestre sala*, *Trinchante*, sicut Galli *Tranchant*. Adde insuper, & acceptione ista verbo *Secare* usos fuisse sæpiuscule veteres. Juvenalis Sat. 5.

——— *Nec minimo sane discrimine refert,*
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

Et Sat. 11.

——— *Haud*

Haud ideo pejor gallina Secatur.

—— *Haud ideo pejor gallina Secatur.*

Ad Symphoniam gesticulatus laceravit obsonium.] Recte, quum olim ciborum Divisores arte, & Magistris fuerint edocti, ut ad numerum, velut Pantomimi, aptis gesticulationibus gladium inter concidendum moverent. prius in ulmea nimirum cœna ligneaque versati, exercitatique. Qualis vero *Symphonia* illa, alibi inquirimus.

Ut putares Darium hydraule cantante pugnare.] Indicat Darii exercitum ad Organica instrumenta pugnasse. haud secus ac Sybaritarum, de quibus sic Plinius lib. 8. cap. 42. *Equorum docilitas tanta est, ut universus Sybaritani exercitus equitatus, ad Symphoniæ cantum, saltatione quadam moveri solitus, inveniatur*: Sic ergo & cultelli omnes motus, & cibicidæ Trimalcionis gestus apte omnino ad Symphoniæ respondebant modulationem.

Supra me accumbebat.] Id est, superiori loco. Cicer. lib. 2. Famil. Ep. ult. *Accubueram hora nona, quum ad te harum exemplum in codicillis exaravi. dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum: & quidem Supra me Atticus, Infra Verrius, familiares tui.* Sed quum jam enim omnibus innotuerit Antiquorum discumbendi modus, quid *Supra*, quid *Infra* accumbere sit non erit obscurum. Hac in parte & marmora auxilio sunt, etiam Antiquarii, qui rem jam pridem mirifice inlustrarunt. Vide Ciaconium de Triclinio, & ibi Ursinum, Lipsium lib. 3. Antiquar. Lection. & Stuckium Antiq. Conviv. lib. 2. cap. 34. 35.

Carpus vocatur.] Nam *Carpus* olim & verum nomen fuit, ejus memoriam bis, aut ter in Lapidibus inveni. Sic in magno Inscriptionum opere pag. 609. 6. ex urna marmorea.

D. M.
CARPO. FILIO
DVLCISSIMO
VIX. ANN. II.
DIEBVS. XXVIIII.
CARPVS
CAESARIS. LIB.

Iterum ibidem num. 5. Sic & pag. 622. 3. ex ara sepulcrali:

CARPVS. AVG. LIB.
PALLANTIANVS
&c.

Iterum pag. 846. & alias. Etiam apud Martialem nostrum lib. 6. Ep. 39.

Carpe, eodem verbo vocat, & imperat.] Vocat, quia Carpus vocatur; imperat, quia Carpere est, Scindere obsonia. *Carpere* enim verbum est conviviale, id etiam haud incommode significans, Martialis lib. 3. Ep. 13.

Dum non vis leporem, dum non vis Carpere mullum.

At vero illud Nasonis ex lib. 3. de Arte ad huncce Martialis locum ab docto ejus Interprete adductum:

Carpe cibum digitis, est quidam gestus edendi.

parum me Hercules erit opportunum. Verbis quippe istis Nasonianis longe quidem diversa inest elegantia; scilicet ne tota manu rustice & immunde cibos in os ingerat puella, immo potius primoribus tantum digitulis, ut ait Plautus, quod ex sequentibus planius:

Ora nec immunda tota perunge manu.

Hocce speciatim virginibus dedit Eustathius lib. 5. de Ismen. & Ismenia, præcipue in adripiendo calice. Ego autem miror, virum eruditum animadvertere id omnino non voluisse.

Cap. XXXVII. *Sed conversus ad eum, ut plurima exciperem.*] Qui ad mensam adcumbebant, in latera versus illum, quo cum volebant loqui, sese convertebant. adposite satis ad Petronium indicat Juvenalis Sat. 4. de Conviva adulatore loquens:

—— *Nam plurima dixit*
In Lævum Conversus.

Sic enim factum. nam dum sumebant cibos, aliter atque aliter discumbebant; nunc in ventrem proni, postea modice resupini, dorso nimirum pulvinis suffulto. ad summam, corporis habitum, situmque varie quisque mutabat, modo jam superiori, inferiorique concenæ molestus non foret. Præterea eleganti illa locutione, *ut plurima exciperem*, sæpe usus est Cicero, aliique emendati sermonis Architecti.

Arcessere fabulas cœpi.] Sic cap. 139. *Quumque diu mecum esset locuta, & me Accersito Sermone lassasset.*

Uxor, inquit, Trimalcionis.] Mulierculam hancce, quam hic satyrico stylo describit Petronius, in Neronis historia oportet investigemus. Alibi enim quærere prorsus esset, ut ajunt, Lanam ab asino. Isthæc vero de illa prodit hic videlicet Petronius. Trimalcionis (Principis inquam) uxorem esse: Numos modio metiri: Et adeo ex humili Origine ad magnam fortunam ascendisse, ut jure Fortunata posset adpellari: Itaque omni ex parte beata quum esset, merito videri in cœlo jam esse conlocatam. Nec mirum hocce, quum ad libitum suum Imperatorem modificare, ipsi liceret. Equidem sane, ni Musæ me omnino fallunt, ipsam reperi: adseroque Acten illam fuisse libertam, ex Asia oriundam, de qua sic loquitur Dio lib. 61. pag. 692. Ἡ δὲ Ἀκτὴ ἐπέπραχτο μὲν ἐκ τῆς Ἀσίας. ἀγαπηθεῖσα δ' ὑπὸ τοῦ Νέρωνος, ἐς τε τὸ τοῦ Ἀτ[τ]άλου γένος ἐσηχθη, καὶ πολὺ, καὶ ὑπὲρ τὴν Ὀκταουίαν τὴν γυναῖκα αὐτοῦ ἠγαπήθη. *Fuerat autem Acte empta ex Asia, cujus amore Nero ita captus erat, ut eam retulerit in familiam Attali, & Octavia uxore multo chariorem habuerit.* Etiam Tacitus lib. 13. Annal. *Caterum infracta paullatim potentia matris, delapso Nerone in amorem Libertæ, cui vocabulum Acte fuit.* Et quid mirum si effrenatior hic fuerit Tyrannus? quum *ne severioribus quidem*, addit post pauca ipsius Cornelius, *amicis adversantibus, muliercula, nulla cujusquam injuria, cupidines Principis explente, quando ab uxore Octavia nobili quidem, & probitatis spectatæ, fato quodam, an quia prævalent illicita, abhorrebat. metuebaturque ne in stupra feminarum inlustrium prorumperet, si illa libidine prohiberetur. Sed Agrippina libertam æmulam, NU-*

RUM ancillam, aliaque eumdem in modum muliebriter fremere. Ubi disertim Tacito *Uxor* ejus vocata. Tranquillo tamen revera non fuit. sic ait cap. 28. *Actен libertam, paullum abfuit, quin justo matrimonio sibi conjungeret: submissis consularibus Viris, qui regio genere ortam pejerarent.* Sed verum est enim, etsi nimium contemtæ, ob nuptiarum spem regium ei splendorem adserere voluisse.

Numos modio metitur.] Habuit & magnam pecuniæ vim Acte proculdubio, utpote acceptissima Principi effuso nimis amasia. Vestigia hujusce apud Tacitum remanent, adhuc de ipsa ita loquentem: *Ex cujus familiaribus Annæus Serenus, simulatione amoris adversus eandem libertam primas adolescentis cupidines velaverat, præbueratque nomen, ut, quæ Princeps Furtim mulierculæ TRIBUEBAT, ille palam largiretur.* Proverbialis tamen ea Hyperbole est. sic habet Suidas: Μεδίμνῳ ἀπομετρῶ παρὰ τὸ πατρὸς ἀργύριον. *Medimno paternam metior pecuniam.* & intelligit, ἐπὶ τῶν μεγάλων, καὶ ἀθρόων προσδοκώντων ὠφέλειαν, *de iis, qui magnum & confertum lucrum exspectant.* Falluntur autem omnino, qui putant, μέδιμνον esse Romanorum *Modium:* nam, Suida ipso ibidem Auctore, *Modius* est pars sexta *Medimni.* Sic etiam docent Fannius de Amphora loquens, Cornelius Nepos in vita Pomp. Attici, Budæus de Asse lib. 5. Georg. Agricola lib 2. qui est de mensuris Græcorum, & plures alii ex Recentioribus. *Medimnus* enim Antiquis erat, quod nobis hodie est *Fanega*, & sic *Modius* Romanus continebat duos nostros *celemines.* Præterea *Modius* lignea olim erat mensura, non fictilis. Disco ex Catone, quum cap. 11. petit inter alia instrumenta *Modium præferreatum*, nos *barreado* dicimus. Ipse quidem, nisi ligneus esset, vix est, ut præferreari potuisset, aut præferreatione indigeret. Similis ergo erat his, quas hodie nos aridorum mensuras habemus, ut passim plures visuntur.

Trimalcionis tapanta est.] Satis superque Interpretes hanc lectionem firmarunt. Insuper nos satis multa addere possemus, sed jam inutile. Conferimus tamen, ut Symbolam, unicam Isidis Inscriptionem eruditam, quæ Capuæ exstat ad S. Benedicti, in corpore Gruteriano 2. LXXXII.

TE. TIBI
VNA. QVAE. ES. OMNIA
DEA. ISIS
ARRIVS. BALBINVS
V. C.

Bene quidem, juxta Ægyptiorum mysteria, quibus Isis Terra fuit, Nilus Osiris. Vide sis plura exempla apud Heraldum ad Epig. 69. lib. 1. Martialis. Præterea tamen nefas duximus præterire mellitam, & jaculatoriam orationem crebriter Sanctis, Francisco, ut plures testantur, usurpatam: DEUS MEUS, ET OMNIA. Illi enim B. Ambrosius videtur non latuisse, qui Epist. 56. ait: *Sanctis OMNIA DEUS est.* Cetera Multiplici formula sententiæ illud fuit Antiquis enuntiatum. Sic Quinctilianus usurpavit; *Principes in Cæsaris amicitia agunt, fueruntque CUNCTA.* Aliter Apollinaris Sidonius Carm. 7.

——— *Tum respublica nostra*
TOTA Camillus erat.

Et aliter Phædrus Fab. 58.

Æsopus domino SOLUS quum esset familia.

Qui locus ibi Rigaltio sic desumtus acute.

Mero meridie si dixerit illi, tenebras esse, credat.] Videtur hocce & Senecæ haud latuisse, quum scripsit Tacitus, contra illius monstri cum matre, proh pudor! nefarium concubitum, rem scilicet tanti momenti, omniumque gravissimam, *Subsidium à femina hacce petivisse, ut ad illum deferret, pervulgatum esse incestum gloriante matre, nec toleraturos milites profani Principis imperium.* Nullum igitur tunc ivit alium Seneca quæsitum, ut nonnihil metus Principi videlicet incuteret; nam bene satis noverat, summi apud ipsum mulierculam illam ponderis, ac potentiæ fuisse.

Cœnam Trimalcionis.] Et locum hic dedimus isti de *Porco Trojano*, quod apud Sarisberiensem lib 8. cap. 7. De Nug. Cur. exstat, Petronii monumento, ex hacce haud dubio celebri Trimalcionis cœna desumto. Qualis autem, & cur ita fuerit adpellatus, sic docet Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 9. *Cincius in suasione legis Fanniæ objicit seculo suo, quod Porcum Trojanum mensis inferant. quem illi ideo sic vocabant, quasi aliis inclusis animalibus gravidum, ut ille Trajanus equus gravidus armatis fuit.* Hinc & sua hausit Sarisberiensis, cujus plura exscripsit Erhardus. Insigne porro exemplum est id genus porcorum apud Athenæum l. 9. c. 5. ille nempe, qui altera ex parte tostus, altera elixus, simulque habebat oppletam alvum multifariam lautitiis. de ipso ergo isthæc verba sunt coqui artificis: Καὶ γὰρ κίχλας ἐν ἑαυτῷ ἔχει, καὶ ἄλλα ὀρνίθια, ὑπογαστρίων τε μέρη χοίρων, καὶ μήτρας τόμους, καὶ τῶν ᾠῶν τὰ χρυσᾶ, ἔτι δὲ ὀρνίθων γαστέρες ἀυταῖσι μήτραις, καὶ καλῶν ζωμῶν πλέως, καὶ τὰ ἐκ τῶν σαρκῶν εἰς λεπτὰ κατακοπιζόμενα, καὶ μετὰ πιπερίδων συμπλατόμενα. *Et turdis enim farctus est, & aliis aviculis, & portionibus quibusdam abdominis porcarum, & vulvæ particulis concisis, & ovorum vitellis, & gallinis, quarum venter plenus est; tum vulvæ frustis, tum lautis buxeis, & lucanicis confectis ex carnibus minutim tritis, ac cum pipere subactis.*

Cap. LI. *Faber fuit &c.*] Injurios sane in Petronii Manes se præbent ejus Editores, qui narrationem hancce, simplici dictionis ambitu comprehensam, silentio prætermittere ausi sunt. præcipue quum Viri Docti fragmentum esse Satyrici genuinum, ex Vetustatis nimirum parietinis eruderatum, jam pridem adserere non dubitarint. Interspersi forsitan sunt, ut hoc item præmoneam, aliqui Britannici nævi pulcritudini Romanorum emendatissimæ. Sed tamen ideo neutiquam solatium hocce invidendum est, quibus levis lacunulæ supplementum auro contra gemmisque videlicet carum erit. Propterea equidem libenter admisi, illudque etiam pauculis notis inlustravi. Trimalcionis

cionis ergo isthæc verba sunt, ex ejusdem Sarisberiensis testimonio, lib. 4. cap. 5. apud quem ita initium narrationis habet; *Apud Petronium Trimalcio refert, fabrum fuisse, qui Vitrea*, &c. Unde conligere jam facile cuique omnino est, quod non solum gulæ epulum ille convivarum pararit, sed auribus etiam, quod est longe suavissimum.

Cæsarem adiens admissus est.] Sic etiam S. Isidorus lib. 16. Orig. cap. 15. eundemmet narrans eventum: *Dum Admissus fuisset ad Cæsarem, &c.* Esse hoc ex veteri more dictum, sciendum est. nam cuivis libere aditus non patebat ad Imperatorem, *nisi per Admissionum Magistrum*, ut Ammianus loquitur lib. 15. cap. 5. *accitus esset.* Inde hujusce *Admissionis*, & *Admittendi Officii* plurima mentio in Scriptoribus antiquis. Item, *Præfecti Admissionum*, & *Magistri* & *Proximi*: qui etiam *Admissionales* vocati. Sed de his latius jam Bulengerus lib. 2. de Imperat. cap. 22. quem adi.

Se cœlum Jovis tenere, arbitratus.] Addenda est ista proverbialis locutio similibus ab Adagiographis jam congestis, *In Cœlum abire, In cœlo esse, &c.* de homine supra modum felici usurpatis. sic supra ipse Petronius de uxore Trimalcionis, & infra de Encolpio sive Polyæno cap. CXXXII. *ut me In Cœlo positum ad inferos traheres.* idem contigit misero illi Artifici, sed quidem immerito. Sic principes Latini sermonis ævo illo loquebantur, inquit Seneca lib. 1. De Benef. cap. 13. De Alexandro: *Tamquam Cœlum, quod mente vanissima complectebatur, Teneret.*

Cap. LV. *Et poëtarum cœpit esse mentio.*] *Facta in conviviis Poëmatum Mentione, dicit aliquis locuples*, &c. ait Persii vetus Interpres. creberrima quippe inter pocula olim Poëtarum memoria, qua in re nec feminæ sibi temperarunt. Juvenalis scoptice carpit Sat. 6. vers. 35.

Illa tamen gravior, quæ, quum Discumbere cœpit,
Laudat Virgilium, perituræ ignoscit Elissæ,
Committit vates, & comparat inde Maronem,
Atque alia parte in trutina suspendit Homerum.

Rogo, inquit, Magister.] *Magister* erat, qui & *Præceptor*, & *Doctor*, etiamque *Professor*. Exempla plura jam Alb. Gentilis congessit Lect. Virgil. cap. 4. ubi & plures *Magistri*, sed qui huc non faciunt. Equidem autem Agamemnona hic adloqui Trimalcionem, non inepte existimo. nam & ipse in convivio aderat, uti ex illo cap. XXVIII. *& cum Agamemnone ad januam pervenimus*, &c. conligitur. Quam apte ipsi illius appellationis honor conveniret, Declamatio ipsius, eruditaque Dissertatio initio fragmentorum habita aperte indicat.

Alterum disertiorem.] Ciceronem proculdubio, vel Catullo teste In Gratiarum ad ipsum actione:

Disertissime Romuli nepotum.

Nec aliud voluit Martialis lib. 3. Ep. 38.

Caussas, inquis, agam Cicerone Disertius ipso.

Et Arnobius lib. 3. *Et ante omnes Tullius Romani Disertissimus generis.* Multus vero Quinctilianus de ejusdem genere dicendi.

Tuo palato clusus pavo pascitur.] Integra Pavonum historia apud Varronem lib. 3. de Re Rustica cap. 6. ubi, inter alia, prima eorum in cœnam introductio, ac postea æstimatio: *Primus hos Q. Hortensius auguralı adjiciali cœna posuisse dicitur, quod protinus factum tam luxuriosi, quam severi boni viri laudabant. Quem cito secuti multi, extulerunt eorum pretia, ita ut ova eorum denariis veneant quinis* (id est; uno floreno) *Ipsi facile quinquagenis.* hoc est, decem florenis. Notum, aves, ut pinguescerent, Claudi consuevisse. nec aliter hodie fit, *quod motus earum, & Lux, pinguitudini est inimica*, docente ipso Varrone. Læva igitur eorum mens, qui, *Clusus*, eunt mutatum. Ait Seneca Ep. 122. *Aves, quæ conviviis parantur, ut Immota facile Pinguescant, in Obscuro continentur.*

Plumato amictus auro Babylonico.] Elegans lusus inest verbo, *Plumato Babylonico.* Prisci namque *Plumas* vocarunt, notas videlicet ex auro, vel purpura, aliave materia, aut colore, forma rotundas, & in modum Plumarum factas, quibus intertexebantur vestes, variabanturque. Hinc *Plumarii* adpellati non solum textores, ejuscemodi vestium conficiendarum periti, sed etiam illi artifices, qui multifariam pictura, multiplicibusque coloribus ac figuris, variegatas vestes acu pingerent. & opus hocce *Plumatum* etiam dictum, Idem & *Babylonicum* vocatum. Plures Antiquorum edocent, nos unicum Martialem producimus, brevitati in nota isthæc consulentes, quippe de his omnibus Salmasius egit abunde ad Carinum Fl. Vopisci cap. xx. ait ergo lib. 8. Ep. 28.

Non ego prætulerim Babylonica picta superbe
Texta, Semiramica quæ variantur acu.

Ludit igitur Mimus Pavonis amictu, qui præterquam quod perfecte imitaretur pictum illud opus Plumatum Babylonicum, splendente notarum colore Auri, & Purpuræ; Plumis insuper ille erat revera contextus. Omnia inlustri loco Achillis Tatii confirmo, in quem fors incidi novissime, quum nostra raptim conligerem Commenta. Verba sunt lib. 1. ubi Pavonis habitum floridissime describit: ὁ δὲ τῷ ταῶ λειμὼν ἐναυθίσειρε. πεφύτευται γὰρ αὐτῷ καὶ χρυσὸς ἐν τοῖς πτεροῖς. κύκλῳ δὲ τὸ ἀλεκτρὸν τὸν χρυσὸν περιθεῖ τὸν ἴσον κύκλον, καὶ ἔστιν ὀφθαλμὸς ἐν τῷ πτερῷ. *Saneque Pavonis hoc pratum alio quovis longe floridius est, in ejus enim pennis oculorum serie distinctis Aurum omni ex parte Purpura æqualiter convestitur.* Unde jam nescire non poterit, quam insigniter ineptiverit ille, qui, *Aureo*, sollicitavit jam olim, & in *Auleo* mutatum ivit.

Gallina tibi Numidica.] De Numidicis avibus infra loquimur ad verba cap. XCIII.

Atque Afræ volucres.

Gallus spado.] Capus est, quod jam viderunt Interpretes. Varro edocet: *Ex Gallo gallinaceo castrato fit Capus.* Galli, quum castrati sunt, non jam Galli sed Capi nuncupantur: Contra Sacerdotes Cybeles, qui

Galli non dicuntur, quousque castrantur. de quo pluribus Symbolæ.

Tollat pedes indomita.] Procul dubio quid sit, *Tollere pedes*, ostendit versu illo Ovidius lib. 3. de Arte:

Melanion humeris Atlanta crura ferebat.

Unde lucem accipiunt plures Auctorum loci, qui negotii nonnihil Criticis facessivere. Aliud tamen, *Tollere pedem*, est cap. CXVII. de re spurcidica.

Probitas.] Recte qui *Pudorem* interpretantur, quod quum feminarum futilia recenseret ornamenta, illud prætulit verum, *Pudicitiam.* adposite Seneca ad Helviam: *Maximum Decus visa est Pudicitia.* Et Pythagoras apud Justinum lib. 20. *Vera Ornamenta matronarum Pudicitiam, non Vestes esse*, adfirmat.

Palam prostare nudam nebula linea.] En mulier cum veste nuda, adeo amicula olim fuere rara, adeo pellucida. Belle Athenæus initio lib. 4. Καὶ σαμβυκίστριαί τινες Ῥόδιαι, ἱμοὶ μὲν γυμναὶ δοκῶ, πλὴν ἐλεγόν τινες ἔχειν χιτῶνας. *Et Sambucam pulsantes Rhodia quædam mulieres, quæ mihi quidem videbantur Nudæ: ajebant tamen nonnulli, tunicis indutas fuisse.* Nemo autem, ut Varro, hoc expressit eleganter, ejusmodi vestem vocans *Vitream Togam*, Modio Satyra. Sic item Claudianus Panegyrico in Consul. Probini & Olybrii belle de Tiberi fluvio:

Palla graves humeros velat, quam neverat uxor
Illi, percurrens Vitreas sub gurgite Telas.

Sic & Martialis inter alias conlatione illa botri vase Vitreo conditi lib. 8. Ep. 68.

Femineum lucet sic per bombycina corpus.

Talis vestis antiquitus ἀραχνοΐδης dicebatur Græcis, id est, quæ Aranearum telas imitaretur. observo ego ad Eustathium, unde loca nonnulla huc transferam opportune, inquit ille lib. 2. de Amoribus Ismen. & Ismenes, ubi temperantiæ describit imaginem: Ἀραχνοΐδης ὁ χιτὼν τῇ παρθένῳ τὸ χρῶμα λευκός. *Tunica erat Virgini aranearum telas imitabunda, colore candida*, &c. Etiam lib. 4. Themistius item in oratione ad Nicomedienses: Ἀμφίεστο δὲ λεπτότερα τῶν ἀραχνίων. Vertit Petavius: *Aranearum telis subtiliori veste duntur.* Et Sanctus Asterius Homilia de Divite & Lazaro: Τὴν βύσσον ἐπιζητῆς, καὶ συνάγεις τὰ τῶν Περσικῶν σκωλήκων νήματα, ἰσὸν ἢ ἀράχνης ἀνεμιαῖον ὑφαίνης. Rubenius vertit: *Et Byssum requiris, & Persicorum stamina vermium conligis, unde evanida, ut ita dicam, Aranea tela contexatur.* Pro re autem tenuissima ubique *Nebula* usurpatur. sic ipsus Valerius in lepidissimo Epigrammate de Phiala nimis gracili lib. 8. Epigr. 33.

Hæc fuerat nuper NEBULA tibi pegma perunctum.

Ait igitur Nudas prostare vestibus illis, quod & meretricum fuisse vulgo notum est. unde veriorem interpretationem sumendam esse loco illi cap. VII. *Nudarum Meretricum*, reor in præsentia. *Tunicæ Rallæ* similes & Plauto Epidic. 2. 2. 46. vocantur, unde & nos, *Ralas*, quoque vocamus.

Cap. LXXIX. *Nec fax ulla in præsidio erat, quæ iter aperiret errantibus.*] Bernardinus Gomesius noiter Opere, quod *de Sale* construxit, aptissime ad hunc Petronii locum interpretatur Horatii illud lib. 1. Sat. 5.

——— *Tectum*
Præbuit, & parochi, quæ debent, Ligna, salemque.

Per *Ligna* scilicet non solum ignem ad focum intelligens, sed cereos etiam & funalia, quæ peregrinis præberent parochi ad pernoctandum; &, ut suspicari licet, commode etiam per urbem deambulandum. Quod itidem & in Urbe factum, nihil dubium est. Sic apud Athenienses cœnantibus *Oenopta* (genus erat magistratus) funalia præstabant, & ellychnia, ut postea luminis præsidio possent domum redire. quapropter & *Oculi* ipsi vocati, ut constat ex Philini Oratoris loco apud Athenæum lib. 10. Item ex Eustathio ad L. ζ. Odyss. Οἱ τοῖς δειπνοῦσι λύχνοι, καὶ θυωρίδας παρέχοντες, Ὀφθαλμοὶ πρός τινων ἐκαλοῦντο. *Qui cœnantibus candelas, aut Lucernas exhibebant, Oculi dicti nonnullis.*

Nec silentium noctis jam media.] Carpit etiam hic suum Imperatorem. Redibant ergo à Trimalcionis convivio media jam nocte. Eousque enim cœnam protraxit gurges ille testante Suetonio cap. 27. *Epulas medio die ad Mediam Noctem protrahebat.* Quo & illud Taciti facit lib. 13. Annal. *Provecta Nox erat, & Neroni per vinolentiam trahebatur.* Signantius vero Juvenalis Sat. 4. ubi de Montano sermo:

——— ——— *Noverat ille*
Luxuriam imperii veterem, Noctesque Neronis
Jam Medias.

Notatum insigniter illud, quia magis erat more receptum, Veteres sub Solis occasum, nocte jam imminente, convivia finire.

Promittebat occurrentium lumen.] A cœna itidem, ut illi, redeuntium. Plurimus quippe Lucernarum usus antiquitus fuit convivis domum redeuntibus, Facumve, cereorum, candelarum, funaliorum, Lampadum, aut laternarum, de quo late Athenæus Dipnosophista opere extremo. Servi, qui ea præferrent, λυχνοῦχοι, & λυχνοφόροι Græcis adpellati, etiam δαδοῦχοι: Latinis *Prælucentes.* sed hoc jam vulgare, notaque plura testimonia à Cicerone, Valerio Maximo, Livio, Floro, Appulejo, Juvenale, aliisque petita. apud Græcos quoque plura sunt, apud Athenæum vero variis in locis plurima.

Accedebat huc ebrietas.] Ebrii redibant, destitutique ebriorum auxilio, nam & ei quoque provisum. Temulenti quum à mensa recedebant, præsidio servorum utebantur, qui eos titubantes sustinerent, & vix aliter reversuros, domum reducerent. Eo igitur ibant servi illi advorsum heris. Plautus Mostellaria 4. 1. 23.

——— *Solus*
Nunc eo Adversum Hero ex plurimis servis.

Terentius initio Adelphorum:

Storax, non rediit hac nocte à cœna Æschynus,
Neque servolorum quisquam, qui Adversum ierant.

Exin

Exin vocati *Adversitores* ii servuli, ut ait ibidem Donatus. Parissime sane, atque illi, Propertius destitutus, ut ipse Eleg. 29. lib. 2. narrat:

Hesterna, mea lux, quum potus nocte vagarer,
Nec me servorum duceret ulla manus.

Congruens item & S. Asterii elegantissimus locus Homilia, *An liceat homini dimittere uxorem quacumque ex causa*: Ὁυ μὴν ὅδε ἐκ συμποσίου ἐληλόντα ποτὲ, καὶ ὀινωμένον καὶ ἐκφρονα ἀπέῤῥιψε τῆς μέθης μισήσασα: ἀλλὰ καὶ ὑπεδέξατο μετὰ συγγνώμης ἀνθρωπικῆς, καὶ ἐχειμαγώγησέ τε τὸν κολάζοντα, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐθεράπευσεν τοῖς ἀτμοῖς περιδουμένη τῷ ὄινῳ, ἀδύνητον ἢ ἐπὶ τὴν κοίτην τὴν γαμικὴν, μὴν συμπαθέσα, τῶν οἰκετῶν γελώντων, καὶ ἐπικλυαζόντων τὴν ἐκ τῆς μέθης παραφοράν. *Nec redeuntem à symposio, vino oneratum & insanientem, ebrietatis odio non admisit, aut rejecit; sed cum venia ac lenitate, qualis humanitatem nostram decet, te suscepit, & reprimentem, ac verberantem ad lectum manuduxit, caputque agrum, ac meri vaporibus agitatum sedulo curavit: sola nimirum tui misserta, quum famuli mentis ob errorem & agitationem herum deriderent, ac subsannarent.*

Per omnes scrupos, gastrorumque, &c.] Metram illam Erisichthonis filiam puta hic spectare, de qua Ovidius:

Nunc equa, nunc ales, modo bos, modo cervus abibat.

Tot namque sunt hujusce loci Μεταχηματισμοὶ. Ex MSS. Cod. primæ editiones habuerunt: *Per omnes scirpos, grurumque.* inde ergo fecerunt postea *Scriptos, Scruptos, Scrupos*: & *Gastrarumque, Caricumque, Castrorumque, Glarearumque, Grumorumque*, ac denique *Gastrorumque.* sed quid multis? plures hic cucurbitas pingunt. nos vero lectionem præstitimus, quæ probior viris Doctis olim fuit visa, quum nihili prorsus sint, quas manu exarati Codices repræsentant. Nec aliter fieri debuit sequenti altero loco corruptissimo, *Et nos per eandem terram admisit.* Itaque Richardi emendationem ibi recepimus, quod & parili ea Virgilii loco stabiliri videbatur, & utpote omnino concinniorem prætulerunt ceteris Viri hocce eruditionis genere singulares. Item sic loquutus Petronius in fragment.

——— *Cellaque capti*
Deridet Festram, Romuleamque casam.

Inquit ergo Encolpius haud inlepido sensu: *Itaque quum hora pene tota per omnes scrupos, gastrorumque eminentium fragmenta traxissemus cruentos pedes.* Cui parissimus est Appuleji locus lib. 2. Metamorph. *Sed quum primam plateam vidimus, vento repentino lumen, quo utebamur, exstinguitur: ut, vix improvida noctis caligine liberati, digitis pedum detunsis ob lapides, hominum defessi rediremus.* Item & Martialis Epigramma 75. lib. 8. de Gallo Lingono:

Dum repetit sera conductos nocte Penates
Lingonus à Tecta, Flaminiaque recens,
Expulit offenso vitiatum pollice talum,
Et jacuit toto corpore fusus humi.

Ideo scite Alexis in Midone protulit apud Athenæum:

Ὁ πρῶτος ἐμὲν μετὰ λυχνούχου περιπατεῖν
Τῆς νυκτὸς, ἢν τις κηδεμὼν τῶν δακτύλων.
Gestare primus qui Lucernam reperit
Noctu, digitos curabat ille provide.

Et Ovidii Corinnæ speciatim inde laus quoque petita, quod docte sciret videlicet.

Atque impercussos nocte movere pedes.

Prudens enim pridie, quum luce etiam clara timeret errorem, omnes pilas columnasque votaverat.] Sic puella illa apud Poëtam veterem:

Intrepidos tenebris ponere docta pedes.

Ipsissimum enim de celebri anicula nomine *Celestina* memoratur ridiculi causa. cujus omnibus numeris absolutissimam Fabulam, totoque orbe jam olim decantatissimam scripsit Hispanus eruditus. Multo quidem expedite magis noctu, quam interdiu cursitabat: observatis videlicet diligenter vicorum, ac viarum obicibus, anfractibusque, quum adhuc lucesceret.

Anus enim ipsa &c.] Janitrix plane, de qua infra cap. xcv. *Anus præcipue lippa sordidissimo linteo præcincta, soleis ligneis imparibus imposita, canem ingentis magnitudinis catena traxit, insligatque in Eumolpum.* De ipsa autem nos non semel in hisce Commentis loquimur.

Et transfudimus hinc & hinc labellis
Errantes animas.] Aliter hunc locum, quam copia Interpretum, lubebat jam olim interpretari. *Animas* hic de mutuo ac mixto amantium halitu, ac reciprocante inter basiandum spiritu dictum esse, cogitabam. Sic Latinissimi Scriptores locuti, quod vel mediocriter doctos hodie non latet. nonnulla tamen exhibeo insignia loca. Cæcilius comicus inquit Plotio:

——— *Quæ mihi ubi domum*
Adveni, ac sedi, extemplo savium dat jejuna
Anima.

Sic Titianus Fullonibus:

Interea fetida Anima nasum oppugnat.

Plautus Asinaria. 5. 2.

Dic, amabo, an fetet Anima uxoris tuæ?

Et alias. Virgil. 2. Georg. vers. 134.

——— *Animas, & olentia Medi*
Ora fovent illo.

Inde ventorum flatus eleganter *Animæ* dictæ Lucretio pluries. sic lib. 5.

Aurarumque leves Animæ.

Item Horatio lib. 4. Od. 12.

Impellunt Animæ lintea Thraciæ.

Etiam Claudiano 1. de Raptu Proserp. Virgil. lib. 8. Æneid. ac pluribus. Adposita satis est & isti interpretationi illa Descriptio apud Achillem Tatium amantium videlicet anhelitus suos commiscentium lib. 2. Πῶς ἢ τὸ τίλημα αὐτῆς τῆς Ἀφροδίτης ἡ γυνὴ γενομένη πίφυκεν ἀσθμαίνειν ὑπὸ καυμάτωδες ἡδονῆς· τὸ ἢ ἄσθμα σὺν πνεύματι ἐρωτικῷ μίγνυται τῶν τοῦ στόματος χειλῶν ἀναθλοεῦν, συντυγχάνει πλαισμένῳ τῷ φιλήματι, καὶ ζητεῖ-

τι καταζῶσαι κάτω, ἀμφιρίφει ἢ σὺν τῷ ἄσθματι τὸ φίλημα καὶ μιχθὲν ἔσται, καὶ βάλλει τὴν καρδίαν. Igne ergo isto amatorio faculam Martiali accendo, modo hic aliasve, ubi fortean παρθένιον pudorem violarim, veniam pudicæ aures condonent. inquit ergo lib. 12. Ep. 55.

Nec clusit aditum neget labellis.

Neget aditum, inquit, scilicet Halitui, quod necessario fit, si labellis clausis oscula impinguntur. Sed longe, fateor ingenue, ardentior est Amoris adfectus ille, quem ipsorum constare animorum per ora commercio, jam pridem monuerunt Critici. Vicem hic Interpretis subeat Aristænetus Ep. 19. lib. 2. loquens in hunc modum: Οὐ μόνοι στόμασι ἁρμόζοντες, ἀλλὰ καὶ φιλήμασιν ἐπισυνάπτοντες τὰς ψυχάς. τοῦτο γὰρ φίλημα βούλεται. καὶ τοῦτό ἐστιν ὃ βούλεται. σπεύδουσιν αἱ ψυχαὶ διὰ τῶν στομάτων πρὸς ἀλλήλας, καὶ περὶ τὰ χείλη συναντῶσιν. καὶ ἡ μῖξις αὕτη γλυκεῖα γίνεται τῶν ψυχῶν. Vertit Mercerus: *Non admotis solum pectoribus, sed junctis per oscula ipsis etiam animis, hoc enim osculum potest, hoc petit. Festinant invicem ad sese animæ per ora, concurruntque circum labia, fitque ibi coitus animarum dulcissimus.* Quo & illud indubie Lucilii pertinet Sat. 20.

Eduxique ollis Animam in primoribus labris.

Plane vero vereris Poëtæ hocce in Catal.

Jungere & innumeras nexa per ora Animas.

Valete curæ.] Sic Martialis Epigrammate 7. lib. 11.

Pallentes procul hinc abite Curæ.

Et Anacreon:

Μεθίτιμι φροντίδες,
Μηδέν μοι καὶ ὑμῖν ἔστω.
Tu vero abito Cura,
Mecum tibi nihil sit.

Gaudio dispoliatum torum.] *Gaudium* hic adpellative de puero. ita pariter de Amica Plautus Bacchidibus 1. 2.

——— *Quis istic habet?*
PIST. *Amor, voluptas, Venus, Venustas, GAUDIUM.*

Non satis rem viderunt Interpretes Petroniani, qui hocce ejus confudere videlicet cum aliis Gaudium.

Somnumque morti jungerem.] Vide quæ infra notantur ad verba extrema Trojanæ Halosis cap. LXXXIX.

—— *Et continuat in mortem ultimam*
Somnos.

Res tuas ocius tolle.] Adlusive dictum, respectu scilicet ad solennia verba in divortiis faciendis usurpata. Liquido Lex edocet XII. Tabularum: SI VIR AB UXORE DIVORTIT, UXORI RES SUAS SIBI HABERE JUBETO, EIQUE CLAVIS ADIMITO. Transtulit etiam & simillime Martialis lib. 10. Epig. 51.

Dicere te lassum quoties ego credo Quirino,
Quæ tua sunt, tibi habe; quæ mea, redde mihi.

Plautus itidem in Trinumo Act. 2. 1.

——— *Apagesis Amor,*
Tuas res tibi habe. Amor, mihi amicus ne suas unquam.

Locum quem polluas.] Ludit dilogia. Isthunc autem locum Murrhedius Rhetor locò inlustrat insigni apud Senecam Patrem lib. 1. cont. 2. *Novimus, inquit, istam maritorum abstinentiam, qui etiamsi primam Virginibus timidis remisere noctem, vicinis tamen locis ludunt.* Est hæc Martialis Sententia lib. 11. Epig. 79.

Pædicare semel cupido dabit illa marito,
Dum metuit teli vulnera prima novi.

E libero mutuatus est carmine, nescio an viderint eorum Interpretes. Sic Carm. 3.

Quod Virgo prima cupido dat nocte marito,
Dum timet ALTERIUS vulnus inepta LOCI.

Sic & Quintus Serenus:

Obscænos si pone Locos nova vulnera carpent.

Pro femineo utero sæpius apud Lucretium est etiam *Locus.*

Quem polluas.] Admodum hic tempestivum illud Propertii Eleg. 34. lib. 2.

Polluit ille deus (Amor) *cognatos, solvit Amicos:*
Et bene concordes tristia ad arma vocat.

Et plura hujusce Elegiæ, quam confer.

Partiti manubias sumus.] An istæ Manubiæ, quarum apud Fulgentium memoria est, Libello de Prisco sermone? nam alterum Petronii citat ibi fragmentum: *Tot Regum Manubiæ penes fugitivum repertæ.* Ego sic censeo. Encolpius enim Ascyltosve plane *Fugitivi.*

Age, inquit, nunc & pueros dividamus.] Ludit iterum in Gitonis divisione Ascyltos, ut cap. XI. Ibi enim ad sarcinarum divisionem respiciens, quæ cap. X. præcesserat. hic vero ad nequissimam illam cap. XI. Ibi sane cum Encolpio flagitiosissime Gitonem dividente jocatus primum fuerat Ascyltos, ipsum Encolpium in hunc modum adloquens: *Sic Dividere cum fratre nolito*, sive ut ibidem nos emendare conabamur: *sic Dividere tu fratrem nolito.* Nunc vero rursus, quum manubiarum jam partitio esse facta, ambigua improbitate vult etiam idem Ascyltos particeps esse in Gitonis divisione.

Cap. LXXX. *Contentus.*] Interpretor, perseverans. A me Nonius plane: *Contentum, continuum, Perseverans.* Cicero Tuscul. lib. 5. *Socratem ferunt, quum usque ad vesperum CONTENTIUS ambularet, quæsitumque esset ab eo, cur id faceret.* Etiam Appulejus in Floridis de præcone loquens: *Et quidem perdiu stat, aut ambulat, aut plerumque CONTENTISSIME clamitat.* Cui opponit Proconsulem, qui *moderata Voce RARENTER, & sedens loquitur, & plerumque de tabella legit.*

Intorto circa brachium pallio.] Lævum nempe clypei loco. Sic Appianus Alexandrinus lib. 2. de Bello Civil. pag. 503. habitum describens percussorum Cæsaris post perpetratum scelus. Οἱ δ' σφαγεῖς ἐβούλοντο μὲν τι εἰπεῖν ἐν τῷ βουλευτηρίῳ, ἔδεισε δ' παραμείναντας, τὰ ἱμάτια ταῖς λαιαῖς, ὥσπερ ἀσπίδας, περιπλεξάμενοι, καὶ τὰ ξίφη μετὰ τοῦ αἵματος ἔχοντες, ἐβοηδρόμουν βασιλέα, &c. *Percussores autem ejus voluerant quidem aliquid in senatu dicere: sed quum nemo ibi maneret, togis circum lævas manus*

nus obvolutis vice clypei, truentos gladios tenentes, currenteſque vociferabantur. Regem, &c. Præterea & lucis nonnihil videtur ex iſthoc Arbitri loco ſibi fœnerari Donatus, ubi de veſtitu Comico agens ſic loquitur: *Paraſiti cum INTORTIS PALLIIS veniunt.* circa brachia nempe, aut circa corpora.

Tangebat utriuſque genua.] Vide quæ ſupra notantur ad verba cap. XVII. *Protendo igitur ad genua veſtra ſupinas manus,* &c.

Thebanum par humilis taberna ſpectaret.] *Thebanum Par κατ' ἐξοχὴν* dictum de Etheocle & Polynice fratribus, Oedipi Regis Thebanorum filiis, ex nefando ſcilicet Jocaſtæ matris concubitu editis. illi nimirum ob regni ſceptrum mutuis vulneribus confoſſi, ambo occubuere; ſimul mater, quæ ſe mediam interponebat, ne pugnarent filii. quo etiam adluſit plane Propertius extrema elegia 9. lib. 2.

Non ob regna magis diris cecidere ſub armis
Thebani media non ſine matre duces,
Quam mihi ſi media liceat pugnare puella:
Mortem ego conſugiam morte ſubire tua.

Quem locum adumbraſſe Petronium, parum abeſt ut credam. nam pariſſima omnia, nempe Propertius cum rivali pugnare volens, modo Cynthia ſit media, ob quam videlicet conſertum prœlium. Tu autem nunc cum Arbitro facile conferas. Ipſummet Paſſeratio in mentem quoque veniſſe, videre videor. *Tabernam* itidem pro diverſorio Plautus ſæpius poſuit.

Nudo ecce jugulum, convertite huc manus.] Simile illud Encolpii cap. XCVII. *Præbeo ecce cervicem, funde ſanguinem.* Pluribus id genus conlationibus parcimus, ne rebus nihili nos immorari, Critici muſſitent delicatiſſimi.

Fulminatus] Id eſt, fulmine veluti ictus. talis enim attonitus manet, ſtuporeque adfectus, quod nunc, ut Encolpio conveniat, quiſquis jam videt. Plura autem huc conducentia ſupra jam prænotata ſunt, ad verba cap. XVII. *Sed attoniti*, quæ rurſus adire, haud abs re erit in præſentia.

Damnatas manus.] Explicet ipſe Petronius, quæ *damnatæ manus* ſint. inquit cap. LXXXIII. *Damnabat Apollo noxias manus. Noxias*, id eſt, ſceleratas. Sic & Propertio ſunt *Damnatæ manus* El. 7. lib. 4.

Egreditur ſuperbus cum præmio Aſcyltos.] Rivalis ſcilicet victoris more. Multus in eo exprimendo Ariſtænetus tota Epiſtola 6. Lib. 2. ad quam te remittere, hic ſatis ſit.

Nomen amicitiæ.] Verbi hujus acumen non ſenſerunt Interpretes. Non hic Amicitiam *Nomine amicitiæ*, ut volunt, Auctor intelligit: immo potius, nihil aliud præter Nomen in Amicitia eſſe. & vere: quum illius fidem homines tantum ſervent inter ſe, dum illis conducit, expeditque; poſtea vero turpi vertant ora fuga, ut Petronius loquitur. Plane hocce tuetur Ovidius lib. 1. de Arte:

Nomen Amicitia eſt, Nomen inane fides.

Etiam Euripides:

Ὄνομα γὰς, ἔργον δ' οὐκ ἔχουσι οἱ φίλοι,
Οἱ μὴ πὶ ταῖσι συμφοραῖς ὄντες φίλοι.
Nomen quidem, ſed rem ipſam amici non habent,
Qui ſorte triſti non ſe amicos exhibent.

Idem de virtute in magno M. Bruti morientis verbo apud Dionem lib. 47.

Ὦ τλῆμον ἀρετή, λόγῳ ἄρ' ἦσθ· ἐγὼ δέ σε
Ὡς ἔργον ἤσκουν. σὺ δ' ἄρ' ἐδούλευες τύχῃ.
O infelix virtus, itane quum nihil quam Nomen eſſes, ego te
Tanquam rem aliquam exercui, quum tu Fortunæ ſervieris.

Si quatenus expedit, hæret.] Eleganter divinus Seneca Ep. 9. *Hæ ſunt Amicitiæ, quas temporarias populus adpellat. Qui cauſa utilitatis adſumtus eſt, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit.* Proinde addit Petronius:

Quum Fortuna manet, vultum ſervatis amici:
Quum cecidit, turpi vertitis ora fuga.

Quod pariſſime dixit & Seneca: *Hac re florentes amicorum turba circumſedet, circa everſos ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt, ubi probantur.*

Calculus in tabula mobile ducit opus] Sententia eſt. Quod ſi Amicitia diutius non durat, quam utilitati videlicet inſerviat, omnino Calculorum ludum ipſam ſic imitari, quo nimirum potiſſimum id artificium ſervatur, ut hinc & illinc alio libere Moveantur, nec ulli Tabulæ regioni plus temporis inhæreant, quam illis nempe conducat, conveniatque. Neutiquam vero, ut doctiſſimus Auctor Adverſariorum lib. 1. cap. 15. voluit, Quia Amicitiam Calculi ſervarent inter ſe, quatenus ludo utile foret, quum quidam velut amici eſſent, quidam hoſtes. Quod viro omnia erudito ex ludi ignoratione indubie excidit. Calculi quippe, qui ab ludi initio erant Hoſtes, ad finem uſque tales habebantur, ipſiſſimumque de Amicis intelligendum. nec pro ludi utilitate Amicus, quem alibi *Militem* adpellavimus, ſuæ factionis commilitonibus unquam adverſarius fuit. Quæ ſupra jam de Calculorum ludo perfunctorie ediſſertare nobis adlubuit, de noſtra interpretatione, ac de magni Viri errato ambigere in præſentia non ſinunt. itemque de legitima ſcriptura, *Mobile*, quam ſervant Veteres Libri, non vero quæ primum cuſos invaſit, *Nobile*, & Adverſariis ſuis etiam ille amplexus eſt.

Grex agit in ſcena mimum.] *Grex* etiam de ſcenica caterva & familia, Græcis σύνοδος, uti apud Ariſtophanem. Inde nos vocavimus, *Compannia*, & hiſtriones, *Companneros*. Donatus Præfat. in Terentii Adelphos: *Hæc ſane acta eſt ludis Scenicis Funebribus L. Æmilii Paulli: Agentibus L. Ambivio & L. Turpione, qui cum ſuis Gregibus etiam tum perſonati agebant.* ſic etiam Plautus pluribus Fabularum Prologis. Unde error cujuſdam eruditi Horatii interpretis, aliorumque jam claret, adſerentium nimirum, *Mimum* fabulam fuiſſe ab uno ſolum agi ſemper antiquitus ſolitam. Aſt ſi Petronius illis fidem facere non potuit, quid

pluribus aliis, quid ipsi Horatio suo poterunt respondere?

——— *Vel partes Mimum tractare secundas.*

Inquit Ep. 18. lib. 1. Cui tot tum Græci, tum Latini Scriptores accinunt, ut tantum nomina recensere, esset importunum.

Mox ubi ridendas inclusit pagina partes &c.] Sensus est, Post Fabulæ exodium Auctores figmenta exuere, personasque, & sic oris sui manifestam proferre veritatem. *Partes Ridendas*, Extremas interpretantur, quod non displicet, licet omnes Mimi Partes Ridendæ erant, ut alibi dicimus. *Pagina* hic συνεκδοχικῶς Fabula est. insigne dabo equidem testimonium aliud. Donati ecce verba sunt ex Argumento Adelphorum Terentii: *In dividendis Actibus Fabulæ identidem meminerimus: primo Paginarum dinumerationem neque Græcos, neque Latinos servasse, quum ejus distributio*, &c.

Cap. LXXXI. *Antescholanus.*] Quinam *Antescholani* olim ex longa Professorum natione? Puto adhuc viris litteratis non liquere. An fors *Antescholanus* erat *Proscholii* Præfectus, *Proscholus* etiam adpellatus? Doctiores viderint. *Proscholium* enim locus erat in Schola velo tantum ab auditorio dissæptus, ubi pueri, antequam ad Magistrum accederent, oris sui totiusque corporis componebant habitum, Proscholii videlicet adstante Præfecto omnium prænonitore. Haud enim vulgaris consuetudo ex antiquis Puerilibus Conloquiis utraque lingua descriptis plane conligitur. ait ergo puer: Ὡς δὲ ἦλθον πρὸς τὴν κλίμακα ἀνέβην διὰ τῶν βαθμῶν ἀτρέμα, ὡς εἶδει, καὶ ἐν τῷ προσχολίῳ ἀπέθηκα βίβλιον, καὶ κατέψηξα τρίχας. καὶ ὕστερον ἐκέντρων εἰσῆλθον. καὶ πρῶτον ἠσπασάμην καθηγητὰς, συμμαθητὰς. *Ut ergo veni ad scalam, ascendi per gradus otio, ut oportebat, & in Proscholio deposui birrum: & demunxi capillos, & sic elevato centrone introivi, & primum salutavi præceptores, condiscipulos.* En *Vela*, quæ D. Augustino memorantur lib. 1. Conf. cap. 13. *At enim Vela pendent in liminibus Grammaticarum Scholarum*, &c.

Ergo me non ruina terra potuit haurire? non iratum etiam innocentibus mare?] Gemellus locus cap. XCVIII. *Utinam me solum inimicus ignis hauriret, utinam hibernum invaderet mare.* quæ verba Gitonis sunt, unius quippe, ejusdemque fortunæ semper cum Encolpio fuit, nec ab ejus latere unquam discessit transversum unguem. Vide autem quæ infra notamus ad ipsum locum. Hic autem insuper addere, omnino necessum: nimirum hujusce felicis Encolpii successus supra jam meminisse Arbitrum cap. IX. nunc vero indubie eisdem in verbis, *Ergo me non ruina terra potuit haurire?* speciatim ad genus illud Pegmatum respexisse, quæ, quum Ruinam subitaneam patiebantur, chasmate absorberentur. De iis sic Appulejus Lib. Metamorp. 10. *Famque tota suave fragrante casa, Montem illum ligneum TERRÆ VORAGO decerpit.* Ubi cum Pegmate necessario & homines, qui impositi, absorbebantur. bene igitur, qui ibi, *Recepit*, legunt, ut Arbitri, *Haurire*, ita apertius exprimere potesset, quod inibi valet Devorare. Sic est ipsi Milesiarum Scriptori lib. 5. *Meministi consilium vestrum, scilicet quo mihi suasistis, ut bestiam, quæ mariti mentito nomine mecum quiescebat, priusquam ingluvie Voraci me miseram Hauriret, ancipiti novacula perimerem.*

Græca urbis.] Græca urbs Parthenope est, postea *Neapolis* dicta, quasi *nova civitas*. Ea enim quum esset à Longobardis eversa, ut in Constitutionibus Neapolitanis scriptum est, à Græcis postea fuit restaurata; & inde adpellata *Nova Civitas* inposterum, & *Græca urbs* quoque optimo jure. Taciti autem testimonio à Lipsio indicato, addam insuper & Papinii alterum non levidense, Parthenopen scilicet in Epicedio Patris adloquentis:

Si tu stirpe vetus, famaque obscura jaceres,
Nil gentile tenens, illo te cive probares
GRAIAM, atque Euboico Majorum sanguine, duci.

Adulescens.] Giton, ut voluit recte Douza P. Eventuum certe quas hic recenset, ἀνακεφαλαίωσις, ut fecerunt alii, aliter accipere non sinunt. Pariter & ipsius acumini subscribo, *exitio*, loco τῷ *exilio*, substituentis, quæ præcedenti confessione nitens ipsius Gitonis cap. LXXX. emendatio verissima est. *Ego mori debeo*, &c.

Cujus anni ad tesseram venerunt.] Leve scelus hoc summæ Encolpii indignationi. ideo pro certo habeo, latere mendum. Odorati etiam sunt Pithœus, & Lipsius, reposueruntque *venierunt*, haud perspicuo sensu. Reor, Annos ad tesseram venire, illis esse, Puerum primos agentem annos, simili amatoria lite, commissum ad tesserarum sortem ab amatoribus rivalibus. Itaque enim *in eligendo fratre salva illi tunc libertas non esset*, potius *Judice Fortuna*, ut ipsum Arbitrum usurpem, *caderet alea.* Ea propter ad illum eventum postea respiciens, ut melius tunc puero succederet, illi videlicet, voluit Ascyltos, judicium committendum. Sed hic, equidem fateor, dubia lux est, parumque distans à tenebris.

Quid ille alter, O Dii! qui tanquam togæ virilis stolam sumsit.] De Ascylto indubie hic incipit loqui. Verba autem etiam sunt inprimis corrupta. quod MSS. repræsentant, plane vitiosum est. Tornæsius edidit: *Quid? ille altero die, qui tanquam togæ virilis*, &c. quod quidem absque sua confessione dignum exsilio. Deinde editiones plures id prætulerunt: *Quid ille alter * die, qui tanquam togæ virilis*, &c. unde Lipsius: *Quid ille alter, ô dii! qui tanquam togæ*, &c. quod recentiores fere editiones occupavit. Criticorum autem nupera proles ad libitum postea refinxerunt. Ideo adhuc puer tentabam ego leviſſima omnium mutatione, & probo admodum sensu, *Quid ille alter? qui die, inquam, togæ virilis, stolam sumsit*, haud tamen hodie satisfacit valde. Adsit igitur cum suo tripode Apollo, nobis namque insanire est, veritatem per divinationem

nem quærere. Utcumque vero sit, mens claret. Æscyltos ergo *Stolam sumsit*, quod proprium feminæ. Ita Tertullianus de Achille in puellam transvestito Libro de Pallio cap. 4. quippe qui ne vir esset, à matre quoque persuasus est: *Adhuc sustinet Stolam fundere, Comam struere, cutem fingere, speculum consulere*, &c. Sic etiam de Antonio Appianus lib. 5. Bell. Civil. Athenis deliciante.

Qui postquam conturbavit.] *Conturbare*, decoquere est, & pecuniam dissipare. De servis etiam dicitur, qui Rationibus dominicis paria non faciunt. Et de quibuslibet denique, qui expedire nomina, & æs alienum, quod contraxere, solvere non possunt. quod Hispani vocant, *Quebrar*, *faltar de su credito*.

Sic Pedo Conturbat, Matho Deficit.

Dixit Juvenalis Sat. 7. 129. ut Terentius etiam, Martialis, Cicero, alii.

Et libidinis suæ solum vertit.] Hoc est, commutavit locum, ubi prius libidinem vario erat perpessus. nam postquam Conturbavit, se in pedes conjicere, illi fuit necessarium. Sensus iste verus, perspicuus, & quem vel ipsus Cicero tueatur, quum quid, *Solum vertere*, sit, exponit in Oratione pro A. Cecinna paullo ante finem: *Exilium enim, non supplicium est, sed perfugium, portusque supplicii. Nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatem, eo SOLUM VERTUNT, hoc est, sedem ac locum mutant.* Et pariter pro domo sua: *Quo Vertendi, hoc est, mutandi Soli causa venerant.* Et pro Pub. Quintio: *Qui exilii causa Solum Verterit.* Suffragatur nobis parissimus Juvenalis locus, sententia, verbis, Sat. 11. vers. 46.

Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis consumitur. inde ubi paullum
Nescio quid superest, & pallet fœnoris auctor,
Qui Vertere Solum, Baias, & ad Ostia currunt.

Ait scilicet, profusos, & luxuriosos nepotes patriam mutare, quum alienam pecuniam consumsere. Inde vocabulum *Soliversor* conflatum, usurpatumque in ludicro Grunnii Corocottæ testamento: *Magirus cocus dixit, veni huc eversor domi, Soliversor, Fugitive porcelle, ego hodie tibi vitam adimo.* Græcis illud est, γῆν πρὸ γῆς, *terram pro terra.* Alciphron in Epistol. Ἀναστᾶσα ὑπήποτε γῆν πρὸ γῆς φύγοιμι μᾶλλον. *Demigrans quolibet fugium potius, terram terra commutans.* Item Cicero ad Atticum.

Secutuleja.] Elegans, & scripto satyrico, quod ejusmodi amat vocum insolentiam, adpositissima dictionis compositio. Rem autem plures expressere Scriptores, quorum apud Interpretes testimonia. Isthæc illis adde. Propertius Eleg. 5. lib. 4.

Non te Medeæ delectant probra Sequacis.

Sabinus in Epistola Ulyssis de Clytemnestra Agamemnonis uxore:

Tyndaris has illi latas pro fœdere pœnas
Struxerat, externos ipsa Secuta viros.

Sed, ohe, jam satis est, tametsi plura possemus.

Unus noctis tactu omnia vendidit.] Veterem scripturam retinui, licet in novitiam, *pactu*, valde inclinarem. *Vendidit*, id est, posthabuit. Hisp. *aventuro todas sus obligationes.*

Libidinibus attriti.] *Tero*, extremi flagitii verbum, parissime cap. LXXXVII. usurpatur: *utcunque igitur inter anhelitus sudoresque Tritus, quod voluerat, accepit.* Sic & Martiali lib. 9. Ep. 59.

Culus Tritior Hedyli lacernis.

Plauto etiam Captivis 4. 2. 108.

——— *Bonus est, Bonam Terit.*
Liberorum quærundorum causa ei, credo, uxor data est.

Argute ergo, qui exin Propertium interpretantur lib. 3. El. 20.

Forsitan illi alio pectus amore Terit.

Alio Amore, id est, alia amica. Ast satis exemplorum, quæ satius ad Morboniam mitterentur.

Cap. LXXXII. *Gladio latus cingor.*] Sic locutus Appulejus lib. 2. Milesi. *Nam Gladio solito Cinctus altrinsecus.* & Hispani dicimus, *Cenir la espada.* Haud aliter & Propertius dixit El. 13. lib. 3.

——— *Niveum Latus ense Revincit.*

Sed quodnam latus innuit Petronius, dextrum an sinistrum? me Castores dubium. Eandem & Lipsius lib. 3. de Milit. Rom. Dial. 3. quæstionem movit, ipsum vide. *Gladius* vero procul dubio Hispaniensis foret, nam nostrates illos à temporibus Annibalis, patrios gladios deponentes, adsumpsere Romani, ut docet apud Suidam anonymus scriptor. unde conjicere abunde licet, quampridem illi fuerint in precio. vide & Lipsium ibidem.

Phœcasiati milites ambulant.] Mendacii miles ille arguit Encolpium opportune ab calceatu, nam milites olim Romani *Caligati* incedebant, non *phœcasiati*, vide Valtrinum lib. 3. De Re Milit. cap. 13. Et Balduinum *Calcei Antiqui* Auctorem cap. 19. *Phœcasium* autem calceamentum album fuisse, quo Athenienses sacerdotes, & Alexandrini utebantur, ex Appiano ego didici lib. 5. Bell. Civ. ubi de Antonio sermo est cum Cleopatra vitam degente.

Non bibit inter aquas, &c.] Difficile Epigramma, cujus mens Interpretibus præterita; an quod contemserint, an vero quod non adsecuti sint, me-Hercules dubium. Impotens dives, Tyrannus hic cum Tantalo confertur, qui enim quid inter se simile habeant, neutiquam est facile visu. Ille sane, etsi obrutus curis, cupitis tamen fruitur indubie: quod alteri secus accidere, notum. Ciceronis autem duorum locorum conlatione, qui officio nunc fungitur Interpretis, facile ex his anguistiis educemur. Ecce primi verba sunt ex lib. 4. Tuscul. Quæst. *Cui miseriæ proximus est is, qui adpropinquans aliquod malum metuit, exanimatusque pendet animi. quam vim significantes mali, Poëtæ, impendere apud Inferos Saxum Tantalo, faciunt ob scelera, animique impotentiam, & superbiloquentiam.* Insuper ergo additus ingens lapis Tantali imminens capiti, unde ortum, ut præ timore exanimatus poma

quidem esuriens non adtingeret, aquam & sitiens itidem non gustaret. Quod fuit dubio procul fabulæ verum figmentum, expressum quoque parissime à Dionysio Tyranno astu illo, quo voluit indicare nihil esse ei beatum, cui semper aliquis terror impendeat. Id etiam narrat ipse Cicero lib. 5. Tuscul. Quæst. ubi regias delicias pergit luculenter describere, & inter ipsa constituere Damoclem, reges, qui ipsarum potiebantur, beatos cogitantem: *Aderant unguenta, corona, incendebantur odores; Mensæ conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è Lacunari setâ equinâ adpensum demitti Dionysius jussit, ut Impenderet illius beati Cervicibus. Itaque nec pulcros administratores adspiciebat, nec plenum artis argentum, NEC MANUM PORRIGEBAT IN MENSAM.* Et eleganter Horatius:

Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborarunt saporem.

Nulla ergo æque, ac Tantali imagine, Tyranni Principis potuit misera repræsentari beatitudo, de quo inquit nunc cum Cicerone Arbiter, *quod omnia cernens*, scilicet bona sua, *illis frui præ timore non potest.* qui prorsus & plurium Poëtarum fuit ipsissimus animus. Fuit certe Lucretii verbis hisce lib. 3.

Atque ea nimirum, quæcumque Acherunte profundo
Prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis.
Nec miser Impendens magnum timet aere Saxum
Tantalus (ut fama est) cassa formidine torpens:
Sed magis in vita Divum metus urget inanis
Mortales, casumque timent, quemcumque ferat sors.

Pindari quoque Od. 1. Olymp.

——— Κόρῳ δ' ἔλαν
Ἄταν ὑπέροπλον,
Τὰν εἰ πατὴρ ὑπὲρ κρίμα-
τος, καρτερὸν ἀντῷ λίθον.
Τὸν ἀεὶ μενοινῶν κεφαλᾶς βαλεῖν
Εὐφροσύνας ἀλᾶται.

Saturitate autem accepit (Tantalus) *damnum immensum, quod ei ipsi pater superadpendit, validum lapidem: quem semper cupiens à capite depellere à lætitia aberrat.* Fuit & Euripidis in Oreste. Sed mire enim à Suida Commentum nostrum juvatur, rescire tamen valde discuperem, unde conlegerit: Τάνταλος. τῶ Διὸς υἱός. ἀξιωθεὶς ὑ τραπέζης τῶν θεῶν, ἐδημοσίευσεν αὐτῶν τὰ μυστήρια. καὶ διὰ τοῦτο κολάζεται ἐν τοῖς ὑπὸ γῆν δικαστηρίοις, πέτρον ἔχων ἐφύπερθεν αὐτῷ ἠρτημένον, καὶ κάτω ὕδωρ πολύ, καὶ βλαστήματα καρποφόρα. ὅτε ἂν θέλῃ πιεῖν τοῦ ὕδατος, ἐπιπίπτει ὁ λίθος ἐπ' αὐτόν, δίψη δ' ἐπήκιτο. ἐρᾶν μὲν ἀφ' ὧν ἔδει φαγεῖν, καὶ πιεῖν, μὴ δυνάμενος δὲ Tantalus. *Jovis filius fuit. Quum autem hunc Dii sua mensa dignati fuissent, eorum arcana publicavit. Et propterea punitur in judiciis, quæ sunt sub terra, Saxum habens capiti suo Impendens, & infra multam aquam, & fructiferas arbores. Quoties vero aquam bibere volebat, Saxum cadebat in ipsum, & siti conficiebatur. Cernebat enim unde edendum, & bibendum esset; sed edere, & bibere non poterat.* Non ergo ob cibi potusque fugam jejunus ille; sed edere, ac bibere lapidis casus impediebat. Ast ut semel conficiam negotium, prodeat Athenæus, qui, quod primum ego conjectaram, quum aurem mihi pervelleret Cicero, proferat disertim. Longam disputationem *De Voluptate* instituens lib. 7. Tantalum, narrat ex quodam Scriptore, qui Atridarum in patriam reditum scripsit, voluptatibus admodum deditum fuisse: sed postea quum in deorum consortium perveniisset, Jovem optionem ei dedisse petendi quidquid vellet. à quo nimirum postulavit, ut ei ad eum modum jugiter inter epulas vivere concederetur. Tunc autem, addit, ἐφ' οἷς ἀγανακτήσαντα τὸν Δία, τὴν μὲν ἰυχὴν ἀποτελέσαι διὰ τὴν ὑποσχεσιν· ὅπως ὑ μηδὲν ἀπολαύῃ τῶν παρακειμένων, ἀλλὰ διατελῇ ταραττόμενος, ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἐξηρτησθαι αὐτῷ πέτρον, δι' ὧν ἃ δύναται τῶν παρακειμένων τυχεῖν ἀδύνατος. *Jovem indignatum ea de re, quia pollicitus esset, præstitisse quod optavit. At ne frueretur adpositis, verum mœstus, & anxius semper esset, super caput Saxum appendisse, quod obstat, ne quid eorum, quæ admota sunt, capere possit.* Cæcus ergo quidam post se in eandem foveam plures cæcutientes præcipites dedit. Itaque inter aquas & poma puniendum ridicule Tantalum, potius sane, ut veluti oscillatione luderet, constituerunt. haud secus atque Eumolpum alibi conlocavit Petronius. Neroni igitur id Epigrammation, qui non sentiant propritim convenire, à me sciat ille, cor plumbeum prorsus habere. Cæterum, qui in Avaritiam tradiderunt, factum id esse, decepti omnino sunt mendosis Codicibus, ubi sic admodum diverse invenerunt scriptum:

Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia late
Qui tenet, & sicco concoquit ore famem.

Ita Fulgentius, & Priscianus exhibent, & inter Catalecta veterum Poëtarum haud secus, nisi quod corruptius, reperitur. Cujus sententia, licet ineptissima, adstrui quippe insuper videbatur parili Horatii similitudine lib. 1. Serm. Sat. 1. nihil mirum, si viris Doctis jam pridem imposuerit.

——— *Quem sua vota premunt.*] Ex verbis Athænæi supra adductis lucis quod satis est, capit hoc hemistichion. Ob insana namque sua & immodica vota Tantalum Impendentis Lapidis supplicium punit ac premit. Matth. Bergius aliter versum integrum distinxit, & sic parenthesi inclusit:

Tantalus (infelix, quem sua vota premunt!)

Quod postea & Rittershusio placuit. Nec nobis valde displicet, quod aliquot libri veteres repræsentant:

——— *quem sua fata premunt.*

Divitis hæc magni facies erit. &c.] Distichi hujus sensus est, Tantalum nempe imaginem esse Tyranni, qui omnia quum cernit bona sua, illis frui præ timore non potest. quod mire facit, ut satis jam constat,

ad

ad fortunam Tyranni. Si alteram vero lectionem liceret præferri:

——— *Omnia late*
Qui tenet.

ad Avari ingenium.

Et sicco concoquit ore famem.] *Siccus* de jejunio, sic infra cap. CXI. *Itaque mulier aliquot dierum abstinentia Sicca.* & Martialis lib. 12. Ep. 32.

——— *Fame Siccus.*

& Tertullianus Apologet. Cap. 40. *Nos vero Jejuniis Aridi.* Item de abstemio Lucilius Sat. 6.

Lanificam dici, Siccam, atque Abstemiam ubi qudit.

Etiam de muliere vexata, sine adspergine tamen seminali, dixit ipsus Valerius eleganti Epigram. 82. lib. 11.

Cum sene communem vexat spado Dindymus Eglen,
Et jacet in medio Sicca puella toro.

Sed omnes opertis oculis bona sua computant.] Cæci omnino, qui divitiis inhiant. Exprimit infra eleganter Petronius cap. CXLI. ubi de elusis Eumolpi Captatoribus: *Excæcabat ingens fama Oculos, animosque miserorum.* utrique loco Varro venit Interpres *Andabatis*, qui Gladiatores erant opertis capitibus, ne alter alterum cerneret, pugnantes: *Non mirum si cæcutis, minus aurum enim non præstringit Oculos, quam τὸ σὸν κράνος, tua galea.* Bona isthæc *Fortunæ* iunt, unde ipsa, quæ dividit, *prorsus exoculata* efficta, uti Appulejus loquitur. Vere Tullius in Lælio: *Non ipsa solum Fortuna cæca est, sed eos etiam plerumque efficit Cæcos, quos complexa est.* Eadem ratione & divitiarum deus *Plutus* itidem cæcus Antiquis habitus. Vide Aristophanem in cognomine Fabula. Itidem *Phineus*, qui *in modum Avaritiæ positus*, auctore Fulgentio Mythologo Ext. lib. 3.

Bona sua computant.] Id est, cogitant, quomodo opes consequantur. Sic & simpliciter *Computare* dictum Antiquis. Magnus Seneca lib. 5. de Benef. *Quotus quisque uxoris optimæ mortem timet, ut non computet?* id est, ut lucrum ex ejus morte eventurum, non sibi proponat. Et Ep. 14. *Nemo ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci: plures Computant, quam oderunt.*

Quod hodie non est, cras erit.] Simile illud est vice oraculi olim habitum.

Tarpejo quondam sedit quæ vertice cornix,
EST bene non potuit dicere, dixit ERIT.

Aliter Viri docti accipiunt hunc locum, scribuntque: *Quod hodie non est, cras non erit: sic vita truditur.* Sententiam mire & acore illo suo Persius expressit Sat. 5.

Cras hoc fiet. Idem cras fiet. quid? quasi magnum
Nempe diem donas, sed quum lux altera venit,
Jam Cras Hesternum consumsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, &c.

Semper in hac re qui vincitur, vincit.] Eadem ipsius Arbitri verbis illis cap. CXLX.

Pellitur à populo VICTUS Cato: tristior ille est
QUI VICIT.

Ubi & nos plusscula notamus.

Cap. LXXXIII. *Nam & Zeuxidos manus vidi nondum vetustatis injuria victas.*] Vere, nam de ejusdem Zeuxidos tabulis, quibus Crotoniatæ templum Junonis magnifice exornarunt, sic etiam Cicero initio lib. 2. de Inventione: *Is & ceteras tabulas complures pinxit, quarum nonnulla pars usque ad Nostram Memoriam, propter sani religionem, remansit.* Non post multum temporis vixit Petronius.

Cum ipsius naturæ veritate certantia.] Eximia laus Tabularum Protogenis, nimirum *cum naturæ veritate certare*: nam vel Seneca Patre adsertore, *semper citra Veritatem est Similitudo*: Et Cicerone in Oratore: *Sine dubio in omni re vincit Imitationem Veritas.* Haud est illud Eustathii absimile, ubi virum in pictura expressum è balneo exeuntem anhelare, inquit, videri, lib. 4. de Ismen. & Ismenes amoribus, Οὕτως ὁ τεχνίτης καὶ τὰς φύσεις αὐτὰς ἐπημιεῖτο τοῖς χρώμασι. *Adeo ipsus artifex easdemmet rerum Naturas coloribus imitatus est.*

Non sine horrore tractavi.] Non sine religione, & reverentia. Sic docet Servius ad illud 1. Æncid.

——— *Horrentique atrum nemus imminet umbra.*
Horror plerumque ad odium pertinet: plerumque ad Venerationem, ut hoc loco. Sic Lucanus:
Arboribus suus Horror inest.

Hinc & locus, qui præcessit cap. XXI. interpretandus: *Inter nos periturum esse tam Horribile secretum.*

Quam Græci Monochromon adpellant.] Ego libentius legerem, *Monochromaton*, uti inlustres veteres loquebantur Pictores. *Monochromata* enim picturæ erant *unicolores*, ut vox indicat. Plinius inquit lib. 35. cap. 3. ubi de picturæ gradibus sermo est: *Itaque talem primam fuisse, secundam SINGULIS COLORIBUS, & Monochromaton dictam, post quam operosior inventa erat: Duratque talis etiam nunc.* Optime ad mentem Petronii, quum etiam, postquam facta esset Pictoria Ars absolutissima, pinxerint & Monochromata Artifices eximii. De Apelle hic Petronius testatur, de Zeuxide Plinius extremo cap. 9. lib. 35. *Pinxit & Monochromata ex albo.* Porro genus quoddam inest Antonomasiæ verbis illis: *Quam Græci Monochromon adpellant.* Longe vero diversæ sunt picturæ, quibus semel, aut pluries colores inducti, uti quater lavisi illi à Protogene, Plinio cap. 10. lib. 35. memoratæ, quarum confusione insigniter erravit vir eruditus.

Tanta enim subtilitate extremitates imaginum erant ad similitudinem præcisæ, &c.] Locus est subobscurus, illi præsertim, cui de pictorio artificio haud quicquam innotuit. Nam verbis istis, *Extremitates Imaginum Præcisæ*, me interprete, intelligit procul dubio Petronius *Lineas* illas *Extremas*, quibus omnia includuntur corpora depicta, extimumque cujusque corporis est. Summa enim prorsus Picturæ est, corpora in tabula lineis illis *tanta subtilitate præcidere*, ut,

quum desinere ibi corpus ipsum, certum sit, visum tamen omnino fallat, & ambire sese Extremitas ipsa videatur, & alia post se promittere, hoc est, revera id corpus eminere. & quod in superficie plana est, foras exstare. Exactissime hocce tradidit Plinius cap. 10. lib. 35. qui locus rei, Petronioque inlustrandis unice quidem compactus est: *Primus* (Parrhasius) *argutias vultus Picturæ dedit, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in Lineis EXTREMIS palmam adeptus. Hæc est in Pictura summa SUBTILITAS. Corpora enim pingere, & media rerum, est quidem magni operis; sed in quo multi gloriam tulerunt. EXTREMA corporum facere, & DESINENTIS PICTURÆ modum includere, rarum in successu invenitur. Ambire enim debet se EXTREMITAS ipsa, & sic desinere, ut promittat alia post se: ostendatque etiam, quæ occultat.* Qui insignes hodie pictores sunt, idemmet quoque magni habere cognovi; contraque cane pejus & angue vitare *Siccas*, sic enim ipsi haud inepte vocant, *Extremitates*. vulgari idiomate est, *secos perfiles*. Unde valde miror, artibus hisce Virum eruditum adeo ab scopo aberrasse, ut intrepide adserere non dubitarit, *Opticen* Plinio verbis illis esse descriptam.

Ut crederes etiam animorum esse picturam.] Magna enim hæc laus semper in pictura fuit, ibique etiam fuit, artis labor & opus. Sic Antiochus Epigrammatarius dixit:

Ψυχὴν μὲν γράψαι χαλεπὸν, μορφὴν δὲ χαράξαι
Ῥᾴδιον.

Pingere difficile est animum, depingere corpus
Hoc facile est.

Qui primus pinxerit, tradidit Plinius; & quid *Animum pingere* sit, exemplis patefecit. utrique indicando insignem ejus referam locum ex cap. 10. lib. 35. *Æqualis ejus fuit Aristides Thebanus. Is omnium primus Animum pinxit, & sensus omnes expressit, quos vocant Græci ἤθη: item perturbationes, durior paullo in coloribus. Hujus pictura est, oppido capto ad matris morientis è vulnere mammam adrepens infans: intelligiturque sentire mater, & timere, ne emortuo lacte sanguinem infans lambat*, &c. Vide quæ infra notamus ad verba cap. LXXXVIII. *qui pæne hominum animas*, &c.

Hinc aquila ferebat sublimis deum.] Omnia, quorum in præsentia meminit, tabularum figmenta (quod etiam silentio haud erat prætereundum) studio quidem sunt ejus argumenti quæsita, quæ perfidis maxime hominum Gitoni & Ascylto pugnarent ex antica. quod semel satis sit, nunc indicasse. Vulgaris est *Ganymedis* fabula, Nasonique pluribus lib. 10. Metam. descripta. Lege item lepidissimum Luciani dialogum, qui inscribitur *Dearum judicium*. Nomen tamen *Dei* latius apud Antiquos patebat, quam restricte necessum sit capere de Ganymede nondum in deorum numerum recepto. unde incogitantiæ Arbitrum perperam insimulat novitius Interpres. De pulcerrimis sæpius dictum, & Petronio ipsi iterum cap. CXXVII. *Libuit DEÆ nomen quærere.*

Illinc candidus Hylas repellebat improbam Najada.] Nec minus trita est de *Hyla* fabula, nam plures adhuc referunt, plene vero Idyllio Theocritus *Hylas* cognominato. Ideo ergo Virgilius exclamat Georg. 3.

Cui non dictus Hylas puer?

Najada, id est, fontis aut fluvii Nympham. nam aquatum iisse, quum à Nymphis raptus, omnes Scriptores uno ore proferunt: Zenobio tamen excepto, qui venatum tradidit. *Naiadas Eumenidas* ideo vocavit Ausonius Ep. 93. satis eleganter. nam quum puerum, ut potirentur, mergerent, quid nisi lethum illi peperit ipsarum Amor?

Improbam Naiada.] Vide quantum venustatis, quantum leporis hic locus accipiat, si cum illo conferas cap. LXXXVII. *Nihil est tam arduum, quod non Improbitas extorqueat.* Voluit ergo Petronius innuere, Improbis lenociniis à Nympha puerum pellici, ut si fors tandem ab illo extorqueret amorem.

Damnabat Apollo noxias manus.] Nota fabula *Hyacinthi* interempti ab Apolline disco nimirum, quem flatu suo in pueri caput converterat Zephyrus contemtus amator, & Zelotypus. Latius canit Orpheus apud Ovidium lib. 10. Metamorph. Nicander Theriaca paullo ante finem, & Joannes Tzetzes Histor. 11. Lucianus deridet duobus venustis Dialogis Mercurii, & Apollinis; Junonis, & Latonæ. Pinxere item & uterque Philostratus eleganter in suis Imaginibus.

Lyramque resolutam modo nato flore honorabat.] *Honorabat*, id est, coronabat. ubi morem aperte tetigit citharœdorum. Ipsos nimirum finito carmine citharam redimire consuevisse, ex Papinio plane conligigitur lib. 6. Thebaid. ubi de Apolline etiam sermo est, postquam canere desiisset, lyram laureo serto circumdante:

Finis erat, differt avidas audire sorores:
Dumque chelyn lauro, textumque inlustre Coronæ
Subligat, & picto distinguit pectora limbo.

Ubi Luctatius, sive Lactantius ait: *Cytharœdorum disciplinam expressit, quibus moris est finito carmine Coronam detractam capiti Citharæ subligare.* Post luctum ergo fidicinis dei; mens est Arbitri, opportune enim Lyra ejus redimiri videbatur. Ita rursus idem Statius Chelyn coronat lib. 4. Sylvar. ad Jul. Menecratem:

——— *Quumque tibi vagiret tertius infans,*
Protinus ingenti non venit nuntia cursu
Littera, quæ sestos cumulare altaribus ignes,
Et Redimire Chelyn, posseque ornare juberet?

Addit, *modo nato flore.* ex Hyacinthino videlicet sanguine. qui flos & fidibus etiam, ut Citharœdus ipse, gemitus suos ambibat temperare.

Ipse suos gemitus foliis inscribit, & αἴ, αἴ,
Flos habet inscriptum, funestaque littera dicta est.

Resolutam, denique inquam, hoc est, solutam, humique jacentem. Amans namque deus ille abjecerat præ mœrore.

Ergo amor etiam deos tangit?] Sic pro certo habebant

bant Antiqui. Adposite Heliodorus lib. 4. Μέγιστος γὰρ θεῶν ὁ Ἔρως, καὶ ἤδη καὶ θεῶν αὐτῶν ποτὲ κρατεῖν λαγχάνων. *Maximus enim deorum est Amor, & ipsos etiam deos interdum tangere dicitur.* Id autem diis indecorum fuisse, satagit demonstrare Aphthonius in Ἀναιτίου exemplo, cantat tamen palinodiam in Κατασκευῇ. Eleganter vero de juvene amplius æquo placente sibi Ovidius in Arte:

Posse suo Tangi credet Amore deas.

Peccaturus.] *Peccare* hic scortari est, meretricari. Sic Ovidius ad Amicam Eleg. 13. lib. 3.

Non ego ne Pecces, quum sis formosa, recuso.

Et Martialis in Epigrammate ejusdem argumenti cum Nasonis Elegia, hoc est, ad Lesbiam operam videlicet Veneri propalam navantem lib. 1. Ep. 55.

Incustoditis, & apertis, Lesbia, semper
Liminibus Peccas, nec tua furta tegis.

Sed plura hic Interpretes.

Sine æmulo.] Victore, uti Ascyltos, intellige, aliter fides Auctoris non constaret.

Hospitem Lycurgo crudeliorem.] Lycurgum huncce diversum puta ab illo cap. CXVII. memoratum. Sic in Symbolis censet Scioppius, licet postea resipuit, novamque lectionem ad oram adpinxit mei exemplaris, *Hospite Lycurgo crudeliorem.* huc etiam deflectens id cap. LXXXI. *Hospitem occidi.* hocce scilicet animo, ut verbis illis cap. CXVII. *Et quicquid Lycurgi villa grassantibus præbuisset*, Arbiter significet, quod socii illi Lycurgi villam non solum spoliarint, sed ejus dominum, qui hospitio nempe illos humanissime exceperat, occiderint. quæ fuit & Dousæ P. sententia. Sed hisce sic constitutis ubinam, quæso equidem, Lycurgi exstitit crudelitas? immo potius humanus, amicus, & hospitalis jure merito audiret. pro quibus meritis illam ei retulerunt gratiam, Rapinam, Mortem. Sed longe aliter est, quum sine dubio hic de Lycurgo sermo sit, quem merito veteres agnoverunt *Crudelem*, vocaruntque. Alter vero particeps fuit Satyrici, ut claret. Plane nobis Virgilius adstipulatur lib. 3. Divini Operis, ad quem signanter, puto, hic respexisse Petronium. Thraciam describere Poëta adgreditur, quo se primum Æneas recepit, postquam Troja solvit, *Hospitium* quippe olim fuerat amicum Trojanis:

Terra procul vastis colitur Mavortia campis,
Thraces arant: ACRI quondam regnata LYCURGO,
HOSPITIUM antiquum Troja, Sociique Penates,

Unde *Hospite Lycurgo crudeliorem*, adsero, scripsisse Petronium, & huncce habuisse in mente, non alios, ut parum recte volunt alii.

Exercitati vultus.] Eleganter dictum de Poëta, qui macer & pallidus. nam frequenter Apollinis id genus Sacerdotes ex labore & meditatione pallorem contrahunt, quod Persius innuit Sat. 3.

At te nocturnis juvat Impallescere chartis.

Et venuste Martialis lib. 7. Ep. 3.

Esset, Castrice, quum mali coloris,
Versus scribere cœpit Opianus.

Id ergo est *Exercitatus vultus*, quod abunde prosequimur in *Conlect. de Pallore Amantium & Poëtarum.*

Ego Poëta sum.] Scito & sub Eumolpi persona voluisse Arbitrum, quod delitesceret etiam haud incommode suus Princeps. Eum ad insaniam usque proclivem prodiderunt ad carmina Historici antiqui. Sic cap. 52. inquit Suetonius: *Itaque ad Poëticem pronus carmina libenter, ac sine labore composuit.* Et Cornelius Tacitus lib. 14. cap. 16. *Carminum quoque studium adfectavit, contractis quibus aliqua pangendi facultas.* Quod in Lucano visum. & alibi dixit: *Aliquando Carminibus pangendis ineesse sibi elementa doctrinæ, ostendebat.* Iccirco Carmina ejus à pluribus, sæpius non sine elogio, memorata reperimus. Plinio ita nonnullis in locis, Seneca lib. 1. Quæst. Natural. cui *Disertissima:* Martiale lib. 8. Ep. 70. cui *Docta;* & lib. 9. Ep. 27. Item Philostrato; Grammaticis etiam Servio, & Persii Scholiasta. Poëtices ergo valde laboravit prurigine, uti & alibi dicimus, eoque ineptiarum amens prorsus devenit, ut *Recitaret carmina*, referente item Suetonio cap. 10. *non modo domi, sed in Theatro.* quod etiam sub Eumolpo signantissime expressum verbis illis paullo infra cap. XC. *Immo quotiens THEATRUM, ut RECITEM aliquid, intravi, &c.*

Non humillimi Spiritus.] Immo grandis & alti. sic illud satis simile Propertii El. 7. lib. 1. interpretatus est Passeratius:

Tunc me Non Humilem mirabere sæpe Poëtam.

Pariter etiam iterum lib. 3. El. 15.

Hæc ego Non humili referam memoranda cothurno.

Contra Eleg. 10. lib. 2.

Surge anima ex Humili jam Carmine, sumite vires
Pierides, magni nunc erit oris opus.

Quod & ideo libentius Distichon adduxi, ut belle prorsus, immo vere interpunctum exhiberem, quum aliter vulgatis omnibus, quos vidi, distinguatur. Illi præterea & idemmet *Anima* est, quod Petronio *Spiritus.*

Si modo coronis aliquid credendum est.] De Coronis Poëtarum si hic conlectanea facimus, non ludemus operam; quandoquidem id haud exacte præstiterint, quibus materies coronaria unicum fuit jamdudum, & potissimum argumentum. Itaque nos ex continua jam interpretatione defessi, hocce haud inamœno, utpote quod plusculis est arboribus consitum, diverticulo aliquantisper recreabimur. Poëtarum olim Commissiones habitæ sunt in Capitolinis Domitiani, ac Neroneis agonibus; in quibus qui Coronas adeptus (ipsæ namque præmia fuere Musicorum certaminum) cœlum ipsum Apollinis tetigisse credebatur. Coronæ autem illæ tum pro commissionis, tum pro victoriæ ratione variæ fuerunt. *Querna* enim præmium exstitit Capitolini certaminis, nam Quercus arbos Jovi Capitolino sacra, in cujus honorem ipse agon institutus. Martialis lib. 4. Ep. 54. ad Colinum:

O cui

O cui Tarpejas licuit contingere Quercus,
Et meritas prima cingere fronde comas!

Et Statius Papinius in Epiced. Patris, dum reddit rationem, cur non Victor quoque evaserit ex agone Capitolino:

Nam quod me mixta Quercus non pressit oliva.

Unde equidem conligo, Coronas Albani certaminis pari causa *Oleaceas* fuisse, nam hoc institutum etiam à Domitiano in honorem Matris Minervæ, ut narrat Tranquillus cap. 4. Arbor enim Minervæ fuit Oliva, & in ejus certamine Victor Statius ipse, uti infra dicimus. Itidem & *Palmæ* rami Poëtarum capita circumplexi, interdum vero, non semper, *lemniscati*. Ausonius sic:

Et quæ jam dudum tibi Palma Poëtica pollet,
Lemnisco ornata est, quo mea Palma cavet.

Musa & ipsæ sic *Palma* coronabantur, uti ex Phornuto notum cap. XIV. περὶ τῶν Μουσῶν. *Lauro* item Poëtæ redimiti, nam haud fuit solum Imperatoris coronamentum. Ideo eleganter Papinius Domitiani caput Imperiali, & Poëtica lauru insignitum lib. 1. Achill. celebravit:

At tu, quem longe primum stupet Itala virtus,
Grajaque cui gemmæ florent Vatumque, Ducumque
Certatim Laurus (olim dolet altera vinci)

Unde & Ausonius claret, quum Epigr. 1. de Valentiniano loquitur, aut Gratiano:

Come serenatam Duplici Diademate frontem,
Serta ferens, quæ dona togæ, quæ præmia pugnæ,
Bellandi, Fandique potens Augustus, &c.

Nullum frequentius aliud fuit coronamentum Poëtarum, ratione à perenni ejus virore desumta. Eximium id ac sibi peculiare habet divina Poësis, hoc est, ipsum nimirum Poëtam immortalem reddere; perinde atque illum, quem versibus suis sumserit celebrandum. Primum disertim effert in Statua Claudiani exarata inscriptio:

LICET. AD. MEMORIAM. SEMPITERNAM
CARMINA. AB. EODEM. SCRIPTA. SUFFICIANT

Alterum Pindarus Pyth. extrema Od. 3.

——— γυναικοῖσιν
Δ' ἀρετὰ κλεινοῖς ἀοιδαῖς,
Χρονία τελέθει.

Quæ cognoscitur virtus per inclytos cantus, diuturna est. Et plures passim. Ex *Hedera* quoque factum Poëtarum coronamen. aperte Plinius lib. 16. cap. 34. *Hederæ & semen nigrum, alii crocatum: cujus Coronis Poëtæ utuntur, foliis minus nigris.* Inde Ovidius, quum queritur, Poëtas sine honore esse, inquit 3. de Arte:

Nunc Hederæ sine honore jacent. ———

Ceterum non Poëtæ solum ipsi, sed eorum *statuæ*. Persius Satyrarum vestibulo:

Heliconiadasque, pallidamque Pirenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces.

Item & *Musæ*. Ovid. lib. 5. Fastor.

Tunc sic neglectos Hedera redimita capillos,
Prima sui cœpit Calliopea chori.

Alii. Insuper *Myrto* haud immerito honorati Poëtæ, præcipue vero amatoria canentes, Venereaque, Elegiographi, Lyrici. Ovidius lib. 1. Amor. Eleg. 5.

Sustineamque coma metuentem frigora Myrtum:
Atque ita sollicito multus amante legar.

Et Statius lib. 1. Sylv. 11. vers. 98.

——— *Mitisque incedere vates*
Maluit, & nostra Laurum subtexere Myrto.

Etiam *Musæ* ipsæ. Naso lib. 1. Amor. El. 1. quum Eraton adloquitur, quæ Elegiographis præest, &

——— *Nomen Amoris habet.*

Ex *Apio* denique plectebatur Poëtis redimiculum. ita Virgilius Eclog. 6. de Lino Apollinis filio:

Ut Linus hæc illi divino carmine pastor,
Floribus, atque Apio crines ornatus amaro,
Dixerit.

Ad quem locum exsertim Servius inquit, in Nemæo agone, qui in honorem Archemori institutus est, *speciatim Apio Coronantur Poëtæ.* Quo etiam omnino facit & illud Juvenalis Sat. 8. vers. 224.

Hæc opera, atque hæ sunt generosi principis artes,
Gaudentis fœdo peregrina ad pulpita cantu
Prostitui, Grajaque Apium meruisse Coronæ.

Verum enim vero, qui præsentiores novem senserunt Deas, & aliquando plures contigit nanciscì Coronas. Sic Papinius, ut testatur, in Epic. Patris & alibi, tres obtinuit Certaminibus Albanis, & Eumolpus itidem, quas pruriens apud Arbitrum effert jactabundus. Præterea ex dictis observare licet, non inconcinne, quum Coronæ illæ forent indices adprobatoriæ sententiæ judicum, pro ipsa audientium adprobatione nonnunquam *Coronam* usurpari. Ita sane apud Horatium est loco insigni Poët. Art. quod nescio an animadverterint ejus Interpretes:

Nec, si quid fricti ciceris probat & nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donantve Corona.

Hoc est, quod plebs infima Probat, neutiquam equites, & nobiles Adprobant. Sed jam cursus ad metam, & septuplex, ajo, Poëtarum fuisse coronamen, ex Quercu nimirum nexum, Oliva, Palma, Lauru, Hedera, Myrto, & Apio. Aliam, sed unius tantum Poëtæ, Principis enim, sed per livorem ei traditam, contemtumque, Coronam item invenimus: quapropter ipsam inter honorificas non accensemus. *Lanea* videlicet est, qua Homerus Poëta donatus à Platone in 3. de Repub. De ea longa est & erudita Dissertatio apud Paschalium lib. 5. de Coronis cap. ultimo. quem, si vacat, adi.

Quas etiam ad imperitos deferre gratia solet.] Et iste in Neronem ictus sat rectus. Sic de ipso cap. 12. Suetonius: *Et Orationis quidem, Carminisque Latini Coronam, de qua honestissimus quisque contenderat, ipsorum consensu concessam sibi recepit.* Adpositissimum rei exemplum est, quod refert A. Gellius lib. 17. cap. 4. Menandri scilicet Comici à Philemone devicti:

Manan-

Menander à Philemone nequaquam pari Scriptore in Certaminibus Comœdiarum, ambitu GRATIAQUE, & factionibus sæpenumero vincebatur. Quippe & in ingenua hacce ingenii decertatione habuere suum etiam locum Summa potestas, Divitiæque corrumpendis judicum suffragiis, quo & iterum infra respectavit Petronius, quum cap. CXXXVII.

Quisquis habet nummos &c. ——
Carmina componat,

inquit. Minoris tamen ejusmodi victoriæ fuere omnino factæ, Fortunæ namque cæcutientis haud secus ac munera forent, &, uti Seneca dicit, *tanquam consulatus præturave* contingerent. Hujusce argumenti extat venustissimum Polliani Epigramma ad Florum malum Poëtam, adeptum tamen in Certamine præmium, illi obsecundante fortuna prorsus immerito lib. 2. Anth. cap. 40. Epigr. 1.

Εἰ μὴ χαίρω, Φλῶρε, γενοίμην δάκτυλος, ἢ πῶς
Εἷς τῶν σῶν τέτρων τῶν καταπινομένων.
Χαίρω νὴ τὸν κλῆρον, ὃν ἐυκλήρησας ἐν ἄθλοις
Ὡς περὶ χρείας τῷ στόματι μιμέομαι, &c.

Ejus ecce libera Casauboni versio, sive potius, si ita vocare lubet, enarratio: prius namque pessime fuit Interpretibus acceptum. *Ego vero, ô Flore, nisi gaudes, fiam eorum pedum unus, quos tu in tuis chartis torques misere: Gaudeo inquam, idque ita esse, juro tibi per Fortunam, & sortem, qua favente tibi Coronam poëticam ita nactus es, ut in divisione hæreditatis, quæ parentum morte obtigisset, partem opimam,* &c.

Gratia.] Hic, Munera, Dona. Ita Sallustius Crispus de Bello Jugurthino: *Fautores Legatorum, præterea magna pars Gratia depravata, Adherbalis dicta contemnere.* Innuit pecuniam à Jugurtha per legatos missam. Sic & Appulejus de Paride Dearum Judice, Veneris promissis corrupto lib. 10. *Quum rerum exordio, inter deos & homines agitatum judicium corruperit Gratia.*

Quare ergo, inquis, tam male vestitus es? propter hoc ipsum.] Male Eumolpus vestitus, quia Poëta bonus, aliter Martialis lib. 6. Ep. 82. quod erat Interpretibus animadvertendum, sed ipsi potius confundunt:

Subrisi modice levique nutu,
Me, quem dixerat esse, non negavi,
Cur ergo, inquit, habes malas lacernas?
Respondi: Quia sum malus Poëta.

Ast Arbitri sententia omnium gentium stabilita suffragiis omni ævo. in re clara immorari non licet. Latius id Lucianus declamat in Saturnalibus. Sed quid? quum olim & Sapientes fuerint viri, quibus ab attrita veste petita vanitas. Inde superbientem Antisthenem pernio de varia Hist. lib. 9. cap. 35. An fors ambibant sic male vestiti ex nota Litteratorum videri? An indicare, veros esse divitiarum contemtores?

Qui pelago credit &c.] Plenam sententiam istorum versuum verbis Senecæ P. excipe conceptam, ubi pariter de Eloquentia contemta loquitur, Præfatione lib. 1. Controvers. *Sive quum præmium pulcerrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad Turpia, MULTO HONORE QUÆSTUQUE VIGENTIA.*

Qui pugnas & castra petit, præcingitur auro.] *Præcincti* milites, ut supra notavimus. Recte autem *Auro* dicit, nam in Zonis pecuniam gestabant milites. sic C. Gracchus apud A Gellium lib. 15. cap. 14. *Itaque, Quirites, quum Roma profectus sum, Zonas, quas plenas Argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Spartianus item in Pescennio Nigro: *Idem jussit, ne in Zonis Milites ad bellum Aureos vel Argenteos Numos portarent, sed publice commendarent, recepturi post prælia quod dederant.* Lampridius rationem reddit in Alexandro: *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, & habens aliquid in Zona.* Hinc & D. Matthæus 10. 9. jam claret: ubi χαλκὸν ideo Vulgatus Interpres recte *pecuniam* reddidit. Ligamenta & habenas habebant Cingula & Zonæ, quibus circa ventrem cingebantur milites, in medio tamen receptaculum erat, quo numi continebantur, haud secus ac sinum funda habet, quo conlocantur lapides. Itaque cingula illa prorsus olim fundam referebant. Unde non dubio fuit ortum, ut Cingulum etiam vocaretur ab Antiquis *Funda.* Plane indicant Glossæ veteres: *Ventrale κοιλιόδεσμον, φῦνδα. Ventrale* etiam est genus Zonæ. Item alibi, *Ventrile, φῦνδαμ.* Sed φῦνδα, scito, Latinum est, non Græcum vocabulum. *Funda* nempe, quæ Græcis est σφενδόνη.

Jacet ostro.] Nam divitum stragula purpurea olim, sive Cubicularia lecti essent, sive Discubitorii. Iberus Epigrammatographus lib. 2. Epigr. 16. de Zoilo Ægrotante:

Zoilus ægrotat, faciunt hanc stragula febrem,
Si fuerit sanus, Coccina quid facient?

Ac de eodem Discumbente lib. 3. Epigr. 82.

Cubitis trudit hinc & inde convivas,
Effultus Ostro, sericisque pulvinis.

Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.] Adulteria & stupra Romanis prohibita, libidines aliæ ferè permissæ. Ecce D. Hieronymi locus id indicans plane in vita B. Fabiolæ, ubi de Ethnicorum legibus verba facit: *Apud illos* (Romanos) *viris impudicitiæ frena laxantur, & solo Stupro atque Adulterio condemnato, passim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas.* De pœnis autem mœchis irrogatis creberrima apud Scriptores mentio. Ideo ergo Nuptæ mulieres emebant futuitiones, sive, ut Martialis loquitur, *numerabant*, nimirum ut præmiorum spe, ubi voluptas defuisset, adulteri deliniti imminentia supplicia contemnerent. Illud est cap. CIV.

—— *Dat adultera munus.*

Ad præmia id est, *Ob præmia*, ut Plautus loquitur.

Pruinosis pannis.] Vel Pannis solum sufficeret: quum sordidam vestem, ac vilem *Pannum* vocarent

Antiqui. Sic contemtim *Pannuciam* vocavit viliſſimam veſtem cap. XIV. & Vetus Lexicon *Pannum* interpretatur Pannuciam, teſtemque Petronium affert Grammaticus. Ea ſignificatione Seneca Ep. 20. bis ἁπλῶς utitur *Panno*, dum illorum ſeſe ad paupertatem redigentium commendat ingenium: eorumque dicta, ſi factis tamen haud diſſentiunt, mirifice animis imprimi, item docet. *Munificentior (mihi crede) ſermo tuus in grabato videbitur, & in PANNO, non enim dicentur tantum illa, ſed probabuntur.* Et poſt pauca: *Alioquin leve argumentum eſt bona voluntatis grabatus aut PANNUS; niſi apparuit aliquem illa non neceſſitate pati, ſed malle.* Unde Interpretis cujuſdam error manifeſtarius, qui locum videlicet cap. CII. *Statuarum ritu patiemur Pannos & vincula?* de amiculis Deorum pretioſiſſimis perperam capit. nam ibi dubio procul intelligit Arbiter tegmina & involucra, quibus ſtatuæ nimirum, quum aliquo forent deportandæ, obvolvebantur, præligabanturque, ne ullum ab itinere vitium damnumve contraherent. Viles namque ac parvi pretii centones ad id adhibiti.

Inopi lingua.] *Inops lingua*, hic diſerta eſt, facunda; nam, vel eo teſte,

——— *Pruinoſis horret Facundia pannis.*

Ex diametro contrarium eſt Symmacho lib. 9. Ep. 88. *Tu tantum bona venia recipe obſequium Linguæ Inopis.* Hoc eſt, rudis, & elegantiarum indigentis. Sic *Pauper Ingenium* eidem eadem in Epiſtola.

Cap. LXXXIV. *Vellem tam innocens eſſet, &c.*] Verba ſunt Encolpii, quæ in hocce fragmento, querentis ſcilicet de Aſcylti fide ſcelere violata, ac de extremo item pueri ingrati flagitio. Cum Eumolpo loquitur: unde ei poſtea tempeſtive refert ſtuprator ſenex obſcœnam de diſcipulo ſuo narratiunculam.

Cap. LXXXV. *In Aſiam quum eſſem à Quæſtore ſtipendio eductus.*] Recte, nam & illud fuit munus Quæſtoris. Non ſolum pecuniam ex provinciis, aut hoſtium prædis exactam referri in ærarium curabant: ſed pecuniam etiam, quæ ab ærario nimirum eſſet in exercitus uſum depromta, expendebant, ſtipendiumque militibus ex ea adnumerabant. in quem uſum à Tribunis Ærariis ipſam ex ærario deſumtam, qui Imperatorum Quæſtores erant dicti, accipiebant. Aſconius diſerte adpoſiteque ad Petronii inluſtrationem ad Cicer. Verrin. *Pecunia adtributa, quæ in Stipendium militum de ærario à Tribunis Ærariis adnumerari Quæſtori ſolet.* Hinc & obiter diſcis, Pecuniam illam *Adtributam* fuiſſe vocatam. Illi ergo muneri obeundo, cum ſingulis Imperatoribus ſinguli mittebantur Quæſtores.

Tam ſevera triſtitia.] *Severa Triſtitia*, Martiali *Triſte ſupercilium* eſt lib. 1. Ep. 24. &, *Severa frons* lib. 11. Ep. 2. Ipſe vero, qui ſimulat, *Ambitioſe Triſtis* in Epiſt. lib. 1. Phædrus etiam *Severitatem frontis* vocavit Fabul. 64.

Quum in triclinio jaceremus.] Locus etiam Veneris flagitiis fuit in tricliniari accubitu. Notum hoc plane ex ultimæ hacce impudicitiæ narratione, in qua nunc verſamur. notum etiam ex nonnullis Scriptorum locis, quæ in præſentia operæ pretium duximus adpingere. Non alio abit ſimulatio mariti lenonis eleganter apud Juvenalem expreſſa Sat. 1.

Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo.

Somnum namque aucupabantur amantes obſtantium in triclinio. diſerte paullo infra cap. ſequenti ipſus Petronius: *ut intellexi ſtertere patrem, rogare cœpi Ephebum*, &c. Eadem Ovidii mens Eleg. 4. lib. 1. Amor.

Vir bibat uſque roga: precibus tamen oſcula deſint,
Dumque libet, furtim (ſi potes) adde merum.
Si bene compoſitus ſomno, vinoque jacebit,
Conſilium nobis reſque LOCUSQUE dabunt.

Et Eleg. 5. lib. 2.

Ipſe miſer vidi, quum me dormire putares,
Sobrius adpoſito crimina veſtra mero.

Tempeſtiva & hic hiſtoria Galbæ & Mæcenatis apud Plutarchum Eroticis, & Cippii illius, qui Pararhenchon dictus, apud Feſtum in proverbio, *Non omnibus dormio.* Et plura alia, quæ prætermitto haud neſciens.

Jaceremus.] Soporati ſcilicet, ac de omnibus loquitur, qui in triclinio adcumbebant. Verbum eſt funerale, *Jacere.* unde opportune ad ſomnum transfertur, qui Mortis imago dictus, pariſſime Propertius lib. 2. El. 15.

Illa meos ſomno laſſos pateſecit ocellos
Ore ſuo, & dixit, Siccine, lente, Jaces?

Annuit plane & id quod ſequitur: *Fere circa mediam noctem intellexi, puerum vigilare.* Sic *Componere* acceptum, ut dicimus alibi.

Quia dies ſolemnis ludum artaverat.] Ἁπλῶς *Ludus* pro literario. Plautus Perſa Act. 2. ſc. 1.

Cuculus, ſi in Ludum iret, potuiſſet jam fieri, ut probe litteras ſciret.

Senſus ergo eſt, ſolemnitatem illam parum temporis Ludo literario reliquiſſe. Sed bone Deus! Quid *Pigritia*, quæ ſequitur, cum ingenuo Litterarum otio Martialis in lib. 12. Ep. 4. habuit unquam ſimile, ut ea conferre, Symbolis in mentem veniret? equidem nec per nebulam video, nec ipſe, qui conligit etſi Argus ipſe, potuit videre.

Cras illi par columbarum donabo.] Adpoſitum oppido votum. Venerem precatur, aves ſunt Veneris columbæ. Ælianus de Animal. lib. 4. cap. 2. Porro conditio voti ſuſcepti, *ſi amaſium baſiaverit.* Columbæ adſidue roſtris ſibi invicem morſicatim blandiuntur. belle Martialis lib. 12. Ep. 66.

——— *Baſioque tam longo*
Blandita, quam ſunt nuptiæ Columbarum.

Et lib. 11. Ep. 105.

Baſia me capiunt blandæ imitata Columbas.

Quod plures etiam dixerunt alii.

Audito voluptatis precio puer, &c.] Nefaria etiam flagitia maſcula precio utique olim obnoxia. Adpoſitus & inſignis locus Ariſtophanis eſt in Pluto Act. 1. ſc. 2.

sc. 2. ubi parissimos, ac Romanorum sunt, perstrinxit Græcorum mores:

Χρ. Καὶ τάς γ' ἑταίρας φασὶ τὰς Κορινθίας,
Ὅταν μὲν αὐτὰς τὶς πένης πειρᾶν τύχῃ,
Οὐδὲ προσίχειν τὸν νοῦν· ἐὰν δ' πλούσιος,
Τὸν πρωκτὸν αὐτὰς εὐθὺς ὡς τῆτον τρίπιν.
Καρ. Καὶ τές γε παῖδας φασὶ ταυτὸ τῆτο δρᾶν,
Οὐ τῶν ἐρασῶν, ἀλλὰ τ' ἀργυρίε χάριν.
Χρ. Οὐ τές γε χρηστές, ἀλλὰ τὰς πόρνας. ἐπεὶ
Αἰτῆσαι ἐκ ἀργύριον οἱ χρηστοί. Καρ. Τί δαί;
Χρ. Ὁ μὲν ἵππον ἀγαθὸν, ὁ δ' κύνας θηρευτικάς.
Καρ. Αἰσχυνόμενοι γὰρ ἀργύριον αἰτεῖν ἴσως,
Ὀνόματι περιπίπτουσι τὴν μοχθηρίαν.

Vertit Nicodemus Frischlinus:

CH. *Etiam Corinthiacas ajunt meretriculas,*
Si quando pauper eas sollicitando ambiat,
Nullam rationem ejus habere. At si quispiam
Dives, statim illi facere copiam sui.
CA. *Hoc ipsum ajunt facere pueros tenellulos,*
Non propter Amatores, sed quæstus gratia.
CH. *At tu hoc non de bonis, sed meritoriis,*
Dici puta: nam frugi argentum haud expetunt.
CA. *Quid ergo petunt?* CH. *Alius quidem generosum equum,*
Alius vero expetit canes venaticos.
CA. *Fortasse dum eos pecuniam exposcere pudet,*
Hoc prætextu suam tegunt infamiam.

Cap. LXXXVI. *Gallos gallinaceos.*] Conveniens rei & voti sponsio isthæc. Galli enim salacissimi sunt, ac de præpostera libidine suspecti. Vide Ælianum de Animal. lib. 4. cap. 16.

Coitum plenum.] Votum plenum vocavit Ovidius 1. de Arte:

Quantum defuerat pleno post oscula Voto?

Unde Arbiter & paulo inferius claret, ubi *Unum* id κατ' ἐξοχὴν nuncupat *Votum: Deinde in Unum omnia Vota conjunxi.*

Cras puero asturconem Macedonicum donabo.] Votum autem hocce prorsus hic ἀπροσδιόνυσον venit, nam quid cum summa illa voluptate habent *Asturcones* commune? Et quonam modo suspicari puer certum quiverat munus, quod Patri neutiquam latere poterat; cognitumque ab eo si foret, omnino faceret suspectam Pædagogi liberalitatem, ut ipse inquit postea? Notum est, *Asturcones* esse Gallaïcos equulos, nobis, *Acas Gallegas*, adpellatos, ab *Asturia* scilicet Gallaicæ olim adcensita regioni *Asturiones* dictos, & *Asturcones*. exstat & hodie de ipsorum incedendi modo apud Martialem, & Plinium mentio. Ea propter, postquam diu negotium fecisset nobis locus iste, & mendum altius latere pro certo habuissemus; tandem, anne, *Asturcone* expuncto, ejus in locum substituendum esse *Struthionem* comminiscebamur. Quam vero apte ipsus conveniat rei, uti inquiramus licet. Alites fuere minorum votorum sponsiones, ipsas quasi per gradus augendo, quousque ad summum votum Eumolpus pervenit. cujus enim census promissus, quod omnium videlicet maxima Ales futura esset, rectus omnino rerum ordo videbatur exigere. Ipse autem *Struthio* sine controversia est. Ita inquit Plinius initio lib. 10. *Sequitur natura avium, quarum grandissimi, & pene bestiarum generis, Struthiocameli Africi, & Æthiopici, altitudinem equitis insidentis equo excedunt.* Inde eis Magnitudinem immensam tribuit Oppian. 3. Κυνηγ.

Τῆς ἤτοι μεγέθω μὲν ὑπέρβιον.

Et *Vasta Ales* Claudiano dicitur lib 2. in Eutrop. Μεγάλη Aristophani in Avibus, & Æliano passim. Præterea fuere & insigniter salaces superiores Aves illæ, ut forent Venereæ velitationi mercedulæ adpositissimæ. Erat igitur & tertia Avis futura salacissima, nam commissi jam profligatissimi voti exstitit munus insigne. Struthio autem adeo salaci est natura, ut vel exin in Mimis vocari *Strutheum* obscænam partem virilem, nullum sit dubium. Sic dicit Festus: *Strutheum in Mimis præcipue vocant obscænam partem virilem, à salacitate videlicet passeris, qui Græce στρθὸς dicitur.* Quem locum Aldrovandus recte de *Struthione* isto, quo de agimus, cepit lib. 9. Ornithol. cap. 2. Ideo & Avicenna, carnem Struthionis Medicis laudari, memorat, libidini coituique promovendo: nam calida quum sit, præstare id posse, rationi consentaneum est. Ipsi quidem sæpissime coëunt, quod sat plurimum habent excrementi. Sed tu forte inquis, in quem usum tam vehementer puer optaret promissum Struthiocamelum? Ego enim paucis aperiam, & inquam in duplicem. Sive ut condiscipulis inde convivium pararet, quod & verba illa haud insinuant invite in cap. sequenti. *Postquam diu questus est, deceptum se & derisum, traductumque inter condiscipulos, quibus jactasset censum meum.* juvatque adpositum, quod in voto præmiserat, *Struthionem Macedonicum OPTIMUM*, ubi & forsitan scriptum, OPIMUM. sed idem ibi *Optimum* valet. Struthiones sane inter luxuriæ instrumenta olim non vulgaria. Lampridius auctor est, Alagabalum in cœnis aliquoties Struthiones exhibuisse; & sexcentorum capita quodam in convivio, ad edenda videlicet cerebella. Ipsum autem nonnullis diebus tantum eisdem vesci consuevisse, sicuti phasianis, & pullis. Sic etiam narrat & Heraclides, Regi Persarum inter cæteras animantes quotidie & *Struthiones Arabicos* mactari. Ipsos vero condiendi rationem hisce verbis præbuit Apicius in Trophete cap. 1. *In Struthione elixo usurpant piper, mentum, cuminum, porrum, apii semen, dactylos, vel Cariotas, mel, acetum, passum, liquamen, & olei modicum. Qua in cacabo bulliunt, amylo obligant, atque ita partes Struthionis in lance perfundunt, ac piper desuper adspergunt. Si autem condituram coquere volueris, alicam addes.* Et rursus: *Aliter sic præparatur: Struthione elixo, piper Ligusticum, thymum, aut saturejam, mel, sinapi, acetum, liquamen, & oleum addes.* Unde conligere est, illos ab delicatissimis gulonibus nunquam assari. Sive expetebat anxie ephebus impudicus Struthionem, ut

illius spectaculum ederet condiscipulis, interque se, Struthiocamelum agitantes, haud insolens iidem luderent. Antiquos nimirum Romæ & spectacula Struthionum exhibuisse, ex Plauto equidem videor mihi odorari: nam in Persa 2.2.17. quidam curriculo volare jussus quum esset, haud inconcinne respondet:

Isthuc Marinus Passer per Circum solet.

Marinus Passer Struthio est, ut infra dicimus, ubi & nonnulla insuper de illo opportune addimus. Ita Pergami, & Athenis *Coturnicum*, & *Gallinaceorum* fuisse, narrant Pollux, Lucianus, Ælianus, & Plinius. Firmat etiam Vopiscus in Probo: *Immissi deinde* (in Circum) *per omnes aditus* (Cavearum) *Struthiones mille, mille Cervi, mille Apri.* Ipsos & talibus spectaculis *miniari*, innuit Capitolinus in Gordiano cap. III. Verum enimvero auribus jamdudum nostris tinnire molestè sensimus, Ubinam tui *Struthionis Macedonici* memoria? Scrupulus enim est, nos ingenue fatemur, quem in præsentia removere, satis non possumus. nam adhuc ego non reperi Struthionem Macedonicum: quum apud Xenophontem, Diodorum Siculum, Strabonem, & Lampridium *Arabici* sint: *Lybici* sive *Africi* apud Aristotelem, & Plinium: & *Mauri* etiam apud Capitol. in Gord. cap. III. item apud Plinium *Æthiopici*: & apud Diodorum Siculum, *Syriaci*. Ast ego interim ab ipsis quærerem, Ubinam est & *Asturonis Macedonici* testimonium? Nusquam me-Hercules Scriptorum; & ipsi Asturcones Macedonicarum nusquam prorsus, ut arbitror, gentium. Itaque haud hinc superior evadit Scriptura ineptissima, & radicitus ex politissimo Scriptore evulsa quum sit, in Gemonias æternum abjicienda.

Cap. LXXXVII. *Male repugnanti.*] Venustius adhuc plane istud est præ illo cap. XX. *non repugnanti.* Pariter Horatius Od. 9. lib. 1.

Pignusque direptum lacertis,
Aut digito Male pertinaci.

Sic & Sulpitius Servastus Junior, quum mollem ac levem illam, quam in alveo paullatim facit exiguus amnis, arrosionem exprimit eleganter:

Amnis insueta solet ire valle,
Mutat & rectos via certa cursus,
Rupta quum cedit Male pertinaci
Ripa fluento.

Gaudium.] Coitum. Tibullus lib. 2. El. 1.

——— *Discedat ab aris*
Cui tulit hesterna Gaudia nocte Venus.

Arbiter ipse cap. CXXXII.

Nam quis concubitus, Veneris quis Gaudia nescit?

Et sæpe alias.

Gaudio lassus.] Iterum *Gaudium* pro coitu, quem, ut indicat hic Petronius, subsequitur *Lassitudo.* Sic etiam Ovid. lib. 1. Amor. El. 5. sub finem:

Cetera quis nescit? Lassi requievimus ambo.

Et in Sapphus Epistola.

Et quod, ubi amborum fuerat confusa voluptas,
Plurimus in Lasso corpore Languor erat.

Et alibi summa cum venustate:

Aut te trajectis Æa venefica ramis
Devovet, aut alio Lassus amore venis.

Item Tibullus lib. 1. El. 9. de corruptoris uxore pueri sui loquens:

Et quum furtivo juvenem Lassaverit usu,
Tecum interposita Languida veste cubet.

Cujus rei Aristoteles rationem quærit, redditque Problem. 22. Sect. 4. Unde & Petronius sibi ipsi interpres cap. XXI. & cap. CXXXII.

Pungere me manu cæpit, & dicere, Quare non facimus?] Fateor me haud secus suspensis pedibus per hancce fabulam properanter incessisse, ac si per ignem, per spinas, aut per hastæ cuspidem, ut ajunt, mihi contingeret progredi. Nimio plus charum & egomet hunc Scriptorem, me-Dius Fidius, haberem, si absque ultimæ improbitatis ejusceemodi narratiuncuiis Satyrici sui funiculum produceret. Mutuo autem auxilio sibi sunt locus iste & ille cap. CXXX. *ut timerem ne latus meum frater convelleret. Facere* notum Veneris verbum. Unicum Senecam meum produco ep. 123. *Una felicitas est bona vitæ, Facere, esse, bibere, frui patrimonio.*

Cap. LXXXVIII. *Hæc tropica instituit.*] Sensus est, Quod artes nimirum, quum ad summum pervenissent cacumen, exin pecuniæ cupiditas, quæ medullitus postea homines invaserat, deturbarit, ac omnino revertendi imposuerit necessitudinem. haud aliter atque Solis fax, quum Circulos tetigit, qui *Tropici* ideo indigitantur, convertit sese, ac reflectit cursum suum, ut docent cum Proclo Astronomorum filii. Paterculus enim disertis verbis sententiam ipsam protulit extremo lib. 1. ubi & plura huic Eumolpi declamationi reperiuntur consentanea. *Difficilis*, inquit, *in perfecto mora est: naturaliterque, quod procedere non potest, recedit.* Alii nescio quas hic somniant umbrarum imagines, & incondita ac inania quædam soporatorum deliramenta. Utebantur sane, uti vernaculis, nonnullis vocalis Græcis olim Romani, ob utriusque nempe linguæ commercium. Sic nos hodie plusculis Latinis. Cape apud Arbitrum isthæc, *Tropica*, *Phili*, *Logi*, *Daphnon.*

Omnium herbarum succos Democritus expressit.] Sic ipsum cum Pythagora composuit Plinius lib. 25. cap. 2. *Ab eo Pythagoras clarus sapientia, primus Volumen de Herbarum effectu composuit, Apollini, Æsculapioque, & in totum Diis immortalibus inventione & origine adsignata. Composuit & Democritus, ambo peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis.* Nihil ergo mirum si de ipso Arbiter adfirmat, *ætatem inter experimenta consumsisse.* Diogenes etiam Volumen illud Democriti, Plinio subintellectum, inter ejus recenset opera in vita ipsius.

Eudoxus.] Plures Eudoxi, omnium autem celeberrimus ille, cujus hic fit à Petronio mentio. Cnidius nimirum Major ille est, cujusque vitam scripsit Diogenes lib. 8. Quum vero cœli, astrorumque observa-

servationi motuum diutius vacasset, recte Ἀστρολογούμενα, ut Laërtius vocat, sive φαινόμενα, ut Hipparchus in Aratum Comment. lib. 1. & Anonymus in vita ejusdem Arati, scribere potuit. Plura ejusdem opera Meursius recenset, uti & ceteros Eudoxos, Commentario in Apollonii Dyscoli Historiam Commentitiam, quem vide cap. 24. Si de ipso autem plura rescire lubido foret, consulendi videlicet erant Laërtius dicto jam loco, Suidas, & A. Gellius lib. 27. cap. 21.

Ter helleboro animum detersit.] Apud Lucianum ait ipse Chrysippus in vitarum Auctione: Καὶ τὸ κεφάλαιον, ἃ δήμοις γνώσεται σοφὸν, ἢν μὴ τρὶς ἐφεξῆς τοῦ ἐλλεβόρου πίῃς. *In summa, nequaquam decet sapientem fieri prius, quam ter ex ordine Helleborum bibas.* quem locum etiam indicavit Bourdelotius. Helleborum enim primum terribile habitum medicamentum, postea adeo familiare redditum, ut studiosi fere omnes epotaverint haud cunctabundi. Didici ex Plinio cap. 5. lib. 25. *Candidum* (Helleborum) *vomitione, causasque morborum extrahit, quondam terribile, postea tam promiscuum, ut plerique studiorum gratia ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, sapius sumtitaverint.* Chrysippi autem decantati Hellebori sic translative meminit Fulgentius Continentia Virgiliana: *Ego vero Chrysippi Helleboro rancidulo acrore postposito, cum Musis aliquid blandius fabulabor.*

Statuæ unius lineamentis.] Infra & Plastarum tangimus Lineamenta, ubi de Picturæ Lineamentis studiose inquirimus. Nunc autem in transcursu Valerii Maximi præmittimus locum, rei sane, qua de agimus, plurimi faciendum. Inquit ergo, ubi de Venere Gnidia loquitur, glorioso illo, inquam, Praxitelis marmoreo pervigilio, juvenis vero Deam ipsam depereuntis, amatorio, lib. 8. cap. 11. *Quid enim vacuationis animalia arte decepta miremur, quum hominis sacrilegam cupiditatem muti lapidis LINEAMENTIS excitatam videamus?*

Myron, qui pene hominum animas ferarumque æra comprehenderat.] Sic ubi de Statuariis Plinius lib. 34. cap. 8. *Myronem Eleutheris natum, & ipsum Ageladis discipulum, bucula nobilitavit, celebratis versibus laudata: quando alieno ingenio plerique, quam suo commendantur.* Ac subinde ejus recenset opera, ubi *Feræ*, ubi *Homines*. Superstites adhuc sunt, nescio an iidem sint, qui Plinio memorantur, versus inlustres, qua Græcorum, qua Latinorum, quibus Bucula illa celebratur. Nobilitarunt item & Statuarios plures Signa videlicet, ubi Animi mores, subtilitate quoque Lineamentorum, ad vivum prorsus fuerunt expressi, quod & Plinio non latuit. Ea mens Callistrati est Profantis de marmoreo Centauro: Τοιούτε δὲ ὄντος τὸ σώματος, εἶδες ἂν θυμὸν ἐπιπλέοντα τῷ τεχνήματι, καὶ ἠγριωμένον τὸ σῶμα, καὶ τῷ προσώπῳ θηριώδες ἐπαυθοῦν. *Porro quum tale sit corpus, videas Animum in artificio eminentem, & corpus efferatum, & vultui bellutinum quiddam efflorescens.*

Ac ne bonam quidem mentem, aut bonam valetudinem petunt.] Valetudinem innuit Animi, & Corporis, ut supra diximus ad verba cap. 111. *amas bonam mentem.*

Alius donum promittit, si propinquum divitem extulerit, alius &c.] Vota hæc sunt, quæ arcano ore suscipiebantur, de quibus intelligendus Martialis lib. 1. Ep. 40.

Et nihil arcano qui roget ore Deos.

Cui opponitur, *Aperto vivere voto*, ut ait Persius. Sed copiose de Votis hisce plures jam Critici.

Capitolio promittere solet.] Nihil mutare necessum. *Capitolium* pro Jove Capitolino sæpius positum plane Suetonius in Nerone cap. 12. ubi audaces nimis ejus nuperi Interpretes ad libitum suum locum refingunt. Prudentius Apotheosi titulo *adversus Judæos*:

Ipsa suis CHRISTUM Capitolia Romula mœrent,
Principibus lucere Deum.

Et Rycquius de Capitol. Rom. cap. 5. inter alias Capitolii notiones recensuit. *Promittere*, ait, quum vota scilicet à Senatu nuncupabantur, quorum plurima apud Scriptores priscos exstant exempla. Quid ergo hocce cum donariis deorum, & auro eis dedicato, quæ commiscuit Horatii Interpres? Inconditi sane coqui sunt sæpenumero viri eruditi diversa jura confundentes.

Jovem quoque peculio exorat.] Hocce dictum ex Jovis Dodonæi oraculo:

Δῶρα θεοὺς πείθει, καὶ ἀιδοίους βασιλῆας.
Munera deos placant, & venerandos reges.

Quod ore Hesiodi prolatum, refert Suidas, inveniriique apud Platonem 3. de Republica. Expressit item & Ovidius 3. de Arte versu illo:

Placatur donis Juppiter ipse datis.

Quæ eadem Euripidis sententia Medeæ:

—— Πείθειν δῶρα καὶ θεοὺς, λόγος.
—— *Donis vel ipsos dicitant flecti deos.*

Multisque Aristophanes in Pluto. Hinc & illud Arbitri exponendum cap. CXXXVII. *Unde Possitis & deos emere.*

Peculio.] Supra quid hic *Peculium* sit, jam diximus. Insuper tamen addimus in præsentia, dictum Petronii formam proverbialem referre eadem figura, uti illud cujusdam Poëtæ est apud Pollucem lib 9.

Τὰν ἀρετὰν, καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι.
Et virtus testudinibus, & sapientia cedit.

Olim namque Græcorum in numis *Testudinis* effigies insculpta, uti & Pecudum fuere Romanorum numismatis. Unde & Græcis ἁπλῶς *Testudines* vocabantur numi.

Quum omnibus diis, hominibusque formosior videatur massa auri.] Parissimum illud Ovidii lib. 3. de Arte:

Munera, crede mihi, capiunt homineseque deosque.

Eademque sententia est Oraculi Jovis Dodonæi supra adducti.

Cap. LXXXIX. *Qua Troja haloſin ostendit; itaque*

conabor opus versibus pandere.] Agnoſce & hic ſub Eumolpi figura Imperatoris ad poëticen proclivitatem adumbratam. Inter inſigniora enim Poëmata Neronis *Halosis* exſtitit antiquitus *Trojana*. Ubi ſimul amaram Carminis occaſionem indubie inſectatur Petronius. quæ videlicet immaniſſimo Principi ex Romæ incendio fuit oblata. Omnia ſic veteres Hiſtorici convincunt. Suetonius cap. 38. quum Urbis incendium deſcribit: *Hoc incendium è turri Mæcenatiana proſpectans, latuſque flammæ, ut ajebat, pulcritudine ἄλωσιν Ilii Decantavit in illo ſuo ſcenico habitu.* Tacitus pariter lib. 15. *Ipſo tempore flagrantis Urbis, iniſſe eum domeſticam ſcenam, & cecinisſe Trojanum EXCIDIUM, præſentia mala vetuſtis cladibus adſimilantem.* Item Dio lib. 62. pag. 709. Ὁ Νέρων ἐς τὸ ἄκρον τῦ Παλατίυ (ὅθεν μάλιστα συνόπλια τὰ πολλὰ τῶν καιομένων ἦν) ἀνῆλθε, καὶ τὴν σκευὴν τὴν κιθαρῳδικὴν λαβὼν, ἦσεν ἅλωσιν, ὡς μὲν αὐτὸς ἔλεγεν, Ἰλίυ. *Nero in ſummum Palatii, unde magna pars incendiorum videri poterat, conſcendit, ibique ornatu Citharœdi HALOSIN Trojæ, ut Ipſe dicebat, cecinit.* Aſt revera Urbis erat Romæ. Scripſit præterea TROICA, ut Juvenalis vocat Sat. 8. 221. TROICON Perſii Scholiaſtes, & TROADOS LIBROS vetus Interpres ejuſdem Juvenalis. Sed de illis latius nos in *De Neronis Operibus* Libro ſingulari. Exſtat hodie & Τρυφιοδώρυ Αἰγυπτίυ Γραμματικῦ, καὶ Ἐποποιῦ Ἰλίυ Ἅλωσις.

Jam decuma &c.] Ab Equi fabrica, perinde ac Maro, conſulto Poëmation ſuum orditur Petronius. Præfatiuncula autem hæcce de belli ſtatu præmittenda, longe enim multumque ſuperavit Poëtam Principem. quod ſat erit ex conlatione perſpicuum. Sic Virgilius canere cœpit principio lib. 2.

——— *Fracti bello, fatiſque repulſi,*
Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Inſtar montis Equum, &c.

Ubi jejune Danaum memor fuit tantum ſummus Poëta, nulla facta Trojanorum mentione. Arbiter vero plenius utramque gentem commemorans, quod erat eo loci omnino neceſſarium, cultiori doctrina (ſi fas eſt, etſi vere, hic ita loqui) & mira, ac plena rerum, verborum parcitate ad Equi deſcriptionem ſeſe adcinxit. Inquit ergo primis tribus elegantiſſimis verſibus:

Jam decuma mœſtos inter ancipites metus
Phrygas obſidebat meſſis, & vatis fides
Calchantis atro dubia pendebat metu.
Quum &c.

Ubi utroſque facit belli eventus ancipites, nempe Phrygios, & Græcos omnibus vero longa obſidionis mora potiſſima occaſio. nam decennali prælio vires *Trojanis* prorſus fuerant exhauſtæ. *Danais* autem Calchantis fides vaticinii, mora itidem, dubio conſtare videbatur.

——— *Decuma meſſis.*] Notiſſima hæc figura, *Metalepſis* dicta, qua gradatim itur ad illud, quod verbis tranſſumtis oſtendi amat Poëta. Pariſſime uſus eſt Martialis lib. 4. Ep. 79.

Condita quum tibi ſit jam ſexageſima Meſſis.

Pariſſima exſtat & in veteri monumento puellæ octuennis:

Cujus in octava laſcivia ſurgere Meſſe
Cœperat.

Et alii aliter ſæpius. Aſt infra nos de obſidionis tempore.

Cæſi vertices Idæ trahuntur.] Tryphiodorus:

Καὶ δὴ τέμνετο δοῦρα, καὶ ἐς πεδίον κατίξαινεν
Ἴδης ἐξ ἀυτῆς.

Et cædebat ligna, & in campum deducebat
Ex ipſa Ida.

Obducti ſpecus.] Iſti ſunt *ſpecus*, qui obſtant, quo minus apte veterem ſcripturam retineamus eodem verſu:

Aperitur ingens Antrum.

Et quæ non ſatis mihi probata fuit, *Clauſtrum* nimirum, aut *Cloſtrum*, plures autem receperint, reliquerimus. Eadem de re dixit Virgilius:

——— *Penituſque Cavernas*
Ingentes, uterumque armato milite complent.

Poſtremum ſic & Petronius:

Qui caſtra caperent.

Præterea, *Obducti*, ſunt, operti, tenebroſi. quod ita & Virgilius eleganter expreſſit:

Includunt cæco lateri.

Tu confer, plura ſunt, quæ noſtrum præterfugiunt obtutum.

——— *Decenni.*] Supra *Decuma meſſis.* Hæc eſt receptior ſententia, utpote Platonis 3. de Leg. Demoſthenis, Tryphiodori, Meſſalæ Corvini, Plauti Bacchidibus, ac deinde recentiorum. Alii augent ſpatium obſidionis, aut prælii. videſis Daretem Phrygium, & Thucydid. lib. 1.

——— *Et in voto latent.*] Variæ hic ſunt Interpretum ſententiæ noſtram vero ingenii exercendi gratia reticere noluimus. *In voto latent*, inquimus, id eſt, in loco impendio cupito. ſic paullo poſt interpretamur illud:

Et in Vota properant.

Delecti enim fuere, ut includerentur in Equo, qui robore, animique virtute forent inſigniti. Diſertim Virgilius lib. 2. Æneid. ſub principium:

Huc Delecta virum ſortiti Corpora, furtim
Includunt cæco lateri.

Etiam Cicero 2. Philipp. *In hujus me conſilii ſocietatem, tanquam in Equum Trojanum, includi cum Principibus non recuſo.* Κατάλογον autem Cointus Smyrnæus refert lib. 12. poſt quem addit:

Ἄλλοι δ' αὖ κατίξαινον, ὅσοι ἔσαν ἔξοχ' ἄριστοι.

Alii denique intrarunt, qui longe optimi erant.

Indubie ergo in Equum includi optarint valde illi, utpote ſummæ animi præſtantiæ argumentum, ac ſpecimen inluſtre. Aſt quid tempus terimus argutiis, quum plane illud ſit è Virgilio deſumtum; ipſius ſic de Equo eodem lib. 2. inquit:

Votum

Votum pro reditu simulant.

Unde postea Petronius ad illud respiciens,

—— *Et in voto latent.*

dixit. Participium enim est, intelligiturque, in Equo, quem voverant.

—— *Pulsas mille credidimus rates.*] Tot fuere in expeditione illa testantibus Scriptoribus priscis, Æschylo Agamemn. Euripide Androm. Livio lib. 5. Plauto Bacchid. Seneca Tragico, Propertio, Ovidio, pluribus. Sic itidem & Poëta antiquus:

Græcia conjurat repetendam Mille Carinis,
Jurata hanc Ratibus Græcia mille petit.

Unde uti ex Horatio quoque Od. 15. lib. 1. Carm. & proba lectio illa, quod ἐν παροδῷ inquam, firmior relinquitur;

Jurata Virtus abditur.

Ast ex Homeri Catalogo 2. Iliados constat, naves CIↃCLXXXVI. fuisse. Unde nonnulli volunt, numerum finitum pro infinito tot Scriptoribus poni, nec desunt, qui hocce refellant, nam istæ sunt Criticorum Quæstiones.

—— *Titulus sero*
Incisus.] Talem, volunt, fuisse.

DANAI MINERVÆ ILIADI DONO.

Sive, ut Actius in Deiphobo apud Servium Fuld.

MINERVÆ DONUM ARMIPOTENTI DANAI ABEUNTES DICANT.

—— *Hoc ad fata compositus Sinon.*] *Compositus*, effictus. ubi etiam ejus innuit totius corporis habitum. Expressit Tryphiodorus vers. 211.

Μὲν῾Ω δὲ πληγῆσι ἑκάστια γυῖα χαραχθεὶς,
῾Ασιμίδης ἐλέλειπτο Σίνων, ἀπατήλ῾Ω ἥρως.
Solus vero sponte membra sauciatus plagis,
Relictus fuerat Æsimides Sinon, fraudulentus heros.

Et paucis intermissis vers. 219.

῾Ως τό τε λαῶ῾ητοῖσι πεπυκνῖ῾Ω μελέεσσι.
Sic tunc stigmatis notatus membris sauciis.

Additque:

—— καδδὲ οἱ ἄμυς
῾Ελκεσι ποιητοῖσιν ἐπέβρεε νύχιον αἷμα.
—— *per humeros autem ipsi*
De vulneribus inflictis defluebat fluidus cruor.

Et iterum vers. 251.

Γυμνὸς ὑπὲς πεδίοιο φάνη κεκακωμέν῾Ω ἀνῆς,
῞Αιματι δὲ σμώδιγγες ἀεικέα βεβροτωθεῖσαι
῾Ίχνια λαῶ῾ήτοιο θοῶν ἀνέφαινον ἰμάντων.
Per campum apparuit quispiam vir nudus, miserque affectus,
Sanguine vero vibices indecenter refertæ
Ostendebant vestigia dira vehementium flagellorum.

Dolosum valde fuit hocce strategema, eoque dubiis itidem expeditionibus usi magni Duces. Ejus referam insigne quoddam exemplum ex duobus utriusque linguæ probis sane Scriptoribus depromtum, mirificeque hujusce loci inlustrationi conducens. Ecce primus Julius Frontinus est, qui lib. 2. Strategematum cap. 3. in hunc modum inquit: *Cyrus Persarum Rex, suum comitem Zopyrum, explorata ejus fide, TRUNCATA DE INDUSTIA FACIE ad hostes dimisit: ille, adsentante injuriarum fide, creditus inimicissimus Cyro, quum hanc persuasionem adjuvaret, procurrendo propius quotiens acie decertaretur, & in eum tela dirigendo, commissam sibi Babyloniorum urbem tradidit Cyro.* Plenius adhuc eandem historiam Polyænus narrat lib. 7. Strat. cap. 12. Dario tamen verius adtribuens, ut Justinus extremo lib. 1. quod Cyro Frontinus: Δαρεῖος πολυοχκῶν Βαῤῥυλῶνα, χρόνῳ μακρῷ τὴν πόλιν ἑλεῖν οὐχ' οἷός τε ἦν. Ζωπύρ῾Ω Δαρείᾳ σατράπης ἀκρωτηριάσας τὸ πρόσωπον, ἦκεν αὐτόμολ῾Ον, ὡς ταῦτα δὴ ὑπὸ Δαρείᾳ παθών. Βαῤῥυλώνιοι πιστεύσαντι τῇ ὄψει τῆς συμφορᾶς, καὶ τῷ Ζωπύρῳ τὴν πόλιν ἐπιτρέψασιν. ὁ ᾗ νύκτωρ ἀνοίγει τὰς πύλας. καὶ Δαρεῖ῾Ον κρατήσας Βαῤῥυλῶνος. *Darius Babylonem oppugnans longo tempore civitatem capere non potuit. Zopyrus Darii satrapa, mutilata facie, transfuga specie ad hostes venit, quasi his damnis à Dario adfectus. Babylonii vultus calamitati fidem adhibent, Zopyroque administrationem civitatis permittunt. Qui per noctem portas aperuit, & Darius Babylone potitus est.*

Et mendacium in damnum potens.] Qui, *Et*, copulam recudunt, pessimi pol litterarii fabri sunt. Pulsas quippe esse Grajorum naves, solumque Trojanorum bello esse liberum, etiam *Mendacium* in exitium Priamidum potens firmabat. Id autem Mendacium, totum figmentum Sinonis est, egregie à Virgilio descriptum. Inquit ergo Petronius, quod Sinonis habitus, simul ac mendacia ejusdem ingeniosissime efficta fugam Græcorum non leviter adiuverint.

Jam turba portis libera, ac bello carens
In vota properant.] Similiter & supra locutus est cap. 1v. *quum ad vota properant. In Vota*, nunc ait, hoc est, in loca optata. Virgilius id aperit, signatque loca lib. 11. vers. 27.

Panduntur portæ juvat ire, & Dorica castra,
Desertosque videre locos, littusque relictum.
Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles,
Classibus hic locus, hic acies certare solebant.

Obsidione namque decennali oppressos Ilienses valde cupiviisse de urbe exire, certum est; nec non inspicere locos, ubi sua Græci habuissent castra. quod, hostibus jam amoris, obsessis quidem valde foret jucundum. Id pariter indicavit de Trojanis ipsis Cointus Smyrnæus lib. 12.

Γηθόσυνοι δ' ἄρα πάντες ἐπέδραμον αἰγιαλοῖσι.
Cuncti igitur hilares ad littus procurrunt.

Nihil dubium ergo, portas patere urbium, quando sunt nempe obsidione liberatæ. Sic & Tryphiodorus indicat de eadem Trojanorum civitate loquens:

῾Αυτίκα δ' ἐξίθερον πόλεων πιτάσαντες ὀχῆας.
Mox vero exsiliebant pandentes seras protarum.

—— *Gaudium lacrymas habet.*] Vide quæ infra nobis observantur ad verba cap. cx. *lacrymisque turbata*, ubi de lacrymis è gaudio provenientibus verba facimus.

—— *Neptu-*

——— *Neptuno ſacer.*] Laocoon Anchiſæ frater primum Apollinis ſacerdos fuit. Aſt quum Neptuni ſacerdos deeſſet, *ſorte ductus eſt, ut ſacrum faceret Neptuno ad littus*, uti Hyginus ait cap. 135. & Euphorion infra laudandus.

Crinem ſolutus.] Sic Seneca Tragicus Medea, quum ipſa Eumenides evocat Tragœdiæ principio:

Adeſte, adeſte, ſceleris ultrices deæ,
Crinem Solutis ſqualidæ ſerpentibus.

Tibullus El. 3. lib. 1.

Biſque die, Reſoluta Comas, tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

Crinem Solutus, dictum ad normam συντάξεως Græcorum, ut vulgo notum.

——— *Mox reducta cuſpide,*
Uterum notavit. ———] Et paullo poſt:

ITERUM tamen confirmat invalidam manum,
Altaque bipenni latera pertentat.

Unde conligitur, bis fuiſſe Equum à Laocoonte percuſſum, Haſta, & Bipenni; Utero, ac Latere. Inde autem & Virgilii loco ſimul inluxit dies, adeo in tenebris uſque adhuc verſanti, ut priſci putarint Grammatici, Servio referente, aliquid Poëtæ deeſſe; aut prorſus ipſum ſibi repugnantia adſtruxiſſe. Eſt nimirum locus ille lib. 2. Æneid. ubi de re eadem:

Sic fatus (Laocoon) *validis ingentem viribus Haſtam*
In LATUS, inque feri curvam compagibus ALVUM,
Contorſit.

Ubi plane utramque ſcilicet Equi percuſſionem expreſſit, conjunxitque divinus Poëta. Itaque ſecum neutiquam ipſum pugnare, haud difficile ſit cuilibet modo animadvertere.

——— *Fata ſed tardant manus.*] Manus Trojanorum, ne aperirent, fœdarentve, ut Maro loquitur, Durateum Equum. nam ex periculo, quod Laocoon fecerat haſta ac bipenni, ſatis admoneri poterant, niſi obſtitiſſent Fata. Hæc mens prorſus Arbitri eſt, cui præivit Virgilius:

Et, ſi Fata Deum, ſi mens non læva fuiſſet,
Impulerat (Laocoon) *ferro Argolicas fœdare labras.*

Ibat juventus capta, dum Trojam capit.] Hocce de Græcis dictum. contra de Trojanis Virgilius, qui cum Ænea per ferrum & ignes evaſerunt, ſimili prorſus ὀξυμώρῳ ſub Junonis perſona dixit lib. 7. 295.

Num Capti potuere Capi?

Pares enim loquendi modi priſcis Auctoribus frequentiſſimi.

Tenedos.] Inſula eſt, in qua Græci ſeſe occultarunt, dum reditum in patriam ſimulavere. Virgilius lib. 11. Æneid. verſ. 21.

Eſt in conſpectu Tenedos, notiſſima fama
Inſula; dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum ſinus, & ſtatio male fida carinis,
Huc ſe provecti deſerto in littore condunt:
Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.

Hinc ergo prodiiſſe gemini illi Angues Virgilio dicuntur, ac deinde ipſum æmulanti Petronio. Inquit ergo divinus Maro verſ. 203.

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horreſco referens) immenſis orbibus angues
Incumbunt pelago.

A Tenedo ergo venerunt angues, qui pœnas à Laocoonte, & ejus filiis, repeterent; quod inde nempe erant poſtidea venturi, qui à tota Trojanorum natione. Subdit ipſus Poëta Princeps verſ. 254.

Et jam Argiva phalanx inſtructis navibus ibat
A Tenedo, tacita per amica ſilentia Lunæ.

Niſi præmonitio fuit dei alicujus Trojanis propitii de malo extremo, quod iiſdem ab eo loco proxime imminebat. Hyginus vero alio transfert parum tempeſtive.

Undaque reſultat ſciſſa tranquillo minor.] Obſcura ſententia eſt, neſcio equidem qui ceperint alii. Erit tamen perſpicua, modo in ordinem ſic redigantur verba, *Unda minor ſciſſa reſultat tranquillo*: id eſt, ſuper mare tranquillum. Abſolute *Tranquillo* dixit Virgilium imitatus, ubi eadem de re:

Ecce autem gemini à Tenedo Tranquilla per alta &c.

Mare igitur, quod prope Tenedon inſulam, pacatum erat, & tranquillum; ſed tunc temporis (quod mirum etiam) undæ littoris ſaxis frangebantur repulſæ, ac ſaliebant reſciſſæ. Idque vel minori undæ pariſſime contingebat; quæ elegans eſt exaggeratio.

Pulſumque marmor.] Æquor. ſatis poëtice. Avienus Lib. de Oris Maritimis:

Et ſi quæ in illo Marmore inſulæ tument.

Paſſim Poëtæ omnes, ſciuntque lactentes. Inde S. Zenoni Epiſcopo & Martyri Veronenſi, *Marmoreus ſtupor*, poſitus pro Mari, in Sermone de Fide.

——— *Angues orbibus geminis.*] Haud dubie Hypallage eſt, pro, *Angues gemini*, quod prius Virgilio dictum:

Ecce autem Gemini à Tenedo &c.

Iterumque. *Porcem* & *Charibæam* nominant Quinctus Poëta, qui Homerum ſupplevit, Interpreſque Lycophronis.

Liberæ ponto jubæ Conſentiunt luminibus. ———] Hunc deſperatum locum, ideoque ferro uſque adhuc expoſitum Criticorum, nunc & à me expoſitum ſingulari ἐπάργυιᾳ inpoſterum relinquam. Proba ejus antiqua lectio juxta atque vera eſt, itemque plana Virgilii imitatio, ut pleraque alia ſunt hujus poëmatii. Duo ejus loca paucis hiſce verbis eſt Arbiter imitatus, ubi pariter angues illos depingere, curæ ſummo Poëtæ fuit. Ecce verba ejus ſunt:

Pectora quorum inter fluctus arrecta, Jubæque
Sanguineæ exſuperant undas.

En *Jubæ* (quæ, nota, etiam *Sanguineæ*) ut plane *liberæ ponto* ſint. Aſt quomodo, inquis, *Conſentiunt Luminibus* ipſæ Jubæ? Virgilius quoque aperiet, ubi poſt pauca ſubdit:

Ardenteſ-

Ardentesque oculos suffecti sanguine, & igni.

Quo & illud Arbitri, quod subsequitur, facit:

—— *Fulmineum Jubar*
Incendit aquor.

Consentient ergo, similesque prorsus erunt, Oculi *Sanguinei*, Jubis illis nimirum, quæ *Sanguinea* etiam sunt. Quem ruborem *Jubis* Anguium simulque *oculis* non sine exemplo uterque dederunt: nam prius fecere alii, quos plures deinceps secuti sunt, eosque largiter ad Virgilium suum retulerunt Interpretes. *Consentiunt*, venuste admodum dixit. qua loquendi formula & alibi usus, cap. scilicet CXXIV. *Consensitque fugæ coeli timor.*

—— *Insulis stabant sacri*] Aperte innuit Petronius etiam Laocoontis filios sacrorum fuisse ministros. nam illos facit Insulis redimitos, qui proprius plane fuit Sacerdotum olim habitus, uti ex Paschalii erudita disquisitione ultimo capite lib. 4. De Re Coronar. abunde constat, quem vide.

—— *Mutuo metu*] Hoc est, unumquemque duorum fratrum periisse præ metu ingentium malorum fratri suo imminentium, quum parum de seipso alteruter sollicitus. quæ sententia apertius est & verbis illis præcedentibus expressa:

—— *Neuter auxilio sibi,*
Uterque fratri transtulit pias vices.

Auxilii nempe vices, nam vicissim alter alteri prorsus auxiliabatur suimet oblitus. Similis & pietas illa duorum similium fratrum Saguntinorum à nostro Silio sat eleganter decantata lib. 2.

Accumulat ecce liberum funus parens.] Phryges enim ideo putabant pœnas Laocoontem luere, *quod hastam nimirum*, verba sunt Hygini, *in Equum Trojanum misisset.* Aliter vero alii senserunt, ut ex Euphorione colligere licet. Quo circa ejus locum, latine vero ut sonat, inpræsentia referre, ad Arbitri inlustrationem facere, cogitamus: *Post adventum Græcorum sacerdos Neptuni lapidibus occisus est: quia sacrificiis eorum non vetavit adventum. Post abscedentibus Græcis, quum vellent sacrificare Neptuno, Laocoon Thymbræi Apollinis Sacerdos sorte ductus est, ut solet fieri, quum deest sacerdos certus. Hic piaculum commiserat ante simulacrum numinis cum Antiopa uxore sua coëundo. Et ob hoc immissis draconibus cum suis filiis interemtus est.* Eadem fere Hyginus narrat cap. 135. quem vide.

Peritura Troja perdidit primum deos.] Virgilius lib. 11. Æn. vers. 351.

Excessere omnes adytis, arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat. ——

Ubi multa Interpretes, quæ æque ad Arbitrum faciunt.

Jam plena Phœbe. ——] Prolixæ sunt Scriptorum dividiæ de tempore ac Lunæ ætate, qua Troja capta. nos vero hic illas non tangimus, satis nostro fecisse instituto existimantes, si Arbitri sententiam suffultam nunc reliquerimus aliorum testimoniis. Sic Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. ubi sententias recenset variorum Auctorum super re eadem: Ἑλλάνικος γὰρ δωδεκάτῃ Θαργηλιῶνος μηνὸς, καὶ τινὲς τῶν τὰ Ἀττικὰ συγγραψαμένων, ὀγδόῃ φθίνοντος, βασιλεύοντος τὸ τελευταῖον ἔτος Μενεσθέως, πλησιφάους σελήνης. *Hellanicus duodecimo mensis Thargelionis, & nonnulli eorum, qui Attica scripserunt, octavo desinentis; postremo anno regnante Menestheo, in Plenilunio.* Idem videtur & indicare parvæ Iliadis Auctor:

Νὺξ μὲν ἦν μέσατε, λαμπρὰ δ' ἐπέτελλε σελάνα.
Noctis quidem erat medium, & splendebat lucida Luna.

Juvat etiam quod Ludovicus de la Cerda, vir summa eruditione conspicuus, ad Virgilium observat, nimirum, Græcos, nisi Plena Luna, pugnare haud consuevisse, quod & testimonio Aristidis confirmat ex 2. Platonica: Λακεδαιμόνιοι ἢ εἴτε ὑπὸ τῇ πρὸς τὺς Μεσσηνίους πολέμῳ, εἴτε καὶ τὸν παυσίλυπον μένοντες, οὐδὲ αὐτοὶ βοηθεῖν ἴσχυον. *Lacedæmonii, sive quod cum Messeniis bellum gererent, sive quod exspectarent Plenam Lunam auxiliari non poterant.*

—— *Sepultos Priamidas nocte & mero.*] Frequenter ducitur à morte ad somnum translatio, similiter inferius:

Turba sepulta mero.

Sic & Seneca Ep. 12. *Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, quum Vino & illis funereis epulis se Sepelisset, quasi sibi parentaret*, &c. Item Ovidius Eleg. 4. lib. 1. Amor.

Si bene Compositus somno Vinoque Jacebit.

Et lib. 2. El. 5.

Compositi juvenes unus & alter erant.

Verba *Componere*, & *Jacere*, funeralia sunt, quod nemo ignorat. Kirchmannus copiose lib. 3. de Funer. cap. 8. Etiam Petronius ostendit cap. CXIV. *Imprudens arena Componet.* & cap. CXI. *Jacentis corpus admonere debet, ut vivas.* & sæpius alias. Rem autem sic narrat Hyginus cap. 108. *Equum in arcem quum statuissent, & ipsi Noctu, lusu, atque Vino Lassi obdormissent*, &c.

Gladios retractant. ——] Sic Virgilius lib. 7. 694.

—— *Ferrumque Retractat.*

Utrobique Duces strinxisse Gladios, equidem interpretari ausim, fecerimque verbum, *Retracto*, frequentativum à *Retraho.* Itaque *Retractare* sit, foras trahere. Sive cum Festo, *Retractant*, id est, *Rursus tractant.* Sed primum potius est.

—— *Commovent orbes manu.*] *Orbes*, Clypei sunt. Exsertim Papinius lib. 2. Achilleid.

At ferus Æacides radiantem ut comminus ORBEM
Calatum pugnis sævis, &c.

Loquitur de armis ab Ulysse Achilli oblatis. Ita & Virgilius lib. 12. de Æneæ hasta loquens:

—— *Et Clypei extremos septemplicis ORBES*
Per medium stridens transit femur.

In orbem erant enim ut plurimum formati. ideo Homero Iliad. ε. ἀσπὶς ὑκυκλος adpellatur: Callimacho σάκος ὑκυκλοι: δυατὸν Apollonio: ὑδύητον Nonno.

κυκλόεσσαι ἴτυν vocavit Poëtria Anyta: *Rotundas Parmas* Varro in Satyris. Liquet sat ergo aliter interpretantium supinitas.

——— *Et continuat in mortem ultimam Somnos.*] Fateri debent, Interpretes nondum ceperunt, cur Arbitro *mors ultima* hic dicta sit. Unde ortum, ut veluti Pentheum Bacchæ, sic Critici hunc locum misere dilaniare, habuerint necesse. Me autem duo viri illustres & Petronio σύγχρονοι Scriptores jampridem docuerunt, quæ Priscis *Mors ultima* diceretur videlicet. Lucilius primus est illo aureo versu:

Mors non una venit, sed quæ rapit, ULTIMA MORS est.

Alter est magnum naturæ miraculum Seneca F. qui dum versum illum interpretatur, inquit Epist. 24. *Malo te legas, quam epistolam meam. Apparebit enim tibi, hanc, quam timemus, Mortem Extremam esse, non solam.* Neutiquam & huic Horatius, quod admonere visum, repugnat sententiæ inquiens:

——— *Sed omnes Una manet Mors.*

(Quæ verissima loci Scriptura est, perperam quippe alicubi *Nox* exaratur) Nam ibi *UNA MORS* Lyrico longe aliud est, scilicet Semel mori, quod patefacit versus ille sequens:

Et calcanda semel via Lethi.

Addimus præterea, sæpe & dormientibus contigisse, ut somnus scilicet jungeretur cum morte. Id adversus Ascylton in mentem Encolpio venerat cap. LXXIX. Itaque apud Heliodorum Thermuthis χάλκεόν τινα καὶ πύματον ὕπνον ἐλκύσειν, ἀσπιδὸς ἐνήματι, μοιρῶν τάχα βουλήσει, πρὸς ὃν ἀνάρμοστον τὸ τρόπῳ τὸ τέλος καταστρέψας. *Æneum quendam & ultimum somnum dormivit, aspidis morsu, fatorum fortasse voluntate, non inconvenientem vitæ finem sortitus.* Quem & ideo locum adduxi, ut simul indicarem, χάλκεον ὕπνον fatalem illum somnum Antiquis vocari. Ita & Homerus lib. λ. Iliad.

Ὡς ὁ μὲν ἀνδρὶ πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Sic is quidem illic lapsus dormivit æreum somnum.

Quod cultius à Marone lib. 12. Æneid. fuisse prolatum, Macrobius inquit lib. 5. cap. 11.

Olli dura quies oculos, & Ferreus urget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Inde Hispanis haud absimilis somnus, *Sueño pesado*, apte vulgo dictus. Sive Petronium sic aliter interpretaberis haud incommode. Somnus, quod notum cuilibet, Mortis imago quondam audiit. unde sat recte, qui soporati forent, dici potessent Mortui. Sic Appulejus lib. 2. Metam. de defuncto, ac de ejus custode somno oppresso, loquens: *Ut ne Deus quidem Delphicus ipse facile discerneret, duobus nobis jacentibus, quis esset magis Mortuus.* Ac deinde de eodem custode: *Hic, utpote vivus quidem, sed tamen sopore Mortuus, &c.* Itaque *Mors continuari* apte diceretur, quum occidi dormientes usu veniret. *Ultimaque* illa *Mors* vocari probe poterat, respectu illius primæ, videlicet Somni. Quod interpretamentum admodum juvat verbum illud *Continuat.* Item Euripides, qui Somnum esse μικρὰ μυήματα mortis, hoc est, informationem quandam ejus, & initiationem, uti minuscula mysteria majusculorum in arcanis sacris.

Ὕπνος ὢν μικρὰ τὰ θανάτου μυήματα.

Ab aris alius accendit faces] Pendet hinc & sequentium sententia:

Contraque Troas invocat Trojæ sacra.

Nam quodammodo inservire videbatur ignis præcedentium sacrificiorum civium ruinæ sacrificantium. Hæc meo animo vera est & unica hujusce loci interpretatio. Gemina germana Phædri sententia illa est Fab. 69.

Lucernam fur accendit ex Ara Jovis.
Ipsumque compilavit ad lumen suum.

Cap. XC. *Lapides in Eumolpum recitantem miserunt.*] Scena recitationum Eumolpi lepidissima est. cui, longe tamen diverso modo, & quod Amphioni utique modulatori obveniebat omnino, apud Horat. in Arte.

Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,
Saxa movere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet.

Quæ & Thebis ipsis condendis illi sat fuerunt. Quippe ni & Eumolpo sufficerent in Theatris videlicet, in balneis, & ubicumque carmen auspicaretur, lapidum adventitia frequentia prosecuto?

Sæpius poetice, quam humane locutus es.] Sic & S. Hieronymus adversus Jovianum lib. 1. *Non est contentus nostro, id est, HUMANO more loqui: ALTIUS QUIDDAM adgreditur.* Recte, nam verbis utuntur plerumque Poëtæ ampullatis, tumentibusque, ut stilus elate procedat, non humi repat, ut sermo hominum est familiaris, & quotidianus. Itaque huc facit ideo Ciceronis locus lib. 2. de Divinatione: *Ut siquis medicus ægroto imperet, ut sumat,*

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam.

potius quam HOMINUM MORE, Cochleam. vid. inf. ad verb. cap. CXVIII. *præcipitandus est liber spiritus*, &c. Argutissime ergo Arbiter opposuit, quum verum sit, fabulas enim & oracula (quibus potissimum constare Poësim, constet aperte) contrario nimirum opponi nomine τοῖς ἀνθρωπίνοις λόγοις. Ita apud Aristophanem in Vespis, quum quidam plures ridiculas fabulas effutisset, ei alter respondet dicens:

Μὴ μοίγε μύθους, ἀλλὰ τῶν ἀνθρωπίνων,
Οἵους λέγομεν μάλιστα τοὺς κατ' οἰκίαν.
Non mihi Fabulas, sed Humanos (Sermones)
Quales dicimus inter domesticos.

A te exire.] Insanire. Adpositissimum ergo hic venit, quod de Nerone prodidit Scholiastes Juvenalis ad illud Sat. VIII. 221.

Troica non scripsit.

Hoc ideo, quia Nero Troados libros scripsit. Unde & maxime insanivit, quia Poëta fuit. Passim enim illum acuto graphio pupugit, sæpius nos non sensimus.

Quotiens

Quotiens Theatrum, ut recitem aliquid, intravi.] Perplurimis exercitationibus & corporis, & ingenii Theatra olim præbuere locum: diſertim Appulejus oſtendit in Floridis: *Bono enim ſtudio in Theatrum conveniſtis: ut, qui ſciatis, non locum auctoritatem derogare orationi: ſed cumprimis hic ſpectandum eſſe, quid in theatro deprehendas. Nam, ſi mimus eſt, riſeris; ſi funerepus, timueris; ſi Comœdia eſt, ſaveris; ſi Philoſophus, didiceris.* Alias & Bulengerus recenſet lib. 1. de Theatro cap. 29. quem conſule. noſtrum enim non eſt, cujus plenum putamus jam indicium dediſſe, aliena ſcrinia compilare.

Si ejuras hodiernam bilem, una coenabimus.] Nam poſt cœnam vel temperantes moderatique Poëtæ carmina plura recitarunt; multi vero, quod omnes ſciunt, ipſis conviviis emerunt auditores. Ideo Valerius Martialis lib. 11. Ep. 53. ad cœnam quum invitaſſet Cerealem, pollicituſque eſſet cibos perplures, in fine Carminis addit:

Plus ego polliceor: nil recitabo tibi.
Ipſe tuos nobis relegas licet uſque Gigantas,
Rura vel æterno proxima Virgilio.

Plura ſunt ejuſdem argumenti epigrammata ſat venuſta, quæ tantumdem ſigno. lib. 3. Ep. 44. 45. 50. lib. 5. Ep 80. lib. 7. Ep. 50.

Bilem.] *Bilis* hæc poëtica eſt, cujus purgatum ſeſe quotannis, adfirmat Horatius in Arte:

——— *O ego lævus,*
Qui purgor Bilem ſub verni temporis horam.

Si vero illam haud expelleret,

Non alius faceret meliora poëmata,

addit. Mutuum autem hic Petronius, & lib. 6. Ep. 64. Martialis ſibi præſtant clarorem. Ibi ſumma cum elegantia inquit:

At ſi quid noſtræ tibi Bilis inuſſerit ardor,
Vivet, & hærebit, totoque legetur in orbe.

Acuere forſitan poſſunt Petronianum acumen Pompei Feſti verba: *Ejuratio ſignificat id, quod deſideretur, non poſſe præſtari.* Ideoque Arbiter inquit: *Si Ejuras hodiernam Bilem*, innuens videlicet, à Poëta, etſi polliceatur ipſe, etſi valde diſcupiat carmina non evomere, revera præſtari non poteſſe. Firmat & Commentum noſtrum eventus ipſe, nam vix eſt paullo poſt in hoſpitium Encolpii receptus Eumolpus, quando nimirum, pauculis verbis interjectis, ad carmina ſua redire, deprehendes. Quapropter importunæ jam recitationis pertæſus Encolpius ad illum inquit cap. XCIII. *Hoc eſt, inquam, quod promiſeras, ne quem hodie verſum faceres? Per fidem, ſaltem nobis parce, qui te numquam lapidavimus*, &c.

Cap. XCI. *Cum linteis & ſtrigilibus.*] Horum uſus inſtrumentorum ita apud Plinium Min. referuntur lib. 3. Ep. 5. *nam dum Diſtringitur, Tergiturque.* Conjunxerunt & illa ſæpe Scriptores Antiqui, quippe & uſu ipſo erant conjuncta. Ita Epictetus Arriani lib. 4. cap. 11. inter cetera balinei utenſilia: διὰ τοῦτο ὕδωρ, ἔλαιον, χεῖρες, ἄθλιον, ξύστρα, νίτρον. *Ideo præſto eſt aqua, oleum, manus, LINTEUM, STRIGILIS, nitrum.* Plinius Major lib. 28. cap. 4. *Sicut Linteorum Strigiliumque vehementia.* Linteis Tergebantur. Idcirco *Linteum exterſui* Plauto eſt Curculione Act. 4. 4. 22. & Ammianus dixit: *tenuiſſimis ſe Terſerit Linteis.* Inde *Lintea* iſta M. Varro *Tergentaria* adpellat lib. 4. LL. *Hinc Linteum, quod Teritur corpore, Tergentarium.* Iſtud Gloſſographi veteres intelligunt: *Terſorium*, Ἐκμαγεῖον, & Ἐκμαγεῖον, *Tergorium.* Lege *Terſorium.* Etiam Jul. Pollux lib. 6. cap. 14. Τὸ δ' ἐκμαγεῖον, καὶ χειρόμακτρον ἂν προσεῖποις. *Linteum vero Deterſorium, etiam mantile adpellabis.* Et huc facit locus cap. 28. *Tergebatur non Linteis, ſed palliis.* Illa vero *Lintea*, quorum apud Catullum mentio eſt Carm. 12. ab iſtis Balnearibus diverſa prorſus ſunt. Erant quippe convivialia. *Mappæ* quoque nuncupatæ, quas ſcilicet alienas epulas adituri ſecum domo adportare conſueverant. Mart. lib. 12. Ep. 29. Diſtringi autem Strigilibus, notum. Martialis lib. 14. Ep. 15. cujus Lemma *Strigiles:*

Pergamus has miſit curvo Diſtringere ferro.

Seneca Ep. 122. *Ut ſudorem, quem moverunt potionibus* (in balneo) *crebris ac ferventibus, ſubinde Diſtringant.* Quod igitur Diſtringebant, *Sudor* erat. Appulejus in Florid. paullo poſt laudandus. Item Symposius Ænigm. 86. quod *Strigilis* eſt:

Dedita ſudori, modico ſuccumbo labori.

Strigilibus] Et de Strigilum forma paucula hic addere, lubido fuit. Præſertim quod ſic in Appulei difficilem locum nonnihil ſtudii operæque conferrem. Ipſarum autem multiplicem materiam jam præoccuparunt viri docti. Sic ergo Madaurenſis Scriptor Strigilem deſcribit in Floridis: *Juxtaque honeſtam Strigilecutam, recta faſtigiatione clauſula, flexa tubulatione ligulæ: ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea rivulo laberetur.* Plane in duas partes Strigilem dividit; in illam, quam *Rectam faſtigiationem clauſulæ* nuncupat, & ejus uſus eſt, *Ut in manu capulo moraretur*: & in alteram, quam adpellat, *Flexam ligulæ tubulationem*, quapropter Martialis, *Curvum Ferrum*, vocavit, *Curvam* Sympoſius. ejus autem uſus eſt, *ut ſudor ex ea rivulo laberetur.* Ejus prorſus imaginem figuravit, quæ ex ruinis thermarum Trajani jamdudum effoſſa eſt, deditque depictam nobis Mercurialis lib. 1. de Arte Gymnaſt. cap. 8. Habet omnino, quem *Capulum* Appulejus vocat *Rectum*, manubriatumque, non vero anſatum, ut plures aliæ, quarum effigies nos apud diligentes Antiquarios vidimus Choulium, Boiſſardum, Pignorium. Præterea Artemidoro lib. 1. cap. 66. *Xyſtrophylax* eſt, ubi ſervabantur Strigiles. cujus neſcio an pictura illa ſit, quam Mercurialis præbuit cap. 10. ejuſdem lib. 1. in cujuſdam lavacri delineatione. Ex ipſa enim plures clare adpenſæ Strigiles viſuntur, ſed illæ nempe, quæ omnibus procul dubio forent publicis balneis communes. nam alia prorſus diverſa eſſet ratio pretioſas Strigiles ſervandi, puta, thecis, & capſulis. Exſtant adhuc & ſe & alios Diſtringentium imagines exſculptæ in ve-

tuſtis marmoribus, quas & Mercurialis expreſſit in dicto jam opere.

Ut experimentum oculorum caperem.] Hoc eſt, ut experirer ego, veram fuiſſe meorum oculorum fidem, deceptumque me non eſſe, quum illum non libenter ſervire cognovi, Giton animum ſuum aperuit, & convertens ſolutum gaudio vultum, *Miſerere inquit*, &c.

Eripe me latroni cruento.] Hinc nota ſyntaxis illius 6. Æneid.

Eripe me his, invicte, malis.

Plinius itidem Minor lib. 6. Ep. 1. *Eripe me huic tormento.* Et Val. Flaccus operis initio ad Veſpaſianum,

Eripe me populis, & habenti nubila terræ.

Diu vocem neuter invenit.] Verus amantium adfectus. Eundem Propertius exprimere conatur, quod jam Viri docti viderunt, lib. 1. El. 10.

Quum te complexa morientem, Galle, puella
Vidimus, & longa ducere verba mora.

Et in hoc pectore, quum vulnus ingens fuerit, cicatrix non eſt.] Elegans translatio. Eadem rurſus utitur inferius cap. XCIX. inluſtratque egregia ſimilitudine, quem locum vice interpretamenti hic addere, haud erit abs re. Blanditur ergo hiſce verbis Poëta vetulo Encolpius: *Tantum omnem ſcabitudinem animo, tamquam bonarum artium magiſter, deleret ſine cicatrice. Incultis aſperiſque regionibus diutius nives hærent: Aſt ubi ea aratro domeſacta tellus nitet, dum loqueris, levis pruina dilabitur. Similiter in pectoribus ira conſidit: feras quidem mentes obſidet, eruditas prælabitur.* Contra Magnus Alexander frequenter dicere ſolitus erat, teſtante Plutarcho, *Ut maxime ſanaretur vulnus, quod eſſet illatum, Cicatricem tamen quoquomodo manere*, innuens videlicet, injuriæ factæ memoriam ſemper ob oculos verſari.

Peregrini amoris conceſſio.] Nos ſupra hujuſce loci meminimus, interpretamurque compluribus aliis ejuſdem notæ figuratis locutionibus, ideoque ſatis nunc erit, illuc te, Lector, remittere.

Supercilium.] De ſuperbiente Supercilio infra loquimur ad verba cap. CXIII. *Nec domini Supercilium*, &c.

Quum duos armatos viderem, ad fortiorem confugi.] *Fortior* hic & *Armati*, nupta ſunt verba. Recte ergo Armis illis dictus Fortior Aſcyltos, ut ex narratione proxime ſequenti ſatis conſtabit. Sic ſupra cap. VIII. idemmet *Valentior* à Petronio factus propudioſo illo cum Patrefamilias congreſſu. Hacce item acceptione infra cap. CXXX. *Arma* deſumta elegantibus codicillis: *Paratus miles Arma non habui.* ubi nos plura.

Cap. XCII. *Mulierque cœnæ mandata curaverat.*] Ædicularum cuſtos. paullo ante cap. XC. *Mando ædicularum Cuſtodi cœnulæ officium.*

Ganymedem.] Pincernam, Pocillatorem. ſubdit: *Et quum puer illi potionem dediſſet.* Martialis lib. II. Ep. 23.

—— *Quod nudo cum Ganymede jaces.*

Et alias ſæpe.

Malo te, inquit, &c.] *Malle*, &, *Velle*, amoris verba ſunt: uti & *Nolle*, odii. De illis infra agimus ad verba cap. CXXVII. *Quemadmodum ego te Volo?* Ideo tranſitum nunc facimus ad alia.

Quam balneum totum.] Id eſt, quam pueros omnes, qui in balneum fratribus, aut dominis, utenſilia adferunt.

Circa ſolium ſedentibus.] *Solium* vas erat mobile in balneis lotioni inſerviens, quo videlicet lavabant Sedentes, unde ei nomen à *Sedeo*, Auctoribus Feſto, & Aſpero. Formæ autem veſtigia exſtant verbis, *Circa Solium Sedentibus.* nam hemicyclum ſine dubio Solium referebat. Probo ex Sidonio Ep. 2. lib. 2. *Hinc aquarum ſurgit cella coctilium, qua conſequenti unguentariæ ſpatii parilitate conquadrat, excepto Solii capacis Hemicyclio.* Quapropter ſatis concinne ipſum adpellat *Sigma* paucis interjectis: *Hinc frigidaria dilatatur*, &c. *ita ut miniſteriorum ſeſe non impediente famulatu, tot poſſit recipere ſellas, quot Solii Sigma perſonas.* Dixit ergo *Circa* pro *Circum*, ut plures olim locuti. ſæpe Propertius, Virgilius, & Horatius, obſervaruntque jam Critici.

Carmen recitare.] Importuni namque recitatores in thermis lavantibus non pepercere. Pariter quoque notavit Horatius Satyrico dente lib. 1. Sat. 4.

—— *In medio qui*
Scripta foro Recitent, ſunt multi, quique Lavantes.

Juvenis nudus, qui veſtimenta perdiderat.] En ratio, cur ille, qui ex balneis furatus eſſet, morte plecteretur; qui autem ex domo privata, ſolum furti pretium duplum exſolveret, quam nimirum inter alias reddit Ariſt. Sect. 29. Probl. 14. Ἔτι ᾖ, καὶ ὁ ἐξ οἰκίας τινὸς ἀπολέσας, ἐν τῷ τοιούτῳ τόπῳ τυγχάνει ὤν, ὅθεν ῥᾴδιον μήτε παθόντα, μήτε κλευασθέντα ὑπό τίνων, δίκοι ὄντα τὸ ἀτύχημα φέρειν· τῷ ᾖ ἐκ ἴσου, ὅτι ἡ ἀποχώρησις ἐργώδης γιγνομένη, προσίτι ᾖ κλευάζεσθαι ὑπό τίνων ὑπάρχει τοῖς πολλοῖς. ὁ πολὺ δυσχερέστερον ἐστι τῆς ἀπωλείας. διὸ καὶ νομοθέτης μείζους αὐτοῖς ζημίας ἐπέγραψεν. *Item qui ex domo privata rem ſuam amiſerit, ſine ulla contumelioſa affectione domi manens, ſuum perferat caſum. At qui in balneis, aut alio id genus loco amiſere, ægre inde nudi diſcedunt, & plerique omnes irridentur: quod longe moleſtius, quam rei jactura eſt. Qua de cauſa Legumlator damna his ſtatuit graviora.*

Pueri imitatione petulantiſſima deriſerunt.] Diverſe prorſus excepti in balneo Eumolpus & Aſcyltos, quorum videlicet conlationem ex hinc facere cœpit Petronius. Contentiſſime enim, *Encolpi*, *Encolpi*, Eumolpus proclamabat. Pueri ſic & ſenem imitantes, clamitanteſque petulantiſſime deridebant. quod unice ſane dictum ad puerorum ingenium. Aſcylto vero, qui *non minore clamoris indignatione Gitona flagitabat*, quid videlicet contigit? dicat ipſus Arbiter: *Frequentia ingens circumvenit cum plauſu, & admiratione timidiſſima*, &c. Et ſic conferendo deinceps progreditur.

Habebat enim inguinum pondus tam grande, ut

ipſum

ipsum hominem laciniam fascini crederes.] Interpretamenti vice Arnobii hic locum exhibeo lib. 6. paullo ante finem: *Aut genitalibus propriis inferior Priapus.* Unde jam claret Catullus Carm. 116.

Non homo, sed vere mentula magna, minax.

Haud absimilis & jocus ille est Theodori Epigrammatarii nasum scilicet nescio cujus Hermocratis in hunc modum deridentis lib. 2. Anthol.

Ἑρμοκράτης τὴς ῥινὸς. ἐπεὶ τὴν ῥῖνα λέγοντες
Ἑρμοκράτους, μικροῖς μακρὰ χαριζόμεθα.

Sic verti licet:

Dicimus Hermocratem nasi, nam dicere nasum
Hermocratis, parvis grandia nempe dare est.

Utrumque enim ὑπερβολικῶς dictum. Invenies tamen revera apud Herodotum Musa 2. c. 48. simile ferme fascinum in effictis ab Ægyptiis statuis Bacchi quodam festo, τὴν δ' ἄλλην ἀνάγουσι ὁρτὴν τῷ Διονύσῳ οἱ Αἰγύπτιοι, πλὴν χοίρων, κατὰ ταυτὰ σχεδὸν πάντα Ἕλλησι· ἀντὶ δὲ φαλλῶν, ἄλλα σφι ἐπ' ἐξευρημένα ὅσον τε πηχυαῖα ἀγάλματα νευροσπαστα, τὰ περιφορέουσι κατὰ κώμας τὰι γυναῖξι, νεῦον τὸ αἰδοῖον, ὁ πολλῷ τέῳ ἔλασσον ἐὸν τε ἄλλα σώματος. quæ verba sic reddenda esse, monuerunt Rhodiginus lib. 1. cap. 16. & Hospinianus lib. 2. de Festis cap. 11. *Quin & alium diem festum Baccho Ægyptii agunt sine porcis, fere per omnia Graco festo similem. Pro Phallis autem alia sunt eis inventa cubitalia simulacra, nervis tractis sua sponte mobilia, quæ circumferunt per vicos mulieres: mentula nutante, quæ propemodum instar est reliqui corporis.* Meminit & Lucianus in De Dea Syria ejuscemodi imaguncularum, & itidem νευρόσπαστα vocavit. Hinc jam & Carminis Liberi mens haud dubio patet:

Huic dixi, fer opem, Priape, parti,
Cujus tu pater ipse Par videris.

Si *Pars* vero hic scriberes, longe admodum augeres Epigrammatis argutiam, quam nunc indubie & expressisse Petronius videretur, etiamque Arnobius. Haud est etiam absimile, quod de Panotiorum auribus tradit Solinus cap. 22. quem vide.

O juvenem laboriosum!] Et *Labor* olim dictus de molesta coitus agitatione. Sic nunc usurpat Petronius. Sic & Martialis lib. 11. Ep. 82. de sene & spadone loquens:

Ergo sine effectu prurit uterque Labor.

Aperit & Arbitri mentem id, quod subsequitur: *Puto illum pridie incipere, postero die finire.* Pari etiam nequitia usurpat Priapus Carmine libero:

Parum, quod acta sub Laboribus luce,
Parem diebus pervigil traho noctem.

Sic autem definit. 2. Tuscul. Cicero Laborem: *Est functio animi, vel corporis gravioris operis, vel muneris.*

Nescio quis enim eques Romanus, ut ajebant, infamis.] Plures Romæ ævo illo corruptissimo Equites forent Romani, qui auxilium id Drauco juveni nudo libentissime præstarent. Nostra autem conjectura est, notare hic Afranium Quinctianum Romanum Equitem, Arbitrum voluisse. Taciti quippe testimonio ejuscemodi infamia fuit ille notatus, Neronisque deinde Carmine Satyrico famosus. Ipsum vero Cornelium audiamus, qui lib. 15. Annal. extremo cap. 49. dum Pisonianæ conjurationis molitionem narrat, inquit in hunc modum: *At Flavius Scevinus, & Afranius Quinctianus, uterque Senatorii ordinis, contra famam sui, principium tanti facinoris capessivere. Nam Scevino dissoluta luxu mens, & proinde vita somno languida. Quinctianus MOLLI CORPORE INFAMIS, & à Nerone probroso carmine diffamatus, contumelias ultum ibat.*

Ut tam magna fortuna solus uteretur.] Ab alio ipsius Arbitri loco petenda lux est & loco isti, pariterque & hinc ille vicissim mutuatur claritudinem. Deprecatione videlicet in illa, qua rebus suis adtritis petit, ut subveniat Priapus. Polyænus inquit cap. CXXXIII.

Et quandoque mihi FORTUNÆ adriserit hora,
Non sine honore tuum patiar decus.

Hoc est, quando nervos meos tua benignitate recepero, & insigni marcescentium armorum tentigine me denuo præbebo Achillem, neutiquam tunc, inquam, ego prætermittam beneficiorum istiusmodi redhostimentum. Itidem *Conditio* nonnullis Scriptoribus accepta. Sic Capitolino de Faustina M. Antonini uxore loquenti. Sic & Lampridio non semel de Alagabalo. Adpositum vero rei exscribam unicum testimonium. *Lavacrum publicum in ædibus fecit; simul & palam populo exhibuit, ut ex eo Conditiones bene Vasatorum hominum conligeret.* Prorsus uti Petronianus eques. Idem de Hostio quodam Seneca refert lib. 1. Natur. Quæst. cap. 26. Horatio etiam dictum, *Fortuna Uti*, sed alio sensu; transferri autem & huc illud optime posset. lib. 1. Epist. 5. ad Torquatum inquit:

Quo mihi FORTUNA, si non conceditur UTI?

Ubi pro divitiis accipi vulgare. Pari item ratione apud Arbitrum, *Inops* transfertur eodem carmine cap. CXXXIII.

——— *Sed INOPS, & rebus egenus*
Adritis, facinus non toto corpore feci.

At ego ne mea quidem vestimenta ab officiosis recepissem, nisi notorem dedissem.] *Officiosum* hic vocat Arbiter balnearium servum Capsarium, aut Vestispicum. Innuit item & ipsa hæc mancupia, quæ vindicandis à furunculis in balneis vestibus erant præposita, pravum quoque subripiendi studium dupla fraude exercuisse. nam quum servandas vestes à pluribus acciperent, postidea non omnibus reddere tentabant, homines illos non se agnoscere prætexentes, cui testes adhiberi solebant, qui notitiam rei aut personæ profiterentur, *Notores* nempe dicti Senecæ Ep. 39. Firmant autem hocce nostrum Commentum verba Pauli JC. leg. 3. ff. de offic. præf. Vigil. *Adversus Capsarios quoque, qui mercede servanda in balineis vestimenta suscipiunt, Judex est constitutus; ut si quid in servandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat.*

Tanto magis impedit inguina, quam ingenia fricare.]

Antiqua isthæc Scriptura tolerabilis est, si, *Impedit*, ἰμπωικῶς accipiatur. Venusta autem est in τῷ *Inguina* & *Ingenia* Paronomasia.

Cœnæ ordinem explicui.] Ego interpretor, Cœnæ obsonia ordine suo retuli, quod etiam Convivatori fuerat tributum olim munus. Scite enim, ut sic Conviva eduliorum præscius, ei, quod probasset gula, famem destinaret. Convivatori autem schedulam prius ideo tradebat coquus, quæ obsonia descripta ordine, quo in mensam erant adferenda, habebat omnia. Sic Athenæus docet lib. 2. quum inquit: Ὅτι ἐθος ἦν ἐν τοῖς δείπνοις τῷ ἰατρῷ κατακλινθέντι προδίδοσθαι γραμματίδιόν τι, περιέχον ἀναγραφὴν τῶν παρασκευασμάτων, ἐφ' ᾧ εἰδέναι ὅτι μέλλει ὄψον φέρειν ὁ μάγειρος. *In cœnis prisco more, convivatori, posteaquam accubuisset, tabella, in qua omnium ferculorum nomina descripta fuerant, tradebatur, ut sciret ille, quodnam obsonium adlaturus esset coquus.* Quod alii ad Martialem de loco isto argutantur, verba non dicunt. Postea vero equidem animadverti, me hic cum Wouwerio sensisse.

Cap. XCIII. *Vile est, quod licet, & animus errore lentus injurias diligit.*] Ita in re Amoris ejus censent magistelli. Martialis lib. 4. Ep. 38. inquit:

Galla nega: fatiatur Amor nisi Gaudia torquent.

Et prius Epig. 29.

Sic spoliatricem commendat Fastius amicam:
Janua nec juvenem semper aperta tenet.

Et sæpius Ovidius, sic lib. 3. Amor. Eleg. 19.

Quod Licet, ingratum est; quod non Licet, acrius urit.

Eademque mens est horum locorum 3. de Arte vers. 473.

——— *Mora semper amantes*
Incitat.

Ac deinde vers. 581.

Quod datur ex facili, longum male nutrit amorem;
Miscenda est lætis rara repulsa jocis.
Ante fores jaceant; crudelis janua, clament:
Multaque submisse, multa minanter agant.
Dulcia non ferimus, succo renovamur amaro, &c.

Et post pauca vers. 597.

Quoslibet exstinctos INJURIA suscitat ignes:
En ego (confiteor) non nisi lasus amo.

Ausonius quoque Epig. 38.

Hanc volo, quæ non volt, illam, quæ volt, ego nolo.
Vincere volt animos, non satiare Venus.

Non tamen præter modum difficilem se præbere, debet amasia, nam

Odimus immodicos, experto credite, fastus.

Ovidius addit vers. 511. & alibi:

Sed neque te facilem juveni promitte roganti:
Nec tamen edure, quod petit ille, nega.

Et Martialis ubi supra hunc versum imparem addit:

Sed noli nimium, Galla, negare diu.

Eademque Epigrammatis 58. lib. 1. sententia est:

Qualem, Flacce, velim quæris, nolimve puellam?
Nolo nimis Facilem, Difficilemque nimis.

Illud, quod medium est, atque inter utrumque, probamus:

Nec volo, quod cruciat; nec volo, quod satiat.

Quod & Ausonius æmulatus est dicto jam loco. Et Epigram. 82. lib. 4. dixit rursus Valerius:

Negare jussi, pernegare non jussi.

Abunde vero hocce Aristænetus edisserit lib. 2. Ep. 1. quem vide.

Nolo, quod cupio, statim tenere, &c.] Hos duos versiculos, quos hactenus alieno in loco, cap. scilicet xv. exsulare, & ab sequentibus hendecasyllabis dispesci, nescio quo fato, contigit, nunc demum mutare locum jussimus, & priscis, ut fas erat, fecimus connecti sodalibus. Cum fragmento superiori mire consonat totius Carminis sententia. quæ ubi distichio illo, quod devium retraximus, comprehensa fuit, apte pluribus exemplis, quæ sequentibus continentur versiculis, confirmatur.

Atque Asiæ volucres ———] Sallustius: *Epulæ vero exquisitissimæ, neque per omnem modo provinciam, sed trans maria, ex Mauritania Volucrum, & ferarum incognita antea plura genera.* De ipsis sic & M. Varro lib. 3. de Re Rust. *Gallinæ Africanæ sunt grandes, variæ, gibberæ, quas μελεαγρίδας adpellant Græci. Hæ novissimæ in triclinium ganearium introierunt è culina, propter fastidium hominum, veneunt propter penuriam magno.* De eisdem, reor, capiendus quoque Manilius lib. 5.

——— *Numidarum pascimur oris.*

Supra & Mimus Publianus meminit cap. LV.

Gallina tibi Numidica.

Quod non sunt faciles ———] Idem sic & meus exagitat Seneca Consolatione ad Helviam cap. 9. *O miserabiles, quorum palatum, nisi ad pretiosos cibos, non excitatur! Pretiosos autem, non eximus sapor, aut aliqua faucium dulcedo. SED RARITAS, ET DIFFICULTAS PARANDI facit.* Ipsummet pluribus & Lucianus in Cynico, quem vide, A. Gelliumque lib. 7. cap. 16.

——— *Ultimis ab oris*
Adtractus Scarus ———] Scito, nequid erres, ævo Petronii haud necessum fuisse, maria longinqua petere, ut inde Romam Scari adveherentur. Nam tunc temporis Italiæ in littore frequentes jam capiebantur. Sati quippe illi in oris Italicis sub Tiberio, unde ingens ipsorum numerus ortus. Ne autem delirium putes, pisces seri, Plinium satis erit audire plene Scarorum hancce historiam narrantem lib. 9. cap. 17. *Nunc Scaro datur principatus, qui solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci, non aliis piscibus, mari Carpathio maxime frequens. Promontorium Troadis Lecton sponte nunquam transit. Inde advectos Tiberio Claudio Principe Optatus è libertis ejus Præfectus classis inter Ostiensem & Campaniæ oram sparsos disseminavit. Quinquennio fere cura est adhibita, ut capti redderentur mari. Postea frequentes inveniuntur Italiæ in littore, non ante ibi capti. Admovitque sibi gula sapores.*

Piscibus

Piſcibus SATIS, & novum incolam mari dedit, ne quis peregrinas aves Romæ parere miretur. Plane hoc indicavit infra ipſus Arbiter, quum cap. CXIX. inquit:

——— *Siculo Scarus æquore merſus*
Ad menſam vivus perducitur.

Nunc igitur Scari originem omnino Petronius reſpexit, quum *Ultimis ab oris*, dixit, fuiſſe Romam adlatum.

——— *Atque arata Syrtis*
Siquid naufragio dedit, probatur.] Plane ipſe infra interpretatur cap. CXIX.

Ut renovent per damna famem. ———

Ubi vide quæ adtingimus.

——— *Amica vincit*
Uxorem. ———] Pariſſimam victoriæ hujus reddit, uti Arbiter, Naſo item rationem lib. 3. de Arte verſ. 585.

Hoc eſt, Uxores quod non patiatur amari:
Conveniunt illas, quum voluere viri.

Et paullo poſt verſ. 603.

Quæ venit ex tuto, minus eſt accepta voluptas, &c. Aliunde vero Amicæ præſtantiam Amphis in Athamante petivit verſibus iſtis apud Athen. lib. XIII. cap. 1.

Εἴ τ' ἐ γυναικὸς ἐσθ' ἑταιρικώτερον
Γαμετῆς ἑταίρα; πολύγε καὶ μᾶλ' εἰκότως.
Ἡ μὲν νόμου γὰρ καταφρονεῖ' εἶδον μόνοι,
Ἡ δ' οἶδεν, ὅτι ἡ τοῖς τρόποις ἀνητός.
Ἄνθρωπός ἐστι, ἢ πρὸς ἄλλον ἀπιτίου.
Nonne vero magis Amica eſt,
Quam Uxor benevola, & facilis, idque merito?
Uxor namque lege caſta domi manet:
Amica vero probe novit, lenitate ſuavitateque morum
Eſſe hominem ſibi emendum, vel abeundum alio.

——— *Roſa cinnamum veretur.*] Optime & hocce ad mentem Carminis, nam Cinnama in Italia non erant, uti Roſæ, vulgaria. Sic de Cinnamomo Martial. lib. 4. Ep. 13.

Tam bene RARA ſuo miſcentur CINNAMA nardo.

Roſarum vero tanta erat copia, ut fuiſſe in Calabria oppidum, Servius ad 4. Georg. Virg. verſ. 119. tradat, *in quo uno anno bis naſceretur Roſa.* Erat nimirum *Pæſtum*, eaque propter Virgilio *Biſerum* vocatum, ac poſtea Martiali Ep. 31. lib. 12.

Oblitus officii.] Hoc eſt, humanitatis, probitatis, comitatis. Hacce notione ſæpe & Cicero utitur hac voce. Sic pro Roſcio de Cæcilia loquens matrona inſigni: *In qua muliere, Judices, etiam nunc, id quod omnes ſemper exiſtimaverant, quaſi exempli cauſa, veſtigia antiqui Officii remanent.* Vicem interpretationis ſubeunt, quæ ſubdit Arbiter: *Menſam quam Humanitate poſuiſſem, contumelia tollerem.*

Menſam, quam humanitate poſuiſſem.] Formula convivialis, *Ponere menſam.* Juvenalis Sat. 15.

——— *Ne magna gaudia cœnæ*
Sentirent, Poſitis ad templa & compita Menſis.

Retinet adhuc mordicus pontiſſimum Hiſpanorum idioma, quibus pariter, *Poner la meſa*, dicitur. Sic & inter convivialia verba ei oppoſitum, *Menſam tollere, auferre.* Addit Arbiter, *Contumelia tollerem.* Plautus Amphitr. Act. 2. ſc. 2.

AM. *Sine modo argumenta dicat, quid, poſtquam coenavimus?*

ALCV. *Te dormitare ajebas. Menſa ablata eſt.*

Etiam Hiſpani, *Quitar la meſa.*

Cap. XCIV. *Macte virtute eſto.*] Id eſt, auctus, cumulatuſque eſto nova virtute, cujus & nunc verbis inluſtre ſpecimen præbuiſti. Res jam vulgaris eſt, Locutionis id genus à ſacrificiis tractum, ubi τῷ *Mactum* utebantur Priſci pro magis auctum, æque atque, *Adultum*, ut Nonius in *Adolere.* Sic, *Macta hoſtia*, cum frugibus & mola erat. vix unquam niſi Macta immolabatur, cædebaturque. unde poſtea *Mactare* pro cædere uſurpatum, præcipue in ſacris κατ' ἐυφημισμὸν, vociſque *cædere*, ut ita averterent malum omen. Porro recta conſtructio erat *Mactus virtute eſto*, in caſu recto, non *Macte* in quinto; ſed talis uſus eſt Syntaxeωs utriuſque linguæ, ut palam exemplis fecit Joſeph. Scaliger lib. 1. Ep. XX. ad Vertunianum Medicum, ubi latiuſcule de *Macte* etiam patrio caſu ab Antiquis Scriptoribus uſurpato, non ſolum ſexto. Addo tamen inſuper ego, junctum genitivo. Martialis lib. 12. Epigr. inquit:

Macte animi.

Et Silius Italicus lib. 12.

——— *Macte ô virtutis avitæ.*

Forma.] Pulcritudo. Donatus ad illud Andriæ 1. 5. 50.

——— *Hujus Formam, atque ætatem vides.*

ait: *Formam enim dicendo pulcritudinem ſignificat.* Sic Antiquorum plures. Tacitus de Caji Piſonis uxore: *Teſtamentum fœdis adverſus Neronem adulationibus, amori uxoris dedit. Quam degenerem, & ſola corporis Forma commendatam, amici matrimonio abſtulerat.* Ovid. lib. 2. de Art. verſ. 107.

——— *Ut ameris, amabilis eſto:*
Quod tibi non facies, ſolave Forma dabit.

Sæpius Petronius. cap. CV. *Jam Giton mirabili Forma exarmaverat nautas.* Et cap. CXXVI. *Nulla vox eſt, quæ Formam ejus poſſit comprehendere.* Aſt vide Sitenem.

Ego laudes tuas carminibus implebo.] *Poëtæ quippe*, inquit Plato in Minoë, *vim maximam in utramque partem, & ad laudandum, & ad vituperandum habent.* Sed latius infra. Sic & Anacreon Cleobulon puerum celebravit carminibus, teſte Maximo Tyrio. & in deos ſuos, ita pueros indigitabat, Hymnos ſcripſit, Pindari Scholiaſtis referentibus. Primus vero Orpheus Thrax, uti ex Ovidio conligere eſt lib. 10. Metam. aliiſque non paucis.

Ego pædagogus & cuſtos, etiam quo non jusſeris, ſequar.] Apte ludit in *Pædagogi* antiqua acceptione. inquit Lexicon vetus: Παιδαγωγὸς *Pædagogus*, PEDISSEQUUS. Sic & Gitonem nunc Perſequi pollicetur amator

amator Eumolpus. Etiam & *Magister* Pædagogus vocatus. Donatus ad Scenam 2. Act. 1. Phormionis: *Magistrum Latini, quem Græci παιδαγωγὸν adpellant.* Magister autem Eumolpus ipse dictus cap. XCIX. *tanquam bonarum artium Magister.* Item *Custos* pro Pædagogo usurpatus. ita apud Plautum Pseudolo. 3. 2. 76. Horatium de Arte, & alios. quapropter recte conjunxit Arbiter. Martialis ita ad Charidemum *Pædagogum* suum lib. II. Ep. 40.

Cunarum fueras motor, Charideme, mearum:
Et pueri Custos, adsiduusque Comes.

Jam malo vel carminibus loquaris.] Hoc est, quod carmina, quicquid loquaris, videlicet sint. Ubi & locum habet illud Ovidii satis simile:

Quicquid conabar dicere, Versus erat.

Hunc autem Arbitri locum alibi adtingimus.

Vide quam non conveniat his moribus.] Hunc locum supra jam cum altero pari contulimus cap. x. *Intelligo nobis Convenire non posse.* quorum mens, & Syntaxeως forma, prorsus eadem est.

Et jam semicinctio stantem ad parietem spondam vinxeram.] Nostram istam emendationem in textum recepimus, quod stare recte sententia non posset *Stanti Semicinctio.* Præterea quod nobis plane Scioppius suffragaretur notulis manu sua scriptis in libri mei margine. Item quia eadem sit τῶν *junxeram*, & *vinxeram* scriptura, unde plures errores orti, ut alibi dicimus. Adde insuper illud Diversitoris cap. seq. quum inquit: *Quis autem grabatum illum erexit?* & plura ex sequentibus. Encolpius igitur erexerat omnino, ut exin laqueo penderet. Ast vero si objicis, quomodo, erecta sponda, super lectum se à Gitone præcipitari, dicat ipsus Encolpius? Non ideo, etsi de laqueo locus, *ad restim*, ut ajunt, *res ista redit* Nam ibi certe de stragulis, & lodicibus, quæ de lecto tunc deciderant, loquitur Arbiter. Eundem porro mirifice inlustrat simillimi suspendii artificium, magis à Tacito descriptum perspicue in suprema Epicharis actione, insignis, & constantissimi animi libertinæ, lib. 15. Annal. cap. 57. *Postero quum ad eosdem cruciatus eï traberetur gestamine sellæ (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinclo fasciæ quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem; & corporis pondere comissa, tenuem jam spiritum expressit.*

Semicinctio.] Munus *Semicinctii* Præcingere est. Martialis indicat lib. 14. Ep. 153. cujus Lemma *Semicinctium:*

Det tunicam dives: ego te Præcingere possem,
Essem si locuples, munus utrumque darem.

Heic ego Epigrammatarii Interpretum commentationes non curo, Martialis vero sententiam sic plane confirmo. Inquit S. Isidorus lib. 19. Orig. cap. 33. ubi agit de Cingulis: *Cinctus est lata zona; & minus lata, Semicinctium; & ex utrisque minima Cingulum.* Cui adcinunt Glossæ priscæ: *Semicinctium*, ἡμιζώνιον. &, *Semicinctium*, ὑπόζωμα. Et iterum: Ὑπόζωμα, *Subcinctum.* Usi vero sunt & hac voce σημικινθίῳ S. Cyrillus in Catechesi 18. Nicetas Paphlago in vita Ignatii, & D. Lucas Act. cap. 19. vers. 12. Quum autem *Semicinctia* cingula angusta omnino sint, quibus sese medios Antiquos cinxisse constat perspicue, nescio, an pro pellibus artificum sumi alicubi possint, tinctorum puta, sutorum, aliorumque, quæ usque ad poplites demissæ undique tegerent hominis anteriora, ut voluit Epigrammatarii quidam Interpres. Porro addunt Plinio *Semicinctia* dici *Ventralia*, quod ad nos & optime facit, quum *Ventrale* procul dubio sit pariter cingulum. Conligo ex Glossis, quæ sic habent: *Ventrile*, φοῦνδαμ; & alibi: *Ventrale*, κοιλιόδεσμον, φοῦνδα. quibus in locis Glossographi veteres vocem Latinam, *Ventrale* alia Latina sunt interpretati. *Funda* enim Latinum nomen est, non Græcum: nam σφενδόνη Græcis est, quod Latinis *Funda.* Fundis enim, certum est, majores usos cingulorum loco; quemadmodum apud nos hodie rusticorum mos est, funda lanea medium corpus præcingere. quod & Vulcanius jam pridem observavit, Hispanicæ linguæ, & consuetudinum haud imperitus. Puto & idem cum Semicinctio Plauti *Cincticulum* esse, Bacchidibus 3. 3. 28. nam illum adulescentis facit, cui proprie minus latum cingulum conveniret. Vocabantur & Semicinctiorum confectores, *Semizonarii.* Ipse Comicus in Aululari nominat. 3. 5. 42.

Strophiarii adstant, adstant Semizonarii.

Apte tunc ergo apud Arbitrum potuit, funis infausti officio fungi Encolpii Semicinctium.

In Æschylli hospitio gladium quæsivi.] Illud est ipsius Gitonis cap. LXXX. *Quod si utique proclamabat, facinore opus est, nudo ecce jugulum, convertite huc manus, imprimite mucrones: ego mori debeo, qui amicitiæ sacramentum delevi.*

Non longe esse quærentibus mortem.] Inlustratio hujus sententiæ petenda est à divino Seneca extremo libro de Providentia, & cap. 15. lib. 3. de Ira. ubi opportuna ad hancce amantium fabulam obviam procedent, ac sæpius alias.

Mercenario Eumolpi novaculam rapit.] Mercenarius iste *Corax* Satyrico vocatur. cap. CXVII. ejus memoria est: *Et Mercenarius Corax detractator ministerii.* Erat nimirum tonsor, eaque propter plures habebat novaculas. sic constat ex cap. CIII. *Mercenarius meus, ut ex novacula comperistis, Tonsor est.* & rursus cap. CVIII. Encolpius inquit: *Hinc Mercenarius Tonsor ferramenta sua nobis, & ipse armatus, distribuit.*

Mortem mimicam.] Vera isthæc æque atque elegans lectio ex illa ineptissima, *Mortem intimicam*, abique nulla mutatione jam olim facta. Quam nunc Mortem Mimicam adpellat, infra cap. CVIII. satis concinne vocat *Tragœdiam.* ubi nos denuo utriusque loci conlationem latiuscule facimus.

Cap. XCV. *Molitio.*] Dictum hoc ob grabatum erectum, ut supra jam monuimus ad verba cap. XXIII. *frustra moluit.*

Fugere

Fugere nocte in publicum voluistis.] Cicero lib. 5. in Verrem: *Cleomenes, quanquam NOX erat, tamen in PUBLICO esse non audet, includit se domi, &c.* Id, quod nox præstat, nimirum eo temporis ipsos etiam noxios posse libere per civitatem vagari, classis Romanæ Imperator ille Cleomenes non audebat. Unde in Verrem tunc Cicero haud levidensem invidiam concitavit.

Non vidua.] Proverbialis species. Sic Terentius Heautont. 5. 1. 80.

Non, ita me Dii ament, auderet hæc facere Viduæ mulieri,
Quæ in me fecit.

Ubi Eugraphius ejus vetus interpres ait: *Facilis enim illusio est in eam, quæ & mulier, & Vidua est.*

Insulam esse.] Festus: *Insulæ dictæ proprie, quæ non junguntur communibus parietibus cum vicinis, circuitusque publico, aut privato cinguntur.* Tacitus: *de German. morib. c. 16. suam quisque domum spatio circumdat, nullis coherentibus ædificiis, more Insularum.* & Donatus ad illud Adelph. Terentii Act. 4. sc. 2.

Id quidem angiportum,

ait: *Domos, vel Portus, vel Insulas, veteres dixerunt.* Insula igitur stabulum illud fuit, nam Romæ quidem longe plures ejusmodi *Insulæ* erant, quam Domus, quæ aliis contiguæ intelliguntur in Descriptionibus Urbis P. Victoris, & Sex. Rufi, quod vel exinde patet. Pariter nos hodie, *Islas*, vocamus similes prorsus ædes ab aliis distinctas. Item Ecclesias Patres anti qui *Insulas* adpellarunt, quod necessario ab omnibus ædibus separatæ esse Ecclesiæ debuerint. hoc est, *διχίας περιάμφοδοι*, ut Durantus observat de Ecclesiæ Catholicæ Ritibus lib. 1. vid. S. Cyrillum in Comment. Isai. cap. 24. S. Hieron. lib. 13. in Isaiam cap. 49.

Sed M. Manicii.] An Diversitor ipse, & stabularius, M. Manicius vocatus? fors non male, ut ipse de se sic magnifice loquatur. quod locutionis genus, ni fallor, apud Comicos Scriptores, & Tragicos, observaram jam olim, uniceque ad vilium capitum effingitur ingenium.

Solvitque clamantis frontem.] Supra jam hunc locum inlustravimus ad verba illa cap. XXII. *Caput fregit.* quod nunc, si tanti est, potes rursus adire.

Redditaque scordalo vice.] Prius Eumolpus in cella incluserat Encolpium, obductoque hostio, & ademta clave, ad Gitonem investigandum sine æmulo cucurrit. Nunc vice versa Encolpius foras Eumolpum excludit, ac præclusis foribus sine æmulo itidem & cella utitur & nocte. Itaque sat tempestiviter nactus vindictæ occasionem senis pruriginem ultus est parissimo eventu. quæ mens est horumce verborum. *Scordalus*, *ferox* D. Isidoro Glossographo est, quod jam monuerunt Interpretes. Alii interpretantur eum, qui sordes è balneo defert. quiquid autem sit, Encolpii verbum est Eumolpo conviciantis.

Et Nocte.] Nequam dictum, uti pluribus nequioris notæ Scriptoribus. Sic tenebricosus Satyricus 2. Sat. vers. 15.

Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, terque, & Noctem flumine purgas.

Ovidius lib. 2. Amor. Eleg. 2.

Protinus ut placuit, risi, Noctemque rogavi.

Et lib. 3. de Arte vers. 609.

Sed miscenda tamen Venus est secura timori,
Ne tanti Noctes non putet esse tuas.

Juvenalis Sat. 1.

Quum te submoveant, qui testamenta merentur
Noctibus.

Alii multi. *Noctibus uti* alio sensu Plinio Juniori lib. 3. Ep. 5. ubi de Avunculo loquitur. *Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem, nam ille quoque Noctibus Urebatur.* Hoc est, quod de Petronio nostro Tacitus: *Nam illi dies per somnum, nox officiis, & oblectamentis vitæ, transigebatur.* ubi plura nos de illa antipodum vitæ perversa consuetudine.

Coctores, insulariique.] *Coctores*, Coqui, uti interpretatur Dousa P. *Insularii*, Insulæ custodes sunt. Pomponius JC. leg. 16. ff. De usu, & habitat. *Dominus proprietatis, etiam invito usufructuario, vel usuario, fundum, vel ædes, per saltuarium, vel INSULARIUM CUSTODIRE potest.* De ipsis alias in Jure haud est infrequens memoria.

Furca de carnario rapta.] Disce hinc *Furcas* olim è carnariis adpensas. Cui vero usui, disce etiam ab Arbitro cap. CXXXV. *Simulque pannum de Carnario detulit Furca.* Ubi de Carnariis loquimur. Et cap. CXXXVI. *Coæquale natalium suorum sinciput in Carnarium Furca reponit.* Rebus igitur superiori loco reponendis perinde, atque hodie fit, olim Furcæ sunt adhibitæ.

Anus præcipue lippa.] Venuste hic, more suo, Arbiter, summaque insuper proprietate locutus. Vetulæ namque propter sanguinis defectum admodum sitibundæ sunt, ideoque bibacissimæ. Unde *Multibiba* dicuntur Plauto, & *Merobiba*, ac pari joco similis quædam *Meroë* Ausonio, pariterque aliis. Merum igitur largiter potare, causa est, cur aniculæ sæpenumero Lippitudine laborent, ut ferme omnibus provenit, qui Patri Libero indulgent liberaliter. Ea nunc palam facere lubuit exemplis. Sic apud Ovidium est anus similis insigniter lacrimosa, quæ nomen, quum *Dipsas* vocaretur, *ex re habuit*, hoc, est *Sitis* ipsa, lib. 1. Amor. El. VIII. vers. III.

Quin albam, raramque comam, Lacrymosaque Vino
Lumina, rugosas distraherentque genas.

Ideo plane Heliodorus lib. 5. inquit, *ἐπίφορον γάρ τι πρὸς δάκρυον οἶνος.* *Vinum enim proclives quodammodo in Lacrymas efficit.* Et Lucretius expressit lib. 3. dum inter alia, quæ homini ebrio necessario proveniunt, addit:

Nant oculi, Clamor, &c.

Ita & Latinæ Lyræ Princeps Horatius, qui vino nimium deditus fuit, Lippum se profitetur Sat. 5. lib. 1.

Hic oculis ego nigra meis collyria Lippus
Illinere.

Sed Ohe, jam satis hæc Lippis erunt, ut morbum adgnoscant.

Sordidissimo linteo præcincta.] Persii vetus Interpres ad illud, *Discincto verna*, Sat. 4. inquit: *Præcincta tunica linteo amiciuntur verna.* verissime. Itaque frustra est, qui Scholiastem emendabat, τῷ *Linteo* loco, *Licio*, substituens. Erat omnino habitus ille ministrantium. Sic DOMINUS JESUS pedes discipulorum lavaturus apud D. Joannem cap. 13. τίθησι τὰ ἱμάτια, καὶ λαβὼν λέντιον διέζωσεν ἑαυτόν. εἶτα βάλλει τὸ ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, καὶ ἤρξατο νίπτειν τὰς πόδας τῶν μαθητῶν, καὶ ἐκμάσσειν τῷ λεντίῳ, ᾧ ἦν διεζωσμένος. Vulgatus Interpres: *Ponit vestimenta sua, & cæpit, quum accepisset Linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum, & extergere Linteo, quo erat præcinctus.* Ast, si bene memini, negotium jam isthoc est præoccupatum Criticis, ideoque plura testimonia non addo, quum possem sat multa.

Soleis ligneis imparibus impositæ.] An quia clauda, cujus impar ingressus? Prudentius satis eleganter similem incedendi modum descripsit in Hymno S. Laurentii:

Et Clodus infracto genu,
Vel crure trunco sæpes,
Breviorve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.

Sic ergo jam anus haud impariter incederet, nam ingressus ferme jam factus æqualis esset, quum imparibus soleis crura imponerentur imparia. Ast ego existimo, potius sic aniculæ sordidissimum ingenium Auctorem exprimere amasse, quasi ei hinc inde adsumtæ forent seorsim soleæ impares. *Ligneæ* autem *soleæ* videlicet sunt, quas Hispani *Zuecos* vocant; & quibus inter ambulandum crepitus editur satis stridulus, unde claror Catullo Eleg. ad Manlium:

——— *Arguta constitit in Solea.*

Hoc est, *in Lignea*, ideoque crepitanti. id *Argutum.* Virgil.

——— *Argutumque nemus, pinusque loquentes.*

Canem ingentis magnitudinis catena trahit.] Aniculæ Janitrix comitem canem Ostiarium sibi in auxilium adfert, de quo supra meminimus. nam ministerio aditum observandi & feminæ propositæ antiquitus, sed potissimum aniculæ. Plautus Curculione Act. 1. sc. 1.

Anus hic solet cubitare Custos Janitrix.

Cap. XCVI. *Caput miserantis stricto acutoque articulo percussit.*] Percussit τῷ κονδύλῳ pueri Gitonis caput. Digitum sic complicatum *Talitrum* olim Latini vocabant. Indicat clare Tranquillus Tiberio cap. 68. *Sinistra manu agiliore ac validiore, articulis ita firmis, ut recens & integrum malum digito terebraret: Caput pueri, vel etiam adolescentis, Talitro vulneraret.* Perperam igitur qui digitorum sic complicatorum percussionem ibi *Talitrum* interpretatur, quum potius sit articulus ipse strictus & acutus. Planius adhuc Glossæ veteres evincunt: κόνδυλος· ποδὸς καὶ χειρός, *Hoc Talatrum.* Lege ex Suetonio *Talitrum.* Præterea Analectorum quidam Conlector lib. 1. cap. 11. omnino fallitur, dum putat, percussionem illam summæ ignominiæ notam esse apud Petronium; quum vel ex ipso quidem, quando Tranquillus abesset, constaret abunde, tantum fuisse supplicium puerile. id nobis hodie satis frequens in usu, *Capon*, vulgo à Capite nuncupatum. sive à verbo *Cape*, quod identidem repetebat percutiens.

Injuriamque Eumolpo, advocationemque commodabam.] Primum in M. S. repertum fuit: *Injuriamque Eumolpi, advocationemque.* unde postea Scaliger F. fecit: *Injuriæque Eumolpi advocationem commodabam.* fors non male. nam ei omnino consonat, quod præcesserat: *favebamque vapulanti.* Alii vero, ut in textu repræsentavimus, cujus videtur sensus esse, Advocationem illam, quam Eumolpo commodabat Encolpius, plus injuriæ prorsus habere.

Et veluti quodam cibo me replebam.] Recte. nam cibus quodammodo oculorum videtur, quod cum voluptate spectatur. Inde Antiquorum plures translativæ locutiones abortæ, scilicet *Oculis comedere, devorare*, item *oculos reficere*, & *pascere*, quibus usus Martialis lib. 9. Ep. 6. lib. 1. Ep. 97. Appulejus lib. 10. Ovidius lib. 3. Amor. El. 2. Cicero non semel, Symmachus lib. 5. Ep. 78. Præterea nos unum aut alterum elegantiorem locum adtingimus. Facete, more suo, Ep. 78. lib. 4. lusit Martialis:

Tunc ego non Oculos, sed ventrem Pascere veni.

Cui simile prorsus & illud Senecæ est lib. 3. Nat. Quæst. ubi de Mullo loquitur: *Et Oculos antequam Gulam pavit*, & post multa pariter concludit: *Non sunt ad popinam dentibus, & Ventre, contenti, Oculis quoque Gulosi sunt.* Sic & Plautus Pœnulo 5. 4. 2. *Oculis epulas dare*, dixit, ubi plura ejus Interpretes, quæ non exscribo. Addo tamen in fine nostrum egregium Poëtam Garsiam Lassum, qui Ecloga 2. usurpavit mirifice:

Sus ojos Mantenia de Pintura.

Procurator insulæ.] Omnibus Urbis Insulis id genus Procuratores præfuisse, dementia est cogitare, sed illis tantum, in quibus ob convenientium hospitum frequentiam similes passim excitari rixas, foret proclive, puta Cauponiis, Stabulis, Popinis, & ejusmodi aliis. Sive Major domus servus ille fuit, cui ceteri parerent. similium namque inprimis summa dignitas fuit etiam apud Antiquos.

A duobus lecticariis perfertur.] Tenuiorum olim lecticæ parvæ erant, ut commode à duobus servis possent perferri. Talem nimirum optat sibi Juvenalis verbis illis Sat. 9.

——— *Et duo fortes*
De grege Mœsorum, qui me cervice locata
Securum jubeant clamoso insistere Circo.

Unde manifestarius ejusdem Satyrici Poëtæ error Interpretis,

terpretis, negantis scilicet, lecticam ullam portari à duobus hominibus potuisse. Ampliores quidem divitum ac potentiorum nihil ambigendum à pluribus necessario gestari solitas, puta sex, aut octo mancipiis. Martialis lib. 2. Ep. 81.

Laxior hexaphoris tua sit lectica licebit.

Et lib. 6. Ep. 84.

Octophoro sanus portatur, &c.

Lecticariis.] Servis, qui lecticam portabant. Seneca de Constantia cap. 14. JCti, Suetonius Caligula cap. 58. Scholiastes Juvenalis ad vers. 142. Sat. 9. & sæpe prisci lapides. *Bajuli* etiam, & *Geruli* dicti. Tertullianus de Virg. Veland. Seneca de Benef. lib. 3. cap. 28. Nonnulla autem de Lecticis ad cap. XXVIII. supra retulimus. Ita à Cathedra *Cathedrarios servos* vocavit Sidonius Ep. 11. lib. 1.

Contubernalis mea mihi fastum facit, ita, si me amas, maledic illam &c.] Servile hocce prorsus verbum, & inurbanum, vilique mancupii ingenio adprime conveniens; qui personarum mores mire à Petronio servati. Sententia tamen, si non indecenter usurpetur, neutiquam sperni debet ab honestissimis adulescentibus. ignoscant modo superbientes puellarum emendatissimæ formæ, ipsarum quippe, si immodici sunt, Fastus intolerabiles. Ita & Magister docuit 3. de Arte vers. 509. quod supra jam fuse persecutus sum. repeto tamen hic opportunum locum:

Nec minus in vultu damnosa Superbia vestro:
Comibus est oculis adliciendus Amor.
Odimus immodicos (experto credite) FASTUS
Sæpe tacens odii semina vultus habet.

Ast hic nihil insuper addo, de fastu quippe hocce plurimes opere in isto locuti sumus. *Contubernalis* vero haud incommode accipi potest de uxore Bargatæ. Vulgo quippe notum est, uxores servorum *Contubernales* in jure adpellari, connubiumque *Contubernium*; idque sat multi veteres Jureconsulti testantur disertim, aliique optimæ notæ Scriptores.

Maledic illam versibus, ut habeat pudorem, &c.] Infra hunc locum adtingimus ad verba cap. CXIII. *Et homo dicacissimus carminibus vindicaret.* Nemo autem, ut Celtiberus Epigrammatarius, expressit loco Interpretibus jam designato, mihi etiam animadverso quoque jam pridem. Apte ergo inquit ad Fulgentium Calliope lib. 1. Mytholog. *Nescis, Fulgenti, rudis accola Pieridum, quantum Satyram matronæ formident.*

Cap. XCVII. *Cum servo publico.*] *Ministeria Publica* vocat Labeo leg. 11. De Serv. fug. Appulejus lib. 10. Metam. Alii vero prorsus erant Servi illi Publici à Lictoribus. licet eis quoque tribuat Arbiter *Securet.* Aperte innuit antiquum Senatusconsultum apud Frontinum lib. de Aquæductib. PLACERE SENATUI, EOS, QUI AQUIS PUBLICIS PRÆESSENT, QUUM EJUS REI CAUSA EXTRA URBEM ESSENT, LICTORES BINOS, ET SERVOS PUBLICOS TERNOS, &c. HABERE. Item Appulejus extremo lib. 9. qui locus & huic Petronianno parissimus: *Postremum Magistratibus placuit, obstinate denegantem Scrutinio detegere. Immissis itaque Lictoribus, ceterisque Publicis Ministeriis, angulatim cuncta sedulo perlustrari jubent.* En quomodo Servi Publici rerum deperditarum conquisitioni adhiberentur olim, quod Auctoribus, qui De Servis scripserunt, prætermissum fuit. Sic illos definivit Catanæus, *Reipublicæ nomine emtos, & publicis usibus inservientes.* Titus Popma, *Officium, & ministerium publicum Sacerdotibus, magistratibus, & populo exhibentes.* Ea autem officia, & Ministeria plures recensent, præsertim vero ipsus Popma, & Pignorius. Postea Servum Publicum *Viatorem* adpellat Petronius. Itaque ex dictis conligere licet, Lictoris, Servi Publici, ac Viatoris, munia promiscua fuisse.

Facem quassans.] Martialis Ep. 43. lib. 8.

Funereamque toris Quassat uterque Facem.

Propertius lib. 1. El. 3.

Et Quaterent sera nocte Facem pueri.

Opportune vero Arbiter adhibet facem, nam plena nocte tota isthæc fabula acta. Ipse sæpius testatur, supra cap. XCII. *Et jam Plena Nox erat, mulierque cœnæ mandata curaverat, quum Eumolpus hostium pulsat.* & cap. XCV. *Fugere Nocte in publicum voluistis.* & post pauca: *Et cella utor & Nocte.* Ac denique in Fabulæ exodio cap. XCIX. *Et moraris, inquit, Eumolpe, tanquam prope diem ignores.*

Hæc proclamavit: Puer in balneo &c.] Duplex mos inquirendi amissa olim solennis, etiam hic ex Petronio ediscendus: Per Præconem nimirum, & per Conquisitores à Prætore impetratos. Proclamationis, Præconiive, aut Prædicationis antiquæ eximium exemplum præsens hocce Petronii est, cui parissimum Appulejus habet lib. 6. Fabulæ Milesiæ, ubi Venus Psychem investigat Mercurio Præcone, *qui sic mandatæ prædicationis munus exsequebatur: Siquis à fuga retrahere, vel occultam demonstrare poterit fugitivam regis filiam, Veneris ancillam, nomine Psychen, conveniat retro metas Murtias Mercurium Prædicatorem; accepturus Indicii nomine ab ipsa Venere septem savia suavia, & unum blandientis adpulsu linguæ longe mellitum.* Quod Indicium haud semel à Venere promissum. Sic apud Moschum Amore Fugitivo:

—— Ὁ μαντὺς γέρας ἴξει
Μισθός τοι τὸ φίλαμα τὸ Κύπριδος. ἢν δ' ἀγάγῃς νιν
Οὐ γυμνὸν τὸ φίλαμα, τὺ δ' ὤ ξένε καὶ πλέον ἴξεις.

—— *Dulce Index munus habebit,*
Basiolum Veneris. quod si ipsum adduxeris, hospes,
Non tibi Basiolum simplex dabo; at amplius addam.

Per Conquisitores autem investigationem haud dubio & Petronius subindicavit sequentibus paullo infra hoc capite, *Interim Ascyltos, ut pererravit omnes cum Viatore cellas, venit ad meam*, &c. Planius vero Plautus expressit consuetudinem, simul primorem contingens, In Mercatore extrema Scena 4. Act. 3.

Certum est Præconem jubere, jam quantum est conducier,

Qui illam investigent, qui inveniant. Post ad Praetorem illico
Ibo, orabo, ut Conquisitores det mihi in vicis omnibus.
Nam mihi nihil relicti quicquam aliud jam esse intellego.

Porro & tertium quoque modum animadvertere licet ex Propertio, qui per scedulam erat alicui columnæ adfixam. diserte enim edocet lib. 3. extrema El. 23. tabellas quærens amissas.

Crispus.] Crispitudo olim non leviter pulcritudinem augebat. facetissimus Martialis lib. 5. Ep. 62.

Crispulus iste quis est, uxori semper adhæret
Qui, Mariane, tua? Crispulus iste quis est?

Sic & Theophylactus Simoc. in Epist. Amat. loquens etiam de formoso juvene, & Moschus Idyll. de Amore fugitivo

Indicium.] Præmium Indicanti Hispanis, *Hallatzgo.* Ulpianus leg. 4. de Cond. ob turp. cau. *Si tibi Indicium dedero, ut fugitivum meum Indices, vel furem rerum mearum*, &c. Supra Appulejus lib. VI. Metam. *Accepturus Indicii nomine ab ipsa Venere septem savia*, &c.

Ut raptim grabatum subiret.] Idem infra cap. CXL. *Ut lectum, in quo ipse jacebat, subiret.* ubi iterum nos latiuscule loca conferimus.

Institis.] Pauperum lecti, grabatique, funibus tenti. Funes vero illi *Institæ* vocatæ, *fasciæ, restes, resticulæ, fasciolæ, vincula*, & *Cadurca.* Sunt & apud nos usque adhuc tenuiorum similes lecti, qui vulgo hodie adpellantur, *Camas de Cordeles.*

Sicut olim Ulyxes pro ariete adhæsisset.] Si πρατότυπον ἐπὶ τῷ σχήματι Gitoniani Ulyxes olim exstitit in Cyclopis antro, quum gnaviter effugium suum comminiscebatur: ab Ulyxe ergo ipso petenda est ejusdem schematis ratio, ut apertius pateat ejus rei Petroniana descriptio. Idem autem Ulyxes apud Homerum expressit haud obscure lib. 9. Odysseæ vers. 441. quod miror, obvium quum sit, & huc (quod caput rei est) maxime conducat, Interpretes non retulisse:

——— Αὐτὰρ ἔγωγε
(Ἀρνειὸς γὰρ ἦεν μήλων ὄχ' ἄριστος ἀπάντων)
Τῷ κατὰ νῶτα λαβὼν, λασίην ὑπὸ γαστέρ' ἑλυσθείς
Κείμην. αὐτὰρ χερσὶν ἀώτῳ θεσπεσίοιο
Ναλκίμως τρυφθεὶς ἐχόμην τετληότι θυμῷ.
——— *Ceterum ego*
(*Aries enim erat pecudum longe optimus omnium*)
Hujus tergum adripiens (hoc est, *hunc supra dorsum* [scilicet meum] *aptans*, ut Volaterranus interpretatur) *Villosum sub ventrem delapsus*
Pendebam: ceterum manibus lana pretiosissima
Firmiter implicitus tenebam audaci animo.

Lectulum vestimentis implevi.] Id est, stragulis, & lodicibus, quæ grabato erecto exciderant. Vere, nam anterius dixit diversitor: *Quis autem grabatum illum erexit?* Culcitræ enim, & stragula, quibus sternebantur tori, dictæ olim *Vestes.* Terentius in Heautontim. 5. 1.

Huc est intro latus lectus, Vestimentis stratus est.

Horatius in politissimo Murum apologo lib. II. Sat. VI. vers. 102.

——— *Rubro ubi cocco*
Tincta super lectos canderet Vestis eburnos.

Et Ovidius ad puellam corpore pusillam lib. III. Art. Amor. vers. 265.

Hic quoque ne possit fieri mensura cubantis
Injecta lateant sic tibi Veste pedes.

Loco illarum Vestium, stragulorum, inquam, & culcitrarum, plumatis pulvinaribus hodie effarciuntur lecti.

Uniusque hominis vestigium.] Hoc est, unicum Vestigium. quod apte dictum; nam duo in lectis Vestigia remanentia signa voluptatis transactæ fuere habita priscis amatoribus, certaque haud viduarum, immo potius plane impudicarum, noctium indicia. sic sequentia testimonia ostendunt. Tibullus lib. 1. El. 9.

Semper sint Externa tuo Vestigia lecto.

Quod & Livius similiter dixerat lib. 1. *Vestigia, Collatine, Alieni viri in Lecto sunt tuo.* Nec hujus Magister oblitus 3. de Arte, & Eleg. 8. lib. 1. Amor.

Ille viri videat toto Vestigia lecto.

Item Propertius lib. 2. El. 9.

Nec domina ulla meo ponet Vestigia lecto.

Amolitur Æschylos invidiam.] Observo duobus in locis *Invidiam* Petronio pro Calumnia usurpari, hic, & cap. CI. *Inundatus hac Eumolpus Invidia.* Inquit Nonius: *Est enim Calumnia malitiosa & mendax infamatio.* Mendax ergo est & malitiosa, quam Æschylo Encolpius imponit; Mendax, quam Eumolpo. Ideo uterque continuo se purgant ab ea, ille, *Et se vero nil aliud quam fugitivum suum dixit quærere, mortem nec hominis concupisse*, &c. Iste, *Jurat per deos deasque se neque scire, quid acciderit, nec ullum dolum malum consilio adhibuisse*, &c. Parissime usus etiam hacce notione Symmachus lib. 7. Ep. 16. *Vicem sermonis mei desiderasse te, gaudeo: sed AMOLIOR INVIDIAM negligentiæ*, & sequentia, quæ excusationis sunt. Ita & Appulejus in Apologia: *Mihi jam dudum satis est, si non modo crimina objecta plenissime dilui, verum etiam radicem hujus judicii, id est, hæreditatis quæsitæ INVIDIAM, funditus subduli.*

Cap. XCVIII. *Sed raptam cauponi harundinem.*] Hic Interpretes Cauponem malis avibus cum Janitore confundunt, Ostiariove, cujus gestamen (quod *Harundo* Petronio est, ut ex cap. CXXXIV. constat, *Virga* Senecæ cap. 15. de Constantia Sapientis) nunc quoque ab Ostio raptum tribuunt Diversitori. Longe enim diversa fuit (de materie ego ejus, formave, non loquor) Cauponis Virga, aut Harundo. Ejus namque illud insigne ejusdem puto notæ fuisse cum illo, quod familiæ Præfectum gestasse, jampridem ego observabam apud Ammianum. Sic ergo inquit lib. 14. cap. 17. dum sequioris ævi perstringit corruptos mores:

res: *Utque prælitorum periti rectores, primo catervas densas opponunt, & sortes, deinde leves armaturas, post jaculatores, ultimasque subsidiales acies, si fors adegerit, invasuras: ita PRÆPOSITIS urbanæ FAMILIÆ suspensa digerentibus sollicite, QUOS INSIGNES FACIUNT VIRGÆ DEXTRIS APTATÆ, velut tessera data castrensi, &c.*

Ipsos cimices tangebat.] Libere hic ineptissimam vocem expunximus *Scyniphes*, ejus in locum verissimam substituentes, *cimices*, quos miror tot nasutos Interpretes non subolfeciisse, quum eminus gravi odore sese præbeant agnoscendos vel ipsis naribus simis. Scyniphes enim in lectorum lignis locum non habent, maxime vero Cimices; in diversoriis potissimum, pauperumve grabatis. Facete innuit Martialis l. 11. Ep. 33.

Nec toga, nec focus est, nec tritus Cimice lectus, &c.

Et Epigr. 57.

Et teges, & Cimex, & nudi sponda Grabati.

Ut constantiam igitur extolleret Encolpius, animalcula fœdissima, & dictu quoque fastidienda, ut Plinium usurpem, ab ipso puero, ait, ore adtingi, & nihilominus tamen non mussitare, vel tantillum hiscere. quæ ingens est exaggeratio.

Ne morientes vellet occidere.] Nam *cui non est mors una satis*, uti ait Arbiter ipsius cap. CVIII. qui duo loci conlati invicem lucem accipiunt. Ideo igitur morientes (mens hæc est Petronii) supervacaneum occidere, quia cuique mors una satis est. At, *Morientem occidere*, volunt Parœmiographi proverbium sapere, ut Θανόντ' ἐπικτανεῖν, *Mortuum necare*, apud Sophoclem. Et τοὺς τεθνηκότας ἀποκτείνειν, *Defunctos occidere*, apud Aristophanem ἐν ὄρνισι. Et, *Jugulare mortuos*, apud Laërtium.

Ut grabatum concuteret.] Eleganter dictum. Sic etiam Juvenalis dixit de lecti nequam motu Sat. 6.

Antiquum & vetus est, alienum, Posiume, Lectum Concutere.

Salvere Gytona jubet.] Plus satis Interpretes de sternuentium salutatione, & nos insuper adducere possemus non pauca: omittimus tamen, quia pluribus acta res est. nuper vero latiuscule à Famiano Strada Romano lib. 3. Prolusion. Academicar. Prælect. 4. Næ Aristoteles cuique fundus erit hujusce dissertationis. ipse enim variis in locis reddit rationes plures, cur sternuentes salutentur. vide Sect. 23. Problem. 7. & 9. & Sect. 33. Prob. 9. ac lib. 1. de Hist. Animal. Lepido autem cum tetrasticho Ammiani Græci Epigrammatarii hinc lubet discedere, quod in Proclum quemdam insigniter nasutum scriptum olim fuit ex Anthol. Græc. lib. 11. cap. XIII. Ep. 11.

Οὐ δύναται τῇ χειρὶ Πρόκλος τὴν ῥῖν' ἀπομόσσαι,
Τῆς ῥινὸς γὰρ ἔχει τὴν χέρα μικροτέρην.
Οὐδὲ λέγει Ζεῦ πᾶσι, ἰὼν πλαγῇ, ἢ γὰρ ἀκούει
Τῆς ῥινός, πολὺ γὰρ τῆς ἀκοῆς ἀπέχει.

Sic Henricus Stephanus Latinum fecit:

Haud manibus Proclus potis est emungere nasum,
Nam Procli nasus longior est manibus.

Invocat haudque Jovem, quum sternuit, auribus istum
Tam procul à naso non capit ille sonum.

Videt Ulyxem, cui vel esuriens Cyclops potuisset parcere.] Notum hocce totum ex Homero lib. 11. Odysseæ, cujus & Petronius meminit cap. CI. *Et, Fingite, inquit, nos antrum Cyclopis intrasse*, &c. ubi & nos leviter figmentum illud adtingimus.

Primum araneis.] De telis, dictum, ut passim omnibus. Afranius:

Tamne arcula tua plena est Aranearum.

Quod cum Græcis habuere Latini commune. Medicina etiam vulgaris. Illud autem, inter alia Alagabali, deliramentum, non item. inquit de ipso Lampridius cap. XXVI. *Jocabatur sane ita cum servis, ut eos juberet millena pondo sibi Aranearum deferre proposito præmio. collegisseque dicitur decem millia pondo Aranearum, dicens, & hinc intelligendum, quam magna esset Roma.*

Utinam me solum inimicus ignis hauriret, utinam hibernum invaderet mare] Parissimus est superior locus cap. LXXXI. *Ergo me non ruina terra potuit Haurire? Non iratum innocentibus Mare?* Mutuam enim lucem accipiunt uterque conlati, nam Ignis ille indubie sub Pegmate fuit, ubi uterque impositi Encolpius, & Giton, & cujus Ruina utrique salutaris: De eademmet ergo machina duo loci haud dubitanter accipiendi, de illa, inquam, cujus & anterius cap. IX. jam meminit, ubi etiam nos mage abunde loquimur. Sequens evincit: *Arena imposui.* Nunc primum à nobis locus iste accepit clarorem.

Invaderet mare.] Id est, devoraret. Sæpe hac notione sumtum olim verbum, *Invadere*. Tertullianus de Pallio cap. 5. *Servos murenis Invadendos objectabat Vedius Pollio.* ubi Claudius Salmasius plura contrahit exempla. Hocce in germano illo loco Arbiter palam facit: *Haurire me non potuit Mare?*

Cap. XCIX *Et ubique vixi, ut ultimam quamque lucem tanquam non redituram consumerem.*] Sæpe contigit, ut idem placitum longe diverse caperetur à diversis Philosophis. Sic hocce, quod effert Eumolpus, aliter ab Epicureis sumebant Stoici. Utrorumque sententiam è Seneca cape Ep. 12. *Itaque sic ordinandus est dies omnis, tanquam cogat agmen, & consummet atque expleat vitam.* En Petroniana Sententia aureis Philosophi verbis concepta. progreditur autem diversimode eam interpretari. *Pacuvius, qui Syriam usu suam fecit, quum vino & illis funereis epulis se sepelisset, quasi sibi parentaret, sic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plausus exoletorum hoc ad Symphoniam caneretur, βεβίωκε, βεβίωκε; nullo non se die extulit. Hoc quod ille ex mala conscientia faciebat, nos ex bona faciamus, & in somnum ituri, læti hilaresque dicamus:*

VIXI, & quem dederat cursum Fortuna peregi.

Crastinum si adjecerit Deus, læti recipiamus. Ille beatissimus est, & securus sui possessor, qui crastinum sine sollicitudine exspectat. Quorum autem agmen insequeretur Petronius, satis palam jam fecimus in Præludiis.

Ratio autem Eumolpi diversa prorsus in præsentia est, nam Neronem ille repræsentat; & facile, puto, cuique probabitur, eum Principem sectaneum fuisse Epicureæ familiæ, cujus insignis exstitit olim error existimantis, Animas cum corporibus interire. Quid ergo aliud est, ultimum quemque diem tamquam supremum delicioſissime consumere, nisi exsertim profiteri, reliquum in toto homine vitæ quum sit post corporis interitum, illud saltem vitalis auræ exiguum spatium summa esse cum voluptate transigendum. Hinc plures Antiquorum, qua Græci, qua Latini, sæpissime monuerunt, quod in hacce dubiæ fidei vita non essent deliciæ procrastinandæ. Duo ego tantum referam ex ipsis testimonia, quum possem sat plura. Facetissime omnium lib. 5. Martialis Ep. 59. in hunc modum ad Posthumum inquit, ubi & ficto nomini suus lepor inest, illum vero usque adhuc non senserunt ejus Interpretes:

Cras te Victurum, cras dicis, Posthume, semper.
Dic mihi Cras istud, Posthume, quando venit?
Quam longe Cras istud ubi est, aut unde petendum?
Numquid apud Parthos, Armeniosque, latet?
Jam Cras istud habet Priami, vel Nestoris, annos.
Cras istud quanti, dic mihi, possit emi?
Cras Vives: Hodie jam vivere, Posthume, serum est.
Ille sapit, quisquis, Posthume, VIXIT heri.

Et Anacreon pariter:

Τὸ σήμερον μέλει μοι,
Τὸ δ' ἄυριον τίς οἶδεν;
Hodierna curo tantum:
Quis Cras futura novit?

Lucem.] *Lux* pro die pluribus, ut *Tenebræ* pariter pro nocte. Ipse Arbiter cap. CIV.

Quicquid Luce fuit, Tenebris agit. ——

Aliis in re nota properantes parcimus. Item *Lux* pro vita Petronius cap. XCIV. *Meque à fatali jam meta revocavit ad Lucem.* Unde Rhetoris patet argutia, quæ in vocis est ambiguitate, apud Calpurnium Flaccum Declam. 42. quæ est de *Raptore excæcato: Erepta autem mihi Lux est ante quam morerer.*

Tantum omnem scabitudinem animo, tanquam bonarum artium magister, deleret, sine cicatrice, &c.] Eamdemmet Sententiam innuere voluisse Pythagoram quodam symbolo Auctor est Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromat. Πάλιν ὁ Πυθαγόρας, τῆς χύτρας ἀρθείσης ἀπὸ τῆς πυρὸς, τὸν ἐν τῇ σποδῷ τύπον μὴ ἀπολιπεῖν ἀλλὰ συγχεῖν προσέταξεν. καὶ ταράττειν ἀνασάντας ἐξ ἑνὸς τὰ σώματα. ἐ γὰρ τὸν τύπον ἀφανίζειν μόνον δεῖν ἡγεῖτο, ἀλλὰ μηδὲ ὀργῆς ἴχνος ἀπολιπεῖν. ἐπ' ἂν ἀναζέσασα πάυσηται, καθίσασθαι αὐτὴν, καὶ πᾶσαι ἀπαλείφειν μνησικακίαν. *Rursus Pythagoras, olla ab igne sublata, præcipit, non relinquere figuram in cinere, sed eam confundere. Tacite enim significabat, non solum esse delendum fastum, & superbiam, sed ne Iræ quidem relinquendum esse Vestigium. Quum autem ebullire cessaverit, eam esse componendam, & omnem esse delendam Injuriæ Memoriam.* Refert etiam Plutarchus Quæstionibus Convivialibus. Mirifice autem locus facit ad Petronii inlustrationem, de quo & supra locuti jam sumus. Cicatrix hic Arbitro Iræ Vestigium est.

Tanquam bonarum artium magister.] Plinius lib. 20. cap. 14. *Cato omnium Bonarum Artium Magister.* Addit, *deleret sine cicatrice*, &c. quod scite dictum est ad Poëtam eruditum, cujus animus cultiori ac placida doctrina excultus nescit omnino difficiles ac tetricos mores. Ea mens Ovidii est 3. de Arte vers. 545. eleganter expressa de Vatibus itidem loquentis:

Scilicet ingenium placida Mollitur ab Arte,
Et Studio mores convenienter eunt.

Ecce etiam osculo iram finio.] *Osculum* olim amicitiæ habitum pignus solenne. adpositissime Plautus in Pœnulo Act. 1. scen. 2.

Non sum Iratus. AG. Da ergo, ut credam, Savium.

Nunc autem, ut iterum Eumolpus osculetur Gitonem, amicitiæ fœdus osculis sancire dissimulata nequitia adgreditur. Fœdera enim quum paciscebantur Antiqui (sæpius post bella id factum) sese mutuo osculantes obstringebant. Sic Petronius cap. CIX. pacato jam civili illo in Licæ navi bello. *In hæc verba fœderibus compositis arma deponimus: & ne residua in animis etiam post jusjurandum Iræ remaneret, præterita Aboleri Osculis placet.* Præterea equidem apud Heliodorum observo, Caput osculari, blanditias fuisse gratias agentis, adsentantisque. Ita lib. 5. Calasiridi blanditur Phœnicius mercator, quod illi Charicliam desponderat. Ὑπερήσθη τότων ἀκούσας. καὶ, ἴυγε ὦ πάτερ, ἔφη, καὶ ἅμα ἐφίλει προσιὼν τὴν κεφαλήν. *Vehementer est delectatus, his auditis: &, recte pater, inquit: simulque accedens caput osculabatur.* Et paullo ante ubi Nauficles Mitrani adsentatur, grateque agit, ac simulat nimirum, ejusdem Mitranis beneficio suam Thisben jam recuperasse: Τότε προσδραμὼν ἐφίλειτε πολλὰ τὴν κεφαλὴν τῇ Μιτρίνε, &c. *Tunc adcurrens ille* (Nauficles) *osculabatur diu Mitranis caput*, &c.

Itaque, quod bene eveniat, expedite, &c.] Fausta omnibus fere rebus auspicandis olim precatio isthæc adhibita: *Quod bene eveniat.* Cato De re Rust. cap. 141. *Impera Suovitaurilia circumagi cum diis volentibus; quodque Bene Eveniat, mando tibi Mani.* Et Arbiter habet cap. CXVII. hisce verbis: *His itaque ordinatis, Quod Bene Feliciterque Eveniret, precati deos.* Ita & Cicero lib. 4. Ep. Fam. 14. ad Plancium: *Alteris dicebas, te velle, quæ egissem, Bene ac Feliciter Evenire.* Plura exempla Brissonius congessit lib. 1. de Form.

Expedite.] *Conligite*, Nonius.

Barbis horrentibus nauta.] Mire res Arbiter exprimit, ipsas omnino intueri, me-Hercules, facit. Habitus ille plane rusticorum est, incultorumque, puta Nautarum, Agricolarum, &c. Martialis lib. 3. Ep. 48. idem innuit:

Seras putator Horridus refert vuas.

Idem Hippocentauro dedit D. Hieronymus in vita S. Paulli

Paulli primi Eremitæ : *Inter Horrentia ora Setis blandum quæsivit eloquium.* Graphice Varro effinxit lib. 5. de LL. *In corpore Pili, ut arista in spica hordei, Horrent.* Transtulit & eleganter Dracontius in Hexaëmer. quum terram fecit rupibus Horridam, ut pilis Petronius Nautam.

Pars datur in tumulos, Pars aspera Rupibus Horret.

Præterea, etiam qui macri, horripili sunt, & squallidi. ideo Vegetius lib. 1. de Re Veterinaria cap. 3. *Fit gracilis Horrentibus pilis*, inquit. Qui corporis habitus vel ideo sane convenit insigniter Nautis, quod à marina salsugine semper illis fere macritudo proveniat. Mirifica vox id nobis exprimit, *Herizado*, ducta ab *hericio* animalculo spinis horrido. *Barbis* pro *Barba* Latinismus juxta ac Hispanismus est.

Et moraris, inquit, tanquam prope diem ignores.] Expressi hic mores Nautarum, qui, sive ut paratos vectores habeant, simulant festinare; sive, *quæstus sui causa*, ut inquit Cic. Ep. 9. lib. 16. Fam. Nemo autem ut Plautus id repræsentavit in Milite, ubi Pleusides nautam simulans ornatu exit nauclerico, urgetque Philocomasium Act. 4. scen. 7. Ibi plura in feminarum mores lepida convitia sunt, ac denique subdit:

—— Philocomasium quærito,
A matre illius vento: si itura est, eat:
Omnes moratur: navim cupimus solvere.

Ast, *prope diem*, jam olim emendarunt recte viri eruditi.

Mercenarium suum jam olim dormientem.] Tonsor enim est, alibi *Corax* vocatus, de quo in Satyrico, & in Commentis, haud semel mentio fit. Supra & de Syris illis somnum mentientibus pariter dixerat cap. XXII. *Et stertere tanquam Olim Dormientes cœperunt.*

In altum compono.] Alia Scriptura, *In alutam.* nec inepte, uti infra cap. CII. *Ego vos in duas jam Pelles conjiciam, vinctosque loris inter vestimenta pro sacrinis habebo.* Ubi & videndi Interpretes. Id vero *Inlatum* compono, quod Litteratus Vir comminiscitur, interpretaturque *Inlatum*, id est, ἐμβληθὲν, non placet.

Et adoratis sideribus intro navigium.] Quæ isthæc *Sidera*? Equidem *Geminos* adsero Filios Ledæ, quos sic Statius precatur lib. 3. Sylv. Propemp. Metii Celeris:

—— Proferte benigna
SIDERA, & antennæ gemino considite cornu, &c.

Et Horatius cum aliis navigantium Diis Od. 3. lib. 1.

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida SIDERA.

Quo & illud Plutarchi facit in Theseo, quærentis nimirum, cur Tyndaridæ ipsi *Anaces* adpellarentur: Ἔσικε δὲ οἱ λέγοντες, διὰ τὴν τῶν ἄστρων ἐπιφάνειαν Ἀνακας ὀνομάζεσθαι. τὸ γὰρ ἄνω τοὺς Ἀττικοὺς ἄνακας ὀνομάζειν. *Sunt autem, qui dicunt, sic nuncupatos propter Syderum splendorem, nam ἄνω, quod est sursum, sive supra, Athenienses ἄνακας ajunt.* Ceterum *Veneris Sidus* haud indi-navigationi *prosperum*, agnovit Acro. ex illo fortasse ortum, quod narrat Varro lib. 2. Antiq. rerum divinar. *Æneam Troja profectum, Veneris per diem Stellam semper vidisse, donec in Laurentum agrum venit, ubi non est amplius visa.* Fuere præterea nautis & plures quondam alii dii salutares. *Æolus*, teste ubi supra Horatio: *Apollo* Ἐμβάτιος Apollonio lib. 1. vers. 359. Et Νηοσσόος *Apollo*, hoc est, *navium servator.* Eodem Apollonio lib. 2. Eidemque etiam dicitur ἀκτιος, & ἐπάκτιος, hoc est, *Littoralis.* Etiam *Hercules*, nam, ut Hyginus refert, non defuit, qui Dioscuros Herculem, & Apollinem fecerit; non Castorem, & Pollucem: Item Isis, Luciano auctore Deorum Dialogis, & Juvenale Sat. 12. vers. 26. Tibulloque: *Nymphæ* item *Marinæ*, quas precantur plures apud Sophoclem extremo Philoctete: Ac *Lares Permarini* (qui θεοὶ διακόσιοι in Glossis vocantur) Livio lib. 40. Et qui *Dii Littorales* Catullo dicuntur Carm. 4. *Priapusque* ut infra ostendimus. Ac denique omnes *Dii Marini*, quorum longa vulgatiorque progenies.

Cap. C. *Hospiti.*] Eumolpo. In animum namque Encolpii redierat morbus Zelotypiæ: nec mirum enim, Amoris quippe ingenium tale omnino est, ideoque cap. præced. ipse jam apte prædixerat, *Non esse in amantium potestate furiosam æmulationem.*

Sol omnibus lucet.] Id est, *In Publico*, ut postea de de Aquis Noster, & Seneca infra laudandus Natural. Quæst. Hinc lux Arnobio lib. 1. *Quis, ut subjectas res cernere, ut contrectare, ut considerare possetis, Publicum istud Lumen dedit?* Vide autem Senecam de Beneficiis. Addit Arbiter: *Luna innumerabilibus comitata sideribus, &c.* cui integro loco consonum valde illud Martialis est Ep. 27. lib. 9.

Quod, rogo, quod scelus est, mollem spectare MINISTRUM?
Adspicimus SOLEM, SIDERA, templa, DEOS,

In publico tamen manant.] Sic parissime Seneca lib. 4. Natural. Quæst. cap. 13. *Neronis Decoctum*, suppresso tamen nomine, insectans: *Hoc, quod illa* (natura) *fluere & patere Omnibus voluit, cujus hausturn vita Publicum fecit: hoc quod tam homini, quam feris, avibusque, & inertissimis animalibus, in usum large ac beate profudit, contra se ingeniosa luxuria redegit ad precium.*

Solus ergo Amor furtum potius, quam præmium.] Acumen, quod hic ex *Furti* & *Præmii* oppositione quæsivit Janus Guilielmus cap. 1. in Menæchmos Plauti, non parvi faciendum. eo enim mirifice induxit loco haud perspicuo. Symbolæ quoque illius meminerunt. Nos insuper opportune addimus, *Furtum* passim dici priscis Scriptoribus de Amoris opere, Venerisque. ex potioribus nunc hosce adlubuit referre. Catullus El. ad Mallium:

Quæ tamen etsi uno non est contenta Catullo,
Rara verecundæ Furta feremus heræ.

Eleganter Tibullus El. 2. lib. 1.

Parcite luminibus, seu vir, seu semina fias
Obvia, celari vult sua Furta Venus.

Pro-

Propertius lib. 2, El. 23.

——— *Nolim Furta pudica tori.*

Sæpius Martialis. Ep. 35. lib. 1. ad Lesbiam:

——— *Nec tua Furta tegis.*

Ovidius Ep. Leandri ad Heronem:

Interea dum cuncta negant ventique fretumque,
Mente agito Furti tempora prima mei.

Inde *Furtivos Amores* vocavit Catullus, *Furtivam noctem* Ovidius, & *Furtivos jocos*. Fruſtra autem erunt, qui dicunt de adulterio tantum dictum fuiſſe *Furtum*. De ipſa namque Veteribus conceſſa Venere diſerte Ovidius 1. de Arte verſ. 33.

Nos Venerem tutam, Conceſſaque Furta, canemus.
Inque meo nullum carmine crimen erit.

Immo vero nolo habere bona, niſi quibus populus invideri.] Alibi & hunc locum inluſtramus. Hic vero, *Bona*, pulcrum amaſium equidem amaſiamve interpretor. Sic Propertium capio lib. 2. El. 3. ubi impenſe admodum Cynthiæ dotes miratur.

Non, non humani ſunt partus talia dona:
Iſta decem menſes non peperere Bona.

Contraria autem ex diametro erat Tibullo mens, nolebat quippe omnino habere Bona, quibus populus invideret. Sic lib. 4. ad Amicam Carm. XIII. v. 6.

Atque utinam poſſes uni mihi bella videri:
Diſpliceas aliis, ſic ego tutus ero.
Nil opus INVIDIA eſt, procul abſit gloria VULGI: &c.

Planius adhuc mentis Tibulli rationem reddit Auſonius Epig. 70.

Deformem quidam te dicunt, Criſpa, at ego iſtud
Neſcio, mi pulcra es, judice me ſatis eſt.
Quin etiam cupio, junctus quia Zelus amori eſt,
Ut videare aliis fœda, decora mihi.

Vietus, & ſenex.] Proba hæc lectio. inquit Feſti Epitomator: *Vietus, languidus, ſine vi, & naturalibus privatus viribus.* Sic Terentius in Eunucho:

Hic eſt vetus, Vietus, veternoſus ſenex.

Ad quem locum ait Donatus: *Araneæ veſtem Lucretius Vietam adpellat putri mollitie præditam.* Plura Zinzerlingus cumulat cap. 6. Promulſid.

Diſſidentem.] Jam dudum eſt, quum ego legerem hic *diffidentem*, mirifice enim ad mentem Encolpii, verbis præcedentibus conceptam, facit legitima ſcriptura. Omnino de ſenis frugalitate Encolpius diffidebat, pariterque de fide erga ipſum ſervanda: ſolatium tamen ſuſpicioſæ amoris ſui ſollicitudini quærebat, dum, falſo licet, ambibat ſibi perſuadere, præ ſenilis ætatis inertia minime injuriam Gitoni Eumolpum eſſe facturnum. Id igitur prorſus eſt, *Fraudare animum diffidentem.* nam cum Encolpius haberet animum de Eumolpi amicitiæ fide plane diffidentem, fallebat ſe ad rem compoſito ſimilis imbecillitatis ſolatio. Juvant & verba: *Hoc*, id eſt, Eumolpi imbecillitatem, *ut infra fiduciam poſui.* quod eſt, ac ſi diceret, poſtquam de fide Eumolpi deſperavi, ſolatium id ex ejus ſenecta petitum anxius amator aucupatus ſum. Noſtræ autem emendationis Douzam P. Meurſiumque poſtea inveni adprobatores: eaque propter, ac facile quippe (quod caput eſt) commiſſum illud plane fuit mendum, novam lectionem in textum recepi haud cunctabundus. Janus vero Edoardus mordicus *Diſſidentem* retinebat, Jacobo Bœvinio referente, interpretabaturque, Diſſidentem ab hac ſe animum.

Quam bene exſulem exciperet.] De ſe ipſa Tryphæna loquitur, & ait: Quam bene deus ille me exſulem exciperet! & quam propitium illum equidem deum experirer! Patet ex ſequentibus, quum poſt pauca inquit Eumolpus: *Quid porro ad rem pertinet, ſi dixero Lycam Tarentinum eſſe dominum hujus navigii, qui Tryphœnam Exſulem Tarentum ferat?*

Diu vocem conlegi.] Præ timore, apte. Sic apud Achillem Tatium inquit Leucippe lib. 2. Μηδὲ ἀναπραγεῖν διὰ τὸν φόβον δυναμένην. φόβος γὰρ γλώττης ἐστὶ δεσμός. *Ut neque vocem præ timore mittere poſſem, lingua enim vinculum timor eſt.*

Per fidem, inquam, pater.] Jurisjurandi hic ſpecies eſt, *Per fidem*, ut ſupra cap. XXIV. quod jam monuimus. Alias Deprecationis fuit, & Obteſtationis, uti & nos ibidem.

Super conſtratum navis.] Super Conſtratis navium olim navigantes dormiſſe, nil ambigendum, vel ipſo Petronio teſte. Næ *ſuper Conſtratum puppis* cubantem etiam ponit dominum navis Licam, in inſomniiſque (quod indubium eſt, ibi voluiſſe Petronium) loquentem. ſic ſupra hoc capite: *Sed repente, quaſi deſtruente fortuna conſtantiam meam, ejuſmodi vox ſuper Conſtratum Puppis congemuit.* Quum autem *Conſtratæ naves* procul dubio ſint, quas Cæſar ſæpius *Tectas* vocat, cave autem credas, *Conſtrata* illa Petronii, ſuper quæ cubilia erant, cataſtromata fuiſſe, pavimentaque ſuperiora, quibuſcum tecta nimirum foret navis illa conſtrata: nam loca illa parum enim opportuna forent nocte ad quieſcendum. quapropter de aliis ergo tabulatis inferioribus Petronius capiendus, quæ, quod in illis ſtragula conſternerentur, dubio procul *Conſtrata* nuncuparentur ſimpliciter, participio in nomen commutato.

Cap. CI. *Poſt hoc fulmen attonitus.*] Apte, nam fulmine tacti manent *Adoniti*, quod ſæpius adtingimus Opere in iſto. Plane hoc edocet S. Iſidorus lib. 10. Orig. *Attonitus veluti furore quodam inſtinctus atque ſtupefactus: Dictus autem Attonitus à tonitrui ſtrepitu, quaſi tonitruo ſtupefactus, & vicino fulgure, aut à tactu proximus.* Idem Servius ad 3. Æneid. Inde, *Tonto*, Hiſpanis vocatus ſtupidus homo, ſtultuſque, & ipſe, qui Adtonitus, Græcis ἐμβροντητος. Quomodo autem Fulmine icti ſtupeant, eleganter expreſſit Ovidius lib. 1. Triſt. El. III. verſ. 11.

Non aliter Stupui, quam qui Jovis Ignibus ictus
Vivit, & eſt vitæ neſcius ipſe ſuæ.

Animum egit.] Hinc luſum petivit Seneca Ep. 26. *Quid egeris, tunc adparebit, quum Animum Ages.*

Aptiſſi-

Aptissimum similibus jocis verbum *Agere*, quorum plena seges apud Martialem. Sic & ridicule transtulit Plautus Trinummo 4. 3. 84.

——— *Res quum Animam Agebat, tum esse offusam oportuit.*

Mors venit, quæ, nisi per te licet, potest esse pro munere.] Sensus est, Mors venit, quæ si per te non licet, id est, si à te non impeditur, & omnia facis, quo minus moriamur, *potest esse pro munere*, hoc est, tandem nobis munus erit, Deorumque beneficium, utpote tot malorum finis ac meta. Ubi & Ovidium exprimit lib. 1. Trist. Eleg. 2. vers. 52. idem profitentem:

——— *MORS MIHI MUNUS ERIT.*

Huc facit & fragmentum illud adulterinum hic insertum, & in Parisina editione vulgatum ann. 1585. *Et mortis hanc à te ineam gratiam.* Verba sunt desperantis, uti & illa: *Aliquando totum me fortuna vicisti.* Patrocinium autem ab Eumolpo petere, certum est: *Miserere*, inquit ad ipsum Encolpius, *morientium, id est, pro consortio studiorum commoda manum.* est ergo, *Nisi per te licet, ἀρχαϊσμός. Potest esse pro munere*, fortassis est, pro munere, quod tibi Licas dedit, ut nos in suam navem inferres. Itaque Eumolpi purgatio à calumnia illi objecta subsequitur tempestiva: *Inundatus hac Eumolpus invidia, jurat per deos deasque, se neque scire, quid acciderit, nec ullum dolum malum consilio adhibuisse.*

Inundatus hac Eumolpus invidia.] Huncce locum paullo ante interpretari conabamur, cum illo conferentes cap. XCVII. *Amolitur Asciltos invidiam*, quem adi.

Et familiæ negotiantis.] Nihil hic auxilii ab Interpretibus. mihi autem res non adeo manifestaria *Familia negotians* est visa, ut de illa nunc cogitare, duxerim prorsus inutile. Plures Antiquis *Familiæ* memorantur, sed de illis in præsentia à nobis non instituitur sermo. hic vero adserimus, Licæ illam Familiam Servorum haud dubio fuisse. Sic Ulpianus inquit: *Familiæ appellatione omnes, qui in servitio sunt, continentur.* At hoc vulgare: sed addis, Martianum JC. *Servos Negotiatores* designare: qualesque essent verbis istis exponere l. 63. de Leg. *Legatis Servis, exceptis Negotiatoribus, Labeo scripsit, eos legato exceptos videri, qui præpositi essent, negotii exercendi caussa, veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpositi sunt.* De quibus ego & Senecam capio cap. 13. de Constant. Sapient. *Num molestè feram, si mihi non reddiderit nomen aliquis ex his, qui ad Castoris NEGOTIANTUR*, &c. nam de persona valde contemta sermo ibi est divino Philosopho. Itaque de istis & Petronium accipiendum fors adfirmas. Mihi autem non placet. nam mens mea omnino est, Petronium significare, ex servorum commercio genus Negotiationis Tarentinum Licam tractasse, exindeque lucrum feciisse, nimirum hic emendo servitia, & vendendo alibi; *Negotiatio enim ex emto & vendito constat*, ut ait Seneca lib. 3. de Beneficiis cap. 38. Hoc enim planius fiet ex nostris, quæ *de Negotiatione* infra observamus ad cap. CXVII.

Hic est Cyclops ille, & Archipirata.] Hic Cyclopem Arbitro dici pro Archipirata, monuit jam pridem Vir doctus, Polyphemum Cyclopum maximum intelligens proculdubio. mihi vero satis non constat, quam recte illud notatum sit. Nam, licet nonnihil quidem cum Piratis monstrum illud Siculum habuerit commune, & huc faciat, quod de illo Galateæ pulcritudine capto profert Ovidius lib. 13. Metam. vers. 769.

——— *Et tuta veniunt, abeuntque carinæ:*

Nunc enim Εὐφημίας duo enunciat Eumolpus, innuens videlicet, nec dirum Cyclopem Polyphemum Licam esse, nec Archipiratam: itaque ullas insidias ab ipso non parari, quæ sane Cyclopi illi, Piratisque vix unquam defuerunt. Ast vero, ubi instans periculum agnovit, resipuit senex, &, Antrum Cyclopis illos intrasse, inquit, quærendumque necessario esse aliquod effugium, si naufragium fors non contingeret, quæ potissima est ab Piratis evadendi ratio. Archipiratæ cujusdam memoria exstat in fragmento Diarii antiquissimi, anni nempe post R. C. DXXCV. pridie K. Aprileis: DEMIPHON. ARCHIPIRATA. CAPIVS. A. CN. LICINIO. NERVA. LEGATO. IN. CRVCEM. ACTVS.

Fingite nos antrum Cyclopis intrasse, quærendum est aliquod effugium.] Et *Antrum Cyclopis*, memoratur Rufo, & P. Victori in 2. regione Urbis Romæ. Sed de illo Arbitro nunc non est sermo, nam plane ad Homerum adludit lib. 11. Odysseæ, ubi Ulysses ingressum suum narrat in Polyphemi antrum: deinde quo astu excæcarit Cyclopem: ac demum ipse, & reliqui sex socii, omnes arietes induti, ex Orci cancellis liberi evaserint. Eo eleganter satis & supra respexit verbis illis cap. XCVII. *sicut olim Ulyxes pro ariete adhæsisset*, quod jam monuimus.

Languentem.] Ægrotantem. sic post pauca hoc capite: *& quis non dare manum Languentibus volet?* Lexicon vetus: Νοσῶ *Langueo, ægroto.* & Νοσηρός, *Morbosus, languidus.* Ita Ausonius Epig. 74.

Languentem Cajum moriturum dixerat olim
Eunomus

Opertis capitibus an nudis.] Observare hic plane ex Arbitro licet, ægrotantes, ac valetudinarios obtectis capitibus foras procedere consuevisse. aliter enim mollitie essent notati, qui velassent capita, ut alibi dicimus. Firmat & illum morem, quod de Claudio Imperatore refert Suetonius ejus vita cap. 11. *Ob hanc eandem Valetudinem, & gladiatorio munere, quod simul cum fratre memoriæ matris edebat, Palliolatus novo more præsedit.* Qui locus non dubio capiendus de Palliolis illis, quibus moris erat includere capita, idque Trimalcionem factitare, supra jam vidimus cap. XXXII. *Pallio enim coccineo adrasum incluserat caput.* Firmat omnia & Pelignus Poëta lib. 1. de arte vers. 733.

Ægrum tu facito ut simules, nec turpe putaris,
Palliolum nitidis imposuisse comis.

Quem locum ex vetustissimis membranis sic restituit Salmasius, quum vulgati libri exhibeant: *Pileolum nitidis*

nitidis, &c. Sed verum quoque est, diversis rebus Antiqui quod caput tutati sint.

Et quis non dare manum languentibus volet.] Senem, valetudinariumve sublevare (quod obiter monebo) consuetudo non est, ut cuidam vocatur, sed homini, modo impius barbarusve non sit, ingenita miseratio. Sic de Antonino Pio Capitolinus in ejus vit. cap. 2. *PIUS cognominatus est à Senatu, vel quod socerum sessa jam ætate, manu, præsente Senatu, levaverit: (quod quidem non satis magnæ pietatis est argumentum, quum impius sit magis, qui ista non faciat, quam Pius, qui debitum reddat,) &c.* Quid ergo jam nunc *Quarit* Criticus alius?

Cap. CII. *Et per funem lapsi descendimus in scapham, præcisoque vinculo.*] Funis ipse scaphæ vinculum, quo navi ea adligabatur. Plane indicat paulo infra Arbiter ipse: *Per ipsa gubernacula dilabendum est, à quorum regione FUNIS descendit, qui SCAPHÆ CUSTODIAM TENET.* ita & Achilles Tatius lib. 3. οἱ μὲν γὰρ ἐπεβάντες ἤδη τὸν κάλων ἔκοπτον, ὃς συνέδει τὴν ἐφολκίδα τῷ σκάφει. *Nautæ enim jam Funem, quo Scapha navi adligabatur, præcidebant.* Sic & S. Paullinus Carm. 13. ad Cytherium de Scapha loquens:

Ut Fune rupto, quo Coharebat rati,
Dimitteretur æquori.

Longis enim navigiis additæ semper, ut illis subserviant, ejusmodi naviculæ parvæ. Quod & ibidem Paullinus:

Scapham Sequacem quadriremis machinæ, &c.

Utique Gubernator, qui pervigil nocte siderum quoque motus custodit.] Noctu ex Siderum motu navigationem dirigebant Antiqui. quod indubium, pluresque alii, & Petronius hic plane subindicant. Ast interdiu? Res est valde difficilis, quum magnetis vim, ac miram naturam, hoc est, pyxidis nauticæ usum neutiquam habuerint cognitum Prisci. Id nos aperte docuit Leontius Mechanicus in Constructione Aratejæ Sphæræ: Καὶ γὰρ, καὶ οἱ πλωϊζόμενοι ὑ διὰ μηχανικῶν ὀργάνων, καὶ ἀκριβῶς, ἀλλὰ διὰ ψιλῆς ἀναβλέψεως, καὶ μακυμερῶς τὴν τῶν ἀστέρων θέσιν ἔμειλον ἐπισκοπεῖν. *Navigantes enim non mechanicis Instrumentis exquisite, sed simplici suspectu, & crasso modo stellarum positum considerare solent.* Ego autem ex Apollonio didici, navigationem veteres interdiu è Solis cursu moderari consuevisse. sic inquit Argon. 1. vers. 107.

——— Ἔσθλὸς δ' ἀνέμοιο θύελλας
Καὶ πλόον ἠελίῳ τε καὶ ἄστρῳ τεκμήρασθαι.
——— *Egregius vero* (Typhis) *venti procellas*
Et navigationem A SOLE, & ASTRIS conjectare.

Ubi Scholiastes: Ἀγαθὸς μὲν καὶ ἡμέρας τῷ ἡλίῳ, νυκτὸς δὲ πρὸς τύπα τῶν ἀστέρων τὸν καιρὸν τῆ πλῆ τεκμήρασθαι. *Optimus INTERDIU quidem E SOLIS CURSU, NOCTU vero EX SIDERE aliquo navigationis tempus prævidendi.* Ideo ergo quum cœlum nubilum erat, minime ubi versarentur sciebant, sed per vastum pelagus errabundi vagabantur. Plane id ostendit Virgilius lib. 3. Divini Operis vers. 203. quod, puto, non viderunt ejus Interpretes:

Tres adeo incertos COECA CALIGINE SOLES
Erramus pelago, totidem SINE SIDERE NOCTES.

Necessario ergo navigationi *pervigilaret*, ut Arbiter ait, *nocte Gubernator*, quod & D. Paullinus Carm. 13, pariter dixit:

Cunctis soporem suaserat tranquillitas,
Tantum Gubernator Vigil, &c.

Præcipitari viribus.] Nempe, in mare, ut paullo post inquit: *nocte servos Præcipitasse se in mare.*

Spiritum.] Vitam, Cicero: *Auferre spiritum sine sensu doloris.* sæpius alias. Curtius lib. 6. *Nil est miseris mortalibus spiritu carius.* Alii. Non viderunt Lexicographi vulgares. Hinc & plures Petronii loci interpretandi. Sic itidem *Anima.* Arnobius lib. 1. *Morsu Animam serpens tollit.*

Labris.] Scilicet Pellium. parissima nos translatione, *boca de costal*, *boca de talego*, dicimus.

Conclamabo deinde nocte servos pœnam, &c.] Apte. ut vectorum absentivorum sic rationem redderet: aliter enim suspectus foret ipsorum discessus.

Quibus non soleat venter injuriam facere.] Omnino capiendus locus *de strepitu obscœno*, cujus mentio cap. CXVII. convincunt & sequentes strepitus, *sternutantium* nimirum, & *stertentium.*

Hoc genus furti semel mihi feliciter cessit?] Prisca scriptura erat: *An quia hoc genus furti semel mea feliciter cessit?* Unde Scioppius ad oram libri mei faciebat *An quia hoc genus furti semel antea feliciter cessit?* & fors non male, ut simile ejus sit cap. XVII. *Aut ubi fabulas, & Anteceſſura Latrocinia didiciſtis?* Ubi autem id genus furti feliciter Encolpio cesserit, hodie non comparet.

Tranquillitas nos tenuerit.] Ipse explicat cap. CIX. *Et quia repentina Tranquillitas Intermiserat Cursum.*

Statuarum ritu patiemur pannos & vincula?] Hunc locum haud infeliciter putamus supra jam enucleasse, quum sermo nobis super verbis illis esset cap. LXXXIII.

Sola ruinosis horret facundia pannis.

Tanquam litterarum studiosus utique atramentum habet.] Hocce *Atramentum* est, quod Vitruvius vocat *Librariam*, Cornelius Celsus *Scriptorium*, id est, quo scribebant Antiqui: nam Atramenta habuere alia, nempe *Tectoria*, sive *Pictoria*, & *Sutoria.* Membranis, quibus Eumolpus scribebat, ut infra patebit cap. CXV. illud erat omnino destinatum. Fuligine conficiebatur cameris fumum non emittentibus adhærescente, uti docet Plinius lib. 35. cap. 6. Vitruvius loco laudato, & Dioscorides lib. 5. Plinius autem agens de Atramentis inquit: *Adulteratur fornacum balneorumque Fuligine, quo ad Volumina scribenda utuntur.* Unde & Petronius cap. CVIII. recta oratione locutus est, non figurata: *Ut vero spongia uda facies plorantis detersa est, & liquefactum per totum os Atramentum, omnia*

omnia scilicet lineamenta Fuliginea nube confudit, &c.

Hoc ergo remedio mutemus colores.] Pari ratione mox ait, *Medicamine*. Sic Commodianus MS. lib. 2.

Nec non & inducis malis Medicamina falsa.

Ac deinde:

Mala Medicatis quodam superducto rubore.

Salmasius item observat ad Probum Flavii Vopiscî, cap. ult. *Colores mutare*, Priscis dictum de re scilicet, quæ unum tantum colorem haberet, ut Arbitro nunc, Horatio etiam lib. 1. Ep. 16. & Vitruvio lib. 8. cap. 7. Verum enim vero illud erat hic majori animadversione dignum. Nempe quod corporis colores sæpe, haud secus ac Encolpius vult, veteribus quondam mutati. Corpora quidem ipsa infecti res simulabant varias. Insignis locus est ei patefaciendo apud Paterculum mihi jam dudum notatus lib. 2. cap. 83. ubi de L. Planco loquitur vestito in numen maris. *Plancus quum CÆRULEATUS, ET NUDUS, caputque redimitus arundine, & caudam trahens, genibus innixus Glaucum saltasset in convivio.* Plane etiam inquit, quod nudum corpus referebat cæruleum colorem, fucis nimirum ac pigmentis ei accersitis.

A capillis usque ad ungues.] Proverbialis locutio est omni ratione familiaris. Hispani dicunt: *De los pies ala cabeza*. sic Galli, Itali hodie, alii. Cic. pro Rosc. Comœdo: *Nonne ab Imis Unguibus usque ad Verticem Summum, &c.* Sed hoc protritum.

Et increta facies, ut suos Gallia cives putet.] Non quod infici Creta consueverint Galli, sed quod albi colore patet, inficias namque it, ut Æthiopes habeantur, sat fore attamento inlini. Præterea Gallos à niveo *Lactis* candore dictos olim, opinio vetus obtinuit. *Lac* enim Græcis γάλα est. Sic Mantuanus:

Ignea mens Gallis, & LACTEA corpora, nomen
A candore datum.

Unde & Virgilius splendet lib. VIII. Æneid. vers. 600.

Virgatis lucent sagulis, tum LACTEA colla
Auro innectuntur.

Nec vestem atramento adhæsuram.] Hypallage enim est, pro, *Nec vesti atramentum adhæsurum*, quod plane & ostendunt sequentia.

Non accersito ferrumine.] Quod genus istud Ferruminis prorsus, ego existimo, hodie ignotum est. licet ex Arbitro conligere liceat, qualis ejus effectus, & cuinam usui adhiberetur olim. Liquet enim, insuper addi fuisse indubie solitum illis depictis rebus, quibus, aqua dilui & oblitterari, proclive foret. Ast vero eodem supra inducto, minime inposterum obliterationi picturæ illæ relinquebantur obnoxiæ. Erat igitur glutten quoddam, bitumenve factitium, simile prorsus illis, quæ apud nos, *barnizes*, vocantur, & Germanos *Fórnes*.

Numquid labra possumus tumore teterrimo implere? numquid & crines calamistro convertere?] Parissime Æthiopem graphiceque describit Auctor Moreti:

Afra genas, tota patriam testante figura.
Torta comam, labrique tumens, & fusca colore,
Pectore lata, &c.

Ubi fuit, qui tentaret, *Tota* illud in *Tosta* convertere, ineptissime. sane quum subdat, *Fusca colore*, & id esset ταυτολογεῖν. Potius summa elegantia inquit, *Tota figura* Æthiopem patriam testari, nam, ut recte Petronius docet, color non sufficit.

Numquid & crines calamistro convertere?] Auctor Phallicorum Carm. 45.

Quum quendam rigidus deus videret,
Ferventi caput ustulare ferro,
Ut Mauræ similis foret puellæ.

Fervens ferrum Calamistrum est.

Numquid barbam peregrinatione figurare.] Isthæc antiquior lectio juxta ac probior. Tuetur valide illam Tranquillus in Nerone cap. 51. *Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam semper in gradus formatam, PEREGRINATIONE Achaica etiam pone verticem summiserit.* Præterea Satyrici genio & Peregrinationem vocabulorum quis nescit convenire? Sciopius tamen in meo libro emendabat, *Peregri ratione*, id est, exotico more, sed prima scriptura indubia magis est.

Color arte compositus inquinat corpus, non mutat.] Speciem Proverbii habet, & dici poterit aptissime de iis, quæ, quum in facie fucanda nimium quantum temporis consumant, nihil proficiunt, immo potius & operam perdunt, & faciem, transferreturque haud incommode ad alia. Eadem omnino & veteris Poëtæ sententia est, hocce districho comprehensa:

Dum sumit cretam in faciem Sertoria, cretam
Perdidit illa simul, perdidit & faciem.

Parum ergo fucum prodesse, hoc est, ut Petronius loquitur, *corpus non mutare*, vel elegans Lucilii Poëtæ Græci Epigrammation possit satis adstruere ex Anthol. Græc. lib. 11. cap. IX. Epigr. 9.

Τὴν κεφαλὴν βάπτεις, γῆρας δὲ σὸν ὔποτε βάψεις,
Οὐδὲ παρειάων ῥυτίδας ἐκταμέεις.
Μὴ τόσσυν τὸ πρόσωπον ἄπαν ψιμύθῳ καταπλάσῃ
Ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχειν.
Οὐδὲν γὰρ πλέον ἐσσὶ τί μαίνεαι; ὔποτε φῦκος
Καὶ ψύμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβην Ἑλένην.

Sæpe caput tingis, nunquam tinctura senectam,
Aut tonsura genis, quæ tibi ruga, tuis.
Parce igitur faciem cerussa condere totam,
Pro facie ne sic larva tibi maneat.
Ecquid adhuc restat? quid quæris? fallere, numquam
Ex Hecuba sucus reddiderit te Helenam.

Cap. CIII. *Hic continuo radat.*] Novacula: ea quippe rasura fiebat. Varii namque Antiquis depilandi erant modi. Tres districho uno comprehendit Martialis lib. 8. Ep. 87. ubi sane & omnes complexus, qui à nuperis additi:

Pars Maxillarum tonsa est tibi, pars tibi rasa est,
Pars vulsa est; unum quis putet esse caput?

Forfice ergo, sive forficula, *Tondebant*, nos vocamus

Tiseras, ideoque bene ex noſtris, qui, *Tiseras*, quaſi *Tonſorias* dici autumant. *Novacula Radebant*, cujus haud infrequens apud Petronium mentio. *Volſellis* vero, aut *medicamentis Vellebant*. Præterea Forficulis *per pectinem* attondebant, *Strictim* Novacula. Inſignis locus Plauti eſt Captivis. 2. 2. allegorice loquentis de Tonſoribus:

Nunc ſenex eſt in tonſtrina: nunc jam Cultros adtinet,
Ne id quidem Involutre injicere volait, veſtem ut ne inquinet.
Sed utrum Strictimne attonſurum dicam eſſe, an Per Pectinem,
Neſcio. Verum ſi frugi eſt, uſque admutilavit probe.

Nota etiam & verbum *Admutilare*, quo non ſemel ea notione uſus Comicus ille, & *Ad cutem admutilaro*. Unde noſtrum, *motilar*, fluxit indubie.

Sed etiam ſupercilia.] Capitis raſura ſervis omnibus ſemper fuit communis. at Superciliorum, tantum ſervi nequam, ſeditioſi, fugitivi. Inde & mores C. Fanni Chæreæ conligit eleganter Cicero pro Roſcio Comœdo: *Nonne ipſum caput, & Supercilia illa penitus abraſa, olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum (ſi quam conjecturam adſert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis, conſtare totus videtur? qui idcirco capite, & Superciliis ſemper eſt raſis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur.* Habet & illa ab utero proles, ideo antiquitus non licuit alii cuivis abradere. Sic Pollux erudite cap. 4. lib. 2. Segm. 50. Καλοῦνται δὲ τῶν ὀφρύων κεφαλαὶ μὲν τὰ πρὸς τῇ ῥινὶ μέρη. ἀγαὶ δὲ τὰ πρὸς τοῖς κροτάφοις. παραφυλακτέον δὲ, ὅτι καὶ συναποτίλλονται αὗται αἱ τρίχες, ὥσπερ καὶ αἱ ἐν βλεφάροις, ὅθεν μόναι ἀπέχονται ξυρόμενοι τὰς ἄλλας τρίχας οἱ τῶν Αἰγυπτίων ἱερεῖς. *Superciliorum autem capita dicuntur partes hæ, quæ circa nares ſunt; cauda vero, quæ circa tempora. Obſervandum vero eſt, quod hi pili una nobiſcum naſcuntur, ſicut & hi, qui in palpebris ſunt. unde ab his ſolis, quum reliquos omnes radant, Ægyptiorum Sacerdotes abſtinent.* Aſt Polluci (quod mirum eſt, minimeque prætermittendum) adverſatur plane Syneſius in Calvitii Encolmio: Ἤδη δέ ἐγὼ κατιδόντα καὶ τὸν ἐν Αἰγύπτῳ θεραπευτὴν τοῦ θεοῦ μηδὲ τῶν ἐπιξηφαριδίων ἀνεχομένους τριχῶν. *Ego vero etiam Sacerdotes in Ægypto vel ipſis ex palpebris prominentibus pilis non pepercisſe, intelligo.* Ideoque in Ægypto Eudoxum una cum Sacerdotibus degentem ξυρόμενον τε κόμην, καὶ ὀφρῦς facit Laërtius extremo lib. 8. hoc eſt, *Pube, Superciliisque raſum.* Itaque Supercilia radere, infame apud quoſdam non fuiſſe, Lucianus prodidit in Dial. De dea Syria: Ἀνὴρ ἔνιτ' ἂν ἐς τὴν ἱερὴν πόλιν πρῶτον ἀπικνῆται, κεφαλὴν μὲν ὁδὲ, καὶ ὀφρῦας ἐξύρατο. *Vir quiſpiam quando primum in Sacram civitatem abit, caput ille quidem, & Supercilia tondere ſolet.* Sic factum & in luctu, Artemidorus adſerit lib. 1. Oneirocrit. cap. 2. 7. Ἔδοξε γάρ ποτε ἐπὶ πένθει τὰς ὀφρῦας ψιλᾶσθαι. *Vetus enim mos eſt, in luctu Supercilia nudari.* Aliquando fuit & mollitiei ſpecimen. Sic Scipio Africanus Paulli F. inter pleraque alia, quæ P. Sulpitio Gallo objectare ſolebat, id quoque probro dedit, ferente A. Gellio lib. 7. cap. 12. Ecce verba ipſa Scipionis: *Nam qui quotidie unguentatus adverſum ſpeculum ornetur; CVJVS SVPERCILIA RADANTVR; qui barba volſa, ſeminibuſque ſubvolſis ambulet; qui in conviviis aduleſcentulus (lege, aduleſcentulo) cum amatore, cum chirodota tunica inferior adcubuerit; qui non modo vinoſus ſed viroſus quoque, eumne quiſquam dubitet, quin idem fecerit, quod cinædi facere ſolent?*

Frontes notans inſcriptione ſolerti, &c.] Inſcripti ſervi olim, præcipue nequam, fugitivi, hoc eſt, litteris, notiſque per totam faciem puncti. Sed nihil hocce inculcatum magis, quo de plura Baronius Cardinalis Notis ad Martyrol. Hieron. Aleander Comm. in Inſt. Canon. Franc. Connanus ſecundo Commentario Jur. Civil. Elias Vinetus ad Auſonium, Heraldus ad Martialem, copioſe & Lipſius, & poſtea Pignorius opere de Servis.

Vmbra ſupplicii.] Umbram ſupplicii vocat, quod reapſe non erat, etſi aliquid eſſe videbatur. ſic uſurpat eleganter Circes codicillis cap. CXXIX. *In Umbra voluptatis diutius luſi.* ubi nos plura. Ipſum mimicum ſupplicium *adumbratam inſcriptionem* vocat cap. CVI. *Nunc mimicis artibus petiti ſumus, & Adumbrata inſcriptione deriſi.*

Et notum fugitivorum epigramma.] Quale ergo illud fuit? Nobis hodie non adeo Notum. Lipſius autumat, litteras fuiſſe, aut plura verba, quæ crimen continerent, ſuppliciique cauſſam: velut, *Cave à fure, Cave à fugitivo.* Pignorius vero ipſammet inſcriptionem, quam in eorumdem fugitivorum Collariis, & æreis lamellis incidi, moris erat. Nam quum Conſtantinus humaniter vetuiſſet, in facie noxiorum ſcribi, quod non liceret faciem maculari, quæ ad pulcritudinis cæleſtis imaginem eſſet effigiata, oris ideo contumelia in Collaria tranſlata fuit. Se autem Romæ Collare vidiſſe, teſtatur ipſe Pignorius in libro de Servis cum tali Inſcriptione: TENE ME, QUIA FUGI ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFACIO LINARIO A ☧ Ω X. Ubi apud illum plura id genus Epigrammata. Hic autem de Amanuenſi fugitivo elegans tantum Auſonii unum, duove, nam Scaliger ipſum dividit, adſcribere adlubuit:

I.

Tam ſegnis ſcriptor, quam lentus, Pergame, curſor,
Fugiſti; & primo captus es in ſtadio.
Ergo notas ſcripto toleraſti, Pergame, vultu,
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

II.

Pergame, non recte punitus, fronte ſubiſti
Supplicium, lentæ quod meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coërce:
Injuſtum falſos excruciare reos.

Aut

Aut inscribe istam, quæ non vult scribere, dextram:
Aut profugos, ferri pondere, necte pedes.

Geminus isti est & Martialis jocus, re tamen absimili, lib. 3. Ep. 85. quem vide; plures vero Græcorum Epigrammatum.

Epigramma.] Sic etiam ab Aristotele in Rhetoricis Inscriptiones reorum & Tituli adpellantur *Epigrammata*. Sic & Jurisconsulti nominant, observatque ad Martialem Raderus in Analectis. Ast Petronio cap. cxv. *Dum Epigramma mortuo facit*, Sepulcralis Inscriptio est.

Stomachum nauseæ gravem.] *Gravem*, id est, morbo adfectum. Sic divinus Seneca usurpavit lib. 6. de Benef. cap. 38. *Medicis Gravis annus in quæstu est.* Sive, quia Gravis nausea, exonerabat vomitione. *Nauseam* autem, quæ plerumque mari commeantibus accidit, Odoratus inprimis insuetus, deinde Timor Punicæ maris fidei, adserentibus priscis Medicinæ Doctoribus, solent concitare.

Exsecratusque omen, quod imitaretur naufragorum ultimum votum.] Cap. sequenti, quod sequitur, planius hocce explicat: *Audio enim, non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues, neque capillos deponere, nisi quum pelago ventus irascitur.* Nescio an unus, idemque ritus iste cum illo sit, cujus haud infrequens exstat apud veteres Scriptores memoria, Naufragos nempe, postquam ex procellarum discrimine evasere, diis Marinis consuevisse crines consecrare. Ejus unicum tantum huc adscribam testimonium, Lucianique Epigrammation erit, si Lucillii non est, ut mavult Brodœus:

Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνοῖ, καὶ Μελικέρτῃ,
Καὶ βυθίῳ Κλονίδῃ, καὶ Σαμοθρῃξὶ θεοῖς.
Σωθεὶς ἐκ πελάγους Λυκίλλιος, ᾧ δὸς κέκαρμαι
Τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς. ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.

Latinum sic reddidit Ursinus Velius.

Glauce tibi, & Nereo, Inoque tibi, & Melicertæ,
Et, Neptune, tibi, & quos Samothraces habent,
Servatus pelago Lucillius, hanc ego tonsus,
Quum aliud nil sit, dedico cæsariem.

Nos vero hic amplius non addimus, nostrum quippe laborem præoccupaverunt jam eruditi Interpretes.

Cap. CIV. *Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere.*] Quinque somniorum genera Macrobius designat lib. 1. de Somn. Scip. cap. 3. quod & in præsenti adire operæ foret pretium non inutile. Porro isthæc Lycæ, & Tryphænæ somnia omnino *ad tertium genus*, quod χρηματισμὸν ille vocat, id est, *Oraculum*, debent referri. Sic de eo inquit ipse Macrobius: *Est Oraculum quidem, quum in somnis parens, vel alia sancta gravisque persona, seu sacerdos, vel etiam deus, aperte eventurum quid, aut non eventurum, faciendum, vitandumve, denunciat.* Eumolpus autem *ad quartum genus* trahere nitebatur, quod Ἐνύπνιον, sive, *Insomnium*, nuncupatur. de eo sic concinne satis ipsus addit Scriptor: *Est enim Ἐνύπνιον, quotiens cura oppressi animi corporisve, sive fortunæ, qualis vigilantem fatigaverat, talem se ingerit dormienti.* ac deinde pluribus. Eadem est & versuum sequentium sententia. Subdit ergo Eumolpus:

Quicquid luce fuit, tenebris agit.

Exemplisque confirmat. Similia pene sunt, quæ de somniorum differentiis refert Artemidorus Oneirocrit. lib. 1. cap. 1.

Secundum quietem.] Cicero 1. de Divinat. *Quæ ei Secundum quietem visa sunt.* Nam Minutio Felice adsertore: *Etiam per Quietem deos videmus, Audimus, agnoscimus.*

Scito à me in navem tuam esse perductum.] Plene inferius caussam edimus, cur sibi infensum hic, & ubique, Priapum experiatur Encolpius. Nunc vero insuper addimus, apte à Petronio fingi, quod nauticam istam vindictam sumat etiam Priapus, utpote qui Marinum numen Antiquis fuit quoque habitus, Navigantiumque Præses. Plures Græcorum Poëtarum evincunt, quorum pauca, adposita tamen, nunc loca afferimus. M. Argentarius inquit in Epigrammate:

——— Τῷ σὺ Πριήπῳ
Πειθόμενος, πάσης ἄπτερο ναυτιλίης.
——— *Hoc tu Priapo*
Credens, omnem tange navigationem.

Item Leonidas etiam Epigrammatarius:

Ταῦθ' ὁ Πριήπου ἐγὼ ἐπιτέλλομαι, ὁ λιμενίτης.
Hoc ego Priapus impero, portubus præfectus.

Ita & Antipater Sidonius:

Λαίφεα δ' ἐνύφια πρωτονίζετε, ταῦθ' ὁ Πριήπου
Ἡμῖν ἐνορμίταις παῖς ἐνίπω Βρομίου.
Vela bene texta extendite, hæc Priapus
Vobis in portu consistentibus puer dico Bacchi.

Et mihi simulacrum Neptuni, quo deo nuncupata vota *Bajis ter stylo notaveram, videbatur dicere.*] Fortassis nusquam melius de laceris fuimus meriti Petronianis reliquiis: loco enim ubi potissimum Arbitro defuit salutaris manus. Et primo sane mihi audaciæ Interpretum subit admiratio, qui demta exinde asterisci nota, hoc est, defectus indice, monstrum lectionis continuo ductu primi nobis nec quid, nec quare intrepide adpingere, ausi sint. Omnes quidem MSS. Codices, editionesque nuperis una, vel duabus exceptis, habent concordes: *Nam & mihi simulacrum Neptuni, quod * Baistor asylo notaveram, &c.* Explere igitur simul vindicis erat, non solum emendare, utrumque ut vides, nos fecimus; an recte judicium tantum penes Doctiores esse jubemus. Reliquum autem est, ut inlustremus ipsum locum. Neptuno ergo vota ter, ait Arbiter, nuncupasse Tryphænam, eaque ejus in Simulacro, more antiquo, exarasse. quod vide mihi, quam opportune dictum de femina, cui, mari continuo oberrare, valde erat jucundum. Adpositissimus & hic Appulejus venit initio Floridorum, ut feliciter tamen à Rutgersio lib. 5. Var. lect. cap. 5. est restitutus, duarum vocum tantum inversione: *Ut religiosis viantium moris est, quum aliquis lucus, aut aliquis Locus sanctus, in via oblatus est, Votum adponere,*

Portum postulare, paulisper adsidere, &c. Præterea difficili in mari si adversa tempestate jactarentur, inibi haud raro vota itidem Neptuno nuncupabant Antiqui, soluturi, quum in portum adpulissent. Disertim indicat vetus Aræ Inscriptio Capuæ in Campania inventæ, cujus isthæc verba legi adhunc possunt:

NEPTUNO
SACRUM

Tres lineæ hic studio erasæ sunt.

VOTUM. IN. SICULO. FRETO
SUSCEPTUM. SOLVIT

Hoc est, inter Charybdim, & Scyllam. Porro quod Deorum statuis cera inlitis voti sponsiones exararint Veteres, vulgo notissimum est, nosque supra tetigimus, quæ & nunc iterum legas tempestive, Rutgersiumque supra laudatum. Styli item cuspide solitum in ceratis scribi, etiam protritum; ac nos alibi diximus. Potius *Nuncupata deo vota*, præ, *facta*, *susceptа*, *adposita* malumus, nam sic alibi & Petronius locutus est.

Somnia, quæ mentes ludunt.] Id est, decipiunt, ac deludunt. parissime cap. CXXVIII.

Nocte soporifera veluti quum Somnia ludunt
Errantes oculos.

Utrobique videtur illud Tibulli æmulari lib. 3. El. 3.

Somnia fallaci Ludunt temeraria Nocte,
Et pavidas Mentes falsa timere jubent.

Explicat D. Hieronymus Epist. ad Eustochium Virginem: *Nec vero inanis sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sæpe Deludimur.* Eustathius itidem in initio lib. 5. Amor. Καὶ δή με κατακοιμώμενον χορὸς ὀνείρων περιεστέιχισε. καὶ μοι συνέπαιζε, καὶ κατέπαιζεν ὅσα παίζουσιν ὄνειροι. *Dormitantem vero chorus integer Somniorum me circumsepsit, mihique, qua Conlusit, qua Inlusit, quottunque modis Ludunt Somnia.*

Non delubra deum, nec ab æthere numina mittunt.] Vere hoc certe dictum de *Insomniis*, quorum jam mentionem fecimus. Vere, inquam: isthæc quippe *Insomnia* mendacia sunt, & ab inferis missa. Virgilius sic extremo lib. 6. Æneid.

Sed Falsa ad cælum Mittunt Insomnia Manes.

De illius autem somnii genere, quod dictum *Oraculum*, nullo enim modo. Delubris quidem deorum ea venire, autumabant, in ipsisque esse captanda. Cic. lib. 1. de Divinat. *Qui præerant Lacedæmoniis Ephori, non contenti vigilantibus curis, in Pasiphaes fano, quod est in agro propter urbem, somniandi causa incubabant, quia vera quietis Oracula ducebant.* Auctoribus exempla natant. Id genus quoque sunt & ægrotantium in templis somnia, medicinam petentium, de quibus alibi loquimur.

Quicquid luce fuit, tenebris agit.] Idem docet Nonnus Dionysiacôn lib. 42. vers. 324. parissimisque pene exemplis confirmat.

——— ἀντίτυπον γὰρ
Ἔργον, ὅπερ τιλέει τις ἐν ἤματι, νυκτὶ δοκεύει.
Βύκολος ὑπνώων κεραὸς βόας εἰς νόμον ἕλκει.
Δίκλυα θηκτῆρι φαίνεται ὄψις ὀνείρου.
Γεωπόνοι δ' ἐνδοντες ἀροτρεύουσιν ἀρούρας.
Αὐλακα δὲ σπείρουσι φερέσαχμον. ἀζαλέην δὲ
Ἀνδρα μεσημβρίζοντα κατάσχετον αἰθοπι δίψῃ
Εἰς ῥόον, εἰς ἁμάρην ἀπατηλὸς ὕπνος ἐλαύνει.

——— *Imaginem enim*
Operis, quod facit quis in die, nocte cernit.
Pastor dormiens cornutos boves in pascuum trahit:
Retia venatori adparet imago somni:
Rustici vero dormientes arant terras,
Sulcum vero seminant spiciferum. Arida vero
Virum meridiantem occupatum ardenti siti
In fluctum, in aquam ductum fallax somnus propellit.

Etiam Claudianus in 6. Honorii Consul Præfatione:

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.
Venator, defessa toro quum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas, & sua lustra redit.
Judicibus lites, auriga somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis.
Furto gaudet amans, permutat navita merces:
Et vigil elapsas quærit avarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
Artibus adsuetis sollicitare solet.

Sic & Attius in Bruto, Seneca in Octavia, Lucret. lib. 4. Isid. Pelusiota ep. 11. lib. 1. S. Ambros. lib. 1. de Virginib. Eustathius lib. 5. de Amor. Ism. & Ism. & prope innumeri.

——— *Defessumque invenit aurum.*] *Auri sacra fames*, quæ avarum excruciat vigilantem, nec requiem soporato concedit, multis id exprimit Petronius versibus cap. CXXVIII.

——— *effossaque protulit Aurum*
In lucem tellus, &c.

Ubi & nos plura.

Dat adultera munus.] Huic jam inluxit Petronius versu illo cap. LXXXIII.

Et qui sollicitat nuptas, ad præmia peccat.

quem & nos latius suo loco interpretamur.

Somnium expiavit.] *Expiare*, est sacris mala, quæ protenduntur, religiose deprecari, & arcere. Variis fiebat rebus Expiatio, ac vario more; cujus tractatio pluribus jam præoccupata est, nos unico Martialis venusto satis Epigrammate, ad remque faciente mirifice, erimus in præsentia contenti lib. 7. Ep. 53.

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Qua moneant animum sollicitentque meum.
Jam prior ad fecem, sed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas.
Consumsi salsasque molas, & thuris acervos:
Decrevere greges, dum cadit agna frequens.
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt:
Aut vigila, aut dormi, Nasidiane, tibi.

Plura

Plura refert piacularia, sed plura adhuc supersunt. In eo etiam *Exorare*, Expiare est, ut *Procurare* Tibullo lib. 1. El. 5. Et *Placare* lib. 3. El. 5. Præterea addo ego, in mare Expiationum purgamenta Antiquos injicere consuevisse. Plane Homerus Iliad. 1. vers. 313.

Λαὸς δ' Ἀτρεΐδης ἀπολυμαίνεσθαι ἄνωγεν.
Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον.
Populos autem Atrides lustrari jussit,
Illi autem lustrabantur, & in Mare sordes jaciebant.

Unde Tibullo facem accendo lib. 4. El. 3. dum Phœbum pro Sulpitia sua ægrotante precatur:

Et quodcunque mali est, & quicquid triste timemus,
In pelagus rapidis evehat amnis aquis.

Neque ungues, neque capillos deponere.] Utrumque erat antiquitus tonsoris officium, ut jam ex Plauto in Aulularia Act. 2. sc. 4. Tibullo lib. 1. El. 8. Martiale Epigr. 74. lib. 2. notum. Divitum tamen illæ erant deliciæ, pauperes namque *proprios ungues*, ut ait Horatius lib. 1. Epist. subsecabant. quod nec fugit inibi Marcilium, novitii vero Critici non viderunt. Cur autem id in nave non liceret, plures jam ex ruderibus Vetustatis eruere conati sunt.

Cap. CV. *Et hoc nocte intempesta?*] An *Intempesta*, sine tempestate, & procella? inquit M. Varro lib. 6. LL. *Intempesta nox dicta ab Tempestate.* Fors non mendax istud Commentum, ut hic quoque Licas respiciat ad navigantium omen, cujus mentio cap. superiori. *Audio enim, non licere cuiquam mortalium in nave neque ungues, neque capillos deponere, nisi quum pelago ventus irascitur.* Aliter enim nihil superstitioni adderet, quod rasura fieret Nocte Intempesta, id est, concubia, non vero gallicinio, ut id exaggerationis non prætermitteret, *Et hoc nocte intempesta?* Næ IN illud privativum omnino est, quæque illa sit Intempestæ Noctis acceptio.

Simul ut notæ quoque litterarum, non adumbratæ comarum præsidio, totæ ad oculos legentium accederent.] Ut libertus ille apud Martialem Ep. 29. lib. 2. qui stellantibus spleniis stigmata velabat litterarum. sic Valerius illud claudit Epigramma:

Ignoras quid sit? splenia tolle, Leges.

Notæ.] Sic illas adpellavit forsitan, quod verba videlicet, quibus Epigramma illud esset conceptum, primis tantum litteris orent descripta. Illæ namque primæ olim litteræ *Notæ* dicebantur. Sic Valerius Probus, & P. Diaconus docent in Præfationibus Notarum.

Inter cetera apud communem amicam consumserunt pecuniam meam.] Bene ad rem commentum Eumolpi, nam id Dispensatoribus, quorum officium pecuniam domini habere, ut supra vidimus, sæpius contigit. Sic Alfenus JConsultus l. 16. De Serv. Corr. *Dominus servum Dispensatorem manumisit, postea rationes ab eo accepit, & quum de iis non constaret, comperit apud quandam mulierculam Pecuniam eum consumsisse.* quod etiam adnotavit Pignorius de Serv. Martialis:

Dispensatorem sallax spoliabit amica.

Unde simile scortum alibi, *Spoliatricem Amicam*, vocavit.

Apud communem amicam.] Interpretem hic præbeo Martialem, nam plane, quæ *Communis amica* sit, indicat lib. 11. Ep. 82.

Cum sene COMMUNEM vexat spado Dindymus Eglem,
Et jacet in medio sicca puella toro.

Optime & hic Valerius ad mentem Luciani, cui in Eunucho sunt Spadones & senes ἀμφόρεις, *viribus pares.* Fuere igitur quondam *Communes amicæ*, quod & Lysias docet, & quo item modo fierent Communes, inquit Oratione περὶ τραύματος ἐκ προνοίας, &c. Αὐτὴ δὲ ὑπῆρχε κοινὴ, ὁμοίως ἀμφοτέραν ἀργύριον καταπαθοῦσα. *At ipsa utrique Communis exsistit, ut cui aquam pecuniæ summam uterque nostrum impenderit.*

Ut Tutela navis expiaretur.] Hoc est, numen, cujus simulacrum in navis puppe impositum, & cujus tutelæ sese navigiumque commiserant. Plura hic de navigiorum Tutelis Interpretes, & nos nonnulla adtingimus ad verba illa cap. CVIII. *Protendit ramum oleæ à Tutela navigii raptum.*

Tres plagas Spartana nobilitate concoxi.] Nemo hic Cicerone melior interpres adsit 2. Tuscul. *Spartæ vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus è visceribus sanguis exeat: nonnunquam etiam, ut, quum ibi essem, audiebam, ad necem; quorum non modo nemo Exclamavit unquam, sed ne Ingemuit quidem.* Et rursus Tusc. 5. *Pueri Spartiatæ non Ingemiscunt, Verberum dolore laniati.* Patientia inde Laconum, sive Spartiatarum (eadem quæ Lacedæmon Sparta urbs olim) celebris. Unde venusta illa vocabuli Plautina conflatio, *Laconas Plagipatidas*, in Captiveis Act. 3. sc. 1. Sed multis hic turba Interpretum, plene autem Meursius lib. 2. Græciæ Feriat. Festo Διαμαστίγωσις, quibus & isthæc paucula adpendere lubuit.

Jam Giton mirabili forma exarmaverat nautas.] Itidem apud Aristophanem Lysistrata, & apud Cointum Smyrnæum lib. 13. Helena Menelaum exarmavit:

Τῷ δ' ἄρα θάμβος ἀελπὲς ἐπήλυθεν, δὴ δ' ἄρα τέλη
Κάλλος ἰδὼν ἀρίζηλον, ἐπὶ ξίφος ἀνχένι κῦρσαι.
Insperatus ergo stupor eum (Menelaum) invasit,
nec sustinuit,
Ubi inlustre formæ decus conspexit, gladium cervici admovere.

Itidem & eos, qui lapidibus ipsammet erant obruturi, uti ex Stesichoro protulit Euripidis Scholiastes, quem locum Franc. Pithoeus retulit innominato Auctore. Itidem denique & sua Ovidium amica lib. 2. Amor. Eleg. 5.

Ut faciem vidi, sortes cecidere lacerti:
Defensa est armis nostra puella suis.

Deflectit aures Triphæna.] Mire hic gestum auscultantis exprimit Calami pictor princeps Arbiter. Nam creberrime enim contingit, ut caput leviter Deflectendo, auresque propius admovendo, avidi sermonem

nem aucupemur. Haud secus, atque Arbiter, id Terentius repræsentavit in Phormione, dum sic Getam producit loquentem 5.6.26.

Hoc ubi ego audivi, ad fores
Suspenso gradu placide ire perrexi: accessi: adstiti:
Animam compressi: AUREM ADMOVI: ita animum cœpi adtendere,
Hoc modo sermonem captans.

Sic prorsus fit, & quum aliquid adtente inspectamus, nempe, quod oculos deflectimus, ac propius admovemus. quod pariter in Lica expressit Petronius paucis interjectis: *Sed continuo ad inguina mea LUMINIBUS DEFLEXIS*, &c.

Jam sua sponte credentes.] Mirus non hic adfectus, sed locutio. Ancillæ dicebant, Gitonem esse; Credebant jam sua sponte Triphænæ aures, quia *notissima* jampridem *voce* erant *repletæ*.

Ad inguina mea.] Quippe ibi indicium Licæ abunde cognitum. id plane suspicari licet ex formula illa fœderis cap. CIX. ubi cavetur, *Ne Licas quarat, ubi eocte dormiat Encolpius.* solens namque quæsierat vir pudentissimus.

Movit officiosam manum.] Latet nequitia, & adversus Licam morsus non sine veneno. Interpretem hic Senecam Rhetorem præbeo Præfat. lib. 4. Epitom. Controvers. ubi loquitur de Q. Haterio Oratore eximio: *Memini illum (quum Libertinum reum defenderet, cui objiciebatur, quod patroni concubinus fuisset) dixisse: Impudicitia in ingenuo crimen est, in servo necessitas, in liberto Officium. Res in jocos abiit: Non facis mihi Officium, &, Multum ille & hic in Officiis versatur. ex eo impudici, & obsceni aliquamdiu Officiosi vocati sunt.* Quam concinna sit ad Petronii mentem isthæc *officiosa manus* acceptio, conligere quoque licet ex Lycæ nequitia haud obscure expressa in tabulis videlicet fœderum cap. CIX.

Ulyxis nutricem post vicesimum annum cicatricem invenisse originis indicem.] Finxerat apud Penelopem redux Ulyxes, hospitem se è Creta esse oriundum: ast quum postea lavaret ipsum Euryclea nutrix, plane agnovit ex cicatrice, quæ genu super ex vulnere remanserat, ei ab apro, dum venaretur, inflicto. Eleganter hocce ab Homero Poëta summo decantatur Odyss. lib. 19.

Quum homo prudentissimus.] Puto genio satyrici, & Petronii magis convenire, *Pudentissimus*, perinde atque alium simílem locum Arnobii emendavit Godesc. Stewechius lib. v. ubi de Ocrisia legebatur: *Ocrisiam Prudentissimam feminam divos inseruisse genitali.* Ut in re impudentissima Lycam ἐιρωνικῶς *Pudentissimum*; Ocrisiam etiam *Pudentissimam* indigitaverint. aliter enim mire frigerent orationes, licet cap. CXL. vulgatam lectionem nitamur tueri.

Consusis omnibus corporis indiciorumque lineamentis.] Hæc sunt ipsamet *corporis lineamenta*, quorum cap. CVIII. iterum summa cum elegantia meminit. De ipso Encolpio loquitur etiam: *Ut vero spongia uda saciei plorantis detersa est, & liquefactum per totum os atramentum, omnia scilicet Lineamenta suliginea nube confudit, &c.* Verba alibi de Lineamentis copiose fecimus.

Quod ergastulum intercepisset errantes.] Locus iste ex illis est, quos adtingere eruditissimi Interpretes dedignati sunt. nobis autem, qui tam delicate non sapimus, eos cum tyrunculis communicare, sæpicule adlubescit. *Ergastulum* servorum carcerem fuisse, ubi vincti operabantur, nemo nescit. Ibi enim, qui Noxii detrusi erant, & plerumque, qui Innoxii, velut viliores servi, & agrestes, ac solum ad opus faciendum apti. Ast, qui, quæso, Ergastulum intercepisset liberos, ingenuosque, quod Tryphæna suspicatur? Dicat Suetonius in Augusto cap. 32. *Rapti per agros viatores sine discrimine, Liberi, servique, Ergastulis possessorum supprimebantur.* In illa igitur Liberi immitti soliti, per vim tamen, aut fraudem, quod & Lipsius jam vidit. *Viatores* Tranquillus adpellat, quos Petronius, *Errantes.* Sic iterum in Tiberio cap. 8. *Curam sustinuit repurgandorum tota Italia Ergastulorum, quorum domini in invidiam venerant, quasi exceptos supprimerent, non solum Viatores, sed & quos sacramenti metus ad hujusmodi latebras compulisset.* Exceptos ita illos, credidit Thryphæna, & in Ergastulum fuisse conjectos. ubi qui vincti, & scripti etiam: unde eleganter Juvenalis, *Inscripta Ergastula* dixit Sat. 14. Inde ergo, & *Vera esse stigmata, credebat Tryphæna*, ut inquit Petronius: cui toti firmando adpositum insuper Scribonii Largi referam locum ex cap. 231. *Quatenus acrium & exulceratorum medicamentorum habita est mentio, ponemus quo Stigmata tolluntur indiguis. Etenim multis hæc calamitas ex transverso accidit, ut Dispensatori Sabini Calvi naufragio in Ergastulo deprehenso: quem Tryphon multis delusum, & ne casu quidem notas confusas habentem, uno medicamento liberavit.*

Aut cujus tam crudeles manus in hoc supplicium duraverint.] Variæ sunt verbi *Durare* notiones, quæ nobis in præsentia non faciunt, & plures confuderint. Ea autem, qua nunc illud usurpavit Petronius, palam fit Quintiliani ex Declamatione 279. loco: *Non omnium animos maritorum Durare ad sanguinem: esse quosdam mitiores, qui ne conspicere quidem cruorem sufficerent.* Quærit ergo Tryphæna: Quisnam adeo immiti ferreoque corde inveniri potuit præditus, qui in punieudis amabilibus formis eo usque perseverarit?

Quibus in odium bona sua venissent.] De se nunc loquitur Tryphæna, sensusque verborum est, Eos nempe, qui ejusdem Tryphænæ odissent delicias, pulcritudinem, veneres, elegantias, ac demum ejusmet ertuga ipsos gratiam, ac benivolentiam adeo ut, tot amoris posthabitis bonis, furtim se subduxissent, *aliquam* (quod modeste, de se quippe, dictum) *contumeliam* quidem *meruisse.* Constat enim ex sequentibus, hancce esse Tryphænæ mentem: *Sed Lycas memor adhuc Uxoris Corruptæ.* Et ex illo, quod ipsa profert cap. CVIII. *Sed contemtus amor vires habet.* Sic, *Bona*, rursus

rursus accipit cap. CXXXIV. ubi de evirato Encolpio fatur Proselenos: *O, inquit, ô Enothea, hunc Adulescentem quem vides, malo astro natus est: nam neque puero, neque puellæ BONA SUA vendere potest.*

Cap. CVI. *Haberemus nos extremum solatium.*] Hocce juxta Ethnicorum dogma videtur dictum. longe aliter nos, qui CHRISTIANI cluimus. Disertim illud expressum reliquit inlustris femina Gracchorum mater Cornelia, de qua nobile exstat Ciceronis elogium in Bruto. Illa ergo in quadam Epistola inquit: *Dicis, pulcrum esse inimicos ulcisci, id neque majus, neque pulcrius cuiquam, atque mihi, esse videtur.* Id *Extremum solatium*, minimum Scioppius in Symbolis interpretatur.

Et adumbrata inscriptione.] Id est, simulata, non vera, quod, *Umbram Supplicii*, vocavit supra, ut jam diximus.

Nec se minus grandi vexatam injuria.] Subdole hic facit Petronius loqui Tryphænam, nam longe aliud quidem, ac prima fronte verba innuere videntur, recessu continent abstrusiori, uti supra ad verba cap. XXV. *ne majorem injuriam*, &c. jam voluimus monitum esse Lectorem.

Cujus pudoris dignitas.] Qui provocabulum *Cujus* ad Tryphænam referri ajunt, divinitus loquuntur: aliter num quî scirent, quæ in absentivis Petronii prioribus fragmentis continebantur? inde enim ejus notitiam constare, indubitabile est.

Cap. CVII. *Me, utpote hominem non ignotum &c.*] Hinc Oratoris munere Eumolpus fungi incipit, quem ideo *Legatum* Licas adpellat subinde hoc capite, *Si gratiam à Legato moliebantur.* Hæc autem gratia erat, ut noxios reconciliaret Eumolpus aliquando amicissimis, nempe Licæ, & Tryphænæ, nam & ipsis haud erat Ignotus senex, immo valde amicus: qua fiducia Encolpium & Gitonem Licæ navi sese *Ultra* commisisse, non vero *Casu* incidisse, fatagit nunc Eumolpus adstruere.

Nisi forte putatis juvenes casu in has plagas incidisse.] Quæstionis ergo potissima pars, An *Casu* Encolpius & Giton in navem venerint, an *Ultro*. Eumolpus patronus negat, *Casu incidisse*, ut non cura, ac studium videretur illud fuisse Deorum, qua præcipue ratione illi periclitabantur: immo potius Sponte sua Licæ sese credidisse, *Quum omnis vector nihil prius quærat, quam, cujus se diligentiæ credat.* Opponit ergo Petronius inter se, *Casu incidisse*, & *Ultro venisse*. Paullo infra ait Licas hoc capite, *Ac primum omnium, SI VLTRO venerunt, cur undavere crinibus capita?* & inferius: *Ex quo apparet, CASV incidisse noxios in plagas.* Pariter Cicero *Casu* & *Sponte* in Part. Orat. *Si imprudenter, aut necessitate, aut Casu, quidpiam fecerit: quod non concederetur iis, qui Sua Sponte & voluntate fecissent.* Fortasse Arbiter etiam opponere amavit, *Casu venisse*, & *Divinitus*: nam id curæ Diis fuisse, pluribus palam facere conatur Lycas. Sic inquit capite præcedenti: *Deos immortales rerum humanarum agere curam, puto, intellexisti, ô Tryphæna. nam Imprudentes noxios in nostrum induxere navigium, &, quid fecisset, admonuerunt pari somniorum consensu. Ita vide, ut prosit, illis ignoscî, quos ad pœnam ipse Deus adduxit.* Ita etiam Cicero opposuit expresse lib. 2. de Divinat. *Horum quum nihil fieri potuerit, sine aliquo motu, quid est, cur Divinitus ea potius, quam Casu, facta esse dicamus.*

Quam cujus se diligentiæ credat.] Eadem utitur & Horatius Allegoria Ode politissima 3. lib. 1. Carm. in re parissima, ubi & tota Crediti ratio exactissime expressa:

Navis, quæ tibi Creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem, precor.

Servitia ecce in frontibus cernitis.] Id est, Notas Serviles, abstractum pro concreto, ut sæpe alias. Sive *Servitia* Servos interpreteris. Nam ex frontium stigmatis Servi ab omnibus omnino haberentur. Sic Seneca usurpavit de Tranquill. cap. 11. *Huic itaque primum rei pretium detrahendum est, & Spiritus inter Servitia numerandus.* Hoc est, *inter servos.* Itidem Plautus Curculione. 2. 3. 21.

Proscriptos.] Palam, ac plane Scriptos, simplici ac primigenia sua significatione.

Omnia fecisti.] Formula est proverbialis, *Omnia fatere*, de illis videlicet usurpata, qui ad aliquid efficiendum nil intentatum, nil inausum, linquunt. Sic Arbiter ipse cap. CXV. *Quæ ergo demeutia est, Omnia facere, ne quid è nobis relinquat sepultura?* Sic & sæpe Seneca F. Similis & illa est, cujus meminerunt Adagiographi, *Omnia experiri*, de qua consulendus Erasmus.

Ex quo adparet, casu incidisse noxios in plagas.] Quod factum Deorum consiliis. Supra cap. CVI. Licas ipse *Nam IMPRVDENTES NOXIOS in nostrum induxere navigium.* Imprudentes ergo Casu inciderunt. Illis autem ignoscî, quos ad pœnam Deus deduxisset, foret religio. Hinc plane, quod omnino obesset miseris, conligitur. Illud vero diluere, & elevare, totis viribus Eumolpus molitur.

Tam candide ad vestras aures perveniat, quam simpliciter gestum est.] Plane ergo, *Candide*, & *simpliciter* idem. Eleganter conjunxit Epigrammatarius noster lib. 8. Ep. 73.

Instanti, quo nec sincerior alter habetur
Pectore, nec NIVEA SIMPLICITATE prior.

Et Arbiter iterum cap. CXXXIII. Ubi *novæ SIMPLICITATIS opus CANDIDA lingua refert.* Sæpe & Symmachus Arbitri peculiares formulas facere suas conatus fuit. ita illud est Epist. 73. lib. 6. *Sed, ne major Ad Vestras Aures fama Perveniat.* Vide Sirenem voc. *Candidus.*

Nec tamen putaverunt, &c.] Locus male usque adhuc ab interpunctione habitus: ideo, ut perspicuitati ejus foret consultum, juvandus distinctione fuit, illum in modum, ut edi cutavimus.

Nisi forte miserabiliores calvi solent esse.] Hoc est,

magis miseratione digni. hæc vera est Petronii mens, nam rasura, & calvities certissimum erat miseriarum ac calamitatum indicium. quod nescio an Interpretes viderint, certo tamen scio, ἀπροσδιόνυσα prorsus esse, quæ hic producunt. Equidem vero uno aut altero exemplo sententiam Arbitri subfulcio, nihil quippe hodie magis est pervulgatum, quum omni in luctu, tum potissimum funebri, Antiquis fuisse abrasos capillos. Herodotus Musa 2. inquit? Τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι νόμῳ ἅμα κῆδει κειρασθαι τὰς κεφαλὰς τὸς μάλιστα ἐκτῶνται. *Apud alios homines more receptum est, ut in Luctu statim capita tondeantur ab iis, quos potissimum is adtingit.* Idem & Seneca indicat lib. 5. de Benef. cap. 6. de Archelao Rege loquens: *Usque eo ignarum, ut, quo die Solis defectio fuit, regiam clauderet, & filium (quod in Luctu, ac Rebus Adversis moris est) tonderet.* Vide autem mihi, quam apte id Petronio dictum de illis, qui cum capitibus & supercilia habebant denudata: Artemidoro namque teste lib. 1. Oniroc. cap. 27. Ἐθος γὰς παλαιὸν ἀπο πένθει τὰς ὀφρυας ξυρᾶσθαι. *Vetus mos est in luctu supercilia nudari.*

Per interpretem.] Id est, ab Eumolpo. ideo convertit orationem ad Encolpium inquiens: *Quid dicis tu latro? &c.*

Quæ salamandra, &c.] Exculcavimus voculam inveteratam, *Sola*, clanculum enim alienum in locum importune irrepserat, ex repetito nimirum principio vocabuli sequentis orta, hunc in modum, *Sala salamandra*, quod passim fit, adeoque facile commissu est, ut ipsi Protoplastæ Satyrici fortuito excidere potuerit, quum raptim illud in ipso pene limine mortis exararet, ut ad Neronem mitteret. Primus originem adulterinæ vocis animadvertit Christoph. Richardus, cui lubentes postea subscripserunt viri inprimis eruditione conspicui.

Cui Deo crinem vovisti?] Quærit, *Cui Deo?* nam pluribus moris erat comam sacrare. *Apollini, Herculi, Baccho, Æsculapio*: Deabus etiam, *Junoni, Dianæ, Hygiæ.* & non tantum, quum præsecarentur crines, sed, quod mirum, quum & pascerentur. Sic Censorinus cap. 1. *Quidam etiam pro cetera bona corporis valetudine Crinem deo sacrum pascebant.* Ubi late Lindenbrogius, & Interpretes Virgilii in id 7. Æneid.

——— *Sacrum tibi pascere crinem.*

Ἐν παιδὶ autem ab Apolline Delphico placuit Thesei comam vindicare, cui ejus anteriorem partem consecrasse, ait Plutarchus in ejus vita. nam, Polyæno teste lib. 1. Stratag. cap. 1v. Θησεὺς ἐν ταῖς μάχαις τὰ πρόσθια τῆς κεφαλῆς ἐκείρατο, τῶν τριχῶν τὴν ἀντίληψιν ἀφαιρούμενος. *Theseus in pugnis anteriores capitis crines abradere solebat, præparans se, nequis eum adprehendere ac tenere posset.* Cui facit historia de comatis militibus Alexandri ex Ptolomæo Lagi filio ab Synesio prodita in Calvitii encomio. Sed utrumque ego puto verum fuisse; nam comæ sane partem illam, ne adprehenderetur, resecavit Theseus, ipsam vero subinde, more antiquo, dono dedit Apollini.

Pharmace.] Φαρμακὸς, inquit Suidas, μυξώδης. καὶ ὁ σκυβάλων δηλητήρια φάρμακα. *Pharmacus, Unguentarius. Et ille, qui venenata medicamenta componit.* Vide ergo, quam apte *Pharmacus* vocatur ille, qui eximius technarum ac fraudum artifex habebatur. Sive aliter: Φαρμακὸς, rursus ait Suidas, ὁ ἐπὶ καθαρμῷ τινι πόλεως ἀναιρούμενος. ὃν λέγουσι κάθαγμα. *Pharmacus, qui propter aliquam urbis lustrationem interficitur, quem vocant* κάθαγμα, id est, *piaculum.* Multis Tzetzes Chil. 5. Hist. 23. Itaque ipsum vocavit *Pharmacum*, ut indicaret, in animo habere, ejus capite velle navem lustrare. Valde enim hocce concinnum est ei, quod Licas ipse prædixerat: *Adtrahite ocius nocentes in medium, ut sciam, quorum capitibus debeat Navigium Lustrari.* Utraque Interpretatio adeo est bona, ut vix discernere liceat, quænam præferenda sit.

Cap. CVIII. *Turbatus, & deformis, &c.*] Periodo in ista aperte hiat sententia, verbi alicujus defectu laborans, quod miror tot eruditos homines non sensisse.

Spoliati capitis dedecus.] Recte capitis *Dedecus* Calvities dicitur, si formæ *Decus* audiunt Capilli. Arbiter capite sequeuti:

Quod summum formæ Decus est, cecidere Capilli.
Ut vero spongia uda facies plorantis detersa est, & liquefactum per totum os atramentum, &c.] Apta ei spongia, & in usu olim, uti hinc discimus. Ego lepido Martialis Epigrammate amplius confirmo l. 6. 57.

Mentiris fictos unguento, Phœbe, Capillos,
Et tegitur pictis sordida calva comis.
Tonsorem capiti non est adhibere necessum:
Radere te melius Spongia, Phœbe, potest.

Phœbum autem huncce adpellat per Ironiam Epigrammatarius, nam *Pulcricomi, Auricomi*, &c. cognomine passim numen illud decoratum antiquitus. Quod non animadverterunt usque adhuc Interpretes.

Fuliginea nube.] Quomodo hoc accipiendum sit, supra jam indicavimus ad verba cap. CII. *Tamquam litterarum studiosus, utique atramentum habet.*

Ac ne ancillarum quidem clamor aciem destituit, uno tantum gubernatore, &c.] Sensus est, quod, licet gubernator regimen navis relicturum se minaretur, nihilominus tamen ancillæ Tryphænæ acutum tollebant clamorem, vocibusque aciem incessebant alias inermes. *Illinc Tryphæna familia*, ait Arbiter, *nudas expedit manus.* Quod mire dictum de sequiori illo sexu, quem nimirum, natura comparatum est, verbis tantum contra arma gerere bellum potesse. nam *Mulierum verbalibus undis*, inquit Fulgentius l. 1. Mytholog. *& causidici cedunt, nec Grammatici mutiunt, rhetor tacet, & clamorem præco compescit.*

Nobis pro vita pugnantibus.] Minus semper invidiosum prælium habitum, quod pro vita commissum. Item pro Vita pugnare, excitandis militibus est efficax admodum ratio. Quapropter ipsius, modo id foret,

non

non obliti Duces in Orationibus pugnarum prœviis. Sic Thyamis apud Heliodorum l. 1. paullo ante finem. Et Judas Dux maximus lib. 1. Machabæorum cap. 3. 21. Ἡμεῖς δὲ πολεμοῦμεν περὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, καὶ τῶν νομίμων ἡμῶν. quod sic reddit vetus Interpres: *Nos vero pugnabimus pro animabus nostris, & legibus nostris.* Anima enim pro vita in Sacris Libris passim est. Jonas cap. 4. 3. *Auser nunc animam meam.* Job. cap. 2. 4. *Pellem pro pelle, & quidquid habet homo, dabit pro Anima sua.* Ac profani Scriptores, ut Drusius jam observavit lib. 5. Observat. cap. 10. Sic & Crispinus, strenuus Dux apud Herodianum lib. 8. ubi Aquilejenses erigit, & confirmat.

Abscissurum tot miseriarum caussam.] Res perridicula est, me Dius Fidius, hic proferre, verbis illis quid spurci latere: vero namque verius est, patere palam. Encolpius sane Latine dicit: *Giton ad Virilia sua,* &c. & sine ambagibus quoque gubernator: *si non desinat rabies libidine perditorum conlecta.*

Non dissimulata missione.] Id est, clara & manifesta inhibitione. ubi, abjecta jam larva sævitiæ, occultus Tryphænæ erga Gitonem adfectus detegitur plane.

Tragœdiam implebat.] Eleganter *Tragœdiam* usurpavit pro mimicis cædibus. sic omnino in Tragœdiis simulatæ. Ipse Petronius explicat verbis illis cap. XCIV. ubi de eademmet novacula sermo: *Nec Eumolpus interpellaverat Mortem Mimicam.* Etiam pro quovis usurpatur figmento. sic Arbiter cap. CXL. ubi de ficto illo divite sermo est. *Et si non servasset integram simulationem, periclitabatur totam pæne Tragœdiam evertere.*

Stlatarium.] Sic habent V. C. nobisque probatur lectio ipsa vocis peregrinatione. qui nævi Satyrica in forma dispersi sæpius ipsa deformitate delectant. Christ. vero Richardus enucleat dictionem, ipsum adi.

Ut caduceatoris more Tryphæna inducias faceret.] Quippe id munus olim Caduceatoris erat. Curtius lib. 4. cap. 7. *Alexander, quum & classem procul haberet, & longam obsidionem magno sibi ad cetera impedimento videret fore, Caduceatores, qui ad Pacem eos compellerent, misit.* More item Caduceatoris ramum oleagineum prætendit Tryphæna, nam cum Caduceo simul & illum gestabant Caduceatores, & interdum Oliva ipsa Caduceum coronatum. Suidas, alii.

Data ergo acceptaque patrio more fide.] Sic factum, quum fœdera icere contingebat. Id etiam inter Romulum & Tatium intercessisse, ex Ennio constat 1. Annal. quum inquit:

Accipe, Daque Fidem, fœdusque feri bene firmum.

Quod & Virgilium mutuum inde sumsisse, Macrobius monuit lib. 6. Sat. cap. 1. quum petentem inducit Æneam ab Euandro pacem lib. 8. vers. 150.

Accipe, Daque Fidem; sunt nobis fortia bello
Pectora.

Porro Cicero lib. 5. in Verrem res illas videtur referre, quæ vicissim Accipiebantur, & quibus fœderum fuit fides obstricta: *Ubi Fides? ubi execrationes? ubi dextræ? complexusque?* Oscula etiam nonnumquam adhibita fuere, ut alias notamus. Mactabant & interdum victimas, sacraque faciebant, ut passini obvium. Sunt autem Ciceronis *Exsecrationes* Jurisjurandi genus, quibus deos iratos fallenti imprecabantur. Formula exstat Exsecrationis etiam apud Petronium cap. XXV. *Junonem meam iratam habeam, si memini,* &c. Et Plutarchus docet in Αἰτίοις, omne Jusjurandum finiri olim Exsecratione solitum. πᾶς ὅρκος εἰς κατάραν τελευτᾷ τὴν ἐπιορκίας, *omne Jusjurandum exsecratione perjurii absolvitur.*

Protendit ramum oleæ à tutela navigii raptum.] *Prætendit* (quod idem est) sæpe Virgilius dixit simili in re. Etiam Plinius de lauro lib. 15. cap. 30. *Laurus pacifera, ut quam Prætendi etiam inter armatos hostes, quietis sit indicium.* Ast de Tutelis navium satis jam Interpretes ad illa: *ut Tutela navis expiaretur.* Cave autem credas, in Proris imposita simulacra illa, quæ erant in navium Tutelam. quum nihil adeo notum sit, ut ea in Puppibus stetisse. Interpretum autem testimoniis, quæ & hocce pariter convincunt, addere poteris & isthæc. Hesychius: Πάταικοι, θεοὶ Φοινίκες, ἐν ἰσχίοις κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. *Pataci, Dii Phœnicum, quos statuunt in puppibus navium.* Virgilius lib. 10.

——— *Et auratæ fulgebat Apolline Puppis.*

D. Gregorius Nazianzenus:

Νῆα δὲ ποντοπόρειαν ἐπήνεσα, καὶ παρασήμοις
Κάλλεσιν, καὶ πρύμνης ἀνθεσι λαμπομένην.
Navem vero tendivagam laudavi, non insignibus
Ornamentis, non Puppis pictoriis, expolitam.

Ovidius in Ep. Paridis:

Accipit & pictos puppis adunca deos.

Nec voluit aliud Horatius:

Nil Pictis timidus navita Puppibus
Fidit.

Et alii prope innumeri. Mos quidem adhuc non obsolevit, Divi quippe conlocantur Tutelares hodie itidem in Puppibus, unde & naves etiam denominantur. Bene autem qui *ex oleæ ramo*, quem in manu, aut capite haberet in sertum compactum, Palladem augurantur navigii illius fuisse Tutelam. Tutelarem enim illam fecerunt plures navitæ puppibus suis, unde *Tritoniæ naves.* & illa Nasonis:

Est mihi, sitque precor, flavæ Tutela Minervæ
Navis, & à picta casside nomen habet.

Nec Medea furens fraterno sanguine.] Absyrtum intelligit, quem soror Medea necavit, & articulatim discerpsit ea gratia, ut, dum *Sparsumque ponto corpus* pater conligere studet, *Ipsa interim effugeret* cum suo Jasone. Μηνίσας δὲ Ζεὺς ὑπὲρ τοῦ φονευθέντος Ἄψυρτου, χειμῶνα λάβρον ἐπιπέμψας ἐμποδὼν πλάνην, inquit Apollodorus lib. 1. *At Jupiter, ob Absyrti cædem iratus, ingente immissa tempestate Argonautis errores injicit.* Quod periculum, quum Medea abesset, haud imminere, nunc Tryphæna innuit. Verum enim vero in his diutius immorari non lubet, nam tragœdias veteres non

curamus, aut nomina sæculis nota, præcipue, quum Tyronibus sæpe consulere, Critici, qui palato delicatissimo præditi sunt, non patiantur libenter.

Cui non est mors una satis?] Ideo labor supervacuus *Morientes occidere*, ut inquit cap. XCVIII. sed vide quæ ibi dicimus. Nunc vero alio exemplo patefacit:

——— *Ne vincite pontum,*
Gurgitibusque feris altos immittite fluctus.

Cap. CIX. *Tabulas fœderis signat.*] An *Signat* hic est Scribit? Festo *Signare* Scribere est. Non incommode autem de *Obsignatione* interpreteris Tabularum, quibus Fœdera, Conventaque, erant exarata. Inquit ergo Arbiter, Eumolpum videlicet Tabulas illas Pactorum Obsignasse, postquam Formulæ sequentes forent in illis descriptæ. ut plane sic opportune adluderet ad morem illum novissime ætate sua repertum, de quo ita Seneca, Petronio coævus lib. 3. De Beneficiis cap. 15. inquit: *Utinam nec Pacta, Conventaque, impressis SIGNIS custodirentur: fides potius illa servaret, & æquum solens animus.* Recte igitur uterque Scriptor, quum hocce in Nerone retulerit Tranquillus cap. 17. *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne Tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, OBSIGNARENTUR.* In quibuslibet ergo Tabulis solennibus & id prorsus indubie servatum. Plenius vero illum Obsignandi ritum Jul. Paullus edocuit Sent. lib. 5. Tit. 25. ad L. Cornel. testam. *Amplissimus ordo decrevit, eas Tabulas, quæ publici aut privati contractus scripturam continent, adhibitis testibus ita SIGNARI, ut in summa margimis ad mediam partem perforata triplici lino constringantur, atque impositum supra linum cera SIGNA imprimantur, ut exteriores scripturæ fidem interiori servent. Aliter Tabulæ prolatæ nihil momenti habent.*

Ex tui animi sententia.] Formula est in Fœderibus, ac juramentis, adhiberi solita, cujus interpretationem Quinctilianus exhibet initio cap. 5. lib. 8. Sed de ipsa multis egerunt, primum Cujacius lib. 15. Observat. cap. 21. & postea Brissonius lib. 8. Formularum, ac demum Hansenius De Jurejurando Veterum, cap. 12.

Ut tu, Tryphæna.] Istud malo astro expungunt postremæ editiones, quum potius, si abesset, addendum necessario foret, ut duarum Formularum ratio fœderum, Licæ, puta, & Tryphænæ, satis constare posset.

Nisi pro quaque re.] Sic intrepedi nunc primum edidimus, nam ante, *nisi pro qua re*, omnes libenter amplexi sunt, & tot emunctæ nares, mendum latere, non subolfecerunt. quum aurem cuique vellere posset sequentis formulæ similis omnino clausula: *PRO SINGULIS injuriis numerabis*, &c.

Præsentes numeraveris.] Infra hunc locum interpretamur ad illud cap. CXVII. *nominibusque depositum.* Ideo nunc illuc te remittere, satis sit.

Neque quæres, ubi nocte dormiat.] Supra hoc tetigimus, cujus & simile est illud Poëtæ Celtiberi lib. 3. Ep. 91.

——— *Qua parte cubaret,*
Quærunt.

Præterita aboleri osculis placet.] De more isto supra egimus ad cap. XCIX. *Ecce etiam osculo Iram finio.* Ipsum fis adi locum.

Conciliant hilaritate convivium.] Ταυτολογίαν committunt, qui scribunt hic *conciliant concilium.* Itaque nos, *Convivium*, velut ab exilio revocatum in contextum recepimus. præsertim, quum ambigendi jus prorsus de medio tollerent illæ *Epulæ ad certamen prolatæ.* Ubi, *Ad certamen*, me interprete, certatim est. *A porfia*, nos dicimus, locutionis id genus puro puto Hispanismo utique exprimentes.

Alius exsultantes quærebat fuscina pisces.] Quatuor Piscationis insigniora genera tradiderunt Scriptores prisci. Sic ea Ælianus memorat lib. 12. de Natur. Anim. cap. 43. Δικλίδια, κόντωσις, καὶ πυρτία, καὶ ἀγκίστρια προσίτι. *Fit enim vel reti, vel conto, vel nassa, vel hamo.* Habuit ab illo, uti plura alia, Oppianus Ἁλιευτ. 4.

Τὸν δ' ἄλλους ξύμπαντας ὁμοίῃ αἶσα κιχάνει
Κύρτων', ἀγκίστρων, βαθυπλεκέος τε τέλειο,
Ῥιπῆς τε τριόδοντος.

Reliquos vero omnes simile fatum adprehendit
Nassarumque, hamorumque, & late plexi lini,
Ictusque tridentis.

Qui vero Æliano *Contus*, τρίοδος, *Tridens*, Oppiano est, Polluci lib. 10. cap. 30. τρίαινα, & hic Petronio *Fuscina.* Rationem autem cum ipsa Fuscina piscandi elegante Oppiani dedere aurea carmina.

Alius hamis blandientibus convellebat prædam repugnantem.] Aliud piscandi hocce genus inter superius adducta recensitum. *Hamis blandientibus* dixit figurate, pro harundine, virgave, calamove, à quo blandiente pendet Hamus. Similis est Martialis locus lib. 1. Ep. 56.

Et piscem tremula salientem ducere seta.

Ubi eadem omnino ratio est *Tremulæ setæ*, ac *Blandientium hamorum.* Itemque *Prædæ repugnantis*, ac *Piscis salientis.*

Pelagiæ confederant volucres.] Marinæ aves. Sic, *Pelagiæ purpuræ*, magno Plinio dictæ, quod Purpura ex Marinis conchis conficeretur olim. Late Gesnerus lib. 4. De animalibus. & *Pelagiæ faleræ* Mimographo supra cap. LV. Aliter Plinius aves illas, *Aquaticas volucres*, vocat extremo lib. 18. Earum autem multiplex genus est Aristoteli lib. 8. de Histor. Animal. cap. 3. Sextuplex Oppiano lib 1. Ἁλιευτ. Nempe *Lari, Halcyones, Aquilæ marinæ, Lolligines, Accipitres, Hirundinesque marinæ.* Ast Ælianus lib. 9. de Animal. cap. 52. triplex tantum, quæ eædem cum tribus Oppiani ultimis. Necessario altiuscule volitantes per Antennam confederant navis, nam de Accipitribus inquit Oppianus lib. 1. vers 435.

Ἰρηκες

Ἰρηκες δ' αὐτῆς ἅλμης σχεδὸν ἠερέθονται,
Ἄκρον ἐπιψαύοντες ἁλὸς πόρον, ὅσσον ἰδέσθαι,
Ἀμφὶ νηχομένοισι, καὶ ἐπλομένοισιν ὁμοῖοι.

Accipitres vero ipsum prope mare volant in aëre,
Supremum adtingentes maris fluxum, quantum
videre licet,
Simul natantibus, & volantibus similes.

Et Ælianus itidem: Οἱ γε μὴν ἱέρακες ὑπὲρ τὴν ἅλμην φέρονται ὀλίγον, ὡς μόλις ὅτι μὴ νήχονται ἀλλὰ πέτονται καταγῶναι. *Accipitres denique paullo supra summam aquam maris tolli solent, ut ad judicandum sit difficile, natentne, an volitent.* Apte vero Hirundines, Lolligineſque poſſent. Idem Oppianus: lib. 1. verſ. 431.

Ἀλλ' αἱ μὲν καὶ τῆλε καὶ ὑψόθι ταρσὸν ἰεῖσαι
Τευθίδες, ἠΐθεοι κεν ὄρνιν οἴεσθαι, ἠΐθεοι κεν ἰχθύν,
Ἐισορόωσι, ἀγεληδὸν ὁδ' ὁρμήσασι πέτεσθαι.
Αἱ δ' ἅρα τῶν ὑπένερθε χελιδόνες ὄιμον ἔχουσιν.

Sed Lolligines quidem & procul & alte alas mittentes
Neque avem esse putares, neque piscem,
Si intuearis, gregatim quando ruunt ad volandum,
At infra has Hirundines viam tenent.

Iſthæc autem, ne exiſtimes, ἀκαίρως nos protuliſſe, ſcire oportet, tempeſtatis ob religionis contemtum imminentis, Deos ſic indubie voluiſſe, Licam commonefacere; ſciteque & conſulto ſigna illa Arbitrum præmiſiſſe. Diſerte Plinius, tempeſtatum ac ventorum recenſens præſagia, inquit: *Ceteraque Aquatica Aves concurſantes.* Item Artemidorus lib. 2. cap. 17. Λάροι, καὶ ἄιθυιαι, καὶ ὅσα τοιαῦτα θαλάσσια ἐστὶν ὄρνια, τοὺς πλέοντας εἰς ἰσχατον κατάγει κίνδυνον· ἀλλ' ἐκ ἀποκτύσι. καταδύεται μὲν γὰρ ταῦτα πάντα, ἀλλ' ἐκ ἀποπνίγεται τῇ θαλάσσῃ. *Lari, & mergi, & quæcunque ejuſmodi marinæ aves, navigantes in extremum periculum inducunt, ſed non perdunt. Merguntur enim tales aves omnes, & in mari non ſuffocantur.* Item Olaus Magnus de Septentrionalibus volucribus tradidit lib. 1. cap. 7. Sed iterum ecce de Lolliginibus ſpeciatim idem Plinius: *LOLLIGO VOLITANS, concha adhæreſcentes, echini adfigentes ſeſe, aut harena ſaburrantes, TEMPESTATIS SIGNA ſunt.* Etiam Plutarch. in Quæſt. Nat. quum Problema proponit: Διὰ τί τευθὶς φανομένη σημεῖόν ἐστι μεγάλης χειμῶνος; *Curnam LOLLIGINE ſeſe oſtentante magnæ fiat TEMPESTATIS præſagium?* cauſamque pluribus reddit.

Quas tectis harundinibus peritus artifex tetigit.] Aucupio etiam harundines adhibitæ, non ſolum ad piſcationem. Appulejus lib xi. Metamorph. *Nec qui, diverſis Harundinibus, alter Aucupem cum viſco, alter Piſcatorem cum hamo induceret.* Plinius etiam lib. 16. cap. 36. Aucupio autem eſt δόναξ ἰξοφόρος apud Oppianum, *harundo viſcum ferens*, ſeu *viſco illita.* Item Erycio in Anthologiæ 4. cap. 12. δόναξ ἰξευτὴς, *harundo viſcoſa*, ubi & λαθροβόλος adpellata, id eſt, *occulte conjecta*, quam *Tectam* dixit Petronius, hoc eſt, obtectam, & occultatam. ait ergo Erycius:

Οἱ τε λίνοις βαίνοιτε πεπυκάδες, οἵ τε σιδάρῳ,
Οἵ τε καὶ ἰξευτῇ λαθροβόλῳ δονάκι.

Quod diſtichon perperam ab Interprete acceptum; cujus hæc verſio:

Quique limis conſidentes inceditis, quique ferro,
Et qui viſcatore aucupatorio calamo.

Pentametrum enim reddere ita debuerat:

Et qui viſcoſa occulte jacta harundine.

Martialis item lib. 14. Ep. 218. de Harundine procul dubio intelligendus aucupatoria.

Pallida dum tacita creſcit Harundo manu.

Sic etiam Silius:

Sublimem Calamo ſequitur creſcente volucrem.

Et plures alii. Vidimus & nos ſæpe hocce genus aucupii. Cave autem confundas illud cum alio verbis, non re, ſimili. Erat nimirum, quod Calamis conficiebatur Jaculatoriis arcu emiſſis: de quo plane Propertius lib. 2. El. 19.

——— *Et ſtricto figere avem Calamo.*

Aperte autem magis Marmoris Titulus:

DVM. ACCVMBITVR. PVER. E. PROXIMA. VICINIA. ARVNDINE. (QVA. IN. ADJACENTIS. HORTVLI. ARBORE. CONSIDENTEM. AVEM. ADIPISCITVR.) PER. FENESTRAM. INTRORSVM. ARCV. ADACTA. &c.

Et Syneſius Calvitii encomio. Porro quod ſequitur: *Illæ* (Pelagiæ volucres) *viſcatis illigatæ viminibus deferebantur ad manus*, elegans eſt primi aucupii deſcriptio.

Tollebat plumas aura volitantes, pinnaſque per maria manis ſpuma torquebat.] Expreſſum hic aliud etiam Tempeſtatis prænuntium. Iſthæc enim ex illis prorſus ſunt, quæ neutiquam erudito Interpreti contemnenda. Sic Plinius extremo lib. 18. ubi ſupra, Signa Tempeſtatem præſagientia referens, ſubdit: *Lanugo populi, aut ſpinæ Volitans, Aquiſque PLUMA innatans.*

Extrema parte potionis ſpargebat.] Forſitan hic Cottabi luſum Arbiter innuere diſcupiit, de quo Athenæus initio lib. 15. Sive jocum illum pervetuſtum, Romanis conviviis frequenter uſurpatum, ſpargendi nimirum circumſtantes poculo reſiduo, quem & elephantos didiciſſe, præcipue qui ad ſpectacula eſſent deſtinati, narrat Ælianus lib. 2. de Animal. cap. 11. Illud tamen præ omnibus magis adriſit nobis, ſcilicet, Gitoni feminam porrexiſſe præguſtatum poculum, quod indicium amoris haud fallax. Apud Curium Fortunatianum antiquum quærunt amantes: *Meretrix ex tribus amantibus, Alium oſculata eſt, Alii RESIDUUM POCULUM dedit, Alium coronavit: contendunt, quem magis diligat.* Illud Græcis προπίνειν dicebatur, & Romanis exin *Propinare.* Gloſſiæ, προπίνω; *Propino, probibo.* lege *Præbibo.* unde Petronius claret cap. CXIII. *Nec Giton me aut tralatitia Propinatione dignum judicabat.* Quod de illa amatoria Propinatione recte capiendum. Lucianus autem cauſam edit, cur ea amatoribus

toribus magno sit in precio, Dialogo Junonis, & Jovis ita inquiens: Καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ διψῶν πολλάκις αὐτῆς πιεῖν, ἐπεὶ δὲ καὶ ἀπογευσάμενος μόνον, ἔδωκας ἐκείνῳ, καὶ πιὼν ἀπολαῦσαι τὴν κύλικα, ὅσον ὑπόλοιπον ἐν αὐτῇ, πίνε, ὅθεν καὶ αὐτὸς ἔπιε, καὶ ἔνθα προσήμοσε τὰ χείλη, ἵνα καὶ πίνῃς ἅμα καὶ φιλῇς. *Atque ob id sæpenumero neque sitiens petis bibere. Interdum autem etiam ubi degustasti solum, porrigere ipsi* (innuit Ganymedem) *soles: deinde bibente ipso arripis calicem, & : quantum in illo reliquum restat, omne ebibis, ea etiam parte, unde ipse bibit, & ubi adplicuit labia, ut & bibas simul, & osculeris.* Nec Ovidius illud prætermisit in præceptis suis amatoriis 1. de Arte.

Fac primus rapias illius tacta labellis
Pocula: quaque bibit parte puella, bibas.

Omnium vero elegantissime Eustathius lib. 5. de Ismenia & Ismene. Ubi, postquam vicissim calices inter se commutassent amantes, inquit Ismenias: Καί μοι παράσχε τὸ ἐκπωμα. καὶ τὰ τῶν ἐρώντα τὴν παρθένον ἐδόκει πίνειν αὐτὸν. τὰ χείλη ταύτης κατεφίλει ἐρωτικῶς, καὶ φιλῶν ὑπέκλεπτον τὰ φιλήματα. ὑπηρέτην ἔιχον τὸ ἐκπωμα τῆς ἐμῆς φίλης Ὑσμίνης τὰ χείλη μεταπομίζον μοι. *Et Calicem mihi præbuit, &, Amorem testor, Virginem videbar ipsam haurire. Labellorum vestigia ipsius amabiliter dissuaviabar, atque oscalabundus furabar basium, poculo abutens velut famulo carissimæ mihi Ismenes labia perferente.* Et post pauca: Καὶ περιεργότερον ὅλον ἐπέζητον τὸ ποτήριον, μήτι τῷ χείλει τῆς κόρης τῷ χείλει τὸ ποτηρίου κεκόλληται. *Et totum poculum curiosius inspiciebam, num quid è puellæ labellis poculi adhæsisset labro.* ac subinde pluribus. Similes in re Amoris haud inficetas nugas Prisci usurparunt alias. Eleganter sic Lucianus de pomis. Ἑταιρ. διαλ. Τελ. ἐὰν δὲ τῷ μήλῳ ἀποδακὼν, ὁπότε τὸν Δίφιλον εἶδες ἀσχολούμενον, ἐλάλει γάρ Θράσωνι, προκύψας πως, ὑφόχας προσκόπτους ἐς τὸν κόλπον αὐτῆς, οὐδὲ λυθεῖν γε περιώμενος ἐμέ. ἡ δὲ φιλήσασα, μεταξὺ τῶν μαζῶν ὑπὸ τῷ ἀποδύσμῳ παιδύσατο. *Postremo autem etiam demorso malo, quando Diphilum alias res agere videbas (loquebatur enim cum Thrasone tum) inclinans te quodammodo, collimate adeo jaculabaris illud in sinum ipsius, ne latere quidem me cupiens. Illa autem exosculata inter mamillas sub fascia insertabat illud.* Quæ apud nos adhuc neutiquam obsoluerunt ejusmodi deliciæ.

Quum Eumolpus & ipse vino solutus dicta voluit in calvos stigmosque jaculari.] Joculi olim in conviviis mordaculi fuere, dicteria, scommata. Ita Appulejus lib. 2. Milesiar. *Jam illatis luminibus Epularis sermo percrebuit; jam risus adfluens, & joci liberales, & cavilli hinc inde.* Et Plautus in Milite:

Vel cavillator facetus, vel Conviva commodus
Item ero.

Lucianus quoque in Cronosolone hancce inter leges convivales recenset: Ἐξεστι, ἢν τις ἐθέλῃ, σκώμματα. καὶ μίτρου ἔτω, τὸ ἄλυπον. *Quod si cui libeat Dicteriis uti, licet: sed hactenus adhibeatur modus, ut ne sint molesta.* Et iterum in Epist. Saturn. Οἱ πρῶτα μὲν ἐ κωφὸν καὶ ἄφωνον τὸ συμπόσιον ἐάσουσιν εἶναι, ἀλλ' ἐν μύθοις συμποτικοῖς, καὶ σκώμμασι ἀνεπαχθέσι, καὶ φιλοφροσύναις ποικίλαις συνέσονται. *Qui primum non sinent Convivium surdum, aut mutum, esse, verum consuetudine sua fabulas Conviviis aptas, Dicteriaque minime molesta, variasque voluptates adserent.* Ubi urbani viri notanda moderatio, quæ salibus illis necessario adhibenda est; *præcipue*, ait Macrobius lib. 7. Saturn. cap. 3. *inter mensas & pocula, ubi facilis est ad iracundiam provocatio. nam, sicuti in præcipiti stantem vel levis tactus impellit, ita vino vel infusum, vel aspersum, parvus quoque dolor incitat in furorem.* Depromsit ex Plutarcho, ut totum fere caput illud, lib. 2. Sympos. Quæst. 1. Cujus & Arbiter conscius dicteriorum hic amaritudinem vitavit, fecitque, ut morsus dicacis Poëtæ prorsus edentuli forent, commodaque utique scommata convivio. Talia *sunt illa*, addidit ipse Macrobius, *de nonnullis corporeis vitiis, aut parum, aut nihil gignentia doloris, ut, si in CALVITIUM cujusquam dicas, vel in nasum, seu curvam erectionem, seu Socraticam depressionem.* Et Synesius in Calvitii encomio: Ἀλλὰ καὶ ὅταν ἔτιος προκυμίνας μετώπων ἐξέτασις γίνηται. Vertit Petavius: *ut quum pulmentario adposito in convivarum frontes inquiritur.* Sic & Plutarchus ibidem: Καὶ πάλιν εἰς φαλακρότητα πρᾶως φέρεται. *Rursum Calvities non curant notationem.* Lege, suadeo, cap. 7. Clementis Alexandrini lib. 2. Pædagogi.

In calvos.] Vel ipsa solum *Calvi* adpellatio convitium olim erat. Persius. Sat. 1. vers. 56.

——— *Quum tibi, Calve,*
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

Sic non semel Pomponius Poëta comicus vetustissimus: ut in Præcone Posteriore dixit:

At te dii omnes cum consilio, Calve, mactassint tuo.

Et iterum:

——— *Calve, adportas nuncium*
Nobis disparem, divisum.

Et in Piscatoribus:

Quid habes in sirpiculis, Calve? omne piscati genus.

At ibi, respectu etiam ad calvitiem lenonum, ac parasitorum, fuit dictum: nam in scenam illos recalvastros prodiisse, docent Festus & Pollux. Uti & *Calvi Mimi*, qui, auctore Nonio in *Calvi*, ideo *erant omnibus frustrati.* Aliquod ergo ex illius Dictis Eumolpi hocce sine dubio.

Elegidarion.] Idem quod *Elegidion*, hoc est, minuta Elegia, ac non magni momenti opusculum. Elegis constat Eumolpi hocce, & Hendecasyllabis. utrosque sane apte vocavit *Elegidion* sive *Elegidarion.* Etiam Plinius Junior lib. 4. Ep. 14. quosdam Hendecasyllabos *Elegidia* adpellavit, quæ illius loci verior omnino lectio est.

Quod summum formæ decus est.] Hocce verum est, & Arbiter scripsit, quoque veteres codices sic retinent. Aliud vero, quod invito Auctore intruserunt, *Quod solum formæ*, &c. falsum est, nam pluribus aliis indiget formæ pulcritudo. A nobis plane Synesius est

initio

initio Calvitii encomii. *Φύσει δὲ ἅπαντες ἐθέλομεν εἶναι καλοὶ, πρὸς ὃ μίγα μέρος αἱ τρίχες συμβάλλονται. Natura enim omnes forma ac pulchritudinis desiderio tenemur, ad quam magna ex capillorum honore fit accessio.*

Nunc umbra nudata sua jam tempora.] Manet adhuc in Hyemis, ac Veris Metaphora, nam quum hyems arborum abegit frondes, umbra sua, & opacitate sylvæ privantur. Præterquam quod haud semel crines capitis humerorumque *Umbella* audierunt quondam. sic Synesius in Calvitii encomio: Ὀυκοῦν ἅπαντες οἰονταί τε, καὶ λέγουσιν αὐτοφυὲς εἶναι σκιάδιον τὴν κόμην. Vertit Petavius: *Comam igitur nativam quandam, ac congenitam quasi, Umbellam esse, perinde omnes, ut sentunt, ita profitentur.* quod ut adstruat, subinde advocat Archilochum hunc in modum canentem:

——— ἡ δέ οἱ κόμη
Ὤμους κατασκιάζει, καὶ μετάφρενα.
——— *Huic ipsi quidem*
Humeros obumbrat tergaque incumbens coma.

Frustra autem in *Adedit* Interpres exsultat, quum translationi longe magis conveniat *Abegit*, quod retinuimus.

Ridet.] Valde hic mihi probatur τὸ *Ridet*, ut elegantiam sic & ab Antithesi peteret. præcesserat namque:

Nunc umbra nudata sua jam Tempora Mœrent.

O fallax natura deum, qua prima dedisti
Ætati nostræ gaudia, prima rapis.] Simile est illud, quod in *Libello, quem de cura capillorum ad amicum Domitianus edidit*, scripsisse dicitur, referente Suetonio cap. 18. *Scias, nec gratius quidquam decore, nec brevius.* Adnotavit & Casaubonus.

Infelix modo crinibus nitebas,
Phœbo pulcrior, & sorore Phœbi.] Concinna conlatio cum insigniter crinitis, hoc est, Cynthia, & Apolline. Iste ideo *Intonsus* vocatus, *Auricomus, Comatus, Pulcricomus, Comosus, Criniger, Ignicomus:* Græcis Ἀκερσεκόμης. Εὐχαίτης, Χρυσοκόμης, Χρυσοχαίτης, Χαιτήεις, Αὐροχαίτης. Illa *Radians*, hoc est, capillos effundens, spargensve; Ἐκοῦς, Εὐπλόκαμος, *Pulchros cincinnos habens.*

Ut mortem citius venire credas,
Scito jam capitis perisse partem.] Respicit hic ad Veterum superstitionem existimantium, eos, qui morti propinqui forent, à Proserpina tonderi; itaque primum Orco probe initiatos fato suo fungi. Nondum enim oculis Animadversiones Wouwerii lustraveram, quum hocce notatum mihi fuerat in palimpsesto, pluraque ei firmando congesseram testimonia, quæ eidem ipsemet jamprimum plene retulerat. Ista hæc vero, quæ ipsi prætermissa, dein cumuli loco placuit subjungere. Horat. lib. 1. Carm. 28. inquit:

Mista senum ac juvenum densantur funera: nullum
Sæva caput Proserpina fugit.

Item facetissimus Martialis Epig. in Canos fucantem lib. 3. Epigr. 43.

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis:
Tam subito corvus, qui modo cycnus eras.
Non omnes fallis: scit te Proserpina canum,
Personam capiti detrahet illa tuo.

Proinde ergo apud Euripidem Θάνατος, quasi quidam Proserpinæ minister, secans Alcestidis comam, introducitur.

Cap. CX. *Corymbioque domina.*] *Corymbion* latine *Capillamentum* interpretatur idem Petronius, ubi post pauca inquit: *Sevocatumque me non minus decoro exornavit capillamento: immo commendator vultus enituit, quia flavum Corymbion erat.* Quo Viri doctissimi videtur discrimen excludi distinguentis, *Corymbion Capillamentum* Virorum. Eustathius indubie ei imposuit sic discriminans: πλέγμα τριχῶν εἰς ὀξὺ ἀπολῆγον ὁ ἐπὶ ἀνδρῶν κρωβύλος, ἐπὶ γυναικῶν κόρυμβος, ἐπὶ παίδων σκορπίος ἐκαλεῖτο. *Capillorum contextus tendens in acutum, CROBYLUS virorum, seminarum CORYMBUS, puerorum SCORPIUS vocatur.* Idemmet & Thucydidis Scholiastes tradidit ad lib. 1. Sed quid, quum *Crobylum*, quem speciatim virorum illi faciunt, indiscriminatim Pollux promiscuum prædicet lib. 2. cap. 3.? Κορύμβῳ δ' ἐκ ἀττικὸν, ἀλλὰ μᾶλλον ὁ κρόβυλος. ἐκαλεῖτο δέ τι καὶ πτυκτὴ, καὶ προκόμιον προσθετὸν, ἃ γυναιξὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀνδράσι. οἱ ἐνδεῶς τριχῶν ἔχοντες, εἰς κόμης λόγον πράττεσι. *Corymbe Atticum non est, sed Crobylus potius. Vocatur etiam quædam coma adpositicia, quæ non modo mulierum, sed & virorum est. Et qui raros pilos habent, ipsa instar capillorum utuntur.* Sed magis adhuc Eustathio adversatur S. Asterius, dum *Crobyli* usum hominibus interdicit, concedit vero mulieribus. Verba ejus referam ex Homilia in Festum Kalendarum, ubi parum honesta fugillat præstantium militum exercitia: Καὶ τὸν χιτῶνα μέχρι τῶν σφυρῶν ἀφῆσι, καὶ τοῖς εἴρεσι περιελίξει τὴν ζώνην, καὶ ὑποδήματι κέχρηται γυναικείῳ, καὶ τὸν κρόβυλον ἐπιτίθεται τῇ κεφαλῇ, ἃ γυναιξὶ νόμος. vertit Rubenius: *Tunicam ad talos demittit, Zonam pectori circumvolvit, calceamenta muliebria sumit, & more feminarum, capiti Crobylum imponit.* Crobylon autem aliquando Græci, ut Pollux tradit, vocarunt ἐντριχον. Cyprii, uti Creon Rhetoricor. L. 1. Κορδύλην, Persæ κιδάριον. Nam, comis Persas Adscititiis etiam usos, Xenophon prodidit παιδ. L. 1. itemque à Medis didicisse. Puto equidem, vix uspiam reperiri nationem posse, modo foret mediocri elegantiarum artificio exculta, quæ nimirum comarum defectui adscititiis crinibus suppetias non tulerit. Unde multiplex orta adpellationum varietas, haut secus ac figurarum, quibus & nunc paulisper immorari, lubido est. Tertullianus sic duarum species exprimit c. 7. de Cultu Femin. *Adsigitis præterea nescio quas enormitates sutilium atque textilium Capillamentorum, nunc in Galeri modum quasi vaginam capitis, & operculum verticis; nunc in cervicem retro Suggestum.* Ultimam videtur & S. Hieronymus his verbis etiam describere Lib. 2. Ep. 18. *Ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem struere.* Etenim *Turritum* hic, quod

quod ille *Suggestum* adpellauit. Firmat Papinius in Stellæ Epithalamio:

——— *Celsa procul adspice frontis honores,*
Suggestumque comæ.

Aſt S. Hieronymum Lucanus mirifice inluſtrat, etſi dubium an de Adpoſititia loquatur:

Turritaque gerens frontem matrona corona.

Plane vero Prudentius, quum eam Superbiæ imponit in Pſychomachia:

Turritum tortis caput adcumulatur in altum
Crinibus, exſtructos augeret ut addita cirros
Congeries, celſumque apicem frons ardua ferret.

Conſtructionem vero iſtam capillorum per *Gradus* faſtigiabant, quod plures dixere Scriptores, obſervaruntque jam alii. Juvenalis Sat. 6. 500. *Ordines* nuncupavit. Fuit etiam capillitii habitus iſte & viris uſurpatus, parum tamen pudicis. Sic de Nerone Suetonius cap. 51. *Circa cultum habitumque adeo pudendus, ut comam ſemper in Gradus formatam peregrinatione Achaica etiam pone verticem ſubmiſerit.* Porro altera exſtructio, cujus ſupra meminit Tertullianus, cognitu prorſus erit facilior. Verba ejus ſunt: *Nunc in Galeri modum, quaſi vaginam capitis, & operculum verticis.* Ubi ſimplicem, ſimilemque ei, qui à natura conſtitutus habitus eſt, haud dubio verbis illis expreſſit, & quo crinium defectui, poſtiſſimum autem viri, ſubveniebant, infimaque feminarum capita. Diſertim Tranquillus de Othone cap. 12. *Vulſo corpore, GALERICULO capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignoſceret.* Sic etiam nos fatiſcenti paullulum naturæ ſubvenimus. Et Juvenalis plane de Meſſalina meretricem ſimulante in fornice Sat. 6. 120. inquit:

Sed nigrum flavo crinem abſcondente GALERO.

Ubi *Flavo* epitheton ſatis rem, puto, aperuit jam olim. Neutiquam dubium eſt, diobolaribus illis proſtibulis, quibuſcum Imperatrix illa proſtabat, haud in uſu unquam fuiſſe eximias elegantias. Simili prorſus & Caligula diſſimulatus plura perpetrabat flagitia. Ita etiam de illo Tranquillus cap. 11. *Et ganeas, atque adulteria, Capillamento celatus, & veſte longa, noctibus obiret.* Sed alibi de his forſitan plenius. Interea tamen Adpoſititiarum conſigimus hic adpellationes, quæ in præſentia ſuccurrunt, qua Græcas, qua Latinas. Græci Κρώβυλον vocant, κόρυμβοι, σκοπίοι, κορύμβη, ἔντριχοι, κορδύλη, τιδάριον, πτήκη, Libanius φυάκη, Ælianus προσθετὸν κόμην & πρόθετον, Pollux προκόμιον. Latini *Capillamentum*, *Galerum*, & *Galericulum*, Plinius, *Reticulum*, & argute, ut Martialis, *Perſonam capitis*, Porphyrio, *Caliendrum*. Item, *Comam Adulterinam*, adpellant, *adoptivam*, *adſititiam*, *adpoſitam*, & *adpoſititiam*; Item Propertius *Externam*. Martialis *abſentem*.

Immo ſupercilia etiam profert de pyxide.] Superciliorum quippe illi erat æqualis cum fronte calvities. Ἀναφαλαντωμα & Ἀναφαλαντίασιν vocant Græci calvitiem ſuperciliorum. Duplex olim, obſervo ego, officiarum genus fuit in oculorum emendatione. Primum, *Supercilia producere*, præſertim, ſi in confinio luminum non erant permixta, de quo latius alibi. Atque ad hocce indubium eſt referendum in præſentia Petronium, quippe Calliblepharo, quo Circe ad producenda Supercilia utebatur, ancilla delineavit & Gitonis ſupercilia. Alterum erat, *Oculos pingere*. Utrumque Juvenalis conjunxit Sat. 2. 93. hiſce verbis:

Ille Supercilium madida fuligine tactum
Obliqua Producit acu, Pingitque trementes
Adtollens Oculos,

Videtur & eademmet Pollux innuere: τῶν ὀφθαλμῶν ὑπογράφει, τὰς ὀφρῦς μελαίνει. *Oculos Pingit, Supercilia denigrat.* Sed quidnam, quæris, *Oculos pingere*, Antiquis erat? Ego proferam, nam ex Plinio cognovi lib. 11. cap. 37. *Palpebræ, inquit, in genis hominis utrimque. Mulieribus vero etiam inſectæ quotidiano. Tanta eſt decoris adfectatio, ut Tingantur quoque Oculi.* Fruſtra prorſus ſunt, qui contendunt ibi, *Pingantur*, eſſe pingendum, pariter quidem utrumque verbum idem illud ſignificat. Itaque erat igitur, *Oculos pingere*, extremitates genarum, quas *Cilia* Latini vocant, pilorum videlicet carentes vallo, conlinere medicamine: interdum etiam palpebras ipſas inficere coloris ergo permutandi. Hocce Tertullianus De Cultu Femin. cap. 5. *Oculos fuligine conlinere*, vocavit. Arnob. lib. 2. *Fuligine Oculos obumbrare.* Et D. Cyprianus Serm. 5. De Lapſis, *Nigro pulvere lineamenta oculorum Pingere*: & de Habit. Virg. *Oculos circumducto nigrore fucare.* Et lib. De Pudicitia, *Oculorum extremitates ſuffuſcare.* Et Commodianus, nondum editus Scriptor, *Oculos nigro relinere.* Præcipue autem fucatio iſthæc meretricibus crebra. Nam, *defluere*, addit Plinius, *Palpebras haud immerito Venere abundantibus tradunt.* Idemque adſerit Ariſtoteles Problemat. Sect. 4. Quæſt. 19. ubi & cauſam reddit. Μελάγματις, & μέλφωσις iſthæc adfectio dicta. Ideo feminæ, quæ ejuſmodi medicamentis neutiquam indigerent, eximie ab Antiquis commendatæ. Inde eleganter Marcus Varro elogium petivit inſigne formoſiſſimæ puellæ verbis iſtis:

Quos Calliblepharo naturali Palpebræ
Tinctæ vallatos mobili ſepto tenent.

Sic Paſſeratius in numeros redegit Conjectaneis ſuis. Summa enim cum elegantia Togatorum doctiſſimus *Calliblepharon* vocavit *Naturale*, oculorum genuinos pilos, quod ipſis medicina fucandis adhiberi ſolita eſſet, nimirum Καλλιβλέφαρον adpellata. Conſtabat illa ex uſtis roſarum foliis, nucleis palmarum, ampeliti, & aliis, quæ apud Plinium ſparſim. Ejus in locum *Favilla* ſuccedere interdum ſolebat, &, ſi flavedo captabatur, *Crocus*. Diſertim Ovidius 3. de Arte:

Nec pudor eſt oculos tenui Signaſſe Favilla:
Vel prope te nato, Lucide Cydne, Croco.

Sic & Lucianus, Herodianus, Athenæus, & alii. Sed nos plus ſatis hic verborum de fucis iſtis.

Sciteque jacturæ lineamenta ſequuta.] *Lineæ*, ac *Lineamenta*, in pictura dicebantur ductus illi, qui primi duce-

ducebantur in tabula, antequam adhiberentur colores. Ipsos autem postea coloribus pictores sequebantur. De ipsis indubie, meo animo, capiendus Cicero in Bruto: *Similis in pictura ratio est, in qua Zeuxim, & Polygnotum, & Timantem, & eorum, qui non sunt usi pluſquam quatuor coloribus, formas, & LINEAMENTA laudamus.* Sunt omnino *formæ* istæ ac *Lineamenta*, quæ Hispani Pictores *Dibuxos* adpellant. Erant igitur in hacce picturæ parte insignes Artifices illi, quum rudis adhuc ars, pauperque colorum foret. *Graphice* dictum fuit priscis Græcis hocce genus picturæ, Latinis *Pictura Linearis*, uti apud Plinium videre est lib. 35. cap. 10. Ibi & *Lineamentorum*, quibus de agimus, insignis memoria exstat, quum de Veneris imagine nondum, quia morte præventus, ab Apelle perfecta loquitur: *Invidit mors peracta parte, nec qui succederet Operi ad Præscripta Lineamenta inventus est.* Isthæc eadem Lineamenta Appulejus satis argute Fila vocavit in De Deo Socratis: *Sed Fila Corporum possident rara, & splendida, & tenuia.* Inde eadem nobis scite dicta, *Perfiles.* Præterea autem hancce Linearis Picturæ adumbrationem operæ duximus precium egregio insuper Magni Philosophi testimonio inlustrare, Aristotelis inquam lib. de Poëtica cap. VI. ubi sic Picturam cum Tragœdiæ fabula Moribusque confert satis adposite. Haud perfunctorie locus legendus est: Ἀρχὴ μὲν οὖν καὶ οἷον ψυχὴ ὁ μῦθος τῆς τραγῳδίας, δεύτερον δὲ τὰ ἤθη παραπλήσιον γάρ ἐστιν ἐπὶ τῆς γραφικῆς· εἰ γάρ τις ἐναλείψειε τοῖς καλλίστοις φαρμάκοις χύδην, ἂν οὐ ὁμοίως εὐφρανεῖ, καὶ λευκογραφήσας εἰκόνα. *Præcipuum igitur & quasi anima Tragœdiæ est Fabula. Proximum vero Mores. Idem quoque in Pictura evenire solet. Nam, si quis confundat colores licet pulcerrimos, non ita delectabit, ac si creta certam delineet imaginem.* Parissime quidem, ait Aristoteles, uti ad Tragœdiam se habent Mores, ita prorsus Colores ad Picturam: uti vero ad Tragœdiam fabula, sic & ad Picturam se habent Lineamenta. Per se quidem solum Lineamenta genus quoddam faciunt Picturæ, uti Fabula quodammodo Tragœdiam, etsi Mores non adhibeantur. Sed misti temere colores, haud prius Lineamentorum præmissa adumbratione, nullam figurabunt speciem, uti nec mores tantum sine Fabula Tragœdiam. Sed jam ad Petronium, cujus gratia isthæc adduximus. Nuda erant honore suo Gitonis supercilia, sed vestigia quædam necessario remanserant, quæ primis illis Picturæ Lineamentis prorsus similia forent. Ipsamet ergo Tryphænæ ancilla fuligine sequuta. sic & Pictores scilicet haud improprie imitari videbatur. In *Plastice* etiam *Lineamenta* sunt non admodum diversa significatione, ut apud Petronium ipsum cap. LXXXVIII. *Lysippum statuæ unius Lineamentis inhærentem inopia exstinxit.*

Lacrimisque turbata.] Nam præ lætitia quoque profunduntur lacrimæ. Appulejus: *Nam & lacrumæ nonnunquam gaudio proveniunt.* Quinctilianus lib. 11. cap. 3. *Quin etiam lacrumas iis natura mentis indices dedit, quæ aut erumpunt dolore, aut latitia manant.* Eleganter etiam Petronius in Trojæ Halosi id patefecit cap. LXXXIX.

——— *Fletibus manant gena,*
Mentisque pavidæ gaudium Lacrimas habet,
Quas metus abegit.

Lacrimis turbata, dicit Petronius, unde lux est Juvenali sumenda Sat. 6. de Lesbia loquenti, sive Claudia, ut voluit Apologia Appulejus, amica Catulli:

——— *Nec tibi, cujus*
Turbavit nitidos exstinctus passer ocellos.

Turbavit ergo *ocellos*, nempe *Lacrimis.*

Quia flavicomum corymbion erat.] Hancce lectionem amplector, quam & Scriptos codices adserere, adserit Bourdelotius. licet valde inclinarer in illam, quam viri docti præferunt, *flavum corymbion*, nam quæ in pluribus MS. custoditur, *flaucorum corymbion*, ex temere repetito dictionis sequentis initio *Corymbion* videtur nata, quum *flavum* prius pinxisset librarius. Utut autem sit, Capillamenti flavedinem Encolpius commendat, nam magno fuit aliquando Antiquis in pretio. Totius rei fulcimento nullum potest aptius testimonium adduci, quam quod ex Ovidii Eleg. 14. lib. 1. Amor. proferemus in medium: tum, quod de Adulterina coma est, tum, quod de Flava. Quos habuit Poëtæ amasia illa proprios capillos medium ac mixtum colorem referebant ex nigro & aureo; ast, quum externis uti necessium illi erat, Flaventes præferebat omnibus:

Nunc tibi captivos mittet Germania crines,
Culta triumphatæ munere gentis eris.
O, quam sæpe comas aliquo mirante rubebis!
Et dices, emta nunc ego merce probor.
Nescio quam pro me laudat nunc iste Sicambram,
Fama tamen memini quum fuit ista mea.

Verum enim vero Tertullianus lib. de Cultu Feminar. cap. 6. multis insectatur mulieres comas, ut flavescerent, inficientes medicaminibus. Ubi (ut hoc obiter dicam) in voce illa, *Velatro*, quam ejus Interpres voluit novam esse, deductamque à *Velare* verbo, ac Capillorum velamen significare: à vero prorsus aberravit vir eruditus. Sunt enim dictiones duæ, quod ex ipsomet loco liquebit clarius: *Sed enim Dominus ait, Quis vestrum potest capillum atrum ex albo facere, aut album ex atro? Hæ, quæ revincunt Deum, Ecce, inquiunt, pro albo vel atro Flavum facimus gratiæ faciliorem: quamvis & atrum ex albo conantur facere, quas pœnituit ad senectam usque vixisse.* Næ verba, *pro albo vel atro Flavum facimus*, procul dubio ad superiora referuntur: *Quis vestrum potest capillum atrum ex Albo facere*, &c.

Ne sileret sine fabulis hilaritas.] Conviviis olim lepidæ quoque, ac simplices, Fabulæ inserebantur sæpicule. De istis & Papinius loquitur lib. 8. Thebaid.

——— *Istis non deest sua Fabula Mensis.*

Quales autem id temporis habendæ sint, ex M. Varrone A. Gellius edocet lib. 13. cap. 11. pluribus aliis scientes nos parcimus.

Multa in muliebrem levitatem cæpit jactare.] Leve animal mulier est, quodque, haud secus ac mare, continuam mutationem molitur. Simile illud mutilum frágmentum est Cornelii Galli Poëtæ non mediocris, ac Virgilii amicitia insignis, in quadam Elegia, quæ ejus nomine circumfertur:

Femina natura varium & mutabile semper:
Diligat, ambiguum est, oderit anne magis.
Nil adeo medium ———
Et tantum constans in LEVITATE SUA.

Cap. CXI. *Passis crinibus.*] *Dispersis, solutis.* sic interpretantur Nonius, & A. Gellius lib. 15. cap. 15. Papinius 7. Thebaïd. eleganter dixit de Atalanta Parthenopæi matre:

Crine dato Passim.

Characterismus est illius adfectionis animi, quæ *Adflictatio* Ciceroni dicitur, animæque ægritudo habebatur cum corporis vexatione. Ita apud Virgilium in summo discrimine ad templum Palladis ibant

Crinibus Iliades Passis.

Et Terentius Heautontim. Act. 2. sc. 3. puellæ describens lugubrem habitum inquit:

Capillus Passus, prolixus, circum caput
Rejectus negligenter.

Sed passim obvia sunt exempla in Scriptoribus Græcis & Latinis. Vide tamen Plutarchum ἐν Ῥωμ. ubi inquirit, Cur filiæ, quum parentes efferuntur, sint γυμναῖς ταῖς κεφαλαῖς, καὶ ταῖς κόμαις λελυμέναις; *Intectis capitibus, & Crinibus Passis?*

Prosequi.] Funerale verbum. ita post pauca: *in conditorium etiam Prosequuta est defunctum.* Eleganter Seneca Ep. 30. de Basso sene in ipso jam conspectu mortis exspectante exitum suum intrepide, sibique velut parentante: *Bassus noster videtur mihi Prosequi se, & componere, & vivere, tamquam superstes sibi.* Cui consonum (ut obiter moneam) illud Anchisæ apud Virgilium est lib. 2. Æncid.

Sic, ó, sic Positum adfati discedite corpus.

Græci, *prosequi*, προπέμπειν, & παραπέμπειν, & ἐκπέμπειν. quod latius Kirchmannus prosequitur lib. 2. de Funeribus.

Nudatum pectus.] Nudatum, nam prius sane, more antiquo, vestes sciderat. quod non video magnos Viros observasse, quum adeo frequens sit memoria apud Scriptores priscos *Nudorum pectorum* in funeribus, *uberum*, sive *papillarum*, & *humerorum*: pariterque dolori creberrime Majores indulsisse id genus vexationibus Kirchm. extremo cap. 17. lib. 2. Qui omnes *Adflictationis* quoque characterismi sunt juxta ac sequentes: *sic Adflictantem sè, ac mortem media prosequentem*, &c. & subinde: *Faciemque unguibus sectam.* & rursus inferius: *Laceravit vehementius pectus, ruptosque crines super pectas jacentis imposuit*, &c. Absciderat ergo indubie vestem matrona, ut posset scilicet *pectus nudum plangere.* disertim Ovidius Medeæ Epistola:

Protinus abscissa Planxi mea Pectora Veste.

In conditorium.] Quod Latinis *Conditorium*, *Hypogæum* est Græcis, *Conditivum* Senecæ Epist. 60. *Vivit is, qui se utitur; qui vero latitant, & torpent, sic in domo sunt, tamquam in Conditivo.* Et 28. *Multum interest inter otium, & Conditivum.*

In hypogæo.] *Hypogæa* Græcis erant ædificia subterranea, fornicataque, Romanis *Conditoria* dicta, ut sententia est Eruditorum, ac prorsus eadem cum illis, quæ Hispanis nostris, *Bobedas*, dicuntur. Tales quoque fuere & Antiquorum Oleariæ Cellæ, vinariæ, & ejusmodi, uti & nostrates. Vocanturque pariter nobis, quæ subterranea monumenta sunt condendis cadaveribus inservientia, ita etiam *Bobedas.*

Græco more corpus custodire.] Aliter nos, quam vulgus Interpretum, hunc locum interpunximus, & interpretamur, ut illud, *Græco more*, referatur ad verba *Corpus Custodire*; non vero ad verba, *Positus in hypogæo.* Haud dubium est, Græcos olim Custodes cadaveribus adhibuisse, ut sic ea ab demorsicationibus sagarum integra vindicarent. Græcorum enim plures insigniter fuere superstitiosi, ac venefici, Thessali autem in primis. Sic Appulejus insigni loco omnia palam facit lib. 2. Metamorph. *Conspicor medio foro procerum quemdam senem, insistebat lapidem, claraque voce prædicabat, SI QUI MORTUUM SERVARE VELLET, DE PRETIO LICERETUR. Et ad quempiam prætereuntium, Quid hoc, inquam, comperior? hiccine mortui solent ausugere? Tace, respondit ille; nam oppido puer, & satis peregrinus es, meritoque ignoras, Thessaliæ te consistere, ubi saga mulieres ora mortuorum passim demorsicant: eaque sunt illis artis magicæ supplementa.* Alii prorsus erant (ut hoc insuper notem) qui Monumentorum Custodes dicerentur. De quibus illud est l. 71. §. 2. *D. de cond. & dem. Titio centum relicta sunt, ita ut à monimento meo non recedat.* Eorum munus, fores claudere, aperire, à funibus cavere, floribus ac corollis sepulcrum ornare. Postremum hocce ex Propertio didici, nam cetera nota sunt. ecce verba ex lib. 3. El. 16.

Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit Custos, ad mea busta sedens.

Parum igitur locus iste, utpote de Sepulcrorum Custode, hic Petronio erit opportunus, quod non vidit quidam Interpres. Pluris vero Commentum hoc nostrum faciet eruditus Lector, qui prius jejunas de ferali custodia observationes conluluerit apud Scriptores de Funeribus.

Et, quotiens defuerat positum in monumento lumen, renovabat.] Vix absque lucerna sepulcrali olim monumentum, cujus passim Veterum memoria, Recentiorumque. Addimus, ideo repertum olei miraculum Incombustibilis, quod quum necquicquam consumeretur, raro sic & exstingui contingebat sepulcrales Lucernas. Ipsæ ævo nostro testantur manifesto, quum paucis ab hinc annis in Tulliæ sepulcro, Ciceronis filiæ inventa sit ardens lucerna, quæ plus minus duraverat annos 1550. Item Maximi Olivii altera in agro Patavino eruta, quam itidem arsisse supra mille & quingentos

gentos annos, nullum sit dubium. Item tertia, quæ effossa fuit ex Pallantis monumento, quem lancea Turnus occidit, auctore Virgilio in 10. Ipsa enim, si Bonfinio fides habenda est, neque vento, neque aqua, vel quovis alio liquore, exstingui potuit. postea vero, subacto stylo, & per illud foramen ingruente aëre, lumen evanuit. Harumce autem Lucernarum & vicem subire posset lapis ille, cujus apud Lucianum mentio in de Dea Syria. nimirum Λυχνὶς καλεῖται, ὄνομα δὲ οἱ τῷ ἔργῳ ἐπιτυχίη. ἀπὸ τούτου ἐν νυκτὶ σέλας πολλὸν ἀπολάμπει, ὑπὸ δὲ οἱ καὶ ὁ νηὸς ἅπας οἷον ὑπὸ λύχνοισι φαίνεται, ἐν ἡμέρῃ δὲ, τὸ μὲν φέγγος ἀσθενέει, εἶδος δὲ ἔχει κάρτα πυρώδεος. *Qui Lychnis ab effectu vocatur, nam vice Lychni sit, quoniam ab hoc multus fulgor noctu resplendet, totaque ades ab eo, perinde atque Lucernis, conlucet. Interdiu vero* (quod & veræ Lucernæ patiuntur) *ipsum quidem lumen amarescit, speciem autem præ se fert admodum igneam.*

Una igitur in tota civitate fabula erat.] Id est, nihil aliud universi omnes in civitate fabulabantur, alia de re nullus erat sermo. Varro lib. 5. LL. *A verbo fari, Fabulæ.* Fabulam ergo pro sermone usurpari, notum tonsoribus est inconditis fabulatoribus. Sed videor mihi pro rumorum sermonumque ipsa materie transferri Petronio in præsentia, quo animadvertere haud pudet verum discrimen, idque exemplis confirmare. sic plane Terentius Hecyra:

Jam nos Fabula sumus, Pamphile, senex, atque anus.

Ovidius El. 1. lib. 3. Amor.

Fabula, nec sentis, tota jactatis in urbe.

Tibullus lib. 2. El. 3.

Fabula nunc ille est: sed cui sua cura puella est:
Fabula sit, mavult, quam sine amore, Deus.

Horatius Epod. 11.

Heu me per urbem (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui!

Italis item hocce commune. Petrarcha ita:

Ma ben veggio hor, si come al popol tutto
Favola fui gran tempo: onde sovente
Di me medesmo meco mi vergogno.

Nequis ad sepulturam corpus detraberet.] Nam Crux suffixorum sepulchrum. Illud est Senecæ Patris lib. 8. contr. 4. *Suffixorum corpora Crucibus in Sepulturam suam defluunt.* Sic & Plautus in Milite 2. 4. 19.

——— *Scio, Crucem futuram mihi Sepulcrum.*
Ibi mei majores sunt siti, pater, avus, proavus, abavus.

Alias Cruciariorum mores pervulgati.

Descendit igitur, &c.] Quippe subterranea ædificia monumenta erant. Nihilominus tamen tolerabilem habitationem haud infrequenter viris præstiterunt, quod vel ex Arbitro hic (alii si deforent) satis constare posset. Id vero Scriptores De funeribus, nescio an plene, suove loco, notare meminerint. eaque propter inlustriora ejusce rei exempla adjungere, nobis in præsentia visum haud inutile. Abunde Suetonius in Nerone significat, quum de Urbis incendio agit cap. 38. *Per sex dies, septemque noctes ea clade sævitum est, AD MONUMENTORUM, BUSTORUMQUE, DIVERSORIA plebe compulsa.* Et Tacitus 15. Annal. eadem de re loquens, *sed solatium*, inquit, *populo exturbato, & profugo Campum Martis* (ubi plura Conditoria) *ac Monumenta Agrippæ.* Mirum autem, quod de Julio Sabino prodidit Dio lib. 66. pag. 745. Ἡττηθεὶς δὲ μάχαις τισὶν, ἔφυγεν ἐς ἀγρόν τινα, κἀνταῦθα ἐς μνημεῖόν τι ὑπόγειον, προκαταπέμψας αὐτοῦ, κατέδυ. καὶ οἱ μὲν ᾠήθησαν κἀκεῖνον ἀπολωλέναι, ὁ δὲ ἐκρύφθη τε ἐν αὐτῷ ἐννέα ἔτη μετὰ τῆς γυναικὸς, καὶ παῖδας ἐξ αὐτῆς δύο ἄῤῥενας ἐπῄσατο. *Ipse deinde præliis aliquot victus, rus abiit, ibique in Sepulcrum subterraneum, quod ipse prius incenderat, ingressus est: quumque constans esset opinio, illum interisse, in eo novem annos cum uxore delituit, ex eaque duos filios suscepit.* Nec absonum huic est, quod de Democrito Philosopho insigni narrat Lucianus in Philopseude: ac de B. Paulo cum Onesiphoro, & ejus uxore, ac liberis, in Iconiensi Monumento delitescente Basilius Seleuciæ Episcopus in vita S. Theclæ, pariterque Simon Metaphrastes. Sic & S. Antonius ad sepulchrum secessit, ibique quid temporis placuit morari, auctore S. Athanasio in ejus vita. *Sepulchrum* vero μνῆμα ei dicitur, & vertit Euagrius presbyter, *Memoria.* Apte quidem, nam sic & Latinis *Memoria* usurpatur, potissimum Scriptoribus Sacris, jamque observatum Rosweido, viro docto. S. Augustinus l. 12. de Civit. Dei cap. 8. de D. Stephani Sepulchro loquens: *Ad ejus Memoriam veniebat magna multitudinis concursus.* Videsis, unde apud nostros Hispanos *Memoria* pariter pium monumentum significet. Id autem adeo subinde percrebuit, ut infimæ sortis scorticula Monumentis in ipsis prostiterint. Eæ *Busturiæ Mœchæ* dicuntur Martiali lib. 3. Epig. 93. eadem ratione qua *Submœnianæ uxores* Epigr. 82. Et lib. 12. Ep. 32. nempe quod in Urbis pomœriis suas quondam habuerint celliculas. Planius adhuc Epig. 34. lib. 1. inquit:

Abscondit spurcas & Monumenta Lupas.

Desiderium exstincti, &c.] Bis hujusce loci inferius recordamur. Primo, mox hoc capite ad verba illa: *Raptosque crines super pectus jacentis imposuit.* Et tum ad illud cap. CXL. *Me gratiosiorem esse quam Protesilaum.* illa adi, ibi namque haud proletariam hujus loci Inlustrationem fœneratur Petronius.

Dolore supervacuo, & nihil profuturo gemitu.] Parissimum illud Sophoclis Electra vers. 136. quum ad ipsam Chorus:

Ἀλλ' ἴστοι τόν γ' ἐξ ἀΐδα
Παγκοίνῳ λίμνας πατρὶ ἀνα-
στάσις, ἴστε γόοισιν, ἐ λιταῖς,
Ἀλλ' ἀπὸ τῶν μητρῴων, ἐπ' ἀμηχάνοις
Ἀλγ' ἀεὶ σνάζντα δόλοισι
Ἐν οἷς ἀνάλυσις ἴσχει
Οὐδεμία κακῶν·

Sed tamen ab inferorum
Communi palude patrem
Nullo luctu, nullis precibus, revocare poteris,
Sed ex mediocribus malis in insanabilem
Maerorem delapsa te ipsam perdis.
NEQUE ILLIS TAMEN MALIS LUCTU MEDERI POTES.

Ruptosque crines super pectus jacentis imposuit.] Tibull. El. 1. lib. 1.

Tu manes ne lade meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis.

Id etiam præ *exstincti desiderio*, ut dixit, paullo ante: *Deinde ut, & corpus jacentis conspexit, & lacrimas consideravit, faciemque unguibus sectam; ratus scilicet, quod erat, desiderium exstincti non posse feminam pati.* Suffulcio Commenti argutiam insigni loco Jamblichi Scriptoris vetusti historiæ Eroticæ, ut conjectura est, non inelegantis, sic tamen verbis Photii concepto: Ὅτι οἱ περὶ Ῥοδάνην καὶ Σιμαλίδα φιλόγοιτες ἅμα Σορακῷ, καταίρουσιν εἰς γεωργῶ. τῷ δ' ἦν κόρη (θυγάτης) καλὴ τὴν ὄψιν, ἄρτι χηρωθεῖσα, καὶ τῇ πρὸς τὸν ἄνδρα ἰυνοίᾳ τὰς τρίχας περικειμαίνη. *Rhodanes interim & Simonis una cum Soracho in fugam versi agricolæ tugurium subeunt, cui filia erat eleganti forma, nuper admodum viduata viro, ejusque desiderio crines adtonsa.* Cepit id omnino & catus miles, ideoque subdidit Arbiter: *Nec recessit tamen miles, sed, &c.* Alioqui nos ille sectilis comæ protritus.

Donec ancilla vini certe ab eo odore corrupta.] Æque atque lena à Phædromo apud Plautum, ancilla isthæc à milite vini odore corrupta. inquit ergo in Curculione Act. 1. sc. 1.

Eaque extempulo, ubi vino has conspersi soreis,
Do odore adesse me scit, aperit illico.

Ac deinde per plures versus. Bourdelotii emendatio, *vini cibique ab eo odore, &c.* haud displicet.

Si soluta inedia fueris? si te vivam sepelieris? si, antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis?] Omnino videtur ad hunc locum respexisse Appulejus lib. 8. Metamorph. quum de Thrasylo loquitur, Tlepolemi peremtore, mori pariter in monumento deliberante: *Valvis super sese diligenter obseratis, inedia statuit elidere sua sententia Damnatum Spiritum.* Sic & in Marmore proxime laudando: DAMNATAM DEDO ANIMAM, &c.

Si te vivam sepelieris?] Nam & olim fuere, quæ id etiam præ mærore facerent. Insigne exemplum proferam ego ex cujusdam Inscriptione Monumenti depromtum, jamque pridem Camerti Umbrorum in Picentinis montibus reperta, quam & solertissimum Gruterum non fugisse puto:

D. TIBVL. C. SEMPRONII F. MAM.
L. NEP. INFERNO PLOTONI TRICORPORI.
OXORI CARIS. TRICIPITIQVE
CERBERO MVNVS MEVM FERENS
DAMNATAM DEDO ANIMAM. ILLAMQVE
HOC ME CONDO MONIMENTO
NE OBRVTIS DOMVS LAPSV FILIIS SEX
QVOS P. SCIPIO PATRIIS
CAMERTIBVS A SALO ET LIBYA
INCOLVMES RESTITVERAT.
IN DESOLATA ORBITATE SVPERSIM
MISERA I. ANN. L. M I. D. I.
HOR. SCIT NEMO. QVIETEM
POSTERI NON INVIDEANT.
QI SECOS. MANES
SENTVAT IRATOS. ILALE ILITA
IN FR. P. XX. IN AGRO P. XXXIX.

Sic & Thrasylus Appulejanus, ut supra vidimus. Sic & Polemon Sophista, auctore Philostrato.

Si, antequam fata poscant, indemnatum spiritum effuderis.] Istum locum Interpretes omnes silentio prætereunt haud secus, atque ipsus

——— *Harpocrates, digito qui significat ST.*

Nos autem, illum diligentius inspectare, haud absre duximus. Cicer. in 1. Antonianarum scriptum reliquit: *Multa enim impendere videntur præter naturam etiam, præterque Fatum.* In quem locum quum incideret A Gellius, ipsummet negotii illi facessit, ac mihi Petronianus. Nam id maxime requirendum existimarim, qua ratione Arbiter dixerit, violentam scilicet atque præmaturam Ephesinæ mortem præter Fatum omnino ei esse futuram, *Quando sic ratio, & ordo, & insuperabilis quædam necessitas Fati constituitur, ut omnia intra Fatum claudenda sint*, uti Prisci antiquitus putarunt Philosophi. Virgilius autem id ipsum, quod Cicero, Petroniusque, de Fato opinatus est, dum in 4. Divini Operis vers. 696. protulit de Elysa, quæ mortem itidem per vim potita est.

Nam quia nec Fato, merita nec morte, peribat.

Quem locum quum A. Gellius inlustrat, ut vel exin Ciceronis supra adducto præferat facem, in hunc profatur modum lib. 13. cap. 1. *Tanquam in faciendo fine vitæ, quæ violenta sunt, non videantur è Fato venire, &c.* Eamdem quæstiunculam movit Marcellus in De doctorum indagine, ubi quærit, An sit ineluctabile Fatum. Etiam Macrobius lib. 1. de somn. Scip. cap. 13. quos vide. Hinc ergo dies oritur Senecæ Tragico, Hercule Oëtæo in Choro Act. 1.

Quota pars moritur tempore Fati?

Etiam Phalaridi Tyranno Epist. 144. ad Nicodem. Εἰδὲ τοιούτῳ ἐτύχομεν μοναρχίας, ἠχόπως ἑαυτῶν ἀπωσώμεθα τὰς μόρας, ἡμᾶς μὲν γὰρ ἴσως καὶ πρὸ μοίρας ἀξίως φαίη τις ἂν ἔναι, ἀπολίσθαι καὶ πρὸς ταύτην τὴν ἀξίωσιν ἐὸ' ἀυτοὶ ἐναντιόμεθα, ἀλλ' ἵνα τῶν ἐπαινετά. των, καὶ ὡς ἐπὶ μήκιστον ἀξίων ζῆν, ἐπίχαμεν τὰ τέλη. *Utinam autem tali conditione monarchiam adepti essemus, non ut à nobis ipsis mortem repellamus (nam nos fortasse quispiam dignos censet, etiam ante Fatum perire, neque nos ipsi huic censuræ adversamur) sed ut honestissimorum, dignorumque hominum longissima vita, retinere possemus obitus.* Recte igitur, qui *Naturalem* & *Fatalem* mortem eamdem faciunt, uti περὶ στεφάνου Demosthe-

mosthenes τὴν πεπρωμένην, καὶ αὐτόματον θάνατον. Violenter ergo, hoc est, inedia ac mœrore, animam de corpore videbatur extrudere velle Matrona illa Ephesina, ideoque præter Fatum interire dicebatur. Tempestiviter etiam hic Paterculi locum recitabo, itidem prorsus de quibusdam insignibus viris loquentis lib. 2. *Qui, quum sine invidia in republica floruissent, eminuissentque sine periculo, Quieta, aut certe Non præcipitata, Fatali ante initium bellorum civilium Morte functi sunt.* Nec abludit Tacitus lib. 2. Annal. de Rege Archelao: *Finem vitæ sponte, an Fato, implevit.* Inde jam patet, cur scilicet illos, quibus de vita sic exire contingeret, *Mortem non suam* obire, Antiqui adfirmarent. Suetonius in Cæsaris ultimo capite: *Percussorum autem fere, neque triennio quisquam amplius supervixit, neque Sua Morte defunctus est.* Nobis Hispanis id etiam familiare, *No morira su muerte.* Quod locutionis genus & Græcis non defuit, hacce utique non dubio doctrina fretis. plane Eustathius lib. 7. De Ismen. & Ismen. Amor. Insignis enim locus est, ubi puella cum Ismenia suo periclitatur in mari: Οὕτω μὲν ἐν ἡμῖν, καὶ πρὸ τοῦ θανάτου συναποθνήσκομεν, καὶ τὰς ψυχὰς ἤδη μεταδιδάζομεν. *Sic igitur & nos Ante Mortem morimur, & animas ipsas ad inferos transmittimus.* Id Virgilio, supra adducto loco vers. 697. est, *Ante diem perire.* Violenta autem isthæc animæ eductio valde & ab antiquissimis Sapientibus interdicta. Zoroaster Magorum princeps sic in Carminibus, quæ Oraculorum adpellatione decorantur, præcepisse jam olim mortalibus videtur: Μὴ ἐξάξῃς, ἵνα μὴ ἴξιόν τι ἔχῃ τι. *Ne educas animam, ne exiens è corpore habeat aliquid periculi.* quod Psellus, & Plethon, Scholiis in ipsa Oracula, latius prosequuntur, plenius vero Plotinus Ennead. 1. lib. 9 Plato etiam in Phædone eleganter rem disputat sub Socratis persona, & Philolai Pythagorei suffragio retinendam sententiam subfulcit.

Vis tu revivisce exstinctum?] Arbitri hic patefacit mentem illa D. Pauli sententia ad Corinth 1. Epist. cap. 15. 29. Ἐπεὶ τί ποιήσουσιν οἱ βαπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, εἰ ὅλως νεκροὶ οὐκ ἐγείρονται. *Aliequin quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Ubi, *Baptizari*, adfligi est, ut SS. edocent Patres, observavitque Joan. Gagnæjus.

Vis, discusso muliebri errore, &c.] In antiquioribus vulgaribus legitur, *Visne, discusso, &c.* unde deesse aliquid animadvertitur tale, *Ergo, Jam*, isto modo, *Vis ergo, discusso, &c.* vel, *Vis jam, discusso, &c.* quod exigere omnino videtur illarum Interrogationum diversa natura.

Vivere.] Inficetissimus sane illorum genius, qui, *Bibere*, hic reponere contendunt, totis viribus Petronio reluctante. Ne autem illud somniarent, vel hocce, quod proxime præit, satis evinceret: *Ipsum te jacentis corpus admonere debet, ut Vivas.* Quid ergo, quum subdit? *Quibus blanditiis impetraverat miles, ut matrona Vivere vellet, iisdem etiam, &c.* Sic & Martialis lib. 11. Ep. 72.

Vir rogat, ut Vivat.

Unice vero Tacitus lib. 15. Annal. ad mentem Petronii ait, de Senecæ uxore, quæ pariter etiam Vivere cogebatur, *Blandimentis Vitæ evictam* fuisse.

Sicca.] Supra de hoc verbo ad illud cap. LXXXII.

——— *Et Sicco concoquit ore famem.*

Commentum id vide.

Cap. CXII. *Caterum scitis, quid tentare plerumque soleat humanam satietatem.*] Dicit Euripides apud Athenæum lib. 6.

Ἐν πλησμονῇτι Κύπρις, ἐν πεινῶντι δ' ᾗ.

Saturo Venus adest, famelico nequaquam adest.

Et lib. 1. Dipnosoph. cujusdam Distichi eadem est sententia:

Ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις, &c.

Saturis Venus adest.

Et omnino vere,

Ἐν τῇ κενῇ γαστρὶ τῶν καλῶν ἔρως
Οὐκ ἔστι πεινῶσιν γὰρ ἡ Κύπρις πικρά.

Nam ventri inani non inest formarum amor.
Amara Venus est, dira quos premit fames.

Qua nuptias fecerunt.] *Nuptias* hic dictum de venereo concubitu. sic & cap. XXV. *Plaudentibus ergo universis, & postulantibus, Nuptias Fecerunt.* Auctor Rhet. ad Herenn. 4. videtur locutionis rationem reddere: *Translatio obscœnitatis vitandæ: Cujus mater quotidianis Nuptiis delectatur.* Usurparunt & plures alii. Congessit testimonia plura Alb. Gentilis lib. 2. de Nuptiis cap. 3. & de verbo *Nubere* non pauca; unde ortum, quod *Verba Nupta*, pro impudicis, & obscœnis acciperentur, quod vulgare est. Eodem pertinet, quod libido paullo constantior, unoque amore contenta, *Matrimonium* Ciceroni dicatur Philip. 2. Item, quod *Dos* meretricum captura. Et quod desertus amator *Viduus* vocetur. Ac denique, quod *Divortium* dicta sit amantium divisio, quod observavit ad Martialem Gruterus, à quo & poterunt peti abunde testimonia.

Supremoque mandaverunt officio.] Hoc est, justa solverunt. Id vocatum *Supremum Officium*, & *Officium* ἁπλῶς. Ipsus Arbiter cap. CXVI. *Hoc peracto* (In Lycam) *libenter Officio, destinatum carpimus iter.* Sic quoque facetissimus Martialis lib. 8. Ep. 57. quod de Picente est, qui, quum tridens esset, eosque tandem dentes secundum tumulum exspuisset, conlegit miser, inibique ipsus humavit:

Ossa licet quondam defuncti non legat heres,
Hoc sibi jam Picens præstitit Officium.

Sed hocce de vitæ exodio. Protasis quoque celebritatem, hoc est, diei natalis, pariter & *Officium* adpellarunt Antiqui. Ipsus Valerius lib. 11. Ep. 66.

Lucis ad Officium, quæ tibi prima fuit.

Sed alias plenius de variis *Officiorum* generibus.

At miles, dum residet.] Germanum illud est Plauti Captiveis 3. 1. 8.

Itaque venter gutturque Residunt.

Hic periodum ex MSS. ponit Gruterus, dictumque illud esse videtur per jocum de ventre guttureque

quiescentibus ab edendo, & bibendo, cessantibusque. Sed nihil est, an *Residet* in Petronio legas, *Desidetve*. Utrumque plane significant à rebus agendis supersedere.

Veritus supplicium] Quodnam scilicet? silent Interpretes. Mihi enim jampridem lubuit inquirere. Talionis puto pœna illa, sive Supplicium, fuit, hoc est, ut in crucem substitueretur custos ignavus ac delusus. Mire enim moribus Græcorum id Supplicii conveniens est, apud quos & alia quondam viguerunt similia, Custodum vero cadaverum potissimum. Belle de Thessalis defunctis Appulejus lib. 2. Fabulæ asini, quibus propter sagarum demorsicationes & Custodes, ut paullo ante ajebam, adhibiti: *Ehem*, &, *quod pene prætervehram, si qui* (custos) *non integrum corpus mane restituerit, quidquid inde decerptum, diminutumque fuerit, id omne de facie sua defectum sarcire compellitur.* Innuit & Supplicii acerbitatem desperatio illa militis: *Nec se exspectaturum judicis sententiam, sed gladio jus dicturum ignaviæ suæ.*

Locum.] Morticinum ac sepulcrale verbum etiam *Locus*. Vetus monumentum Tibure inter alia:

HVNC. LOCVM. VTI. ME. VIVA.
DETERMINAVI.

Et passim similes Tituli. Pro eodem *Locus* & *Conditorium* usurpantur, uti & interdum *Arca*. Disertim Petronius addit: *Et fatale Conditorium familiari, ac viro faceret.* & post pauca: *Jubet corpus mariti sui tolli ex Arca.* Inde etiam *Loculi* vocati *Loci* illi. Plinius lib. 7. cap. 2. Quum de Pyrrhi Regis pollice in dextro pede loquitur: *Quem cremari cum reliquo corpore non potuisse, tradunt, conditumque Loculo in templo.* Symphosius interpres Historiæ Apollonii Tyrii: *Pro meritis fabricant Loculum ex ære collato,* & *scripserunt*, &c. Paulus Diaconus *Locellum* nuncupavit in Narsete: *Cujus corpus positum in Locello plumbeo cum omnibus ejusdem divitiis Constantinopolim est perlatum.* Inde *Loculatus*, sepulcro conditus dicitur S. Zenoni Martyri in sermone De Lazaro. Etiam, *Capulus*, pro eodem invenitur. Appulejus lib. 10. Milesi. *Ecce pater suus ipse manibus cooperculo Capuli remoto*, &c. & aliis in locis. Dedit & Gutherius imaginem jam id genus *Locorum* in de Jure Manium 2. quem vide. puto & pridem Gruterus. Præterea *Loculus* Antiquis non solum Arca, qua defuncti conditi, sed etiam Feretrum, quo elati. Fulgentius de Prisco serm. *Sandapilam Antiqui dici voluerunt feretrum mortuorum: id est, Loculum, non, in quo nobilium corpora, sed in quo plebejorum, atque damnatorum, cadavera portantur.* Unde haud inepte conligere est, ipsimet Arcis & sæpius portatos, uti apud nos Capulis, quos, *Ataudes*, vocamus, & portantur mortui, & conduntur.

Isset in crucem.] Sic infra loquitur cap. CXXXVII. *Si magistratus hoc scierit, Ibis in crucem.*

Cap. CXIII. *Erubescente non mediocriter Tryphæna, vultumque suum super cervicem*, &c.] Hunc locum infra opportune inlustramus ad verba cap. CXXXI. *Ramum super oculos meos posuit*, &c. illum locum adi.

Expilatumque libidinosa migratione navigium.] Vide quæ hic notat doctis Scioppius Symbolis suis: nam, præter quam quod callentissime locum ibi interpretatus est, commode viam quoque præmuniunt rebus non paucis, quæ inferius à nobis sparsim observandæ sunt.

Concinnabat spoliatum crinibus vultum.] Verus iste amoris characterismus est, indiciumque non leve. Ejus & supra jam Arbiter insigne specimen præbuit cap. XVIII. verbis illis: *Hilarior post hanc pollicitationem facta mulier basiavit me spissius,* & *ex lacrumis in risum mota descendentes ab aure capillos meos dentata manu duxit.* ubi nos opportuna adduximus.

Fœderis novi.] Hoc est, gratiæ amorisque denuo coëuntis, inter Tryphænam, & Gitonem.

Sed obliquis oculis.] Sic, *Oculo Obliquo*, dixit Horatius Ep. 14. lib. 1.

Non istic Obliquo Oculo mea commoda quisquam
Limat.

Et, *Invido*, interpretatur recte Porphyrio. Unde *Invidia* dea est apud Ovidium lib. 2. Metamorph.

——— *Obliquo Lumine cernens.*

Contra Oculus *irretortus* Horatio rectus est, non obliquus, non invidus Od. 2. lib. 2. *Invidentis* ergo ille gestus est, invidia enim plane laborabat Encolpius. Etiam *Iridentis*. Scholiastes Apollonii Rhodii versum illum 1. Arg. enarrans,

Καὶ μιν ἐπιλλίζων ἠμείβετο κερτομίοισιν,
Ipsumque inridens excepit cavillatoriis.

inquit: Ἐπιλλίζων δὲ τοῖς ὀφθαλμοῖς, ἐπιμωκώμενος. ἐπιλλοὶ γὰρ οἱ στραβοί. *Oculis distortis, sive obliquis, subsannans.* ἐπιλλοὶ enim dicuntur, qui distortis sunt oculis. Item *Irascentis* est. quod & Arbitro mire convenit. inquit enim: *Sed Obliquis Trucibusque oculis utrumque spectabam.* Sic apud nostrum Italicum lib. 2. quidam *Turbidus ira*, & *rabie*:

Obliquos versat materna per ubera visus.

Et apud Claudianum de Bel. Getico Alaricus:

Obliquisque tuens Oculis non pertulit ultra, &c.

Obliquat oculos, quod in Thyeste dixit Seneca Chor. 1. aliud innuit, hoc est, Avertit, sed Act. 4.

——— *Torvum*, & *Obliquum intuens.*

Arbitrum nunc exprimit: *sed Obliquis Trucibusque.* &c.

Tamquam familiarem.] Amicum, adulterum, ut paullo ante cap. præcedenti: *Et fatale conditorium Familiari, ac viro faceret.* Nunc Arbiter ipse interpretatur, quum subdit: *Et aliquando gratum sibi Amatorem.*

Tralatitia propinatione.] Isthæc haud tralatitia olim inter amatorias elegantias deliciasque, nempe prægustatum poculum amatori porrigere, de qua indubie capiendus est nunc Arbiter; itaque supra monuimus ad verba cap. CIX. *Jam Tryphæna Gitona extrema parte potionis spargebat*, ubi largiter egimus de more isto.

In partem voluptatis tentabat admitti, nec domini
super

supercilium.] De Lica fragmentum istud. *Domini Supercilium*, non, ut alibi, *Triste est*, sed superbum. sic & cap. XCI. *Postquam se amari sensit, Supercilium altius sustulit.* Item Seneca lib. 2. de Benef. cap. 4. *At plerique sunt, qui beneficia asperitate verborum, & Supercilio, in odium adducunt; eo sermone usi, ea superbia, ut impetrasse pœniteat.* Ubi *Superbia* ad *Supercilium* refertur, το *eo sermone usi*, ad *Asperitatem verborum.*

Dum ancilla restitans in hæc erupit.] Subleste, ut puto, fidei istud fragmentum Parisinæ editionis, mihi jam supra laudatæ, hic haud importune inseri passi sumus. quod deinceps & aliis condonare, in animo habemus; illis præcipue, quæ prisci sensus nimirum præbeant aliquod, etsi levidense, vestigium. Quod semel hic (nam supra aliis locum usque adhuc non fecimus) Lectorem commonere satis sit, præterquam quod ipsa Characterum differitas signanter abundeque propalet spurium ipsorum genus.

Quam sportam. Si vir fueris non ibis ad spuitam.] Discerpti corporis minuta nescire frusta, quis non fatebitur humano chirurgo fore necessum? Epidaurius igitur adsit cum suis Machaone, & Podalirio illis internoscendis, compingendis, coagmentandis. Nos enim homines sumus, non Dii. Qui aliter periclitantur, monstra spissius progenerant, quam illis procurandis satis sit tota me-Hercules Araspicum disciplina. Testes ipsa sint capita hic lectionum pullulantia, quarum Critico ferro si Bonæ Mentis igniculum addi non patimur, in prolixam, ac malignam segetem productum iri, dubio non sit. Eccilla ergo, quæ in præsentia succurrunt: *Quam sportam, spuriam, scortum:* &, *ibis ad spuitam, spurtam, spinthriam, sportam.* Quibus nugaciissimi polyloquidori sit cumulare deiria.

Et homo dicacissimus carminibus vindicaret.] Ea causa est, quapropter suadet Socrates apud Platonem in Minoë, meritis ac benivolentia gratos Poëtas omnino esse reddendos. sed satius erit, quam me, eumdem audire: Διὸ καὶ σὺ, ὦ βέλτιστε, ἐὰν σωφρονῇς, εὐλαβῇ ἡμᾶς, καὶ ἄλλῳ πῶς ἀνῇ, ὅταν μέλῃ τῷ εὐδοκίμου εἶναι, μηδέποτε ἀπεχθάνεσθαι ἀνδρὶ ποιητικῷ μηδενί. οἱ γὰρ ποιηταὶ μέγα δύνανται εἰς δόξαν, ἐφ' ὁπότερ' ἂν τρέπωνται εἰς τὰς εὐδαίμονας, ὑμνολογοῦντες, ἢ κατηγοροῦντες. *Quam ob causam & tu, ô vir Optime, & unusquisque aliis, cui bona existimatio curæ est, si modo sapitis, diligenter cavere debetis, ne poëticum hominem infensum aliquem habeatis. Poëta quippe vim maximam in utramque partem, & ad laudandum, & ad vituperandum, habent.* Quo item facit illud cap. XCVI. *Maledic illam versibus, ut habeat pudorem.*

Jurat Eumolpus verbis conceptissimis.] Arbiter cap. CXXXIII. *Tetigit puer oculos suos, Conceptissimisque juravit verbis.* Ubique est, Dictatis verbis à deferente jusjurandum. Id Silii Italici est lib. 10.

——— *Dictataque jurant*
Sacramenta Deis ———

Exemplum autem insigne exstat ejuscemodi Jurisjurandi apud Plautum Rudente 5. 3. Sed de his abunde jam Brissonius lib. 8. de Formulis, Cognatus in Adag. & Budæus in adnotat. ad Pandectas.

Cap. CXIV. *Velaque tempestati subducunt.*] *Vela subducere*, nauticum est. Julius Cæsar lib. 4. de Bello Alexandr. *Quod ubi conspexit, celeriter Vela Subduci, demittique antennas, jubet.* Quod itaque factum tunc potissimum, quum ventus pelago irascebatur. Sic etiam Ovidius lib. 11. Metamorph. qui locus sic probe scribendus:

Ardua jam dudum dimittite cornua, rector
Clamat, & antennis totum Subducite Velum.

Postquam spes omnis manifesto evolavit.] Fidem hic Bourdelotio habuimus, ita ex nescio quis MSS. codd. locum reponenti. iccirco necessario duximus, præferendam fore scripturam præ altera haud indecenti, quæ tamen emendatione tantum Franc. Pithoei nitebatur, *Postquam maris æstus convaluit*, in qua etiam & hocce insuper incommodi, quod non scilicet contextus repleretur hiatus.

Supinas porrigit manus.] Quæ *Supinæ Manus*, supra jam patefacimus ad verba cap. XVII. *Protendo igitur ad genua vestra Supinas manus*, quod vide.

Vestem illam divinam.] Ipsius nempe Isidis, cujus indubie simulacrum in puppi navis ei sacræ. Ubi nescio quid ego jam pridem comminiscebar de Peplo illo, cujus apud Lutatium, Statii Scholiastem, mentio verbis istis ad 10. Thebaid. vers. 56. *Peplum est vestis candida, aureis clavis picta, sine manicis, quod simulacris siebat. Sed hoc Peplum primum ab Athenienses institutum, quod matronæ suis manibus faciebant, & inter triennium Numinibus offerebant.* videlicet Minervæ, ut puto, primitus Panathenæis. Et pariter haud incommode Arbitri locum capi posse existimabam de Peplo eo, quem Panathenaica navis, Minervæ adparata, pro velo habebat. de ipso sic Suidas scriptum reliquit: Ἰδίως παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις, πέπλος τὸ ἄρρεσον τῆς παναθηναϊκῆς νεώς· ἣν οἱ Ἀθηναῖοι κατεσκεύαζον τῇ Ἀθηνᾷ διὰ τετραετηρίας. *Apud Athenienses Peplus proprie dicebatur velum Panathenaicæ navis, quam Athenienses quarto quoque anno instruebant Minervæ.* & Philostratus lib. 2. de vit. Sophist. in Herode. Καινὸν περὶ τῶν Παναθηναίων τούτων ἤκουον, πέπλον μὲν ἀνῆφθαι τῆς νεὼς ἰδίᾳ γραφῆς σὺν ἔριῳ τῷ κάλπῃ δραμεῖν δὲ τὴν νῆα ἀχ' ὑπεζυγίαν ἀγόντων. *Illa de Panathenæis audivi, velum è navi esse suspensum, jucundius pictura cum sinu prospero, navimque, nullis trahentibus jumentis, incurrisse.* Nec ea illa Minerva reluctabitur, abhorrebitque ab hocce cum Isidis commercio. Multiplex namque Isidis numen quondam habitum, eaque propter *deorum ei, dearumque faciem uniformem* dedit Appulejus; ipsamque *multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo, totus venerabatur orbis.* quo facit & MYRIONYMA ISIS, in titulo marmoreo; & illud alibi laudatum, UNA QUÆ ES OMNIA DEA ISIS. Unde & ad illam pertinere Simulacrum illud, quod in De Dea Syria describit Lucianus, licet animadvertere. Ejus

verba

verba sunt: Καὶ τὰ ξύμπαντα, ἀτεχνῶς λόγῳ, Ἥρη ἐστί: ἔχει δέ τι καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Σελήνης, καὶ Ῥέης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ Μοιρῶν. *Nam in universum quidem, quod vere dixeris, Juno est: caterum habet quippiam & MINERVÆ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemesis, & Parcarum.* Exsertim autem apud eumdem Appulejum de se ipsa Isis magnifice profatur: *Hinc Autochthones ATTICI me Cecropiam MINERVAM nominant.* Nec tempore consecrationis Navigia illa differre, constabit conferenti. De Isiaco ita ipse Milesiarum Scriptor: *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, aterna mihi nuncupavit religio: quo, sedatis hibernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, navigabili jam pelago, rudem dedicantes carinam, primitias commeatuum libant mei sacerdotes.* De Palladio vero sic in Ciri Virgilius:

Quum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere cursum.

Quod signanter de parissima anni tempestate suscepit Turnebus lib. 28. Adversar. cap. 5. quum nimirum, hyeme jam exacta, flare incipit Favonius, ac mare, quod ante clausum erat, aperitur, incipitque navigatio exerceri. Præterea pretiosum plane fuit & Velum illud, ac plures in eo erant intertextæ picturæ, acuque varia Palladis exprimebantur facinora, ut Virgilius opere laudato ostendit, ac plures, quos in Panathenæis retulit Meursius cap. 28. Nec diversum ab eo prorsus fuit Velum Isiacum, in quo (*carbasum* Appulejus appellat) & litteræ intextæ agnoscuntur, *Votique* navigii rationem reddentes. Sed forte inquis, obstare nostro Commento, quo minus ejusdem numinis sit utrumque navigium, quod Isidis singulis annis redderetur pelago, Panathenaicum vero, quod proprio veluti jure sibi vindicat Peplum, quinto tantum anno, hoc est, Majoribus Panathenæis. Sed me Hercules, inquam ego, perridiculum est, diversis in regionibus velle, licet *Unicum Numen* sit, ut ait Appulejus, quum id tamen sub diversis nominibus colatur, ejusdem & ipsimet prorsus ritus exactissime serventur. Quod quamquam satis superque foret delicatissimo scrupulo removendo, proferam insuper disertum mihi testem, qui Minoribus Panathenæis, hoc est, quotannis, aperte prodat, solitum Peplum deduci. Is est Scholiastes Aristophanis, in hunc modum adfirmans in Equitibus: Ἐπισκευάζετο ἐν ὁ πέπλος καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, καὶ ἐπομπεύετο ἐν τοῖς Παναθηναίοις. *Conficiebatur igitur quotannis Peplus, & in Panathenæis deducebatur.* Si vera ergo isthæc mens Arbitri fuit, tunc enim καταχρηστικῶς *Divinam vestem* vocavit velum illud pretiosum, Isidique consecratum.

Sistrumque.] Vel hinc Scioppii opinationi accederet non leve tutamen, nam Isis olim Sistrum in dextra gerens effingebatur, pariterque ejusdem Sacerdotes ipsum in pompa gestabant, quatiebantque, unde dicti *Sistrati*. Formam autem ejus ex Appulei descriptione licet intelligere lib. 11. ubi Isidem è mari emergentem depingit floridissime: *Nam dextera quidem ferebat æreum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajecta media paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem.* Mirifice enim isthæc descriptio cum Sistri imagine convenit, quæ apud Gruterum est, Inscriptionum in Opere pag. 82. num. 3. & 4. tu confer, & Sistri Antiquorum formam penitissime percipies. Materiam vero nec minus clare præbebit ipsus Madaurensis Scriptor ibid. *Magnæ religionis terrena sidera, aveis, & argenteis, immo vero aureis etiam, Sistris argutum tinnitum constrepentes.* Haud igitur Encolpio *Sistrum* quoque præda contemnenda, quum suspicari proclive sit, neutiquam Navigio Isidis, *Muneribus largis*, ut inquit Appulejus, onusto, Aurea, Argenteaque Sistra defuisse. Itaque nihil jam mirum, si paullo post incontanter polliceatur, *Numos in præsentem* illum *usum Deum Matrem pro fide sua reddituram.* quorum mentem verborum nos suo loco explicamus.

Redde navigio.] Cave autem confundas Navigium illud, quod expilatum fuisse prodidit Licas cap. præced. cum hocce, de quo nunc sermo, diversa quippe plane sunt, ut ex dictis sat constat, hocce viri Tarentini est, illud Isidis erat. Religione vero haud prorsus absimilia fuere; Licæ namque istud sacrum erat Minervæ, ut ex ejus Tutela jam vidimus, quod Numen cum Isíde promiscuum.

Et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit, repetitumque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit.] Non sine horrido religionis respectu hocce prolatum à Petronio, qui plusquam anili superstitione imbutum exhibet sese toto in Satyrico. Tale ejus ingenium fuit, qui istiusmodi deorum originationem mortalibus adseruit in fragmentis.

Primus in orbe deos fecit timor.

Repetendum ergo illud cap. cvi. ut clareat Commentum: *Ita vide ut profit*, verba Licæ sunt, *illis ignosci, quos ad pœnam ipse Deus deduxit. Quod ad me attinet, non sum crudelis, SED VEREOR NE, QUOD RE MISERO, PATIAR.*

Repetitumque infesto gurgite procella circumegit, atque hausit.] Vortice, sive marina vertigine, Licam haustum, Arbiter innuit, nam, ut Quinctilianus inquit lib. 8. cap. 2. *Vortex est contorta in se aqua, vel quidquid aliud similiter vertitur.* Τυφῶν Græcis dicitur, *præcipua navigantium pestis*, Plinio Auctore lib. 2. cap 48. Vide ut transferat D. August. lib. 4. Confess. cap. 14. Hinc veram Originationem duco vocis nostræ, nemini usque adhuc animadversam. Cincinnulos nempe ante aures dependulos, ingenioque suo, vel arte, anulatim contortos, circumactosque pari ratione non dubio, *Typhos*, vocamus. Ast elegantem insuper Silii nostri imaginem adpingo parissimæ Vertiginis, de flumine canentis Druentia lib. 3.

——— *Correpta sub armis*
Corpora multa virûm spumanti Vertice Torquens
Immersit fundo.

Et

Et ultimum hoc gaudium, fatis properantibus, rape.] Epicurea isthæc παραινεσις est, quæ pluribus adeo Antiquorum adrisit, ut eo potissimum scilicet, quod in vicinia mortis essent constituti, largiuscule genio indulgendum esse, existimarent. Eadem Anacreontis mens in istis versiculis.

Ἐγὼ δὲ τὰς κόμας μὲν,
Εἰτ' ἴσον, εἰτ' ἀπόλλυσι,
Οὐκ οἶδα· τοῦτο δ' οἶδα,
Ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον
Πρέπει τὰ τερπνὰ παίζειν,
Ὅσῳ πέλας τὰ μοίρης.

At, an comæ superstent,
Defluxerint an omnes,
Hoc nescio; sed illud
Certo scio, decere
Senem, hoc magis vacare
Amoribus, jocisque,
Quo mors magis propinquat.

Ea causa ergo est, quod *Ultima* illa *Gaudia* velut *Rapi* viderentur. Plane hic Petronius, & planius adhuc Martialis lib. 7. Ep 46.

Vive velut Rapto, Fugitivaque Gaudia carpe.

Item, quod illæ, quæ Rapiuntur, Voluptates gratiores interdum judicentur. Exin Leander sic apud Ovidium Boream adfatur in Epistola ad Heronem:

GAUDIA RAPTURO si quis tibi claudere vellet
Aërios aditus, quo paterere modo?

Plinius itidem, *Rapere vitam*, pro deliciosissime ætatem exigere, dixit lib. 14. cap. 22. De potantibus loquens in venientem usque diem: *Rapere se ita Vitam prædicant, quum priorem diem quotidie perdant, immo vero & venientem.*

Fatis properantibus.] Itidem est in priscis Marmoribus: FATIS URGENTIBUS. *Properare* tamen *fatum*, dictum de illo antiquis Scriptoribus invenio, qui, quum esset in mortis vicinia constitutus, ipsam quasi accersere videtur. Sic Seneca Tragicus in Hercule Furente:

Quid juvat durum Properare Fatum.

Ovidius Halieutico:

——— *Atque suo Properat sibi robore Fatum.*

Etiam & ipsa *Fata Properare* dicebantur, uti nunc Arbitro, pariter ac Lapidi veteri:

HEIC VIRIDIS ÆTAS CUM FLORERET ARTIBVS,
CRESCENTI ET ÆVO GLORIAM CONSCENDERET,
PROPERAVIT HORA TRISTIS FATALIS MEA.

Festinata itidem *Fata* Martiali sunt Epig. 88. lib. 9.

Festinata sui gemeret quum Fata Severi
Silius.

Contra Horatius de Mæcenate ab inclementia Saturni Jovis benignitate servato lib. 2. Carm. 17. dixit:

——— *Volucrisque Fati*
Tardavit alas.

Meaque tunica contectus.] En quod cap. XI. *Vestis contubernium* vocavit. ubi nos ejus consortii plusculæ exempla congessimus.

Exseruit ad osculum caput.] Id est, ad os rejecit usque tunicam à capite, qua totus erat contectus. *Osculum* parvum os est, nam diminitivum ab Ore. sic de ipso Gitonis ore infra cap. CXXVII. *Ex cujus Osculo pendes?* Elegans vox est, elegantioribusque Scriptoribus haud infrequens. Pluries ea utitur Petronius, nec abfuit in emendatissimæ illa Circes descriptione cap. CXXVI. *Osculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Plene vero in nostra Sirene. Sic Plinius etiam lib. XXVIII. cap. 2. *In adorando dexteram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus,* Id Appulejus ita in Apologia protulit: *Adorandi gratia manum labris admovere.* Hinc ergo disces, quanta Martialis proprietate locutus, quum labia sive Labella puellæ septennis *Oscula* adpellavit lib. 11. Ep. 92.

Ipsaque crudeles ederunt Oscula morbi,
Nec data sunt nigris tota Labella rogis.

Eadem ratione & Cælius Aurelianus Medicus lib. 5. Tardar. Pass. cap. 6. *Osculum vesicæ*, dixit, pluresque usurparunt alii. Ast postea pro Savio crebriter sumtum fuit *Osculum*, uti vicissim *Savium* pro Ore parvo, elegantique. Plautus Rudente Act. 2. sc. 2.

——— *Tum quæ indoles in Savio est?*

Sic & Appulejus lib. 3. Metamorph. & Virg. in Catal.

Aut prætereas aliquis tralatitia humanitate lapidabit.] Inhumanum quippe prorsus habitum, inhumatum corpus præterire, quod sæpius repetitum, vulgoque notum: caussæ non item. Plures ego invenio, itaque conligo, & refero. Prima vulgatior est, ab Homeroque petita, ac non semel, ut puto, ab ejus interpretibus, Virgiliique, qui ab ipso mutuatus est, in librumque 6. Divini operis transcripsit, memorata. Animas enim eorum, qui sepulti non erant, Charon portitor transmittere non quiverat, sed vagari credebantur in ripa, ac diris interea modis misere torqueri. Plane hoc ex Homero constat lib. 23. Iliad. ubi dormientem Achillem adloquitur Patrocli anima. Virgilius autem pluries tetigit, apertius vero 6. lib. quum ad Æneam profatur Sibylla:

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba est. &c.

Addam insuper & Heliodori locum elegantem ex lib. 11. pag. 67. Ed. Bourdel. pluresque prætermittam ob fastidium. Verba Theagenis sunt, vocem Charicliæ animam defunctæ errantem esse, suspicantis: Ὀδὲ οὐδὲν ταραχθεὶς ὑπήκουσέ τε, καὶ ἧξω, φιλτάτη ψυχὴ, ἐλεγεν. ἐνδηλος εἰ περὶ γῆν ἔτι φερομένη. τὸ μὲν διότι τοιούτῳ σώματι, ἃ πρὸς ὕλαν ἐξηλάθης, ἀποσατεῖν ἀ φέρουσα. τὸ δὲ, διὰ τὸ ἄταφον ἴσως ὑπὸ νεκυομαν ἐιδώλων ἐμγομένη. *Ille autem nil territus audivit, & Veniam, carissima anima, dicebat. Manifestum prabes argumentum, te adhuc supra terram ferri: partim quod à tali corpore, ex quo per vim expulsa es, discedere sine molestia non possis: partim quod, quia sepulta non es, fortassis ab infernæ-*

fernalibus umbris arcearis. Sed de cauſſa iſthac ſatis. Aliam vero prodidit Onoſander Strategici cap. 36. quæ potiſſimum ad Imperatores ſpectat, qui tam gnaviter olim defunctorum corpora ſepulturæ mandarunt: Ὁσία μὲν γὰρ καὶ ἡ πρὸς τοὺς ἀποιχομένους ἐυσέβεια, ἀναγκαία δὲ καὶ ἡ πρὸς τοὺς ζῶντας ἀπόδειξις. ἵνας γὰρ τῶν σωμάτων ὡς αὐτὸς ἀμελήσωμεν, εἰ πιστὸν ἴσχοι, παρ' ὀφθαλμοὺς ὁρᾶν τὴν τύχην, καὶ ὑπὲρ τοῦ μέλλοντος καταμαντευόμεθα, ὡς * δὴ αὐτὸς * ἑ τεθνηκὼς ταφησόμενος, ἐπαχθὲς φέρει τὸν ἀτύμβευτον ὕδρα. *Sancta enim hæc, & religioſa circa eos, qui ſic abierunt, pietas eſt, ejuſque neceſſaria inter ſuperſtites demonſtratio. Etenim unuſquiſque militum ſibi ante oculos ponit, eodem modo ſe, ſi forte in bello ceciderit, ludibrio deſpectuique fore; & inſepultum ſe remanſurum præſagiens, mortis honore carere, non ferendam putat contumeliam.* Aliam & Seneca in fragmentis: *Non enim defunctorum cauſſa, ſed vivorum, inventa eſt ſepultura; ut corpora, & viſu & odore fœda amoverentur; alios terra obruit, alios flamma conſumſit, alios lapis oſſa redditurus incluſit. Non defunctis, ſed noſtris oculis parcimus.* Verum enim vero, *Humana conditionis conſortium eſt*, quæ potior mihi religioſæ illius neceſſitudinis cauſſa ſemper fuit viſa, exindeque obortum, ut, illud officium exhibere, adpelletur *Humanitas.* Quum cadaver enim inſpicimus, noſtrum neceſſario ineluctabile fatum refricatur; itaque propritim noſtræ videmur ſorti conſulere, quum alteri nimirum illam præſtamus pietatem, cujus & feræ non raro mira ſpecimina præbuere. De Elephantis ſic Ælianus lib. 5. de animal. tradidit cap. 49. Ὅτι ἂν ἐλέφαντα θεασάμενοι ἐλέφας νεκρὸν, ἐκ μὲν πολλοῦ μὲν τῇ προσοσκαίῃ γῇ ἀρυσάμενοι καὶ ἐπιξαλὸν ὄχθον τινὰ ἀποίητον ὑπὲρ τῆς κοινῆς φύσεως τιθῶν, καὶ φεύγων αὖ. ἔοικε γὰρ τὸ μὴ θρᾶσαι τοῦτο ἐναγὲς. *Elephantus, quum alterum perſpexerit mortuum, non præterit, quin humum proboſcide hauſtam, veluti ſanctam, & myſticam quandam ceremoniam, injiciat. COMMUNEM NATURAM miſeratus mortuo parentant, ut ne aliquid impie committat: nam, hoc quidem ipſum non facere, execrabile ducit.* Ideo, *Juſta perſolvere*, jure id Antiqui vocarunt, quippe redderetur enim ſic, quod neceſſario Communi Naturæ deberi videbatur. Curtius ita lib. 4. loquitur: *Alexander corpori uxoris ejus Juſtis Perſolutis*, &c. D. Ambroſius in laudatione Theodoſii: *Theodoſio Patri Juſta Perſolvit.* Ac plures alii.

Tralatitia humanitate] Inhumanitate vero non tralatitia lectionem hanc ſollicitant, qui ſcribere tentant, *Tralatitia humatione.* ubi jam, *Lapidabit*, abundaret. Adluſit in *Tralatitia* ad genus funeris, *Tralatitium* vocatum, quod ἀδιάφορον erat, & perfunctorie exhibitum, ceu *Lapidatio* eſt. de illo Kirchmannus lib. 1. de Funer. Rom. cap. 4. & Gutherius lib. 1. de Jure Manium cap. 20.

Iratis etiam fluctibus imprudens arena componet.] Explicat Quinctilianus Declam. 6. *Corporis projecti: Non ſepelies? vide, quæſo, ne, dum litigas, ARENAM FLUCTUS AGGERET.* Plura ibidem opportuna.

Patior ego vinculum extremum.] Adluſit etiam hic dubio procul ad morem veterum, quibus, morti nimirum proximos amplecti, conſuetum. Cic. Orat. 5. in Verrem: *Matreſque miſeræ pernoctabant ad oſtium carceris, ab Extremo Complexu liberum excluſæ.* Hocce Romanis in uſu fuiſſe notarunt jam alii. Obſervo ego itidem & Græcis. Theagenes ſic apud Heliodorum deflet Charicliam lib. 2. pag. 63. dum defunctam eſſe autumat: Προσαφήκηταί μι καὶ τὰ τελευταῖα περιζαλεῖν ἰσχάτων φιλημάτων, καὶ ἀφύχων ἀπεστερῆθαι. *Erepta eſt mihi facultas Extremi complexus: ultimiſque oſculis & examinibus orbatus ſum.* Juvant plane & ſequentia Commentum: *Et veluti lecto funebri aptatus, &c.*

Veluti lecto funebri,] Propritim, nam pheretri genus *Lectica* & *Lectus*; honeſtiorum tamen cadaverum. Seneca P. lib. 6. Cont. 6. *Verſæ ſunt in exſequias nuptiæ, genialiſque Lectus mutatus in funebrem.* Propertius *Mortiferum* vocavit lib. 3. El. 13.

Namque ubi Mortifero jacta eſt fax ultima Lecto.

Et ſæpius alias. Sic & *Torus* uſurpatur paſſim. ipſe Elegiographus lib. 2. El. 13.

Nec ſit in Attalico mors mea nixa Toro,

Ovid. lib. 8. Metam. Virgilius, plures.

Exſpecto mortem jam non moleſtam.] Immo potius, juxta Ethnicorum errorem longe turpiſſimum, exoptandam maxime. Enimvero animam in amatoriis amplexibus exhalare, ut ſummum videlicet bonum à ſuis diis impetrabant olim. Sic exſertim de Pindaro, Græcorum Lyricorum principe memoriæ prodidit Heſychius Mileſius: Πίνδαρος ὁ Λυρικὸς ἀπήτησε τὸ κάλλιστον αὐτῷ δοθῆναι τῶν ἐν τῷ βίῳ, ἀθρόον ἀπόθανεν ἐν θεάτρῳ, ἀναπαλιμπτώσας εἰς τὰ τῆς ἰφιμέδους αὐτοῦ Θεοξένης γόνατα. *Pindarus Lyricus precatus deos, ut quod in vita maxime optandum ſit, ſibi darent, in theatro repentina morte exſtinctus eſt, reclivi capite ſuper amaſii Theoxenis genua.* Quod ipſum tradiderunt Suidas, & Valerius Maximus.

Cap. CXV. *Audimus murmur inſolitum.*] Sic Fulgentius lib. de Virgiliana Continentia: *Nam ecce ad me etiam ipſe* (Virgilius) *Aſcræi ſontis bracteamento ſaturior advenit; quales vatum imagines eſſe ſolent, dum, adſumtis ad opus conficiendum tabulis, ſtupida fronte arcanum quoddam latranti intrinſecus tractu Submurmurant.* Hunc locum pridem Wouwerius laudavit, & Bourdelotius noviſſime; nihilominus tamen nos etiam exſcripſimus, ut ejus inveterato morbo (laborat enim inſigni) medicas adhiberemus manus. Ineptiſſimo, immo nullo, ſenſu, *Latranti intrinſecus tractu*, omnes editi retinent. tu ſcribe, *Rictu*, quæ mira loco illi vox, & ingenio Scriptoris, & Scripti adpoſitiſſima. Emendatio, libere dicam, certiſſima eſt; pariterque, me hic eſſe de fide Plagiarii mei vehementer ſuſpectum.

Et ſub diuta Magiſtri.] De *Diatis*, ſive *Zetis* multi. Apud nullum autem Petronii Interpretem memoria de Navium Diætis, de quibus nunc Arbitro noſtro ſermo. Inſigne vero exemplum eſt, quod de Hieronis

nis navi profert Athenæus lib. 5. Dipnosoph. In ipsa enim Ἦσαν διαῖται τε τριάκοντα τοῖς ἀνδράσι, τριάκοντα τὸ πλῆθος. *Diætæ erant numero triginta viriles quatuor lectis stratæ*, præter plures nautarum. Dicebantur, quibus & Diætarum custodia erat commissa, exinde *Diatarii*. Sic Ulpianus l. 12. §. 42. D. de Instruct. vel instrum. leg. *Sunt quidam in Navibus, qui custodiæ gratia Navibus præponuntur. ut* Ναυφύλακες, *& Diatarii*. Ceterum, ut inquit Ovidius:

Carmina secessum scribentis, & otia quærunt.

Et Phædrus de Simonide illustri Poëta:

Victoris laudem cuidam Pyctæ ut scriberet,
——— ——— *Secretum petit.*

Unde apte jam igitur, si inter Navis strepitus, secessum quæsiverit Eumolpus. nam, ut recte dixit Horatius lib. 2. Ep. 2.

Tu me inter strepitus nocturnos, atque diurnos,
Vis canere, & contracta sequi vestigia vatum?

Quasi cupientis exire belluæ gemitum.] Ut prorsus spuriam rejiciendam esse lectionem istam, censebat Frid. Lindenbruchius, & ejus loco substituendam, *Quasi rugientis ex ira belluæ gemitum.* perperam, & omnino edita scriptura retineri debet. Imprudentibus namque murmur illud poëticum genitus belluæ alicubi clausæ videbatur, ac proinde exire cupientis.

Persequuti igitur sonum.] Summa cum elegantia expressit hoc Valerius Flaccus, de Alcide & Telamone loquens in Argon. lib. 11. vers. 454.

Adtoniti pressere gradum: vacuumque Sequuntur
Vocis iter: jam certa sonat, &c.

Sic Virgilius de Polyphemo cæcutiente, inter undasque auditu classis Trojanæ cursum captante lib. 3. Æneid. vers. 669.

Sensit, & ad sonitum vocis vestigia torsit.

Plautus item Rudente Act. 1. sc. 4. 21.

Consequamur gradu vocem. ubi es?

Membranæque ingenti versus ingerentem.] Videtur nunc Arbiter exprimere voluisse totum poëtam illum in eo poëmatio conficiendo. Licet fortasse haud incommode locus possit intelligi de ipso in mundum jam referente versus illos ex ceratis tabellis, ut palimpsesto, ubi prius notarat, ac deleverat, quæ displiciussent. Moris namque illud fuit atrocis stili scriptoribus, in tabulis nempe ceratis, quæ facile deleri poterant, tunc primum, quum opera meditabantur, tumultuario scribere. Exinde postea, quando nimirum erant in lucem proferenda, efferre in membranas, quæ plane mundo erant aptiores. Totum hocce perspicue docet Horatius principio Sat. 3. lib. 2.

Sic raro scribis, ut toto non quater anno
Membranam poscas, scriptorum quæque retexens,
Iratus tibi, quod vini somnique benignus
Nil dignum sermone canas, &c.

Unde & Catullo illuxit Torrentius Carm. 22.

Puto esse ego illi millia, aut decem aut plura,
Perscripta: nec sic, ut fit, in palimpsesto
Relata; Charta regia, novi libri,
Novi umbilici, lora rubra, Membrana
Directa plumbo, &c.

Fallitur autem omnino, qui de librorum tegmine hunc cepit locum. notissimum enim nobis est, quid *Membrana directa plumbo*, quando & pueris auxilio simileis sunt primas litteras formantibus. Habuere præterea & Poëtæ antiqui ad parietes, & grabatorum pluteos, ceratas tabellas, in quas, confestim ac offerrentur, repentinas effunderent commentationes, ne laberentur memoria. Quod Horatius ibidem docet, & alii, quos jam olim in adversariis congesseram. Recte autem, me Hercules, excogitatum illud, lecti quippe meditationibus poëticis gratum sæpe præbuere secessum. Ea mens Ovidii est 3. de Arte, nescio an alicubi notarint quantum est Criticorum:

Nec nos ambitio, nec nos amor urget habendi:
Contempto colitur Lectus & umbra foro.

Itemque Persii Sat. 1. 120.

Nec Pluteum cedit, &c.

Ast Pluteus aptissimus denique dicto jam usui, quippe qui tabula erecta erat ad unum latus lecti cubicularis, nam ad alterum sponda nuda erat. Aperte hocce ex Martiale conligitur Epig. 91. lib. 3.

Exciduntque senem, Sponda qui parte jacebat,
Namque puer Pluteo vindice Tutus erat.

Ad cujus illustrationem nimis quam adpositum est illud Veteris Interpretis Persii ad Satyr. 1. *Sponda est exterior pars Lecti, Pluteus interior.*

Mirati ergo, quod illi vacaret in vicinia mortis poëma facere.] Graphice & hic prurientium Poëtarum ingenium repræsentat, ubi & Ovidii vere poëticum signanter effinxisse, illum ob oculos tenens, quum hæc scriberet Arbiter, facile probabitur illi, qui vel primoribus labris delibaverit tantum ejus Tristium libros. Confer nunc inter alios huncce parissimum locum lib 1. El. 10.

Littera, quacumque est toto tibi lecta libello,
Est mihi sollicito tempore facta viæ.
Aut hæc me, gelido tremerem quum mense Decembri,
Scribentem mediis Adria vidit aquis.
Aut, postquam bimarem cursu superavimus Isthmon,
Alteraque est nostræ sumta carina fugæ.
Quod facerem versus inter fera murmura ponti,
Cycladas Ægæas obstupuisse puto.
Ipse ego nunc miror, tantis animique marisque
Fluctibus ingenium non cecidisse meum.
Seu stupor hunc studio, sive est insania nomen:
Omnis ab hac cura mens relevata mea est.
Sæpe ego nimbosis dubius jactabar ab Hædis:
Sæpe minax Sterepes sidere pontus erat.
Fuscabatque diem custos Erymanthidos Ursæ:
Aut Hyadas seris hauserat Auster aquis
Sæpe maris pars intus erat: tamen ipse trementi
Carmina ducebam qualiacumque manu.

Orcam mugientem.] *Orcam*, aut *Poëtam*, mugientem potius est indubie, quam *Porcam*. Porcis namque ullis nemo unquam Mugitum dedit. *Quirritare*

ipsorum proprium est, & *Grunnire*, Auctore Ovidio, sive quisquis ille est Auctor Philomelæ: etiam *Grundire*, Claudio lib. 15. Annal. & Juvenal. Sat. 15. Quod autem editio illa Parisiensis, sæpius laudata, hic addit, *mugientem, cui & adjungatur freneticus*, nihili prorsus faciendum. eique fragmenticulo ideo pepercimus.

Utcumque curati tristissimam exegimus noctem.] Parissimus est Plinii Junioris locus, cui & suppetiatum venit nunc Arbiter, ut veram tandem lectionem tueri possit Ep. 2. lib. 6. *Curatis Utcumque corporibus, suspensam dubiamque Noctem spe ac metu Exegimus.* In nonnullis editionibus male, *Mentem*, legitur. Rursus Petronius cap. XXVI. similiter locutus: *Abjecti in lectis sine Metu reliquam Exegimus Noctem.*

Viventibus oculis.] Hæc est antiqua scriptura, & Vulgatior, quapropter & pluris habenda. *Viventibus* ergo, hoc est, vividis, & adtente acuteque intuentibus. Plures vario scripserunt, *niventibus, diligentibus, liventibus, nictantibus.* ast, si mutationi locus, principem sibi vendicaret indubitanter, *Humentibus.* Sic Ovidius II. Metam. vers. 463. locutus:

——— *Sustulit ille*
Humentes oculos. ———

ac plures alii. Inde & contrarium memorabile quoque Scriptoribus Antiquis, uti Papinio in Epicedio Patris:

Nunc etiam labente manu, nunc Lumine Sicco.

Hæc vota magnarum cogitationum.] Sic *Vota* supra usurpavit cap. XCIV. *Eumolpe, jam malo vel carminibus loquaris, quam ejusmodi tibi Vota proponas.* Bona illa videlicet sunt, quæ sibi promittunt homines, animoque concipiunt. Hispani vocant *Intentos, Propositos.* Tota autem isthæc est, (quod semel hic moneam) Paræneticа ad tyrannum Principem suum declamatio, apta vero sub impotente Lica simulatione. Plane enim, ut ipsam proxime premeret, illa addidit: *sed non sola mortalibus maria hanc fidem præstant, Illum* &c.

En homo quemadmodum natat.] Supinus indubie, ex doctrina Plinii cap. 7. lib. 17. Magni Operis: *Virorum cadavera supina fluitare, feminarum prona: velut pudori defunctarum parcente natura.* Idem etiam Solinus cap. Polyhistoris 5. Et Arbiter id innuere videtur, quum agnitum Licam Encolpio inquit, simulac ad terram cadaver adplicuit: *Adhuc tamquam ignotum deflebam, quum inviolatum os*, &c. Cur autem post quid temporis cadavera aquis innarent, quæsierunt plures. tu vero inprimis adi Cardanum de Variet. lib. 8. cap. 44. Et Lemnium de Miraculis naturæ cap. 6. lib. 2.

Adhuc tamquam ignotum deflebam, quum inviolatum os fluctus convertit in terram.] Germanus Ovidii locus de re gemina germana, nimirum de fluitante Ceyce II. Metamorph. vers. 719.

Quis foret ignorans, quia naufragus, omine mota est.
Et TAMQUAM IGNOTO LACRIMAS DARET, *Heu miser, inquit,*
Quisquis es, & siqua est coniux tibi! Fluctibus actum
Fit propius corpus, &c.

Non tenui igitur diutius lacrimas.] Parissime supra cap. XXIV. *Non tenui ego diutius lacrimas.* Addo insuper, & istud fulcimento esse supra *Humentibus oculis*, nam, quum leviter Encolpii animum misera tetigisset naufragi fortuna, humentibus tantum oculis maris fidem quiverat inspicere; minime vero, quum Licam esse cognovit: immo lacrimas largiter effudisse, nunc Arbiter inquit,

Ubi iracundia tua, ubi impotentia tua?] Utrumque etiam Boëtius conjunxit inlustri illa sententia Met. 4. lib. 1. de Consolat.

Nec speres aliquid, nec extimescas;
Exarmaveris Impotentis Iram.

Culte admodum ad maria transtulit Catullus elegantissimo Phaseli carmine:

Et inde tot per Impotentia freta
Herum tulisse.

Ast apud Valerium Maximum lib. 9. *de Superbia & Impotentia* Caput est, ubi plura continentur exempla.

Ite nunc, &c.] Εἰρωνικῶς hocce dictum est, non παραινετικῶς. qui figuratus loquendi modus Mystis purioris idiomatis haud olim infrequens. Sic apud Ovidium Dejanira Herculem adloquitur in Heroid.

I nunc, tolle animos, & fortia facta recense.

Sic & Juvenalis Sat. 6.

I nunc, & dubita, qua sorbeat aëra fanna
Tullia.

Et sententia illa inlustri Sat. 12. vers. 57. quam, quod & materiæ opportuna est, refero libens:

I nunc, & ventis animam committe, dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quattuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Ita & alias, nec non & plures alii.

Patrimonii sui rationes inspexit.] Seneca Consol. ad Helviam cap. 10. de Apicio famoso gulone inquit: *Quum sestertium millies in culinam congessisset, quum tot congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal, singulis comessationibus hausisset, ære alieno oppressus Rationes suas tunc primum coactus Inspexit.* Hispanis inde, *La cuenta, y Raçon*, dicitur.

Illum diis vota reddentem Penatum suorum ruina spelit.] Sex fratrum prorsus videtur fatum designare, qui, quum domum ex longa peregrinatione belloque rediissent, ædium lapsu obruti sunt, vota, uti suspicari omnino consentaneum est, Diis Tutelaribus reddentes. Eventus enim insignis Titulus exstat, quem quod supra cap. CXI. integrum exscripsimus, nunc tantum, quæ huc spectant, excerpere visum est.

QVAE (Mater) HOC ME CONDO MONIMENTO
NE OBRVTIS DOMVS LAPSV FILIIS SEX
QVOS P. SCIPIO PATRIIS
CAMERTIBVS A SALO ET LIBYA
INCOLVMES RESTITVERAT
IN DESOLATA ORBITATE SVPERSIM.

Ille vehiculo lapsus properantem spiritum excussit.] Elegans

gans Monumentum antiquum in vinea Julii III. Pont. Max. hocce teſtatur:

AEMILIA FELICITAS PIA
VIXIT ANNIS XXXV. EX HIS
PERTVLIT CUM AEMILIO
PARNASO ANNOS Ñ XXIII.
PEREGRINATIONIBVS
VARIIS ET CREBRIS FIDE
ADFECTIONE INCOMPARA
BILI HAEC VEHICVLO
EVERSA VIA HOSTIENSI
III. KAL. FEBR. OBIIT.
HVNC TITVLVM
POSVERVNT
L. AEMILIVS PARNASVS
MARITVS EIVS ET IVNIVS
NICERO FRATER EIVS.

At enim fluctibus obruto non contingit ſepultura.] Hinc jam de multiplici cadaverum ſepultura ſermo eſt, quum modum Arbiter fecerit mortis generibus. injuria tamen Interpretes confundunt. Aſt locus iſte amplectitur utrumque, & interitus acerbum genus, & inhumanum ſepulturæ. De utroque ergo audi ſententiam Ciceron. in Tuſc. Quæſt. lib. 1. cap. XLIV. *Exſecratur luculentis ſane verſibus apud Ennium Thyeſtes, primum ut naufragio pereat Atreus. durum hoc ſane: talis enim interitus non eſt ſine gravi ſenſu. Illa inania:*

——— *Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis,*
Eviſceratus, latere pendens, ſaxa ſpargens tabo,
Sanie, & ſanguine atro.

Non ipſa ſaxa magis ſenſu omni vacabunt, quam ille latere pendens. Idem quoque ſenſerunt alii. Sic Vegetius lib. 5. de Re Milit. *Inter tanta tamen mortium genera, qui acerbiſſimus caſus eſt, abſumenda piſcibus inſepulta ſunt corpora.* Idemmet Ovidio animus eſt lib. 1. Triſt. El. 2. aliiſque non paucis. Non vulgaris vero ratio eſt, cur videlicet in aquis interire vehementer ex Antiquis nonnulli formidarunt; ipſamque ex Homeri ſchola profluxiſſe, adſerit Syneſius Epiſtola ad Euoptium fratrem. Animam ignem eſſe, credebant. ſic apud Varronem Zenon Citieus ſentit lib. 4. LL. *Animalium ſemen ignis, qui Anima, & mens.* Ea propter exſtingui inter undas & Anima credebatur, ipſoſque admodum & corporis terrebat, & animæ interitus. Perſpicue Syneſius rem aperit: locum ideo, etſi longiuſculum, non gravabor adſcribere: Ἐμὲ δὲ ἐν τοῖς δεινοῖς, ὁμνυμί σοι θεὸν, ὃν φιλοσοφία περσέβεται, τὸ Ὁμηρικὸν ἔδεισεν ἐκεῖνο, μὴ ἄρα ἀληθὲς ἴη, τὸν καθ' ὕδατος θάνατον ὀλεθρον εἶναι καὶ αὐτῆς τῆς ψυχῆς. λέγει γάρ ἐστι ὅπου τῶν ἐπῶν.

Αἴας δ' ἐξαπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἅλμυρον ὕδωρ.

Τὸν ἐν θαλάττῃ ἀκείρεσιν ἀπώλειαν εἶναι τιθέμενος. ὡδέ πω γοῦν ἄλλον ἐξαπολωλέναι φησὶν, ἀλλ' ἑκάστου ἀποθνήσκων,

——— ἄϊδος δ' ἔσσυτο θυμός.

Ταῦτ' ἄρα καὶ ἐν δυοῖν νεκύοιν ὁ μικρὸς Αἴας ἐδάμη τῷ ἐάματος ἐστυγήκατο, ὡς τῆς ψυχῆς ἐκ ὕστης ἐν ὕδατι. καὶ Ἀχιλλεὺς, ἀνὴρ ἐυψυχότατος τε καὶ φιλοκινδυνότατος, ἀποδειλιᾷ πρὸς τὸν ἐν ὕδατι θάνατον, οἶγε καὶ λευγαλέον καλεῖ. τέτυκε ἐλίτεσθαι τὸς λογισμούς, ὁρῶ τὸς σφετέρους ἅπαντας ἐσπασμένους μαχαίρας καὶ πυθόμενος ἐμάνθανον παρ' αὐτῶν, ὡς καλὸν ἐπὶ τῷ καταστρώματος ὄντας ἐστι, πρὸς τὸν ἀέρα τὴν ψυχὴν ἐρυγεῖν. *Me vero in hiſce malis, juro tibi per deum illum, quem Philoſophia veneratur, Homericum illud terrefaciebat; ne ſorte verum eſſet, mortem ſub aqua animæ quoque interitum eſſe. dicit enim aliquo poematis loco:*

Interiit ſalſas Ajax quando ebibit undas.

Mortem in mari exitium eſſe acerbiſſimum, ſignificans. Nullum enim alium, ait, interiiſſe; ſed unuſquiſque moriens:

——— *Migravit ad Orcum.*

Adeoque duabus inferiis minor Ajax nuſquam tota fabula introducitur, quaſi ipſius apud inferos anima non exſiſtat. Et Achilles animi vir exceſſiſſimi, & ad pericula ſubeunda projectiſſimi, mortem in aqua perhorreſcit, quam & pernicioſam vocat. Has ego verſans cogitationes, video milites omnes ſtringentes gladios: percontatuſque ex ipſis didici, Optimum eſſe, dum adhuc in ſoris conſiſtant, animam in auras eructare. Ceterum ſepulturam plures parvi fecerunt. unus nobis pro multis Seneca ſit, qui inſuper Virgilium addit ſibi ſuffragatorem in Fortuit. Remed. *Inſepultus jacebis; quid aliud reſpondeam, quam illud Maronis?*

——— *Facilis jactura ſepulcri.*

Si nihil ſentio, non pertinet ad me jactura corporis inſepulti: ſi ſentio, omnis ſepultura tormentum eſt.

An mora.] Nec *naturalem mortem* hic Arbiter intellexit, nec *Mire* loco τῷ *Mora* ſcripſit, uti voluerunt Docti. *Fluctuum* quippe jam memor fuit, nuncque de ſepulturæ, uti jam diximus, non mortium, differentiis agit. Docuit autem me, quæ iſthæc Petronii *Mora*, Seneca meus gemino germano operis laudati loco: *Quid intereſt, Ignis me, an Fera conſumat, an TEMPUS omnium ſepultura?* Idem & Epiſt. 93. innuit illis verbis: *Quem ſævitia projecerit, DIES condet.* Traho & huc Mæcenatis verſiculum:

Nec tumulum curo, ſepelit Natura relictos.

Plane vero in Octavio Minutius: *Quaſi non omne corpus, etſi flammis ſubtrahatur, ANNIS tamen, & ÆTATIBUS, in terram reſolvatur.*

Quicquid feceris, omnia hac eadem ventura ſunt.] Scilicet, ut corpus poſſint ſic penitus conſumere, ut nihil ex ipſo jam reliquum ſit, vel levis nimirum pulviſculus. Unde jam vera conſtat inductio. *Ergo nihil intereſt, quæ ratio perituram corpus conſumat*, ſive Ignis, ſive Fluctus, ſive Tempus ſit.

Fera tamen corpus lacerabunt, tanquam melius ignis accipiat.] Ipſiſſimum de hac re Epicureorum æque, atque Stoicorum, Cynicorumque, fuit quondam placitum. Petronius, ac Seneca plane ſunt utrorumque ſecutulei. Itidem Diogenes Cynici chori Præcentor, haud ſine joco, more ſuo, ac lepore apud Ciceronem in 1. Tuſculanar. c. XLIII. *Durior Diogenes, & id quidem ſentiens,*

tiens, sed ut Cynicus asperius, projici se jussit inhumatum. tum amici, Volucribusne, & feris? Minime vero, inquit; sed bacillum prope me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi: non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti? Vulgo tamen Ignis præ aliis expetitus, & semicombustio adhuc prælata. Isthæc Ciceronis mens obscuro in loco Ibidem. cap. XLIV.

——— *Prius quam Feræ, volucresque.*

Metuit (Poëta ille, ex quo ipsi testimonia prolata Camerarius facit Pacuvii) *ne laceratis membris minus bene utatur. ne combustis non extimescit:*

Heu reliquias semiassi Regis, denudatis ossibus,
Per terram sanie delibutas fœde divexarier.

Rogus conlatus.] Antiqua hæc lectio. Ast, nescio ex quis MSS. & editionibus inrepsit in nuperam Bourdelotii *Conlectus*. Hactenus equidem uspiam non reperi. *Rogus* est lignorum strues, sive congeries, ad comburendum cadaver constructa, *Pyra* etiam vocata, quia in pyræ modum surgebat. *Exstructionem lignorum* appellat Servius. Numum Gutherus habet lib. 1. Jure Man. cap. 26. unde hoc claret, Rogique forma ediscitur. Sæpe tamen in modum *Aræ* constructus. Servius ad illud 6. Ædeid.

——— *Aramque sepulcri,*

Inquit: *Pyram dicit, quæ in modum Aræ construi lignis solebat.* quod jam & Kirchmanno late observatum in Funeribus.

Cap. CXVI. *Destinatum carpimus iter.*] *Carpere* verbum multiplicis usus. nos de illo alibi egimus. Nunc vero *Iter* proprie *Carpi* dicitur, quod ambulando minuitur, ut Lana apud Plautum nendo. Sic Menæchmis 5. 2. 46.

Inter ancillas sedere jubeas, Lanam Carpere.

Et Virgilius 4. Georg.

——— *Milesia vellera Nympha*
Carpebant.

Unde, qui Plautum emendatum ivit, potius ivit perditum. Sic *Carpere pedibus terras, viam; remis pontum*, dictum Ovidio, Propertio, aliis. Sed de his mirum, si non dictum jam aliis.

Crotona esse cognovimus.] Croton Tyrrheniæ urbs est, auctore Stephano. Sed in Satyrico simulata omnia, itidemque illa civitas, sub cujus nomine Romam Arbiter intelligit, & sub narratiunculis ejus mores repræsentat.

Non frugalitas, sanctique mores, laudibus ad fructum perveniunt.] Sensus est, quod, quum Frugalitas, sanctique mores apud Crotoniatas Laudi non sint, minime etiam, qui ipsas virtutes colunt, præmiis, aut honoribus, remunerantur. *Fructum* pro præmiis passim usurpant Scriptores. Cicero: *Repetere officii Præmium, & Fructum.* Sive aliter, *Ad fructum*, id est, ad summam perfectionem ipsæ Virtutes, contemti quippe cultores, nor perveniunt.

In hac urbe nemo liberos tollit, quia quisquis suos heredes habet, nec ad cenas, nec ad spectacula, admittitur.] Juvenalis Sat. 6. vers. 29.

——— *Tollere dulcem*
Cogitat heredem, cæsurus turture magno,
Mullorumque jubis, & captatore maligno.

Et Ammianus Marcellinus lib. 14. *Nec credi potest, qua obsequiorum diversitate coluntur homines sine liberis Romæ.* Ita in Eumolpum heredipetæ certatim munenera congerunt cap. CXXIV. Observo tamen, Principem olim heredem nuncupatum ab illis etiam, qui filios haberent. Sic Tacitus in vita Julii Agricolæ cap. 43. *Satis constabat, lecto testamento, quo Coheredem optimæ uxori, & piissimæ filiæ, Domitianum scripsit, lætatum eum, velut honore judicioque.* Adrianus vero, Spartiano auctore ejus vit. cap. XVIII. *Ignotorum hereditates repudiavit; nec notorum accepit, si filios haberent.* Et Antoninus Pius, Capitolino ejus vita cap. VIII. *Hereditates eorum, qui filios habebant, repudiavit.* Idemque refert de Pertinace in ejus vita cap. VII.

Nemo liberos tollit.] Dictum hoc ex prisco ritu, nam infans humi deponebatur, simul ac in lucem editus, exinque *Tollere* patris munus erat, auctore Donato ad illud Andriæ Terentii 3. 1. 6.

Nam quod peperisset, jussit Tolli.

Eos vero, quos nollent alere, vario exponebant. Sed de his institutis abunde multi, Pareus autem plene in Elect. Plaut. licet oblitus Arbitri sit, apud ipsumque Expositorum liberorum causæ, quæ scilicet, ut parentes ab heredipetis captarentur. ille autem plures recenset.

Tanquam in pestilentia campos, &c.] Non vulgare hocce est, quod hic profert Petronius, quum placitum potius fuerit Medicorum veterum, cadavera nempe peste exstinctorum ab alitibus ut plurimum non adtingi, minime vero vulture, & corvo. Sic Livius docet, pestem quandam describens Dec. 5. lib. 1. *Cadavera intacta à canibus & Vulturibus tabes absumebat.* Et Thucydides de peste Athenensium: τὰ γὰρ ὄρνεα, καὶ τετράποδα, ὅσα ἀνθρώπων ἅπτεται, πολλῶν ἀτάφων γιγνομένων ἢ οὐ προσήει, &c. *Aves enim, & quadrupedes, quæcunque hominum carnes adtingunt, quum multa essent insepulta cadavera, vel ad ea non accedebant, &c.* Quæ eadem omnino ratio est cadaverum veneno sublatorum, præcipue, inquam, si à serpentibus fuerint demorsa. De ictis à Basiliseo sic Nicander cecinit in Theriaca vers. 405.

Οὐδέ τις αὐτὸν οἰωνὸς ὑπὲρ νέκυν ἴχνια τύπτει,
Αἰγύπτιοι, γῦπές τε, κόρυξ τ' ὀμβρήσια κράζων,
Οὐδὲ μὲν ἐστατὶ φῦλ' ἀνομάζεται ἠπητὶ θηρῶν
Δαίνυνται, τοῖσιν πὶξ αὐτμὴ δεινὸν ἐφίκῃ.

Vertit noster Jacobus Steve Medicus eruditus:

Nulla rapax animas audet tractare cadaver;
Non aquila, aut Vultur, non Corvus nuncius imbris,
Nec, quotquot montes lustrant armenta ferarum,
Gustabunt carnes, tanta est violentia odoris.

Quod sane eo magis mirum est, quod Phile de ipsis prodit versibus illis:

Πλὴν

Πλὴν μαντικὴν ἔχουσιν οἱ γῦπες φύσει.
Καὶ γὰρ συνειδήμοσι τοῖς μαχιμίοις,
Τῶν σωμάτων ἐλπίδι πεπεμένων τότε.
Μεμήνασι δὲ τῇ φορᾷ τῶν λειψάνων.
Sed quis futuri præscios ipsos neget?
Quod expeditos prosequuntur milites,
Præsentione stragis, atque corporum
Bello jacentum conciti improba fame,

Et Plinius lib. 10. cap. 6. Hist. Natur. triduo ante, aut biduo, volare, ubi cadavera futura sunt.

Aut corvi, qui lacerant.] Ab Horatio mutuabor loco isti clarorem, vicissimque ab Arbitro mutuabitur sibi Poëta ille Venusinus Sat. 5. lib. 2. quum, captatorem delusum ab astuto divite Corano, vellet indicare:

——— *Plerumque recoctus*
Scriba ex quinqueviro CORVUM deludit hiantem,
Captatorque dabit risus Nasica Corano.

Nam qui ad apologum ducunt Vulpis, & Corvi, mirifice ineptiunt. Ibi enim potius Vulpes Captator est, & Corvus Captatur. Eadem ratione sæpius vetustis Scriptoribus heredipetæ captatores *Vultures* vocantur. pariter namque ab Corvis & Vulturibus depascuntur cadavera; quocirca *Animata sepulcra* illos nuncupavit Gorgias Leontinus apud Dionysium Longinum περὶ ὕψους.

Cap. CXVII. *Genusque divinationis.*] Veterem scripturam retinui, quæ vel sensu ipso præferenda. *Genus Divinationis*, hoc est, apotheosis, & in cœlum abeundi, me interprete; uti supra de uxore Trimalcionis, felicissima muliere, quæ numos modio metiebatur: *nec quid, nec quare, In Cœlum abiit*, ubi plura Interpretes de similibus Felicitatis proverbialibus formulis, & nos haud semel opere in isto. *Divinum* fieri, tollique in cœlum, de beatis, ac summe felicibus, usurpatum olim. Emendationis autem argutia, *Divitationis*, in cœlum quoque merito efferenda.

Vestis rapina comes.] Vestis nimirum illa divina, cujus cap. CXIV. jam meminit, quum Licas precabatur Encolpion, vellet tandem navigio restituere; nam ob ejus rapinam suspicabatur, horribili omnes tempestate jactari. *Et, tu, inquit, Encolpi, succurre periclitantibus, id est, Vestem illam divinam, sistrumque, redde navigio.*

Et quicquid Lycurgi villa, &c.] Lycurgi hujus uspiam Satyrici memoria rursus non est; nam longe diversus ille, de quo cap. LXXXIII. mentio, ut ibi jam lectorem prænonuimus, ac pluribus ibidem de utroque loqui uit opportunum.

Nam numos in præsentem usum Deûm Matrem pro sede sua redditurum.] Isis, cujus numen multiplex Prisci habitum, & *Deûm Mater* adpellata non semel. sic Appulejus lib. 11. Metam. *Me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant Deûm Matrem.* Sed multis supra hocce persequimur. nunc autem innuit Petronius, quod si prædam ac manubias Isiaci Navigii vendidissent, neutiquam mimo componendo potesse pecuniam defore.

Si negotiatio placet.] *Negotiari* est, quod Græcis τραπεύεσθαι, & τραπεύειν, verba à Latino *Tractare* detorta. & in constitutionibus Græcis Imperatorum passim occurrit vox Τραπεζιτῶν, hoc est, *Tractantium*, sive, *Negotiatorum*. Quod Scaliger F. ad Festum, & Vulcanius ad vetera Glossaria, observarunt jam olim. exin quoque verba nostra aperte duxere originationem, *tratar, tratantes*, &, *la casa dela contratacion*, ubi negotia Indica Hispali tractantur. Ita & *Negotiatores* Romanis erant, qui nobis hodie, *Hombres de Negocios*, dicuntur. Juvat & illud D. Isidori lib. 18. cap. 15. *Negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrentur.* Ludit ergo opportune senex, nam astus ille plane est Captatorum. Unde & sententia legentium *genusque Divitationis*, &c. haud leviter adseritur.

In verba Eumolpi juravimus.] Id est. Eumolpo præeunte; sive, ut Priscianus lib. 18. formulam eam interpretatur, *Quomodo illis dictaret* Eumolpus. Sic Horatius Epod. 15.

Quum te magnorum numen læsura deorum
In Verba Jurabas mea.

Et Tacitus lib. 1. Histor. *Sext. Pompejus, & Sext. Apulejus COSS. primi in verba Tiberii Cæsaris Juravere.* Suetonius item, Seneca, Plures. Idem erat, *Conceptis verbis jurare*, ut suo loco dicimus. & *Verbis præire*, ut ibidem Priscianus.

Uri, vinciri, (verberari,) ferroque necari.] Verba sunt auctoramenti gladiatorii, quod notum libenter vero spuriam vocem expungerem, *verberari*, quæ glossema indubie sapit, interpretamentumque scioli fuit ad marginem adpictum verbi *vinciri*, posteaque ab imperito librario in contextum receptum. Inibi enim *vinciri*, pro Verberari, usurpabant Veteres, quod ita equidem testimoniis evinco. Divinus Seneca inhumanum gladiatorum munus insectans Epist. 7. inquit: *Tu quid meruisti, miser, ut hoc spectes? Occide, Ure, VERBERA.* quod Epistol. 37. protulit ut Arbiter verbotenus: *Eadem honestissimi hujus, & illius turpissimi auctoramenti verba sunt, Uri, VINCIRI, ferroque necari.* Epistol. autem 71. pari translatione accepit *adligari*, uti Vinciri, scilicet pro Verberari, idemmet plane auctoramenti respiciens: *Quid miraris, si Uri, Occidi, ADLIGARI juvat?* Aperiam tamen translationis rationem, ut fides Commento nostro clarior, ac certior constet. Virgis olim Romani verberabant nocentes, eoque delumtæ, quæ tenues flexilesque forent; quapropter, uti fasces Lictorum ut plurimum ex betulla confectæ, ut Plinius tradit lib. 16. cap. 18. Circumvinciri ergo, adligarique quodammodo corpora viderentur Virgis illis, quum cæderentur, quod exsertim nobis enunciavit Plautus in Rudente 3. 4. 27.

Quasi Marteta juncis, item ego vos VIRGIS CIRCUMVINCIAM. Cui & id mirifice facit S. Isidori lib. 5. Orig. cap. 27. *Virga si nodosa est, vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia Arcuato vulnere in corpus insigitur.*

Juve-

Juvenem ingentis spei.] Id est, de quo omnes spem ingentem conceperant. venustissima locutio est. sic Cicero Philipp. 2. *Patri persuasi, ut as alienum dissolveret: redimeret adolescentem summa Spe & animi & ingenii praditum.* Et in Orat. *Adolescens, non tam re & voluntate, quam Spe & exspectatione laudatus.* Etiam Appulejus in Apologia: *Nemo est hodie, quantum opinio fert, alicujus in eloquentia laudis ac Spei.* Parissime & nos usurpamus: *Un mancebo de grandes esperanzas.*

Ideoque de civitate sua miserrimum senem exisse, ne, aut clientes, sodalesque filii sui, aut sepulcrum quotidie causam lacrymarum cerneret.] Eadem prorsus occasione exsul apud Heliodorum Charicles, patriam, ille amissa filia, reliquit, & varias errabundus regiones peragravit. sic ipsusmet lib. 2. profatur: Ὑπεξάγω δὲ τῆς ἐνεγκούσης, καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς οἰκίας ἀποδιδράσκω. Μέγα γὰρ εἰς λήθην κακῶν ἡ δὶ ὀφθαλμῶν τῆς ψυχῆς ὑπόμνησις ἀμαυρουμένη. *Expello vero me patria clam, & solitudinem domus procul fugio. Magnum est enim adjumentum ad oblivionem malorum recordatio animi, oculorum amotione, obscurata.* Parissimo & D. Augustinus usus remedio, quum vitam cum morte commutasset amicus, quem unice diligebat. Sic lib. 4. Confess. cap. 7. inquit: *Et tamen fugi de patria. Minus enim eum quærebant oculi mei, ubi videre non solebant; atque à Tagastensi oppido veni Carthaginem.* Unde optime Phædrus lib. 1.

Habere in Africa trecenties sestertium fundis, &c.] Opes haud contemnendæ, nam septingentorum & quinquaginta millium Philippæorum summam conficiunt. Et recte ait, *fundis in Africa*, nam plures ibi agri feracissimi, adeo, ut si Romæ annona deficeret, exinde peteretur. Plures Antiquorum tradidere, vide autem Claudianum de Bello Gildonico, & Symmachum lib. 3. Ep. 55. & lib. 4. Ep. 54.

Nominibusque.] Creditores Kalendariis suis Debitorum Nomina inferebant, summa insuper creditæ pecuniæ addita. Inde *Nominis* adpellatione omnis obligationis contractusque debitorum venit significatio. Unde Furius Bibaculus jocum haud inficetum petivit eleganti Epigrammate, quod, pluribus aliis omissis, lubentes referimus:

Catonis modo, Galle, Tusculanum
Tota Creditor urbe venditabat.
Mirati sumus, unicum Magistrum,
Summum Grammaticum, optimum Poëtam,
Omnes solvere posse quæstiones;
Unum difficile expedire Nomen.
En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

In Nominibus ergo pecuniam habere omnino erat, quod Hispani, *Endeudas, en obligaciones*, dicunt. cui ex antica opponebatur, *Pecuniam Numeratam habere*, &, *In numerato*, Hisp. *de contado.* plane Cicero 5. in Verrem. *Ille clamare, quum caperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisisse: Pecuniam sibi esse in Nominibus: Numeratam in Præsentia non habere.* Unde & Petronii loca sumunt splendorem, pacta videlicet Licæ recensentis cap. CIX. *Nisi pro quaque re PRÆSENTES NUMERAVERIS denarios centum.* Et iterum eodem capite. *Pro singulis injuriis NUMERABIS PRÆSENTES denarios ducentos.* Hinc & Augustus venustam transtulit locutionem, quum L. Vinitium Oratorem eximium *Ingenium in Numerato habere* dixit, quia quicquid longa cogitatio aliis præstabat, præsto illi adesset prima animi duntaxat intentione.

Ut plurimum tussiat.] Apte, ut Capratoribus foret vicinæ mortis indicium. Ideo & Maronillæ nuptiæ valde apud Martialem expetitæ lib. 1. Ep. 11.

Petit Gemellus nuptias Maronillæ,
Et cupit, & instat, & precatur, & donat.
Adeone pulcra est? immo fœdius nil est,
Quid ergo in illa petitur, & placet? Tussit.

Tussientes enim proximos esse morti, omnino credebant. sic ipsus Valerius Ep. 26. lib. 2.

Quod querulum spirat, quod acerbum Navia Tussit;
Inque suos mittit sputa subinde sinus.
Jam te rem factam, Bithynice, credis habere?
Erras, blanditur Navia, non moritur.

Et lib. 5. Ep. 41. quod totam hancce scenam Petronianam adpositissime omnium inlustrat.

Solutioris stomachi.] An hic frequentem vomitum innuit? inquit Cornelius Celsus lib. 1. cap. 8. *Stomachum autem infirmum indicant, pallor, macies, præcordiorum dolor, Nausea, & nolentium Vomitus.* An Stomachi Solutionem illam, ῥευματισμὸν Græcis adpellatam? Inquit namque Cælius Aurelianus lib. 3. De morbis diuturnis cap. 2. *At si Solutio fuerit stomachi, quam Rheumatismum vocaverunt, sequitur salivarum fluor, & quibusdam jugis sputus, & oris humectatio nauseabilis.* Quæ adfectiones Tussi, sed *Humectæ* puta, cujus & nunc meminit, haud prorsus absonæ sunt; & mire consonant ciborum aversioni, quam subdit: *Ciboque omnes palam damnet.* quod & argute accipiendum de delicatissimi palati divite. Quisquis autem morbus sit Solutioris Stomachi, Senecæ enim coæta. nei Scriptoris sententiam manifestariam Arbiter circumvolvit, dum cap. 7. De brevitate vitæ in hunc modum quærit ille fine fine laudandus: *Quot* (dies abstulit) *ille ad irritandam avaritiam captantium simulatus ager?*

Fundosque mendaces.] Horatius lib. 3. Carm. 1.

Fundusque Mendax.

Ubi vetus Commentator: *Infructuosus, quia agricolæ spem nil ferendo deceperit.* Suadent ergo, quod loquatur Eumolpus *fundos mendaces, & perpetuam terrarum sterilitatem.* quod dubium an sumendum sit de agris in Africa simulatis, ut commode sic caussari poterat, pecuniam exin haud properanter ideo non adferri, sive de illis Crotoniatarum, Romanorumve, apud quos diversabatur: uti eorum damnatio aliorum absentium plane induceret ubertatem ingentem.

Tabulasque testamenti omnibus diebus *renovet.*] Sic retinui-

retinuimus, ut lacunula expleretur. *Renovet*, id est, Resignet: nam hocce Testatori permissum, legataque permutare, ac novos heredes instituere per l. 29. D. Qui testamenta fac. poss. Inde *Primæ & Ultimæ Cæræ* vocatæ, quæ priorem & extremam Testatoris continerent voluntatem. Astus vero ille creber olim fuit orbis divitibus, uti & priscis Scriptoribus ejus exagitatio.

Et, nequid scenæ deesset.] Placidus in Glossis MS. *Scena vocatur compositio alicujus criminis, quæ digna sit agi in theatro exclamationibus tragicis.* sic locum emendavi alias corruptissimum. Inde pro fraudibus ac technis usurpata *Scena* invenitur passim apud Auctores antiquos. Quinctilianus lib. 6. cap. 1. *Discutiendæ tamen oratione hujusmodi scenæ.* Appulejus: *Scenam propudiosæ mulieris patefecit.* & plures alii. Unde & lectio illa cap. XXXIII. valide fulcitur: *Convertit ad hanc Scenam vultum Trimalcio.* pariterque supra hoc capite *utinam quidem sufficeret largior Scena.*

Precati deos viam ingredimur.] Quosnam videlicet? an *Semitales*, ut pote qui iter quamprimum facturi? haud sane indecenter. Virgilius sic de Mulione in Catalectis:

Neque ulla vota Semitalibus deis
Sibi esse facta.

Erant *Mercurius*, & *Hecate*. Pariter etiam possent & *Viales Lares*, de quibus ista Arnobius lib 3. *Possumus, si videtur, summatim aliquid de Laribus Dicere, quos arbitratur vulgus Vicorum atque Itinerum deos esse.* Plautus Mercatore Act 5. scen. 2. quum Charinus ad viam se adcingit:

——— *Invoco*
Vos, Lares Viales, ut me bene juvetis.

Hercules erat Romanis Vialis. Festus: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratia, Herculi, aut Sanco, qui scilicet idem est deus.* Quapropter in ædiculis Herculis Culinæ erant, ad quas peregre abituri sacrificabant. patet ex illa Herculis Saxani inscriptione toties ab Eruditis repetita, & quam videre est apud Gruterum magno antiquitatis in penu pag. 49. 3. Credo Romæ & *Mercurium* coluisse peregrinantes. Vide Scalig. F. ad Catal. Virg. pag. 241.

Corax detrectator ministerii.] Frequens olim famulorum querela de iniquis ponderibus: nam jumentorum vice eis utebantur iter facientes. *Gangabas* eos Persæ vocabant, testante Curtio lib. 3. Histor. Inde & Comicis Græcis sæpius risus petitus in suis Fabulis, quum inducebatur servus, qui præ onere clamaret, Θλίβομαι, Πάσχομαι. Conligitur plane ex Aristophane, dum Bacchum introducit in Ranarum principio inculcatam toties querimoniam fastidientem: ubi & ceteros insectari Comœdiarum Scriptores, haud dubium est:

Εἰπω τι τῶν ἰωθότων, ὦ δέσποτα,
Ἐφ' οἷς ἀεὶ γελῶσιν οἱ θεώμενοι;
Δι. Νὴ τὸν Δί', ὅ, τι βέλτιγε, πλὴν, πάσχομαι!
Τοῦτο δὲ φυλάξαι. πάνυ γάρ ἐσ' ἤδη σχολὴν
Ξανθ. Μὴ δ' ἕτερον ἀστεῖόν τι; Δι. πλὴν γ', ὡς θλίβομαι
Ξανθ. Τί δαί, τὸ πάνυ γέλοιον ἔπα.

Sic vertit Nicodemus Frischlinus:

Loquar ne here usitata, & quorum gratia
Risum subinde edere spectatores solent?
Ba. *Immo ut lubet: modo ne istud proferas, Premor.*
Cave istud dixis: est enim tritum nimis.
Xa. *At neque aliud quiddam urbanum?* Ba. *modo ne Ut premor,*
Cave istboc. Xa. *Quid igitur? annon eloquar quod maxime*
Sit ridiculum? &c.

Iste ergo Mercenarius Eumolpi est, de quo cap. XCIX. mentio: *& Eumolpus quidem mercenarium suum jam olim dormentem exire cum Sarcinis jubet.*

Lapidariam navem.] Alibi nusquam, quod sciam, de Lapidariis hisce Navibus exstat memoria. Illæ autem, me Interprete, haud dubio erant lapidibus nempe marmoribusque ferendis idoneæ, quæ omnium maximæ fuerunt, ex illis scilicet, quæ *Onerariæ* dicuntur. Conligo ex Plinio, quum cap. 1. lib. 36. agens de ingentium marmorum luxuria in hæc verba prorupit: *Evehimus ea, quæ separandis gentibus pro terminis constituta erant: Naveque Marmorum causa fiunt: ac per fluctus, sævissimam rerum naturæ partem, huc illuc portantur juga montium.* & cap. 40. lib. 16. *Abies admirationis præcipuæ visa est in Navi, quæ ex Ægypto, Caji Principis jussu, Obeliscum in Vaticano circo statutum, quatuorque truncos lapidis ejusdem ad sustinendum eum, adduxit: qua Nave nihil admirabilius visum in mari, certum est.* Qualis num ergo ejus foret magnitudo, cui *CXX. M.* modium lentis, etiam Plinii verba sunt, *pro saburra fuere. Longitudo spatium obtinuit magna ex parte Ostiensis portus latere lævo?*

Operas.] Inquit Paulus Jureconsultus l. 1. D. de Oper. Libert. *Operæ sunt diurnum officium*, id est, quæ per singulos dies dantur. Et l. 1. D. de Oper. Serv. *Opera in actu consistit, nec ante in rerum natura est, quam is dies venit, quo præstanda est.* Sed plura de illis Titus Popma libro singulari *de Operis Servorum.*

Et strepitu obscæno.] Id strepitus, observo ego, supra modum oneratis dederunt Scriptores antiqui. Parissime & apud Aristophanem in pari prorsus Ranarum loco, quem supra laudavi, famulus ipsus gravi onere pressus ab hero suo nimis vulgaria fastidiente sic iterum quærit:

Ξανθ. Μὴ δ' ὅτι τοσοῦτον ἄχθος ἐπ' ἐμαυτῷ φέρων
Ἐι μὴ καθαιρήσει τις, ἀποπαρδήσομαι;
Xa. *Neque quod tantum onus in me ipse feram,*
Nisi deposuerit aliquis, pedam?

Ceterum illum *strepitum obscænum*, etiam observo, antiquis scilicet *Flagitium* vocari. Cic. lib. 9. Epist. ad Pætum: *Suppedit, Flagitium est.* Plautus joculariter in Pœnulo 3. 2. 32.

Hæ fores fecerunt magnum Flagitium modo.
AD. *Quid Flagitii est?* CO. *Crepuerunt clare.*

Pari clangore prosequebatur.] An imitationem innuit obscænorum strepituum? forsitan non male, nam mire ad puerorum ingenium faciunt ejusmodi petulantes imitationes, ut alibi diximus. Aut fors indicat jocularem & opportunum plausum rei spurcidicæ. Cui, & tute videris, uti supplementum conveniat editionis Parisinæ, *Olfactui ut officeret*, sequens vero mirum in modum, *Sed & hic ad ingenium, &c.*

Cap. CXVIII. *Putavit, se continuo in Heliconem venisse.*] Ubi præcipua Musarum sedes. Aristides Hymno in Jovem ipsas adloquens: Ἔστι γὰρ Ἑλικῶνι τῷ Βοιωτίῳ χορεύσατε. *Sive in Bœotio Helicone choreas ducitis.* Finxere Antiqui, Musas semper montes incolere, uti ibidem ipsus indicat Orator Adrianensis. Quod omnino erat, ego reor, ut illi ostenderent, viam Poëseos adscensu esse difficilem. Qui vero, superata adscensus asperitudine, ad summa eorum montium cacumina pervenissent, Musas cum Apolline suo offendere, hoc est, Poëticam facultatem tandem adipisci. Facit huc mirifice fragmentum quoddam Ennii ex lib. 1. Annal. quod, ut est à Merula compactum, habet ita, Petroniumque splendide inlustrat:

——— *Scripsere alii Rem*
Versibus, quos olim Faunei Vatesque canebant,
Quom neque Musarum Scopulos quisquam superarat,
Nec dictes studiosus erat.

Item illud nostri politissimi Poëtæ Garsiæ Lassi Epig. 24:

Por vos mel levara mi osado passo
A la CUMBRE DIFFICIL DE HELICONA

Ceterum videtur Arbiter & ad superstitionem Antiquorum respexisse, existimantium, eos, qui montem Heliconem, aut vicinum Parnassum, conscendissent, vel inibi somniassent, repente Poëtas prodire. Præbuit enim fabulæ isti primus ansam Hesiodus, quum adsereret, se ideo factum Poëtam fuisse, quod oves nimirum pavisset in Helicone. Hancce autem insequentes Poëtæ adeo sunt postea amplexi opinationem, ut pro certo habuerint, Poëtam fieri vel rusticum quemquam posse, si semel scilicet venisset in Heliconem, id vero solo adflatu suo montis illius numine præstante. Aperte hoc Persius edocet in Prologo, Commentumque nostrum confirmat:

Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic Poëta prodirem.

Parnassus in duo juga dispescitur, quæ *Citheronem* & *Heliconem* Servius haud semel nominat. Idem ergo prorsus est, *Repente Poëtam prodire*, qui in Parnassum venisset; ac *Putare, continuo se Poëtam esse*, qui in Heliconem, quæ mens indubie Petronii est.

Sic forensibus ministeriis exercitati, frequenter ad carminis tranquillitatem, tamquam ad portum facilioremfugiunt.] Plures fecerunt olim, exstat & hodie aliquorum memoria. De *Silio Italico* testatum reliquit Martialis lib. 7. Epigr. 62, monuerunteque Symbolæ. De *Plinio Juniore* Sentius Augurinus eidem συγχρονος Poëta Hendecasyllaborum:

——— *Priores*
Mavult versiculos Foro Relicto.

Lucanum autem, volunt Eruditi, notare hic Petronium, quod vel suo ipsius testimonio possent firmare illis prætermisso. Sic inquit extremo in Panegyrico ad Pisonem:

Quare age Calliope, posita gravitate Forensi,
Limina Pisonis mecum pete.

Et huc facit illud Epigrammatistæ lib. 3.

Si nihil hinc (ex foro) *veniet, pangentur carmina nobis.*

Sic forensibus ministeriis exercitati.] Viros doctos & hic cæcutire vidi. Verumenimvero Arbiter, *Ministeria Forensia*, vocat omne Declamatorium genus, ubi Suasoriæ, ubi Controversiæ. Innuit haud obscure τὸ *Exercitati*: Rhetoribus namque antiquis id *Exercitatio* dicebatur. Parco hic sexcentis Scriptorum locis, nonnullis tantum Petronii designatis. sic cap. 11. *Certe neque Platona, neque Demosthenem, ad hoc genus Exercitationis accessisse video.* Et cap. 111. *Minimum in his Exercitationibus Doctores peccant.* Næ illa Declamationum Exercitatio Foro subministrare, subservireque recte diceretur.

Nisi ingenti flumine litterarum inundata.] Simili metaphora & supra usus, quod notavimus cap. v.

——— *Sic flumine largo*
Plenus.

Cupit ergo nunc multiscium prorsus esse poëtam, quod & iterum optat inferius hoc capite *Nisi plenus litteris*, &c. Nec alio spectat Horatius in illo Artis versu:

Scribendi recte Sapere est & principium & fons.

Et sumendæ voces à plebe submotæ.] Satis hic est pro magni spiritus Poëtis Declamationis elegantissimæ, satis itidem in nostrates ridicularios Censores Invectivæ. Quicquid non audiere isti, ceperuntve miselli homunciones, peccatum est, ac præter tricas quisquiliasque suas nihil sine baubatu prætereunt, edentuli ad morsum, & imbecilles. Tales ergo videlicet sunt, de quibus olim Vir doctus dictitare solebat, præ Panos ceratis arundinibus Apollinis Citharam illis veluti fistulam esse Polyphemi. Apud nos necquicquam desunt & hujuscemodi Midæ. unum autem paucis abhinc diebus novimus perridiculum, cujus haud inlepidam narratiunculam proferre, neutiquam in præsentia duximus importunum. * Apud Virum inlustrem & amicum, quum proxima ætate plures convenissemus post meridiem, tunc etiam adfuere (quippe inter alia præclarissima animi ornamenta litteratorum confabulationibus mirifice delectabatur) & amœnioris Litteraturæ Candidati, ex simulato vero Eruditorum grege etiam nonnulli. Ast quidam præ omnibus corporis habitu insignis primo sese intuitu offerebat cunctorum obtutui. Facies enim ejus multo sanguine rubebat,

* *De Petro Ferreo narratiuncula.*

bat, rotundaque omnino imitabatur os Lunæ plenum: cetera porro pinguis, adeps, ventricosus, ac totus denique ἐνθρὸς ὑπ' οἴνε (præ vino rubicundus.) Neutiquam ille pallorem umquam ex Pyrene contraxerat, hoc est, ex noctibus insomnibus, eruditisque pervigiliis. potius Hercules comessationum aliquod haberi Numen, sive Luxuriæ Genium, Præsidemve adspectu, foret proclive. Postquam autem vario esset sermone garritum, quidam è corona honestissimus adulescens Carmen nativi idiomatis recitavit, & sublimis spiritus. Argumentum erat è media Stoicorum Schola desumtum: ast, quia scriptum altæ eruditionis ad virum, austeri tamen ingenii, tetricique soccum fastose contemnebat, incedebat cothurno. Primus, post Carminis finem, gurges ille nil cunctatus sententiam ferre, clamosissime voces parum illi familiares increpare cœpit, locutionumque ambages sententiarumque tormenta prorsus infamare. Alius statim argute simulans illi subscribere, nescio unde, satis tamen opporne, protulit humanissimos versiculos, quorum vocule in trivio natæ pannosæ vestes erant sententiæ sordidissimæ. Laudat igitur Boreas ille Criticus, miratur, in cœlum tollit haud sine adstantium cachinnis. Quidam vero etsi male vestitus, minime tamen publici saporis homunculus, stultitiæ impatiens in hunc sermonem prorupit: Dic sodes, mi homo, sive uter es, quasnam auriculas habes, asellin', hominisve? Nec se solum intra verba continuit, at galerum ejus amovens aures sic repugnantis utraque manu tenacissime adprehendit, ut ex misera clamantis vociferatione putaremus, unam aut alteram penitus avulsisse.

Odi profanum vulgus &c.] Initium est Od. 1. lib. 3. Horatii, transfertque hic opportune Petronius. *Profanum* namque *vulgus* loquitur *Humane*, non *Poëtice*, quod *Divine* est, ut cap. xc. dixit: *Sæpius Poëtice quam Humane locutus es.* Ubi Commentum nostrum vide. Apte ergo Profanum nunc adpellat vulgus, Numen quippe suum cum illo Deæ illæ novem haud communicant, conferuntque.

Ne sententiæ emineant extra corpus orationis.] De illo *Sententiarum* genere ac metaphora ista supra locuti sumus ad verba cap. 1. *Sententiarum vanissimo*, &c. Et cap. 11. *Ut corpus orationis enervaretur*, &c. quæ vide. Planius vero sententiam Arbitri exprimit Auctor Dialogi de Oratoribus: *Oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra, & exsurgit toris, ipsos quoque nervos rubore tegit, & decore commendat.*

Ceteri aut non viderunt viam, qua iretur ad carmen, aut visam timuerunt calcare.] Nec mirum, quum nimis angusta sit via, quæ Heliconem adscendentibus patet. Satis hic ad Petronium opportunus Propertius Eleg. 1. lib. 3.

Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad Musas currere Lata Via.

Ac pariter Horatius lib. 2. Ep. 2.

Tu me inter strepitus nocturnos atque diurnos
Vis canere, & Contracta sequi Vestigia vatum?

Poëseos tandem, Rupicones poëtastri, dignitatem agnoscite. Musæ quidem in summis montium fastigiis conlocantur; via autem, qua adscenditur, tanto est contractior ac difficilior.

Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt.] *Res gestæ*, & subintelligitur, *ut sunt.* Præterea, *Res gestæ*, veteri Horatii Scholiastæ Artis illud enarranti:

Res gestæ Regumque, Ducumque & tristia bella.

nimirum *Historiæ sunt.* Meram igitur Historiam canere, eoque ordine res, quo gestæ sunt, describere, à Poëtæ omnino esse munere alienum, edocet in præsentia Petronius, & latius in 1. Iliad. Eustathius, quem vide. Minime vero innuit Arbiter, quod Poëma ex historia non sit conficiendum. tale namque delirium in mentem hominis eruditissimi cadere non potuit, quum nemo nesciat, omnibus Epicis Poëtis *Res gestas*, sive historiam esse pro argumento. Quod & Tragicis commune quoque est. Unde Poëta ab Scaligero Pat. adsertus Lucanus, vindicatusque ab nugatorum calumniis, Grammaticorum objicientium videlicet, illum historiam conscripsisse, non Poëma. Ipsummet itidem volunt hic Arbitrum fugillare, conarique ideo de sacris Musarum, adscensuque difficilibus sedibus illum, invito tamen Apolline, deturbare. Equidem autem prorsus ignoro, uti Pharsaliæ Scriptori convenire potesit rigida sane, aliasque erudita, isthæc Petronii declamatio. Scriptori inquam, qui eximia quum esset eruditione insigniter instructus, spiritu insuper termaximo, sive, ut ille aliter, plusquam poëtico, bellum illud funestissimum scribere adgressus est. Itaque ego potius existimo, magno ipsum in precio fuisse nostro Petronio, præsertim, quum neque antiquius habuerit quidquam, quam eum scilicet, tum rebus, tum verbis, penitus toto in proximo poëmatio imitari, uti ex sequenti haud nimis adcurata conlatione liquido patescet.

Quod longe melius Historici faciunt.] Ita Ovidius do poëti loquens lib. 3. Amor. El. 11.

Obligat Historica nec sua verba fide.

Deorumque ministeria.] Nemo ut Phædrus expressit, hocceque unice interpretatus est Fab. 81. de Simonide loquens poëta famigerabili, laudibus tunc nempe cujusdam pugilis victoris conducto:

Exigua quum frenaret materia impetum,
Usus poëtæ, ut moris est, licentia,
Atque interposuit gemina Ledæ Sidera.

Et per fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio adpareat.] Isthæc prorsus aperte est Horatii imitatio, cujus paullo ante meminit non sine elogio. Pariissimam sententiam paribus fere verbis ita expressit in Arte:

Et tulit eloquium insolitum facundia Præceps,
Utiliumque sagax rerum, & divina futuri

Sortilegis non discrepuit Sententia Delphis.

Innuunt plane Poëtarum ἐνθουσιασμὸν, de quo innumeri Antiquorum, Recentiorumque. Unde Arbiter *Poëtice* pro *divine* usurpavit cap. xc. *Et sæpius Poëtice quam Humane loquutus es.*

Quam religiosa orationis sub testibus fides.] *Sub testibus*, hoc est, instar Testium, qui vere ac nude res proferunt. Ita etiam Ovidius lib. 2. Amor. El. 11.

Nec tamen, ut Testes, mos est audire Poëtas.

Etiamsi nondum recepit ultimam manum.] Proprium Poëtarum, hocce, aut simili προλήψεως genere, pura, *Adhuc sub spongia esse*, *In incude versari*, Αὐτοσχεδίως *esse conscripta*, & *effutita*, præoccupare auditorum animos, ut si, quæ nondum exacta numeris suis & perfecta sunt, elegantiam habeant exspectatam, aureasque impleant, majus sic merito laudis choragium aucupentur; vel etiam, si fortasse aliquid occurrerit minus elegans, minus consonum, minusve politum, calumniandi jam ante habeant ansam præreptam. Fateor me tale quid de Æneide, ac Metamorphosi magnorum Vatum jam olim conjectare. Ultimam autem manum recipere Græcis est, *Addere Colophonem. Colophonem imponere.* Sed hocce protritum. Pro eodem *Summa manus* Ovidio est lib. 1. de Trist. El. 6. ubi de suis Metamorphoseon libris loquitur:

Non tamen illa legi poterunt patienter ab ullo,
Nesciat his Summam si quis abesse Manum.

Et 3. de Arte, quum argute docet puellam, quando liceat fucum inducere:

Tu faciem cura, dum te dormire putemus:
Aptius à Summa conspiciere Manu.

Etiam, *Extrema Manus*, passim reperitur, quod *Ultimam limam* adpellat ipsus Naso:

Ablatum mediis opus est incudibus illud:
Abfuit & scriptis Ultima Lima meis.

Cap. CXIX. *Assyria concham laudabat miles in unda.*] Præ hacce scriptura versiculi hujus omnes aliæ putidæ prorsus habentur Musico Senatui. Nobilis valde in Assyria olim purpura. Virgilius in Ciri:

Nec Libys Assyrio sternetur lectulus Ostro.

Quæsitus tellure nitor certaverat ostro.] Capio de variis Lanarum tincturis, colores tamen terra quæsitos bibentium; quos Arbiter cum Ostro componit, qui color ex mari. Inde, *Pelagia Purpura*, dictæ Plinio, quod nobis observatum alibi. Recte omnino cum superiore conjungitur, consentitque nostrum hocce interpretamentum, alii vero hic ingeniose ineptiunt. Multiplici quidem colore (haud secus atque hodie fit) intinctæ antiquitus lanæ. Ovidius postquam plures recensuit, subdit in 3. de Arte:

Quot nova terra parit flores; quum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraque fugit hyems:
Lana tot, aut plures succos bibit, &c.

——— *Nova vellera Seres.*] Seneca Tragicus Thyeste:

Seres Vellere nobiles.

Lanuginem quandam Seres petebant ex arboribus, quam postea nentes *Sericum*, sic ab illis denominatum, conficiebant. Ipsus Hercule Oetæo:

Nec Maonia distinguit acu.
Quæ Phœbeis subditus Euris,
Legit Eois Ser arboribus.

Vide Ammianum Marcellinum lib. 23. ubi latius de Serici confectura. Puto *Nova* Petronio vocari, quæ Senecæ coævo Scriptori heic, *Acu distincta*, sunt, tunc primum beatioribus inventa. Id autem dubium non est, primitus *Sericum* arboribus depecti; *Byssum* vero (quod & per saturam refero) instar lini e terra edi, *Bombycinum* à vermiculis gigni, quod sciunt jam Docti.

Atque Arabum populus sua despoliaverat arva.] Ut Romam odores mitteret, fruticesque aromaticos. Diserte Tibullus, quum die Natali sacrificium parat lib. 2. El. 2.

Urantur pia thura focis, urantur Odores,
Quos tener è terra divite mittit Arabs.

Statius lib. 1. Sylva 4.

——— *Odoriferis Arabum quod doctus in Arvis*
——— *Carpsi.*

Ideo Ovidius *Thurilegos Arabas* vocavit lib. 4. Fastor.

——— *Ne desit bellua dente*
Ad mortes preciosa suas. ———] Preciosa dente plaudenti nempe populo, ut animadvertitur ex sequentibus:

Ut bibat humanum populo plaudente cruorem.

Quod ita Salvianus inlustrat lib. 6. *In spectaculis primum deliciarum genus est, mori homines, impleri ferarum alvos humanis carnibus cum circumstantium voluptate.* Recte omnino se habet nostrum interpretamentum. Dentes namque feras olim venationibus commendarunt. Vetus inscriptio inter alia:

AEDILITATEM LAVDABILITER ADMINISTRAVIT. ET
DIEM FELICISSIMVM III. IDVS JANUAR. NATALEM
DEI PATRIS NOSTRI VENATIONE PASSERIS. DENIS
BESTIIS. ET IV. FERIS DENTATIS. ET IV. PARIB.
FERRO DIMICANTIBVS. CETEROQVE HONESTISSIMO
APPARATV LARGITER EXHIBVIT.

——— *Premit advena classes*
Tigris, & aurata gradiens vectatur in aula.] Plerumque quippe Romam feræ advehebantur ratibus, multis indicat Claudianus lib. 3. Stiliconis, cujus & alicubi elegans illa clausula est:

——— *Exsanguis dextera torpet*
Remigis, & propriam metuebat navita mercem.

Præterea hic, *Auratam aulam*, claustrum, aut caveam, interpretor, quibus advehi feræ consueverant, quod notum, nec sane inepte, quum claustra illa quasi ὕπαιθρα sint, & subdialia, quæ loca Homero sæpius *Aula* proprie nuncupantur, ut Rhodiginus fuse observavit

servavit lib. 12. Ferreæ & ligneæ primitus eæ caveæ fuere, sed postea inaurari cœptæ sub profusis admodum principibus, potissimum Nerone. Vide Lipsium lib. de Amphith. cap. 9. & de Magnitud. Rom. lib. 2. cap. 11. Bulengerum de Venation. cap. 17. Aliter ut Symbolæ locum ceperunt, turpis error in syllabæ quantitate committebatur.

Persarum ritu.] Persarum mos, pueris virilitatem exsecare, ac præcipue forma præstantibus. Hocce vero Semiramidis inventum, quæ post Ninum tota, exceptis Indis, regnavit Asiâ. Clare Ammianus Marcellinus lib. 14. cap. 17. *Postrema multitudo spadonum, à senibus in pueros desinens, coloris obluridi, distortaque lineamentorum compage deformis: ut quaqua incesserit quisquam, cernens mutilorum hominum agmina, detestetur memoriam Semiramidis reginæ illius veteris, quæ teneros mares castravit omnium prima, velut vim injectans naturæ.* Ab ipsa postea didicerunt Assyrii, Medi, Persæ. Cur autem apud Persas latius sit consuetudo propagata, rationem reddit Dio Prusensis adpositissimam Orat. de Pulcritudine statim à principio: Οἱ δὲ Πέρσαι πῶς ἐνόμιζον; ἐγὼ γὰρ φανερὸν ὅτι ἐνῆχεν ἐποίουν τοὺς καλούς, ὅπως αὐτοῖς ὡς κάλλιστοι ὦσι; τοσοῦτον διαφέρειν ἔφασαν πρὸς κάλλος, τὸ θῆλυ σχεδὸν καὶ πάντες οἱ βάρβαροι, οἷπερ τὰ ἄλλα ζῶα διὰ τὸ, μόνοι τὰ ἀφροδίσια ἐνοεῖν. ὡς ἂν λέγεται Δαίδαλος ποιῆσαι, τοὺς ταύρου ἐξαπατῶν περιθεῖναι τῷ ξύλῳ δέρμα βοός. κἀκεῖνοι γυναικὸς εἶδος περιτιθέασι τοῖς ἄρρεσιν, ἄλλως δὲ ἐκ ἐπίστανται ἅμα. *Persæ vero quomodo existimabant? An non manifestum, quod Eunuchos faciebant ex formosis, ut ipsis quam pulcerrimi essent? tantum differre putabant seminea formam, quod ad pulcritudinem attinet. Ita fere & omnes Barbari, qui, ut cetera animalia, Venereum duntaxat rem cogitant. Ut igitur dicitur fecisse Dædalus, taurum decipiens, ligno circumdato tergore bovis: ita & illi mulieris speciem circumponunt maribus, aliter autem nesciunt amare.* Τρυφὴν vero illis causam fuisse moris immanissimi, Athenæus adserit, sed planius Mollitiem illam Seneca P. exprimit Controv. 33. lib. 5. qui locus mirifice hic Petronium inlustrat. *Principes Viri contra naturam divitias suas exercent. Excisorum greges habent, exoletos suos, ut ad longiorem patientiam impudicitiæ idonei sint, amputant.* Sic & D. Hieronymus lib. 1. adversus Jovian. *Et in longam seturamque libidinem exsectus spado.* Etiam Plutarchus de Herodoti malignitate.

——— *Viros.*] Genitalia. Catullus Carmine de Berecynthia & Aty:

Itaque ut relicta sensit sibi membra sine Viro.

Plaut. Asin. 1. 3. 84.

——— *Exsectaque viscera ferro.*] Vel *Exsectos* ἁπλῶς sufficeret, nam sic locuti politissimi Scriptores. Cic. lib. 2. de Natura Deor. *Nam vetus hæc opinio Græciam opplevit. Exsectum Cœlum à filio Saturno, vinctum autem Saturnum à filio Jove.* De Visceribus vide quæ notamus ad verba illa cap. CXLI. *Et finge te non humana Viscera.*

In Venerem fregere. ———] Id est, fecerunt, ut Exsecti illi, & impudici omnino Venerem, ac femineum ingenium induerent, & imitarentur. Hæc vera est interpretatio, quam & D. Hieronymus tueri plane videtur Epist. ad Marcellam. *In theatralibus scenis idem histrio nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem Frangitur.* Et Epist. de Hilarione: *In scenis theatralibus unus atque idem histrio nunc mollis in Venerem Frangitur, nunc tremulus in Cybelen.*

Quærit se natura, nec invenit. ———] Plane huc facit illud Manilii:

Natura pudet. ———

Utrumque & Firmicus interpretatur: *Eos pœnitebit, quod viri nati sunt.* Et ipse Manilius paullo anterius dixerat:

Atque odisse Virum.

——— *Fractique enervi corpore gressus.*] Viros petit hocce jaculum, quibus id mollitiei indicium dedecori datum. feminis namque semper fuit ejuscemodi elegantiarum permissum studium, uti infra latiuscule patefacimus ad verba cap. CXXVI. *Quo incessus tute compositus*, &c. Argute enim *Fractos gressus* effeminatorum vocavit, vir quippe velut Frangi videtur, ubi, quicquid feminæ est, nimirum imitatur. Quo facit & id, quod proxime præcessit: *In Venerem Fregere*, & quæ ibi notavimus. Similiter prorsus, ut Arbiter, locutus Quinctilianus lib. 5. cap. 9. *Ut fortasse corpus vulsum, FRACTUM INCESSUM, vestem muliebrem, dixerit aliquis mollis & parum viri signa.* Quod & D. Hieronymus adversus Helvid. *Gressum Frangere* dixit. & ad Eustochium: *Solutis genibus Fractum Incessum.*

Et laxi crines.] Mollitiei etiam nota. *Laxi crines*, Cicero in Pisonem: *Erant illi compti capilli, & madentes cincinnorum fimbriæ, & Fluentes.* Appulejus de suo capillitio in Apologia: *Capillus ipse, quem isti aperto mendacio ad lenocinium decoris Promissum dixere*, &c.

——— *Ecce Afris eruta terris*

Citrea mensa. ———] Mensas è citro intelligit ex Mauritania Africæ regione magno precio Romam adlatas: quæ & eburneis pedibus fulciebantur. Sic Martialis lib. 2. Ep 43.

Tu Libycos Indis suspendis Dentibus orbes.

Et lib. 9. Ep. 22. Res est jam multis inculcata, eoque plura non addimus. Id autem silentio prætereundum non est, quod de Seneca Philosopho tradidit Dio lib. 61. Quingentos nimirum tripodas illum habuisse de ligno Cedrino, pedibus Eburneis subfultos, similes prorsus & pares inter se, super quibus epulari consueverat, qui nimius quidem, si verus, fatendum est, Stoici Philosophi luxus. Singulorum vero precium ex illis Tertulliani l. De Pallio cap. 5. cognoscere licet, Plinius namque, à quo habuit, mire hic corruptus est: *Adigo caute rem ambitioni, qua M. Tullius quingentis millibus nummum Orbem Citri emit, qua bis tantum*

tum Asinius Gallus pro Mensa ejusdem Mauritaniæ numerat.

——— *Greges servorum.* ———] Plinius *Legiones* vocavit; *Agmina* Ammianus eleganter lib. 14. *Familiarum Agmina, tamquam prædatorios globos, post terga trahentes.* Seneca *Turbam* Consol. ad Helviam: *Turbam, quæ quamvis magnam domum angustet.* Sed quid mirum, si unus Pedanius Secundus *Quingentos servos* domi habuerit, testante Cornelio Tacito 14. Annal. immo *Millenos* plurimi, sed, ut mireris semel, audi Athenæum lib. 6. cap. 20. Μυρίοι καὶ δισμυρίοι (οἰκέται) καὶ ἔτι πλείους δὲ πάμπολλοι κέκτηνται. οὐκ ἐπὶ προσόδοις δὲ, ὥσπερ ὁ τῶν Ἑλλήνων ζάπλουτος Νικίας. ἀλλ' οἱ πλείους τῶν Ῥωμαίων συμπροΐοντας ἴσχυσι τοὺς πλείους. *Decem, immo viginti mille, & plures quoque servos habent, non quæstus causa, ut ille Græcorum ditissimus Nicias, sed plerosque in publicum comitantes.* Recte ergo jam Plinius, quum adserit, *Servorum quoque causa Nomenclatorem adhibendum.* Nunc vero Arbiter de pueris in triclinio ministrantibus haud dubitanter capiendus.

Ac maculis imitatur vilibus aurum.] Desultorii Critici sunt, qui Maculas istas volunt ad *Citreas mensas* referri, nulla habita *Ostri* proxime præcedentis ratione, quæ mira inconcinnitas est, ordoque turpe præposterus. Et, quod magis mireris, nec nobis ullum exemplum exhibent rubrarum macularum, quæ eo in ligno aurum imitentur. Indubium enim est, Arbitrum nunc tricliniaris supellectilis luxum exagitare, ut subinde ciborum. Purpura autem Romanos stravisse lectos discubitorios, nemo nescit, post tot de ritibus convivialibus eruditas lucubrationes. Item scilicet, quod gliscente luxuria purpuram vario distinxerint aureis maculis, hoc est, clavis, stellulis, aut palmis, quæ tamquam Emblemata vestibus insuerentur, insererenturve. qui mos, addo ego, late ævo Neronis (quem nunc Petronius infectatur) percrebuit: idque jam pridem ex Plinio conjeceram, ubi de marmorum insitione agit lib. 35. *Neronis vero inventum, Maculas, quæ non essent, in crustis inserendo imitatem variare, ut ovatus esset Numidicus, UT PURPURA distingueretur Synnadicus, qualiter illos nasci optarent delicia.* Sic locus interpungendus necessario. aliter quidem ex eo, præcipue ut Dalecampius edidit, neutiquam elici proba sententia posset. Ait ergo Plinius, Numidicum marmor ovatis figuris tantum fuisse distinctum, Synnadicum vero multiplici forma, ut Purpura nimirum distinguebatur, variegari solitum. Purpuræ igitur luxuriem illam carpere hic voluisse Petronium, mero meridie clarius jam est.

Ad mensam vivus perducitur. ———] Aptius de Mullo hoc proderet, de quo sic Seneca lib. 3. Natur. Quæst. *Parum videtur recens Mullus, nisi qui in convivæ manu emoritur,* quod subinde pluribus persequitur. ejusque & rationem reddit Plinius lib. 9. cap. 17. Sed quid autem de Scaris dicendum? equidem reor, recentium exaggerationem esse. recentiores namque Scaros Antiquis in optatis fuisse, equidem observo; eo scilicet, quod intestina, visceraque eorum præ cæteris præferrentur, immo cætera haberentur despicatui. Aperte Epigrammatista noster dicit in Xeniis:

Hic Scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est: cetera vile sapit.

Viscera vero ut sint brevi conruptioni obnoxia, liquido constat.

——— *Inque Lucrinis*
Eruta littoribus vendunt conchylia cænas.] Ex Lucrino lacu advecta Romam Conchylia plurimi fecerunt Antiqui. Sic & Horatius Od. 2. Epod.

Non me Lucrina juverint Conchylia
Magis ——— *&c.*

Sic & Martialis in Xeniis Ep. 82.

Ut renovent per damna famem. ———] Idemmet aliter cap. XCIII. dixit:

——— *Atque arata Syrtis,*
Si quid naufragio dedit, probatur.

Quod etiam Latinus Pacatus innuit loco Interpretibus alibi laudato. Plane autem Manilius lib. 5. vers. 370.

——— *Numidarum pascimur, oris*
Phasidos & Damnis ———

Quæ vera indubie lectio est, quicquid reluctetur Franc. Junius, placuitque jam olim valde Scaligero.

—— *Jam Phasidos unda*
Orbata est avibus ———] Vere *Jam*, licet de tempore ipso speciatim loquatur belli civilis. Colchos namque, apud quos est Phasis, à Pompejo Magno demum fuisse penetratos, auctor est Vellejus Paterculus lib. 2. Inde postea Romam adlatæ aves Phasianæ sunt. Itaque ibi particula *Jam* recentem illum luxum indicat signanter.

——— *Mutoque in littore*] Eleganter, quasi *mutum* esset *Littus* Phasidos fluvii jam sine avibus. Sic Nonno Panopolitæ ἀκτὴ ἄψοφος, *Littus silens.*

Nec minor in campo furor est, emtique Quirites, &c.] Confer hosce pecunia conrupti Senatus, populique versus cum illis Lucani lib. 1.

Hinc rapti precio fasces, sectorque favoris
Ipse sui populus, letalisque ambitus urbi;
Annua venali referens certamina Campo.

Labes autem illa eo usque urbem invasit, ut candidati, referente in Cæsare Plutarcho, palam in comitiis numarias mensas ponere consueverint, uti populi videlicet sic suffragia possent impudice redimere. Idem & Appianus lib. 2. Bellor. Civil. additque: Ὤφθη δέ που καὶ μισογύμα Ταλάντων ὀκτακισχίλιον ὑπὲρ τῆς ἐπαρχίας γενόμενον ἀρχῆς. *Denique inventus est, qui* DCCC. *talenta per ambitionem apud sequestros deponeret.*

Pellitur à populo victus Cato ———] Sæpius id contigit Catoni, publicæ ergo tuendæ libertatis. Insignior vero, & effrenatior tum plane fuit seditiosorum audacia, quum Metellum Tribunum plebis Legem promulgantem, cujus summa erat, ut Pompejo ab Asia

Asia cum magno exercitu in Italiam venire permitteretur, inlustri illo prætextu, nempe ut urbem à Catilina in periculum conjectam servaret, animus vero ejusdem Metelli esset, ut Principatus ac Respublica in manus Pompejo traderentur, acriter aspernatus est. Latius in Catonis vita narrat Plutarchus, subditque: Πάντων διασκεδασθέντων, ὑποσάντα μόνον τὸν Κάτωνα, καὶ βαλλόμενον λίθοις καὶ ξύλοις ἀνωθεν, ὑπερειδὲ Μερέλας ὁ τὴν δίκην φυγὼν ὑπ' αὐτῦ καὶ κατηγορηθεὶς, ἀλλὰ τὴν τῆς ἥττονος προϊσχόμενος, καὶ βοῶν ἀναγκῖν τοῖς βάλλουσι, καὶ τέλος αὐτὸν τὸν Κάτωνα πείθων καὶ περιπίσσων εἰς τὸν νεὼν τῶν Διοσκόρων ἀπήγαγεν. *Omnes ergo quum essent dissipati, Catonem solum subsistentem, ac desuper saxis & lignis impetitum haud neglexit Murena, is qui pridem ab eo in jus fuerat tractus: sed togam suam ei prætendens, vociferandoque jacientes, ut cessarent, monens, vix tandem monitis suis concedentem Catonem veste sua involuit, inque Castoris abduxit.* De re eadem verba Senecæ, nil dubium, quin capienda sint cap. 1. De Constantia. Inquit ergo ad Serenum: *Et tibi indignum videbatur, quod illi dissuaturo Legem, toga in foro esset erepta; quodque à Rostris usque ad arcum Fabianum per seditiosæ factionis manus tractus, voces improbas, & sputa, & omnes alias insanæ multitudinis contumelias pertulisset.* Quod etiam epist. 14. tetigit.

——— *VICTUS Cato, tristior ille est,*
Qui VICIT ———] Cadmæa isthæc victoria fuit, de qua Plutarchus περὶ παίδων ἀγωγῆς. ac postea Parœmiographi. Mirifice autem Petronio facem prætulit Aristænetus Ep. 6. lib. 2. Ἀλλ' ἴσως σοι ἡδίστου ἐπιχαίρω, ὅτι σε νῦν ἐνδον εἰσβεβληκα παρ' ἐκείνην καὶ ἥττωσαν ὑπέστην, ἐγὼ τῆς σῆς φασὶν καδμείας νίκης ἀμείνω. Φανερὸν γὰρ ὡς ἐν πονηραῖς ἁμιλλαῖς ἀδλιώτερος ὁ νικήσας. *Sed ego tibi insulto jucundius, quod te intro ad eam impuli, repulsamque tuli Cadmæa tua victoria meliorem. Certum quippe in malis certaminibus, infeliciorem esse, qui vicit.* Nec aliud innuere videtur fragmenti illud cap. LIX. *Semper hac in re qui vincitur, vincit.* quod de *Osculana pugna* tradidit etiam Titinius Setina apud Festum. Porro sententia depromta est hic tempestiviter è Stoicorum schola, ejus quippe familiæ & Calaudato jam libro: *Catoni tu putas injuriam fieri potuisse à populo, quod aut præturam illi detraxit, aut togam? quod sacrum illud caput purgamentis oris adsperserit? Tutus est Sapiens, nec ulla adfici aut injuria, aut contumelia, potest.*

——— *Faceisque pudet rapuisse Catoni.*] Bis enim repulsam tulit Cato, scilicet in petitione præturæ, quum ei prælatus Vatinius; & in Consulatus, uti Plutarchus tradidit. Locus autem iste omnino de prætura capiendus. facinus quippe illud Romanis civibus turpissimum fuit. de quo & opportune consulendus Seneca est Ep. 71. & De Constantia cap. 1. 2. Prætorum autem honori Lictores cum Fascibus suis fuisse concessos, criticastri haud nesciverint.

——— *Sed invicta potestas.*] *Potestas* hic Libertatem interpretor, & à me plane Seneca est adpositissimo loco cap. 2. *Simulque exstincta sunt, quæ nefas erat dividi.* cujus sequentia sunt interpretamentum. *Neque enim Cato post Libertatem vixit, nec Libertas post Catonem.* Addit Arbiter:

Romanumque decus;

Quod & interpretatio est prædictæ *Potestatis*, nostramque mirifice juvat: Romanæ namque reipubl. summum decus habitum *Libertas*. Item & illa opitulantur:

——— *Quare tam perdita Roma*
Ipsa sui merces erat ———

Amissa quippe Libertate, Urbs futura erat necessario præmium Victori. *Merces* ibi præmium est, uti jam interpretes.

Ipsa sui merces erat.] Appianum hic interpretem exhibeo de re parissima loquentem, hoc est, de Civili Bello Syllæ & Marii lib. 1. Bell. Civil. Μετὰ δὲ τοῦτο τρισὶ μεγάλοις οἱ τρισὶ ἀρχοι πολέμῳ νόμῳ συνεπλέκοντο ἀλλήλοις, καὶ ἡ πατρὶς ἆθλον ἔκειτο ἐν μέσῳ. *Post hæc factionum Principes justis exercitibus, ut in bello mos est, rem gesserunt adversus sè invicem: ET VICTORIÆ PRÆMIUM PETEBATUR PATRIA.* Ast Dio exsertim de bello hocce Cæsaris & Pompei agens lib. 41. inquit: Ἅθλόντε γὰρ αὐτὴν (Ῥώμην) ἤδει τοῖς κρατήσουσι προκειμένην. *Nam Romam IN PRÆMIUM VICTORI propositam noverat.* Addit Arbiter:

——— *Et sine vindice præda.*

Nam reliquus deinceps non erat futurus Vindex adsertorque Libertatis.

Præterea gemino deprensam gurgite prædam.] Quænam maria *Geminum Gurgitem* hic Petronius adpellat? an ea, quæ Florus in Civili hoc Bello *Intestinum*, & *Externum*, hoc est, *Mediterraneum*, & *Oceanum*? sic enim fuere nuncupata olim. illud Plinio & *Internum* dicitur, Straboni Ἔντος, hocce *Exterius* Lucano, Ἔκτος Ptolemæo. An illa, quæ sub nominibus *Superi*, & *Inferi* insignita exstiterunt olim? ita passim Classicis Scriptoribus indigitata offenduntur Maria, auctoribus Plinio, & Mela *Adriaticum*, & *Tyrrhenum*. An denique, Geographiæ illi adsentiens Græcorum, universum quantum maris est toto in orbe bifariam dividentium, sub *Gemini Gurgitis* adpellatione integrum Thetidos Neptunique vastum imperium voluit subintelligi? Audi Musam primam Herodoti cap. CCI. ut certior fias hujusce divisionis, ubi de Araxis nempe fluvii loquitur Ostiis: Τὸ δὲ ἐν τῶν στομάτων τῷ Ἀράξεω ῥέει διὰ καθαροῦ ἐς τὴν Κασπίην θάλασσαν. Ἡ δὲ Κασπίη θάλασσα ἐστὶ ἐπ' ἑωυτῆς, ἐοῦσα συμμισγουσα τῇ ἑτέρῃ θαλάσσῃ. τὴν μὲν γὰρ Ἕλληνες ἑωυτίλλονται πᾶσαν, καὶ ἡ ἔξω στηλέων θάλασσα ἡ Ἀτλαντὶς καλεομένη, καὶ ἡ Ἐρυθρὴ, μία τυγχάνει ἐοῦσα. ἡ δὲ Κασπίη ἐστὶ ἑτέρη ἐπ' ἑωυτῆς. *Reliquum illud per apertum fluit in mare Caspium, quod mare per sese est, nec ullo cum alio commiscetur. Nam & illud, quod Græci omne pernavigant* (Mediterraneum indicat) *& id, quod extra columnas est* (Oceanum innuit) *Atlanticum*

ticum dictum, & Rubrum, idem est mare. Caspium vero est alterum, ac per seipsum, &c. Docti, inquam, viderint. modo scruteris, quærasque ab illis, Genii nimirum ergo tantum exhilarandi, qui *Geminum* illum deorum vitiorum *Gurgitem* meditantur, quamnam integro loco concinnam, immo haud repugnantem, sententiam eliciant?

Fenoris ingluvies, usuque exederat æris.] Ne bis idem repeteret, *Usus* hic jam olim non pro usura capiebam, ut concors Interpretum senatus; sed Usum opum profusum interpretabar, quod aliter Petronius dicit paullo post:

——— *Detritaque commoda luxu*, &c.

Et inferius de prædis quoque:

——— *Aspice late*
Luxuriam spoliorum.

Ast postea in Lucani incidens locum, quem exprimere videtur optasse noster Arbiter, mutavi consilium, illud interea magnopere demirans, videlicet illius vestigia quomodo premat, quem Carmine isto, velut Apollinis jaculo, confodere, ajunt in votis habuisse. inquit ergo Pharsaliæ præcentor lib. 1. ejusdem ævi exagitans pariter morum conruptelam:

Hinc Usura vorax, avidumque in tempore Fœnus.
- - - - Detritaque commoda luxu
Vulneribus reparantur. - - - -] Amara nimis ironia hocce prolatum, nam præcedit:

Arma placent miseris. - - - -

sensusque est, illis bellum placere, velut si exin exhaustæ opes resarcirentur. quod interpretamentum præ quovis alio magis nobis adridet, præda namque, ullæve divitiæ ex sociis, concivibusque minime additæ. quod & Lucanus sic operis initio:

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

Eo autem libere magis audebant discrimina adire, quod ipsi ære alieno oppressi (quod & Arbiter dicit:

Nulla est certa domus, nullum sine pignore corpus)

bona jam, quibus consulerent, non haberent. unde & illud etiam, quod subsequitur, claret.

- - - - Inops audacia tuta est.

Tres tulerat fortuna duces, &c.] Florus in Bello hocce Civili lib. IV. cap. 11. *Forte tunc Crassus genere, divitiis, dignitate, florebat: vellet tamen auctiores opes. Cajus Cæsar eloquentia & spiritu, & jam consulatu adlevabatur. Pompejus tamen super utrumque emilatu adlevabatur. Pompejus tamen super utrumque emilatu adlevabatur. Pompejus tamen super utrumque emil

MERI, MALLE, dum clementiam, quam præstiterat, exspectat, incautus ab ingratis occupatus est.

Parthenopen inter magnaque Dicarchidos arva.] Hoc est, inter Neapolin & Puteolos. Campaniæ urbs Puteoli, vicina Neapoli, *Dicarchæa* Silio Italico dicta lib. 12. & hic Petronio *Dicarchis*, Plinio vero & Festo *Dicaarchia colonia*. Ast maxime illud mirum est, Interpretes nempe non animadvertisse, Vesuvii montis summum hiatum hic Petronium describere. audi, ut Plinius ibi eum conlocet plane lib. 3. cap. 5. *Dein Puteoli Colonia Dicaarchia dicti: postque Phlegræi campi, Archerusia palus Cumis vicina. Littore autem Neapolis Chalcidensium, & ipsa Parthenope à tumulo Sirenis adpellata.* Inter Neapolim ergo & Puteolos *Phlegræos Campos* sitos Plinius facit. Phlegræi autem Campi Vesuvii montis sunt. Diodorus lib. 4. Ὀνομάσθαι δὲ καὶ τὸ πεδίον τοῦτο Φλεγραῖον, ἀπὸ τοῦ λόφου τοῦ παλαιὸν ἄπλετον πῦρ ἐκφυσῶντος· παραπλησίως τῇ κατὰ τὴν Σικελίαν Αἴτνῃ. καλεῖται δὴ νῦν ὁ τόπος Οὐισούιος, ἔχων πολλὰ σημεῖα τοῦ καυσθῆναι κατὰ τοὺς ἀρχαίους χρόνους. *Phlegraus quoque campus is locus adpellatur, à colle nimirum, qui Ætna instar Siculæ magnam vim ignis eructabat: nunc Vesuvius nominatur multa inflammationis pristinæ vestigia reservans.* Adderem, nisi dicta sufficerent, Melam nostrum lib. 2. cap. 4. Vitruvium l. 2. c. 6. Dionem l. 66. Cassiodorum l. 4. Variar. Ep. 50. Referam tamen ipsius montis topographiam ex l. 5. Strabonis ad rem haud parum conducentem: Ὑπέκειται δὲ τῶν τόπων τούτων ὄρος τὸ Οὐισούιον ἀγροῖς περιοικέμενος παγκάλοις πλὴν τῆς κορυφῆς. Αὕτη δ' ἐπίπεδος μὲν πολὺ μέρος ἐστὶν. ἄκαρπος δ' ὅλη. ἐκ δὲ τῆς ὄψεως τεφρώδης, καὶ κοιλώδεις φαίνει σπαραγώδεις μέτρων ἀφαλοειδῶν κατὰ τὸν χρόαν, ὡς ἂν ἐκπεπορωμένων ὑπὸ πυρός. *Supra locos hos Vesuvius mons est pulcerrimis arvis circumquaque habitatus, præterquam in vertice: hic magnam partem planus est, ac totus infructuosus, adspectantibus cinereum factem objicit, & cava antris persimilia, fumosarum instar rupium ab igne depastarum.* Postremum vero Dio expressit, inquiens, Amphitheatri formam totum montem referre. Ibidem, hoc est, circa Lucrinum lacum, constituunt Geographi fluvium *Cocytum*, cujus & Arbiter hic meminit. Ita & Silius lib. 12.

Ast hic Lucrino mansisse vocabula quondam
Cocyti memorat.

- - - Et nigro squallentia pumice saxa.] Plinius junior de Vesuvii loquens incendio, quo suus avunculus periit: *Jam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior ac densior; jam Pumices etiam, Nigrique, & Ambusti, & fracti igne lapides.* ac sæpe alias. plurima est & in priscis Scriptoribus Pumicis Vesuvii memoria.

Ecquid Romano, &c.] Ut illam Urbem gentemque deprimere non possis? Nec ulterius jam extollere? quod sequitur:

Nec posse ulterius perituram extollere molem?

quæ deæ illi cæcæ jucundæ sunt vicissitudinis, prædixitque jam & Arbiter:

Quæ nova semper amas, & mox possessa relinquis.
Ædificant auro.] Auream hic Neronis domum Arbitrum insectari, palam est, cujus plurima apud Priscos Scriptores mentio. Suetonium vide cap. 31. Cornel. lib. 15. Annal. Plinium lib. 33. cap. 3. lib. 36. cap. 35.

Expelluntur aquæ saxis. - - -] Cum Papinio interpretor Epithalamio Stellæ lib. 1. Sylv. 2.

- - - Perspicui vivunt in marmore fontes.

Alii nescio quid senserint, nam, quæ modo laudant, parum Arbitro conducunt. Hæc jam olim in adversariis consignaram, nunc autem, quum Commenta hinc inde conligerem, plurima vero, quæ mihi non probarentur, expungerem, longe aliud Arbitrum voluisse, omnino cognovi. addit enim:

- - - Mare nascitur arvis.

& ex utroque præmisso inducit subinde:

Et permutata rerum statione rebellant.

Non videntur certe rerum stationes permutari primori illo nostro interpretamento. Aculei ergo isti quum pungant aperte Neronem, puto primum hemistichium ejus delirium designare, sic proditum in 15. Annal. à Cornelio, quum de Urbis restauratione agit post Neronis incendium: *Ruderi accipiendo Hostienses paludes destinabat, utque naves, quæ frumentum Tiberi subvectassent, onustæ rudere decurrerent.* Hemistichion vero alterum plura ejus admiranda opera, quæ refert Tranquillus in ejus vita cap. 31. primum ubi de insana ejus loquitur domo: *Item stagnum Maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem* & mox: *Præterea inchoabat Piscinam à Miseno ad Avernum lacum, contectam, porticibus conclusam, quo, quicquid totis Bajis calidarum esset, committeretur. Fossam ab Averno Hostiam usque, ut navibus, nec tamen mari, iretur, longitudinis per CLX. milliaria*, &c. *Rebellant* igitur *Aqua*, & *Arva*: minime vero Romani Luxuria capti, ut ad Gratium Vir doctus.

- - - Jam montibus hausti
Antra gemunt.] Spiritu enim plusquam poëtico hocce prolatum. Sensus, Montes, dum perfoderentur, ut exin ædificiis eruerentur marmora, in antra prorsus abiisse, quæ voces gemitusque possent reddere. Monendum ideo hic maxime duxi Lectorem, ne viro inprimis erudito fortean contingeret fidem habere, *Antra gemunt*, exponenti, sub mole scilicet & pondere montium. Ubinam pondus illud, aut moles, si Exhausti jam Montes inibi sunt *Molibus* ædificiorum *Insanis*, uti ipsemet dicit Arbiter?

- - - Cælum sperare.] Valde mihi jam dudum erat cordi hic legere, *cælum spectare*, nimirum qua

- - - PERFOSSA DEHISCIT
Molibus insanis TELLUS,

uti Petronius jam dixerat.

Ex quo Sullanus bibit ensis.] Id est, Ex quo tot bella pariter Civilia à Cornelio Sylla incepta, & usque

ad ejus Dictaturam producta, exstincta sunt, ubi scilicet tot millia hominum cecidere. De his fuse Appianus agit lib. 1. Bell. Civil. & Lucanus lib. 2. quos vide.

Cap. CXXI. —— *Dextræ conjungere dextram Conatus.*] Uti in feriundis fœderibus factum, ad quæ adlusit Petronius. Pactum enim volebat icere Ditis Pater cum Fortuna de Populo Romano perdundo. Moris autem quam plurima hodie exstant exempla. Tacitus Annalium lib. 2. *Juravere amici Dextram Contingentes.* Statius lib. 1. Thebaid.

Jam pariter Coëant amborum in pignora Dextræ.

Sic Cicero lib. 5. in Verrem, Virgilius non semel, & Græcorum non pauci, quorum apud Hansenium memoria in de Jurejurando cap 9. Sunt & in sacris Bibliis insignia moris hujus specimina, potissimum Machabæorum.

Vota tibi cedent.] Hoc est, tuorum eris compos Votorum. Oppositum est illud cap. LXXXII. ubi de Tantalo sermo:

—— *Quem sua Vota premunt.*

Quippe quæ optat non adipiscitur.

Muneribusque meis irascor: destruet istas
Idem, qui posuit, moles deus.] De seipsa Fortuna loquitur, sententiam Florus expressit: *Itaque invidens Fortuna principi Gentium populo, ipsum illum in exitium suum armavit.*

Cerno equidem &c.] Vates hic velut futura prædicit numine plenus. quo & illud facit præceptum supra à Petronio memoratum cap. CXVIII. *Ut potius furentis animi vaticinatio adpareat.* Sic & pluribus Lucanus lib. 1.

—— *Video Pangæa nivosis*
Cana jugis, latosque Æmi sub rupe Philippos, &c.

—— *Gemina jam stratos morte Philippos*] Designat *Campos Philippicos*, qui juxta Philippos Thraciæ urbem fuere, ubi Octavius Cæsar, & Antonius confixerunt cum Cassio & Bruto, & hi duo tandem magni duces mortem sibi conscivere, quod Arbiter dicit, *Gemina jam stratos morte*, &c. Fuse vero Appianus lib. 4. Bel. Civil.

Thessaliæque rogos, & funera gentis Ibera,
Et Lybiæ cerno, & tua, Nile, gementia claustra.] Florus etiam loca recenset: *Si locum, & spatium, ubi commissum est* (bellum civile) *intra Italiam, inde se in Galliam HISPANIAMQUE deflexit, reversumque ab Occasu, totis viribus in Epiro THESSALIAQUE consedit: hinc in ÆGYPTUM subito transit; inde respexit Asiam, inde AFRICÆ intubuit, postremo in HISPANIAM remigravit, & ibi aliquando defecit.*

Et Libyæ &c.] Claustra Libyæ *Mauritania.* Ast *Gementia* quoque, nempe ob interitum ejus Regis Jubæ, Pompejanarum partium fautoris. Ipse, quum foret à Cæsarianis victus, in certamine ad Thapion Africæ oppidum, in regiam se recepit, magnificeque epulatus super mensas & pocula interficiendum se præbuit Petrejo fugæ comiti, Floro lib. 4. cap. 2. & Appiano lib. 2. auctoribus.

—— *Et tua, Nile, gementia claustra.*] *Alexandriam* & *Pelusium* urbes intelligit, quæ Nili claudunt ostia. Proprie igitur *Nili Claustra* illæ vocantur Petronio. Ita & *Pelusium* ipsum Κλεὶς τῆς Αἰγύπτου, *Clavis Ægypti* dicitur Suidæ, & sic pari ratione *Alexandria* potesset adpellari. In Alexandria autem apud Ptolemæum Cleopatræ fratrem in summum vitæ discrimen adductus Cæsar fuit Appianus lib. 2. Florus lib. 4. Lucanus lib. 10. In Pelusiaco item littore Pompejus trucidatus est, ut supra vidimus. An, *Gementia*, ob illa inibi patrata facinora? fors non male. Pariter de incrementis Nili agens Plinius lib. 5. cap. 9. inquit: *Minimumque* (incrementum) *Pharsalico bello, veluti necem Magni prodigio quodam flumine aversante.*

Actiacosque sinus.] Pugnam innuit navalem ad Actium Cæsaris Augusti cum Antonio & Cleopatra Ægypti regina. Memoriæ prodidere Plutarchus in Antonio, Dio lib. 50. Virgilius lib. 8. Propertius lib. 4. El. 6. Memorabile enim inprimis Bellum hocce Civile, qua ultimum, qua ingens.

—— *Et Apollinis arma timentes.*] Mirum quot res inlustrationis indigas prætereant Interpretes, vel quantum alias tenebrarum ipsa inlustratione rebus offundant. *Ambractos, Actiacosve*, & nunc indicat Sinus, ubi Actiaca illa pugna commissa ratio autem, quod Apollo tunc suppetias venit Augusto arcu suo & sagittis. Plane Virgilius extremo lib. 8. vers. 704. quem hic indubie respexit Petronius:

ACTIUS hæc cernens Arcum intendebat Apollo
Desuper: omnis eo terrore Ægyptus, &c.

Plene & Propertius Eleg. 6. lib. 4. ubi ad Augustum Apollo:

Vince mari: jam terra tua est; tibi militat Arcus,
Et favet ex humeris hoc onus omne meis.

Et subinde:

Dixerat: & Pharetræ pondus consumit in Arcus,

Et mox:

ACTIUS hinc traxit Phœbus monimenta, quod ejus
Una decem vicit missa SAGITTA rates.

Tutelare numen continuo Augustus agnovit Apollinem, præcipue eo in prælio, eaque propter, Dione teste initio lib. 51. Καὶ ἐπ' αὐτῇ τῷ τε Ἀπόλλωνι τῷ Ἀκτίῳ τριήρητι καὶ τετρήρει, τά τε ἄλλα τὰ ἐξῆς, μίσχει δικήρεϊ, ἐκ τῶν ἀκροστολίων νίκη ἀνέθηκε. καὶ ναὸν μείζω ᾠκοδόμησεν. ἀγῶνάτε τινα καὶ μουσικὸν, καὶ γυμνικὸν, ἱπποδρομίας τε πεντετηρικὸν ἱερὸν * (ἔτω γὰρ τοὺς τὴν σίτησιν ἔχοντας ὀνομάζουσι) κατέδειξεν, Ἄκτια αὐτὸν προσαγορεύσας. πόλιν τινὰ ἐν τῷ στρατοπέδῳ τόπῳ, τὰς μὲν συναγείρας, τοὺς δ' ἀναστήσας, τῶν πλησιοχώρων, συνοικίσας. *Eadem die Cæsar Apollini, qui apud Actium colitur, triremem, quadriremem, ac alia navium genera usque ad deciremem, ex captis navibus consecravit: templum majus exstruxit, ludos musicos, ac gymnicos, & certamen equestre cum sacro quinquennali* * (*sic enim ii, qui sunt*

sunt præfecti, adpellantur) constituit, Actios illos ludos dicens, urbemque eo loco, ubi castra habuerat, effecit; partim conlectis ad eam incolendam hominibus, partim eo translatis finitimis.

——— *Sitientia regna.*] Eo quod ipse Dis pater protulerat supra cap. præcedenti:

Jam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus.

Ideoque & nunc subjungit:

——— *Tuque ingenti Satiare ruina*
Pallida Tisiphone.

Orta hinc venusta illa translatio Juvenalis Satyr. 10.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges & SICCA MORTE tyranni.

——— *Simulacra virum.*] Summa dictum elegantia, sed habuit ab illustribus prius animis, primum puta Lucretio in 1. Si Ennii non, ut volunt Critici nonnullli, versus iste est.

Sed quædam Simulacra modis pallentia miris.

Sed postea sæpe alias. Et deinde à Principe poëtarum omnium, qui itidem pluries. duo tantum loca designo. in VII. Æneid. vers. 89.

Multa modis Simulacra videt volitantia miris.

In 1. autem Georg. vers. 476. iisdem ac Lucretius verbis:

——— *Et Simulacra modis pallentia miris.*

——— *Gremioque reducto*
Telluris.] Id est, Clauso hiatu, quem supra cap. CXX. eleganter descripsit:

Est locus excisso penitus demersus hiatu &c.

——— *Fraternos palluit ictus.*] Hoc est, timuit Pluto fulmina à fratre Jove missa, quorum fat culta præcedit periphrasis.

Auspiciis patuere deûm.] Pleraque tamen ex illis poëtica fide prolata, Virgilium prorsus æmulatus extremo lib. 1. Georgicon, neutiquam vero veritatis religiosa oratione, ut ipse Arbiter loquitur. Alia ferme sunt ab iis, quæ Julius Obsequens, diligens Prodigiorum Scriptor, bellum nempe illud civile præsagientia, memoriæ prodidit Anno ab V. C. IDCC. IV. Operæ autem pretium erit hic conferre nonnulla, quæ signanter ipsum portenderint, alia namque in præsentia congerere (facile enim innumera nobis) prorsus, me Hercules, foret, patientia Auditoris mei abuti.

——— *Namque ore cruento, &c.*] Parissime defectus illos Solis & Lunæ descripsit Lucanus in 1. vers. 537.

——— *Cornuque coacto*
Jam Phœbe Toto fratrem quum redderet Orbe,
Terrarum subita percussa expalluit umbra.
Ipse caput medio Titan quum ferret Olympo,
Condidit ardentes aira Caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, gentesque coëgit
Desperare diem.

Tetigit Florus: *Interdiu tenebræ.* Item Dio lib. 31. Ὁ τε ἥλιος σύμπας ἐξέλιπε. *Sol totus deliquium pertulit.*

——— *Rupta tonabant*
Verticibus lapsis montis juga.] Ejusdem belli ostentum, Montium tremores ac motus. Lucanus & hic haud inferiori vers. 553.

——— *Veteremque jugis nutantibus Alpes*
Discussere nivem.

Et Virgil. in fine lib. 1. Georg. vers. 474. licet ibi aperte portenta narret, quæ præcesserint secundum Bellum Civile apud Philippos, sed Poëtæ illa sæpe confundunt:

——— *Insolitis tremuerunt motibus Alpes.*

Rem autem Dio signanter tradidit: Καὶ σεισμοὶ συνεχεῖς μετὰ μυκηθμῶν ἐγίνοντο. *Et terræ motus crebri cum mugitibus editi sunt.*

——— *Nec vaga passim*
Flumina per notas ibant morientia ripas.] Veterem scripturam expressi. *Nec vaga*, quia jam *passim morientia.* quod mirifice & Virgilius dicto jam loco vers. 478. significavit verbo uno:

——— *Sistunt amnes.*

Huic sensui bene, qui *per Latas Ripas* hic reponunt. Joan. Ludovicus de la Cerda aliter capit, scilicet, *Nec ibant per notas ripas*, cui simile & illud inter prodigia Papinii sit 7. Thebaid. vers. 405.

——— *Aversique suis de cursibus amnes.*

Sed sic opponuntur plane *Vaga* & *Morientia.* Utut autem ergo olim scriptum fuit, sive *notas*, sive *latas*, mens nostra, ordoque verborum indubie præferendus. Helenopolitana vero editio habet, *Orientia.* Sed tunc ex antica pugnans foret sensus, eique lectioni firmandæ essent subsidio, quæ Chr. Richardus congerit, ubi, *Torrentia*, scripsisse Petronium opinatur intrepide.

Armorum strepitu cœlum furit.] Idem & Lucanus vers. 569.

Tum fragor Armorum (auditus.)

Sed ostentum hocce speciatim alii recensent inter illa, quæ pridie, eodemve die, cladem Pharsalicam portenderunt.] Sic Jul. Obsequens: *Clamorem, crepitumque Armorum Antiochia, bis ut curreretur in muros, auditum; indeque sonum tympanorum Pergami.* Iisdem pene verbis Valerius Maximus lib. 1. cap. de Prodigiis, & Dio lib. 42.

——— *Et tuba Martem*
Sideribus tremefacta ciet.] Puto hic & Arbitrum Lucani ostentum id optasse ostendere vers. 578.

Insonuere Tubæ, &, quanto clamore cohortes
Miscentur, tantum nox atra silentibus auris
Edidit, &c.

Jamque Ætna voratur
Ignibus insolitis, & in æthera fulmina mittit.] *Insolitis*; solitis quippe & quotidianis majores fuere, sive violentiores. Differitas autem aliunde Lucano petita, quæ & eo animadvertenda, quod ex diametro pugnet cum Petroniana, inquit ergo Cordubensis Poëta vers. 545.

Ora ferox Siculæ laxavit Mulciber Ætnæ,
Nec tulit in cœlum flammas, sed vertice prono
Ignis in Hesperium cecidit latus.

Quod *Undantem Ætnam* Virgilius dicto loco vers. 471. vocavit. Aliter igitur Arbiter, qui dixit, *Et in æthera, &c.* Cerda, *Rotatur*, mavult, non *Voratur*. Aliorum autem interpretamenta (eorum pace dictum sit) videntur somniorum.

Umbrarum facies diro stridore minantur.] Duplex Lucani portentum complexus hic Arbiter. primum vers. 568.

Compositis plenæ gemuerunt ossibus urnæ.

Alterum vers. 570.

——— *Et venientes cominus Umbræ.*

Ast equidem jam dudum factum est, quum locum caperem de ostento, quod pugnam ipsam Cæsaris & Pompeji antecessit. ejus sic Obsequens memiuit: *Nocturni terrores in Exercitu fuere.* Sic & Valerius Maximus, item Lucanus lib. 7. inter plura alia vers. 179.

Defunctosque patres & cunctas sanguinis umbras
Ante oculos volitare suos.

Movit me elegans illa Exercitus periphrasis:

Ecce inter tumulos, atque ossa carentia bustis.

——— *Stridore.*] *Stridor*, & *Stridere* propritim de umbris Manium. noster etiam Lucanus in 6. vers. 623.

Auribus incertum feralis Strideat umbra.

Item Papinius 9. Thebaid. vers. 299.

Stridebit vestros Tydeus inhumatus ad ignes:

Unde lucem mutuati sunt Accio in Alcestide, primum noster Delrio, postea Ger. Joann. Vossius:

Quum Strideret retracta rursus inferis,

Quod de Umbra Alcestidis dictum, conligere est,

Fax stellis comitata novis incendia ducit.] Ipsum Lucanus lib. 1. vers. 526.

Ignota obscura viderunt Sidera noctes.

Ac deinde per plures versus tacum, flammarum, cometarum, fulgurum, lampadum, ac denique ignium variarum formarum longam contexit descriptionem.

Sanguineoque recens descendit Juppiter imbre.] Appianus, qui istorum fuit parcus prodigiorum recensor, hujusce meminit, quod aliis fuit prætermissum. inquit in 2. Bell. Civil. Αἱμά τι γὰς ἔδοξεν ὁ Διὸς ὕσαι. *Alibi sanguinem pluisse*, ait ergo Arbiter, Pluviam sanguinearum guttarum cecidisse. ubi eleganter *Jovem* usurpavit pro pluvia. Sic etiam Lucanus de Ægypto loquens lib. 8. vers. 446.

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis,
Aut Jovis.

Sic & alibi iterum.

Gallica projecit.] Notum ex historia, & ipse Arbiter inferius cap. sequenti masculo spiritu:

——— *Dum Rhenum sanguine tingo,*
Dum Gallos iterum Capitolia nostra petentes
Alpibus excludo, &c.

Alpibus aereis, ubi Grajo nomine.] Expressit Poëtam principem in 3. Georg. vers. 474.

Tam sciat Aereas Alpes. ———

Aëreæ celsæ sunt: sed sat ei vel *Alpes* simpliciter sufficerent, nam Gallica lingua *Alti montes Alpes vocantur*, teste hic Philargyrio. Non longe Lucanus abit extremo lib. 1. vers. 688.

——— *Nunc desuper Alpis*
Nubiferæ colles, atque Aëriam Pyrenen.

Signanter autem *Alpes* illas Arbiter designat, sæpius *Grajas* priscis nuncupatas Scriptoribus, ab Hercule videlicet Grajo, qui illas primus cum exercitu transiit. Silius lib. 3. Cornel. Nepos in Annibale, alii. Nam, quæ *Pœninæ* dicebantur *Alpes*, ab Hannibale denominatæ fuere, qui eas secundum superavit cum amplissimo exercitu. Plinius lib. 3. cap. 17. Paul. Warnefridus de Gestis Longob. lib. 2. cap. 18. Celebris autem tertius memoratur Cæsaris transitus, sed qua primum scilicet Hercules exercitum duxerat, quas & ideo (Grajas inquam) *Julias* deinde *Alpes* adpellatas fuisse, mea conjectura est, de quibus plurima exstat apud Marcellinum memoria, Sextum Rufum cap. 7. Breviar. & Paul. Warnefridum lib. 2. de gest. Longob. cap. 13. easque Messalla Corvinus lib. de Augusta progenie videtur *Romanas* nuncupasse. nisi illæ fortean sunt, per quas iter Pompejus Magnus adgressus, ad æmulationem quoque Annibalis, alias fauces aperuit, medio scilicet inter Padi Rhodanique fontes spatio, ut testatur in 1. Bell. Civil. Appianus. Qui aliter vero Alpes confundunt, priscos Scriptores satis non viderunt, sed Plinium, & quos ego hic tetigi, potissimum.

——— *Vulsæ*

Descendunt rupes, nec se patiuntur adiri.] Haud inepte de rupibus interpreteris imminentibus, præcipitiumque minitantibus. Juvat animose Appianus Annibal. Ἐλθὼν δὲ ἐπὶ τὰ Ἄλπια ὄρη, καὶ μηχανώμενον, μή τι διοδον, μήτε ἄνοδον ἰδὼν (ἀπόκρημα γὰς ἐστι ἰσχυρὰς) &c. *Quum autem Hannibal ad Alpes pervenisset, neque ullum vel transitum, vel adscensum reperisset* (*sunt enim mirum in modum omni ex parte Præcipites*) &c. Sic & Ammianus de quodam Alpium jugo loquens lib. 15. cap. 25. *Pendentium saxorum altrinsecus visu terribile est.*

Est locus Herculeis aris sacer.] Nihil ergo dubium, monimentum aliquod insigne relictum olim Grajis in Alpibus, Herculi scilicet sacrum, in ejus ea facti difficilis itineris memoriam. Ea autem (moneo equidem, ne ad illam auriculæ tenerrimæ pateant) mirifica est adserentium Geographia, nempe, hic Dyrrachium Epidamnumve denotari, quibus sine sagarum cantamine translatum fuit in Alpium cacumen Græcorum oppidum maritimum.

——— *Hunc nive dura*
Claudit hiems.] De ipsis Alpibus pariter Silius noster lib. 3.

——— *Clausa Nivibus rupes,*

dixit. Sed de fabulosa Alpinarum nivium altitudine glacieque plura nos, ubi multis Arbiter.

Totum

Totum ferre poteſt humeris minitantibus orbem.] Apte ex præcedentibus:

- - - Canoque ad ſidera vertice tollit.

Utrobique id videtur expreſſum eſſe Silii Italici itidem de ſummitate Alpium canentis:

- - - Suppoſtaque coelo
Saxa.

Quod bene Dauſquejus cum illo Apollinaris contulit Carm. 5.

Alpes marmoreas, atque occurrentia juncto
Saxa polo.

- - - Summo de vertice montis
Heſperiæ campos late proſpexit.] Opportuna oppido ſpecula ad ſubjectam Italiam proſpiciendam, Annibalis hic apud Livium conlatio adpoſitam ſuggeret Cæſaris Italiam proſpectantis repræſentationem. De Alpinis montibus ſic loquitur lib. 21. cap. 35. *Per omnia nive oppleta quum ſignis prima luce motis ſegniter agmen intederet, pigritiaque & deſperatio in omnium vultu eminoret, prægreſſus ſigna Annibal, in promontorio quodam, unde longe & late proſpectus erat, conſiſtere juſſis militibus, Italiam oſtentat, ſubjectoſque Alpinis montibus Circumpadanos campos.* Vere ergo Polybius lib. 3. Οὕτω γὰρ ὑπεπεπλώκει τοῖς προειρημένοις ὄρεσιν, ὥστε, συνθεωρεμένων ἀμφοῖν, ἀκροπόλεως φαίνεσθαι διάθεσιν ἔχειν τὰς Ἄλπεις τῆς ὅλης Ἰταλίας. *Ita enim ſubjecta erat Italia montibus illis, quos ſupra commemoravi, ut, quum Italia & Alpes una ſpectarentur, viderentur ad totam Italiam arcis rationem & ſimilitudinem obtinere.*

- - - Et ambas
Intentans cum voce manus ad Sidera.] Loci hujuſce argutia ſatis ex parilibus locis conſtabit conferenti, hebes modo prorſus non ſit. inquit Encolpius cap. IX. *Quibus ego auditis, intentavi in oculos Aſcylti Manus.* & cap. XCV. *Et alias veru extis ſtridentibus plenum in oculos ejus Intentat.* ac denique cap. CVIII. *Sed Intentans in oculos Tryphænæ Manus.* Sic & Seneca mens divina in Epiſt. 71. *In oculos nunc mihi Manus Intentat ille.* Quid ni ergo poteſſet Cæſar Manus ad ſidera, veluti in hominis pariſſimi oculos, Intentare, ſummo nimirum in illo rupis cacumine conſtitutus? quod mire & hyperbolæ conſonat ſuperiori:

- - - Canoque ad ſidera vertice tollit,
Cælum illinc cecidiſſe putes, &c.

Cap. CXXII. *Teſtor ad has acies invitum arceſſere Martem,*
Invitas me ferre manus.] Teſtantur & plures. inquit Paterculus lib. II. cap. XLIX. *Nihil relictum à Cæſare, quod, ſervandæ pacis cauſſa, tentari poſſet, nihil receptum a Pompejanis.* Latius Appianus lib. 2.

Dum Gallos iterum Capitolia noſtra petentes
Alpibus excludo.] Interpoſitæ quippe Alpes munimenti arciſque rationem ad totam Italiam obtinere viderentur. Opportune Cicero Orat. de Prov. Conſul. *Alpibus Italiam munierat ante natura, non ſine aliquo divino numine; nam, ſi ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuiſſet, numquam hæc urbs ſummo imperio domicilium ac ſedem præbuiſſet.*

- - - Mercedibus emta,
Ac viles operæ] Mercenarii milites, & Auxiliares. Appianus lib. 2. ait, juſſiſſe Senatum, ſcilicet Pompejum ξενολογεῖν καὶ ἐκ τῶν περιοίκων ἐθνῶν ὅσα ἄλκιμα. *Conducere ex circumvicinis fortibuſque nationibus Mercenarios* At de Auxiliaribus apud ipſum ibidem Cæſar & ita contemtim loquitur. Καὶ τά δὲ μοὶ περὶ μόνων ἐστὶ τῶν Ἰταλῶν. ἐπὶ τῶν γε συμμάχων μηδὲ φροντίζετε, μηδ' ἐν λόγῳ τίθεσθε, μηδὲ μάχεσθε ὅλως ἐκείνοις. ἀνδράποδα ταῦτ' ἐστὶ Σύρια καὶ Φρύγια, καὶ Λύδια, φρύγειν ἀεὶ καὶ δουλεύειν ἕτοιμα. *Et hactenus de ſolis loquor Italis. nam de Auxiliaribus nolo vos eſſe ſollicitos, aut ullo eos in numero ponere, aut armis invadere. Mancipia Syra Lydaque & Phrygia, ad fugam tantum & ſervitutem nata.* Fuſe recenſet lib. 3. Lucanus.

- - - Quorum eſt mea Roma noverca.] Mater namque ſolum Italorum jure diceretur. Aſt hic & Italorum (ex quibus robur conſtitit exercitus Pompejani) vult Cæſar Romam quoque videri *Novercam*, quum illos in manifeſtum capitis periculum acerbe projiceret: nam victoriam ſibi certo augurabatur Cæſar. diſertim ſubdit:

Ut reor, haud impune; nec hanc ſine vindice dextram
Vincier ignavus.

ac ſubinde:

Inter tot fortes armatus neſcio vinci.

Ex noſtra autem iſta interpretatione fortaſſe lucis accipiet uſuram vox illa Scipionis Africani apud Paterculum lib. 2. cap. 4. Nam, ubi de Ti. Gracchi cæde ſententiam ſuam dixiſſet, & tunc omnis concio obclamaſſet, *Hoſtium*, inquit, *armatorum toties clamore non territus, qui poſſum veſtro moveri, quorum Novercа eſt Italia?* Hoc eſt, qui duriter, veluti à Noverca, à Matre Italia accepti eſtis?

- - - Furentes.] Sic ego conjectaram, poſtea edidit Bourdelot. Sed adhuc penitus non placet, ceteris tamen præferenda. vulgaris, *ferentes*, alii *frequentes*, *nocentes*, *ſequentes*.

Namque omnes unum crimen vocat.] *Crimen* ἐμφανικῶς. communes namque facit anteactas ſuas *Victorias*, *Triumphos*, eoque militem captat, & excitat, iteratque ideo non ſemel. eo ſpectant:

- - - Victores ite furentes,

Item:

- - - omnibus una
Impendat clades.

nempe Victoriæ, nam prius Cæſar dixerat:

- - - Vincendo certior exſul,

quod & anterius:

- - - Sed vulnere cogor
Pulſus ab urbe mea.

Item:

Non ſolus vici.

Ac denique:

- - - *Et sordes meruit Victoria Nostra.*

— *Quia poena tropæis*
Imminet, & Sordes meruit victoria nostra, &c.
- - - - *Sumite bellum,*

Et tentate manus.] Probe Casaubonus censuit, exprimere hic Cæsaris verba, Petronium amasse, quæ cap. 30. refert Suetonius: *Tantis rebus gestis & Cæsar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petissem.*

Judice fortuna cadat alea.] Manifesto & hic Petronium ad Cæsaris verba constat respexisse, quæ apud Tranquillum cap. 32. ubi multus Casaubonus. Apte item judicem fortunam facit in Causa, quæ ferro dicenda. Ipse anterius:

- - - *Et Causam dicite ferro.*

Hæc ubi personuit, de cœlo Delphicus ales, &c.] Parissimus carminis contextus ille Poëtæ ter maximi lib. 6. Æneid.

Vix ea fatus erat, gemino quum sorte columbæ, &c. Sed Homeri aperta imitatio est, ut infra ostendimus.

- - - *Delphicus ales.*] *Aquilam* hic Apollinis alitem agnovit unus alterve Interpres, sed rationem non reddunt. Præbeam ego interea satis idoneam, dum plures forte suppetunt aliis. Naturalis historiæ adserunt Architecti, Aquilam scilicet adversos solis radios intueri sine nictatione posse. eoque indice legitimam experiri pullorum suorum ingenuitatem. Legitimo ergo & jure ejus numinis audiret Ales, quæ eousque esset oculatissima. uti idcirco *Accipiter* audiit, ut postea ex Ælliano patescet. Vide autem Aristotelem, & Ælianum de Animal. Plinium lib. 10. cap. 3. Antigonum cap. 52. D. Augustinum. Lucanum lib. 9. Opitulatur autem iis, qui Aquilam hic interpretantur, augustus semper fortunatissimusque ejus in auguriis volatus. quo facit & illud Senecæ lib. 2. Nat. Quæst. cap. 32. *Cur ergo Aquilæ hic honor datus est, ut magnarum rerum faceret auspicia?* Cujus & apud Scriptores priscos exstant innumera exempla. Opitulatur item Antonini Liberalis de Periphante narratiuncula Metamorph. 6. qui, quum plurima scilicet Apollini templa condidisset, Jovem autem sibi reddidisset valde intensum, eoque statuisset, totam ejus domum fulmine comburere, Apollo extremam familiæ ejus perniciem deprecatus est, tandemque in *Aquilam* Periphantem commutavit. Hæc ego jampridem pro loci hujus interpretatione conceperam. noviissime autem & ipsi Apollini adlubuit, verum suum ad nos mittere Alitem, ut, postea quam de Arbitri mente ille nos feciset certiores, ei vicissim vindicaremus decus singulare. Is enim *Accipiter* est Apollini sacer, Vide Ælianum de Anim. lib. 2. cap. 43. lib. 7. cap. 9. lib. 12. cap 4. quem προσηκειν τῷ θεῷ ait Ælianus lib. 10. de Animal. cap. 14. Τῶν προτερημάτων φασίν, ὁρῶσι γὰς ἱέρακες ὀρνίθων μόνοι ἀεὶ ἐν ταῖς ἀκτῖσι τῆς ἡλίου ῥαδίως καὶ ἀθαμβίστως βλέποντες. *Cum deo illo idcirco convenientiam habere ajunt, quod de avibus soli Accipitres semper nullo negotio adversus Solis radios intuentur.* Ipse & *Nuncius Apollinis* dictus est, & auspiciis præmittendis a fatidico deo illo præ omnibus præposita volucris. Quapropter Homerus fecit, ipsam loquenti itidem Telemacho lætum omen ab Apolline adferre; & nunc Arbiter, Homerum indubie exprimens, Cæsari. Ecce inquit lib. 15. Odyss.

Ὡς ἄρα οἱ εἰπόντι ἐπέπταθο δεξιὸς ὄρνις
Κίρκη, Ἀπόλλωνος ταχὺς ἄγγελος, &c.
Sic igitur ei locuto volavit dextra avis
Accipiter, Apollinis velox Nuncius, &c.

Immo, uti ab Apolline ipso tradita, auguria acciperent ab Accipitre, quandoquidem in ipsum transfigurari Apollinem consueviisse, pro certo habuerint Antiqui. Sic tradit Ovidius lib. 6. Metamorph. & Antoninus Liberalis Metamorph. 28.

Omina læta dedit.] Dextra ex parte nimirum volans, quod hic subindicari, videor mihi toto meridie clarius videre, quum *partis sinistræ* versu sequenti signanter facit mentionem. *Aquila* enim, si dextra ex parte venit, felix omen fecit, & magnarum rerum auspicia, ut ex augurum disciplina compertum jam olim equidem habui. Sic Homerus sæpe in Iliados libris ostendit, præsertim lib. 12. & extremo 13. aliasque, ad quos properans Lectorem remitto. Sic & Romani sensere, ut ex Suetonio ego observo in Vitellio cap. 9. *Præmisso agmini Lætum evenit auspicium: siquidem a Parte Dextra repente Aquila advolavit: lustratisque signis*, &c. Juvatque quod in Claudio refert cap. 7. Idem de *Accipitre* censendum, quum exsertim bis Homero δεξιὸς ὄρνις ibi dicatur, hoc est, *volans ad dextram*, prosperamque fortunam portendens. Hoc autem eo potissimum animadversione dignum judicavi, quod semper aves, qua *Oscines*, qua *Præpetes*, Sinistræ augurium quidem secundissimum portenderint antiquitus.

- - - *Populitque meatibus auras.*] Faustum aliud *Aquilarum* Omen & hic denotari, olim autumabam, nam Læta & magna protendere creditæ, si patulis evolarent alis, porrectisque; potissimum autem, si *Stridentibus*, quod Arbiter nunc innuere mihi etiam videbatur. Locus item & de *Accipitris* volatu haud incommode capiendus, qui ἱλαφίσταται πτερυγῶν, *Citissimus volucrum* Homero dicitur lib. 13 Odyss. ταχὺς, *velox, celer*, extremo 15. ὠκυπέτης, *celeriter volans* Hesiodo. lib. 1. Ejus autem pernicitas *Igni* ab Ælliano comparatur lib. 10. cap. 24. *Sagittæ* lib. 12. cap. 4.

- - - *De parte sinistra*
Insolitæ voces flamma sonuere sequenti.] Lætum & istud quoque omen. in auguriis, namque, quæ Sinistra sunt, bene eventura putantur. Donatus in illud 2. Æneid.

- - - *Subitoque fragore*
Intonuit Lævum.

Inquit: *Quod dixit Lævum, debet hoc prosperum intelligi, nam ejus in hac causa est ratio. Læva in aliis contraria significantur. In sacris autem Signis idcirco prospera accipiantur, quæ sunt Læva, quia sacrificantis, vel*

vel precantis, latus Lævum dexterum est ejus, qui postulata largitur. Sciens prætereo alios innumeros. Aſt *Voces*, addit, *Flamma* ſequuta eſt, itidem nempe à parte Siniſtra emicans. quod etiam inprimis creditum proſperum augurium, auctore Dionyſio Halicarnaſſeo lib. 2. paullo poſt principium: Μετὰ δὲ τὴν εὐχὴν ἄστρα πὴ διῆλθεν ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιά. τίθενται δὲ Ῥωμαῖοι τὰς ἐκ τῶν ἀριστερῶν ἐπὶ τὰ δεξιὰ ἀστραπὰς αἰσίους. *Peractis precibus Fulgur à Siniſtris ad dextram emicuit. Habent autem Romani talia pro fauſtis*, &c.

Ipſe vitor Phœbi vulgato lætior orbe
Crevit.] Supra, obſcurari ſolem, ejuſque lumen diminui, adverſum fuit habitum oſtentum: nam ſemper illud miſeri eventus ſequuti ſunt, ut Jul. Obſequens obſervat Capp. 31. 45. 48. 127. Aſt nunc contra, Phœbeum orbem augeri, auratoque fulgore præcingi, rationi videtur eſſe conſentaneum, fortunata portendere.

Cap. CXXIII. - - - *Et inſolitos greſſus prior occupat auſu.*] Sic Annibalis tranſitum canens Silius lib. 3. Ubi & Alpium deſcriptio & Ducis intrepidi virtus mire adpoſitæ, ut cum integro hocce Petroniano loco ab ſolerti conferantur Lectore. Ecce illis parilia verba Italici verſ. 516.

Rumpit inacceſſos aditus, atque ardua Primus
Exſuperat.

- - - *Et cana vincta pruina*
Non pugnavit humus, &c.] *Vincta*, vere Arbiter ſcripſit, in codices nonnullos poſtea clanculum inrepſit, *juncta*, mendax indubie ſcriptura, ſed in eam potuit degenerare nobilis illa primæva abſque ulla mutatione, ut ſupra dicebamus ad verba cap. XCIV. *Et jam ſemicinctio ſtantem ad parietem ſpondam vinxeram.* Vincta ergo cana pruina humus tunc primum non pugnavit, hoc eſt, haud contendit cum primis hominum greſſibus, immo potius contemſit, *Quievitque: duratas* namque *neſciebat mollire pruinas*, ut loquitur Silius ibidem verſ. 482. Aſt, poſtquam Turmæ proceſſere univerſæ, ampliſſimuſque Equitatus ingenti ceſſit ponderi, ligatique nimbi fracti ſunt, ac rupta undarum vincula, ipſæ autem nives liquefactæ montibus altis, inſtar juſtorum fluminum, undabant. Id tamen haud diutule torrentibus iis conceſſum, nam vincti illico ſtetere rurſus, geluque obriguere. &, quæ paullo ante aqua ſoluta erat, repente in pruinam glaciemque concrevit, cujus rigor ferro frangendus eſſet. Ubi vero id omiſſum temere, adeo veſtigia progredientium deluſit, ut prolabentium militum armorumque paſſim congererentur acervi. Integram ſic difficiliorum verſuum ſententiam veluti παμφιγιχῶς contexere adlubuit, eo potiſſimum, quod hic viros eruditos cæcutientes haud ſemel animadverteram. Quam hic *Humum vinctam cana pruina*, poſt pauca vocat *Horrida arva.*

- - - *Sed hæc quoque juſta putares.*] Probior ſcriptura, & quam adſtruit ſcriptus liber. Pridem vulgatim placebat *Juſſa*, & Coacta interpretabar, ut Ovidii eſt illud in 3. Epiſt.

Nec tibi magnificum femina Juſſa mori.

hoc ſenſu; Flumina modo nata coacta videbantur fluere, nam ſimul ac nata perſtringi gelu erat neceſſum, quod adprime ſequenti conſonat:

Vinctaque mox ſtabant.

hoc eſt, poſt quid temporis. Aſt magis tamen eſt, *Juſta*, cum Richardi interpretamento. Aliorum autem, *miſſa*, *ſpiſſa*, & *ſtare*, gerræ gerræ.

Tum vero malefida prius veſtigia luſit,
Decepitque pedes, &c.] Lubrica glacie greſſus fruſtrari, quis non expertus? Prolapſio exin caſuſque ſimplex frequentius provenit, at membrorum inſuper abſciſſio nonnumquam. id Arbiter ſequentibus deſignat:

- - - *Paſſim turmæque virique*
Armaque congeſta ſtrue deplorata jacebant.

Hocce eleganter Silius noſtras loco laudato verſ. 552.

Nec peſtis lapſus ſimplex, abſciſſa relinquunt
Membra gelu, fractoſque aſper rigor amputat artus.

Qui verus horumce verſuum ſenſus. nam, quid hic cum Pedum Lapſu Admutilatio illa mortuorum præfrigoris pervicacia membrorum, quam meditatur neoterus Italici Interpres? Exprimunt item haud indecenter mentem, quam enucleamus, hujus Poëtæ, venuſta duo Epigrammata Græca, quæ exſtant in Anthолog. lib. 1. cap. 23. lib. 3. cap. 22. quæ ſic & C. Cæſar Germanicus tranſtulit haud inficete:

Thrax puer adſtricto glacie dum luderet Ebro,
Frigore concretas pondere rupit aquas.
Dumque imæ partes rapido traherentur ab amne,
Præſecuit tenerum lubrica teſta caput.
Orba quod inventum mater dum conderet urna,
Hoc peperi flammis, cetera, dixit, aquis.

Item Saltatriculæ fatum Nicephoro Calixto memoriæ proditum lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 20. *Malefida*, Lues ſcilicet, quod lubrica, rurſus quippe conſtricta & concreta. quid autem hic *Lues*, jam Turnebus docuit, contuleruntque Symbolæ.

Qualis Caucaſea, &c.] Quando ſcilicet Hercules κατατοξεύσειν ἐπὶ τῇ Καυκάσῳ τὸν ἰσθίοντα τὸ τῆ Προμηθέως ἧπαρ ἀετὸν ὄντα Ἐχίδνης καὶ Τυφῶνος. ὃς καὶ τὸν Προμηθέα δήλυσε ἑλόμενον τὸν τῆς ἡλαίας. *Aquilam Typhonis & Echidnæ filiam, Promethei jecur in Caucaſo monte depaſcentem, ſagittis conficit; & Prometheum, detracto permoleſto vinculo, ſolutum liberavit*, ut inquit Apollodorus lib. 2. Bibliothec.

Amphitryoniades.] Sic Hercules ab Amphitryone dictus, cujus filius exiſtimatus, revera Sovi erat trinoctio concubitu progenitus. Unde *Falſiparens Amphitryoniades* adpellatus Catullo Eleg. ad Mallium.

- - - *Tela Gigantum.*] Hui Tela in cælum emiſſa? maxime. Sic Apollodorus lib. 1. de Gigantibus agens: Ἠκόντιζον δὲ εἰς οὐρανὸν πέτρας καὶ δρῦς ἡμμένας. *In cælum ſaxa atque accenſas arbores jaculabantur.* Non ergo Tela ſunt Machinamenta, ut exponunt alii.

- - - *Ar-*

- - - - *Arces.*] Alpinas, ut supra de monte Caucaso:

Qualis Caucasea decurrens arduus Arce.

Signanter vero Alpes Italiæ *Arx* pluribus dictæ.

Interea volucer, &c.] Premit & hic prorsus Lucani vestigia lib. 1. Arbiter, eademque comminiscitur de Cæsaris adventus sparsis per Famam tumoribus; item de animis civium vario perculsis, ac ipsorum fuga. tute confer, nobis satis sit, digitum aliquoties ad fontem intendisse.

- - - *Juga celsa Palati.*] Montis nempe, qui *Palatium* dictus. Varro lib. 4. LL. & plures. Inter omnes Romanos Colles præcipuus ille, ubi & sedes Romani Imperii, & domus Imperatorum, jure ergo hic positus pro tota urbe Roma.

Fervere Germanę persusas sanguine turmas.] Nam Germaniam quoque cum Gallia debellavit Cæsar, & tandem bellis Germanicis finem imposuit. Vide Cæsarem lib. 4. Bell. Gall. Appianum in Epitome Bellor. Gall. Lucanum lib. 1.

- - - *Per dubias caussas.*] Dubii quippe, cuinam fortunæ committerent sese; exilio, an bello? Pariter Lucanus lib. 1. vers. 490.

Tum, quæ tuta petant, & quæ metuenda relinquant,
Incerti, quo quemque fugæ tulit impetus, urgent
Præcipitem populum.

Multus hic præ cæteris Dio lib. 41. haud nimis longe ab initio.

Gaudet Roma fuga.] Historica fide hocce totum de civium fuga prolatum est, itaque omnes memorant, sed fuse Dio lib. 41. Arbitro vero Lucanus prævit, cujus semper cordi habuit, uti jam vidimus,

- - - *Contracta sequi vestigia vatis.*

- - - *Et absentem votis interficit hostem.*] Votis, id est, desideriis. Sic etiam Scaliger ad Tibullum. perperam alii.

Sunt, qui conjugibus mœrentia pectora jungant,
Grandævosque patres.] Idem Lucanus, sed majori τὸν πάθει lib. 1. vers. 504.

- - - *Nullum jam languidus ævo*
Evaluit revocare Parens, Conjuxve maritum
Fletibus.

- - - *Tantum trahit.*] Humeris innuit. quapropter & fuere, qui reponerent loco *oneris*, *humeris*, non invenuste. Haud aliter, ac illi facerent, de quibus Strabo lib. 6. Οἱ τὰς γονέας ἐπὶ τῶν ὤμων ἀράμενοι. *Hi parentes humeris sustulerunt.* Et, uti depingi olim solitum Æneam, nempe Humeris patrem Anchisen gestantem, memini me legisse apud Appianum. Si vero, *humeris*, reponis, *ignara juventus*, imprudens interpretaberis, ipso manuducente Arbitro, quum subdit

- - - *Omnia secum*
Hic vehit Imprudens.

Eo autem Ignara ac Imprudens, quod Prædam scilicet in prælia ducerent.

Ac velut ex alto quum magnus inhorruit Auster, &c.] Arbiter parissimum locum pari quoque similitudine ac Lucanus exornare non erubuit libr. 1. vers. 448.

- - - *Qualis quum turbidus Auster*
Reppulit à Libycis, &c.

Dispeream & nisi hic major noster Annæus est, & nisi ego facile probaverim cuiquam.

- - - *Ligat alter pondere pinus.*] Nugantur Symbolæ. Lucanus interpretatur pari illa in Similitudine vers. 500.

Fractaque veliferi sonuerunt Pondera Mali.

Pinus hic plane pro Malo navis, ut etiam Lucanus lib. 11. vers. 695.

- - - *Dumque ardua Pinus*
Erigitur.

Pondera igitur mali antennæ sunt, *Juga* ibidem Lucano dictæ:

Dum Juga curvantur Mali.

Et *Vela*, quæ antennis adligantur, & hoc est scilicet, quod Arbiter nunc aperte inquit.

Alter tuta sinu, tranquillaque littora quærit.] Hoc est, nando vitæ consulit. Exprimit indubie illud Lucani dicto jam simili lib. 1. vers. 501.

Desilit in fluctus deserta puppe magister,
Navitaque.

Sinu Arbiter, *Pectore* Virgilius inquit in 9. vers. 103.

- - - *Secant spumantem Pectore pontum.*
- - - *Gemino cum Consule Magnus*
- - - *Imperii deserto nomine fugit.*] Vix tibi temperes à risu, si Symbolas hic consulis, efferunt: *Pompejus bis Consul*, & nihil amplius addunt. immo ter, si bene calculum ponunt. Esto tamen Bis, quidnam illud in præsentia fecerit Arbitro? ne hilum. Rem autem ego sic pandam. Consules C. Claudius Marcellus & L. Cornelius Lentulus anno ab V. C. si Fastorum Capit. & Dionis stat fides 705. si Annæi Flori 704. Si Paterculi 703. postquam ab illis Pompejo bellum contra Cæsarem mandatum est, omnes una cum majori senatus populique parte, deserta Urbe, in fugam se dederunt. Inquit Vellejus lib. 2. *Cn. Pompejus Consulesque, & major pars Senatus, relicta Urbe, ac deinde Italia, transmisere Dyrrhachium.* Sic & Appianus lib. 2. de Pompejo loquens: Ἔξω τῆς τε βουλῆς καὶ τῆς πόλεως ἀντίκα ἐς τὴν ἐν Καπύῃ στρατιὰν καὶ οἱ ὕπατοι συνείποντο αὐτῷ. *Curiam exivit, ac mox Urbem quoque, petens exercitum ad Capuam, quem consestim secuti sunt Consules.* Item Florus lib. 4. *Nec Pompejus ab Italia, quam Senatus ab Urbe, Fugatur prior*, &c. Sed, plures quid referam, quum plus satis rem jam patescere, ire possit inficias nemo. Vide tamen, si lubet, Plutarchum in Pompejo, Dionem lib. 41. Lucanum lib. 1.

Ille tremor Ponti.] *Pontus* hic Asiæ regio est, sic Ptolomæo vocata; regnumque Mithridatis Lucano in 10. Ipsam Pompejum subjecisse, ex eaque tertium triumphum duxisse, tradit Plutarchus in Pompejo, Appianus Lib. de Bell. Mithrid.

- - - *Savi*

——— *Sævi quoque terror Hydaspis.*] Hydaspes Indiæ flumen, per quod Arbiter populos designat plurimos Orientis, quos Pompejus subegit: ac veluti appendiculæ fuere Belli Mithridatici, ut loquitur Plutarchus in Pompejo. Pariter & Lucanus memorat in 8. vers. 227.

Qua rapidus Ganges, & qua Nysæus Hydaspes
Accedunt pelago, &c.

Et piratarum scopulus.] Piraticum innuit bellum, quod admodum difficile magnique momenti P. R. fuit. Innumeri namque Piratæ continuis incursationibus plures vexabant Romani Imperii provincias, agrisque eorum à cultoribus desertis, urbanam jam multitudinem fames premebat. Formidabilius adhuc eo, magisque exstiterat Pompejo glorioſum, quod prius Muræna hos prædones adgressus, nec quicquam effecerat memorabile, nec post eum Servilius Isauricus. Tandem vero Magno decretum mira dexteritate, celeritateque confectum fuit. Fuse narrant Appianus Bell. Mithrid. Plutarchus in Pompejo, & Dio lib. 36. Lucanus autem tetigit sæpe.

——— *Modo quem ter ovantem.*] Sic etiam cap. CXXXIII.

——— *Et ter Ovantem*
Circa delubrum gressum feret ebria pubes.

Ubi *latabundum* gressum Arbiter significat, uti haud semêl interpretatur Servius Virgilii Scholiastes: nunc vero Pompejum *triumphantem*. ter namque triumphavit ille, singulos scilicet triumphos de singulis Orbis partibus, tum temporis cognitis, ducens. Hocce Plutarchus in hunc modum extollit in Pompejo: Ἐπὶ τρισὶ γὰρ πρότερον ἦσαν ἕτεροι τεθριαμβευκότες· ἐκεῖνος δὲ τὸν μὲν πρῶτον ἐκ Λιβύης, τὸν δὲ δεύτερον ἐξ Εὐρώπης, τοῦτον δὲ τὸν τελευταῖον ἀπὸ τῆς Ἀσίας εἰσαγαγὼν, τρόπον τινὰ τὴν οἰκουμένην ἐδόκει τοῖς τρισὶν ἐπῆχθαι θριάμβοις. vertit Xylander. *Quippe ante ipsum quoque inventi sunt, qui ter triumpharent: Sed Pompejus, qui primum ex Africa, secundum ex Europa, tertium ex Asia, adtulisset triumphum, de toto orbe terrarum quodammodo videbatur triumphasse.* Plures memorant, Lucanus passim tangit.

——— *Quem fracto in gurgite Pontus, &c.*] Nam *Pontum* Euxinum circumquaque, *Bosporumque* Thracium frequenter Magnus Pompejus adiit, dum Mithridatem debellaret. *Fractum gurgitem* vocat, vel quod Boreæ vi, & cæterorum violentissimorum ventorum Septentrionalium ferocia mare illud agitari, atque turbari creberrime solet, ut in ejus Periplo docet Arrianus. De ipso etenim sic & Pomponius Mela lib. 1. cap. 19. *Brevibus atrox, nebulosum, raris stationibus, non molli, neque arenoso, circumdatum littore, vicinum Aquilonibus, &, quia non profundum est, Fluctuosum, atque Fervens.* Vel quod medium Frangi velut videatur, quum per terras sese ingens effundit. Audi Plinium ejus figuram formamve delineantem lib. 4. cap. 12. *Deinde* (post Bosporum Thracium) *vastum mare Pontus Euxinus, qui quondam Axenus, longe resugientes occupat terras, magnoque littorum flexu retro curvatus in cornua, ab his utrimque porrigitur, ut sit plane arcus Scythici forma. Medio flexu jungitur ostio Mæotici lacus. Cimmerius Bosporus id os vocatur.* Itidem prorsus & Mela dicto jam loco, Dionysius Alexandrinus lib. De Situ Orbis, & Eustathius ejus Scholiastes. Id enim, *Frangi, Scindive pelagus unda*, &c. dicitur eleganter. Diserte magnus Vates in topographia portus Carthaginiensis lib. 1. Æneid. vers. 160.

——— *Quibus omnis ab alto*
Frangitur, inque sinus Scindit sese unda reductos.

Et veneratus erat submissa Bosporus unda.] Adposite *Submissa unda*, uti gestum habitumque venerantium adorantiumque vel æquor sic referret quoque. Licet nunc tandem, & situs hic Bospori Thracii haberi rationem, mihi venit in mentem. Inferiorem namque loco illum esse Ponto videlicet Euxino, Pontum item palude Mæotide, Eruditorum fuit verior quondam sententia. inquit Plinius lib. 4. cap. 13. *Non est omittenda multorum opinio, qui, maria omnia interiora illo capite nasci, non Gaditano freto, existimavere, haud improbabili argumento: Quoniam Æstus semper è Ponto profluens, numquam Reciprocatur.* quod & lib. 2. dixit, & Strabo lib. 1. aliasque pluribus ostendit. Juvat item & Macrobii observatio hujusmodi lib. 7. Sat. cap. 12. *Si in Pontum vel paleas, vel ligna, seu quæcumque alia natantia, projeceris, foras extra Pontum feruntur in Propontidem.* Nuperum autem hocce nostrum Commentum ex illis tamen est, quæ, quum adposite Scriptorum verbis convenire videatur, eorumque reconditiores sensus enucleare, revera imputant eisdem falso prorsus Interpretes. Quid autem dicam *Bosporum*, quem hic designat, *Thracium*, (nequaquam *Cimmerium*) angustias illas vocari faucesque, quæ inter Propontidem & Pontum Euxinum intersunt? hæc sane nemo nescit.

Cap. CXXIV. *Tergo tanta lues Divûm quoque numina vidit.*] Sic edidimus nos post Bourdelotium, adsentientem quoque verissimæ Eruditorum emendationi. Tergo igitur numina vidit, quod vidit fugientia, idque novissime Dii facere credebantur, ubi jam aderat rerum desperatio. Spectat huc & illud Petronii cap. LXXXIX.

Pertæsa Troja perdidit primum Deos.

Ubi nos opportuna adtingimus. Latiuscule nunc depingit Arbiter:

——— *Ecce per orbem*
Mitis turba deûm, &c.

Consensitque fugæ Cæli timor.] Fugæ, scilicet Pompeji, hoc sensu: Cælicolarum fuga omnino videbatur cum fuga Pompeji convenire. quod in gratiam illius Magni magnifice dictum. Nostrum Commentum evincit id prorsus simile, Trojanæ Haloseos cap. LXXXIX.

——— *Liberæ ponto jubæ*
Consentiunt luminibus.

Quod & nos unice interpretamur. Fulcit item, quod

dictum est, & τὸ *Tergo* emendationem, nam præmitti necessum, Terga Magni fugientis fuisse visa, ac Divorum quoque Terga fugientium, ut inductionis clausula sat tempestiviter addatur: *Consensitque*, &c. Itaque sic omnia optime cohærent.

——— *Et crine soluto Justitia.*] In hacce Justitiæ hypotyposi habitum illi dedit Arbiter eo temporis convenientem, alioquin vero prorsus improprium. Quum enim Mars imperat, belloque ardent omnia, Justitiæ vinculis, quibus nempe adstringuntur, Solvuntur homines civili doctrina vel egregie instituti. Quod indubie per Crinem nunc Justitiæ Solutum significavit Petronius.

——— *Ac mœrens lacera Concordia palla.*] Vide ut hocce etiam proxime superius fulciat Commentum. Nunc enim Arbiter, ut ruptum ostendat sciissumque Amicitiæ fœdus inter Pompejum & Cæsarem, rupta sciissaque palla *Concordiam* fugientem induit, parissime ac Virgilius *Discordiam*, ubi innuere vult inter Octavium & Antonium disruptum quoque esse fœdus. quem locum plane hic Arbiter æmulatus est. Ecce ait 8. Æneidos vers. 702.

Et Sciissa gaudens vadit Discordia Palla.

Sciissa enim Palla, utpote habitu proprio, *Gaudens* Discordia Maroni fuit: unde simile Palla lacera ac sciissa, ut pote improprie, contra *Mœrens* Concordia apte Arbitro postea depicta est. Sic rursus & paullo infra de Discordia pariter inquit Petronius:

Atque intertorto Laceratam pectore Vestem.

Perfidiæ pariter & ideo tribuuntur, opinor ego, à Claudiano *Fracta* videlicet *Arma*: Fractæ videlicet Fidei ut sic imaginem præberet. Ita de felici Manlii Theodori loquitur Consulatu vers. 166.

Nonne vides, ———
——— *Fractis ut lugeat Armis*
Perfidia?

—— *Sedes Erebi qua rupta debiscit.*] Hiatum certe illum designat, culte admodum superius descriptum cap. cxx.

Est locus exciso penitus demersus hiatu,
Parthenopen inter, &c.

Et Bellona minax.] Nempe flagello, id ei plures dedere, noster Lucanus lib. 7. vers. 568.

Sanguineum veluti quatiens Bellona Flagellum.

Habuit à Virgilio 8. vers. 703.

Quam cum sanguineo sequitur Bellona Flagello.

Sic &

Falce Minax ———

numen impudicum est Carmine impudico 30. & *Furoris* hic paucis interjectis describitur:

——— *Flagranti*
Stipite dextra Minax.

——— *Facibusque armata Megæra.*] Seneca Tragicus Thyeste vers. 251.

——— *Et geminas Faces*
Megæra quatiens.

Alii, & alias aliis gestaminibus à Poëtis donatur.

Quas inter Furor, abreptis ceu liber habenis.] Hîc ubi imminent arma, bellaque præparantur, apte depingit *Furorem* Arbiter solutum vinculis & catenis. Ubi vero felicitatem pacemque Augusti ævi prædicit Juppiter, vinctum, religatumque finxit maximus Poëta lib. 1. Æneid. vers. 293.

——— *dira ferro & compagibus arctis*
Claudentur Belli portæ. Furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Innumerabilibus telis gravis.] Uti Cæsaris ille adversus juniorem Pompejum in Hispania dimicantis, quo scilicet tela ducenta, mirum! excepisse testatur Appianus lib. 2. Bell. Civil. Minutium vero strenuum militem ejusdem Cæsaris apud Dyrrachium uno itidem clypeo centum & triginta, ibidem quoque ipsus Scriptor.

——— *Mutataque sidera pondus*
Quæsivere suum.] Mutatione locus non eget, ut sibi constet; hypallagen namque Arbiter hic commisit. dictum enim,

Mutataque sidera pondus.

pro *mutatum pondus.* Mutaverant plane locum dii, nam in terram descenderant. exsertim Arbiter:

Sentit terra deos.

Et mox:

——— *Namque omnis Regia cœli*
In partes diducta ruit.

Pondus certe deorum grave apud Scriptores veteres animadvertitur, quod Adrianus Behotius observavit Apophoret. lib. 1. cap. 9. Sat autem amice Juvenalis Sat. 13. Arbitrum comitatur.

——— *Nec turba deorum*
Talis, ut est hodie; contentaque Sidera paucis
Numinibus miserum urgebant Atlanta minori
Pondere.

Ubi pariter, *Sidera*, pro Cœlum, uti Arbitro, Satyrographo est.

In partes diducta.] Ita Petronius supra cap. CVIII. *Totiusque navigii turbam Diducit in Partes.* Utrobique τὸ *Partes* militari notione accipiendum. cujus vocabuli usum Paterculus indicavit lib. 2. *Ut primum C. Cæsar inclinatam vidit Pompejanorum aciem, neque prius, neque antiquius quicquam habuit, quam ut* (sic legit Lipsius, meo animo, recte) *omnes Partes (ut militari & verbo & consuetudine utar) dimitteret.*

Magnum cum Phœbo soror.] Veram loci hujusce lectionem Casp. Gevartio debemus viro politissimo. Ego quidem, statim atque ejus emendationem vidi, haud cunctanter in textum recepi. Universa deorum natio, inquit Arbiter, in duas erat partes divisa. hinc Cæsari favebant dii isti, illinc Pompejo illi. Sed, postquam particulatim illos enumeraret, qui à cujusque partibus stabant, ut prius conceptus locus erat, tantum ipsorum meminisse videbatur, qui à Cæsaris erant partibus, nulla facta eorum mentione, qui à Pompeji. Sic locus habebat:

Magna-

Magnaque cum Phœbo soror, &c.

Prorsus ineptissime. Nunc autem, ut emendatus est ab erudito viro, sibi mirifice constat Petronii sententia. nam innuit aperte, Cæsari *Venerem* faviſſe, *Palladem*, & *Martem*: Pompejo vero *Phœbum*, *Dianam*, *Mercurium*, & *Herculem*. Ex Venere, & Marte Cæsarem originem ducere, creditum; itaque illos habere propitios, rationi erat omnino consentaneum. Ita & Phœbum pariter haberet Pompejus, cui templum erexerat, Dianam item Venationum Amphitheatralium Præsidem, ipsis idem deditissimus; & *Herculem* denique cui *totis actis similem* Arbiter nunc facit ipsum Pompejum. Hocce sane conlatio illa, quam Plinius instituit Herculis & Pompeji lib. 7. cap. 26. firmat non leviter: *Ad decus Imperii Romani, non solum ad viri unius pertinet, victorias POMPEI MAGNI, titulos omnes, triumphosque hoc in loco nuncupari: aquato non modo Alexandri Magni rerum fulgore, sed etiam HERCULIS prope, ac Liberi patris.* Porro Pompejum *Magni* cognomento insignitum olim fuisse, adeo vulgare est, ut ignoret nemo, ex ipsoque isto Poëmatio satis superque liquet, Lucanoque passim. Sed plenius apud ipsum Gevartium dictorum fulcimenta videri poterunt lib. 1. Elect. cap. 6.

Intremuere tubæ.] Varians isthæc lectio est. Alii, ut hinc comam Discordiæ Arbiter describere incipiat, *Intremuere Fubæ*, legunt. Aliæ editiones habent, *Infremuere tubæ*. Est &, qui emendet, *Intonuere*. Ad oram vero cujusdam mei exemplaris manu Germani non ineruditi exaratum reperi: *legendum potius Insonuere tubæ, vel Ingemuere.*

——— *Hujus in ore*
Concretus sanguis,] Aristides Oratione De Concordia ad Rhodienses Στάσιν, quæ eadem cum *Discordia*, sat depingit similiter. nobis sic placuit conferre:

——— *In ore*
Concretus sanguis,
Oratori illi est, τὰ δὲ χείλη πελιδνὰ, *Labris livida.*

——— *Contusaque lumina flebant.*] Ibidem Aristides: Τὰς δὲ ὀφθαλμὰς διεγραμμένη, δάκρυσι νεορρύτοις ἀεὶ συνεχομένη. *Distorta oculis, recentibus perfusa semper lacrimis.*

——— *Obsessa draconibus ora.*] Hoc est, anguineo capillamento frons redimita. A me plane est Virgilius in 6. Æneid. vers. 280.

——— *Et Discordia demens*
Vipereum Crinem vittis innexa cruentis,
Sanguineam lampada.] Ovidius explicat in 4. Transform. vers. 480.

Nec mora, Tisiphone madefactam Sanguine sumit
Importuna facem,

Unde jam veram illam lectionem poterunt Emendatores concoquere.

——— *Non femina cesset, &c.*] Ex ore nempe Discordiæ opportune valde verba prolata. inter omnes enim cupit venenum suum disseminari.

——— *Tecta rebellent.*] Hoc est, nutent, vacillent, quod passim visitur, quum *tremit tellus*, ut ait Arbiter. nam *quasi emota sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire, aut referri tunc Tecta videntur*, adserente Juniore Plinio lib. 6. Ep. 16. Quod & in seditionibus, quas amat nutrix illa bellorum Discordia, parissime plerumque contingit. idque Arbiter supra cap. præcedenti dixit, & potissimum est hujus difficilis loci interpretamentum:

——— *Ergo pulsata tumultu*
Pectora per dubias scindantur territa causas.

Nam *tecta* ibi μεταφορικῶς pro civibus sumenda.

Tu legem Marcelle tene.] De mittendis scilicet in Galliam Cæsari ante tempus successoribus, quod in primis dissidium illud intestinum excitavit. Consul tunc temporis erat C. Claudius Marcellus, qui Pompeji partes sequebatur, Cæsari vehementer infensus. Vide Dionem lib. 40. Tranquillum in Julio cap. 28. Florum lib. 4. cap. 2. Appianum lib. 2. Bell. Civil.

——— *Tu concute plebem*
Curio.] Nam Curio eo anno Tribunus erat plebis, & ipsi commovendæ aptissimus, qui Καὶ ἐς τὸν δῆμον εὐχαριτώτατος καὶ εἰπεῖν ἱκανώτατος, *Et apud plebem gratiosissimus & simul eloquentissimus foret*, Appiano teste lib. 2. Bell. Civil. Ipse autem quum primum esset valde Cæsari adversus, postea muneribus largis inductus est, ut eidem tandem faveret. Appianus quoque, alii.

——— *Ne supprime Lentule Martem.*] Immo excita, quod haud semel Cornelium Lentulum Conlegam Claudii Marcelli anno sequenti, & ultimo libertatis Romanæ feciſſe, Historici tradunt. Ecce inquit Plutarchus in Cæsare: Καὶ Λέντλος τὸ ὑπάτῳ βοῶντος ὅπλων δεῖν πρὸς ἄνδρα λῃστὴν ἢ ψήφων. *Ac Lentulus Consul armis non suffragiis, contra latronem* (Cæsarem) *opus esse vociferans*, &c. & sic alias. Exstat & apud Lucanum initio lib. 5. Lentuli oratio, qua Senatores, Pompejanumque exhortatur exercitum, magnis scilicet animis adversus Cæsarem esse decertandum. ipsam si lubet, adi.

Quid porro tu Dive tuis cunctaris in armis?] Paterculus interpretatur: *Nihil relictum à Cæsare, quod servandæ pacis caussa tentari posset.* quod idem multis alii prosequuntur.

Non frangis portas?] Juvat capere de Cæsare, portas ærarii Romani effringi jubente. Plutarchus in ejus vita: Ταῦτα πρὸς τὸν Μέτελλον εἰπὼν ἐβάδιζε πρὸς τὰς θύρας τοῦ ταμείου. μὴ φαινομένων δὲ τῶν κλειδῶν, χαλκεῖς μεταπεμψάμενος, ἐκκόπτειν ἐκέλευεν. *Sic fatus ad Metellum, profectus est ad fores ærarii. non comparentibus clavibus, fabros accivit, rumpi jubens eas.* Sic Dio lib. 41. Appianus lib. 2. Bell. Civil. Florus item lib. 4. cap. 2. *Ærarium quoque sanctum, quia tardius aperiebant Tribuni, jussit effringi: censumque & patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium.* ideo addidit:

Thesauroque rapis?

- - - Nescis, tu Magne, tueri
Romanas arces?] Dicit, quod, adpropinquante Cæsare, Urbem Pompejus deseruerit, quod supra plene jam ostendimus.

- - - Epidauria mœnia quære.] Equidem apud Censores jurem, mendacem istam scripturam esse, quod & Interpretes nonnulli subodorari videntur: id autem præsertim animadvertitur, quod vicina admodum sit meliori prorsus illi, nempe *Epidamnia*. Epidamnus civitas Epiri est, eadem scilicet, quæ & Dyrrhachium, etsi aliter Appianus videtur sentire, lib. 2. Bell. Civil. duas faciens illas, sed vicinas inter se, reluctantibus tamen priscis aliis Scriptoribus. Ad Dyrrhachium ergo adpulerunt Consules cum Pompejano exercitu, ut primum Italia solverunt; ad quod & pugna quoque celebris, unde superior Pompejus evasit. apte igitur illum hortatur dea, ut *Quærat* felicem sibi regionem futuram.

Thessalicosque sinus, &c.] Thessalia Græciæ regio est, Macedoniæ propinqua, ubi Pharsalici campi conflictu illo maximo Cæsaris & Pompeji oppido famigerabiles. Sic *Thessalicæ clades, ruinæ, cædes, dies, pugna, &c.* pro Pharsalicis passim Lucano sunt. eo autem prælio victus tandem Pompejus, idque, quum illum adloquitur Discordia, jubetque, humano tingi sanguine eos sinus, intelligendum omnino est.

Heredipetarum.] Notum vocabuli connubium, cui & similia alia, apud Nonium, *Cenipeta*; apud Ciceronem, *Agripeta*; apud Plautum & Appulejum, *Lucripeta* sunt.

Opes suas summo cum certamine in Eumolpum congesserunt, certatim omnes muneribus, &c.] Supra & hujusce meminimus. Sic apud Plautum ait Periplectomenes in Milite Act. 3. sc. 1.

Illi inter se Certant Donis, ego hæc mecum mussito:
Bona mea inbiant, Certatim dona mittunt & munera.

Apud Lucianum item in Dialogis mortuor. Polystratus senex orbus, & dives: Οἱ ὃ ἠμιλλῶντο, καὶ ἀλλήλως ὑπεξῄλλοντο ἐν τῇ περὶ ἐμὲ φιλοτιμίᾳ. *Interim illi inter sese decertabant, & in ambiendis primis apud me partibus alium alius anteire nitebatur.* Et pluribus ibidem.

Cap. CXXV. *Removisse vultum Fortunam.*] *Vultum*, id est, conspectum. Sic Lucanus lib. 6. *Cæsaris in vultu*, dixit, pro, in conspectu. Horatius itidem Vultum Fortunæ dedit lib. 1. Ep. 11.

- - - Et vultum servat Fortuna benignum.

Consuetudinem meam.] Præsentem, ac felicem.

Cap. CXXVI. *Quia nosti Venerem tuam, superbiam captas.*] Næ superbiam jam olim peperit ingentem pulcritudo. Adposite Veneris pullus lib. 3. de Arte:

Forma Dei munus, Forma quota quaque superbit.

Juvenalis item Sat. 5.

——— Sed Forma, sed ætas
Digna supercilio.

Ubi Scholiastes: *Quia pulcer, & juvenis, ideo superbis.* Verum enim vero omnino hic est, *Superbiam Captare*, quod cap. XCVI. *Fastum facere.* Ipsus Naso in Fastis:

Fastus inest pulcris, sequiturque Superbia Formam.

Et lib. 2. Amor. El. 17.

Dat facies animos, facie violenta Corinna est:
Me miserum! cur est tam bene nota sibi?
Scilicet à speculi sumuntur imagine Fastus:
Nec nisi compositam se videt illa prius.

Mire & huic consonat Fastus puellæ in Codicillis cap. CXXIX. *Non timeo, ne quis inveniatur, cui minus placeam. nec speculum mihi, nec fama mentitur.*

Venerem tuam.] Seneca lib. 2. de Benef cap. 28. *Ille non est mihi par virtutibus, nec officiis: sed habuit suam Venerem.* Plinius vero sat commode interpretatur cap. 10. lib. 35. de Apelle loquens: *Pictorum opera quum admiraretur, conlaudatis omnibus, deesse iis unam illam Venerem dicebat, quam Græci Charita vocant.*

Vendisque amplexus.] Tale namque est Superbientium ingenium, sciuntque miseri, qui Veneris fastigatissimæ numen precio expiare didicerunt.

Flexa pectine coma?] Paullulum intortæ ac crispatæ. Id magni olim factum tam viris, quam mulieribus. Martialis lib. 3. Ep. 63.

Bellus homo est, Flexo qui digerit ordine crines.

Et lib. 10. Ep. 65.

Tu Flexa nitidus coma vagaris.

Propterea, ubi natura deforet, ad id ars erat adhibita. Major igitur laus illa Circes inferius hoc cap. *Crines ingenio suo Flexi*, ubi nos plura. Artis vero subsidium *Pecten* erat. Sic, ut Arbiter, Spartianus de Adriano Imperatore, ejus vita cap. XXVI. *Forma comtus. Flexo ad Pectinem Capillo.* Item *Calamistrum.* Arnobius lib. 2. *Calamistris vibrare Cæsariem.* & Auctor Phallicorum Ep. 45. Hinc Cicero interpretandus de Pisone: *Erant illi Comti Capilli.* Cui oppositum Appulejus 2. Metam. *Inaffectatum Capillitium* vocavit.

Facies medicamine adtrita.] Sumendus videtur locus de volsura pilorum, facit, ut credam, Martialis lib. 2. Ep. 29.

Et splendent VULSO brachia TRITA PILO.

Nam id frequenter in usu viris impudicis. ipse sæpe Valerius, & signanter lib. 3. Ep. 74.

Psilothro faciem levas.

En *Medicamen.* Arnobius, ut Petronius, conjunxit cum mentita Crispitudine dicto jam loco, *Cutem Corporis levigare.* & passim plures. Insignem tamen locum Lampridii referam de Alagabalo mire Commento nostro facientem, in ejus vit. cap. XXI. *In balneis semper cum mulieribus fuit, ita ut eas ipse psilothro curaret: ipse quoque barbam Psilothro adcurans. quodque pudendum dictu est, eodem, quo mulieres adcurabatur, & eadem hora.* Insuper vero, post volsuram, & fucus additus, illud est Ciceronis superiori etiam loco: *Cerussataque bucca, digna Capua.* Et Petronius supra cap. XXXIII. *& inter rugas malarum tantum erat Cretæ.*

Et

Et oculorum quoque mobilis petulantia.] Indicium de Polyæni moribus Chryſidi datum etiam ex oculis. *Oculi nimis arguti*, inquit Cicero 1. de Leg. *quemadmodum animo adfecti ſimus, loquuntur.* Sunt enim *Oculi arguti*, loquaces, Mobiles, Petulantes. Sic apud Ovidium etiam El. 2. lib. 3. Amor.

Riſit, & Argutis quiddam promiſit Ocellis.

Petulantes vocavit iterum Petronius oculos formoſiſſimæ feminæ cap. CXXXVIII. *Ipſe Paris dearum lividinantium judex, ſi hanc in comparatione vidiſſet tam Petulantibus oculis.* Euſtathio lib. 3. id eſt, Ὄμμα γοργὸν, *oculus mobilis, petulans.* Et Luciano in Imaginibus, τῶν ὀφθαλμῶν δὲ τὸ ὑγρὸν ἅμα τῷ φαιδρῷ, καὶ κεχαριτωμένῳ. *Oculorum Mobilitas cum hilaritate, & gratia conjuncta.* Alias *mollis petulantia*, nec improbandum.

Quo inceſſus tute compoſitus, & ne veſtigia quidem extra menſuram aberrantia?] Carpit in viro mollitiem ſane intolerabilem, qui morbus frequens inrepſit ævo ſuo conruptiſſimo, uti ex creberrima cenſura conligere eſt Senecæ Filii, Scriptoris ſynchroni. Sic rurſus cap. CXIX. Arbiter.

——— *Omnibus ergo*
Scorta placent, Fractique enervi corpore greſſus.

Unde apud Phædrum Fab. 82. patet, qui *Greſſus Languidus* ſit, & *Delicatus.* Feminæ autem veniam mereri videbantur, ut pote quibus ſine dedecore fuit omnium elegantiarum permiſſum ſemper ſtudium. Ideo inter alias hancce non prætermiſit nequitiarum Magiſter in 3. De Arte verſ. 297.

Omnibus his, quando proſunt, impendite curam,
Diſcite femineo corpora ferre gradu.
Eſt & in inceſſu pars non temnenda decoris:
Adlicit ignotos illa ſugatque viros.
Hæc movet arte latus: tunicisque fluentibus auras
Excipit, extenſos fertque ſuperba pedes.
Illa, velut conjux Umbri rubicunda mariti,
Ambulat, ingentes varica fertque gradus.
Sed ſit, ut in multis, modus hic quoque: ruſticus alter
Motus in inceſſu, mollior alter erit.

Hinc ergo diſcimus, & modum hic vel feminis ipſis eſſe ſervandum, nimis namque turpe compoſitus Inceſſus faſtidio erit haud ſecus ſpectantibus, atque ruſticus videlicet & incompoſitus: *Molliorem* argute vocat illum nunc Naſo, quem condemnat; nam, qui *Mollis* tantum, omnino commendatus Antiquis. Sic Brutus laudat, referente Cicerone apud Quinctilianum lib. 6. cap. 4. *Na illi ſunt pedes facti, ac deliciis ingredienti Molles.* Sic & Propertius, quum puellæ ait, Muſam ſuam celebrare elegantem Inceſſum Eleg. 12. lib. 2.

Et canit, ut ſoleant MOLLITER ire pedes.

Ita & alii, plures vero floride deſcribunt, nec deſunt, qui exagitent.

Tute.] Variant Critici, ſtudio, arte, fuco, ſed fucum faciunt. *Tute* vulgati omnes, quos viderim, retinent, ac nos amplectimur. Si mutationi autem locus, *Turpe*, cum Catullo reponerem. quæ ſcriptura ad vulgatam & proxime accedit. inquit Carm. 42.

——— *Illa, quam videtis*
Turpe incedere, mimice, ac moleſte.

Vides me?] Mire vilis ſic capitis expreſſum ingenium. infimæ namque ſortis feminis dicaculis id genus formulæ inſunt peculiares, quas improprie admodum facias ab inluſtribus mulieribus uſurpari. Ex illis iſthæc omnino eſt, *Videſme?* nobis itidem familiaris, *Veiſme? pues, &c.*

Ex vultibus tamen hominum mores conligo.] Cicero 1. de Leg. *Et is, qui adpellatur Vultus, qui nullo in animante eſſe præter hominem poteſt, indicat Mores.* Inde eleganter quidem Orat. in Piſonem, *Vultum mentis ſermonem* vocavit. ſic in princ. ait: *Oculi, ſupercilia, frons, Vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in errorem homines impulit, &c.* Hinc ergo diſce, quid propritim *Vultus* erat Antiquis Romanis.

Aut ſtatores altius cinctos.] Matronas, ait, nonnullas ad libidinem haud concitari, niſi Statorum altius cinctorum ſpectaculo. *Stator* ſervus eſt carceris cuſtos, aut aliubi janicularius, qua voce latet hic, reor, nequitia: *Statorque* ſcortillo nunc eſt, cui *Staret* ſcilicet mentula opportune, ſic ἁπλῶς ſumtum *Stare* Priſcis frequenter, pro, Tam rigidum Stare, quam cornu. Appulejus lib. 2. Luſus Aſini: *Steterunt & Membra, quæ jacebant ante.* Martialis lib. 2. Ep. 45.

Quæ tibi non Stabat, præciſa eſt mentula, Glypte.

Et Ep. 75. lib. 3.

Stare, Luperce, tibi jam pridem mentula deſit.

Quod Epigramma lepido joco claudit ad ambiguitate τὸ *Stare* petito:

Mirari ſatis hoc quiſquam, vel credere, poſſit,
Quæ non Stat, magno Stare, Luperce, tibi?

Et alias ſæpe, nec non alii. Commentum etiam noſtrum & illud oppido juvat, *Altius cinctos.* quod, paratos ad opus, Veneris nempe, interpretari cum pluribus proclive eſt, uti & illud alibi Petronii interpretantur: *& Præcincti certe altius eramus.* Similis prorſus fuit & Fauſtinæ M. Antonini uxoris libido, de qua ſic cap. XIX. vide Rigaltium ad Phædrum Fab. 36. Capitolinus in M. Antonino Philoſ. cap. XIX. *Multi autem ferunt, Commodum omnino ex adulterio natum: ſiquidem Fauſtinam ſatis conſtat apud Cajetam conditiones ſibi & Nauticas, & Gladiatorias elegiſſe.* Gauſſam reddit Lampridius in Alagabalo: & cap. VIII. *Idque diligenter curatum eſt, ut ex tota penitus urbe, atque ex Nauticis monobelos quærerent: ſic eos appellabant qui viriliores videbantur.* Alii legunt, *Onobelos.* notum inter obſcœna Aſinus, ſive Petronio teſte cap. XXIV. *hodie enim poſt Aſellum, &c.* Alioqui & *Statores* Tabellarii ſunt, ut ex Cicerone, aliiſque conſtat. Ideoque ut pote qui iter facturi, *Altius cincti.* Et ſic quoque argute Arbiter luderet dilogia. Ridiculariі ergo hic prorſus illi, quibus, *Diſcinctos*, placet.

Harenarius aliquas accendit.] Haud dubio multæ

olim inluſtres feminæ & Gladiatoribus caluere. memoria enim inſignes Fauſtina eadem M. Antonini conjunx, & Hippia Fabritii Vejentonis Senatoris viri, & Conſiliarii Cæſaris. De illa jam Capitolinum teſtem adſcivimus in M. Antonino Philoſ. In hanc autem Juvenalis pluribus invehitur Sat. 6. ubi ejus cum Sergio Gladiatore in Ægyptum fugam deſcribit: ac demum rationem reddit, cur omnia reliquerit facta tandem nobiliſſima matrona Harenarii ſecutuleja. ipſam ergo, inquit Satyricus, non ludii eximia pulchritudo movit, nec ætas juvenilis; nam admodum deformis ille erat, jamque grandævus;

Sed Gladiator erat: facit hoc illos Hyacinthos:
Hoc pueris, patriæque, hoc prætulit illa ſorori,
Atque viro; Ferrum eſt, quod amant.

Huc etiam opportune facit Tertulliani locus, ut eſt tamen à Lipſio ſatis bene emendatus lib. de Amphith. cap. 3. *Scenicos, Xyſticos, Harenarios illos amentiſſimos, quibus viri animas, femina autem illis etiam corpora ſua ſubſternunt.* Sunt etiam & Venatores dicti *Harenarii.*

Aut perfuſus pulvere mulio.] Quid habent cum luctatoribus Muliones commune, ut hic confundant Interpretes? ego quidem prorſus ignoro. Utrique haud dubio pulverulenti, ſed diverſa admodum ratione. Proinde ergo (niſi parum fortaſſis tempeſtivus alicui venire Mulio videretur inter Scenicos nimirum ludios, & harenarios, quod perridiculum foret) concinne ſatis de mulorum ductoribus acciperem locum. animadvertere namque obvium cuique eſt, quantum ab itinere pulveris contrahant neceſſario Muliones. Sic de amaſio Fugitivo dixit Tibullus lib. 1. Eleg. 9.

Jam mihi perſolvet pœnas, Pulviſque decorem
Detrahet.

Aut hiſtrio ſcenæ oſtentatione traductus.] *Oſtentatio* frequenter Ciceroni *Simulatio* eſt. *Traductus*, infamia notatus, adfectus, ut tonſoribus notum. Sermo hic de contemtiſſima fœce hominum eſt. Faciunt & huc mirifice illa Juvenalis in 6.

Urbicus exodio riſum movet Attellanæ
Geſtibus Autonoës: hunc diligit Ælia pauper.
Solvitur his magno Comœdi fibula: ſunt, quæ
Chryſogonum cantare vetent: Hiſpulla Tragœdo
Gaudet.

Ac deinde pluribus.

Uſque ab orcheſtra quatuordecim tranſilit.] Elegans & multiplex eſt uſus particulæ, *Uſque*, hujuſmodi amplificationis triplex. *A Loco*, uti nunc Arbiter, & paſſim Cicero. *A Perſona* item. Tullius 1. De Nat. deor. *Uſque Thalete*, &c. Ac denique *à Tempore*. Idem lib. 7. Ep. ad Atticum Epiſt. 8. *Habebamus autem in manibus Antonii concionem, habitam X. Kal. Jan. in qua erat accuſatio Pompei Uſque à toga pura.* Ceterum *Orcheſtra* Græcis ἀπὸ τῆς ὀρχήσεως, *à ſaltatione*. S. Iſidorus lib. 18. Orig. cap. 44. *Orcheſtra autem pulpitum erat ſcenæ, ubi Saltator agere poſſet, aut duo inter ſe diſputare.* Et Scholiaſtes Juvenalis ad illud Sat. 7.

Quæque reportandis poſita eſt Orcheſtra cathedris.
Ait: *Orcheſtram ſpatium in Theatro dicit eſſe, quod Pantomimo Saltanti vacat. Ejuſmodi autem & Poëta legitur, in quo ſtans recitet.* Sic viri docti iſthæc emacularunt verba antea conrupta. Item Senatui ſedes deſtinata in Theatris, & Amphitheatris *Orcheſtra* dicta, puto, quod Pantomimorum alteri proxima foret. Habebat primos nimirum, proximoſque Scenæ, & Arenæ uſque ab podio gradus quatuor, aut quinque. Ita Vitruvius de Orcheſtra Theatrali loquitur lib. 5. cap. 16. *In Orcheſtra autem Senatorum ſunt Sedibus loca deſignata, & ejus pulpiti altitudo ne ſit plus pedum quinque ut qui in Orcheſtra ſederint, ſpectare poſſint omnium agentium geſtus.* De iſta loquitur in præſentia Petronius Orcheſtra. Poſt illam ſtatim *Equeſtria* erant, quæ quatuordecim gradibus conſtabant. Deinde Plebi ſpatium magnum, gradus plures, ubi hera Chriſidis, quos deperiret, aucupatur. Latius autem de *Orcheſtra*, alii jam in Theatris ſuis, & Amphitheatris.

Quatuordecim.] Sic *Quatuordecim*, ſine adjectione Suetonius in Auguſto cap. 40. *Quum autem plerique equitum, attrito bellis civilibus patrimonio, ſpectare ludos è Quatuordecim non auderent, metu pœnæ theatralis.* Macrobius etiam cap. 3. lib. 2. Saturnal. *Deinde quum Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus à Cæſare, è veſtigio in Quatuordecim ad ſpectandum tranſiit.*

Et in extrema plebe quærit, quod diligat.] Sic Sentius Augurinus:

Et Quærit, Quod Amet.

In extrema plebe, hoc eſt in loco tertio, & ſumma cavea, ubi extremi gradus populo adtributi, unde *Popularia* vocata. Suetonius in Claudio cap. 25. & in Domitiano cap. 4. *Dieque proximo omne genus rerum miſſilia ſparſit: & quia pars major intra Popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos Equeſtris & Senatorii ordinis pronunciavit.* Diſpertita ergo tria loca, *Orcheſtra*, *Equeſtria*, *Popularia*, tribus Populi Romani ordinibus, *Senatui*, *Equiti*, *Plebi*, ſcilicet.

Nolo tibi tam valde placeas.] Illud Ovidii eſt 3. de Arte de comtis aduleſcentibus loquentis:

Præcipue, ſi cultus erit, ſpeculoque Placebit.

Pariſſime, ut Arbiter, Martialis item lib. 3. Ep. 55.

NOLO, peregrinis PLACEAS TIBI, Gellia, nugis.

Et lib. 5. Ep. 59.

——— *NOLI TIBI, Cima, PLACERE.*

Terentius Prologo Heautont. belle uſurpavit:

——— *Ut aduleſcentuli*
Vobis Placere ſtudeant potius, quam Sibi.

Gloſſæ veteres: *ſibi placens*, Αὐθάδης, Αὐταίρετος, Cornelia Gracchorum mater Heroina facundiſſima in quadam epiſtola: *Et, ſi perſeveras, vereor, ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute Tibi Placere poſſis.*

In crucem mittam.] Venuſte ſane dictum. *Crux* hic pro

pro Cruciario, ut superius diximus. inquit dicacula, numquam succubuisse servo. eumve amplexam. Vere nam supplicium servile *Crux*. Vide, ut distinxit Cæsar militum ac servorum supplicia, referente Hirtio de Bello Hispan. *Ea nocte speculatores prehensi servi tres, & unus ex legione vernacula: Servi sunt in Crucem sublati, militi cervices abscissæ.*

Flagellorum vestigia.] Et hocce de servis quoque accipiendum. Itaque adversus genuinam lectionem frustra est Criticorum pruritus. Rursus ad libidinem sordidam redit ingenuarum, effertque mira exaggeratione. nam quum præ verberum immanitate stigmatici servi necessario relinquerentur, aliter fieri non poterat, quin sæpicule oscularentur ea vestigia impudicæ matronæ. Flagris ac loris cædi, inliberale ac servile fuisse, nemo nescit. Unde sat hic opportunus Plauti festivus jocus Pœnulo 2. l. 186. *tergum* servi flagellis secti *Ostreatum* vocantis, hoc est, stigmatis verberum, ac vibicibus, duratum, ut testæ sunt ostreorum. Sciens autem sexcentos alios prætermitto.

Etiamsi ancilla sum, &c.] Fuere olim & id genus superbientes ancillæ, quæ & fuere nobiles, qui ejusmodi sordibus calerent. Eleganter Romanæ Lyræ princeps Horat. lib. 1. Carm. 33.

Ipsum me melior quum peteret Venus,
Grata detinuit compede Myrtale
Libertina, fretis acrior Adriæ
Curvantis Calabros sinus.

Luget plane suam sortem, factus quippe, licet non ingratiis, ipsusmet mancipium libertinæ. Id etiam Agathias Scholasticus ut intolerabile inter amorum recenset incommoda lib. 7. Anthol. Epigr. 80.

Ἡ δὲ μιγῆς ἰδίῃ θεραπαινίδι, πλῆθι καὶ αὐτὸς
Δῆλος ἐναλλάγδην δμωΐδι γιγνόμενος.

Si vero misceatis propriæ Ancillæ, perser & ipse
Servus alternatim serva fieri.

Tali ergo libidine flagrantes *Ancillariolos* Antiqui vocabant, ut Seneca docet lib. 1. de Benef. cap. 9. & Martialis lib. 12. Ep. 58.

Numquam tamen, nisi in Equestribus, sedeo.] Manet adhuc in Metaphora scortillum, lepidumque schema exhibet ingeniorum illa disparitas. *Equestria* sunt loca Equitibus destinata. eis videlicet Legg. Roscia & Julia XIV. gradus adsignarunt in Theatris & Amphitheatris. In ipsis tamen sedere non licebat Equitibus illis, qui sive suo, sive fortunæ, vitio decoxissent. Sed hocce protritum. *Equestria* ἁπλῶς sæpius Scriptores prisci dixerunt. Sic Seneca Rhetor. Contr. 18. *D. Julius ludis suis Mimum produxit, deinde Equestri illum ordini redditum jussit ire sessum in Equestria.* Sic & Philosophus Seneca lib. 7. De Benef. cap. 12. Suetonius in Caligula cap. 26. & plures alii.

Inter monstra numerare.] Quicquid natura sua denegans est, propritim *Monstrum* nuncupatur. Cornelius Fronto: *In Monstro rectus ordo naturæ vertitur.* Recte ergo nimirum nunc Arbiter, quum utraque à natura sua tam longe diversam haberet libidinem.

Procedentibus deinde longius logis.] Valde hæc lectio mihi probatur. nam formula erat Romanis, velut vernacula, familiaris, *longi logi*. Hispani dicunt, *Cuentos largos*. Plautus Menæchm. Act. 5. sc. 2.

Loquere, uter meruistis culpam, paucis: non Longos Logos.

Alia vero Arbitri exemplaria præferunt, *Locis*. quod idem prorsus est. Nonius: *Logi, à Græco λόγοι. sermones, vel dicta ridicula, & contemnenda.* Etiam usurpabant, ut *Nugæ*. Persius Sat. 2. Turpilius Canephoro:

Testamentum ergo celabis? Logi.

Terentius Phormione Act. 3. sc. 2.

PRÆ. *Fœneratum istuc beneficium tibi pulcre dices.*
Do. *Logi.*

In platanona.] Id est, Platanetum, locum ubi plures platani. Seneca Ep. 55. *Platanona medius rivus, & à mari, & ab Acherusio lacu receptus, Euripi modo dividit.* Sic & Martialis lib. 3. Ep. 19. Platanus arbor ad opacandum locum tantum idonea est, unde ei nomen ἀπὸ τῦ πλατύνειν. De illa & ideo Plinius sic lib. 12. cap. 1. *Quis non jure miretur arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitam orbe?* Adeo ergo *Tantum*, ut vel maritandis vitibus utilis non sit. Propterea Horatio *Cœlebs* haud invenuste nuncupata, & *Vidua* Martiali. Umbra tamen admodum celebris fuit. Petronius ita cap. CXXXI.

Nobilis æstivas Platanus diffuderat Umbras.

Plures, idcirco sub Platanis, opacitate quidem earum mirifice adlectante, crebriter convivabantur Veteres. Virgilius 4. Georg.

Jamque ministrantem Platanum potantibus Umbram.

Etiam Horat. lib. 2. Carm. 11. Unde *Genialis* Ovidio adpellatæ 10. Metam. & pluribus mirum in modum in delitiis habita. Macrobius refert lib. 2. Sat. cap. 9. *Q. Hortensium Platanos suas vino irrigare consuevisse.* Et, *Xerxem aliam in Lydia adamasse*, Ælianus lib. 2. de Var. Hist. cap. 14.

Itaque conlegit altius tunicam] Mire gestum exprimit abire parantis, ut supra jam notabamus ad verba cap. XIX. *Et præcincti certe altius eramus.*

In eum daphnona, qui ambulationi hærebat.] Δαφνὼν, *Lauretum*, vel *Loretum*. Martialis lib. 10. Ep. 79.

Disposuit Daphnona suo Torquatus in agro.

Et Ep. 92. *Laureum nemus* vocavit. Laurus infructuosa quoque arbor est, sed quæ pariter ornatui faciat, amœnitatique. Ea de, ac Platano, aliisque similibus Ulpianus de usufructu capiendus, Petronio inlustrando adpositissimo loco: *Etsi forte voluptare fuit prædium, Viridaria, vel Gestationes, vel DEAMBULATIONES, arboribus infructuosis opacas, atque amœnas, non debebit dejicere.* Et Appulejus lib. 11. *Quæque arbores earum tantum umbra contentæ, & steriles, austrinis laxatæ flatibus*, &c.

Laterique adplicat meo mulierem.] Minus nequitiæ

hic

hic quam alias *τῷ Lateri*, quippe enim acu Ovidium tetigit El. 10. lib. 3.

Quando ego non fixus Lateri ſpatiantis adhæſi?

Unde & Martialem interpretor Epigr. 68. lib. 6.

——— *Ille tuum, Caſtrice, dulce Latus.*
Hic tibi curarum ſocius, &c.

Ibi ergo adſiduum itidem tantum comitem equidem agnoſco. uti apud Catullum Carm. 21.

Hæres ad Latus, omnia experiris.

Omnibus ſimulacris emendatiorem, nulla vox eſt, quæ formam ejus poſſit comprehendere.] Utrumque pariter conjunxit Simocatus quadam Epiſtola Amatoria hiſce nempe verbis: Τὴν δὲ ϑέαν ὅτι λόγῳ ἐκφράσειεν, ὅτι ζωγράφου χεῖρες μιμήσαιντο. *Spectaculum vero neque ſermo expreſſerit, neque pictoris manus facile fuerint imitatæ.* Porro cum Simulacris conlatæ olim formæ emendatiſſimæ cultis Scriptoribus. Sic de Epheſina Melite amore percita Achilles Tatius inquit lib. 5. Γυναῖκα γὰρ ἐξέμηνεν ἐπ' ἀυτὸν παῦ καλὴν, ὡς ἂν ἰδὼν ἀυτὴν ἕτερος ἀγαλμα. *Feminam enim ipſius amore uſque ad furorem incendit formoſiſſimam, adeoque ut, quum videas, quoddam judices Simulacrum.* Sic & Philoſtratus de formoſo aduleſcente loquens lib. 5. Καθάπερ τῶν Ἑρμῶν οἱ γεγυμνασμένοι. *Non ſecus atque artificioſe fabricata Mercurii Simulacra.* Princeps vero Lucianus hic, dum in Imaginibus Pantheæ abſolutiſſimam formam cum pluribus confert præclarorum Artificum inſignioribus Simulacris. Immo potius ſumens quod in quaque imaginum fecit Artifex eximium, unicam conficit longe omnium præſtantiſſimam. quæ videtur & Arbiter adumbrare voluiſſe. quum paulo poſt os Circes verbis illis depingit. *Et oſculum, quale Praxiteles habere Dianam credidit.* Lucianum, moneo, adi, operam haud ludes. Barthium item ad Cyneget. Gratii, ubi de tranſlatione *τῆ emendatiorem.*

Formam.] Pulcritudinem; uti ſupra jam diximus, Arbiterque pluries uſurpavit.

Crines ingenio ſuo flexi per totos, &c.] Duæ ſunt hic laudes eximiæ Circes pulcerrimæ. prima ſcilicet, Crines natura ſua, haud ullo artificio, criſpulos eſſe; altera, ita nempe à natura fuiſſe levidenſi criſpitudine inflexos, ut neutiquam id foret impedimento, quo minus per humeros libere fluitarent. Similem comæ habitum graphice Appulejus deſcripſit lib. 2. Fab. Mileſ. patefecitque perſpicue Petronii animum: *Uberes enim Crines, leniter emiſſos, & cervice dependulos, ac deinde per Colla diſpoſitos, ſenſimque ſinuato patagio reſidentes, PAULISPER AD FINEM CONGLOBATOS, in ſummum verticem nodus adſtrinxerat.* Sic rurſus, breviuſcule tamen, lib. 11. *Jamque primum Crines uberrimi, prolixique, & SENSIM INTORTI, per divina Colla paſſive diſperſi, molliter defluebant.* Eadem prorſus & Manilii mens verbis illis lib. 5.

——— *Tortos in fluctum ponere Crines.*

Ita etiam Euſtathius in Prudentiæ imagine lib. 2. Ὁ πλόκαμος ἰνφυῶς περὶ τὸς ὤμους ἤπλωται τῆς παρθένε, καὶ βοστρυχοῦται μὲν ὡς εἰκός. Vertimus: *Capillus in cincinnulos decenter converſus per totos Virginis humeros eleganter effuſus eſt.* Ælianus quoque de Aſpaſia lib. 12. de varia Hiſtoria cap 1.

Ingenio ſuo.] Id eſt, ſponte ſua, vel natura. Nonius: *Ingenium veteres dixerunt, & ſua ſponte, vel natura. Nævius Lycurgo, &c.* Pariter Donatus ad illud Andriæ Terentii: *Bonum Ingenium narras aduleſcentis* Nec aliud ſors Calliſtratus voluit in Cupidinis imagine: Θελήσῃ τῇ τριχὶ ἑλιχθῆναι κατὰ νώτε χαϑῆναι. *ſpontanee Crine per terga fuſo.*

Per totos ſeſe humeros effuderant.] Aſpectu iſtud jucundum. ideoque æque olim frequenter conſpiciendas ſic ſeſe præbuerunt puellæ formoſæ, ac ipſas exin Scriptores politi commendarunt. Heliodorus in formoſiſſimæ Charicliæ deſcriptione lib. 1. Καὶ τῆς κόμης ὑπὸ τῷ στέφανῳ Βακχεῖον σεσεμένης, καὶ τοῖς νώτοις πλεῖσον ὅσον ὑποτριχόσης. *Coma ſub corona Bacchico more jactata, & totum per tergum ſeſe effundente.* Paſſim Euſtathius, & plures Græcorum. Ita & vetus Latii Poëta Lædam depinxit:

Læda per albentes humeros fluitante Capillo.

Tradiditque ut ſummum lenocinium Naſo 3. de Arte:

Alterius crines Humero jactentur utroque:
Talis es adſumta, Phœbe canore, lyra.

Numeratque inter eximia Tertullianus, deſcripſeruntque prope innumeri. Appulejus autem eo unice præ aliis delectatus eſt, ut ex ejus ad Fotidem verbis conligere licet lib. 2. Mileſ. *Sed, ut mihi morem plenius geſſeris, in effuſum laxa crinem, & capillo fluenter undante, ede complexus amabiles.*

Frons minima.] Et frontes breves Antiquis, haud ſecus ac nobis hodie, fuere laudatiſſimæ. Res jam occupata eſt aliis. Addimus tamen nos ex noſtro penu magni convivii haud incondita adpendicula. Laudem exin petitam neſcit nemo. è contrario autem equidem præbeo convicium. Sic meretrix comparem indem præbeo convicium. Sic meretrix comparem indem ſectatur apud Lucianum. Ἑταιρικ. διαλόγ. Ἀτὰρ ἐκεῖνο ϑαυμάζω, τί καὶ ἐπῄνησεν αὐτῆς ὁ σφατιώτης ἐτο, ἐκεῖος εἰ μὴ παντάπασι τυφλὸς ἦν, ὃς οὐκ ἐωράκει τὰς μὲν τρίχας αὐτὴν ἀρκαιὰς ἔχεσαν, καὶ ἐπὶ πολὺ τῷ μετώπῳ ἀπηγμένας. *Caterum illud minor, quidnam adeo laudet in amica. Caterum illud minor, quidnam adeo laudet in amica. Caterum illud minor, quidnam adeo laudet in amica.

flamma calefacta cincinnorum flexus inter se vi quadam implicant. At curiosius quidem compositæ illæ, & ad supercilia usque adtractæ comæ, breve interstitium fronti relinquunt. Idemmet omnino insinuavit Commodianus Poëta vetus, & nondum typis excusus, verbis illis:

—— *Et ad speculum cincinnos fronte reflexos.*

Sic locum Gaulminus vir doctus emendavit notis ad Eustathium, quum, *ad spelum*, inveniret exaratum. Et alibi ipsus scriptor:

Lavatis comulas gratulatim fronte reflexas.

Ubi, *granulatim*, haud inepte legit idem Gaulminus.

Et quæ radices capillorum retro flexerat.] En crinium Circes tertia & insignis commendatio, licet cum fronte quoque isthæc communis sit. Retroflexerat enim puella capillos antependulos: itaque aliter esse non poterat, quin eorum, modo adscititii ne forent, conspicerentur radices, eorum saltem, inquam, qui à fronte circumcirca pullulascerent. Id autem maximi haberi, ideo animadvertitur plane, quod adulterinarum comarum usus esset quondam creberrimus. Eaque propter ab Arbitro hic notatum signanter, immeritoque ab Interpretibus prætermissum. Ovidius inquit 3. de Arte:

Femina procedit densissima crimibus emtis:
Proque suis alios efficit ære suos.
Nec pudor est emisse palam, vanire videmus
Herculis ante oculos, Virgineumque chorum.

Aperte & Petronius supra cap. ex. meminit, passim Martialis, & Græci Epigrammatarii. Lucianus Dialogis meretriciis, Ælianus de Var. Hist. & innumeri alii.

Et rursus confinio luminum pæne permixta.] Commendatæ olim, quæ pulcritudine insignes, à superciliorum quoque commixtione. hoc est, brevi adeo intercapedine ea habere disjuncta, ut anceps in confinio luminum divortium relinqueretur. Sic elegantissime Venus hocce Mariæ dedit novæ nuptæ Honorii, ejus formam extollens apud Claudianum vers. 167. hisce verbis:

Quam juncto leviter sese discrimine confert
Umbra supercilii.

Μιξοφρυν & Cratinus vocavit sic *Supercilia miscentem*, uti testatur Pollux. Splendidum jam & hinc clarorem mutuatur Ovidius lib. 3. de Arte:

Arte Supercilii CONFINIA NUDA repletis.

Unde & pretium id genus superciliorum cognoscere sat licet: fuco igitur ea feminis quæsita, quibus natura scilicet haud concesserat. Itidem & parum viris, quod &, *Supercilia producere*, dicebatur. Juvenal. Sat. 2.

Ille Supercilium madida fuligine factum
Obliqua producit acu.

Fuligine igitur productum Supercilium, aliisque, quæ absque dubio haud desuissent, medicaminibus. Tertullianus de Hab. Mul. cap. 2. *Et illum ipsum nigrum pulverem, quo oculorum exordia Producuntur.* Inibi ergo, scilicet in Confinio luminum, *Notam* quamdam habuisse Helenam feminarum pulcerrimam, Dares Phrygius memoriæ prodidit in Characteribus.

Oculi clariores stellis.] Oculi cum Stellis conlati omni genti, omni ævo. Vetus Poëta:

Pande puella Stellatos oculos.

Et Martialis Ep. 42. lib. 4.

Lumina Sideribus certent.

Sic Aristænetus vernans Scriptor extrema Ep. 10. lib. 1. passimque omnes, & nos alibi.

Nares paullulum inflexæ.] Etiam oris elegantia, aduncus leviter nasus. Notarunt jam alii. Γυπὸς Græcis est. ita apud Ælianum Aspasia ὀλίγον γυπὸς, quemadmodum apud Petronium Circes *nares paullulum inflexæ*. Inde Demetrius Syriæ Regis filius *Grypus* ab naribus est cognominatus. Habitum etiam & Physiognomis id nasi genus in pretio, nobile quiddam quasi ac regium præ se ferens. Aquila namque, à qua trahit similitudinem, regina avium censetur. Fuit itidem magni & apud Persas factum, sicut de Cyro memorant Plutarchus, & Xenophon. Idem ego etiam in Faustinæ imaginibus animadverti, numis præcipue, feminæ sane, quantum est memoriæ Historicorum, formosissimæ.

Osculum.] Osculi hujus supra jam meminimus. Addimus nunc insuper, eximium hic ab ore parvo petiisse pulcritudinis encomium, uti fecerunt alii, magni quippe & id fecerint Antiqui. Ostendit aperte Plautus in Pœnulo 5. 2. 153. dum, inter alias, illam quoque oris elegantiam recenset.

Specie venusta, Ore Parvo, atque oculis pernigris.

Itidem Varro: *Sed & oculi subpatuli nigellis pupillis quandam hilaritatem significantes animi, Rictus Parvissimus.* Et alibi: *At Rictus oris candidi Parvissimus.*

Jam pedum candor intra auri gracile vinculum positus.] Calcei hoc genus fenestrati perforatique frequenter quondam in usu habitum Græcis, & Romanis; feminis tamen potissimum, quod vix eo uti, excepto remissionis tempore (puta, conviviis, & spectaculis destinato) sine dedecore viri possent. Tales igitur erant *Soleæ*, *Sandalia*, *Crepidæ*, *Gallicæ*, *Tyrrhenici*, *Baxeæ*, *Obstrigilli*. Inutile jam exempla aggerere, quum res in aperto sit, actaque viris doctis, qui de Antiquorum calciamentis scripsere. Leviter tamen, quæ ad Petronii inlustrationem faciunt, hinc inde excerpsimus. Sic Glossæ: σανδάλιον, *Gallicula*, &, *Solea*, σανδάλιον. Sunt & A. Gellio lib. 10. cap. 20. *Crepida*, sive *Crepidula*, Soleæ vocatæ, & Cicero 2. Philipp. *Gallicas* pro Crepidis usurpavit. Idem ergo *Solea*, *Sandalium*, *Crepida*, & *Gallica*, sive *Gallicula*. Mirifice autem ad rem Pollux lib. 7. cap. 22. de Tyrrhenicis loquens: Τυῤῥηνικὰ, τὸ κάτυμμα ξύλινον τετραδάκτυλον. οἱ δὲ ἱμάντες ἐπίχρυσοι. σανδάλιον γὰρ ἦν ὑπόδημα· δ' αὐτὸ Φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν. *Tyrrhenici, quorum solea ligneæ, quatuor digitorum latitudinis: lora autem inaurata, erat enim Sandalium: hoc Minervam induit Phidias.*

Phidias. Prorsus ferme Circes describit calceatum. Tyrrhenici omnino sunt, quæ *Tyrrhena Vincula* Virgilio in 8. Sic pariter & Cephisodorus Comicus in Trophonio:

——— Σανδάλιά τε τῶν λεπτοσχιδῶν,
Ἐφ' οἷς τὰ χρυσᾶ τοῦτ' ἐπέστω ἄνθεμα.
——— *Sandalia vero ex tenuiter perforatis,*
Quibus aurei flores insunt.

Λεπτοσχιδεῖς vocat *calceos fenestratos* ac *superne apertos*, uti Pollux eodem in loco interpretatur. Σχισταὶ, πολυτελὴς ὑπόδημα, καὶ θρυπτικόν. ταύτας δὲ καὶ λεπτοσχιδεῖς ὠνόμαζον. *Fenestrati, pretiosi calcei, & perforati: quos etiam* λεπτοσχιδεῖς *nominaverunt.* Addit etiam Comicus χρυσᾶ ἄνθεμα, *flores aurei*, nempe, qui superiore erant pedis parte, ubi vincula in nodos complicabantur. Parissime nos eadem in calceis vinculorum ornamenta adpellamus, *flores, rosas, rosetas.* Vidimus ergo jam aurea illa calceorum ligamina, quibus Circen induit Petronius, Polluci laudata, & Cephisodoro. De ipsis quoque & accipiendus Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 11. Χαίρειν ἐατέον τὰς ἐπιχρύσους τῶν σανδαλίων ματαιοτεχνίας. *Valedicendum est inanibus Sandaliorum Aureis artificiis.* Et sæpe alias. Fallitur ergo Scriptor *de Calceo antiquo*, dum adseverat, *Sandalia* ex calceamentis fuisse pedem omnimodo obtegentibus. quod miror valde, viro docto excidisse. Simillimi quoque erant *Obstrigilli*, & *Baxeæ*, quas & à *Crepidis* parum aut nihil distinguunt Antiquarii, adseruntque calciamenta fuisse Philosophorum, & Sacerdotum, Appulejus autem evincit lib. 2. & 11. Metamorph. Sed *Crepidatos* quis illos nescit?

Vinculum.] Et *Vinculum* propritim dictum de ejusmodi calceamentis, minime vero de pedem undequaque munientibus: & apte quidem, nihil quippe præter illorum Vincula superiori pedis parte visitur. De ipsis ergo capiendus Manilius lib. 5. Astronom.

——— *Nec insunt tegmina plantis.*

Quod ejus non vidit interpres, quum locum emendare conabatur, immo perdere. Inde ἁπλῶς *Vincula* ipsi Calcei pluribus Scriptoribus, æque ac Petronio, vocati. Ovidius lib. 2. Fast. loquens de Hercule ornamentis muliebribus induto:

Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
Scindebant magni Vincula parva pedes.

Et 5.

——— *Habent gemini Vincula nulla pedes.*

Ac sæpius alias. Itidem Tibullus lib. 1. El. 5.

Vinclaque de niveo detrahet ipse pede.

Sæpe etiam Virgilius, & plures alii. Præbeo & hinc lucidam facem nostro Poëtæ Principi Garsiæ Lasso, dum calceum sic Hymenæi stylo depingit limatissimo Eclog. 2.

Estaba el Hymeneo alli pintado,
El diestro pie calçado EN LAZOS DE ORO.

Graphice expressit idemmet Petronianæ Circes calceamentum, perinde atque adpellationem, *Auri Vinculum*, reddens, *Lazos de oro.* Equidem tamen autumo, Arbitrum Vati eximio haud innotuisse; Ast Manilium, qui *Vincla* pariter illa vocavit *Aurea*, alioque ex Antiquis sæpius vidisse, totus adsero. Adstruo magis adhuc Hymenæi calciamenta subitanea nostra observatiuncula. Haud prorsus absimilia fuisse *Vincula* & *Soccos*, exin conligere est, quod, quum exsertim Ovidius supra Herculi *Vincula* dederit, ubi amatorie induto postea Seneca in Hippolyto Fascias crurales, nimirum & *Soccos* Chor. Act. 1. istis versiculis:

Crura distincto religavit auro,
Luteo plantas cohibente Socco.

Scite igitur sic & Lassus noster *Vinculis* calceatum fecit Hymenæum, quum *Socco* fecerit Catullus:

Huc veni niveo gerens
Luteum pede Soccum.

Adrisit & erudito Garsiæ novissimo Interpreti Commentum nostrum, Doct. Dn. Thomæ Tamalo de Vargas inquam, quem de ipso monui jam libens. Ipsus quidem Hesperiæ nostræ decus & ornamentum singulare post Herrerii Sanctiique lucubrationes illud addidit sat tempestiviter, quo potissimum indigere Poëta videbatur, nimirum Ferrum Criticum, quum, haud secus atque omnes Scriptores prisci, exstiterit obnoxius & librariorum oscitantiæ, & temporum injuriæ.

Parium marmor exstinxerat.] Elegans summe translatio. Quemadmodum adstante Sole ac Luna stellæ veluti exstinguuntur, perinde ac lucernarum artificialium lumen; sic enim coram majori candore marmor candidissimum. Hinc jam & illud proxime superius claret: *Oculi clariores Stellis extra Lunam fulgentibus.* Notum est, ab eximia Marmor Parium albedine plurimum Antiquis commendari. Vide Plinium lib. 36. cap. 5. Posthæc incidi in Epistolam elegantem Philostrati, ubi eadem prorsus atque ego commentus est, quum rosis arescere contigisse coram suis roseis deliciis finxit ludibundus: Οὐκ ἤνεγκε (τὰ ῥόδα) παρευδοκιμούμενα ἀ δὲ ἠνέσχετο τῆς πρός σε ἀμίλλης. ἀλλ' ὁμοῦ ἐθέγγετο ἐναισίμῳ χρωτὸς, καὶ ἀπώλετο. ἅτα καὶ λύχνῳ πίπλει πυρὸς ἡττηθεὶς μείζονι. καὶ ἅμα δὲ ὅταν ἀντιζηλήσειν ἡλίῳ μὴ δύνηται. *Non tulerunt* (Rosæ) *improbationem, neque ferre potuerunt certamen tecum initum: sed, simul ac fragrantiorem cutem adtigerunt, suam vim perdidere. Sic etiam Lucerna interit, victa ab igne copiosiore: & Astra, quum Solem adversum intueri non possint.*

Inter Cœlicolas fabula muta taces?] Quod idem est, ac si diceret, quum prius libidinem tuam sermonibus differrent Cœlicolæ, nunc jam sane otium istud tuum, & amorum vacuitatem insectantur, exagitant, & Fabulantur. Agnosce autem elegans antitheton. *Fabula Muta.* Inquit S. Isidorus lib. 1. Etymol. cap. 40. *Fabulas Poëta à Fando nominavere.* Et M. Varro lib. 5. LL. ac S. Isidorus lib. 1. Etymol. cap. 40. Inde *Fabulor*, exinque nostrum *Fablar* antiquum, postea mutata F. in H. Hablar, ut sexcentis vocibus contigit.

Nunc

Nunc erat à torva ſummittere cornua fronte:
Nunc pluma canos diſſimulare tuos.

Hæc vera eſt Danaë.] Præ aliis ſæpius tres haſce Jovis μεταμορφώσεις Scriptores plures retulerunt. Sat Palladæ ſimillimum Epigrammation teſtatur lib. 7. Anthолog. c. Ep. 82.

Νῦν καταγινάσκω καὶ τῷ Διὸς ὡς ἀνεράστῳ
Μὴ μεταβαλλομένῳ τὴν σοφίαν ἕνεκεν.
Οὔτε γὰρ Εὐρώπης ἐ τῆς Δαναὴς περὶ κάλλος,
Οὐδ' ἀπαλῆς Λήδης ἐς' ἀπολειπομένη, &c.

Vertit Scaliger:

Mirum, quod non mutet ob hanc ſe Juppiter. illi
Iraſcor, rudis eſt: nil in amore videt.
De forma non Europæ, Danaëve puellæ,
Non ea concedat, candida Leda, tibi, &c.

Sic & Ariſtænetus lib. 2. Ep. 2. Φίλος γὰρ Πυθιάδος τίς, εἰ μήγε Ζεὺς ταῦρος, ἢ χρυσὸς, ἢ κύκνος γενόμενος διὰ σέ. *Quis enim amicus Pythiadi, niſi Jupiter propter te factus Taurus, aut Aurum, aut Cygnus?* Statius item Stellæ Epithalamio lib. 1. Sylv. 2.

Falſas huic pennas, & cornua ſumeret æthra
Rector, in hanc vero cecidiſſet Juppiter auro.

Ita & alii.

Jam tua flammifero membra calore fluent.] Occultatur & hic extrema nequitia. prima namque fronte Jovis aureum ſtillicidium præ ſe fert Arbiter, clanculum videlicet profluens in ſinum Danaës, in receſſu vero profluvium potius (licet de Jove ſermo ſit) ſubintelligit Priapi. Opitulantur & illa *Membra*, impudica vox, Commenti argutiæ. Petronius ipſe inferius cap. CXXXII.

Quis vetat in tepido Membra calere toro?

Pariterque Carmen Liberum haud ſemel. Item & id Artemidori lib. 2. cap. 6. Οὐδὲν οὕτως τὰ σώματα θερμαίνει, ὥσπερ πῦρ καὶ γυνή. *Nihil tam corpora calefacit, quam ignis ac Femina.*

Cap. CXXVII. *Riſit tam blandum.*] Et ſupra hujuſce meminimus loci. Sic lib. 5. de Iſmene dixit Euſtathius: ἐρατικῶς ἐμειδίαε. *Amatorium riſit.* Id autem arte quadam obſervabant, ei etiam adhititis Magiſtris. Quod innuit Ovidius:

——— *Diſcunt etiam Ridere puellæ,* &c.

Præcepta plures Antiquorum dedere, quæ occurrunt paſſim. Monebant item & nequitiarum Doctores, ut ipſæ tantum ſcilicet riderent, quæ ſcirent probe: aliæ vero riſum vitarent cane pejus & angue. Id quoque præcepiſſe Naſonem, indicio eſt lepidiſſimum Martialis Epigramma 41. lib. 2. ubi ejuſdem refert carmen Phaleucium, ex quo autem opere illud ſit, dubium. Aſt ſic apud Valerium eſt:

RIDE, SI SAPIS, O PUELLA, RIDE.
Pelignus, puto, dixerat Poëta.
Sed non dixerat omnibus puellis.

Nam, quibus picei buxeique forent dentes, etiam ſi ridere doctiſſime ſaperent, ridendi facultas prorſus erat interdicta. ſcio illud, SI SAPIS, aliter capi haud indecenter poſſe; ſed longe præ alio quovis adriſit in præſentia noſtrum Commentum noviſſimum.

Ut videretur mihi plenum os extra nubem Lunæ proferre.] Deformis namque Luna, quum pallens latet ſub nube. ea Lucani mens eſt lib. 5. Pharſ.

- - - *Tum lurida* (Luna) *pallens*
Ora tulit vultu ſub Nubem triſtis ituro.

Virgilii item lib. 3. Æneid.

Et Lunam in Nimbo nox intempeſta tenebat.

Aſt vero quum os extra nubem profert, pulcriorem adhuc ſeſe conſpiciendam præbet, quam quum ſudum eſt, quod hic indubie Arbiter voluit. Addidit *Os plenum*, id eſt;

- - - *Poſtquam Pleniſſima fulſit.*

Et:

- - - *Suos ignes coeunte cornu*
Junxit.

Quod ſcite dictum, nam tunc longe pulcerrima. Seneca in Hippolyto:

Clarior quanto micat orbe Pleno.

Corippus lib. 2. loquens de filia Juſtini Imperatoris:

Luce ſua Plenam quæ poſſit vincere Lunam.

Mox digitis gubernantibus vocem.] Geſtus iſte loquentis optime illas decet puellas, quæ elegantiſſimis manibus præditæ ſunt. Sic Cicero lib. 6. Fam. Ep. 6. ubi de Medea loquitur Corinthiacis perſuadente matronis, ne ſcilicet ſuum exilium vitio verterent: *Hoc tibi tam ignoſcemus nos amici, quam ignoverunt Medeæ, quæ Corinthi arcem altam habebant, matronæ opulentæ, optimates: quibus illa Manibus Gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi illæ vitio verterent, quod abeſſet à patria.* Contra vero, quibus deformes manus ſunt, omnino ille vitandus eſt purgamento pejus & cadavere. Argute nequitiarum Præceptor in 3. de Arte:

Exiguo ſignet geſtu quodcumque loquatur,
Cui digiti pingues, & ſcaber unguis erit.

Ceterum nota mihi illa Ciceronis verba, *Manibus perſuaſit.* Num ergo, quæſo, Manus ad perſuadendum valent? maxime, inquio; tunc nimirum maxime, quum *Vocem gubernant*, ut ait Petronius. Uterque enim *Actionem* miram illarum feminarum ſubintellexerunt, quæ recte admodum, ut infra dicimus, quaſi Corporis quædam Eloquentia fuit habita. Illa quidem ars erat, quam Quinctilianus *Chironomiam* adpellat, quod manuum præcipue commotionem edoceret ipſis verbis convenienter temperandam. haud ſecus atque is, qui choreas agit, ſono ſeſe adcommodat.

Feminam ornatam.] Hic Interpretis vicem obit Tertullianus de Hab. Mul. cap. 4. nam ibi, quid feminarum *Ornatus* ſit, in hunc modum exponit, & ab *Cultu* diſtinguit: *Habitus femina duplicem ſpeciem circumfert, Cultum, & Ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: Ornatum, quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro, & gemmis, & veſtibus deputatur: iſte in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* Cum Varrone conſentit, qui lib. 4. LL. deducit *Ornatum*,

quasi ab ore natum. Sed sæpe Afer ipsus alias confundit vocabula.

Concilio tibi, ô juvenis, sororem. habes tu quidem & fratrem.] *Frater*, & *Soror*, inter verba ἐρωτικὰ fuere olim, quo de jam plures. Argute Martialis lib. 10. Ep. 65.

Quare desine me vocare Fratrem,
Ne te, Carmenion, vocem Sororem.

Habes tu quidem & fratrem, neque enim me piguit inquirere.] Curiosam hancce amantium diligentiam nescio an satis ceperint Interpretes. Id enim inprimis cordi amantibus semper fuit, initio videlicet coëuntis cujuslibet gratiæ sedulo inquirere, an pectus illius, quem depereant, alio num intempestiviter teneatur amore. Nam illud sane cogitant, quo minus unice diligantur, potissimo fore impedimento. Isthæc plane est apud Ovidium Helenæ maxima sollicitudo, tunc primum quum Paridis exstitit amore saucia; indeque pernovit, prius Oenonem amatam, ac postea illi fuisse destitutam. Inquit ergo Epist. ad Paridem:

Tu quoque dilectam multos, insside, per annos
Diceris Oenonem deseruisse tuam.
Nec tamen ipse negas, & nobis omnia de te
Quærere, si nescis, maxima cura fuit.

Eodem gradu venio.] Et magnos viros olim cepit immanis jugulandi scripturas intontes libido. hic Vir summus scribebat, *eodem gradu venia*, perperam. sic prorsus sententiæ leporem adimeret, qui nunc totus est in Amoris cognatione nequissima.

Ad hoc templum Amoris gratis accedere.] Argute sane, ut Circes hic eximiam pulcritudinem extollat, ipsam *Templum Amoris* adpellat. feminæ quippe formosæ, & ad amorem conciliandum præstantes, Amoris jure merito poterunt viventia templa vocari, quum nusquam alias majori cum reverentia Amor colatur. Ipsæ enim omnino possunt medullitus amari, & iste cultus Amoris potissimus est.

Sine quo non potes vivere, &c.] Sic Appulejus lib. 10. Fabulæ Milesiæ: *Amo, & cupio, & te solum diligo, & sine te jam Vivere nequeo.* Propertius El. 28. lib. 2.

Si non unius, quæso miserere duorum,
Vivam, si vivet: si cadet illa, cadam.

Nec aliud vult Eleg. 11. lib. 1.

Aut sine te Vitæ cura sit ulla meæ?

Quemadmodum ego te volo.] *Velle*, ἁπλῶς, amare est. hic S. Prosperus docet lib. 1. de vocat. Gent. cap. 3. *Quid autem est Amare, nisi Velle? aut, quid est odisse, nisi Nolle?* Disertim Ovidius El. 19. lib. 2. Amor.

Si tibi non opus est servata, stulte, puella:
At mihi sic serves, quo magis ipse Velim.

Ita & vetus Interpres Bibliorum Genes. cap. 34. 19. *Quia Volebat filiam Jacob.* id est, eam amabat. Nos etiam simpliciter utimur: *Como io te quiero.* & cum adjectione, ut *Bene Vello, Querer bien.* Catullus Carm. 76.

Ut jam nec Bene Velle queam tibi, si optima fias.

Ita & *Malle* usurpat Petronius cap. XCII. *Malo te, inquam, quam balneum totum.*

Tanta gratia conciliabat vocem loquentis.] Et hic quoque commendat *Actionem*, quæ vita & spiritus Orationis Ciceroni est in Oratore, & *quasi corporis quædam eloquentia.* Recte ergo Petronius *Gratiam* adpellavit summam hancce in dicendo virtutem. Ita Ovidius 13. Metamorph.

——— *Nec abest facundis Gratia dictis.*

Item Propertius lib. 1. El. 2.

Unica nec deest jucundis Gratia verbis.

Quod & ejus eruditus interpres Passeratius vidit.

Conciliabat vocem.] Sic usurpavit supra cap. CIX. *Epulaque ad certamen prolatæ conciliant hilaritate convivium.*

Inter auras canere Sirenum concordiam.] Proba isthæc, immo vera mihi lectio est, itaque illam sollicitare, injurium. Qui autem, *intus canere*, malunt scribere, quid de *Auras* cogitant, sive *Aures*, faciendum, nam vocem istam retinet & librorum concordia? Ceterum frequens fuit quondam Sirenum suavi cum puellarum voce conlatio. Heliodorus de Chariclia loquens lib. 1. Ὑπὸ δὲ τῶν λόγων, ὥσπερ τινὸς σειρῆνος, κεκηλημένος. *Rursus autem illius oratione tamquam alicujus Sirenis cantu demulcebatur.* Ælianus de Aspasia lib. 12. ποικιλ. ἱστορ. cap. 1. Φώνημα δὲ εἶχεν ἡδύ, καὶ ἁπαλὸν, ὥστε ἄν τις λαλάσης αὐτῆς ἀκοῦσαι σειρῆνος. *Vocem habebat suavem, & teneram, ita ut, ipsa loquente, Sirenem audire te diceres.* Princeps autem hic Pausanias, quum in Atticis inquit: Ἐιώθασι δὲ καὶ τῶν ἔτι ποιημάτων καὶ λόγων τὸ ἐπαγωγὸν Σειρῆσι ἐικάζειν. Vertit Amasæus: *Obtinuit certe consuetudo, ut nunc etiam, poëmata, & Orationum quodvis Genus, in quo inest Suaviloquentia, cum Sirenis cantu conferatur.*

Dea nomen.] Puellas olim pulcerrimas, non aliter ac deas, venerabantur, dearumque adpellatione ac reverentia Prisci colebant. Huc omnino referri debet, quod paullo ante dixit ipse Polyænos: *Immo, inquam ego, per formam tuam te rogo, ne fastidias hominem peregrinum inter cultores admittere: invenies Religiosum, si te adorari permiseris. Ac, ne me judices ad hoc Templum Amoris gratis accedere,* &c. Haud leviter hocce Appulejus firmabit fabulæ initio Psyches & Cupidinis, potissimum, ubi de illa loquens lib. 4. inquit: *Puellæ supplicatur, & in humanis vultibus Deæ tantæ numina placantur: & in matutino progressu Virginis victimis,* &c. per plures lineas. Inde passim cum deabus simplex Pulcerrimarum conlatio, & additis quoque dearum nominibus, apud Scriptores veteres reperitur. Pati autem cum illis componi, & olim fuit quibusdam religio; ideoque vehementer id lenocinium aversatæ sunt. Sic Panthea illa pulcerrima feminarum à Luciano nempe talem adsentationem aspernata est. Ipsus vero, haud noviter indecenterve illud feciſſe, evincere conatur in De Imaginibus, quem vide sat adpositum Dialogum. Audax quoque & Arbi-

ter

ter est in ejusmodi conlationibus. inlustris enim locus ille cap. cxxxviii. *Quid huic forma aut Ariadne habuit, aut Leda simile? quid contra hanc Helene, quid Venus, posset? Ipse Paris dearum lividmantium Judex*, &c.

Nec mea mater, dum placet, labentis mundi cursum detinuit.] Ad matrem Circes veneficæ, Solis progeniei, Persem nuncupatam, adludit indubie: minime vero ad ipsam Circem, uti nonnulli volunt dormitantes Interpretes. Efflictim amatam Soli, constat, Persem fuisse; ideoque, dum illi pulcerrima placet, quid mirum, si cursum suum detinere, in cæloque diutius hærere, fecisset? Sic τὸ *dum placet* debet interpretari, uti & Arbitro sæpius est. Ita in Polyæni codicillis cap. cxxx. sat impudice: *Placebo tibi, si me culpam emendare permiseris*, & alias. tandem vero in fragmentis:

—— *Tu sola Placere*
Vel spoliata potes.

Verba autem, *Labentis mundi cursum*, de Sole, Mundi anima & vita, Cælove, commode capienda. Orpheus Hymno in Solem:

Χρυσολύρα, κόσμου τὸν ἐναρμόνιον δρόμον ἕλκων.
Auream Lyram habens, concinnum Mundi cursum trahens.

Et Macrobius in 2. de Som. cap. 11. de anno agens Mundano inquit: *Unde & Mundanus dicitur, quia Mundus proprie cœlum vocatur.* Et noster Mela initio operis: *Omne igitur hoc, quicquid id est, cui Mundi, Cælique nomen indidimus.* Itaque plures Poëtæ usurparunt. *Detmuit* ergo Solis cursum, ut Leucothoe quoque apud Ovidium in 4. Metamorph.

Habebo tamen, quod cælo imputem.] Tamquam beneficium. Sic verbo *Imputare* usi veteres. Suetonius in Tiberio cap. 53. *Imputavit etiam, quod non laqueo strangulatam in Gemonias abjecerit.* Similiter Tacitus, Plinius, Juvenalis, Quinctilianus, & alii inferioris ævi Scriptores.

Curiosum.] Zelotypum interpretor, quod subsequentibus vel Arbiter adstruat; subdit: *Longe ab hoc loco frater est.* Apte oppido, Zelotypi namque admodum curiosi sunt, omniaque occulta, clandestinoque peracta cupiunt pernoscere, quod genuinum est *Curiosi* significatum. unde id Appulejanum in limine Metamorphoseon jam notescet: *Non quidem Curio sum, sed qui velim scire cuncta, vel certe plurima.* Ubi *Curio* pro Curiosus est, mens autem isthæc, Equidem Curiosus non sum, hoc est, qui res occultas cognoscere velim; cupiam tamen particeps fieri cujuscumque sermonis, modo propalam inter vos agitetur. Longe vero à nobis Petroniani & Appulejani Interpretes absunt. Inde ergo *Curiosæ Artes*, Magicæ, & *Curiosi*, Magi dicuntur, quippe qui res occultas pernoscere satagunt. Ex dictis autem & Catullo nova lux oritur, qui pariter & Zelotypos significavit ad Lesbiam:

Quæ nec pernumerare Curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Fascino namque potissimum Invidi nocent, & Zelotypi livore plane laborant.

Brachiis mollioribus pluma.] Floride, more suo, Appulejus lib. 3. Milesi. de Fotide: *Tuam Plumeam lacteamque contingit cutem.*

Idæo quales sudit, &c.] Homerum hic plane exprimit concubitum describentem Jovis & Junonis lib. 14. Iliados. quod enim haud indecore posset Interpretibus præmoneri. Referam equidem Homeri locum, faculamque ita admovebo versibus elegantissimis. Jovi sane in monte Ida copiam sui reculaverat Juno, causans videlicet, ibi προπέφανται ἅπαντα, *patentia esse omnia.* Sed postquam de nebula aurea nescio quid Jupiter cogitasset, certioremque fecisset uxorem, subdit magnus Poëta vers. 346. *

Ἦ ῥα καὶ ἀγκὰς ἔμαρψε Κρόνου παῖς τὴν παράκοιτιν,
Τοῖσι δ' ὑπὸ χθὼν δῖα φύεν νεοθήλεα ποίην,
Λωτόν θ' ἑρσήεντα, ἰδὲ κρόκον, ἠδ' ὑάκινθον
Πυκνὸν καὶ μαλακόν, ὃς ἀπὸ χθονὸς ὑψόσ' ἔεργε.
Τῷ ἔνι λεξάσθην, ἐπὶ δὲ νεφέλην ἐσσαντο
Καλὴν, χρυσείην· στιλπναὶ δ' ἀπέπιπτον ἔερσαι.
Ὡς ὁ μὲν ἀτρέμας εὗδε πατὴρ ἀνὰ Γαργάρῳ ἄκρῃ,
Ὕπνῳ, καὶ φιλότητι δαμεὶς, ἔχε δ' ἀγκὰς ἄκοιτιν.
Dixit sane, & ulnis complexus est Saturni filius suam uxorem.
Hos autem subter, tellus divina produxit recentem herbam,
Lotumque roscidum, & crocum, & hyacinthum
Densum & mollem, qui à terra in altum elevabat eos.
Hoc thoro indormierunt: insuper autem nebulam induerunt
Pulcram, auream: lucidi autem decidebant rores.
Sic hic quidem quiete dormiebat pater in Gargaro summo,
Somno & amore domitus: tenebat autem in ulnis uxorem.

Fallitur autem, qui in eadem historia eadem descriptione uti Valerium Catonem in Diris adserit, quum alia prorsum in historia sit, idque magis admiratione dignum, quod ipse animadverterit, adlusisse ibidem Valerium ad primum Jovis cum uxore concubitum, scilicet

—— *Prius conjux quam dictus uterque est.*

Quod & Homerus ibidem tetigit vers. 295. quum inquit:

Οἷον ὅτε πρώτιστον ἐμισγέσθην φιλότητι
Εἰς εὐνὴν φοιτῶντε, φίλους λήθοντε τοκῆας.
Στῆ δ' αὐτῆς προπάροιθεν, ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ θ' ὀνόμαζεν.
Proinde ac quando primum misti sunt amore
In cubile ascendentes, dilectis clam parentibus.
Stetit autem ipsam ante, verbumque dixit, & elocutus est.

Idæo vertice dixit, Homerus quippe, Ἰδὴς ἐν κορυφῇσι.

* *Vide Philostrati Epistolam amatoriam, cujus initium:* Καὶ τῇ δίᾳ, ὅτε ἐκοιμᾶτο ἐν τῇ ἴδῃ τῷ ὄρει, &c.

Candidiorque dies.] Felicior, jucundior. Apud Suidam est: λευκὴ ἡμέρα, *Alba dies*, ἡ ἀγαθὴ ἐπ' ἐυφροσύνῃ, *pro bona & hilari.* Et apud Hesychium: λευκὴ ἡμέρα, ἀγαθὴ, *Candidus dies, latus, jucundus.* Sed hac de re multa nos in *Antiquorum Calculorum Diatriba* cap. 1. ubi & origo etiam, unde, qui Felix dies, *Candidus* vocaretur.

In hoc gramine pariter compositi.] Clitophon apud Achillem Tatium extremo lib. 5. Οὔτε σφωμὲν ἡμῶν δεηθέντων, ὅτι ἄλλα τινὸς τῶν εἰς παρασκευὴν Ἀφροδισίων. αὐτουργὸς γὰρ ὁ ἔρως, καὶ αὐτοσχέδιος σοφιστὴς, καὶ πάντα τόπον αὐτῷ τιθέμενος μυστήριον. *Nobis neque stratum, neque alium ullum ad Venerem adparatum requirentibus. Amor enim sui ipsius artifex est, & qua opus sunt ex tempore adferens, ad sua ipsius arcana quemvis accommodat locum.* Faciunt huc & quæ paullo infra nobis proferuntur ad verba illa cap. seq. *Excussit vexatam sole vestem.*

Compositi.] Gladiatorium ac militare verbum est, *Compono*, transferturque ad Veneris rem, ut prope omnia verba militaria, exemplaque supra protulimus ad verba cap. XIX. *Paria composueram.*

Cap. CXXIIX. *Numquid spiritus jejunio macer?*] Levicula vox hic videtur *Macer.* puto scribendum *Acer*, nam eo temporis oppido gravis halitus esse solet. Iccirco Ovidius præcipit in 3. de Arte:

Cui gravis oris odor, numquam Jejuna loquatur:
Et semper spatio distet ab ore viri.

Et iterum ibidem:

Quid, si præcipiam, ne fuscet inertia dentes?
Oraque suscepta mane laventur aqua?

Bourdelot. edidit, *acet*, quod ego non improbo.

Numquid alarum negligens sudor?] *Negligens*, id est, fœtidus μετωνυμικῶς. nam qui munditiam Negligunt, haud aliter quam fœtidos esse, necessum est. Conjunxit, ut Arbiter, Ovidius cum teterrima oſculi anima lib. 1. de Arte:

Nec male odorati sit tristis anhelitus oris,
Nec lædat nares virque paterque gregis.

Et rursus in 3. olidum caprum cavere jubet:

Quam sæpe admonui, ne trux caper iret in alas.

Persusus ergo rubore manifesto, etiam, si quid habueram virium, perdidi.] Veneris languentis causa ist-hæc sæpius ferme potissima. parissime Ovidius in parissimi argumenti Elegia lib. 3. Amor. Eleg. 6.

Huc pudor accessit facti, pudor ipse nocebat:
Ille fuit vitii causa secunda mei.

Maximianus itidem:

Erubui, stupuique, omnes verecundia motus
Abstulit, & blandum terror ademit opus.

Quæso, inquam, Regina.] Urbana olim amatorum compellatio, *Regina.* Sic nobis hodie prorsus est, *mi Reina.* Martial. lib. 10. Ep. 64. Pollam adloquens:

Contigeris Regina meos si Polla libellos.

Sic & *Dominam* compellabant amasiam. Arbiter haud semel: *Fateor me, Domina, &c, &, Curro nudus ad Dominam.* Ita Polyphemus apud Ovidium lib. 13. Transformat.

Inveni, & dixi, Domina servabimus istos.

Veneficio contactus sum.] Enervatorum & hocce refugium. Ovidius in Elegia laudata:

Quid vetat & nervos magicas torpere per artes?
Forsitan impatiens sit latus inde meum.

Numquid indecens sum? numquid incomta?] Utrumque complexus est Ovidius in principio ejusdem Elegiæ:

Aut non formosa est, aut non bene culta, puella.

Indecens, deformis est, sine lepore. nec partium inter se convenientia. Naso ipse El. 3.

Longa, Decensque fuit, longa, Decensque manet.

De Circes autem pulcritudine multis jam vel ipsus Arbiter. Non *incomtam* esse, supra cap. præcedenti, eademmet de se prædicat: *Si non fastidis fœminam ornatam.* Utrumque etiam ex illis elegantissimis Codicillis subodorari licet cap. sequenti: *Nam, quod ad me adtinet, non timeo, ne quis inveniatur, cui minus placeam. nec speculum mihi, nec fama mentitur.* Videtur ergo hinc ironica fuisse Circes interrogatio.

Rapuit deinde tacenti speculum.] Hic forsitan haud inepte quæris, undenam eo loci ad manum Speculum comtissimæ puellæ? pusillum, inquam, indubie eadem, aut ancilla, gestarunt, quod moris erat. Conligo equidem ex Appulejo, qui plusçula in Apologia de Speculis edisserit, ubi inter alia: *Quod tamen crimen est, imaginem suam nosse? eamque non uno loco conditam, sed quoquo velis Parvo Speculo promtam gestare?* Alias vero, domi scilicet, *Specula totis paria corporibus*, ut inquit Seneca L. 1. Nat. Quæst. cap. 17. habuere profusæ admodum feminæ, *auro argentoque calata, & gemmis adornata,*

Et postquam omnes vultus temtavit.] Mentem Arbitri exprimit Tertullianus De Velan. Virg. verbis hisce: *Jam & consilium forma à Speculo petunt.* Quod à Martiale potuit mutuari lib. 9. Ep. 17.

Consilium fama speculum.

Nec aliud Claudianus voluit Epithalam. Honor. & Mariæ, ubi eleganter inquit:

——— *Speculi nec vultus egebat*
Judicio.

Quo loci videtur adumbrare voluisse illud ejusdem Epigrammatarii eodem lib. Epig. 18.

Addidit & nitidum sacratis crinibus orbem,
Quo felix facies judice tuta fuit.

Id autem lib. 8. Ep. 52. *Censuram speculi* vocavit. Pariter Oratori Speculum consulendum, monet Quinctilianus lib. 11. quippe qui totius corporis motus ac vultus debeat moderari, modulaminique adcommodare verborum.

Excussit vexatam sole vestem.] Agi res ipsa hic prorsus videtur, haud referri. Verbum est Veneris *Vexare*, qua notione sæpius eo usus est Petronius, capp. scilicet 17. 106. 132. 139. quibus in locis & nos eo de loquimur. Vexata enim Circes erat vestis, subinjecta nam-

namque fuit Veneris conluctationi, qui lectus haud amantibus insuavis. Sic Ovidius Eleg. 4. lib. 1. Amor.

Sæpe mihi dominæque meæ properata voluptas
Veste sub injecta dulce peregit opus.

Propertius lib. 1. Eleg. 4.

——— *Et quæ*
Gaudia sub tacita ducere Veste libet.

Et Eleg. 7. lib. 4.

Sæpe Venus trivio commista est pectore misto:
Fecerunt tepidas Pallia nostra vias.

Ipsum Aristænetus acute vocavit θάλαμον αὐτοσχέδιον Ep. 2. lib. 1. Simili etiam cubili, pallio, inquam, usum fuisse Sophoclem in re Amoris, memoriæ prodidit apud Athenæum Hieron. Rhodius, quem vise lib. 13. Dipnosoph.

Raptimque eadem Veneris intravit.] Videtur, ut vota susciperet, aut sacra faceret pro valetudine Polyæni nervorum. Sic apud Plautum Curculione Act. 1. sc. 1. Phœdromus Adulescens amore percitus vovit, se prima luce sacra facturum Veneri:

Nunc ara Veneris hæc est ante horum fores,
Me inferre Veneri vovi jam jentaculum.

Amantes ergo ejuscemodi vota Veneri nuncupasse, haud dubium est. Ita & Priapo. sic profert is ipse de anicula:

Ne desit sibi, me rogat, sututor.

Et alibi:

Ne desit sibi, mentulam rogare.

Et puella quoque.

Pro quibus, ut semper placeat spectantibus, orat:
Tentaque ad exemplum sit sua turba dei.

Quæ adposite omnino ad mentem Petronii, eaque propter & Priapi fuere ejuscemodi minæ:

Quæque hæc proterva carpserit manu poma
Puella, nullum inveniat sututorem.

Opportune autem in horto illo sacellum Veneris foret, nam & *Venerem Hortensem* Ethnici coluerunt, plane M. Varro lib. 1. de re rust. sub principium. Sed omnium facetissime Lucianus quodam Meretricio dialogo, qui locus rem totam mirifice inlustrat. Loquitur mater ἱφανικῶς ad Musarium filiam: Ἂν ἔτι τοιοῦτον ἴφασκε εὑρωμεν, ὦ Μουσάριον, οἷον ὁ Χαιρίας, ἐγὼ θύσαι μὲν τῇ παιδὶ δήπου λευκὴν Μηκάδα, τῇ ἀφαίᾳ, καὶ τῇ ἐν κήποις δάμαλιν ἑκατέρᾳ, &c. *Ergo si talem amatorem posthac inveniamus, Musarium, qualis Charea hic est, immolare oportebit nos, Publicæ quidem Veneri capram candidam, Cœlesti autem, & ei, quæ in hortis est, juvencam utrique, &c.*

——— *Effossaque protulit aurum.*

In lucem tellus.] Lucianus in *Somnio* sive *Gallo*: Ἐμοὶ δὲ διὰ χρυσῶν τινων πυλῶν ὁ ὕπνος ἀφίκετο, χρυσοῦς καὶ αὐτος, καὶ χρυσᾶ πάντα, καὶ πολὺ ἐπαγόμενος χρυσίον. *Mihi vero per aureas quasdam portas dulcissimum hoc advenit somnium, & ipsum aureum undique, & aureis circumamictum, & auri plurimum secum adducens.* Luculentus enim illis versibus interpres ibi Samosatensis Philosophus, quem confer. Ipse Petronius supra cap. CIV. Carmine haud absimilis argumenti:

——— *Defessumque invenit aurum.*
——— *Animus quod perdidit optat,*

Atque in præterita se totus imagine versat.] Mirifice istud Lucianus multis in Micyllo exprimit, Somnio jam laudato. In id usque adeo sutor prolabitur, ut necesse habeat vel Gallus ipse eum increpare in hunc modum: Ἔτι γὰρ σὺ ἀναπεμπάζῃ τὸν ὄνειρον, ὅτις ποτὲ ὁ φανεὶς σοι ἦν, καί τινα ἐνδάλματα μάταια διαφυλάττεις, κενὴν, καὶ, ὡς ὁ ποιητικὸς λόγος, ἀμενηνήν τινα ἐνδαιμονίαν τῇ μνήμῃ μεταδιώκων; *Etiamnum tu somnium illud, quod dudum tibi visum est, in animum revocas, & inania quædam observas simulachra, atque (uti loquuntur Poëtæ) evanidam quandam felicitatem memoria consectaris?* Ad quem tamen Micyllus: Ἀλλ' ἤδη ἐπιλήσομαί ποτε, ὦ Ἀλεκτρυών, εὖ ἴσθι, τῆς ὄψεως ἐκείνης, οὕτω μοι πολὺ τὸ μέλι ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ὁ ὄνειρος καταλιπὼν ᾤχετο. *Immo illud scias, Galle, ne ullo quidem tempore umquam visi illius mihi venturam oblivionem: tantum mellis somnium aufugiens in oculis mihi reliquit.*

Quod me Socratica fide diligis.] *Socratica fide*, hoc est, honesta, verecunda. animi namque pulchritudinem sectabatur verecunditer Socrates: corporis vero eo tantum, quod ipsi non lateret, egregiam quandam virtutis ac præclaram indolem præ se ferre formæ quoque præstantiam. Prolixe Maximus Tyrius pluribus Dissertationibus hocce evincere conatur, Philosophumque ab calumniis vindicare. nobis autem satis sit ex 9. locum proferte, qui totam rem inlustret insigniter. Τῷ δὲ Σωκράτει ὁ ἔρως ἦν κατὰ μὲν τὴν σπουδὴν τοῖς ἄλλοις ὁμοιος, κατὰ δὲ τὴν ἐπιθυμίαν διαφέρων, κατὰ δὲ τὴν ἡδονὴν σωφρονέστερος, κατὰ δὲ τὴν ἀρετὴν εὐσχήμονέστερος. ἀρχὴ ξδε αὐτῷ, ψυχῆς ἄνθος ἐν σώματι διαφαινόμενον, οἷον ἐι ὑπὸ καλῷ ποταμῷ κάλλος λειμῶνι ἐπιῤῥέον. καλὰ μὲν τὰ ὑπ' αὐτῷ ἄνθη, λαμπρυνόμενα δὲ ὑπὸ τοῦ ὕδατος πρὸς τὴν ὄψιν. τοῦτο δύναται καὶ ψυχῆς ἄνθος ἐμπεφυτευμένον σώματι καλῷ· ἐκλαμπρύνεται ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἐκλάμπει, καὶ διαφαίνεται. καὶ ἔστι σωμάτων ὥρα ἄδην ἄλλο, ἢ μελέτης ἀρετῆς ἄνθος, καὶ οἱονεὶ προοίμιον κάλλους ὡραιοτέρου. ὥσπερ γὰρ τῷ ἡλίῳ προαίσχει τὶς αὐγὴ ὑπὲρ ἄκρων ὀρῶν, ἀγαπητὸν ὀφθαλμοῖς θέαμα διὰ τὴν προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος. οὕτω καὶ τῆς λαμπρᾶς ψυχῆς προαίσχει τὶς ὥρα ὑπὲρ ἄκραν τῶν σωμάτων, ἀγαπητὸν φιλοσόφοις θέαμα διὰ τὴν προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος. Ita Heinsius reddit: *At vero amor Socratis diligentia studioque consequendi similis erat reliquis, libidinis differebat. Si voluptatem spectes, temperantior; si virtutem, solertior: cujus sons & origo erat Pulchritudo animi, quæ corpore elucebat. Ut, si fluvium pulcrum cogites, qui pratulum irrigat: flores enim, quamvis pulcri sint, qui sub aquæ sunt, pulcriores tamen aquæ caussa videntur. Idem potest flos animæ, pulcro innatus corpori: illustratur ab eo, elucet, splendorem suum transfundit. Ut nihil aliud sit pulchritudo corporis, quam futuræ virtutis flos, & majoris quasi pulcritudinis præludium. Sicut enim solis exortum præcedit fulgor quidam in summitate montium, quo*

vehementer

vehementer delectantur oculi, quod aliud exspectant. Ita anima splendorem splendor aliquis in extremis corporis partibus præcedit, quo plurimum delectantur Philosophi, quia aliud mox venturum vident. Hunc prorsus fuisse Petronii sensum de Socrate, convincunt sequentia: *non tam intactus Alcibiades in præceptoris sui lectulo jacuit.* quæ sic & Plutarchus confirmat in Sermone primo De Virtut. Alex. paullo ante finem: Σωκράτης ἠνείχετο συγκοιμηθέντος Ἀλκιβιάδου. *Socrates se continebat Alcibiade una dormiente.*

Cap. CXXIX. *Funerata est pars illa corporis.*] Sic Maximianus:

Ast ubi dilecti persensit Funera membri.

Et alibi:

Hac me Defunctum vivere Parte puto.

Sic & Martialis lib. 13. Ep. 34.

Quum sit anus conjux, & sint tibi Mortua membra.

Ovidius item lib. 3. Amor. Eleg. 7.

Nostra tamen jacuere velut Præmortua membra.

Ipsus Petronius cap. xx. *Sollicavit inguina mea mille jam Mortibus frigida.* cui consonum illud etiam Martialis lib. 11. Ep. 47.

Nec levat Exstinctum Sollicitata caput.

Clauditque Epigramma.

Summa petas, illic mentula Vivit anus.

Et cap. CXXXII. cui mire hinc acumen accedit:

Sed furcifera MORTIFERO timore lusus.

Pars illa corporis.] Sic cap. CXXXII. *Cum ea Parte Corporis verba contulerim.* & sæpe alias. Carmen obscenum:

Falce minax, & Parte tui majore, Priape.

Et alias passim. Etiam videtur de femineo arvo usurpare Petronius cap. CXII. *Ne hanc quidem mulier Partem Corporis abstinuit.*

Codicillosque mihi domina sua reddidit.] *Codicilli* hic scripti genus solitum ad præsentes mitti. Plane indicat Seneca extrema epistola 55. *Video te, mi Lucili, quum maxime audio: adeo tecum sum, ut dubitem, an incipiam non epistolas, sed Codicillos, tibi scribere.* Item Tacitus lib. 4. Annal. de Sejano loquens: *Componit ad Cæsarem Codicillos. moris quippe tum erat, quamquam præsentem, scripto adire.* Morem autem istum, *Præsentem* videlicet *scripto adeundi*, primus excogitavit Cæsar, Plutarcho referente, ejusque rationem reddente. Λέγεται δὲ καὶ τὸ διὰ γραμμάτων τοῖς φίλοις ὁμιλεῖν, Καίσαρα πρῶτον μηχανήσασθαι, τὴν κατὰ πρόσωπον ἐντυξιν ὑπὲρ τῶν ἐπειγόντων τὸ καιρῷ, διά τε πλῆθος ἀσχολιῶν, καὶ τὴς πόλεως τὸ μέγεθος, μὴ περιμένοντος. *Memorant eum præterea rationem cum amicis per litteras agendi primum excogitasse Cæsarem, quum conloquendi coram de rebus necessariis tempus propter occupationum multitudinem, atque Urbis laxitatem, spatium non daret.* Ipsum postea usurpare Augustum, & Tiberium, notum ex Suetonio, Macrobio, & Tacito. Infra hoc capite Polyænos, *Verbaque in Codicillis talia imposui.* Hispani vocant, *Villetes*, an à *Villa* deducta vox, nostrates Docti viderint.

CIRCE POLYAENO SALUTEM.] Vulgaris isthæc olim Epistolarum ἐπιγραφὴ, salutatione nempe numquam contemta. Plauti non piget exemplum referre ex Pseudolo 1. 1. 39.

Phœnicium Calidoro amatori suo
Per ceram, & linum, litteræque interpretes,
Salutem mittit.

Valde autem quippe cum receptus esset mos iste, Impudens velut habebatur epistola, quæ carebat Salute. Plane ipse Plautus Bacchidibus 4. 9. 83. ubi quod in Mnesilochi litteris Salus initio scripta non erat, subdit Chrysalus:

Inde à principio jam Impudens Epistola est.

Lenones tamen indigni prorsus habiti, ad quos illa mitteretur Salutatio. Sic Pseudolo 4. 2. 56. ubi, Polymachæroplacides miles Ballioni leno scribit:

Salutem scriptam dignum est dignis mittere:
Te si arbitrarer Dignum, misissem tibi.

Nunc etiam languori, &c.] Hoc est, tantum abest, ut querar, quin potius languori tuo gratias ago.

In umbra voluptatis diutius lusi.] Argutissime sane *Umbram voluptatis* adpellat, levem illam initio Venerei conflictus velitationem. Fungitur Interpretis munere nec minori cum elegantia Achilles Tatius lib. 5. ubi de Clitophontis frigiditate Melite queritur: Ἀλλὰ τὸ πάντων ὑβριστικώτατον, προσαπτόμενος καταφιλῶν, ἔτας ἀνίσης, ὡς ἄλλη γυνή. τίς αὐτὴ τῶν γάμων ἡ σκιά; *Quin immo (quod omnium contumeliosissimum est) complexu meo, ex ipsis dissuaviationibus æque discedis, atque alia mulier. At quid hoc est, nisi nuptiarum Umbra?* Venit & Nonnus hic adpositus adsecla, quum lib. 42. gaudium in somniis Venereum σκιαγὺς γάμους vocat, hoc est, *Umbratiles nuptias.* Convenit item rei mirifice & verbum *Ludere*, quod & superius cap. CXXVII. pariter usurpat: *Mille osculis Lusimus quarentes voluptatem robustam.*

Negant enim medici, sine nervis homines ambulare posse.] Notum est hoc satis ex Medicorum filiis, & eorum parente Hippocrate lib. 2. Prædictorum. Ludit autem haud invenuste in ambigua *Nervorum* acceptione, nam sæpe pro parte illa corporis, qua homines sumus, *Nervus* accipitur. fors, quia, ut tradit ipsus Hippocrates, Φλὶξ καὶ νεῦρα ἀπὸ παντὸς τοῦ σώματος τείνουσι ἐς τὸ αἰδοῖον. *Ex toto corpore vena, & Nervi in pudendum procedunt.* Plane expedit se post pauca argutula puella: *Recipies inquam, NERVOS tuos, si triduo sine fratre dormieris.* Sic & Arbiter pluries: cap. CXXXI. *Dicto citius NERVI paruerunt imperio.* & eodem capite:

——— *Et NERVIS tente Priape fave.*

Ac cap. CXXXIV. *Quæ striges comederunt NERVOS tuos?* Ita & Horatius Epod. 12.

Cujus in indomito constantior inguine Nervus.

Et Appulejus lib. 2. Metamorph. & plures alii. Ast elegans est, & ambiguus itidem apud Poëtam Liberum Carm. 69. de Penelope lusus ille, Nullum scilicet, conjunx ut Ulysses, sui arcus Nervum tetendisse, jactante.

jactante. de quo Homerus Odyss. φ. Ubi & nequiter illa ad Nervum genitalem aperte adludit. loquitur ad ipsum Priapus:

E quibus (procis) *ut scires, quicumque valentior esset,*
Hac es ad arrectos verba locuta procos.
Nemo meo melius NERVUM tendebat Ulysse,
Sive illi laterum, seu fuit artis, opus.
Qui quoniam periit, modo vos intendite: qualem
Esse virum sciero, vir sit ut ille meus.
Hac ego Penelope potui tibi lege placere:
Illo sed nondum tempore factus eram.

Sic & Ludovicus Ariostus usurpavit ad antiquos Poëtas, ut conjicere est, respectu. Adloquitur Bradmantem viraginem pulcerrimam Rodomontius Cant. 35.

Io son di tal valor, son ti tal NERBO,
C'haver non dei d'audar di sotto à sdegno.

Dilogia ludit.

Tentavit.] *Tentare* dicitur de morbis leviter corpora tangentibus. Plane Cælius Aurelianus lib. 1. Morb. Diuturn. cap. 3. ubi de Incubone profatur: *Est autem supradicta passio Epilepsiæ Tentatio*, hoc est, præcursor, & principium. Hispani parissime usurpamus: *Otra vez o me ha tentado este mal.* Claret jam, puto, argutia puellæ, quum Frigescentium valde Nervorum illa sit exaggeratio.

Ad Tubicines mittas.] Nihil refert hic *Tubicines*, an *Tibicines* legas; frequens quippe utrorumque, ac pæne promiscuus in funeribus usus, quod satis jam liquet. Ideo autem ad lugubrem pompam plures forsitan accersiti, quod dulci ac blando Musicæ concentu fletus causa mitior redderetur ac lenior. quod Boëthium in Procœmio Artis Musicæ, puto, tradidisse. Funerum Tibicines peculiari adpellatione *Sitticines* dicebantur, & *Monumentarii cerauli*, Græcis Τυμβαύλαι. Plura vero de iis acta jam olim eruditis hominibus, obviaque apud Scriptores de Funeribus, & Bulengerum de Theatro.

Homini tamen misero non invideo medicinam.] En *Miser* pro ægroto etiam Arbitro, nam Plauto sic acceptum jam pridem observavit Franc. Floridus lib. 2. Lectionum Subcisivar. cap. 23. ita in Pœnulo habet 5. 2. 43.

——— *Miseram esse prædicat buccam sibi*
Fortasse Medicos nos esse arbitrarier.

Non timeo, ne quis inveniatur, cui minus placeam.] Isthæc superbientium feminarum fiducia quamnam non tetigit? Ovid. etiam novit 1. de Arte:

——— *Sibi quæque videtur amanda:*
Pessima sit, nulli non sua forma placet.

Circes autem emendatissima erat pulcritudo, itaque ejus, ut Helenæ apud ipsum Nasonem, fastus tolerabilis. sic ad Persidem suum inquit in Epist.

Hoc quoque enim dubito, non quod Fiducia desit,
Aut mea sit facies non bene nota mihi.

Nota vero pessime plerisque, unde & Fiducia falsa. Ita ad amicam Propertius respiscens lib. 4. El. 23.

Falsa est ista tua, mulier, Fiducia formæ.

Nec speculum mihi, nec fama mentitur.] Audi, ut *Speculum* & *Famam* pariter Martialis conjunxerit Ep. 41. lib. 2.

Quare si Speculo Mihique credis.

Utrumque tamen Mendax olim audiit. *Speculum*, quod ei, verax quum semper sit, aniculæ ac deformes non crederent. nam, ut Ovidius ait paullo post laudandus:

Pessima sit, nulli non sua forma placet.

Ideo Græcis etiam haud semel δόλιον vocatum. *Fama* vero, quod natura sua fallax semper exstiterit. Abunde Tertullianus quem unicum referam. Ipse dum illud interpretatur Virgilii,

Fama malum, quo non aliud velocius ullum.

inquit in Apologetico: *Cur Fama malum? quia velox? quia index? an quia plurimum Mendax? quæ ne tunc quidem, quum aliquid veri adfert, sine mendacii vitio est, detrahens, adjiciens, demutans de veritate. Quid? quod ea illic conditio est, ut non nisi quum Mentitur, persuaderet; & tam diu vivit, quam diu non probet.* Martiali tamen nonnumquam Verax est, quapropter lib. 7. Ep. 5. inquit:

Credo tibi, verum dicere, Fama, soles.

Fieri.] Sic habent plerique veteres codices, alii vero, *frater*, quam lectionem prætulit editio Helenopolitana. unde subit suspicari, utrumque scripsisse Petronium. Chrysis ancilla hic Polyænon adloquitur, & post convicium dominæ, opportune ei adsentari adgreditur. cui & *Fratris* compellatio satis adposita, blandientium namque illa fuit olim amicorum. Sic & Quinctilianus edocet declamat. 321. *Certe quoties blandiri volumus his, qui esse amici videntur, nullæ adulatio præcedere ultra hoc nomen potest, quam ut FRATRES vocemus.* Sic apud Symmachum passim est *Frater* pro amico, ac familiari. Et ad Esther Assuerus Rex cap. 15. *Quid habes Esther? ego sum Frater tuus, noli metuere.* Ubi Joseph Ben Gorion *Amicus* interpretatur. Blandientis hic quoque mulierculæ & ille veneficii respectus erit; summa quippe excusationis Polyæni anterius illa fuit: *veneficio contactus sum.*

Lunam deducunt.] Sagarum isthic potissimus conatus. inferius rursus cap. CXXXIV.

——— *Lunæ descendit imago*
Carminibus deducta meis.

Ubi & nos plura.

Cap. CXXX. *Fateor me, domina, sæpe peccasse, nam & homo sum, & adhuc juvenis.*] Duplex hic Polyæno præsidium est. primum, quod homo sit, cujus natura erroribus ubique obnoxia. Ipsius cap. LXXV. *Nemo nostrum non peccat, Homines sumus, non Dii*, Alterum, quod junior; inquit namque Cassiodorus: *Gloriosa supplicatio est, quæ veniam quærit ætatis* lib. 7. Formula 41. quæ *De ætatis venia est.* Sic & Aristænetus lib. 2. Ep. 1.

Proditionem feci, hominem occidi, templum violavi.] Speciem habent proverbialem locutiones istæ, in summis flagitiis usurpandæ. non tamen referendæ

sunt ad ullum Polyæni facinus, cujus in Satyrico mentio; nec, ut volunt Interpretes, ad *Audaciæ nomina*, hoc est, specimina cap. LXXXI. Encolpio recensita, qui idem nunc cum Polyæno est. In præsentia enim ad nihil aliud opportune magis verbis illis respiceret, quam ad multiplex crimen illud enervati corpusculi. uti, ni fallor, non neminis quoque fuit, nescio tamen ubi, argutum commentum.

Non me, sed instrumenta, peccasse.] Acute satis, tanquam habeant Instrumenta illa suum proprium arbitrium. Vide quæ observamus ad verba cap. CXXXII. *Naturali convicio exoneravi.*

Paratus miles, &c.] Mens, *Nec potui cupiens*, quod simili in re dixit Ovidius lib. 3. Amor. El. 6. *Miles*, Veneris nempe, nam *Miles* etiam impudice usurpatur. Appulejus lib. 9. *Commodum prima stipendia Veneri militabant novi & nudi Milites.* Eadem ratione, qua *Militare*, *Militia*, &c. nos alibi.

Arma.] De Marte ad Venerem multiformis translatio, ast Armorum creberrima. passim pro membro usurpantur genitali. Sutrius Comicus: *Myrrhinum mihi adfer, quo virilibus Armis occursem fortiuscula.* Propertius lib. 4. El. 9.

——— *Et toto solvimus Arma toro.*

Et alias sæpe. Cornelius Gallus hypobolimæus:

Fortis ad occasum ni pugnem Solis ab ortu,
Detrahat ignavo protinus Arma Venus.

Maximianus item ad amasiam:

En longo confecta situ tibi tradimus Arma;
Arma ministeriis quippe dicata tuis.

Plures. Hinc ergo & subodorari jam licet Arbitri nequitiam, ubi de Ascylto sermo est cap. XCI. *Quum duos Armatos viderem, ad fortiorem confugi.* quæ mire sequentibus consonant, adhuc Arbitro de ipsomet loquente cap. XCII. *Habebat enim inguinum pondus tam grande, ut ipsum hominem laciniam fascini crederes.* Pariter etiam Hispanis, *Armado*, & *Armar*, inter obscœna.

Forsitan animus antecessit corporis moram.] Forsitan & hic Petronii animus haud erit cuiquam pervius, vera autem Philosophia ille innititur. ejus enim placitis constitutum est, verum ac plenum Veneris gaudium Animi Corporisque commotione constare. Sic & Appulejus indicat lib. 2. Metamorph. *Quum ergo jam vino madens, nec ANIMO tantum, verum etiam CORPORE ipso ad libidinem inquietus alioquin, & petulans.* Idemmet & Arbiter sæpe innuit, adpositis vero verborum involucris. subdit hic in codicillis: *Non me sed instrumenta peccasse.* &: *Paratus miles arma non habui.* & cap. CXXXI. *Postero die quum sine offensa Corporis, & Animi consurrexissem.* & postea eod. cap. *Ecquid hodie Totus venisti?* Unde jam isthæc loca nova luce clarent. Verum enim vero sic natura comparatum est, primorum scilicet Parentum noxia, ut si Animus, id est, Animi adpetitus, Corporis moram antecedat, & urgeat, tunc maxime repugnet Corpus, adverseturque, quæ in præsentia mens est Petronii proculdubio. Fulcit mire sententiam Magnus Augustus, & penitus Arbitri sensum propalat lib. 14. De Civ. Dei cap. 16. *Sed neque ipsi amatores hujus voluptatis, sive ad concubitus conjugales, sive ad immunditias flagitiorum, quum voluerint, commoventur: sed aliquando motus ille importunus est nullo poscente, aliquando autem destituit inhiantem, & quum in ANIMO concupiscentia ferveat, friget in CORPORE: atque ita mirum in modum, non solum generandi voluntati, verum etiam lasciviendi libidini libido non servit: & quum TOTA plerumque menti cohibenti adversetur, nonnumquam & adversus seipsam DIVIDITUR, commotoque ANIMO, in commovendo CORPORE se ipsa non sequitur.* Plura non addimus, post ferculum namque adeo opiparum ex penu nostro necessario forderent diaria.

Omnia.] Nuptum hic verbum, ut supra jam vidimus ad verba cap. XI. *Nec adhuc quidem Omnia erant facta*, quem locum licet adire.

Tempore.] Hoc est, mature. adverbium enim est, *tempori*, & *tempore*; ut *vesperi* & *vespere*; *heri* & *here*; *mani* & *mane*, ac similia. quo & opportune magis spectat Vulcani fabella lib. 2. Fab. 166. quam alias Symbolæ ἀκαίρως ex Hygino referunt. Ego hic possem ex Fulgentio Mythologo.

Per quod te habere potui] Nemo jam non novit verbi *Habere* minus honestam notionem. Discedimus nos ideo hinc eleganti Aristippi dicto apud Ciceronem lib. 9. Epist. Sed *tamen Aristippus ille quidem Socraticus erubuit, quum esset objectum, Habere eum Laida: Habeo, inquit, Laida; non Habeor ab illa.* Optime ad mentem Petronii.

Summa tamen excusationis meæ.] Diversa prorsus ab aliis *Summæ* acceptio isthæc. haud secus & Seneca usus lib. 1. de Beneficiis cap. 10. *Hæc est enim injuriæ Summa: beneficium perdidisti.*

Curavi diligentius noxiosissimum corpus.] Sic Plinius Ep. 20. lib. 6. *Curatis utcumque corporibus,* Docet ibidem Petronius, quid, *Corpus curare*, sit. nimirum ungi, pasci, & adcumbere, ac uno verbo, genio indulgere. Quo facit & illud ejusdem Arbitri cap. CXV. *Cibisque naufragio corruptis Utcumque Curati, tristissimam exegimus Noctem.* Idque Maronis in 3. divini operis:

——— *Passimque in littore sicco*
Corpora curamus.

Noxiosissimum corpus] Partem, qua homines sumus. Vidit & jam pridem Rigaltius ad illud Phædri de Eunucho:

Damnum infectatus est amissi corporis.

Unde etiam haud inconcinne exponendus Ovidius lib. 2. Amor. El. 10.

Sæpe ego lasciva consumsi tempora noctis
Utilis, & forti Corpore mane fui.

Apertius tamen hacce *Corporis* notione usus El. 7. l. 3.

Num mea Thessalico languent devota veneno,
Corpora?

Bulbis,

Bulbis, cochlearumque sine jure cervicibus.] Veneri quidem suscitandæ pari vi ac virtute videntur Veteres agnovisse *Bulbos*, & *Cochleas*, quum sæpe & sæpius conjunxerint ex compacto, ubi suscitabula nimirum libidinis languentis pararint. Sic Alexis apud Athenæum lib. 2. cap. 23.

——— Πίννας, κάραβον,
Βολβούς, κοχλίας, κήρυκας, ὠά, ἀκροκώλια.
Τοσαῦτα τέτων ἂν τις εὕροι φάρμακα.
——— *Pinnas, locustam,*
Bulbos, cochleas, ceryces, ova, extremos pecudum artus.
Tam multa ex his invenias remedia.

Heraclides item Tarentinus in convivio ibid. ubi & rationem reddere videtur: Βολβοὺς, καὶ κοχλίας, καὶ ὠὸν, καὶ τὰ ὁμοια, δοκεῖ σπέρματος εἶναι ποιητικὰ, διὰ τὸ ὁμοιοδεῖς ἔχειν τὰς πρώτας φύσεις, καὶ τὰς αὐτὰς δυνάμεις τῷ σπέρματι. *Bulbus, cochlea, ova, & similia gignere semen videntur, quia prima illorum natura eamdem cum genitura speciem & potestatem habet.* Item Theocritus Idyll. 14. quum epulum struit amatorium.

Βολβός τις κοχλίας ἐξηρέθη.
Bulbus & cochlea promebantur.

Sed satis jam locorum, innumeri namque Scriptores sunt, qui in re Veneris prodiderunt eorum usum. Haud semel Athenæus, etiam Dioscorides, Nævius, Ovidius, Juvenalis, Apicius, M. Varro, Plinius, Columella, Appulejus, & alii. Verum enimvero mirum admodum est, quod de Bulborum radicibus scribunt naturalium rerum Doctores: nempe ab similitudine ὄρχεις ipsas vocari, hoc est, *Testiculos*, quia omni ex parte humanorum testiculorum figuram exhibeant; itemque in pube pilos fibrillæ, capillaceæ quam plurimæ, quæ circa caulis principium insunt per ambitum. ut vel sic etiam virtutem Bulborum ac potestatem artifex natura palam indicare satageret. Ipsorum videre licet apud Portam schemata lib. 3. Phytognom. cap. 44. *Cervices* autem *Cochlearum* expetitas gulonibus fuisse, jam viderunt alii.

Hausi parcius merum.] Unus Flaccus Argonaut. lib. 2. inlustris Petronio interpres:

——— *Lapsas*
Restituunt (Argonautæ) *vires, & Parco corpora Baccho.*

Alii vero Arbitri Interpretes sibi constant parum.

Ne latus frater meum convelleret.] Oppido nequiter dictum. Idem aliter supra de simili fratre cap. LXXXVII. *Pungere me manu cœpit, & dicere, quare non facimus?* Et dilogia potuit hic quoque ludere, nam *Latus* prætextatum vocabulum est, ac perspæpe Antiqui pro sede libidinis usurparunt. Plin. lib. 22. cap. 13. de urticæ semine agens: *Et Lateri medetur cum semine lini.* Et Ovidius lib. 3. Amor. Eleg. 10.

Vidi ego, quum foribus lassus prodiret amator,
Invalidum referens emeritumque Latus.

Item Phyllidis Epistola:

——— *Et Lateri conseruisse Latus.*

Cap. CXXXI, *Etiamsi locum inauspicatum timebam.*] *Nam movemur enim*, ait Cicero 2. de Leg. *nescio quo pacto locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt vestigia.* Vim quippe magnam habent loca ad rerum memoriam revocandam. Eadem mens Plinii Junioris est lib. 6. Epist. *Ipsa loca, in quibus esse una solemus, acrius me tui commonent.* Item Senecæ Ep. 50. *Repositum in animo nostro desiderium loca interdum familiaria evocant.* Propterea ejusmodi loca valde esse amanti cavenda, si amasiam cupit oblivisci, monet Ovidius in 2. de Remed. Amor.

Et loca sæpe nocent: fugito loca conscia vestri
Concubitus, caussas illa doloris habent.
Hic fuit, hic cubuit, Thalamo dormivimus illo:
Hic mihi lasciva gaudia nocte dedit.

Faciunt & huc quæ anterius notavi ad verba cap. CXVII. *Ideoque de civitate sua miserrimum senem exiisse, &c.*

Fastose.] Superbe. Convincunt plane ejusdem Chrysidis verba cap. CXXVI. ubi ipsummet adfatur Polyænon. *Quia nosti Venerem tuam, SUPERBIAM captas.* Ita & Agrætius: *Fastus de Superbia, & facit genitivum Fastuum.* Elegans est in re Amoris vox illa, *Fastose.* Sic politissimus Martialis lib. 10. Ep. 13.

Ad nocturna jaces Fastosæ limina Mœchæ;
Et madet, heu! lacrimis janua surda tuis.

Et Bargates supra ad Eumolpum cap. XCVI. *Contubernalis mea mihi Fastum facit.* Ac plures alii. Sic & *Fastidium* usurpat Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Licium protulit varii coloris filis intortum.] *Licia*, quæ filis varii coloris variisque numeri constarent, solita fuisse veneficiis adhiberi, protritum. neutiquam vero, id Licium, quod fuisset quadam religione ac artificio contortum, in magicis habuisse vim longe majorem. Innuit indubie Petronius, *Licium filis intortum*, inquiens. Plane autem indicat Lucanus lib. 6.

Traxerunt Torti magica vertigine fili.

Ubi *Magica vertigo* mihi *Rhombus* Ovidii est, & Horatii *Turbo*, & Propertii *Rota*. Unde, quod arte quadam venefica Licia torquerentur, quodque inter in orbem vertendum Carmina quædam insusurrarent, conligere est:

——— *Magico Torti sub Carmine Rhombi.*

dixit Propertius. Sic item Lælius Poëta vetustus petens ad philtra Licia isthæc inter alia (si vera tamen est Josephi Scaligeri & Gilberti Gaulmini emendatio)

Trochisili, ungues, Tenia
Aureæ, illices, Bitortilæ.

Quo etiam facere Plutarchi περὶ ποταμ. *in Phasi.* πλεκτὸν ἔριον, id est, *Tortilis lana*, qua Saturnus à Jove ligatus in Tartarumque detrusus est, haud ambigit ipse Gaulminus. Nec secus Scipio Gentilis in Appul. Apolog. τὸ ποικίλον in laneis coronis apud Artemidorum lib. 1. cap. 79. censet, non solum ad varietatem colorum, sed ad *Intortam lanam*, esse referendum. Ideoque ipsas coronas in somniis visas Veneficia ac vincula portendere.

Carmine.] Incantamento, aut *Cantamine*, ut loquitur Appulejus. *Percantatione*, ut S. Auguſtinus. Sic Juvenalis Sat. 6.

Hippomanes Carmenque loquar, coctumque venenum.

Arnobius lib. 1. *Qui ſine ulla vi Carminum, ſine herbarum & graminum ſuccis.* Sed latius alibi. Vir autem eruditus Doct. Don Thomas Tamajus de Vargas putabat hocce Carmen diſtichon eſſe, cui pagina proxime ſequenti exſulare contigit, ac proinde hic eſſe inſerendum:

Dum vivis ſperare licet, tu ruſtice cuſtos
Huc ades, & nervis tente Priape fave.

Argute enim, aliud vero noluit Petronius, quam quod dictum anterius.

Ter me juſſit exſpuere.] Virgilius in Ciri:

—— Ter in gremium mecum, inquit, Deſpue virgo,
Deſpue Ter virgo. numero deus impare gaudet.

Sed hic fuſe omnes. Addam tamen, ſic apud Lucianum Chaldæum incantatorem ter in faciem Menippi conſpuere, quum ipſum, ut ad inferos deſcenderet, incantabat.

Purpura involverat.] *Purpuram* hic Viris Doctis negotium vidi faceſſere: quod pariter & Bourdelotius videtur ſenſiſſe. equidem vero ſic me ex objectis laqueis expedio. Biceps ſacrum hocce fuit aniculæ ſagæ, & *Magicum* propulſando veneficio, quo contactus Polyænos, ut dixit cap. CXXVIII. & *Piaculare* placando Numini Lampſaceno, hoc eſt, Priapo. Primum re ipſa patet; alterum quoque ac præcipue ex pluribus noſtris Actus hujuſce notatiunculis, verſiculiſque ſubſequentibus:

Dum vivis, ſperare licet, &c.

ubi nempe doctis viris illos conlocare viſum. Iſti ergo *Purpura* hic adhibita, nam, ut inquit Plinius lib. 9. cap. 36. *Purpura Diis advocatur Placandis.* Et Servius Æneid. lib. 12. *Purpura maris vicem ad Piandum præbet.* & Clemens Alexandrinus in Protrept. inter piacula ταινιῶν τινῶν ἰδίῳ καὶ πορφύρᾳ πεποικιλμένων meminit, id eſt, *quorundam ſertorum ex lana & Purpura variatorum.* Potuit & priori *Purpura* adhiberi, Sacro, inquam, Magico. nam ejus tinctura hominis lotio conficiebatur, teſte etiam Plinio eodem lib. cap. 39. *Lotio* autem præſtigiatoris artem deleri, ut Sarisberienſis loquitur, ideoque Veneficas Lotio etiam magia enervatis mederi, vulgo notum eſt. Itaque *Purpura* Lotii vicem hic præbere poſſet, ut Maris in expiationibus, ceu Servius ſupra protulit.

Ingenti tumore repleverunt.] Sic ego primus edidi, & ſic Arbiter haud dubio ſcripſit. in ſcriptura vero, quæ huc uſque regnavit, ſcilicet, *ingenti motu repleverunt*, mendum ſane facile committi agnoſcitur, quippe quod ex duarum ſyllabarum trajectione ortum, & alius prætermiſſa repetitione. *Tumorem* parti ei rigidæ dedit itidem Tibullus in Priapeis:

Et inquietus inguina adrigat Tumor.

Unde & qui, *inquieti motu*, emendabat, nihilum profecit. minime namque ibi oberat ſententiæ τὸ *ingenti*, ſed potius *Motus* ille, qui aniculæ manus replere ineptiſſime conabatur. ac præterea *Ingens motus*, & *Inquietus*, anne differunt?

Vides, quod alis leporem excitavi.] Hancce ſcripturam ſartam tectamque conſervare, mihi ſemper in animo fuit. Nam verba omnia ad aniculæ mentem ſunt adpoſitiſſima. Dividiæ autem Criticorum de voce, *Alis*, olim exſtitere: pluresque parum recte amplectuntur, *aliis.* Pinnæ enim excitato peni neutiquam tribuerentur improprie, quod plane tuetur Juvenalis Sat. 6.

—— Quod enim non excitet inguen
Vox blanda & nequam? digitos habet, ut tamen omnes
Subſidant Penna.

Licet ergo, inquit Satyricus, inguina labaſcant, improbis tamen verbis, veluti digitis, ſollicitata excitantur. Non aliter illi dedit *Pennas* Ludovicus Arioſtus loco haud vulgari, loquitur de Rugiero nudam Angelicam conſpicante, & inire cupiente, extremo Cant. 10.

Quivi il bramoſo Cavalier ritenne
L'audace corſo, e nel pratel diſceſe,
E ſe raccorre al ſuo deſtrier le Penne,
Ma non à tal, che pin le havea diſteſe.

Non ſemel & *Equum* partem illam, ut hic, adpellavit. Sic Cant. 8.

Ma ne l'incontro il ſuo Deſtrier trabocca,
Ch' al deſio non riſponde il corpo infermo.

Et iterum:

Tutte le vie, tutti li modi tenta,
Ma quel pigro Rozzon non pero ſalta, &c.

Lepus enim etiam inter obſcœna, vel uno Plauto teſte Caſina. 1. 1. 50.

Meus Pullus Paſſer, mea Columba, mi Lepus.

Pariter ac nobis, *gaçapo*, vox plane fornice nata. *Excitare*, itidem. Juvenalis ſupra, Martialis paſſim, Tibullus, alii. *Alatus* etiam & *Lepus* alius apud Petronium cap. XXXVI. ſed abſimili ſenſu. Hui! quid ſi picatas manus Plagiarii mei & hic contingeret agnoſcere?

—— Et nervis tente Priape fave.] Id ſæpe à Priapo precabantur Ethnici. paſſim in Priapeis, ac nos alibi dicimus. at uſque eo dementiæ devenere, ut vota ei facere haud dubitarit, qui ſe nimirum cuperet ſat rigidum præbere. Eo ſpectat Carmen illud cap. CXXXIII.

Nympharum Bacchique comes, &c.

Tentus autem millies ille audiit, quippe qui

Tormento citharaque Tenſiorem

ſuum penem extollat. inde & *tentigo*, & *penitentia*, &c. inter impudica.

Nobilis æſtivas platanus diffuderat umbras.] Plura Hermogenes περὶ γλυκύτητος orationis, ac de *Deſcriptionibus* agens, huic conducentia congerit, quem vide. De *Platanis* ſupra nonnulla tetigimus. *Nobilis* hic Arbitro vocatur, quia Viri Principes valde in deliciis

liciis habuerint, & usque eo sane magni Platanos fecerint, ut sub ipsis consueverint convivari: etiamque cum amasiis concumbere. vid. Plinium. quod decus vel Jupiter ipse Platanis noluit invidere, nam Poëtæ fabulantur sub Platano scilicet cum Europa concubuisse.

Et circumtonsæ trepidanti vertice pinus.] Et *Pinus* olim arbor umbrifera censita, ideoque cum Platano, ut Arbiter, sociarunt Poëtæ alii. Horatius lib. 2. Carm. 11. qui locus & prædictis subvenit:

Cur non sub alta vel Platano, vel hac
Pinu jacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos,
Dum licet, Assyriaque nardo
Potamus uncti?

Et sæpius cum populo. speciem vero mire expressit Petronius, Ovidium quoque indubie exprimens 10. Transform.

Et Succincta comas, hirsutaque Vertice Pinus.

De *Lauro* autem, quæ subsequitur, & superius meminimus.

—— *Cupressus.*] Inter delicioſas namque arbores, fastas, lætas etiam recensita. Martialis in descriptione amænarum ædium lib. 12. Ep. 50.

Daphnonas, Platanos, ac aërias Cyparissos.

Alii.

—— *Testis silvester Aëdon,*
Atque urbana Progne. ——] Hæc est verissima scriptura, quæ inter variantes MSS. repræsentatur. *Iasdon* autem vox nihili unde inrepserit in plures vulgatos libros, puto Criticorum filios haud subodorari. Aperta est Ovidii imitatio 6. Metam. Ibi enim postquam extremo libro Philomelæ & Prognes fabulam pluribus persecutus esset, tandemque ipsas abiisse in aves, dixisset, addidit:

—— *Quarum petit altera SILVAS:*

nempe Philomela:

Altera tecta subit.

scilicet Progne. Isthæc mero meridie clariora: Philomela namque Luscinia est, quam Græci Ἀηδόνα appellant; neutiquam tamen Græcam vocem Poëtæ Latini adspernati sunt. Ea & usus parissimo loco Seneca in Agamemnone vers. 666. quem æmulari, licet Poëtæ adhuc in vivis agentis, haud indecore Arbiter potuit:

Non quæ Verno nobile carmen
Ramo cantat querula Edonis,
Itys in varios modulata sonos:
Non quæ tectis Bistonis ales,
Residens summis, impia diri
Furta mariti garrula deflet.

Sic & Auctor Octaviæ, vers. 898.

—— *Quæ lacrimis nos his questus*
Reddet Aëdon? cujus pinnas, &c.

Lucanus in fine Panegyrici ad Pisonem:

Sic & Aëdonia superantur voce cicadæ.

Luscinia autem Silvarum arborumque incola est, unde adpositissime Arbitro *Silvester* nuncupatur. Ita Ipsus Naso Consolat. ad Liviam: vers. 105.

Talis in umbrosis mitis nunc denique SILVIS
Deflet Threïcium Daulias ales Itym.

Ita & ἀηδὼν Homero χλωρὶς dicta Odyss. T. hoc est, Interprete Eustathio, ἡ ἐν χλωροῖς τόποις διατρίβουσα, *quæ in locis virentibus habitat.* Virgilio 4. Georg.

—— *Populea mœrens Philomela sub umbra.*

Progne vero hirundo est, quæ *Domestica* Latinis pluries vocata; uti Græcis οἰκία, Nonno μιξόπτεροι συνέστιοι, *hominibus contubernalis.* Porro *Silvester*, & *Urbana* satis eleganter opponuntur.

Resoluta.] Hoc est, corpus soluta. recte omnino, nam qui in lectulum projiciunt se dormituri, membra Resolvunt. sic dixit de Cerbero Virgilius 6. Æneid.

—— *Atque immania terga Resolvit*
Fusus humi.

Sic etiam & illud Propertii interpretatus est Passeratius lib. 2. El. 34.

Desine, & ad molles membra Resolve toros.

Ast nemo planius expressit Curtio elegantissimo scriptore lib. 6. ubi de Philota sermo est suspecto de conjuratione in Alexandrum, nihilominus tamen in utramque aurem, ut ajunt, dormiente: *Illum sive securitate animi, sive fatigatione RESOLUTUM somnus oppresserat.*

Marmoreis cervicibus.] Videtur hocce à Virgilio mutuatus 4. Georg. de Orpheo discerpto loquente:

Tum quoque MARMOREA caput à CERVICE revulsum.

Consonum est illud Nævii in Iliad. Cyp. lib. 1.

Collum Marmoreum torques gemmata coronat.

Sic *Pectus Marmoreum* dixit Lucilius. *Marmoreis* ergo, id est, candidis. plane Martialis in eleganti antitheto lib. 8. Ep. 56.

Marmorea fundens nigra Falerna manu.

Aureum torum.] Κυλὸν interpretantur. mihi vero revera *Aureus* est, nec id valde eo temporis mirum, nam Plinius lib. 33. cap. 11. inquit: *Lectos vero Mulierum jam pridem totos operiri Argento, &c.* & post pauca addit de Carvilio Pollione equite Romano: *Idem & Aureos* (Lectos) *fecit.* Quum de Julio Cæsare fileam, quem, testis est Suetonius, *in Aureo Lecto veste purpurea decubuisse.*

Myrtoque florenti quietum verberabat.] Myrtus Veneris arbor, & merito in deliciis illa habuerit, vim namque à natura obtinuit libidinis promovendæ. Quam igitur & hoc nomine venerit hic Myrtus tempestiva, haud necesse indicare. Potuit & id temporis puella ad manum habere muscis scilicet abigendis, quod olim fieri solitum. Martialis lib. 3. Ep. 82.

Fugatque Muscas Myrtea puer Virga.

Quietum.] Ipsum Torum. Sic Lucretius cubilia ferarum vocavit, *Quietes*, lib. 1.

Namque canes ut montivagæ persæpe ferai
Naribus inveniunt intectas fronde Quietes.

Homerum imitatur, qui κοῖτον etiam ἀντὶ τῆς κοίτης usurpat Odyss. 2.

——— Κοίτης δὲ μέδηται.

——— *Lecti curam habuerit.*

quod observat Gifanius. Pari ratione in priscis Marmoribus *Quietorium* & *Requietcrium* inveniuntur, pro sepulcretis. *Quiescere*, hoc est, dormire, in sepulcris defuncti existimantur. unde & κοιμητήρια, id est, *Dormitoria* eadem loca vocari, notum est.

Ramum super oculos meos posuit, & quasi pariete interjecto audacior facta.] Ramum Myrti. Qui præ pudore loqui non audent, multum animo confirmantur, si arte quadam præsentium possunt fugere obtutum. Recte sane, quum verum sit, quod inquit Aristoteles lib. 2. Rhetoricor. τὸν ἐν ὀφθαλμοῖς εἶναι αἰδῆ, *Pudorem esse in oculis.* Nec non Euripides, ex quo refertur hic versus:

Αἰδὼς ἐν ὀφθαλμοῖς γίνεται, τέκνον.

Mea gnata, in oculis nascitur hominum pudor.

Quod illud Sapphus spectat:

Αἰδ' ἴκης ἐς ἰσθλῶν ἵμερο- ἢ καλῶν,

Καὶ μηδὲν εἰκῆ γλῶσσ' ἰκύκα κακόν.

Αἰδὼς κεν ἐχί σ' ἴσχεν ὄμματ'.

At si te cepisset bonarum rerum, aut honestarum, desiderium,

Nec lingua tua trepidasset aliquid improbum prolatura,

Pudor profecto oculos tuos non occupasset.

Huic igitur adstruendo, Petronioque inlustrando, nonnulla exempla adlubet referre. Socratis insigne est apud Platonem, quod imitatus Hispanus Rhetor apud A. Gellium lib. 19. cap. 9. sic profatur: *Permittite mihi quæso, operiri pallio caput, quod in quadam parum pudica oratione Socratem fecisse, ajunt.* Sic & noverca apud Appulejum lib. 10. Milesi. dum privignum amatorie adloquitur: *Et ubertim adlacrimans, laciniaque contegens faciem, voce trepida sic eum breviter adfatur* Itidem Myrrha sceleftum amorem apud Ovidium lib. 10. Metam. narrare volens:

——— *Pudibundaque vestibus ora*

Texit, & ô, dixit, felicem conjuge matrem! &c. Hinc jam & alius locus Petronii clarorem mutuatur cap. CXIII. *Risu excepere fabulam nauta, Erubescente non mediocriter Tryphæna, vultumque suum super Cervicem Gitonis amabiliter ponente.* omnino ut obtegeret.

Ecquid hodie totus venisti?] Lucem à se sibi hic Arbiter mutuatur, ut supra jam vidimus. *Totus* ergo, hoc est, sine Corporis offensa, Animique, ut Petronius loquitur. Pariterque Animo Corporeqne ad libidinem excitatus. Firmiter vel unicus Cicero adstruat nostrum interpretamentum 2. Academ. Quæst. *Qui se TOTOS & ANIMIS & CORPORIBUS in salutem reipublicæ contulerunt.* Huc spectant quoque verba ejusdem Polyæni prorsus gemina germana cap. CXL. *Dii majores sunt, qui me restituerunt in integrum.*

Usque ad satietatem.] Hoc sane si ad urbanitatis stateram exigeretur, sui oblitus Polyænos foret rusticatim loquutus. Placitis vero Homeri subscribens, ac postea Aristotelis, qui Amoris quoque, haud secus atque aliarum rerum, experiri humanum genus satietatem, docuerunt jam olim, inustam maculam delebit. Heliodorus tamen post homines natos homo politissimi ac venustissimi ingenii illis haud adsentit, immo potius sub Cnemonis persona Principem illum Vatem ita lib. 4. reprehendit: Ἐγὼ καὶ Ὁμήρου μέμφομαι, ὦ πάτερ, ἄλλαντε καὶ φιλότητ- κόρον εἶναι φήσαντι. πράγματ- ὃ κατ' ἐμὲ κριτὴν, οὐδεμίαν φέρει πλησμονήν. ὅτε τὸ καθ' ἡδονὴν ἀνύομενον, ὅτε εἰς ἀκοὴν ἐργόμενον. *Ego vero & Homerum reprehendo, qui quum aliarum rerum, tum Amoris Satietatem esse dixerit. quæ res, me judice, nullam Satietatem admittit, neque quum fruitur quispiam, neque quum auditu percipit.*

Cap. CXXXII. *Ipsa corporis pulcritudine.*] Ad oram fragmenti hujusce in pluribus editionibus adpingitur isthæc Inscriptio: ENCOLPIUS DE ENDYMIONE PUERO. Perperam, nam aptissimum fragmentum est præcedenti de Circe narratiunculæ, ac subsequenti. quos videlicet discerptos centones nunc sarcit Polyænos. Itaque aut à germano loco exsulat fragmentum, aut prorsus est subleftæ fidei illa Inscriptio, quod verius ego prorsus existimo. Τὸ *Ipsa* ergo ad Circem referri, haud dubium est. Nescio autem, unde in marginem inrepserit ἐπιγραφὴ ὑπερβολιμαῖα, nos ideo expunximus.

Me ad se vocante.] Eleganter, pro, Provocante. Nescio quid simile subodoror apud Theocritum Idyl. 3.

——— Τίμ' ἐκ ἴτι τῦτο κατ' ἄντρον

Παρκύπτοισα καλεῖς τὸν ἐρατύλον;

——— *Quare me non amplius prope hoc antrum Prospectans vocas amatorculum tuum?*

Quasi spectando vocet, nam sic amantes loqui consueverunt, unde eorum oculi *Arguti* dicti, ut memini alias. Καλεῖν enim pariter usurparunt Græci, & Anacreon, ni fallor, sæpe usus.

Jam pluribus oscula collisa labra crepitabant.] Videntur plane oscula subindicari *Popysmata.* Sat. Juvenalis Scholiastes adposite ad illud Sat. 6.

——— *Frontemque manumque*

Præbebit vati crebrum Popysma roganti.

inquit: *Popysma*] *Oris pressi sonus, ut LABIORUM in se COLLISORUM strepitus.* Contra illa Tibulli oscula tacita sunt lib. 1. El. 8.

Nota Venus furtiva mihi est, ut lenis agatur

Spiritus, ut nec dent Oscula rapta sonum.

Jam adligata ambitu corpora.] Illud est Heliodori lib. 2. de Chariclia & Theagene. εἶχοντο ἀλλήλων, *mutuo ambitu cohærebant.* Et iterum lib. 5. ipsimet εἶχοντο ἐπιπλεῖστον ἀλλήλων οἱονεὶ συμπεφυκότες. *In amplexu mutuo diutissime hærebant, veluti in unum corpus coaluissent.* Ita & Eustathius lib. 5. de Ismenes & Ismeniæ Amoribus: Καὶ περιπλακέντες τοῖς δάκρυσιν ἐῤῥιχόμεθα. *Et mutuo nos amplexantes lacrimis perfundebamur.*

Animarum quoque mixturam fecerant.] Repetenda hic

hic quoque sunt Lectori meo, quæ ad verba cap. LXXIX. comminiscor:

Et transfudimus hinc & hinc, &c.

Modo vero subindicem, mire nunc adstrictam illam, ambitiosamque implicationem exprimi verbis hisce. quasi dicat, Amantium corpora adeo mutua adligari connexione, ut animæ quoque viderentur prorsus commisceri, quod unice Heliodorus anterius.

Vocatque cubicularios.] Apte quippe ejus supplicio adhiberentur servi illi, quorum ingenium semper difficile fuit, & invenustum. Aperuit Seneca etiam, dum plurium meminit cap. 14. De Constantia Sapientis: *Quidam se à Cinerario impulsos molestè ferunt, & contumeliam vocant Ostiarii difficultatem, Nomenculatoris superbiam, Cubicularii supercilium.* Latius de eisdem Bulengerus in suo Romano Imperio.

Et me jubet catorogare.] Mentem hic Arbitri ego indubie adsequor. nimirum, jussisse matronam, ut verberarent Polyænon. duo quippe ejus fuere supplicii genera, *Verbera* & *Sputa*, quæ nunc primum effert. addit, *Ac me conspui jubet.* postea vero rursus exsertim refert: *Verberibus, Sputisque extra januam ejectus sum.* Ea tamen mens (quod miror valde) quum palam ante oculos obversetur, fere fugit Interpretes. Verum enim vero hodie vaticinari, qua videlicet voce eam protulerit Auctor, vel Semonibus diis prorsus non liceat. Maxime autem mihi conjectare ex constanti hacce omnibus in codicibus scriptura vestigium genuinæ haud levidense, in Veteri Glossario Arabico Latino exaratum offendi, *Catomum, Cervix*, apta quidem originatione, nam κατὰ *super*, & ὦμος, *humerus*, est. ibi enim Cervix, hoc est, supra humeros. Hinc equidem vere, ut autumo, Bedam interpretor, & Adonin in Martyrolog. de Romano Martyre die 18. Novembris loquentes: *Indignatus Asclepiades Catomo suspendi eum ac verberari jussit.* non per *Catomum* intelligens quoddam vinculum, quo Martyr ad verbera suspensus esset, ut voluit Baronius Cardinalis, sed *Cervicem*: ut verbis illis, *Catomo suspendi, ac verberari*, illud exprimeret, quod fieri solet à Ludimagistris, quum in puerorum nates verbera infligunt, cervici alicujus ipsis adpensis pueris. Ut sic Sancto Martyri etiam in flagellationis modo esset quid ignominiæ. Idemmet & Encolpio accidisse nullus ego dubito. Ita apud Hippocratem lib. 1. de Articul. κατωμίζειν est, *in humeros aliquem levare*, quo etiam nostrum aperte fulcitur Commentum. An ergo scripsit Petronius, *Et me jubet Catomissari?* Haud inepte, vere autem, juxta scio cum ignarissimis. Hispani dicerent: *Imando me tomassen acuestas.* Ast dii vostram fidem! quæ hic intemperiæ agunt Criticorum familiam?

Quasillarias.] Bene hic Douza P. ceteri, dicam, mentis desipiunt. quidnam in domum matronæ ingenuæ mendicas ancillas, quæstuarias obtrudunt, & alias id genus? *Quasillariæ* enim sunt, quas nos vocamus *bilanderas*: quæ familiæ semper sordidissima pars.

Familiæque sordidissimam partem.] Eamdem familiæ sordem memorat Naso Eleg. 2. lib. 2. Amor. quum de Eunucho loquitur, qui puellæ custodiam laxarit:

Ille placet, versatque domum, nec verbera sentit:
Ille potens dominæ, Sordida turba jacet.

Itaque pensatis vibicibus animosior verberum notas arte contexit.] Omnino *Vibicibus*, non *Vicibus*, legendum, vel ipso Festo, aut Paullo, indicante: *Vibices, plagæ Verberum in corpore humano, dictæ, quod vi fiunt.*

Ferrum timui.] Bipennem. Aliter *Bipennem* ubique interpretari, desipere est. Varro in Parmenone vocavit *Ferream Bipennem, securim.*

——— *Mille operta rugis.*] Sic est, quum languorem patitur. Contra illa quæ exprimitur devirginato in Carmine:

Versibus obscœnis offendi desine: non est
Mentula subducti nostra supercilii.

Tenta quippe illa perpetuo olim effecta est. ideoque absque Rugis, quæ in Supercilio cogi ac subduci solent.

Ita non potui supplicio caput aperire.] Capite intecto Romani vulgo incedebant antiquitus: minime autem, ut nos, pileati, aut petasati. At vero contra ventum, aut æstum, laciniam togæ in caput sæpe rejiciebant. Quum autem in honorati alicujus occursu eam togæ laciniam à capite removebant, id, *Aperire caput*, vocabant. Observatum jam hocce viris doctissimis, addam unum tamen aut alterum exemplum. Seneca Ep. 65. inquit: *Si Consulem videro, aut Prætorem, omnia, quibus honor haberi solet, faciam: equo desiliam, CAPUT APERIAM*, &c. Sallustius quodam fragmento: *Quibus de causis Sullam in victoria Dictatorem, equo descendere Pompejo uni, adsurgere de sella, CAPUT APERIRE solitum.* Caput ergo Aperire, denudare omnino erat. unde Petronius jocum nequam petivit. Nam parti illi, de qua in præsentia queritur, & *Caput* tributum, quod cum Hispanis etiam Latini habuerunt commune. Illi autem Aperiendo requiri enim videbatur tumor ejus sat rigidus, *confugerat* namque *in viscera mille OPERTA rugis.* Voluit igitur Polyænos jocularitер nunc illam bipenne decollare, Græci dicunt, κεφαλοξομεῖν, sive ut Phrynicus, καταρομεῖν. Ei igitur supplicio necessario caput denudari aut aperiri debebat. quod quum fieri nequisset, supplicii quoque exsecutio pariter non potuit. res tota prorsus ridicularia est.

Caput.] Quod in virili membro *Glandem* Medici, Philologi prisci *Caput* vocarunt. Sic sæpe Tibullus uno in Carmine, ubi de inertia inguinis:

——— *Nec viriliter*
Iners senile penis extulit Caput.

Et iterum:

Tibi hæc paratur: ut tuum ter & quater
Voret profunda fossa lubricum Caput.

Et tertio:

——— *Simul*

——— *Simul*
Vagum ſonante merſerit Caput luto.

Martialis lib. 11. Ep. 47.

Traditur & digitis pannucea mentula laſſis,
Nec levat exſtinctum ſollicitata Caput.

Plures.

Sed furciferæ mortifero timore.] *Furciferæ*, acute. quippe quæ egeat furca, qua ſublevetur. nam

——— *Languidior illa coliculi tepente thyrſo.*

Et:

Quam lentæ ſalices, laſſove papavera collo.

Illum autem *Mortiferum timorem* mirifice id explicat cap. xx. *Mille jam Mortibus Frigida.*

Namque illa METU FRIGIDIOR rigente bruma. Et præ Timore *Frigidior hyeme Gallica factus* ſupra Encolpius, ut innumeros præteream. Vide autem quæ paullo anterius congeſſi ad verba cap. cxxix. *Funerata eſt pars illa corporis*, &c. nam & huc pariter ſpectant.

Nam nec nominare quidem te inter res ſerias fas eſt.] Arnobius lib. 5. *Objectanturque partes illæ.* ——— *quas inter aures caſtas ſine venia neſas eſt ac ſine honoribus adpellare præfatis.* Et Rutilius Lupus lib. 1. de Fig. ſentent. ſic loquentem facit Lycurgum: *Virilis naturæ membra, quæ non poſſumus honeſte adpellare.*

ROGO TE, MIHI APODIXIN defunctoriam REDDE.] Agnoſco ego nunc primum hic veterem Debitoris formulam petentis à Creditore ſoluti jam debiti Profeſſionem, quam priſci Jureconſulti *Apocham* vocarunt. *Apodixis defunctoria* libellus eſt, quo oſtenditur ſcilicet, quempiam jam defunctum eſſe, vitæque Debito liberatum; quod videtur hic (utcumque tamen protulerit) etiam Wouwerius monuiſſe. Joculariter autem iſthæc nunc Petronio tranſlata.

Oculos.] Martialis lib. 9. Ep. 38. Luſcam facit:

Et ſit Luſca licet, te tamen illa videt.

Et lib. 11. Ep. 74.

Umbellam Luſcæ, Lygde, feras dominæ.

Sic & lib. 2. Ep. 33. Satis enim conſtat, illam de Cœlitum eſſe proſapia.

Pœnitentiam agere ſermonis mei cœpi.] Sic verbotenus Auctor Dialogi de Oratoribus: *Neque illius, inquit* (Meſſala) *Sermonis Mei Pœnitentiam Ago.*

Secretoque rubore perfundi.] Contra paullo ante cap. CXXVIII. *Perfuſus ego rubore manifeſto.* apte, nam ſuis nunc, tunc vero puellæ verbis erubuit. *Rubor* μεταυμικῶς Verecundia eſt; & vice verſa *Verecundia* Rubor non ſemel. Sic Horatius l. 1. Carm. 27. *Bacchum Verecundum* vocavit, hoc eſt, Rubentem, quod Ebrietatis proprium, uti apud Nonnum videre licet. itaque Bacchum ideo Rubicundum plures effinxere. Et *Comus* deus, quem cum Baccho etiam confuderunt Græcorum plures, & *Hyalium Dionyſium* Heſychius adpellat, ἐρυθρὸς ὑπὸ οἴνου, *Pra vino Rubicundus* Philoſtrato eſt lib. 1. Iconum. Sic & Nævius *Rubentem Auroram, Pudoricolorem* adpellavit, ut obſervat A. Gellius lib. 19. cap. 7.

Mox perfricata diutius fronte.] In Fronte, ajunt, pudorem ſedere, unde qui eam perfricant, videntur à fronte manu velut pudorem abſtergere. Hinc utriuſque linguæ id genus proverbia exorta, quorum exempla plures congeſſere, & nobis haud difficile, ſat inſuper multa addere. Liquet & hinc jam *Adtrita Frons* illa furunculi apud Martialem Ep. 59. lib. 8.

Naturali convicio.] Puta inobedientiæ, nam id à Natura Pars illa corporis quam primum habuit. Exprimit manifeſto Naturale Convicium illud Naſo Elegia Amorum ſæpius hic laudata:

Noſtra tamen jacuere velut præmortua membra,
Turpiter heſterna languidiora roſa,
Quæ nunc ecce vigent intempeſtiva, valentque:
Nunc opus expoſcunt, militiamque ſuam.
Quin iſthic pudibunda jace pars peſſima noſtri:
Sic ſim polliticis captus, ut ante, tuis.
Tu dominum fallis, per te deprenſus inermis,
Triſtia cum magno damna pudore tuli.

Non & Ulixes cum corde litigat ſuo?] Ad lib. 20. Homeri Odyſſeæ ſignanter reſpexi, ubi ſtatim in principio animi pendet Ulixes, agitatque in Corde, quonam modo de ancillis procis ſe immiſcentibus ſumat ſupplicium:

——— Κραδίη δὲ οἱ ἔνδον ὀλάκησε.
Ὡς δ' ὅτε κύων ἀμαλῇσι περὶ σκυλάκεσσι βεβῶσα,
Ἀνδρ' ἀγνοιήσασ' ὀλάσῃ· μεμονῖτε μάχεσθαι.
Ὣς ῥά τ' ἔνδον ὀλάκησε ἀτασθαλίῃσι κακῇσι ἥργα·
Στῆθος δ' ἠλάσατο, κραδίην δ' ἠνίπαπε μύθῳ,
Τέτλαθι δὴ κραδίη· καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.
Ἤματι τῷ ὅτε τοι μένος ἄσχετος ἤσθιε Κύκλωψ
Ἰφθίμους ἑτάρους· σὺ δ', &c.

——— *Cor autem ei intus latrabat.*
Sicut autem canis teneros circum catulos iens,
Virum ignorans latrat, & eſt promta ad pugnandum:
Sic hujus intus latrabant indignantis mala opera.
Pectore autem percuſſo Cor increpuit verbo:
Tolera utique Cor, & pejus aliud aliquando toleraſti
Die illo, quo tibi robore inſuperabili comedit Cyclops
Fortes ſocios. Tu autem, &c.

Ac ſubinde:

Ὣς ἔφατ' ἐν στήθεσσι κατεπλήγη δ' ὀλίγον θ' ἥρως.
Τῷ ὃ μᾶλ' ἐν πείσῃ κραδίῃ μένε τετληυῖα, &c.
Sic dixit, in pectoribus inceſſens dilectum Cor.
Huic valde in illo æſtu Cor manebat tolerans, &c.

Et quidem Tragici oculos ſuos tanquam audientes caſtigant.] Adludit & hic Petronius ad loca olim Tragicorum inſignia, ubi cum Oculis ſuis Heroes jurgia conſererent, *litigarentque*, ut *Ulixes cum corde*. Juvat valde id Timoclis Pontici:

Τοὺς γὰρ τραγῳδοὺς πρῶτον, &c.
Nam Tragœdos, ſi libet, primum conſidera,
Quam ſint utiles omnibus. Pauper enim aliquis
Pauperiorem ſe cognoſcens Telephum
Fuiſſe, facilius ita paupertatem fert.

Qui

Qui morbum aliquem furiosum patitur, Alcmaonem contemplatur.

Lippiens alius Isyphum cæcum videt, &c.

Si aliud non latet, quod nobis adhuc subodorari non licet. Sunt &, qui *Tragici* interpretentur hircosi; *Oculos* autem in *Loculos* mutent, intelligentes subalares. Sed raro illi, puto, maledicunt axillis suis, immo nec putidum acorem sentiunt. Addam & quod novissime succurrit. *Tragici* Græcis libidinosi etiam dicebantur, eo quia malus ille odor homini numquam fere provenit, quousque rem cum mulieribus habere per ætatem queat: aut, quoniam tum maxime fœtent hirci, quum adpetunt coitum. quod notum, notatumque jam Viris eruditis. Quemadmodum autem Oculi eorum adficiantur pessime, qui rei Venereæ immodice operam impendunt, sat sciunt lippi, tonsoresve, ac nos dicimus infra ad verba cap. CXL. *Lumborumque solutorum*, &c. Facit ut credam, veram esse hanc interpretationem, quod ad verba illa Eclogæ 3. Virg.

——— *Transversa tuentibus hircis.*

producit Servius: *Alii legunt Hirquis. Hirqui autem sunt oculorum anguli, secundum Suetonium Tranquillum, in vitiis corporalibus: ut sit sensus, Novimus qui te corruperit, Hirquis transversa tuentibus. & est Hypallage, pro, oculis in Hirquos retortis, quam rem solet libido perficere.*

Quid me, &c.] Parilis prorsus argumenti est & Epigrammatistæ nostratis prima Liminaris Epistola, ut conferenti constabit; & haud absona pluscula habet in Apologia Scriptor venustissimus ex Madaura.

——— *Constricta spectatis fronte Catones.*] Martialis, *Adstricta fronte*, dixit lib. 11. Ep. 40. Et germanum illud Ep. 2.

Triste supercilium, durique severa Catonis Frons.

Ovidius *Rugam*, adpellavit, *Frontis* in 1. de arte.

——— *Novæ simplicitatis opus.*] Cum Martiale interpretor Epistola eadem: *Et probetur in me Novissimum ingenium.* Est igitur eorum *Novum*, aut *Opus*, aut *Ingenium*, conlata scilicet cum Operibus, cum Ingeniis Veterum Scriptorum, puta Catulli, Marsi, Pedonis, Getulici, & aliorum, qui libere, ac licentiose valde, primitus scripserunt, id est, longe majori cum Simplicitate.

Sermonis puri non tristis gratia videt.] Id est, Placet enim mihi libera venustas Latini sermonis. *Non tristis*, hoc est, non severa, vel ipso Martiale interprete, loco, quem ante retuli:

TRISTE SUPERCILIUM, durique SEVERA Catonis FRONS.

Ridet, hoc est, adridet, ut cap. v,

Sed, sive armigeræ RIDENT Tritonidis arces.

Quis vetat in tepido membra calere toro?] *In tepido*, id est, in calido, ut passim invenitur. Sic Appulejus lib. 2. Fab. Mil. *Torum Tepentem adultero mancipavi.* Valde autem Casp. Scioppio probatur sua emendatio:

Quis putat in calido membra tepere toro?

nam, quum prius prodidisset in Stoica Philosophia, ad oram postea libri mei adpinxit. Ubi quum *Tepere* frigescere sit, eadem prorsus ejus scripturæ sententia est, ac illius, quam nos excudimus, prælataque est Viris Eruditis.

Ipse pater veri doctus Epicurus in arte.] Ordo præceteris probior, *Ipse pater Epicurus doctus in arte Veri, &c.* Recte, juxta Epicureorum tamen opinionem, ipso scilicet parente Epicuro fidejubente. sic tradidit Cleomedes: Οὗτος δὲ (Epicurus) ὑπὸ πολλῆς τῆς σοφίας, καὶ ἐπιστήμης, μόνου εὑρηκέναι τὴν ἀλήθειαν διαβεβαίωται. *At iste, multa sapientia & scientia fretus, se solum Veritatem reperisse, adseverat.* Et L. Torquatus apud Ciceronem lib. 1. De Finib. *Quem* (Epicurum) *ego arbitror, Unum vidisse Verum.* Et Lucretius initio lib. 6.

Omnia Veridico qui quondam ex ore profudit.

Et paucis versibus interjectis:

Veridicis igitur purgavit pectora dictis.

Fussit, & hanc vitam dixit habere Telos.] Aliter etiam MSS. repræsentant, *Deos.* & utrique lectioni fundus suus haud deërit, dogma, inquam, Epicureum. Qui *Telos* amplectuntur, de interitu, quem Epicurus adseruit, animarum locum capere, habent necessum. Vide Arnobium lib. 2. *Fussit* ergo, minimi faciendos esse tetricos Catones illos, & ambitiose severos, non solum morum, sed verborum etiam, Censores, apud quos suis nominibus res exprimere fas non sit. nam si perituræ animæ sunt, merito, dum licet voluptatibus, quoquomodo possimus, inservire, rationi consentaneum videatur. Quibus autem *Deos* potius adridet, pariter *Fussit* illud accipient, neutiquam quippe hominibus curari censoriam gravitatem oporteret, quum vel Deus ipse, ut amens ille adtestatur Lactantii verbis, de Ira Dei, *ex hoc beatus, & incorruptus est, quia nihil Curat*, sed in altissima quiete parum de aliis sollicitus est.

Ficta severitate.] Id est, qui ficte ac simulate severi sunt. Martiali *Ambitiose tristes* dicuntur. Graphice ipse ὑποκριτὰς illos depingit lib. 1. Epig. 25. ad Decianum:

Adspicis incomtis illum, Deciane, capillis,
Cujus & ipse times triste supercilium?
Qui loquitur Curios, adsertoresque Camillos?
Nolito fronti credere, nupsit heri.

Cap. CXXXIII. *Tetigit puer oculos suos.*] Ut per eos juraret. addit: *Conceptissimisque juravit verbis.* Amatorium, *Per oculos*, jusjurandum, creberrimumque rerum eroticarum Scriptoribus. Laudabimus conlationis gratia nonnullos distinguemusque. Per oculos ipsiusmet jurantis sæpiuscule. Tibullus Eleg. ult. lib. 3.

Etsi perque suos fallax juravit ocellos.

Ovid. lib. 2. Amor. Eleg. 16.

At mihi te comitem jurabas usque futuram,
Per me, perque oculos, sidera nostra, tuos.

Propert. El. 16. lib. 1. addit Thyesteam hercule execrationem:

Quamve mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Hos tu jurabas, si quid mentita fuisses,
Ut tibi suppositis exciderent manibus.

Jurabant item per suos, & amasiæ, aut amantis, oculos. Ovidius lib. 3. Amor. El. 2.

Perque suos illam nuper jurasse recordor,
Perque Meos oculos.

Tenerrimum erat, ac delicioſum valde juramentum; neutiquam tamen ideo levidenſe: Oculi namque res cariſſima eſt. ſic Catullus:

Ambobus mihi quæ carior est oculis.

Et alibi:

Quinti, si tibi vis oculos debere Catullum,
Aut aliud, si quid carius est oculis,
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, seu quid carius est oculis.

Ea propter & Plauto *Oculiſſimum oſtium*, cariſſimum eſt.

Nympharum Bacchique comes, quem pulcra Dione, &c.] *Priapus* Jovis, ſeu Bacchi, filius ex Venere, ſylvarum Incola, hortorum Cuſtos, quem Sileni, & *Bacchi Comitem*, ebriorum nempe numinum, ac ſallacium, facit Euſtathius. Rationem Suidas reddit opportunam: Οὕτω καὶ ὁ Κωμικὸς, ἐκεῖθεν λαβὼν τὰς ἀφορμὰς, Διονύσῳ Φαλὴν ἑταῖρον εἶναί φησι. ἀκόλουθα γὰρ Διονυσιακῷ πότῳ τὰ Ἀφροδίσια. *Sic & Comicus, occaſione inde ſumta, Priapum Bacchi ſocium eſſe, inquit: Nam Bacchicum potum ſequitur res Venerea.* Sic & in fine Carminis hujuſce, *Ebria pubes*, Sacrificialis pompa Priapi eſt.

——— *Viridiſque Thaſos.*] Adpoſitum Epitheton, dives namque inſula *Thaſos* ſylvarum & nemorum. unde *Nemoroſa Thaſos* dicta Papinio lib. 5. Thebaidos. Et ea propter fors cultus ibi deus ille,

——— *quem pulcra Dione*
Divitibus Silvis numen dedit.

Sic Virgilius in 3. Æneid. *Viridemque Donyſam*, &, *Niveamque Paron*, ob colores marmorum.

——— *quem Lydus adorat*

Veſtifluus.] Rectè, ſi *Lydus* hic, leges *Veſtifluus.* Sic Propertius de Baccho Lydio habitu induto inquit lib. 3. El. 17.

Et ſeries nudos Veſte Fluente pedes.

Si autem *Septifluus* placet, neceſſario *Nilus* repones.

——— *Dryadumque voluptas.*] Priapeja:

Najadas antiqui, Dryadeſque habuere Priapi:
Et, quo tenta dei vena ſubiret, erat.

——— *Et rebus egenus*
Adritis ———] Hoc nequiter dictum, nec aliter ſumi poteſt. ratio in proclivi eſt, adtinginſque ad cap. XCII. *Ut tam magna fortuna, &c. Res* inter obſcœna, quod nemini hodie latet. Arnobius ſatis ſimiliter lib. 5. *Artificii curas tum Rebus adhibuiſſe perituris.* id eſt, genitalibus. Ludit ergo plane verborum ambiguitate, quod & ex illis patefit cap. CXVI. *Poſt ADTRITAS bellis frequentibus OPES.*

Exonera mentem.] Placari patere. ſic ſuperiori proxime capite. *Si dolorem meum naturali convicio Exoneravi.*

——— *Mihi fortuna adriſerit hora.*] Ubi, nempe Dives ego jam Rerum ſim & opulentus, minime vero, ut nunc, me quum

Helleſpontiaci ſequitur gravis ira Priapi,

Inops, & Rebus egenus adtritis. Patet omnino translationis nequitia conlatione nimirum germani loci cap. XCII. *Ut tam Magna Fortuna ſolus uteretur.* ubi nos etiam iſthæc jam compoſuimus.

——— *Ibit ad aras,*

Sancte, tuas hircus.] *Hircus*, etſi ſalaciſſimum animal, ac proinde Priapo ſacrum, haud tamen adeo fuit ipſi frequens hoſtia, ſed Baccho potius, qui aliquibus idem cum Priapo deus. ſic Virgilius 2. Georg.

——— *Baccho Caper omnibus aris*
Cæditur.

Propria autem Priapi victima *aſinus.* inquit Ovidius 1. Faſtor.

Cæditur & rigido cuſtodi ruris Aſellus.

Et pluribus cauſſam perſequitur. aliis vero variæ ſunt, verior tamen quæ apud Lactantium lib. 1. cap. 21. *quia magnitudo membri virilis enormis eſt; non potuit ei monſtro aptior victima reperiri, quam quæ ipſum, cui mactatur, poſſet imitari.* unde & ipſi Arbitro lux oritur cap. XXIV. *Hodie enim poſt Aſellum diaria non ſumo.* Exſtat & inter monimenta, quæ ex Vetuſtate reliqua ſunt, à Boiſſardo edita, è marmore quodam depromtum, delineatumque Priapi ſacrificium, ubi hoſtia, quæ immolatur, Aſinus eſt; univerſaque inſuper ſacrificii pompa, & luculenta exprimitur celebratio.

——— *Et querulæ fetus ſuis hoſtia lactens.*] Sic Carmen Liberum ad Priapum:

Hic tibi, qui roſtro creſcentia lilia merſit,
Cæditur è tepida victima Porcus hara.

Ideo & puellæ, quæ Priapi ſacra videlicet curarent, nonnumquam ſuillis pellibus præcingebantur, uti palam videre eſt in Marmore ſacrificii Priapi nobis laudato. Victima enim ei ſatis erat conveniens, nam *ea pecude*, ut ait Cicero, *nihil genuit natura fœcundius.* Hic autem Porculum Lactentem vovet, inquiens, *Hoſtia Lactens.* diverſa namque victimarum ratio conſtabat etiam ætate. Sic Cicero docet lib. 2. de Leg. *Jam illud ex inſtitutis Pontificum, & Haruſpicum, non mutandum eſt; quibus Hoſtiis immolandum cuique deo, cui Majoribus, cui Lactentibus, &c.*

Spumabit pateris hornus liquor.] Vini libationem innuit, ut ea quoque iratum numen redderet propitium. Apte *Spumabit* de Vino novello dixit. Sic Propertius El. 17. lib. 3.

Dummodo purpureo Spument mihi dolia Muſto.

Illud namque haud infrequenter diis libabant. Ecce, Horatius inquit ſat ſimili loco lib. 1. Carm. 31.

——— *Quid*

—— *Quid erat, DE PATERA NOVUM*
Fundens LIQUOREM?

Huc etiam facit, *Ebria pubes*, ut dicebam paullo ante.

—— *Et ter ovantem*
Circa delubrum greſſum feret ebria pubes.] Autumo equidem, ad morem nunc adluſiſſe Veterum, quibus in uſu, dum ſacra fiebant, hoſtiæque cremarentur, circum aras ſaltare. Sic docet Etymologici Auctor: Ὑπορχήματα δ', ἄτινα πάλαι ἔλεγον ὀρχούμενοι, καὶ τρέχοντες κύκλῳ τῷ βωμῷ, καιομένων τῶν ἱερείων. *Hyporchemata autem, quæ denuo canebant tripudiantes, & circumcurſantes altare ardentibus victimis.* Etiam Virgilius lib. 8. Divini operis verſ. 285.

Tunc Salii ad cantus, incenſa altaria circum,
Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Nam ibi *Salii* ſaltatores ſunt, inquit Servius ibidem: *Salii ſunt, qui tripudiantes aras circumibant.* Quam conſuetudinem jampridem tetigit & Meurſius in Orcheſtra. Apte ergo Saltationem illam, ac tripudium, *Greſſum ovantem*, id eſt, lætabundum, Petronius vocaret, ut ſupra interpretabamur ad verba cap. CXXIII.

—— *Modo quem ter ovantem, &c.*

Eum locum videre licet.

Solertique cura depoſito meo caveo.] Ait hic noviſſimus Petronii Interpres, hacce mente Claudianum dixiſſe lib. 3. De Rapt. Proſerp. verſ. 118.

—— *Leviuſque meum Trinacria celet*
Depoſitum.

Claudiani autem mens eſt, Cererem timere, quod negligenter Sicilia Proſerpinam ſervarit, ubi eam *Depoſitam* reliquerat. Ac ſimul obſervat, ita Tranquillo in Othone cap. 3. Poppæam Sabinam, quam apud Othonem Nero *Depoſuerat, donec Octaviam amoliretur*, ut Tacitus refert, pariter & *Depoſitum* adpellari. Addereque poſſet, ita Achillem, apud Statium à Thetide occultatum, bis quoque *Depoſitum* vocari lib. 1. & 2. Achill. Sed nondum hacce mente ullum apud Petronium inveni Depoſitum, à quo Polyænos cum ſolertia caveret. Enimvero nos ecce aliter interpretamur, an probe, Doctiores viderint. *Deponi* olim dicebantur ægri jam prorſus deſperati: aut etiam recens mortui, quando de ſublimiori lectulo humi conlocabantur. Primum loco S. Iſidori planiſſime probare mihi videor, ex lib. 10. Orig. *Deſperatus vulgo vocatur malus ac perditus, nec jam ullius proſperæ ſpei. Dicitur autem per ſimilitudinem ægrorum, qui adfecti & ſine ſpe DEPONUNTUR, &c.* quibus plenius patefacit morem. Sic etiam Nonius: *Deponere eſt deſperare, unde & Depoſiti deſperati dicuntur.* Ubi & Lucilium laudat 3. Sat.

Symmachus præterea jam tum DEPOSTUS Bubulcus,
Exhalans animam, pulmonibus Æger agebat,

ac plura congerit exempla. Alterum loca iſthæc Ovidii convincunt lib. 3. Triſt. El. 3.

Depoſitum nec me quiſquam nullus erit?

Et lib. 2. de Ponto El. 2.

Jam prope DEPOSITUS, certe jam frigidus, Æger

Ac paſſim in Monumentis, DEPOSITI, qui humati ſepultique ſunt. Sed jam ad rem: patet ergo *Depoſitum* apte vocari membrum illud, de cujus valetudine jam prope deſperaverat, quod ingenti laboraret paralyſi, uti ipſum Polyænon Circe in Codicillis ſcripſit: *Narrabo tibi, adoleſcens, Paralyſin cave. numquam ego ægrum tam magno periculo vidi: me dius fidius, jam periſti. Quod ſi idem frigus genua manuſque tentaverit tuas, licet ad tubicines mittas.* & ſequentia. quo facit & venefica curatio, cujus cap. CXXXI. deſcriptio. ea quippe numquam, niſi in magno ſalutis diſcrimine, adhibita. Sive eo, quod jam illud membrum haberet demortuum, *Depoſitum* haud inconcinne nuncuparet. Id enim veluti jam *Funeratum* idem Polyænos haud cunctanter agnoſcit cap. CXXIX. *Funerata eſt pars illa corporis, qua quondam Achilles eram.* Quod genus ſermonis Petronio ſingulare non fuiſſe, & ibi oſtendimus. Verborum igitur, *ſolertique cura Depoſito meo caveo*, eadem ſententia eſt, ac præcedentium cap. CXXXI. *Poſtero die, quum ſine offenſa corporis animique conſurrexiſſem, &c.* hoc eſt, ſine libidinis diſpendio. Arbitro igitur huncce animum fuiſſe, vel juratus equidem adfirmare paratus ſum.

Cap. CXXXIV. *Cadaver.*] Satis hic Interpretes. Addam tamen, omen ab Hebræis Græcos ſumſiſſe; ab his, ut plurima alia, Latinos. Hebræis ergo, mortuum tetigiſſe, piaculum. ipſe itaque, qui tetigit, manebat pollutus, expiationeque neceſſario indigebat. Num. cap. 19. 11. *Qui tetigit Cadaver hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus, aſpergetur ex hac aqua die tertio & ſeptimo, & ſic mundabitur.* & deinceps pluribus.

Tamquam caballus in clivo.] *Caballus* Antiquis dicebatur equus ærumnoſus, debilis, parumque jam utilis ætate multa. Lucilius apud Nonium:

Succuſſatoris tetri, tardique Caballi.

Tales propemodum olitorum ſunt, uti apud Horatium lib. 1. ep. 18. Piſtorum, uti apud Auſonium Epiſt. 21. Frugaliſſimorum hominum, uti apud Senecam Epiſt. 77. & omnino, qui Hiſpanis *Rocines* dicuntur. Formam ergo habet proverbialem Petronii locus, illi Naſonis haud abſimilis Epiſt. Acontii:

—— *Clivo ſudamus in uno.*

uti neſcio cui Critico memini notari.

Harundinem ab hoſtio rapuit.] Vide quæ adducunt Interpretes ad verba illa cap. XCVIII. *Sed raptam cauponi harundinem.* ea namque magis huc pertinent plane. ſed nondum hic, proferre liceat, equidem adquieſco.

Ingemui ego, utique propter maſcarpionem.] Neceſſario hic ſententia exigit negationem, certoque magis certum eſt, ſcripſiſſe Petronium, *ne ingemui ego, &c.* ſimiles namque ſyllabarum repetitiones præterire vel ſedulum librarium, factu oppido facile eſt, uti ſupra diximus. Mens enim Arbitri ex ſuperioribus liquet cap. CXXXII. ubi pariter ſe Polyænos ipſe inficiari ce-

natur plagipatidam : *Itaque pensatis vibicibus animo sior verberum notas contexi, ne aut Eumolpus contumelia mea hilarior fieret, &c.* Utique ex sequentibus: *Lacrymisque ubertim manantibus, obscuratum dextra caput super pulvinum inclinavi.* Ubique ergo contumelias occultat, ne hilarior eis fieret Eumolpus. De *Mascarpione* autem Interpretes consulendi, mireque ejus acceptio Eumolpo convenit.

Quid vos in cellam meam tamquam ante recens bustum venistis?] Quam misere locus iste Viros doctos exercuerit, indicio possunt esse præclara illa nugamenta, quæ hic Intempestiva, ut ajunt, Minerva comminiscuntur Interpretes. Arbitri autem mens per se ipsa patet. ait, *tamquam ante recens bustum*, quippe Atrati, *atraque veste deformis*, inquit; quo in funeribus usi colore Romani. quippe largiter *Laceratis crinibus* Lugentes: *Lacrymisque ubertim manantibus, &c. Nec minus illa fletu confusa, &c.* Quem scilicet nemo nescit jam feralem habitum.

Bona sua vendere potest.] *Vendere*, prostituere. Sic Tibullus El. 9. lib. 1.

Blanditiasne meas alii tu Vendere es ausus?

Interpretamenti vice illud est ipsius Arbitri cap. CXXVI. *Nisi quod formam Prostituis, ut Vendas.*

Lorum in aqua, non inguina habet.] Hinc claret Martialis illud lib. 11. Ep. 61.

——— *Priami quod tendere posset Alutam.*

Nec absonum est hocce Ep. 47.

Traditur & digitis Pamucea mentula lassis.

Nisi illud tam rigidum reddidero, quam cornu.] Venusta Aposiopesis, cujus exempla non congero. De Corneis mentulis alii. addo Demetrium Apameum antiquissimum Medicum in Libro Signorum: *Tensionem autem fuisse veretri nimiam, cum parvo dolore, ut CORNU putaretur.*

Quum volo.] Repetitque. ab Ovidio habuit pariter de Maga El. 8. lib. 1. Amor.

Quum voluit, toto glomerantur nubila cœlo:
Quum voluit, puro fulget in orbe dies.

Sic & Tibullus El. 2. lib. 1.

Niliacas.] Optimas, κατ' ἐξοχήν dictum. Aquæ Niliacæ præstantiam plures tradidere Antiquorum; ac proinde eam tantum potasse Ægyptios Reges, & Babylonios inter gazas servasse.

——— *Et jussi stare dracones.*] Sistunt carminibus sagæ serpentum ingressum. Tibullus lib. 1. El. 8.

Cantus & irata detinet anguis iter,

Seneca Tragicus Medea:

Hic fera serpens corpus immensum trahit,
Trifidamque linguam exsertat, & quærens, quibus
Mortifera veniat, Carmine audito stupet.

Nota res, angues incantari.

——— *Lunæ descendit imago,*
Carminibus deducta meis, trepidosque furentes
Flectere Phœbus equos revoluto cogitur orbe.] Utrumque etiam Ovidius dixit El. 1. lib. 2. Amor.

Carmina sanguineæ deducunt cornua Lunæ:
Et revocant niveos Solis euntis equos.

Conjunxit & fratres illos Appulejus lib. 1. Milesi. *Magico susurramine Solem inhiberi, Lunam despumari.* nempe in herbas, quum de cœlo jam descendisset. quod Lucanus docet in 6. magicæque illius Spumæ meminit Scriptor de Fluminibus in Inacho. Frequentior tamen Lunæ in magicis carminibus memoria est, sagarum quippe præses, ac præcipuum Numen, semper habita. Vix umquam magicæ disciplinæ quid molitum fuit, absentiva videlicet Luna, invocatave. Ea propter Veneficæ haud dubio totis viribus deducere satagebant, ut propior suis cantaminibus adstaret. Supra jam & Arbiter meminit: *Solent, inquit, hac, frater, & præcipue in hac civitate, in qua mulieres etiam Lunam deducunt.* Innumera hic exempla prætermitto, qua Græcorum, qua Latinorum. Id autem ei contingere creditum, quum Eclipsin perpetiebatur. Me jam olim Livius docuit lib. 26. cap. 15. *Dispositæ in muris Campanorum imbellis multitudo tantum æris crepitu, qualis in Defectu Lunæ silenti nocte cieri solet, edidit clamorem, ut averteret, &c.* Lunæ namque laboranti subvenire Majores consueverant ænea crepantes instrumenta, ut, obstante tinnitu, ad aures ejus incantationes pervenire non possent. Hanc rationem prodidit Petr. Apollonius, quam frustra alibi hucusque quæsivi, quum adeo creberrima ubique sit illorum mentio auxiliantium crepitaculorum. inquit lib. 1. Excid. Hierosol.

——— *Quantum pavidæ succurrere Lunæ*
Certantes populi tinnitibus æris acuti
Ingeminant, surdasque deæ intuntur ad aures
Thessalicum ne carmen eat, detractaque cœlo, &c.

——— *Taurorum flamma quiescit.*

Virgineis sacris.] Hinc jam exemplis sagarum insignium vim magicam extollit. & primo loco de Medea sermo est, quæ flammivomos tauros,

Forma percita quum ducis Pelasgi

fuit, arte sua molliit. Plene hoc Apollonius Rhodius, Valerius Flaccus, Euripides. tangunt pene omnes, quot scriptis nomina sua immortalitati commendarunt.

Et rursus fluvios in summo vertice ponam.] Carminis clausulam hancce haud obliti prævii Musarum Sacerdotes. Ovidius El. 1. lib. 2. Amor.

Inque suos fontes versa recurrit aqua.

Et lib. 1. Eleg. 8. ubi *Caput* vocavit, quod Petronius *Verticem:*

Inque Caput liquidas arte recurvat aquas.

Tibullus item lib. 1. El. 2.

Fluminis hac rapidi carmine vertit iter.

Cap. CXXXV. *Deterssisque curiose manibus.*] Dictum juxta Veterum religionem, quibus, absque manuum ablutione, rem sacram auspicari, piaculum erat. Inquit Hesiodus. Ἔργ. καὶ Ἡμ.

Μηδὲ ποτ' ἐξ ἱερῆς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν.

Ne

Ne umquam mane Jovi vinum libaveris ardens
Illotis manibus, neque divum præterea ulli.

Idem Homerus lib. 6. Iliados. unde in proverbium ablit, ἀνίπτοις χερσὶν, *illotis manibus*, quod in eos inquit Diogenianus usurpari, qui profanis manibus sacra contrectarent, ἐπὶ τῶν βεβήλοις χερσὶ τοῖς ἱεροῖς ἐγχειρούντων. Sic in Odyssea Telemachus manus lavat, antequam deo supplicet, cujus & in Auctoribus Latinis exempla passim. Ideo pro foribus templorum marmorea vasa præfigere mos erat aquæ continendæ lustrali, qua prius videlicet lavarent sacrificaturi. Eorum jam pridem vasculorum dederunt imagines Antiquarii. tute vide Choulium.

Mensam veterem posuit in medio altari.] Festus: *Mensæ in ædibus sacris Ararum vicem obtinebant.* Sed ibi vel *Altare* sufficeret. illud namque quasi *Alta ara* fuit dictum. Ast dii fuere, quibus sacra in Aris facerent, aliis vero in Altaribus, aliis in Altaribus & Aris. Sed forte de his fuse alias. Iterum Festus alibi: *Anclabris Mensa ministeriis divinis apta.* Ab *Anculare* indubie verbo antiquo, quod Prisci pro Ministrare dicebant, teste eodem Festo, aut Paullo. *Ligneam* autem agnoscere licet mensam illam vetusculam. nec mirum id in templo foret opulentissimo, primæ quippe frugalitatis remanserant ejuscemodi reliquiæ. Sic Dionysius Halicarnasseus memoriæ prodidit Antiq. Rom. lib. 2. ubi post alia subdit: Ἐγὼ γοῦν ἐθεασάμην ἐν ἱεραῖς οἰκίαις δεῖπνα προκείμενα θεοῖς ἐν τραπέζαις ξυλίναις ἀρχαικαῖς. *Ipse certe spectavi in sacris ædibus cœnas diis adpositas in Mensis Ligneis antiqui operis*, &c.

Quam vivis implevit carbonibus.] Vix absque Igne olim ullum sacrum, nedum Magicum, peractum. ideo subdit cap. sequenti. *Statimque, ne res aliqua Sacrificium moraretur, ad reficiendum ignem in vicinia cucurrit.* Unde nonnullis *Ara*, quasi *Ardea*, est ab ardendo; vel quasi *Ura* ab urendo. Videtur & religione quadam, *Vivis Carbonibus*, dixisse, quo & fors sat bene illud Plinii spectare cogites lib. 16. cap. 6. *Hoc quoque inter reliqua neglecta Religionis est, quod Emortuo Carbone sacrificatur.*

Camellam] *Camella*, nonnulli volunt, dicta quasi *Camura*, quod vas incurvum inflexumque foret, ac in modum Cameræ effigiatum. qua voce, etsi peregrina, usus Virgilius, ut Macrobius observat lib. 6. Saturn. meminitque Festus. Alii, vas illud apud Pollucem lib. 10. cap. 24. *Scamella* dictum, cujus propriam facit Romanorum adpellationem, ablato videlicet sibilo. nos in medium relinquimus. Vasculum autem est non ita, uti Petronio, priscis aliis Scriptoribus familiare.

Incincta quadrato pallio.] *Pallium quadratum* promiscua vestis fuit, hoc est, communis viro & feminæ. nam hic Enotheam eo Arbiter induit, & Tertullianus cap. 1. de Pallio inquit: *In viris autem, Pallii extrinsecus habitus, & ipse Quadrangulus.* Videtur & feminarum Quadratum Pallium vocari olim etiam *Palla*, aut hæc satis similis fuisse. S. Isidorus lib. 19. Orig. cap. 25. *Palla, est Quadratum Pallium Muliebris vestis, deductum usque ad vestigia.* Habuit à Servio ad 11. Æneid. quo facit & illud Tibulli:

Fusa sed ad teneros Lutea Palla pedes.

Videntur & fuisse alia vestimenta, præter Pallium, Quadrata, & *Recinia* vocari, auctore Festo. sic ait: *Recinium omne vestimentum Quadratum*, &c. Idem de *Rica* tradit Paullus; quæ & Festo, *Parvum Ricinium, vel Palliolum ad usum capitis factum*, dicitur, & Granium advocat, qui ait, *esse muliebre CINGULUM capitis.* Rica ergo quadratum palliolum est, quo feminæ cingere caput consueverant; & fors, Ricinio, sive majori Quadrato Pallio, lumbos, aut renes, ut Enotheam nunc videre est. Sed tamen hæreo, similis prorsus per tenebras incedere conanti. Id autem certo adfirmare possum, scilicet incingi Quadratis Palliis, aut Pallis, sagas quondam solitas, quum sacris suis vellent operari. Sicut Arbiter, Horatius Canidiam vidisse adserit, ac describit luculenter lib. 1. Sat. 8.

Vidi egomet nigra Succinctam vadere Palla
Canidiam, pedibus nudis, &c. ——

Cucumam ingentem.] Capite proximo: *Frangitur ergo cervix Cucumæ.* Sic nos edidimus, nam *Ingens* & *Cucumula*, uti nonnullis editionibus insedit, contrario nomine sibi opponi videbantur. *Magna est fornacula*, dixit Juvenalis Sat. 10. sed huc illud non facit. Cervice ergo supra ignem suspensa Cucuma erat, quam ut annis putridam quoque Arbiter ostenderet, id non præteriit: *Frangitur ergo cervix Cucumæ.* Præsertim in rusticorum focis catenæ visuntur & uncini, quibus commode ænea vasa haud aliter adpenduntur hodie.

De carnario detulit furca.] *Carnarium* tabula erat cum pluribus uncinis, quibus succidiæ, ac quævis alia ad victum necessaria, suspendi consueverant; parietique adfixa erat juxta focum in culina. Auctor Moreti omnia plane indicat, & plene Arbitrum inlustrat:

Non illi suspensa focum Carnaria juxta,
Durati sale terga suis, truncique rigebant:
Trajectus medio sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.

M. Varro lib. 2. de R. R. cap. 4. *Et qui non audierit patres nostros dicere, ignavum & sumtuosum esse, qui succidiam in Carnario Suspenderit potius ab lanario, quam ex domestico fundo?* Plautus item Curculione 2. 3. aliasque. sequenti cap. itidem Petronius: *Sinciput in Carnario furca reponit.* Minime autem obsolevit adhuc id genus tabularum usus, immo potius apud nos manet hodie creberrimus.

Faba erat ad usum reposita, & sincipitis vetustissima particula.] Ad victum aniculæ reposita faba, & sinciput suillum. oleribus namque & salsamentis tenuiores victitabant. Persius Sat. 6. vers. 69.

—— *Mihi festa luce coquatur*
Urtica, & fissa famosum Sinciput aure.

Uterque cibus æque interdictus Philosophis. Athenæus lib. 2. Dipnosoph. Ἐγκέφαλοι χοίρειοι. τούτων ἡμᾶς ἐσθίειν ἐκ ἦαν οἱ φιλόσοφοι, φάσκοντες τοὺς αὐτῶν μεταλαμβάνοντας ἴσον, καὶ κυάμους τρώγειν. *Suillum cerebrum. Eo vesci nos philosophi non sinebant, asserentes siquis id gustaret, par flagitium committi, ac si roderet Fabam.*

Ut soluit ergo licio pannum.] *Licium*, hoc est, stamen pluribus filis constans, & in unum contortis, quod nobis à torquendo, *torçal*, dicitur. diserte Arbiter supra ostendit: *Illa de sinu Licium protulit variis coloris Filis Intortum.* Ait nunc ergo Petronius, funiculum anum soluisse, quo sacculus erat ligatus.

Partem legumints super mensam effudit.] Nam ad Veneficia, & Sortes, adhibitæ olim *Fabæ*. quam vero opportune adhiberentur ei Sacrificio, quo, subvenire ægrotantibus nervis, cordi illis erat, perspicuum reddet Pythagoras, sic apud Lucianum de Fabis differens in Vitarum Auctione: Πρῶτον μὲν γὰρ τὸ πᾶν γονή ἐισι, καὶ ἦν ἀποδύσης κύαμον, ἔτι χλωρὸν ὄντα ὄψει τοῖσι ἀνδρείοισι μορίοισιν ἐμφερέα τὴν φύσιν, ἐψηθέντα δὲ ἦν ἐπαφῆς ἐς τὴν σελήνην, νυξὶ μεμετρημένησιν, αἷμα ποήσεις. *Primum quidem plane genitales sunt, & si fabam adhuc viridem exuas, videbis, eam omnino virilibus membris similem naturam habere: elixam autem si deponas, certis noctibus sanguinem feceris.* De ejus flore hoc postremum prodidit Juvenalis Scholiastes ad penultimam Satyr. En liquet etiam plane, cur spoliarit folliculis, denudaritque, Fabas Sacrificula.

Improba.] Hoc est, non sine convicio, nec intra verba fortean se continens.

Mirabile quidem paupertatis ingenium, singularumque rerum quasdam artes fames edocuit.] Sic ego sententiæ hiatulum supplevi, manuducente tamen divino Seneca Ep. 15. *Quod si velis deinde, quemadmodum ambules, discere, admittes istos, quos nova ARTIFICIA DOCUIT FAMES. Erit, qui gradus tuos temperet, & buccas edentis observet.* Aliique magistelli eiurientes. Ipsamet Plauti sententia est Sticho 2. 1.

——— *Illa* (paupertas) *omnes ARTES PERDOCET.*

Et Appulei: *Omnium Artium repertrix Paupertas.* Aliter vero editione Parisina periodus expletur, scilicet, *Mirabile quidem paupertatis ingenium*, quæ opibus oblectatur, *singularumque rerum quasdam artes* suis prodit.

Non Indum fulgebat ebur, quod inhæserat auro.] Indubie de Lacunaribus capiendus versus, de quibus diserte in Paradoxis Cicero inquit: *Tecta Ebore & Auro fulgentia.* Ennius Andromacha loquens de Priami domo:

Vidi ego te, adstante ope Barbarica,
Tecteis cœlatis, laqueatis
Auro, Ebore.

Propertius item El. 2, lib. 9.

Quod non Tænariis domus est mihi fulta columnis:
Nec Camera Auratas inter Eburna trabes.

Nec jam calcato radiabat marmore terra.] Pavimenta cum Tectis conjunxit, ut Tibullus lib. 3. Eleg. 3.

Auratæque trabes, Marmoreumque solum.

Sic etiam Seneca Ep. 114. *Ut Lacunaribus Pavimentorum respondeat nitor.* Marmore olim strata, nemo nescit. satis adposite Seneca ipse: *Ut terram Marmoribus abscondas, & non tantum habere tibi liceat, sed Calcare, divitias.* Et Martialis Ep. 50. lib. 12.

Calcatusque tuo sub pede Lucet Onyx.

Ubi observa, *Lucet*, quod Arbiter dixit, *Radiabat.* Ibi enim mire accinit & divino Senecæ Ep. 86. *Eo deliciarum pervenimus, ut nisi Gemmas, Calcare nolimus.* Plures non refero.

—— *Sed crate saligna*
Impositum Cereris vacuæ nemus.] Descriptio est rusticorum tectorum rudis ævi ac simplicis. Erant nimirum ex lignis impolitis, & inter se connexis, exstrui solita, paleaque ad imbres arcendos insuper abdita; nobis, *techos pagizos*, hodie dicuntur. *Cererem* adpellavit *vacuam*, quod postea, *inanem paleam*, ut Virgilius 3. Georg.

Surgentem ad Zephyrum Paleæ jactantur Inanes.

Horumce ex culmo tectorum & Vitruvius meminit lib. 2. cap. 1. graphice autem descripsit Seneca Epist. 90. uniceque facem Arbitro luxit: *Quid ergo? Non quamlibet Virgeam Cratem texuerunt manu, & vili obleverunt luto, deinde stipula, aliisque silvestribus, operuere fastigium, & pluviis per devexa labentibus, hiemem transiere securi?*

——— *Et nova terra*
Pocula, quæ facili vilis rota finxerat actu.] Simillime Tibullus El. 1. lib. 1.

FICTILIA ANTIQUUS PRIMUM sibi fecit agrestis
POCULA, DE FACILI composuitque luto.

Hinc mollis stilla lacus.] Carpit & hic insana Neronis opera, *Stagna* puta *instar maris, Piscinas, Fossas*, quæ & tetigit alibi:

——— *Mare nascitur arvis.*

de quibus plura nos ad verba cap. LXXXI.

Expelluntur aquæ saxis, &c.

quæ vise.

——— *Et de caudice lento*
Vimineæ Lances.] Anne Lances Ligneas intelligit? Vasculorum quippe ligneorum frequens quondam usus, & priscæ frugalitatis specimen habitum fuit. Fors similes alias concepit animo illis, de quibus Plinius ait lib. 16. cap. 31. *Minutis hæc* (ficus) *capillamentis hirsuta, ut abies, multæque sylvestrium, è quibus montani prætenuia fila decerpentes, spectabiles lagenas, & alia vasa, nectunt.* Quæquæ autem sint, *adigit* indubie *cauterem ambitiosi*, ut verbis Tertulliani dicam, de Pallio cap. 5. *qua Lances centenarii ponderis Sylla molitur:* sive, *qua Drusillanus, & quidem servus Claudii, quingenariam promulsidem ædificat.* Idem Plinius refert lib. 33. cap. 11. Et quod *ei fabricandæ officinæ prius exædificata fuerat.*

——— *Clavis numerabat agrestis.*] Hæc est scriptura

ra Veteris M. S.. ac pene eadem cum illis, quas antiqui vulgari repræsentant. quapropter & nos prætulimus. *Agrestis* subſtantive poſitum, ut ſæpius Priſci. Tibullus ſupra adductus El. 1. lib. 1. & El. 2.

Dii patrii, purgamus agros, purgamus Agreſtes.

ſic *Ruſtica* Ovid. lib. 2. Faſt.

Ara ſit hic, ignem curva fert Ruſtica teſta.

Et *Montani*. Plinius lib. 16. cap. 31. & ſic plura alia.

Et viridi junco gracilis pendebat harundo.] Loquitur, ni fallor, de agreſti ſtructura, haud omnino abſimili Cameris Canniciis Palladii lib. 1. Tit. 13. Ibi, poſtquam docuit aſſeres diſponere, perticaſque ad tecti concamerationem, addit: *Poſtea paluſtrem Cannam, vel hanc craſſiorem, quæ in uſu eſt, contuſam, facta & ſtrictim juncta Crate, ſubnectimus, & per omne ſpatium cum ipſis aſſeribus & perticis adligamus.* Juncis nimirum adligabant, vel Tomicibus, ut paullo ante ait ipſe Palladius. & Columellæ *Tomex* ipſa *Juncea* eſt lib. 12. cap. 32. Sicuti Naſoni 4. Faſtorum *Juncea Vincla*. Et Plinius lib. 19. cap. 2. ait: *Junco Græcos ad funes uſos, nomini credamus, quo herbam eam adpellant.* Nam σχοῖνος & *Juncum* ſignificat, & *funem*. Apte *Viridi* addidit, tunc quippe maxime ad ligandum aptus, quidve ex illo conficiendum. inde Pontanus:

Dum tibi de Viridi fiſcellam vimine texo.

Id genus tectorum & Vitruvius meminit lib. 2. cap. 1. *Vitandoque imbres, & æſtus, tegebant Harundinibus & fronde.* Et Plautus Rudente 1. 2. 34.

Quin tu in paludem is, exſiccaſque Arundines,
Qui pertegamus villam, dum ſudum'ſt?

Indicat hic Petronius tectorium opus nondum fornici fuiſſe inductum.

——— *Quæ fumoſo ſuſpenſa tigillo.*] Haud diſplicebat jam olim Douſæ P. levicula emendatio, *e τῆ quæ* in *s* commutantis. Proprius & ille character caſæ paupertinæ, *Fumoſum Tigillum*, quod eleganter Juvenalis Sat. 1. patefecit, *Fumumque domi* vocans, quod noſter Epigrammatiſta lib. 3. Ep. 30. *Fuſca penſionem cellæ*. Fumoſæ autem nigredini obnoxia valde lignea contabulata, ex quibus exſtructæ domunculæ primævæ: quod utrumque hic innuit Petronius oppido breviter. inquit Scholiaſtes Apollonii ad verſ. 170. lib. 1. Argon. ξυλίναις γὰρ ἐχρῶντο τὸ παλαιὸν οἰκίαις, λίθων μηδέπω ἐπινοηθέντων. *Ligneis enim domibus olim utebantur, lapideis nondum inventis.* Popinæ pariter fuſco colore ex fumo obtectæ. Unde Ejuſdem Epigrammatarii lucet verſus ille lib. 12. Ep. 62.

Nigri fornicis ebrium Poëtam.

Ubi Interpretes mirum miras agere nugas, quum Martialis ipſe prætuliſſet facem ejus caligini, quum inquit Ep. 60. lib. 7.

Occupat aut totas Nigra Popina vias.

——— *Mitia ſorba*

Inter odoratas pendebant texta coronas, &c.] Enopes. Suſpenſos igitur in orbem interpretor fructus inter flores, & herbas odoratiſſimas, ut omnino coronas referre viderentur. Favet haud leviter mihi Appulejus in imagine Numinis multiplicis lib. 11. *Quaqua tamen inſignis illius pallæ perfluebat ambitus, individuo nexu Corona totis Floribus, totiſque conſtructa Pomis, adhærebat.* Ubi pariter in ambitu extimo Pallæ fructus inter Flores contexti, qui, licet revera in coronam haud nexi forent, ejus tamen ſpeciem prorſus referebant. *Sorba* etiam penſilia olim ſervabantur, ut ex Varrone conſtat proxime laudando. *Mitia* adpoſite, ut Virgilio, & Senecæ Trag. Choro 1. Thyeſt. *Mitia poma* matura; & Horatio, *Immitis uva*, acerba eſt.

Et thymbræ veteres.] Plurima *Thymbræ*, ſive *Saturejæ*, mentio eſt apud Theophraſtum, Dioſcoridem, & Plinium, quos adire poteris. Inde συμβροφαγεῖν de parcis ac frugalibus dictum proverbium, de quo Heſychius, & Suidas, uſurpatque Ariſtophanes in Nubibus. *Veteres* aridæ interpretor, nam Columella de eadem herba inquit lib. 11. cap. ult. *Nam & Viridis eſui eſt jucunda, nec Arida inutilis ad pulmentaria condienda.*

——— *Et paſſis uva racemis.*] Uvæ penſiles ſunt. de quibus Plinius lib. 14. cap. 1. *Durant aliæ Uvæ per hiemen, penſili concameratæ nodo.* Sed Plautus perſpicue in Pœnulo Act. 1. ſc. 2. verſ. 99. innuens ſuſpendium adoleſcentis:

Siquidem tu es mecum futurus pro UVA PASSA PENSILIS.

Item Varro lib. 1. De R. R. cap. 68. *Penſilia, ut Uvæ, Sorba, ipſa oſtendunt, quando ad uſum oporteat promi.* Non ergo de Paſſa, *ſole, ſumove;* aut in *ollis*, ſive in *ſapa, muſtove*, condita.

Qualis in Actæa, &c.] Hic quid deeſſe, hians ſententia cuilibet indicio eſſe poterit, & monuit jam olim Hadrianus Junius. Ex duplici autem lectione *Hecates* & *Hecale* elicere haud inconcinnum ſenſum poſſumus. *Digna ſacris Hecates*; Hecale etiam ſcilicet, quippe quæ pauperrima, *digna* videbatur *ſacris*, hoc eſt, cœna Hecates, quæ à pauperibus rapiebatur, ut Ariſtophanes in Pluto docet, ubi Scholiaſtes: Κατὰ τὴν νουμηνίαν οἱ πλούσιοι δεῖπνον ἐσπέρας, ὡς θυσίαν τῇ Ἑκάτῃ προσάγοντες ἐπὶ ταῖς τριόδοις ἐτίθεσαν: οἱ δὲ πένητες ἤρχοντο πεινῶντες, καὶ ἤσθιον αὐτά, καὶ ἔλεγον ὅτι Ἑκάτη ἔφαγεν αὐτά. *In novilunio divites cœnam veſpere, velut ſacrificium Hecatæ, offerentes, in triviis ponebant. Pauperes autem veniebant, & comedebant, dicebantque ipſam Hecatem comediſſe.* Sic Lucianus variis in locis. Hecales vero paupertatem vel illud Ovidii 2. de Rem. Am. poſſit adſtruere:

Cur nemo eſt Hecalem, nulla eſt, quæ ceperit Irum?
Nempe, quod alter egens, altera Pauper erat.

Dicitur *Hoſpita*, quod Theſeum Hoſpitio exceperit. Sic de eadem Statius ultimo Thebaid. libro:

——— *Nec ſudit vanos anus Hoſpita fletus.*

Præter Plutarchum autem, infra laudandum, audi Appulejum adpoſite profantem lib. 1. Fab. Mileſ. *Et tibi ſpeci-*

specimen glorioſum adrogaris, ſi, contentus Lare parvulo, Theſei illius cognominis patris tui virtutes amulaveris, qui non eſt adſpernatus Hecales anus Hoſpitium tenue. immo, ſi Callimacho credimus poëmatio ab anu *Hecale* inſcripto, habuit illa Φιλοξενίης στέγος ἀκλεὲς, *Hoſpitii Lares omnibus patentes.* Verum enim vero ſi, *Digna ſacris Hecale*, mavis ſcripſiſſe Petronium, ad ſacrum Hecaleſium ibi reſpexiſſe, haud erit dubium. Id Iovi ab anu Hecalo dicto Poſteritas inſtituit, non ſine ipſius Hecales honoribus. Itaque ſuam propter hoſpitalitatem digna ſacris habita olim fuit. Sic Plutarchus rem totam in Theſeo prodidit: Ἡ δὲ Ἑκάλη, καὶ τὸ περὶ αὐτὴν μυθολόγημα τῆ ξενισμῆ, καὶ τῆς ὑποδοχῆς, ἔοικε μὴ πάσης ἀμοιρεῖν ἀληθείας. ἔθυον γὰρ Ἑκαλησίοις οἱ πέριξ δῆμοι συνιόντες Ἑκάλῃ Διΐ, καὶ τὴν Ἑκάλην ἐτίμων, Ἑκαλήνην ὑποκοριζόμενοι, διὰ τὸ κ'ακείνην νέον ὄντα κομιδῆ τὸν Θησέα ξενίζησαν, ἀσπάζεσθαι πρεσβυτικῶς, καὶ φιλοφρονεῖσθαι τοιούτοις ὑποκορισμοῖς. ἐπεὶ ὁ ὗς ἔτυχε μὲν ὑπὲρ αὐτῆ τῷ Διὶ βαδίζοντος ἐπὶ τὴν μάχην, εἰ σῶς παραγένοιτο, θύσειν, ἀπιέναι δὲ, πρὶν ἐκεῖνον ἐπανελθεῖν, ἰσχυρὰς ὑπεμίμνας. ἀμοιβὰς τῆς φιλοξενίας, τῆ Θησέως κελεύσαντος, ὡς Φιλόχορος ἱστόρηκεν. *Hecale, & quæ de illa fabula hoſpitii & convivii memoratur, non omnino apparet ex vano eſſe. Sacrum Hecaleſium circumjecti populi, concilio indicto, Jovi Hecalo faciebant, & Hecalen colebant, diminutivo nomine Hecalenen appellantes: quod illa quoque juvenem admodum hoſpitio excipiens Theſea ſenum more ſalutaſſet, & blandita ſuiſſet ei diminutis nominibus. Quæ, quia pro eo ad pugnam progrediente, ſi ſoſpes revertiſſet, Jovi voverat hoſtias, diem autem ſuum ante illius reditum obierat, hæc retulit hoſpitalitatis juſſu Theſei præmia, ut Philochorus tradidit.*

——— *Quam Muſa loquentibus annis*

Battiadæ veteris, &c.] Nam poëma *Hecalen* dictum condidit Callimachus, quod haud ſemel Plinius laudat. *Battiades* vocatus, filius quippe Batti fuit, ut plures volunt.

Cap. CXXXVI. *Quæ ſtaturæ altitudinem adjecerat.*] Plane neceſſum, nam menſa, ubi paratum ſacrificium, ſuper altare impoſita erat, ut ſupra viſum.

Ignemque modo convaleſcentem exſtinguit.] Aqua ſcilicet effuſa, pariterque ſubinde aniculæ *faciem totam excitato cinere perfudit.*

Tres anſeres ſacri.] Videlicet Priapo, rationem vero paullo poſt inquirimus. Fuere & Diis aliis Anſeres conſecrati, quorum in fanis etiam alebantur. *Junoni* apud Livium ſunt lib. 5. ubi de ipſorum excubiis ſermo eſt omnino canum præferendis: *Anſeres Galli non feſellere: quibus Sacris Junoni in ſumma inopia cibi tamen abſtinebant.* Sic in Camillo Plutarchus, & in De Fortuna Romanorum: Χῆνες ἱεροὶ περὶ τὸν νεὼν τῆς Ἥρας ἐτρέφοντο θεραπεύοντες τὴν θεὸν. *Anſeres Sacri circa ſanum Junonis alebantur ad cultum Deæ.* Habuit & Juno ipſa *Pavones* ſacros in Samio templo, uti narrat apud Athenæum Menodotus. *Iſidi* fuere quoque Anſeres ejus in templis ſacri, ex Ariſtide conligo Sacr. Sermonum 3. Ἐτιθύκτην τῆ Ἴσιδι καὶ τῷ Σαράπιδι ἐν τῷ τῆς Ἴσιδος ἱερῷ, λέγω τοῦτο ἐν Σμύρνῃ γενόμενον. ἐξιόντι δέ μοι τὰ προπύλαια προσῆλθον χῆνες δύο τῶν ἱερῶν. *Quum Iſidi & Serapidi quondam in Iſidis templo Smyrnæ ſacra feciſſem, veſtibulum egreſſo Anſeres duo Sacri occurrerunt.*

Ab anu diaria exigere] Martialis extremo lib. 11.

——— *Puerique Diaria poſcunt.*

Hic μνημονικὸν ἀμάρτημα Rittershuſii eſt, tribuentis Horatio id Epigrammatiſtæ. At hoc, nemo eſt, cui ſæpius non contingat. Nec exemti ſunt ab hac labe Scriptores priſci, apud quos equidem obſervavi non ſemel. Veniam igitur non ambigam à quovis quin ſim impetraturus, ſi alicubi quid tale mihi imprudenter exciderit. *Diarium* proprie Hiſpanis dicitur, *La ración.* ſed nos anterius plura.

Rabioſo ſtridore.] Eleganter dictum, licet Anſerum *Clangere* proprium ſit. Sed fuſe nos de Anſerum voce paullo infra.

Alius vincula calceamentorum reſoluit.] Diverſa longe *Vincula* iſta ab illis, de quibus ſupra ſermo fuit ad verba cap. CXXVI. *intra auri gracile Vinculum.* miſere tamen Interpretes confundunt. Hic enim ligamina ſunt, quæ calceos vinciunt, adſtringuntque, *Corrigiæ* Ciceroni dictæ lib. 2. de Divinat. ubi earum *abruptio* inter omina adverſa recenſetur. *Retinacula*, ut puto, Apollinari Carm. 2. Habuere enim Antiquorum nonnulla calceamenta, ut noſtratia, hoc genus Vincula; etiamque brachiola, quæ *Anſa* adpellabantur. Aperte Tibullus Eleg. 8. lib. 1.

Anſaque compreſſos conligat arcta pedes.

Tales Herculea Stymphalidas, &c.] Confert Anſerum clangorem ingentem cum eo, quem cierunt *Stymphalides*, quum ipſas fugavit Hercules, & *Harpyjæ*, quum duo Boreæ filii, Zetes & Calais. Stymphalides Herculi conterritæ fuere, & diſpulſæ χάλκια κρόταλα, Palladis munere accepta, quatienti, ut refert Apollodorus lib. 2. Biblioth. Pariter fere & Hyginus fabulam narrat Fab. 20. at Argonautis, non Herculi, id contigiſſe effert. Poſtea vero Fab. 30. inter Herculis Athla Stymphalidum internecionem recenſet.

——— *Sanieque fluentes Harpyjas.*] Aliter atque aliter mutant Conrectores, nempe, *pœnaſque luentes, pennamque fluentes;* primitus autem editi ex MSS. *penepennaque fluentes.* Aſt, *ſanieque fluentes*, reque, aut *pœnaque fluentes.* Aſt, *ſanieque fluentes*, retineri poteſt, ac idem cum *Veneno*, quod ſequitur, *ſaniem* interpretari.

——— *Quum Phineo maduere veneno*

Fallaces epulæ.] Suſpectam indubie ſemper lectionem fecit Codicum varietas, quod hic voci *Phineo* accidit, aliter *Furtivo* exaratæ. ſed latet adhuc, quæ ſani coloris eniteat. Mens tamen auctoris dubio proculi percipitur, Epulas namque illas ſubindicat, quæ fuere Harpyjis apud Phineum extremæ; nam ex *fallaces* fuere, inſidioſeque paratæ; ut ipſas nimirum volucres ſic ad menſam adcerſerent, & illico Boreæ filii

filii profluunt. Didici ego ex Apollonio, qui mihi prorsus aditum ad Arbitri cognitionem patefecit. inquit lib. 2. Argonaut. vers. 263.

Ἄρπυια δ' ἡ κερότιροι πεποιήατο δαῖτα γέροντι,
Λοίσθιον Ἁρπυίησιν ἑλώριον. ἐγγύθι δ' ἄμφω
Στῆσαν, ἵνα ξυφέεσσιν ἐπισσυμένας ἐλάσειαν, &c.
Statim autem juvenes instruxerant coenam seni,
Novissimam Harpyjis prædam: propeque ambo
(Zetes & Calais)
Consliterunt, ut ensibus inruentes profligarent, &c.

Quod Valerius, vestigia ejus persequens, sic multis 4. expressit:

— *Et duræ commovit* (Phineus) *imagine pœnæ.*
Instituere thoros, mediisque tapetibus ipsum
Accipiunt, &c.
Quum subitus misero tremor, &c.

Ac denique:

Emicat hic subito, seseque Aquilonia proles
Cum clamore levat, &c.

Pariter & Apollodorus narrat lib. 1. puto, edoctus ab Apollonio. Hic vero *Epulis* illis *veneno madidis* interpretamenti vice plane sunt & isthæc ejusdem Valerii de Harpyjis etiam ibidem loquentis vers. 497.

Tum sola Colluvie, atque inlusis stramina mensis
Fœda rigant.

Restat autem, ut *Phyneo* (sic in MS. exaratum) eamus mutatum. & res nobis haud infeliciter cedet, si ejus loco *Typhœo* reposuerimus. *Typhoides* enim *Harpyiæ* ibidem Valerio dicuntur. hoc est, Plutonis filiæ, quem dicunt Litteratores Typhonem adpellari. Profecto sic optime sententia se habet, alioqui parum sibi constans, & mire caligans. ita delibero, licet mihi non lateat, *Phyneas aves* Senecæ in Thyeste Harpyjas nuncupari.

Conlectoque cultu meo ire, &c,] En habitus per urbem incedentis expressus. & contra manentis: *Projectaque veste tamquam exspectarem morantem, in aditu steti.* Sed supra de his pleno modio ad verba cap. XIX. *Et præcincti certe altius eramus.*

Cum testo ignis pleno.] *Testo*, aut *Testa*, utroque modo inflectitur, ignem in vicinia petebant. Supra Petronius hoc capite: *Ad reficiendum ignem in vicinia cucurrit.* Ex fragmentis vasculorum fictilium quondam, ut hodie, Testa ut plurimum illa. Sic Isaias cap. 30. 14. *Et comminuetur, sicut conteritur lagena figuli contritione pervalida: & non invenietur de fragmentis ejus Testa, in qua portetur Igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea.* Et Ovidius innuit lib. 2. Fast. ubi agricolæ sacrificium deo Termino parant:

Ara fit hic. Ignem Curva fert rustica Testa
Sumtum de tepidis ipsa colona focis.

Ingestisque super pluribus lignis.] Auctor Moreti:

— *Atque arsura focis imponere Ligna*
Imperat.

Præcesserat:

Parvulus exusto remanebat stipite fumus.

Prius enim arida materia, facilique, uti & semper moris fuit, ignem excipiebant. illud est: *Conlocavit illa ignem cassis harundinibus conlectum.*

Tribus nisi potionibus è lege siccatis.] Apud Eubulum Bacchus ipius Legem jubens:

Τρεῖς γὰρ μοίρας κρατῆρας ἐγκεραυνῶ
Τοῖς ἐν φρονοῦσι, τὸν μετὰ ὑγείας ἕνα
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι, τὸν δ' δεύτερον
Ἔρωτ' & ἡδονῆς τε, τὸν τρίτον δ' ὕπνου.
Ὃν ἐκπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
Οἴκαδε βαδίζουσιν.

Vertit Florens Christianus:

Nam terna tantum temperari pocula
Catis jubebo: Sanitatis gratia
Primum hauriatur, alterum oblectaminis
Et amoris ergo, deinde somni tertium.
Ubi istud ebibêre, quis pectus sapit,
Domum redibunt.

Paruit ergo vetuscula sacerdos. Observo equidem ex celebri hocce ternario Potionum numero ortum indubie olim, Poculum, quod Bacchi diceretur, fuisse *Tripodem*, cujus apud Athenæum plurima memoria est lib. 2. &, ni fallor, 10. sed plures, puto, hanc mysticam potandi rationem sibi exornandam sumserunt, qua propter manum de tabula, ne videamur, quod longe enim ab ingenio nostro abest, aliorum scrinia compilare. *Siccatis*, sic cap. XCII. *Siccatoque avide poculo.* sic & plures Veterum loquuti, & Juvenalis dixit, *Ubera Siccare.*

Ut putares iterum anseres limen intrasse.] Nam, quum primum venerant, ingentem ediderant clangorem, stridoremque. sic paullo ante hoc cap. *Ac veluti rabioso stridore circumsistunt trepidantem.* Anserum autem proprium est *Clangere*, ut docet Columella, ut Festus vero, *Gingrire.* ait: *Gingrire, Anserum vocis proprium est. Unde genus quoddam tibiarum exiguarum, Gingrinæ.* Ita χαυίζειν Græci dicebant de tibia canentibus. Item Arnobius lib. 6. Anseribus dedit *Gingritus.* Sed auctor Philomelæ *Gratitare*, unde nostrum *Grazнar* videtur fluxisse. Illud autem mirum est, quod de Anseribus Ælianus, Philes, & Plutarchus referunt, præcipue ut pateat, quam proclives illi sint ad gratitandum. Videlicet, quod Taurum montem, ubi ingens aquilarum multitudo est, quum ipsi transmittunt, singuli mordicus lapidem tenent, ne clangorem fundant; parum quippe suæ taciturnitati aliter fidunt. Itaque, ab aquilis non præsensi, tractum illum sæpenumero transvolant innoxii. En igitur cur Poëtis pluries vocentur *Arguti, Garruli, &c.*

Cap. CXXXVII. *At illa complosis manibus.*] Gestus omnino est *Plaudentis*, ut supra ostendimus ad verba cap. XVIII. *Complosis deinde manibus.* quæ vise. Usurpant quoque eum *Adflicti*, & *Iracundi*, exemplaque apud Arbitrum non desunt.

Nescis, quam magnum flagitium admiseris.] Vestigium videtur & aliquod hujusce flagitii esse apud Livium supra adductum. Nam, si Anseres sacros nondum de republica bene meritos nefas occidere, postea

enim, quum patriæ custodes haberentur, & servatores, jure merito magnum putaretur sacrilegium, ac teterrimum parricidium.

Occidisti Priapi delicias, anserem omnibus matronis acceptissimum.] Sacratos hinc Priapo Anseres discimus, ipsius in templo diversari, alique, eorum scilicet cura sacerdoti commissa. rationem vero hucusque nobis Interpretes invidere. Commodam equidem in præsentia proferam, dum alia sese obtulerit adpositior. Custodibus quibuslibet, & excubiarum præsidibus, animalia sensu acerrima, & excubantia, adjungi, nemo nescit. Sic Janitoribus canes adhibebantur, ut nos multis supra patefecimus. Priapo ergo, qui hortorum vigili custodiæ destinatus fuit deus, tute vides, ut Anseres consecrarentur opportune, de quibus prodidit Plinius cap. 22. lib. 10. *Est & Anseri vigil cura, Capitolio testata defenso, per id tempus canum silentio proditis rebus.* Et Ælianus lib. 12. de Anim. cap. 33. Φυλάττειν ἄρα χηνῶν κῆνες ἀχρειότερον. καὶ τοῦτο κατεφώρασαν Ῥωμαῖοι. *Anseres ad custodiam præferendi sunt canibus, quod Romanorum periclitatione constat.* Et Cicero item infra laudandus. Istud autem Commentum nostrum illis procul dubio adridebit potissimum, qui vel labris primoribus liberos in numen illud Poëtarum jocos libaverint. Sed, curnam, inquis, ille *matronis acceptissimus?* fors propter ipsum Priapum, quem haud perfunctorie sibi propitium reddere matronæ studebant. Aut propter Junonem, quam imprimis colebant feminæ, ei nempe animis & corporibus addictæ, cui & Anseres utique à primis temporibus fuerant etiam sacri, ut ex Livio, & Plutarcho supra jam vidimus. Speciatim vero de occiso Ansere anum non loqui, nullus ego dubito. nisi id exaggerationis ingenio turbulentæ mulierculæ detur sat tempestivum.

Ibis in crucem.] Sic loquutus cap. CXII. *qua ratione mortuus Isset in crucem.* Nec aliter Horatius lib. 2. Satyr. *Ibis sub furcam.* Fori erant indubie formulæ, unde illa Comicis familiaris, *Ire in malam crucem.* quod, puto, Formularum Scriptores non tetigere.

Hæc ait: & tremulo deduxit vertice canos, &c.] Visum doctis & versiculos hosce, divulsos indubie jam olim ab integra Satyra, & inter rudera veteris Monumenti hucusque haud sine religione adservatos, nunc denuo eidem adnectere, & hic sat inserere tempestiviter, ubi hiantem lacunulam præ se MSS. ferebant. Quod etiam nos haud ægre passi sumus. Perspicui admodum sunt & elegantes, omniaque habent ad ostentationem doloris comparandam inprimis necessaria. Crinium evulsionem. Planctus, Suspiria, ac denique Fletum largum. quibus loca parallela plura in Arbitro, pariterque sunt omnibus Scriptorum in paginis.

Struthiocamelum reddam.] Hoc est, omnium maximum volucrem pendam. Talis Struthiocamelus, ut supra ostensum. præ pondere enim alis sublevari non potest, quod inquit Pausanias in Bœoticis: Καὶ Ἀρσινόης ἐστὶν ἐν Ἑλικῶνι εἰκὼν, ἣν Πτολεμαῖος ἔγημεν ἀδελφὸς ὤν. τὴν δὲ Ἀρσινόην στρουθὸς φέρει χαλκῆ τῶν ἀπλήστων. Πτεροῖς μὲν γε καὶ οὗτοι κατὰ τὰ αὐτὰ ταῖς ἄλλαις φύσιν, ὑπὸ δὲ βάρους καὶ διὰ μέγεθος οὐχ οἷά τέ ἐστιν ἀείρειν σφᾶς ἐς τὸν ἀέρα τὰ πτερά. *Et Arsinoës in Helicone est imago, quam Ptolemaus frater uxorem duxit. Arsinoës autem statua æneo insidet Struthiocamelo ex involucrum genere. Habent hi quidem alas, uti alites ceteri, sed præ corporis mole humo se in sublime nequeunt adtollere.* Ideo argute, more suo, ei Plautus in Persa 2. 2. dedit, *Volare curriculo.* quod *Volitare* haud inconcinne Flavius Vopiscus dixit Firmo: *Et sedentem ingentibus Struthionibus vectam esse, & quasi Volitasse.* quod minus est quam Volasse. *Struthio*, ergo etiam dicebatur, *Passer Marinus*, & κατ' ἐξοχὴν Στρουθὸς Græcis simpliciter, & *Passer* Latinis. Vetus inscriptio: ÆDILITATEM LAUDABILITER ADMINISTRAVIT. ET DIEM FELICISSIMVM III. IDVS JANVAR. NATALEM DEI PATRIS NOSTRI VENATIONE PASSERIS, DENIS BESTIIS, &c.

Non publicum anserem.] An *Publicum*, quia è publico pastus, ut docet Cicero Oratione pro Roscio Amerino? *Anseribus cibaria Fublice locantur, & canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint.* Sed mihi hic, fateor, aqua hæret; sumque, ut dicam cum Magno Vate,

Μισσηγὺς γαίης τε καὶ ἠιόνι ἀστερόεντι.

Unde possitis & deos emere.] Mens plane ex illis superioribus liquet cap. LXXXVIII. *Mille pondo auri Capitolio promittere solet: & ne quis dubitet pecuniam concupiscere, Jovem quoque peculio exorat.* ac subinde: *Quum omnibus diis hominibusque formosior videatur massa auri, &c.* ad quæ loca vide quæ notamus.

——— *Secura naviget aura.*] De vulgi ac *Fortunæ* favore capiendus plane locus, quæ frequens Allegoria est Scriptoribus priscis. Insignis vero ac parilis prorsus Horatii illa Ep. 18. lib. 1.

——— *Tu, dum tua Navis in alto est,*
Hoc age, ne mutata retrorsum te ferat Aura.

Uxorem ducat Danaën, ipsumque licebit
Acrisium jubeat credere, quod Danaën.] *Quod Danaën*, scilicet jussi credere. hoc est, nihil Auro esse inaccessum. nam

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo,

Canente Latino Lyricine pariter de Danaë & Acrisio lib. 3. Carm. *Ipsum Acrisium ἐμφατικῶς.*

Carmina componat.] Ergo *parum Coronis credendum est, quas ad imperitos deferre Gratia solet*, ut supra Arbiter dixit cap. LXXXIII. & nos plusçula ibidem.

——— *Sitque Catone prior.*] Plures Catones inlustres, quos haud importune hic memoraret Petronius. illum autem arbitror præ omnibus magis temnius. illum autem arbitror præ omnibus magis tempestiviter nunc innuere, de quo hocce elogium Plinius lib. 7. cap. 17. nobis reliquit: *Cato, primus Porciæ gentis, tres summas in homine res præstitisse existimatus est, optimus Orator, optimus Imperator, optimus Senator.*

nator. & subinde: *Itaque: si proprium Catonis quater & quadragies Caussam dixisse, nec quemquam sapius postulatum, & semper absolutum.*

Jurisconsultus PARET, NON PARET.] Nam Jurisconsulti ex illis plane sunt, qui frigidam efflant uno ore & calidam animam. Ast solennem formulam, in Judiciis frequenter usurpari solitam, agnoscunt hic & Viri Jureconsultissimi, videlicet, *Si paret*, quam & Festus interpretatur, *Si inveniatur, si comparet, si adparet.* Nobis est, *si parece, si parreciere*, Græci Εἰ φαίνεται. Claret ergo Arbitri mens, ac præcipue similis loci conlatione cap. XIV. qui pariter de Judicibus capiendus, ut ibi monitum est:

Nonnumquam numis vendere verba solent.

Videntur enim Judicibus Jurisconsulti olim fuisse adhibiti, *quibus à Cæsare*, inquit Justinianus lib. 1. Instit. Tit. 2. *Jus respondendi datum est, & quorum sententia & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut Judici, recedere à responso eorum non liceret, ut est constitutum.* Inprimis ergo & Principes illi, quorum hic etiam memoria, Servius & Labeo.

Et, quum digitos pariter extensos porris apioque lustrasset.] Polluti quippe erant Anseris cæde. Expiatio vero potius videtur coquinaria, ad Anserisque condimentum pertinere, quam ad ejus sanguinis lustrationem. *Porris* enim *Apioque* constitit, quæ ex oleribus principem fere in condimentis obtinent locum. *Apium* namque illud est vulgare, & quod ad manum habuit sacerdos, nobis, *peregil*, dictum. De quo sic Plinius lib. 20. cap. 11. *Apio gratia vulgo est, namque rami largis portionibus per jura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent.* Itaque hic etiam more suo forte Arbiter lusit, quippe ad Satyrici ingenium mire faciunt & lusus similes.

Avellanas nuces.] Ipsarum memoria etiam in Carmine libero:

Nucemve longam, quam vocant Avellanam.

De ipsis quoque sic Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 14. *Nux hæc Avellana, seu Prænestina, quæ est eadem, ex arbore est, quæ dicitur Corylos.*

Recluso pectore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura prædixit.] Sic Virgilius lib. 4. Æneid.

——— *Pecudumque Reclusis*
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Signanter Ἡπατοσκοπίαν protulit Arbiter, quæ princeps species Haruspicinæ, inquit apud Philostratum Apollonius lib. 8. τὸ ἧπαρ, ἐν ᾧ φασι τὸν τῆς αὐτῶν μαντικῆς ἕδραν τρίποδα οἱ θεοὶ ταῦτα. *Jecur, in quo Vaticinii sedem esse, dicunt ejus artis periti.* Consulebant & tota viscera, Hepatis autem exploratio potissima erat. Sed ubertim de his juxta ac erudite jam magni Viri, inprimis Brissonius lib. 1. de Form. Stuckius de sacrif. Gent. & noster Delrius lib. 4. Disquis. Mag. Ἀπροσδιόνυσα vero, quæ hic Interpretes nonnulli.

Epulasque etiam lautas.] Nam Anseres olim in deliciis valde gulonibus fuere, eorum autem præcipue jecinora. Indicat Athenæus lib. 9. Plin. lib. 10. cap. 22. Martialis lib. 13. Epig. 58. & alias, Horat. Sat. ult. lib. 2. Persius Sat. 6. Juvenalis Sat. 5. & plures alii. Alagabalus apud Lampridium insana prodigalitate *Canes Jecinoribus Anserum pavit*, ita, *ut psittacis atque sasianis leones.* & Aristides, difficili in morbo, diutinaque ciborum aversione, nihil pene præter Hepar Anserinum edere potuit, ipso testante Ἱερῶν λόγων.

Cap. CXXXVIII. *Scorteum fascinum.*] Hoc est, rubrum penem coriaceum, ut Suidas exsertim tradit voce φαλλοί. Indubie eum in modum effictum membrum illud, ut sic ad veritatem utcumque accederet. Nec aliter Priapi simulacris figurari consuevisse, indicio esse potest toties repetita ejus mentio. Catullus:

Sedet revinctus cum Rubenti Fascino.

Tibullus:

Soles, revinctus sacrum pampino caput,
Ruber sedere cum Rubente Fascino.

Carmen liberum:

Rubro, Priape, suribus minare mutino.

Et passim alias. Unde dies oritur improbo Martialis Epigrammati lib. 2. 33.

Cur non basio te Philani? calva es.
Cur non basio te Philani? RUFA es.
Cur non basio te Philani? lusca es.
Te qui basiat, hic, Philani, Fellat.

Rufus & *Ruber* idem color, ut prolixe apud A. Gellium disceptatur lib. 2. cap. 26. Confecti & ex varia materie varios in usus olim Phalli, ex ligno, *ficu* potissimum, qui *Ficulnei* sæpius adpellati, ex *ebore*, ex *auro*, ex *serico*, & ex *lineo panno*, quibus Lesbiæ tribades abutebantur. Item ex *vitro*, qui *Phallovitreboli*, aut *Phallovitrobeli* Capitolino, si mendax scriptura non est, dicuntur. Erant videlicet vitrea pocula in obscœnam pudendi figuram effigiata. Unde Juvenalis Sat. 2.

——— *Vitreo bibit ille Priape.*

Ubi Scholiastes: *In Vitreum penem, quos adpellant Drillopotas.* Pocillatorum icunculas, manibus illos Priapos extollentium, Pignorius Opere de Servis exhibuit. Ceterum non solum per obscœnitates bibebant, ut ait Plinius; immo ipsas edebant obscœnitates. Placentarum namque genus habuere in deliciis, pudendi quoque virilis speciem omnino referentium, & *Siliginei Priapi* vocabantur. Sic Martialis edocet Ep. 69. lib. 14. Item placentæ fuere aliæ in Muliebria inguina. Sed ohe, nonne satis est impudicitiarum? sat plura, nec vulgaria quidem, addere possemus, ast pudor non sinit.

Quod ut oleo, & minuto pipere, atque urticæ trito circumdedit semine.] Omnia inritant Venerem languentem. Ita qui Æmilii Macri nomine circumfertur de Urtica loquens:

Cum vino bibitum Venerem Semen movet ejus,
Et melius Tritæ si jungas melque Piperque.

Lege *Trito*, & ad semen referto, quod & tuetur Petronius, & Ovid. 3 de Arte. Idem docet Plinius

ubi de Urticæ Semine lib. 22. cap. 13. *Et lateri medetur cum semine lini, addunt hyssopum, & Piperis aliquid.*

Nasturtii succum cùm abrotono miscet.] Veneficio contactus Polyænos, ineptus ad Venerem prorsus erat relictus, veraque voluptate omnino fraudatus erat, cui morbo, ut visum est, omne curationis genus à misero juvene adhibitum. Nunc vero ecce quam opportunum medicamen *Abrotonum* scilicet cum Nasturtio mistum. De Abrotono namque Plinius inquit lib. 21. cap. 21. *Ramo ejus, si subjiciatur pulvino, Venerem stimulari, ajunt. efficacissimamque esse herbam contra omnia Veneficia, quibus coitus inhibeatur.* Quod Æmilius Macer Hypobolimæus ad verbum mutuatus est:

Hac etiam Venerem pulvino subdita tantum
Incitat, & Veneris nocuis potata resistit.

Nulliusque adversus nos momenti erit Plinii testimonium, adserentis, *Nasturtium Venerem inhibere.* nam ibi mens ejus est, Generationi officere, si sumatur frequenter. herba quippe natura sua fervida est, desiccansque valde. itaque eadem prorsus ejus ratio est ac Rutæ, cujus fervens pariter natura. ideoque de Ruta ipsa inquit ibidem etiam Plinius lib. 20. cap. 13. *Itemque Generationes impediri hoc cibo, ideo pro fluvio genitali datur, & Venerem crebro per somnia imaginantibus.* Unde ipse Macer de Nasturtio loquens:

——— *Hac re Venerem ceu Ruta coërcet,*
Siccando semen, fuerit si sumta frequenter.

quæ unice Plinium interpretantur. Ast in linimentis longe diversa ratio censetur, præsertim si admistum sit cum aliis Nasturtium, quibus quum vim suam calidam præstiterit, Frigidis & Maleficiatis proderit haud leviter. creberrima namque in re medica sunt ejusmodi connubia medicamentorum.

Viridis urtica fascem comprehendit.] Apte etiam, ut titillationem Veneream excitaret, pruritu scilicet mordacium Urticæ foliorum. Et additum opportune, *Cœpit Lenta Manu cadere.* ita namque major pruritus, ut constat, incenditur. quod & Plinius innuit lib. 21. cap. 15. *Mirum, sine ullis spinarum aculeis lanuginem ipsam esse noxiam, & tactu tantum Leni pruritum.* Nec multum abludit id Veteris Lexici: *Aca, & Aciela,* ἀκαλύφη. hoc est, *Urtica,* quod ut ferri nimium acies ulceret.

Quid huic formæ habuit Leda simile? quid contra hanc Helene?] Similis illa veteris Poëtæ comparatio in feminæ pulcerrimæ descriptione:

Non Helena mater, nec par tibi filia Ledæ,
Quamvis hæc Paridem moverit, illa Jovem.
Ipse Paris dearum lividinantium judex.]

Cur videlicet,

Electus Paris Arbiter esset eis,
* Ὄφρα καὶ ἀθανάτοισι θεμιστεύωσι νομῆες,
Ut immortalibus etiam redderent jus pastores,

* *Celutbus.*

Opportune docet Lucianus Θεῶν κρίσ. Alii fere non tangunt. quippe καλὸς τὰ ἀυτὸς, καὶ σοφὸς τὰ ἐρωτικὰ. *formosus ipsus, & rerum amatoriarum doctus.* Et Dialog. marin. quia φιλόκαλος ἂν, καὶ ἂν ἐπιτῶς κρίναι κακῶς. *elegantiæ studiosus & ipse quum sit, male judicare non poterit.* Argute autem, qui hic à *Livore* primus excogitavit, *Lividinantium.* Sic Varro similis Satiræ antesignanus Agathone *Virgdemiam* excudit.

Cap. CXXXIX. *Torum frequenti tractatione vexavi, amoris mei quasi quandam imaginem.*] Vexatio isthæc juxta ac Cynicorum nequissima, quorum audiere Culcitræ uxores Martial. lib. 4. Ep. 53. & sæpe alias. *Amoris mei*, id est, amicæ meæ, quod Propertio familiare. sic El. 2. lib. 3.

At tu stulta deos, tu fingis inania verba:
Forsitan ille alio pectus Amore terit.

Alio Amore, id est, alia amica: & El. 3. lib. 2.

His saltem ut tenear jam finibus, aut, mihi siquis,
Acrius ut moriar, venerit alter Amor.

Hoc est, altera amasia. & sic alias. Eleganter etiam Catullus Epig. 10. mero quodam Hispanismo.

Varrus me meus ad suos Amores
Visum duxerat è foro otiosum.

Plautus sic, & alii.

——— *Prius Inachia Tirynthius ira, &c*] Solamen sibi quærit Polyænos ab exemplis pluribus mortalium, qui pariter prius Numina sibi senserunt vehementer infensa. & primitus Herculis meminit, cui maxime omnium viventium, fama est, Junonem infensam & inimicam fuisse, quod è pellice Jovis Alcmena natus foret. eaque propter ingentia ille pericula subiit, quæ ei perdendo Juno per dolum proposuerat. *Inachia* ergo, id est, Junonia. *Inachia* enim Juno dicta, quod non vulgare est, ab *Inacho* indubie fluvio Argivæ Junoni consecrato, ut tradit Pausanias, de eoque fuse Plutarchus, si γήσιος, de Fluminibus. Ita Ἰναχὶς Ἥρη dicitur Nonno initio libri ultimi Dionysiacôn, hoc est, *Argiva*, ut *Inachides mulieres*, &. *Inachia fora*, &c. pro Argivis eidem usurpantur.

——— *Onus cæli tulit.*] Quomodo hoc capiendum sit, Apollodorus edocet lib. 2. Biblioth. Undecima Herculis ærumna fuit, Aurea mala ab Hesperiis reportare. Ast, quum præmonitus à Prometheo foret, ne ad Hesperidum hortos ipse accederet, sed ad ea accipienda Atlantem mitteret, necesse habuit, Atlantis interea subire vices, eique in cœlo sustinendo succedere. Itaque laboris illud minime ei Juno, Eurystheusve, primiter imposuere, sed ei ex illo undecimo fuit ortum.

——— *Ante profanam*
Junonem Pelias sensit.] Pelias Neptuni filius ex Tyrone, qui quum primum adultus novercam matris occidit, superque ipsam Junonis aram jugulavit. καὶ καθόλε διετέλει τὴν Ἥραν ἀτιμάζων, ἐσασιασαν δὲ ὕστερον πρὸς ἀλλήλους. *Eamque ob rem nullo unquam honore Junonem adfeciisse memoratur, atqui postea inter se discordiam exercere non desierunt*, inquit Apollodorus lib. 1.

Unde

Unde patet, nauci non esse lectionem illam, *Profanus*, immo recte illi omnino, qui præferunt.

——— *Tulit inscius arma Laomedon.*] Laomedon scilicet Trojanorum Rex. Ipse valde sibi infensum habuit Neptunum, quapropter cetum cum inundatione in regionem suam immisit, quod, quicquid offendebat in campis, corripiebat. Hercules illud occidit, pacta cum Laomedonte mercede, quam postea non solvit. Quod facinus vindicaturus Hercules, finita jam Jasonis expeditione, ad Troadem adpulit. *Inscius*, ergo Arbiter inquit, nam improvisus & inopinatus Hercules adfuit Ilio tunc expugnando. Ejus mentem patefacit Diodorus lib. 4. Λαομέδων δὲ, ἀπροσδοκήτῳ τῆς παρουσίας τῶν πολεμίων γεγενημένης, δύναμιν ἀξιόλογον συναγαγὼν ἐξεκλείσθη διὰ τὴν ὀξύτητα τῶν καιρῶν ἀθροίσας δὲ ὅσους ἠδύνατο, μετὰ τούτων ἦλθεν εἰς τὰς ναῦς. *Interim Laomedon inexspectato hostis adventu perculsus, dum justum exercitum nequit, quas per angustias temporis potest copias, tumultuario conligit, easque adversus classem educit*, &c. Apollodorus item fuse narrat lib. 2.

——— *Gemini satiavit numinis iram Telephus.*] *Gemini numinis*, Minervæ interpretor, qua Artium omnium, qua Bellorum, dea. *Telephus* Herculis filius fuit, quem ex Auge suscepit. Eum odio Minerva habuit, quod in ejus templo à matre fuisset expositus, eaque propter vi pestilentiæ ingenti suam adfecit regionem, quousque Aleus pueri avus eum in Parthenium montem deferendum exponendumque dedit, ubi est à cerva nutritus, exinque *Telephus* vocitatus. Apollodorus etiam tradit lib. 2.

Satiavit.] Pariter ut Ovidius usurpavit lib. 6. Transform. ubi Latonam Niobe indignabunda adfatur:

Pascere crudelis nostro, Latona, dolore,
Pascere, ait; Satiaque meo tua pectora luctu;
Corque ferum Satia.

——— *Et regnum Neptuni pavit Ulyxes.*] Plene Homerus in Odyssea, decantatumque satis in Scholis Grammaticulorum.

Me quoque per terras, per cani Nereos æquor,
Hellespontiaci sequitur gravis ira Priapi.] Ex pluribus enim locis (autumo & alias nos dixisse) superstitiosam nimis Petronii religionem licet observare, quo & versuum horuncce sententia omnino referenda est. Vehementer Priapi numen, ille fecit, sibi iratum Encolpium exinde agnoscere, ex quo mysteriis ejus profanus interfuit, turbavitque. Id ergo, quippe *inexpiabile scelus* admiserat, illi Quartilla minatur cap. XVII. *Non enim impune quisquam, quod non licuit, adspexit.* Hujus postea facinoris non semel aut iterum pœnas luit, sed passim. Eventuum enim, quos memoria suggeret, indicium faciemus. Capite XCV. Licæ verba sunt: *Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere, Encolpion, quem quæris, scito à me in navem tuam esse perductum.* Postidea bis à Circes congressu, & fors haud semel à pueri, discessit sine voluptate. Quo etiam & indubie facit illud cap. sequenti. *Nec se rejiciebat à blanditiis doctissimus puer, sed me Numen Inimicum ibi quoque invenit.* Ea propter sibi conscius Encolpius, sive Polyænos, Numinis Genium lenire sæpe conatur. cap. CXXXI. inquit, nam ibi distichon hocce inserendum esse, recte censuerunt olim Viri Eruditi:

——— *Tu rustice custos*
Huc ades, & nervis tente Priape fave.

Pluribus autem versibus cap. CXXXVIII.

Nymgharumque Bacchique Comes, &c.

Et tandem in præsentia exclamat:

Me quoque per terras, &c.

Hellespontiaci Priapi.] Sic Virgilius lib. 4. Georgicor.

Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Ubi Servius: *Hic autem Priapus fuit de Lampsaco civitate Hellesponti, de qua pulsus propter virilis membri magnitudinem, post in Deorum numerum receptus, meruit numen esse hortorum.* Strabo autem lib. 13. Urbem maritimam cum portu in Hellesponto memorat, *Priapum* nomine, quod à Priapo habuit, qui ibi colitur.

Te noxam meruisse.] Viri docti jam olim de *Noxa* ac *Noxia* dissertarunt. Id autem certius hic proferre possumus, *Noxiam* peccatum esse, *Noxam* pœnam peccati. Cornelius Fronto disertim: *Noxia est culpa, id est, peccatum, Noxa pœna.* Festus latiuscule. Ita & hic Petronius plane. Symmachus item lib. 1. Ep. 49. *Ne NOXAM MERUISSE videatur.* Sic item Ep. 59. Sic & plures alii.

Chrysis intervenit, amplexuque effusissimo me invasit.] Amabat namque illum, quæ prius oderat cap. CXXXVIII. *Chrysis, quæ priorem fortunam tuam oderat*, &c. & pluribus anterius cap. CXXVI. *Nolo, inquit, tibi tam valde placeas*, &c. Adulterum enim dominæ deperire, sæpius ancillis contigit. Elegans est hujus argumenti Aristæneti epistola lib. 2. cujus principium. Θεράπαινά τις παρθένῳ τῇ μοιχῇ τῆς δεσποίνης ἠράσθη.

Tu desiderium meum.] Cicero ad uxorem lib. 14. Ep. 2. *Hem mea lux, meam Desiderium.* & iterum, epistolæ clausula, uxorem & filios adloquens: *Valete mea Desideria, valete.* Sed de his copiosa aliis jam messis.

Numquam finies hunc ignem, nisi sanguine exstinxeris.] Haud abludunt versus illi limatissimi Valerii Æditui:

Quid faculam præfers Phileros, qua nil opus nobis?
Ibimus; hic lucet pectore flamma satis.
Istam non potis est vis sæva exstinguere venti,
Aut imber cœli candidus præcipitans.
At contra hunc Ignem Veneris, si non Venus ipsa,
Nulla est, quæ possit, vis alia opprimere.

In Arbitri vero verbis summa latet nequitia, frequentiori namque coïtu sanguis emittitur, cujus ratio manifestaria ex medicorum filiis, didicique ex Avicenna jam olim. purus putusque sanguis semen est in testiculis dealbatus, constatque plane, in creberrimo coïtu

dealbari non posse. Quæ haud dubio sententia Juvenalis est Sat. 1.

Partes quisque suas ad mensuram inguinis hæres
Accipiat, sane mercedem Sanguinis. ——

Unus ex novitiis servulis.] Crotone scilicet habitis, qui nequicquam erant conscii mimicæ simulationis, ac technarum. Sic & loquutus Cicero in Pisonem: *Nemo queritur, Syrum nescio quem de grege Novitiorum factum esse Consulem.*

Cap. CXL. *Quæ multas sape hæreditates officio ætatis extorserat.*] Innuit Philumenem ex illis fuisse,

—— *Quæ Testamenta merentur*
Noctibus.

ut ait Juvenalis Sat. 1. *Officium* autem verbum est nequam, quod satis jam ex Seneca Patre notum lib. 4. contr. Pari autem notione, atque hic Arbiter, prius usus Ovidius lib. 3. Amor. El. 7.

At nuper bis flava Chio, ter candida Pitho,
Ter Libas Officio continuata meo est.

Quod autem *Officium* hocce, exsertim prodidit Etruscus Maximianus:

Carnis ad Officium carnea membra placent.

Et floris exstincti.] Simili prorsus figura Vesprucius Spurinna Poëta vetustus & elegans dixit *tepidum florem* Ode 1. De Contemtu seculi:

Soli qui Sapientiæ,
Post Florem Tepidum, nec stabilem gradum
Ætatis, senium dicat.

Sic nos, *en la flor de su edad.* Sic & Appulejus in Apologia:

Ætatis Florem floribus ut decores.

Ad Pygiciaca sacra.] A *Pyga* indubie, quæ cauda salax Antiquis erat, unde & nuptum nostrum vocabulum deductum. Sic & impudicis Numinibus *Sacra* fieri olim solita, vidimus supra, quum de opertaneis Priapi Sacris loquuti sumus; produximusque sat adpositum Epigramma illud:

Quum Sacrum fieret deo salaci,
Conducta est pretio puella parvo,
Communis satis omnibus futura, &c.

Lumborumque solutorum.] Hoc est, elumbem, parumque jam rei venereæ idoneum. libidinis namque sedes Lumbi sunt, & ab ipsa Libidine denominatos, crediderunt non contemnendi Grammatici. Pariter usurpavit Persius Sat. 1.

—— *Quum carmina Lumbum*
Intrant, & tremulo scalpuntur ubi intima versu.

Ubi Scholiastes: *Dicitur enim libido Lumbis immorari.* Idem prorsus senserunt Græci. apud Lucianum in Asino inquit Palæstra: Ὀσφῦς ἡμῖν ὑγρῶς ἐπικεῖται, μακάριόν ὅτις ἐνταῦθα ἐκζέψατο. *Lumbis meis paullum humoris superabundat, ex quo, beatus erit, si quis paullulum deguſtarit.* & iterum ibidem, & sæpe alias. Unde quæstio illa Varronis περὶ ἐξαγογῆς luce jam claret meridiana: *Quam Sympathiam Lumbi ad oculos haberent.* Nam Aristoteles Problem. 2. Sect. 4. quod est, Διὰ τὶ τῶν πλείστων ἀφροδισίοις χρωμένων ἐπιδηλότατα συνιδίδωσι τὰ ὄμματα καὶ τὰ ἰσχία; *Cur iis, qui rem Veneream immodice agunt oculi & clunes manifeste subsideant,* inquit: ὅτι δὲ μεγάλην ἔχουσι τὰ ὄμματα τὴν δύναμιν, καὶ ὁ τόπος αὐτῶν πρὸς γένεσιν, &c. *Oculos vero, & locum his proximum, vim ad procreationem maximam obtinere,* &c. quæ huc mirifice faciunt. Sic & lib. 2. de Generat. Animal. cap. 7. Ὅτι γὰρ περὶ τὰς ὀφθαλμὰς τόπος σπερματικώτατος τῶν περὶ τὴν κεφαλήν ἐστι. δηλοῖ δ' ἐν μὲν ταῖς ὁμιλίαις μεταχηματίζόμενος ἐπιδήλως μόνος. καὶ τοῖς χρωμένοις πλείοσιν ἀφροδισίοις, ἐνδιδόασι τὰ ὄμματα φανερῶς. *Sedes enim oculorum maxime omnium locorum capitis seminalis est. Quod patet, quum sola ipsa per coitum Venereum manifeste immutentur, & usu immodico rei Venereæ oculi aperte langueant, & subsideant.*

Ut sederet supra commendatam bonitatem.] De hacce Elephantidos Tabella supra jam ad verba cap. XXIV. *Equum cinædus mutavit*, quæ hic haud importune memoranda. Referendum item, *supra commendatam bonitatem*, scilicet ad Veneris illam, quam Eumolpus simulaverat, ineptitudinem.

Coraci autem imperavit, ut lectum, in quo ipse jacebat, subiret.] Parissimus locus cap. XCVII. unde & nunc recipit clarorem Petronius: *Imperavi Gitoni, ut raptim grabatum subiret, annecteretque pedes & manus institis, quibus sponda culcitam ferebat: ac, sicut olim Ulysses pro ariete adhæsisset, extentus infra Grabatum scrutantium eluderet manus.* Sub lectum ergo ingreditur Corax *quadrupes*, ut dixit de Nerone Tranquillus.

Ad effectum spectaret.] Parilis τῆς *Effectus* apud Martialem usus lib. 11. Ep. 82.

Ergo sine Effectu prurit uterque labor.

Ut spissaret officium.] Non Venerium, ut perperam hic Interpretes accipiunt, & alias alii. Motus quippe Coracis officium est, quod Spissandum, nam prius ille lente senem commovebat, parique motus lentitudine puella eundem reciprocabat. Acute ideo Scioppius *lente*, non *lento parebat imperio*, in Symbolis, & in libro meo, scripsit. ni fors *lento* adverbialiter positum sit, ut *vario, manifesto, dubio*, &c.

Sic inter mercenarium amicamque positus senex.] Injurius hic valde in Eumolpum nuperus Interpres, qui medius quippe inter puellam & Coraca, cum illo confundit Ausonii Epigr. 112. —— *qui facit, & patitur.* quum nihil adeo in re simili excogitari possit diversum. Mire autem Epigramma illud *Triplicem* illam Suetonii *Connexionem*, cujus spectaculo delectabatur Tiberius, inlustrat ac exprimit. vid. ejus vit. cap. 43.

Veluti oscillatione ludebat.] Nota jam res, *Oscillum*, & *Oscillatio*, & quam apte dictum de sene hinc inde ab amica mercenarioque motu reciprocante pulso. Lusus originationem Hyginus Fabula 131. tradit, & iterum Astronomicis in Arctophylace, paucis immutatis. Philargyrus potissimum ad Oscos trahit in Georg. Virg. At Bulengerus latius persequitur Theatro

tro suo, exprimitque, ni fallor, icunculis in Arte Gymnastica.

Sororis suæ automata.] Plane adlusio est ad illa Pegmata, quæ machinamentis occultis attollebantur, & deprimebantur, de quibus nos supra. Id autem ut puellæ hic penitus conveniat, ostendere haud necessum, nec aliter cum Doctis nugari.

Doctissimus puer.] *Doctus*, dictum de nequitiarum peritia. Sic de æque improba puella Vetus quidam Epigrammatarius:

Hic jacet exutis Dionysia flebilis annis;
Extremum tenui quæ pede rupit iter.
Cujus in octava lascivia surgere messe
Cœperat, & dulces fingere nequitias.
*Quod si longa * tua manssissent tempora vita,*
DOCTIOR in terris nulla puella foret.

Lege *sua*, nam Marmor ibi de illa loquitur. Hinc jam patet *Docto* epitheton adpositissimum *Archimimo* in Senecæ fragmento apud D. Augustinum de Civit. Dei lib. 6. cap. 10. & frustra esse, qui emendare satagunt. Claret itidem alius Petroniani loci improbitas cap. cv. ubi de Lyca sermo est ex inguinibus, tanquam ex ungue leonem, pernoscente Encolpium: *Quum homo prudentissimus, confusis omnibus corporis indiciorumque lineamentis, ad unicum fugitivi argumentum tam DOCTE pervenit.* Sic eleganter Catullus Carm. 12. *Disertus* usurpavit:

——— *Est enim leporum*
DISERTUS puer, ac facetiarum.

Quod de nequam moribus pueri procul dubio capiendum, uti Martialis illud lib. 11. Ep. 20.

Quæris, cur nolim te ducere, Galla? DISERTA es:
Sape solœcismum mentula nostra facit.

Dii majores sunt.] Θεοὶ μεγάλοι, & qui *dii Majorum gentium* dicti, Enniano districho comprehensi: *Juno, Vesta, &c.* inter quos & *Mercurius* recensitus, nominatimque & hic Petronio memoratus. Principes enim illi dei olim habiti, *Consulesque* cum Jove, ac *Conlegæ*, dicti, uti notatum Marciano Felici, D. Augustino, & aliis. Contra, *dii Minores*, *dii Minuti* nominantur Plauto in Casina 2. 5.

Me restituerunt in integrum.] Supra loci hujusce meminimus ad verba cap. CXXXI. *Ecquid hodie Totus venisti?* Mutilatus esse censebatur Polyænos parte, *quam manus irata præciderat*, hoc est, cujus usum ademerat sagæ nequitia. Eam autem quum jam Mercurius ei, diique majores, reddidissent, id est, ejus usuram, jure merito in Integrum nunc adierit esse restitutum.

Mercurius enim, qui animas ducere, & reducere solet.] Complexus duo hæc Mercurii munia etiam Lucianus deorum dialog. Ὑπόπλεφ δ' ἐστὶ, καὶ ῥάβδον τινὰ πεποίηται θαυμασίαν τὴν δύναμιν, ᾗ ψυχαγωγεῖ, καὶ καθάγει τὰς νεκρὰς. *Alatus autem quoque est ac virgam quandam adparavit, mirificam potestatem ac vim habentem, qua animas Evocat, & Deducit mortuos.* Prudentius quoque lib. 1. Contra Symmachum:

Nec non Thessalicæ doctissimus ille magiæ,
Traditur exstinctas sumtæ moderamine Virgæ
In lucem revocasse animas, Cocytia lethi
Jura resignasse, sursum revolantibus umbris,
Aut alias damnasse neci, penitusque latenti
Immersisse Chao.

Ceterum longe aliud est, quod nos hic quærimus, ubinam scilicet munere fungeretur animas revehendi Satelles Orci, quum illuc duceret, unde negant videlicet redire quemquam? Nam illud nequicquam sufficit, quod de Protesilao fabulator reliquit scriptum Hyginus Fab. 30. *Uxor Laodamia Acasti filia, quum audisset Protesilaum perisse, flens petit à diis, ut sibi cum eo tres horas conloqui liceret. quo impetrato, à Mercurio Reductus, tres horas cum eo conlocuta est. Quod iterum quum obisset Protesilaus, dolorem pati non potuit Laodamia.* Unde Papinius in Genethliaco Lucani dixit:

——— *Solet hoc patere limen*
Ad nuptas Redeuntibus Maritis.

Tres vero, Alcestim, Theseum, & Ulyssem, quos in De Luctu addit Lucianus, Mercurius non reduxit. Præterquam quod id genus exempla,

Quando hæc rara avis est,

negotium non conficiunt. Aliud ergo necessario quæstiunculæ effugium requirendum est. Ego autem non effugium proferam, sed rectam ejus solutionem; hoc est, hacce in re ipsummet Antiquorum arbitrium. Insigne olim exstitit Pythagoreorum dogma illud adserentium, Animarum omnino esse μετεμψύχωσιν. Hac enim ratione migrare animæ in alia corpora credebantur. Anima scilicet, defuncto jam homine, ibat in infernum, usque dum pœnis purgaretur. postea vero ad Elysium transmissa, per multa sæcula ibidem detinebatur, donec à Deo, constituto annorum curriculo perfecto, lethæisque potatis subinde aquis, omnium præteritorum prorsus oblita, novum jam informare corpus adpeteret. Non tamen omnibus alia corpora deberi, arbitrabantur; sed nonnullis tantum: neque iis fortuito, sed fato. Latius omnia hæc Anchises apud Virgilium exponit summa elegantia 6. lib. Æneid. hisce verbis:

——— *Animæ, quibus altera fato*
Corpora debentur.

Per plures versus. Animas ergo ex tenebris in lucem istam evasuras, reversurasque denuo ad corpora, Mercurius ab Orco Reducere existimabatur. quæ mens indubie ejusdem Poëtæ principis est, quum subdit:

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Sic Servio placuit, quo trahit & illud 4. Æneid.

——— *Animas ille Evocat Orco*
Pallentes, alias sub tristia Tartara Mittit.

Adstruxere itidem animarum reditum illum & Mathematici plures, quorum Varro meminit, retulitque

in

in De Civit. Dei 22. cap. 28. S. Augustinus in hunc modum: *Genethliaci quidam scripserunt, esse in renascendis hominibus, quam adpellant παλιγγενεσίαν Graci. Hanc scripserunt confici in annis numero quadringentis quadraginta, ut idem corpus, & eadem anima, quæ fuerant conjuncta in homine, aliquando eandem rursus redeant in conjunctionem.* Eadem fuit & Chrysippi Philosophi sententia, adtestante Lactantio lib. 7. Divin. Instit. cap 23.

Me gratiosiorem esse, quam Protesilaum.] Quippe jam nervos suos receperat Encolpius. Hocce ex Martiale unice elucidandum lib. 1. Ep. 36.

Tamquam conjugibus suis maritis
Non possunt sine mentula placere.

Laodamiæ autem placuit adeo Protesilaus, ut, absentivus quum esset, ab imaginis ejus cereæ complexibus sibi non temperarit; nec, quum mortuus, quin à diis peteret, ut diem unum, (Luciano actore) vel tres horas (Hygino) reviviscéret; ipsoque frui sibi liceret. Huc & mirifice facit illud Arbitri de Matrona Ephesina cap. CXI. *Deinde, ut & corpus jacentis conspexit, & lacrymas consideravit, faciemque unguibus sectam; ratus scilicet, quod erat, desiderium exstincti non posse feminam pati, &c.*

Deorum beneficia.] Dixerat namque prius: *Dii majores sunt, qui me restituerunt in integrum, &c.*

Tractat.] Impudice. Sic verbum obscœni Scriptores usurpant. Carmen Ithyphallicum:

At non longa satis, non stat bene mentula crassa,
Et, quam si Tractes, crescere posse putes.

Socrates deorum, hominumque judicio sapientissimus.] Sic jam olim locum suppleveram ex Apollinis illo nemini ignoto Oraculo, quod & Vitruvius initio lib. 3. refert paribus verbis. Sic postea & Bourdelotius edidit. Parisiana autem editio habet, *Vere Sapientissimus.*

Quod numquam neque in tabernam conspexerat, nec ullius turbæ frequentioris concilio, &c.] Ne sacellis pecunia sonantibus, pro hamis à Levatoribus, & Plancis in turbam injectis, ut piscículus inescaretur; quod frequenter furibus contingebat, ut docet paullo post Arbiter, totiusque fragmenti hujusce sententia mire sic sibi constat, & cohæret. Furacissimum natura sua Socratem memorant monumenta Veterum, omnium-que viventium impurissimum caput. Diogenes, Cicero de Fato, Alexander Aphrod. περὶ εἱμαρμένης, Aristophanes Nebulis, & alias, plures alii. at ille naturæ vitia rationis ac virtutis norma conrexit, ut nunc etiam ex Arbitro edíscimus, mireque id verbum, *crediderat*, exprimit.

Unde plani autem, unde levatores, &c.] *Plani* hic & *Levatores* impostores sunt illi, qui, haud aliter ac piscatores, hamis videlicet eam imponentes escam, quam sciunt adpetituros esse pisciculos, in turbam sonantes ære sacellos projiciebant ad inescandos fures. Ea utitur similitudine Arbiter, ut astum illorum ostendat: *Sicut muta animalia cibo inescantur, &c.* Apte enim illi *Plani* vocantur, hoc est, fallaces, nam Festus inquit: Ἄλλω *Graci* τὸν πλάνον, *id est, Fallentem, adpellant.* & Glossarium Vetus MS. *Implanavit, seduxit; Implanat, seducit.* Nec illud Acronis abludit: *Planus nomen est hominis, qui solebat multos sic fallere, in quorum vehicula voluisset tolli, ut fingeret, se crus fregisse.* Pariter & *Levatores* dicebantur, uti ex Arbitro liquet, quod & veteres Glossæ videntur adnuere: *Planare, Levare,* inquit, *viverent*, id est, victum quærerent, qui purus putus Hispanismus est, *de esso viven.*

Muta animalia.] Pisces. Lucanus,

Mutas squamigerûm pecudes,

vocavit, & passim omnes latinæ locutionis Magistri. Eumelus, sive Aretinus est, Titanomachiæ scriptor, pisces sic ἴλλους adpellavit; alii ἴλλοπας, ab aliis autem aliter atque aliter dicti, puta ἄκανθοι, ἀφθογγοι, ἀφάντοι, λιπόφθογγοι, &c.

Cap. CXLI. *Apud quasdam gentes scimus adhuc legem servari, ut à propinquis suis consumantur defuncti.*] Anthropophagi plures. Sidones parentibus ipsis non pepercere. Zenobius: Οἱ Σιδῶνες τοὺς γονεῖς ἐσθίουσι, χωρὶς τῆς κεφαλῆς, τὴν δὲ κεφαλὴν χρυσοῦσιν. *Sidones parentes devorant, excepto, quod inaurare solent, capite.* Alii Regum tantummodo capita inaurabant, alii pro pocúlis habebant. Vide autem, ut Arbitro additum scite, *à propinquis suis.* Sed de his hic non plura.

Quibus animis devoverunt spiritum meum.] Exsecraverunt, & diris imprecationibus vitam meam prosecuti sunt. Sic Naso in Ibin:

Nunc, quo Battiades inimicum Devovet Ibin,
Hoc ego Devoveo teque tuosque malo.

Spiritus pro vita, sæpe Scriptores boni, uti alibi dicimus, usurparunt. Recte habet interpretatio, nam captatores illi, qui testamento Eumolpi legata habebant, avide discessum ejus exoptabant.

Excæcabat ingens fama oculos, &c.] Fama divitiarum Eumolpi. Cæci namque Avari prorsus efficiuntur, ubi avida eos pecuniæ cupiditas invasit. Supra hoc latiuscule patefecimus ad verba fragmenti culi cap. LXXXII. *Sed omnes Opertis oculis bona sua computant.* quæ vide.

Viscera.] Id est, Membra, uti sæpe Prisci. Cicer. Tuicul. 2. *Sparta vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus è visceribus sanguis exeat.* Solinus cap. 22. *Esse illic & Panotiorum gentem, quorum aures adeo in effusam magnitudinem dilatentur, ut Viscerum illis reliqua contegant: nec amiculum aliud sit, quam ut Membra membranis aurium vestiant.* Iterum cap. 25. *Regionem partim timent barbari, quibus per artifices plagarum figuras jam inde à pueris varia animalium effigies incorporantur, inscriptisque Visceribus, hominis incrementi pigmenti nota crescunt.* Et Seneca in Thyeste Act. 4. Sic Beatus Eugenius, Episcopus Toletanus, & pius Poëta, in Crapulam:

Propensè stomachum qui farcit dape ciborum,
Viscera crassa vehit, sed macra corda gerit.

De-

Decrescit sensu, Grandescit corporis auctu,
Carnea fit moles Membra caduca ferens.

Et alibi de Morte loquens:

Omnia vitali privantur Viscera motu,
Clauduntur oculi, garrula lingua tacet.

Quod autem Eumolpus paullo ante præmiserat, neutiquam hîc nos sinit ambigere: *Omnes, qui in testamento meo legata habent, præter liberos meos, hac conditione percipient, quæ dedi, si CORPUS MEUM IN PARTES CONCIDERINT, & astante populo comederint.*

Sed centies sestertium comesse] Quod quum antiquitus insolitum non foret, solatium quoque delusis captatoribus esset tempestivum; *multorum* quippe *bonorum*, scilicet largitorum, veluti *Pensatio* sic fieret. nam ut Juvenalis insectatur Sat. 1.

——— *Una comedunt patrimonia mensa.*

Et plura congerunt, qui de Luxu Romanorum memoriæ eruditas lucubrationes prodiderunt.

Quod aliqua inveniemus blandimenta, quibus saporem mutemus] Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi cap. 1. postquam varia recensuit piscium & avium genera, subdit: Ταῦτα τοῖς ἡδύσμασιν ἐξαλλάσσοντες οἱ γαστρίμαργοι τοῖς ὄψοις ἐπιτρέχουσιν. *Hæc condimentis immutantes, ii, qui sunt gulæ dediti, obsoniis inhiant.* & subinde pluribus. Hujusce artis insignis apud Græcos *Mithæcus* fuit, ut retulit Maximus Tyrius Dissert. 6. uti apud Romanos *Apicius*, ut Plinius, & alii; exstatque, si verum est, adhuc ejus gulæ ingeniosum specimen.

Et stomacho conciliatur aversо] Parissime Arnobius, quum lib. 7. quærit ab Gentibus, an Dii sui *Aversionibus stomachorum laborant? & ad expellenda fastidia saporum varietas quæritur, &c.* Aversionem illam stomachi ἀπεφίαν Galenus vocat 8. De compos. medicament. cap. 3.

Saguntini, &c.] Longa Sagunti obsidio fuit, unde omnium rerum inopiam oboriri necessum erat, ut ait Livius lib. 21. cap. 11. Cum Arbitro autem D. Augustinus l. 3. De Civit. Dei cap. 20. *Primo Fame contabuit, nam etiam suorum cadaveribus à nonnullis pasta perhibetur.* Inde in proverbium venit *Saguntina fames.* de quo consulendi Adagiographi.

Petavii] Forte legendum, *Petavonii*, ab urbe Petavonio Hispaniæ Tarraconensis, teste Antonino, Πεταυόνιον Ptolemæo lib. 2. Geograph. cap. 6. quos cum Saguntinis conjunxisse, valde enim verosimile est, quum utrique Hispanici populi sint, & animi virtute ac robore etiam pares. Haud infelicem equidem judico emendationem istam, quum *Petaviorum* sedes nusquam gentium compareant, nisi Plato conlocet in sua Republica, aut in Utopia Martyr Thomas Morus. *Petovium* autem oppidum prisca Marmora exhibent apud Gruterum p. 608. 5. & alibi. vide & Ortelii Thesaurum voce *Petovio.* Eorum autem, qui *Petillini* scribunt, haud est parvi habenda emendatio.

Quum esset Numantia à Scipione capta] A Scipione nempe Africano minore, qui sic nuncupatus ad discrimen Scipionis Africani avi sui. Minor ergo Scipio tertio bello Punico tandem magnam Carthaginem incendit, evertitque penitus, quum prius Secundo Punico bello concussisset avus. Adposite ergo Florus Bello Numantino lib. 2. *Ceterum Duce Scipione Carthaginis incendiis ad excidia urbium imbuto, tandem etiam in ultionem excanduit.* In ultionem scilicet ignominiarum, quibus Numantini adfecerant Romanos.

Semesa in sinu corpora] Fuse Appianus in Hispanicis narrat extremas Numantinorum ærumnas, rabiosamque famem. Signanter vero ad Arbitri inlustrationem faciunt illa Valerii Maximi: *Quapropter capta jam urbe, complures inventi sunt, artus & membra trucidatorum corporum sinu suo gestantes.*

Massilienses, quotiens pestilentia laborabant, &c.] Fragmentum hocce, quod à Petronio habuisse, Servius disertim prodidit ad illud 3. Æneid. *Auri sacra fames*, veluti genuinum discerpti corporis frustulum, admisimus nunc in calce reliquorum superstitum, nec aliter viris doctis jam visum. Morem autem illum alii Scriptores prisci retulerunt.

Verbenis] Herba est *Verbena* in Lustrationibus adhiberi solita, quapropter ab Appulejo, ni fallor, *Lustrago*, vocatur. Hoc enim Lustrale sacrificium est, quod & *Amburbale*, & *Amburbium* dicebatur, quum urbes lustrarentur. Ideo Verbena Græcis olim nobili adpellatione insignita, quæ nempe erat ἱεροβοτάνη conjunctim, sive divulse ἱερὰ βοτάνη, ut vocatur Dioscoridi, hoc est, *herba sacra.* Abusive tamen Verbenæ adpellabantur omnes herbæ sacratæ, unde nonnulli volunt ideo dictas esse *Verbenas*, quasi *herbenas.* Sed de his toto flumine Viri jam docti.

Et vestibus sacris] Bene qui de *Insulis* capiunt, quippe quæ, juxta ac Sacerdotum, exstiterint Hostiarum quoque ornamentum olim. Festus: *Insula sunt filamenta lanea, quibus Sacerdotes, & Hostiæ, Templaque velabantur.* Plane & illa erat victima Lustralis.

Circumducebatur per totam civitatem] Sic factum in urbium Lustrationibus, sacrumque ideo *Amburbium* vocatum, Servio doctore, quod urbem scilicet circuiret, & ambiret hostia. Exsertim Appulejus initio lib. 3. *Tandem pererratis plateis omnibus, & in modum eorum, qui Lustralibus Piamentis minas portentorum hostiis Circumforaneis Expiant, CIRCUMDUCTUS angulatim forum, ejusque tribunal adstituor.*

Cum execrationibus] Unde *Anathemata* à Græcis sacri illi homines dicebantur, quo & D. Paullus adlusit, quum scripsit ad Romanos, *se optare Anathema esse.*

Plaudite.

NERO

Ad Judices, postquam canere desisset:

OMNIA QUÆ FACIENDA, EQUIDEM FECI; SED EVENTUS EST IN MANU FORTUNÆ.

Arriani Epictetus:

ΟΤΑΝ ἀγωνιῶντα ἴδω ἄνθρωπον, λέγω, ἔστω τί ποτε θέλει; εἰ μὴ τῶν ἐκ ἐφ' αὐτῷ τί ἤθελε, πῶς ἂν ἔτι ἠγωνία; διατοῦτο καὶ ὁ κιθαρῳδὸς μόνος μὴν ᾄδων, ἐκ ἀγωνιᾷ· εἰς θέατρον δ' εἰσερχόμενος, κἂν λίαν εὐφωνος ᾖ, καὶ καλῶς κιθαρίζῃ. ἐ γὰρ ᾄσαι μόνον θέλει καλῶς, ἀλλὰ καὶ εὐδοκιμῆσαι. τοῦτο δ' ἐκέτι ἐστὶν ἐπ' αὐτῷ.

Quum aliquem angi video, dico: Quid iste sibi vult? Nisi aliquid earum rerum, quæ penes ipsum non sunt, vellet, num angeretur? Qua propter CITHAROEDUS, etiam quum solus cantat, non angitur: sed Theatrum ingressus, licet admodum vocalis sit, & Citharam bene pulset, tum vero angitur. Neque enim tantum bene cantare vult, sed laudari etiam: id quod jam penes ipsum non est.

DIS-

DISSERTATIONES ET PRÆFATIONES VARIÆ,

DE VITA ET SCRIPTIS TITI PETRONII ARBITRI.

D. JOAN. LISTHIO,

SECRETARIO ET CONSILIARIO CÆSAREÆ MAJESTATIS, AMICO VETERI SUO

JOAN. SAMBUCUS PAN.

SYLVULAM hanc Satyricam, eruditam, & variam, adeoque ob fictas narratiunculas, nec vulgaria imitationis poeticæ quædam exempla, insignem, restitutam, ac pæne integram ad te mitto. Nam cum ante annos XLV. de unico exemplari manuscripto Lutetiæ impressa esset, & nulla linea sine mendis, aut aliquo defectu legeretur: hortatu Pulmani, viri doctissimi, qui aliquot Hadriani Junii, (quem honoris, & amicitiæ causa, eruditionisque nomino) observationes, atque etiam suas mihi ostenderat, cum vetusto meo codice diligenter contuli, integras paginas addidi, loca præter alios plus quam quinquaginta restitui, ut nihil ad sensum, & auctoris probitatem in his reliquiis lector sit requisiturus. Hanc opellam tibi vovi, meque, ut facis, redamare ne desinas. Viennæ, 1564. in festo Martini.

PETRONII ARBITRI VITA.

PEtronii Arbitri vitam describere in tanta temporum obscuritate perdifficile est. Ne tamen nihil dicamus, Petroniam gentem Romæ inlustrem inuenio. Nam Petronius Volusianus Consul fuit imperante Gallieno, anno Christi 262. Eodem aut paullo ante tempore floruisse nostrum non dubito. Nam ex hoc fragmento satis apparet reip. Rom. à Christianis Principibus nullam dum factam fuisse mutationem. Meminit *crucis* & etiam *judicum ex equestri ordine* sumptorum; ridet & *formulas judiciorum*. Deinde testimonia ex eo proferunt Terentianus & Macrobius. Illum ego cum Gyraldo Cypriani; hunc Prudentii facio æqualem. Aliorum autem argumenta refellere non est locus. *Disertum* vocat Petronium Maurus; nam & ex libello hoc videtur versatus in declamationibus; posteaque se contulisse ad hoc Satyricum scribendi genus, Lucianum, seu potius Lucium Apuleium imitatus. Nam & *Luciana improbitatis*, & *Psyches* (de qua Apuleius) meminit. Scripsisse etiam de Massilienſibus, ait Servius; & his versiculis indicat Sidonius:

——— *Et Massilienſium per hortos*
Sacri stipitis Arbiter colonum,
Helleſpontiaco parem Priapo.

Quibus locis confirmari videtur vulgi opinio, hunc Massilienſem existimantis fuisse: quanquam, ut dixi, Petronia gens Romæ fuerit nobilissima, cum & Turpiliani, Mamertini, Septimiani, & Volusiani, omnes ex hac gente fuerint Consules: quicquid sit, nos vul-

garem opinionem secuti sumus. De isto autem opere, lector, ipse sis arbiter, & vale.

IO. TORNESIUS D. LEBEO JC. S.

ANno superiori, cum per aliquot menses hîc subsisteres, & me semel atque iterum Petronium, quem typis jam tum destinabam, legere atque relegere summo studio videres, quæ tua facilitas humanissima est, haud gravate me occupatissimum in eo negotio, & de illo te officio rogantem, adjuvisti in conferendo ejus Satyrico cum sex exemplaribus, quæ tum ad manum fuerunt. Horum primarium & vetustissimum in membranis descriptum nactus sum à *a* clarissimo viro, cui nos, & quotquot Musas, Musarumve filios & alumnos in honore habent, tantum debemus, quantum vix dici potest. Alterum, quod imitandum meis operis tradidi, fuit *b* hominis doctissimi, & amicitia mihi conjunctissimi, cujus vigiliis si nos aliquando fruemur, innotescet ejus singulare judicium ac doctrina, præsertim si quæ in Plinium ac Theophrastum incredibili diligentia commentatus est, in lucem exire patiatur. Tertium fuit Antverpiense, quod Sambucus publico donavit. Quartum, editio Parisiensis jam olim vulgata. Ad me illam quidem misit insignis hujus ætatis *c* Jurisconsultus, quem ob eximiam erga me benevolentiam diligo, & ob raram omnium scientiarum cognitionem, veneror. Cætera, fragmenta fuerunt. Meum quoque laborem valde levarunt Josephi Scaligeri Catalecta, viri proculdubio eruditione præstantissimi, à quo præclara multa speramus, vel ingeniis felicissimis nondum comperta, quamvis ampliſſimam jam gloriam consecutus sit ob ea perspicacissimi judicii sui monumenta, quæ diutius latere noluit. Usum etiam me fragmentis veterum Poëtarum ingenue profiteor, quæ collegit Henricus Stephanus, typographorum nostri temporis citra controversiam & invidiam princeps. Cæterum, prioribus hujus Satyræ foliis jam formis excussis, priusquam obtinuissem exemplar, cujus primo loco supra mentionem feci, gnaviter illud conferendum putavi cum iis, quæ jam expressa fuerant: & quæ nobis prætermissa digna visa sunt oculis studiosorum, in calce libri iudicanda & adnotanda censui: & ne quid desideraretur, quod industria fidesque mea præstare posset, quæ in Catalectis Josephi Scaligeri legi præter ea, quæ habebantur in nostris exemplaribus, ea proximo folio exhibui. Cum autem maxime cuperem nostram editionem alicujus nomine patrocinioque tutam prodire, te unum elegi, cui dicarem; haud totam quidem: nam ea tui juris pars est, in qua castiganda & purganda, operam sedulo navasti: sed reliquum illud, quod mihi vindicare non immerito liceret, ob molestissimam operam, quam in eo restituendo & emaculando suscepi ac pertuli. Hoc ergo qualecumque est, tibi nuncupo, & ut ab amico hilari fronte accipias, obnixe precor. Vale. Lugduni, a.d. 11. Kal. Maij. Anno 1575.

LILIUS GREGORIUS GYRALDUS FERRARIENSIS

DE

PETRONII ARBITRI VITA.

Ab Eudæmone & Libanio non longe aberrat Petronius, Arbiter dictus, & Massilienſis à pleriſque exiſtimatus. Hic Satyricum opus varium, & (ut sic dicam) miscellum composuit. Cujus licet fragmenta ad nos tantum pervenerint, eademque parum castigata, multæ tamen eruditionis hominem fuisse facile cognoscimus: nam in taxandis moribus cum acrem, tum festivum maxime, & jocis seria miscentem videmus. Quo tempore vixerit, quodve institutum vitæ sectatus fuerit, haud sane compertum: in declamationibus tamen versatum, ex iis, quæ extant, elicimus. In Quintiliani quidem enarrationibus, literatores *d* quidam ante Quintilianum floruisse suspicantur. Sed Placidus Lactantius illum vult Statio posteriorem, ut a quo versus sumpserit, & suis inseruerit, ut illum,

Primus in orbe Deos fecit timor.

Petronii certe versus in testimonium à Grammaticis veteribus afferuntur, Terentiano, Servio, Fulgentio, aliis. Non parum, mea quidem sententia, hi à veritate absunt, qui hunc ipsum Petronium eum esse non modo putarunt, sed literarum etiam monumentis mandarunt, qui Bononiensium sanctissimus fuerit Antistes, cujus præclara pietatis monumenta in re Christiana nostris in Annalibus traduntur. Talis sunt igno-

a *Jacobus Cujacius, JC.* b *Jacobus Dalecampius, Medicus.* c *Franciscus Roardus, JC.*

d *Quinam isti Enarratores?* Legitur *Raphael Regius Volaterranus* Enarrationes, *Laurent. Valla* Castigationes, *Bartholinus Pinus Lusitanus* Enarrationes, *Jodoc. Badius Ascensius* Explanationes, *Petr. Mosellanus* Annotationes, *Joban. Sichardus* Varias lectiones, *Joach. Camerarius* Recognitiones, *Petrus Gelandius* Argumenta Capitum, *in Quintiliani Institutiones edidisse, antequàm Gyraldus hæc scriberet. Nam cæteri Enarratores eo fuerunt posteriores, nempe Guilielmus Philander, qui Castigationes, Jacob. Lodoicus Strebæus* Compendium, *Jonas Philologus* Epitomen, *Stephan. Riccius* Annotationes ex doctorum virorum scriptis collectas (*cujusmodi nuper dedit Daniel Pareus Philippi F. Davidis nepos, juvenis doctissimus Patre avoque dignus*) *Petr. Ramus* Distinctiones, *Adrian. Turnebus* (*ut putatur*) Notas, *in easdem Quintiliani Institutiones, concinnarunt. At Pet. Pithæus* Præfationes, *Perſevaldus Bellingenius Cacinatus* Adnotatiunculas, *Petr. Ærodius Andegavensis* Scholia, *in solas Declamationes fecerunt. Quem autem ex istis omnibus innuat Gyraldus, non queo decernere, cum nullus nunc sit ad manum. Quæ causſa est, cur verba eorum, quibus Petronii faciunt mentionem, non licuerit inter hæc testimonia referre.* LUNDOR.

ignorantiæ, ut sic dicam, sipario recentes nostri scriptores obtecti, ut pro sanctissimo & integerrimo, impium & nefarium Deorum cultorem aliquando nominent. Non alium, quam Petronium Arbitrum, significari putarim illis Apollinaris hendecasyllabis:

Et te Massilienſiam per hortos
Sacri ſtipitis Arbiter colonum,
Helleſpontiaco parem Priapo,

Scripsit etenim Petronius lascive admodum & impudice, ut ex ipsis fragmentis facile cognoscimus. Sed & de Massilienſibus eum scripsisse, testis est Servius Maurus. Quin & eum, Macrobius ait, fictis casibus amatorum argumenta fabulasque scriptitasse.

P. GUIRANDI ALOSIANI JC. EPISTOLA.

ARNAUDO GUIRANDUS, Scripsit Anno 1590.

VENIT Petronius novæ editionis in manus. Tu petis, ut mittam: & quasi querendo, quæris quid de Arbitro arbitrer. Placet, & tædet dicere. Placet, quia multa placent: nam sive defæcati sermonis puritiam spectes, merus lepos: sive priscas negotiorum formulas, multæ & elegantes. Tædet, quia pleraque quorum me tædet: seu quæ abominor prorsus. Vis enim illas venerandæ antiquitatis gemmas legere? Has necesse est quæras in putore, seu stercore rabidi & nefandi illius Cupidinis: cujus fœdissimæ faces, imo fæces, in ejusmodi quæstu tibi elucebunt. Proh Christiani pudoris candorem! Et hoc vidit Lipsianus *a* Dousa, *b* hoc Richardus: illius Præcidanea, hujus Notæ librum exornant? At improbanda non approbant. Esto. Sed quid vetabat, turpia expungere? Hæc si demas, dicent, quid reliqui fiet? Verum, inquam, quid impediebat, pro Gitone Gitonam reponere? Hei mihi! quam pessimo exemplo talia luce donantur: & quam carissimo precio hæ vetustatis reliquiæ, & cineres nobis emuntur. Quotus enim quisque est, qui ejusmodi ne quidem antea cogitata, semel tamen lecta stupefactus non admiretur: & inter admirationem & incrudelitatem fluctuans ad aliquid turpe cæca quadam cogitatione ebrius non pelliciatur? Erubescant igitur, qui talia legenda exhibent. In exercentes insurgant leges, armentur jura gladio ultore. Vel potius, ô

Flamme qui terras terres & ſulmine torres,
Fulmine fac ſubitò talia monſtra peti.

Modestius ibi *c* Linocerius post phaleucos longè minus turpes, addit: *Cætera, niſi eloquenti Timantis ſilentio, dicere pudor non ſuſtinuit.* Quid tandem? ais. Amica sermonis elegantia, amici sales, amica veterum monumenta: sed amicior naturæ honos, quem Christianus pudor æmulatur. Prisci nostræ fidei lumine quasi hoc sibi suo quasi jure arrogabant. Nos alio jure utimur: & cum naturam, tum rationem optimas sequimur duces.

Hoc etiam te moveat, Arnaude, quod in eodem codice extat *Luſus in puellæ lacrymas*: isque adhuc incerto autore. Extant oculi, non flammeoli, & sereni: sed nubili, lippi, & parum pristini honoris retinentes. Extant: sed ita pro derelicto, ut eos nullus commendatione vel tantilla dignetur. In re natura sua fœdissima non tam detergenda, quam detegenda toti lincei: rem casu deturpatam, alioqui mundissimam, nescio quo fastidio delicatuli contemnunt. Quales quales attamen mitto, ut eos conferas cum illis a se multis in locis restitutis. Num autem distinctione nostra cum principium, tum cætera aliquantillum elucidentur, tu videbis. Vale.

EX ROBERTI TITII BURGENSIS *Prælectione II. in Catullum, ſuperiori Epiſtolæ opponenda.*

QUod eundem obscœnitatis insimulant, ævi culpa ea fuit, in quod ille incidit, velut ex Horatio, Tibullo, Propertio, Catullo, aliisque sciri potest. Verum hæc obscœnitas nulli prorsus impedimento esse debet, quò minus hunc Poëtam plurimum diligamus, atque ipsius pleraque scriptiones frequenter lectitemus, ac, quantum possumus, imitari conemur. Pluribus enim atque iis quidem nitidissimis ingenii, venustatis, elegantiæ, doctrinæ luminibus interlitæ sunt atque perspersæ. Nihil autem prohibet, quo minus bonos medicos imitemur, qui ex venenatis etiam vel herbis vel animalibus utilia pharmaca persæpe conficiunt, &, quod optimum sit, secernunt è singulis, ac vel insigniter pernicioſa temperamentorum beneficio sanitati perquam commoda reddunt. Quinetiam virtus magis adhuc elucet è vitiorum quasi tenebris evoluta. Unde factum fuisse reor, ut Homerus, qui prudentem atque omnibus virtutibus exaggeratum Ulyssem fingere voluit, illi & Phæacum delitias, & Cyrces delinimenta objecerit, & Cyclopum pericula proposuerit. Memorant Psyllos in Africa, Marsos in Italia, & qui Ophiogenes vocantur in Insula Cypro, cum quidam eorum arbitrantur suppositum esse aliquem in stirpe, admovere consueviſſe, ut pungat colubra; si non sit, mori, cum pupugerit; si de gente sit, vivere: atque Exagonem quendam ex familia Ophiogenum, cum Romæ Legati munere fungeretur, à Consulibus in dolium serpentium conjectum experimenti causa, circummulgentibus linguis miraculum præbuisse. Hujuscemodi pericula atque experimenta, velut lapis Lydius aurum, ita solida virtute præditorum virorum animos indubitanter explorant. Sed nos fucato quodam virtutis colore leviter aspersi causas undique aucupamur nostram culpam in alios derivandi, & consulto quasdam rationes, quæ veritatis levem modò speciem atque imaginem præ se ferunt,

a *Janus Douſa Nordovix.* b *Chriſtophorus Richardus Biturix.* c *Geoſredus Linocerius Vivarienſis.*

ita complectimur, ut ab eis nullo pacto nos divelli patiamur. Petronius tamen hanc talsam quorundam persuasionem jampridem confutavit, cum cecinit;

Quid me constricta spectatis fronte Catones,
Damnatisque nova simplicitatis opus?
Sermonis puri non tristis gratia ridet:
Quodque facit populus, candida lingua refert.

Et, quoniam fortasse non magnam in ejus testimonio, qui crimen aliquod à se amoliri studet, subesse auctoritatem quispiam existimauerit, operæprecium fuerit Catullum audire ita loquentem;

Nam castum decet esse pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Et Ouidium de eadem re;

Crede mihi, distant mores à carmine nostri,
Vita verecunda est, Musa iocosa mihi.

Sed & Martialis inquit;

Lasciva est nobis pagina, vita proba.

Ausonius quoque vir Consularis, & antiquorum morum, priscæque gravitatis, ac Divi Paulini amicitia in primis clarus, ait in eandem sententiam;

Nostra simul certant variis epigrammata nugis,
Stoicus has partes, has Epicurus agit.
Salva mihi veterum maneat modo regula morum,
Ludat permissis sobria Musa jocis.

Quod argumentum pluribus deinde prosequitur epistola ad Paulinum, cum Centone nuptiali conjuncta; neque non item L. Apulejus Apologia pro se ipso priore. Ac notum est illud D. Adriani in Voconium suum;

Lascivus versu, mente pudicus erat.

Denique si quid bonis moribus non consentaneum scripsit Petronius, illud certe mihi non scripsit, qui ab eo, tanquam à scopulo, diligenter cavebo. Neque tamen par est, ut paucorum gratia, tam bellæ scriptiones penitus abjiciantur, quomodo nec messores quidem manipulos omnes protinus abjiciunt, propterea quòd avena, lolium, atque alia hujusce modi frugum vitia spicis admista sint: alioqui nec Lucretius legeretur, nec Horatius, nec Ovidius, nec Martialis, nec ullus denique Poëta, qui hactenus summo in honore habitus sit. Sed nec Oratores quidem attingere fas erit, cum vix quemquam reperias, qui non aliquid, quod bonis moribus utcumque officiat, suis scriptis inseruerit. &c.

IN PETRI PITHOEI I.C. CONJECTANEA

De Petronio arbitro

PATISSONII PRÆFATIO.

‡ *P. S.*

Scripsit Anno 1575.

REmitto ad te Petronium tuum, immo nostrum, immo jam omnium. Adieci etiam, ut iracundia tua ingratissimo isto cumulo expleri posset,* Notulas tuas. Perfide inquies, & loqueris? Pone tu potius supercilium, atque audi. Non meministi quæ Magnus Basilius de utilitate ex hujusmodi scriptoribus capienda monet? Memini, ais, & probo: Sed Petronii obscœnitas, spurcities, &, ut uno verbo dixerim, nequitia ea est, ut ne Lampsaci quidem ferri publice posse videatur. At tu, ô bone vir, & Anacreontem, & Catullum, & Val. Martialem Coquum, cæterosque ejus ordinis, etiam à pueris in schola decantari audis, nec irascéris. Hos tibi, credo, communis jam usus tolerabiliores fecit, faciet hunc quoque cæteris aliquando minus improbum videri. Quanquam ego quidem nec spurcitiem istam tam accuratam laudo, & ut ab hac religiose omnes caveant, serio moneo, &, quantum possum, magna voce denuncio. Utantur modo fruanturque viri boni arbitratu, dum ne quid eorum culpa deterius fiat. Quod ad me attinet, hoc testor, hoc adfirmo, id mihi potius animi fuisse, Latinæ elegantiæ Arbitrum, quam aut Neronis, aut Siliæ Petronium edere. Atque utinam tam salaeem, & Venereum hominem omnibus post hac infibulare liceat, quod forsitan ausuri sunt illi; qui, ut Plauti verbis dicam.

Petroni nomen indunt verveci sectario.

Mihi quidem certe castrare non libuit, ne quod imperitis istis sectoribus & mangonibus accidit, simul & evirarem & occiderem. Bene vale, atque irasci tandem desine. CAL. MAII. M. D. LXXV.

‡ *Pithoeo Salutem.*

* *Varietatem lectionum.*

DE PETRONIO ET EJUS SCRIPTIS,

VETERUM AUCTORUM LOCI.

AUt valde me conjectura fallit, aut hic ipse est Petronius, de quo Tacitus lib. XVI. Annal. sic scribit:

C. Suetonio, L. Telesino Coss *intra paucos dies eodem agmine Annæus Mella, Cerialis Anicius, Rufus Crispinus, C. Petronius cecidêre.* Et cum de cæteris dixisset, de Petronio subjicit: *Illi dies per somnum, nox officiis & oblectamentis vitæ transigebatur, utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat: habebaturque non ganeo & prosligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta, factaque ejus quanto solutiora, & quandam sui negligentiam præferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, & mox Consul vigentem se ac parem negotiis ostendit: dein revolutus ad vitia seu vitiorum imitationem inter paucos familiarium Neroni assumptus est elegantiæ ARBITER, dum nihil amœnum & molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. Unde invidia Tigillini, quasi adversus æmulum & scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui cæteras libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scevini Petronio objectans, corrupto ad indicium servo, ademptaque defensione, & majori*

jori parte familiæ in vincula rapta. Forte illis diebus Campaniam petiverat Cæsar & Cumas usque progressus, Petronius illic attinebatur. Nec tulit ultra timoris aut spei moras: neque tamen præceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas, aperire rursus, & alloqui amicos non per seria, aut quibus constantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ & sapientium placitis, sed levia carmina & faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus affecit. Iniit & vias, somno indulsit, ut quanquam coacta mors, fortuitæ similis esset. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia Principis sub nominibus exoletorum fœminarumque & novitate cujusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni, fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula. Ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia matrimonio Senatoris haud ignota, & ipsi ad omnem libidinem adscita, ac Petronio perquam familiaris. Agitur in exilium tanquam non siluisset quæ viderat, pertuleratque, proprio odio. Hactenus Cornelius.

Atqui C. Plinii codices quidam, ut & Plutarch. in lib. de discr. amic. & adulat. *Titum* vocant. Sic in lib. XXXVII. Nat. hist. scriptum est: *T. Petronius Consularis moriturus, invidia Neronis principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam CCC. H-S. emptam fregit.*

Petronius alius, cujus Tacitus idem meminit libris XIV. & XV. est *Petronius Turpillianus.* Sic enim apud ipsum legendum est lib. XV. Ann. ex Plutarcho. Eum vero non sub Nerone, sed sub Galba periisse certum est ex lib. I. Hist. Petroniorum familia Equestris fuit. meminitque Plinius lib. VI. P. Petronii equestris ordinis & præfecti Augustalis sub Augusto ipso. Ex qua etiam familia fuisse verisimile est Petronios, quorum Gennadius presbyter Massilienſis honorifice meminit in libro de viris illustribus. Sed & Flavium, Sabinum, Probum, Maximum, Primulum, aliosque, quorum non apud scriptores modo, sed in ipsis lapidibus monumenta restant: itemque illum, qui jussu Caracallæ ante templum Divi Pii occisus à Spartiano traditur. Sed & jureconsultum Petronium, ad quem leguntur Sollii Sidonii Epistolæ plures.

Sane Petronium Arbitrum Domitiani tempora præcessisse ex eo etiam intelligitur, quod ejus Terentianus Maurus meminerit: si modo Terentianus is est, quem suo tempore Sienem rexisse Martialis testatur. Is igitur, quisquis tandem fuit, Petronii sic meminit, cum de dimetro jambico claudo agit:

Horatium videmus
Versus tenoris hujus
Nusquam locasse juges,
At Arbiter disertus
Libris suis frequentat.

Et paulò pòst de sexta tome Hendecasyllabi:

Nunc divisio, quam loquemur, edet
Metrum, quo memorant Anacreonta
Dulces composuisse cantilenas.
Hoc Petronius invenitur usus,
Et plures alii: sed iste versus
Quali compositus Tome sit, edam.
Juverunt segetes meum laborem.

Aurel. Macrobius Theodosius lib. I. Commentat. in Somnium Scipionis: *Fabulæ, quarum nomen indicat falsi professionem, aut tantùm conciliandæ auribus voluptatis, aut adhortationis quoque in bonam frugem repertæ sunt. Auditum mulcent, velut Comœdiæ, quales Menander ejusve imitatores agendas dederunt: vel argumenta fictis casibus amatorum referta, in quibus vel multum esse Arbitrum, vel Apuleium nonnunquam lusisse miramur. Hoc totum fabularum genus, quod solas aurium delicias profitetur, è sacrario suo in nutricum cunas sapientiæ tractatus eliminat.*

C. Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus in carmine ad Magnum Felicem:

Non Licinius hic Lucretiusque est,
Non Turnus, Memor, Ennius, Catullus,
Stella, & Septimius, Petroniusque

Idem in Narbone:

Et te Massilienſium per hortos
Sacri stipitis Arbiter colonum
Hellespontiaco parem Priapo.

Ubi illi *Massilienſium horti* (ut hoc obiter dicam) non tam mihi Arbitri patriam significare videntur, quàm mores, qui ex Plautino proverbio, & Athenæi historia notati sunt.

Fabius Planciades Fulgentius libro I. Mytholog. *Licet mulierum verbalibus undis & causidici cedant, nec Grammatici mutiant, Rhetor taceat, & clamorem præco compescat, sola est Satyra quæ modum imponit fluentibus. Scilicet Petroniana subit Albutia: hac enim adludente & Plautinæ Saureæ dominatus obdormit, & Sulpiciliæ Ausoniana loquacitas deperit, Sallustianaque Sempronia, quamvis præsens sit, melos rauceſcit.*

In veteri libro Defloratorum, qui fuit Johan. Biturigum Ducis, non usque adeò vetusto, Petronii frustra hanc inscriptionem habent: *Petronii Arbitri Afranii Satyrici.* quod probare non possum. Nam ut quæ de Afranio Quintilianus scribit, inquinasse eum argumenta fœdis puerorum amoribus mores suos fassum, de hoc quoque Petronio dici posse videatur, longè tamen alium ab Afranio fuisse certum est.

Sunt & qui de Petronio dictum illud scribant:

Lascivus versu, mente pudicus erat.

Quod tamen D. Adrianum de Voconio poëta amico suo scripsisse, testis est Apuleius Apologia. Cæterùm nihil puto ad hunc Petronium pertinere, quod Rhaphaël Volaterr. lib. XVIII. Comm. sic scribit: *Petronius Arbiter Poëta, cujus aliqua de medicina versibus conscripta ad nos pervenerunt.*

Sane Petronium quendam Diodotum de Medicina scripsisse, Plin. auctor lib. 20. c. 8.

In

In veteri exemplari bibliothecæ Vaticanæ sequens Epigramma Petronii fragmentis quibusdam præfixum dicitur, Julio Romano Auctore.

Petronii carmen divino pondere currit,
Quo juvenum mores arguit atque senum.
*Quare ille * præsa gaudet lasciva puella,*
At quoque delicias frigida sentit anus.
*Nam * iter diri scripsitque Neronis amictu*
Arbiter arbitrio dictus & ipse suo.

PETRI DANIELIS AURELII, JC.

PRÆFATIO.

MIrum est, qui Petronium in lucem emiserunt, nihil dum certi de illius ætate prodidisse, ante quos Lilius Giraldus hac in re valde allucinatus est, secutus Placidum Lactantium Statii Interpretem, qui Statio posteriorem facit Petronium, ut à quo sumpserit hoc hemistichium, & suis versibus inseruerit;

Primus in orbe Deos fecit timor.

Sed jam constat Neronis temporibus vixisse è Corn. Tacito, qui in Nerone vitam ejus describit: cui addendum, quod scribit Plinius Natur. hist. lib. 37. cap. 2. *Petronium virum Consularem Neronis invidia moriturum, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam CCC. sestertiis emptam confregisse.* Taciti autem beneficio restitutum est Petronio CAII prænomen, TURPILIANI cognomen, ARBITRI agnomen: denique ejus ætas, studium, dignitas & mors innotescit. Quidam tamen putant eundem Petronium Neronis *Arbitrum* ab officio sic appellatum, & notitiæ atque dignitatis nomen in Aula Principis fuisse, quod ut credam sine auctore adduci adhuc non potui. *Turpiliani* verò cognomen & Taciti, & aliorum auctorum testimoniis satis clarum est. Unde & Senatusconsulti Turpiliani quidam auctorem volunt Petronium, quum Neronis temporibus Consulatum gessit, cum C. Junio Cæsonio Pæto. Certè eo tempore Legem Juniam Petroniam de libertate tulêre C. Junius Cæsonius & Petronius Turpilianus COSS. Anno videlicet DCCCXIII. ut si dissonantes pares judicum existerent sententiæ, pro libertate pronunciaretur, l. 24. D. de manumissionibus. Petroniam quoque de servis tulisse fertur idem Petronius Turpilianus COS. eodem anno DCCCXIII. ne dominis potestas esset ad bestias depugnandas suo arbitratu servos tradere: ut ei, qui jure viri delatum adulterium non peregisset, nunquam postea deferre hoc crimen permitteretur. Filiam reliquit Petroniam, cujus in Vitellio meminit Suetonius, Vitellii scilicet uxoris, ex qua & filium Petronianum altero captum oculo suscepit.

De scriptis ejus fragmentum tantum ad nos pervenit ex Satyrarum opere, quod in libros divisum fuisse credibile est, nisi fallunt veteres Glossarii, qui subinde Petronii testimonia citant & advocant *è libro primo Satyrarum.* Sic citatur in verbo, *Excelsissimus:* sic etiam in hoc versu,

Et thymbra veteres, & passis uva racemis.

Quin & in Veteri Glossario S. Benedicti Floriacensis habetur hic locus desumptus è Petronio Arbitro libro XV. *Sed video te totum in illa hærere tabula, quæ Trojæ halosin ostendit:* qui tamen in excusis extat fragmentis. Ex quo apparet, Petronii scripta magna ex parte concidisse: quæ, ut opinor, multa erant in mulierum ineptiis levitatéque ridenda & exprimenda, utpote qui argumentis (ut ait Macrobius) fictis amatorum casibus refertis multum se exercuerat. Puto etiam suppressa fuisse propter nimiam obscænitatem & argumenta lasciviis plena. Flagitia enim Neronis sub nominibus exoletorum fœminarumque, & novitate cujusque stupri perscripsisse, & obsignata misisse Neroni ex supra citato Taciti loco & auctoritate constat: putantque nonnulli ea esse ipsa, tam quæ nunc extant, quam quæ ampliora quibusdam doctis & antiquitatis studiosis videre licuit: sed an ea sint, valde addubito. Ejusmodi quidem scripta Mimos appellare vetustas consuevit, quod magna ex parte stuprorum actus contineant; & Petronium ipsum Mimographum fuisse non præter fidem est, licet hoc nomen speciali privilegio Laberio tributum sit. Verosimile tamen est, huic operi Satyrarum nomen impositum ob maledicentiam & carpta Neronis vitia, tum etiam propter variorum pœnas, tum quasi per Satyram asperionem, rerumque ridicularum & pudendarum narrationem. Hujus etiam Arbitri esse pleraque, quæ de Priapo extant Epigrammata, mihi probabile est.

Fertur & alter Petronius (ne quem fortè fallat) de re grammatica nonnihil scripsisse, cujus auctoritate utitur Sergius in Commentariis ad editionem secundam Donati, itemque alter Grammaticus: hic, dum *Quirites* & *Quiritem* nominativo & accusativo singularibus, rectè dici, ille, dum *Classica a calando, id est, vocando* dicta esse tradit.

Ad extremum hoc prætereundum non puto, quid hac editione à nobis præstitum sit. Pleraque Petronii non tantum emendata & conlata cum veteri codice eruditi cujusdam amici nostri, cujus ope & beneficio magna ex parte restituta & aucta sunt hæc fragmenta, sed & sparsos undique Petronii locos diligenti opera in unum & coactos exhibemus. Atque utinam, qui plura habent magna studiosorum fraude inviſa, speciosis quamlibet coloribus non tamdiu retineant, aut Catullum (si possint) & Martialem cum cæteris quoque eodem carcere damnent. Verùm ne diutius querer, facit M. Anton. Muretus, vir undecumque doctissimus, quem audio ex vetustissimo & integerrimo codice Petronii editionem omnium absolutissimam publicè parare, quo nomine studiosi omnes illi meritò plurimum, ut à quo benignè & liberaliter in communem Reipubl. litterariæ utilitatem erogatum sit, quod ab aliis invidiosè suppressum fuerat, debebunt.

CLAU-

CLAUDII BINETI BELLOVACENCIS IC.

PRÆFATIO

CL. BINETUS LECTORI S.

SCitè L. Gyraldus eorum putidam opinionem arguit, qui Petronium, lascivioris nequitiæ auctorem, *Bononiensium* sanctissimum Antistitem somniant. Nec dissimili ferè periculo hallucinantur, mea sententia, qui Ausonio Consulari cognominem quendam Burdigalensium Episcopum substituunt. Næ verò omnium scitissimè vir nostræ ætatis quam plurimis peritis antistes, qui Petronium non quidem antistitem (nisi, qui Veneris libidinumque pervigiliis & sacris præesset, sic appelles) sed ex Tacito conceptissimis verbis Neroni elegantiæ arbitrum fuisse adscitum ostendit, verissima conjectura. Ego & illius sententiam confirmabo epigrammate Julii cujusdam, quod Romæ in Vaticana Bibliotheca cum Petronii fragmento descriptum legi. Illud corruptum licèt & inelegans, ut historicum tamen testimonium, adscribam.

Petroni carmen divino pondere currit,
Quo juvenum mores arguit atque senum.
** Quare ille præsa gaudet lasciva puella,*
At quoque delicias frigida sentit anus.
*Nam * rbter diri scripsitque Neronis amictu*
Arbiter, arbitrio dictus & ipse suo.

Ubi pro, *amictu*, quis non videt, vel cæcus, si modo aures & mentem habeat, legendum esse, *amicus?* At ne quid dissimulem, Petronii Arbitri aliorumque Epigrammatum bonam partem ex Bibliotheca Ecclesiæ Bellovacensis habui: quæ cum veteri Isidori Etymologico connexa erant. Unde patet, Goveanum alicubi illud ad Juliam, cujus initium est,

Me nive candenti, &c. ——

legisse, &, ut inauditum aliis, duobus versibus minus, quibusdam commutatis, audaci nimiùm parodia imitatum esse. Inveni & illud Florentiæ inter ἀδήλα quædam, ut jam cujus non sit dubitare non debeam. Auctorem non affirmo, judicabunt docti. Cæterùm judicio amicorum illa cum apud neminem hactenus reperiri posse, nisi precario à me possideat, crederem: ut testes mihi sunt clarissimi viri, Jac. Cujacius, Jos. Scaliger, Ludovicus Castaneus prudentissimus juxtà & doctissimus Regis ad Summum Pontificem Orator, M. Antonius Muretus, Achilles Statius, & Aldus Manutius, quibus ea isto ordine ostendi. Has, inquam, delicias, eorum consilium sequutus, diutius situm & tineas pati non permisi, plura editurus, si, quæ deposita apud me jacent, medicum inveniant. Et hæc bona fide omnia. At perfide nunc, inquis, qui † æs tuum cum his puris nummis in solutum obtrudis. Fateor, sed scis incontinentissimum Poëtarum genus in morbo periculum quærentium, fallor, nec enim Poëta dici velim, ne, ut Eumolpus Petronii, alio quàm Orphei miraculo in caput meum moveam, & concitem lapides iracundiæ tuæ. Verùm & hoc aloës & absynthi bolos, si vis, ut ægrotis sit, deglubere facillimo negotio poteris, quos priùs veteris elegantiæ melle, & priorum epigrammatum sapore involvas & contingas. Bene vale.

† Id est, tua Epigrammata, quæ sc. in fine suæ editionis adiecerat.

PROLEGOMENA

CAP. I.

ΟΜΟΛΟΓΟΥΜΕΝΑ

SIVE DE

T. PETRONIO ARBITRO

Elogia & Testimonia.

Plutarchus Charoneus lib. Πῶς ἄντις διακρίνειε τὸν κόλακα τῦ φίλυ:

Ἤτὲς ἀσώτυς καὶ πολυτελεῖς εἰς μικρολογίαν καὶ ῥυπαρίαν ὀνειδίζασιν, ὥσπερ Νέρωνα Τίτος Πετρόνιος.

Servius Maurus Honoratus Commentar. in lib. III. Aeneid.

Hoc autem in Petronio lectum est.

Idem Comment in XII. Aeneid.

Nomina in TOR communia sunt, ut hic & hæc balneator: licet Petronius usurpaverit, balneatricem dicens.

Lactatius Placidus Comment. in Statii Thebaid. lib. II.

Primus in orbe Deos] Ut Lucanus; Quæ finxere timent. Et Petronius Arbiter istum secutus, &c.

B. Hieronymus Stridonensis epist. ad Demetr.

Concinnatulos pueros & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri est; Non bene olet, qui bene semper olet, quasi quasdam pestes & venena pudicitiæ virgo devitet.

Furius Publicus Fulgentius l. 1. Mytholog.

Denique hujus rei non immemor Petronius ait.

Idem lib. II. in Tantalo.

Hanc fabulam Petronius breviter exponit, dicens, &c.

Idem lib. de Continentia Virgiliana.

Unde & Petronius in Eusebio ait.

Cl. Marius Victorinus Afer Artis Grammat. lib. III. de duobus Ionicis Sotadeo & Sotadico.

Hujus tenoris ac formæ quosdam versus Poëtas Lyricos carminibus suis indidisse cognovimus, ut & apud Arbitrum invenimus, cujus exemplum, &c.

Idem lib. IV.

Metrum erit Anacreontion; siquidem eo frequentissime usus sit, sed & apud nos plerique, inter quos Arbiter Satyrico ita: &c.

Fabius Fulgentius Planciades de Prisco sermone.

Unde & Petronius Arbiter ait, &c.

Isidorus Episcopus Hispalensis Etymolog. lib. V. cap. XXXVII.

Petronius aliter existimat, dicens, &c.

Diomedes Artis Grammat. lib. III.

Et illud hinc est comma, quod Arbiter fecit tale: &c.

Sergius in Donati Artem secund.

Cujus nominativus erit hic Quirites, ut dicit Petronius.

Priscianus Cæsariensis lib. VIII.

Communia vero esse defendit, tum natura ipsius sensus, tum veterum non improbanda auctoritas: à qua quæ potuimus è diversis colligere libris, exempla proferamus. Petronius, &c.

Idem lib. XI.

Multa ex hujusmodi verbis inveniuntur apud antiquissimos participia præteriti temporis, tam activam quam passivam significationem habentia, ut meditor, &c. Sic etiam amplector, amplexus. Petronius, &c.

Helenius Acron Comment. in Horatii Epod. V.

Petronius, ut monstraret furentem; Pollice, ait, &c.

Pompejus in Arte.

Ait Petronius, hic Quirites, numero singulari.

Joannes Episcopus Saresberiensis in Policrat. sive de Nugis Curial. lib. III. cap. VII.

Hoc ipsum Arbiter noster ingemiscit, etsi alterius videatur induisse personam.

Idem eod. lib. cap. VIII.

Fere totus mundus ex Arbitri nostri sententia mimum videtur implere, ad *a.* comœdiam suam quodammodo respiciens.

Idem lib. VIII. cap. XI.

Non quidem solus est in mulierum ineptiis ridendis aut exprimendis Petronius. Scribit B. Hieronymus, quia totæ Euripidis tragœdiæ in mulieres maledicta sunt, &c.

M. Conradus de Mure Canonicus Thuricensis in Fabulario.

Philosophus est sapientiæ amator, naturaliumque rerum & secretorum delectator, &c. Hic quoque Poëtarum scriptoribus historiarum, nomina multorum quoque misces Philosophorum, &c. Plautus, Pedius, Pedo, Pherecides, Periander, Persius, Petronius, &c.

B. Vincentius Episcopus Beluacensis, Specul. histor. lib. b. XX. cap. XXV.

Eodem tempore fuit Petronius Bononiensis *c.* Italiæ Ecclesiæ Episcopus, vir sanctæ vitæ & monachorum studiis ab adolescentia *d.* excitatus. Hic scripsisse putatur vitas Patrum monachorum Ægypti, quem velut speculum ac normam professionis suæ monachi amplectuntur. Legi, inquit Gennadius, sub ejus nomine in ordinatione Episcopi ratione & humilitate plenum tractatum, quem lingua eleganter ostendit non ipsius esse, sed, ut quidam dicunt, patris ejus Petronii, eloquentissimi & eruditissimi in secularibus litteris viri. Nam & Præfectum prætorii se fuisse in ipso tractatu designat. Mortuus est Theodosio & Placido Valentiniano regnantibus. *e.* ACTOR. De quodam libro Petronii partim metrico, partim prosaico, pauca hæc moralia, quæ sequuntur, excerpta notavi. PETRONIUS.

Quid faciunt leges, ubi sola pecunia regnat,
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?
Jam nunc judicium nihil est nisi publica merces.
Tutius est parvo ære rem perditam recuperare, quam in ambiguam litem descendere.
Periculosum est alienis interesse secretis.
Non bibit inter aquas poma aut pendentia carpit
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.
Divitis hæc magni facies erit, omnia cernens
Qui tenet, & sicco conquirit ore famem.
Heu heu nos miseros, quam totus homuncio nil est,
Nil ermus cuncti, postquam nos auferet orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse bene.
Omnes opertis oculis bona sua computant.
Cum fortuna manet, vultum servatis amici,
Cum cecidit, turpi vertitis ora fuga.
Ratam facit mixturam cum sapientia forma. Ego sic semper & ubique vixi, ut ultimam quamque lucem, tanquam non redituram, consumerem. Quid non commune est, quod natura optimum fecerit? Nescio quo modo bonæ mentis est soror paupertas. Nihil tam arduum est, quod non improbitas extorqueat. Ingeniosa gula est.
Ad prædam strepitumque lucri suffragia vertet.
Venalis populus, venalis Curia primum,
Ipsaque majestas auro corrupta jacebit.
Quærit se natura, nec invenit, omnibus ergo
Scorta placent, fractique nervi serpere gressus,
Et laxi crines & tot nova nomina vestis.
Quisquis habet nummos, secura navigat aura,
Fortunamque suo temperat arbitrio.
Carmina componit, declamat, concrepat omnes
Et peragit causas, sitque Catone prior.
Parva loquor, quidvis nummos præbentibus opto
Eveniet, clausum possidet arca Jovem.
——— *O maxima rerum.*
Et merito pietas hominis mitissima virtus.

B. Ar-

a. An Satyricam hanc? *b.* Vet edit XXI. *c.* Fol. Galliæ, *d.* Fol. *exercitatus*. *e.* Pro, AUCTOR, id est, ipse Vincentius, ut ex operis ejus præfatione patet.

B. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in Summa Historiar.

Hujus liber ad manum non est. Adducit & ipse Petronium, sed in eo lapsus, quod Bononiensem Episcopum cum Vincentio constituerit.

Jacobus Magni Eremita S. Augustini Autisiodorensis, Sophilog. lib. V. cap. XIII. lib. VI. cap. XVIII.

Juxta illud Petronii.

Idem lib. VI. cap. XII.

Nam, teste Petronio; *Ingenuosa gula est.*

Pomponius Sabinus Comment. in Virgilii Cirin.

Post eum Divus Claudius quatuor manuefactas (scil. tigres) in caveis aureis, in circo: quarum meminit Petronius, cum ait: &c.

L. Domitius Brasonius Lucanus Rer. memorabil. lib. IV. cap. I.

Quartilla apud Arbitrum Petronium ait; &c.

Editor Lipsiensis in frontispicio.

Petronius Arbiter Poëta Satyricus.

Et deinde.

Petronii Arbitri Satyra, in qua vitia Romanorum reprehenduntur, incipit.

In fine.

Finis Petronii Arbitri in Satyra integra. Impressum Liptzgk per Jacobum Thanner Herbipolensem, Anno salutis nostræ 1500.

Petrus Crinitus de Honest. disciplin. lib. IV. cap. XIII.

Legebamus nuper Venetiis ego & Joannes Venetus Petronii Arbitri Satyricon opus contra declamatores: in quo cum alia multa nos magnopere affecerunt, tum illud præcipue carmen, in quo de pavone & ciconia ludens, &c.

Joannes Baptista Pius Commentar. in Fulgentii Mytholog.

Petronius festivus poëta elegantissimusque Satyras Varronis more scripsit, quarum fragmentum (versa & prosa oratione scriptum, nostro in armario continetur.

Idem Annotat. Posterior. cap. XLVIII.

Petronii Arbitri opusculum aureum manus eruditiorum versant, imo fragmenta operis aurei, in quo contendit Petronius effugere ab omni verborum vilitate, sumereque satagit voces à plebe semotas, ut fiat illud,

Odi profanum vulgus & arceo.

Hunc auctorem plura scripsisse, quam exstent, ostendit Fulgentius Placiades, quædam in Mythologiis suis advocatis, quæ non comparent. In his, Dii boni, reliquiis quanta sit librariorum incuria, quivis vel mediocriter eruditus noscere potest.

Editor Parisiensis Reginaldus Chalderius in frontispicio.

Petronii Arbitri, quatenus extare comperitur, Satyræ fragmentum, cujus vel hoc unum distichon, quod nemini doctiorum non est in ore, æstimationem indicat & pretium.

Quisquis habet nummos, secura naviget aura,
Fortunamque suo temperet arbitrio.

Et in calce.

Hæc ad * exemplar, quod unicum habuimus, excusa sunt. Quisque pro suo arbitrio & eruditione, quod sibi displicet, restituat. Parisiis pridie Cal. Majas, Anno M. D. XX.

Conradus Gesnerus Tigurinus, Medicus ac Philosophus, in Bibliotheca.

Petronius Arbiter, Massilienſis à plerisque existimatur, Satyricum opus varium composuit, cujus licet fragmenta ad nos tantum pervenerint, eademque parum castigata, multæ tamen eruditionis hominem fuisse facile cognoscimus, &c. Vide plura apud Lil. Gyraldum de Poëtis Latinis. Joannes Alexander Brassicanus emendavit, & Annotationibus illustravit, pauloque antea, quam obiret, Joanni Oporino excudendum transmisit.

Idem ibidem.

Joannes Alexander Brassicanus, vir de bonis literis optime meritus, multos ante id tempus nusquam excusos auctores typographis publicandos exhibuit, quorum plerisque præfationes suas adjunxit: ut, operæ Eucherii, Græca Geoponica Constantini, Salviani Episcopi librum de vero judicio & providentia Dei, Petronii Arbitri Satyras, quibus etiam Scholia adjecit.

Adrianus Turnebus Adversarior. lib. II. cap. XX.

Hæc ego è Petronio Memmii V. C. descripsi, quem domi sub sera & claustro habet, ne quem foris obscœnus & lascivus scriptor impura sua petulantia contaminet.

Idem lib. XIX. cap. VI.

Petronius Arbiter venustatem orationis suæ inquinavit spurcissimis amoribus.

Idem lib. XXVI. cap. V.

Expurgare mendas Petronii, id esset, omnes littoris algas legere, omniaque maris ejectamenta.

Gerartus Falkenburgius Noviomagus Epist. ad Dousam.

Pulmannus remittit tibi Petronium cum fœnore, quem quando Plantino visum erit recudere, fiet in

* An Mediolanense, quod hanc & Germanicam editionem præcessit.

eo honorifica tui mentio: interea de carmine illi præfigendo cogitabis. Antverpiæ, IV. Kal. April. CIↃ. IↃ. LXIX.

Janus Douſa P. ad Falkenburgium Reſponſione.

Ad Petronium quod attinet, gratulor nobis aliquod fuiſſe opellæ illius pretium; ita eum pulchre mihi & quidem cum fœnore remiſit Pulmannus tuus, ut nihil jam ultra ipſi ad ſummum felicitatis cumulum deeſſe exiſtimem, præter typos Plantini noſtri & Gallicanum Memmianæ Bibliothecæ exemplar, quod utinam Pithœus nobis invidere abſtineat diutius. Interim de carmine illi, uti poſtulas, præfigendo operam dabimus, ne editionem moretur.

Obertus Giſanius JC. Ind. Lucretian. in CASUS.

Proferam unum ex Petronio, in quo ſuperioribus menſibus operam aliquam poſuimus, non eam tamen, quam cuperemus; in eo igitur, ut alia multa, ita & hoc reſtituendum puto.

Jacobus Durantius Caſellius JC. Variar. lect. lib. I. cap. V.

Apud Petronium Arbitrum multa ſunt impudica, fateor, & quæ ipſe iniquis oculis animoque legeret iniquo. At ipſum idcirco dari æternis tenebris oblivionique ſempiternæ, qui fieri poteſt? Illum, Venus, ab oblivionis periculo ſarctum tectumque facias, qui in te ornanda nullas dicendi veneres, nullas prætermiſit elegantias. Væ Gothico ſæculo! quo non modo capite minutum eſt Romanum Imperium, verum etiam litteræ ad internecionem occiſæ. Per hocce tempus liberales artes velut nube quadam obductæ ſunt, non ſolum Bibliothecæ ritu, ſepulchrorum, clauſæ, verum etiam incendio flammiſque conſumptæ. Væ quoque Caſſianis quibuſdam Monachis! qui cum ſine tentigine ac prurigine Petronio dare operam non poſſent, illi laſcivienti & luxurianti penem ſuſtulerunt. Vellem quidem, ipſe prætextatis verbis abſtinuiſſet, & rebus aliis conſcribendis capitale ingenium, & graphicam eloquentiam occupaſſet, ſane diſertorum apud Latinos familiam duceret. At Neronis ſævitiæ id aſcribo, cujus ulciſcendi cauſa ſub exoletorum & cinædorum ſpurcis figmentis incœſtas & exſecrabiles libidines palam fecit. Qui hoc non intellexere, illi velut impudico & propudioſo nebuloni fibulam impoſuerunt, quaſi ille Juvenale fuerit impudicitior, qui eaſdem res eodem ore proſequutus eſt. Deſiderabatur ipſe non ita diu, ſed P. Pithæus & Cl. Binetus Romanæ Majeſtatis optimi vindices fecere, ne ipſum vel amiſſum deſideraremus, vel corruptum & inquinatum contemneremus. &c.

M. *Antonius Delrio Jeſuita Commentar. in Senecæ Medeam, verſ.* 14.

Petronius Arbiter obſcœnus alioquin & paganus; quem nollem Div. Antoninus in Summ. Hiſtor. & alii quidam cum S. Petronio Epiſcopo confudiſſent: nam refellit Satyra, Arbitri Sambuci & Pithœi ſtudio edita, in qua verſus illi, quos homini huic beato adſcribunt errore gravi.

Joſephus Scaliger Commentar. in Priapeia.

Hoc diſtichon eſt ſingulare epigramma. Neque dubito, quin ex Satyrico Menippeo Petronii acceptum fuerit. Nam alia ad hujus intelligentiam opus ſunt, quæ, ut veriſimile eſt, in proſa ſua tractabat Petronius.

Joſias Simlerus Canonicus Tigurinus in Additionibus ad Biblioth. Geſneri.

Petronii Arbitri Maſſilienſis Satyrici fragmenta reſtituta & aucta è Bibliotheca Joannis Sambuci Antverpiæ Plantinus. Extant etiam ejus Satyrarum fragmenta in Bibliotheca Petri Pithœi.

Janus Gulielmus Plautin. quæſt. in Epidic. c. 4.

Non de nihilo Petronium amas, P. Pithœe, vernulæ & Latinæ urbanitatis puriſſimum fontem. Nam floralia ſacra quod celebrat ſine fuco atque fallaciis, more Romano, non tam ſeveri eſſe debemus, ut, quod in aliis ferimus, quia neceſſe eſt, in hoc uno damnemus, qui illis apertior fortaſſis eſt, at non inhoneſtior. Recte tu, qui huic Arbitro æquiſſimus arbiter fuiſti, & ſententia tua vitam illi ſalutemque reddidiſti, &c.

Idem in Moſtellar. cap. IV.

Te conſulo, A. Oiſele, quem arbitri ſtudioſum opinor, vel quia mundiſſimi in ſermone nitoris eſt, vel quia ab amiciſſimo tibi homine (ſcil. P. Pithœo) in lucem & cognitionem eruditorum retractus.

Juſtus Lipſius Antiquar. lect. lib. I. *cap.* IIX.

Petronii Arbitri fragmenta pauca habemus, ſcriptoris terſi & venuſti, &, niſi quod in re illa voluptatum nimis Latine interdum loquatur, cætera laudati. Ejus pro parte emendandi caput hoc ſcripſimus.

Idem lib. III. *quo conviviorum ritus proponuntur.*

Prodeat & teſtis Petronius, in cujus amœniſſimis Satyris viginti locis Gyton quidam Frater Olenii nominatur.

Idem Epiſtolic. quæſtion. lib. III. *Epiſt.* II.

Ut in vita, ſic in ſtudiis juvat ſeveritati adſperſa comitas. Ea cauſſa frequenter ſoleo à gravioribus libris animum, quaſi in ludum, mittere ad ſcriptores amœniores. Quo in numero Petronium repono; quidquid dicant iſti frontis ſeveræ. Et tua fide, P. Pythœe, vidiſtin' quidquam venuſtius, argutius, poſt natas Muſas? Non ego; abeſſet tantum nuda illa nequitia: qua tamen nihil offendor; joci me delectant, urbanitas capit: cætera nec in animo, nec in moribus meis, magis labem relinquunt; quam olim in flumine veſtigium, cymba. Ut vina appoſita vinoſum movent; invinium, ut antiqui loquebantur, non movent:

vent: Sic ista animum jam ante improbum fortasse incitent; casto & castigato non adhærent. Et sunt tamen intra Musæos homines, qui hunc scriptorem fuisse velint; à quibus nos certe, mi Pithœe, dissentimus. Meæ sententiæ testes has Notas do; quæ cuicuimodi illæ, non nisi ab eo, qui cum cura legerit, eruantur.

Idem lib. V. *Epist.* XIX.

Immensum tibi, Pithœe, Petronius debet: liceat & mihi, si fas est, venire in partem nominis tui, &c.

Robertus Titius Brugensis Assertionum lib. VII. *cap.* IV.

Nam Petronius, multo potior auctor, inquit.

Joannes Jacobus Frisius Canonicus Tigurinus in Biblioth. Chronolog. A. D. 490.

Terentianus Maurus contemporaneus Alphio Avito, Septimio, Petronio, & Aurelio Apollinari.

Hieronymus Commelinus Catalogo suorum libror. manuscript.

Petronius de Mida Rege, & *a* ænigmata versibus conscripta.

Conradus Ritterhusius JC. Notis in Phædrum.

Eadem causa, &c. Petronii Arbitri elegantissimum Satyricon ita nobis laceravit, ac detruncavit, ut vix Orpheum mulieres Thraciæ, vel Pentheum Bacchæ discerpserint miserabilius.

Ulysses Aldrovandus Medicus Ornitholog. lib. XIV. *cap.* XVII.

Haud me latet, capum à Petronio Poëta antiquissimo Gallum dici.

Albericus Gentilis JC. in Virgilian. lect. locum ex Petronio citans ad Filium ait.

Audi virum acrem, & stomachi Lycidæ nostri.

Isaacus Casaubonus de Satyra lib. II. *cap.* II.

Petronius Arbiter cur opusculum suum, quo Neronis & aliorum Procerum flagitia horrenda, non minore flagitio publicavit, Satyricon potius, quam Satyram inscribere maluerit, frustra fortasse quæsierimus: neque est tanti.

Idem lib. II. *cap.* IV.

Petronii libellus mera est Satura Varroniana, ut suo loco dictum; ipse tamen Saturicum sive Satyricum maluit inscribere: quomodo Commentarium dicitur pro Commentario libro; Apologeticus pro Apologetico libro: at qui Satyricon titulum Petronii libris imposuerunt, ii sine dubio Græcam vocis Satyræ originem spectant; cujus rei nunquam auctori veniisse in mentem pro certo habeo.

Guilhelmus Barclaius Pater in Euphormionis Lusinini Satyrico.

His elementis instructus adolescens, ut primum ingrata Romanæ linguæ initia evasit, statim ad amœnitatem Ciceronis traducendus est. Mox in omnes passim authores evagetur licentius studium, nec Petronio, Livio, Sallustio, &c. pigeat miscuisse Ciceronianam dictionem.

Franciscus Raphelengius junior, in præfat. suæ editionis Petronianæ.

Nos commoditati tuæ consulendum rati, persuaderi nos passi sumus, ac proinde tantum non justum Commentarium in amœnissimæ eruditionis, & eruditissimæ festivitatis Auctorem tibi damus.

Michaël Piccartus Philosophus Altorphinus Periculor. Criticor. cap. 17.

Vere Arbiter elegantiarum est Petronius, quicquid Catones contradicant, & bonorum manibus terendus, licet Hellespontiaco par sit Priapo, ut ille cecinit.

I. R. in Confutatione Fabulæ Burdonianæ, pag. 305.

Primum illud in numerum procedat: Petronium Josephi delitias. Magnum sane crimen; quod tamen adeo verum est, ut Josephus postquam ab hinc annos XXXVII. Valentiæ Cavarum illum auctorem ex membranis Cujacii descripsit, vix unam paginam illius inspexerit. Quo modo ergo delitiæ ejus liber ille fuerit, quem post tam longinquum tempus revisere dignatus non sit? Et tamen eum isti amphitheatrici latratus non adeo deterrent, ut, si totus Petronius in membranis exstaret, pigeret eum describere. Si enim is scriptor indignus est, qui teneræ ætati committatur, at non dignus, qui pereat tamen. Quare non objecerunt Martialem, Catullum, alios, apud quos

Nomen adest rebus, nominibusque pudor?

Quis veterum Poetarum plus obscœnitatis, impuritatis, flagitiorum, professus est, quam docet POENITENTIALE BURCHARDI? Quot sunt, qui ignorarent multa, quæ ibi leguntur, nisi ex ipso didicissent? Ridicula magis, an impudens contumelia? Quot possent huc adferri, nisi hæc rideremus potius, quam in illis confutandis vel momentum temporis terere vellemus?

Erycius Puteanus Melchiori Haimensfeldio Goldasto, serio amico, S. D.

.... In Petronio quoque cum fructu publico eris: emacula, & florem illum Latini oris purum putumque repræsenta. Scæna quædam scelerum, non nego, in hoc scripto: sed quam intueri cum fructu, certæ virtutis sit; vibex ipse titulus, quo tam enormem eluviem severus Arbiter proscribit. Plerumque mortales ab oculis auribusque removemus, quæ peccamus. Atqui ista alieni ævi vitia sunt, tunc quoque reprehensa: quid si & nostri? Morum maculas Christiani videant, ad quas redierunt: si reprehendi

* Forte Petronii Afranii.

nolint, saltem in schemate corrigantur. Ego sic censeo.

CAP. II.

ANTIAEΓOMENA, *SIVE* AUCTORITATUM, QUÆ PETRONIANIS EDITORIBUS OBJECTARI SOLENT, RESOLUTIO.

PRoduximus testimonia, quibus Petronius non tam veniam meretur, quam innocentiam ab intentatis criminibus vindicat: neque nos advocationem ejus apud quemvis competentem judicem porro subterfugimus. Quanta enim putes in illo confidentia sit, in quem illud elogium unicum complurima consentiunt hominum sæcula, & omnium gentium consciscunt erudita oracula, elegantiæ Latinæ primarium fuisse arbitrum, & morum Romanorum disertissimum censorem? At propter immemorabilem obscoenitatem, inquiunt isti simulatores, viri gravissimi eum damnandum judicarunt. Quinam autem isti? Augustinus, ajunt, Patres Concilii Tridentini, Beza, Guirandus, alii. Agite, sultis, quamvis jam & priores editores, viri nec ipsi non gravissimi, Sambucus, Pithœus, Binetus, Douza, Wouwerius, & quos modo in testimonia citavimus, abunde responderint, nominatos tamen testes, Prætore sic volente, propius examinemus.

D. Augustini verba sunt lib. I. Confession. c. XVI. *Non omnino per hanc turpitudinem verba ista commodius discuntur, sed per hæc verba turpitudo ista confidentius perpetratur. Non accuso verba quasi vasa electa atque pretiosa, sed vinum erroris, quod in eis nobis propinabatur ab ebriis doctoribus, &c.* Hæc purissimus ille Pater post bene multam in lascivos Poetas invectivam: quibus non tam Petronium petit, quem mihi unquam in scholis prælectum non quisquam evicerit, quam Plautum, Terentium, Ovidium, Juvenalem, Persium, Statium, quos pueris proponi ab impuris magistris non ferendum esse ait. Ite nunc, simulatores, & fidite judicio vestro impuri, qui hos Poetas, quos sanctissimus iste Doctor perpetuo exsilio à scholis relegavit, pueris vestris adhuc nascentibus instillare consueviştis.

Concilii Tridentini decretum nihil aliud vult, quam id genus scripta pueris esse interdicenda. Idem & nos volumus; quin jubemus, ac decernimus. Quid enim pueris cum Petronio? cujus illi scopum non magis attendent, quam plebejus idiota Aristotelis Metaphysica. Et ad vitia hæc ætas quam virtutes pronior, non ducenda est ad hos scopulos, ne temere & infrunite illisa à Sirenibus suffocetur. Equidem scelestissimus sit, oportet, qui Petronium pueris sumat interpretandum: nequissimus, qui proponat legendum: pharmacus, cujus magisterio pudor illorum periclitetur. Nec injuriâ Emundus Richerius, Sorbonæ Theologus, in Obstetrice animorum, cap. IV. num. 4. conqueritur: *Ut jam non mirari oporteat, quare juventus ad libidinem prona, sed quamobrem non longe vitiosior sit: quippe qua Poëtarum quorundam carminibus, & Petronii operibus igni æterno devovendis, quasi Divorum Pauli Epistolis, Ambrosii Officiis, vel Augustini Confessionibus, impune, libere, gloriose utatur.* Verum oportune commodeque subjicit: *Sed me censere dico, Poëtas illos & auctores emungendos, non mutilandos: mundandos, non evirandos: velandos, non castrandos, esse: hoc est, ut à Concilio Tridentino est sanctissime constitutum, viris ad legendum, non pueris ad interpretandum esse concedendos, &c.*

Petri Guirandi JC. hæc sunt verba: *Hei mihi! quam pessimo exemplo talia luce donantur: & quam carissimo precio hæ vetustatis reliquiæ, & cineres nobis emuntur. Quotus enim quisque est, qui ejusmodi ne quidem antea cogitata, semel tantum lecta, stupefactus non admiretur, & inter admirationem & incrudelitatem fluctuans ad aliquid turpe, cæca quadam cogitatione, ebrius non pellicietur? Erubescant igitur, qui talia legenda exhibent.* Cui meam vicem respondeat vir & judicio & verecundiâ Guirando multo præstantior. Is est Just. Lipsius, qui super Petronio in hæc verba, quæ tamen, etsi supra posuimus, placet heic repetere, P. Pithœo JC. rescripsit; *Nuda illa nequitia mihi offendor; joci me delectant, urbanitas capit: cætera nec in animo, nec in moribus meis magis labem relinquunt, quam olim in flumine vestigium, cymba. Ut vina apposita vinosum movent, invitum non movent: sic ista animum jam ante improbum fortasse incitent; casto & castigato non adhærent. Et sunt tamen inter Musæos homines, qui hunc scriptorem fuisse velint; à quibus nos certe dissentimus.*

Theodorus Beza Vezelius præfat. Homil. de Resurrect Domini, ad Ordines Belgii scribit: *Duo sunt, de quibus peto etiam atque etiam, ut mihi fas sit pro animi vestri æquitate vobiscum agere. Unum, ut in tanta & nunquam satis laudanda cura, quam excitandis Ecclesiæ seminariis impenditis, diligenter prospicere velitis, ut quam accuratissime fieri poterit, maxima cum fide & diligentia lingua illa sancta doceatur. Deinde ut impurissimorum illorum & abominandorum spurcissimorum scriptorum, veterum & recentium, lectio severissime interdicatur, & in omnibus vestris ditionibus quam longissime à bonarum artium & disciplinarum scholis repellatur. Sunt enim illa juventuti, in vera pietate erudienda, & sanitate morum, à teneris etiam annis haurienda, proprie consecrata. Constat autem, & experientia ipsa jam pridem ostendit, illorum scriptorum turpissimorum lectione, quibus vel ipsa virtus contaminatur, juventutem ad turpissima quævis cogitanda excitari, & ita sensim ad ea tandem exercenda impelli, haud secus ac si in ganeis & mediis lupanaribus lustris educarentur: & fortasse nulla re magis ira Dei in Christianum orbem excitatur; quam hujusmodi sordium impurissima tracta-*

tractatione: & tamen istud tam turpe dictu & factu longo jam abusu passim non invaluit modo, sed etiam maxime excolitur, & commendatur, nescio quo pervestiganda omnis antiquitatis prætextu: cum tamen earum rerum memoriam, quæ non modo nihil nos adiuvant, sed è contrario deteriores nos efficiunt, jam pridem obductam, obsitam & abolitam esse oportuerit. Quibus verbis sunt qui putent Scaligerum & Douzam designari; quorum ille amatorios poëtas, hic etiam Petronium, notis illustrarunt. Sed ignoscant mihi verecundissimi viri manes, nonne ipsus Beza est, qui Martialem, Petronio nihil castiorem poëtam, *mel merum* dictitare solitus est? asserit Raphaël Eglinus ejus discipulus in ea, quam selectis Catulli carminibus præfixit, epistola. Et quam avide lubenterque mel illud linxerit, res eloquitur. Nemo enim existimatur ad honestatem carminis Bilbilitani propius accessisse. Unde liquido constare videtur, non aliam Bezæ mentem fuisse, quam istis, quos minus dudum diximus: nimirum Milesios auctores, ut viris permissos, ita adolescentulos eorum lectione esse prohibendos.

Nec aliud D. Basilii judicium fuit de scriptis Gentilium; quæ in nostrum usum quomodo vertenda, tanquam spolia Ægyptiaca, vel D. Augustinus recte riteque te monuerit. Et oppido quam eleganter D. Hieronymus in ea ad Oratorem Roman. *Quæris*, inquit, *cur in opusculis nostris sæcularium interdum literarum exempla ponamus, candoremque Ecclesiæ Ethnicorum sordibus polluamus? responsum breviter habeto. Nunquam hæc quæreres, nisi te Tullius totum possideret: si scripturas sanctas legeres, & earum interpretes omisso Vulcacio evolveres. Nam & in Moyse, & in Prophetarum voluminibus, & epistolis Pauli quædam de libris Gentilium assumpta sunt. In Deuteronomio quoque Domini voce præcipitur, mulieris captivæ radendum esse caput & supercilia, omnesque pilos & ungues corporis amputandos, & sic eam habendam conjugio. Quid ergo mirum, si ego etiam sapientiam propter eloquii venustatem & membrorum pulcritudinem de ancilla atque captiva Israëlitidem facere cupio? Et si quod mortiferum est idololatriæ vel voluptatis, erroris & libidinum, præcido & abrado, mixtusque purissimo corpori immaculatos Domino Sabbaoth filios ex ea genero?* Cui Joan. Saresberiensis Episcopus, congruentissimis hisce verbis insigniter acclamat: a. *Quod sic hoc ipsum patienter admittitur, ea, quæ à Philosophis gentium publicæ utilitatis gratiâ scripta sunt, audiri quid prohibet? Quæcunque enim scripta sunt, inquit Apostolus, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus.* Similiter Martin. Bucerus, vir singularis pietatis, ingenii unici, & dexterrimi judicii, Enarration. in D. Matthæi Evangel. extremo cap. XI. *De ea parte propheticæ, quæ per omnia secula, & apud quoslibet identidem sese exeruit gentes, tum per insomnia, tum per portenta, tum per instinctum quendam & afflatum divinum, denique de impostoris & fallaciis in his, tam hominum, quam dæmonum, præstiterit legere M. Tullii libros de Divinatione; nihil enim negligendum, quod Domini donum esse liquido constat. Eximia autem Dei dona esse tot egregios libros, quibus multa adeo rerum, hoc est, operum Domini, cognitio continetur, qui dubitat, is parvam indubie rationem habet providentiæ Dei: sine cujus singulari beneficio haud factum est, quod hi libri per tot secula, & infinitos casus servati ad usque nos pervenere.* Et iterum Comment. in Psal. I. *Neque profana omne genus scripta, quum locus & tempus fuerit, lectione dedignabimur. Si enim vere ille scripsit, non esse librum tam malum, ex quo non possit aliquis fructus percipi, & fructum nullum nisi Dei verba adferant: certe Dei verba contempserit, qui vel Ethnicorum Poëtarum scripta in totum repudiet: quanquam utiliora ex his deligi conveniat, quæ nimirum Dei in creaturis suis bonitatem certius indicant, & de virtutibus purius præcipiunt.* Audin' tu harum Satyrarum indemnatum fructum? & quæ ex illis delibanda, excerptaque ad Christianam institutionem conferenda sint? At enimvero objicient illi rursum, Petronium non de virtutibus pure, sed de vitiis impure, spurcidice & flagitiose præcipere. Bona verba, quæso. Petronius Satyricus flagitia atque facinora hominum Satyrice perstrinxit.

Id isti vituperant factum; atque in eo disputant;
Contaminari non decere fabulas:
Faciunt nè intellegendo, ut nihil intellegant,
Qui, cum hunc accusant, ——

Lucilium, Varronem, Horatium, Juvenalem, Persium, Sulpitium, Lucianum, Apulejum, accusant, quos hic noster partim auctores habuit, alios æmulatores. Veruntamen b. *quas illi nobis obscœnitates narrant?*

Utinam ne in nemore Edeno, obscœnitatibus
Infectum ab imo, humanum cecidisset genus.

Utinam ne in vita, in hominum usu ac consuetudine universa, in ædibus, in vicis, in compitis nostris, obscœnitatum plena omnia! Utinam ne in animis, in præcordiis omnium obscœnitatum stabulum! cur non lernam potius dico & sentinam perennem? Hic, hic, expurgato opus est. Hic plenis cadis exhausto opus. Nam quid politura, quæso te, speculi agat, ubi in facie fœditas insedit? Speculum expurgas: ab ore maculas, verrucas, lentiginem, lepram quin amoves? Inspiciendo in speculum tëmet, ut es, vides: formosus formosum, deformis deformem. Spectari, audire talis, qualis es, non vis? Deformitatem è corpore elue; fœditatem expelle animo. Hæc magistrorum honestissimi simul atque doctissimi ad mascarpiones Jesuitarum non inidonea responsio fuit, quam hoc loco repeteremus. Cui paribus fere tibiis concinit Laurentius Ramirez de Prado Nobilis Hispanus, in Hypomnemat. ad Martialis Amphitheatr. epigr. XXV. ad Raderum Jesuitam ejus poetæ castratorem; *Age, vir honestissime, qui sciebas ea esse*

a. Policrat. lib. 3. c. 1. b. Verba sunt Martini Hayneccii in epist. Terentio præposita.

inhoneſta? quod legeram, inquis. cur legiſti, vir tantæ ſanctimoniæ? & ſi legiſti, cur nobis invides eam lectionem? Ego vero pati non poſſum ſupercilioſos iſtos cenſores, qui nequitias Martialis nobis adimunt, ſibi relinquunt. Satius fuiſſet, ſanctiſſime vir, ut totum Martialem intactum reliquiſſes, ne ſcilicet puriſſimæ manus deligendis epigrammatibus & interpretandis inquinarentur. Et Joannes Gerſon, Cancellarius Pariſienſis, & in Sanctis à nonnullis repoſitus, quum in ſermone, *a.* habito in Concil. Remenſi, de impudicitia perorans in hæc exclamat: *Credite, quia providendum eſſet omnino cum effectu & diſcretione contra tantam familiaritatem in cubilibus, & alibi, quam exercent parentes utrique cum utraque progenie, & affines cum affinibus in adoleſcentia, ſeneſque cum junioribus, tam in* b. *Religione, quam in Scholis, & alibi. Dubitaverim prorſus, ſi non deteriores mores trahunt aliquando pueri & puellæ hac occaſione in parentum domiciliis, & Religionum & ſcholarum contuberniis, quam facturi erant in proſtibulis lenonum vel meretricum.* Sed quæ obſcœnitates in Petronio? Meretricemne ductare? ad ſcortumne alludere? aut heram adulterari? anne medium puerum amplecti? an virginem deflorare? Credo hæ ſunt obſcœnitates iſtæ; quas, vulgo fieri ſolitas, ita pudenter, nude, & ſimpliciter reprehendit Petronius, ut mihi videatur quaſi pœnitentiam agere ſermonis ſui, ſecretoque rubore perfundi, quod ea vitia infectetur, quæ ne ad cogitationem quidem admittere ſeverioris notæ homines debeant: ita ſtudioſe & cum induſtria cavit, ne oblitus verecundiæ ſuæ non abſtineret à ſpurcis & turpibus earum partium appellationibus, quas ne nominare quidem inter res ſerias fas eſt. Quid ergo peccavit, ſi pravos populi mores & conſuetudines vitio turpiſſimi Domini fœdas & inquinatas redarguit? Numnam non præoccupavit ipſe, & ſagaciſſimo ingenio contumelias veſtras odoratus his elegantiſſimis verſibus eluſit?

Quid me conſtricta ſpectatis fronte Catones,
Damnatiſque meæ ſimplicitatis opus?
Sermonis puri non triſtis gratia ridet:
Quodque facit populus, candida lingua refert.

An Neronis, Domitiani, Eliogabali facinora honeſtioribus verbis circumloquuntur Sueronius, Dio Caſſius, Lampridius, B. Oroſius, Xiphilinus Patriarcha Conſtantinopolitanus? *c. De vitiis diſſertio ſive diſputatio duplex eſt. Una, qua ad vitia homines allicimus ſuaſionibus, exhortationibus ac lenociniis: ut qui amare docent noſtra ætate, pro dolor! etiam potare, qui amatoria ludunt, ut juvenum mentes veluti inebrient, quales impudici Poëtæ. Ea diſſertio vitioſa ac deteſtanda, maxime homini Chriſtiano, plus etiam illis, qui juventuti ut magiſtri præſunt. Altera eſt diſſertio de vitiis: ut ea deteſtemur ac execremur: imo quoties de eis ſit mentio, ut ab iis dehortemur, ab iis abſtineamus, & execremur. Hæc diſſertio neutiquam reprehendenda eſt: multi enim ſancti viri ac Doctores, quemadmodum de virtutibus ſcripſerunt, ita è regione de vitiis copioſe diſſeruerunt. Itaque Cæſarum refert vitia Suetonius, in odium illorum monſtrorum id facit, ut ea ſcilicet fugiamus ac evitemus: imo cogitemus in quanta cæcitate fuerint perditi illi nebulones: & multo magis in quanta ſtupiditate mundus, qui talia portenta dignatus eſt ulla honore, cum nihil illis tetrius ac magis abominabile fuerit.* Hæc Glareanus pro Suetonio, qui Cæſarum flagitia libero dicendi genere exſecutus eſt. Cur non nos eadem pro Petronio, qui gemina παῤῥησίᾳ Neronianorum turpitudines inſecutus eſt? Cur non pro ipſo D. Paulo Apoſtolo, qui eadem pari libertate commemorat & inculpat? Joannes Saresberienſis Epiſcopus de Nugis Curial. lib. III. cap. XIII. longum de lenonibus ac mollibus, uſuque formoſorum ſermonem his verbis excuſat: *Verum hæc abominatio, non tam oſtendenda eſt, quam conſpuenda, puderetque eam Nugis noſtris eſſe inſertam, niſi eandem Apoſtolus, Romanis ſcribens, verbis manifeſtius expreſſiſſet, dicens; quia fœminæ eorum immutaverunt naturalem uſum in eum, qui eſt contra naturam, & maſculi, relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes, ut darentur in ſenſum reprobum, facerentque quod minime conveniret, & vitiis univerſis obnoxii indignationem Dei, & omnium pœnarum in ſe aculeos provocarent. Et tunc quidem in auribus Romanorum hoc tuba Apoſtolica conclamabat, quando impiiſſimus Imperator Nero luxuriæ ſævientis puerum Sporum exectis teſticulis in muliebrem naturam transformare conatus eſt.* Et Fratres Ordinis Prædicatorum, qui eum apud Chriſtianos locum invaſerunt, quem olim apud Gentiles obtinuerant Poëtæ & Satyrici, in tractat de Turcis: *Quæſitum extitit de gravi infectione populi Chriſtiani, quoad prædicta vitia (Sodomitica) an videlicet tam gravis infectio ex negligentia officii prædicationis contingeret, dum ipſi Prædicatores gravitatem hujus vitii fidelibus non proponerent? Quæſitumque ulterius extitit, an propter ſimplices & innocentes expediret Prædicatoribus, ſub ſilentio pertranſire de hujuſmodi vitiis differendo? Reſponſum fuit, quod quia officium prædicationis eſt præcipuum in Eccleſia ad extirpationem vitiorum & plantationem virtutum, ſi gravitas hujus vitii fidelibus ardenter proponeretur, ut quia videlicet pro vindicta clamat ad cœlum, &c. Ad ſecundum quæſitum reſponſum fuit, quod omnino ſub ſilentio pertranſire non expediret, etiam propter quoſcunque innocentes, multiplici ratione. Primo, quia videmus, quod tales innocentes etiam ex Diabolica ſuggeſtione continuo ſeducuntur abſque auditione verbi Dei, & declaratione illorum vitiorum. Unde utriſque, tam reis, quam innocentibus expedit, talis declaratio verbi Dei. Secundo ad hoc nos admonet Scriptura, prout eſt illud: Si non annunciaveris iniquo iniquitatem ejus, ſanguinem ejus de manu tua requiram. Et iterum; Clama, ne ceſſes:*

a. Dominica ſecunda poſt Paſcha partit. 2 conſiderat. 3. proviſ. 4. *b.* Id eſt, Monaſteriis. *c.* Verba ſunt Henrici Loriti Glareani præfat. in Sueton.

ceſſes; annuncia populo meo ſcelera eorum. Ratione etiam concludebatur. Nam Apoſtolus Paulus expreſſiſſime loquitur ad Roman. 1. de hujuſmodi vitiis, & ſicut cuncta alia ſcripta ipſius neceſſario prædicantur, ita & præſens hæc materia, cum non ſit data diſtinctio inter ſuas doctrinas, quare videlicet una magis debeat eſſe prædicabilis quam altera. Ad hoc eſt Gregorius in Moralibus; Sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiſcretum ſilentium in errore relinquit. Et hæc pro Petronio brevis quædam veluti apologia eſto, quæ neceſſario præmunienda fuit, ut & judicii præcipitationi caveremus, & malevolorum ſimul maledictis reſponderemus. Nunc videamus, cujus Philoſophi rationem opinionemque Petronius ſit ſecutus.

CAP. III.

CUI SAPIENTIÆ STUDIO PETRONIUS DEDITUS FUERIT.

SUnt qui Petronium adſerant diſciplinæ Stoicæ ſectaneum fuiſſe; quibus cum hæc fragmenta, tum alia, quæ memoraturus ſum, bonâ fide refragantur. Quid enim ſibi velle dicent illos verſus, quos in Stoicorum avaritiam aperte fudit?

Ipſi, qui Cynica traducunt tempora ſcena,
Nonnunquam nummis vendere verba ſolent.

Mihi videtur non oblique Senecam carpere, cujus ſuſpectum in gubernatione Cæſaris regimen, tanquam venale & ambitioni pervium, ſed Aulicorum, uti fas exiſtimare, calumniis. Quis enim has in tanta potentia unquam effugit? Nec ambigo, quin fribuſculum ex invidia inter utroſque exſtiterit, quod Petronii mentionem in ſuis officioſis Seneca ſcriptis, nec illiberalis aut parcus in amicis collaudandis, ſuppreſſerit. Ego exiſtimo, nec opinione fallor, Petronium ſectâ Epicureum fuiſſe. Idque ita eſſe, uti autumo, rebus neceſſariis evincam. Principio dum Epicurum vocat *patrem veri*, id eſt, auctorem & doctorem veritatis, ſeu veræ juſtæque rationis & diſciplinæ inſtitutorem.

Ipſe pater veri doctus Epicurus in arte
Juſſit, & hanc vitam dixit habere Deos,

quam adoream, niſi diſcipulus & ſectator, haud temere Epicuro tribuiſſet. Tum deinde ex præceptis atque doctrinis Epicureis paſſim interſperſis, quod genus dogmatis amplexus fuerit, affatim eluceſcit. Contende ſis Epicuri dicta, quæ ab Diogene Laërtio & Auctore Vitæ Philoſophorum referuntur, cum Petronianis iſtis fragmentis, & dices me verum dicere. Ego verba pono ad compendium, & longiores logos alibi cædam. Quos vero errores accepit

——Epicuri de grege porci,

nobiſque imbibendos propinavit, conſilium eſt ſilentio non præterire. Notavi mihi tria præcipue, quæ in erroribus Epicuri recenſentur. Primum eſt, Deos res humanas non curare, ſed otioſos reſidere in cœlis, valde occupatos in nihil agendo, ut ille ait. Hinc ab Epicureis falſe ridentur ſuperſtitioſi, qui Deûm timore, tanquam pueri nocturnis terriculamentis & occurſaculis afficiantur. In quos ſuperſtitioſos & Petronius panxit epigramma non illepidum;

Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cœlo
Fulmina cum caderent. ——

Alterum, in voluptate ſummum bonum eſſe ſitum. Quo pertinet illud;

Ergo vivamus, dum licet eſtque bene.

& huic ſimilia. Tertium, animas cum corporibus interire. Cujus erroris quamvis non ſupereſt ullum in his fragmentis manifeſtum veſtigium, ſatis in morituro apparuit. Nulla ei cura animæ, nullum à ſophorum placitis alloquium, ſed contra ea immortalitatis irriſio & contemptus. Capio & interpretor ita Tacitum exſertim ſcribentem: *Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ, & ſapientium placitis, ſed levia carmina & faciles verſus.* Scilicet ut ſe maſculum Epicureum eſſe probaret, motus illos & ægritudinem temperans, conſtantem animi quietem & voluptatem, in qua ſummum bonum collocaſſe modo memoravimus, diſſimulavit. Et hæc tibi ex tripode dicta puto. Atque nunc meâ comitate ac virtute fiat, ut T. Petronius Arbiter T. Lucretio Caro in civitate Epicureâ, quam uſque ſolus oberravit in Latio, comes & inquilinus civis ex decreto detur. Nos de ſummâ Satyrici porro videamus.

CAPUT IV.

ARGUMENTUM ET MYTHOLOGIA HUJUS SATYRICI.

PEtronius, auctore Tacito, in his Satyris vitia gentis togatæ ſub nominibus exoletorum feminarumque perſcripſit & notavit; præcipue autem flagitia Neronis Imperatoris inceſſit, cujus ad exemplum orbis tum Romanus erat compoſitus, ut verum experiamur, quod vulgo dici amat; *Qualis Rex, talis grex.* Petronio, qui præcipuum in Aula Cæſaris inter domeſticos principis locum tenuit, coævus exſtitit (haud ſcio an non & notus) D. Paulus Apoſtolus, admirandæ illius & diviniſſimæ epiſtolæ ad Romanos auctor, ex cujus principio, quæ verba videntur ſummam totius hujus Satyrici complecti, ea verba juvat appingere. *Feminæ eorum* (inquit) *immutaverunt naturalem uſum in eum, qui eſt contra naturam. Similiter autem & maſculi, relicto naturali uſu feminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis in invicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes: & mercedem, quam oportuit, erroris ſui in ſemetipſis recipientes. Et ſicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes,*

incompositos, sine affectione, atque fœdere, sine misericordia. Qui cum justitiam Dei cognovissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. Hæc ille: quibus verbis qui volet planum & perspicuum habere interpretem, ei ego unicum hunc Petronium dedero: nec omnino vanum est magni cujusdam Theologi dictum, *caput primum ad Romanos sine Petronii Satyra intelligi non posse.* Addo etiam caput XIII. in quo à commemoratis vitiis Romanos in hunc modum dehortatur; *Nox præcessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus; non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: Sed induimini Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.* Nec Romanorum tantum scelera Petronius, sed & Græcorum tangit & exagitat, dum more palliatorum Comicorum, pleraque in Græca urbe gesta confingit. Etiam idem Apostolus eadem quoque ipsissima in Græcis notavit. Sic enim ad Galat. cap. 5. scribit; *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et 1. epist. ad Corinth. cap. VI. *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos. Quare non magis injurias accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos injuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis, quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis, in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Porro in Petronii fragmentis (nam optimam partem desideramus) primum bonarum artium professores mordet, tanquam ingenuæ & liberalis juventutis corruptores. Dein procuratorum forensium & advocatorum calumnias & rapacitatem taxat. Tum in Sacerdotum infandas libidines invectus, transitum ad luxum conviviorum facit, quem sub Trimalchionis nomine ac lautitiis perstringit. Hinc de sceleratâ pædagogorum nequitiâ parentes serio monens, accusatâ artificum inertiâ prehendit publicarum balnearum turpitudinem. Postmodum negotiatorum mercatorumque, hoc est, eorum, qui solas exstruere divitias curant, fortunas exponens, obiter animadvertit in feminarum levitatem. Tandem castigato lasciuarum mulierum insano amore, quo peregrinos adolescentes ambire ultro, & donis consuescunt lacessere, in imposturas ac fraudes exulum, & natale solum vertentium, quibus hospites suos & creditores, dum amplos peregri census & patria jactitant vectigalia, circumscribunt, stilum exacuit. Insaniam denique testatorum notat, qui turpes, impudentes & nefarias testamentis adjiciunt conditiones, quorum flagitii flagrantia à Jureconsultis etiam improbatur. Et hæc tantum reliqua sunt hujus Satyrici capita: cetera injuria temporum nobis invidit.

CAP. V.

SATYRARUM INTERLOCUTORES.

Encolpius,	ἐγκόλπιος,	fabularum Dux.
Ascyltos,	ἄσκυλτος,	adulescens.
Agamemnon,	ἀγαμέμνων,	scholasticus.
Gnithon,	γνήθων,	puer.
Quartilla,	*	Priapi sacerdos.
Psyche,	ψυχὴ,	ancilla.
Pannychis,	παννυχὶς,	puella.
Embasicœtas,	ἐμβασικοίτης,	cinædus.
Trimalchio,	τριμαλχίων,	dives.
Carpus,	*	servus.
Menelaus,	μενέλαος,	scholasticus.
Lycurgus,	λυκοῦργος,	
Eumolpus,	εὔμολπος,	poëta.
M. Manicius,	*	
Bargates,	βαργάτης,	servus.
Licas,	λυκᾶς,	mercator.
Tryphæna,	τρύφαινα,	uxor.
Æsius,	αἴσιος,	
Corax,	κόραξ,	tonsor.
Chrysis,	χρυσὶς,	ancilla.
Circe,	κίρκη,	amica.
Doris,	δωρὶς,	amica.
Proselenos,	προσήλην,	anus.
Polianus,	πολύαινος,	idem qui Encolpius.
Enothea,	οἰνοθέα,	Priapi sacerdos.
Endymio,	ἐνδύμιων,	puer.
Philumena,	φιλουμένη,	meretrix.
Gorgias,	γόργιας,	advocatus.
Albutia,	*	amica.

Nominum rationes in notis traduntur. Id enim quam studiosissime observavit Petronius, ut quas personas introduxit, earundem convenientes exprimeret mores, notasque similitudines, &, ut Rhetores vocant, τὸ πρέπον diligenter ubique persequeretur. Porro quæ in his fragmentis nullas dicendi partes habent, non puto fuisse πρόσωπα καφὰ, sed earum interlocutiones temporum injuria periisse.

JO-

JOANNIS A WOUWEREN HAMBURGII *DEDICATIO.*

Viro Illustri JOSEPHO SCALIGERO

Jul. Cæsaris Fil.

Joann. a Wouweren.

S. D.

Fama sublimis, eruditione nobilis, nobilitate Illustris Josephe Scaliger, Aristippum saltare coactum in purpurâ dixisse scribit Laërtius: καὶ γὰς ἐν βαρχεύμασιν ἔς ἤγε σώφρων ὁ διαφθαρήσεται. Putabat nimirum probum & virtuti addictum nullis lenociniis delectari, aut corrumpi posse. Quam vellem hanc vocem pressius advertissent tristiores isti, qui hunc scriptorem, quem damus, non tantum infamem fecerant, sed perpetuis tenebris æternæque oblivioni damnarant, præpostero mehercles pietatis obtentu. Atqui utinam ille ignis intepuisset! nunc gravius est incendium per omnes regiones sparsum diffusumque, ut nec mare huic exstinguendo: sunt enim severioris notæ homines, quibus satis non est, ne quidem ad cognitionem hunc scriptorem admittere; sed renatum ex parte, nonnulli monstrum clamare, more majorum comburendum aut diis sacrandum; alii porro proscribere, vinctum in ergastulum & carnificinam dare, imo quem eviarant, prorsus occidere, adeo ut plura parata supplicia, quam membra. Periisti, miser, periisti, vel judicio, tuo, vel illorum præjudicio. Jacet præterea atque occisa libertas. Quis enim quæso tantis cervicibus qui contra tendat? Quis tantis humeris Atlas, qui tot malorum montes sustineat, ut saltem tralaticiâ humanitate languentem erigat? Quamquam præclari viri, postquam convertissent mentem ad Arbitrum omnis elegantiæ, nullum recusarunt periculum, quod salutis spem ostenderet; itaque in carcerem & ergastulum datum vindice dextrâ veræ libertati asseruerunt, confossum togatorum spiculis, velut ex inferis reduxerunt; equidem, denuo audere facinus dignum Censorum notâ, imo tunicâ molestâ merito est: nunquam enim inauditum & indefensum Petronium diris imâ tristiorum conspiratione damnari patiar. Itaque ut decretoriis armis pugnem, quid in eo accusent, dicant, quæso, clarius. Opus novæ simplicitatis, seu, ut illi malunt, nequitias & accuratam spurcitiem? Velim sane tam candide ad mentem admittant, quam simpliciter ab eo scriptum sit, magisque accusent libidinem Principis, cujus flagitia sub nominibus exoletorum fœminarumque perscripsit. Demodocus apud Phæacas Martis & Veneris colluſiones cantabat, non quod vitiis adularetur, sed ut cauterium adhiberet libidini, similia eorum moribus ingerebat; credo vel solo recogitatu improbos mores erubuisse. Atque quid causlæ cur Juvenalem, diligentissimum luxuriæ interpretem non accusent, qui eadem & sæpe gravius prosecutus? Quid dicam? hunc non solum legi, sed in sinu gestari, ne irascuntur quidem. Aristophanem, Anacreontem, Catullum, Martialem, totamque illam cohortem publice prostitui, tum pueris in ipsis Minervæ sacrariis præcantari patiuntur. Quæ ergo dementia est huic salutem negare, cum iis vitam concedamus? Sane nescio quis fatalis morbus veteres tenuerit, ut pudicitiæ sacra multoties profanare ipsis suave: taceo quam frequentes scopuli in Poëtarum scriptis, quos castæ mentes facile declinant, improbæ minime, taceo quam obviæ cantiones, haud dissimiles illis, quas Ulisses nisi alligatus prætervehi noluit, ad quas jam olim proborum aures occalluerunt; improbi vero non facile sonum istum excutiunt, imo prosequitur & diutius hæret; haut aliter affecti, quam ii, qui symphoniam audierunt, in quorum animis durat illa modulatio, atque ex intervallo recurrit. Solonem petulantes versus scripsisse, Platonem amatorie lusisse, D. Hadrianum versu lascivum fuisse, refert Madaurensis Philosophus, qui, cum ejusdem criminis insimulatus, ajebat se in vita philosophum, in epigrammatis amatorem. At arguunt & urgent, judiciorum spiculis reum Petronium, ejus nequitiam palam prostare nudam; facinus me hercles dignum proscriptione. Sed crimen excuso, ut ille olim Platonis versus petulantiores, scilicet tanto pudicitius composuisse, quanto apertius; *Namque id genus omnia occultare peccantis, promulgare ludentis est.* Quanquam quid attinet veritatem per interpretem quærere? Si verum amamus, multa in his scriptis, quæ menti impudicæ proluvium ad omne genus nefandæ libidinis. Sed ut apes ex omnium arborum satorumque floribus liquamen confingunt dulcissimum, araneæ venenum: ita probis, in quorum animis ne minimum quidem sui vestigium relinquit hæc scriptio, mel: improbis; quibus inhæret, venenum. Quid utilitatis ex hujusmodi scriptoribus capiendum, viri sancti jam olim monuerunt. Viderit si forte qui hic omnino nudas ineptias putabat, quas proprias poëtarum affirmat philosophia, qui solas aurium delicias profitentur, & dulces nectere fabulas anne frustra sit. Sane in scurrilibus his jocis præcepta sapientiæ, non solum in vita utilia, sed necessaria. Jam vero quis tam supercilio-sus, quem tot amabiles lusus, joci, & urbanitas tota non flectat? *Magna pars*, ait Plinius, *studiorum amœnitates quærimus.* Suadeo deduce oculos, atque huc diverte, peream nisi omnia tam venuste docta, ut non tantum ingenium alant, sed infinitam voluptatem & jucundissimum adferant oblectamentum. Denique quem non capiet oratio ista pudica, non maculosa, non turgida, sed naturali pulcritudine exsurgens, ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerit, quam tam facilem, tam probe temperatam in toto Latio frustra quæras, is mihi omnino mortuus, aut elephanti corio circumtectus videtur. Dicam, ne ejus manes obmussitent. Quam alti sublimisque spiritus poëta, speci-

men reliquit, cupiens probare posteritati, se noviſſe viam, qua iretur ad carmen, imo se in Heliconem veniſſe ingenti flumine literarum inundatum. Sed ut in gemmis & lapidibus sæpe nævi, nec proinde omnino viles: ita in hoc scriptore labes haud paucæ, quæ tamen totum minime deturpant. Bene olim Naso, qui ajebat decentiorem esse faciem, in qua aliquis nævus. Cæterum dic mihi, quis tam improbæ mentis, qui spurcitiem istam non palam damnet? ego sane hoc ajo, hoc testor, id potius animi cum aliis fuisse, elegantiæ & omnis lepôris, non Neronis nequitiæ Arbitrum edere, tantum ut omnes religiose caveant, ne quod deliquium morum integritas ex frequenti hujus tractatione patiatur, serio hortor. Sed profecto nimis multa oratio est. Neoptolemus Ennianus malebat paucis philosophari. Quidquid ergo est, tibi Vir Illustr. Josephe Scaliger, cujus incomparabilem eruditionem, ingenium supra mortales prius defessi sunt homines laudando (usurpabo illud Salustii ad Cæsarem) quam ipse gloria digna faciundo, Petronium Arbitrum à me recognitum, & animadversionibus illustratum dicare libuit. Pompejus, cui ex virtute cognomentum Magni accesserat, cum theatrum, arcem turpitudinum, extruxisset, veritus memoriæ suæ censoriam animadversionem, Veneris ædem superposuit: ita ego illustris nominis tui titulo damnatum hoc opus prætexui; atque haud fallit augurium; vivat, vivat diutius per æternum hoc nomen. Tu vero Vir. Ill. patere, exiles quasdam stricturas tui splendoris Petronium illuminare: nam & sol radios suos in loca deformia defert, nec inquinatur. Te quidem in excelso fastigio generis & eruditionis positum, religiose adiri debere scio. Verum & Diis lacte fit, nec putem ulli vitio fuisse eos colere, quoquo modo posset. Itaque ne toties ad hoc templum gratis accedam, laborem tenuem & exiguum obfero, veri legitimique muneris obsidem, quod meæ quidem temeritati haud recuso accedere; tamen si non prorsus fastidias votoriam hanc tabellam, nominis tui templo dicatam, in cœlum abire videor. Vale Vir Illustr. Lugduni Batavorum CIↃ IↃ.XCV.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

CUranti mihi novam Petronii editionem, animus principio fuit haud pauca adjicere, quo nova luce hunc auctorem suffunderem, nescio qua levi ductus insania; cum jam laboraret in fine opus, contenderemque, quid alii ante me (nam Parisiensis Edit. sero nimis in manus meas venerat) nihil mihi residui, præter exiles quasdam ineptias, quæ vel cuivis in facili congerere: continuo severa objurgatione me reprehendens, cœpi velle refragari, consilium mutare, imo prorsus abjicere; tum demum illam vocem oraculi existimans, quam toties alii insusurrassent; actum me scilicet acturum, commentaturus in scriptorem tradactum tot tantorumque ingeniis. Equidem fatebor tibi simpliciter, serio pœnituit stultitiæ meæ, tandem nonnulli instantiâ urgere, exsolverem, quod inconsulta pollicitatione promisissem; compulsus denuo adgredi, quod ex desperatione deferueram. Itaque * *quod adsolet apud prudentes viros esse, in operibus elaboratis judicatio restrictior, in subitariis vena prolixior*: idem hic spero; totum enim hoc proxima & repentina fœtura natum, quod vereor, monstrum Tethys ipsa jurabit haud ablui posse omnibus undis. Cæterum nullius hortamina tantum apud me potuissent, ut auderem hoc facinus, nisi dulce cum plerisque, qui ante me in hoc campo *difficiles habuere nugas*, dicam quod sentio, in quibusdam illorum vix risum, in quibusdam vix somnum teneo: satis non fuit illis nihil dicere, sed etiam lacera pleraque, & disrupta religare, pro nefas! infelicissima & fallaci manu; adtexere prætera nescio quas carminum quisquilias, ne ineptissimis dignas; pro quis me hercles; si in auctione venirent, neque Afranius nauci daret; ea Petronii adseverare, quid aliud quis dixerit, quam insaniam? tamen parum abest, quin audeant pallidi isti & jejuni concinnatores. Credite, hoc artificium vobis periit. Lector, ignosce ridenti. Atqui utinam vere errarent; qui calumniantur hoc scriptionis genus. Pace quorundam liceat dixisse, studii hujus dignitatem perdiderunt; miris enim artibus suis effecerunt, ut totum enervaretur & caderet. Primum genus illorum, qui circa litterarum apices digladiantur, quibus litterulæ immutatio triumphus, fastidiosa natio; si quid tale etiam aliis in mente, clamant furta, plagia, & tot nomina criminum graviorum; si quid forte imprudentius exciderit (ut maxime lubricum hoc scribendi genus, nec scio an quis unquam sine lapsu evaserit) conqueruntur ut de vi publica, delictum usque ad mortem; si quid in medio relinquas, ne vel hac via offensam incurras, quod omnia præripueris, protinus paratum illud Velleii: *Quid aliud quam nimium occupatum dicam, quem vel mendum vocis fefellit, aut hoc vel illo loco somnus obrepsit?* Jam tot ambitus sermonum per sententiarum tormenta, verba ipsa calamistrata tam apte posita, ut jurares de singulis illos iviſse in consilium. Dic mihi, anne fanaticus iste medicus, qui, dum urit & secat, lentis ductibus agit? simplex illa mundicia, quæ sine cerussa & fuco, tum constricta brevitas propria hujus materiæ, ubi res contenta doceri. Si qua nota melior, quanto præfamine illa exprimitur, parturiunt quod peperere, *habens artificium, quo prius persuadeant, quam edoceant*; primo cum audieris, haud ante gnarus quid nascatur, grande aliquid animo volvas: at cum offenderis, deus bone, ridebis illico fastum: litterulæ mutatio est, aut syllabæ transpositio. Sunt qui diaria texunt actuum, qui eloquentiam ostentant in alienis laudibus. Porro in profligandis adversariis usque ad fastidium & invidiam nimii; non tanti constitit Pompejo victoria; de subattrectatione alienæ scientiæ,

* Apuleji verba initio de Deo sent. Similiter loquitur Mellerus spicileg. 10. præfat.

tiæ, ut ait Plinius, famam sibi aucupantur; quibus instar mortis, si videant alibi clarum oriri sidus, pleroſque figuratis perſtringunt laudibus: novum maliciæ genus, laudare quod accuſes, haud oſtendunt vulnera, ſed infligunt ſcriptorem, cui manus commodabunt, ſi alius tangat, injuriam ſuam putant, cum ipſi vix decem annis abortum faciant: miramur, quod horum libri lectorem inveniant: nam legentium contumelia ſunt, quos putant optimi cujusque convitiis gaudere. Reliqua ſino præterfluere, ne in faſtidium adducta videantur; ſatiusque mea tegere, quam aliorum vicia indagare, *Accuſamus ſæpe quod facimus, & contra nos diſerti in vitia noſtra invehimur*, ait D. Hieronymus. Sane his moribus medicinas dicere, cum ventis litigare arbitror: Hippocratis potius fomentis, quam monitis aliorum indigent. Nos exſequemur reliqua propoſiti. Pleriſque is morbus familiaris, ut tanta in operibus ſuis promittant, propter quæ merito vadimonium deſeri poſſet. At cum intraveris, dii deæque quam nihil in medio invenies. Non eſt quod te ante rem ſuſpenſum teneam, aut vana ſpe ductem: nihil damus niſi frivola quæque & levia, aliis contempta potius, quam non viſa. Ita ſane oportuit poſt tam curioſæ diligentiæ viros, qui uberem meſſem ex hoc agro collegerunt; idem nos voluiſſe, licet non adſecuti, abunde pulcrum atque magnificum, omnis hic triumphus illorum, nos armillis & haſta donari ſerio recuſamus. Itaque legendi modum hic ponas licet, aut huic

——— *exarationi*
Diſtrictum bonus applicare theta.

Vulnera coacta prorſus, quæ ut ſcopuli aliorum quoque acumina fregerunt, reſcindere non libuit, ne novas plagas incuterem. Quæ ordini obſtreperent, lectoriſque intentionem diſpargerent, malui differre, dum plenius in hunc ſcriptorem melius nactus exemplar; Itaque fraudi non erit, ſi intacta multa relinquam, equidem *ſi bonus eſt Lector, quæ omiſi non oblita nobis, ſed præterita exiſtimet.* At mihi nunc aggreſſuro venia opus erit (ſæva enim & infeſta virtutibus tempora) quam ut benigne indulgeas obteſtor. Indubie ſæpius peccaturus, quippe qui homo & adhuc juvenis. Cæterum *placebo tibi, ſi me culpam emendare permiſeris.* Hoc te rogo, lector.

EJUSDEM PRÆFATIO IN VARIORUM IN P. ARBITRUM OBSERVATIONES AB SE DIGESITAS.

Scripta eſt hæc epiſtola Anno 1595.

ANni ferè * XXCV. poſtquam renatus Petronius, ſed pro nefas tam ruptus, & multifariam truncatus, ut potius informe pecus ex matris viſceribus exciſum, quam legitimus fœtus. Itaque docti viri, publico bono nati, continuo dilaniata & diſperſa ejus membra cum cura conquiſiverunt, fracta & luxata obligarunt, quorum acumen, & feliciter curioſas manus expertus Arbiter, ut anguis, convertit corium & ævum. Quam damus, editio ſeptima eſt, ea ut purior & amplior prodiret, imò ne quid omnino deeſſet, votum & animus mihi fuit. Quidquid igitur emendationum & explicationum ad Petronium pertinentium, apud noſtri ævi præclaros viros ſparſum, excerpſimus, digeſſimus & hoc faſciculo comprehendimus, quo in promptu eſſent, & velut ſub uno oculorum ictu. Selegimus autem neceſſaria; nam omnia adjicere nec libuit, nec per formam libelli licuit.

CASP. BARTHIUS

Nob. Clariſſimoque Melchiori

GOLDASTO AB HEIMENSFELT.

PEtronium Arbitrum gaudeo tandem à te percenſitum VCL. & amiciſſime. Multa in eo olim ego diſputavi, multa in aliorum Animadverſiones animadverti. Omnia nunc diſpunxi uſque ad mancas has Notas, quas tibi jugulandas mitto, potius ne promiſſo meo deſim, quam ut operæpretium in iis me feciſſe arbitrer. Gratulor autem & tibi famam, & juventuti egregium ſuum, quod genuino nitori tandem abs te reſtitutus lepidiſſimus ſcriptor in ora virum exibit. Ego nihil pro tempore quæro, niſi ut nomen meum expungam, quod in tabulas relatum, & à claritate nominis tui ſplendorem adoleſcentiæ meæ mutuor. De reliquis tu videris. Qui ab immortali hoc Charitum pullo nunquam perituram famam habebis. Salve ab eo qui tibi commendatus eſſe cupit, tèque admiratur.

T. PETRONII ARBITRI VITA.

LOTICHII

IN tanta temporum obſcuritate, vitam PETRONII ſcribere difficile eſt, partim, quod quidam eundem *Romanum* fuiſſe adſerunt, quòd *Petronia gens* illuſtris *Romæ* extiterit, è qua PETRONIUS *Voluſianus* Conſul fuit, imperante *Gallieno*, Anno Chriſti CCLXII. quo eodem tempore, aut paulò antè, floruiſſe hic PETRONIUS putatur: partim, quod alii eundem *Maſſilienſem* fuiſſe ſcribunt: è quorum catalogo videtur eſſe *Apollinaris, Geſnerus,* & alii. Plures autem, quo ad nomen, fuerunt PETRONII, ſcil. PETRONIUS hic ARBITER; PETRONIUS Rhetor; PETRONIUS, Epiſcopus Bononienſis, aliàs Grammaticus; PETRONIUS Aſcanius; PETRONIUS Indicius; PETRONIUS Venuſtianus; PETRONIUS Antigonus Piſaurenſis; PETRONIUS Hilarius Piſaurenſis; PETRONIUS Apollodorus, Pontif. Rom. &c. Sed, inter cæteros, *Plinius* libr. Hiſtor. natur. XXXVII. cap. II. PETRONII ARBITRI in ſequentibus commeminit: T. PETRONIUS (ait) *Conſularis morituras, invidia* NERONIS *Principis, ut menſam ejus exhæredaret, trullam murrhinam trecentis ſeſtertiis emptam*

fregit. Taciti verò beneficio restitutum est PETRONIO *Caii* prænomen; *Turpiliani* cognomen; *Arbitri* agnomen. Quidam contrà putant, eundem PETRONIUM NERONIS *Arbitrum*, ab officio sic appellatum, & dignitatis nomen in aula *Principis* fuisse, quod tamen auctores vix putant credibile. PETRONIUS interim *Turpilianus* temporibus NERONIS, cum C. *Junio Cæsonio Pato*, Consulatum gessit: undè *Lex Junia Petronia*, itemque *Senatus-consultum Turpilianum*. Præterea *Epicureæ sectæ*, quoad vitæ studiique genus, PETRONIUS hic ARBITER discipulus magis fuisse perhibetur, quàm *Stoïcæ*, cùm ità invehatur in *Stoicos*:

Ipsi qui Cynica traducunt tempora cœna,
Nonnunquam nummis vendere verba solent.

Contrà sic idem *Epicurum, patrem veri*, pronunciat.

Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Fussit, & hanc vitam dixit habere Deos.

Tres autem *Epicuri* istius cardinales memorantur errores; quorum primus est hic: *Deos res humanas non curare, sed otiosos in cœlis stertere, valdè occupatos in nihil agendo.* Hinc apud *Epicureos* ridentur superstitiosi, qui quidem DEUM timore ità terreantur, tanquam pueri nocturnis terriculamentis, aut spectris. Cujus sententiæ ipse PETRONIUS fuit, sicut è sequentibus innotescit:

Primus in orbe Deos fecit timor, arduа cœlo
Fulmina cùm caderent. ——

Alter erat iste: *In voluptate summum bonum versari*, ut hinc evidens:

Ergo vivamus, dum licet, estque bene.

Tertius his accedit: *Animas cum corporibus simul perire*: qui quidem error insignis moribundo in PETRONIO conspicuus fuit, dum, referente *Tacito: audiebat ille referentes nihil de immortalitate animæ, & sapientum placitis, sed levia carmina, & faciles versus:* quasi dicat, eundem PETRONIUM immortalitatem animæ ludibrio potius habuisse, quam credidisse.

Et hæc de PETRONII hujus Satyrici vita, non nisi multa obscuritate involuta. Qui plura desiderat, adeat ipsos auctores, qui passim in Satyricum nostrum commentati sunt. Sequens autem *Tetrastichon* vitæ ARBITRI in *Bibliotheca* nostra *Poëtica* destinavimus, quod hic ascribere non pigeat:

Polluit obscœnos PETRONIUS inter amores
Doctiloquum venæ prosperioris opus.
Nomine sic citharæ vates fuit ARBITER & re;
Turpes tolle jocos; cætera purus erit.

MICHAELIS CASPARIS LUNDORPII
Francofordiani Moenigenæ, Historici & Philologi

OMOΛOΓOΥMENA,

ID EST

Elogia, Testimonia, & Judicia veterum recentiumque Scriptorum

DE

T. PETRONIO ARBITRO,

& ejus scriptis.

B. Hieronymus Stridonensis Epist. ad Demetriad.

Cincinnatulos pueros, & calamistratos, & peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri est; *Non bene olet*, &c.

B. Benedicti Abbatis Floriacensis Glossarium.

Excelsissimus dicitur à Petronio in 1. Satyrarum.

B. Antoninus Archiepiscopus Florentinus in Summa Historiali, sive Chronicor. part. 2. tit. 11. cap. 2. §. 5. ubi de S. Petronio Bononiensi.

Vincentius in Speculo historial. lib. 21. cap. 25. sic ait: De quodam libro Petronii partim metrico, partim prosaïco, hæc moralia excerpta notavi.

Quid faciunt leges, &c.

Joannes Trithemius Abbas Spanhaimensis de Scriptoribus Ecclesiastic.

a. Petronius Episcopus Bononiensis, conversatione Monachus, in divinis Scripturis valdè doctus & eloquens, & non minus sanctitate quam scientia reverendus, qui multis in vita & post mortem miraculis coruscavit, sicut ex ejus historia legitur. Scripsit inter cætera *de Vita Sanctorum Patrum lib.* 1. De *Ordinatione Episcopi lib.* 1. & alia nobis incognita. Moritur sub Theodosio & Valentiniano, anno Domini CCCLXXXV. indictione XIII.

A Janus Parrhasius Neapolitanus Commentar. in Claudian. de Raptu Proserp. lib. 1. p. 67.

Eumolpus apud Arbitrum ait; *Non verno persona cantu* &c.

Editio Veneta, cujus primum folium in meo exemplari abscissum est, in calce habet:

Impressum Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus, anno Domini MCCCCXCIX. die XXIII. mensis Julii.

Phil-

a. De hoc Episcopo, qui diversus longe est ab Arbitro nostro, videri possunt Eucherius Lugdunens. in *Paranetic. ad Valerian.* Gennadius Massilienſis *de Scriptoribus ecclesiastic. cap.* 41. Leo Magnus *Epistol.* 52. Honorius Altisiodorens. *de Scriptor. ecclesiastic. cap.* 41. Antoninus Florentinus *Chronicor. part.* 2. *tit.* 11. §. 5. Non rectè Cardinal. Baronius in *Not. ad Martyrolog. Roman.* IV. *Non. Octobr.* eum confundit cum Petronio Jureconsulto, cujus non semel. Meminit Sidonius Apollinaris in *Epistol.* Videatur *Vita S. Petronii* ab Sigonio restituta apud Laur Surium *de Probat. Sanctor. vitis tom.* 5. ipse Sigonius in *Commentar. de Reb. Bononiens.* Sixtus Senensis in *Bibliothec. Sanct. libr.* 4. Erasmus Roterodam. in *Schol ad Eucherii Paranetic.* Postevinus Soc. Jes. in *Apparatu sacro*, verb. *Hieronymus.* Rosweydus in *Not. ad Vitas Patrum*, Andr. Rivetus *l.* 4. *Critici Satiri cap.* 8. LUNDORP.

Philippus Beroaldus, Commentar. in Cicer. Tuſculan. quæſt. lib. 5.

De qua eſt Petronii Arbitri ille verſus dignus memoratu.

Franciscus Floridus Sabinus.

* * *

Quotusquiſque hodie vivit, qui non ſibi cenſuram in ſcriptores, quaſi à Diis immortalibus demandatam, arbitretur? Ut enim de aliquibus toleretur judicium, quiſnam hoc tempore de Cicerone, Livio, Saluſtio, Tacito, Terentio Varrone, Corn. Celſo, Plauto, Terentio, Virgilio, Horatio, Lucretio, Ovidio, Catullo, Tibullo, Propertio, Petronio, cæteriſque ſimilibus, aliquid in ſiniſtram partem, ſine magno ſcelere decernere audeat? Quorum ſcripta orbi probatiſſima ſemper fuere, & à nullo adhuc ſatis digne laudata.

Joannes Alexander Braſſicanus JC. & eques Auratus, Exemplar, quod manu ejus propria exaratum habemus, ita inſcripſit:

Petronii Arbitri, Scriptoris antiqui & valde boni, quæ quidem extant reliqua, recens à pluribus mendis, beneficio vetuſtiſſimi exempli, vindicata, & quoad ejus fieri potuit, reſtituta; adiectis Scholiis utilibus, nec minus eruditis. Ἀναγνωσῆ:

Μικρὰ μὲν ἔργα τὰ δ' ἐσὶν ἔχει δ' ἡδεῖαν ὀπωπὴν ὡς ῥόδον ἐν χηπίοις, ὡς ἴον ἐν ταλάροις·

Concilium Tridentinum in Regula Indicis librorum prohibitorum.

Libri antiqui, qui res laſcivas ſeu obſcœnas ex profeſſo tractant, narrant, aut docent, ab Ethnicis conſcripti, propter Sermonis elegantiam & proprietatem permittuntur: nulla tamen ratione pueris prælegendi erunt. Deinde in ipſo Indice inter libros vetitos reponitur:

Petronius Arbiter in Satyra.

Ptolemæus Flavius Anconitanus in Conjectaneor. & obſervationum Centuria, cap. XC.

Dulcis Poëta uſurpat Petronius Arbiter.

Petrus Nannius Alcmarianus lib. IIII. Miſcellaneor. cap. ult.

Eſt adhuc aliud genus Satyræ, à Petronio Arbitro frequentatum, quod partim carmine, partim ſoluta oratione conſtat.

Ioachimus Camerarius Senior in Epiſtol. ad Braſſicanum.

Petronii Satyricon elegans eſt: ſed flagitia & turpitudinem nefariam proponit, ad cujus cognitionem terreri debent animi piorum, conſideratione horribilis iræ divinæ, qui contemptum & neglectionem veritatis tam atrociter ultus fuit, ut in tantos errores, & talia peccata homines delabi ſineret: in quorum mores hæc tanta & tam fœda immemorabilia vitia invaderent, quibus quidem civitates & imperia tandem interierunt.

Michael Neander Soravienſis Phyſicæ Philoſoph. part. II. pag. 358.

Petronii Arbitri elegantes verſus, quos nuper Guilhelmus Canterus e Schedis antiquis protulit, tales ſunt &c.

Adrianus Turnebus Adverſar. Lib. VIII. cap. XVIII.

Verſus ſane quam amœni & elegantes extant Petronii Arbitri de ciconia: ſed, quod inter nos dicere liceat, *coraliſtria*, in eis quid ſibi velit, nullo modo aſſequor.

Joſephus Juſtus Scaliger Comes a Burden, lib. I. epiſt. XXXI. ad Pet. Pithœum.

Illud etiam te rogo, Sotadicum illud Petronii, ut apponas in fine Catalectorum noſtrorum, ſub titulo MISCELLA PETRONII: ubi ſpatium ei reliquimus: &, ſi me amas, addes aliquid commentatiunculæ tuæ ad lectorem &c. Carmen longum Petronii, ſtatim poſt epiſtolam Lucani collocari volumus. *Et mox ibidem:* De Petronio tuo etiam aliquid exſpecto. *Et epiſt. XXXII. ad eundem:* Auximus Catalecta noſtra plus quam centum poëmatiis, quæ antehac nunquam excuſa fuerunt, & quorum multa ſunt Petronii. Id quod judicatum prius è ſtilo, poſteà verſibus quibuſdam, qui jam editi ſunt, confirmatum fuit. Tantum ſumus φίλαυτοι in judiciis noſtris: & ignoſces philautiæ ſive ſtultitiæ meæ.

Idem Commentar. in Priapeja diverſor. Poëtar.

Scripſerunt hujus argumenti Poëmatia plures veterum, Catullus, Tibullus, Ovidius, Petronius Arbiter, alii. Itaque ex illorum epigrammatis totus hic liber concinnatus eſt, & conflatus ab eo, qui epigramma libro præpoſuit &c. Sane Petronium hujuſce argumenti & nominis quædam luſiſſe auctor Sidonius:

Jacobus Nicolaus Loënſis Medicus, Miſcellan. epiphyllid. lib. IV. cap. I.

Ne quis ab Iſidoro confictum putet, ſciat Petronium Arbitrum ante eum hoc litteris mandatum reliquiſſe. Quod etſi in his fragmentis, quæ hodie circumferuntur, Petronii non exſtat, citante tamen Joanne Salesberienſi (quem vulgo Architrenium vocant) in opere ſuo, quod Polycraticum appellat, Petronius hujuſmodi tradidit. Verba ejus auctoris, etſi hominis doctioris magis, quam diſerti, non veritus ſum apponere.

Petrus Maturus Presbyter Societatis Jeſu Lugdunenſis, in Annotation. ad B. Antonini Florentini Chronic. part. 2. tit. 1. cap. II. §. 5.

Ex Petronio Arbitro hæc deſumpta ſunt, quæ habet Vincent. lib. 20. cap. 25.

Juſtus Lipſius Iſcanius, Commentar. in Taciti Annal. lib. XVI.

De C. Petronio] Quem viri docti cum cenſent, cujus

cujus fragmenta hodie puriſſimæ impuritatis. De quo etiam delibero; ſicut & de prænomine, quod apud Plinium lib. 37. cap. 2. *Titus* eſt, itemque Plutarchum libello Πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου.

Chriſtophori Richardi Bituricis JC. Præfatio. Patiſſonio S.

Petronii Arbitri Satyricon, ſane eruditiſſimum, relegi, ac tuæ imprimis voluntati ſatis facere dum cupio, nonnulla obiter adnotavi, quæ, ſi tibi digna prælo tuo videbuntur, excudes. Memineris tamen me conjecturis ejuſmodi non plus tribuere quam ſomniis, quæ neque natura ſua, neque conjectoris ingenio, ſed caſu aliquando vera ſolent evadere. Vale. Cal. Decemb.

a. *Carolus Scribanius Societ. Jeſu in Amphitheatro honor. libr.* III. *cap.* V.

Audi alterum cæli terræque contemptorem *b* Capaneum, (*Primus in orbe Deos fecit timor*) provocantemque non jam Reges, ſed Deum ipſum, &c.

Marcus Velſerus Duumvir Auguſtanus Rer. Auguſtanar. lib. V.

Petronii arbitrarias ſecures facilè hebetamus; nec enim Auguſtalitatis inſigne, ſed ad oſtendendum mirificum Trimalcionis nomen Regium, aut triregium verius, &c.

Georgius Thomſonus Andreapolitanus Scotus in Vindice veritatis adverſ. Juſtum Lipſium lib. II. *cap.* II, *pag.* 108.

c Sanctiſſimi viri opuſculum pietate refertum fortè habebat in pera Epiſcopus, Petronii Satyricon; quo educto, & aperto obtulit ſe hemiſtichium:

- - - *Placitone etiam pugnabis amori?* &c.

Janus Douſa Fil. Conjectaneor. & Notar. in Catull. cap. I.

Sed ab *ultima nocte* ad *viduam* tranſeamus, quam ex ſequenti Carmine (Catulli) in Satyricon ſuum tranſtulit idem ille eruditæ luxuriæ arbiter.

Marcellus Donatus Medicus, Dilucidation. in Spartiani Adrian. pag. 1081.

Petronius deſcribens accubitum molliſſimum omnium Malchionum &c.

Iſaacus Caſaubonus Commentar. in Perſii Prolog.

Petronius Arbiter Perſio æqualis.

Joannes à Wouwer Hamburgius in tract. de Polymathia cap. I. *de ſua Petronii editione ſcribit.*

Nuper exactis pueritiæ annis, ductus amabili inſania, paſſus ſum frangi famæ meæ florem editione abortivi libelli, qui mihi quaſi tentanti vadum futuri favoris præmiſſus, infelicibus auſpiciis præluſit. Quibus ſtudiis exceptus fuerit non ſcio, neque ſcire magni feci, cum in ejus editione non meam ambitionem, aut gloriolæ aucupium, ſed commune rei litterariæ commodum ſpectarim: Equidem jam ſecurus famæ quaſi in ſoporem lapſus requieſcebam, ſed turbant conſtantiam meam perverſa quorundam judicia, quibus ſi ſtamus, profecto intererat infelicem fœtum nunquam naſci. Sed cum mihi excidit illa ætate, quæ capere non poteſt, quàm grave poſteritatis judicium, & alioquin parum ſollicita, quid triſtiores iſti probent, vel ſupercilio ſuo proſcribant, jacta jam alea ſatius duxi tollere deformem fœtum, quàm alienæ miſericordiæ impie exponere; præſertim cum ii, qui nos laceſſunt, plumbeis pugionibus pugnent; quos rectè, ſi quid ſentio, deſcripſit Ariſtides in orat. περὶ τοῦ παραφθέγματος. cujus verba ideo libentius uſurpo, quod ea tot ſæculis antè de hujuſmodi hominibus, non tam præmeditata oratione dixiſſe, quam ſacro inſtinctu agitatus, velut vaticinio, effudiſſe videatur: οἱ πλείω μὲν, inquit, σολοικίζουσιν, ἢ φθέγγονται· ὑπερορῶσι δὲ τῶν ἄλλων ὅσον αὐτοῖς ὑπερορᾶσθαι προσήκει, καὶ τοὺς μὲν ἄλλους ἐξετάζουσιν, αὐτοὺς δὲ ἐδιπώπολ' ἡξίωσαν, καὶ σεμνύνουσι μὲν τὴν ἀρετὴν, ἀσκοῦσι δὲ οὐδέπω· ὀνειδίζουσι δὲ τοῖς ἄλλοις, ἐπὶ τῶν πραγμάτων κατεγνωκότες, ἀλλὰ φθονοῦντες ὅτι αὐτοὶ πράττειν οὐ δύνανται: *Qui ſæpius inconditè loquuntur, quàm os aperiunt; alios contemnunt ipſi maximè deſpiciendi; in alios ſollicitè inquirunt, in ſe verò nunquam. Virtutem, quam non exercent, commendant. In aliis improbant ea, quæ ipſi quidem non damnant, ſed quod paria facere non poſſunt, invident.*

Omnes interim Veneres & Gratias, quæ ipſos aut infœcunda ſenticeta deſeruerunt, laſciviam & errorem appellant, quorum ferreo ori nullæ fidiculæ pudorem extorquebunt, in aliis accuſantes, quod ſuum vellent, ſi per naturæ Genium liceret. Prævaricatores aliorum peccata abdita & latentia infami elogio ventilant, & minus cautæ ac ſimplici innocentiæ vitiorum præconem conducunt; cum ipſos proprii pudoris decoctores ulceribus & porrigine obſitos fœda flagitiorum ſcabies jam olim depaſcat. Stultitia eſt ex verborum propinquitate de ipſis rebus conjecturam facere. Sed arguenda erant verba illorum, qui factorum ſunt innocentes. At te fugere potuit, ais, illud Plinii: *Narrantem ſimilem eſſe facienti.* Ergo tam difficilis venia levis errati. Admonere nos debuerat lenitatis humanitas majorum, quos prope Mercurii ſtatuam Gratiarum imagines collocaſſe Plutarchus prodit. Favendum ſcilicet delictis illorum arbitrabantur, quos ingenii amore lapſos conſtabat. Quanto enim hi proniores errori, tanto paratior iis apud omnes venia, & ignoſcendi ſtudium eſſe debet. Sed profecto oblitus ſum mei, qui hæc verba tam indigne perdam, cum ineptiſſimos homines mores ſui ſatis ulciſcantur.

Gaſp. Sciopius Francus, Conſiliarius Pontificius & Cæſareus, &c. Veriſimil. lib. I. *cap.* IV.

Multa eſſe apud auctores non protrita vulgo loquendi genera, & quæ, cum nobis minus familiaria accidunt, & ſtupor noſter elegantiam illorum non adſequi-

a Alias Clarus Bonarſcius. *b* Qui fulmine ictus ob Deorum contemptum periit. *c* Ironicè ſic vocat Petronium.

quitur, ſtatim in medicinam rapiamus, pridem ab aliis demonſtratum eſt, & ipſe nunc duobus Petronii Arbitri locis, ſcriptoris elegantis, Jupiter! & terſi, oſtendere conabor.

Idem ibid. lib. II. *cap.* XIV.

Otioſi ſuperioribus hebdomadis, ego inquam & v. CL, Ignatius Hanniel cum Nobiliſſimo juvene Johanne de *a* Bredow Eq. Marchico, Petronii Satyricon temporis cauſſa legebamus. In eo ut quicque nobis in mentem venerat, ad oram editionis Douſicæ, quam beneficio CL. Rittershuſii Altorphio habebamus utendam, (nec enim ejus notæ libri ad has oras ſe penetrare ſolent) adnotavimus. Et earum quidem conjecturarum, quæ tunc in ſolidum miſi, nonnulla heic proponere volui.

Idem in Admonition. ad lector. in calce eorund. Veriſimil.

Neque etiam diſſimulare debui, cum jam ad exodium opus hoc ſpectaret, adlatam ad me fuiſſe novam Petronii Arbitri editionem, omnium illam multò emendatiſſimam & pulcherrimam, cujus architectus Johannes à Wouweren, juvenis, ut apparet, ingenioſiſſimus, in uno atque altero loco idem pene mecum cogitavit. *Rurſum ibid.* Reperio in Petronio vicinam, in Catullo vero eandem plane emendationem cum illa, quam multo ante ipſi Giphanio, & Generoſo juveni Gundaccaro Baroni à *Tannberg* &c. amico meo ſuaviſſimo, forte mecum in Muſeo meo cœnantibus, *b* propoſueram. &c.

Idem in Scaligero Hypobolimæo pag. 12. *b. de Theodoro Beza.*

Pariſiis Genevam pervolavit, & ad Calvinum *Totus* ſe recepit, eique mox rebus ipſis, *ut plurimum ſibi crederet, Totum ſe approbavit*; quo pacto poſſent ea, quæ inquinatiſſimis, ſive, ut vos Arbitri Sacricolæ loqui conſueſtis, *officioſis illis ſuis manibus* in Novum Teſtamentum exaravit, hanc nefariam ejus impudicitiam non redolere?

Et pag. 9. *b.* Sed Ariſtoteles quoque in VII. Politicor. cum turpia omnia, & in quibus vel obſcœnitas vel improbitas ineſt, cujuſmodi *c* Jambos & Comœdias eſſe ait, procul à conſpectu puerorum, & adoleſcentum removere jubet, quod ex loquendo, audiendo & videndo turpia, turpiter quoque faciendi licentiam conſequi dicat.

Pag. 22. *b.* Exiſtimabam prius te fato tantum eſſe Polyæni illius Petroniani, quod his ille verſiculis complorat; *Me quoque per terras, per cani Nereos æquor.* &c.

Pag. 183. Sed pluris eſſe tibi video unum Petronium, quam mille Tullios.

Pag. 298. Sed tu gratus ſcilicet in Douſam eſſe voluiſti, qui non ſolum præclaras illas in Petronium Notas ediderit, ex quibus pæderaſtian non minus, quam ex ipſo Petronio, diſcere adoleſcentes poſſint.

Denique pag. 282. Cum pater tuus obſcœnos & immemorabiles Auſonii, Martialis, Petronii ſimiliumque Poëtarum verſus negarit à Critico cenſendos, atque adeò ne legendos quidem omnino, aut audiendos, ſed deteſtandos & flammis expiandos, & pro ſignis Priapi, atque adeò pro libris honori ejus ſcriptis, Sanctorum imagines à nobis habendas eſſe contenderit: tu exortus es, homo ſanctiſſimus, & caſtitatis ac pudicitiæ exemplar, atque ſpecimen, qui non modò illum ipſum cenſura Patris tui notatum Auſonium, ſed hoc etiam Burdigalenſi Triphallo nihilo deterius mutoniatos, Catullum, Tibullum, Propertium, & Priapejorum verſuum ſcriptores, magna temporis curæque impenſa à te recenſitos, caſtigatos, nec pœnitendis (ut gloriaris) commentariis illuſtratos emittere, & adoleſcentibus commendare auderes. Hoc, ſatis ſcio, nullo modo patri tuo probare poſſes. &c.

Arnoldus Clapmarius, Bremenſis Saxo JC. in Nobili triennio, p. 28.

Hunc (Homerum) leges, & releges cum Theocrito & Virgilio, Horatium cum Pindaro, Lucretium & Manilium, cum Arato & Muſæo, Heſiodo & Oppiano, Catullum & Propertium cum Callimacho & Anacreonte, Senecam cum Euripide, Æſchylo, & Sophocle, & reliquos veteres Poëtas, ante aliquot annos à Stephano editos, Ennium, Lucilium, Laberium, Afranium, Pacuvium, Petronium, Varronem &c.

Ludovicus d *Dorleans Pariſienſis JC. in Cogitationibus ad Taciti Annales libr.* V. *pag.* 831. *col.* 1.

CAJO PETRONIO] Qui dictus eſt Arbiter Neronianæ eloquentiæ; interverſor naturæ, & lucernarius. Vivebat enim ad lucernas, de die dormiebat. Quod hodie multi faciunt caſtrenſes bardocuculi. Eſt de eo epigramma, tractum ex bibliotheca Vaticana. Cæterum non idem eſt C. Petronius, & T. Petronius, de quo Plinius lib. XXXVII. c. 11. Nam T. Petronius mori non eſt juſſus, ſed C. Petronius, qui heic moriturus ſub Nerone oſtenditur. SUPRA PAUCA REPETENDA SUNT) De C. Petronio ſuprà pauca repetenda ſunt; id eſt, ſcribendum eſt de Petronio paulò amplius, quàm paucitas expetat. PROCONSUL TAMEN BITHYNIÆ) Qualis fuerat ante eum Catullus Poëta, uterque vitæ mollioris.

Idem ad lib. 11. *Annal. pag.* 231. *col.* 2.

Inter Romanos elegans ſcriptor, Petronius Arbiter, illam veſtem ſericam vocat eleganter *ventum textilem*. *Rurſum pag.* 317. *col.* 2. Sic Arbiter ille nequitiarum. *Iterum pag.* 316. *col.* 2. Sed magis Arbiter ille proſtibulatis. *Denique ad libr.* XI. *pag.* 604 *col.* 1. Pe-

a Cui Petronium expoſuit in Academia Altorphina, & Phraſes dictavit elegantiores. *b* Petronianæ lectiones in convivio propoſitæ. *c* Id eſt, Mimos. *d* Alias Aurelianus dictus.

1. Petronius Arbiter hoc eleganti versu describit tempus istud.

Fridericus Taubmannus Francus, Notis in Plauti Truculent. act. III. *sc.* III.

Elegantes sunt Publii Mimi versus apud Petronium Arbitrum, quos appingam.

Matthæus Raderus Societatis Jesu, Comment. in Martial. lib. VIII. *Epigram.* III.

Musa ad Martialem:

At tu Romano lepidos sale tinge libellos,
Agnoscat mores vita legatque suos.

quos tamen ita describit, ut parcat personis, exponat vitia. Hoc Petronius facit, petulantius tamen.

Thomas Dempsterus à Muresk Baro Scotus JC. in Paralipomen. ad Rosini Antiquit. Roman.

Petronius Arbiter candidus, tersus, suavis, in omnibus mirandus, modo absit obscœnitas.

Joannes Savaro Arvernus JC. & Præses, in Notis ad Sidonii Carm. IX. *v.* 264.

De Petronio plura congesserunt veterum elogia, qui in eum notas texuerunt, quas consule.

Janus Gruterus in a *Explanation. in Plauti Amphitruon. Prolog.*

Festivissimus Poëta Petronius Arbiter Satyrico.

Christophorus Beyssius Parisiensis, in sua editione Petroniana de anno MDCI. *pag.* 135.

Quandoquidem video inter eruditos convenire, ex iis, quæ in Priapum leguntur inter Catalecta veterum Poëtarum, nonnulla hujus esse Petronii, visum est ea adjicere, simul & alia quædam non dissimilis argumenti.

Martinus de Roa, Hispanus Societatis Jesu, Singularium locor. lib. VI. *cap.* XVII. *de Petronio scribit.*

Sed ego nec tam religiosus sum in auctore non tam religioso, nec tam sacrosancta duco illius scripta, ut non putem licere, quod in sanctioribus licuit, mutare syllabam, aut etiam dictionem, modò probabili conjectura id fiat, & lux auctoribus afferatur.

Emundus Richerius, Sorbonæ Theologus, in Obstetrice animor. cap. IV. *num.* 4.

Utinam non mirari oporteat, quare juventus ad libidinem prona, sed quamobrem non longè vitiosior sit; quippe qui Poëtarum quorundam carminibus, & Petronii operibus igni æterno devovendis, quasi Divorum Pauli Epistolis, Ambrosii Officiis, vel Augustini Confessionibus, impunè, liberè, glorioseque utatur. *Mox subjicit.* b Sed me censere dico Poëtas illos & auctores emungendos, non mutilandos; mundandos, non evirandos; velandos, non castrandos esse: hoc est, ut à Concilio Tridentino est sanctissimè constitutum, viris ad legendum, non pueris ad interpretandum esse concedendos &c.

Daniel Heinsius Præfat. ad Lector. in Maximi Tyrii Dissertationes.

Plautus aut Petronius ætatem occupant, Philosophia sordet & squallet.*

Eustathius Swartius Bavaro-Palatinus, Analector. lib. II. *cap.* IX.

Juvat & unico præstantissimoque elegantiarum Arbitro horam, & in antecessum levicula quædam dare, (dum ultimam recipiat manum, quam cum Indice operosissimo adornamus, nova editio) cum hodie ferè nullum placeat ingenium, quod in eo non fategerit.

Petrus Scriverius Lugdunensis Belga, Prolegomen. ad Senecam Tragic.

Video Epigrammata quædam de exsilio, quod Seneca primo Imperii Claudiani anno subiit, ex Schedis Pithœanis deprompta, &c. Quædam Senecæ, quædam Petronii, aut alius possunt videri.

Johannes Norwegus Syngleſiensis Hassus in Promtuario Grammatico, in Nomenclatore varior. autor.

Petronius Arbiter, Massilienſis à plerisque existimatus, Satyricon opus varium composuit; cujus licet fragmenta ad nos tantum pervenerint, eademque parum castigata, multæ tamen eruditionis hominem fuisse, facilè cognoscimus, &c. Vide plura apud Gyraldum de Latinis Poëtis. Alexander Brassicanus fragmenta illa emendavit, & Annotatiunculis illustravit, pauloque antequam obiret, Joan. Oporino excudenda transmisit. Petronii Arbitri Massilienſis Satyrici fragmenta restituta, & aucta è Bibliotheca Joannis Sambuci, Antverpiæ, Plantinus, &c.

Fridericus Lindenbrogius JC. Hamburgius Notis in Catalecta ad Lucani Panegyricum:

Apud Petronium in convivio Trimalcionis chrystallinæ sunt tesseræ, cujus verba digna sunt, quæ adscribantur.

Sethus Calvisius Lipsiensis in Chronologis. Anno Christi LXVI.

Inde in Tacito longa series recensetur clarissimorum virorum, quos Nero occidit; inter quos etiam est Petronius Poeta, qui voluptatibus plerumque totus

a Exstant manuscr. apud v. cl. Suffrid. Sixtinum Amstelrodamens. b Videatur Julius Nigronus Societ. Jes. *in Dissertat. de Lectione librorum amatorior.* Francisc. Sacchinus Soc. Jes. in *Orat. de Ratione libror. cum profectu legendor. & de vitand. morib. nox. lect.* Laurent. Gambara *de perfect. poëseos rat. & cur abstinendum sit à Script. Poëmatum turp. aut falsor.* &c. Savaro *Not. ad Sidon. lib.* 3. *epist.* 13. *in fin.* * *Invehitur in eos, qui omne suum studium in legendo, emendando & interpretando Plauto aut Petronio consumunt.*

tus mersus fuit. Interdum tamen se vigentem & negotiis parem ostendit; ideò etiam proconsul in Bithynia fuit.

Christophorus Besoldus JC. in Dissertat. de Republ. curand. cap. II. *in princ.*

Adde elegans Petronii carmen de mutatione Reipublicæ Romanæ.

Idem in Dissert. de Educatione, studiis literarum, peregrinatione, &c. cap. v. *num* III. *in fine.*

Sic & contra declamatores, ac pro naturali eloquentia, festivè pugnat Petronius in princ. Satyr.

Caspar. Barthius eques Saxo, Adversarior. lib. VII. *cap.* V.

Obscœnissima atque impurissima meretrix Quartilla apud Petronium introducitur de se loquens, ut vitia seculi illius narrationibus fictarum personarum vera proponuntur in eo Satyrico. *Et statim*; Sunt vero, qui poëtica levitate, aut Satyrica licentia Petronium tale quid finxisse potius, quàm veræ rei gestæ narrationem proposuisse opinentur: quibus ego penitus seorsum sentio. Talia enim erant secreta illa noctium Neronianarum, quæ literis prodidit Arbiter, ad quæ depingenda ingenio illo luculento perperam abusus est, & nefario instituto, nisi quod vituperat potius & detestatur, quàm describit, quæ narrationis jucundæ effigie proponit: *Rursum ibidem:* Idem disertissimus scriptor, Petronius nimirum, (nam quæ turpia in eo sunt, adeo nuda omni ambitu, ut ipsamet se condamnent) ævi Illatini magnis ingeniis adeo familiaris fuit, ut nonnullorum scripta vel solus, vel cum paucis aliis Latiniora fecisse sit credendus. In his est sacratissimus Episcopus, prudentissimus Princeps, & ingenio memoriaque admirabilis dissertator Joannes, Saresberiensis cognomine; cujus phrasis cum aliquando adeo similis hujus Arbitri stylo atque acumini sit, merito nos suspicio habet, plurima subesse proposito Episcopi servientia, quæ revera non ab ipso, sed à Neronianæ Aulæ secretario sint concepta.

Idem lib. XLVI. *cap.* XVIII.

Is scriptor spurcus & obscœnus, scripsit turpes libidines, incestaque facinora Neronis sub personis adscitiis, ita tamen, ut mores etiam Quiritium per figuras & historias tangat.

Idem Commentar. in Augustin. de Civit. Dei lib. I. *cap.* IX. *ad verb.* Facinorum immanitatem, *p.* 2919. *col.* 2.

Alia facinora libidinis, multis recenset Seneca, multis abominatur Salvianus, & Satyrici veteres, inter quos Petronius Arbiter scelerate ingenii sui felicitate abusus, Neronis flagitia mixto genere utroque dicendi, non minore licentia scripsit, quam ille patravit. Qui scriptor non video, cur tanti sit, ut juventuti non modo non è manibus excutiatur, sed laudetur insuper, & imitatione dignus habeatur, à viris gravitatem adeo etiam stricte professis, ut ex aliis scriptoribus demant, ad quæ in isto legenda & evolvenda lectores suos ablegant; alii vero, horum alioquin velut adversarii, etiam Commentariis insuper illustrent; in quorum secta & me fuisse, sane egregie nunc pœnitet. Quid enim est absurdius, quam vel propter monita, sententiasque unam & alteram, talem pestem in sinu gerere, in qua non tam verbis, quam ipso argumento blasphemetur Deus, & Ethnica flagitia fiant Christianis familiariora. Non, ajunt, scripsit hoc fine. At vereor, ne multis eo fine legatur. At non solus. Verum cæteris blandior & nequior. Quod quantumvis secus etiam sese haberet, scandali tamen immanis occasio vel in sordidissimis verbis spernenda est, ne dum in fuco eloquentiæ, obductis venenosis, & plane perditorum hominum talibus scriptis. Fateor & hoc ipso me Commentario istum nequitiæ magistrum pro teste producere. Sed ideo hæc scribo, ut, quo fine id faciam, notum sit: minime equidem, ut eum commendatiorem faciam, sed ut utar tanquam eo, quem malim è memoria omni sublatum, quàm per me factum notiorem.

Anonymus in Resolutionib. magistralib. quæstion. quodlibetic. Cardinali Richelieu dedicatar. anno MDCXXV. *Septemb.* 17. *quæst.* 2.

Author libelli, *Miroir du temps passé*, estne Petronii Arbitri pronepos, an *a* Asinus aureus, an Luciani Charon, an Erasmi Dialogista, an spiritus Calvini?

Janus Rutgersius, Regiæ Suecor. Majestatis legatus apud ordines Hollandiæ, &c. in Confutatione Fabulæ Burdonianæ, pag. 305.

Primùm illud in numerum procedat; Petronium Josephi delitias. Magnum sane crimen, quod tamen adeo verum est, ut Josephus, postquam abhinc annos XXXVII. Valentiæ Cavarum illum auctorem ex membranis Cujacii descripsit, vix unam paginam illius inspexerit. Quo modo ergo delitiæ ejus liber ille fuerit, quem post tam longinquum tempus revisere dignatus non sit? Et tamen eum isti amphitheatrici latratus non adeo deterrent, ut, si totus Petronius in membranis exstaret, pigeret eum describere. Si enim is scriptor indignus est, qui teneræ ætati committatur, at non dignus, qui pereat tamen. Quare non objecerunt Martialem, Catullum, alios, apud quos

Nomen adest rebus, nominibusque pudor?

Quis veterum Poëtarum plus obscœnitatis, impuritatis, flagitiorum, professus est, quàm docet POENITENTIALE BURCHARDI? *b* Quot sunt, qui

 igno-

a Apulei scil. *b* In quam rem videndus Bernardin. Ochinus 1. *Apologor. cap.* 8. & Pet. Molinæus *de Monarch. temporal. Pontif. Rom. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 17. ubi de Thomæ Sanchez. Disputation. *de Matrimonio*, & Cardin. Toleti *Instruct. Sacerdotum*, &c.

ignorarent multa, quæ ibi leguntur, nisi ex ipso didicissent? Ridicula magis an impudens contumelia? Quot possunt huc adferri, nisi hæc rideremus potiùs, quàm in illis confutandis vel momentum temporis terere vellemus?

Bartholomæus Schobinger Sanctigallensis JC. in Epistol. ad Goldastum de anno MDCIII.

Petronii Satyricon accepi, & lubenter avideque perlegi. Rursum mihi in memoriam revocavit ea, quæ flagitiosum eundem ad modum in Italia geri tum audivi, cum eam frequentarem. Renata Petronii tempora dicas, atque adeò ipsos revixisse Encolpios & Ascyltas, si, quæ Romæ gesta scio, commemorem. Sed pudor vetat, quamvis testes advocare possim Gemmingenum & Rottenstenium, quorum ille posteà in Vindelicum, hic Vangionum Præsulem ac Principem electus fuit, olim uterque sociennus & familiaris meus in Italia, & ipsa adeo Roma. Heu quanta ibi labes, & corruptela castæ nostræ juventuti! quanta injuria ætati tenellæ! O quanta objurgatione digni sunt parentes, qui puros suos pueros in id lupanar detrudunt. Præstaret potius universos Germanos obmutescere, quam ut tanto cum periculo, hoc est, animæ corporisque dispendio, non valde necessaria illa lingua ab iis comparetur: Nec fortassis de nihilo est, Antichristi tempora in Neroniano illo schemate nobis adumbrari. Jam tum Ablavius Consul Romanus de suorum temporum nequitia querebatur;

Saturni aurea sæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana. &c.

Joannes Philippus Pareus in Oda ad Goldast.

Quæ dira, amabo, pestilitas luis
Petronianam vexat urnam?
Arbiter heu maculis onustus
Nunc virginalem pæne licentiam
Salesque castæ nequitiæ æmulos
Occultat, haud ulli legendus,
Tu nisi Philyrides peritus
Sinceriores particulas ope
Pravis recisis pervigili tua
Integritati tradidisses
Depositæ modo & invenustæ, &c.

M. Gothardus Arthusius Dantiscanus, Scholæ Francofordianæ ad Moenum conrector, in Eleg. ad Goldast.

Melpomene ut vidit Goldastum scripta Petronii
Apta legi doctis reddere velle viris, &c.

Caspar Cunradus Silesius, Philosophus & Medicus Vratislaviensis, Prosopograph. Melicæ millenar. III.

Petronius Arbiter Massilienſis, Poëta Satyricus.
Arbiter arbitrio vulgi lascivior audit,
At juvenum hic mores arguit atque senum.

Joan. Petrus Lotichius Medicus Francofordianus ad Moenum, Bibliothecæ Poëtic. part. IV. *in princ.*

Polluit obscœnos Petronius inter amores
Doctiloquum venæ prosperioris opus.
Nomine sic Citheræ vates fuit Arbiter & re:
Turpes tolle jocos, cætera purus erit.

Laurentius Pignorius Presbyter Patavinus, Symbolar. epistolar. libro, ep. XLII.

Supersedeo à citandis Varronis, Plinii, Petroniique verbis; qui sanè pauculis versibus Græcorum in describendarum Tabularum conatibus palmam eripuit.

Et Epistol. XLIV.

Benio ego suas voces (ut cum Petronio dicam) reddere decrevi.

Felix Osius Professor Patavinus, in Notis ad Albertini Mussati Histor. de vita Henrici VII. Imp. lib. I. rub. II. *pag.* 51. *col.* I.

Senecæ adstipulatur ejus æqualis Petronius Arbiter in Satyrico.

M. Georgius Draudius Ecclesiastes Ortenbergensis in Weteraavgia, in Bibliotheca Classica, sive Catalogo Catalogorum Nundinali, in Libris historicis, tit. Romanorum vitia, *p.* 1256. *postremæ editionis.*

T. Petronii Arbitri, Historici Romani, Satyricon, sive de vitiis Romanorum, nunc adjectis omnibus, quotquot reperiri potuerunt, doctissimorum virorum Notis & Observationibus. Francofurti, apud Aubrios in 8.

Ibidem tit. Satyrica: T. Petronii Arbitri, Equitis Romani, Satyricon, cum Petroniorum fragmentis, noviter recensitum, interpolatum, auctum. Lugduni apud Paul. Frellon, 1615 in 8. & ibid. apud Jacob. Marcum 1618. in 12. & Francofurti apud. Wechel. in 8.

Idem in Libris Poëticis, tit. Fragmenta, pag. 1538. Petronii Arbitri Satyrici Fragmenta ab Alexandro Brassicano emendata & illustrata Annotationibus Basileæ apud Oporin. & Antverpiæ apud Plantin. & ex ejusdem officina cum variorum Notis, anno 1591. in 12.

Ibid. tit. Poëmata, p. 1574. Petronius Arbiter ex Bibliotheca Theodori Pulmanni, apud Hieronym. Commelin. in 8.

Ibid. tit. Satyræ, p. 1589. Petronii Arbitri Satyrici, ejusdemque fragmentorum nova editio, Lugduni Batavorum apud Elzevir. & apud Joan. Maire, 1622. Cum uberioribus Commentariorum instar Notis apud Raphelengium 1602. in 12. Accessit Sulpitiæ Satyræ de Edicto Domitiani ex recognitione Jani Dousæ, Lugduni Batav. 1585. Antverpiæ apud Plantin. 1596. in 12.

Jani Dousæ pro Satyrico Petronii Arbitri Præcidaneorum libri tres: Lugduni Batav. 1587. in 8.

T. Petronii Arbitri, Equitis Romani, Satyricon cum Petroniorum Fragmentis, noviter recensitum, interpolatum & auctum. Accesserunt seorsim Doctorum

rum Annotationes, Scholia, Obſervationes, Conjecturæ, Notæ, &c. Francofurti apud Aubrios & Clementem Schleich. 1621. in. 8.

TESTIMONIA DE PETRONIO ARBITRO,

Ejus vita, Scriptis, &c. quæ in Lundorpianis Omiſſa ſunt.

Faſti Capitolini A. V. C. 812. Olymp. 210. C. N. 62.

C. Cæſonius Pætus, * C. Petronius Turpilianus.

* Tres ſub Nerone Auguſto Petronii vixiſſe memorantur, omnes Conſulares, T. Petronius, C. Petronius Arbiter, & Petronius Sabinus Turpilianus; quorum poſtremus tantum in Faſtis Conſulum legitur; cæteri duo prætermiſſi ſunt, non modo in Capitolinis ab Onuphrio Panvinio, Carolo Sigonio, Anton. Contio, &c. verum etiam Siculis Faſtis à Sylburgio editis, nec non in Caſſiodoro, Mariano Scoto, Temporario, cæteris Chronographis. Inde factum eſt, ut a pleriſque Petronii iſti confunderentur, & uni Turpiliano adſcriberentur, quæ tribus diverſis aſſignanda erant. Quamquam & præter hos eodem tempore vixerit Petronius Ariſtocrates Magnes Philoſophus, Aulo Perſio, Poëtæ Satyrico familiaris, ut teſtantur Annæus Cornutus, Eilhard. Lubinus, & cæteri Perſiani Scholiaſtæ.

Joannes Cuſpinianus Medicus, Orator & Conſiliarius Maximiliani I. Imp. in Comment. in Caſſiodori Chron. A. V. C. 813. Olymp. 210. C. N. 62. Imp. Neronis. 7.

PLus Et Turpilianus] A Tacito in XIII. appellantur Coss. *Ceſonius Petus & Petronius Turpilianus.* Sub quibus Conſulibus idem ſcribit copioſe, graviſſimam cladem in Britannia acceptam; quæ quo pacto facta ſit, illinc require. Poſt duo recenſet inſignia ſcelera: alterum Senatorum, alterum Servi. De hoc C. Petronio Turpiliano, qui cum in indignationem Neronis incidiſſet, moriturus teſtamentum conſcripſit, * quo omnia flagitia Neronis continebantur, multa ſcribit Tacitus lib. XVI. lege diligenter.

* Confundit & iſte Petronium Arbitrum cum Turpiliano. Quem errorem à Cuſpiniano hauſit Petrus Daniel IC. in Notis ad Petron.

Onuphrius Panvinius Veronenſis, Ordinis Eremitarum D. Auguſtini, lib. 2. Faſtorum, A. V. C. DCCC. XIIII. An. CH. LXIII.

CAjus Cæſonius Pætus, Cajus Petronius C. F. Sabinus Turpilianus.

Idem in Commentar. lib. II. Faſtor. Anno DCCCXIIII.

TAcitus lib. XIIII. Cæſonium Pætum, & Petronium Turpilianum Cos. ſubjicit. Liber Cuſpiniani, & Caſſiodorus Pætum & Turpilianum. De hoc ipſo C. Petronio Turpiliano multa ſcripſit idem Tacitus lib. XVI. & Plinius. Extat antiquus Nummus ita inſcriptus: SABINUS. TURPILIANUS. III. VIR. C. Cæſonii Pæti Plinius & Dio meminerunt: utrorumque vero hæc vetus Inſcriptio.

SILVANO. SANCTO. ET MERCVRIO.
ET. LIBERO. PATRI. SACRVM.
M. VAGVNTEIVS. M. F. PAL. AVGVRINVS.
SVA. PECVNIA. D. D. III. IDVS. AVGVST.
PETRONIO. TVRPILIANO. ET CAESONIO
PAETO. COS

Deſiderius Erasmus Roterodamus in Annotationib. ad D. Hieronymi Epiſt. ad Demetriad. de Virginit. ſervanda.

AUt memoria lapſus eſt Hieronymus, aut verſum hunc Martialis ab Arbitro Petronio mutuatus eſt. Extat enim apud Martialem in Nævolum.

Johannes Glandorpius Monaſterienſis in Onomaſtico hiſtoriæ Romanæ.

a. P. Petronius, Præfectus Ægypti, miſſus ab Auguſto ſucceſſor Cornelio Gallo, bellum geſſit adverſus Æthiopas. De eo complura Strabo lib. 17. Dion lib. 54. Volaterranus in Anthropolog.

a. Qui non Publius, ſed Cajus Petronius prænominatur à Dione lib. 54 & Xiphilino in Epitom. qui ait; Γαΐῳ δὲ Πετρωνίῳ τῷ τὴν Αἰγύπτῳ Ἄρχοντος, &c.

b. P. Petronius, miſſus à Caligula ſucceſſor Vitellio in Syria, teſte Joſepho lib. 18. cap. 15. Poſtea Legatus Claudii. Seneca in libello de Morte Claudii, *veterem Claudii convictorem* vocat, & *hominem Claudiana linguæ diſertum*, niſi forte is Præſidis Syriæ pater fuit. Nam ante Claudium obiiſſe mortem, indicat Seneca. Filium arbitror fuiſſe, qui *moriturus, invidia Neronis, ut exhæredaret menſam ejus, trullam murrhinam CCC ſeſtertiis emptam fregit.* Plinius lib. 37. cap. 16. De eodem Tacitus lib. 16. Plutarchus in libel. πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου. Philo de Legatione ad Cajum.

b. Etiam iſte non Publius, ſed Cajus Petronius vocatur Jornando de Regnor. & tempor. ſucceſſ. cap. 68.

Petronius Priscus exactus urbe ſub Nerone. Tacitus lib. 15. Annalium.

c. T. Petronius Turpilianus Conſul ſub Nerone anno Urbis conditæ DCCCXIII. Cæſus ut dux Neronis ſub Galbæ in urbem ingreſſum. Tacitus lib. 18. & aliquot ſuperioribus libris.

Petronius Secundus (ita enim vocatur *d.* ab Eutropio & Pæanio) Præfectus Prætorio ſub Domitiano, collega Norbani, cædis illius conſcius fuit, occiſus poſtea à militibus.

Petronius Arbiter Poëta, Maſſilienſis à pleriſque exiſtimatur. Scripſit Satyras, opus varium & eruditum, cujus tantum fragmenta quædam ad nos pervenerunt. Lactantius Placidus Statio illum poſteriorem vixiſſe tradit, ut ex quo quædam ſumpſerit, ut eſt illud;

c. Aliis eſt C. Petronius Turpilianus, conſul lib. 10. Hiſt. miſcell. cap. 1.

d. lib. 8. Xiphilinus in Domitiano, Victorinus in Epitom. Cæſar. cap 12. Dio. Pro-

Primus in orbe Deos fecit timor.——

Gyraldus. Advocatur à Terentiano, Servio & Macrobio, item ab Hieronymo in Epistol. ad Demetriad. de Virginitate servanda. Emendatiorem & locupletiorem fragmentorum Petronii editionem debemus Henrico Stephano; & longe melius operæ precium factum à Jano Dousa. Ibidem è CL. Bineti & ipsius Dousæ sententia de auctoris hujus ætate paulo aliter: quippe quæ Neronis Imperium astruatur, ut eundem cum P. Petronio, de quo supra, intelligas.

PETRONIUS MAMERTINUS & PETRONIUS SURA, cæsi sub Commodo. Lamprid. in Commodo.

PETRONIUS SEPTIMIANUS Consul sub Commodo anno V. C. DCCCCXLII.

PETRONIUS JUNIOR occisus à Severo. Spartianus in Vita Severi.

PETRONIUS DIDIUS SEVERUS, pater Didii Juliani Imperatoris, qui Pertinaci successit. Spartian.

PETRONIUS occisus jussu Caracallæ ante templum Divi Pii. Spartian.

PETRONIUS MAGNUS Prætor Urbis, citatur à Triphonino, Pandect. 23. de Pact. dotalib.

P. PETRONIUS P. F. PAL. RUFUS cum Sallustia Phœbe filia, refertur in Memorabilib. Roman. p. 317.

M. PETRONIUS ONESIMUS pater, M. PETRONIUS LICINIANUS F. referuntur in Vetustis Inscriptionib. Urbis Romæ p. 291.

M. PETRONIUS PRIMULUS VI. vir Augustalis cum Petronia conjuge, in Memorabil. Italiæ p. 346.

M. PETRONIUS HERASMIDICUS cum Petronia Primitiva, pag. 49.

PETRONIUS ANTIGENIDES, ibid. pag. 148.

C. PETRONIUS FABIUS FRONTO cum Quintia Restituta. pag. 65.

PETRONIUS THALLUS fidejussor cum aliis pro Aurelio Romulo; Pand. 46. L. 68. ex Paulo.

PETRONIUS PROBIANUS Præfectus Urbis sub Constantino, successit in Proconsulatu Africæ Æliano, cui apud D. Augustinum in Epistolis à Constantino & Licinio Augg. rescribitur.

PETRONIUS socer Valentis Imperatoris apud Ammianum lib. 26.

PETRONIUS PERPENNA MAGNUS QUADRATIANUS V. C. & Inlustris, Præfectus Urbis, Constantinianas thermas refecit, ut indicat inscriptio, quæ extat apud Volaterranum, & similiter apud Marlianum lib. 5.

PETRONIUS Præfectus prætorio Theodosii Junioris, vir doctus.

PETRONIUS ejus filius, Præsul BONONIENSIS, studiis & sanctitate clarus. Hujus ferebatur olim opus *de Vita Monachorum*, & aliud *de Ordinatione Episcopi*, sed eruditius, quam ut ipsius esse videretur. Proinde patri ejus asscripserunt, maxime cum in eo opere testetur se Præfectum prætorio fuisse. Certe Episcopo filio nobilitatem tribuit. Eucherius Lugdunensis Episcopus in Epist. ad Valerianum. Vide Gennadium.

PETRONIUS MAXIMUS V. C. Præfecturam Urbis curavit. Hæc inscriptio extat Romæ, Inscription. antiq. pag. 223. Hujus ex filia nepos MAXIMUS Valentinianum III. Imp. occidit anno V. C. MCCVIII. vicissim cæsus à Genserico Rege. Nicephor. Callistus 29.

PETRONIUS DIODOTUS & PETRONIUS NIGER quærantur in * Chronologia Medicorum. Diodotus Ἀντιλογίαις scripsit. Citatur à C. Plinio lib. 20. cap. 8. & Dioscoride.

* Mich. Neander in Biblioth. universali, Paschalis Gallus Picto in Biblioth. Medica, Israël Spachius in Nomenclat. Scriptor. Medicor. Joan. Georg. Schenkius in Bibliis Iatric.

PETRONIO Patre Consule natus est Honorius Pontifex.

C. PETRONIUS THREICION. Inscription. antiq. p. 56.

Richardus Montacutius Anglus in Analectis Exercitation. ecclesiastic. exercit. 8. sect. 2.

SUccessit (Vitellio Syriæ Præsidi) * Petronius: an idem, de quo multa Tacitus Annal. 16. sane dubito. Missus est cum exercitu contra Judæos, anno Caii secundo, ut gentem illam stirpitus deleret, quod imagines non admitterent Imperatorias. Multiplex hujus mentio apud Philonem in Legatione, & apud Josephum in Historiis. Ubi venit in Provinciam, & Cæsaris adimplere mandata cogitabat, Judæi se lamentis & luctui dedidere, agrorum cultura intermissa, neglectis rebus omnibus, jugula postremo offerebant ferienda. Quibus visis, Petronium Josephus ait in hæc verba prorupisse; *Vel Deo adjuvante, persuaso Cæsare, vobis & mihi vitam procurabo & salutem: vel si noluerit placari, libenter equidem vitam ipse meam pro tot millibus oppignorabo.* Sed cum dilatum hoc negotium ferret ægerrime Cajus, scripsit ad Petronium, *Mortem illi minitans*, Cajus, *quod ipsius mandata executioni tradere tardasset. Sed contigit ut, qui literas istas portabant, treis integros menses violentia tempestatum detinerentur; alii interim, Caii interitum nuntiantes prosperrima navigatione usi, illos prævenirent.* Hæc Josephus: qui Petronio Marsum successorem dat, Antiquitatum Judaic. lib. XIX. cap. VI.

* De hoc Petronio plura narrat Georg. Fabricius lib. 1c. Virorum illustr. cap. 426. Torniellus in Annalib. ecclesiastic.

Janus Antonius Saracenus Lugdunæus, Medicus Genevensis, in Scholiis in Dioscoridem lib. 1. de Materia Medica, ad præfat.

DIoscorides Petronium & Diodotum, tanquam * diversos rei herbariæ scriptores commemorat. At Plinius tum lib. 20. cap. 8. tum etiam 25. cap. 9. unum & eundem Petronii Diodoti nomine designare videtur.

* Verba Dioscoridis sunt: Πετρώνιος, Νίγερ τε καὶ Διόδοτος, *Petronius Niger que & Diodotus:* id est, uterque tam Niger, quam Diodotus. Non ergo duos diversos auctores Dio-

Dioscorides facit Petronium & Diodotum, sed duos diversos Petronios; scilicet Petronium Nigrum, & Petronium Diodorum. Nec minus quam Saracenus, etiam Hermolaus Barbarus in hoc loco falsus fuit. Et forte ad alterutrum horum duorum Petroniorum spectant carmina illa *de Medicina*, quæ se vidisse Volaterranus testatur. Nam Petronii Arbitri esse nemo mihi umquam persuaserit.

Henricus Oraus Assenheimensis Wedderavus in Nomenclatore scriptorum Ecclesiasticor.

PEtronius Episcopus Bononiensis, anno 427. al. 386. al. 370.

Petronius Abbas in Monte Cassino, anno 713. al. Petronaii.

Johannes Gualtherius Belga in Chronico Chronicor. lib. 2. in Bibliotheca Philosophor. anno Domini 490. Zenone Imperatore, pag. 911.

TErentianus Maurus contemporaneus Alphio Avito, Septimio, Petronio Arbitro, & Aurelio Apollinari.

Idem in Bibliotheca Patrum, anno 370. pag. 697.

PEtronius Bononiensis, Italicæ Ecclesiæ Episcopus, scripsisse putatur Vitas Patrum Ægypti Monachorum. Gennadius. Et Trithemius scribit, Historiam ejus adhuc se legisse. Obiit anno Domini 385.

Janus Laurembergius in Antiquario verb. Duo.

EX tumulo, quod posuit Petronio Antigenidi Hiarus.

Johannes Meursius Professor Lugdunensis Animadversionum miscellar. lib. 3. cap. 18.

PEtronii & ante temporibus, jam inventæ erant aliæ literarum formæ, teste Quintiliano lib. 1. cap. 7. inter quem & Petronium non adeo multum ævi interfuit, ut non earundem literarum formis uti potuerint.

Janus Gruterus JC. in Asini Cumani Fraterculo è Plauti Electis electo per Eustath. Suartium Palat. n. 101.

VIx offam istam canibus tuis objeciisti, cum in continenti subnectis ex Petronio, lupanar Ascylti. O cœlum! ô terra! Sed amitto verba. Erubescit enim ad ista nefanda ipse calamus.

Anonymus in orat. de Vulpe Scholastica, apud Casparum Dornavium Philosoph. ac Medicum, in Theatro Sapientiæ Socraticæ, pag. 556.

VEnio ad ultimam Scholasticorum nationem in Oratorum & Rhetorum disciplinis, quos *juventutis cymbalum* satis ignominiose compellavit Appion Grammaticus, quod certo furiarum genere inquietati, in scholis suis adolescentes stultissimos fecerint, nihiloque sapientiores, quam ii bene olent, qui in culina habitant. Quorum tyrones cum in scholasticis exercitiis, & fictitiis declamationum causis, in forum producti essent, clamorem, silentium, risum, cœlum ipsum pati non potuerunt. Horum igitur Collegia, ut ludus impudentiæ, L. Crasso & Domitio Censoribus, explosa & claudi jussa sunt: Gellius lib. 15. cap. 11. Ipsi vero homines habiti sunt abjectissimi & vilissimi mortalium: Turneb. lib. 2. Adversar. cap. 5. Et fastidita est eorum disciplinæ ratio, cum diversa esset à forensibus causis, omninoque pro nugarum lerna eliminata est: Fabius lib. 2. cap. 10. lib. 5. cap. 2. Seneca lib. 9. Controversiar. procem. Antoninus Imp. in Vita sua. Et hæc in nostris hominibus vix aliter geri observarunt, Caselius in Prodidascal. *a* Melch. Goldastus in Notis ad Hieroclem, Georg. Erhardus in *b* Symbol. ad Petron.

a. Idem tamen auctor in eadem Orat. pag. 555. col. 2. *Notas in Hieroclis Facetias* non Goldasto, sed Alberto Molnari adscribit.

b. Harum *Symbolarum* verus auctor est Michael Caspar Lundorpius, qui, quod esset Præceptor Classicus in Schola hujus Urbis, invidiam Scholarcharum Collegarumque suorum veritus, maluit more multorum nomen fingere, studiorum suorum honestati conveniens, quam famæ simul & functionis Scholasticæ periculum subire; quod eum Scriptorem illustrandum, licet summorum virorum consilio atque auctoritate, suscepisset, qui à discipulis suis & Scholasticis adolescentibus, propter Scholasticas leges non permitteretur. Id quod ipsemet in iterata editione, quam triplo jam auctiorem redditam adornabat, publice testaturus erat, ni eum pestis sæva in ipso conatu & operis ἀκμῇ subito nuper sustulisset.

Melchior Goldastus Haiminsfeldius in Dissert. de Scriptis Petronii Arbitri cap. 2. pag. 27.

COncilii Tridentini Decretum nihil aliud vult, quam id genus scripta pueris esse interdicenda. Idem & nos volumus, quin jubemus ac decernimus. Quid enim pueris cum Petronio? cujus illi scopum non magis attendent, quam plebejus idiota Aristotelis Metaphysica. Et ad vitia hæc ætas, quam virtutes pronior, non ducenda est ad hos scopulos, ne temere & infrunite illisa à Sirenibus suffocetur. Equidem sceleratissimus sit oportet, qui Petronium pueris sumat interpretandum: nequissimus, qui proponat legendum: pharmacus, cujus magisterio pudor illorum periclitetur. &c.

Theodosius Berenicus Noricus, sive Matthias Berneggerus Historicus & Professor Argentinensis, in Tuba pacis pag. 360. in fin.

PLures (hoc elegantiarum Arbitri est) quæ perperam in juventute didicere, in senectute confiteri &c.

Caspar Barthius Hallensis Saxo in Notis ad T. Calpurnii Siculi Buzolica eclog. 2. vers. 32.

OPtimus & singularis judicii Poëta Petronius.

Idem Adversarior. lib. VI. cap. I.

ARbiter noctium voluptatumque Neronis,

Idem lib. XI. cap. XX.

SPurcus & obscœnus, sed ad pios etiam castosque illustrandos utilis auctor.

To-

Tobias Magirus Angermundanus Marchicus, Professor Francofordiæ ad Oderam, in Polymnemone, seu Florilegio loc. commun. in Onomatologo Critico.

T. PETRONIUS ARBITER Eques Romanus, inter paucos familiarum Neroni assumtus est, ELEGANTIARUM ARBITER, dum nihil amœnum & molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset. Tacitus XVI. Annal. cap. 18.

Franciscus Torreblanca Villalpandus Cordubensis JC. in Granatensi curia regius Advocatus lib. II. de Magia cap. XIII. *n.* 18.

Ut non male apud Petronium magus gloriatur: &c. Perite quidem, & ex arte. Et lib. 1. cap. XXV. n. 14. Unde recte in hunc modum Petronius Arbiter.

Jos. Anton. Gonsalius de Salas in Præludio II.

FUlcitur haut leviter hæc veritas divina illa D. Pauli Epistola ad Romanos, ubi, compar quum ille fuerit ætate Neroni, & Petronio, pariter adeo eademmet vitia exagitat ac recenset, ut capita I. & XIII. ejusdem Epistolæ, ex sententia quorundam eruditorum Theologorum, fere sine Petronii Satira non possint intelligi.

Hæc Illustris Dominus Gonsalius transcripsit ex Goldasti Dissertat. de Scriptis Petronii Arbitri, cap. 4. in quo, prolatis D. Pauli Apostoli verbis, Goldastus subjicit: *Quibus verbis qui volet planum & perspicuum habere interpretem, ei ego unicum hunc Petronium dedero. Nec omnino vanum est magni cujusdam Theologi dictum, caput primum ad Romanos sine Petronii Satyra intelligi non posse. Addo etiam caput XIII. in quo à commemoratis vitiis Romanos dehortatur.*

Idem in Præludio I. in fin. de Petronio scribit.

MOrtem obiit anno post Romam conditam DCCCXIIX. C. Suetonio Paullino, L. Pontio Telesino Coss. post Christum natum anno LXIIIX. biennio antequam Petrus & Paullus, Apostolorum coryphæi, Romæ paterentur.

Quæ & ipsa verba ex dicti Goldasti Inscriptione mutuatus est, quam ad priscorum imitationem: memoriæ T. Petronii Arbitri composuit, & Georg. Erhardus sive Mich. Casp. Lundorpius in limine suæ editionis posuit; quam inde Lotichius quoque & Theodorus de Juges mutuatam suis editionibus inseruerunt.

Daniel Otto JC. consiliarius Baronis ac Domini Geroltzeckii, in Discurs. politic. de Majest. Imperii & Imperant. cap. I. num. 16.

QUod vel maxime de Imperatore dicendum videtur, utpote qui Dominus orbis dicitur, sicut Petronius canit: *Orbem jam totum* &c.

Theodorus de Juges JC. Genevensis in Præfat. ad Petronii Satyricon in capita ab se dissectum.

ECqua enim Respublica, quod Regnum, quod Imperium fœlicitatem tantam, quantam Imperium Romanum sub Neronis quinquennio tantopere celebrato jugiter obtinuit. At enim tantum beneficium cum primis Senecæ Philosopho imputandum, quamdiu is Neronis præceptorem egit; & Burrho ejusdem Neronis Præfecto Prætorio: vice versa, ut hoc sublato, ita Senecæ potentia infracta, & bene gubernandi ratio simul infracta ad Tigellinum aliosque Tiberianæ & Cajanæ Aulæ reliquias, pervenit, Nerone ad eos conversо & transfuga. Quare videre est, quantum interfit Principum fidos & virtutum amantes habere consiliorum participes, qui extrema potius pati non abnuant, quam à virtute desciscant. Quo sane in censu fuit Seneca noster, fuit & Papinianus: addere ausim & Petronium nostrum; qui, licet Neronis deliciarum Arbiter assumptus, tamen bene administratæ Provinciæ gloriam reportavit, paremque se negotiis ostendit.

Hunc Petronium C Plinius, Naturalis historiæ scriptor, *Titum*; Tacitus lib. 16. Annal. cap. 19. *Cajum* nuncupat: ut isti potius subscribam, validissimo hoc inter cætera argumento innitor; quod scilicet ex professo Tacitus Petronii vitam & obitum accurate descripserit, ut verosimile non fiat, Tacitum erasse in ejus prænomine, cujus vitam, mores, & obitum tam accurate referre instituit. Sic enim loco supra citato: *De C. Petronio pauca repetenda. Forte illis diebus Cæsar Campaniam petiverat, & Cumas usque progressus, Petronius illic attinebatur: nec tulit ultra timoris aut spei moras, &c.* Quin imo hoc ipsum Petronii Satyricum his verbis indicavit: *Ne Codicillis, (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est, sed flagitia Principis sub nominibus exoletorum fœminarumque, & novitate cujusque stupri præscripsit, atque obsignata misit Neroni, fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.* His, inquam, verbis indubie Tacitus Satyricon hoc Petronii indicare voluit. Quod quidem ad se missum per codicillos, promptum fuerat Neroni flammis abolere: nihilominus tamen ad nos illi Codicilli pervenere, vel potius eorum fragmenta, quibus vitia Aulæ Neronianæ perstringit Petronius. Neque enim, ut artifex voluptatum illos scripsit Codicillos, vel ut mangnarius vel mango voluptatum, vel leno impurissimus, Gaditanas aut Memphitides puellas, aut quales media prostabant Suburra, oculis libidinantium subjiceret, ad excitandas & inflammandas libidines: sed Venusina lucerna, Satyrice tractare instituit exoletos, & spinthrias Neronianos: sicut & Seneca noster lib. 1. Natural. quæstion. c. 16. proponit spurcissimum infandæ libidinis hominem, Hostium nomine, non imitandum, sed detestandum. Ideoque dixit Seneca: *Occidendus & ad speculum immolandus.* Sic enim lo-

cus

cus ille restituendus est. Itaque cum Petronius Aulam Neronianam infamem & spurcissimam describat, detestandam, non imitandam, proponit: Sybaritarum ferme more, qui servos ex industria vino obruebant, liberisque ostendebant, ut ita ebrietatem detestari discerent. Ingens interim est hæc Petronii, & laudanda libertas, qui Principis ipsius flagitia proscribere in animum induxerit; haud absimilis Agesilao, qui privatorum errata modeste tulit. Principum maxima omnia existimavit: quia ut Principes melius virtutem in populos proprio exemplo sanciunt, quam vinculis, pedicis, manicis, ergastulis, legum sanctionibus & pœnis: ita contra propriis flagitiis populum quam brevissime corrumpunt. Et ad summam non Petronius unus tantum, sed & alii quoque vitia Satyrice tetigerunt. Horatius, Seneca, Juvenalis, Persius, Martialis, hoc unum agere voluerunt, ut per hoc vitia & impurissimæ impuritatis homines, tanquam periculosissimos scopulos fugeremus. Neque audiendi Catones quidam, & Sabinæ frontis homines, qui dicant; *Quærere aliud debebas, quod ageres; crimen addiscitur, dum videtur.* His enim ex epist. 14. lib. 4. Epistolar. Plinii Secundi respondere promptum est: *Erit eruditionis vestræ cogitare, gravissimos & summos viros non modo lascivia rerum, sed ne verbis quidem abstinuisse.* Verum malo, ut ipse Petronius pro se respondeat: *Si vir fueris, non abibis ad spintbriam.* Sic enim legendum, non (ut vulgo legitur) *ad spurcam.* Si bene natus, bonis artibus imbutus, & veræ philosophiæ placitis instructus fueris, tanquam murex purissimæ castitatis piscis, non patieris corruptelam. Et ut Socrates ingressu suo carcerem purgavit, ita si quid à virtute alienum, & vitio adfine, purgabit tua felix & bona indoles, Candide lector.

CASPARIS BARTHII
EQUITIS SAXONIS
DISSERTATIO[a]
DE
PETRONIO,

An ejus Tolerabilis sit lectio, an verò abjicienda, ut volunt quidam de virtute locuti.

PRÆFATIO.

Non recipiam in me defensionem Dissertatiunculæ pene puerilis alicujus meæ, quam hoc capite proponam, de Petronio Arbitro, ea ætate judicium meum interrogatus, qua alios sequi debebam. Non quod magnopere me errasse in veritate tuenda existimem, sed quia omnino piget id defendere, quod tum temporis placuit. Proponam autem ea hic eam solum de caussa, ut ne excidat aliquando mihi, quid tenerrima ætate senserim de talibus; quæ quidem ipsa excusare omnia facile poterit; nondum enim decimum quartum ætatis annum attigeram, cum eam describerem. Sic autem sonat ad verbum Dissertatiuncula.

DISSERTATIUNCULA.

Varia de Petronio Arbitro censorum hodiernorum esse judicia, Amicissime.... quotidiana evolutione libellorum non possum ignorare. Nihil enim editur, quod ad lectionem nostram, cum primum potest fieri potestas, non rapiatur. Qui scriptor si solus hoc infortunii seculo nostro ferret, sane meruisse videri poterat, cum elegantioris urbanioris-que nequitiæ nemo ullus ab omni antiquitate ad nos venerit: iste autem adeo lacer & diffractus, ut tam miserabilis tam delicati hominis facies, si non excutere judicis rigorem, tamen inclementiam differre, & suspendere debuisse hactenus videatur. Verum cum eadem illum pati videamus, quæ alii infiniti scriptores passi ante ipsum sunt hactenus, & nunc etiam pati non desinunt, uni quidem isti non comparandi, cæteris vero, de suo cuique genere, etiam præferendi, communem ferens cum sodalibus suis sententiam, eorum deinceps censui mihi accensendus, vel hoc infortunii nomine deinceps videbitur. Illi vero omnes cum optima quæque de posteritate promeriti fuerint, adsueti tamen jam sunt id præmii tolerare, quod stupori potius aut malignitati judicantium, quam ipsorum culpis adscribendum intra conscientiam suam idonei sibi testes, probaverunt. Ego vero, quid in tanto talium numero Petronio ejusque felicitati officere possit, nondum video, nisi quod nostra potissimum ætate tenebras plurimorum annorum evasit, & quodammodo de noctis mortisque ipsius mancipio, libertati redditus atque renatus est Eam enim invidiam elegantiarum suarum impunitus luci restituere non potuit, quam magistri vulgarium ingeniorum nulli umquam generoso ignoverunt. Et in eo quidem, ut id potissimum adspiciam, quo illi decore maximè se magnos faciunt, & populo displicere omnes fabulas laborant, præter eas, quas ipsi aliquando finxerint. Itaque sanctitatem, ante cæteras virtutes, suam strictis in scriptores petulantioris argumenti stilis demonstrare satagant; quam quidem & nos admirari æque atque unicè suspicere libet, non enim aliter licet. At, joco semoto, talibus illi censuris, castitatem meram spirantibus, nec verò arbitrario jure, sed strictissimo, efficiunt, ut arbitremur nos, obtusioris quidem ingenii & naris non paullo, quam deceat, obesioris, non tam ambitiose eos quærere opinionem perpetuæ sanctitatis, quam fortassis nobis aliæ caussiæ persuasuræ fuissent. Simpliciter enim nos docent, longè plus ipsos de auctoritate existimationis suæ imbibisse, quàm ante eos

[a] Scripta anno Christi 1608. excerpta ex ejus lib. XLIX. Adversar. cap. XI.

fecerint ii homines, quorum familiaritati admissum olim fuisse Petronium animadvertimus. Et Hieronymi quidem, non suo tantum, sed omni Christiano ævo, manibus quod fuerit sanctius, ex lectione famave scriptorum, memoriam meam nihil subire potuit hactenus. Illæ etenim exclusæ cœtu cæterorum mortalium, ne quid erranti vulgo expositum attingerent, sacrarumque litterarum tractationem diurnam atque nocturnam rerum caducarum usu atque contactu conspurcarent, tamen ad ipsa Christi præsepia, locum omnibus locis toto mundo venerabiliorem, immò in ipsis externatæ & Deo recedentis animi speculationibus atque meditationibus, Arbitri hujus jactare sententiam, & chartæ æternum (quatenus durabunt mortalia) victuræ infigere minimè dubitarunt. Quam quidem sanctissimi viri audaciam, vel, ut isti nostri vociferantur, impietatem, tot sanctæ & Christum medullitus amplexæ animæ imitari, & pro exemplo sequi non dubitaverunt: ignari videlicet fuerunt simplices illorum hominum animi, secuturum aliquando seculum illud longo, prius tempore à Prophetis vaticiniis prædictum, quo omni culpæ suspicione majora censorum hodiernorum Collegia, damnatura exactissimo illo suo, & provocationis nescio, judicio forent veterum Paganorum non satis atque sancta monumenta; quorum tamen scribendorum finis non alius fuit, quàm ut ostensa mortalibus vitia in abominationem eorum venirent.

Nemo enim, qui exstet quidem, Satyricus scriptor, quorum quidem hic solum scripta sentimus & loquimur, umqam alia intentione mentis sales suos mordaces commendavit memoriæ, quam ut mortalibus ea ratione horrorem malorum morum incuteret. Lacedæmonios aiunt, illos bonæ cordatæque vitæ antistites primarios, singulis annis diem unum servis suis libertatem plenam indulsisse, eoque illos studio adegisse, ut eum diem non alio quoquam opere, quàm effusis compotationibus insumerent. Cùm tot tam varia natione ingenioque mancipia vino jam turgerent, patefeciisse campum spatiosum ebriis, ut quo quisque vellet modo, corpus agitaret, vocem intenderet, gestus differret, denique faceret & diceret quicquid liberet. Hoc spectaculo glisccnte, & nemine non furias vini medullas mentis expugnantis, mirificis & absurdis, & abominabilibus gestibus factisque & dictis excutere volente, & secundum easdem omnia faciente, admisisse liberos suos, ut quid vino virium in humanum ingenium foret, non dictis præceptisve audirent, sed visu & exemplo cernerent; & sobrietatem inde amare, ingurgitationes barbaras odisse discerent. Non alia ratione prudentissimi, & sapientiæ studiis plene pectora instructi, homines, cum ipsi procul ex arce mentis compositæ errores, & vitia mortalitatem vexantia, & differentia cernerent, neque non ipsi pars quondam eorum fuissent, licentia autem meliore potiti, velut ex alto & tuto loco palantia miserorum deliria inspicerent; monitis salubribus quodam nectare tinctis, talia scripta ediderunt, quæ vitam perditorum non tam dictis, quàm exemplis exprimerent, nominibus fictis ad usum verorum inductis atque compositis; non rarò ipsorum etiam Regum & Principum sceleratis actionibus non parcentes. Talis fuit veterum Græcorum Comœdia, ex qua prognata Satyrica poësis, Romanam tandem gravitatem salibus Atticis miscere instituit.

Nec in Poësi hoc sapientium institutum stetit, venêre in medium homines cordati excultique doctrinis, qui prosam quoque orationem vitiis, ut per ea tempora gerebantur, describendis commodarent. Horum cum omni ævo exiguus fuerit numerus, comparatione quidem cæterorum, viris etiam sanctis, Christianæ antiquitatis horum studium adeò fuit gratum, ut dicta eorum crebro mediis sanctis suis orationibus & commentationibus insererent. Scilicet quod ipsi quoque abominarentur vitia illa horribilia ex animo, & pectora omni genere nobilium, & honestarum disciplinarum adeò exculta haberent, ut de facili perspicerent, intentio hominum eorum tantum abesse ut mereretur incessi, ut maxima etiam commendatione meritò afficeretur, ut dicta ipsorum pro testimoniis solida auctoritate usurparentur.

Utrumque horum, quæ doctissimis & sanctissimis horum hominum animo adfuisse, modo declaravi, abesse mihi videntur longissimè ab illis, qui, nulla ratione idonea in consilium adhibita, tale, genus auctorum veterum non vituperant solum, sed prorsùs abolendum arbitrantur, quoniam nudo sermone de vitiis loquantur.

Et de PETRONIO quidem eo liberius judicare consueverunt isti censores, quod & ille solus exstet de iis, qui vitiorum immanitatem supra enarrata ratione, non carmine, sed proso dicendi genere spectandam exhibuit, & ipsi etiam consueverint de eo sine omni consideratione dominium censendi sibi sumere, quod vulgo facile approbaturos sese sibi persuadent. Loquuntur ergo & scribunt de hoc scriptore, abominabilem ideo & merito abolendum esse, quod omnia impuritatis priscæ velut secreta, coram oculis spectanda exhibeat. His nos de fine atque instituto auctoris sufficere posse existimo, quæ modo allata sunt.

Quod si alios contra se censores stare doceri non abnuunt, eccum ipsis Hieronimum, modo à nobis productum, qui non solum non abhorruit lectionem Arbitri, sed castissimo sermone, Christi virginibus morum, & vitæ universæ præcepta præscribens, hujus ejusdem testimonio, contra malos mores uti voluit. Non producam porro ad defensionem hujus vitio-facti rei alios majorum temporum scriptores: media ipsa ætas, omnibus Scholis jam Sophistis servientibus, omni jam liberaliori disciplina, sub tenebras Syllogisticationum redacta, hoc tali scriptore tantopere capta est, ut tot spretis aliis, Hieronymi nimirum auctoritatem secuta libenter, hujus & ipsa, ceu egregii testis, dictis contra vitiorum fœditates pugnare quandoque voluerit: Non producam instar talium Joannem Carnotensem, quem Salisburiensem vocant, Episcopum; Ful-

Fulgentium, Isidorum, Vincentium, alioſque, quorum ſcripta ceu gemmis Petronianis ſunt Chriſtianitatem ſuam interſita. Sidonium, Macrobium, Terentianum, tacebo; quorum tamen auctoritas Arbitri teſtimonio utitur. Horum enim ſcripta à viris doctiſſimis jamdudum rabularum latratibus objecta ſunt. Et quid volunt ſibi larvæ umbratiles illæ, tot ſeculis etiam præ aliis probatum ab ſanctiſſimis & eruditiſſimis mortalium, ſcriptorem, quam primum ipſorum ingratiis, publicum vidit, caſtraturi, aut prorſus terminis vitalibus eliminaturi? Hoc ergo adhuc unum facinus, ad conſummationem ſuæ ſanctitatis reliquum habent, poſt tot præclara aliorum ſcriptorum monumenta, miſerrimis modis dilancinata atque decurtata, Petronium videlicet etiam ex viro tot ſeculis ſuperſtite, ignaviſſimum, & prorſus omnibus ignotum conficere; dum virtutibus nimirum ſuis, hujus vitia exſtirpaturi ſunt? Caveant enim vero, cavillis omnium digniſſimi, tanta ambitione ſtoliditatis ſuæ ſecretum mundo litteratiori patefacere; ſeque omnibus ipſos pro ſatuis velle vendere? Nemo certè viſurus non eſt, quid ſub hoc lapide ſcorpionis deliteſcat.

Cum enim diverſa duo ſint omnino hominum piorum genera, alterum quod dolo atque fraude ſanctitatem quampiam præ ſe ferat, atque oſtentet; alterum candoris plenum, atque conſtanti mente veræ pietatis ardens, immobile ab allatrantibus undique vitiis, adeoque ſine teſte cupiens virtutis. Oſtendant togati nobis, in utro horum genere cenſendos ſeſe opinentur, qui inducti ea cauſſa, ut hominibus glaucomam ſuæ ſanctitatis ob oculos obfundant, omnibus oſtentandæ virtutis articulis imminent, & per emiſſarios ſuos occulta ei rei quæque expiſcantur. Quæ quidem res ut in confeſſo eſt, ita nulla porrò probatione indiget: probari tamen ex re nata facile poſſet, ſi quo pacto id nunc ageretur. Ipſi autem vel minima nos negatione inducere poterunt, ut liquido ipſis univerſam probemus.

Jam vero altera illa, de qua verba modo fecimus, hominum ſecta, quam penitus has talium nugas non moretur, eo aperte teſtata eſt, quod optima quæque ex famoſo ſcripto ſeligens, contemnat cætera in eorum numero habere, quæ quacunque ratione animum lædere, aut mores impuritate narrationum poſſit attaminare. Eadem vero ea, quæ ſelectiſſima eſſe videt, prorſus ita familiaria ſibi iterata lectione faciat, ut jam ipſa familiaritate cum gravibus & cordatis viris opus ante damnabile etiam, ſi tale quidem foret, omnem videatur amiſiſſe turpitudinem. Qua quidem in re, vel ipſos perduelles noſtros teſtes nuncupare non trepidamus, ſiquidem tantum tribuere poterunt ſanctiſſimis viris, quorumque beata nomina quotidie ſanctitatis celebrant, ut iis aliquid judicii etiam in hac re fuiſſe confiteantur. Et hæc, puto, ſatis poterant eſſe abſolvendo ab igne vel impuriſſimo ſcripto, quodque in eum finem conditum ſit, ut lectores opere ipſo in nequitiæ retia intricet.

De ipſo hoc Petronio noſtro, & ejus infeliciſſimo fragmento, aliquid addere, non fuerit fortaſſis omnino extra oleas, quandoquidem à paucis commendatus liber ejus eſt, qui non aculeum aliquem in ejus invidiam ipſi laudationi injecerint: veriti videlicet cenſoriam tantorum heroum auſteritatem, quos modo non ipſo nomine nunc attigimus. Ego vero fateor, & ipſum me minime omnium delectari adeo nuda obſcænitate, nec in eum umquam talia finem legiſſe, ut inde aliqua mihi vernilitatis ſtimuli moverentur. Si enim tale quid animi cui foret, ſane plurimorum Chriſtianorum exſtant libri, & ſane non minus magno ſupercilio, ſi frontem videas, quàm eſſe volunt vel hi ipſi, qui tantas miſerabili Petronio dividias faciunt, ex quibus poſſis, vel ſemel perlectis, multo fieri nequior, quam ſi Satyricum hoc ſcriptum totum didiceris. Nec de recentis memoriæ ſolis auctoribus loquor. Unum mihi, inter veteres Chriſtiani nominis defenſores, Arnobium lege, ſcriptorem, quo ad verba & phraſim, prorſus inuſitatæ & reconditæ doctrinæ, & ex quo infinita diſcas, vix ullibi præter ipſum exſtantia. Male utatur oculis ſuis, qui, Petronio & iſto collatis, videre non poſſit, numquam tam nude locutum eſſe Arbitrum, vitiorum exempla devitanda proponentem, quam Afer ille faciat, ob oculos ferens apertam eorundem confutationem. Liber ſane Arnobii quintus de libidinum variis generibus, & ſecretis hiſtoriis, ſine circuitu & præfatione, ſatis copioſe & detracta omni veſte, loquitur, ut Matris Deûm obſcæniſſimi famuli, & ſcenici agyrtæ, libidines non egerint planius, atque apertius exſecuti ſint, quam iſte earum hoſtis eaſdem deſcribat. Et de cætero hic mos eſt omnium fere eorum, qui minime timent à vitiis inquinari, ut ea ſine velo aut operimento, ſuis nominibus deteſtentur: ii autem contra, qui ſibi ipſis vel experientia, vel ſuſpicione non credunt, ſeque impares ducunt reſiſtendi criminibus, ii extemplo ignes atque arma inclamant, ſeſquipedalibus convitiis proſcindentes eos, qui ſectæ ipſorum ſubſcribere renuunt. Quod ſi hoc genus hominum vitia certo ſe effugere, aut illis reſiſtere poſſe confideret, minime tantopere ab illis ſibi metueret; nec ut inſuperabilibus ſeſe ipſo exceſſu timoris ſubmitterent. Quod ſi omnino aliquis, non ſatis rebus neceſſariis inſtructus, tantæ molliciei futurum ſe metuit, ut ab talibus Paganorum ſcriptis pectus ſuum conſpurcatum iri perſuaſum habeat; age ſibi caveat, ut libet, eo nomine, neque moliatur exitium contrariis, ut habeat, quæ etiam fugere & deteſtari poſſit. Boni vero & conſtantis ea ſolet eſſe natura, ut opponi ſibi gaudeat exercendæ bonitatis & conſtantiæ ſuæ materiem, ne laſſeſcat & flacceſcat vigor virtutis ipſo in uſu, velut hoſte oppoſito, ſtrenuitas ſe in pectoribus militum acuit, & ſubjicit. Itaque, qui firmo ſe animo continet, cauſſam neque ipſe habet, ut delere velit criminum genus, quo internecione ſublato, ejus etiam robur in bonis moribus viluerit, neque tantopere celebrabitur. Sic neque imbellis contra vitiorum inſul-

tationem pectus velit deleta talia scripta; neque constantia pectus munitus tanti illa faciat, uti ipsius nomine minus sint celebria, minusque legantur à curiosis. Virtus nimirum ipsa, si spoliata fuerit oppositorum duello, nec quid malum sit, cuique inferenda contra tela agnoverit, & quo pacto ea ipsius boni in se excellentiam agnoverit? nullum est, nedum ut glorioſum sit, sine adversario prælium. Iners victor, qui sine sudore triumphat. Fortunæ aleam fortitudo superare non potest, si ejus adversam vim experta non fuerit, si ejus iratæ vultum non viderit. Multum prodest ingenuæ pietati, aliorum scelera judicare posse. Exercentur nefaria in seculo cum justis, ut enitescat electione proborum mens justifica, atque castis manibus virtutibus operata. Coactæ enim, & non studio suo confirmatæ virtutis nulla est gloria.

Haud dubie Dei omnipotentis singulari permissione atque indultu, extremo æuo in lucem reducta sunt talia scripta, per tot seculorum calamitates non extincta, ut discere posteritas possit, quanta in nocte Dei timorem contemnens mortalitas quondam vixerit. Nostræ quidem ætatis posteritas noctem præteritarum incusare minime cupit, claudit enim sponte sua, & claudere pugnat oculos, diei velut nimiæ pertæsa, nec in vestigiis perditorum mortalium cursum infelicitatis suæ sistit; ultra omnia priorum exempla peccare, & obscænitatem pro laude ducere, pleriſque gloriæ putatur. Carent enim ut plurimum hodie viventes homines fundamento veræ pietatis, nec cor solide intus munitum timore Dei, & veritatis amore habent: sed in diem solis opibus parandis intenti vivunt, Deum & virtutem procul habent: hanc inane nomen, neque extra utilitatem quippiam valere autumant, illum nec esse credunt, aut omnino curam rerum terrestrium, & humanarum infra se existimare. Stulti, qui non videant curam apud Deum nullam esse, sed gubernare omnia sola Deitate sua Numen illud, quod omnia miris rerum interventibus, ad recti tamen ordinem, dirigat. Nobis sanè, apertis paullum cordis oculis, etiam à scopo ipso talium scriptorum, ad emendandos nimirum mores, recedere licet, & ex vitiorum ipsis etiam narrationibus emaculandæ vitæ monita & præcepta petere.

Quod si omnino fateamur, Paganorum multos, immemorabilia multa, atque scelesta condidisse litteris, & ornata floribus eloquentiæ, etiam eo fine in lucem dedisse publicam, ut corrumperent animos simplicium: sanè perierint isti tales, ob hæc talia facinora. Ideo vero ego scripta ipsorum legere non abhorream, ut sciam propter quid tanto ingenio homines interierint, ut me instruam, mihi caveam, mihi exinde carior fiam, quam ut magistris vitiorum obsecundem, etiam minus doctis & eloquentibus, quoniam nec instructis tot copiis bonarum rerum credere me debeam. Adde quod pericula eorum, qui perierunt, prudentiorem me facere debeant ad vitanda mea; cum nemo sit, qui per se cavere sibi satis possit; melius autem prudentia nemini comparetur, quam ab exemplis male rebus suis utentium. Exempla itaque damnatorum impiorum, præceptorum mihi loco sint, ad emendandam vitam meam, & saluti necessaria præstruenda. Quo alium merito damnatum esse duco, id ego numquam equidem commissurus sum, quamdiu quidem mihi constitero, & sanæ mentis fuero. Profecto vero scripta talia specula sunt clarissima pœnarum, quibus inspectis admoneri debemus, vitiorum obsequia quantam vim suppliciorum trahant. Singula enim & universa tantæ impietatis facinora, certum est impunita à Deo evadere non posse. De cujus sanctitate & voluntate, si præcepta animo & confirmata est scientia nobis, impossibile certè futurum est, non corrigi mores, etiam satis antea castos, vel ex his fœdis & turpibus historiis, qualibus fortuna, hoc est malitia mortalium, ludit in executione malignitatum suarum. Quod si animus, infestus criminibus, Dei judicia non cognoverit, is sanè vel à castissimis facilius ad facinus impelletur, quam ab hujus generis scriptoribus. Odio enim habet utique monita salutaria, quæ cum invitus leget, omnino vel contemnet, vel ad opprobrium eorum in vetitum nitetur. Quod quidem in dubio futurum duplex est de simplice peccato. At mens & nata & educata ad virtutem, generositate quadam ad gloriam & decus enitens, tum conscientia etiam roboratæ usu virtutis non adspernabitur, nec poterit naturam vitiorum penitus cognoscere, ut, cum quibus monstris confligat, inspicere ea possit accuratius. Invidioſum igitur erit subducere infandum hostem explorationi melioris. Nemo imperator bellum parat, qui non cupiat, quatenus possit, vel cogitationes ipsas, nedum consilia adversi hostis rescisscere: nec sumtibus ei rei nec labori parcet, nec ingenio, ad exploranda omnia, ut ipse damnum aliquod inferat, & inferri cogitatum ingenio avertat atque amoliatur. Nobis autem, qui in cognitione malorum eorundem detestationem, atque adeo debellationem, etiam habemus, subducentur adversariorum subtilissimi, ut ne eorum valeamus explorare calliditatem; quorum si semel in manus potestatemque veniremus, actum utique longo & dubio tempore de nostra foret incolumitate.

His omnibus nec trepidè, nec obscurè permotus, fateor & præmetero, PETRONIUM non alio dignum esse supplicii genere, quam quo habentur sodales ipsius, ejusdem census scriptores alii, quorum præcipui à viris æquè piis ac doctis ubique terrarum hodie leguntur. Etsi cum istis dictis auctor esse nolim ignaræ juventuti, & immeditatæ, scriptorum hujus notæ quippiam, vel ad linguæ cultum, vel ad sapientiæ institutionem, proponi. Tenella enim ætas satis habet in Dei cognitione, & linguæ usibus mediocribus addiscendis, sese occupare, ad quæ ipsa etiam raro sine vi quadam & præcipientium importunitate summa adigi potest: in deteriora vero quavis cera fluxior, longe

ge prævenit ad nequitiam ingenia defendentium. Naturam quippe ſolam ſequens, nec uſu adhuc experta quantillam dulcedinem voluptatum quam immenſa ſequatur amarities. Sed ideo tamen penitus elidi, extra fines vitæ vitalis ſpiritus tot ſecula natos, non erit ingenui animi probare. Multa ſunt in talibus, immo plurima omnino, quæ ignorare turpe ſit viro erudito, quique antiquitatis notitiam talem profiteatur, quali ſit opus ad declaranda, quæ in ſucceſſionibus temporum, & verſionibus eruditiorum, ſpinoſa atque duriora occurrunt.

Hoc vero longe conſultius rear futurum, ſi non omnibus, tamen multis, arcere ſtudeant à converſatione eorum adoleſcentes, qui talia cum ipſi patrant, tum in libris ſcripta, diris omnibus deteſtationibus exſecrantur. Quod genus mortalium ſane perquam crebrum atque denſum hodie invenire eſt. Nam quotuſquiſque eſt, qui auctoritatem aliquam habere velit, quin in iis * regionibus vitam aliquando egerit, ubi & quottidie hæc talia fiunt, & palam tamen atque vulgo peſſimis omnino modis ex libris veterum exſculpuntur auctorum, in vita tamen relinquuntur; quoniam à majoribus deſcendunt perpetuo ordine ad liberos, qui parentum veſtigiis inſiſtentes, id demum liberum & licitum factu non eſſe cenſent, quod ne ſciunt feciſſe alios. Ignorare autem non poſſunt, vitia fere nulla puniri, quoniam omnia quottidie patrari vident: rideri inſuper eos, qui prudentiam & pietatem in libris quærunt: iis autem vitiorum memoriam eximunt, qui ab aliis commiſſa diris inceſſunt, ut illudant ſimplicibus animis, abſterrendo eos velut à vetitis rebus, iis quorum ipſi magiſtri exercitiis inſenuerunt. At multo ſane, mea quidem perſuaſione, & pro ſapientia conſultius, & pro vita beata ſanctius, inſtitutum foret, ordinem morum emendare prius, & ab rerum turpium uſu abſtractum animum exercendis juſtitiæ & innocentiæ addicere, quam perſequi velle per maria & terras, ſtabula & cubilia fœdarum nequitiarum, earundemque ad vanum ſanctimoniæ tumorem, & inanem caſtitatis oſtentationem memoriam eradere ex libris antiquorum. Sed, quæ perfidia hodiernorum morum eſt, ſceleratiſſime illud peccatur, quod ſub ambitu pietatis committitur. Fatentur enim, qui ſub hujus umbra facinoribus flagitioſis indulgent, conſcientiam repugnare factis ipſorum, & turpitudini inhumanæ non ſponte velum præbere virtutem. Quare etiam duplex reatus eos perturbat, flagitiorum videlicet proſecutio, & veritatis juſtitiæque agnitarum contemtus atque illuſio. In omnibus rebus primum ad innocentiam gradum facit ſimplicitas. Neque ulli ignoſcitur æquius & facilius, quam qui candore ſuo deceptus, aliena culpa erravit. Sic etiam, qui naturæ ductum ſequens, ignarus quid contra juſtitiæ vigor poſtulet, impegit aliquando, quoniam peccare neceſſe eſt hominem natum, facilius veniam à communi neceſſitatis lege impetrat. Qui vero cognitam habens malitiam vitiorum, iis tamen non abſtinet, ſed eo libentius peccat, quo magis invitus debebat, quoniam perſpectum habeat ingenium criminum, ei utique optimo jure gravior pœna incumbit: præcipue ſi ad hæc ejus auctoritatis eſt, ut exemplo ipſius ducantur alii. Hoc genere vereor, ne ſint plerique magiſtrorum, qui ſcriptis vernilioribus ideo infeſti ſunt, quoniam tam prolixum uſum habent malarum rerum, ut ſumma earum dulcedine afficiantur, eamque porro ipſam etiam invideant aliis. Quo plerumque ordine peccant, qui ita ſeſe vitiis ingurgitarunt, ut retro pedem ferre non poſſint. Generoſa vero & candida mens, neque ullius obſtinationis in humanitatis erroribus vel conſcia ſibi, vel imperium umquam paſſura, nequaquam eo admittet veterum libidinum recenſiones, atque hiſtorias, ut ad earum exempla peccare velit ipſa, ſed tenorem perpetuum bonitatis, & generoſitatis ſuæ ſecum ſervans, ideo & malorum hominum ſcripta legere non faſtidit, ut quanta etiam in eruditis pectoribus vitia regnent, perſpicere valeat; neque ſatis eſſe diſciplinis mentem inſtruere, ſed uſu ipſo etiam ſervandam virtutis legem, neque diſſonam vitam bonis præceptis vivendam; neque præcepta minus conſiſtere in vitiorum fuga, quàm virtutum obſequio, gnara. Ideoque ad nil ſeſe fœdum inclinans, omnia ſeſe inferiora cenſens, quæ conſtantiam captæ virtutis convellere audeant.

Hanc ipſam autem, ut ad inſtitutæ orationis finem veniamus, mentis excelſitatem, ignara veritatis cælitus manifeſtandæ, eruditorum Priſcorum ſapientia etiam in contemptu omnium mortalium, & quidem non immerito, collocavit. Omnia enim ad finem eundem feſtinare videns, gloriam, ambitionem, opes, potentiam, voluptates, pœnitentiam, curas ærumnasque in vita perpetuas ſequi, his deditos, omnibus momentis pendere; nullo non tempore agi, & ferri à domina inſtabili eorum bonorum, quæ ipſis utenda, ad incertum tempus tradita ſint; inſtitit vota, & curas, & libidines omnis vitæ contemnere, & pro nullius precii rebus æſtimare. Ut vero eandem hanc ſuam æſtimationem pluribus oſtenderent, &, miſeratione generalis illius erroris, docerent velut de plano genus humanum, in quantis verſaretur tenebris, libellos compoſuerunt, quibus, fictis & excogitatis perſonis, repræſentarent & expingerent velut potentium & fortunatorum in rebus humanis vecordiam, eamque, velut in tabella publice ſuſpenſam, omni poſteritati oſtenderent.

Horum in genere fuiſſe PETRONIUM, ipſa ipſius mors teſtatur. Tam enim omnia mortalia contemſit, & pro ridiculis vanisque habuit, ut in ipſa etiam mortis vicinia jocaretur & cantillaret, velut in theatro, ludis ſpectandis exſtructo, hactenus moratus, jam vero memoria ludicrarum rerum hærente adhuc, cantillans, & animum præteritis fabulis reminiſcendis oblectans.

Et

* Italiam utque Hiſpaniam intelligit.

Et hæc quidem cum summa sit sapientiæ humanæ, neque altius ejus curæ umquam subierint, quis nos jubebit solam eorum hominum auctoritatem potius sequi, qui scripta tanti viri aboleri cupiunt, quam rationem ipsam, quæ utique nemini non persuadebit, alio omnino honore dignum esse hominem, tam bene de posteris mereri cupientem, ut ipso etiam vitæ suæ periculo non dubitarit evulgare, sævissimi & libidinosissimi omnium mortalium Neronis flagitia: ut nimirum in suavi ipsius & eloquentia admirabili scriptione, velut in speculo, cernere potuerit ætas sequens, quousque bacchari valeat malitia humanæ naturæ, ubi in summo rerum fastigio fuerit aliquando collocata. Nos vero tanto intervallo abest, ut tam preciosum scriptum legere possimus integrum, ut vix centesimam ejus partem ad nos pervenisse, conjectura possimus adsequi: hanc vero ipsam etiam aboleri velle, cui tot barbara secula pepercerunt, quæ furialis, rogo, futura sit barbariæ immanitas? Præcipue tantillo isti Fragmento, cum tot tamque ex mediis vitæ negociis haustæ insint sententiæ, tam suavia dicta, tam venusta, tam gravia etiam & concinnæ venustatis carmina, ut cum nobilissimis omnis ætatis ingeniis contendere hunc scriptorem merito omnes fateantur. Immensa sit materies, si diducere singula velim. Neque ego alium ordinem totius commentationis fuisse existimo, quam ut recensita aliqua historia, ejus fuerit utilitas quopiam epigrammate, aut alioquin carmine demonstrata. Cætera non patitur nobilitas scripti alio, quam ei rei destinato opere exsequi. Nos vero à discendis multis insigniter bonis, quorundam crasse obscœnorum malignitas non deterreat.

DON JOSEPHI ANTONII GONSALII DE SALAS AD T. PETRONII ARBITRI SATYRICON PRÆLUDIA.

Scriptor, ejus vita, Secta, Mors.

PRÆLUDIUM I.

NOSTER SCRIPTOR est TITUS PETRONIUS ARBITER. Quid hic inculcem molestè Petronios alios? In Prænomine enim Auctores prisci variant, nam *Cajus* Cornelio Tacito est, *Publius* Scholiastæ Juvenalis, *Titus* vero Plinio Secundo, & Plutarcho: quibus, duo quippe testes sunt, majorem fidem habuisse Viros doctos, constat manifesto. Quæstiunculam hanc jam olim disceptavit vir ille ad Musas & Veneres omnes factus, Justus Lipsius Commentar. in lib. 16. Annal. Taciti, qui potest adiri. Nomen PETRONIUS agnoscunt omnes. *Petroniam* autem gentem antiquissimam fuisse, utpote quæ è Sabinis oriunda, ex numis Veterum evincere * Antiquarii conati sunt. Cognomen denique ARBITER documento videlicet est, ut ab aliis tuto discerni, noster potesset Scriptor; nihilo minus tamen cum pluribus aliis recentioribus Petronius confundi, non potuit evitare. Videtur sane ab ingenio Tacitus innuere, cognomen illud accepisse Petronium; & forsan ab ipso Principe: *Inter paucos*, ait, *familiarium Neroni adsumptus est, elegantiæ* ARBITER, *dum nihil amœnum, & molle affluentia putat, nisi quod ei Petronius approbavisset.* Pariter etiam Julius Romanus, aut quisquis ille Epigrammatarius est, quodam Epigrammate:

ARBITER *arbitrio dictus & ipse suo.*

Nisi verius sit, de quo ego etiam delibero, ipsa veri cognominis significatione sat decenter Cornelium lusisse. Sic laudant plures ex antiquis Grammaticis, puta, Terentianus Maurus, Lactantius Scholiastes Papinii, Marius Victorinus, Fulgentius Planciades, Diomedes, alii, item B. Hieronymus, Macrobius, Sidonius Apollinaris, & Saresberiensis. Etenim operam omnino jam ludere sit, longam disputationem contexere de ævo Petronii: hoc est, An unus idemque ille sit, cujus Tacitus meminit, cum Auctore videlicet nostri Satirici. Plura enim conspirant, ut diversi esse non videantur, quam quæ vel ingenti cum molimine strenuus oppugnator speret eyertere. Latiuscule nos & inferius prosequimur, ubi de ipso Satirico agimus. Unicum tamen hic, quo offendi solent superstitiosi Critici, necessum est, scrupulum removere. Arbitri ex Epigrammate hemistichion est:

Primus in orbe Deos fecit timor.

à quo postea indubie mutuatus Papinius 3. Theaid. ubi inquit vetus Scholiastes: *Negat Deos ulla alia re celebrari, nisi timore mortalium, ut Lucanus:*

Quæ finxere timent.

& Petronius Arbiter istum secutus:

Primus in orbe Deos &c.

Aiunt igitur *το ιστιον* ad Statium referri, non ad Lucanum. Itaque Statio, qui sub Domitiano floruit, posteriorem Arbitrum subindicari. Eos autem cæcutire, videat vel Andabata galeatus, nam tunc potius, *illum*, diceret sat benè Latinus Grammaticus; nisi, *istud*, forsitan scripsit, Sententiam ipsam, placitumque intellegens. Utut autem sit illud, *istum*, ad Lucanum proximum referri necessarium. Lucanus vero etsi σύγχρονος Arbitro, Poëmate tamen suo illum præcessit, ut notum est, nosque in Commentis nostris patefacimus. Sed quid jam comminiscentur, postquam Terentianum constet, nostrum haut semel Arbitrum advocasse; Terentianum vero Martialis ætate Syenen rexisse, ipso testante; inquit Epigr. 86. lib. 1.

Tam longe est mihi, quam Terentianus,
Qui nunc Niliacam regit Syenen.

Et

* Vide fam. Roman. Fulvii Ursini in *Petronia.*

Et Apollinaris Carm. 9. coævum, hoc est, haut nimis disparem Terentianum, quoque fecit Persii, Propertii, & Martialis; illum nempe inter plures inlustres animas recensendo, qui haut nimis longo temporis intervallo inter se differebant. Ut desinant jam Viri eruditione nobiles eumdem Maurum Grammaticum ad Constantinorum tempora deturbare, & cum Apuleio, Tertulliano, Cyprianoque Artis Scriptoribus committere.

Ast postquam Scriptorem agnovimus, ingenium ejus, ac fortunam propiùs inspicere, consentaneum. Sed quum adeptus felici fato sit egregium Historicum, qui tradere illum potuit immortalitati, ab ipso jure optimo vita ejus petenda nobis fuit. At prævium illud Plinii Junioris etiam ad Tacitum *a* usurpem, quum exitum Plinii Majoris vellet memoriæ commendare; nimirum, Quod quamvis ipse Petronius plurima opera & mansura condiderit, multum tamen perpetuitati ejus Taciti Scriptorum æternitas addet. Ipsum igitur in hunc modum audi narrantem L. 16. Annal.

Detur hoc inlustrium virorum posteritati, ut quomodo exsequiis à promiscua sepultura separantur, ita in traditione supremorum accipiant, habeantque propriam memoriam. Paucos quippe intra dies, eodem agmine Annæus Mella, Cerialis Annicius, Rufus Crispinus, ac C. [reponendum T.] *Petronius cecidêre.* Et post pauca ad Arbitrum redit. *De T. Petronio supra pauca repetenda sunt. Nam illi dies per somnum, nox officiis, & oblectamentis vitæ transigebatur. Utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat; habebaturque non ganeo, & profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. Ac dicta factaque ejus quanto solutiora, & quamdam sui negligentiam præferentia, tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. Proconsul tamen Bithyniæ, & mox Consul, vigentem se ac parem negotiis ostendit, dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem, inter paucos familiarium Neroni adsumptus est, elegantiæ* ARBITER, *dum nihil amœnum, & molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. Unde invidia Tigellini, quasi adversus æmulum, & scientia voluptatum potiorem. Ergo crudelitatem Principis, cui cæteræ libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scevini Petronio objectans; corrupto ad indicium servo, ademtaque defensione, & majore parte familiæ in vincula rapta. Fortè illis diebus Campaniam petiverat Cæsar, & Cumas usque progressus Petronius illic adtinebatur. Nec tulit ultra timoris, aut spei moras; neque tamen præceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas, aperiri rursum, & alloqui amicos, non per seria, aut quibus constantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ, & sapientium placitis, sed levia carmina, & faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus adfecit. Iniit & vias, somno indulsit, ut quamquam coacta mors, fortuitæ similis esset. Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia Principis sub nomibus exoletorum, feminarumque & novitate cujusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni; fregitque annulum, ne mox usui esset ad faciendа pericula. Ambigenti Neroni, quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia matrimonio senatoris haut ignota, & ipsi ad omnem libidinem adscita, ac Petronio perquam familiaris; agitur in exsilium, tamquam non siluisset, quæ viderat, pertuleratque proprio odio.*

Mire enim mores, & ingenium ejus expressit, nos vero obiter nonnulla inlustramus. *Illi dies per somnum*, ait, *nox officiis, & oblectamentis vitæ transigebatur.* Quod ipsum de Alagabalo memoriæ prodidit Lampridius, qui Neronis simia fuit. Observo equidem, pariter & Vespasiano probatam fuisse consuetudinem illam Petronii; innuit planè Plinius Nepos Ep. 5. l. 3. ubi de Avunculo ait: *Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem, nam ille quoque Noctibus utebatur.* Ubi nihil aliud, *noctibus uti*, quam officiis, & dierum actibus Noctes eidem transigi. Evincunt Suetonius, & Aurelius Victor, facemque ad Plinii historiam præferunt. Ille in Vespasiano c. 21. Iste de eodem sic verbis adhunc disertioribus: *Institutum verò uniforme omni imperio tenuit. VIGILARE DE NOCTE, publicisque actibus absolutis, caros admittere.* Inprimis enim Plinius ille fuit, itaque opportune tunc temporis Imperatorem adibat. Hosce autem Antipodas vitæ graphice Seneca noster descripsit Epist. 122. *Sunt qui officia lucis, noctisque pervertunt: nec antea diducunt oculos hesternâ gravis crapulâ, quam adpetere nox cœpit. Qualis illorum conditio dicitur, quos natura (ut ait Virgilius) pedibus nostris subditos è contrario posuit.*

Nosque ubi primus equis oriens adflavit anhelis,
Illis sera rubens accendit lumina vesper.

Talis horum contraria omnibus non regio, sed vita est. Viguit igitur mos ævo Neronis, ejusque in aulâ maxime. Quapropter ejusdem Noctes pluribus memoratæ; Juvenali:

——— *Nocteſque Neronis.*

Tacito Ambigenti Neroni, quonam modo Noctium suarum ingenia notescerent. Apte omnino, nam oblectamentis Neroni quoque transigebantur. Nec aliter fieri potuit, quin pares omnino forent mores utriusque, Neronis, inquam, & Arbitri, si Arbiter ipse elegantiæ Neroni inter paucos adsumptus est; protulit & Tacitus de Petronio: *Dein revolutus ad vitia, seu vitiorum imitationem.* Ubi & Neronem carpit; ipse namque prius trajecerat & dierum actus noctibus, & nocturnos diebus. Imitatione enim vitiorum mire pellexerunt Antiqui insanos Principes. Insignis locus Lampridii est de Alagabalo, facitque unice ad Petronium: *Erant amici improbi, & senes quidam, & specie Philosophi, qui caput reticulo componerent; qui im-*

a Lib. 6. Epist. 16.

improba quædam pati, se dicerent; qui maritos se habere, jactarent. Quos quidam finxisse dicunt, ut illis serent Vitiorum Imitatione Cartores. Hisce & similibus delinimentis Principem adgressus, animum ejus adeo devinxit, ut *nihil amoenum, & molle adfluentia putaret, nisi quod ei Petronius adprobavisset.* Ejus etiam blandientis urbanitatis vestigia apud Plutarchum exstant lib. Πῶς ἄντις διακρίνειν τὸν κόλακα τοῦ φίλου. Ubi quum eruditos astus commemorat adsentantium, inter alia inquit: Ἡ τοὺς ἀσώτους αὖ πάλιν καὶ πολυτελεῖς εἰς μαχολογίαν καὶ ὑπαυρίαν ὀνειδίζωσιν, ὥσπερ Νέρωνα Τίτος Πετρώνιος. *At quum sumptuosis ac prodigis sordes objiciunt, nimiamque parsimoniam, ut Neroni fecit T. Petronius.* Item Cornelius ait, Petronium fuisse *Proconsulem Bithyniæ.* Cave autem credas, Catullum pariter fuisse, quod ex ejus Epigrammate 10. adstruere, haud dubitavit recentior Taciti Interpres. Nec audiendus vir doctissimus, quum ait in Tacito corrigendum, *Proconsul tamen Britanniæ*, loco *Bithyniæ*, confundens videlicet Arbitrum nostrum cum Petronio Turpiliano, qui in Britanniâ Proconsul fuit; quum Turpilianum sub Galbâ, Auctore Tacito 1. Hist. Arbitrum verò sub Nerone constet periisse. *Mox Consul*, subdit Tacitus, id est, post Bithyniæ Proconsulatum; at indubiè Ordinarius non fuit, sed Suffectus menses aliquos. Suffectos enim Consules non solum veteres Fasti, sed ipsi Historici, qui res gestas exactè prosequuntur, silentio persæpe prætereunt. *Consularem* vero nominat Plinius lib. 37. cap. 2. *Titus Petronius Consularis morituras* &c. Fuere etiam nomine tantum Consulari quidam dignitate donati. Ita Procopius: ὕπατος καλούμενος μόνον. *Consul nomine solum vocatus*; ut Senator Ausonius. Sic de se Idyllio 30.

Curia me duplex, & uterque Senatus habebat,
Muneris exsortem, Nomine participem.

Revera autem Consulem existimo fuisse Arbitrum, & adnuit Cornelius: *Proconsul tamen Bithyniæ, & mox Consul, vigentem se ac Parem Negotiis ostendit.*

Sed video apud Viros doctos in quæstione versari, Cui nam Sapientiæ studio Petronius fuerit addictus? Potior verò pars Senatus Musici Epicuri familiæ illum haut cunctanter adseruit, ajuntque hisce argumentis ita esse, necessario convinci. Quod in Epigrammate *Pater veri* apertè dicitur ab Arbitro Epicurus. Item quod Carmen illud condiderit:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua coeli
Fulmina quum caderent, &c.

Ubi ridere eum, adfirmant, superstitiosos, qui Deûm timore tamquam pueri nocturnis terriculamentis, adficiuntur inaniter. Epicureorum namque dogma fuit, Deos immortales curam rerum humanarum non habere; itaque illum timere, supervacaneum. qui nec beneficiis optimos prosequi, nec improbos suppliciis adficere, meditatur. Addunt, placito Epicuri, scilicet. In voluptate summum bonum situm esse, etiam adhæsisse, quum illum cecinerit versum:

Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Ac denique, Animas cum corporibus interire, quæ & Epicuri sententia fuit, manifesto moriturum subindicasse, dum *nihil de immortalitate animæ*, verba Taciti sunt, *& sapientium placitis, sed levia carmina, & faciles versus audierit referentes.* Equidem autem intrepidus adfirmo, æque ac hominem Arbitrum fuisse, sic non esse Sectâ Epicureum. Quod clarius ut omnibus constet, discutiendæ nobis, leviter tamen, adversariorum rationes sunt. Sed primo nunc subit mirari, adeo disciplinam Epicureorum despicatui adversarios habuisse, ut non animadverterint, minimè illam doctrinæ fuisse adprobationem, sed propriam adpellationem illius Sectæ parentis, ut suo loco nos in Commentis patefacimus. Deinde licet decreta plura Epicuri adprobavisset, vere non inducerent, ejus sectaneum esse. Quisnam, ego inquam, Antiquorum, ita ut Seneca, amavit, verum sese ac germanum Stoïcum adprobare? nemo sane, licet ipsum haut excipias Zenonem, vel Chrysippum. Ille autem quid hic senserit, mecum audi Ep. 16. *Non est quod mireris animum meum, adhuc de alieno liberalis sum. Quare autem alienum dixi? Quidquid bene dictum est ab ullo, meum est. Sic quoque quod ab Epicuro dictum est.* Et Ep. 21. postquam egregias ejusdem Philosophi sententias retulisset, subdit. *Has voces non est quod Epicuri esse judices, Publica sunt. Quod fieri in senatu solet, faciendum ego in Philosophia quoque existimo. Quum censuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere sententiam, ET SEQUOR.* Immo munusculum, quod in quaque Epistola pendebat Lucilio, ut plurimum ab Epicuro mutuum sumebat. Tandem vero proferre volo eum, Epicuream disciplinam medullitus adprobantem; nihilominus tamen, masculum se cuilibet probaturum Stoïcum, nec minimum ambigentem; verba sunt ex libro de Vitâ beata Cap. 13. *Mea quidem ista sententia est (invitis hoc nostris popularibus [Stoicis, puto] dicam) Sancta Epicurum & Recta præcipere, &, si propius accesseris, Tristia.* Dicat nunc adversæ partis antesignanus non nemo, hancce adoream, nisi discipulus & sectator, haut temere Epicuro tribuisset; tribuit & non semel magnus Cicero, quamquam totus totus Academicus fuit. Sed tempus jam urget devitandi secundum telum.

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cœlo
Fulmina quum caderent, discussaque moenia flammis,
Atque ictus flagraret Athos, mox Phoebus ad ortus
Lustrata detectus humo, Lunaque senectus,
Et reparatus honos. hinc signa effusa per orbem,
Et permutatis disjunctus mensibus annus
Projecit vitium hoc: atque error jussit inanis,
Agricolas primos Cereri dare messis honores:
Palmitibus plenis Bacchum vincire: Palemque
Pastorum gaudere manu. natat obrutus, omni
Neptunus demersus aqua: Pallasque cavernas
Vindicat. Et voti reus, & qui vendidit orbem,
Jam sibi quisque Deos avido certamine fingit.

Ajax

Ἄθεον ecce totum hoc Epigramma est, non Epicureum. Minime namque Epicurus Deos inficiabatur, qui Librum *De pietate erga deos* scripsit, Laërtio & Cicerone testibus. Et passim ubi ejus memoria est apud Antiquos, divinam mentem agnoscere, numinaque memorare, animadvertitur. Inter laceras magni ædificii reliquias Carmen illud hodie rejectum est, quo autem ex Arbitri opere, quove loco Satyrici depromptum sit, non comparet, pariterque haut comparere, qua mente deorum professionem, quam alias crebriter adeo intimat, ibi exsertim inficias ierit, ingenuè fatendum est. Nam ἄθεον Petronium fuisse, vel per somnium cogitare, uti ex ejus Scriptis conligere est, foret prorsus desipere. Deos autem eo in Epigrammate nullos esse, verbis disertissimis dicit, sed metu quemque sibi finxisse. Itaque Auctorem ac Parentem Deorum Timorem adfirmat, idque subinde appellat naturæ scilicet *Vitium* atque *Errorem inanem.*

Projecit Vitium hoc, inquit, *atque error jussit inanis,*
Agricolas primos Cereri dare messis honores.

Præmisisque tandem clausulam addidit opportunam:

Jam sibi quisque deos avido certamine finxit.

Neutiquam ergo ex adducto Epigrammate infertur Petronium Epicureum fuisse. Verum inquirere etiam oportet, An Petronius juxta Epicuri placita hominum Religionem erga deos (quæ sententia est adversariorum) inficietur, etiamque deorum Providentiam. & præmittenda erit hic opportune inspectio scilicet conceptus, quem de utroque habuerit Epicurus. Seneca plene nobis promet, ideoque locum ejus etsi latiusculum exscribam l. 4. de benef. c. 19. *Deos nemo sanus timet*, inquit. *Furor est enim metuere salutaria: nec quisquam amat, quos timet. Tu denique Epicure Deum inermem facis, omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, & ne cuiquam metuendus esset, projecisti ipsum extra metum. Hunc igitur septum ingenti quodam & inexplicabili muro, divisumque à contactu, & à conspectu mortalium, non habes quare verearis: nulla illi nec tribuendi, nec nocendi materia est. In medio intervallo hujus & alterius coeli desertus, sine animali, sine homine, sine re, ruinas mundorum supra se, circaque se cadentium evitat, non exaudiens vota, nec nostri curiosus, Atqui hunc vis videri colere, non aliter quam parentem: grato, ut opinor, animo. Aut si non vis videri gratus, quia nullum habet illius beneficium, sed te atomi & ista amica tua forte ac temere conglobaverunt, cur colis? Propter majestatem, inquis, ejus eximiam, singularemque naturam.* Deos igitur confitebatur Epicurus, colebat, ac venerabatur, propter eorum tamen majestatem, ac eximiam naturam: at superstitiosos ac deorum meticulosos cultores deridebat. Utrumque hocce innuere Sextus Empiricus videtur verbis illis l. 8. adversus Mathematicos: Ἐπίκουρος δὲ κατ' ἰδίας, ὡς μὲν πρὸς τὰς πολλὰς, ἀπολείπει θεόν· ὡς δὲ πρὸς τὴν φύσιν τῶν πραγμάτων, οὐδαμῶς. *Epicurus autem, ut nonnullis videtur, quod ad vulgus quidem adtinet, relinquit Deum: quod autem adtinet ad rerum naturam, nequaquam.* Diis enim Providentiam adimebat, exinque humanum genus ab deorum metu & religione vindicabat. Eleganter Himerius Sophista rem explicat, & Empiricum interpretatur Declamatione, cujus Epigraphe, Ἐπίκουρος, πρόνοιαν ἐκτίναι λέγων, ἀσεβείας φίνγει γραφήν· *Epicurus, Providentiam negans, impietatis accusatur.* Βαμὲς, inquit, ὃν ἀνέτρεψας; ἀλλὰ μάτην ἐσῶσας, εἰδείξας, πρόνοιαν ἀνελὼν δὲ ἣν βαμὲς ἱδρυσάμεθα· θυσίαν καινὴν ἐκ ἔθυσας; ἀλλὰ πάσας ἀνῄρηκας. *Aras non evertisti? At eas frustrà esse ostendisti, quum Providentiam è rerum natura tollis, ob quam aras exstruximus. Sacrificia nova non introduxisti? At omnia sustulisti.* Sexcenta equidem loca ex Græcis, & Latinis Philosophis in medium producere possem, ubi Divinam auferat Providentiam Epicurus ille dementissimus hominum; ideoque religiosos pariter exsecretur numinum observatores. Si Arbiter ergo valde se superstitiosum exhibuit, Divinæque Providentiæ nimium quantum observatorem, nequaquam Hercle Sectæ Epicureorum erit addicendus in posterum discipulus. Paucula loca Satirici tantum in præsentia adtingam, totum namque refertum est Providentia deorum, hominumque pariter Superstitione. Adserit ergo Providentiam cap. 98. sub Eumolpi persona: *Immo, ni Deus quidam, Humanarum rerum Arbiter, pendenti puero excussisset indicium, elusus circa popinas errarem.* & cap. 106. clarius adhuc sub Lycæ: *Deos immortales Rerum Humanarum agere curam, puto, intellexisti, ô Tryphæna, nam imprudentes noxios* &c. ac denique jam verba solum Quartillæ referam ex cap. 18. quæ semel conficiunt negocium: *Nam neque Sacra quemquam vulgaturum, & si quod præterea aliud remedium ad tertianam deus illi monstrasset, adjuvaturos nos DIVINAM PROVIDENTIAM vel periculo nostro.* Satis testimoniorum sunt de Divina Providentia. De Superstitione plura adhuc possemus proferre: at pleraque in Commentis nostris tempestiviter commemoramus: quare illuc te remittere, satis nunc sit. vide quæ notamus ad verba cap. 114. *Et illum quidem vociferantem in mare ventus excussit* &c. item quæ ad versiculos illos cap. 139.

Me quoque per terras, per cani Nereos æquor,
Hellespontiaci sequitur gravis ira Priapi.

Et alias sparsim. Nec diutule immorari licebit illi versui, quo ajunt professum Arbitrum, in Voluptate summum bonum situm esse:

Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Id enim, vix credas, serio ullum Virum doctum adseverare potesse. Hilaris tantum ac genialis est convivatoris invitatiuncula, ut & amicos concœnas ad voluptatem quoquomodo adliceret paterfamilias; quod post mortis injectam in convivium memoriam erat creberrimo in usu, ut suo loco dicimus. Quod tandem proprio exemplo animæ interitum haut adstruxerit moriturus Petronius, inferius ostendimus, ubi de ejus Morte sermo nobis est. Dilui ergo jam, &, ut arbitror, manifesto Epicureas maculas, quas inu-

rere hactenus Petronio Arbitro Adversarii conati sunt; abs gregeque Epicuri cultum admodum ac venustissimum ingenium, ubi indigne * Porcus audiit huc usque, nunc primum vindicavi. At vero si a me quæsieris, quamnam ergo disciplinam promiserit? haut ego facile dicam. Aliquando putaram adsensum suum ad Academicos deflexisse, nonnulla namque, quæ cum illis convenirent, apud ipsum offenderam. Sed quum captiosas disputationes, quæstiunculasque eorum contortulas à quolibet animadverterem eleganti ac venusto ingenio abhorrere, à Petronii vero præcipue *verecundiam Platonis*, postea resipui; Stoïcorumque Sectam consectatum, credidi rationi magis consentaneum esse. Stoïcorum, inquam, qui iidem pœne cum Cynicis, ut ait Cicero. 1. De Off. nam Utrorumque dogmata fere convenire, indubium est; vita autem & cultu plane differebant. Inde Juvenalis Sat. 13.

Et qui nec Cynicos, nec Stoïca dogmata legit
A Cynicis tunica distantia.

Et plura alii. Jam vero de Arbitro nescio an sit aliquid memoratum, quod ab decretis Cynicorum, immo Stoïcorum vel minimum dissentiat. Nota autem mihi ut illud consonet, quod negotium fortasse huc usque nonnullis facessiit: *Utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat.* &c. *Ac dicta, factaque ejus quanto solutiora, & quandam sui negligentiam præferentia, tanto grato gratius in speciem simplicitatis accipiebantur.* Vitia autem ejus, seu vitiorum imitatio nec hilum hic obstant, quo minus se purum putum Stoïcum exhibuisse videatur. Aliter certe in Aula flagitiosissimi Principis facere non potuit; præterquam quod & Stoïci Principes, haut secus ac reliquum humanum genus, variis fuere morbis animi, ac naturæ olim obnoxii. Sextus Empiricus *L. 3. Pyrrhon. Hypotyp. Capp. 24. 25. Et L. 9. adversus Mathematicos*, nefaria eorum dogmata recenset, & potissimum Zenonis, & Chrysippi familiæ ductorum, quæ Arbitrum nostrum frugi Stoïcum ac probatum poterunt deinceps reddere. Mitiora vero Seneca de illis prodidit, quem juvat audire de se quoque plusquam humiliter ac modeste profantem Cap. 18. De Vita Beata: *Hæc non pro me loquor: ego enim in alto vitiorum omnium sum: sed pro illo, cui aliquid acti est. Aliter, inquit, loqueris: aliter vivis. Hoc per malignissima capita, & optimo cuique inimicissima, Platoni objectum est, objectum Epicuro, objectum Zenoni. Omnes enim isti dicebant, non quemadmodum ipsi viverent, sed quemadmodum vivendum esset. De virtute, non de me loquor: & quum vitiis convicium facio, quum potuero, vivam quomodo oportet.* At hic progrederis urgere nos, & Arbiter, ais, nec vita nec verbis pudicus fuit. Itaque potius protulit, quemadmodum ipse viveret, quam quemadmodum esset vivendum. Scriptaque ejus, hoc est, Satiricon, & si quæ alia, id manifesto adtestantur. Immo potius, inquam ego, ex antica oppositum. Ibi sane flagitia propalat, ut insectetur; vitia propudiosa depingit, ut puniat & ulciscatur acerbe. Hoc ipsum qui non sentit, à me sciat, nihil unquam sensurum de Arbitri mente, quod abunde, ubi *De Scriptis*, inferius ostenditur. Ceterum quid Stoïcis magis familiare, quam id genus obscœna scilicet loquendi licentia? Cicero celebri in illa Epistola ad Pætum L. 9. Familiar. ait. *Amo verecundiam, vel potius Libertatem Loquendi; atque hoc Zenoni placuit, homini me Hercule acuto: etsi Academiæ nostræ cum eo magna rixa est. Sed, ut dico, placet Stoïcis suo quamque rem nomine adpellare.* ac deinceps pluribus id tota Epistola persequitur, quousque hisce eam claudit: *Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quæ Apertissimis agunt Stoïci* &c. Et Lib. 1. De Offic. paria refert, quæ in eam sententiam ab eisdem contra verecundiam disputantur. Etenim præterea volo nonnulla eorum placita cum Satirico conferre, ut apertius omnibus jam constet de Arbitri Secta.

Næ Stoici deos esse, qui mundum administrarent, inprimis censebant; quique consulerent rebus humanis. Πρόνοιαν & vocabant Providentiam; quæ 2. & 3. De Nat. Deor. & 4. De Finib. Cicero docet. Ut autem huic dogmati adsenserit Arbiter, satis puto liquere ex dictis adversus Epicureos.

Fatalem necessitatem plane etiam agnovit Petronius, pluriesque professus, pedibus in sententiam ivit Stoïcorum, quam refert etiam Cicero Lib. De Fato. scilicet *Fato omnia fieri.* Porro Tusculana. 5. & l. 2. De Divinat. quid Stoïcorum Fatum sit, latiuscule exponit; omnia verò cum Arbitro mire consentiunt.

Stoïcorum erat etiam decretum, *Multa falsa esse, longeque aliter se habere, ac sensibus videantur*; quod & uberius in Lucullo disseruit Cicero, interque alia de Chrysippo illud testimonium ibidem dedit: *Sed quid eos conligam, quum habeam Chrysippum, qui fulcire putatur porticum Stoïcorum? quam multa ille contra Sensus dissolvit?* &c. Suum verò in hac re sensum Arbiter illis versiculis exposuit:

Fallunt nos oculi, vagique Sensus
Oppressa ratione mentiuntur.
Nam turris prope quæ quadrata surgit,
Attritis procul angulis votatur.
Hyblæum refugit fatur liquorem,
Et naris casiam frequenter odit.
Hoc illo magis, aut minus placere
Non posset, nisi lite destinata
Pugnarent dubio tenore Sensus.

Credebant item, *Visa quædam mitti a Deo*, inquit etiam in Lucullo Cicero, *velut ea, quæ in Somniis videantur, quaque Oraculis, Auspiciis, Extis declarantur. Hæc enim ajunt probari à Stoïcis, quos contra disputant.* Quæ omnia exemplis in Satirico Arbiter adseruit. De *Somniis* illa sunt cap. 27. *Et ideo meditatam Somno petii, jussaque sum vos perquirere, atque impetum morbi monstrata subtilitate lenire.* Et cap. 104. *Vi-*

* Sic de se Horatius: *Quum ridere voles Epicuri de grege porcum.*

Videbatur mihi secundum quietem Priapus dicere, Encolpion quem quæris, &c. Et cap. eod. quod nonnihil & *Oraculi* habere videtur: *Et mihi simulacrum Neptuni, quod Bais ter stylo notaveram, videbatur dicere. In navi Licæ Gitona invenies.* Hocce enim Epicurus derisit, quem ideo opportune laudat, & effert Eumolpus, ut sic Encolpio, & Gitoni patrocinetur. Sin Neronem, quem Eumolpus repræsentat, subindicat tinctum Epicureorum hæresi, ut alibi dicimus. Istud vero exstat de *Auspiciis* cap. 122.

Hæc ubi personuit, de cœlo Delphicus ales
Omina læta dedit, pepulitque meatibus auras.

Et hocce de *Extis*, cap. 137. *Recluso pectore extraxit fortissimum jecur, & inde mihi futura prædixit.*

Sordidum quoque placitum Stoïcæ disciplinæ erat *Crepitus aque liberos ac ructus esse oportere*; sic Cicero memoriæ prodidit Epist. 22. lib. 9. Fam. Puto equidem, urbanus adeo homo, nisi eo placito fretus, in medium haut produceret tale flagitium mercenarii Eumolpi, & fors formosi pueri; maxime quum in balneo solum id sine dedecore apud Romanos esset permissum. Cicero ibidem: *Suppedit, flagitium est: jam erit nudus in balneo, non reprehendes.* Verba Arbitri sunt cap. 117. ubi de Corace loquitur: *Nec contentus maledictis, tollebat subinde altius pedem, & strepitu obscœno, simul atque odore viam implebat. Ridebat contumaciam Giton, & singulos strepitus ejus pari clangore prosequebatur.*

Stoïca denique scita nota sunt, *Urbanitatem esse virtutem*, & *Eloquentiam virtutem, ac Sapientiam esse.* a Absurdum namque valde est, Stoïci os triste ac severum cogitare, frontem caperatam, supercilium contractum, pariterque mores austeros ac difficiles fore, verba insuavia, & consuetudinem injucundam. Ex diametro namque omnia contraria sunt, ut sat liquet ex placitis. Itaque quum se Arbiter præbet inprimis Urbanum, & aulicum; etiamque elegantem purissimæ Elocutionis architectum, in mere Stoïci vivum exemplar Æternitatis in templo erit conlocandus.

Sed jam ad metam decursus, & Arbitri Mortem jam adtingit Præludium. Ex ejus autem apud Tacitum descriptione, unde haut parvi momenti rationem sibi pro familia Epicureorum parabant Petroniani Interpretes, equidem jam pridem verum omnino Stoicum fuisse, conjectabam. Inquit Cornelius: *Nec tulit ultra timoris, aut spei moras; neque tamen præceps vitam expulit, sed incisas venas, ut libitum, obligatas, aperire rursum, & adloqui amicos, non per seria, aut quibus constantiæ gloriam peteret. Audiebatque referentes, nihil de immortalitate animæ, & Sapientium placitis, sed levia carmina, & faciles versus. Servorum alios largitione, quosdam verberibus adfecit. Iniit & vias, somno indulsit, ut quamquam coacta Mors, fortuitæ similis esset.* Omnia mihi constantem viri magni animum præ se ferunt, viæque & fati contemptorem egregium; & singillatim si examinentur in ipsa Stoïcæ Philosophiæ statera; facient vel Catoni ipsi satis, vel Epicteto. b Quid aliud quàm vitæ contemptum prædicant illa verba: *Nec tulit ultra timoris, aut spei moras?* omnino sanè, Cæsar namque non jussit. Ne autem præcipiti morte obviam iisse ejus cruciatibus, & impatientiæ videretur, parumque constantiæ suæ fisus esse, addit: *neque tamen præceps vitam expulit, sed incisas venas* &c. An aliter Thraseas Pœtus, an ipsus Seneca? Vincit tamen Noster morâ illâ spontaneâ, *ut libitum obligatas, aperire rursum* &c. quum magnus Seneca mortem adeo maturare cupiverit, crurum quoque & poplitum venarum incisione; ac subinde *saviisque cruciatibus defessus*, verba etiam Taciti sunt, *orat provisum pridem venenum amicus promeret; adlatumque hausit frustra*, ideoque *postremo stagnum calidæ aquæ intrat*; quæ adhuc quum non sufficerent, *Exim balneo inlatus, vapore ejus exanimatus est.* Præterea reliquit insuper Arbiter novum sane extremumque suæ constantiæ, ac fortitudinis exemplum, ipsa nimirum, ut sic dicam, Constantiæ contemptione. Hoc est, ne vulgus, ut est ad deteriora promptum postidea crederet, famem ac memoriam insignis Constantiæ captasse tanto in illo animi robore ac virtute, ut de Paullina Senecæ uxore tradidit Tacitus, *Famam sociatæ cum marito mortis petivisse*, in ipso exitus limine *adlocutus amicos Petronius est, non per seria, aut quibus Constantiæ Gloriam petere videretur; auditisque referentes nihil de immortalitate animæ, & Sapientium placitis, sed levia carmina, & faciles versus.* At vero ut suam tandem illam masculam adsereret ἀπάθειαν, miramque animi tranquillitatem immortalitati commendaret, post ipsam venarum abruptionem, ea Taciti mens est, *Iniit vias, somno indulsit, ut quamquam coacta Mors, fortuitæ similis esset.* Narrationi enim inlustris Historici quid addere, supervacuum, ideo silere, ac mirari satius duximus, Sed eodemmet temporis, hoc addam in fine, indubie spectat, quod de Petronio etiam narrat Plinius Secundus Lib. 37. C. 2. *Titus Petronius Consularis Morituros, invidia Neronis Principis, ut mensam ejus exheredaret, trullam murrhinam* ccc. *H-S- emptam fregit.* Mortem igitur obiit Anno P. R. C. DCCCXIIX. C. Suetonio Paullino, L. Pontio Telesino COS. P. C. N. Anno LXIIIX. Biennio antequam Petrus, & Paullus Apostolorum coryphæi Romæ paterentnr.

DE
PETRONII ARBITRI SCRIPTIS,
ET INPRIMIS
DE SATYRICO.
PRÆLUDIUM II.

VIrum inlustri ingenio præditum, summa doctrina excultum, Poëticaque facultate divinum, plu-

a Cicero l. 3. Fam. Ep. 7. de Oratore lib. 3. b Senecam adi extremo lib. de Providentiâ.

ra opera condidisse, suspicari pronum est. Argumento etiam sunt tot ejus Carmina, qua ὁλόκληρα, qua ἀποσπασμάτια, quæ inter Catalecta veterum Poëtarum sparsa reperiuntur; omnia namque e Satyrico divulsa ac discerpta esse, ego haut facile credam. Idem in mentem Viris doctis jam olim venisse, equidem puto, quum in Adnotationibus ad Fulgentii Mythologiarum Libros[a] Joan. Baptista Pius perhibeat dissertim. Ipsus autem Fulgentius Planciades, cui Petronius Arbiter fuit valde familiaris, Libro De Virgiliana Continentia Opus Petronii, *Eusebii* inscriptum, sive *Eustion*, ut alia exemplaria exhibent, laudat, exindeque profert elegans fragmenticulum: *Cerberus sorensis erat Caussidicus.* Fulgentius habet: *Unde & Petronius in Eusebio ait*; ubi Petrus Daniel tentabat, *in Evnuchio*. Adi etiam Dousæ F. Spicilegium.

Idem Planciades Fulgentius Præfat. Lib. 1. Mythologicôn alius operis Petronii mentionem fecit, quod *Albucia* vocavit. Ejus, ajunt, amicam fuisse, ac *Carmen* de eadem *Amatorium* lusisse; ego potius *Satiricum* carmen suspicer; quo etiam & mihi præire Mythologicus, licet conruptus, videtur: nam de Satira agit, quæ sola modum, inquit, imponere potest verbalibus undis mulierum; quo loco & *Albucia Petroniana* meminit, cui cedere alias Virorum inlustrium Satyras, fors innuit.

Deponam ego ægrotantia verba, ut si Machaon aliquis, aut Podalirius contigerit eis: *Sola & Satira, quæ modum imponit furentibus* [mulieribus] *Scilicet PETRONIANA subit ALBUTIA; hæc enim adludente, & Plautina Saurea dominatus obdormit, & Sulpicillæ Ausoniana loquacitas deperit, Sallustianaque Sempronia, quamvis præsens sit, melos rauce sit.* Sic locum ego interea concinnavi ex pluribus codicum scripturis variantibus. Valde enim *Albucia*, si illa *Albucilla* Taciti est, ut volunt Eruditi, *multorum amoribus famosa*, Satiricæ scriptioni foret obnoxia; vide quæ & de illa adtigimus Præludio sequenti.

Item, Joannes Episcopus Saresberiensis Lib. 3. De Nugis Curialium cap. 8. Arbitri *Comœdiam* citat verbis hisce: *Fere totus mundus ex Arbitri nostri sententia mimum videtur implere, ad COMOEDIAM suam quodammodo respiciens.* Forsitan erit, qui Satiricon iubintelligere autumet; tum quod *Dramaticum* esse, patet, uti infra dicimus; tum quod *Maledicum*, convicioſum, ac petulans Scriptum sit. Comœdia enim antiqua, ut sciunt Docti, tota fuit in conviciis, & Satira mera. Forsitan alii de Satirico etiam Saresberiensem accipient, sed diversa ratione. Fuere namque olim, qui Speciem Comœdiæ Satiram facerent. Sic S. Isidorus Lib. 8. *Duo sunt genera Comicorum, id est, veteres & novi. Veteres, qui & joco ridiculares exstiterunt, ut Plautus, Actius, Terentius. Novi, qui & Satirici, à quibus generaliter vitia carpuntur, ut Flaccus, Persius, Juvenalis & alii. Hi enim delicta conripiunt: nec vetabatur eis, pessimum quemque describere: nec cujuslibet peccata, moresque reprehendere.* Nescio autem, quam vera sit illa scenicæ poëseos divisio; scio tamen, à Criticis malè ea propter accipi Isidorum; quo circa rem totam nos in medium relinquimus.

Isthæc sunt, quæ in præsentiâ succurrunt, memorata T. Petronii Arbitri opuscula præter Satiricon; de quo jam tempus urget instituere sermonem, quem habebimus duplicem. Primus materiem, hoc est, Argumentum complectetur; Secundus vero Formam. Nescio equidem, unde aptius, quam è Tacito ipso Argumentum eruere possimus. Ipse diserte in Vita ejus edocet, quæ verba & hic repetimus:

Ne Codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est: Sed flagitia Principis sub nominibus exoletorum, feminarumque, & novitate cujusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni; fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula. Ambigenti Neroni quonammodo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia matrimonio senatoris haut ignota, & ipsi ad omnem libidinem adsita, ac Petronio perquam familiaris; agitur in exsilium, tamquam non siluisset, quæ viderat, pertuleratque, proprio odio.

Urbis ergo Romæ imaginem, præcipuè vero Neronis Aulæ, Satiricon repræsentat, hoc est, flagitia horrenda fere omnium procerum, ac virorum inlustrium; Principis maximè, & ejus domesticorum. Sub larva enim petulantissimi Scripti propudiosam Neronis historiam Petronius occuluit, suique ævi turpitudines. Itaque illico ac mentem ego ad Arbitrum adplicui, subiit animadvertere, actiones impudicas Neronis ab ejusdem Historicis necessario petendas esse, ut sensa, locaque Satirici, alias tenebricosa, ac difficillima, inlustrari, & enodari possent utcumque. Sic nos fecimus, integramque historiam Neronis pervolutavimus; indeque facem accendimus locis non paucis adeo hucusque caligine obductis, ut desperatio vel minimæ unquam lucis adipiscendæ, eos retro multos per annos prorsus ceperit. Res ipsa fidem faciet, nunc progredimur. Vides, inquam, uti Codicillorum, ut vocat Tacitus, Petronianorum argumentum unicè cum Satirico conveniat, quod Petronii Arbitri nomine circumfertur; & quum cetera, Nomen puta Auctoris, Ætas, & alia pariter consentiant, nullus jam de Scriptore ac de Scripto dubitationi relinquitur locus. Fulcitur haut leviter hæc veritas divinâ illâ Divi Paulli Epistolâ ad Romanos, ubi, compar quum ille fuerit ætate Neroni, & Petronio, pariter adeo eademmet vitia exagitat, ac recenset, ut Capita 1. & 13. ejusdem Epistolæ, ex sententiâ quorundam eruditorum Theologorum, fere sine Petronii Satyrâ non possint intelligi. Restat igitur tantum, ut ullus vel levissimus scrupus reliquus non sit, palam facere, quod Scripti nomen Tacito memoratum, sci-

[a] Cap. 42.

scilicet, *Codicilli*, etiam optime quadret Petronii superstiti Satirico. Quod plane ego ex ipso Tacito evincam docente exsertim 14. Annal. ævo Neronis haut insuetum fuisse, id genus probrosa, & maledica Scripta *Codicillos* nuncupare: *Haut dispari crimine*, ait, *Fabricius Vejento conflictatus est, quod multa & probrosa in Patres, & Sacerdotes composuisset iis libris, quibus nomen CODICILLORUM dederat.* Ortum indubie, ex libertate ac licentiâ supremis tabulis, id est, testamentis & Codicillis concessâ, quod libri nempe illi ignominiosi adpellari consueverint *Codicilli.* Hoc etiam ostendit nobis Tacitus ipse lib. 6. Annal. *Eo metu Fulcinius Trio ingruentes accusatores haut perpessus, Supremis Tabulis Multa & Atrocia in Macronem, ac præcipuos libertorum Cæsaris composuit, &c.* Senatus tamen jampridem inhibere tentavit, sed Augustus, teste Suetonio C. 56. *De inhibenda Testamentorum licentia ne Senatus quicquam constitueret, intercessit.* En aperte mos, & ejus origo, commodum jam ad reliqua secedimus. Addit Tacitus: *Atque obsignata misit Neroni, fregitque annulum, ne mox usui esset ad facienda pericula.* Unde & isthæc licet conligere; Primum, obsignatum misisse Satiricon, haut secus ac si Testamentum foret, tutius etiam ut sic ad Principem pervenire posset: plures namque pereuntium ex magna bonorum parte Imperatorem instituebant heredem; præterquam quod & Supremæ quodammodo Tabulæ illæ fuere, Quod haut incommode fieri etiam potuit, nam à Testatore tantum, testibus non adhibitis, nonnunquam Supremæ Tabulæ obsignabantur. Innuit Tacitus ipsus Lib. 15. Annal. Cap. 54. & 55. de Scevino loquens. Et fors, quod ait nunc Tacitus, *Obsignatas* Neroni Arbitrum Tabulas misisse, haut inepte de Obsignatione capiendum, ac lini trajectione, quæ adinventa primum est sub ipso Nerone, auctore Paulo libr. v. Sententiar. Tit. 25. inquit etiam Suetonius in Nerone, Cap. 17. *Adversus falsarios tunc primum repertum, ne Tabulæ nisi pertusæ, ac ter lino per foramina trajecto, OBSIGNARENTUR.* Deinde conligitur, suppresso vero nomine ad Principem misisse Petronium suum Satiricon; ac sub Eucolpio scilicet, ut paret, ipsum latitasse, & subinde Polyæno: ideoque annulum postea consulto, post obsignationem scilicet, fregisse, tradidit Cornelius, ne vel illud indicium Auctoris supereset etiam post ejus obitum. Subdit Tacitus: *Ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia, &c.* ac *Petronio perquam familiaris, &c.* Unde & edisco isthæc. Primo, quod Codicillorum Auctor Neroni innotuit, licet annulum fregerit, & nomen suum occultarit. Item, quod jam Neroni adsumptus Petronius non erat suarum elegantiarum Arbiter, nimirum postquam ad Principem Tigellinus detulit, Cumisque erat detentus, ut inquit Tacitus, quod haut parvum temporis spatium fuit; eoque conceptum Satiricon esse, conditumque, intelligere par est. Itaque jure optimo mirabatur Cæsar, quod flagitia suarum noctium Petronio notescerent. Sed occurrit animo Silia eidem Arbitro familiaris; quæ quoniam videretur non siluisse, quæ viderat, pertuleratque, (Nam Cæsari erat ad omnem libidinem adscita) exsilio punita tantum evasit ab immanissimâ ferâ. Ita & morsus cæteri, qui in reliquis fragmentis continentur, puta adversus Eloquentiæ professores, forenses advocatos, sacerdotum libidines, pædagogorum nefaria flagitia, equitum in balneis turpissimum delectum, feminarum adulescentes formosos ambientium levitatem, & lascivos amores, ac denique heredipetarum rapacitatem ac fraudes, omnes pariter etiam ad Imperium Neronis spectant, qui mores eo temporis, si unquam alio, potissimum viguere; & hactenus de Argumento.

In Forma autem tria considerabimus: Satirici *Originem, Progressum*, Formam usque nactum est, in qua tandem conquievit, & postremo *Nomen.* Sed ad *Originem.* Si Satiræ primæ Romanæ initium inquirimus, longè altius est, quam istius, de qua nobis instituta est dissertatio. Id vero nostrum non interest, nam licet varias illa primæva mutationes sit passa, nec minimum quid longo tempore cum nostrâ habuit commune: quo usque ad duas illas species pervenit, quas Quinctilianus recenset. Inde ergo nostræ Satiræ origo nobis ducenda necessario est. Ecce verba Fabii nostri ex Lib. x. Instit. Orat. Cap. 10. *SATIRA quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius, qui quosdam ita deditos sibi adhuc habet amatores, ut eum non ejusdem modo operis autoribus, sed omnibus poëtis præferre non dubitent. Ego, quantum ab illis, tantum ab Horatio dissentio, qui Lucilium fluere lutulentum, & esse aliquid, quod tollere possis, putat. Nam & eruditio in eo mira, & libertas, atque inde acerbitas, & abundè salis. Multo est tersior ac purus magis Horatius, & ad notandos hominum mores præcipuus. Multum & veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit. Sunt clari hodieque, & qui olim nominabuntur. ALTERUM illud est, & prius Satiræ genus, quod non sola carminum varietate mistum condidit Terentius Varro vir Romanorum eruditissimus.* Manifesto separantur his verbis Duæ species Satiræ diversæ. Prior Species est ejus Satiræ, quam Lucilius excoluit, & quodammodo adinvenisse videtur. Horatius aperte dixit L. 2. Sat. 1.

——— *Quum est Lucilius ausus*
Primus in hunc operis componere carmina morem, &c.

Etiam alibi. Altera Species est illius Satiræ, quam eximie Terentius Varro exornavit: Inventor autem fuisse videtur Ennius, seu Pacuvius. Idem ac Quinctilianus docet Diomedes L. 3. pressius tamen, sed non obscurius: *SATIRA dicitur carmen apud Romanos, non quidem [apud Græcos] maledicum, & ad carpenda hominum vitia Archæa Comœdiæ charactere compositum; quale scripserunt Lucilius, & Horatius, & Persius. SED olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, SATIRA vocabatur: quale scripse-*

runt Pacuvius, & Ennius. Ad Posteriorem ergo Speciem pertinet Petronii Satira, ideoque de illa, altera prætermissa, adcuratè nobis agendum est. Ejus enim antiquius initium ego non invenio, quàm à Pacuvio, aut Ennio. De Pacuvio hodie obscuram satis memoriam habemus, de ejus vero Satiris nullam; ea propter convertendus erit stilus ad Ennium. Ejus Satiræ à Grammaticis priscis sæpe laudantur. Sextum librum Donatus citat ad Phormionem Terentii: sed Porphyrio vetus Horatii interpres ad Satiram 10. Lib. 1. ait, quatuor Satirarum libros ab Ennio relictos esse. Sed nihil mirum sane, quum proni in similes numerorum errores semper librarii fuerint. Quando vero natus Ennius, à Cicerone habemus: inquit in 1. Tuscul. *Annis fere ccccx. post Romam conditam Livius fabulam dedit C. Clodio Cæci F. M. Tuditano Coss. anno ante natum Ennium, qui fuit major quàm Plautus, & Nævius.* Verum enim vero non solum Originem Satiræ nostræ discimus ex Diomede, sed Formam etiam, itidemque ex Quinctiliano; ille: *Carmen, quod ex Variis Poematibus constabat, Satira dicebatur.* Iste: *Satiræ genus, quod non sola Carminum Varietate mistum condidit Terentius Varro.* Miscellum ergo exstitit opus illud, constans ex variis metrorum generibus; quod ex ipsis Ennii fragmentis, quæ apud Grammaticos reperiuntur, liquido patet. Ex lib. 3. Satirarum, sive ex 3. Satirâ exametros versus proferunt, etiamque trimetros jambicos; & sic in aliis libris diversitas similis animadversa. Unde jam error Criniti erit manifestarius, qui, a Satirarum libros, ait, scripsisse Ennium quadratis versibus; cui haut dubio A. Gellius imposuit, quum L. 2. Cap. 29. dixit, quemdam *Æsopi apologum Q. Ennium in Satiris scite admodum & venuste Versibus Quadratis composuisse.* Habuerunt & Græci ejuscemodi miscellaneæ scriptionis exempla nonnulla. Poëta quidam, Chæremon vocatus, ex multis versuum generibus mistis, Auctore Aristotele L. de Poëtica, Carmen quoddam contexuit, quod satis vel ideo opportune vocavit *Hippocentaurum.* Item Homerus in Margite (quod opus convitiosum fuisse, subindicat ibidem Aristoteles) teste Hephæstione, jambicos aliis versibus miscuit; quod sic & Marius Victorinus prodidit L. 3. agens de quodam jambici genere: *Hoc genere versuum, ut supra diximus, primus usus est Homerus in Margite suo; nec tamen totum carmen ita digestum perfecit; nam duobus, pluribusve exametris antepositis istum subjiciens copulavit.* Verum nescimus, an exinde parentes Satiræ nostræ, Pacuvius, & Ennius exemplum sibi sumpserint, certo autem scimus, posteris dedisse. Sed quum in dies res augeantur, & plurimum exornentur, accidit Satiræ, ut jam non solum ex diversorum generum versibus conflaretur ab inferioris ævi Poëtis; sed ex prorsa oratione simulque vorsa, ut monstruosum Poëma, ipsa tamen varietate conspicuum, edere postea commenti sint; qui fuit Satiræ non minimus *Progressus.* Similis vero scriptionis antiquiorem auctorem Eruditi Terentio Varrone non agnoscunt. Jam ex Quinctiliano audivimus, qui luculentus hic nobis testis est: *Alterum illud, & prius Satiræ genus, quod non sola carminum varietate mistum condidit Terentius Varro, vir Romanorum eruditissimus.* Quorum verborum sensus est, Satiram, quam Varro excoluit, ipsam omnino esse, cujus inventorem Antiquitas, ut jam vidimus, Ennium profitebatur; aliter enim capere, scilicet antiquiorem esse Varronis Satiram Lucilianâ, temporum ratio non concederet, quum posterior natu Varro sit, quam Lucilius. Sed addit Fabius, quod non solâ carminum varietate mistum genus id Satirarum condiderit Varro, ut fecerat Ennius, sed cum metris etiam solutam orationem commiscuerit. Eâ in re Menippum Philosophum Cynicum imitatum fuisse, ipsemet Varro apud Ciceronem Academicis Quæstionibus disertim testatur: *Et tamen in illis veteribus nostris, quæ, Menippum Imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus,* &c. Idem insinuat Probus Grammaticus antiquus ad Sextam Eclogam Virgilii: *Varro Menippeus non à magistro, cujus ætas longe præcesserat, nominatus: sed à societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine Satiras suas expoliverat.* Ubi immerito accusatur à Criticis imperitiæ, quod videatur persuasisse sibi, Satiras scripsisse Menippum; quum revera ejus scripta nullus unquam Antiquorum Satiras vocaverit; quod ut ego libenter concedam, minime vero, haut secus ac Varronianas (& hic animus dubio procul Grammatici fuit) non posse jure merito Satiras adpellari, qua argumenti petulantiâ, ac varietate, qua soluti sermonis etiam & vincti commistione. Quod fuisse ingenium scriptorum Menippi, haut sinit nos dubitare, ipsamet certe Varronis imitatio, quapropter & suas Satiras *Menippeas* nuncupavit. Omnia A. Gellius plane lib. 2. C. 18. *Servus ille Menippus fuit, cujus libros M. Varro in Satiris æmulatus est; quas alii Cynicas, ipse adpellat Menippeas.* Et inde etiam ipse adpellatus *Menippeus*, ut supra Probus indicavit. Tuetur & non leviter Lucianus, dum Necyomantiâ Menippi characterem, quæ Eruditorum observatio est, exprimere haut oblique voluit; ibi Menippum introducit profantem, sermo ejus ex versibus, & prosâ contextus est. Verum enimvero nihilum prorsus refert, quo minus parissime sint Menippei Varronis, & Menippi libri, quod proprii sint Varronis versus Satiris suis inserti, Menippi autem aliunde petiti. Ac præterea unde scimus nos, sæpius quoque cum prosâ versus proprios non miscuisse Menippum? nec scripta eus comparent, nec dixit nobis ex Vetustis, qui viderunt, ullus. Audimus tamen hodie venerandæ Antiquitatis testes non paucos proferentes, quàm ambitiose Menippum exprimere, optaverit Varro. Itaque ego adsentiri non possum, quid vel minimum discriminis comminiscenti præter nomen, inter Varronis Satiras & opera ut plurimum Menippi. Nec materie utri-

a L. 1. D. Poët. Cap. 2.

utriusque scripta fuere diversa: carpere namque hominum mores, ac festivo hilaruloque stilo deridere, ambo sibi proposuerunt. hocce sane ex Varronis reliquiis liquido paret. De Menippo Laërtius ait: τὰ βιβλία αὐτοῦ [Μενίππου] πολλῷ καταγέλωτι γέμει, καί τι ἴσον τοῖς Μελεάγρου μὲν κατ' αὐτὸν γενομένου· *Libri ipsius multo risu referti sunt, non secus atque Meleagri, qui tempore ejus fuit.* Ideo Strabo l. 16. σπουδογελοῖον adpellat, hoc est, *in ridiculis versantem, rerumque ridicularum studiosum*, & pariter cum Meleagro componit. Testatur & Lucianus suismet scriptis, nihil quippe ille habuit carius & antiquius, quam æmulari ingenium Menippi lepidis suis Sermonibus, ac Dialogis pluribus. Cultor igitur Varro Satiræ hujus eximius, ea autem ut concinnavit forma, effinxit, que perstitit diu, quo longo temporis intervallo plures exstitisse inlustres & famigerabiles Viros, qui Satiricos hujuscemodi libros scriptitarunt, ambigere delirium est. Sed vetustatis omnis depascentis injuria posteris invidit. Ad nos unus tantum aut alter pervenit magnorum hominum, ætate, eruditione, hæresi quoque Philosophica parium. Isti sunt L. Annæi Senecæ APOCOLOCYNTOSIS, & T. Petronii Arbitri SATIRICON. Sed ille brevis Ludus est de morte Claudii Cæsaris; hic vero, quem ad justum volumen Auctor perduxerat, avorum memoria adeo à blattis & tineis exesus, mutilus, & deformis adparuit, ut parens, si resurgeret, ut nothum & spurium fœtum abdicare posset impune. Ex eo tempore vix reperiri poterit vir ullus ingenio & doctrina nobilis, cujus acumen & eruditionem Arbiter non exercuerit. verum, ut omnes homines sumus, non dii, impari admodum successu. Sed ad rem, nos putamus, huc adcenseri non posse Martiani Felicis Capellæ miscellum Satiricon: nam licet connubio illo pedestris & equestris Orationis cum Satira præcedenti conveniat, quum ab illa prorsus natura sua, materia, & fine dissentiat, ad aliud scriptorum diversum genus erit revocandum. Rationem vero nominis infra adtingimus. Quod pariter & de Opere Boëtii *De Consolatione Philosophiæ* inscripto censendum erit. At hic præterire non licet, aptissimam esse hancce formam scriptionis ad expromendos animi sensus felleo cum sale; etiamque duplicis stili vires, ac nervos intendendos ingenii; duobus autem Satirographis illis, Senecæ, & Arbitro, alio præterea respectu forsitam adrisisse: eo, inquam, quod haberent prototypum illius Menippum, qui Cynicæ disciplinæ fuerat sectator egregius; unde & Varronis Satiræ pariter *Cynicæ*, ac *Menippeæ* vocatæ, ut supra didicimus ab A. Gellio. Itaque quum Satiras erant scripturi, illas nempe æmulari præ cæteris maxime Stoïcos Philosophos decuisse, licet intelligere, una namque ac pene eadem doctrina Cynica & Stoïca apud Antiquos habebatur. Ast ad *Nomen* tandem devenimus, ubi novissimum Isaac. Casauboni Commentum tam de *Satiræ* originatione, quam de modo scribendi, sane quam videtur ad veritatem accedere. Vetustissimæ quidem poësi suæ valde cum ratione congruit priscos, Romanos imposuisse Romanum nomen, non vero exoticum & peregrinum: quod à moribus rudis eorum primordii maxime abhorrebat. Itaque Romana vox *Satira*, & quidem antiquissima apud illos, ac proinde ante illud tempus exorta, quo Græcas disciplinas cum illarum acceperunt nominibus, eaque propter litteris etiam scribenda Latinis, uti in pluribus codicibus pervetustis invenitur, nempe *Satura*, aut *Satira*, quod idem est, ut jam olim monuerunt Eruditi, haut secus atque *maxumus*, & *maximus; optumus*, & *optimus*, & alia quam multa. Cæterum *Saturæ* nomine quid primitus significaretur, cognoscitur ex Acrone veteri interprete Horatii ad 1. Sat. Lib. 1. ubi docet, *Lancem illam, quæ plena diversis frugibus in templo Cereris infertur, SATURAM adpellari.* Idem Diomedes tradit Lib. 3. additque ideo *à copia & saturitate rei SATURAM vocari.* Exinde cœpit SATURA usurpari latius. Festus: *Satura & cibi genus est ex variis rebus conditum.* Et Varro, teste eodem Diomede, *Quoddam genus farciminis, quod multis rebus refertum est, SATURAM* dicit, *vocitari*, & profert hocce ex 2. Lib. Plaut. Quæst. *SATURA est, uva passa & polenta, & nuclei pinei mulso conspersi.* At quod magis ad nostrum scopum accedit, id Festi est: *Et Lex multis aliis legibus conferta.* illud sane tandem collimat, quod ejus adbreviator Paullus retulit: *SATURA & genus carminis est, ubi de multis rebus disputatur.* Ita & Acron ibidem: *Ergo & hoc Carmen propterea SATURAM adpellaverunt, quia ita multis & variis rebus refertum est.*

Tute jam vides, quam apte Varronianæ Satiræ, & pariter Petronianæ conveniat SATIRÆ vocabulum Romanum: nam quum Satira sit plurium videlicet rerum commistio, ubinam, quæso, mistura major, quam in nostra Satira, & rerum, & multiplicis simul orationis est, ut anterius ostensum? Pariter facit & ad aliam Satiræ speciem eadem adpellatio, sed quæ ad nos in præsentia ejus explicatio non facit. Ut enim maledicentiæ quoque Satirarum adpellatio ipsa quadraret, non defuit & etymi sui satis opportuna ratio. Addit Acro loquens de Satira poëmate. *Alii dicunt, quod ideo Satura* [vel Satira] *vocitata est, quod ita convitia & crimina hominum libere invadat, ut Saturi, id est, ebrii solent homines dicteriis aut contumeliis adficere.* Apte ergo sic à nomine *Satur*, Etymologia petita est, quod & noster D. Isidorus lib. 8. orig. c. 7. juvat his verbis ex Regio Codice emaculatis: *Aut à Saturis nomen tractum, qui inulta habent ea, quæ per vinolentiam dicuntur.* Mire convenit Satiræ Romanæ dubio procul & isthæc originatio. utraque ejus species plane circa doctrinam morum, vitiorumque exagitationem versatur. SATIRICON, sive SATIRICUM Latina formatione opus suum Petronius inscripsit.

Cur autem potius, quam SATIRA, quæstio est ridicularia. Certe obsoletæ insolentesque inscriptiones, Auctores Satirarum potissimum perpetuo delectarunt. Sic & nonnullis aliis placuit *Elegidia*, & *Elegidaria*

præ

præ *Elegia* non ſemel poëmata ſua adpellare. Sic *Epigrammation* adriſit potius quam *Epigramma*, & *Apologeticus* potius quam *Apologia*, & innumera alia. Ita & Martianus Felix cyclopœdiam ſuam, ſi vera eſt ἐπιγραφὴ, *Satiricon* vocavit: non tamen quod convitioſum eſſet ſcriptum, ſed quod miſcellum & varium, ut ipſemet in fine adteſtatur. Diſpeſcitum videtur in libros & Satiricum fuiſſe, nam ſic veteres Grammatici laudant. Decimus quintus Liber, quod ſupra omnem fidem meo animo eſt, citatur in veteri quodam Lexico; & ſic ab aliis Libri diverſi. Utcunque autem res ſit, majorem, certo certius eſt, & pottiorem operis partem periiſſe. Cæterum nonnullæ in reliquiis, quæ ſuperſunt, parum pudicæ (fatendum eſt) narratiunculæ offenduntur diſperſæ, & quæ fortaſſis caſtas aures haut immerito offendant. At me-Hercules ſui ævi flagitiis, in quæ invehitur, illud potius quam impudentiæ ſuæ erit imputandum; etiamque ingenii Scriptoris præſtantiæ, & incomparabili eloquentiæ. Ab eo enim minime res narrari, ſed agi videntur; muniaque oculi ſua, non aures o·bire Ideo & non ſemel audiit *Diſertus* ab Antiquis, & aliis quamplurimis elogiis paſſim decoratur.

DE SATIRICI PERSONARUM NOMINIBUS.

PRÆLUDIUM. III.

VEtus per aliquot retro ſæcula obtinuit opinio, Comicos tantum Scriptores adigi debere, nomina Interlocutorum ſuarum Fabularum aliqua ſcilicet cum ratione excudere. Sic exſertim ad Adelphos Terentii Donatus edocuit: *Nomina Perſonarum, in Comœdiis duntaxat, habere debent rationem, & Etymologiam.* Aſt, ſi verum amamus, neutiquam Grammaticus capiendus eſt reſtricte de Comicis tantum fabulis, immo potius de univerſa dramatica poëſi, ubi vel Tragœdia ipſa excipienda non eſt, licet Ariſtoteles proferat in Poëtica: Ἐπὶ δὲ τῆς Τραγῳδίας τῶν γενομένων ὀνομάτων ἀντέχονται· *In Tragœdia vera Nomina retinentur*, additque rationem. Subdit namque poſt pauca: Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς Τραγῳδίαις, ἐνίοις δὲ ἓν μὲν ἢ δύο τῶν γνωρίμων ἐστὶν ὀνομάτων, τὰ δ' ἄλλα πεποιημένα. ἐνίοις δὲ οὐθὲν οἷον ἐν τῷ Ἀγάθωνος Ἄνθει ὁμοίως γὰρ ἐν τούτῳ τά τε πράγματα, καὶ τὰ ὀνόματα πεποίηται, καὶ οὐθὲν ἧττον εὐφραίνει. *Sed in Tragœdiis nonnullis unum atque alterum notum Nomen ſervatur, reliqua vero excogitantur: in nonnullis etiam nullum, ſicut in Tragœdia Agathonis Flos cognominata, in qua nihilominus pariter res ipſæ, & Nomina excogitata ſunt, & tamen æque delectant.* Cæterum certo certius eſt, Petronii Satiricum Poëma eſſe Dramaticum; qua imitatur, exprimitque hominum mores, qua item agentes inducit perſonas, varioque inter ſe conloquentes, licet Auctor ipſe ſimul interloquatur in fabula, narretque quod plane Ariſtoteles in Poëtica tradidit, & prolixe ad illum variis in locis Interpretes. Dramatum igitur lege coactus Arbiter fuit procudere, convenienti admodum cum ratione, & reſpectu, perſonarum Nomina. Maxime autem propter ipſam Satirici naturam; de ipſo inquit Tacitus: *Ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem, aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus eſt: ſed flagitia Principis ſub NOMINIBUS exoletorum, feminarumque, & novitate cujuſque ſtupri perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni.* Hinc ediſci, Satiram ſcripſiſſe Petronium, ſupra jam monuimus. nunc inſuper addimus, conjici etiam, & confinxiſſe Nomina. Quid ergo decori eruditiſſimi & venuſtiſſimi Scriptoris magis adverſaretur, quam temere aut fortuito illa conflaviſſe? Amant indubie Satirica & Scommatica ſcripta larvas illas eruditas Vocabulorum, quod vel mitiores Epigrammatiſtas olim haut fugit. Unde aperte jam illud Valerii noſtri capiendum in præliminari Epigrammatum Epiſtola: *Spero me ſequutum in libellis meis tale temperamentum, ut de illis queri non poſſit, quisquis de ſe bene ſenſerit, quum ſalva infimarum quoque Perſonarum reverentia ludant; quæ adeo antiquis Auctoribus deſuit, ut NOMINIBUS non tantum veris abuſi ſint, ſed etiam magnis.* Sub Nominibus ergo ſcite & argute confictis luſit in plures Martialis, immo, ipſo adteſtante, in omnes, quos inſectatus eſt. Quorundam nos rationem quæſivimus jam olim, exinque confecimus Conlectanea; aliorum nunc in Commentis Petronianis reddidimus. Undique ergo cogi videbatur Petronius ad erudita Vocabulorum Commenta. itaque haut dubium eſt, hac in parte politiſſimum Scriptum claudicare, minime illum paſſurum. Merito jam ideo partium erit in præſentia noſtrarum ſenſa illa Auctoris reconditiora ſedulo perſcrutari.

Ex Athenæo enim libr. 14. conligere licet, ut Comica Nomina duarum tantum configerentur ſyllabarum, quod infimarum perſonarum videlicet forent; Tragica vero plurium, quod eſſent virorum inluſtrium: φιλόγελως δ' ἦν καὶ Δημήτριος ὁ Πολιορκητὴς, ὡς φησι Φύλαρχος ἐν τῇ ἑκτῃ τῶν ἱστοριῶν· ὃς γε τὴν Λυσιμάχου ἀρχὴν κωμικῆς σκηνῆς ἔδει διαφέρειν ἔλεγεν· ἐξεῖναι γὰρ ἀπ' αὐτῆς πάντας διασυλλάβως· τότε βίθην χλευάζων, καὶ τὸν Πάριν, μεγίστους ὄντας παρὰ τῷ Λυσιμάχῳ, καὶ τινας ἑτέρους τῶν φίλων, &c. *Fuit & Demetrius Poliorcetes ridiculorum ſtudioſus, qui, ut ſcribit Phylarchus Libro ſexto Hiſtoriarum, Lyſimachi regnum diceret, nihil à ſcena Comica diſcrepare, quoniam ex ea prodirent omnes diſſyllabis nominibus adpellati, Bithem irridens, Parin, & alios quosdam ejus amicos maxima apud Lyſimachum auctoritatis*, &c. Raro tamen Auctoribus priſcis ſuperſtitibus invenimus id obſervatum; pariterque Arbitrum inſuper habuiſſe, conſtat manifeſto. Unde autem potiſſimum Comici ſervis adinvenerint ſcenicis Nomenclationes, ſic Helladius prodidit in Chreſtomatia. Ὅτι οἱ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὶ μὲν πλέον ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλεσαν· οἷον, σῦρον, καρίωνα, μίδαν, γέταν, καὶ ὁμοίως ἐκάλεσαν ὃ καὶ τὰ ἐξ ἐπιθέτων· ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος μὲν, πυρρίαν, καὶ ξανθίαν· ἀπὸ

ἀπὸ τῆς τρόπις ἢ καὶ παρμένωνα, καὶ πίσων, καὶ δρόμωνα· ἐκάλεσι δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ἀνήσαντο τὸν οἰκέτην. ἐξ ἧς καὶ τὰς νουμηνίας ὀνόμαζον *Comici plerumque servis nomina à natali solo indunt, ut Syrum, Carionem, Midam, Getam, & similia: partim ex adjunctis, ut à colore quidem, Pyrrhian, & Xanthian: à moribus Parmenonem, Pistum, Dromonem: item à die, quo emptus est servus: unde & Numenias vocant.* Aliter vero alii sæpiusculè, ut sibi visum fuit. At enim nos propius jam inspiciamus nostri Satirici Nomina.

ENCOLPIUS] Quum isthæc Satiræ species ad *Mistum* genus Poëmatum referri debeat, in quo & Auctor narrat, & aliorum introducit conlocutiones (μικτὸν Græci, ut alias diximus, vocant) persona necessario Scriptum indigebat, quæ Auctoris munere fungi videretur. Ejus ergo vicem subit toto in Satirico Encolpius; nam licet post medium compareat, ejus partes subripuisse Polyænon, ipse tamen ab Encolpio diversus censendus non est; nomen vero ille commutavit ob mimicum illud Crotone compositum figmentum. Rectè omnino illi, qui scribunt *Encolpius*, nam quibus potius *Eucolpus* sive *Eucolpius* jampridem adrisit, fors originationis habuere momenta, quæ nobis inviderunt. In priscis namque lapidibus adferere, ita nomen scriptum reperiri frequenter, nunquam vero *Encolpius*, prorsus sane fuit sua fide abuti Majores: nam aliter se rem habere, hoc est, rarenter admodum *Eucolpus* inveniri, sæpius autem, in cognominibus potissimum, *Encolpus*, facile cuilibet probabitur animadvertenti, notavitque jam ad Martialem suum Scriverius Lib. 1. Ep. 31. Cæterum vel Græcanico etymo præstans nostra scriptura est; habent veteres Glossæ, Ἐγκολπίζω, *insinuo*. Quod vere quidem de se potuit Petronius prædicare; callida enim & erudita morum suavitate se penitus in Potentium animos insinuare consuevit, eorumque in sinu mira fuit acceptus benevolentia. Plane innuunt Taciti illa verba: *Inter paucos familiarium Neroni adsumptus est elegantiæ ARBITER, dum nihil amoenum & molle adfluentia putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset.* Ejusdem Encolpianæ virtutis in Satirico etiam vestigia reliqua sunt. Eo spectat Lycæ, & Tryphænæ haut semel erga ipsum repetita benignitas vel cum capitis periculo: Circes item, & Chrysidis adfectus ut de Gitone taceam, Quartilla, aliisque. Ast in nominis hujusce significatione locum fors habet & illud Tibulli:

Quid hoc novi est? quid ira nunciat Deum?
Silente nocte candidus mihi puer
Tepente quum jaceret abditus SINU, &c.

Quo quid crebrius Encolpio contigit cum Gitone suo? Ἐγκολπίζειν vulgo est, *in sinu habere*,

AGAMEMNON] Rhetor est, & eloquentiæ indubi: præceptor; ideo *Magistrum* vocat, ut mea est sententia, Trimalcio cap 1. v. Apte vero Regis Agamemnonis illum adpellatione insignivit, Oratores namque & Sophistæ *Reges* olim nominabantur, quod observarunt jam Viri eruditi. Lucianus, postquam bellum eloquentiæ Magistrum descripsit in Ρήτ. διδασκ. addidit: Τούτῳ τοίνυν προσελθών, καὶ παραδὺς σεαυτὸν, αὐτίκα μάλα ῥήτωρ ἔσῃ, καὶ περίβλεπτος, καὶ ὡς ὁμολογεῖ αὐτὸς, Βασιλεὺς ἐν τοῖς λόγοις ἀπονητὶ κατασήσῃ· *Ad hunc itaque si accesseris, teque ipsum tradideris, confestim Rhetor eris egregius ac conspicuus, &, ut ipse vocat, Rex in Eloquentia citra laborem constitueris.* Apte quidem, nam eorum natio superba nimis ac tumida, quod nemo nescit post eruditas Cressolii Lucubrationes Lib. 5. C. 1. Theat. Rhet. Fastosos autem quoslibet ut plurimum, & superbientes, nomine *Regis* haut sine sale nigro, notarunt Antiqui: sic visum in Potentioribus amicis, Patronis, ac viris Principibus, quos officiosi togatuli ita prædicabant, sæpe Hispanus Epigrammatista docet. L. 2. Ep. 18.

Sum comes ipse tuus, Tumidique anteambulo Regis

Et Lib. 3. Ep. 7.

Regis Superbi sportulæ recesserunt.

Et L. 5. Ep. 20.

Luxuria est, Tumidique vocant hæc munera Reges.

Sic ipsus Valerius Martialis, observo ego, ut Arbiter *Agamemnona*, Declamatorem suum, *Attalum* Declamatorem quemdam & Oratorem nuncupavit, quod Regios exinde concepisset, ac veluti fastus Attalicos:

Declamas belle: Caussas agis, Attale, belle.

Petronius vero haut sine exemplo Rhetori suo dedit Agamemnonis nomen, nam prius M. Varro in Virgula Divina itidem adpellavit *Agamemnona* similem Rhetorem aut Declamatorem, nimirum quia Regem fecerit Agamemnona Homerus oratione adprime gravem ac vehementem, quod vir Doctus Ausonius Popma etiam adnotavit.

ASCYLTOS] Encolpii *Comes* est, *Fraterque* nequiori sensu, siqua est verbis Gitonis, immo ejusdem Ascylti fides. cap. IX. inquit puer: *Tuus iste Frater, seu Comes.* & cap. eod. Ascyltos: *Cujus eadem ratione in viridario Frater sui*, &c. Encolpius autem suum *Commilitonem* vocat cap. LXXX. Ast ejus nomenclatura uti Satirici conveniat actioni, indicare necessum est: ajunt Veteres Glossæ: Ἄσχυλτος, *insatigabilis*. Quod sane & opportunum erit interpretamentum verborum cap. XCII. *O juvenem Laboriosum? puto illum pridie incipere, postero die finire.* Unde & error patescit cum adspiratione *Aschylos* scribentium.

GITON] *Frater* Encolpii est ac deliciæ; totaque in Satira perpetuus comes, si paucos dies excipias, quos apud Ascylton, siqua est amantibus fides, exulavit invitus. Pannychidis etiam fuit mimicus conjunx; desiderium vero ac voluptas Quartillæ, Ascylti, Eumolpi; item Lycæ & Tryphenæ. Γείτων, *vicinus, proximus* sonat, quod verbum Amoris agnoscunt Critici; sensuntque, quibus Vicina contigit pulcritudo. Veram sanè scripturam ex priscis editionibus exhibuimus. Scaligeri autem F. *Gnython* libri aversantur scripti.

PSYCHE] *Ancilla* Quartillæ, ipsa profante cap. XVI. Eidem toto Actu adlidet fidissima, nequitiarumque ejus, uti ex superstitibus reliquiis cogitare licet,

nec inferior, nec invenustior æmulatrix. Ideo ab *Anima* habuit nomenclationem, quæ Græcis ψυχὴ, estque amantium compellatio mellitissima: Juvenal, Sat. 6. 193.

——— *Quotiens lascivum intervenit illud*
ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ, *modo sub lodice relictis*
Uteris in turba.

Martialis lib. 10. 68.

ΖΩΗ ΚΑΙ ΨΥΧΗ *lascivum congeris usque.*

Apte ergo Amoris conjunx, delicioſissima ac formæ emendatissimæ puella, teste Fulgentio Mythologo, & Appuleio Fabulatore, PSYCHE indigitata. Vocabulum etiam verum fuit feminarum pudicarum. Lapis Romanus:

DIS. MANIBVS. SACR.
CORNELIAE. Q. L. PSYCHES.
SER. MARTIVS. MARTIALIS
ET. SPATALVS. Q. CORNELI
FLACCI. DISP.
CONIVGI. FIDELISSIMAE
FECERVNT.

QUARTILLA] Non Priapi sacerdos est, potius victima. Carmen Ithyphallicum indicat, uti nos latiuscule in Commentis.

Quum Sacrum fieret deo salaci,
Conducta est pretio Puella parvo,
Communis satis omnibus futura &c.

Apte ideo *Quartilla* vocata, sive, ut arbitrium est Viri Docti, *Quadratilla*, ut apud Quinctilianum *Quadrantaria:* quibus adpellationibus eæ significantur, quæ ob quadrantem sui copiam videlicet facerent. *Quintiam* pariter parvi pretii scortillum suspicari licet, Carmine devirginato.

Delicia populi magno notissima circo
Quintia &c.

Quartilla nomen Romanum est, cujus in vetustis lapidibus seges fœcunda.

PANNYCHIS] Virguncula est septennis, cujus impudicæ, & præcoces cum Gitone nuptiæ apud Quartillam celebrantur. Nomen aptum est prorsus cuilibet meretrici. Glossæ interpretantur: Παννυχὶς, *Hoc excubitum, pervigilium.* Nequitia autem, quæ latet, palam erit cuicumque Commentum nostrum consulenti ad verba cap. XXI. *Quum sciatis Priapi Genio Pervigilium deberi.* Arnobius Lib. 5. *Pervigilia*, & *Pannychia* conjunxit, & in vetustis Inscriptionibus feminæ reperiuntur *Pannychides;* & apud Lucianum meretrices. Satirici autem est κωφὸν πρόσωπον, uti *Carpus, Fortunata, Menelaus, Lycurgus, Doris, Endymion, Gorgias*, quod hic satis sit monuisse.

EMBASICOETAS] Cinædus erat vetusculus, molitor, immo tortor Encolpii, & Ascylti. Apte enim illi cinædo impositum nomen. Nam, uti Josias Mercerius inquit Notis ad ultimam Epistolam Aristœneti, ἐμβατεύειν idem quod ἐμβαίνειν· unde Ἐμβασικοίτης, *Incubus;* quod nomen Cynædi apud Petronium, quæ recte omnino Viro docto in mentem venerunt; nam licet Cinœdi alii sint ab Incubis plane, Cinœdus vero ille putus incubus eâ scenâ fuit, ut nos ostendimus ad verba cap. XXIV. *Quæso, inquam, domina, certe Embasicœtam jusseras dari.* Itaque jocum, quem ab eo ipse Mercerius petivit, quod promisso scilicet Incubo repræsentaretur Cinædus, ibidem non admisimus.

TRIMALCIO] Senex ille beatulus est, cujus lautitias, luxumque convivialem graphice Petronius describit. Nomen certè ab nequam Mollitie habet. Glossæ: μαλακὸς, *Mollis.* μαλάσσω, *Subigo, Mollio.* Vere omnino, ut ex narratiunculis Satirici constat. cap. XXVIII. *In chiramaxio delicia ejus ferebantur, puer vetulum* &c. & alias. *Trimalcio* ergo, id est, *termollis*, quod nimiam ejus Mollitiem innuit, quippe Ternarius numerus indeterminatus est, & multitudinem comprehendit. Plutarchus Lib. 1. de Plac. Philosoph. Ἢ τὶ τρεῖς, πλῆθος, ὡς, τρισμάκαρες Δανάου Non aspirandum igitur vocabulum esse, satis jam patet; simulque ex Neronis numismatis, quæ laudat Bourdelotius, mihi autem videre adhuc non contigit, in quorum parte reversa legitur TRIMALCIO, quo mire quidem, fides autem penes illum sit, Commentum infra nostrum juvatur, videlicet sub Trimalcionis persona latere Neronem.

CINNAMUS] Dispensator ille est Trimalcionis, qui licet supercilioſus ac superbus, exorari tamen ab peregrinis hominibus passus est. Fors autem Cinnamus ille dictus Dispensator (ni aliud in amissis detur nobis hodie latere) quod in primoribus seruis olim Dispensatores censiti, haut secus atque inter frutices aromaticos pretiosum *Cinnamum* habitum fuit, sive *Cinnamomum;* quo & illud Arbitri spectat cap. XCIII.

——— *Rosa Cinnamum veretur.*

Præterquam quod & id nominis legitur in priscis servorum titulis; sic Romæ:

CINNAMVS
TI. CAESARIS. AVG.
PEDISEQVVS
NYMPHAE. CONIVGI
FECIT.

CARPUS] *Scissor* ille est, qui ad symphoniam gesticulatus lacerabat obsonia; id *Carpere* adpellabant Antiqui; itaque quotiens, *Carpe*, Trimalcio proferebat, servum vocabat; eumdemque munia obire sua jubebat. Eo autem lusui illi conviviali amplius quid inest leporis, quod & verum fuerit illud nomen hominum servilium, uti ex priscis Inscriptionibus ostendimus in nostris Commentis; addimus, etiam inter ingenuorum cognomina reperiri; Romanum marmor:

D. M.
ALBIAE. THREPTAE
M. ALBIVS. CARPVS
PATRONVS
FECIT.

FORTUNATA] Fictum quoque vocabulum est; quod

quod Trimalcionis uxori Arbiter dedit. Apte nimirum, quum Trimalcio ille plane Nero sit, Uxor item liberta Acte, ut suo loco ostendimus. *Fortunatus* enim Antiquis dicebatur, Auctore Cornelio Frontone, qui cum opibus nomen accipiebat, quod mire Actæ illi convenit; *Felix* namque, qui a natura habuit, ab ipsoque scilicet ortu. Reverâ autem pluribus feminis fuit & illud nomen. Vetus elogium Romanum:

D. M.
M. SEIO. DIOGENI
FORTVNATA
CONIVX
MARITO. BENE. MERENTI
FECIT

Et sæpe alias. Fuit etiam & cognomen; sic in Inscriptione Romana:

D. M.
ANTONIA. FORTVNATA
FECIT. PATRONAE. SVAE
BENE. MERENTI
HERACLIAE
ET. SIBI ET. SVIS.

MENELAUS] Ille Scholasticus est, *Antescholanus* Petronio dictus cap. LXXXI. & præterea haut exstat ejus memoria. Sæpe enim Homerica vocabula personis suarum fabularum imposuerunt Veteres. Repete autem hîc, quæ in AGAMEMNONE diximus, nam huc pariter spectant. Fulgentius Planciades Lib. de Cont. Virgilianâ, *Menelaus*, *Virtus populi interpretatur*.

EUMOLPUS] Poëta est, ejusque sub personâ adprime poëtarum ingenium depictum. Ejus certe partes ex potioribus sunt in reliquo Satirico. Nomen vero ei sat bene opportunum. Εὔμολπος sonat *Elegans cantor*. Sunt & in vetustis Marmoribus, quum fileam Historias, plures *Eumolpi*.

M. MANICIUS] Dominus stabulariæ Insulæ, sive diversorii; & forsitam diversitor ipse, & stabularius, ut conjectura mea est, dicoque in Commentis; & tunc fortasse *Manicius*, quia Manu strenuus, cujus & facinora adhuc spectantur in Satirâ: *Ille tot hospitum potionibus liberum urceolum fictilem in Eumolpi caput jaculatus est, solvitque clamantis frontem, &c.*

BARGATES] Procurator ille stabuli est, qui sedandis in eo rixis tempori adfuit opportunus. Proferam vocis originationem, quæ adhuc puero mihi in mentem venerat, nimirum quasi *Gravis catus* sat proprie diceretur Petronio, & pronus eram, ut *Barcatus*, aut *Barcattes* scriberem, nam sic veteres Lapides exhibent nomen, & alias *Barcathes*, C. & G. sæpe invicem mutari notum est, & Viri docti jampridem observarunt. Apte enim *Gravis*, quum pedibus æger, ideoque adlatus lecticâ: *Catus* item quilibet diversorii præfectus, ministerve scommate haut invenusto posset adpellari, quum satis ubique constet, Catum animal esse furacissimum, unde & fures dicuntur Cati non paucis gentibus figuratâ videlicet locutione.

LYCAS] Navigii dominus, Tryphænæ conjux, an & leno? ego sic censeo, sic jubet & rerum ipsissima series. Ita etiam Plautinus Leno *Lycus* dicitur in Pœnulo, hoc est, *lupus*. Mire huc facit locus Appulei ex Apologiâ: *Domus ejus tota Lenonia, tota familia contaminata; Ipse propudiosus, uxor Lupa*. Meretrices namque Antiquis *Lupæ* & vocatæ, & *Lupanar* locus publicus. Recte igitur si Scorti apud Valerium nostrum nomen est Epigram. 72. lib. 1.

Quinque Lycus, Lyde quatuor, Ida tribus.

Quæ omnia sanè præclare congruunt Lycæ Petroniano, ejusque universæ familiæ. Simul & vera Scriptura ediscitur, nam varia nimis est. Sunt sæpiuscule & in Marmoribus P. ÆLIUS LUPUS, & P. ÆLIUS LYCUS, titulique haut absimiles.

TRYPHÆNA] Lycæ audit meritissima uxor; nam omnium quum foret feminarum formosissima, voluptatis nimirum causâ, & plane robustæ, huc atque illuc vectabatur à marito. Delicios inprimis erat femina, ac voluptuaria, qua propter illi quidem nomen obtigit sat bene conveniens. Τρυφὴ, deliciæ sunt, voluptas, ac mollities; ideo & Lucianus ἑταίρᾳ δωλ. vocabulum id pariter meretrici dedit. Equidem autem haut invitus *Tryphena* scriberem, nam sic haut semel in priscis hodie visitur monumentis.

ÆSIUS] Unus est ex vectoribus, qui nempe tonsorem notavit sibi in navigio Lycæ Gitonem, & Ascylton radentem; quod quum postea aperiet, occasionem præbuit tot in navi turbellis. Unde, puto, *Ætius* contendit Bourdelotius, reponendum esse ex Etymologico, ubi: Αἴτιος, ὁ τὴν αἰτίαν, τουτέστι, τὴν ἀφορμὴν δοὺς. *Ætius, qui causam, hoc est, occasionem vel ansam præbet*. Aliter nos, nam *Æsius* ille ab rasura eorum auspicium sibi fecit, exsecratusque omen est, quod imitarentur naufragorum ultimum votum, quod nomini Αἴσιος convenit plane. Inde ἀστραπαὶ, βρονταὶ, ἀστὸς, ὄρνιθες αἴσιοι, *Fulgura, tonitrua, aquila, aves augurium, auspiciumve facientes*, Græcis Scriptoribus sunt, uti Budæus observat, pueroque non latet. Ideo & inferius subdit opportune Eumolpus de re agens eadem: *Nec non eodem futurus navigio, Auspicium mihi feci*: ubi Barthii argutia admodum adridet scribentis, *Auspicium nihili feci*.

LYCURGUS] Dominus villæ est, quæ a grassantibus, puto, Encolpio, & Ascylto expilata fuit; exinque raptas latrocinio vestes, & pretiosas manubias in usus suos diu adservarunt. Alibi hodie ejus mentio non est. Ille quippe cap. LXXXIII. memoratus longe diversus fuit, Satiricique nusquam exstitit interlocutor, persona, aut commilito, uti nos ibidem latiuscule. Fuit enim Thrax haut dubio Lycurgus ille, qui *hospes* audiit apud Antiquos haut sine honore. Exin & Arbiter *Lycurgum* vocavit toparcham istum, qui Hospitio Petronianos socios liberaliter excepit, & cui eam

retulerunt illi gratiam, scilicet rapinam.

CORAX] Mercenarius Eumolpi est, qui & tonsor; habuit namque proprium tonsorem poëta ille, uti Martialis noster, ac plures alii. Κόραξ, *corvus* est, quæ avis edacissima; unde Plautus *Corvitare* in Casinâ verbum conflavit, hoc est, instar Corvorum tuburcinari, ac sese ingurgitare, quæ omnis ministerii unica cura est, ut sat Comici testantur. Item, Κόραξ, *uncinus* est, aut *annulus*, quo hostium pulsatur; qui & *Manus Extera* dicuntur Lucretio in 1. haut aliter quam bene, nam manuum, quibus & pulsare fores solemus, muneri illi funguntur; quod probe & famulo conveniet. Memini equidem multis abhinc annis me apud antiquum Scriptorem offendisse, Servitia pari ratione dominorum *Manus ac pedes* indigitari. Unde species illa proverbii nostri originem duxit, *Es mis pies i mis manos*, de sedulo nempe ac industrio famulitio usurpari solita.

POLYÆNOS] Idem, qui Encolpius est, nomen vero Crotone mutavit (ubi divitem orbum Eumolpum finxerunt) ut nihil suorum præteritorum facinorum fraudi mimicæ obstaret, quominus captatores possent inretiri. Πολύαινος sæpe apud Homerum Ulysses cognominatur, & interdum pro, *glorioſus, multum laudatus*, accipitur; interdum pro, *garrulus, nugator*, quod mire conuenit Encolpio. Vide autem, quæ infra in Circe dicimus.

CHRYSIS] Ancilla Circes impudicæ est, & ipsa impudica. Haut invenustulâ formâ fuisse præditam, ex eo scilicet, quo Encolpium, sive Polyænon adoritur, licet cognoscere: *Quia nosti Venerem tuam, superbiam captas*; pariter namque, quod illa benè nota sibi foret, superbire videbatur. Huc faciunt longi logi, quos cum eodem Polyæno conserit c. CXXVI. Merito ergo χρύσις adpellata, hoc est, aurea; quippe *Ex forma nomen inditum est*, ut Plautus loquitur. Ea propter indubium, haut paucas hujusce nominis antiquas meretrices offendi. Cujusdam Timocles meminit apud Athenæum L. 13. & Plutarchus alius, quæ amica fuit Demetrii. Sed longum ipsas recensere. Ratione igitur jam consentaneum videbitur, si fictis etiam meretricibus suis id nomen Scriptores indiderint. Sic apud Lucianum est Dial. Meretr. apud Terentium in Andriâ, & apud Persium Sat. 5. In lapideis item monumentis nomen reperitur nonnunquam, pluries vero cognomen.

DORIS] Amica Encolpii est, quam nimirum posthabuit, postquam pulcherrimam Circem conspexit, amavitque. De ipsa enim plus hodie memoriæ non supereſt. Δορὶς, culter est ad excoriandum, quod significatum à meretricis moribus non abhorret. Etiam apud Boissardum exstat sub stemmatis fœminæ ac viri Doridis inscriptio:

AELIAE. DIVAE. AVG. L. DORIDI. ET. ATIMETO. FECIT. MEROPE.

CIRCE] Matrona nobilis est, famâ ob prostitutum pudorem profligatissimâ, formâ autem emendatissima, de ipsius tamen toro, dum illum deperit, sine voluptate surrexit Encolpius. Nullo alio profecto nomine magis decenter matronam Arbiter notaret ingenuam, & impudicam. Utroque enim Circe exstitit insignis, ut pote quæ diis orta, prostitit Æææâ in insula libidini mancipata. Haut aliter quidem Ulysses illa pellexit, ac Petroniana Polianon; tu confer cum scena nuptiarum impudicarum Circes cap. CXXVII. Librum 10. Homeri Odysseæ, illud vero potissimum:

——— Νῶϊ δ' ἔπειτα
Εὐνῆς ἡμετέρης ἐπιβήσομεν, ὄφρα μιγέντε
Εὐνῇ, καὶ φιλότητι, πεποίθομεν ἀλλήλοισιν.
——— *Nos vero deinde*
Lectulum meum conscendamus, ut commixti
In lecto, & amicitiâ confidamus invicem.

Unde perquam opportune Petroniana protulit: *Nec sine causſâ Polyænon Circe amat; semper inter hæc nomina fax surgit.* Polyænos namque Ulysses dictus, ut supra ostendimus. Adde, quod minime vacarit veneficii suspicione nostra etiam Circe, quod vel famula ejus Proselenos saga peritissima testatur haut illibenter.

PROSELENOS] Anicula saga est, Circes famula, quæ Encolpii inertiam inguinum paralysinque magicis artibus emendare tentavit. Anne ab Arcadia est anus oriunda, & ideo dicta *Proselenos*, hoc est, *antelunaris*? Arcades scilicet cum Luna ipsa de antiquitate certaverunt, eademque priores haberi, totis viribus conati sunt. Idcirco Προσέληνοι dicebantur, uti ex Aristotele Scholiastes Apollonii testatur ad illud 4. Argon.

Ἀρκάδες, οἱ καὶ πρόσθε Σεληναίης ὑδίοντες
Ζώειν·
Arcades, qui & ante Lunam dicebantur
Vivere.

Idem docet Scholiastes Aristophanis ad Nubes, & Virgilii Servius ad 2. Georg. & Statii Lactantius ad 4. Thebaid. Dixit etiam exiertim Ovidius L. 2. Fast.

Ante Jovem genitum terras habuisſe ferunt
Arcades: & Lunâ gens prior illa fuit.

Aliunde verò, non ab Arcadia, jocum vocabuli vetustissimæ aniculæ sat Petronius convenienter petivit; ab ipsa, inquam, annosa vetustate, quasi antiquior Luna anus videretur Acheruntica; quæ hyperbolicæ exaggerationes haut infrequentes sunt venustis Scriptoribus. Referam hîc conlationis ergò sat lepida nonnulla epigrammata. Tale in Lesbiam Valerii nostri est 39. L. 10.

Consule te Bruto, quid juras, Lesbia, natam?
Mentiris, nata es, Lesbia, rege Numâ.
Sic quoque mentiris, namque ut tua sæcula narrant,
Ficta Promethæo dicteris esse luto.

Si-

Similiter lusit in anus Plotiæ Epitaphio eodem libro Ep. 67.

Pyrrha filia, Nestoris noverca,
Quam vidit Niobe puella canam,
Laërtes aviam senex vocavit,
Nutricem Priamus, socrum Thyestes,
Jam cornicibus omnibus superstes,
Hoc tandem sita prurit in sepulcro
Calvo Plotia cum Melanthione.

Sic vetus in Priapeis Epigrammatarius: Epigr. XII.

Quadam serior Hectoris parente,
Cumæa soror, ut puto, Sibylla,
Æqualis tibi, quam domum revertens
Thesseus repperit in rogo jacentem &c.

Et alibi: Epigr. LVII.

Cornix & caries, vetusque bustum,
Turba & putrida facta sæculorum,
Quæ forsan potuisset esse nutrix
Tithoni, Priamique, Nestorisque,
Illis ni pueris anus fuisset, &c.

Pariter & Græculi Epigrammatistæ supra fidem omnem vetularum ætatem extulere, quos nunc non exscribo. Addo tamen in fine respectu hocce, Arbitrique nostri haut sine memoriâ, Barclaium scilicet politissimum *Argenidis* fabulæ Scriptorem, ejusdem Argenidis aniculam nutricem indubie *Seleniſſam* adpellasse; adcuratus ille valde artifex fuit nominum personarum.

ENDYMION] Puer est, cujus præter illam, ENCOLPIUS DE ENDYMIONE PUERO, marginalem inscriptionem pluribus in editionibus adpictam ad fragmentum c. CXXXII. *Ipsa corporis pulchritudine me ad se, &c.* nihil aliud ad nos contigit pervenire. Ibi indicamus ad Circem potius spectare fragmenti narratiunculam, ideoque nobis visum de alio solo exulantem inscriptionem detrudere. Apte vero speciosus puer potuit Endymion nuncupari, respectu scilicet ad somniculosum adulescentem ob pulcritudinem efflictim Lunæ quondam adamatum, pueri quidem ut plurimum somniculosi valde sunt.

ENOTHEA] Anus est sacerdos Priapi, magaque insignis; inde *Enthea* adrisit potius Bourdelotio, ἔνθεοι namque & Magi dicuntur. Conveniret item appellatio vetulæ Sacerdoti, & vati, quippe quæ & numine adflari atque concipi soleret, quod genuinum vocis significatum: sed nihil necessum mutare; *OEnothea* enim, sive *Enothea* diphthongo contracto propritim valde adpellaretur bibacissima anicula, de qua Arbiter. c. CXXXVI inquit: *Excusare cœpit moram, quod amica se non dimisisset tribus nisi potionibus e lege siccatis.* repetitque haut semel subinde.

PHILUMENE] Matrona illa captatrix est, quæ juniori ætate multas sæpe hereditates formæ lenocinio extorserat; quum vero jam annis confecta anus, filiorum videlicet petulantiâ antiquum morem perseverabat extendere. Φιλούμενη, *amabilis* sonat, quod de illa adolescente vere dici poterat. Sic apud Terentium vocatur in Andriâ, & Hecyrâ puella nobilis, honestaque facie decora. Item, in litteratis saxis nomen id reperitur, etiamque cognomen.

GORGIAS] Captator Eumolpi fuit, ut pluresalii, delusus. Fragmenticulum tantum ejus nunc illud supersest; *Gorgias paratus erat exsequi;* cujus sensus, Paratum illum esse ad exsequendum monita Eumolpi, quibus summa erat, Quod omnes hæredipetæ, qui in senis testamento legata habebant, corpus suum in partes conciderent, & adstante populo conciderent, Nomen quoque in Romanis inscriptionibus legitur.

ALBUCIA] Ejus hodie memoria in Satirico non exstat, meminit autem Fulgentius Præfatione Lib. 1. Mythologiarum, videturque innuere, & sic quoque censuere jam olim Viri eruditi, de ipsa nostrum Arbitrum Carmen amatorium lusisse. Eandem quoque cum illa faciunt, quam *Albucillam* Tacitus vocat Lib. 6. Annal. ac refert sub Tiberio *multorum amoribus famosam* fuisse. Quibus sane facile ego subscribam, quum eorum commentum nec temporum videatur rationi repugnare, nec multum nomini. Præcipue enim quum *Albucia*, non vero *Albutia* constanter in vetustis inscriptionibus exaratum invenerim. Itaque jam coacti non erunt in Tacito deinceps *Albutilla* reponere.

Hactenus de Personarum nominbus lubuit argutari, nescio an alicubi, ubi divinandum nobis fuit, imposuerimus Theatro; certiori enim pede per avium solum & incultum incedere, cuilibet, arbitramur, haut licet. Plura autem de opertaneis hisce, qui rescire cupiverit, Manes jubeo consulat Petronii, quod aliquâ terrarum parte procuratum etiam, à Viro docto cognovi. Equidem adeo curiosus non sum, nec tanti mihi

——— *Stultus labor est ineptiarum.*

Præterea alii sunt Interlocutores Satirici, quorum reticentur Vocabula: Iisce autem Nomenclaturis eorum interlocutiones ad oram designavimus. ANUS, ATRIENSIS, SERVUS, CONVIVA, MILES, DIVERSITOR, NAUTA, ANCILLA, VILLICUS.

PRÆFATIO,

Quæ præfigitur editioni parisinæ, anni 1677.

CANDIDO AC BENEVOLO

LECTORI SALUTEM

INTER omnes, quotquot Satyras scripsere, Lector benevole, vix quemquam lepidius rem aggressum, majorique studio & animi candore pertractasse, quam hunc nostrum Titum Petronium Arbitrum: quidquid etiam ejus hodie supereſt, serio deprehendo. Hic enim adolescens (quem seipse auctor fingit) senili in-

ſtructus prudentia; omnium pererrans cubilia, ſcholas atque pulpita, Forum, Curiam, Templa, convivantium triclinia, peregrinantium denique navigia atque itinera, ſpeculator ſagaciſſimus, tandem nobis quid ubivis locorum in grandi orbis theatro obſervaverit, in quas perſonas & exempla inciderit, ea ingenii amœnitate, fide & infucata verborum ſimplicitate refert, ut in ipſummet, ceu primarum partium in hac fabula actorem, omnis redundet invidia, confeſſum nimirum qualis ex mundi contagione evaſerit, quidque pertulerit. Qui cum ſit principalis ſcopus hujus operis, ut ut à paucis obſervatus, quin potius aureum hoc ſcriptum pro neſcio quo purgamento, ipſeque auctor pro maleſano Epicureo, ex cujus ore & calamo nil niſi obſcœna & turbida fluerent, magno errore à præcipuis quibuſdam viris, habitus, age hic prima ſtatio eſto. Deinceps viſuri, *An quid certi indagari poſſit de ætate, qua hic noſter Petronius vixerit; & qua ratione ſit cum fructu legendus.*

Certum eſt auctorem noſtrum eſſe Petronium Arbitrum, ſolum de prænomine, Tituſne an Cajus, & ætate variant Lil. Gregorius Gyraldus Ferrarienſis de Petronii vita: ab Eudemone & Libanio non longe aberat Petronius, Arbiter dictus, & Maſſilienſis à pleriſque exiſtimatus. Quo tempore vixerit, quodve inſtitutum vitæ ſectatus fuerit, haud ſane compertum: in declamationibus tamen verſatum, ex iis, quæ extant, elicimus. Litteratores quidam eum ante Quintilianum floruiſſe ſuſpicantur, ſed Placidus Lactantius illum vult Statio poſteriorem, quod ab eo verſus ſumpſerit, ſuiſque inſeruerit, ut illud,

Primus in orbe Deos fecit timor.

Non alium quam Petronium Arbitrum ſignificari putarim illis Apollinaris hendecaſyllabis.

Et te Maſſilienſium per hortos
Sacri ſtipitis Arbiter colonum,
Helleſpontiaco parem Priapo.

Quidam C. Plinii codices, ut & Plutarchus in lib. de diſcr. amic. & adulat. *Titum* vocant: ſic in lib. XXXVII. Nat. hiſt. ſcriptum eſt: *Titus Petronius Conſularis moriturus invidia Neronis Principis, ut menſam ejus exheredaret, trullam murrhinam* CCC. HS. *emptam fregit.* Petronius alius, cujus Tacitus meminit libris XIV. & XV. eſt *Petronius Turpillianus.* Sic enim apud ipſum legendum eſt lib. XV. Ann. ex Plutarcho. Eum vero non ſub Nerone, ſed ſub Galba periiſſe, certum eſt ex lib. I. Hiſt. Petroniorum familia Equeſtris fuit, meminitque Plinius lib. VI. P. Petronii Equeſtris ordinis & Præfecti Auguſtalis ſub Auguſto ipſo. Ex qua etiam familia fuiſſe veriſimile eſt Petronios, quorum Gennadius Presbyter Maſſilienſis honorifice meminit in libro de Viris illuſtribus; ſed & Flavium, Sabinum, Probum, Maximum, Primulum, alioſque, quorum non apud ſcriptores modo, ſed in ipſis lapidibus monumenta reſtant: itemque illum, qui juſſu Caracallæ ante templum Divi Pii occiſus à Spartiano traditur. Sed & jureconſultum Petronium, ad quem leguntur Sollii Sidonii epiſtolæ plures. Sane Petronium Arbitrum Domitiani tempora præceſſiſſe, ex eo etiam intelligitur, quod ejus Terentianus is eſt, quem ſuo tempore Sienen rexiſſe Martialis teſtatur. Is igitur, quiſquis tandem fuit, Petronii ſic meminit, cum de dimetro Jambico claudo agit:

Horatium videmus
Verſus tenoris hujus
Nuſquam locaſſe juges.
At Arbiter diſertus
Libris ſuis frequentat.

C. Sidonius Apollinaris Arvernorum Epiſcopus in Narbone:

Et te Maſſilienſium per hortos.

Ubi illi *Maſſilienſium horti* (ut hoc obiter dicam) non tam mihi Arbitri patriam ſignificare videntur, quam mores, qui ex Plautino proverbio, & Athenæi hiſtoria notati ſunt. In veteri libro Defloratorum, qui fuit Joannis Biturigum Ducis, non uſque adeo vetuſto, Petronii fruſta hanc inſcriptionem habent: *Petronii Arbitri Afranii Satyrici*, quod probare non poſſum. Nam ut quæ de Afranio Quintilianus ſcribit inquinaſſe eum argumenta fœdis puerorum amoribus mores ſuos faſſum, de hoc quoque Petronio dici poſſe videatur, longe tamen alium ab Afranio fuiſſe certum eſt.

Quod ad Petronium noſtrum pertinet, jure meritoque de ejus ætate dubitavit Lipſius, & Petronium qui fuit *æqualis Neronis*, cum Petronio Satyricorum auctore confundere timuit: cum animadverteret à Cornelio Tacito in lib. XVI. Annalium relata de Petronio, haudquaquam Petronio Satyrici ſcriptori majore ex parte convenire. Certe ambo & nominibus diſcrepant. Prior dictus eſt *Cajus Petronius*, aut ut Plinius & Plutarchus vocant, *Titus Petronius*, *& inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt elegantiæ arbiter*, quod doctos viros in errorem induxit, ſed *Arbitri* nomen non tulit: poſterior ſeu Satyricorum auctor, propriis nominibus appellatus eſt *Petronius Arbiter*, quemadmodum à Fulgentio in lib. II. & III. Mythologiæ vocatur: & nunc ſub *Petronii*, nunc ſub *Arbitri* nomine à Terentiano Mauro, à Diomede, à Servio Honorato, à Macrobio Theodoſio, à Mario Victorino, ab Hieronymo, & à Sidonio aliiſque laudatur.

Præterea Cajus Petronius, ſi qua Tacito fides, Proconſul Bithyniæ, & mox Conſul extraordinarius fuit, *inter paucos* Neroni Aug. *familiariſſimus*: magnas opes, magnam familiam habuit: homo ignavus & deſes, & otio & mollitiis fluens, erudito luxu ac ſcientia voluptatum acceptiſſimus vitioſo Principi. At Petronium Arbitrum cum multi laudent ſcriptores Latini, veteres ac recentiores: nemo tamen magiſtratus eum ullos geſſiſſe, nemo divitem, nemo amicum Imperatoris Neronis fuiſſe, aut juſſu ejus periiſſe, memoriæ prodidit. Bibliotheca quidem Vaticana quædam Petroniana in codice ſcripta ſervat, & his Julii cujuſdam epigramma præfixum, in quo Petronius *diri Neronis*

ronis amicus vocatur, & *Arbiter arbitrio ſuo dictus ipſe* fertur. Sed hoc hexaſtichon ut incultum eſt, corruptum, ac recens, ita nullius apud doctos in hiſtoria auctoritatis.

Denique Cajus Petronius paulo ante mortem coactam *flagitia Principis, ſub nominibus exoletorum feminarumque & novitate cujuſque ſtupri, perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni:* ut Cornelius Tacitus in lib. XVI. Annalium tradit. Quid habent iſta cum Petronii Arbitri opere commune? Caii Petronii famoſus libellus breviſſimus fuit: at Petronii Arbitri Satyra grandis atque verboſa, vel juſtum potius opus extitit: Libellus Caii Petronii pro codicillis haberi poterat, & noctes ac ſtupra Domini Neronis, & in eum cœtum admiſſorum atque ad omnem libidinem adſcitorum exoletorum feminarumque nomina, quid quiſque ibi noviſſime feciſſent, quid paſſi eſſent, paucis exponebat. Ficti nihil, omnia vera. Contra Petronius Arbiter M. Varronem in Satyris Menippeis imitatus ex parte, proſa oratione variis carminibus miſta, ſub falſis nominibus, tanquam ſub perſona, mores hominum notavit, ac vera ætatis ſuæ vitia carpſit: modo eloquentiam, picturam, Dialecticam, & defeciſſe queritur: modo Trojæ Haloſim verſibus jambicis deſcribit: navigantium etiam rixas, naufragium, fabellamque de matrona Epheſina narrat: interdum regulas carminis exponit. Sequuntur verſus de bello Civili fere 300. & eluſi captores. Qui non videt iſta ſingula ac univerſa nihil ad Caii Petronii libellum, nihil ad Neronis flagitia noctesque pertinere, ſed meram eſſe nudamque ac ſimplicem vitiorum & deſidiæ humanæ reprehenſionem, ſale & mordaci aceto conditam: is plane nec in litteris nec in ulla alia re quidquam videt aut judicat.

Janus Douſa, ut Petri Pithœi conjecturam de ætate Petronii confirmet, ſcribit duas ſententias aut parœmias, videlicet *Non bene olet, qui bene ſemper olet*, & *Ingentoſa gula eſt*, à Martiale & à Petronio ex æquo uſurpari: aliam item gnomen, *Primus in orbe Deos fecit timor*, Statio in libro III. Thebaïdos cum Petronio communem: ex quibus tamen ſententiis primam Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem, poſtremam Fabius Planciades Fulgentius in libro I. Mythologiæ (vere, an falſo neſcio) Petronio tribuant. Quid tum? Ideone credemus Petronium Arbitrum Neronis Aug. æqualem, & Statio atque Martiale vetuſtiorem fuiſſe, amboſque hæc hemiſtichia Petronio potius, quam Petronium ambobus debere? Nonne Placidius Lutatius putat & diſertis verbis ait, Arbitrum hemiſtichion ſupra laudatum de origine ſuperſtitionis à Papinio Statio accepiſſe? Idem plane dicendum de verſu, quem Hieronymus ad Demetriadem affirmat apud Arbitrum reperiri. Igitur hemiſtichium de odoribus Hieronymus non Martiali primo auctori, ſed Petronio; hemiſtichium alterum de ſuperſtitione Fabius Fulgentius non Statio uti facere oportebat, ſed eidem Petronio aſſeruit, propterea quod utrique hæc apud Petronium legerant & legiſſe meminerant; apud Statium & Martialem aut non invenerant, aut ſaltem inveniſſe non recordabantur, nec multum curabant, an ab aliis ſcriptoribus prius quam à Petronio fuiſſent uſurpata. Quare facile & libenter accedo Henrici Valeſii fratris mei ſententiæ, qui Petronium Arbitrum Principatu Neronis multo recentiorem, ac Natione Gallum fuiſſe, atque in Provincia Viennenſi, finibuſque Maſſilienſium Græcorum habitaviſſe credit, adductus hiſce Apollinaris Sidonii verſibus, haut ſatis hactenus examinatis intellectiſque, in carmine XXIII. quod inſcribitur Narbo.

Et te Maſſilienſium per hortos
Graii ceſpitis Arbiter colonum
Helleſpontiaco parem Priapo.

Ita enim emendandum verſum medium frater exiſtimat, cum legatur in editis Sidonii exemplaribus,

Sacri ſtipitis Arbiter colonum;

Nec dubitat in priſcis Sidonii codicibus ſcriptum fuiſſe *Graï ceſpitis* ſeu *Graji ceſpitis*: quod cum non intelligeretur à legentibus in *ſacri ſtipitis* perperam mutatum ſit. Quæ vulgata lectio haud dubie vitioſa eſt, ac ferri nullo modo poteſt. Quippe ſi *ſacri ſtipitis* nomine Priapum ligneum deſignare voluiſſet Sidonius (ſimulachra enim Priapi cuſtodis hortorum ad eorum oſtia collocari conſueverant) Priapi in hortis Maſſilienſium poſiti *colonum* Petronium Arbitrum vocaturus non fuit, ſed cultorem, &c.

Hic virum doctiſſimum Petrum Pithœum admodum miror, qui ſibi *videri* ait, à Sidonio tribus verſibus ſupra laudatis *non tam Arbitri patriam quam mores deſignari*, Maſſilienſium moribus *Plautino proverbio & Athenæi hiſtoriæ notatis* ſimillimos. Quaſi horti Maſſilienſium mores eorum corruptos, atque degeneres indicare potius apud Sidonium valeant aut debeant, quam Petronii Arbitri domicilium, ibi voluptatibus vacantis, ac in hortis otiantis, &c. Præterea Petronii ſtilus non Romæ natum, ſed Tranſalpinum hominem ſapit. Quando igitur Petronius Arbiter floruit? quæret aliquis. Equidem exiſtimo eum potius circa Antoninorum Principatum vixiſſe, quam (ut frater meus arbitratur) Gallieni Auguſti æqualem fuiſſe: cum quod elegantia Petronii in ætatem Gallieni, hoc eſt, in ſenectutem Imperii Romani, ac velut in fæcem linguæ Latinæ cadere mihi non videtur. Petronium paulo ante Conſtantini Auguſti tempora, certe longe infra Severum colloco. Hoc mihi perſuadet altiſſimum de illo ſilentium in ſcriptis vetuſtiorum Auctorum, Quintiliani, Suetonii, Plinii; Priſciano demum, Diomedi, Victorino & S. Hieronymo memoratus. Nec ſpernendum teſtimonium ipſius auctoris *picturæ ne veſtigium quidem reliquum eſſe* dolentis, cui ego crimini ſeculo Neronis nullum omnino locum reperio, cum ad uſque Commodi Principatum ſtatuas egregio artificio perfectas adhuc extare in Urbe audiam. Optaſſem ſimiliter qui Pithœum ſecuti pro ſua ſententia cauſas adduxiſſe, nec ſolam nomi-

nis

nis umbram hic nobis reliquisse. Mihi quidem quæ D. Valesius de stilo tangit, vix, quæ D. Statilius affert, præsertim de pictura, cum Arbiter idem de Eloquentia atque Poësi asserat, plane tanti non videntur, ut à communi recedam, quin potius pro hac confirmanda facere videntur verba hæc, *Ecce belli civilis ingens opus*, &, *In Asiam cum à Quæstore stipendio essem reductus. Zeuxtdos manus vidi nondum vetustatis injuria victas. Inaudito more pueri pedes recumbentium unxerunt.* Quæ si expendantur, ad antiquitatem auctoris spectant: hoc solum dico me in toto Satyrico, quantum hodie quidem ejus extat, nihil tale invenire, quod Neronem & ipsius noctes prodat. Ajunt Neronem sub nomine Trimalchionis tegi: sed Trimalchio ab Arbitro mitis senex, calvus, deformis, servus quondam, ex Asia oriundus, qui Domino tot annos ad delicias fuerit, mercator deinde & conjux Fortunatæ, ambubaiæ quam de mactra sustulit, inducitur; qui, quæso hæc naturæ ætati, statui, & uxoribus (Poppææ, ac priori) Neronis congruunt? Noctem quidem seu nocturnam delectationem habemus in Satyrico unam, sed cui non præfuit Nero, si Nero est Trimalchio, nec nocturnus grassator noctem ambiit, sed Quartilla juvenes Encolpium & Ascylton in stabulo ultro accessit. Hæc rursus ab ingenio & ratione agendi Neronis longissime absunt.

Accedo nunc ad alterum membrum, *Qua ratione Arbiter cum fructu legendus.* Ubi præ primis eximendus scrupulus, qui multos torsit, multos eo redegit, ut in sola amœnitate, hunc auctorem volvendo, acquiescerent: nimirum Petronium opinatos sectæ addictum fuisse Epicureæ, negasse cum Epicuro providentiam Dei immortalitatem animæ, tum finem, tum summum bonum hominis in voluptate, quæ sensu percipitur, collocasse, adducentes pro sua sententia verba Satyrici atque fragmenti.

Primus in Orbe Deos fecit timor.
Ergo vivamus dum licet esse bene.
Ipse pater veri doctus Epicurus in arte
Fassit, &c.

Nolo me ego hic immittere, quæ vera Epicuri fuerit mens, inprimis de *voluptate*, cum legam apud Laërtium in ejus vita circa finem hæc: Ὁδ' Ἐπίκουρος καὶ ἀχωρίστους φησὶ τῆς ἡδονῆς τὴν ἀρετὴν μόνην τὰ δ' ἄλλα χωρίζεσθαι, οἷον βεωτὰ· *Epicurus autem solam ait virtutem à voluptate separari non posse; reliqua vero separari, ut mortalia.* Et paulo post: Οὐκ ἔστιν ἡδέως ζῆν ἄνευ τοῦ φρονίμως καὶ καλῶς· *Non licet jucundo, nisi, prudenter atque honeste vivere.* Breviter solum repono, ad primum ceu fulcrum reliquorum, allegatum nimirum contra Providentiam epigramma: *Primus in orbe Deos*, &c. Potius perlecto toto carmine Arbitrum dicendum, superstitionem & multitudinem Deorum pro acumine ingenii sui excogitare, quam Superos negare rerum humanarum curam gerere: suadet id ultimus versus:

Jam sibi quisque Deos avido certamine fecit.

Mireque consonant hæc verba. *Nostra regio tam præsentibus plena est numinibus, ut facilius possis deum quam hominem invenire. Ecce duos aureos pono, unde possitis & deos & anseres emere.* Contra immortalitatem animæ nihil objicientibus Satyricon suppeditat, trahunt huc verba Taciti: *Audiebatque (moriturus) referentes, nihil de immortalitate animæ & sapientium placitis, sed levia carmina & faciles versus.* Qui nihil aliud probant, quam quid Petronius (sive ille nostri operis auctor, sive alius) tunc egerit, non quid revera senserit de voluptate: O miserandam jucunditatem quæ tot amaritudines & perpetuas pœnas, easque in dies, sæviores secum trahit! jam juventus ludens loris cæditur, jam amasium inquirens dispoliatur, eundem infelicissimum prædicat, ipse ad suspendii necessitatem redigitur, Tryphænam suam damnatam mulierem, & in toto navigio solam verberandam clara liberaque voce pronuntiat, hoccine voluptatis præmium, Epicurei summi boni, in quo ii vivere & mori cupiant? Vix mihi persuadeo, ullum tam dementem inter mortales unquam extitisse, qui in momentanea corporis voluptate finem hominis collocavit. In talibus igitur auctoris fictio agnoscenda, cum sub scemate hic omnia agantur, Epos si excipias belli civilis, Halosin Trojæ, & si quæ hujusmodi, ac sententiosa per totum scriptum sparsa, quæ quo spectent, continuo liquet, in aliis mimum componit: nunc ex persona ficto semper gaudens nomine, nunc ex utroque, ut quo collineet, saltem in circumstantiis, non perinde obvium sit Laudat quoque Epicurum somnia condemnantem, non ceu magistrum & ex animi sui sententia, sed argumento inserviens, quemadmodum sæpissime etiam Seneca eundem Epicurum pro suis placitis stabiliendis adducit, cui tamen de cætero non adhæsit. Ut vero uno quasi ictu cadat Epicureismi objectio, & lector ab hac frivola opinione minime præoccupetur, ecce verba Satyrici nostri pro Deorum providentia. *Ni Deus quidam humanarum rerum arbiter pendenti excussisset indicium. Deos immortales curam humanarum rerum agere, puto intellexisti.*

Rerum humanarum divinarumque potestas
Fors cui nulla placet nimium secura potestas,
Quare age Fors, muta pacatum in prælia vultum,
Romanosque cie, ac nostris da funera regnis.

Hæc Pluto seu Dis pater de castiganda luxuria Romanorum ad Fortunam, quam Epicurus plane non admittit, ut vel ex hoc uno appareat, Arbitrum ab Epicuri dogmate alienissimum fuisse. Cæsar ad Jovem.

Juppiter omnipotens, & tu Saturnia tellus
Armis læta meis —— Testor ——
Hæc ubi personuit de cælo Delphicus ales
Omnia læta dedit, &c.

Pro immortalitate animæ Fortuna ad Ditem,

Pande age terrarum sitientia regna tuarum,
Atque animas arcesse novas: vix navita Porthmeus
Sufficiet simulachra virum traducere cymba,
Classe opus est.

Pro

Pro fine & ſumma hominis felicitate in actione conſiſtere virtutes, invicto argumento ex contrario ſenſu, ex ore ipſius Encolpii, (qui ibi Polyænos audit) ſeu auctoris: *Dii, deaque, quam male eſt extra legem viventibus! quidquid meruerunt ſemper exſpectant*; ut ſileam hæc: *O maxima rerum pietas*, &c.

Habes, mi Lector, metam operis & cynoſuram lectionis. Supereſt modo, ut paucis evolvam, quid cætera præter principalem hunc ſcopum in Satyrico tractetur, occaſione nempe perſonarum & locorum, in quæ Encolpius incidit. Primum itaque in hiſce fragmentis (nam maximam partem deſideramus) enormem morum proluviem Severus Arbiter noſter proſcripturus, quomodo de eo loquitur Putcanus loco paulo ante allegato, in bonarum artium profeſſores, ipſoſque adeo parentes ob pravam educationem, & inſtitutionem invehitur. Mox procuratorum forenſium & advocatorum calumnias, Judicumque juſtitiam taxat. Tum in ſacerdotum infandas libidines atque hypocriſin invectus, tranſitum ad luxum conviviorum facit, quem ſub Trimalchionis nomine ac lauritiis prolixe perſtringit. Hinc de ſcelerata pædagogorum nequitia & Philoſophorum hypochriſi parentes atque amicos ſerio monet: accuſat literatorum, & artificum ſocordiam: reprehendit publicarum balnearum turpitudinem. Poſtmodum maritorum & negotiatorum quorundam ſive fortunam, ſive ingenium tangens, acerrime in levitatem feminarum animadvertit, quam facile adamant, & peregrinos quidem juvenes ultro ambiant. Porro in impoſturas ac fraudes exulum & natale ſolum vertentium, quibus hoſpites ſuos & creditores, dum amplos alibi cenſus jactitant, circumſcribunt, ſtylum exacuit. Inſaniam denique teſtatorum & captatorum, nefariis conditionibus ſibi invicem inſidiantium, notat. Et hæc tantum reliqua ſunt hujus Satyrici capita: cætera injuria temporum nobis invidit. Hicque quod interpretes monent, meminiſſe juvabit, Epiſt. ad Rom. cap. 1. & 13. tum ad Galat. 5. & Ep 1. ad Cor. 6. quibus locis Apoſtolus de flagitiis Romanorum & Græcorum agit, non melius, quam perlecto hoc Satyrico, intelligi poſſe.

Supereſt, ut *quid hac in editione præſtitum* ediſſeram: Satyricon damus vetus, ſimul & fragmentum ejuſdem. Deinde P. Petronii Rhetoris declamationem & Petroni Grammatici fragmenta adjungimus. Poſtea plerumque tum Petronii nomine inſignitorum, tum aliorum, quos recenſere labor foret inutilis ac plane fruſtraneus, ſubjicimus Epigrammata, Sulpiciæ Satyricon carmen, Joannes Bourdelotii notas criticas, quæ ad Petronii Satyricon intelligendum maximæ erunt utilitati, ac pariter ipſiuſmet Petronii gloſſarium (quo nil lucidius) aptiſſimum ad verba Latino ſermoni penitus ignota, græcumque potius redolentia, quod non mediocre afferet commodum, explananda perſcrutandaque: omiſſis denique variorum Interpretum commentariis, tranſvolamus ad Priapeia ſeu diverſorum Poëtarum in Priapum luſus, cui ſuccedunt veterum Poëtarum Errones Venerei, Pervigilium Veneris, Floridi de Qualitate vitæ, Epigramma Valerii Æditui, Auſonii Cento nuptialis, Cupido cruci affixus, Ejuſdem Roſæ, Priapiſmus cum Ecloga Tobiæ Gutberleth. Hæc ſatis ſint, & priuſquam te, mi Lector, deſeram, unum moneo, nimirum ſupplenda ſuppleas benignus, omniaque legitime ac honeſto fine legas. Quibus ſic indicatis, vale, & ſtudiis noſtris fave.

PRÆFATIO,

Quam ſub Typographi nomine præmiſerunt huic fragmento, qui id primum Patavii edidere.

Marinus Statileus Tragurienſis, vir diligens, & eruditus, cum olim poſt abſolutum jurisprudentiæ ſtudium, Patavio reverſus in patriam, offendiſſet in Bibliotheca Nicolai Cippici amici omnibus officiis conjuncti ſibi, antiquum volumen, in eoque, una cum carminibus Horatii vulgaris exempli, Satyricon Petronii Arbitri; in quo præter ea, quæ de operis hujus auctore circumferuntur, plurima notaſſet nova, neque in impreſſis legi ſolita, deliberare apud ſe cœpit de ſcripto publicæ literatorum delectationi non invidendo, cum præter antiquitatem codicis, ad pretium inventi conferre plurimum videretur, quod liber Hectori quondam Cippico poſſeſſus putabatur, hujus Nicolai abavo, viro longe doctiſſimo, magnæque inter ſuos auctoritatis, & famæ, quemque tradunt literis & optimarum artium gloria proximum floruiſſe *Coriolano Cippico*, conſobrino ſuo ſcriptori elegantis hiſtoriæ de bello Aſiatico, quod Veneti cum Mahomete Secundo Turcarum Principe geſſere Petri Mocenici ductu; cujus quidem ſcriptoris honorifica mentio extat apud Palladium Fuſcum in opuſculo De ſitu oræ Illyrici, & apud M. Ant. Sabellicum De Antiquæ linguæ reparatione: cumque idcirco ſatis cauſæ habere ſe crederet, ne, quod invenerat contemnendum putaret, cum doctioribus quibuſque ſuum conſilium, primo in patria, deinde Venetiis, ac Patavii communicavit; ſed inprimis cum *Johanne Rhodio* profundæ eruditionis, & ſolidi judicii viro. Et quia res viſa omnibus eſt magni inprimis momenti, propter ſingulare auctoris de puritate, & elegantia linguæ Latinæ meritum, cujus germanum hunc partum ut crederet, multis, atque indubiis argumentis adducebatur: deſtinavit commodiori meditationi curam vulgandi ſcripti, & caſtigationibus illuſtrandi; ſed quoniam ſuum propoſitum aliis occupationibus diſtentus exequi differebat, cruciabatque ea mora multorum doctorum hominum commotos exſpectatione animos, Venetus ad Summum Pontificem Orator ſuum ei rei ſtudium, auctoritatemque commodavit: quamvis enim graviſſimis urgeatur negotiis, intentaque, & aſſidua mentis agatione opus habeat, &

ut suo amplissimo muneri, ea, quam omnes in eo admirantur, prudentia, consilio, dexteritate respondeat, studia tamen optimarum artium, pulcherrimum sapienti viro molestis a curis laxamentum existimat: utque est amantissimus literarum, reique literariæ promovendæ maxime cupidus, egit cum Statileo vehementer, ut saltem exemplum ejus partis libri, qua Petronius hic Tragurienſis ab exemplaribus vulgatis diversus est, Romam ad se mitteret, quod non tarde, nec operose obtinuit. Itaque tanti Legati beneficio doctissimi cujusque in urbe censuræ subjectus liber, opinionem sui, quam è Dalmatia, Venetiisque ac Patavio attulerat, facile retinere est visus. Primo, quia antiquitas scripturæ ducentorum amplius annorum (quam illi nemo, non tribuit omni illum suspicione suppositionis liberat, quod eo seculo non adhuc adeo subtiliter saperent sermonis Romani lautitiæ, ut hujus auctoris non alia re quam elegantia commendati, famam anxie ac laborioſe assuere voluerint lucubrationibus suis eruditi viri: Deinde, quod lacunæ pleræque, & hiatus, quibus laborant vulgati codices, egregie per hæc scripta explentur, & complanantur, & sicubi in ipsis lacunis verba aliqua pauca, nec integræ sententiæ extant, hoc supplemento suis locis aptata, & suo sensui restituta leguntur, idemque accidit de narratione casus infelicis illius vasorum artificis quam à Johanne Sarisberiensi accepimus Petronianam esse: cujusmodi etiam est eodem auctore porcus Trimalcionis aliis animalibus, atque escis gravidus qui in hoc fragmento lepidissime describitur. Accedit res omnium gravissima, stilus non abhorrens à Petronii charactere: Verum quia hoc ipsum nequaquam perpetuum est, nec paucæ dictiones occurrunt insolentes Romanis auribus, ac sententiæ etiam quædam non usquequaque Petroniani saporis, non nemo est qui dubitat, ne id accidat scripturæ vitio non ex omni parte germanæ: aliis librariorum culpa esse videtur, qui exscribendo alia ex aliis exemplaria errores erroribus accumularint, notasque fortasse in margine librorum inventas auctoris verbis immiscuerint. Nobis rem in medio ponere consilium est, & judicio legentium integram relinquere: itaque fragmentum ipsum Statilei ejus inventoris manu diligenter à suo veteri exemplari descriptum, nudum, & quale ab eodem impetratum accepimus, correctis dumtaxat nonnullis gravioribus orthographiæ mendis, publici juris facere decrevimus; quo materia præbeatur decoris ingeniis, & hujusmodi linguæ Latinæ munditiarum intelligentibus, in hoc se pulvere exercendi, scriptoremque omnium lepidissimum hac etiam sui parte à temporis injuriis vindicandi. Accipe igitur, humanissime Lector, hunc nostrum, qualiscunque est, laborem, & conatum promovendi pro virili parte Latinas literas boni consule; operisque elegantissimi integritati, quantum licuit, consultum esse pro tuo erga bonas artes studio gratulare.

Serenissimo Principi
LUDOVICO BORBONIO,
PRINCIPI CONDÆO, &c.

Serenissime Princeps,

Cum fragmentum Petronii Arbitri superioribus annis apud Tragurium Dalmatiæ civitatem repertum, acceptaque Patavii publicâ luce Parisios advectum Studia doctorum virorum in partes non leviter distraxisset, aliis illud scriptum pro legitimo & genuino sui auctoris fœtu agnoscentibus, aliis adulterinum & suppositititium quovis pignore esse certantibus; accidit illi perhonorifice, ut nequaquam indigna res videretur, quæ tuum, Princeps Serenissime, aspectum subiret, tuumque judicium experiretur: summa namque humanitate (ut rumor est) codicem Patavio allatum in tuam Bibliothecam admisisti, & ad gravissimarum curarum, quæ cœlestem mentem tuam assidue intentam & exercitam habent, laxamentum, lectionem & cognitionem ejus adhibere non semel dignatus es. Ne autem temere de illius statu pronuntiares, viros doctrinâ & eruditione præstantes in consilium advocasti, qui propositis in utramque partem rationibus & argumentis hanc literariam causam coram te diligenter ac serio disceptarent. Huic ego rumori, summo cum plausu atque approbatione doctissimi cujusque excepto, quin fidem haberem, minime, Princeps Serenissime, dubitavi: veniebat enim in mentem divini ingenii tui, cujus immenso captu non solum administrandæ Reip. & rei Militaris exercendæ, & copiarum ducendarum rationes, quas Viris tui fastigii convenientes etiam vulgus putat, sed etiam hæc amœniora Musarum studia complecteris, & inter cæteras regias artes recensendas existimas. Nec injuria; earum namque beneficium est ne animus humanus, ferendo seriarum cogitationum continenter oneri impar, ad otia ignava respiciat, sed consultius ad vires reficiendas in curarum varietate, quam in supino torpore, momentum positum esse ducat. Cum autem ea disceptatio manca quodammodo videri possit ob nondum inspectum a viris doctis codicem manuscriptum, quo fragmentum continebatur, à quo præcipue petendæ erant necessariæ ad instruendum judicium conjecturæ, nec multum temporis intercessisset, ut is codex adnitentibus summis viris Antonio Grimano Veneto ad Pont. Max. Legato, & Antonio Priolo Dalmatiæ Præfecto Romam mitteretur, & publice visendus & examinandus proponeretur, essentque mihi sub prælo omnes hujus Auctoris reliquiæ, cum notis & commentariis paulo quam alias editi instructiores, ornatioresque: mearum partium esse putavi, codicem ipsum Tragurio allatum, sicut est mendosum & a veterum librariorum impe-

imperitiâ male mulctatum meis typis publice legendum proponere, unaque novam Marini Statilii ejus domini Apologiam, quo haberent literarum ſtudioſi collectum in unum veluti corpus totum hujus cauſæ conſpectum; & quid cuique de ea pronuntiandum eſſet, facilius apud ſe quiſque ſtatuere poſſet. Et quoniam te, Sereniſſime Princeps, arbitro & quaſi conſilii Præſide quæſtio hæc verbis exerceri cœpta eſt, abſurdum prorſus & à judiciorum conſuetudine alienum fuerit, ſi eundem te cæteræ quoque ejuſdem judicii partes, quæ ſcripto conſignatæ ſunt, diſceptatorem non haberent. Prodit itaque liber tuo potiſſimum inſcriptus nomine, tuæque ſummæ dignitatis ſplendore conſpicuus, quo illum frui & in luce fulgentiſſima literarum glorioſum incedere, quæ tua humanitas eſt, & in literas & bonas artes ſtudium, facile patiere Sereniſſime Princeps, minime detrectaturum fortunam, quam huic cauſæ graviſſimus judicii tui calculus eſſe volet.

Sereniſſimæ tuæ celſitudinis Devotiſſimus

J. BLAEU.

D. D. GULIELMO & PETRO FRATRIBUS BLAEU JOANNES LUCIUS Salutem.

CUm præteritis hiſce annis allatum eſſet in Urbem fragmentum T. Petronii Arbitri, integram cœnæ Trimalchionis fabulam continens, quæ trunca, & mutila hactenus legebatur, exſcriptum à vetuſto codice Tragurienſi Bibliothecæ Cippicorum, in quo plurima alia Petroniani Satyrici cum jam editis congruentia deſcripta ſunt: cumque res viſa eſſet eruditorum oculis, & cognitione non indigna, exemplum ejus ad vos, viri Clariſſimi, ut perveniret conatus ſum, quorum opera publicam lucem acciperet; ſed intervenit caſus, ut alio, quam quo erat deſtinatus, litterarum mearum faſciculus abiret, qui tamen poſt varios errores incidit commodum in manus (ut audio) Viri ſummæ dignitatis, ſummæque doctrinæ apud Pariſios, ejusque cura doctorum hominum judiciis commiſſa eſt: nata extemplo nobilis inter ejus Lectores controverſia, germanusne parentis, quem præferebat, fœtus, an ſpurius & ſuppoſititius videretur. Et quando codex antiquus, quem dixi, nuſquam comparebat, nullique ſatis idonei teſtes proferebantur, qui ſcripturam vidiſſent, deque ea judicare poſſent, ſi qui ejus cauſæ favebant (quos quidem plurimos, & fere doctiſſimum quemque fuiſſe accepi) non niſi cunctanter & timide tanta de re pronunciare viſi ſunt. Quamvis autem ipſe hunc codicem, cum eſſem Tragurii, ſæpe inſpexiſſem, ac perlegiſſem, & cum exemplo typis veſtris impreſſo, quod apud me eſt, contuliſſem, & utriusque locos, tum congruentes, tum diſcrepantes in margine ejuſdem editi adnotaſſem, vobisque, dum in Urbe eratis, oſtendiſſem, ætatemque manuſcripti ſaltem ducentorum annorum productiorem eſſe indicaſſem: tamen teſtimonium hac de re meum, nec apud me ipſum tanti feci, nec in aliorum animis tanto in pretio futurum judicavi, ut prolato ipſo codice, & in loco celebri palam inſpecto, ad fidem ejus antiquitatis aſſerendam opus non eſſet. Eoque magis, quod idem fragmentum Patavii interim editum eſt, nequaquam ſatis accurate, & dimiſſa paſſim ejus exemplaria & ſtudia & ſtilum hominum eruditorum excivere in utramque controverſiæ partem prolixe diſputandi. Itaque & ipſe, quantum in me fuit, & plerique alii, quibus abſterſa à Provinciæ noſtræ nomine hac tam fœda macula opus erat, ſumma ope contendimus, ne Marinus Statilius codicis poſſeſſor in ſuo propoſito hujus ſcripti occulte habendi perſeveraret, ſed Romæ conſpici, & judicari pateretur: donec ſummorum virorum interventu *Antonii Priuli Dalmatiæ Præſidis, & Antonii Grimani Veneti apud Urbem Legati* confecta res eſt, eoque facultas ſumma fuit codicis per otium legendi, & pertractandi; agnitaque eſt ab amicis meis in hoc codice cum Amſtelodamenſi, quam dixi, collatio; & ſicubi ab illo diſcrepabat, aut cum illo congruebat adnotatio ductis lineis, & appoſitis numeris paginarum deſignata; ſimul autem totum ſcriptum deſcribi commode potuit: quod quidem ut fieret, curatum diligenter eſt, ſummo adhibito ſtudio, ut editio ejus prodire poſſet quam fideliſſima, una cum adnotationibus marginalibus eadem manu, qua contextus exaratus eſt, appoſitis (aliæ vero quæ recentiores viſæ ſunt conſulto omiſſæ fuerunt) Item cum ſuis mendis quantumvis enormibus, & manifeſtis: nam non ſolum corruptæ plurimæ voces, ſed etiam peccata Orthographiæ in diphthongis tum in omittendis, tum perperam collocandis, in litteris majuſculis non adhibendis, in negligendis interpunctionibus, & ſi quæ alia vitioſam ſcriptionem faciunt, intacta relicta ſunt. Qua quidem in re diverſum conſilium meum fuit ab editoris Patavini diligentia, quæ nequaquam (ut mea fert opinio) ſatis opportune, & ſine dubio multo quam opus erat remiſſius in adornanda ejus correctione verſata eſt. Hoc itaque exemplum ut quam exactiſſime typis veſtris expreſſum appareat, magni intereſt propoſito hujus editionis, & rationibus cauſæ à Statilio ſuſceptæ: cujus defenſionem ad vos mitto una cum hoc exemplo imprimendam. Eruditis autem doctorum virorum laboribus, ſi quis hac de re ſcribere præterea volet, alia editione opus erit, vel ſi placet hac ipſa uti poterit: Ita tamen, ut quæ quis de ſuo his ſcriptionibus adjicienda putaverit, omnino ſeparatim adjiciat, quo ipſæ integræ & propria cum ſpecie viſendæ, & judicandæ legentium oculis ſubjiciantur.

Romæ die decimaquarta Novembris anno Domini M DC LXVIII.

JO. CAII TILEBOMENI,

DE TRAGURIENSI FRAGMENTO PETRONII

Judicium ad Typographum.

DI boni! vir amiciſſime, quam delinitum is apte, quam bene permulſum animos eorum, quibus adhuc cordi ſunt Romanæ Muſæ venuſtiores; terſa de more, quam paras, editione novorum-veterum quantivis pretii, Fragmentorum Petronii, quæ Tragurii reperta ſunt, nuper in rara & ad invidiam uſque felici librorum inibi ſuppellectile Cippicorum illuſtrium. Quid enim felicem non appellem illam, quæ talem, ut ita dicam, aſpergit aquam indies deficientibus ac ſenſim pereuntibus literis amœnioribus: unde vires ipſæ nonnullas valeant reſumere? Nec poteras certè, Vir optime, quidquam jucundius, vel gratius adornare ſapientibus ac patricii guſtus hominibus, quam reticentia ſepultam hucuſque ſecretioris Hiſtoriæ portiunculam illam, in apricum proferre: & ſpurcæ Neronis aulæ flagitia, quæ, ſub exoletorum fœminarumque perſonis, perurbane in ſcenam traduxit ac una perſtrinxit Petronius, omnium oculis & odio ſubjicere. Ubi ſubit abominari maxime facinus indignum prorſus illorum hominum, qui deſideratiſſimi jure merito Satirici Caii Petronii, Arbitri inquam, illius ſui nequitiarum Principis, integrum corpus celant ac poſteris invident. Macte igitur hac nova virtute, Vir ornatiſſime, pergeque tuis alacriter typis beare hanc ipſam, quam per amicos illuſtres fauſtis avibus ex Italia es nactus, mellitiſſimam partem Comœdiæ hujus (ita vocat hoc opus Policraticus Joannis Sarisberienſis, cui æque ac Ciceroni Terentius, familiaris fuiſſe videtur Petronius.) Nec vero, an illa ſit perlepidi, ut erat prorſus, ingenii Arbitri noſtri genuina proles, ullus dubito: cum id ſatis ſuperque conficiant & probent, tum conſtans ac nihil turbata narrationis ſeries ejuſce literariæ auctionis, cujus interventu, cupientiſſimo ſane, vulgatorum jampridem Petronii Fragmentorum hiatus & lacunas expleri: peregrina, quæ irrepſerant, verba, migrare: contraque propria in eorum locum redire, ac poſtliminii quaſi jure, plane mireris revertere: Tum etiam ſuavis, ac nulli cum illa communis, nitor & concinnitas orationis: ut alia præteream argumenta, non minoris addicenda. Sed objiciet quis forte, multa notari in illa, quæ vix audiant Latine: multas voces inſolitas ac ita obſcuras, ut vel ipſi Oedipo negotium faceſſerent; adeo ut tam purum, tam nitidum tamque politum Scriptorem minus redoleant. Cedam equidem: ſed ille quoque concedat neceſſe eſt, (ſi quid illi ſaporis ac ſolertiæ bonis in literis) Petroniani ſermonis leporem, gratiam atque venuſtatem, hæc inter micare, &, ut ſtellas inter Luna minores, clarius refulgere. ut iſthæc proinde aut male-nitenti, vel deficienti αὐτογράφῳ aut amanuenſi non ſatis perito imputari debeant. Neque mehercule hæc impudens dico; cum noverim probe, id infortunii genus acciditſſe huic ipſi Petronio, cum primum Venetiis anno milleſimo undequingenteſimo, prælo commiſſum eſt, atque publicatum Satiricum illius

——— *lacerum crudeliter ora,*
Ora manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto vulnere nares.

Verum enim vero bono politiorum literarum Fato, tempore ex illo pæne nullus, cui paulo blandius arriſerint ipſæ Muſæ, non anniſus eſt ei ferre ſuppetias ac medicinam facere; imprimisque Hermanus Buſchius, inde Johannes Alexander Braſſicanus: ac ita deinceps, ordine Commentationis cujuſque, Joannes Auratus: Henricus Memmius: Alphonſus Delbenius: Claudius Puteanus: Joannes Sambucus, Pannonius ille doctiſſimus, qui MS. Codicis longè amplioris meliorisque, quam qui tum editi erant, opera, Petronium in multis perfectiorem, & paginis etiam ſolidis auctiorem reddidit Antverpiæ centum abhinc annis minus uno: Joannes Tornæſius, qui ſuam editionem Lugduni, paulo poſt inſtruxit, ſane præſtabilem: Henricus Stephanus: Petrus Daniel, qui, ſub Pierii Aureliani nomine, eruditiſſimas ſuas in Petronium Notas in vulgus exire, ſi vixiſſet, conſtituerat: Pithœus uterque: Mamertus Patiſſonius, qui, præter varietatem Lectionum, quas elegantibus quidem formis, cum ipſo Petronio Lutetiæ chartis illevit perpulchris anno M. D. LXXVII. Aliam inſuper tam magis nitentem, quam eſſe poteſt, locupletioremque Authoris illius editionem perfecit ibidem, annos poſt decem. Joannes Paſſeratius, cujus Exemplar & id ſuffertum manu propria lectionibus variis notiſque innumeris: quin & felicibus conjecturis ditatum ac illuſtratum aſſervat Pariſiis I. Jacobus Mentelius, Vir Nobilis. Michaël Gaſpar Lundorpius, qui ὁμολογούμενα de Petronio præclara collegit, falſo Erhardi nomine alias edita. Germanus Coladonius; Janus Douſa Pater, in quo perfecta ſemper eruditio certavit cum ingenii pulchritudine: quique inter cætera de Petronio Arbitro, hoc etiam eſt promeritus, ut inſignia duo loca ipſius: alterum de ductili vitro, alterum de cœna Trimalcionis, quæ ſibi quondam aſſumpſerat Joannes ille Sarisberienſis, in Satirici ordinem authoris ejuſdem, primus ipſe redegerit. Petrus Guirandus: Joannes Ricardus: Gulielmus Dupeyratius: Claudius Binetus: Janus Douſa, Filius: Conradus Rittershuſius: Jacobus Bongarſius: Joannes à Wouweren, & ille quid utique non præſtitit? quos pluteos non excuſſit, ut Petronium nova luce ſuffunderet? Gaſper Sciopius: Georgius Erhardus: Joſephus Antonius Gonſalius à Salas, qui ſuis in Petronium Commentis, iiſque ſelectis Juppiter! & amuſſitatis exacte, curavit ad Sirenem Latinam ſeu puriſſimarum vocum illius quaſi Promptuarium, nulli ni fallor, qui Romane loquen-

quendi amat veneres, non valde gratum, ac propemodum neceſſarium. Joannes Burdelotius: qui Commentario, illoque brevi ac mire diſerto atque accurato, eundem enucleavit. Renatus Morellus: Joannes Petrus Lotichius, qui Notis ad Petronii verba ἰατροφυσικὰ ζητήματα præmiſit, curioſa omni doctrina referta, atque ad miraculum erudita: Thomas de Judicibus: aliique adeo ſunt multi, ut enumerando vix ſuſtineas. Qui omnes invicem fecêre Animadverſionibus & Collectaneis, Caſtigationibus & Schediaſmatis, Racemationibus & Scholiis, Obſervationibus & Symbolis, Excurſibus, & Conjectaneis, Notulis, Diſſertationibus ac Spicilegiis: ut, quem quondam turpi ubique ſcatentem ſtribiligine, mutilum, dederat vetus editio, Venetiis: vel ex ipſa poſtmodum Calderiana, Pariſiis: emaculatum nunc tandem, ac tantum non reſtitutum feliciter habeamus. Quod certe cum tuo, Vir eximie, novo hocce Fragmento, quod e vetuſtiſſimo (ne quid fraudis in eo ſubeſſe quis putet) ſimul & integerrimo Mureti Codice Manuſcripto, cujus meminit Petrus Daniel in Notis, deſcribi fortean ſibi olim curaverat Venetiis, dum Doctis quibuſque percharus Juvenis hîc commoraretur Muretus, Hector Cepio ſeu Cipicus, civis Tragurianus, vir apud ſuos magnificus, & optimarum artium gloria laudatiſſimus: ſimiliter actum iri, mihi facile perſuadeo, ſtatim atque ſecundo artis tuæ munere dimiſeris, publicaveris; illiuſque ſalutem τῶν ἰάτρων χαριέντων adpoſite commendaveris. Sed interim, Vale.

JOHANNI CAPELLANO

Illuſtri viro, & Chriſtianiſſimi Regis Conſiliario,

JOH. CHRISTOPHORUS WAGENSEIL
Salutem & obſervantiam dico.

SI fatendum, quod res eſt: oritur utique frequenter amicitia ex occulto quodam animi impetu, & intus latente inexplicabili cauſa. Neque enim alio referre poſſum ſummam benevolentiam, qua me hominem peregrinum & ignotum, necdum ullius in ſtudiis nominis, omnium omnino meritorum expertem, atque adeo à nemine commendatum, ubi primum inter cultores tuos admitti popoſci, ilico complexus es, quamque mirifico in me ſtudio perpetuo comprobaſti. Nempe patuere mihi aſſidue ædes tuæ: licuit è tuis dictis, factis, ac inſtitutis ſanctioris Philoſophiæ monita haurire, & ea ediſcere, ad quæ ſi non admiſſus fuiſſem, non erat operæ pretium ad excolendum ingenium meum, noſcendoſque hominum mores totam fere Europam luſtraviſſe. Enimvero uti hæc beneficia tanti, quanti bonam mentem æſtimo: ita teſtimonium ac judicium tuum, quo ipſius OPTIMI MAXIMI REGIS Numen, Majeſtatem, divinamque liberalitatem mihi propitiaſti, nec ullis verbis exprimere valeo, ac ne ſatis quidem mente concipere. Cui tantæ benignitati tuæ quando aliam referre gratiam nequeo, ejus me tota vita memorem futurum polliceor. Has ergo litteras confeſſoriæ tabellæ, ac velut pignoris loco, te habere quæſo, & ſimul æqui bonique conſulere munus, quod adjunxi. Etſi enim quæ de meo contuli, levia & non ſatis digna ſunt in cujusquam manus, nedum in tuum conſpectum venire, quippe quæ petaſatus in ipſo Hiſpanicæ peregrinationibus procinctu, multas inter occupationes celeriter effudi: quia tamen Summi Viri HADRIANI VALESII inſignem Diſſertationem elicuerunt, ideo quam à ſe non habent, auctoritatem & lucem ab ea mutuantur, & cum tibi, tum Reipublicæ litterariæ nonnihil ſe iſto nomine commendabunt. Nam ſine illa fuiſſet, meæ profecto nugæ, ad amicum majori fiducia quam cura privatim ſcriptæ, numquam prodiiſſent in publicum. Valeſianum autem acre de novo Petronii fragmento judicium ex Hiſpania reverſus ſupprimere diutius ſine flagitio non potui. Tam perſpicue enim (audacter dico) omnem errorem nobis diſſolvit,

Ut contra ſi quis ſentiat, nil ſentiat. Vale Illuſtris Vir. Data Luteciæ VI. Id. Januarii A. M. DC. LXVI.

JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII DE CENA TRIMALCIONIS nuper ſub Petronii nomine vulgata AD *CHRISTOPH. ARNOLDUM V.C.* DISSERTATIO.

CHRISTOPHORO ARNOLDO
V. C.
JOH. CHRISTOPH. WAGENSEIL
Salutem dico.

ANTE hoc biennium cum Romæ commorarer, convenit me aliquando eruditus vir, qui nunc fato functus eſt, *Abrahamus Ecchellenſis:* cumque vario ſermone inter cetera de Italorum recèns editis, ac poſtmodum edendis ingenii fetibus colloqueremur, mentionem injecit Petroniani nequaquam mutili codicis, quem in Dalmatia repertum Venetus ad Pontificem Legatus poſſideret, & poſt ſuum in patriam quem maturabat reditum, eſſet facturus publici juris. Cumque eo nuntio vehementer me gaudere animadverteret, recipiebat pro ſua erga me humanitate, acturum ſeſe hoc gnaviter, ut ipſius libri legendi mihi faceret copiam. Convaſaverat autem jamtum ſua Ampliſſimus Orator domum rediturus. Quare etſi illius opera, meumque eluſum deſiderium, nihilo tamen minus emolumento

Reip.

Reip. Litterariæ, & mihi quoque, quem Petroniana venuſtas ſerium ſemper habuit amatorem, tacite gratulabar: neque me continui, quin ilico eos qui affectu benevolentiaque mihi junguntur, (quos inter Te V. C. tuo erga me merito præcipue numero) ingentis meæ voluptatis redderem participes: Enimvero hanc animo conceptam lætitiam paullo poſt apud Taurinos degenti mihi, Venetorum litteræ non parum imminuerunt, quod haudquaquam totum Petronium, ſed inſigne tantum fragmentum ab interitu vindicatum memorarent. Imminuerunt autem, non tamen abſtulerunt funditus. Quippe perſpectum habeo non vilius coli ab eruditis librorum, quam ab antiquariis ſtatuarum fragmina.

Et Curios jam dimidios, naſoque minorem
Corvinum, & Galbam auriculis naſoque carentem.

Erutus fuerat quondam Romæ fortuito e ruderibus truncus ſine pedibus, capite & brachiis. Ei nihilominus quotquot in Urbe ſunt ſignorum principatum detulit immortalis Michael Angelus, & illius lineamentis inhærendo, ſummæ ſuæ arti, cujus rudimenta cum ipſius naturæ veritate certantia, animorum etiam picturam monſtrabant, multum contulit: ideoque inter toto orbe nota antiquitatis ſpecimina ultimosque humanæ induſtriæ conatus, Venerem nimirum pudicam, Antinoum, Nilum cum ſeptemdecim puerulis, & trium (quod non tam Plinio quam oculis credimus) artificum divinum illud opus Laocoontem, ſimulacrum hoc in Vaticanis hortis honoratiore loco repoſuit. Similis Petroniani fœdum in modum laceri corporis hactenus apud Litteratos ſors fuit. Idem ergo novo huic membro ominabar, proindeque ſummopere optabam, expleret æſtuantium cupidinem graviſſimus Senator, neque nimis diu ſpes noſtras moraretur. Ex eo deinde tempore Gallicum iter ingreſſo mihi, nihil de Petronio amplius reſcire licuit: donec hiſce diebus eruditorum conſeſſui, qui in celeberrimi *Menagii* muſeo ſingulis hebdomadibus habetur, interveniens non prodiiſſe ſolum comperio in Italia Petronianum fragmentum, ſed etiam Luteciæ novam editionem ad ejus exemplum adornatam. Quæſito itaque Bibliopolæ nomine & domicilio, celeri gradu ad illum me confero: & pretio quod poſcebat exſoluto, domum repetens, librumque in manus ſumens, curioſos oculos admoveo. Cum verò initia pridem aliunde nos habere animadverterem, his prætermiſſis, novitate animum oblectare unice deſiderabam. Vix autem unam & alteram pagellam perlegeram, & ſtatim moto diutius capite, Spondere (intra memet inquam) auſim, hunc ſermonem non eſſe Petroniani ſaporis. Quare cum dicente hactenus noſtro, *nequaquam recte faciat, qui cito credit:* judicio ad hoc agendum evocato, veritatem explorare, totumque libellum cum annexis præfationibus ſollicite evolvere inſtitui. Cui operi dum defixus incumbo, bene multa ultro ſeſe mihi offerebant, ex quibus confictum eſſe a plano quodam iſtud Trimalcionis convivii ſupplementum, non ſuſpicari, ſed citra trepidationem affirmare poſſe exiſtimabam. Quod num bene, num ſecus abs me factum ſit, ut dijudices, rationum quæ ſuccurrebant momenta inter feſtinandum in chartam conjicere, & ad te, *Arnolde clariſſime*, perſcribere viſum eſt: ut pro ea qua polles ſingulari doctrina, hiſce vel addas vel demas fidem, atque ſi & tu pedibus in noſtram ſententiam iveris, popularium juvenum animos ad magna ſurgentes a peſtilenti hoc ſidere cavere ſibi jubeas, nec iſtam laciniam Petronianæ purpuræ apud nos quoque aſſui patiaris. Qui enim talibus nutriuntur, non magis ſapere poſſunt; quam bene olere qui in culina habitant. Equidem nullus ignoro, periculoſæ plenum opus aleæ eſſe, de aliquo ſcripto, num genuinum aut adulterinum ſit, velle pronuntiare. Nec longe quærenda magnorum virorum exempla, qui toto hic cœlo miſere aberrarunt. Opus multa eruditione, limato judicio, accurata circumſpectione, & familiari, ut ita loquar, cum ſcriptoribus neceſſitudine: quo quem non tam cum vulgo ad alloquium, quam ad intima arcana admiſſum appareat. Quæ omnia etſi in me perexigua eſſe ſentio, ac præterea in hac longiore peregrinatione mihi libri nulli præſidio ſunt: non tamen coram Te, tam benigno rerum æſtimatore hanc cauſſam agere reformido Hic enim Judæi mei mihi obverſantur, quorum in Talmudicis Digeſtis cum a τοῖς ἔξω prolata argumenta ſunt, ſæpe mulier aut ſervus magiſtro reſponſum præripit, cauſæque bonitatis fiducia, ſecum adverſarium committi depoſcit. Eadem & mihi mens: aut ſi mavis, jure bono utor Quiritium, quod cum lex Cornelia de Falſis violata eſt, perſecutionem criminis etiam cuivis e populo indulget. Prius autem quam rem ipſam aggredior, geminis qui contra me dicunt teſtibus autem nonnihil porrigam. Etſi enim repellere eos poſſem tanquam minus idoneos, quod alter pro amico Typographo ex compacto, alter Typographus pro ſe ſe, atque ſic ambo in rem ſuam loquuntur: ne tamen habeant quod querantur, age tantiſper audiamus, quo nobis commendent modo Deorum hoc munus ſcilicet.

Sunt in ipſo ſtatim limine aliqua, quæ me offendunt, quibus tamen neutiquam vacare conſtitui. Nolo enim operoſe disquirere, quæ vocabuli Ἀνίκητος germana vis ſit, Tolerabo quoque illum Euripidis verſum etſi (quod fateor) ægerrime, cum certum ſit Chriſtiani eum hominis pietatem fere laceſſere. Poſtquam enim ſancto Spiritui Menandri effatum in divini oraculi dignitatem evehere, omnesque fideles graviter hortari placuit. Μὴ πλανᾶσθε, φθείρουσιν ἤθη χρηστ' ὁμιλίαι κακαί: iſtud adverſa fronte pugnans Euripidis Ἤθοις ἔνοχλε φαῦλος ἐ ψαύει λόγος non putarim nude & ſimpliciter laudare, eoque librorum frontes exornare cuiquam eſſe integrum. Eſto, commoda molliri queat interpretatione: ſed nobis caſte ſobrieque non ſentiendum ſolum, ſed & loquendum. Alioquin uti nihil tam probe dictum, quod perverſa ingenia in pravum ſenſum detorquere non queant: ita quoque haud ullæ tam exſecrabiles voces, quæ bonum ſenſum ſibi affingi non patiantur.

patiantur. Adde, quod Euripidis dictum prorsus οὐδὲν πρὸς ἔπος. Satis enim honeste pleraque peraguntur in hoc convivio, ita ut nullius animus moresque ex hujus fragmenti lectione noxam sint contracturi. Hæc autem, uti dixi, late nunc non prosequor. Illud vero quod porro ibidem exprimitur *præfixo judicio de stili ratione ipsius*, condonari nullatenus potest, Quis enim alius ita loquutus? Et quam misera est hæc innocentis pronominis è suo sede in aliam deportatio? Immo quorsum quæso de stili ratione judicium? Si enim omnino Petronii est hoc fragmentum, haud ultra de stilo admodum laboramus, satisque constat, quo censu sit habendum. At longe melius *Cajus Tilebomenus* suam Epistolam *de Tragurienſi fragmento Petronii judicium* inscripsit. Ad eum autem nunc nostra pergit oratio, libratura rationum illius pondera, ob quas fragmentum hoc nobis obtrudere molitur.

Principio urget *constantem ac nihil turbatam narrationis seriem; quodque hoc auctario vulgatorum pridem Petronii fragmentorum hiatus & lacunæ expleantur.* Convenienter profecto ex Rhetorum præcepto hoc argumentum primo loco posuit. Tam leve enim est, ut nihil supra. Ecquis adeo hospes est in bonis litteris, ut nesciat omnem ætatem tulisse ineptos sycophantas, qui otio & ingenio suo abusi, ingratis Gratiis, ab aliis scripta incrustare & pro suo arbitrio interpolare sategerunt, servato utcumque ordine rerum? Quin si ista valet collectio, tum quidem Livii aut Curtii supplementa illis ipsis auctoribus tribuamus licet, ob retentam sane seriem rerum gestarum, & utcunque expletas, quibus illi Scriptores laborabant lacunas. At vero præterquam quod vetera & recentia in hoc fragmento apte cohærere dicuntur, Petronianum insuper genium, *ac nulli cum illo communem nitorem & concinnitatem orationis* offendi, urgetur. Ingenue fateor majoris hanc rationem esse ponderis, si idonee probari queat, sed an quisquam id sit præstiturus, vehementer etiam atque etiam dubito, mihi enim rem recte pensitanti contraria omnia verisimilia apparent, & clarum certumque discrimen inter veri & simulati Arbitri orationem indicare me posse mihimet videor. De hoc autem in progressu erimus solliciti, illud interim verbo indicandum, Tilebomeni conjecturam qua suspicatur, fieri potuisse; ut Hector Cepio novum hoc fragmentum è Mureti vetustissimo & integerrimo codice descripserit, non satis (si quid ego prospicio) rem acu tangere: nec enim plane constat Muretum unquam talem habuisse codicem, & Petrus Daniel qui solus illius meminit, ita rem narrat, ut facile appareat, è vagis ac incertis rumoribus eam haustam, quales sæpe viris etiam doctis imponere, nemo tam rerum humanarum ignarus est, qui nesciat: & longe probabilius est, credere, ipsum Muretum palam jactaturum fuisse, si tale quid ei obtigisset. Sed esto, habuerit Petronii optimum codicem Muretus, quia tamen Tragurienſe exemplar ducentos amplius annos agere volunt, utique nullo modo fieri potest, ut ex Mureti libro sit expressum. Ceterum quæ adversus Tilebomenum disseruimus, faciunt eadem ad impugnandum Patavinum Typographum, qui supra typos sapere ausus est, & non imprimendi tantum, sed & judicandi partes citra Quiritium suffragium sibi præposterе arrogavit. Nempe idem alta voce crepat, *lacunas plerasque & hiatus, quibus vulgati laborant codices, egregie hoc fragmento expleri; quin & stilum à Petroniano charactere non abhorrere.* Ad quæ quia pridem Tilebomeno aut satisfecimus, aut de satisfaciendo fidem oppigneravimus, non est cur idem bis repetamus. Tantum quædam circa ea, quæ alter non indicavit, monere operæ est pretium. Postulat nimirum is homo, ut ei credamus Marinum Statileum codicem suum *primo in patria, deinde Venetiis & Patavii cum doctoribus quibusque, inprimis autem cum Johanne Rhodio, profundæ eruditionis, & solidi judicii viro communicasse*, qui omnes quantum indicant sequentia, plurimum ei detulerint. Hæc autem si ita sunt, quare nihil ex his quæ maxime opus habemus, aut videmus? Quare tantorum virorum judicia supprimunt? Cur gravi & perenni se opprobrio exponere, quam illa fragmento annectendo, eidem sibique auctoritatem conciliare malunt? Quid tergiversantur? Quid nos suspensos tenent? Quando igitur tam subdole, tam inique nobiscum agitur: condonabit nobis Typographus, si in eam deveniamus opinionem, nihil eum præter atram suam fuliginem nobis vendere, omniaque turpiter esse conficta. Eccur enim alioquin, obsecro, ex bene multis Venetis & Patavinis, egregiis viris, unum tantummodo nominasset Rhodium, nisi quod is rebus humanis exemptus, ἐν μακάρων νήσοισι degens, de tanta contumelia, quæ per flagitium nomini atque doctrinæ ipsius infertur, agere non potest? Claret inter Patavinos profundæ elegantiorum litterarum cognitionis vir *Octavius Ferrarius*. Quare huic non exhibitus liber? aut quare ne tum quidem cum ista ederentur, rogatus præfaretur aliqua, & quo gratiosius esset ignotum fragmentum, haut gravatim efficacem ejus commendationem susciperet? Ea re aut totus fallor, aut vappam hanc indignam judicavit, cui ederam suam appenderet; eoque ire jussit, quo Volusi Annales à Catullo ablegantur. Interim certum est cum ego Patavii degerem, nihil Ferrarium de Petroniano fragmento habuisse perspectum. Secus enim non id clam me habere voluisset, quem inter carieres admisit, & non privatim tantum, sed & publice propensi favoris crebris testimoniis est prosequutus, adeo ut & varias lectiones, quas ex optimo Apuleii M. S. excerpsit, nec non alia quæ in pretio habeo, ultro communicarit. Quomodo autem latere poterat optimum Virum Petronii hoc fragmentum, si cuiquam Venetiis aut Patavii, in primis Johanni Rodio, cum quo arctam, quo ad Deus & fata siverant, coluerat amicitiam, cujusque defuncti etiam funus supremo humanitatis officio curavit, vel minimum innotuisset? Quemadmodum vero clavus clavum, sic

nugæ

nugæ hic trudunt nugas. Venetorum enim & Patavinorum litteratis derelictis, Romam mox pergit noster, atque Nobilissimum Legatum fragmentum, quod impetraverat, Doctorum in Urbe censuræ subjecisse, obque ducentorum in primis annorum ætatem, pro libri bonitate] judicatum fuisse perhibet. Elumbis est autem hæc collectio eorum; nam nemo unus cordatus Romæ (uti mihi persuadeo) potuit πρὸς ἑαυτὸν συλλογίζεσθαι· Nam si postremis temporibus fraus haudquaquam facta, ideone confestim nulla umquam admissa? Atqui non heri, aut nudius demum tertius nati, cum qui πλαγίως aliorum scrinia compilant, tum qui à se confictis vel antiquitatis, vel magni alicujus nominis auctoritatem tribuunt: immo vero cum ipsis litteris, nec prius desinent, quam omnia in priscum chaos relabantur. Plautina auctaria, Ciceronis contra Sallustium, & hujus adversus illum declamationes, Senecæ ad Paulum Epistolæ, aliaque ejus farinæ, duorum sæculorum facile ætatem agunt, neque tamen eapropter fidem male ambulantem obtegunt. Sed deseramus hæc, quia notiora sunt, quam ut verbis opus sit: & potius miremur os frontemque Typographi, qui quantum apparet, reliquos mortales fungos credidit, dum incogitanter temereque quidvis effutit. Præmisit enim *saltem* (tantum, dicendum erat) *exemplum ejus partis libri, qua Petronius Tragurienſis ab exemplaribus vulgatis diverſus eſt, Romam ad illuſtrem Legatum miſſum*: sub finem itidem di'erte fragmentum hoc Statilei manu diligenter è suo veteri exemplari descriptum profitetur. Ergo si Statileus veterem suum codicem retinuit, quomodo viri docti Romæ de illius ætate tulere judicium? Si autem omnino tulere, qui fragmentum sua manu descripsit? Quamprimum ista inter se conciliaverit Frambottus, tum non amplius typothetes, sed confestim

Erit mihi magnus Apollo.

Nunc vero missos tandem faciam geminos præcones, atque adversus ipsum depugnabo fragmentum decretoriis armis: & injuriam inquam Arbitri vindicabo, & dignitatem: evincamque *mala & adulterina nota eſſe hoc fragmentum, ita manifeſtum facientibus indicium tam* VERBIS *quam* REBUS. Ad quæ digito monstranda dum me accingo, illud interea arbitrandum relinquo, annon suspectus merito nobis esse debeat Statileus, quod solum hoc fragmentum protulerit, reliqua autem, quæ in suo codice leguntur suppresserit. Nam cum in aliquibus locis non tralaticia deformitate Petronius adhuc sit insignitus, saltem quidquid erat lectionum varietatis, indicare debuisset: ut haberent unde tentarent Philologi, num totam illi formam suam reddere, & omnem scabitudinem sine cicatrice delere possent. Proinde jam statim conjiciat quis, prorsus nihil præter hoc fragmentum illum possidere in universo suo censu. Jurabat tamen simulate, Petroniano codici hæc esse inserta; ne si nuda & & separata tantum diceret inventa; de fuco cujus moveretur ilico suspicio.

Præterea & illud mirum videri queat, quod cōmodùm Trimalcionis cenam fragmentum persequitur. Nam si rem recte pensitamus, nullibi facilius planus aliquis dolum & versutias exercere poterat. In ceteris majoris operis laborisque res fuisset, vel ad speciem aliquid subornare: hanc autem telam semel cœptam valde pronum erat pertexere. Præparato sic duplici dubitatione animo, nunc denique majoris momenti rationes inculcare satagemus. Igitur quod ad Verba attinet, ajo ilia barbara, monstrosa, immo ne humana quidem, quæ adeo frequenter hic offendere, est impostura prodere. E multis quædam per saturam proferam in medium. Scilicet habemus *babacalis, credræ, culuſta, bacaluſias, pataracina, mulſipultarium, caldicer, mixcix, burdubaſta, conſtreinum, neſapium, cromataricas, offla colaris, acrophragia, ſeledata, mu nec ma, dignitoſſo, merculia genge, mataritata, copo copilatus, chiam, ipim, cacritus, minuciolum, vaccatonem, ſaucunbulum, gizeria, excattariſſaſti, artiſſelium, corticillum*, & qui alii occurrunt horribiles soni, sive, ut ille ait, lapides cerebrum excutientes. Atque hic nemo mihi regerat, occurrisse jamdudum huic dubio utrumque hujus fabulæ prologum, causando & scripturæ vitio, & librariorum imperitia ista potuisse accedere: talem etiam reliquorum, quæ de Petronio supersunt, & æque sordidam fuisse olim faciem: exspectare nunc Aristarchos nostros, ut in hoc pulvere se exerceant, ac palmam in medio positam consequi laborent. Nulla subiit animum oblivio: jam hæc teneo memoriter: immo quod isti tam instanter flagitant, ego ambabus ultro largior: non tamen ideo meum eludent ictum. Ingenue fateor undecumque potius, quam ex Latio ortos fuisse librarios, qui talia scripserint: nec fieri posse, ut homo paucula Latinorum edoctus vocabula, tam inhoneste dictiones deturpet. Bonum factum! Si tales erant, quare sui semper non exstitere similes? Quare bene multæ illæ, quæ de Trimalcionis cena ad nos pascendos remanserunt veræ reliquiæ, adeo immunes esse potuere ab omni fere labe? Nam prout istæ hic exprimuntur, certant cum emendatissima, quotquot exstant, editionum: in ceteris autem nulla non pagella enormibus scatet mendis. Quod ergo istud quæso præposterum fatum, ut tantum quæ aliunde victura, aliunde edita dudum erant, incolumia & compta ad nos è codice Tragurienſi pervenirent? Quare, inquam, librarii nullam exordio rubiginem affricuere, sed fidem ac peritiam suam nobis comprobant? Quomodo autem tam repente œstro perciti ea membranis illinunt, quæ non hominum verba, sed pecudum mugitus videantur? Nempe hic quidem manifeste tenemus planum, qui non satis ex Arbitro nostro didicerat, *multa oportere una conſentiant, ut mendacium aliquod conſiſtat.* Idcirco dum γνῶσιν Petronii fragmenta pulchra atque ornata, sua autem affectato situ rancoreque squalentia in hoc theatrum educit, prodit se miser sorex, & captus est: habet. Nondum argumentum de Verbis me dimittit:

&

& quamvis inductione earum phrasium, quas Petronius in deliciis habuit, ac frequentissime ingeminavit, noster versa vice planus vel rarius, quam par erat, vel nunquam per suum stuporem adhibuit, ἀπόδειξιν formandi sese offerat occasio: sciens tamen, cum aliunde satis probationum suppetat, ista prætergredior. Quin potius suas impostori voces reddam, & uti ab omnibus ceteris mortalibus distinctum (perfrictum tamen) vultum vocemque habet; ita & peculiarem ei esse loquendi idiotismum, cum quo Petronius nihil commune habeat, eum quod forsitan in se ipso non agnovit, edocebo.

Ne autem nimietate fastidio sim legentibus, delectu instituto *quatuor* inprimis *loquendi modos*, quibus ipse Petronius nec semel usus deprehenditur, signabo. *Primus est, quando toties ineptissime humanitatem aliquibus hominibus adimit, & nescio quid in locum reponit.* Dixit quidem disertissimus noster Arbiter, *Quid vos me jumentum putatis esse, aut lapidariam navem? Hominis operas locavi, non caballi: nec minus liber sum quam vos.* Dixerat quoque alibi: *Lorum in aqua, non inguina habet:* quibus sane nihil excogitari potuit argutius. Sed Pseudo-Arbiter, servum pecus, ineptus imitator, longe aliter & per summam verborum vilitatem ἐπιφωνηματικῶς c. 38. *Plus vini sub mensa effundebatur, quam aliquis in cella habet: phantasia, non homo.* item c. 43. *Duræ buccæ fuit, linguosus; discordia, non homo.* iterum c. 44. *Sed memini Safinium. Tunc habitabat ad Arcum veterem me puero; piper, non homo.* iterumque c. 74. *At inflat se tanquam rana, & in sinum suum conspuit; codex, non mulier.* Adde quod c. 58. *Bella res & iste qui te hæc docet, Musrius, non magister.* Proxime inculco phrasin aliam, nimirum *plusquam*, quam rei augendæ causa plusquam par est, aut oportet, usurpat falsus Arbiter, verus non usurpat: *Plus vini sub mensa effundebatur, quam aliquis in cella habet.* c. 37. *Argenti in ostiarii illius cella plus jacet, quam quisquam in fortunis habet.* sic c. 34. *Hereditatem accipit, ex qua plus involavit, quam illi relictum est.* cap. quoque 44. *Plus in die nummorum accipit, quam alter patrimonium habet.* denique cap. 57. *Cujus pluris erat unguis, quam tu totus es.* Tertio nimis sæpe *dejerare* mihi videtur Pseudo-Petronius. Putares ex natione fuisse, quæ pravam tertio cuique verbo jusjurandum interjiciendi contraxit consuetudinem. Genuinus Arbiter, etsi non omnino abstinuit, rariuscule tamen & vix semel aut iterum in universo, quale exstat, Satyrico ad sacras obtestationes delapsus est. Subditicius autem in tam brevi fragmento passim jurat. cap. 44. *Ita meos fruniscar, ut ego puto omnia illa Ædilibus fieri.* cap. 57. *Ita tutelam hujus loci habeam propitiam, ut ego, si secundum illum discumberem, jam illi balatum duxissem.* cap. 58. *Ita satur pane fiam, ut ego istud cum liberto meo dono,* c. eod. *Ita lucrum faciam, & ita bene moriar, aut populus per exitum meum juret: nisi te toga ubique perversa fuero persecutus.* cap. 61. *Omne me, inquit, lucrum transeat, nisi jamdudum gaudimonio dissilio, quod te talem video.* cap. 59. *Sic me salvum habeatis, ut ego sic solebam ipsum Ammeam debatuere.* cap. 70. *Ita crescam patrimonio, non corpore: ut ista coquus meus de porco fecit.* cap. 72. *Sic vos felices videam; conjiciamus nos in balneum.* cap. 74. *Sic genium meum propitium habeam; curabo domata sit.* Postremo etsi constat reperiri quandoque apud primæ classis auctores vel in eadem, vel in simili dictione lusus: parcissime tamen, & tamquam sale ad condiendum, non ad vitiandum sermonem, talibus sunt usi. Nostri certe Arbitri generosior spiritus grandem & pudicam orationem, non vero vanitatem amans, indelectatus his est, nec umquam (nisi memoria me fallit) verborum sectatus argutias. Is econtra, qui sub nomine ejus irrepit, longe aliter animatus fuit. Nam enormiter hic impingit, atque adeo manifeste εἰς ψυχρολογίαν καὶ ἀκυρολογίαν ἐκπίπτει. Ecce tibi testimonia: cap. 37. *Quem amat, amat: quem non amat, non amat.* cap. 38. *Vides illum, qui in imo imus recumbit?* cap. 39. *Qui me hominem inter homines esse voluit.* cap. 43. *Crevit quidquid crevit, tanquam favus.* Ibidem. *Frater ejus fortis fuit, amicus amico. Et, Longe fugit, quisquis suos fugit.* cap. 44. *Serva me, servabo te.* Ibidem. *Illos leones, quos ego hic inveni, cum primum ex Asia veni.* Ibidem. *Amicus amico: cum quo audacter posses in tenebris micare.* cap. 45. *Modo sic, inquit, modo sic.* ibid. *Mortuus pro mortuo.* cap. 46. *Tu qui potes loqui, non loquere.* ibid. *Crede mihi, quidquid discis, tibi discis.* cap. 48. *Si factum est, controversia non est: Si controversia non est, nihil est.* cap. 57. *Homo inter homines vos capite aperto ambulo.* ibid. *Spero sic moriar, ut mortuus non erubescam.* cap. 58. *Ecce quidem vobis longe venio, late venio: solve me.* cap. 61. *Satius est rideri quam derideri.* cap. 71. *Facies & totum populum sibi suaviter facientem.* cap. 74. *Hominem inter homines feci.* cap. 77. *Hospitium hospites capit.* ibid. *Habes; habeberis.* Huc revoco ejusdem dictionis, quam Rethores appellant ἐπίζευξιν: à qua similer elegantiarum Arbitrum, tamquam à vehementiore figura, consulto abstinuisse non animadvertit is, qui pro eo supparasitari nobis decrevit. Quare more suo inscienter. cap. 44. *Hei, hei, quotidie hæc colonia retroversus crescit, tamquam coda vituli.* Inde c. 46. *Modo, modo, collo suo circumferebat onera venalia.* hinc cap. 49. *Quid? Quid? porcus hic non est exenteratus?* cap. 67. *An, an, illa proclamavit, aberrante tunica super genua composita.* Profecto si quis ista insubida & insipida, quæ hactenus recensuimus, pro Petronianis accipit, bonam mentem non amat, neque viam vidit, qua itur ad Latinitatem.

Pugnavit fortassis non perfunctorie prima mea legio, nondum tamen cano receptui. In insidiis enim quamdam ejus cohortem collocavi, quæ fugienti hosti omnem elabandi præcludit viam. Quæro enim, an verus Arbiter sacras litteras legerit; an hodiernam linguam Italam fuerit edoctus? Legit enim Pseudo-Arbiter, fuit edoctus iste suppositicius. Videlicet verba

cap. 37. *Ipse Trimalcio fundos habet, qua milvi volant, nummorum nummos.* Hebraismum & sacræ Scripturæ loquendi modum sapiunt; magis illa cap. 44. *Nomina omnium reddere, tamquam unus de nobis.* Videntur enim ex divinis, *Ecce Adam factus tamquam unus ex nobis*, per scelus detorta: sed manifestissime omnium quæ cap. 60. *Deductus è lacunaribus subito circulus ingens, de cupa videlicet grandi excussus demittitur; cujus per totum orbem coronæ aureæ cum alabastris unguenti pendebant.* Hem! fieri-ne potest, ut phrasis *Alabastris unguenti* aliunde, quam è Lucæ cap. 7. deprompta sit? Hellenistica enim & Evangelistæ peculiaris est, neque ejus exemplum apud profanos Auctores ullibi reperitur. cap. 46. *Scimus te præ litteris fatuum esse*: haud dubie desumptum est, ex his Festi Præsidis ad Paulum Apostolum verbis: *Insanis Paule: multa littera te ad insaniam convertunt.* Atque hujus quidem argumenti tantum robur est, ut si nihil præterea occurreret, solum per se ad Pseudo-Petronium confundendem abunde sufficiat. Statueram Italæ linguæ gnarum fuisse planum nostrum, & confido omnes idem opinaturos, ubi primum hos loquendi modos perpenderint. cap. 27. *Unus servus Agamemnonis interpellavit.* cap. 76. *Non mehercules mi hæc jactura gusti fuit.* paullo post: *Mi centum aureos in manu posuit.* Denique cap. 47. *Multis jam diebus venter mihi non respondit: nec Medici se inveniunt.* Extra controversiam est, nequidquam ad barbarismos hosce defendendos idoneam quæri auctoritatem. Purum enim putum Italorum redolent idioma, quo dicunt, *Un servidore d'Agamemnon ci interruppe. Jo non n'hebbi gusto di questa perdita. Mi mise cento scudi d'oro nella mano. Gli medici non si trovano.* Quin & in cap. 44. *plovebat* pro pluebat scriptum est: in quo Italorum pronuntiationem statim agnoscas, pro u *ou* proferentium. Quam in phrasibus hucusque ostendi deformitatem, nunc de toto quoque sermonis probare debebam contextu, atque ostendere, quam naturali pulchritudine exsurgens, satisque sibi constans Arbitri oratio, numquam in unum corpus coalescere possit cum altera maculosa, hiulca, sententiolis vibrantibus picta, nec magis cohærente, quam male tessellata solent esse pavimenta. Hoc autem tam perspicuum est, ut non ulterius quam verbo id tetigisse, & ad cujusvis attenti Lectoris assensum provocare opus sit.

De Verbis plus satis dimicatum: adversus RES nunc ordines instruam, ac signa movebo. Atque hic ante omnia illud mihi concedi postulo, de quo inter Eruditos propemodum convenit, esse hoc in Neronem scriptum Satyricon, eoque illius mores & vitam turpissimam traduci: hoc est, non de alio, quam de nostro, loqui Tacitum, cum in 16. Annalium, *Petronius*, inquit, *ne codicillis quidem (quod plerique pereuntium) Neronem aut Tigellinum, aut quem alium potentium adulatus est: sed flagitia Principis sub nominibus exoletorum feminarumque & novitate cujusque stupri perscripsit, atque obsignata misit Neroni.* Lipsius quidem in notis videtur fuisse ambiguus. Quid autem causæ habuerit, non liquet. Mihi enim Arbitrum cum Suetonio comparanti, nulla dubitandi relinquitur occasio, & verisimile fit, insignem hunc scriptorem multis in Petronio, & præcipue his, quæ de Trimalcione, hoc est de Nerone recensentur, plus lucis conferre, quam quidquid in eum congestum est Commentariorum: ut valde mirer, a nemine interpretum Petronii, quos mihi videre contigit, (usus autem sum Lugdunensi editione,) id fuisse animadversum. Paucis itaque assertioni meæ fidem faciam. Inducitur a Petronio Trimalcio ludens pila inter pueros capillatos forma conspicuos: hinc in unius ex eis capite, postquam aquam popposcisset ad manus, digitos paullulum adspersos tergit: mox discubituris pueri Alexandrini aquam in manus nivatam infundunt, suaviter inter ministeria sua cantantes. Ad hæc illustranda mire facit Suetonii locus in Neronis sui c. 20. *Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolin confluxerant; plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius adolescentulos Equestris Ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissima juventutis undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent, (bombos & imbrices & testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma & excellentissimo cultu pueri.* Petronianus Trimalcio balneis delectatus: delectatus & Nero, de quo idem c. 27. *Refotus saptus calidis piscinis, ac tempore æstivo nivatis.* Bene lotus Trimalcio lecticæ impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor, & chiramaxio, in quo deliciæ ejus vehebantur, puer vetulus, lippus. Sic Suetonius c. 44. *In præparanda expeditione primam curam habuit deligendi vehicula portandis scenicis organis, concubinisque, quas secum educeret.* Ostiarius Prasinatus, qui in aditu stabat, arguit Trimalcionem fuisse Prasinæ factionis, in quam propendisse quoque Neronem e cap. 22. colligere est. Trimalcionis splendida domus, porticibus & picturis, quæ vitæ anteactæ rationem reddebant ornata, Encolpium ex admiratione rapiebat in stuporem: & quem non illa Neronis domus Aurea deprædicata hunc in modum Suet. cap 31? *Domum a Palatio Esquilias usque fecit, quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque Auream nominavit. De cujus spatio atque cultu sufficerit hoc retulisse. Vestibulum ejus fuit, in quo colossus centum triginta pedum staret ipsius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices millenarias haberet, item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad urbium speciem:* & quæ sequuntur. Trimalcionis grande armarium, præter Lares argenteos Venerisque signum marmoreum, etiam in pyxide aurea non pusilla barbam ipsius asservabat. Suetonius de Nerone cap. 12. *Barbam primam* (inquit) *posuit, conditamque in auream pyxidem & pretiosissimis margaritis adornatam, Jovi Capitolino consecravit.* Trimalcioni *Cnæi* prænomen (hoc enim indubie restituendum) Petronius in inscriptione tribuit, nec sine causa. Nam ita scribente Suetonio in c. 1. *Qui ex Neronis familia fuerunt, nulla*

præno-

prænomina præter Cnai & Lucii usurparunt. Lepide tesserarum lusum in Trimalcione Petronius perstringit, prorsus uti Suetonius in Nerone c. 30. dum eum *quadringenis in punctum sestertiis aleam lusisse* memorat. Fortunata uxor & topanta Trimalcionis, quæ numos modio metiebatur, & ex nihilo in cœlum abierat, aut valde fallor, aut est illa *Acta liberta*, quam (uti habetur in cap. 28. & 50.) *paullum abfuit, quin justo matrimonio sibi conjungeret, submissis Consularibus viris, qui regio genere ortam pejerarent: quæque* mortui Neronis *reliquias monumento Domitiorum condidit.* Trimalcio poësin adamavit: quare inter epulandum arcessito inde sermone se suosque convivas exhilarare cœpit. Nero, fidem faciente Suetonio cap. 10. *recitavit carmina non modo domi, sed in theatro tanta universorum lætitia, ut ob recitationem supplicatio decreta sit, eaque pars carminum aureis litteris Jovi Capitolino dicata.* Denique Trimalcionis cena inter exoletos ad mediam noctem protracta: uti sæpe sæpius fecisse Neronem patet è cap. 27. Nec abludit Tacitus loco supra indicato: Sic ergo abunde constat, nihil eorum, quæ Trimalcioni à Petronio tribuuntur, temere confictum esse, sed vivam ad amussim in eo expressam Neronis imaginem. Revertamur nunc è diverticulo ad planum nostrum: discutiamus parumper, num is nobis idem præstiterit, Neronisque vitia pariter satyrico sale perfricuerit. Minime gentium: & alia omnia potius quam hoc egisse videtur. Putares ex eis esse, qui inter elegantiarum Arbitrum & Bononiensem Episcopum discrimen facere non valuerunt: adeo supinam suam oscitantiam, hebesque ingenium omnium oculis ingerit. Non longe quærenda argumenta: statim aberrat à janua, dum ad postes ædium Trimalcionis libellum cum hac inscriptione defigit: QUISQUIS SERVUS SINE DOMINICO JUSSU FORAS EXIERIT, ACCIPIET PLAGAS CENTUM. Pauperis (quod ajunt) est, numerare pecus: ideo iste titulus vel ipsum Crassum ἀγέλαστον in cachinnum solvere queat. An enim aliquid indignius erat, quam Trimalchionem qui greges puerorum, exoletorumque per nationes coloresque descripta agmina possidebat, ita delineare, ut nemo ex abjectissimis mancipiis sine ejus expresso jussu pedem domo efferre posset? Ipse Pseudo-Petronius cap. 37. familiæ Trimalcionis ne decimam quidem partem dominum suum nosse, sancte nobis jurat, & cap. 47. solorum coquorum decurias numerat quadraginta. At si plano cap. 53. fides est, Mithridates servus sine dominico jussu etiam in crucem actus est. Nempe ad capitis supplicium, de servis sumendum, Trimalcionis jussu nullatenus; ad foras prodeundum plane opus fuit. Lepidum vidimus initium: suaviora sunt quæ cap. 40. succedunt. Allatus fuit in mensam aper primæ magnitudinis, cujus latus cum quidam, ad hoc subornatus, venatorio cultro vehementer percussisset, ex ejus plaga turdi evolaverunt, quos parati cum arundinibus aucupes momento exceperunt, & inter convivas diviserunt. Euge! Sic ea tempestate crudis homines vescebantur volucribus: vel quod credibilius, jam assæ, ut in Utopia, per auras circumvolitabant. Nam etiam cap. 45. porcorum coctorum ambulantium fit mentio. Quæ de strepitu obsceno (ut noster honeste circumscripsit Arbiter) cap. 47. garrientem facit Trimalcionem, nihil ad Bacchum, minus quoque ad Neronem pertinent, sed è Suetonii Claudio videntur accepta. Pariter Apuleii asino vectus est planus, cum historiam de Cappadoce cap. 63. compilavit. Obruit me errorum multitudo. Interim tamen majora & clariora fraudis sunt ostendenda πειράσω. cap. 50. jactitat Trimalcio se solum possidere vasa Corinthia, & causam addit, quia ærarius à quo ea emat, Corinthus vocetur. Scio: vult traducere Trimalcionis imperitiam. Hoc ergo tantisper transeat: illud nunc urgeo, apertam in verbis esse contradictionem. Etenim si publice prostabant Corinthia, qua ratione eorum possessione solus gloriari poterat Trimalcio? Habebat utique vasa Corinthia & non unus mercator; habebant & divites alii complures, quos hæc merx emptores similiter invenerat. Sequitur ibidem. *Valde bene scio, unde primum Corinthia nata sint. Cum Ilium captum est, Hannibal homo vafer & magnus sicelio, omnes statuas æneas & aureas & argenteas in unum rogum congessit, & eas incendit. Factæ sunt in unum æra miscellanea. Ita ex hac massa fabri sustulerunt, & fecerunt catilla & paropsides, statuncula: sic Corinthia nata sunt.* Ain vero? Siccine tanta ignorantia Trimalcionis aut Neronis animum obsederat, ut nec Trojam præ Corintho, nec Achillem nosset præ Hannibale? Sed hæc eras credemus, hodie non item. Auscultamus enim Tacito Suetonioque, qui Neronem omnibus literalibus disciplinis, Philosophia excepta, probe imbutum esse diserte perhibent; atque etiam Trojanas res didicisse ad unguem. Sic enim de eo Tacitus 12. Ann. *Ut studiis honestis & eloquentiæ gloria niteseeret, causa Ilienſium suscepta, Romanum Troja demissum, & Juliæ stirpis auctorem Æneam, aliaque haud procul fabulis vetera facunde exsecutus, impetravit ut Ilienses omni publico munere solverentur.* Suetonius vero cap. 7. *Tener adhuc, necdum matura pueritia, Circensibus ludis Trojam constantissime favorabiliterque lusit.* Et iterum cap. 38. *Incendium Urbis è turri Mæcenatiana prospectans, lætusque flammæ, ut ajebat, pulchritudine ὠλοὸν Ilii in illo suo scenico habitu decantavit.* Atque ex his etsi intelligitur, quam male Trimalcio histrioniam exerceat, dum cap. 52. *Habeo*, inquit, *capidem, quam reliquit patronus meus, ubi Dædalus Nioben in equum Trojanum includit:* possum tamen insuper singulare & proprium istis opponere testimonium Suetonii cap. 21. *Utque constitit, peracto principio Nioben se cantaturum per Clivium Rufum Consularem pronuntiavit, & in horam fere decimam perseveravit.* Piget me pudetque insulsi impostoris. Sed tamen ne vel sic quidem finem facit affaniarum. Narrat cap. 59. Homeristas cenaculum intrantes Græca recitasse car-

mina: quæ cum simul discumbentes non asequerentur, Trimalcio sumpto sibi interpretis munere, *Scitis*, inquit, *quam fabulam agant. Diomedes & Ganymedes duo fratres fuerunt. Horum soror erat Helena: Agamemnon illam rapuit, & Diana cervam subjecit. Ita nunc Homerus dicit, quemadmodum inter se pugnent Trojani & Parentini. Vicit scilicet, & Iphigeniam filiam suam Achilli dedit uxorem. Ob eam rem Ajax insanit, & statim argumentum explicavit.* Ob ea quæ modo dixi, nullum dubium relinquitur, laborasse impostorem illa insania, quam Trimalcioni imputatum it. Ne tamen vel in hoc fortuito rem acu tetigisse quis putet, quod Trimalcionem Græcæ linguæ expertem facit, ecce iterum Suetonius in 7. & 46. capitibus contrarium diserte testatur, Neronemque Græca cum soluta tum ligata oratione excelluisse observat. Possem plura ejus notæ afferre in medium, nisi videretur futilium affaniarum plus satis esse. Quare id unum adhuc restat, ut quando evicimus pessimo consilio à veteratore quodam Petronium esse interpolatum: nunc, quo tempore id factum videatur, disquiramus. Etsi enim tanti id non est momenti, superaddam tamen istam veluti mantissam. Paucis autem me expediam. Recentissimum enim hunc esse inepti alicujus homuncionis abortum suspicor, idque inde colligo, quod verum Petronii textum tam castigatum restitutumque exhibuit ex conjecturis novissimorum Criticorum. Nam quod legit cap. 33. *Accipimus nos cochlearia non minus selibras pendentia*, id ex Gruteri, Dusæ, & Erhardi hausit emendationibus. In textu est, *sex libras:* quamvis, ut verum fatear, de hujus correctionis bonitate adhuc dubitem. Ibidem habemus. *Gallina erat lignea, patentibus in orbem alis, quales qua incubant ova. Incumbunt* vulgo excusum, cujus in locum *incubant* Tornæsius substituit. Porro cap. 35. *Obiter & sædissimi servi minorem nobis æstum infrequentia sua faciunt*: ita rescribere nos jubet Gruterus. Vulgo imprimunt: *Obiter ei perditissimi servi minorem nobis æstum sua frequentia facient.* Illa tamen correctio neutiquam arridet. Quare pridem legendum censueram. *Obiter & perditissimi servi majorem nobis æstum frequentia sua faciunt*, sensu plano & facili. Habita est Trimalcionis cena æstate, quia aqua nivata manibus infusa. Invehitur ideo Trimalcio in ministrorum turbam, quæ circumstans æstum jam aliunde satis magnum augebat. Deinde pag. 11. *Super taurum bubula frustum.* Quondam erat *bubale*, quod correxere Tornæsius, Scaliger, Casaubonus. Eodem capite, *Super pisces duos mullos:* quomodo legendum monuit Wouwerius pro veteri *mulos.* Noto mihi insuper novas quasdam, & ante hunc diem inauditas correctiones, probas tamen, & quo solo nomine machinator horum apud me gratiam iniit. Talis est illa loci depravatissimi emendatio cap. 29. *Ipse Trimalcio capillatus caduceum tenebat, Minervaque ducente Romam intrabat.* Nam *tenia intrabat* quid esset, nemo explicare poterat. Item cap. 33. *Pinguissimam ficedulam involvi piperato vitello circumdatam:* κυλῶς καὶ σοφῶς. Hactenus legimus *piperato vitellio piperatam* Amplius cap. 34. *Larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli ejus vertebraque laxata in omnem partem verterentur.* Collaudo & hanc emendationem tamquam eruditam, multisque nominibus præferendam lectioni, quæ codices infedit: *Larvam argenteam attulit servus sic aptam, ut articuli ejus vertebraque locata in omnem partem flecterentur.* Denique cap. 27. *Ipse paterfamilias, qui soleatus pila prasina exercebatur.* Editiones nostras occupat *pila sparsiva.* Verum enimvero hujus postremi loci morbum equidem probe perspectum habeo, quis Æsculapius curaverit. Fuit is sine dubio laudatus *Octavius Ferrarius*, qui mihi ipsi aliquando suam hanc conjecturam suggessit, inductus, tum quod in aliquibus MSS. esset *sparsina*, tum quod Trimalcio inter Prasinos nomen professus erat. Jurare itaque ausim superiores castigationes quoque *Marinum Statileum Tragurienſem, cum olim Patavii jurisprudentiæ studium absolveret*, ab eodem magistro accepisse. Tot ergo rationibus inductus, si possem, in aurem Statileo insusurrarem, *videri mihi ipsum totum Arbitri fragmentum ex sese finxisse tamquam araneum, & bene facturum, si grave crimen, quo sese commaculavit, apud Reipublicæ litterariæ Patres Conscriptos, & illustrissimum Venetum Senatorem deprecetur.* Certe cap. LIX, sine ulla caussa mentio fit Parentinorum, quos constat à Tragurio insula & urbe Statilei patria parum abesse.

Ad te nunc tandem redeo, *Arnolde Clarissime*, longiorique dissertationi, qua te sum moratus, ignoscere te obsecro. Crevit tamquam herba irrigua sub manibus, & urceum cum pararem, exivit amphora. Quidquid autem ejus est, non tam docendi quam emendandi causa memineris tibi esse transmissum. Finio argumento, quod omnibus meis potentius duco: nempe viros summos, quos ex animo veneror, *Valesios fratres* idem penitus de hoc fragmento judicare: judicare & illustrem virum *Johannem Capellanum Christianissimi Regis Consiliarium:* cujus singularem erga me propensionem, propter magnitudinem gaudii, quo delibutus sum, non me contineo, quin apud te deprædicem. Numero enim eam inter prima munera, quæ bona fortuna mihi largita est: nec ipsum aliter suspicio quam almæ sapientiæ sacerdotem, cui foco suo tamquam aræ assidens, semper sacra facere, & oracula consulentibus effundere videtur. Itaque si nullum alium longinquæ meæ peregrinationis fructum perciperem, abunde mihi sufficeret dulcis cum tanto viro conversatio: à quo numquam discedo, quin altum ac præclarum aliquod reconditæ illius doctrinæ, ingenuæque virtutis monitum mecum referam, utile ac salutare futurum tota deinde vita. Vale, Vir Clarissime, & me, quod te facere confido, ama. Deus te servet sospitetque, cum urbis nostræ columine *Dilberro*, cujus benevolentiæ, ut me commendes, vehementer tero-go. Scr. Lutetiæ Kal. Febr. A. M. DC. LXV.

HA-

HADRIANI VALESII HISTOR. REGII

De Cena Trimalcionis nuper sub Petronii nomine vulgata

DISSERTATIO

Et de Ætate Patriaque Petronii, ac ejus operis inscriptione.

HADRIANUS VALESIUS

JOH CHRIST. WAGENSEILIO

Suo. S.

Quæsisti a me, doctissime WAGENSEILI, an pro Petronianis habenda existimarem, quæ anno M. DC. LXIII. exeunte Patavii, ac iterum Luteciæ nuper, essent sub Petronii Arbitri nomine vulgata. Cum Petroniana esse prolatis quibusdam argumentis negarem: rogasti ut ea mandarem literis, atque idem tibi videri dixisti, ac tuam de tota re sententiam in Dissertatione ad Christophorum Arnoldum te fuse aperuisse. Quâ ego perlectâ, etsi intelligebam sufficere, quæ docte ac magno cum judicio scripsisses: tamen tumultuarias observationes meas raptim tibi aperire, breviterque exponere constitui, ut & desiderio tuo satisfacerem, promissoque me solverem, &, si qua tibi excidissent ac diligentiam tuam fugissent, in Dissertatione mea Lector inveniret.

Ac primum solent codici scripto, atque è bibliothecæ latebris recens eruto auctoritatem dare claritas & dignitas inventoris, magnitudo urbis, in qua inventus dicitur, ejus, apud quem repertus est, fama, & doctorum hominum de codicis vetustate favorabile judicium. Nunc repertor voluminis, de quo sermo est, inducitur à Paulo Frambottio Typographo Patavino Marinus Statileus Dalmata, juvenis ignotus, postquam Patavii jus didicerat, reversus domum: locus, in quo repertum fertur, bibliotheca Nicolai Cippici, hominis obscuri, in urbe ignobili Dalmatiæ Tragurio. Denique ex omnibus, qui Venetiæ, Patavii, Romæ judicium de codice isto apocrypho tulisse dicuntur, unus Johannes Rhodius natione Danus laudatur, vir doctus quidem, & in evolvendis dignoscendisque veteribus codicibus diu multumque versatus: sed qui ante editionem cenæ Trimalcionis Patavii decessit: ita ut, quid de codice Tragurienſi senserit, jam ex ipso scire non possimus. Sed quid opus est, quemquam de codice consulere, cum ejus partum editionem Patavinam habeamus, cujus in singulis paginis tot indiciis suppositio se prodit & impostura?

Petronius verbis utitur usitatis. At heic occurrunt portenta verborum: *saplutus*, *lupatria*, *matus*, vel *mattus*, id est animo defectus & languens, tristis & maceratus, & velut contusi contritique cordis, Picardis nostris atque etiam Germanis, ut audio, notissimum vocabulum. Dicunt enim illi de se, quum languent, *je suis mate:* hi similiter, quum lassi sunt, defessi atque fatigati, *Ich bin mat*, ego sum matus. Occurrunt *abstinax*, pro abstinens; *caldicerebrius*, pro iracundo & calido; *nesapius* hoc est (ni fallor) insipiens, rudis, ignarus; *madeia*, *perimadeia*, verba, ut arbitror, Syriaca; *homo dignitosus*; *occupo*, nomen substantivum; *gaudimonium* pro gaudium, *tristimonium* pro tristitia; *bacsballum*; *corporaliter*: *Orcus apoculanius*, vel potius *aboculanius*, id est cæcus: recentiores aboculum & abocellum; ac nonnumquam, ab oculis, dixere, ut infra, *librum ab oculo legit*, id est, clausis oculis legit, *aveuglette*: *exopiniissent* pro opinentur: *Ego me apoculo*, pro discedo è convivio, pocula relinquo: *Palamedes*, quo nomine pelamydes ab Italis appellantur: *strabonus* pro strabo; *monstruosum* pro monstrosum; *coricillum* pro corculum. Quæ monstra si quis Petronio tribuere potest, ne quid gravius dicam, Petronium & linguam Latinam non novit. His adde nomina propria virorum ac mulierum *Mammia*, *Cicara*, *Satuna Dea*, *Gavilla*, *Plocrimus*, *Habinna*, ac similia: quæ cujus linguæ sint, ignorare me fateor: cum apud Petronium, qualem editum habemus, nomina propria omnia, uno excepto *Bargatis* nomine, aut Græca sint, aut Latina.

Sunt heic & nonnulla verba recentiora ac minimè Latina, quæ Petronii ætate nondum in usu erant. Qualia *frons expudorata* pro inverecunda & attrita: *bonatus*; *porcus silvaticus* pro apro vel sue fero; sicuti apud Paulum Langobardum *equus silvaticus*; *minutiolus* pro infantulo; *amasiuncula*; *sulcipedia*; *staminata*; *berbex* seu berbix, quod est in glossariis vervecis nomen; *molestare* pro vexare; *adjutare* pro adjuvare; *oricularii servi* vel auricularii; *rostrum barbatum* pro labris & ore hominis: nomen Hispanis in faciei significatione hodieque usitatum. Contra aliqua heic reperias vocabula veterrima & rancida, quæ ante Arbitri natalem dudum exoleverant: ut *fruisci* pro frui, quod Catonis majoris est; *Jovis* non semel pro Jupiter, quod Ennii; similiter *bovis* pro bos; *præsiscini*, aliaque. At *adjuvare*, *frui*, *Jupiter*, Petroniana sunt. Quis ergo sanus putet Petronium, in scribendo tam varium, tam inæqualem, tam sui dissimilem esse voluisse, ut nunc *frui*, nunc *fruisci* diceret; modo *adjuvare*, modo *adjutare*; nonnumquam *Jupiter*, interdum & *Jovis*?

Jam vero in Arbitro, qui *disertus* à Terentiano Mauro merito appellatur, quis ferat mutationes generum & declinationum & casuum in nominibus, quales nobis codex iste Tragurienſis obtrusit? *Balneus*; *Calus* non semel; *malus fatus* ter & amplius; *ille stips* pro stipes; *solida* pro solidos in IV. casu plurali; *statuncula* pro statunculas; *lactem* pro lac; *vasum* pro vas; *lorus*, *reticulus*, *candelabrus*: *striga*, & *nervia* in accusa-

cusativo plurali, cum & *striges* veteri terminatione, & *nervos* sincerus Petronius dicat his verbis: *Quæ striges comederunt nervos tuos*? Item alibi. *Recipies, inquam, nervos tuos, si triduo sine fratre dormieris.* Quamquam dici potest striges à strigis distingui oportere, cum strix avem nocturnam quamdam ignotam & fabulosam; striga vero mulierem veneficam in lege Salica, & in legibus Langobardorum ac veteribus Glossariis significet. Striges porro aves ut hominum intestina exedere, ac præsertim infantium viscera carpere, dicuntur à Plauto & Ovidio Poëtica fide: ita strigæ sive striæ, quæ & mascæ, mulieres maleficæ vivos homines intrinsecus comedere, falso ac ridicule credebantur à plebe etiam Christiana. Omitto soloecismum insignem: *Ego puto medicum & numularium*: *medicus qui scit*, pro medicum: item alium ei similem, *aramvosi, quibus præ mala sua cornua nascuntur*, id est, præ malis suis: nec non *nummos in publico effundere, in solio descendere, vocare cocum in medio*; pro *in publicum, in solium, in medium*. Quis in Arbitro toleret, aut potius quis æquus arbiter Arbitri esse putet, verba activa ex passivis facta, passiva ex activis, aut in eis mutatas perperam conjugationes: *Ædes non somniatur*, pro somniat: *quid iste argutat molestus?* pro argutatur: *convivare* pro convivari: *dum mater amplexaret corpus filii sui*, pro amplexaretur: *nihil nos delectaris*, pro delectas: *nihil sibi defraudit*, pro defraudat: *scias oportet hunc vincitarum*, pro victurum: *sesellitus sum*, pro falsus sum, deceptus sum: *effrangi* pro effringi.

Quis præterea tales Arbitro phrases assignet? *Toralia præposuerunt toris*, pro imposuerunt: *planctus est optime*, pro magnum sui desiderium reliquit: quod Nostri similiter dicerent, *il a esté bien plaint & regreté*. *Puellarius erat, omnis Minervæ homo*, pro omnium virginum vir & corruptor, aut saltem amator. *Admissus erga Cæsarem est cum suo munere*: *deinde fecit reporrigere Cæsari*. Admitti ad aliquem, vel ad videndum salutandumque aliquem, dicunt Latini scriptores; *erga aliquem admitti*, non dicunt. *Tu beatior es: bis prandebis cena*. Sic apud nos plebs hominum divitiis superbum irridere consuevit, ac bis prandere jubet. *S'il est riche, qu'il disne deux fois*. Sed prandium & cena male confunduntur. Nec enim magis dici quis potest, *cena prandere*, quam prandio cenare. *Habuimus in primo porcum*, pro habuimus primum. Sic vulgo diceremus: *Nous avons eu en premier lieu un cochon*. *Quinque naves ædificavi, oneravi vinum*: & paullo inferius, *oneravi vinum, lardum*, pro oneravi naves vino, lardo: vinum, lardum in naves imposui. Sic vulgo nostri mercatores loquuntur. *Il y a chargé du vin, du cotton, du poivre*. *Mei coci etiam vitulos aheno coctos solent facere*; item *Gallus allatus est, quem Trimalcio jussit ut aheno coctus fieret*. Coctum facere pro coquere barbarum est. *Libertorum, qui omnia ad se fecerunt*: pro in sinum suum omnia domini bona conjecerunt. *Nemini nihil boni facere oportet*; item *Nec sursum nec deorsum non cresco*. Utrubique duæ negationes sunt, quarum altera supervacanea. *Si quis nostrum voluerit sua rem causa facere, non est quod illum pudeat*. Ibidem nescio quis de pane autopyro ait. *Et vires facit; & cum mea rem causa facio, non ploro*: id est (honos auribus sit) alvum solutam habeo, nec nitor aut durum caco. Cui, præterquam huic Pseudo-Petronio, *sua rem causa facere* idem fuit, quod flatus crepitusve alvi emittere, vel cacare? Nos quidem Franci honesta circumlocutione *eum*, qui alvum exonerat, *res suas agere* dicimus, *faire ses affaires*; Latini non item, multo minus, *rem suam causa facere*. *Quare tangomenas faciamus. Vita vinum est*: iterum, *Itaque tangomenas faciamus, & usque in lucem cenemus*. *Tangomenas faciamus*, id est laute epulemur, vivamus, gaudeamus. Utrubique *tango minas* disjunctim legendum & emendandum puto, & ex Plauti male intellecto versu hoc loquendi genus esse desumtum. *Sentin' senem tactum esse triginta minis?* Nam juvenes qui pecuniam recens acceperunt, eamque habent in manibus, digitisque contrectant & tangunt, læti opipare convivari gaudent.

Interdum impostor ut fucum legentibus faciat, & nugis suis auctoritatem aliquam conciliet, Persium; aliquando etiam Martialem imitatur. *Meum enim intelligere nulla pecunia vendo*: ex Persii Satyra I. petitum est.

Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo
Ilitade.

Aut non deridebis, licet barbam auream habeas, ex Persii Sat. II. *Nam fratres inter ahenos*
Somnia pituita qui purgatissima mittunt
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.

Ipse Trimalcio fundos habet, qua milvi volant: ex hocce versu Persii Sat. IV.

Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.

Si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret; ex Persii Sat. I.

Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis?

Frigori lacasim dico. Lacazin seu λαικάζειν emendandum est, quod fellare significat. Notus Martialis versus. --- *Sed lota mentula lana*
Λαικάζειν cupida dicet avaritia.

Λαικάζειν *dicere alicui*, metaphoricè est, aliquem irridere ac illudere.

Quid, quod præter plurimas mendas leviores, quarum pleræque sunt à nobis inter legendum restitutæ, graves aliquas ac (si ita loqui licet) capitales & insanabiles de industria sparsit impostor, ut se vetusto quidem, sed corrupto codice usum esse, Lectori persuaderet, & ut quæcumque alia Petronio indigna ac damnanda occurrerent, vitio exemplaris, aut Librariorum transscribentium negligentiæ inscitiæque possent imputari? Tales sunt in cap. XLIV. *Similia Sicilia interiores & larvas sic istos peridopabant*: ibidem, *Puto enim nescio quid Asiadis* (vel potius *à Siadis*) *habuisse*: forte, *Puto eum nescio quid à Scythis habuisse*. Item

cap.

cap. XLV. *Adeo de magna turba adhebete acceperant.* cap. LII. *Nam Hemerotis pugnassent petraitis in poculis.* In cap. LXII *Et omnia vestimenta secundum jam posuit mihi in animo in naso esse.* In cap. LXIII. *Cum adhuc capillatus essem (nam à puero vitam chiam gessi) ipsim mostri delicatus decessit, mehercules margaritum cacritus, & omnium numerum.* Quæ forte sic emendanda sunt. (*Nam à puero vitam Tyanis gessi*) *ibi infans magistri delicatus decessit, mehercules margaritum Charitos, & omnium numorum.*

An commemorem è foro piscario petita convicia, non modo Arbitro, sed etiam quovis scriptore ingenuo indignissima? Fortunata uxor Trimalcionis vocatur *malæ linguæ pica pulvinaris; mulier milvinum genus;* mœcha obsceno vocabulo *matella* dicitur; alius *berbex & bellum pomum*; *Larisuga nocturnus, qui non valet lotium suum.* Giton *cepa cirrata* ob capillos crispos & densos; *crucis offa, corvorum cibaria, terræ tuber*, id est terræ filius, *volpi suda*, id est vulpes sudans. Fortunata ipsa furiis incensa virum suum præsentibus convivis *canem* appellat; Trimalcio invicem eam *codicem* ob hebes & stupidum ingenium, & *ambubajam* nomine Syriaco, *milvam* à rapacitate & avaritia, *sterteram* à stertendo, etiam *viperam.*

Pudet pigetque me diutius hisce Grammaticis quisquiliis immorari. Tempus est jam, à verbis & à stilo ad res ipsas transire: ut clare omnibus appareat, à vero Petronio suppositicium istum in utroque ex æquo discedere. Ac primum videtur dedisse operam impostor, ut Trimalcionem in cunctis ridiculum legentibus exhiberet. Sed dum sine modo ac delectu nugas nugis adjungit atque superstruit, dum ineptiarum genus omne consumit: imposturam suam ipsemet aperit, nugacem se ac ineptum, Petroniique infelicissimum imitatorem prodit, ridendum denique se universis præbet. Nunc *aper pileatus* infertur, circa se porcellos habens, cujus è dentibus duæ sportellæ dependent, & cujus è latere percusso turdi evolant, mox ab aucupibus excipiendi: aper, inquam, pileatus, ceu libertate donatus ac manumissus, quod à convivis pridie totus & integer esset remissus. Nunc postquam surrexit Trimalcio, sermones habent inter se convivæ ineptos, humiles, ac demissos, solis fatuis & sensus communis expertibus convenientes. Ganymedes quidam de annonæ caritate queritur more modoque mendicorum: ait se *jam annum esurire;* negat se *ea die buccam panis invenire potuisse.* Trimalcio qui surrexerat, ut obscenis naturæ desideriis indulgeret, reversus ad mensam, dat convivis eadem omnia vel in triclinio faciendi libertatem, quod Imper. Claudius edicto statuere voluerat, multisque verbis, usque ad nauseam ac risum audientium, in continentes invehitur. Coquus propterea, quod porcum non exenteraverat, nudatur in convivio, & inter duos tortores constitit: at idem, mox secto ventre porci, argentea corona donatur à Trimalcione, & in lance Corinthia potat; quasi lances tam vina quam cibos caperent, seu vasa potoria simul ac escaria essent. Sequuntur de vasis Corinthiis fabellæ relatu indignæ, nulla temporum habita ratione, Ilii halosis Hannibalis ætate & opera: scyphorum & capidis emblemata, Cassandræ virginis filii, & Niobe à Dædalo equo Trojano inclusa. Pro acroamate *Homeristæ* inducuntur Græcis versibus colloquentes. Trimalcio vero dum fabulam, quam agunt, vult exponere, res, homines, tempora ac loca misere confundit, ita ut ipse fabula fiat. Interea *vitulus* affertur *galeatus*: quem unus ex Homeristis Aiax furens gladio concidit, partiturque convivis. Quis hæc legens risum teneat? aut potius quis non indignetur, talia & tam putida Petronio tribui? Jam vero fabulæ aniles de homine versipelli in lupum mutato, & de vestibus ejus lapideis factis, nec non de strigis seu nocturnis maleficisque mulieribus, quæ infantem mortuum rapuissent ad comedendum, & pro eo stramentum supposuissent, Apuleio conveniunt magis, quam Arbitro. Quamquam ista fabella posterior de strigis ex hisce veri Petronii Arbitri verbis mihi videtur desumta. *Quæ striges comederunt nervos tuos?* In codice Bibliothecæ Vaticanæ, qui Palatinæ olim fuit, reperitur *Indiculus superstitionum & Paganiarum*, in quo hæc de strigis verba legimus. *De eo, quod credunt, quod femina Lunam comedant, & quod possint corda hominum tollere juxta Paganos.*

Tædet talia fusius persequi. Pergendum est tamen. Jussu Trimalcionis ingens canis catena vinctus adducitur in triclinum ab ostiario. Quid agrestius, quid indignius tanto convivio, & tam divite convivatore potest excogitari? Trimalcionis jussu puer mollis & dorsum ejus inscendit, & scapulas plana manu pulsat. Quid indecentius? Jubet idem in cap. LXIV. *potiones dividi inter omnes servos, qui ad pedes sedebant.* Quid indulgentius? immo vero quid minus Romanum? Bibere famulos domino præsente ac epulante; *sedere ad pedes* servos, domino discumbente. An sedens famulus ministrare potest? More Romanorum, aut potius more omnium Gentium succincti in conviviis stabant famuli, ut essent ad ea, quæ poscebantur, quærenda ac convivis porrigenda paratiores & expeditiores: quemadmodum vetera marmora ac picturæ docent. Sufficiant ad id probandum vel duo Juvenalis versiculi è Sat. v.

Quippe indignatur veteri parere clienti,
Quodque aliquid poscas, & quod se stante recumbas.

Tamen impostor eadem in re iterum erravit: quum in cap. LXVIII. *servum ad pedes Habinnæ sedentem* fecit. Nec umquam aut usquam memini legere, *ad pedes sedisse pueros*, nisi ingenuos in conspectu parentum convivarumque discumbentium. Apud Suetonium invenio, Claudium Aug. *adhibuisse omni cenæ & liberos suos cum pueris puellisque nobilibus, qui more veteri ad fulcra lectorum sedentes vescerentur.* Hunc morem non ignoravit Arbiter: Arbitri corruptor ignoravit. Sed quid ego *sedentes ad pedes* famulos Trimalcionis tantopere miror, quos paullo post visurus

sum

sum recumbentes? Quippe in cap. LXX. Trimalcio famulis suis, etiam cocis, permisit ut discumberent. Itaque *totum triclinium familia occupat*, & convivæ *pene de lectis dejiciuntur*. Credas Saturnalia celebrari. Permisit, inquam, id stulte & novo more Trimalcio, is, qui initio cenæ adeo timuerat, ne *servi* sui convivis *æstum frequentia sua facerent*, & ob id *suam cuique mensam jusserat assignari*. Unde ille sui tantopere dissimilis tam repente factus? Unde tam citò oblitus dispositionum suarum? An ebrius erat? An non jam fatuus stultusve, sed plane demens?

In cap. LXVII. Fortunatæ uxoris Trimalcionis *periscelides tortæ*, quales in usu nobis sunt matronisque nostris, & quas vulgò à poplite, cui subligantur, *arrectarias* vel *jarretarias* vocamus, nec moris Romani sunt, nec Græcanici. Nam Græcorum Romanorumque periscelides erant fasciæ, quibus crura involvebantur, ac tegebantur.

In cap. eodem Fortunata discubitura posteaquam manus lavit, *tergit eas sudario, quod in collo habet*. Verba Pseudo-Arbitri seu impostoris sunt. *Tunc sudario manus tergens, quod in collo habebat, applicat se illi toro, in quo Scintilla Habinnæ discumbebat uxor*. Atenim quidem Romanis (ut Catullus, Suetonius in Nerone, aliique docent) sudaria è lino, sed ad detergendum oris sudorem, unde & appellationem traxere: sudarium circa collum nullum umquam matronis Romanis fuit. Atque ut gratis concedam fuisse: an Fortunata Trimalcionis, ditissimi & nitoris ac elegantiæ amantissimi viri uxor, tam sordida esse potuit ac immunda, ut eo linteo, quo collum velaverat, velut mantili in triclinio, tergeret manus? Omnino existimavit impostor, uti suæ ac nostræ ætatis matronæ collum haberent sudario lineo circumdatum & tectum, quod vulgò *muscarium colli* (*Mouschoir de col*) appellatur, quia collum tegit & defendit à muscis: sic & olim matronas Romanas habuisse. Hæc tanta moris Romani ignorantia non in Petronium, sed in impostorem cadit totius antiquitatis ignarum.

Jam enim suum testamentum in convivio recitari jubet Trimalcio, quo servis omnibus dat libertatem: & quale monumentum sibi fieri, quidque ei inscribi velit, exponit. Nec contentus his, funebrem vestem quæ *vitalia* vocat, unguentum nardinum, & cetera inferri triclinio præcipit, convivisque ostentat: ac demum tamquam in funere suo cornicines canere jubet, atque ad balneum saturos convivas invitat. Quid his ineptius; O sermones convivales? O spectacula festivis epulis convenientia! Etiam heic ignarum moris Romani sese prodit Pseudo-Petronius, qui cornicines pro tubicinibus funeribus adhibeat. Mortui enim efferebantur ad tubam, aut etiam ad tibiam: ut post Ovidium in lib. VI. Fastorum, post Persium in Satira IV. & Agellium in lib. XX. cap. II. verus Petronius vel solus satis docet his verbis. *Quod si idem frigus genua manusque tentaverit tuas, licet ad tubicines mittas*. Ubi *tibicines* sine caussa legi vult Petrus Pithœus.

Dare operam saltem debuit impostor, ut finis cenæ Trimalcionis cum sequentibus, hoc est ut falsa & ficta cum veris cohærerent, nec falsa haberi possent, neu fraus facile deprehenderetur. Finis cenæ Patavinæ talis est. Cum cornicines insonuissent, vigiles regionis proximæ rati ardere Trimalcionis domum, cum aqua & securibus accurrunt, & januam effringunt. Encolpius, idem & Polyænus alio nomine dictus, Ascyltus & Giton læti oblata occasione discedunt. *Nos occasionem opportunissimam nacti, Agamemnoni verba dedimus, raptimque plane tamquam ex incendio fugimus*. Contra apud verum Petronium, qualem dudum editum habemus, Encolpius, cujus sub persona tota fabula narratur, nec cornicinum nec vigilum ullam mentionem facit: aitque, cum post cenam ex ædibus Trimalcionis ipse & Ascyltus ac Giton vellent discedere, & per ampliss imas longissimasque porticus, media jam nocte sine lumine, hora pæne tota hac illacque erravissent ebrii, & locorum etiam interdiu obscurorum ignari; se tamquam filo Ariadnes *Gitonis acumine explicitos tandem esse, qui omnes pilas columnasque pridie notaverat creta: qua liniamenta evicerint spississimam noctem, & notabili candore ostenderint errantibus viam*.

Anno M. DC. LXIII. ineunte edidi Panegyricum de laudibus Berengarii Augusti, quem ante annos aliquot ex urbis Patavii Bibliotheca Monastica à Johanne Rhodio Dano & à Nicolao Heinsio viris clarissimis erutum acceperam. In meis in Panegyricum illum notis, quid esset apud Gregorium Turonicum Episcopum *barbatorias celebrare*, & quid *barbatoria* significaret, fuse docui pag. CXCI. & sequentibus. Missus est statim Berengarius meus in Italiam: missus in primis Patavium, unde venerat, & lectus à Patavinis. Placuit observatio mea impostori, homini Italo e provincia Venetia, vel Dalmatæ, qui (si qua fides) Johanni Rhodio Pseudo-Petronianas quisquilias suas approbaverat. Itaque digna ei visa, quam suæ cenæ Trimalcionis insereret. *Tum Trimalcio: Amici (inquit) hodie servus meus barbatoriam facit, homo frugi & micarius. Itaque tangomenas faciamus, & usque in lucem cenemus*. Sed tamen mos hic quidem ætate Petronii multo vetustior: nomen autem ipsum, *barbatoria* ejusdem ætate (ni fallor) recentius. Sic idem impostor, qui de cena libera aliqua ab Henrico Valesio fratre meo observata esse didicerat, voluit & liberæ cenæ meminisse, atque ab ea suam suppositiciam cenam auspicari. *Venerat jam dies tertius: id est exspectatio liberæ cenæ*.

Sic igitur judico, nova omnia, quæ sub Petronii Arbitri nomine primum Patavii, deinde Luteciæ publicata sunt, falsa, ficta, suppositiciaque esse, barbara, futilia, judicii doctrinæque vacua, ac plane omni ex parte ridicula ac rejicienda: eademque tam in verbis, quam in rebus, ab Arbitri genio, elegantia, ac nitore longe recedere.

In uno tamen, mi WAGENSEILI, à te dissentire

re cogor, quod miraris Juſtum Lipſium, virum magni in literis nominis ſummique judicii, de Petronio noſtro dubitaviſſe, ac *deliberaviſſe*, an is eſſet C. Petronius, Tacito memoratus in rebus Neronis: audacterque ſequeris tenui fultam tibicine opinionem, vel potius conjecturam Petri Pithœi, Claudii Bineti, Jani Douſæ, & inſequentium plerorumque Petronii Commentatorum, qui Neronis Auguſti æqualem faciunt, ac putas Trimalcionis nomine Neronem à Petronio deſignari. Atqui Trimalcio inter ſervos venales advectus eſt Romam: ubi *ratiocinari didicit, deinde diſpenſator factus eſt*: uti Petronius ipſemet verus ac pridem editus docet. An iſta in Imperatorem Neronem conveniunt, paterno genere nobiliſſimum, materno etiam familiæ Cæſarum adnexum? Jam uxor Trimalcionis Fortunata re & nomine fuit: femina viri ſui ſimillima, ex egente locuples facta, adeo ut *nummos modio metiretur*: ſicuti Petronius indicat hiſce verbis. *Et modo quid fuit? Ignoſcet mihi genius tuus: noluiſſes de manu ejus panem accipere.* At Neroni Aug. uxores non aliæ fuere quam nobiles & claræ, Octavia & Poppæa: è quibus Octavia etiam Claudii Aug. filia exſtitit. Nam Acten libertam pellicis habuit, non juſtæ uxoris loco. Præterea jam ſenex erat Trimalcio: at Imperator Nero annum ætatis XXXII. non exceſſit. Trimalcio illitteratus & fatuus inducitur à Petronio; quales multi divites, qui obſcuriſſima initia habuere; Nero Aug. & eloquentiæ & hiſtoriæ ſtuduit, ac Poëticæ. Trimalcioni *in deliciis* fuit *puer vetulus, lippus, domino Trimalcione deformior*, ſi Arbitro credimus. At Neroni tot & tam lectæ cum ætate, tum forma, deliciæ erant, ut Juvenalis de eo delectu ſic referat in Sat. x.

Nec prætextatum rapuit Nero loripedem, vel
Strumoſum, atque utero pariter gibboque tumentem.

Quod ad Petronium noſtrum pertinet, jure meritoque de ejus ætate dubitavit Lipſius, & Petronium, qui fuit *æqualis Neronis*, cum Petronio Satyricorum auctore confundere timuit: cum animadverteret ab Cornelio Tacito in lib. XVI. Annalium relata de Petronio, haudquaquam Petronio Satyrici ſcriptori majore ex parte convenire. Certe ambo & nominibus diſcrepant. Prior dictus eſt *Cajus Petronius*, aut, ut Plinius & Plutarchus vocant, *Titus Petronius, & inter paucos familiarium Neroni aſſumptus eſt elegantiæ arbiter*, quod doctos viros in errorem induxit: ſed *Arbitri* nomen non tulit: poſterior, ſeu Satyricorum auctor, propriis nominibus appellatus eſt *Petronius Arbiter*, quemadmodum à Fulgentio in lib. II. & III Mythologiæ vocatur: & nunc ſub *Petronii*, nunc ſub *Arbitri* nomine, à Terentiano Mauro, à Diomede, à Servio Honorato, à Macrobio Theodoſio, à Mario Victorino, ab Hieronymo, & Sidonio, aliisque laudatur. Præterea Cajus Petronius, ſi qua Tacito fides, Proconſul Bithyniæ, & mox Conſul extraordinarius fuit; *inter paucos* Neroni Aug. *familiariſſimus*: magnas opes, magnam familiam habuit: homo ignavus & deſes, & otio ac mollitiis fluens, erudito luxu ac ſcientia voluptatum acceptiſſimus vitioſo Principi. At Petronium Arbitrum cum multi laudent ſcriptores Latini, veteres ac recentiores: nemo tamen magiſtratus eum ullos geſſiſſe, nemo divitem, nemo amicum Imper. Neronis fuiſſe, aut juſſu ejus periiſſe memoriæ prodidit. Bibliotheca quidem Vaticana quædam Petroniana in codice ſcripta ſervat, & his Julii cujusdam epigramma præfixum, in quo Petronius *diri Neronis amicus* vocatur, & *Arbiter arbitrio ſuo dictus ipſe* fertur. Sed hoc hexaſtichon ut incultum eſt, corruptum, ac recens; ita nullius apud doctos in hiſtoria auctoritatis. Denique Cajus Petronius paullo ante mortem coactam *flagitia Principis, ſub nominibus exoletorum feminarumque, & novitatate cujusque ſtupri, perſcripſit, atque obſignata miſit Neroni*: ut Cornelius Tacitus in lib. XVI. Annalium tradit. Quid habent iſta cum Petronii Arbitri opere commune? Caii Petronii famoſus libellus breviſſimus fuit: at Petronii Arbitri Satyra grandis atque verboſa, vel juſtum potius opus exſtitit: ut ex Petronianis quæ ſuperſunt, & ex his, quæ laudantur à variis auctoribus, deſideranturque, facile intelligi poteſt: adeo ut jure forſitan queratur Douſa ſimul & affirmet, vix decimam totius operis partem ad nos perveniſſe. Immo & plures erant Petronii libri, non *Satyricon* in recto ſingulari, ſed *Satyricôn*, hoc eſt, Satyrarum in ſecundo caſu plurali inſcripti; ut Ciceronis Rhetoricôn, Virgilii Maronis Bucolicôn & Georgicôn, Valeri Sorani Epopticôn, Aurelii Nemeſiani Cynegeticôn, Marciani Felicis Capellæ Afri Carthaginenſis Satyricôn libri. 7. de nuptiis philologiæ. Certe Terentianus Maurus de dimetro jambico claudo ſic ait,

At Arbiter diſertus
Libris ſuis frequentat.

Et à Mario Victorino de Metris Arbiter *Satyricôn* laudatur, non *Satyrico*, aut *in Satyricon*. In veteri quoque Gloſſario Petri Danielis hæc verba reperio. *Excelſiſſimus dicitur à Petronio in primo Satyrarum*: quod idem eſt, atque *in primo libro Satyricôn*. Miſſum facio Fabium Planciadem Fulgentium in libro Continentiæ Virgilianæ, à quo *Petronius in Euſcio* laudatur. Libellus Caii Petronii pro codicillis haberi poterat, & noctes ac ſtupra Domitii Neronis, & in eum cœtum admiſſorum, atque ad omnem libidinem adſcitorum exoletorum feminarumque nomina, quid quisque ibi noviſſime feciſſent, quid paſſi eſſent, paucis exponebat. Ficti nihil; omnia vera. Contra Petronius Arbiter M. Varronem in Satyris Menippeis imitatus ex parte, proſa oratione variis carminibus miſta, ſub falſis nominibus, tamquam ſub perſona, mores hominum notavit, ac vera ætatis ſuæ vitia carpſit: atque uti ipſemet ait, *in opere novæ ſimplicitatis*

Sermonis puri non triſtis gratia ridet:
Quodque facit populus, candida lingua refert.

Si, *quod faciebat populus, retulit* Arbiter, ut ipſe affirmat; de Neronis ſtupris ne cogitavit quidem. Non igitur ſua Neroni flagitia, ſed ſua populo, ſua juventuti ac ſenibus vitia Arbiter, & corruptos mores ex-

probravit: ac ſicuti vere aſſerit epigramma Vaticanum, (cur enim ejus teſtimonio in re apertiſſima & omnibus patente uti mihi non liceat;)

Petroni carmen divino pondere currit:
Quo juvenum mores arguit atque ſenum.

Nimirum fictos caſus amatorum opus Petronii Arbitri continebat: veri nihil; omnia ficta. De quo opere Macrobii Theodoſii in lib. 1. Commentariorum in Somnium Scipionis verba ſunt hæc. *Fabulæ, quarum nomen indicat falſi profeſſionem, aut tantum concilianda auribus voluptati, aut adhortationi quoque in bonam frugem reperta ſunt, Auditum mulcent, velut comœdiæ, quales Menander ejuſve imitatores agendas dederunt: vel argumenta fictis caſibus amatorum referta, in quibus multum eſſe Arbitrum, vel Apuleium nonnumquam luſiſſe miramur.* Denique nunc in declamationes umbratiles, & ſcholaſticas invehitur Petronius Arbiter: nunc Poëtas deridet carmina ſua in theatro, in balneo, in pinacotheca populo intempeſtive recitantes: modo Picturam, Statuariam, Dialecticam, Philoſophiam, Aſtronomiam, Eloquentiam, ceteraſque artes ingenuas defeciſſe, queritur: modo Trojæ Haloſin verſibus jambicis deſcribit: navigantium etiam rixas, reconciliationem & naufragium, bellamque de matrona Epheſia fabellam enarrat: interdum regulas carminis exponit. Sequuntur de bello civili Cæſaris & Pompeii verſus heroici fere trecenti, & de captatoribus aut heredipetis eluſis non pauca. Qui non videt iſta ſingula ac univerſa nihil ad Caii Petronii libellum, nihil ad Neronis flagitia noctesque pertinere, ſed meram eſſe nudamque ac ſimplicem vitiorum, & deſidiæ humanæ reprehenſionem, ſale & mordaci aceto conditam: is plane nec in literis, nec in ulla alia re quidquam videt aut judicat. Janus Douſa, ut Petri Pithœi conjecturam de ætate Petronii confirmet, ſcribit duas ſententias aut parœmias, videlicet *non bene olet, qui bene ſemper olet*, & *ingenioſa gula eſt*, à Martiale & à Petronio ex æquo uſurpari: aliam item gnomen, *Primus in orbe Deos fecit timor*, Statio in libro III. Thebaidos cum Petronio eſſe communem: ex quibus tamen ſententiis primam Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem, poſtremam Fabius Planciades Fulgentius in libro I Mythologiæ (vere an falſo neſcio) Petronio tribuant. Quid tum? Ideone credemus Petronium Arbitrum Neronis Aug. æqualem, & Statio atque Martiale vetuſtiorem fuiſſe, ambosque hæc hemiſtichia Petronio potius, quam Petronium ambobus debere? Nonne Placidius Lutatius putat, & diſertis verbis ait, Arbitrum hemiſtichion ſupra laudatum de origine ſuperſtitionis, à Papinio Statio accepiſſe? Idem plane dicendum de verſu, quem Hieronymus ad Demetriadem affirmat apud Arbitrum reperiri. Igitur hemiſtichium de odoribus Hieronymus non Martiali primo auctori, ſed Petronio; hemiſtichium alterum de ſuperſtitione Fabius Fulgentius non Statio, uti facere oportebat, ſed eidem Petronio aſſeruit, propterea quod utrique hæc apud Petronium legerant, & legiſſe meminerant; apud Statium & Martialem aut non invenerant, aut ſaltem inveniſſe non recordabantur, nec multum curabant an ab aliis ſcriptoribus prius, quam à Petronio, fuiſſent uſurpata.

Quare facile & libenter accedo Henrici Valeſii fratris mei ſententiæ, qui Petronium Arbitrum principatu Neronis multo recentiorem, ac natione Gallum fuiſſe, atque in provincia Viennenſi, finibusque Maſſilienſium Græcorum habitaviſſe credit, adductus hiſce Apollinaris Sidonii verſibus, haut ſatis hactenus examinatis intellectiſque, in carmine XXIII. quod inſcribitur Narbo.

Et te Maſſilienſium per hortos
Graji ceſpitis Arbiter colonum,
Helleſpontiaco parem Priapo,

Ita enim emendandum verſum medium frater exiſtimat, cum legatur in editis Sidonii exemplaribus,

Sacri ſtipitis Arbiter colonum,

Nec dubitat in priſcis Sidonii codicibus ſcriptum fuiſſe *Grai ceſpitis*, ſeu *Grai ceſpitis*: quod cum non intelligeretur à legentibus, in *ſacri ſtipitis* perperam mutatum ſit. Quæ vulgata lectio haud dubie vitioſa eſt, ac ferri nullo modo poteſt. Quippe ſi *ſacri ſtipitis* nomine, Priapum ligneum deſignare voluiſſet Sidonius, (Simulacra enim Priapi cuſtodis hortorum, ad eorum oſtia collocari conſueverant) *Priapi* in hortis Maſſilienſium poſiti, *colonum* Petronium Arbitrum vocaturus non fuit, ſed *cultorem*. Deorum enim vel ſimulacrorum cultores Latini ſcriptores dixere: *colonos Deorum* aut ſtatuarum nequaquam dixere. Præterea etiamſi gratis conceſſero, *colonum Priapi* pro cultore & veneratore Latine dici poſſe: tamen nec vel tum ſuus tribus hiſce verſiculis ſenſus conſtabit: fatendumque erit Sidonium his duobus in verſibus continuis Priapi ſine cauſſa meminiſſe. *Te Arbiter per hortos Maſſilienſium ſacri ſtipitis*, ſeu Priapi ligneī *cultorem*, *Priapo Helleſpontiaco parem*. Quo quid frigidius ſcribi, quid etiam ineptius excogitari poteſt? Sidonius igitur ſcriptor Gallus in ſuo Narbone apertiſſimis verbis Arbitrum Gallum agnoſcit: quem propter obſcenitatem, & ob amorem hortorum Priapo comparat, & in hortis Maſſilienſium ſpatiantem, ac delicate deſidentem nobis exhibet. Quæ Petronii in hortis mora, & judicium ejus de Epicuro, quem *patrem doctum in arte veri*, id eſt in Philoſophia vocat, & *hominem eſſe divinum* ait, *qui* ſomnia, & *ejusmodi ludibria facetiſſima ratione condemnet*; turpis quoque flagitiorum, adulteriorumque relatio cum impietate conjuncta mihi perſuadet, ipſum ſecta ſimul ac vita Epicureum fuiſſe, ſummum bonum in voluptatibus corporis ponentem. Heic virum doctiſſimum Petrum Pithœum admodum miror, qui ſibi *videri* ait, ab Sidonio tribus verſibus ſupra laudatis, *non tam Arbitri patriam quam mores deſignari*, Maſſilienſium moribus *Plautino proverbio, & Athenæi hiſtoria notatis* ſimillimos. Quaſi *horti Maſſilienſium*, mores eorum corruptos, atque degeneres indicare potius apud Sidonium valeant aut debeant,

quam

quam Petronii Arbitri domicilium, ibi voluptatibus vacantis, ac in hortis otiantis.

Certe ipse Arbiter moris cujusdam Massilienſium mentionem fecit, tamquam ſibi notiſſimorum: quoties peſtilentia laborarent, unum è pauperibus, qui ſe ſponte obtuliſſet, per annum ſumtu publico delicate alentium, ac poſtea ornatum verbenis & veſtibus ſacris per urbem circumducentium cum exſecrationibus, ut in ipſum mala civitatis reciderent, atque ita demum præcipitantium in mare. *Quod in Petronio ſibi lectum eſſe*, ſcribit Servius Honoratus in illud libri III. Æneidos hemiſtichium, *Auri ſacra fames*. Sed nunc in Petronii opere manco ac mutilo, quale habemus, de more iſto Gallicano Maſſilienſium, homines pro ſalute publica devoventium, nihil reperitur. Proinde non miror Petronium Maſſilienſis agri cultorem, patria quidem Gallum, ſed domicilio ſemigræculum, libenter Græca nomina uſurpare, ut *ſibedium* pro malo & extemporali Poëmate; *tropica*; *embolum navis* pro roſtro; *methodium*, *paronychia*, *corymbion*, pro capillamento ſeu galericulo; *hypogeum* vel *hypogæum* pro conditorio, ſeu monumento caſulave ſubterranea; τὰ πάντα, *ſchema*, pro figura orationis; *apodixin*; *telos*; *automata*, pro motu corporis voluntario; *planos*, *parapſidem*, *tricliniarchem*, *chiramaxium*, *ſymphoniam*, *hydraulem*, *pinacothecam*, *diætam*, & ſimilia. Non miror eum Græcis in nominibus, Græcas terminationes fere ſemper retinere: v. g. *Aſcyltos*, *Polyænos*, *Giton*; *Aſcylton* in IV. caſu, *Encolpion*, *Polyænon*, *ſatyrion*; *aëra*, *platanona*, *daphnona*, *Coraca*, *Crotona*, *Platona*, *Gitona*, *Iliada*, *Naiada*, *Dorida*. Non demum miror, ab Arbitro tranſitum Alpium Maritimarum Alpibus Graiis confinium viginti verſibus, ac portum Herculis Monœci exacte deſcribi his verbis,

Alpibus aëriis, ubi Graio nomine pulſo
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer. Hunc nive dura
Claudit hiems, canoque ad ſidera vertice tollit, &c.

Abeſt enim ab urbe Maſſilia Græcorum portus, vel ſtatio Herculis Monœci in Alpibus Maritimis ſive Liguſticis, millia paſſuum non amplius CCXXCVI: ſicuti in itinerario maritimo portuum, & poſitionum navium ab Urbe Arelatum uſque Ethicus docet. Idem Petronius Arbiter ut Maſſilienſium Græcorum, ſic & Gallorum, nimirum popularium ſuorum, non ſemel meminit. *Increta facies, ut ſuos Gallia cives putet*: item, *Ego autem frigidior hieme Gallica factus*. Ex quo apparet Arbitrum hiemes ac frigora in Gallia tuliſſe, & candorem Gallorum notum habuiſſe. Præterea quivis linguæ Latinæ peritus in Petronio cothurnum Gallicanum prima fronte ſtatim agnoſcat. Ejus enim ſtilus non Romanum ſeu Romæ natum, ſed plane Gallum & Transalpinum hominem ſapit, & Antoninorum tempora potius quam Domitii Neronis: cujus principatus ſimiles Arbitri ſcriptores non habuit. *Diſertus* quidem Arbiter vocatur a Terentiano Mauro: & eſt ſane diſertus: ſed nec Senecæ, nec Quintiliano, nec ambobus Pliniis, ac ne vel Tacito quidem aut Suetonio comparandus: cum ad inferiora tempora pertineat. Interdum lutulentus fluit, nec ubique purus, nitidus eſt ac illimis.

Quando igitur Petronius Arbiter floruit? Quæret aliquis. Equidem exiſtimo eum potius circa Antoninorum principatum vixiſſe, quam (ut frater meus arbitratur) Gallieni Aug. æqualem fuiſſe: cum quod elegantia Petronii in ætatem Gallieni, hoc eſt in ſenectutem Imperii Rom. ac velut in fæcem linguæ Latinæ, tot undique Gentium Barbararum incurſionibus corruptæ atque depravatæ, cadere mihi non videtur: tum quod Macrobius in Somnium Scipionis Arbitrum Apuleio non conjungit modo, ſed velut æqualem aut etiam vetuſtiorem præponit, prioremque appellat hiſce verbis jam ſupra laudatis. *Auditum mulcent argumenta fictis caſibus amatorum referta: in quibus vel multum eſſe Arbitrum, vel Apuleium nonnunquam luſiſſe miramur.* Conſtat autem Apuleium ante Septimium Severum Pertinacem Aug. nimirum imperante Marco Aurelio Antonino nituiſſe. Unus ex editoribus Petronii Janus Douſa ſcribit, quoſdam *Petronium Luciano poſteriorem*, hoc eſt recentiorem, *credidiſſe*: qui mecum de ætate Petronii plane conveniunt. Nam & Lucianus Antoninorum temporibus viguit.

Ne quis autem forſitan putet gratis me ſcripſiſſe, Petronii Arbitri ſermonem (quidquid ipſe de ſe dicat) *non ubique purum*, ſed quandoque inelegantem ac incultum eſſe: omiſſis Petronianis verſibus, quorum & ſtructura plerumque vitioſa, & obſcura ac intricata ſententia eſt; in ſoluta oratione Arbitri, pauca de pluribus Neroniano ſæculo indigna a me obſervata ſubjiciam, quæ nec membranarum vetuſtati, & ſitu attrituque evaneſcentibus litteris, nec Librariorum in tranſcribendis priſcis codicibus negligentiæ, nec editorum incuriæ, nec typographorum inſcitiæ, nec ulli alii, quam ipſimet auctori, aſſignari poſſunt. *Sed de remedio non tam valde laboro*: item, *Giton ſemel ictus, tam valde exclamavit. Tam valde*, pro tam, aut adeo, non memini apud veteres ſcriptores legere; quod nos vulgo dicimus, *ſi ſort. Neque enim tam magnum facinus admiſimus*: ſcripſiſſet Neronianorum temporum auctor, *tantum facinus admiſimus*. Sic tamen ubique Arbiter loquitur. *Timebam, ne tam grande munus ſuſpectam faceret humanitatem meam. Habebat enim inguinum pondus tam grande. Inhibuit Tryphæna tam grande facinus. Nec ſe minus grandi vexatam injuria, quam Lycam. Nam familiam quidem tam magnam per agros Numidiæ eſſe ſparſam. Tam magnum æque clamorem ſuſtulit. Ut tam magna fortuna ſolus uteretur. Neſcis, quam magnum flagitium admiſeris?* Ubi *tam grande munus*, *tam grande pondus*, *tam grande facinus* dici non oportuit, ſed tantum munus, tantum pondus, tantum facinus. *Tam magnam familiam*, *tam magnum clamorem*, *tam magnam fortunam* dici non oportuit, ſed tantam familiam, tantum clamorem, tantam fortunam. *Minus grandi vexatam injuria* dici non oportuit,

tuit, sed minore affectam injuria. *Quam magnum flagitium* dici non oportebat, sed quantum flagitium. Nostri Petronium hodieque imitantur. Nam ut ille *tam magnum* aut *tam grande* usurpavit; ita dicunt *si grand*. Ut ille *minus grande* dixit; ita Nostri usurpant *moins grand*: ut ille *quam magnum*; ita Nostri *combien grand*. Jam istud Petronii, *bene mane surrexi*, pro summo mane, aut prima luce surrexi, nostrum hodieque est, *bien matin*. Nostrum & illud: *Et jam plena nox erat*. Plenum enim diem, ac plenam noctem vocamus; *en plein jour, en pleine nuict*. *Repositum in pristinum decorem puerum gaudebam*: id est restitutum in pristinum decorum. Sic nos dicimus, *remis en son premier eclat*. Ex his intelligitur, Petronium natione Gallum exstitisse, cum nos Gallo-franci ejus adhuc in multis sermonem sequamur. Eundem autem a temporibus Neronis Aug. longe abfuisse indicant quæ apponam. *Indignatus rusticus, quod nos centonem exhibendum postularemus*. Dici oportuit *exhiberi*, non *exhibendum*. *Ostium nostrum satis audaci strepitu impulsum exsonuit*. *Satis* pro valde recentiorum Nerone scriptorum est; *exsonare* verbum ea ætate inusitatum, quod tamen Petronius sæpe usurpat. *Omnia mimico risu exsonuerant*; item, *exsonat cantibus totum navigium*. *Ideo vetui hodie in hoc diversorio quemquam mortalium admitti*. Dicendum erat, *in hoc diversorium quemquam mortalium admitti*. *Trimalcio ad symphoniam allatus est, positusque in cervicalia minutissima*. Dicendum fuit *in cervicalibus minutissimis*, aut *in cervicali minutissimo*. *Ne absentivus essem*: pro abessem. *Absentivum* pro absente, alibi non legi. *Quales esse solent, quæ incumbunt ova*. *Incubare ova*, vel etiam *ovis* gallinæ dicuntur: *ova incumbere* non dicuntur. *Ficedulam inveni piperato vitello piperatam*. *Ficedulam pipere piperatam* non melius dixeris, quam gypso gypsatum parietem, pernam sale salitam, alas Icari cera ceratas, & similia. *Si bona fide pœnitentiam emendas*. Pœnitentia culpam aut peccatum emendare, dici possumus, & solemus; *Pœnitentiam emendare*, dici nec possumus nec debemus. *Amictus discoloria veste*. *Discolor* dici solet, ut decolor, concolor, unicolor, bicolor, versicolor; *discolorius* dici non magis solet à veteribus scriptoribus Latinis, quam decolorius, concolorius, unicolorius, bicolorius, versicolorius. *Aratro domefacta tellus* pro subacta vel domita, Neronis ætate non dicebatur, nec *domefacere*, pro domare, Nam verba primæ conjugationis, quale est *domo*, nulla in conpositione recipiunt *facio*, sed tantum plurima secundæ, & pauciissima tertiæ. *Tantum omnem scabitudinem animo, tanquam bonarum artium magister, deleret sine cicatrice*. Iram appellat animi *scabitudinem* Petronius novo & inusitato nomine pro scabie, aut scabritie, vel scabredine, quam & *ulcus*, animi scilicet, alibi vocat. *Gubernator, qui pervigil nocte siderum quaque motus custodit*. *Siderum motus* vel sidera *custodire*, pro servare aut observare, improprium est. *Certe diutius junctos nos mare ferret: vel si voluerit misericors ad idem litus expellere, aut prætereuns aliquis tralaticia humanitate lapidabit*. *Lapidare* posuit Petronius pro lapidibus tegere, ut humare est humo operire vel tumulare: cum significet lapidibus petere. *Coæquale natalium suorum sinciput*, pro æquale, nusquam apud veteres alios Scriptores Latinos reperire memini. *Ephœbus plena maturitatis, & annis ad patiendum gestientibus* vocatur à Petronio, casum mutante contra regulas Grammaticæ. Debuit enim dici *Ephœbus plena maturitate, & annis ad patiendum gestientibus*, aut certe, *Ephœbus plena maturitatis & annorum ad patiendum gestientium*. *Psyche acu comatoria mihi malas pungebat*. *Acum comatoriam* vocat Petronius acum crinalem, ne servata quidem analogia. Nam à coma non fit comatorius: sed fortasse legendum est, *acu comatria*, hoc est ornatricis. *Soli militares, soli fortissimi habentur*. *Militaris* pro militaribus honoribus digno, recens est haud dubie, nec sæculi Neroniani. Jam *melliti verborum globuli, & fabulosum sententiarum tormentum, & controversia sententiolis vibrantibus picta*, ac similia apud Arbitrum, verba sunt magnifica, rerum ac sensus pœne vacua. Omittere non possum versum hunc Petronii,

Has inter sedes Ditis Pater extulit ora.

Ditis Pater vocatur Arbitro, qui ceteris omnibus *Dis Pater*: ut *hic Quirites* in numero singulari, pro Quiris, quemadmodum Sergius & Pompejus in Arte affirmant.

Hæc sunt, mi WAGENSEILI, quæ tuis precibus inductus de Petronio Tragurienſi, vel Patavino properatim exaravi, adjungenda observationibus tuis, aut si malueris, tamquam mnemosynon amici tui domi servanda. Vale V. C. & amare me perge. Scribebam Luteciæ Parisiorum v. Nonas Martias anno Domini M. DC. LXV.

MARINI STATILEI *Tragurienſis J. C.* RESPONSIO AD JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII, ET HADRIANI VALESII DISSERTATIONES De Tragurienſi Petronii Fragmento. *AD M. MOCÆNICUM V. P.*

NUNQUAM existimassem fieri potuisse, ut qui pro virili rempublicam literariam adjutum isset; ob eam causam conviciis ab illius reipublicæ civibus proscinde-

scinderetur. Enimvero id nunc mihi usu venire fidem facit musteus libellus, quem ad me misisti, amicissime MOCÆNICE.

Di magni horribilem & sacrum libellum!

Hic duas continet dissertationes; unam Christophori Wagenseilii, Germani: alteram Hadriani Valesii, Parisiensis, quibus homines illi confidentissimi fragmentum à me repertum, & bona fide in communem studiosorum utilitatem prolatum, impugnant. Nec modo fragmentum impugnant, (id enim tolerabile esset) sed etiam Auctorem, quem longe alium à Petronio autumant, atque ipsum inventorem maledictis incessunt. Ac Valesius fraudis atque insciliæ postulare Auctorem non desinit: ceterum neminem designat, solum mihi, qui id scriptum protuli, ut juveni ignoto fidem non esse adhibendam censet. Alter multo insolentius agit, & cum de illo scripto pronuntiasset, suspicari se hunc inepti alicujus homuncionis esse abortum, non multo post hunc mihi abortum donat, tum se in aurem, si posset, mihi insusurraturum dicit, *videri sibi me totum illud Arbitri fragmentum ex me finxisse velut araneum*, ut videre est in *fin dissert.* Tametsi vero intelligo, quam turpiter nugator iste hallucinetur, dum homuncioni eum abortum tribuit, ad quem haud scio, an magnorum, quotquot nunc vivunt, virorum legitimi partus adspirare possint, nihilque magis in votis habeam, quam ut mihi quidquam simile aliquando scribere contingat: Attamen non ferenda est tam impudens hominis improbi contumelia, qui me eum esse homuncionem, quem ariolatur, ineptissimæ scriptionis auctorem prædicet. Proinde si eum, quibus modis meretur, accepero, non erit quod me accuset: sed petulantiam suam, qua prius in me non solum immerentem, sed & de Literatis hoc munere, ut spero, bene meritum tota illa dissertatione debacchatus est.

Quia autem primas in hac scena loquendi partes sortitus est, primum cum ipso agam. Mitto fumos, quibus in hanc scenam ingreditur: colloquium cum Abrahamo Ecchellensi, spem sibi factam ab eo integri fragmenti Petroniani in Dalmatia reperti, literas deinde a Venetia transmissas, ex quibus didicerit, non plus fragmento inventum; tandem se Lutetiæ de fragmenti editione certiorem esse factum. Veniam præfari, quod libris destitutus in alieno solo causam hanc agere, audeat; utpote qui, uti etiam in epistola nuncupatoria testatur, petasatus in ipso Hispanicæ peregrinationis procinctu, multas inter occupationes, eam dissertationem effuderit. In quo utrum magis admirer, ambigo, hominis temeritatem, an vanitatem. Nam si, ut prædicat, minus se instructum paratumque tantæ disceptationi sentiebat, primum quis eum coëgit scribere? Deinde cum non nisi multo post tempore, redux scilicet ab Hispania, & in Galliam appulsus, ac Lutetiæ commorans istius dissertationis edendæ consilium ceperit; quis eum prohibuit, quominus lucubrationem festinanter conscriptam incudi redderet, ex sententia sua digereret, atque emendaret? Si autem, quod magis verisimile est, hac effusi inter professionis occupationes operis professione gloriolam celeritatis quæsitum iit, quis insulsi hominis vanitatem & ineptias satis lato cachinno excipere possit? Neque enim ut crassos, quibus tota ejus dissertatio scatet, deprecetur errores, ad eam tumultuariæ operæ confessionem impelli potuit, qui tam arrogans est, ut nusquam non sese velut Astydamas laudet, efferat, venditet, ac triumphum canat. Ejusdem levitatis est, quod cum Valesii sui tripodem consuluisset, (quod ex ipsius Valesii dissertatione initio apparet) non expectato responso in medium prosiliit, suamque ipse sententiam velut Batti silphium indicatura sua obtrudit. Nam si tanti momenti rationes, quanti videri ipse vult, habebat, si ictus inevitabiles, si ἀποδείξεις daturus, ut de se insolenter prædicat, cur alium sciscitabatur? Doceret simpliciter, nobisque omnibus epistomium imponeret. Merito itaque ab illo socio suo vapulat, qui sua Petronii Massilienses commentatione bonam ejus dissertationis partem inducit. Denique tam parum istis Censoribus convenit, ut unius verbis, alterius dicta refelli possint. Sed his missis ad rem veniamus. Prima Censoris velitatio est in Typographum Parisiensem, quem statim de titulo & versu Euripidis præfixo explodit. Dehinc in Tilebomenum stili mucronem convertit, ejusque conjecturas exagitat. Postremo & in Typographi Patavini præfatione ἀλογίας notat. Quas castigationes illis viris, quorum magis interest, sigillatim confutandas pro ipsorum arbitrio, satius est relinquere. Illud hominis argutuli non præteribo. Inter alias conjecturas, quibus viri illi utuntur, hæc erat: Hocce novi fragmenti auctario vulgatorum Petronii fragmentorum hiatus & lacunas commode expleri. Hoc leviissimum argumentum videtur Critico: si (inquit) ista valet collectio, tum quidem Livii aut Curtii supplementa illis ipsis Auctoribus tribuamus licet: ob retentam utique seriem rerum gestarum. Non videt autem disparem esse rationem. Cum enim de iisdem rebus variorum Historicorum commentarios habeamus, non est difficile unius seriem ex aliorum scriptis explere. At ludicræ scriptionis & fictitii argumenti, quod totum ingenio Auctoris nititur, hiatum unde expleas? Præterea σοφιστικῶς dividit, quæ conjungi debent. Non enim satis est, habere, unde rerum series continuetur: sed illa quibus, vacua implentur, etiam orationis filo & charactere prioribus congruere, atque, ut ita dicam, congermanescere oportet, ut ab eodem Auctore profecta existimentur. Cum etiam convenienter ex Rhetorum præceptis primo loco id argumentum positum dicit, quia sit admodum leve; tenuem ejus artis peritiam ostendit. Etsi enim Fabius *lib. v. inst. Orat.* vetat, ne à potentissimis ad leviissima decrescat oratio, tamen Homericam, ut vocat, dispositionem, qua, quæ validissima sunt, primo summoque loco; infirma medio collocantur, non obscure nobis tenendam insinuat. Sed missis his atque aliis ejusmodi affaniis, quibus deinceps in me, & in Typographum Patavinum inepte velitatur, ad illa, quæ magis ad rem pertinent, quæque ipse majoris

momenti censet, stilum convertam.

Fragmenti primum stilum ut Petronio indignum carpit; dein res quæ tractantur. In stilo monstrosa, uti appellat, vocabula notat, loquendi modos non a Petronii quidem genio abhorrentes; sed nimis frequenter, & ad fastidium usque legentium inculcatos: postremo hodiernæ linguæ Italicæ phrases, & Hebraïsmos. In rebus ignorantiam antiquitatis & ἀλογίας animadvertit.

Primum de stilo agamus, deque illis monstrosis vocabulis. Enimvero si ista objectio valet, vix ullum erit cujusquam vetusti auctoris scriptum, quod non impostura suspectum esse debeat. Cujus enim scriptoris non primæ editiones mendis prope infinitis scatent. Varronis fragmentum de lingua Latina, prout est editum ab Antonio Augustino, consideret, & pudebit eum suæ istius objectionis: multo enim plura ibi verborum portenta reperiet, quam in hoc Petronii fragmento. Quid alia referam veterum auctorum monumenta Plauti, Catulli, Tibulli, Propertii, Plinii, quam fœdis ubique maculis contaminata essent, priusquam in doctorum hominum manus venirent. Quibus viris eruditissimis si eadem ac nostro Critico mens fuisset, non illis emendandis quantam videmus, operam posuissent, sed explodendis, ut adulterinis, dissertationes scripsissent. Quid igitur ea objectione levius, quid eo catalogo ineptius? in quo & suam inscitiam miser prodit, qui voces notissimas pro barbaris, & nihil significantibus habeat, *copo* pro caupo, ut solebant veteres scribere, *nesapius*, pro insipiente, quæ vox extat apud Terentianum Scaurum. *Gizeria* vel *gigeria:* (nam quis non videt peccatum in litera) sunt autem gigeria Nonio interprete gallinarum intestina: earumdem ventriculus Scaligero; Lucilius usurpavit. *libr.* VIII. *Satyr.*

gigeria sunt,
Sive adeo hepatia.

Cujus porro incitiæ est ne *chius* quidem epithetum quid sibi velit, intelligere; aut quo sensu sese vitam chiam egisse dicat Trimalcio? Nam Chios, perinde ut Coos, ob mores prætextatos male audisse, Græcorum proverbia indicant, Χῖος ἀποπατῶν, apud Aristophanis Scholiastem, & γέλως Χῖος, apud Diogenianum de molli lascivoque lusu. Nec vox *dignitosso* seu *dignitoso* (ita enim legendum) monstrosa ipsi videretur, si saltem Philoxeni glossarium legisset: ibi *dignitosus* exponitur ἀξιωματικός· à dignitate enim dignitosus, quemadmodum à calamitate calamitosus. Quod & ipse videram, priusquam Philoxenum consuluissem: sicut *Burdubasta* mendose scriptum pro Butubata, quod est apud Festum. Et *manecma* quoque divisim legendum, *ma nec ma*. Nam mu pro mutire dicebant veteres. Lucil. Satyr.

Nec laudare hominem quenquam, nec mu facere unquam.

Auctor Charisius lib. 2. Ex quibus istius censoris temeritas patet, qui, quæ non intelligit, damnat, & ut barbara & monstrosa explodit. Nam & alia ad eum modum à viris solertibus emendari posse quis dubitat?

Sed instat, si librariorum imperitia istiusmodi mendæ irrepserunt, cur non per omne fragmentum ejusdem imperitæ manus vestigia comparent? Nam cœnæ exordium, ut in editionum emendatissima, purum ab omni labe legitur. Hinc vero de industria aspersas ejusmodi maculas ab impostore colligit, huncque ictum inevitabilem putat; nempe quia alios ex sua tarditate æstimat. Quis enim, qui sensus communis aliquam scintillulam habet, non facile intelligat, fieri potuisse (quod & factum scio) ut ex prioribus editionibus apud præla, multa fragmenti hujus restituta sint loca ex iis, quæ pridem edita fuerant, reliqua autem tum primum in lucem prodeuntia, sic ut erant, corrupta eruditorum judicio ac censuræ relicta. Quod non erat in proclivi, tam insigniter & fœde corrupta statim emendare. Ecce quem ictum inevitabilem putat, quam exiguo negotio eluditur?

Phrases præterea & idiotismum novi fragmenti, ut Petronii elegantiæ parum congruentem, vituperat. Rem autem totam ad quatuor reducit loquendi modos, quibus interim usum non semel Petronium fatetur; sed quod iidem in hocce fragmento crebrius ac sine ratione ingerantur, id vitio vertit, atque inconsultæ imitationis indicium putat. Primi modi ex veteri Petronii editione exempla hæc profert: *hominis operas locavi non caballi; lorum in aqua non inguina habet.* Alterum loquendi genus est, quo *plusquam* rei augendæ causa adhibetur, ut *plus vini sub mensa effundebatur, quam aliquis in cella habet.* Tertia forma est, quod nimis frequenter dejerat pseudo-Petronius. Quarta, in eadem dictione lusus, cum scilicet idem vocabulum argute in eadem sententia iteratur: ut *tu, qui loqui potes, non loquere.* Coacervat deinde loca ad fidem faciendam, & multa similia, ex toto scripto excerpta, sub eundem aspectum conducit, ut frequentia moveant fastidium legentibus, quæ in fragmento locis commode distincta, non modo offensionem nullam, sed etiam gratiam habent. Hæc vero via infamandi bonos auctores cui non, quantumvis rudi & indocto, patet? Quis cujusque scriptoris verba in hunc modum retexendo, ac perturbando non illum deformem ac prorsum ridiculum concinnet? Conferantur in unum loca omnia Ciceronis, in quibus clausula, *esse videatur*, periodum terminat, aut ubi verbum *versari familiariter aliquo uti*, aliasque phrases sibi familiares usurpat, & habebit iste calumniator, unde parentem eloquentiæ apud sui similes traducat. Quod de Cicerone dixi, transferre licet ad alios scriptores. Nemini enim non quædam locutiones familiares, & quasi vernaculæ, quarum ceu charactere ab aliis dignosci possit. Sicut de Hermolao Barbaro viro inter recentiores absolutissimo observatum est, sæpius hunc verbo *ferrumino* usum, eamque ob causam ab obtrectatoribus ferruminatorem vocatum. Demum quod sæpius dejerant hujus fragmenti interlocutores, id quoque Criticus vitio vertit, sed imperitissime:

quan-

quando constat hunc veterum illorum, dum inter se agerent, morem fuisse, ut non temere quidquam affirmarent sine juramento. Res plana ex Plauti & Terentii fabulis, quas novus Criticus nondum videtur legisse, aut valde oscitanter legisse, qui id non observaverit. Quid enim hæc sibi volunt nusquam non interposita, *Pol*, *ecastor*, *perecastor*, *Hercules*, *per Jovem*, *dispeream*, & alia id genus. Sed & id ipsum epistolarum Augusti fragmenta illa indicant, quæ citat Suetonius in Tiberio; *Jucundissime, & ita sim felix, &c. sive quid incidit, de quo sit cogitandum diligentius, sive quid stomachor valde, medius fidius Tiberium, &c.* Item: *attenuatum te esse continuatione laborum cum audio & lego*, Dii me perdant, &c. In epistola Antonii ad Augustum apud eundem Suetonium: *ita valeas, ut tu hanc epistolam cum leges, &c.* De iis postremo, quos vocat, lusibus cum videlicet idem vocabulum in eadem sententia repetitur; non minus absurdus est, cum eos in fragmento sæpius, quam par sit, frequentari arguit; nec ludicræ scriptionis genius quid ferat, advertit. De quo infra adversus Valesium dicemus. Nunc operæ pretium est videre cohortem illam, quam se in insidiis, catus scilicet Imperator, collocavisse jactat, quæ fugienti hosti omnem elabendi præcludat viam. Ita enim loquitur magnifice, ut semper alias: *meum non eludent ictum. Captus est, habet. Pugnavit non perfunctorie mea prima legio.* ut Trasonem aut Pyrgopolynicem mihi audire videar. *Quæro*, inquit, *an verus Arbiter sacras literas legerit, an hodiernam linguam Italam fuerit edoctus? Legit enim Pseudo arbiter, fuit edoctus iste suppositititius; videlicet verba* cap. 37. *Ipse Trimalcio fundos habet, qua Milvi volant, nummorum nummos, Hebraismum & sacræ Scripturæ loquendi modum sapiunt.* Siquidem nullum huic loco subest mendum. At mihi vera lectio videtur *nummorum modios*: qua locutione & supra utitur Petronius *nummos modio metitur*. Fortassis & fœnus ingens his verbis notari aliquis conjiciat, neque displicet conjectura. Pergit Criticus ineptire; magis illa Hebraismum sapiunt, cap. 44. *Nomina omnium reddebat, tamquam unus de nobis; videntur enim ex divinis per scelus detorta.* Nempe quia apud Mosem Dei verba sunt: *ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Igitur censoris judicio hæc phrasis *unus de nobis* Hebraica est. O insciiam & temeritatem! ceu vero necesse sit, quicquid locutionis extet in Latina bibliorum versione, id ex Hebræo idiomate expressum esse. Alioqui & illa quæ in cap. 57. leguntur: *Nemo mihi in foro dixerit, redde quod debes*, ex Matthæi capite 18. pariter sumpta esse dicerentur, ubi ita scriptum est: *Egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens, redde quod debes.* Credo & si in hoc fragmento verbum *magnifico* alicubi reperiretur, exclamaret Censor, ex Virginis Deiparæ Cantico apud Lucam promptum esse, *Magnificat anima mea Dominum*. Et nobis Plautum, & Terentium, Romanæ linguæ lumina, qui id verbum usurpant, circumcideret: ut & in eorum scriptis Hebraismos expiscaretur. Denique si Latina est locutio, *unus de nobis*, cur ex sacris literis potius quam ex communi linguæ Latinæ usu fluxisse credatur, non video. Esse autem Latinam nemo hactenus excepto censore isto dubitavit, cum Cicero ita loquatur pluribus in locis; pro Planco: c. 32. *is enim unus fuit de magistratibus, qui* &c. item pro Milone c. 24. *Deinde dixit, se gladio percussum esse ab uno de illis.* Nam si unus de illis dicitur, quidni & unus de nobis? Eadem enim ratio est. Sed quod subdit multo magis ridiculum est. *Manifestissime omnium*, inquit, *quæ* cap. 60. (supple è divinis sumpta) *deductus è lacunaribus subito circulus ingens, de cupa videlicet grandi excussus demittitur, cujus per totum orbem coronæ aureæ cum alabastris unguenti pendebant.* Hic demum triumphat. *Hem* (inquit) *fierine potest, ut phrasis alabastris unguenti aliunde quam è Lucæ cap. 7. deprompta sit? Hellenistica enim & Evangelistæ peculiaris est, neque ejus exemplum apud profanos Auctores ullibi reperitur.*

Omitto barbaram vocem *ullibi* pro usquam. Illud cujus ruditatis & insciiæ est, non putare *alabastrum unguenti* phrasim esse Latinam, quia Græci ita loquantur? An quisquam tam hospes est in literis, ut linguam Latinam magna ex parte è Græca expressam nesciat? Optimum quemque Romanorum scriptorum Hellenismos non solum non reformidasse, sed etiam affectasse? Ut quisque ex illis elegantissimus fuit, eo plures græcanicas phrases aspergendas orationi censuisse? ut ex compluribus Plauti, Terentii, Virgilii, Horatii & Ciceronis, atque aliorum locis pridem viri docti observaverunt. De hac autem phrasi *alabastrum unguenti*, quam Censor Latinam negat, libenter ab eo quæsierim, num Horatium parum Latine locutum putet, cum *nardi onychen* dixit,

Nardi parvus onyx eliciet cadum?

Quid enim interest, quantum ad phrasim attinet, dicere alabastrum unguenti, & nardi onychen. Alabastrum è lapidibus est pretiosis, sicut onyx. Ex his quia vulgo fiebant vasa unguentaria, ob hanc causam ipsi lapides metonymicè pro ipsis vasis usurpabantur: sicut in illo Horatii versu nardus pro nardino unguento. Plinius lib. 13. cap. 2. *unguenta optimè servantur in alabastris.* De onyche Martialis epig. 93. lib. 7.

Unguentum fuerat, quod onyx modo parva gerebat,
Olfecit postquam Papilus, ecce garum est.

Liquet igitur eodem modo dici alabastrum unguenti & nardi onychen, ut si unum è Lucæ Euangelio sumptum sit, non possit non & alterum indidem pari jure promptum videri: videat Censor, quemadmodum persuadere possit cuiquam, Horatium è novo testamento phrases mutuo accepisse. Pergit novus Criticus gratissimo Deo risui ex Hypatinorum instituto litare, dum se acutis illis animadversionibus deridendum omni cœtui literatorum liberaliter propinat. Id quoque è libris sacris expressum putat, quod in fragmenti cap. 46. legitur: *scimus te præ literis fatuum esse*, pro-

Propterea quod in Actis Apostolorum Festus præses sic Paulum compellat, *Insanis Paule, multæ litera te ad insaniam convertunt.* Quasi vero hæc sententia sit ejusmodi, ut nemini homini potuerit nisi ex scripturæ loco in mentem venire, ac non quosdam ex nimia studiorum assiduitate ac vigiliis insanire, etiam vulgus experientiâ compertum habeat. Ita enim idiotæ literarum studia infamare solent. Sic Democritus Abderitanis insanire creditus; sed & ipse Democritus excludit sanos Helicone poëtas. Senecæ nullum magnum ingenium sine mixtura dementiæ. Apud Aristotelem literarum studiis præstantes melancholici. Domitius grammaticæ artis clarus judice Phavorino, insanus. Aretæus medicus de stomachi imbecillitate tradens, cui morbo studiosi literarum, Celso teste, obnoxii, istos ex studiorum intemperie delirantes ὑπὸ διανοίης κούφους appellat. Quæ ergo ineptia est, cujus sententiæ passim apud tot profanos scriptores extent elementa aut vestigia, eam putare non aliunde quàm ex Actis Apostolorum promi potuisse? Et quis Criticum istum non rideat, dum ejus argumenti vim tantopere commendat, ut solum per se ad Pseudo-Petronium confundendum sufficere glorietur?

Videamus deinceps, ut probet Italicæ linguæ gnarum fuisse auctorem fragmenti. Tria loca in medium producit, cap. 26. *Unus servus Agamemnonis interpellavit.* cap. 76. *non me Hercules mi hæc jactura gusti fuit.* Item, *mi centum aureos in manu posuit.* Denique pag. 47. *multis jam diebus venter mihi non respondit: nec medici se inveniunt.* Ut ostendat hæc Italorum esse idiomatis, Italice mox reddit: *un servidore d'Agamemnon ci interruppe, &c.* Quo quid putidius & indoctius fieri potest? Principio qui potius hæ phrases Italicæ, quàm Gallicanæ? Nam & Galli dicunt *un serviteur*: eâque voce *un* ceu articulo demonstrativo utuntur. Præterea *unum* pro quemdam Latinis dici, licet rarius, vox unumquodque indicat. Terent. Adelph.

Nam jam unum quicquam, quod quidem erit bellissimum,
Carpam.

Non enim eo loco unum significat solum, ut fere alias; sed rei particularis nota est, ut *hic unus servus.* Sed & Cicero ita unum usurpat epist. 16. famil. lib. 15. *Quamquam quicum loquor? cum uno fortissimo viro, &c.* Item in 1. de oratore, *sicut unus patersamilias his de rebus loquar.* Ita & Plautus Mostell. act. 3. scen. 2. *iterum jam ad unum saxum me fluctus ferunt.* Plura Scioppius animadvers. in Voss. Non solum igitur unus servus Latina est phrasis, sed etiam elegantiæ Romanæ. Quare vapulet nugator.

Sequitur hæc locutio; *non mi hæc jactura gusti fuit.* Quæ quid commune habeat cum Italica, quam adducit, non video. Plane aliud agebat, cum id describeret. Illud singularis inscitiæ, cum Latinam negat *mi centum aureos in manu posuit:* propterea quod Itali similem loquendi modum habent. Neque illud Terentii legit in Phorm.

eho dic quid velis dari
Tibi in manum.

Quid enim interest *in manum dare*, an *in manu ponere* pecuniam dicamus? eandem quippe esse loquendi formam nemo non videt. Denique neque illud Latinum deputat: *nec medici se inveniunt.* Fac ita esse, an Petronianum negabis? En tibi,

Quær. se natura, nec invenit.

nam si *se invenit* Latine non dicitur; neque *quærit se* Latine dicitur. At Persius usurpavit: *nec te quæsiveris extra.* Hæc quippe verba ita mutuo respondent, ut ubicumque unum ponitur, ibi alterum aut expresse poni, aut subaudiri debeat. Tum ut paulo ante Hebraïsmos & Hellenismos somniabat, sic nunc nihil non ad Italam phrasim trahit. Ut quia in cap. 44. *Plovebat*, pro *pluebat*, scriptum est, Italorum pronunciationem *u* in *ou* vertentium cornicatur: adeo rudis est, ut veterem hanc fuisse Romanorum pronunciandi modum ignoret. sic in vett. epigram. *jousit* pro *jussit.* ut videre est in lib. Passeratii de literar. inter se cognat. & permutatione. Et *perplovere* apud Festum in voce, *pateram.* Quod autem Petronius hacce in Satyra Menippea ab archaïsmis non abhorruerit, sed eos dedita opera Operi asperserit, ut alii ferè quicunque eo genere luserunt, ex veteri fragmento, quod Petronii esse nemo dubitat, cognosci potest. In quo adverbium priscæ notæ *valgiter* usurpatum de Quartilla, *commovebat valgiter labra.* Item *Clostellum* ὑποκοριστικῶς à clausto, ut à plausto *plostellum*, mutato *au* in *o* ἀρχαϊκῶς, *Histrionia, mulcavit: leccatores*, vel, ut alii legunt, lenatores. Quod antiquæ glossæ exponunt, *gulosos & lenones.* Hæc autem ex Petronii reliquiis a Dousa collectis. Præterea phrases antiqui saporis, cap. x. *in memoriam revocatus injuriæ.* Qua locutione utitur Plautus in Persa. Item *audemus* pro volumus & sustinemus, unde *sodes* alibi. Atque alia id genus, quæ lector non oscitabundus observare poterit. Sed de Petronii archaismis, iterum ad Valesii dissertationem dicemus.

Hactenus de stilo Germanus Criticus. Deinceps vero ad rerum examen transit, ut earum quoque argumento probet, non recte Petronio id fragmentum adscribi. Principio illud demonstrationis suæ fundamentum ponit, ac sibi concedi postulat, Petronii Satyricon in Neronem esse scriptum, quo turpissimi ejus mores ac vitia traducerentur. Quod ipsum nihilominus collatione quorumdam Suetonii locorum, quibus Neronis studia & mores tanguntur, cum iis, quæ de Trimalcione prodit Petronius, probare instituit. In qua collatione operam suam ita venditat Germanus Criticus, ut omnibus in Petronium editis commentariis præferre non dubitet. Etiam miratur à nemine Petronii interpretum eam congruentiam fuisse animadversam. At ego admiror, qui se Lugdunensi Petronii editione usum dicat, non advertisse, id quibusdam locis factum à Dousa in præcidaneis, certe viam desabulatum: tametsi is Trimalcionem esse Neronem

non

non decernit. Cui opinioni & Valesius Germani Critici in censura collega vehementer reclamat, ut videbimus. Sed nimirum novus Criticus qui nunc primum περιεργίζει, hac tam eleganti observatione ingenii sui florem illustrare voluit, atque ut dici solet, ex hoc mustaceo lauream affectavit. Quam tamen frustra hujus operæ sit, videor me sanioribus judiciis probare posse.

Apud Petronium Trimalcio ludit pila inter pueros capillatos forma conspicuos: hinc in unius ex iis capite, postquam aquam popposcisset ad manus, digitos paululum aspersos tergit. Mox discubituris pueri Alexandrini inter ministeria cantantes aquam in manus nivatam fundunt. His Germanus Criticus confert hunc Suetonii locum de Nerone: *Captus autem modulatis Alexandrinorum laudationibus, qui de novo commeatu Neapolim confluxerant, plures Alexandria evocavit. Neque eo segnius, adolescentulos equestris ordinis, & quinque amplius millia è plebe robustissima juventutis, undique elegit, qui divisi in factiones plausuum genera condiscerent (bombos & imbrices, & testas vocabant) operamque navarent cantanti sibi, insignes pinguissima coma & excellentissimo cultu pueri.* Quæso quid hæc ad Trimalcionem pila inter comatulos ludentem? Hic pueri Alexandrini aquam nivatam in manus discubituris infundunt: illic operam navant Neroni cantanti, & variis plausibus adulantur. Hæccine est congruentia, hic concentus? At utrobique Alexandrinorum fit mentio. Quid tum postea? An quisquam antiquitatis, aut certe illorum temporum tam ignarus, ut nesciat Alexandrinos pueros vulgo illis Beatis in deliciis habitos? Quod nunc Martialis testimonio, ut in re haud obscurâ, sufficiet ostendere ex epigram. 47. lib. 4. ubi qualem puerum velit, explanat:

Niliacis primum puer is nascatur in oris,
Nequitias tellus scit dare nulla magis.

Subdit: Petronianus Trimalcio balneis delectatus, delectatus & Nero; de quo idem Suetonius cap. 27. *refotus sapius calidis piscinis ac tempore æstivo nivatis.* Quis non miretur dialecticam Germani Critici? Petronianus Trimalcio balneis delectatus, delectatus & Nero: igitur Trimalcio est Nero. Atqui in tota illa comparatione idem judicii acumen apparet. Trimalcio lecticæ impositus est, præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor, & chiramaxio, in quo deliciæ ejus vehebantur, puer vetulus, lippus. Nero apud Suetonium, in præparanda expeditione, primam curam habuit deligendi vehicula portandis scenicis organis, concubinisque, quas secum educeret: igitur Trimalcio est Nero. Eadem opera Criticus iste efficiet Trimalcionem esse Pub. Clodium, quem Cicero in Miloniana testatur semper secum scorta, exoletos, lupas ducere solitum. Item Marcum Antonium, cui idem ab eodem exprobratur in Philippica secunda. Quid autem istos memoro, cum constet Senecæ testimonio locupletiores ferè omnes illis temporibus sic peregrinari solitos, ut agmen cursorum antecederet, rhedæ catamitis plenæ sequerentur. Verba magni scriptoris ex epistola 123. adscribere placet: *omnes jam sic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen Cursorum antecedat.* Et paulo post: *omnium pædagogia oblita facie vehuntur, &c.* Quæ ergo socordia est, quod multorum, imo omnium fuit commune, uni Neroni tamquam proprium assignare? Ejusdem farinæ sunt, quæ deinceps sequuntur: Trimalcionis splendida domus porticibus & picturis: Neronis quoque magnifica domus apud Suetonium. Trimalcio tesserarum lusui impensius deditus fuit, & item Nero. Habuit Trimalcio uxorem Fortunatam: Nero Acten libertam prope justo matrimonio sibi conjunxit. Trimalcio poësim amavit: Nero eidem studuit, & carmina sua domi, & in publico recitavit: igitur Trimalcio est Nero, Fortunata Trimalcionis, ipsa est Acte concubina Neronis. Non me fugit hæc esse indigna, in quibus redarguendis bonas horas collocem, quæ sunt homine indigna & extremi stuporis: & profecto me istiusmodi nugarum piget. verumtamen quando semel istud saxum volvere cœpi, quicquid id est molestiæ ac tædii devorandum est. Cum tam crasse ubique hallucinetur Germanus Criticus, tam obtuse omnia colligat, tamen impostori, quem hujus fragmenti auctorem somniat, supinam oscitantiam atque ingenii hebetudinem exprobrare audet, hoc est, lepus pulpamentum quærit. Quid ita? quia ad postes ædium Trimalcionis præfigitur libellus cum hac inscriptione? *quisquis servus sine dominico jussu foras exierit, accipiet plagas centum. An* (inquit Criticus) *aliquid indignius erat, quam Trimalcionem, qui greges puerorum, exoletorumque per nationes coloresque descripta agmina possidebat, ita delineare, ut nemo ex abjectissimis mancipiis sine ejus expresso jussu pedem domo efferre posset? Ipse Pseudo-Petronius cap. 37. familiæ Trimalcionis ne decimam quidem partem dominum suum nosse sancte nobis jurat. At si plano cap. 53. fides est, Mithridates servus sine dominico jussu etiam in crucem actus est. Nempe ad capitis supplicium de servis sumendum Trimalcionis jussu nullatenus; ad foras prodeundum plane opus fuit.* Ipsamet verba sunt istius nugatoris, qui nodum in scirpo quærit. Nisi enim obstrigillandi morbus ejus mentem præligaret, non ita in rebus apertis & planis cæcutiret. Adeone stupidus est, ut non videat illa agmina servorum, quæ possedit Trimalcio, non fuisse in unis ædibus congregata, sed per alias ejus domos, per villas & latifundia dispersa? Quorum proinde multis ignotum dominum fuisse haud absurdum est. At vero cum & in illis ædibus, in quibus hospites cœna excepturus erat, multos itidem haberet Trimalcio famulorum omne genus greges, quidni, eorum quantum ibi erat, titulo postibus affixo exire vetaret, non ob eam causam solum, ut diligentius ministraretur, sed eo maxime, ut posset homo dives & stolide ambitiosus, opes & magnificentiam ex ingenti illa servorum aliorum aliis ordine succedentium multitudine ostendere. Non ergo impostoris, ut putat, sed suam

ipse inconsiderantiam atque incredibilem stuporem Germanus Criticus prodit. Id quoque ut absurde confictum vellicat, quod extat in cap. 40. Cum aper primæ magnitudinis in mensam allatus esset, ejusque latus quidam, ad hoc subornatus, cultro venatorio percussisset, turdi ex plaga evolaverunt, quos parati aucupes cum arundinibus momento exceperunt, & inter convivas diviserunt. Hic Criticus exclamat: *euge! sic ea tempestate crudis hominibus vescebantur volucribus, vel, quod credibilius, jam assa, ut in Utopia, per auras circumvolitabant.* At enimvero, Germane Critice, non vides in illo repositorio, in quo ille aper illatus, non solum quæ in præsens ederentur, ut ipsum aprum, sed etiam apophoreta extitisse, quæ sibi quisque domum auferret, videlicet porcellos ex copto placentis factos, in quo genere illæ aves, Thebaicæque, & Caryotæ fuerunt, quas pueri itidem divisere cœnantibus, non quas tunc absumerent, sed secum, ut dixi, auferrent. Quid hic absurdi, in quo risum tollant coronæ? An non tu te dignus, Germane Critice, cum isto tuo risu inepto, qui in Utopiam ablegêre avibus illis assis per auras volitantibus pascendus?

Sed & Apulei asino vectum esse planum insimulat, cum historiam compilavit de Cappadoce cap. 61. Quasi vero solus Apulejus de istiusmodi maleficiis & præstigiis scripserit, ac non multi ante eum Auctores Græci multa de iis rebus memoriæ prodiderint. Ut videre est apud Plinium, qui aliquot ejusmodi historias ex eorum commentariis recitat, lib. 8. cap. 22. Euanthes (inquit) *inter auctores Græciæ non spretus tradit, Arcadas scribere, ex gente Anthai cujusdam sorte familiæ lectum ad stagnum quoddam regionis ejus duci, vestituque in quercu suspenso tranare, atque abire in deserta, transfigurarique in lupum, &c.* Ibi & consimilem fabulam ex Agriopæ, qui Olympionicas scripsit, monumentis refert.

Trimalcio per jocum unum se esse gloriatur, qui vasa Corinthia habeat, quod Ærarius, à quo ea emerit, Corinthus vocaretur. Ibi Germanus Criticus manifestam contradictionem invenit. Si, inquit, publice prostabant Corinthia, qua ratione eorum possessione solus gloriari poterat Trimalcio? Ineptus cavillator semper nodum in scirpo. Sane publice prostabant Corinthia, sed quæ pro Corinthiis non habebat Trimalcio; utpote quæ neque Corinthi facta essent, neque ab opifice Corintho. Neque enim sufficere censet, ut vas Corinthium censeatur, ex ære Corinthio esse factum, quale æs à Corinthi expugnatione olim Romam magna copia advectum; sed si à Corintho vel Corinthi confectum. Quod ipse his verbis significat eodem loco: *Quid est autem Corinthium, nisi qui Corinthum habeat?* scribendum: *nisi quia Corinthus habeat?* Nempe vel urbs, vel opifex. Est enim lusus in voce Corinthus. Adde Seplasiæ fraudem in iis vasis. Unde illud Martialis,

Consuluit nares, an olerent æra Corinthum.

Quin Plinii tempore artem illam temperandi æris desitam fuisse, ex ejus verbis colligi potest, lib 34. cap. 2. *Quondam æs confusum auro argentoque miscebatur, & tamen ars pretiosior erat: nunc incertum est, pejor hæc sit, an materia.* Non solum igitur ars aut statuas ex ære effigiandi, aut vasa fingendi, sed & ipsius æris materia Plinii ætate degeneraverat. Quid mirum igitur, si Trimalcio eo sensu, quem dixi, & per jocum se solum Corinthia vera possidere gloriatur?

Ibidem idem Trimalcio Corinthiorum origine explananda turpiter hallucinatur, personas & tempora confundens: *valde bene scio* (inquit) *unde primum Corinthia nata sunt. Cum Ilium captum est, Hannibal homo vafer, &c.* Hunc sermonem hominis indocti & ebrii, ceu à Nerone aut quovis alio sobrio prolatum, ad veri normam explorat Germanus Criticus. Siccine (inquit) tanta ignorantia Trimalcionis aut Neronis animum obsederat? Quasi vero hominum vitiis insectandis modum ullum teneat Satyrica petulantia, & non cuncta ultra verum ac fidem exaggeret? Quid si Petronius de Nerone ne cogitavit quidem. Quid enim necesse est Trimalcionem esse Neronem? Mihi Petronium nihil aliud voluisse, quam sub persona Trimalcionis stultorum divitum, quorum magna tunc Romæ manus, ineptam eruditionis ostentationem urbanius traducere, propemodum constat. Sic & cap. 59. idem Trimalcio Homeristis triclinium intrantibus (non enim cœnaculum, ut Germanus Criticus inscite interpolat) quam ii acturi essent, fabulam stultissime interpretatur. Hæc si recta, ut decuit, reputasset via literio iste, non exscribendis Suetonii locis de Neronis moribus ac studiis lectorem occideret. Neque impostoris inscitiæ adscriberet, quod Trimalcio hocce in supplemento Græcarum literarum expers inducitur; neque in eo refutando toties Suetonii verba obtruderet, quibus citationibus nihil insulsius magisque ἀπροσδιόνυσον dici, aut excogitari potest.

Postremo velut plane demonstrasset Germanus Criticus, non esse Petronii hoc fragmentum, etiam hanc operam velut mantissæ loco sumit, ut ostendat, quo tempore id factum videatur. *Recentissimum* (inquit) *hunc esse inepti alicujus homuncionis abortum suspicor, idque inde colligo, quod verum Petronii textum jam castigatum restitutumque exhibuit ex conjecturis novissimorum Criticorum.* Ita quidem ariolatur improbus iste calumniator, literarum, quantum in ipso est, eversor; ceu non potuerit ex codice emendatiori describi hoc fragmentum, ex emendatiore, inquam, quantum ad illa attinet loca, quæ haud secus leguntur, atque postea à viris eruditis ex conjectura restituta sunt. Non enim eadem est manuscriptorum conditio & facies; alii aliis locis mendosi; alii emendatiores. Alii mutilatiores, alii ampliores; ut qui Joannis Sambuci opera Antverpiæ centum fere abhinc annis prodiit, in multis, quam qui vulgatus antea fuerat, amplior, integrisque paginis auctior. Hæc decuit maturo judicio pensare, qui vellet de hoc fragmento sententiam dicere, non autem futilium objectionum larvis impelli

pelli ad obtrectationem. Sed sunt quidam ita fervidi & præcipitis ingenii, ut nulla rationis ope sufflaminari possint, quin statim, quo eos naturæ impetus rapit, velut ἀνεμάτισα πλοῖα, ut loquitur Plato, ferantur: quale profecto ingenium novi istius Critici esse ex illa insulsa dissertatione apparet. At nunc saltem Phryx iste admonitus, sero licet, sapiet: nunc inscitiam suam ac temeritatem agnoscat; &, si non omnino ejuravit bonam mentem, palinodiam canat.

Deinceps mihi etiam ad partes vocandus ille alter Censor, Hadrianus Valesius, in eadem non solum censuræ vanitate versatus, sed etiam factionis signifer, imo imperator. Cujus nomine afflatus Germanus Criticus, & ceu Delphico oraculo instinctus videtur. Primum igitur hic, quemadmodum initio dissertationis fragmenti auctoritatem elevet, videre operæ pretium est. Exinde enim patebit, quam nihil in impostura lite, quam nobis intendit, omittendum duxerit, etiam quod levissimum videretur. *Solent* (inquit) *codici scripto atque è bibliotheca latebris recens eruto auctoritatem dare, Claritas & dignitas inventoris, magnitudo urbis, in qua inventus dicitur, ejus apud quem repertus est fama, & doctorum hominum de codicis vetustate favorabile judicium. Nunc repertor voluminis, de quo sermo est, inducitur à Paulo Frambottio Typographo Patavino Marinus Statileus Dalmata, juvenis ignotus: locus in quo repertum fertur, bibliotheca Nicolai Cippici, hominis obscuri, in urbe ignobili Dalmatiæ Tragurio. Denique ex omnibus, qui Venetiæ, Patavii, Romæ judicium de codice isto apocrypho tulisse dicuntur, unus Joh. Rhodius Danus laudatur, &c.* Quam hæc ῥητορικῶς, & populariter homo astutus digerit. Credas animum ibi esse, Atqui, ex his tribus conditionibus, ex quibus codicis manu exarati pretium æstimandum censet, quid duæ priores ad rem pertineant, non video. Solam, quæ postremo loco affertur, alicujus momenti esse fateor. Quæso quid facit ad manuscripti bonitatem urbis magnitudo, in qua inventus est, si, ut Suidas testatur, Origenes scripturæ sacræ vetustissimum exemplar (quo quid præstantius dici potest?) in Hierichuntis Oppidi ruderibus, dolio inclusum reperit? Si Poggius Florentinus olim (ut certi auctores tradunt) Quintiliani libros Institutionum oratoriarum illos pulcherrimos è salsamentarii taberna, atque isiciorum ac botulorum patria, quibus tunicas debebant, redemptos, in studiosorum usum vendicavit? Quid denique Inventoris dignitas, cum ipsum Apollinis oraculum, caprarum indicio monstratum, & patefactum dicatur? Cum non paucæ morborum medelis præstantes herbæ, belluis monstrantibus in hominum notitiam atque usum pervenerint? Cum Jos. Scaliger (ut magis propriis exemplis urgeam) castig. ad Catullum, librum manu exaratum, omnium vetustissimum & optimum, eumdemque ab homine Veronensi ignoto, uti testatur, in Galliis repertum toties commendet? Quod vero me ignotum esse arguit, non video, quo argumento id tam confidenter affirmare possit, nisi quod hactenus nomen meum non audivit. Atqui neque ego ad hanc usque diem Hadrianum Valesium, an inter homines esset, noveram. Valesios Francorum reges ex fama & historiarum monumentis noveram. Sed hi, opinor, nihil ad Criticum. Noveram & Franciscum Valesium Covarruvianum medicinæ arte & scriptis clarum: item Henricum Valesium Ammiani Marcellini Eusebiique editorem in Gallia. At vero usquam aliquem existere, qui Hadrianus Valesius vocetur, neque hactenus scivi, neque quemquam vidi, ex quo inter literatos versor, sive in nostra Dalmatia, sive aliis Italiæ locis, qui sese de eo quidquam vel fama accepisse diceret. Qui ergo ignotus magis ego, quam iste supercilious Censor, qui me ex sua ignorantia ignotum prædicat. Fortassis clarum inter populares suos nomen adeptus: at mihi ne istud quidem verisimile sit, quantum quidem ex ejus scripto conjectare licet. Hiccine Lutetiæ, in urbe tot nobilium ingeniorum parente & hospita, aliquod nomen habeat, qui in una dissertatiuncula tam sæpe, tamque turpiter hallucinetur, quique (ridiculum) dum errores in aliorum scriptis expiscatur, in crassissimos ipse nusquam non incidat?

ἰατρὸς ἄλλων αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.

Equidem malim semper ignotus esse, quam hoc modo innotescere. Et tamen si nondum satis multis notus sum, utpote juvenis, sciat, mihi non deesse artes, quibus ad famam pervenire possim. Sed de his hactenus. Quod demum in illo eruditorum numero, qui Venetiæ, Patavii, Romæ de hoc fragmento judicium tulerunt, unus Rhodius, isque vita functus, laudetur, viderit ipse Frambottus Typographus, & qui eam editionem curarunt, quorum vel negligentia id fieri potuit, vel judicio potius, quod eam testium enumerationem parum necessariam putarent, ubi res ipsa propriis dotibus æstimanda in manus hominum veniret. Quam viam scriptionum probandarum, cum longe certissimam ipse Censor fateatur, ideoque ad fragmenti ipsius examen mox accedat, age ipsum sequamur, & quid contra afferat, diligentius consideremus.

Petronius (inquit) verbis utitur usitatis. At hic occurrunt portenta verborum: *saplutus*, *lupatria*, *matus* seu *mattus*, id est, animo defectus & languens. Primum, quod ait Petronium, verbis uti usitatis, si simpliciter, ita ut verba sonant, accipiatur, concedi potest. Liquet enim pleraque vocum, quibus Petronius utitur, tritas esse, & in communi Romanorum scriptorum usu positas. At si id vult, nusquam verba minus usitata reperiri apud Petronium, in veteri inquam Petronii editione, quam solam Petronii genuinam agnoscit, fallitur: neque satis diligenter eam editionem pervolutavit. Nam quis alius scriptor *hamare* dixit, pro hamis defigere? quis *indelectatum?* quis *vesticontubernium*: *allucitas*, pro culicibus: *aumarium*: pro loco secreto publico, ut Fulgentius interpretatur, *festram*, pro angustiore casa: *jacturæ pensionem*, pro pensatione? Quas voces partim in veteri fragmento, partim in Grammaticorum com-

mentariis, ex iis locis Petronii? quæ non extant, citatas atque explicatas legimus. Neque porro iſte Cenſor cogitat, vix decimam Petronii Satyrarum partem nobis manere incolumem, ut ex tam paucis, quæ ſuperſunt, quibus verbis uſus ſit Petronius, quibus abſtinuerit, dici non poſſit. Præterea quæ portenta verborum vocat, non ſunt. *Saplutus* vox Græca eſt, compoſita ex ζὰ & πλοῦτος, qua voce Euripides utitur; hoc quemquam, vel mediocriter literis tinctum, non animadvertiſſe mirer, nedum eum, qui tam ſuperbam Cenſuram exerceat. Nec de voce *lupatria* temere pronunciandum cenſeo, cum ſit corrupta. Quod autem nomen *mattus* inter portenta recenſet, & tamen Picardis & Germanis notiſſimum fatetur, an non contradictio eſt? Si in Latina lingua id portentoſum judicat, ſciat in vetuſtiſſimo gloſſario *mattum* pro triſti annotatum extare. *Abſtinax*, *caldicerebrius*, *neſapius*, novæ quidem voces, ſed Latina moneta percuſſæ. Imo *neſapus* vel *neſapius* haud novum vocabulum, nec Latinis auribus ignotum, utpote quod apud Terentianum Scaurum extet. *Madeia* & *Perimadeia* Syriaci idiomatis cenſet, vel potius ariolatur homo, ut audio, linguarum Orientalium omnino expers. Neque videt acclamationem eſſe hominum in plauſu græciſſantium, ut fere illis mos fuit, μὰ Δία perite μὰ Δία. Nam & iis, qui recitabant, per adulationem *ſophos* Græce acclamare ſolebant, ut compluribus locis videre eſt apud Martialem. *Dignitoſus* à dignitate, ut calamitoſus à calamitate, cur repudiari debeat, non video, cum nobis in ea voce analogia tam manifeſto ſuffragetur. Sed & in gloſſario Philoxeni, ut ſupra adverſus Germanum Criticum notavi, hæc ipſa dictio exponitur. *Gaudimonium* pro *gaudium*, & *triſtimonium* pro *triſtitia* non poſſunt explodi, niſi & *mendicimonium* & mœchimonium damnentur, quibus vocibus uſum eſſe Laberium ex Nonio & Gellio diſcimus. Ex quo conjicere eſt, eas in Comicorum theatris, atque inter plebem vulgatas fuiſſe. Monſtri item ſimile videtur Cenſori, *occupo* ſubſtantive uſurpari. Quî potius quam *comedo* apud Varronem pro guloſo, cujus verba citantur à Nonio in hac voce? Et nugo pro nugatore apud Apuleium, quam vocem magnus ille Antiquarius non poſuiſſet, niſi apud veteres legiſſet. *Baciballum* ſi nullum eſt mendum, è plebis fæce & theatris ſumptum vocabulum autumo. Quod in ludicra ſcriptione non eſt nefas. Cum præſertim vilis perſona loquitur, ut hoc loco Niceros: *Cum adhuc ſervirem.* Proinde idem ſuæ bambaginis conſcius, cum rogaretur à Trimalcione, ut fabellam narraret, ſic præfatur: *omne me lucrum tranſeat, niſi jam dudum gaudimonio diſſilio, quod te talem video. Itaque hilaria mera ſint, etſi timeo iſtos ſcholaſticos, ne derideant, viderint: Narrabo tamen, &c.* Quid igitur mirum, ſi tales homines, rudes literarum, educationis expertes, deſitis aut ſordidis vocabulis utantur? Annon juſtius miremur, Cenſores non intelligere Petronium, de induſtria id feciſſe, ut decorum ſervaret? Itaque ejuſdem Nicerotis ſunt illa, quæ deinceps idem cenſor ceris ſuis miniatulis notat, *corporaliter*, *orcus apoculanius*, *exopiniſſent*. Quamquam nec Trimalcio non eaſdem voces uſurpat, utpote quem juxta viliſſima mancipia ineruditum, futilem, & ſtolide ambitioſum exhibeat Petronius: Hinc eſſe arbitror, quod non ita exoletis & rancidis vocabulis ſqualleat vetus fragmentum, quod in eo non niſi Eruditi Agamemnon, Encolpius, Aſcyltos. Eumolpus, Gyton, aut urbanioris notæ mulieres interloquantur, Circe, Quartilla, Chryſis. In hoc autem fragmento Trimalcio ejuſque uxor Fortunata è nihilo magni, Habinna lapidarius & monumentorum redemptor: liberti, coqui, & alia extremæ ſortis mancipia? Adde nequioris convivii & liberæ, ut vocat, cœnæ licentiam, ipſamque vinolentiam, quæ ejuſmodi voces ineptas & ſordidas etiam honeſtis nonnunquam exprimit. Cæterum Orcus apoculanius quid ſit, ſi intellexiſſet Cenſor, non emendaret, vel potius depravaret. Legit pro *apoculanius* aboculanius, & cæcum exponit. *Recentiores* (inquit) *aboculum & abocellum, ac nonnumquam ab oculis dixere, ut infra librum ab oculo legit, id eſt clauſis oculis legit, aveuglette.* Nugæ. Apoculanius vera eſt lectio à verbo *apoculo*, quo infra utitur Petronius cap. 67. *Niſi illa diſcumbit, ego me apoculo*; hoc eſt ego me a poculis removeo, potare deſiſto. Orcum autem apoculanium facetiſſime appellat, quod homines apoculet, hoc eſt a menſa & poculis abſtrahat. Nemo enim apud inferos potat. Et alludere videtur ad illud Horatii 1 Carm. 4.

Jam te premet nox, fabulæque manes.
Et domus exilis Plutonia: quo ſimul mearis,
Nec regna vini ſortiere talis.

Hoc igitur ſenſu Orcum apoculanium eo loco dici putandum eſt, epitheto inter pocula & comeſſationes nato, atque in ore ejuſcemodi popinorum frequenti; quod iis Orci inſtar videtur longe à poculis degere.

Sunt & alia quædam Cenſori iſti minus probata, ut *Palamedes*, pro Pelamydes hodierno Italorum idiomate. *Palamedes* (inquit) *quo nomine Pelamydes ab Italis appellantur.* Nempe ab Italo nupero adornatum id fragmentum hinc arguit. At nihil neceſſe eſt, potuit enim librarii culpa error non magni momenti accidere. Sicut in voce *Strabonus* pro *Strabo*. Niſi ſi ita ſcribendum eſt: *Strabo bonus*. *Monſtruoſum* quoque pro *monſtroſum*, non putat ferendum. At veteres ſic pronunciaſſe ex antiquis gloſſis liquet. Pro monſtro item habet *coricillum* dici pro corculum. Quid ſi corcillum ſcripſit Petronius, diminutivum à corculo, ut ab os oſculum oſcillum, à poculo pocillum, unde pocillator? Sed & nomina, inquit, perſonis indita haud ex inſtituto Petronii, apud quem ea aut Græca, aut Latina ſunt, uno excepto *Bargatis* nomine. Hîc vero res aliter ſe habet; *Mammea*, *Cicaro*, *Saturna Dea*, *Gavilla*, *Flocrimus*, *Habinna*. quæ cujus ſunt linguæ, Cenſor ſeſe ignorare fatetur. Ceu vero non potuerit Petronius variare nomina, pro perſonarum conditione, quas inducit, aut ex veteri fragmento, quod vix decima

ma est totius operis pars, de toto opere judicium ferri possit. Nec tamen concedendum est, ea nomina, quæ recenset, non esse Græca, aut Latina. Potest enim Mammea esse à mamma: potuit cicaro à cicco, quod, teste Festo, significat membranam tenuem punici mali. Satunam autem Deam ea ratione dictam apparet, qua Satunum Deum, à voce satu, quæ partem, qua viri sumus, notat. Denique *Gavilla* nomen à Gavia ave, quæ & larus dicitur.

Pergit acutus ille Censor, & verba quædam recentiora & minime Latina, quæ nondum Petronii ætate in usu essent, in hoc fragmento observat. In his est *frons expudorata* pro inverecunda. At enimvero libenter ab eo quærerem, unde sciat Petronii ævo atque ante ipsum non fuisse id vocabulum in usu, cum non pauca ejusdem formæ ex vetustissimis Scriptoribus in Grammaticorum commentariis citata extent: *eliminare, expapillare, egurgitare, exdorsuare, evallare, expectorare, eluminare, elucisacere* & *elucificare*. Quæ si veteres illi usurparunt, quidni etiam verbum *expudorare*, licet in tanta priscorum librorum vastitate ad nos non pervenit? Sed esto, non fuerit in usu id verbum ante Petronium: Quid tum postea? Non potuit veterum illorum jure atque exemplo uti Petronius ut novum verbum procuderet in ludicra scriptione, sicut Laberius in Mimis *elucisacere?* nonne ipse in dissertationis calce vocabula & phrases, Petronio peculiares, nec satis, ut quidem autumat, probas annotat? Quidni ergo & verbum *expudorare* in illo censu? Accedit, quod in glossis Isidori id verbum reperitur. Bellus vero est, cum & *porcum silvaticum*, pro *apro* vel sue fero, inferioris Latinitatis censet, quia equus silvaticus apud Paulum Longobardum legatur: unde apparet videri ipsi epithetum *silvaticus* recentioris notæ, neque Latinæ. Atqui Cato hac ipsa voce utitur de re rustica cap. 143. *Mala* (inquit) *Scantiana in doliis & alia quæ condi solent, & silvatica*. Murem quoque silvaticum dixit Plinius: atque etiam *erraticum* eadem forma. Vitruvius arenam fluviaticam lib. 1. cap. 2. Quidni ergo & *silvaticus* pro silvestri dicatur? Idem statuendum de aliis vocabulis, quæ item ut parum Latina explodit, *minutiolus, amasiuncula, sulcipedia, staminata*. Quæ tametsi apud nullum scriptorem hodie extarent, temerarium tamen esset nobis rei Latinæ ναυάγια, ut Demadis verbis utar, πολιτευομένοις, quibus è tanto naufragio nihil præter tabulas aliquot easque multa vetustatis carie corruptas supereſt, ea vocabula negare Latina esse, quia in nostris libris non reperiantur. At enim Censor *berbex* pro vervece, ut inferioris ævi aut barbarum, carpit. quod tamen in vet. gloss. legitur. Et *molestare*, pro vexare, explodit, cum in veteribus Petronii fragmentis id verbum reperiatur, eo etiam Modestinus & alii veteres JC. usi sint. Cum porro in hoc censu non nisi verba recentiora aut minime Latina exagitet, nequeo satis mirari in iis verbum *adjutare*, quod passim apud Terentium & Varronem legitur, ab eo taxatum esse. Tum *oricularii* pro auricularii eadem censura notari. quod quam sit indignum homine vel mediocriter erudito, facile ostendi potest. Quis enim nescit, veteres plerisque in vocibus diphthongum *au* in *o* mutasse? Cujus mutationis exempla aliquot supra attuli, & nusquam non obvia sunt. Sed de voce oricularii, pro auricularii, aurem vellam Censori de Catulli epigrammate, quod sic habet,

Cinade Thalle mollior Cuniculi capillo,
Vel anseris medullula, vel simula oricilla.

Adducam & Celsum, latinissimum rei medicinæ scriptorem, qui clysterem, Græcis ὀτειγκύτην dictum, ipse oricularium vocavit. Quia vero deinceps multa desita vocabula coacervat, quæ hocce in fragmento passim occurrunt, quibus usum esse Petronium, scriptorem elegantem & politum incredibile judicat; propterea quod non ita frequentes archaïsmi in veteri editione occurrunt: quæ inæqualitas aliquam fraudis suspicionem facere potest, certe ei argumento Censores isti præcipue insistunt; maxime ad rem pertinet, qua ratione id factum sit, semel explanare, ut nemini amplius de ea re scrupulus hæreat. Sic itaque existimandum est; Cum Latina Lingua primis temporibus, ut aliæ res omnes, rudior extitisset, magis ac magis subinde limari ac perpoliri cœpisse, donec ad Ciceronis ætatem pervenit, quo tempore maxime effloruit, & summam adepta est perfectionem. At vero cum sub doctissimorum virorum lima vetustatis situm ac rubiginem poneret, non est putandum, vulgi domi, in foro, in triviis loquentis eandem fuisse rationem, ut etiam plebeji & indocti homines, mulierculæ, servitia eidem linguæ cultui studerent: imo penes eruditos & elegantis ingenii homines hic cultus linguæ primum stetit, in plebe autem diu pristini horroris vestigia, magisque in sequiori sexu & infima hominum sorte manserunt. Idque ex nostris rebus conjectare licet. Adhuc enim muliercularum ac rusticorum sermo non pauca obsoleta vocabula ex prisco squallore retinet. Quod in omni non barbara lingua eodem modo se habere verisimile est. Huc spectare arbitror, quod Cicero 2. Philipp. Antonium castigat ut ineruditum & ineptum, quod contumeliam facere dixerit, quæ tamen locutio Plauti & Terentii temporibus viguit, & tempore Ciceronis in ore plebis viguisse dubium non est. Tunc vero honestis ita insolens erat, ut non intelligeretur, ut eo loco idem arguit: *quid est porro facere contumeliam? quis sic loquitur?* Et infra: *nonne satius est mutum esse, quam, quod nemo intelligat, dicere?* Hujus & argumentum est, quod Augusti ævo Julius Hyginus, licet Grammaticæ artis peritus, quia tamen obscuris natalibus & ex servo libertus, multa vocabula veterum ritu pronuntiat, ut *Jovis* pro Jupiter. Quod Phædrus *majores* pro majoris, *cavernam nancta* pro nacta, *pulcra juvenis*, & alia ejusmodi antiqui squalloris vitare non potuit: quod Vitruvius homo è plebe, licet non ineruditus, *frigorem* in accusandi casu pro frigus, *similitates*

pro similitudines aliquando usurpat, atque omnino pinguem quandam dicendi Minervam præ se fert. Proinde studiose id observatum Satyrarum Menippearum & mimorum scriptoribus, ut personis, quas introducerent, quæ fere obscuræ & ignobiles, congruentem dictionis formam, nempe antiquam, imponerent: eoque maxime, quod magis hæc ad risum movendum idonea est. Nec vero vetusti sermonis squallor atque obsoletorum verborum caries ita in plebe hæsit, ut non ea multis doctis & nobilibus placeret. Testatur Seneca vel sua ætate Antiquarios Romæ complures viguisse, de quibus ita prodit epistola 114. *Multi* (inquit) *ex alieno sæculo petunt verba: duodecim tabulas loquuntur, Gracchus illis, & Crassus, & Curio nimis culti & recentes sunt: ad Appium usque & ad Coruncanum redeunt.* Adde & quæ Gellius ex eodem Seneca affert lib. 12. cap. 2. Hæc si quis maturo judicio consideret, facile rationes inveniat, quibus nostro fragmento patrocinetur. Sunt in eo archaïsmi frequentes, quia mancipia & ineruditi loquuntur? fortassis & Trimalcio ex illis Antiquariis: quam personam mihi videtur instituisse Petronius, non solum in qua mollitiem & luxum sui ævi, sed etiam illorum Antiquariorum ac populi Enniani ineptias prolixius rideret.

Sed jam graviora crimina audio, solœcismos ingentes, *ego puto medicum & nummularium: Medicus qui scit, pro Medicum.* item, *ærumnosi quibus præ mala sua cornua nascuntur.* Quod ad priorem locum attinet, valde morosum, immo iniquum esse oportet, qui ejusmodi solœcismum Auctori potius, quam Librario aut Amanuensi, adscribendum putat: Qui enim pronior lapsus, quam in *s* pro *m*? quod vero & posteriore loco solœcismum esse *præ mala sua*, & *præ malis* scribi debere censet, sæpe in Literatorum circulis albis dentibus risimus. Nempe egregius Censor ibi *mala* neutrum plurale somniat: At non ita est. nomen est substantivum feminini generis, & in auferendi casu, *mala mala*, unde maxilla. Ita in fragmento legitur capit. XXXIX. *in Capricorno ærumnosi* (supple nascuntur) *quibus præ mala sua cornua nascuntur.* Agit eo loco Astrologum Trimalcio, & signorum cœlestium vires in hominum nativitatibus exponit. In Capricorno nasci ærumnosos, quibus præ mala sua, id est, ante & juxta malam, cornua nascuntur, ad ærumnas alludens, hoc est furcillas, quibus, ut Festus testatur, religatas sarcinas viatores gerebant. Id autem Capricorno adscribit, quod ita pingi solet cornibus ad malas retortis ad instar furcillarum, quæ ærumnæ vocantur. Unde egregius Astrologus colligit, nasci infelices & ærumnosos sub Capricorno. Ex his Censoris istius supina oscitantia apparet, qui ne Auctoris quidem, quem reprehendit, verba intelligat. Ejusdem incogitantiæ est, quod non multo post notat: *nihil nos delectaris* pro *delectas* positum. Locus est in cap. 64. *Tibi dico*, (inquit) *Plocrime, nihil narras? nihil nos delectaris?* Et putat *delectaris* passivam esse terminationem, ceu Auctor *delector* active usurpasset. Ubi est acumen criticum? non videt *delectaris* syncopen esse, pro delectaveris, ut in his Horatii versibus 1. Carm. Od. 4.

Jam te premet nox fabulæque manes
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis, &c.

id est, meaveris. Similiter hæc culpat, *somniatur* pro somniat: *argutat* pro argutatur: *amplexaret*, pro amplexaretur, & alia id genus prisce figurata & conjugata. Sed huic objectioni supra abunde obviam itum.

Dehinc quas in eodem fragmento phrases improbet, audire operæ pretium est. *Toralia præposuerunt toris* pro imposuerunt. Item, *planctus est optime*, pro magnum sui desiderium reliquit. At quam facile & gratis hæc, tam nos facile judicium ejus improbamus & explodimus. apage. Id quoque confodit: *puellarius erat, omnis Minervæ homo*, eadem temeritate. Item illud: *admissus erga Cæsarem est*, Admitti (inquit) ad aliquem, dicunt Latini scriptores: Erga aliquem admitti, non dicunt. At ubi est naris critica? non enim odoratur mendum in voce *erga*, & quidem leve: Nam vera lectio est *ergo*: *Admissus ergo Cæsarem est*, omissa præpositione, *ad*, ut sæpe aliàs apud bonos Auctores. Plaut. in Pseud. *Nunc adeo hanc edictionem nisi animum advortitis omnes.* Eodem modo Virgilius in IX. magni operis, suppressit præpositionem *cum*,

Tum demum præceps saltu sese omnibus armis
Projecit fluvio.

id est, cum omnibus armis. Sexcenta ejusmodi occurrunt exempla. Pergit Censor, & cum Germanus Criticus Hebraïsmos & Italici idiomatis phrases invenerit, hic Gallicismos expiscatur. *Tu beatior es, bis prandebis cœna*, quia Galli dicunt, *s'il est riche, qu'il dîne deux fois.* Quasi vero non longe plures locutiones afferri possint Franco-Celtis cum Romanis scriptoribus communes; Ita quidem didici ab Henrico Stephano homine Gallo & eruditissimo, qui librum ejus argumenti conscripsit, cui titulum fecit, *De Latinitate falso suspecta.* Hunc librum oportet Censorem non legisse: Alioqui non ita inconsulte phrases latinissimas pro Gallicismis explodaret. At quam bellam mox animadversionem subjungit: *sed prandium & cœna male confunduntur. Nec enim magis dici quis potest, cœna prandere, quàm prandio cœnare.* Quis deinceps hunc Censorem ferat? qui ne hoc quidem perspicere potest, sic distinguenda esse hæc verba: *bis prande, bis coena* Quo modo nulla fit prandii cum cœna confusio. Hæc quoque Gallici idiomatis putat: *habuimus in primo porcum*: quia videlicet Galli dicunt, *nous avons eu en premier lieu un cochon.* Ubi eum quoque Critice destituit. Nam aut deest vox *ferculo*, quæ restituenda est; *habuimus tamen in primo ferculo porcum coronatum.* Vel sic: in primo porcum ferculo, pro eo quod scriptum est, *poculo.* Nam non multo post subdit; *sequens ferculum fuit.* Alium Gallicismum in hisce ariolatur Censor; *quinque naves ædificavi, oneravi vinum:* propterea quod in Gallia vulgus

Mer-

Mercatorum ita loquitur: *J'ay chargé du vin, du coton, du poivre.* At fallitur: Latinam esse hujusmodi locutionem, spondeo multis veterum exemplis; atque ipsius Petronii in veteri fragmento: *dolorem naturali convicio exoneravi.* Quippe onerare vinum; & exonerare vinum, & dolorem exonerare eâdem loquendi formâ dici palam est. Sed & Plinius lib. 18. cap. 16. *deplere sanguinem* dixit; pro deplere venas aut corpus sanguine. Tum Plautus Latinæ Linguæ columen, *onerare zamiam* in Aulularia. Qualis hypallage & in hoc Maronis versu,

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes,

Et in iis;

——— *onerantque canistris*
Dona laborata Cereris.

In capit. LXXIV. fragmenti ita scriptum est: *dicto citius de vicinia gallus allatus est, quem Trimalcio jussit, ut aeno coctus fieret.* Coctum facere (inquit Censor) pro coquere, barbarum est. Ita quidem illi Censori videtur, quia in suis Lexicis aut eclectis eam locutionem non reperit. Nos tametsi non habemus ostendere hanc ipsam phrasim in illis, qui supersunt nobis, Latinæ Linguæ auctoribus: Cum tamen apud Plautum legamus *fartum facere*; & in testamento Corocottæ (quidni enim in hoc negotio citemus) haud dubie veteris scriptoris, & Neronis temporibus supparis, si vera est Schotti conjectura, qui id scriptum Porcello Grammatico adscribit, cujus Seneca pater meminit in Suasoriis, certe citatur id scriptum à S. Hieronymo nostrate, & Apuleii fabulis de asino jungitur, cum inquam in eo testamento *cruentum facere* legamus pro cruentare, non video cur tantopere abhorrens a lingua Latina hæc phrasis videri debeaat. Sed esto non sit bene Latisina at petronianam non esse, quo pacto Censor iste probabit? De hoc enim agitur. Nonne ipse fatetur apud Petronium multa occurrere parum Latina? Ego vero, ut non ausim ita incle menter Petronii Latinitatem damnare, tamen non pauca in ejus stilo reperiri non publici saporis fateri cogor. Ejusmodi sunt illa: *mihi notavi fortiter facere*, pro coire cum muliere. *solitudinem aut lassitudinem imponere alicui, exhibendum postulare* pro exhiberi & alia id genus. Quæ si Petronii propria, licet minus proba Censor agnoscit, quidni & *coctum facere* pro coquere, & *sua rem causa facere* pro alvum exonerare in ejusdem idiotismorum numero habeamus? Illud quoque reprehendit Censor, *nemini nihil boni facere oportet*: item *nec sursum nec deorsum cresco.* Utrobique (inquit) duæ negationes sunt, quarum altera supervacua. Perquam grammatice. Mihi videor audire præfatum Porcellum Grammaticum Corneli Severi carmina arrodentem apud Senecam Suasor. 2. Scripserat eximius ille vates de Romanis militibus edicta in posterum pugna epulantibus:

——— *susque per herbam,*
Hic meus est, dixere, dies.

Quibus verbis nihil efficacius ad exprimendum affectum animarum incerta sorte pendentium dici potuit. At Porcellus iste solœcismum in eo versu notavit, quod poëta de pluribus loquens, *hic meus est dies*, non dies hic est noster, dixisset. Ita isti magistri à regulis Grammaticæ, vel latum unguem discedi nolunt. At Seneca, pro poëta & sensu, adversus istos censores stare non dubitat: *Cum* (inquit) *ad sensum retuleris, ne Grammaticorum quidem calumnia, ab omnibus magnis ingeniis submovenda, habebit locum.* Hac igitur magni viri formula, geminas in verbis Petronii negationes, adversus Grammatici hujusce nostri ferulam tueri possim. Sed quo vehementius eundem repercutiam, libet Ciceronis loca proferre, in quibus ille eloquentiæ parens negationes sine necessitate geminat. Pro lege Manilia: *erat enim metus injectus iis nationibus, quas nunquam Pop. Romanus neque lacessendas bello, neque tentandas putavit.* Item pro Cornelio. *Neminem unquam alterius rationis atque partis, non re, non verbo, non vultu denique offendit.* Sed neque Livius veretur: *Adea munera data à Diis, & ipse addiderat, multa belli decora, facundiamque in foro: ut nemo non lingua non manu promptior in civitate haberetur.* Id autem more Græcorum, quibus negationes sic ad negandum geminare nulla religio est: Quid porro non movet Censor, ut novum fragmentum in suspicionem adducat? Etiam Martialis & Persii imitationes exprobrat: idque factum ab impostore autumat eo consilio, ut nugis suis aliquam auctoritatem conciliaret. Quid hoc iniquius? Primum, quid vetat eandem sententiam Petronio, & illis Poëtis sponte oblatam: & quotus quisque ingeniorum concursum, extra omnem imitationis suspicionem, in variis scriptoribus non agnoscit? Deinde cur potius Auctor fragmenti illos poëtas, quam hi illum imitati? Postremo, si imposturæ indicium imitatio, nullum erit opus non suppositicium: quis enim unquam ita scripsit, ut neminem imitaretur? At quam indiligens Censor, qui non & Horatii & Phædri & Apuleii imitationes animadverterit? siquidem imitari dicendus est, qui aliis similia dicit. cap. 71. Trimalcio de sepultura sua mandans, *Præterea* (inquit) *ut sint in fronte* (nam sic legendum pro in fonte) *pedes centum: in agro pedes ducenti.* Non illis Horatii gemella,

Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat.

cap. 62. illud: *homo meus coepit ad stellas facere, &c.* an non Phædrum sapit fab. 88. lib. 5. *homo meus se in pulpito totum prosternit.* Ejusdem fragmenti pag. 70. *ipse mihi asciam in crus impegi.* Hinc Censor poterat probare ex Apuleio, Auctorem hujus fragmenti hausisse; eo quod hac ipsa locutione utatur Apuleius in 3. Metam. *An* (inquit) *vulpinaris Amasio, meque sponte asciam cruribus meis illidere compellis?* nugæ. Ex communi rerum & linguæ usu, non imitatione, casu, non industriâ evenit, sæpe, ut Auctores in eundem sensum, eadem verba incurrant. Cæterum quæ in ea locorum collatione similia putat, non sunt. In fragmento hæc: *si nos coleos haberemus, non tantum sibi placeret*, non eundem sensum habent atque illa:

Hæc

Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis.

Prior locus significat; si mares essemus, vigoremque masculum haberemus: posterior; si paternæ virtutis aliquid in nobis esset. Hæc autem eadem non esse, satis constat acrius contuenti. Nam & fœminæ dicere possint, *si testiculi vena ulla*, &c. quæ scilicet & patrissare, & degenerare à paterna virtute possunt. At eædem non dicerent; *si coleos haberemus*, hoc est si mares essemus, quia repugnat fœminam esse marem: non repugnat fœminam esse generosam. Non minus hallucinatur, cum λαικάζειν in Martialis epigrammate exponit *fellare*: cum simpliciter *scortari* id verbum significet. Nam *fellare* Græci λσβιάζειν dicunt. At illud incredibile prorsus, nedum absurdum, quod mendas illas capitales, ut vocat, & insanabiles, quæ passim in fragmento occurrunt, ab Impostore de industria sparsas censet hoc consilio, ut se vetusto codice usum esse lectori persuaderet, & quæcunque alia Petronio indigna notarentur, vitio exemplaris aut librariorum transcribentium culpæ imputari possent. Quasi vero non id omnium primarum editionum (veterum scriptorum editiones intelligo) commune vitium sit, ut plures ejusmodi mendas capitales habeant; ut supra adversus Germanum Criticum disserui. Deinde quis tam stolidus est, ut existimet solis gravioribus erratis fidem vetusti codicis fieri posse, nisi & dictio & res, quæ tractantur, & alia omnia ad amussim respondeant? Nam cum multa in hoc fragmento inoffensa sermonis serie decurrant, si ea sunt Petronio indigna, quis librariorum insciliæ aut negligentiæ, & non potius Auctoris stultitiæ adscribenda judicet? An quis tam bardus est, ut scripturæ vitia ab iis, quæ auctoris tarditate & imperitia irrepunt, non distinguat? Valeat igitur Censor cum isto colore tam insulso.

Arguit postremo, petitis è foro piscario conviciis in eo fragmento certari, quæ non modo Arbitro, sed quovis scriptori ingenuo indignissima sint. *Fortunata*, inquit, *uxor Trimalcionis vocatur malæ linguæ, pica pulvinaris; mulier milvinum genus, mœcha obscæno vocabulo matella dicitur.* Quidni ab irato Trimalcione & ebrio, à convivis Trimalcionis similibus, hoc est, parum honestis & liberalibus? Alius *berbex & bellum pomum, larisuga nocturnus, qui non valet lotium suum.* At hæc maledicta cocum decent, qui ibi rixans introducitur. Ejusdem namque sunt & illa; *cepa pirrata*, vel pyrrha vel capitata, ut aliquis conjiciat. *Crucis offa, corvorum cibaria, terræ tuber, vulpisuda.* Addit Censor. Fortunata ipsa furiis incensa virum suum præsentibus convivis Canem appellat. Grande scilicet flagitium, & propter quod fragmentum explodi debeat. At quis miretur mulierem furiis incensam, & qualis Fortunata inducitur, talia maledicta jactare? Trimalcio invicem eam Codicem, ob hebes & stupidum ingenium, prædicat. Scilicet maledictum è foro piscario, & non è communi omnium sermone. Senex Terentianus Heaut.

——— *in me quidvis harum rerum convenit,*
Quæ sunt dicta in stultum, caudex, stipes, &c.

Denique Trimalcio uxorem *ambubajam* nomine Syriaco, *milvam* à rapacitate, *sterteram* à stertendo, etiam *viperam* vocat. Et hæc convicia num sint piscarii tantum fori lector eruditus judicet: num satyræ parum congruentia. Certe Horatius Ambubajarum collegia dixit in satyris. Et Suetonius de Nerone: *Cœnabat nonnumquam in circo maximo inter scortorum totius urbis, ambubajarumque ministeria.* Quid ergo flagitii est, in satyrica sugillatione Neronis temporum, Ambubajarum mentionem feciſſe? Tandem tædio (ut inquit) grammaticarum Quisquiliarum, à verbis & stilo, ad res ipsas Censor transcendit, demonstraturus in his non minus à veri Petronii ingenio demutatum. Hic vero est, ubi Censor judicii, & eruditionis suæ egregium specimen edit, oblitus quid ludicra scriptio, quid satyricum institutum promittat; singula quæque dicta & facta in hoc convivio, ex Philosophorum, ac morum antiquorum norma expendit, omnia ad vivum, quod ajunt, unguem resecat. *Ac primum*, inquit, *videtur edisse operam impostor, ut Trimalcionem cunctis ridiculum legentibus exhiberet.* Quid tu Trimalcionem pro uno è septem sapientibus exhiberi à Petronio autumas? An tibi res adeo intolerabilis videtur, induci in satyra stultum divitem in cœna hilari & libera, ea agentem & dicentem, quæ siccis & sapientibus minime congruant? cum illorum ipsorum locupletum apud Horatium, confessione *stultitiam patiantur opes.* Ecce stultitiam fatentur beati, tu eam in divitis persona rideri, idque in satyra, ineptum & Petronio indignum censes. Cur autem si tales homines tunc Romæ extiterunt, qualis Trimalcio inducitur, nefas sit, eos propriis coloribus depictos ridendos propinasse posteritati? Multa inepta fiunt & dicuntur in hac Trimalcionis Cœna: An alia ludicræ & satyricæ scriptionis materia? An tu hic dicta Sapientium, & è disciplinis liberalibus problemata, velut in Platonis aut Xenophontis convivio, aut Plutarchi symposiacis, aut Athenæi διπνοσοφισταῖς libris proponi velles? Enimuero tunc jure aliquis fucum esse factum suspicaretur? Nunc cum nihil in hoc fragmento non apprime congruat ideæ, quam nobis de Trimalcionis ingenio Petronius in veteri fragmento objecit, non ineptus, qui, quæ fiebant, ceu in theatro exhibuit: sed qui hæc tam inconsulte atque insciteprehendit, is ineptus est, & nihil intelligit. Quod autem multi tunc Romæ fuerint Trimalciones, indocti, inepti, futiles, somnia non homines, dubitare non potest, qui vel Senecæ epistolas legerit; ex quibus unum exemplum proferam. *Calvisius Sabinus* (inquit) *memoria nostra fuit dives: & patrimonium habebat libertini & ingenium. Nunquam vidi hominem beatum indecentius. Huic memoria tam male erat, ut illi modo nomen Ulyxis excideret, modo Achillis, modo Priami, quos tam bene noverat, quam pædagogos nostros novimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, sed imponit, tam perperam tribus, quam ille Trojanos*

nos & Achivos perſalutabat. Nihilominus eruditus volebat videri. Reliqua, quæ ſequuntur facetiſſima, ne ſim longus, prætereo. Quis ergo non videt ſimilem Trimalcionem induci à Petronio, dum eum facit enarrandis poculorum cælaturis, aut fabulæ argumento, quod Homeriſtæ acturi ſint, tempora, perſonas turpiter confundere? ſed ſingula excutiamus.

Aper (inquit Cenſor) *pileatus infertur, &c.* Quid hoc abhorrens à Petronio? An non in veteri fragmento, aſinus Corinthius in promulſidari cum biſaccio poſitus exhibetur, & gallina lignea incubantis habitu, cum ovis & palea menſæ infertur? Ita hiſtrioniam in cœna facere amat Trimalcio, ad exhilarandos convivas. *Poſtquam ſurrexit Trimalcio, ſermones habent inter ſe convivæ ineptos, humiles, ac demiſſos ſoli, ſatuis & ſenſus communis expertibus convenientes.* An ignorat Cenſor, tales fuiſſe beatorum illorum convivas? Enimvero non hæc humiliora ſunt, quam dialogus Aſellii Sabini, in quo boleti & ficedulæ, & oſtreæ & turdi certamen inducebatur. Quo tamen Dialogo ita delectatum Tiberium tradit Suetonius, ut auctorem H S. ducentis remuneratus ſit. Denique apud Juvenalem Domitianus Cæſar cum proceribus in conſilium vocatis de apparatu rhombi deliberat. Pergit Cenſor: *Trimalcio eandem, quam Claudius Imperator convivis libertatem in triclinio facit, & in alvum continentes invehitur.* Quidni Trimalcio idem, quod antea Claudius, permittat? *Cocus præterea quod porcum non exenteraverat, nudatur in convivio, & inter duos tortores conſiſtit.* At hæc mimica ſunt, hi Trimalcionis ludi. Non placent Cenſori, at alii facetum id inventum, nec à tali cœna abhorrens judicent. *Et in lance Corinthia potat: quaſi lances tam vina, quam cibos caperent.* Non ſane capiunt, neque ea mente ſcripſit Petronius; ſed Trimalcionis ludum & laſciviam expreſſit. Nunquam audiit Cenſor in nequioribus conviviis & comeſſationibus quoſdam a Modimperatore in calceis potare juſſos. Abſurdum id fateor, factum tamen. Denique non hic de moribus atque inſtitutis pop. Romani; ſed de laſcivia, jocis & ineptiis divitum agitur.

Sequuntur de vaſis Corinthiis fabellæ relatu indignæ, nulla temporum habita ratione. Quid mirum de ſene indocto, oblivioſo, ebrio? Nonne Calviſius Sabinus loco Senecæ ſupra adducto, ob eandem ineptam eruditionis, in ſumma inſcitia, oſtentationem ridetur? *Interea vitulus affertur galeatus: quem unus ex Homeriſtis Ajax furens gladio concidit, partiturque convivis.* Hoc tetricus Cenſor acerbius explodit. *Quis* (inquit) *hæc legens riſum teneat?* Et tu Cenſor ride, ſodes, atque etiam cachinna. Nec enim opinor, alio hæc conſilio Petronius refert, quam ut riſum legentibus moveat; ſicut nec Trimalcio (ſi vera narratio eſt) alia mente id faciebat, quam ut convivas ſuos exhilararet. *Jam vero fabulæ aniles de homine verſipelli in lupum mutato, Apuleio conveniunt magis, quam Arbitro.* Vellem hujus judicii nobis aliquam rationem explicaſſet Cenſor, ut intelligeremus, cur quod in ludicra ſcriptione Apuleio licuit, non liceat Petronio. *Juſſit Trimalcionis ingens canis catena vinctus, adducitur in triclinium aboſtiario. Quid agreſtius, quid indignius tanto convivio?* Jam dixi (quod & omnibus, Cenſore uno excepto, perſpicuum arbitror) nihil ſerium dici aut agi in ea cœna, nihil ex conſuetudine & moribus, ſed ex luxu & laſcivia hominis improbi, & vaniſſimi oſtentatoris. Et nunc quod canem oſtiarium in triclinium adduci jubet, non feritati agreſti aut inſcitiæ, ſed protervitati adſcribendum eſt. Niſi exiſtimamus agreſtem fuiſſe Halogabalum, qui (ut refert Lampridius) leones & leopardos exarmatos, ad ſecundam aut tertiam menſam jubebat accumbere? ignorantibus cunctis eſſe exarmatos, ad pavorem & ridiculum excitandum: aut illum patremfamilias ditiſſimum, de quo Mileſiar. lib. 10. mentionem facit Apuleius, qui aſinum ſuis ipſe manibus in triclinium perduxit, eique menſa poſita, omne genus eduliorum ſolidorum, & illibata fercula juſſit apponi, merum etiam propinari. Hi ſunt beatorum luſus & nugæ, non ignotæ iis qui veterum libros diligentius legerunt, quique urbanioris notæ hominum mores non penitus ignorant.

Idem Trimalcio cap. 64. *Potiones dividi jubet inter omnes ſervos, qui ad pedes ſedebant. Quid* (inquit) *indulgentius? imo vero quid minus Romanum, bibere famulos domino præſente ac epulante, ſedere ad pedes ſervos domino diſcumbente. An ſedens famulus miniſtrare poteſt?* Non eſt hoc Romanum, fateor, ſed Trimalcionianum. Quæ autem hæc inſcitia eſt, ne animadvertere quidem, quid perſonis, quas Petronius exhibet, conveniat? quippe Trimalcio, ut ex veteri etiam fragmento apparet, non ſolum exquiſitiſſimas lautitias ubique affectat, ſed etiam ludis inuſitatis, ac mimicis convivarum admirationem captat, moris atque inſtituti Romani ſecurus. Quod ut magis pateat, nonnulla de ejus moribus, ex illo veteri fragmento, Cenſori ſuggeram. Trimalcio è ſolio balnei egreſſus, unguentoque perfuſus, palliis ex lana molliſſima factis tergitur. An hoc Romanum eſt? Eodem pila ſe exercitante, ſpado in parte circuli ſtat cum matella argentea, quam ludenti ſigno dato ſubjiciat. An id Romanæ conſuetudinis? Idem in poſtibus triclinii faſces habet cum ſecuribus fixos; an hoc Cenſor dicet Romani eſſe inſtituti, ut ſevir Auguſtalis (nihil enim amplius Trimalcio) faſces cum ſecuribus habeat? Quippe iſtis magiſtratibus colonicis & municipalibus, non faſces, ſed virgæ nudæ aut baccilli præferebantur. Itaque Encolpius cujus ſub perſona fabula narratur, id ut novum notat & admiratur: *& quod præcipue*, inquit, *miratus ſum, in poſtibus triclinii faſces erant cum ſecuribus fixi.* An denique moris Romani eſt, ſervos inter miniſtrandum cantare? Hæc & alia quæ brevitatis cauſa prætermitto, à Romano uſu abhorrentia, cum de Trimalcione prodantur in veteri fragmento, qua fronte poteſt Cenſor culpare, quod in novo fragmento quædam præter Romanorum conſuetudinem, in eadem Trimalcionis cœna obſerventur? Nec tamen, ut ad pro-

positum revertar, ita Trimalcionis proprium fuit habere servos ad pedes sedentes, ut non hujus aliquot exempla in litteris extent. Nonne idem de Calvisio Sabino cujus supra mentionem feci, prodit Seneca? *Magna* (inquit) *summa emit servos, unum qui Homerum teneret, &c. Postquam hæc familia illi comparata est, cœpit convivas suos inquietare. Habebat ad pedes hos, &c.* Idem de quodam Zoilo, quem Malchionem appellat, homine Trimalcionis simili notat Martialis.

At ipse retro flexus ad pedum turbam
Inter catellas anserum exta lambentes
Partitur apri glandulas palæstritis,
Et concubino turturum nates donat.

Quare hunc Censorem aut paucæ lectionis, aut parum diligentem, aut minus bona memoria præditum esse oportet, qui neget sese meminisse unquam legere, ad pedes sedisse pueros, nisi ingenuos. Sed & futili ratione objectio nititur: *An* (inquit) *sedens famulus ministrare potest?* Certe qui sedet non potest ministrare. At ubi est multitudo servorum, ut apud Trimalcionem, & alios ejusmodi locupletes, quidni aliis sedentibus, alii ministrare possint? Cætera quæ de Trimalcionis cocis discumbentibus addit, non minus aliena & frivola.

Alia objectio ex cap. 67. *Fortunatæ uxoris Trimalcionis perisceli des tortæ, quales in usu nobis sunt, matronisque nostris, & quas vulgo à poplite cui subligantur, arrectarias vel jarretarias vocamus, nec Græcanici.* Primum unde habet Censor, perisceli das hasce Fortunatæ, ejus generis esse ac eas, quibus poplites ligamus? Nempe quia tortæ dicuntur. At id epithetum longe alio spectat, quam iste Censor putat. Nihil enim aliud significat, quam eas fascias, quibus crura tota involvi mos esset, cum alii de more latæ & simplices essent, huic tortas fuisse. An autem exinde sequitur, non iis tota ejus crura involuta atque amicta fuisse? Non sane, sed hæc Censoris interpretatio est à mente, & verbis Petronii aliena. Miseret me atque pudet istius Censoris, qui ne illa quidem quæ legit, quo sensu dicantur, mente assequitur. A cruribus Fortunatæ ad collum Censor ascendit: ibi quia sudarium invenit, ignarum antiquitatis auctorem fragmenti clamat. *Sudarium circa collum nullum unquam matronis Romanis fuit.* Ita sane, sed quæro num viri sudarium in collo habuerint: minime gentium, si consuetudo spectetur. Nam sudaria, ut ipse Censor fatetur, non cultus causa, sed ad sudorem oris tergendum, & viri & fœminæ habebant. Quid est igitur, quod Neronem Suetonius, ligato circa collum sudario, prodiisse in publicum dicit? Nempe quia Nero, ut in aliis rebus, sic in cultu vulgi consuetudinem spernebat. Si igitur Nero præter morem sudario collum ligavit, quidni & uxor Trimalcionis, cultus insolentis perinde amans, præsertim domi, tametsi id vulgo matronarum consuetum non fuerit? Pergit Censor: *Fortunata Trimalcionis ditissimi & nitoris, & elegantiæ amantissimi viri uxor, tam sordida & immunda esse potuit, ut eo linteo quo collum velaverat, velut mantili in triclinio tergeret manus.* Nimirum Censor matronæ illius manus suis similes putavit, ut sordibus lintea dum tergerentur, commacularent. At scire eum convenit talium mulierum opulentarum, quæ munditiis student, manus ita lotas & nitidas semper esse, ut si leviter aqua tingantur, ut iis delicatis mos est, nullam linteis labem afferant. Non enim ad abluendas sordes Fortunata manus aut lavat aut tergit, sed ad speciem & dicis causa.

Trimalcio senex ebrius de testamento suo mandat, funebrem vestem, unguentum nardinum, & reliqua ad funus pertinentia afferri jubet, & convivis ostendi, ac demum tamquam in funere suo cornicines canere jubet. Hic Censor exclamat. *Quid his ineptius? O sermones convivales.* Verum his declamatoriis officiis atque ἱερεῖς ἀναχεμυγάσμασι comprimendis, sufficiet ea proferre, quæ de Pacuvio Syriæ Proprætore Seneca in epistola 12. prodidit; ipsamet ejus verba adscribam: *Pacuvius qui Syriam usu suam fecit, cum vino & illis funereis epulis sibi parentaverat, sic in cubiculum ferebatur à cœna, ut inter plausus exoletorum hoc ad symphoniam caneretur, βεζίωκε, βεβίωκε, nullo non se die extulit.* Sive igitur Petronius sub Trimalcionis persona, hanc Pacuvii insaniam traducere voluit, sive hujus quem Trimalcionem appellat, eadem petulantia fuit, patet quam sint ridiculæ Censoris exclamationes, qui Senecæ & Satyricorum scripta videtur numquam attigisse, ac ne quidem quid Satyra sit, intelligere. Etiam hic Pseudo-Petronium ut Romani moris ignarum carpit, quod cornicines pro tubicinibus adhibeat funeri. Neque videt homo acutus non esse verum id funus, sed mimicum, quale Syriæ Proprætoris, qui ut vidimus inter plausus & cantus exoletorum efferebatur. Quæro enim utrum magis sit præter morem Romanum, cornicines funeri adhibere, an plausus & symphoniam? Ita idem Seneca in ludo Claudium ad tibicinum & cornicinum cantum facit efferri: *interrogat Mercurius, quid sibi velit ille concursus hominum, num Claudii funus esset? Et erat omnium formosissimum & impensa cura plenum: ut scires Deum efferri: tibicinum, cornicinum, omnisque generis æneatorum tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset.* Quid restat, nisi ut Censor Senecam ut parum Romani moris gnarum, in ordinem cogat.

Objicit præterea finem cœnæ Trimalcionis cum iis quæ sequuntur, hoc est, ut ejus verbis utar, falsa & ficta cum veris non cohærere; Videamus quomodo id ostendat. Finis (inquit) cœnæ Patavinæ (ita novum fragmentum vocat) talis est: *Cum cornicines insonuissent, vigiles regionis proximæ rati ardere Trimalcionis domum, cum aqua & securibus occurrunt, & januam effringunt.* Encolpius, Ascyltus, & Gyton læti oblata occasione discedunt. *Nos occasionem opportunissimam nacti, Agamemnoni verba dedimus, raptimque plane, tamquam ex incendio fugimus.* Contra inquit, apud verum Petronium, qualem dudum editum habemus (obi-

(obiter notandus Censor, qui *dudum* pro pridem hoc loco imperite usurpat) Encolpius cujus sub persona tota fabula narratur, nec cornicinum, nec vigilum ullam mentionem facit; sed ait, cum ipse & Ascyltus & Gyton abire vellent, & per ampliſſimas, longiſſimasque porticus, media jam nocte ſine lumine errarent ebrii, &c. Hæc Cenſor; vel inconſiderate admodum, vel parum bona fide. Aut enim non videt, aut diſſimulat, lacunam eſſe in veteri Petronii fragmento ante illa verba, *neque fax ulla in præſidio erat, quæ iter aperiret errantibus.* Quam lacunam non recte expleri iis, quæ in calce novi fragmenti habentur, neque ſeriem fabulæ apte continuari oſtendat Cenſor, & tunc ipſum non in tota illa diſſertatione hallucinatum credemus. Quin etiam Cenſor ſua ſcrinia compilaſſe Impoſtorem Pſeudo-Petronium quiritat, & vocabulum *barbatoria*, quod in cap. 73. legitur, ſibi furto ablatum é notis ſuis in Berengarii Auguſti panegyricum vindiciarum jure repetit. *In meis* (inquit) *in panegyricum notis, quid eſſet apud Gregorium Turonicum Epiſcopum, barbatorias celebrare, & quid barbatoria ſignificaret, fuſe docui. Placuit obſervatio mea Impoſtori, &c.* & mox; *ſed tamen mos hic quidem ætate Petronii multo vetuſtior: nomen autem barbatoria, ejuſdem ætate (ni fallor) recentius.* Bene eſt quod addit (ni fallor) & hac præfatione judicii periculum declinat. Cur ergo cum fieri poſſe ut in eo ipſe fallatur, ac ſeſe de eo incertum eſſe fateatur, quo tempore id nomen uſurpari cœptum ſit, tam aſſeveranter poſtea pronuntiat, hanc vocem è ſuis notis acceptam? Neque enim quicquam affert ad id probandum, ſed ſententiam ſuam ſine ratione Pythagorico more velut edictum proponit: At nos ratione & conjecturis ducti probabilius cenſemus, cum res ſit, ut fatetur, ætate Petronii vetuſtior, & vocabulum quo ea res deſignatur, Petronii ævo antiquius credi oportere: tametſi in aliis veterum monumentis, quæ nobis ex tantis literarum cladibus pauciſſima ſuperſunt, non reperiatur. Idem ſtatuendum de libera cœna, cujus & initio fragmenti mentio habetur, ita fuiſſe ab Antiquis nominatam, non, ut iſte nugatur, Impoſtoris fraude ex fratris ſui obſervationibus notatam.

Hactenus videri poſſim duorum Cenſorum tela & machinas non ſegni manu repercuſſiſſe. Reſtat ut eoſdem nunc de veteris fragmenti vero Auctore inter ſe digladiantes ſpectemus. Germanus Criticus ex vulgata opinione Petronium Neronis familiarem cujus Tacitus meminit, Satyrici auctorem defendit, ut ſupra vidimus. Hic ad alium Petronium refert. In quo duo agit; primum oſtendit nihil illud Satyricon ad Neronis noctes ſpectare; deinde ab alio Petronio Maſſilienſi ſcriptum eſſe. De primo, cum mihi admodum veriſimile videatur, non eſt opus lectorem morari. De altero autem rationes ejus & conjecturas expendere, non ab re erit. Ita igitur ſtatuit præter Petronium à Tacito memoratum, alium fuiſſe Neronis ævo multo recentiorem, natione Gallum, qui in provincia Viennenſi, finibuſque Maſſilienſium Græcorum vixerit. Id autem Sidonii Apollinaris teſtimonio probat, cujus verſus hoſce adducit ex carmine, quod Narbo inſcribitur:

Et te Maſſilienſium per hortos
Sacri ſtipitis arbiter colonum
Helleſpontiaco parem Priapo.

Primum audaciam Cenſoris & facinus παραχειρουργημένου lector obſervet. Cum in omnibus Sidonii codicibus *ſacri ſtipitis* ſcriptum extet, audet pro *ſacri, Grai*, pro *ſtipitis, ceſpitis* legere. Tum nobis teſtem fratrem adducit, qui non dubitet in vetuſtis ejus ſcriptoris libris ſcriptum fuiſſe *Grai ceſpitis*, quod quidam non intelligentes in *ſacri ſtipitis*, perperam mutarint. Quaſi vero *Grai* pro *Græci* epithetum ſit ejuſmodi, ut alicui in eo aqua hærere potuerit. Hanc autem conjecturam Cenſor in hunc modum confirmat. *Si* (inquit) *ſacri ſtipitis nomine Priapum lignеum deſignare voluiſſet Sidonius, Priapi colonum Arbitrum vocaturus non fuit, ſed cultorem.* Ita quidem ſi Auctor ille Latini ſermonis puritatem in poëmatis coluiſſet, quam ne in ſoluta quidem oratione aſſequi potuit. Quis enim Sidonium parum terſa ac limata dicendi ratione uſum ignorat? Inſtat: *Etiamſi gratis conceſſero colonum Priapi pro cultore Latine dici poſſe, tamen nec vel tum ſuus tribus hiſce verſiculis ſenſus conſtabit; fatendumque erit Sidonium bis duobus in verſibus continuis Priapi ſine cauſa meminiſſe. Te, arbiter, per hortos Maſſilienſium ſacri ſtipitis, ſeu Priapi lignei cultorem Priapo Helleſpontiaco parem.* Eſto: quid in eo incommodi aut flagitii? Hoc, inquit, nihil frigidius atque ineptius videtur. Ita credo videri Cenſori iſti; at iis qui aures poëticas habent, ea repetitio non friget. Quin ſi bis eandem vocem Priapi in duobus illis verſibus iteraſſet poëta, non parum gratiæ addidiſſet; ſed non eſt omnium de poëmatis judicium ferre. Tamen ex hac tam audaci Sidonii interpolatione, & tam frivola diſputatione audet pronuntiare, Arbitrum natione Gallum a Sidonio agnoſci: tum & Petronium Epicureum fuiſſe exinde colligit. De hinc Pithœum miratur, quod iis verſibus non tam Arbitri patriam quam mores deſignari ob Maſſilienſium mores Plautino proverbio, & Athenæi hiſtoria notatos exiſtimaverit. *Quaſi* (inquit) *horti Maſſilienſium, mores eorum corruptos potius, quam Petronii domicilium apud Sidonium indicare debeant.* At Pithœus, ſi viveret, non parum tam importunam Cenſoris iſtius interpretationem miraretur, quæ & verbis Auctoris vim facit, & a mente ejus alieniſſima eſt. Nam ſi Petronium Arbitrum Maſſilienſem, & Antoninorum ævo ſupparem Sidonius putaſſet, non eum inter veteres ſcriptores, qui priorum Cæſarum temporibus floruerunt, proximumque Cornelio Tacito in illo ipſo poëmate poſuiſſet. Sed reliqua hominis confidentiſſimi argumenta ſpectemus. *Ipſe Arbiter moris cujuſdam Maſſilienſium mentionem fecit, tamquam ſibi notiſſimorum.* At pudet me reſpondere tali argumento.

to. Adeone iſte Cenſor lectores indoctos, immo ſenſus communis expertes putavit, ut eos tam frivolo & nugaci verborum ſtrepitu permoveri poſſe crederet? Quid enim iſta collectione levius, quid futilius? Iſto enim modo probari poſſet Platonem fuiſſe natione Perſam, qui de Perſidis regum educatione & magnitudine, tam multa exquiſitiſſime in Alcibiade 1. diſputat: aut Scytham Hippocratem ob ea, quæ de Scythicæ gentis & Amazonum moribus Nomadumque inſtitutis in lib. de aëre, locis, aquis tradit. Qui & in lib. 4. de morbis modum caſei conficiendi apud Scythas, tam dilucide explanat. Item Maro fiet Moſchus aut Sarmata, aut Dacus, eorum argumento, quæ in 3. Georgic. prodit de frigoris inclementia in regionibus Septentrioni ſubjectis, ac populorum qui ibi degunt, victu tam graphice deſcripto. Similiter Galenum Teutonem dicemus aut Gallum, qui tot locis Gallorum candoris & flavorum capillorum mentionem facit. Sed & Celſum indidem natum: Quidni. Qui eorum quæ in Gallia fierent, meminerit, lib. 7. cap. 7. *Nihil eſt* (inquit) *melius, quam quod in Gallia quoque comata fit, ubi venas in temporibus, & in ſuperiore capitis parte legunt.* Sexcenta ejuſmodi loca ex variis auctoribus proferre poſſum, quibus iſtius rationis imbecillitas amplius demonſtretur. Non minus temere, ne quid gravius dicam, ex Græcis vocabulis quæ in illo Satyrico paſſim occurrunt, Petronium ortu Gallum fuiſſe colligit, domicilio tamen ſemigræculum. Nam & Lucilius & Varro & Plinius, & Columella, & Suetonius hac ratione ſemigræculi & Maſſilienſes habendi eſſent, in quorum ſcriptis tot Græca vocabula obſervantur. Nolo hîc eorum vocabulorum catalogum inſtituere. Sufficit hujus lectores admonuiſſe. Quis enim neſcit Lucilium in Satyris tantum Græcarum vocum admiſcuiſſe, ut eo nomine reprehendi ab Horatio meruerit. Similiter Varro frequenter in libris græciſſat, præſertim in Satyris, nempe quibus & titulos Græcos præfixit, in margopoli περὶ ἀρχῆς. coſmotoryne περὶ φθορᾶς κόσμου. Triodite tripylio περὶ ἀρετῆς. Eſt modus matulæ περὶ μέθης. ὀνος λυρας. γεροντοδιδασκαλω. vinalibus περὶ ἀφροδισίων. ταφὴ Μενίππου, & ſic de aliis. Ex quibus Satyris ſunt illa: *di enos lemmatos logos Antipatri ſtoici filius rutro caput diſplanat.* Et *metamelos inconſtantia filius me reprehendit.* Idem vitæ exodium Græcè pro exitu in iiſdem Satyris dixit; in libris de re Ruſt. ornithonas, pelagios greges piſcium, & alia ejuſmodi ὅσα κόσις. qualia & apud Columellam & Plinium & Suetonium crebra reperiet diligens lector.

Id quoque pari levitate adjungit: *non demum miror ab Arbitro tranſitum Alpium maritimarum Alpibus Grajis confinium viginti verſibus, ac portum Herculis Monaci exacte deſcribi.* Ceu vero non Claudianus patria Alexandrinus, multis verſibus Alpes Rhetias lib. de Bello Gildonico, & Silius Italicus origine quidem Hiſpanus, ſed patria Italus Alpes Graias item ſtudioſe deſcripſerint. Cujus porro vanitatis eſt putare, quidquam ad rem pertinere, quod Petronius Gallorum non ſemel meminerit. Ut cum ait, *increta facies, ut ſuos Gallia cives putet. Ego autem frigidior hyeme Gallica factus:* atque ex his locis colligere Arbitrum hiemes & frigora in Gallia tuliſſe, & candorem Gallorum notum habuiſſe? Sed me talium nugarum pudet, pigetque: alia tranſeamus.

Stilus (inquit) *Petronii non Romanum ſeu Romanatum, ſed plane Gallum & tranſalpinum hominem ſapit. Quivis linguæ Latinæ peritus in Petronio cothurnum Gallicanum prima fronte ſtatim agnoſcit.* Igitur Cenſoris judicio cujuſcunque ſcriptoris oratio quodam cothurno aſſurgit, is Gallus cenſendus. Quid igitur Seneca faciemus? Quid Fabio; Quid duobus Pliniis & Solino, quorum non minus floridus & grandis ſtilus? Non videt autem rebus debere eſſe aptum dicendi genus. Imprimis vero ludicra ſcriptio ejuſmodi ſtilum poſtulat, qui inter aſtrictam & ſolutam orationem quaſi medius decurrat; quique numeris licet abſolutus, tamen licentiore & poëtico cultu hilaritatem quandam & laſciviam præ ſe ferat. Ita magnus Criticorum Dictator Lipſius ſciſcit lib. 2. Elect. cap. 21. ubi Apuleii ſtilo patrocinatur: *Jam* (inquit) *argumentum miſcellum eſt & Satyricum, quod amat hunc cultum quæſitum, pinguem & ſqualenti quodam auro. Varronis fragmenta è Satyris vident? Etiam examinent. Reperient ea haud longe eſſe a Mileſiis iſtis Punicis, & inculti cultus ſtilo.* Quo viri magni judicio etiam illa repercutiuntur, quæ mox de nonnullis phraſibus Petronio propriis, ac minus ut quidem autumat, Latinis idem Cenſor diſputat. Addit ſtilum Petronii Antoninorum ſapere tempora potius quam Domitii Neronis, cujus principatus ſimiles Arbitri ſcriptores non habuit. Sumit pro manifeſto quod in controverſia verſatur, nempe non fuiſſe Neronis principatu ſcriptorem ullum qualis Petronius.

Nam nos Petronium ipſum tunc extitiſſe contendimus. Sed & Senecam eodem genere luſiſſe in Apocolocynthoſi quis non videt? Hoc quippe ſcriptum nihil aliud quam Satyra Menippea in Claudium, quemadmodum illud Petronii in Neronem: nec dubitandum, quin illis temporibus alii ejuſmodi ingeniorum luſus extiterint, qui ad nos non pervenerunt. At, inquit, Macrobius in ſomnum Scipionis Arbitrum Apuleio non conjungit modo, ſed velut æqualem aut etiam vetuſtiorem præponit, priorem-que appellat his verbis: *auditum mulcent argumenta fictis caſibus amatorum referta: in quibus vel multum eſſe Arbitrum, vel Apuleium nonnunquam luſiſſe miramur*; bonum factum; hoc ſcilicet reſtabat, ut ſe ſuo ipſe gladio Ajax iſte jugularet, quod nunc facit. Nam ſi eo loco, ut diſertim fatetur, Macrobius Arbitrum Apuleio ut vetuſtiorem præponit, priorem-que citat, quomodo hoc ipſo loco probari poteſt Petronium æqualem fuiſſe Apuleio, & imperante Marco Aure-

Aurelio Antonio vixisse? Quis non miretur hominis inconsiderantiam, qui ea ex Auctoribus adducat, quæ ipsius sententiæ tam manifesto adversentur?

Jam illud quemadmodum probet, Petronii scilicet sermonem non ubique esse purum, sed quandoque inelegantem & incultum, consideremus. Multa quidem in Arbitri oratione culpat, criticisque unguibus conscribillat ut parum nitida & pura. Sed cur ea culpet, non dicit, solum se illa non meminisse apud veteres scriptores legere, ceu res Latina ex ejus memoria pendeat: ita si qua vox ipsum fugerit, continuo civitate Romana ejicietur & capite minuetur. At nos cucurbitæ caput non habemus, ut præsentibus libris quorum fides non vacillat, in cujusquam memoriam quantumvis bonam & felicem, quam in solida illa antiquitatis monumenta incumbere malimus. Nam quam sæpe hæc Censorem frustra habeat, jam faxo, ut omnes atque ipsemet fateatur. Hæc igitur ut parum Latina ex Petronio affert, *Sed de re medio non tam valde laboro*: item, *Giton semel ictus tam valde exclamavit. Tam valde*, inquit, pro tam, aut adeo, non memini apud veteres scriptores legere: quod nos vulgo dicimus *si sort*. At nihilo secius Cicero in epistola ad Atticum 8. lib. 7. ita loquitur: *Quod opus est de Dionysio tam valde affirmare*; in libris de Divinatione, *nihil est tam vulgare quam nihil sapere: & tam vehementer* lib. de Orat. Hæc quoque Censor Latina non putat: *Neque enim tam magnum facinus admisimus, & tam grande munus, tam grande facinus pro tantum facimus, tantum munus*. Quia videlicet non meminit hujus apud Terent. in Adelp.

——— *an sedere oportuit*
Domi virginem tam grandem, &c.

Sed & Apuleius eandem locutionem usurpat; magnus Antiquarius, atque ut Sanctius in Minerva censet, purissimus Latinæ linguæ scriptor. Non temere enim quidquam vocabuli aut locutionis usurpat, quod non apud Antiquos legerit, ut de eo Scaliger scriptum relinquit. Unde à Prisciano & aliis Grammaticis sæpe laudatur. Is igitur 4. Metam. sic loquitur: *nec nostris tam magnis, tamque periculosis laboribus solatium de tam sera refectione tribues*. Pergit Censor: *minus grandi vexatam injuria* dici non oportuit, sed minore affectam injuria. Si Censorem audimus, neque *minus multa pignora* dicere licebit, qua tamen loquendi forma utitur Cicero 2. de Oratore. Rursus *quam magnum flagitium* dici non oportebat, sed quantum flagitium. Atqui inter sententias Senecæ & Pub. Syri à Grutero collectas, hæc extat.

Quam magnum est non laudari & esse laudandum: Jam illud Petronii (inquit Censor) *bene, surrexi mane pro summo mane aut prima luce surrexi, nostrum hodieque est: bien matin*. Ita satis vehemens ratio est Censori, cur aliqua phrasis minus Latina censeatur, si similis ei in Franco-Celtarum lingua respondeat. At quam sit ineruditum, quam insciturn id argumentandi genus abunde, citato opere demonstravit Henricus Stephanus, quem lector consulat. Nunc confutando huic Censoris judicio mihi sufficiet Ciceronis auctoritas, qui in 4. Epist. ad Attic. sic scribit: *Ante diem quartum Calendas Maii, iens in Pompeianum bene mane surrexi*. Eadem locutione utitur in libro de Oratore: *Cum ei qui rogasset, num tibi molestus futurus esset, si ad te bene mane venisset*. Sunt & alia, quæ ut parum Latina expungit eodem judicio, quod scilicet Galli similem loquendi modum tenent. *Jam plena nox erat. Repositum in pristinum decorem puerum gaudebam*. Quia Galli dicunt *en plein jour, en pleine nuit: remis en son premier estat*. Quod postremum quam ab illo poëtæ discrepat,

——— *Sic nos in sceptra reponis.*

aut ab eo quo utitur Fabius *in gradum reponere*, hoc est in dignitatem? In his autem quæ sequuntur, Censoris vel inscitia, vel oblivio apparet manifeste: *Satis pro valde* (inquit) *recentiorum Nerone scriptorum est*. Ergo recentior Nerone Terentius, cujus in Phorm. hæc sunt,

——— *satin' superbe illuditis me?*

Recentior Cato, qui teste Charisio lib. 2. *satis* pro intente usurpat: cujus & verba hæc citat: *jam apud vallum nostri satis agebant*. Etiam verbum *exsonare*, Neronis ætate inusitatum decernit. Mira confidentia vel potius temeritas: scilicet omnium quicunque Neronis temporibus viguere scriptorum phrases & vocabula, in numerato habet Censor, ut quæ tunc in usu nec ne, verba & locutiones fuerint, pronunciare possit; qui ne illa quidem vulgata & trita in Terentii comœdiis & Ciceronis epistolis tenet? Qui enim *exsonare* magis inusitatum, quam *exclarare*, pro illustrare, quod Vitruvius Nerone etiam antiquior usurpat? Dehinc librariorum & amanuensium erratis Petronium oppugnat. *Ideo vetui in hoc diversorio quemquam admitti, pro diversorium. Trimalcio ad symphoniam allatus est, positusque in cervicalia minutissima*. Dicendum (inquit) fuit *in cervicalibus*, &c. Neque videt extritam syllabam, *in* pro *inter*. *Quales esse solent quæ incumbunt ova*, pro incubant. atqui ita pridem docti emendarunt. *Ficedulam inveni piperato vitello piperatam*, pro circumdatam. At in novo fragmento ita legitur. Negat & *discolorius* usurpatum veteribus scriptoribus Latinis. Si quidem eum omnes veterum libros legisse constet, credemus. Alias non. Eadem conditione assentiemur de aliis, quæ ibidem pro inusitatis affert, *absentivus* pro absens, *domesacere*, *scabitudo*. Dixit Petronius; *Gubernator qui pervigil nocte siderum quaque motus custodit*. Quis putasset in his esse locum reprehensioni? Atqui Censor hic invenit, quod obelo confodiat: *Siderum* (inquit) *motus vel sidera custodire, pro servare aut observare, improprium est*: Igitur Cicero improprie locutus, qui actione 1. in Catil. dixit: *Multorum te oculi speculabuntur, atque custodient*. Et Juvenalis, qui custodem, pro observatore posuit Satyr. 5.

——— *tibi non committitur aurum,*
Vel si quando datur custos affixus ibidem,
Qui numeret gemmas, unguesque observet acutos.

Ecce custodem vocat eum, qui appositus ut observet. Præterea quod *lapidibus tegere*, sicut humare est humo operire, id quoque reprehendit: sane minus id verbum eo sensu usitatum: *sæpius enim significat lapidibus petere.* Sed ab trito calle & vulgi semita discedere magnos Auctores, quæ invidia est, præsertim ubi analogia tam palam invitat, ut hoc loco. *Coæquale* (inquit Censor) *natalium suorum sinciput, pro æquale, nusquam apud veteres alios scriptores Latinos reperire memini.* Ita sæpe nobis memoriam suam oppignerat. At satis jam ex multis perspectum habemus, quam malum hæc ei nomen sit, quæ toties ipsum frustra habeat. Et nunc frustra habitum ostendo ex Columella, qui ea voce utitur lib. 8. cap. 14. ubi de Anseribus educandis: *milium quoque aut etiam triticum mistum cum aqua, recte præbetur, atque ubi se paulum confirmavit* (anser) *in gregem coæqualium compellitur.* Leges etiam Grammaticæ violatas conqueritur: *Ephebus* (inquit) *plenæ maturitatis, & annis ad patiendum gestientibus*, vocatur à Petronio casum mutante contra regulas Grammaticæ. *Debuit enim dici, Ephebus plena maturitate & annis*, &c. Primum paucis de illa Censoris religione. quis nobis eas regulas posuit? qua auctoritate? Unde illa religio animis incessit? An non ex veterum scriptorum observata dicendi ratione? Igitur ab ipsis auctoribus, quorum scripta leguntur, regulæ vim omnem atque auctoritatem mutuentur, necesse est; Quæ autem regula est, cui non aliqua exceptio opponi possit? Quid ita? quia Auctores non eundem loquendi modum, ac disciplinam sequuntur, sed & alia aliis magis forma placet. Ut sunt varia hominum ingenia & mores. Hinc illa à magistris Græcis notata ἀνακόλουθα, & σολοικοφανῆ in Thucydide, & aliis magnis auctoribus; atque ab aliis in ipso M. Tullio in Grammaticæ regulas illas vulgares manifeste peccantia, quæ nemo nisi ineptus carpere ausit. Horum exemplo citata Petronii locutio defendi possit, sed nihil opus est. Non enim ibi casus sine ratione mutatur, ut Censor putat; neque varii illi casus ab eadem voce *ephebus* reguntur; sed *ephebus plenæ maturitatis*, possessive dicitur. In sequentibus autem verbis est ellipsis, *annis ad pat. gest.* pro in annis, sicut apud Plinium lib. 7. cap. 11. *Julium viatorem à Vocontiorum gente fœderata, in pupillaribus annis, &c.* Item Petronium arguit quod acum comatoriam, dixerit acum crinalem, ne servata quidem analogia. Nam, inquit, à coma non fit *comatorius.* Sed bene est, quod ipse mendum subesse in eo vocabulo suspicatur. *Fortasse*, inquit, *legendum est, comotriæ, hoc est ornatricis.* Quæ tamen emendatio parum commoda. Nam minori interpolatione licet, *acu comptoria, a* in *p.* Quæ haud dubie vera lectio est. Hæc quoque castigat, *soli militares, soli fortissimi habentur. Militaris*, inquit, *pro militaribus honoribus digno, recens est haud dubie, nec sæculi Neroniani.* at quid opus est interpretatione. Ego verbum *militares*, non alio sensu hic positum arbitror, quam apud Horatium 1. Carm.

Cur neque militaris
inter æquales equitet?

Denique Petronium, *Ditis pater* pro Dis: *Quirites* in numero singulari, pro *Quiris* usurpare notat. Sed hæc inter ejus archaismos ponenda esse nemo non videt. Petronium vero exoletis nonnunquam uti vocibus, satis supra demonstratum arbitror.

Habes, CARISSIME MOCÆNICE, expectatam omnibus Petroniani fragmenti Assertionem ac vindicias, contra temerarios Criticos, vel potius calumniatores. Consequens esset, ut quoniam sat strenue, ni fallor, eorum stolidum impetum repressimus, inscitiam ac temeritatem reprehendendi, patefecimus; ut deinceps, elegantiam, urbanitatem, lepores & veneres, quæ in hoc passim fragmento elucent, oculis omnium subjiceremus, ut magis constaret non esse Petronii genio indignum id scriptum: sed ea res mihi manifestior videtur, quam ut explanatione egeat apud eos, qui acetum in pectore habent, & judicii acumine pollent. Quin veluti detersis nubibus, ipsa per se lux solis in omnium oculos incurrit; futurum existimo, ut discussa ineptarum dubitationum caligine, Fragmenti hujus pulcritudo perspicua per se omnibus reddatur.

APOLOGIA
AD PATRES CONSCRIPTOS
REIP. LITTERARIÆ
MARINI STATILII
TRAGURIENSIS.

CUm multa mihi in vita P. C. inter varios, ut res humanæ se habent, adversæ fortunæ casus, prospere & fœliciter evenere, tum haud scio, an quidquam lætius, optatius, & unde liquidiore meus animus voluptate perfunderetur, aut acciderit unquam, aut accidere possit, quam quod hodie in augustissimum conspectum vestrum prodire, atque in tam nobili frequentia de mea mediocritate, deque rei vestræ publicæ non mediocri negotio verba facere coactus sum: quod certe si mea sponte feciſſem, non sine gravi temeritatis, & arrogantiæ nota facere potuissem. Nam cum præteritis hisce annis, novum Satyrarum T. Petronii Arbitri fragmentum de Cœna Trimalchionis, opera typographi Patavini in publicum prodiisset, delatumque esset Parisios; Joh. Christophorus Vagensellius, insignis levitatis & confidentiæ adolescens, recens illuc advectus quod plausu Doctorum Virorum, quos sibi colendos homo peregrinus

nus desumpserat, plus nimio delectaretur, talemque se re ipsa esse crederet, qualis ab amicorum urbanitate, & blanditiis audiebat; cepit consilium plenum vanitatis, atque ætati suæ, quam collectæ recens prosperæ opinioni convenientius, insectandi hujus operis, & pro falso, & adulterino insimulandi. Cum autem præcipuam in hac editione mei mentionem fieri animadverteret, & scriptum ipsum à mea potissimum Bibliotheca prolatum audiret; me unum, antequam sciret, ater, an albus homo essem, die ad Vos dicta nominatim in Judicium vocavit; imo quasi vestris jam sententiis condemnatum, & legis Corneliæ, quæ de Falsis est, constrictum, & irretitum pœnis, non tam ad causam dicendam, quam ad Crimen jam deprehensum ultro confitendum, justamque ea de causa animadversionem à vestra lenitate, & misericordia deprecandam, hortatus est. Satis autem prolixam ad hoc suum dictum probandum disputationem contexuit, quam his potissimum verbis concluſit: „*Si* „*posſem, in aurem Statilei insusurrarem, videri mihi* „*totum Arbitri fragmentum ex sese finxisse tanquam* „*araneum, & bene facturum, si grave crimen, quo* „*se commaculavit, apud Reip litteraria Patres con-* „*scriptos deprecaretur.* Adscivit sibi tam præclaræ actionis socium Adrianum Valesium, virum alioquin doctum, & gravem, & quem hoc suo tam fœdo luto inficeret, prorsus indignum, qui altera disputatione hoc idem argumentum, sed aliquando modestius, & verecundius executus est. His ego geminis contra me actionibus, sine mora censui respondendum, eoque misi statim ad summum virum M. Mocenicum, accuratam hac de re dissertationem, quam etiam typis editam esse audio, atque in ea, quantum ingenio, & industria conniti potui, cum utriusque disputationis argumentis pugnavi; solam autem exequi, tunc visum est partem controversiæ, quæ juris quodammodo esse videbatur, iis dumtaxat argumentis, & rationibus adhibitis, quæ ad asserendam ejus germanitatem ex ipsius verbis ac sententiis duci poterant; cum fretus abundantia, ut ita dicam, mearum virium, experiri constituissem, ecquid ea sola ad causam obtinendam satis essent, omissis adjumentis, quæ codex ipse autographus in medium prolatus afferre posset. Nunc vero repudiato, ut audietis, hoc consilio, & accedente ex codicis inspectione magna copia alterius partis controversiæ exercendæ, quæ magis facti est, rursus ad hanc causam integram, non jam privatim, & cum amicis, sed in judicio disceptandam me confero. Vosque oro, & obtestor P.C., ut, si quæ dicturus hodie sum, probavero, non solum de mea ipsius, sed etiam de hujus scripti innocentia, & meorum accusatorum vanitate sine dubitatione pronuncietis. Interim dum mei facti in hoc toto negotio versati rationem vobis expono, ut jam facere incepistis, quæso diligiter attendite:

LOnge mihi alia mens est P.C., cum de proferendis in publicum ingenii mei monumentis delibero, quam accusatori meo fuit, cum criminibus prius apud vos pronunciatis, quam apud se cogitatis in famam nomenque meum grassatus est. Adeo enim tanta in re nihil inexplorato, nihilque temere mihi suscipiendum existimo, ut gratiam celeritatis, quam illum secutum video, rem pueris modo, ad indolem ingenii probandam in Ludo certantibus, utcumque laudabilem, cæterum ubi quid serio scribendum est, inanem, & futilem, atque ad abolendam ab ineptorum scriptorum fama, stultitiæ notam infirmam esse statuam. Quanquam enim de fragmento Petroniano, & mea sponte optime sentiebam, & viros doctissimos hujus mei judicii auctores, & suffragatores habebam; ejus tamen vulgandi consilium, & meis animadversionibus illustrandi, non modo ultra præscriptos a prudentissimo Poëtarum novem annos, apud me pressi, sed tantum non prorsus abjeci: veritus quippe sum, id quod evenit, ne quis litterator insulsus, & hujus similis existeret, qui mei facti reprehensione ad captandam eruditionis gloriam abuteretur. Multo namque satius duco, ignotum me esse, quam per opprobria, & maledicta, etiam falso jactata inseri famæ, & eruditorum sermonibus celebrari; quippe qui satis intelligam, etiam vitæ per silentium actæ, & procul à magnarum curarum turbis habitæ, suam inesse dignitatem, nec illum male vixisse judicari, qui natus juxta morienſque fefellit. Hujus autem mei propositi, & quam in eo constantem, obfirmatumque me præbuerim, testes sunt optimi, & gravissimi viri, qui codicem, quo fragmentum hujusmodi continebatur, vetustum illum quidem, & Catulli, Tibullique, ac Propertii exemplaribus nobilem, auferre à me, & in vulgus dare quotidiano multorum annorum convitio frustra conati sunt: testis vir sapientissimus Venetus ad Pont. Max. Legatus, cujus auctoritas apud me omnium gravissima, non tamen ultra valuit, quam ut hujus scripturæ capita hactenus majore ex parte inedita describi curaret, & me invito, & reclamante typis excudi permitteret: testis omnis antiquitatis consultissimus Octavius Ferrarius, merito ab adversario meo laudatus, in cujus amantissimo sinu expostulationes hac de re meas, cum liber à Strambotto Typographo edebatur, multa cum molestiæ significatione deponebam. Causæ autem erant hujus molestiæ, non solum vetus meum de hac editione omittenda consilium; sed plurima, eaque fœdissima ipsius editionis vitia, quibus mederi, ne auctor facti à me improbati ulla ex parte viderer, omnino non sustinebam. Siquidem in ipsa præfatione nonnulla cum de fragmento, tum de me ipso aliter ac res habet affirmabantur; neque enim Horatii ulla carmina in codice hoc leguntur, sed poëtarum, quos dixi; nec mihi in mentem unquam venit testem citare in hac causa Joannem Rhodium: propterea quod neque Rhodius unquam codicem hunc oculis usurpavit, & hominis mortui testimonium quanto locupletius, tanto suspectius futurum erat. Nam quid

ego

ego de ipso fragmenti contextu dicam, imperite, atque oscitanter exscripto, & à fide sui exemplaris multis in partibus abhorrente. offensus scilicet ejus editionis Curator, quicunque ille fuit, multitudine mendorum ac fœditate, & vocabulorum, quæ in illo passim occurrunt, insolentia; correctionem adornavit, ut sibi videbatur intimæ cujusdam eruditionis, re vero ineptam & absurdam: nihil enim tam operæ pretium fuerat, quam ut scriptio illa subjiceretur oculis Eruditorum, sicut erat, inculta, & rudis, quo decoris ingeniis materiam exercendæ industriæ, in locis corruptis restituendis integram præberet, ac ipsa sui deformitate crimen à se removeret suppositionis, & impostura, cujus cogitatio, ut mox audietis, à sui sæculi genio, & studiorum ejus temporis ratione magnopere abhorrebat. Quod certe si feciſſet, nec potius primas fragmenti paginas ex libris pridem editis, cætera vero ex ingenio emendasset, hoc saltem habuisset minus loci adversarii iniquitas ad me criminandum, quasi quæ de meo finxissem, de industria corrupta, quæ vero ex aliis descripsissem emendata, ut acceperam, protulissem, eoque duplicem hujus scripti auctorem deprehendendum præbuissem. quæ alioquin ratio quam sit a proposito impostoris aliena, quam rursus ad sinceri correctoris rationes accommodata, nemo non videt; cum illi, vel universa scriptione, eodem luto fœdata, vel undequaque ejusdem limæ beneficio castigata opus esset; hujus vero industriæ qualemcumque conatum ipsa operis varietas commendaret. Quid multa? non solum ego editionis auctor non sum, sed nec alius quisquam, cui, ego saltem de nomine notus essem, cum in illa pro Statilio, vetere scilicet meæ familiæ vocabulo, Statileus appeller.

Habetis P. C. rem gestam, quantum ad me attinet, in causa fragmenti Petroniani, cujus confícti, & suppositi reus apud vos factus sum. Sed maculam tam deformem, satis superque, opinor, à vita & factis meis detergunt, quæ à me, ut dixi, privatim ad optimum Mocenicum hac de re scripta sunt; multo vero prolixius hoc ipsum præstitit, & omnem penitus adversariorum calumniam nudavit, & refutavit res ipsa, post codicem hunc Romam transmissum, & Doctorum hominum oculis subjectum, ejusque scripturæ non ambiguam antiquitatem ad CCC. annos omnium judicio porrectam: spatio, ut videtis, integri sæculi, quam quod Patavinus typographus profiteri ausus est, ampliorem. Expugnari namque tandem aliquando passus sum constantiam meam, non tam auctoritate summi viri Antonii Priuli Dalmatiæ Præfecti, cui librum in Urbem mittendum tradidi, quam adversarii convitiis, & maledictis, quorum vanitatem, revinci, ac patefieri, non mea solum, sed rei litterariæ universæ intererat, ne monumentum elegantissimi Scriptoris, cui tot sæculorum, ut ita dicam, ingluvies, in veteres libros fœde bacchata, pepercisset, levissimi hominis livore, ac malevolentia oppressum, atque enecatum interiret. Quid enim jam est, quod hoc prolato codice ad tuam, Vagensleili, tuendam sententiam afferre audes? An verum illum, an vetustum negabis? sed habes adversarios huic tantæ pertinaciæ Viros doctissimos, & in omnis antiquitatis cognitione apprime versatos, quorum magna est in Urbe copia, nec modo Italos, verum etiam omnium transalpinarum, transmarinarumque gentium, & præcipue curiosæ hujusmodi elegentiarum Gallicæ Nationis, qui codicem in loco celebri ad hoc ipsum propositum inspexere, qui singulas ejus paginas, singulas lineas per otium contemplati sunt, qui in chartas, qui in litteras diligentissime inquisivere, & quo sæculo editus, qua manu exaratus sit, integris a studio partium animis arbitrati sunt, quorum ego testimonium præsens, & ut sic dixerim, oculatum non vereor, ne quisquam sanus non anteponat tuis inanissimis suspicionibus, & conjecturis.

Jam vero constituta hac tanta codicis antiquitate, quæ jam reliqua potest esse in hoc negotio fraudis, & impostura suspicio? Quem, oro, tanti criminis reum facis, cui diem dicis, cujus nomen defers? Illius opinor, qui librum descripsit aut describendum curavit. At hic ne facti quidem ipsius utcunque admissi, cui fraudem inesse contendis, auctor est. Siquidem novissimam hanc fragmenti partem, quantum in illo est, abjudicat à Petronio, tantum abest ut falso illi tribuat. Inspice, si placet, ejus exemplum, non quale à Patavinæ editionis curatore prolatum est, corruptum & mutilum, sed quale nunc demum prodit sincerum, & integrum. Occurret in fronte titulus operis parti fragmentorum jam vulgatæ præfixus; conceptus his verbis, & rubris litteris exaratus;

Petronii Arbitri Satyri fragmenta ex libro decimoquinto & decimosexto.

Occurrent summæ paginæ hanc partem continentes hoc eodem titulo, & colore notatæ, quas ubi omnes evolveris, & congruentes cum omnibus manuscriptis, & impressis exemplaribus inveneris, offendes ad calcem solemnem illam veterum manuscriptorum Codicum clausulam:

Petronii Arbitri Satyri fragmenta expliciunt ex libro XV. *&* XVI.

Hactenus, ut vides, ille; nec ultra quicquam Petronio tribuit. quæ si germana, & legitima non sunt, planum licet illum, & impostorem, & si quæ fœdiora in buccam veniunt, vocabulis appella. Sequitur exemplum hujus novi fragmenti, cujus scripturam nullo titulo insignitam reperies. Nihil in fronte, nihil ad calcem, nihil in summis aut infimis chartis adnotatum est, ex quo possit elici mens scriptoris, quid de illius sentiat auctore; quæ quidem res inscitiam fortasse hominis, atque stuporem non fraudem ullam coarguit, ut qui ex materia, ex genere dictionis, ex personis, quæ loquentes inducuntur, conjectu-

jecturam facere de autore nequiverit. Ego vero id ipsum candori ejus acceptum fero, & ingenuæ cuidam animi simplicitati, quod forte fidei suæ minime esse putaverit, ut de suo quidquam adscriberet, cum aliena describebat; quia forte vetustiore aliquo exemplo pariter acephalo, & anonymo usus est. Quod sine dubio immunem illum à tuo crimine facit, & plane extra calumniæ tuæ jactum constituit; quandoquidem infectum prorsus esse vides, quod illum feciſſe insimulas: ut, si quempiam lege Cornelia de Sicariis interrogares, quis te ferret in accusatione perseverantem, ubi non modo nullam cædem factam doceres, sed ipse, quem interfectum esse contenderes, extemplo vivus ac valens in Judicum conspectum se daret. Nec vero hæc à me ejus studio, & gratiæ causâ dictum puta, quid enim ille in se habet, quod quemquam ad sui amorem alliciat? qui vel ex hoc ipso infelici suo labore, se prodit hominem plane rudem, omnisque expertem elegantiæ, & prorsus barbarum, & rusticanum; certe nullo modo ad eruditas hujusmodi fraudes concipiendas idoneum; adeo deformibus mendis, tam inepta Orthographiæ ratione hoc suum opus inquinavit: ut, cui pro Agamemnone *Agamenon* est, *cornicipes* pro cornicinibus, *causa palectice* pro gausapa lecticæ, *ampliteatrum* pro amphitheatro, *volutates* pro voluptatibus: cujus denique errata pene plura, quam verba sunt. neque solum in hoc novo fragmento, sed per omnem vulgati pridem Petronii scripturam, cujus ipso initio turpissime labitur, dum ait: *Cum alio genere furiarum declamatores inquietantur*, & quæ sequuntur: quorum verborum sententia frigida, elumbis, & propemodum nulla est. Mitto enim peccatum in titulo, dum pro Satyrico Petronii Arbitri, Petronium Arbitrum Satyrum nobis obtrudit. id namque vetustioris illius exempli scriptoris peccatum esse potuit, imo sæculi potius: nam & Dantes ille Alighierius illo ævo doctissimus judicatus, hac eadem ratione Horatium Flaccum Satyrarum scriptorem, Horatium Satyrum vocat, & apud sequioris ævi Græcos D. Gregorius Rom. Pont. suorum Dialogorum opere, quo maxime apud illos notus est, Gregorii Dialogi vocabulum est assecutus.

At enim hoc ipsum de industria fecit, quo fidem adstrueret mendacio, quod adornabat. Quia credo alia exempla Petronii, quæ doctorum tunc manibus terebantur integra erant, & castigata, & Criticorum lima perfecta, à quorum adeo nitore diversum hoc nostrum, affectata hac sui deformitate, persuadere potuerit, ut sincerum & legitimum judicaretur. Ecquid intelligis, censor insulse, quo in sæculo, quibus in moribus, inter quæ hominum studia tua versatur oratio? In hæc nostra demum, & patrum, avorumqe nostrorum tempora astutum hujusmodi consilium cadere fortasse poterat, post reversam, scilicet, litterarum lucem, adeoque minus frequentem in hoc genere peccandi morem; & postquam beneficio præclari Typographiæ inventi, restituta passim per Viros eruditos sua veteribus libris integritas statim latissime patuit, eaque re constitutæ ac stabilitæ videri poterant veræ, ac germanæ librorum lectiones, ut merito corruptissimæ quæque scripturæ antiquitatem sapere existimentur, integræ autem, & castigatæ novitatis suspectæ sint. Contra vero ætate descripti codicis, cum adhuc ingeniis hominum situs ille à diuturna musarum negligentia contractus hæreret, vetera juxta ac nova litterarum monumenta eodem, ut ita dicam, cibo pasta cernimus, eodem affecta morbo, eodem luto fœdata, rusticitatis, atque inelegantiæ in verbis, in sententiis, in omni denique dicendi, & scribendi ratione. Mire ingenia illius sæculi ab omni genere litterarum, præter Theologiam, & Jurisprudentiam, ac Medicinam, abhorrebant, cum cætera omnia doctrinæ studia, atque in his ipsis omnem cultum, omnemque ornatum orationis morbos animi, morumque corruptelam appellarent; secumque præclare agi putarent humanioris doctrinæ viri, si pro magis, & maleficis ab hominum cœtu non arcerentur: id quod memoriæ Silvestri Secundi Rom. Pont. propemodum usu venit, cum propterea quod Astronomiæ, & numerorum scientiæ intelligens est habitus, quamquam erat egregie pius, ac sanctus, sinistris ab imperita posteritate necromantiæ, & impiorum Sacrorum rumoribus laboravit.

Sed quid ego de incommodis rei litterariæ illorum temporum tam multa disputo? quasi vero sit opus argumentis, & conjecturis in re omnium liquidissima; quamque non solum mente & cogitatione comprehendimus, sed ipsis oculis subjectam, & expositam habemus. Adspicite quæso P. C. & contemplamini tabulas, ac statuas illius ætatis artificum, in veterum templorum parietibus adhuc hærentes. Quicquamne vobis in eo genere rudius, aut impolitius potest occurrere? ego vero, si vel Giottum illum tanto in honore (& quidem merito) à suis æqualibus habitum, casus aliquis in officinam artificum nostrorum quam libet mediocrium deferret, & ille de pictura disserere ac judicare institueret, prope est ut existimem auditurum, quod olim ab Apelle Alexander audivit, facesseret illinc propere, nec pueris colores miscentibus risui esse perseveraret. Hoc eodem squalore, eademque rubigine cæteras humaniores doctrinas infectas, ac deformatas, eadem opera Vos intueri putate propter arctissimum societatis vinculum, quo inter se (si Platoni credimus) connexæ, colligatæque sunt, ut nunquam singulæ floruisse vi æ sint, quin floruerint universæ. Unum non inficior, ætas illa tulit Franciscum Petrarcham scriptorem sua lauro dignissimum, qui & ipse, quod Virgilii lectione delectabatur, magus est habitus, non vulgi ille quidem, sed summi tunc hominum Innocentii Rom. Pont. judicio. Hic tamen, ut rerum copia valuit, & robore quodam ac pondere sententiarum, ita ornamen-

tis, quæ à dictionis elegantia ſcriptis accedunt, & puro illo, qui poſtea in pretio fuit, Romani ſermonis candore, nec omnino caruit, nec multum aut paſſim abundavit, non ſolum in ſoluta numeris oratione, ſed etiam in verſibus. certe illum negligentiorem hujusmodi loquendi munditiarum, & hebetioris ad earum guſtum palati fuiſſe ſcripta ejus, alioquin laudatiſſima, declarant; atque hanc eandem conjecturam de omnibus ejus æqualibus licet facere, ac de genio illius ſæculi in univerſum. Verum, ſi non defuit illis temporibus, qui tam eleganter Latine ſcribere poſſet, eoque ſcribendi genere tam effuſe delectaretur, quid ita non ſcripſit accepto alio argumento, in cujus tractatione profiteri ſuum nomen potuiſſet, & laboris fructum ferre ſincerum & liquidum, nominis & gloriæ non contemnendæ? qui enim ſcribere potuit, quo ſtilo pleraque hujus fragmenti ſcripta ſunt, ubi ſeſe ad ſcribendum quacumque de re contuliſſet, facile, & Petrarcham, & alios etiam melioris ævi ſcriptores hac dicendi laude ſuperaſſet. quî ergo factum eſt, ut hoc uno abortu verius, quam fœtu, clariſſimi ingenii ſui fœcunditatem terminandam judicaverit, aut ſi quid ſcripſit, hoc unum ad nos pervenerit? cum præſertim haberet liberum decurrendi per omne genus argumenti ſpatium, nemine illa ætate ad occupandam clareſcendi per hujuſmodi ſcripta materiam admodum ſollicito. Sed nullus, mihi credite, fuit, neque enim eſſet, quod tantopere admiraremur, totque in cœlum extolleremus laudibus ſecutos longo poſt intervallo doctiſſimos homines, qui exciſam in ſuis ſedibus Barbarorum crudelitate Græciam una cum ſuis artibus in nos invexerunt, apertiſque tota Italia bonarum artium veluti fontibus, Petroniano illo litterarum flumine Occidentem univerſum inundavere. Quid enim attinet illos auctores laudare reverſæ in Orbem terrarum humanioris doctrinæ, quæ jam plusquam integro ſæculo illorum exortum præverterat? Quid Bembus, & Sadoletus, & alii hujus notæ ſummi Viri aliud præſtitiſſe viſi ſunt, quam quod inter principes hujus rationis conſtituendæ fuere? Quid ipſe Leo X. Pont.

Dulcia qui profugas revocavit ad otia muſas,

ſi gratiam ejus facti proavorum ætas jam abſtulerat omnem: cujus certe ætatis palato ſi adeo ſubtiliter ſapiebat Petronius, ſi ejus tunc ſcripta, quæ exſtabant, tam curioſe manibus terebantur, ſi quæ non comparebant, tam impotenti deſiderio conquirebantur, ut viris doctis in mentem venirent extrema ejus fingendi, & ſupponendi conſilia; id vero non incipientis, & recens adamatæ litterarum elegantiæ argumentum eſt, ſed jam provectæ, & ad ſatietatem uſque ac faſtidium inter eruditos verſatæ. Ut enim oſtrea, & boleti, & jubæ mullorum apud rudes voluptatum convivas non magno in pretio ſunt, quippe quos hædus, & pullus, & placentæ magis delectant: ſic elegantiæ genere, quo Petronius valet, hominum ingenia inter primos ad eloquentiam impetus non magnopere capiuntur, ſed præclare ſecum agi putant, ſi cum Cicerone, & Livio, & Saluſtio verſari cum fructu liceat. Quod autem de hominibus dico, idem de temporibus dictum accipite, quibus ſua indoles, ſui mores, ſua ſtudia ſunt.

In his ergo, ac talibus ſcriptoribus conquirendis, & ab interitu vindicandis ſatis erat, ſuperque tunc occupata doctorum Virorum induſtria, & maxime hujus, quem dixi Franciſci Petrarchæ, cæterorum omnium, qui in hac parte rei litterariæ curandæ cum laude verſati ſunt, primi auctoris, ac ducis. Qui tamen veterum librorum cladi, illa ætate cum maxime gliſcenti, nequaquam ſuo illo intentiſſimo ſtudio tantum opis afferre potuit, quin pleraque ex fatali illo naufragio erepta, & in ſicco jam poſita, à refluente rurſus veluti æſtu illius vorticis abſorberentur: quod ſibi vir ille ſummus uſu veniſſe queritur in duobus Ciceronis libris, qui de Gloria ſcripti ſunt; quodque etiam Quintiliano ævo Petrarchæ incolumi, ut fama eſt, accidiſſet, niſi Poggium illum Florentinum ad cujusdam ſalſamentarii tabernam fors detuliſſet, à quo eſt erutus, & centum poſt annos iterum luci reſtitutus. Ergo turbo ille veterum monumentorum devorator, illa temporis procella, qua omnem pene antiquitatem abſumptam dolemus, nondum adeo remiſerat, ut viris doctis cum illa luctantibus ſatis vacaret cogitare de nugis Petronianis, toto animo, totisque ingenii viribus in clariores, quos dixi, Scriptores, quaſi in majoris precii merces ſervandas intentis.

Jam ſi Petronius illa ætate tanti non fuit, quæ ſatis digna cauſa eſſe poterat, ut tam eſſet diligens in eo ſupponendo cujusquam induſtria? neque enim quicquam aliud tuos, quos appellas ineptos ſycophantas, ad hujusmodi fraudes impulit, quam auctorum, quos ſupponebant nobilitas, & crebræ hominum eruditorum de eorum ſcriptis deperditis querelæ. Sic Annium Viterbienſem ad ſuas ineptias Beroſi Chaldæi nomine illuſtrandas, deſperata vetuſtiſſimi ſcriptoris inventio; ſic Sigonium ad confingendam Ciceronis de Conſolatione diſputationem, diu fruſtra deſideratus elegantiſſimus liber adduxit: ſic alios multos; quos ſigillatim commemorari infiniti operis res eſſet. Quid autem, ſi inter eruditos illius temporis nondum plane conſtabat, quæ pars Petronii integra, quæ amiſſa prorſus eſſet, quem tandem locum habere potuit abſurda hujusmodi de eo ſupponendo cogitatio? hanc certe perſuaſionem non magnopere certam, & pervulgatam fuiſſe, argumento eſt: primo, quod neque de aliis auctoribus exploratum id erat multo quam Petronius clarioribus, tunc cum maxime de cœnobiorum angulis eruebantur, quosque adeo latere potius, quam interiiſſe viri docti exiſtimabant; deinde, quod fragmentorum illius collectiones, aliæ aliis cumulatiores ferebantur, nec dum ullum exſtabat Typographiæ artificium, cujus ope

quaſi

quasi statui posset, quid exstaret ex illo opere, quid interiisset, & minutæ hujus naufragii tabulæ in conspectum omnium dari, ut sunt illæ interruptæ sententiæ, & clausulæ nulli parti cæteri operis cohærentes:

In hac re qui vincitur vincit.
Non recte facit, qui cito credit.
Nemo cœlum putat, nemo jusjurandum servat.
Nemo Jovem pluris facit, sed omnes apertis oculis bona sua computant.
Quod hodie non est cras erit, sic vita truditur.
Apes ideo pungunt, quia ubicumque dulce est, ibi acidum invenies.
Quod non expectas ex transverso fit, & super nos fortuna negotia curat.
Nemo nostrum non peccat, homines sumus non Dii.

Et tamen arguere me audes, quod hæc ipsa ut aptata suis locis apparerent, verba, & sententias intermedias, & universam rei gestæ seriem ex ingenio commentus sim. Quid autem minus probabile, imo quid magis alienum à ratione, quam non modo mihi, qui scripturæ ante c c c. annos conflatæ non interfui, sed ulli omnino hominum in mentem venisse tam frigida, tam jejuna, tam absurda? præsertim si cogites illa, quæ dixi, tempora, quorum ingeniis, & moribus hæc atque talia tribuere nihil aliud est, quam

Delphinum sylvis appingere, fluctibus aprum.

Ut non omnem frugem, neque omnem arborem in omni agro reperire possis, sic non omne facinus in omni vita nascitur, summus ille non sentiendi minus, quam dicendi Magister verissime dixit. In magna quadam litterarum, & hominum litteratorum abundantia, & ex assiduo humanioris doctrinæ cultu, atque ut ita dicam attritu, primum satietas oritur, & ex satietate fastidium, inde eorum quæ in hoc genere rara, & paratu difficilia sunt intemperans appetitio, ac rerum quæ non exstant desiderium: hinc deinde pretium exiit hujusmodi fraudum, sine quo friget omnis malitia. Nemo enim gratuito malus est, nec tam infelici conditione virtus agit, ut si par utrinque spes affulgeat, nec dispar ea, quæ speres assequendi facultas, non quisquam vir bonus, & innocens, quam pravus, & improbus esse malit.

Sed ego P. C. vestra in me audiendo patientia nimis abutor intemperanter, & in re minime dubia testes profero non necessarios. Quidquid de cæteris Petroniani operis partibus statuetis, hæc sine dubio, quæ cœnam Trimalchionis exequitur, non multo ante conscriptum hunc codicem incolumis fuit. Adite, quæso, Joannem Sarisberiensem decimi tertii prope sæculi scriptorem, quem in suo de nugis Curialium opere, non minus sermonibus hujus integri convivii; quam epulis effuse delectatum invenietis, ex eoque & porcum trojanum; & ductilem ex vitro phialam tanquam apophoreta quæpiam secum abstulisse, ut his ad illustranda ingenii sui monumenta uteretur. Atqui structuram hujus fragmenti (seu germanum illud, sive suppositicium dicere placet) multo quam hoc ejus exemplum, vetustiorem esse constat. Clamat hoc mendorum deformitas & multitudo: clamant Orthographiæ peccata, aliaque scripturæ vitia, quæ neque a vero auctore profecta sunt; neque impostori homini (si quidem fraus ulla in hoc negotio versata est,) minime rudi aut indocto, conveniunt. Vero autem propius est, librariorum imperitia, dum alia ex aliis transferendo mendose scripta mendosius exscribunt, hanc tanta clade codicem affectum esse: quæ quidem si meus accusator admittit, & patitur secum iniri Chronologiæ rationem, jam conflatum hoc ab illo crimen incidet in tempus, quo committi omnino non potuit: non enim magis impostura aliqua opus tunc erat ad proferendum hoc Trimalchianæ cœnæ fragmentum, an sit hoc tempore ad carmina Virgilii, & Tullii orationes, & Livii historiam, propterea quod hæc omnia vera, & germana supersunt; quomodo & Petronius hac sui parte, ut videtis, supererat legebaturque, & laudabatur; vel si jam interierat, nondum adeo certa, & explorata ejus amissio esse potuit, nec tam anxia inquisitio, inventio tam desperata, ut extremo huic suppositionis consilio locus ullus esset. Certe hoc ejus operis caput maxime omnium cum temporis injuria pugnasse, ejusque expugnationem, & quasi absumptionem in illo communi veterum litterarum incendio, nullo modo certam tunc exploratamque fuisse, argumento sunt, super disertam ejus in auctore, quem dixi, mentionem, multa hujus cœnæ veluti frusta, & semesa fercula per impressos hactenus codices dispersa, & vaga, quæ nunc, ut Patavinus Typographus verissime prædicat, scripti hujus beneficio suæ integritati restituta, & veluti mensæ iterum apposita cernuntur.

Vides, inepte critice, quam in irritum ceciderint insani illi tui conatus. Quid enim nunc illi primæ legioni facies, quam mecum prospere pugnasse confidentissime gloriaris? quo te vertes cum cæteris tuis ridiculis copiis, quem locum capies in quo tuto consistere, Thraso magnifice, possis? cum omnes conclusas, & circumventas videas, hac una rationum cohorte ab hujus Codicis prolatione deducta; ut vereri jam habeat, ne consulto, ac de industria librum tantisper occuluisse videar, & quasi in insidiis collocasse, quo incautos, & sibi nimium fidentes, tuique similes ad ineptias effutiendas, & risum præbendum elicerem: quomodo ridenti sæpe videmus

In triviis fixum qui se declinat ad assem.

Quid enim tam ineptum, ac tam ridiculum, quam omnis ille tuorum argumentorum apparatus, præsertim cum recentissimum hunc esse ais inepti homuncionis abortum, propterea quod verum Petronii textum castigatum, restitutumque exhibuit ex conjecturis novissimorum Criticorum, eosque nominatim commemoras, quos viros, dii boni! Tornæsios, Dousas, Casaubonos, Scaligeros. Cum autem ad-

huc meliores alias castigationes in hoc scripto agnoscas ad hanc diem inauditas, easque ultro probes, & magni facias, tecumque hac in re sentiat doctissimus Schefferus, & nulla dubitatio reliqua de Codicis antiquitate jam sit; alterum fatearis necesse est, aut in machina ordinanda versatam fuisse mentem aliquam inusitatæ cujusdam in Criticæ studio sagacitatis, & tot ac talibus ingeniis præstantiorem; aut verum, & genuinum sui scriptoris fœtum hunc esse, certe a probris, & contumeliis, quibus a te passim accipitur, longissime remotum: ac nisi ex livore, & malignitate totus factus es, sine cunctatione fatebere, cum primum novam hanc fragmentorum Petronii editionem aspicies, & lectionum varietatem ad corrigenda vetera hujus auctoris exemplaria per otium considerabis, nimisque præceps tuum judicium de meo censu hoc uno novo fragmento instructo damnabis.

Quid nunc P. C. pluribus jam attinet immorari in verbis, & formulis, & reliqua scripti hujus dictione, unde suas conjecturas præclarus antiquitatis magister ad me traducendum deducit; præsertim vero, quod hanc partem meæ defensionis executi egregie sunt viri Doctissimi Populares ejus, qui ingenium industriamque suam tot editis operibus nobilem, in vocibus, quas ille barbaras, & monstruosas, & ne humanas quidem appellat, partim corrigendis, & restituendis, partim asserendis, & excusso diligenter Latinæ linguæ universo penu, suæ notioni reddendis felicissime collocavere. Nec omnino nihil meritus esse hac de re visus est subscriptor ejus Vallesius, qui suam *barbatoria* interpretationem, vocabuli pro barbaro & absurdo repudiati, sic amplectitur, sic tanquam unicam filiam exosculatur, & in sinu habet, ut scriptori ante se 300. annos nato furti literarii litem intendat, quasi quæ ab illo didicisset, pro suo venditet: quem etiam profecisse contendit à clarissimo Viro fratre suo, cum epulas illas Trimalchionis *coenam liberam* nominavit. Sed ut jam dixi hanc meæ causæ partem, satis idoneis defensoribus curandam relinquo, nec vereor P. C. ne illorum adducti auctoritate, sine dubitatione apud vos non statuatis, nihil aliud esse causæ, quod conjecturæ talium ingeniorum tam belle conveniant cum hoc fragmento, quam ipsam veritatem, quam certe nisi scriptor illius illitteratus, & barbarus secum facientem habuisset, nullis vestigiis ad tam recondita Latinitatis arcana pervenire potuisset.

Nequeo tamen mihi temperare, quin ad ea, quæ de loquendi quibusdam formulis petulanter, & absurde jactari video, paucis respondeam, nec iis contentus sim, quæ jam de hoc toto genere in meam ad Mocenicum epistolam congessi. Non placent Critico illa verba, *unus servus Agamemnonis interpellavit trepidantes*. Credo elegantius futurum fuisse putat, si dixisset, quidam servus Agamemnonis nos interpellavit: At placent Tacito, qui se satis Latine loquutum existimat, cum dixit, *eodem anno, ni mature subventum foret, mancipii unius audacia discordiis, armisque civilibus Rempublicam perculisset*. Placet Ciceroni, qui disputatione de Oratore, *Lucium Crassum unum patrem familias;* in Philippicis, *Marcum Antonium unum gladiatorem nequissimum* appellat, eoque loquendi genere non necessitatis, sed elegantiæ causâ multis aliis locis libenter utitur. Etiam Catullo placet, cui novus hic

Suffenus unus Caprimulgus, & fossor.

videtur. Denique placet eruditissimo Scheffero, cujus unguis pluris est, quam ipse totus, politamque hanc dictionem, doctam & elegantem vocat. Requirit censor noster puritatem Romani sermonis, cum audit, *tanquam unus ex nobis*, & orationem quasi magis Christianam quam Latinam, auctorem vero tanquam compilati sacri Mosaici scrinii manifestum reprehendit. Hæc tamen eadem verba in hanc sententiam, securus ejus supercilii, usurpat Plinius; nec veretur ne se quisquam inelegantem, & barbarum judicet. Audi si molestum non est, quam id ille maxime probat, quod tu improbas: *Unum se ille è nobis, & hoc magis excellit, quod unum e nobis putat*. Minus veretur ne ab illo vapulet Cicero, cum ait: *Ruffio me Diusfidius ita desideratur, ut si esset unus e nobis*. Quod si Plinio, si Ciceroni licuit uti genere orationis in Sacris litteris usitato, sine suspicione furti in illo sacrario facti, quid ni liceat Petronio, adversum quem adeo injustum, & rigidum te præbes, ut status idcirco illi, si Diis placet, controversiam moveas, & ut se ipsum ejuret ac repudiet cogis?

Vide autem, quantum in hocà te dissentiam; quæ tibi validissima argumenta videntur abjudicandi à Petronio hujus fragmenti, in iis ego argumentis vel maxima hujus causæ præsidia posita esse censeo. Qua de re antequam dicere incipio, aliam quandam, quæ mihi tecum est, controversiam paucis aperiam; nec sane erit quod moleste id feras, quandoquidem hac eadem in re à me ipso dissentio: adductus scilicet vi veritatis, cujus mihi studium omnibus meis studiis, & rationibus antiquius est. Nam cum hactenus vulgatam de Petronii ætate opinionem, quæ illum Neroni æqualem statuit, probare solitus essem, nuper accurata eruditi hominis disputatione coactus sum, ut multo recentiorem hunc scriptorem existimem, & paulo ante Constantini Augusti tempora, certe longe infra Severum collocem. Primo hoc mihi persuadet altissimum de illo silentium in scriptis vetustiorum auctorum, Quintiliani, Suetonii, Plinii, qui ingeniis sui temporis recensendis, & prædicandis, diligentissimi fuere, nisi putas lege Majestatis deterritos ob Neronis Principis vitia in hisce libris notata, præsertim rara illa Trajani temporum felicitate, ubi sentire quæ velis, quæque sentias, dicere liberum solutumque fuit, nec ulla tritior habita via est exequendi laudes Principum tunc florentium, quam insectando vitia superiorum, ut vel hoc ipso nomine acceptos vulgi palato Petronii sales, certe minime neglectos, aut famæ

inco-

incognitos esse oporteret; quomodo minime ignota fuisse constat *dicta factaque* illius Petronii Tacito celebrati, inter quæ scripta etiam diligens Historicus utique commemorasset, si quid memoratu dignum ab illo scriptum putasset: nam codicillos, qui Neroni missi ab illo morituro sunt, ut idem tradit, obsignati, verisimile est aut suppressos continuo fuisse à Principe ut *faciendis sceleribus prompto, ita audiendi ea quæ fecerat insolente*; aut, si mox prodiere materiam potius sermonibus garrientis in circulis vulgi, quam seriis scribentium lucubrationibus præbuisse. Qui autem factum est, ut Petronius noster ævo superiore, ut videtis, obscurus, & ignotus, viris eruditis, qui aliquanto serius floruere notissimus esset, & inter præcipuos recti, & emendati sermonis auctores laudaretur, adeoque inter eos, qui familiam in hoc genere ducunt, recenseretur, Prisciano, Diomedi, Victorino, ipsi quin etiam divo Hieronymo tanti sit, ut ne tum quidem, cum ad fœminam, & virginem scriberet, quicquam offenderetur obscœnitate argumenti, quin ejus nomen, ejusque sententias suo stilo usurpandas putaret, interque illa severa castitatis præcepta insereret; quod sine dubio summæ cujusdam Scriptoris auctoritatis, & supra suæ materiæ invidiam positæ indicium est; qui certe splendor in ipso sui fonte atque origine tam tenuis, ut omnino nusquam appareret omnino esse non potuit; nisi forte Giges aliquis cum annulo fabuloso præsto fuit, qui opus illud suis æqualibus, & proximæ posteritati tantisper occuluit; aut Maroniana illa, quæ mox

——— *circumfusa repente*
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.

ex eaque tanquam ex machina emersit,

——— *claráque in luce refulsit*

Titus Petronius Arbiter, non ille cum exiguis codicillis Neronianarum noctium indicibus, quos Tacitus commemoravit, sed sexdecim amplius voluminibus Satyrico sale refertis onustus: quæ statim excepta cum plausu, & ad exemplar omnis elegantiæ proposita sunt. Atqui hoc automaton plane factum negat auctor perantiquus Lutatius Placidus, qui Statio Papinio suo posteriorem hunc Petronium facit, quem etiam a suo poëta profecisse affirmat, cum is dixit:

Primus in Orbe Deos fecit timor.

Nec vero spernendum ullo modo videtur testimonium in hac re scriptoris, qui propter antiquitatem plurima ætatis Petronianæ vestigia ex ejus operibus, tunc sine dubio integris deprehendere potuit. Quid multa? ipse Petronius de hac controversia diserte pronunciat in illa elegantissima de sui temporis vitiis querela, ac de ruina bonarum artium, inter quas picturæ ne minimum quidem vestigium reliquum esse dolet. Huic ego querelæ in sæculo Neronis nullum omnino locum reperio, cum ad usque Commodi Principatum, statuas egregio artificio perfectas, adhuc extare in Urbe audiam, nec vero propter arctissimam harum artium societatem fieri posse arbitror, ut diverso à sculptura fato usa pictura sit; sed utcumque potuerit, testimonia certe non dubia florentis tunc etiam pictorum industriæ habemus ex parietibus nuper, ut accepi, repertis in ruderibus thermarum Titi, eorum autem parietum crustas diligenter exceptas ajunt, & in pinacotheca Viri primarii collocatas, ad specimen hujus artis longe clarissimum, nec minus ad sæculi, quo proditum est laudem; ne quis illud notatæ a Petronio inelegantiæ audeat accusare; quæ deinde labes circa Constantini tempora quomodo in picturas, & statuas grassata est, ut argumento sunt insculptæ arcui hujus Principis apud urbem figuræ, sic reliqua omnia musarum studia, atque opera inquinavit. His ego non argumentis, aut conjecturis, sed ipsius rei pro se manifeste loquentis fidei, haudquaquam gravate me dedidi, & a pristina mea opinione discessi. Nec vero quo minus constanter in hac nova permaneam, tuæ me repertæ nuper inter Neronem, & Trimalchionem comparationes commovebunt, quibus nihil quidquam in omni memoria litterarum ineptius legi, nihil ab re magis, nihil cum ratione pugnantius.

Sed ut jam ad propositum redeam, Quo tu ore, quâ linguâ loquutos putas primos illos Sacrarum litterarum Latinos interpretes, qui designatis hîc a me temporibus floruere? non opinor pura illa, & exquisita, & doctissimo cuique vix usurpata dictione, sed humili, plebeja, & quam promiscua multitudo usurpabat. Tale enim orationis genus maxime conveniens futurum erat auctoribus ipsis, quorum versionem susceperant, ut qui non persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed nuda, & ab omni eloquentiæ fuco remota veritate pollerent. Quid igitur miraris, quid tantas tragœdias excitas, si usitatas Sacro eloquio dicendi formulas in his fragmentis offendis, nec venit in mentem, quibus illæ personis, cui hominum generi tribuantur? nempe cocis, pistoribus, lapidariis, cæteriique ex infima vulgi fæce petitis, quorum ut a moribus longissime distant altissimi Divinæ scripturæ sensus, sic a sermone non admodum oratio discrepat. Hi si tibi videntur inquinate, si abjecte, si barbare loqui, nil miri, nil novi accidit; hoc enim ipsi etiam Petronio videtur, nec risui temperat cum illos audit; ut crebris interdum potiunculis impotentiam splenis castigare necesse habeat, ne in cachinnos erumpat, & usque ad lacrymas rideat una cum doctis, & elegantibus viris ad hanc cœnam adhibitis. An alia mente hoc suum opus Satyrici titulo inscriptum ab illo putas, quam quod omnigenæ varietatis plenum est? quid igitur mirum, aut decoro adversum, si cui vitia hominum notare atque irridere propositum est, sermonis vitia insectetur, eamque materiam suscepto argumento non alienam existimet? Hinc illi affectati archaismi, hinc importunus Græcarum dictionum usus, & cetera quæ tu merito barbara, & stolida esse putas; sed præcipue illa quæ tibi videntur nova, & hodiernum Italicum sermonem redolentia.

quid autem inde colligis? an idcirco scriptoris propositò convenire negas? quid tu vulgarem hanc Latini sermonis usum, diversis quasi canalibus in Italos, Gallosque ac Hispanos derivatum, subito credis quasi ranas pluvias extitisse, nec potius paulatim, & valescentibus per intervalla corruptelis ab usque veteri Latio cœptis? In quo etiam illi unius Urbis Cives, & modici agri Coloni aliter tamen vulgo, aliter inter honestiores loquebantur, eoque magis cum Populus deinde

——— cœpit agros extendere victor & Urbem
Latior amplecti murus ———

Nec vero dubia res est. Alioquin enim quæ tanta laus fuisset aut Corneliæ Gracchorum matris, aut Aureliæ Cæsaris, multarumque præterea illustrium Matronarum, quod liberos suos inter alias honestas artes ad nitorem Romani sermonis instituissent, quidve opus foret exquisitis illis educationis præceptis, quæ ne nutrices quidem, quarum sermo vitiosus esset, ad puerorum consuetudinem admittunt? Multo latius deinde patere cœpit hæc loquendi in uno eodemque populo diversitas, post infusam Urbi, ut ait Cicero, peregrinitatem, & refertam colluvie omnium nationum Italiam; cujus rei exempla litteris consignata proferre magni, & molesti negotii res est. Quem enim tunc, cum pulcherrima, & elegantissima quæque tam fœde negligebantur, quisquilias hujusmodi suâ curâ dignaturum fuisse putamus, ut communi litterarum calamitati subtraherentur? Illud satis exploratum videtur ex paucis & obscuris, quæ utcunque superstant, vestigiis, aliam atque aliam hujus vitii faciem fuisse pro temporum, in quæ incidit diversitate; aliter enim humiles personæ in Plauti scena inductæ, laborant hoc morbo, aliter postea laborasse credendi sunt Amafanius ille & Rabirius, quos M. Varro *vulgari sermone* disputasse in Academicis apud Ciceronem commemorat, quorumque sese vir ille doctissimus dissimilem esse gloriatur: alia in hoc genere alicubi peccat Vitruvius, & si quis alius eo tempore stilum sævum hac fæce sermonis inquinavit: alia longo post intervallo scriptor historiæ Romanorum Pontificum, quæ nomine Anastasii Bibliothecarii circumfertur; quibus ego adjicio, ut ad nostra tempora propius accedam, Dantis comœdiam; ejus enim dictio adeo popularis est, & ad vulgi gustum accommodata, quemadmodum æquali ejus Francisco Petrarchæ placet, ut cauponibus, & fullonibus, ac lanistis in deliciis fuerit; quæ tamen hac nostra ætate nisi doctis, & eruditis, nec intelligitur, nec omnino quidquam sapit. Quod certe summo poëtæ, & eloquentissimo scriptori vitio verti non debet; nam quod antea erat linguæ Latinæ corruptela, jam proprium novi in Italia idiomatis corpus, suo cultu ornatum, suo nitore conspiciendum esse cœpit; neque enim illic Danti Latine loqui propositum, tum ut superioribus, quos dixi, fuit; nec vero si fuisset, non elegantissime, & pro cætera sua summa doctrina, & eruditione loqui potuisset. Jam vero suam vulgaris, & plebejæ orationis faciem defuisse, credibile non est etiam Petronii ætate; cujus ego cum expressissima vestigia in hoc fragmento cernam, nec alia in chartis occurrant, cum quibus illa conferam, & sic esse tibi persuadeam, ad ea litterarum monumenta, in quæ temporum inclementiæ minus licuit, respiciam oportet, ad lapides, inquam, priscis inscriptionibus insignes. Hæc mecum, imo cum Salmasio similem hujus nostræ, cum agit de lingua Helleniſtica controversiam agitante, quæso recognosce, & Gruterum aliosque monumentorum hujusmodi collectores consule, & persuade tibi, si potes, quicquam te ad hanc causam boni consilii, quidquam recti judicii, denique sanæ mentis aut rationis attulisse.

Certe mihi aliquando peccata illa perpetua in genere nominum, in hoc fragmento reputanti adeo gravia visa sunt, ut librarii illa negligentiæ potius, quam auctoris proposito, quamvis invita ratione tribuenda censerem; donec admonitus à pariete, quem dixi, in Titi thermis invento me collegi: nam duas areas inter cæteras ejus historias spectari ajunt his appositis inscriptionibus:

Forus Olitorius.
Forus Boarius.

qua re accepta, stuporem illico damnavi meum, ut jam nec *cælus*, nec *fatus*, nec *vinus*, nec *lorus* displiceant. Imo versare statim animo cœpi, an hoc proprium valescentis plebeji sermonis inelegantiæ, & veteris linguæ probitatem superantis vitium esse putarem, cum etiam apud Gruterum depravationes hujusmodi generis multis in vocibus animadverterem, cumque *lutus* pro lutum, *vase sua* pro vase suo, *hic monumentus*, pro hoc monumentum, scriptum viderem. Nec vero ulterius, quin ita factum esse statuerem, dubitavi, ubi primum a Bembo didici, nullum generis neutri, nec in Italicæ, nec in aliarum vulgarium linguarum nominibus usum esse; eam igitur corruptelam sermonis, ut omnes alias, paulatim irrepsisse verisimile est, quod sine dubio fieri non potuit, nisi multo antea, adeoque prioribus sæculis incepisset, donec à sermone, qui nunc in usu est, omne penitus exolesceret neutri generis vocabulum. Vides profecto neque phrases sacræ Scripturæ, neque idiotismos hodierni Italici sermonis huic fragmento quidquam esse fraudi, quominus probum, & germanum, & antiquum esse censeatur. Adde veras corruptiones vocum ab imperitia librariorum profectas; adde sciolorum interpolationes, & ex margine in contextum irruptiones; & cætera scriptionis peccata: in quæ si quidquam accusatori meo cordis esset, non excandesceret, nec scriptum hoc temere suppositicium pronunciaret, nec tam industriam suam operi calumniando, quam castigando, & restituendo collocaret.

Actum erat de pulcherrimis antiquitatis monumentis, si, quæ illi in hoc genere mens est, primis illis lit-

litterarum assertoribus superiore sæculo fuisset. Quid enim Plinio corruptius, quid Fabio Quintiliano, quid libris & fragmentis Livii posterius inventis mendosius, aut deformius fuit, cum primum ad manus eruditorum pervenere? quorum tamen vitia doctissimi homines, nequaquam elato, ut facit hic Censor, supercilio excepere, nec modo corvorum, & vulturum ad laceranda ea corpora quasi vulneribus confecta, sed instar officiosi medici, cum ex parte, quam integram cernebant, vita, ac spiritu prædita intelligerent, ad cæteras sese sanandas ac restituendas accinxere. At enim hujus fragmenti deformitas insignis est, nimisque frequens per totum ejus contextum barbaries. quasi vero terminus in hac re aliquis præscriptus esset, aut modus statui potuerit injuriæ temporis, intra quem sævire in libros deberet. An vero idcirco præcipites nos esse convenit in ferenda contra veritatem manuscriptorum codicum sententia, propterea quod paulo quam cætera durius habiti sunt, nec potius diligenter in utramque partem negotium examinare, plusne momenti esse videatur in vitiis ad librum repudiandum, quam in iis quæ integra, & genuina sunt, ad agnoscendum.

Hoc ipsum P.C. vobis hodie diligenter in hac causa faciendum est, nec est quod timeatis, ne nimis prolixa oratione fatigemini, cum alteram hujus propositi partem executi jam simus; satis enim liquet ex iis, quæ hactenus disputavimus, quanti sit ad sententiam de hujus fragmenti statu ferendam, quod mendis, & barbarismis, & cæteris sermonis vitiis inquinatum, ac deformatum est, cum partim ea vitia de industria adhibita, partim fortuito illapsa ostendimus. Age vicissim, quæ integra hic videmus, quæ castigata, quæ urbanitatis, & elegantiæ plena, & ad Petroniani palati saporem perfecta, num à barbaro aliquo, & inconcinno scriptore, qualia erant æqualium hujus codicis ingenia, excogitari, & fingi potuerint: quorum, si placet, nonnulla insigniora in medium proferam.

Auspicari autem libet ab iis, quæ doctissimus Schefferus recensuit, *de arenæ sparsione in theatris*: *de vitali lecto*: *de jejunio tempore siccitatis*: *de lanatis Deorum pedibus*: *de gladiatore tertiario*: *de exhæredatione cum elogio*: *de Venere strabone*: *de puero hederis redimito, & modo Bromium, interdum Lyæum, Eubiumque confesso*: *de Priapo cum frugibus in sinu more vulgato*. His adde, *cœnam liberam*, & *Barbatoriam* cum Valesio, præterea *pueros capillatos*, *canes Laconicos*, *serrum Noricum*, *Titulum auctionis*, *cisternam frigidariam*; *Sponsionis provocationem*, *si prasinus proximis circensibus primus palmam*. *monumentum quod hæredem non sequeretur*, *in fronte pedes centum*, *in agro ducentos porrectum*. adde *morem ultimo supplicio in servos animadvertendi*, & quod *genio Domini maledicere capitale* fuerit.

Quid illæ notiones vocum ex intimo Latinitatis penu depromptæ, *familia* pro servis: *contubernalis* pro uxore servi: *maligne* pro parum, *pro reliqua sua insolentia*, nec potius, ut vulgus scribentium diceret, juxta reliquam suam insolentiam: *duravi interrogare* pro sustinui, cum Tacito: ubi ait, *Augustum in nullius unquam suorum necem durasse*. *Præconis artificium* pro re quæstuosa, cum Martiale:

Artes enim, ait ille, *discere vult pecuniosas*,
Præconem facito vel Architectum.

fortunæ filius cum Horatio: *imperare* pro exercere cum Virgilio, ubi ille,

Exercetque frequens tellurem atque imperat arvis.

In signo piscium natos obsonatores futuros, qua conjectura notum videtur, huic scriptori, quod eruditionem non vulgarem sapit, *obsonium* pro piscibus, quasi per antonomasiam usurpari. Jam *proscribere*, id est venum exponere: jam *castigare crebris potiunculis risum*, & non potius coërcere: & *interpellare* pro impedire: *subornatus* pro instructus: *supremum diem obire* pro mori. ad summum enim barbarus obire simpliciter dixisset: *offendere* pro displicere. Quid illa? *secundum litteras*: *secundum statuam*: *ab hoc epigrammate poetarum cæpit esse mentio*: *ab hoc ferculo Trimalchio ad lasanum surrexit*, nonne in medio Latio videntur nata? & *odi pessime*, non potius odi maxime. quid illæ aliæ formulæ minime vulgares, *& facinus indignum*, *aliquis ovillam est & tunicam habet?* ubi notabilis est antiquorum lanæ frequentior, quam lini usus, & ipse vulgo non admodum notus. Item ubi Trimalchio in coquum excandescens, *Oblivisceretur*, inquit, *aliquis porcum exenterare*. in quibus ego formulis Maronianam musam elegantissime hunc ipsum affectum exequentem agnosco, cum ait:

Tunc pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad limina surgere vita.

Jam illæ transitiones lepidissimæ, *quid multa? ne multis vos morer*: item ubi convivam oscitantiam coci damnantem inducit, quod porcum non exenteraverit, & dicentem, *non mehercules illi ignoscerem, si piscem præterisset*, statim subjicit: *At non Trimalchio, qui relaxato in hilaritatem vultu*. *Ergo inquit, quia tam mala memoria es, palam nobis illum exentera*. Affine huic illud Virgilii:

Hæc Proteus, & se jactu dedit æquor in altum,
Quamque dedit spumantem undam sub vertice torsit.
At non Cyrene: *namque ultro affata timentem*.

Audite reliqua hujus narrationis, & nisi lepidissima sunt, & vere Petroniana, me licet impostorem, & planum, & hoc fragmentum suppositititium, & adulterinum judicate: *Recepta coquus tunica cultrum arripuit, porcique ventrem timida manu secuit; nec mora, ex plagis ponderis inclinatione crescentibus tomacula cum botellis effusa sunt*. *Plausum post hoc automaton familia dedit, & Gajo feliciter conclamavit*. Quid expressius, quid lepidissimo scriptori convenientius? sexcenta sunt hujusmodi P.C. quæ si velim enumerare singula, & laudare pro merito, nullum dicendi finem faciam. Vos ea, cum librum legetis, tacita vobis co-

cogitatione, quæso, subjicite. Quod cum feceritis, fingite, si placet, adductam ad vos aliquam ex illis mulierculis, quæ sese à malis geniis obsessas, & agitatas mentiri solent; Has certe, cum de rebus supra captum suum audimus disserere, cum de Philosophia disputare, cum latine, cum græce memoriter, & expedite loqui, omni illas impostura suspicione liberare solemus. Non aliter hunc, & sua sponte, & sæculi sui fato rudem, indoctum, inelegantem Scriptorem cum docte, erudite, atque eleganter loquentem auditis, à falso conficti, & ex ingenio suppositi hujus fragmenti crimine liberum, & prorsus innoxium pronunciare debetis. Nisi forte imprudenti illi, casu aliquo, verba tam ornata, tamque exquisitas dicendi formulas excidisse putamus. Hoc qui existimat fieri posse, non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ litterarum aliquo conjiciantur, posse ex iis in terram excussis annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quomodo disputabat Balbus ille Tullianus adversus insanam Democriti, & Epicuri philosophiam de Mundo, ex fortuito atomorum concursu fabricato. Sed ut maxime casum interveniisse dicamus in illa parte fragmenti, quæ constat ex colloquiis, ut supra dixi, hominum imperitorum, ubi dictio elegans rarior est, quid faciemus alteri parti, ubi personæ doctæ, & auctoris periculo differentes inducuntur; qua in parte sermonis puritas, & elegantia perpetua est, nihilque oratio discrepat à reliqua fragmentorum, quæ olim edita sunt, oratione, nec omnino quicquam habet, quod auctor hic lepidissimus velit esse non suum?

Hoc autem, ut eo manifestius deprehendatis, signo aliquo ad marginem appositio hanc, quam dixi, fragmenti portionem à reliquis distinguite, & quod non semel a me factum est, separatim legite, ac judicate. aut ego nullum unquam librum Latinum attigi, aut vos scriptionem totam probam, germanam, antiquam, & optimo sæculo natam sine dubitatione pronuntiabitis, & mirari desinetis tantam in hoc fragmento stili varietatem, eamque adeo non exscriptoris crimini, sed auctoris consilio tribuetis, non solum vitia hominum, ut ante dixi, sed etiam sermonis, & linguæ irridentis. Unum excipio, si alicubi vitiosum aliquid offendetis, in quo librarii culpa versata sit, quæ auctori fraudi esse non debet; & est, quod minime ignoratis, omnium veterum monumentorum cum primum ab interitu vindicantur, communis hæc calamitas.

Sed jam satis, ac etiam nimis multa dicta sunt de argumentis, quæ ducit meus accusator ex hujus scripti verbis, ac tota loquendi ratione; ad res veniamus. Offendit censorem nostrum Trimalchionis inurbanitas, illiberales joci, sordes convivarum, indoctique & insulsi sermones, & universus cœnæ apparatus, nequaquam satis exactus ad normam illius Petronii Neronianarum elegantiarum arbitri à Tacito commemorati, quem cum Arbitro nostro confundit. Piget hic P. C. iterum ad partes vocare ineptissimum nugatoris de Nerone Trimalchione commentum, satis, ut arbitror, à Valesio suo, & a me ipso confutatum; quamquam non stomachari non possum, esse aliquem vel mediocriter in Romanæ historiæ cognitione versatum, qui Neronem agnoscat in oratione nullovestigio crudelitatis impressa, quo vitio, cui, Tacito auctore, cæteræ ejus libidines cedebant, tanquam præcipua quadem nota insignis est vita illius Principis, cætera minime inepti, nec indocti, nec rudis, unde etiam satis ampla peti poterat non objurgandi solum, sed etiam deridendi, & amarissimo sale perfricandi materies. Certe sine his notis, & quasi proprio, ut ita dicam, charactere non magis ad verum pingi potuit Nero, quam siue barba Jupiter, sine crinibus Apollo, sine hasta Pallas, sine tridente Neptunus. Alia omnia in animo habuit Petronius noster cum Trimalchionem in scenam induxit, quam Principem ullum Romanum, aut omnino quemquam notæ paulo honestioris mortalem. Ecquid intelligitis rem illi tunc fuisse cum genere hominum humili, abjecto, impuro, quibus nulla à natalibus, nulla educatione, nulla à studiis honestis commendatio est? qui cum divites se factos vident, & literas admirari sero incipiunt, inter suas opes inopes, inter studia doctrinarum indoctissimos se produnt. Quod plerumque usu venit iis, qui repente ditescunt accepto non ab Jove, nec a superis, sed à Dite, & manibus beneficio, præsertim si malæ artes accedant, qualis fuit ille domini sui hæres, a Luciano memoratus, καταπύγων οἰκίτης, ἐκ παιδικῶν τίμιος, ὑπεξυρημένος ἔτι τὴν γνάθον, ἀντὶ ποικίλων καὶ παιτοδαπῶν ἡδονῶν, ἃς ἤδη ἐξαρκῶς ὠν ὑπηρέτησεν αὐτῷ, μίγα τὸ μίδωμα ὀγυιαῖος ἀπολαβών· quibus fortunæ gradibus sese ad suam felicitatem processisse Trimalchio non gravate fatetur, nec improbabile omnino est, ejus personam Petronium ab hoc ipso Luciani loco petiisse; id quod certe nemo scriptor qui ccc. abhinc annos vixerit facere potuit, cum eo sæculo neque Luciani, nec omnino Graci cujusquam scriptoris ulla pene esset inter Latinos cognitio: ita ut homines doctos quoties consulto Aristotele, aut Platone, cæterisque insignioribus Græciæ luminibus opus esset, ad interpretes Arabas, & horum versiones sæculo superiore à Latinis factas se conferre oporteret: id quod Divum Thomam fecisse memorant, ad illustrandas suas illas admirabiles de Philosophia morali & rerum natura disputationes.

Sed ut, unde digressi sumus, redeamus, Hæc universa hominum stultorum natio à Græcis νώπλητοι appellantur, vocabulo non fortunæ modo novitati impositio, sed etiam ingenio, & vitiis quæ plerumque hanc mutationem sequi solent; indeque usu receptum est, ut cum quid ineptum, importunum, sui impotens dicere volumus, νώπλητον dicamus. Sic in cœna, quam Plutarchus paulo hac nostra apparatiorem septem prisis Sapientibus instruxit, sermones convivarum in persequendis vini saporibus, & unguentorum odoribus

bus justo plus occupati φορτικόν τι καὶ νεόπλουτον judicatur: sic nimis exquisitam in vitæ cultu magnificentiam Dio ille Syracusanus, accepta à Magistro suo Platone doctrina, νεόπλουτον τρυφὴν appellavit. Ita Cicero, cùm de Campanis sui temporis verba ad Quirites faceret: *Imò*, inquit, *hôc etiam magis quam illi veteres, germanique Campani, quod in vetere fortuna illos natos, nimiæ tamen rerum copiæ depravabant, hi ex summa egestate in eandem rerum abundantiam traducti, non solum copia, sed etiam insolentia commovebuntur.* Hujus autem fæcis tanta copia in vita est, ut Aristoteles, cum sua illa divina de tractandis affectibus, & permovendis animis præcepta formaret, genusque humanum in quasdam veluti classes partiri instituisset, & suos cuique mores, sua studia assignaret; unam inter cæteras repentinorum hujusmodi divitum posuerit. Διαφέρει δὲ (ait ille) τοῖς νεωστὶ κεκτημένοις, καὶ τοῖς πάλαι, τὰ ἤθη, τῷ ἅπαντα μᾶλλον καὶ φαυλότερα τὰ κακὰ ἔχειν τοὺς νεοπλούτους· ὥσπερ γὰρ ἀπαιδευσία πλοῦτος ἐστὶ τὸ νεόπλουτον εἶναι· quasi divitem esse, ratio quædam, atque doctrina, non merum fortunæ beneficium sit; quam Tacitus *luxum eruditum*, quam Flaccus *artem fruendi* nominavit. Hanc tantam tam uberem jocandi, ridendique materiam, quid, oro, mirum est, à Satyrico lepidissimo delectam esse, & tam obviam; tamque late patentem in hoc vitio hominum intemperantiam ad notandum susceptam, quomodo Rhetorum vanitatem, & Grammaticorum ineptias, & juvenum amores, & fœminarum impudicitiam notavit?

Jam, si placet, videamus an hoc suum describendi, ac traducendi neoplutos propositum recte hic Petronius exequatur, & an ipse Trimalchio impositam sibi ad hoc præstandum divitis inepti personam satis cum dignitate sustineat. Illum autem ex ea parte, qua jam pridem notus est, & minime controversus, æstimemus, ex vetere, inquam, & ante edito fragmento, ut ejus mox priora lineamenta, vultumque incessum cum his novis, & recens cognitis conferamus.

Jam primum omnium lusus ille pilæ cum pueris capillatis, quam ineptus in sene deliro sit, quam indecorus, videtis: quam deinde sordidæ, atque intempestivæ deliciæ, matellam argenteam paratam habentis, & exonerantis in propatulo vesicam, mox lavantis, & ad manus abstergendas pueri capillos pro mappa adhibentis. quantum vero arrogantiæ in novo more, primum in convivio locum occupandi, inque solemni illo ad epulas, quasi ad sacrificium, accessu: in illo ambitioso cursorum phaleratorum comitatu, chiromaxio, quo veheretur vetulus, lippus, & deformissimo domino deformior catamitus: in procaci servorum ad symphoniam ministrantium choro: jam repositorium illud operosum, quo convivas suos cœlo inferre, & Jovis epulis admovere visus sibi est. jam fercula suis quæque cœli signis attributa, nulla cum elegantia, eaque vilia, & ad quæ ipsi convivæ tristes, & nauseantes accedunt. Quid ille scissor, qui unius vocabuli compendio, & nomen audiret, & imperium acciperet, quam proximus, & plane germanus est illi in hoc novo fragmento commemorato vasorum Corinthiorum artifici, quorum utriusque nominibus ad frigidissimos suos jocos effutiendos nugator abutitur? Quid ficedulæ, quas omnino præstabat nudas, aut pipere, ut placet Martiali, adspersas mensæ apponere, quam accersita putrium ovorum imagine conspurcare? quod idem deinde facit botulis, ac tomaculis, quæ præclarus hic cœnarum magister, nequaquam satis conciliari potuisse convivarum palato existimavit, nisi fœda stercoris porcini opinione condivisset. Adde jactantiam opulentiæ & armillarum, anulorumque vanissimam ostentationem, qualem prorsus legimus apud Lucianum in simili convivatore, qui diu sordidus, repente divitem se, & ex Simone Simoniden factum somniavit: adde sermones inconditos, & plebejos, & insulsa, atque invito Apolline profusa carmina: adde longam illam de moribus Fortunatæ, & de sodalibus Trimalchionis unius convivarum narrationem, cujus dictio non minus rudis, & inelegans est in paucis illis clausulis, quæ in calce veteris fragmenti leguntur, quam in reliquo ejus progressu, quem hujus nostri Codicis beneficio debemus.

Hæc omnia ex veteris cœnæ fragmento prolata, aliaque permulta, quæ etiam proferri possunt, ruris, & inficetiarum pleniissima, si cum iis quæ in hoc novo legimus, diligenter attenteque conferantur, non puto tam aquam aquæ, non ovum tam ovo simile visum iri. Quod quidem, si tu, Vagensili, ut faceres ab ista animi tui levitate impetrare potuisses, si serio potius, & considerate, quam petasatus, & longinquo intentus itineri, oscitanter & perfunctorie ad judicandum te contulisses, quamlibet obtusus, tardusque sis, aliter omnino, ac feceris, de re quam vides minime dubiam pronunciasses: non temere objecisses novitatis crimen nunquam tibi viso codici, quod unica ejus inspectione dilui, & in ventos abire posse suspicari debueras: non accusasses nullis adductus inimicitiis, nulla violatus injuria, hominem prorsus ignotum, nec idcirco dum fragili illidere dentem credis, tam solidum, quam nunc experiris, offendisses. Sed omittamus P. C. adolescentem inconsideratum, & improvidum, jam, ut arbitror, hac tanta veritatis luce adversus se opposita obstupefactum, ut mutire, aut hiscere contra amplius omnino non audeat. Unum tamen adjiciam quod salva fide prætermittere non possum: adversari nonnihil vetustati hujus codicis adscripta illi Catulli carmina, quem aliquanto serius inventum ajunt. Verum si Josepho Scaligero diligenti hujus poetæ commentatori credimus, non integri 50 anni à summa, quam ejus ætati assignavimus detrahentur, quo certe dispendio nihil deperit virium argumentis inductis pro veritate fragmenti; quandoquidem vis eorum omnis in sæculi, quo scriptum hoc prodiit, rusticitate sita est, quæ profectò addito hoc spatio in immensum crevit, Petrarcha scilicet quasi

duce bonarum artium extincto, quo tempore, ut idem Scaliger ait, litteras scire barbaries erat.

Venio nunc ad alterum accusatorem, Hadrianum, inquam, Valesium, cum quo, quia nullas mihi nominatim inimicitias denunciat, sed litterarum dumtaxat certamen, nullo sibi desumpto adversario, ingressus est, lenius & civilius agendum puto; simul rationem habebo hominis dignitatis, propter laudatos ejus in augenda re litteraria conatus, & quod Henrico Valesio ejus fratri novissima Eusebianæ Historiæ editione, multisque aliis ingenii monumentis clarissimo plurimum tribuo. Itaque amice adversus illum, non accusatorie, nec jurgiis, aut maledictis, sed querelis, & expostulationibus certabo, nec tam de causa, quam superioribus argumentis optime constitutam, & in tuto jam positam arbitror, quam de me ipso privatim, & nonnullis meis civibus, ac ipsa de Patria pauca dicam. Et primo quidem; quod me ignotum appellat, facile ignosco homini in ampliſſimo doctrinarum omnium theatro versanti, & magno conatu, an etiam via, & ratione, ipse viderit, ad famam, ac nominis æternitatem nitenti. Monere tamen non omittam, ut caute agat, & quantum in se negotii suscipiat, etiam atque etiam consideret, nec vero se utcunque notum, & celebrem esse, rem admodum præclaram, & viro sapienti expetibilem putet. Id quod sine dubio scriptorem rerum gestarum (inter quos ille nomen suum, ut audio, professus est) propter effusa hominum omnis ordinis in hoc genus litterarum studia, extemplo sequitur, neque enim sine fama, incertum bona, an mala, cæterum ampla, & perpetua esse potest, non ergo de magna, atque æterna ei fama, quæ invitum etiam manet, sed de bona, & prospera laborandum est: ad eam porro, nisi in sua historia conscribenda haud paulo majore diligentia, consilioque utetur, quam in hac agendi causa usus est, nullo pacto perveniet. Nec minus libenter errori illius de mea ætate veniam tribuo, cum hominem quinquaginta amplius annos natum, credo juvenilium studiorum meorum commemoratione deceptus, juvenem vocat; &

O mihi præteritos referat si Juppiter annos!

cum hæc audio, interdum exclamo. illud animo satis æquo ferre non possum, quod in patriam meam, non id exigentibus causæ suæ rationibus, gratuito injurius est, cum eam urbem Dalmatiæ ignobilem esse affirmat. Sed prius quam ad agendam publicam Civitatis causam descendo, adhuc pauca tecum privatim expostulare animus est. Inclementer omnino facere videris, ne dicam inurbane, quod Zippicos, Cives meos, homines ignotos, & obscuros nominas, quorum familiæ à majoribus, & opibus, & honoribus, ab artium doctrinæque cultu abunde supereſt, quo se ab hac tua contumelia tueantur; sed ut ea quæ fortunæ sunt, missa faciam, nihil ne movet animum tuum Coriolani Cippici commemoratio, à Typographo Patavino cum laude facta? cui sine dubio egregie respondere comperimus opusculum illud non inelegans de rebus in Asia gestis, nisi tuam unam historiam lectu & cognitu dignam existimas: sed habe aliud ingenii monumentum hujus ipsius Coriolani in Vaticana Bibliotheca, ubi inter alios clarorum Poetarum lusus carmen hoc reperiri accipio:

Qualem soni suus, & ruina disci?
Et dens fulminei peremit apri:
Qualem sustulit armiger Tonantis:
Et flerunt Berecynthii Leones:
Et frustra miser Hercules vocavit.
Hoc Quaterius, heu, jacet sepulchro,
Jam laus, nunc dolor urbis universæ.
Sed flet. hoc satis est. abi Viator.

Hunc non vulgaris impetum spiritus, & ingenii non mediocriter eruditi fœtum apud te, quæso, diligenter expende, & imprudentem, homini tanta doctrinæ elegantia, quantam in eo fuisse vel ex hac parva verborum clausula necesse est, maledixisse pœniteat. Sed vereor ne hac ipsa veteris hujus codicis domini eruditione ad causam fragmenti premendam abutare, &, quid ita factum sit, exclames, ut solus tanto thesauro, cujus pretium non ignorasset, incubaverit, non eo se reperto sit gloriatus, non protulerit, non vulgaverit? Expectabam ut adderes, non impresserit, non typis edi curaverit; cum nondum ullus typorum, nullus in scribendo formarum usus esset. Pergitisne omnium temporum, omniumque morum rationem confundere, & quid cuique conveniens, quid proprium sit, aut negligere, aut ignorare, & qua facie rem litterariam hodie cernitis, eadem semper fuisse judicare? Sed jam ad publicum patriæ meæ negotium accedam. Qua in re quoniam turpe est patritio, ut ait ille, viro jus in quo versatur ignorare, ne, quæso, moleste feras, si te officii tui tantisper admoneam, & in rerum, quodque Historiam scribere professo non minori curæ esse debet, locorum cognitione non admodum esse versatum ostendam.

Tragurio meo, si nescis, quæ summa sapientum judicio urbibus esse solet, nobilitas est: Primum ob vetustatem originis, quæ ab usque anno bis millesimo repetatur, quo tempore Syracusii, Dionysio tyranno post porrectas ad vicinam Italiam opes, Adriatici maris imperium animo agitante, Issum urbem, insulæ, quam ad sedes figendas delegerant, cognominem condidere; à quibus mox, abundante sobolis copia in vicina Illyrici continente, Tragurium, & Epetium coloniæ deductæ sunt. hoc autem apud Polybium & Strabonem vetustissimos, & gravissimos auctores, si voles, invenies. Deinde ob conditorum, qui per ea tempora & opum magnitudine, & rebus gestis clarissimi habiti sunt. Quanti autem adversus lutum, quo tu hanc civitatem involvis, est, principem illam fuisse inferendæ in oram Illyricam illius tractus humanitatis, & litterarum? quod illi bonum ex monstrato erudito vitæ cultu, & mansuetis Græcorum moribus accidisse necesse est: quandoquidem ad temperandam ac veluti cicurandam ejus viciniæ barbariem hoc Tragurium-

gurium noſtrum illi parti Illyrici præſtitit, quod veteri Sicaniæ Syracuſæ, quod Cumæ Campaniæ, quod Thraciæ Byzantium, quod Maſſilia Galliæ tuæ; unde Druſidas illos veteres plurima hauſiſſe tum ad religiones ordinandas, tum ad gubernandam rempublicam, argumento eſt uſus ab iis linguæ græcæ multis in rebus, teſte Cæſare, deinde adhibitus. Hoc, inquam, idem veteres cives mei finitimos barbaros beneficio affecere; neque enim aliter fieri potuit, ut homines antea feri, rudes, inhoſpitales, bellicam ſuam virtutem unâ piraticâ, & latrociniis exercitam juſtis militaris diſciplinæ præceptis, & inſtitutis temperari, & caſtigari ſuſtinuiſſent; nec ſine ſumma ratione, hinc potiſſimum accepta, vicini Dalmatienſes, aut initia ſumere, aut nomen opeſque ſuas, non amplitudine illi terrarum, ſed hominum frequentia, & militaris diſciplinæ laude, propagare potuerunt, ut conſimili Achæorum, qui & ipſi circa eadem tempora floruere, inſtituto plures civitates in commune conſulerent, & in unum veluti corpus coaleſcerent, eoque conſenſu, & ſibi præſidio, & hoſtibus terrori, & univerſæ genti ornamento eſſent: ad quos idcirco debellandos, & ſibi adjungendos non minus negotii populo Romano, quam uſquam alibi terrarum fuit. Hinc illa Dalmatici triumphi laurus, nobili Flacci carmine celebrata, & ſplendidum Salonini cognomen; unde non minus honoris Pollionis familiæ, quam Metellis à Creta, ab Africa Scipionibus, à Germania Neronibus & Druſis acceſſit. Succubuit mox ſine dubio una cum reliquo terrarum orbe, prævalentibus populi Romani viribus, etiam Dalmatia, atque Illyricum univerſum, cui tamen ea calamitas incremento potius, quam incommodo fuit, ut fines ſuos antea modicos ad Iſtrum latiſſime extenderet; quo tempore civitas noſtra ſplendidæ inter cæteras civium Romanorum Coloniæ dignitatem obtinuit, communibuſque deinde tum periculis, tum cladibus à Gothorum, cæterorumque barbarorum immanitate protectis defuncta uſque ad Sclavorum adventum incolumis fuit. Hujus gentis inſanis viribus, quamquam everſa, & confecta, ut Salonæ, & reliquæ ejuſdem tractus civitates, obſtitit tamen, & in eodem veſtigio, quantum afflictæ, & perditæ licuit, vetus ſuum nomen tueri, & patrias leges colere, atque obſervare perſeveravit, vitam, quam agri fructibus non licebat, maritimis quæſtibus, & mercaturæ induſtria tolerando; eo majore, quam aliæ eodem uſæ fato Dalmatiæ civitates, quod non ſolum veteres mores, vetusque erga Principes Romanos obſequium, ſed etiam locum ipſum retinuit, & quoad potuit ſibique, & Reipublicæ, & nomini Chriſtiano ſumma cum fortitudinis, atque conſtantiæ laude conſervavit. Alteram deinde cladem à Saracenis eſt paſſa direptionis, atque incendii; & quamvis ſe funditus exciſam vidiſſet, non tamen obniti contra fortunam deſiit, quin iterum reſurgeret, & refloreſceret, & fidem ſuam integram atque conſtantem tum Ungarico, tum Veneto Imperio egregie approbaret, & priſcos Romanos mores, & linguam nullis admixtis vicinorum barbarorum corruptelis ad hæc uſque tempora tueretur. Hanc, tu Valeſi, Civitatem tam ſplendidis ortam initiis, talibus fundatam inſtitutis, tam illuſtri in utramque partem fortuna exercitam, ne, oro, poſthac ignobilem appelles. Reverere, ſi quicquam humanitatis in te eſt, veterem ejus virtutem, reverere gloriam, & hanc ipſam, ut ille ait, ſenectutem; quæ in homine venerabilis, in urbibus ſacroſancta eſt. Quod ſi ad urbium nobilitatem non ſatis in vetuſtate momenti eſſe putas, confer animum ad præſentes hujus civitatis una cum cætera Dalmatia res, &, ſi potes, aude contemnere quotidiana noſtræ gentis cum hoſte omnium validiſſimo certamina, ac perſeverantem quatuor & viginti annorum luctam, in qua non ſolum impetum illius tanta vi in nos effuſum conſtantiſſime ſuſtinemus (id quod in altera belli parte, quæ Cretam exercet, ſummæ laudis eſt) ſed etiam ultro in apertum prodire audemus, & abactionibus prædarum, vaſtationibus agrorum, & oppidorum expugnationibus infeſtiſſimum illi ciere bellum. quantum autem in nobis eſt, adeo locum munitum tot obſidiones paſſi nullum amiſimus, ut potius Venetum hac ejus parte imperium late propagaverimus.

Quod ſi Principi noſtro ſatis opum, ac virium eſſet, ut quæ noſtra potiſſimum ope, noſtrisque ſudoribus, ac ſanguine hactenus de hoſte cepit, retinere, ac tueri poſſet, quamvis Cretæ poſſeſſione (quod Deus omen avertat) dejiceretur, nihil omnino eſſet, quamobrem illum hujus belli fortunæ pœniteret; contra autem quamobrem adverſarius ſuam viciſſim afflictam jam & perditam ducat, ſi quicquam in eo cordis eſt, abunde magnas, graveſque cauſas habet: quod ſuper vaſtatas, atque in ſolitudinem prope redactas latiſſimas regiones, hoc memorabili experimento apud nos facto, ignaviæ ſuæ ſeſe convictum intelligit: quod ſeneſcentem in mentibus hominum terrorem ejus virium videt, quo maxima adverſus majores noſtros illi genti confecta ſunt bella, & clariſſima illius Imperio Regna, Provinciæque adjunctæ. Quod ſi Clariſſimo Regi veſtro uti adverſus hos barbaros ſua virtute, ſuiſque viribus libebit, ſi, ut rumor validior in dies eſt, hoc ſpectant ejus conſilia, & apparatus, & evocati ab aula Ottomanica Legati propoſitum; ſi Deus propitius aderit, ut huic tanto inceptui fortuna reſpondeat, quam tu cenſes futuram tantarum rerum præcipuam cauſam, quem, oro, veluti auctorem expeditionum, ac victoriarum facies, quibus iterum in Oriente gens Chriſtiana clareſcet? nimirum eam gentem, cujus virtute, ac periculis factum eſt, ut hoc iter ad laudem, quod hactenus arduum, & inacceſſum viſum eſt, planum, facile, expeditum eſſe conſtaret: quomodo laudatus ille in vetere memoria Xenophontis cum parva Græcorum manu per infeſtas Perſarum nationes in patriam reditus, eaque

re periculum barbaricæ ignaviæ factum, & mentes hominum à tanti hostis terrore liberatæ, prima victoriarum Alexandri & Macedonum, si Polybio credimus, causa fuit. Quod si nihil à nobis aliud ad res tam præclaras, tamque magnificas esset profectum, quam ut locum, sedemque ipsi otiosi cessanteque præberemus; non tamen erat, quod cuiquam obscura, aut ingloria videri posset hominum natio, quorum caput in medium rerum omnium discrimen fortuna conjecerit, &,

——— *quorum actus uterque,*

non secus ac Sigæis olim in campis,

Europa atque Asia terris concurrerit orbis.

Libet enim in optima causa magnifice loqui; nec vereor, ne me quisquam idcirco tumidum potius & gloriosum, quam justissimæ pietati laudabiliter indulgentem existimet. Hæc, atque talia assiduis hominum sermonibus celebrata, neque ignorare, neque contemnere impune potes. Quid ergo venit in mentem, importunam de nobilitate controversiam excitare? an quod omnia præ te contemnis, quia forte animos facit præclarum istud cognomen cum priscis Francorum Regibus tibi commune? Quod si mihi res esset cum quopiam alio, quem tanti non facerem, quanti apud me ipse meritò es, prope esset ut exclamarem sic:

——— *Nanum cujusdam Atlanta vocamus,*
Æthyopem Cycnum, parvam, extortamque puellam
Europen, canibus nigris, scabieque vetusta
Lavibus, & sicca lambentibus ora lucerna
Nomen erit Tigris, Leo, Pardus, si quid adhuc est
Quod fremat in terris violentius.

Sed, ut dixi, summam tuæ dignitatis habeo rationem, tibique, & propter tuum ipsius, & propter doctissimi Viri fratris tui virtutem, cujus ad te redundat gloria, tantum tribuo, ut te unum clarissimum Virum, & nullo non præclaro nomine, nullis non splendidissimis titulis dignum existimem, idque libenter, atque ingenue præ me fero, nec sententiarum inter nos dissensionem ad animorum usque dissidium, quantum in me est, excrescere patiar: nihil enim homini docto, & liberaliter instituto æque conveniens esse statuo, quam litterarias hujusmodi controversias modeste, verecunde, civiliter exercere.

Sed jam satis multa in causa, ac etiam plura fortasse, quam oportet, extra causam. Reliquum est P.C., ut non jam rationibus, & argumentis, sed precibus, & obsecrationibus vobis cum agam; nec vero pro me, cujus ætatem extra aleam hujus, quodcunque periculi est, positam esse videtis; ac ne pro descriptore quidem hujus codicis, qui criminis a nemine commissi, & nusquam exstantis, aut apparentis reus agitur; sed pro ipso Petronio, ne clarissimi Scriptoris commoda & rationes, accusatorum meorum alterius inconsideratæ malignitati, alterius præpropero judicio dedendas putetis: ne ejus miseræ, & multum jactatæ fortunæ postremas hasce reliquias, quasi tempestate quadam in littus ejectas, mergi rursus, & eruditorum fructui eripi, & extorqueri patiamini. Satis superque discriminum adiit, satis dura, & aspera perpessus est, vix exigua sui parte incolumis, atque superstes. Nec vestræ videtur esse humanitatis, ut cujusquam odium, & sævitiam cum blattis ac tineis, & cæteris temporis injuriis, initam ad ejus perniciem conspirationem probasse videamini. Liceat illi vestro fretum prædio resurgere paulatim a sua calamitate, & convalescere, purgatumque a turpissimo crimine in clarissima litterarum luce cum dignitate versari. Statuite sententiis vestris exemplum, ad quod respiciendo homines adolescentes modum adhibere condiscant ingeniorum libidini, & gloriæ cupiditati, tutioremque a sua cuique virtute ad laudem ascensum, quam per alterius ruinas esse putare. Denique in hoc toto negotio transigendo quid veritas patiatur, quid ratio postulet, quid vestram deceat gravitatem, quid ex usu Reip. litterariæ maxime sit, pro vestra singulari fide, ac sapientia considerate.

JOANNIS SCHEFFERI, ARGENTORATENSIS DE Fragmenti hujus Traguriani vero Auctore DISSERTATIO.

De fragmento istoc, quod sub nomine Petronii non ita pridem publicatum est Patavii, & dubitarunt multi, antequam in lucem ederetur, essetne verus ejus auctor Petronius, uti constat ex præfatione saltem, quam præposuisse illi dicitur Typographus, & nunc, postquam exiit, dubitare quidam non omittunt. Scilicet quod Plauto accidit, ut non paucæ ejus complerentur à recentioribus lacunæ, integrique aliquando adderentur actus: quod Ciceroni ipsi, ut nescio quæ illi consolatio affingeretur, Vellejo etiam, ut fragmento nescio quo, recentioris tamen alicujus redderetur absolutior, idem ne Petronio evenerit, quamplurimi verentur. Nec profecto metus ille absque causa gravi doctos subit animos. Jam primum enim creditu est admodum difficile, potuisse hoc fragmentum tanto tempore latere in occulto, præsertim apud viros doctos, & amantes literarum, quales Nicolaus Cippicus, Abavusque ejus, Hector Cippicus Typographo Patavino memorantur. Neque enim tam ignotum illo quoque tempore Petronii fuit nomen, aut quæ ipsi prodita sunt in Satyrico, tam levia, & ingrata, ut à viro etiam mediocriter instructo literis potuerint contemni. Sed nec ea, tum præsertim, per Italiam vicinasque terras hominum eruditorum fuit oscitantia segniciesque, ut,

si quid haberent, maxime Latinas pertinens ad literas, id temere negligerent, ac ne verbo quidem apud alios laudarent. Deinde quam suspectum, quod non manuscriptum ipsum, unde captum hoc fragmentum dicitur, sed ejus tantum aliquod apographum Romam mittitur, Legatoque Veneto, ut in præfatione supra memoratus ait Typographus, communicatur? Ergo nihil valuit amicitia Statilei apud Cippicum, nihil Legati, & Legati Veneti, & tam studiosè appetentis hoc fragmentum, apud Statileum dignitas auctoritasve? Cumque nihil magis fidem facere dubitantibus potuisset, quam liber ipse, ante ducentos amplius, sicut ajunt, scriptus annos, quid ita tenuere suspensos per apographum illud, & non monstrata charta, scriptione, literis, similibusque, dubium inspicientibus exemerunt omne? Adde, quod id ipsum, quicquid tandem est, ad quod excusum hoc fragmentum fuit, tam religiose sit servatum custoditumque, quod ex viris fide dignis in Italia degentibus ad nos perlatum est, ut id nemini concessum fuerit inspicere vel arbitrari. Sed hæc forsan invenirent excusationem aliquam, nisi scriptum ipsum sese proderet. Quam enim multa sunt, *non usque quaque Petroniani saporis*, sicut ipsi ejus editores coguntur fateri? Talia *abstimax*, pro quo Petronius in vulgatis habet *abstinens*. *Fatus* masculine, pro quo ipse semper *fatum*, neutro genere. *Coelus* pro quo ille *coelum*. *Nervia*, pro quo idem *nervos*. *Vasus*, pro quo ipse *vas*. *Lorus*, pro quo *lorum*. *Molestare*, pro quo *molestus esse*. *Gaudimonium*, pro quo *gaudium*, &c. Adde his, quæ licet apud eum aliis reddita vocabulis non legantur, tamen alia, quam ut iis Petronius uti voluerit, videntur. Qualia sunt *laniones*, *urceatim*, *lanisticius*, *desomnis*, *urnalis*, *offla*, *cultrum*, *larifuga*, *pedicellum*, *dignitosus*, *occupo*, *corporaliter*, *manuciolum*, *vaccato*, *capsella*, *debatuere*, *fulcipedia*, *coricellum*, *naufragare*, ac id genus. Nec in ipsis formulis locutionibusque non suspecta possunt esse multa, ut, *non impropero*, *omnia ad se fecerunt*, *de lucerna*, *te persuadeam*, *de præsentiarum*, *in sinum illius demandavi*, *ab oculo*, aliaque. Habes quoque multa hic antiqua, quorum alias non ita studiosus esse Petronius videtur, ut, *hoc illoc*, *berbix*, *stips frunitus*, *plodo*, *bovis*, *scia*, & similia. Quid dicemus de illis, quæ quis crederet aperte sumpta ex aliis, iisque posterioris ævi scriptoribus? ut, *fundos habet*, *qua milvi volant*, quod legitur apud Juvenalem Sat. IX. *frigori lacasin dicit*, cui similia habet Martialis lib. II. 5. *animam ebullit*, quod est Senecæ in Apocol. *toga perversa prosequi*, *quod* ejusdem, atque ejus unius est, in lib. de Ira I. cap. 15. neque usquam alias occurrit. Amplius & considerationem meretur, quod quæ vere sunt Petronii, sine modo hic occurant. Dicit semel iterumque Petronius, *ad summam*, id oggeritur hic paginis singulis. Similiter illud *rogo*, quotiens est repetitum; *Rogo magister, quid putas? Rogo, mensis December est? Rogo, vos oportet credatis. Rogo, inquit, Habinna, puto interfuisti.* Talia observes & in aliis. Quid, si formula nonnulla placuit, quoties ea & ad fastidium repetitur? ut: *Piper, non homo, phantasia, non homo, discordia, non homo.* Quæ quis sibi facile persuadeat, sic iteraturum fuisse Petronium, non utique nugacem. Sed hæc singula: conferamus universa. In quibus quam sunt omnia inæqualia, quam inter se diversa? Interdum incedit polite, ut plane referat Petronianam faciem. Mox ad horrida & aspera delabitur. Est sæpe, ubi ad ridicula, & trivialia, & sordes proruit. Nolo afferre fabulas de Ulysse, Sybilla Cumana, Diomede, & Ganymede; & Helena, & farinæ hujus alia. Quid est quæso in Trimalcionis conliberti cum Ascylto contentione, quod quem valde possit oblectare? quam ibi multa frigida sunt objectaque? Possemus hujus generis afferre alia, sed sunt obvia, & facilia deprehensu. Ad postremum ne in rebus quidem ipsis sunt non multa, quæ suspicionem præbeant multiplicem. Ut quæ memorat *de lingua cantina*, *de laribus bullatis*, *loco libertino*, *prætorioque*, *phaecasiis auratis*, *carne ursina*, & non paucis aliis. De quibus diu adhuc cogitandum, quando pleraque aliis sunt ignota. Neque vero ambigendum est, quin hic plurima occurrant neque satis integra, neque sic, ut postulabat ratio, excusa. Sed miretur aliquis, nec id injuria, quare viri docti, qui fragmentum istoc descripserunt, cæterique, qui Venetiis Pataviique judicium de eo tulere suum, tam corrupta manifeste, ac ob id non modo necessaria emendatu, verum sæpe & facilia, singulis fere versibus voluerint relinquere. Nam si eo dicas factum, ut scripturæ codicis antiqui sua magis constaret auctoritas, haud sane video, qui non æque bene id potuerit, plerisque istis emendatis. Potius existimet nonnemo, affectata & conficta sponte ista vitia fuisse. Atque istæc quidem sunt, & alia fortassis, quæ in mentem cui venire ad Petronio abjudicandum hoc fragmentum posse videantur. Adversus quæ, qui statuit contraria, dixerit fortasse, non insolitum videri, ut laterent olim lateantque etiamnum hodie apud doctos, quibus quæ in hoc illove desiderantur scriptore, possint expleri. Symmachi epistolas nonnullas edidit non ita pridem Schoppius. Charisii lacunas non paucas explevit Andreas Schottus. Livii ipsius aliquod fragmentum ante annos hosce quinquaginta Romæ publicatum accepimus. Neque obstat, quod sint docti, qui possederint hæc talia, possideantve. Sunt enim nonnulli alieni ab his literis, alii vocabulum ejusmodi librorum scire contenti scripta inspicere ipsa, & conferre cum editis non sustinent, cum & molesta sit Manuscriptorum lectio, collatio illa tædiosa. Ita fit, ut aliquando, qui hæc talia in bibliothecis suis habent, ipsi se habere ignorent. Alii invidia quadam agitantur, dumque nolunt aliis communicare, edereque ipsi famæ studio suscipiunt quidem, ac negociorum aliorum interventu de die in diem differunt, sum-

mo talia silentio arctissimaque apud se custodia conservant, atque simul tineis interea pabulum lætissimum adornant. Sed nec Manuscriptum ipsum, quo de agitur, mitti Romam aut Venetias tuto satis potuit, per incerta maris, & periculosa itinerum, cum præsertim illo semel amisso supereesset nihil, quo incertis ambigentibus posset satisfieri. Jam quod illa attinet, quæ neque in Petronio, nec aliis ex veteribus occurrunt, quis ex eo satis colligat, nunquam ista sic fuisse usurpata. Quam enim multa sunt in Cicerone ipso rara, de quibus nemini, opinor, crederes, nisi legi apud ipsum deprehenderes: ut *dimetiti*, pro, *dimetati; etiam*, pro, *ita*, *juratus est*, pro, *juravit*, *successa cui velle omnia*, *putissimus*, *præmolestia*, *partior* pro, *dividor*, *obiratus*, *involutus*, *agricultio*, aliaque plura, de quibus integrum quondam scripsit librum Statilius Maximus, quem *Singularia Ciceronis* nuncupavit. Talia occurrunt quoque apud cæteros notæ optimæ scriptores, nec est fere quisquam, qui non aliqua generis hujus habeat. Adde, quod in multis, occurrentibus in hoc fragmento, lex analogiæ non repugnet. Item, quod reperiantur apud alios, Philoxenum cumprimis, cujus pæne omnia vocabula è probatissimis scriptoribus desumpta facile convincunt, quæ in ipsum viri docti pridem annotarunt, & adhuc notare possunt, atque ob hanc causam pluris, quam nonnulli fere existimant, auctoritatem ejus fieri oportere. Neque sequitur, sunt aliqua in hoc fragmento, quorum dari nulla poterunt exempla, quando de his judicandum fuerit ex cæteris. Maxime cum ipse Arbiter in eis, quæ sunt fidei indubitatæ, habeat ignota fere aliis; ut sunt, *absentivus*, *acceptatus*, *chiragricus*, *circumtumulatus*, *climare*, *conspaciantes*, *domesacere*, *gustatio*, *vesticontuberium*, *supellectitarius*, & alia hujusmodi. Quæ etiam est caussa, quod delectatum eum novitate, viri eruditi testentur. Sed videntur quædam manifeste capta ab ætate junioribus. Ad hoc diceret nonnemo, anceps valde lubricumque esse id conjiciendi genus. Annon enim ea, quæ in istis junioribus solummodo leguntur hodie, usurpata esse possunt & vetustioribus? Quam enim multi optimorum scriptorum periere libri, in quibus ista non fuisse lecta, quis est quæso, qui ausit certo confirmare? Habemus apud Juvenalem *tot milvos intra tua prædia lassos*. Verum id alludione dictum ad proverbium, *quantum milvi volant*, docet nos non contemnendus Persii Scholiastes, qui Persius id ipsum usurpavit ante Juvenalem. Jam si ex proverbio id usurpavit Persius antiquior Juvenale, cur non Arbiter Persio antiquior id usurpare potuit ex proverbio eodem? Quod vero non sunt omnia æqualia, id dicat quispiam non modo non vertendum vitio, sed ponendum etiam in laude. Primum enim aliæ aliæque sunt personæ, quæ loquentes hic introducuntur, quibus unum genus attribuere orationis inconveniens indecorumque erat. Sunt liberti quidam, sunt lapidarii, sunt coci, & id genus alii ex vulgi fæce, quibus nisi fallor, culta castigataque oratio parum apte affingitur: quando hi plebeja, & humilia, & trivialia plerumque loquuntur. Quo fortassis pertinet & bene larga illa copia proverbiorum, quæ est in sermonibus eorum ac colloquiis. Ea enim sunt, quibus velut ornamentis excolunt plebei dicta sua. Sed & antiqua plusscula eo respectu possunt hic esse usurpata, quando plebs retinentior est fere sermonis antiqui, nec nisi sero, quem cæteri arbitrantur, cultum adhibere addiscit. Neque id officere cui videatur ad fragmentum hoc Petronio adtribuendum, quod diversa sint nonnulla, quæ in editis prioribus leguntur. Nam cum ibi fere differant mulieres impudicæ, ac lascivi juvenes, debebat sane oratio esse comptior, cum hoc genus ante omnia orationi studeat, facundiamque inter instrumenta promovendæ artis suæ numeret exerceatque. At in nostris sunt plerique omnes adulti, atque in negotio longe alio ac dissimili occupati. Quæ res observationem hic videtur promerere maximam. Versantur enim in convivio, ubi luxu cuncta diffluunt: indulgent vino, poti ebriique sunt, quales qui concinne decoreque facit loquentes, is quod maxime in ipsis est decorum, prætermittit. Atque ex hoc vitio potationis est, quod de rebus nihili inter se contendant, inque contentione ipsa magna, parva, seria, inepta, cuncta denique inter se permisceant ac confundant. Accedunt alia quædam, ut imprimis ineptum, stultæque ostentationis plenum Trimalcionis ingenium, cui ex toto ridiculæ illæ fabulæ, quæ superius commemorantur, matheseosque ac rhetorices stolidissima jactatio debent assignari. Habinnas est servilis, malleoque ac fabrilibus tractandis ferramentis, quam civilitati aptior. Sed nec cæteri meliores, ut exigere ab ipsis comptiora, nescio an æquum sit. Atque eadem videri causa potest, cur non etiam in rebus ipsis, consuetudinibusque sicut vulgo notæ nobis sunt, omnia conveniant. Cum præsertim hæc fingantur geri non in urbe, sed Colonia, non satis scio qua (Neapolim nonnulli suspicantur) ubi non necesse est, ut fuisse omnia Romanis ipsis etiam in Romanorum moribus necdum omnia sint observata, quotidieque illa eruditionis pars amplificetur. Et quia in colonia finguntur geri, ideo fortassis sunt adhibita non pauca ex sermone Græco desumpta, maxime cum loquuntur ii, qui sunt gentis non Romanæ, talia sunt *saplutus*, *cataphagi*, *bacelogia*, *lechasin*, & id genus alia, numero non exiguo. Nam quod quædam sunt hic sic corrupta, ut intelligantur facile illorum vitia, id accidit & aliis scriptoribus, & alicubi apud nostrum non tam describentium, quam Typographi errore, omittentis maleve repetentis litteram in fine, vel initio vocabuli, evenisse potest. Cæterum ut ista in utramque partem dici forte queunt, ita nescio, an, si excussis omnibus res tandem ipsa sit definienda, quis negare ausit, aliqua nec ea pauca hic extare, vere docta, nec Petronio indigna.

Huc

Huc imprimis refero, quod habet de arenæ sparsione in theatris, de vitali lecto, jejunio siccitatis tempore, lanatis deorum pedibus tertiario gladiatore, exhæredatione cum elogio, Priapo cum frugibus in sinu, Venere strabone, ac similibus. Nec in dictione minus sunt polita, multa elegantia docta. Ut, *unus servus*, pro, *aliquis*; *usque hoc*, pro, *hucusque*; *positus super hoc officium*, pro, *constitutus*: *subsessores*, pro, *venatores*; *confessus Euchium*, pro, *referens cum habitu*; *secum tulit tot annos*, pro, *vixit*, & id genus plura alia. Nolo integras afferre formulas, connexionesque nihil ab antiquis, etiam probatissimis scriptoribus recedentes. De proverbiis saltem dicam, in quibus plerisque non opinor fore quenquam, qui sincerum contineri vetustatis gustum non ultro intellecturus sit, etsi prorsus pauca eorum doctis viris ante fuerint notata. Quibus omnibus efficitur, ut non ægre patiamur persuaderi nobis, esse in fragmento hoc aliquammulta, non habentia alium, quam Petronium auctorem, atque si quis præter eum est, qui illa inter se connexuit, eum longe plura, quam quæ nobis hactenus innotuerunt, reliqua ex Petronio habuisse. Quod si foret certum, ut fragmenti hujus editores tradunt, codicem, unde primum est transsumptum, annos ætate sua exercere ducentos, forsitan & longius iremus. Est enim omnino verum, illo tempore vix extitisse, qui has tales Romani sermonis suavitates vel intelligerent satis, vel imitari perite possent, vel si poterant, decipere figmentis hujuscemodi vellent alios, nondum sic in dignitate constituto sermone Latino, ut sequentibus temporibus est factum, Nunc sententiam priorem ut censemus tutiorem, ita fidem facilius apud rerum istiusmodi peritos vix ambigimus inventuram. Sane ne id quidem penitus negari potest, quod adducunt editores illi de hiatibus expletis, complanatisque lacunis, quæ in pridem divulgatis Petronii occurrebant. Quin imo & lectiones quædam diversæ pretii sunt quantivis. Ut exemplo utar, est in editis, *ut putares Darium hyraule cantante pugnare*, quod interpretes in universum omnes torsit. At hic legitur, *ut putares essem Darium*, unde docte ac sagaciter, ut omnia, CL. Gronovius restituit, *putares essedarium*, qua lectione nemo est, qui non intelligat locum desperatum pulchre esse restitutum. Ita in vulgatis legitur, *piperato vitello piperatum*, ait in hoc fragmento, *piperato vitello circumdatum*, quod haud dubie est melius. Quis enim ferat illud, *piperato piperatum*, ingratissima repetitione atque sensu penitus inepto. Ad eundem modum credo fore neminem, cui non videatur aptius, *vertebraque laxata*, quam ut fuit hactenus, *locata*. Nolo cætera afferre, quando de quorundam lectione potest esse dubitatio, quæque receptorum loco hic occurrunt, ipsa quoque sunt corrupta. Sed nec quæ de vitreorum tenacissimorum hic artifice habentur, magnifice attollam. Quanquam ea Sarisberiensis consuetudo sit, ut bona fide aliorum pleraque, ipsis etiam retentis verbis, transferat in suos usus. Cujus rei si quis testimonium requirat, matronæ Ephesinæ factum ex hoc ipso desumptum apud eum legat, & cum Arbitri narratione conferat. Neque multum discrepet etiam Isidorus, eandem memorans artificis prædicti historiam, sique habet, ubi contra Sarisberiensem convenit cum nostro, ea fere meliora sint, & à Sarisberiense male immutata. De fragmentis saltem cæteris monebo, quæ in editis Petronii hucusque separatim legebantur, videri ea tam opportune ubique hic occurrere, ut in illis ipsis locis nata, non ingenio studiove inserta facile intelligantur. Ad postremum tota fragmenti hujus oeconomia non repugnat vel ingenio Petronii, vel instituto. Si præsertim, quod persuasum pridem viris doctis est, pars multo maxima Satyrici in Neronem est directa, cum non pauca ejus vitia docte ac subtiliter notata deprehendet hic, quisquis inspicere intimius examinareque volet.

Sed hæc hactenus, neque fine alio, quam ut nostrum libere judicium de fragmento istoc depromendo, libertate illa provocemus libertatem aliorum, id est, si erravimus, quod fieri facillime potuisse non inficiamur, ab aliis deducamur in viam, doceamurque rectiora. Quando non cuivis datum omnia perspicere, minime vero nobis, qui propterea nostrum hoc judicium alii doctiorum ac exercitatiorum jure meritoque subjicimus.

ILLUSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

Do. JOH. BAPT. COLBERT,

Regi Christianissimo à Consiliis Sanctioribus, summi etiam Galliarum Ærarii Moderatori prudentissimo integerrimoque,

Doctrinarum & Virtutum omnium confugio

PATRONO INDULGENTISS.

THOMAS REINESIUS D. Sereniss. Elect. Saxon. Consil.

QUem eminus inter Orbis Gallicani Sidera hactenus contemplari, tacitaque veneratione prosequi, & admirari cepimus, quotquot in hisce Germaniæ oris Liberalibus Studiis nomina dedimus, & quæcunque habere existimamur, iisdem debemus, Eum cominus intueri, audire, adire, adloqui posse in magna felicitatis parte ponendum utique esse, & quibusvis Bonis expetibile vel intra prima, nemo diffitebitur. Mihi DEI Omnipotentis munere (huic enim potius tri-

tribuere jubet Pietas, quam Fortunæ cæcæ, iniquæ, versatili & fallaci rerum humanarum arbitræ creditæ) plus contigisse, & majora multo quam sperare potui in sinum, etiam quem nondum pandissem, confluxisse, Tuo inprimis *Illustriss. & Excellentiss.* DOMINE, singulari prorsus favore, satis intelligo; agnoscere autem satis & pro valore impreciabili æstimare satis, & prædicare nequeo. Sive enim fastigium istud, eminentemque dignitatem, in qua REGIS CHRISTIANISSIMI indultu & gratia, proba Virtutum tuarum æstimatrice, constitutus late coruscas, suspiciam, sive inusitatæ Benignitatis, quam novo, & in secula mittendo exemplo adversus hominem hunc exerces, animo meo subeat cogitatio; sive humilitatem meam considerem, horrore prehendor protinus, & confusus oppressusque rei magnitudine procumbo. Nimirum cum arduis Regni negotiis impositus, saluti ejus Te tuasque curas omnes inpendere soleas; in eam tamen præcipue incumbis, ut quod à bonis Literis in Respublicas manere compertum habes splendoris & vigoris, id vero non tantum sollicitissime computes, inquiras, procures; sed & REGI Maximo, ut eandem rei pulcerrimæ utilissimæque dignationem habere velit, persuadeas. Huic vero instituto tuo laudabili & saluberrimo, luculentum testimonium vel GERMANIA perhibuerit, & in ea Viri Docti omnis elegantis Eruditionis cultores quamplures, quos favore tuo provehi, ornari, & Regiæ munificentiæ admoveri dignos existimasti: pro quo adfectu, quantum Tibi debendi reæ sint, æterna erit Literarum confessio. Beneficiariis istis vestri REGIS judicio & inclinatione tua potissimum me quoque accenseri nuper accidit; feciſti, puto, ne vel facultas benefaciendi exhausta, vel voluntas lassata videri posset, & ut tenorem Bonitatis & Constantiæ impræpeditum, inconcussumque servare intelligeretis, emeritis vitæ stipendiis, annis gravem, & in extremo ævi cardine Senem, a quo quidquam operarum, vel meritorum frustra expectaveritis, nexu insolubili Tibi obligasti. Non sufficiebat, quod REGI Maximo me secretum à turba ostendisses, & secundas egregie agente Per-Illustri Do. CAPELLANO commendasses, etiam effectum Patrocinii tui, impetrato dono Regio, præstitisti, & ne quid deesset ad cumulum gravissimis literis, (fere dixeram *amicissimis*; ita non multo secus atque in privati hominis modum scriptæ sunt) voluntatem. Munificentissimi Donatoris mihi significare non subterfugisti: quæ si vel cogitem universa, vel tractem singula, cogor, pro inæstimabilibus habere, eoque ad gratiarum vel agendarum inopiam me redigi sentio. Quis enim ulla gratitudine adsequi præsumat adeo exuberantem gratiam? Invicta ea est; & debitorem in nervo detinet æternum. Hunc ILLUSTRISS. Do. animum Tibi profiteri possum solum; cæteris quæ ratio poscebat, & ingens meritum tuum, defectus & fœneus. Profiteor eum, inquam, & quantum virium DEUS indulserit, præstabo incorruptum, dum advixero, omnibus. Promissi hujus & observantiæ meæ pignus, quod solenni Patronos honorantium Clientum more offerri interim Tibi æquum est, in privatis opibus non reperio nunc, præter *Censuram & Scholia brevicula ad Fragmentum Petronii è Dalmatia*, quæ paulo ante quam Vestræ advenirent, prelo subjeceram. Debent hoc Eruditi Literatoribus *Patavinis*, qui è bibliotheca *Cippicorum Dalmatarum* (olim *Cæpiones* adpellabant) acceptum primum typis exscribi fecerunt; in quod exemplum cum incidisset reconditioris literaturæ & amœnitatum omnium Consultus *Nic. Heinsius*, ne possideret solus, in Suediam transmisit ad V. C. *Prof. Regium Joh. Schefferum*, qui cura sua dignum habitum iterum vulgavit, sed paulo comtius, & cum eruditis Notis; ex hujus manu ad me pervenit; & quia rogabar sententiam de novo dubiæque præterea fidei scripto, *Amico* eam gratificari fas esse putavi; & inde natum mihi, quod hic exhibeo. Opinantur de eo, uti fieri amat, alii aliter; magna manus Ineptorum, quod ad farinam nihil facere ejusmodi scitamenta putant, non contemnunt tantum, nim. quod non intelligunt; verum calumniantur etiam, dum adsequi desperant, talium curiosos: Doctorum vero plerique Petronio ævi Claudiani fine dispectu adscribunt; alii eidem ob stili inæqualitatem, suspectam multis nominibus Latinitatem sermonis, & nonnulla Romanis moribus difformia abjudicant, & inter figmenta ludicra, quod genus hominum otiosorum festivorumque vanitas, & excessus Gratiarum solet extrudere, rejiciunt. Ipse neglectis fastuosis istis & indolatilibus, ab utrisque discedendum esse vidi, & medio incedendum; temperamentoque hujus judicii robur, qua potui, adstruxi *Præfatione ad Lectorem*, & *in Scholiis*: per quæ subinde prodigiose corruptorum à Librario emaculationes, distortorum luxatorumque restitutiones, verarum lectionum adsertiones, obscurorum explicationes, & alia quantivis precii annotamenta adtentur. Hoc me curasse summa fide & industria, ut Petronio sua redderentur, aliena & insulta secernerentur, opusculum autem multæ eruditionis Seculo nostro commendaretur, adfirmo vere? si qua conatui illusit facultas, veniam, spero, dabunt æqui Judices, sua perspicacia meam avidentiam Lectoris bono sublevabunt, conferentque sine invidia, quicquid rei conducere, & sensa scriptoris nonnunquam involuta explanare posse judicaverint. Ei vero Illustrissimum nomen tuum, DOMINE, præscripsi, tam ut aliquod gratitudinis adversus Te extaret ad Posteros monumentum, quam ut scriptum, quod à vetustate habet auctoritatem, à novitate gratiam habere debet, Tuo potissimum patrocinio fultum tectumque procederet. Deprecarer culpam audaciæ, nisi singularis humanitatis tuæ fiducia, qua sustentor, alia omnia sperare juberet; Peccare etiam, in meres tuos videbor, si quod facis ante, benigne habe-

re

re literas, occurrere desideriis Clientum, eorumque operas sereno vultu excipere, Te hortarer. Quod superest, ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISS. DN. complectar voto': DEUS OPT. MAX. Te servet incolumem quam diutissime, commune Galliæ & posteritatis cujuscunque Bonum; hujus dum foves Literas: Illius dum inservis REGI. DEUS, ajo, Te servet; & omnia, quæ cogitas, quæ dicis, quæ facis ad honorem ter Sancti sui nominis, & Regni salutem evadere, Te vero consiliorum actionumque prosperrimis successibus longum interesse, & gloriose lætari clementer indulgeat. Scrib. Lipsiæ 25. April. St. vet. anno clo Ioc LXVI.

LECTORI PHILOLOGO

S. P. D.

COEnam C. Pompei Trimalcionis, è servili genere inter Libertos, à sordibus in rem lautam & ad Se Viratum usque in Colonia provecti, hominis τρυφερῦ καὶ ἁλαζόνος, argumenti Satyrico suo, narrationi fictæ, partem fecerat T. Petronius Arbiter, scriptor ævo Neronis doctissimus, nitidissimus, lepidissimusque, imitatus (quando & hoc nosse interest) Publium Mimorum Poëtam salibus & dicacitate, Cœnarum etiam compositione, Plin. *l.* VIII. c. 5. nobilem. Eam in excusis libris omnibus hactenus mutilam legimus, quippe comperto prorsus planissime, exitum ejus, interspersas epulis fabulas potorum ebriorumque, & ludicra interim exhibita convivis periisse, aliunde expleri desiderantes. Id vero ne faciamus porro, beneficium est Typographi Patavini Pauli Frambotti. Hic enim repertum Tragurii apud Dalmatas in Bibliotheca Cippicorum insigne fragmentum, Petronianis editis connectendum, anno superiore ex apographo concesso operis suis & sumtu communicavit: quem secutus in Suecia Vir eruditus, hortatore N. Heinsio, iteravit editionem Upsaliæ, adjectis Notis necessariis, Dissertationeque super vero ejus auctore comta satis, & curiose instructa; in qua cum πολὺν ῥεμβασμὸν & inclinationem in contraria observare quisque possit, rimari omnia odiosius incivile fuerit; disputare autem contra utramque contradictoriarum tenentem, & hoc ipso nihil λευκῶς adserentem, futile & supervacaneum. Interim laudamus, si ἀῤῥεψίαν, ἐποχὴν & ἐπιχείρησιν, quam profiteri oportuit liquidius, judicii sui temperamentum esse voluit. Certe aliter decidenda esse causa videtur; nimirum, ut inde exordiar, & finem dicendi post pauca faciam, multo maxima pars ejus fragmenti Petronio recte tribuitur; quod nemo eorum, qui vel levem deliciarum ejus gustum habent, negaverit; per omnes etiam pene paginas doceri id posset; idemque curatissime præstitum in Editione Upsalienst. Cæterum mangonium aliquod, perinde ac in aliis primæ notæ scriptoribus multis, quos glossemata inficeta subinde deformarunt, hic interveniisse & ejus aliquam partem Petroniastri alicujus esse, Arbitrum imitari & exhibere, velut in scena Mercurius Sosiam, ausi & apti satis, manifesta fides est. Is cum in fragmenta Arbitri præter ea, quæ dudum collecta dederunt Commentatores, incidisset, hiatus in Editionibus conspicuos impleri sic posse ratus, ea utcunque connexuit: quod ut fieret sine offensa lectoris, fingere aliqua & insulcire de suo formandis sententiis integrandisque membris, comminisci etiam, quæ nunquam facta meminerat, necesse habuit. Et hinc est summa illa inæqualitas sermonis, & purissimæ Latinitati ammixtæ extremæ Barbariei stribligines, non Augustei aurei, sed plumbei illius, quod Viros Obscuros inter Literas reflorescentes illustrasse scimus, seculi, verba deculpata, inepti putidique archaismi, Græcanicæ literaturæ modica intelligentia, & quæ sequi eam soler adfectatio odiosa, & prava prorsus adplicatio, nonnunquam mimica & ridicularia: Scio, magnis quoque auctoribus incidere aliqua vitiosa; (rem notam de Manilio, de Vitruvio, de Velejo, de Valerio Maximo, fecerunt Censuræ eruditorum, à vulgo sui temporis desumsisse quædam, quæ non probarent Ipsi.) sed ea & rara & tanquam conniventibus surrepserunt: simul etiam hoc á serio & emendati sermonis scriptore Latino non potuisse dici, quæ hic occurrunt totis agminibus infesta & horrida Latinis auribus, etiam postquam purgata fuerint; *saplutus*, cap 37. *scordalæ*, cap. 95. *bacalusiæ*, cap. 41. *libra rubricata*, cap. 46. *excattarissare*, cap 67. *debatruere*, cap. 69. *fastiditus studia*, cap. 48. *adjutasses nobis*, cap. 62. *bacibal-lum*, cap. 61. *manuciolus*, *vaccato* cap. 63. *martio-lus*, cap. 51. *caldicor*, cap. 45. *strabonus*, cap. 68. *scelio*, cap. 50. *apoculanius*, cap. 62. *ego me apoculo*, cap. 59. *barcalæ*, cap. 67. *babæcals*, cap. 37. *inspecto-sus*, cap. 4. *staminatæ*, cap. 41. *gingilipho exsonare* cap. 73 *tangomenas facere*, cap. 34. 73. *cælus*. cap. 39. *vasus*, *lorus*, cap. 57. *Fatus malus*, cap. 42. 70. 77. *literæ thesaurum est*, cap. 46. *facere ad stellas*, cap. 61. *quod sursum est deorsum facere*, cap. 63. *barbatoriam facere*, cap. 73. *stertera*, cap. 75. *offla crucis*, *corvorum cibaria*, cap. 58. *capere sibi cerebellum*, cap. 76. *per scutum per ocream egraginare*, cap. 33. *ut satisfacerem domino homini malisto & dignitoso*, cap. 61. *qui te hæc docet mustius*, *non magister*, cap. 57. quorum pleraque, quæ cura & notitia aliqua digna adparebant, in Scholiis recensui, excussi, restitui, suisque auctoribus & temporibus, quantum licuit, reddere conatus sum. Facile autem credidero Petronio, etsi minime omnium nugaci, censori autem nugarum & vitiorum acriculo, excidere potuisse aliquot insulsos frigidosque jocos, petitos é trivio, nulla eruditione conditos, ineptas recitationes & ἀνισορηπίας, *de Niobe equo Trojano inclusa à Dædalo*, cap. 52. *de origine æris Corinthii sub Annibale*, cap. 50. *Mathematicen Trimalcionis*, cap. 39. *Philosophiam ejus*, cap. 55.

56 physicen ejusdem περὶ ποδῶν, cap. 47. narrationes ridiculosas *de mensura sui ad candelabrum, & unctione labri de luterna*, ad barbam celerius producendum, cap. 62. *de facto ex homine lupo*, cap. 75. *de strigarum maleficiis circa cunas infantiles*, cap. 63. 59. *de Homeristarum argumento* cap. 66. *de esu ursinæ carnis* cap. 38. Inducere enim hominem insubidissimum, decumanum λαπισὴν Trimalcionem, nequam servos, & mulierculas ejusdem farinæ, à quibus in vino & joco nihil serii, honesti, comti & docti expectari posset, proposuerat; at Παροιμιωδῶν in brevi scripto magnus adeo numerus, majorque multo, quam in toto Satyrico, quantum hodie est, post variorum tot collectas, repertus facere potest, ut Petronio, ne tam in Oratoriæ leges ipse dicendi magister peccarit, id scriptionis genus ἀδέξῶς & simpliciter abjudicemus. Ea vero ipsa qualia, quæso, sunt? Certe nec antiqua, nec apud mediæ ætatis scriptores Latinos Græcosve lecta, sed pleraque tracta a vulgo subrostranorum, & è Jano sive medio sive infimo, φορτικὰ καὶ σαπρὰ, infeliciter arguta, Petronii vero urbanitate & genio indignissima: *Colonia hæc crescit retroversus ut coda vituli* cap. 44. cum eam priore statu & felicitate excidisse & decrevisse dicere vellet; *curris, stupes, satagis tanquam mus in matella* cap. 58. *inflat se tanquam rana* cap. 74. *qui fuit rana nunc est rex* cap. 41. *calda potio vetustiarius est*, cap. 77. *homo qui non valet lotium suum*, id est, nihili, cap. 57. *in molli carne nascuntur vermes*, cap. 55. i. e. divites & delicati facile irascuntur. *Qui in pergula natus est, ades non somniatur*, cap. 74. i. e. humilis natu alta non sapit vel adfectat: *nunc hoc est calidum mejere & frigidum potare*, cap. 67. *in manu illius plumbum aurum fiebat*, cap. 43. *qui asinum non potest, stratum cadit: colubra piscem non parit*, cap. 45. *asinus in tegulis*, cap. 63. *in alio pedicellum* (festucam) *in te vicinum* (trabem) *non vides*, cap. 57. *strabones qui holera spectant, lurdum tollunt*, cap. 39 cujus originem (significatio enim aperta est de aliud simulantibus, agentibus aliud) si quis quærat, ei nec ad Græcos nec ad Latinos eundum est, quippe quibus holera cocta cum porcina non fuere inter edulia; sed in Germanorum Italorumque, qua Germaniæ confinales sunt, victu esse meminerit, & hisce ideo proprium vernaculumque proverbium, ignarum Petronio. Eademque plane ratio est *Formularum*, quæ creberrimæ occurrunt, non πίνον ullum vetustatis eruditæ referentes, sed exuccæ exangueque, & vel adulta ætate frigentes, maleque accersitæ: *Scitis quid dicam; taceo, quia non sum de gloriosis*, cap. 75. cum multa se premere intelligi vellet: *Sed, tace lingua: panem dabo*, cap. 58. *Ita satur pane fiam*, cap. 99. *Ita me salvum habeatis*, cap. 69. *Ita bene moriar, aut populus per exitum meum juret*, cap. 58. *magis, quod bene moriar, fuit*, cap. 61. *tanquam hoc loco, salvum sit quod tango, mediam trajecit*, cap. 63. quod à suo corpore plagam avertentis est: *ita Genium meum propitium habeam*, cap. 74. Præterea perpensius cogitandum propono Doctis, quod observare videor in Oeconomia sive dispositu Cœnæ hujus; esse in ea alia quædam, quæ Arbiter ne quidem somniare potuit. Post recensita à vetere Petronio fercula, tanquam soluta cœna, hic *aper primæ magnitudinis* apponitur, cap. 40. mox *sus ingens tomaculis & botulis fartus* cap. 49. tum *apophoreta* cap. 56. ad hæc *vitulus elixus*, cap. 68. & *matteæ* cap. 65. & *secundæ mensæ* cap. 39. Cum autem matteæ ultimum cœnæ conficerent, post tertium missum, ὕστερον ἐπὶ πᾶσιν εἰσφερόμενον, ut ex *Athen. l.* 14. notum est; indeque Molpis Lacedæmonius ματτύης exponit ἐπιδειπνίδης; qui factum ut cap. 69. *epidipnis è turdis fartis siligine, uvis passis, & nucibus; è cydoniis confixis spinis, ansere altili, circaque pisces* & *omnium avium genera* demum adferatur? Non cadit in Petronium ea inscitia (nisi si eam simulare dicere lubeat, cum omnia hic sub fictione agantur) ut tres παρεθέσεις seu missus cujusque cœnæ, & præter hos epidipnida, quod patet è *Mart. l.* 8. *ep.* 32. mattyas autem & epidipnida easdem esse ignoraret; sunt ista ab interpolatore, vel semidocto vel φιλοπαίγμονι, qui mensam breviorem & simpliciorem visam, e corrasis undique conviviorum catalogis, & descriptionibus augeri posse credidit, & constipavit huc, interjectis subinde Petronianæ elegantiæ flosculis (nec enim negandum id est) præter rationem, quicquid sub manum venisset, etiam maxime dissonum & incongruens Petronio. Mirum autem quod quindecim illa fercula, ad faces & buccinas exhibita in nuptiis Trivultianis Mediolani ab H. Barbaro mutuari omiserit; certe huc faciebant. Eandemque notam meretur, quod de Collibertо Trimalcionis opulento, & qui tum *octingenta sua possideret, eum de nihilo crevisse; divitem autem factum, quod incuboni pileum rapuisset, & invenisset thesaurum* narratur cap. 38. *Incubonem* vocat Δαίμονα οἰκίδιον, Larem domesticum, quem vulgo *coboldum* nominant, (*Augustinus l.* 15. *de Civ. D. c.* 32. vulgo Silvanos & Faunos adpellari *incubos* dicit) creduntque curari ab eo domum, instrui culinam, purgari stabula, jumenta pasci & ornari, & quævis ministeriorum genera exhiberi domino ædium, opesque conciliari; hæc superstitio, qua hodieque tenentur nostrates, antiquis præsertim Gentilibus incognita insinuatur isthic; vel etiam tangitur fabula de Fortunati illius Utopici pileo & sacculo, pueris ad cunas inter *vinlia* occentari solita. Utramvis admittamus, figmentum esse Petronio multo recentius, ultro dilucescit. Ex eo vero, quod historiam de fabro vitreorum metalli duritie & ductilium cap. 51. Joh. Saresb. Præsul. Carnot. l. 4. Polycrat. cap. 5. è Petronio repetit, non satis firmiter colligitur, hoc ipsum Fragmentum visum Carnotensi fuisse: quin verba nostri ex istius effusis substricta contractaque non eodem tenore elegantiaque decurrere, sed archaïsmo barbarismoque inquinata & recentioris seculi.

li auctorisque esse, cuivis comparanti innotescit. Non sollicitabo fidem relationis, etsi de ejus veritate dubitet ipse; nam & apud Isidorum l. 16. Orig. c. 15. & Petrum Damiani l. 4. ep. ult. p. 385. dissimulato tamen nomine Petronl (fortassis, quod à quibusdam severæ frontis ob nudas nequitias & accuratam spurcitiem damnatum norant) legitur: saltem alio exemplari sive Gallico sive Anglicano, non hoc Traguriano, quod putant & supponunt Viri docti, usum esse Saresberiensem tandem deprehendo. Nam l. 8. c. 7. eum, qui de porco Trojano, aliis animalibus gravido, luxus causa parato & illato mensis, doceri velit, *cœnam Trimalcionis apud Petronium ingredi* jubet; at ejus generis porcum neque editiones Petronii, neque Fragmentum hocce usquam vel nominant, vel describunt: quod tamen persuadere nobis voluit *Frambottus*; nimirum botulos habens pro animalibus, & turdos vivos tantisper clausos in ventre porci pro hujus fartura. Sed de hoc sentiat quisque quod volet; ἀμφοτερίζει γὰρ ἡ λέξις τῦ Πολυκρατικῦ. Liquere nunc igitur puto, quod initio dixeram, simul cum Petronio Petroniastrum datum esse. Hominem adeo liberalem ut possideri solus noluerit, adeo felicem ut repererit, quod secula tredecim obruerant, digito non possum ostendere; locum tamen, in quo mimum istum composuerit, jam subindicavi. Vixerunt ante annos ducentos, qua ætate circumscribunt Codicem Tragurienscm, in Italia literatores illustres plurimi, inter Venetos & Patavinos inprimis memorabiles, & de Latinæ linguæ cultu bene meriti, quos a Scardionio, Jovio, Tomasino petere quisque intextos etiam Peplo Italiæ Joh. Mariæ Toscani inspicere potest. In turba eorum quidni fuerint, qui Petronl linguam intelligere & imitari lepores possent? Saltem cogitemus Poggios, Aretinos, Guarinos, Vallas, Philelfos, Panormitas, Beroaldos, Politianos, Picos, Barbaros, Sabellicos, Pios, Cœlios, Pontanos, quibus nec acumen ingenii, nec varia eruditio defuit, nec liberalium facetiarum gratia, nec Barbarici sermonis, quem modo dedidicerant & vernacularum suavitatum Latinis interjiciendarum notitia. Et bono igitur jure injuria reputari possit, quod Frambottus præfatur, *ei seculo non adeo sapuisse Rom. sermonis lautitias, ut Petronl famam assuere voluerint lucubrationibus suis eruditi Viri.* Sit ita: non citent isti *Petronl Satyricon:* quis inde sanus colliger, etiam ignorasse? Non citant autem, quia pietatis obtentu publica conspiratione eum infamassent majores; quam tamen censuram contemserunt Grammatici, Servius, Diomedes, Acro, Priscianus, Isidorus, Fulgentius & si qui alii sunt, D. Hieronymus quoque qui cum Petronio fuisse, ejus testimonio usi, profitentur. Fortasse benignius judicavi de fartore istius centonis, & præter meritum ad eorum, quos laudavi, tempora retuli. Obstat enim conjectura non minus probabilis nec absurda, videri posse, præteriti vel etiam currentis seculi fetum esse, qui cum sub plurium manibus in hanc staturam surrexisset, edi tandem hoc suo tempore, & seculo intemperantia literarum laboranti ac novitatis avido debuerit. Et hoc ipsum neque nos suspicari desinemus, donec de ducentis ab hinc amplius annis scripto exemplari fidem plenam nobis fecerit inventor ejus, & institor mercis Dalmaticæ *Statileus:* quod nisi fiat, proximi erimus illudi sibi, vænire sub habitu veterum mustea quædam, & fuco latebram quæri existimantibus. Quod autem magnifice prædicant *lacunas pleraſque, & hiatus quibus laborant vulgati Codices, egregie per hæc ſcripta impleri & complanari*, intra verba res tota consumta est, nec cujusquam expectationi satisfactum. Quæ enim initio fragmenti offeruntur velut supplementa editorum ante, ea parerga mera superamenta & inutilia παρεμβλήματα sunt, corrumpuntque sententiam, non adjuvant aut perficiunt; idque adparebit manifesto, si vel non recipiantur in textum, vel recepta ejiciantur. Utrinque enim reliqua concinne cohærebunt. Neque auctorem Petronium habere potest id, quod se cap. 34. ostentat; qui enim cap. 31. dixerat, *pueros Alexandrinos discubituris aquam in manus nivatam infudisse*, quomodo dicit, quod *duo Æthiopes capillati vinum dederint in manus, aquam nemo porrexerit*? Nugæ sunt istæ, malæ memoriæ hominis & inepte risum captantis. Fortassis dicere licuerit, ea, quæ ita inter se pugnant, è duabus ἐκδόσεσι (sic enim consueverunt Scriptores veteres) in unam, Criticorum qui talia colligebant inadvertentia, convenisse. Frivolum quoque istud cap. 55. *de inscriptione, de districho Trimalcionis cum elego suo, de epigrammate*; Contra bene consonant omnia, si ista distungantur. Stupor etiam ibidem notari potest descriptoris, qui gnomen allatam pro districho, & pentametrum pro elego commendat; neque advertit ῥῆτω istam, *Distichon*, &c. in autographi margine jacuisse, ad orationis vero seriem nihil facere: Idemque alibi quoque patratum esse libere suspicari licet. Et hac igitur accessione Petronius nihil adjutus est; in reliquis, quibus decursus Cœnæ narratur, genuina scriptoris veteris & primi, à tessellis noviciis & interpolamento ludicro (lusus enim hic inprimis quæsitus est ab otiosis & facetis literatoribus) tam rerum quam verborum facile discernentur. De re lubrica & latebrosa ita censemus; quæ vero præterea dici supererat, in Scholiis, enarraturis tamen tantum obscuriora pauca, & intacta Notatoribus, commodius adparebunt LECTORI: à quo unum hoc summopere contendimus, velit discrepantiam à judiciis aliorum nostram bene ferre, eamque non libidinem dissentiendi, sed studium veri & recti interpretari. Candidis elegantibusque ingeniis hoc quicquid est operæ navavi, nec nisi hortatu talium, & in usum talium; tetricorum & trivalium non sapientium ultra quatuor partes, & nihil magis in deliciis habentium quam Latine nescire, omnem autem orationem suam barbarismis & solœcismis instruere, ΟΥΔΕΙΣ ΛΟΓΟΣ; ad hæc studiorum

istas amænitates, sine quarum notitia cultuque, solidam eruditionem nullam esse, summi quique Viri judicarunt, velut doctrinam vagam, incertam, & supervacuam, sive ignorantia sive malitia ea est, criminantium ac contemnentium, contemtui jamdudum me paravi. Scr. Lipsiæ prid. KL. Febr. Ann. CIↃ IↃC LXVI.

HUMANO LECTORI
Christophorus Arnold S. P. D.

BArlæo si credas, qui Romanos scriptores acri subtilique ingenio & judicio percensuit, *elegantissimus Petronius* est, *epist.* 132. & *elegantiarum sub Nerone Arbiter, homo Latini sermonis potens, epist.* 60. à quo Belgicus ille Claudianus *perstringi, verborum tumorem & inanes sonos, epist.* 129. diligenter monet. Nunc igitur ἀπορῶ, quo me vertam: Hæc enim res est, quæ cujusque animum in hac causa dubium facere possit. Estne ipsius Arbiter, an non est? Hic se arbitrio nostro non eximet, si quidem spectatores simus elegantiarum, quas nemo facile videbit. Quanta illa depravatio & fœditas turpificati fragmenti hujus debet videri? ingens verborum tumor est, & inflata sunt fere omnia: nec suo quodque in loco sonat aptissime. Tantum vero abest, ut negligam ista, & nimis antiqua & stulta dicam; aut illam Clarissimorum virorum operam deputem parvi preti: ut potius vel mihi saltim, si non aliis, persuadeam, quod comicæ lenitatis pater de muliere, quæ citra speciem erat & delectationem, ait in Mostellaria: *Purpura atas occultanda est; auro turpe mulieris.* Cæterum jurabo, mihi non liquere; atque ita judicatu illo solutus ero.

Interea eruditione & dignitate illustres in Galliis viros veneror, quos in Divorum epulis non de vetere solum novaque philosophia, verum de hoc ipso etiam fragmento incredibili judicio disseruisse, accepi: Cumque producta lis esset longius, Celsissimos edixisse Præsides, amplius esse disputiendum. Hoc quoque in Germania egere docti homines, atque imprimis eruditi; quorum sententias, chartis hisce inclusas paucissimis, tandem, flagitantibus id amicis, in lucem edidi; ne perirent. Vale, humane Lector, & omnia ad tuum de Arbitro arbitrium refer.

EPISTOLÆ VARIORUM.
DE
NOVO PETRONII FRAGMENTO
AD
CHRISTOPHORUM ARNOLDUM.

Reverende &c. Domine:

NUllas abs te literas accipio, quas non exosculer, ita eruditione, & quod caput est, affectu sunt refertæ; atque hoc te credere obsecro, nec eapropter quid secius suspicari, quod tardius quandoque rescribo: nam ego profecto frequentiores ad te darem, modo argumentis non destituerer. In eo loco vivo, ubi --- non aliud opus aut labor est, quam in vernacula ingeniosos se facere; nec ullum verbum, nisi papavere & sesamo sparsum, aut pro suggestu, aut cum declamandum est, proferre. Ceterum commodum heri CL. Ecchellensis quid ad me perscripsit, quod scire tua omnino interest: *Legatus Venetus*, qui Romæ commoratur, Petronii codicem nactus est, nulla sui parte mutilum; ejusque editionem maturabit, quam primum Lares repetere continget: addit, repertum esse in obscuro *Sclavoniæ* angulo, & accuratè descriptum. Si quid in *Gallia* curare me voles, impera: Parisiis complures menses exigemus; & forte tum deinceps in ipsam *Hispaniam* penetrabimus. Deus te servet, & læta novi anni auspicia capere jubeat. Augustæ Taurinorum, d. 8. Decemb. 1664.

Tuus
omni observantia
Joh. Christ. Wagenseil.

Reverende &c. Domine:

DIu sane defui meo ad te scribendi officio, aliæ tamen omnes potius hujus intermissionis fuere causæ, quam ut vel hilum de mea in te observantia remiserim: non spero, sed confido, æquum, ac benignum me te habere judicem, itaque non utar prolixa excusatione. Ipse nosti, quanto intervallo sejungamur, quantum itinerum conficiam, & quam multa denique ex adverso mihi nascantur negotia. Cæterum ut eo pronior sis ad veniam, compenso nunc fere, quicquid antehac neglexi; & non tam epistolam mitto, quam librum: Imo si tanti judicas has nugas, publice ab omnibus legatur sinceri hoc mei in te obsequii monumentum, & præfigatur supposititio Petronii fragmento; cujus editionem te ultro suscepturum mihi persuasi. Concepi ista summam inter festinationem & mille curas, jamque ad iter Hispanicum, quod post tertium diem (utinam auspicato) ingressurus sum, accinctus: Quare, si quid peccatum, excusabis id tum apud te, tum alios. Debuissem describere isthæc, sed me tempus deficit; itaque tute facies, ut tuus affectus, quod mihi deest, suppleat; & ne lituris oculi offendantur. Illud autem monendum, quod suum quoque de fragmento hoc judicium communicaturus est Amplissimus Vir, Hadrianus Valesius, epistola ad me directa; quæ cum cæteris typis est tradenda. Nondum illam paravit, confectam tamen me absente in mandatis habent amici ilico ad te transmittere: Dabis ergo operam, ut hæc imprimis fideliter & emendate excudatur. Scribo d. 10. Februar. Lutetiæ 1665. Iterum vale & salve

à Tuo
humili obsequio
Joh. Christ. Wagenseil.

Re-

Reverende & Præclarissime Domine:

UT primum ex immani itinere, quo totum Hispaniæ ad internum mare littus, multa etiam ejus loca mediterranea, nec minus Africæ oram perlustravi, pedem paulisper figere, ac quietem captare mihi licet, ex animo salutare te festino. Spero delatum ad te interea Petronii fragmentum, cum adjuncta mea epistola, & quicquid ejus est, æqui te consuluisse bonique: obsequium enim in te meum ostentare volui, non eam, quam non habeo, eruditionem. Pervenere etiam sine dubio alteræ illæ Amplissimi Valesii, sic enim Amici scribunt fuisse ad te transmissas; earumque exemplaria communicarunt: quas tamen, tum quod insperata quædam calamitas mentem omnem pervertit, tum quod tabellarius abitum parat, nondum perlegere licuit: Sunt autem dubio procul omnia præclara, & talia, qualia esse consueverunt, quæ Valesii nobis dedere. Itaque si mearum nugarum te piget forte, pudetque, saltem eo nomine mihi debebis, quod hæ postremæ meo nomine procuratæ; nec differes publicam editionem. --- De Valesio autem reverenter loquendum, ut perpetua nobis sit tanti Viri amicitia: Cæterum eum mirifice devincies, si typographus typos adhibeat elegantiores, & à mendis caveat. In Hispania magna regnat barbaries, omnes bonæ literæ hic exulant: fortunam tamen admodum propitiam habui, in erudendis è pulvere & squalore aliquibus MSS. codicibus, quo nomine vehementer mihi gratulor. Sunt autem *Ciceronis Officia*, & *alia* quædam *Opuscula*: *Pomponius Mela*: *Prisciani nonnulla*: Ἥρωνος Ἀλεξανδρέως πνευματικὰ: & denique *Historia* quædam, ut inscribitur, *abbreviata Hierosolymitana*, scripta à *Magistro Thadeo*, in civitate Messane A. D. MCC XCI. Quæso te, num dispice postremi duo jam publici facti sint juris; & vale, atque me amare perge. Scrib. raptim Madriti, d. 20. Mai, 1665.

Tuus
omni obsequio cultuque
Joh. Christ. Wagenseil, D.

V. CL.

CHRISTOPHORO ARNOLDO
JO. LUDOV. PRASCHIUS.

QUantum me delectavit Tua fides ac benevolentia, Vir excellens, in Petroniano, quod fertur, ἀποσπασματίῳ, cujus avidus sane fui, absque mora submittendo: tantam nauseam movit stomachus mimus ipse. Equidem paratus eram, ut in nuperis indicavi, conjecturis meis, vel utcunque, si γνήσιον esset, illustrare, vel, si minus, coarguere: jamque adeo lecturus manum calamo armaveram. Sed minui consilium meum, ut primum *expectationem liberæ cœnæ*, i. e. principium & caput ipsum considerare attentius cœpi. Totum enim tuber est, etiam ubi hoc non simulat: utique si ad Arbitri genium & eloquentiæ regulam spectes. Ipsum Trimalcionem hæc scripsisse dixeris. Denique manifesto insitiva sunt, planeque, ut habet inscriptio, ἀνέκδοτα. Pro fidem hominum! ut nihil pudet? Atqui ego non tam scriptura moveor, qua curiositati imperitæ plebis illudere id genus hominum quærunt, quam quod maximis nominibus ad instruendam scenam, & injuriam velandam abutuntur: idque non tam in judiciis privatis ementiendis, quam obtinendis huic rei privilegiis. Num male, quæso, remp. sibi consulturam credis, quæ hoc monstri peperit, si in doli fabricatorem accuratius inquirendo, suam & alienam existimationem digna animadversione vindicatum iret? Quæ eo pertinent omnia, ut ne ullas exspectes à me notas, aut censuram etiam explicationem, super re, ut ego arbitror, liquida: maxime postquam Eruditissimo *Wagenseilio* fraudis argumenta quædam specimenis loco proponere, & prologorum ineptias diluere visum est. Nam quod ajunt, *narrationem casus infelicis illius vitreorum vasorum artificis, & porcum Trimalcionis aliis animalibus atque escis providum, ista continent; quæ à Joh. Sarisberiensi accepimus Petroniana esse:* facile vel ex *Gellio* scias, *lib. III. Noctium, cap. III.* quæ sit vera in his talibus *Judicii norma*. Dein, quis malit hinc efficere, non fefellit, quam, caute fefellit? Quasi legisse Sarisberiensem non queat simia; aut non idem aliis in fetibus, haud dubie subditis, usu venerit. His vel verbum addere, sit cum nugivendulo istoc pariter insanire: quem hoc magno mercaturum existimo. Nisi tu quid dissentis, Vir doctissime. Prudentissimus Kerscherus, qui per omnia mecum facit, officiose te resalutat. Bene vale, & favere mihi persevera. D. Ratisb. a. d. 5. Jul. clo Ioc LXV.

Jam hæc enarraveram, cum ecce afferuntur mihi à Venerabili Ursino nostro hæ, quas vides, literæ: quem favere opinioni nostræ lætor. Deus & te, & Illum, & Inclytum Dilherrum, & quisquis bonas literas amat, fervet redametque!

CLARISSIMO DOMINO PRASCHIO,
Amico Optimo, S. P. D.

REmitto Petronianum fragmentum, *CL. Praschi*, & pro communicatione ago gratias. Perlegi obiter; neque enim occupationes aliter finebant. Scire aves, quid mihi videatur? Primum, valde corruptum est; sive descriptoris insciti; sive auctoris studio, ut præferret aliquid ἀρχαίας χειρός, & crux poneretur Grammmaticis: quos lepidus homo hic exer-

cere voluit, ut ad palum. Deinde indignum quidem videtur Petronii ore, quo Musæ & Sirenes sedere solebant; sed festivo ejus ingenio non indignum, nisi adeo maculatum esset. Satyrica μίμησις totum est: facitque auctor histrioniam; homo non inficetus, risus artifex & jocorum. Falluntur, qui Trimalchionem à Petronio introductum arbitrantur, ut solum Neronem traduceret. Seculi sui mores, & ingenium in imagine ostendit; Regum imprimis; nam Claudii satis expresse: sed & Libertorum, qui tum soli regnabant quasi diceret Ter Reges. Id enim Trimalchionis vocabulum facete confictum. Eandem viam ingressus est auctor fragmenti, quisquis est, si non ipse Petronius. Tempora illa si quis conferat cum hac Satyra, non negabit. Servi, fortuna manu ducente, qui cretaros in urbem pedes intulerant, mox eo evecti sunt, ut dominarentur dominis suis. Opes è divite illius cornu non modio, sed trimodio affusæ. Tum luxus insolens, & perdendi pariter pereundique libido. Coci in honore, coronis digni habiti; Philosophi spreti, & tota urbe Italiaque proscripti. Stabat & obmutuerat Eloquentia; jacebant ingenuæ artes. *Asini volabant, Pegasis clitella imponebantur.* Novæ semper voluptates quæsitæ studio, & inventæ; fastidio præsentium, & cum grandi præmio inventorum: etiam monstrosæ, ut inexperti se in beatam Utopiam, Catarum Simiarum patriam, repente delatos, non vivere & sentire, sed somniare, credere possent. Fiebant talia, qualia apud Athenæum de aurea ætate, ni fallor, legere memini; & qualia nobis narrabat in Utopia sua festivus Barnardinus. Affectabant tamen stupidissimi homines illi, docti videri: Grammatici, Philologi, Mathematici, & quid non? applaudebant miriones, & assectæ mensarum; vel serio, ut similes habent labra lactucas; vel assentandi studio, ne dentirent dentes. Hinc ἀρχαιστοὶ, ἀθηναιστοὶ, & tota ista loquendi sartago. Hæc per μίμησιν si non reprehendit, ridendo dicere verum amans, Petronius: tamen potuit, & vix aliter, aut magis festive potuit. Nescio enim, an Notatio aut Character ejusmodi hominum festivius describi possit? Eadem omnia ejusdem ævi Viri Docti, λείψανα τῦ χρυσῦ γένες, Seneca, Quintilianus, Tacitus, sive qui de Caussis corruptæ eloquentiæ scripsit, & Satyrici Poëtæ reprehenderunt. „Latentque inter fæcu„lentas istas sordes gemmæ quædam, quas Petro„nius pro suis agnosceret, sibique vindicaret non in„vitus: potuitque mala manus multa affricare, ut „semper sunt in alienis libris ingenioli, quique muscerdas suas intermisceant alieno piperi. Verum quidquid sit; nam διώκειαι φρονήσεις σοφώτερα: non male merebitur CL. noster Arnoldus de curiose eruditis, si quamprimum excitatæ eorum exspectationi satisfaciat, lucique det hoc, qualecunque est, fragmentum: quod & ingenia acuere eorum potest, quibus eruditas nugas agere, quam nihil, magis placet; & moribus seculi nostri theta nigrum præfigere.

Saturni aurea secla quis requirat?
Sunt hæc aurea; sed Neroniana.

Profecto Trimalchionis lingua loqui, ingenio sapere, & moribus vivere tralatitium fit; & quid postera dies allatura sit, etiam non præmansa lauru, facile divinabit, cui non pepo salit -- *læva sub parta mamilla.* Vale φίλτατον κάρα, &, quod facis, ama

Summo mane festinabam, 3. Non. Julias, 1665.

Tui
studiosissimum
J. H. Ursinum.

Reverende &c. Domine:

SUaves mihi fuere literæ tuæ, & in ægritudine hac solatio, atque adeo lenimento: Interim in sinu potius ob eas gaudere, quam prolixe respondere per valetudinem mihi licet. Valesianam epistolam haud ad te fuisse perlatam, animo discrucior; teneo sane ejus exemplar, sed quod transmittere tibi non ausim, ante autori quam illud exhibeam, ut errores ab amanuense commissos, emendet; faciam autem id brevi: ut primum enim sanitati reconciliatus fuero, denuo petam Lutetiam. Insignis profecto est dissertatio, eruditione leporeque pariter refertissima, ac digna, quæ à te edatur. Heronis Alexandrini editionem olim promisit Franciscus Barocius, Patritius Venetus, in suis ad Heronem Mechanicum scholiis, in quæ forte nuper incidi; an id præstiterit, porro dispiciendum: & facile me certiorem reddet summus Vir, Ismaël Bulialdus, qui in Thuani Museo præsidet, & amore serio me complectitur.--- Vale Patrone, & me, quod certe facis, ama.

Scr. Madriti, d. 24. Septemb. 1665.

Tuus
omni obsequio
J. C. Wagenseil, D.

Vir Plurimum Reverende:

PEtronianum fragmentum, quod cum debita gratiarum actione remitto, & cujus usum longiorem ne ægre feras, enixe peto, lubens pellegi. De eo Excell. Ursini τῷ πάνυ judicio omnino assurgo, nam & mihi plane sedet, sub Trimalchionis nomine non tam Neronis personam, quam aulam, sed & ἀναισθησίαν Claudii, libertorum illius temporis typum, & egressam principale fastigium potentiam traduci. Talem etiam Zoilum suum eleganti epigrammate depingit Martialis, *III.* 82. ubi sub finem *Malchionem* appellat, in quo epigrammate multa occurrunt, quæ cum Petronianis pulchre comparari possunt. Istos seculi sui mores in hoc etiam fragmento non illepide expressit festivus sane nugator, & ingeniosus impostor; si tamen impostor, cujus fœtum ipse forte Petronius non dedignaretur pro suo agnoscere. Quanquam

quam autem CL. Wagenseilius νοθείαν scripti accuratissima diligentia manifestam facere conatus sit, diffiteri tamen nequeo, videri eum quandoque nimio deprimendi studio abreptum, aliquando longius provectum fuisse. Essent certe in mundo, qui alicubi reponi possent. *Cap.* 38. fragmenti verba illa, *Unus servus Agamemnonis interpellavit*, quæ Italicum sapere idioma putat, quo dicimus, *Un servidore d'Agamemnon ci interruppe*, aliter capio. Hoc enim, nisi fallor, vult autor: Deliberantibus cæteris, & quid consilii caperent incertis, & quo se verterent nesciis, *unus* i. e. *solus* Agamemnonis servus evadendi rimam ostendit, & consilium expedivit, quod reliqui sequerentur. Atque ita etiam reliqua forte loca commoda interpretatione ab Italicismi, ut ita loquar, suspicione liberari possent. Legisse vel verum vel Pseudo-Arbitrum Sacras literas, quod miratur, ego inficiarer. Earum enim cognitionem Ethnicis omnino adimere velle, vel sola Ovidii Metamorphosis vetat. Sed non opus eo recurrere. Ebraïsmo illi, *numorum numos*, similes è profanis scriptoribus alios adduxit, si bene memini, alicubi Del Rio ad Senecam. Ad exemplum phraseos, *unus de nobis*, Tacitus dixit lib. 14. Ann. c. 35. *unam è vulgo*. Turdi & apri latere evolantes non ideo à paratis cum arundinibus aucupibus capti sunt, & inter convivas distributi, ut crudis iis vescerentur; sed ad excitandum ridiculum, & conciliandam convivis voluptatem: quemadmodum etiam in missilium sparsione vivæ aviculæ tesseris inscriptæ. Imo simile quid nec hodie insolens; & vidi ipse frigillas vel acanthidas vivas tucetæ immissas, quæ ea aperta subito erumpentes, non sine jucunda accumbentium delectatione, triclinium pervolitarunt. Verborum monstra & nomina, ipso pene sono tremenda (qualia in vero Petronio etiamnum supersunt) me non offendunt. Erit forte aliquis in Gallia aut Suecia haruspex, qui hæc prodigia procuret. Utinam & è Batavia Hercules (Gronovius) existat, qui Augiæ stabulum purget. Sed nec illa me movent, quæ differit de veris Petronii reliquiis, quæ in hoc fragmento tam ab omni labe immunes comparent, ut cum emendatissima editione certent. Possunt enim & illa ibidem non levioribus fortasse mendis contaminata comparere; sed cum jam tot Criticorum limam passa sint, quare inventis frugibus glandes nobis iterum apponeret, aut iis, quæ jam in mero meridie jacent, tenebras rursus & caliginem induceret editor? cui quidem ipse Wagenseilius gratias agit ob desperatorem quorundum locorum felicissimam emendationem. Sed tu hæc tibi scripta pro candore tuo, boni, ut spero, consules; & vel hæc ex hac scribendi libertate, sinceritatem animi mei, æstimabis. Video autem in hoc fragmento observasse, duobus locis inserta quædam esse non ἀτόπως, ubi in vulgata Petronii editione, nulla, quod sciam, lacunæ suspicio; unde constare possit, acumen ingenii plano huic non defuisse. *Pag.* 30. *Edit Lugd.* (qua, beneficio Nob. Praschii, ad paucas horas usus sum) hæc verba reperias: *Ceterum, ut movimus dextros gressus &c* Cohærent illa cum præcedentibus, nullo interposito asterisco. In fragmento autem cap. 30. non incommode præposita leguntur: *His repleti voluptatibus, cum conaremur in triclinium intrare, exclamavit unus ex pueris, qui super hoc officium erat positus: Dextro pede. Sine dubio pauliſper trepidavimus, ne contra præceptum aliquis noſtrum limen tranſiret. Ceterum, ut pariter novimus dextros greſſus, &c* Omnino videtur istud additamentum, & observatio de dextris pedibus non esse de nihilo (de qua an aliquid suboleverit interpretibus Petronianis, quorum nemo ad manus, nescio) nam mox repetit: *Retulimus ergo dextros pedes, &c.* Alter locus vulgo *pag.* 35. sic habet: *Dum titulos perlegimus, complosit Trimalcio manus, & Heu, inquit, ergo diutius vivit! Verum est vinum Opimianum præsto, &c.* Quam languent hæc præ illis, prout in fragmento, quanquam hoc loco Æsculapii indigo, expressa sunt, cap. 34. *Heu, inquit, ergo diutius vivit vinum, quam homuncio! quare tangomenas faciamus; vita vinum est? Verum Opimianum præsto.* Sed ego patientia tua jam satisdiu abusus sum. Vale ergo, mi Arnolde, & si prolixitati meæ irascēris, prolixioribus te vindica.

Ratisb. 28. Sept. A. C. 1665. Plur. Rev. Digti. Tuæ *addictissimus* N. N.

Vir admodum Rever. & Doctissime:

QUæso a te, vel ignoscas responsionis meæ tarditati, qua effectum forsitan, ut non tam segnis aut difficilis, quam ingratus, improbus, sine culpa tamen mea, videar! Delectavit me non parum, quod Schefferi, diligentiam in conspectu dare voluisti. Eam schedam ubi legi, ad Kerscherum primum, sicut imperaveras, hinc ad Ursinum (expetebat enim, a te certior factus) detuli: a quo nondum recepi. Sed repetam, ut per manus N. apud quem bene nuper fuit, Tibi remittatur. Ad rem quod attinet, mediam Cl. Scheffero viam, causam notarum ad mendacium totum, placuisse video. Ego sententiam non muto: nec dubito, a quo aliqua sint, omnia conficta esse. Quod autem aliqua sint, non tam verba ac sententiæ, aut res etiam explicatæ, quam interior explicandi ratio docet: *leges*, inquam, *narrationis, leges satyræ, vix paucis in hoc exercitatis hodie cognitæ, Petronio familiares: accedente naturali & inimitabili lepore, singulari denique vi judicii ac ingenii. Itaque non meris operis ſtructura, non otioſus aut abruptus ſermo, non involuta, obſcura, moleſta oratio. Nec ineptit ipſe, cum ineptias aliorum ridet. Scit modum ſervare, ſcit movere, ſcit elaborare & implere verbis ſenſus, ſcit novæ orationis quodam aſſu lectorem auferre, ſcit occulte & callide ſub civili ſchemate ſecuros lacerare, ſcit urbanitatem flectere ad ſeria, locosque veluti communes, pari decore & eruditione.* Sed quis paucis atque ex tempore cuncta complectatur? E diverso alter ille, somnium.

Quem

Quem si quis non odit, amet tua carmina, Mævi. Doctiorum tamen & hoc agentium arbitrio omnia permitto, & te, Arnolde Præclarissime, valere ac salvere jubeo. Vale, & perseveranter mihi fave. D. Ratisb. a. d. 11. Octob. 1665.

Tuæ Dignitatis & Eruditionis
cultor officiosissimus
J. L. Praschius.

Vir Plurimum Reverende:

REdit ecce ad dominum suum fragmentum Petronianum, cum specimine eruditissimarum notarum Schefferianarum, quod ante hoc octiduum Nob. Praschius mihi transmisit. De ἀυθεντία scripti pulchre in utramque partem disserit Schefferus, sed hæc ἀδιαφορία Nob. Praschio non placet, qui illud omnino pro spurio habet; quod in familiari nuper discursu observavi. An dicemus, quo etiam fere Cl Schefferus inclinare videtur, esse fragmentum istud vere Petronianum, sed flagitiosa interpolatricis manus liberalitate ignobili accessione locupletatum? Hæreo. Tantum adscribo τὸ μαχαίρᾳ *Ruperti* nostri verba, ex *Observ. in Besold. pag.* 684. editionis tuæ: *Supersunt in Æneæ posteris, ut multi boni viri, sic etiam nonnulli, qui Transalpinos putant carere judicandi facultate.* --- Vale, Vir maximum Reverende, &, quod facis, constanter ama

Ratisb. 2. Nov. 1665. *Totum Tuum* N. N.

Vir Plurimum Reverende:

DE Petronii fragmento nondum mihi satisfactum est. Ferrarii sententiæ subscribere non possum. Claustralem eruditionem in multis transcendit illud scriptum. Quod si etiam a te seorsim sentiam, dabis veniam, ut spero, libertati meæ. Veritati, ait, nonnemo, non amicitiæ litabo in præsens: quanquam sententiarum dissensio non est voluntatis alienatio. Ais esse *Politici lusum, qui mores rodit hodiernos.* Sed quorum mores tangit? cui vitio peculiariter insultat? quos depectendos sibi præ aliis destringendosque sumit? cur larvam Petronii induit? cur non aperte & nudis verbis in vitia invehitur hujus seculi, quo difficile est, satyram non scribere? cur legi vult, non intelligi? quid opus tot obsoleta motare verba, & ut alicubi Taubmannus jocatur, ex Saturni podice (sit venia verbo) deprompta? Audi igitur & meum somnium. *Duco esse fœtum hominis mediocriter docti, & in Petronio non persunctorie versati; qui, forte sub initium renascentium literarum, otio vel abundans, vel abutens, exercendi styli causa, Petronium sibi præ aliis imitandum elegit, & in multis sane non infeliciter æmulatus est; in plerisque, ut nunquam par sit imitator auctori, tanquam sorex suo se judicio prodit. Insergit ex aliorum etiam bonorum autorum viridariis decerptos flosculos, & insedisse etiam inprimis Apulejo asino, bene observavit Clar. Wagenseil.* Sphalmata & tot verborum portenta, auctoris ipsius, dum antiquitatem nimis affectat, an exscriptoris, vitio irrepserint, haud facile dixero: quanquam in istud proclivior sim, qui videam, commodis interpunctionibus & distinctionibus non parum juvari posse, quod alicubi jam feliciter præstitit *Schefferus*, &c.

Ratisb. 23. Nov. 1665. Pl. Rev. Dign. Tuæ *addictissimus* N. N.

JOANNES BOSCHIUS LECTORI S.

NOn minus elegans, quam vera est oratio, omnium ore satis trita: *Benignum & ingenui pudoris plenum est, fateri per quos profeceris.* Quare me, non abs re fore tacturum existimo, si Te humanissime Lector, de instituto hoc nostro certiorem reddidero. Præstantissimus THEODORUS HILLENSBERGIUS J. C. Tornæsianam editionem concessit, quinto & septuagesimo superioris seculi anno sex exemplarium ope procuratam. Ad cujus oram trium Codicum MSS. collationes adscripserat Nob. Janus Dousa Pater, videlicet Memmii, Pithœi, & Veteris cujusdam. Illustris Legatus NICOLAUS HEINSIUS Paëtianam nobis editionem dono dedit, in qua nonnullas veteris scripti exemplaris variantes lectiones notaverat Janus Dousa Filius. Clarissimus Vir FREDERICUS SPANHEMIUS F. F. Lugduno Batavorum a Bibliotheca nobis utendum humanissime præbuit Codicem, propria Josephi Scaligeri manu ex optimo Cujacii illo descriptum, cujus margini varias aliorum duorum veterum lectiones adscripserat Vir magnus. Viginti præterea editionibus usus sum, inter quas Christophori Plantini illa, cum scripto libro collata. Has omnes non tralatitia diligentia contuli, ut cæteris nostra emendatior prodiret editio. In textu Religiose versatus sum, scriptorum utique codicum Lectionem secutus, nisi quando in iis nullus satis commodus verborum sensus, quod tunc in Notis annotavi. Satyricon illud vetus in Capita secundum Joannis Merceri editionem divisimus: & suis locis peculiari charactere, Tragurienſe Fragmentum inseruimus, prout in editione Celeberrimi, dum viveret, Typographi Joannis Blaevii legitur. Glossarium denique vetus subjecimus. Accipe ergo properatum potius quam elaboratum opus, quod curis nostris secundis cultius dabo, si modo me perennare velit is, qui supra nos negotium curat. Habes hic, inquam, mi lector, breves nostras in Petronium Notas, quæ, si placebunt, lætabor; sin autem minus, satis erunt longæ. Si ullo in loco erravi, comiter errantem doce, & memento nostrum neminem non peccare, quoniam homines sumus, non Dii. Vale multum.

FINIS. INDEX

SIREN LATINA,

SIVE

OMNIUM PURISSIMARUM VOCUM

T. PETRONII ARBITRI SATYRICI

PROMTUARIUM.

Numeri capita indicant: ubi vero addita est litera p. paginas.

A.

A capillis usque ad ungues. 102.
Longe A cella Ostiarii. 29.
A colloquio præceptoris te subduxisti. 9.
A legato gratiam moliri. 107.
A lite dimitto. 18.
A primo ad ultimum. 71.
A quorum regione. 102.
A spectaculo vacabat. 26.
A Tarento arietes emit. 38.
A turba paululum seduxit me. 13.
A turpissima suspicione fortuna me dimisit. 13.
ab acia & acu omnia exponere. 76.
ab aris faces accendere. 89.
ab extrema parte verbi consurgere. 80.
ab extemporali declamatione venit. 6.
ab hac voce equum mutavit. 24.
ab hoc epigrammate cœpit poëtarum esse mentio. 55.
ab oculo librum legere. 75.
abditur decenni prælio irata virtus. 89.
abditus sinus siquis ultra. 119.
abducere morti sic se adflictantem non potuerunt. 111.
abduxere scaphæ impositam. 114.
abduxit domum. 92.
abegit metus lacrymas. 89.
- - - vernantes comas tristis hyems. 109.
aberrantia extra mensuram pedum vestigia. 126.
aberravit puer in balneo. 97.
- - - - - suspicio mea. 54.
aberrante tunica. 67.
abeundi formavi consilium. 36.
abjecisset hanc super mensam. 34.
abjecta lassitudine. 21.
abjecti in lectis. 26.
abjectum destituit. 80.
abiete imposita gemit pulsum marmor. 89.
abjiciet animam. 74.
abiit in cœlum. 37.
abimus in deversorium præcipites. 15.
abire victor dolet, qui non jugulat. 18.
aboleri præterita osculis placet. 109.
cum abrotano nasturcii succum miscet. 138.
abruptis liber habenis furor. 124.
abscidit elisos ignes 122.
abscindam vel hoc gladio partem meam. 80.
abscisurum se tot miseriarum causam minatus est. 108.
abscondebam frequentius vultum. 110.
absconderes quos tuebaris. 107.
abscondit galea victum caput. 124.
absente me quid feceris? 136.
absentem votis interficit hostem. 123.
absentia prudenti iram meam exstinxit. 94.
absentivus moræ ne essem. 33.
abstinax fuisset. 42.
abstinebo me ab hoc cibo. 90.
abstinentem frugalitas strangulavit. 115.
abstinentia aliquot dierum mulier sicca. 111.
abstineret à Gitone injuriam. 108.
abstinuit ne hanc quidem corporis partem 112.
abstulerunt superiorem partem repositorii. 36.
abstulit mihi paralysis per quod etiam te habere potui. 130.
abundanti cornu copiosa fortuna. 29.
acaciæ rivi perfluebant per frontem 23.
accedebat huc ebrietas & imprudentia locorum. 79.
accedere justissimæ ultioni. 106.
- - - jubeo Gitona. 115.
- - - gratis ad hoc templum amoris ne me judices. 127.
- - - circulis ludentum cœpimus. 27.
accede istoc. 57.
accederent ad oculos legentium notæ. 105.
accedet huc, quod blandimenta inveniemus. 141.
accedit his. 101.
accedo aniculam quandam. 6.
accendis desiderium æstuantis. 126.
accendit ab aris faces. 89.
- - - aliquas harenarius. 126.
accenditur audacia mea iratior Lycas. 108.
accensa jocantium libidine. 26.
- - - contumelia Tryphæna sævit. 108.
accensis mentibus arma sumite. 124.
accepi hospitium Pergami. 85.
- - - gravem injuriam. 129.
- - - patrimonium laticlavium. 76.
accepisset illam optime. 42.
accepit ex qua hora injuriam. 129.
accepta datasque patrio more fide. 108.
acceptissimum omnibus matronis anserem occidisti. 137.
accessere continuo duo servi. 33.
accessi tentaturus an pateretur injuriam. 140.
accessimus tristiores ad tam viles cibos. 35.
accessisse ad hoc genus exercitationis Demosthenem non video. 2.
- - - huic tristitiæ proximum naufragium. 117.
accessit ad me paterfamilias. 8.
- - - propius cum muliercula comite. 12.
- - - propius tamquam emtor. 12.
- - - ad aurem Psyche ridens. 25.
- - - ad caput ejus cum minimis tibiis symphoniacis. 28.

quid accidiſſet, quæſivi. 9.
accipere legem muliebris patientiæ. 25.
- - - noluiſſes de manu illius panem. 37.
- - - ſeſtertium centies potui. 74.
acciperem remedium tertianæ. 19.
acciperet majorem injuriam. 25.
accipiam hæreditatem. 77.
accipiat tamquam ignis melius corpus. 115.
accipiebat rationes procurator. 39.
accipiet plagas centum. 28.
accipimus cochlearia. 33.
accipit injuriam. 94.
accipite dolum malum p. 688.
accitabula. 56.
acclinatus lateri navis. 103.
accognoſco Cappadocem. 69.
accubitoria veſtimenta perdidit. 30.
accucurrit in conductum. 9.
- - - unus ex novitiis ſervulis. 139.
accumbebat ſupra me. 36.
accumulat liberûm funus parens. 89.
accuratiſſimas nobis lauticias mirantibus. 34.
accurrit Menelaus & inquit. 27.
- - - Lycas. 105.
accuſans inertiam meam. 135.
accuſare cœpit ætatis longæ moram. 134.
- - - & amare tempore uno. p. 687.
accuſat errorem veſtrum nec punit. 16.
accuſatius hinc Numidæ, illinc nova vellera, Seres. 119.
accuſatores antiquitatis vitia docemus & diſcimus. 88.
aceto diluo cruris vulnus haud altum. 136.
Achilles qua quondam eram, illa pars corporis funerata eſt. 129.
Achilli uxor data Ifigenia. 59.
acidior ſonus. 68.
acidius ſibi umquam fuiſſe negat. 92.
acido cantico me excepit. 31.
acidum invenies ubicumque dulce eſt. 82.
aciem ne ancillarum quidem clamor deſtituit. 108.
acies hæſit pauliſper. 109.
- - verſas videt. 104.
- - civiles jam tum ſpirare putares. 122.
- - ad hæc invitum arceſſere Martem. 122.
Acriſium ipſum jubeat credere quod Danaën. 137.
actoama novum. 78.
acta urbis recitare. 53.
- - trinis ſideribus tuba mortem ciet. 122.
- - ſui Cæſaris ducit Dione. 124.
Actæa in terra hoſpita fuit. 135.
Actiacos ſinus cerno. 121.
actio putidiſſima. 73.
actis totis Tirynthius ſimilis. 124.
actu facili vilis rota fixerat pocula. 135.
actuarius. 53.
actus amore vindictæ. 122.
- - fatis jubentibus. 123.
acu comatoria malas mihi pungebat. 21.
acumen ridere non minus concionum quam calumniantium cœpimus. 15.
acumine Gitonis expliciti ſumus. 79.
acutiſſima ratione. 72.
- - - vox. 41.
acuto ſtrictoque arriculo caput miſeran tis percuſſi. 96.
acutum hominem atque urbanitatis verniliæ fontem. 24.
ad æs. 58.
ad aurem accedere. 52.
ad beſtias dare. 45.
ad clamorem confluxerant conciones. 14.
ad cœnam præmittere. 10.
ad conſtitutum veniremus. 15.
ad eloquentiam ire. 2.
ad frigidam eximus. 28.
ad genua procumbere. 97.
ad januam pervenimus. 28.
ad ictum exclamavit. 22.
ad interdictam veniret. 13.
ad inventionem ſufficere. 88.
ad laſanum ſurgere. 41.
ad latus habere ſervulum. 46.
ad latus conſtitit meum. 83.
ad lunam. 103.
ad malam admovere urceolum. 74.
ad manus nihil erat præter dupondium unum. 14.
ad manus aquam popoſcit. 27.
ad naturam reverti. 52.
ad neutram partem nobis attentationem flectentibus. 17.
ad numerum. 40.
ad nummum. 58.
ad officium venire. 74.
ad ora manus referre. 89.
ad oſcula. 114.
ad pedes ſedere. 68.
ad pedes ſtare. 58.
ad pedes pueris inſequentibus. 31.
ad pedes ſedere. 64.
ad pondus. 58.
ad prædam venerant. 22.
ad quintum milliarium. 62.
ad quod ſignum matellam ludenti ſuppoſuit ſpado. 27.
ad rem pertinet. 100. 107.
ad ſiniſtram intrantibus pictus erat canis ingens. 29.
ad ſtabulum venit. 16.
ad ſtrepitum articuloſum uſque. 17.
ad ſummæ. 57. 77.
ad ſummam. 31. 45. 57. 71. 105. 38. 31. 134. 110 140.
ad tertianam remedium. 18.
ad villam ſupremum diem obiit. 61.
adamarent. 110.
adcurro vid *accurro*.
addicere pallium minoris placuit. 14.
addicimus domino corpora animaſque religioſiſſime. 117.
addictus hiſtrioniæ. 5.
- - - perditis. 5.
addit dolis fidem. 89.
addite curſum. 23.
additur illi comes Pallas. 124.
adducere ſi quem forte emtorem ſplendida veſtis poſſet. 12.
- - - oſtium cellæ. 94.
adductæ nubes obruere tenebris diem. 114.
ades huc, ô Bacchi tutor. 133.
- - huc, tu ruſtice cuſtos. 131.
adferre damnatas manus. 80.
adferat quod mortalibus uſus. p. 678.
adfigere cruci. 113.
adfigi crucibus juſſit latrones. 111.
- - - cruci illi jubet, quæ vacabat. 113.
adfirma ei. 101.
adfirmabat pallium craſtino die exhibiturum. 15.
- - - - ſe cum onere fugiturum. 117.
adfirmavi verecundiſſimum puerum huic petulantiæ non ſufficere. 25.
adfirmavit mihi dominum eſſe iratiſſimum. 139.
adfixa, vide *affixa*.
adflictantem ſe non potuerunt parentes abducere. 111.
adfulſiſſe ſolum illud verum pudicitiæ amoriſque exemplum. 111.
adgredimur ridentes res electiſſimas. 6.
adgreſſus ſimulantem aliquot baſiolis invaſi. 85.
- - - oſculis tamquam fomentis. 98.
- - - iildem blanditiis pudicitiam ejus. 112.
adhæſiſſet olim Ulyxes pro ariete. 97.
adhæſuram atramento veſtem. 102.
adhibuiſſet ullum dolum malum conſilio. 101.
adhuc aliud aliquod iter ſalutis quærendum. 102.
adjecerat ſtaturæ altitudinem ſella. 136.
adjecimus ne ullum quidem verbum. 17.
adjecit Trimalchio. 34.
adjectis petulantibus dictis. 11.
adjicere deverbia melica. 64.
adiri ſe patiuntur rupes. 122.
aditu in ipſo occurrit mihi. 7.
- - in ipſo ſtabat oſtiarius praſinatus. 28.
in aditu ſteti projecta veſte. 136.
aditum mihi præcluſiſſem. 87.
- - haberet conſilium. 102.
aditus balnei. 73.
adjutaſſes ſaltem nobis. 62.
adjuvaturos nos divinam providentiam vel periculo noſtro. 18.
adjuviſſes de medicina. 18.
adjuvit caſus utriuſque partis votum. 15.
- - - hilaritatem comiſſantis Cymbaliſtriæ. 23.
adlata vide *allata*.
admiratione ſaturi ſequimur. 28.
- - - - - timidiſſima. 92.
admiſeris magnum flagitium. 137.
admiſerunt intrantem recluſæ fores. 16.
admiſimus eam magnum facinus. 20.
admiſiſtis inexpiabile ſcelus imprudentes. 17.
admiſit nos per eandem feſtram. 79.
admiſſus Cæſarem eſt. 51.
admitte timidas preces. 133.

admittere inter cultores hominem peregrinum ne faſtidias. 127.
- - - ne ad cognitionem quidem ſeverioris notæ homines ſolent. 132.
admitteretur in domum. 85.
admitti in hoc diverſorio quemquam mortalium vetui. 19.
- - - in partem voluptatis tentabat. 113.
admittitur nec ad ſcenas, nec ad ſpectacula. 116.
admixtus ſanguis ſublimat lactea pectora. p. 668.
admoneo amicos meos. 141.
admonere te ipſum jacentis corpus debet, ut vivas. 111.
admonitus, periculoſum eſſe alienis intervenire ſecretis. 20.
admonuerunt pari ſomniorum conſenſu, quid feciſſent. 106.
admonuiſti bene. 25.
admotis manibus tentare cœpit inguinum vires. 131.
admotum ne quidem ignem ſenſiſſet. 39.
admovere ad faciem manus trementes. 74.
- - - - ad malam frigidum urceolum. 74.
admovi non impius hoſtis templis dextram. 133.
admovit ſe furtim foribus. 11.
- - - ſe ultro ephebus. 86.
- - - ad virilia ſua novaculam infeſtam. 108.
adnuiſſetis de hac medicina. 18.
adnumerare uvas vitis cœperat. p. 681.
adolebat Lycam inimicis manibus collatus rogus. 115.
adoleſcens, vide *aduleſcens*.
adoptare ſororem quid prohibet. 127.
adorari ſi te permiſeris, invenies religioſum. 127.
adorat quem Lydus veſtifluus. 133.
adoratis ſideribus intro navigium. 99.
adoravi monochromon Apellis. 83.
adoret Judæus porcinum numen. p. 683.
adornat pueri caput. 110.
adplico, vide etim *applico*.
adplicat mentem magnis. 5.
adplicuerat oculum curioſum per rimam improbe diductam. 26.
adraſum caput coccineo pallio excluſerat. 32.
adriſerit fortunæ hora. 133.
adſidebat ægræ fidiſſima ancilla. 111.
adſperſus, vide *aſperſus*.
adſpexit nemo impune quod non licet. 17.
adſpicere unde poſſet omnes terra. 124.
adſpice late luxuriam ſpoliorum. 120.
adſpirant ſolæ deſertis frondibus auræ. 119.
adſtante populo comederint corpus meum. 141.
adſtrinxi toto pectore optima fide reviviſcentem amicitiam. 91.
advena tigris premit claſſes. 119.
adventitia hac frequentia me excipere ſolet. 90.

adverſis in rebus quæ jacuere juvant. p. 679.
adulator vilis picto jacet ebrius oſtro. 83.
adulatores ficti cœnas divitum captant. 2.
aduleſcens, ignoſce. 137.
- - - - omni libidine impurus. 81.
- - - - narrabo tibi, paralyſin cave. 129.
aduleſcentem quem vides, malo aſtro natus eſt. 134.
aduleſcentuli quæ probent, niſi doctores dixerint. 3.
aduleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri. 1.
aduleſcentulus nocte mecum dormiat. 134.
aduleſcentulus cum eſſem. 64.
adultera dat munus. 104.
adumbrata inſcriptione deriſi ſumus. 106.
adumbratæ literarum notæ. 105.
advocati jam pene nocturni. 15.
